R-5238

De el collegio de la Comp.ª de Jesus de Granada
Del aposento del P.e M.o de Escritura

BIBLIA

SACROSANCTA

VETERIS AC NOVI TESTAMENTI
IVXTA VVLGATAM EDITIONEM

Quorum alterum ad Hebraicam, alterum ad Græcam veritatem emendatum est diligentissimè, vt noua editio non facilè desyderetur, & vetus tamen hic agnoscatur: adiectis ex eruditis scriptoribus scholijs, ita, vbi opus est, locupletibus, vt pro commentarijs sint: multis certè locorum millibus præsertim difficilioribus, lucem afferunt.

AVCTORE ISIDORO CLARIO BRIXIANO
EX MONACHO CASINATE
EPISC. FVLGINATENSI

Ex secunda eius recognitione

Por comision de los S.res inquisidores corregi este libro conforme al expurgatorio del año de 1632 en 21 de Noviembre del mismo.
Andres Lucas

Esta expurgado conforme al Expurg.rio del año de 1707.
Manuel Padial

VENETIIS APVD IVNTAS
M D LVII.

R-5231

De el collegio de la Compª de Jesus de Granada
Del aposento del Pe. Mº. de Escritura

BIBLIA

SACROSANCTA

VETERIS AC NOVI TESTAMENTI
IVXTA VVLGATAM EDITIONEM

Quorum alterum ad Hebraicam, alterum ad Græcam veritatem emendatum est diligentissimè, vt noua editio non facilè desyderetur, & vetus tamen hic agnoscatur: adiectis ex eruditis scriptoribus scholijs, ita, vbi opus est, locupletibus, vt pro commentarijs sint: multis certè locorum millibus præsertim difficilioribus, lucem afferunt.

AVCTORE ISIDORO CLARIO BRIXIANO
EX MONACHO CASINATE
EPISC. FVLGINATENSI

Ex secunda eius recognitione

Por comision de los Sres. inquisidores corregi este libro conforme al expurgatorio del año de 1632 en 21 de Noviembre del mismo.
Andres Lucas

Esta expurgado conforme al Expurgrio del año de 1707.
Manuel Padial



VENETIIS APVD IVNTAS
M D LVII.

UNIVERSITARIA GRANADA

LIBER GENESIS

Hebraice Beresith.

Horum Bibliorum textum nemo
eorum vulgatæ Editionis esse, existimet.
Corregi este Biblia conforme ala correcion
ala Sra. Genl. inqn. a. 16. de Março. de 1613
+ Augustin de Quiroz

CAPVT I.

A

B

[a] *IN PRINCIPIO* [b] *CREAVIT DEVS* cœlum & terram. Terra autem erat [c] inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem [d] abyssi: & [e] spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitq; Deus, Fiat lux. Hebr. 11.a
Et facta est lux. Et vidit Deus lucem q̃ esset bona: & diuisit lucem à tenebris, [f]
appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem: Factumq; est vespere & mane Psal. 135.a
DIES VNVS. Dixit quoq; Deus. Fiat [g] firmamentum in medio aquarum: Hier. 19.b
& diuidat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas, quæ Psal. 135.b
erant sub firmamento, ab his, quæ erant super firmamentum. Et factum est & 88.b.a.
ita. Vocauitque Deus firmamentum, cœlum. Et factum est vespere & mane
DIES SECVNDVS. Dixit verò Deus. Congregentur aquæ, quæ sub cœlo
sunt, in locũ vnũ: & appareat arida. Et factũ est ita. Et vocauit Deus [h] aridã, ter-
ram: cõgregationesq; aquarũ appellauit maria. Et vidit Deus q̃ esset bonum, & ait. Germinet terra herbã vi-
rentem & facientẽ semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suũ, cuius semen in semetipso
sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, & facientem semen iuxta genus suum,
lignumq; faciens fructum, & habens vnumquodq; semen secundum speciem suam. Et vidit Deus q̃ esset bo
num, Et factum est vespere & mane DIES TERTIVS. Dixit autẽ Deus. Fiant luminaria in firmamento
cœli, & diuidãt diem ac noctem: & sint [i] in signa & tempora, & dies & annos: vt luceant in firmamento cœli,
& illuminent terram. Et factũ est ita. Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præesset diei, &
C luminare minus, vt præesset nocti: & stellas, Et posuit eas Deus in firmamento cœli, vt lucerent super terram,
& præessent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus q̃ esset bonum. Et factum est vespe
re & mane DIES QVARTVS. Dixit etiam Deus. Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile su-
per terram [k] sub firmamento cœli. Creauitq; Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atq; motabi-
lem, quam produxerant aquæ in species suas, & omne volatile secundum genus suũ. Et vidit Deus q̃ esset bo-
num, benedixitq; eis dicens, Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: auesq; multiplicentur super
terram. Et factum est vespere & mane DIES QVINTVS: Dixit quoque Deus. Producat terra animam vi-
uentem in genere suo, iumenta & reptilia & bestias terræ secundum species suas. Factumq; est ita. Et fecit
Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quòd esset Matt. 19.a
D bonum, & ait. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & vo- Marc. 10.a
latilibus cœli, & bestijs, vniuersæq; terræ, omniq́ue reptili, quod mouetur in terra. [l] Et creauit Deus homi- Sapi. 2. d
nem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Benedixitq; il- & 10.a
lis Deus & ait, Crescite & multiplicamini, & replete terram: & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, Eccle. 17.a
& volatilibus cœli, & vniuersis animantibus, quę mouentur super terram. Dixitq; Deus, [m] Ecce dedi vobis Infr. 8.c
omnem herbam afferentem semen super terram, & vniuersa ligna † fructifera, quæ habent in semetipsis se- Eccl. 19.c
men, vt sint vobis in escam, & cunctis bestijs terræ, omniq; volucri cœli, & vniuersis, quæ mouentur in terra, Marc. 7.d
& in quibus est anima viuens, † omnẽ virorem herbę vt habeant ad vescendum. Et factum est ita. Vidit Deus
cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum est vespere & mane DIES SEXTVS.

ISIDORI CLARII, SCHOLIA.

[a] IN principio.] *Sunt quibus videatur, ex illis Moſis verbis, In principio creauit Deus cœlum & terram, non colligi ma-*
niſeſtè, mundũ non ab æterno factum, verum, vt cætera prætermittamus, vnum illud ſatis mihi videtur eſſe poſſe ad tollendã
illam æternitatis opinionem, quòd de primi hominis creatione ſit mentio, cui aſſignantur certi vitæ anni, cæterusque, qui dein-
ceps gignuntur, vt colligatur, ab Adam ad diluuium tot annorum numerum interceſſiſſe, & à diluuio ad Moſen &c. Porrò
hominem cum ipſis naſcentis mundi exordijs factum fuiſſe, quis dubitet, cum eius vnius cauſa hæc mũdi fabrica facta videa-
tur? At ociosum, inquiẽt, Deum in tãta æternitate manere qui oportuit? quibus illud Pauli apte poſſumus reſpondere. Atqui
o homo, tu quis es, qui ex aduerſo reſpondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe finxit, quare me feciſti ſic? Quis enim ho
minum audeat dijudicare, utrum magis diuinæ maieſtati atque omnipotẽtiæ fuerit conſentaneum, ab æterno ne, an poſt ſæcula
infinita mundum conſtruxiſſe? præſertim cum, quæ de mundi vel æternitate vel tempore dicuntur, eadem de ipſius magnitu-
dine dici poſſint, cur ſcilicet longè maius & magis dignũ illa diuina infinitate ſpacium ei non ſit datum, atque adeò cur nõ po-
tius mundi conſtructi ſint plures? nam ne punctum quidem exiguum eſt hæc, quæ videtur mundi vaſtitas, ſi cum authore ſuo
conferatur. ſed meminiſſe nos oportet ſæpe in ipſis noſtris ratiocinationibus, quid Deus ipſe dicat. Non enim cogitationes meæ,
inquit, cogitationes veſtræ, neque viæ meæ viæ veſtræ. Quoniã quantum diſtant cœli à terra, tantũ diſtant cogitationes meæ
à cogitationibus veſtris, & viæ meæ à vijs veſtris. Præterea, quis imaginantur, cœternũ Deo eſſe mundum, vt qui ab eo qui-
dem proficiſcatur, ſed ita illũ continuo conſequatur, vt vmbra corpus, aut fulgor lampadem, non deerunt ne ijs quidem, quæ eis-

scrupulum moueant, atque illud in primis, quod videbitur à necessitate potius quidã, quàm à diuina voluntate profectus, nã si hoc non fuit necessarium, cur sine mundo esse potuisse aliquando Deum iudicare non audent? sin ex eius voluntate atque arbitrio factus est mundus, quæ nã hæc est necessitas introducendæ æternitatis? Sin dicant, Volentem quidem Deum fecisse mundum, sed decuisse, atque adeò oportuisse, vt ab æterno ea res fieret, eodem reuoluuntur, & re quidem ipsa, quãuis appareant uerbis euadere, ne. cessitatem introducunt. Etenim Vmbra corpus fulgor lampadem, vestigium pedem sequuntur necessario, neque in eare aut eligentis, aut formatricis voluntatis sit cogitatio, ut mittam, quod pauloante diximus, imbecillas nimis esse humanas ratiocinationes, si. quid Deum deceat, quidue oporteat, velint disputare. Audiamus vel Platonem, qui monet, de diuinis rebus solis filijs Dei esse credendum. In principio ergo creauit Deus cœlum & terram, cõtra eos (ait magnus Basilius) qui sine principio & ab æterno mundum fuisse crediderãt, alioqui dicendũ potius fuisset, in principio erat cœlũ & terra, vt Ioannes de filio dixit, In principio erat Verbum. Vel dixit in principio (ait idem Basilius) vt intelligeremus, Deum sine interuallo temporis omnia fecisse. Principium enim temporis nondum est tempus, neque vllum principium idem est ei, cuius est principium. Videtur etiam posse sic accipi. In principio creauit Deus cœlum & terram, pro eo ac si dixisset, principium creaturarum Dei Fuit cœlum & terra. Quod si de angelis quæstio moueatur, respondebitur, propositum fuisse Mosi de hac uisibili tantum fabrica disserere. Thargum Hierosolymitanum, quod Ionathæ ascribitur, magnæ apud Iudæos authoritatis, habet. In sapientia creauit Deus cœlum & terram. Meminit autem extremorum Moses, cœli uidelicet ac terræ, quæ media omnia complectuntur.

[b] Creauit Deus.] *Textus hebraicus habet. In principio creauit dy cœli & terram: sicut & infra dicitur pluralinumero: Faciamus hominẽ: & mox subditur in singulari. Et creauit Deus hominem. Vt ab ipso scripturæ exordio agnosceremus, cui unitate diuina personarum esse distinctionem, quamuis Iudæi hic conentur id friuolè refellere.* [c] Inanis.] *Vel informis, quòd de illa, quam proximam uocant materiam, externi philosophantur. Vel quia confusa erant adhuc omnia. Septuaginta uerterunt,* ἀόρατος καὶ ἀκατασκεύαστος *inuisibilis & incomposita, nã & ornatus illi suus deerat, & undiq; operiebatur aquis. Vide, hoc præsertim loco Exaëmeron Basilij, ubi pulchrè atque eruditè, vt omnia, eorum sententias confutat philosophorum, qui materiam non genitam introducunt.* [d] Abyssi.] *Terra, abyssus, aqua, pro eadem re posita sunt, vt mollem, obscuram, & incompositam intelligeremus. Alij nomine aquarum accipiunt elementa tenuiora.* [e] Spiritus Dei ferebatur.] *Fouebat, ut cum ouafouentur ab alite: significat q; uirtutem inditã germinandi, atque gignendi. Alius intelligit uehementiam aquæ agitatæ esse ipsas aquas, ita vt omnia hinc inde confusa agerentur.* [f] Appellauitq; lucem diem.] *Nunc verò post factum solẽ dies est, dum aer à sole illustratur, in hoc super terram hemisperio: & nox obumbratio terræ, sole delitescente facta, tunc autem non secundum solarem motum fiebat dies & nox, sed vel effusio primogenito illo lumine, vel rursum contracto, prout præfixa à Deo mensura fuerat. Postea verò solare corpus factum est, tanquã uehiculum illius lucis. quod explicatius etiam tempora mortalibus distingueret. Inuenies & hunc locum in eodem Exaëmero diuinum in modum tractari. Et omninò hoc caput, non scholijs sed uoluminibus egeret, si vlla tamen hominũ uolumina tantæ rerũ magnitudini queunt respondere.* [g] Firmamentum.] *Sonat uox Heb. extentionem, vt illud. Extendit cœlum sicut pellem, nam ex aquis fecit rem extensissimam, & spheras quasdam, quas eodem uocabulo cum cœlo summo uocat, quod primo creauit. Putant autẽ quidam, angelos & quæ superiora sunt, à Mose signari per aquas supra firmamentum, siue ob copiã, siue ob elementi puritatem: per aquas uero sub firmamento, elementa & quicquid sublunare est, siue aerem & locum nubium. Alij censent à Mose fieri mentionem huius tantum corporei mundi, atq; iccirco hic intelligi, in medio aquarum aquas quasdam solidatas, & factum firmamentũ, quod cohibeat aquas superiores, & inferiores, ne ista ascendant, illæ descendant, & ex aquis, quæ supra firmamentum sunt, crystallinum, quod uocant, cœlum esse, aquas concretas. Quod verò secundo diei de more non benedixerit, præter Vulgatam illam & à philosophis acceptã sententiam, quòd, scilicet primus sit, qui ab vnitate discedat, faciatq; diuisionem, quodq; materiam formamq; significet, & à diuina similitudine disiungatur. Alia ratio videtur literæ magis consentanea, quòd distinctio illa aquarũ, quæ secundo die inchoata fuit, tertio demum die fuerit completa, atq; iccirco bis dictum sit ipso tertio die. Vidit Deus quòd esset bonum.* [h] Aridam.] *Dicunt Hebræi, aridam uocatam, quòd omni fructu destitueretur, terram verò, quòd iugiter appetat ferre fructum. Nã Hebreæ dictiones id significare videntur.* [i] In signa & tpa.] *Vox Hebræa, Moad, significat tempus statutũ, & quod aliquid testatur. nam venit à verbo Iaad, quod testari significat. Hinc solennitates quædam legales, vt pascha, tabernacula, nouilunia & aliæ similes, uocantur Moadim. Hic verò per Moadim intelligunt ver, messem, hyemem, & æstatem. Porrò signa vt serenitatis & pluuiæ, & quæ humanis usibus inseruiunt.* [k] Sub firmamento cœli.] *in prospectu cœli, vt cũ dicitur, sub diuo.*
[l] Et creauit Deus hoïem ad imaginẽ suã.] *Ex hoc loco Magnus Basilius arguit libertatẽ arbitrij, cũ nõ repetita sit illa dictio, ad similitudinẽ, quæ dictio superius fuerat posita. Vide ipsius exaëmeron, nam res est, quæ parũ aptè scholio arctari possit.*
[m] Ecce dedi vobis.] *Anticipatio est, nam Deus duobus hic loquitur, cum posterius Euæ productio describatur.*

CAPVT II.

IGitur perfecti sunt cœli & terra, & oĩs [a] ornatus eorũ. Compleuitq; Deus die septimo opus suũ quod fecerat: [b] & requieuit DIE SEPTIMO ab vniuerso opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illũ: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo, [c] quod creauit Deus vt faceret. Istæ sunt generationes cœli & terræ, quando creatæ sunt [d] in die, quo fecit Dominus Deus terram & cœlum, & omne virgultũ agri [e] anteq̃ oriretur in terra, omnemq; herbam regionis priusquã germinaret. Nõ enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat, qui operaretur terram: † & [f] vapor ascendebat è terra, irrigans vniuersam superficiem terræ. Formauit igitur Dominus Deus hominẽ de limo terræ, & [g] inspirauit in faciẽ eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animã viuẽtem. Plãtauerat autem Dominus Deus [h] paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominẽ quem formauerat, produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum uisu, & ad uescẽdum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, [i] lignumq; scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigãdum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita, nomen vni [k] PHISON: ipse est qui circuit omnem terram Euilath, vbi nascitur aurum, & aurũ terræ illius optimum est, ibiq; inuenitur bdellium, & lapis onychinus. Et nomen fluuij secũdi GEON: ipse est qui circuit oẽm terram

Exo.20.b Hebr.4.b

1.Cor.15.f

terram Æthiopię. Nomen verò fluminis tertij, TIGRIS: ipse vadit cõtra Assyrios. Fluuius autem quartus ipse est EVPHRATES. Tulit ergo Dñs Deus hoïem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur & custodiret illum, præceptitq; ei, dicens, Ex omni ligno paradisi comede: de ligno aũt scientię boni & mali ne comedas. In quocunq; enim die comederis ex eo, [l] morte morieris. Dixit quoq; Dñs Deus, Nõ est bonũ hoïem esse solũ: faciam ei [m] adiutoriũ † opportunum. Formatis igitur Dñs Deus de humo cunctis animãtibus terræ & vniuersis volatilibus cœli, adduxit ea ad Adã, vt videret quid uocaret ea. [n] Omne enim quod uocauit Adam animę viuentis, ipsum est nomẽ eius. Appellauitq; Adã nominibus suis cũcta animantia, & vniuersa volatilia cœli, & omnes bestias terræ: Adæ verò nõ inueniebatur adiutor † opportunus. Immisit ergo Dñs Deus soporẽ in Adã: cumq; obdormisset, tulit vnã de costis eius, [o] & repleuit carnẽ pro ea. Et edificauit Dñs Deus costã, quam tulerat de Adã, [p] in mulierẽ: & adduxit eã ad Adam. Dixitq; Adam, Hoc nunc os de ossibus meis, & caro de carne mea: hæc uocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quam ob rem [q] relinquet homo patrem suum & matrem, & [r] adhærebit vxori suę: & erunt duo in carnem vnam. Erat aũt vterq; nudus, Adam scilicet & vxor eius: [s] & non erubescebant.

1. Cor. 11.b
Mat. 19.a

Mar. 10.a
Ephe. 5.g
1. Cor. 6.d

SCHOLIA.

[a] Ornatus eorum.] *In Heb. est, exercitus eorum, sed interpres sensum transtulit, nam exercitus ille siderum est cœlorũ ornatus.* [b] Et requieuit.] *More hominum scriptura loquitur, perinde quasi Deus requiete egeat peracto suo opere.* [c] Quod creauit Deus vt faceret.] *omissis hoc loco anilibus iudæorũ quorũdã fabulis, de Faunis & Satyris, & huiusmodi, quos fingunt Deum uespera sabbati præuẽtum non perfecisse, sunt qui bene interpretentur de vi, quã Dominus rebus indidit in creatione, vt rerum species subinde conseruarentur, & ipse à nouis condendis abstineret.* [d] In die, quo fecit Dñs Deus.] *Hic primum scribitur nomen Dei tetragrãmaton, vt perfecto opere Dei, perfecta Dei appellatio adhibeatur.* [e] Antequam oriretur in terra.] *Docet diuinam esse uirtutem, quæ producat omnia, cum tunc sine imbribus et opere humano hæc omnia solo Dei iussu nascerentur.* [f] Vapor.] *Chaldæus interpretatur nubem, quod tamen idem est.* [g] Et inspirauit in faciẽ eius.] *Vt hominis animam à reliquis distari significaretur, nam reliquorum animatiũ animæ de materia eductæ sunt, iccirco dixit: Producant aquæ reptile animæ viuentis. &, Producat terra animã viuentem, at hominis anima foris inspirata est.* [h] Paradisum voluptatis à principio.] *Vel in Edem ab oriente, Sunt. n. qui Edem, non pro voluptate, sed pro regione sic appellata accipiant, cuius mentionem facit Esaias Cap. 37. in qua Dominus hortum amœnissimum, & delitijs plenum plantauit, hominiq; ad inhabitandum, colendum, & custodiendum tradidit.* [i] Lignum scientię boni & mali.] *Non quòd illa arbor, quasi prædita ratione, haberet hanc vim, sed quia futurum erat, vt homo ex ea contra præceptum uescens, disceret, non solũ quam bonum esset parere mandatis Dei, verum etiam quàm perniciosum contemnere.* [k] Phison.] *Aliqui interpretantur Gangen, alij Nilum, sicut etiam duplex est Euilach, vna in Aphrica, quam putant Getuliam, alia in India. Sic Gihon quidam putant esse Nilum, alij fluuium esse contendunt in Mesopotamia, dicẽtes non hanc esse illã Aethiopiam sub Aegypto, sed aliam in Arabia: sicut & Madianitæ Aethiopes uocantur. Nam & apud Homerum duas Aethiopias reperies.* [l] Morte morieris.] *Incipies ea ipsa die esse mortalis, & corruptioni obnoxius, vt uita futura sit quædam prolixior mors.* [m] Adiutorium opportunũ.] *Hebraismus habet, adiutorium, quod sit coram eo.* [n] Omne quod uocauit Adã.] *Opinor, ex hoc loco Platonem uenisse in eam opinionem, vt diceret in libro de rectã nominum ratione, uideri sibi eam naturam, quæ rebus nomina imposuerit, celsiorem fuisse hac humana. Nam cum indidit Adam animantibus nomina, nondum legitur fuisse à sua præstantia lapsus. Impositio autem nominum significat, & quàd Adam naturas animantium perfectè calluerit, nam id demum, aut potius id solum proprium cuiusque rei nomen est, quod illius naturam exprimit: & quod ipsa animalia hominis imperio subiecta essent. Etenim imponere solemus nomina ijs, quæ iuris sunt nostri.* [o] Et repleuit carnẽ pro ea.] *Costa ossea erepta, carnis molliciem induit Adam: & ex mulierum consuetudine virilis constantia imminuitur.*
[p] In mulierem.] *Nomen mulieris apud Hebræos à viri nomine ducitur, quam analogiam si nos sequeremur, à viro virago dicendum esset.* [q] Relinquet homo.] *Hunc locum apostolus de mysterio Christi & ecclesiæ interpretatur. Eph. 5.* [r] Adhærebit vxori.] *Lege Dei ac naturæ vnus vni tantum copulandus vxori decernitur.* [s] Et nõ erubescebant.] *Erat eis pro uestimento diuina quædam gloria, cuiusmodi & in resurrectione futura est.*

CAPVT III.

A SEd & [a] serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem. Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respondit mulier, De fructu lignorum, quæ sunt in paradiso, uescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit autem Serpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini: scit enim Deus, quòd in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi uestri: & eritis [b] sicut Dij, scientes bonũ & malũ. [c] Vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignũ ad uescendũ & pulchrũ oculis, † & concupiscibile ad prudentiã comparandam: & tulit de fructu illius, & comedit, dedit q; viro suo qui comedit. Et aperti sunt oculi amborũ. [d] Cumq; cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata. Et cum audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso [e] ad aurã post meridiẽ, abscondit se Adã & vxor eius à facie Dñi Dei † inter arbores paradisi. Vocauitq; Dominus Deus Adam, & dixit ei, Vbi es? Qui ait, Vocem tuam audiui in paradiso: & timui, eò quòd nudus essem, & abscondi me. Cui dixit, Quis enim indicauit tibi, quòd nudus esses, nisi ꝓ ex ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti? Dixitq; Adam, Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem, Quare hoc fecisti? Quæ respondit, Serpens decepit me, & comedi. Et ait Dominus Deus ad Serpentẽ, Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia & bestias terræ: super pectus tuum gradieris, & terrã comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponã inter te & mulierẽ, & [f] semen tuũ & semen illius, [g] ipsum conteret caput tuũ, & tu † conteres calcaneũ eius. Mulieri quoq;

1. Cor. 11.a

Ecclę. 25.d

dixit, Multiplicabo erũnas tuas, & [h] cõceptus tuos: in dolore paries filios, & [i] sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adę verò dixit, Quia audisti vocẽ vxoris tuę, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi,
1. Cor. 14. ne comederes, maledicta terra propter te, in laboribus comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuę: spinas, & tribu D
los germinabit tibi, & comedes herbas terrę. In sudore vultus tui vescẽris pane, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es, quia puluis es, & in puluerem reuerteris. Et vocauit Adã nomen vxoris suę, [k] Eua, eò q̃ mater esset cunctorũ viuentium. Fecit quoq; Dñs Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et ait, [l] Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum: nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ & comedat, & viuat in ęternũ. Et emisit eum Dñs Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terram, de qua sumptus est. Eiecitq; Adam: & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & [m] flammeum gladium atq; versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.

SCHOLIA.

[a] Serpens erat callidior.] *opinantur quidam tunc aliam figuram fuisse serpentis, quã nunc sit. Leguntur tamen quædam serpentum genera, erecto collo incedere. Certè quòd infra in pœnam dicitur, super pectus tuum gradieris, indicat, aliquid in eo immutatũ esse.* [b] Sicut Dij.] *ponitur hoc loco idem vocabulum penitus, cum illo, quod paulo ante positum est. Scit. n. Deus, &c. Participium scientes, non est referendum ad vocabulum, dy, sed ad Adam & Eua.* [c] Vidit igitur mulier, q̃ bonum esset lignum ad vescendũ.] *Si antequam gustasset, hoc vidit, vt ex textu apparet, dicendũ est, illam id iudicasse ex specie & decore fructus.* [d] Cum cognouissent se nudos.] *Quasi turpe aliquid corpori humano creator indidisset. Vitium ergo in causa est, vt quæ per se non sunt turpia, quasi parum honesta contegere cogamur, in naturæ iam olim corruptæ significationem.* [e] Ad auram diei.] *Humani moris locutio, quasi ad refrigerium diurni caloris deambularet. Quidam interpretantur, ad quietem diei, hoc est, ad occasum: quiescit autem dies, quãdo sol occumbit. Vel ad auram, hoc est sub vesperã. Vocabulum, quod hic ponitur, significat ventum, spiritum, aurã.* [f] Semen tuum.] *Semen serpentis impy sunt, qui illius veneno infici se patiuntur, & quod.imodo ab eo generari. quare Seruator dixit quibusdam tudæis, Vos ex patre diabolo estis, & voluntatem eius vultis facere.* [g] Ipsum conteret caput tuum.] *Ipsum semen mulieris Christus Dominus contriuit caput serpentis, hoc est, regnum peccati, ipse verò serpens non caput sed calcaneum cõtriturus dicitur, hoc est, extremos quosq; diuinax at: Vel cum in Christi humanitatem desęuit. Pulchrè autem pœnæ infliguntur: serpentis arrogantiæ opponitur, Vt super ventrem gradiatur, in muliere delitiæ puniuntur doloribus partus, ignauia Adæ excitatur laboribus.* [h] Conceptus tuos.] *Vox Heb. significat gemitum, seu angustiam illam, quam habet mulier à conceptu vsq; ad partum.* [i] Sub viri potestate eris.] *Vel ad virum tuum erit desyderium tuum, siue obedientia tua. Colligitur ex his verbis, mulieri ob peccatum fuisse multum de natur.di dignitate detractum, vt quæ æqualis esse viro potuisset, nunc ei subyciatur.* [k] Eua.] *Hebræi legunt, Haua, quia nullus post eam homo natus est, vel conditus sine muliere.* [l] Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est.] *Ironia videtur, obycit enim illi stultitiam. Nũc verò, inquit, saltem ne in illa semper viuat miseria, prohibeamus accessum ad lignum vitæ. Sic Deus etiam mortis pœnam homini non sine summa misericordia instixit.* [m] Flammeũ gladiũ.] *Dictio Hebræa significat flammam & laminam politam, quæ flammam eycere videatur, atq; tali splendore Dominus voluit accedentes cohibere. Pro versatili, quidam Heb. interpretantur, gladium hunc fuisse ancipitem, & vtraq; parte acutum.*

CAPVT IIII.

ADam verò cognouit vxorem suam Euam, quæ concepit & peperit [a] Cain. dicens, [b] Possedi hominem per Deum. Rursumq; peperit fratrem eius Abel. Fuit autẽ Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factum est autem post multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino. Abel A
Hebr. 11.a quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorum, & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit: Iratusq; est Cain vehementer, & concidit vultus eius. Dixitq; Dominus ad eum. Quare iratus es? & cur concidit facies tua? [c] Nonne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitq; Cain ad Abel fratrem suum, [d] Egrediamur foras. Cumq; essent in agro, consurrexit Cain aduersus B
Sapi. 10.a fratrem suum Abel, & interfecit eum. Et ait Dominus ad Cain, Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit, Nescio: nunquid custos fratris mei sum ego? Dixitq; ad eum, Quid fecisti? Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinem fratris tui de manu tua. Cum operatus fueris eam, non dabit fructus suos: vagus & profugus eris super terram.
Mart. 23.d 1. Ioan. 3. b Iudæ 1.d Dixitq; Cain ad Dominum, maior est iniquitas mea, quam vt veniam mercar. Ecce eijcis me hodie à facie terræ & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra. Omnis igitur, qui inuenerit me, occidet me. Dixitq; ei Dominus, Nequaquam ita fiet: sed omnis, qui occiderit Cain, [e] septuplum punietur. [f] Posuitq; C
Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum, omnis qui inuenisset eum. Egressusq; Cain à facie Domini, [g] habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden. Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit & peperit Enoch, & ædificauit ciuitatem, vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui, Enoch. Porrò Enoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiael, & Mauiael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech: qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. Genuitq; Ada Iabel, [h] qui fuit pater habitantiũ in tentorijs atq; pastorum: & nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater canentium cythara & organo. Sella quoq; genuit TubalCain, qui fuit malleator & faber in cuncta opera æris & ferri. Soror verò TubalCain, D
Noema. Dixitq; Lamech vxoribus suis Adę & Selle, Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum, † si occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorẽ meum: septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies. Cognouit quoq; adhuc Adam vxorem suam: & peperit filium, vocauitq; nomen eius Seth: dicens, Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos, iste cœpit [i] inuocare nomen Domini.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Cain.] *Primum filium vocauit mater Cain, quod est possessio vel acquisitio: Secundum Abel, quod est vanitas, quia possessio hominis est similis vanitati.* [b] Possedi hominem per Deum.] *Vel acquisiui virum à Deo: sed quia Hebræa dictio, quæ etiam significat, ab, vel per, est frequenter articulus accusatiui casus, potest etiam verti, Possedi hominem Deum, hoc est, qui sit Deus & homo. Nam & cabalistica traditio meminit promissionis de Messia, primis parentibus factæ.* [c] Nonne si bene egeris recipies?] *Verbum Hebræum significat leuare, tollere, atq; remittere peccatum. Quidam igitur sic intelligunt, Si bene egeris remittetur tibi peccatum tuum. Alij sic, Si bene egeris, erit subleuatio vultuum tuorum, qui conciderunt. Vel sic, Si bene egeris, acceptior erit oblatio tua quàm fratris tui, tu enim es primogenitus: quod si non bene egeris, ad ianuam domus tuæ peccatum tuum cubabit, vt in nullo itinere non sis offensurus, siquidem peccatum seu potius sug gestio: & procliuitas peccati appetet tibi ingiter adhærere: sed tu dominaberis illius, si volueris, & bonas feceris vias tuas. Targum Ionathæ sic exponit, In manum tuam tradidi arbitrium fomitis, & tu dominus illius eris.* [d] Egrediamur foras.] *Hæc verba non sunt in Hebræo, Diuus Hieronymus censet intelligendum per id, quod ait, Dixitq; Cain ad Abel fratrem suum, ipsum Cain recitasse Abel fratri ea, quibus Deus illum redarguerat, & posteà eductum in agrum percussisse pugnis, aut lapidibus, cum nondum esset vsus armorum.* [e] Septuplum punietur.] *Hoc est, multipliciter. Alij ad septem generationes retulerunt de hoc & de eo, quod infra sequitur, de Lamech septuagies septies, Latius scribit Hieronymus in epistola ad Damasum.* [f] Posuit Dominus in Cain signum.] *Quale id fuerit signum, ignoratur.* [g] Habitauit profugus.] *Vel vagus & mobilis. Alij nomen loci accipiunt sic, habitauit in terra Nod ab oriente Edẽ.* [h] Qui fuit pater.] *Patrem Hebræi appellant rei alicuius authorem. Fuit Lamech vir in omni arte prudentissimus, quippe qui primogenitum docuit rem pecuariã iuxta naturas iumentorum & pecorum. Secundum verò docuit vsum, & modulationem instrumentorum musicorum: & Tertium instituit, vt disceret artem fabrilem, & faceret gladios, lanceas, & alia instrumenta bellica. Quapropter vxores illius timentes, ne puniretur, qui occasionem ad homicidia præbuerat, imitatus in hoc malam artem tritauit sui: cum scilicet esset filius homicidæ in sexta generatione, respondit illis. Ego non occidi virum in vulnus meum, neq; adolescentem in liuorem meum, sicut fecit Cain, &c.* [i] Iste cœpit inuocare nomen Dñi.] *In Hebr. est, Tunc cœptũ est inuocari nomen Domini. Significat aũt eius tẽporibus instauratũ esse cultũ Dei. Enos hõem significat, deductumq; est à verbo debilitare, siue debilem & infirmum esse, vt illud, quid est homo, siue Enos, quòd memor es eius? quasi dicat, nihil, vel, res nullius momenti.*

CAPVT V.

HIc est liber generationum Adam: in die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculũ, & fœminam creauit eos: & [a] benedixit illis: [b] & vocauit nomen eorum Adam in die A
quo creati sunt. [c] Vixit autem Adam centum triginta annis: & [d] genuit filium ad similitudinem & Sapi. 2.d
imaginem suam, vocauitq; nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti an- Eccl. 17.a
ni: genuitq; filios & filias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus Supr. 1.d
est. Vixit quoq; Seth centum quinque annis, & genuit Enos. Vixitq; Seth postquam genuit Enos, octin- 1. Para. 1.a
gentis septem annis, genuitq; filios & filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorũ, B
& mortuus est. Vixit verò Enos nonaginta annis, & genuit Cainam. Post cuius ortũ vixit octingentis quindecim annis, & genuit filios & filias. Factiq; sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est. Vixit quoq; Cainam septuaginta annis, & genuit Mahalaleel. Et vixit Cainam postquam genuit Mahalaleel, octingentis quadraginta annis, genuitq; filios & filias. Et facti sunt omnes dies Cainam nongenti decem anni & mortuus est. Vixit aũt Mahalaleel sexaginta quinq; annis, & genuit Iared. Et vixit Mahalaleel postquã C
genuit Iared, octingẽtis triginta annis: & genuit filios & filias. Et facti sunt oẽs dies Mahalaleel octingẽti nonaginta quinq; anni, & mortuus est. Vixitq; Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Enoch. Et vixit Iared postq̃ genuit Enoch octingentis annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Iared nõgenti sexagintaduo anni, & mortuus est. Porrò Enoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusala. Et Eccl. 44. c.
ambulauit Enoch cum Deo: † postquã genuit Mathusala trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt Hebr. 11.a.
omnes dies Enoch trecenti sexaginta quinq; anni, [e] ambulauitq; cũ Deo, & nõ apparuit: quia tulit eũ Deus.
D Vixit quoq; Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala postquã genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt oẽs dies Mathusalæ nongenti sexagintanouem anni, et mortuus est. Vixit aũt Lamech centũ octoginta duobus annis, et genuit filium: vocauitq; nomen eius Noe, dicens, [f] Iste cõsolabitur nos ab operibus & laboribus manuũ nostrarũ in terra, cui maledixit Dñs. Vixitq; Lamech, postq̃ genuit Noe, quingentis nonaginta quinq; annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Lamech septingenti septuaginta septem anni, & mortuus est. Noe verò cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham & Iapheth.

SCHOLIA.

[a] Benedixit illis.] *Hoc est, dedit illis vim procreandi liberos sibi similes, quemadmodum subditur. Genuit in similitudine & imagine sua, hoc est, ad illam similitudinem, & imaginem, quam à Deo acceperat.* [b] Vocauit nomen eorũ Adã.] *Vt ipsa appellatione discerent, non insolescere, cum se e terra, tanquam vasa figlina constare recordarentur, Significat enim Adam, terrenum, significat & rubrum.* [c] Vixit autem.] *Quod nostri tam longè discrepant ab Hebræis, in temporũ supputatione à mundo condito, alia res in causa non fuit, nisi quòd codices nostri hoc loco corrupti fuerunt. Facilè enim fieri potuit, vt his numeris aliquid adderetur, vel subtraheretur, præsertim cũ maiores nostri linguarũ peritia destituerẽtur. Nã Hebræi à mũdo cõdito vsq; ad Christi annũ 1540. numerant quinq; millia & trecentos annos, cum nostri super hos addant circiter mille quadrigẽtos. Sũma verò annorũ mũdi ab Ada ad diluuiũ est mille sexcẽtorũ quinquagẽta sex annorũ iuxta Hebræos.*
[d] Genuit filiũ ad imaginẽ & similitudinẽ suã.] *Adã ipse ad similitudinẽ Dei factus erat, sed quia illã peccãdo corruperat, posteri illius nõ habebãt eã primã similitudinẽ Dei, sed quatenus per Adã corrupta fuerat. Hanc Christus in credẽtibus*

reſtituit,poteſt.atemq; dedit,propius ad veram ſine ſpiritualem ſimilitudinẽ Dei perueniendi, quã Adam vnquã acceſſerat. Col.3.& 2.Cor 3.in fine. [e] Ambulauit cum Deo.] *Heroicam aliquam cõſuetudinem cũ Deo habuiſſe creditur,quem raptum ferunt,ne malitia immutaret intellectum eius,Et quidem ſcriptura dicit,Deum illum tuliſſe, & non tranſtuliſſe: & hinc quidam putant illum per mortem ante tempus ſuum exceſsiſſe,iuxta illud.Tolle animam meam.* [f] Iſte conſolabitur nos ab operibus.] *Ferunt hunc primum leuaſſe agriculturæ moleſtias,iungendo aratro animalia.*

CAPVT VI.

Infra 8. d. CVmq; cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, [a] videntes filij Dei filias A
hominum,q; eſſent pulchræ,acceperunt ſibi vxores ex omnibus,quas elegerant:Dixitq; Deus,[b]Non
† rixabitur ſpiritus meus in homine in æternũ,quia caro eſt: [c] eruntq; dies illius centũ viginti annorum: Gigantes aũt erant ſuper terrã in diebus illis.Poſtquã enim ingreſsi ſunt filij Dei ad filias hominũ, [d] illæq; genuerunt,iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi. Videns autem Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra,& cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore,[e] pœnituit eum,q; hominem feciſſet in terra, † & tactus dolore cordis intrinſecus,Delebo,inquit,hominem,quem creaui à facie terræ,ab B
homine vſq; ad animantia, [f] à reptili vſq; ad volucres cœli. pœnitet enim me feciſſe eos. Noe verò inuenit
Eccl. 44.c. gratiam coram Deo. Hæ ſunt generationes Noe: Noe vir iuſtus atq; perfectus fuit in generationibus ſuis,
Eccl. 44.c. cum Deo ambulauit. Et genuit tres filios,Sem,Cham, & Iapheth. Corrupta eſt aũt terra coram Deo, & repleta eſt iniquitate. Cumq; vidiſſet Deus terram eſſe corruptam (omnis quippe caro corruperat viam ſuam ſuper terram) dicit ad Noe. Finis vniuerſæ carnis venit coram me: [g] repleta eſt terra iniquitate à facie eorũ, & ego diſperdam eos cum terra.Fac tibi arcam [h] de lignis leuigatis: manſiunculas in arca facies,& bitumine C
linies intrinſecus & extrinſecus. Et ſic facies eam, [i] Trecentorum cubitorum erit longitudo arcę, quinquaginta cubitorum latitudo,& triginta cubitorum altitudo illius.Feneſtrã in arca facies, & in cubito conſummabis ſummitatem eius. Oſtiũ aũt arcæ pones in latere† eius: cum interſtitijs inferioribus,medijs,& tertijs
facies eam.Ecce ego adducã aquas diluuij ſuper terram,vt interficiã omnẽ carnẽ, in qua ſpiritus vitę eſt ſubter cœlum:& vniuerſa,quę in terra ſunt, conſumentur. Ponamq; fœdus meũ tecum:& ingredieris arcã tu, & filij tui,vxor tua,& vxores filiorum tuorũ tecum.Et ex cunctis animantibus vniuerſę carnis bina induces D
in arcam,vt viuant tecũ:maſculini ſexus & fœminini.De volucribus iuxta genus ſuũ, & de iumẽtis in genere ſuo,& ex omni reptili terrę ſecundum genus ſuum:[k] bina de omnibus ingredientur tecũ, vt poſſint viuere.Tolles igitur tecum ex omnibus eſcis,quę mandi poſſunt,& comportabis apud te:& erũt tam tibi, quàm illis in cibum.Fecit igitur Noe omnia,quę præceperat illi deus.

SCHOLIA.

[a] Videntes filij Dei.] *Sunt qui filios Dei intelligunt filios Seth,qui patris pietatem æmulati ſunt,& filios Enos, cuius tempore cœptum eſt inuocari nomen Domini: ſicut è diuerſo,qui à Cain originẽ duxerunt, paternam referebant impietatem, & hi filij hominum appellantur. Alij filios Dei opinantur filios iudicum ac potentũ:eſt.n.familiare ſcripturæ,vt id,quod eſt magnificum,vocet diuinum:ſicut montes Dei,cedri Dei. Hi ergo,quibus plus eſſet,quam cæteris ingenij ad perpetrandam malã,poſtea quàm auerterunt ingenia ſua à Deo ad formas mulierum,euaſerunt ſceleratiſſimi.* [b] Non rixabitur.] *Non diſcept.abo,inquit,perpetuò,quid hoc homine faciam,perdã nè illũ,an ſeruẽ? Alius ſic exponit. Non erit ſpiritus meus cœleſtis, quẽ ſpiraui in hoiem,diu in illa rixa,quã habet cũ corpore,cũ nõ delectetur voluptatibus illis animalibus,quas quærit corpus. Sed variæ ſunt huius loci interpretationes.Quod verò ait,* [c] Eruntque dies illius.cxx.annorum,] *ſignificat, fore, vt tantũ temporis vſq; ad diluuiũ intercedat, quo tempore agere poſſint pœnitentiam, quam quia non egerunt, viginti annorũ ſpacys computatis,induxit diluuium anno centeſimo,&c.* [d] Illę genuerunt.] *Quidã Heb. ſic reddit hunc locum,licet homines illius generationis viderent orbis depranationem, & futuram cladẽ,non tamen continuerunt ſe, ſed iuncti ſunt filiabus hominũ,& genuerunt filios,qui potenter rebellarunt Deo,& ex tyrannide ſua celebres facti ſunt mundo.* [e] Pœnituit eum.] *Loquitur ſcriptura de Deo more hominũ,qui delere res ſolent,prioris facti pœnitentia.* [f] A reptili.] *Vel vſq; ad reptile.* [g] Repleta eſt terra iniquitate.] *Vel violentia & rapina. Id.n.vox Hebræa ſignificat.* [h] De lignis leuigatis.] *Videtur interpres voluiſſe ſignificare ligna,quæ cõglutinari fortiter potuerint,vel ſtuitare aptè poſſent. In Hebræo eſt, de lignis Gopher,quòd alius vertit,de lignis pineis.* [i] Trecentorum cubitorũ.] *De cubito Origenes contra Celſum dicit, ex traditione Hebræorum,hic deſignaſſe Moſen cubitũ geometricum, qui conſtat cubitis communibus ſex, & facit longitudinẽ nouem pedum,vt fuerit longitudo arcæ duum millium & ſeptingentorum pedum: Latitudo quadringentorum quinquaginta,altitudo ducentorum ſeptuaginta.* [k] Bina ex omnibus ingredientur.] *Hoc eſt,ex omnibus maſculus & fœmina ob conſeruationem generis venient ad te ſua ſponte,& diuino iuſſu: exceptis illis,quæ in aquis generantur,& nutriuntur, & quæ ex maſculi ac fœmellæ coniunctione non naſcuntur,hæc enim intra arcam non ſunt recepta.*

CAPVT VII.

2. Petr.2.b DIxitq; Dominus ad eum. Ingredere tu, & omnis domus tua [a] in arcam:te enim vidi iuſtum corã me A
in generatione hac, Ex omnibus animantibus mundis tolles [b] ſeptena & ſeptena, maſculũ & fœminam: de animantibus verò immundis duo & duo,maſculum & fœminam.Sed & de volatilibus cœli ſeptena & ſeptena,maſculum & fœminam:vt ſaluetur ſemen ſuper faciem vniuerſę terræ. Adhuc enim & poſt dies ſeptem ego pluam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus:& delebo omnẽ ſubſtantiam, quam feci,de ſuperficie terræ. Fecit ergo Noe omnia,quę mandauerat ei Dñs.Eratq; ſexcentorũ
Matt. 24.d annorũ quando diluuij aquæ inundauerunt ſuper terram.Et ingreſſus eſt Noe,& filij eius,vxor eius, & vxo- B
Luc. 17.f. 1.Petr. 3.d. res filiorum eius cum eo in arcam,propter aquas diluuij.De animantibus quoq; mundis & immundis,& de volucribus, & ex omni, quod mouetur ſuper terram, duo & duo ingreſſa ſunt ad Noe in arcam, maſculus & fœmina,ſicut præceperat Dominus Noe. Cumq; tranſiſſent ſeptem dies, aquæ diluuij inundauerunt ſuper

per terram. Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, [c] menſe ſecundo, ſeptimodecimo die menſis, rupti ſunt omnes fontes abyſsi magnæ, & [d] cataractæ cœli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. In articulo diei illius ingreſſus eſt Noe, & Sem, & Cham, & Iapheth filij eius,
C & vxor illius,& vxores filiorum eius cum eis in arcam: *ipſi & omne animal ſecundum genus ſuum,* vniuerſaq; iumenta in genere ſuo,& omne, quod mouetur ſuper terram in genere ſuo, cunctumq; volatile ſecundum genus ſuum,vniuerſæ aues,omneſq; volucres ingreſſæ ſunt ad Noe in arcam, bina & bina ex omni carne,in qua erat ſpiritus vitæ. Et quæ ingreſſa ſunt,maſculus & fœmina ex omni carne introierunt, ſicut præceperat ei Deus: & incluſit eum Dominus deforis. [e] Factumq; eſt diluuium quadraginta diebus ſuper terrã: Sap. 10.a.
& multiplicatæ ſunt aquæ, & eleuauerunt arcam in ſublime à terra. Vehementer enim inundauerunt, & Eccl. 39.c.
omnia repleuerunt in ſuperficie terræ: Porrò arca ferebatur ſuper aquas. Et aquæ præualuerunt nimis ſũ-
D per terram: opertiq; ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua ſuper montes,quos operuerat.Conſumptaq; eſt omnis caro,quæ mouebatur ſuper terram,volucrum,animãtium,beſtiarum,omniumq; reptilium,quę reptant ſuper terram. Vniuerſi homines & cuncta,in quibus ſpiraculum vitæ eſt, in terra mortua ſunt, Et deleuit omnem ſubſtantiam, quæ erat ſuper terram, ab homine vſq; ad pecus,tam reptile,quam volucres cœli: & deleta ſunt de terra. Remanſit autem ſolus Noe, & qui cũ eo erant,in arca.Obtinueruntq; aquæ terram centum quinquaginta diebus.

SCHOLIA.

[a] In arcam.] *Vocat ingens illud ædificium, in quo tot conſeruatæ ſunt animalium ſpecies, arcam, & non nauim quòd caruerit remis & magis figuram habuerit arcæ,quam nauis.* [b] Septena.] *Tria ſcilicet paria de mundis animalibus, vnũ verò, quod ſacrificaretur poſt diluuium pro tota ſpecie.* [c] Menſe ſecundo.] *Dubium eſt apud Hebræos, quis hic ſit ſecundus menſis. Nam ſtatuunt duplex initium anni. In rebus prophanis inchoant annum à noui lunio propinquiori æquinoctio autumnali,pro ſacris verò exordiuntur annũ ab incenſione,quæ vicinior eſt æquinoctio vernali.* [d] Cataractæ.] *Cataractæ dicuntur aquarum deſcenſus ex eminentiſſimo loco cum maximo fragore, veluti ſi cœlum pateat,& aquæ,quæ ſuper cœlos ſunt, effundantur. Ideo aly verterunt. Et feneſtræ cœli apertæ ſunt.* [e] Factum eſt diluuium quadraginta diebus.] *Sic intellige. Cum duraſſet diluuium quadraginta diebus, eleuata eſt arca ſuper terram,quia in fine huius capitis dicitur, quòd aquæ diluuij præualuerunt ſuper terram centum & quinquaginta diebus.*

CAPVT VIII.

A REcordatus autem Deus Noe, cunctorumq; animantium & omnium iumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit ſpiritum ſuper terram, & imminutæ ſunt aquæ. Et clauſi ſunt fontes abyſsi, & cataractæ cœli: & prohibitæ ſunt pluuiæ de cœlo. Reuerſæq; ſunt aquæ de terra euntes & redeuntes, & cœperunt minui poſt centum quinquaginta dies. Requieuitq; arca menſe ſeptimo, † decimoſeptimo die menſis ſuper montes Armeniæ. At verò aquæ ibant & decreſcebant vſque ad decimum menſem. Decimo enim menſe,prima die menſis apparuerunt cacumina montium. [a] Cumq; tranſiſſent quadraginta dies,aperiens Noe feneſtram arcæ, quam fecerat, dimiſit coruum: qui egrediebatur, & † reuertebatur, donec ſiccarentur aquę ſuper terram.Emiſit quoque columbam poſt eum,vt videret,ſi iam ceſſaſſent aquæ ſuper faciem terrę. Quę cum non inueniſſet,vbi requieſceret pes eius,reuerſa eſt ad eum in arcam:aquę enim
B erant ſuper vniuerſam terram:extenditq; manum ſuam,& apprehenſam intulit in arcam.Expectatis autem vltra ſeptem diebus alijs,rurſum dimiſit columbam ex arca. At illa venit ad eum ad veſperam, portans † folium oliuæ † decerptum in ore ſuo.Intellexit ergo Noe,quòd ceſſaſſent aquæ ſuper terram.Expectauitq; nihilominus ſeptem alios dies:& emiſit columbam,quæ non eſt reuerſa vltra ad eũ. Igitur ſexcenteſimo primo anno,primo menſe,prima die menſis imminutæ ſunt aquæ ſuper terram: & aperiens Noe tectum arcæ aſpexit,viditq; quòd exiccata eſſet ſuperficies terræ.Menſe ſecundo, ſeptimo & viceſimo die menſis arefacta eſt terra.Locutus eſt autem Dominus ad Noe,dicens,Egredere de arca tu,& vxor tua,filij tui,& vxores filiorum tuorum tecum.Cuncta animantia,quæ ſunt apud te,ex omni carne tam in volatilibus,quàm in beſtijs Supr.1.c.d.
C & vniuerſis reptilibus, quæ reptant ſuper terram, educ tecum, [b] & congredimini ſuper terram: creſcite, & Infr.9.a.
multiplicamini ſuper eam. Egreſſus eſt ergo Noe,& filij eius,& vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo: Sed & omnia animantia,iumenta & reptilia, quæ reptant ſuper terram ſecundum genus ſuum, egreſſa ſunt de arca. Ædificauit autem Noe altare Domino: & tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis, obtulit holocauſta ſuper altare.Odoratusq; eſt Dominus [c] odorem ſuauitatis,et † dixit Dominus in corde ſuo,Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines: [d] ſenſus enim & cogitatio humani cordis in malũ pro- Supr. 6.a.
na ſunt ab adoleſcentia ſua: non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem ſicut feci. Cũctis diebus terræ, [e] ſementis & meſsis,frigus & æſtus,æſtas & hyems,nox & dies non requieſcent.

SCHOLIA.

[a] Cumque tranſiſſent quadraginta dies.] *Poſtquam ſcilicet apparuerunt montium cacumina.* [b] Et congredimini.] *Vox Hebræa ſignificat reptare, & paſcendo diſcurrere, & in magna multitudine ſeſe propagare, vnde alius vertit, proliferate.* [c] Odorem ſuauitatis.] *In Hebræo eſt odorem quietis. Tam grata (inquit) fuerunt deo holocauſta ſyncero animo oblata, quàm eſſet odor vnguenti ſuauiſſimi naribus alicuius.* [d] Senſus enim & cogitatio.] *Vel figmentum cordis humani malum eſt ab adoleſcentia ſua,quod exponunt Hebræi pro concupiſcentia & inclinatione, ſiue ea ſit bona ſiue mala.*
[e] Sementis.] *Iudæi annum diſtinguunt in ſex tempora,quæ ſingula binos habent menſes,quæ vocant : floritionis, maturationis,caloris,ſeminationis,frigoris,& hyemis. Frigus appellant id, quod grauius eſt, quàm quod nos hyemem communiter appellamus. Numerantur verò hic illa tempora, quòd in diluuio omnia eſſent confuſa, ſed iam in renouatione orbis,iterum curſum,& viciſſitudinem ſuam habitura.*

CAPVT IX.

Supra.i.a 8.c.

BEnedixitq; Deus Noe & filijs eius,& dixit ad eos,Creſcite & multiplicamini,& replete terram.Et[a] ter A
ror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ,& ſuper omnes volucres cœli,cum vniuerſis,quæ
mouentur ſuper terram: omnes piſces maris manu veſtræ traditi ſunt.Et omne,quod mouetur & vi-
uit,erit vobis in cibũ : quaſi olera virentia tradidi vobis omnia:excepto ꝙ[b] carnẽ cum † anima & ſanguine
ſuo nõ comedetis. [c] Sanguinẽ enim animarũ veſtrarũ requirã de manu cũctarũ beſtiarũ: & de manu homi-
nis,de manu viri & fratris eius requirã animam hominis. Quicũq; effuderit humanũ ſanguinẽ † per homi-
nẽ,fundetur ſanguis illius:ad imaginẽ quippe Dei factus eſt homo,Vos autem creſcite & multiplicamini,&
Matt. 26.c Apoc. 13.c congredimini ſuper terram,& implete eam . Hæc quoq; dixit Deus ad Noe,& ad filios eius cũ eo , Ecce ego B
ſtatuam pactũ meũ vobiſcum, & cũ ſemine veſtro poſt vos:& ad omnem animam viuẽtem,quę eſt vobiſcũ,
tam in volucribus,quàm in iumentis & pecudibus terræ,cunctiſq;,quæ egreſſa ſunt de arca,& vniuerſis be-
ſtijs terrę. Statuam pactum meum vobiſcum, & nequaquã vltra interficietur omnis caro aquis diluuij,neq;
erit deinceps diluuium diſſipans terram. Dixitq; Deus, Hoc eſt ſignum fœderis,quod do inter me & vos,&
ad oẽm animam viuentem,quę eſt vobiſcum in generationes ſempiternas: [d] Arcũ meũ ponam in nubibus,
Eſa. 54.c. & erit ſignum fœderis inter me & inter terrã. Cumq; obduxero nubibus terrã, apparebit arcus meus in nu-
bibus,& recordabor fœderis mei vobiſcum,& cum omni anima viuente , quę carnem vegetat:& non erunt C
Eccl.43.b. vltra aquę diluuij ad delendam vniuerſam carnem . Eritq; arcus in nubibus, & videbo illum,& recordabor
fœderis ſempiterni,quod pactum eſt inter Deum & oẽm animam viuentẽ vniuerſę carnis,quę eſt ſuper ter-
ram.Dixitq; Deus ad Noe,Hoc eſt ſignum fœderis,quod cõſtitui inter me & oẽm carnem ſuper terrã . Erãt
ergo filij Noe , qui egreſſi ſunt de arca , Sem, Cham, & Iapheth : porrò Cham ipſe eſt pater Chanáan. Tres
iſti,filij ſunt Noe:& ab his diſſeminatum eſt omne genus hoĩum ſuper vniuerſam terram . Cepitq; Noe vir
agricola exercere terram,& [e] plantauit vineam. Bibensq; vinum inebriatus eſt,& nudatus eſt in tabernacu-
lo ſuo.Quod cum vidiſſet Cham pater Chanáan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nũtiauit duobus fra- D
tribus ſuis foras. At vero Sem & Iapheth pallium impoſuerunt humeris ſuis:et incedẽtes retrorſum,operue-
runt verenda patris ſui: faciesq; eorum auerſæ erant,& patris virilia non viderunt. Euigilans autem Noe ex
vino,cũ didiciſſet,quę fecerat ei filius ſuus minor, ait, [f] Maledictus Chanáan, ſeruus ſeruorum erit fratribus
ſuis. Dixitq;, Benedictus Dñs Deus Sem , ſitq; Chanáan ſeruus † illius. [g] Dilatet Deus Iapheth , & [h] habitet
in tabernaculis Sem, ſitq; Chanáan ſeruus eorum . [i] Vixit autem Noe poſt diluuiũ trecentis & quinquagin-
ta annis:& impleti ſunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum:& mortuus eſt .

SCHOLIA.

[a] Terror veſter.] *Fugient(inquit)cuncta animalia terræ conſpectum veſtrum, agnoſcentq; uos, non ſolum habere imperiũ ſuper ea,ut à principio creationis,uerum & quod ego uobis illa in cibum iam tradiderim.* [b] Carnem cum anima.] *Intelligunt,membrum de uiuente animali abſciſſum non comedendum, quandiu ſcilicet anima eius in illo eſt,neq; ſanguinem comedendum. Vel ſic,carnem cum anima ſua, quæ eſt ſanguis eius,non comedetis. Significat enim ſæpe apud Hebræos anima eam vitam,quæ ſanguine & habitu continetur.Prohibetur autem hic, ne crudeles ſimus in beſtias, & ſubinde hanc crudelitatem in homines perpetremus.* [c] Sanguinem enim animarũ.] *Idem eſt ſenſus cum Hebræo,in quo ſic habetur. Alioqui ſanguinem veſtrum de animabus veſtris requiram,de manu cuncti animalis requiram eum,& de manu hominis,&c. Quidam autem tria hic notari ac prohiberi dicunt . Primo nequis ſeipſum interficiat, alioqui ſanguinem, inquit, veſtrum de animabus veſtris requiram. Secundo nequis beſtiam incitet in hoĩem , vt illum deuoret,alioqui requirã illum ſanguinem de manu cuncti animalis. Tertio nequis alium conducat, qui nomine eius hunc vel illum occidat, aut nequis per ſeipſum aliquẽ interficiat,alioqui de manu hominis,& de manu viri fratris ſui requiram animã hominis . Sed quomodo ſanguis requiritur de manu beſtiæ ? niſi forte ad deterrendum ab homicidio id dictum eſt , quaſi diceret. Si ſanguinem veſtrum in beſtijs vlciſcendum iudico, multo magis in vobis , qui ratione eſtis præditi.* [d] Arcum meum.] *Negant quidam Iudæi fuiſſe ante illud tempus , verum textus Hebræus indicat etiam ante fuiſſe , ſed tum primum ſignum fœderis eſſe cœpit. Iris ab ethnicis vocatur, quam iccircò filiam Thaumantis appellatam ait Plato , quòd ab admiratione initium acceperit naturæ rerum contemplatio.* θαυμάζω *enim ſignificat admiror.* [e] Plantauit vineam.] *Vinum primus ex vuis exprimi docuit , vnde fuiſſe Ianus dicitur, quia Iain vinũ eſt Hebræis.* [f] Maledictus Chanáan.] *Non maledixit Noe Cham filiũ, ſed Chanáan, qui fuit ipſius Cham quartus filius, & ab impio patre malè profecit,atq; in multa crimina degenerauit:& ſic in filys impijs pater maledicitur,hoc eſt,ſeruili cõditione grauatur.* [g] Dilatet Deus Iapheth.] *Alluſio eſt nõis Iapheth,quod ſonat dilatationẽ.* [h] Habitet in tabernaculis Sẽ.] *Hoc fuit,cũ pars maxima filiorũ eius,hoc eſt,gẽtiliũ ad fidẽ veri Dei cõuerſa eſt,cuius ſacerdos ſcribitur fuiſſe Sem,alio nõie Melchiſedech.Chananæorũ aũt terra ac vrbes perpetuò,vel filijs ſẽ Iudeis,vel ex gẽtibus ad Dominũ cõuerſis vſq; in præſens ſeruierũt, et ſubiectæ ſunt.* [i] Vixit aũt Noe.] *Colligunt Hebræi ex hoc loco Noe vixiſſe vſq; ad quinquageſimũ octauũ annũ vitæ Abrahæ,qui natus eſt ducentis nonaginta duobus annis poſt diluuium.*

CAPVT X.

HÆ ſunt generationes filiorũ Noe, Sem, Cham,& Iapheth : natiq; ſunt eis filij poſt diluuium. Filij A
Iaphet : Gómer & Magog, & Madái,& Iauã,& Thubal,& Móſoch , & Thiras. Porrò filij Gómer:
Aſcanez , & Riphat , & Thogorma. Filij autẽ Iauan:Eliſa & Tharſis,Cethim & Dodanim.Ab his
diuiſę ſunt inſulę gentium in regionibus ſuis , vnuſquiſq; ſecũdum linguam ſuam & familias in nationibus
ſuis. Filij autẽ,Cham:Chus,& Meſráim,& Phut,& Chanáan. Filij autem Chus:Saba, & Euila, & Sabatha,
& Regma,& Sabatharcha. Filij Regma:Saba,& Dadã. Porrò Chus genuit Nérod:ipſe cœpit eſſe potẽs in
terra, & erat robuſtus venator coram Domino:ab hoc exiuit prouerbium , Quaſi Nemrod [a] robuſtus vena- B
tor coram Domino. Fuit autem [b] principium regni eius Babylon,& Arach,& Achad, & Chalame,in terra
Sénaar.

Sénaar. De terra illa egreſſus eſt Aſſur,& ædificauit Niniuẽ,& platéas ciuitatis, & Chale. Reſen quoq; inter
Niniuẽ & Chale,hæc eſt ciuitas magna. At verò Meſraim genuit Ludiĩ,& Ananim,& Laabim, & Nephtu-
im,& Phethruſim,& Chasluim: de quibus egreſsi ſunt Philiſthijm,& Caphtorim . Chanáan autem genuit
C Sidónem primogenitum ſuum Hethæum & Iebuſęum & Amorrhæum & Gergeſæum & Heuæum & Ara-
chæum,Sineum & Aradium, Samaræum , & Amathæum:& per hos diſſeminati ſunt populi Chananæorũ.
Factiq; ſunt termini Chanáan, venientibus à Sidone Geraram vſque ad Gazam , donec ingrediaris Sodomã
& Gomorrham , & Adamam & Seboim vſque Laſa. Hi , filij Cham in cognationibus & linguis & genera-
tionibus,terrisq; & gentibus ſuis. De Sem quoque nati ſunt, [c] patre omnium filiorũ Heber , fratre Iapheth
maiore. Filij Sem:Aelam & Aſſur & Arphaxad, Lud & Aram . Filij Aram : Hus & Hul & Gèther & Mes.
D At verò Arphaxad genuit Sale,de quo ortus eſt Heber . Natiq; ſunt Heber filij duo. nomen vni Phaleg, eo
quòd in diebus eius diuiſa ſit terra : & nomen fratris eius Iectan. Qui Iectan genuit Elmodad & Saleph &
Aſarmoth,Iare & Adorã & Vzal & Decla & Hebal & Abimael,Saba & Ophir & Euila & Iobab. omnes iſti:
filij Iectan . Et facta eſt habitatio eorum de Meſſa pergentibus vſque Sephar montem orientalem. Iſti filij
Sem ſecundum cognationes & linguas & regiones in gentibus ſuis. Hæ familię † filiorum Noe iuxta popu-
los & nationes ſuas. Ab his diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium.

SCHOLIA.

Indicatur hoc capite omnium à mundo condito ſæculorum ſeries , facileq; ex eo redarguitur Aegyptiorum & Chaldeorum fabuloſa mendacitas, qui ſeſe vetuſtiſſimos temerè iactant,cũ tamen prima humani generis propagatio facta ſit poſt diluuium . A creatione aũt mundi ad diluuium interceſſerunt mille ſexcenti & quinquaginta ſex anni ſecundum Hebræorum veram ſupputationem : & per hoc temporis ſpacium minimum terræ angulum homines tenuerunt . Necdum enim erãt diffuſi in omnes terras,ſicut poſt diluuium,quando per orbem omnium terrarum diſperſi,regionibus & prouincijs, quas primum tenuerunt , nomina ſua indiderunt . [a] Robuſtus venator coràm Domino.] *Illud coràm Domino , hyperbole eſt,quòd non fuerit ſub cælo quiſquam ei æqualis potentia . Dicunt Hebræi primum hunc cœpiſſe vti poteſtate humano generi data , in feras videlicet , & ex illis obtuliſſe ſacrificia Domino.* [b] Principium regni eius Babylon.] *Caput regni primi Babel , hoc eſt, confuſio : nam regnandi appetitio confundit omnia.* [c] Pater omnium filiorum Heber.] *Poſt gentium familias conſcriptas , ag greditur genealogiam ſanctam Sem,qui dicitur pater omnium populorum , qui ſunt transfluuiani,orientales ſcilicet, vltra Euphraten & Tigrim,quæ flumina Meſopotamiam complectuntur.Nam hoc loco Heber creditur eſſe non proprium nomen, ſed præpoſitio, vt ſignificet trans, vel vltra, ſicut & Hebræus non dicitur ab Heber proprio nomine,ſed à præpoſitione Heber,quòd primus Hebræus, videlicet Abraham , venerit vltra fluuium Euphraten : vt Hebræus vocaretur:quaſi traiector:in Græco* περάτης *legitur . Sic Sem fuit pater omnium filiorum,qui erant vltra flumen: nec tamen obſtitit veritati & literæ , ipſum Sem Hieroſolymis habitaſſe , in vmbilico terræ, & loco à Deo præ omnibus electo,poſteritati ipſius Sem promiſſo, Abrahæ ſcilicet ac ſemini eius.*

CAPVT XI.

A ERat autem terra [a] labij vnius,& [b] ſermonum eorundem. Cumq; proficiſcerentur de oriente,inuene-
runt campum in terra Sennaar,& habitauerunt in eo.Dixitq; alter ad proximum ſuum, Venite,facia
mus lateres,& coquamus eos igni. Habuerũtq; lateres pro ſaxis, & bitumen pro cemento:& dixerũt,
Venite , faciamus nobis ciuitatem & turrim , cuius culmen pertingat ad cœlum: & celebremus nomen no-
ſtrũ [c] antequam diuidamur in vniuerſas terras. [d] Deſcendit aũt Dñs , vt videret ciuitatem & turrim , quam
ędificabant filij Adam, & dixit, Ecce vnus eſt populus , & vnum eſt labium omnibus:cœperuntq; hoc face-
re, [e] nec deſiſtent à cogitationibus ſuis,donec eas opere compleant. Venite igitur,deſcendamus & cõfunda-
B mus ibi linguã eorum , [f] vt non audiat vnuſquiſq; vocem proximi ſui. Atq; ita diuiſit eos Dñs ex illo loco
in vniuerſas terras,& ceſſauerunt ędificare ciuitatem. Et iccircò,vocatũ eſt nomen eius Babel , quia ibi [g] cõ-
fuſum eſt labiũ vniuerſę terrę:& inde diſperſit eos Dñs ſuper faciem cunctarũ regionum . Hę ſunt genera-
tiones Sem, Sem erat cẽtum annorũ,qñ genuit Arphaxad,biennio poſt diluuium . Vixitq; Sem poſtquam
genuit Arphaxad,quingentis annis:& genuit filios & filias. Porrò Arphaxad vixit triginta quinq; annis , &
genuit Sale . Vixitq; Arphaxad poſtquam genuit Sale quadringentis tribus annis , & genuit filios & filias.
Sale quoq; vixit triginta annis, & genuit Heber. Vixitq; Sale,poſtquam genuit Heber , quadringentis tri-
bus annis,& genuit filios & filias. Vixit autem Heber triginta quatuor annis,& genuit Phaleg.Et vixit He-
C ber poſtquã genuit Phaleg,quadringentis triginta annis:& genuit filios & filias. Vixit quoq; Phaleg trigin-
ta annis : & genuit Reu . Vixitq; Phaleg poſtquam genuit Reu , ducentis nouem annis , & genuit filios &
filias . Vixit autem Reu triginta duobus annis,& genuit Sarug . Vixit quoq; Reu, poſtquã genuit Sarug,
ducentis ſeptem annis:& genuit filios & filias . Vixit verò Sarug triginta annis,& genuit Nachor. Vixitq;
Sarug, poſtquam genuit Nachor , ducentis annis:& genuit filios & filias . Vixit autem Nachor viginti no-
uem annis,& genuit Thare. Vixitq; Nachor poſtquam genuit Thare , centũ decem & nouem annis,& ge-
nuit filios & filias . Vixitq; Thare,ſeptuaginta annis:& genuit Abram & Nachor & Aran. Hę ſunt autem 1.Para. 1.b.
D generationes Thare,Thare genuit Abram,Nachor,& Aran.Porrò Aran genuit Lot. [h] Mortuusq; eſt Aran Ioſue 24.a.
ante Thare patrem ſuum,in terra natiuitatis ſuę in Vr Chaldæorum . Duxerunt autem Abram & Nachor Neem. 9.b
vxores.Nomen vxoris Abram , Sarài : & nomen vxoris Nachor , Melcha,filia Aran patris Melchę, & patris Iudit 5.a.
Ieſchæ. Erat autem Sarài ſterilis , nec habebat liberos. Tulit itaq; Thare Abram filium ſuum, & Lot filium
Aran filium filij ſui,& Sarài nurum ſuam,vxorem Abram,filij ſui,et eduxit eos de Vr Chaldæorum,vt irent
in terram Chanáan : veneruntq; vſque Charan & habitauerunt ibi . Et facti ſunt dies Thare ducentorum
quinque annorum,& mortuus eſt in Charan.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Labij vnius.] *Videtur linguam illam, Hebræam fuisse, cui omnes orientales linguæ magna ex parte consentiunt: conseruata autem ea fuit, in Abraham, & Dei cultoribus.* [b] Sermonum eorundem.] *Vel rerum quo fortasse significatur, negociorum simplicitas, & morum similitudo, atque concordia. Alij intelligunt sermonum eorundem, quod non tantum esset labij vnius & linguæ, sed etiam illa lingua nullam haberet in qualibet regione differentiam. Vt Italia lingua, & si toti Italiæ communis est, vrbes tamen differentiam inter se non exiguam interdum habent.* [c] Antequam diuidamur.] *In Hebræo est, Ne forte diuidamur.* [d] Descendit Dominus.] *Antropopathia est. Nam Dominus qui vbique est totus, loco non mouetur.* [e] Nec desistent.] *Vel, nec prohibebitur ab eis, quicquid cogitauerunt facere, hoc est, nihil erit, quod eos prohibeat, quin, quod statuerunt, exequantur.* [f] Vt non audiat.] *Hoc est, non intelligat.* [g] Confusum est labium.] *Numerant Hebræi à diluuio vsque ad diuisionem linguarum annos 340. Vnde patet, Noe vixisse decem annos post linguarum confusionem. Abraham verò vixit ante diuisionem linguarum quadraginta octo annis: nam fuit in subuersione Sodomæ nonaginta nouem annorum, & subuersio illa fuit quinquagesimo secundo anno post linguarum diuisionem.* [h] Mortuus est Aram ante Thare.] *Hebraismus habet, super faciem Thare, hoc est viuente patre, vel coram patre, nec significat hic Vt ignem, vel incendium, sed locum natiuitatis Abraham.*

CAPVT XII.

Act. 7. A

DIxit autem Dñs ad Abram, [a] Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrauero tibi. Faciamq; te in gentem magnam, & benedicã tibi, & magnificabo nomen tuum, [b] erisq; benedictus. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi, atq; in te benedicentur vniuersę cognationes terrę. Egressus est itaq; Abram sicut præceperat ei Dominus, & iuit cum eo Lot: septuaginta quinq; annorum erat Abram cum egrederetur de Charan.

Gala. 3. b. Heb. 11. b. B

Tulitq; Sarai vxorem suã, & Lot filiũ fratris sui, vniuersamq; substantiam, quam possederant, & [c] aias, quas fecerant in Charan: & egressi sunt, vt irent in terram Chanaan. Cumq; venissent in eã, pertransiuit Abram terram vsq; ad locum Sichem, [d] & vsq; ad conuallem illustrẽ: Chananęus aũt tunc erat in terra. Apparuitq; Dominus Abram, & dixit ei, Semini tuo dabo terram hanc. Qui ędificauit ibi altare Domino, qui apparuerat ei. [e] Et inde transgrediens ad montẽ, qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suũ [f] ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ędificauit quoq; ibi altare Domino, & inuocauit nomen eius.

C

Perrexitq; Abram vadens & vltra progrediẽs ad meridiem. Facta est aũt fames in terra: descenditq; Abram in Ægyptum, vt peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra. Cũq; propè esset, vt ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai vxori suæ, Noui quòd pulchra sis mulier, & quòd cum viderint te Ægyptij, dicturi sunt, Vxor illius est: & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quòd soror mea sis, vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. Cum itaq; ingressus esset Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem quòd esset pulchra nimis. Et viderunt eam Principes Pharaonis, & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis, Abram verò bene vsi sunt propter illam. Fuerunt q; ei oues & boues & asini & serui, famulæ & asinæ & cameli. Flagellauit aut ẽ Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorẽ Abram. Vocauitq; Pharao Abram, & dixit ei, Quid nam est hoc, quod fecisti mihi? quare non indicasti mihi, q vxor tua esset? Quam ob causam dixisti esse sororem tuam, vt tollerem eam mihi in vxorẽ? nunc igitur, ecce coniunx tua, accipe eam & vade. Præcepitq; Pharao super Abrã viris, & deduxerunt eum & vxorem illius, & omnia quę habebat.

Infra 12. b. 13. d. 15. d. 16. a. Infra 20. c. Deut. 34. b D

SCHOLIA.

[a] Egredere.] *Hebraismus habet, Vade tibi: est autem proprietas linguæ, sicut alibi quoque inuenitur, Surgite & transite vobis torrentem.* [b] Erisq; benedictus.] *Hebraismus habet: erisq; benedictio: quod Hebræi sic interpretantur, Tu eris benedictio illa, qua reliqui benedicendo dicturi sunt. Ponat te Deus sicut Abraham. Nostri putant hic denominationẽ poni pro denominato, vt sit benedictio pro benedicto, vir benedictionis, pro vir benedictus.* [c] Animas, quas fecerũt.] *Sunt qui putant intelligendum de seruis in domo natis, aut pecunia emptis. Obserua etiam hic Hebraismum, Vt anima ponatur pro ipso homine.* [d] Vsq; ad conuallem illustrem.] *Alius sic vertit, Vsq; ad planitiẽ Moreh: fertur q; Moreh nomen esse viri Cananæi, sicut & alius locus vocatur planicies Mamræ, à viro Amorræo sic dictus. Est aũt planicies Moreh in Sichem, vbi quoq; sunt montes Gerizim, & Abal, de quibus in Iosue.* [e] Et inde transgrediens.] *In Hebræo est, Et transferens inde, subauditur tabernaculum suũ.* [f] Ab occidente habens Bethel.] *In Hebræo est, à mari nam Hebraismus plerunq; plagam occidentalem vocare consueuit mare, quòd mare mediterraneum sit Iudææ ad occasum.*

CAPVT XIII.

Supra 12. a. Infra 36. a. A

AScendit ergo Abrã de Ægypto, ipse & vxor eius, & omnia, quę habebat, & Lot cum eo, [a] ad australẽ plagã. Erat aũt diues valde Abram in † pecore auro & argento. [b] Reuersusq; est per iter, quo venerat à meridie in Bethel, vsq; ad locũ, vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel & Hai: in loco altaris quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomen Dñi. Sed & Lot, qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium & armenta & tabernacula. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Vnde & facta est rixa inter pastores gregum Abram & Lot. Eo aũt tempore [c] Chananęus & Pherezęus habitabant in terra illa. Dixit ergo Abram ad Lot, Ne quęso sit iurgium inter me & te, & inter pastores meos & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coràm te est, recede à me obsecro: [d] si ad sinistram ieris, ego dextrã tenebo: si tu dexterã elegeris, ego ad sinistram pergam. Eleuatis itaq; Lot oculis, vidit oẽm † planitiem Iordanis, quę vniuersa irrigabatur anteq̃ subuerteret Dñs Sodomã & Gomorrham, sicut paradisus Domini, & sicut Ægyptus venientibus in Segor. Elegitq; sibi Lot regionẽ circa Iordanẽ, & recessit ab oriente: diuisiq; sunt alterutrũ à fratre suo. Abram habitauit in terra

ra Chanaan: Lot verò moratus est in oppidis, † planicici, & habitauit in Sodomis. Homines autem Sodomitę pessimi erant, & peccatores coràm Domino nimis. Dixitq; Dominus ad Abram, postquam diuisus est ab eo Lot, Leua oculos tuos: & vide à loco, in quo nunc es ad aquilonem & meridiem, ad orientem & occidentem. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsque in sempiternum. Faciamq; semen tuum sicut puluerem terræ. Si quis potest hominum numerare puluerem terræ: semen quoque tuum numerare poterit, Surge ergo, & perambula terram in longitudine & latitudine sua: quia tibi daturus sum eam. Mouens igitur Abram tabernaculum suum, venit & habitauit iuxta [e] conuallem Mamre, quæ est in Hebron: ædificauitq; ibi altare Domino.

D

Supra 12. b. Infra 15. b & 26.

SCHOLIA.

[a] Ad austrálem plagam.] *Quomodo ascendit ad austrum, cum ex Aegypto contenderet in septentrionem? Respõdent eum ascendisse ad locum illum, vbi prius tetenderat tabernaculum suum, qui locus erat australis respectu terræ Israel, sed quæ tunc erat terra Chanaan.* [b] Reuersusq; est per iter, quo venerat.] *In Hebr. est, & iuit per profectiones suas.* Ch ananæus & Pherezæus habitabant in terra.] *Redditur ratio, cur non possent habitare simul. Sustinuisset, inquit, vtrosque terra illa, nisi etiam alij populi eandem occupassent.* [d] Si ad sinistram ieris.] *Vtitur hic Hebraismus verbis à sinistra & dextra formatis. perinde ac si diceres, si tu sinistrauerteris, ego dextrabo.* [e] Conuallem Mamre.] *Fuit Mamre vir quidam Amorræus, conuallis Mamre fuit planicies quædam arboribus consita.*

CAPVT XIIII.

A

FActum est autem in illo tempore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex † Aelasar, & Chodorlahómor rex Aelamitarum, & Thadal rex Gentium inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhę, & contra Senaab regem Adamę, & contra Semẽber regem Seboim, contraq; regem Balæ, ipsa est Segor. Omnes hi conuenerunt in vallem † Siddim, quę nunc est mare salis. Duodecim enim annis seruierant Codorlahómor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahómor, & reges, qui erant cum eo: percusseruntq; Raphaim in Astaroth Carnáim, & [a] Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathaim, & Corrhęos in montibus Seir, vsq; ad campestria

B

Pharan, quę est in solitudine. Reuersiq; sunt, & venerunt vsq; [b] ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem [c] regionem Amalechitarum, & Amorrhęorum qui habitabant in Asason-thamar. Et egressi sunt rex Sodomorum, & rex Gomorrhę, rexq; Adamę, & rex Seboim, necnon & rex Balæ, quę est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle † Siddim, scilicet aduersus Chodorlahómor regem Aelamitarum, & Thadal regem gentium, & Amraphel regem Sennaar, et Arioc regem Ponti, quatuor reges aduersus quinq;. Vallis autem syluestris habebat [d] puteos multos bituminis. Itaq; rex Sodomorum, & rex Gomorrhæ terga verterunt, ceciderunt q; ibi: & qui remanserant, fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiã

C

Sodomorum & Gomorrhęorum, & vniuersa, quę ad cibum pertinent, & abierunt: necnon & Lot, & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. Et ecce vnus, qui euaserat, nuntiauit [e] Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mamre Amorrhæi, fratris Escol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo: & persecutus est eos vsq; Dan. Et diuisis socijs, irruit super eos nocte, † ipse & serui eius: percusitq; eos, & persecutus est vsque Choba, quæ est ad leuam Damasci. Reduxitq; omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoque, & populum. Egressus

D

est autem rex Sodomorum in occursum eius postquam reuersus est à cæde Chodorlahómor, & regum, qui cum eo erant in valle Saue, quæ est [f] vallis regis. At verò Melchisedech [g] rex Salem, proferens panem, & vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, & ait, Benedictus Abram Deo excelso, qui possidet cœlum, & terram: & benedictus Deus excelsus, [h] quo protegente hostes in manibus tuis sunt. [i] Et dedit ei decimas ex omnibus. Dixit autem rex Sodomorum ad Abram, Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respondit ei, [k] Leuo manum meam ad Dominum Deum excelsum possessorem cœli, & terræ, quòd [l] à filo † vsque ad corrigiam caligæ, non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, ne dicas, Ego ditaui Abram, exceptis his, quæ comederunt iuuenes, & partibus virorum, qui venerunt mecum, Aner, Escol, & Mamre: isti accipient partes suas.

Hebr. 7. a.

SCHOLIA.

[a] Zuzim cum eis.] *Vel potius Zuzim in Ham. Quod approbat Hieronimus, & dicit septuaginta interpretes fuisse deceptos similitudine literarum ז & נ.* [b] Ad fontem Misphat.] *Vel, ad En Misphat, quod est oculus, vel fons iudicij.* [c] Regionem Amalechitarum.] *Quanquam Amalech nondum tunc fuerit natus, vocat tamen Moses regionem illam eo nomine, quo diebus suis appellabatur.* [d] Puteos multos bituminis.] *Videtur ob eam tantum causam horum puteorum fecisse mentionem, quòd mox ait, duos reges ibi cecidisse. i. temere in loca illa periculosa incidisse.* [e] Abram Hebræo.] *Quasi diceret Abram trajectori, quia trans flumen venerat. Sic & lxx. περάτην appellant, Vox est ab Heber deriuata, vt supra diximus.* [f] Vallis regis.] *Ferunt locum fuisse, & Thadium, vbi reges ludebant, & sese exercebant.* [g] Rex Salem.] *Ipsa est Hierusalem, quæ iam tum hominibus innotescere cæpit, quòd ad Dei cultum esset deputanda. Et quòd Melchisedech panem ac vinum lassis ex itinere protulit: voluit Deus hoc indicio significare ipsi Abrahæ, quòd illic semen suum esset oblaturum decimas, et sacrificia, atq; benedicturum Domino.* [h] Quo protegente.] *In Heb. est, qui tradidit hostes tuos in manu tua.* [i] Et dedit ei decimas.] *Ambigua quidẽ locutio, quis cui decimas dederit, sed Paulus explicat, nimirũ iunior seniori, Abram sacerdoti.* [k] Leuo manum meam ad Dñm.] *Modus iurandi est.* [l] A filo vsque ad corrigiam.] *Quidam sic exponunt. A filo, quo sutores vestimenta consuunt, vsq; ad corrigiam, quæ est cutis calceamentũ constringens, &c. Alij sic. A filo, vel vitta, scilicet capitis vsq; ad corrigiam calceamenti, a capite ad pedes, à maximo ad minimum.*

CAPVT XV.

Rom.4.c. HIs itaq; tranſactis,factus eſt ſermo Domini ad Abram,per viſionẽ dicens. Noli timere Abram, ego A
protector tuus ſum,& merces tua magna nimis.Dixitq; Abrã, Dñe Deus quid dabis mihi? ego va-
dã abſq; liberis: & [a] filius procuratoris domus meæ,iſte Damaſcenus Eliezer.Addiditq; Abrã, Mi-
Rom. 4.a hi aũt non dediſti ſemẽ:& ecce vernaculus meus,hæres meus erit. Statimq; ſermo Dñi factus eſt ad eũ dicẽs,
Gala.3.a Nõ erit hic hęres tuus:ſed qui egredietur de vtero tuo,ipſum habebis hæredem. Eduxitq; eũ foras, & ait illi,
Iacob.2. d Suſpice cœlũ,& numera ſtellas ſi potes:& dixit ei,Sic erit ſemẽ tuum. Credidit Abrã Deo,& reputatũ eſt illi B
Supr.11.d ad iuſtitiam.Dixitq; ad eũ,Ego Dñs qui eduxi te de Vr Chaldęorũ,vt darẽ tibi terrã iſtam,& poſſideres eam.
At ille ait,Dñe Deus,vnde ſcire poſſum,q; poſſeſſurus ſim eam? Et rñdens Dñs,Sume,inquit,mihi [b] vaccam
trienně. & caprã trimã,& arietẽ annorũ trium,turturam quoq; & † pullũ colũbę. Qui tollens vniuerſa hęc,
diuiſit ea p mediũ, & vtraſq; partes cõtra ſe altrinſecus poſuit:aues aũt nõ diuiſit. [c] Deſcenderuntq; volucres C
Act.7.a ſuper cadauera,& abigebat eas Abrã,Cũq; ſol occũberet,ſopor irruit ſuper Abrã,& horror magnus & tene-
Exod. 12.f broſus inuaſit eũ. Dictũq; eſt ad eũ,Scito prænoſcens q; peregrinũ futurũ ſit ſemen tuum in terra nõ ſua: &
ſubijcient eos ſeruituti,& affligent [d] quadrigentis annis.Verũ tamen,gentẽ, cui ſeruituri ſunt, ego iudicabo:
& poſtheę egredientur cũ magna ſubſtãtia.Tu aũt ibis ad patres tuos in pace,ſepultus in ſenectute bona.Ge-
neratione aũt quarta reuertentur huc: [e] necdum.n.completę ſunt iniquitates Amorrhęorũ vſq; ad preſens D
tempus.Cũ ergo occubuiſſet ſol,facta eſt caligo tenebroſa,& apparuit clibanus fumans,& lampas ignis tran
ſiens inter diuiſiones illas.In illo die pepigit Dñs fœdus cum Abram,dicẽs.Semini tuo dabo terrã hãc [f] a fluvio Ægypti,vſq; ad fluuiũ magnũ Euphratẽ, [g] Cineos, & Cenezęos,Cedmonęos, & Hethęos,& Pherezęos,
Raphaim quoq;,& Amorrhęos,& Chananęos,& Gergeſęos,& Iebuſæos.

SCHOLIA.

[a] Filius procuratoris.] *In Hebræo eſt,filius procurationis, Vt verti etiam poſſit,filius procurator vel diſpenſator. Et quod ait,Eliezer ſubaudi,erit hæres meus.* [b] Vaccam triennem.] *Percuſſurus Deus fœdus cum Abram, veterem paciſcendi morem ſeruauit,qui erat,Vt occiderentur animalia,& in duas diuiderentur partes, atq; inter è regione poſitas partes ac fruſta tranſire, quibus cerimonijs dignus morte decernebatur,ſi quis fœdus aliquando rupiſſet.Obſeruant autem,quod hic Abram repreſentavit tria genera ſacrificiorum,nempe holocauſtum,oblationem pro peccato, & ſacrificium pacificorum.* [c] Deſcenderunt volucres.] *Quòd volucres ſuper cadauera deſcenderint, & Abram eas abegerit,ſignificat,reges ac populos perſecuturos Iſraelem, & niſi merita patrum interceſſiſſent,fuiſſe etiam conſumpturos.* [d] Quadrigentis annis.] *Intelligendum eſt ab hoc tempore:nam in Ægypto non fuerunt niſi ducentis, & decem annis, Vt in Exodo dicetur. Quare cenſet Auguſtinus ineſſe hyperbatum,quod ſic aptetur. Peregrinum erit ſemen tuum in terra non ſua quadringentis annis, & ſubijcient eos,&c.* [e] Necdum enim completę.] *Hoc eſt,nondum adeſt tempus,quo punire illorum decreui iniquitates.* [f] A fluuio Ægypti.] *Hebræi intelligunt Nilum,cum tamen riuus quidam ſit, Iudeam diſterminans ab Ægypto.* [g] Cineos.] *Per Cineos,Cenezęos,& Cethmonęos,intelliguntur Variæ familiæ Cananæorum, cum Cananæus vndecim filios genuerit,ex quibus Variæ natæ ſunt familiæ,à quibus vna peculiariter retinuit nomen Chananæi, Numerantur autem hic decem gentes,cum non acceperint ſub Ioſue niſi tantum ſeptem.Edom enim Moab, & Ammon poſtea reges Iſraelitarũ ſibi ſubiugarunt. Hic autem dicuntur Cethmonæi,Cenezæi,& Cinæi.*

CAPVT XVI.

IGitur Sarài vxor Abram non genuerat ſibi liberos:ſed habens ancillam Ægyptiam nomine Agar, dixit A
marito ſuo,Ecce,concluſit me Dominus, ne parerem:ingredere ad ancillam meam, [a] ſi fortè ſaltem ex il
la ſuſcipiam filios.Cumq; ille acquieſceret deprecanti,tulit Agar Ægyptiam ancillam ſuam [b] poſt annos
decem q̃ habitare cœperant in terra Chanaan: & dedit eam viro ſuo vxorem. Qui ingreſſus eſt ad eam. At
illa concepiſſe ſe videns,deſpexit dominam ſuam. Dixitq; Sarai ad Abram, [c] Iniquè agis contra me:ego de- B
di ancillam meam in ſinum tuum,quę videns,q; conceperit, deſpectui me habet,iudicet Dominus inter me
& te. Cui reſpondens Abram, Ecce, ait, ancilla tua in manu tua eſt,vtere ea,vt libet. Affligente igitur eam
Sarài, fugam iniit. Cumq; inueniſſet eam angelus Domini iuxta fontem aquę in ſolitudine, quę eſt in via
Sur, dixit ad illam, Agar ancilla Sarài vnde venis? & quò vadis? Quę reſpondit, A facie Sarài dominę meæ C
ego fugio.Dixitq; ei angelus Domini,Reuertere ad dominam tuã,& humiliare ſub manu illius. Et rurſum,
Multiplicans,inquit,multiplicabo ſemen tuum, & non numerabitur præ multitudine. Ac deinceps, Ecce,
ait,concepiſti,& paries filium: vocabiſq; nomen eius [d] Iſmahel, eo quòd audierit Dominus clamorem tuũ.
Hic erit [e] ferus homo:manus eius contra omneis,& manus omnium contra eum: è regione vniuerſorũ fra- D
trum ſuorum figet tabernacula. Vocauit aũt nomen Domini, qui loquebatur ad eam, Tu Deus qui vidiſti
me.Dixit enim,profecto hic [f] vidi poſteriora videntis me.Propterea appellauit puteum illum, [g] Puteum vi-
uentis videntis me,ipſe eſt inter Cades & Barad.Peperitq; Agar Abræ filiũ,qui vocauit nomen eius Iſmahel.
Gala. 4.c. Octoginta & ſex annorum erat Abram,quando peperit ei Agar Iſmahelem.

SCHOLIA.

[a] Si fortè ex ea ſuſcipiam.] *In Hebræo eſt, ſi forte ædificer ex ea:qui locutionis modus pluribus ſcripturæ locis inuenitur, Vbi ædificare ſignificat augere, vel liberis, vel facultatibus, Vt illud Ruth 4. Faciat Dominus hanc mulierem, quæ ingreditur domum tuam,ſicut Rachel,& Liam,quæ ædificauerunt domum Iſrael.* [b] Poſt annos decem.] *Ferunt tempus fuiſſe ſtatutum pro muliere, Vt ſi manſiſſet cum marito ſuo decem annis,& non peperiſſet, teneretur ille aliam ducere vxorem.* [c] Inique agis contra me.] *In Hebr.eſt,iniuria mea ſuper te eſt.* [d] Iſmahel.] *Significat,audiet Deus, is fuit homo diligens ſolitudines,& inhians feris capiendis: Vocant autem hodie Hebræi in commentarijs ſuis Iſmahelitas, eos, quos nos Saracenos vocamus,qui ſcilicet ſunt Aphri,Aegyptij,Arabes,&c.* [e] Ferus homo.] *Vel homo ſyluestris.Exponunt alij pro*

pro libero,& qui nemini ſubijci dignetur. [f] Vidi poſteriora videntis me.] *Heb.habet,Vidi poſt videntem me. At hic locus obſcurus eſt, & Varie à noſtris & Hebræis exponitur. Alij dicunt,Vidi poſt me videntem,hoc eſt,mei curam habentem Deum. Alij ſic, Miror, quòd etiam hic in deſerto vidi Dei nuncium, quæ conſueueram videre eum in domo Abram, & ſecundum hanc interpretationem,illud poſt videntem me,ſic reddi debet,poſtquam ego vidi, vel ſum videns. Aliter hoc modo.Nunquid hic vidi poſtquàm fui videns? Hoc eſt cum loqueretur mecum non cognoui illum eſſe angelum Dei, ſed vt lapſus eſt ſubito ab oculis meis, tam cognoui, fuiſſe illum angelum Dei. Vidi igitur aliud poſtquàm euaniit ab oculis meis, quàm cum loqueretur mecum, Aliter ſic,an non hic vidi angelum Domini, poſtquàm Deus vidit afflictionem meam? Poteſt etiam eſſe is loquendi modus,qui habetur Exod.xxxiij. Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Atque hoc eſt quod Paulus ait, Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, & eodem Exodi loco. Non videbit me homo, & viuet.* [g] Puteus viuentis videntis me.] *Hoc eſt puteus angelis, quem ego vidi, atque is eſt ſenſus rectior, quàm quod alij verterunt. Viuentis videntis me. Pulchrè aũt appellat angelu viuentem,præſertim cum Deũ referat, cui proprium eſt viuere,ſicut & eſſe. nã vtrunque ei proprie attribuitur: Vt illud. Ego ſum,qui ſum,& Paulus.qui ſolus habet immortalitatem.*

CAPVT XVII.

A POſtquam verò nonaginta & nouem annorum eſſe cœperat,apparuit ei Dominus: dixitq; ad eũ, Ego
Deus omnipotens:ambula coram me,& eſto perfectus. Ponamq; fœdus meum inter me & te, & mul
tiplicabo te vehementer nimis.Cecidit Abram pronus in faciem. Dixitq; ei Deus. Ego ſum, & pactũ
meum tecum, eriſq; pater multarum gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram:ſed appelláberis
[a] Abraham:quia patrem multarum gentium conſtitui te. Faciamq; te creſcere vehementiſsimè, & ponam Eccl.44.a
te in gentibus, [b] regesq; ex te egredientur.Et ſtatuam pactum meum inter me & te, & inter ſemen tuũ poſt Rom.4.c
te in generationibus ſuis fœdere ſempiterno: vt ſim Deus tuus & ſeminis tui poſt te. Daboq; tibi & ſemini
B tuo poſt te terram peregrinationis tuę, omnem terram Canàan [c] in poſſeſsionem ęternam, eroq; Deus eo-
rum.Dixit iterum Deus ad Abraham. Et tu ergo cuſtodies pactum meum,& ſemen tuum poſt te in genera-
tionibus ſuis.Hoc eſt pactum meum,quod obſeruabitis inter me & vos & ſemen tuum poſt te. Circunci-
detur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem [d] præputij veſtri, vt ſit in ſignum fœderis inter me
& vos.Infans octo dierum circumcidetur in vobis,omne maſculinum in generationibus veſtris, † [e] tam ver-
naculus,q̃ emptus pecunia ab omni filio alienigenę,qui non fuerit de ſemine tuo,circumcidetur,vernaculus Act. 7.a
tuus,& qui acquiſitus eſt pecunia tua. Eritq; pactum meum in carne veſtra in fœdus ęternum. Maſculus,cu Rom.4.b
C ius præputij caro circunciſa nõ fuerit, [f] delebitur anima illa de populo ſuo, quia pactum meum irritũ fecit. Luc. 2.c
Dixit quoque Deus ad Abrahã. Sarài vxorẽ tuã non vocabis [g] Sarai,ſed Saram:& benedicam ei,& ex illa da-
bo tibi filiũ, [h] cui benedicturus ſum,eritq; in nationes:& reges populorum orientur ex ea. Cecidit Abrahã
in faciem ſuã,& [i] riſit in corde ſuo dicens.Putáſne centenario naſcetur filius?& Sara nonagenaria pariet? Di-
xitq; ad Deũ. Vtinã Iſmahel viuat coràm te.Et ait Deus ad Abrahã.Sara vxor tua pariet tibi filiũ,vocabiſq; no Infra 18. b
men eius Iſaac,& cõſtituã pactũ meũ illi in fœdus ſempiternũ,& ſemini eius poſt eũ. Super Iſmahel quoq; & 21.a
exaudiui te:ecce benedicã ei,& augebo & multiplicabo eũ valde:duodecim duces generabit, & faciã illũ in
D gẽtem magnã. Pactũ verò meũ ſtatuã ad Iſaac,quẽ pariet tibi Sara tẽpore iſto in anno altero.Cumq; finitus
eſſet ſermo loquentis cũ eo,aſcendit Deus ab Abrahã. Tulit aũt Abrahã Iſmahel filiũ ſuũ,& [k] oẽs vernacu-
los domus ſuę,vniuerſosq;,quos emerat, & cunctos mares ex omnibus viris domus ſuę:& circũcidit carnem
præputij eorũ ſtatim in ipſa die,ſicut præceperat ei Deus. Abraham nonaginta & nouem erat annorũ, quã-
do circumcidit carnem præputij ſui. Et Iſmahel filius ſuus tredecim annos impleuerat tempore circunciſio-
nis ſuę. Eadem die circunciſus eſt Abraham & Iſmahel filius eius.Et omnes viri domus illius,tam vernaculi,
quàm emptitij ex alienigenis pariter circunciſi ſunt.

SCHOLIA.

[a] Abraham.] *Ante promiſsionem Iſaac, nomen illius erat Abram, hoc eſt,pater excelſus,poſtea verò paternitatis illius celſitudo ornatur interpoſitione eius literæ, quæ inter ſacratiores literas,quibus nomina Dei ſcribuntur,principalis eſt, et bis ſcripta in nomine illo ineffabili,quæ & ſemel aſcripta nomini Abrahæ, et ſecundo aſcripta Saræ, indicat prærogatiuã quandam maximam datam vtriſque generandi ipſam diuinitatem aliquando de ſemine ſuo,in Chriſto naſcituro de Virgine Maria.* [b] Regesq; ex te egredientur.] *Etiam ad literam, nam Iſmahel duodecim duces habuit, Eſau vndecim, Iacob duodecim.* [c] In poſſeſsionem ęternam.] *Hoc eſt, longo tempore.* [d] Præputij veſtri.] *Dictio Hebræa ſignificat rem quancunque ſuperfluam, & quæ rem aliam aggrauet,quæq; digna ſit, Vt reyciatur. In corpore autem humano perfecto ferunt nihil ſuperfluum inuenirì,præter illam præputy pelliculam.* [e] Tam vernaculus.] *Adumbratio eſt veræ circunciſionis,cordis ſcilicet,Iudæis & non Iudæis communis futuræ.* [f] Delebitur anima illa.] *Secundum Iudæos,morietur ante quinquageſimum ſecundum annum ætatis ſuæ, vel,non relinquet poſt ſe ſemen.* [g] Sarài.] *Sonat Sarài,principes mei, à Sar princeps, à quo ſit fœmininum Sara,principiſſa, nomen generale, quòd ipſa mater conſtitueretur, & princeps multitudinis gentium.* [h] Cui benedicturus ſum.] *Nempè ipſi Saræ.* [i] Riſit.] *præ ſtupore riſit felicitatis ſuæ admirationem.* [k] Omnes vernaculos.] *Qui erant trecenti decem & octo, Vt ſupra ſcribitur, qui omnes de familia eius erant, miniſterio illius deputati.*

CAPVT XVIII.

A APparuit autem ei Dominus in conualle Mamre ſedenti in oſtio tabernaculi ſui in ipſo feruore diei.
Cumq; eleuaſſet oculos, appariuerunt ei tres viri ſtantes propè eum: quos cum vidiſſet, cucurrit in
occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui,& adorauit in terra. Et dixit. Domine, ſi inueni gratiam
in oculis tuis,ne tranſeas,ſeruum tuum:ſed afferam pauxillum aquę, & lauentur pedes veſtri, & requieſcite
ſub arbore. Ponãq; buccellam panis,vt confortetur cor veſtrum,poſtea tranſibitis:iccircò enim declinaſtis

ad

ad seruũ vestrum. Quĩ dixerunt. Fac vt locutus es. Festinauit Abrahã in tabernaculũ ad Saram, dixitq; ei. Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum: deditq; puero, qui festinauit & coxit illũ. Tulit quoq; butyrũ, & lac, & vitulum, quem coxerat, & posuit corã eis: ipse vero stabat iuxta eos sub arbore. Cumq; comedissent, dixerunt ad eum. Vbi est Sara vxor tua? Ille rñdit. Ecce in tabernaculo est. Cui dixit. Reuertens veniã ad te [a] tempore B
isto vita comite, & habebit filiũ Sara vxor tua. † Sara vero hoc audiebat in ostio tabernaculi, [b] quod erat post
Infra 21.a illũ. Erant aũt ambo senes proiectæq; ætatis, & desierant Sarę fieri [c] muliebria. Quę risit occultè, dicẽs. Post-
Roma. 9.b q̃ consenui, & Dñs meus vetulus est, voluptati operam dabo? Dixit aũt Dñs ad Abraham. Quare risit Sara,
dicens, Num verè paritura sum anus? Nunquid Deo quicquã est [d] difficile? Iuxta cõdictũ reuertar ad te hoc
eodem tempore vita comite, & habebit Sara filiũ. Negauit Sara dicens. Non risi, timore perterrita. Dñs aũt,
1. Petr. 3.a non est, inquit, ita: sed risisti? Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos cõtra Sodomam: & Abrahã
simul gradiebatur deducens eos. Dixitq; Dñs. Num celare potero Abraham, quę gesturus sum: cũ futurus sit
in gentem magnã ac robustissimam, & benedicendæ sint in illo omnes nationes terræ? Scio enim q̃ præ-
cepturus sit filijs suis, & domui suæ post se, vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium, & iustitiam: vt ad- C
ducat Dominus † super Abraham omnia, quæ locutus est ad eum. Dixit itaque Dominus, Clamor Sodo-
morum, & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam & vi-
debo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint: an non est ita, vt sciam. Conuerteruntq; se in-
de † viri illi, & abierunt Sodomam: Abraham verò adhuc stabat coram Domino. Et appropinquans ait:
Nunquid perdes iustum cum impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? & non parces
loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à te, vt rem hanc facias, & occidas iustum cũ im-
pio, fiatq; iustus, sicut impius. non est hoc tuũ: † nã qui iudicat omnem terrã, † nõ faciet iudiciũ †? Dixitq;
Dominus ad eum. Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittam omni loco pro-
pter eos. Respondensq; Abraham, ait. [e] Quia semel cœpi, loquar ad Dominum meum, cum sim puluis & D
cinis. Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint? [f] delebis propter quadragintaquinq; vniuersam
vrbem? Et ait. Non delebo, si inuenero ibi quadragintaquinque. Rursumq; locutus est ad eum. Sinautẽ
quadraginta ibi inuenti fuerint, quid facies? Ait. Non percutiam propter quadraginta. Ne quæso, inquit,
indigneris Domine, si loquar. Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit. Non faciam, si inuenero ibi
triginta. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad Dominum meum. Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait. Non
interficiam propter viginti. Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel. Quid si inuenti
fuerint ibi decem? Et dixit. Non delebo propter decẽ. Abijtq; Dominus postquàm cessauit loqui ad Abra-
ham: & ille reuersus est in locum suum.

SCHOLIA.

[a] Tempore isto vita comite.] *Hebr. habet, iuxta tempus vitæ, quod quidam sic intelligunt. Reuertar ad te tempore isto, in sequenti anno, & vos eritis viui, habebitq; Sara filium.* [b] Quod erat post illum.] *Habet hunc sensum. Stabat Sara iuxta hostiũ, quod erat angelo loquenti ad tergum.* [c] Mutiebria.] *Heb. habet. Via secũdũ mulieres. Intelligitur tẽpus conceptionis, quod Sara iam ætate sua transierat.* [d] Difficile vel mirabile.] *Nunquid (inquit) quicquam est tam mirabile, & excellens, quod à Deo non possit fieri?* [e] Quia semel cœpi.] *Heb. Ecce complacuit mihi loqui ad Dominũ meũ, &c.*
[f] Delebis propter quadragintaquinq;?] *Heb. Habet, ob quinque, hoc est, si deficiãt quinque à prædicto numero.*

CAPVT XIX.

VEneruntq; duo angeli Sodomam vespere, sedente Lot in foribus ciuitatis. Qui cum vidisset eos, sur- A
rexit, & iuit obuiam eis: adorauitq; pronus in terram, & dixit. Obsecro Domini, declinate in do-
mum pueri vestri, & manete ibi: lauate pedes vestros, & manè proficiscemini in viam vestram. Qui
dixerunt. Minime, sed in platea manebimus. Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum: Ingressiq; do-
mum illius, fecit conuiuium, & coxit azima, & comederunt. Prius autem quàm irent cubitum, viri ciuitatis
vallauerunt domum illius, à puero vsq; ad senem, [a] omnis populus simul. Vocauerunt q; Lot & dixerunt ei,
Vbi sunt viri, qui introierunt ad te nocte? Educ illos huc, vt cognoscamus eos. Egressus est ad eos Lot † ad B
ostium, & clausit ianuam post se, & ait. Nolite quæso fratres mei, nolite malum hoc facere. Habeo duas fi-
lias, quę nondũ cognouerunt virum: educam eas ad vos, & abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo vi-
ris istis, nihil mali faciatis, quia [b] † iccirco ingressi sunt sub vmbra culminis mei. At illi dixerunt, [c] Recede
illuc. Et rursus. Ingressus es, inquiunt, vt aduena, nunquid vt iudices? te ergo ipsum magis quàm hos affli-
2.Petr. 2.d mus. Vimq; faciebant Lot vehementissimè: iamq; propè erat vt effringerent fores. Et ecce miserunt manũ
viri, & introduxerunt ad se Lot, clauseruntq; ostium: & eos qui foris erant, percusserunt cæcitate, à minimo C
vsq; ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent. Dixerunt autem ad Lot, Habes hic quempiam tuo-
Sapi. 19.c rum generum, aut filios, aut filias? [d] omnes, qui tui sunt, educ de vrbe hac: delebimus enim locum istum, eo,
quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos vt perdamus illos. Egressus itaq; Lot, locutus
est ad generos suos, qui accepturi erãt filias eius, & dixit. Surgite, & egredimini de loco isto, quia delebit Dñs
ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. Cumq; esset manè, cogebant eum angeli, dicentes. Surge
tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes: ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, ap- D
prehenderunt manum eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo q̃ parceret Dñs illi, eduxeruntq;
eum, & posuerunt extra ciuitatem. [e] Ibiq; locuti sunt ad eum, dicentes. Salua animam tuam: noli respicere
Sapi. 10.a post tergum, nec stes in omni † ista planicie: sed in mõte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Dixitq; Lot ad
eos. Non, quæso Domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te, & magnificasti misericordiã tuã,
quam

E .quã fecisti mecũ, vt saluares aĩam meã, non possum in mõte saluari, ne forte apprehendat me malum, & mo-
riar. Est ciuitas hæc iuxta, ad quã possum fugere, parua, & saluabor in ea: nunquid nõ modica est, & viuet aĩa
Sapie. 10.a mea? Dixitq; ad eũ. Ecce ẽt in hoc suscepi preces tuas, vt nõ subuertã vrbẽ, pro qua locutus es. Festina, & sal-
Esa. 13.d uare ibi: qa nõ potero facere quicq̃, donec ingrediaris illuc. Iccirco vocatũ est nomẽ vrbis illius [f] Segor. Sol
Hiere. 50.f egressus est super terrã, & Lot ingressus est Segor. Igitur [g] Dñs pluit super Sodomã & Gomorrhã sulphur, &
Eze. 16.f ignem à Dño de cœlo: & subuertit ciuitates has, & omnẽ illam planiciẽ, vniuersos habitatores vrbiũ, & cun-
Ose. 11.c Amos 4.d ctа terrę virentia. [h] Respiciensq; vxor eius post illum, [i] versa est in statuã salis. Abrahã aũt consurgens mane
Luc. 17.f F †ad locum, vbi steterat prius cum dño, intuitus est Sodomã, & Gomorrhã, & vniuersam terrã regionis illius:
Iud. 1.c viditq; [k] ascendentẽ fumũ de terra quasi fornacis fumũ. † Et factũ est, cũ subuerteret dñs ciuitates regionis
Luc. 17.g illius, recordatus est Abrahæ, & liberauit Lot de subuersione vrbium, in quibus habitauerat. Ascenditq; Lot
Supr. 18.a de Segor, & mãsit in mõte, duę quoq; filiæ eius cũ eo (timuerat enim manere in Segor) & mãsit in spelunca
ipse, & duę filię eius cũ eo. Dixitq; maior ad minorẽ. Pater noster senex est, & nullus virorũ remansit in ter-
ra, qui possit ingredi ad nos iuxta morẽ vniuersæ terræ. Veni, inebriemus eum vino, dormiamusq; cum eo:
vt seruare possimus ex patre nostro semen. Dederunt itaq; patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est
G maior, dormiitq; cum patre: [l] at ille non sensit, nec qñ accubuit filia, nec qñ surrexit. Altera quoq; die di-
xit maior ad minorem. Ecce dormiui heri cum patre meo; demus ei bibere vinum etiam hac nocte, & dor-
mies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro. Dederunt & illa nocte patri suo bibere vinum, ingressaq;
minor filia, dormiuit cum eo: & nec tunc quidem sensit, quando concubuerit, vel quãdo illa surrexerit. Cõ-
ceperunt ergo duę filiæ Lot de patre suo. Peperitq; maior filiũ, & vocauit nomẽ eius [m] MOAB: ipse est pa-
ter Moabitarum vsq; in præsentem diem. Minor quoq; peperit filium, & vocauit nomen eius AMMON, id-
est filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum vsq; hodie.

SCHOLIA.

[a] Omnis populus simul.] *Hebr. habet, omnis populus ab extremitate, scilicet ciuitatis.* [b] Iccirco ingressi sunt.] *Subaudiendum, vt tuti essent.* [c] Recede illuc.] *Recede à facie nostra ad alium locum.* [d] Omnes qui tui sunt.] *Vel. Omnia, quæ tua sunt.* [e] Ibique locuti sunt ad eum dicentes.] *In Heb. sic legitur, & factum est, cum illi eduxissent foras, dixit. Et non habetur in Hebræo, dixerunt, sed dixit. Nam licet duo essent angeli, tamen vnus educto Lot foras, iam subuertere cœpit illas ciuitates.* [f] Segor.] *Vel, Zoar, vocatum est oppidum, Zoar, hoc est, paruulum, quod prius Bale nominabatur, vna ac minima quinque vrbium.* [g] Dominus pluit ignem à Domino.] *Hoc simile est illi. Dixit Dominus Domino meo. Sed Iudæi, vt trinitatis mysterium effugiant, interpretantur, à Domino, hoc est, à seipso, dicuntq;, hoc esse elegantiam linguæ.* [h] Respiciens vxor eius post illũ.] *Hoc est, post Lot virum suum, nam hic est pronomen, vel quod Heb. vocant, affixum masculinum.* [i] Versa est in statuã salis.] *Exusta sunt secundum Hebræos, per sulphur ossa eius, & sic reducta in salis statuam.* [k] Ascendentem fumum.] *Vel, vaporem.* [l] At ille non sensit.] *Posse inter dormiendum quenquam generationi vacare Iudæi negant, & obelo hunc locum notant, teste etiam diuo Hieronymo. Verum de veritate scripturæ non fuerat dubitandum, quæ longè incredibiliora facta recenset, quàm hoc sit.* [m] Moab.] *Significat Moab, de patre. Et hæc maior filia impudentior fuit minore, vt etiam filij nomine non veritа sit incestum manifestare. Minor verò verecũdior fuit, vocans filium suum Ammon, vel, vt est in Hebræo, Ben Ammi, hoc est, filius populi mei.*

CAPVT XX.

A PRofectus inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades & Sur: & peregrinatus est in Gera-
ris. Dixitq; de Sara vxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimèlech rex Geraræ, & tulit eam. Venit
autem Deus ad Abimèlech per somnium nocte, & ait illi. En morieris propter mulierẽ, quam tulisti:
habet enim virum. Abimèlech verò nõ tetigerat eã, & ait, Dñe, num gentẽ ignorantẽ, & iustam interficies?
Nõne ipse dixit mihi, Soror mea est: & ipsa ait, Frater meus est? [a] In simplicitate cordis mei, & munditia ma-
B nuũ mearũ feci hoc. Dixitq; ad eũ deus per somniũ. Et ego scio, q̃ simplici corde feceris: et ideo custodiui te,
ne peccares in me, & nõ dimisi vt tangeres eã. Nunc ergo redde viro suo vxorẽ, quia propheta est: & orabit
pro te, & viues. si aũt nolueris reddere, scito q̃ morte morieris tu, & omnia, quę tua sunt. † Itaq; manè cõsur-
gens Abimèlech, vocauit oẽs seruos suos: & locutus est vniuersa verba hæc in auribus eorũ, timueruntq; oẽs
C viri valdè. Vocauit autem Abimèlech ẽt Abrahã, & dixit ei. Quid fecisti nobis? quid peccaui in te, quia indu-
xisti super me, & super regnum meum peccatum grande? quę non debuisti facere, fecisti nobis. Rursumq;
expostulans ait. Quid vidisti, vt hoc faceres? Rñdit Abraham. Cogitaui mecum, dicens. Forsitan non est ti-
mor dei in loco isto. & interficient me propter vxorem meam: aliàs autem, & verè [b] soror mea est, filia patris
mei, & non filia matris meę, & duxi eã in vxorem. Postquam autem [c] eduxit me Deus de domo patris mei,
dixi ad eam. Hanc misericordiam facies mecum. In omni loco, ad quẽ ingrediemur, dices q̃ frater tuus sim. Supr. 12.a
D Tulit igitur Abimèlech oues, & boues, & seruos, & ancillas, & dedit Abrahã: reddiditq; illi Saram vxorem
suam, & ait. Terram coram vobis est, vbicunque tibi placuerit, habita. Saræ autem dixit. Ecce mille
argenteos dedi fratri tuo, [d] hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum sunt: & quocunque
perrexeris, memento te reprehensam. Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech, & vxorem, an-
cillasque eius, & pepererunt. Concluserat enim Deus [e] omnem vuluam domus Abimèlech propter Sa-
ram vxorem Abrahæ.

SCHOLIA.

[a] In simplicitate cordis.] *Vel, in perfectione cordis mei, hoc est, ne cogitaui quidẽ malè agere, tantũ abest, vt facto peccauerim.* [b] Soror mea est.] *Fuit soror eius, sicut Lot frater, dixit enim supra, viri fratres sumus, cum fratrum essent filij, sic illam Hebræi putant fratris fuisse filiam, qui frater aliam, quam Abraham, habuerit matrem.* [c] Eduxit me Deus.] *In Heb.*

UNIVERSITÄTS

In Heb.est.Eduxerunt me Dy.Inuenitur quidem elohim ferè semper in plurali, sed rarissimè, vt hic,additur illi verbũ plurale. [d] Hoc erit tibi in velamen.] *Variè exponitur hæc sententia,nam quidam sic exponunt. Ecce argentũ, & munus, illud,quod tibi dedi,erit omnibus,qui tecum fuerint,in operimentum oculorum.nam operient oculos suos,ne te aspiciant,dicentes. Rex Abimèlech per hãc pecuniam redemit animam suam,eò quòd misisset manum in vxorẽ prophetæ. Alius hoc modo.Erit hoc argentum prætextus excusationis tuæ ad omnes,quibus cum versaberis:& qui ausi fuerint te arguere , aut honorem tuũ commaculare.Illud verò, Et quocunque perrexeris , memento te reprehensum , exspuciatus est de more interpres. alij verterunt.Ad oẽm arguẽtem,Alij,& sic cum oĩbus reprehensa est.& hanc interpretationem sic exponunt,vt sint verba Mosis legislatoris , nempè quòd ob huiusmodi verba , frater meus est,ab oĩbus fuerit reprehensa,ne videlicet ita diceret. In Aegypto enim etiam sic dixerat,& fortasse in alys quoque locis.* [e] Omnem vuluam.] *Vt scilicet maturã prolem non potuerint eniti.Autumant etiam regem in veretro percussum,cum scriptura dicat,Non permisit,vt tangeres eam.*

CAPVT XXI.

Supra.17.c 18.b Gala. 4.c Heb. 11.c Matth. 1.a Supr. 17.d Gala. 4.d Roma. 9.b Hebr.11.d

VIsitauit autem Dñs Saram sicut promiserat:& impleuit,quę locutus est.Concepitq; , & peperit filiũ A in senectute sua, tẽpore quo prędixerat ei deus . Vocauitq; Abrahã nomen filij sui , quem genuit ei Sara,Isaac,& circuncidit eum octauo die sicut præceperat ei Deus , [a] cum centum esset annorũ , hac quippe ętate patris,natus est Isaac. Dixitq; Sara. [b] Risum fecit mihi Deus:quicunq; audierit, corridebit mihi.Rursumq; ait. Quis † dixisset Abrahę, [c] ꝙ Sara lactaret filiũ , quę peperit ei iam seni ? Creuit igitur puer, & ablactatus est:fecitq; Abrahã grande cõuiuium in die ablactationis eius. Cumq; vidisset Sara filium Agar Ægyptię [d] ludentem,dixit ad Abraham. Eijce ancillam hanc,& filium eius:nõ enim erit hæres filius ancillę cum filio meo Isaac.Dure accepit hoc Abraham pro filio suo.Cui dixit Deus. Nõ tibi videatur asperum sup B puero & super ancilla tua:omnia,quę dixerit tibi Sara,audi vocẽ eius:quia in Isaac vocabitur tibi semen.Sed & filium ancillę faciam in gentem magnam,quia semen tuum est. Surrexit itaq; Abraham mane, & tollens panem,& vtrem aquę,imposuit scapulę eius,tradiditq; puerũ,& dimisit eã. Quę cũ abijsset, errabat in solitudine Bersabee. Cumq; consumpta esset aqua in vtre , abiecit puerum subter vnam arborem,quę ibi erat. Et abijt,seditq; è regione procul [e] quantum pôt arcus iacere. Dixit enim. Non videbo morientem puerũ,& sedens contrà leuauit vocem suam,& fleuit.Exaudiuit autem Deus vocem pueri:vocauitq; Angelus Domini Agar de cœlo,dicens.Quid agis Agar ? noli timere:exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco,in quo est. C Surge,tolle puerum,& tene manu tua illum : quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitq; oculos eius Deus:quę videns puteum aquę,abijt,& impleuit vtrem,deditq; puero bibere.Et fuit Deus cũ eo: qui creuit, & moratus est in solitudine , factusq; est iuuenis [f] sagittarius . Habitauitq; in deserto Pharan, & accepit illi mater sua vxorem de terra Ægypti.Eodem tempore dixit Abimèlech , & Phichol princeps exercitus eius ad Abraham.Deus tecum est in vniuersis,quæ agis.Iura ergo per Deum , ne noceas mihi & posteris meis, stirSupr. 20.d piq; meæ:sed iuxta misericordiã,quam feci tibi,facies mihi & terrę,in qua versatus es aduena.Dixitq; Abraham,Ego iurabo. Et increpauit Abimèlech propter puteum aquæ , quem vi abstulerant serui eius. Respon- D ditq; Abimèlech . Nesciui quis fecerit hanc rem : sed & tu non indicasti mihi , & ego non audiui præter hodie.Tulit itaq; Abraham oues & boues,& dedit Abimèlech:percusseruntq; ambo fœdus. Et statuit Abrahã septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimèlech . Quid sibi volunt septem agnæ istæ,quas stare fecisti seorsum ? At ille . Septem , inquit, agnas accipies de manu mea : vt sint mihi in testimonium,quòd ego fodi puteum istum. Iccirco vocatus est locus ille [g] Bersabee:quia ibi vterq; iurauit.Et inierunt fœdus pro puteo iuramenti:surrexit autem Abimèlech:& Phichol princeps exercitus eius,reuersiq; sunt in terram Palæstinorum.Abraham verò [h] plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini dei æterni.Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

SCHOLIA.

[a] Cum esset centum annorum.] *Ordo horum verborum in Hebræo talis est.Abraham erat centum annorum,cum ei natus est Isaac filius.* [b] Risum.] *Hoc est,gaudium.* [c] Quod Sara lactaret filium.] *In Heb.est,filios.Ecce(inquit)nequis supposititium suspicetur partum , fecit me Deus vetulam non.genariam lactare.* [d] Ludentem.] *Alius vertit. esse derisorem.Vt sit hic sensus.Cum esset magnum conuiuium,& omnes gratularentur ipsi Abrahæ, quòd in senectute Dominus illi dedisset filium,ancillæ filius deridebat,& subsannabat illos,quod Sara aduertes, marito indicauit.* [e] Quantum potest arcus iacere.] *Hebraismus habet. Elongando se, sicut iactores arcus.* [f] Sagittarius.] *In Hebræo est. magister arcus. Hoc est,habens peritiã multiplicem eyciendi sagittas.Hinc magistrũ , et doctorem vocant, Rabi,ob multam scilicet eruditionem.est enim Rab multus.Chaldæi verò,& Syri vocant magistrũ Ribbon,& Ribboni,pro quo in Euangelijs scribitur Rabboni: Nec temerè hodie apud Iudæos quis audet sibi vsurpare nomen Rabi,etiam quãtumlibet sit doctus,nisi prius fauore,& pecunia titulum hunc à maioribus redemerit.Quò fit,vt diuites,& parũ docti,qui apud eos sunt,plerunq; illũ consequantur gradum,doctiores autem,& pauperes eo fraudentur.Nouimus ex Euangelio, hanc quoq; ambitionem tunc inter Iudæos regnasse.* [g] Bersabee.] *Duæ sunt dictiones in Heb.Beer Seba.Sonat ꝙ fons septem, scilicet agnarum, vel, vt scriptura hic habet,fons iuramenti.* [h] Plantauit nemus.] *Vel,arbores,quæ monimentum essent rei ibidem gestæ.*

CAPVT XXII.

QVæ postquam gesta sunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum. † [a] Abraham.At ille respondit, A [b] Adsum.Ait illi.Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis, Isaac , & vade [c] in terram † Morija: atq; ibi offeres eum in holocaustum super vnum montium , quem monstrauero tibi : Igitur Abra-
Iudith. 8.c Hebr.11.d ham de nocte consurgens strauit asinum suum,ducens secum duos iuuenes, & Isaac filium suũ: cumq; concidisset ligna in holocaustum,abijt ad locum,quem præceperat ei Deus. Die autẽ tertio, eleuatis oculis,vidit locum procul,dixitq; ad pueros suos.Expectate hic cum asino:ego autem, & puer illucvsq; properantes,

perantes,postquam adorauerimus, [d] reuertemur ad vos.Tulit quoq; ligna holocausti, & imposuit sup Isaac filiũ suum:ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Cumq; duo pergerent simul , dixit Isaac patri B suo. Pater mi. At ille respõdit.Quid vis fili ? Ecce,inquit,ignis & ligna:vbi est victima holocausti ? Dixit aũt Abraham.Deus prouidebit sibi victimã holocausti,fili mi.Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locũ, quẽ ostenderat ei Deus,in quo ædificauit altare , & desuper ligna cõposuit. Cũq; colligasset Isaac filiũ suum,posuit eũ in altare super struem lignorũ.Extenditq; manũ & arripuit gladiũ,vt immolaret filiũ suum . Et ecce angelus Domini de cœlo clamauit dicens. Abraham Abraham . Qui respondit, Adsum. Dixitq; ei. Nõ ex- C tendas manũ tuam super puerũ,neq; facies illi quicquam:nunc cognoui,ꝙ timeas Deum, & non pepercisti Iaco. 2.d vnigenito filio tuo propter me.Leuauit Abraham oculos suos,viditq; post tergum arietem inter vepres, hęrentem cornibus:quem assumẽs,obtulit holocaustum pro filio. Appellauitq; nomen loci illius, [e] Dominus videbit. Vnde vsq; hodie dicitur, In mõte Dominus videbitur . Vocauit aũt angelus Domini Abraham se- Psa. 104.a cundò de cœlo,dicens. Per memetipsum iurauit dicit Dominus:quia fecisti hanc rem,& non pepercisti filio Luc.1.g Eccl.44.d D tuo vnigenito,benedicã tibi,& multiplicabo semen tuum,sicut stellas cœli, & velut arenã, quæ est in litore Hebr. 6.c maris:possidebit semen tuũ portas inimicorũ suorum, & [f] benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, 1.Maca. 2.f quia obedisti voci meę.Reuersus est Abraham ad pueros suos , abieruntq; Bersabee simul, & habitauit ibi. Luc.1.e His itaq; gestis,nuntiatum est Abraham, ꝙ Melcha quoq; genuisset filios Nachor fratri suo , Hus primoge- Actuũ 3.d nitum,& Buz fratrem eius,& Camuel patrem Syrorum,& Cased,& Azau,Pheldas quoq; & Iedlaph , ac Ba- Eccle.44.d thuel,de quo nata est Rebecca:octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abraham. Cõcubina verò illius nomine Roma,peperit Tabee & Caam & Thaas & Maacha.

SCHOLIA.

[a] Abraham.] *Abraham hoc loco non repetitur, sed infra.* [b] Adsum.] *In Hebr.est, ecce ego. sunt enim verba animi prompti ad parendum.* [c] In terram Morija.] *De loco isto inter omnes ferè Iudæos conuenit,quòd sit locus,in quo Cain, & Abel:& postea Noe sacrificia obtulerunt , Vbi & Salomonicum templum fuit extructum . De ratione verò nominis plurimum dissentiunt.quidam enim putant significare pauorem & timorem . quòd tempore Abrahæ illic Deus colendus & timendus esset.Alij putant montem illũ appellatum à myrrha,& de hoc monte dicitur Cant.4.Ibo ad montem myrrhæ , & ad collem thuris.Creuerant enim in monte illo myrrha,& aloe,& cinnamomum. Non rectè verò nostri verterunt montem visionis.* [d] Reuertemur ad vos.] *Quomodo reuersurus erat Isaac , qui fuerat immolandus ? Cogitabat(ait Paulus) quòd excitare illum Deus à mortuis posset.* [e] Dominus videbit.] *Seu , prouidebit. Sic Abraham vocauit nomen montis, non à vocabulo Morya,sicut nostri putant,sed à responso,quod dederat Isaac interroganti , Vbi esset pecus holocausti , & dixerat. Dominus prouidebit. Posteri verò paululum immutarunt sententiam,ex verbo actiuo facientes passiuum, vt textus habet.* [f] Benedicentur in semine tuo.] *Verbum Hebræum reciprocam habet significationem , vt propriè sic reddendum esset. Benedicent se in semine tuo omnes gentes,hoc est,in solo illo semine beatificandos se verissimè dicent.*

CAPVT XXIII.

A VIxit autem Sara centum vigintiseptem annis. Et mortua est [a] in ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanáan:venitq; Abraham,vt plãgeret, & fleret eam. Cumq; surrexisset Abraham ab officio funeris,locutus est ad filios Heth,dicens. Aduena sum & peregrinus apud vos : date mihi ius sepulchri vobiscum,vt sepeliam mortuum meum. Responderuntq; filij Heth,dicentes. Audi nos domine,[b] prin- ceps Dei es apud nos:in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum,nullusq; te prohibere poterit, quin B in monumento eius sepelias mortuum tuum.Surrexit Abraham,& [c] adorauit populum terræ , filios videlicet Heth: dixitq; ad eos. Si placet animæ vestræ,vt sepeliam mortuum meum,audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor : vt det mihi speluncam duplicem,quam habet in extrema parte agri sui: [d] pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri . Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth : respondítq; Ephron Hethæus ad Abraham cunctis † filijs Heth audientibus, qui ingredie- C bantur portam ciuitatis † suæ , dicens. Nequaquam ita fiet domine mi,sed tu magis ausculta quod loquor: [e] Agrum trado tibi,& speluncam,quæ in eo est,præsentibus filijs populi mei,sepeli mortuum tuum. Adorauit Abraham coram † populo terræ.Et locutus est ad Ephron circunstante plebe eius. Quæso,vt audias me. Dabo pecuniam pro agro,suscipe eam,& sic sepeliam mortuum meum in eo.Respondítq; Ephron.Domine mi,audi me.Terra,quã postulas,quadringentos siclos argenti valet:† inter me & te,† quid est hoc ? sepeli D mortuum tuum.Quod cum audisset Abraham,appendit pecuniam, quam Ephron postulauerat , audientibus filijs Heth quadringentos siclos argenti [f] probatæ monetæ publicæ. [g] Confirmatusq; est ager quõdam Ephronis,in quo erat spelunca duplex respiciens Mamre:tam ipse quàm spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum Abrahæ in possessionem,videntibus filijs Heth,& cunctis, qui intrabãt portam ciuitatis illius.Atq; ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici , quæ respiciebat Mamre,hæc est Hebron in terra Chanaan.Et cõfirmatus est ager,& antrum quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti à filijs Heth.

SCHOLIA.

[a] In ciuitate Arbee.] *Vel , in ciriat Arba . Quidam putant locum illum sic vocatum à quatuor gigantibus , sonat enim ciriat Arba, ciuitas quatuor . Alij dicunt , hunc locum nomen accepisse à quatuor coniugibus illic sepultis , nempè Adam,& Euæ,Abraham,& Sarę,Isaac & Rebeccæ:Iacob & Liæ. Alij putant Arba fuisse nomen viri ex Aenacim prognati.* [b] Princeps Dei.] *Princeps gratus Deo,vel præstans,vt cum dicimus cedros Dei, & montes Dei.* [c] Adorauit.] *Vel,incurvauit se coram populo terræ.Nam hæc adoratio incurvatio fuit capitis , qua consuetudine honorem quendã alijs exhibere solemus.* [d] Pecunia digna.] *In Hebr.est, pro plena pecunia.* [e] Agrum trado tibi.] *In Hebr.est, tradidi, Vbi nõ raro vsurpatur tẽpus vnũ pro altero .* [f] Probatæ monetæ] *Pulchrè expressit sensum interpres.nam Hebraismus*

habet,pecunia,quæ transit ad mercatorem. g Confirmatusq; est ager.] *Hebraismus habet,& surrexit ager,ad Abraham scilicet. Vsurpat enim hæc lingua surgere pro confirmari.*

CAPVT XXIIII.

ERat autem Abraham senex dierumq; multorum:& Dñs in cunctis benedixerat ei. Dixitq; ad seruum A
seniorem domus suæ,qui præerat omnibus,quæ habebat. Pone manum tuam [a] subter femur meum.
vt adiurem te per Dñm Deum cœli & terræ,vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum,inter quos habito: sed ad terrã & cognationem meã proficiscaris,& inde accipias vxorẽ filio meo Isaac.
Rñdit seruus,Si noluerit mulier venire mecũ in terram hanc: nunquid reducere debeo filium tuũ ad locum
de quo tu egressus es? Dixitq; Abraham,Caue [b] nequãdo reducas filiũ meũ illuc.Dominus Deus cœli,† qui
Sup. 12.b tulit me de domo patris mei,& de terra natiuitatis meę, qui locutus est mihi,& iurauit mihi,dicens. Semini
tuo dabo terrã hanc:ipse mittet angelũ suũ corã te,& accipies inde vxorem filio meo:sin aũt mulier noluerit
sequi te,nõ teneberis iuramẽto: filiũ meũ tantũ ne reducas illuc.Posuit ergo seruus manũ sub femore Abraham dñi sui,& iurauit illi super sermone hoc.Tulitq; decẽ [c] camelos de grege dñi sui, & abijt, [d] ex omnibus
bonis eius portans secum:profectusq; perrexit [e] in Mesopotamiã ad vrbẽ Nachor. Cumq; camelos fecisset
accumbere extra oppidum iuxta puteum aquę vespere,eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendã B
aquam:dixit, Dñe Deus domini mei Abraham, occurre obsecro mihi hodie, & fac misericordiam cũ dño
meo Abraham.Ecce ego sto prope fontem aquę: & filię habitatorum huius ciuitatis egredientur ad haurien
dam aquam. igitur puella cui ego dixero.Inclina hydriam tuam,vt bibam:& illa responderit. Bibe,quin &
camelis tuis dabo potum:ipsa est quam preparasti seruo tuo Isaac,& per hoc intelligam,quòd feceris misericordiam cum dño meo.Necdum intra se verba compleuerat,& ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel filij
Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham,habens hydriam in scapula sua:puella decõra nimis, virgoq; pulcherrima,& incognita viro:descenderat autem ad fontem,& impleuerat hydriam, ac reuertebatur. Occurritq; ei seruus,& ait, Pauxillum aquæ mihi ad sorbendum præbe de hydria tua. Quæ respondit. Bibe domine mi.Celeriterq; deposuit hydriam super vlnam suam,& dedit ei potum.Cumq; ille bibisset,adiecit.Quin
& camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundensq; hydriam in canalibus, recurrit ad puteum,vt hauriret aquam:& haustam omnibus camelis dedit. Ille autem contemplabatur eam tacitus, scire C
volens vtrum prosperum iter suum fecisset Dominus, an non. Postquam autem biberunt cameli, protulit
vir [f] inaurem auream, appendentem † dimidium sicli, & duas armillas super manus illius, quarum pondus erat decem aureorum. Dixitq; ad eam. Cuius es filia? indica mihi: est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit, [g] Filia sum Bathuelis filij Melchæ, quem peperit Nachor. Et addidit, dicens, Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus ad manendum. Inclinauit se homo, &
adorauit Dominum, dicens. Benedictus Dominus Deus domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam à domino meo, & recto itinere me perduxit in domum fratrum domini mei.
Cucurrit itaque puella,& nuntiauit in domum matris suæ omnia, quæ audierat. Habebat autem Rebecca
fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem vbi erat fons. Cumq; vidisset inaurem & armillas in manibus sororis suæ,& audisset cuncta verba referentis, Hæc locutus est mihi homo: vènit ad virum qui stabat iuxta camelos & prope fontem, dixitq; ad eum, Ingredere benedicte Domini:cur foris stas? D
præparaui domum & locum camelis tuis. Et † introiuit in hospitium: ac † soluit camelos, deditq; paleas,
& fœnum,& aquam ad lauandos pedes eius,& virorum qui venerant cum eo. Et appositus est in conspectu
eius panis. Qui ait, Non comedam,donec loquar sermones meos. Respondit ei. Loquere:Ait ille. Seruus,
inquit, Abraham sum. Et Dominus benedixit domino meo valde, magnificatusq; est:& dedit ei oues & boues,argentum & aurum,seruos & ancillas,camelos & asinos. Et peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in senectute sua, deditq; illi omnia,quæ habuerat. Et adiurauit me dominus meus,dicens, Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito: sed ad domum patris mei perges,& de cognatione mea accipies vxorem filio meo. Ego verò respondi domino meo.Quid si noluerit venire mecum mulier? Dominus,ait,in cuius conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, & diriget viã
tuam:accipiesq; vxorem filio meo de cognatione mea,& de domo patris mei. Innocens eris à maledictione
mea,cum veneris ad proximos meos,& non dederint tibi. Vèni ergo hodie ad fontem & dixi,Domine Deus E
domini mei Abraham,si direxisti viam meam in qua nũc ambulo,ecce sto iuxta fontem aquæ,& virgo,quæ
egredietur ad hauriendam aquam,audierit à me, Da mihi pauxillum aquæ ad bibendum de hydria tua: &
dixerit mihi. Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio domini
mei. [h] Dumq; hæc tacitus mecum voluerẽ, apparuit Rebecca veniens cum hydria quam portabat in scapula,descenditq; ad fontem,& hausit aquã.Et aio ad eam.Da mihi paululum bibere. Quę festinãs deposuit hydriã de humero,& dixit mihi.Et tu bibe,& camelis tuis tribuã porũ.Bibi,& adaquauit camelos. Interrogauiq; eam, & dixi, Cuius es filia?Quæ respondit,filia Bathuelis sum,filij Nachor,quem peperit ei Melcha.Suspendi itaq; inaurem ad ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius. Pronusq; adoraui Dominum,benedicens Domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt sumerem filiã
fratris domini mei filio eius. Quam ob rem si facitis misericordiam & veritatem cum domino meo, indicate mihi,sin autem aliud placet: & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram,siue ad sinistram. Respon- F
derunt q; Laban & Bathuel.A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quicquam aliud
loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filij domini tui,sicut locutus
est Dominus. Quod cum audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum. Prolatisq; vasis argenteis & aureis,ac vestibus,dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus quoque eius, & matri dona obtulit.

lit. † Et comederunt ac biberunt ipse & viri, qui cum ipso erant, & pernoctauerunt. Surgens autem mane,
locutus est puer, Dimittite me,vt vadã ad Dominum meum. Responderuntq; fratres eius & mater.Maneat
puella saltem decem dies apud nos,& postea proficiscetur. Nolite,ait, me retinere,quia Dominus direxit viã
meã: dimittite me,vt pergam ad dominum meum. Et dixerunt. Vocemus puellam, & quæramus ipsius vo- G
luntatem. Cumq; vocata venisset,scisciati sunt. Vis ire cum homine isto? Quæ ait. Vadam. Dimiserunt ergo eam,& nutricem illius,seruumq; Abraham,& comites eius:imprecantes prospera sorori suæ, atq; dicentes.Soror nostra es,crescas in mille millia,& possideat semen tuum portas inimicorũ suorũ.Igitur Rebecca,
& puellæ illius ascensis camelis secutæ sunt virum: † & tulit seruus Rebeccam,& abijt. Eo autem tempore
deambulabat Isaac per viam,† vnde venitur de puteo,cuius nomen est Viuentis videntē me,habitat enim
in terra australi.Et egressus fuerat [i] ad meditandum in agro, inclinata iam die:cumq; eleuasset oculos, vidit
camelos venientes procul. Rebecca quoq; † leuauit oculos suos & conspecto Isaac,descendit de camelo, &
ait ad puerum.Quis est ille homo,qui venit per agrũ in occursum nobis? Dixitq; ei.Ipse est dominus meus:
At illa tollens cito pallium suum operuit se. Seruus autem cuncta,quæ gesserat, narrauit domino suo Isaac.
Qui introduxit eam in tabernaculum Saræ matris suæ,& accepit eam vxorem: [k] & intantum dilexit eam,vt
dolorem,qui ex morte matris eius acciderat,temperaret.

SCHOLIA.

[a] Subter fœmur meum.] *Iurabant veteres illi,manu sub fœmore ac genitali parte posita,quòd inde posteritas esset futura,atq; ideò veluti res sacra haberetur,vel,vt alij putant,quòd illic esset signum fœderis, nempe circuncisio, vel, quòd hoc indicio daretur intelligi potestas superioris,& promptus inferioris obsequendi animus,feruntq; hunc modum adhuc obseruari in terra Indiæ. Sed hoc in Abrahæ fœmore,mysterio magno non caret,à quo nasciturus portendebatur is,qui Deus est,per quem solum iurare fideles possint.* [b] Ne quando reducas filium meum illuc.] *Vnde scilicet ipse à Deo iussus esset discedere.* [c] Camelos.] *In Hebræo scribitur per g Gamelus,nec dubium est, quin hoc nomen ex sacra lingua manarit in alias linguas.* [d] Ex omnibus bonis eius portans secum.] *Heb.habet,eratq; omne bonũ domini sui in manu sua.Quod quidã putant intelligendum de tota possessione Abrahæ,quæ in schedã esset signata,atque Isaac veluti certo hæredi assignata. Sed verisimilius est,id de variis muneribus esse intelligendũ, quæ seruus secum attulerit.* [e] In Mesopotamiam.] *Nomen habet ex eo,quòd est in medio fluuiorum, Euphratis scilicet atque Tigris. Vnde in Hebræo est, in Syriam duorum fluuiorum.*
[f] Inaurem.] *Secundum Heb.est ornamentum vultus,vel aurium,suspensum per vittam in fronte.* [g] Filia sum Bathuelis.] *Idem est sensus cum Hebræo, licet verba varient, Ja,filia sum Bathuelis filij Melchæ, quæ illum genuit ipsi Nachor.*
[h] Dumq; hæc tacitus mecum voluerem.] *Verba quidem ab Hebræo discrepant,at sensus,si cogitetur,idem est,sic enim est in Hebræo. Et ego antequam consummassem loqui in corde meo.* [i] Ad meditandum.] *Hebraica dictio proprie significat submissa voce loqui,labietenus murmurare,vt orantes vel meditãtes,aut apud nos de re aliqua mirantes, facimus. Hebræi ferè omnes hic exponunt pro orare. Sunt & qui pro deambulare, & exercere se interpretentur.* [k] Et intantum dilexit eam.] *Heb.habet,& dilexit eam,consolationemq; accepit Isaac post matrem suam.*

CAPVT XXV.

A ABraham verò aliã duxit vxorem noïe Ceturam: quæ peperit ei Zamram,& Iecsan,& Madan,& Madian,& Iesboc,& Sue. Iecsan quoq; genuit Saba & Dadan. Filij Dadan fuerũt Assurim, & Latussim,& Laomin. At verò ex Madian ortus est Epha,& Epher,& Enoch,& Abida,& Eldaa. oẽs hi,fi-
lij Ceturæ.Deditq; Abrahã cuncta,q; possederat,Isaac: filijs aũt [a] cõcubinarũ largitus est munera, & separa- 1.Para.1.c
uit eos ab Isaac filio suo,dũ adhuc ipse viueret,† ad oriẽtẽ ad terrã Cedẽ. Fuerũt aũt dies vitæ Abrahæ centũ -
septuagintaquinq; anni:Et [b] deficiens mortuus est in senectute bona,proiectæq; ętatis,& plenus dierũ: congregatusq; est ad populũ suũ:Et sepelierunt eũ Isaac & Ismahel filij sui in spelunca duplici, q̃ sita est in agro
Ephron filij Seor Hethęi,è regione Mamre,quã emerat à filijs Heth.ibi sepultus est ipse,& Sara vxor eius:Et
B post obitum illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta puteũ noïe Viuentis videntē me. Hę Supra 23.c
sunt generationes Ismahel filij Abrahæ,quem peperit ei Agar Ægyptia,famula Saræ: & hæc nomina filiorũ
eius in vocabulis & generatiõibus suis.Primogenitus Ismahelis Nabaioth,deinde Cedar,& Adbeel,& Mab- Supr.10.d
sam,Masma quoq;,& Duma,& Massa,Hadad,& Thema,& Ietur, & Naphis, & Cedma. Isti sunt filij Isma- 1.Para.1.c
hel:& hæc nomina per castella & oppida eorũ,duodecim principes tribuũ suarum.Et facti sunt anni vitæ Ismahelis centum triginta septem,deficiensq; mortuus est,& appositus ad populum suum. [c] Habitauit autem
ab Euilah vsq; Sur,quæ respicit Ægyptum introeuntibus Assyrios. [d] coram cunctis fratribus suis obijt. Hę
quoq; sunt generationes Isaac filij Abraham. Abraham genuit Isaac:qui cũ quadraginta esset annorũ,duxit
C vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia,sororem Laban Syri. Deprecatusq; est Isaac Dominum [e] pro vxore sua, eò quòd esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebantur in vtero eius paruuli: quæ ait. [f] Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit me concipere? Perrexitq; Rebecca,vt consuleret Dominum. Qui respondens, ait. Duę gentes sunt in vtero tuo, & duo populi
ex ventre tuo diuidentur, populusq; populum superabit, & maior seruiet minori. Iam tempus pariendi Roma.1.9.c
aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem
pellis hispidus: vocatumq; est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu:
& iccirco appellauit eum [g] Iacob. Sexagenarius erat Isaac,quando nati sunt paruuli. Quibus adultis, factus Osc. 12.2
D est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem [h] vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac Matt. 1.a
amabat Esau, eò quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob. Coxit autem Iacob
pulmentum, ad quem cum venisset Esau de agro lassus, ait. Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum.Quam ob causam vocatum est nomen eius [i] Edom.Cui dixit Iacob,Vende mihi † [k] hodie primoge Abd. 1.a
nita tua. Ille respondit. En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob.Iura ergo † nunc mihi.

Hebr. 12.d Iurauit ei Esau,& vendidit primogenita. Et sic accepto pane & lentis edulio comedit,& bibit,& abijt, paruipendens,q̃ primogenita vendidisset.

SCHOLIA.

[a] Concubinarum.] *Hebræi per concubinam intelligunt ancillam, viro in concubitum, absque scripto, et subarratione, & legitimis ceremonijs addictam. Et proles ex tali nata coniugio, non succedit patri in hæreditate, sed muneribus dotari potest, & sic Agar fuit concubina Abrahæ. Cetura verò fuit legitima eius vxor secundum quosdam, quanquam multi existimant, Cetura fuisse Agar Aegyptiam: sed ex textu videntur diuersæ fuisse personæ.* [b] Et deficiens.] *Vel, Hebræis putent, Cetura fuisse Agar Aegyptiam: sed ex textu videntur diuersæ fuisse personæ.* [b] Et deficiens.] *Vel, expirans. Putant dictionem Hebræam significare mortem, quæ homini accidit absque vllo præuio morbo & dolore.* [c] Habitauit autem.] *Heb. legit, habitauerunt, vt non de vno Ismaële dicatur, sed de omnibus filijs eius, qui ea loca inhabitauerũt, quæ etiam hodie nominibus filiorum Ismael vocantur, vt sunt Nabathæi à Nabaioth, Arabes à Cedar.* [d] Coram cunctis fratribus suis obijt.] *Videtur significare iuniorem omnibus fratribus suis obijsse illis, hoc est, paucioribus annis vixisse, vel circunstantibus omnibus & filijs & nepotibus, naturali morte clausisse suum diem, alij aliter exponunt.* [e] Pro vxore sua.] *Alius vertit, præsente vxore sua, vt scilicet esset vxor præsens, quo maritus efficacius Dominum rogaret. Vbi obserua, velle Dominum rogari etiam de ijs, quæ ipse sit pollicitus. Nam Abrahæ promiserat semen eius propagandum, sicut stellas cœli.* [f] Si sic mihi.] *Hebraismus habet, si sic, vt quid ego? quod quidam sic interpretantur. Si sic mihi futurum erat, vt quid viuo in mundo, & non potius morior?* [g] Iacob.] *Ratio huius nominis explicatur in scriptura: tenebat.n. plantam fratris, cum in partu ipsum anteuerteret. De nomine verò Esau nulla fit mentio: sed quidam putant illũ sic dictũ, quòd prodijt tam perfectus in pilis, ac si fuisset aliquot annorum, sonat enim Esau, facturam.* [h] Vir simplex.] *Vir integer.* [i] Aedom.] *Significat enim rubedinem.* [k] Primogenita.] *Ferunt primogenituram fuisse successionem in dignitate patris, & principatu, atque honore eius, & quòd authoritatem haberet in minores, vt fratres minores consurgerent à conspectu eius, & ministrarent illi, sicut filij patri. Alij putant, quòd primogenitus acciperet ex omnibus bonis paternis duas portiones.*

CAPVT XXVI.

Supra 12.c ORta autem fame super terram post eam sterilitatem, quæ acciderat in diebus Abraham: abijt Isaac A
ad Abimélech regem Palæstinorum in Gerara. Apparuitq; ei Dñs, & ait. Ne descẽdas in Ægyptũ,
sed quiesce in terra, quam dixero tibi: & peregrinare in ea, eroq; tecũ, & benedicam tibi: tibi enim
& semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum, quod spopondi Abraham patri tuo. Et
Supra 12. b 13.d.15.b multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli: daboq; posteris tuis vniuersas regiones has: & benedicentur in se-
mine tuo omnes gentes terræ, eo quòd obedierit Abraham voci meę, et custodierit præcepta & mãdata mea, B
& ceremonias [a] legesq; seruauerit. Mansit itaq; Isaac in Geraris. Qui cum interrogaretur à viris loci illius su-
per vxore sua, rñdit. Soror mea est: Timuerat enim confiteri, q̃ sibi esset sociata coniugio: reputans ne fortè
interficerent eum pp illius pulchritudinem. Cumq; pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur: pro-
spiciens Abimélech rex Palæstinorum per fenestram, vidit eũ [b] iocantem cum Rebecca vxore sua. Et accersi
to eo ait. Perspicuum est, q̃ vxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Rñdit. Timui, ne morerer C
pp eam. Dixitq; Abimélech. Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & in
duxeras super nos grande peccatũ? Præcepitq; omni populo, dicens. Qui tetigerit † virum hunc & eius vxo-
rem, morte morietur. Seuit aũt Isaac in terra illa, & [c] inuenit in ipso anno centuplum: benedixitq; ei Dñs.
Et locupletatus est homo, & ibat proficiẽs atq; succrescens: donec magnus vehementer effectus est: habuitq;
possessiones ouium & armentorum & familię plurimũ. Ob hoc inuidentes ei Palæstini, omnes puteos, quos D
foderant serui patris † eius in diebus Abrahæ obstruxerunt, implentes humo: in tm̃ vt ipse Abimélech dice-
ret ad Isaac, Recede à nobis, qm̃ potentior nobis factus es valde. Et ille discedens, vt veniret ad torrentem
Geraræ, habitaretq; ibi: rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos illo mor-
tuo olim obstruxerant Philisthijm: appellauitq; eos eisdem nominibus, quibus antè pater vocauerat. Fo-
derunt q; in torrente, & repererunt [d] aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pa- E
stores Isaac, dicentium. Nostra est aqua: quam ob rem nomen putei ex eo, quod acciderat, [e] vocauit Calum-
niam. Foderunt autem & alium, & pro illo quoq; rixati sunt, appellauitq; eum Inimicitias. Profectus inde
fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaq; vocauit nomen eius, Latitudo: dicens. Nunc dilata-
uit nos Dominus, & fecit crescere super terram. Ascendit autem Isaac ex illo loco in Bersabee, vbi apparuit
ei Dominus in ipsa nocte, dicens. Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: & be- F
nedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Itaq; ædificauit ibi altare, &
inuocato nomine Domini extendit tabernaculum: præcepitq; seruis suis, vt foderent puteum. Ad quem lo-
cum cum venissent de Geraris Abimélech, & Ochozat amicus illius, & Phicol dux militum, locutus est eis
Isaac. Quid venistis ad me hominem, quem odistis, & expulistis à vobis? Qui responderunt. Vidimus tecum
esse Dominum: & iccirco nunc diximus. Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus: vt non facias nobis G
quicquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus
auctum benedictione Domini. Fecit ergo eis conuiuium: & post cibum & potum surgentes mane, iurauerũt
sibi mutuò: dimisitq; eos Isaac pacificè in locum suum. Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac annuntiã
tes ei de puteo, quem foderant, atq; dicentes. Inuenimus aquam. Vnde appellauit eum † Sibeah, hoc est, iura
mentum: & nomen vrbi impositum est † Beer Saba, hoc est, puteus iuramenti vsq; in præsentem diem. Esau
verò quadragenarius duxit vxores, Iudith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elom eiusdem loci, quæ
ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.

SCHOLIA.

[a] Leges.] *Non legem Mosis, vt contentiosi quidam Iudei ex hoc loco conãtur arguere, quòd habuerit eam Abrahã, antequàm daretur in Sina. Sed leges intelligit, quas Deus filijs hominum iam præscripserat: vt erant, obseruantia sabbati*

bati & circuncisionis, esus sanguinis, cultus vnius Dei, et multa huiusmodi. [b] Iocantem cum Rebecca.] *Vel ridentem, quod exponunt, laxato seueriore animo liberius collætari.* [c] Inuenit in ipso anno centuplum.] *Eo scilicet anno, quo erat ingens annonæ caritas. Hunc locum Chaldæus euidenter sic explicat, pro vno, centum modios inuenit.* [d] Aquam viuam.] *Sunt aquæ viuæ, quæ iugiter manant.* [e] Vocauit calumniam.] *Vel, contentionem, quia contenderant pro eo.*

CAPVT XXVII.

A SEnuit autem Isaac & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitq; Esau filium suum ma-
iorem, & dixit ei. Fili mi? Qui respondit. Adsum. Cui pater. Vides, inquit, quòd senuerim, & ignо-
rem diem mortis meæ: Sume arma tua, pharetram & arcum, & egredere foras. Cumq; venatu ali-
quid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti: & affer, vt comedam: & [a] benedicat ti-
bi anima mea antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, & ille abijsset in agrum, vt iussionem pa-
tris impleret, dixit filio suo Iacob. Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei,
Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam mo-
B riar. Nunc ergo fili mi acquiesce consilijs meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt
faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: quas cum intuleris, & comederit: benedicat tibi priusq̃
quàm moriatur. Cui ille respondit Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, [b] & ego leuis: si attrecta-
uerit me pater meus, & senserit: timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionẽ
pro benedictione. Ad quem mater. In me sit, ait, ista maledictio fili mi: tantum audi vocem meam, & per-
gens affer, quæ dixi. Abijt, & attulit, dediq; matri: Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius. Et
vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculasq; hœdorum circundedit ma-
C nibus, & colli † mollitiem protexit. Dediq; pulmentum: & panes, quos coxerat, tradidit. Quibus illatis,
dixit. Pater mi? At ille respondit. Audio, quis es tu fili mi? Dixitq; Iacob. Ego sum primogenitus tuus Esau:
feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Rursumq;
Isaac ad filium suum. Quomodo, inquit, tam citò inuenire potuisti fili mi? Qui respondit. Voluntas † Do-
mini Dei tui fuit, vt citò occurreret mihi quod volebam. Dixitq; Isaac, Accede huc, vt tangam te fili mi,
& probem, vtrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrem: & palpato eo, dixit Isaac. Vox qui-
dem, vox Iacob est: sed manus, manus Esau sunt. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus similitudinem
D maioris expresserant. Benedicens ergo illi, ait, Tu es filius meus Esau? Respondit. Ego sum. At ille, Affer
mihi, inquit, cibos de venatione tua fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cum oblatos comedisset,
obtulit ei etiam vinum: quo hausto, dixit ad eum. Accede ad me, & da mihi osculum fili mi: Accessit, &
osculatus est eum. Statimq; vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait. Ecce odor filij
mei sicut odor agri, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundan-
tiam frumenti, & vini. † Et seruiant tibi populi, & [c] adorent te tribus: Esto dominus fratrum tuorum: & Heb. 11.d
incuruentur ante te filij matris tuæ: Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, bene-
E dictionibus repleatur. [d] Vix Isaac sermonem impleuerat: & egresso Iacob foras, venit Esau, coctosq; de ve-
natione cibos intulit patri dicens. Surge pater mi, & comede de venatione filij tui: vt benedicat mihi anima
tua. Dixitq; Isaac. Quis enim es tu? Qui respondit. Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit Isaac
stupore vehementi: & vltra quàm credi potest admirans, ait. [e] Quis igitur ille est, qui dudum captam vena-
tionem attulit mihi, & comedi ex omnibus prius quàm tu venires? benedixiq; ei, & erit benedictus. Au-
ditis Esau sermonibus patris, irrugijt clamore magno, † & vehementer amaro, ait. Benedic etiam & mihi
pater mi. Qui ait. Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam. At ille subiunxit.
F Iustè vocatum est nomen eius Iacob: supplantauit enim me, en altera vice, primogenita mea antè tulit, &
nunc secundò surripuit benedictionem meam. Rursumq; ad patrem. Nunquid non reseruasti, ait, & mihi Sup. 26.d
benedictionem? Respondit Isaac, Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius sub-
iugaui: frumento & vino stabiliui eum, & tibi post hæc fili mi vltrà quid faciam? Cui Esau. Num vnam, in-
quit, tantum benedictionem habes pater? mihi quoq; obsecro, vt benedicas. Cumq; eiulatu magno fleret, Hebr. 11.d
motus Isaac dixit ad eum. [f] In pinguedine terræ, & in rore cœli desuper erit benedictio tua. Viues in gladio, & 12.c
& fratri tuo seruies: tempusq; veniet [g] cum † domineris & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. Oderat ergo Abd. 1.c
G semper Esau Iacob pro benedictione, qua benedixerat ei pater: dixitq; in corde suo. Venient dies luctus pa-
tris mei, & occidam Iacob fratrem meũ. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Iacob filium
suum, dixit ad eum. Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te. Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & con
surgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabisq; cum eo [h] dies paucos, donec requiescat furor
fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscaturq; eorum, quæ fecisti in eum: postea mittam, & adducam te
inde huc, Cur vtroq; orbabor filio in vno die? Dixitq; Rebecca ad Isaac, Tædet me vitæ meæ propter filias
Heth: [i] si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.

SCHOLIA.

[a] Benedicat tibi anima mea prius, quàm moriar.] *Videtur voluisse Isaac ante mortem suam propagare benedictionem paternam, vt Esau possideret terram, & haberet fœdus cum Deo. Et hinc licebit aduertere, quòd Rebecca non reuelauerat ei prophetiam, quam à Domino didicerat, nempè quòd maior seruiret minori.* [b] Et ego leuis.] *Non lenis, nam lenis ad animum refertur, vt lene ingenium, leuis verò prima producta, significat sine pilis, Virg. Et sæpe in leui quæsissent cornua fronte.* [c] Adorent te tribus.] *Vel, nationes.* [d] Vix Isaac sermonem impleuerat.] *Et hic & plurimis alibi locis interpres sensum tantum exprimit, non magnoperè curans verba, nam Hebræa sic habent. Factum est autem, cum Isaac cessasset benedicere Iacob, factum inquam est, quòd cum exeundo exiuisset Iacob à facie Isaac patris sui, venit Esau, &c.*

e Quis igitur ille est.] *In Hebr. est. Quis vbi ille? vt sit sensus. Quis est ille, & vbi est ille, qui ante te hic fuit, & surripuit benedictionem, quam tibi dare destinaram? Et quidem video, Deum in hac re suo æterno & inscrutabili consilio longè aliud disposuisse, vt, etiam si ego nollem, ille benedictionem assequatur.* f In pinguedine terræ.] *In Heb. est. Ecce vbertates terræ habitatio tua erit, & de rore cœli desuper, hoc est, in loco fertili habitabis, quem vos, & influentia cœli fœcundabit.* g Cum domineris.[*Quidam Heb. sic exponunt, Veniet tempus, quo dominaberis ei, scilicet quando præuaricati fuerint Israëlitæ legem Dei, & abiecerint à se iugum præceptorum Dei, tunc tu rumpes iugũ eius, &c.* h Dies paucos.] *Hebraicè, dies vnos, vt enim vnum in numeris est minimum, ita quando de modico scriptura loquitur, plerunq; vnum vsurpat.*

i Si acceperit Iacob.] *In Heb. sic habetur. Si acceperit Iacob vxorem de filiabus Heth, vt sunt istæ, de filiabus, inquã, huius terræ, vt quid mihi vitã?*

CAPVT XXVIII.

VOcauit itaq; Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitq; ei, dicens. Noli accipere coniugem de genere A
Chanáan: sed vade & proficiscere in Mesopotamiã Syrię, ad domum Bathuel patris matris tuę: & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Deus aũt omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat atq; multiplicet: vt sis in turbas populorum. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post
Osc. 13.c te: vt possideas terrã peregrinationis tuę, [a] quã pollicitus est auo tuo. Cumq; dimisisset eum Isaac, profectus
perucnit in Mesopotamiã Syriæ ad Laban filiũ Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suę & Esau. Videns B
aũt Esau, ꝙ benedixisset pater suus Iacob, & misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret:
& ꝙ post benedictionem prꝛcepisset ei, dicens. Non accipies vxorem de filiabus Chanáan: quodq; obediens
Iacob parentibus suis isset in Syriam: probans quoq; ꝙ nõ libenter aspiceret filias Chanaán pater suus: [b] iuit
ad Ismahelem, & duxit vxorẽ absq; ijs, quas prius habebat, Maheleth filiam Ismahel filij Abraham, sororem
Nabaioth. Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran. Cumq; venisset ad quendam locum, & vellet
in eo requiescere: post solis occubitũ, tulit de lapidibus † illius loci, & supponens capiti suo, dormiuit in eo-
dem loco. [c] Viditq; in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tãgens cœlum: angelos quoq; C
Deute. 12.c dei ascendentes & descendentes per eam: & dñm innixũ scalæ dicentem sibi. Ego sum dñs Deus Abraham
19.c patris tui, & Deus Isaac. Terram, in qua dormis, tibi dabo & semini tuo. Eritq; semen tuum quasi pulvis terræ: dilataberis [d] ad orientem & occidẽtem & septentrionem & meridiem, & benedicentur in te & in semine
tuo cunctæ tribus terræ. Et † ecce ego tecũ, & ero custos tuus quocunq; perrexeris, & reducã te in terrã hanc:
nec dimittam, nisi cõpleuero vniuersa, quæ dixi. Cũq; euigilasset Iacob de somno, ait, Verè dñs est in loco
isto, & ego nesciebam. Pauensq; Quam terribilis est, inquit, locus iste? non est hic aliud, nisi domus Dei, & D
porta cœli. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit [e] in titulum, fundens oleum desuper, appellauitq; nomen vrbis, BETHEL: quæ prius Luza vocabatur. Vouit etiã votũ,
dicens. Si fuerit Deus mecum, & custodierit me in via, per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad
vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusq; fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Do-
minus in Deum, & lapis iste, quem erexi in titulum, [f] vocabitur domus dei: cunctorũq;, quæ dederis mihi,
decimas offeram tibi.

SCHOLIA.

[a] Quam pollicitus est auo tuo.] *In Heb. est. Quam dedit Deus Abraham.* [b] Iuit ad Ismahelem.] *Cum superius dictum sit. cap. 25. Ismahelem mortuum esse, nisi sit anticipatio, hic intelligendum est, iuisse hũc ad Ismahelem, hoc est, ad domum Ismahelis.* [c] Vidit in somnis scalam.] *Mysterium incarnationis est in Christo, dum à terra in cœlum porrecta, cœlestia coniungit terrenis, qua sola cœlũ ascendimus. Nemo põt (inquit) venire ad patrem, nisi per me. Angeli ascendunt, & descendunt, nam oẽs sunt administri spiritus, qui mittuntur propter nos.* [d] Ad orientem.] *Viderunt enim omnes fines terræ salutare Dei nostri.* [e] In titulum.] *Vel, in statuam. Lapis erat agri, qui secundum longitudinem erectus stabat, non iacebat.* [f] Vocabitur domus Dei.] *Vel, erit domus Dei. Erit (inquit) hic locus, vbi inuocabitur nomen Dei.*

CAPVT XXIX.

PRofectus ergo Iacob venit in terrã orientalẽ. Et vidit puteum in agro, tres quoq; greges ouiũ accuban- A
tes iuxta eũ: nã ex illo adaquabantur pecora, & os eius grãdi lapide claudebatur. Morisq; erat, vt cunctis ouibus congregatis, deuoluerent lapidẽ: & refectis gregibus, rursum super os putei ponerent. Dixitq; ad pastores. Fratres, vnde estis? Qui rñderunt. De Haran. Quos interrogans. Nunquid, ait, nostis Laban
filiũ Nachor? Dixerunt. Nouimus. Sanusnè est, inquit? Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit cũ gre- B
ge suo. Dixitq; Iacob. Adhuc multũ diei superest, nec est tẽpus, vt reducãtur ad caulas greges: date antè potũ
ouibus, & sic eas ad pastũ reducite. Qui rñderunt. Nõ possumus, donec oĩa pecora congregentur, & amoueamus lapidẽ de ore putei, vt adaquemus greges. Adhuc loquebãtur, & ecce Rachel veniebat cũ ouibus patris
suí: nã gregẽ ipsa pascebat. Quam cũ vidisset Iacob, & sciret [a] consobrinam suã, ouesq; Laban auunculi sui:
amouit lapidem, quo puteus claudebatur. Et adaquato grege † Laban auunculi sui, osculatus est eã: & eleuata C
voce fleuit. Et indicauit ei, ꝙ frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: at illa festinans nuntiauit patri suo.
Qui [b] cum audisset venisse Iacob filium sororis suæ, occurrit obuiam ei: cõplexusq; eum, & in oscula ruens,
duxit in domum suam. Auditis autem causis itineris, respondit. Os meum es, & caro mea. Et postquàm im-
pleti sunt dies mensis vnius, dixit ei. Nũ quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic quid mercedis accipias? D
Habebat vero duas filias, nomen maioris, Lia: minor vero appellabatur Rachel. Sed Lia, [c] lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu. Quam diligens Iacob, ait. Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septem annis. Respondit Laban. Melius est, vt tibi eam dem, quàm alteri viro: mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Dixitq; ad
Laban. Da mihi vxorem meam: quia iam tempus impletum est, vt ingrediar ad illam. Qui vocatis multis E
amicorum

amicorum turbis ad conuiuiũ, fecit nuptias. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eũ, dans ancillã filię, Zelpham noĩe. Ad quam cũ ex more, Iacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam: & dixit ad socerũ suum. Quid est, quod facere voluisti: nõne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi? Rñdit Laban. Non est
F in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias. [d] Imple hebdomadã dierũ huius copulę: & hanc quoq; dabo tibi pro opere, quo seruiturus es mihi septem annis alijs. Acquieuit placito: & hebdoma da transacta, Rachel duxit vxorẽ: cui pater seruam Balam tradiderat. Tandemq; potitus optatis nuptijs, amorem sequẽtis priori prætulit, seruiens apud eũ septem annis alijs. Videns aũt dñs, ꝙ despiceret Liam, aperuit
G vuluã eius, sorore sterili permanẽte. Quæ conceptũ genuit filiũ, vocauitq; nomẽ eius [e] RVBEN, dicens. Vidit dñs humilitatem meã, nunc amabit me vir meus. Rursumq; concepit, & peperit filiũ, & ait. Qm̃ audiuit
me dñs haberi contemptui, dedit etiam istũ mihi, vocauitq; nomen eius, SIMEON. Concepitq; tertio, & genuit alium filium: dixitq;. Nunc quoq; copulabitur mihi maritus meus, eò ꝙ pepererim ei tres filios: & iccirco appellauit nomen eius LEVI. Quarto concepit, & peperit filium, & ait. Modo confitebor Domino: Matt. 1.a
& ob hoc vocauit eum IVDAM: cessauitq; párere.

SCHOLIA.

[a] Consobrinam suam.] *Heb. habet: filiam Laban, fratris matris suæ, & oues Laban fratris matris suæ.* [b] Cum audisset venisse Iacob.] *Vel, sumam Iacob. nam Heb. habet, cum audisset auditum Iacob. Sicut & illud, Domine auditui tuo ditum tuum, &c.* [c] Lippis erat oculis.] *In Heb. est, teneris. quod quidam exposuit, pulchros, cæteri exponunt, debiles. Sunt, qui credunt eam oculis tantum fuisse gratiosam, Rachel verò toto etiam corpore.* [d] Imple hebdomadam dierum.] *Hoc est, insple prius nuptias Liæ, atque conuiuium illud, & post hebdomadam dabitur quoque tibi Rachel iunior filia.* [e] Ruben.] *sonat Ruben, videte, vel viderunt filium. Simeon auditus, vel obedientia. Leui associatio, adiunctio. Iuda confessio, vel gratiarum actio.*

CAPVT XXX.

A CErnens autem Rachel, ꝙ infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo. Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Iacob. Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris? At illa. Habeo, inquit famulam Balam: ingredere ad illam, vt pariat super genua mea, & [a] habeam ex illa filios. Deditq; illi Balam in coniugium: quæ ingresso ad se viro concepit, & peperit filium. Dixitq; Rachel. Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium: & appellauit iccirco nomen
eius [b] DAN. Rursumq; Balam concipiens, peperit alterum: pro quo ait Rachel. [c] Comparauit me dñs cum
B sorore mea, & inualui: vocauitq; eum [d] NEPHTALI. Sentiens Lia ꝙ párere desijsset, Zelpham ancillam suam marito tradidit. [e] Qua post conceptum ædente filium, dixit. Feliciter: & iccirco vocauit nomen eius
[f] GAD. Peperit quoque Zelpha alterum. Dixitq; Lia. Hoc pro beatitudine mea: beatam quippe me dicent omnes mulieres: propterea appellauit eum ASER. Egressus autem Ruben tempore messis triticeę in agrũ, reperit [g] mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixitq; Rachel. Da mihi partem de mandragoris filij tui. Illa respondit. Parùmne tibi videtur, ꝙ prærripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel. Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. Redeuntiq; ad vesperam Iacob de agro,
C egressa est in occursum eius Lia, & ait. Ad me, inquit, intrabis: quia mercede cõduxi te pro mandragoris filij mei. dormiuitq; cum ea, nocte illa. Et Exaudiuit Deus preces eius: concepitq;, & peperit filium quintũ, & ait. Dedit deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meã viro meo. appellauitq; nomen eius [h] ISSACHAR. Rursum Lia concipiens peperit sextum filium, & ait. Dotauit me Deus dote bona: etiam hac vice mecũ erit maritus meus, eò quòd genuerim ei sex filios: & iccirco appellauit nomen eius [i] ZABVLON. Post quem peperit filiam nomine Dinam. Recordatus quoque Dominus Rachelis, exaudiuit eam, & aperuit vuluã eius.
D Quæ cõcepit, & peperit filiũ, dicens. Abstulit deus opprobrium meũ. Et [k] vocauit nomen eius IOSEPH, dicens. Addat mihi dominus filium alterum. Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo. Dimitte me, vt reuertar in patriam meam, & ad terram meam. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam: tu verò nosti seruitutem, qua seruiui tibi. Ait illi Laban. Inueniam gratiam in conspectu tuo: experimento didici, ꝙ benedixerit mihi Deus propter te: constitue mercedem tuam, quam dem tibi: At ille respondit. Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequàm venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitq; tibi Deus ad introitum meum: iustum est
E igitur, vt aliquando prouideam etiam domui meæ. Dixitq; Laban. Quid tibi dabo? At ille ait. Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. † Gyrabo per omnes greges tuos, & separabo cunctas oues varias, & sparso vellere: & quodcunq; fuluum, & maculosum, variumq; fuerit, tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea. [l] Respondebitq; mihi cras iustitia mea, † venietq; pro mercede mea coram te: [m] & in omnibus, quæ non fuerint varia, & maculosa, & fulua, tam in ouibus, quàm in capris, furti me argues. Dixitq; Laban. [n] Gratum habeo quod petis. [o] Et separauit in die illa capras & oues, hircos & arie
F tes varios, atq; maculosos. † Omne, inquam, in quo candor erat, & omne fuluum in ouibus, & tradidit in manu filiorum suorum. Et [p] posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat [q] reliquos greges eius. [r] Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractisq; corticibus in his, quæ spoliata fuerant, candor apparuit, † qui erat in virgis. Posuitq; eas in † fluentis atq; in canalibus aquarum: vt cum venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. [s] Factumq; est vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas,
G & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa. † Diuisitq; Iacob agnos, posuitq; facies ouium versus agnos, notis respersos, atq; versus omne fuluum, quod erat in ouibus Laban, ponendo scilicet suos greges seorsum, & non ponendo eos cum ouibus Laban. [t] Igitur quando primo tẽpore ascendebantur oues,

ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum & ouium,vt in earum contemplatione cō-
ciperent. Quando verò ſerotina admiſſura erat & conceptus extremus,non ponebat eas:factaq; ſunt ea,quæ
erāt ſerotina,Laban:& quę primi temporis,Iacob. Ditatusq; eſt homo vltra modum , et habuit greges mul-
tos,ancillas & ſeruos,camelos & aſinos.

SCHOLIA.

[a] Vt habeam ex ea filios.] *Et hic eſt ille Hebraiſmus, de quo ſuperius meminimus in Sara, hoc eſt,vt ædificer ex ea.* [b] Dan.] *Hoc eſt,iudicauit. quaſi diceret Rachel. Iudicauit me Deus indignam prole de proprio corpore , vt aliena ſuſcepta prole cogar interim eſſe contenta.* [c] Comparauit me Dominus.] *Vel, coniunxit. Plerique ſic verterunt. Luctationibus diuinis,hoc.eſt,eximijs,luctata ſum cū ſorore mea,&c. locus hic variè ab Hebræis exponitur.* [d] Nephtali.] *Luctamen, vel aſſociatio.* [e] Qua poſt conceptum edente filium,dixit.] *Nempè Lia,nam in Hebræo eſt. peperit itaque Zelpha ancilla Liæ ipſi Iacob filium,et ait Lia,&c.* [f] Gad.] *Fortuna.* Aſer *beatitudo.* [g] Mandragoras.] *Ferunt Ruben attuliſſe ramos,aut fructum,qui ſimilis eſt pomis,habetq; odorem optimum,radix verò habet figuram capitis & manuum. Sunt etiā, qui dicāt eſſe herbam,quæ libidinem in mulieribus excitet,vel,vt alij aiunt, vuluam ad conceptum diſponat.* [h] Iſſachar.] *Remunerabitur , vel lætabunda merces.* [i] Zabulon.] *Cohabitatio.* [k] Vocauit nomen eius Ioſeph.] *Rachel vſa eſt vno verbo ſignificante , & finitionem & appoſitionem , cum & dixerit finem habuiſſe opprobrium ſuum, & petierit addi alium filium.* [l] Reſpōdebit mihi cras iuſtitia mea.] *Scietur in poſterum me fideliter ſeruiſſe tibi.* [m] Et in omnibus, quæ non fuerint varia.] *Si quid(inquit)in gregibus meis, poſt hæc mihi generandis deprehenderis non varium , vel non ſparſo vellere,ſed vnius tantum coloris,totum album,vel totum nigrum, quaſi furti me conuictum teneas.* [n] Gratum habeo quod petis.] *Heb.habet. Age,vtinam fiat iuxta verbum tuum.* [o] Et ſeparauit.] *Subaudi. Laban, ſeparauit pecora varij coloris,maculoſa,punctata,pulla,aut circa pedes, vbi vinciri ſolent, circulos habentia , iuxta Hebræos, ſeorſum , & tradita ſunt filijs Laban: Quæ verò candida in totum erant,vel nigra penitus, vnius ſcilicet tantum coloris non permixti,ea Iacob ipſe ſuſcipiebat paſcenda , vt quæ ex ijs vnicoloribus naſcerentur varia,eſſent ipſius Iacob.* [p] Poſuit ſpacium itineris trium dierum.] *Ne quis ſcilicet dolus intercedere poſſet ad commixtionem maculoſorum cū vnicoloribus.* [q] Reliquos greges.] *Per reliquos,vel reſiduos,ſunt qui intelligant debiles , & ſteriles, & qui generationi non ſatis accōmodi eſſent.* [r] Tollens Iacob virgas populeas.] *Hæc fuit prima induſtria Iacob, varietatem ſcilicet colorum in virgis facere, vt oues ex earum aſpectu conciperent,ſiue vt Hebraiſmus habet,incaleſcerent,ſcilicet ad coitum . Altera quoque fuit huic ſimilis: nam maculoſos agnos iam natos in vnum redegit gregem : fecitq; illum antecedere gregem ouium Laban, vt ſequentes oues contemplatione præcedentium maculoſorum agnorum,alios parerent maculoſos. Tertia induſtria Iacob fuit, quòd virgas poſuit in canales eo tempore,quando robuſtiores oues conceptui operam dabant , aut quando procliuiores erant ad coitum , vt ſic robuſtiorem æderent fœturam.* [s] Factumq; eſt,vt in ipſo calore.] *in Heb.eſt. Et concipiebant,vel incaleſcebant oues ante virgas , & pariebant,&c.* [t] Igitur quando primo tempore aſcendebantur oues.] *Alius ſic vertit . Factumq; eſt in omni conceptu robuſtiorum ouium.*

CAPVT XXXI.

POſtquam autem audiuit verba filiorum Laban dicentium,Tulit Iacob omnia,quę fuerunt patris no- A
ſtri,& de illius facultate ditatus,factus eſt inclytus : animaduertit quoq; faciem Laban, ꝙ non eſſet er-
ga ſe ſicut heri & nudiuſtertius,[a] maximè dicente ſibi Domino,Reuertere in terram patrum tuorum,
& ad generationem tuam,eroq; tecum:miſit Iacob,& vocauit Rachel & Liam in agrum , vbi paſcebat gre-
ges,dixitq; eis. Video faciē patris veſtri,ꝙ non ſit erga me ſicut heri & nudiuſtertius:Deus aūt patris mei fuit
mecum. Et ipſæ noſtis, ꝙ totis viribus meis ſeruierim patri veſtro.Sed & pater veſter circunuēnit me,& mu
tauit mercedem meam [b] decem vicibus:& tamen non dimiſit eum Deus , vt noceret mihi. Si quando dixit.
Variæ,erunt mercedes tuæ:pariebant omnes oues varios fœtus : [c] quando verò econtrariò ait. Alba quæque
accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. Tulitq; Deus ſubſtantiam patris veſtri, & dedit mihi. B
Poſtquam enim conceptus ouium tempus aduenerat,leuaui oculos meos,& vidi in ſomnis aſcendentes ma-
res ſuper fœminas,varias & maculoſas,& diuerſorum colorum.Dixitq; angelus Dei ad me in ſomnis,Iacob?
Et ego reſpondi. Adſum . Qui ait.Leua oculos tuos , & vide vniuerſos maſculos aſcendentes ſuper fœminas,
Sup. 28.d varios,maculoſos,atq; reſperſos. Vidi enim omnia,quæ fecit tibi Laban. Ego ſum Deus Bethel , vbi vnxiſti
lapidem,& votum vouiſti mihi:nunc ergo ſurge,& egredere de terra hac , reuertens in terrā natiuitatis tuæ.
Reſponderuntq; Rachel,& Lia. Nunquid habemus reſidui quicquam in facultatibus , & hæreditate domus
patris noſtri ? Nōnne quaſi alienas reputauit nos,& [d] vendidit,comeditq; pretium noſtrum ? [e] Sed Deus tu-
lit opes patris noſtri , & eas tradidit nobis, ac filijs noſtris : vnde omnia,quæ præcepit tibi Deus,fac.Surrexit C
itaq; Iacob:& impoſitis liberis,ac coniugibus ſuis ſuper camelos, abijt. Tulitq; omnem ſubſtantiam ſuam,
& greges,& quicquid in Meſopotamia acquiſierat,pergens ad Iſaac patrem ſuum in terrā Chanáan.Eo tem-
pore ierat Laban ad tondendas oues, & [f] Rachel furata eſt idola patris ſui. [g] Noluitq; Iacob confiteri ſocero
ſuo,ꝙ fugeret.Cumq; abijſſet tam ipſe,quàm omnia, quæ iuris ſui erant : & amne tranſmiſſo pergeret con-
tra montem Galaad:nuntiatum eſt Laban die tertio,ꝙ fugeret Iacob.Qui aſſumptis fratribus ſuis , perſecu-
tus eſt eum diebus ſeptem:& comprehendit eum in monte Galaad . Viditq; in ſomnis dicentem ſibi Domi-
num. [h] Caue ne quicquam aſperè loquaris contra Iacob. Iamq; Iacob extenderat in monte tabernaculum.
Cumq; ille conſecutus fuiſſet eum cum fratribus ſuis,in eodem monte Galaad fixit tentorium . Et dixit ad D
Iacob.Quare ita egiſti,vt clam me abigeres filias meas quaſi captiuas gladio? Cur ignorante me fugere volui
ſti,nec indicare mihi:vt proſequerer te cū gaudio,& canticis,& tympanis,& citharis ? Non es paſſus vt oſcu-
larer filios meos & filias:ſtultè operatus es. Et nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum:ſed Deus
patris veſtri heri dixit mihi. Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Eſto, ad tuos ire cupiebas , &
deſiderio erat tibi domus patris tui : cur furatus es deos meos ? Reſpondit Iacob . Quòd inſcio te profectus
ſum,

ſum,timui ne violenter auferres filias tuas.Quòd autem furti me arguis:apud quencūq; inueneris deos tuos,
necetur coram fratribus noſtris:ſcrutare,quicquid tuorum apud me inueneris,aufer:hæc dicens , ignorabat
E quòd Rachel furata eſſet idola.Ingreſſus itaq; Laban tabernaculum Iacob , & Liæ, & vtriuſq; famulæ , non
inuenit.Cumq; intraſſet tentorium Rachelis,illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit
deſuper: ſcrutantiq; omne tentorium,& nihil inuenienti, ait. Ne iraſcatur dominus meus , quòd corā te aſ-
ſurgere nequeo : quia iuxta conſuetudinem fœminarum nunc accidit mihi:[i] ſic deluſa ſolicitudo quærentis
eſt. Tumenſq; Iacob,cum iurgio ait. Quam ob culpam meam , & ob quod peccatum meum ſic exarxiſti
poſt me , & ſcrutatus es omnem ſupellectilem meam ? Quid inueniſti de cuncta ſubſtantia domus tuæ?po-
ne hic [k] coram fratribus meis,& fratribus tuis,& iudicent inter me & te. Iccircò viginti annis fui tecū , oues
tuæ & capræ ſteriles non fuerunt,arietes gregis tui non comedi:nec captum à beſtia oſtendi tibi, ego damnū Exo.22.b
F omne reddebam:quicquid furto perierat, † tam die quàm nocte,à me exigebas:die noctuq; æſtu vrgebar,&
gelu,fugiebatq; ſomnus ab oculis meis.Sic per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi,quatuordecim pro fi-
liabus,& ſex pro gregibus tuis:immutaſti quoq; mercedem meam decem vicibus.Niſi deus patris mei Abra
ham,& [l] timor Iſaac affuiſſet mihi,forſitan modo nudum me dimiſiſſes:afflictionem meam & laborem ma-
nuum mearum reſpexit deus,& arguit te heri. Reſpōdit ei Laban, † Filiæ iſtæ filiæ meæ,& filij iſti filij mei,
ſed & greges iſti greges mei,& omnia,quæ cernis,mea ſunt:quid poſſum facere filijs & nepotibus meis?Veni
ergo,& ineamus fœdus:vt ſit teſtimonium inter me & te. Tulit itaq; Iacob lapidem , & erexit illum in titu-
lum. Dixitq; fratribus ſuis.Afferte lapides . Qui congregantes fecerunt tumulum , comederuntq; ſuper eū.
G Quē vocauit Laban TVMVLVM TESTIS, & Iacob. ACERVVM TESTIMONII, [m] vterq; iuxta pro-
prietatem linguę ſuę.Dixitq; Laban. Tumulus iſte erit teſtis inter me & te hodie:& iccircò appellatū eſt no-
men eius GALAAD , id eſt tumulus teſtis . † Et MIZPAH , hoc eſt ſpecula, qm̄ dixit,ſpeculetur dn̄s inter
nos [n] qn̄ receſſerimus à nobis,ſi afflixeris filias meas,& ſi introduxeris alias vxores ſuper eas nullus ſermonis
noſtri teſtis eſt abſq; deo,qui preſens reſpicit.Dixitq; rurſus ad Iacob. En tumulus hic & lapis , quē erexi in-
ter me & te,teſtis erit.Tumulus inquam iſte,& lapis ſint in teſtimonium , ſi aut ego tranſiero illum pergens
ad te:aut tu pręterieris malum mihi cogitans.Deus Abraham,& deus Nachor [o] iudicent inter nos,† & Deus
patris eorum. Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac:immolatiſq; victimis in mōte,vocauit fratres
ſuos,vt ederent panem.Qui cū comediſſent,manſerunt ibi.Laban verò † manè conſurgens , oſculatus eſt fi-
lios,& filias ſuas:& benedixit illis,reuerſuſq; eſt in locum ſuum.

SCHOLIA.

[a] Maxime dicente ſibi Domino.] *In Heb.eſt. Et dixit Dominus ad Iacob.* [b] Decem vicibus.] *Hebraiſmus eſt, vt decem ponatur pro, ſæpe,ſicut Latini dicunt millies & ſexcenties , pro ſæpenumero.* [c] Quando verò econtrario ait.] *Alius ſic vertit Et quando dicebat,quæ crura habent varia,hæc erunt merces tua,omnes oues pariebant fœtus cruretenus diſcolores. Pro quibus vltimis verbis , Hebraica habent , quaſi ligaminibus diſtincta:nam ligatio ouium fit in cruribus.* [d] Vendidit.] *Rachel & Lia queruntur ſeſe venditas,quòd maritus earum Iacob multis annis pro ipſis ſeruiuit,omni commoditate ad Laban redeunte,quemadmodum ſubiungitur,comedit precium noſtrum,hoc eſt,nobis debitum.* [e] Sed deus tulit opes.] *Heb.ſic habet. At tamen omnes opes,quas eripuit Deus à patre noſtro,noſtræ ſunt,et filiorum noſtrorum.* [f] Rachel furata eſt idola.] *Hebraicè Theraphim, & venit à verbo,quod ſignificat diſſoluere, & ceſſare. Erant autem Theraphim imagines,iuxta quarum inſpectionem gentes faciebant,vel omittebant opus . Huiuſmodi figuras & imagines vanitas aſtrologorum facere ſolet ſub certis conſtellationibus:putantq; illas capaces cœleſtium influxuum . Hic verò accipiuntur pro Idolis,vt paulòpoſt ſequitur.* [g] Noluit Iacob confiteri ſocero ſuo.] *Hebraiſmus habet Et Iacob furatus eſt cor Laban Syri,eò quòd non indicauit illi,quòd fugeret.* [h] Caue ne quicquam aſperè loquaris.] *Heb.habet.Caue ne loquaris cum Iacob à bono vſque ad malum . Quod quidam Hebr.ſic exponunt. Non loquaris ad eum bonum,vt reducas eum,neque malū,vt noceas ei.* [i] Sic deluſa.] *In Heb eſt.Scrutatus eſt itaque,ſed non inuenit illa idola.* [k] Coram fratribus meis.] *Vocat propinquos Laban,qui illum ſecuti fuerant,fratres ſuos et illius.* [l] Timor Iſaac.] *Hoc eſt,Deus,quem timuit Iſaac.* [m] Vterq; iuxta proprietatem linguę ſuę.] *Laban in lingua Syra appellauit Iegar Sahaduta,hoc eſt, aceruus teſtimonij, Iacob verò in lingua Hebræa vocauit Galaad , hoc eſt ; tumulus teſtificans. Remanſit enim Hebraica lingua apud domum Abrahæ:& licet Laban quoque fuerit de cognatione Abrahæ,tamen cum habitaret inter Syros, non patrio , ſed Syrorum vtebatur ſermone,non quidem Hebraicæ ignarus linguæ , quandoquidem & filiæ eius filijs ſuis impoſuerunt Hebraica nomina,qualia ſunt Simeon,Leui,Iſachar,&c.* [n] Quando receſſerimus à nobis.] *in Heb.eſt.Quando abſconditi fuerimus vnus ab altero , vel vir à proximo ſuo.* [o] Iudicent inter nos.] *Deus pluraliter à Laban nominatur , & verbo iungitur plurali,fortaſſe quia non plenè pius,præter vnius Dei cultum etiam Idola colebat.*

CAPVT XXXII.

A IAcob autem abijt in itinere,quod cœperat: [a] fueruntq; ei obuiam angeli Dei.Quos cum vidiſſet,ait.Ca-
ſtra dei ſunt hæc:& appellauit nomen loci illius [b] MAHANAIM, id eſt caſtra.Miſit autem & nuntios an
te ſe ad Eſau fratrem ſuum in terram Seir regionis Edom : præcepitq; eis, dicens. Sic loquimini domino
meo Eſau.Hæc dicit † ſeruus tuus Iacob.Apud Laban peregrinatus ſum,& fui vſq; in preſentem diem. Ha-
B beo boues & aſinos & oues,& ſeruos & ancillas:mittoq; nunc legationem ad dominum meum,vt inueniam
gratiam in conſpectu tuo. Reuerſiq; ſunt nuntij ad Iacob,dicentes. Venimus ad Eſau fratrem tuum,& ecce
properat in occurſum tibi cum quadringentis viris.Timuit Iacob valde:& perterritus diuiſit populum, qui
ſecum erat,greges quoq; & oues & boues & camelos in duas turmas,dicens. Si venerit Eſau ad vnam turmā,
& percuſſerit eam,alia turma,quæ reliqua eſt,ſaluabitur. Dixitq; Iacob.Deus patris mei Abraham, & deus
C patris mei Iſaac:Domine qui dixiſti mihi. Reuertere in terram tuam,& in locum natiuitatis tuæ, & benefa-
ciam tibi:minor ſum cunctis miſerationibus tuis,& veritate tua,quam expleuiſti ſeruo tuo: [c] in baculo meo Supra 31.c
tranſiui

transiui Iordanem istum:& nunc cum duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau,quia valde eum timeo:ne fortè veniens percutiat † me, & matrem cum filijs. Tu locutus es quòd benefaceres mihi, & dilatares semen meum sicut arenam maris,quæ præ multitudine numerari non potest. Cumq; † pernoctasset ibi nocte illa,separauit de his,q̃ habebat,munera Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas,arietes viginti,camelos fœtas cum pullis suis triginta,vaccas quadraginta,& tauros † decem,asinas viginti,& pullos earum decem. Et misit per manus seruorum suorum singulos seorsum greges, dixitq; pueris suis. Antecedite me,& sit spatium inter gregem & gregem. Et præcepit priori, dicens. Si obuium habueris fratrem meũ Esau,& interrogauerit te. Cuius es?aut, Quò vadis?aut, Cuius sunt ista,quæ sequeris?respondebis.Serui tui Iacob,munera misit domino suo Esau:ipse quoq; post nos venit. Similiter dedit mandata secundo & tertio,ac cunctis,qui sequebantur greges,dicens. Hisdem verbis loquimini ad Esau cum inueneritis cũ:& adderis. Ipse quoq; seruus tuus Iacob iter nostrũ insequitur : dixit enim. Placabo illum muneribus, quæ præcedunt, & postea videbo illum , forsitan propitiabitur mihi. Præcesserunt itaq; munera ante eum, ipse verò mansit nocte illa in castris. Cumq; manè surrexisset, tulit duas vxores suas & totidem famulas cũ vndecim filijs,& [d] transiuit vadum Iaboch. [e] Transductisq; omnibus,quæ ad se pertinebant,mansit solus:& ecce vir luctabatur cum eo vsq; manè. Qui cum videret, q̃ eum superare non posset,tetigit neruum fœmoris eius,† & [f] amotus est neruus fœmoris Iacob,dum ille luctaretur cũ eo.Dixitq; ad eum . Dimitte me, iam enim ascendit aurora.Respondit.Non dimittam te,nisi benedixeris mihi. Ait ergo . Quod nomen est tibi ? Respondit,Iacob. At ille. Nequaquam,inquit,Iacob appellabitur nomen tuum,sed [g] ISRAEL: q̃m si contra Deum fortis fuisti,quanto magis contra homines prævalebis? Interrogauit eũ Iacob . Dic mihi quo appellaris nomine ? Respondit. [h] Cur † nunc quæris nomen meum † ? Et benedixit ei in eodem loco . Vocauitq; Iacob nomen loci illius [i] PHANVEL, dicens . Vidi Deum facie ad faciem , & salua facta est anima mea. Ortusq; est ei statim sol postquàm transgressus est Phanuel: [k] ipse vero claudicabat pede . Quã ob causam non comedunt [l] neruum filij Israel,qui emarcuit in fœmore Iacob, vsque in præsentem diem : eò quòd tetigerit neruum fœmoris eius,& obstupuerit.

SCHOLIA.

[a] Fueruntq; ei obuiam angeli.] *Vt lenirent timorem,qui ei impendebat ex subito occursu fratris.* [b] Mahanaim.] *Alius sic vertit.Vocauit nomen loci illius Mahenaym,hoc est,duplicia castra. Quòd habuerit in eo loco Iacob turmam suam, & præterea apparuerit ei turma angelorũ.* [c] In baculo meo.] *Quid sit in baculo transire Iordanem , declarat id quod sequitur.Et nunc cum duabus turmis regredior.Significat ergo se, cum proficiscens nihil haberet , nunc ita auctum reuerti.*
[d] Transiuit vadum Iaboch.] *Iaboch flumen Iordanem influens,initium est terræ decem tribuum. Complebantur eadem nocte promissiones Dei ad patres , ingrediebatur enim terram promissam , & semen suum Vndecim filios iam reposuerat in terram,diuitias multas traiecerat , ideo precabatur tota reliqua nocte Dominum , vt felix sibi ac posteris esset hic introitus: per luctam ergo illam significata sunt futura suorum aduersa, quæ tamen essent superanda.* [e] Transductisq; omnibus.] *In Heb.est:& accipiens eos,transmisit eos vltra torrentem , transmisit quoque quicquid habuit , & relictus est Iacob solus.*
[f] Amotus est neruus fœmoris.] *Iam designabantur futuri mores illius populi in terra promissionis,qui tam prauè ambulauerunt cum Deo suo.* [g] Israel.] *Explicat textus significationem huius vocis,nempè qui principatur , vel consligit cũ Deo, & princeps,vel potens cum Deo.* [h] Cur nunc quæris nomen meum.] *In Hebræo non habentur illa Verba,quod est mirabile.Nondum(inquit)tempus est reuelandi nomina Dei magni,quod Mosi reseruatur:vt Exo.6.Ego apparui Abraham, Isaac,& Iacob in Deo omnipotente, & in nomine meo Iehoua non sum cognitus illis.* [i] Phanuel.] *Sine , Peniel, hoc est,facies Dei.* [k] Ipse verò claudicabat pede.] *Vel,claudus erat in fœmore suo.* [l] Neruum qui emarcuit.] *Quidam interpretantur hic,neruum latum,aly neruum dissipatum,aly neruum contractionis,aly neruum,qui obstupuit.*

CAPVT XXXIII.

A Eleuans autem Iacob oculos suos,vidit venientem Esau , & cum eo quadringentos viros : [a] diuisitq; filios Liæ & Rachel, ambarumq; famularum : & posuit vtranque ancillam & liberos earum in principio:Liam vero,& filios eius in secundo loco:Rachel autem & Ioseph nouissimos. Et ipse progrediens adorauit pronus in terram septies , donec appropinquaret frater eius . Currens itaque Esau obuiam fratri suo,amplexatus est eum:stringensq; collum eius, † & osculatus est eum,fleueruntq; . Leuatisq; oculis vidit mulieres & paruulos earum,& ait. Quid sibi volunt isti? & si ad te pertineant? Respõdit. Paruuli sunt , quos donauit mihi Deus seruo tuo.Et appropinquantes ancillæ & filij earum incuruati sunt . Acceßit quoq; Lia cum pueris suis:& cum similiter adorassent,extremi Ioseph & Rachel adorauerunt. Dixitq; Esau. Quenam sunt istæ turmæ , quas obuiam habui? Respondit . Vt inuenirem gratiam coram domino meo . At ille ait. Habeo plurima frater mi,sint tua tibi.Dixit Iacob. Noli ita obsecro, sed si inueni gratiam in oculis tuis: accipe munusculum de manibus meis:sic enim vidi faciem tuam,quasi viderim vultum Dei : [b] esto mihi propitius, & susci pe benedictionem,quam attuli tibi,& [c] quam donauit mihi Deus , tribuens omnia . Vix fratre compellente susci piens ait. Gradiamur simul,eroq; socius itineris tui. Dixitq; Iacob . Nosti domine mi, quòd paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum : quas si plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges . Præcedat dominus meus ante seruum suum:& ego sequar paulatim vestigia † familiæ meæ, sicut videro paruulos meos posse , donec veniam ad dominum meum in Seir . Respondit Esau. Oro te,vt de populo , qui mecum est , saltem socij remaneant viæ tuæ. Non est,inquit,necesse:hoc vno tantum indigeo , vt inueniam gratiam in conspectu tuo domine mi . Reuersus est itaque illo die Esau itinere , quo venerat in Seir. Et Iacob venit in Socoth:vbi ædificata domo & fixis tentorijs † pro pecoribus, appellauit nomen loci illius SOCOTH, id est tabernacula . Transiuitq; [d] in Salem vrbem Sichimorum, quæ est in terra Chanaan , postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ:& habitauit iuxta oppidũ. Emitq; partem

partem agri,in qua fixerat tabernacula,à filijs Emor patris Sichem [e] centum agnis . Et erecto ibi altari, [f] inuocauit super illud fortissimum deum Israel.

SCHOLIA.

[a] Diuisit filios.] *Cuique matri suos commendauit,in Heb.est,diuisit filios ad Liam,& ad Rachel,atque ad duas ancillas.* [b] Esto mihi propitius.] *Vel,complaceas mihi. Alius vertit. Et benè voluisti mihi, vel piè fecisti mihi.* [c] Quam donauit mihi deus.] *Vel, quia donauit mihi Deus,vt sint mea hæc omnia. Alius sic vertit. Quia misertus est mei Deus, & quia est mihi satis.* [d] In Salem.] *Hebræi legunt Salem adiectiuè, pro venit sanus & incolumis ad ciuitatem Sichem.*
[e] Centum agnis.] *Vel,centum nummis.* [f] Inuocauit super illud.] *Hebræi sic legunt , Vocauit ipsum , scilicet altare, fortem Deum Israel. Non quòd altare fuerit Deus Israel,sed signum, quòd fortissimus ille fuit Deus Israel , qui eum liberauit ex cunctis necessitatibus.*

CAPVT XXXIIII.

A Egressa est autem Dina filia Liæ , vt videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Emor Heuæi,princeps terræ illius, † rapuit eam,& dormiuit cum illa, vi opprimens virginem.Et cõglutinata est anima eius cum ea , [a] tristemq; deliniuit blanditijs . Et pergens ad Emor patrem suum, Accipe,inquit,mihi puellam hanc coniugem.Quod cum audisset Iacob,absentibus filijs,& in pastu pecorũ occupatis,siluit donec redirent.Egresso autem Emor patre Sichem,vt loqueretur ad Iacob , ecce filij eius veniebant de agro:auditoq;, quod acciderat,irati sunt valde,eò q̃ fœdam rem operatus esset in Israel, & violata filia Iacob rem illicitam perpetrasset.Locutus est itaq; Emor ad eos , Sichem filij mei adhæsit anima filiæ vestræ:date eam illi vxorem.Et iungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis,& filias nostras accipite. Et habitare nobiscum: terra in potestate vestra est,exercete, negotiamini,& possidete eam. Sed & Sichem B ad patrem & ad fratres eius ait.Inueniam gratiam coram vobis,& quæcunq; statueritis dabo. augete dotem, & munera postulate,& libenter tribuam quod petieritis: tantum date mihi puellam hanc vxorem. Respon derunt filij Iacob Sichem & patri eius in dolo, [b] fœuientes ob stuprum sororis. Non possumus facere quod petitis,nec dare sororem nostram homini incircũciso:quod illicitum & nepharium est apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari:si volueritis esse similes nostri, & circuncidatur in vobis omnis masculini sexus . Tunc dabimus & accipiemus mutuò filias vestras ac nostras:& habitabimus vobiscum,erimusq; vnus populus. Si autem circuncidi nolueritis,tollemus filiam nostrã,& recedemus . Placuit oblatio eorum Emor,& Sichem filio eius. Nec distulit adolescens: quin statim quod petebatur expleret:amabat enim puellam valde , & ipse C [c] erat inclytus in omni domo patris sui . Ingressiq; portam vrbis , locuti sunt ad populum. Viri isti [d] pacifici sunt,& volunt habitare nobiscum: negocientur in terra , & exerceant eam, [e] quæ spatiosa,& lata cultoribus indiget:filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus. † Verum in hoc consentiunt nobis viri illi ad habitandum nobiscum,& vt efficiamur populus vnus, Si circuncidamus masculos nostros , ritum gentis imitantes.Et substantia eorum,& pecora,& cuncta,quæ possident, nostra erunt:tm̃ in hoc acquiescamus, & habitantes simul,vnũ efficiamus populũ.Assensiq; sunt omnes,circuncisis cunctis maribus.Et ecce,[f] die tertio q̃ grauissimus vulnerum dolor est,arreptis duo filij Iacob,Simeon,& Leui fratres Dinæ,gladijs,ingressi sunt vrbem confidenter:interfectisq; omnibus masculis,Emor,& Sichem pariter necauerunt , tollentes Di- D nam de domo Sichem sororem suam. Quibus egressis,irruerunt super occisos cæteri filij Iacob: & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri . Oues eorũ,& armenta,& asinos, cunctaq; † rapientes,quæ in domibus, & in agris erant:paruulos quoq; eorum,& vxores duxerunt captiuas. Quibus perpetratis audacter,Iacob dixit ad Simeon,& Leui.Turbastis me , & [g] odiosum fecistis me Chananæis , & Pherezæis habitatoribus terræ huius. nos pauci sumus,illi congregati percutient me,& delebor ego,& domus mea . Responderunt. Nunquid vt scorto abuti debuere sorore nostra ?

SCHOLIA.

[a] Tristemq; deliniuit blandicijs.] *Hebraismus habet.Locutusq, est super cor puellæ, hoc est, loquebatur verba blanda,vt illud Loquimini ad cor Hierusalem,hoc est,loquimini ei grata,& res boni nuntij.* [b] Sæuientes ob stuprum sororis.] *In Heb.est,apud se loquentes quòd maculasset Dinam sororem eorum.* [c] Et erat inclytus.] *Vel,honorabilior.nam constituunt Hebræi comparatiuum per adiectiuum,& propositionem ab vel præ,vt honoratus præ omnibus, idest , honorabilior omnibus.* [d] Pacifici sunt.] *Vel,integri erga nos.* [e] Quæ spatiosa,& lata cultoribus indiget.] *Heb.sic habet.Et terræ ipsa spatiosa est manibus coram eis.Vt spatiosa manibus,significet,habens spacia lata,vel loca spatiosa,vt & illud. Hoc mare magnum,& spatiosum manibus,hoc est,latum spacijs.* [f] Die tertio.] *Dicunt Hebræi,die tertio post circuncisionem , dolorem semper esse grauiorem.* [g] Odiosum fecistis me.] *Heb.habet,fœtere me fecistis,pro,abominabilem fecistis,cuius contrarium est,quod Paulus ait.Christi bonus odor sumus,pro,accepti Christo sumus.*

CAPVT XXXV.

A Interea locutus est deus ad Iacob.Surge & ascende Bethel,& habita ibi,facq; altare Deo , qui apparuit tibi,quando fugiebas Esau fratrem tuum. Iacob verò conuocata † domo sua, † & omnibus, qui secũ erãt, ait. Abijcite deos alienos,qui in medio vestri sunt, [a] & mundamini,ac mutate vestimenta vestra.Surgite, & ascendamus in Bethel,& faciamus ibi altare Deo,qui exaudiuit me in die tribulationis meæ , & socius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos,quos habebant, & inaures , quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eas subter † quercum,quæ † erat iuxta Sichem. Cumq; profecti essent,terror Dei inuasit om- B nes per circuitum ciuitates:& non sunt ausi persequi recedentes. Venit igitur Iacob Luzam , quæ est in terra Chanaan:cognomento Bethel: ipse & omnis populus cum eo. Ædificauitq; ibi altare, & appellauit nomen loci illius † DEVS BETHEL: [b] ibi enim apparuit ei Deus,cum fugeret fratrem suum.Eodem tẽpore [c] mortua est Debora nutrix Rebeccæ , & sepulta est [d] ad radices Bethel subter quercum : vocatumq; est nomẽ loci illius

illius QVERCVS FLETVS. Apparuit autem iterũ Deus Iacob [e] postquam reuersus est de Mesopotamia Syrię, benedixitq; ei dicens. Non vocaberis vltrà Iacob, sed [f] ISRAEL erit nomen tuum. Et appellauit eũ
Supra 32.f Israel, dixitq; ei, Ego Deus omnipotens. Cresce, & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erũt, Reges de lumbis tuis egredientur. Terramq;, quam dedi Abrahã & Isaac, dabo tibi, & semini tuo post te. Et recessit ab eo: Ille verò erexit titulum lapideum in loco, quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & C
effundens oleum: vocansq; nomen loci illius Bethel. † Egressi sunt aũt, & erat adhuc quasi stadiũ terræ ad locum Ephrata: & cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitq; ei obstetrix. Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente aũt anima præ dolore, & imminẽte iam morte, vocauit nomen filij sui BENONI, idest filius doloris mei: Pater verò appellauit eum BENIAMIN, idest filius dextrę. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via, quę ducit Ephrãtam, hæc est Bethlehem. Erexitq; Iacob titulũ
super sepulchrũ eius: hic est titulus monumenti Rachel, vsq; in præsentem diem. Egressus inde fixit tabernaculum trans turrem gregis. Cũq; habitaret in illa regione, abij t Ruben, & dormiuit cũ Bala concubina pa- D
tris sui: quod illũ minimè latuit. Erant aũt filij Iacob duodecim. Filij Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Leui, & Iudas, & Issachar, & Zabulõ. Filij Rachel: Ioseph, & Benia min. Filij Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephthali. Filij Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Aser. hi sunt filij Iacob, qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mamre ciuitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham, & Isaac. Et completi sunt dies Isaac [g] centum octoginta annorum. Consumptusq; ætate mortuus est, & appositus est populo suo senex & plenus dierum, & sepelierunt eum Esau, & Iacob filij sui.

SCHOLIA.

[a] Et mundamini.] *Ex hoc loco colligunt Iudei, quòd accessuri ad orationem debent habere corpus mundum, atque vestimenta pura.* [b] Ibi enim apparuit ei Deus.] *In Heb. habetur. Quoniam ibi reuelati sunt ei Dy. Intelligunt q, angelos Domini.* [c] Mortua est Debora.] *Cur scriptura hic commemorat mortem Deborę? Respondent Hebræi. cũ Rebecca mitteret Iacob in Mesopotamiam, diceb at illi, ego mittam, & assumam te inde, Misit autem post multa annorum curricula Deboram nutricem suam, vt inde vocaret Iacob ad parentes suos, Cumq; ille rediret, mortua est Debora in itinere.* [d] Ad radices Bethel.] *Hoc est, ad radices montis, super quem Bethel sita erat.* [e] Postquam reuersus est.] *Aly sic verterunt hunc locum. Et app.ruit Deus iterum Iacob, cum rediret de Mesopotamia, benedixitq;, &c. Vt videatur repetitio rerum prius dictarum.* [f] Israël erit nomen tuum.] *Dudum nequaquam ei nomen ab angelo imponitur (ait Hieronymus,) sed quòd à Deo sit imponendum prædicatur. quod igitur ibi futurum promittitur, hic docetur expletum.* [g] Centũ octoginta annorum.] *Quidam Hebræi dicunt, ex collatione scripturæ patere, quòd Iacob in obitu patris sui fuerit centum & viginti annorum, & Ioseph vigintinouem annorum. Nam cum pergeret in Mesopotamiam, fuit vnius & nonaginta annorum, Et anni, quibus seruiuit pro vxoribus, fuerunt quatuordecim, Qui prioribus adiecti, efficiunt centũ & quinque annos, Et in fine decimiquarti anni suæ seruitutis natus est ei Ioseph, qui post decem & septem annos venditus fuit in Ægyptum.*

CAPVT XXXVI.

HÆ sunt generationes Esau, ipse est Edom. Esau accepit vxores de filiabus Chanaan, Ada filiam Elon A
Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filij Sebeon Heuæi: Basemath quoq; filiam Ismahel sororem Na-
baioth. Peperit autem Ada, Eliphaz. Basemath genuit Rahuel. Oolibama genuit Iehus, & Ihelom,
1.Para.1.c & Core. Hi filij Esau, qui nati sunt ei in terra Chanaan. Tulit autem Esau vxores suas, & filios & filias, & om
nem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta, quæ habere poterat in terra Chanaan: & abijt
Sup. 23.a [a] in alteram regionem, recessitq; à fratre suo Iacob. Diuites.n. erant valde, & simul habitare non poterãt: nec
sustinebat eos terra peregrinationis eorũ præ multitudine gregũ. Habitauitq; Esau in monte Seir, Esau ipse
[b] est Edom. Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom in monte Seir, & hæc nomina filiorum eius:
Eliphaz filius Ada vxoris Esau: Rahuel quoq; filius Basemath vxoris eius. Fueruntq; Eliphaz filij: Themã,
1.Para.1.c Omar, Sephua, & Gatham, & Senez. Erat autem Thamna, concubina Eliphaz filij Esau: quæ peperit ei Ama- B
lec. hi sunt filij Ada vxoris Esau. Filij autem Rahuel: Nahath & Zara, Samma & Meza. hi filij Basemath
vxoris Esau. Isti quoq; erant filij Oolibama filiæ Anæ † filiæ Sebeon vxoris Esau: quos genuit ei Iehus &
Ihelom & Core. Hi duces filiorum Esau. Filij Eliphaz primogeniti Esau: dux Themam, dux Omar, dux
Sephua, dux Cenez, dux Core, dux Gatham, dux Amalec. hi filij Eliphaz in terra Edom, & hi filij Adæ. Hi
quoq; filij Rahuel filij Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. hi autem duces ex Rahuel in ter-
ra Edom: isti filij Basemath vxoris Esau. Hi autem filij Oolibama vxoris Esau: dux Iehus, dux Ihelom, dux
Core. Hi duces ex Oolibama filia Anæ vxore Esau. Isti sunt filij Esau, & hi duces eorum. ipse est Edom. Isti.
1.Para.1.c sunt [c] filij Seir Horræi, habitatores terræ: Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana, & Dison, & Eser & Disan. hi du-
ces Horræi, filij Seir in terra Edom. Facti sunt autem filij Lotan: Hori, & Hemam. erat autem soror Lotan, C
Thamna. Et isti filij Sobal: Aluan & Manàhath, & Ebal, & Sepho, & Onam. Et hi filij Sebeon: Aia & Ana.
Iste est Ana, qui [d] inuenit † mulos in solitudine, cum pasceret asinas Sebeon patris sui. Habuitq; filium Di-
son, & filiam Oolibama. Et isti filij Disan: Hamdan & Eseban & Iethram & Charan. Hi quoq; filij Eser:
Balaan & Zauan & Acan. Habuit autem filios Disan: Hus, & Aran. Hi duces Horræorum: dux Lotan, dux
Sobal, dux Sebeon, dux Ana, dux Dison, dux Eser, dux Disan. isti duces Horræorũ, qui imperauerũt in terra
Seir. Reges aũt, qui regnauerunt in terra Edom antequã haberent regẽ filij Israel, fuerunt hi. † Regnauit in
Edom Bela filius Beor, nomẽq; vrbis eius Denàba. Mortuus est aũt Bela, & regnauit pro eo Iobab filius Zarę
de Bosra. Cũq; mortuus esset Iobab, regnauit p eo Husam de terra Themanorũ. Hoc quoq; mortuo, regna-
uit pro eo Adad filius Badad, qui percussit Madian in regione Moab: & nomen vrbis eius Auith. Cũq; mor- D
tuus esset Adad, regnauit pro eo Semla de Masreca. Hoc quoq; mortuo: regnauit pro eo Saul de fluuio Ro-
hobot. Cũq; & hic obijsset, succesit in regnũ † Baal Hanan filius Achobor. Isto quoque mortuo, regnauit
pro eo

pro eo Adar, nomenq; vrbis eius Phau, & appellabatur vxor eius Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab. Hæc ergo nomina ducum Esau in cognationibus, & locis, & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperij sui, ipse est Esau pater Idumæorum. Habitauit autem Iacob in terra Chanaan, in qua pater suus peregrinatus est. Et hæ sunt generationes eius.

SCHOLIA.

[a] In alteram regionem.] *Nempè Seir, terram immundam. Ferunt terram illam vocatam Seir à Faunis per eã vagantibus, quos vocat Esaias pilosos.* [b] Ipse est Aedom.] *Quidam sic interpretantur, ipse est pater Aedom, idest, idumæorum.* [c] Filij Seir Horræi.] *Quidam Hebræi putant capiendum adiectiuè, hoc est, magni, vel nobilis.* [d] Inuenit mulos in solitudine.] *Nõ dicit, fortuitò illum inuenisse mulos oberrantes in solitudine, sed industria sua adinuenisse. Cum enim pasceret asinos, subijt ei, vt applicaret equum asinæ, & ex illa copula, noua illa, et quodammodo innaturalis species primum prodijt in mundum. Scribunt quoque Hebræi, hunc Anah fuisse ex dumato cottu natum, nam fuisse filiũ fratris sui Zibeonis, qui scilicet dormierit cũ matre sua, & hunc genuerit filium simul, & fratrem, atque id ex textu haberi contendunt, et quèadmodum insueto more natus est, ita etiam conatum esse in natura producere animalia, quæ essent præter naturam.* [illegible]

CAPVT XXXVII.

A IOseph cum † decem & septem esset annorum, pascebat gregem cum fratribus suis adhuc puer: & erat cũ filijs Balæ, & Zelphæ vxorum patris sui: [a] † deferebatq; infamiam illorum malam ad patrem eorũ. Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios, eo q, in senectute genuisset eum: fecitq; ei [b] tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius, q, à patre plus cunctis filijs amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquã pacificè loqui. Accidit quoq;, vt visum somnium referret fratribus suis, quæ causa maioris odij seminarium
B fuit. Dixitq; Ioseph fratribus suis. Audite somnium meum, quod vidi. Putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare: vestrosq; manipulos circunstantes adorare manipulũ meum. Rñderunt fratres eius. Nunquid rex noster eris? aut subijciemur ditioni tuę? Hæc ergo causa somnio rum atq; sermonum, inuidię & odij fomitẽ ministrauit. Aliud quoq; vidit somniũ, quod narrans fratribus, ait. Vidi per somniũ quasi Solem & Lunam, & Stellas vndecim adorare me. Quod cũ patri suo, & fratribus
C retulisset, increpauit eũ pater suus, & dixit. Quid sibi vult hoc somniũ, quod vidisti? nũ ego, & [c] mater tua, & fratres tui adorabimus te super terrã? Inuidebãt ei igitur fratres sui: pater verò rẽ tacitus cõsiderabat. Cũq; fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eũ Israel. Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo rñdente. Præstò sum: ait. Vade, & vide, si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora, & renuntia mihi, quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem: inuenitq; eũ vir
D errantem in agro, & interrogauit, quid quęreret. At ille rñdit. Fratres meos quæro, indica mihi, vbi pascant greges. Dixitq; ei vir. Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes. Eamus in Dothan. Perrexit itaq; Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothan. Qui cũ vidissent eũ procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illũ occidere. Et mutuò loquebantur. Ecce [d] somniator venit, venite occidamus eũ, & mittamus in cisternã † aliquam: dicemusq;. Fera pessima deuorauit eũ: & tunc apparebit, quid illi prosint somnia sua.
E Audiens autem hoc Ruben †, [e] liberauit eũ de manibus eorũ, & dicebat. Nõ interficiamus animam eius, nec effundamus sanguinem: sed proijcite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusq; vestras seruate innoxias. hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo. Cõfestim igitur, vt peruènit ad fratres suos, nudauerunt eum tunica † sua illa discolori: miseruntq; eũ in cisternã † vacuã, quę non habebat aquam. Et sedentes, vt comederent panem, viderunt Ismahelitas viatores venire de Galaad, &
F camelos eorum portantes aromata, & resinam, & [f] stacten in Ægyptũ. Dixit ergo Iudas fratribus suis. Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrũ, & celauerimus sanguinẽ ipsius? Melius est, vt vendatur Ismahelitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim, & caro nostra est. Acquieuerunt fratres sermonibus illius. Sapie. 10.a
Et prætereuntibus Madianitis negociatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismahelitis vi- Psa. 104.b
ginti argenteis: qui duxerunt eum in Ægyptum. Reuersusq; Ruben ad cisternam, non inuenit puerum: &
G scissis vestibus pergens ad fratres suos, ait. Puer non comparet, & ego quò ibo? Tulerunt autem tunicã eius, & in sanguinem hœdi, quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrent ad patrem, & dicerent. Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filij tui sit, an non. Quam cum cognouisset pater, ait. Tunica filij mei est, fera pessima comèdit eum: bestia deuorauit Ioseph. Scissisq; vestibus indutus est cilicio, lugens filiũ suũ [g] multo tempore. [h] Congregatis aũt cunctis liberis eius, vt lenirent dolorẽ patris, noluit consolationem accipere: sed ait. Descendam ad filium meum, lugens in † sepulchrum. Et illo perseuerante in fletu. [i] Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto Phutiphari eunucho Pharaonis [k] magistro militum.

SCHOLIA.

[a] Deferebat infamiam illorum.] *Hebræi interpretantur, locutionem. Quia enim fratres Ioseph malè loquebantur de eo, inuidia incitati contra eum: retulit Ioseph hæc mala verba patri suo.* [b] Tunicam polymytham.] *Ex multis coloribus constitutam, figuratam, seu pictam, hoc est, ex varijs licys confectam.* Mater tua.] *Quomodo dicit mater tua, quæ iam erat mortua? Respondent Hebræi, Vocasse matrem suam Balsam, quæ illum educauit matris loco.* [d] Somniator.] *Hebræa vox significat magistrum: quasi diceret, magister ille somniorum.* [e] Liberauit eum.] *Nempè ne interficeretur.*
[f] Stacten.] *Quidam Heb. putant mastichen esse.* [g] Multo tempore.] *Nempè viginti duobus annis, qui effluxerunt ab hoc tempore vsque dum descenderent in Aegyptum.* [h] Congregatis autem cunctis liberis eius.] *In Hebr. est. Surrexerunt verò omnes filij eius, cunctæq; filiæ eius. Quod quidam putant intelligendum de filiorum vxoribus, aly de filia sua, & filij filia.* [i] Madianitæ vendiderunt Ioseph in Ægypto.] *Ferunt hic Ioseph tertiò venditum. Primò à fratribus*

venditus

venditus est Ismahelitis, deinde ab Ismahelitis Madianitis, tertiò à Madianitis in Ægyptum. Sunt tamen, qui Ismahelitas, & Madianitas pro eisdem accipiendos dicant. [k] Magistro militum.] *Alij interpretantur, principi laniorum, quòd is præfectus esset coquis, & pecorum mactatoribus.*

CAPVT XXXVIII.

1. Para. 2. a

EOdem tempore descendens Iudas à fratribus suis, diuertit ad virum Odollamitē, nomine Hiram. Vi- A
ditq; ibi filiam hominis Chananæi, [a] vocabulo Sua, & accepta vxore, ingressus est ad eam. Quę conce
pit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her. Rursumq; concepto fœtu, natū filiū vocauit Onan.
Tertium quoq; peperit: quem appellauit Sela. † Et fuit ipse in Chezib cū illa hunc pareret. Dedit autē Iudas
Num. 26. c vxorem primogenito suo Her, nomine Thamar. Fuit quoq; Her primogenitus Iudæ, nequam in conspectu
B
Dñi: & ab eo occisus est. Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum. Ingredere ad vxorem fratris tui, & [b] sociare
illi, vt suscites semen fratri tuo. Ille sciens nō sibi nasci filios, introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat
in terram: ne liberi fratris nomine nascerētur. Et iccirco percussit eum Dns, eò q; rem detestabilem faceret.
Quam ob rem dixit Iudas Thamar nurui suæ. Esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus:
timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius. Quæ abijt, & habitauit in domo patris sui. Euolutis aūt C
multis diebus, mortua est † filia, Sua, vxor Iudę, qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonso
res ouium suarum, ipse & Hiras † amicus eius Odollamites, in Thamnas. Nuntiatumq; est Thamar, q̄ socer
illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oues. Quæ depositis viduitatis vestibus, [c] assumpsit theristrum: &
mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam: eò q̄ creuisset Sela, & non eum accepisset mari
tum. Quam cum vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suū, ne agnosceretur. D
† Et declinans ad eam de via, ait. Dimitte me, vt coeam tecum: nesciebat enim, q̄ nurus sua esset. Quа rñdente. Quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? dixit. Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumq; illa dicen
te. Patiar, quod vis, si dederis mihi [d] arrabonem, donec mittas quod polliceris: Ait Iudas. Quid vis tibi pro ar
rabone dari? Respondit. Annulum tuum, & [e] armillam, & baculum, quem manu tenes. † Dans itaq; ei, in- E
gressus est ad eam, quæ concepit ex eo: & surgens abijt: depositoq; habitu, quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Misit autem Iudas hœdum per † amicum suum Odollamiten, vt reciperet pignus, quod dede
rat mulieri: qui cum non inuenisset eam, interrogauit homines loci illius. Vbi est † illa meretrix, quæ sede
bat in biuio? Rñdentibus cunctis. Non fuit in loco isto meretrix: Reuersus est ad Iudam, & dixit ei. Nō in
ueni eam, sed & homines loci illius dixerunt mihi, nunquam sedisse ibi scortum. Ait Iudas. Habeat sibi, † ne F
forte simus in contēptū, ego misi hœdum, quē promiseram, & tu non inuenisti eam. Ecce aūt post tres men
ses nuntiauerūt Iudę, dicētes. Fornicata est Thamar nurus tua, [g] & videtur vterus illius intumescere. Dixitq;
Iudas. Producite eam, vt comburatur. Quæ, cū duceretur ad pœnam, misit ad socerū suū, dicens. De viro, cu
Matt. 1. a ius hæc sunt, cōcepi: cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis muneribus, ait. Iustior me G
est: quia nō tradidi eā Sela filio meo. Attamen vltrà nō cognouit eā. Instante aūt partu, apparuerunt gemini
in vtero: atq; in ipsa effusione infantū, vnus protulit manū, in qua obstetrix ligauit coccinum, dicens. [h] Iste
egredietur prior. Illo verò retrahente manum, egressus est alter: dixitq; mulier. [i] Quare diuisa est propter te
1. Para. 2. c maceria? & ob hanc causam vocauit nomen eius PHARES. Postea egressus est frater eius, in cuius manu
erat coccinum: quem appellauit ZARA.

SCHOLIA.

[a] Vocabulo Sua.] *Nomen est illius viri, non mulieris.* [b] Et sociare illi.] *Hoc est, duc eam in vxorē. Habent Hebræi hic verbum, cui in Latina lingua nullum respondet vocabulum: nam significat defuncti fratris, & nullum post se semen relinquentis, ducere vxorem.* [c] Assumpsit theristrum.] *Alius sic vertit hunc locum. Operuit se peplo, atque inuoluit, & sedit in publico loco, &c.* [d] Arrabonem.] *Est arrabo vox Hebraica, sed quidam Hebræi Erabon legunt.* [e] Armillam.] *Alij interpretantur, amictum, fasciam, linteum, capitale, palliolum.* [f] Ne forte simus in contemptum.] *Hoc est, ne res ista, quam feci, & quæ turpis est, publicetur.* [g] Et videtur vterus illius intumescere.] *In Heb. est, & concepit per fornicationes.* [h] Iste egredietur prior.] *In Heb. est, egressus est, nam respexit ad manum porrectam.* [i] Quare diuisa est propter te maceria?] *Heb. habet, quare diuisisti super te diuisionem? Vocat diuisionem membranulam, qua fœtus includitur, quam secundas vocant. Chaldæus interpres sic exponit. Cur roborasti super te robur, vt scilicet exeundo, illud interuerteres.*

CAPVT XXXIX.

IGitur Ioseph ductus est in Ægyptum, emitq; eū Phutiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus sui, A
vir Ægyptius, de manu Ismahelitarum, à quibus perductus erat. Fuitq; Dominus cum eo, & erat vir in
cunctis prosperè agens: † dum habitaret in domo domini sui, qui optimè nouerat dominum esse cum
eo, & omnia, quæ gereret, ab eo dirigi in manu illius. Inuenitq; Ioseph gratiam coram domino suo, & mini
strabat ei: à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, vniuersāq; ei tradita fuerant: bene
dixitq; Dominus domui Ægyptij propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus, quàm in agris cunctā eius
substantiam. [a] Nec quicquam aliud nouerat, nisi panem, quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulchra facie, B
& decorus aspectu. Post multos itaq; dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait. Dormi mecū. Qui
nequaquam acquiescens operi nephario, dixit ad eam. Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat,
quid habeat in domo sua: [b] nec quicquam est † magni in domo hac, quod non in mea sit potestate, † præter
te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum † tam magnum facere, & peccare in Deum? Huiu
scemodi verbis per singulos dies loquebatur, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum.
Accidit autem quadam die, vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam [c] absq; arbitris faceret: & illa, ap- C
prehensa lacinia vestimenti eius, diceret. Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est
foras. Cumq; vidisset mulier vestem in manibus suis, † fugisseq; eū foras, vocauit ad se homines domus suæ,
& ait

& ait ad eos. En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingressus est ad me, vt coiret mecum: cumq;
ego † voce magna clamassem, & audisset vocem meā, reliquit pallium † apud me, & fugit foras. In argumen
tum ergo fidei retentum pallium ostendit marito reuertenti domum suam, & ait. Ingressus est ad me seruus
D Hebræus, quem adduxisti, vt illuderet mihi: † cumq; eleuassem vocem meam & clamassem, reliquit palliū
apud me, & fugit foras. [d] His auditis dominus & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde, tradiditq;
Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebantur, & erat ibi clausus. Fuit autem Dominus cum Ioseph, &
misertus est illius: & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuersos Psa. 104. b
vinctos, qui in custodia tenebantur: [e] & quicquid fiebat, sub ipso erat. Nec nouerat aliquid cunctis ei credi
tis: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

SCHOLIA.

[a] Nec quicquam aliud nouerat.] *Alius sic vertit. Nec cognoscebat cum eo quicquam, hoc est, nullam rationem reddebat Ioseph domino suo, nec hærus ipse sua curabat, omnibus fideli ministro commissis.* [b] Nec quicquam est.] *Alius hunc locum sic vertit, cunctaq; quæ habet, tradidit in manum meam: nō est maior quisquam in hac domo, quàm ego sim, nec quicquā mihi prohibuit nisi te, eò quòd tu vxor illius sis. At Hebraicus sensus videtur sic habere. Non est ipse, scilicet dominus, maior me in hac domo, nisi in hoc, quòd tu mihi prohibita es.* [c] Absque arbitris.] *In Heb. est. Cum non esset vir illius ex familia in domo.* [d] His auditis.] *Hebr. habet. Audiens verò dominus eius verba vxoris suæ, quæ ad illum loquebatur, dicens, secundum verba ista fecit mihi seruus tuus, commotus est furor eius, &c. Sed quomodo eunuchus vxorem habuit? Respondent quidam, regios ministros nonnunquam eunuchos vocari, sicut Esa. 39. Quos, si Latinè vocem Græcam interpreteris, custodes lecti vel thalami appellare possis, Alij ferunt genus esse eunuchorum, qui quamuis infœcundi sint, coire tamen possint.* [e] Et quicquid fiebat, sub ipso erat.] *Alius sic vertit. Et quicquid fiebat, ipse faciebat, hoc est, quod alij facere consueuerant, Ioseph facere satagebat.*

CAPVT XL.

AHIs itaque gestis, accidit vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor, domino suo
† regi Ægypti. Iratusq; contrà eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in
carcerem [a] principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph. At custos carceris tradidit eos Ioseph,
qui & ministrabat eis: [b] aliquātulū tpis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. Viderūtq; ambo somniū no
cte vna [c] iuxta interpretationem congruam sibi. Ad quos cum introijsset Ioseph mane, & vidisset eos triste
B sciscitatus est eos, dicens. Cur tristior est hodie solito facies vestra? Qui rñderūt. Somniū vidimus, & non est
qui interpretetur nobis. Dixitq; ad eos Ioseph. Nūquid nō Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis.
Narrauit prior, præpositus pincernarū somniū suū. Videbam corā me vitem, in qua erant tres propagines:
crescere paulatim in gēmas, & post flores vuas matures cere: calicēq; Pharaonis in manu mea: tuli ergo vuas,
& expressi in calicem, quē tenebam: & tradidi poculū Pharaoni. Rñdit Ioseph. Hęc est interpretatio somnij.
C Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos † eleuabit Pharao caput tuum, & restituet te in gradum pri
stinum: dabisq; ei calicē iuxta officiū tuum, sicut antè facere cōsueueras. Tantū memento mei, cum tibi be
ne fuerit: & facies mecum misericordiā: vt suggeras Pharaoni, vt educat me de isto carcere: quia furtim sublа
tus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum. Videns pistorum magister, q̄ prudēter
somnium dissoluisset, ait. Et ego vidi somnium. Quòd tria canistra † candida haberē super caput meum: &
D in vno canistro, quod erat excelsius, portare me putabā omnes cibos, qui fiūt arte pistoria, auesq; comedere
ex eo. Respondit Ioseph. Hęc est interpretatio somnij. Tria canistra, tres adhuc dies sunt: post quos auferet
Pharao caput tuum, ac suspēdet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. Exinde dies tertius natalitius
Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum
& pistorum principis. Restituitq; alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum: alterum suspendit in
patibulo, † sicut interpretatus eis fuit Ioseph. [d] Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarum
oblitus est interpretis sui.

SCHOLIA.

[a] Principis militum.] *Vel, principis laniorum.* [b] Aliquantulum temporis fluxerat.] *In Hebr. est, fuerunt q̄ per dies in custodia. Intelligunt autem Hebræi communiter per dies, absolutè, & sine adiectione scriptos, duodecim menses, siue annum.* [c] Iuxta interpretationem congruam sibi.] *Vel, iuxta interpretationem somny sui, hoc est, quisque habuit somnium, indicans, quid sibi in posterum esset euenturum.* [d] Et tamen succedentibus prosperis.] *In Heb. est. Nec recordatus est princeps pincernarum Ioseph, sed obliuioni tradidit eum.*

CAPVT XLI.

APOst duos annos vidit Pharao somnium. Putabat se stare sup fluuium, de quo ascēdebant septē boues,
pulchrę & crassæ nimis, & pascebantur [a] in locis paluſtribus. Aliæ quoq; septē emergebant de flumi
ne, fœdæ, confectæq; macie: † & stabant iuxta illas vaccas in amnis ripa: deuoraueruntq; eas, quarum
mira species & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao, rursum dormiuit, & vidit alterum somniū.
Septē spicæ pullulabant in culmo vno plenæ atq; formosæ. Aliæ quoq; totidem spicæ tenues, & [b] percussæ
vredine oriebantur, deuorantes omnem priorum pulchritudinem. † Euigilauitq; Pharao, [c] & ecce somniū,
& facto mane, pauore perterritus, misit ad omnes [d] coniectores Ægypti, cunctosq; sapientes: & accersitis nar
B rauit somnium, nec erat qui interpretaretur. Tunc demum reminiscens pincernarum magister, ait. Confi
teor peccatum meum. Iratus rex seruis suis, me & magistrum pistorum retrudi iussit in carcerē principis mi
litum: vbi vna nocte vterq; vidimus somnium, [e] præsagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus, eiusdē du
ditus sum officio meo: & ille suspensus est in cruce. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioseph
totonde-

totonderunt:ac veſte mutata obtulerunt ei. Cui ille ait. Vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat: quæ audiui te ſa-
Pſal. 104.b pientiſsimè conijcere. Reſpondit Ioſeph. [g] Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. Narrauit er- C
go Pharao quod viderat. Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis,& ſeptem boues de amne cõſcendere,pul
chras nimis,& obeſis carnibus:q̃ in paſtu paludis vireta carpebant: & ecce has ſequebantur aliæ ſeptẽ boues,
intantũ deformes & macilentæ,vt nunquam tales in terra Ægypti viderim: q̃ deuoratis & cõſumptis prioribus,nullũ ſatu ritatis dedere veſtigiũ:ſed ſimili macie & ſqualore torpebant. † Et euigilaui, & rurſus ſopore
depreſſus,vidi ſomniũ. Septẽ ſpicę pullulabãt in culmo vno plenę atq; pulcherrimę:aliæ quoq; ſeptẽ tenues
& percuſſę vredine,oriebãtur † poſt illas:q̃ priorũ pulchritudinẽ deuorauerũt. Narraui coniectoribus ſom-
niorũ,& nemo eſt,qui ediſſerat. Rũdit Ioſeph. Somniũ regis vnũ eſt:q̃ facturus eſt Deus, oſtẽdit Pharaoni.
Septem boues pulchræ,& ſeptem ſpicę plenę: ſeptẽ vbertatis anni ſunt, eãdemq; vim ſomnij cõprehendũt. D
Septem quoq; boues tenues atq; macilentę,q̃ aſcenderunt poſt eas,& ſeptẽ ſpicę tenues,& vento vrente per-
cuſſę: ſeptẽ anni venturę ſunt famis. [h] Qui hoc ordine cõplebuntur. Ecce ſeptẽ anni venient fertilitatis magnę in vniuerſa terra Ægypti: quos ſequẽtur ſeptẽ anni alij tãtę ſterilitatis, vt obliuioni tradatur cũcta retrò
abundãtia: cõſumptura eſt enim fames oẽm terrã, & vbertatis magnitudinẽ pditura eſt inopiæ magnitudo.
Quod aũt vidiſti ſecundò ad eandẽ rẽ pertinẽs ſomniũ:firmitatis indiciũ eſt,eò q̃ fiat ſermo Dei, & velocius
impleatur.Nũc ergo prouideat rex virũ ſapientẽ & induſtriũ,& præficiat eũ terrę Ægypti.Qui cõſtituat prę
poſitos per cunctas regiones:& quintã partẽ fructuũ per ſeptẽ annos fertilitatis,qui iam nũc futuri ſunt, cõ-
gregẽt in horrea:& omne frumẽtũ ſub Pharaonis poteſtate cõdatur,ſeruenturq; in vrbibus.Et præparetur fu- E
turę ſeptẽ annorũ fami,q̃ oppreſſura eſt Ægyptũ,& non cõſumetur terra inopia. Placuit Pharaoni conſiliũ
& cunctis miniſtris eius:locutusq; eſt ad eos. Nũ inuenire poterimus talem virũ, qui ſpiritu Dei plenus ſit?
Dixit ergo ad Ioſeph. Quia oſtendit tibi Deus oĩa,q̃ locutus es, nunquid ſapientiorẽ & ſimilem tui inuenire
Pſal. 104.b potero? Tu eris ſuper domũ meã,& ad tui oris imperiũ cũctus populus obediet:vno tantũ regni ſolio te prę-
1.Maca.2.f cedam. Dixitq; rurſum Pharao ad Ioſeph. Ecce,cõſtitui te ſuper vniuerſam terrã Ægypti. Tulitq; annulum
Actuũ 7.b de manu ſua,& dedit eum in manu eius:veſtiuitq; eũ ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit.
Fecitq; eũ aſcendere ſuper currum ſuũ ſecũdũ,clamante precone, vt oẽs corã eo genu flecterent, & præpoſi- F
tũ eſſe ſcirẽt vniuerſæ terræ Ægypti. Dixit quoq; rex Ægypti ad Ioſeph. Ego ſum Pharao: abſq; tuo imperio nõ mouebit quiſquam manũ, aut pedem in omni terra Ægypti. Vertitq; nomen eius,& vocauit eũ lingua
Pſal. 80.a Ægyptiaca, [i] SALVATOREM MVNDI. Dediq; illi vxorem Aſeneth filiã Phutipharis [k] ſacerdotis Helio-
poleos. Egreſſus eſt itaq; Ioſeph ad terrã Ægypti:(triginta aũt annos erat,qñ ſtetit in cõſpectu regis Pha-
raonis)& circuiuit oẽs regiones Ægypti. Venitq; fertilitas ſeptem annorum:& in manipulos redactæ ſegetes
congregatæ ſunt in horrea Ægypti. Omnis etiam frugum abundantia in ſingulis vrbibus condita eſt. Tan-
Infr. 46.c taq; fuit abundantia tritici,vt arenæ maris coæquaretur,& copia menſuram excederet. Nati ſunt aũt Ioſeph
filij duo antequã veniret fames:quos peperit ei Aſeneth filia Phutipharis ſacerdotis Heliopoleos. Vocauitq; G
nomen primogeniti. [l] MANASSES, dicens. Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorũ, & domus
patris mei. Nomen quoq; ſecundi appellauit EPHRAIM, dicens. Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Igitur tranſactis ſeptem vbertatis annis,qui fuerant in Ægypto,cœperunt venire ſeptẽ anni inopiæ,
quos prædixerat Ioſeph:& in † omni terra fames præualuit,in cuncta aũt terra Ægypti erat panis. Qua † de-
mũ eſuriente clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens, Quibus ille reſpõdit. Ite ad Ioſeph:& quic-
quid ipſe vobis dixerit,facite. Creſcebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitq; Ioſeph vniuerſa horrea,& vendebat Ægyptijs:nam & illos oppreſſerat fames. Omneſq; prouinciæ veniebant in Ægyptum, vt
emerent eſcas, † quia inualuerat fames per vniuerſam terram.

SCHOLIA.

[a] In locis paluſtribus.] *Vel,in prato.* [b] Percuſſæ vredine.] *Vel, orient.di vento.* [c] Et ecce ſomnium.] *Hoc eſt, expergefactus intellexit,ſe vidiſſe ſomnia,non vana,ſed notabile aliquid ſignantia. Eundem loquendi morem inuenies in libris regum de Salomone.* [d] Coniectores.] *Vel, magos, quos aly incantatores, aly ſcrutatores naturæ interpretantur.* [e] Præſagium futurorum.] *Aperuit interpres ſenſum verborum:quæ in Heb. ſic habent. Vterq; iuxta ſomnij ſui interpretationem ſomniauimus, hoc eſt, vterq; habuit ſomnium, quod erat conforme euentui rei.* [f] Cui narrantes ſomnia.] *Vide vt vbiq; interpres fugiat Hebraicam phraſim,& longiorem illum verborum circuitum,ſic enim habet Heb.Cui cum recitaſſemus,interpretatus eſt nobis ſomnia noſtra,vtriq; iuxta ſomnium ſuum interpretatus eſt, & factum eſt,quemadmodum interpretatus eſt nobis,ſic,inquam,euenit. Idem & paulopoſt agit in illis verbis. Quæ deuoratis,&c. Nam in Hebr.ſic legitur.Et deuorauerunt vaccæ illæ macilentæ,& deformes, ſeptem priores vaccas corpulentas,& ingreſſis illis in viſcera earum,non poterat ſentiri,quòd in earum viſcera tranſiſſent: ſed aſpectus illarum erat,vt prius,deformis. Data opera igitur huiuſcemodi loca, quæ infinita penè ſunt, non mutamus, quandoquidem nihil amittitur de ſententia.* [g] Abſq; me.] *Non ego ex ſapientia(inquit)mea,reſpondebo,ſed ab ipſo Deo reſpondebitur,quod ad pacem ſit Pharaoni.* [h] Qui hoc ordine cõplebuntur.] *Hebr.ſic habet. Et hoc verbum, quod locutus ſum ad Pharaonem, eſt id.quod Deus facturus eſt,& oſtendit Pharaoni.* [i] Saluatorem mundi.] *In Heb.eſt Zaphnath Paaneah,quod aly interpretem arcanorum, vel cognitorem occultorum interpretantur: aly putant eſſe dictiones Ægyptias.* [k] Sacerdotis Heliopoleos.] *Vel, Sacerdotis On.* [l] Manaſſes.] *Quod ſonat,faciens obliuiſci.Ephraim,fructificationes.*

CAPVT XLII.

AVdiens autem Iacob,q̃ alimenta venderẽtur in Ægypto,dixit filijs ſuis. [a] Quare negligitis? audiui, A
q̃ triticum venundetur in Ægypto:deſcendite,& emite nobis neceſſaria,vt poſsimus viuere, & non conſumamur inopia. Deſcendentes igitur fratres Ioſeph decem, vt emerent frumenta in Ægypto,
Beniamin domi retẽto à Iacob,qui dixerat fratribus eius.Ne fortè in itinere quicquã patiatur mali: ingreſſi
ſunt

B ſunt terram Ægypti cum alijs, qui pergebant ad emendum. erat autem fames in terra Chanáan. Et Ioſeph
erat princeps in terra Ægypti, atq; ad eius nutũ frumenta populis vendebantur. Cũq; adoraſſent eum fra-
tres ſui,& agnouiſſet eos,quaſi ad alienos durius loquebatur,interrogans eos. Vnde veniſtis? Qui reſponde-
runt. De terra Chanáan,vt emamus victui neceſſaria. Et tamen fratres ipſe cognoſcens, non eſt agnitus ab
eis. Recordatusq; ſomniorum, quæ aliquando viderat, ait ad eos. Exploratores eſtis:vt videatis infirmiora
terræ veniſtis. Qui dixerunt. Non eſt ita domine,ſed ſerui tui venerunt,vt emerent cibos. Omnes filij vnius
C viri ſumus: [b] pacifici venimus,nec quicquam famuli tui machinantur mali. Quibus ille reſpondit. Aliter
eſt:immunita terræ huius conſyderare veniſtis. At illi dixerunt. Duodecim:inquiunt,ſerui tui fratres ſumus
filij viri vnius in terra Chanáan,minimus cum patre noſtro eſt, [c] alius non eſt ſuper. Hoc eſt,ait,quod locu
tus ſum,exploratores eſtis:iam nunc experimentum veſtri capiam:per ſalutem Pharaonis,non egrediemini
hinc,donec veniat frater veſter minimus. Mittite ex vobis vnum,& adducat eum: vos autem eritis in vincu-
lis,donec probentur, quæ dixiſtis, vtrum vera an falſa ſint: alioquin [d] per ſalutem Pharaonis exploratores
D eſtis. Tradidit ergo illos cuſtodiæ tribus diebus. Die autem tertio, eductis de carcere,ait. Facite quæ dixi, &
viuetis: Deum enim timeo. Si pacifici eſtis,frater veſter vnus ligetur in carcere:vos autem abite,& ferte fru-
menta,quæ emiſtis,in domos veſtras, & fratrem veſtrum minimum ad me adducite: vt poſsim veſtros pro-
bare ſermones, & nõ moriamini. Fecerunt vt dixerat,& locuti ſunt ad inuicem,Meritò hæc patimur, quia
peccauimus in fratrem noſtrum,videntes anguſtias animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus: Supra 37.d
iccircò venit ſuper nos iſta tribulatio. E quibus vnus, Ruben, ait. Nunquid non dixi vobis? Nolite peccare
E in puerum: & non audiſtis me? en ſanguis eius exquiritur. Neſciebant autem,q̃ intelligeret Ioſeph:cò q̃ per
interpretem loqueretur ad eos. Auertitq; ſe parumper,& fleuit:& reuerſus locutus eſt ad eos. Tollensq; [e] Si-
meon:& ligans,illis præſentibus,iuſsit miniſtris,vt implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias
ſingulorum in ſacculis ſuis, datis ſupra cibarijs in via: qui fecerunt ita. At illi portantes frumenta in aſinis
ſuis,profecti ſunt. Apertoq; vnus ſacco,vt daret iumento pabulum in diuerſorio, contemplatus pecuniam
in ore ſacculi,dixit fratribus ſuis. Reddita eſt mihi pecunia mea,en habetur in ſacco. Et obſtupefacti, turba-
F tiq; mutuò dixerunt. Quidnam eſt hoc, quod fecit nobis Deus? Veneruntq; ad Iacob patrem ſuum in terra
Chanáan,& narrauerunt ei omnia,quæ accidiſſent ſibi,dicentes. Locutus eſt nobis dominus terræ durè, &
putauit nos exploratores eſſe prouinciæ. Cui reſpondimus. Pacifici ſumus,nec vllas molimur inſidias. Duo
decim fratres vno patre geniti ſumus,vnus non eſt ſuper, minimus cum patre noſtro eſt in terra Chanáan.
Qui ait nobis. Sic probabo,q̃ pacifici ſitis. Fratrem veſtrum vnũ dimittite apud me,& cibaria domibus ve-
ſtris neceſſaria ſumite,& abite,fratremq; veſtrum minimum adducite ad me,vt ſciam,q̃ non ſitis explorato
G res:& iſtum,qui tenetur in vinculis,recipere poſſitis,ac deinceps,quæ vultis,emendi habeatis licentiam. His
dictis cum frumenta effunderent,ſinguli repererunt in ore ſaccorum ligatas pecunias:exterritiſq; ſimul om
nibus,dixit pater Iacob. Abſq; liberis me eſſe feciſtis, Ioſeph non eſt ſuper, Simeon tenetur in vinculis, &
Beniamin auferetis:in me hæc omnia mala reciderunt. Cui reſpondit Ruben. Duos filios meos interfice, ſi
non reduxero illum tibi:trade illum in manu mea,& ego eum tibi reſtituam. At ille. Non deſcendet,inquit:
filius meus vobiſcum:frater eius mortuus eſt, & ipſe ſolus remanſit: ſi quid ei aduerſitatis acciderit in terra,
ad quam pergitis,deducetis canos meos cum dolore [f] ad inferos.

SCHOLIA.

[a] Quare negligitis.] *Hebraiſmus habet.Quare vos ipſos mutuò aſpicitis? qui mos loquendi vulgò eſt etiam apud nos.* [b] Pacifici venimus.] *Vel integri,& recti ſumus.* [c] Alius nõ eſt ſup.] *Ille duodecimus non extat.Intelligunt de Ioſeph: illumq; aut non ſupereſſe,aut neſcire ſe, vbi ſit.Conſcientia facti adhuc terrebat eos, vt etiam loqui trepidarent de eo.* [d] Per ſalutem Pharaonis.] *Magnus Baſilius in Pſalmum 14. dicit eſſe quædam verba, quæ iurandi quidem formam habent, non tamen ſunt iuſiuranda, ſed ita formata ſunt, & ad aliquam audientium vtilitatem ficta: vt Ioſeph Ægyptium ſe fingens, iurauit: per ſalutem Pharaonis.Et Paulus ad Cor. per gloriationẽ noſtram, quã habeo in Chriſto Ieſu.* [e] Simeon.] *Dicunt Hebr.quod is, Ioſeph in lacum coniecerit,ideò eadem menſura remenſum illi,qua fratri menſus erat, vt ſcilicet ipſe præ cæteris in carcerem conjceretur.* [f] Ad inferos.] *In ſepulchrum.*

CAPVT XLIII.

A INterim fames omnem terram vehementer premebat. Conſumptiſq; cibis quos ex Ægypto detulerãt, A
dixit Iacob ad filios ſuos. Reuertimini,& emite nobis pauxillum eſcarum. Reſpondit Iudas. Denun-
tiauit nobis vir ille ſub atteſtatione iurifiurandi, dicens. Non videbitis faciem meam, niſi fratrem ve-
ſtrum minimum adduxeritis vobiſcum. Si ergo vis eum mittere nobiſcum, pergemus pariter, & ememus
tibi neceſſaria. Si autem non vis,non ibimus:vir enim, vt ſæpe diximus, denuntiauit nobis, dicens. Non
B videbitis faciem meam abſque fratre veſtro minimo. Dixit eis Iſrael. In meam hoc feciſtis miſeriã, vt indi- Sup. 41.d
caretis ei,& alium habere vos fratrem. At illi reſponderunt. Interrogauit nos homo per ordinem noſtram
progeniem,ſi pater viueret,ſi haberemus fratrem: & nos reſpondimus ei conſequenter iuxta id quod fuerat
ſciſcitatus:nunquid ſcire poteramus,quòd dicturus eſſet, Adducite fratrem veſtrum vobiſcum? Iudas quo-
que dixit patri ſuo. Mitte puerum mecum,vt proficiſcamur,& poſsimus viuere,ne moriamur nos,† & tu,&
C paruuli noſtri:Ego ſuſcipio puerum: de manu mea require illum: niſi reduxero & reddidero eum tibi, ero
peccati reus in te omni tempore. Si non interceſsiſſet dilatio,iam vice altera veniſſemus. Igitur Iſrael pater
eorum dixit ad eos.Si ſic neceſſe eſt, facite quod vultis: ſumite de optimis terræ fructibus in vaſis veſtris, &
deferte viro munera:modicum reſinæ & mellis & ſtoracis, ſtactes & therebinthi & amygdalarum. Pecuniã
quoque duplicem ferte vobiſcum: & illam, quam inueniſtis in ſacculis, reportate; ne fortè errore factũ ſit.
Sed & fratrem veſtrum tollite,& ite ad virum. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem:

& remittat vobiſcum fratrem veſtrum, quem tenet in vinculis,& hunc Beniamin : [a] ego autem quaſi orbatus abſque liberis ero. Tulerunt ergo viri munera,& pecuniam duplicem,& Beniamin: deſcenderuntq; in Ægyptum,& ſteterunt coram Ioſeph. Quos cum ille vidiſſet,& Beniamin ſimul , præcepit diſpenſatori domus ſuæ,dicens. Introduc viros domum,& occide victimas,& inſtrue conuiuium : quoniam hodie mecum ſunt comeſturi meridiè. Fecit ille ſicut ſibi fuerat imperatum,& introduxit viros domum . Ibiq; exterriti, dixerunt mutuò. Propter pecuniam, quam retulimus prius in ſaccis noſtris,introducti ſumus : vt deuoluat in nos calumniam,& violenter ſubijciat ſeruituti & nos,& aſinos noſtros. Quam ob rem in ipſis foribus ac-
Supra 42.c cedentes ad diſpenſatorem locuti ſunt. Oramus domine,vt audias nos. Iam ante deſcendimus,vt emeremus eſcas. Quibus emptis, cum veniſſemus ad diuerſorium, aperuimus ſaccos noſtros , & inuenimus pecuniam in ore ſaccorum,quam nunc eodem pondere reportauimus. Sed & aliud attulimus argentum , vt emamus, quæ nobis neceſſaria ſunt: non eſt in noſtra conſcientia , quis poſuerit eam in marſupijs noſtris. At ille reſpondit . Pax vobiſcum , nolite timere: Deus veſter, & Deus patris veſtri, dedit vobis theſauros in ſaccis veſtris: nam pecuniam,quam dediſtis mihi,probatam ego habeo. Eduxitq; ad eos Simeon, & introductis domum, attulit aquam,& lauerunt pedes ſuos, deditq; pabulum aſinis eorum. Illi verò parabant munera,donec ingrederetur Ioſeph meridiè . Audierant enim quòd ibi comeſturi eſſent panem . Igitur ingreſſus eſt Ioſeph domum ſuam, obtuleruntq; ei munera, tenentes in manibus ſuis: & adorauerunt proni in terram. At ille clementer reſalutatis eis,interrogauit eos,dicens. Sanúſne eſt pater veſter ſenex , de quo dixeratis mihi?Adhuc viuit? Qui reſponderunt.Soſpes eſt ſeruus tuus pater noſter,adhuc viuit.Et incuruati, adorauerũt eum.Attollens autem Ioſeph oculos,vidit Beniamin fratrem ſuũ vterinum , & ait. Iſte eſt frater veſter paruulus:de quo dixeratis mihi ? Et rurſum. Deus,inquit,miſeratur tui fili mi.Feſtinauitq;,quia commota fuerant viſcera eius ſuper fratre ſuo, † & quæſiuit locum vbi fleret:& introiens cubiculũ fleuit . Rurſumq; lota facie egreſſus,continuit ſe,& ait.Ponite panes.Quibus appoſitis,ſeorſum Ioſeph,& ſeorſum fratribus,Ægyptijs quoq;,qui veſcebantur ſimul ſeorſum(illicitum eſt enim Ægyptijs comedere cum Hebræis,& prophanum putant huiuſcemodi conuiuium)ſederũt coràm eo,primogenitus,iuxta primogenita ſua,& minimus, iuxta ætatem ſuam. [b] Et mirabantur nimis,ſumptis partibus,quas ab eo acceperant: maiorq; pars venit Beniamin,ita vt quinq; partibus excederet.Biberuntq;, [c] & inebriati ſunt cum eo.

SCHOLIA.

[a] Ego autem quaſi orbatus.] *Hebr.habet. Et ego quemadmodum orbatus ſum,orbatus ſum,hoc eſt,vt prius orbatus ſum Simeone:ſic quoque nunc orbabor Beniamin. Alius ſic intelligit . In morte Ioſeph puto me omnibus orbatum.* [b] Et mirabantur.] *In Heb. eſt. Miratiq; ſunt viri illi, quiſque cum proximo ſuo:& tranſmiſit portiones à facie ſua ad illos.* [c] Et inebriati ſunt cum eo.] *Hebraiſmus eſt , quo ſignificatur , large & hilariter eos fuiſſe epulatos. ſic & illud . Comedite amici mei,& bibite,& inebriamini chariſſimi.*

CAPVT XLIIII.

PRæcepit autem Ioſeph diſpenſatori domus ſuæ,dicens. Imple ſaccos eorũ frumento,quantũ poſſunt capere,& pone pecuniam ſingulorum in ſummitate ſacci. Cyphum autem meum argenteũ , & pretium,quod dedit tritici,pone in ore ſacci iunioris.Factúq; eſt ita.Et orto manè,dimiſſi ſunt.cũ aſinis ſuis. Iamq; vrbem exierant:& proceſſerant paululum. Tunc Ioſeph accerſito diſpenſatore domus, ait. Surge , & perſequere viros : & apprehenſis dicito . Quare reddidiſtis malum pro bono? Cyphus , quem furati eſtis,ipſe eſt,in quo bibit dominus meus,& [a] in quo augurari ſolet:peſſimam rem feciſtis. Fecit ille, vt iuſſerat.Et apprehenſis per ordinem,locutus eſt.Quí reſponderũt . Quare ſic loquitur dominus noſter , vt ſerui tui tantum flagitij cõmiſerint? Pecuniam, quam inuenimus in ſummitate ſaccorum,reportauimus ad te de terra Chanáan: & quomodo conſequens eſt,vt furati ſimus de domo domini tui aurũ,vel argentum ? Apud quencunq; fuerit inuentũ ſeruorum tuorũ,quod quæris,moriatur, & nos erimus ſerui domini noſtri . Qui dixit eis. Fiat iuxta veſtram ſententiam,apud quencunq; fuerit inuentum,ipſe ſit ſeruus meus,vos autem eritis innoxij.Itaq; feſtinatò deponentes in terrã ſaccos,aperuerũt ſinguli.Quos ſcrutatus,[b] incipiens à maiore vſq; ad minimũ,inuenit Cyphum in ſacco Beniamin.At illi ſciſsis veſtibus, oneratiſq; rurſum aſinis reuerſi ſunt in oppidũ . Primuſq; Iudas cũ fratribus ingreſſus eſt ad Ioſeph,necdum enim de loco abierat,omneſq; ante eum pariter in terram corruerunt.Quibus ille ait.Cur ſic agere voluiſtis? [c] an ignoratis,q̃ non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia? Cui Iudas. Quid reſpondebimus, inquit , domino meo ? vel quid loquemur, aut iuſtè poterimus obtendere ? Deus inuenit iniquitatẽ ſeruorum tuorum : en omnes ſerui ſumus domini mei,& nos,& apud quem inuentus eſt cyphus. Reſponditq; Ioſeph. Abſit à me vt ſic agã : qui furatus eſt cyphum,ipſe ſit ſeruus meus, vos autẽ abite liberi ad patrẽ veſtrum. Accedens aũt propius Iudas, confidenter ait. Oro domine mi,loquatur ſeruus tuus verbũ in auribus tuis, & ne iraſcaris famulo tuo : [d] tu es enim poſt
Supra 42.c Pharaonem,dominus meus.Interrogaſti prius ſeruos tuos. Habetis patrem,aut fratrem ? & nos reſpõdimus tibi domino meo.Eſt nobis pater ſenex,& puer paruulus,qui in ſenectute illius natus eſt, cuius vterinus frater mortuus eſt,† relictusq; eſt ipſe ſolus ex matre ſua,pater verò tenerè diligit eũ . Dixiſtiq; ſeruis tuis. Ad-
Supra 43.a ducite eũ ad me,& ponam oculos meos ſuper illũ.Suggeſsimus tibi domino meo. Nõ poteſt puer relinquere patrem ſuũ: Si enim illũ dimiſerit,morietur.Et dixiſti ſeruis tuis.Niſi venerit frater veſter minimus vobiſcũ,nõ videbitis amplius faciem meã. Cũ ergo aſcendiſſemus ad famulũ tuũ patrem noſtrũ , narrauimus ei omnia,quę locutus eſt dominus meus. Et dixit pater noſter. Reuertimini,& emite nobis parum tritici. Cui diximus.Ire nõ poſſumus,Si frater noſter minimus deſcenderit nobiſcũ, proficiſcemur ſimul : alioquin illo abſente,nõ audemus videre faciẽ viri.At ille reſpondit. Vos ſcitis, quòd duos filios genuerit mihi vxor mea.
Supra 37.c Egreſſus eſt vnus,& † dixit.Beſtia deuorauit eum:& hucuſq; non comparet . Si tuleritis & iſtum , & aliquid ei in

G ei in via contigerit,deducetis canos meos cũ mœrore ad inferos. Igitur ſi intrauero ad ſeruũ tuũ patrẽ noſtrũ & puer defuerit,cum anima illius ex huius anima dependeat,videritq; eũ non eſſe nobiſcũ, morietur , & deducent famuli tui canos eius cũ dolore ad inferos. Ego propriè ſeruus tuus ſim, qui in meam hunc recepi fidem,& ſpopondi,dicens.Niſi reduxero eũ,peccati reus ero in patrem meũ omni tẽpore . Manebo itaq; ſeruus tuus pro puero in miniſterio domini mei,& puer aſcendat cum fratribus ſuis. Non enim poſſum redire Sup. 43.b ad patrem abſente puero:ne calamitatis,quę oppreſſura eſt patrem meum,reſtis aſsiſtam.

SCHOLIA.

[a] In quo augurari ſolet.] *Heb.exponunt,pro quo auguratur. Hoc eſt,interrog.at augures,quò ierit cyphus , vel cogitat amiſsionem cyphi,ex quo bibit,ſibi eſſe malum omen. Alius ſic exponit. Per hunc cyphum, dominus meus vos tentauit, vt ſciret,vtrum fures eſſetis.* [b] Incipiens à maiore vſq; ad minimum.] *Vel incipiens à maiore,deſijt in minimo. Hoc eſt,ceſſauit ſcrutari,cum ad minimi fratris ſaccum peruenisſet,& cyphum inuenisſet.* [c] An ignoratis, q̃ non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia ?] *Heb.habet.An neſcitis,quòd augurando augurari poteſt vir,qui eſt ſicut ego ſum? Eſt autem ſenſus. An neſcitis,quòd vir augurandi gnarus,qualis ego ſum,augurari poteſt,ſi quippiã amiſerit, vt mihi nunc contigit ? Et hæc quidem dicebat, nõ quòd augurio vteretur,ſed quæ ad propoſitam rem faciebant,loquebatur.* [d] Tu es enim poſt Pharaonem.] *Vel,Tu es enim quaſi ipſe Pharao.*

CAPVT XLV.

ANon ſe poterat vltra cohibere Ioſeph multis coràm aſtantibus:vnde † clamauit, vt egrederentur cũcti foras,& nullus intereſſet alienus agnitioni mutuæ . Eleuauitq; vocem cum fletu , quam audierunt Aegyptij,omnisq; domus Pharaonis,et dicit fratribus ſuis.Ego ſum Ioſeph:adhuc pater meus viuit ? Non poterant reſpondere fratres nimio terrore perterriti . Ad quos ille clementer. Accedite, inquit,
B ad me.Et cum acceſsiſſent propè.Ego ſum,ait,Ioſeph frater veſter , quem vendidiſtis in Aegyptum . Nolite Act.7.b pauere,neque vobis durum eſſe videatur, quòd vendidiſtis me in his regionibus : pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos.Biennium eſt enim, quòd cœpit fames in terra eſſe: & adhuc quinq; anni reſtant , quibus nec arari poterit,nec meti. Præmiſitq; me Deus, [a] vt reſeruemini ſuper terram,& eſcas ad viuendum haInfra. 50.c bere poſsitis. Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum : qui fecit me quaſi patrem Pharaonis,
C & dominum vniuerſæ domus eius, ac principem in omni terra Aegypti. Feſtinate , & aſcendite ad patrem meum,& dicetis ei. Hæc mandat filius tuus Ioſeph,Deus fecit me dominum vniuerſæ terræ Aegypti,deſcẽde ad me,ne moreris,& habitabis in terra Geſſen: erisq; iuxta me tu,& filij tui,& filij filiorum tuorum,oues tuę,& armenta tua,& vniuerſa,quæ poſsides. Ibiq; te paſcam (adhuc enim quinque anni reſidui ſunt famis:
D ne & tu pereas , & omnis domus tua , & omnia , quę poſsides. En oculi veſtri & oculi fratris mei Beniamin vident, [b] quòd os meum loquatur ad vos. Nuntiate patri meo vniuerſam gloriam meam,& cuncta,quæ vidiſtis in Aegypto: feſtinate & adducite eum ad me.Cumq̃ amplexatus reciditſſet in collum Beniamin fratris ſui,fleuit:illo quoque ſimiliter flente ſuper collum eius.Oſculatusq; eſt Ioſeph omnes fratres ſuos,& plorauit ſuper ſingulos:poſt quę auſi ſunt loqui ad eum . Auditumq; eſt & celebri ſermone vulgatum in aula
E regis. Venerunt fratres Ioſeph.& gauiſus eſt Pharao,atque omnis familia eius.Dixitq; ad Ioſeph,vt imperaret fratribus ſuis dicens . Onerantes iumenta ite in terram Chanáan . Et tollite inde patrem veſtrum & cognationem,& venite ad me:& ego dabo vobis omnia bona Aegypti , vt comedatis medullam terræ . Præcipe etiam, vt tollant plauſtra de terra Aegypti,ad ſubuectionem paruulorum ſuorum ac coniugum , & dici-
F to, Tollite patrem veſtrum,& properate quantocius venientes , nec dimittatis quicquam de ſupellectili veſtra:quia omnes opes Aegypti,veſtræ erunt.Feceruntq; filij Iſrael,vt eis mandatum fuerat.Quibus dedit Ioſeph plauſtra ſecundum Pharaonis imperium : & cibaria in itinere . Singulis quoque proferri iuſsit [c] binas ſtolas : Beniamin verò dedit trecentos argenteos cum quinque ſtolis optimis : [d] tantundem pecuniæ & veſtium mittens patri ſuo, addens ei aſinos decem , qui ſubuecherent ex omnibus diuitijs Aegypti , & totidem
G aſinas:triticum in itinere,panesq; † & eſcas portantes patri ſuo in itinere. Dimiſit ergo fratres ſuos,& proficiſcentibus ait. [e] Ne iraſcamini in via. Qui aſcendentes ex Aegypto,venerunt in terram Chanáan,ad patrẽ ſuum Iacob.Et nũciauerũt ei:dicẽtes.Ioſeph viuit:& ipſe dominatur in omni terra Aegypti.† [f] Et dubitauit cor eius,quia non credebat eis. Illi econtrà referebant omnem ordinem rei. Cumq; vidiſſet plauſtra & vniuerſa,quæ miſerat,reuixit ſpiritus eius, & ait. Sufficit mihi ſi adhuc Ioſeph filius meus viuit: vadam & videbo illum antequam moriar.

SCHOLIA.

[a] Vt reſeruaremini.] *In Heb.eſt. Vt ponerem vobis reliquias in terra,& vt vitam veſtram ſeruarem in magnã ſalutationẽ,hoc eſt,vt reponerem vobis,vnde viueretis,& c.* [b] Quod os meũ loquatur ad vos.] *Aduertere (inquit) ipſi poteſtis,quòd ſim frater veſter,quia ego loquor vobiſcũ patria lingua abſq; interprete.* [c] Binas ſtolas.] *Aly verterunt,mutatorias veſtes.* [d] Tantundem pecuniæ.] *Aly ſic intelligunt:miſit patri ſecundũ hunc numerũ, ſcilicet decẽ aſinos,& c.* [e] Ne iraſcamini in via.] *Verbum.Heb.proprie ſignificat concuti,contremiſcere,& ira moueri.Prohibet igitur,ne propter venditionem ſuam ipſi mutuò irritentur.* [f] Et dubitauit cor eius.] *Alius vertit.Et diſſolutum eſt cor eius.*

CAPVT XLVI.

APRofectusq; Iſrael cum omnibus, quæ habebat, venit ad puteum iuramenti : & mactatis ibi victimis Deo patris ſui Iſaac , audiuit eum per viſionem nocte vocantem ſe , & dicentem ſibi , Iacob Iacob ? Cui reſpondit. Ecce adſum . Ait illi Deus . Ego ſum † Deus Deus patris tui: noli timere , ſed deſcende in Aegyptum , quia in gentem magnam faciam te ibi.Ego deſcendam tecum illuc, & ego inde adducam Actu. 7.b te reuertentem : Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos tuos.Surrexit Iacob à puteo iuramenti : tuleruntq; eum filij cum paruulis & vxoribus ſuis in plauſtris , quæ miſerat Pharao ad portandum ſenem , &

Exod. 1.a omnia,quæ possederat in terra Chanáan: venitq; in Aegyptum cum omni semine suo, filij eius,& nepotes, filiæ & cuncta simul progenies.Hęc sunt autem nomina filiorum Israel,qui ingressi sunt in Aegyptum,ipse cũ liberis suis.Primogenitus Ruben. Filij RVBEN: Enoch & Phallu & Esron & Charmi: Filij SIMEON: B
Num. 26.a 1.Para. 5.a Iamel & Iamin & Ahod & Iachin & Saher,& Saul [a] filius Chananitidis. Filij LEVI: Gerson & Chaath, &
Exo. 6.c Merari. Filij IVDA: Her & Onan & Sela & Phares & Zara. Mortui sunt autem Her & Onan in terra Cha-
1.Para. 4.d náan. Natiq; sunt filij Phares: Esron & Hamul. Filij ISSACHAR, Thola,& Phua, & Iob, & Simeron.
1.Para. 6.a Filij ZABVLON: Sared,& Elon,& Iahelel. Hi filij Lię, quos genuit in Mesopotamia Syriæ cum Dina filia
1. Para. 2.a sua:omnes animæ filiorum eius & filiarum, [b] triginta tres. Filij GAD: Sephon,& Aggi,& Esebon,& Suni,
& 4.a & Heri,& Arodi,& Areli. Filij ASER: Iemna,& Iesua,& Iesui,& Beria,Sara quoq; soror eorũ. Filij Beria:
Supr. 38.a Heber,& Melchiel. Hi filij Zelphę,quam dedit Laban Lię filię suę:& hos genuit Iacob sexdecim animas.
1. Para. 7.a Filij Rachel vxoris Iacob:Ioseph & Beniamin. Natiq; sunt Ioseph filij in terra Aegypti,quos genuit ei Asc- C
1.Para.7.f neth filia Phutipharis sacerdotis Heliopoleos: Manasses, & Ephraim. Filij BENIAMIN: Bela, & Bechor,
Sup.41.f & Asbel,& Gera,& Naamã,& Echi,& Ros,& Mophim,& Ophim,& Ared. Hi filij Rachel, quos genuit Ia-
1.Para. 7.b cob, oẽs animę quatuordecim. Filij DAN: Vsim. Filij NEPHTHALI: Iasiel,& Guni, & Iesер, & Sallẽ.
& 8.a Hi filij Balæ,quam dedit Laban Racheli filiæ suæ:& hos genuit Iacob,omnes animę,septem.Cunctæq; ani-
mæ,quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum & egressæ sunt de fœmore illius,absq; vxoribus filiorũ eius
[c] sexaginta sex. Filij autem IOSEPH, qui nati sunt ei in terra Aegypti animæ duæ. Omnes animę domus
Iacob, quæ ingressæ sunt in Aegyptum, fuere septuaginta. Misit autem Iacob Iudam ante se ad Ioseph in
Aegyptum,vt nuntiaret ei,& ille occurreret in Gessen. Quò cum peruenisset,iuncto Ioseph curru suo, ascẽ- D
dit obuiam patri suo ad eundem locum,vidensq; eum irruit super collum eius,& inter amplexus fleuit. Dixitq; pater ad Ioseph. Iam lætus moriar,quia vidi faciem tuam,& superstitem te relinquo. At ille locutus est
ad fratres suos,& ad omnem domum patris sui. Ascendam,& nuntiabo Pharaoni:dicamq; ei. Fratres mei &
domus patris mei,qui erant in terra Chanáan venerunt ad me:& sunt viri pastores ouium, curamq; habent
alendorum gregum:pecora sua & armenta,& omnia,quæ habere potuerunt,adduxerunt secum. Cumq; vo
cauerit vos,& dixerit. Quod est opus vestrum? respondebitis. Viri pastores sumus serui tui ab infantia no-
stra vsq; in præsens,& nos & patres nostri.Hęc autem dicetis,vt habitare possitis in terra Gessen:quia [d] dete-
stantur Aegyptij omnes pastores ouium.

SCHOLIA.

[a] Filius Chananitidis.] *Putant quidam Heb. hanc Chananitidem fuisse Dinam, quam oppressit Sichem Hethæus, & quam postea duxit Chananæus quidam, & Simeon quasi in vxorem adoptauit. Alij verò dicunt, Simeonem duxisse Chananitidem mulierem contra patrum prohibitionem, cum reliqui fratres acceperint Idumæas, Aegyptias, & Madianitidas vxores.* [b] Triginta tres.] *Scilicet si annumeretur illis adhuc vna persona in Aegypto nata: nempè Iochebed filia Leui, & mater Mosis, alioqui erunt solum triginta duæ animæ.* [c] Sexaginta sex.] *Quibus superadduntur Ioseph, & duo filij eius, atque Iochebed, & fiunt septuaginta. At simpliciter tam hic quàm alibi, scripturæ accipienda est, non logico modo, sed communi & populari vsu, alioqui nec tot inuenientur, ob quosdam tunc dudum mortuos, & in Chananitide terra sepultos. Diuus Hieronymus in libro Hebraicarum quæstionum inter cætera de hac re sic scribit. Manifestum est, omnes animas, quæ ingressæ sunt Aegyptum de fœmoribus Iacob, fuisse septuaginta, dum sexaginta sex postea ingressæ sunt, & repererunt in Aegypto tres animas, Ioseph scilicet, cum duobus filijs eius, septuagesimus autem ipse fuit Iacob. Hanc rem ne videamur aduersus scripturæ authoritatem loqui, etiam 70. interpretes in Deuteronomio transtulerunt, quòd in septuaginta animabus ingressus est Israel in Aegyptum. Et paulopost. Quod si nobis id opponitur, quomodo in actis apostolorum in mentione Stephani dicatur 75. animas ingressas esse Aegyptum, facilis excusatio est. Non enim debuit sanctus Lucas, qui ipsius historiæ scriptor est, in gentes actuum apostolorum volumen emittens, contrarium aliquid scribere aduersus eam scripturam, quæ iam fuerat gentilibus diuulgata. Et vtique maioris opinionis illo duntaxat tempore septuaginta interpretum habebatur authoritas,quàm Lucas,qui ignotus, & vilis, & non magnæ fidei in nationibus dicebatur. Hoc autem generaliter obseruandum,quòd vbicunque sancti Apostoli, aut Apostolici viri loquuntur ad populos, ijs plerunque testimonijs abutuntur,quæ iam fuerant in gentibus diuulgata: licet plerique tradant, Lucam Euangelistam, vt proselytum, Hebræas literas ignorasse. Hæc Hieronymus.* [d] Detestantur Aegyptij.] *Hoc est, abominantur Aegyptij omnes illos,qui mutilant animalia,& vescuntur carnibus eorum,cum ipsi à talium esu abstineant. Aliam causam afferunt,quòd Aegyptij luxui & delitijs essent dediti.*

CAPVT XLVII.

INgressus ergo Ioseph nuntiauit Pharaoni, dicens. Pater meus & fratres, oues eorum, & armenta, & A
cuncta, quæ possident, venerunt de terra Chanaan: & ecce consistunt in terra Gessen. [a] Extremos quo-
que fratrum suorum quinq; viros statuit coram rege:quos ille interrogauit. Quid habetis operis? Re-
sponderunt. Pastores ouium sumus serui tui,& nos & patres nostri, ad peregrinandum in terram tuam ve-
nimus: quoniam non est herba gregibus seruorum tuorũ, ingraueſcẽte fame in terra Chanáan: petimusq;,
vt esse nos iubeas seruos tuos in terra Gessen. Dixit itaque Rex ad Ioseph. Pater tuus & fratres tui venerunt B
ad te, terra Aegypti in conspectu tuo est: in optimo loco fac habitare eos, & trade eis terram Gessen:
quòd si nosti in eis esse viros industrios, constitue illos magistros pecorum meorum. Post hæc introdu-
xit Ioseph patrem suum ad regẽ, & statuit eum coràm eo: [b] qui benedicens illi,& interrogatus ab eo. Quod
sunt dies annorum vitæ tuæ? Respondit. Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum sunt,
parui & mali: & non peruenerunt vsque ad dies patrum meorum,quibus peregrinati sunt.Et benedicto re- C
ge egressus est foras. Ioseph verò patri & fratribus suis dedit possessionem in Aegypto in optimo terræ lo-
co [c] Ramesses, vt præceperat Pharao. Et alebat eos, omnemq; domum patris sui, præbens cibaria singu-
lis,

lis, † ac si essent paruuli.In tota enim † terra panis deerat,& oppresserat fames terram, maximè Ægypti, &
Chanáan.E quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium re-
D gis. Cumq; defecisset emptoribus precium,venit cuncta Ægyptus ad Ioseph,dicens. Da nobis panes: qua-
re morimur corã te, [d] deficiente pecunia? Quibus ille respondit. Adducite pecora vestra, & dabo vobis pro
eis cibos,si precium non habetis. Quæ cum adduxissent,dedit eis alimenta pro equis & quibus & bobus, &
asinis:sustentauitq; eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno secundo, & dixerũt
ei.Non celamus Domino nostro,q̃ deficiente pecunia,pecora simul defecerunt: nec clam te est, quòd absq;
corporibus & terra nihil habeamus. [e] Cur ergo morimur te videnter? & nos, & terra nostra tui erimus:eme
E nos in seruitutem regiam,& præbe semina,ne pereunte cultore redigatur terra in solitudinem. Emit igitur
Ioseph omnem terram Ægypti vendentibus singulis possessiones suas præ magnitudine famis. Subiectiq;
eam Pharaoni, & cunctos [f] populos eius † transtulit in ciuitates à nouissimis terminis Ægypti vsque ad ex-
tremos fines eius:præter terram sacerdotum, † quia lex eis à rege fuerat,vt cibaria illis præberentur,& iccir-
cò non sunt compulsi vendere possessiones suas.Dixit ergo Ioseph ad populos.En,vt cernitis, & vos & terrã
F vestram Pharao possidet:accipite † panes & semina & serite agros, & cum aduenerit tempus messis. quintã
partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in sementem, & in cibum familijs, & liberis vestris.
Qui responderunt.Salus nostra in manu tua est:respiciat nos tantum Dominus noster, & læti seruiemus re-
gi. Ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Ægypti, regibus quinta pars soluitur, & fa-
ctum est quasi in legem:absque terra sacerdotali,quæ libera ab hac conditione fuit. Habitauit ergo Israel in
Ægypto, id est in terra Gessen, & possedit eam:auctusq; est & multiplicatus nimis. Et vixit in ea decem &
G septem annis: factiq; sunt omnes dies vitæ illius, centum quadraginta septem annorum. Cumq; appropin-
quare cerneret diem mortis eius, vocauit filium suum Ioseph,& dixit ad eum. Si inueni gratiam in conspe-
ctu tuo,pone manum tuam sub fœmore meo:& facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me
in Ægypto,sed dormiam cum patribus meis,& auferas me de terra hac,condasq; in sepulchro maiorũ meo-
rum. Cui respondit Ioseph. Ego faciam quod iussisti.Et ille. Iura ergo,inquit,mihi. Quo iurante, adorauit
Israel Dominum,conuersus [g] ad lectuli caput.

SCHOLIA.

[a] Extremos quosque fratrum.] *Hoc est,qui abiectiore erant aspectu,& persona:ne si robustiores adduxisset, Pharao illos in militiam traheret.* [b] Qui benedicens illi.] *Capitur hic benedicere,pro,salutem imprecari.* [c] Rameſſes.] *Regio hæc optima, fuit intra terram Gessen.* [d] Deficiente pecunia.] *Hoc est. defecit pecunia, & pecora etiam apud te sunt.* [e] Cur ergo morimur.] *Quidam sic vertit. Quare moriemur in oculis tuis, tam nos, quàm agri nostri? nam inculta terra aperire dicitur.* [f] Populos eius transtulit.] *Sine, vt Hebraica habent: populum transire fecit Ioseph de ciuitate in ciuitatem, in signum, quod nihil propry amplius haberent in terra.* [g] Ad lectuli caput.] *Senex inclinauit emortuum caput ad caput lectuli sui.*

CAPVT XLVIII.

A HIs ita transactis nuntiatum est Ioseph, quòd ægrotaret pater suus: qui assumptis duobus filijs Ma-
nasse & Ephráim,ire perrexit. Dictumq; est seni.Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingresso ad se Ioseph, ait. Deus omnipotens apparuit mihi in Luza,quæ est Supra 28.c
in terra Chanáan:benedixitq; mihi,& ait. Ego te augebo, & multiplicabo, & faciam te in turbas populorũ:
daboq; tibi terram hanc,& semini tuo post te [a] in possessionem sempiternã. Duo ergo filij tui,qui nati sunt
tibi in terra Ægypti antequã huc venirem ad te, [b] mei erunt:Ephráim & Manasses sicut Ruben, & Simeon
reputabuntur mihi. Reliquos autem,quos genueris post eos,tui erunt, & nomine fratrum suorum voca-
B buntur in possessionibus suis. [c] Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia mortua est Rachel in terra
Chanáan in ipso itinere, † cum adhuc stadium terræ superesset venienti in Ephratham: & sepeliui eam iu-
xta viam Ephrathæ,quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Videns autẽ filios eius dixit ad eum. Qui sunt Supra 35.c
isti? Respondit. Filij mei sunt,quos donauit mihi deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedi-
cam illis. Oculi enim Israel caligauerant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat. Applicitosq;
ad se,deosculatus & circumplexus eos,dixit ad filium suum. † [d] Putabam me fraudandum aspectu tuo,& ec-
ce:insuper ostendit mihi deus semen tuum. Cumq; tulisset eos Ioseph de gremio patris, adorauit pronus in
C terram. Et posuit Ephráim ad dexteram suam, id est ad sinistram Israel: Manassen verò in sinistra sua,ad de-
xteram scilicet patris,applicuitq; ambos ad eum.Qui extendens manũ dexterã,posuit super caput Ephráim
iunioris fratris: sinistram autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans † ex industria ma-
nus. Benedixitq; † Ioseph, & ait. Deus, in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham, & Isaac, Heb.11.d
Deus,qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem,Angelus, qui eruit me de cunctis malis,
benedicat pueris istis: & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham,
& Isaac, [e] & crescant in multitudinem super terram. Videns autem Ioseph, quòd posuisset pater suus de-
D xteram manum super caput Ephráim,grauiter accepit: & apprehensam manum patris leuare conatus est de
capite Ephráim,& transferre super caput Manasse. Dixitq; ad patrem. Non ita conuenit pater: quia hic est
primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. Qui renuens ait. Scio fili mi,scio: & iste quidem erit
in populos & multiplicabitur:sed frater eius [f] iunior maior erit illo,& semen illius crescet in gentes.Benedi-
xitq; eis in tempore illo,dicens. [g] In te benedicetur Israel,atque dicetur. Faciat tibi Deus sicut Ephráim, &
sicut Manasse. Constituitq; Ephráim ante Manassen: & ait ad Ioseph filium suum. En ego morior,& erit
Deus vobiscum, reducetq; vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi [h] partem vnam extra fratres tuos, quã Ioan.4.a
tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.

SCHOLIA.

[a] In possessionem sempiternam.] *Vel, in possessionem sæculi, hoc est ad longum tempus. Notandum verò, dictionem Hebræam, quæ vertitur, æternum, significare tempus longum, & continuum vsque ad naturalem rei præscriptæ terminum, vt Exo. 21. Et seruiet ei in æternum, hoc est, absque interuallo, & citra spem libertatis vsque ad iubilæum. At illud psalm. 89. Quia dixi, in æternum misericordia præparabitur, absque fine significat, nemine resistante, & ad alterum omnino sæculum refertur. Erit ergo hæc eius definitio. Æternum significat, omnibus diebus continui temporis eius rei, qua de agitur, vt ex aduerso intelligas, quousque proferatur æuum illud, an ad terminum finitum, an ad infinitum.* [b] Mei erūt.] *In tribuum enumeratione, tanquam filij mei, recensebuntur. Cæteri filij tui vocabuntur nomine fratrum suorum, de tribu Ephraim, vel Manasse.* [c] Mihi enim.] *Solicitus fuit Iacob de honore Ioseph, cuius mater, cum non esset sepulta cum maioribus, atq; is fratribus exosus fuisset, filiosq; in Ægypto genuisset, timuit minoris existimandum ipsius Ioseph posteritatem.* [d] Putabam me fraudandum.] *Nunquam (inquit) arbitrabar, me visurum te, at Deus effecit, vt non te solum, sed & semen tuum viderem.* [e] Et crescant.] *Verbum Heb. significat in modum piscium multiplicari, crescunt enim pisces in maximo numero.* [f] Iunior maior erit illo.] *Manebat tribum Ephraim honor regni, & decem tribuum potentatus. Fuit enim de eadem tribu Ieroboam, & multi eius posteri, numero virorum semper superiores tribu Manasse.* [g] In te benedicetur Israel.] *Hoc est, posteri benedicent filys suis in te, ita dicentes. Faciat tibi Deus sicut Ephraim, &c.* [h] Partem vnā.] *Putant hic significari Sichimā, quā ob constupratā Dinam, acquisierunt: cuius et Ioan. Euange. meminit.*

CAPVT XLIX.

VOcauit autem Iacob filios suos, & ait eis. Congregamini, vt annuntiem, quę ventura sunt vobis [a] in diebus nouissimis. Congregamini & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum. RVBEN primogenitus meus, tu fortitudo mea & [b] principium doloris mei: [c] prior in donis, maior in imperio. [d] Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. SIMEON, & Supra 35.c LEVI fratres: [e] vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua [f] suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: [g] diuidam eos in Iacob, & dispergam eos Supr. 34. d in Israel. IVDA, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. [h] Catulus leonis Iuda: † à præda fili mi ascendisti, † incuruauit se, [i] accubuit vt leo & quasi læna, quis suscitabit eum? [k] Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius: donec veniat Silo, & ipse erit expectatio gentium. [l] Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem ò fili mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum: † Rubicundiores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. [m] ZABVLON in litore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem. ISSACHAR asinus fortis accubans [n] inter † duos terminos. Vidit requiem quod esset bona, & terram quòd optima: & [o] supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributis seruiens. [p] DAN iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retrò. [q] Salutare tuum expectabo Domine. [r] GAD accinctus præliabitur ante eum: & ipse accingetur retrorsum. [s] ASER pinguis panis eius, & præbebit delitias regibus. [t] NEPHTHALI ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. [u] Filius accrescens IOSEPH, filius accrescens & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum. Sed [x] exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderūtq; illi habentes iacula. [y] Sedit in forti arcus eius, & † corroborata sunt bracchia manuum illius per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel. [z] Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet D tibi benedictionibus cœli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum & vuluæ. [aa] Benedictiones patris tui † fortiores fuerunt benedictionibus † parentum meorum, dum durabit terminus collium mundi: fiant in capite Ioseph & [bb] in vertice Nazaræi inter fratres suos. [cc] BENIAMIN lupus rapax, manè comedet prædam, & vesperè diuidet spolia. Omnes hi in tribubus Israel duodecim: hæc locutus est eis pater suus, benedixitq; singulis [dd] benedictionibus proprijs, & præcepit eis, dicens. Ego Supr. 23.d congregor ad populum meum: sepelite me cum patribus meis in spelunca duplici, quæ est in agro Ephron Hethęi, contra Mamre in terra Chanāan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hethęo in possessionē sepulchri. Ibi sepelierunt eū, & Sarā vxorē eius: ibi sepultus est Isaac cū Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet, † emptus verò est ager, & spelunca, quæ in eo est, à filijs Heth. Finitisq; mandatis, quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulum, & obijt: appositusq; est ad populum suum.

SCHOLIA.

[a] In diebus nouissimis.] *Hoc est, post multa tempora, nam quædam contigerunt post promissionis terram iam possessam, quædam Christi mysterium indicant.* [b] Principium doloris.] *Vel, roboris mei: nam vox Hebræa vtrunque significat.* [c] Prior in donis.] *Debebatur tibi sacerdotium, tanquam primogenito, & imperium in fratres, nisi culpa tua ius primogenituræ amisisses, potest etiam verti excellentia dignitatis, & excellentia fortitudinis, nos reliquimus quod verterat interpres, cum videatur sensum transtulisse.* [d] Effusus es sicut aqua.] *Vocabulum, quod hic ponitur, non est verbum, sed nomen, & significat leuitatem. Quare videtur exprimere voluisse scelus ipsum, & concubitum cum vxore patris. Et illud, maculasti stratum eius. in Heb. est, tunc violasti, & stratum meum excisum fuit, Vel, vt alius vertit, stratum meum esse desiit.* [e] Vasa iniquitatis bellantia.] *Nam cædem in Sichimitas exercuerunt.* [f] Suffoderunt murum.] *Sic communiter exponunt Hebræi, præter Vnum, qui exponit taurum, & intelligit Ioseph: nos Christum intelligere possumus, quem Leuitæ & scribæ crucifixerunt: tribus enim Simeon præ alijs omnibus scribas habuit.* [g] Diuidam eos.] *Non enim habuerunt proprias possessiones, sed per alias dispersi sunt. Leuitæ in totum, Simeon partim in tribu Iuda.* [h] Catulus leonis.] *Tribus hæc semper fuit fortior, contra aduersarios populi Dei potenter bella gerens.* [i] Accubuit.] *Quasi intrepidè quiescens, vt leo, quem aliæ feræ inuadere non audent, multò minus leænam, natura sæuiorem. Eatenus autem gloriosa fuit hæc*

hæc tribus, vt post reditum quoque è Babylone, totius gentis agnominationem obtinuerit, vt posteà, non Israelitæ, sed Iudæi sint appellati. [k] Non auferetur.] *Apertissimus de Christo locus, cuius duntaxat tempore sublatum est sceptrum Iuda. Nam fuerunt eis semper etiam post captiuitatem, duces ac rectores, quos ipsi alio nomine Sanhedrin, hoc est, regios consiliarios vocant, quos posteà Herodes & ipsos suspectos habuit, æque, vt semen Machabæorum, qui tunc imperio potiebantur, ideoq; iugulauit in vniuersum. Sed ne sub Romanorum quidem potestate antea fuerūt, quàm hæc patriarchæ prophetia cœpit impleri, cum Christi aduentus iam esset in foribus. Porrò illud, donec veniat, qui mittendus est, Vel, Silo, plures Hebræi Chaldæum sequentes interpretem, exponunt Messiam. Qui autem verterat, qui mittendus est, videtur accepisse literam he pro litera heth. At verò vir quidam eruditus, & linguæ præterea Hebrææ peritissimus, censebat hanc esse sententiam. Non auferetur potestas siue ius verè regium sic à Iuda, quin ille sit nasciturus ex eo, cuius verè illud perpetuo erit, non in corpora tantum, more regum huius mundi, sed multo maximè in animos. Significatur ergo per sceptrum ius, siue occulta potestas diuina, producendi regem regum, qui ex illa tribu nasciturus erat. Quod autem de diuina hac potestate loquatur, apparet, quia præcipua miracula, quæ Deus in gratiam populi Iudaici edidit, non per Iudam, sed per Mosen, & Iosue, qui non fuit de tribu Iuda, & tandem per Machabæos, Saul, &c. exhibita sunt. Videtur autem, vsum huius regiæ potestatis ob id rarius Iudæ fuisse concessum, ne suspicaremur, spiritum sanctum, de regno huius mundi fuisse locutum: quod Christus oblatum reiecit. Et quod sequitur. Et dux de fœmore eius. Hebraicè habetur, & legislator, quod propriè in Christum quadrat. Esa. 42. Et legem eius insulæ expectabunt. Quòd autem nullus legitur fuisse legislator, in tribu Iuda, præter Vnum Christum, confirmare videtur sententiam de sceptro dictam. Sic illud. Qui mittendus est: vbi Hebraicè habetur, Silo, idem vir dicebat, nequaquam verti posse, mittendus. Significat (inquit) Silo multis, non pugnantia inter se, sed sic inter se cognata, vt Iacob in hac prophetia, omnia ea coniunctim de Christo intelligi voluerit: sicut in plurimis alys scripturæ locis, varia significatio vnius vocabuli sententiam pleniorem reddit. Significat ergo in primis, cuius illud, scilicet sceptrum propriè erit. Secundò significat id, quod filius eius, vt sit sententia. Donec veniat filius Iudæ Christus Dominus. Item secundum Rabi Salomo. munera ei, scilicet offerentur. item felicitatem, siue prosperitatem. Hæc omnia coniunctim propheta tribui Christo voluit. Et illud, ipse erit expectatio gentium, in Hebr. est. ipsi erit aggregatio populorum.* [l] Ligans ad vitem.] *Sensus literæ huius loci hic est. Sors, quæ tribui Iuda obueniet, erit tam ferax vini, vt quiuis possit ligare asinum suum ad vitem vnam, & ex eius fructu onerare asinum: eritq; tanta vini copia, vt possint lauare in eo vestimenta sua. Rubescent (inquit) oculi virorum Iuda ab ipso vino, quod terra tam largiter illis proferet, quin & lactis in ea sorte tanta erit copia, vt dentes ipsi ex eius frequenti esu sint albicaturi. Sin mysterium spectes, quidam Hebræus etiam ante seruatoris aduentum retulit ad mysterium corporis & sanguinis Christi: sed rem describi aut obtectis verbis, cum vt venustior esset oratio, tum vt sententia occultaretur. Ex quo colligere possumus, quàm multa delitescant arcana in scriptura, quæ nos latent, solo q; spiritu reuelante sciri possint.* [m] Zabulon in litore maris.] *Sic enim sors illius cecidit, vt essent maritimi. Vt discamus etiam sortes à Domino temperari, vt nihil fiat fortuitò, et omnia Dei prouidentia gubernari.* [n] Inter duos terminos.] *Duo litora, maris magni, & maris Galilæi. Alius vertit, inter duas sarcinas, vt sic intelligatur, Issachar vt asinus osseus, ac laboris patiens, qui inter duas sarcinas, ex vtroque latere sibi impositas, et cubare, & surgere valet.* [o] Supposuit humerum suū.] *Cultu ipsius terræ nutriuit se, & sapientiæ vacauit præ alys tribubus, eligens seruire tributis regum magis, quàm bella sectari.* [p] Dan Iudicabit.] *Hoc Hebræi impletum asserunt in Samsone, qui apprehensis columnis, deiecit, atque interfecit omnes, qui sedebant super domum illam, haud secus, quàm cum serpens morsu suo ascensorem ab equo deiecit.* [q] Salutare tuum expectabo Domine.] *Putatus est Samson Christus esse, sponte pro fidelibus mortuus, sed quia non resurrexit, sed tantum figura fuit, ideò alium mundi saluatorem expectandum significauit, iccircò addidit, Salutare tuum expectabo Domine, quasi dicat: potens quidem futurus est, & iudex populi, sed vera salus à Iuda expectanda est.* [r] Gad accinctus præliabitur ante eum.] *Vel, deuincet eum: Ii, cum iam citra Iordanem hæreditatem fuissent assecuti, pugnarunt pro fratribus suis, & post acquisitam pro eisdem promissam terram, redierunt integro numero. Alius sic vertit. Gad, cuneus deuincet eum, & ipse deuincet tandem. Difficilis est etiam Hebræis hic locus.* [s] Aser, pinguis panis eius.] *Prædicitur illi fertilitas terræ, in qua delicatiores futuræ essent fruges.* [t] Nephthali ceruus emissus.] *Vel, cerua emissa. Et exponitur de cantico Deboræ post prælium Israelis contra Syseram, per mille viros de tribu Nephthali peractum cum Barach duce. Vel, sic rectius. Timidior, quàm vt bella gerere audeat, vel reipublicæ negocijs immergere se, literis operam dabit. Vnde adhuc hodie extant obseruationes eius tribus, & tribus Aser in libros sacros.* [u] Filius accrescens.] *Vel, decorus: Vnde sequitur. Filiæ discurrerunt super murum, vt scilicet pulchritudinem eius contemplarentur.* [x] Exasperauerunt eum.] *Significat persecutionem, quam à fratribus est passus, & iacula ab vxore domini sui.* [y] Sedit in forti.] *Constans fuit contra aduersa, libidines, factiones: & manus potentis Dei Iacob corroborauit eum: inde factus est pastor, & pater totius Ægypti, & lapis immobilis Israelis.* [z] Deus patris tui.] *In Heb. est. Adeo patris tui, qui adiuuit te, &c. Hoc est, egredietur pastor lapis Israel, sed tamen non per te, sed per Iudam.* [aa] Benedictiones patris tui.] *Videtur huius loci sensus hic esse posse. Benedictiones, quibus ego pater tuus benedico tibi, vnà cum benedictionibus primogenitorum meorum (vsque ad desyderium collium æternorum, id est, iuxta, tanquam dicat, illa sola excepta, quæ de Christo facta est mihi) vniuersæ inquam aliæ, & patrium meorum & meæ fiant in capite Ioseph. Illud verò benedictionibus parentum meorum, alius vertit, matrum, vel vterogestantium.* [bb] In vertice Nazaræi.] *Ioseph, qui est veluti Nazaræus, hoc est, sanctus, & separatus à fratribus suis. Aly exponunt, qui est corona fratrum suorum.* [cc] Beniamin lupus rapax.] *Referunt Hebræi hanc prophetiam ad Beniamitas, qui ob vxorem Leuitæ constupratam, ferè omnes extincti fuerunt: & ad Saul, atque Mardochæum, & Esther, qui fuerunt de tribu Beniamin. Aly, vt refert Hieronymus: sic edisserunt hunc locum, Altare in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basim illius fundebatur, in parte Beniamin fuit. Hoc (inquiunt) ergo significat, quòd sacerdotes manè immolant hostias, & ad vesperam diuidunt ea, quæ sibi à populo ex lege collata sunt. lupum sanguinarium lupum vocacem super altaris interpretatione ponentes, & spoliorum diuisionem super sacerdotibus, qui seruientes altari, viuunt de altari.* [dd] Benedictionibus proprijs.] *Suam cuique tribuens.*

CAPVT L.

Sup. 47.g

QVod cernens Ioseph,ruit super faciem patris flens,& deosculans eum. Præcepitq; seruis suis [a] medicis,vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus, transierunt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum: fleuitq; cũ Ægyptus septuaginta diebus.Et expleto planctus tempore,locutus est Ioseph ad familiam Pharaonis.Si inueni gratiam in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis:eò quòd pater meus adiurauerit me,dicens. En morior, in sepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaan,sepelies me.Ascendam igitur,& sepeliam patrem meum, ac reuertar. Dixitq; ei Pharao. Ascende,& sepeli patrem tuum,sicut adiuratus es.Quo ascendente,ierunt cum eo omnes senes domus Pharaonis,cunctiq; maiores natu terræ Ægypti,† vniuersa domus Ioseph cum fratribus suis,† & domus patris sui absq; paruulis & gregibus,absq; armentis,quæ dereliquerũt in terra Gessen. Habuit quoq; in comitatu currus & equites:& facta est turba non modica. Veneruntq; ad aream Atad, quæ sita est trans Iordanem: vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleuerunt septem dies.Quod cum vidissent habitatores terræ Chanaan, dixerunt. Planctus magnus est iste Ægyptijs. Et iccircò vocatum est nomen loci illius. PLANCTVS AEGYPTI, † & est vltra Iordanem. Fecerunt ergo filij Iacob sicut præceperat eis:& portantes eum in terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionem sepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mamre. Reuersusq; est Ioseph in Ægyptum cum fratribus suis & omni comitatu, sepulto patre. Quo mortuo,timentes fratres eius & mutuò colloquentes, Ne fortè memor sit iniuriæ quam passus est,& reddat nobis omne malum quod fecimus, mandauerunt ei dicentes. Pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus. Obsecro,vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atq; malitię quam exercuerunt in te: nos quoq; oramus,vt seruis Dei patris tui dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioseph, veneruntq; ad eum fratres sui: & proni adorantes in terram, dixerunt. Serui tui sumus. Quibus ille respondit. Nolite timere: [b] num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum,sed Deus vertit illud in bonũ: vt exaltaret me sicut impræsentiarum cernitis,& saluos faceret multos populos.Nolite timere: ego pascam vos & paruulos vestros:consolatusq; est eos,& blandè ac leniter est locutus. Et habitauit in Ægypto cũ omni domo patris sui:vixitq; centum decẽ annis.Et vidit Ephraim filios vsq; ad tertiá generationẽ. Filij quoq; Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph.Quibus trãsactis locutus est fratribus suis. Post mortẽ meã Deus visitabit vos,& ascẽdere vos faciet de terra ista ad terrã quã iurauit Abrahã,Isaac,& Iacob. Cũq; adiurasset eos,atq; dixisset. Deus visitabit vos,asportate ossa mea vobiscũ de loco isto: mortuus est expletis centũ decem vitæ suæ annis.Et conditus aromatibus,repositus est in loculo in Ægypto. A B C D

Act. 7.b
Supra 23.d
Supra 45.b
Num. 32.g
Heb. 11.d
Exo. 13.d
Iosue 24.g

SCHOLIA.

[a] Medicis.] *Intellige hic polinctores,qui curandi funeribus præerant:sic autem defunctorum corpora condiebantur, vt incorrupta manerent multo tempore.* [b] Num Dei possumus resistere volũtati?] *In Hebræo est.Num pro Deo ego sum? hoc est,nunquid ego possum cursum mundi,& ordinem eius inuertere? cũ, & si multa contingant præter voluntatem hominis, nihil fiat tamen sine nutu Dei,qui peccatis hominũ,& quibuscunque malis vtitur in gloriã suã,& fideliũ bonũ.*

LIBER EXODVS

HEBRAICE VELLE SEMOTH.

CAPVT I.

Genc. 46.a

HAEC Sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum cum Iacob: singuli cum domibus suis introierũt:Ruben,Simeon,Leui,Iudas,Issachar,Zabulon, & Beniamin,Dan,& Nephthali,Gad,& Aser. Erant igitur omnes animę eorũ,qui egressi sunt, de fœmore Iacob,septuaginta:Ioseph aũt in Ægypto erat. [a] Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omniq; † generatione illa filij Israel creuerunt, & [b] quasi germinantes multiplicati sunt:ac roborati nimis,impleuerunt terrã. Surrexit interea rex nouus sup Ægyptum,qui ignorabat Ioseph:& ait ad populũ suũ.Ecce, populus filiorũ Israel multus,& fortior nobis est.Venite,sapienter opprimamus eum:ne fortè multiplicetur: & si ingruerit cõtra nos bellũ,addatur inimicis nostris,expugnatisq; nobis egrediatur è terra.Prepositi itaq; eis magistros † tributorũ,vt affligerent eos oneribus:ędificaueruntq; [c] vrbes † thesaurorũ Pharaoni Phithom,& Rameses. Quantoq; † magis opprimebant eos,tantò magis multiplicabantur,& crescebant: oderãtq; filios Israel Ægyptij, † & fecerũt seruire Ægyptij filios Israel cũ tyrannide. Atq; ad amaritudinẽ perducebant vitã eorũ operibus duris luti & lateris,omniq; famulatu,quo in terræ operibus premebantur. Dixit aũt rex Ægypti obstetricibus Hebręorũ:quarũ vna vocabatur Sephora,altera Phua,pręcipiens eis.Quãdo obstetricabitis Hebręas,& † videbitis iuxta parturientiũ sedes:si masculus fuerit,interficite illũ:si fœmina,reseruate. Timuerũt aũt obstetrices Deũ,& non fecerunt iuxta præceptũ regis Ægypti:sed conseruabent mares. Quibus accersitis ad se rex,ait.Quid nã est hoc,quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? Quæ responderunt.Non sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres: [d] ipsæ enim obstetricandi habent scientiam,& priusquam veniamus ad eas,pariũt. A B C D

Act. 7.e
Sapie. 18.b

Benè

Benè ergo fecit Deus obstetricibus:& creuit populus,confortatusq; est nimis.Et quia timuerunt obstetrices Deum, [e] ædificauit illis domos. Præcepit ergo Pharao omni populo suo,dicens. Quicquid masculini sexus natum fuerit,in flumen proijcite:quicquid fœminini,reseruate.

SCHOLIA.

Liber hic,qui à Græcis Exodus dicitur,hoc est,exitus,ab Hebræis vocatur Velle Semoth,hoc est,& hæc nomina,accipies,scilicet appellationem à primis ipsius libri dictionibus,qui mos est plerisq; alijs locis seruatus, nam & Genesis appellatur Bereshith,id est,in principio,& Leuiticus Vaicra,id est,& vocauit,&c.

[a] Quo mortuo.] *Scribunt Hebræi Ioseph duodecim mensibus seruisse in domo pothiphera, & duodecim annis in vinculis fuisse:nam trigesimo ætatis suæ anno productus est ad Pharaonem, quo anno obijt Isaac annus eius. Successerunt septem anni saturitatis:deinde anno secundo,postquàm fames inualuit,venit ad eum Iacob in Ægyptum, quando scilicet fuit trigintanouem annorum. Mortuus verò est ipse Ioseph primus omnium fratrum suorum, cũ scriptura dicat mortuus est Ioseph, & fratres eius,fuitq;,cũ moreretur,centũ & decẽ annorũ. Breuiorẽ itaque habuit vitã, quàm singuli fratres sui. Leui verò longissimè vixit,quippe qui centesimum trigesimũ septimũ attigit annũ:nec afflicti sunt filij Israel quandiu ille vixit. Effluxerunt aũt à morte Leui vsque ad exitum de Ægypto,centum & sedecim anni:à principio verò mundi vsque ad exitum de Ægypto fluxerũt duo millia annorum & quadringenti quadraginta octo anni:fuerunt q; filij Israel in Ægypto ducentis & decem annis.* [b] Et quasi germinantes.] *Verbum Heb.significat procreari in morem reptilium,vt sunt ranæ, formicæ, & locustæ, quæ semper in maximo producuntur numero.sic filij Israel,qui cum 70. animabus descenderunt in Ægyptum,creuerunt ducentorum annorum spacio in multa centena millia hominum: nam ferunt singulas mulieres consueſſe gignere duos ac tres filios simul.* [c] Vrbes thesaurorum.] *Inter thesauros numerantur etiam frumenta, quando thesaurus idem est,quod reconditorium,extruxit itaque rex Ægypti vrbes pro thecis & horreis frumenti.* [d] Ipse enim obstetricandi habent scientiam.] *Alius vertit.Sunt enim viuaces.* [e] Ædificauit eis domos.] *Videtur Hebraismus esse, cuius superius facta mentio est,hoc est,auxit eorum rem familiarem,ac familiam. Alij sic exponunt. Posuit Deus in corde Israelitarum, vt extruerent obstetricibus domos fortes,in quibus tutæ essent à malorum incursu.Sunt enim Hebræi discordes in explicatione huius sententiæ. Alius autem refert ad Israelitas,quòd scilicet cum obstetrices Deum timuerint,nec occiderint pueros,contigerit augeri Israelitas.*

CAPVT II.

EGressus est post hæc [a] vir de domo Leui.Et accepit † filiam Leui,quę concepit, & peperit filiũ: & videns eũ elegantem,absconditribus mensibus. Cũq; iam cœlare nõ posset, sumpsit [b] fiscellam scirpeã, & liniuit eam bitumine ac pice:posuitq; intus infantulũ,& exposuit eũ in carecto ripę fluminis, stãte procul sorore eius,& consyderante euentũ rei.Ecce aũt descendebat filia Pharaonis,vt lauaretur in flumine: & puellę eius gradiebantur per crepidinẽ aluei. Quæ cũ vidisset fiscellã in papyrione,misit vnã è famulabus suis:& allatã aperiẽs,cernẽsq; in ea paruulũ vagientẽ,miserta eius, ait. De infantibus Hebręorũ est hic. Cui soror pueri.Vis,inquit,vt vadã,& vocẽ tibi mulierẽ Hebreã,q̃ nutrire possit infantulũ?Respõdit.Vade.Perrexit puella,& vocauit matrẽ suã.Ad quã loquuta est filia Pharaonis. Accipe,ait,puerũ istũ, & nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam.Suscepit mulier,& nutriuit puerũ:adultumq; tradidit filiæ Pharaonis. Quẽ illa adoptauit in locũ filij,vocauitq; nomen eius MOYSES, dicens. Quia de aqua tuli eũ.In diebus illis post quàm creuerat Moyses,egressus est ad fratres suos,viditq; afflictionẽ eorum,& virum Ægyptium percutientem quendam de Hebręis fratribus suis.Cumq; circunspexisset huc atq; illuc,& nullum adesse vidisset, percussum Ægyptiũ,absconditsabulo.Et egressus die altero, cõspexit duos Hebręos rixantes:dixitq; ei, qui faciebat iniuriã.Quare percutis proximũ tuũ? Qui respõdit. Quis constituit te principem & iudicẽ sup nos? num occidere me tu vis,sicut heri occidisti Ægyptiũ? Timuit Moyses,& ait. Quomodo palàm factũ est verbũ istud? Audiuitq; Pharao sermonẽ hunc,& quęrebat occidere Moysen. Qui fugiens de cõspectu eius,moratus est in terra Madian,& sedit iuxta puteũ.Erant aũt sacerdoti Madian septẽ filiæ, quæ venerãt ad hauriẽdam aquã:& impletis canalibus,adaquare cupiebant greges patris sui. Superuenere pastores, & eiecerũt eas: surrexitq; Moyses,& defensis puellis,adaquauit oues earũ. Quę [c] cũ reuertissent ad Raguel patrẽ suum,dixit ad eas.Cur velocius venistis solito?Respõderũt.Vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorũ:insuper & hausit aquã nobiscũ,potũq; dedit ouibus.At ille.Vbi est,inquit?quare dimisistis hominẽ? vocate eũ,vt comedat panem.Iurauit ergo Moyses,q̃ habitaret cum eo. Accepitq; Sephoram filiã eius vxorem: quę peperit filiũ, quem vocauit Gersam,dicens. Aduena fui in terra aliena. † Post multum verò temporis, mortuus est Rex Ægypti:& ingemiscentes filij Israel,propter opera vociferati sunt:ascenditq; clamor eorum ad Deũ ab operibus.Et audiuit gemitum eorum,ac recordatus est fœderis,quod pepigerat cum Abraham,Isaac, & Iacob. Et respexit Dominus filios Israel,& cognouit eos. A B C D

Infra.6.c
Num.23.g
1.Par.23.b
Sapi. 18.b
Act.7.c
Hebr.11.c
Heb.11.e
Act.7.d
Infra.18.2
1.Par.23.b

SCHOLIA.

[a] Vir de domo Leui.] *Hic fuit Amram,qui amitam suam, hoc est, patris sui sororem duxit in vxorem, nempè Lochabed, quæ filia fuit Leui,sicut & pater Amram,scilicet Cehath filius fuit Leui: id quod infra Cap.6.explicatur.* [b] Fiscellam scirpeam.] *Vel arcam arundineam.* [c] Cum reuertissẽt ad Raguel patrem suum.] *Is Raguel,non fuit Iethro,sed pater ipsius Iethro,& auus virginum:nec rarum est in diuinis scripturis patrem dici,qui sit auus. Iethro autem, etiam alio nomine Hobab dicitur,& Iether,& Cinæus,& secundum aliquos Raguel.*

CAPVT III.

MOyses autem pascebat oues Iethro soceri sui sacerdotis Madian. Cumq; minasset gregem ad interiora deserti,venit ad montem Dei Horeb. Apparuitq; ei [a] † angelus Domini in flãma ignis [b] de medio rubi:& videbat,q̃ rubus arderet,& non comburetur. Dixit ergo Moyses. Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus:q̃ pergeret ad videndum, A

Act.7.d

dendum,

dendum, vocauit eũ de medio rubi, & ait. Moyses Moyses? Qui ñdit. Adsum. At ille. Ne appropies, inquit, huc: [c] solue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est. Et ait. Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam: nõ enim audebat aspicere contra Deum. Cui ait Dominus. Vidi afflictionẽ populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præsunt operibus: & sciens dolorem eius: descendi: vt liberem eum de manibus Ægyptiorũ, & educam de terra illa in terrã bonam, & spatiosam: in terram, quę fluit lacte & melle, [d] ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi. Clamor ergo filiorũ Israel venit ad me: vidiq; afflictionem eorũ, qua ab Ægyptijs opprimuntur. Sed veni, mittam te ad Pharaonẽ, vt educas populum meum filios Israel de Ægypto. Dixitq; Moyses ad Deũ Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto? Qui dixit ei. Ego ero tecũ: & hoc habebis signũ, ꝙ miserim te. Cũ eduxeris populum meũ de Ægypto, † coletis Deũ super monte istum. Ait Moyses ad Deũ. Ecce ego vadam ad filios Israel, & dicã eis. Deus patrũ vestrorũ misit me ad vos. Si dixerint mihi. Quod est nomen eius? quid dicã eis? Dixit Dñs ad Moysen, [e] EGO SVM QVI SVM. Ait, sic dices filijs Israel. [f] QVI EST misit me ad vos. Dixitq; iterum Deus ad Moysen. Hęc dices filijs Israel. Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos: hoc nomen mihi est in ęternum, & hoc memoriale meũ in generatione & generationem. Vade: congrega seniores Israel, & dices ad eos. Dominus Deus patrum vestrorũ apparuit mihi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens. Visitans visitaui vos, & vidi omnia, quæ acciderunt vobis in Ægypto: & dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti, in terram Chananæi, & Hethęi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi, ad terram fluentẽ lacte & melle. Et audient vocẽ tuam: ingredierisq; tu & seniores Israel ad regẽ Ægypti, & dices ad eũ. Dñs Deus Hebręorũ † occurrit nobis, ibimus viã triũ dierũ in solitudinẽ, vt immolemus Dño Deo nostro. Sed ego scio, ꝙ nõ dimittet vos rex Aegypti, vt eatis, [g] nisi per manũ validã. Extendamq; manũ meã, & percutiam Aegyptũ in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorũ: post hoc dimittet vos, daboq; gratiã populo huic corã Aegyptijs: & cũ egrediemini, non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua & ab hospita sua vasa argentea & aurea, ac vestes: ponetisq; eas super filios & filias vestras, & spoliabitis Aegyptum.

Matt. 22.c Marc. 12.c Luc. 20.f

Infr. 11.a & 12.e

SCHOLIA.

[a] Angelus Domini.] *Idem, & Angelus Domini, & Deus appellatur significatq;, vt ait magnus Basilius, ipsum Seruatorem Christum, qui & Deus est, & magni consilij angelus vocatus.* [b] De medio rubi.] *Rubus est arbor sterilis, & senticosa, quam auis citra depluma tionem intrare non potest, vt Hebræi dicunt, crescens in deserto, à quo nomine & arbore mons Sinai appellationem acceperit. Iccirco vero de rubo ardente, sed non combusta Moseu Deus alloquitur, quia de fornace crudelissimæ seruitutis liberandi erant filij Israel, in qua cremabantur, sed non consumebantur, quod populo Dei usu venit.* [c] Solue calceamentum.] *Præcipitur ei per hoc reuerentia & humilitas, quod q; nihil mortuum, terrenumue diuinis rebus est permiscendum.* [d] Ad loca Chananæi.] *Omittitur vna gens Gergusæi, quòd illa cæteris gentibus minor fuerit. Sciendum quoque, quòd omnes hæ septem gentes propagatæ sunt à Chananæo, atque ideo non raro in scriptura vno nomine Chananæi vocantur. Pherezæi putantur fuisse Sidonij.* [e] Ego sum qui sum.] *Aut iuxta grammaticas Hebræorum regulas, ero qui ero, Verum Hebræi sæpe vsurpant futurum loco præsentis. Esse autem soli Deo conuenit, qui est illa essentia, quæ nec præteriit nec præteribit, hoc est, semper est, qui nunquam cœpit, neq; vnquam desiturus est, sed transcendit omnem temporis rationem, & qui solus dicere potest, SVM, est. n. ipse omnis essentiæ atque vitæ fons, & plenitudo, à quo omnia, quæ sunt, habent esse, quòd sunt. Atque ex hoc loco mihi videtur Plato, & Platonici accepisse, vnde de Deo res huiuscemodi philosopharentur.* [f] Qui est misit me ad vos.] *Alius vertit. Sum misit me ad vos. Est. n. in Hebræo eadem dictio, quæ dudum, vbi dictum est, Sum qui sum. Sunt etiam, qui velint hanc vocem significare tria tempora, præsens, præteritum, & futurum, vt magis sempiterna Dei stabilitas exprimatur.* [g] Nisi per manum validam.] *Sunt qui pro nisi dicant, neque, vt sit sensus: neque si viderit manum Dei potentem, & confessus fuerit, digitum Dei esse, permittet vos abire. Nam in Hebræo est, & non in manu valida.*

CAPVT IIII.

REspondens Moyses ait, Non credent mihi, neq; audient vocem meam: sed dicent. Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum, [a] Quid est quod tenes in manu tua? Respondit, Virga. Dixitq; Dominus, Proijce eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita, vt fugeret Moyses. Dixitq; Dñs. Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaq; est in virgam. Vt credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus patrum suorum, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Dixitq; Dominus rursum. Mitte manum tuam in sinum tuum. Quam cum misisset in sinum, protulit [b] leprosam instar niuis. Retrahe ait, manum tuam in sinum tuum. Retraxit & protulit iterũ, & erat similis carni reliquę. Si non crediderint, inquit, tibi, neq; audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequẽtis. Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, neq; audierint vocem tuam: sume aquam fluminis, & effunde eã super aridam, & quicquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinẽ. Ait Moyses, obsecro Domine, non sum eloquens [c] ab heri & nudiustertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum † quia impeditioris & tardioris linguę sum. Dixit Dominus ad eũ. [d] Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutũ & surdum, videntem, & cęcum? nònne ego Dominus? Perge igitur, & ego ero in ore tuo: docebo q; te quid loquaris. At ille, Obsecro Domine, inquit, mitte quẽ missurus es. Iratus Dominus in Moysen, ait, Aaron frater tuus [e] leuites, scio ꝙ eloquens sit: ecce ipse egredietur in occursum tuum, vidensq; te, lætabitur corde. Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis quid agere debeatis. Et ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: [f] tu autem eris ei in † Deum. † Virgam quoq; hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa. Abijt Moyses, & reuersus est ad Iethro socerum suum: dixitq; ei, Vadam

Matt. 10.c

Ecclc. 45.a

Infra 7.a

Vadam & reuertar ad fratres meos in Aegyptum, vt videam si adhuc viuant. Cui ait Iethro. Vade in pace. Dixit ergo Dñs ad Moysen in Madian, Vade & reuertere in Aegyptũ: [g] mortui sunt enim omnes, qui quærebant animã tuã. Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinũ: reuersusq; est in Aegyptum, portans virgã Dei in manu sua. Dixitq; ei Dñs, † cum reuersus fueris in Aegyptum, vide vt omnia ostenta, quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: ego [h] indurabo cor eius, & nõ dimittet populũ. Dicesq; ad eum, Hæc dicit Dominus, Filius meus primogenitus † meus est Israel. [i] Dixi tibi, Dimitte filium meum, vt seruiat mihi: & noluisti dimittere eum, ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. Cumq; esset in itinere in diuersorio, occurrit ei Dominus, & [k] volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circuncidit præputium filij sui, [l] tetigitq; pedes eius, & ait. [m] Sponsus sanguinum tu mihi es. [n] † Tũc ille dimisit eum, & illa ait. Sponsus sanguinũ, ob circuncisionem. Dixitq; Dominus ad Aaron. Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & osculatus est eum. Narrauitq; Moyses Aaron omnia verba Domini, pro quibus miserat eũ, & signa, quæ mandauerat. Veneruntq; simul, & congregauerunt cunctos seniores filiorum Israel. Locutusq; est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen: & fecit signa coram populo, & credidit populus. Audieruntq; ꝙ visitasset Dominus filios Israel, & ꝙ respexisset afflictionem illorum: & proni adorauerunt.

SCHOLIA.

[a] Quid est quod tenes in manu?] *Sicut Dominus in Euangelio, saturaturus tot millia hominum, prius interrogat discipulos, quot panes haberent, vt postea recordati, exiguum fuisse numerum panum, melius intelligerent miraculi magnitudinem: ita nunc ob eandem causam interrogat Dominus, quid sit, quod in manu habeat. consuetum enim repentina nouitas inducere obliuionem.* [b] Leprosam instar niuis.] *Est enim quædam species candidæ leprę.* [c] Ab heri.] *Hoc est, nunquam fui eloquens.* [d] Quis fecit os?] *Scio (inquit) qualis sis cum ego vsum sensuum & dem, & adimã, mihi ergo fidere debes, non tuas apud te vires metiri.* [e] Leuites.] *Additur nomen cognationis, quòd alij quoque in populo essent, qui Aaron vocabantur.* [f] Tu eris illi in Deum.] *Tu Dei voluntatem ei patefacies.* [g] Mortui sunt.] *Vide vt eadem verba de Seruatore, cuius typum gessit Moses, angelus dixerit ad Ioseph, Mortui sunt enim, qui quærebant animam pueri.* [h] Indurabo cor eius.] *Intellige hanc obdurationem, quemadmodum & Paulus ait. Tradidit illos Deus in immunditiam, & tradidit illos in reprobam mentem, familiare est enim huic linguæ, Deo tribuere, quæ ipse euenire sinit.* [i] Dixi tibi, dimitte.] *Hunc Hebræi sensum Rubini sic exponunt. Ego dico tibi, vt dimittas filium meum, & si nolueris, occidam primogenitũ tuũ.* [k] Volebat occidere eum.] *Iratus, quòd susceptum ex Madianitide filium non circuncidisset. Mulier itaque, cuius consilio opus neglectum, vel vetitum erat, intelligens ob eam causam iratum Dominum, mox temere saxum arripiens, puerum circuncidit, nequid mali pateretur maritus. Sic docetur, baptismum infantium non temerè differendum.* [l] Tetigitq; pedes eius.] *Referendum est ad pedes Moysi secundum Hebræos, proiecit enim præputium præcisum, ad pedes mariti. Referri & ad angelum potest: quasi proiecerit Domino præputium, quod tanta indignatione exigere videbatur.* [m] Sponsus sanguinum.] *Quasi diceret, tam mihi ob hanc circuncisionem, quasi nouus factus es sponsus, quem angelus Domini, per mortem mihi ferè subtraxerat. Alius sic exponit. Video me multa passuram pericula tecum, vt mihi sponsus sanguinis futurus sis. Varię enim hac tota narratio ab Hebræis exponitur. Helias Leuites magister meus aiebat referri hæc verba ad puerum, et vulgo etiam nunc apud eos dici sponsum sanguinum, qui recens esset circuncisus.* [n] Tunc ille dimisit eum.] *Nempè angelus Mosem.*

CAPVT V.

POst hæc ingressi sunt Moyses & Aaron, & dixerunt Pharaoni. Hæc dicit Dominus Deus Israel, Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. At ille respondit. Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israel? nescio Dominum, & Israel non dimittam. Dixerunt, Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis, aut gladius. Ait ad eos Rex Aegypti, Quare Moyses, & Aaron [a] solicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra. Dixitq; Pharao. Multus est populus terræ: videtis quòd turba succreuerit: quantò magis si dederitis eis requiem ab operibus? Præcepit ergo in die illo [b] præfectis operum & exactoribus populi, dicens. Nequaquam vltrà dabitis paleas populo ad conficiendos lateres, sicut prius: sed ipsi vadant & colligant stipulas. Et mensuram laterum, quam prius faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quicquam: vacant enim, & iccircò vociferantur, dicentes. Eamus & sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, & expleant ea: vt [c] non acquiescant verbis mendacibus. Igitur egressi præfecti operum & exactores, ad populum dixerunt. Sic dicit Pharao. Non do vobis paleas. Ite, & colligite sicubi inuenire poteritis: nec minuetur quicquam de opere vestro. Dispersusq; est populus per omnem terram Aegypti [d] ad colligendas † stipulas pro paleis. Præfecti quoque operum instabant, dicentes. Complete opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ. Flagellatiq; sunt qui prę erãt operibus filiorum Israel, ab exactoribus Pharaonis, dicentibus. Quare non impletis mensuram laterum sicut prius, nec heri, nec hodie? Veneruntq; præpositi filiorum Israel, & vociferati sunt ad Pharaonem dicentes. Cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cædimur, & [e] iniustè agitur contra populum tuum. Qui ait. Vacatis otio, & iccircò dicitis. Eamus & sacrificemus Domino. Ite ergo, & operamini: paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerũ laterum. Videbantq; se præpositi filiorum Israel in malum, eo quòd diceretur eis. Non minuetur quicquã de lateribus per singulos dies. Occurreruntq; Moysi & Aaron, qui stabant ex aduerso, egredientes à Pharaone: & dixerunt ad eos, Videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos. Reuersusq; Moyses ad Dominum, ait. Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me? Ex eo enim † tempore, quo ingressus sum ad Pharaonem,

Pharaonem, vt loquerer ex nomine tuo, afflixit populum tuum: & non liberasti eos.

SCHOLIA.

[a] Solicitatis populum.] *Vel, abstrahitis, auocatis.* [b] Præfectis operum.] *Erant primum exactores Aegypti, ex aula Pharaonis instituti, quibus suberant ex filijs Israel selecti, qui præfecti populo illum ad opus vrgerent.* [c] Non acquiescant verbis mendacibus.] *Vocat verba Mosi mendacia, & vana.* [d] Ad colligendas stipulas pro paleis.] *Hoc est, loco palearum, idq; non ex vno loco, sed ex tota Aegypto. At tu vide, vt tum maximè populus Dei affligatur, cum propinqua est salus, ac liberatio. His autem (inquit) fieri incipientibus, suspicite, atque attollite capita vestra, ecce enim appropinquat redemptio vestra.* [e] Iniuste agitur.] *Hebræi habent. Peccatum populi tui, quod variè exponitur. Quidam enim sic interpretantur, peccatum populi super te est, alij sic. Sæuitur in populum tuum, quasi in peccatorem.*

CAPVT VI.

A DIxit Dominus ad Moysen. Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni: [a] per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robusta eijciet illos de terra sua. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Ego Dominus qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob [b] in Deo omnipotente: & [c] nomen meum ADONAI non indicaui eis. Pepigiq; fœdus cum eis, vt darem illis terram Chanaan, terram peregrinationis eorũ, in qua fuerunt aduenę. Ego audiui gemitum filiorũ Israel, quo Ægyptij oppressérunt eos: & recordatus sum pacti mei. Ideo dic filijs Israel. Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorũ, & eruam de seruitute: ac redimã in brachio excelso & iudicijs magnis. Et assumam vos mihi in populũ, & ero vester Deus: & scietis q̃ ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorũ: & induxe B
rim vos in terrã, super quam leuaui manũ meã, vt darem eã Abraham, Isaac, & Iacob: daboq; illam possidẽdam vobis, ego Dominus. Narrauit ergo Moyses omnia filijs Israel: Qui non acquieuerunt ei [d] propter angustiam spiritus, & opus durissimũ. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Ingredere, & loquere ad Pharaonem regem Ægypti, vt dimittat filios Israel de terra sua. Respõdit Moyses corã Domino. Ecce filij Israel non audiunt me: & quomodo audiet Pharao, præsertim [e] cũ incircuncisus sim labijs. ? [f] Locutusq; est Dominus ad Moysen & Aaron: & dedit mandatũ ad filios Israel, & ad Pharaonẽ regem Ægypti, vt educerent filios
Gene. 46. b Num. 29. a 1. Para. 5. a 1. Para. 4. d 1. Para. 6. a & 23. a Nume. 3. c Num. 26. g 1. Para. 6. a & 23. c Nume. 3. a
Israel de terra Ægypti. Isti sunt principes domorũ perfamilias suas. Filij Rubẽ primogeniti Israelis: Enoch C
& Phallu, Esron & Charmi. Hæ cognationes Ruben. Filij Simeon: Iamuel, & Iamin & Ahod, & Iachin & Saher, & Saul filius Chananitidis. Hę progenies Simeon. Et hæc nomina filiorũ Leui per cognatiões suas. Gerson, & Caath, & Merari. [g] Anni aũt vitę Leui fuerũt, centũ triginta septẽ. Filij Gerson: Lobni & Semei, per cognationes suas. Filij Caath: Amram, & Isaar, & Hebron & Oziel, anni quoq; vitę Caath, centũ trigin ta tres. Filij Merari: Moholi & Musi. hę cognationes Leui per familias suas. Accepit autem Amram vxorẽ Iochabed † amitã suam: quę peperit ei Aaron & Moysen. † Fueruntq; anni vitę Amram, centũ triginta septẽ. Filij quoq; Isaar, Core, & Nepheg, & Zechri. Filij quoq; Oziel: Misael, & Elisaphan, & Sethri. Accepit autem Aaron vxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Naason, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & D
Eleazar, & Ithamar. Filij quoq; Core: Aser, & Elcana, & Abiasaph. Hę sunt cognationes Coritarum. At verò Eleazar filius Aaron accepit vxorem de filiabus Phutiel: quæ peperit ei Phinees. hi sunt principes familiarum Leuiticarum per cognationes suas. Iste est Aaron & Moyses, quibus præcepit Dominus, vt educe rent filios Israel de terra Ægypti per turmas suas. Hi sunt, qui loquuntur ad Pharaonem regem Ægypti, vt educant filios Israel de Ægypto: iste est Moyses & Aaron. † Et factum est in die qua locutus est Dominus ad Moysen in terra Ægypti. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens. Ego Dominus: loquere ad Pharaonem regem Aegypti, omnia, quæ ego loquor tibi. Et ait Moyses coram Domino. En incircuncisus labijs sum, quomodo audiet me Pharao?

SCHOLIA.

[a] Per manum fortem.] *Propter plagas multas & validas cogetur tandem dimittere eos.* [b] In Deo omnipotente.] *Hebraismus est, pro in omnipotentia diuina.* [c] Nomen meum Adonai.] *Hoc loco est illud,* IEHOVA, *nomen Dei sacrum & ineffabile, non quòd vox ipsa exprimi non possit, cum certis constet literis, & vocalibus, sed quod Dei natura per ipsum significata, à nulla creatura exprimi possit, cũ sit infinita, atque ob id ineffabilis. Ferunt virtutem huius sancti nominis, primum innotuisse Mosi. Sunt ex nostris qui putent, ab hoc nomine Gentiles Iouis nomen pro Deo suo mutuasse. Obseruandum est hoc loco, notitiam huius nominis Dei habere sua incremẽta, sicut hic manifestè dicitur, maiorem contigisse Mosi, quàm patribus: quam Paulus aduentu Christi adeò auctam esse dicit, vt principum & potestatum cœlestium de Deo cognitionem auxerit. & in nobis quoque consummandam confidimus, quando Dominum videbimus facie ad faciem. Atque hoc est, quod toties in psalmis dicitur. Cantate Domino canticum nouum, tanquam dicat: assiduè nobis suppeditat Dominus noua cantandi argumenta.* [d] Propter angustiam spiritus.] *Adeò enim affligebantur, vt vix potuerint spiritum trahere.* [e] Cum sim incircuncisus labijs.] *Hoc est, cum habeã labia parum expedita ad orationis pronũciationem.* [f] Locutusq; est Dominus ad Mosen & Aaron, & dedit mandatum.] *Epilogus est, cui subnectit catalogum patrum quorũdam, vt agnosceretur, vnde nati sint, Moses, & Aaron, & Phinees.* [g] Anni autẽ vitæ Leui.] *Leui inter duodecim patriarchas vltimus mortuus est, & describuntur hic anni vitæ eius, vt indicetur, quandiu duraverit afflictio Hebræorũ in Aegypto. Leui itaque genuit Caath filium, & Iochabeth filiam. Caath genuit Amram, qui patris sui sororẽ Iochabeth duxit in vxorem, filiam scilicet Leui. Fuit igitur Moses propter matrem nepos Leui, & propter patrem abnepos eius.*

CAPVT VII.

Sup. 4. d A DIxitq; Dominus ad Moysen. Ecce constitui te [a] Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit prophe-
ta tuus. Tu loqueris ei omnia, quę mando tibi: & ille loquetur ad Pharaonẽ, vt dimittat filios Israel de terra sua. Sed ego [b] indurabo cor eius, & multiplicabo signa & ostenta mea in terra Aegypti, & non audiet vos: immittamq; manum meam super Aegyptum, & educam exercitum & populum meũ filios Israel

Israel de terra Ægypti per iudicia maxima. Et scient Ægyptij, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israel de medio eorũ. Fecit itaq; Moyses, & Aaron, sicut præceperat Dominus: ita egerunt. Erat autem Moyses octoginta annorum, & Aaron octogintatrium, quando
B locuti sunt ad Pharaonem. Dixitq; Dominus ad Moysen & Aaron. Cum dixerit vobis Pharao, Ostendite signa: dices ad Aaron. Tolle virgam tuam, & proijce eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. Ingressi itaq; Moyses, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus. Tulitq; Aaron virgam coram Pharaone & seruis eius, quę versa est in colubrũ. Vocauit autem Pharao [c] sapientes & maleficos: & 2. Tim. 3. b
fecerunt etiam ipsi † magi Ægypti incantationibus suis similiter. Proieceruntq; singuli virgas suas, quę versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum. Induratumq; est cor Pharaonis, & nõ audiuit
eos, sicut præceperat Dominus. Dixit autem Dominus ad Moysen. Ingrauatũ est cor Pharaonis, & non vult
C dimittere populũ. Vade ad eum manè: ecce, egredietur ad aquas: & stabis in occursum eius super ripã fluminis, & virgam, quę conuersa est in draconem, tolles in manu tua, dicesq; ad eum. Dominus deus Hebræorum misit me ad te, dicens. Dimitte populum meũ, vt sacrificet mihi in deserto: & vsq; ad præsens audi re noluisti. Hęc igitur dicit Dominus. In hoc scies, q̃ sim Dñs: ecce percutiã virga, q̃ in mea manu est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinẽ. Pisces quoq;, qui sunt in fluuio, morientur, & cõputrescent aquę, & affligẽtur Ægyptij bibentes aquã fluminis. Dixit quoq; dominus ad Moysen. Dic ad Aaron. Tolle virgam tuã, & extende manũ tuã super aquas Ægypti, & super fluuios eorũ, & riuos ac paludes, & omnes lacus aquarũ, vt
D vertãtur in sanguinẽ: & sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis, q̃ in saxeis. Fecerũtq; ita Moyses & Aaron, sicut præceperat Dominus: & eleuans virgam percussit aquam fluminis coràm Pharaone & seruis
eius: quę versa est in sanguinem. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt: computruitq; fluuius, & non Psal. 77. c
poterant Ægyptij bibere aquã fluminis: & fuit sanguis in tota terra Aegypti. [d] Feceruntq; similiter malefici Sapi. 17. b
Ægyptiorum incantationibus suis: & induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præceperat Dominus. Auertitq; se, & ingressus est domum suam, nec apposuit cor etiam hac vice. Foderunt autem omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam, vt biberent: non enim poterãt bibere aquam fluminis. [e] Impletiq; sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium.

SCHOLIA.

[a] Deum Pharaonis.] *Diuinam quandam dignitatem præ te feres. Aaron verò propheta, hoc est, interpres voluntatis diuinæ, quam à fratre audiebat.* [b] Indurabo cor eius.] *Hebræi sic tractant hunc locum, vt dicant fuisse quidem Pharaonem sibi ipsi causam obdurationis, Deum verò haud aliter causam fuisse, quàm sit lapis in via, in quem incircunspectus impingit, & quia Pharao voluit impiè agere, iccirco illum minimè dignum fuisse in quem spiritus Dei descenderet, & daret illi cor tractabile. Alius ait, Dominum obdurasse cor Pharaonis per multa illa signa, quæ fecit in Aegypto, vnde ille non melior, sed peior redditus, etiam, cum apertam Dei sentiret virtutem, noluit ei dare gloriam.* [c] Sapientes & maleficos.] *Fecerunt per sapientes intelligi astrologos, per maleficos siue incantatores, præstigiatores, qui rem sub oculis intuentium immutent, per magos, eos, qui ex secretis naturæ mira agere possint.* [d] Feceruntq; similiter malefici.] *Sed vnde hauserint aquam, quam verterent in sanguinem, cum omnes aquæ iam sanguis essent? Opinantur quidam, aliunde virtute dæmonũ allatam. Sed facilior solutio est, si dicamus, eos accepisse aquam, de qua post paulo dicitur. Foderunt Aegyptij per circuitum fluminis aquam, vt biberent.* [e] Impleti sunt septem dies.] *Duravit hæc plaga sanguinis septem diebus.*

CAPVT VIII.

A DIxit quoq; Dominus ad Moysen. Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum. Hæc dicit Dominus. Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Si autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis. Et ebulliet fluuius ranas: quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lectuli tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuũ, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum: & ad te, & ad populũ tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ. Dixitq; Dominus ad Moysen. Dic ad Aaron. Extende manum tuam super fluuios ac super riuos & palu
B des, & educ ranas super terram Ægypti. Extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntq; terram Aegypti. Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter: eduxerũtq; ra- Sapie. 17. b
nas super terram Aegypti. Vocauit autem Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis. Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo: & dimittam populũ, vt sacrificet Domino. Dixitq; Moyses ad Pharaonẽ. [a] Cõstitue mihi quãdo deprecor pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranę à te, & à † domibus
C tuis, & tantum in flumine remaneant. Qui respondit. Cras. At ille. Iuxta, inquit, verbum tuũ faciã: vt scias, quoniam non est sicut Dominus Deus noster. Et recedent ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo: & tantum in flumine remanebunt. Egressiq; sunt Moyses & Aaron a Pharaone: & clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum, quam condixerat Pharaoni. Fecitq; Dominus iuxta verbum Moysi: & mortuę sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. Congregaueruntq; eas in immensos aggeres, & com
D putruit terra. Videns aũt Pharao, q̃ data esset requies: ingrauauit cor suum, & non audiuit eos, sicut præceperat Dominus. Dixitq; Dominus ad Moysen. Loquere ad Aaron. Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ: & [b] sint cyniphes in vniuersa terra Aegypti. Feceruntq; ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percussitq; puluerem terrę, & facti sunt cyniphes in hominibus & iumentis: omnis puluis terræ versus est in cyniphes per totã terrã Aegypti. Feceruntq; similiter malefici incantationibus suis, vt educerẽt cyniphes, & nõ potuerunt: erãtq; cyniphes tam in hominibus q̃ in iumentis. Et dixerũt malefici ad Pharao-
E nem. [c] Digitus Dei est hoc. Induratũq; est cor Pharonis, & nõ audiuit eos, sicut præceperat Dominus.
Dixit quoq; Dñs ad Moysen. Consurge diluculo, & sta corã Pharaone, egredietur enim ad aquas, & dices ad eum. Hęc dicit Dñs. Dimitte populũ meũ, vt sacrificet mihi. Quòd si nõ dimiseris eũ: ecce, ego immittã

in te,

in te,& in ſeruos tuos,& in populum tuum,& in domos tuas,[d] omne genus muſcarum:& implebuntur omnes domus Ægyptiorum muſcis diuerſi generis:& vniuerſa terra in qua fuerint. Faciamq; mirabilem in die
F illa terram Geſſen,in qua populus meus eſt,vt non ſint ibi muſcæ:vt ſcias quoniam ego Dominus in medio
Sapi. 16.b terræ. [c] Ponamq; diuiſionem inter populum meũ,& populum tuum:cras erit ſignum iſtud. Fecitq; Dominus ita.Et venit muſca grauiſſima in domos Pharaonis,& ſeruorum eius,& in omnem terram Ægypti: corruptaq; eſt terra ab huiuſcemodi muſcis.Vocauitq; Pharao Moyſen & Aaron,& ait eis.Ite & ſacrificate Deo
veſtro in terra hac.Et ait Moyſes. Non poteſt ita fieri: [f] abominationes enim Ægyptiorũ immolabimus Do
mino Deo noſtro? ꝙ ſi mactauerimus ea, quę colunt Ægyptij coràm eis,lapidibus nos obruent. Viam triũ
G dierum pergemus in ſolitudinem : & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis. Dixitq;
Supra 3.f Pharao. Ego dimittam vos, vt ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto : veruntamen longius ne abeatis,
rogate pro me. Et ait Moyſes. Egreſſus à te orabo Dominum, & recedet muſca á Pharaone, & á ſeruis ſuis,
& à populo eius cras : veruntamen noli vltrà fallere, vt non dimittas populum ſacrificare Domino. Egreſſusq; Moyſes à Pharaone, orauit Dominum. Qui fecit iuxta verbum illius,& abſtulit muſcas à Pharaone,&
à ſeruis ſuis, & á populo eius,non ſuperfuit ne vna quidem. Et ingrauatum eſt cor Pharaonis, ita vt nec hac
quidem vice dimitteret populum.

SCHOLIA.

[a] Conſtitue mihi.] *In Hebræo eſt. Gloriare ſuper me: vt ſit ſenſus. Gloriari poteris ac bono animo eſſe, quòd cum ego erauero pro te, auferendæ ſint ranæ: quòd ſi legas,conſtitue mihi,dictum erit, ne putarent,certa temporum obſeruatione miracula illa fieri : ſed intelligerent, omnia illa á diuina duntaxat virtute proficiſci.* [b] Et ſint ſcyniphes.] *Alij verterunt pediculos.Eſt autem genus quoddam exigui inſecti,ſed quod infeſtiſſimum eſſe ſolet, lædens cutem, & penetrans per nares, atque aures. Id opinor eſſe,quod experimur quibuſdam in locis,æſtuis noctibus moleſtiſſimum.* [c] Digitus Dei.] *Hebraiſmus eſt,pro potentia Dei:ſicut & manus, & brachium in Heb. lingua, ſæpe capitur pro potentia, & aliquando pro plaga. Obſerua verò Deum permiſiſſe,illos magos in duobus prioribus ſignis vim artis ſuæ exercere, in tertio verò, re tam exigua voluiſſe,vt deficerent. Fiunt autem hæc omnia,vt & piorum probetur fides, & impiorum audacia confundatur.* [d] Omne genus muſcarum.] *Alij verterunt,omne ferarum genus,vel,inſecta. Sed vocabulum Heb.propriè ſignificat mixturam collectam ex variis & multis ſpeciebus beſtiolarum, ſeu inſectorum.Quidam Heb.intelligunt etiam ſerpentes, & ſcorpiones,atque alia venenata animalia, feruntq; fuiſſe etiam incurſionem Leonum,Pardorum,Luporum,Serpentum,& ſimilium noxiarum beſtiarum.* [e] Ponamq; diuiſionem.] *Non diuiſionem Hebræi legunt, ſed redemptionem, vel liberationem, quæ ſit interſtitio ab hoſtibus ſeparante.* [f] Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro.] *Sic cum interrogatione legendum eſt, vt ſit ſenſus. Si ſacrificaremus Deo noſtro abominationem veſtram, veſtro ſilicet ritu, & more, qui nobis abominabilis eſt,offenderemus Deum noſtrum.Si vero abominationem noſtram,hoc eſt, ritu & more noſtro,qui Ægyptys abominatio eſt ſacrificaremus Deo noſtro coràm Ægyptys,nos lapidarent. Quidam Heb.ſic interpretantur.Iumenta Ægyptiorum ſunt dij eorum,quos ipſi timent,& ex illis nos ſacrificabimus coram Domino Deo noſtro : Vocat enim ſæpe ſcriptura deos gentium,abominationes. Colebant autem Ægyptij arietem , ideo ipſi abominabantur paſtores ouium,præſertim eos,qui veſcebantur carnibus ouium,aut caprarum.*

CAPVT IX.

A Dixit autem Dominus ad Moyſen.Ingredere ad Pharaonem,& loquere ad eum.Hęc dicit Dominus Deus Hebræorum. Dimitte populum meũ,vt † ſeruiat mihi.Quòd ſi adhuc renuis, & retines eos:
ecce manus † Domini eſt [a] ſuper gregem tuũ,qui eſt in agro,& ſuper equos, & aſinos , & camelos,
& oues,& boues peſtis valde grauis.Et faciet Dominus mirabile inter † pecora Iſrael, & pecora Ægyptiorũ,
vt nihil omnino pereat ex his,quæ pertinent ad filios Iſrael. Conſtituitq; Dominus tempus,dicens. Cras faciet Dominus verbum iſtud in terra . Fecit ergo Dominus verbũ hoc altera die:mortuaq; ſunt omnia † pe
B cora Ægyptiorum:de animalibus verò filiorum Iſrael nihil omnino perijt. Et miſit Pharao ad videndũ:nec
erat quicquam mortuum de his, quæ poſsidebat Iſrael.Ingrauatũq; eſt cor Pharaonis,& nõ dimiſit populũ.

Et dixit Dominus ad Moyſen,& Aaron.Tollite plenas manus cineris de camino & ſpargat illum Moyſes
in cœlum coram Pharaone.Sitq; puluis ſuper omnem terram Ægypti:erunt enim in hominibus, & iumen
tis [b] vlcera,& veſicæ turgentes in vniuerſa terra Ægypti.Tuleruntq; cinerem de camino,& ſteterunt coràm
Pharaone,& ſparſit illum Moyſes in cœlum:factaq; ſunt vlcera veſicarum turgentium in hominibus, & iu
mentis:nec poterant malefici ſtare coram Moyſe propter vlcera, quæ in illis erant,& in omni terra Ægypti. C
Indurauitq; Dominus cor Pharaonis : & non audiuit eos , ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen.

Dixitq; Dominus ad Moyſen.Manè cõſurge,& ſta coră Pharaone , & dices ad eum. Hæc dicit Dominus
Deus Hebræorum.Dimitte populum meũ, vt ſacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas
[c] ſuper cor tuum,& ſuper ſeruos tuos,& ſuper populum tuum : vt ſcias , ꝙ non ſit ſimilis me in omni terra.
Nunc enim extendens manum meam percutiam te,& populum tuum peſte, peribisq; de terra . Iccircò au-
Roma. 9.d tem [d] poſui te,vt oſtendam in te fortitudinem meam,& narretur nomen meum in omni terra. [e] Adhuc re- D
tines populum meum:& non vis dimittere eum? En pluam cras hac ipſa hora grandinem multam nimis:
qualis non fuit in Ægypto à die qua fundata eſt,vſque in præſens tempus.Mitte ergo iam nunc, & congrega
iumenta tua,& omnia,quæ habes in agro: homines enim,& iumenta,& † quæ inuenta fuerint foris,nec cõ
gregata de agris,ceciderit q; ſuper ea grando , morientur . Qui timuit verbum Domini de ſeruis Pharaonis,
fecit confugere ſeruos ſuos,& iumenta in domos: qui autẽ neglexit ſermonem Domini , dimiſit ſeruos ſuos
& iumenta in agris.Et dixit Dominus ad Moyſen.Extende manum tuam in cœlum , vt fiat grando in vni- E
Sapiẽ. 16.c uerſa terra Ægypti ſuper homines,& ſuper iumenta , & ſuper omnem herbam agri in terra Ægypti. Exten-
& 19.d ditq; Moyſes virgam in cœlum,& Dominus dedit tonitrua,& grandinẽ,ac diſcurrentia fulgura ſuper terrã:
pluitq;

pluitq; Dominus grandinem ſuper terram Ægypti. Et grando & ignis miſta pariter ferebãtur : tantaq; fuit
magnitudinis,quanta ante nunquam apparuit in vniuerſa terra Ægypti ex quo gens illa condita eſt. Et per-
F cuſsit grando in omni terra Ægypti cuncta,quę fuerunt in agris,ab homine vſq; ad iumentum , cunctamq;
herbam agri percuſsit grando,& omne lignũ regionis confregit.Tantũ in terra Geſſen, vbi erant filij Iſrael,
grando non cecidit.Miſitq; Pharao,& vocauit Moyſen & Aaron,dicens ad eos. Peccaui etiam nunc. Dominus,iuſtus:& ego & populus meus,impij. [f] Orate Dominum,vt † ſufficiat,& deſinant tonitrua Dei,& grando:vt dimittam vos,& nequaquam hic vltrà maneatis. Ait Moyſes.Cum egreſſus fuero de vrbe,extendã pal-
G mas meas ad Dominum,& ceſſabunt tonitrua,& grando non erit:vt ſcias quia Domini eſt terra . Noui autẽ
quòd & tu,& ſerui tui necdum timeatis Dominum deum. Linũ ergo,& hordeum læſum eſt, eò, [g] quòd hordeum eſſet virens , & linum iam folliculos germinaret. Triticum autem , & far non ſunt læſa,quia ſerotina
erant.Egreſſusq; Moyſes à Pharaone ex vrbe,tetendit manus ad Dominum:& ceſſauerunt tonitrua & grando,nec vltrà ſtillauit pluuia ſuper terram. Videns autem Pharao,quòd ceſſaſſet pluuia,& grando & tonitrua,
auxit peccatum:& ingrauatum eſt cor eius,& ſeruorum illius. Et induratum nimis , nec dimiſit filios Iſrael,
ſicut præceperat Dominus per manum Moyſi.

SCHOLIA.

[a] Super gregem tuum.] *Licet Ægyptij abſtinerent ab eſu animalium, nutriebant tamen ea propter ſeruitia & lanam.* [b] Vlcera & veſicæ turgentes.] *Hoc eſt,peſtis quædam tumens , & ardens inuaſit homines,& pecora, quæ ſupererant : nam ſuperius ea tantum pecora ſcribuntur interiiſſe,quæ in campo reperta ſunt.* [c] Super cor tuum.] *Hoc eſt,in medium tui,capitur enim nonnunquam cor pro medio.* [d] Poſui te.] *Hebraicè, feci te ſtare, nolens ſcilicet te illicò ob tuam impietatem exterminare,qui ſi non corrigere,ego interea conuertam obdurationem tuam in gloriam meam. Hunc locum aliter etiam expoſuimus in epiſtolam ad Romanos.* [e] Adhuc retines.] *Alius vertit , adhuc tu te eleuas in populum meum.* [f] Orate Dominum,& ſufficiat.] *Quidam Heb.exponunt ſic.Magnum coràm me eſt lucrum,quòd nõ ſint ſuper nos voces illæ execrandæ.* [g] Quòd hordeum eſſet virens.] *Vel,matureſceret, & in ſpicam creſceret.*

CAPVT X.

A Et dixit Dominus ad Moyſen.Ingredere ad Pharaonem: ego enim induraui cor eius , & ſeruorum illius:vt faciam ſigna mea hæc in eo,& narres in auribus filij tui, & nepotum tuorũ , quoties contriuerim Ægyptios,& ſigna mea fecerim in eis:& ſciatis quia ego Dñs. Introierũt ergo Moyſes & Aaron
ad Pharaonem,& dixerunt ei.Hęc dicit Dñs deus Hebræorũ,vſquequò nõ vis ſubijci mihi? dimitte populũ Sapie. 17.a
meũ,vt ſacrificet mihi.Sinautem reſiſtis,& non vis dimittere eũ:ecce ego inducam cras locuſtã in fines tuos:
quæ operiet ſuperficiẽ terre,ne quicquam eius appareat,ſed comedatur quod reſiduũ fuerit grandini,corro-
B der enim omnia ligna,quę germinant in agris.Et implebũt domos tuas,& ſeruorũ tuorũ , & omniũ Aegyptiorum,quantã non viderunt patres tui,et aui,ex quo orti ſunt ſuper terrã,vſq; in preſentem diẽ.Auertitq;
ſe,& egreſſus eſt à Pharaone. Dixerũt aũt ſerui Pharaonis ad eũ. Vſquequò patiemur hoc ſcandalũ? Dimitte homines,vt ſacrificent Domino deo ſuo,nõne vides,ꝙ perierit Ægyptus? Reuocaueruntq; Moyſen, &
Aaron ad Pharaonẽ: qui dixit eis.Ite,ſacrificate Domino deo veſtro, Quinam ſunt,qui ituri ſunt? Ait Moy-
C ſes.Cũ paruulis noſtris,& ſenioribus pergemus,cũ filijs,& filiabus,cũ ouibus,& armentis : eſt enim ſolennitas Domini Dei noſtri.Et reſpondit Pharao. [a] Sic Dominus ſit vobiſcum,quomodo ego dimittã vos,& paruulos veſtros:cui dubium eſt,ꝙ peſsimè cogitetis? Nõ fiat ita, ſed ite tantũ viri , & ſacrificate Domino: hoc
enim & ipſi petiſtis.Statimq; eiecti ſunt de cõſpectu Pharaonis. Dixit autem Dominus ad Moyſen. Extende manũ tuã ſuper terram Aegypti ad locuſtam,vt aſcendat ſuper eam,& deuoret omnem herbam, quæ reſidua fuerit grandini.Et extendit Moyſes virgam ſuper terram Aegypti: & Dominus induxit ventũ † orien-
E talem tota die illa,& nocte:& manè facto,ventus † ille orietalis leuauit locuſtas.Quę aſcenderũt ſup vniuerſam terrã Aegypti:& ſederunt in cũctis finibus Aegyptiorũ † grauiſsimę , quales ante illud tẽpus nõ fuerũt,
nec poſtea futuræ ſunt.Operueruntq; vniuerſam ſuperficiẽ terræ, † vt teneb reſceret terra. Deuorata eſt igitur herba terræ,& quicquid pomorum in arboribus fuit,quę grando dimiſerat: nihil quoq; omnino virens
relictũ eſt in lignis,& in herbis terrę,in cuncta Aegypto. Quam ob rem feſtinus Pharao vocauit Moyſen &
Aaron , & dixit eis.Peccaui in Dominũ deum veſtrum, & in vos:ſed nunc dimitte peccatũ mihi etiã hac vice,& rogate Dominum deum veſtrũ,vt auferat à me † tantũ mortẽ iſtã . Egreſſusq;, eſt Moyſes de cõſpectu
F Pharaonis,& orauit Dominum.Qui flare fecit ventũ ab occidente vehementiſsimũ , & arreptã locuſtã proiecit [b] in mare rubrũ:nõ remanſit nec vna quidẽ in cũctis finibus Aegypti. Et indurauit Dominus cor Pharaonis,nec dimiſit filios Iſrael. Dixit autẽ Dominus ad Moyſen.Extende manum tuã in cœlũ : & ſint tenebrę ſuper terram Aegypti tam denſę,[c] vt palpari queant.Extenditq; Moyſes manũ in cœlũ:& factæ ſunt tene-
brę horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus.Nemo vidit fratrẽ ſuũ,nec mouit ſe de loco in quo Sapiẽ. 17.a
G erat:vbicũq; autẽ habitabant filij Iſrael,lux erat. Vocauitq; Pharao Moyſen † & ait.Ite , ſacrificate Domi- Sapi. 18.a
no: oues tantũ veſtrę,& armẽta remaneãt,paruuli veſtri eant vobiſcũ.Ait Moyſes.Hoſtias quoq; & holocauſta dabis nobis,[d] quę offeramus Domino deo noſtro. Cũcti greges pergẽt nobiſcũ : nõ remanebit ex eis vngula,quæ neceſſaria ſunt in cultum Domini dei noſtri:præſertim cũ ignoremus quid debeat immolari: donec ad ipſum locum perueniamus.Indurauit autẽ Dominus cor Pharaonis,& noluit dimittere eos. Dixitq;
Pharao ad Moyſen. Recede à me,& caue ne vltrà videas faciem meam:quocunq; die apparueris mihi , morieris.Reſpondit Moyſes.Ita fiat,vt locutus es, [e] non videbo vltrà faciem tuam.

SCHOLIA.

[a] Sic Dominus ſit vobiſcum.] *Senſus eſt, ita Dominus vobis faueat , ſicut ego vos cum paruulis veſtris ſum dimiſſurus , quaſi dicat,nullo modo hoc permittam. Imprecatur ergo illis ironicè Dei auxilium.* [b] In mare rubrum.] *Vocant Hebræi*

Hebræi mare rubrum, mare Suph, hoc est, procelloſum, vel fruticoſum: nam vox Heb. ſignificat, & procellam, & fruticem, ſeu caricem. [c] Vt palpari queant.] *Hyperbole eſt, non enim tenebræ, quantumlibet denſæ, palpari poſſunt: cum præter nudam lucis priuationem nihil ſint.* [d] Quæ offeramus.] *Vel, quæ faciamus, quod is imitatus eſt, qui dixit. Cum faciam Vitulam. Capitur enim facere pro offerre, ſicut & ſeruire pro ſacrificare, nam quod paulo ante ait. Ite ſacrificate Domino, in Heb. eſt. Ite ſeruite Domino.* [e] Non videbo vltra faciem tuam.] *Tanquam dicat, non amplius blandiar tibi, ſed tu potius mihi.*

CAPVT XI.

ET dixit Dominus ad Moyſen. Adhuc vna plaga tangam Pharaonem & Ægyptum, & poſt hæc dimittet vos † perfecta dimiſsione, & exire compellet. Dices ergo omni plebi, vt poſtulet vir ab amico ſuo, & mulier à vicina ſua vaſa argentea & aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo ſuo coràm Ægyptijs. Fuitq; Moyſes vir magnus valde in terra Ægypti coràm ſeruis Pharaonis, & omni populo. [a] Et ait. Hæc dicit Dominus. Media nocte egrediar in Ægyptum: & morietur omne primogenitũ in terra Ægyptiorum, à primogenito Pharaonis qui ſedet in ſolio eius, vſq; ad primogenitũ ancillę, quæ eſt ad molam, & omnia primogenita iumẽtorũ. Eritq; clamor magnus in vniuerſa terra Ægypti, qualis nec antè fuit, nec poſtea futurus eſt. Apud omnes autem filios Iſrael non mutiet canis ab homine vſq; ad pecus, vt ſciatis quanto miraculo diuidat Dominus Ægyptios & Iſrael. Deſcendentq; omnes ſerui tui iſti ad me, & adorabunt me, dicentes. Egredere tu & omnis populus qui ſubiectus eſt tibi: poſt hæc egrediemur. Et exiuit à Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moyſen. Non audiet vos Pharao, vt multa ſigna fiant in terra Ægypti. Moyſes autem & Aaron fecerunt omnia ſigna & oſtẽta, quæ ſcripta ſunt, coràm Pharaone: & indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimiſit filios Iſrael de terra ſua.

Sup. 3.g Infra. 12.c Eccl. 45.a

SCHOLIA.

[a] Et ait.] *Quando ſcilicet adhuc ſtabat coràm Pharaone: non enim poſtea reuerſus erat, quàm ei dixerat Pharao, caue ne vltrà videas faciem meam. Obſerua verò, tum demum impios conſequi ſupremum interitum, cum à ſe viros ſanctos eiecerint.*

CAPVT XII.

DIxit quoq; Dominus ad Moyſen & Aaron in terra Ægypti. [a] Menſis iſte, vobis principium menſiũ, primus erit in mẽſibus anni. Loquimini ad vniuerſum cœtum filiorum Iſrael, & dicite eis. Decima die menſis huius tollat vnuſquiſq; agnũ per familias & domos ſuas. Sin autem minor eſt numerus † quàm vt ſufficere poſsit ad veſcendum agnum, aſſumet vicinum ſuum qui coniũctus eſt domui eius, iuxta numerum animarum, quæ ſufficere poſſunt ad eſum agni. Erit autem agnus abſq; macula, maſculus anniculus. Iuxta quem ritum tolleris & hœdum, & ſeruabitis eum vſq; ad quartãdecimam diem menſis huius: immolabitq; eum vniuerſa multitudo filiorum Iſrael [b] ad veſperam. Et ſument de ſanguine eius, ac ponent ſuper vtrunq; poſtem, & in ſuperliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa aſſas igni, & azymos panes, [c] cum lactucis agreſtibus. Non comederis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igni: caput cum pedibus eius & inteſtinis vorabitis. [d] Nec remanebit quicquam ex eo vſq; manè: ſi quid vſq; manè reſiduum fuerit, igne cõburetis. Sic aũt comedetis illũ. Renes veſtros accingetis, et calceamẽta veſtra habebitis in pedibus, tenẽtes baculos in manibus, et comedetis feſtinãtes: eſt enim phaſe, id eſt tranſitus Domini. Et tranſibo per terram Ægypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitum in terra Ægypti ab homine vſq; ad pecus, [e] & in cunctis dijs Ægypti faciã iudicia, ego Dominus. Erit autem ſanguis vobis in ſignum in ædibus in quibus eritis: & videbo ſanguinẽ & tranſibo vos: nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terrã Ægypti. Habebitis aũt hunc diem in monimentũ: & celebrabitis eã ſolennem Domino in generationibus veſtris cultu ſempiterno. Septem diebus azyma comedetis, in die primo nõ erit fermentũ in domibus veſtris: quicũq; comederit fermentatũ, peribit anima illa de Iſrael, à primo die vſq; ad diem ſeptimũ. Dies prima erit [f] † cõuocatio ſancta, † & dies ſeptima eadẽ feſtiuitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quę ad veſcendũ pertinẽt. Et obſeruabitis azyma: in eadem enim ipſa die educam exercitũ veſtrũ de terra Ægypti, & cuſtodietis diem iſtum in generationes veſtras ritu perpetuo. Primo menſe, quartadecima die menſis ad veſperã comedetis azyma vſq; ad diem viceſimam primã eiuſdẽ menſis ad veſperam. Septem diebus fermentatũ non inuenietur in domibus veſtris: qui comederit fermẽtatum, peribit anima eius de cœtu Iſrael, tàm [g] de aduenis quàm de indigenis terræ, Omne fermentatũ non comedetis: in cunctis habitaculis veſtris edetis azyma. Vocauit autem Moyſes omnes ſeniores filiorũ Iſrael, & dixit ad eos. Ite tollentes animal per familias veſtras, & immolate phaſe. Faſciculumq; hyſſopi tingite in ſanguine qui † fuerit in pelui, & aſpergite ex eo ſuperliminare, & vtrunq; poſtem: nullus veſtrum egrediatur oſtium domus ſuę vſq; manè. Tranſibit enim Dominus percutiẽs Ægyptios. Cumq; viderit ſanguinem in ſuperliminari & in vtroq; poſte, tranſcendet oſtium domus, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras & lędere. Cuſtodi verbum iſtud legitimum tibi & filijs tuis vſque in æternum. Cumq; introieritis terram quam Dominus Deus daturus eſt vobis vt pollicitus eſt, obſeruabitis [h] ceremonias iſtas. Et cum dixerint vobis filij veſtri. Quæ eſt iſta religio? dicetis eis. Victima tranſitus Domini eſt, quando tranſiuit ſuper domos filiorum Iſrael in Ægypto percutiens Ægyptios: & domos noſtras liberans. Incuruatusq; populus adorauit. Et egreſsi filij Iſrael fecerunt ſicut præceperat Dominus Moyſi & Aaron. Factũ eſt autẽ in noctis medio, percuſsit Dominus omne primogenitũ in terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in ſolio eius ſedebat, vſque ad primogenitum captiuę, quę erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexitq; Pharao nocte & omnes ſerui eius, cunctaq; Ægyptus: & ortus eſt clamor magnus in Aegypto: neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus. Vocatisq; Pharao, Moyſe & Aaron nocte, ait. Surgite, egredimini

Leui. 23.a Num. 28.c

Hebr. 11.c

Sapiẽ. 18.b

dimini à populo meo, & vos & filij Iſrael: ite & immolate Dño ſicut dicitis. Oues veſtras & armenta aſſumite vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Vrgebantq; Ægyptij populũ de terra exire velociter: dicentes. Omnes moriemur. Tulit igitur populus conſperſam farinam antequam fermentaretur: & ligans in pallijs poſuit ſuper humeros ſuos. Feceruntq; filij Iſrael ſicut præceperat Dñs Moyſi, & petierunt ab Ægyptijs vaſa argentea & aurea, veſtemq; plurimam. Dominus autẽ dedit gratiam populo coràm Ægyptijs vt commodarent eis: & ſpoliauerunt Ægyptios. Profectiq; ſunt filij Iſrael de Rameſſe in Socoth ſexcenta ferè millia peditũ virorũ abſq; paruulis. † Sed & vulgus [i] promiſcuũ innumerabile aſcendit cũ eis, oues & armenta † grex magnus valde. Coxerũtq; farinam quam dudum de Ægypto conſperſam tulerant: & fecerunt ſubcinericios panes azymos, neq; enim poterat fermẽtari cogẽtibus exire Ægyptijs, & nullam facere ſinentibus moram: nec pulmenti quicquam occurrerat preparare. Habitatio autem filiorũ Iſrael [k] qua manſerunt in Ægypto, fuit quadringentorũ triginta annorũ. Quibus expletis, eadẽ die egreſſus eſt omnis exercitus Dñi de terra Ægypti. Nox iſta eſt obſeruabilis Dñi, quando eduxit eos de terra Ægypti: hanc obſeruare debent omnes filij Iſrael in generationibus ſuis. Dixitq; Dominus ad Moyſen & Aaron. Hæc eſt religio phaſe. Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autem ſeruus emptitius circuncidetur, & ſic comedet. Aduena & [l] mercenarius non edent ex eo. In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis. Omnis cœtus filiorũ Iſrael faciet illud. Quòd ſi quis peregrinorũ in veſtram voluerit trãſire coloniam, & facere phaſe Dñi, circuncidetur prius omne maſculinũ eius, & tunc ritè celebrabit: eritq; ſicut indigena terrę. Si quis autem circunciſus non fuerit, nõ veſcetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos. Feceruntq; omnes filij Iſrael ſicut præceperat Dominus Moyſi & Aaron. Et eadem die eduxit Dominus filios Iſrael de terra Ægypti per turmas ſuas.

Sup. 11.a

Num. 9.b Ioan. 19.f

SCHOLIA.

[a] Menſis iſte.] *Hic eſt menſis, qui poſtea Chaldaico vocabulo Niſan eſt appellatus, & reſpondet plerunq; Martio noſtro: plerunq; inquam, nam initium eius aliquando præcedit, aliquando ſequitur æquinoctium vernale, ſecundum quòd annus embolimicus propè vel longè abfuerit.* [b] Ad veſperam.] *In Heb. eſt, inter veſperas. Intelligitur autem mixtura illa diei & noctis, quæ ſcilicet mox poſt occaſum ſolis contingit, & putant quidam primam eſſe veſperam, tempus illud, quod mox ſequitur poſt occaſum ſolis, et alteram tempus illud, quando radij ſolares poſt ſolis occaſum amplius in nubibus videri nequeunt, vt ſit prima veſpera ſolis, altera veſpera radiorum ſolis: quarum intercapedinem veſperarum ferunt hora integra durare cum tertia parte horæ. Intra illud tempus exituri erant de Ægypto. Myſteriorum autem enarratio, quibus hic ſcriptura grauida eſt, longior eſt, quàm vt hic arctari debeat.* [c] Cum lactucis agreſtibus.] *Vel, cum amaritudinibus, per quas intelliguntur omnes amaræ, & ſubacerbæ herbæ, quarum ſuſtu Iudæi recolere debuerunt ſeruitutem, de qua Deus ipſos liberauit.* [d] Nec remanebit.] *Qui ſacrificium Paſchæ immolant Deo, ſub eodem die comedere iubentur, non præteriti diei carnibus veſci, hoc eſt, non legis literam ſequi, quæ præceſſit.* [e] Et in cũctis dijs.] *Exponunt Hebræi, erroneos & factitios Deos, qui per iudicium Dei, vt vani confuſi ſunt, & ad terram proſtrati.* [f] Conuocatio ſancta.] *Hoc eſt, dies ſolennis, in qua conuenire iubentur.* [g] De aduenis.] *Vocant Hebræi vno modo aduenam, ſiue peregrinum, qui eſt ex obſcura progenie, & non conſtat, ex qua familia prodierit, contrà verò, indigenam, clarum proſapia, cuius maiores longo tempore vrbem aliquam incoluerint. Alio modo accipiunt aduenam pro eo, qui è paganiſmo ad iudaiſmum eſt conuerſus, de quo in Leuitico.* [h] Ceremonias iſtas.] *Quidam Hebr. colligunt ex hoc loco ſolum in terra Iſrael mactandum agnum Paſchalem.* [i] Vulgus promiſcuum.] *Hebraicè, mixtura, ſcilicet peregrinorum: hoc eſt, qui relicto paganiſmo ad iudaiſmum converſi mixti ſunt inter Iudæos.* [k] Qua manſerunt in Ægypto.] *In hoc numero quadringentorum triginta annorum collocantur omnes illi anni, qui fluxerunt ab eo tempore, quo dictum eſt ad Abraham. Peregrinum erit ſemen tuũ in terra non ſua, &c. Sic Hebræi hunc nodum ſoluunt, nam tempus, quo fuerunt in Ægypto, ſunt tantum ducenti & decem anni.* [l] Mercenarius.] *Hoc eſt, gentilis & incircunciſus.*

CAPVT XIII.

A LOcutuſq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filijs Iſrael, tam de hominibus quàm de iumẽtis: mea ſunt enim omnia. Et ait Moyſes ad populum. Mementote diei huius in qua egreſsi eſtis de Ægypto & de domo ſeruitutis, quoniam in manu forti eduxit vos Dominus de loco iſto: vt non comedatis fermentatum panem. Hodie egredimini [a] menſe nouarum frugum. Cumq; introduxerit te Dominus in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Heuæi, & Iebuſæi, quam iurauit patribus tuis, vt daret tibi terram fluentem lacte & melle, celebrabis hunc morem ſacrorum menſe iſto. Septem diebus veſceris azymis: & in die ſeptimo erit ſolennitas Domini. Azyma comedetis ſeptem diebus: non apparebit apud te aliquid fermentatum, nec † fermentum in cunctis finibus tuis. Narrabisq; filio tuo in die illo, dicens, Hoc eſt quod fecit mihi Dominus quando egreſſus ſum de Ægypto. [b] Et erit quaſi ſignum in manu tua, & quaſi monimentum ante oculos tuos: & vt lex Domini, ſemper ſit in ore tuo: in manu enim forti eduxit te Dominus de Ægypto. Cuſtodies huiuſcemodi cultum ſtatuto tempore [c] à diebus in dies. Cumq; introduxerit te Dominus in terram Chananæi, ſicut iurauit tibi & patribus tuis, & dederit tibi eam: ſeparabis omne quod aperit vuluam Domino, [d] & quod primitiuum eſt in pecoribus tuis: quicquid habueris maſculini ſexus, cõſecrabis Domino. Primogenitum aſini [e] mutabis oue: quod ſi non redemeris, interficies. Omne autem primogenitum hominis de filijs tuis, pretio redimes. Cumq; interrogauerit te filius tuus cras, dicens. Quid eſt hoc? reſpondebis ei. In manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti, de domo ſeruitutis. Nam cum induratus eſſet Pharao, & nollet nos dimittere, occidit Dominus omne primogenitũ in terra Ægypti à primogenito hominis, vſq; ad primogenitum iumentorũ: iccircò immolo Domino omne, quod aperit vuluam maſculini ſexus, & omnia primogenita filiorum meorum redimo. Erit igitur quaſi ſignum in manu tua, [f] & quaſi appenſum quid, ob recordationem,

Infra 34.c Num. 8.c Luc. 2.d

ante oculos tuos,eò quòd in manu forti eduxit nos Dominus de Ægypto. Igitur cũ emisisset Pharao popu- D
lum,non eos eduxit Dominus per viã terræ Philisthijm quę vicina est:reputãs ne fortè pœniteret eum,si vi-
disset aduersum se bella consurgere,& reuerteretur in Ægyptum.Sed circumduxit per viam deserti,quæ est
Gene. 50.d Num. 14 c 1.Cor. 10.a Nem. 9.a iuxta mare rubrum:& armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti. Tulit quoq; Moyses ossa Ioseph secũ:
eò quòd adiurasset filios Israel,dicens. Visitabit vos Deus,efferte ossa mea hinc vobiscum. Profectiq; de So-
coth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. Dominus autem precedebat eos ad ostendẽ
dam viam per diem in columna nubis,& per noctẽ in columna ignis: vt dux esset itineris vtroq; tempore.
Nunquam defuit columna nubis per diem,neq; columna ignis per noctem,coràm populo.

SCHOLIA.

[a] Mense nouarum frugum.] *Vel,mẽse matureſcentis frugis,& capitur pro illo tẽpore,quo fruges ad maturitatem tẽ dunt:quod in terra promissionis sit,proxima lunatione post æquinoctium Vernum,hoc est,in principio aprilis:errant ergo, qui Verterunt,in mense Iuly.* [b] Et erit signum in manu tua.] *Signum in manu, & monimentum ante oculos, idiotismus est Hebraicus quotidiani exercitij,& meditandæ legis diuinæ,& per rectè facta exercẽdæ.* [c] A diebus in dies.] *Hoc est, per singulos annos:accipiuntur enim dies in scriptura non raro pro anno.* [d] Et quod primitiuum est.] *Alius Vertit,& quodcunque eiectitium primò aperuerit pecudem,Vt sit sensus,si tibi fuerit iumentum,cuius Verum fœtus aliquis, etiam immaturus,primò aperuerit,isque masculini fuerit sexus,Domini erit.* [e] Mutabis que.] *Aly Verterunt,agno, Vel hœdo.* [f] Et quasi appensum quid.] *Vel monimentum ferunt frontalem quãdam esse schedam,quæ inter oculos, hoc est,super oculos fronti affigitur,pertingens ab aure vsque ad aurem,in qua certæ quædam sententiæ scribuntur, nempe hæ.Sanctifica mihi omne primogenitũ adaperiens Vuluam,&c.& Audi Israel,Dominus Deus noster,Dominus Vnus est. &c. Atque hic miris Vtuntur superstitionibus,nam hæc membranula sit oportet de animali mundo,scribenda dextera manu,lineæ rectissimæ,charta integra sine Vllo foramine,scribique debet ex illa parte,qua carni pecudis membranula coniuncta fuit. Hæc si in cubili fuerit,non licet thoro frui,nisi intra tertium clausa fuerit scrinium,multa q; alia ridicula. At hæc nolebat Dominus, sed Vt oculi suorum fidelium tugicer Versarentur circa legem suam.*

CAPVT XIIII.

LOcutus est autem Dominus ad Moysen,dicens. Loquere filijs Israel.Reuersi castrametẽtur è regione A
Phihahiroth quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon, in conspectu eius castra ponetis su-
per mare.Dicturusq; est Pharao super filijs Israel.Coarctati sunt in terra:cõclusit eos desertum. Et in-
durabo cor eius ac persequetur vos:& glorificabor in Pharaone & in omni exercitu eius: scientq; Ægyptij
quia ego sum Dominus.Feceruntq; ita.Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quòd fugisset populus.Immuta
tumq; est cor Pharaonis & seruorum eius super populum, & dixerunt. Quid voluimus facere vt dimitteremus Israel,ne seruiret nobis?Iunxit ergo currum,& omnem populum suum assumpsit secum.Tulitq; sexcẽ B
1. Macha. 4.a tos currus electos,& quicquid in Ægypto curruũ fuit, & duces totius exercitus. Indurauitq; Dominus cor
Pharaonis regis Ægypti,& persecutus est filios Israel,at illi egressi erant in manu excelsa.Cumq; persequerẽ
tur Ægyptij vestigia præcedentium,repererunt eos in castris super mare:omnis equitatus & currus Pharao-
nis,& vniuersus exercitus erant in Phihahiroth contra Beel sephon.Cumq; appropinquasset Pharao,leuantes filij Israel oculos,viderunt Ægyptios post se:& timuerunt valde,clamaueruntq; ad Dominũ,& dixerunt C
ad Moysen. [a] Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine: quid
hoc facere voluisti,vt educeres nos ex Ægypto?Nonne iste est sermo quem loquebamur ad te in Ægypto,di
centes. Recede à nobis vt seruiamus Ægyptijs? multò enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudi-
ne. Et ait Moyses ad populum. Nolite timere:state,& videte † salutem Domini † quã vobis facturus est ho-
die. Ægyptios enim,quos nunc videtis,nequaquam vltrà videbitis vsq; in sempiternum. Dominus pugna- D
bit pro vobis, [b] & vos tacebitis. Dixitq; Dominus ad Moysen. Quid clamas ad me? loquere filijs Israel vt
proficiscantur.Tu autem eleua virgam tuam,& extende manum tuam super mare,& diuide illud:vt gradiãtur filij Israel in medio mari per siccum.Ego autem indurabo cor Ægyptiorum vt persequantur vos:& glo-
Sapiẽ. 19.d & 18.a Pſal. 77. b & 104.d rificabor in Pharaone,& in omni exercitu eius,& in curribus & in equitibus illius. Et scient Ægyptij quia
ego sum Dominus:cum glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus eius. Tollensq; se
angelus Domini qui precedebat castra Israel,abijt post eos:& cum eo pariter columna nubis, priora dimit- E
tens post tergum stetit,inter castra Ægyptiorum & castra Israel, & erat nubes [c] tenebrosa & illuminans no-
ctem,ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent.Cumq; extẽdisset Moyses manum su-
per mare,abstulit illud Dñs,flante vento † orientali vehementi † tota nocte,& vertit in siccum : diuisaq; est
aqua.Et ingressi sunt filij Israel per mediũ sicci maris:erat enim aqua quasi murus à dextra eorum & leua.
Persequentesq; Ægyptij ingressi sunt post eos,& omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites per me- F
Eccl. 39.c Hebr. 11.c Iudith 5. b Pſal. 77.d Sapi. 18.b dium maris.Iamq; aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum [d] per
columnam ignis & nubis,† perturbauit exercitum eorum,& subuertit rotas curruum,ferebanturq; in pro-
fundum. Dixerunt ergo Ægyptij. Fugiamus Israelẽ. Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Do-
minus ad Moysen.Extende manum tuam super mare:vt reuertãtur aquæ ad Ægyptios super currus & equi-
tes eorũ. Cumq; extendisset Moyses manum cõtra mare, reuersum est † [e] cum lux matutina iã altius emer-
geret:fugientibusq; Ægyptijs occurrerunt aquæ,& inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Reuersæq; G
sunt aquæ,& operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis,qui sequentes ingressi fuerant mare:
nec vnus quidem superfuit ex eis.Filij autem Israel perrexerũt per mediũ sicci maris,& aquæ eis erant quasi
pro muro à dextris & à sinistris:liberauitq; Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum. Et viderunt
Ægyptios mortuos super litus maris,& manum magnam,quam exercuerat Dominus contra eos: timuitq;
populus Dominum,& crediderunt Domino,& Moysi seruo eius.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Forsitan non erant sepulchra.] *Hæc verba dicebant impy,qui erant in multitudine: prudentiores Verò inuocauerunt Dominum.* [b] Et vos tacebitis.] *Mirari aliquis posset,cur tot millia Iudæorum non restiterint hosti insequenti. Sed respondent Hebræi,illos non assuetos fuisse rebus bellicis,& præterea à iuuentute fuisse tyrannide oppressos, & sub metu regis enutritos,quæ omnem illis virilem ademerant animum.Vbi obserua.ante quàm populus comederet panem de cœlo, & biberet aquam è petra,dictum esse ei,Dominus pugnabit pro vobis,post Verò & ipse pugnet.* [c] Tenebrosa & illuminans noctem.] *Columna illa,quæ ex parte Israel nocte illuminabat,erat ex parte Aegyptiorũ nubes obscura atq; tenebrosa.* [d] Per colũnam ignis & nubis.] *Vertit se cum colũna ignis contra Aegyptios,in magnũ illorum terrorem,et tumultum,& nolentes coegit ire in profundiores aquas,Vt quidam exponunt. Sic exponunt,quòd sustulerit à curribus rotas, Vt equi illos non nisi cũ magna uehemẽtia trahere possent.* [e] Cũ lux matutina.] *Hebraismus habet. Aspiciente mane ad fortitudinẽ suã.*

CAPVT XV.

A TVnc cecinit Moyses & filij Israel [a] carmen hoc Domino,& dixerũt. Cantemus Domino : glorioscè
enim magnificatus est,equum & ascensorem deiecit in mare.Fortitudo mea, & laus mea Dominus:
& factus est mihi in salutem:iste Deus meus & glorificabo eum. Deus patris mei & exaltabo eum. Sapiẽ. 10.d
Dominus quasi vir pugnator.† Dominus nomen eius.Currus Pharaonis,& exercitum eius proiecit in mare: Esa. 12.a
electi principes eius submersi sunt in mari rubro. Abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi Sal.117.c
lapis.Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine:dextera tua Domine percussit inimicũ. Et in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos:misisti iram tuam,quæ deuorauit eos sicut stipulam. Et in spi-
ritu furoris tui congregatæ sunt aquæ : stetit † quasi cumulus vnda fluens,† coagulatæ sunt abyssi in medio
B mari.Dixit inimicus.Persequar & comprehendam:diuidam spolia , implebitur anima mea:euaginabo gladium meum,interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus,& operuit eos mare:submersi sunt quasi plumbũ in aquis vehemẽtibus.Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui?magnificus in sanctitate,[b] ter
ribilis atq; laudabilis,faciens mirabilia.Extendisti manum tuã,et deuorauit eos terra.Dux fuisti in misericordia tua populo quẽ redemisti,& portasti eum in fortitudine tua,ad habitaculum sanctum tuũ.† Audiuerunt
populi,& irati sunt,dolores obtinuerunt habitatores Philistijm. Tunc conturbati sunt principes Edom,robustos Moab obtinuit tremor:obriguerunt oẽs habitatores Chanãan.Irruat super eos formido & pauor : in
magnitudine brachij tui fiant ĩmobiles quasi lapis:donec ptranseat populus tuus Domine,donec pertrãseat
C populus tuus iste,quẽ possedisti.Introduces eos,& plantabis [c] in monte hæreditatis tuæ,firmissimo habitaculo tuo,quod operatus es Domine:sanctuarium tuũ Domine,quod firmauerunt manus tuæ.Dominus regna
bit in æternũ & vltrà.Ingressus est enim eques Pharao cũ curribus & equitibus eius in mare , & reduxit sup
eos Dominus aquas maris: filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius. Sumpsit ergo Maria
prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua:egressæq; sunt oẽs mulieres post eã cum tympanis & cho-
ris,[d] quibus præcinebat,dicens. Cantemus Domino:glorioscè enim magnificatus est,equum & ascensorem
deiecit in mare.Tulit aũt Moyses Israel de mari rubro,& egressi sunt in desertum Sur : ambulaueruntq; tri-
D bus diebus per solitudinem,& non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara:nec poterant bibere aquas de
Mara,eò quòd essent amaræ:vnde & congruum loco nomen imposuit,vocans illum Mara,id est amaritudi- Iudith 5. c
nẽ.Et murmurauit populus contra Moysen,dicens.Quid bibemus? At ille clamauit ad Dominũ,qui [e] ostendit ei lignum:quod cum misisset in aquas,in dulcedinem versæ sunt:[f] ibi constituit ei præcepta,atq; iudicia, & ibi tentauit eum,dicens. Si audieris vocem Domini Dei tui , & quod rectum est coram eo feceris , & obedieris mandatis eius,[g] custodierisq; omnia præcepta illius,cunctum langorẽ,quem posui in Aegypto,[h] non inducam super te.Ego enim sum Dominus Deus sanator tuus. Venerunt autem in Elim filij Israel,vbi erant Num.33.b
[i] duodecim fontes aquarum,& septuaginta palmæ,& castrametati sunt iuxta aquas.

SCHOLIA.

[a] Carmen hoc.] *In Hebreo ponuntur ferè omnia Verba, quæ in hoc cantico scribuntur,in futuro tempore : sed quod non raro apud prophetas loco præteriti capitur. Ferunt aũt scriptum hoc carmen heroico metro:totum certè spirat illum poeticam, plerunque est maiestatis et gratiæ.* [b] Terribilis , atq; laudabilis.] *Alij uerterunt. Terribilis laudibus, hoc est,terribilis quoque es cum laudaris:cum nemo mortalium te satis laudare queat.* [c] In monte hæreditatis tuæ.] *Ipse est mons Sion.* [d] Quibus præcinebat] *Hebreus textus habet:& respondit illis Maria, Mosi scilicet,atque alys præcinentibus: Vt enim illi dixerunt.Cantate Domino,gloriosè enim magnificatus est: sic quoque illa pariter prorupit in laudem.* [e] Ostendit illi lignum.] *Heb.intelligunt:Deum docuisse illum Vim & naturam ligni, sicut & postea Salomonem docuit naturas & proprietates omnium herbarũ,de quibus ille quoque fertur librũ scripsisse:sed quia is uenerat in abusum,& multi fiduciã suam magis in herbas posuerant,quàm in Deum,abstulit Ezechias librũ illum,ne posteri peius aberrarent,et in morbis nõ ad eum prius,quàm ad herbas recurrerent.* [f] Ibi constituit ei præcepta.] *Moses populo præscribit in Mara quasdam leges,atque iudicia,in quibus exercerentur,& probarentur.* [g] Custodierisq; omnia præcepta.] *Vel,statuta:& exponunt Heb.cõmuniter pro illis statutis,quæ non habent Vllã rationem,quare Deus illa obseruanda imposuerit:Vt est esus carnis suillæ:Vestis ex lana & lino contexta,& similia multa.* [h] Non inducam super te.] *Hic subintelligendum est, si autem induxero super te,ecce ego sanator et medicus tuus sum* [i] Duodecim fontes.] *Exercitus Israelitarũ adumbrat cœtum fidelium, cuius dux est Christus,qui duodecim apostolos & lxx.discipulos elegit,per quos doctrina cœlesti omnes nutrirentur &c.*

CAPVT XVI.

A PRofectiq; sunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter
Elim & Sinai: [a] quintodecimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Egypti. Et mur- Sapiẽ. 1.a
murauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine. Dixeruntq; fi-
lij Israel ad eos. Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Aegypti, quando sedebamus super

ollas carnium,& comedebamus panem in saturitate:cur induxistis nos in desertum istud,vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen.Ecce ego pluam vobis panes de cœlo:egrediatur populus,& colligat,quæ sufficiunt per singulos dies: [b] vt tentẽ eũ,vtrũ ambulet in lege mea,an non.Die B
autem sexto parent quod inferant:& sit duplum q̃ colligere solebant per singulos dies. Dixeruntq; Moyses & Aaron ad omnes filios Israel.Vespere scietis,q̃ Dominus eduxerit vos de terra Ægypti. Et manè videbitis gloriã Domini:audiuit enim murmur vestrũ cõtra Dominum:nos verò quid sumus, quia mussitastis cõtra nos? Et ait Moyses.Dabit vobis Dñs vespere carnes edere,& manè [c] panes in saturitate eò, q̃ audierit murmuratiões vestras,quibus † murmuraſtis cõtra eũ.Nos enim quid sumus? nec cõtra nos est murmur vestrũ,
sed contra Dñm.Dixit quoq; Moyses ad Aaron.Dic vniuersæ congregationi filiorũ Israel. Accedite coràm C
Eccl. 45.a Domino:audiuit enim murmur vestrũ. Cũq; loqueretur Aaron ad omnẽ cœtũ filiorũ Israel, respexerũt ad solitudinẽ:& ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus est autẽ Dominus ad Moysen, dicens. Audiui murmurationes filiorũ Israel,loquere ad eos.Vespere comedetis carnes,et manè saturabimini panibus:sciet is q̃,q̃ ego sum Dominus Deus vester.Factum est ergo vespere,& ascendẽs coturnix,cooperuit castra: manè quoq; [d] ros iacuit per circuitũ castrorũ. † Cumq; abscederet situs roris, ecce in superficie deserti erat te-
Num. 11.b Psal.77.c Sapiẽ. 16.c Ioan.6.d 1.Cor. 10.a nue quiddam,& orbiculare, exiguum quasi pruina,iacens super terram. Quod cum vidissent filij Israel, di- D
xerunt ad inuicem. MAN HV? quod significat.Quid est hoc? ignorabant enim quid esset.Quibus ait Moyses.Iste est panis,quem Dominus dedit vobis ad vescẽdum.Hic est sermo,quem præcepit Dominus. Colligat vnusquisq; ex eo,quãtũ sufficit ad vescendũ,gomor per singula capita, iuxta numerũ animarũ vestrarũ, quæ habitant in tabernaculo sic tolletis. Feceruntq; ita filij Israel,& collegerunt,alius plus,alius minus. Et
mensi sunt ad mensurã gomor:nec qui plus collegerat, habuit amplius:nec qui minus parauerat,reperit mi-
2.Cor.8.d nus:sed singuli iuxta id,quod edere poterant,congregauerunt. Dixitq; Moyses ad eos. Nullus relinquat ex E
eo in manè. Qui non audierunt eũ,sed dimiserunt quidam ex eis vsq; manè,& scatere cœpit vermibus, atq; cõputruit:& iratus est contra eos Moyses.Colligebant autẽ manè singuli,quantũ sufficere poterat ad vescendum:cumq; incaluisset sol,liquefiebat.In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est duo gomor per singulos hoẽs: Venerunt autem oẽs principes multitudinis,& narrauerunt Moysi.Qui ait eis.Hoc est,quod locutus est Dominus:requies sabbati sanctificata est Domino cras.Quod † pinsere volueritis,pinsite,& quæ coquenda sunt,coquite: quicquid aũt reliquum fuerit, reponite vsq; in manè.Feceruntq; ita vt præceperat F
Moyses,& non cõputruit,neq; vermis inuentus est in eo.Dixitq; Moyses.Comedite illud hodie,quia sabbatum est Domino:nõ inuenietur hodie in agro.Sex diebus colligite:in die aũt septimo sabbatum est, iccircò non inuenietur.Venitq; septima dies:& egressi de populo vt colligerent,non inuenerunt. Dixit aũt Domi nus ad Moysen,vsquequo non vultis custodire mandata mea,& legẽ meam? Videte q̃ Dominus dederit vobis sabbatũ, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices:maneat vnusquisq; apud semetipsum,nullus egrediatur de loco suo die septimo.Et sabbatizauit populus die septimo. Appellauitq; domus Israel no- G
men eius Man:quod erat [e] quasi semen coriandri album,gustusq; eius quasi similæ cum melle. Dixit autem Moyses.Iste est sermo,quem præcepit Dominus. Imple gomor ex eo,& custodiatur in futuras retrò generationes:vt nouerint panem,quo alui vos in solitudine, quando educti estis de terra Aegypti. Dixitq; Moyses ad Aaron.Sume vas vnum,& mitte ibi Man,quantum potest capere gomor: & repone [f] coram Domino ad seruandũ in generationes vestras,sicut præcepit Dominus Moysi.Posuitq; illud Aaron † coram testimonio reseruandum.Filij autem Israel comederunt Man quadraginta annis:donec venirent in terram habitabilẽ. Hoc cibo aliti sunt,vsquequo tangerent fines terræ Chanaan.Gomor autem decima pars est Ephi.

SCHOLIA.

[a] Quintadecima die.] *Nam manserant quindecim diebus in Elim,vbi erat aqua dulcis,id quod ex palmis illic crescentibus notatur,cum non crescant,vbi sunt aquæ amaræ.Hucusque autem comederunt de illa conspersione,seu pasta,quam tulerant de Aegypto, qua deficiente cœperunt murmurare.* [b] Vt tentem eum.] *Voluit Deus tentare,& experiri eos, num crederent verbis eius,& non plus colligerent,quàm illis opus esset per singulos dies. Voluit autem illis dare panem, non per singulos menses, sed per singulos dies,vt nullus transiret dies,in quo Dei circa se non sentirent beneficium, atq; ob id semper Dei essent memores.* [c] Panes.] *Vocatur hic manna panis more Hebrææ linguæ, quæ omnem cibum vocat panem.* [d] Ros iacuit.] *In Heb. est, fuit situs, vel stramentum roris.Habuit autem manna illud rorẽ supra & infra,ut Hebræi dicunt: situs autem roris superioris per radios solis tollebatur,& apparere cœperunt infinita quædam granula,tenuia & orbiculata. Man verò,quidam etiam exponunt, præparamentum,vt sit cibus in seipso præparatus, & qui alia præparatione opus non habeat. Chaldaicè significat, quis, quæ, quid.* [e] Semen coriandri.] *Assimilatur Man coriandro,non ob colorem,cum coriandri semina sint nigra,& Man fuerit album, sed ob figuram,cum essent grana subtilia, in morem granulorum coriandri.* [f] Coràm testimonio.] *Hoc est,intra arcum,quæ testimonium vocatur Israelis,propter tabulas fœderis,et quæ mox post acceptam legem fieri iubetur.*

CAPVT XVII.

IGitur profecta omnis multitudo filiorum Israel [a] de deserto Sin,per † turmas suas,iuxta sermonem Do- A
mini castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua [b] ad bibendum populo. Qui iurgatus contra Moysen,ait.Da nobis aquam, vt bibamus. Quibus respondit Moyses.Quid iurgamini contra me? [c] cur tentatis Dominum? Sitiuit ergo ibi populus præ aquæ penuria: & murmurauit contra Moysen, dicens.
Num. 20.a Cur fecisti nos exire de Aegypto, vt occideres nos, & liberos nostros, ac iumenta siti? Clamauit autem Moyses ad Dominum,dicens. Quid faciam populo huc? adhuc paululum,& lapidabit me. Et ait Dominus B
ad Moysen.Antecede populum, & sume tecum de senioribus Israel:& virgam, qua percussisti fluuium,tol-
Supra 14.a le in manu tua, & vade. En ego stabo coràm te,ibi supra petram Horeb: percutiesq; petram,& exibit ex ea aqua,

aqua, vt bibat populus. Fecit Moyses ita corã senioribus Israel. Et vocauit nomẽ loci illius † Massa,hoc est, Psal.77.b
tentatio,& Meriba,hoc est,iurgium, propter iurgium filiorum Israel, & quia tentauerunt Dominum, di- 1.Cor.10.a
centes. Est ne Dominus in nobis, an non? Venit autem Amalech, & pugnabat contra Israel in Raphidim.
C Dixitq; Moyses ad Iosue. Elige viros,& egressus [d] pugna contra Amalech: & cras ego stabo in vertice collis, Iudi.4.d
habens virgam Dei in manu mea. Fecit Iosue,vt locutus erat Moyses,& pugnauit contra Amalech. Moyses Sapie. 11.a
autem,& Aaron,& Hur ascenderunt super verticem collis. [e] Cumq; leuaret Moyses manus,vincebat Israel: Deut. 25.d
sin autem paululum remisisset,superabat Amalech.Manus autem Moysi erant graues:sumentes igitur lapidem,posuerunt subter eum,in quo sedit:Aaron autem, & Hur sustentabant manus eius ex vtraq; parte. [f] Et
D factum est,vt manus ipsius non lassarentur,vsque ad occasum solis. † Debilitauitq; Iosue Amalech,& popu lum eius in ore gladij. Dixit autem Dominus ad Moysen. Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade au ribus Iosue:delebo enim memoriam Amalech sub cœlo. Ædificauitq; Moyses altare: & vocauit nomẽ eius. Dominus exaltatio mea:dicens.[g] Quia manus † super solium Dei,& bellum Domini erit contra Amalech, à generatione in generationem.

SCHOLIA.

[a] De deserto Sin.] *Omnis eremus vsque ad montem Sinai,Sin vocatur.* [b] Ad bibendum populo.] *Sunt,qui putent,populum non siti laborasse postea,quàm cœpit edere manna, sed temeritate quadam cœpisse murmurare aduersus rectores suos.Videtur enim haberi ex scriptura,quod manna,& saturabat, & potum præstabat:nam cum caderet super rorem, & tegeretur rore, atque ros ille sole exorto in aquam solueretur, non potuit esse sine liquore:præsertim cum Dominus dicat. Ecce ego pluo vobis manna de cœlis: pluuia autem non est sine humore.* [c] Cur tentatis Dominum?] *Quasi volentes experiri,num & potum suppeditare posset? Vbi obserua, murmuratores appellari tentatores Dei.* [d] Pugna contra Amalech.] *Causa huius belli fuit,quòd timebat Amalech,qui erat de semine Esau: iam implendam benedictionem, quam Iacob obtinuit,præripueratq; ipsi Esau,præsertim cum in magna potentia venirent Israelitæ, vt promissam occuparent terram. Videns itaque Moses,Amalech armata occurrere manu,iubet Iosue eligere viros iustos,et fortes,qui armis pugnarent contra hostem,ipse verò precando iuuare illum non cesseret,donec hostis superaretur.* [e] Cum leuaret manus Moyses.] *Sicut multũ prodest intenta iusti precatio,sic obest remissio,quòd siquando infirmitas carnis deprimit,quod per manus Mosis graues significatur,imitendum est petræ,quæ est Christus, cuius nos & virtutes roborant, & exempla. Debent & proximi quique instantibus opitulari, tanquam Aaron & Hur. Inuadesit autem Iosue in pugna contra Amalech, quando Moses erigit manus suas, ac spiritualiter intelligitur.* [f] Et factum est, vt manus illius non lassarentur.] *Hebr.sic habent. Et fuit manibus suis fidelitas, hoc est,fuerunt manus eius fideliter & firmiter extensæ.Iccircò alius vertit.Mansitq; manibus suis fidelis.* [g] Quia manus super solium Dei.] *Quidam Heb.sic exponit. Quia impius ille Amalech voluit ponere manum suam super Hierusalem,quæ est solium Dei,ne extrueretur,fecit Deus miraculum cum Israel,nam illud. Dominus exaltatio mea,quidam vertunt. Dominus miraculum meum. Alij sic.Iurauit Dominus per solium suum,quod pugnaret cõtra Amalech,donec deleret memoriam eius,pugnans scilicet à generatione in generationem. Durauit enim memoria eius vsque ad ætatem Esther,cum Haman fuerit de semine eius,& iuxta hanc interpretationem, pro exaltatione, vel miraculo, vertetur, vexillum,vt sit sensus,manus cum vexillo erit extensa super solium Domini, vt bellum faciat cum Amalech à generatione in generationem,donec memoria eius deleatur.*

CAPVT XVIII.

A CVmq; audisset Iethro sacerdos Madiam, † socer Moysi,omnia,quę fecerat Deus Moysi,& Israeli po pulo suo,q̃ eduxisset Dominus Israel de Ægypto:tulit Sephoram vxorẽ Moysi, quam remiserat: & duos filios eius,quorũ vnus vocabatur Gersom,dicente patre. Aduena fui in terra aliena, alter verò Eliezer.Deus enim,ait,patris mei adiutor meus,& eruit me de gladio Pharaonis. Venit ergo Iethro † socer
Supra 2.d Moysi,& filij eius & vxor eius ad Moysen in desertũ, vbi erat castrametatus iuxta mõtem Dei. Et mandauit Moysi,dicens.Ego Iethro † socer tuus venio ad te,& vxor tua,& duo filij tui cũ ea. Qui egressus in occursum
B † soceri sui,adorauit,& osculatus est eũ: [a] salutaueruntq; se mutuò verbis pacificis.Cumq; intrasset tabernaculum,narrauit Moyses † socero suo cuncta,quę fecerat Dominus Pharaoni & Ægyptijs propter Israel: vni uersumq; laborẽ,qui accidisset eis in itinere,& q̃ liberauerat eos Dominus. Lętatusq; est Iethro super omni bus bonis,quę fecerat Dominus Israeli,eò q̃ eruisset eũ de manu Ægyptiorũ & ait.Benedictus Dñs, qui libe rauit vos de manu Ægyptiorũ,& de manu Pharaonis,qui eruit populũ suũ de manu Ægypti. Nunc cognoui,quia magnus Dominus super omnes deos,[b] eò q̃ superbè egerint cõtra illos. Obtulit ergo Iethro † socer
C Moysi holocaustа & hostias Deo:veneruntq; Aaron & omnes seniores filiorum Israel, vt comederent panẽ cũ eo coràm Deo. Altera autem die sedit Moyses,vt iudicaret populum,qui assistebat Moysi à manè vsque ad vesperã.Quod cũ vidisset † socer eius omnia scilicet,quę agebat in populo,ait. Quid est quod facis in ple-
Deut. 1.b be? cur solus sedes,& omnis populus prestolatur de manè vsq; ad vesperam? Cui respondit Moyses. Venit ad me populus quęrens sententiã Dei.Cumq; acciderit eis aliqua disceptatio,veniunt ad me, vt iudicem inter eos,& ostendã præcepta Dei,& leges eius.At ille.Non bonam,inquit, rem facis: stulto labore cõsumeris & tu,et populus iste,qui tecum est:vltra vires tuas est negotium,solus illud nõ poteris sustinere. Sed audi ver ba mea atque consilia,& erit Dominus tecum.Esto tu populo in his,quę ad Deum pertinent,vt referas, quę dicuntur,ad eũ:ostendasq; populo ceremonias & † leges, viamq; per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant.Prouide autem de omni plebe [c] viros potentes & timentes Deum,in quibus sit veritas,& qui
D oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones,& quinquagenarios,& decanos: qui iudicent populum omni tempore: Quicquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiusq; sit tibi,partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei,& præcepta eius poteris sustentare:& † nihilominus hic populus † veniet ad loca sua cum pace.Quibus auditis. Moyses fecit omnia,

quæ ille suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Qui iudicabant plebem Domini omni tempore: quicquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodo iudicantes. Dimisitq; † socerum suum: qui reuersus abijt in terram suam.

SCHOLIA.

[a] Salutauerunt se mutuò verbis pacificis.] *Hebr. iussimus habet, interrogauit quisque alterum de pace, hoc est, de vitæ salute, atque valetudine.* [b] Eo, q̃ superbè egerint contra eos.] *Vel, eò, quòd in re, qua superbè & insolenter egerant contra eos. Deus illis rependerit. Submerserant enim paruulos Israel in aqua, & ipsi quoque aquis perierunt. Sic enim exponunt quidam Hebræi.* [c] Viros potentes.] *Quidam Heb. interpretantur, viros diuites, & constantes, qui in iudicio nec minis nec muneribus à recto deflecti possint. Alij, viros robustos & duros, qui laborem sufferre possint.*

CAPVT XIX.

Num. 33.c
Actu. 7.c
Deut. 29.d
1. Petr. 2.b
Heb. 12.e
Deut. 4.b

[a] Mense tertio egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, in die hac venerũt in solitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vsq; in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibiq; Israel fixit tentoria è regione montis. Moyses autem ascendit ad Deum: vocauitq; eũ Dominus de monte, & ait. Hæc dices Domui Iacob, & annũtiabis filijs Israel. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptijs, quomodo portauerim vos [b] sup alas aquilarũ, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocẽ meã, & custodieritis pactum meũ, eritis mihi [c] in peculiũ de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnũ sacerdotale, & gens sancta. Hæc sunt verba, quę loqueris ad filios Israel. Venit Moyses: & conuocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones, quos mandauerat Dñs. Respondit̃q; omnis populus simul. Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus. Cumq; retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus. Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuũ. Nuntiauit ergo Moyses verba populi ad Dominũ. Qui dixit ei. Vade ad populum, & [d] sanctifica illos hodie & cras, lauentq; vestimenta sua. Et sint parati in diem tertiũ: in die enim tertia descendet Dominus coràm omni plebe super montẽ Sinai. Constituesq; terminos populo per circuitũ, & dices ad eos. Cauete, ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis, qui tetigerit montẽ, morte morietur. Manus nõ tanget eũ, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis: siue iumẽtũ fuerit siue homo, non viuet, [e] eũ † prolixius clanxerit buccina, tunc ascendant in montẽ. Descenditq; Moyses de mõte ad populũ, & sanctificauit eũ. Cumq; lauissent vestimenta sua, ait ad eos. Estote parati in diem tertiũ, [f] & ne appropinquetis vxoribus vestris. Iamq; aduenerat tertius dies, & manè inclaruerat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorq; buccinæ vehementius perstrepebat: & timuit omnis populus qui erat in castris. Cumq; eduxisset eos Moyses [g] in occursum Dei de loco castrorũ, steterunt ad radices montis. Totus aũt mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus Deus super eũ in igne, & ascẽderet fumus ex eo quasi de fornace: [h] † & plurimum tremuit vniuersus mõs. Et sonitus buccinę † [i] crescebat in maius, & prolixius tẽdebatur. Moyses loquebatur, & Deus respõdebat ei. Descẽditq; Dñs super mõtem Sinai in ipso mõtis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius. Quò cũ ascendisset, dixit ad eũ. Descende & cõtestare populũ: ne fortè velit [k] transcendere terminos ad videndũ Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoq; qui accẽdũt ad Dominum, sanctificẽtur, ne percutiat eos. Dixitq; Moyses ad Dominum. [l] non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es & iussisti, dicens. Pone terminos circa montem, & sanctifica illum. Cui ait Dominus. Vade, descende: ascendesq; tu, & Aaron tecum: sacerdotes autem & populus non transeant terminos, nec ascendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos. Descenditq; Moyses ad populum, & omnia narrauit eis.

SCHOLIA.

[a] Mense tertio.] *Ex mansione Raphidim ierunt in solitudinem Sinai, quadragesimaseptima die post egressionem Israelis de Ægypto, tertio scilicet mense, die prima: sic enim intelligunt per id, quod ait, in die hac.* [b] Super alas aquilarũ.] *Hoc est, portauit vos, quasi in humeris, sicut aquila pullos suos portat in alis, præter morem aliarum auium, quæ pullos suos pedibus suis, quo volunt, portant.* [c] In peculium.] *Alius vertit: thesaurus prædilectus. Sic vocat Dominus populum suũ, cui legem suam tradidit, & viuendi formam præscripsit, ac regnum sacerdotale contulit, cuius loci & Petrus Apostolus fecit mentionem. Diligentissimè autem obseruandum est, in libris veteris testamenti, præceptionibus & minis legis semper esse permixtas promissiones, & consolationes Euangelicas: quemadmodum in ipsa statim transgressione ipsius Adæ, promisit Deus mulieri, per diabolum deceptæ, semen, quod caput illius contriturum erat, virtusq; è faucibus illius ereptiurum. Atque eæ promissiones interdum habent additas conditiones, vt, si obedieritis voci meæ, eritis mihi in peculium: aliquando liberæ sunt, vt promissio facta Abrahæ. Tanta interim est clementia Dei, vt etiam si conditiones adiectæ non seruentur, promissiones tamen Dei non fiant irritæ, sicut ex hoc eodem loco constat: & vos eritis mihi in regnum sacerdotale, quod Petrus de credentibus in Christum interpretatur. Iudæi enim non fecerunt, quæ promissio illa requirebat: reliquum ergo erat, vt gratuitò per Christum contingeret credentibus.* [d] Sanctifica illos.] *Capitur hic sanctificare pro præparare.* [e] Cum prolixius clanxerit buccina.] *Prolixior sonus signum erat, Dominum maiestatis montem deseruisse.* [f] Et ne appropinquetis vxoribus.] *Vide, vt ei, qui versaturus cum Deo sit, omnibus, etiam quæ alioqui licita sunt, carnis voluptatibus sit abstinendum.* [g] In occursum Dei.] *Vt, scilicet populum illum, veluti sponsam Domino copularet. Stabant autem hoc ordine, primum locum tenebant primogeniti, qui tunc ante Leuiticum sacerdotium fuerunt loco sacerdotum, post hos stabant principes tribuum, deinde seniores, & præfecti, & post illos cæteri viri Israel, deinde paruuli, deinde mulieres, & vltimo loco proselyti.* [h] Tremuit vniuersus mons.] *Iccirco reperier, testamentum hoc appellatum terræmotum.* [i] Crescebat in maius.] *Vel, procedebat hoc est, resonabat, vel clangebat, neque languescebat, sed semper intendebatur, vel, circumquaque diffundebatur.* [k] Transcenderet terminos.] *Fortasse mons sepe aliqua, aut ramis ex opposito castrorum erat intercluſu,*

tercluſus, iccircò prohibetur hic, ne diruptio per quemuis hominum fiat. [l] Non poterit vulgus ascendere.] *Videtur hic esse sensus. Non metuo, ne ascendat, cum tu eis fueris interminatus.*

CAPVT XX.

Deut. 5.a
Psal. 80.c
Leui. 26.a
Deut. 5.a
Psal. 96.b
Deut. 5.b
Leuit. 19.c
Mat. 5.c
Eze. 20.b
Deut. 5.b
Infr. 31.b
Gen. 2.a
Deut. 5.b
Mat. 15.a
Ephe. 6.a
Mat. 5.c.d
Roma. 7.b
13.c
Heb. 12.e
Deut. 18.c
Deut. 27.a
Iosue. 8.f

A Locutusq; est Deus cunctos sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Nõ habebis deos alienos coram me. [a] Non facies tibi sculptile, neq; omnem similitudinẽ, quę est in cœlo desuper, & quę in terra deorsum, nec eorũ, quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neq; coles: ego sum Dominus Deus tuus [b] † Deus æmulator, [c] visitans iniquitatẽ patrũ in filios, in tertiam & quartã generationem eorũ qui oderũt me, & faciens misericordiã in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. [d] Nõ assumes nomen Domini Dei tui inuanũ, nec enim habebit in-
B sontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Memento vt diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo aũt die sabbatũ Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, [e] iumentũ tuũ & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Deus cœlũ & terram & mare, & omnia, quę in eis sunt: & requieuit die septimo, iccircò benedixit Dñs diei sabbati, & sanctificauit eum. Honora patrẽ tuũ & matrẽ tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. [f] Non mœchaberis. [g] Nõ furtũ
C facies. Non loqueris contra proximũ tuum falsum testimoniũ. Non cõcupisces domũ proximi tui. Nec desiderabis vxorẽ eius, non seruum, nõ ancillã, non bouem, nõ asinum, nec omnia, quę illius sunt. Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & sonitum buccinę, montemq; fumantem, † & videntes populi amoti sunt, & steterunt procul, dicentes Moysi. Loquere tu nobis, & audiemus: [h] non loquatur nobis Dominus, nè fortè moriamur. Et ait Moyses ad populũ. Nolite timere: [i] vt enim ꝓbaret vos venit Deus, & vt terror illius esset in vobis & non peccaretis. Steritq; populus de longè. Moyses autẽ † penetrauit in caliginem
D in qua erat Deus. Dixit prꝛterea Dominus ad Moysen. Hęc dices filijs Israel. Vos vidistis, q̃ de cœlo locutus sim vobis. Non facietis mecũ [k] deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. [l] Altare de terra facietis mihi, & offeretis super eo holocausta & [m] pacifica vestra, oues vestras & boues in omni loco in quo memoriã † instituam nominis mei: veniam ad te, & benedicam tibi. Quòd si altare lapideum feceris mihi, non ędificabis illud de sectis lapidibus: si enim leuaueris cultrum tuum super eum, polluetur. Non ascẽdes [n] per gradus ad altare meum, ne reueletur turpitudo tua † iuxta illud.

SCHOLIA.

[a] Non facies tibi sculptile.] *Vt scilicet adores illud, alioqui Cherubim alata fieri iussit supra arcam, et picturæ erant variæ in tabernaculo, & templo Salomonis.* [b] Deus æmulator.] *Qui æquo animo ferre non potest, vt ab eo diuellamur, & alium quæramus amatorem. Valde autem velle amari (ait Chrysostomus) id ab ingenti amore proficiscitur.* [c] Visitans iniquitatem.] *Quando scilicet filij sunt paternorum scelerum sectatores. Cum in Exe. scriptum sit, filius non portabit iniquitatem patris. Est autem modus loquendi, quo significatur, Deum non sinere malos impunitos, interim tamen esse infinities benigniorem in pios & suos, quàm est seuerus in hostes & impios. Vide similem loquendi modum Amos primo. Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor, &c.* [d] Non assumes nomen Domini Dei tui inuanum.] *Hoc est temerè, sine vlla necessitate iurando, aut irrisorie de Deo loquendo.* [e] Iumentum tuum.] *Iubet etiam iumentum in sabbato quiescere, non iumenti ipsius gratia, sed ad docendos homines commiserationem.* [f] Non mœchaberis.] *Per hoc prohibetur quinus concubitus præter legitimum, & membrorum illorum omnis illegitimus vsus: sicut & in verbo, non occides, præcipitur, non verberandum, non mutilandum, non famæ detrahendum, &c.* [g] Non furtum facies.] *Multi Heb. intelligunt de furto hominum, cum infra proprium præceptum detur de furto rerum aliarum.* [h] Non loquatur nobis.] *Vide quid faciat seruilis timor, auersatur id, quod summum est bonorum omnium. At, qui in libertatem filiorum Dei vindicatus est, dicit. Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, &, Loquere Domine, quia audit seruus tuus.* [i] Vt probaret vos.] *Vt hoc experimento agnosceret is, vos nondum exuisse spiritum seruorum.* [k] Deos argenteos nec aureos.] *Ergo licebit ligneos facere? Iccirco quidam allegoricè dictum putant, non esse seruiendum pecuniæ, neque eam pro Deo habendam, cum scriptũ sit, auarum esse idolorum cultorem.* [l] Altare de terra.] *Vt longissimè distarent à moribus idololatrarum, præcipiuntur erigere altare, aut ex terra, aut ex lapidibus impolitis.* [m] Pacifica vestra.] *Sunt sacrificia, quæ pro pace, & incolumitate offeruntur.* [n] Per gradus.] *Sensus est, ascensus non erit intercisus per gradus longè distantes, sed accliuis & æqualis erit ascensus, ne turpitudo reueletur, nimia crurum distensione.*

CAPVT XXI.

Deut. 15.c
Hier. 34.c
Leuit. 24.c

A Hæc sunt iudicia, quę propones eis. Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratis. [a] Cum quali † persona intrauerit, cum tali exeat, si habens vxorem: [b] & vxor egredietur simul. Sin autem dominus dederit illi vxorem & pepererit filios & filias: mulier & liberi eius erunt domini sui, ipse verò exibit cum † corpore suo. Quòd si dixerit seruus. Diligo dominũ meũ & vxorem ac liberos, non egrediar liber: offeret eum dominus [b] dijs, & applicabitur ad ostium † vel ad postem, perforabitq; aurem eius subula, & erit ei [c] seruus in sęculum. Si quis vendiderit filiam suam in famulam, [d] non egredietur sicut ancillę exire consueuerunt. Si displicuerit oculis domini sui, † & non desponderit eã, [e] finet eam redimi: populo autem alieno vendendi nõ habebit potestatem, si spreuerit eam. Sin autem
B filio suo desponderit eam, [f] iuxta morem filiarum faciet illi. Quòd si alteram ei acceperit, prouidebit puellę † victum, & vestimenta, [g] & pretium pudicitiæ non negabit. [h] Si tria ista, nõ fecerit, egredietur gratis absq; pecunia. Qui percusserit hominem, † & occiderit, morte moriatur. Qui autem nõ est insidiatus, sed [i] Deus illum tradidit in manus eius: constituam tibi locum in quem fugere debeat. Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo auelles eum vt moriatur. Qui percusserit patrem suum aut matrẽ, morte moriatur. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eũ, conuictus noxæ, morte moria-

tur. Qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur. Si rixati fuerint viri, & percusserit alter proximum suũ lapide vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed iacuerit in lectulo: si surrexerit & ambulauerit foris super baculũ suũ, innocens erit qui percusserit, ita tamen vt [k] operas eius, & impensas in medicos, restituat. [l] Qui percusserit seruum suum, vel ancillã virga, & mortui fuerint in manibus eius, criminis reus erit. Sinautem vno die vel duobus superuixerit, non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est. Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem prægnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit: subiacebit dãno quantum maritus mulieris expetierit, & arbitri iudicauerint. Sinautem mors eius fuerit subsecuta, reddet animam pro anima, [m] oculum pro oculo, dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede, adustionem pro adustione, vulnus pro vulnere, liuorem pro liuore. Si percusserit quispiam oculũ serui sui, aut ancillæ, & luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo quem eruit. Dentem quoque si excusserit seruo vel ancillæ suæ, similiter dimittet eos liberos. Si bos cornu percusserit virum, aut mulierem, & mortui fuerint, lapidibus obruetur, & nõ comedentur carnes eius, dominus quoque bouis innocens erit. Quòd si bos cornupeta fuerit ab heri & nudiustertius, & contestati sunt dominum eius, nec recluserit eum, occideritque virum aut mulierem: bos lapidibus obruetur, & dominum illius occident. [n] Quòd si pretium fuerit ei impositum, dabit pro anima sua quicquid fuerit postulatus. Filium quoque, & filiam si cornu percusserit, simili sententiæ subiacebit. Si seruum ancillamq; inuaserit, triginta siclos argenti domino dabit, bos verò lapidibus opprimetur. Si quis aperuerit cisternam, † aut foueam foderit, & non operuerit eam, ceciderit q; bos, aut asinus in eam, reddet dominus cisternæ pretium iumẽtorum: quod autem mortuũ est, ipsius erit. Si bos alienus bouem alterius vulnerauit, & ille mortuus fuerit: vendẽt bouem viuum, & diuident pretiũ, cadauer autem mortui inter se dispertient. Si autem sciebat, q; bos cornupeta esset ab heri & nudiustertius, & nõ custodiuit eum dominus suus, reddet bouem pro boue, & cadauer integrum accipiet.

Leuit. 20. b
Prou. 20. c
Matt. 15. a
Mar. 7. b

Leui. [l] 24. d
Deut. 19. d

C

D

SCHOLIA.

[a] Cum quali persona.] *Hoc est, si in sola persona venerit absque vxore. Potest & accipi pro veste, vt quidam Heb. docent, & erit idem sensus. Qui enim seipsum vendit, nihil proprij habet præter vestes, & vxorem, si quam habet. At obserua vt post decalogi, & diuini cultus præceptu, statim leges de iudicijs ferat, quæ ergà seruos seruandæ sint, contra miseram mortalium arrogantiam, qui nunquam naturam ipsam sciunt contemplari, in exteriori duntaxat ornatu & specie occupati.*

[b] Dijs.] *Iudicibus, consueuit enim scriptura quoduis excellens diuinum appellare. Et verè hominem in homines ius habere, diuinum quiddam est.* [c] Seruus in sæculum.] *Hoc est, vsque ad iubileum, siue is annus propè fuerit, siue longè abfuerit. Sic enim Hebræi communiter exponunt hunc locum.* [d] Non egredietur.] *Videtur significare, si emptor sponsam fecerit despondendi sibi eam, vel dandi filio, tunc eam debere esse meliore conditione, si dimittatur, quàm cæteræ ancillæ.* [e] Sinet eã redimi.] *Facultatem concedat vt sese redimat.* [f] Iuxta morem filiarum.] *Sensus est, non subtrahet illi victum, & amictum, & debitum coniugale.* [g] Et precium pudicitiæ non negabit.] *Alius vertit, & coniugale debitum non minuet.* [h] Si tria ista.] *Hoc est, si neque ipse eam acceperit vxorẽ, neque filius, neque cognatorum quispiam redemerit eã, potius quàm alicui eam non suæ gentis vendat, liberam absque pecunia abire sinet.* [i] Deus illum tradidit.] *Cum scilicet quis ab eo occidatur, qui tamen nunquam cogitauit, etiam in hora, cum eum occidit, vllum hominem occidere. Id autem vocat scriptura fato tradere.* [k] Operas eius.] *Hoc est, compenset damnum vacationis ab opere, quo se alere debebat.* [l] Qui percusserit seruum suum.] *Hic videtur pœna occisoribus heris posita esse, non ob homicidium, cum mox sequatur, non plectendum dominum, si seruus post duos dies moritur, sed ob atrocitatem.* [m] Oculum pro oculo.] *Dicunt hic Hebræi cõmuniter, hunc locum non esse ad literam intelligendum, sed fieri debere compensationem per bona externa, vt qui sic hominem læserit, teneatur ad quinque, vt scilicet compenset damnum, vt si amputauerit manum vel pedem, operas, quas interea, dum decubuit, amisit. Dolorem quoque, & medicinam & confusionem, vt, si in loco patenti, puta in facie esset læsus.*

[n] Quòd si precium fuerit ci impositum.] *Iste locus non pugnat cum eo, vbi dicitur, Non accipies precium redemptionis ab homicida, quia ibi loquitur scriptura de homicida voluntario, hic verò de eo, propter cuius negligentiam homo interijt, cui bouem ligare, & claudere debuerit.*

CAPVT XXII.

[a] Iquis furatus fuerit bouem, aut ouem, & occiderit, vel vendiderit: [b] quinq; boues pro vno boue restituet, & quatuor oues pro vna oue. [c] Si effringens fur domum siue suffodiens fuerit inuentus, & accepto vulnere mortuus fuerit: percussor non erit reus sanguinis. Quòd si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetrauit. [d] † Reddendo reddet fur, si non habuerit quod pro furto reddat, ipse venundabitur, si inuentum fuerit apud eum quod furatus est [e] † viuum, siue bos, siue asinus, siue ouis: duplum restituet. Si læserit quispiam agrũ vel vineã, & dimiserit iumentum suum vt depascatur aliena: quicquid optimum habuerit in agro suo vel in vinea, pro damni æstimatione restituet. Si egressus ignis inuenerit spinas, & comprehenderit aceruos frugum, siue stantes segetes, † aut agrum ipsum: reddet damnum qui ignem succẽderit. Si quis commendauerit amico pecuniam, aut vas in custodiam, & ab eo qui susceperat, furto ablata fuerint: si inuenitur fur, duplum reddet: si latet fur, dominus domus applicabitur ad deos, & iurabit quòd non extenderit manum in rem proximi sui, ad perpetrandam fraudem, tam in boue quàm in asino, & oue ac vestimento, & quicquid † amissum est, [f] de quo quis dixerit, q; apud illum sit, ad eos vtriusq; causa perueniet: & si illi iudicauerint, duplum restituet proximo suo. Si quis commendauerit proximo suo asinum, bouem, ouem, & omne iumentum ad custodiam, & mortuum fuerit, aut debilitatum, vel captum ab hostibus, nullusq; hoc viderit: iusiurandum erit in medio q; non extenderit manum ad rem proximi sui: suscipietq; dominus eius rei iuramentum, & ille reddere non cogetur, q; si furto ablatum fuerit, restituet damnum domino, si comestum à bestia, [g] deferat ad eum quod occisum est, & non restituet. Qui à proximo suo quicquid horum mutuo postulauerit, & debilitatum aut mortuum fuerit, domino non præsente, reddere compelletur. Quòd si impræsentiarum

A

B

Gene. 31. f

C

sentiarum dominus fuerit, non restituet, [h] maximè † cum sit conductitium, & venerit pro mercede operis sui. Si seduxerit quis virginem, necdum desponsatam, dormieritq; cum ea: dotabit eam, & habebit eã vxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam iuxta modum dotis, quam virgines accipere consueuerunt. [i] † Maleficam non patieris viuere. Qui coierit cũ iumento, morte moriatur. Qui immolat dijs, occidetur, præter Domino soli. Aduenam nõ contristabis, neq; affliges eum: aduenæ enim & ipsi fuistis in terra Ægypti. Viduæ & pupillo non nocebitis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego audiam clamorẽ eorum: & indignabitur furor meus, percutiãq; vos gladio, & erunt vxores vestræ viduæ, & filij vestri pupilli.

D

Leuit. 19. g

Si pecuniam mutuã dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non vrgebis eum quasi exactor, nec vsuris opprimes. Si pignus à proximo tuo acceperis vestimentum, [k] ante solis occasum reddes ei. Ipsum enim est solum, quo operitur indumentũ carnis eius, nec habet aliud in quo dormiat: si clamauerit ad me, exaudiam eum, quia misericors sum. Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices. [l] Decimas tuas & primitias tuas non tardabis offerre: primogenitum filiorum tuorum dabis mihi. De bobus quoq;, & ouibus similiter facies: septem diebus sit cum matre sua, die octaua reddes illũ mihi. Viri sancti eritis mihi: Carnem, quæ à bestijs fuerit prægustata, non comedetis, sed proijcietis canibus.

Zach. 7. c
Actu. 23. a
Leuit. 22. b
Eze. 44 g

SCHOLIA.

[a] Si quis furatus.] *Supra dictum est, iubente Deo, nihil esse concupiscendum, & alio loco, diligendum esse proximum. Quæ, quæ hic ponuntur, primum contra legem Dei sunt, deinde contra tranquillitatem reipublicæ, ob quam conseruandam constitutæ sunt hæ pœnæ ciuiles, quatenus verò contrà Deum sunt, alia indigent expiatione, Christi videlicet.* [b] Quinque boues.] *Sed quare iubentur reddi quinque boues, & tantum quatuor oues? Respondent quidam Hebræi, quòd bos, cum multo maior sit oue, non possit facile abscondi, & abduci, nisi à fure furtis assueto. Alij, quòd interim dominus bouis labore eius in agricultura fuerit destitutus, quod damnum hic per quintum bouem sarcitur. Ouis autem nomine pecus domesticum intelligitur, agni, & capræ.* [c] Si effringens.] *Si fur suffodiens domum, in ipsa effractione deprehensus fuerit, & a domino domus occisus, non imputabitur domino homicidium, præsumitur enim, furem animo latrocinandi venisse. Secus si clara die domum irruperit.* [d] Reddendo reddet.] *Hoc est, ipse fur diurnus non accipiat mortis sententiam, sed reddat, vel venundetur pro suo furto.* [e] Viuum.] *Alius retulit illud, viuum, ad res reddendas, & vertit, vivos duos reddat.* [f] De quo quis dixerit.] *Hoc est, si testis dixerit, eum esse reum, potuerit q; id probare coram iudicibus, dabit reus duplum. Sin testis falsus deprehensus fuerit, dabit ipse duplum. Sic enim quidam exponit.* [g] Deferat ad eum, quod occisum est.] *Hoc est, illud raptum adducat in testimonium. Alius vertit. Adducat ille testem, scilicet aliquem hominem. Potest enim fieri, vt lupus ouem absque vllis reliquijs asportauerit.* [h] Maximè cum sit conductitium.] *Vt si equum tibi pro mercede vtendum dedero, & is me præsente, defecerit, non teneris ad eius restitutionem.* [i] Maleficam.] *Licet vtrique sexui interdicta sit Magia, sit tamen hic solum de muliere mentio, quòd hic sexus frequentius cum dæmonibus pactum facere soleat.* [k] Ante solis occasum.] *Vel in solis occasu.* [l] Decimas & primitias.] *In Heb. est, plenitudinem tuam, & lacrymam tuã, quod sic exponunt. Cum impletæ fuerint fruges tuæ, siue cum ad maturitatem peruenerint, dabis primitias, deinde cum collectæ fuerint intra domum, dabis quoque lacrymam, hoc est, vinum & oleum in vindemia, quæ messem sequitur.*

CAPVT XXIII.

A

NOn suscipies [a] vocem mendacij: nec iunges manum tuam † cum impio, vt † dicas falsum testimonium. [b] Non sequeris turbam ad faciendum malum: nec in iudicio, plurimorum acquiescès sententiæ, vt à verò deuies. Pauperis quoq; non misereberis in iudicio. Si occurreris boui inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te, iacere sub onere, [c] non pertransibis, sed subleuabis cũ eo. Non † peruertes iudicium pauperis † tui in causa eius. Mendacium fugies. Insontem & iustum non occides, quia auersor impium. Nec accipies munera, quæ etiam excæcant videntes, & [d] subuertũt verba iustorum. Peregrino molestus non eris, scitis enim aduenarum animas: quia & ipsi peregrini fuistis in terra Ægypti. Sex annis seminabis terram tuam, & cõgregabis fruges eius. [e] Anno autem septimo dimittes eam,

Deut. 22. a
Dani. 13. f
Deut. 16. d
Eccl. 20. d

B

& requiescere facies, vt comedant pauperes populi tui: & quicquid reliquum fuerit, edant bestiæ agri, ita facies in vinea, & in oliueto tuo. Sex diebus operaberis: septimo die cessabis, vt requiescat bos & asinus tuus, & refrigeretur filius ancillæ tuæ, & aduena. Omnia, quæ dixi vobis, custodite, & per nomen externorum deorũ non iurabitis, neque audietur ex ore vestro. Tribus vicibus per singulos annos mihi festa celebrabitis. Solẽnitatem azymorum custodies. Septem diebus comedes azyma, sicut præcepi tibi † idq; tẽpore [f] mensis nouorũ, quando egressus es de Ægypto: Non apparebis in conspectu meo vacuus. Et solennitatem mensis primitiuorum operis tui, quęcunque seminaueris in agro, solennitatem quoque collectionis in exitu anni, quãdo congregaueris omnes fruges tuas de agro. Ter in anno apparebit omne masculinum tuum coràm Domino Deo. Non immolabis super fermento sanguinem victimæ meæ, nec remanebit adeps solẽnitatis meę vsq; manè. Primitias frugum terrę tuæ deferes in domum Domini Dei tui. [g] Non coques hœdum in lacte matris suæ. Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locũ quẽ præparaui. Obserua eum, & audi vocem eius, nec † irrites eum: quia non dimittet cum peccaueritis, & est nomẽ meum in illo. Quòd si audieris vocem eius, & feceris omnia, quæ loquor, inimicus ero inimicis tuis, & affligam affligentes te. Præcedetq; te angelus meus, & introducet te ad Amorrhęum, & Hethæum, & Pherezæum, Chananæumq;, & Heuęum, & Iebusæum, quos ego conteram. Non adorabis deos eorum, nec coles eos: non facies opera eorum, sed destrues eos: & confringes statuas eorum. Seruietisq; Domino Deo vestro, vt benedicam panibus tuis, & aquis, & auferam infirmitatem de medio tui. Non erit infœcunda, nec sterilis in terra tua: numerum dierum tuorum implebo. Terrorem meum mittam in præcursum tuum, & occidam omnem populum, ad quem ingredieris: cunctorumq; inimicorum tuorum coràm te terga vertã, emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum, & Chananæum, & Hethæum, antequàm introeas. Non

Deut. 14. c
Infra 34. c

C

Infra 33. a
Iosue 24. c

D

ejciam

Infr. 34. c
Deut. 16. d
Eccle. 35. a

eijciam eos à facie tua anno vno: ne terra in solitudinem redigatur, & crescant contra te bestiæ. Paulatim ex
pellam eos de conspectu tuo, donec augearis, & possideas terram. Ponam autem terminos tuos à mari rubro
Deut. 7.a vsq; ad mare Palæstinorum, & à deserto [h] vsque ad fluuium: tradam in manibus vestris habitatores terræ, &
Infra 34.b eijciam eos de conspectu vestro. Non inibis cum eis fœdus, nec cum dijs eorum. Non habitent in terra tua,
ne fortè peccare te faciant in me, si seruieris dijs eorum: quod tibi certè erit in scandalum.

SCHOLIA.

[a] Vocem mendacij.] *Hoc est, rumorem falsum contra proximum tuum ne suscites, aut fingas ex corde tuo, vnde illius fama lædi possit.* [b] Non sequeris turbam.] *Quod quidam sic intelligunt. Si plures in iudicio condemnauerint innocentem, tu sequeris pauciores, qui illum seruare conantur. Sed rectius erit, si intelligamus, nos moueri non debere multitudine in suffragijs dandis, sed suspendere sententiam, dum veritas agnoscatur, atque iustitia.* [c] Non pertransibis.] *Sensum vertit interpres. Sed in Heb. est. Cessabis auxiliari ei: alius tamen vertit, Cessabis dimittere eum. Sed minus apte opinor, quanquam dictio Heb. etiam id significet.* [d] Subuertunt verba iustorum.] *Quidam sic exponunt. Munera peruertunt res iustas, vel causas bonas.* [e] Anno septimo.] *Est enim annus septimus sabbatum terræ.* [f] Mensis nouorum.] *Vel, mensis, quo matuescunt fruges, quæ maturitas in Martio apud Hierosolymitanos, & Aegyptios contingere solet, hoc est, circa æquinoctium vernale: sicut collectio aliorum fructuum in fine anni, hoc est, circa æquinoctium autumnale, fieri solet. Incipiunt enim Hebræi annum suum circa æquinoctium autumnale, licet in sacris ab æquinoctio verno illis iubeantur auspicari: proinde festum mensis primitiuorum, est festum pentecostes: & festum collectionis, festum tabernaculorũ. Primitiuæ autem fructus incipiebant septem hebdomadis post diem Azimorũ, hoc est, quinquagesimo die.* [g] Non coques hœdum in lacte matris.] *Aut etiam, dum sugit lac & vbera matris, sic enim quidam interpretantur. Aenigmaticus autem sermo esse videtur, quo significatur, cauendum esse ab omni crudelitate. Dicunt autem Hebræi, hoc non solum de hœdo intelligendum, verũ & de oue ac vitulo, & quod esus similiter, vt coctio, prohibeatur. Vnde colligunt, sacrilegium esse, comedere in eadem mensa carnem, & caseum, nisi post esum carnis, os bene mundaueris, & immisso digito reliquias quasque diligenter euacueueris. Miras miserorum superstitiones.* [h] Vsque ad fluuium.] *Subaudi Euphraten, qui ab oriente terminus est terræ promissionis, sicut mare mediterraneum ab occidente. Angustior est autem locus iste, quàm vt capere possit omnes homines, qui ad Dominum ex toto orbe venturi erant: Vide Esa. 49. Leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti, &c.*

CAPVT XXIIII.

MOysi quoq; dixit. Ascẽde ad Dominũ tu & Aarõ, Nadab & Abiu, & septuaginta senes ex Israel, & A
adorabitis procul. Solusq; Moyses ascendet ad Dominũ, & illi nõ appropinquabunt: nec populus
ascendet cũ eo. Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atq; iudicia: respon-
ditq; cunctus populus vna voce. Omnia verba Domini, quę locutus est, faciemus. Scripsit autẽ Moyses vni-
uersos sermones Domini: & manè cõsurgens ędificauit altare Domino ad radices mõtis, & [a] duodecim titu- B
los per duodecim tribus Israel. Misitq; iuuenes de filijs Israel, & obtulerũt holocausta, immolaueruntq; vi-
ctimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaq; Moyses dimidiã partem sanguinis, & misit in crateras: partem
autẽ residuã fudit super altare. Assumensq; [b] volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt. Omnia,
quæ locutus est Dominus faciemus, & erimus obedientes. Ille verò, sumptũ sanguinem respersit in populũ, &
Heb. 9.c ait, [c] Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his. Ascenderũtq; C
Moyses & Aaron, Nadab & Abiu: & septuaginta de senioribus Israel: & viderũt Deum Israel & sub pedibus
eius [d] quasi opus lapidis saphirini, & quasi cœlũ cũ serenum est. † Ad principes autẽ filiorũ Israel [e] nõ misit
manũ suam. Videruntq; Deũ, & cõmederunt, ac biberunt. Dixit autẽ Dominus ad Moysen. Ascende ad me
in montẽ, & esto ibi: daboq; tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata, quæ scripsi, vt doceas eos. Surrexe-
runt Moyses, & Iosue minister eius: ascendensq; Moyses in montẽ Dei, senioribus ait. Expectate hic, donec D
reuertamur ad vos: habetis Aaron, & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cumq;
ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illũ nube sex die-
bus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autẽ species gloriæ Domini, quasi ignis ardens
super verticem montis in conspectu filiorum Israel. Ingressusq; Moyses medium nebulæ, ascendit in mon-
tem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

SCHOLIA.

[a] Duodecim titulos.] *Duodecim rudes, & impolitos lapides erexit, qui & statuæ à consistendo vocantur.* [b] Volumen fœderis.] *Quod volumen? cum tabulas & legem nondum de monte attulerit? Respondent Heb. librum fuisse, qui scriptus erat de creatione mundi vsque ad datam legem.* [c] Hic est sanguis.] *Hæc verba allegantur ad Heb. ix. cum hæc omnia noui testamenti vmbra fuerint.* [d] Quasi opus lapidis saphirini.] *Cuiusmodi visio etiam Ezechieli facta est. In Hebræo est lateris: Voluntq; significari, duram illam luti, & lateris seruitutem versam fuisse in pulcherrimum libertatem.* [e] Non misit manum suam.] *Ad maiores & præcipuos in populo non misit Deus manum suam, id est, prophetiam, sicut ad Mosen, ideo non viderunt Deum tam clarè: viderunt quidem, sed hac visione non fuerunt satiati, cum adhuc comederint & biberint: at Moses quadraginta diebus & noctibus sine cibo perstitit. Alij sic exponunt. Non misit Deus manum suam in illos, hoc est, non occidit eos, postea quàm Deum viderunt, cum scriptum sit, non videbit me homo & viuet.*

CAPVT XXV.

LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Loquere filijs Israel, vt [a] tollant mihi † oblationem: ab A
Infra. 35.a omni homine qui offert vltroneus, accipietis eam. Hęc sunt autem, quæ accipere debetis. Aurum &
argentum, & æs, [b] hyacinthum & purpuram, coccumq; bis tinctum, & byssum, pilos caprarũ, & pel
les arietum rubricatas, pellesq; hyanthinas, & ligna setim: oleum ad luminaria concinnanda, [c] aromata in
vnguentũ, & thymiamata boni odoris, lapides onychinos, & gemmas [d] ad ornandum Ephod, ac Rationale.
Hebr. 9.a Facientq; mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorũ: iuxta omnem similitudinẽ tabernaculi, quod ostẽ-
dam

dam tibi, & omnium vasorum † sicq; facietis illud. Arcam de lignis setim compingite, cuius longitudo ha-
beat duos & semis cubitos: latitudo, cubitum & dimidium: altitudo, cubitum similiter ac semissem. Et de-
B aurabis eam auro mundissimo intus & foris, faciesq; supra coronam auream per circuitum: & quatuor cir-
culos aureos, quos pones per quatuor arcæ angulos: duo circuli sint in latere vno, & duo in altero. Facies
quoque vectes de lignis setim, & operies eos auro. Inducesq; per circulos qui sunt in arcæ lateribus, vt por-
terur in eis: qui semper erunt in circulis, nec vnquam extrahentur ab eis. Ponesq; in arca testificationem
quam dabo tibi. Facies & [e] propitiatorium de auro mundissimo: duos cubitos & dimidium tenebit longi-
tudo eius, & cubitum ac semissem latitudo. Duos quoque Cherubim aureos, & productiles facies ex vtra-
que parte oraculi. Cherub vnus sit in latere vno. & alter in altero. † Ex propitiatorio, inquã, facietis Che-
rubim in duabus extremitatibus eius: eruntq; Cherubim expandentes alas suas sursum: tegentes alis suis
propitiatorium, respiciantq; se mutuò versis vultibus in propitiatorium quo operienda est arca, in qua po-
C nes testimonium quod dabo tibi. [f] Inde † testificabor tibi & loquar ad te † de propitiatorio de medio † Che
rubim, qui erunt super arcam testimonij: cunctaque mandabo per te filijs Israel. Facies & mensam de li-
gnis setim habentem duos cubitos longitudinis, & in latitudine cubitum, & in altitudine cubitum ac se-
missem. Et inaurabis eam auro purissimo: faciesq; illi [g] † coronam auream per circuitum, & ipsi † coro-
næ ambitum interrasilem † quatuor digitorum per circuitum, & super ambitum illum coronam auream
per circuitum. Quatuor quoque circulos aureos præparabis, & pones eos in quatuor angulis eiusdem men
sæ per singulos pedes. Subter coronam erunt circuli, vt mittantur vectes per eos, & possit mensa portari.
Ipsos quoque vectes facies de lignis setim, & circundabis auro ad subuehendam mensam. Parabis & aceta-
bula, ac phialas, thuribula, & cyathos, in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo: & pones
D super mensam panes propositionis in conspectu meo semper. Facies & [h] candelabrum ductile de auro mun
dissimo, haftile eius, & calamum, cyphos & spærulas, ac lilia ex ipso prædependentia. Sex calami egredien-
tur de lateribus, tres ex vno latere, & tres ex altero. Tres cyphi quasi in nucis modum per calamos singu-
los, sphærulaq; simul, & lilia. Et tres similiter cyphi instar nucis in calamo altero, sphærulæq; simul & li-
lia: hoc erit opus sex calamorum, qui producendi sunt de candelabro. In ipso autem candelabro erunt qua
tuor cyphi in nucis modum, sphærulæq; per singulos & lilia. Sphærulæ sub duobus calamis per tria loca,
qui simul sex fiunt procedentes de candelabro. Et sphærulæ igitur & calami ex ipso erunt, vniuersa ductili-
a † vt opus vnum, de auro purissimo. Facies & lucernas septem, & pones eas super candelabrum, vt lu-
ceant ex aduerso. Emunctoria quoque & vbi, quæ emuncta sunt extinguantur, fiant de auro purissimo.
Omne pondus candelabri cum vniuersis vasis suis habebit [i] talentum auri purissimi. Inspice, & fac secundũ Heb. 8.b
exemplar quod tibi in monte monstratum est. Act. 7.f

SCHOLIA.

[a] Tollant mihi oblationem.] *Dictio Hebræa propriè significat eleuationem, de qua in sequentibus dicetur. Et quidem aliquando capitur pro primitijs, vt verterat interpres, aliquando pro ritu quodam oblationis, vt quod armus, & pectusculum in altum coram Domino leuabantur: aliquando pro donatione, & contributione, vt in præsenti loco.* [b] Hyacinthum.] *Interpretantur Hebræi lanam cerulei coloris, at purpuram rubri. Coccinum à Rabinis pro colore rubro exponitur, qui vulgò carmesinus vocatur, & est lucidior, quàm purpura: pelles hyanthinæ violacei coloris, quas alius vertit, pelles thasorum, quod animal Hebræi putant esse mundum, & varij coloris. Setim ferunt esse speciem optimam cedri.* [c] Aromata in vnguentum.] *Hoc est, aromata pro oleo vnctionis, & pro incenso suauium odorum.* [d] Ad ornandum Ephod & rationale.] *Ponebantur enim lapides preciosi in Ephod ipso, atque in rationali, id est, pectorali ornamento: Ephod fuit vestis quædam humeralis: & pectorale, quod Hebraicè Hoschen vocatur, fuit ornamentum ex serico, auro, & preciosis lapidibus factum, quod summus sacerdos in pectore suo, & super cor suum portabat, in quo erant, Vrim & Thummim, vnde responsa diuina dabantur. Habuerunt enim Hebræi temporum successu triplex oraculi genus, videlicet Prophetiã, Vrim, & Thummim, & tandem cum ista cessissent, vsi sunt in templo secundo voce quadam è cœlo lapsa, vnde futura didicerunt.* [e] Propitiatorium.] *Vocatur operculum arcæ propitiatorium, in cuius finibus consurgebant duo Cherubim facti opere ductili, aut secundum alios, opere integro, & solido, vt scilicet tam operculum quam Cherubim fuerint corpus vnum absque vlla compositione factum. Idem sentiendum est de candelabro, & scyphis, floribus, sphærulis, atque ramis eius: porrò Cherub secundum Hebræos, est dictio composita, & significat, quasi puer: habuerunt enim isti Cherubim formam, & figuram puerorum.* [f] Inde testificabor tibi.] *Vel, & conueniam te ibi, vt loquar tecum, hoc est, hunc locum tibi præscribo, vbi tecum sum locuturus.* [g] Coronam auream.] *Hic locus in Heb. sic habet. Faciesq; ei coronam aureã per circuitum, & clausuram palmarem facies ei per circuitum, & facies coronam auream clausuræ illi per circuitum. Et quod infra ait. Subter coronam. in Heb. est. ex aduerso clausuræ. Erat supra mensam, quasi sertum quoddam aureum, quod tabulam mensæ ambiebat, & infra tabulam alius erat ambitus, veluti fimbria quædam, quam Hebræi mus clausuram appellat, & sub illa in quatuor pedibus mensæ erant quatuor circuli: porrò supra mensam ponebantur varia vasorum genera, nempe magnæ & latæ scutellæ, cochleariaformam manus concauæ habentia, & dimidiatæ fistulæ, quarum officium erat sustentare panes faciem, id est, propositionis, & conseruare à putrefactione. Et quoniam longæ erant, mensam excedentes, consurgebant è terra quasi quædam furculæ, quas interpretes vertunt cyathos, quæ dictas fistulas sustinebant.* [h] Candelabrum.] *Hæc est ratio candelabri: per haftile intelligebasim, per calamum medium stipitem: vt sit corpus ipsum, quasi statua aurea, scyphis, sphærulis, & floribus ornatum, sustinens mediam septem lucernarum. Ex quo vtrinque cannæ tres prodeunt, infimis duabus longioribus, medijs duabus mediocribus, supremis duabus breuioribus, in eandem cum quarta lucerna altitudinem sublatus. Qui omnes illi sex calami decentissimo ornatu gestant suos quosque tres scyphos, sphærulas & flores, cum sex. singulis superpositis lucernis, erantq; receptacula olei, & elychny.* [i] Talentum.] *Continet vulgare talentum sexaginta libras, illud autem quo in templo vtebantur, duplum erat ad prophanum.*

CAPVT XXVI.

[a] Abernaculum verò ita fiet. [b] Decem cortinas de byſſo retorta & hyacintho,ac purpura, coccoque bis tincto, [c] variatas opere plumario facies. Longitudo cortinæ vnius, habebit viginticocto cubitos: latitudo quatuor cubitorum erit. Vnius menſuræ fient vniuerſæ † cortinę. Quinq; cortinæ ſibi iungentur mutuò,& aliæ quinq; nexu ſimili cohęrebũt. Anſulas hyacinthinas in lateribus ac ſummitatibus facies cortinarũ, vt poſſint inuicẽ copulari. Quinquagenas anſulas cortina habebit in vtraq; parte, ita inſertas, vt anſa contra anſam veniat,& altera alteri poſit adaptari. Facies & quinquaginta † vncinos aureos quibus cortinarũ vela iungenda ſunt, vt vnum tabernaculũ fiat. Facies & † cortinas de pilis caprarum vndecim, ad operiendũ tectũ tabernaculi. Longitudo † cortinę vnius habebit triginta cubitos & latitudo quatuor: ęqua erit menſura † cortinarum vndecim. E quibus quinq; iunges ſeorſum,& ſex ſibi mutuò copulabis, ita vt ſextam † cortinam in fronte † tabernaculi duplices. Facies & quinquaginta anſas in ora † cortinæ vnius, vt cõiungi cũ altera queat:& quinquaginta anſas in ora † cortinę alterius, vt cũ altera copuletur. Facies & quinquaginta fibulas æneas quibus iungãtur anſę, vt vnũ ex omnibus operimentũ fiat. Quod autẽ ſuperfuerit in † cortinis, quę parantur tecto, id eſt vna † cortina quod amplius eſt, ex medietate eius [d] operies poſteriora tabernaculi. Et cubitus ex vna parte pendebit,& alter ex altera qui plus eſt in † cortinarũ longitudine, vtrunq; latus tabernaculi protegens. Facies & operimentũ aliud tecto de pellibus arietũ rubricatis:& ſuper hoc rurſum aliud operimentũ [e] de hyanthinis pellibus. Facies & tabulas ſtantes tabernaculi de lignis ſetim, quę ſingulę denos cubitos in longitudine habeant,& in latitudine ſingulos ac ſemiſſem. In lateribus tabulę [f] duę in caſtraturę fient, quibus tabula alteri tabulę cõnectatur: atq; in hunc modũ cunctæ tabulæ parabũtur. Quarũ viginti erunt in latere meridiano quod vergit ad auſtrũ. Quibus quadraginta baſes argenteas fundes, vt binę baſes ſingulis tabulis per duas † incaſtraturas ſubijciantur. In latere quoq; ſecundo tabernaculi quod vergit ad aquilonem, viginti tabulę erũt. quadraginta habentes baſes argenteas: binæ baſes ſingulis tabulis ſupponentur. Ad occidentalẽ verò plagam tabernaculi facies ſex tabulas,& rurſum alias duas, quę in angulis erigãtur † & concurrant in duobus lateribus tabernaculi. [g] Eruntq; ſibi cõiunctæ à deorſum vſq; ſurſum,& vna omnes cõpago † per vncinũ retinebit. Duabus quoq; tabulis, quę in angulis ponendę ſunt, ſimilis iunctura ſeruabitur. Et erũt ſimul tabulę octo, baſes earũ argẽteę ſexdecim, duabus baſibus per vnã tabulã ſupputatis. Facies & vectes de lignis ſetim [h] quinq; ad continendas tabulas in vno latere tabernaculi, & quinq; alios in altero, & eiuſdẽ numeri ad occidentalẽ plagam: qui mittẽtur per medias tabulas [i] à ſummo vſq; ad ſummũ. Ipſas quoq; tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos per quos vectes tabulata cõtineant, quos operies laminis aureis. Et eriges tabernaculũ iuxta exemplar quod tibi in mõte mõſtratũ eſt. Facies & velum de hyacintho,& purpura, coccoq; bis tincto, & byſſo retorta opere plumario & pulchra varietate contextum: quod appendes ante quatuor colũnas de lignis ſetim, quę ipſæ quidẽ deauratæ erunt, & habebunt capita aurea, † ſuper baſes argenteas. [k] Inferetur autem velum per † vncinos, intra quod pones arcã teſtimonij, quo & ſanctuarium & ſanctuarij ſanctuaria diuidentur. Pones & propitiatorium ſuper arcã teſtimonij in ſancta ſanctorum: menſamq; extra velum: & contra menſam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: menſa enim ſtabit in parte aquilonis. [l] Facies & † aulæũ in introitu tabernaculi de hyacintho,& purpura, coccoq; bis tincto,& byſſo retorta opere plumarij. Et quinq; colũnas deaurabis lignorum ſetim, ante quas ducetur tentorium, quarum erunt capita aurea & † fundes pro eis quinq; baſes æneas.

SCHOLIA.

[a] Tabernaculum.] *Tabernaculum, quod & ſanctuarium dicitur, ita ſitum erat, vt ingreſſus eius eſſet ab oriente, ſanctum ſanctorum vergeret ad occidentem, vt adoraturi verſus occidentem conuerterentur. Duo ergo latera, auſtrale, & aquilonare, ſingula triginta cubitorum habebant longitudinem, & decem cubitorum altitudinem: latus occidentale octo quibuſdam videtur cubitos habuiſſe, alij decem exiſtimant, ſecundum latitudinem totius tabernaculi, & decem cubitos altitudinis, quam & non amplius totum habebat ſanctuarium. Latus autem orientale velo tantum claudebatur, appenſo ad introitum, ſicut & ſanctum ſanctorum, decem habens cubitos longitudinis, & octo latitudinis (decem alij exiſtimant) non niſi ſimili velo diſtinguebatur ab exteriori parte ſanctuarij, quod ſanctum dicebatur.* [b] Decem cortinas.] *Hæ cũ ſimul iunctæ erant, quadraginta cubitorum ſpacium complectebantur, his latera tabernaculi veſtiebantur.* [c] Variatas opere plumario.] *Hoc eſt, opere phrygio, quod vel acu, vel textura varias figuras, et picturas effingit. In Heb. eſt, Cherubim, ſed interdum capitur pro quibuſlibet figuris, quæ depictæ fuerunt in cortinis.* [d] Operies tabernaculi poſteriora.] *Pars ea qua intratur ab ortu ſolis, dicitur poſterior pars, quia ſanctum ſanctorum, quod erat ab occaſu, vbi arca Dei conſtituta erat, dignior erat pars, & iure anterior vocabatur. Illud autem operies, &c. In Heb. eſt. Extẽdet etiam in poſterioribus tabernaculi.* [e] De hyanthinis pellibus.] *In Hebræo eſt, de pellibus thaſorum. Tria erant quaſi tentoria, alterum alteri ſuperpoſitum, vnum ex pilis caprarum, alterum ex pellibus arietum, tertium ex pellibus hyanthinis, vel thaſorum, quæ tecto imponebantur ob defenſionem domus, & aulæorum, ab iniuria cœli & imbrium.* [f] Duę incaſtraturæ.] *In Heb. eſt, duæ manus. hoc eſt, de tabula ipſa eminebant duæ partes in ſerratura relictæ, quæ baſibus immiſſæ tabulam erectam continebant.*

[g] Eruntq; ſibi coniunctæ.] *Continebantur tabulæ ad inuicem infra per baſes, & ſupra per circulos, vno ſcilicet circulo duas complectente tabulas, ne à ſeipſis diſſiderent.* [h] Quinque.] *Habuit contignatio vnius parietis tres ordines vectium, ſed ſuperior ordo & ſimiliter inferior conſtabat duplici vecte, & medius vno, qui tamen in longitudine duobus ſuperioribus æqualis fuit: fuerunt igitur numero quinque.* [i] A ſummo vſq; ad ſummum.] *Ab extremitate vſque ad extremitatem, Vel, vt alius vertit, à fine vſque ad finem.* [k] Inferetur autem velum per vncinos.] *Qui ſcilicet in ſuperiori aulæo, quod tabernaculum tegebat, duas magnas cortinas vnà cum laqueolis coniunctos tenebant.* [l] Facies & aulæum.] *Aulæum, ſiue velum pro foribus tabernaculi, pro quarto ſcilicet latere tabernaculi, à parte orientali, qua tantum patebat ingreſſus, pendebat autem velum illud ex quinque columnis ligneis deauratis, commodè ſtantibus, duabus quidem infixis iuxta*

iuxta duos parietes, reliquis tribus æqualiter à ſe, & duabus reliquis diſtantibus, ſimulq; ex vncinis velum illud pendebat, & cedebat tantum ingredientibus, non amouebatur, niſi dum loco recedendum erat, Domino iubente: tunc enim omnia à ſacerdotibus reſoluebantur, & in faſciculos conſarcinabantur, à Leuitis baiulanda.

CAPVT XXVII.

A Facies & altare de lignis ſetim, quod habebit quinq; cubitos in longitudine, & totidem in latitudine, id eſt quadrum, & tres cubitos in altitudine. Cornua autem per quatuor angulos [a] ex ipſo erunt, & operies illud ære. Faciesq; in vſus eius lebetes ad ſuſcipiendos cineres, & [b] forcipes atq; fuſcinulas, & ignium receptacula, omnia vaſa, ex ære fabricabis. Craticulamq; in modum retis æneam: per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli ænei, † & pones ipſum [c] ſubter ambitum altaris deorſum, vt ſcilicet ſit rete ipſum in meditullio altaris. Facies & vectes altaris de lignis ſetim, † quos operies laminis æneis: & induces
B per circulos, eruntq; ex vtroque latere altaris ad portandum † ipſum. Non ſolidum, ſed † vacuum intra tabulas facies illud, ſicut tibi in monte mõſtratum eſt. [d] Facies & atrium tabernaculi, in cuius auſtrali plaga cõtra meridiem [e] erunt † cortinæ de byſſo retorta. Centũ cubitos vnum latus tenebit in longitudine, & colũnas viginti cũ baſibus totidem æneis, quæ capita [f] cũ cælaturis ſuis habebunt argentea. Similiter & in latere aquilonis per longum erunt † cortinæ centum cubitorum, columnę viginti, & baſes æneæ eiuſdem numeri,& capita earum cũ cælaturis ſuis argentea. In latitudine verò atrij quod reſpicit ad occidentẽ erunt † cor-
C tinæ per quinquaginta cubitos,& columnæ decem, baſesq; totidẽ. In ea quoq; atrij latitudine, quæ reſpicit ad orientem, quinquaginta cubiti erunt, in quibus quindecim cubitorum † cortinæ lateri vno deputabuntur, columnæq; tres & baſes totidẽ,& in latere altero erunt † cortinæ cubitos obtinentes quindecim, colũnæ tres & baſes totidẽ. In introitu verò atrij fiet † velum cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto,& byſſo retorta opere plumarij: colũnas habebit quatuor, cum baſibus totidem. Oẽs columnæ atrij per circuitũ veſtitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis:& baſibus æneis. In longitudine oc-
D cupabit atrium cubitos centum, in latitudine [g] quinquaginta † cum quinquaginta, altitudo quinq; cubitorum erit: fietq; de byſſo retorta,& habebit baſes æneas. Cuncta vaſa tabernaculi in omnes vſus & ceremonias, tam † clauos eius quàm atrij, ex ære facies. Præcipe filijs Iſrael vt afferant tibi oleum de arboribus oliuarum puriſſimum piloq; contuſum, vt ardeat lucerna ſemper [h] in tabernaculo teſtimonij extra velũ quod Leuit. 6.b
oppanſum eſt teſtimonio:& collocabunt eam Aaron & filij eius † à veſpera vſq; manè coràm Domino. Per petuus erit cultus per ſucceſsiones eorum a filijs Iſrael.

SCHOLIA.

[a] Ex ipſo erunt.] *Hoc eſt, non erunt cornua aliunde aſſita.* [b] Forcipes, atque fuſcinulas, & ignium receptacula.] *Alius vertit: palas, pelues, fuſcinulas, pateras.* [c] Subter ambitum.] *Ab ambitu illo altare adhuc eminebat tribus cubitis. Et quando ſcriptura dicit, altare in altitudine habuiſſe tres cubitos, id Heb. intelligunt, ab ambitu, alioquin ad ambitum ipſum ſacerdotes aſcendebant, licet non per gradus: Vnde colligitur altare maiorem habuiſſe altitudinem, quàm triũ cubitorum. Infra hunc ambitum, atque intra altare ipſum pendebat cribrum, ſeu cancellatum illud rete, cũ altare eſſet vacuum, & concauum intra tabulas ipſas.* [d] Facies & atrium.] *Totum atrium duplo longius erat, quàm latitudo eius eſſet: centum enim cubitorum erat longitudo atrij, quinquaginta latitudo. Vnde ſequitur, latitudinem atrij vſque ad tabernaculi parietes fuiſſe circiter viginti cubitorum ad auſtrum & aquilonem, latitudinem verò orientalem & occidentalem inter tabernaculum & tentorium, triginta quinque cubitorum (ſi tabernaculum in medio colloces) præcisè fuiſſe: in cuius orientali parte, inter ingreſſum atrij & tabernaculi altare ſtabat holocauſtorum. Hic autem ingreſſus in atrium, velamine pulcherrimo claudebatur, ſicut & velum tabernaculi, vario colore, & preciosa materia, artificioſè confectum, arte acupictoria, &c.* [e] Erunt cortinæ.] *Dicunt Heb. cortinas atrij aliter fuiſſe contextas, quàm cortinas tabernaculi, nam erant plenæ foraminibus, arcentes quidem ingreſſum, ſed aſpectum non prohibebant.* [f] Cum cælaturis ſuis.] *Sic vocantur circuli, & alia ornamenta, quæ per gyrum ambiebant columnas.* [g] Quinquaginta cum quinquaginta.] *Putant quidam ita dictum, quod atrium verſus orientem quadratum fuerit, alteram verò atrij partem occupauerit tabernaculum, & ſpacium quod poſt illud erat.* [h] In tabernaculo teſtimonij.] *Tabernaculum teſtimonij ſic vocatum eſt, quòd illuc conueniret cœtus Iſrael ad orandũ & ſacrificandum: nam vox Heb. ſignificat conuenire & conteſtari. Sed arca vocatur arca teſtimonij: propter legem, quæ ſæpe vocatur teſtimonium eò, quòd lex Domini iuſtis ſit teſtimonium ad vitam, impijs ad mortem. Aut etiam, quia teſtetur de Dei voluntate.*

CAPVT XXVIII.

A Pplica quoq; ad te Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis de medio filiorum Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi Aaron. Nadab & Abiu, Eleazar, & Ithamar. Faciesq; veſtes ſanctas Aaron fratri tuo in gloriam & decorem. Et loqueris cunctis ſapientibus corde, quos repleui ſpiritu prudentiæ, vt faciãt veſtes Aaron in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. Hæc autem erunt veſtimenta, quę facient. [a] Rationale & ſuperhumerale, [b] tunicam & lineam ſtrictam, cidarim & baltheũ. Facient veſtimenta ſancta fratri tuo Aaron & filijs eius, vt ſacerdotio fungantur mihi. Accipientq; aurum & hyacinthum & purpuram, coccũq;
B bis tinctum & byſſum. Facient autem ſuperhumerale de auro & hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto, & byſſo retorta opere polymito. Duas oras iunctas habebit in vtroq; latere ſummitatum: vt in vnũ redeant. † Artificium quoq; cinctũrę eius, quæ eſt in ſummitate eiuſdem, nõ diſſimile erit operi eius, ſed ex ipſo erit factum ex auro & hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto, & byſſo retorta. Sumesq; duos lapides onychinos, & ſculpes in eis nomina filiorũ Iſrael, ſex nomina in lapide vno, & ſex reliqua in altero iuxta ordinem Sapi. 18.d
natiuitatis eorum. Opere ſculptoris & cælatura gẽmarij, ſculpes eos nominibus filiorum Iſrael, incluſos auro atq; circundatos, & pones in vtroq; latere ſuperhumeralis, memoriale filijs Iſrael. Portabitq; Aaron nomina eorũ coràm Domino ſuper vtrũq; humerum, ob recordationem. [c] Facies & vncinos ex auro, & duas

catenulas

catenulas auri purissimi sibiinuicem cohærentes,quas inseres vncinis. [d] Rationale quoque iudicij facies opere polymito,iuxta texturam superhumeralis ex auro, hyacintho,& purpura,coccoq; bis tincto, & byssо retorta. Quadrangulum erit & duplex: mensuram palmi habebit tam in longitudine quam in latitudine. Ponesq; in eo quatuor ordines lapidum:in primo versu erit lapis sardius,& topatius, & smaragdus:In secundo: carbunculus, saphirus, & iaspis:In tertio:ligyrius,achates,& amethystus: In quarto:chrysolitus,onychinus, & beryllus:inclusi auro erunt per ordines suos.Habebuntq; nomina filiorum israel. Duodecim nominibus celabuntur,singuli lapides nominibus singulorū p duodecim tribus.Facies in Rationali catenas [e] sibiinuicē cohærētes ex auro purissimo,& duos annulos aureos quos pones in vtraq; rationalis † extremitate,catenasq; † duas aureas iunges annulis † vtrisq; qui sunt in marginibus eius, & ipsarum catenarum extrema duobus copulabis vncinis,† & pones in vtroq; latere superhumeralis, quod Rationale respicit. Facies & duos annulos aureos quos pones in † extremitatibus rationalis, & in oris quæ è regione sunt superhumeralis interius: necnon & alios duos annulos aureos qui ponendi sunt in vtroq; latere superhumeralis deorsum,quod respicit contra faciem iuncturę inferioris,vt aptari possit cum superhumerali,& stringatur rationale annulis suis cum annulis superhumeralis vitta hyacinthina,vt maneat super texturam superhumeralis,& à se inuicem rationale & superhumerale nequeant separari. Portabitq; Aaron nomina filiorum Israel in rationali iudicij super pectus suum,quando ingredietur sanctuarium memoriale coràm Domino in æternum. Pones autem in rationali iudicij † Vrim & Thummim,quæ erunt in pectore Aaron quãdo ingredietur coràm Domino, & gestabit iudicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper. Facies & tunicam superhumeralis totam hyacynthinam,in cuius medio supra erit [f] capitium, & ora per gyrum eius textilis, sicut fieri solet in extremis vestium partibus,ne facilè rumpatur. Deorsum verò ad pedes eiusdem tunicæ per circuitū quasi mala punica facies ex hyacintho, & purpura,& cocco bis tincto, mistis in medio † aureis per gyrum tintinnabulis,ita vt tintinnabulum sit aureum & malum punicum,rursumq; tintinnabulum aliud aureum
Eccl. 54.b & malum punicum † in fimbrijs tunicæ per circuitum. Et vestietur ea Aaron in officio ministerij,vt audiatur sonitus quando ingreditur & egreditur sanctuarium in conspectu Domini,& non moriatur. Facies & [g] laminam de auro purissimo:in qua sculpes opere cælatoris. SANCTVM DOMINO. Ligabisq; eam vitta hyacynthina,& erit super tiaram,† erit autem in exteriori eiusdem tiaræ facie: & hæc erit in fronte Aaron [h] Portabitq; Aaron iniquitates eorum, quæ obtulerunt & sanctificauerunt filij Israel,in cunctis muneribus † sanctis suis. Erit autem lamina semper in fronte eius,vt placatus sit eis Dominus. † [i] Ornabis quoq; tunicã byssinam,& facies tiaram byssinam,facies & baltheum opere plumarij. Porrò filijs Aaron tunicas † parabis & baltheos ac tiaras in gloriam & decorem, vestiesq; his omnibus Aaron fratrem tuũ & filios eius cum eo, & vnges eos & cunctorum consecrabis manus, sanctificabisq; illos vt sacerdotio fungantur mihi. Facies & feminalia linea,vt operiãt carnem turpitudinis suæ à renibus vsq; ad femora:& vtentur eis Aaron & filij eius quando ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquant ad altare vt ministrent in sanctuario,ne iniquitatis rei moriantur. Legitimum sempiternum erit Aaron,& semini eius post eum.

SCHOLIA.

[a] Rationale & superhumerale.] *Hoc est,pectorale & Ephod.* [b] Tunicam & lineam strictam.] *Alius vertit, interula & tunica,inclusos habens lapides. Hebraicè,tunica inclusionis,hoc est,quæ fulgebat variis ornamentis, & præsertim inclusis lapidibus,& margaritis,quos sepiebant rosulæ, specula,& ornamenta ex aureis facta filis,& hæc interior erat vestis,quam tegebat interula, alia vestis linea, & hanc rursus cingebat Ephod, quod cinctorum quoddam erat,pectus sub axillis ambiens,atq; in duabus humeralibus hærens fimbrijs.* [c] Facies & vncinos.] *Vel,fibulas. Hebraicè inclusoria,erãt enim duo ornamẽta,ex quibus catenulæ aureæ propẽdebant.* [d] Rationale quoq; iudicij.] *Hebraicè Hosen,pectorale erat, quod in pectore summi sacerdotis portari iussum fuit,et erat summa ac dignior inter sacerdotalia indumenta uestis, sicut arca summa res erat inter tabernaculi Vasa,et utrinq; responsa diuina dabantur, Habuitq; pectorale illud ornamentum, præter duodecim lapides,& nomina filiorũ Isr.uel illis inscripta,Vrim,& Thummim,quæ lucem & perfectionem significant, quæ interpres verterat, doctrinam & veritatem, ex quibus summo sacerdoti responsa diuina dabantur, Verum quales fuerint res,nemini mortalium constat. Neque solum de hoc, sed neque de Ephod ex contextu satis dilucidè intelligi potest,quo fit,vt tam ab Hebræis, quàm à Latinis expositoribus variæ hic inueniantur opiniones. De duodecim lapidibus quoque non conuenit inter Latinos & Hebræos, idem ferè dissidium est de catenis, quas terminatas, vel terminabiles vocant.* [e] *Illud vero.* Sibi inuicem cohærentes] *in Heb.sic habet. Quæ terminentur,facies eas opere intricato. & adhibebis catenulas illas intricatas,ad fibulas inclusas.* [f] Capitium.] *foramen, per quod caput immittitur, & hoc foramen labio quodam solidiori erat circundatum.* [g] Laminam.] *Lamina aurea sacrosancta,in qua scriptum erat ineffabile nomen Domini tetragramma ton,super frontem affigebatur pileolo lineo,pertingebatq; ab aure ad aurem. Significabat enim remissionem omnium peccatorum,quæ inuerecunda cõmittebantur fronte.* [h] Portabitq; Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt.] *Vel iniquitatem sanctificatorum,quod quidam sic exponunt, vt vnà cum lamina & oblationibus sanctificatis,propiciationem adipiscatur.* [i] Ornabis quoq;.] *Hæc erat interior Vestis sacerdotalis,quæ cuti adhærebat,& inbetur fieri ex lino picto,& ornato varijs inclusionibus,hoc est,rosulis gemmatis,& speculis,atque margaritis lucentibus.*

CAPVT XXIX.

Leui.9.a SEd & hoc facies, vt mihi in sacerdotio cõsecrentur. Tolle vitulum † vnum de armento, & arietes duos immaculatos,panesq; azymos,& † placentas absq; fermento,quæ conspersa sint oleo, lagana quoque azyma oleo lita. De simila triticea † ea facies,& posita in canistro offeres † in eo vnà cũ vitulo & duobus arietibus,& Aaron,ac filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cumq; laueris patrem cũ filijs suis aqua,indues Aaron vestimentis suis, id est linea & tunica † superhumeralis, & superhumerali [a] & rationali,quod constringes † ei cum baltheo superhumeralis: & pones tiaram in capite eius, [b] & laminam sanctam

B sanctam super tiaram,et oleum vnctionis fundes super caput eius,atq; † vnges eum. Filios quoq; illius applicabis & indues tunicis † eos,cingesq; baltheo. Aaron scilicet & liberos eius, & impones eis mitras, eruntq; sacerdotes mihi religione perpetua. Postquam initiaueris manus eorum,applicabis & vitulum coràm tabernaculo testimonij. Imponentq; Aaron & filij eius manus super caput illius, & mactabis eum in conspectu Leuit. 1.b
Domini,iuxta ostium tabernaculi testimonij:sumptumq; de sanguine vituli,pones super cornua altaris digito tuo,† & omnem sanguinem fundes iuxta basim eius. [c] Sumes & adipem totum qui operit intestina, & Leuit. 3.a
reticulum iecoris,ac duos renes,& adipem qui super eos est, & offeres incensum super altare:carnes verò vi-
C tuli & corium & fimum combures foris extra castra,[d] † sacrificium pro peccato est. Vnum quoq; arietẽ sumes,super cuius caput ponent Aaron & filij eius manus,quem cum mactaueris, tolles † sanguinem eius, & fundes † super altare † per circuitum, ipsum autem arietem secabis in frusta. Lotaq; intestina eius ac pedes pones super concisas carnes,& super caput illius,& offeres totum arietem in incensum super altare, † holocaustum est Domino odor suauissimus,& oblatio ignita Domino. Tolles quoq; arietem alterum, super cuius caput Aaron & filij eius ponẽt manus. Quem cum immolaueris,sumes de sanguine eius, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius,& super pollices manus eorum ac pedis dextri,fundesq;
D sanguinem super altare per circuitum. Cumq; tuleris de sanguine qui est super altare & de oleo vnctionis, asperges Aaron & vestes eius,filios & vestimenta eorum. Cõsecratisq; ipsis & vestibus,tolles adipem de ariete,& caudam & aruinam quę operit † intestina,ac reticulum iecoris,& duos renes, atque adipem qui super eos est,armumq; dextrum,eò quòd sit aries consecrationis,tortamq; panis † vnam, crustulam conspersam oleo,laganum de canistro azymorum,quod positum est in cõspectu Domini ponesq; omnia super manus Aaron & filiorum eius,[e] & † ventilabis ea in oblationem coràm Domino. Suscipiesq; vniuersa de manibus eorum,& incendes super altare in holocaustum,odorem suauissimũ in conspectu Domini,quia ignita obla-
E tio eius est. Sumes quoque pectusculum de ariete quo initiatus est Aaron, † ventilabisq; illud eleuatum coràm Domino,& cedet in partem tuam. Sanctificabisq; & pectusculum † ventilationis, & armum eleuationis:quod ventilatum est,& qui in altum eleuatus est de ariete quo initiatus est Aaron & filij eius, cedẽtq; in partem Aaron & filiorũ eius [f] iure perpetuo à filijs Israel,quia † oblatio est & eleuatio à filijs Israel de victimis eorum pacificis quę offerunt Domino. Vestes autem sanctas † quibus vtetur Aaron habebunt filij eius post eum,vt vngantur in † eis & consecrentur manus eorum. Septem diebus vtetur illis qui põtifex pro eo fuerit constitutus de filijs eius,& qui ingredietur tabernaculum testimonij vt ministret in sanctuario. Arie-
F tem autem consecrationum tolles,& coques carnes eius in loco sancto,quibus vescetur Aaron & filij eius. Panes quoq; qui sunt in canistro [g] † iuxta ostium tabernaculi testimonij comedent, † eò quòd propitiatio Leuit. 8.g
per ea facta sit, ad consecrandum manus illorum, & sanctificandum eos. [h] Alienigena non vescetur ex eis, quia sancta sunt. Quòd si remanserit de carnibus consecratis siue de panibus vsq; manè,combures reliquias igni. Non comedẽtur,quia sanctificata sunt. Omnia quæ præcepi tibi,facies super Aaron & filijs eius. Septẽ diebus consecrabis manus eorum:& vitulum pro peccato offeres, per † diem ad expiandum. Mundabisq; altare cum immolaueris expiationis hostiam,& vnges illud in sanctificationẽ. Septem diebus expiabis alta-
G re & sanctificabis,† eritq; altare veluti sanctum sanctorum,[i] omnis qui tetigerit illud, sanctificabitur. Hoc est quod facies in altari, Agnos anniculos duos per singulos dies iugiter, vnum agnum manè, & alterum vespere,[k] decimam partem similæ cõsperſæ oleo tuso,quod habeat mensuram quartam partem hin, & vinũ ad libandum eiusdem mensuræ in agno vno. Alterum verò agnum offeres ad vesperam iuxta ritum matutinæ oblationis,& iuxta † libamẽ eius in odorem suauitatis,sacrificium ignitum est Domino,† holocaustum perpetuum in generationes vestras,ad ostium tabernaculi testimonij coràm Domino,vbi constituam vt loquar ad te. Ibiq; præcipiam filijs Israel,& sanctificabitur altare in gloria mea. Sanctificabo et tabernaculum testimonij cum altari,& Aaron cum filijs suis,vt sacerdotio fungantur mihi. Et habitabo in medio filiorum Israel,eroq; eis Deus,& scient quia ego sum Dominus Deus eorum,qui eduxi eos de terra Ægypti,vt manerem inter illos,ego Dominus Deus ipsorum.

SCHOLIA.

[a] Et rationali.] *Aaron pontificalibus indutus vestibus,repræsentabat tabernaculum, & omnia vtensilia eius:pectorale iudicij, repræsentabat arcam,nam habuit inclusos lapides, vt illa tabulas cõtinebat lapideas. Habuit scripturã Vrim, vt illa legem scriptam. Ephod verò repræsentabat propiciatorium, habuit enim duos lapides onychinos, sicut illud duos habuit Cherubim. Lamina autem,quæ sanctitatem Domini insculptam tenebat, repræsentabat gloriam Domini,quæ habitauit in tabernaculo. Tunica superhumeralis,siue interula Ephod,significabat velum,& sex cortinas,quæ totũ interius claudebant tabernaculum,& sic de reliquis. Iubentur verò hic pro sui consecratione quatuor facere,scilicet induere sacerdotalia vestimenta,vngere caput,offerre sacrificium,& lauare se in aqua.* [b] Et laminam sanctam.] *Alius vertit, & coronã sanctitatis.* [c] Sumes & adipem.] *Pulchrè hunc locum magnus Basilius mysticè interpretatur,dicens,doceri nos à diuina lege in hoc vitulo,qui pro sacerdotio offertur,per ea membra,quæ comburũtur,qui nobis habẽdus sit vitæ modus. Iubet enim (inquit) reticulum iecoris,non totum iecur:& adipem,qui operit intestina,non ipsa intestina:renum verò non adipem solũ, sed ipsos etiam renes cum adipe comburi & in holocaustum offerri. Etenim cum iecur instrumentum sit appetitionis,intestina verò alendo animanti necessaria,neq; fieri possit,vt absq; alimentis viuamus, sed neque sine naturali vi appetendi. Iecirco admonet lex,vt seruato eo,quod secundum naturã est alimentis & appetitionibus,id abyciamus,quod vitiosum,ac superfluum est,quasi adipem intestinorum,& iecoris reticulum,siue,vt ipse ait,eam iecoris particulam, cui putatur fel esse comitũm. At verò cum renes neque necessaria instrumenta ad alendum animal,quemadmodum intestina,neq; ad appetitiones aptas seruando animanti,videantur,vt iecur,sed tantum ei parti appetitionis seruiant, quæ ad viri ac mulieris copulã pertinet,sine qua viuere animal possit,horum nõ adipem solum,sed ipsos etiã renes igni tradit comburendos, cũ posimus sine renibus,*

nibus, hoc est, sine coniugio viuere, & virginalem vitam, quæ pares angelis facit, hic etiam exercere. Hæc ille. [d] Sacrificium pro peccato est.] *Heb. habet, peccatum est, vocat enim Hebraismus oblationem pro peccato, peccatum, quem morem loquendi & Paulus seruauit, cum dixit, Christum factum esse pro nobis peccatum, hoc est, hostiam pro peccato. Obseruant autem & Hebræi. Dominum potissimum exigere pro suo sacrificio animalia illa, & membra illa, quæ concupiscentijs subiiciuntur: non vult habere animal infirmum, aut quod testiculis sit priuatum, requirit renes, qui concupiscentiæ prima sunt officina: vult habere epar: quod roborat libidinem, & adipes, qui effrenem faciunt concupiscentiam, iuxta illud, impinguatus est Israel, & recalcitrauit. Hæc omnia Dominus in suo vult habere sacrificio, non quòd illum delectent renes, aut adipes, sicudum, sed quòd hæc mysticè significent, quòd homo mortificare debet membra sua super terram.* [e] Et ventilabis ea.] *Significat aliquid in sublime porrectum, hinc inde ad quatuor mundi plagas mouere, & quasi ventilare. Alij censent, motum illum fuisse in modum crucis, vt scilicet in altum attolleretur, & rursum submitteretur, deinde à sinistra ad dextram moueretur, quanquam & prior modus figuram crucis exprimebat. Erat & aliud genus oblationis, quod solum sursum, & deorsum aliquoties mouebatur.* [f] Iure perpetuo.] *Vel, statuto perpetuo, hoc est, quandiu lex vetus cursum suum habebat, tandiu pectus & armum dextrum in sacrificijs pacificis tenebantur Israelitæ dare Aaron, & legitimis successoribus eius.*
[g] Iuxta ostium tabernaculi.] *In atrio scilicet extra tabernaculum.* [h] Alienigena nō vescetur.] *Intelligitur hic per alienigenam, homo, qui non est de genere sacerdotali.* [i] Omnis, qui tetigerit illud, sanctificabitur.] *Hoc est, sanctus esse debet, vt doceat immundos non debere accedere.* [k] Decimam partem.] *Subaudi Ephi.*

CAPVT XXX.

FAcies quoq; altare ad adolendum thymiama de lignis setim, habens cubitum longitudinis, & alterum latitudinis, id est † quadratum, & duos cubitos in altitudine. Cornua † eius ex ipso † erunt, vestiesq; illud auro purissimo, tam † tectum eius, q̄ parietes per circuitum, & cornua. Faciesq; ei coronam † aureā per gyrū, et duos annulos aureos sub corona per singula latera, vt mittantur in eos vectes, & altare portetur. Ipsos quoq; vectes facies de lignis setim, & inaurabis, Ponesq; altare [a] † ante velum, quod ante arcā pendet testimonij coràm propitiatorio quo tegitur testimonium, vbi loquar tibi. Et adolebit incēsum super eo Aaron, suaue fragrans. Mane [b] quando componet lucernas incendet illud: & quando † incenderit eas ad vesperum, vret thymiama sempiternū † incensum coràm Domino in generationes vestras. Nō offeretis super eo thymiama cōpositionis alterius, nec † holocaustum aut oblationem, nec libabitis libamina. Et deprecabitur Aaron super cornua eius [c] semel per annū in sanguine, quod oblatū est pro peccato † expiatio, semel in anno placabit super eo in generationibus vestris, sanctū sanctorū erit Dño. Locutusq; est Dñs ad Moysen, dicens. Quando tuleris summā filiorū Israel iuxta numerū, dabunt singuli † propitiationē pro animabus suis Domino † quando recensueris eos, & [d] nō erit plaga in eis, cū fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad numerū, dimidiū sicli iuxta † siclū sanctuarij. Siclus, viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis & supra, dabit † oblationem Dño. [e] Dies non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet † cū dederit oblationē Domino, vt propitius fiat animabus vestris. Susceptamq; [f] pecuniam † propitiationū á filijs Israel, trades in vsus tabernaculi testimonij, vt sit monimentum eorū coràm Dño, & propitietur animabus † vestris. Locutusq; est Dñs ad Moysen, dicens. Facies & [g] labium æneū cū basi sua ad lauandū, ponesq; illud inter tabernaculū testimonij & altare. Et missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius manus suas ac pedes, quādo ingressuri sunt tabernaculum testimonij † lauabūt se aqua, & quādo accessuri sunt ad altare, vt † ministrent & offerant in eo thymiama Dño, ne fortè moriantur, legitimū sempiternū erit ipsi, & semini eius per successiones. Locutusq; est Dñs ad Moysen, dicens. Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos, & cinnamomi † aromatici mediū, id est ducentos quinquaginta siclos, calami † aromatici similiter ducētos quinquaginta siclos, casiæ aūt quingētos siclos in pōdere sanctuarij, oleū de oliuetis mensurā hin: faciesq; vnctionis oleū sanctū vnguentū cōpositū opere vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculū testimonij, & arcam testamēti, mensamq; cū vasis suis, candelabrū, & vtensilia eius, altaria thymiamatis, & holocausti, & vniuersam supellectilem † & labrum, atq; basim eius: sanctificabisq; omnia, & erunt sancta sanctorū, qui tetigerit ea, sanctificabitur. Aaron & filios eius vnges, sanctificabisq; eos, vt sacerdotio fungantur mihi: Filijs quoq; Israel, dices. Hoc oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras. Caro hominis nō vngetur ex eo, & iuxta compositionē eius non facietis aliud, quia † sanctum est, & sanctum erit vobis. Homo quicunque tale compoſuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo. Dixitq; Dominus ad Moysen. Sume tibi aromata, stacten & onychā, galbanum boni odoris, & [h] thus lucidissimum, æqualis ponderis erunt omnia: faciesq; thymiama compositum opere vnguentarij mistum diligenter, & purum, & † sanctum. Cumq; in tenuissimum puluerem vniuersa conteris, pones ex eo coràm † testimonio in tabernaculo testimonij, in loco quo apparebo tibi, sanctū sanctorum erit vobis, † talem thymiamatis compositionem non facietis in vsus vestros, † sanctum Domini erit tibi. Homo quicunq; fecerit simile, vt odore illius perfruatur, peribit de populis suis.

Num. 1.a Leui. 27.c Nume. 3.g Eze. 45.a

SCHOLIA.

[a] Ante velum.] *Nempe extra velum, quod sanctum sanctorum à sancto distinguebat.* [b] Quando componet lucernas.] *Hoc est, quicquid noctu immundiciarum oleum, & elychnium contraxerint, remouebit, & repurgabit.*
[c] Semel per annum.] *Præter illud indeficiens incensum manè & vespere, semel per annum summus sacerdos solenniter incensum offerebat, & deprecabatur in die expiationis, quæ decima erat in mense vel lunatione septembris, & deliniebat cornua altaris ex sanguine oblato pro peccato. Quanquam & eo die ingrederetur in sancta sanctorum, non quòd ibidem staret altare aureum, & incensi, sed quia ante arcam Domini deprecabatur pro peccato populi. Ex hoc loco intelligitur Zachariæ patris Ioannis Baptistæ functio sacerdotalis, de quo Lucas meminit. Licet fieri potuit, & verisimile est, tunc, hoc est, tempore secundi templi, loco arcæ fœderis stetisse in sancto sanctorum altare incensi aureum: nam Iudæi testantur eo tempore, nec arcam*

eam Domini, nec propitiatorium, nec tabulas testamenti ibi fuisse. Videtur & hinc acceptum, quod dicitur ad Hebr. ix. Pontificem semel in anno ingredi in sancta sanctorum, &c. [d] Et non erit plaga.] *Sicut fuit sub Dauid, qui præter hanc legem numerauit per Ioab populum.* [e] Dies non addet.] *Vt certior hominum numerus haberetur.* [f] Pecuniam propiciationum.] *Ita appellabatur, quia misericordiam assecuti fuissent, vt in tantam creuerent multitudinem. Vbi notandū, fideles non integrum siclum, sed dimidium offerre: nam fides, & charitas imperfecta est, dum peregrinamur in hoc seculo, perficienda autem in cœlo.* [g] Labium.] *Est concha, seu lauacrum, fistulas multas habens, per quas emittitur aqua.*
[h] Thus lucidissimum.] *Vel, thus mundum.*

CAPVT XXXI.

A LOcutusq; est Dñs ad Moysen, dicēs. Ecce, vocaui ex nomine Beselecl filiū Vri filij Hur de tribu Iuda, & impleui eū spiritu Dei, sapientia, & intelligētia, & scientia in omni opere ad excogitandū quicquid fabrefieri potest ex auro, & argēto, & ære, † in artificio includendi lapides, & in fabrefactione lignoꝝ, atq; ad operandū in omni arte. Dediq; ei sociū Ooliab filiū Achisamech de tribu Dan. Et [a] in corde omnis
B † ingeniosi posui sapientiā: vt faciāt cuncta, quæ præcepi tibi, tabernaculū fœderis, & arcā testimonij, & propitiatoriū quod super eam est, & cuncta vasa tabernaculi, mensamq;, & vasa eius, candelabrū purissimū cum vasis suis, & altare thymiamatis, & holocausti, & omnia vasa eorū, labiū cū basi sua, [b] † vestes ministerij & vestes sanctas pro Aaron sacerdote, & vestes filiorū eius, vt fungātur sacerdotio, oleū vnctiōis, & thymiama aro — Sup. 20.b
C matū in sanctuario † iuxta omnia, quę præcepi tibi, faciēt. Et locutus est Dñs ad Moysen: dicens. Loquere filijs Israel, & dices ad eos. Videte, vt sabbatū meū custodiatis, quia signū est inter me & vos in generationibus vestris, vt sciatis quia ego Dñs, qui sanctifico vos. Custodite sabbatū meum, sanctum est enim vobis: qui polluerit illud, morte morietur: qui fecerit in eo opus, [c] peribit anima illius de medio populi sui. Sex diebus fa- — Ezec. 20.b
D cietis opus, in die septimo sabbatū est, requies sancta Dño: omnis, qui fecerit opus in hac die, morietur. Custodiant filij Israel sabbatū, & celebrent illud in generationibus suis. Pactum est sempiternum inter me & filios — Gene. 1.d
Israel, signumq; perpetuum, sex enim diebus fecit Dominus cœlum & terram, & in septimo ab omni opere — Deu. 9.b
cessauit [d] † & requieuit. Dedit quoq; Dominus Moysi completis huiuscemodi sermonibus in monte Sinaí, duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei.

SCHOLIA.

[a] In corde cuiuslibet ingenioſi.] *Cernis, vt & qui ingenio prædi ti sunt, referre accepta debent, siqua pulchrè excogitauerunt, non suo ingenio, sed Deo?* [b] Vestes ministerij.] *significantur ea potissimum vestimenta, quibus arca, mensa, candelabrum, et reliqua vasa inuolueb antur, quando tabernaculum deponebatur.* [c] Peribit anima illius.] *Vel eradicabitur. Eradicationem vocant Heb. præmaturam mortem, quæ homini accidit inter quinquagesimum & sexagesimum annum, sed non extenditur ad posteritatem, vt orbatio. Vnde qui testibus convictus est, violasse sabbatum, interficietur: qui autem conuinci non potest, & tamen prophanauit sabbatum, is eradicabitur, quo dictum est modo.* [d] Et requieuit.] *More hominum scriptura loquitur, sicut & illud quod sequitur. Scriptas digito Dei.*

CAPVT XXXII.

A VIdens autem populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus aduersus Aaron, ait. Surge, fac nobis Deos qui nos præcedant: Moysi enim huic viro qui nos eduxit de terra — Actu. 7.e
Ægypti, ignoramus quid acciderit ei. Dixitq; ad eos Aaron, [a] † decerpite inaures aureas de vxorum — Psal. 105.b
filiorumq;, & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me. Fecitq; populus, quæ iusserat, deferens inaures ad Aaron. Quas cum ille accepisset, † figurauit illud aurum stilo, & fecit ex † eo vitulum conflatilem. Dixeruntq;. Hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Quod cum vidisset Aaron, ædificauit
B altare coràm eo, & † clamauit, dicens. Cras solennitas Domini est. Surgentesq; manè, obtulerunt holocausta, & hostias pacificas, & sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Locutus est autem — 1. Cor. 10.b
Dominus ad Moysen, dicens. Vade, descende, peccauit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti: re- — Deu. 9.b
cesserunt citò de via, quam † præcepi eis: fecerunt q; sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atq; immolantes hostias ei, dixerunt. Isti sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Rursumq; ait Dominus ad — 3. Re. 12.g
Moysen. Cerno quòd populus iste, duræ ceruicis sit: [b] dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & de- — Infra 33.a
C leam eos, faciamq; te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens. Cur Do- — Psal. 105.b
mine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti, in fortitudine magna, & — Num. 14.c
in manu robusta? Ne quęso dicant Ægyptij. Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è ter- — Gene. 48.c
ra: quiescat ira tua, & esto placabilis super † malo hoc contrà populum tuū. Recordare Abraham, Isaac, & — Gene. 15.b
Israel seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens. Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas — Gene. 12.b
cœli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum: dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. Placa-
D tusq; est Dominus ne faceret malum, quod locutus fuerat aduersus populum suum. Et reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas testimonij in manu sua, [c] scriptas ex vtraque parte, & factas opere Domini. Scriptura quoq; Dei erat sculpta in tabulis. Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen. Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit. [d] Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam: sed vocem cantantium ego audio. Cumq; appropinquasset ad
E castra, vidit vitulum, & choros, iratusq; valde, proiecit de manu tabulas, & [e] confregit eas ad radicem montis. Arripiensq; vitulum quem fecerant, combusit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & [f] dedit ex eo potum filijs Israel. Dixitq; ad Aaron. [g] Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit. Ne indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum, q pronus sit ad malum, dixerunt mihi. Fac nobis Deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de terra Ægypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi. Quis vestrum habet aurum? † abripite, & date

mihi,& proieci illud in ignẽ,egressúsq; est hic vitulus. Videns ergo Moyses populũ q; esset nudatus(spoliauerat enim eũ Aaron [h]† ad ignominiã,& inter hostes nudũ cõstituerat)& stans † Moyses, in porta castrorũ, F
ait.Si quis est Dñi,iũgatur mihi.Cõgregatiq; sunt ad eũ oẽs filij Leui:quibus ait. Hęc dicit Dñs Deus Israel.
Ponat vir gladiũ sup fœmur suũ:ite,& redite de porta vsq; ad portã p mediũ castrorũ, & occidat vnusquisq;
fratrẽ,& amicũ,& proximũ suũ. [i] Fecerũtq; filij Leui iuxta sermonẽ Moysi, ceciderũtq; in die illa quasi tria
millia hominũ.Et ait Moyses. † Consecrate manus vestras hodie Dño,vnusquisq; in filio,& in fratre suo,vt
detur vobis † hodie benedictio. Facto aũt altero die,locutus est Moyses ad populũ. Peccastis peccatũ maximũ,ascendã ad Dominũ,si quo modo quiuero † propitiationem obtinere pro scelere vestro. Reuersúsq; ad G
Dominũ,ait.Obsecro,peccauit populus iste peccatũ maximũ,fecerũtq; sibi Deos aureos, aut dimitte eis hãc
noxam:aut si non facis, [k] dele me de libro tuo quẽ scripsisti. Cui respondit Dominus. Qui peccauerit mihi,
delebo eum de libro meo:tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi, angelus meus præcedet te.Ego autem in die † visitationis meæ visitabo super eos peccatum eorum.Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli,quem fecerat Aaron.

SCHOLIA.

[a] Decerpite inaures.] *Nullum non mouit lapidem Aaron,quo negocium illud differret in aduentum Mosis.Iubet primò decerpere inaudita,& ornamenta de capitibus mulierum & puerorum,quod tamen non putabat futurum, deinde sculpit in metallo cum stilo,tertio proijcit vniuersam massam in ignem,et egreditur vitulus,non virtute ignis & artis, vt Hebræi dicunt,sed quòd in illo populo magna esset colluuies Aegyptiorum,inter quos erant Magi,qui sua arte id egerunt, vt præter omnium expectationem egrederetur vitulus,nam celebris erat apud Aegyptios cultus eius bouis,quem Apim appellabãt.*
[b] Dimitte me.] *Atqui id erat magis prouocare Mosen,ad precandum attentius pro populo,quocirca & hic,et in frequentissimo vsu scripturæ,obseruandi sunt loquendi modi.Simul illud obserua,quanti apud Deum sint viri boni,quorũ tantã ipse rationem habeat.* [c] Scriptas ex vtraq; parte.] *Ex vtraq; parte, propter id, quod apparet,atque id,quod delitescit in lege, illud quidem multitudini expositum,hoc verò paucis, & celsioribus, ait theologus Nazianzenus.* [d] Non est clamor adhortantium.] *In bello enim audiuntur duæ diuersæ voces,vna eorum,qui victi sunt,calamitosa,& tristitiæ plena, altera eorum,qui adepti sunt victoriam,alacris & iubilans.In castris autem Israel audiebatur vox ludentium,& cantantium.*
[e] Confregit eas.] *Iudicabat vir Dei(ait magnus Basilius)indignum esse, vt temulentus populus tanto munere donaretur, quòd tot dierum numero ieiunio acquisierat.* [f] Dedit ex eo potum filijs Israel.] *Idolum suum vorare coguntur ad facti ignominiam,& memoriam & ad testandum idoli imbecillitatem,quod totum reductum viderent in cineres.* [g] Quid tibi fecit hic populus.] *Sacerdoti ascribitur peccatum populi,quòd non omni conatu resiterit,neq; ait,quid feci,sed,quid tibi fecit hic populus,perinde quasi in hoc facto se vltus fuerit,atque maximum genus sui vlciscendi sit, non prohibere subiectos, ne peccent.* [h] Ad ignominiam.] *Erat enim magnum dedecus Israelitis coram hostibus eorum, vt deserto Deo cœli, qui tot,tantaque miracula fecerat in oculis eorum,iam eligerent alium Deum cum magno dispendio auri,& argenti sui.* [i] Feceruntq; filij Leui.] *Videtur pœnituisse iam populum ob zelum Mosis,alioqui quomodo tam pauci potuissent sexcenta millia(tot enim egressi sunt de Aegypto)humiliare? Ostenditur quoque hic magnus zelus Leuitarum,qui etiam proprijs filijs & fratribus non pepercerunt ob causam Domini.Sed quomodo potuerunt filij Leui discernere reos ab innocentibus? Respondent quidam Hebræi,omnes bibisse ex ea aqua,in quam cineres vituli combusti missi fuerant:& eorum,qui rei erant, ventres inflatos esse,aut facies immutatas,vt facile ab innocentibus discerni potuerint.* [k] Dele me de libro tuo.] *Sic & Paulus anathema esse optasset à Christo pro fratribus suis.*

CAPVT XXXIII.

Gene. 12.b Sup. 23.c Iosue 24.c Deu.7.c Sup. 32.a

LOcutusq; est Dñs ad Moysen,dicẽs. Vade, ascende de loco isto tu & populus tuus quẽ eduxisti de terra A
Ægypti in terrã quã iuraui Abrahã, Isaac,& Iacob,dicẽs. Semini tuo dabo eã,& mittã † ante te angelũ,vt eijciã Chananæũ,& Amorrhæũ,& Hethæũ,& Pherezæũ,& Heuæũ,& Iebusæũ,& intres in terrã
fluentẽ lacte & melle. [a] Nõ enim ascendã tecũ,quia populus duræ ceruicis es,ne fortè disperdã te in via. Audiensq; populus sermonẽ hũc pessimũ,luxit:& nullus ex more indutus est cultu suo. Dixitq; Dñs ad Moysen.Loquere filijs Israel.Populus durę ceruicis es,[b]† vno momẽto ascẽdam in medio tui,& delebo te. Iã nũc
depone ornatũ tuũ,[c] vt sciã quid faciã tibi.Deposuerũt ergo filij Israel ornatũ suũ [d] à monte Horeb. Moyses
quoq; [e] tollẽs tabernaculũ,tetẽdit extra castra procul,vocauitq; nomẽ eius Tabernaculũ † cœtus. Et omnis B
† qui orabat Dñm,egrediebatur ad tabernaculũ † testimonij extra castra.Cumq; egrederetur Moyses ad tabernaculũ,surgebat vniuersa plebs,& stabat vnusquisq; in ostio papilionis sui,respiciebãtq; tergũ Moysi,donec ingrederetur tentoriũ.Ingresso aũt illo tabernaculũ,descendebat colũna nubis,& stabat ad ostiũ, loquebaturq; cũ Moyse,† & cernebat vniuersus populus,q; colũna nubis staret ad ostiũ tabernaculi.Stabãtq; ipsi,
& adorabant † ad fores tabernaculorũ suorũ.Loquebatur autẽ Dominus ad Moysen [f] facie ad faciẽ,sicut solet loqui homo ad amicũ suũ. Cumq; ille reuerteretur in castra,minister eius Iosue filius Nun,[g] puer,nõ re C
cedebat de tabernaculo.Dixit aũt Moyses ad Dominũ. Pręcipis vt educã populũ istum, & non indicas mihi
quẽ missurus es mecũ,presertim cũ dixeris. Noui te ex nomine,& inuenisti gratiã coràm me.Si ergo inueni
gratiam in conspectu tuo,ostende mihi quæso † [h] viam tuam, vt sciam te, & inueniam gratiam ante oculos
tuos:respice populum tuum gentem hanc.Dixitq; Dominus. Facies mea præcedet te,& requiem dabo tibi.
Et ait Moyses.Si non tuipse præcedas,ne educas nos de loco isto. In quo enim scire poterimus ego & populus tuus inuenisse nos gratiam in conspectu tuo, nisi ambulaueris nobiscum,vt glorificemur † ego & populus tuus prę omnibus populis qui habitant super terram? Dixit autem Dominus ad Moysen. Et verbum
istud quod locutus es,faciam:inuenisti enim gratiam coràm me,& teipsum [i] noui ex nomine. Qui ait. [k] Ostẽ D
de mihi gloriam tuam. Respondit. [l] Ego † transire faciam omne bonum in cõspectu tuo,& [m] vocabo in nomine Domini coràm te,& miserebor cui † miserebor,& clemẽs ero in quẽ † clemens fuero. Rursumq; ait.

Non

Non poteris videre faciem meam: [n] non enim videbit me homo, & viuet. Et iterum. Ecce,inquit, est locus Rom. 9.c
apud me,& stabis supra petram. Cumq; transibit gloria mea, [o] ponam te in foramine petræ, & † tegam te
manu mea,donec transeam: tollamq; † rursum manum meam, & videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris.

SCHOLIA.

[a] Non enim ascendam tecum.] *Pollicetur se missurum angelum,ipse non iturus,ne forte consumã te(inquit)in via. Hic mihi videtur pulchrè significari,nostrum genus fuisse omni interitu dignum,sed permagni consilij angelum nos ab interitu vindicatos,ad promissam fidelibus viuentium terram deduci. Esse autem Deum (ait Augustinus) cum duræ ceruicis hominibus,nihil est aliud,quàm vindicando adesse atq; puniendo,vnde cum eo modo malis non adest,parcendo facit,quod pertinet ad illud quod dicitur.Auerte faciem tuam à peccatis meis.* [b] Vno momento.] *Hoc impletum est, cum Euangelij prædicatio ad Gentes transijt, relicto illo rebelli populo,atq; ob eius incredulitatem abiecto.* [c] Vt sciam quid faciam tibi.] *More irati Ducis, qui postea,quàm ponere arma milites iusserit,decernit,quid eis pœnæ infligat.Sunt enim,qui pro ornamẽto exponant arma bellica,quæ iubentur deponere, vt ijs nudati, in quemcunque hostilem occursum præcipites ferantur,vt crimen perfidiæ diluant.* [d] A monte Horeb.] *Subaudi & vltra.* [e] Tollens tabernaculum.] *Non hic loquitur de illo tabernaculo vel sancto sanctorum,quæ nondum extructa erant,sed de tabernaculo ipsius Mosis,quod seorsim ab alijs fixit, vt commodius versaretur cum Deo,cui rei consuetudo multitudinis est impedimento.Quod autem ait. tabernaculum cœtus,& tabernaculum testimony. Vox Heb. vtrunque significat. Interpres vertit, fœderis.* [f] Facie ad faciem.] *Hoc est, non per somnia,aut visiones imaginarias.* [g] Puer.] *Minister, mos enim est scripturæ, vt vocet omnem ministrum,puerum. Sic & in Euangelio,Pueri,num pulmentum habetis? & in libris regum.Surgant pueri, & ludant coràm nobis.* [h] Viam tuã.] *Scilicet, per quam ducam populum tuum, præsertim cum tu te elongaueris à populo, & angelum ductorem non destinaris. Aspice igitur pys oculis in populum tuum, qui te ductore opus habet, qui & clemens & misericors es. Exaudito autem Mose respondet Dominus.Ibit igitur facies mea vobiscum,& ego ipse ducam vos,quò tibi maior sit quies. Ait Moses; & hoc est,quod petimus,alioqui si non ierit facies tua nobiscum,per neminem alium hinc ducemur. Est enim alioqui textus subobscurus.* [i] Noui te ex nomine.] *Dicunt Hebræi, verbum illud magnum præ se ferre diuinæ maiestatis, dignationem, id quod & ex Euangelico illo discitur verbo, sed opposito tamen sensu. Non noui vos, discedite à me operary iniquitatis.*
[k] Ostende mihi gloriam tuam.] *Omnia tentat Moses, quo populum Domino iterum reconciliet: postulat, vt Dominus dux sit itineris, vt populum suum clementer aspiciat, vt gloriam nominis sui ostendat, &c.* [l] Ego transire faciam omne bonum meum in conspectu tuo.] *Quid est aliud omne bonum,quàm ipse Deus,ac Dei filius? quem pater,non stare, sed transire fecit, per mysterium incarnationis,qui & ipse Mosi in monte transfiguratus apparuit.* [m] Vocabo in nomine Dñi.] *Sunt qui ita interpretentur hunc locũ. Cũ transiero,clamabo. Dominus magnus, quẽ tu videre non poteris. Clamabo etiam:Ego miserebor,cui miserebor &c. Locus est autem admodũ difficilis,& qui etiam Paulo visus est admirabilis: qui ad Romanos scribens videtur ea verba in hunc sensum interpretari,vt dicat.Non in geminis tantum infantibus id accidit, sed in tota Israelitica simul gente,qui cũ omnes peccauissent,cum diuinos honores vitulo exhibuissent, aliqui tamen seorsim misericordiam sunt consecuti,neque hoc iniustitiæ Dei acceptum referimus,sed eius infinitæ sapientiæ,qui corda nouit. Qui finxit(ait)sigillatim corda eorum,qui intelligit omnia opera eorum,atq; iccircò solus sine errore tribuit cuiq; quod suum est, neq; nostrum cum illius iudicio concordare potest,propterea quòd imperiti nimium sumus rectè iudicandi,& tanquam ignari alicuius artis,vt cognoscendorum lapidum aut equorũ,eos plerunq; probamus aut eligimus, quos periti in primis damnauissent, ac reiecissent.Itaq; qui digni sint,quine indigni,solus Deus nouit,non quisquam hominum,etiam si multum sibi se aliquid scire persuadeant,sed eos sua sæpius fallit sententia.At,qui arcana mentis & cogitationis intelligit,ipse tuto dijudicat, qui honore,aut qui pœna digni sint, et propterea multos,qui hominibus probi haberentur,reijcit,contraq; qui mali existimabantur, hos honore suo est dignatus,vt significatio fieret,hanc selectionem debere,non ex seruorum suffragijs,sed Domini ipsius sententia proficisci.* [n] Non videbit me homo & viuet.] *Colligunt Hebræi ex hoc loco. Deum nulli mortalium apparere citra mortis discrimen,& hinc esse aiunt,quod Manoch dicebat, moriemur, quia vidimus Dominum.Sic Iacob pro magna gratia habuit,quòd vidisset Deum facie ad faciem,& liberata esset anima eius,nempè à morte. Aly tamen hunc locum sic intelligunt: non videbit me homo,qui viuat in æternum. Moses enim vidit,& tamen mortuus est.* [o] Ponam te in foramine petræ.] *Intuetur Moses gloriam Dei inuixus petræ:petra autem,ait Paulus, erat Christus, nemo autem venit ad patrẽ, nisi per filium. Simulachrum verò aliquod diuinæ præsentiæ præmisit etiam tunc Dominus fideli seruo Mosi, sed mysteriorũ plenum,& eorum,quæ ventura erant,figuram secum ferens. Pertransijt enim gloria Domini Iudæos,cuius posteriora tantũ videbunt,quia cum plenitudo Gentium introierit,tunc omnis Israel saluus erit.Interea verò petra,qua protectus est Moses, facta est Iudæis,ipsorum tamen vitio,lapis offensionis,& petra scandali.*

CAPVT XXXIIII.

A AC deinceps præcide,ait,tibi duas tabulas lapideas instar priorũ,& scribã sup eas verba,q̃ habuerũt tabulę quas fregisti.Esto paratus manè,vt ascẽdas † manè in mõtẽ Sinai,stabisq; mecũ sup verticẽ mõtis.Nullus ascẽdat tecũ,nec videatur quispiã per totũ montẽ,boues quoq; & oues nõ pascãtur ecõtra. Deut. 10.a
Excidit ergo duas tabulas lapideas,quales antea fuerãt: & † manè cõsurgẽs ascẽdit in mõtẽ Sinai sicut præceperat ei Dñs,portans secũ duas tabulas. Cũq; descẽdisset Dñs per nubẽ,stetit ibidẽ cũ eo[i], [a] inuocans nomen
Dñi † & transiuit Dominus coràm eo & clamauit.Dominus Dñs Deus misericors & clemẽs, patiens, & multæ miserationis,ac verax,† custodiens misericordiam in millia,auferens iniquitatem & scelera, atq; peccata, Psal. 142.a
[b] † & innocentẽ nõ facies innocẽtẽ,visitans iniquitatẽ patrum † in filijs,ac nepotibus [c] in tertiam & quartã Hier. 32.c
progeniem. Festinusq; Moyses,curuatus est pronus in terram, & adorans ait. Si inueni gratiam in conspe- Deut. 5.a
B ctu tuo Domine,obsecro vt gradiaris nobiscũ,populus enim duræ ceruicis est: & auferas iniquitates nostras
atque peccata,nosq; possideas. Respondit Dominus.Ego inibo pactum videntibus cunctis, † & faciam mirabilia,quæ nunquam visa sunt super terram,nec in vllis gentibus: vt cernat populus iste, in cuius es medio,

opus Domini terribile quod facturus sum. Obserua cuncta, quæ hodie mandaui tibi: ego ipse eijciam ante
faciē tuā Amorrhęum,& Chananæum,& Hethæum,Pherezæum quoq;,& Heuæum,& Iebusęum. Caue ne
vnquam cum habitatoribus terræ illius iungas amicitias,quæ sint tibi in ruinā,sed & aras eorū destrue, con-
fringe statuas,lucosq; succide. Noli adorare Deū alienum. Dominus zelotes nomē eius. Deus est emulator.
Supra 23.d Ne ineas pactū cum hominibus illarū regionum:ne cū fornicati fuerint cum dijs suis,& adorauerint simula B
Deut. 7.d chra eorū,vocet te quispiam vt comedas de immolatis. Nec vxorē de filiabus eorū accipies filijs tuis:ne post
3.Reg. 11.a quā ipse fuerint fornicatę,fornicari faciant,& filios tuos in deos suos. Deus cōflatiles nō facies tibi. Solēni-
tatem azymorū custodies. Septē diebus vescēris azymis, sicut præcepi tibi † pro tēpore mēsis nouorū: mēse
enim † matureſcētis frugis egressus es de Ægypto. Omne quod aperit vuluā generis masculini, meū erit. De
cūctis animantibus tam de bobus,q̄ de ouibus,meū erit. Primogenitū asini redimes oue: [d] si nautē † nō rede
Supra 23.b meris,occidetur. Primogenitū filiorum tuorum redimes: nec apparebis in cōspectu meo vacuus. Sex die- C
Deut. 16.b bus operaberis,die septimo cessabis arare & metere. [e] Solennitatē hebdomadarū facies tibi in primitijs frugum
Eccl. 35.a messis tuę triticeæ,& solēnitatem [f] quando † ad reuolutionem anni cuncta conduntur. Tribus tēporibus
anni apparebit omne masculinū tuū in cōspectu omnipotentis Domini Dei Israel. Cū enim tulero gentes
à facie tua,& dilatauero terminos tuos, nullus insidiabitur terrę tuę, † ascēdes, vt appareas in conspectu
Dñi Dei tui ter in anno. Nō immolabis super fermēto sanguinē hostię meę:neq; residebit manè de victima
solēnitatis phase. Primitias frugū terrę tuę offeres in domo Domini Dei tui. Nō coques hœdū in lacte ma-
Supr. 23.c tris suę. Dixitq; Dominus ad Moysen. Scribe tibi verba hæc, quibus & tecū & cū Israel pepigi fœdus. Fuit D
Deu. 14.c ergo ibi cum Dño Moyses quadraginta dies & quadraginta noctes: panē nō comedit,& aquam non bibit,&
Supr. 24.d scripsit in tabulis [g] verba fœderis decē. Cumq; descēderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonij,& ignorabat [h] q, † radians quasi cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes
autē Aaron & filij Israel † radiantem Moysi faciē, timuerunt propè accedere. Vocatiq; ab eo, reuersi sunt
tam Aaron, quàm Principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiā oēs filij Israel:
quibus præcepit cūcta, quę audierat à Domino in monte Sinai. Impletisq; sermonibus posuit velamen su-
per faciē suam. Quod ingressus ad Dominum,& loquēs cum eo,auferebat,donec exiret, & tunc loquebatur
2.Cor. 3.c ad filios Israel omnia, quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciē egredientis Moysi esse † radiantē, sed
operiebat ille rursus faciem suam, † donec ingrederetur ad loquendum cum eo.

SCHOLIA.

[a] Inuocans nomen Domini.] *Alius vertit: Vocauitq; in nomine Domini. Vt enim supra dixerat, cum transiero, vocabo in nomine Domini: sic hoc loco exprimens nomen suum magnificum dicit. Dominus, Dominus: quod in Heb. tetragrammaton illud sacrum nomen est, vt omnia, quæ sequuntur, sint verba Dei, & non Moysi, vt nostri hactenus intellexerūt. Hoc etiam apertius est Num. xiiij. Vt enim supra dixerat, cum transiero clamabo, miserebor cui miserebor, sic idem hic dicit. Deus misericors: quasi diceret. Ego sum Dominus ille, & Deus misericors, quem tu Moses rogasti pro populo, &c. Prædicans scilicet de se tredecim verba, quæ Heb. vocant tredecim proprietates Dei, & multa de his scribunt.* [b] Et innocentem.] *Hoc est, apud Deum nullus, quamuis bonus, est innocens: & interpres rectè verterat, sic. Nullusque apud te per se innocens est, sed mutauimus orationem, vt totus sermo sit Dei, & non Moysi. Alius tamen vertit, & nocentem innocentem non faciens.*
[c] In tertiam & quartam progeniem.] *Quando scilicet filij paternorum scelerum sunt sectatores: vt supra dictum est. cap. xx.* [d] Si autem non redemeris occidetur.] *Alij verterunt, decerucabis, hoc est, ceruicem illi truncabis.* [e] Solennitatem hebdomadarum.] *Intelligitur festum pentecostes, institutum à Mose, in memoriam datæ legis, in monte Sinai: eodem festo gratiæ agebantur pro nouis frugibus, quarum primitiæ tunc offerebantur. Nobis hæc solennitas est ob spiritū sanctum ipso die missum in apostolos, cum lex noua data est, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis.* [f] Quando ad reuolutionem anni cuncta conduntur.] *Appellant Hebræi festum collectionis, per quod intelligitur festum tabernaculorum, quod semper est in initio anni, hoc est, in septembri nostro, nam in illa solennitate desinebat prior annus & inchoabatur nouus.* [g] Verba fœderis decem.] *Nempè decalogum.* [h] Quod radians quasi cornuta esset facies sua.] *Nam radij à sole derivati, speciem cornu præ se ferunt. Quod verò tota facies Moysi sic rutilauerit, & micuerit, vt Israelitæ non potuerint oculos intendere in eam, etiam Paulus ad Corinthios scribens meminit, docens, multò clariorem esse debere lucem Euangelicam, cuius illa Moysis vmbra fuerit. Sed ad hanc spectandam aperiendi sunt oculi mentis.*

CAPVT XXXV.

I Gitur congregata omni turba filiorum Israel, dixit ad eos. Hæc sunt, quæ iussit Dominus fieri. Sex die A
bus facietis opus: septimus dies erit vobis sanctus, sabbatum & requies Domini: qui fecerit opus in eo,
occidetur. [a] Non succenderis ignem in omnibus habitaculis vestris per diem sabbati. Et ait Moyses ad
omnem cœtuam filiorum Israel. Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens. [b] Separate apud vos † obla-
Supr. 25.a tionem Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat † eam Domino: aurum & argentum,& æs,
hyacinthum & purpuram,coccumq; bis tinctum, & byssum, pilos caprarum,pellesq; arietum rubricatas,
& hyanthinas,ligna setim,& oleum ad luminaria concinnanda,† & aromata pro oleo vnctionis, atque pro
incenso aromatico, lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis, & rationalis. Quisquis ve-
strum sapiens est, veniat & faciat quod Dominus imperauit, [c] tabernaculum scilicet, & tectum eius, atque B
operimentum, annulos & tabulata cum vectibus,† columnas eius & bases,arcam & vectes,propitiatorium,
& velum quod ante illud oppanditur: mensam cum vectibus & vasis & propositionis panibus,candelabrum
ad luminaria sustentanda,vasa illius & lucernas,& oleum ad nutrimenta ignium, altare thymiamatis,& ve-
ctes,& oleum vnctionis & thymiama ex aromatibus,† velum quoque ostij ad ingressum tabernaculi, altare
holocausti,& craticulam eius æneam cum vectibus & vasis suis,labrum & basim eius, cortinas atrij cum co-
lumnis & basibus,† velum in porta atrij, paxillos tabernaculi † & atrij cum funiculis suis, [d] vestimenta quo-
rum

C rum vsus est in ministerio sanctuarij, vestes † sanctas Aaron Pontificis ac filiorū eius, vt sacerdotio fungātur
mihi. Egressąq; omnis multitudo filiorū Israel de cōspectu Moysi, obtulerūt mente promptissima atq; de
nota † oblationes Dño, ad faciendū opus tabernaculi testimonij. Quicquid ad cultū & ad vestes sanctas ne-
cessariū erat, viri cū mulieribus † quicunq; prompto erant corde præbuerunt armillas, & inaures, annulos
& dextralia, † quę erant aurea. Et omnis vir, qui offerebat oblationē auri Dño, si quis habebat † hyacinthū
& purpuram, coccumq; bis tinctū, byssum & pilos caprarū, pelles arietum rubricatas, & hyanthinas, argen-
ti æriq; metalla obtulerunt Dño, lignaq; setim in varios vsus. Sed & mulieres doctæ, quæ neuerant, dederūt
hyacinthū, purpurā, & vermiculū ac byssum, † sed & oēs mulieres quas excitauit cor ipsarum, sapienter ne-
uerunt pilos caprinos. Principes verò obtulerūt lapides onychinos, & gēmas ad superhumerale & rationale,
D aromataq;, & oleū ad luminaria concinnāda, & ad præparandum vnguentū, ac thymiama odoris suauissimi
cōponendum. Omnes viri & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera, q̄ iusserat Domi
nus per manū Moysi. Cuncti filij Israel voluntaria Dño dedicauerunt: Dixitq; Moyses ad filios Israel. Ecce
vocauit Dominus ex nomine Beseleel filiū Vri filij Hur de tribu Iuda: impleuitq; eū spiritu Dei, sapientia & Sup. 31.a
intelligentia & scientia, † pro omni artificio ad excogitandum, & faciendū opus in auro & argento, & ære,
sculpendisq; lapidibus † & inserendis & opere carpentario: quicquid fabrè adinueniri potest, dedit † quoq;
in corde eius [e] † vt instruere posset ipse & Ooliab quoq; filius Achisamech de tribu Dan, ambos eruditit sa-
pientia, vt faciant opera abietarij, polymitarij, ac plumarij de hyacintho ac purpura, coccoq; bis tincto, &
byssō, & texant omnia, ac noua quæque reperiant.

SCHOLIA.

[a] Non succendetis ignem.] *Iudæi hoc præceptum ad literam seruandum putant, ideo conducitys Christianis vtuntur sabbato, qui illis ignem foueant: non aduertentes, sacerdotibus licuisse ignem instruere pro iugi sacrificio die sabbati. Sensus igitur est, sabbato nullum accendendum ignem, vnde lucrum aliquod sperari posset: Vt ex fornace, in qua lateres, vel ollæ, aut calx coquuntur, aut etiam si succendatur fornax, ad coquendos panes.* [b] Separate apud vos oblationem.] *Intelligit, quod à populo per modum contributionis offerebatur.* [c] Tabernaculum scilicet.] *Per tabernaculum intelligunt inferiores cortinas, quæ intra tabernaculum videri poterant, per tectum cortinas, quæ ex pilis caprarum contextæ erant, & erant veluti tectum tabernaculi. per operimentum intelligunt pelles arietum rubricatas, quæ supremum erant tegumentum.* [d] Vestimenta, quorum vsus est.] *Significantur, vt superius diximus, ea indumenta, in quibus candelabrum, & altare incensi, atque arca inuoluebantur, cum castra transferebantur.* [e] Vt instruere posset.] *Hoc dicitur propter vulgares artifices, qui non nisi difficulter suam artem alijs communicant.*

CAPVT XXXVI.

A Fecit ergo Beseleel, & Ooliab, & omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam & intellectum, vt
scirent fabrè operari, quæ in vsus sanctuarij necessaria sunt, & quę præcepit Dominus. Cumq; vocasset
eos Moyses, & omnem eruditum virum cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerāt
se ad faciendum opus, tradidit eis vniuersa donaria filiorū Israel, † pro opere cultus sanctuarij, vt perficerent
ipsum: & illi quidem offerebant adhuc dona, idq; manè per singulos dies. Et venerunt oēs sapientes, qui vni-
uersum opus sanctuarij faciebant, vnusquisq; ab opere suo, cui perficiēdo insistebat, & locuti sunt ad Moy-
sen, dicētes, plus offert populus, q̄ necessariū est pro cultu & opere, quod Dominus fieri præcepit. Iussit ergo
Moyses preconis voce cātari. Nec vir nec mulier quicquam offerat vltrà in opere sanctuarij. Sicq; cessatum
est a muneribus offerendis, cò q, oblata sufficerent & superabundarent. Feceruntq; oēs corde sapientes † &
B qui incūbebant ad explēdū opus tabernaculi, cortinas decem de byssō retorta, & hyacintho, & purpura, coc
coq; bis tincto, opere vario, & arte polymita: quarū vna habebat in lōgitudine vigintiocto cubitos, & in la-
titudine quatuor: vna mensura erat omniū cortinarū. Coniunxitq; cortinas quinq;, alteram alteri, & alias
quinq; sibijnuicem copulauit. Fecit & ansas hyacinthinas in ora cortinę vnius † ab extremitate scilicet socia-
læ cortinæ, & sic fecit in ora cortinæ alterius, quæ erat coniungenda secundę: vnde & quinquaginta ansulas
fecit in cortina vna, & quinquaginta in extremitate cortinæ secūdæ: applicabantq; ansulæ cortinā vnā ad al-
terā: fecit quoq; quinquaginta fibulas aureas, quæ morderent cortinarū ansas, & [a] fieret vnū tabernaculum.
[b] Fecit & saga vndecim de pilis caprarū ad operiēdū tectū tabernaculi: vnū sagū in lōgitudine habebat cubi-
tos triginta, & in latitudine cubitos quatuor: vnius mēsurę erāt oīa saga: quorū quinq; iunxit seorsum, & sex
C alia separatim. Fecitq; ansas quinquaginta in ora sagi vnius, & quinquaginta in ora sagi alterius, vt sibijnui
cē iungerētur. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectū, vt vnū † fieret. Fecit & optoriū † sup
tentoriū illud de pellibus arietū rubricatis: aliudq; desuper velamentū de pellibus hyanthinis. Fecit & tabu-
las tabernaculi de lignis setim stātes. Decem cubitorū erat lōgitudo tabulæ vnius: & vnū ac semis cubitū la-
titudo retinebat. Binę incastraturę erāt per singulas tabulas, vt alteri altera iungeretur. Sic fecit in omnibus
tabernaculi tabulis. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra austrum cū quadraginta basibus
argenteis. † Duę bases sub vnaquaq; tabula ponebantur, pro duabus incastraturis suis. Ad plagam quoq; ta-
C bernaculi, quę respicit ad aquilonē, fecit viginti tabulas cū quadraginta basibus argenteis, duas bases per sin-
gulas tabulas. Contra occidentē verò, id est, eam partem tabernaculi, quę mare respicit, fecit sex tabulas, &
D duas † tabulas fecit in angulis tabernaculi, pro vtroque latere, quæ iunctæ erant à deorsum vsque sursum;
† idq; in circulo vno: sic fecit pro duabus illis angularibus, fueruntq; octo tabulæ & habuerunt bases argen-
teas sexdecim, binas scilicet bases sub singulis tabulis. Fecit & vectes de lignis setim, quinq; † p tabulis vnius
lateris tabernaculi, & quinq; alios † pro alterius lateris † tabulis: & extra hos, quinq; alios vectes ad occiden-
talē plagam † pro tabulis tabernaculi. Fecit quoq; vectē alium, qui per medias tabulas ab angulo vsq; ad an-
gulum peruenire. Ipsa autem tabulata deaurauit, † & circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci

possent:quos & ipsos laminis aureis operuit. Fecit & velum de hyacintho,& purpura,vermiculo ac byssо re
torta opere polymitario,varium atque distinctũ:& quatuor columnas de lignis setim,quas † deauravit : ca-
pita autem earum erant aurea,fusis basibus earum argenteis . Fecit † & velamen in introitu tabernaculi ex
hyacintho,purpura,vermiculo, byssоq; retorta opere plumarij : & columnas quinque cum capitibus suis,
† operuitq; capita illarum,& ambitus illarum auro:bases autem earum erant æneæ.

SCHOLIA.

[a] Fieret vnum tabernaculum.] *Capitur hic tabernaculum pro tentorio infimo, ex decem coniunctis cortinis confecto.* [b] Fecit & saga.] *Hoc est,cortinas,& illud,fecit,scribitur vbique ferè in singulari, cum tamen plures artifices operi incumberent. Sed refertur ad Moysen,veluti ad architectum,iuxta cuius institutionem sapientes omnia fecerunt. Omnia autem,quæ in hoc & sequenti capite scribuntur,repetitio sunt eorum,quæ ante sunt dicta,vt neq; voces neque res varient à prius dictis.*

CAPVT XXXVII.

FEcit autem Beseleel & arcam de lignis setim,habentem duos & semis cubitos in longitudine, & cubi- A
tum ac semissem in latitudine,altitudo quoq; vnius cubiti fuit & dimidij:vestiuitq; eam auro puris-
simo intus ac foris. Et fecit illi coronam auream per gyrum, conflans quatuor annulos aureos per qua-
tuor angulos eius:duos annulos in latere vno,& duos in altero. Vectes quoque fecit de lignis setim, quos ve-
stiuit auro,& quos misit in annulos,qui erant in lateribus arcæ,ad portandum eam. Fecit & propitiatorium,
id est oraculum,de auro mundissimo,duorum cubitorum & dimidij in longitudine, & cubiti ac semis in la
titudine. Duos etiam cherubim ex auro ductili,quos posuit ex vtraque parte propitiatorij, cherub vnum in
summitate vnius partis,& cherub alterum [a] in summitate partis alterius : [b] duos cherubim in singulis sum- B
mitatibus propitiatorij extendentes alas,& tegentes propitiatorium , seq; mutuò & illud respicientes. Fecit
& mensam de lignis setim in longitudine duorum cubitorum,& in latitudine vnius cubiti,quæ habebat in
altitudine cubitum ac semissem , circundeditq; eam auro mundissimo , & fecit illi † coronam auream per
gyrum,ipsiq; † coronę ambitum in terrasilem quatuor digitorum, † per circuitum , & super ambitum illũ
coronam auream per circuitum. Fudit & quatuor circulos aureos,quos posuit in quatuor angulis per singu
los pedes mensę:† è regione ambitus erant circuli illi:missitq; in eos vectes,vt possit mẽsa portari. Ipsos quo-
que vectes fecit de lignis setim,& circũdedit eos auro † ad portandum mensam. Et vasa ad diuersos vsus mẽ- C
sæ,[c] acetabula, phialas,& cyathos,& thuribula ex auro puro,in quibus offerenda sunt libamina. Fecit & cã-
delabrum ductile de auro mundissimo.† Nam basis eius,stipes,scyphi , sphærulæ, & flores ex ipso erant. Et
sex calami egrediebantur de lateribus eius:tres calami ex parte vna,& tres ex altera:tres scyphi in nucis mo-
dum per calamos singulos † cum sphærula & lilio. Æquum erat opus sex calamorum, qui procedebant de
stipite candelabri. [d] In ipso autem vecte erant quatuor scyphi in nucis modum,sphærulæq; per singulos si-
mul & lilia,& sphærulæ sub duobus calamis per loca tria,qui simul sex fiũt calami procedẽtes de vecte vno,
& sphærulæ igitur,& calami ex ipso erant,vniuersa † ductile vnum erant ex auro purissimo. Fecit & lucer- D
nas septem cum emunctorijs suis,& vasa,vbi ea quæ emuncta sunt,extinguantur,de auro mundissimo. Ta-
lentum auri puri appendebat candelabrũ cum omnibus vasis suis. Fecit & altare thymiamatis de lignis se-
tim,[e] per quadrum singulos habens cubitos,& in altitudine duos,è cuius angulis procedebant cornua:vesti
uitq; illud auro purissimo † nempe tectum eius,& parietes per circuitum atq; cornua. Fecitq; ei coronam
† auream per gyrum,& duos annulos aureos sub corona per singula latera,vt mittãtur in eos vectes, & pos-
sit altare portari. Ipsos autem vectes fecit de lignis setim , & operuit laminis aureis. Composuit & oleum ad
sanctificationis vnguentum,& thymiamata de aromatibus mundissimis opere pigmentarij.

SCHOLIA.

[a] In summitate.] *Hoc est,in extremitate.* [b] Duos cherubim in singulis summitatibus propitiatorij.] *Alius vertit. De ipso propitiatorio fecit ipsos cherubim,in extremitatibus scilicet eius.* [c] Acetabula.] *Alius vertit , paropsides cochlearia,dimidiatas fistula,& cyathos.* [d] In ipso autem vecte.] *Hoc est,candelabro , vel trunco candelabri , ac medio hastili.* [e] Per quadrum.] *Hoc est,longitudo & latitudo,quod idem accipe in principio sequentis capitis.*

CAPVT XXXVIII.

FEcit & altare holocausti de lignis setim,quinq; cubitorum per quadrum,& trium in altitudine,† fecit A
& cornua illi in quatuor angulis eius:ex ipso erant cornua eius , operuitq; illud laminis æneis. Et in
vsus eius parauit ex ære vasa diuersa,lebetes,forcipes,fuscinulas, vncinos,& ignium receptacula. Crati-
culamq; eius in modum retis fecit æneam,† subter ambitum eius deorsum vsque ad medium eius, fusis qua
tuor æneis annulis per totidem retiaculi summitates,ad immittendos vectes ad portandum:quos & ipsos fe
cit de lignis setim,& operuit laminis æneis,induxitq; in circulos qui in lateribus altaris eminebant. Ipsum
autem altare † cauum factum erat intra tabulas. Fecit & labrum æneum cum basi sua [a] de speculis mulie-
rum,quæ excubabant in ostio tabernaculi testimonij. Fecit & atrium,in cuius australi plaga erant [b] tento
ria de byssо retorta,cubitorum centum,columnæ æneæ viginti cum basibus suis,[c] capita columnarum , & B
tota operis cælatura argentea. Æquè ad septentrionalem plagam tentoria,columnæ basesq; , & capita colũ-
narum eiusdem mensuræ,& operis ac metalli erant. In ea verò plaga quæ ad occidentẽ respicit, fuerunt ten-
toria cubitorum quinquaginta,columnæ decem cum basibus suis æneæ,& capita columnarum,& tota ope
ris cælatura argentea. Porrò contra orientem quinquaginta cubitorum parauit tentoria,è quibus [d] quinde-
cim cubitos columnarum trium cum basibus suis vnum tenebat latus:& in parte altera, quia inter vtraque
introitum † atrij fecit,quindecim æquè cubitorum erant tentoria,columnæq; tres, & bases totidem. Cũcta
atrij tentoria byssus retorta texuerat. Bases columnarum fuere æneæ,capita autem earum cum cunctis cæla-

turis

turis suis argentea,sed & operimentũ capitum erat argenteum,† & cingebantur circulis argenteis oẽs colũ-
næ atrij. Et in introitu eius opere plumario fecit † velũ ex hyacintho,purpura,vermiculo, ac byssо retorta,
C quod habebat viginti cubitos in longitudine † & in altitudine,siue latitudine,quinq; cubitos è regione cor
tinarum atrij,colũnę earũ erant quatuor,& bases earũ,quatuor æneæ,capitella autẽ argentea,& operculũ ca
pitũ earũ,& cęlaturę earũ ex argẽto. Paxillos quoq; tabernaculi & atrij per gyrũ fecit æneos. Hęc † est sum-
ma rerũ tabernaculi testimonij,q̃ enumerata sunt iuxta præceptũ Moysi in ceremonias Leuitarũ per manũ
Ithamar filij Aaron sacerdotis:q̃ Beseleel,filius Vri filij Hur de tribu Iuda,Dño per Moysen iubẽte cõpleue
rat,iũcto sibi socio Ooliab filio Achisamech de tribu Dan:qui & ipse artifex lignorũ egregius fuit & poly-
mitarius atq; plumarius † in hyacintho,purpura,vermiculo,& byssо. Oẽ aurũ quod expẽsum est in ope-
re sanctuarij,& quod oblatũ est in donarijs,viginti & nouẽ [e] talentorũ fuit,& septingentorũ triginta sicło-
D rũ,ad † siclũ sanctuarij. [f] Argentũ verò recensitorũ de cœtu,centũ talẽta,& mille septingẽti, atq; septuagin-
ta quinq; sicli,iuxta siclũ sanctuarij,dimidiũ scilicet sicli per capita,diuidẽdo siclũ per siclũ sanctuarij. Obla
tum est autẽ ab his qui transierunt ad numerũ à viginti annis & supra,de sexcentis tribus millibus , & quin-
gentis quinquaginta armatorũ. Fuerũt præterea cętum talẽta argenti,è quibus cõflatę sunt bases sanctuarij,
& † bases veli. Centũ bases factæ sunt de talẽtis centũ,singulis talẽtis per bases singulas supputatis. De mille
autẽ septingẽtis,& septuagintaquinq; siclis fecit capita columnarũ,& operuit capita earũ, & fecit cælaturas
pro eis. Æris quoq; oblata sunt talẽta septuaginta,† & duo millia quadringẽti † sicli,ex quibus fusæ sunt ba-
ses † pro introitu tabernaculi testimonij,& altare æneum cũ craticula sua , omniaq; vasa quæ ad vsum eius
pertinent,& bases atrij tam in circuitu,quã † pro ingressũ eius,& paxilli tabernaculi atq; atrij per gyrum.

SCHOLIA.

[a] De speculis mulierum,quæ excubabant.] *Mulieres,quæ à sæculi vanitatem reiecerãt,& soli Deo placere stu
debant,portabãt huiusmodi specula,& in ministerium Domini offerebãt, & per singulos dies certo tẽpore veniebant ad ta-
bernaculũ, Dominũ adoraturæ.* [b] Tentoria.] *Intellige cortinas.* [c] Capita columnarũ.] *Alij verterũt,capitella , vel,
vncinos,& in hoc capite aliquoties,& supra cap.27. dicunt Heb. significari clauum prominentẽ,qui literæ Vau habet figu
ram,& in quo aliquid suspẽdi potest,quales est vncinus,qui caput habet retortũ,in singulis autem columnis atrij erãt infixi
iuxta cælaturas,columnas cingentes, vncini quidam , in quos suspendebantur pecudes offerendæ postquam excoriatæ erant.*
[d] E quibus quindecim cubitos.] *Sẽsus est,erant cortinæ quindecim cubitorũ ex vno latere introitus, cum columnis tri-
bus,& basibus tribus,& ex alio similiter latere,in medio introitũ atrij fecit.* [e] Talentorum.] *Talentum continet sexa-
ginta libras vsuales,& centũ atq; viginti libras sanctuary,& libra habet viginti quinq; siclos: talentũ autẽ habet tria mi
lia siclorũ.* [f] Argentum verò recensitorum.] *Non refertur numeratio populi ad aurũ,sed ad argentũ,cum solueret qui-
libet numerãdus Israelita dimidiũ siclum. Si igitur adnumeres argẽti summam numero virorũ,inuenies correspondentium.
Vnus enim cẽtenarius valet tria millia siclorũ,centum cẽtenarij faciunt trecenta millia siclorũ integrorum:& ideo sexcẽta
millia dimidios. Item mille septingenti septuaginta quinq; integri sicli conflant tria millia quingentos quinquaginta dimi-
dios, vnde resultat numerus sexcentorum trium millium , & quingentorum quinquaginta.*

CAPVT XXXIX.

A DE hyacintho verò & purpura,† & cocco fecerunt indumenta ministerij, quæ inseruirent sanctuario,
fecerũt & vestes sanctas pro Aaron,sicut præcepit Dñs Moysi. Fecit igitur & superhumerale de auro,
hyacintho,& purpura,coccoq; bis tincto,& byssо retorta,opere polymitario. Inciditq; bracteas au-
reas,& extenuauit in fila,vt possent torqueri cũ priorum colorũ subtegmine , [a] duasq; oras sibiinuicem co-
pulatas in vtroq; latere summitatũ, & baltheum † ex ipso erat eodem opere,atq; ex eisdem coloribus , sicut
præceperat Dominus Moysi. Parauit & † lapides onychinos,astrictos & inclusos auro,et sculptos arte gẽma
B ria nominibus filiorũ Israel. Posuitq; eos in † humeris superhumeralis in monimentũ filiorum Israel, sicut
præceperat Dominus Moysi. Fecit & rationale opere polymito iuxta opus superhumeralis,ex auro,hyacin-
tho,purpura,coccoq; bis tincto & byssо retorta,† quadratũ fuit,atq; duplicatum,habebatq; longitudo eius
[b] palmum,& latitudo similiter duplicatum:& posuit in eo gemmarũ ordines quatuor : in primo versu erat
sardius,topazius,smaragdus: In secundo carbunculus , saphirus & iaspis: In tertio ligyrius,achates , & ame-
thystus: In quarto chrysolithus,onychinus,& berillus,circundati & inclusi auro per ordines suos. Ipsiq; la-
C pides duodecim sculpti erant nominibus duodecim tribuum Israel , singuli per nomina singulorum. Fece-
runt in rationali & catenulas sibiinuicem cohærentes,de auro purissimo,& duos vncinos,totidemq; annu-
los aureos.† Posuerunteq; duos circulos in duabus extremitatibus rationalis, ex quibus penderent duæ cate-
næ aureæ,in extremitatibus rationalis. Sed & duas extremitates duarum catenularum posuerunt in duobus
vncinis,posueruntq; ea in humeros superhumeralis è regione aspectus eius,fecerũt & duos annulos aureos,
quos posuerunt in duabus extremitatibus rationalis,in ora,sc. eius , quę est iuxta superhumerale intrinsecus,
D [c] Fecerunt & duos annulos aureos , quos posuerunt in duabus scapulis superhumeralis deorsum , è regione
aspectus eius,& ex aduerso comparis sui super ingeniosum artificiũ superhumeralis. Et strinxerunt ratione-
le ab annulis suis ad annulos superhumeralis cũ fascia hyacinthina , vt scilicet esset super ingeniosum opus
superhumeralis,& nõ dimoueretur rationale ab ipso superhumerali,sicut præceperat Dñs Moysi. Fecerũtq;
tunicã superhumeralis † opere textili totã hyacinthinam : & capitiũ † eius in medio instar foraminis lori-
cę,eratq; labiũ in ore eius per circuitũ,ne rumperetur:deorsum autem ad pedes mala punica ex hyacintho,
E purpura,vermiculo,ac byssо retorta:& tintinnabula de auro purissimo , quæ posuerunt inter mala granata
in extrema parte tunicę per gyrum: tintinnabulum autem aureum,& malum punicum,quibus ornatus in-
cedebat pontifex quando ministerio fungebatur,sicut præceperat Dominus Moysi. Fecerunt & tunicas bis-
sinas opere textili Aaron,& filijs eius : † & tiaram byssinam , & mitras decoras byssinas : seminalia quoque

linea,de byſſo retorta : cingulum verò de byſſo retorta , hyacintho,purpura, ac vermiculo diſtinctum arte plumaria,ſicut præceperat Dominus Moyſi. Fecerunt & laminam † pro corona ſancta de auro puriſſimo, ſcripſerunt́q; in ea opere gẽmario.Sanctum Dñi,& ſtrinxerũt eam cũ mitra vitta hyacinthina, ſicut præceperat Dominus Moyſi.Perfectũ eſt igitur omne opus tabernaculi & tecti teſtimonij. Fecerũtq; filij Iſrael F
cuncta quæ præceperat Dñs Moyſi,& † attulerunt tabernaculũ † ad Moyſen,Nẽpe tabernaculũ, & vniuerſam ſupellectilẽ,annulos,tabulas,vectes,colũnas ac baſes,opertorium de pellibus arietũ rubricatis , & aliud operimentũ de hyanthinis pellibus,velum,arcã,vectes,propitiatoriũ,menſam cũ vaſis ſuis & propoſitionis panibus,candelabrũ † purũ,lucernas ordinãdas,& vtenſilia earum cũ oleo,altare aureũ & vnguentũ & thymiama ex aromatibus,& † velũ introitus tabernaculi,altare æneũ,retiaculum,vectes,& vaſa eius omnia,la- G
brũ cum baſi ſua, tentoria atrij,& colũnas cũ baſibus ſuis,† velum pro porta atrij funiculosq; illius & paxillos.Nihil ex vaſis defuit,quæ in miniſteriũ tabernaculi,& in tectum fœderis iuſſa ſunt fieri.† Induměta miniſterij ad miniſtrãdũ in ſancto,& veſtes ſanctas pro Aarõ ſacerdote,et veſtes filiorũ eius,in q̃bus ſacerdotio fungerẽtur,obtulerũt filij Iſrael,ſicut prę̃ceperat Dñs. Que poſtquã Moyſes cũcta vidit cõpleta, bñdixit eis.

SCHOLIA.

[a] Duas oras.] *Quidam exponunt vocem Hebraeã pro humero,& ijs,quæ humero adhærent,alij pro latere, & quòd locus coniunctionis nõ fuerit in humeris,ſed in lateribus. Sunt qui putent, Ephod,quod vertũt ſuperhumerale,figurã habuiſſe tunicæ muliebris,quæ duobus labijs hæret in humeris mulieris,anguſta quidem in pectore, vtpote, quæ tergũ & pectus cinxit,ſed quæ deorſum ad talos vſq; deſcendit.Opus verò ingenioſum,fuit in ſummitate Ephod,ſub axillis ſcilicet portantis,et illi coniunctæ erant à tergo humerales illæ fimbriæ, vna in dextra,& altera in ſiniſtra,à ſe inuicem tantum diſtantes,quantum humeri à tergo deferentis à ſe diſtabãt,quarum extremitates per humeros ductæ,in pectore ſacerdotis iterum cõtingebant ſuperiorem partem Ephod,habentes infixos lapides onychinos, & incluſoria aurea.* [b] Palmum.] *Nempe maius , hoc eſt, duodecim tranſuerſorum digitorum, quanta ſcilicet eſt intercapedo extremorum digitorum,quando à ſe inuicem diſtenduntur:& menſurã illam habuit tam exterior,quàm interior duplicati pectoralis pars. Menſura autẽ palmi minoris , quatuor trãſuerſales continet digitos.* [c] Fecerunt & duos annulos.] *Hunc locũ vſq; ad illud, fecerunt́q; tunicã ſuperhumerale &c. Interpres breuiter comprehendens ita verterat . Hæc & ante & retro ita conuenienbant ſibi , vt ſuperhumerale & rationale mutuò nectẽrentur, ſtrictã ad baltheum,& annulis fortius copulata,quos iungebat vitta hyacinthina, ne laxa fluerent,& à ſe inuicem mouerentur,ſicut præcepit Dominus Moſi.*

CAPVT XL.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens.Menſe primo,prima die menſis eriges tabernaculũ teſtimo- A
nij,& pones in eo arcã,demitteſq; ante illã velũ : & illata mẽſa pones ſuper eã quę ritè præcepta ſunt. Candelabrum † quoq; inferes,& accẽdes lucernas eius,& altare aureũ in quo adoletur incẽſum corã arca teſtimonij.† Velum in introitu tabernaculi teſtimonij pones,& ante illũ altare holocauſti : labrũ inter altare & tabernaculũ,quod implebis aqua.† Pones & atriũ per circuitũ,& expãdes velamẽ ad portã atrij. Et aſſumpto vnctionis oleo vnges tabernaculũ & omnia q̃ in eo ſunt,ſanctificabiſq; ipſum cum vniuerſis vaſis eius,vt ſit ſanctũ. Vnges & altare holocauſti,atq; omnia vaſa eius,& ſanctificabis altare illud, vt ſit altare ſanctum ſanctorũ,vnges & labrũ,atq; baſim eius.& ſanctificabis ipſum. Applicabiſq; Aaron & filios eius ad fo B
res tabernaculi teſtimonij,lauabiſq; eos aqua,& indues Aaron veſtibus ſanctis,et vnges eum, ſanctificabiſq; eum,vt ſacerdotio fungatur mihi. Sed & filios eius applicabis,& indues eos tunicis , vngesq; eos,ſicut vnxiſti patrem eorum,vt ſacerdotio fungãtur mihi. Futurũ enim eſt,vt ſit illis vnctio eorum in ſacerdotiũ perpetuum in generationibus ſuis.Fecitq; Moyſes omnia quę prę̃ceperat Dñs. Igitur mẽſe primo anni ſecũdi, in prima die menſis collocatum eſt tabernaculũ. Erexitq; Moyſes illud, & poſuit tabulas ac baſes & vectes,
Num.7.a ſtatuitq; columnas,& expandit tectum ſuper tabernaculum,impoſito deſuper [a] operimẽto, ſicut Dominus imperauerat.Poſuit & teſtimoniũ in arca,† adhibuitq; vectes arcæ , & poſuit propitiatorium ſuper arcam. C
Cumq; intuliſſet arcã in tabernaculum teſtimonij,appendit ante eã velum,vt expleret Dñi iuſſionẽ. Poſuit & menſam in tabernaculo teſtimonij ad plagã ſeptentrionalẽ extra velum,ordinatis corã propoſitionis panibus,ſicut præceperat Dñs Moyſi.Poſuit & candelabrũ in tabernaculo teſtimonij è regione mẽſæ in parte auſtrali,locatis per ordinẽ lucernis,iuxta præceptũ Dñi. Poſuit & altare aureum † in tabernaculo teſtimonij contra velũ,& adoleuit ſuper eo incẽſum aromatũ,ſicut iuſſerat Dñs Moyſi. Poſuit & † velũ in introitu tabernaculi teſtimonij,& altare holocauſti † ad oſtiũ tabernaculi teſtimonij , offerens in eo holocauſtũ [b] & ſacrificia,vt Dñs imperauerat. Labrum quoq; ſtatuit inter tabernaculũ teſtimonij,& altare,implens illud D
aqua.Laueruntq; in eo Moyſes & Aaron,ac filij eius manus ſuas & pedes,cum ingrederentur tectũ fœderis, & accederent ad altare,ſicut prę̃ceperat Dñs Moyſi.Erexit & atrium per gyrũ tabernaculi & altaris , † poſito velo ad portã atrij.Poſtquã omnia perfecta ſunt,operuit nubes tabernaculũ teſtimonij,& gloria Dñi im-
Num.9.c pleuit illud.[c] Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, † eò quòd habitaret ſuper ipſum nubes, & gloria
3.Reg.8.b Dñi impleret tabernaculum.Si quando nubes tabernaculũ deferebat,proficiſcebãtur filij Iſrael per turmas ſuas:ſi pendebat deſuper,manebant in eodem loco.Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo,& ignis in nocte,videntibus cunctis populis Iſrael per cunctas manſiones ſuas.

SCHOLIA.

[a] Operimento.] *Intelligit cortinas caprinas & pelles arietum,Poſuit & teſtimonium. Hoc eſt,tabulas legis.* [b] Et ſacrificia.] *Hebraicè Minha,& fiebat de liquidis atq; farina ſimilaginea cõſperſa oleo. Hanc vocem reperies Baruch capi.i. Facite Minah , quod ſcriptores corruperant, vt legeretur,mãna.* [c] Nec poterat Moyſes ingredi.] *Moſes,qui in illam in montem caliginem penetrauit,non potuit hanc ingredi nubẽ,perſonam ergo Iudæorum refert,quibus gloria Domini , quæ in tabernaculo,quadam veluti nube tegitur,nondum eſt intellecta.*

Liber

LIBER LEVITICVS

HEBRAICE VAICRA.

CAPVT I.

A
B OCAVIT autẽ Moyſen,& locutus eſt ei Dominus de tabernaculo teſtimonij, dicens. Loquere filijs Iſrael,& dices ad eos.Homo qui obtulerit ex vobis hoſtiam Domino de pecoribus,id eſt de bobus & ouibus, † offeretis victimas † veſtras : ſi holocauſtũ fuerit eius oblatio,ac de armento:maſculum immaculatum offeret ad oſtium tabernaculi teſtimonij,† propria voluntate coram Domino,ponetq; manus ſuper caput hoſtiæ , & Exod.29.b
acceptabilis erit,atq; in expiationem eius proficiens.Immolabitq; vitulum coràm Domino,& offerent filij Aaron ſacerdotes ſanguinem eius,fundẽtes per altaris circuitum quod eſt ante oſtium tabernaculi teſtimonij:detractaq; pelle hoſtiæ , artus in fruſta concident,& ſubijcient in altari ignem,† & ordinabunt ligna ſuper ignem:& membra quæ ſunt ceſa,deſuper ordinantes, caput vi-
delicet,& † reticulum iecoris,inteſtinis & pedibus loris aqua:adolebitq; ea ſacerdos ſuper altare in holocau-
C ſtum & ſuauem odorem Domino.Quod ſi de pecoribus oblatio eſt , de ouibus ſiue de capris holocauſtum: maſculum & abſq; macula offeret,immolabitq; ad latus altaris quod reſpicit aquilonem , coram Domino: ſanguinem verò illius fundent ſuper altare filij Aaron per circuitum,diuidentq; membra,caput , & [a] † reti-
culum iecoris, & imponent ſuper ligna , † quæ ſunt in altari ſuper ignem , inteſtina verò & pedes lauabunt aqua. Et oblata omnia adolebit ſacerdos ſuper altare in holocauſtum & odorem ſuauiſſimum Domino . Si autem de auibus, holocauſti oblatio fuerit Domino : de turturibus , & pullis columbæ offeret eam ſacerdos
D ad altare, [b] † abrumpetq; caput eius,& incendet in altari:ſanguis verò eius exprimetur iuxta parietẽ altaris: veſiculam verò gutturis & plumas proijciat propè altare ad oriẽtalem plagam in loco,in quo cineres effundi ſolent:[c] † & diſcerpet eam cum alis ſuis,ſed non abrumpet:& adolebit ſuper altare,lignis igne ſuppoſito. Holocauſtum eſt & oblatio ſuauiſſimi odoris Domino.

SCHOLIA.

Liber Leuiticus incipit apud Hebræos ab hac dictione Vaicra,quæ latinè ſignificat,& vocauit,vnde & appellatur liber Vaicra,quod hactenus à conſtitutione mundi tam magnifica & gratioſa vocatio ad homines facta nõ fuerit: Inuenitur quidem Deum vocaſſe de cœlis,de nube,& de rubo ardenti,ſed hic vocauit ex domicilio , quod maieſtate & gloria ſua impleuit,& quod ſibi vnicè in terris delegit,vbi inter homines habitare , atq; miſericors inueniri voluit. Latini verò hunc librum appellant Leuiticum,quod potiſſimum de officio ſacerdotum,& Leuitarum agat,docens etiam quibus ſacrificijs varijs corporis immunditiæ ſint expiandæ,quæ maculæ in iumentis & ſacerdotibus animaduertendæ, &c. Sacrificiorũ genera ſunt ſex,videlicet Holocauſtum, Munus,Oblatio pro peccato,Oblatio pro delicto,Sacrificiũ conſecrationis,& Sacrificium pacificorum,de quibus ſuis quibuſq; locis dicetur. Et hæc ferè omnia iubentur igne cremari,quo ſcilicet peccator cõmoneſieret,exurendas in eo animales quaſque concupiſcentias , quæ ex ſanguine & adipe originem ducunt , ſanguis autem & adeps in ſacrificijs potiſſimum expetitur. Quòd verò igni comburere ſignificet ipſas vitiorum quaſi radices euellere,etiã ipſi Græcorum ſapientes declarauerunt,quemadmodum admonet magnus Baſilius. Finxerunt enim hydram illã, cui ſi ferro quis caput auferret,pro vno tria capita naſcerentur,ſin verò inuendo tolleret,id interiret omnino:per hoc admonentes,Voluptatem ſenſuum minimè ex eo ſedari,& quaſi amputari eorum caput,ſi eorum appetitiones ſatietur,ſed augeri potius illas appetitiones,& tanquam plura renaſci capita:quòd ſi continentia atq; abſtinentia cohibeantur,tũc velut inuſta igni nequaquam vltra renaſci. [a] Reticulum iecoris.] *Aly verterunt, adipem , vel exta. Secundum Hebræos ſignificat adipem illum,ſiue illud reticulum,quod ſuper hepar poſitum inuenitur,& cum illo tegebatur locus decollationis , quando caput incẽdendum igni imponebatur. Reliquum verò corpus vna cum inteſtinis,& cruribus (prius tamen omnibus lotis) igni imponebãtur poſt capitis cremationem.* [b] Abrumpetq;.] *Significat rũpere cervicem,non inſtrumẽto,ſed digitis diſcerpere caput à corpore:iccircò alius vertit, Vngue ſecabit caput ipſius.* [c] Et diſcerpet.] *Exponunt dictionẽ Hebræam pro lacerare ſed nõ à corpore auellere. Apparet autem,diſcrimen aliud non fuiſſe in tribus his holocauſti animalium generibus, quàm vt tam diuitum,quàm pauperum ad Deum fides,& deuotio exerceretur,& non eſſet excuſatio.*

CAPVT II.

A ANima cum obtulerit [a] oblationem ſacrificij Domino , ſimila erit eius oblatio : fundetq; ſuper eam oleum,& ponet thus ac deferet ad filios Aaron ſacerdotes:quorum vnus tollet pugillum plenum ſimilę & oleí,ac totum thus,† et incẽdet ſacerdos in memoriam eius ſuper altare,vt ſit ſacrificiũ ignitum in odorem ſuauiſſimũ Domino , Quod autem reliquum fuerit de ſacrificio , erit Aaron & filiorũ eius, Eccl.7.d
ſanctum ſanctorum de oblationibus Domini.Cum autem obtuleris ſacrificium coctum in clibano de ſimi-
B la,panes.ſ.abſq; fermento conſperſos oleo,& lagana azyma oleo lita:ſi oblatio tua fuerit de ſartagine ſimilę conſperſę oleo & abſq; fermento diuides eam minutatim, & fundes ſuper eã oleum † vt ſit oblatio. Si autẽ de craticula fuerit ſacrificium,æqua ſimilia oleo conſpergetur,quam offerens Domino , trades manibus ſacerdotis:qui cum obtulerit eam,tollet memoriale de ſacrificio,& adolebit ſuper altare vt ſit ignitum ſacrificium in odorem ſuauitatis Domino:Quicquid autem reliquum eſt,erit Aaron & filiorum eius,ſanctũ ſanctorum de oblationibus Domini.Omnis oblatio quæ offertur Domino,abſq; fermento fiet,nec [b] quicquã fermenti ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.Primitias tantum eorum offeretis † in oblationẽ:ſuper

altare

altare verò non imponentur in odorem suauitatis. Quicquid obtuleris sacrificij, [c] sale condies, nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione offeres sal. Si autem obtuleris munus primitiarũ frugum tuarum Domino [d] de spicis adhuc virentibus, torrebis eas igni, & confringes in morẽ farris, & sic offeres primitias tuas Domino, fundens super ea oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est: de qua adolebit sacerdos in memoriam muneris † partem de contuso frumento, atque de oleo eius, & totum thus, & erit sacrificium ignitum Domino.

SCHOLIA.

[a] Oblationem sacrificij.] *Vel, munus oblationis. Alterũ sacrificiorum genus, quod iubetur fieri vel ex farina triticea, siue simila, vel ex placenta cocta in fornace, vel ex pane frixo in patella, & minutatim fracto, vel ex pane in craticula cocto, seu, vt Heb. dicunt, in caldari profundo in ipsa pinguedine decocto, aut ex fasciculo nouarũ frugũ, &c. Et de illo sacrificio accipit sacerdos pugillum plenum, hoc est, modicam portionem, quæ reliquæ oblationis quasi memoria sunt, & incendit illam in igne: cuius crematione residuum quoq; non incensum sanctificationem accepit, vt non licuerit, nisi sacerdotibus, ex illo edere. Vnde satis quilibet intelligere potest, quid sit memoria illa de qua hic agitur. Porrò per mel Hebr. intelligunt omnes dulces fructus, vt sunt ficus, dactyli, et similia, de quibus nihil comburebatur, sed duntaxat coràm Domino offerebantur, & à sacerdotibus comedebantur.* [b] Quicquid fermenti, ac mellis.] *Fermentum hypocrisim significat, vt est in Euangelio, & indocti comedebant.* [b] Quicquid fermenti, ac mellis.] *Fermentum hypocrisim significat, vt est in Euangelio, & indotibus comedebantur

peccauerit, offeret pro delicto suo arietẽ immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, iuxta põ- D
dus sanctuarij: ipsumq; quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui
rogabit pro eo, offerens arietem † pro delicto & dimittetur ei. Anima quæ peccauerit per ignorantiam
fecerítq; vnum ex his, quæ Domini lege prohibentur, † portabit iniquitatem suam, offeret arietem imma-
culatum de gregibus sacerdoti, iuxta mensuram æstimationemq; peccati: qui orabit pro eo, quia nescíens fe
cerit: & dimittetur ei, † hostia est hæc delicti, quam pro delicto obtulit Domino.

SCHOLIA.

[a] Vocem iurantis.] *Qui (inquit) adiuratus fuerit, & noluerit dicere veritatem, aut testis fuerit, &c. portabit iniquitatem suam, hoc est, pœnam iniquitatis.* [b] De immunditia hominis.] *Vt si casu tetigerit mortuum, vel mulierẽ in menstruis laborantem.* [c] Oblitaq;.] *Si iurauerit inconsideratè, vt malefaciat sibi ipsi, per huius vel illius rei abstinentiã, & oblitus iuramenti peccauerit in re aliqua, is peccatum suum vbi resciuerit, confiteatur, & adducat oblationem pro delicto.* [d] Quod si non quiuerit.] *Hoc est si commodè habere non potuerit.* [e] Simile partem ephi decimam.] *Ferunt tantum esse, quod vni viro sufficere posit per diem vnum in cibum, vbi obseruat sacrificium pro peccato nõ fieri cum oleo lætitiæ.* [f] Plenum ex ea pugillum.] *Quod vocabatur monimentum, vel memoriale, hoc est, memoria totius farinæ, & solum pugillus ille incendebatur, residuum autem erat sacerdotum.* [g] Vno ex illis.] *Hoc est, vna ex illis tribus distinctis oblationibus.*

CAPVT VI.

LOcutus est Dominus ad Moysen, dicens. Anima quæ peccauerit, & † præuaricata in Dominum, [a] A
negauerit proximo suo depositum, quod fidei eius creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, [b] aut ca-
lũniam fecerit, siue rem perditam inuenerit, & † inficiata fuerit, & super aliqua re peierauerit, [c] &
quodlibet aliud ex pluribus fecerit in quibus solent peccare homines: † rea delicti, reddet omnia quæ per
fraudem voluit obtinere, integra, & quintam insuper partem Domino cui damnum intulerat † in die quo
oblationem pro delicto facit: pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum
sacerdoti, iuxta æstimationem mẽsuramq; delicti: qui rogabit pro eo coràm Domino, & dimittetur illi pro
singulis quæ faciendo peccauit. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Præcipe Aaron & filijs eius. Hęc
est [d] lex holocausti. Cremabitur in altari tota nocte vsq; manè: † & ignis accẽsus in eodem altari erit: vestie- B
tur tunica † linea sua sacerdos & feminalibus lineis, tolletq; cineres, † in quos ignis absumpserit holocau-
stum in altari, & ponens iuxta altare, spoliabitur prioribus vestimentis, indutusq; alijs, efferet eos extra ca-
stra, † ad locum mundum: ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos [e] subijciens ligna ma
nè per singulos dies, & impósito holocausto desuper, adolebit adipes pacificorum: ignis est iste perpetuus,
qui nunquam deficiet in altari. Hæc est [f] lex sacrificij & libamentorum, quæ offerent filij Aaron coràm Do
mino, & coràm altari. Tollet sacerdos pugillum similæ, quæ conspersa est oleo, et totum thus, quod super si-
milam positum est: adolebitq; illud in altari in monimentum, odorem † suauissimum Domino: reliquam C
autem partem similæ comedet Aaron cum filijs suis absq; fermento, & comedet in loco sancto, in atrio ta-
bernaculi: † non fermentabitur † hoc ipsum dedi eis pro parte eorum ex sacrificijs meis [g] sanctum sancto-
rum erit, sicut pro peccato atq; delicto: mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimũ ac sempiter-
nũ erit in generationibus vestris de sacrificijs Domini: [h] omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur. Locutusq;
est Dominus ad Moysen, dicens. Hæc est oblatio Aaron, & filiorum eius, quam offerre debent Domino [i] in
die vnctionis suæ. Decimam partem ephi offerẽt similæ in sacrificio sempiterno, medium eius manè, & me
dium eius vesperè, quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. † Et sic frictam adduces illam, coctasq; huius D
oblationis hostias frustatim offeres in odorẽ suauitatis Domino. Et sacerdos qui pro eo vnctus fuerit de fi-
lijs eius: faciet istud. Legitimũ perpetuum est Domino: tota incendetur. Omne enim sacrificium, quod fit
pro sacerdote, igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo. Locutus est autem Dñs ad Moysen, dicẽs.
Loquere Aaron & filijs eius. Ista est lex hostiæ pro peccato. In loco, vbi offertur holocaustum, immolabitur
coràm Domino: sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert comedet eam in loco sancto, in atrio tabernac-
culi. Quisquis tetigerit carnes eius, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa † [k] vbi super illã
sparsus fuerit lauabitur in loco sancto. Vas autem fictile in quo cocta est, confringetur: quod si vas æneũ fue
rit, defricabitur, & lauabitur aqua. Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus eius, qa san-
ctum sanctorum est. Hostia enim quæ cęditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimo
nij ad expiandum in sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

SCHOLIA.

[a] Negauerit.] *Alij ita distinguunt: negauerit proximo suo depositum, vel datum in manum suam, siue pecuniam datam negociationis gratia.* [b] Aut calumniam fecerit.] *Hoc est, mercedem mercenario dare noluerit: qui igitur aliquid horum fecerit, pœnitentia ductus, sic expiabit delictum. Restituet primò capitale, deinde pro iniuria, quam proximo fecit, superaddet quintam partem, tertiò sacrificium faciet Domino &c.* [c] Et quodlibet aliud.] *Alius sic vertit. Ex omnibus ijs, quæ facere solet homo, & in quibus peccat.* [d] Lex holocausti.] *In Heb. nomen habet ab ascensu, quod in dignitate sua præcellebat omnia alia sacrificia, cum ipsum offerretur pro honore Dei, alia autem sacrificia fiebant pro peccatis. Sunt qui dicant, illud solitum offerri pro imaginatione & cogitatione cordis, vnde & noctu iubentur cremari, quòd homo tunc magis æstuet cogitationibus, quam interdiu, cum clausi sint exteriores sensus.* [e] Subijciens ligna manè per singulos dies.] *Quotidie nutrimenta amoris in Deum, & proximum quenque adhibẽda sunt: nec sufficiunt (ait magnus Basilius) aut mo nita, aut studia hesterna, sicut non satis est corpori, si hesterno cibo pastum sit, nisi etiam hodierno alimento nutriatur.* [f] Lex sacrificij & libamentorum.] *Intelligit oblationem Minha, cuius supra meminimus, quæ non habet proprium vocabulũ apud Latinos, sicut holocaustum, aut sacrificium pacificorum: Hebræi dicunt, Minha esse munus missum regi regum.*

[g] Sanctum

[g] Sanctum sanctorum erit.] *Vocat lex illud in hostijs sanctum sanctorũ, quod nemo alius, quàm sacerdotes mundi in loco sancto comedere poterant. Ea autem, quæ à prophanis quoq; comedi poterant, vt in sacrificio pacificorũ, & in quibusdam, vocantur duntaxat sancta, & Heb. vocant illa sancta leuia.* [h] Omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur.] *Hoc est, sanctus esto. Intelligit ergo, neminem, nisi mundum, debere tangere.* [i] In die vnctionis suæ.] *Sensus huius textus est, quod vulgares, & minores sacerdotes: illo die, quo consecrabantur, tenebantur offerre decimam partem similæ: summus autem sacerdos tenebatur oblationem illã iugiter facere, manè & vesperè, & de illa nõ sumebatur pugillus, vt in muneribus Israel, sed tota cremabatur.* [k] Vbi super illam sparsus fuerit.] *Non igitur tota vestis abluenda erat, sed locus duntaxat, quem sanguis perfuderat.*

CAPVT VII.

A HÆc quoq; est lex [a] hostiæ pro delicto, sancta sanctorum est: iccircò vbi immolabitur holocaustum,
[b] mactabitur & victima pro delicto, sanguis eius per gyrum altaris fundetur. Offerent ex ea † omnẽ
adipem eius, caudam & adipem eius, qui operit [c] intestina: duos renunculos, & adipem: qui est super
eos, & super ilia, reticulumq; iecoris cum renunculis, & adolebit ea sacerdos super altare: incensum est Do-
mini pro delicto. Omnis masculus de sacerdotali genere in loco sancto vescetur his carnibus, quia sanctum
sanctorum est. Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: vtriusq; hostiæ lex vna erit: ad sacerdotẽ,
qui † per eam expiabit, pertinebit. Sacerdos qui offert holocaustum † alicuius [d] habebit pellẽ eius. Et omne
sacrificium similæ, quod coquitur in clibano, & quicquid in craticula, vel in sartagine præparatur, eius erit
sacerdotis à quo offertur † & hostia siue oleo conspersa, siue arida fuerit erit cunctis filijs Aaron: mensura
B æqua per singulos diuidetur. Hæc est lex hostiæ pacificorum, quæ offertur Domino. [e] Si pro gratiarũ actio-
ne oblatio fuerit, offerent † placentas absq; fermento cõspersas oleo, & lagana azyma vncta oleo, coctamq;
similam, & colycidas olei admistione conspersas, † cum placentis panis fermentati offeret oblationem suã
cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis, & offeret ex eo sacrificio vnum, ex omni oblatione ele
uationem Domino, & erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem: cuius carnes eadem comedẽtur die, nec
remanebit ex eis quicquam vsq; manè. Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter ede-
tur die: sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: quicquid autem tertius inuenerit dies, ignis
absumet, & si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet eius oblatio, nec prode-
rit offerenti, † & prophana erit, quin potius quæcunq; anima tali se edulio contaminauerit, præuaricatio-
C nis rea erit. [f] Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mun-
dus, vescetur ex ea. Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peri
bit de populis suis. Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel iumenti, siue omnis rei quæ polluere potest,
& comederit de huiusmodi carnibus, interibit de populis suis. Locutusq; est Dominus ad Moysen, di-
cens. Loquere filijs Israel. Adipem ouis, & bouis, & capræ non comedetis. [g] Adipem cadaueris morticini, &
eius animalis, quod a bestia captum est, habebitis in varios vsus, † sed non comederis ipsum. Si quis adipem,
qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo. Sanguinem quoq; omnis anima-
lis non sumetis in cibo, tam de auibus, quàm de pecoribus. Omnis anima quę ederit sanguinem, peribit de
populis suis. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Loquere filijs Israel, dicens. [h] Qui offert victimã
D pacificorum Domino, † adducat illam oblationem suam ad Dominum, de sacrificio inquam pacificorũ:
tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum, † vt scilicet pectus coràm Domino † ventiletur à sacerdo-
te, qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron, & filiorum eius, armus quoq; dexter de
pacificorum hostijs cedet † pro eleuatione sacerdoti. † Qui ex filijs Aaron obtulerit sanguinem pacificorũ,
atq; adipem, ipse habebit & armum dextrum in portione sua. Pectusculum enim † ventilationis & armum
† eleuationis: tuli à filijs Israel de hostijs eorum pacificis, & dedi Aaron sacerdoti, & filijs eius lege perpetua
ab omni populo Israel. Hæc est vnctio Aarõ & filiorum eius † de sacrificijs Domini, in die quo obtulit eos
Moyses, vt sacerdotio fungerentur, & quæ præcepit eis dari Dominus à filijs Israel religione perpetua in ge-
nerationibus suis. Ista est lex holocausti, † & oblationis [i] libamentorum: & hostiæ pro peccato atq; delicto,
& pro consecratione & pacificorum victimis, quam constituit Dominus Moysi in mõte Sinai quando mã-
dauit filijs Israel vt offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.

SCHOLIA.

[a] Hostiæ pro delicto.] *Sæpe in scripturis peccatum pro delicto accipitur, & delictum pro peccato, hic tamen discreta videntur: cum enim superius tradidisset ritum sacrificij pro peccato, hic mandat de sacrificio pro delicto. Delictum quidem leuius est aliquanto, quàm peccatum, quando scilicet non facimus, quæ præcipimur facere: peccatum verò cum committimus, quæ committere prohibemur.* [b] Mactabitur.] *Ritus hos superius lex non expressit, ideo hic sigillatim omnia describit.* [c] Intestina.] *Quod sæpe interpres vertit, vitalia, sicut & pro renibus renunculos.* [d] Habebit pellem.] *Holocaustum totum erat Domini, cutem tamẽ accipiebat sacerdos: Minha verò erat Dei, & sacerdotum: & sacrificium pacificorum, omniũ fuit, hoc est, Dei, sacerdotis, & offerentium. Ex hostijs verò, quæ fiebant pro peccato & delicto, nihil cedebat offerentibus, sed Domino offerebantur adipes, renes, reticulum, vel abundantia iecoris &c. & reliquam carnem sacerdotes comedebant.* [e] Si pro gratiarum actione.] *Quoties scilicet aliquis Deum laudare volebat super signo aliquo facto circa seipsum, vt ob liberationem ex vinculis, aut siquis Dei beneficio ex graui morbo conualuisset, aut prolem ex sterili vxore impetrasset, vnde & offerens comedebat ex eo: quod in sacrificio pro peccato & delicto non fiebat. Hoc autem sacrificium fiebat ex tribus panum ἀζύμων generibus, videlicet placenta, crustula, et pane fricto in sartagine, quibus adhuc quarta species super addebatur, nempe placenta fermentata. Et ex singulis his speciebus accipiebat sacerdos placentam vnam pro eleuatione Domini, hoc est, quam Domino leuabat & ex cuius leuatione cæteræ placentæ sanctificabantur: deinde leuata placenta erat sacerdotis offerentis: Ferunt tamen illum fermentatum panem adhibitum quidem, vt à ministris comederetur, sed non offerretur,*

quia

quia superius prohibitum est fermentum in sacrificijs: porrò si ex voto aut spontaneo animo, & non pro gratiarum actione, aliquis huiusmodi voluisset offerre sacrificium, ille non alios obseruabat ritus, nisi quòd duobus diebus poterat edere de oblatis. Videntur gentes ab his antiquissimis literis, & vetustissimis ritibus, multa accepisse, quibus in deorum suorum sacrificijs vterentur. f Caro quæ aliquid tetigerit immundum.] *Caro scilicet, quæ sanctificata est pro pacificis, si tetigerit aliquam immunditiam, non comedetur: & quod sequitur: qui fuerit mundus vescetur ex ea: sensus eius est, qui mundi sunt edent carnem pacificorum.* g Adipem cadaueris.] *Supra videbatur prohibere vniuersum adipem, & sanguinem, sed moderatur prohibitionem adipis ad tres species animalium, scilicet bouis, ouis, & capræ. Et, si hæ species propter immunditiã non essent idoneæ ad sacrificium, vt si essent per se mortuæ, vel per bestiam laceratæ, poterat adhuc adeps earum in quosdam vsus conuerti. Et hinc quidam putant, esum adipis in alijs animalibus concessum, puta in cerno, capreo, & similibus: sanguis verò quorumcunq; animalium in vniuersum prohibetur etiam volucrum, solo sanguine piscium excepto.* h Qui offert victimam pacificorum.] *Hoc est, facturus sacrificium pacificorum, ipse per se hostiam adducat, & sacerdoti in manum tradat: adipem, & pectusculum, ex laniena in conspectum Domini portet, & dum sacerdos ea in aere ventilat, ille manus suas adiunctas habeat: armus verò in altum tantum leuabatur.* i Libamentorum.] *Intellige oblationem Minha, de qua iam dictum est.*

CAPVT VIII.

LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicẽs. Tolle Aaron cum filijs suis, vestes eorum, & vnctionis oleũ, A
vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis, & congregabis omnem cœtum ad ostium
tabernaculi. Fecit Moyses vt Dominus imperauerauerat. Congregataq; omni turba ante fores taber-
naculi, ait. Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri. Statimque obtulit Aaron & filios eius. Cumq; lauisset
eos, vestiuit pontificem subucula linea, accingens eum baltheo, & induens eum tunica, † & superhumerale
† desuper imposuit, quod astringens cingulo [a] † superhumeralis, posuit super eũ rationale, in quo erat Vrim B
& Thummim. Cidari quoq; texit caput: & super eam, contra frontem posuit laminam auream † coronam
sanctificationis, sicut præceperat ei Dominus. Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cũ omni
Eccl. 45.c supellectili sua: † sanctificans † ea & aspergẽs de illo altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa eius, la-
brumq; cum basi sua sanctificauit oleo. Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum, & consecrauit: filios
quoq; eius oblatos vestiuit tunicis, † & cinxit baltheis, [b] imposuitq; mitras, vt iusserat Dominus. Obtulit &
vitulum pro peccato: cumq; super caput eius posuisset Aaron, & filij eius manus suas, immolauit eũ † Moy- C
ses hauriens sanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum: [c] quo expiato & sanctificato, fudit
reliquum sanguinem ad fundamenta eius: adipem verò qui erat super vitalia, & reticulum iecoris, duosq; re
nunculos cum aruinulis suis adoleuit super altare: vitulum cum pelle & carnibus, & fimo: cremans extra ca-
stra, sicut præceperat Dominus. Obtulit & arietem in holocaustum: super cuius caput cum imposuissent
Aaron & filij eius manus suas, immolauit eũ, & fudit sanguinem eius per circuitum altaris: ipsumq; arietem D
in frusta concidens, caput eius, & artus, et adipem adoleuit igni, lotis prius intestinis & pedibus: totũq; simul
arietem incendit super altare, eò quòd esset holocaustum suauissimi odoris Domino, sicut præceperat ei.
Obtulit & arietem secundum, † arietem scilicet consecrationis: posueruntq; super caput eius Aaron & filij
eius manus suas: quem cum immolasset Moyses, sumens de sanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ
Aaron, & pollicem manus eius dextræ, similiter & pedis: obtulit & filios Aaron. Cumq; de sanguine arietis
immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, & pollicis manus ac pedis dextri, reliquum fu- E
dit super altare per circuitum: adipem verò, & caudam, omnemq; pinguedinem, quæ operit intestina, reticu
lumq; iecoris, & duos renes cum adipibus suis, & armo dextro separauit. Tollens autem de canistro azymo-
rum, quod erat coràm Domino, panem absq; fermento vnum, & collyridam consperſam oleo, laganumq;
posuit super adipes, & armum dextrum, tradens simul omnia Aaron & filijs eius, qui postquam leuauerunt
ea coràm Domino, rursum susceptа de manibus eorum, adoleuit super altare † post holocaustum eò quòd F
consecrationis esset oblatio in odorem suauitatis sacrificij Domini. Tulitq; pectusculũ eleuans illud coràm
Domino de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus. Assumensq; vnguentum,
& sanguinem qui erat in altari, asperſit super Aaron & vestimenta eius, & super filios illius ac vestes eorum.
Cumq; sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens. Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi co-
Exod. 29.f medite eas, panes quoq; consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepi, † dicens, Aaron & fi- G
lij eius comedent eos: quicquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet. De ostio quoque
tabernaculi non exibitis septem diebus, vsq; ad diem quo complebitur tempus cõsecrationis vestræ: [d] septẽ
enim diebus finitur consecratio, sicut impræsentiarum factum est, † sic præcepit Dominus fieri ad expian-
dum vos: die ac nocte septẽ diebus manebitis in ostio tabernaculi testimonij obseruãtes custodias Domini,
ne moriamini: sic enim mihi præceptum est. Feceruntq; Aaron & filij eius cuncta quæ locutus est Dominus
per manum Moysi.

SCHOLIA.

[a] Cingulo superhumeralis.] *Habuit Ephod, hoc est, superhumerale in summitate cincturam quandam ingeniosè factam, sed quæ de Ephod erat, non extrinsecus adhibita, & ea sub brachijs deferentis stringebat Ephod ipsum ad corpus sacerdotis, ne difflueret, sicut & humeri seu humerales fimbriæ illud ferebãt, ne deorsum moueretur: de Vrim & Thummim etiam supra dictum est, fuisse scilicet secundum Hebræos, opus quoddam cœleste, aut mysterium diuinũ Mosi traditum, & literis exaratum.* [b] Imposuitq; mitras.] *Egit Moses summum sacerdotem in sacerdotum consecratione, inungendo, induendo, & sacrificando iuxta ritum supra in exodo explicatũ.* [c] Quo expiato.] *Nempe altari, quod fuit, prophanũ vsum in vsum sanctum commutare.* [d] Septem enim diebus finitur consecratio.] *Hebraismus habet, implebit manum vestrã. Ritus (inquit) consecrationis implebit manus vestras hostijs, & oblationibus: debebãt enim imponere manus suas super pecora*

pecora immolatitia, item, q̃ cum adeps, armus, & tortellæ ventilarentur coràm Domino, illi supponebant manus suas, & per has ceremonias consecrabantur: iccirco vocatur consecratio eorum impletio manuum.

CAPVT IX.

A FActo autem octauo die, vocauit Moyses Aaron & filios eius, ac maiores natu Israel, dixitq; ad Aaron. Exod. 29.a
Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocaustum, vtrunq; immaculatum, & offer il-
los coràm Domino, & ad filios Israel loqueris. Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum
† anniculos, & sine macula in holocaustum, bouem & arietem pro pacificis: † ad immolandum coràm Do-
mino, & oblationem similæ consperſam oleo: hodie enim Dominus apparebit vobis. Tulerunt ergo cũcta
quæ iusserat Moyses ad ostium tabernaculi: vbi cum omnis multitudo astaret, ait Moyses. Iste est sermo quẽ
B præcepit Dominus: facite, & apparebit vobis gloria eius. Et dixit ad Aarõ. Accede ad altare, & [a] immola pro
peccato tuo, offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo: cumque mactaueris hostiam populi,
ora pro eo, sicut præcepit Dominus. Statimque Aaron accedens ad altare, immolauit vitulum pro
peccato suo, cuius sanguinem obtulerunt ei filij sui, in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, & fudit re-
siduum ad basim eius: adipemq; , & renunculos, ac reticulum iecoris, quæ sunt pro peccato, adoleuit super
altare, sicut præceperat Dominus Moysi: carnes verò & pellem eius, extra castra combusit igni. Immolauit
C & holocausti victimam: obtulerunt q; ei filij sui sanguinem eius, quem fudit per altaris circuitum: ipsam etiã
hostiam in fruſtra concisam, cum capite & membris singulis obtulerunt: quæ omnia super altare cremauit
igni: † lauit quoq; intestina & crura, & incendit super holocausto in altari. Et pro peccato populi offerens,
mactauit hircum, † quem habuit populus, & obtulit eum pro peccato instar prioris. Obtulit itaq; holocau-
stum, & fecit illud iuxta consuetum ritum: obtulit & libamenta, implens scilicet manum suam, & incendẽs
in altari [b] post holocaustum matutinum. Immolauit & bouem atq; arietem hostias pacificas populi: obtu-
D lerunt q; ei filij sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum: adipem autem bouis, † & arietis tule-
runt, & caudam & adipem, qui operit intestina, & renunculos, & reticulum iecoris, posuerũtq; adipes super
pectuscula: cumq; , cremati essent adipes super altare, pectora eorum, & armos dextros separauit Aaron, ele-
uans coràm Domino, sicut præceperat Moyses. Et extendens manum ad populum, benedixit ei. Sicq; com- 2.Mac. 2.a
pletis hostijs pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit. Ingressi autem Moyses & Aaron in taber-
naculum testimonij, & deinceps egressi, benedixerunt populo. Apparuitq; gloria Domini omni multitudini:
& ecce egressus ignis à Domino: deuorauit holocaustum, & adipes qui erant super altare. Quod cũ vidissent
turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas.

SCHOLIA.

[a] Immola pro peccato tuo.] *Hoc est, quod dicitur ad Hebræos, oportuisse pontificem prius pro suis peccatis victimas offerre, deinde pro peccatis populi, quod Christo summo ac vero pontifici nõ opus fuit.* [b] Post holocaustum matutinum.] *Hebraicè præter holocaustum, hoc est, seorsum, & nõ cum holocausto. Atq; ob hanc ambiguitatem, interpres verterat, absq;*
A *ceremonijs holocausti matutini.*

CAPVT X.

ARreptisq; Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis, imposuerunt ignem, & incensum desuper, offeren-
tes coràm Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat. Egressusq; ignis à Domino, [a] de- Num. 3.a
uorauit eos, & mortui sunt coràm Domino. Dixitq; Moyses ad Aaron. Hoc est quod locutus est Do- 26.g
minus. Sanctificabor in ijs qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod au- 2.Para.
diens, tacuit Aaron. Vocatis autem Moyses Misaele, & Elisaphan filijs Oziel, patrui Aaron, ait ad eos. Ite, & 24 a
B tollite fratres vestros de conspectu sanctuarij, & asportate extra castra. Confestimq; pergentes, tulerunt eos
sicut iacebant, vestitos lineis tunicis, & eiecerunt foras, vt sibi fuerat imperatum. Locutusq; est Moyses ad
Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios eius. [b] Capita vestra nolite nudare, & vestimẽta nolite scindere, ne for-
tè moriamini, & super omnem cœtum oriatur indignatio. Fratres vestri † nempe omnis domus Israel plan-
gant incendium, quod Dominus suscitauit: vos autem non egredimini fores tabernaculi, alioquin peribitis:
oleum quippe sanctæ vnctionis super vos. Qui fecerunt omnia iuxta præceptum Moysi. Dixitq; Domi-
nus ad Aaron. [c] Vinũ, & omne quod inebriare potest, nõ bibetis tu & filij tui, quando intrabitis in taberna-
C culum testimonij, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras, & vt habeatis
scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum: doceatisq; filios Israel oĩa
legitima mea quæ locutus sum ad eos per manum Moysi. Locutusq; est Moyses ad Aaron, & ad Eleazar
& Ithamar filios eius, qui erant residui. Tollite sacrificium quod remansit [d] de oblatione Domini, & come-
dite illud absq; fermento iuxta altare, quia sanctum sanctorum est. Comedetis autem in loco sancto [e] quod
datum est tibi & filijs tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi: pectusculũ quoq; quod obla-
tum est, & armũ qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu & filij tui, & filię tuæ tecum: tibi enim ac li-
D beris tuis reposita sunt de hostijs † pacificorum filiorum Israel, † armum eleuationis, [f] & pectus separatio- 2. Mac. 2. c
nis cum sacrificijs adipum inferent ad eleuandum eleuationem coram Domino, & pertinebunt ad te, & ad fi-
lios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dominus. Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato cum que-
reret Moyses, exustum repperit: iratusq; contra Eleazar & Ithamar filios Aaron qui remanserant, ait. [g] Cur
non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ sancta sanctorum est, & data vobis vt portetis ini-
quitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Dominj, præsertim cum de sanguine illius non sit il-
latũ [h] intra sancta, & comedere debueratis eam in sanctuario, sicut præceptum est mihi? Respondit Aaron.
Oblata est hodie victima, & peccato & holocaustũ corã Dño, mihi aũt accidit quod vides: † & si comedissem
hostiam hodie, nunquid placuisset in oculis Domini? Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

Scholia

SCHOLIA.

[a] Deuorauit eos.] *Per ea puniuntur, per quæ peccarunt. Simul obserua, non esse colendum Deum pro arbitrio hominiũ, sed vt docemur lege Dei. Sed quando dicitur, ignem deuorasse filios Aharon, non est intelligendum in fauillas redacta fuisse corpora eorum, cum paulo post, ea induta sacerdotali veste iubeantur foras extra castra portari, sed flamma examinauit illos, & interiora magis quàm exteriora adussit membra.* [b] Capita vestra nolite nudare.] *Quidam ex Hebræis sic hunc locum interpretantur: comam capitum vestrorum nolite nutrire: qui enim in luctu fuerunt nutriebant capillum, & discooperiebant caput, deponentes mitras, galeros, & alia capitis ornamenta, quod sacerdotes in officio diuino facere prohibẽtur, sicut nec egredi permittuntur, incompleto opere Dei.* [c] Vinum.] *Quod post cædem filiorum Aharon præcipitur de abstinentia vini, videntur quidam Hebræi sensisse, quòd ob hanc etiam causam interierint, quòd sibi non cauerint à nimio vini potu.*

[d] De oblatione Domini.] *Intelligit oblationem Minha, quam interpres interdum appellat libamenta.* [e] Quod datum est tibi.] *Hoc est, portio illa statuta & ordinata est pro te & filijs tuis.* [f] Pectus separationis.] *Vtitur interpres verbo separationis pro eo, quod alius vertit, ventilationis, ob eum morem ventilandi, cum offertur, cuius superius facta mentio est.*

[g] Cur non comedistis.] *Erat hircus ille combustus in conflagratione ignis, quem Aharon & filij eius comedere debuerant post crematione adipis, sed turbati incendio, & extinctione Nadab & Abihu, id omiserunt.* [h] Intra sancta.] *Intra sanctuarij interiorem partem.*

CAPVT XI.

Deut. 14.a

LOcutusq; est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens. Dicite filijs Israel. [a] Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ. Omne, quod habet diuisam vngulam [b] † & findit fissuram in vngulis, & ruminat in pecoribus, comedetis. Quicquid † tantum ruminat, † aut tantum diuidit † vngulam, sicut camelus † qui ruminat quidem, sed vngulam non diuidit, non comedetis illud, & inter

2.Mac. 6.d

immunda reputabitis. † Cuniculus, qui ruminat, vngulamq; non diuidit, immundus est. Lepus quoq;: nam & ipse ruminat, sed vngulam non diuidit. Et sus: qui cum vngulam diuidat, non ruminat, horum carnibus non vescemini, nec cadauera contingetis, quia immunda sunt vobis. Hæc etiam sunt quæ gignuntur in aquis, & vesci licitum est. Omne, quod habet [c] pinnulas & squammas, tam in mari quàm in fluminibus, † comedetis. Quicquid autem pinnulas & squammas non habet, eorum, quæ in aquis mouentur & viuunt, abominabile vobis execrandumq; erit: carnes eorum non comedetis, & morticinia vitabitis. Cuncta, quæ non habent pinnulas & squammas in aquis, polluta erunt. Hæc sunt quæ [d] de auibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis. Aquilam, & gryphem, & halyætum, & miluum ac vulturem iuxta genus suum, & omne coruini generis in similitudinem suam, struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem iuxta genus suum, bubonem, & mergulum, & ibin, & cygnum, & onocrotalũ, & porphyrionem, herodionem, & charadriõn iuxta genus suum, vpupam quoque & vespertilionem. Omne de volucribus quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis. Quicquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retrò crura, per quæ salit super terram, comedere debetis, vt est brucus in genere suo, & attacus atque ophiomachus, ac locusta, singula iuxta genus suum. Quicquid autem ex volucribus quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis: & quicunque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus vsque ad vesperum: & si necesse fuerit vt portet quippiam horum mortuum, lauabit vestimenta sua, & immũdus erit vsque ad occasum solis. Omne animal quod † diuidit vngulam, sed non † findit fissuram, nec ruminat, immundũ erit, & † quisquis tetigerit illud, contaminabitur. [e] Quod ambulat super manus ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: qui tetigerit morticina eorum, polluetur vsque ad vesperum. Et qui portauerit huiusce modi cadauera, lauabit vestimenta sua, & immundus erit vsque ad vesperum, quia omnia hæc immunda sunt vobis. Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his quæ mouẽtur in terra, mustela, & mus, & crocodilus, singula iuxta genus suum, migale, & chamæleon, & stellio, & lacerta, & talpa: omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit vsq; ad vesperum: & super quod ceciderit quicquam de morticinis eorũ, polluetur tam vas ligneum & vestimẽtum, q̃ pelles & cilicia: & in quocunq; fit opus, † immittentur in aquam, & polluta erunt vsq; ad vesperum, & sic † mundabuntur. Vas autem fictile in quod horum quicquam intrò ceciderit, † quicquid intra ipsum fuerit, immũdum erit, & ipsum vas cõfringetur. Omnis cibus quem comedetis, si fusa fuerit super eũ [f] aqua † huiusmodi immundus erit: & omne liquens quod bibitur de vniuerso vase, immundum erit. † Et omne super quod ceciderit cadauer illorum, immundum erit, siue clibani, siue chytropodes, destruentur, et immundi erunt. [g] Fontes verò & cisternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur. Si ceciderit super semen [h] † quod semen censetur, & seminatum fuerit, non polluet † illud. Si autem † aqua sementem perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, [i] illicò polluetur. Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, [k] qui cadauer eius tetigerit, immundus erit vsq; ad vesperum: & qui comederit ex eo quippiam siue portauerit, lauabit vestimẽta sua, & immundus erit vsq; ad vesperum. Omne [l] quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum. Quicquid super pectus † graditur, et † quicquid quatuor

1.Pet.1.c

vel plures habet pedes † & per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est. Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quicquam eorum, ne immundi sitis. Ego enim sum Dominus Deus vester. Sanctificate vos, & Sãcti estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili, quod mouetur super terram. Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de terra Ægypti, vt essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum. Ista est lex animantium, ac volucrum, & omnis animæ viuentis, quæ mouetur in aquã, & reptat in terra, vt differentias noueritis mundi & immũdi, & sciatis [m] quid comedere, & quid respuere debeatis.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Hæc sunt animalia.] *Causam huius delectus esse dicunt quòd animalia immunda ab homine esitata, generant putrefactionem, & varias ægritudines, remorantur hominem à Dei seruitio, vtpote, quæ ad opus bonum, pigrum & tædiosum efficiunt, vim digestiuam debilitant, & totum corpus in discrasiam quandam dissoluunt, vt anima nihil præclari agere valeat.* [b] Et findit fissurã.] *Notandum quædam esse animalia, quæ supernè quidem diuidant vngulam, sed infra habent eã connexã, vt est Canis, Vrsus, Camelus, Cattus, et similia: alia sunt, quæ vngulas habent superne, et infernè fissas, vt est Ouis, Capra, &c. Sunt demũ, quæ nullam in vngula admittũt diuisionem, vt Equus, Asinus, &c. Notandum quoq; hic est, quòd oẽs animalium species hic scribuntur in masculino genere, sub quo fœmininum continetur, præter leporis speciem, quæ in fœminino genere scribitur: propterea, quòd in hac specie masculinũ sexũ ferant nõ inueniri. Alij tamẽ dicunt, leporem vtrumq; sexum habere in quolibet individuo.* [c] Pennulas, & squammas.] *Non tamen omnes squammati pisces mundi sunt, sed q tantum, à quibus vel manu, vel cultro squammæ amoueri possunt, vt quidam Heb. volunt. Notant quoque, pisces stagnales non concessos, cum scriptura mentionem faciat piscium, qui sunt in mari, & fluminibus.* [d] De auibus.] *Describuntur hic species aliquæ, quæ nobis, sicut & omnibus Iudæis omnino sunt incognitæ. Sicut & illa tria genera locustarum, quæ nominibus suis in textu exprimuntur, quibus nec Iudæi certa vulgaria nomina imponere possunt, cum & illis, vt nobis, hæc animantia sint ignota.* [e] Quod ambulat super manus.] *Ea scilicet, quæ habent pedem anteriorem in plures, quam duas distinctum partes, vt est, Canis, Cattus, Vrsus, Leo, & similia, quæ nõ habent vngulas in pedibus, vt Capra, vel Ouis, sed digitos vngulatos, ideo immunda censentur.* [f] Aqua huiusmodi.] *Sensus est, si aqua fuerit in aliquo vase, & ceciderit morticinum aliquod in vas illud, aqua ipsa cum vase polluitur, & quicquid aqua illa tetigerit, immundum erit. Excipiuntur, fons, cisterna, & aliæ magnæ collectiones aquarum, quæ terram ipsam pro fundo habent: hæc ex illapsu cadaueris non inquinantur, sed qui tetigerit cadauer illapsum, contaminatur. Idem ferè est iudicium sementis & seminis, quod aquæ & fontis.*

[g] Fontes verò.] *Vnde ablutio omnis petenda est, ibi non facilè opinio impuritatis est concipienda.* [h] Quod semen censetur.] *Hoc est, quod iam mutatum est in naturam aliam, aut proximè mutandũ.* [i] Illico polluetur.] *Nempè semen illud.* [k] Qui cadauer eius tetigerit.] *Non autem est immundus, qui tetigerit ossa, neruos, pelles, cornua, & vngulas, quæ pro varijs vsurpantur instrumentis & rebus. Vtitur autem interpres hoc capite, morticino pro cadauere, & contrà.* [l] Quod reptat super terram.] *Ferunt non prohiberi hic muscas, & vermiculos, qui passim in leguminibus inueniuntur, postquam cocta sunt, cum super terram adhuc non reptarint. Vocatur autem reptile, quod est depressum, & breues habet pedes, quod magis repere videtur quàm currere. Super pectus verò absque pedibus mouentur varia serpentum genera.* [m] Quid comedere & respuere.] *Hoc adiecit, quia multi sunt casus, quando animal mundum comedi non potest, vt est, raptum à bestia, suffocatum, aut non rectè iugulatum, &c.*

CAPVT XII.

A LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Loquere filijs Israel, & dices ad eos. Mulier [a] si susceperit semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus iuxta [b] dies separationis menstrui † sui: & die octauo circũcidetur infantulus, ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificatio-

Luc. 2.c

B nis suę. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in sanctuarium, donec impleantur dies purificationis

Ioan.7.c

suę. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit [c] duabus hebdomadibus iuxta ritum fluxus menstrui, &

Luc.2.d

sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Cumq; expleti fuerint dies purificationis suæ,

C pro filio siue pro filia, deferet agnum anniculũ in holocaustum, & pullum columbæ siue turturẽ [d] pro peccato ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti, qui offeret illa coràm Domino, & rogabit pro ea, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui: ista est lex parientis masculũ aut fœminam. Quod si non inuenerit manus eius, nec potuerit offerre agnũ, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, vnum in holo-

D causstum, & alterum pro peccato: orabitq; pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

Luc. 2.d

SCHOLIA.

[a] Si susceperit semine.] *Hebraismus habet, si seminificauerit, vel semen fecerit: & ex hoc dicendi modo videntur Hebræi communiter sentire, mulierem masculum parere, quoties ipsa primum semen ministrauerit, multaq; ac varia super hac re philosophantur, quæ hic inferere nihil necesse fuit.* [b] Dies separationis.] *Dies fluxus, quãquam inter hæc etiam distinguunt.* [c] Duabus hebdomadibus.] *Post femellam enixam opus est longiori purificatione, idq; ob maiorum humorum fluxum (vt ferunt) & sanguinis corruptionem.* [d] Pro peccato.] *Non quòd peperisse peccatum sit, sed quia quod genitum est, peccato originale obnoxium sit.*

CAPVT XIII.

A LOcutusq; est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens. Homo in cuius cute † carnis ortus fuerit diuersus color siue pustula, aut quasi lucens quippiam, id est plaga leprę, adducetur ad Aaron sacerdotem vel ad vnumquenlibet filiorum eius. Qui cum viderit lepram in cute & pilos in album mutatos colorem, ipsamq; speciem leprę [a] humiliorem cute & carne reliqua, plaga lepræ est, † contemplabiturq; eam sacerdos, & iudicabit eum immundum. Si autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini, recludet eum sacerdos septem diebus, & consyderabit die septimo: & si quidem lepra vltrà non creuerit, nec transierit in cute priores terminos, rursum recludet eum septem diebus alijs, & die se-

B ptimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, † mundum iudicabit eum: quia scabies est, lauabitq; homo vestimenta sua, & mundus erit. Quòd si postquam à sacerdote visus est & redditus munditiæ, iterum lepra creuerit: adducetur ad eum, & immunditię condemnabitur. Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem, & videbit eum. Cumq; † tumor albus in cute fuerit, & capillorum mutauerit aspectum, ipsa quoq; caro viua apparuerit † in tumore: lepra vetustissima iudicabitur atq; inolita cuti.

[b] Contaminabit itaq; eum sacerdos, & non recludet, quia perspicuę immunditię est. Sinautẽ [c] efflorurerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem carnem a capite vsq; ad pedes, quicquid sub aspectu oculorum

cadit, consyderabit eum sacerdos, & teneri lepra mundissima iudicabit: eò quòd omnis in cãdorem versa sit, C
& iccircò homo mundus erit. Quando verò caro viuens in eo apparuerit, tunc sacerdotis iudicio polluetur,
& inter immundos reputabitur: caro enim † illa viua † cum lepra sit, immũda est. Quòd si rursum versa fue-
rit in alborem, † veniet ille ad sacerdotem, & consyderabit eũ sacerdos, & mundum esse decernet. Caro autẽ
& cutis in qua [d] vlcus natum est & sanatum, & in loco vlceris † tumor albus, aut macula cãdida, atq; subrufa
apparuerit, adducetur homo ad sacerdotem: qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pi-
los versos in candorem, contaminabit eum, plaga enim lepræ orta est in vlcere. Quòd si pilus, coloris est pri-
stini, † & vicina carne non est humilior † sed tamen est obscura, recludet eum septem diebus: & si quidem
creuerit, adiudicabit eũ lepræ: sinautem steterit in loco suo macula illa, & non creuerit, vlceris est cicatrix, D
& homo mundus erit. Caro autem & cutis quam ignis exusserit, & albam siue rufam habuerit maculã, cõ-
syderabit eam sacerdos, & ecce † si versus fuerit pilus in alborem, & locus eius reliqua cute est humilior: cõ-
taminabit eum, quia plaga lepræ ex cõbustura germinans orta est. Quòd si pilorum color non fuerit immu
tatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus,
& die septimo contemplabitur: si creuerit in cute lepra, contaminabit eum: sinautem in loco suo cãdor stete
rit & nõ creuerit in cute, & is nõ satis clarus, † tumor cõbusturę est, & iccircò mundabitur, quia cicatrix est
cõbusturæ. Vir siue mulier in cuius capite vel barba germinauerit lepra, videbit eos sacerdos: & siquidẽ hu-
milior fuerit locus carne reliqua, & capillus flauus solitoq; subtilior: contaminabit eos, quia lepra capitis ac
barbæ est. Sinautem viderit locum maculæ æqualem vicinę carni, & capillum nigrum † nõ adesse, recludet E
eos septem diebus, & die septimo intuebitur. Si non creuerit macula, & capillus sui coloris est, & locus plagę
carni reliquæ æqualis, radetur homo absq; loco maculæ, & includetur septem diebus alijs. Si die septimo vi-
sa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisq; vestibus suis mundus
erit. Sinautem post emundationem rursus creuerit macula in cute, non quæret amplius vtrum capillus in
flauum colorem sit commutatus, quia apertè immundus est. Porrò si steterit macula, et capilli nigri fuerint,
nouerit hominem sanatum esse, & confidenter eum pronuntiet mundum. Vir siue mulier in cuius cute
cãdor apparuerit, intuebitur eos sacerdos: si deprehenderit subosc urum alborem lucere in cute, sciat nõ esse
lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem mũdum. Vir de cuius capite capilli fluunt, caluus & mũ- F
dus est, & si à frõte ceciderint pili, recalualter & mundus est. Sinautem in caluitio siue in recaluatione albus
vel rufus color fuerit exortus, † lepra germinans est in caluitio, aut in recaluatione eius: videbitq; eum sacer
dos, &, si tumor plagæ albus, & subrufus fuerit in caluitio, aut reclauatione eius, secundum formam lepræ,
quæ est in cute carnis, vir leprosus & immundus est: contaminabit eum sacerdos, eritq; plaga eius in capite
eius. Quicunq; ergo maculatus fuerit lepra, † [e] habebit vestimenta dissuta, caput nudum, os veste cõtectum,
contaminatum ac sordidum se clamabit. Omni tempore quo leprosus est et immũdus, solus habitabit extra
castra. Vestis lanea siue linea, quæ lepram habuerit in stamine atq; subtegmine, aut certè pellis vel quicquid
ex pelle confectum est, si † viridis aut subrufa macula fuerit, infecta lepra reputabitur, ostendeturq; sacerdo
ti, qui consyderatam recludet septem diebus, & die septimo rursus aspiciens si deprehenderit creuisse, lepra G
perseuerans est: pollutum iudicabit vestimẽtum, & omne in quo † plaga illa fuerit inuenta, & iccirco cõbu-
retur flammis. Quòd si eam viderit non creuisse, præcipiet & lauabunt id in quo lepra est, recludetq; illud
septem diebus alijs. Et cum viderit faciem quidem pristinã non reuersam, nec tamen creuisse leprã, immun-
dum iudicabit, & igne comburet, † [f] lepra corrodẽs est in caluitio, siue in recaluatione sua. Sinautem obscu-
rior fuerit locus lepræ postquam vestis est lota, abrumpet eũ & à solido diuidet. † Et, si adhuc in ijs apparue-
rit, lepra crescens est, igne exures plagam illam, q̃ in ea est: si ab ijs, quę laueris, plaga recesserit, secundo laua-
buntur, & † tunc munda erunt. Ista est lex leprę vestimẽti lanei & linei, staminis atq; subtegminis, omnisq;
suppellectilis pelliceæ, quomodo mundari debeat vel contaminari.

SCHOLIA.

[a] Humiliorem cute.] *Hoc est, profundiorem cute carnis eius.* [b] Contaminabit.] *Hoc est immundum declarabit, atq; polluti loco eum habebit.* [c] Efflouerit.] *Capitur hic efflorere, pro sese diffundere. Vbi Heb. aiunt, lepram comparari fluuio, qui cum dilatatur, & ampliss imè diffunditur, non est profundus, at quando in angustum locum arctatur, tunc est profundissimus: similimè si species lepræ per totum corpus diffluat a capite vsq; ad pedes, & profunditatem in vno loco non faciat, non erit lepra: si in vnum locum arctetur, corrodens lepra erit, atq; incurabilis.* [d] Vlcus.] *Pustula ardens, pestis, siue plaga ab alio ardore, quàm ignis prouenies.* [e] Habebit vestimenta dissuta.] *Qui lepra peccati maculatus est, huic idem ipse mos est seruandus.* [f] Lepra comedens est in caluitio.] *Per caluitium vestis quidam Hebræi docent intelligendum pannum, aut vestem, quæ ob nimiam vetustatem amisit pilos: & tandem lepra corripitur, sed recaluationem vestis esse, cũ lepra pannum priuat pilis aut plumis, vt sit sensus: siue arrosio fuerit in nouo & piloso panno, siue in veteri. Neq; reprobatur, si per caluitium, exteriorem intelligas superficiem, & per recaluationem, interiorem. Num vestimenta dissuta esse oportet, vt peccata non habeant velamen excusationis. caput reuelatum, vt fidem habeat in Deum, & spem remissionis. et os veste cõtectum, ne fiduciam sermonis ac docendi habeat. contaminatum se ac sordidum clamet ne videlicet eum pudeat.*

CAPVT XIIII.

Mat. 8. a
Mar. 1. d
Luc. 5. c

LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Hic est ritus leprosi quando mundandus est. Adducetur A
ad sacerdotem, qui egressus de castris cum inuenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei qui puri-
ficatur vt offerat [a] duos passeres viuos pro se, quos vesci licitum est, & [b] lignum cedrinum vermicu-
lumq; & hyssòpum: & vnum ex passeribus immolari iubebit in vase fictili super aquas viuentes: alium au-
tem viuum cum ligno cedrino, & cocco & hyssòpo tinget in sanguine passeris immolati, quo asperget illũ
qui mundandus est, septies, † & purgabit eum, & dimittet passerem viuum, vt in agrum auolet. Cumq; la-
uerit

uerit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lauabitur aqua, purificatusq; ingredietur castra,
ita duntaxat, vt maneat extra tabernaculum suum septem diebus, & die septimo radat capillos capitis, bar-
bamq; & supercilia, [c] ac totius corporis pilos. Et lotis rursum vestibus & corpore, † mundus erit: die autem
B octauo assumet duos agnos immaculatos, & ouem anniculam absq; macula, & tres decimas similæ in sacri-
ficium, [s] quæ conspersa sit oleo, & seorsum olei [d] sextarium. Cumq; sacerdos purificans hominem statue-
rit eum, & hæc omnia coràm Domino in ostio tabernaculi testimonij, tollet agnum & offeret eum pro deli-
cto, oleiq; sextarium. Et † elquatis eis ante Dominum omnibus, immolabit agnum vbi solet immolari ho-
stia pro peccato & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdo-
tem pertinet hostia: sancta sanctorum est. Assumensq; sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro
delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ eius qui mundatur, & super pollices manus dextræ & pedis,
& de olei sextario mittet in manum suam sinistram, tingetq; digitum dextrum in eo, & asperget coram Do-
C mino septies: † de residuo autem olei in leua manu, fundet super extremum auriculæ dextræ eius qui mun-
datur, & super pollices manus ac pedis dextri, [e] & super sanguinem qui effusus est pro delicto, † & residuum
olei, quod est in manu sacerdotis, ponet super caput mundandi. Rogabitq; pro eo sacerdos coràm Domino,
& faciet sacrificium pro peccato † & expiabit mundandum ab immunditia sua: tunc immolabit holocau-
stum, & ponet illud in altari cum libamentis suis, † & expiabit eum sacerdos, eritq; mundus. Quòd si pau-
per est, & non potest manus eius inuenire, quæ dicta sunt pro delicto, assumet [f] agnum ad oblationem, vt
roget pro eo sacerdos, decimamq; partem similæ consperſæ oleo in sacrificium, & olei sextarium, duosq;
turtures siue duos pullos columbæ † quoscunque apprehenderit manus eius, quorum vnus sit pro pecca-
D to, & alter in holocaustum, offeretque ea die octauo purificationis suæ sacerdoti ad ostium tabernaculi te-
stimonij coràm Domino, qui suscipiens agnum pro delicto & sextarium olei, leuabit simul: immola-
toque agno, de sanguine eius ponet super extremum auriculæ dextræ illius, qui mundatur, super polli-
ces manus eius ac pedis dextri, olei verò partem mittet in manum suam sinistram: in quo tingens digitum
dextræ manus asperget septies coràm Domino, tangetq; extremum dextræ auriculæ illius qui mundatur,
& pollices manus ac pedis dextri, in loco sanguinis qui effusus est pro delicto: reliquam autem partem olei
quæ est in sinistra manu, mittet super caput purificati, vt placet pro eo Dominum, & turturem siue pullum
columbæ offeret, vnum pro delicto, & alterum in holocaustum cum libamentis suis, † expiabitq; sacerdos
E emundandum coràm Domino, hoc est sacrificium leprosi, qui habere non potest omnia in emundationem
sui. Locutusq; est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens. Cumq; ingressi fueritis terram Chanàan, quam
ego dabo vobis in possessionem, [g] † si posuero plagam lepræ in ædibus terræ possessionis vestræ, ibit cuius
est domus, nuntians sacerdoti, & dicet. Quasi plaga lepræ videtur mihi esse in domo mea. At ille præcipiet
vt efferantur vniuersa de domo priusquam ingrediatur eam, & videat vtrum leprosa sit, ne immunda fiant
omnia, quæ in domo sunt. Intrabitq; postea, vt consideret lepram domus: & cum viderit in parietibus il-
lius quasi valliculas pallore siue rubore deformes, & humiliores superficie reliqua, egredietur † ad ostiũ do-
mus, & statim claudet illam septem diebus: reuersusq; die septimo, consyderabit eam, si inuenerit creuisse le-
F pram, iubebit erui lapides in quibus lepra est, & proijci eos extra ciuitatem in locum immundum, domum
autem ipsam radi intrinsecus per circuitum, & spargi puluerem rasurę extra vrbem in locum immundum,
lapidesq; alios reponi pro his qui ablati fuerint, & luto alio liniri domum. Sinautem † redierit plaga, & pul-
lulauerit in domo, postquam eruti sunt lapides, & puluis elatus, & alia terra lita, ingressus sacerdos viderit
† creuisse lepram in illa domo, lepra est perseuerans, & immunda domus: quam statim destruent, & lapides
eius ac ligna, atq; vniuersum puluerem proijcient extra oppidum in locum immundum. Qui intrauerit do-
mum quando clausa est, immundus erit vsq; ad vesperum: & qui dormierit in ea, & comederit quippiam, la-
uabit vestimenta sua. Quòd si introiens sacerdos viderit lepram non creuisse in domo, postquam denuo lita
G fuerit, † mundam iudicabit eam, eò quòd sanata sit plaga illa: vt autem purificet illam à peccato sumet duos
passeres, lignumq; cedrinum, & vermiculũ atq; hyssòpum: & immolato vno passere in vase fictili sup aquas
viuas, tollet lignum cedrinum, & hyssòpum & coccum & passerem viuum, & tinget omnia in sanguine pas-
seris immolati, atq; in aquis viuentibus: & asperget domum septies, purificabitq; eam tam in sanguine passe
ris, quam in aquis viuentibus, & in passere viuo lignoq; cedrino & hyssòpo atq; vermiculo. Cumq; dimise-
rit passerem auolare in agrum liberè, † expiabit domum, & mundabitur. Ista est lex omnis † plagæ leprę, &
corrosionis, pro lepra quoq; vestis & domus, pro tumore, pro scabie & pro inflatura candida, vt sciatur: quo
die quid pollutum sit, & quo die mundum: hæc inquam lex est leprę.

SCHOLIA.

[a] Duos passeres.] *Dictio tamen Hebræa nomen est generale auium.* [b] Lignum cedrinũ.] *Ex hyssopo fiebat aspersorium, ligabaturq; ad baculum cedrinum cum filo rubeo, quod appellat Vermiculum, eò quòd lana esset tincta in sanguine cuiusdam vermiculi, quod interpretes interdum vertunt, coccum vermiculi. Tingebatur q; aspersorium hyssopi, non in sanguine solum, sed in sanguine aqua viua permixto, quia non sufficere potuit vnius auiculæ sanguis, pro aspersione, & intinctione alterius auis.* [c] Ac totius corporis pilos.] *Vel, omnes pilos suos, quod additum est secundum Hebræos, propter locum corporis secretiorem.* [d] Sextarium.] *Dicunt Hebræi, Log seu sextarium vigesimã quartam partem esse Sati: Satum autem est tertia pars Ephi, & decem mensuræ Ephi faciunt Vnum Corum. Est igitur Log minima mensura, continens sex ova.* [e] Et super sanguinem.] *Infra dicitur apertius, in loco sanguinis, qui effusus est pro delicto.* [f] Agnum ad oblationem.] *Hoc est, pro hostia delicti ventilanda, & quod paulo post aut, in sacrificium, intelligit libamentum, siue oblationem Minhæ.* [g] Si posuero plagam lepræ.] *Hinc patet, lepram domorum ac vestium, non ex rei natura, vt in homine, nasci, sed ex Dei immissione, idq; solum in terra Chanaan putant.*

CAPVT XV.

LOcutusq; est Dñs ad Moysen & Aaron,dicens.Loquimini filijs Israel, & dicite eis. Vir qui patitur A
fluxum seminis,immundus erit.Et tunc iudicabitur huic vitio subiacere,[a] cum per singula momenta
adhæserit carni eius,atq; concreuerit fœdus humor.Omne stratũ in quo dormierit,immundũ erit, &
vbicunq; sederit.Si quis hominũ tetigerit lectum eius,lauabit vestimẽta sua, & ipse lotus aqua, immundus
erit vsq; ad vesperũ.Si sederit vbi ille sederat,& ipse lauabit vestimẽta sua,& lotus aqua immũdus erit vsque
ad vesperũ.Qui tetigerit carnẽ eius,lauabit vestimẽta sua,& ipse lotus aqua,immundus erit vsq; ad vesperũ.
Si saliuam huiusce modi homo iecerit super eũ qui mundus est,lauabit vestimẽta sua, & lotus aqua immun-
dus erit vsq; ad vesperum.[b] Sagma super quod sederit,immundũ erit: † & quicunq; tetigerit rem aliquam,
quæ sub eo fuit,immundus erit vsq; ad vesperũ.Qui portauerit horum aliquid,lauabit vestimẽta sua,& ipse B
lotus aqua,immundus erit vsq; ad vesperũ.Omnis quẽ tetigerit qui talis est,non lotis ante manibus, lauabit
vestimenta sua:& lotus aqua,immũdus erit vsq; ad vesperũ.Vas fictile quod tetigerit,confringetur: vas autẽ
ligneũ lauabitur aqua.Si sanatus fuerit qui huiusce modi sustinet passionẽ,numerabit septẽ dies † pro emũ-
datione sui,& lotis vestibus & toto corpore in aquis viuentibus,erit mundus:Die aũt octauo sumet duos tur
tures aut duos pullos columbæ,& veniet in conspectum Dñi ad ostium tabernaculi testimonij, dabitq; eos
sacerdoti,qui faciet vnũ pro peccato,& alterum in holocaustum,rogabitque pro eo coràm Dño, vt emũde-
tur à fluxu seminis sui. Vir de quo egreditur[c] † somniale semẽ,lauabit aqua omne corpus suũ, & immũ-
dus erit vsq; ad vesperũ.Vestem & pellẽ † in qua fuerit somniale semẽ,lauabit aqua,& immunda erit vsq; ad C
vesperũ.Mulier cum qua is coierit,lauabitur aqua,& immũda erit vsq; ad vesperũ.[d] Mulier quæ redeũte mẽ
se patitur fluxũ sanguinis,septẽ diebus separabitur. Omnis qui tetigerit eã immũdus erit vsq; ad vesperum:
& locus in quo dormierit vel sederit diebus separationis suæ,polluetur.Qui tetigerit lectũ suum, lauabit ve-
stimenta sua,& ipse lotus aqua immundus erit vsq; ad vesperum.Omne vas † aut stratũ super quod illa sede-
rit & quamlibet rem,quisquis attigerit,lauabit vestimenta sua:& ipse lotus aqua,pollutus erit vsq; ad vespe-
rum.Si coierit cum ea vir † veneritq; immunditia eius super eum,immũdus erit septem diebus : & omne
stratum in quo dormierit,polluetur. Mulier quæ patitur multis diebus fluxum sanguinis non in tempo-
re menstruali,[e] vel quæ post menstruum sanguinem fluere non cessat,quãdiu subiacet huic passioni,immũ- D
da erit quasi sit in tẽpore mẽstruo,omne stratum in quo dormierit, & vas in quo sederit:pollutum erit:qui-
cunq; † aliquid istorum tetigerit immundus erit,lauabit vestimenta sua : & ipse lotus aqua, immundus erit
vsq; ad vesperum.Si steterit sanguis,& fluere cessauerit,numerabit septem dies † & postea mũdabitur,& die
octauo offeret pro se sacerdoti duos turtures, aut duos pullos colũbarum ad ostium tabernaculi testimonij:
qui vnum faciet pro peccato,& alterum in holocaustum,rogabitq; pro ea coràm Domino:& pro fluxu im-
munditiæ eius.Docebitis ergo filios Israel vt caueant immunditias,& non moriantur in sordibus suis, cum
polluerint tabernaculum meum quod est inter vos.Ista est lex eius qui patitur fluxum seminis, & † de quo
egreditur somniale semen in quo polluitur,& quæ mẽstruis temporibus separatur,vel quę iugi fluit sangui-
ne,† siue mas siue fœmina fuerit,& qui iacuerit cum immunda.

SCHOLIA.

[a] Cum per singula momenta.] *Alij verterunt,cum defluit caro eius fœdum humorem,vel signum imprimit carni suæ fluxus ipsius,aut sic fisputrerit caro eius fluxũ suum,aut obturata fuerit caro eius à fluxu suo, & caro hic capitur pro parte pudenda.* [b] Sagma.] *Græca voce interpres vsus est:Hebraica habent,sellam equitatui seruientẽ,vel quemuis equitaturæ apparatum,super quem ascenderit,&c.* [c] Somniale semen.] *Interpres verterat,semen coitus,quia Hebraismus habet,strati semen:hic ergo scriptura loquitur de fœditate,quæ in somno euenire solet,quam Hebræi euentum vocant,quod præter dormientis voluntatẽ occurrat:sin sollicitatione procuretur, Hebræi pro crimine homicidij iudicant.* [d] Mulier,quæ redeunte mẽse.] *Hebraismus habet,mulier si fluxum passa fuerit,fueritq; fluxus eius, sanguis de carne eius. Additurq; de carne eius ad innuendum,quod non omnis sanguinis fluxus mulierem immundam reddit, sed is tantum, qui fluit de loco illo secreto,quem verecundè carnem appellat:feruntautem Hebræi, quo tempore venæ sinistri mulieris lateris sunt apertæ, vim quandam immundam effluere, vt etiam non nisi miseri,& omnino effrenes filij hinc nascantur, si interea mulier conceptui operam dederit. Vnde infra iubetur vir morte puniri,qui dormierit cũ muliere menstrua patiente.* [e] Vel quæ post menstruum.] *Quidam Heb.sic exponit:si fluxum passa fuerit post septenarium menstrui,& ille fluxus maior,atq; copiosior fuerit menstruo sanguine,immunda erit cunctis diebus,quibus sanguis fluxerit, & cum primum cessauerit fluxus, mulier munda iudicabitur,quod in menstruo & partu non fit:nam menstruum tempus regulariter durat per septem dies : vnde si mulier solum prima die fluxum passa fuerit,adhuc alijs sex diebus immunda iudicabitur.*

CAPVT XVI.

LOcutusq; est Dominus ad Moysen post mortem duorum filiorum Aaron, quando offerentes ignem A
alienum interfecti sunt: & præcepit ei dicens. Loquere ad Aaron fratrem tuum, ne omni tempore
ingrediatur sanctuarium, quod est intra velum coràm propitiatorio quo tegitur arca, vt non mo-
riatur,quia in nube apparebo[a] super oraculum,nisi hæc antè fecerit. Vitulum pro peccato offeret, & arie-
tem in holocaustum. Tunica linea † sancta vestietur, seminalibus lineis verenda celabit: accingetur zona
linea,cidarim lineam imponet capiti: hæc enim vestimenta sunt sancta, quibus cunctis, cum lotus fuerit, B
induetur. Suscipietq; ab vniuersa multitudine filiorum Israel duos hircos pro peccato, & vnum arietem
in holocaustum.Cumq; obtulerit vitulum, & orauerit pro se & pro domo sua,duos hircos stare faciet co-
ràm Domino in ostio tabernaculi testimonij : mittensq; super vtrunque sortes, vnam Domino, & alte-
ram capro emissario, cuius exierit sors Domino, offeret illum pro peccato,cuius autem in caprum emissa-
rium, statuet eum viuum coràm Domino, vt fundat preces super eum, & emittat eum in solitudinem.

His

C His ritè celebratis,offeret vitulum,& rogans pro se & pro domo sua, immolabit eum:assumptoq; thuribu-
lo quod de prunis altaris impleuerit,& hauriens manu compositum thymiama in incẽsum, vltra velum in-
trabit in sancta,vt positis super ignem aromatibus coràm Domino,nebula eorum & vapor operiat oraculũ
quod est supra testimonium,& non moriatur.Tollet quoq; de sanguine vituli,& asperget digito † super fa-
ciem propitiatorij ad oriẽtem,& coràm propitiatorio sparget digito suo de illo sanguine septies.Cumq; ma
ctauerit hircum pro peccato populi,inferet sanguinem eius intra velum,sicut præceptum est de sanguine vi Heb.9.d
D tuli,† vt spargat eum super propitiatorium,& coram propitiatorio,[b] & expiet sanctuarium ab immũditijs &.10.a
filiorũ Israel,& à præuaricationibus eorum cunctisq; peccatis.Iuxta hunc ritum faciet in tabernaculo testi-
monij,quod fixum est inter eos in medio sordium habitationis eorum. Nullus hominum sit in taberna- Luc.1.a
culo qñ põtifex sanctuarium ingreditur,vt roget pro se & pro domo sua,& pro vniuerso cœtu Israel, donec
egrediatur.Cum aũt exierit ad altare quod coram Dño est,oret pro se,& sumptũ sanguinem vituli atq; hirci
fundat super cornua eius per gyrum,aspergensq; digito septies,expiet,& sanctificet illud ab immunditijs fi-
E liorum Israel.Postq̃ emundauerit sanctuarium & tabernaculum & altare,tunc offerat hircũ viuentẽ, & po-
sita vtraq; manu super caput eius,confiteatur omnes iniquitates filiorũ Israel,& vniuersa delicta atq; pecca-
ta eorum:quæ[c] † ponens super caput hirci,emittet illum per hominem paratum,in desertum. Cumq; por-
tauerit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam,& dimissus fuerit in deserto, reuertetur Aaron
in tabernaculum testimonij,& depositis vestibus quibus prius indutus erat,cum intraret sanctuarium, reli-
ctisq; ibi,lauabit carnem suam in loco sancto,induturq; vestibus suis.Et postq̃ egressus obtulerit holocau-
F stum suum ac plebis,rogabit tam pro se quàm pro populo:& adipem, qui oblatus est pro peccatis, adolebit
super altare.Ille vero,[d] qui dimiserit caprum emissarium,lauabit vestimenta sua & corpus aqua, & sic ingre
dietur in castra.Vitulum autem & hircum,qui pro peccato fuerant immolati,& quorum sanguis illatus est
in sanctuarium vt expiatio compleretur,asportabunt foras † extra castra,& comburent igni,tã pelles quàm
carnes eorum ac fimum:& quicunq; combusserit ea,lauabit vestimenta sua & carnem aqua, & sic ingredie-
tur castra.Eritq; vobis hoc legitimum sempiternum.[e] Mense † scilicet septimo,decima die mensis affligetis
G animas vestras,nullumq; opus facietis, siue indigena siue aduena qui peregrinatur inter vos.In hac † enim
die expiatio erit vestri atq; mundatio,† & ab omnibus peccatis vestris coram Dño mundabimini : sabbatũ
† sit vobis requietis,& affligetis animas vestras religione perpetua. Expiabit autem sacerdos qui vnctus fue- Infra.23.e
rit,& cuius manus initiatæ sunt vt sacerdotio fungatur pro patre suo:induturq; † vestibus lineis atque san-
ctis,& expiabit sanctuarium † sanctum,& tabernaculi testimonij atq; altare sacerdotes quoq; & vniuersum
populum.Eritq; vobis hoc legitimum sempiternum,vt † is oret pro filijs Israel, & pro cunctis peccatis eorũ
semel in anno.Fecit igitur sicut præceperat Dominus Moysi.

SCHOLIA.

[a] Super oraculum.] *Hoc est propitiatorium.* [b] Et expiet sanctuarum.] *Erat annuatim sanctuarium in festo propitiationis expiandum à sordibus filiorum Israel,nempe quòd multi per annum, immunditia ignoranter contracta, illud sic volluti ingrederentur,aut etiam aliqui,qui malorum sibi conscij erant, & tamen ab ingressu tabernaculi non abstinebant.* [c] Quæ ponens super caput hirci.] *Nempe illius,qui in similitudinem carnis peccati veniens, omnium peccata portauit, qui licet condemnatus fuerit ad mortem, resurgens tamen liber dimissus est.* [d] Qui dimiserit caprum emissarium.] *Alius vertit : qui emisit hircum in Azazel : ferunt autem Azazel montem esse fortissimum in terra deserti, ad quem hircus ille mittebatur.* [e] Mense scilicet septimo.] *Hic est primus mensis anni vulgaris,cadens circa æquinoctium autumnale : porrò per afflictionem animæ intelligitur subtractio omnium rerum,quæ corpori delectabilia sunt,vt est, cibus,potus,vnctio,lotio,&c.*

CAPVT XVII.

A ET locutus est Dñs ad Moysen,dicens.Loquere Aaron & filijs eius & cunctis filijs Israel, dicens ad eos.
Iste est sermo quem mandauit Dominus,dicens. Homo quilibet de domo Israel, si occiderit bouẽ
aut ouem,siue capram in castris vel extra castra,& obtulerit ad ostium tabernaculi oblationem Dño,
sanguinis reus erit:quasi fi sanguinem fuderit,sic peribit de medio populi sui. Ideo sacerdoti afferre debent
filij Israel hostias suas[a] quas occidunt in agro, vt sacrificentur Dño ante ostium tabernaculi testimonij, &
B immolent eas hostias pacificas Domino. Funderq; sacerdos sanguinem super altare Domini ad ostium ta-
bernaculi testimonij,& adolebit adipem in odorem suauitatis Domino, & nequaquam vltrà immolabunt
hostias suas[b] dæmonibus,cum quibus fornicati sunt.Legitimum sempiternum erit illis & posteris eorum,
& ad ipsos dices. Homo de domo Israel & de aduenis qui peregrinantur apud vos, qui obtulerit holocau-
stum siue victimam,& ad ostium tabernaculi testimonij non adduxerit eam, vt offerat Domino, interibit
C de populo suo. Homo quilibet de domo Israel, & de aduenis qui peregrinantur inter vos,[c] si comederit
sanguinem,obfirmabo faciem meam contra animam illius,& disperdam eã de populo suo,quia anima car-
nis in sanguine est:& ego dedi illum vobis,vt super altare meũ expietis pro animabus vestris, & sanguis pro
animæ piaculo sit.Iccircò dixi filijs Israel. Omnis anima ex vobis non comedet sanguinem, nec ex adue-
nis qui peregrinantur apud vos. Homo quicunq; de filijs Israel & de aduenis qui peregrinatur apud vos,
D si venatione atq; aucupio ceperit feram vel auem,quibus vesci licitum est,fundat sanguinem eius,et operat
illum terra:anima enim omnis carnis † sanguis eius est,& pro anima eius est.Vnde dixi filijs Israel. Sangui-
nem vniuersæ carnis non comedetis,quia anima † omnis carnis † sanguis eius est:& quicunque comederit
illum,interibit. Anima quæ comederit morticinum vel captum à bestia, tam de indigenis q̃ de aduenis,
lauabit vestimenta sua & semetipsum aqua,& contaminatus erit vsq; ad vesperum, & hoc ordine, mundus
fiet.Quod si non lauerit vestimenta sua † neq; corpus,portabit iniquitatem suam.

SCHOLIA.

[a] Quas occidunt in agro.] *Quia in Ægypto multa didicerant, quæ ſyncero Dei cultui aduerſabantur, vt erat mactatio pecorum in campo, quæ idololatriæ ſpecie non careb at, ideo Dominus hic præcepit, ne ritum illum deinceps ſeruarent.* [b] Dæmonibus.] *Hebraicus textus propriè habet: capris: ſicut & in Eſaia de capris ſaltantibus fit mentio: vbi, ſicut & hic, pro capro intelliguntur dæmones, qui in modum piloſorum caprorum apparebant cultoribus ſuis.* [c] Si comederit ſanguinem.] *Prohibetur eſus ſanguinis, quem gentiles dæmonibus offerre conſueuerant, præſertim Magi, qui per humanum ſanguinem vocabant, & conciliabant ſibi dæmones: ideo Deus voluit, vt omnis ſanguis puluere tegeretur: quanquam textus aliam ſignat rationem, nempe quòd anima in ſanguine ſit, & propterea ſanguis quoque anima vocari poſſit, vt mox ſubiicitur: anima carnis ſanguis eius eſt, hoc eſt, ſanguis loco animæ eſt. Vt Heb. quidam exponũt. Vel, anima in carne ſine ſanguine viuere non poteſt: animam autem hic pro vita accipe.*

CAPVT XVIII.

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos. Ego ſum Dominus Deus veſter: iuxta conſuetudinem terræ Ægypti in qua habitaſtis, non facietis: & iuxta morem regionis Chanáan ad quam ego introducturus ſum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis. Facietis iudicia mea, & præcepta mea ſeruabitis, & ambulabitis in eis, ego Dominus Deus veſter. Cuſtodite leges meas atque iudicia, quę faciẽs homo, viuet in eis, ego Dominus. Omnis homo ad proximam ſanguinis ſui non accedet, vt reuelet turpitudinem eius: ego Dominus. Turpitudinem patris tui & turpitudinem matris tuæ non diſcooperies. Mater tua eſt, non reuelabis turpitudinem eius. Turpitudinem vxoris patris tui non diſcooperies: turpitudo enim patris tui eſt. Turpitudinem ſororis tuæ ex patre ſiue ex matre quæ domi vel foris genita eſt, non reuelabis. Turpitudinem filię filij tui vel neptis † tuæ non reuelabis: quia turpitudo tua eſt. Turpitudinem filiæ vxoris patris tui, quam peperit patri tuo, & eſt ſoror tua, non reuelabis. Turpitudinem ſororis patris tui non diſcooperies: quia caro eſt patris tui. Turpitudinem ſororis matris tuæ non reuelabis: eò quòd caro ſit matris tuæ. Turpitudinem patrui tui non reuelabis, nec accedes ad vxorem eius quæ tibi affinitate coniungitur. Turpitudinem nurus tuæ non reuelabis, quia vxor filij tui eſt: nec diſcooperies ignominiam eius. † Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis: quia turpitudo fratris tui eſt. Turpitudinem vxoris tuæ & filię eius non reuelabis. Filiam filij eius, & filiam filię illius non ſumes, vt reueles ignominiam eius, † affines enim ſunt, vt nefas eſt: vxorem cum ſorore eius non accipies [a] in æmulationem, nec reuelabis turpitudinem eius adhuc illa viuente. Ad mulierem quæ patitur mẽſtrua non accedes, nec reuelabis fœditatem eius. Cum vxore proximi tui nõ coibis, nec ſeminis cõmixtione maculaberis. De ſemine tuo non dabis vt conſecretur idolo [b] Moloch, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus. Cum maſculo non commiſcearis coitu fœmineo, quia abominatio eſt. Cum omni pecore nõ coibis, nec maculaberis cum eo. Mulier non ſuccumbet iumẽto, nec miſcebitur ei: quia ſcelus eſt. Nec polluamini in omnibus his quibus contaminatæ ſunt vniuerſæ gentes, quas ego eijciam ante conſpectum veſtrum, & quibus polluta eſt terra: cuius ego ſcelera viſitabo, vt euomat habitatores ſuos. Cuſtodite legitima mea atq; iudicia, & non faciatis ex omnibus abominationibus iſtis, tam indigena, quàm colonus qui peregrinatur apud vos. Omnes enim execrationes iſtas fecerunt accolæ terræ, qui fuerunt ante vos, et polluerunt eam. Cauete ergo ne & vos ſimiliter euomat, cum paria feceritis, ſicut euomuit gentem quæ fuit ante vos. Omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi ſui. Cuſtodite mandata mea. Nolite facere † vel vnum ex ſtatutis illis abominabilibus quæ fecerunt hi qui fuerunt ante vos, & ne polluamini in eis: ego Dominus Deus veſter.

Rom. 10.a Ezec. 20.b Gala. 3.b — 3.Re. 18.e

[a] In æmulationem.] *Siue afflictionem. Alludit ad matrimonium Iacob, qui duas habuit viuentes ſorores, quarum vna alteram perpetuò ob maritum æmulabatur. Vnde Hebræi dicunt vnam mortuam prius, quàm Iacob habitaret in terra Chanaan, quòd futurum eſſet, vt lex poneretur de duabus ſororibus non ducendis.* [b] Moloch.] *Perduxerat Satanas gentes ad hanc ſummam crudelitatem, & extremam impietatem, vt proprios filios impellerent in flammas, atq; tranſire et retranſire in media flamma tandiu cogerent, donec ſpiritum exhalarent: per id putantes, Deo magnum & gratum exhibere obſequium.*

CAPVT XIX.

1. Petr. 1.c Infra 23.d Exo. 20.b Deu. 5.b Eccl. 10.a Deut. 24.c Te. 4.c Deute. 1.c 16.d Iacob. 2.a Prou. 24.c 1. Ioan. 2.b 3.c Eccle. 19.b Mat. 18.b Luc. 17.a Matth. 5.g 22.d.c

LOcutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Loquere ad omnẽ cœtum filiorum Iſrael, & dices ad eos. [a] Sãcti eſtote, quia ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Vnuſquiſq; patrem ſuum & matrem ſuã timeat. Sabbata mea cuſtodite: ego Dñs Deus veſter. Nolite conuerti ad idola, nec deos conflatiles faciatis vobis: ego Dominus Deus veſter. Si immolaueritis hoſtiam pacificorum Domino vt ſit placabilis, eo die quo fuerit immolata, comedetis eam: & die altero, quicquid autem reſiduum fuerit in diem tertium, igne cõburetis: ſi quis poſt biduum comederit ex ea, prophana erit & non placebit: portabitq; iniquitatem ſuam qui comederit ex ea, quia ſanctum Domini polluit, & peribit anima illa de populo ſuo. Cumq; meſſueris ſegetes terræ tuæ, † non conſummabis metendo angulum agri tui: nec remanentes ſpicas colliges, neq; in vinea tua racemos & grana decidentia congregabis, ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes: ego Dominus Deus veſter. Non facietis furtum, Non mẽtiemini, nec decipiet vnuſquiſq; proximum ſuũ. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui: ego Dominus. [b] Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eũ. Non morabitur opus mercennarij tui apud te vſq; manè. Non maledices ſurdo, nec coràm cęco pones offendiculum: ſed timebis Dominum Deum tuum, quia ego ſum Dominus. Non facies quod iniquum eſt, † in iudicio. Nõ conſyderes perſonam pauperis, nec honores vultum potentis. Iuſtè iudica proximo tuo. Nõ eris criminator, nec ſuſurro in populis. [c] Non ſtabis contra ſanguinem proximi tui:

A B C D

D tui: ego Dominus. Nõ oderis fratrem tuũ in corde tuo, ſed † argue eũ, ne habeas ſuper illo peccatũ. [d] Non quæras vltionẽ, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuum ſicut teipſum: ego Dñs. Leges meas cuſtodite. Iumenta tua non facies coire cũ alterius generis animantibus. Agrum tuum nõ ſeres diuerſo ſemine. [e] Veſte, quæ ex duobus texta eſt, nõ indueris. Homo ſi dormierit cum muliere coitu ſeminis, quæ ſit ancilla † ſed viro addicta, & tamẽ pretio nõ redempta, nec libertate donata: † loro taurino [f] ipſa E vapulabit, & non morientur, quia nõ fuit libera: pro delicto autẽ ſuo ipſe offeret Dño ad oſtium tabernaculi teſtimonij arietem, orabitq; pro eo ſacerdos & pro peccato eius † per arietem, qui eſt pro delicto coram Dño & repropitiabitur ei, dimitteturq; peccatum. Quãdo ingreſſi fueritis terrã, & plãtaueritis in ea ligna pomifera, [g] † dimittetis preputiũ cuiuslibet vnà cum fructu eius: tribus annis erunt vobis in preputio, nec edentur. Quarto autem anno omnis fructus eorũ ſanctificabitur laudabilis Dño. Quinto autẽ anno come- F detis fructus, congregantes poma quæ proferunt: ego Dñs Deus veſter. [h] Non comedetis cum ſanguine. Non augurabimini, nec obſeruabitis, tempora [i] neq; in rotundũ attondebitis comam, nec radetis barbam. Et ſuper mortuo non incidetis carnes veſtras, neq; figuras aliquas, aut ſtigmata facietis vobis: ego Dñs. Ne proſtituas filiã tuam, ne contaminetur terra, & impleatur piaculo. Sabbata mea cuſtodite, & ſanctuarium meum metuite: ego Dñs. Non declinetis ad magos, nec ab ariolis aliquid ſciſcitemini, vt polluamini p eos: G ego Dñs Deus veſter. Coràm cano capite conſurge, & honora perſonam ſenis: & time Dñm Deum tuum: ego ſum Dominus. Si habitauerit aduena in terra veſtra, & moratus fuerit inter vos, non exprobretis ei, ſed ſit inter vos quaſi indigena, & diligetis eũ quaſi voſmetipſos: fuiſtis enim & vos aduenę in terra Ægypti: ego Dñs Deus veſter. Nolite facere iniquum aliquid in iudicio, in regula, in pondere, in menſura. Statera iuſta, & æqua ſint pondera, iuſtus modius, æquusq; ſextarius: ego Dominus Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti. Cuſtodite omnia præcepta mea, & vniuerſa iudicia, & facite ea: ego Dominus.

Rom. 13.c Gala. 5.c Iacob 2.b — Exod. 22.c

SCHOLIA.

[a] Sancti eſtote.] *Hoc eſt, ſegregati ab immundicijs & abominationibus prædictis.* [b] Non facies calumniã.] *Hoc eſt, depoſitum non negabis, mercedem debitam non ſuſpendes, & rem commodatam non ſubtrahes.* [c] Non ſtabis contra ſanguinem.] *Heb. ſic interpretantur, non ſtabis iuxta ſanguinem proximi tui, vt ſcilicet videas eum innocenter occidi, à beſtia lacerari, aut in aqua ſubmergi.* [d] Non quæras vltionem.] *Vlciſcitur, qui par pari refert proximo ſuo, memor eſt iniuriæ, qui petitus præſtat quidem officium ſuum, ſed obycit tamen acceptam iniuriam.* [e] Veſtem.] *Ferunt & quidam Rabini præceptum hoc non carere myſterio: nam per hoc ſignificari, non debere in populo Dei eſſe mixturam, ſed vnitatẽ, perfectamq; concordiam. Sicut enim Deus noluit ſpecies rerum permiſceri & confundi, ſic nec homines eiuſdem fidei vult diuerſum ſentire.* [f] Ipſa vapulabit.] *Vocem tamen Hebræam, quidam interpretãtur. In dimiſſionem erit.* [g] Dimittetis præputium.] *Iubẽtur arbores vſq; ad finẽ tertij anni, tanquã immũdæ relinqui in ſuo præputio, fructus verò quarti anni Domino conſecratus eſt, comedeturq; à ſacerdotibus.* [h] Non comedetis ſuper ſanguine.] *Hoc eſt, de carne, cuius ſanguis nondum fuſus eſt. Alij verò ſic exponunt. Non comedetis in loco, vbi de ſanguine humano fundendo tractatur.* [i] Neq; in rotundum.] *De attonſione capitis ita Hebræi ſentiunt. Anguli capitis (nam quidam ſic verterunt) id eſt, tempora, nõ ſic ſunt tondenda poſt aures, vt eorum raſura fronti æquetur, & caput ſphæræ habeat figuram: nec anguli barbæ ſint perdẽdi, ſeu diſſipandi, vt ſcilicet iuxta vtrunq; rictum pilos tollas, & in mento nutrias, vbi finis eſt barbæ. Hos omnes ritus gentiles ſeruabant, ſicut & inciſionem faciebant pro mortuo, digitis & inſtrumentis lacerantes carnem ſuam, vſq; ad ſanguinis effuſionem. Prohibentur & notæ fieri in corpore more gentilium, qui ſciſſuras & ſculpturas in carne ſua faciebant, literarũ figuras præ ſe ferentes, deinde eaſdem colore aliquo oppleban t, vt cicatrices illæ ſemper videri poſſint.*

CAPVT XX.

A LOcutusq; eſt Dñs ad Moyſen dicens. Hæc loqueris filijs Iſrael. Homo de filijs Iſrael, & de aduenis qui habitant in Iſrael, ſi quis dederit de ſemine ſuo idolo Moloch, morte moriatur: populus terræ lapidabit eum, & ego [a] ponam faciẽ meam contra illũ, ſuccidamq; eum de medio populi ſui, eò quòd dederit de ſemine ſuo Moloch, & cõtaminauerit ſanctuarium meũ, ac pollucrit nomẽ ſanctũ meum. Quòd ſi negligens populus terræ, & quaſi paruipẽdens imperium meũ, dimiſerit hominẽ qui dedit de ſemine ſuo Moloch, nec voluerit eum occidere: ponam faciẽ meam ſuper hominẽ illum, & cognationem eius, ſuccidamq; & ipſum, & oẽs qui conſenſerũt ei vt fornicaretur cum Moloch, de medio populi ſui. Anima quæ declinauerit [b] ad magos & ariolos, & fornicata fuerit cum eis, ponã faciem meã contra eã, & interficiã illam de me- B dio populi ſui. Sanctificamini & eſtote ſancti, qa † ego ſum Dñs Deus veſter. Cuſtodite præcepta mea, & facite ea: ego Dñs qui ſanctifico vos. Qui maledixerit patri ſuo, aut matri, [c] morte moriatur: patri matriq; qui maledixerit, ſanguis eius ſit ſuper eum. Si mœchatus quis fuerit cum vxore alterius, & adulterium perpetrauerit cũ coniuge proximi ſui, morte moriantur & mœchus, & adultera. Qui dormierit cum nouerca ſua, & reuelauerit ignominiã patris ſui, morte moriãtur ambo: ſanguis eorum ſit ſuper eos. Si quis dormierit cũ nuru ſua, vterq; moriatur, qui ſcelus operati ſunt: ſanguis eorum ſit ſuper eos. Qui dormierit cũ maſculo coitu fœmineo, vterq; operatus eſt nefas, morte moriãtur: ſit ſanguis eorum ſuper eos. Qui ſupra vxo- C rem filiam, duxerit matrẽ eius, ſcelus operatus eſt: viuus ardebit cũ eis, nec permanebit tantũ nefas in medio veſtri. Qui cũ iumento & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoq; occidite. Mulier quæ ſuccubuerit cuilibet iumento, ſimul interficietur cũ eo: ſanguis eorũ ſit ſuper eos. Qui acceperit ſororẽ ſuam filiã patris ſui, vel filiã matris ſuæ, & viderit turpitudinẽ eius, illaq; cõſpexerit fratris ignominiam: nefariam rẽ operati ſunt, occidentur in conſpectu populi, eò q turpitudinẽ † ſororis ſuæ reuelauerit, & portabunt iniquitatem ſuã. Qui coierit cum muliere in fluxu mẽſtruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipſaq; aperuerit fontẽ ſanguinis ſui, interficiẽtur ambo de medio populi ſui. Turpitudinẽ materteræ, & amitæ tuæ nõ diſcooperies: qui hoc fecerit, ignominiã carnis ſuę nudauit, portabũt ambo iniquitatẽ ſuã. Qui coierit cũ vxore patrui,

Supra 18.c — 1.Petr.1.c Exod. 21.c Prou. 20.c Mat. 15.a Mar. 7.b Ioan. 8.a Deut. 22.d

vel auunculi ſui,& reuelauerit ignominiam cognationis ſuę,portabunt ambo peccatū ſuū:abſq; liberis morientur. Qui duxerit vxorē fratris ſui,rem facit illicitā,turpitudinē fratris ſui reuelauit: [d] abſq; liberis erūt. D
Cuſtodite leges meas,atq; iudicia,& facite ea,ne & vos euomat terra,quā intraturi eſtis & habitaturi. Nolite ambulare in legitimis nationū,quas ego expulſurus ſum ante vos. Omnia enim hęc fecerunt, & abominatus ſum eas. Vobis aūt loquor. Poſsidete terrā eorū,quā dabo vobis in hęreditatē, terrā fluētē lacte & melle:ego Dominus Deus veſter,qui ſeparaui vos à cæteris populis, Separate ergo & vos iumentum mundū ab immundo,& auem mundam ab immunda,ne polluatis animas veſtras in pecore & auibus, & cunctis, quæ † reptant in terra,& quę vobis oſtendi eſſe polluta. Eritis mihi ſancti.quia ſanctus ſum ego Dominus, & ſeparaui vos à cęteris populis,vt eſſetis mei. Vir ſiue mulier,in quibus Pythonicus,vel diuinationis fuerit ſpiri
Deut. 18.b
1.Re. 28.b
tus, morte moriantur, lapidibus obruent eos:ſanguis eorum ſit ſuper illos.

SCHOLIA.

[a] Ponam faciem meam.] *Capitur facies in Hebraiſmo ſæpe pro furore,&c.* [b] Ad magos.] *Alius vertit. Pythones,nempè à Pythia: nam mulierem Apollinis ſacerdotem ita appellabant,ex cuius pudendis impudens dæmon reſponſa dediſſe dicitur. Secundum Hebræos verò,qui habet Pythonem,vocare ſolet mortuum, qui inter Magi illius fœmora, vel inter axillas in locis immundis appareat,loquens voce ſubmiſſa,quaſi vox illa, ex profunda aſcenderet terra. Eſt & alia Pythonis ſpecies,nempè quòd cranium mortui conſulitur,& reſponſum inde quæritur. Hæc Hebræi. Hariolos verò dicunt eſſe, qui os cuiusdam animantis inter dentes ponunt,& mira loquuntur per ipſum.* [c] Morte moriatur.] *Ponunt Hebræi regulam, quando genus interfectionis non exprimitur, quod ſemper intelligendum ſit de ſtrangulatione. Habent autem quatuor genera interfectionis, lapidationem, combuſtionem,ſtrangulationem,& decollationem,ſeu percuſſionem cum gladio, inter quæ ſtrangulatio leuius mortis genus eſſe dicitur, acerbiſsimum autem lapidatio.* [d] Abſque liberis morientur.] *Differunt orbitas, & exterminatio, exterminatio enim refertur ad perſonam tantum, vt cum quis moritur prius,quàm impleuerit dies vitæ ſuæ,Orbitas autem eſt, cum quis hinc migrat,nullis poſt ſe relictis liberis, quia vel ante eum mortui ſint, vel nullos generare potuerit.*

CAPVT XXI.

A DIxit quoq; Dominus ad Moyſen.Loquere ad ſacerdotes filios Aaron,& dices ad eos. Ne contaminetur ſacerdos in mortibus ciuium ſuorum,[a] niſi tantū in conſanguineis,ac propinquis,id eſt,ſuper patrem & matrē & filiū & filiam,fratrem quoq; [b] & ſororem virginem,quę non eſt nupta viro,ſed nec in principe populi ſui contaminabitur. Non radent caput,nec barbam,neq; in carnibus ſuis facient inciſuras. Sancti erunt Deo ſuo,& non polluent nomen eius. †[c] Oblationes enim Dñi, † panē Dei ſui offerunt, & ideo ſancti erunt. [d] Scortum,& † mulierem prophanam nō ducet vxorem,nec eam, quæ repudiata eſt à marito:quia conſecratus eſt Deo ſuo,[e]† ſanctificabis itaq; eum,quia panes Dei tui offert, ideo ſanctus erit tibi, B
quia & ego ſanctus ſum Dominus,qui ſanctifico vos. [f] Sacerdotis filia deprehenſa ſi fuerit in ſtupro,& violauerit nomen patris ſui,flammis exuretur. Pontifex,id eſt ſacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctiōis oleū,& cuius manus in ſacerdotio cōſecratę ſunt,veſtitusq; eſt ſanctis veſtibus, caput ſuum [g] non diſcooperiet,veſtimēta ſua nō ſcindet, & ad omnē mortuū non ingredietur omnino: ſuper patre quoq; ſuo,& matre non cōtaminabitur,nec egredietur de † ſanctuario,ne polluat ſanctuarium Dei ſui,
Ezc. 44.f
quia † corona olei ſanctæ vnctionis Dei ſui ſuper eū eſt:ego Dñs. Virginem ducet vxorē: viduā autem & repudiatam,& † prophanā atq; meretricem nō accipiet:ſed † virginē de populo ſuo, ne cōmiſceat ſtirpē generis ſui vulgo gentis ſuę:quia ego Dñs,qui ſanctifico eum. Locutusq; eſt Dñs ad Moyſen,dicens. Loquere ad Aaron. Homo de ſemine tuo per familias ſuas qui habuerit [h] maculam,non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius:ſi cęcus fuerit,ſi claudus,† aut depreſſum habens naſum, aut improportionata mēbra,ſi fracto pede,ſi manu,ſi gibbus,ſi lippus,ſi albuginē habēs in oculo,ſi iugem ſcabiem, ſi impetiginē in
corpore,vel [i] herniоſus. Omnis qui habuerit maculā de ſemine Aaron ſacerdotis,non accedet offerre hoſtias D
Domino,nec panes Deo ſuo:† panem Dei ſui de ſanctis ſanctorum & de ſanctis comedat,ita duntaxat,vt ad velum nō accedat,† nec accedat ad altare,quia maculam habet,& contaminare nō debet ſanctuarium meū. Ego Dominus,qui ſanctifico eos. Locutus eſt ergo Moyſes ad Aaron,& ad filios eius, & ad omnē Iſrael cuncta,quæ fuerant ſibi imperata.

SCHOLIA.

[a] Niſi tantum in conſanguineis.] *Intellige de ſacerdotibus minoribus, nam ſummo ſacerdoti id non licebat, vt paulo poſt dicetur,cum is iugiter in cultu Dei occuparetur,et nullus alius illi æqualis eſſet,qui officium eius exequeretur, quo tēpore immunditiem contraxiſſet.* [b] Et ſororē virginem.] *Vide quantum tribuatur virginitati.* [c] Oblationes enim Domini.] *Hoc eſt,oblationes Domini offerunt,quæ velut panes Dei ſunt.* [d] Scortum.] *Vel, mulierem fornicariam,quæ ſcilicet fornicata eſt ſub marito ſuo,non ſua ſponte,quia tunc lapidanda erat,ſed quæ vim paſſa eſt, hæc ſacerdotibus prohibetur,ſed non marito ſuo. Porrò prophanam dicunt eſſe,quæ nata eſt ex repudiata à ſacerdote.aut quæ ex paganiſmo conuerſa eſt ad Iudaiſmum,aut quæ errore,ab alio,quàm ſuo marito cognita eſt,aut quæ libertate donata eſt.* [e] Sanctificabis itaque eum.] *Hoc eſt,ſi ille prophanis rebus ſeſe immiſcere voluerit,tu non ſuſtinebis,ſed coges eum,vt ſanctus ſit, & ſequeſtratus ab immunditys.* [f] Sacerdotis filia.] *Obſeruat hunc locum Chryſoſtomus in libro περὶ τῆς ἱερωσύνης dicens per hoc doceri nos,quanto ſint grauiora ſacerdotum peccata,quorum contemplatione dignitatis, etiam filiæ delinquentes tam grauiter puniantur.* [g] Non diſcooperiet.] *Hoc eſt,morem lugentium non ſeruabit, qui nutriunt comam capitis ſui, & ex promiſſo illo capillo,quodam modo videntur diſcooperire caput,ſic quidam Heb.exponunt hunc locum. De hoc ſuperius diximus.*
[h] Maculam.] *Per maculam intellige vitium aliquod corporale extra apparens,ſiue illud ſit medicabile,ſiue immedicabile; illud enim impedit ſacerdotem à miniſterio. Secus ſi macula illa intra hominem fuerit,vt ſi ſauciata eſſent viſcera,id non impedit. Numerant autem Hebræi,centū & quadraginta maculas, quæ in corpore hominis & membris eius inueniri poſſunt, quæ*

quæ ſingulæ ſacerdotem ineptum reddunt ad miniſterium altaris. In capite inueniuntur octo,in collo duæ,in auribus duodecim,in palpebris & ſupercilijs quindecim,in oculo decem & nouem,in naſo ſex,in labijs & ore nouem,in ventre tres, in dorſo tres,in membris genitalibus ſexdecim, in manibus & pedibus duodecim, in cruribus quindecim,& in toto corpore quatuor. [i] Herniоſus.] *Alius vertit,contrito teſticulo.*

CAPVT XXII.

A LOcutus quoq; eſt Dominus ad Moyſen,dicens. Loquere ad Aaron & ad filios eius, vt caueant [a] ab his, quæ conſecrata ſunt filiorum Iſrael,& non contaminent nomen † ſanctum meum in ijs, quæ ſanctificant mihi:ego Dominus dic ad eos: quicunque in generationibus veſtris acceſſerit de ſtirpe veſtra ad ea,quæ conſecrata ſunt,& quæ obtulerunt filij Iſrael Domino,in quo eſt immunditia, peribit coràm Domino:ego ſum Dominus. Homo de ſemine Aaron qui fuerit leproſus,aut patiens fluxum ſeminis, non veſcetur de his,quæ ſanctificata ſunt mihi,donec ſanetur. Qui tetigerit immundū ſuper mortuo, & ex quo egreditur † ſemen ſomniale,& qui tangit reptile, vnde immundus fieri poteſt, aut hominem, à quo immunditiam contrahere poteſt,iuxta omnem illius immunditiam, immundus erit vſq; ad veſperum, & non veſcetur his,quæ ſanctificata ſunt:ſed cum lauerit carnem ſuam aqua, & occubuerit ſol, tunc mundatus veſcetur
B de ſanctificatis,quia cibus illius eſt. Morticinum & captum á beſtia non comedent, nec polluētur in eis: ego
Exod.22.d
ſum Dominus. Cuſtodiant præceptum meum,vt non ſubiaceant peccato & moriantur † [b] ob ipſum, cū pol
Ezc.44.g
luerint illud:ego Dominus qui ſanctifico eos. Omnis alienigena non comedet de ſanctificatis, inquilinus facerdotis,& mercenarius non veſcentur ex eis: quem autem ſacerdos emerit, & qui vernaculus domus eius fuerit,hi comedent ex eis:ſi filia ſacerdotis † viro alieno nupta fuerit:de † oblatione ſanctificatorum nō veſcetur,ſinautem vidua,vel repudiata,& abſq; liberis reuerſa fuerit ad domum patris ſui: ſicut puella conſueuerat,aletur cibis patris ſui. Omnis alienigena comedendi ex eis non habet poteſtatem. Qui comederit de ſanctificatis per ignorantiam,addet quintam partem cum eo quod comedit,& dabit ſacerdoti † [c] cū ſanctificato. Nec contaminabunt ſanctificata filiorum Iſrael,quæ offeruntur Domino:ne fortè ſuſtineant iniquita-
C tem delicti ſui, cum ſanctificata comederint: ego Dominus qui ſanctifico eos. Locutusq; eſt Dominus ad Moyſen,dicens. Loquere ad Aaron, & filios eius, & ad omnes filios Iſrael, diceſq; ad eos. Homo de domo Iſrael, & de aduenis qui habitant apud vos,qui obtulerit oblationem ſuam, vel tota ſoluens, vel ſponte offerens, quicquid illud obtulerit in holocauſtum Domini, † pro reconciliatione veſtra, maſculus immaculatus erit ex bobus, & ex ouibus,& ex capris: ſi maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.
Deut. 15.d
Ecc1.35.b
Homo qui obtulerit victimam pacificorum Domino, vel vota ſoluens, vel ſponte offerens,tam de bobus, quàm de ouibus, immaculatum offeret,vt acceptabile ſit:omnis macula non erit in eo. Si cæcum fuerit, ſi fractum, [d] ſi cicatricem habens,ſi papulas,aut ſcabiem,aut impetiginem:non offeretis ea Domino,nec adolebitis ex eis ſuper altare Domini. Bouem & ouem † [e] excedentes in membris, voluntariè offerre potes, vo-
D tum autem ex ijs ſolui non poteſt. Omne animal quod [f] † vel compreſsis, vel contuſis,vel eneruatis,vel exectis teſticulis eſt, non offeretis Domino, & in terra veſtra † omnino ne faciatis. [g] De manu alienigenę non offeretis panes Deo veſtro, † de omnibus iſtis quia corrupta,& maculata ſunt, & ideo non placabilia vobis erunt. Locutusq; eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Bos, ouis,& capra cum genita fuerint,[h] † ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuę:die autem octauo,& deinceps † grata erunt Domino in oblationem. Siue † bos, ſiue ouis, non immolabuntur vna die cum fœtibus ſuis. Si immolaueritis hoſtiam pro gratiarum actione Domino,vt † vobis poſsit eſſe placabilis † offeretis:eodem die comedetis eam,non remanebit quicquam in manè alterius diei:ego Dominus. Cuſtodite mandata mea, & facite ea:ego Dominus. Ne polluatis nomen meum ſanctum,vt ſanctificer in medio filiorum Iſrael:ego Dominus, qui ſanctifico vos, & eduxi de terra Ægypti,vt eſſem vobis in Deum:ego Dominus,

SCHOLIA.

[a] Ab ijs,quæ conſecrata ſunt.] *Quæ enim Domino ſunt oblata à filijs Iſrael,à ſolis mundis ſacerdotibus comedi iubentur,& iubentur ab ijs abſtinere immundi ſacerdotes.* [b] Ob ipſum cum polluerint illud.] *ob ipſum, hoc eſt propter ſanctum,quod immundi comederint.* [c] Cum ſanctificato.] *Hoc eſt,cum æquiualenti illius,quod comedit.* [d] Si cicatricem habens.] *Alius vertit ſciſſuram,quod ſcilicet habet,vel labium, vel palpebram ſciſſam.* [e] Excedentes in membris.] *Menſuram membrorum æquam non habentes diem, vel maiora, vel minora ſunt membra.* [f] Vel compreſsis.] *Hoc eſt, quocunque pacto vis generandi in animali debilitetur,animal illud non erit idoneum ſacrificio Domini.* [g] De manu alienigenæ non offeretis panes.] *Vocat ſcriptura plerunque ſacrificia panem & cibum Dei, præſertim ea, quæ ignis abſumebat. Et capitur hic alienigena pro gentili,ſeruante præcepta filiorum Noe,quæ ſeptem numerantur: nempè ſeruare iudicium publicum,benedicere Deum,cauere ab inceſtu proximorum,abſtinere ab effuſione humani ſanguinis, atque à rapina, non tollere membrum ab animali viuente, & idola non colere. Ab iſtis quoque ſacerdos, non debebat accipere animalia in membris genitalibus mutilata,quæ offerret Domino.* [h] Septem diebus.] *Cur antè octauum diem nullum animal offerri deberet,hanc afferunt rationem,quòd in ſeptem diebus Deus perfecerit cœlum & terram & omnem ornatum eorum, & creatura,quæ ſeptem vixit diebus,iam perfecta eſſe videatur,cum per integrum vixerit ſæculum: vnde, et Deus prohibuit antè octauum diem fieri circunciſionem.*

CAPVT XXIII.

A LOcutusq; eſt Dominus ad Moyſen,dicens. Loquere filijs Iſrael, & dices ad eos. Hæ ſunt feriæ Domini, quas vocabitis † conuocationes ſanctas, hæ inquam ſolennitates meæ. Sex diebus facietis opus: dies ſeptimus,quia ſabbati requies eſt, † conuocatio eſt ſancta,omne opus non facietis in eo: ſabbatum Domini eſt in cunctis habitationibus veſtris. Hæ ſunt ergo feriæ Domini ſanctæ,quas celebrare debetis temporibus ſuis. Menſe primo, quartadecima die menſis ad veſperum, phaſe Domini eſt: & quintadecima

Exod. 12.c Num.28.c ma die mensis huius solennitas azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis: dies primus erit B vobis † conuocatio sancta:omne opus seruile non facietis in eo, sed offeretis [a] sacrificium † ignitum Domino septem diebus:dies autem septimus erit † conuocatio sancta,nullumq; seruile opus facietis in eo. Locutusq; est Dominus ad Moysen,dicens.Loquere filijs Israel,& dices ad eos. Cum ingressi fueritis terram quã ego dabo vobis, & messueritis segetem, feretis manipulos spicarum primitias messis vestræ ad sacerdotem: [b] qui eleuabit fasciculum coràm Domino,vt acceptabile sit pro vobis [c] altero die sabbati,& † eleuabit illum sacerdos,atq; in eodem die quo manipulus consecratur, cedetur agnus immaculatus anniculus in holocaustum Domini,& libamenta: offerentur cum eo duæ decimæ similæ conspersæ oleo in incensum Domini, C odoremq; suauissimum: † libatio quoque vini quarta pars hin. † Et nullum panem, neque tosta, aut cocta grana,neque spicam teneram comedetis vsq; ad diem qua offeretis ex ea Deo vestro. Præceptum est sempiternum in generationibus,cunctisq; habitaculis vestris. Numerabitis ergo ab altero die sabbati in quo obtulistis manipulum primitiarum [d] septem hebdomadas plenas,vsq; ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ,id est quinquaginta dies:& sic offeretis sacrificium nouum Domino ex omnibus habitaculis vestris, panes primitiarum duos de duabus decimis similæ fermentatæ, quos coquetis in primitias Domini. Offeretisq; cum panibus septem agnos immaculatos anniculos, & vitulum de armento vnum, & arietes D duos,& erunt in holocaustum † cum oblationibus & libamentis suis, vt sint sacrificium ignitum, in odorẽ suauissimum Domino.Facietis & hircum pro peccato,duosq; agnos anniculos hostias pacificorum.Cumq; eleuauerit eos sacerdos cum panibus primitiarum coràm Domino,cedent in vsum eius. Et vocabitis hunc diem † vt sit vobis conuocatio sancta:omne opus seruile non facietis in eo. Legitimum sempiternum erit
Supr. 19.b in cunctis habitaculis, & generationibus vestris. Postquam autem messueritis segetem terræ vestræ, non secabitis eam vsque † in angulum agri: nec remanentes spicas colligetis,sed pauperibus & peregrinis dimittetis eas:ego sum Dominus Deus vester. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Loquere filijs Israel. E
Supr. 16.g Num.29.b Mense septimo prima die mensis erit vobis sabbatum [c] memoriale † clangoris conuocatio sancta: omne opus seruile non facietis in eo,& offeretis holocaustum Domino. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens.Decimo die mensis huius septimi,dies expiationum erit,† ideo cõuocatio sancta erit vobis, affligetisq; animas vestras in eo,& offeretis holocaustũ Domino: omne opus seruile non facietis in tempore diei huius, quia dies propitiationis est,vt propitietur vobis Dominus Deus vester. Omnis anima, quæ afflicta nõ fuerit die hac,peribit de populis suis:& quæ operis quippiam fecerit delebo eam de populo suo. Nihil ergo operis facietis in eo:legitimum sempiternum erit vobis in cunctis generationibus, & habitationibus vestris:sabba F tum requietionis est,& affligetis animas vestras die nono mensis † in vespera: à vespere vsq; ad vesperum celebrabitis sabbata vestra. Et locutus est Dominus ad Moysen,dicens.Loquere filijs Israel. A quintodecimo die mensis huius septimi erunt feriæ tabernaculorum septem diebus Domino: † die primo conuocatio sancta est,omne opus seruile nõ facietis in eo,& septem diebus offeretis holocausta Domino: † & in die octauo erit vobis conuocatio sancta,& offeretis holocaustum Domino:est enim [f] cœtus: † omne opus seruile non facietis in ea. Hæ sunt feriæ Domini,quas vocabitis † conuocationes sanctas,vt offeratis in eis ignita sacrificia Domino,holocaustum,oblationem,sacrificium pacificorum,et libamina iuxta ritum vniuscuiusq; diei, G exceptis sabbatis Domini,donisq; vestris,& quæ offeretis ex voto,vel quæ sponte tribuetis Domino.A quintodecimo ergo die mensis septimi, quando congregaueritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis feriasDomini septem diebus. Die primo & die octauo erit sabbatum, id est requies. Sumetisq; vobis die primo fructus arboris pulcherrimæ,spatulasq; palmarum,& ramos ligni densarum frondium,& salices de torrente,& lætabimini coràm Domino Deo vestro:celebrab[illegible]nitatem eius septem diebus per annum:legitimum sempiternum erit in generationibus vestris [illegible]timo festa celebrabitis,& habitabitis in vmbraculis septem diebus.Omnis qui de genere est Isr[illegible] in tabernaculis, vt discant posteri vestri, q in tabernaculis habitare fecerim filios Israel,cum [illegible]m eos de terra Ægypti:ego Dominus Deus vester. Locutusq; est Moyses super solennitatibus Domini ad filios Israel.

SCHOLIA.

[a] Sacrificium ignitum.] *Vel,vt verterat interpres,sacrificium in igne.* [b] Qui eleuabit.] *Vel,ventilabit. Dicunt Hebræi,ventilationem illam,quæ in omnes plagas fiebat, significare represionem, & expulsionem malorum spirituum.* [c] Altero die sabbati.] *Hoc est,sequenti die:non accipitur enim hic sabbatũ pro septimo illo die. Creditur hunc diem fuisse illum,qui festum phase sequeretur,& quem Lucas appellat sabbatum secundo primum. In Heb.est.In crastinum sabbati.* [d] Septem hebdomadas.] *Hebraismus habet,septem sabbata,hinc est,quòd Hebræi dicunt,prima sabbati, secunda sabbati,& illud, ieiunio bis in sabbato.* [c] Memoriale clangoris.] *Ferunt clangorem illum memoriale fuisse legationis Isaac: vnde & in ietino cornu vtebantur in ea solennitate. Et quia Iobel significat cornu arietinum, hinc ipsa quinquagesimi anni solennitas appellata est Iubileus.* [f] Cœtus est.] *Alius vertit. Retentio est,& intelligunt retentionem, quia transactis solennitatis septem diebus,populus adhuc vno die retinebatur.*

CAPVT XXIIII.

ET locutus est Dominus ad Moysen, dicens. Præcipe filijs Israel, vt afferant tibi oleum de oliuis purissi A
mum ac † contusum,ad concinnandas lucernas iugiter. Extra velum testimonij in tabernaculo fœderis,ponet eas Aaron à vesperè vsque in manè coram Domino, cultu rituq; perpetuo in generationibus vestris.Super candelabrum mundissimum ponentur semper in conspectu Domini. Accipies quoque similam, & coques ex ea [a] duodecim panes, qui singuli habebunt [b] duas decimas:quorum senos altrinsecus [c] super mensam purissimam coram Domino statues,& pones super † ordinem illum thus lucidissimum, vt B
sit panis in monimentum oblationis Domini. Per singula sabbata mutabuntur coràm Domino susceptiàfilijs

à filijs Israel fœdere sempiterno:eruntq; Aaron & filiorum eius,vt comedant eos in loco sancto, quia sanctũ sanctorum est † ei de sacrificijs Domini iure perpetuo. Ecce autem egressus filius mulieris Israelitidis, quẽ pepererat de viro Ægyptio inter filios Israel,iurgatus est in castris cum viro Israelite. [d] Cumq; blasphemasset nomen Domini & maledixisset, † adductus est ad Moysen. Vocabatur autem mater eius Salumith filia
C Dabri de tribu Dan. Miseruntq; eum in carcerem, donec nossent quid iuberet Dominus. Qui locutus est ad Moysen,dicens. Educ † maledicum extra castra,& ponant omnes,qui audierunt, manus suas super caput eius,& lapideteum populus vniuersus.Et ad filios Israel loqueris. Homo qui maledixerit Deo suo,portabit peccatum suum:& qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur: lapidibus opprimet eum omnis multitudo,siue ille ciuis siue peregrinus fuerit. Qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur.
Qui percusserit & occiderit hominem,morte moriatur. Qui percusserit animal,reddet vicarium, id est ani
D mam pro anima. [e] Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum: sicut fecit,sic fiet ei, fracturampro Exod.21.b
fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet: qualem inflixerit maculam, talem sustinere cogetur. Qui percusserit iumentum reddet aliud. Qui percusserit hominem,† interficietur.Æquum iudicium sit inter vos,siue peregrinus siue ciuis peccauerit:quia ego sum Dominus Deus vester. Locutusq; est Moyses ad filios Israel,& eduxerunt eum qui blasphemauerat,extra castra,ac lapidibus oppresserunt. Feceruntq; filij Israel sicut præceperat Dominus Moysi.

Matt. 5.f Exo. 19.d Deut.21.c

SCHOLIA.

[a] Duodecim panes.] *Alij verterunt,placentas.* [b] Duas decimas.] *Hoc est, duas partes de decem partibus, mensuram Ephi constituentibus.* [c] Super mensam purissimam.] *Quæ scilicet facta est de auro puro.* [d] Cumq; blasphemasset.] *In Hebr. non est illa vox Domini, sed sic. Cumq; blasphemasset nomen. Quod factum est ob reuerentiam.Ferunt Hebr.virum illum, diuinum illud sacrum nomen literis suis explicuisse,deinde maledixisse. Suntq; inter eos, qui putent, eũ filium fuisse illius viri, quem Moses in Ægypto interfecit,quodq; Deum primò blasphemauerit, deinde Mosi maledixerit, volens vlcisci mortem patris sui. Deus vero, cui sui cura sunt,magis voluit vlcisci iniuriam Mosis, quam propriam contumeliam,ideo dixit,educ maledicum,& non dixit,educ blasphemum. Sic paulo post tulit legem dicens: qui maledixerit Deo suo,id est,maiori suo,& non ait absolutè,Deo:deinde adiecit,& qui blasphemauerit nomen Domini,&c.* [e] Qui irrogauerit maculam.] *Capitur macula pro læsura corporis.*

CAPVT XXV.

A LOcutusq; est Dominus ad Moysen in monte Sinai,dicens.Loquere filijs Israel,& dices ad eos. Quando ingressi fueritis terram quam ego dabo vobis,sabbatizet sabbatum Domino. Sex annis seres agrũ tuum,& sex annis putabis vineam tuam, colligesq; fructus eius: septimo autem anno sabbatum erit terræ requietionis Domini,agrum non seres,& vineam non putabis. Quæ sponte gignet humus, non metes:& vuas † quas tibi hactenus separasti non colliges quasi vindemiam: annus enim requietionis terræ est,
[a] sed † erit sabbatum terræ vobis in cibum,tibi & seruo tuo, ancillæ tuæ, & mercenario tuo,& aduenæ, qui peregrinatur apud te:iumentis tuis & pecoribus:omnia, quæ nascuntur, præbebunt cibum. Numerabis quoq; tibi septem hebdomadas annorum,id est septies septem,quę simul faciunt quadraginta nouem:& clãges buccina mense septimo,decima die mensis, propitiationis tempore in vniuersa terra vestra. Sanctificabisq; annum quinquagesimum, [b] & † proclamabis libertatem cunctis habitatoribus terræ vestræ, [c] ipse est B
enim iubileus.Reuertetur homo ad possessionem suam,& vnusquisq; † redibit ad familiam pristinam:quia iubileus est † ille quinquagesimus annus. Non seretis atque metetis sponte in agro nascentia, † neq; vindemiabitis separantes vobis,ob sanctificationem iubilei, † de agro comedetis prouentum eius. Anno iubilei † redibunt oẽs ad possessiones suas.Quãdo vendes quippiã ciui tuo, vel emes ab eo, ne † fratrẽ decipias tuũ, sed iuxta numerum annorum † post iubileum emes ab eo, & iuxta † numerũ annorum prouẽtuum q; vendet tibi. Quantò plures anni remanserint post iubileũ, tantò crescet & pretiũ: quantò minus tẽporis numeC
raueris, tanto minoris & emptio constabit: tempus enim frugum vendet tibi. Nolite affligere contribules vestros, sed timeat vnusquisque Deum suum,quia ego Dominus Deus vester. Facite præcepta mea,& iudicia custodite,& implete ea,vt habitare possitis in terra absq; vllo pauore,& gignat vobis humus fructus suos quibus vescamini vsq; ad saturitatẽ, nullius impetum formidãtes. Quòd si dixeritis. Quid comedemus anno septimo,si non seuerimus, neq; collegerimus fruges nostras? Dabo benedictionẽ meam vobis anno sexto, & faciet fructus trium annorum,feretisq; anno octauo, & comedetis veteres fruges vsq; ad nonum annum: donec noua nascantur,edetis vetera. Terra quoq; non vẽdetur in perpetuum, quia mea est,& vos aduenæ, & coloni mei estis:vnde cuncta regio possessionis vestræ sub redemptionis conditione vẽdetur. Si attenuaD
tus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, & † venerit redemptor propinquus eius, potest redimere quod ille vẽdiderat:finautẽ non habuerit proximum,& ipse pretium ad redimẽdum potuerit inuenire:[d] cõputabuntur fructus ex eo tẽpore quo vẽdidit:& quod reliquum est, reddet emptori, sicq; recipiet possessionẽ suam:q; si non inuenerit manus eius,vt reddat pretium, habebit emptor quod emerat vsq; ad annum iubileum: in ipso enim omnis vẽditio redibit ad dominum, & ad possessorẽ pristinum. [e] Qui vẽdiderit domũ intra vrbis muros,habebit licẽtiam redimẽdi,donec vnus impleatur annus:si non redemerit, & anni circulus fuerit euolutus,emptor possidebit eam,& posteri eius in perpetuum, & redimi non poterit etiam in iubileo.Sinautẽ † fuerit domus in villa,quæ muros non habet,agrorum iure vẽdetur:si antè redempta nõ fueE
rit,in iubileo reuertetur ad dominum suum. [f] † Ciuitates Leuitarum & domus,quę in vrbibus sunt,semper possunt redimi:si redemptæ non fuerint,in iubileo reuertẽtur ad dominos, quia domus vrbium Leuiticarũ pro possessionibus sunt inter filios Israel. Suburbana autẽ eorum non væneant, quia possessio sempiterna est.Si attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu, & susceperis eum † etiam aduenam & peregrinum, &

vixerit

vixerit tecum,ne accipias vſuras ab eo,nec amplius quàm dediſti:time Deum tuũ,vt viuere poſsit frater tuus F
apud te. Pecuniam tuam non dabis ei ad vſuram:& frugum ſuperabundantiam non exiges. Ego Dominus
Deus veſter, qui eduxi vos de terra Ægypti,vt darem vobis terram Chanaan,& eſſem veſter Deus. Si pauper
tate compulſus vẽdiderit ſe tibi frater tuus,non eum opprimes ſeruitute famulorum,ſed quaſi mercenarius,
& colonus erit:vſq; ad annum iubileum operabitur apud te,& poſtea egredietur cum liberis ſuis,& reuertetur
ad cognationem & ad poſſeſsionẽ patrũ ſuorũ:mei enim ſerui ſunt,& ego eduxi eos de terra Ægypti : nõ
væneant conditione ſeruorum:ne affligas eũ per potentiam,ſed metuito Deum tuum . Seruus & ancilla ſint
vobis de nationibus,quę in circuitu veſtro ſunt. Et de aduenis qui peregrinantur apud vos,vel qui ex his na-
ti fuerint in terra veſtra,hos habebitis famulos, & hæreditario iure tranſmittetis ad poſteros , ac poſſidebitis
in ęternum : fratres autem veſtros filios Iſrael ne opprimatis per potentiam . Si inualuerit apud vos manus G
aduenæ atque peregrini,& attenuatus frater tuus vendiderit ſe ei , aut cuiquam de ſtirpe eius , poſt venditio-
nem poteſt redimi. Qui voluerit ex fratribus ſuis,redimet eum,& patruus & patruelis, & conſanguineus : &
affinis : ſinautem & ipſe potuerit,redimet ſe, ſupputatis duntaxat annis à tempore venditionis ſuæ vſq; in an
num iubileum,& pecunia qua venditus fuerat,iuxta annorum numerum, [g] & ratione mercenarij ſupputa-
ta.Si plures fuerint anni qui remanent vſque ad iubileum , [h] ſecundum hos reddet & pretium de pecunia ſci
licet qua emptus eſt:ſi pauci,ponet rationem cum eo iuxta annorum numerum, † & reſtituet redemptionẽ
ſuam:quaſi mercenarius ad annum conductus, ſic per annos erit cum eo:non affliget eum violenter in con-
ſpectu tuo. Quòd ſi per hęc redimi non potuerit,anno iubileo egredietur cum liberis ſuis. Mei enim ſunt ſer
ui filij Iſrael,quos eduxi de terra Ægypti: † ego Dominus Deus veſter.

SCHOLIA.

[a] Sed erit ſabbatum terræ vobis in cibum.] *Patet his verbis , nec Dominum agri prohibitum veſci eis , quæ non adhibita cultura illo anno ſponte naſcantur , ſed tamen fructus redigere prohibitum . Sic ergo permiſſus eſt, aliquid inde in eſcam ſumere,perinde vt tranſiens, vt hoc ſolum caperet, quod ſtatim veſcendo conſumeret,non quod in vſus reponeret.Rationem huius præcepti de ſabbato terræ,hoc eſt,anno ſeptimo, Hebræi aſsignant,vt ſcilicet diuites oculos ſuos ſuſtollant in cœlum,& cogitent neceſsitates pauperum,vt cum ipſi in ſeptimo anno querantur , quid eſuri ſint,recordentur, pauperes in illa ſemper cura eſſe,quippe qui nunquam ſerant,aut metant,itaque in alijs ſex annis liberales ſint erga eos.Colligunt etiam Hebræi ex hoc loco,mundum duntaxat per ſex millia annorum duraturum, et ſeptimum millenarium futurum ſabbatum Domini,quæ cogitatio fortaſſe etiam χιλιαστὰς introduxit.Verum,quod pro nobis facit, antiqui Hebræi putarunt , Chriſtum venturum in principio quinti millenarij , id quod nos veriſsimè factum confitemur . Nã in Sanhedrin ita ſcriptum habent. Sex millibus annorum durabit mundus, vno millenario deſolatus erit,duobus millibus durabit deuaſtatio eius, id eſt,inculta hominum vita,& duobus millibus lex,atque duobus millibus dies Meſsiæ.Vnde duo eliciuntur , nempè quod lex Moſis non erat duraturæ niſi vſque ad dies Meſsiæ.Alterum,quòd Chriſtus iamdudũ venerit.Ipſi enim hoc Chriſti anno. M D XL. numerant à principio mundi quinque millia & trecentos annos,& adhuc expectant ſuum Meſsiam, cum in ſexto ſint millenario annorum mundi.* [b] Et proclamabitis libertatem.] *Hoc eſt,manumiſsionem,quæ in iubileo fiebat, in memoriam liberationis de Ægypto. Vnde & in lege Moſaica quinquagies fieri mentionem dicunt de illa libertate ab Ægypto: proclamabat ergo ille annus relaxationem captiuis,libertatem ſeruis,ancillis,debitoribus,& poſſeſsionum venditoribus , pauperibus q; omnia,quæ in campo creſcebant,communia declarabat.* [c] Ipſe eſt enim iubileus.] *Hebræa dictio eſt Iobel , & ſignificat cornu arietinum, eo enim vtebantur in ea ſolennitate pro buccina,in memoriam immolati,& liberati Iſaac , quando pro eo immolatus fuit aries,&c.* [d] Computabuntur fructus.] *Iubentur computari anni tranſacti à venditione , & anni,qui adhuc reſtant vſque ad iubilæum,& ſi illi æquales fuerint , reſtituetur in redemptione dimidium precium emptori:ſin inæquales,proportio fiet inter annos reſiduos,et precium reſtituendum.* [e] Qui vendiderit domum.] *Cauſam huius differentiæ domorum,quæ intra vrbem,& quæ extra ſitæ ſint,hanc afferunt , vt ciuitates , & muris cincta loca.eſſent populoſiora,iccircò ſtatuitur,vt earum domus venditæ redimi non poſſent niſi infra annum , vt homines eſſent ad vendendum minus faciles.* [f] Ciuitates Leuitarum & domus.] *Non habuerunt Leuitæ agros vel vineas, ſed domos tantum & ſuburbana loca , quæ eis pro agris reputabantur , ideo poterant ea,quando volebant, redimere,eo iure,quo reliqui Hebræi agros ſuos redimere poterant.* [g] Et ratione mercenarij ſupputata.] *Quaſi fuerit cum eo iuxta dies mercenarij : ſic enim alius vertit.* [h] Secundum hos reddet & precium.] *Vt,ſi pro quadraginta aureis fuiſſet venditus: fuiſſent q; ad annum iubilei viginti anni,& tunc,cum ſeſe redimere conaretur,adhuc decem reſtarent anni vſque ad iubilæum,reſtituere iubetur de precio emptionis viginti aureos,proportione ſcilicet precij,& temporis ſeruata,cum mercenarium magis egerit, quàm emptitium ſeruum,non enim ipſe,ſed opera & labor eius venditus fuit.*

CAPVT XXVI.

Exod.20.a Deut. 5.a Pſal. 96.b Deu.28.a Iob 11.d

NOn facietis vobis idolum & ſculptile , [a] nec titulos erigetis , nec [b] inſignem lapidem ponetis in terra A
veſtra,vt adoretis eum:ego enim ſum Dominus Deus veſter. Cuſtodite ſabbata mea, & † reueremi
ni ſanctuarium meum:ego Dominus. Si in præceptis meis ambulaueritis , & mandata mea cuſto-
dieritis & feceritis ea,dabo vobis pluuias temporibus ſuis,& terra gignet germen ſuum, & pomis arbores re
plebuntur. Apprehendet meſsium tritura vindemiam, & vindemia occupabit ſementem: & comedetis pa-
nem veſtrum in ſaturitate,& abſq; pauore habitabitis in terra veſtra.Dabo pacem in finibus veſtris:dormie
tis,& non erit qui exterreat. Auferam malas beſtias,& gladius non tranſibit terminos veſtros . Perſequemi-
ni inimicos veſtros,& corruent coràm vobis: perſequentur quinque de veſtris centum alienos,& centum de B
vobis decem millia,cadent inimici veſtri gladio in conſpectu veſtro. Reſpiciam vos, & creſcere faciam:mul
tiplicabimini & firmabo pactum meum vobiſcum. Comedetis vetuſtiſsima veterum,& vetera nouis ſuper-
uenientibus [c] † efferetis. Ponam tabernaculum meum in medio veſtri,& non abijciet vos anima mea. Am-
2. Gor. 6.d bulabo inter vos,& ero Deus veſter,vosq; eritis populus meus. Ego Dominus Deus veſter,qui eduxi vos de

terra

terra Ægyptiorum, ne ſeruiretis eis,& qui confregi catenas ceruicũ veſtrarum, vt incederetis erecti. Quòd
ſi non audieritis me,nec feceritis omnia mandata mea, ſed ſpreueritis leges meas,& iudicia mea contempſe-
ritis,vt non faciatis ea,quæ à me conſtituta ſunt, & ad irritum perducatis pactum meum , ego quoq; hæc fa-
ciam vobis. Viſitabo vos velociter in † terrore,tumore,febris ardore,qui conficiat oculos veſtros,& conſu-
mat animas veſtras. Fruſtra ſeretis ſementem , quæ ab hoſtibus deuorabitur . Ponam faciem meam contra Deut. 28.b
C vos,& corruetis coràm hoſtibus veſtris,& ſubiciemini his qui oderunt vos: fugietis nemine perſequẽte. Sin- Thren. 2.f
autem nec ſic obedieritis mihi , addam correptiones veſtras ſeptuplum propter peccata veſtra , & conteram Malac.2.a
ſuperbiam duritię veſtræ. Daboq; vobis cœlum deſuper ſicut ferrum,& terram ęneam. Conſumetur incaſ-
ſum labor veſter,non proferet terra germen,nec arbores poma præbebunt. Si ambulaueritis ex aduerſo mi
hi,nec volueritis audire me , addam plagas veſtras vſq; in ſeptuplum propter peccata veſtra:emittãq; in vos
beſtias agri, † quæ vos orbos faciant & diſperdant pecora veſtra , & ad paucitatem cuncta redigant,[d] deſer-
tęq; fiant viæ veſtræ. Quòd ſi nec ſic volueritis recipere diſciplinam, ſed ambulaueritis ex aduerſo mihi, ego
D quoq; contra vos aduerſus incedam , & percutiam vos ſepties propter peccata veſtra , inducamq; ſuper vos
gladium vltorem fœderis mei. Cumq; confugeritis in vrbes,mittam peſtilentiam in medio veſtri, & trade-
mini in manibus hoſtium,poſtquam confregero [e] baculum panis veſtri:ita vt decem mulieres in vno cliba-
no coquant panes, [f] & reddant eos ad pondus,& comedetis,& nõ ſaturabimini. Sinautẽ nec per hæc audie-
ritis me , ſed ambulaueritis contra me, & ego incedam aduerſus vos in furore † ex aduerſo,& corripiam vos
ſeptem plagis propter peccata veſtra , ita vt comedatis carnes filiorum veſtrorum & filiarum veſtrarum : de-
ſtruam [g] excelſa veſtra, & ſimulachra confringam. Cadetis inter ruinas idolorum veſtrorum , & abomina-
E bitur vos anima mea, intantum vt vrbes veſtras redigam in ſolitudinem, & deſerta faciam ſanctuaria veſtra,
nec recipiam vltrà odorem ſuauiſsimum. Diſperdamq; terram veſtram,& ſtupebunt ſuper ea inimici veſtri,
cum habitatores illius fuerint . Vos autem diſpergam in gentes , & euaginabo poſt vos gladium,eritq; terra
veſtra deſerta,& ciuitates veſtræ dirutæ. Tunc placebunt terrę ſabbata ſua cunctis diebus ſolitudinis ſuę:quã
do fueritis in terra hoſtili , ſabbatizabit,& requieſcet in ſabbatis ſolitudinis ſuæ, eò quòd non requieuerit in
ſabbatis veſtris,quando habitabitis in ea. Et qui de vobis remanſerint,dabo pauorem in cordibus eorum in
regionibus hoſtium,terrebit eos ſonitus ſolij volantis,& ita fugient quaſi gladium: cadent nullo perſequen-
F te, & corruent ſinguli ſuper fratres ſuos quaſi bella fugientes quamuis non erit qui perſequatur : nemo ve-
ſtrum inimicis audebit reſiſtere. Peribitis inter gentes,& hoſtilis vos terra conſumet. Quòd ſi & de ijs aliqui
remanſerint,tabeſcent in iniquitatibus ſuis,in terra inimicorum ſuorum,& propter peccata patrum ſuorũ,
& ſua affligentur:donec confiteantur iniquitates ſuas,& maiorum ſuorum , quibus præuaricati ſunt in me,
& ambulauerunt † mecum ex aduerſo. Ambulabo igitur & ego contra eos , & inducam illos in terram ho-
ſtilem,donec erubeſcat incircunciſa mens eorum. Tunc orabunt pro impietatibus ſuis, & recordabor fœde
ris mei quod pepigi cum Iacob,& Iſaac,& Abraham. Terrę quoq; memor ero:quæ cum relicta fuerit ab eis,
G complacebit ſibi in ſabbatis ſuis,patiens ſolitudinem propter illos . Ipſi verò rogabunt pro peccatis ſuis, eò
quòd abiecerint iudicia mea,& leges meas deſpexerint. [h] Attamen etiam cum eſſent in terra hoſtili, non pe-
nitus abieci eos,neque ſic deſpexi vt conſumerentur,& irritum facerem pactum meum cum eis. Ego enim
ſum Dominus Deus eorum,& recordabor fœderis mei priſtini,quando eduxi eos de terra Ægypti in conſpe
ctu gentium vt eſſem Deus eorum:ego Dominus Deus . Hæc ſunt iudicia atq; præcepta & leges, quas dedit
Dominus inter ſe & inter filios Iſrael in monte Sinai per manum Moyſi.

SCHOLIA.

[a] Nec titulos erigetis.] *Hoc eſt,lapidem ſuper quo fiunt ſacrificia: vt in Deut. cap.xiiij. habetur. Et licet Patriarcha Abraham & Iacob id fecerint , tamen quia Chananæi idem facere cœperant pro dijs ſuis , prohibuit Deus id Iudæis.* [b] Inſignem lapidem.] *Pictum ſeu figuratum.* [c] Efferetis.] *Vt in alijs ſcilicet thecis reponatis,vt vetera nouis cedant.* [d] Deſertæq; fient viæ veſtræ.] *Vel,deuaſtabuntur: vt ſit ſenſus . Omnia itinera veſtra plena erunt periculis,redigeturq; terra ipſa in ſolitudinem,vt nec itinera diſcerni queant à ſquallida terra.* [e] Baculum panis.] *Suſtentationem cibi: eſt enim Hebraiſmus.* [f] Et reddant eos ad pondus.] *Senſus eſt , quòd ex corrupto frumento integri panes fieri non poterunt , ſed fragmenta,quæ piſtor in pondere magis,quam in numero reſtituet.* [g] Excelſa veſtra , & ſimulachra.] *Alius vertit, pro ſimulachris , ſolaria , hoc eſt , amœna ædificia , quæ ſunt ſuper tectum , vt & per excelſa intelligantur ſublimiora ædificia, vt ſunt turres , & caſtra.* [h] Attamen etiam cum eſſent.] *Expone pro futuro,ſic. Attamen cum fuerint in terra hoſtili,non penitus abijciam eos,&c.*

CAPVT XXVII.

LOcutuſq; eſt Dominus ad Moyſen,dicens.Loquere filijs Iſrael,& dices ad eos. Homo qui votũ fece- A
rit [a] † pro eſtimatione † animarũ dabit pretium. Si fuerit maſculus à viceſimo anno vſq; ad ſexageſi-
mum annum,dabit quinquaginta ſiclos argenti ad mẽſuram ſanctuarij:ſi mulier,triginta. A quinto
autem anno vſq; ad viceſimum,maſculus dabit viginti ſiclos:fœmina decem . Ab vno mẽſe vſq; ad annum
quintum,pro maſculo dabuntur quinq; ſicli † argentei:pro fœmina tres.Sexagenarius & vltra maſculus da-
bit quindecim ſiclos:fœmina decẽ. Si pauper fuerit,& æſtimationẽ reddere non valebit,ſtabit coràm ſacer-
dote:& quantum ille eſtimauerit,& viderit eum poſſe reddere,tantum dabit. Animal autẽ quod immolari
poteſt Domino,ſi quis vouerit Domino,ſanctum erit & mutari non poterit,id eſt, nec melius malo,nec pe-
ius bono:q; ſi mutauerit:& ipſum quod mutatum eſt,& illud pro quo mutatum eſt,conſecratum erit Domi B
no.Animal immundum quod immolari Domino non poteſt,ſi quis vouerit,adducetur ante ſacerdotẽ : qui
dijudicans † ſiue bonum † ſiue malum ſit,ſtatuet pretium,quòd ſi † redemerit ipſum,addet ſuper eſtimatio
nem,quintam partem. Homo ſi vouerit domum ſuam , & ſanctificauerit Domino , conſyderabit eam ſa-

cerdos

cerdos † siue fuerit bona † siue mala, † & iuxta pretium quod ab eo fuerit constitutum, † erit taxatio: sinautem ille qui vouerat, voluerit redimere eam, dabit quintam partem æstimationis supra, & habebit domum. Quòd si agrum possessionis suæ vouerit, & consecrauerit Domino: iuxta mẽsuram semẽtis æstimabitur pretium: [b] si triginta modijs hordei seritur terra, quinquaginta siclis venundetur argenti. Si statim ab anno incipientis iubilei vouerit agrum, quanti valere potest, tanti æstimabitur: sinautẽ post aliquantulum tẽporis, C supputabit sacerdos pecuniam iuxta annorum qui reliqui sunt numerum vsq; ad iubilcum, & detrahetur ex pretio: q; si voluerit redimere agrum ille qui vouerit, addet quintam partẽ æstimatæ pecuniæ, & possidebit eum: sinautẽ noluerit redimere, sed alteri cuilibet fuerit venundatus, vltra eum qui vouerat, redimere nõ poterit: quia cum iubilei venerit dies, sanctificatus erit Domino, [c] & possessio consecrata ad ius pertinet sacerdotum. Si ager emptus † & qui non est de possessione maiorum sanctificatus fuerit Domino, supputabit sacerdos iuxta annorum numerum vsq; ad iubileũ, pretium: † & dabit ille æstimationem in die illa, veluti rem Domino cõsecratã: in iubileo autẽ reuertetur ad priorẽ Dominum qui vẽdiderat eum, & habuerat in sorte possessionis suę. Omnis æstimatio siclo sanctuarij ponderabitur. Siclus viginti obolos habet. Primogenita, Exod. 30.b Num. 3.g Eze. 45.d quę † ex pecoribus ad Deum pertinent, nemo sanctificare poterit & vouere, siue bos siue ouis fuerit: Domini D sunt. Quòd si immundũ est animal, redimet qui obtulit iuxta æstimationẽ suã, & addet quintam partẽ pretij: si redimere noluerit, vẽdetur † quantuncunq; fuerit antè æstimatũ. Omne quod Domino cõsecratur, siue homo fuerit, siue † pecus, siue ager possessionis suę, nõ † vẽdi nec redimi poterit. Quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum erit Domino. Et omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur. Omnes decimæ terræ siue de pomis arborum siue de frugibus, Domini sunt, & illi sanctificantur. Si quis autẽ voluerit redimere decimas suas, addet quintam partem earum. Omnium decimarũ bouis & ouis & capræ, † & quæ sub † virga transeunt, [d] quicquid decimũ venerit, sanctificabitur Domino. Non eligetur nec bonum nec malum, nec altero commutabitur: si quis mutauerit: & quod mutatum est, & pro quo mutatum est, sanctificabitur Domino, & non redimetur. Hæc sunt præcepta, quæ mandauit Dominus Moysi ad filios Israel in monte Sinai.

SCHOLIA.

[a] Pro æstimatione animarum.] *Tractatur hoc capite de redemptionibus earum rerum, quæ Domino vouebantur. Vt essent quædam votorum permutationes. Primò autem lex facit mentionem de votis animarum, hoc est, quando quis seipsum Domino vouit, aut alium hominẽ, qui sub eius sit potestate, qualis à sacerdote fieri debeat æstimatio.* [b] Si triginta modijs.] *Alius sic vertit. Æstimatio cori hordei fiet pro quinquaginta siclis argenteis. Æstimatio igitur agri talis est, quãdo ager ferre potest annuatim vnum corum, & consecratur Domino mox post iubileum, æstimabitur ager ille quinquaginta siclis: sin adhuc ad iubileum fuerint. xx v. anni, æstimabitur solum. xx v. siclis, si autem vnus duntaxat residuus fuerit annus, dabitur tantum vnus siclus.* [c] Et possessio consecrata.] *Intelligе illud consecrata, quasi diceret, sicut ager anathematis, quemadmodum alius vertit: sicut & in sequentibus, illud, omne quod Domino consecratur, vertit alius, anathema, quod homo à se abdicauerit, & Domino deuouerit. Vt sit genus voti, quando quis rem aliquam penitus à se abdicat, quã nec redimere potest, nec per æstimationem recuperare: & illud hic vocatur anathema, quod sic Domino est consecratum, vt ad prophanos vsus nunquam applicari possit. Et, quando dicitur, siue homo fuerit, siue pecus, disceptatio est inter Iudeos, num homo etiam interfici debeat, per votum anathematis Domino consecratus. Et sunt, qui de seruis atq; ancillis, Chananæis, Heuæis, et alijs gentibus intelligendum putent, quæ à Domino erant anathemati exposita.* [d] Quicquid decimum.] *Notandum hic, quòd primogenita, decimæ, & agnus paschalis, vocantur sancta Domini, sed non sunt sancta sanctorum, cum vbique potuerint mactari, & in omnibus vrbibus comedi: ideo vocantur ab Hebræis sancta leuia.*

LIBER NVMERI
HEBRAICE VAIEDABBER.

CAPVT I.

Exod. 30.b Infra 10.b

LOCVTVSQVE est Dominus ad Moysen in deserto Sinai in tabernaculo fœderis prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto, dicens. Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel per cognationes & domos suas, & nomina singulorum quicquid sexus est masculini [a] à vicesimo anno & supra, omnium virorum † qui apti sunt bello ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas, tu & Aaron. Eruntq; vobiscũ principes tribuum ac domorum in cognationibus suis, quorum ista sunt nomina. De tribu Ruben, Elisur filius Sedeur: de tribu Simeon, Salamiel filius Surisaddai: de tribu Iuda, Naason filius Aminadab: de tribu Issachar, Nathanael filius Suar: de tribu Zabulon, B Eliab filius Helon: filiorum autem Ioseph de tribu Ephraim, Elisama filius Ammiud: de tribu Manasse, Gamaliel filius Phadassur: de tribu Beniamin, Abidan filius Gedeonis: de tribu Dan, Ahiezer filius Ammisaddai: de tribu Aser, Phegiel filius Ochran: de tribu Gad, Eliasaph filius Ruel: de tribu Nephthali, Ahira filius Enan. Hi nobilissimi Principes multitudinis per tribus & cognationes suas & capita exercitus Israel, quos tulerunt Moyses & Aaron cum omni vulgi multitudine, & congregauerunt primo die mensis secundi recẽsentes

C sentes eos per cognationes & domos ac familias & capita & nomina singulorum à vicesimo anno & supra, sicut præceperat Dñs Moysi. Numeratiq; sunt in deserto Sinai de Ruben primogenito Israelis per generationes & familias ac domos suas, & nomina capitum singulorum omne quod sexus est masculini à vicesimo anno & supra, procedentium ad bellum quadraginta sex millia quingenti. De filijs Simeon per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina & capita singulorum omne quod sexus est masculini à vicesimo anno & supra procedẽtium ad bellum quinquagintanouem millia trecenti. De filijs Gad per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomi
D na singulorum à viginti annis & supra, omnes qui ad bella procederent, quadragintaquinq; millia sexcenti quinquaginta. De filijs Iuda per generationes & familias ac domos cognationum suarum per nomina singulorum a vicesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, recẽsiti sunt septuagintaquatuor millia sexcenti. De filijs Issachar per generationes & familias ac domos cognationum suarũ per nomina singulorum à vicesimo anno & supra, omnes qui ad bella procederent, recensiti sunt quinquaginta-quatuor millia quadringẽti. De filijs Zabulon per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vicesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, quinquaginta septem millia quadringẽti. De filijs Ioseph filiorum Ephraim per generationes & fami-
E lias ac domos cognationum suarum recẽsiti sunt per nomina singulorum à vicesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, quadraginta millia quingenti. Porrò filiorum Manassẽ per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à viginti annis & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, triginta duo millia ducenti. De filijs Beniamin per generationes & familias ac domos cognationum suarum recẽsiti sunt nominibus singulorum à vicesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, trigintaquinq; millia quadringenti. De filijs Dan per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt nominibus singulorum à vicesimo anno & su
F pra, omnes qui poterant ad bella procedere, sexagintaduo millia septingẽti. De filijs Aser per generationes & familias ac domos cognationum suarum recensiti sunt per nomina singulorum à vicesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, quadraginta millia & mille quingenti. De filijs Nepthali per generationes & familias ac domos cognationum suarũ recẽsiti sunt nominibus singulorum à vicesimo anno & supra, omnes qui poterant ad bella procedere, quinquagintatria millia quadringenti. Hi sunt quos numeraverunt Moyses & Aaron & duodecim principes Israel, singulos per domos cognationum suarum. Fueruntq; omnes filij Israel per domos & familias suas à vicesimo anno & supra, qui poterant ad bella procedere, sexcentatria millia virorum quingenti quinquaginta. Leuitæ autem in tribu familiarum suarum nõ.
G sunt numerati cum eis. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. [b] Tribum Leui noli numerare, neq; ponnes summam eorum cum filijs Israel: sed constitues eos super tabernaculum testimonij & cuncta vasa eius, & quicquid ad ceremonias pertinet. Ipsi portabunt tabernaculum & omnia vtensilia eius: & erunt in ministerio, ac per gyrum tabernaculi metabuntur. Cum proficiscendum fuerit, deponent leuitæ tabernaculum: cum castrametandum, erigent: quisquis externorum accesserit, occidetur. Metabuntur autẽ castra filij Israel vnusquisq; per turmas & cuneos atq; exercitum suum. Porrò læuitæ per gyrum tabernaculi figent tentoria, ne fiat indignatio super multitudinem filiorum Israel, & excubabunt in custodijs tabernaculi testimonij. Fecerunt ergo filij Israel iuxta omnia quæ præceperat Dominus Moysi.

SCHOLIA.

Liber iste legis Mosaicæ quartus, apud latinos liber numeri inscribitur, propter quinque prima capita, in quibus describuntur duodecim tribus Israel secundum cognationes & familias suas, rediguntur q; nomine eorũ, qui ad bella procedere poterant, in numerum. Hebræi verò vocant ipsum more suo ab initiali dictione Vaidabber, id est, & locutus est. [a] A vicesimo anno.] *Nec mulieres, nec pueri numerantur, nec Ægyptij, qui in eorum castris erant: nam castris Dei nihil molle, aut effœminatum, nec nisi pium, aptum est.* [b] Tribum Leui.] *Hæc tribus: erat quasi legio, quæ stipat regem, cum circa tabernaculum iugiter versari iubeatur, non tam ad bella, quàm ad cultum Dei, & studium legis instituta.*

CAPVT II.

A LOCUTUSQ; est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens. Singuli per turmas, signa atq; vexilla & domos cognationum suarum castrametabuntur filij Israel † è regione & per gyrum tabernaculi fœderis. Ad orientem Iudas figet tentoria per turmas exercitus sui: eritq; princeps filiorum eius Naason filius Aminadab: & oĩs de stirpe eius summa pugnantiũ, septuagintaquatuor millia sexcẽti. [a] Iuxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorũ princeps fuit Nathanael filius Suar: & omnis numerus pugnatorum eius, quinquagintaquatuor millia quadringenti. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon. Omnisq; de stirpe eius exercitus pugnatorum, quinquagintasẽptem millia quadringenti. Vniuersi qui in castris Iudæ annumerati sunt, fuerunt centum octogintasex millia quadringenti per turmas suas: primi egredientur.
B [b] In castris filiorũ Ruben ad meridianã plagam erit princeps Elisur filius Sedeur: & cunctus exercitus pugnatorũ eius qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingẽti. Iuxta eũ castrametati sunt de tribu Simeon: cuius princeps fuit Salamiel filius Surisaddai: & cũctus exercitus pugnatorũ eius qui numerati sunt, quinquagintanouem millia trecenti. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Ruel, & cunctus exercitus pugnatorũ eius qui numerati sunt, quadragintaquinq; millia sexcẽti quinquaginta. Oĩs qui recensiti sunt in castris Ruben, cẽtũ quinquaginta millia & mille quadringẽti quinquaginta p turmas suas, in secũdo loco ꝓficiscẽtur. † Tabernaculũ verò testimonij ꝓficiscetur cũ turma Leuitarũ in medio castrorũ, & sicut in castris morãtur, sic ꝓficiscẽtur. Singuli per loca & ordines suos ꝓficiscentur. Ad occidentalẽ plagam erũt castra

filiorum

filiorum Ephraim,quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud:cunctus exercitus pugnatorum eius, qui C
numerati sunt,quadraginta millia quingenti.Et cum eis tribus filiorum Manasse,quorum princeps fuit Ga
maliel filius Phadassur:cunctusq; exercitus pugnatorum eius,qui numerati sunt,trigintaduo millia ducẽti.

In tribu filiorum Beniamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis : & cunctus exercitus pugnatorũ eius,
qui recensiti sunt,trigintaquinq; millia quadringenti.Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, cẽtum
octo millia,centum per turmas suas:tertij proficiscentur. Ad aquilonis partẽ castrametati sunt filij Dan:
quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai : cũctusq; exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt,
sexaginta duo millia septingenti. Iuxta eum fixere tentoria de tribu Aser, quorum princeps fuit Phegiel D
filius Ochran:cunctusq; exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt,quadraginta millia & mille quingẽ
ti. De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan : cũctus exercitus pugnatorum eius,quin
quaginta tria millia quadringenti. Oẽs qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centũ quinquaginta septẽ
millia sexcenti:& nouissimi proficiscentur.Hic numerus filiorum Israel, per domos cognationũ suarum &
turmas diuisi exercitus sexcentatria millia quingenti quinquaginta.Leuitæ autem non sunt numerati inter
filios Israel:sic enim præceperat Dominus Moysi.Feceruntq; filij Israel iuxta omnia quæ mandauerat Do
minus.Castrametati sunt [c] per turmas suas,& profecti per familias ac domos patrum suorum.

SCHOLIA.

[a] Iuxta eum castrametati sunt.] *Vbi de positione castrorum agitur,illic loquitur Dominus:quando verò summa subiungitur virorum cuiuslibet tribus,& nomen ducis eius,ea sunt verba Mosis.Ideo prima verba scribenda erant in futuro, & secunda in præterito.* [b] Qui in castris Iuda.] *Intellige & eos,qui in orientali parte iuxta castra eius , castra sua locarunt.* [c] Per turmas suas.] *Quisq; secundum ordinem suum incedat in castris,ne is qui humilem & terrenum sensum gerit,cathedram doctoris teneat,& qui spiritualis est atq; altior,relinquatur inter plebeios.*

CAPVT III.

Exod.6.d

HÆ sunt generationes Aaron & Moysi in die qua locutus est Dominus ad Moysen in monte Sinai. Et A
hæc nomina filiorum Aaron.Primogenitus eius Nadab,deinde Abiu & Eleazar & Ithamar.Hęc no
mina filiorum Aaron sacerdotum qui vncti sunt,& quorum repletæ & cõsecratæ manus vt sacerdo
Leui.10.a tio fungerentur.Mortui † que sunt † Nadab & Abiu cum offerrent ignem alienum in conspectu Dñi in de
1.Pa.24.a serto Sinai,absq; liberis:functiq; sunt sacerdotio Eleazar & Ithamar corã Aaron patre suo. Locutusq; est
Dominus ad Moysen,dicens.Applica tribum Leui,& fac stare in conspectu Aaron sacerdotis vt ministrent
ei,[a] † & obseruent † eum & quicquid ad cultum pertinet multitudinis corãm tabernaculo testimonij, & cu
stodiant vasa tabernaculi,seruientes in ministerio eius.Dabisq; dono Leuitas Aaron & filijs eius quibus tra B
diti sunt à filijs Israel.Aaron autẽ & filios eius constitues super cultum sacerdotij. Externus qui ad ministrã
dum accesserit,morietur. Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens. Ego tuli Leuitas à filijs Israel [b] pro
Infra.8.c omni primogenito qui aperit vuluam in filijs Israel,eruntq; Leuitę mei.Meum est enim omne primogeni
Exod.13.a tum:ex quo percussi primogenita in terra Ægypti,sanctificaui mihi quicquid primum nascitur in Israel ab
Exod.6.c homine vsq; ad pecus,mei sunt,ego Dominus. Locutusq; est Dominus ad Moysen in deserto Sinai,dicẽs. C
Numera filios Leui per domos patrum suorum & familias, omnem masculum [c] ab vno mense & supra.Nu
merauit Moyses vt præceperat Dominus,& inuenti sunt filij Leui per nomina sua,Gerson & Caath & Me
rari.Filij Gerson:Lobni,& Semei.Filij Caath:Amram,& Iesaar,Hebron,& Oziel.Filij Merari : Moholi , &
Musi.De Gerson fuere familiæ duæ,Lobnitica,& Semeitica,quarum numeratus est populus sexus masculi
ni ab vno mense & supra,septem millia quingentorum.Hi post tabernaculum metabuntur ad occidentem
sub principe Heliasaph filio Lael.Et habebũt † sub custodia in tabernaculo fœderis [d] ipsum tabernaculum
& operimentum eius tentorium † & velum quod trahitur ante fores † tabernaculi fœderis & cortinas atrij: D
† & velum introitus atrij:quod est iuxta tabernaculum,& altare per circuitum , & funes eius pro omni mi
nisterio eius.Cognatio Caath habebit populos Amramitas & Iesaaritas & Hebronitas & Ozielitas.Hę sunt
familiæ Caathitarum,recensitæ per nomina sua:omnes generis masculini ab vno mense & supra, octo mil
lia sexcenti:habebunt excubias sanctuarij,& castrametabuntur ad meridianam plagam. Princepsq; eorum
erit Elisaphan filius Oziel:& custodient arcam,mensamq; & candelabrum,altaria & vasa sanctuarij,in qui
bus ministratur,& velum,cunctamq; huiusce modi supellectilem. Princeps autem principum leuitarum
Eleazar filius Aaron sacerdotis erit super excubitores custodiæ sanctuarij. At verò de Merari erunt populi E
Moholitę & Musitæ recensiti per nomina sua omnes generis masculini ab vno mense & supra,sex millia du
centi.Princeps eorum Suriel filius Abihaiel:in plaga septentrionali castrametabuntur. Erunt sub custodia
eorum tabulæ tabernaculi , & vectes , & columnæ ac bases earum , & omnia[e], quæ ad cultum huiusce mo
di pertinent:columnæq; atrij per circuitum cum basibus suis, & paxilli cum funibus . Castrametabuntur
ante tabernaculum fœderis,id est ad orientalem plagam.Moyses & Aaron cum filijs suis, habentes custodiã
sanctuarij † & custodiam filiorum Israel:quisquis alienus accesserit,morietur.Omnes leuitæ quos numera F
uerunt Moyses & Aaron iuxta præceptum Domini per familias suas in genere masculino à mense vno & su
pra,fuerunt viginti duo millia.Et ait Dominus ad Moysen. Numera primogenitos sexus masculini de filijs
Israel ab vno mense & supra , & habebis summam eorum. Tollesq; leuitas mihi pro omni primogenito fi
liorum Israel,ego sum Dominus:& pecora eorum pro vniuersis primogenitis pecorum filiorum Israel.Re
censuit Moyses sicut præceperat Dominus primogenitos filiorum Israel:& fuerũt masculi per nomina sua
à mense vno & supra,[e] viginti duo millia ducẽti septuagintatres.Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicẽs.
Tolle leuitas pro primogenitis filiorum Israel,& pecora leuitarum pro pecoribus eorũ:eruntq; leuitæ mei:
ego sum Dominus. [f] In pretio autem ducentorum septuagintatrium qui excedunt numerum leuitarum de

primogenitis

G primogenitis filiorum Israel,accipies quinq; siclos per singula capita ad mensuram sanctuarij. Siclus habet Exod.30.b
viginti obolos. Dabisq; pecuniam Aaron & filijs eius pretium eorũ qui supra sunt.Tulit igitur Moyses pe Leuit.27.c
cuniam eorum qui fuerant amplius,& quos redemerat à leuitis pro primogenitis filiorum Israel , mille tre Eze.45.d
centorum sexagintaquinq; siclorum iuxta pondus sanctuarij,& dedit eam Aaron & filijs eius iuxta verbum
quod præceperat sibi Dominus.

SCHOLIA.

[a] Et obseruent.] *Hoc est,obtemperent illi iussis eius,& abstineant ab ijs,quæ sunt officij eius,arcentes etiam populum ne contingant vllum sanctum , quod est de officio Leuitarum.* [b] Pro omni primogenito.] *Sanctificauit sibi Dominus omnia primogenita filiorum Israel,vt illi essent sacerdotes et sacrorum ministri in populo,in memoriam percussorũ in Aegypto primogenitorum,sed quia omnes tribus,præter tribum Leuiticam adorauerunt vitulum conflatilem , electi sunt Leuitæ loco primogenitorum,qui deinceps diuina exequerentur ministeria,vt plerig; Hebræorum scribunt, qui hanc vnam causam esse aiunt delectus Leuitarũ ad officium sacerdotale.* [c] Ab vno mense & supra.] *Qui Dei cultui consecrandi sunt,ab ipsis cunabulis sunt instituendi.Ab infantia (inquit) edoctus es sacras literas.* [d] Ipsum tabernaculum.] *Per tabernaculum intelliguntur cortinæ inferiores,quæ tabernaculum tegebant, & per tentorii cortinæ superiores, quæ ex pilis caprarum erãt contexta:per operimentum,pelles rubricatæ,quæ veluti tectum erant totius tabernaculi, summum tenentes locum. Et quod sequitur.Quod est iuxta tabernaculum & altare,intelligitur de atrio,quod cingebat tam tabernaculum , quam altare holocausti,quod erat extra tabernaculum,* [e] Viginti duo millia.] *Si memoratos particulares numeros in vnã redegeris summam,inuenies trecentos supra viginti duo millia,& hi putantur fuisse primogeniti Leuitarum : ideo non ponuntur in numerum.* [f] In pretio autem ducentorum septuaginta trium.] *Cum Leuitæ loco primogenitorum Israel asciti sint ad ministerium tabernaculi,primogenita autem excesserint numerum Leuitarum in ducentis septuaginta tribus personis , necesse fuit,vt ij excedentes redimerentur,cum loco eorum nullus potuerit substitui Leuita. Ideo Deus taxauit pretium redẽptionis,vt scilicet pro qualibet illorum ducentorum septuaginta trium primogenitorum darentur quinq; sicli,qui simul computati faciunt mille trecentos & sexaginta quinq; siclos.*

CAPVT IIII.

A LOcutusq; est Dominus ad Moysen & Aaron,dicens. Tolle summam filiorum Caath de medio Leui
tarum per domos & familias suas à tricesimo anno & supra, vsq; ad quinquagesimum annum omniũ
qui † bello apti sunt vt stent & ministrent in tabernaculo fœderis.[a] Hic est cultus filiorum Caath † in
tabernaculo fœderis: † [b] sanctum sanctorum,† venient itaque Aaron & filij eius,quando mouenda sunt ca
stra,& deponent velum † interstitij,inuolentq; eo arcam testimonij , & operient rursum velamine hyan
thinarum pellium,extendentq; desuper pallium totum hyacinthinum , & inducent vectes. Mensam quoq;
propositionis inuoluent hyacinthino pallio,& ponent † super eam turribula & mortariola, cyathos & cra
teras † libationis : panes semper in ea erunt:extendentq; desuper pallium coccineum,quod rursum operiẽt
velamento hyanthinarum pellium,& † collocabunt super vectes.Sument & pallium hyacinthinũ quo ope
rient candelabrum cum lucernis & forcipibus suis & emunctorijs & cunctis vasis olei, quę ad concinnãdas
lucernas necessaria sunt:& super omnia ponent operimentum hyanthinarum pellium , & inducent vectes.
Necnon & altare aureum inuoluent hyacinthino vestimento,& extendent desuper operimentum hyanthi
B narum pellium,† & ponent super vectes. Omnia vasa quibus ministratur in sanctuario inuoluent hyacin
thino pallio,& extendent desuper operimentum hyanthinarum pellium , † & ponẽt super vectes.Sed & al
tare mundabunt cinere,& inuoluent illud purpureo vestimẽto:ponentq; cum eo omnia vasa quibus in mi
nisterio eius vtuntur,id est ignium receptacula,fuscinulas ac tridentes,vncinos & batilla. Cuncta vasa altaris operient simul velamine hyanthinarum pellium,& † ponent super vectes.Cumq; inuoluerint Aaron &
filij eius sanctuarium & omnia vasa eius in commotione castrorum , tunc intrabunt filij Caath vt portent
inuoluta:& non tangẽt vasa sanctuarij,ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath in tabernaculo fœde
ris,† ad Eleazar filij Aaron sacerdotis,† curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas & compositionis
incensum & sacrificium quod semper offertur,& oleum vnctionis:& quicquid ad cultum tabernaculi perti
net,omniumq; vasorũ quæ in sanctuario sunt. Locutusq; est Dominus ad Moysen et Aaron, dicens.[c] No
lite perdere populum Caath de medio Leuitarum:sed hoc facite eis,vt viuãt & non moriantur , si tetigerint
sancta sanctorum.Aaron & filij eius intrabunt,ipsiq; disponent opera singulorum , & diuident quid porta
C re quis debeat.Alij nulla curiositate videant quæ sunt in sanctuario priusquam inuoluãtur,alioquin moriẽ
tur. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens.Tolle summã etiam filiorum Gerson per domos ac fami
lias & cognationes suas à triginta annis & supra , vsque ad annos quinquaginta.Numera omnes † qui bello
apti sunt,vt ministrent in tabernaculo fœderis.Hoc est officium familiæ Gersonitarum , [d] vt portent cortinas tabernaculi & tectum fœderis † operimentum eius,& operimentum hyanthinum , quod est super illud
in supremo loco,atq; velamen hostij,quod est in tabernaculo testimonij,cortinas quoq; atrij,& velũ, quod
est in introitu portæ atrij per circuitum tabernaculi & altaris,cum funibus & omnibus vasis ministerij eorum,& quicquid fit pro eis dum seruiunt. Iuxta verbum Aaron & filiorum eius fiet omne ministerium filiorum Gerson,in omni onere ac ministerio eorum , & numerabitis eis ad custodiam vniuersa onera eorũ.
Hic est cultus familię Gersonitarum in tabernaculo fœderis:Erũtq; sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis.Filios quoq; Merari per familias & domos patrum suorum recensebis à triginta annis & supra , vsque ad
annos quinquaginta,omnes † qui apti sunt bello ad officiũ ministerij sui & cultum † tabernaculi testimonij.Hęc sunt onera eorum.Portabũt tabulas tabernaculi & vectes eius,columnas ac bases earum,columnas
quoq; atrij per circuitũ cum basibus & paxillis & funibus suis † & omnibus instrumẽtis pro quocũq; mini
sterio eorum.Omnia vasa & supellectilem ad numerum accipient, sicq; portabũt:hoc est officium familiæ

Meraritarũ & ministerium in tabernaculo fœderis:eruntq; sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis. Recẽsuerunt igitur Moyses , & Aaron & principes synagõge filios Caath per cognationes & domos patrum suorum à triginta annis & supra,vsq; ad annũ quinquagesimum,omnes qui † bello essent apti, vt ministrarent D in tabernaculo fœderis:& inuenti sunt duo millia septingenti quinquaginta. Hic est numerus populi Caath qui † ministrare poterant in tabernaculo fœderis:hos numerauit Moyses & Aaron iuxta sermonẽ Domini per manum Moysi. Numerati sunt & filij Gerson per cognationes , & domos patrum suorum à triginta annis & supra,vsq; ad quinquagesimum annum omnes qui † bello erant apti,vt ministrarent in tabernaculo fœderis:& inuenti sunt duo millia sexcenti triginta : hic est populus Gersonitarum, quos numerauerunt Moyses & Aaron iuxta verbum Domini. Numerati sunt & filij Merari per cognationes & domos patrũ suorum a triginta annis & supra,vsq; ad annum quinquagesimum,omnes † apti bello, seruiẽtesq; in tabernaculo fœderis:& inuenti sunt tria millia ducenti:hic est numerus filiorum Merari,quos recensuerũt Moyses & Aaron iuxta imperium Domini per manum Moysi. Omnes qui recensiti sunt de Leuitis , & quos † recensuit ad nomen Moyses,& Aaron,& principes Israel per cognationes,& domos patrum suorum à triginta annis & supra,vsq; ad annum quinquagesimum ingredientes ad ministeriũ tabernaculi,et onera portanda,fuerunt simul octo millia quingenti octoginta. Iuxta verbum Domini recensuit eos Moyses , vnumquenq; iuxta officium,& onera sua,sicut præceperat ei Domiuus.

SCHOLIA.

[a] Hic est cultus.] *Ex his ritibus,qui præcipiuntur,colligere licet quanta diligentia adhibenda sit, vt illud, quod verè est templum Domini,mundum seruetur.* [b] Sanctum sanctorum.] *Hoc est,quicquid est intra sanctum sanctorum,vt est arca,mensa,altare thimiamatis &c. hæc erant sub custodia filiorum Cahath.* [c] Nolite perdere.] *Hoc est,occasionem non præbebitis ad internitionem eorum:sed Aaron & filij eius,prius omnia diligenter inuoluant,ne nuda à filijs Cahat tractẽtur,aut videantur,ne moriantur.* [d] Vt portent cortinas.] *Cortinas scilicet inferiores,quæ picturis ornatæ erant : per tectum fœderis intelliguntur cortinæ ex pilis caprarum factæ:per operimentum eius,pelles arietum rubricatæ : operimentum autem supremo loco positum,erat ex pellibus hyanthinis,vel,vt alius vertit,ex pellibus thasorum.*

CAPVT V.

LOcutusq; est Dominus ad Moysen dicens.Præcipe filijs Israel vt eijciãt [a] de castris omnem leprosum, A & qui semine fluit,pollutusq; est super mortuo:tam masculum quàm fœminam eijcite de castris , ne contaminent ea,† in quorum medio ego habito.Feceruntq; ita filij Israel , & eiecerunt eos extra castra,sicut locutus erat Dominus Moysi. Locutusq; est Dñs ad Moysen , dicens. Loquere ad filios Israel. Vir siue mulier cum fecerint [b] ex omnibus peccatis quæ solent hominibus accidere , & † transgressi fuerint mandatum Domini,atque deliquerint,confitebuntur peccatum suum,& reddent ipsum caput, quintamq; partem desuper ei in quem peccauerint:sinautem non fuerit † vir ille aut propinquus eius qui recipiat , dabunt Domino,& erit sacerdotis,excepto ariete qui offertur pro expiatione, vt sit placabilis hostia. Omnes B quoque † eleuationes quas offerunt filij Israel,ad sacerdotem pertinẽt : & [c] sancta cuiuslibet viri,ipsius erũt, & † quicquid traditur manibus sacerdotis,ipsius erit. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens.Loquere ad filios Israel,& dices ad eos. Vir cuius vxor errauerit , maritumq; contẽnens dormierit cum altero viro, & hoc maritus deprehendere non quiuerit,sed latet adulterium,& testibus argui non potest , † nec est inuẽta in stupro:si spiritus zelotypiæ concitauerit virum contra vxorem suam,quæ vel polluta est,vel falsa suspicione appetitur,adducet eam ad sacerdotem,& offeret oblationem pro illa decimam partem † Ephi farinæ hordeaceæ:non fundet super eam oleum,nec imponet thus,quia [d] sacrificium zelotypiæ est,& oblatio inuestigans adulterium.Offeret igitur eam sacerdos,& statuet coram Domino,assumetq; aquam sanctam in vase fictili,& pauxillum terræ de pauimento tabernaculi mittet in eam. Cumq; steterit mulier in conspectu Domini,discooperiet caput eius,& ponet super manus illius sacrificium recordationis,& oblationem zelotypiæ:ipse autem tenebit aquas amarissimas , in quibus cum execratione maledicta congesserit , adiurabitq; eam,& dicet.Si non dormiuit vir alienus tecum,& si non polluta es deserto mariti thoro, nõ † tibi nocebũt aquæ istæ amarissimæ,in quas maledicta congessi:sinautem declinasti à viro tuo,atque polluta es,& concubuisti cũ altero viro,his maledictionibus subiacebis. Det te Dominus in maledictionem,exemplumq; cũctorum in populo † tuo:putrescere faciat femur tuum,& tumens vterus tuus distũpatur:ingrediantur aquæ D maledictæ in ventrem tuum,& vtero tumescente putrescat femur.Et respondebit mulier.Amen amẽ. Scribetq; sacerdos in libello ista maledicta,et delebit ea:aquis amarissimis,in quas maledicta congessit , & dabit ei bibere.Quas cum exhauserit,tollet sacerdos de manu eius sacrificium zelotypiæ , & eleuabit illud coràm Dño,imponetq; illud super altare:ita dumtaxat vt prius pugillum sacrificij tollat de eo quod offertur † pro memoriali,& incendat super altare:& sic potum det mulieri aquas amarissimas.Quas cum biberit,si polluta est,& contempto viro adulterij rea:pertransibunt eam aquæ maledictionis , & inflato ventre computrescet femur:eritq; mulier in maledictionem,& in exemplum omni populo.Quòd si polluta non fuerit , erit innoxia:[e] & faciet liberos. Ista est lex zelotypię.Si declinauerit mulier à viro suo,et si polluta fuerit,maritusq; zelotypiæ spiritu concitatus,adduxerit eam in conspectum Domini,& fecerit ei sacerdos iuxta omnia quæ scripta sunt,maritus absq; culpa erit,& illa recipiet iniquitatem suam.

SCHOLIA.

[a] De castris.] *Tria secundum Hebræos,erant castra,videlicet castra Dei,id est,tabernaculum , castra Leuitarum , & castra Israel:leprosi ab omnibus arcebantur,immundi per fluxum à primis duobus excludebantur , pollutus verò super mortuo,solum à tabernaculo arcebatur.* [b] Ex omnibus peccatis.] *Hoc est , si furto vel rapina peccauerit contra hominem, deinde falsò iurando in Deum peccauerit.Iccircò alius vertit,qui fecerit aliquod peccatum hominis, & præuaricatus fuerit in*

in Dominum.Qui ergo aliquid surripuerit,aut vi extorserit, & sua sponte id reddiderit,non cogetur,nisi ad simplicem restitutionem.Si falsò iurauerit,& cõuictus fuerit rem abstulisse,restituet rem in capitali suo, & superaddat quintã eius partem,eò quòd peierauerit:& cum sacrificio,quod iubetur adducere,faciat confessionem. Hanc confessionem Hebræi vocant, confessionem super peccato singulari,quia in alijs sacrificijs fiebat confessio peccatorum generalis:dicũtq; per oblationem pecoris intelligendum peccatorem,vt cum ad mortem pecus ducitur,peccator cogitet,ac si ipse propter peccata duceretur ad mortem,quam meruerat pro illo crimine,pro quos pecus occiditur. [c] Sancta cuiuslibet viri.] *Non potest generatim intelligi de omnibus oblatis.nam quædam tota incendebantur,vt holocaustũ,alia ex parte,vt hostiæ pro peccato,cuius pars non incẽsa erat sacerdoti.& hostia pacifica,cuius pars incendebatur,aliam comedebat offerens,alia erat sacerdotis.Quare hic intelligũt de primitys,quæ dabãtur sacerdotibus ex decreto legis,ex quibus siquid fuisset detentũ,erat restituendum.* [d] Sacrificium zelotypię est.] *Hoc est,nõ est oblatio ad expiandũ.* [e] Et faciet liberos.] *Hoc est,si innocẽs fuit mulier,aqua illa nihil nocebat,sed magis proderat,quia ex infirma validã faciebat,& , si prius difficulter pariebat,iam facilem assequebatur partũ.*

CAPVT VI.

A LOcutusq; est Dominus ad Moysen,dicens. Loquere ad filios Israel , & dices ad eos. Vir siue mulier cũ fecerint votum vt sanctificentur,& se voluerint Domino consecrare : [a] à vino, & omni quod inebriare potest,abstinebunt. Acetum ex vino,& ex qualibet alia potione,& quicquid de vua exprimitur, nõ bibent:uuas recentes siccasq; non comedent cunctis diebus quibus ex voto Domino consecrãtur:quicquid ex vinea esse potest,† ab acinis vsque ad corticem non comedent.Omni tempore separationis suæ nouacula non transibit super caput eius vsque ad completum diem quo Domino consecratur. Sãctus erit † & nutriet cęsariem capitis sui. Omni tempore consecrationis suæ super mortuum non ingredietur,nec super patris B quidem & matris & fratris sororisq; funere contaminabitur, quia consecratio Dei sui super caput eius est. Omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Domino. Sinautem mortuus fuerit subito quispiam coràm eo,polluetur caput consecrationis eius:† radetq; caput suum in die purgationis suæ:in die septimo radet illud:in octaua autem die offeret duos turtures,vel duos pullos columbæ sacerdoti † ante ostium tabernaculi testimonij : facietq; sacerdos vnum pro peccato , & alterum in holocaustum , & deprecabitur pro eo , quia peccauit super mortuo:sanctificabitq; caput eius in die illo , & consecrabit † se Domino † per dies separationis † suæ,offerens agnum anniculum pro † delicto : ita tamen vt dies priores irriti fiant,quoniam pollu- ta est sanctificatio eius. Ista est lex consecrationis.Cum dies quos ex voto decreuerat,complebũtur:addu- C cet † seipsum ad ostium tabernaculi fœderis,& offeret oblationem † suam Domino , agnum anniculũ immaculatum in holocaustum,& ouem anniculam immaculatam pro peccato,& arietem immaculatum hostiam pacificam,canistrum quoq; panum azymorum † ex simila qui conspersi sint oleo, & lagana absq; fermento vncta oleo,ac libamina singulorum:quæ offeret sacerdos coràm Domino,& faciet tam pro peccato, quàm in holocaustum.Arietem verò immolabit hostiam pacificam Domino , offerens simul canistrũ azymorum,& libamenta quæ ex more debentur.Tunc radetur Nazaræus ad ostium tabernaculi fœderis cæsarie consecrationis suæ,tollerq; capillos eius,& ponet super ignem,qui est suppositus sacrificio pacificorum, D & armum coctum arietis,tortamq; absque fermento vnam de canistro,& laganum azymum vnum , & tradet in manus Nazaræi,postquam rasum fuerit caput eius.Susceptaq; rursum ab eo elcuabit in cõspectu Domini:& sanctificata,sacerdotis erunt, [b] sicut pectusculum quod separari iussum est,& † armus : post hæc potest bibere Nazaræus vinum.Ista est lex Nazarei,cum vouerit oblationem suam Domino tempore cõsecrationis suæ, [c] exceptis his quæ inuenerit manus eius:iuxta quod mente deuouerat , ita faciet † secundum legẽ sanctificationis suæ.Locutusq; est Dominus ad Moysen,dicens.Loquere Aaron & filijs eius.Sic benedicetis filijs Israel,& dicetis eis. Benedicat tibi Dominus , & custodiat te. † Lucere faciat Dominus faciem suam, super te & misereatur tui.Conuertat Dominus vultum suum ad te,& det tibi pacem. Inuocabuntq; nomen meum super filios Israel,& ego benedicam eis. Eccl.36.c

SCHOLIA.

[a] A vino.] *Agit hoc caput de ys,qui votum abstinentiæ fecere voluerint,qui Nazaræi vocantur, hoc est , separati ab vsu vini,& qualibet voluptatum corporalium,quibus Deo consecrati erant triginta illis diebus, quibus durauit separatio & consecratio eorum,haud secus,quàm sacerdotes,qui semper sancti esse iubẽtur,præsertim cum in templo aliquid agendum ab eis fuerit.Vbi autem nostra habent,cum votum fecerint,ad literam est,si mirãdum aliquid fecerint : quasi mirandi sit,cum quis vino & delitys assuetus,votum abstinentiæ fecerit , & carnem suam à delitys subtraxerit.* [b] Sicut pectusculum.] *Hoc est,vna cum pectusculo ventilationis,et armo eleuationis.Armus aliquoties in altum leuabatur,sed pectusculum aliquoties per aera ventilabatur.* [c] Exceptis ijs,quę inuenerit manus eius.] *Sensus est,si locupletior sit,locupletiorem potest adducere hostiam.Nam manum inuenire vel apprehendere aliquid,Hebraismus est , pro suppetere,vel habere, vnde aliquid erogare possis.*

CAPVT VII.

A FActum est autem in die qua compleuit Moyses tabernaculum , & erexit illud : vnxitq; & sanctificauit Exod.40.b cum omnibus vasis suis,altare similiter & omnia vasa eius . Obtulerunt principes Israel & capita familiarum quæ erant per singulas tribus præfecti eorum qui numerati fuerant, munera coràm Domino sex [a] plaustra tecta cum duodecim bobus. Vnum plaustrum obtulère duo duces, & vnum bouem singuli,obtuleruntq; ea in conspectu tabernaculi. Ait autem Dominus ad Moysen, Suscipe ab eis vt [a] seruiant in ministerio tabernaculi,& trades ea Leuitis iuxta ordinem ministerij sui. Itaq; cum suscepisset Moyses plaustra,& boues,tradidit ea Leuitis. Duo plaustra & quatuor boues dedit filijs Gerson,iuxta id quod habebant necessarium , quatuor alia plaustra , & octo boues dedit filijs Merari secundum officia & cultum suum, sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis : filijs autem Caath non dedit plaustra & boues: † eò quòd super se

haberent miniſterium rerum ſanctarum,quas in humeris portabant,Igitur obtulerũt duces in dedicationẽ altaris,die qua vnctum eſt,oblationẽ ſuam ante altare, Dixitq; Dñs ad Moyſen. Singuli duces per ſingulos dies offerãt munera in dedicationem altaris. Primo die obtulit oblationem ſuam Naaſon filius Aminadab de tribu Iuda: fueruntq; in ea [b] acetabulum argẽteum pondo cẽtum triginta ſiclorum, phiala argentea habens ſeptuaginta ſiclos iuxta pondus ſanctuarij,vtrũq; plenum [c] ſimila cõſperſa oleo in ſacrificium:mortariolum ex decem ſiclis aureis plenum incenſo:bouem de armento,& arietem,& agnum anniculũ in holo B
cauſtum:hircumq; pro peccato:& in ſacrificio pacificorũ boues duos, arietes quinq;,[d] hircos quinq; , agnos anniculos quinq;:hæc eſt oblatio Naaſon filij Aminadab. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar dux de tribu Iſſachar,acetabulum argenteum appẽdens centum triginta ſiclos , phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos,iuxta pondus ſanctuarij,vtrunq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium , mortariolum aureum habẽs decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento,& arietem , & agnum anniculum in holocauſtum:hircumq; pro peccato:& in ſacrificio pacificorum boues duos , arietes quinq;, hircos quinq;, agnos anniculos quinq; : hæc fuit oblatio Nathanael filij Suar. Tertio die princeps filiorũ Zabulon Eliab filius Helon,obtulit acetabulum argenteum appẽdens centum triginta ſiclos,phialam argenteam habẽtem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij, vtrunq; plenũ ſimila cõſperſa oleo in ſacrificium:mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenũ incenſo:bouem de armento,& arietem,& agnum anniculum in holo-
cauſtum,hircumq; pro peccato:et in ſacrificio pacificorum boues duos,arietes quinq;,hircos quinq;,agnos C
anniculos quinq,:hæc eſt oblatio Eliab filij Helon. Die quarto princeps filiorum Ruben,Eliſur filius Sedeur obtulit acetabulum argenteum appẽdens centum triginta ſiclos,phialam argenteam habẽtem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij,vtrũq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento,& arietem , & agnum anniculum in holocauſtũ, hircũq; pro peccato: & in hoſtias pacificorũ boues duos, arietes quinq;,hircos quinq;,agnos anniculos quinq;,hæc fuit oblatio Eliſur filij Sedeur. Die quinto princeps filiorũ Simeon Salamiel filius Suriſaddai, obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habẽtem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij,vtrunq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium : mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento,& arietem , & agnum anniculum in holocauſtum:hircumq; pro peccato:& in hoſtias pacificorũ boues duos, arietes quinq; , hircos quinq; : agnos anni- D
culos quinq; : hæc fuit oblatio Salamiel filij Surriſaddai. Die ſexto princeps filiorum Gag Eliaſaph filius Duel,obtulit acetabulum argenteum appẽdens centum triginta ſiclos,phialam argenteam habentẽ ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij, vtrũq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium : mortariolum aureũ appendens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento,& arietem,& agnum anniculum in holocauſtum:hircumq; pro peccato:& in hoſtias pacificorum boues duos,arietes quinq;,hircos quinq;,agnos anniculos quinq;:hæc fuit oblatio Eliaſaph filij Duel. Die ſeptimo princeps filiorum Ephraim Eliſama filius Ammiud,obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argẽteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij,vtrunq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento , & arietem, & agnum anniculum in holocauſtum:hircumq; pro peccato:& in hoſtias pacificorum,boues duos,arieres quinq; , hircos quinque, agnos anniculos quinq; : hæc fuit oblatio Eliſama filij Ammiud. Die octauo princeps filiorum Manaſſe E
Gamaliel filius Phadaſſur,obtulit acetabulum argẽteum appendens centum triginta ſiclos , phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij,vtrũq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificiũ: mortariolũ aureum appendens decem ſiclos plenum incẽſo:bouem de armento,& arietem,& agnum anniculũ in holocauſtum:hircũq; pro peccato:& in hoſtias pacificorũ boues duos, arietes quinq;, hircos quinque,agnos anniculos quinq;. Hæc fuit oblatio Gamaliel filij Phadaſſur. Die nono princeps filiorum Beniamin Abidan filius Gedeonis,obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos, phialam argenteam habẽtem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij,vtrunq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacri ficium:mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo : bouem de armento, & arietem , & agnum anniculum in holocauſtum : hircumq; pro peccato : & in hoſtias pacificorum boues duos , arietes quinque,hircos quinque,agnos anniculos quinque , hæc fuit oblatio Abidan filij Gedeonis. Die decimo princeps filiorum Dan Ahiezer filius Ammiſaddai obtulit acetabulum argenteum appendens centum F
triginta ſiclos,phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij , vtrunq; plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento,& arietem,& agnum anniculum in holocauſtum : hircumq; pro peccato : & in hoſtias pacificorum boues duos,arietes quinq;,hircos quinque,agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Ahiezer filij Ammiſaddai. Die vndecimo princeps filiorum Aſer Phegiel filius Ochran, obtulit acetabulũ argenteum appendens centum triginta ſiclos,phialam argenteam habentẽ ſeptuaginta ſiclos ad pondus ſanctuarij , vtrunque plenum ſimila conſperſa oleo in ſacrificium:mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armẽto,& arietem , & agnum anniculum in holocauſtum:hircumq; pro peccato:& in hoſtias pacificorum boues duos , arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Phegiel filij Ochran. Die duodecimo princeps filiorum Nephthali Ahira filius Enan,obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta ſiclos , phialam argenteam habentem ſeptuaginta ſiclos ad pondus G
ſanctuarij,vtrunque plenum ſimila oleo conſperſa in ſacrificium , mortariolum aureum appendens decem ſiclos plenum incenſo:bouem de armento,& arietem,& agnum anniculum in holocauſtum: hircumq; pro peccato: & in hoſtias pacificorum boues duos:arietes quinque , hircos quinque , agnos anniculos quinque:

hæc

G hæc fuit oblatio Ahira filij Enan. Hæc in dedicatione altaris oblata ſunt à principibus Iſrael , in die qua cõſecratum eſt:acetabula argentea duodecim,phialæ argenteæ duodecim , mortariola aurea duodecim : ita vt centum triginta ſiclos argenti haberet vna phiala, id eſt,in commune vaſorum omnium ex argento ſicli duo millia quadringenti pondere ſanctuarij : mortariola aurea duodecim plena incenſo,denos ſiclos appendẽtia põdere ſanctuarij , id eſt ſimul auri ſicli cẽtum viginti:boues de armento in holocauſtum duodecim,arietes duodecim,agni anniculi duodecim, & libamẽta eorum:hirci duodecim pro peccato:hoſtiæ pacificorũ,boues viginti quatuor,arietes ſexaginta , hirci ſexaginta,agni anniculi ſexaginta.Hæc oblata ſunt in dedicatione altaris, quando vnctum eſt. Cumq; ingrederetur Moyſes tabernaculum fœderis,vt conſuleret oraculum,audiebat vocẽ loquẽtis ad ſe de propitiatorio, quod erat ſuper arcam teſtimonij inter duos cherubim:vnde & loquebatur ei.

SCHOLIA.

[a] Plauſtra tecta.] *Vt ſcilicet vtenſilia,& veſtimenta ſancta mũdum, et coopertis plauſtris veherentur.* [b] Acetabulum.] *Quod aly paropſidem,aly ſcutellam verterunt:& ſecundum Heb. eſt ſcutella magna & lata.* [c] Simila conſperſa oleo in ſacrificium.] *Intellige oblationem Mincha,cuius ſæpe meminimus, atque hæc duodecies repetitur hoc capite. Hoc enim oblationis genus fiebat ex ſimila & oleo.* [d] Hircos.] *Veneros ſcilicet nempe hædos.*

CAPVT VIII.

A LOcutusq; eſt Dominus ad Moyſen,dicens. Loquere Aaron , & dices ad eum , † dum ordinas lucernas [a] è regione candelabri , ſplendebũt ſeptem illæ lucernæ:fecitq; ſic Aaron,& verſus faciem candelabri fecit aſcendere flammam lucernarum eius,ſicut præceperat Dominus Moyſi:Hęc autem erat factura candelabri : [b] ex auro ductili,tam medius ſtipes quàm cuncta quæ ex vtroque calamorum latere naſcebantur:iuxta exemplum quod oſtendit Dominus Moyſi, ita operatus eſt candelabrum. Et locutus eſt Dominus ad Moyſen,dicens. Tolle Leuitas ex medio filiorum Iſrael , & purificabis eos iuxta hunc ritum. Aſpergantur aqua luſtrationis,& radant omnes pilos carnis ſuæ. Cumq; lauerint veſtimenta ſua, & mundati fuerint,tollent bouem de armentis,& libamentum eius † nempe ſimilam oleo conſperſam , bouem autem alterum de armento tu accipies pro peccato : & [c] applicabis Leuitas coràm tabernaculo fœderis , conuocatæ omni multitudine filiorum Iſrael.Cumq; Leuitæ fuerint coràm Domino,ponent filij Iſrael manus ſuas ſuper eos,& offeret Aaron Leuitas , munus in conſpectu Domini à filijs Iſrael, vt ſeruiant in miniſterio eius. Leuitę quoq; ponent manus ſuas ſuper capita boum,è quibus vnum facies pro peccato,& alterum in holocauſtum Domini , vt depreceris pro eis:ſtatuesq; Leuitas in conſpectu Aaron & filiorum eius , & conſecrabis oblatos Domino,ac ſeparabis de medio filiorum Iſrael vt ſint mei:& poſtea [d] ingrediantur tabernaculũ B
fœderis vt ſeruiant mihi.Sicq; purificabis & conſecrabis eos in oblationem Domini,quoniam † dati & traditi ſunt mihi à filijs Iſrael.Pro primogenitis quæ aperiunt omnem vuluam in Iſrael , accepi eos.Mea ſunt enim omnia primogenita filiorum Iſrael,tam ex hominibus quàm ex iumentis. Ex die quo percuſſi omne primogenitum in terra Ægypti , ſanctificaui eos mihi : & tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Iſrael,tradidiq; eos dono Aaron & filijs eius de medio filiorum Iſrael , vt ſeruiãt mihi pro Iſrael in tabernaculo fœderis , & orent pro eis ne ſit in populo plaga , ſi auſi fuerint accedere ad ſanctuarium. Feceruntq; Moyſes & Aaron & omnis multitudo filiorum Iſrael ſuper Leuitas quæ præceperat Dominus Moyſi : puri- D
ficatiq; ſunt,& lauerunt veſtimenta ſua.Eleuauitq; eos Aaron in conſpectu Domini,& orauit pro eis vt purificati ingrederentur ad officia ſua in tabernaculum fœderis coràm Aaron & filijs eius. Sicut præceperat Dominus Moyſi de Leuitis,ita factum eſt. Locutusq; eſt Dominus ad Moyſen,dicens. Hęc eſt lex Leuitarum. A vigintiquinque annis,& ſupra,ingredientur vt miniſtrẽt in tabernaculo fœderis. Cumq; quinquageſimum annum ætatis impleuerint , ſeruire ceſſabunt , eruntq; [e] miniſtri fratrum ſuorum in tabernaculo fœderis,vt cuſtodiant quæ ſibi fuerint commendata , opera autem ipſa non faciant , ſic diſpones Leuitas in cuſtodijs ſuis.

SCHOLIA.

[a] E regione candelabri.] *Vocatur hic medius candelabri ſtipes candelabrum,quem ſcriptura vocat medium calamum.* [b] Ex auro ductili.] *Vel,ex auro integro, hoc eſt , ex vna maſſa productum , non per fragmenta & membra compoſitum.* [c] Applicabit Leuitas.] *Moſes applicuit eos ad Dominum , tanquam ſacrificium : filij vero Iſrael imponebant eis manus,& Aaron ventilauit eos,hoc eſt,ad omnes plagas mouit eos veluti oblationem,quam Iſraelitæ ex ſeipſis ſegregauerant Domino : & hoc eſt,quod ait,Aaron obtuliſſe Leuitas munus ſiue oblationem in conſpectu Domini.* [d] Ingrediantur tabernaculum.] *In tabernaculum illud aureum,non ingrediebantur Leuitæ omnes,ſed tantum ſacerdotes. Atrium autẽ hic intelligit,in quo altare holocauſtorum erat,& lauacrum,& vaſa ad mactationem ſacrificiorum : illuc ingrediebantur Leuitæ ſoli,& nullus reliquorum Iſraelitarum;ſed offerebant oblationes ad oſtium tabernaculi,quo nomine nuncupatur totum illud ſanctuarium,incluſum velis,& columnis totius atry circum tabernaculum aureum diſpoſitis.* [e] Miniſtri fratrum.] *Leuitæ emeritæ militiæ inbentur aliis ſeruire Leuitis,ſed ad ferenda onera tabernaculi,cum tabernaculum trãsferetur,amplius non coguntur.*

CAPVT IX.

A LOcutusq; eſt Dominus ad Moyſen in deſerto Sinai anno ſecundo , poſtquam egreſi ſunt de terra Ægypti menſe primo,dicens. Faciant filij Iſrael phaſe in tempore ſuo,quartadecima die menſis huius ad veſperam iuxta omnes ceremonias & iuſtificationes eius. Præcepitq; Moyſes filijs Iſrael vt facerent phaſe. Qui fecerunt paſcha primo menſe:quartadecima die menſis ad veſperam in monte Sinai. Iuxta omnia quæ mãdauerat Dominus Moyſi,fecerunt filij Iſrael . Ecce autem quidam [a] immundi ſuper anima hominis,qui non poterant facere phaſe in die illo , accedentes ad Moyſen & Aaron , dixerunt eis. Immundi

sumus super anima hominis, quare fraudamur vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore B
suo inter filios Israel? Quibus respondit Moyses. State, vt consulam quid præcipiat Dominus de vobis. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Loquere filijs Israel. Homo qui fuerit immundus super anima,
siue in via procul [b] † siue in generationibus vestris, faciat phase Domino in mense secundo, quartadecima
die mensis ad vesperam: cum azymis & lactucis agrestibus comedent illud: non relinquent ex eo quippiam
vsq; mane, & [c] os eius non confringent, omnem ritum phase obseruabunt. Si quis autem & mundus est, &
Exod. 12.g in itinere non fuit, & tamen nō fecit phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Do-
Ioan. 19.f mino nō obtulit tempore suo: peccatum suum ipse portabit. Peregrinus quoq; & aduena si fuerint apud C
vos † si facient phase Domino: iuxta ceremonias, & † iuxta morem eius facient. Præceptum idem erit apud
vos tam aduenæ, quàm indigenæ. Igitur die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes † super te-
ctum testimonij. A vespere autem super † tabernaculū erat quasi species ignis vsque manè: sic fiebat iugiter:
per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. Cumq; ablata fuisset nubes quæ taberna-
Exod. 40.b culum protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel, & in loco vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur. Ad
imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum. Cunctis diebus quibus
1. Cor. 10.a stabat nubes super tabernaculum, manebant in eodem loco: & si euenisset vt multo tempore maneret su- D
per illud, erant filij Israel in excubijs Domini, & non proficiscebantur quotquot diebus fuisset nubes super
tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. Si fuisset nu-
bes à vespere vsq; ad manè, & statim diluculo tabernaculum reliquisset, proficiscebantur: & si post diem &
noctem recessisset, proficiscebantur. Si verò biduo aut vno mense vel longiori tempore fuisset super taber-
naculum, manebant filij Israel in eodem loco, & non proficiscebantur: statim autem vt recessisset, mouebāt
castra. Per verbum Domini figebant tentoria, & per verbum illius proficiscebātur: erantq; in excubijs Do-
mini iuxta imperium eius per manum Moysi.

SCHOLIA.

[a] Immundi super anima.] *Immundum esse super anima hominis. est contraxisse irregularitatem quandam ex contactu vel hominis immūdi, vel cadaueris. Et vide, Vt ne hoc quidem discutere voluit Moses, ac pro arbitrio ferre sententiā, sed consuluit sententiam Domini.* [b] Siue in generationibus vestris.] *Ferunt per hæc verba notari eos, qui vel ob fluxū, vel ob menstrua, aut puerperium sunt immundi.* [c] Os eius non confringent.] *Hoc completum est in seruatore Christo, vt scribit Ioannes Euangelista.*

CAPVT X.

LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare A
possis multitudinē quando mouenda sunt castra. Cumq; increpueris tubis, cōgregabitur ad te omnis
turba ad ostium tabernaculi fœderis. [a] Si semel clanxeris, venient ad te principes, & capita multitudi-
nis Israel. Si autem prolixior atq; concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam: in secundo autem sonitu & pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria qui habitant ad meridiem: &
iuxta hunc modum reliqui facient vlulantibus tubis in profectionem. Quando autem congregandus est po
pulus, simplex tubarum clangor erit, non concise vlulabunt. Filij autem Aaron sacerdotes clangent tubis:
eritq; hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra
hostes qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo B
vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis † lætitiam, & dies festos, & ca-
lēdas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri: ego Do-
minus Deus vester. Anno secundo, mense secundo, vicesima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo
fœderis: profectiq; sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan.
Moueruntq; castra † primum iuxta imperium Domini per manum Moysi. Filij Iuda † primo loco per
Sup. 1.a turmas suas, quorum princeps erat Naasson filius Aminadab. In tribu filiorum Issachar fuit princeps Na-
thanael filius Suar. In tribu Zabulon erat princeps Eliab filius Helon. Depositumq; est tabernaculum,
quod portantes egressi sunt filij Gerson & Merari. Profectiq; sunt & filij Ruben, per turmas & ordinem C
suum, quorum princeps erat Helisur filius Sedeur. In tribu autē filiorum Simeon, princeps fuit Salamiel
filius Surisaddai. Porrò in tribu Gad erat princeps Eliasaph filius Duel. Profectiq; sunt & Caathitæ portā
tes sanctuarium. † Et illi erexerunt tabernaculum, donec isti venirēt. Mouerūt castra & filij Ephraim per
turmas suas, in quorum exercitu princeps erat Elisama filius Ammiud. In tribu autem filiorum Manasse
princeps fuit Gamaliel filius Phadassur: & in tribu Beniamin erat dux Abidā filius Gedeonis. Nouissimi
castrorum omnium profecti sunt filij Dan per turmas suas, in quorum exercitu princeps fuit Ahiézer filius
Ammisaddai. In tribu autem filiorum Aser erat princeps Phegiel filius Ochram. Et in tribu filiorum
Nephtali princeps fuit Ahira filius Euan. Hæc sunt castra, & profectiones filiorum Israel per turmas suas D
quando egrediebantur. Dixitq; Moyses [c] Hobab filio Raguel Madianitæ cognato suo. Proficiscimur ad
locum quem Dominus daturus est nobis: veni nobiscū vt benefaciamus tibi, quia Dominus bona promisit
Israeli. Cui ille respondit. Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum. Et ille. Noli,
inquit, nos relinquere: tu enim nosti in quibus locis per desertū castra ponere debeamus, & eris ductor no-
ster. Cumq; nobiscum veneris, quicquid † bonum fuerit ex opibus quas nobis traditurus est Dns, dabimus
tibi. Profecti sunt ergo de monte Domini viam trium dierū, arcaq; fœderis Domini præcedebat eos per dies
tres, prouidens castrorum locum. Nubes quoq; Dni super eos erat per diē cum incederent. Cumq; eleua-
Psal. 67.a retur arca, dicebat Moyses. Surge Dne, & dissipentur inimici tui, & fugiant qui oderunt te à facie tua. Cum
autem deponeretur, aiebat. Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Si semel clanxeris.] *Principes alacriores semper esse debent, neq; repetita monita expectare. Sequuntur qui ad orientis plagam sunt, quos amplius illustrauit oriens ex alto: at septentrionales pigriores, sæpius repetitis egent monitis.* [b] Et illi erexerunt.] *Videlicet filij Gerson, & filij Merari, qui præcedebant, erexerunt tabernaculum in loco, vbi nubes resedit, donec venirent filij Caahath, sanctā portantes.* [c] Hobab.] *secundum Heb. iste fuit iethro, socer Mosis, qui à patre suo quoque vocatur Raguel. Rogat autem hunc Moses, Vt ei sua prudentia opituletur: quo exemplo ad monemur, ita committenda esse vitam omnem nostram Deo, Vt tamen non contemnamus humanum auxilium, dum præsto est.*

CAPVT XI.

A INterea ortum est murmur populi, quasi dolentiū † displicuitq; in auribus Dni & audiens, iratus est. Et
accensus in eos ignis Dni, deuorauit [a] extremam castrorum partem. Cumq; clamasset populus ad Moy-
sen, orauit Moyses ad Dnm, & absorptus est ignis. Vocauitq; nomen loci illius Incensio: eò q; succensus
fuisset contra eos ignis Dni, † porrò vulgus promiscuum, quod ascenderat cū eis, flagrauit desyderio carniū
sedens & flens, iunctis sibi pariter filijs Israel, & ait. Quis dabit nobis ad vescēdum carnes? Recordamur pi 1. Cor. 10.a
sciū quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentē nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq;, & cę-
B pe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man. Erat autē Man [b] quasi semen
coriandri coloris bdelij. Circuibatq; populus, & colligens illud, frangebat mola, siue terebat in mortario, co Exod. 16.c
quens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleari. Cumq; descenderet nocte super castra ros, Sapiē. 16.c
descendebat pariter & Man. Audiuit ergo Moyses flentem populū per familias, singulos per ostia tētorij sui. Psal. 77.c
Iratusq; est furor Dni valde, sed & Moysi intolerāda res visa est, & ait ad Dnm. Cur afflixisti seruum tuū? Ioan. 6.d
quare non inuenio gratiam coràm te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Nūquid ego
C cōcepi oēm hanc multitudinē, vel genui eā, vt dicas mihi. Porta eos in sinu tuo sicut portare solet nutrix in-
fantulum, & defer in terrā pro qua iurasti patribus eorū? Vnde mihi carnes vt dem tantæ multitudini? Flent
coràm me, dicētes. Da nobis carnes vt comedamus. Nō possum solus sustinere oēm hunc populū † cum gra
uior me sit. Si tu sic agis mecū, obsecro vt interficias me, & inueniā gratiā in oculis tuis, ne tātis afficiar ma-
lis. Et dixit Dns ad Moysen. Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti q; senes populi
sint ac magistri: & duces eos ad † tabernaculū fœderis, faciesq; ibi stare tecum, vt descendā & loquar tibi, &
D [c] auferam de spiritu tuo, tradamq; eis, vt sustentent tecum onus populi, & nō solus graueris. Populo quoque
dices. Sanctificamini: cras comedetis carnes: ego enim audiui vos dicere. Quis dabit nobis escas carniū? bene
nobis erat in Ægypto. Vt det vobis Dns carnes, & comedatis: nō vno die nec duobus, vel quinq; aut decem,
nec viginti quidem, sed vsq; ad mensem dierū, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eò q; re-
puleritis Dnm qui in medio vestri est, & fleueritis coràm eo, dicētes. Quare † sic egressi sumus ex Ægypto?
Et ait Moyses. Sexcenta millia pedituū huius populi sunt: & tu dicis. Dabo eis esum carniū mense integro?
E nunquid ouium & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum: vel omnes pisces maris in vnum
congregabuntur, vt eos satient? Cui respondit Dns. Nūquid manus Dni inualida est? Iam nunc videbis vtrū Ioan. 6.b
meus sermo opere compleatur. Venit igitur Moyses, & narrauit populo verba Domini, congregans septua-
ginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditq; Dns per nubem, & locutus est Esa. 59.a
ad eum, auferēs de spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cumq; requieuisset in eis spiritus, pro
phetauerunt, nec vltra cessauerunt. Remanserant autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad,
F & alter Medad, super quos requieuit spiritus: nam & ipsi descripti fuerant, & non exierāt ad tabernaculum.
Cumq; prophetarent in castris, cucurrit puer, & nuntiauit Moysi, dicens. Eldad & Medad prophetant in ca-
stris. Statim Iosue filius Nun, minister Moysi, & electus è pluribus, ait. Dāc mi Moyses prohibe eos. At ille.
Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus propheter, & det eis Dns spiritum suum? Re-
uersusq; est Moyses, & maiores natu Israel in castra. Ventus autem egrediēs à Domino arreptas trās mare
coturnices detulit, & dimisit in castra itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per Psal. 77.c
G circuitum, volabantq; in aere duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo, &
nocte, ac die altero, congregauit coturnices: qui parum, decem choros: [d] & † expanderūt eas per gyrum ca-
strorum. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini cō
citatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusq; est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: Psal 77.c
ibi enim sepelierunt populum, qui desyderauerat. Egressi autem de sepulchris concupiscentiæ, venerunt in
Aseroth, & manserunt ibi.

SCHOLIA.

[a] Extremam castrorū partem.] *Quidā intelligunt eos, qui infimum in castris tenebāt locum, Vt erat vulgus promiscuum, quod primū cœpit tædere & murmurare contra Dominū, fortasse præsertim ex Aegyptys fuere, qui secuti fuerant Israelitas.* [b] Quasi semē coriandri.] *De hoc quoq; habes Exodi decimosexto, nisi quod hic additur, habens speciē bdellij, quod quidā gemmam albā esse dicunt, alij margaritū album. Cadebat nāq; manna in modū minutissimorū granorum aborū quæ tam cocta quàm incocta comedi poterant.* [c] Auferā de spiritu tuo.] *Non quòd tu postea minor sis futurus, sed tollam de spiritu tuo, sicut multi ab vna lucerna tollunt ignem, & tamen lucerna nihil perdit.* [d] Et expanderunt eas.] *Suspenderunt eas in tabernaculis, Vt omnia loca plena auibus cernerentur, nutrientes illas, donec maiorem partem deuorauerunt.*

CAPVT XII.

A LOcutaq; est [a] Maria & Aaron contra Moysen propter vxorem eius Æthiopissam, & dixerunt. Nū per
solum Moysen locutus est Dominus? nonne, & † per nos similiter est locutus? † Et audiuit Domi-
nus. Erat autem Moyses [b] vir mitissimus super omnes homines qui morabantur in terra. Statim lo-
cutus est Dominus ad eum, & Aaron, & Mariam. Egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis.

Cumq; fuiſſent egreſsi, deſcendit Dominus in columna nubis, & ſtetit in introitu tabernaculi vocãs Aaron, B
Marian. Qui cum iſſent, dixit ad eos. Audite ſermones meos. Si quis fuerit inter vos prophęta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad illum. At non talis ſeruus meus Moyſes, qui in omni domo
Hebr. 3. a mea fideliſsimus eſt: [c] ore enim ad os † loquar ei palàm, & non per ænigmata & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuiſtis detrahere ſeruo meo Moyſi? Iratusq; contra eos, abijt. Nubes quoq; receſsit, quæ C
erat ſuper tabernaculum. Et ecce Maria apparuit candẽs lepra quaſi nix. Cumq; reſpexiſſet eam Aaron, & vidiſſet perfuſam lepra, ait ad Moyſen. Obſecro domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod ſtultè cõ
miſimus, ne fiat hęc [d] quaſi mortua, & vt abortiuum quod proijcitur de vulua matris ſuæ: & cuius medium
carnis deuoratum eſt. Clamauitq; Moyſes ad Dominum, dicens. Deus obſecro ſana eam. Cui reſpondit Do- D
minus. Si pater eius ſpuiſſet in faciem illius, nonne debuerat ſaltem ſeptem diebus rubore ſuffundi? Separetur ſeptem diebus extra caſtra, & poſteà reuocabitur. Excluſa eſt itaq; Maria extra caſtra ſeptem diebus: &
populus non eſt motus de loco illo donec reuocata eſt Maria.

SCHOLIA.

[a] Maria & Aaron.] *Præponitur hic Maria ipſi Aaron, ſed in re criminoſa. Et vide, vt pulchrè hic ſynagoga, & eccleſia ex gentibus congregata ſignentur, Maria ſoror Moſis, hoc eſt, Iſrael ſecundum carnem murmurat ob Aethiopiſſam, ob gratiam datam gentibus.* [b] Vir mitiſsimus.] *Hebræi exponunt pro humili. Licet enim Dominus loqueretur cum eo ore ad os, non iccircò ſuperbiebat, ſed omnibus mortalibus humilior erat: quin et cum frater & ſoror illo audiente ei detraherent, Vir humilis tacuit, & non irritabatur.* [c] Ore ad os.] *Vbi Moſes accepit Aethiopiſſam, Chriſtus eccleſiam, locutus eſt ei ore ad os, hoc eſt, reuelauit ſcripturæ arcana, & non in ænigmate, ac velamine literæ, & Maria, hoc eſt, Synagoga facta eſt leproſa, &c. Non mouentur etiam caſtra ſeptem diebus, dum Maria leproſa eſt, quia nullus eſt profectus in populo Iſrael, dum ſynagoga errore incredulitatis tãquàm leprę macula aſperſa eſt.* [d] Quaſi mortua.] *Comparatur leproſus mortuo, quòd ab hominibus ob immunditiam ſuam quaſi mortuus excludatur.*

CAPVT XIII.

PRofectusq; eſt populus de Aſeroth fixis tẽtorijs in deſerto Pharan. Ibiq; locutus eſt Dominus ad Moy- A
ſen; dicens. Mitte viros, qui conſyderent terrã Chanáan, quam daturus ſum filijs Iſrael, ſingulos de ſingulis tribubus ex principibus. Fecit Moyſes quod Dominus imperauerat, de deſerto Pharan mittens
Principes viros, quorum iſta ſunt nomina. De tribu Ruben, Sammua filium Zechur. De tribu Simeon, Saphat filium Huri. De tribu Iuda, Caleb filium Iephone. De tribu Iſſachar, Igal filium Ioſeph. De tribu
Ephráim, Oſee filium Nun. De tribu Beniamin. Phalti filium Raphu. De tribu Zabulon, Geddiel filium Sodi. De tribu Ioſeph, [a] ſceptri Manaſſe, Gaddi filium Suſi. De tribu Dan, Ammiel filium Gemalli. De
tribu Aſer, Sthur filium Michael. De tribu Nephthali, Nahabi filium Vapſi. De tribu Gad, Guel filium B
Machi: hæc ſunt nomina virorum quos miſit Moyſes ad conſyderandam terram: vocauitq; Moyſes Oſee filium Nun, Ioſue. Miſit ergo eos Moyſes ad conſyderandam terram Chanáan, & dixit ad eos. Aſcẽdite ad meridianam plagam. Cumq; veneritis ad montes, conſyderate terram qualis ſit: & populum qui inhabitator eſt
eius, vtrum fortis ſit an infirmus, pauci numero an plures: ipſa terra, bona an mala: vrbes quales, muratæ, an abſq; muris: humus, pinguis an ſterilis, nemoroſa an abſq; arboribus. Confortamini & afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quando iam † incipiebant vuæ matureſcere. Cumq; aſcẽdiſſent, explorauerunt terram à deſerto Sin, vſq; Rohob intrantibus Emath. Aſcenderuntq; ad meridiem & venerunt in He- C
bron, vbi erant Achiman & Siſai & Tholmai filij Enach: nam Hebron ſeptem annis ante Tanim vrbẽ Ægy
Deute. 1. a pti condita eſt. Pergẽtesq; vſq; ad torrentem botri, abſciderunt palmitem cum vua ſua, quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoq; granatis & de ficis loci illius tulerunt, qui appellatus eſt Nehaleſchol, id eſt
Torrẽs botri, eò quòd botrũ portaſſent inde filij Iſrael. Reuerſiq; exploratores terræ poſt quadraginta dies, omni regione circuita, venerunt ad Moyſen, & ad Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Iſrael in deſertum
Pharan quod eſt in Cades. Locutiq; eis & omni multitudini oſtenderunt fructus terræ, & narrauerunt, dicentes. Venimus in terram ad quam miſiſti nos, quæ reuerà fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognoſci po- D
teſt: ſed cultores fortiſsimos habet, & vrbes grandes atq; muratas. Stirpem Enach vidimus ibi. Amalech habitat in meridie, & Hethæus, & Iebuſæus, & Amorrhæus in montanis. Chananæus verò moratur iuxta mare
& circa fluenta Iordanis. Inter hæc Caleb compeſcens murmur populi qui oriebatur contra Moyſen, ait. Aſcendamus, & poſsideamus terram: quoniam poterimus obtinere eam. Alij verò, qui fuerant cum eo, dicebant. Nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere, quia fortior nobis eſt. Detraxeruntq; terræ quã
inſpexerant, apud filios Iſrael, dicentes. Terra, quam luſtrauimus, [b] deuorat habitatores ſuos: populus quem aſpeximus proceræ ſtaturæ eſt: ibi vidimus monſtra quædam filiorum [c] Enach de genere giganteo, quibus
comparati, quaſi locuſtæ videbamur.

SCHOLIA.

[a] Sceptri Manaſſe.] *Erat quidem tribus Manaſſe, ſed aſcribitur hic patri, nempè Ioſeph.* [b] Deuorat habitatores.] *Quaſi dicerent, quocunq; venimus vidimus ſepeliri mortuos.* [c] Enach.] *Fuit is homo nominatiſsimus, & celeberrimus propter corporis vaſtitatem, vt paſsim fama eius diuulgaretur illis ſæculis per orbem terrarum.*

CAPVT XIIII.

IGitur vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & † murmurauerunt contra Moyſen & Aaron cuncti filij A
Iſrael dicentes. Vtinam mortui eſſemus in Ægypto, & non in hac vaſta ſolitudine. Vtinam † mortui eſſemus in Ægypto, aut in hac ſolitudine pereamus, & non inducat nos Dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi noſtri ducantur captiui. Nonne melius eſt reuerti in Ægyptum? Dixeruntq;
alter ad alterum. Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Quo audito Moyſes, & Aaron

ceciderunt proni in terram coràm omni multitudine filiorum Iſrael. At verò Ioſue filius Nun, & Caleb fi- Eccl. 46. b
lius Iephone, qui & ipſi luſtrauerunt terram, ſciderunt veſtimenta ſua, & ad omnem multitudinem filiorum 1. Mac. 2. f
B Iſrael locuti ſunt. Terra, quam circuiuimus, valde bona eſt: ſi propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam
& trãdet humum lacte & melle manantem. Nolite rebelles eſſe contra Dominum, neq; timeatis populum terræ huius, quia ſicut panem ita eos poſſumus deuorare, receſsit ab eis omne præſidium, Dominus nobiſcũ
eſt, nolite metuere eos. Cumq; clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini † in tabernaculo fœderis cunctis filijs Iſrael. Et dixit Dominus ad Moyſen, vſquequo detrahet
mihi populus iſte? Quouſq; non credent mihi in omnibus ſignis, quæ feci coràm eis? Feriam igitur eos peſtilentia atq; conſumam: te autem faciam principem ſuper gentem magnam, & fortiorem quàm hæc eſt. Et
C ait Moyſes ad Dominum. † At audient Ægyptij de quorum medio † in virtute tua eduxiſti populum iſtũ: Exod. 32. c
& habitatores terræ huius qui audierunt quòd tu Domine in populo iſto ſis, & facie videaris ad faciem, & nu- Exod. 13. d
bes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: quòd occideris tantam multitudinem quaſi vnum hominem, & dicant. Non poterat introducere populum in terrã
pro qua iurauerat: iccircò occidit eos in ſolitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini ſicut † locutus es, Pſal. 102. b
dicens. Dominus patiens & multæ miſericordię, auferens iniquitatem & ſcelera, [a] nullumq; innoxium † re-
linquens, viſitans peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Dimitte obſecro peccatum
D populi tui huius ſecundum magnitudinem miſericordiæ tuę, ſicut propitius fuiſti egredientibus de Ægypto
vſq; ad locum iſtum. Dixitq; Dominus. Dimiſi iuxta verbum tuum. Viuo ego: & implebitur gloria Domini vniuerſa terra. Attamen omnes homines qui viderunt maieſtatem meam & ſigna, quæ feci in Ægypto &
in ſolitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram pro
qua iurauí patribus eorum, nec quiſquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Seruum meum Caleb Ioſue 14. b
qui plenus alio ſpiritu ſecutus eſt me, inducam in terram hanc quam circuiuit, & ſemen eius poſsidebit eam.
[b] Et Amalechiten, & Chananæum habitantes in vallibus. Cras mouete caſtra, & reuertimini in ſolitudinem
E per viam maris rubri. Locutusq; eſt Dominus ad Moyſen & Aaron dicens. Vſquequo multitudo hæc peſſi- Pſal. 105. c
ma murmurat contra me? querelas filiorum Iſrael audiui. Dic ergo eis. Viuo ego ait Dominus, ſicut locuti
eſtis audiente me, ſic faciam vobis. In ſolitudine hac iacebunt cadauera veſtra. Omnes, qui numerati eſtis à vi- Deut. 1. f
ginti annis & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram ſuper quam leuaui manum meam, vt Ioſue 3. c. d
habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone & Ioſue filium Nun. Paruulos autem veſtros de quibus
dixiſtis quòd prædę hoſtibus forent, introducam, vt videant terram, quę vobis diſplicuit. Veſtra cadauera ia-
cebunt in ſolitudine. Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & [c] portabunt fornicationem ve-
F ſtram, donec conſumantur cadauera patrum in deſerto, iuxta numerum quadraginta dierum quibus conſyderaſtis terram, annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras, & ſcietis vltio Pſal. 94. d
nem meam: quoniam ſicut locutus ſum, ita faciam omni multitudini huic peſsimæ, quæ conſurrexit aduerſum me: in ſolitudine hac deficiet & morietur. Igitur omnes viri quos miſerat Moyſes ad contemplandam
terram, & qui reuerſi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes terræ, quòd eſſet
mala, mortui ſunt atq; percuſsi in conſpectu Domini. Ioſue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone vixe- 1. Cor. 10. b
runt ex omnibus qui perrexerant ad conſyderandam terram. Locutusq; eſt Moyſes vniuerſa verba hæc ad Heb. 3. d
G omnes filios Iſrael, & luxit populus nimis. Et ecce manè primò ſurgentes, aſcẽderunt verticẽ montis: atq; di- Iudæ 1. b
xerunt. Parati ſumus aſcendere ad locum de quo Dominus locutus eſt: quia peccauimus. Quibus Moyſes.
Cur, inquit, tranſgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in proſperum? Nolite aſcendere, non
enim eſt Dominus vobiſcũ: ne corruatis coràm inimicis veſtris. Amalechiten, & Chananæus ante vos ſunt,
quorum gladio corruetis, eò q; nolueritis acquieſcere Domino, nec erit Dominus vobiſcum. [d] At illi contenebrati † pertinaciter aſcẽderunt in verticem montis. Arca autem teſtamenti Domini & Moyſes nõ receſſe-
runt de caſtris. Deſcenditq; Amalechiten, & Chananæus qui habitabant in monte: & percutiens eos atq; cõ-
cidens, perſecutus eſt eos vſq; Horma.

SCHOLIA.

[a] Nullumq; innoxium relinquens.] *Coràm cuius iuſto iudicio, nemo ſe pro innocente vendicare præſumit. Et nota, hic apertè dici verba iſti, ſcilicet, Dominus patiens &c. eſſe verba Dei, quæ etiã Exodi xxxiiij. eadem ferè poſita ſunt. Illud autem, nullum innoxium relinquens, alij ſic exponunt. Reſipiſcentes innocentes facit, non pœnitentes non facit innocentes.* [b] Et Amalechiten.] *Senſus eſt. Amalech, & Chananæus habitant in vallibus, ideo reuertimini alia via in deſertum, ne occidant vos. Alij coniungunt ſuperiori, quòd ſcilicet Caleb, & ſemen eius poſſeſſurus eſſet eos.* [c] Portabunt fornicationem veſtrã.] *Ipſi ferent peccata veſtra, & ego viſitabo iniquitatem patrum in filijs.* [d] At illi contenebrati.] *Vel, præſumentes. Erat vltra montem illum terra Iſraelitis promiſſa, ad quam etiam renuente Domino contendebant. Cogita verò, vt animus pertinax erret, etiam tunc, cum rectè ſe facere exiſtimat.*

CAPVT XV.

A ET locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens. Loquere ad filios Iſrael, & dices ad eos. Cum ingreſsi fueritis terram habitationis veſtrę quam ego dabo vobis, & feceritis oblationem Domino in holocauſtum
aut victimam pacificam vota ſoluentes, vel ſponte offerentes munera, [a] aut in ſolennitatibus veſtris
adolentes odorem ſuauitatis Domino, de bobus ſiue de ouibus: offeret quicunq; immolauerit victimam, ſacrificium ſimilæ decimam partem ephi conſperſam oleo, quod menſuram habebit quartam partem hin, &
vinum † pro libamine eiuſdem menſuræ dabit † cum holocauſto aut alio ſacrificio, pro agno vno, & pro
ariete erit ſacrificium ſimilæ duarum decimarum, quæ conſperſa ſit oleo tertiæ partis hin, & vinum ad liba-
B mentum tertiæ partis eiuſdem menſuræ offeret in odorẽ ſuauitatis Domino. Quando verò de bobus feceris

holocauſtum

holocaustum aut hostiam,vt impleas votum vel pacificas victimas, dabis per singulos boues similæ tres decimas conspersæ oleo,quod habeat medium mensuræ hin,& vinum † pro libamine eiusdē mensuræ in oblationem suauissimi odoris Domino. [b] Sic facies per singulos boues & arietes & agnos & hœdos. Tam indigenæ quàm peregrini eodem ritu offerent sacrificia:† ò synagoga,vnum præceptum, statutumq; perpetuũ in generationibus vestris erit,tam vobis quàm aduenis terræ. † Et locutus est Dominus ad Moysen,dicens. Loquere filijs Israel & dices ad eos. Cum veneritis in terram quam dabo vobis,& comederitis de panibus regionis illius,[c] separabitis primitias Domino de cibis vestris. Sicut de areis primitias separabitis,ita & de † prima farinæ conspersione dabitis primitiua Dño. Quòd si per ignorantiã præterieris quicquam horum, quæ locutus est Dñs ad Moysen,& mandauit per eũ ad vos,à die qua cœpit iubere & vltrà, oblitaq; fuerit facere multitudo: offeret vitulum de armento holocaustum in odorẽ suauissimũ Dño,& † oblationẽ eius ac libamen, vt ceremoniæ postulant,hircumq; pro peccato,& rogabit sacerdos pro omni multitudine filiorum Israel:& dimittetur eis,quoniam non sponte peccauerunt, nihilominus offerẽtes † oblationẽ suam sacrificiũ Dño pro se & pro peccato atq; errore suo:& dimittetur vniuersæ plebi filiorum Israel, & aduenis qui peregrinãtur in ter eos,quoniam culpa est omnis populi per ignorantiam. Quòd si anima vna nescięs peccauerit,offeret Capram anniculam pro peccato suo,& deprecabitur pro ea sacerdos, ꝙ insciа peccauerit coràm Domino: impetrabitq; ei veniam,& dimittetur illi. Tam indigenis quàm aduenis vna lex erit omnium qui peccauerint ignorantes. Anima verò,quæ per superbiam aliquid commiserit,siue ciuis sit ille,siue peregrinus,† [d] Dominum ille blasphemauit,peribit de populo suo,verbum enim Domini contẽpsit, & præceptũ illius fecit irritum:iccircò delebitur & portabit iniquitatẽ suam. Factũ est autẽ,cum essent filij Israel in solitudine & inuenissent hominẽ colligentẽ ligna in die sabbati,obtulerunt eum Moysi & Aaron & vniuersæ multitudini. Qui recluserunt eũ in carcerẽ,nescientes quid super eo facere deberent. Dixitq; Dominus ad Moysen. Morte moriatur homo iste,obruat eum lapidibus omnis turba extra castra. Cumq; eduxissent eũ foras, obruerunt eum lapidibus,& mortuus est sicut præceperat Dominus. Dixit quoq; Dominus ad Moysen. Loquere filijs Israel,& dices ad eos, vt faciant sibi fimbrias † in extremitatibus vestimentorum suorum in generationibus suis,ponentes in eis vittas hyacinthinas:quas cum viderint,recordentur omnium mandatorum Domini, ne sequantur cogitationes suas & oculos per res varias fornicantes, sed magis memores præceptorum Domini faciant ea,sintq; sancti Deo suo. Ego Dominus Deus vester,qui eduxi vos de terra Ægypti, vt essem Deus vester.† Ego Dominus Deus vester.

Deut. 22.b

SCHOLIA.

[a] Aut in solennitatibus vestris.] *Hoc est,etiam ea sacrificia,quæ facere debetis in solennitatibus, facietis hoc ordine, vt iam dicam. Nullum sacrificium fieri debet sine oblatione Minha,& libatione vini. Quæ enim ad refectionem hominis requiruntur,ea Dominus in cibo suo habere voluit: vocatur enim non raro in Leuitico sacrificium Domino factum, cibus Domini. Hæc autem proportio seruari debebat inter sacrificium & oblationem(sacrificium voco,quod ex animalibus fiebat,oblationem verò,quæ ex similа fiebat,& libamen,quod ex vino) quando agnus offerebatur, accipiebatur pro oblatione Minha, decima pars similæ hoc est, decima pars mensuræ Ephi,& illa commiscebatur oleo, nempè quarta parte mensuræ Hin: vini quoque quarta pars Hin in phiala pro libamine offerebatur. Sin aries vnus offerretur, alia proportio in similа, oleo, & vino erat seruanda,& tandem subijcit generalem regulam. Qualem(inquit) teneuerus modum in pecoribus, talem obseruabis proportionem in similа,oleo,& vino.* [b] Sic facies per singulos.] *Post illud,& hœdos,in Heb. est. Secundum numerum quem facietis,sic facietis vni secundum numerum eorum. Sed,quia sensus horum verborum includitur, in superiori clausula, non inseruimus hæc verba textui, quod & alibi sæpe fecimus,ne huius interpretis morem immutaremus. Nam, & in eo quod sequitur. Tam indigenæ &c. multo longiore in Heb. est verborum ambitus.* [c] Separabitis primitias.] *Hic loquitur scriptura de prima farina in pastum subacta,quòd ex illa munus primitiarum Domino erat faciendum, priusquàm vllus hominum quicquam gustasset de nouo frumento. Quicunque igitur paterfamilias proprium habuit reconditorium, tenebatur offerre placentam, siue tortellam prius, quàm ipse, aut sui nouum gustarent frumentum. Et illa placenta erat quasi census Dei, quo se eius imperio subiectos significabant, & ostendebant se illa ab eo accepisse. Dicunt verò Hebræi, se teneri ad septem species primitiarum, nempè ad triticum, hordeum, vuas, ficus, mala granata, olivas, & dactylos palmarum.*

[d] Dominum ille blasphemauit.] *Notat,eum,qui scienter, & contumaciter transgreditur Dei præceptum, Dei contemptorem, & blasphemum iudicari.*

CAPVT XVI.

Eccl. 45.c
Iudæ 1.b
1.Cor. 10.b

A ECce autem Core filius Isaar, filij Caath,filij Leui, & Dathan atq; Abiron filij Eliab. Hon quoq; filius Pheleth de filijs Ruben, surrexerunt contra Moysen, alijq; filiorum Israel ducenti quinquaginta viri pròceres synagògæ,† magni in congregatione:& viri nominati. Cumq; stetissent aduersum Moysen, & Aaron dixerunt. Sufficiat vobis, † quòd omnes in congregatione sancti sunt, & in ipsis est Dominus:cur eleuamini super populum Domini? Quod cum audisset Moyses,cecidit pronus in faciem: locutusq; ad Core & ad omnem multitudinem. Manè,inquit,notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi, & quos elegerit appropinquabunt ei. Hoc igitur facite. Tollat vnusquisq; thuribula sua, tu Core & omne concilium tuum: & hausto cras igne ponite desuper thymiama coràm Domino, & quemcunque elegerit,ipse erit sanctus: multum † vobis est filij Leui. Dixitq; rursum ad Core. Audite filij Leui. Num parum vobis est,ꝙ separauit vos Deus Israel ab omni populo,& iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi,& staretis coràm frequentia populi & ministraretis ei? iccircò ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Leui,vt vobis etiam sacerdotium vendicetis,& tu ac omnis globus tuus stet contra Dominum? quis est enim Aaron vt murmuretis contra eum? Misit ergo Moyses, vt vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui responderunt. Non venimus:nunquid parum est tibi ꝙ eduxisti nos de terra,quæ lacte & melle manabat,vt occideres

occideres in deserto,nisi & dominatus fueris nostri? Reuera induxisti nos in terram,quæ fluit in riuis lactis,
C & mellis,& dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum, an & oculos nostros vis eruere? non venimus. Iratusq; Moyses valde,ait ad Dominum. Ne respicias sacrificia eorum: tu scis ꝙ nec asellum quidem vnquã acceperim ab eis,nec afflixerim quempiam eorum. Dixitq; ad Core. Tu,& omnis congregatio tua † adeste coràm Domino,tu,inquam,& illi atq; Aaron,idq; die crastino. Tollite singuli thuribula vestra, & ponite su per ea incensum offerentes Domino ducẽta quinquaginta thuribula, Aaron quoq; teneat thuribulum suũ. Quod cũ fecissent,stantibus Moyse & Aaron, & coacerauasset † Core iuxta eos omnẽ multitudinẽ ad ostium tabernaculi,apparuit cunctis gloria Domini. Locutusq; Dominus ad Moysen & Aaron, ait. Separamini de medio congregationis huius,vt eos repẽte disperdam. Qui ceciderunt proni in faciẽ,atq; dixerunt. Fortis-
D sime Deus spirituum vniuersæ carnis,num vno peccante contra omnes ira tua desæuiet? Et ait Dominus ad Moysen. Præcipe vniuerso populo,vt separetur à tabernaculis Core & Dathã & Abiron. Surrexitq; Moyses,& abijt ad Dathan & Abiron:& sequentibus eum senioribus Israel,dixit ad turbam. Recedite à tabernaculis hominum impiorum,& nolite tãgere,quæ ad eos pertinẽt,ne inuoluamini in peccatis eorum. Cumq; recessissent à tentorijs eorum per circuitum, Dathan & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum cum vxoribus & liberis,† & paruulis suis. Et ait Moyses. In hoc scietis ꝙ Dominus miserit me,vt facerẽ vniuersa,quæ cernitis,& non ex proprio ea corde protulerim. Si consueta hominum morte interierint,& visitauerit eos plaga qua & cæteri visitari solent:nõ misit me Dominus:sinautẽ nouam rẽ fecerit Dominus, &
E aperiens terra os suum deglutiat eos & omnia,quæ ad illos pertinẽt, descenderintq; viuẽtes in infernũ, scietis quòd † irritauerint viri isti Dominum. Cõfestim igitur vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus Psal. 105.b
eorum:& aperiens os suum deuorauit illos † & domos eorum,& omnes homines qui erant cum Core, cum Deut. 11.a
vniuersa substantia. Descẽderuntq; viui in infernum operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Israel qui stabat per gyrum fugit à clamore pereuntium, dicẽs. Ne fortè & nos terra deglutiat. Sed & ignis egressus à Domino interfecit [a] ducentos quinquaginta viros qui offerebant incẽsum. Locutusq; est Dominus ad Moysen,dicens. Præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti,vt tollat thuribula, quæ iacent in in cendio,& ignem huc illucq; dispergat:quoniam sanctificata sunt:† thuribula peccatorum istorum sunt pro
F animabus eorum:producatq; ea in laminas & affigat altari, eò quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint,vt cernant ea pro signo & monimento filij Israel. Tulit ergo Eleazar sacerdos thuribula ænea in quibus obtulerant hi quos incendium deuorauit,& produxit ea [b] in laminas affigens altari,vt haberent postea filij Israel quibus commonerẽtur,ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron ad offerẽdum incensum Domino,ne patiatur sicut passus est Core,& omnis congregatio eius loquente Domino ad Moysen. Murmurauit autem omnis multitudo filiorum Israel sequẽti die cõtra Moysen & Aaron, dicẽs. Vos interfecistis populum Domini. Cumq; oriretur seditio & tum ultus increscret † contra Moysen & Aaron,respexerunt ad tabernaculum fœderis. Et ecce, ipsum operuit nubes, & apparuit gloria Domini:
G † & venit Moyses atq; Aaron ante tabernaculum testimonij. Dixitq; Dominus ad Moysen. Recedite de medio huius multitudinis, & † repente delebo eos. Cumque† cecidissent in † faciem suam, dixit Moyses ad Aaron. Tolle thuribulum,& hausto igne de altari mitte incẽsum desuper, pergens citò ad populum vt roges pro eis:iam enim egressa est ira à Domino,& plaga desæuit. Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad
mediam multitudinem quam iam vastabat † plaga, obtulit thymiama: & stans inter mortuos ac viuentes, Sapi. 18.d
pro populo deprecatus est,& plaga cessauit. Fuerunt autem qui percussi sunt quatuordecim millia hominũ & septingenti,absq; his qui perierant in seditione Core. Reuersusq; est Aaron ad Moysen ad ostium tabernaculi fœderis postquam quieuit interitus.

SCHOLIA.

[a] Ducentos quinquaginta viros.] *Hos in seditionem mouit Core, erantq; pro maiori parte ex tribu Ruben, qui cum primogenitus fuerit Iacob,putabant multi successores,sibi deberi sacerdotium,& non filijs Leui. Et quod iubetur ignem spargere hinc inde,sensus est,quòd ignis ex thuribulis effundendus esset,& thuribula in vnum colligenda, quæ in morte peccatorum Domino consecrata erant,& in monimentum filiorum Israel pro altaris operimento seruanda. Nouo autem modo dicuntur sanctificata thuribula per pœnam eorum,à quibus hoc peccatum fuerat perpetratum,quia per eos exemplum datum est cæteris,vt timerent.* [b] In laminas.] *Thuribula ænea Core ac reliquorum,hoc est,verba sonantia æreticorum conflantur in laminas,quibus altare circundatum est,vt clarior sit fidelium doctrina.*

CAPVT XVII.

A ET locutus est Dñs ad Moysen,dicens. Loquere ad filios Israel,& accipe ab eis [a] virgas singulas ꝑ cognationes suas:à cunctis principibus tribuũ virgas duodecim, & vniuscuiusq; nomẽ supscribes virgę suæ: nomẽ autẽ Aaron † scribes sup virgã Leui, [b] & vnaquęque virga,singulas eorũ familias cõtinebit: po-
B nesq; eas in tabernaculo fœderis coràm testimonio,vbi loquor ad † vos:quẽ ex his elegero, germinabit virga eius:& cohibebo à me querimonias filiorũ Israel,quibus cõtra vos murmurant. Locutusq; est Moyses ad filios Israel:& dederũt ei oẽs principes virgas ꝑ singulas tribus, fuerũtq; virgę duodecim absq; virga Aaron.
C Quas cũ posuisset Moyses coràm Dño in tabernaculo testimonij,sequẽti die egressus inuenit germinasse virgã Aaron in domo Leui:& turgẽtibus gẽmis eruperant flores:qui foliis dilatatis, in amygdalas deformati sunt. Protulit ergo Moyses oẽs virgas de cõspectu Dñi ad cũctos filios Israel:viderũtq; , & receperũt singuli virgas
D suas. Dixitq; Dñs ad Moysen. Refer virgã Aaron † ante testimoniũ, vt seruetur ibi in signũ rebellium filiorũ Israel,& quiescant querelæ eorum à me,ne moriantur. Fecitq; Moyses sicut præceperat Dominus. Dixerunt autem filij Israel ad Moysen. [c] Ecce consumpti sumus,omnes perijmus: quicunque accedit ad tabernaculum Domini moritur:num vsq; ad internecionem cuncti delendi sumus?

Scholia

SCHOLIA.

[a] Virgas singulas.] *Hæ singulæ virgæ ab vna & eadem fuerunt amygdalina arbore, & quòd sola virga Aaron floruit, & fructum protulit, voluit Dominus hoc indicio, & magno miraculo ostendere, omnes Israelitarum tribus alienas ess̃e à sacerdotio, nullamq; idoneam, quæ in sancto ministraret, præter vnam tribum Leui: quod agnoscentes dicebant, nos omnes expiramus, deficimus, & morimur, si vel scienter vel ignoranter accesserimus, & ingesserimus nos ministerio templi: vt habet finis huius capitis.* [b] Et vna virga.] *Vel, quoniam vnaquæque virga est pro domo patrum suorum, vt alius vertit. Singuli principes per singulas tribus ascribere iubentur singulis virgis sua nomina, duodecim scilicet, quibus tertiadecima Aaron inscripta nomine pro Leuitis apponitur: nam domus Aaron princeps erat in tribu Leui, iam enim Core damnatio cæteros Leuitas deterruerat, nequis se filijs Aaron præferre auderet.* [c] Ecce consumpti sumus.] *Capienda sunt præterita istorum verborum loco futuri temporis, vt sit sensus, nos omnes interibimus, si amplius ausi fuerimus accedere ad sancta ad quæ non nisi tribus Leuitica est electa.*

CAPVT XVIII.

DIxitq; Dominus ad Aaron. Tu, & filij tui, & domus patris tui tecum [a] portabitis iniquitatem sanctua A
rij: & tu & filij tui simul sustinebitis peccata sacerdotij vestri: sed & fratres tuos de tribu Leui, † & familiã patris tui sume tecum, præstoq; sint & ministrent tibi: † tibi, inquam, & filijs tuis tecum coràm tabernaculo testimonij. Excubabuntq; Leuitæ ad præcepta tua, & ad cuncta opera tabernaculi: ita duntaxat vt ad vasa sanctuarij & altare non accedant, ne & illi moriantur, & vos pereatis simul: sint autem tecum, & excubent in custodijs tabernaculi, & in omnibus ceremonijs eius. Alienigena non miscebitur vobis. Excubate in custodia sanctuarij, & in ministerio altaris: ne oriatur indignatio super filios Israel. Ego tuli fratres vestros Leuitas de medio filiorum Israel, † qui veluti donum vestrum dati sunt Domino, vt seruiant in ministerijs tabernaculi eius. Tu autem & filij tui custodite sacerdotium vestrum: & omnia, quæ ad cultum altaris pertinent, & [b] intra velum sunt, per † vos administrabuntur: † nam veluti munus dedi vobis officium sacerdotale. Si quis externus accesserit occidetur. Locutusq; est Dominus ad Aaron. Ecce dedi tibi [c] custodiam B
† oblationum mearum. Omnia, quæ sanctificantur à filijs Israel, tradidi tibi & filijs tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna. † Hoc autem erit tuum de sancto sanctorum ab igne altaris. Omnis oblatio, & sacrificium, & quicquid pro peccato atq; delicto redditur mihi, † sanctum sanctorum † est, tuum erit, & filiorum tuorum. In sanctuario comedes illud: mares tantum edent ex eo, † sanctum sit tibi. Hoc quoq; tuũ est: oblationem muneris eorum de omnibus: quę eleuanda offerunt filij Israel, tibi dedi, & filijs tuis, ac filiabus tuis iure perpetuo: qui mundus est in domo tua, vescetur eis. Omnẽ medullam olei, & vini, ac frumenti quicquid offerunt primitiarum Domino, tibi dedi. [d] Vniuersa † fructuum initia, † in terra eorũ, & Domino deportantur, cedent in vsus tuos: qui mundus est in domo tua, vescetur eis. † Omne quod in Israel velut anathema abdicatum fuerit: tuum erit. Quicquid primum erumpet è vulua cunctę carnis, quam offerunt Domino
Sup. 3.g siue ex hominibus, siue de pecoribus fuerit, tui iuris erit: ita dũtaxat, vt pro hominis primogenito pretium ac C
cipias, & omne animal quod immundum est redimi facias: cuius redemptio erit post vnum mensem, siclis argenti quinq; pondere sanctuarij. Siclus viginti obolos habet. Primogenitum autẽ bouis & ouis, & capræ non facies redimi: † hæc enim sancta sunt: ideo sanguinem eorũ fundes super altare, & adipes adolebis in suauissimũ odorẽ Dño. Carnes verò in vsum tuũ cedent: sicut pectusculũ † eleuatiõis & armus dexter tua erũt.
[e] Omnes † eleuationes sanctuarij quas offerũt filij Israel Dño tibi dedi & filijs, ac filiabus tuis iure perpetuo.
Deute.18.a [f] Pactũ salis est sempiternũ coràm Dño tibi ac † semini tuo tecũ. Dixitq; Dns ad Aaron. In terra eorum nihil possidebitis, nec habebitis partẽ inter eos: ego pars & hereditas tua in medio filiorũ Israel. Filijs aũt Leui dedi oẽs decimas Israelis in possessionẽ pro ministerio, quo seruiunt mihi in tabernaculo fœderis: vt non accedant vltrà filij Israel ad tabernaculum, † ne ferant peccatũ, & moriantur, solis filijs Leui mihi in tabernaculo
seruiẽtibus, [g] & portãtibus peccata populi: legitimũ sempiternum erit in generationibus vestris. Nihil aliud D
possidebunt, decimarũ oblatione contẽti, † quas illis tradidi in hereditatẽ: & ideo dixi eis: in medio filiorum Israel non possidebitis hæreditatẽ. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Præcipe Leuitis, atq; denuncia. Cum acceperitis à filijs Israel decimas quas dedi vobis, † eleuationem ex eis offerte Domino, id est decimam partem decimæ, † & reputabitur vobis hæc oblatio vestra, ac si fieret [h] de frumento areæ, aut de plenitudine torcularis. Sic igitur separabitis etiam vos eleuationem Domino de cunctis decimis vestris, quas acceperitis à filijs Israel, & dabitis de eis eleuationem Domino, quæ erit Aaron sacerdotis. Omnia, quæ offeretis ex decimis, & in donaria Domini separabitis, optima & electa erunt cuncta † in munus eleuationis. Dicesq; ad eos. Si præclara & meliora quæq; obtuleritis ex decimis, reputabitur vobis quasi de area & torculari dederitis primitias: & comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos quàm familiæ vestræ, quia pretium est pro ministerio quo seruitis in tabernaculo testimonij. Et non peccabitis super hoc, egregia vobis & pinguia reseruantes, ne polluatis oblationes filiorum Israel, & moriamini.

SCHOLIA.

[a] Portabitis iniquitatem sanctuarij.] *Vos (inquit) custodes eritis sanctuarij, & neminem, qui non sit de tribu vestra, permittetis ministrare in sanctuario, alioqui vos portabitis perpetratum malũ. Similiter tu Aaron & filij tui quos delegi mihi in sacerdotes, obseruabitis diligenter, ne aly Leuitæ sibi vsurpent officium sacerdotale, sed illi suum, & vos vestrũ exequemini, ne in peccatum corruatis, &c.* Intra velum.] *Præcipitur sacerdotibus ea præcipue curare, quæ intra velamen interius conteguntur, hoc est, interiorem hominem, & cordis secreta curare.* [c] Custodiam oblationum mearum.] *Hoc est, ea, quæ à filijs Israel offeruntur in eleuationem, vt sunt primitiæ, primogenita, & decimæ, quæ mihi offeruntur veluti sancta, tibi ea tradidi. Caue igitur, ne immundus ea comedas, deinde alia quoque sancta tibi dedi, quæ sancta sanctorum vocantur, & sunt ea, quæ ad ignem altaris mei veniunt, nempè pacifica, oblatio Minha, hostia pro peccato, atque hostia pro delicto,*

cto, de his omnibus habes partem tuam. Cauebis igitur ne extra locum sanctum illa comedas, aut nequis alius præter mares illa comedat, qui sunt de genere sacerdotali. Sed, & quæ filij Israel offerunt, eleuanda, aut ventilanda coràm Domino, tua erunt. [d] Vniuersa fructuum initia.] *Intelliguntur ficus, malogranata, & reliqui fructus. De eo vero, quod abdicatur velut anathema diximus Leuit. vltimo.* [e] Omnes eleuationes.] *Hoc est, ea, quæ eleuantur, secundum illum cerimonium ritum, & sunt Domino consecrata, vt sunt, quæ hactenus commemorauimus.* [f] Pactum salis.] *Lex de sale omnibus sacrificijs apponendo, de quo Leuit. cap. 2. diximus. Sunt tamen ex Hebræis, qui sic exponant. Vt sal omnia conseruat, & dura bilia facit, sic sacerdotium tuum firmum & stabile durabit in perpetuum. Sunt etiam, qui per pactum salis, intelligant legẽ, quæ homines inter se & inter Deum integros conseruat.* [g] Et portantibus peccata populi.] *Hebræi intelligunt, quando Leuitæ negligentes fuerint, & alienos accedere permiserint, tunc Leuitas peccatum illorum portare.* [h] De frumento areæ.] *Quia possessio Leuitarum fuit decima, quam ab Israelitis accipiebant, iubentur & ipsi decimam dare de hac sua possessione, & illa reputatur eis, ac si de area, & torculari proprio, & proprijs prædijs illam exoluissent.*

CAPVT XIX.

A LOcutusq; est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens. † Hoc est decretum legis, quod præcepit Dominus, dicens. Præcipe filijs Israel, vt adducant ad te vaccam [a] rufam † integrè, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum: tradetisq; eam Eleazaro sacerdoti: qui eductam extra castra, † faciet mactari in Heb.13.b
conspectu suo: & tingens digitum in sanguine eius, asperget † ante faciem tabernaculi septem vicibus, comburetq; eam † ante oculos suos, tam pelle & carnibus eius, q̃ sanguine & fimo flammę traditis. Lignũ quoq; cedrinum, & hyssopum, coccumq; bis tinctum sacerdos mittet in flammam, quæ vaccam vorat. Et tunc demum loris vestibus, & corpore suo ingredietur in castra, commaculatusq; erit vsq; ad vesperum. Sed & ille
B qui combusserit eam, lauabit vestimenta sua & corpus, & immundus erit vsq; ad vesperum. Colliget autem vir mundus cineres vaccæ, & effundet eos extra castra in loco puriſsimo, vt sint multitudini filiorũ Israel in custodiã, [b] † in aquam † separationis, atq; in expiationẽ peccati. Cumq; lauerit qui vaccæ portauerat cineres vestimenta sua, immundus erit vsq; ad vesperum. Habebunt hoc filij Israel, & aduenę, qui habitant inter eos sanctum iure perpetuo. Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septẽ diebus fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua die tertio & septimo, & sic mundabitur. Si die tertio aspersus non fuerit, † atq; septimo,
C non † emundabitur. Omnis qui tetigerit humanæ animæ morticinũ, & aspersus hac commistione non fuerit, polluet tabernaculũ Dñi, & peribit ex Israel: quia aqua expiationis nõ est aspersus, immundus erit, & manebit spurcitia eius super eũ. Ista est lex hominis, qui moritur in tabernaculo. Omnes, qui ingrediuntur tentorium illius, † & quicunq; fuerit in tabernaculo, immũdus erit septẽ diebus. Vas quod nõ habuerit operculum † desuper, immundum erit. Si quis in agro tetigerit cadauer occisi hominis, aut per se mortui, siue os illius, vel sepulchrum, immundus erit septẽ diebus. Tollentq; de cineribus combustionis atq; peccati, &
D mittent aquas viuas super eos in vas: in quibus cum homo mundus tinxerit hyssopum, asperget ex eo omne tentorium, & cunctam supellectilem, & homines huiusce modi contagione pollutos: atq; hoc modo mũdus lustrabit immundum tertio & septimo die: expiatusq; die septimo, lauabit se & vestimenta sua, † & mundus erit † ad vesperam. Si quis hoc ritu non fuerit expiatus, peribit anima illius de medio ecclesiæ: quia sanctuarium Domini polluit, & non est aqua lustrationis aspersus: erit hoc præceptum legitimum sempiternũ. Ipse quoq; qui aspergit aquas, lauabit vestimenta sua. Omnis qui tetigerit aquas expiationis, immundus erit vsq; ad vesperam. [c] Quicquid tetigerit immundus, immundum faciet: & anima, quæ horum quippiam tetigerit, immunda erit vsq; ad vesperam.

SCHOLIA.

[a] Rufam integrè.] *Hoc est, omnino rufam, & quæ nullos nigros habeat pilos. Rubedo autem significabat peccatum, de quo dicitur, si fuerint peccata vestra vt coccinum, &c.* [b] In aquam separationis.] *De cinere vaccæ combustæ ponebatur paululum in vase, & fundebatur super illum cinerem aqua viua, quæ ex cinerum contactu sanctificabatur, vocaturq; aqua separationis, & aqua expiationis, quod illi, qui ob contractam immunditiam ab alijs separabantur, per istam aquam expiabantur. Mirum verò est, quòd non solum, qui combussere vaccam, verum & qui aspergunt aqua illa expiatoria immundi fiant: fortasse vt ostendatur abominatio peccati, aut etiam, vt qui aliorum mundandorum curam habet, vereatur, ne in ipsa cæterorum purificatione sordidetur, meminerit q, & se habere, quod purget.* [c] Quicquid tetigerit immundus.] *Vel, quicunque tetigerit immundum, vt sit sensus. Qui tetigerit hoẽm qui super mortuo est immũdus, ille quoq; polluetur, &c.*

CAPVT XX.

A VEneruntq; filij Israel, & omnis multitudo in desertum Sin, mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuaq; est ibi Maria, & sepulta in eodem loco. Cumq; indigeret aqua populus, conuenerunt aduersum Moysen & Aaron, & versi in seditionem, dixerunt. Vtinam perijssemus inter fratres nostros coràm Domino. Cur eduxistis ecclesiam Dñi in solitudinem, vt & nos & nostra iumenta moriamur? Exod. 17.b
Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malagranata, insuper & aquam non habet ad bibendum? Ingressusq; Moyses, & Aaron dimissa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram. † Et apparuit gloria
B Domini super eos. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens. Tolle virgam, & cõgrega populũ tu & Aaron frater tuus, & [a] loquimini ad petrã coràm eis, & illa dabit aquas. Cũq; eduxeris aquã de petra, bibet omnis Sapiẽ. 11.a
multitudo & iumẽta eius. Tulit igitur Moyses virgã, quæ erat in conspectu Dñi, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petrã, dixitq; eis. Audite † vos rebelles † & pertinaces. Num de petra hac vobis aquã Psal. 77.b
† eiciemus? Cũq; eleuasset Moyses manũ, percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt 1.Cor. 10.a
populus biberet & iumẽta. Dixitq; Dns ad Moysen & Aaron. Quia nõ credidistis mihi, vt sanctificaretis me coràm filijs Israel, nõ introducetis hos populos in terrã quam dabo eis. Hæc est aqua contradictionis, vbi

iurgati

Deute.1.f iurgati sunt filij Israel contra Dominum,& sanctificatus est in eis. Misit interea nuntios Moyses de Cades C
Num. 11.a ad regem Edom,qui dicerent. [b] Hæc mandat frater tuus Israel. Nosti omnem laborem qui apprehẽdit nos,
quomodo descẽderint patres nostri in Ægyptũ, & habitauerimus ibi multo tẽpore: afflixerintq; nos Ægy-
ptij,& patres nostros:& quomodo clamauerimus ad Dñm,& exaudiret nos,miseritq; angelum qui eduxerit
nos de Ægypto.Et ecce in vrbe Cades,quę est in extremis finibus tuis,positi,obsecramus vt nobis transire li-
ceat per terram tuam.Nõ ibimus per agros,nec per vineas: non bibemus aquas de puteis tuis,sed gradiemur
via publica,nec ad dexterã,nec ad sinistrã declinantes,donec transeamus terminos tuos. Cui respõdit Edom.
Nõ transibis p me,alioquin armatus occurrã tibi.Dixeruntq; filij Israel.Per tritã gradiemur viam:& si bibe
rimus aquas tuas nos & pecora nostra,dabimus quod iustum est. † Tantummodo citrà vllum malum per-
transibimus.At ille respondit.Non transibitis.Statimq; egressus est obuius,cum infinita multitudine,& ma D
nu forti,nec voluit acquiescere deprecanti,vt concederet transitum per fines suos. Quam ob rem diuertit ab
eo Israel.Cumq; castra mouissent de Cades,venerunt in montẽ Hor,qui est in finibus terræ Edom:vbi locu-
tus est Dominus ad Moysen † & Aaron,dicens.Pergat Aaron ad populos suos:non enim intrabit terrã, quã
dedi filijs Israel,eò quòd † rebelles fueritis ori meo ad aquas contradictionis.Tolle Aaron & filiũ eius † Elea
Infra 33.e zar cum eo & duces eos in montem Hor. Cumq; nudaueris patrem veste sua,indues ea Eleazarum filiũ eius,
Deut. 32.g & Aaron colligetur,& morietur ibi.Fecit Moyses vt præceperat Dominus, & ascenderunt in montem Hor
Deut. 10.b coràm omni multitudine.Cumq; Aaron spoliasset vestibus suis,induit eis Eleazarum filium eius.Illo mor-
tuo in montis supercilio,descendit cum Eleazaro. Omnis autem multitudo videns occubuisse Aaron, fleuit
super eo triginta diebus per cunctas familias suas.

SCHOLIA.

[a] Loquimini ad petram.] *De peccato Mosis iuxta petram,variæ sunt apud Iudæos opiniones:& quidem verba Mo-
sis sunt tam succincta,vt nemo facile ex illis aduertere possit,in quo peccarit.Sunt autem hæc verba Mosis. Audite nunc
vos rebelles, & pertinaces,an non (sic enim quidam vertunt) de petra ista extrahemus vobis aquas? Quidam putant eum
peccasse in verbis prioribus,nempè,audite vos rebelles,aut,Vos stulti:stultum autem non debuisse illum vocare populum Dei.
Alij dicunt,eum peccasse in his verbis,an non de petra ista educemus vobis aquas? idq; duplici via:Vna quòd Israelitæ vo-
luerint habere aquam de petra Vna,Moses autẽ ex alia educere voluit,dicens,nunquid de petra ista educemus vobis aquas?
Vnde populus cogitare cœpit,quòd Deus ex Vna posset educere aquam,& non ex alia. Et huius peccati Aaron quoque puta-
tur fuisse participem,quòd in illo periculo tacuerit,& Mosen fratrem non redarguerit,dicendo,Non refert, de qua petra eli-
cias aquam,cum potentia Domini æqualis sit in omnibus locis. Alij verò dicunt,quòd in his verbis peccauit,Educemus vo-
bis aquas,quòd irrisoriè locutus fuerit ad populum,qui tamen leniter tractãdus erat,et ad Dei fidem trahendus. Iratus enim
Moses hæc verba dixit.Num etiam aquam vobis de petra educere debemus,qui habetis manna cibum subtilem,qui nullam
excitat sitim,immo qui in se humorem habet,iuxta illud.Ecce ego pluo vobis panem,&c.Nunquid(inquit)educemus vobis
aquas,qui impij estis,& rebelles,indigni munere diuino? Ex his verbis(inquiunt Hebræi)potuerunt multi in congregatione
illa dubitare de potentia Dei.Et quoniam Moses & Aaron huic infidelitati occasionem dederunt,dicit illis Deus,Nõ credi-
distis mihi,vt sanctificaretis me.* [b] Hæc mandat frater tuus Israel.] *Commemorat veterem cognationem,nam Edom,
hoc est,Esau,& Israel,hoc est,Iacob,fratres fuerunt à quibus vtraque gens,& Israelitæ videlicet & Idumæi profecti sunt,
quare hic iure appellat illum fratrem.*

CAPVT XXI.

QVod cum audisset Chananæus Rex Arad,qui habitabat ad meridiẽ, venisse scilicet Israel [a] per explo- A
ratorũ viã,pugnauit contra illũ,& victor existens,duxit ex eo prędam. At Israel voto se Dño obligãs,
ait.Si tradideris populum istũ in manu mea,delebo vrbes eius.Exaudiuitq; Dñs preces Israel, & tra-
didit Chananæũ:quẽ ille interfecit subuersis vrbibus eius:& vocauit nomẽ loci illius,Horma,
id est anathema.Profecti sunt autẽ de mõte Hor,per viam,quæ ducit ad mare rubrũ, vt circumirent terram
Edom.Et tædere cœpit populũ itineris ac laboris:locutusq; contra Dñm & Moysen,ait. Cur eduxisti nos de B
Ægypto,vt moreremur in solitudine? Deest panis,non sunt aquę, anima nostra iam nauseat super cibo isto
leuissimo.Quamobrem misit Dñs in populũ [b] ignitos serpẽtes,ad quorũ plagas, & mortes plurimorũ vene-
runt ad Moysen,atq; dixerunt.Peccauimus,quia locuti sumus contra Dñm & te:ora vt tollat à nobis serpen
Sapiẽ. 16.a tes.Orauit Moyses pro populo,& locutus est Dñs ad eũ. [c] Fac serpentẽ † ignitũ,& pone eũ † super signũ:qui
1.Cor.10.b percussus aspexerit eũ,viuet.Fecit ergo Moyses SERPENTEM AENEVM, & posuit eũ † super signum: C
quẽ cum percussi aspicerent,sanabantur.Profectiq; filij Israel castrametati sunt in Oboth. Vnde egressi fi-
Ioan. 3.b xere tentoria [d] in Icabarim,in solitudine,quæ respicit Moab contra orientalem plagam. Et inde mouentes,
venerunt ad torrentem Zared. Quem relinquentes castrametati sunt vltra Arnon, quæ est in deserto, &
† egreditur de finibus Amorrhæi: siquidem Arnon terminus est Moab,diuidens Moabitas, & Amorrhæos.
Iudi. 11.c Vnde dicitur [e] in libro bellorum Domini.Sicut fecit in mari rubro, † & sicut in torrentibus Arnon.†Et flu D
xus torrentium,qui declinat ad habitationẽ Ar,& porrigitur ad terminũ Moab, hinc verò flectitur in Beer,
hic est Beer,siue puteus,super quo locutus est Dominus ad Moysen. Congrega populum,& dabo ei aquam.
Tunc cecinit Israel carmen istud.Ascendat puteus.† Canite ei. Puteus quem foderunt principes, & parauer-
unt duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis. Profectiq; sunt de solitudine Mathana: de Ma-
thana in Nahaliel, de Nahaliel in Bamoth, † de Bamoth verò in vallem, quæ est in campo Moab,vsque ad E
summitatem collis: qui aspicitur in superficie Iesimon. Misit autem Israel nuntios ad Seon regem Amor-
Deut. 2.f rhæorum,dicens.Obsecro vt transire mihi liceat per terram tuam:non declinabimus in agros & vineas, nó
Iudi. 11.d bibemus aquas ex puteis:via regia gradiemur, donec transeamus terminos tuos. Qui concedere noluit, vt
Amos 2.c transiret Israel per fines suos: quin potius exercitu congregato, egressus est obuiam in desertum, & venit in
Psal. 134.

Iasa,

Iasa,pugnauitq; contra eum.A quo percussus est in ore gladij, & possessa est terra eius ab Arnon vsq; Iebóc,
F & filios Ammon:quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. Tulit ergo Israel omnes ciuitates
eius, & habitauit in vrbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet,& viculis eius. Vrbs Hesebon fuit Seon regis
Amorrhæi,qui pugnauit contra regem Moab:& tulit omnem terram,quę ditionis illius fuerat,vsq; Arnon.
Iccirco dicitur in prouerbio. Venite in Hesebon,ędificetur & construatur ciuitas Seon. Ignis egressus est de
Hesebon,flamma de oppido Seon,& deuorauit Ar Moabitarum,& habitatores excelsorum Arnon. Væ tibi Iudi.11.e
Moab,peristi populę [f] Chamos.Dedit filios eius in fugã, & filias in captiuitatẽ regi Amorrhæorũ Seon. Re-
G gnum ipsorum diserijt ab Hesebon vsq; Dibon,† & depopulationem fecimus vsq; ad Nophe, quæ exten-
ditur vsq; ad Medaba.Habitauit itaq; Israel in terra Amorrhæi. Misitq; Moyses qui explorarent Iazer:cuius Deu. 3.e
ceperunt viculos,& † extirpauit Amorrhæos,qui erant in eis. Verteruntq; se, & ascenderunt per viã Basan,
& occurrit eis Og Rex Basan cum omni populo suo,pugnaturus in Edrai.Dixitq; Dominus ad Moysen.Ne
timeas eum,quia in manu tua tradidi illum,& omnem populum,ac terrã eius:faciesq; illi, sicut feci sti Seon
regi Amorrhęorum habitatori Hesebon. Percusserunt igitur & hunc cum filijs suis,vniuersumq; populum
eius vsq; ad internecionem,& possederunt terram illius.

SCHOLIA.

[a] Per exploratorum viam.] *Quidam sic legunt: per modum exploratorum insinuarunt se in terram Amalech, nam
per Chananæum intelligitur hic Amalech, qui in montanis ad meridiem habitabat.* [b] Ignitos serpentes.] *Qui scilicet
morsum ardentem infigebant,atque simul toxicum,quod corpus exureret,immittebant.* [c] Fac serpẽtem ignitum.] *Hoc
est,qui habeat similitudinem serpentis igniti, qualis est serpens ex ære fabricatus: fuit autem serpens ille factitius, erectus
super stipitem excelsum,vel aliquid eiusmodi in altum surrectum.* [d] In Icabarim.] *Vel, in cumulis Abarim,hoc est,cu-
mulosis locis,vt ferè omnia deserta meros aceruos habent.* [e] In libro bellorum Domini.] *Liber hic putatur iam olim
amissus,in quo bella Abrahæ,& aliorum sanctorum scripta erant, ex quo sumptus est hic locus à Mose, qui ob vetustatem
obscurus est,& incerti sensus. Videtur autem sic dicere:de mansione ista, & prodigijs in eadem ostensis à Domino, scribitur
in libro bellorum Domini,in quo miracula Dei cum patribus facta describuntur. Idipsum portentum, quod fecit in mari ru-
bro,idipsum etiam dedit iuxta torrentem Arnon,vtrobique enim ædita sunt, & cantata Dei omnipotentis portenta pro po-
pulo suo.Fluxum autem,vel effusionem torrentium,vel vallium, dicit latissimum locum, qui eum populum capere potera t,
qui vergit ad habitationem vel vrbem Ar,quæ & imminet termino Moab.Et ex eo loco venit ad puteum insignem illum
ac celebrem,vbi æquè ingens perfecit portentum,ad quem Moses collegit populum, & coràm eo aquas elicuit de silice.Vide-
tur enim id non semel tantum ædidisse miraculum,sed quoties necessitas exigebat,& hoc esse, quod dicitur,sequebatur eum
petra.Hunc ergo puteum,aut principes fodisse,hoc est,Mosen & Aaron suis baculis, nempe virga illa, cũ qua ædebat signa.*
[f] Chamos.] *Nomen est idoli,quod coluerunt Moabitæ.*

CAPVT XXII.

A PRofectiq; castrametati sunt in campestribus Moab,vbi trans Iordanem Iericho sita est. † Vidit autem
Balac filius Sephor omnia, quę fecerat Israel Amorrhæo, † timuitq; Moab à facie populi illius valde,
siquidem multus erat,& perterrefactus,dixit ad maiores natu Madian.† Nunc lambet hic populus om
nes qui in nostris finibus commorãtur,quomodo solet bos herbas vsq; ad radices carpere. Ipse autẽ † Balac Iosu. 24.b
erat eo tempore Rex in Moab.Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor † in Pethor, quę est [a] iuxta fluuiũ
B in terra filiorum populi sui,vt vocarent eum & dicerẽt.Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit su-
perficiem terræ,sedens contra me.Veni igitur,& maledic populo huic,quia fortior me est:si quo modo pos-
sim percutere & eijcere eum de terra mea,noui enim ꝙ benedictus sit, cui benedixeris: & maledictus in quẽ
maledicta congesseris.Perrexeruntq; seniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretiũ
in manibus.Cũq; venissent ad Balaam,& narrassent ei omnia verba Balac,ille respondit. Manete hic nocte,
& respondebo quicquid mihi dixerit Dominus.Manentibus autem illis apud Balaam,venit Deus, & ait ad
eum.Quid sibi volunt homines isti apud te? Respõditq;. Balac filius Sephor Rex Moabitarum misit ad me,
C dicens.Ecce populus qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terrę: veni & maledic ei, si quo modo
possim pugnans abijcere eum.Dixitq; Deus ad Balaam.Noli ire cum eis,neq; maledicas populo,quia bene-
dictus est.Qui manè cõsurgens dixit ad principes.Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus veni-
re vobiscum.Reuersi principes dixerunt ad Balac. Noluit Balaam venire nobiscum.Rursum ille multò plu
res & nobiliores,quàm antè miserat,misit. Qui cum venissent ad Balaam,dixerunt. Sic dicit Balac filius Se-
phor.Ne cuncteris venire ad me,paratus sum honorare te,& quicquid volueris dabo:veni,& maledic popu-
D lo isti.Respondit Balaam.Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero immuta- Infra. 24.c
re verbum Dñi Dei mei,vt vel plus vel minus loquar.Obsecro vt hic maneatis etiã hac nocte,& scire queam
quid mihi rursum respondeat Dominus.Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei. Si vocare te venerint
homines isti,surge,& vade cum eis:ita duntaxat,vt quod tibi præcepero facias.Surrexit Balaam manè,& stra 2. Petr.2. c
ta asina profectus est cum eis. [b] Et iratus est Deus † ꝓ iret.Stetitq; angelus Dñi in via contra Balaam, qui in- Iudæ 1. d
sidebat asinæ,& duos pueros habebat secum. Cernens asina angelũ stantem in via euaginato gladio, auertit
E se de itinere,& ibat per agrum. Quam cum verberaret Balaam,& vellet ad semitam reducere,stetit angelus
in angustijs duarum maceriarum,quibus vineę cingebantur.Quem videns asina,iunxit se parieti,& attriuit
sedentis pedem. At ille iterum verberabat eam, & nihilominus angelus ad locum angustum transiens, vbi
nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deuiari,obuius stetit. Cumq; vidisset asina stantem angelum, con
cidit sub pedibus sedentis. Qui iratus,vehementius cædebat fuste latera eius. Aperuitq; Dominus os asinæ,
& locuta est. Quid feci tibi? cur percutis me,ecce iam tertio? Respondit Balaam. Quia commeruisti & il-
lusisti mihi:vtinam haberem gladium vt te percuterem. Dixit asina. Nonne animal tuum sum,cui semper

sedere

federe consueuisti vsq; in præsentem diem? Dic quid simile vnquam fecerim tibi? At ille ait. Nunquã. Proti F
nus aperuit Dominus oculos Balaam,& vidit angelum stantem in via euaginato gladio,adorauitq; eum pro
nus in terrã. Cui angelus,cur,inquit,tertiò verberas asinam tuam? Ego veni,vt aduersarer tibi, quia peruer-
sa est via tua,mihiq; contraria:& [c] nisi asina declinasset de via,dans locum resistenti,te occidissem, & illa vi-
ueret. Dixit Balaam. Peccaui,nesciens quòd tu stares contra me:& nunc si displicet tibi,vt vadam, reuertar.
Ait angelus. Vade cum istis, & caue ne aliud, quàm præcepero tibi, loquaris. Iuit igitur cum principibus.
Quod cum audisset Balac, egressus est in occursum eius in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis G
finibus Arnon. Dixitq; ad Balaam. Misi nuncios,vt vocarent te,cur non statim venisti ad me? an quia merce
dẽ aduentui tuo reddere nequeo? Cui ille respõdit. Ecce adsum:nunquid loqui potero aliud nisi quod Deus
posuerit in ore meo? Perrexerunt ergo simul,& venerunt in vrbem,quæ in extremis regni eius finibus erat.
Cumq; occidisset Balach boues,& oues,misit ad Balaam,& principes qui cum eo erant.† Manè autem facto
duxit eum ad excelsa Baal,& intuitus est extremam partem populi.

SCHOLIA.

[a] Iuxta fluuium.] *Nempè Euphraten,iuxta quem habitauit Balaam,nominatissimus in toto orbe terrarum in arte diuinandi.* [b] Iratus est Deus,quòd iret.] *Cur iratus est,cum iusserit eum abire? Respondent Hebr.quòd abierit animo nocendi,sicut infrà dicitur:ego aduersarius veni,quia peruersa est via tua.* [c] Nisi asina declinasset.] *Mirus loquendi modus,ascribit enim declinationi asinæ,quòd non fuerit occisus Balaam.Quid ergo aliud dicere vult,quam indicare asinã fuisse illo prudentiorem,quasi diceret:declinauit illa vtriusque vestrum cædem, tu verò nondum intelligis, quantum tibi periculi immineat ex hoc scelere.Multum refert obseruare dicendi modos.*

CAPVT XXIII.

Dixitq; Balaam ad Balac. Ædifica mihi hic septem aras, & para totidem vitulos,eiusdemq; numeri A
arietes. Cumq; fecisset iuxta sermonem Balaam,imposuerunt simul vitulum & arietem super aram.
Dixitq; Balaam ad Balac. Sta paulisper iuxta holocaustum tuum donec vadam,si fortè occurrat mihi
Dominus,& quodcunque mihi imperauerit,loquar tibi. Cũq; abisset [a] † solus,occurrit illi Deus. Locutusq;
ad eum Balaam. Septem,inquit,aras erexi, & imposui vitulum & arietem desuper. Dominus autem posuit
verbum in ore eius,& ait. Reuertere ad Balac,& hæc loqueris. Reuersus inuenit stantem Balac iuxta holocau
stum suum,& omnes principes Moabitarum:assumptaq; parabola sua, dixit. [b] De Aram adduxit me Balac
Rex Moabitarum,de montibus orientis. Veni,inquit,& maledic Iacob:propera & detestare Israel. Quomo B
do maledicam,cui non maledixit Deus? Qua ratione detester quem Dominus non detestatur? De summis
silicibus videbo eum,& de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non † cõ-
putabitur. Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum † [c] quartæ partis Israel? Moriatur
anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia. Dixitq; Balac ad Balaam. Quid est
hoc quod agis? Vt malediceres inimicis meis, vocaui te: & tu è contrario benedicis eis. Cui ille respondit.
Num aliud possum loqui nisi quod iusserit Dominus? Dixit ergo Balac. Veni mecum in alterum locum,
vnde partem Israel videas, & totum videre non possis, & inde maledicito ei. Cumq; duxisset eum in † agrũ C
speculatorum super verticem montis, † ædificauit Balaam septem aras, & † oblatis in altari vitulo atque
† ariete,dixit ad Balac. Sta hic iuxta holocaustum tuum,donec ego obuius pergam. Cui cum Dominus oc-
curriset,posuissetq; verbum in ore eius,ait. Reuertere ad Balac,& hæc loqueris ei. Reuersus inuenit eum stã
tem iuxta holocaustum suum,& principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac. Quid, inquit, locutus est
Dominus? At ille assumpta parabola sua,ait. Sta Balac & ausculta, audi fili Sephor. Non est Deus quasi ho-
mo [d] vt mentiatur, nec vt filius hominis vt mutetur. Dixit ergo,& non faciet? locutus est,& non implebit?
Ad benedicendum adductus sum,benedictionem prohibere non valeo. Non † aspexit idolum in Iacob,nec D
† vidit simulachrum in Israel. Dominus Deus eius cum eo est, [e] & † societas regis in illo. Deus eduxit illum
de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Non est augurium in Iacob, nec diuinatio in Israel.
Infra 24.b † Iuxta hoc tempus dicetur Iacob & Israeli quid operatus sit Deus. Ecce populus vt † leo grandis consurget,
& quasi leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam, & occisorum sanguinem bibat. Dixitq; Balac
ad Balaam. Nec maledicas ei,nec benedicas. Et ille ait. Nonne dixi tibi,quòd quicquid mihi Deus impe-
raret,hoc facerem? Et ait Balac ad eum. Veni,& ducam te ad alium locum:si forte placeat Deo, vt inde ma-
ledicas eis. Cumq; duxisset eum super verticem montis † Peor qui respicit desertũ Iesimmon, dixit ei Balaã.
Ædifica mihi hic septem aras,& para totidem vitulos,eiusdemq; numeri arietes. Fecit Balac,vt Balaam dixe-
rat:imposuitq; vitulos,& arietes per singulas aras.

SCHOLIA.

[a] Solus.] *Quidam exponit,leniter incedentem,& qui aliquid explorare cupit.* [b] De Aram.] *De Syria: quasi diceret: non prosperè ages in hoc negocio,cum Dominus Iacob benedixerit in Syria apud Laban,& quomodo potero ei maledicere, & illum abominari,quem Deus summo complexus est fauore?* [c] Quartæ partis.] *Quis(inquit) vnam ex quatuor legionibus, quas video,numerare posset? Erat enim exercitus Israel in quatuor plagas distributus circum tabernaculũ.* [d] Vt mentiatur.] *Homo ex quatuor causis solet promissum negare. Primò,quando falluciter aliquid promittit, & mentitur. Secundò, quando ipsum promissi pœnitet. Tertiò,quando offenditur ab illo,cui aliquid promisit. Quartò,quando non est in sua potestate, vt promissum soluat. Hæc à Deo longissimè absunt. Primò,quia non mentitur vt homo. Secundò,non pœnitet eum more hominum. Tertio,quod dicit,facit,& licet idolorum cultura fuerit in quibusdam Israelitis, ipse tamen non illud, sed suam promissionem aspicit. Quartò habet fortitudinem,vt vnicornis,vt promissum præstare possit.* [e] Et societas.] *Sunt tamen, qui elangorem interpretentur,vt sit sensus,magnificentia & maiestas Dei est inter eos.*

Caput

CAPVT XXIIII.

A CVmq; vidisset Balaam quòd placeret Domino vt beneficeret Israeli,nequaquã abijt vt ante perrexe-
rat,[a] vt augurium quæreret:sed dirigens contra desertum vultum suum,& eleuans oculos vidit Israel
in tentorijs commorantem per tribus suas:& irruente in se spiritu Dei,assumpta parabola ait. Dixit
Balaam filius Beor,dixit homo [b] cuius † apertus est oculus,dixit auditor sermonum Dei, qui visionẽ omni-
potentis intuitus est, [c] qui cadit † apertis oculis eius. Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua
Israel:† sicut conualles extenduntur,vt horti iuxta fluuios irrigui,vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi
cedri propè aquas. Fluet aqua de situla eius,& semẽ illius erit in aquas multas. † Extolletur [d] propter Agag,
B rex eius,& † eleuabitur regnum illius. Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinocero- Supra 23.d
tis. Deuorabunt gentes hostes † suos,ossaq; eorum confringent, & perforabunt sagittis. [e] Accubans dormi-
uit vt leo,& quasi leena,quam susciture nullus audebit. Qui benedixerit tibi,erit & ipse benedictus, qui ma-
ledixerit tibi,in maledictione reputabitur. Iratusq; Balac contra Balaam,complosis manibus ait. Ad male-
dicendũ inimicis meis vocaui te, quibus è contrario tertiò benedixisti:reuertere ad locum tuum. Decreue-
ram quidem magnificè honorare te,sed [f] Dominus priuauit te honore disposito. Respondit Balaam ad Ba-
lac. Nonne nuntijs tuis,quos misisti ad me,dixi. Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, Sup. 22.d
C non potero prætergredi sermonem Dñi,† vt vel boni quid,vel mali proferam ex corde meo,sed quicquid Do-
minus dixerit,hoc loquar? Veruntamen pergens ad populum meum, [g] dabo tibi consilium quid populus
† iste populo † tuo faciat extremo tempore. Sumpta igitur parabola,rursum ait. Dixit Balam filius Beor,di
xit homo cuius † apertus est oculus,dixit auditor sermonum Dei,qui nouit doctrinam altissimi,& visiones
omnipotentis videt,qui cadens apertos habet oculos. Videbo eum,sed non modo: intuebor illum, sed non
propè. ORIETVR STELLA ex Iacob,& cõsurget virga de Israel:& percutiet duces Moab, vastabitq; oẽs Matth. 2.a
filios Seth. Et erit Idumæa possessio eius:hæreditas Seir cedet inimicis suis:Israel verò fortiter aget. De Iacob
D erit qui dominetur,& perdat reliquias ciuitatis. Cumq; vidisset Amalec, assumens parabolam,ait. [h] Princi-
pium gentium Amalec,cuius extrema perdentur. Vidit quoq; Cinæum:& assumpta parabola,ait. Robustũ
quidem est habitaculum tuum: † & ponis in petra nidum tuum: sed erit in depastationem Cinæus, donec
Assur captiuum te ducat. Assumptaq; parabola iterum locutus est. Heu quis victurus est quando ista faciet
Deus? Venient in trieribus [i] de Italia,superabunt Assytios,vastabuntq; Hebræos,& ad extremum etiam ipsi
peribunt. Surrexitq; Balaam,& reuersus est in locum suum:Balac quoq; via,qua venerat,redijt.

SCHOLIA.

[a] Vt augurium quæreret.] *Videtur ergo,cum dicebat se iturũ,si fortè occurreret ei Dominus, et similia ageret,quæ-
sisse siquid per artem suam de more assequi posset.* [b] Cuius apertus est oculus.] *Hoc est, qui fortis & potens est in omni-
bus,ad quæ posuerit oculum suum,vox tamen Hebræa significat etiam claudere.* [c] Qui cadit.] *Incircuncisus & impius
homo,non valens ferre spiritum Dei,cecidit in terram,id quod bonis prophetis etiam legitur contigisse. Et vide,vt Deus be-
ne vtatur malis.* [d] Propter Agag.] *Vel,super Agag. Rex primus Israelitarũ subegit regem Amalechitarum,vt primo Reg.patet:& ferunt,quẽlibet regem Amalechitarum fuisse vocatũ Agag,et nomen primi regis transisse in prosperos, sicut a Cæsare primo Cæsares aly appellati sunt apud Romanos reges.* [e] Accubans.] *Postquam occupauerint (inquit) & subegerint promissam terram,habitabunt in ea sine vllo pastore.* [f] Dominus priuauit te.] *Quasi latenter obyciens,& dicens.Dominus ille tuus hac mea te gloria priuauit.* [g] Dabo tibi cõsilium.] *Consilium istud est.Sede tu quietus, et ne timueris hoc tempore:quod futurum prædixi,nõ tuo tẽpore,sed in nouissimis diebus eueniet,scilicet tempore Messiæ,quem quidem video,sed non in præsenti,longè adhuc abest:cum ille venerit,veniet vt lux magna,& splendor vehemens,id quod per stellam significari etiam ipsi Iudæi dicunt:& quidam Chaldæus interpres sic vertit hũc locum. Cum surrexerit rex ex Iacob,& natus fuerit Messias ex Israel,interficiet duces Moab,& dominabitur in oẽs filios hominũ. Possidebitur Aedom, et possidebitur Seir ab hostibus eius,& Israel prosperè aget in diuitys. Hic ergo per filios Seth intelligis filios hominum:à Seth enim omnes propagati sumus,proles autem Cain diluuio interiit. Sed Iudæi hæc omnia,quæ in spiritu intelligenda sunt, ipsi carnaliter accipienda fidò docent.* [h] Principium gentium Amalec.] *Fuit (inquit) Amalec de primis gentibus, sed memoria eius delebitur in perpetuum.Cenæus autem populus,qui ex Iethro socero Mosis descendit,et in cuius regionem Balaam oculos de monte dirigere potuit,is non omnino delebitur,cum in petris extruxerit mansiones suas, sed vnus post alium tolletur,donec per Assyrios generali transmigratione in captiuitatem adducti fuerint.* [i] De Italia.] *Exponũt Hebræi de Romanis,quorum etiam imperium desiturum esset post Christi tẽpora,quod putatur factum, cũ regia omnis dignitas trãslata fuit Constantinopolim.*

CAPVT XXV.

A MOrabatur autem eo tempore Israel in Setim,& fornicatus est populus cum filiabus Moab,quæ vo- Iosue 22.d
cauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt & adorauerunt deos earum. † Iunctusq; est Israel Deut.4.a
[a] Beelphegor,& iratus Dominus,ait ad Moysen. Tolle [b] cunctos principes populi, & suspende eos
[c] † ante Dominum contra solem in patibulis:vt auertatur furor meus ab Israel. Dixitq; Moyses ad Iudices
Israel. Occidat vnusquisq; proximos suos,qui † iuncti sunt Beelphegor. Et ecce vnus de filijs Israel † adduxit
corã fratribus suis † scortũ Madianitidem vidente Moyse,& omni turba filiorũ Israel,qui flebant ante fores
B tabernaculi † testimonij. Quod cum vidisset Phinees filius Eleazari filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio
multitudinis,& arrepto pugione ingressus est post virum Israelitem in † tabernaculum, & perfodit ambos
simul,virum scilicet & mulierẽ in locis genitalibus. Cessauitq; plaga à filijs Israel,& occisi sunt viginti qua- 1. Mac. 2.c
tuor millia hominum. Dixitq; Dominus ad Moysen. Phinees filius Eleazari filij Aarõ sacerdotis auertit iram Psal. 105.c
meam à filijs Israel:quia zelo meo commotus est † inter eos,vt non ipse delerem filios Israel in zelo meo. 1.Cor.10.b
C Iccircò † dices. Ecce do ei [d] pacem fœderis mei,& erit tam ipsi quàm semini eius pactum sacerdotij sempi- 1.Mac. 2.f

 ternum:

Eccl. 45.d Infra 31.a ternum:quia zelatus est pro Deo suo,& expiauit scelus filiorum Israel. Erat autem nomen viri Israelitæ, qui occisus est cum Madianitide,Zambri filius Salu,dux de cognatione,& tribu Simeonis. Porrò mulier Madianitis,quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi filia Sur principis nobilissimi Madianitarum. Locutusq; est Dominus ad Moysen,dicens. Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos:quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos,& deceperunt [c] insidijs per idolum Phogor & Cozbi filiam ducis Madian sororem suã, quæ percussa est in die plagæ pro sacrilegio Phogor.

SCHOLIA.

[a] Beelphegor.] *Vel, Baal Peor. Fœdissimum erat istud Madianitarum idolum, & turpissimo honorabatur cultu, vt pudeat hic talia scribere. Gloria tibi Christe, cuius aduentus hæc portenta sustulit.* [b] Cunctos principes.] *Vt quorum pessimo exemplo, subiecti fiant ad mala procliuiores.* [c] Contra solem.] *Hoc est, in oculis solis, & in propatulo,ipsi enim peccauerunt intra tabernacula, & in penetralibus contra me, ego autem iubeo, vt in propatulo puniantur.* [d] Pacem fœderis mei.] *Fœdus meum, nempè pacem.* [e] Infidijs.] *Primo cibo & potu, deinde exhibitione formosarum mulierum, quæ eò perduxerunt miseros homines, vt etiam spurcissimo idolo genua flecterent. Huius incendy sufflatorem Hebræi dicunt fuisse Balaam prophetam.*

CAPVT XXVI.

A POstquam noxiorum sanguis effusus est, dixit Dominus ad Moysen, & Eleazarum filium Aaron sacerdotis. Numerate omnem summam filiorum Israel à viginti annis, & supra, per domos & cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere. Locuti sunt itaque Moyses, & Eleazar sacer-
Gene. 46.b Exod. 6.b 1. Par. 5.a dos in campestribus Moab super Iordanem contra Iericho,† numerentur à viginti annis,& supra,sicut Dominus imperauerat † Moysi & filijs Israel [a] cum egressi essent de terra Ægypti. Ruben primogenitus Israel: huius filius,Enoch,à quo familia Enochitarum : & Phallu, à quo familia Phalluitarum : & Esron , à quo familia Esronitarum : & Charmi, à quo familia Charmitarum . Hæ sunt familiæ de stirpe Ruben : quarum numerus inuentus est quadraginta tria millia & septingenti triginta. Filius Phallu,Eliab:huius filij,Namuel
Sup. 16.a.g & Dathan & Abiron : isti sunt Dathan & Abiron principes populi qui surrexerunt contra Moysen , & Aaron in seditione Core, quãdo aduersus Dominum rebellauerunt : & aperiens terra os suum deuorauit † eos. B Core verò fuit in morte illius congregationis , quando combusit ducentos quinquaginta viros. † Et facti sunt in signum:filij tamen Core non sunt mortui. Filij Simeon per cognationes suas. Namuel,ab hoc familia Namuelitarum: & Iamin,ab hoc familia Iaminitarum:Iachin,ab hoc familia Iachinitarum:Zare,ab hoc familia Zareitarum:Saul,ab hoc familia Saulitarum: hæ sunt familiæ de stirpe Simeon , quarum omnis numerus fuit vigintiduo millia ducenti. Filij Gad per cognationem suas : Sephon, ab hoc familia Sephonitarum: Aggi,ab hoc familia Aggitarũ: Suni,ab hoc familia Sunitarũ: Ozni,ab hoc familia Oznitarum: Heri, ab hoc familia Heritarum: Arod,ab hoc familia Aroditarum: Ariel, ab hoc familia Arielitarũ : istæ sunt familiæ Gad,quarum omnis numerus fuit quadraginta millia quingẽti . Filij Iuda, Her & Onan , qui ambo
Gc. 38.a.b mortui sunt in terra Chanaan. Fuerunt; filij Iuda per cognationes suas : Sela , à quo familia Selaitarum: C Phares,à quo familia Pharesitarum:Zare,a quo familia Zareitarum. Porrò filij Phares:Esron,a quo familia Esronitarum:& Hamul,à quo familia Hamulitarum: istę sunt familiæ Iuda,quarum omnis numerus fuit septuaginta sex millia quingẽti. Filij Issachar per cognationes suas:Thola,à quo familia Tholaitarũ : Phua, à quo familia Phuanitarum:Iasub,à quo familia Iasubitarũ:Semrã,à quo familia Semranitarũ: hæ sunt cognationes Issachar,quarum numerus fuit sexaginta quatuor millia trecẽti. Filij Zabulon per cognationes suas: Saredi,à quo familia Sareditarum:Elon,à quo familia Elonitarum:Iahelel , à quo familia Iahelelitarum : hæ sunt cognationes Zabulon,quarũ numerus fuit sexaginta millia quingẽti. Filij Ioseph p cognationes suas, Manasse & Ephraim. De manasse ortus est Machir, à quo familia Machiritarum. Machir genuit Galaad , à quo familia Galaaditarum. Galaad habuit filios: Iezer,à quo familia Iezeritarum:& Helec,à quo familia He- D lecitarum:& Asriel,à quo familia Asrielitarũ:& Sechem,a quo familia Sechemitarũ:& Semida , à quo fami-
Iusr. 27.a lia Semidaitarum:& Hepher,à quo familia Hepheritarum. Fuit autem Hepher pater Salphaad , qui filios non habebat,sed tantum filias,quarum ista sunt nomina,Maala,& Noa,& Hegla,& Melcha, & Thersa : hæ sunt familiæ Manasse,& numerus earum quinquaginta duo millia septingenti. Filij autẽ Ephraim per cognationes suas fuerunt hi:Suthala,à quo familia Suthalaitarũ : Becher , à quo familia Becheritarũ: Theben,à quo familia Thehenitarum. Porrò filius Suthala fuit Heran,à quo familia Heranitarum: hæ sunt cognationes filiorum Ephraim:quarum numerus fuit trigintaduo millia quingentorum. Isti sunt filij Ioseph per familias suas. Filij Beniamin in cognationibus suis:Bela,à quo familia Belaitarum:Asbel,à quo familia Asbelitarum:Achiram,à quo familia Achiramitarum:Supham,à quo familia Suphamitarum:Hupham,à quo fa- E milia Huphamitarum. Filij Bela,Hered & Noeman:de Hered,familia Hereditarum: de Noeman , familia Noemanitarum:hi sunt filij Beniamin per cognationes suas, quarũ numerus fuit quadragintaquinque millia sexcenti . Filij Dan per cognationes suas : Suham , à quo familia Suhamitarum : hæ sunt cognationes Dan per familias suas:omnes fuere Suhamitæ , quarum numerus erat sexagintaquatuor millia quadringenti. Filij Aser per cognationes suas:Iemna , à quo familia Iemnaitarum : Iessui , à quo familia Iessuitarum: Brie,à quo familia Brieitarum. Filij Brie:Heber,à quo familia Heberitarũ:& Melchiel , à quo familia Melchielitarum. Nomen autem filiæ Aser,fuit Sara:hæ sunt cognationes filiorum Aser , & numerus eorũ quinquagintatria millia quadringenti . Filij Nephthali per cognationes suas : Iesiel , à quo familia Iesielitarum. Guni à quo familia Gunitarum : Iesersà quo familia Ieseritarum : Sellem , à quo familia Sellemitarũ. hæ sunt cognationes filiorum Nephthali per familias suas , quarum numerus quadragintaquinque millia quadringẽti. Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt sexcenta millia,& mille septingenti triginta.

Locutusq;

Locutusq; est Dominus ad Moysen,dicens.Istis diuidetur terra iuxta numerum vocabulorum in posses- Exod. 6.c
siones suas.Pluribus maiorem partem dabis,& paucioribus minorem,singulis sicut nunc recensiti sunt tra- Exod. 6.c
detur possessio:ita duntaxat vt sors terrã tribubus diuidat & familijs. Quicquid sorte contigerit,hoc vel plu- 2.a
res accipiant,vel pauciores. Hic quoq; est numerus filiorum Leui per familias suas:Gerson, à quo familiã Supr. 3.c
Gersonitarum:Caath,à quo familia Caathitarum:Merari,à quo familia Meraritarum:hę sunt familię Leui. Leui,20.a
G Familia Lobni,familia Hebroni,familia Moholi,familia Musi,familia Core. At verò Caath genuit Amrã, 1. Pa.24.a
qui habuit vxorẽ Iochabed filiam Leui,quæ nata est ei in Ægypto:hæc genuit Amram viro suo, filios Aarõ 1.Cor.10.a
& Moysen,& Mariam sororem eorum.De Aaron orti sunt Nadab & Abiu & Eleazar & Ithamar : quorum Sup. 14.d
Nadab & Abiu mortui sunt,cum obtulissent ignem alienum coràm Domino.Fueruntq; omnes, qui numerati sunt,vigintitria millia generis masculini ab vno mense & supra:quia non sunt recẽsiti inter filios Israel, † quia cum cæteris data possessio † non est. Hic est numerus filiorum Israel , qui descripti sunt à Moyse & Eleazaro sacerdote , in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho:inter quos nullus fuit eorũ qui ante numerati sunt à Moyse & Aaron in deserto Sinai.Prędixerat enim Dominus quòd omnes morerentur in solitudine.Nullusq; remansit ex eis, nisi Caleb filius Iephone,& Iosue filius Nun.

SCHOLIA.

[a] Cum egressi essent.] *Hoc est,numerabitis iam populum,sicut supra iussi fuistis numerare,cum de Ægypto egressi essetis.* [b] Istis diuidetur terra.] *Qui scilicet iam vigesimum attigerint annum, & licet septem annis subegerint terram, & per septem annos eam distribuerint,tamen illi,qui ab ista supputatione interim vigesimum attigerunt annum,non dederunt nomina sua distributioni terræ.Qui tempore huius numerationis multos grãdæuos habuit filios, huic multa portio terræ veniebat in sortem,qui paucos parua. Sors autem fiebat secundum Hebræos hoc modo. Scribebantur in duodecim schedis duodecim nomina tribuum Israel,& in alijs duodecim schedis,duodecim termini terræ promissionis, & hæ duplices schedæ mittebantur,& permiscebantur in scrinio:tollebantq; singuli tribuum principes duplicem schedam, et qui terræ terminus, cum schedæ suæ tribus illi obueniebat,is illi decernebatur tribui. Dominus verò moderabatur sortẽ,id quod ex sorte Calleb et Iesu aduerti potest.Excludebantur autem proseliti & aduenæ, quibus nulla in terra contingebat portio, sicut nec sacerdotibus & Leuitis:vt doceantur,qui cultui Dei sunt mancipati, non quærere has terrenas facultates, quæ ad res diuinas sunt impedimento.Creduntur tamẽ Leuitæ extra terram promissionis posse habere prædia.* [c] Inter quos nullus fuit.] *Primus ille numerus,cum numeratus fuit populus primò,reiectus est,vt reprobetur populus prior,qui est in circũcisione : omnes enim circuncisi primò erant numerati. Introducitur autem in promissam terram secundus & nouus populus, & non quidem carne circuncisus dum numeratur,sed in præputio,qui & hæreditatem consequitur, non à Mose,sed à Iesu. Moses enim etsi dat aliquibus hæreditatem,non tamen intra Iordanem dat,quem nec transire potest,sed extra dat terram, non fluentem lacte et melle,sed aptam pecoribus.Iesus Christus Dominus noster secundo populo dat terram lacte & melle manantem.*

CAPVT XXVII.

A ACcesserunt autem filię Salphaad,filij Hepher,filij Galaad,filij Machir,filij Manasse,qui fuit filius Ioseph:quarum sunt nomina,Maala & Noa & Hegla & Melcha & Thersa. Steteruntq; coràm Moyse Supr.26.d
& Eleazaro sacerdote,& cũctis principibus † & vniuerso populo ad ostium tabernaculi fœderis,atq; Infra 36.a
dixerunt.Pater noster mortuus est in deserto,nec fuit in seditione quæ concitata est contra Dominũ sub Co- Iosue 17.a
re,sed [a] in peccato suo mortuus est:hic non habuit mares filios.Cur tollitur nomẽ illius de familia sua , quia Supr. 16.a
B non habet filium?Date nobis possessionem inter cognatos patris nostri.Retulitq; Moyses causam earum ad iudicium Domini.Qui dixit ad eum.Iustam rem postulant filiæ Salphaad:da eis possessionem inter cognatos patris sui,& ei in hæreditate succedant.Ad filios autem Israel loqueris hæc. Homo cum mortuus fuerit absq; filio,ad filiam eius transibit hæreditas:si filiam nõ habuerit,habebit successores fratres suos,q; & si fratres non fuerint,dabitis hæreditatem fratribus patris eius:sinautem nec patruos habuerit, dabitur hæreditas
C his qui ei proximi sunt:eritq; hoc filijs Israel sanctum lege perpetua,sicut præcepit Dominus Moysi. Dixit quoq; Dominus ad Moysen.Ascende in montem istum Abarim,& cõtemplare inde terrã quã daturus sum Deut. 32.g
filijs Israel:cumq; videris eam,ibis & tu ad populum tuum,sicut iuit frater tuus Aaron , quia offendistis me Snpr. 30.b
in deserto Sin in cõtradictione multitudinis,nec sanctificare me voluistis corã eis super aquas: hæ sunt aquæ contradictionis in Cades deserti Sin. Cui respõdit Moyses . Prouideat Dominus Deus spirituũ omnis car-
D nis,hominem qui sit super multitudinẽ hanc:& possit exire & intrare ante eos,& educere eos vel introducere,ne sit populus Domini sicut oues absq; pastore. Dixitq; Dominus ad eum. Tolle Iosue filium Nun virũ Deute. 3.d
[b] in quo est spiritus,& pone manum tuam super eum.Qui stabit coràm Eleazaro sacerdote & omni multitudine,& dabis ei præcepta cunctis videntibus,[c] & partẽ gloriæ tuę, vt audiat eũ omnis synagoga filiorũ Israel: † Et stabit coràm Eleazaro sacerdote,qui consulet pro eo oraculum Vrim coram Domino. Ad verbum eius egredietur & ingredietur ipse,& omnes filij Israel cum eo,& cætera multitudo. Fecit Moyses, vt præceperat ei Dominus. Cumq; tulisset Iosue,statuit eum coràm Eleazaro sacerdote & omni frequentia populi. Et imposito capiti eius manibus cuncta replicauit,quę mandauerat Dominus.

SCHOLIA.

[a] In peccato suo mortuus est.] *Quidam Heb.putant illum fuisse,qui sabbato collegit ligna. Aly putãt, vnũ ex illis fuisse,qui morsibus serpentũ interierunt,quiq; cõtra Mosen & Dominũ locuti fuerant.* [b] In quo est spiritus.] *Spiritu scilicet sapientiæ & prudentiæ.* [c] Et partẽ glorię tuę.] *Vel,de laude tua. Quidam post Chaldaicum interpretem exponunt de splendore vultus,aly de authoritate et potestate,aly de mansuetudine & humilitate, quibus populum facilè ad parendum sibi conciliabat. Mansuetudo enim & humilitas Mosen mirũ in modum laudabilẽ reddiderunt, qui ob id, quòd cum Deo loqui soleret, vt amicus cũ amico , nihilo superbior factus,erga omnes pium se ac tractabilem exhibuit. Iubetur deinde,ut dux populi nihil agat, nisi consulto prius Deo , sed audiat summum sacerdotem, & quicquid ille didicerit ex oraculo diuino,quod*

Prim vocatur, & in pectore summi sacerdotis, cum in templum ingrederetur, suspendebatur, huius sententiæ stare iubetur. Hoc si Saul rex fecisset, ab imperio non fuisset deiectus.

CAPVT XXVIII.

Mat.12.a

DIxit quoq; Dñs ad Moysen. Præcipe filijs Israel, & dices ad eos. Oblationē meam [a] & panes, & † igni- A
tum sacrificium odoris suauissimi offerte per tempora sua. Hæc sunt sacrificia quæ offerre debetis. Agnos anniculos immaculatos duos quotidie in holocaustum sempiternū, vnum offeretis manè, & alterum ad vesperū: decimam partem ephi similę † pro oblatione quę cōsperſa sit oleo purissimo, & habeat quartam partē hin: holocaustū iuge est quod obtulistis in mōte Sinai in odorē suauissimum incensi Dñi, & libabitis vini quartū partem hin per agnos singulos in sanctuario Dñi. Alterūq; agnū similiter offeretis ad vesperam iuxta omnem ritū sacrificij matutini, & libamentorū eius, oblationē suauissimi odoris Dño. Die autem sabbati offeretis duos agnos anniculos immaculatos, & duas decimas similę oleo consperſę † cū liba- B
mine suo. Holocaustū verò sabbati ipso sabbato fieri debet, vltra holocaustū continuum & libamen eius. In calendis autē, id est in mensiū exordijs, offeretis holocaustum Dño, vitulos de armento duos, arietē vnum, agnos anniculos septē immaculatos, & tres decimas similæ oleo consperſæ in sacrificio per singulos vitulos: & duas decimas similæ oleo consperſę per singulos arietes: & decimā † vnam similę † cōsperſę oleo in sacri-
Exod. 12.c ficio per agnos singulos: holocaustū suauissimi odoris atq; incēsi est Dño. Libamenta autē vini quę per sin-
Leui. 23.a gulas fundēda sunt victimas, ista erūt. Media pars hin per singulos vitulos, tertia per arietē, quarta per agnū, hoc erit holocaustū per oēs menses, qui sibi anno vertente succedunt. Hircus quoq; offeretur Dño pro pec- C
catis † post holocaustū sempiternū cum libamētis suis. Mense autē primo, quartadecima die mensis, phase Dñi erit, & quintadecima die solennitas: septē diebus vescētur azymis: † in die prima [b] cōuocatio sancta est: omne opus seruile nō facietis in ea. [c] Offeretisq; incēsum holocaustum Dño, vitulos de armēto duos, arietē vnū, agnos anniculos immaculatos septē, & † oblationē singulos ex simila quæ consperſa sit oleo, tres decimas per singulos vitulos, & duas decimas per arietē, & decimam † vnā per agnos singulos, id est per septem agnos, & hircū pro peccato vnū, vt expietur pro vobis, prēter holocaustū matutinum quod semper offeretis. Ita facietis per singulos dies septē dierum in † panē igniti sacrificij, & in odorē suauissimum Dño, † vltra D
holocaustum † iuge cū libamine suo. Dies quoq; septimus † cōuocatio sancta erit vobis: omne opus seruile nō facietis in eo. Dies etiam primitiuos [d] quando offeretis nouas fruges Dño, expletis hebdomadibus † cō-
uocatio sancta erit: omne opus seruile nō facietis in ea. Offeretisq; holocaustū in odorem suauissimū Dño, vitulos de armēto duos, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septē: atq; † oblationem eorum simi-
lę oleo cōsperſę, tres decimas per singulos vitulos, per arietem duas, per † agnum vnam, qui simul sunt agni septem: hircum quoq; vnum qui mactatur pro expiatione: [e] prēter holocaustū sempiternum & † oblationē eius. Immaculata offeretis omnia cum libationibus suis.

SCHOLIA.

[a] Panes.] *Diximus, in sacrificijs exigere Dominum ea, quibus homo potissimum vescitur, carnes, vinum, oleum, similam, & panes coctos: hic denuo monet vt singula sacrificia ritè temporibus suis fiant. Est autem quotidianum, et continuum sacrificium, est & sabbatinum sacrificium, est etiam sacrificium aliud, quod in initio mensium fieri iubetur: est sacrificium paschale &c. Primò explicatur quomodo iuge sacrificium fieri debeat, & pro exemplo ponitur illud, quod in monte Sinai factū est. Sabbato verò iubetur duplicari iuge sacrificium, nec potest intermitti et in alium differri diem. Sacrificium continuum matutinum & vespertinum, lectio est prophetarum & euangelij. Et qui se perpetuæ deuouet castitati, sacrificium cōtinuum offert.* [b] Conuocatio est sancta.] *Vocantur solennitates præcipuæ conuocationes sanctæ, quod in illis omnes masculi tenebantur conuenire in templum Domini. Licet & aliæ quædam solennitates celebres sic vocentur, in quibus populus à labore abstinere iubetur, & conuenire ad lectionem legis diuinæ.* [c] Offeretis incensum.] *Aduertendum est, interpretem sæpe appellare ignitum sacrificium, incensum.* [d] Nouas fruges.] *Vel, nouam oblationem: sunt duo panes, qui pro Minha ex tritico fiebant, vt supra scribitur.* [e] Præter holocaustum sempiternum.] *Hoc est, iuge & continuum: nam iuge sacrificium nunquam erat intermittendum, ideo præter illud, in solennitatibus alia quoque, quæ præscribuntur, erant facienda.*

CAPVT XXIX.

MEnsis etiam septimi prima † die conuocatio sancta erit vobis: omne opus seruile non facietis in ea, A
quia [a] dies clangoris est & tubarum. Offeretisq; holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulum de armento vnum, arietem vnum: & agnos anniculos immaculatos septem, & [b] † oblationem eorum similæ oleo consperſæ tres decimas per singulos vitulos, duas decimas per arietem, vnam decimam per agnum, qui simul sunt agni septem: & hircum pro peccato, qui offertur in expiationem populi, prēter holocaustum calendarum cum † oblatione eius, & holocaustum sempiternum cum libatio-
Leui. 16.g nibus solitis. Eisdem ceremonijs offeretis in odorem suauissimum incensum Domino. Decima quoq; dies mensis huius septimi erit vobis sancta † conuocatio, & [c] affligetis animas vestras: omne opus seruile non facietis in ea. Offeretisq; holocaustum Domino in odorem suauissimum, vitulum de armento vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septem: & † oblationem eorum similæ oleo cōsperſæ tres decimas per B
singulos vitulos, duas decimas per arietem, decimam † vnam per agnos singulos, qui sunt simul agni septē: & hircum pro peccato: absque his quæ offerri pro † peccato solent in expiatione & holocausto sempiterno, † atq; oblatione & libaminibus eorum. Quintadecima verò die mensis septimi, † vobis sancta erit † conuocatio, omne opus seruile non facietis in ea: sed celebrabitis solennitatem Domino septem diebus: offeretisq; holocaustum in odorem suauissimum Domino, vitulos de armento tredecim, arietes duos, agnos annicu-
los immaculatos quatuordecim: & † oblationem eorum similæ oleo consperſę tres decimas per vitulos singulos,

gulos, qui sunt simul vituli tredecim: & duas decimas arieti vno, id est simul arietibus duobus, & decimam † vnam agnis singulis, qui sunt simul agni quatuordecim: & hircū pro peccato: absq; holocausto sempiterno, & † oblatione & libamine eius. In die altero offeretis vitulos de armento duodecim, arietes duos, agnos
C anniculos immaculatos quatuordecim: † oblationemq; & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircum pro peccato: absque holocausto sempiterno, sacrificioq; & libamine eius. Die tertio offeretis vitulos vndecim, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: sacrificiaq; & libamina singulorū per vitulos & arietes & agnos † iuxta ritū suū celebrabitis, & hircū pro peccato: absq; holocausto sempiterno, † oblationeq; eius & libamine eius. Die quarto offeretis vitulos decē, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: † oblationēq; & libamina singulorū per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircū pro peccato: absq; holocausto sempiterno, † oblationeq; eius & libamine. Die quinto offeretis vitulos nouē, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatordecim: † oblationēq; & libamina singulos per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircū pro peccato: absq; holocausto sempiter-
D no, † oblationeq; eius & libamine. Die sexto offeretis vitulos octo, arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: † oblationēq; & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircum pro peccato: absque holocausto sempiterno, † oblationeq; eius & libamine. Die septimo offeretis vitulos septem, & arietes duos, agnos anniculos immaculatos quatuordecim: † oblationēq; & libamina singulorum per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircum pro peccato absq; holocausto sempiterno, † oblationeq; eius & libamine. Die octauo [d] † erit vobis retentio, omne opus seruile non facietis, offerentes holocaustū in odorem suauissimū Domino, vitulum vnum, arietem vnum, agnos anniculos immaculatos septē: † oblationēq; eius & libamina singulos per vitulos & arietes & agnos ritè celebrabitis, & hircū pro peccato: absq; holocausto sempiterno, † oblationeq; eius & libamine. Hæc offeretis Dño in solennitatibus vestris: præter vota & oblationes spōtaneas in holocausto, in † oblatione, in libamine, & in hostijs pacificis.

SCHOLIA.

[a] Dies clāgoris.] *Hic clāgor fieri iubetur per cornu arietinū, in memoriā oblationis Isaac.* [b] Oblationē cor.] *Memento per hanc dictionē intelligi oblationē Minha, cuius sæpius fecimus mentionē. Cōsueuerat interpres pro hac voce vertere, sacrificiū: quòd iccircò admonuimus, vt sicubi in superioribus relicta est vox illa, sacrificiū, cū significatur oblatio Minhæ, id lector aduertat.* [c] Affligetis animas vestras.] *Per hanc afflictionē intelligitur ieiunium, & omnium rerum abstinentia, quæ corpori blandiuntur.* [d] Erit vobis retentio.] *De hac superius Leuit. xxiij. diximus: aly verterunt, collectio.*

CAPVT XXX.

A NArrauitq; Moyses filijs Israel omnia quæ ei Dñs imperauerat, & locutus est ad principes tribuum filiorum Israel. Iste est sermo quem præcepit Dominus. Si quis virorum [a] votum Domino vouerit, aut se constrinxerit iuramento: nō faciet irritum verbum suum, sed omne quod promisit implebit. Mulier si quippiam vouerit, & se constrinxerit iuramento quæ est in domo patris sui, & in ętate adhuc puel-
B lari: si cognouerit pater votum quod pollicita est, & iuramentū quo obligauit animā suam & tacuerit, voti rea erit: quicquid pollicita est & iurauit, opere complebit: sinautem statim vt audierit contradixerit pater: & vota & iuramenta eius irrita erunt, † sed Dominus propitius erit ei eò q̄ contradixerit pater. Si maritū habuerit, & vouerit aliquid, [b] & semel de ore eius verbum egrediens animam eius obligauerit iuramento: quo die audierit vir & non contradixerit, voti rea erit, reddetq; quodcūq; promiserat: sinautē audiens statim cō-
C tradixerit, & irritas fecerit pollicitationes eius, verbaq; quibus obstrinxerit animam suam: propitius erit ei Dominus. Vidua & repudiata quicquid vouerint, reddent. [c] Vxor in domo viri cum se voto constrinxerit & iuramento, si audierit vir & tacuerit, nec contradixerit sponsioni, reddet quodcunq; promiserat: sinautem extemplò contradixerit, non tenebitur promissionis rea: quia maritus contradixit, & Dominus ei propitius
D erit. Si vouerit, & iuramento se constrinxerit vt per ieiunium vel cæterarū rerum abstinentiā affligat animā suam: in arbitrio viri erit siue faciat, siue non faciat: q̄ si audiēs vir tacuerit, & in alteram diem distulerit sententiam, quicquid vouerat atq; promiserat, reddet: quia statim vt audiuit tacuit: sinautem cōtradixerit postq̄ resciuit: portabit ipse iniquitatem eius. Istæ sunt leges quas constituit Dñs Moysi inter virum & vxorē, inter patrem & filiam quæ in puellari adhuc ætate est, † atq; in domo patris sui.

SCHOLIA.

[a] Votum Domino.] *Hebræi dicunt, votum & iuramentum sic differre, quòd votum sit Domino, iuramentum autem per Dominum, cum scriptum sit, In nomine eius iurabis.* [b] Et semel.] *Aliqui de inconsiderata prolatione voti interpretantur.* [c] Vxor in domo viri.] *Alius, de familia interpretatus est, quod & aptius est, ne eadem repetita videantur.*

CAPVT XXXI.

A LOcutusq; est Dominus ad Moysen, dicēs. Vlciscere prius filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad
Sup. 25.d populum tuum. Statimq; Moyses. Armate, inquit, ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionē Domini experere de Madianitis: mille viri de singulis tribubus eligātur, † vt ex omnibus tribubus Israel aliqui mittantur ad bellum. Dederuntq; millenos de singulis tribubus, id est duodecim millia expeditorum ad pugnam: quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, [a] vasaq; sancta, & tubas ad clangēdum tradidit eis. Cumq; pugnassent contra Madianitas † sicut Dominus præceperat Moysi, atq; vicissent, omnes
B Iosue 13.e mares occiderunt, & reges eorum Eui & Recē & Sur & Hur et Rebe, quinq; principes gentis: Balaam quoq; filium Beor interfecerunt gladio, cœperuntq; mulieres eorum & paruulos, omniaq; pecora & cunctam supellectilem: quicquid habere potuerant depopulati sunt: tam vrbes, quàm viculos & castella flamma consumpsit. Et tulerunt prædam, & vniuersa quæ cœperant tam ex hominibus quàm ex iumentis, et adduxerūt

ad Moysen & Eleazarum ſacerdotem,& ad omnem multitudinem filiorum Iſrael:† captiuitatem, prædam,
atq; ſpolia,ad caſtra ſcilicet in campeſtribus Moab,iuxta Iordanem contra Iericho.Egreſsi ſunt aũt Moyſes
& Eleazar ſacerdos,& omnes principes ſynagogę in occurſum eorum extra caſtra. Iratusq; Moyſes princi-
Sup. 25.a pibus exercitus tribunis,& cẽturionibus qui venerant de bello,ait.Cur fœminas reſeruaſtis? Nõne iſtę ſunt C
quæ deceperunt filios Iſrael [b] ad ſuggeſtionem Balaã,& prævaricari vos fecerunt in Dominũ ſuper peccato
Phogor,vnde & percuſſus eſt populus † Dñi? Ergo cunctos interficite quicquid eſt generis maſculini † in
paruulis:& mulieres quæ nouerũt viros in coitu,iugulate:puellas autem & oẽs fœminas [c] virgines reſeruate
vobis,& manete extra caſtra ſeptẽ diebus:† Quicũq;.ſ.occidit hominẽ,vel occiſum † tetigit, luſtrabitur die
tertio & ſeptimo.† Et omnis præda,ſed & omnis veſtis,omne indumentũ pelliceum,omne opus ex pilis ca-
prinis factũ, atq; omne vas lignũ expiabitis.Eleazar quoq; ſacerdos ad viros exercitus,qui pugnauerant, ſic
locutus eſt.Hoc eſt præceptũ legis quod mãdauit Dñs Moyſi, aurũ & argentum & ęs & ferrũ & plumbũ & D
ſtannũ,& omne quod poteſt trãſire per flãmas,igne purgabitur:quicquid aũt ignẽ nõ poteſt ſuſtinere, aqua
expiationis ſanctificabitur:& lauabitis veſtimẽta veſtra die ſeptimo,& purificati poſtea caſtra intrabitis.Di-
xitq; Dñs ad Moyſen.Tollite ſummã eorũ quę capta ſunt ab homine vſq; ad pecus, tu & Eleazar ſacerdos &
oẽs principes vulgi:diuidesq; ex equo prędã inter eos qui pugnauerũt,egreſsiq; ſunt ad bellũ, & inter omnẽ
reliquã multitudinẽ,& ſeparabis partem Dño ab his qui pugnauerũt & fuerũt in bello, vnã animã de quin- E
gẽtis,tã ex hominibus q̃ ex bobus & aſinis & ouibus,et dabis eã Eleazaro ſacerdoti, † veluti eleuationẽ Dñi:
ex media quoq; parte filiorũ Iſrael accipies quinquageſimũ caput hominũ & boũ & aſinorũ & ouiũ, cũctorũ
q; animantiũ:& dabis ea Leuitis,qui excubãt in cuſtodijs tabernaculi Dñi. Feceruntq; Moyſes & Eleazar,ſicut præceperat Dñs. [d] Fuit aũt præda,quã exercitus cœperat, ouiũ ſexcenta ſeptuagintaquinq; mil-
lia,boum ſeptuagintaduomillia,aſinorũ ſexaginta millia & mille:animæ hominũ ſexus fœminei, quæ non
cognouerant viros,trigintaduo millia.Dataq; eſt media pars his qui in prędio fuerant,ouium trecẽta trigin-
taſeptem millia quingentæ:è quibus in partẽ Domini ſupputatę ſunt oues ſexcẽtę ſeptuagintaquinq; , & de F
bobus trigintaſex millibus,boues ſeptuaginta & duo:de aſinis triginta millibus qningentis, aſini ſexaginta-
unus:de animabus hominum ſedecim millibus , ceſſerunt in partem Dñi trigintaduæ animæ. Tradiditque
Moyſes † cenſum eleuationis Dñi Eleazaro ſacerdoti,ſicut fuerat ei imperatum.† De media verò parte quę
contigerat reliquę multitudini,id eſt,de ouibus trecentis trigintaſeptẽ millibus quingentis , & de bobus tri-
gintaſex millibus,& de aſinis triginta millibus quingentis,& de hominibus ſedecim millibus , tulit Moyſes
quinquageſimum caput,& dedit Leuitis qui excubabant in tabernaculo Dñi,ſicut præceperat Dñs.Cumq;
acceſsiſſent principes exercitus ad Moyſen † nẽpe tribuni,cẽturionesq; dixerunt. Nos ſerui tui recẽſuimus G
numerum pugnatorũ,quos habuimus ſub manu noſtra:& ne vnus quidẽ defuit.Ob hanc cauſam offerimus
in donarijs Dñi ſinguli,quod in præda auri potuimus inuenire , periſcelides & armillas, annulos & dextra-
lia ac murenulas,vt depreceris pro nobis Dñm. Suſceperuntq; Moyſes & Eleazar ſacerdos omne aurum in
diuerſis ſpeciebus † ſedecim millia ſeptingentos quinquaginta ſiclos a tribunis & centurionibus. † Nã viri,
qui erant in exercitu rapuit quiſq; pro ſe.† Et ſuſceptum intulerunt Moyſes & Eleazar ſacerdos in taberna-
culum teſtimonij,in monimentum filiorum Iſrael coram Domino.

SCHOLIA.

[a] Vaſaq; ſancta.] *Hæc putantur fuiſſe arca,& frontale ornamentum.* [b] Ad ſuggeſtionẽ Balaam.] *Dederat enim conſilium,vt mulieres Madianitides mitterentur in caſtra Iſraelitarum,quæ illos ſollicitarent,& ad offenſam Dei prouocarẽt,& tum futurũ eſſet,vt ipſe facile illis malediceret,& voto regis Balac ſatisfaceret.* [c] Virgines.] *Cernis & hic honoratam virginitatem?* [d] Fuit autem præda.] *Dictio Hebræa ſignificat propriè prædam hominum, & animalium, non autem vtenſilium. Iubentur ergo dare de viuentibus quinquageſimam partem,non autem de reliquis rebus.*

CAPVT XXXII.

FIlij autem Ruben & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita ſubſtantia. Cumq; A
vidiſſent Iazer & Galaad aptas animalibus alendis terras , venerunt ad Moyſen & Eleazarum ſacerdo-
tem , & principes multitudinis, atque dixerunt, Ataroht,& Dibon,& Iazer,& Nemra,& Heſebon,&
Eleale , & Sabam , & Nebo , & Beon : terra quam percuſsit Dominus in conſpectu filiorum Iſrael , regio-
nis vberrimæ eſt ad paſtum animalium : & nos ſerui tui habemus iumenta plurima : precamurq; ſi inueni-
Sup. 23.c mus gratiam coràm te,vt des nobis famulis tuis eam in poſſeſsionem,nec facias nos trãſire Iordanem. Qui-
bus reſpondit Moyſes.Nunquid fratres veſtri ibunt ad pugnam , & vos hic ſedebitis? Cur † retrahitis men- B
tes filiorum Iſrael , ne tranſire audeant in locum quem eis daturus eſt Dominus? nonne ita egerunt patres
Sup. 14.c veſtri,quando miſi de Cadesbarne ad explorandum terram? Cumq; veniſſent vſque ad vallem Botri luſtra-
ta omni regione,† retraxerunt cor filiorum Iſrael, vt non intrarent fines quos eis Dominus dedit. Qui ira-
tus iurauit,dicens.Si videbunt homines iſti qui aſcenderunt ex Ægypto à viginti annis & ſupra,terram, quã
ſub iuramento pollicitus ſum Abraham,Iſaac,& Iacob : & noluerunt ſequi me,præter Caleb filium Iepho-
ne,Cenezęum,& Ioſue filium Nun : iſti impleuerunt voluntatem meã.Iratusq; Dominus aduerſum Iſrael, C
circunduxit eum per deſertum quadraginta annis,donec conſumeretur vniuerſa generatio quæ fecerat ma-
lum in conſpectu eius.Et ecce, inquit, vos ſurrexiſtis pro patribus veſtris incrementa, & alumni hominum
peccatorum,vt augeretis furorem Domini contra Iſrael.Quòd ſi noluerit ſequi eum , in ſolitudine popu-
lum derelinquet,& vos cauſa eritis necis omnium.At illi propè accedẽtes, dixerunt. Caulas ouiũ fabricabi-
mus,& ſtabula iumentorũ,paruulis quoq; noſtris : † nos autem ipſi armati & accincti pergemus ad prælių
ante filios Iſrael,donec introducamus eos ad loca ſua.Paruuli † verò noſtri † erũt in vrbibus munitis , pro-

pter habitatorum inſidias.Non reuertemur in domos noſtras, vſquedum poſsideant filij Iſrael hæreditatem D
ſuam:[a] nec quicquam quæremus trans Iordanem , † &vltra:quia iam habemus noſtram poſſeſsionem † ci-
tra Iordanem ad oriẽtem. Quibus Moyſes ait. Si facitis quod promittitis, † vt expediti † pergatis [b] coràm Ioſue 1.a
Domino ad pugnam:& omnis vir bellator armatus Iordanem tranſeat,donec ſubuertat Dominus inimicos
ſuos,& ſubijciatur ei omnis terra:tunc eritis inculpabiles apud Dominum & apud Iſrael , & obtinebitis re-
giones quas vultis,coràm Domino . Sinautem quod dicitis non feceritis , nulli dubium eſt quin peccetis in
E Deum:& ſcitote quoniam peccatum veſtrum apprehendet vos. Ædificate ergo vrbes paruulis veſtris,& cau-
las & ſtabula ouibus ac iumentis:& quod polliciti eſtis implete. Dixeruntq; filij Gad & Ruben ad Moyſen.
Serui tui ſumus,faciemus quod iubet dominus noſter. Paruulos noſtros & mulieres,& pecora , ac iumenta
relinquemus in vrbibus Galaad:nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum,ſicut tu domine
loqueris. Præcepit ergo Moyſes Eleazaro ſacerdoti,& Ioſue filio Nun, & principibus familiarum per tribus
Iſrael,& dixit ad eos.Si tranſierint filij Gad,& filij Ruben vobiſcum Iordanem omnes armati ad bellum co- Ioſue 4.e
F ràm Domino,& vobis fuerit terra ſubiecta:date eis Galaad in poſſeſsionem. Sinautem noluerint tranſire ar
mati vobiſcum,in terra Chanáan inter vos habitandi accipiant loca.Reſponderuntq; filij Gad , & filij Ru- Ioſue 13.b
ben. Sicut locutus eſt Dominus ſeruis tuis, ita faciemus:ipſi armati pergemus coram Domino in terrã Cha- Deut. 3.b
nán,† vt in poteſtate noſtra maneat hæreditas quam apprehendimus citra Iordanem : Dedit itaque Moy-
ſes filijs Gad & Ruben , & dimidiæ tribui Manaſſe filij Ioſeph regnum Seon regis Amorrhæi , & regnum
Og regis Baſan,terram eorum cum vrbibus ſuis per circuitum.Igitur extruxerunt filij Gad , Dibon , & Ata-
G roth,& Aroer,& † Atroth,& Sophã,& Iazer,& Iegbaa,& Bethnemra, & Betharan, vrbes munitas , & caulas
pecoribus ſuis. Filij verò Ruben ædificauerunt Heſebon , & Eleale,& Chariathãim , & Nabo,& Baalmeon
[c] verſis nominibus. Sabama quoque,imponentes vocabula vrbibus quas extruxerant. Porrò filij Machir,fi- Gen. 50.d
lij Manaſſe perrexerunt in Galaad,& † ceperunt eam eiecto Amorrhæo habitatore eius. Dedit ergo Moyſes Dute. 3.b
terram Galaad Machir filio Manaſſe,qui habitauit in ea . Iair autem filius Manaſſe abijt , & occupauit vicos
† eorum,quos appellauit Auothiair,id eſt villas Iair.Nobe quoque perrexit, & apprehendit Canath cum vi-
culis ſuis, vocauitq; eam ex nomine ſuo Nobe.

SCHOLIA.

[a] Nec Quicquam quæremus trans Iordanem.] *Hebræi hic legendum putant,citra Iordanem, vbi iam poſſeſsionẽ acceperant verſus orientem,ſed verſus occidentem fratribus cedere nolebant.* [b] Coràm Domino ad pugnam.] *Hoc eſt, ante arcam teſtamenti,vbi præſentia Domini certis indicijs declarabatur.* [c] Verſis nominibus.] *Habuerunt hæ ciuitates prius nomina à dijs,quos incolæ coluerunt:filij autem Ruben & Gad mutauerunt illa in alia nomina.*

CAPVT XXXIII.

A HÆ ſunt mãſiones filiorum Iſrael , qui egreſsi ſunt de Ægypto per turmas ſuas in manu Moyſi & Aa-
ron,quas deſcripſit Moyſes iuxta caſtrorum loca,quæ Domini iuſsione mutabant: † & hæ ſunt [a] pro
feſtiones eorũ. Profecti igitur de Rameſſe menſe primo,quintadecima die menſis primi , altera die Exod. 12.f
phaſe,filij Iſrael in manu excelſa,videntibus cunctis Ægyptijs,& ſepelientibus primogenitos quos percuſſe-
rat Dñs,(nam & in dijs eorũ exercuerat vltionẽ)caſtrametati ſunt in Socoth.Et de Socoth venerũt in Etham, Exod. 13.d
Exod. 14.a
B quæ eſt in extremis finibus ſolitudinis.Inde egreſsi venerunt contra Phihahiroth, quæ reſpicit Beelſephon, Exod. 14.e
& caſtrametati ſunt ante Magdalum.Profectiq; de Phihahiroth tranſierunt per mediũ mare in ſolitudinem: Exod. 15.d
& ambulantes tribus diebus per deſertum Etham, caſtrametati ſunt in Mara . Profectiq; de Mara venerunt
in Elim,vbi erant duodecim fontes aquarũ,& palmæ ſeptuaginta:ibiq; caſtrametati ſunt.Sed & inde egreſsi
fixerunt tentoria ſuper mare rubrũ.Profectiq; de mari rubro,caſtrametati ſunt in deſerto Sin. Vnde egreſsi Exod. 16.a
C venerunt in Daphca.Profectiq; de Daphca caſtrametati ſunt in Alus.Egreſsiq; de Alus, in Raphidim fixere Exod. 17.a
tentoria,vbi populo defuit aqua ad bibendũ.Profectiq; de Raphidim,caſtrametati ſunt in deſerto Sinai.Sed Exod. 19.a
& de ſolitudine Sinai egreſsi, venerunt ad Sepulchra cõcupiſcentiæ.Profectiq; de Sepulchris concupiſcẽtiæ, Supra 11.a
caſtrametati ſunt in Aſeroth.Et de Aſeroth venerunt in Rethma.Profectiq; de Rethma,caſtrametati ſunt in
Rẽmonphares. Vnde egreſsi venerunt in Lebna.De Lebna caſtrametati ſunt in Reſſa.Egreſsiq; de Reſſa,ve
D nerũt in Ceelatha. Vnde ꝓfecti:caſtrametati ſunt in mõte Sepher.Egreſsi de mõte Sepher,venerũt in.Arada
Inde ꝓficiſcẽtes,caſtrametati ſunt in Maceloth.Profectiq; de Maceloth,venerũt in Thãhath.De Thahath ca
ſtrametati ſunt ĩ Thare.Vnde egreſsi,fixere tẽtoria ĩ Methca.Et de Methca caſtrametati ſunt in Eſmona.Pro Supra 11.d
fectiq; de Eſmona,venerũt in Moſeroth.Et de Moſeroth caſtrametati ſunt in Beneiaacan.Profectiq; de Bene Supra 13.a
iaacan venerunt in montem Gadgad. Vnde profecti,caſtrametati ſunt in Ietebãtha.Et de Ietebãtha venerũt Deut. 10.b
Supra 20.a
E in Hebrona.Egreſsiq; de Hebrona,caſtrametati ſunt in Aſiongáber. Inde profecti,venerunt in deſertũ Sin, Supra 20.d
hæc eſt Cades.Egreſsiq; de Cades,caſtrametati ſunt in montem Hor in extremis finibus terræ Edom. Aſcen Deut. 32.g
ditq; Aaron ſacerdos in montem Hor iubẽte Domino: & [b] ibi mortuus eſt anno quadrageſimo egreſsionis
filiorum Iſrael ex Ægypto,menſe quinto,prima die mẽſis, cum eſſet annorum centum viginti tirium. Audi-
uitq; Chananęus rex Arad,qui habitabat ad meridiem † in terra Chanáan,veniſſe filios Iſrael.Et profecti de
monte Hor , caſtrametati ſunt in Salmona . Vnde egreſsi venerunt in Phunon . Profectiq; de Phunon,ca-
F ſtrametati ſunt in Oboth . Et de Oboth venerunt in Ieabarim , quæ eſt in finibus Moabitarum . Profectiq; Supra 21.c
de Ieabarim fixere tentoria in Dibongad . Vnde egreſsi caſtrametati ſunt in Helmondeblathãim . Egreſsiq;
de Helmondeblathãim , venerunt ad montes Abarim contra Nabo . Profectiq́ue de montibus Abarim,
tranſierunt ad campeſtria Moab , ſupra Iordanem contra Iericho . Ibiq́ue caſtrametati ſunt de Bethſimoth
vſq; ad Abelſatim,in planioribus locis Moabitarum,vbi locutus eſt Dominus ad Moyſen † ſupra Iordanem
contra Iericho , dicens . Præcipe filijs Iſrael,& dic ad eos. Quando tranſieritis Iordanem , intrantes terram

Canáan,disperdite cunctos habitatores terræ illius:cõfringite titulos,& statuas comminuite,atq; omnia ex- G
celsa vastate,† accipientes autem in hæreditatem terram,habitabitis in ea:ego enim dedi vobis illam in pos-
sessionem,quam diuidetis vobis sorte.Pluribus dabitis latiorem,& paucioribus angustiorẽ. Singulis, vt sors
ceciderit,ita tribuetur hæreditas.Per tribus & familias possessio diuidetur. Sinautem nolueritis † ejcere ha-
bitatores terræ,† erunt vobis † qui remanserint quasi claui in oculis,& [c] lanceæ in lateribus, & aduersabun-
tur vobis in terra habitationis vestræ:& quicquid illis cogitaueram facere,vobis faciam.

SCHOLIA.

[a] Profectiones.] *Profectiones in vniuersum fuerunt quadraginta duæ, peregeruntq; filij Israel ex ijs primo anno qua-*
tuordecim aut quindecim,& reliquis triginta nouem annis alias absoluerunt,in deserto illo inuio & squallido,vbi nec semi-
nari nec meti potuit, immo vbi nec aqua inueniebatur, sed tantum Dominus multitudinem de cælo cibauit,panes mittens
eis in abundantia. [b] Ibi mortuus est.] *Aaron quidem ante defunctus est,quàm Israel in aliquam partẽ terræ promissæ*
intraret. Mose autem adhuc viuente capta est terra Amorrhæorum,atq; possessa, sed Iordanem cum eis non est transire per-
missus,ex aliqua.n.parte lex obseruatur in fide Christiana.ibi.n.sunt etiam præcepta,quæ & hodie obseruare iubemur Chri-
stiani,sacerdotium verò illud & sacrificia nullam partem tenent hodie fidei Christianæ,nisi quod in vmbris futurorum acta
atq; transacta sunt. Hæc Augu. [c] Lanceæ.] *Quidam verterunt, spinæ pungentes. Iubentur autem filij Israel expellere*
infideles de terra ob hanc causam,ne scilicet ab eis discant,quod eos cedat in perniciem.

CAPVT XXXIIII.

LOcutusq; est Dñs ad Moysen,dicẽs.Præcipe filijs Israel, & dices ad eos. Cũ ingressi fueritis terrã Cha- A
náan,& in possessionẽ vobis sorte ceciderit,his finibus terminabitur. [a] Pars meridiana incipiet à soli-
Iosue 15.a tudine Sin,q̃ est iuxta Edom:& habebit terminos cõtra oriẽtẽ [b] mare † falsum, qui circuibit australe
plagã p ascẽsum scorpionis,ita vt transeãt in Senna,& † egrediãtur à meridie vsq; ad Cadesbarne,vnde egre-
diẽtur cõfinia ad villã nomine Adar,& tẽdent vsq; ad Asemona:ibitq; p gyrũ terminus ab Asemona vsq; ad
torrẽtẽ Ægypti,& † maris littore finietur. [c] Plaga autẽ occidentalis à mari magno incipiet, & ipso fine clau- B
detur.Porrò ad septentrionalẽ plagã à mari magno termini incipiẽt,pueniẽtes vsq; ad montẽ † Hor, à quo
venient in Emath vsq; ad terminos Sedãda,† & rursum egredietur terminus in Zephrona, & finietur exitus
eius ad villã Enan:hi erũt termini in parte aquilonis.Inde metabuntur fines cõtra orientalẽ plagam, de villa
Enan vsq; Sephãma,& de Sephãma descẽdent termini in Reblãtha † ab oriente scilicet Ain,& verget idẽ ter
minus:pertingentq; ad latus maris Cenereth ad orientẽ,& rursum descẽdet terminus ad Iordanẽ, & definet C
exitus eius in mari salis.Hanc habebitis terrã per fines suos in circuitu. Præcepitq; Moyses filijs Israel, dicẽs.
Hęc erit terra quã possidebitis sorte, & quam iussit Dominus dari nouem tribubus, & dimidiæ tribui. Tri-
bus enim filiorum Ruben per familias suas,& tribus filiorum Gad iuxta cognationum numerũ,media quo-
que tribus Manassẽ, id est duæ † & semis tribus, acceperunt partẽ suam † citra Iordanem contra Iericho ad
orientalem plagam.Et ait Dominus ad Moysen. Hæc sunt nomina virorum,qui terrã vobis diuident, Elea- D
zar sacerdos,& Iosue filius Nun,& singuli principes de tribubus singulis,quorum ista sunt vocabula. De tri
bu Iuda,Caleb filius Iephone. De tribu Simeon,Samuel filius Ammiud. De tribu Beniamin,Elidad filius
Iosue 14.a Chaselon. De tribu filiorũ Dan,Bocci filius Iogli. Filios Ioseph de tribu Manassẽ,Hanniel filius Ephod.
De tribu Ephráim,Camuel filius Sephtan. De tribu Zabulon,Elisaphã filius Pharnac. De tribu Issachar,
Dux Phaltiel filius Ozan. De tribu Aser,Ahiud filius Salomi. De tribu Nephthali,Phedael filius Ammiud.
Hi sunt quibus præceperat Dominus,vt diuiderent filijs Israel terram Chanáan.

SCHOLIA.

[a] Pars meridiana.] *Quæ scilicet transit ab oriente in occidẽtem per varios flexus, et angulos,atq; exporrectos arcus,ic-*
circò appellat ascensum Scorpionis,cũ limes rectus haberi non posit propter occurrentes mõtes,conualles,fluuios,paludes,&c.
Habuit autem hoc latus australe cõterminas tres terras,nempè Aegyptũ,Idumæam,& terram Moab. Aegyptus situm
tenebat occidentalem,cui orientem versus iungebatur Idumæa. Idumæa verò ab oriente cõtermina erat terræ Moab. Idu-
mæa & terra Moab extendebantur vsq; ad desertũ magnum,in quo Israelitæ tanto tempore vagabantur:præsertim cũ Idu
mæus illis nollet cõcedere transitũ,sicut nec rex Moabitarũ. Vnde coacti sunt ab istorũ regnorum terminis in meridiẽ deflectere,
& per orientale latus vsq; ad limitem aquilonarẽ gyrare, vbi terrã promissam ingressi sunt,deletis scilicet in latere orien-
tali regibus Og,& Seon, quorũ regna Iordanis interfluens disiungebat à terra Chanaan. [b] Mare falsum.] *Mare falsum*
ad orientẽ dicitur,mare Asphalticũ,mortuũ,& Sodomorum,in quod exonerat Iordanis fluuius, & est in angulo conun-
ctionis plagæ australis cũ orientali. [c] Plaga autem occidẽtalis.] *Occidentalis limes facile designatur, quòd sit maritimus*
totus,à termino Aegypti vsq; ad montẽ Hor, non illũ, vt videtur,in quo mortuus est Aaron, sed promontoriũ aliquod sub
Tyro & Sidone versus Hemath,quæ dicitur Epiphania. Inde transit aquilonaris limes versus ortum solis nõ recta linea,per
Sedad & Ziphron vsq; ad Henan villã,quæ est in angulo iungente aquilonarẽ limitem cũ orientali. Orientale autem limen
à villa Henan prædicta,in termino Damasci incipit & pertingit vsq; ad locũ Sepham,quã Apamiam quidam dicunt, &
deinde in Riblatha,quam in Syria Cocle nobilissimã, Antiochiam vocant,à parte orientali fontis, vel Ain. Inde autẽ ver-
git,& protenditur ad latus maris Cinereth,id est,ad stagnũ Tyberiadis ad ortum,donec perueniatur ad locũ, vbi effluit Ior-
danis lacum illum,qui suo meatu orientem designat promissæ terræ, exoneratur tandem in mare mortuum, cuius longitudo
deinde vsq; ad angulum eius australem complet longitudinem totius terræ promissæ.

CAPVT XXXV.

HÆc quoq; locutus est Dominus ad Moysen in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho. A
Præcipe filijs Israel vt dent Leuitis de possessionibus suis vrbes ad habitandum, & [a] suburbana earũ
per circuitum,vt ipsi in oppidis maneant,& suburbana sint pecoribus † substantiaq; eorum, & cũ-
ctis eorum animalibus,quæ à muris ciuitatum forinsecus per circuitum mille † cubitorum spatio tenden-
tur:

tur:contra orientem duo millia erunt cubiti,& contra meridiem similiter erunt duo millia: ad mare quoq;
quod respicit ad occidentem,eadem mensura erit,& septentrionalis plaga æquali termino finietur: eruntq;
vrbes in medio:† hęc,inquam,erunt suburbana vrbium.De ipsis autẽ oppidis,quæ Leuitis dabitis,sex erunt Iosue 20.a
B in fugitiuorum auxilia separata,vt fugiat ad ea qui fuderit sanguinẽ: & exceptis his alia quadraginta duo op- Deu.4.g
pida,id est simul quadraginta octo cum suburbanis suis.Ipsæq; vrbes, quæ dabuntur de possessionibus filio-
rum Israel,ab his qui plus habent, plures auferentur:& qui minus, pauciores:singuli iuxta mensuram hęredi
tatis suæ dabunt oppida Leuitis.† Et Ait Dñs ad Moysen.Loquere filijs Israel, & dices ad eos. Quãdo trã- Deut. 19.a
gressi fueritis Iordanem in terram Chanáan,decernite,quæ vrbes esse debeant in præsidia fugitiuorum, qui Iosue 20.a
nolentes,sanguinem fuderint:in quibus cum fugerit profugus,cognatus occisi non poterit eũ occidere, do-
nec stet in cõspectu multitudinis,& causa illius iudicetur.De ipsis aũt vrbibus,quę ad fugitiuorũ subsidia se-
parantur,tres erunt † citra Iordanẽ,& tres in terra Chanáan,tam filijs Israel, quàm aduenis atq; peregrinis,
C vt cõfugiat ad eas qui nolens,sanguinẽ fuderit. [b] Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus
est,reus erit homicidij, & ipse morietur. [c] Si lapidem iecerit † vnde quis mori potest & ictus occubuerit:
similiter punietur. Si ligno vnde quis mori potest percussus interierit:percussoris sanguine vindicabitur.
Propinquus occisi,homicidam interficiet: statim vt apprehenderit eum, † poterit interficere eum. Si per Deu. 19.c
odium quis hominem impulerit,vel iecerit quippiam in eum per insidias:aut cum esset inimicus,manu per
cusserit,& ille mortuus fuerit:percussor homicidij reus erit:cognatus occisi statim,vt inuenerit eum,iugula-
bit.Quòd si fortuitu,& absq; odio,& inimicitijs quicquam horum fecerit,† & fuerit [d] à synagoga inter per-
cussorem & propinquum sanguinis quæstio ventilata:liberabitur innocens de vltoris manu, & reducetur p
D sententiam in vrbem ad quam confugerat,manebitq; ibi, donec sacerdos magnus, qui oleo sancto vnctus
est,moriatur. Si interfector extra fines vrbium,quæ exulibus deputatæ sunt, fuerit inuentus, & percussus
ab eo qui vltor est sanguinis: absque noxa erit qui eum occiderit:debuerat enim profugus vsq; ad mortem
pontificis in vrbe residere:postquam autem ille † obijsset reuerti in terram suam.Hæc sempiterna erunt, &
legitima in † generationibus,& cunctis habitationibus vestris. Homicida sub testibus punietur:ad vnius
testimonium nullus condemnabitur. Non accipietis pretium ab eo qui reus est sanguinis, statim & ipse
morietur. Exules & profugi ante mortem pontificis nullo modo † per pretium in vrbes suas reuerti pote
runt,ne polluatis terram habitationis vestræ,quæ insontium cruore maculatur,nec aliter expiari potest,nisi
per eius sanguinem,qui alterius sanguinem fuderit.† Non igitur contaminetur vestra possessio me commo
rante vobiscum:ego enim sum Dominus:qui habito inter filios Israel.

SCHOLIA.

[a] Suburbana.] *Spacium,quod in campo ambit ciuitatem,porrectum ad mille cubitos,vocatur hic suburbanum, eratq;*
planicies illa solum pro ciuitatis decore,nec poterant Leuitæ in ea extruere domos,serere agros,aut plantare vineas.
[b] Si quis ferro.] *Loquitur hic scriptura de homicida,qui non errore,sed sciens aliquem percusserit.* [c] Si lapidem.] *Hic*
est sensus. Res,per quam quis aliquem interficit,considerari debet: vt si esset lapis paruus,qui tenentis manum non impleret,
aut virga tenera,non facienda est coniectura,quòd huiusmodi rebus,sine alio superueniente casu,quis occidi posit. Vnde om-
nia cadunt secundum Hebræos sub consyderatione, & æstimatione præter ferrum, cum quolibet instrumento ferreo, etiam
paruo cultello,quis interfici posit. [d] A synagoga.] *Intelligunt Hebræi hic,sicut & in multis alijs locis,per synagogam,non*
totum multitudinem,sed senatores,& summos in vrbe iudices.

CAPVT XXXVI.

A ACcesserunt autem & princeps familiarũ Galaad filij Machir, filij Manasse de stirpe filiorũ Ioseph:lo-
cutiq; sunt Moysi coràm principibus Israel,atq; dixerunt. Tibi domino nostro præcepit Dominus,
vt terram sorte diuideres filijs Israel, & vt [a] filiabus Salphaad fratris nostri dares possessionem debitã Supr. 27.a
patri:quas si alterius tribus homines vxores acceperint,sequetur possessio sua, & translata ad aliam tribum
B de nostra hæreditate minuetur:atq; ita fiet,vt cum [b] iubileus, id est quinquagesimus annus remissionis adue
nerit,confundatur sortium distributio,& aliorum possessio ad alios transeat. Respondit Moyses filijs Israel,
& Domino præcipiente ait.Rectè tribus filiorum Ioseph locuta est,& hæc lex super filiabus Salphaad à Do-
mino promulgata est.Nubant quibus volunt,tantum vt suæ tribus hominibus,ne † migret possessio filiorũ Thob. 7.d
B Israel de tribu in tribum:† sed quisq; de filijs Israel hæreat in hæreditate tribus patrum suorum, & quæcun-
que filia hęreditatem aliquam possederit in quacunque tribu filiorum Israel,debet fieri vxor alicuius,qui est
de cognatione tribus patris sui: vt hæreditas permaneat in familijs: nec transferri debet hæreditas de tribu
vna in tribum aliam,sed quisq; de tribubus filiorum Israel adhærere debet hæreditati suę. Fecerunt q; filiæ
D Salphaad vt sibi fuerat imperatum:& nupserunt Maala,& Thersa,& Hegla,& Melcha,& Noa filijs † patruo
rum suorum de familia Manasse,qui fuit filius Ioseph:& possessio,quæ illis fuerat attributa, mansit in tribu
& familia patris earum.Hęc sunt mandata atq; iudicia,quę mandauit Dominus per manum Moysi ad filios
Israel,in campestribus Moab supra Iordanem contra Iericho.

SCHOLIA.

[a] Filiabus Salphaad.] *Certabant passim tribus Israel pro connubio harum puellarum, vt hæreditatem earum in sor-*
tes suas traherent,quod cum filij Manasse aduertissent,causam legislatori proponunt, & consilium quærunt. [b] Iubileus.]
In iubilæo à seruis auferebatur iugum seruitutis,agri elocati redibant ad dominos suos,& captiui è caceribus liberabantur:
hæreditas autem abdicata non redibat ad tribum suam,sed sub tenentis,aut possidentis manu confirmabatur,id quod hic filij
tribus Manasse queruntur.

Liber

LIBER DEVTERONOMII

HEBRAICE ELLE HADDEBARIM.

CAPVT I.

HÆc svnt verba, quæ locutus est Moyses ad omnem Israel de trans Iordanem in so- A
litudine campestri, contra mare rubrum, inter Pharan & Tophel & Laban & Aseroth,
† atque Dizahab: vndecim dierum iter est ab Horeb per viam montis Seir vsque ad Ca
desbarne. Quadragesimo anno, vndecimo mense, prima die mensis, locutusq; est Moy
Num. 21.a ses ad filios Israel omnia, quæ præceperat illi Dominus vt diceret eis: postquam percus-
sit Seon regem Amorrhæorum, qui habitauit in Hesebon: & Og regem Basan, qui mã-
sit in Astaroth, & in Edrai. Trans Iordanem in terra Moab † cœpit Moyses, & declara
uit legem istam dicens. Dominus Deus noster locutus est ad nos in Horeb, dicens. Sufficit vobis quòd † ha- B
ctenus in hoc monte mansistis: † vertite vos, & ite ad montem Amorrhæorum, & ad cætera, quæ ei proxi-
ma sunt campestria atq; montana & humiliora loca contra meridiem, & iuxta littus maris, terram Chana-
næorum, & Libani vsq; ad flumen magnum Euphráten. En, inquit, tradidi vobis: ingredimini, & possidete
eam, super qua iurauit Dominus patribus vestris Abraham, Isaac, & Iacob, vt daret illam eis, & semini eorũ
post eos. Dixiq; vobis illo in tempore. Non possum solus sustinere vos, quia Dominus Deus vester multipli-
cauit vos, & estis hodie sicut stellæ cœli, plurimi. Dominus Deus patrum vestrorum addat ad hunc numerũ
Exod. 18.c multa millia, & benedicat vobis sicut locutus est. Non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus ac iur- C
gia. Date ex vobis viros sapientes & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam
eos vobis principes. Tunc respondistis mihi. Bona res est quam vis facere. Tuliq; de tribubus vestris viros
sapientes & † peritos, & constitui eos Principes Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, † Decanos
Ioan. 7.d & Præfectos secundum tribus vestras. Præcepiq; eis: dicens. Audite † causam fratrum vestrorum, & quod iu-
Infra 16.d stum est iudicate: siue ciuis sit ille, siue peregrinus, Nulla erit † agnitio personarum † in iudicio, ita par-
Leu. 19.c uum audietis vt magnum: nec † timebitis ab vllo viro, quia Dei iudicium est. Quod si difficile vobis visum
Pro. 24.c aliquid fuerit, referte ad me, & ego audiam. Præcepiq; † vobis omnia, quæ facere deberetis. Profecti autem D
Eccl. 42.a de Horeb, transiuimus per eremum terribilem & maximam, quam vidistis per viam montis Amorrhæi, si-
Iaco. 2.a cut præceperat Dominus Deus noster nobis. Cumq; venissemus in Cadesbarne, dixi vobis. Venistis ad mõ-
tem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est nobis. Vide terram quam Dominus Deus tuus
dabit tibi: ascende & posside eam, sicut locutus est Dominus Deus † patrum tuorum tibi: noli timere, nec
quicquam paueas. Et accessistis ad me omnes, atq; dixistis. Mittamus viros qui considerent terram: & [a] renũ
Num. 13.a tient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere ciuitates. Cumq; mihi sermo placuisset, misi ex
vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis. Qui cum perrexissent, & ascendissent in mõtana, venerunt E
vsque ad Vallem Botri: & considerata terra, sumentes de fructibus eius, † attulerunt ad nos, atque dixerunt.
Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermo
nem Domini Dei nostri murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis. Odit nos Dominus, & iccircò e-
duxit nos de terra Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atq; deleret. Quò ascendemus? nuntij terrue-
runt cor nostrum, dicentes. Maxima multitudo est, & nobis statura procerior: vrbes magnæ, & ad cœlum
vsque munitæ: filios Enacim vidimus ibi. Et dixi vobis. Nolite metuere, nec timeatis eos: Dominus Deus qui
ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus, & in solitudine ipsi vidi- F
Exod. 13.d stis. Portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via per quam
ambulastis, donec veniretis ad locum istum. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, qui præces-
sit vos in via, & metatus est locum in quo tentoria figere deberetis, nocte ostendens vobis iter per ignem, &
die per columnam nubis. Cumq; audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iurauit, & ait.
Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimæ terram bonam, quam sub iuramento pol
Nume. 14. licitus sum patribus vestris: præter Caleb filium Iephone: ipse enim videbit eam, & ipsi dabo terram quam
calcauit, & filijs eius, quia secutus est Dominũ, † Quin mihi quoque iratus Dominus propter vos dixit, Nec G
tu ingredieris illuc: sed Iosue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te: hunc exhortare & robora, & ipse
Num. 20.b sorte terram diuidet Israeli. Paruuli vestri, de quibus dixistis quòd captiui ducerentur, & filij qui † illo die bo
Num. 14.f ni ac mali † ignorabant distantiam, ipsi ingredientur: & ipsis dabo terram, & possidebunt eam. Vos autem
reuertimini, & abite in solitudinem per viam maris rubri. Et respondistis mihi. Peccauimus Domino, ascẽ-
demus, & pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumq; instructi armis pergeretis in mon-
tem, ait mihi Dominus. Dic ad eos. Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum: ne cadatis
coram inimicis vestris. Locutus sum & non audistis, sed aduersantes imperio Domini, & tumẽtes superbia,
ascendistis in montem. Itaq; egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens persecutus
est vos, [b] sicut solent apes persequi: & cecidit † vos in Seir vsq; Horma. Cumq; reuersi ploraretis coràm Do-
mino, non audiuit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. Sedistis ergo in Cades † multo tempore, [c] † secun-
dum dies quibus alibi mansistis.

Scholia

SCHOLIA.

Liber Deuteronomij apud Hebræos à primis dictionibus vocatur Elle Haddebarim, hoc est, hæc sunt verba, tametsi apud magistros non raro vocetur Misne, id est, repetita lectio: nam vt ijdem dicunt, hic liber non est aliud, quàm memorari rerum priorũ, quæ in alijs scribuntur libris, pauca habens mandata, quæ in alijs non inueniuntur libris. Agitur deniq; & in hoc isto libro, vt Moses duris verbis obiurget Israelitas, & quantum valet hortetur ad præceptorũ Dei obseruantiam: vnde & à quibusdam appellatur liber reprehensionum. Erat iam populus aliquanto mitior factus, et verbo Domini obedientior redditus, defunctis omnibus rebellibus illis viris, qui ex Ægypto egressi erant, & nullis poterant verbis, beneficijs, & miraculis, atque sæuissimis plagis in officio contineri. Est autem principium huius libri nonnihil difficile, cũ dicitur. Hæc sunt verba, quæ locutus est Moses trans Iordanem in solitudine campestri vel in planicie, cõtra mare rubrum &c. Certũ est Mosen hanc concionẽ habuisse in terra Moab, quæ longè distat à mari rubro & à deserto Pharan. Vnde Heb. exponentes principium huius libri, sequuntur Chaldæam interpretationem, quæ sic habet. Hæc sunt verba, quæ locutus est Moses cum vniuerso Israel ex altero latere Iordanis, arguens eos quòd peccassent in deserto, & quod ad iracundiam prouocassent in planicie è regione maris rubri in Pharan, quòd scilicet murmurassent contra manna, et in Aseroth, vbi deliquerũt propter carnes, & quòd fecissent vitulum aureum. Hinc arguunt Hebræi, præpositionem, in, quãdo dicitur, in solitudine, in planicie, capiendam pro, propter, vt sit sensus. Propterea quòd irritauerunt Deum in deserto dicentes, vtinam mortui essemus, & propter peccatum, quod commiserunt in planicie, quando initiati sunt Baal Peor, & propter peccatum è regione maris rubri cõmissum, quando dixerunt, nunquid sepulchra non fuerunt in Ægypto? Et quando subditur. Thophel, Laban, &c. dicunt Heb. non inueniri per tota biblia nomina locorum, quæ sic appellentur: ideo putant per Tophel significari murmurationem, quam fecerunt super Laban, id est, manna album. In deserto verò Pharan detrahebant terræ promissæ cum exploratores redissent, & omnes terruissent. In Aseroth schisma factum &c. per Core, cum quo multi perierunt: per diZahab, quod est, sufficientia auri, putant intelligendum vitulum, quem ex auro superfluo conflauerunt. Et quod sequitur. Vndecim dierũ iter est &c. hunc habet sensum. Ecce iter illud, quod est ab Horeb vsq; ad Cadesbarne, Vndecim dierum interuallo confici potest, Vos verò in tribus diebus confecistis illud, auxilio Dei freti, qui vos festinanter in terram promissam introducere voluit, sed quia illi semper rebelles fuistis, circunduxit vos per quadraginta annos in monte Seir, antequam vos introduceret in terram promissam. [a] Renuntient.] *Referant nobis, quas ciuitates primum oppugnemus.* [b] Sicut solent apes.] *Hæ facile irritantur, nec, donec nocuerint, ab infectatione desistunt.* [c] Secundũ dies, quibus alibi mansistis.] *Mansertit in Cadesbarne xix. annis, & tot annis vagi obambulauerunt in alijs mansionibus.*

CAPVT II.

A ET † vertimus nos profecti sumus in solitudinem, [a] quæ ducit ad mare rubrum, sicut mihi dixerat Do-
minus: & circuiuimus montem Seir longo tempore. Dixitq; Dominus ad me, † satis circuistis mon-
tẽ istum: ite contra aquilonem, & populo præcipe, dicens. Transibitis per terminos fratrum vestrorũ fi-
liorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. Videte ergo diligenter ne mouearnini contra eos: neque
enim dabo vobis de terra eorũ quantum poteſt vnius pedis calcare vestigium, quia in possessionẽ Esau dedi
montẽ Seir. Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis: aquã emptã haurietis, & bibetis. Dñs Deus tuus bene
B dixit tibi in omni opere manuum tuarum: nouit iter tuum quomodo trãsieris solitudinẽ hanc magnã, per
quadraginta annos, habitans tecum Dñs Deus tuus, & nihil tibi defuit. Cumq; transissemus fratres nostros
filios Esau, qui habitabant in Seir, per viam campestrẽ de Elath, & de Asion gaber, venimus ad iter quod du-
cit in desertũ Moab. Dixitq; Dñs ad me. Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersus eos prælium:
non enim dabo tibi quicquã de terra eorum, quia filijs Lot tradidi Ar in possessionẽ. [b] Emim primi fuerunt
habitatores eius, populus magnus, & validus, & tam excelsus vt de Enacim stirpe quasi gignantes crederen-
C tur, & essent similes filiorum Enacim. Deniq; Moabitæ appellant eos Emim. In Seir autem prius habitaue-
runt Horrhæi, quibus expulsis atq; deletis habitauerunt filij Esau, sicut fecit Israel in terra possessionis suæ,
quam dedit illi Dñs. Surgentes ergo vt transiremus torrentem Zared, venimus ad eum. Tempus autem quo
ambulauimus de Cadesbarne vsq; ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit: donec con-
sumeretur omnis † generatio [c] hominũ bellatorũ de castris, sicut iurauerat Dominus: cuius manus fuit ad-
uersum eos, vt interirent de castrorum medio. Postquã autem vniuersi eciderunt pugnatores, locutus est
D Dñs ad me, dicens. Tu transibis hodie terminos Moab vrbem nomine Ar: & accedens in vicina filiorum
Ammon, caue ne pugnes cõtra eos, nec mouearis ad prælium: non enim dabo tibi de terra filiorũ Ammon,
quia filijs Lot dedi eã in possessionẽ. Terra gigantum reputata est: & in ipsa olim habitauerunt gigãtes, quos
Ammonitæ vocãt Zomzommim, populus magnus, & proceræ longitudinis, sicut Enacim: quos deleuit Do-
minus à facie eorũ: & fecit illos habitare pro eis, sicut fecerat filijs Esau, qui habitant in Seir, delẽs Horrhæos,
& terram eorũ illis tradens, quam possident vsq; in præsens. Heuæos quoq;, qui habitabãt in Aserim, vsque
E Gazã Cappadoces expulerunt: qui egressi de † Caphthor deleuerũt eos, & habitauerũt pro illis. Surgite &
trãsite torrentem Arnon: ecce tradidi in manu tua Seon Regẽ Hesebon Amorrhæorum, & terram eius: in-
cipe possidere, & committe aduersus eũ prelium. Hodie incipiam mittere terrorem atq; formidinem tuam
in populos qui habitant sub omni cœlo: vt audito nomine tuo paueant: † & infirmentur à facie tua. Misi er-
go nuntios de solitudine Cademoth ad Seon regem Hesebon verbis pacificis, dicens. Transibimus per ter-
ram tuam, publica gradiemur via, non declinabimus neq; ad dexteram, neq; ad siniſtram. Alimenta pretio Num. 21.c
F vende nobis vt vescamur: aquam pecunia tribue, & sic bibemus. Tantum est, vt nobis concedas transitum,
sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ qui morantur in Ar: donec veniamus ad Iordã-
nem, & transeamus ad terram quam Dominus Deus noster daturus est nobis. Noluitq; Seon rex Hesebon
dare nobis transitum: quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obstirmauerat cor illius, ita vt
traderetur in manus tuas, sicut nunc vides. Dixitq; Dominus ad me. Ecce cœpi tibi tradere Seon & terram Amos. 2.c
eius,

eius,incipe possidere eam.Egressusq; est Seon obuiam nobis cum omni populo suo ad prælium in Iasa. Et G
tradidit eum Dominus Deus noster nobis:percussimusq; eum cum filijs suis & omni populo suo. Cũctasq;
vrbes in tempore illo cepimus,interfectis habitatoribus earum,viris ac mulieribus & paruulis:non reliqui-
mus in eis quicquam.Absq; iumentis,quæ in partem venere prædantium:& spolijs vrbium, quas cepimus
ab Aroer,quæ est super ripam torrentis Arnon,& † à ciuitate quæ est in torrente,vsq; Galaad. Nõ fuit vicus
& ciuitas quæ nostras effugeret manus:omnes tradidit Dominus Deus noster nobis. Absque terra filiorum
Ammon,ad quam non accessimus:& cunctis quę adiacent torrenti Ieboc,& vrbibus montanis,vniuersisq;
locis,à quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

SCHOLIA.

[a] Quæ ducit ad mare rubrum.] *Heb.hunc docent subesse sensum.Vt mare rubrum simul porrigitur in meridiẽ & orientem,ita Heb.montem Seir ad sinistram relinquentes,pariter in meridiem & orientem ab occidente transierunt in desertum illud squallidum,donec tandem per Dominum iubentur vestigium dirigere ad aquilonem.* [b] Emim.] *Ferunt populos illos sic vocatos,quòd eciderit terror & pauor super eos,qui illos videbant.Erat enim gens prodigiosa,magnæ staturæ, & incredibilis roboris.* [c] Hominum bellatorum.] *Bellator vir,vel,vt Hebraisinus habet,vir belli,quis censetur,cum vigesimum compleuerit,aut excesserit annum.*

CAPVT III.

Infra. 29.b Num. 21.g Num.21.e Num. 21.g

ITaq; cõuersi ascendimus per iter Basan:egressusq; est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo A
ad bellandum in Edrai.Dixitq; Dominus ad me.Ne timeas eum,quia in manu tua traditus est cũ omni
populo ac terra sua:faciesq; ei sicut feciſti Seon regi Amorrhæorum,qui habitauit in Hesebon.Tradidit
ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan,& vniuersum populum eius:percus-
simusq; eos vsq; ad internecionem,† cepimus & cũctas ciuitates illius vno tempore: non fuit oppidũ quod
nos effugeret:sexaginta vrbes,† omnẽ regionem Argob regni Og in Basan.Cunctę vrbes erant munitæ mu
ris altissimis,portisq; & vectibus,absq; oppidis innumeris quæ nõ habebant muros.Et deleuimus eos, sicut
feceramus Seon regi Hesebon,disperdẽtes omnem ciuitatem,virosq; ac mulieres & paruulos:iumenta autẽ
& spolia vrbium diripuimus.Tulimusq; illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum,
qui erant trans Iordanem:à torrente Arnon vsq; ad montem Hermon,quẽ Sidonij Sarion vocãt, & Amor- B
rhæi Sanir:omnes ciuitates quæ sitæ sunt in planitie, & vniuersam terram Galaad & Basan vsq; ad Selcha,&
Edrai ciuitates regni Og in Basan.Solus quippe Og rex Basan † remanserat de stirpe gigantum. Et monstra-
tur lectus eius ferreus,qui est in Rabbath filiorum Ammon,nouem cubitos habens lõgitudinis, & quatuor
latitudinis ad mensuram cubiti virilis.† Terramq; possedimus in tempore illo ab Aroer, quæ est super ripã
torrẽtis Arnon,vsq; ad mediam partem montis Galaad:& ciuitates illius dedi Ruben & Gad.Reliquam aũt
partem Galaad,& omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse omnem regionem Argob, cun-
ctamq; Basan † quæ & ipsa vocatur terra gigantum. Iair filius Manasse possedit omnem regionem Argob
Num. 32.f vsq; ad terminos Gessuri,& Machati.Vocauitq; ex nomine suo Basan,Auoth Iair,id est Villas Iair, vsque in
præsentem diem.Machir quoq; dedi Galaad.Et tribubus Ruben & Gad dedi de terra Galaad vsq; ad torren- C
tem Arnon medium torrentis & † vltra vsq; ad torrentem Ieboc,qui est terminus filiorum Ammon:& pla-
nitiem solitudinis atq; Iordanem,& terminos † eius à [a] Cenereth vsq; ad mare † quod est in planicie, mare,
inquam,salis,ad radices montis Phasga contra orientem. Præcepiq; vobis in tempore illo,dicens.Dominus
Deus vester dat vobis terram hanc in hæreditatem,expediti præcedite fratres vestros filios Israel omnes viri
robusti absq; vxoribus,& paruulis atq; iumentis.Noui enim q̃ plura habeatis pecora, & in vrbibus rema-
nere debebunt,quas tradidi vobis:donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris sicut vobis tribuit: &
possideant ipsi etiã terrã quã daturus est eis trans Iordanem:tunc reuertetur vnusquisq; in possessionem suã
Num.27.d quam dedi vobis.Iosue quoque in tempore illo præcepi,dicens.Oculi tui viderunt quę fecit Dominus Deus
vester duobus his regibus:sic faciet omnibus regnis ad quæ transiturus es.Ne timeas eos:Dñs enim Deus ve- D
ster pugnabit pro vobis.Precatusq; sum Dominum in tempore illo,dicens.Domine Deus tu cœpisti ostẽ-
dere seruo tuo magnitudinem tuam,manumq; fortissimam:neq; enim est alius Deus vel in cœlo,vel in ter-
ra,qui possit facere opera tua,& comparari fortitudini tuæ.Transibo igitur, & videbo terram hanc optimã
Infra. 31 & 34.a trans Iordanem,& [b] montem istum egregium,& Libanum.Iratusq; est Dñs mihi propter vos, nec exaudi-
uit me,sed dixit mihi.Sufficit tibi,nequaquam vltrà loquaris de hac re ad me. Ascende cacumen Phasgę, &
oculos tuos circunfer ad occidentem,& aquilonem austrumq;,& orientem, & aspice:nec enim trãsibis Ior-
danem istum.Præcipe Iosue.& corrobora eum atq; conforta,quia ipse præcedet populum istum, & diuidet
eis terram quam visurus es.Mansimusq; in valle contra phanum Phogor.

SCHOLIA.

[a] Cenereth.] *Cenereth & Genesareth vnus & idem lacus est,quem ferunt Christi tempore vulgari lingua Ginosar appellatum.* [b] Montem istum egregium.] *Heb.per hunc montem intelligunt mõtem Moria,in quo templum erat extruendum.*

CAPVT IIII.

ET nunc Israel audi præcepta & iudicia quæ ego docẽo te:vt faciens ea viuas, & ingrediẽs possideas ter- A
ram quam Dominus Deus patrum vestrorum daturus est vobis. Non addetis ad verbum quod vobis
Num.25.a loquor, nec auferetis ex eo:custodite mãdata Domini Dei vestri quæ ego præcipio vobis. Oculi vestri
viderunt omnia quæ fecit Dominus contra Beelphegor,quomodo cõtriuerit omnes cultores eius de medio
vestri.Vos autem qui adhæretis Domino Deo vestro,viuitis vniuersi vsq; in præsentẽ diem. Scitis quòd do-
cuerim vos præcepta atque iustitias,sicut mandauit mihi Dominus Deus meus: sic facietis ea in terra quam
possessuri

possessuri estis,& obseruabitis,& implebitis opere.Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus coràm popu
lis,vt audientes vniuersi præcepta hæc dicant. [a] En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia
natio tam grandis,quæ habeat deos appropinquantes sibi,sicut Dominus Deus noster adest cunctis obsecra-
B tionibus nostris.Quę est enim alia gens sic inclyta,vt habeat ceremonias,iustaq; iudicia, & vniuersam legẽ,
quam ego proponam hodie ante oculos vestros? Custodi igitur temetipsum,& animam tuam solicitè.Ne
obliuiscaris verborum,quæ viderunt oculi tui,& ne excidant de corde tuo cunctis diebus vitæ tuæ. Docebis
ea filios ac nepotes tuos, † præsertim diem quo stetisti coràm Domino Deo tuo in Horeb, quando Domi- Exod. 19.c
nus locutus est mihi,dicens. Congrega ad me populum,vt audiant sermones meos,& discant timere me om
ni tempore quo viuunt in terra, doceantq; filios suos. Et accessistis ad radices montis qui ardebat vsque ad
† medium cœli: [b] erantq; in eo tenebræ,& nubes,& caligo. Locutusq; est Dominus ad vos de medio ignis.
Vocem verborum eius audistis,& formam penitus non vidistis. Et ostendit vobis pactum suum quod præ-
C cepit vt faceretis, † nempè decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis lapideis, Mihiq; mandauit in illo tẽ-
pore,vt docerem vos ceremonias & iudicia,quæ facere deberetis in terra quam possessuri estis.Custodite igi-
tur solicitè animas vestras.Non vidistis aliquam similitudinem in die quâ locutus est vobis Dominus in Ho
reb de medio ignis:ne fortè decepti faciatis vobis [c] sculptam similitudinem, aut imaginem masculi vel fœ-
minæ,similitudinem omnium iumentorum,quæ sunt super terram, vel auium sub cœlo volantium, atque
reptilium, quæ mouentur in terra, siue piscium qui sub terra morantur in aquis:ne fortè eleuatis oculis ad
cœlum videas solem & lunam,& omnia astra cœli,& errore deceptus adores ea & colas,quę † distribuit Do-
minus Deus tuus [d] in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt. Vos autem tulit Dominus,& edu- Supr. 1.f
xit de fornace ferrea Ægypti, vt haberet populum hæreditarium, sicut est in præsenti die. [e] Iratusq; est Do-
D minus contra me propter sermones vestros,& iurauit,vt non transirem Iordanem, nec ingrederer terrã op-
timam quam daturus est vobis. Ecce morior in hac humo,non transibo Iordanem:vos transibitis & possede-
bitis terram egregiam. Caue ne quando obliuiscaris pacti Domini Dei tui, quod pepigit tecum:& facias
tibi † sculptile aut vllam similitudinem eorũ,quæ fieri Dominus prohibuit: quia Dominus Deus tuus ignis Heb.12.g
consumẽs est,Deus æmulator. Si genueritis filios ac nepotes,& morati fueritis in terra, deceptiq; feceritis vo
bis aliquam similitudinem,patrantes malum coràm Domino Deo vestro, vt eum ad iracundiam prouoce-
tis: testes inuoco hodie cœlum & terram, cito perituros vos esse de terra quâ transito Iordane possessuri estis:
non habitabitis in ea longo tempore,sed delebit vos Dominus atque [f] dispergetin omnes gentes,& remane
bitis pauci in nationibus ad quas vos ducturus est Dominus:ibiq; seruietis dijs qui hominum manu fabrica-
E ti sunt,ligno & lapidi,qui non vident,nec audiunt,nec comedunt, nec odorantur. Cumque quæsieris ibi
Dominum Deum tuum,inuenies eum:si tamen toto corde quæsieris,& tota tribulatione animæ tuæ. Post-
quam te inuenerint omnia,quæ prædicta sunt, [g] nouissimo autem tempore reuertéris ad Dominum Deum
tuum,& audies vocem eius. Quia Deus misericors Dominus Deus tuus est,non dimittet te, nec omnino de-
lebit,neque obliuiscetur pacti in quo iurauit patribus tuis. Interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te
ex die quo creauit Dominus Deus hominem super terram, [h] à summo cœlo vsq; ad summum eius,si facta est
aliquando huiusce modi res,aut nunquam cognitum est, vt audiret populus vocem Dei loquentis de medio
ignis,sicut tu audisti & vixisti:si fecit Deus,vt ingrederetur, & tolleret sibi gentem de medio nationum per
tentationes,signa atque portenta,per pugnam & robustam manum,extentumq; brachium, & horribiles vi
F siones iuxta omnia,quæ fecit pro vobis Dominus Deus vester in Ægypto,videntibus oculis tuis. † Tu per vi
siones edoctus es,quòd Dominus ipse est Deus,& non est alius præter eum. De cœlo te fecit audire vocẽ suã,
vt doceret te:& in terra ostendit tibi ignem suum maximum,& audisti verba illius de medio ignis,quia dile-
xit patres tuos,& elegit semen eorum post eos. Eduxitq; te præcedens in virtute sua magna ex Ægypto, vt Exod.13.d
deleret nationes maximas & fortiores te in introitu tuo:& introduceret te, daretq; tibi terrã earum in pos-
sessionem,sicut cernis in præsenti die.Scito ergo hodie,& cogitato in corde tuo quòd Dominus ipse est Deus
in cœlo sursum,& in terra deorsum,& non est alius. Custodi præcepta eius atque mandata, quæ ego præci-
pio tibi:vt bene sit tibi,& filijs tuis post te, & permaneas multo tempore super terram, quã Dominus Deus
tuus daturus est tibi, † cunctis diebus. Tunc separauit Moyses tres ciuitates trans Iordanem ad orientalem
G plagam,vt confugiat ad eas qui occiderit nolens, proximum suum,nec sibi fuerit inimicus ante vnum & al
terum diem,& ad harum aliquam vrbium possit euadere: Bosor in solitudine,quæ sita est in terra campestri
de tribu Ruben: & Ramoth in Galaad, quæ est in tribu Cad: & Golan in Basan, quæ est in tribu Manasse.
Ista est lex quam proposuit Moyses coràm filijs Israel, & hæc testimonia & ceremoniæ atque iudicia, quæ
locutus est ad filios Israel, quando egressi sunt de Ægypto trans Iordanem in valle contra phanum Phogor
in terra Seon regis Amorrhæi, qui habitauit in Hesebon, quem percussit Moyses † & filij Israel egressi ex
Ægypto, † & possederunt terram eius, & terram Og regis Basan duorum regum Amorrhæorum,qui erant
trans Iordanem ad solis ortum: ab Aroer, quæ sita est super ripam torrentis Arnon, vsque ad montem
† Sion,qui est & Hermon, omnem planitiem trans Iordanem ad orientalem plagam,vsque ad mare solitu-
dinis,& vsque ad radices montis Phasga.

SCHOLIA.

[a] En populus sapiens.] *Est enim consummata sapientia cognoscere Deum,& viuere secundum voluntatem eius.*
[b] Erantq; in eo tenebrę.] *Ardebat enim mons, & pertingebat flamma ignis vsque ad cœlum, & tamen mons ipse erat caliginosus, nubibus & nebulis obductus, vt nihil de eo cerneretur, præter erumpentem flammam.* [c] Sculptam similitudinem.] *Iudæi propter periculum idololatriæ prohibent quamlibet imaginem, etiam pro decore factam præsertim imaginem hominis,quando sic est sculpta,vt membra foras prodeant. Secus si imago sit per modum sigilli in materiã sculpta,*

vt non

vt non prominеat. [d] In ministerium cunctis gentibus.] *Dicit officia syderum distributa gentibus, quod omnibus hominibus præbeant lucem, calorem, et temperamentum frigoris, efficiantq; per suum accessum & recessum, æstatem, hiemem, ver, & autumnum.* [e] Iratusq; est Dominus contra me.] *Aptè sui exemplo admonet eos, ne peccent. Etenim qui tam charo amico nõ pepercit in leui re, multò minus toties relabentibus ignoscet.* [f] Disperget in omnes gentes.] *Tolerabilius esset apud vnam gentem iudæos captiuos teneri, quàm per omnes fere gentes totius orbis dispergi, id quod in hac vltima captiuitate miseris accidit.* [g] Nouissimo autem tempore reuerteris.] *Cum enim plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit.* [h] A summo cœlo.] *Interroga (inquit) omnes creaturas, quæ vsquam sunt in vniuerso mundo, si vnquam tale factum fuerit prodigium, vt mortales aures, non vnius hominis, aut paucorum, sed totius populi audierint vocem diuinam, citra vitæ sensus ereptionem.*

CAPVT V.

VOcauitq; Moyses omnẽ Israelem, & dixit ad eũ. Audi Israel ceremonias, atq; iudicia, quę ego loquor in auribus vestris hodie: discite ea, & opere complete. Dñs Deus noster pepigit nobiscum fœdus in Horeb. [a] Non cũ patribus nostris inijt pactum: sed nobiscũ qui in præsentiarum sumus & viuimus. Facie ad faciem locutus est nobis in mõte de medio ignis. [b] Ego sequester & medius fui inter Dñm & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius: timuistis enim ignem, & nõ ascendistis in mõtem. Et ait. Ego Dñs Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti de domo seruitutis. Non habebis deos alienos in conspectu meo. Non facies tibi sculptile, nec similitudinem omnium, quę in cœlo sunt desuper, & quæ in terra deor sum, & quæ versantur in aquis sub terra. Non adorabis ea, & non coles. Ego enim sum Dñs Deus tuus. Deus æmulator, reddens iniquitatem patrum super filios in tertiã, & quartã generationẽ his qui oderũt me, & faciens misericordiã in multa millia diligentibus me, & custodientibus præcepta mea. Non vsurpabis nomen Dñi Dei tui frustra: quia nõ erit impunitus, [c] qui super re vana nomen eius assumpserit. Obserua diem sabbati, vt sanctifices eũ sicut præcepit tibi Dñs Deus tuus. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimus dies sabbati est, id est requies Domini Dei tui. Non facies in eo quicquam operis, tu & filius tuus & filia, seruus & ancilla, bos & asinus, & omne iumentum tuum, & peregrinus qui est intra portas tuas: vt requiescat seruus tuus & ancilla tua, sicut & tu. Memento q; & ipse seruieris in Ægypto, & eduxerit te inde Dominus Deus tuus in manu forti, & brachio extento. Iccirco præcepit tibi, vt obseruares diẽ sabbati.

Exod. 19. b.c
Exod. 20.a
Exod. 20.a
Leuit. 26.a
Psal. 96.b
Exod. 34.a
Exod. 20.b
Leu. 19.c
Matth. 5.e
Eze. 20.b
Exod 20.c
Eccle. 3.b
Mart. 15.a
Mar. 7.b
Ephe. 6.a
Mat. 5.c.d
Rom. 7.b

Honora patrẽ tuum & matrem, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus, vt longo viuas tempore, & bene sit tibi in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non occides. Neq; mœchaberis. Furtum non facies. Nec loqueris cõtra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces vxorem proximi tui. Non domũ, nõ agrũ, nõ seruũ, nõ ancillã, nõ bouem, nõ asinũ, & vniuersa, quæ illius sunt. Hęc verba locutus est Dominus ad omnẽ multitudinem vestram in mõte de medio ignis & nubis, & caliginis voce magna, nihil addens amplius, & scripsit ea in duabus tabulis lapideis, quas tradidit mihi. Vos autẽ postquam audistis vocẽ de medio tenebrarum, & montem ardere vidistis, accessistis ad me omnes principes tribuũ & maiores natu, atq; dixistis. Ecce ostendit nobis Dñs Deus noster maiestatem & magnitudinem suam: vocẽ enim eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie q; loquente Deo cũ homine vixerit homo. Cur ergo morie mur, & deuorabit nos ignis hic maximus? Si enim audierimus vltrà vocem Domini Dei nostri, moriemur. † Quæ est enim quęuis caro, quæ audiat vocẽ Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit viuere? Tu magis accede, & audi cuncta, quæ dixerit Dñs Deus noster tibi: loquerisq; ad nos, & nos audientes faciemus ea. Quod cũ audisset Dñs ait ad me. Audiui vocem verborũ populi huius, quę locuti sunt tibi: bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis, & filijs eorum in sempiternum? Vade ergo & dic eis. Reuertimini in tentoria vestra. Tu verò hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias atque iudicia: quæ docebis eos, vt faciant in terra quam dabo illis in possessionem. Custodite igitur & facite ea, quæ præcepit Dñs Deus vobis: nõ declinabitis [d] neq; ad dexteram, neq; ad siniſtrã: sed per viam quã præcepit Dñs Deus vester ambulabitis, vt viuatis, & bene sit vobis, & protelentur dies vestri in terra possessionis vestræ.

Exod. 20.b
Leu. 19.c
Matth. 5.e
Eze. 20.b
Exod 20.c
Ecclc. 3.b
Mart. 15.a
Mar. 7.b
Ephe. 6.a
Mat. 5.c.d
Rom. 7.b

SCHOLIA.

[a] Non cum patribus nostris inijt pactum.] *Abraham & reliqui patres pactum quidem Domini habebant, sed non vt initum fuerat in monte Horeb.* [b] Ego sequester.] *Videtur Paulus ad hunc locum alluſisse, cum dixit: legem ordinatum per angelos in manu mediatoris, &c.* [c] Qui super re vana.] *Non solum cauendum est hoc, cum iurandum est, verum etiam cum mentio facienda est Dei. At verò ys, qui suis blasphemijs Deum lacerant, quid fiet?* [d] Neq; ad dextram neq; ad siniſtram.] *Vt, vel nimis, vel minus agere velitis, addere, vel minuere, aut pro humana libidine interpretari.*

CAPVT VI.

HÆc sunt præcepta, & ceremoniæ atque iudicia, quæ mandauit Dominus Deus vester, vt docerem vos, vt faciatis ea in terra ad quam transgredimini possidendam. Vt timeas Dominum Deum tuum, & custodias omnia mandata & præcepta eius, quæ ego præcipio tibi & filijs ac nepotibus tuis cunctis diebus vitæ tuæ, [a] vt prolongentur dies tui. [b] Audi Israel & obserua vt facias: & bene sit tibi, & multiplicеris amplius, sicut pollicitus est Dominus Deus patrum tuorum tibi terram lacte & melle manantem. Audi Israel Dominus Deus noster, † Dominus vnus est. Et [c] Diliges Dominum Deũ tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Eruntq; verba hęc, quæ ego præcipio tibi hodie: in corde tuo, & narrabis ea filijs tuis, & † loqueris de eis sedens in domo tua, & ambulãs in itinere, † dormiturus, atq; consurgens. Et [d] ligabis ea quasi signum in manu tua, eruntq; † vt frontalia inter oculos tuos, scribesq; ea in limine & ostij domus tuę. Cumq; introduxerit te Dominus Deus tuus in terram, pro qua iurauit patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob: & dederit tibi ciuitates magnas & optimas quas non ędificasti, domos plenas cunctarum

Matt. 22.d
Marc. 22.c
Luc. 10.c
Infra 11.c

cunctarum opum quas † tu non impleuisti, cisternas quas non fodisti, vineta & oliueta quæ non plantasti, & comederis, & saturatus fueris: caue diligenter ne obliuiscaris Domini qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis. Dominum Deum tuum timebis, & illi soli seruies, ac [e] per nomẽ illius iurabis. Non ibitis post deos alienos cunctarum gentiũ, quæ in circuitu vestro sunt: quoniam Deus æmulator Dñs Deus tuus in medio tui: nequando irascatur furor Domini Dei tui cõtra te, & auferat te de superficie terræ. Non tentabis Dominum Deum tuum, sicut tentasti in loco tentationis. Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia & ceremonias, quas præcepit tibi: & fac quod placitum est & bonum in cõspectu Domini, vt bene sit tibi: & ingressus possideas terram optimã, de qua iurauit Dominus patribus tuis, vt deleret omnes inimicos tuos coram te, sicut locutus est. Cũ interrogauerit te filius tuus cras, dicens. Quid sibi volunt testimonia hæc, & ceremoniæ, atq; iudicia, quæ præcepit Dominus Deus noster nobis? dices ei. Serui eramus Pharaonis in Ægypto, & eduxit nos Dominus de Ægypto in manu forti: fecitq; signa atque prodigia magna & pessima in Ægypto contra Pharaonem, & omnem domum illius in conspectu nostro, & eduxit nos inde, vt introductis daret terram super qua iurauit patribus nostris. Præcepitq; nobis Dominus, vt faciamus omnia legitima hæc, & timeamus Dominum Deum nostrum, vt bene sit nobis cunctis diebus vitæ nostræ sicut est hodie. Eritq; † hæc iustitia nostra, si custodierimus & fecerimus omnia præcepta eius coràm Domino Deo nostro, sicut mandauit nobis.

Matth. 4. b
Luc. 4. b
Matth. 4. b
Luc. 4. b
Num. 21. b

SCHOLIA.

[a] Vt prolongentur dies tui.] *Vide, vt se attemperat carnali populo, alioqui non sunt ob eam causam seruanda præcepta Dei, vt diu viuatur, sed quia æquum est, vt sine eius vllis promissis pareatur diuinis legibus.* [b] Audi Israel.] *Abutuntur Iudæi his sacris verbis haud secus, quàm aliqui Christiani initio Euangelij secundum Ioannem, qui se se satis tutos existimant, si sacra verba in scheda circumferant, quantumuis interim scelerata vitam viuant vitam.* [c] Diliges Dominum Deum tuum.] *Hebræi sanè piè hunc exponunt locum, vnde aiunt. Summus gradus colendi creatorem est, vt seruias ei ex dilectione, & non propterea, vt mercedem seu præmium accipias. Dilige, inquit, ex toto corde, quod solum opus tuum bonum, vel malum facit, deinde ex tota anima, vt etiam, si causa requirat, non trepides pro eo exponere animam, id est, corpore am vt tam, et tertiò ex tota virtute, quod Heb. exponunt, vt scilicet potius omnium rerum tuarum dispendiũ incidere velis, quàm ab amore Dei deflectere.* [d] Ligabis ea.] *Non aliter tibi adhæreant cordi atq; animo, atque si manui dextræ alligetur volumen, his verbis inscriptum, aut ob oculos velut frontale appendatur, & in frequentissimo loco domus pro perpetuo memoriali obtendatur. Et profectò id vnum remedium est, ad hanc vitam purè, atq; inoffensè agendam. Lucerna enim (inquit) pedibus meis verbum tuum: alioqui frequentissimè impingãt homines necesse est.* [e] Per nomen illius iurabis.] *Ne scilicet inolesceat mos iurandi per idola.*

CAPVT VII.

CVm verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram quam possessurus ingredieris, & deleuerit gẽtes multas coràm te, Ethęum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæũ, & Pherezæum, & Heuęũ, & Iebusæum, septem gentes multò maioris numeri quàm tu es, & robustiores te: tradideritq; eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vsq; ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earũ, neq; sociabis cum eis coniugia. Filiam tuam nõ dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo: quia seducet filium tuum ne sequatur me, & vt magis seruiat dijs alienis: irascetur q; furor Domini, & delebit te citò. Quin potius hæc facietis eis, Aras eorum subuertite, & confringite statuas, lucosq; succidite, & sculptilia cõburite: quia populus sanctus es Domino Deo tuo. Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis qui sunt super terram. Non quia cunctas gẽtes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramentum quod iurauit patribus vestris. Eduxitq; vos in manu forti, & redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis regis Ægypti. Et scies quia Dominus Deus tuus, ipse est Deus † Deus fidelis, custodiens pactum et misericordiam diligentibus se, & his qui custodiunt præcepta eius in mille generationes: & [a] reddens odientibus se statim, ita vt disperdat eos, & vltra non differat, protinus eis restituens quod merentur. Custodi ergo præcepta & ceremonias atq; iudicia, quæ ego mando tibi hodie: vt facias. Si postquam audieris hæc iudicia custodieris ea, & feceris, custodiet & Dominus Deus tuus pactum tibi & misericordiam quam iurauit patribus tuis: & diliget te, & benedicet tibi ac multiplicabit, benedicetq; fructui ventris tui, & fructui terræ tuæ, frumento tuo atq; vindemiæ, oleo, & armẽtis, gregibus ouium tuarum super terram, pro qua iurauit patribus tuis vt daret eam tibi. Benedictus eris inter omnes populos. Non erit apud te sterilis vtriusq; sexus, tam in hominibus quàm in gregibus tuis. Auferet Dominus à te omnem languorẽ: & infirmitates Ægypti pessimas quas nouisti non inferet tibi, sed cunctis hostibus tuis. Deuorabis omnes populos quos Dominus Deus tuus daturus est tibi. Non parcet eis oculus tuus, nec seruies dijs eorum, ne sint in ruinã tui. Si dixeris in corde tuo. Plures sunt gentes istæ quàm ego, quomodo potero delere eas? noli metuere, sed recordare quæ fecerit Dominus Deus tuus Pharaoni & cunctis Ægyptijs, plagas maximas, quas viderunt oculi tui, & signa atq; portenta, manumq; robustam, & extentum brachium vt educeret te Dominus Deus tuus: sic faciet cunctis populis quos metuis. Insuper [b] & crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, † donec pereãt ij, qui residui manserunt, quiq; absconditi sunt à facie tua. Nõ timebis eos, quia Dñs Deus tuus in medio tui est, Deus magnus & terribilis: ipse consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atq; per partes. Non poteris eas delere pariter, ne fortè multiplicentur contra te bestiæ terræ. Dabitq; eos Dominus Deus tuus in conspectu tuo: & interficiet illos † cæde magna donec penitus deleãtur. Tradetq; reges eorum in manus tuas, & disperdes nomina eorum sub cœlo: nullus poterit resistere tibi, donec conteras eos. Sculptilia eorum igne combures: non cõcupisces argentum & aurum, de quibus facta sunt, neq; assumes ex eis tibi quicquã, [c] ne offendas propter

Infra 51.a
Exod. 23.d & 34.b
Infra 14.a & 26.d
Exod. 23.d
Exod. 23.c 33.a Iosue 24.c
2. Mac. 12.g

propter ea, quia abominatio est Domini Dei tui. Nec inferes quippiam ex idólo in domum tuam, ne fias anáthema, sicut & illud est. Quasi spurcitiam detestaberis, & velut inquinamentum ac sordes abominationi habebis, quia anáthema est.

SCHOLIA.

[a] Reddens odientibus se statim.] *Alius vertit. Ipse retributionem facit iis, qui oderunt eum in facie sua. Quod hisce riam ab Hebræis exponitur, Vno modo sic, Deus osoribus suis reddit bona in vita sua, vt in futuro seculo perdat eos. Alij sic exponunt. Deus odientibus se vicissitudinem reddit facie sua irata, vt scilicet eos perdat.* [b] Et crabrones.] *Cum non legatur id factum esse, sunt qui sic interpretentur, tam leuiter à Deo vincendos hostes Israelis: vt etiam minimo animalium genere, & quasi nullo negocio superare velit. Liber tamen sapientiæ aliquid eiusmodi attingere videtur.* [c] Ne offendas propter ea.] *Vel, in eo: hoc est, ne offendiculum patiaris propter ipsum aurum, cum illud tibi anáthæma esse debeat, hoc est, sic perdendum est aurum & argentum illud quod de idolis venit, vt nullum penitus hinc commodum habeatur.*

CAPVT VIII.

A OMne mandatum quod ego præcipio tibi hodie caue diligenter vt facias: [a] vt possitis viuere, & multiplicemini: ingressíq; possideatis terram, pro qua iurauit Dominus patribus vestris. En recordaberis cuncti itineris per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te atq; tentaret: & nota fierent quæ in tuo animo versabantur, vtrum custodires mandata illius, an non.

Matth. 4.a Luc. 4.a Infra 26.a

Afflixit te, † & esurire te permisit, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu & patres tui: vt ostenderet tibi quòd non in solo pane viuat homo, sed in omni verbo quod egreditur de ore Domini. Vestimentum tuum quo operiebaris, nequaquam vetustate defecit, & pes tuus non est subtritus, en quadragesimus annus est. † Quin & recogita in corde tuo, quia sicut erudit filium homo, sic Dominus Deus tuus eruditi te, vt custodias mandata Domini Dei tui, & ambules in vijs eius, & timeas eum. Dominus enim Deus tuus introducet te in terram bonam, terram † torrentium aquarum, & fontium: in cuius campis & mõtibus erũpunt fluuiorum abyssi, terram frumenti: hordei, ac vinearum, in qua ficus & malagranata, & oliueta nascuntur, terram olei ac mellis: vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris: cuius lapides ferrum sunt, & de montibus eius æris metalla fodiuntur: vt cum comederis, & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo pro terra optima quam dedit tibi. Obserua, & caue ne quando obliuiscaris Domini Dei tui, & negligas mandata eius atq; iudicia, & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie: ne postquã comederis & satiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habueriscq; armenta boum, & ouium greges, argenti & auri, cunctarumq; rerum copiam, eleuetur cor tuum, & non reminiscaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti, de domo seruitutis: & ductor tuus fuit in solitudinẽ magna atq; terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio ac † siccitas, & nullæ omnino aquæ: qui eduxit riuos de petra durissima, & cibauit te manna in solitudine, quod nescierunt patres tui. Et postquã afflixit ac probauit te, ad extremum misertus est tui, ne diceres in corde tuo. Fortitudo mea, & robur manus meæ hæc mihi omnia præstiterunt, sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse vires tibi præbuerit, † vt acquiras opes, vt scilicet confirmet pactum suum, super quo iurauit patribus tuis, sicut præsens indicat dies. Sin autem oblitus Domini Dei tui, secutus fueris deos alienos, coluerisq; illos & adoraueris: ecce nunc prædico tibi quòd omnino dispereas. Sicut gentes quas deleuit Dominus in introitu tuo, ita & vos peribitis, si inobedientes fueritis voci Domini Dei vestri.

Num.21.b 20.b Exod. 17.a 15.d

SCHOLIA.

[a] Vt possitis viuere.] *Victus (inquit) vester pendebit ab obseruatione præceptorum Dei. Et quod subditur de fame, & cibatione mannæ, Hebræi hunc aiunt subesse sensum. Erant Israelitæ assueti cibo crassiori, & qui ventrem distendebat, quæ que in promptu.rio repositum, per annum inueniebant. Manna verò erat cibus tenuissimus, qui stomachum non replebat, sed membris vigorem præbebat, & animũ Deo paratũ conseruabat, pro quo singulis diebus oculi in cœlum erant subleuandi, & ob id Iudæi Deo ingrati, famem secum illo pane pati, non semel conquesti sunt, cum Ægyptiorum pisces, pepones, & cucumeres, angelorum pani præferrent, & in deserto Ægyptiorum delitijs se priuatos toties eiularint, & nihilipenderint verum illum animæ cibum, verbum Dei, quod præsentissimum illis erat, & quo solo corpore & anima viuere potuissent, si, vt debuerant, omni illud honore & auiditate suscepissent. Quemadmodum subditur: Nõ in solo pane viuit homo, sed in omni prolatione oris Domini, vt Hebraismus habet.*

CAPVT IX.

A VDi Israel. Tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas nationes maximas, & fortiores te, ciuitates ingentes, & ad cœlum vsq; muratas, populum magnum, atque sublimem, filios Enacim quos ipse vidisti & audisti, quibus nullus potest ex aduerso resistere. Scies ergo hodie quòd Dominus Deus tuus ipse transibit ante te, ignis deuorans atque consumens, qui conterat eos, & deleat atq; disperdat ante faciem tuam velociter, sicut locutus est tibi: Ne dicas in corde tuo cum deleuerit eos Dominus Deus tuus in cõspectu tuo. Propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hanc possiderem, cum propter impietates suas istæ deletæ sint nationes. Neque enim propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terras earum: sed, quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt: & vt compleret verbum suũ Dominus, quod sub iuramento pollicitus est patribus tuis Abraham, Isaac, & Iacob. Scito ergo quòd non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionem, cum durissimæ ceruicis sis populus. Memento, & ne obliuiscaris quomodo ad iracundiam prouocaueris Dominũ Deũ tuum in solitudine: ex eo die quo egressus es ex Ægypto vsque ad locum istum, semper aduersum Dominũ contendisti. Nam & in Horeb prouocasti eum, & iratus delere te voluit, quando ascendi in montem, vt acciperem tabulas lapideas pacti quod pepigit vobiscum Deus: & perseueraui in monte quadraginta diebus ac noctibus,

noctibus, panẽ non comedens, & aquam non bibens. Deditq; mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei, & continẽtes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis, quãdo concio populi congregata est. Cumq; transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis, dixitq; mihi. Surge, & descende hinc citò: quia populus tuus, quem eduxisti de Ægypto, defecerunt velociter viam, quam demonstrasti eis, feceruntq; sibi cõflatile. Rursumq; ait Dominus ad me. Cerno quòd populus iste duræ ceruicis sit: dimitte me, vt conteram eum, & deleam nomen eius sub cœlo, & constituam te super gentem quæ hac maior & fortior sit. Cumq; de monte ardente descenderẽ, & duas tabulas fœderis vtraq; tenerem manu, vidissẽmq; vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam eius quam vobis ostenderat: proieci tabulas de manibus meis, cõfregíq; eas in conspectu vestro. Et procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus & noctibus panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata vestra quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis: timui enim indignationem & iram illius, qua aduersum vos concitatus, delere vos voluit. Et exaudiuit me Dominus etiã hac vice. Aduersum Aaron quoq; vehementer iratus, voluit eum conterere, & pro illo similiter deprecatus sum. Peccatum autem vestrum quod feceratis, id est vitulum, arripiens igne combussi, et in frusta comminuens, omninoq; in puluerem redigens, [a] proieci in torrentem qui de monte descendit. [b] In incendio quoq;, & in tentatione, & in Sepulchris concupiscentiæ prouocastis Dominum: & quando misit vos de Cades barne, dicens. Ascendite, & possidete terram quam dedi vobis: & cõtempsistis imperium Domini Dei vestri, & non credidistis ei: neq; vocẽ eius audire voluistis: sed semper fuistis rebelles à die qua nosse vos cœpi. Et iacui coràm Domino quadraginta diebus ac noctibus, quibus eum suppliciter deprecabar, ne deleret vos vt fuerat comminatus: & orans dixi, Domine Deus, ne disperdas populum tuum, & hæreditatem tuam, quam redemisti in magnitudine tua, quos eduxisti de Ægypto in manu forti. Recordare seruorum tuorum Abraham, Isaac, & Iacob. Ne aspicias duritiam populi huius, & impietatem atq; peccatum: ne fortè dicant habitatores terræ, de qua eduxisti nos. Non poterat Dominus introducere eos in terram quam pollicitus est eis, & oderat illos: iccircò eduxit, vt interficeret eos in solitudine: q sunt populus tuus & hæreditas tua, quos eduxisti in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento.

Exod. 17. Exod. 19. & 32. Exod. 31.d

Nume.11.a 16.a. 21.a

SCHOLIA.

[a] Proieci in torrentem.] *Exodi autem xxxij. dicitur, Moſen sparsisse illum puluerem cõtriti vituli in aquam, & dedisse ex eo potum filijs Israel. Cum ergo hic dicatur, proiectum illum puluerem in torrentem, intelligimus accepisse Moſen ex illa aqua torrentis, in quam comminutus vitulus proiectus erat, & dedisse potum populo, qui peccauerat.* [b] In incendio quoq;, & in tentatione.] *Intelligit de seditione Core, in qua incẽdium contigit multorum, murmurationes quoque ob carnium defectum, aquarum, & panum.*

CAPVT X.

A IN tempore illo dixit Dominus ad me. Dola tibi duas tabulas lapideas, sicut priores fuerunt, et ascende ad me in montem: faciesq; arcam ligneam, & scribam in tabulis verba quę fuerunt in his quas antè confregisti, ponesq; eas in arca. Feci igitur arcam de [a] lignis setim. Cumq; dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montẽ habens eas in manibus. Scripsitq; in tabulis iuxta id quod prius scripserat, verba decem. quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est, & dedit eas mihi. Reuersusq; de monte, descendi, & posui tabulas in arcam quam feceram, quę hucusq; ibi sunt sicut mihi præcepit Dominus. Filij autem Israel mouerunt castra ex Beroth filiorum Iacan in Mosera, vbi Aaron mortuus & sepultus est, pro quo sacerdotio functus est Eleazar filius eius. Inde venerunt in Gadgad: de quo loco profecti, castrametati sunt in Ietabatha, in terra aquarum atq; torrentium. [b] Eo tẽpore separauit † Dominus tribum Leui, vt portaret arcam fœderis Domini, & staret coràm eo in ministerio, ac benediceret in nomine illius vsq; in præsentem diem. Quam ob rem non habuit Leui partem, neq; possessionem cum fratribus suis, quia [c] ipse Dominus possessio eius est, sicut promisit ei Dominus Deus tuus. Ego autem steti in monte, sicut prius, quadraginta diebus ac noctibus: exaudiuitq; me Dominus etiam hac vice, & te perdere noluit. Dixitq; mihi. Vade, & præcede populum, vt ingrediatur, & possideat terram quam iuraui patribus eorum vt traderem eis. Et nunc Israel quid Dominus Deus tuus petit à te, nisi vt timeas Dominum Deũ tuum, & ambules in vijs eius, & diligas eum, ac seruias Domino Deo tuo in toto corde tuo, & in tota anima tua: custodiasq; mandata Domini, & ceremonias eius quas ego hodie præcipio tibi, vt bene sit tibi? [d] En Domini Dei tui cœlum est, & cœlum cœli, terra & omnia quæ in ea sunt: & tamen patribus tuis conglutinatus est Dominus & amauit eos, elegitq; semen eorum post eos, id est vos, de cunctis gentibus, sicut hodie cõprobatur. Circuncidite igitur [e] præputium cordis vestri, & ceruicem vestram ne indureris amplius: quia Dominus Deus vester ipse est Deus Deorum, & Dominus Dominantium, Deus magnus & potẽs & terribilis, qui personam non accipit, nec munera. Facit iudicium pupillo & viduę, amat peregrinum, & dat ei victum atq; vestitũ: & vos ergo amate peregrinos, quia & ipsi fuistis aduenę in terra Ægypti. Dominum Deum tuum timebis, & ei soli seruies: ipsi adhærebis, iurabisq; in nomine illius. Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia & terribilia quæ viderunt oculi tui. In septuaginta animabus descenderũt patres tui in Ægyptum: & ecce, nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cœli.

Exod. 34.a

Num.32.d Num.20.d

2. Par.19.c Iob 34.b Sapiẽ.6.b Eccle.35.b Rom.2.b Gala.2.b Supra 6.c Matth.4.b Luc.4.b Gene.46.c

SCHOLIA.

[a] De lignis Sethim.] *Speciem cedri optimæ putant esse lignum illud.* [b] Eo tempore.] *In primò scilicet anno exitus de Ægypto, quando omnes Israelitæ præter tribum Leui coluerunt vitulum aureum.* [c] Ipse Dominus possessio eius est.] *Sacrificia enim quæ Domino offerebãtur, & primitiæ & decimæ hæreditas eorum erat.* [d] En Dñi Dei tui cœlum est.] *Cum omnia (inquit) eius sint, elegit tamẽ sua benignitate te præ cæteris.* [e] Præputium cordis vestri.] *Vox Heb.*

quam verterunt præputiũ,significat obturationem & operimentum:habet autẽ & cor obturationem suam ac velamẽ, quod diuus Paulus cæcitatem vocat,qua cor impeditur,ne veritatem agnoscat.Et exterior illa corporis circũcisio,significabat in Iudæis resecandam illã cordis cæcitatẽ,ex qua oẽs nascũtur impietates,scelera,& abominationes.Atq; vtinã id Iudæi aduerterent,qui tãtopere gloriantur de corporali illa circuncisione,quæ tantum fuit signũ veræ illius cordis circuncisionis, de qua hic tã apertè scriptura loquitur.Sciunt quidẽ miseri,magna et multa latere misteria in cortice literæ, vt celebre apud eos sit dictũ:non esse in lege vel vnã literam,a qua non pendeant magni montes,sed gratiam non habent suo vitio,vt illa agnoscãt.

CAPVT XI.

AMa itaq; Dominum Deum tuum,& obserua præcepta eius et ceremonias,iudicia atq; mãdata omni tempore. Cognoscite hodie quæ ignorant filij vestri,qui non viderunt disciplinam Domini Dei vestri,magnalia eius & robustam manum, extentumq; brachium, signa & opera quæ fecit in medio Ægypti Pharaoni regi,& vniuersæ terræ eius,omniq; exercitui Ægyptiorum, & equis ac curribus: quomodo operuerint eos aquæ maris rubri,cum vos persequerentur, & deleuerit eos Dominus vsq; in præsentem diem:vobisq; quæ fecerit in solitudine,donec veneritis ad hunc locum, & Dathan atq; Abiron filijs Eliab, Num.16.c qui fuit filius Ruben:quos aperto ore suo terra absorbuit cum domibus & tabernaculis, & vniuersa substãtia eorum,quam habebant in medio Israelis.Oculi vestri viderunt omnia opera Domini magna quæ fecit, † custodite igitur vniuersa mandata illius, q̃ ego hodie præcipio vobis,† vt possitis introire,& possidere terram ad quam ingredimini:multoq; in ea viuatis tempore:quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris,& semini eorum lacte & melle manantem.Terra enim,ad quam ingredieris possidendam, nõ est sicut terra Ægypti de qua existi,vbi iacto semine in hortorum morem aquæ ducũtur irriguæ,sed † montosa est,& campestris de cœlo expectãs pluuias,[a] quam Dominus Deus tuus semper inuisit, & oculi illius in ea sunt à principio anni vsq; ad finem eius. Si ergo obedieritis mandatis meis,quę ego hodie præcipio vobis,vt diligatis Dominum Deum vestrum,& seruiatis ei in toto corde vestro, & in tota anima vestra: dabit pluuiam terræ vestræ temporaneam & serotinam,vt colligatis frumẽtum,& vinum,& oleum, fœnumq; ex agris ad pascenda iumenta,& vt ipsi comedatis ac saturemini.Cauete ne fortè decipiatur cor vestrum, & recedatis à Domino,seruiatisq; dijs alienis,& adoretis eos:iratusq; Dominus claudat cœlum, & pluuiæ nõ descendãt, nec terra det germen suum,pereatisq; velociter de terra optima quam Dominus daturus est vobis. Ponite hæc verba mea in cordibus & in animis vestris, & † ligate ea pro signo in manibus, & inter oculos vestros collocate.Docete filios vestros,vt † loquantur de illis.Quãdo sederis in domo tua, & ambulaueris in via,& accubueris atq; surrexeris,scribes ea super postes & ianuas domus tuæ,vt multiplicentur dies tui,& filiorum tuorum in terra quam iurauit Dominus patribus tuis,vt daret eis quandiu cœlum immineret terræ.

Si enim custodieritis mandata quæ ego præcipio vobis,& feceritis ea,vt diligatis Dominũ Deum vestrũ, & ambuletis in omnibus vijs eius adhærentes ei, disperdet Dominus omnes gentes istas ante faciẽ vestram, Iosue 1, a & possidebitis eas quæ maiores & fortiores vobis sunt. Omnis locus quem calcauerit pes vester,vester erit. [b] A deserto,& à Libano,à flumine magno Euphrate vsq; ad mare occidẽtale erunt termini vestri. Nullus stabit contra vos:terrorem vestrum & formidinem dabit Dominus Deus vester super omnem terram quã calcaturi estis,sicut locutus est vobis. En propono in cõspectu vestro hodie benedictionem, & maledictionem: benedictionẽ,si obedieritis mandatis Domini Dei vestri,quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem,si non † obedieritis mandatis Domini Dei vestri,sed recesseritis de via quam ego nunc ostẽdo vobis,& ambulaueritis post deos alienos,quos ignoratis. Cũ verò introduxerit te Dominus Deus tuus in terram,ad quam pergis habitandam,pones benedictionem super montem Garizim,maledictionẽ super montem Hebal:qui sunt trans Iordanem post viam quæ vergit ad solis occubitum in terra Chananęi, qui habitat in campestribus cõtra Galgalã,† iuxta quercus More. Vos enim transibitis Iordanem, vt possideatis terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis,vt habeatis & possideatis illam, Videte ergo vt impleatis ceremonias atq; iudicia quæ ego hodie ponam in conspectu vestro.

SCHOLIA.

[a] Quam Dominus Deus tuus semper inuisit.] *Dicitur hic terram Israel meliorem esse terra Aegypti,eò quòd in Aegypto oporteat irrigari agros more hortorum, cum illic nunquam pluat, sed Nilus certo anni tempore,loco pluuiæ totam terram suam inundatione irriget,& fœcundet,& extra illud tempus arens terra, multo labore, aquis ex Nilo apportatis humectetur.Terra autem Israel bibat aquam ex pluuijs cœlestibus,quas Dominus tempore opportuno immittit, quã appellat pluuiam temporaneam & serotinam,temporaneam antè & post semina, serotinam ante maturitatem.* [b] A deserto.] *Terra (inquit) possessionis vestræ,iuxta longitudinem protendetur à deserto Arabiæ vsque ad Libanum, iuxta latitudinẽ autem à mari vltimo,quod hic intelligitur magnum,respectu laci Tyberiadis,& mortui maris.*

CAPVT XII.

HÆc sunt præcepta atq; iudicia quæ facere debetis in terra quam Dominus Deus patrum tuorum daturus est tibi,vt possideas eam cunctis diebus quibus super humum gradieris. Subuertite omnia loca in quibus coluerunt gentes quas possessuri estis: deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum.Dissipate aras earum, & confringite statuas,lucos igne comburite,& idola comminuite: disperdite nomina eorum de locis illis. [a] Non facietis ita Domino Deo vestro:sed ad locum,quem elegerit Dominus Deus vester de cunctis tribubus vestris,vt ponat nomen suum ibi, & habitet in eo,venietis:& offeretis in loco illo holocausta & victimas vestras, decimas & † oblationem manuum vestrarum,& vota atq; donaria,primogenita boum & ouium.Et comedetis ibi in conspectu Domini Dei vestri:ac lætabimini in cunctis ad quæ miseritis manum vos & domus vestræ in quibus benedixerit vobis Dominus Deus vester. Non facietis ibi [b] quæ nos hic facimus hodie,singuli quod sibi rectum videtur. Neque enim

enim vsque in præsens tempus venistis ad requiem,& possessionem,quam Dominus Deus vester daturus est vobis.Transibitis Iordanem & habitabitis in terra quam Dominus Deus vester daturus est vobis, vt requiescatis a cunctis hostibus vestris per circuitum:& absq; vllo timore habitetis in loco quem elegerit Dominus Deus vester,vt sit nomen eius in eo.Illuc omnia,quæ præcipio,conferetis,holocausta,& hostias, ac decimas, & primitias manuũ vestrarum, & quicquid præcipuum est in muneribus,quæ vouistis Domino. Ibi epula bimini coràm Domino Deo vestro, vos & filij ac filię vestræ, famuli & famulæ atq; Leuites, qui in vrbibus vestris commorantur:neq; enim habet aliam partem & possessionem inter vos. Caue ne offeras holocausta tua in omni loco quem videris:sed in eo quem elegerit Dominus,in vna tribuum tuarum offeres hostias, & facies quęcunque pręcipio tibi. [c] Si autem comedere volueris,& te esus carnium delectauerit,occide & comede iuxta benedictionem Domini Dei tui,quam dedit tibi in vrbibus tuis:† tam immundus, quàm mundus ex eis comedent, ac si esset caprea aut ceruus,absque esu duntaxat sanguinis, quem super terram quasi aquam effundes.Non poteris comedere in oppidis tuis decimam frumenti,& vini,& olei tui, primogenita armentorum & pecorum,& omnia,quæ voueris,& sponte offerre volueris, & † oblationem manuum tuarũ: sed coràm Domino Deo tuo comedes ea in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, tu & filius tuus & filia, seruus & familia, atque Leuites, qui manent in vrbibus tuis:& lætaberis, & reficieris coràm Domino Deo tuo in cunctis ad quę extenderis manum tuam. Caue ne derelinquas Leuiten in omni tempore quo versaris in terra. Quando dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos,sicut locutus est tibi, & volueris vesci carnibus quas desyderat anima tua: locus autem quem elegerit Dominus Deus tuus, vt sit nomen eius ibi, [d] si procul fuerit,occides de armentis & pecoribus,quæ † dederit tibi Dominus, sicut præcepi tibi, & comedes in oppidis tuis,vt tibi placet.Sicut comeditur caprea & ceruus, ita vescris eis: & mundus & immundus in commune vescentur:hoc solum caue ne sanguinẽ comedas:[e] sanguis enim eorum pro anima est, & iccircò nõ debes animam comedere cum carnibus:sed super terram fundes quasi aquam, vt bene sit tibi & filijs tuis post te,cum feceris quod placet in conspectu Domini.Quæ autem sanctificaueris & voueris Dño, tolles, & venies ad locum quẽ elegerit Dominus,& offeres oblationes tuas carnem & sanguinẽ super altare Dñi Dei tui,sanguinẽ hostiarũ tuarũ fundes † iuxta altare Dñi Dei tui,carnibus aũt ipse vesceris.Obserua & audi omnia quæ ego præcipio tibi,vt bene sit tibi & filijs tuis post te in sempiternum, cum feceris quod bonũ est & placitũ in cõspectu Dñi Dei tui.Qñ disperdiderit Dñs Deus tuus ante faciẽ tuam gentes ad quas ingredieris possidẽdas,& possederis eas,atq; habitaueris in terra earũ:caue ne imiteris eas,postquã te fuerint introeunte subuersæ,& requiras † deos earũ dicens.Sicut coluerũt gentes istę deos suos,ita & ego colã.Nõ facies similiter Dño Deo tuo.Omnes enim abominationes quas auersatur Dñs,fecerunt dijs suis,offerẽtes filios et filias, & comburentes igni.Quod præcipio tibi,hoc tantum facito Domino:nec addas quicquam,nec minuas.

SCHOLIA.

[a] Non facietis ita Domino.] *Hoc est,non coletis Deum vestrum in multis locis,in montibus, & collibus, atque sub arboribus virentibus,sicut gentes faciunt.Quamuis autem Deus in spiritu vbiq; coli velit,cultum tamen ceremoniarum in vno loco tãtum constituit,videlicet in Hierusalem,vt magis legitimus seruaretur cultus eius.* [b] Quæ nos hic facimus.] *In deserto (inquit) certam mansionem non habemus,sed quò nos columna duxerit, illic erecto tabernaculo passim sacrificia offerimus Domino.* [c] Si autem comedere volueris.] *Alius sic vertit.Attamen in omni desyderio animæ tuæ, offeres & comedes carnem iuxta benedictionem Domini Dei tui,quam dedit tibi in omnibus portis tuis, tam immũdus quàm mũdus ex ea comedent,ac si esset caprea aut ceruus.Locus autem est obscurus:at Heb.dicunt hunc latere sensum. Nihil est offerẽdum,nisi quod totũ sit desyderabile.Quòd si in pecus offerendum inciderit macula aliqua,debet illud redimi alio pecore, poteruntq; de redempto edere tam immundus quàm mundus æquè ac si esset ceruus aut caprea, quæ non sunt animalia immolatitia,& tamen quia munda sunt,ab omnibus comedi possunt.* [d] Si procul fuerit.] *Cum in deserto vagarentur,faciebãt quotidie sacrificia pacificorum,quandoquidem tabernaculum Domini illis erat præsens,& sic non defuit eis esus carnis, cum sacrificia illa ab omnibus,qui mundi erant comedi possent.Sed cum in terrã promissionis venissent,& quidam longo interuallo abessent à tabernaculo,& postea à templo,conceditur illis,vt vbiq; locorum vesci possent carnibus, etiam si illæ non fuerint per oblationem sanctificatæ.* [e] Sanguis enim eorum pro anima est.] *Quidam Hebræus sic exponit,anima per sanguinem mouet,& sentire facit corpus,& sanguis hæret ad ipsam animam.Sed & à sinistra parte cordis extenduntur nerui,inter quos quidam sanguine pleni sunt,alij habent spiritum vitalem,per quos anima suas exercet operationes.*

CAPVT XIII.

A [a] SI surrexerit in medio tui prophetes,aut qui somnium vidisse se dicat,& prædixerit signum atq; portẽtum,& euenerit quod locutus est, & dixerit tibi. Eamus & sequamur deos alienos quos ignoras, & seruiamus eis:non audies verba prophetæ illius aut somniatoris, quia [b] tentat vos Dominus Deus vester, vt palàm fiat vtrum diligatis eum an non,in toto corde,& in tota anima vestra. Dominum Deum vestrũ sequimini,& ipsum timete,& mandata illius custodite,& audite vocem eius:ipsi seruietis, & ipsi adhærebitis.Propheta autem ille aut fictor somniorum interficietur:quia locutus est vt vos auerteret à Domino Deo
B vestro,qui eduxit vos de terra Ægypti,& redemit vos de domo seruitutis: vt errare te faceret de via quam tibi præcepit Dominus Deus tuus:† vt in ea ambules, & auferas malum de medio tui. Si tibi voluerit persuadere frater tuus,filius matris tuæ,aut filius tuus vel filia,siue vxor quæ est in sinu tuo,aut amicus quem diligis vt animam tuam,clàm dicens.Eamus & seruiamus dijs alienis,quos ignoras tu et patres tui,cunctarum in circuitu gentium quæ iuxtà vel procul sunt,ab initio vsq; ad finem terræ: non acquiescas ei, nec audias, neque parcat ei oculus tuus vt miserearis & occultes eum,sed statim interficies:sit primum manus tua super
C eum,& post te omnis populus mittat manum.Lapidibus obrutus necabitur,quia voluit te abstrahere à Domino Deo tuo,qui eduxit te de terra Ægypti de domo seruitutis:vt omnis Israel audiens timeat, & nequa- Infra 17.b

quam vltrà faciat quippiam huius rei simile. Si audieris in vna vrbium tuarũ, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandũ, dicentes aliquos. Egressi sunt [c] filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ, atq; dixerunt. Eamus, & seruiamus dijs alienis quos ignoratis: quære solicitè, & diligẽter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hanc opere perpetratã, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omniaq; quæ in illa sunt vsque ad pecora, quicquid etiam supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, & sit tumulus sempiternus: non ædificabitur amplius, & nõ adhærebit de illo anathemate quicquam in manu tua, vt auertatur Dominus ab ira furoris sui, & misereatur tui, multiplicetq; te, sicut iurauit patribus tuis, quando audieris vocem Domini Dei tui, custodiens omnia præcepta eius quę ego præcipio tibi hodie, vt facias quod placitum est in conspectu Domini Dei tui.

SCHOLIA.

[a] Si surrexerit in medio tui prophetes.] *Intellige falsum prophetã, qui cupiat seducere populũ, et ex cerebro suo fingat mẽdacia, qui etiam si illa signis æditis cõfirmet, nõ est illi obtemperandũ. Cognosci autẽ facile potest, si à vero Deo abducere tentet.* [b] Tentat vos Dñs.] *Permittit (inquit) hæc, vt appareat, quàm firmo animo illi adhæreatis.* [c] Filij Belial.] *Per Belial Hebræi intelligunt hominem pernicacem, & qui est perfricta fronte, quasi absq; iugo legis Diuinæ.*

CAPVT XIIII.

Filij † estis Domini Dei vestri: [a] nõ vos incidetis, nec facietis caluitium † inter oculos vestros super mortuo: quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo: & te elegit vt sis ei in populum peculiarem de cũctis gentibus quæ sunt super terram. Ne comedatis [b] quæ immunda sunt. Hoc est animal quod comedere debetis. Bouem, & ouem, & capram, ceruum, & capream, bubalum, tragelaphum, pygargum, orygem, camelopardalum. Omne animal, † quod diuidit vngulam, & findit fissuram vtriusque vngulæ & ruminat, comedetis. De his autem quæ ruminant, & vngulam non findunt, † vel contra, hæc comedere non debetis, camelum, leporẽ, chirogryllium: quia ruminant, & non diuidunt vngulam, immunda erunt vobis. Sus quoque quoniam diuidit vngulam, & non ruminat, immunda erit: carnibus eorum non vescemini, & cadauera non tangetis. Hæc comedetis ex omnibus quæ morantur in aquis. Quæ habent pinnulas, & squãmas, comedite: quæ absq; pinnulis, & squammis sunt, ne comedatis, quia immunda sunt. Omnes aues mũdas comedite, immundas ne comedatis: aquilam scilicet, & gryphem, & haliætum, ixion, & vulturem, ac miluum iuxta genus suum: & omne coruini generis, & struthionem, ac noctuã, & larum, atq; accipitrem iuxta genus suũ: herodium, ac cygnum, & ibin, ac mergulum, porphyrionem, & nycticoracẽ, onocrotalum, & charadrium, singula in genere suo, vpupam quoq; & vespertilionẽ. Et omne quod reptat & pennulas habet, immundum erit nec comedetur. Omne † volatile mundum, comedite. Quicquid autem morticinum est, nec vescemini ex eo. [c] Peregrino, qui intra portas tuas est, da vt comedat, aut vende ei: quia tu populus sanctus Domini Dei tui es. Non coques hœdum in lacte matris suæ. [d] Decimam partem separabis de cunctis fructibus tuis quæ nascuntur in terra per annos singulos, & comedes in conspectu Domini Dei tui in loco quem elegerit, vt in eo nomen illius inuocetur, decimam frumenti tui, & vini, & olei, & primogenita de armentis et ouibus tuis: vt discas timere Dominum Deum tuum in omni tempore. Cum autem longior fuerit via, & locus quẽ elegerit Dñs Deus tuus, † vt ponat ibi nomen suum, & tibi q; benedixerit † Dominus Deus tuus nec potueris ad eum hæc cuncta portare, vendes omnia, & in pretium rediges, portabisq; manu tua, & proficisceris ad locũ quem elegerit Dominus Deus tuus, & emes ex eadem pecunia quicquid tibi placuerit, siue ex armentis, siue ex ouibus, vinum quoq;, & siceram, & omne quod desyderat anima tua: & comedes coràm Domino Deo tuo, & epulaberis tu & domus tua, & Leuita qui intra portas tuas est: caue ne derelinquas eum, quia non habet aliam partem in possessione tua. Anno tertio separabis aliam decimam ex omnibus quæ nascuntur tibi eo tempore: & repones intra ianuas tuas. Venietq; Leuites qui aliam non habet partem nec possessionem tecũ, & peregrinus ac pupillus & vidua, qui intra portas tuas sunt, & comedent, & saturabuntur: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cunctis operibus manuum tuarum quæ feceris.

Supra 7.2 Infra 26.d Leui. 11.a

Exod. 23.c 24.d

SCHOLIA.

[a] Non vos incidetis.] *Vel, lacerabitis. Non immoderatè (inquit) facietis planctum super mortuum, ac si omnino periisset, cum non ita sit. Prohibetur autem laceratio corporis & euulsio crinium secundum Iudæos, non autem laceratio vestiũ.* [b] Quæ immunda sunt.] *De animalibus mundis & immundis dictum est in Leuitico.* [c] Peregrino.] *Qui scilicet non est circumcisus, vt Chald. habet translatio. Et quod sequitur, Non coques hædum, diximus de hoc Exod. xxiij.* [d] Decimam partem.] *Voluit Dominus, vt primo sibi offerrent primitias frugum & animalium. Deinde singulis annis priusquam gustarent nouas fruges, afferrent munus quoddam in templum. Tertiò decimas de omnibus darent Leuitis, quæ prima vocatur decima. Leuitæ verò à susceptis decimis filiorum Israel decimam darent sacerdotibus, quæ decima dedecima appellatur, eratq; res sancta, quæ extra Hierusalem comedi prohibetur, nec poterat vendi, aut commutari. Et hæc aliquando vocatur decima secunda. Erat deinde & alia decima, quæ pauperibus dabatur, hoc est, Leuitis sedentibus intra portas, peregrinis, pupillis, & viduis, & hæc quoque vocatur decima secunda, & aliquando decima tertia, & de hac non satis conuenit inter Iudæos.*

CAPVT XV.

SEptimo anno [a] facies remissionem, quæ hoc ordine celebrabitur. Cui debetur aliquid ab amico vel proximo ac fratre suo, repetere non poterit: quia annus remissionis est Domini. A peregrino & aduena exiges: ciuem & propinquum repetendi non habebis potestatem. Et omnino indigens, & [b] mẽdicus non erit inter vos: † quia benedicet tibi Dominus in terra quam traditurus est tibi in possessionem. Si tamen audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris vniuersa quæ iussit, & quæ ego hodie præcipio tibi, benedicet tibi,

cet tibi, vt pollicitus est. Fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo accipies mutuum. Dominaberis nationibus plurimis, & tui nemo dominabitur. Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem deuenerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum quo eum indigere perspexeris. Caue ne fortè subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo. Appropinquat septimus annus remissiõis: & auertas oculos tuos à paupere fratre tuo, nolens ei, quod postulat, mutuum commodare: ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum. Sed dabis ei: nec ages quippiam callidè in eius necessitatibus subleuãdis: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore, & in cunctis ad quæ manum miseris. [c] Nõ deerunt pauperes in terra habitationis tuæ: iccircò ego præcipio tibi vt aperias manum fratri tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terra. Cum tibi venditus fuerit frater tuus Hebræus aut Hebræa, & sex annis seruierit tibi, in septimo anno dimittes eum liberum: et quem libertate donaueris, nequaquam vacuum abire patieris, sed † onerando onerabis eum de gregibus, & de area & torculari tuo, in quibus Dominus Deus tuus benedixerit tibi dabis ei. Memento ℣ & ipse seruieris in terra Ægypti, & liberauerit te Dominus Deus tuus, et iccircò ego nũc præcipio tibi. Si autem dixerit. Nolo egredi: eò quòd diligat te, & domum tuam, & bene sibi apud te esse sentiat: assumes [d] subulam, & perforabis aurẽ eius in ianua domus tuę, & seruiet tibi † in seculũ: ancillæ quoq; similiter facies. † Non graue sit in oculis tuis, cum dimiseris eum liberum à te, quoniam [e] duplex est mercenarij merces sex illis annis, quibus seruiuit tibi: vt benedicat tibi Dominus Deus tuus in cũctis operibus quæ agis. De primogenitis quæ nascuntur in armentis, & ouibus tuis, quicquid est sexus masculini, sanctificabis Domino Deo tuo. Non operaberis in primogenito bouis, & non tondebis primogenita ouiũ. In conspectu Domini Dei tui comedes ea per annos singulos in loco quem elegerit Dominus, tu & domus tua. Si autem habuerit maculam, & vel claudum fuerit vel cæcum, aut in aliqua parte deforme vel debile, non immolabitur Domino Deo tuo: sed intra portas vrbis tuæ comedes illud: tam mundus quàm immundus similiter vescentur eis [f] quasi caprea & ceruo. Hoc solum obseruabis vt sanguinem eorum nõ comedas, sed effundas in terram quasi aquam.

Matth. 5.g Luc. 6.c

Matt. 26.a

Exod. 21.a Iere. 34.c

Leuit. 25.b Eccl. 3.c

SCHOLIA.

[a] Facies remissionem.] *Sicut post sex dies septimus iubetur haberi solennis, sic quoque voluit Dominus, vt septimus annus ab Hebræis celebris haberetur, in quo terra sabbatum suum haberet, de qua Leuit. 25. Vocatur autẽ is annus remissionis, quia in eo debitores dimitti iubentur, nec quicquam amplius ab illis exigi permittitur, saltem ab eo qui sit Iudæus.* [b] Mendicus non erit inter vos.] *Sensus est: nõ timebis, hanc meam legem tibi futuram in præiudicium: siquidem si fueritis boni æmulatores præceptorum meorum, adeo benedicam vobis, & multiplicabo ea, quibus opus habetis, vt nullus inter vos futurus sit pauper, cui mutuò quicquam sit dandum. Et, si quisquam inuentus fuerit, qui opus habuerit subsidio vestro, & vos propter honorem meum illi remiseritis debitum, sicut fieri iussit, ille debitum illud non perdidit, sed cumulatiorem benedictionem apud me inuenit. Videte ergo ne oculus vester sit malus, & sinistrè agatis in hoc præcepto meo.* [c] Non deerũt pauperes.] *Scio (inquit) quòd non perfecto corde parebitis mihi, & ideo minuetur à vobis benedictio mea, eruntq; iugiter pauperes vobiscum. Sic enim Heb. exponunt.* [d] Subulam.] *Exod. 21. idẽ ponitur præceptum. Dicunt autem Hebræi hunc locum intelligendum de eo, qui necessitate coactus seipsum vendidit in seruitutem, quamquam nemo potestatem habeat vendendi seipsum, quandiu sibi aliquid suppetit ex rebus familiaribus. Alij verò dicunt, quòd solum illi perforanda sit auris, qui non à seipso, sed per iudices est venditus, & deinde noluerit, cum posset, egredi à seruitute. Hunc Dominus authoritate iudicum adducet ad domum suam & figet subulam per aurem eius dextram in ipsum postem, & tunc erit seruus eius in seculum, hoc est, vsque ad iubilæum, siue is longè siue propè fuerit.* [e] Duplex est mercenarij merces.] *Hoc est, fuit is tibi per sex annos loco duorum mercenariorum, quandoquidem nullus se æstimare debet supra tres annos, vt Hebræi ex hoc loco colligunt.* [f] Quasi caprea & ceruo.] *Quando scriptura dicit, maculosa comedenda ceu capream aut ceruum, sciendum quòd illa animalia sunt munda, & ad vescendum licita, sed sacrificijs inepta, sicut & pecora maculosa.*

CAPVT XVI.

OBserua [a] mensem nouarum frugum, † vt facias phasę Domino Deo tuo: quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte. Immolabisq; phasę Domino Deo tuo de ouibus, & de bobus in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi. Nõ comedes in eo panem fermentatum. Septem diebus comedes absque fermento [b] afflictionis panem, quoniam † cum festinatione egressus es de Ægypto: vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ. Non apparebit fermentatum in omnibus terminis tuis septem diebus, & non remanebit de carnibus eius quod immolatum est vespere in die primo vsq; ad manè. [c] Non poteris immolare phasę in qualibet vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus daturus est tibi: sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi: immolabisq; phasę vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto. Et coques, & comedes in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, manéq; consurgens vades in tabernacula tua. Sex diebus comedes azyma: & in die septima, [d] quia collecta est Domini Dei tui, non facies opus. Septem hebdomadas numerabis tibi ab ea die qua falcem in segetem miseris, & celebrabis diem festum hebdomadarum Domino Deo tuo, oblationem spontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionẽ Domini Dei tui: & epulaberis corã Domino Deo tuo, tu & filius tuus, & filia tua, & seruus tuus, & ancilla tua, & Leuites qui est intra portas tuas, & aduena ac pupillus & vidua, qui morãtur vobiscum in loco quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi: & recordaberis quoniam seruus fueris in Ægypto: custodiesq; ac facies quæ præcepta sunt. Solennitatem quoq; tabernaculorum celebrabis per septem dies quãdo collegeris de area & torculari fruges tuas: & epulaberis in festiuitate tua † tu & filius tuus & filia, & seruus tuus & ancilla, Leuites quoq;, & aduena, & pupillus ac vidua, qui intra portas tuas sunt. Septem diebus Domino Deo tuo festa cele-

Exod.23.b Ecclc.16.d Sup. 1.c Leuit.19.c Exod.23.a Eccle.20.d

brabis in loco quem elegerit Dominus:benedicetq; tibi Dominus Deus tuus in cunctis frugibus tuis, & in omni opere manuum tuarum,erisq; in lætitia. Tribus vicibus per annum apparebit omne masculinũ tuũ in conspectu Dñi Dei tui in loco quem elegerit,in solennitate azimorũ,& in solennitate hebdomadarum,et in solennitate tabernaculorũ.Non apparebit ante Dominum vacuus: sed offeret vnusquisq; secũdum quod habuerit iuxta benedictionem Domini Dei sui,quam dederit ei.Iudices & magistros constitues in omnibus portis tuis,quas Dominus Deus tuus dederit tibi,per singulas tribus tuas:vt iudicent populum iusto iudicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam nec munera: quia munera excæcant oculos sapiẽtum,& mutant verba iustorum. [c] Iustè,quod iustum est,persequeris:vt viuas,& possideas terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi. [f] Non plantabis lucum, & omnem arborem iuxta altare Dñi Dei tui † quod facies tibi.Neq; eriges tibi statuam quam odit Dominus Deus tuus.

SCHOLIA.

[a] Mensem nouarum frugum.] *Videlicet eum mensem, in quo fruges incipiunt maturescere, qui post captiuitatem Babylonicam cœpit vocari Nisan, quem editis canonibus sic cursui lunæ per embolismos, qui septem in cyclo lunari numerantur, & motui solis adaptarunt, vt non posset, vel præuenire, vel sequi naturæ ordinem, & primæ maturitatis iustum tempus, saltem in terra promissionis.* [b] Afflictionis panem.] *Dicitur id in memoriam illorum panum, quos comederunt, cum de Aegypto festinanter egrederentur, & non vacabat illis fermentare conspersam farinam.* [c] Non poteris immolare phasc in qualibet vrbium.] *Intelligit sacrificium illud paschale solenne,quod per sacerdotes solum fiebat vno loco in atrio sacerdotum ante tabernaculum fœderis, vel templum suo tempore. Christum significans pro redemptione humani generis sacrificandum in cruce Hierosolymis. Mactare verò paschalem agnum iubebantur, non solum in singulis vrbibus, sed etiam in domibus & cœtibus singulis, qui ad vescendum & ad absumendum agnum vnum idonei essent, hora paschali secundum legem sæpius repetitam in Exod.sed publico sacrificio offerre illud alibi non poterant, quàm apud tabernaculum.* [d] Quia collecta est.] *Vel,cœtus, quam alius retentionem vertit, quod transactis solennitatis septem diebus, populus adhuc vno die retineretur:de quo habes.Leuit.23.* [e] Iuste,quod iustum est persequeris.] *Syncero videlicet animo, & amore æquitatis. Alius vertit.Iustitiam iustitia persequaris.* [f] Non plantabis lucum.] *Vt nulla occasio præberetur idololatriæ.*

CAPVT XVII.

Infra 19.d Matt. 18.b 2. Cor.13.a Ioan. 8.a Sup. 13.c

NOn immolabis Domino Deo tuo bouem, & ouem in quo est macula, aut quippiam vitij: quia abominatio est Domino Deo tuo. Cumq; reperti fuerint apud te intra vnam portarum tuarum quas Dominus Deus tuus dabit tibi, vir aut mulier qui faciant malum in conspectu Domini Dei tui,& transgrediantur pactum illius,vt vadant & seruiant dijs alienis,& adorent eos, solem & lunam, & omnem militiam cœli,quæ non præcepi, & hoc tibi fuerit nuntiatum, audiensq; inquisieris diligenter, & verũ esse repereris,& abominatio facta est in Israel:educes virum ac mulierem qui rem sceleratissimam perpetrarunt,ad portas ciuitatis tuæ,& lapidibus obruentur † donec moriantur. In ore duorum, aut trium testiũ peribit qui interficietur. Nemo occidatur, vno contra se dicente testimonium. Manus testium prima interficiet eum, & manus reliqui populi extrema mittetur: vt auferas malum de medio tui. Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, † plagam, & plagam,& iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge, & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quæresq; ab eis, qui indicabunt tibi [a] iudicij veritatem. Et facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & † obseruabis diligenter omnia, quæ te docuerint, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neq; ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo † vel decreto iudicis,morietur homo ille, & auferes malum de Israel: cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Cum ingressus fueris terram quã Dominus Deus tuus dabit tibi,& possederis eam,habitauerisq; in illa,& dixeris. [b] Constituam super me regem,sicut habent omnes per circuitum nationes:eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Cumq; fuerit constitutus, [c] non multiplicabit sibi equos, nec reducet populum in Ægyptum, equitatus numero subleuatus,præsertim cum Dominus præceperit vobis,vt nequaquam amplius per eandem viam reuertamini. Non habebit vxores plurimas,quæ alliciant animum eius,neque argenti & auri immensa pondera.Postquam autem sederit in solio regni sui, [d] describet sibi † iteratam legem hanc in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus, Leuiticę tribus, & habebit secum, legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat timere Dominũ Deũ suum, & custodire verba, & ceremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, vt longo tempore regnet ipse, & filij eius super Israel.

SCHOLIA.

[a] Iudicij veritatem.] *Illi(inquit) qui sedent in Sanhedrin magna,qui sunt viri docti,experti,Deum timentes, & legem eius scientes,illi docebunt te verum iudicium,vt possis te extricare in difficilibus causis,& scrupulis conscientiæ.*
[b] Constituam super me regem.] *Prædictio est,non præceptio, prædicit enim suo tempore futurum,vt velint sibi regem constituere,more aliarum gentium.Quanquam sunt,qui probare conentur ex diuersis legis locis,decretum,vt olim constituerent regem.* [c] Non multiplicabit sibi equos.] *Ob id putant, Dauid, captis mille septingentis equitibus, subneruasse iugales curruum: vt habetur.2.Reg.8.* [d] Describet sibi iteratam legem hanc.] *Cum omnibus necessaria sit diuinæ legis meditatio,tum regibus ac principibus in primis, qui cum aliorum duces esse debeant, nisi in hanc semper inspexerint, fiet quod scriptum est,duces sunt cæci cæcorum.*

Caput

CAPVT XVIII.

Sup. 10.b Nu. 18.c.d 1. Cor.9.b Num. 18.c

A NOn habebunt sacerdotes & Leuitæ, & omnes qui de eadem tribu sunt, partem & hereditatem cum Israel:quia sacrificia Domini,& oblationes eius comedent,& nihil aliud accipiẽt de possessione fratrum suorum.Dominus enim ipse est hæreditas eorum: sicut locutus est illis. Hoc erit iudicium sacerdotum à populo,& ab his qui offerunt victimas:siue bouem, siue ouem immolauerint, dabunt sacerdoti [a] armum † & maxillas & stomachum,primitias frumẽti,vini & olei, & lanarũ † primitias ex ouiũ tõsione. Ipsum enim elegit Dñs Deus tuus de cunctis tribubus tuis,vt ster, & ministret nomini Dñi, ipse & filij eius
B in sempiternum.Si exierit Leuites ex vna vrbium tuarum ex omni Israel in qua habitat, & voluerit venire, desyderãs locũ quem elegerit Dñs, ministrabit in nomine Domini Dei sui,sicut omnes fratres eius Leuitæ, qui stabunt eo tempore coràm Domino.Partem ciborum eãdem accipiet quam & cæteri:excepto eo quod in vrbe sua ex paterna ei successione debetur.Quãdo ingressus fueris terram quã Dominus Deus tuus dabit tibi,caue ne imitari velis abominationes illarum gentium:nec inueniatur in te qui lustret filium suum, aut filiam,ducens per ignem:aut [b] qui ariolos scisciteur,& obseruet somnia atq; auguria: nec sit maleficus,nec
C incantator,neq; qui Pythones consulat,nec diuinos,& quærat à mortuis veritatem:omnia enim hæc abomi natur Dominus,& propter istiusmodi scelera delebit eos in introitu tuo: perfectus eris † cũ Domino Deo tuo.Gentes istæ,quarum possidebis terram, augures & diuinos audiunt:tu autem à Domino Deo tuo aliter institutus es.[c] PROPHETAM de gẽte tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb,quando concio congregata est, atq; dixisti. Vltrà non audiam vocem Domini Dei mei,& ignem hunc maximum amplius nõ videbo,ne moriar.Et ait Dominus
D mihi.Bene omnia sunt locuti.Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponã verba mea in ore eius, loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi, qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo,audire noluerit,ego vltor existam. Propheta autem qui arrogantia deprauatus voluerit loqui in nomine meo,quæ ego non præcepi illi vt diceret,aut ex nomine alienorum deorum: interficietur.Quòd si tacita cogitatione responderis.Quomodo possum intelligere verbum quod Dominus nõ est locutus? [d] hoc habebis signum.Quod in nomine Domini propheta ille prædixerit,& non euenerit:hoc Dominus non est locutus,sed per tumorem animi sui propheta confinxit,& iccircò non timebis eum.

Leuit.20.d 1. Re.18.a Ioan. 1.g Ac.3.d 7.c Exod.20.d Ioan.1.g

SCHOLIA.

[a] Armum.] *Habet pecus tres præcipuas partes,caput,pedes,& truncum corpus,& de qualibet sacerdoti offerenti,aliquid dari iubetur. De pedibus armus dexter,de capite vtraque maxilla cum incluſa lingua, vt putant, & de corpore stomachus.* [b] Qui ariolos scisciteur.] *Prohibentur hic omnium superstitionum, & diuinationum genera, Chiromantia, Augurij,Geomantia, Magia,Necromantia,Sortilegij, Pythia,Præstigium. & quibuscunque nominibus exprimi possunt hæ diabolicæ artes. Ab his itaque superstitionibus Moses populum auocans dicit,tu perfectus esto cum Domino Deo tuo, qui verè scit quæ futura sunt,et ab illo solo,atque à prophetis eius futura sunt scisciteanda,saltem ea,quæ ipse vult reuelari. Sunt enim multa,quæ pater in sua posuit potestate,nolens nos scire omnia tempora & momenta.* [c] Prophetam de gente tua.] *Prophetia est manifestissima de Christo, et quam Apostolus Petrus Actorum tertio citauit: neque enim alius vnquam surrexit Propheta similis Mosi,sicut hoc eodem libro cap. vltimo dicetur, qui cum Deo facie ad faciem loqueretur, sed surrexit qui Mosi,non solum similis esset, sed & infinities maior,qui non cum Deo facie ad faciem locutus est,sed qui ipse sit Deus:qui potestatem habet non solum condendi nouam gratiæ,& condonationis legem,sed, & veterem hanc Mosi seruatu impossibilem abrogandi. Quemadmodum Esaiæ 42. de hoc eodem Propheta dicitur futurum, Vt legem eius insulæ amplecterentur, quod de lege Mosaica intelligi nulla ratione potest,quæ cogit eos omnes,quibus lata fuit, ter singulis annis Hierosolymam profici. Vide plura in Epistola ad Hebræos, de sacerdotio illius secundum ordinem Melchisedech, &c. Hoc quoque omittendum non est,quòd hunc Prophetam hoc Deuteronomio promittit,in quo & futurum dicit, vt hæc mandata non sint amplius supra nos,sed,quemadmodum Ioannes ait,ne difficilia quidem nunc esse mandata Dei, & paulo post cap.30.huius libri promittitur,vt fiant nobis valde familiaria, quando illa in ore habituri sumus,& in corde. Vide Paulum.Rom.x.& vide, vt pulchrè hic sequatur,quod videlicet,cum petijssent,ne audirent vltrà vocem Domini Dei sui ne morerentur,pollicetur, se suscitaturum Prophetam de medio fratrum suorum,& posituru verba sua in ore eius, vt videlicet qui diuinam illam maiestatem è cœlo loquentem formidarent,iam in assumpta carne delitescentem, & similem illis factam audire non timerent.*
[d] Hoc habebis signum.] *Superius cap.xiij.dicit. Si surrexerit Propheta,nempè falsus, & prædixerit signum, aut portentum,& illud euenerit,non tamen acquiescendum illi, auocanti à lege Dei. Hic autem docet eiusmodi Prophetam agnoscendum ex hoc,cum scilicet non euenerit,quod prædixit.Ergo si euenerit,quid est faciendum? Sed videtur hic esse sensus,ta metsi aliqui falsi Prophetæ suis præstigijs videantur efficere, vt quæ prædixerint,eueniant,cito tamen & exiguo tempore eũ mendacij arguendum,foreq, vt is minimè sibi constet.*

CAPVT XIX.

Num.35.b Iosue 20.a

A CVm disperdiderit Dominus Deus tuus gentes quarum tibi traditurus est terram, & possederis eam: habitauerisque in vrbibus earum, & in ædibus: tres ciuitates separabis tibi in medio terræ, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in possesionem, [a] sternes diligenter viam:& in tres æqualiter partes totam terræ tuæ prouinciam diuides, vt habeat è vicino qui propter homicidium profugus est, quò possit euadere. Hæc erit lex homicidæ fugientis,cuius vita seruanda est. Qui percusserit proximum suũ nesciẽs,
B & qui heri & nudiustertius nullum contra eum odium habuisse comprobatur,† vt cum quis vadit cum proximo simpliciter in syluam ad ligna cædenda, & in succisione lignorum † cum securi, † ferrum lapsum de manubrio amicum eius percusserit,& occiderit: hic ad vnam suprad[illegible]tarum vrbium confugiet,& viuet: ne forsitan proximus eius cuius effusus est sanguis, dolore stimulatus, persequatur, & apprehendat eum si longior via fuerit,& percutiat animam eius, qui non est reus mortis: quia nullum contra eum, qui occisus est,

odium prius habuisse monstratur. Iccircò præcipio tibi, vt tres ciuitates † tibi diuidas. Cum autem dilatauerit Dominus Deus tuus terminos tuos, sicut iurauit patribus tuis, & dederit tibi cunctam terram quam eis pollicitus est (si tamen custodieris mãdata eius, & feceris quæ hodie præcipio tibi, vt diligas Dominũ Deum tuum, & ambules in vijs eius omni tempore) addes tibi tres alias ciuitates, & supradictarum trium vrbium numerum duplicabis: vt non effundatur sanguis innoxius in medio terræ quam Dominus Deus tuus dabit tibi possidendam, ne sis sanguinis reus. Si quis autem odio habens proximum suum insidiatus fuerit vitæ eius, surgensq; percusserit illum, & mortus fuerit, fugeritq; ad vnam de supradictis vrbibus, mittent seniores ciuitatis illius, & arripient eum de loco effugij, tradẽtq; in manu proximi, cuius sanguis effusus est, & morietur. Non misereberis eius, & [b] auferes noxium sanguinem de Israel, vt bene sit tibi. Non assumes, & trãsferes terminos proximi tui quos fixerunt priores in possessione tua, quam Dominus Deus tuus dabit tibi in terra quam acceperis possidendam. Non stabit testis vnus contra aliquem, quicquid illud peccati, & facinoris fuerit: sed in ore duorum aut trium testium stabit omne verbum. Si steterit testis mendax cõtra hominem, accusans eum præuaricationis, stabunt ambo quorum causa est, ante Dñm in conspectu sacerdotũ & iudicum qui fuerint in diebus illis. Cumq; diligentissimè perscrutantes inuenerint falsum testem dixisse contra fratrem tuum mendacium: reddẽt ei sicut fratri suo facere cogitauit, & auferes malum de medio tui, vt audientes cæteri timorem habeant, & nequaquam talia audeant facere. Non misereberis eius, sed animam pro anima, oculum pro oculo, [c] dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede exiges.

Num. 35.c Supr. 17.b Matt. 18.b Ioan. 8.c 2.Cor.13.a Heb.10.e Dan. 13.g Matth. 5.f Exod. 21.c

SCHOLIA.

[a] Sternens diligenter viam.] *Hoc est, obstacula quæque, quæ fugientem impedire possunt, tolles.* [b] Auferes sanguinem noxium.] *In Heb. est innoxiũ vt sit sensus, cauebis ne sanguis innoxius effundatur in Israel, sed interpres vitare voluit ambiguitatem sermonis.* [c] Dentem pro dente.] *De hoc dictum est Exo. 21. quid Hebræi hic sentiant.*

CAPVT XX.

SI exieris ad bellum contra hostes tuos & videris equitatus & currus, & maiorem q̃ tu habeas, aduersarij exercitus multitudinem, non timebis eos: quia Dñs Deus tuus tecum est, qui eduxit te de terra Ægypti. Appropinquante autem iam prelio, stabit sacerdos ante aciem, & sic loquetur ad populum. Audi Israel, vos hodie contra inimicos vestros pugnam committitis, non pertimescat cor vestrum, nolite metuere, nolite cedere, nec formidetis eos: quia Dominus Deus vester in medio vestri est, & pro vobis contra aduersarios dimicabit, vt eruat vos de periculo. Duces quoq; † audiente exercitu proclamabunt. Quis est homo qui ædificauit domũ nouam, [a] & nõ dedicauit eam? vadat & reuertatur in domum suã, ne fortè moriatur in bello, & alius dedicet eã. Quis est homo qui plantauit vineam, & necdũ fecit eam esse cõmunem? † vadat & reuertatur in domũ suam, ne fortè moriatur in bello, & alius homo accipiat eã. His dictis addent reliqua, & loquentur ad populũ. Quis est homo formidolosus, & corde pauido? vadat & reuertatur in domum suã, ne pauere faciat corda fratrũ suorũ, sicut ipse timore perterritus est. Cumq; siluerint duces exercitus, & finem loquendi fecerint, † constituent principes exercitus in capite populi. Si quando accesseris ad expugnandam ciuitatem, offeres ei primum pacem. Si receperit, & aperuerit tibi portas, cũctus populus qui in ea est, † seruiet tibi sub tributo: sinautẽ fœdus inire noluerit, & ceperit cõtra te bellum, oppugnabis eam. Cumq; tradiderit Dominus Deus tuus illã in manu tua, percuties oẽ quod in ea generis masculini est, in ore gladij, absq; mulieribus, & infantibus, iumentis & cæteris quæ in ciuitate sunt. Oẽm prædã exercitui diuides, & comedes de spolijs hostium tuorũ, quæ Dñs Deus tuus dederit tibi. Sic facies cunctis ciuitatibus, quæ à te procul valde sunt, & non sunt de his vrbibus quas in possessionẽ acceptur-
rus es. De his autẽ ciuitatibus quæ dabũtur tibi, nullum omnino permittes viuere, sed interficies in ore gladij, Hetheũ videlicet, & Amorrhæũ, & Chananæũ, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, sicut præcepit tibi Dñs Deus tuus: ne fortè doceãt vos facere cũctas abominationes quas ipsi operati sunt dijs suis, & peccetis in Dñm Deum vestrũ. Quando obsederis ciuitatẽ multo tempore, & munitionibus circũdederis vt expugnes eã, non succides arbores de quibus vesci potest, nec securibus per circuitũ debes vastare regionẽ: [b] quoniam lignũ est, & non homo, † vt veniat à facie tua in obsidionem. Si qua autẽ ligna nõ sunt pomifera, sed agrestia & in cæteros apta vsus, succide & instrue machinas, donec capias ciuitatem quæ contra te dimicat.

1.Mac. 3.g

Iudicũ 7.a

SCHOLIA.

[a] Et non dedicauit eam.] *Dedicare hic capitur pro primum inhabitare. Sic vinea nuper plãtata, ad prophanũ vsum trahi non potest, quod hic fieri communem vocat, de qua vesci omnibus liceat, donec quarto anno redempta fuerit, & fructus eius Domino consecratus. Leui. xix. Obserua verò interim, vt Dei milites oporteat esse expeditos, & nullis huius mũdi vinculis detentos, alioquin & ipsos damnum passuros, & alijs futuros impedimẽto.* [b] Quoniam lignum est.] *Hic locus nõ solum à nostris, verum & ab Hebræis varie redditur: nam aly hunc sensum afferunt, fortasse arbor agri est homo, reclusus in obsidione & à facie tua absconditus, vt illam lædere coneris, quasi hostem. Aly sic vertunt. Quoniam non est quasi homo arbor agri quæ ascendit à cõspectu tuo in munitionem. Alius sic. Homo arbor agri, hoc est, victus hominis est arbor agri, homo viuere debet de arbore, quo & ipse habeat vnde viuat, & hostem his spoliet, quibus aduersus obsidionem prolõgare possit. Alius sic. Hominis est arbor agri, qui à facie tua venit in obsidionem. Vtere igitur fructibus hostis.*

CAPVT XXI.

QVando inuẽtum fuerit in terra quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, hominis [a] cadauer occisi † iacens in agro & ignorabitur cædis reus, egredientur maiores natu, & iudices tui, & metientur à loco cadaueris singularum per circuitum spatia ciuitatum: & quam viciniorem cæteris esse perspexerint, seniores ciuitatis illius, tollent vitulam de armento, quæ non traxit iugũ, nec terram scidit

scidit vomere, & ducent eam ad vallem asperam atq; saxosam, quæ nunquã arata est, nec sementẽ recepit, & cædent in ea ceruices vitulę: accedentq; sacerdotes filij Leui, quos elegerit Dominus Deus tuus vt ministrent ei, & benedicant in nomine eius, & † iuxta verbum eorum omne negotium † tractabitur, atque omnis plaga. Et venient maiores natu ciuitatis illius ad interfectum, lauabũtq; manus suas super vitulam quæ in valle percussa est, & dicent. Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt: propitius esto populo tuo Israel, quem redemisti Domine, & ne reputes sanguinem innocentem in medio populi tui Israel. Et auferetur ab eis reatus sanguinis: tu autem alienus eris ab innocẽtis cruore qui fusus est, cum feceris quod præcepit Dominus, Si egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, & tradiderit eos Dominus Deus tuus in manu tua, captiuosq; duxeris, & videris in numero captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eã, voluerisq; habere vxorem [b] introduces eã in domum tuã: quæ radet cæsariẽ, & circuncidet vngues, & deponet vestem in qua capta est, sedensq; in domo tua, flebit patrẽ & matrem suã vno mense, et postea intrabis ad eam, dormiesq; cum illa, & erit vxor tua. Si autẽ postea non sederit animo tuo, dimittes eam liberam, nec vendere poteris pecunia, nec opprimere per potentiã: quia humiliasti eã. Si habuerit homo vxores duas, vnã dilectam, & alteram odiosam, genueritq; ex eis liberos, & fuerit filius odiosæ primogenitus, volueritq; substantiam inter filios suos diuidere: non poterit filiũ dilectæ facere primogenitũ, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitũ, dabitq; ei de his quæ habuerit cuncta duplicia: iste est enim principium liberorũ eius, & huic debentur primogenita. Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audierit patris ac matris imperiũ, & coercitus obedire contempserit: apprehendent eum, & ducent ad seniores ciuitatis illius & ad portã iudicij, dicentq; ad eos. Filius noster iste proteruus & cõtumax est, monita nostra audire contemnit, comessationibus vacat, & luxuriæ atq; conuiuijs: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, vt auferatis malũ de medio vestri, & vniuersus Israel audiẽs pertimescat. Quãdo peccauerit homo quod morte plectendũ est, & adiudicatus morti [c] appensus fuerit in patibulo: non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur: quia maledictus à Deo est qui pendet in ligno, & nequaquam contaminabis terram tuam, quam Dominus Deus tuus dederit tibi in possessionem.

Gala. 3.b

SCHOLIA.

[a] Cadauer occisi.] *Iubetur mẽsurari spacium à cadauere vsque ad ciuitates in circuitu positas, vt hoc modo commissum homicidium publicetur, & homicida ipse prodatur. Iubetur deinde tolli vacca, & à ceruice, non à iugulo occidi, vt fiat sacrificium expiationis. Et illud fieri iubetur in fundo lapidoso & duro, quiq; culturæ sit minimè idoneus, vt sicut vitula homini nunquam laborando profuit, sic nec terra, vbi mactatur, vtilis esse possit homini. Nam vtrunque, aiũt, testari eorum, qui adsunt, innocentiam.* [b] Introduces eam.] *Antequam accedas ad eam (inquit) faciendæ sunt ista. Introduces eam in domum, et illa radet caput suum, ne fortè propter aspectum crinium cœperis diligere eã: parabit vngues suas (sic enim quidam vertit) id est, nutriet, vt vel sic disp̃liceat. Deinde detrahet vestimenta sua pulchra, in quibus capta est, ne fortè ornatus vestium impulerit te in amorem eius. Quarò illa sedens flebit, vt vel sic amoris inconstantia declaretur.* [c] Appensus fuerit in patibulo.] *Iudæi aiunt id solum dici de blasphemis & idololatris, & hos primum docent lapidandos, deinde in crucem suspendendos, non alia ratione quàm, vt omnibus innotescat facinus eorum. Habent autem ex scriptura quatuor genera mortis, combustionem, strangulationem, occisionem cum gladio, et lapidationem. De crucifixione hominis viui nullum habent præceptum. Et si quæras, cur igitur Christus viuus in crucem actus est? Respondent Iudæi in Euangelio, nobis nõ licet interficere quenquam. Per Romanos ergo id factum est: alioquin Iudæi primum lapidassent eum, id quod sæpe tentarũt. Et quod sequitur, non permanebit, vel non erit pernox in ligno, id non dicitur pro honore cadaueris sepeliẽdi, sed vt cadauer illud maledictum citò à superficie terræ tollatur, & terra non inquinetur. Quare Paulus hunc citans locum ait, Christum factũ pro nobis maledictum, dum scilicet sceleratus reputatus est, quamuis agnus ille esset, qui sustulit peccatum mundi. Quod ergo ait, maledictus à Deo, vel in maledictione Dei est, qui pendet in ligno, ideo dicit, quòd mos esset, solos facinorosos & execrandos illa affici pœna.*

CAPVT XXII.

NOn videbis bouem fratris tui aut ouem errantem, & præteribis: sed reduces fratri tuo, † & si non est † vicinus frater tuus, nec nosti eum: duces in domum tuam, & erunt apud te quandiu quærat ea frater tuus & recipiat. Similiter facies de asino, & de vestimento, & de omni re fratris tui quæ perierit: si inueneris eam, † non enim poteris occultare eam. Si videris asinum fratris tui aut bouem cecidisse in via, non despicies, sed subleuabis cum eo. [a] Nõ induetur mulier veste virili, nec vir vtetur veste fœminea: abominabilis enim apud Deum est qui facit hæc. Si ambulans per viam, in arbore vel in terra [b] nidum auis inueneris, & matrẽ pullis vel ouis desuper incubantẽ: nõ tenebis eam cũ filijs, sed abire patieris, captos tenẽs filios, vt bene sit tibi, & longo viuas tẽpore. Cum ædificaueris domum nouam, facies murũ tecti per circuitum: ne effundatur sanguis in domo tua, & sis reus labẽte alio, & in præceps ruente. Non seres vineã tuam [c] altero semine: ne & sementis quam seuisti, & quæ nascuntur ex vinea, pariter sanctificẽtur. [d] Nõ arabis in boue simul & asino. Non indueris vestimento quod ex lana linoq; contextum est, Funiculos in fimbrijs facies per quatuor angulos pallij tui, quo operiris. Si duxerit vir vxorem, & postea odio habuerit eam, quęsieritq; occasiones quibus dimittat eam, obijciens ei nomen pessimum, & dixerit. Vxorem hanc accepi, & ingressus ad eam nõ inueni virginẽ: tollent † pater & mater eius, & ferent secum signa virginitatis eius ad seniores vrbis qui in porta sunt: & dicet pater. Filiã meam dedi huic vxorẽ, quam quia odit, imponit ei nomen pessimum, vt dicat. Non inueni filiã tuam virginẽ: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meę. Et expãdent vestimentum coràm senioribus ciuitatis: apprehendentq; senes vrbis illius virũ, & verberabunt illũ, condẽnantes insuper centum siclis argenti, quos dabit patri puellæ, quoniam diffamauit nomen pessimum super virginẽ Israel: habebitq; eam vxorem, & non poterit dimittere eam omnibus diebus vitæ suæ. Quòd si verum

Exod. 23.a

Num. 15.d

rum est quod objicit,& nõ est in puella inuẽta virginitas:eijcient eã [c] extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri ciuitatis illius,& morietur : quoniã fecit nefas in Israel, vt fornicaretur in domo patris sui: & auferes malum de medio tui. Si dormierit vir cum vxore alterius,vterq; morietur,id est, adulter & adul- Leuit. 20.a
tera:& auferes malũ de Israel. Si puellam virginem desponderit vir,& inuenerit eam aliquis in ciuitate, & D
concubuerit cum ea:educes vtrunq; ad portam ciuitatis illius, & lapidibus obruentur : puella,quia non clamauit cum esset in ciuitate:vir,quia humiliauit vxorẽ proximi sui:& auferes malum de medio tui. Si nauté in agro repererit vir puellã quæ desponsata est,& apprehendẽs cõcubuerit cum ea,ipse morietur solus:puellã nihil patietur,nec est rea mortis,quoniã sicut latro consurgit contra fratrẽ suum,& occidit animã eius:ita & puella perpessa est:sola erat in agro:clamauit,& nullus affuit qui liberaret eã. Si inuenerit vir puellã virginẽ, quæ non habet sponsum,& apprehendẽs concubuerit cum illa,& res ad indiciũ venerit:dabit,qui dormiuit cũ ea,patri puellæ quinquaginta siclos argenti,& habebit eã vxorem, quia humiliauit illam:nõ poterit dimittere eã cunctis diebus vitæ suę. Non accipiet homo vxorẽ patris sui,nec reuelabit operimẽtũ eius.

SCHOLIA.

[a] Non induetur mulier.] *Quod hic præcipitur hoc est, vt mulieres & viri distinctas habeant vestes, et occasio tollatur multorum malorum.* [b] Nidum auis inueneris.] *Prohibet hic Deus, vt ne in animantia quidem irrationabilia crudeles simus, vt matrem cum pullis simul capiamus, aut matrem à filijs tollamus. Dicunt tamen Hebræi hic non prohiberi, quin in alio loco, quàm in nido matrẽ pullorũ, post pullos acceptos, capere possis.* [c] Altero semine.] *De hoc Leuit.19. Et quod sequitur, ne sanctificentur, sensus est, ne fortè vtrunque perdas, quod enim sanctum est, tangere non licet.* [d] Non arabis in boue simul & asino.] *Quod asinus longè debilior sit boue in agricultura, ideo sub iugum bouis ligari prohibetur.* [e] Extra fores domus.] *Vel, ad ostium domus. Ad ostium paternum iubetur lapidari, quòd parentes maiori cura educent filias, ne talem cogantur ferre confusionem.*

CAPVT XXIII.

NOn intrabit eunuchus [a] attritis vel amputatis testiculis,& absciſſo veretro [b] ecclesiã Dñi. Nõ ingredietur [c] mamzer,hoc est de scorto natus,in ecclesiam Dñi:† etiã in generatione decima, qui est natus ex illo,nõ intrabit in ecclesiam Dñi. Ammonites et [d] Moabites etiã post decimã generationem Num. 13.a Num. 22.a
non intrabũt ecclesiam Dñi in æternũ:quia noluerunt vobis occurrere cũ pane & aqua in via quãdo egressi estis de Ægypto:& quia conduxerũt cõtra te Balaam filiũ Beor de Mesopotamia Syriæ, vt malediceret tibi: & noluit Dñs Deus tuus audire Balaã,vertitq; maledictionẽ eius in benedictionẽ tuã,eò q; diligeret te. Non facies cũ eis pacẽ,nec queras eis bona cũctis diebus vitę tuę in sempiternũ. Non abominaberis [e] Idumæũ, B
quia frater tuus est:nec Ægyptiũ,quia aduena fuisti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatiõe intrabũt in ecclesiam Dñi. Quãdo egressus fueris aduersus hostes tuos in pugnã,custodies te [f] ab omni re mala. Si fuerit iter vos homo qui nocturno pollutus sit somnio,egredietur extra castra,& nõ reuertetur priusquam ad vesperã lauetur aqua,& post solis occasum regredietur in castra. Habebis locũ extra castra ad quẽ egrediaris ad requisita naturæ,† & habebis paxillum cũ armis tuis:cumq; sederis,fodies per circuitũ, & egesta humo operies quo releuatus es (Dñs enim Deus tuus ambulat in medio castrorũ,vt eruat te,& tradat tibi C
inimicos tuos) & sint castra tua sancta:& nihil in eis appareat fœditatis,ne derelinquat te. [g] Nõ trades seruũ dño suo qui † apud te eripi cupit ab eo:habitabit tecũ in loco qui ei placuerit, & in vna vrbium tuarum requiescet:ne contristes eũ. Non erit meretrix de filiabus Israel,nec scortator de filijs Israel. Nõ offeres mercedẽ prostibuli,[h] nec pretiũ canis in domo Dñi Dei tui,quicquid illud est qđ vouerint:quia abominatio est vtrũq; apud Dñm Deũ tuũ. [i] Nõ fœnerabis fratri tuo ad vsurã pecuniã,nec fruges,nec quãlibet aliã rẽ: sed
alieno. Fratri aũt tuo absq; vsura id,quo indiget,cõmodabis:vt benedicat tibi Dñs Deus tuus in omni opere D
tuo in terra ad quã ingredieris possidendã. Cũ votũ voueris Dño Deo tuo,nõ tardabis reddere:quia requiret illud Dñs Deus tuus:& si moratus fueris,reputabitur tibi in peccatũ. Si nolueris polliceri, absq; peccato eris. Quod aũt semel egressum est de labijs tuis,obseruabis,et facies sicut promisisti Dño Deo tuo, et propria volũtate & ore tuo locutus es. Ingressus vineã proximi tui,comede vuas quãtũ tibi placuerit : foras autẽ ne efferas tecum. Si intraueris segetem amici tui,franges spicas,& manu conteres,falce autem non metes.

SCHOLIA.

[a] Attritis vel amputatis testiculis.] *Vel, qui læsus est compressione, nam eæ partes in bibljs nullum inueniuntur proprium habere vocabulum, vnde dicunt Hebræi, linguam Hebraicam propterea vocari linguam sanctam, quòd nulla in ea inueniãtur propria nomina, quæ significent pudenda vtriusque sexus, aut egestionem &c.* [b] Ecclesiam Domini.] *Qui omnino ineptus est generationi, arcetur ille ab ecclesia Domini, hoc est, non reputatur de congregatione Domini, sicut is, qui dicere potest filiam Israel.* [c] Mamzer.] *Mamzer est, qui ex damnato nascitur coitu, puta ex incestu.* [d] Moabites.] *Non dicit Moabitis, cum Ruth Moabitis assumpta fuerit in ecclesiam Domini. Fuerunt autem Moabitæ, & Ammonitæ veri Mamzeri, ex incestu nati.* [e] Idumæum, quia frater tuus est.] *Nimirum propter Esau.* [f] Ab omni re mala.] *Hoc est, ab immunditia animæ & corporis, cum arcam Domini secum ducere consueuerint. Exempla subiunguntur. Primò de eo, cui nocturna accidit pollutio. Secundò de eo, cui opus est ventris purgatione.* [g] Non trades seruum.] *Cum (inquit) seruus aliquis de alia gente fugerit à domino suo qui non est Israelita, & cupit agnoscere verum Deum, nõ debes eum repellere à te. Alij intelligunt, ne quis prodat seruum domino furioso persequenti.* [h] Nec precium canis.] *Vt si quis commutet canem pro agno, non licebit agnum illum offerre Domino.* [i] Non fœnerabis.] *Colligũt ex hoc loco perfidi Iudæi argumentum, quòd licitè exercere possint vsuras erga alienos, aliqui tamen inueniuntur, qui id lucrũ execrẽtur, & iniustum vocent, quòd Dominus iusserit hominem victitare de sudore vultus sui, quod & propheta, qui proculdubio mẽtem legis tenebat, dixerit. Qui pecuniã suam non dedit ad vsuram. Sic Ezechiel, cap. 18. Qui non tradit quippiã ad vsuram, nec accipit emolumentũ vsuræ, hic facit voluntatẽ meam &c. Sed respõdent ad hoc licitam vsurã esse ad extraneos, cũ textus hic sit apertus,*

Respondebimus

Respondebimus igitur, quòd Christus Pharisæis respondit: propter duritiam cordis vestri, permisit id vobis Moses, ne tyranni essetis in fratres, & semper in domesticos fidei humaniores esse oporteat quàm in extraneos. Minus enim malum est, seuire in impium, & qui Deum non norit, quàm in pium. Quanquam videatur hæc vsura, de qua hic agitur, solum concessa ergà septem illas gentes, quarum vniuersam facultatem Dominus Israelitis tradidit, & authoritatem dedit, vt quocunq; possent extorquerent modo. Iussit, vt occiderent, ac profligarent eas, captiuas abducerent, bona earum diriperent, & spoliarẽt, sicut & in Ægyptios dedit illis authoritatem, vt spoliarent eos. Nec potest fulcire Iudæorum opinionem, quod supra cap 15. scribitur. Tu mutuum dabis multis gentibus, cum illic scriptura ad alium non tendat scopum, nisi, cum boni fuerint æmulatores Dei, & obseruatores legis, nihil illis defuturum, sed omnia ex benedictione Dei eos habituros in abundantia, vt etiam multis gentibus ditiores sint futuri.

CAPVT XXIIII.

A SI acceperit homo vxorem,& habuerit eam, & non inuenerit gratiam ante oculos eius propter aliquam fœditatem:scribet libellum repudij,& dabit in manu illius,& dimittet eam de domo sua. Cumq; egressa alterum maritum duxerit,& ille quoq; oderit eam, dederitq; ei libellum repudij, & dimiserit de domo sua,vel certè mortuus fuerit:nõ poterit prior maritus recipere eam in vxorẽ:[a] quia polluta est,& abominabilis facta est corã Dño: ne peccare facias terrã tuã quam Dominus Deus tuus tradiderit tibi possidendã. Matth. 5.c & 19.a Marc.10.a

Cum acceperit homo nuper vxorem:non procedet ad bellum, nec ei quippiam necessitatis iniungetur
B publicè,sed vacabit absq; culpa domui suæ,vt vno anno lætetur cum vxore sua. Non accipies loco pignoris [b] inferiorem & superiorem molam:quia animam suam apposuit tibi. Si deprehensus fuerit homo † qui furatus sit fratrem suum de filijs Israel,& vendito eo acceperit pretiũ,interficietur, & auferes malum de medio tui. † Sis cautus in plaga lepræ,& obserua diligenter,facisq; quæcunque docuerint te sacerdotes Leuitici generis iuxta id quod præcepi eis,& imple solicitè. [c] Memento, quæ fecerit Dominus Deus tuus Mariæ Num. 12.a
in via cum egrederemini de Ægypto. Cum repetes à proximo tuo rem aliquam, quam debet tibi, non in-
C gredieris domum eius,vt pignus auferas:sed stabis foris,& ille tibi proferet quod habuerit : sinautem pauper est,[d] non pernoctabit apud te pignus,sed statim reddes ei ante solis occasum:vt dormiens in vestimento suo, Leu. 19.c
benedicat tibi,& habeas iustitiam coràm Domino Deo tuo. Non negabis mercedem indigentis, & pau- Tob. 4.c
peris fratris tui,siue aduenæ qui tecum moratur in terra & intra portas tuas est: sed eadem die reddes ei pretiũ laboris sui ante solis occasum,quia pauper est, & ex eo sustentat animã suam: ne clamet cõtra te ad Dominum,& reputetur tibi in peccatum. Non occidentur [e] patres pro filijs,nec filij pro patribus:sed vnusquisq;
D pro peccato suo morietur. Non peruertes iudicium aduenæ & pupilli,nec auferes pignoris loco viduę vestimentum. Memento quòd seruieris in Ægypto,& eruerit te Dominus Deus tuus inde. Iccircò præcipio tibi 4. Re. 4.b
vt facias hanc rem. Quando messueris segetem in agro tuo,& oblitus manipulum reliqueris,nõ reuerteris, 2.Par.25.b
vt tollas illum:sed aduenam,& pupillum,& viduam auferre patieris, vt benedicat tibi Dominus Deus tuus Ezec.18.c
in omni opere manuum tuarum. Si fruges collegeris oliuarum,quicquid remanserit in arboribus, non reuerteris,vt colligas:sed relinques aduenæ,pupillo,ac viduæ. Si vindemiaueris vineam tuam,non colliges remanentes racemos,sed cedent in vsus aduenæ,pupilli,ac viduæ. Memento,q; & tu seruieris in Ægypto, & ic circò præcipio tibi,vt facias hanc rem.

SCHOLIA.

[a] Quia polluta est.] *Non quòd sit polluta absolutè, sed quantum ad primum maritum, cum interim, postquam illum à se dimisit, ab alio cognita sit viro.* [b] Inferiorem & superiorem molam.] *Quia is, qui tale quippiam tollit loco pignoris, crudeliter & impiè agit, cum id tollat, sine cuius ministerio anima viuere nõ potest, & perinde agit, ac si animam ipsam, (vt Hebraismus habet) loco pignoris adduceret.* [c] Memento, quæ fecerit.] *Per hoc Mariæ exemplum, quod proponitur, videtur in superioribus verbis intelligendum, vt caueant, ne suo vitio incidant plagam lepræ, quod si inciderint, meminerint seruare ea, quæ præcipiuntur seruãdi in ea plaga.* [d] Non pernoctabit apud te pignus.] *Priusquam dormitũ vadas restituas illi pignus, vt si sit puluinar, super quo caput reclinare solet. Et, si quæris, quid igitur prodest tunc auferre pignus, quando ille eo opus non habet, & restituere quando opus habet? Respondent Hebræi, quòd propter pignus illud, debitum in anno septimo non remittitur.* [e] Patres pro filijs.] *Sunt qui post Chald. interpretem sic interpretentur. Patres non interficiuntur testimonio filiorum.*

CAPVT XXV.

A SI fuerit causa inter aliquos,& interpellauerint iudices quem iustum esse perspexerint, illi iustitiæ palmã dabunt:quem impium,condemnabunt impietatis. Sinautem eum qui peccauit, dignum viderint plagis: [a] prosternent,& coràm se facient verberari.Pro mensura peccati, erit & plagarum modus:ita dunta xat,vt quadragenariũ numerũ non excedant : † ne forte verberatus vltra cædem illam magnam, vilescat frater tuus in oculis tuis. [b] Non ligabis os bouis triturantis in area fruges tuas. Quãdo habitauerint fratres si 1.Cor. 9.a
B mul,& vnus ex eis absq; liberis mortuus fuerit,vxor defuncti non nubet alteri:sed [c] accipiet eam frater eius, 1.Tim. 5.c
& suscitabit semen fratris sui: & primogenitus ex ea filius † succedet in nomen fratris eius defuncti: vt nõ de Matt. 22.c
leatur nomen eius ex Israel.Sinautem noluerit accipere vxorem fratris sui, † perget mulier ad portam ciui- Marc. 12.a
tatis,& interpellabit maiores natu,diceq; : Non vult frater viri mei suscitare nomen fratris sui in Israel, nec Luc.20.d
me in coniugem sumere.Statimq; accersiri eum facient,& interrogabunt.Si respõderit . Nolo eam vxorem Ruth 4.b
C accipere:accedet mulier ad eum corã senioribus, & tollet calceamentũ de pede eius spuetq; in faciem illius, & dicet. Sic fiet homini qui non ædificat domum fratris sui.Et vocabitur nomẽ illius in Israel. Domus discalceati. Si habuerint inter se iurgium viri duo,& vnus contra alterũ rixari cœperit: volensq; vxor alterius eruere virum suum de manu fortioris,miseritq; manum,& apprehenderit verenda eius : abscindes manum illius,nec flecteris super eam vlla misericordia. Nõ habebis in sacculo diuersa põdera,maius & minus : nec

erit

erit in domo tua modius,maior & minor:pondus habebis iustum & verum,& modius æqualis, & verus erit tibi:vt multo viuas tempore super terram quam Dominus Deus tuus dederit tibi: abominatur enim Dominus † Deus tuus eum,qui facit hæc,& auersatur omnem iniustitiam. Memento,quæ fecerit tibi Amalec in
Exod. 17.c via quando egrediebaris ex Ægypto:quomodo occurrerit tibi,& extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit,quando tu eras fame,& labore confectus,& non timuerit Deum. Cum ergo Dominus Deus tuus dederit tibi requiem,& subiecerit cunctas per circuitū nationes in terra quam tibi pollicitus est: delebis nomen eius sub cœlo.Caue ne obliuiscaris.

SCHOLIA.

[a] Prosternent.] *Summa huius præcepti est,quòd cædendus non stet,nec sedeat, sed denudatus in terra iaceat, & cum loro vitulino totis viribus flagelletur quadraginta vicibus, vna minus, si eius impietas tot mereatur plagas. Nec alia erat pœna apud Iudæos post quadruplex mortis genus.* [b] Non ligabis os.] *Hebræi putant id intelligẽdum,de omnibus animalibus,quæ aliquid elaborant,quod est de cibo illorum,vt cum auis leporem capit.* [c] Accipiet eam frater eius.] *Conditiones autem in hoc contractu seruandæ sunt multæ. Prima si simul habitauerint in eadem ciuitate vel villa, & vtriusque possessio in vno fuerit loco. Secunda si decesserit frater sine semine. Tertia cum defunctus habuerit adhuc duos vel tres fratres,tenetur maior relictam ducere in vxorem. Quarta si defunctus nullum habuerit fratrem, sed post mortem eius illi natus fuerit frater, non tenetur relictam ducere in vxorem. Quinta qui primus ex ea nascitur filius,censebitur, non generantis, sed fratris defuncti,succedet q̃ in locum eius. Sexta, mulier relicta, post mortem mariti expectare debet tribus mensibus antequàm nubat; vt certo comprobetur, illam à priori marito non graudam factam. Septima, si frater superstes, illam omnino ducere noluerit, nec per iudices inclinari potuerit, seruabitur ritus ille qui hic describitur, nempè quòd mulier accedet, & detrahet illi calceamentum,spuet q̃ in faciem eius, vel, vt quidam dicunt,spuet coram eo in terram,& notam confusionis illi & toti familiæ eius inuret.*

CAPVT XXVI.

CVmq; intraueris terram quã Dñs Deus tuus tibi daturus est possidendã, & obtinueris eã, atq; habitaueris in ea, tolles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, pergesq; ad locum quẽ Dñs Deus tuus elegerit vt ibi inuocetur nomẽ eius:accedesq; ad sacerdotẽ qui fuerit in diebus illis,& dices ad eũ.Profiteor hodie corã Dño Deo tuo,ꝙ ingressus sum in terrã ꝙ qua iurauit Dñs patribus nostris vt daret eã nobis.Suscipiesq; sacerdos cartallũ de manu tua,ponet ante altare Dñi Dei tui, & loqueris in conspectu Dñi Dei tui. [a] Syrus persequebatur patrẽ meũ,qui descendit in Ægyptum, & ibi peregrinatus est in paucissimo numero:creuitq; in gentẽ magnã ac robustã, & infinitæ multitudinis. Afflixeruntq; nos Ægyptij, & persecuti sunt,imponẽtes onera grauissima:& clamauimus ad Dñm Deũ patrum nostrorũ: qui exaudiuit nos,& respexit humilitatẽ nostram,& laborem atq; angustias:& eduxit nos de Ægypto in manu forti,& brachio extento,in ingenti pauore,in signis atq; portentis,& introduxit ad locum istum, & tradidit nobis terrã lacte & melle manantem. Et iccirco nunc offero primitias frugum terræ quam Dominus dedit mihi. Et dimittes eas in conspectu Dñi Dei tui:& adorato Dño Deo tuo,epulaberis in omnibus bonis, quæ Dñs Deus tuus dederit tibi,& domui tuæ,tu & Leuites,& aduena qui tecum est. Quando compleueris decimam cũctarum frugum tuarum,anno decimarum tertio [b] dabis Leuitæ & aduenæ,& pupillo & viduæ,vt comedant intra portas tuas,& saturentur:loquerisq; in conspectu Domini Dei tui. [c] Attuli quod sanctificatum est de domo mea,& dedi illud Leuitæ,& aduenæ, & pupillo ac viduæ, sicut iussisti mihi:non præteriui mandata tua, nec sum oblitus imperij tui.Non comedi ex eis in luctu meo, [d] nec seposui ea in qualibet immunditia, nec expẽdi ex his quicquam in re funebri.Obediui voci Dñi Dei mei,& feci omnia sicut præcepisti mihi.† Aspice de habitaculo sancto tuo de cœlis, & benedic populo tuo Israel, & terræ quam dedisti nobis, sicut iurasti
Esaiæ 63.d Baruch 2.d patribus nostris,terræ lacte & melle mananti. Hodie Dominus Deus tuus præcepit tibi, vt facias mandata hæc atq; iudicia:& custodias & impleas ex toto corde tuo,& ex tota anima tua. Dominum elegisti hodie,vt sit tibi Deus,& ambules in vijs eius,& custodias ceremonias illius,& mandata atq; iudicia,& obedias eius im-
Sup. 8.a perio. Et Dominus elegit te hodie,vt sis ei populus peculiaris,sicut locutus est tibi, & custodias omnia præcepta illius:& faciat te excelsiorem cunctis gentibus quas creauit: † vt sis in laudem, & nomen, & gloriam: vt sis populus sanctus Domini Dei tui,sicut locutus est.

SCHOLIA.

[a] Syrus persequebatur.] *Per Syrum intelligunt Laban, qui varias struxit insidias contra Iacob patrem Israelitarũ.* [b] Dabis leuitæ.] *Hæc est decima pauperum,de qua etiam supra cap. xiiij. nonnihil dictum est.* [c] Attuli quod sanctificatum est.] *Intelligunt hoc quoq; de decimis pauperum,quas quis dare potest quibus voluerit.* [d] Nec seposui ea in qualibet immunditia.] *Hoc est,per immunditiam nihil perire permisit,quod Domino erat sanctificatum: sed nec pro necessitatibus mortuorũ quicquã ex his elargitus sum,quod videtur dictũ ad indicandum,se euitasse, quæ polluere ac fœdare possent.*

CAPVT XXVII.

PRæcepit autem Moyses & seniores Israel populo, dicentes. Custodite omne mandatum quod præcipio vobis hodie. Cumq; transieritis Iordanem in terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi, erigesingẽtes lapides,& calce leuigabis eos,vt possis in eis scribere omnia verba legis huius, Iordane trãsmisso:† eò ꝙ introieris terram quam Dominus Deus tuus dabit tibi,terram lacte & melle manantem,sicut iura-
Exod.20.d Iosue 8.f uit patribus tuis. Quando ergo transieritis Iordanẽ, erigite lapides quos ego hodie præcipio vobis in monte Hebal,& leuigabis eos calce:& ædificabis ibi altare Domino Deo tuo de lapidibus quos ferrum non tetigit, & [a] de saxis informibus & impolitis:& offeres super eo holocausta Domino Deo tuo, & immolabis hostias pacificas,comedesq; ibi,& epulaberis coràm Domino Deo tuo. Et scribes super lapides omnia verba legis huius planè & lucidè. Dixeruntq; Moyses, & sacerdotes Leuitici generis ad omnem Israelem. Attende, & audi

audi Israel.Hodie factus es populus Dñi Dei tui:audies vocẽ eius,& facies mãdata atq; iustitias quas ego præcipio tibi hodie.Præcepitq; Moyses populo in die illo,dicẽs. [b] Hi stabũt ad benedicẽdũ populo sup mõtem Garizim,Iordane transmisso:Simeon,Leui,Iudas,Issachar,Ioseph,& Beniamin. Et è regione stabũt ad male
C dicendũ in mõte Hebal,Ruben,Gad,& Aser,& Zabuló,Dan,& Nephthali.Et ꝓnuntiabũt Leuitæ,dicentq; ad oẽs viros Israel excelsa voce. [c] Maledictus homo qui faciet sculptile & cõflatile abominationẽ Dñi, opus Dani. 9.c manuũ artificũ,ponetq; illud in absc̃dito:& respõdebit omnis populus,& dicet,Amẽ. Maledictus qui nõ honorat patrẽ suũ,& matrẽ suã:& dicet omnis populus,Amen. Maledictus qui transfert terminos proximi sui:& dicet omnis populus,Amẽ. Maledictus qui errare facit cæcũ in itinere:& dicet omnis populus, Amẽ.
Maledictus qui puertit iudiciũ aduenę,pupilli,& viduę,& dicet omnis populus,Amẽ. Maledictus qui dor-
D mit cũ vxore patris sui,& reuelat operimẽtũ † patris sui:& dicet omnis populus,Amẽ. Maledictus qui dormit cũ omni iumento:& dicet omnis populus,Amen. Maledictus qui dormit cũ sorore sua filia patris sui, vel matris suæ,& dicet omnis populus, Amen. Maledictus qui dormiet cũ socru sua:& dicet omnis populus,Amen. Maledictus qui clam percusserit proximũ suũ:& dicet omnis populus,Amẽ. † Maledictus qui accipit munera,vt percutiat animam sanguinis innocentis: & dicet omnis populus,Amen. Maledictus qui non permanet in sermonibus legis huius;nec eos opere perficit:& dicet omnis populus,Amen. Gala. 3.b

SCHOLIA.

[a] De saxis informibus.] *Id præceptum fuit, vel vt ritus gentium vitarent, vel vt doceret, maiorem interiori cultui diligentiam,quàm externo adhibendam.* [b] Hi stabunt ad benedicendum.] *Eliguntur sex tribus potiores,quæ & ex liberis natæ erant vxoribus Iacob pro parte benedictionis:ad maledictiones autem sex tribus aliæ disponuntur, filij ancillarum cum tribu Ruben,qui & primogenitus fuerat,ne contemni se cæteræ iudicarent,quia benedictio plausibilior est,quàm maledictio.* [c] Maledictus.] *Horum omnium fere transgressiones ex lege puniuntur morte,quando publicè fiunt. Prima autem est,quæ fit inter hominem & Deum,altera quæ fit inter filium & patrem,&c.*

CAPVT XXVIII.

A SI autem audieris vocem Dñi Dei tui,vt facias atq; custodias omnia mandata eius,'quę ego præcipio tibi hodie,faciet te Dñs Deus tuus excelsiorẽ cũctis gẽtibus,q̃ versantur in terra. Veniẽtq; sup te vniuersę benedictiones istę,& apprehendent te:si tamen præcepta eius audieris. Benedictus tu in ciuitate, & benedictus in agro. Benedictus fructus vẽtris tui,& fructus terræ tuę,fructusq; iumẽtorũ tuorũ, greges armẽtorũ tuorũ,& caulę ouiũ tuarũ. [a] Benedicta † sporta tua,& benedictę reliquię tuę. Bñdictus eris ingrediẽs,& egrediẽs.Dabit Dñs inimicos tuos qui cõsurgũt aduersum te,corruẽtes in cõspectu tuo: per vnã viã venient cõtra te,& per septẽ fugiẽt à facie tua. Emittet Dñs benedictionem super cellaria tua, & super omnia opera manuum tuarum:benedicetq; tibi in terra quam acceperis. Suscitabit te Dominus sibi in populum sanctũ, sicut iurauit tibi:si custodieris mandata Domini Dei tui,& ambulaueris in vijs eius. Videbuntq; omnes terrarũ populi quòd nomẽ Domini inuocatũ sit super te,& timebũt te. Abũdare te faciet Dominus omnibus bonis,fructu vteri tui,& fructu iumentorũ tuorum, fructu terræ tuæ quam iurauit Dominus patribus tuis
B vt daret tibi.Aperiet Dominus thesaurum suũ optimũ cœlũ, vt tribuat pluuiam terræ tuæ in tempore suo: benediceteq; cũctis operibus manuum tuarum.Et fœnerabis gentibus multis, & ipse à nullo fœnus accipies. Constituet te Dñs in caput,& nõ in caudam:& eris semper suprà,& nõ subtèr:si tamen audieris mãdata Dñi Dei tui,quę ego præcipio tibi hodie,& custodieris & feceris, ac non declinaueris ab eis nec ad dextrã nec ad sinistrã,nec secutus fueris deos alienos,neq; colueris eos. Quòd si audire nolueris vocẽ Dñi Dei tui,vt custo
dias & facias omnia mãdata eius & ceremonias quas ego præcipio tibi hodie, venient sup te omnes maledictiones istę,& apprehendẽt te.Maledictus eris in ciuitate, maledictus in agro.† Maledicta sporta tua,& male Leui. 26.b Thr. 2.f dictæ reliquię tuæ.Maledictus fructus ventri tui,& fructus terrę tuę,armẽta boum tuorũ,& greges ouiũ tua- Mala. 2.a rũ.Maledictus eris ingrediẽs,& maledictus egrediẽs. Mittet Dñs super te famẽ & † tumultũ,[b]& increpatio Baruch 1.d nẽ in omnia opera tua,quę tu facies:donec cõterat te & perdat velociter, propter adinuẽtiones tuas pessimas in quibus reliquisti me. Adiungat tibi Dñs pestilẽtiam,donec consumat te de terra ad quã ingrederis possidendã.Percutiat te Dñs † tumore,febri & frigore,ardore & æstu,& aere corrupto ac † aurigine, & persequatur donec pereas. Sit cœlum,quod supra te est,æneũ:& terra,quam calcas,ferrea.Det Dominus imbrem terrę tuę puluerẽ,et de cœlo descendat super te cinis,donec cõteraris.Tradat te Dñs corruentẽ ante hostes tuos, & per vnã viã egrediaris contra eos,& per septem fugias,[c] & dispergaris per omnia regna terræ:sitq; cadauer tuum in escam cunctis volatilibus cœli & bestijs terrę,& non sit qui abigat.Percutiat te Dominus vlcere Ægypti,& partem corporis per quam stercora digeruntur, scabie quoque & prurigine : ita vt curari nequeas. Percutiat te Dominus amentia & cęcitate ac furore mẽtis,& palpes in meridie sicut palpare solet cæcus in tenebris,& non dirigas vias tuas.Omniq; tempore calumniam sustineas, & opprimaris violentia, nec habeas qui liberet te. Vxorem accipias,& alius dormiat cum ea, Domum ędifices,& non habites in ea.Plantes vineam,& non vindemies eam.Bos tuus immoletur coràm te,& non comedas ex eo. Asinus tuus rapiatur in conspectu tuo,& non reddatur tibi. Oues tuæ dentur inimicis tuis,& non sit qui te adiuuet. Filij tui & filiæ
D tuæ tradantur alteri populo videntibus oculis tuis,& deficientibus ad conspectum eorum tota die,& non sit fortitudo in manu tua. Fructus terræ tuæ, & omnes labores tuos comedat populus quem ignoras:& sis semper calumniam sustinens, & oppressus cunctis diebus, & stupens ad terrorem eorum, quæ videbunt oculi tui. Percutiat te Dominus vlcere pessimo in genibus & in suris, sanariq; non possis à planta pedis vsq; ad verticem tuum.Ducet te Dominus,& regem tuum quem constitueris super te, in gentem quam ignoras tu Aggæi 1.d & patres tui:& seruies ibi dijs alienis,ligno & lapidi. [d] Et eris † in stuporẽ,in prouerbium ac fabulam omnibus populis,ad quos te introduxerit Dominus.Sementem multam iacies in terram, & modicum congregabis:

bis: quia locuſtæ deuorabunt omnia. Vineam plantabis & fodies, & vinum non bibes, nec colliges ex ea
quippiam: quoniã vaſtabitur vermibus. Oliuas habebis in omnibus terminis tuis, & non vngeris oleo: quia
deſſluent & deperibunt. Filios generabis & filias, & non frueris eis: quoniam ducentur in captiuitatem. Om-
nes arbores tuas, & † fructus terræ tuæ rubigo conſumet. Aduena qui tecum verſatur in terra, aſcendet ſuper E
te, eritq; ſublimior: tu autem deſcendes, & eris inferior. Ipſe fœnerabit tibi, & tu non fœnerabis ei. Ipſe erit
in caput, & tu eris in caudam. Et venient ſuper te omnes maledictiones iſtę, & perſequentes apprehendẽt
te, donec intereas quia non audiſti vocem Domini Dei tui, nec ſeruaſti mandata eius, & ceremonias quas prę
cepit tibi. [e] Et erunt in te ſigna atq; prodigia, & in ſemine tuo vſque in ſempiternum: eò quòd non ſeruieris
Domino Deo tuo in gaudio, cordiſq; lętitia, propter rerum omnium abundantiam. Seruies inimico tuo
quem emittet tibi Dominus, in fame & ſiti & nuditate, & omni penuria, & ponet iugum ferreum ſuper ceruicẽ
tuam, donec te conterat. Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus
in ſimilitudinem aquilę volantis cum impetu: cuius linguam intelligere nõ poſsis, gentem procaciſsimam,
quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges teræ tuæ:
donec intereas, & non relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum & greges ouium, donec te
diſperdat & conterat in cunctis vrbibus tuis, & deſtruantur muri tui firmi atq; ſublimes, in quibus habebas F
fiduciã in omni terra tua. Obſideberis intra portas tuas in omni terra quam dabit tibi Dominus Deus tuus,
& comedes fructum vteri tui, & carnes filiorum tuorum, & filiarum tuarum, quas dederit tibi Dominus
Deus tuus, in angustia & vaſtitate qua opprimet te hoſtis tuus. [f] Homo delicatus in te, & luxurioſus valde
inuidebit fratri ſuo, & vxori, quæ cubat in ſinu ſuo † & relicto ſibi filio, ne det eis de carnibus filiorum ſuo-
rum quas comederit: eò q⁹ nihil aliud habeat in obſidione & penuria, qua vaſtauerint te inimici tui intra om-
nes portas tuas. Tenera mulier & delicata, quæ ſuper terram ingredi non valebat, nec pedis veſtigium ſige-
re propter mollitiem & tenerit udinem nimiam, inuidebit viro ſuo qui cubat in ſinu eius ſuper filij, & filiæ
carnibus, [g] & illuuie ſecundinarum, quę egredientur de medio feminum eius, & ſuper liberis † quos gignet:
comedẽt enim eos clàm propter rerum omniũ penuriã, in obſidione, & vaſtitate qua opprimet te inimicus
tuus intra portas tuas. Niſi cuſtodieris, & feceris omnia verba legis huius, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine,
& timueris nomen eius glorioſum & terribile, hoc eſt Dominum Deum tuũ: augebit Dominus plagas tuas, G
& plagas ſeminis tui, plagas magnas, & perſeuerantes, infirmitates peſsimas & perpetuas, & conuertet in te
omnes afflictiones Ægypti, quas timuiſti, & adhærebũt tibi. Inſuper & vniuerſos languores, & plagas, quæ
non ſunt ſcriptę in volumine legis huius, inducet Dominus ſuper te, donec te conterat: & remanebitis pauci
numero, qui prius eratis ſicut aſtra cœli præ multitudine: quoniam non audiſti vocem Domini Dei tui. Et
ſicut antè lætatus eſt Dominus ſuper vos, bene vobis faciens vosq; multiplicans: ſic lætabitur diſperdens vos
atq; ſubuertens, vt auferamini de terra ad quam ingredieris poſsidendam. Diſperget te Dominus in omnes
populos à ſummitate terræ vſq; ad terminos eius: & ſeruies ibi dijs alienis quos & tu ignoras & patres tui,
lignis & lapidibus. In gentibus quoq; illis non quieſces, neque erit requies veſtigio pedis tui. Dabit enim tibi
Dominus ibi cor pauidum, & deficientes oculos, & animam conſumptam mœrore, & erit [h] vita tua quaſi
pendens ante te. Timebis nocte & die, & non credes vitæ tuæ. Manè dices. Quis mihi det veſperum? & veſpe
re, Quis mihi det manè? propter cordis tui formidinem, qua terreberis, & propter ea, quæ tuis videbis ocu-
lis. Reducet te Dominus claſsibus in Ægyptum per viam de qua † dixi tibi vt eam amplius non videres. Ibi
venderis inimicis tuis in ſeruos & ancillas, & non erit qui emat.

SCHOLIA.

[a] Benedicta ſporta tua.] *Augebit (inquit) Deus benedictione ſua non ſolum frumentum in agro, verum & panem in ſporta, ac remanentes reliquias multiplicabit.* [b] Et increpationem.] *Capitur hic increpatio pro continuo terrore ſuperuenientium malorum, vt nunquam bono poſsis eſſe animo.* [c] Et diſpergaris.] *Alius vertit. Eris in commotionem apud omnia regna terræ. In commotionem, nempè capitis, quòd multi ſtupebunt, & mouebunt capita ſuper te.* [d] Et eris in ſtu porem.] *Eris videntibus te in ſtuporem, audientibus in parabolam, & loquentibus in fabulam.* [e] Et erunt in te ſi-gna.] *Vel erunt tibi in ſignum. Hoc eſt, plagæ iam dictæ, cum venerint erunt tibi in ſignum, quæ te commoneſaciant præ ceptorum meorum, atque tranſgreſsionum tuarum.* [f] Homo delicatus.] *Magnitudinem penuriæ indicat, quæ tanta futura ſit, vt arcta quæuis amicitia ob famem negligatur, & alter alteri cibos inuideat, & ſubtrahat, idq; in filiorum etiã carnibus.* [g] Et illuuie ſecundinarum.] *Alius vertit. Secundinam quoque ſuam, quæ egreditur de medio pedum ſuorum, & filios ſuos quos gignet, quoniam comedet eos in ſecreto, cum omnia defecerint &c. Secundinam autem vocant locum fœtus, in quo ſedet, dum materno vtero adhuc clauſus tenetur: aly exponunt pueros minores. Quod verò ait, de medio pedum ſuorum, Hebraiſmus eſt, ſicut & lotium aqua pedum in ſcriptura vocatur.* [h] Vita tua quaſi pendens.] *Hoc eſt, pendebit vita tua in ambiguo, omni hora mortem adeſſe ſuſpicans.*

CAPVT XXIX.

Exod. 19.a

HÆc ſunt verba fœderis, quod præcepit Dominus Moyſi, vt feriret cum filijs Iſrael in terra Moab: A
[a] præter illud fœdus quod cum eis pepigit in Horeb. Vocauitq; Moyſes omnem Iſrael, & dixit ad
eos. Vos vidiſtis vniuerſa, quæ fecit Dominus coram vobis in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus
ſeruis eius, vniuerſæq; terræ illius, tentationes magnas quas viderunt oculi tui, ſigna illa portentaq; ingen-
tia, & non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ poſsint audire vſq; in præ-
ſentem diem. Adduxit vos quadraginta annis per deſertum: non ſunt attrita veſtimenta veſtra, nec calceamẽ
ta pedum veſtrorum vetuſtate conſumpta ſunt. Panem non comediſtis, vinum & ſiceram non bibiſtis, vt
ſcireris † quòd ego ſum Dominus Deus veſter, & veniſtis ad hunc locum. Egreſſuſq; eſt Seon rex Heſebon, B
& Og rex Baſan, occurrentes nobis ad pugnam. Et percuſsimus eos, & tulimus terram eorum, ac tradidimus

Supra 8. a

Sup. 3. a

poſsidẽdam

poſsidẽdam Ruben & Gad, & dimidiæ tribui Manaſſe. Cuſtodite ergo verba pacti huius, & implete ea: vt in-
telligatis vniuerſa, quæ facitis. Vos ſtatis hodie cuncti coràm Domino Deo veſtro, principes veſtri & tribus
ac maiores natu, atq; doctores, omnis populus Iſrael, liberi & vxores veſtræ, & aduenę, qui tecũ morantur in
caſtris, à lignorum cæſore vſq; ad eũ, qui cõportat aquas: [b] vt tràſeas in fœdere Dñi Dei tui, & in iureiurãdo
quod hodie Dñs Deus tuus percutit tecũ: vt ſuſcitet te ſibi in populũ, & ipſe ſit Dñs Deus tuus, ſicut locutus
eſt tibi, & ſicut iurauit patribus tuis Abrahã, Iſaac, & Iacob. Nec vobis ſolis ego hoc fœdus ferio, & hæc iura-
menta confirmo, ſed cunctis preſentibus & abſentibus. Vos enim noſtis quomodo habitauerimus in terra
Ægypti, & quomodo tranſierimus per mediũ nationũ, quas tranſeuntes vidiſtis abominationes & ſordes, id
C eſt idola eorũ, lignũ & lapidem, argentũ & aurũ, quę colebant. Ne forte ſit inter vos vir aut mulier, familia
aut tribus, cuius cor auerſum ſit hodie à Domino Deo noſtro: vt vadat & ſeruiat dijs illarum gentiũ, & ſit in-
ter † vos [c] radix germinans fel & amaritudinẽ. Cumq; audierit verba iuramenti huius, benedicat ſibi in cor-
de ſuo, dicẽs. Pax erit mihi, & ambulabo in prauitate cordis mei: [d] & † addat ebriam ſitienti, & Dñs nõ ignо-
ſcat ei: ſed tunc quàm maximè furor eius fumet, & zelus cõtra hominem illũ, & ſedeãt ſuper eum omnia ma-
ledicta, quæ ſcripta ſunt in hoc volumine: & deleat Dominus nomen eius ſub cœlo, & conſumat eũ in per-
ditionem ex omnibus tribubus Iſrael, iuxta maledictiones, quæ in libro legis huius ad fœderis continentur.
Dicetq; ſequens generatio, & filij qui naſcentur deinceps, & peregrini qui de longè venerint, videntes pla-
gas terræ illius, & infirmitates quibus eam afflixerit Dominus ſulphure, & † ſale adurentibus vniuerſam ter-
D ram eius, ita vt vltrà non ſeratur, nec virens quippiam germinet in exemplum ſubuerſionis Sodomæ, & Go- Gene. 19.e
morrhæ, & Adamæ & Seboim, quas ſubuertit Dominus in ira & in furore ſuo: & dicent omnes gentes. Quа-
re ſic fecit Dominus terræ huic? quæ eſt hæc ira furoris eius immenſa? Et reſpondebunt. Quia dereliquerunt 3. Reg. 9. b
pactum Domini quod pepigit cum patribus eorum, quando eduxit eos de terra Ægypti: & ſeruierunt dijs Iere. 22. c
alienis, & adorauerunt eos quos neſciebant, & † qui nihil impertierunt eis: iccircò iratus eſt furor Domini
cõtra terram iſtam, vt induceret ſuper eam omnia maledicta, quæ in hoc volumine ſcripta ſunt, & eiecit eos
de terra ſua in ira & in furore, & in indignatione maxima, proiecitq; in terram alienam ſicut hodie com-
probatur. [e] Abſcondita † Domini Dei noſtri manifeſta ſunt nobis & filijs noſtris vſq; in ſempiternum, vt
faciamus vniuerſa legis huius.

SCHOLIA.

[a] Præter illud fœdus.] *Fuit hoc poſterius fœdus renouatio prioris, præſertim cum omnes illi mortui fuerint, qui in Horeb cum Domino fœdus inierant. Sed obſerua, apertè hic dici, Domnum duplex pepigiſſe cum Iſraelitis fœdus, alterum in Horeb, alterum hic: quare & aptè Deuteronomium vocamus, id eſt, repetitam legem. Multò præterea habet hic liber plura, quæ ad mores pertinent, & ciuilem honeſtatem, quàm reliqui quatuor ſuperiores. Neque illarum purgationum, quæ, ſi verba ſpectemus, pueriles videri poſſent, quarum totus Leuiticus ferè plenus eſt, crebram mentionem fecit. Vide Leuit. 14. & 15. & alys multis capitibus. Quæ ergo hic præcipiuntur, ſeria ſunt magis, & præſtatu faciliora futura: præterea promittit tempus, quo erunt hæc facillima, cum videlicet Chriſtus Dominus Deus noſter ignorantias noſtras, & occulta noſtra ſua faciet, & pro nobis illa præſtabit: factus pro nobis peccatum, & maledictum, vt corpus peccati deſtrueret, & quod impoſsibile erat legi propter carnem, ipſe pro nobis præſtaret, in ſimilitudine carnis peccati, de peccato damnans peccatum, & legem in decretis ſitam abrogans, facilem nobis faceret legis perfectiſsimam impletionem.* [b] Vt tranſeas in fœdere.] *Putant Hebræi, in percuſsione huius fœderis ritum quendam obſeruatum, vt ſcilicet tranſierint per partes animalis dimembrati, ſicut & de Abraham legimus Gene. 15.* [c]]Radix.] *Per radicem intelligunt quidam Hebræorum Thare patrem Abraham, qui idololatra fuit.* [d] Et addat ebriam ſitienti.] *Locus iſte eſt obſcurus. Quidam ſic putant intelligendum. Impius nititur ſibi perſuadere, nullum eſſe periculum, ſi ambulet poſt cogitationem cordis ſui: & adjiciat animam ebriam, hoc eſt, quæ concupiſcentijs æſtuat, & quaſi inſanit, rebus delectabilibus & delitijs corporis. Aly intelligunt per ebriam, animam iuſti, & per ſitientem, animam impij. Impius autem putat ſibi nihil mali accidere propter iuſtos, quibus eſt additus. Sicut & Dominus parcere voluit toti ciuitati propter quinquaginta iuſtos. Ideo liberius ruit malus in peccatum. Aly intelligunt, in veteratam propenſionem ad ſtudia impietatis, ſicut aſſueti poculis ſemper ſitiunt, & hoc eſſe iungere animam ebriam cum ſitiente.* [c] Abſcondita Domini.] *Iudicia eius videlicet, quæ exercebit in nos. Alias interpretatus eſt. Secreta, quæ ab homine fiunt, Dei ſunt, vt illa puniat, quæ verò in propatulum veniunt, aut publicè fiunt, hæc noſtra ſunt, hæc nos tenemur punire, præſertim idololatras: & ſic legendum erit. Secreta Domini Dei noſtri ſunt, manifeſta autem noſtra ſunt, & filiorum noſtrorum, &c.*

CAPVT XXX.

A CVm ergo venerint ſuper te omnes ſermones iſti, benedictio ſiue maledictio quam propoſui in con
ſpectu tuo, & ductus pœnitudine cordis tui in vniuerſis gentibus, in quas diſperſerit te Dominus Pſal. 105. d
Deus tuus, & reuerſus fueris ad eum, & obedieris eius imperijs, ſicut ego hodie præcipio tibi cum fi-
lijs tuis in toto corde tuo, & in tota anima tua: [a] reducet te Dominus Deus tuus de captiuitate tua, ac mi-
ſerebitur tui, & rurſum congregabit te de cunctis populis in quos te antè diſperſit. Si ad cardines cœli fueris
diſsipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus, & aſſumet atque introducet in terram quam poſſederunt 1. Macha.
B patres tui, & obtinebis eam, & benedicens tibi, maioris numeri tè eſſe faciet, quàm fuerint patres tui. Cir- 1. f. & 2. c
cuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor ſeminis tui: vt diligas Dominum Deum tuum ex toto corde
tuo, & in tota anima tua, vt poſsis viuere. Omnes autem maledictiones has conuertet ſuper inimicos tuos,
& eos qui oderunt te, & perſequuntur. Tu autem reuerteris, & audies vocem Domini Dei tui: faciesq; vni
uerſa mandata, quæ ego præcipio tibi hodie, & abundare te faciet Dominus Deus tuus in cunctis operibus
manuum tuarum, in ſobole vteri tui, & in fructu iumentorum tuorum, in vbertate terræ tuæ, & in rerum
omniũ largitate. Reuertetur enim Dominus, vt gaudeat ſuper te in omnibus bonis, ſicut gauiſus eſt in pa-

tribus

tribus tuis:si tamen audieris vocem Domini Dei tui,& custodieris præcepta eius,& ceremonias, quæ in hac C
lege scripta sunt:& reuertaris ad Dominum Deum tuum in toto corde tuo,& in tota anima tua.Mandatum
hoc quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum,nec in cœlo situm, vt possis dice
Rom.10.b re.Quis nostrum valet ad cœlum ascendere, vt deferat illud ad nos,vt audiamus,atque opere compleamus?
Neque trans mare positum:vt causeris, & dicas. Quis è nobis poterit transfretare mare, & illud ad nos vsq;
deferre:vt possimus audire & facere quod præceptum est? Sed [b] iuxta te est sermo valde in ore tuo, & in cor-
de tuo,vt facias illum. Consydera quòd hodie proposuerim in conspectu tuo vitam & bonum, & ecõtrario
mortem & malum. † Quandoquidem præcipio ego tibi hodie,vt diligas Dominum Deum tuum, & ambu D
les in vijs eius,& custodias mandata illius ac ceremonias,atque iudicia:& viuas,atque multiplicet te, benedi-
catq; tibi in terra ad quam ingredieris possidendam. Si autem auersum fuerit cor tuum, & audire nolueris,
atq; errore deceptus adoraueris deos alienos & seruieris eis,prædico tibi hodie quòd pereas,& paruo tempo-
re moreris in terra ad quam Iordane transmisso ingredieris possidendam. Testes inuoco hodie cœlũ & ter-
ram,quòd proposuerim vobis vitam & mortem,benedictionem & maledictionem. Elige ergo vitam, vt &
tu viuas, & semen tuum: & diligas Dominum Deum tuum, atq; obedias voci eius, & illi adhæreas(ipse est
enim vita tua, & longitudo dierum tuorum) vt habites in terra pro qua iurauit Dominus patribus tuis
Abraham,Isaac,& Iacob, vt daret eam illis.

SCHOLIA.

[a] Reducet te Dominus.] *Reductio,quæ hic promittitur,atq; reuocatio non impletur nisi per Christum,ad quem Paulus ait conuertendum Israelem,cum plenitudo gentium intrauerit,præsertim cum addat, fore, Vt Dominus circuncidat cor eorum,quod etiam magistri Hebræorum referunt ad dies Messiæ,nempè quòd tunc cor hominis non sit futurum tam instabile,& ad malum propensum,sed solum concupiscet id,quod æquum & iustum atque Deo placens fuerit, iuxta illud propheticum. Dabo legem meam in viscera eorum,& scribam eam super cor eorum. Sed Iudæi miseri nunc & isto & aliis scripturæ locis abuntur in suam perniciem,& ad maiorem cordis obstinationem.* [b] Iuxta te est sermo.] *Locum hunc diuinus Paulus diuinè de Euangelica prædicatione ac sermone fidei est interpretatus,tametsi sensum magis, Vt æquum est, quam textum ad Verbum expresserit, Vt illius etiam alibi est mos. Satis enim fuit,atque adeo magis consentaneum, viris spiritu Dei plenis, significare,quid idem spiritus in scriptura intelligi vellet.*

CAPVT XXXI.

A

Supr. 3.d Num. 27.c
ABijt itaque Moyses,& locutus est omnia verba hæc ad vniuersum Israel,& dixit ad eos.Centum vigin
ti annorum sum hodie,non possum vltrà egredi & ingredi, præsertim cũ & Dominus dixerit mihi.
Non transibis Iordanem istum.Dominus ergo Deus tuus transibit ante te:ipse delebit omnes gentes
has in conspectu tuo,& possidebis eas:& Iosue iste transibit ante te,sicut locutus est Dominus. Facietq; Dns
eis sicut fecit Seon & Og regibus Amorrhæorum,& terræ eorum,delebitq; eos. Cum ergo & hos tradiderit
Num.21.c Sup. 7.a vobis,similiter facietis eis,sicut præcepi vobis. Viriliter agite,& confortamini:nolite timere,nec paueatis ad B
conspectum eorum:quia Dns Deus tuus ipse est ductor tuus,& nõ dimittet, nec derelinquet te. Vocauitq;
Moyses Iosue,& dixit ei coràm omni Israel. Confortare[d], & esto robustus:tu enim introduces populum istũ
in terrã quam daturum se patribus eorum iurauit Dns,& tu eam sorte diuides. Et Dns qui ductor est vester,
ipse erit tecũ:non dimittet,nec derelinquet te:noli timere nec paueas. Scripsit itaq; Moyses legem hanc, &
tradidit eã sacerdotibus filijs Leui,qui portabant arcam fœderis Dñi,& cũctis senioribus Israel. Præcepitq;
eis,dicens. [a] Post septem annos,anno remissionis,in solennitate tabernaculorum, cõuenientibus cunctis ex C
Israel,vt appareant in conspectu Dñi Dei tui in loco quem elegerit Dominus:leges verba legis huius coràm
omni Israel,audientibus eis,& in vnum omni populo cõgregato tam viris quàm mulieribus, paruulis & ad-
uenis,qui sunt intra portas tuas:vt audientes discant,& timeant Dominum Deum vestrũ, & custodiant, im-
pleantq; omnes sermones legis huius:filij quoq; eorum qui nunc ignorant:vt audire possint, & timeant Do
minum Deum suum cunctis diebus quibus versantur in terra ad quam vos Iordane transmisso pergitis ob-
tinendam. Et ait Dominus ad Moysen.Ecce prope sunt dies mortis tuæ:voca Iosue, & state in tabernaculo D
testimonij,vt præcipiã ei. Abierunt ergo Moyses & Iosue,& steterunt in tabernaculo testimonij, apparuitq;
Dominus ibi in columna nubis,quæ stetit in introitu tabernaculi. Dixitq; Dominus ad Moysen. Ecce tu
dormies cum patribus tuis,& populus iste consurgens fornicabitur post deos alienos in terra ad quam ingre
dietur,vt habitet in ea:ibi derelinquet me,& irritum faciet fœdus quod pepigi cũ eo.Et irascetur furor meus
contra eum in die illo:& derelinquam eum,& abscondam faciem meam ab eo, & erit in deuorationem: in-
uenient eum omnia mala,& afflictiones:ita vt dicat in illo die. Verè quia non est Deus mecum: inuenerunt E
me hæc mala. [b] Ego autem abscondam,& cęlabo faciem meã in die illo propter omnia mala,quæ fecit,quia
secutus est deos alienos. Nunc itaque scribite vobis canticum istud, & docete filios Israel: vt memoriter te-
neant & ore decantent,& sit mihi carmen istud pro testimonio † contra filios Israel.Introducam enim eum
in terram pro qua iurauí patribus eius,lacte & melle manantem.Cumq; comederint & saturati, crassiq; fue
rint,auertentur ad deos alienos,& seruient eis:detrahentq; mihi,& irritum facient pactum meum. Postquã
inuenerint eum mala multa & afflictiones,respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla dele- F
bit obliuio ex ore seminis tui. Scio enim cogitationes, [c] quæ facturus sit hodie antequam introducam eum
in terram,quam ei pollicitus sum.Scripsit ergo Moyses canticum,& docuit filios Israel. Præcepitq; Domi-
nus Iosue filio Nun,& ait. Confortare,& esto robustus:tu enim introduces filios Israel in terram quam pol-
licitus sum,& ego ero tecum. Postquam ergo scripsit Moyses verba legis huius in volumine, atque comple-
uit,præcepit Leuitis,qui portabant arcam fœderis Domini,dicens. Tollite librum istum: & ponite eum in
latere arcæ fœderis Domini Dei vestri:vt sit ibi contra te in testimonium. Ego enim scio cõtentionem tuã, G
&

& ceruicem tuam durissimam.Adhuc viuente me,& ingrediente vobiscum, semper contentiosè egistis con
tra Dominum: quantò magis, cum mortuus fuero? Congregate ad me omnes maiores natu per tribus ve-
stras,atq; doctores,& loquar audientibus eis sermones istos,& inuocabo contra eos cœlum & terram. Noui
enim quòd post mortem meam iniquè agetis, & declinabitis citò de via quam præcepi vobis: & occurrent
vobis mala in extremo tempore,quando feceritis malum in conspectu Domini, vt irritetis eum per opera-
manuum vestrarum. Locutus est ergo Moyses audiente vniuerso cœtu Israel verba carminis huius.& ad fi-
nem vsque compleuit.

SCHOLIA.

[a] Post septem annos.] *Quod alius vertit,à fine septem annorum,vel,ab extremo septimi anni,vt intelligatur, principium anni vnum esse eius extremitatem. Vnde dicunt,hic per extremum anni significari principium anni septimi, qui erat sabbatum Domini,& annus remissionis.* [b] Ego autem abscondam.[*Repetitur hic versus, & secundo ponitur, sicut etiam mos est prophetarum,vt non raro eandem sententiam bis ponant. Rationem huius rei Hebræi signant, quòd Prophetæ plerunque locuti fuerint cum hominibus cæcis & surdis, quibus non satis est,aliquid semel dixisse.*][c] Quæ facturus sit ho die.] *Vel.Quæ ipse hodie facit.*

CAPVT XXXII.

A

[a] AVdite cœli,quæ loquor,audiat terra verba oris mei. [b] Concrescat in pluuiam doctrina mea, fluat vt
ros eloquium meum.Quasi imber super herbam,& quasi stillæ super gramina. Quia nomen Domi-
ni inuocabo:date magnificentiã Deo nostro.Dei perfecta sunt opera,& omnes vię eius iudicia. Deus
fidelis,& absq; vlla iniquitate,iustus & rectus.Peccauerunt ei, † nó filij eius [c] in sordibus suis: generatio pra-
ua,atq; peruersa. Hęccine reddis Dño populo stulte et insipiens? nunquid nó ipse est pater tuus, qui possedit
te,& fecit,& creauit te? Memento dierũ antiquorũ,cogita generationes singulas:interroga patrem tuum, &
annuntiabit tibi:maiores tuos,& dicent tibi. [d] Quando diuidebat altissimus gentes,quando separabat filios
B Adam,constituit terminos populorum iuxta numerum filiorũ Israel.Pars autẽ Dñi,populus eius:Iacob [e] fu
niculus hereditatis eius. [f] Inuenit eum in terra deserta,in loco horroris,& vastę solitudinis. Circũduxit eũ,
& docuit:& custodiuit quasi pupillam oculi sui. [g] Sicut aquila prouocans ad volandũ pullos suos, & sup eos
volitans,& expandit alas suas:& assumpsit eũ,atq; portauit in humeris suis. Dominus solus dux eius fuit: &
non erat cum eo deus alienus.[h] Constituit eũ super excelsam terram:vt comederet fructus agrorũ,& sugeret
mel de petra,oleumq; de saxo durissimo:Butyrum de armento,& lac de ouibus,cum adipe agnorum,& arie
tum filiorum Basan,& hircos cũ medulla tritici,[i] & sanguinem vuæ biberet meracissimum.[k] Incrassatus est
C directus,& recalcitrauit,incrassatus,impinguatus,[l] dilatatus: dereliquit Deum factorem suum,& recessit à
Deo salutari suo.Prouocauerunt eũ in dijs alienis:& in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.Im
molauerunt dæmonijs,& non Deo,dijs quos ignorabant:noui recentesq; venerunt,quos non coluerunt pa
tres eorũ.Deũ qui te genuit derelinquisti,& oblitus es Domini creatoris tui. Vidit Dominus,& ad iracundiã
concitatus est,quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ.Et ait.Abscondam faciem meam ab eis, & consyde-
rabo nouissima eorum:generatio enim peruersa est,& infideles filij.Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non
erat Deus,& irritauerunt in vanitatibus suis: & ego [m] prouocabo eos in eo qui non est populus,& in gente Rom.10.d
D stulta irritabo illos. Ignis succensus est in furore meo,& ardebit vsq; [n] ad inferni nouissima: deuorabitq; ter Iere. 15.c
ram cum germine suo,& montium fundamenta comburet. Congregabo super eos mala, [o] & sagittas meas
complebo in eis.Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immit-
tam in eos,cum furore trahentium super terram:atq; serpentium. Foris vastabit eos gladius, & intus pauor,
iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene. Et dixi, † dispердam eos,cessare faciam ex homi-
nibus memoriã eorum.Sed propter iram inimicorum distuli: ne fortè superbirent hostes eorũ,& dicerent,
Manus nostra excelsa,& non Dominus fecit hæc omnia.Gens absq; consilio est,& sine prudentia: vtinam sa
E perent,& intelligerent,ac nouissima prouiderent.Quomodo † persequeretur vnus mille,& duo fugarent de-
cem millia? Nonne ideo,quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos? [p] Non enim est Deus no-
ster,vt dij eorum:& inimici nostri sunt iudices: [q] De vinea Sodomorum,vinea eorum,& de suburbanis Go-
morrhę.Vua eorum vua fellis,& botri amarissimi. Fel drachonum vinum eorum,& venenum aspidum in-
sanabile.Nonne hæc condita sunt apud me,& signata in thesauris meis?Mea est vltio, & ego retribuã in tem Eccl. 28.a
pore,vt labatur pes eorum:iuxtà est dies perditionis,& adesse festinant tempora. [r] Iudicabit Dominus popu Rom.12.d
lum suum, & in seruis suis miserebitur.Videbit quòd infirmata sit manus, & clausi quoq; defecerunt, resi- Hebr. 10.e
F duiq; consumpti sunt.Et dicet.Vbi sunt dij eorum,in quibus habebãt fiduciam? De quorum victimis come
debant adipes, & bibebant vinum libaminum. Surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos prote- 1.Reg.2.a
gant. Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me:ego occidam, & ego viuere faciam, per- Thob.13.a
cutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere. Leuabo ad cœlum manum meam, & di- Sapiẽ. 16.b
cam: Viuo ego in æternum. Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: red-
dam vltionem hostibus meis,& his qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sanguine,& gladius
meus deuorabit carnes, [s] de cruore occisorum, & de captiuitate nudati inimicorum capitis. Laudate gen-
G tes populum eius,quia sanguinem seruorum suorũ vlciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorũ, & pro 2.Mac.7.b
pitius erit terræ populi sui. Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba cãtici huius in auribus populi,
ipse & Iosue filius Nun. Compleuitq; omnes sermones istos: loquens ad vniuersum Israel, & dixit ad eos.
Ponite corda vestra in omnia verba quæ ego testificor vobis hodie: vt mandetis ea filijs vestris custodire, &
facere, & implere vniuersa quæ scripta sunt in volumine legis huius: quia non incassum præcepta sunt vo-
bis, sed vt singuli in eis viuerent: quę facientes longo persueretis tempore in terra ad quam Iordane trans-

Num.27.c Num.20.d 33.e Num.20.a 27.c

missō ingrediemini possidendam. Locutusq; est Dominus ad Moysen in eadē die, dicens. Ascende in montē istum Abarim, † montem Nebo, qui est in terra Moab contra Iericho: & vide terram Chanáan, quam ego tradam filijs Israel obtinendam, & morere in monte. Quē conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis: quia preuaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis me inter filios Israel. E contra, videbis terram, & non ingredieris in eam quam ego dabo filijs Israel.

SCHOLIA.

[a] Audite cœli.] *Dicunt Hebræi canticum istud esse summarium totius legis. Nam facere mentionem de magnificentia Dei, de creatione mundi, de vno Deo colendo, de generatione diluuij, de diuisione linguarum, & terrarum, de electione populi Israelitici, de beneficio in deserto ei exhibito, de futura resurrectione mortuorū, &c. Adiuocantur autem primò cœli, et terra in testes, qui sint duraturi, Moses autem breui moriturus, sicut & ij qui in regimine illi successuri erant. Vel ideo cœlū & terra in testes statuuntur, Vt, si populus Deum, Vt debebat, coleret, abundantiam frugum, vini & olei proferrent, sin rebellis esset Deo, maledictionem pro benedictione inferrent, hoc est, cœlum retineret pluuiam, & terra non daret fructū suū.* [b] Concrescat vt pluuia.] *Vel stillet. Vt enim pluuia irrigat, & fœcundat terram, ita Verbū Domini impinguat animā.* [c] In fordibus.] *Vel, maculis suis quas quidam interpretati sunt idola,* [d] Quando diuidebat altissimus gentes.] *Quidam hoc intelligunt de dispersione Babylonicæ confusionis. Tunc enim constituisse Deum septem populis Hamorræis, Heuæi, Chananæis, &c. tantam regionis planiciem, quæ numero filiorum Israel sufficeret. Alij intelligunt, tot ferè esse populos, quot fuerunt Israelis filij ac nepotes, videlicet septuaginta circiter.* [e] Funiculus hęreditatis.] *Quòd scilicet illi ac semini eius deberetur illa hæreditas, quæ funiculo mensuratur.* [f] Inuenit eum in terra deserta.] *Hoc est, ingressus est Deus cum populo illo in illam solitudinem tam horribilem, in qua erant scorpiones & serpentes, & vbi audiebantur Vlulatus draconum, struthionum, & horribilium animalium. In hac solitudine circunduxit Deus populum per columnam nubis & ignis, & custodiuit eum, sicut homo custodit pupillam oculi.* [g] Sicut aquila.] *Cum aquila pullos suos in alium locum transferre contendit, excitat nidum, hoc est, familiam pullorum, & tandiu circa nidum volitat, donec omnes super humeros suos susceperit. Sic Dominus in deserto populum suum quasi in humeris portauit, nutriuit, potauit, & ab hostibus defendit, &c.* [h] Constituit eum.] *Siue vexit, aut equitare fecit eum ad loca excelsa terræ, id est, ad terram Chanáan, quæ cæteris terris illarum regionum altior inuenitur, vt scilicet comederet vberes fructus agrorum. Loquitur autem scriptura per præterita verba, licet omnia ista adhuc essent futura, significatur q; per mel, oleum, butyrum, lac, adipem, triticum, & similia, omnium rerum abundantia. Et quod ait, arietum filiorum Basan, intelligit pinguium, qui scilicet nutriti erant in monte Basan, cuius pascua supra modum sagināt pecora.* [i] Et sanguinem vuæ.] *Vinum optimum, & rubeum.* [k] Incrassatus est dilectus.] *Hoc est, qui rectus esse debebat, & cui Deus ostenderat viam rectam, & sit epitheton Israelis. Et dictio qua hic ponitur, bis repetitur sequenti capite, & pro ea omnes Heb. interpretantur Israel.* [l] Dilatatus.] *Alius vertit: adipe obductus est, & intelligunt de obductione & obstinatione cordis.* [m] Prouocabo eos in eo, qui non est populus.] *scilicet meus, & qui me non nouit, sed inhumanus est, & stultus, hunc locum citat Paulus ad Romanos. loquens de gentium vocatione, per quam prouocari ad æmulationem debuerant Iudæi.* [n] Ad inferni nouissima.] *Vel, ad infernum inferiorem. Hyperbole autem est, quòd etiam profunda terræ loca sterilitate afficiantur.* [o] Et sagittas meas.] *Sagittæ Dei sunt pestilentiæ, morbi, plagæ, grandines, incursus malarum bestiarum.* [p] Non enim est Deus noster vt dij eorum.] *Qui scilicet non possit defendere populum suum à quouis periculo, quod ipsi hostes sunt confessi, cum dicerent, Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis. Quanquam illud: Et inimici nostri sunt iudices, quidam sic interpretantur. Licet inimici nostri iam sint iudices nostri, id tamen non habent à dijs suis, sed à Deo nostro, qui nos tradidit in manus eorum.* [q] De vinea Sodomorum.] *Quod eos tradidi (inquit) in manus hostium, id hinc factum est, quòd opera eorum sint similia operibus Sodomæ & Gomorræ, & vinea illa mea, quam ego plantaui, non fert nisi vuas acerbissimas, vnde nihil exprimi potest, nisi venenum draconum & serpentū. Et eò licentius hos amaros proferunt fructus, quòd me putant hæc ignorare, aut non aduertere, cum tamen nihil horum sit, quod non sit reconditum apud me in thesauro meo, qui non solum præterita & præsentia, verum & quæ futura sunt, tanquā iam facta essent, conspicio.* [r] Iudicabit Dominus.] *Postquam flagellis iustis eum castigauerit, pœnitebit eum, & miserebitur eorum, præsertim cum viderit ab eis sublatam omnem potentiam, atq; eos omni destitutos auxilio, & veluti in nihilum redactos. Illud autem, Et clausi quoq;, &c. In Heb. est. Finis clausi, & derelicti, vel consumptus est clausus, & derelictus.*

[s] De cruore occisorum.] *Vel, propter cruorem occisorum, & captiuitatem eorum, & videtur hic esse ordo. Gladius meus deuorabit carnes nudati inimicorum capitis, ob cruorem occisorum & captiuitatem eorum. Vlciscetur (inquit) gladius meus gentes, quæ populi mei sanguinem fuderunt, & eum captiuum abduxerunt, incipiamq; Vlcisci à capite & initio primæ iniuriæ, quam hostis intulit, nec Vllam hostis iniuriam inultam transire permittam. Quod gentes videntes, laudabunt populum Israel, quòd habeat Deum propitium & fidelem protectorem.*

CAPVT XXXIII.

Sapiē. 3.a

HÆc est benedictio qua benedixit Moyses homo Dei filijs Israel ante mortē suā. Et ait. [a] Dñs de Sina venit, & de Seir ortus est eis: apparuit de mōte Pharan, & cū eō sanctorū millia. In dextera eius ignea lex ꝓ eis. Dilexit populos, oēs sancti in manu illius sunt: & qui appropinquāt pedibus eius, accipiēt de doctrina illius. Legē præcepit nobis Moyses hęreditatē multitudinis Iacob. † Et fuit [b] in Israel rex, cōgregatis principibus populi cū tribubus Israel. [c] Viuat Rubē. & nō moriatur, & sit paruus in numero. Hęc est Iudę benedictio. Audi Dñe vocē Iudę, & ad populū suū introduc eū: manus eius pugnabunt ꝓ eo, & adiutor illius cōtra aduersarios eius eris. Leui quoq; ait. [d] Perfectio tua, & doctrina tua viro sancto tuo, quē ꝓbasti in tētatiōe, & iudicasti ad aquas cōtradictionis. Qui dixit patri suo, & matri suę. Nescio vos: Et fratribus suis, Ignoro illos: & nescierūt filios suos. Hi custodierūt eloquiū tuū, & pactum tuū seruauerunt, † docebūt iudicia tua Iacob, & legē tuam ò Israel: ponēt thymiama in ꝯ† naribus tuis, & holocaustū super altare tuum. [e] Benedic Domine † primitijs eius, & opera manuum illius susci̇pe. Percute dorsa inimicorum eius: & qui oderunt eum, non consurgant. Et Beniamin ait. [f] Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet. Ioseph quoque ait. [g] De benedictione Domini terra eius, de pomis cœli, & rore, atque abysso subiacente. De pomis fructuum solis ac lunæ, [h] de vertice antiquorū montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem nazaræi inter fratres suos. [i] Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes vsq; ad terminos terræ: hæ sunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manasse. Et Zabulon ait. [k] Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem: tibi immolabunt victimas iustitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum. [l] Et Gad ait. Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requieuit, cepitq; brachium & verticem. Et vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus: qui fuit cum principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel. Dan quoque ait. [m] Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan. Et Nephthali dixit, [n] Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem possidebit. Aser quoque ait. [o] Benedictus in filijs Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. Ferrum & ęs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua. Non est † alius, vt Deus † ò Israel: [p] ascensor cœli auxiliator tuus. Magnificētia eius † in ætereis locis, habitaculū eius sursum, [q] & subter brachia sempiterna: eijciet à facie tua inimicū, dicetq;. Conterere. [r] Habitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Iacob in terra frumenti & vini, cœliq; stillabunt rorem. Beatus es tu Israel: quis similis tui populę, qui saluaris in Domino? [s] scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.

Ierc. 33.b

SCHOLIA.

[a] Dominus de Sina venit.] *Est mons Sinai haud procul à monte Seir & Pharan, in quibus Dominus magnificentiā suam demonstrauit, apparens cum magna caterua angelorum, qui per millia sanctorum hic intelliguntur. Tradidit q; per dexteram suam igneam legem eis, hoc est, in monte tradidit legem, in cuius cacumine ignis vsq; ad cœlorū sublimitatē ardebat.*

[b] In Israel rex.] *Vel Moses, vel Deus: collectiq; sunt omnes principes populi, & omnes tribus Israel simul, & facti sunt congregatio vna, & pariter acceperunt super se iugum regni.* [c] Viuat Ruben.] *Incipit in benedictionibus à Ruben, quòd primogenitus fuerit. Et quod sequitur. Et sit paruus numero: quidam putant superiorem negationē etiam referri ad posteriorem partē benedictionis, alioqui non esset benedictio. Alius vertit. Et non sit populi eius numerus. Idem quoq; (inquit) contingat Iudæ, seu eadem benedictio sit super Iudam, vt scilicet diu viuat. Audi Domini vocē Iuda, quando scilicet ad bellum procedit, & reduc eum in pace ad populū suum. Et quidem manus eius satis instructa est, nec alioquin Dei benedicti egeat auxilio contra hostes suos.* [d] Perfectio tua, & doctrina tua.] *Alius vertit. Thummin & Vrim apud te erunt, & apud quēcunq; qui pius in te fuerit &c. Hoc est, oraculū diuinū officium sacerdotale, legis interpretatio, & quicquid sanctum in ecclesia illa Iudæorum inueniebatur, idq; nulla alia ratione, quàm quòd hæc tribus in omni tentatione manserit firma, & pia erga Deum, & non inuenta fuit in ea Vlla labes criminis, nisi solum iuxta aquas contentionis, vbi Moses, & Aaron deliquerūt. In adoratione verò vituli conflatilis, tanto zelo inflammati fuerunt pro Domino exercituum, vt quisq; in strage, quam fecerunt, non respexerit patrem suum aut matrem, fratres & filios, sed reos quosque, & facinorus authores citra personarum delectum interfecerunt. Et quanquam omnes de tribu Leui ab hoc contagio mundi fuerint, tamen ipsi tam feruentes, & zelo accensi fuerunt pro gloria Domini, quòd etiam proprijs parentibus & filijs non pepercissent, si eos idololatriæ vitio contaminatos inuenissent.* [e] Benedic Domine primitijs eius.] *Vox Hebræa significat robur, & vim illam terræ, quam in fructuum procreatione exerit. Primitiæ autem, & decimæ frugum debebantur Leuitis.* [f] Amantissimus Dñi.] *Dilectus Domini habitabit in terra sua confidenter, & Dominus teget eum omnibus diebus, collocans diuinitatis suæ templum in medio terræ eius, vt Beniamitæ veluti inter humeros Dei sint habitaturi. Vel, vt alius sentit, templum erat extruendum in editiori loco sortis Beniamin, & iccirco Dominus erat ibi habitaturus, quasi in humeris Beniamin.* [g] De benedictione Dñi.] *Commendatur sors terræ Ioseph ab optimis, & delicatis fructibus, quos producit in montibus, collibus, & planicie terræ. Et fertilitatem eius plurimum iuuat aspectus cœli optimus, vos desuper descendens, & abyssus, quæ cubat sub terra eius, salubribus vaporibus montes & valles infundens. Fructus solares hic vocantur fruges seminum, & fructus vinearum, quos sol decoquit. Poma verò lunaria, secundum quosdam, cucumeres & cucurbitæ, quas terra in illis locis, singulis emittit mensibus. Alij intelligunt per fructus mensfruos, flores arborum qui suis quibusque mensibus prorumpunt.* [h] De vertice antiquorum montiū.] *Vel propter primitias montium præcipuorum, & propter fructus, quos colles in perpetuum producunt. Pro eo verò quod subditur, de frugibus terræ, & de plenitudine eius, aliqui interpretati sunt benedictionem vberum & vuluæ, hoc est, prolis multiplicationem. Porrò benedictiones istas acceptas referre iubetur Deo optimo maximo, qui Mosi apparuit in rubo, & multis diebus habitauit in monte Sinai, qui rubos multos nutrit, & benedictiones illas segregauit super caput Ioseph, qui à fratribus suis veluti Nazareus separatus fuit, & venditus in Aegyptum.*

[i] Quasi primogeniti tauri.] *Comparatur tribus ista boui, cuius primogenitus: id est, præcipuus princeps Iosue decorus & inclytus fuit, atque potens, habens veluti rhinocerotis cornua, quibus aggressus est reges potentes, subiugauitq; illos sibi, etiam qui à finibus terræ contra eum venerunt. Habuit verò duplex cornu, dextrum & sinistrum, dextrum valuit decem millia Ephraim, & sinistrum aliquot millia Manasse. Fuit autem Iosue de tribu Ephraim.* [k] Lætare Zabulon.] *Habitauit Zabulon iuxta mare, iubetur q; hic lætari, quòd habiturus sit prosperum in negociationibus successum. Sed, & Issachar lætari iubetur, qui multum commercij cum Zabulon habuit, nisi quod ipse quietis vacabat, habitans in tabernaculis suis, & studio legis operam impendens. Et hi pari studio vocabunt populos ad montem domus Domini, vt legem eius audirent, & sacrificia iustitiæ offerrent. Diteſcebant quoque plurimum ex affluentia, quam illis maria suppeditabant, sugentes, & attrahentes bona, quæ mari exponebantur, & venalia in alia loca deferebantur. Adeò verò diteſcebant, vt etiam thesauros in sabulum reconderent, aut secundum alios ex arena colligerent.* [l] Et Gad ait.] *Gad commendatur à fortitu-*

dine & loci amplitudine, quippe qui sine funiculo distributionis occupauit regna Seon, & Og. Vnà cum tribu Ruben. Fortis verò fuit, vt leo, & primum prouidit sibi de portione terræ, antequam reliquus populus Israel aliquid in possessionem accepit: Vidit etiam quòd in ea terra Moses legislator esset tumulandus, vt quidam exponunt. Alij verò hunc sensum afferunt: illic est locus, qui magnos atque nobiles viros, qui in magnis palatijs habitare solent, deceat. Tametsi loca illa non inhabitarint, donec venerunt cum principibus populi, & fratribus in acquisitione terræ opem tulerunt, facientes iuxta iustitiam & iudicia Domini. [m] Dan catulus.] *Dan comparatur catulo leonis saltanti de monte Basan, in quo optima erant pascua, & pecora saginabantur.* [n] Nephthali.] *Nephthali fruitur copiosa Dei benedictione, & pia illius voluntate, cuius possessio in occidentem & meridiem excurrit.* [o] Benedictus in filijs Aser.] *Benedicitur Aser ob multitudinem filiorum, licet alij sic exponant. Benedictus erit Aser à filijs Iacob, & gratus fratribus suis, in cuius sorte tantum crescet olei, vt pedes suos in eo lauare possit. Sed & ferrum atque æs proferet terra eius, vt nullus locus calcari possit, vbi non sit ferrum & æs, vel, vt facilè vrbes suas ferreis munire queat portis. Habet & hoc in benedictione sua, quòd senectus tam suauis illi futura erit in terra, vt nihil differat à diebus iuuentutis. In Heb. est. Sicut dies tui, senectus tua. Prætermittitur Simeon in his benedictionibus, nec apparet euidentior ratio, quamquam Iudei varia fabulentur, quam quod illa præsertim tribus, ex qua erant scribæ & pharisæi, causa fuit, cur Christus ageretur in crucem.* [p] Ascensor cœli auxiliator tuus.] *Quamuis sedeat super cœlum veluti super equum, auxiliator tamen tuus est.* [q] Et subter brachia sempiterna.] *Per hæc brachia quidam intelligunt orientem & occidentem. Alij sic exponunt. Sub brachijs Dei, quæ te sustinebunt, in æternum eris.* [r] Habitabit Israel.] *Habitabit Israel confidenter, & segregatus ab omnibus nationibus, iuxta visionem Iacob, super terram feracem frumenti, & vini, &c.* [s] Scutum auxilij.] *Saluaris (inquit) in Domino, qui est scutum auxily tui, & gladius gloriationis contra hostes tuos, qui sic humiliati sunt per gladium Domini, vt calcare possis colla eorum. Et quod ait. Negabunt te inimici tui, alius vertit. Debilitati sunt inimici tui erga te. Potest & verti, mentientur tibi inimici tui, de quo Hebraismo dicetur in psalmis.*

CAPVT XXXIII.

2. Mac. 2. a
Sup. 3. d

A Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticē † collis contra Iericho: ostenditq; ei Dominus omnem terram Galaad vsq; Dan, & vniuersum Nephthali, terramq; [a] Ephraim & Manasse, & omnem terram Iuda vsq; ad mare nouissimum, & australem partem, & latitudinē

Gene. 12. b
15. d.

B campi Iericho ciuitatis palmarum vsq; Segor. Dixitq; Dominus ad eum. Hęc est terra, pro qua iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens. Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusq; est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino, & sepeliuit eum in valle terræ Moab

C contra Phogor: & non cognouit homo sepulchrum eius vsq; in præsentem diem. Moyses centum & viginti annorum erat, quando mortuus est: non caligauit oculus eius, † nec vigorem amiserat. Fleueruntq; eum filij Israel in campestribus Moab triginta diebus: & completi sunt dies planctus lugentium Moysen. Iosue verò filius Nun repletus est spiritu sapientię, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filij

D Israel, feceruntq; sicut præcepit Dominus Moysi. Et non surrexit vltrà Propheta in Israel sicut Moyses, quē nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atq; portentis: quæ misit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæq; terrę illius, & cunctam manum robustam, magnaq; mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel.

SCHOLIA.

[a] Ephráim.] *Ferunt Ephrám & Manasse fuisse in parte aquilonari terræ Israel, Iudam verò in meridie, cuius termi nus porrectus est à Iordane vsq; ad mare. Dan habitauit in septentrione, vergente ad occidentem. Nephthali coniunctus fuit Iudæ ab oriente. Aser, & Issachar fuerunt in medio Ephrám & Manasse. Simeon iuxta sortem Iudæ, Beniamin verò inter Iudam & Ioseph: Zabulon in littore maris. Secundum Hebræos, hoc vltimum caput scriptum fuit à Iosue.*

LIBER IOSVE
HEBRAICE IEHOSVA.

CAPVT I.

Deu. 11. e

[a] T FACTVM est post mortē Moysi serui Dñi, vt loqueretur Dñs ad Iosue filiū Nun, A ministrū Moysi, & diceret ei, Moyses seruus meus mortuus est: surge, & transi Iordanē istum tu & omnis populus tecū in terram quam ego dabo filijs Israel. Omnem locum quem calcauerit vestigiū pedis vestri, vobis tradam, sicut locutus sum Moysi. A deserto & Libano vsq; ad fluuium magnum Euphráten, omnis terra Hetheorum vsq; ad mare magnum contra solis occasum erit terminus vester. Nullus poterit vobis resistere cunctis diebus vitę tuę: sicut fui cum Moyse, ita ero tecum: nō dimittam, nec derelinquam

Hebr. 13. a
B te. [b] Confortare & esto robustus: tu enim sorte diuides populo huic terrā pro qua iurauī patribus tuis, vt traderē eā illis. Confortare igitur, & esto robustus valde: vt custodias & facias omnem legem quam præcepit tibi Moyses seruus meus: ne declines ab ea ad dexteram, vel ad sinistram, vt intelligas cuncta, quæ agis. Non recedat volumen legis huius ab ore tuo: sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, vt custodias, & facias omnia,

C nia, quæ scripta sunt in eo: † tunc enim prosperum reddes iter tuum, & tunc prudenter ages. Ecce præcipio tibi, confortare, & esto robustus. Noli metuere, & noli † frangi animo: quoniam tecum est Dominus Deus tuus in omnibus ad quæcūq; perrexeris. Præcepitq; Iosue principibus populi, dicēs. Transite per mediū castrorū, & imperate populo, ac dicite, Præparate vobis [c] cibaria: quoniā post diem tertiū transibitis Iordanem, & intrabitis ad possidendā terram quam Dominus Deus vester daturus est vobis. Rubenitis quoque, & Gadditis, & dimidiæ tribui Manasse ait. Mementote sermonis quem præcepit vobis Moyses famulus Domini, dicens. Dominus Deus vester dedit vobis requiem, & omnem terram. Vxores vestræ, & filij, ac iumenta

D manebūt in terram quam tradidit vobis Moyses trans Iordanē: vos autē transite armati ante fratres vestros, omnes fortes manu, & pugnate pro eis: donec det Dominus requiem fratribus vestris sicut & vobis dedit, & possideant ipsi quoq; terram quam Dominus Deus vester daturus est eis, & sic reuertimini in terram possessionis vestræ, & habitabitis in ea quàm vobis dedit Moyses famulus Domini trans Iordanem contra solis ortum. Responderuntq; ad Iosue, atq; dixerunt. Omnia, quæ præcepisti nobis, faciemus: & quocunq; miseris, ibimus. Sicut obediuimus in cunctis Moysi, ita obediemus & tibi: tantum sit Dominus Deus tecum, sicut fuit cum Moyse. Qui contradixerit ori tuo, & non obedierit cunctis sermonibus quos præceperis ei, moriatur: tu tantū confortare, & viriliter age.

Num. 32. d

SCHOLIA.

[a] Et factum est.] *Hæret principium huius libri ad finem Deuteronomij, quia Iosue, qui hunc librum scripsit, scripsit quoque finem Deuteronomij, ab eo scilicet loco, vbi scriptura commemorat mortuum Mosen. Et hinc est, quòd hic liber incipit à coniunctione copulatiua.* [b] Confortare, & esto robustus.] *Hebraismus est, pro age constanter & imperterrito animo perge, vt occupes terram vobis promissam: strenuè, & viriliter exequere iniunctum officium.* [c] Cibaria.] *Quidam intelligunt de omnibus cibis præter panem, quoniam vescebantur adhuc manna cœlesti. Alij verò dicunt, quòd moriente Mose deserit quoque descensus mannæ, atque ideo per viaticum, seu cibaria intelligendus hic sit panis et omnis cibus, verum textus infra aliud habet.*

CAPVT II.

A Misit igitur Iosue filius Nun de Setim duos viros exploratores [a] in abscondito: & dixit eis. Ite, & considerate terram, vrbemq; Iericho. Qui pergentes ingressi sunt domum mulieris [b] meretricis, nomine Raab, & quieuerunt apud eam. Nuntiatumq; est regi Iericho, & dictum. Ecce viri ingressi sunt

Iaco. 2. d
Heb. 11. f

huc per nōctem de filijs Israel, vt explorarent terram. Misitq; rex Iericho ad Raab meretricem, dicēs. Educ viros qui venerunt ad te, & ingressi sunt domum tuam: exploratores quippe sunt, & omnem terram considerare venerunt. Tollensq; mulier viros, abscondit, & ait. Fateor venerunt ad me, sed nesciebam vnde essent, cumq; porta clauderetur in tenebris, & illi pariter exierunt, nescio quo abierunt: persequimini citò, & comprehendetis eos. Ipsa autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitq; eos [c] stipula lini, quę † or

B dinata ei erat super tectum. Hi autem qui missi fuerant, secuti sunt eos per viā † Iordanis vsq; ad vada. Illisq; egressis statim porta clausa est, Necdum obdormierant qui latebant, & ecce mulier ascendit ad eos, & ait. Noui quòd Dominus tradiderit vobis terram: etenim irruit in nos terror vester, & elanguerunt omnes habitatores terræ † à facie vestra. Audiuimus quòd siccauerit Dominus aquas maris rubri ad vestrum introitum, quā do egressi estis ex Ægypto: & quæ fecerit is duobus Amorrhæorum regibus qui erant trans Iordanem, Seon & Og, quos interfecistis. Et hæc audientes pertimuimus, & elanguit cor nostrum, nec remansit in nobis spiri

Num. 21. e

tus ad introitum vestrū: Dominus enim Deus vester ipse est Deus in cœlo sursum, & in terra deorsum. Nunc ergo iurate mihi per Dominum, vt quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita & vos faciatis cum do-

C mo patris mei, detisq; mihi [d] verum signum: & saluetis patrem meum & matrem, fratres ac sorores meas, & omnia, quæ illorum sunt, & eruatis animas nostras à morte. Qui responderunt ei. Anima nostra sit pro vobis in mortem: si tamen non prodideris nos. Cumq; tradiderit nobis Dominus terram, faciemus in te misericordiam & veritatem. Demisit ergo eos per funem de fenestra. Domus enim eius hærebat muro. Dixitq; ad eos. Ad montana conscendite, ne fortè occurrant vobis reuertentes: ibiq; latitate tribus diebus donec redeāt, & sic ibitis per viam vestram. Qui dixerunt ad eam. Innoxij erimus à iuramento hoc quo adiurasti nos, si ingredientibus nobis terram, signum fuerit funiculus iste coccineus: & ligaueris eum in fenestra, per quam demisisti nos: & patrem tuum ac matrem, fratresq;, & omnem cognationem tuam congregaueris in domum

D tuam. Qui ostium domus tuæ egressus fuerit, sanguis ipsius erit in caput eius, & nos erimus alieni. Cunctorū autem sanguis qui tecum in domo fuerint, redundabit in caput nostrum, si eos aliquis tetigerit. Quòd si nos prodere volueris, [e] & sermonem istum proferre in medium, erimus mundi ab hoc iuramento quo adiurasti nos. Et illa respondit. Sicut locuti estis, ita fiat. Dimittensq; eos, vt pergerent, appendit funiculum coccineū in fenestra. Illi verò ambulantes peruenerunt ad montana, & manserunt ibi tres dies, donec reuerterentur, qui fuerant persecuti: quærentes enim per omnem viam non repererunt eos. Quibus vrbem ingressis, reuer si sunt & descenderunt exploratores de monte: & transmisso Iordane venerunt ad Iosue filium Nun, narraueruntq; ei omnia, quæ acciderant sibi, atq; dixerunt. Tradidit Dominus omnem terram hanc in manus nostras, & timore prostrati sunt cuncti habitatores eius.

SCHOLIA.

[a] In abscondito.] *Vel, cum silentio, hoc est, sine omni strepitu, sese in terram insinuarent. Vel, misit Iosue duos viros secreto, nescientibus Israelitis, ne corda illorum terrerentur, vt prius sub Mose contigit. Alij exponunt dictionem Hebræam pro fabro, vt sit sensus. Intrate terram sub specie fabrorum, gestantes in manibus instrumenta fabrilia, & aduertitē consilia illorum.* [b] Meretricis.] *Quidam intelligunt cauponariam, quæ vendit cibos.* [c] Stipula lini.] *Posuerat mulier virgulta lini seu, vt Hebraismus habet, arbusta lini in tecto, vt illuc exiccarentur, & cū exploratores istos aliter occultare non posset,*

abſcondit eos ſub his virgultis lini. [d] Verum ſignum.] *Hoc eſt, ſponſionem firmam, & certam.* [e] Et ſermonem iſtum proferre in medium.] *Si reuelaueris hoc ſignum, quod tibi dedimus, & alij quoque fila coccinea ſuſpẽderint ante domos ſuas, innocentes nos erimus ab iſto iuramento, quo adiurauiſti nos, ſi mali quicquam tibi acciderit.*

CAPVT III.

IGitur Ioſue † manè conſurgens mouit caſtra: egredientesq; de Setim, venerunt ad Iordanem ipſe, & A
omnes filij Iſrael, & morati ſunt ibi per tres dies. Quibus euolutis tranſierunt † præfecti per caſtrorum
medium: & † præceperunt populo dicentes. Quãdo videritis arcam fœderis Domini Dei veſtri, & ſacer-
dotes ſtirpis Leuiticæ portantes eam, vos quoq; conſurgite, & ſequimini præcedẽtes: ſitq; inter vos & arcam
ſpatium cubitorum duum millium: vt procul magis videre poſsitis, & noſſe per quam viam ingrediamini:
quia prius non ambulaſtis per eam: & cauete [a] ne appropinquetis ad arcam. Dixitq; Ioſue ad populum.
[b] Sanctificamini: cras enim faciet Dominus inter vos mirabilia. Et ait ad ſacerdotes. Tollite arcam fœderis, B
et præcedite populum. Qui iuſſa complentes, tulerunt, & ambulauerunt ante eos. Dixitque Dominus ad Io-
ſue. Hodie incipiam exaltare te coràm omni Iſrael: vt ſciant quòd ſicut cum Moyſe fui, ita & tecum ſim. Tu
autem præcipe ſacerdotibus qui portant arcam fœderis, & dic eis. Cum ingreſſi fueritis partem aquæ Iorda-
nis, ſtate in ea. Dixitq; Ioſue ad filios Iſrael. Accedite huc, & audite verbum Domini Dei veſtri. Et rurſum.
In hoc, inquit, ſcietis quòd Dominus Deus viuens in medio veſtri eſt, & diſperdet in conſpectu veſtro Cha-
nanæum & † Heuæum & Pherezeum, Gergeſæum quoque & Iebuſeum, & Amorrhæum. Ecce arca fœderis C
Domini omnis terræ antecedet vos per Iordanẽ. [c] Parate duodecim viros de duodecim tribubus Iſrael, ſin-
gulos per ſingulas tribus. Et cum poſuerint veſtigia pedum ſuorum ſacerdotes qui portant arcam fœderis
Domini Dei vniuerſæ terræ in aquis Iordanis, aquæ quæ inferiores ſunt, decurrent atque deficient: quæ autẽ
deſuper veniunt, in vna mole conſiſtent. Igitur egreſſus eſt populus de tabernaculis ſuis, vt tranſiret Iorda-
Act. 7. f nem: & ſacerdotes qui portabant arcam fœderis pergebant ante eum. Ingreſsiq; eis Iordanem, & pedibus
Eccl. 24. c eorum in parte aquæ tinctis (Iordanis autem, ripas aluei ſui [d] tempore meſsis impleuerat) [e] ſteterunt aquæ D
deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes apparebant procul ab vrbe quæ vocatur Adã,
† quæ erat ad latus Sarthan, quæ autem inferiores erant, in mare ſolitudinis (quod nunc vocatur mortuum)
deſcenderunt, vſquequo omnino deficerent. Populus autem incedebat cõtra Iericho: & ſacerdotes qui por-
tabant arcam fœderis Domini, ſtabant ſuper ſiccam humum in medio Iordanis accincti, omnisq; populus
per arentem alueum tranſibat.

SCHOLIA.

[a] Ne appropinquetis ad arcam.] *Prohibet Dominus, vt non nimium vel accedant, vel recedant ab arca, ſicut et ad montem Sinai non permittuntur accedere, nec longius recedere, vt vbique ſcilicet Domino debitum exhibeant honorem, & nihilominus ab illo ſe ſciant pendere, qui ductor eorum fuit, per Iordanem ſicut & per mare rubrum.* [b] Sanctificamini.] *Hoc eſt, ſitis parati, nequid vos impediat à tranſitu Iordanis.* [c] Parate duodecim viros.] *Qui ſcilicet præparati expectẽt imperium meum. Iubentur enim infra portare lapides de Iordanis alueo.* [d] Tempore meſsis.] *Tranſierunt Hebræi Iordanem decima die menſis Niſan, quando in illa terra incipit meſsis, reſoluunturq; tunc propter æſtiuos calores mõtium niues in aquas, vnde Iordanis inundare incipit. Et narrãtur hic duo magna miracula, primum quòd aquæ Iordanis curſum ſuum tenebant vſque ad locum tranſitus Iudæorum, & illic aſcendebant in magnum aceruum, veluti terminum illum tranſgredi non audentes. Alterum, quòd aquæ ſic conglobatæ non inundauerunt ciuitatem in propinquo ſitam, quæ Adam vocabatur, ſed deflectebant in latus aliud.* [e] Steterunt aquæ.] *In tranſitu Iordanis pars aquæ ſtetit, pars in mare lapſa eſt, nam baptiZatorum pars perſeuerat in fide, pars recedit.*

CAPVT IIII.

QVibus tranſgreſsis dixit Dominus ad Ioſue. Elige duodecim viros ſingulos per ſingulas tribus, & A
præcipe eis vt tollant de medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt pedes ſacerdotum, duodecim † lapi-
des, quos ponetis in loco caſtrorum vbi fixeritis hac nocte tentoria. Vocauitq; Ioſue duodecim vi-
ros, quos elegerat de filijs Iſrael ſingulos de ſingulis tribubus, & ait ad eos. Ite ante arcam Do-
mini Dei veſtri ad Iordanis medium, & portate inde ſinguli ſingulos lapides in humeris veſtris, iuxta nume
rum filiorum Iſrael, vt ſit ſignum inter vos. Et quando interrogauerint vos [a] filij veſtri cras, dicentes. Quid
ſibi volunt iſti lapides? reſpondebitis eis. Defecerunt aquæ Iordanis ante arcam fœderis Domini, cum tran-
ſiret eum: iccirco poſiti ſunt lapides iſti in monimentum filiorum Iſrael vſque in æternum. Fecerunt ergo B
filij Iſrael ſicut præcepit eis Ioſue, portãtes de medio Iordanis alueo duodecim lapides, vt Dominus ei impe-
rauerat, iuxta numerum filiorum Iſrael, vſque in locum in quo caſtrametati ſunt, ibiq; poſuerunt eos. Alios
quoque duodecim lapides poſuit Ioſue in medio Iordanis alueo, vbi ſteterunt ſacerdotes, qui portabant ar-
cam fœderis, & ſunt ibi vſque in præſentem diem. Sacerdotes autem qui portabant arcam, ſtabant in Iorda-
nis medio, donec omnia complerentur, quæ Ioſue, vt loqueretur ad populum, præceperat Dominus: vt di-
xerat ei Moyſes. Feſtinauitq; populus, & tranſiit. Cumque tranſiſſent omnes, trãſiuit & arca Domini, ſacer-
dotes quoque [b] pergebant ante populum. Filij quoq; Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, armati præ C
cedebant fratres ſuos filios Iſrael, ſicut eis præceperat Moyſes: & quadraginta pugnatorum millia per tur-
Num. 32. c mas, & cuneos incedebant † coràm Domino ad bellum per plana atque campeſtria vrbis Iericho. In die il-
lo magnificauit Dominus Ioſue coràm omni Iſrael, vt timerent eum, ſicut timuerant Moyſen † cunctis die-
bus vitæ eius. Dixitq; ad eum. Præcipe ſacerdotibus qui portant arcam fœderis, vt aſcendant de Iordane. Qui
præcepit eis, dicens. Aſcendite de Iordane. Cumq; aſcendiſſent portantes arcam fœderis Domini, & ſiccam
humum calcare cœpiſſent, reuerſæ ſunt aquæ in alueum ſuum, & fluebant ſicut ante conſueuerant. Popu-
lus autem aſcendit de Iordane decimo die menſis primi, & caſtrametati ſunt in Galgalis contra orientalem
plagam

D plagam vrbis Iericho. Duodecim quoq; lapides, quos de Iordanis alueo ſumpſerant, poſuit Ioſue in Galgalis
& dixit ad filios Iſrael. Quando interrogauerint filij veſtri cras patres ſuos, & dixerint eis. Quid ſibi volũt la-
pides iſti? docebitis eos, atq; dicetis. Per arentem alueum tranſiuit Iſrael Iordanem iſtum, ſiccante Domino
Deo veſtro aquas eius in conſpectu veſtro, donec tranſiretis: ſicut fecerat prius in mari rubro, quod ſiccauit
donec tranſiremus: vt diſcant omnes terrarum populi fortiſſimam Domini manum, vt & vos timeatis Do- Exod. 14. c
minum Deum veſtrum omni tempore.

SCHOLIA.

[a] Filij veſtri cras.] *Hebraiſmus eſt, hoc eſt, in poſterum.* [b] Pergebant ante populum.] *Non in Iordane, ſed cum populus Iordanem tranſiſſet, expectauit in littore, donec arca & ſacerdotes ipſum tranſiſſent.*

CAPVT V.

A POſtquam ergo audierunt omnes reges Amorrhæorum, qui habitant trans Iordanem ad occidentalem
plagam, & cuncti reges Chanaan, qui propinqua poſsidebant magni maris loca, quod ſiccaſſet Domi-
nus fluenta Iordanis coràm filijs Iſrael donec tranſirent, diſſolutum eſt cor eorum, & non remanſit in
eis ſpiritus † ob præſentiam filiorũ Iſrael. Eo tẽpore ait Dominus ad Ioſue. Fac tibi cultros † acutos, & [a] cir-
cuncide ſecundò filios Iſrael. Fecitq; quod iuſſerat Dominus, & circuncidit filios Iſrael in colle præputiorũ.
B Hæc autem cauſa eſt ſecundæ circunciſionis. Omnis populus qui egreſſus eſt de Aegypto generis maſculini,
vniuerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto, † in ipſo itinere, qui omnes circunciſi erant. Populus autem
† omnis qui natus eſt in deſerto, in ipſo itinere, cum egreſſi eſſent de Aegypto, incircunciſi erant. Nam qua-
draginta annis ambulauerunt filij Iſrael in deſerto, donec deficeret tota natio virorum bellicoſorũ, qui egreſ
ſi fuerant de Aegypto, qui non audierant vocem Domini. Vnde & Dominus iurauit eis: quòd non oſtende-
C ret illis terram, quam iurauit Dominus patribus eorum, vt daret nobis terram lacte & melle manantem. Ho
rum filij, in locum ſucceſſerunt patrum, & circunciſi ſunt à Ioſue: quia ſicut nati fuerant, in præputio erant,
nec eos in via aliquis circuncidera. Poſtquam autem omnes circunciſi ſunt, manſerunt in eodem caſtrorũ
loco, [b] donec ſanarentur. Dixitq; Dominus ad Ioſue. Hodie [c] abſtuli opprobrium Ægypti à vobis. Voca-
tumq; eſt nomen loci illius Galgala, vſq; in præſentem diem. Manſeruntq; filij Iſrael in Galgalis, & fecerunt
D Phaſe quartadecima die menſis ad veſperum in campeſtribus Iericho, & comederunt [d] de frugibus terræ die
altero, azymos panes, & polentam † ipſa eadem die. Defecitq; manna poſtquam comederunt de frugibus
terræ, nec vſi ſunt vltrà cibo illo filij Iſrael, ſed comederunt de frugibus præſentis anni terræ Chanaan. Cum
autem eſſet Ioſue † prope Iericho, leuauit oculos, & vidit virum ſtantem contra ſe, euaginatum tenentẽ gla-
dium: perrexitq; ad eum & ait. Noſter es, an aduerſariorum? Qui reſpondit. Nequaquã, ſed ſum [e] princeps
exercitus Domini, & nunc venio. Cecidit Ioſue pronus in terram. Et adorans ait. Quid Dominus meus lo-
quitur ad ſeruum ſuum? Solue, inquit, calceamentum tuum de pedibus tuis, locus enim, in quo ſtas, ſanctus
eſt. Fecitq; Ioſue vt ſibi fuerat imperatum.

SCHOLIA.

[a] Circuncide ſecundò.] *Hebræi communiter aſſerunt, hic præcipi diſtenſionem pelliculæ, quæ poſt præputij ablationem relinquitur. Dicunt itaque, filios Iſrael in deſerto quidem circunciſos, ſed non accepiſſe pelliculæ diſtenſionem, et repreſsionem, ideo iubentur hic denuo circuncidi. Alij verò aiunt, ante hanc circunciſionem, quæ ſub Ioſue facta eſt, aliam quoq; ſub Moſe factam in deſerto, anno ſcilicet ſecundo poſt exitum de Aegypto, quando & paſcha celebrare iuſsi fuerunt, ſed ab illa circun-
ciſione, nullum ex iis, qui nati fuerunt in deſerto, fuiſſe circunciſum, donec tranſierunt Iordanem, quod incerta illis fuerit man-
ſio ducente illos nube, quam præeuntem ſequi iuſsi fuerant. Et ſi maſculos circuncidiſſent, illi in magnum vitæ periculum ve-
niſſent, cum ob dolorem & ſauciatum corpus caſtra minimè ſequi potuiſſent.* [b] Donec ſanarentur.] *Circunciſi filij Iſrael, ſederunt in caſtris, donec ſanarentur: nam recedenti à conſuetudine peccati, ſentitur primo dolor, donec conſuetudo in naturã vertatur.* [c] Abſtuli opprobrium.] *Vel, deuolui, & ab hoc verbo vocatus eſt locus Galgal, & vocat oppropriũm ipſam præputij obturationem.* [d] De frugibus terræ.] *Intelligunt frumentum anni præteriti, nondum enim licuit eis comedere de nouo frumento, donec offerrent manipulum ſpicarum decimo ſexto die menſis Niſan, hoc eſt, altera die paſchæ, et tunc licuit eis veſci granis & ſpicis coctis & toſtis. Et eo ipſo die, quo cœperunt comedere de frumento, & fructibus terræ, deſiit manna. Myſtice. Exeuntes de Aegypto filij Iſrael attulerunt ſecum panes, liberales ſcilicet diſciplinas, quibus deficientibus, hoc eſt, contemptis, manna diuinæ legis datum in deſerto, hoc ſcilicet vitæ ſtatu. Cum autem venerunt ad terram promiſſam, cœ-
perunt edere de fructibus terræ, & ceſſauit manna. Cum enim venerit quod perfectum eſt, abolebitur quod ex parte eſt.*
[e] Princeps exercitus Domini.] *Sicut Iacob terram Chanaan ingreſſuro, & Moſi ingreſſuro illam, ſic nunc Ioſue eam impugnaturo apparet angelus Domini monens adeſſe ei diuinam virtutem.*

CAPVT VI.

A IEricho autem clauſa erat, atque munita timore filiorum Iſrael, & nullus egredi audebat, aut ingredi.
Dixitq; Dominus ad Ioſue. Ecce dedi in manus tuas Iericho, & regem eius, omnesq; fortes viros. Circui-
te vrbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus. † Septem autem ſacerdotes portabunt
ſeptem buccinas arietinas ante arcam: & in die ſeptimo circuibitis ciuitatem ſepties, & ſacerdotes clangent
buccinis. Cumq; inſonuerit vox tubæ longior † cum cornu arietino, & in auribus veſtris increpuerit, con-
clamabit omnis populus vociferatione maxima, [a] & muri funditus corruent ciuitatis, ingredienturq; ſin-
guli per locum contra quem ſteterint. Vocauit ergo Ioſue filius Nun ſacerdotes, & dixit ad eos. Tollite ar-
cam fœderis: & ſeptem alij ſacerdotes tollant ſeptem † arietinas buccinas, & incedant ante arcam Domi-
B ni. Ad populum quoque ait. Ite circuite ciuitatem armati, præcedentes arcam Domini. Cumq; Ioſue ver-

ba finisset,& septem sacerdotes septem buccinis clangerent ante arcam fœderis Domini, omnisq; præcede- B
ret armatus exercitus, [b] reliquum vulgus arcam sequebatur, ac buccinis omnia concrepabant. Præceperat
autem Iosue populo,dicens. Non clamabitis, nec audietur vox vestra, neque vllus sermo ex ore vestro egre-
dietur: donec veniat dies in quo dicam vobis, † vociferamini: tunc vociferamini.Circuiit ergo arca Domi
ni ciuitatem semel per diem, & reuersa in castra,mansit ibi. Igitur Iosue de nocte consurgente, tulerunt sa-
cerdotes arcam Domini, & septem ex eis septem buccinas † arietinas: præcedebantq; arcam Domini am-
bulantes atque clangentes:& armatus populus ibat ante eos,vulgus autem reliquũ sequebatur arcam, † quæ
præcedebat cum clangore tubarum. Circuieruntq; ciuitatem secundo die semel,& reuersi sunt in castra.Sic
fecerunt sex diebus. [c] Die autem septimo diluculo consurgentes, circuierunt vrbem, sicut dispositum erat, C
septies. Cumq; septimo circuitu clangerent buccinis sacerdotes, dixit Iosue ad omnem Israel. Vocifera-
Supr. 2.b mini:tradidit enim vobis Dominus ciuitatem : [d] sitq; ciuitas hæc anáthema :& omnia, quæ in ea sunt, Do-
mino: sola Raab meretrix viuat cum vniuersis, qui cum ea in domo sunt: abscondit enim nuntios quos di-
reximus. Vos autem cauete † ab anáthemate, ne fortè anáthema commiseritis,& tollatis de anáthemate, &
omnia castra Israel sub peccato sint atque turbentur. Quicquid autem auri, & argenti fuerit, & vasorum
æneorum ac ferri Domino consecretur,repositum in thesauris eius.Igitur omni populo vociferante: & clan
Hebr. 11.f gentibus tubis,postquam in aures multitudinis vox sonitusq; † ingens increpuit,muri illicò corruerunt: &
2.Ma. 12.c ascendit vnusquisque per locum qui contra se erat: ceperuntq; ciuitatem,& interfecerunt omnia, quę erant
in ea,à viro vsque ad mulierem,ab infante vsq; ad senem. Boues quoque, & oues, & asinos in ore gladij per-
cusserunt. Duobus autem viris, qui exploratores missi fuerant, dixit Iosue. Ingredimini domum mulieris D
meretricis,& producite eam,& omnia,quæ illius sunt,sicut illi iuramento firmastis.Ingressiq; iuuenes, edu-
Sup. 2.c xerunt Raab,& parentes eius,fratres quoque,& cunctam suppellectilem ac cognationem illius,& [e] extra ca-
Heb. 11.f stra Israel manere fecerunt. Vrbem autem, & omnia, quæ inuenta sunt in ea,succenderunt:absque auro &
argento, & vasis æneis, ac ferro,quæ in ærarium Domini consecrarunt:Raab verò meretricem,& domum
patris eius,& omnia,quæ habebat, [f] fecit Iosue viuere, & habitauerunt in medio Israel vsque in præsentem
diem:eò quòd absconderit nuntios quos miserat vt explorarét Iericho.In tempore illo imprecatus est Iosue,
dicẽs. Maledictus vir coràm Domino,qui suscitauerit, & ędificauerit ciuitatem Iericho. [g] In primogenito
3. Reg. 16.g suo fundamenta illius iaciat,& in nouissimo liberorum ponat portas eius. Fuit ergo Dominus cum Iosue,&
nomen eius vulgatum est in omni terra.

SCHOLIA.

[a] Et muri funditus corruent.] *Scilicet in illo loco vbi exercitus Israelitarum manebat, non enim totus murus cecidit, cum domus Rahab hæreret muro ciuitatis,& tamen non collapsa est.* [b] Reliquum vulgus.] *Hebraica sic habent, congregans ibat post arcam,quod intelligunt de tribu Dan,quæ postremo loco incedens colligebat ignauos, & tardiores quosque.* [c] Die autem septimo.] *Hunc putant fuisse sabbatum nec propterea violarunt ea die sabbatum, cum incenderent ciuitatem,quando inuenti Domino paruerunt. Tu verò interea, ipse per te (nam huic operi illud tantum propositum est, vs locis, quæ in litera videntur difficiliora,lucem aliquam afferre)& hic & in eiusmodi scripturæ locis, memineris interdum à litera attolli, & cogitare, necessario magna hic latere mysteria, alioqui quid necesse fuit sex diebus circuire semel; septimo verò septies,idque cum sacerdotibus, qui septem tubas ferrent: easque arietinas, quarum erat vsus in iubileo? & in uenies hæc in spirituali, hoc est, Christi regno spiritualiter impleri ab his, qui in illam veram terram viuentium introire contendunt. Hæc enim omnia(ait theologorum magister Paulus)contingebant illis sub figura.* [d] Sitque ciuitas hæc anáthema.] *Vel in exterminiũ: vocatur autem anathema, quod penitus aboletur. Et sic abolita est ciuitas illa, vt nunquã rædificaretur.Omnes quoque facultates,& opes eius suppositæ sunt anáthemati, vt nulli scilicet mortaliũ hinc commodum aliquod obueniret, nisi quòd metalla cedebant in vsum tabernaculi.* [e] Extra castra Israel.] *Id fecerunt, donec in lege Domini erudirentur, & Hebræorum ritus discerent.* [f] Fecit Iosue viuere.] *Est verbum Hebr. ambiguum ad viuificare, & victum præbere. Vnde quidam hunc locum sic interpretantur, quòd Iosue dederit illis alimoniam, & hæreditatem in Israel.* [g] In primogenito suo.] *Hoc est, morientur omnes filij eius interea, dum extruet hanc ciuitatem, à maiori vsque ad minorem.*

CAPVT VII.

FIlij autem Israel præuaricati sunt mandatum,& vsurpauerunt de anáthemate. Nam Achan filius Char A
mi filij Zabdi, filij Zare de tribu Iuda tulit aliquid de anáthemate, iratusq; est Dominus contra filios
Infra 22.d Israel.Cũq; mitteret Iosue de Iericho viros contra Hai,quę est iuxta Betauen, ad orientalẽ plagã oppi-
di Bethel,dixit eis. Ascẽdite & explorate terrã. Qui præcepta cõplẽtes explorauerũt Hai. Et reuersi dixerũt
ei. Non ascendat omnis populus,sed duo,vel tria millia virorũ pergãt,& deleant ciuitatẽ: quare omnis po-
pulus fruſtra vexabitur contra hostes pauciſsimos? Ascenderunt ergo tria millia pugnatorũ. Qui statim ter
ga vertentes,percusi sunt à viris vrbis Hai,& corruerunt ex eis triginta & sex homines: persecutiq; sunt eos
aduersarij de porta [a] vsq; ad Sabarim,& ceciderunt per prona fugientes:pertimuitq; cor populi, & ad instar
aquę liquefactum est.Iosue verò scidit vestimenta sua, & pronus cecidit in terram coràm arca Domini vsq; B
ad vesperam,tam ipse quàm omnes senes Israel:miseruntq; puluerem super capita sua, & dixit Iosue, Heu
Domine Deus,quid voluisti traducere populum istum Iordanem fluuium, vt traderes nos in manus Amor-
rhæi,& perderes? vtinam,vt cœpimus,mansissemus trans Iordanem.Mi Domine Deus, quid dicam, videns
Israelem hostibus suis terga vertentem? Audient Chananęi,& omnes habitatores terrę,& pariter conglobati
circundabunt nos,atq; delebunt nomen nostrum de terra:& quid facies magno nomini tuo? Dixitq; Do-
minus ad Iosue.Surge,cur iaces pronus in terra? Peccauit Israel,& præuaricatus est pactum meum,tulerũtq;
de anáthemate,& furati sunt atq; mentiti,& absconderunt inter vasa sua. Nec poterit Israel stare ante hostes
suos,

suos,eosq; fugiet:quia pollutus est anáthemate:non ero vltrà vobiscum,donec conteratis eum qui huius sce-
C leris reus est.Surge, [b] sanctifica populum, & dic eis. Sanctificamini in crastinum:hæc enim dicit Dominus
Deus Israel, Anáthema in medio tui est Israel: non poteris stare coràm hostibus tuis, donec deleatur ex te
qui hoc contaminatus est scelere. Accedetisq; manè singuli per tribus vestras: & quãcunque tribuum Dñs
deprehenderit,accedet per cognationes suas,& cognatio per domos,domusq; per viros. Et quicunq; ille in
hoc facinore fuerit deprehensus,cõburetur igni cũ omni substantia sua: quoniã pręuaricatus est pactũ Dñi;
& fecit nephas in Israel.Surgens itaq; Iosue manè applicuit Israel per tribus suas, & inuenta est tribus Iuda.
Quę cũ iuxta familias suas esset oblata,inuẽta est familia Zare.Illam quoq; per domos offerẽs reperit Zabdi:
cuius domum in singulos diuidẽs viros,inuenit Achan filium Charmi,filij Zabdi,filij Zare de tribu Iuda.Et
ait Iosue ad Achan. Fili mi, [c] da gloriam Dño Deo Israel:& confitere,atq; indica mihi quid fecceris,ne absco-
das.Respondit q; Achan Iosue,& dixit ei.Verè ego peccaui Dño Deo Israel, & sic & sic feci: vidi enim inter
D spolia palliũ † Babylonicũ valde bonũ,& ducentos siclos argenti, virgãq; auream quinquaginta siclorũ: &
concupiscens abstuli,& abscondi in terra † in medio tabernaculi mei, argentumq; † est sub eis. Misit ergo
Iosue ministros:qui currentes ad tabernaculũ illius,repererunt cuncta abscondita in eodẽ loco,& argentum
simul. Auferentesq; de tentorio tulerũt ea ad Iosue,& ad omnes filios Israel,proiecceruntq; ante Dominum.
Tollens itaq; Iosue Achan filium Zare,argentumq; & pallium,& auream † virgã, filios quoq; & filias eius,
boues & asinos & oues,ipsumq; tabernaculum, & cunctam supellectilem : & omnis Israel cum eo, duxerũt
eos [d] ad vallem Achor,vbi dixit Iosue.Quia turbasti nos,exturbet te Dominus in die hac. Lapidauitq; eum
omnis Israel: † & combusserunt eos igni,& obruerunt lapidibus.Congregaueruntq; super eum acerũ ma-
gnum lapidum,qui permanet vsq; in præsentem diem.Et auersus est furor Domini ab eis. Vocatũq; est no-
men loci illius,Vallis Achor,vsq; hodie.

SCHOLIA.

[a] Vsque ad Sabarim.] *Putant esse nomen loci à clade quam Iudæi illic perpessi sunt,sic denominati, nam sonat fractiones.Fuit verò locus ille declivis,& descensus quidam.* [b] Sanctifica populum.] *Capitur hic sanctificare pro præparare, vt scilicet honestè apparerent ante conspectum Domini. Nam secundum Hebræos, singulæ tribus transierunt ante arcam Domini,& deprehensa fuit indicio quodam tribus Iuda.Vel secundũ alios, per pectorale, quod summus sacerdos gerebat, in quo continebantur Vrim & Thummim,et duodecim lapides cum duodecim nominibus filiorum Israel, deprehensa est tribus Iuda.Cognationem vero,domum,& personam ajunt,per sortem deprehensas.Non tamen singulæ personæ de singulis cognationibus sunt applicatæ, sicut nec singuli de duodecim tribubus,sed capita duntaxat tribuum,& cognationum, & domorũ.* [c] Da gloriam Domino.] *Confitere(inquit)Deo peccatum tuum, qui prius nouit quid feceris, & da illi gloriam istam, quòd ipse omnia nouerit,& tunc erit mors ipsa tibi in expiationem peccati.* [d] Ad vallem Achor.] *Significat Achor turbationem,& quia Achan turbauerat Israelem,vocatum est nomen loci,vbi lapidatus & combustus fuit, Achor. Rationem autem vtriusque pœnæ reddunt Hebræi,quòd violator fuerit sabbati & sacrilegus.Sacrilegium autem igne punitur, & prophanatio sabbati lapidatione.Quod autem sabbatum violauerit,patet ex hoc,quòd ipso die,quo Iericho capta fuit sacrilegium commisit. Iericho autem sabbato capta est,vt ex superioribus liquet.*

CAPVT VIII.

A DIxit autem Dominus ad Iosue. Ne timeas, neque formides: tolle tecum omnem multitudinem pu-
gnatorum,& consurgens ascende in oppidum Hai: ecce tradidi in manum tuam regem eius, & po-
pulum,vrbemq; & terram.Faciesq; vrbi Hai,& regi eius, sicut fecisti Iericho, & regi illius: prædam Sup. 6.d
verò,& omnia animantia diripietis vobis: pone insidias vrbi post eam.Surrexitq; Iosue, & omnis exercitus
bellatorum cum eo,vt ascenderent in Hai: & electa triginta millia virorum fortium misit nocte,præcepitq;
eis, dicens. Ponite insidias post ciuitatem: nec longius recedatis : & eritis omnes parati : ego autem, & reli-
qua multitudo, quæ mecum est, ascendemus ex aduerso contra vrbem. Cumq; exierint contra nos, sicut
B ante † fecerunt, fugiemus, & terga vertemus : donec persequentes ab vrbe longius protrahantur:putabunt
enim nos fugere sicut prius. Nobis ergo fugientibus,& illis persequentibus,consurgetis de insidijs, & vasta-
bitis ciuitatem: tradetq; eam Dominus Deus vester in manus vestras. Cumq; ceperitis, succendite eam, &
sic omnia facietis vt iussi.Dimisitq; eos,& perrexerũt ad locum insidiarum, sederuntq; inter Bethel & Hai,
ad occidentalem plagam vrbis Hai : Iosue autem nocte illa in medio mansit populi, surgensq; diluculo re-
censuit socios, & ascendit cum senioribus in fronte exercitus, vallatus auxilio pugnatorum. Cumq; venis-
sent,& ascendissent ex aduerso ciuitatis, steterunt ad septentrionalem vrbis plagam, inter quam & eos erat
C vallis media. Quinque autem millia virorum elegerat, [a] & posuerat in insidijs inter Bethel & Hai, ex occi-
dentali parte ciusdem ciuitatis : omnis verò reliquus exercitus ad aquilonem aciem dirigebat,† & insidias
suas posuerunt ab occidente contra ciuitatem. Abijt ergo Iosue nocte illa,& stetit in vallis medio. Quod cũ
vidisset rex Hai,festinauit manè,& egressus est cum omni exercitu ciuitatis, † in occursum Israel, vt pugna-
rent,tam ipse,quàm omnis populus eius tempore constituto in superficie planicie : ignorans quòd post ter
gum laterent insidiæ:Iosue verò,& omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum,& fugientes per solitudi-
nis viam. At illi vociferantes pariter,& se mutuò cohortantes, persecuti sunt eos. Cumq; recessissent à ciui-
D tate,& ne vnus quidem in vrbe Hai,& Bethel remansisset qui non persequeretur Israel,sicut eruperant aper-
ta oppida relinquentes,dixit Dominus ad Iosue † extende hastam quę in manu tua est contra vrbem Hai,
quoniam tibi tradam eam. Cumq; † extendisset hastam ex aduerso ciuitatis, insidiæ quæ latebant, surrexe-
runt confestim:& pergentes ad ciuitatem,ceperunt,& succenderunt eam. Viri autem ciuitatis qui persequę-
bantur Iosue,respicientes & videntes fumum vrbis ad cœlum vsq; conscendere,non potuerunt vltra huc il-
lucq; diffugere:præsertim cum hi,qui simulauerant fugam & tendebant ad solitudinem, contra persequen-

tes

tes fortissimè restitissent. Videnscq; Iosue & omnis Israel quòd capta esset ciuitas, & fumus vrbis ascenderet, reuersus percussit viros Hai. Siquidem & illi, qui ceperant & succenderant ciuitatem, egressi ex vrbe contra suos, † hostes, qui in medio erant, ferire cœperunt. Cum ergo ex vtraque parte aduersarij cæderentur, ita vt nullus de tanta multitudine saluaretur, regem quoq; vrbis Hai apprehenderunt viuétem, & obtulerunt Iosue. Igitur omnibus interfectis qui Israelem ad deserta tédentem fuerant persecuti, & in eodem loco gladio corruentibus, reuersi filij Israel percusserunt ciuitatem. Erant autē qui in eodem die conciderant à viro vsq; ad mulierem, duodecim millia hominum, omnes vrbis Hai: Iosue verò non contraxit manum, quā in sublime porrexerat, tenens † hastam, donec interficerentur omnes habitatores Hai. Iumenta autem & prædam ciuitatis diuiserunt sibi filij Israel, sicut præceperat Dominus Iosue. Qui succēdit vrbem, & fecit eam tumulum sempiternum: † & solitudinem vsq; in hunc diem: regem quoq; eius [b] suspendit in patibulo vsq; ad vesperam & solis occasum. Præcepitq; Iosue, & depositi sunt cadauer eius de cruce: proiecerūtq; in ipso introitu ciuitatis, congesto super eum magno aceruo lapidum, qui permanet vsq; in præsentem diem. Tunc ædificauit Iosue [c] altare Dño Deo Israel in monte Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini filijs Israel, & scriptum est in volumine legis Moysi, altare de lapidibus impolitis quos ferrum non tetigit: & obtulit super eo holocausta Domino, immolauitq; pacifica victimas. [d] Et scripsit super lapides Deuteronomium legis
Exod. 20. d Deut. 27. a Moysi, quod ille digesserat coràm filijs Israel. Omnis autem populus, & omnes maiores natu, ducesq; ac iudices stabant ex vtraq; parte arcæ in conspectu sacerdotum qui portabant arcam fœderis Domini, vt aduena ita & indigena. Media pars eorum iuxta [e] montem Garizim, & media iuxta montem Hebal, sicut præceperat Moyses famulus Domini. Et primum quidem benedixit populo Israel. Post hæc legit omnia verba benedictionis & maledictionis, & cuncta quæ scripta fuerant in legis volumine. Nihil ex his quæ Moyses iusserat reliquit intactum, sed vniuersa replicauit coràm omni multitudine Israel, mulieribus ac paruulis & aduenis qui inter eos morabantur.

SCHOLIA.

[a] Et posuerat in insidijs.] *Insidiæ istæ aliæ fuerūt à prioribus, atque in alio loco vrbi propinquiori positæ.* [b] Suspendit in patibulo.] *Suspensus est rex Hai in patibulo, vel, vt lxx habent, in gemino ligno. Crux enim domini gemina ratione cōstat, nam visibiliter in carne crucifixus est, inuisibiliter vt deus diabolum affixit cruci. Huius geminæ rationis Paulus mentionem fecit, inquiens, Per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* [c] Altare.] *Altare istud, sicut & omnia altaria, quæ passim in variis locis extructa sunt, alio nomine vocātur, excelsa. Nec vllumerat licitum, nisi quod à sancto propheta esset ædificatum. Ædificauit Iesus altare de lapidibus, quos ferrum non tetigit, hoc est, de cordibus integris, quæ peccatum non violauit. & scripsit in eo deuteronomium secundam legem, scilicet euangelium. Omnis autem populus stabat ex vtraque parte arcæ, media pars eorum iuxta montem Garizim, in quo benedictiones prolatæ sunt, & media iuxta montem Hebal, vbi maledictiones. Nam aly timore pœnæ aly amore iustitiæ viam domini ingrediuntur.* [d] Et scripsit super lapides.] *Intelligit, scriptum fuisse summarium quoddam legis. Vnde scripsit solum ea, quæ pro tempore & loco necessaria erant.* [e] Montem Garizim.] *Sunt duo illi montes vltra Iordanem, in terra Moab, sicut Deut. 27. docetur. Fily autem Israel erāt citra Iordanem: quomodo ergo hic iubentur stare ad montes illos, qui ex alio Iordanis latere erant? Respōdent Hebræi, quod fily Israel fecerint sibi citra Iordanem duos aceruos ex puluere & terra congestos, & hos vocauerunt Hebal, & Garizim, atque ex illis benedixerūt sacerdotes obseruantibus legem, & maledixerunt præuaricantibus.* [f] Post hæc legit Iosue omnia verba, &c.] *Iesus enim nobis reuelat archana scripturarum.*

CAPVT IX.

C † Vm hæc audirent cuncti reges trans Iordanem, qui versabantur in montanis & campestribus, atq; A
in vniuerso littore magni maris, è regione Libani, nempe Hethæus, & Amorrhæus, Chananeus, Pherezæus, & Heuæus, & Iebusæus congregati sunt pariter, vt pugnarent contra Iosue & Israel vno animo, eademq; sententia. At hi qui habitabant in Gabaon, audientes cuncta quæ fecerat Iosue, Iericho & Hai, & callidè cogitantes † ostenderunt se legatos, saccos veteres asinis imponentes, & vtres vinarios scissos atque consutos, calceamentaq; perantiqua quæ ad indicium vetustatis pitacijs consuta erant, induti veteribus vestimentis: panes quoq;, quos portabant ob viaticum, duri erant, & † mucidi: perrexeruntq; ad Iosue qui tūc morabatur in castris Galgalæ, & dixerunt ei, atq; simul omni Israeli. De terra longinqua venimus, pacem vobiscum facere cupientes. Responderuntq; filij Israel [a] † Heuæo atq; dixerunt. Ne fortè in terra quę nobis B
sorte debetur, habitetis, & non possimus fœdus inire vobiscum. At illi ad Iosue. Serui, iniquiunt, tui sumus. Quibus Iosue ait. Quinam estis vos? aut vnde venistis? Responderunt. De terra longinqua valde venerunt
Num. 21. c serui tui in nomine Domini Dei tui. Audiuimus enim famam potentiæ eius, cuncta quæ fecit in Ægypto, & duobus regibus Amorrhæorum qui fuerunt trans Iordanem, Seon regi Hesebon, & Og regi Basan, qui erant in Astaroth: dixeruntq; nobis seniores, & omnes habitatores terræ nostræ. Tollite in manibus vestris cibaria ob longissimam viam, & occurrite eis, & dicite. Serui vestri sumus, fœdus inite nobiscum. En panes quando egressi sumus de domibus nostris, vt veniremus ad vos, calidos sumpsimus, nunc ecce sicci facti sunt, & † mucidi: vtres vini nouos impleuimus, nunc rupti sunt & soluti: vestes & calceamenta quibus induimur, & C
quæ habemus in pedibus, ob longitudinem longioris viæ trita sunt, & penè consumpta. Susceperunt igi-
2. Re. 21. a tur de cibarijs eorum, & os Domini non interrogauerunt. Fecitq; Iosue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus est vt non occiderentur: principes quoq; multitudinis iurauerunt eis. Post dies autem tres initi fœderis audierunt quòd in vicino habitarent, & inter eos futuri essent. Moueruntq; castra filij Israel, & venerunt in ciuitates eorum die tertio, quarum hæc vocabula sunt, Gabaon & Caphira & Beroth & Cariathiarim. Et non percusserunt eos, eò quòd iurassent eis principes multitudinis in nomine Domini Dei Israel. Murmurauit itaq; omne vulgus contra principes. Qui responderūt eis. Iurauimus eis in nomine Domini Dei Israel,
& iccircò

& iccircò non possumus eos contingere. Sed hoc faciemus eis. Reseruentur quidem, vt viuant, ne contra nos D
ira Dñi concitetur, [b] si peierauerimus: sed sic viuant, vt in vsus vniuersæ multitudinis ligna cędant, aquasq; comportent. Quibus hæc loquentibus, vocauit Gabaonitas Iosue, & dixit eis. Cur nos decipere fraude voluistis, vt diceretis. Procul valde habitamus à vobis: cum in medio nostri sitis? Itaq; sub maledictione eritis, & [c] non deficiet de stirpe vestra † seruus ligna cædens, aquasq; comportans in domum Dei mei. Qui responderunt. Nuntiatum est nobis seruis tuis q̄ promisisset Dominus Deus tuus Moysi seruo suo, vt traderet vobis omnem terram, & disperderet cunctos habitatores eius. Timuimus igitur valde, & prouidimus animabus nostris, vestro terrore compulsi: & hoc consilium iniuimus: nunc autem in manu tua sumus: quod tibi bonū & rectum videtur, fac nobis. Fecit ergo Iosue, vt dixerat, & liberauit eos de manibus filiorum Israel, vt non occiderentur. Decreuitq; in illo die eos esse in ministerio cuncti populi & altaris Domini, cædentes ligna, & aquas comportantes vsq; in præsens tempus, in loco quem Dominus elegisset.

SCHOLIA.

[a] Heuęo.] *Fuerunt enim Gabaonitæ de septem gentibus illis, quas Dominus extirpari iusserat. Vnde principes Iudæorum noluerunt cum eis inire fœdus, si essent de terra, quæ ipsis pollicitatione diuina debebatur, sicut & à Domina illis inhibitum fuit, ne facerent pacem, aut inirent fœdus cum gentibus illis, quarum terram iurauerat se daturum illis.*

[b] Si peierauerimus.] *Quod hic Gabaonitæ propter iuramentum viuere permittuntur, id non tantum factum est, secundum Hebræos, ne violaretur nomen Domini, si iuramentum illud rescinderetur, cum dolus & fraus interuenerit, sed id factum propter infirmos, qui pro qualibet causa peierare non abhorruissent, si iuramentum illud violatum fuisset.*

[c] Non deficiet de stirpe vestra.] *Nemo (inquit) ex vobis poterit à se excutere iugum seruitutis, quin semper, quandiu Israel fuerit in castris, vos cogamini illis adducere ligna & aquam. Postea quàm verò terram in hæreditatem acceperit, atq; possederit, tunc cædetis ligna, & haurietis aquam pro domo Domini, sicut & feciſſe comprobantur in Galgal, Silo, Nobe, & Gabaon, atque in domo sanctuary.*

CAPVT X.

A QVæ cum audisset Adonisedec rex Ierusalem, quòd scilicet cepisset Iosue Hai, & subuertisset eam: † & sicut fecerat Iericho & regi eius, sic † fecisset Hai, & regi illius, & quòd transfugissent Gabaonitæ ad Israel, & essent fœderati eorum, timuit valde. Vrbs enim magna erat Gabaon † sicut vna ciSupra 6. c Supra 8. f uitatum regalium, & maior oppido Hai, omnesq; bellatores eius fortissimi. Misit ergo Adonisedec Rex Ierusalem ad Oham regem Hebron, & ad Pharam regem Ierimoth, ad Iaphia quoque regem Lachis, & ad Dabir regem Eglon, dicens. Ad me ascendite, & ferte præsidium, vt expugnemus Gabaon: quare transfugerit ad Iosue, & ad filios Israel. Congregati igitur ascenderunt [a] quinque reges Amorrhæorum: Rex Ierusalem, Rex Hebron, Rex Ierimoth, Rex Lachis, Rex Eglon, simul cum exercitibus suis, & castra-
B metati sunt circa Gabaon, oppugnantes eam. Habitatores autem Gabaon vrbis obsessæ miserunt ad Iosue, qui tunc morabatur in castris apud Galgalam, & dixerunt ei. Ne retrahas manus tuas ab auxilio seruorū tuorum: ascende citò & libera nos, ferq; præsidiū: conuenerunt enim aduersum nos oēs reges Amorrhęorū, qui habitāt in montanis. Ascēditq; Iosue de Galgalis, & omnis exercitus bellatorū cum eo viri fortissimi, dixitq; Dñs ad Iosue. Ne timeas eos: in manus enim tuas tradidi illos, nullus enim ex eis tibi resistere poterit. Irruit itaq; Iosue sup eos repente, tota nocte ascēdens de Galgalis. Et cōturbauit eos Dñs à facie Israel: contriuitq; plaga magna in Gabaon, ac persecutus est eos per viam ascensus Beth horō, & percussit vsq; Azecha & Ma-
C ceda. Cumq; fugerent filios Israel, & essent in descensu Beth horō, Dominus misit super eos lapides magnos de cœlo vsque ad Azecha, & mortui sunt multò plures lapidibus grandinis, quàm quos gladio percusserant filij Israel. Tunc locutus est Iosue Domino in die qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, di- Eccle. 46. a
xitque coràm eis. [b] Sol contra Gabaon ne mouearis, & luna contra vallem Aialon. Steteruntq; sol & luna, Esa. 28. f
donec vlcisceretur se gens de inimicis suis. Nonne scriptum est hoc [c] in libro † iusti? Stetit itaq; sol in medio cœli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei. Non fuit antea & postea tam longa dies obediente Domino voci hominis, & pugnante pro Israel. Reuersusq; est Iosue cum omni Israel in castra Galgalæ. Fugerant enim quinq; reges, & se absconderant in spelunca vrbis Maceda. Nuntiatumq; est Iosue q̄ inuenti es-
D sent quinq; reges latentes in spelunca Maceda. Qui præcepit socijs, & ait. Voluite saxa ingentia ad os spelun- cæ, & ponite viros † qui clausos custodiant: vos autē nolite stare, sed persequimini hostes, & extremos quosq; fugientium cædite: nec dimittatis eos vrbium suarum intrare præsidia, quos tradidit Dominus Deus in manus vestras. Cæsis ergo aduersarijs plaga magna, & vsq; ad internecionem penè consumptis, hi qui Israel effugere potuerunt, ingressi sunt ciuitates munitas. Reuersusq; est omnis exercitus ad Iosue in Maceda, vbi tunc erant castra, sani & integro numero: nullusq; contra filios Israel mutire ausus est. Præcepitq; Iosue, dicens. Aperite os speluncæ, & producite ad me quinq; reges qui in ea latitant. Feceruntq; ministri, vt sibi fuerat imperatum: & adduxerunt ad eum quinq; reges de spelunca, regem Ierusalem, regem Hebron, regem Ie-
E rimoth, regem Lachis, regem Eglon. Cumq; adducti essent ad eum, vocauit omnes viros Israel, & ait ad principes exercitus qui secum erant. Ite, & ponite pedes super colla regum istorum. Qui cū perrexissent, & subiectorum colla pedibus calcarent, rursum ait ad eos. Nolite timere, nec paueatis, confortamini & estote robusti: sic enim faciet Dominus cunctis hostibus vestris, aduersum quos dimicabitis. Percussitque Iosue, & interfecit eos, atque suspendit super quinque stipites: fueruntque suspensi vsque ad vesperum. Cumque occumberet sol, præcepit socijs vt deponerent eos de patibulis. Qui depositos proiecerunt in spelunçam in qua latuerant, & posuerunt super os eius saxa ingētia, quę permanent vsq; in presens. Eodē die Macedam quoq;
F cepit Iosue, & percussit in ore gladij, regemque illius interfecit, & omnes habitatores eius: nō dimisit in ea saltem paruas reliquias. Fecitque regi Maceda, sicut fecerat regi Iericho. Trāsiuit autem cū omni Israel de

Maceda

Maceda in Lebna,& pugnabat contra eam:quam tradidit Dominus cum rege ſuo in manus Iſrael: percuſſeruntq; vrbem in ore gladij,& omnes habitatores eius:non dimiſerunt in ea vllas reliquias. Feceruntque re-
Supra 6. gi Lebna ſicut fecerant regi Iericho. De Lebna tranſiuit in Lachis cum omni Iſrael:& exercitu per gyrum diſpoſito oppugnabat eam. Tradiditq; Dominus Lachis in manus Iſrael, & cepit eam die altero, atque percuſsit in ore gladij,omnemq; animam,quæ fuerat in ea, ſicut fecerat Lebna. Eo tempore aſcendit Horam Rex Gaxer, vt auxiliaretur Lachis, quem percuſsit Ioſue cum omni populo eius vſque ad internecionem.

Tranſiuitq; de Lachis in Eglon,& circundedit atque expugnauit eam in eadem die:percuſsitq; in ore gladij omnes animas,quæ erant in ea iuxta omnia,quæ fecerat Lachis. Aſcendit quoque cum omni Iſrael de D
Eglon in Ebron, & pugnauit contra eam: cepitque & percuſsit in ore gladij,regem quoque eius,& omnia oppida regionis illius,vniuerſasque animas,quæ in ea fuerant commoratæ: non reliquit in ea vllas reliquias ſicut fecerat Eglon,ſic fecit & Hebron,cuncta,quæ in ea reperit, conſumens gladio. [d] Inde reuerſus in Dabir, cepit eam,atque vaſtauit: regem quoque eius atque omnia per circuitum oppida percuſsit in ore gladij:non dimiſit in ea vllas reliquias: ſicut fecerat Hebron & Lebna & regibus earum,ſic fecit Dabir & regi illius. Percuſsit itaque Ioſue omnem terram montanam & meridianam, atque campeſtrem, & † cunctos reges eorum:non dimiſit in ea vllas reliquias,ſed omne quod ſpirare poterat interfecit,ſicut præceperat ei Dominus Deus Iſrael à Cadesbarne vſque Gazam. Omnem terram Goſen vſque Gabaon,vniuerſosque reges & regiones eorum vno impetu cepit: † Dominus enim Deus Iſrael pugnabat pro eo. Reuerſusq; eſt cum omni Iſrael ad locum caſtrorum in Galgala.

SCHOLIA.

[a] Quinque reges.] *Expugnant quinque reges Gabaonitas, ſenſus carnis carnales homines, ſed poſt occiſos quinque reges, multo plures ſurgunt contra Iſrael, quo enim quis ſpiritualior fit, maiorem ei luctam ſuſcitat aduerſarius.* [b] Sol contra Gabaon.] *Gabaon fuit in tribu Beniamin, & Aialon in tribu Dan, fuitq; circa meridiem, cum Ioſue iuberet ſtare ſolem ſicut textus indicat. Stetit autem ſol in loco illo immobilis tanto temporis interuallo, quo alias curſu ſuo diem creaſſet, hoc eſt, ſpacio viginti quatuor horarum, ſi capitur pro die naturali, ſicut Hebræi exponunt.* [c] In libro iuſti.] *Hebræi per hunc librũ intelligunt legem Moſis, in qua Dominus promiſit populo, quòd facturus eſſet mirabilia, &c.* [d] Inde reuerſus.] *Hoc ideo dicitur, quod prius tranſiſſet iuxta ciuitatem iſtam, cum feſtinaret oppugnare Hebron, eamq; bello non petiuit, ſed poſtea reuerſus, illam expugnauit.*

CAPVT XI.

QVæ cum audiſſet Iabin rex Aſor, miſit ad Iobab regem Madon,& ad regem Semeron, atque ad regẽ A
Achſaph:ad reges quoque aquilonis,qui habitabant in montanis & in planitie contra meridiem Cineroth,in campeſtribus quoq;,& in regionibus Dor iuxta mare: Chananæum quoq; ab oriente, & occidente,& Amorrhæum, atq; Hetheum, ac Pherezeum,& Iebuſæum in montanis:Heuæũ quoq; qui habitabat ad radices Hermon [a] in terra Maſpha. Egreſsiq; ſunt omnes cum turmis ſuis, populus multus nimis ſicut arena,quæ eſt in littore maris,equi quoq; & currus immẽſe multitudinis. Conuenerũtq; omnes reges iſti in vnum ad aquas Merom,vt pugnarent contra Iſrael. Dixitq; Dominus ad Ioſue. Ne ti- B
meas eos,cras enim hac eadem hora ego tradam omnes iſtos vulnerandos in conſpectu Iſrael: equos eorum ſubneruabis,& currus igne combures. Venitq; Ioſue,& omnis exercitus cum eo aduerſus illos ad aquas Merom ſubitò:& irruerunt ſuper eos, tradiditq; illos Dominus in manus Iſrael. Qui percuſſerunt eos, & perſecuti ſunt vſq; ad Sidonem magnam, & aquas Maſerephoth, campumq; Maſphe,qui eſt ad orientalem illius partẽ. Itaq; percuſsit omnes,vt nullas dimitteret ex eis reliquias:fecitq; ſicut præceperat ei Dominus, equos eorũ [b] ſubneruauit,currusq; combuſsit igni. Reuerſusq; ſtatim cepit Aſor:& regẽ eius percuſsit gladio. Aſor enim antiquitus inter omnia regna hæc,principatũ tenebat. Percuſsitq; omnes animas,quæ ibidem morabantur:non dimiſit in ea vllas reliquias, ſed vſq; ad internecionem vniuerſa vaſtauit,ipſamq; vrbẽ peremit C
incendio. Et omnes per circuitum ciuitates,reges quoq; earum cepit,percuſsit atq; deleuit, ſicut præceperat ei Moyſes famulus Domini. Abſq; vrbibus,quæ erant in collibus & in tumulis ſitæ, cęteras ſuccẽdit Iſrael:
Deu.7.a vnam tantum Aſor † flamma conſumpſit. Omnemq; prædam iſtarum vrbium ac iumenta diuiſerunt ſibi
Exod.34.b filij Iſrael,cunctis hominibus interfectis † donec extirparẽt eos, nec reſiduũ fecerunt quicquam quod ſpira-
Deu.7.a bat. Sicut præceperat Dominus Moyſi ſeruo ſuo,ita præcepit Moyſes Ioſue,& ille vniuerſa compleuit:nõ pręterijt de vniuerſis mandatis,nec vnum quidem verbum quod iuſſerat Dominus Moyſi. Cepit itaq; Ioſue omnem terram montanam,& meridianam:terramq; Goſen,† & campeſtria atq; planitiem, [c] montemque D
Iſrael,& campeſtria eius:& partem montis,quæ aſcendit Seir vſq; Baalgad per planitiem Libani ſubter mõtem Hermon: omnes reges eorum cepit,percuſsit,& occidit. Multo tempore pugnauit Ioſue contra reges iſtos. Nõ fuit ciuitas, quæ † fecerit pacem cum filijs Iſrael, præter Heuæum,qui habitabat in Gabaon: omnes enim bellando cepit. Domini enim ſententia fuerat, vt indurarentur corda eorum, & pugnarent contra Iſrael,& caderent: & non mererentur vllam clemẽtiam, ac perirent, ſicut præceperat Dominus Moyſi.

In illo tempore venit Ioſue, & interfecit Enacim de montanis Hebron, & Dabir, & Anab,& de omni monte Iuda,& Iſrael,vrbesq; eorum deleuit. Non reliquit vllum de ſtirpe Enacim, in terra filiorum Iſrael: abſq; ciuitatibus Gaza,& Geth,& Azoto,in quibus ſolis relicti ſunt. Cepit ergo Ioſue omnem terram, ſicut locutus eſt Dominus ad Moyſen,& tradidit eam in poſſeſsionem filijs Iſrael ſecundum partes, & tribus ſuas, quieuitq; terra à prelijs.

SCHOLIA.

[a] In terra Maſpha.] *Videtur hæc eſſe Maſpha, vbi poſteris diebus Iſraelitæ ſemper conuenire ſolebant, quòd Dominus tantam ſalutem in eo loco populo ſuo conceſſerat.* [b] Subneruauit.] *Noluit Dominus, vt equi & currus in prædam venirent,*

rent, ne Iſraelitæ more gentium magis conſiderent in equis & curribus, quàm in Domino Deo, ideo iubentur equi & currus perdi. [c] Montemque Iſrael.] *Vbi ſcilicet olim habitauerat Iacob, à quo mons ille, mons Iacob, & mons Iſrael fuit denominatus.*

CAPVT XII.

A HI ſunt reges,quos percuſſerunt filij Iſrael,& poſſederunt terram eorum trans Iordanem ad ſolis ortum,à torrente Arnon vſq; ad montem Hermon, & omnem orientalem † planitiem. Seon rex Num.31.
Amorrhæorum, qui habitabat in Heſebon,dominatus eſt ab Aroer,quę ſita eſt ſuper ripam torrentis Arnon,& † ab interioribus torrentis,dimidiæq; Galaad,vſq; ad torrentem Ieboc qui eſt terminus filiorum Ammon:& à ſolitudine vſq; ad mare Ceneroth contra orientem,& vſq; ad mare deſerti,quod eſt mare
B † ſalſum,ad orientalem plagam per viam quæ ducit Bethſimoth: & ab auſtrali parte, † ſub effuſione collis. Terminum quoq; poſſederunt Og regis Baſan,de reliquijs Raphaim,qui habitauit in Aſtaroth,& in Edrái. & Dominatus eſt in monte Hermon,& in Salecha,atq; in vniuerſa Baſan, vſq; ad terminos Geſſuri, & Machati,& [a] dimidiæ partis Galaad,& terminum Seon regis Heſebon. Moyſes famulus Domini, & filij Iſrael Pſal.134.c
percuſſerunt eos,tradiditq; terram eorum Moyſes in poſſeſsionem Rubenitis,& Gadditis,& dimidiæ tribui
C Manaſſe. Hi ſunt reges terræ,quos percuſsit Ioſue & filij Iſrael trans Iordanem ad occidentalem plagam, à Baalgad in campo Libani,vſq; ad montem † diuiſionis,qui aſcendit in Seir:tradiditq; eam Ioſue in poſſeſsionem tribubus Iſrael,ſingulis partes ſuas,tam in montanis quàm in planis atq; campeſtribus. In Aſeroth, & in ſolitudine,ac in meridie [b] Hethæus fuit & Amorrhæus, Chananæus et Pherezæus, Heuæus & Iebuſęus. Rex Iericho vnus,rex Hai,quę eſt ex latere Bethel,vnus,rex Ieruſalem vnus,rex Hebron vnus,rex Ierimoth
D vnus,rex Lachis vnus,rex Eglon vnus,rex Gazer vnus,rex Dabir vnus,rex Gader vnus,rex Herma vnus, rex Hered vnus, rex Lebna vnus, rex Adullam vnus, rex Maceda vnus, rex Bethel vnus,rex Taphua vnus, rex Opher vnus,rex Aphec vnus,rex Saron vnus,rex Madon vnus,rex Aſor vnus,rex † Simron Merõ vnus, rex Acſaph vnus,rex Thenach vnus,rex Mageddo vnus,rex Cedes vnus, rex Iachanam Carmeli vnus,rex Dor, & prouinciæ Dor vnus,rex gentium Galgal vnus,rex Therſa vnus:omnes reges triginta & vnus.

SCHOLIA.

[a] Dimidiæ partis Galaad.] *Hic enim mons partim intrabat terminum regni Og, & partim terminum regni Seon.* [b] Hethæus.] *In quibus ſcilicet locis habitauerũt, Hethæus, Amorræus, &c. Narrantur verò hic triginta reges et vnus, ab inſignioribus vrbibus, quas inhabitauerunt, præter oppida, villas, & alia loca, quæ erant de ditione eorum. Nõ enim habebant tam parua regna, vt cuiuslibet imperium vnius vrbis arctaretur mœnijs, ſed ampliora erant.*

CAPVT XIII.

A IOſue ſenex proiectæq; ætatis erat,& dixit Dominus ad eum. Senuiſti,& lõgæuus es, terraq; latiſsima derelicta eſt,quæ necdũ ſorte diuiſa eſt: omnis videlicet Galilæa, Phiſtijm,& vniuerſa Geſſuri, [a] à fluuio turbido qui irrigat Ægyptum vſq; ad terminos Accaron contra aquilonem terra Chanáan † computatur, quæ in quinq; regulos Philiſtijm diuiditur, Gazæos, & Azotios, Aſcalonitas, Gethæos,& Accaronitas,† et Heuæos:ad meridiem verò † omnis terra Chanáan,& Maara Sidoniorum,vſq; Apheca & terminos Amorrhæi,† & terra Giblæorum. Libani quoque regio contra orientem à Baalgad ſub mõte Hermon, donec ingrediaris Emath: Omnium qui habitabant in monte à Libano,vſq; ad aquas Maſerephoth,vniuerſiq; Sidonij. Ego ſum qui delebo eos à facie filiorum Iſrael. Veniat ergo in partem hæreditatis Iſrael,ſicut præcepi tibi. Et nunc diuide terram in poſſeſsionem nouem tribubus,& dimidiæ tribui Manaſſe, cum qua Ruben &
B Gad poſſederunt terram,quam tradidit eis Moyſes famulus Domini trans fluenta Iordanis, ad orientalem plagam: ab Aroer quę ſita eſt in ripa torrentis Arnon,& † à ciuitate,quę eſt in vallis medio,vniuerſaq; campeſtria Medaba,vſque Dibon:& cunctas ciuitates Seon regis Amorrhæi, qui regnauit in Heſebõ vſque ad Num.32.f
terminos filiorum Ammon:& Galaad,ac terminum Geſſuri & Machati, & omnem montem Hermon, & vniuerſam Baſan,vſque ad Salecha,omne regnum Og in Baſan, qui regnauit in Aſtaroth & Edrái, ipſe fuit de reliquijs Raphaim:percuſsitq; eos Moyſes,atq; deleuit. Noluerunt; diſperdere filij Iſrael Geſſuri & Machati:& habitauerunt in medio Iſrael vſque in præſentem diem. Tribui autem Leui nõ dedit poſſeſsionem: ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſrael,ipſa eſt eius hæreditas, ſicut locutus eſt illi. Dedit ergo Moyſes
poſſeſsionem tribui filiorum Ruben iuxta cognationes ſuas. Fuitq; terminus eorum ab Aroer, quæ ſita eſt Num.18.c
C in ripa torrẽtis Arnon,&† à ciuitate quæ eſt in valle eiuſdem torrentis media:vniuerſam planitiem,quæ ducit Medaba:& Heſebon, cunctoſq; viculos earũ qui ſunt in campeſtribus:Dibon quoq;, & Bamothbaal, & † domus Baalmeon,& Ieſſa,& Cedimoth,& Mephath,& Cariathàim,& Sabama, & Sarathaſar [b] in monte conuallis. Bethphogor,& Aſedoth,Phaſga & Bethieſimoth:& omnes vrbes campeſtres, vniuerſaq; regna Seon regis Amorrhęi,qui regnauit in Heſebõ,quem percuſsit Moyſes cum principibus Madian:Heuæum, Num.31.a
& Recem,& Sur,& Hur,& Rebe [c] duces Seon habitatores terræ:& Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Iſrael gladio [d] cum cæteris interfectis. Factusq; eſt terminus filiorum Ruben Iordanis fluuius † cũ termino ſuo:hæc eſt poſſeſsio Rubenitarum per cognationes ſuas vrbium & viculorum. Dedit itaque Moyſes tribui Gad & filijs eius per cognationes ſuas poſſeſsionem,cuius hæc diuiſio eſt. Terminus Iazer, & omnes
D ciuitates Galaad,& † dimidium terræ filiorum Ammon: vſq; ad Aroer quæ eſt contra Rabba: & ab Heſebon vſque Ramoth,Maſphe & Betonim:& à Manáim vſque ad terminos Dabir. In valle quoq; Betharam, & Bethnemra,& Socoth,& Saphon † reliquum regni Seon regis Heſebon: huius quoque finis Iordanis eſt † & confinium eius,vſq; ad extremam partem maris Cenereth trans Iordanem ad orientalem plagam: hæc eſt poſſeſsio filiorum Gad per familias ſuas,& ciuitates,& villæ earum. Dedit & dimidiæ tribui Manaſſe, filijsq; eius iuxta cognationes ſuas poſſeſsionem,cuius hoc principium eſt: A Manáim vniuerſam Baſan, &

cuncta

cuncta regna Og regis Basan, omnesq; vicos Iair qui sunt in Basan: sexaginta oppida: & dimidiam partẽ Galaad, & Astaroth, & Edrái vrbes regni Og in Basan: filijs Machir, filij Manasse: dimidię parti filiorum Machir
iuxta cognationes suas. Hanc possessionem diuisit Moyses in campestribus Moab, trans Iordanem contra
Num.18.c Iericho ad orientalem plagam. [c] Tribui autem Leui nõ dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio eius, vt locutus est illi.

SCHOLIA.

[a] A fluuio turbido.] *Alius vertit, de Nilo: & licet Hebræi interpretentur Nilum, non tamen propriè est Nilus, sed riuulus quidam ex Nilo deriuatus, qui ab occidente versus terram Israel deflectitur, terminum vrbis Gaza, circunscribes.* [b] In monte conuallis.] *Hoc est, quæ sita erat in monte, collocato in libera planitie.* [c] Duces Seon.] *Hoc est, erant reges in Madian, sed subiecti erant imperio magni regis Seon.* [d] Cum cæteris interfectis.] *Inuentus fuit Balaam idololatra inter reliquos interfectos. Et licet fuerit de alia regione, tamen pro assequendo præmio sibi promisso, non destitit dare consilium regi Balac, quibus insidijs & astu deciperet filios Israel.* [e] Tribui autem Leui.] *Non dedit Moses Leuitis habitationem, cum daret terram duabus tribubus & semis. non enim poterat dicere Moses, Vade & vende omnia quæ habes &c.*

CAPVT XIIII.

Num.34.d HOc est quod possederunt filij Israel in terra Chanáan, quam dederunt eis Eleazar sacerdos, & Iosue A
filius Nun, & principes familiarum per tribus Israel: sorte omnia diuidentes, sicut præceperat Dominus in manu Moysi, nouem tribubus, & dimidiæ tribui. Duabus enim tribubus, & dimidiæ dederat
Moyses trans Iordanẽ possessionẽ: absq; Leuitis, qui nihil terræ acceperunt inter fratres suos, sed in eorum
successerunt locum filij Ioseph in duas diuisi tribus, Manasse & Ephráim: nec acceperunt Leuitæ aliam in
terra partem, nisi vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta & pecora sua. Sicut præ- B
ceperat Dominus Moysi, ita fecerunt filij Israel, & diuiserunt terram. Accesserunt itaque filij Iuda ad Iosue in
Galgala, locutusq; est ad eum Caleb filius Iephone Cenezæus. Nosti quid locutus sit Dominus ad Moysen
Num. 14.d hominem Dei de me & te in Cadesbarne. Quadraginta annorum eram quando misit me Moyses famulus
Domini de Cadesbarne, vt consyderarem terram: nũtiauiq; ei quod mihi verum videbatur. Fratres autem
mei qui ascenderant mecum, dissoluerunt cor populi: & nihilominus ego secutus sum Dominum Deum. C
Eccl.46.d † Iurauitq; Moyses in die illo, dicens. Terra, quam calcauit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in
æternum: quia secutus es Dominum Deum. † Concessit ergo Dominus vitam mihi, sicut pollicitus est, vsq;
in præsentem diem. [a] Quadraginta & quinq; anni sunt, ex quo locutus est Dominus verbum istud ad Moy-
sen, quando ambulabat Israel per solitudinem. hodie octogintaquinque annorum sum sic valens, vt eo va-
lebam tempore, quando ad explorandum missus sum: illius in me temporis fortitudo vsque hodie perseue- D
1.Mac.2.f rat, † siue cum egredior ad bellum, siue cũ regredior. Da ergo mihi montem istum quem pollicitus est Do-
minus te quoque audiente, in quo Enacim sunt, & vrbes magnæ atq; munitæ: si forte sit Dominus mecum,
& potuero delere eos, sicut promisit mihi. Benedixitq; ei Iosue: & tradidit ei [b] Hebron in possessionem, atq;
ex eo fuit Hebron Caleb filio Iephone Cenezæo vsque in præsentem diem: quia secutus est Dominum Deũ
Israel. Nomen Hebron, ante vocabatur Cariatarbc: † siquidem Arba fuit homo magnus inter Enacim: [c] &
terra cessauit à prælijs.

SCHOLIA.

[a] Quadraginta & quinq; anni.] *Missi fuerunt exploratores secundo anno post exitum de Ægypto, & manserunt deinde in solitudine 38. annis, atque septem annis subiugauerunt terram. Transierunt igitur ab eo tempore quo missi fuerunt exploratores in terram Chanaam quadraginta quinque anni, vt hic textus dicit. Quod autem septem annis pugnarint pro acquisitione terræ, id probant Hebræi ex iubilæorum supputatione. Vbi obserua, primum qui accepit hæreditatem in terra promissa, fuisse Caleb, hoc est, quasi cor filium Iephone, hoc est, conuersionis hic primus petyt, et petijt mõtem in quo erãt vrbes munitæ, nihil enim humile tales quærunt: dixit etiam, hodie valeo, sicut valebam eo tempore &c.* [b] Hebron.] *Fuit Hebron vna ex ciuitatibus refugij, quã sacerdotes & Leuitæ inhabitabant: ideo intelliguntur hic per Hebron, agri et vici, qui prius fuerunt sub Hebron.* [c] Et terra cessauit à prælijs.] *Non est intelligendũ quod omnes hostes fuerint subacti, sed maior pars, cœperuntque Israelitæ languescere, & tædium habere in prælijs.*

CAPVT XV.

Num.34.a IGitur sors filiorum Iudæ per cognationes suas ista fuit. A termino Edom † deserti Sin contra meridiem, A
& vsque ad extremã partem australis plagæ. Initium eius à summitate maris salsi, † & [a] à lingua eius quæ
respicit meridiem. Egrediebaturq; † à meridie contra [b] ascensum scorpionis † pertransiens in Sina: ascẽ-
ditq; † ab austro in Cadesbarne, & peruenit in Esron, ascendẽs ad Addar, & circuiens Carcaa: atq; inde per-
transiens in Asemona, & perueniens ad torrentem Ægypti: † & fuerunt fines huius termini in accidentali
plaga: atque hic est terminus eorum australis. Ab oriente verò terminus est mare salsum, vsque ad extrema B
Iordanis: & ea quæ respiciunt ad aquilonem à lingua maris vsque ad eundem Iordanis fluuium: ascenditq;
terminus in Bethagla, & transit ab aquilone in Betharaba: ascendens ad lapidem Boen filij Ruben: & tẽdens
vsque ad terminos Debera de valle Achor, contra aquilonem respiciens Galgala, quę est ex aduerso ascensio-
nis Adommim, ab australi parte torrentis: transitq; † ad aquas quæ vocantur, Fons solis: Et † sunt fines eius
ad fontem Rogel: ascenditq; per vallem filij Ennom ex látere Iebusæi ad meridiem, hæc est Ierusalem: & in- C
de se erigens ad verticem montis, qui est contra Geennom ad occidentem in summitate vallis Raphaim cõ-
tra aquilonem: pertransitq; à vertice montis vsq; ad fontem aquæ Nephtoa: & peruenit vsque ad vicos mõ-
tis Ephron: inclinaturq; in Baala, quæ est Cariathiarim, id est vrbs syluarum: & circuit de Baala contra occi-
dentem, vsq; ad montem Seir: transitq; iuxta latus montis Iarim ad aquilonem, in Cheslon: & descendit in
Bethsámes, transitq; in Thamna: & peruenit contra aquilonẽ partis Accaron ex látere, inclinaturq; Sechro-
na, &

na, & transit montem Baala: peruenitq; in Iebneel, & magni maris contra occidentem fine concluditur: hi
sunt termini filiorum Iuda per circuitum in cognationibus suis. Caleb verò filio Iephone dedit partẽ in me
dio filiorũ Iuda, sicut præceperat ei Dominus: Cariatarbe patris Enac, ipsa est Hebron. Deleuitq; ex ea Ca-
D leb tres filios Enac, Sesai & Ahiman & Tholmái de stirpe Enac. Atque inde conscendens venit ad habitato- Iudith.1.b
res Dabir, quæ prius vocabatur Cariathsèpher, id est ciuitas literarum. Dixitque Caleb. Qui percusserit Ca-
riathsèpher, & ceperit eã, dabo ei Axam filiam meam vxorem. Cepitque eam Othoniel filius Cenez frater
Caleb: † deditque ei Axam filiam suam vxorem. Qui cum pergerent simul, [c] † suasit ei vt peteret à patre suo
agrum, † & delapsa est ab asino. Cui Caleb. Quid habes, inquit? At illa respondit. Da mihi benedictionem:
terram australem & arentem dedisti mihi, iunge & irriguam. Dedit itaque ei Caleb irriguum superius & in-
ferius. Hæc est possessio tribus filiorum Iuda per cognationes suas. Erantq; ciuitates [d] ab extremis partibus
E filiorum Iuda iuxta terminos Edom à meridie: Cabseel & Eder & Iagur, & Cina & Dimona & Adada, & Ce
des & Asor & Iethnan, Ziph & Telem & Baloth, Asor noua & Carioth, Hesron, hæc est Asor. Amam, Sama,
& Molada, & Asergadda & Hassemon & Bethphelet & Hasersual & Bethsábee & Baziothia & Baala & Iim.
& Esem, & Eltholad & Cesil & Harma, & Siceleg & Medemena & Sésenna, Lebaoth & Selim & Aijn & Re-
mon: omnes ciuitates vigintinouem, & villę earum. In campestribus verò: Estaol & Sarea & Asena & Zanoe
& Engannim & Taphua & Enaim, & Ierimoth & Adullam, Socho & Azeca & Sarim & Adithaim & Gede-
ra & Gederothaim: vrbes quatuordecim, & villæ earum. Sanan & Adasa & Magdalgad, Delean & Masepha
F & Iecthel, Lactis & Bascath & Eglon, Chebbon & Lehemã & Cethlis, & Gideroth & Bethdagon & Naama
& Maceda: ciuitates sedecim, & villæ earum. Labana & Ether & Asan, Iephta & Esna & Nesib, & Ceila &
Achzib & Maresa: ciuitates nouem, & villæ earum. Accaron cum vicis & villulis suis. Ab Accaron vsque ad
mare: omnia quæ vergunt ad Azotum & viculos eius. Azotus cum vicis & villulis suis. Gaza cum vicis & vil-
lulis suis, vsq; ad torrentem Ægypti: & mare magnum terminus eius. Et in monte: Samir & Iether & Socoth
& Dãna & Cariathsenna, hæc est Dabir: Anab & Istemo & Anim, Gosen & Olon & Gilo: ciuitates vndecim
& villę earum. Arab & Ruma & Esaan, & Ianum & Bethaphua & Apheca, Athmatha et Cariatharbe, hęc est
G Hebrõ: & Sior: ciuitates nouem & villę earum. Maon & Charmel & Ziph & Iota, Iezrael & Iucadam & Za-
noe, Accain, Gabaa & Thamna: ciuitates decem & villæ earum. Alul, & Bethsur, & Gedor, Mareth, & Betha-
noth, & Eltheon: ciuitates sex & villæ earum. Cariathbaal, hæc est Cariathiarim vrbs syluarum, & Arebba:
ciuitates duæ & villæ earum. In deserto: Betharaba, Meddin, & Sachacha, & Nebsan, & ciuitas salis, et Engad-
di: ciuitates sex & villæ earum. Iebusæum autem habitatorem Ierusalem [e] non potuerunt filij Iuda delere:
habitauitq; Iebusæus cum filijs Iuda in Ierusalem vsq; in præsentem diem.

SCHOLIA.

[a] A lingua.] *Hebræi post Chal. interpretem exponunt petram.* [b] Ascensum scorpionis.] *Mons est, qui scorpionum dicitur, ab austro ascensum habens.* [c] Suasit ei.] *Vxor incitauit maritum, vt peteret à socero fundum irriguum, sed cũ ille hoc facere nollet, delapsa est ipsa et rogauit patrem.* [d] Ab extremis partibus.] *Numerauit Iosue solum ciuitates illas, quæ erant in terminis Iuda, & non mediterraneas.* [e] Non potuerunt filij Iuda delere.] *Quidam hic exponunt, non potuerunt, pro non audebant delere Iebusæos propter iuramentum scilicet quod antiqui patres illis fecerant. Alij verò dicunt Iebusæos istos aliam fuisse cognationem ab illis Iebusæis, qui inter septem numerantur gentes. Tertij dicunt, quòd expulsio eorũ fuerit reseruata ipsi Dauid, vt ab illo, locus eorum vocaretur ciuitas Dauid.*

CAPVT XVI.

A CEcidit quoq; sors filiorum Ioseph ab Iordane contra Iericho ad aquas eius, ab oriẽte & solitudo quæ
ascendit de Iericho ad montem Bethel: & egreditur de Bethel Luzam: transitq; terminum Archi in
Ataroth: & descẽdit ad occidentem iuxta terminum Iephleti, vsque ad terminos Beth horon inferio-
B ris, & Gazer: finiunturq; regiones eius mari magno: possederũtq; filij Ioseph Manasses & Ephráim. Et factus
est terminus filiorum Ephráim per cognationes suas: & possessio eorum contra orientem Ataroth Addar
vsque Beth horon superiorem. Egrediunturq; confinia in mare: Machmethath vero aquilonem respicit, &
C circuit terminos contra orientem in Thanathselo: & pertransit ab oriente in Ianoe: descenditque de Ianoe
in Ataroth & Naaratha: & peruenit in Iericho, egrediturq; ad Iordanem. De Taphua † verò pertransit con-
tra mare in vallem arundineti, suntq; egressus eius in mare † salsum: hæc est possessio tribus filiorũ Ephráim
D per familias suas. [a] Vrbesq; separatæ sunt filijs Ephráim in medio possessionis filiorum Manasse, & villæ ea-
rum. Et non interfecerunt filij Ephràim Chananæum qui habitabat in Gazer: habitauitq; Chananæus in
medio Ephráim vsq; in diem hanc tributarius.

SCHOLIA.

[a] Vrbesq; separatæ.] *Sensus est: præter descriptam hæreditatem, habet hæc tribus & alias vrbes intra limites tribus Manasse, &c.*

CAPVT XVII.

A CEcidit autẽ sors tribui Manasse (ipse enim est primogenitus Ioseph) Machir [a] primogenito Manasse
patri Galaad, qui fuit vir pugnator, habuitq; possessionem Galaad & Basan: & reliquis filiorum Ma-
nasse iuxta familias suas, filijs Abiezer, & filijs Helec, & filijs Esriel, & filijs Sechem, & filijs Hepher, & Num.26.d
filijs Semida: isti sunt filij Manasse, filij Ioseph, mares, per cognationes suas. Salphaad verò filio Hepher fi- Num.27.a
lij Galaad filij Machir filij Manasse non erant filij, sed solæ filię: quarum ista sunt nomina, Maala & Noa & & 36.a
Hegla & Melcha & Thersa. Veneruntq; in conspectu Eleazari sacerdotis, & Iosue filij Nun, & principum, Num.27.b
dicentes. Dominus præcepit per manum Moysi, vt daretur nobis possessio in medio fratrum nostrorum.
Deditq; eis iuxta imperium Domini possessionem in medio fratrum patris earum. Et ceciderunt [b] funiculi

Manasse,

Manasse,decem:absq; terra Galaad & Basan trans Iordanem. Filiæ enim Manasse possederunt hæreditatem B
in medio filiorum eius.Terra autem Galaad cecidit in sortem filiorum Manasse qui reliqui erãt. Fuitq; ter-
minus Manasse ab Aser ad Machmathath, quæ respicit Sichem : & egreditur ad dextram iuxta habitatores
fontis Taphuæ.Etenim in sortem Manasse ceciderat terra Taphue,quę est iuxta terminos Manasse filiorum
Ephráim.Descenditq; terminus † ad vallem arundineti in meridiem torrentis ciuitatum Ephráim, quæ in
medio sunt vrbium Manasse : terminus Manasse ab aquilone † ad hunc torrentem, & exitus eius pergit ad
mare:ita vt possessio Ephráim sit ab austro,& ab aquilone Manasse, † vt sit mare terminus eius, & coniun-
gantur sibi in tribu Aser ab aquilone,& in tribu Issachar ab oriente.Fuitq; hæreditas Manasse in Issachar & C
in Aser,Bethsan & viculi eius,& Ieblaam cum viculis suis,& habitatores Dor cum oppidis suis, habitatores
quoque Endor cum viculis suis,similiterq; habitatores Tenach cum viculis suis, & habitatores Mageddo cũ
viculis suis,& tertia pars vrbis Nopheth.Nec potuerunt filij Manasse has ciuitates subuertere, sed † ausus est
Chananæus habitare in terra ista. Postquam autem conualuerunt filij Israel,subiecerunt Chananæos, &
fecerunt sibi tributarios,nec interfecerunt eos.Locutiq; sunt [c] filij Ioseph ad Iosue,& dixerunt. Quare dedi-
sti mihi possessionem sortis & funiculi vnius, cum sim tantæ multitudinis, & benedixerit mihi Dominus?
Ad quos Iosue ait.Si populus multus es,ascende in syluã,& succide tibi spatia in terra Pherezęi & Raphaim: D
quia angusta est tibi possessio montis Ephráim.Cui responderunt filij Ioseph.† Nõ sufficit nobis mons iste,
sed & ferreis curribus vtuntur Chananæi qui habitant in terra campestri,† et qui sunt in Bethsan cum vicu-
lis suis,† & qui sunt in valle Iezrael.Dixitq; Iosue ad domum Ioseph & Ephráim & Manasse. Populus mul-
tus es,& magnæ fortitudinis,nõ habebis sortem vnam,sed transibis ad montem,& succides tibi, atque pur-
gabis ad habitandum spatia:& poteris vltrà procedere, cum subuerteris Cananæum quem dicis ferreos ha-
bere currus & esse fortissimum.

SCHOLIA.

[a] Primogenito Manasse.] *Machir (inquit) fuit primogenitus Manasse,& vir bellicosus, qui obtinuit per hæc, vt sibi daretur hæreditas in terra Galaad.* [b] Funiculum Manasse decem.] *Erant enim sex cognationes masculorum, scilicet filij Abiezer,filij Helec,&c.et quatuor filiæ Salphaad,quibus singulis singulæ obueniebãt portiones.* [c] Filij Ioseph.] *Hoc est,qui erant de tribu Manasse,qui post exitum de Aegypto plurimum erant aucti,conquesti sunt de sorte sua quòd videlicet illis nõ maior daretur portio terræ,quàm alteri tribui minori.Nam dicunt Hebræi terrã diuisam in duodecim æquales partes pro duodecim tribubus,quæ inæquales erant in numero hominum. Alij tamen aliter sentiunt, nempe quòd sortes per dispositionem diuinam sic fuerint temperatæ,vt maioribus tribubus etiam maiores obuenerint portiones.Facta verò fuit hæc distributio terræ,secundum magnitudinem & exiguitatem tribuũ,vt egressi sunt de Aegypto. Et, si interim creuisset aliqua tribus in personis,non dabatur propterea illi maior portio terræ, sicut contigit tribui Manasse,quæ parua numero fuit,cum egrederetur de Aegypto,sed plurimum aucta fuit in deserto.Vnde iubentur hic excidere syluam Ephraim, cuius vallem ipsi inhabitabant.*

CAPVT XVIII.

Congregatiq; sunt omnes filij Israel [a] in Silo,ibiq; fixerunt tabernaculum testimonij, & fuit eis terra A
subiecta.Remanserunt autem filiorum Israel septem tribus, quæ necdum acceperant possessiones
suas.Ad Iosue ait.Vsquequo marcetis ignauia,& non intratis ad possidendam terram, quam Domi-
nus Deus patrum vestrorum dedit vobis? Eligite de singulis tribubus ternos viros:vt mittam eos,& pergant
atq; circueant terram,& describant eam iuxta † possessionem suam : referantq; ad me quod descripserint.
Diuidite vobis terram in septem partes:Iudas sit in terminis suis ab australi plaga,& domus Ioseph ab aqui-
lone,mediam inter hos terram in septem partes describite:& huc venietis ad me,vt coram Domino Deo ve
stro mittam vobis hic sortem:quia nõ est inter vos pars Leuitarum,sed sacerdotium Domini, est eorũ hęre-
ditas. Gad autem & Rubẽ, & dimidia tribus Manasse iam acceperant possessiones suas trans Iordanem ad B
orientalem plagam:quas dedit eis Moyses famulus Domini.Cumq; surrexissent viri vt pergerent ad descri-
bendam terram,præcepit eis Iosue,dicẽs.Circuite terram,& describite eam,ac reuertimini ad me:vt hic co-
ràm Domino in Silo mittam vobis sortem.Itaq; perrexerunt:& lustrantes eam in septem partes diuiserunt,
scribentes in volumine.Reuersiq; sunt ad Iosue in castra Silo.Qui misit sortes coràm Domino in Silo, diui-
sitq; terram filijs Israel in septem partes.Et ascendit sors prima filiorum Beniamin per familias suas,vt possi
derent terram inter filios Iuda & filios Ioseph.Fuitq; terminus eorum contra aquilonem à Iordane:pergens
iuxta latus Iericho septentrionalis plagæ,& inde contra occidentem ad montana conscendens,& perueniẽs
ad solitudinem Bethauen:atq; pertransiens iuxta Luzam ad meridiem,ipsa est Bethel:descẽditq; in Ataroth C
Addar in montem qui est ad meridiem Beth horon inferioris,& inclinatur circuiens contra mare ad meri-
diem montis qui respicit Beth horon contra Africum:suntq; exitus eius in Cariathbáal, quæ vocatur & Ca-
riathiarim,vrbem filiorum Iuda:hæc est plaga contra mare ad occidentem. A meridie autem ex parte Ca-
riathiarim egreditur terminus cõtra mare,& peruenit vsq; ad fontem aquarum Nephtoa. Descenditque in
partem montis qui respicit vallem filiorum Ennom :& est contra septentrionalem plagam in † valle Ra-
phaim.Descenditq; in Geennom,id est vallis Ennom iuxta latus Iebusæi ad austrum:& peruenit ad fontem
Rogel,transiens ad aquilonem:& egrediens ad Ensemes,id est [b] fontem solis,& pertransit † ad loca Geliloth
quæ sunt è regione ascensus Adommim:descenditq; Abenboen,id est lapidem Boen filij Ruben : & pertrã- D
sit ex latere aquilonis ad campestria:descenditq; in planiciem, & prætergreditur contra aquilonem Betha-
gla:suntq; exitus eius cõtra linguam maris † salsi ab aquilone in fine Iordanis ad australem plagam, † & hic
est terminus meridianus.Iordanis verò terminat hunc limitem in angulo orientali : hæc est possessio filiorum
Beniamin per terminos suos in circuitu,& familias suas.Fuerũtq; ciuitates eius Iericho & Bethagla & vallis

Casis,Betharaba & Samaráim & Bethel & Auim & Aphara & Ophera,villa Hemona & Ophni & Gábee:ci-
uitates duodecim & villæ earũ. Gabaon & Rama & Beroth & Mesphe, & Caphara & Amosa & Recem, Ia-
rephel & Tharela & Sela.Eleph & Iebus,quæ est Ierusalem,Gabaath & Cariath:ciuitates quatuordecim, &
villæ earum.Hæc est possessio filiorum Beniamin iuxta familias suas.

SCHOLIA.

[a] In Silo.] *Quartodecimo anno postquam ingressi sunt in terram, erexerunt tabernaculum in Silo:nam septem cõtinuis annis pugnauerunt contra habitatores terræ,& per septem annos diuiserunt terram,mansitq; interim tabernaculum in Galgal.Et quod sequitur septem tribus, notandum quòd tribus Ruben, tribus Gad,& dimidia tribus Manasse iam acceperant possessiones suas vltra Iordanem,citra verò in terra Chanáan acceperant possessiones tribus Iuda,tribus Ephráim, & dimidia tribus Manasse,vt hactenus textus explicuit.Remanserunt igitur adhuc septẽ tribus residuæ quibus prouidendum erat de terra.* [b] Fontem solis.] *Et si aliqua sunt locorum nomina,quorum ratio constat,multa tamen scribuntur hic, quorũ interpretatio quidem clara & aperta est,sed ratio impositionis ignoratur,vt est:Chariat Iarim,ciuitas syluarum,&c.*

CAPVT XIX.

A Et egressa est sors secunda filiorum Simeon per cognationes suas:fuitq; hęreditas eorum in medio pos-
sessionis filiorum Iuda: Bersabee, & Sabee, & Molada, & Hasersual,Bala, & Asem,& Eltholad,Bethul
† & harma & Siceleg,& Bethmarchaboth,& Hasersusa,& Bethlebaoth,& Sarohen:ciuitates tredecim,
& villę earũ.Ain,& Rẽmon,& Athar,& Asan:ciuitates quatuor,& villę earũ,oẽs viculi per circuitum vrbiũ
istarũ vsq; ad Baalath,Beer ramath cõtra australẽ plagam:hęc est hęreditas filiorũ Simeon iuxta cognationes
suas in possessione & funiculo filiorũ Iuda:quia maior erat,& iccircò filij Simeon possederũt in medio hęre-
ditatis eorũ. Ceciditq; sors tertia filiorũ Zabulon p̃ cognatiões suas:& factus est terminus possessionis eorũ
vsq; Sarid.Ascenditq; † ad mare ad Merala,& peruenit in Debbaseth : vsq; ad torrentẽ,qui est cõtra Ieconã.
Et reuertitur de Sarid cõtra orietẽ in finẽ Cheseleththabor:& egreditur ad Dabereth,ascẽditq; cõtra Iaphie.
Et inde pertransit vsq; ad oriẽtalẽ plagam Geth hepher, & Tacasin:egreditur in Remmon,Amthar & Noa.
B Et circuit † ab aquilone in Nathon:suntq; egressus eius vallis Iephtahel,& Cateth,& Naalol,& Semeron, &
Iedala,& Bethlehem:ciuitates duodecim, & villæ earum. Hæc est hęreditas tribus filiorum Zabulon per co-
gnationes suas,vrbes,& viculi earũ. Issachar egressa est sors quarta per cognationes suas:fuitq; eius hæredi
tas Iezrael,& Casaloth,& Sunem,& Hapharaim,& Seon,& Anaharath,& Rabboth,& Cesion,Abes, & Ra-
meth,& Engannin,& Enhadda,& Bethpheses.Et peruenit terminus eius vsq; Thabor,& Sehesima, & Beth-
semes:erantq; exitus eius Iordanis:ciuitates sedecim,& villæ earum. Hæc est possessio filiorum Issachar per
cognationes suas, vrbes,& viculi earum. Ceciditq; sors quinta tribui filiorum Aser per cognationes suas:
fuitq; terminus eorum Halcath,& Chali, & Beten,& Axaph, & Elmelech, & Amaad,& Messal:& peruenit
vsq; ad Carmelum maris & Sihor,& Labanath. Ac reuertitur contra orientem Bethdagon : & pertrãsit vsq;
Zabulon & vallem Iephtahel contra aquilonem in Bethemec,& Nehiel. Egrediturq; ad leuam Cabul, † ad
C Hebron quoq;,& Rohob,& Hamon,& Cana,vsq; ad Sidonem magnam:reuertiturq; in Horma vsq; ad ci-
uitatem munitissimam Tyrum,& † inflectitur idem terminus in Hosa : desinuntq; fines eius in mare de fu-
niculo Achziba:& Amma,& Aphec,& Rohob:ciuitates vigintiduæ,& villæ earum. Hæc est possessio filio-
rum Aser per cognationes suas,vrbesq;,& viculi earum. Filiorum Nephthali sexta pars cecidit per fami-
lias suas:& cœpit terminus de Heleph,& Elon in Saananim,& Adami,quæ est Neceb, & Iebnael vsq; Lecũ:
& egressus eorum vsq; ad Iordanem,reuertiturq; terminus contra occidentem in Azanoththabor, atq; inde
egreditur in Hucuca, & pertransit in Zabulon contra meridiem, & in Aser contra occidentem, & in Iuda
ad Iordanem contra ortum solis:ciuitates † verò munitæ Assedim,Ser & Hãmath, & Reccath, & Cenereth,
& Edema,& Arama,Asor,& Cedes,& Edrái,Enasor,& Ieron,& Magdalel, Horem, & Bethanath, & Bethsá-
mes:ciuitates decem & nouem,& villæ earum. Hæc est possessio tribus filiorum Nephthali per cognationes
D suas,vrbes,& viculi earum. Tribui filiorum Dan per familias suas egressa est sors septima:& fuit terminus
possessionis eius Saraa,& Estaol,& Hirsemes,id est ciuitas solis,Selebin,& Aialon,& Iethela,Elon,& Them-
na,& Acron,Elthece,Gebethon,& Baalath, & Iud, & Bane, & Barac, & Gethremmon : & aquæ Iercon, &
Are on,cum termino qui respicit Ioppen, † [a] & egreditur terminus filiorum Dan ex ipsis. Ascenderuntq;
filij Dan,& pugnauerunt contra Lesem,ceperuntq; eam:& percusserunt eam in ore gladij,& possederunt,&
habitauerunt in ea,vocantes nomen eius Lesemdan,ex nomine Dan patris sui.Hæc est possessio tribus filio-
rum Dan,per cognationes suas,vrbes & viculi earum. Cumq; complesset sorte diuidere terram † per ter-
minos eius,dederunt filij Israel possessionem Iosue filio Nun in medio sui,iuxta præceptum Domini, vrbẽ
quam postulauit,Thamnathsáraa in monte Ephráim:& ædificauit ciuitatẽ, habitauitq; in ea. Hę sunt pos-
sessiones quas sorte diuiserunt Eleazar sacerdos,& Iosue filius Nun,& Principes familiarum, ac tribuũ filio-
rum Israel,in Silo,coràm Domino ad ostium tabernaculi testimonij, † cessaueruntq; partiri terram.

SCHOLIA.

[a] Et egreditur terminus filiorum Dan ex ipsis.] *Hoc est,deficit filijs Dan locus sufficiens,ideo coacti sunt ascendere contra Lesem,quæ alio nomine vocatur Lais,quòd filij Dan egressi sint extra terminum suum, & quòd Lesem non fuerit de terra septem gentium,&c.*

CAPVT XX.

A Et locutus est Dominus ad Iosue,dicens.Loquere filijs Israel,& dic eis, Separate vrbes fugitiuorum, de
quibus locutus sum ad vos per manum Moysi, vt confugiat ad eas quicunque animam percusserit ne- Num. 35.a
scius:& possit euadere iram proximi qui vltor est sanguinis,cum ad vnam harum confugerit ciuitatũ: Deut. 19.a
stabitq; ante portam ciuitatis,& loquetur senioribus vrbis illius ea, quæ se comprobent innocentem : sicq;

susçipiẽt eum,& dabunt ei locum ad habitandum. Cumq; vltor sanguinis eum fuerit persecutus, non tradent in manus eius:quia ignorans percussit proximum eius,nec ante biduum triduumue eius probatur inimicus.Et habitabit in ciuitate illa, [a] donec stet ante iudicium causam reddens facti sui, & moriatur sacerdos magnus,qui fuerit in illo tempore:tunc reuertetur homicida, & ingredietur ciuitatem, & domum suam, de qua fugerat. Decreueruntq; Cedes in Galilæa montis Nephthali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariatarbe,ipsa est Hebron in monte Iuda.Et trans Iordanem contra orientalem plagam Iericho, statuerunt Bosor,quæ sita est in campestri solitudine de tribu Ruben,& Ramoth in Galaad de tribu Gad,& Gaulon in Basan de tribu Manasse.Hæ ciuitates constitutæ sunt cunctis filijs Israel,& aduenis, qui habitabant inter eos: vt fugeret ad eas qui animam nescius percussisset,& non moreretur in manu proximi effusum sanguinem vindicare cupientis,donec staret ante populum expositurus causam suam.

Deut. 4g

SCHOLIA.

[a] Donec stet.] *Cum quis(inquit) fugerit ad vnam harum ciuitatum, manebit in ea, donec per iudices vocatus fuerit, vt facti sui rationem reddat. Et si deprehenderint eum innocentem, nempè quòd ignoranter occiderit proximum, remittant eum ad ciuitatem refugy. Vt in ea resideat vsque ad mortem summi sacerdotis veluti exilio damnatus. Et verè per solam summi sacerdotis Christi mortem ab æternæ mortis exilio reuocamur. Et vide, vt veritatis mysteria ita obiter, historiæ interserantur.*

CAPVT XXI.

ACcesseruntq; principes familiarum Leui ad Eleazarum sacerdotem, & Iosue filium Nun, & ad duces cognationum per singulas tribus filiorum Israel:locutiq; sunt ad eos in Silo terræ Chanaan,atq; dixerunt. Dominus præcepit per manum Moysi, vt darentur nobis vrbes ad habitandum, & suburbana earum ad alenda iumenta. Dederuntq; filij Israel de possessionibus suis iuxta imperium Domini,ciuitates & suburbana earum. Egressáq; est sors in familiam Caath, † & fuerunt filiorum Aaron sacerdotis ex Leuitis de tribu Iuda & Simeon & Beniamin,ciuitates tredecim.Et reliquis filiorum Caath, id est Leuitis qui superfuerant de tribubus Ephraim, & Dan, & dimidiæ tribus Manasse ciuitates decem. Porrò filijs Gerson egressa est sors,vt acciperent de tribubus Issachar, & Aser & Nephthali, dimidiaq; tribu Manasse in Basan ciuitates numero tredecim. Et filijs Merari per cognationes suas de tribubus Ruben & Gad & Zabulon vrbes duodecim. Dederuntq; filij Israel Leuitis ciuitates & suburbana earum,sicut præcepit Dominus per manũ Moysi singulis sorte tribuentes.De tribubus filiorum Iuda & Simeon † dederunt ciuitates:quarum ista sunt nomina filijs Aaron † de cognatione Caath Leuitici generis. Prima enim sors illis egressa est Cariath [a] Arbe patris Enac,quæ vocatur Hebron,in monte Iuda,& suburbana eius per circuitum.Agrorum verò † ciuitatis huius & villas eus dederunt Caleb filio Iephone ad possidendum.Dedit ergo filijs Aaron sacerdotis Hebron confugij ciuitatem,ac suburbana eius:& Lobnam cum suburbanis suis:& Iether & Esthemo & Holon & Dabir & Ain & Ieta Bethsames,cum suburbanis suis:ciuitates nouem de tribubus, vt dictum est, duabus. De tribu autem filiorum Beniamin,Gabaon & Gabae & Anathoth & Almon,cum suburbanis suis:ciuitates quatuor.Omnes simul ciuitates filiorum Aaron sacerdotum,tredecim,cum suburbanis suis. Reliquis verò per familias filiorum Caath Leuitici generis hæc est data possessio.De tribu Ephraim vrbes confugij Sichem cum suburbanis suis in mõte Ephraim,& Gazer & Cibsaim & Beth horon,cũ suburbanis suis, ciuitates quatuor.De tribu quoq; Dan:Eltheco & Gabathon & Aialon & Gethremmon,cũ suburbanis suis,ciuitates quatuor.Porrò de dimidia tribu Manasse Thanach & Gethremmon,cũ suburbanis suis,ciuitates duæ. Oẽs ciuitates decẽ,& suburbana earum date sunt filijs Caath inferioris gradus. Filijs quoq; Gerson Leuitici generis † dederunt de dimidia tribu Manasse cõfugij ciuitatẽ,Gaulon in Basan,& Bostram,cũ suburbanis suis,ciuitates duas.Porrò de tribu Issachar:Cesion & Dabereth & Iaramoth & Engannim,cũ suburbanis suis, ciuitates quatuor. De tribu aũt Aser,Messal & Abdõ & Helchath & Rohob,cũ suburbanis suis,ciuitates quatuor. De tribu quoq; Nephthali ciuitates cõfugij, Cedes ĩ Galilea,& Ammothdor & Carthan,cũ suburbanis suis,ciuitates tres.Omnes vrbes familiarũ Gerson,tredecim,cũ suburbanis suis. Filijs aũt Merari Leuitis † reliquis per familias suas data est de tribu Zabulon, Iecnam,& Cartha,& Damna,& Naalol,ciuitates quatuor,cũ suburbanis suis.De tribu Gad ciuitas cõfugij,Ramoth in Galaad,& Manaim,& Hesebon,& Iazer,ciuitates quatuor,cũ suburbanis suis. De tribu Ruben † Bosor,Iasa,Cademoth,Mephaath,ciuitates quatuor cũ suburbanis suis. Omnes vrbes filiorũ Merari † qui residui fuerunt ex familijs Leuitarũ per familias, & cognationes suas duodecim. Itaq; ciuitates vniuersę Leuitarũ in medio possessionis filiorum Israel fuerunt quadraginta octo cũ suburbanis suis, † fueruntq; ciuitates iste singulę seorsum posite, habẽtes suburbana sua p circuitũ: & sic erat de singulis his ciuitatibus. Deditq; Dominus Deus Israeli omnẽ terrã,quã traditurum se patribus eorũ iurauerat: & possederunt illá,atq; habitauerunt in ea.Dataq; est ab eo pax in oẽs per circuitũ nationes: nullusq; eis hostium resistere ausus est,sed cuncti in eorũ ditionẽ redacti sunt. Ne vnum quidẽ verbũ, quod illis præstiturum se esse promiserat,irritum fuit,sed rebus expleta sunt omnia.

Num. 35.a

1.Para. 6.d
Sapiẽ. 14.d

SCHOLIA.

[a] Arbe.] *Fuit Arba homo magnus,à quo descenderunt Enacim gigantes,homines ,magno & robusta corpore.* [b] Et suburbana.] *Spacium,quod mille cubitis extra mœnia versus quatuor mundi plagas porrigebatur.*

CAPVT XXII.

EOdem tempore vocauit Iosue Rubenitas, & Gadditas, & dimidiam tribum Manasse, dixitq; ad eos. Feciſtis omnia,quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini: mihi quoq; in omnibus obediſtis: nec reliquiſtis fratres vestros longo tempore, vsque in præsentem diem,custodientes imperium Domini Dei vestri. Quia igitur dedit Dominus Deus vester fratribus vestris quietem & pacem, sicut pollicitus est:

Num. 31.f

reuertimini,& ite in tabernacula vestra,& in terram possessionis, quam tradidit vobis Moyses famulus Domini trans Iordanem:ita duntaxat, vt custodiatis attentè, & opere compleatis mandatum, & legem quam præcepit vobis Moyses famulus Domini,vt diligatis Dominum Deum vestrum, & ambuletis in omnibus vijs eius,& obseruetis mandata illius, adhæreatisq; ei, ac seruiatis in omni corde, & in omni anima vestra. Benedixitq; eis Iosue,& dimisit eos. Qui reuersi sunt in tabernacula sua. Dimidiæ autem tribui Manasse possessionem Moyses dederat in Basan:& iccircò mediæ,quæ superfuit, dedit Iosue sortem inter cæteros fratres suos trans Iordanem ad occidentalem eius plagam. Cumq; dimitteret eos in tabernacula sua, & benedixisset eis,dixit ad eos. In multa substantia atque diuitijs reuertimini ad sedes vestras cum argento, & auro, ære ac ferro,& veste multiplici:diuidite prædam hostium cum fratribus vestris. Reuersiq; sunt, & abierunt filij Ruben,& filij Gad,& dimidia tribus Manasse, à filijs Israel de Silo, quę sita est in Chanáan,vt intrarent Galaad terram possessionis suę,quam obtinuerant iuxta imperium Dñi in manu Moysi.Cũq; venissent †ad locum Geliloth propè Iordanem,in terrã Chanáan,ędificauerunt iuxta Iordanẽ altare † magnũ, & conspicuũ.Quod cũ audissent filij Israel,& ad eos certi nuntij detulissent ędificasse filios Ruben,& Gad, & dimidię tribus Manasse altare in terra Chanáan,† in Geliloth iuxta Iordanem cõtra filios Israel : cõuenerunt omnes in Silo,vt ascenderent,& dimicarent cõtra eos.Et interim miserũt ad illos in terrã Galaad Phinees filiũ Eleazari sacerdotis,& decem principes cũ eo,singulos de singulis tribubus.Qui venerũt ad filios Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manasse in terram Galaad,dixeruntq; ad eos.Hæc mandat omnis populus Domini. Quæ est ista transgressio ? Cur reliquistis Dominum Deum Israel,ædificantes altare,† & à cultu illius recedentes? An parũ vobis est qp peccastis in Beelphegor, & vsq; in præsentem diem macula huius sceleris in nobis permanet,multiq; de populo corruerunt?Et vos hodie reliquistis Dominũ, & cras in vniuersum Israel ira eius desæuiet. [a] Quòd si putatis immundam esse terrã possessionis vestræ, transite ad terram in qua tabernaculũ Domini est,& habitate inter nos:tantum vt à Domino, & à nostro consortio non recedatis ædificato altari præter altare Domini Dei vestri. Nonne Achan filius Zare præterijt mandatum Domini, & super omnem populum Israel ira eius incubuit?Et ille erat vnus homo,atq; vtinam solus perijsset in scelere suo. Respon deruntq; filij Ruben,& Gad,& dimidiæ tribus Manasse principibus legationis Israel.[b] Fortissimus † deorũ Dominus,fortissimus deorum Dñs ipse nouit,& Israel simul intelliget:si præuaricationis animo, hoc altare construximus, non custodiat nos, sed puniat nos in præsenti : & si ea mente † extruximus altare nobis,vt recedaremus à Domino,vt holocausta,& sacrificium, & pacificas victimas super eo imponeremus, ipse quærat & iudicet:& non ea magis cogitatione atque tractatu,vt diceremus. Cras dicent filij vestri filijs nostris. Quid vobis, & Domino Deo Israel?terminum posuit Dominus inter nos & vos ò filij Ruben, & filij Gad Iordanẽ fluuium:& iccircò partem non habetis in Domino. Et per hanc occasionem auertent filij vestri filios nostros à timore Domini.Putauimus itaq; melius,& diximus. Extruamus nobis altare,non in holocausta,neque ad victimas offerendas,sed in testimonium inter nos & vos, & sobolem nostram vestramq; progeniem, [c] vt seruiamus Domino † per holocausta,& victimas,& pacificas hostias: & nequaquam dicant cras filij vestri filijs nostris.Non est vobis pars in Domino. Quod si voluerint dicere,respondebũt eis. Ecce altare Domini quod fecerunt patres nostri,non in holocausta, neque in sacrificium, sed in [d] testimonium nostrũ ac vestrum. Absit à nobis hoc scelus,vt recedamus à Domino,& eius vestigia relinquamus extructo altari ad holocausta,& sacrificia, & victimas offerendas,præter altare Domini Dei nostri quod extructum est ante tabernaculum eius. Quibus auditis,Phinees sacerdos,& principes legationis Israel, qui erant cum eo, placati sunt:& verba filiorum Ruben, & Gad,& dimidiæ tribus Manasse, libentissimè susceperunt. Dixitque Phinees filius Eleazari sacerdos ad eos.Nũc scimus quòd nobiscum sit Dominus,quoniam alieni estis à præuaricatione hac,& liberastis filios Israel de manu Domini. Reuersusq; est cum principibus à filijs Ruben & Gad de terra Galaad,in terram Chanáan ad filios Israel,& retulit eis. Placuitq; sermo cunctis audiẽtibus. Et laudauerunt Deum filij Israel,& nequaquam vltrà dixerunt,vt ascenderent contra eos atq; pugnarent, & delerent terram possessionis eorum. Vocaueruntq; filij Ruben, & filij Gad altare quod extruxerant, Testimonium nostrum,qp Dominus ipse sit Deus.

SCHOLIA.

[a] Quod si putatis immundam.] *Quod scilicet non sit altare Domini in ea,destituaturq; cultu Dei peculiari, cum tabernaculum,arca,& omnia sancta vltra Iordanem fuerint.* [b] Deorum Dominus.] *Hoc est,Deus angelorum, vt quidam Hebræi exponunt.* [c] Vt seruiamus Domino per holocausta.] *Hoc est,ereximus hoc altare,vt sciant posteri, nos de eodem populo esse,qui ius habet sacrificandi in eodem altari,quod stat in tabernaculo Moysis.* [d] Testimonium nostrũ.] *Vocauerunt aram illam,testem,eò quòd testis esset inter eos,quod Dominus sit Deus.*

CAPVT XXIII.

EVoluto autem multo tempore,postquam pacem dederat Dominus Israeli,subiectis in gyro nationibus vniuersis,& Iosue iam longęuo,& persenilis ætatis, vocauit Iosue omnem Israelem, maioresque natu,& principes,ac duces,& magistros,dixitq; ad eos.Ego senui, & progressioris ætatis sum : vosq; cernitis omnia,quę fecit Dominus Deus vester cunctis per circuitum nationibus, quomodo pro vobis ipse pugnauerit:& nunc † vobis sorte diuisi omnes gentes relictas istas in hæreditatem pro tribubus vestris à Iordane,& omnes gentes,quas exterminaui,vsq; ad magnum mare, & occasum solis. Dominus Deus vester disperdet eas,& auferet à facie vestra,& possidebitis terram earum sicut vobis pollicitus est : tantum confortamini,& estote solliciti, vt custodiatis cuncta,quę scripta sunt in volumine legis Moysi : & non declinetis ab eis,neq; ad dexteram,neq; ad sinistram:ne postquam intraueritis ad gentes,quę inter vos † relictæ sunt,iuretis in nomine deorum earũ,& seruiatis eis,& adoretis illos,sed adhæreatis Domino Deo vestro,quod feciſtis

vsq; in diem hanc:& tunc auferet Dominus Deus in cõspectu vestro gentes magnas & robustissimas, † sicut C
nec vsq; in hunc diem quicquam vobis resistere potuit:vnus è vobis persequetur hostium mille viros : quia
Dominus Deus vester pro vobis ipse pugnabit,sicut pollicitus est : hoc tantum diligentissimè præcauete, vt
diligatis Dominum Deum vestrum. Quòd si volueritis gentium harum, quæ inter vos habitant, erroribus
adhærere,& cum eis miscere connubia,atq; amicitias copulare:iam tunc scitote quòd Dominus Deus vester
non eas delebit ante faciem vestram,sed erunt vobis in foueam,ac laqueum , [a] & offendiculum ex látere ve-
stro , & sudes in oculis vestris , donec vos auferat atq; disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis. En D
ego hodie ingrediar viam vniuersę terræ,& vos toto animo cognoscitis,quòd de omnibus verbis,quę se Do-
minus præstiturum vobis esse pollicitus est, [b] vnum non præterierit incassum . Sicut ergo impleuit opere,
quod promisit,& prospera cuncta venerũt:sic adducet super vos quicquid malorum comminatus est, donec
vos auferat atq; disperdat de terra hac optima quam tradidit vobis , eò q̃ præterieritis pactum Domini Dei
vestri,quod pepigit vobiscum,& seruieritis dijs alienis,& adoraueritis eos:citò atq; velociter cõsurget in vos
furor Domini,& auferemini ab hac terra optima quam tradidit vobis.

SCHOLIA.

[a] Et offendiculum ex latere vestro.] *Alius vertit. Flagellum in lateribus vestris, & in spinas in oculis vestris.*

[b] Vnum non præteribit.] *Cum præstiterit (inquit) omnia Deus, quæ promisit vobis, cauendum est, ne post tanta accepta beneficia, illi ingrati simus.*

CAPVT XXIIII.

Gene. 11.d Gene. 21.a 25.d Gene. 26.a Gene 46.a Exod. 3.c Exod. 12.f Exod. 14.a Num. 21.c Num. 22.a Su. 3. d. 6.a Supra 12.a Supra 11.d

COngregauitq; Iosue omnes tribus Israel in Sichem,& vocauit maiores natu, ac principes , & iudices, A
& magistros : steteruntq; in conspectu Domini , & ad populum sic locutus est. Hæc dicit Dñs Deus
Israel. [a] Trans fluuium habitauerũt patres vestri ab initio,Thare pater Abraham, & † pater Nachor,
seruieruntq; dijs alienis. Tuli ergo patrem vestrum Abraham † ab altera parte fluuij,& adduxi eum in ter-
ram Chenáan:multiplicauiq; semen eius,& dedi ei Isaac:illiq; rursum dedi Iacob,& Esau.E quibus,Esau de-
di montem Seir ad possidendum:Iacob verò,& filij eius descẽderũt in Ægyptum.Misiq; Moysen,& Aaron, B
& percussi Ægyptũ.† [b] Eduxiq; vos,& patres vestros de Ægypto,& venistis ad mare : persecutiq; sunt Ægy-
ptij patres vestros cum curribus,& equitatu,vsq; ad mare rubrũ . Clamauerũt autem ad Dominũ filij Israel:
qui posuit tenebras inter vos,& Ægyptios:& adduxit super eos mare , & operuit eos . Viderunt oculi vestri
cuncta,quæ in Ægypto fecerim,& habitastis in solitudine multo tempore:& introduxi vos in terram Amor
rhæi,qui habitabat trans Iordanem.Cumq; pugnarẽt contra vos, tradidi eos in manus vestras, & possedistis
terram eorũ,atq; interfeceristis eos. Surrexit autem Balac filius Sephor rex Moab, & [c] pugnauit cõtra Israe-
lem.Misitq;,& vocauit Balaam filium Beor,vt malediceret vobis:& ego nolui audire eũ , sed è contrario per C
illum benedixi vobis,& liberaui vos de manu eius. Transistisq; Iordanem , & venistis ad Iericho.Pugnaue-
runtq; contra vos viri ciuitatis eius, Amorrhęus,& Pherezęus , & Chananæus , & Hethæus,& Gergesæus, &
Heuęus,& Iebusæus:& tradidi illos in manus vestras.Misiq; ante vos crabrones:& eieci eos de locis suis duos
reges Amorrhæorum,non in gladio,& in arcu tuo.Dediq; vobis terram in qua non laborastis,& vrbes quas
non ædificastis,vt habitaretis in eis,vineas,& oliueta,quę non plantastis † vos comeditis. Nunc ergo time
te Dominum, & seruite ei perfecto corde atq; verissimo:& auferte Deos quibus seruierũt patres vestri † trãs D
flumen , & in Ægypto , ac seruite Domino.Si autem malũ vobis videtur, vt Domino seruiatis,optio vobis
datur : eligite hodie quod placet, cui seruire potissimum debeatis,vtrum dijs quibus seruierunt patres vestri
† trans flumen,an dijs Amorrhęorum,in quorum terra habitatis: ego autem & domus mea seruiemus Do-
mino . Respondit̃q; populus , & ait. Absit à nobis,vt relinquamus Dominum,& seruiamus dijs alienis.

Dominus Deus noster ipse eduxit nos,& patres nostros de terra Ægypti,& de domo seruitutis : fecitq; vi- E
dentibus nobis signa ingentia,& custodiuit nos in omni via per quam ambulauimus , & in cunctis populis
per quos transiuimus.Et eiecit vniuersas gentes, & Amorrhæum habitatorem terræ quam nos intrauimus.
Seruiemus igitur Domino,quia ipse est Deus noster. Dixitq; Iosue ad populũ. [d] Nõ poteritis seruire Domi
no: [e] Deus enim sanctus & fortis æmulator est,nec ignoscet sceleribus vestris atq; peccatis.Si dimiseritis Do-
minum,& seruieritis dijs alienis, cõuertet se & affliget vos , atq; subuertet postquam vobis præstiterit bona. F
Dixitq; populus ad Iosue.Nequaquam ita,vt loqueris,erit,sed Domino seruiemus. Et Iosue ad populum.
Testes,inquit,vos estis,quod ipsi elegeritis vobis Dñm,vt seruiatis ei. Responderuntq;, Testes. Nũc ergo,
ait, [f] auferte deos alienos de medio vestri.& inclinate corda vestra ad Dominum Deũ Israel . Dixitq; popu-
lus ad Iosue,Domino Deo nostro seruiemus,& obedientes erimus præceptis eius.Percussit ergo Iosue in die
illo fœdus,& proposuit populo præcepta atque iudicia in Sichem. Scripsit quoq; omnia verba hæc in volu-
mine legis Domini:& tulit lapidem pergrandem,posuitq; eum subter quercum,quæ erat in sanctuario Do-
mini,& dixit ad omnem populum.Ecce lapis iste erit nobis in testimonium,† quoniam audiuit omnia verba
Domini,quæ locutus est † nobiscum,atque ideo erit contra vos in testimonium:ne forte postea negare veli- G
tis,& mentiri Domino Deo vestro. Dimisitq; populum,singulos in possessionẽ suam. Et post hęc g mor
tuus est Iosue filius Nun seruus Domini,centum & decem annorum:sepelieruntq; eum in finibus possessio-
nis suæ in Thamnathsáre,quæ est sita in monte Ephráim,à septentrionali parte montis Gaas , Seruiuitq; Is-
rael Domino cunctis diebus Iosue & seniorum,qui longo vixerant tempore post Iosue, & qui nouerant om
nia opera Domini,quæ fecerat in Israel. Ossa quoq; Ioseph,quæ tulerant filij Israel de Ægypto , sepelierunt
in Sichem,in parte agri quem emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem centum nouellis ouibus , & † fue-
runt in possessionem filiorum Ioseph.Eleazar quoq; filius Aaron mortuus est : & sepelierunt eũ in Gabaath
Phinees filij eius,quæ data est ei in monte Ephraim.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Transfluuium.] *Scilicet vltra Euphratem in Mesopotamia, vnde aliquando appellatur Abraham transfluuialis.*

[b] Eduxiq; vos.] *Loquitur ad seniores, qui adhuc superstites fuerunt, & in pueritia mare rubrum transierant. Quando verò dicit, eduxi patres vestros, loquitur ad eos, qui in deserto nati fuerunt.* [c] Pugnauit contra Israelem.] *Per hanc pugnam dicunt intelligi impostúram illã, qua Balac vocauit Balaam, vt malediceret populo. Similiter non inuenitur, quòd viri Hiericho pugnaturi venerint contra Israelem, cum ciuitas ipsa vndiq; clausa, & obserata fuerit, sed emiserunt aliquos ex magistratu, qui euntes ad reges Chanáan, sollicitauerunt eos ad pugnam contra Israel.* [d] Non poteritis seruire Domino.] *Quasi dicat, magno opus est studio ac diligentia, vt præstetis, quod pollicemini.* [e] Deus enim sanctus.] *In Hebræo est, quoniam dy sanctí ipse, vbi & pluralitas & vnitas, quæ in Diuinis inuenitur, exprimitur.* [f] Auerte deos alienos.] *Hoc est, imagines aureas, & argenteas, quas in depopulationibus ciuitatum sustulerunt.* [g] Mortuus est Iosue.] *Ferunt Iosue præfuisse populo, viginticto annis, mortuumq; esse anno sexagesimooctauo, aut nono post exitum de Aegypto.*

LIBER IVDICVM
HEBRAICE SOPHTIM.

CAPVT I.

A OST mortem Iosue consuluerunt filij Israel Dominum dicentes. [a] Quis ascendet ante
nos contra Chananæum,& erit dux belli ? Dixitq; Dominus,Iudas ascendet: ecce tradi-
di terram in manus eius.Et ait Iudas Simeoni fratri suo. Ascende mecum in sortẽ meã,
& pugna contra Chananæum,vt & ego pergam tecum in sorte tua . Et abijt cum eo Si-
meon.Ascenditq; Iudas,& tradidit Dominus Chananæum,ac Pherezęum in manus eo
rum:& percusserunt in Bezec decem millia virorum. Inueneruntq; Adonibezec in Be-
B zec,& pugnauerunt contra eum,ac percusserunt Chananæum,& Pherezęum.Fugit au-
tem [b] Adonibezec:quem persecuti comprehenderunt,cæsis † pollicibus manuũ eius ac pedũ. Dixitq; Ado-
nibezec.Septuaginta reges amputatis manuũ ac pedũ † pollicibus , colligebant sub mensa mea ciborum re-
liquias:sicut feci,ita reddidit mihi Dominus. Adduxeruntq; eũ in [c] Ierusalem,& ibi mortuus est.Oppugnan
tes ergo filij Iuda Ierusalem,ceperunt eam & percusserunt in ore gladij,tradentes cũctam incendio ciuitatẽ. Iosue 15.d
Et postea descendentes pugnauerunt contra Chananæum,qui habitabat in montanis, & ad meridiem in cã-
C pestribus.Pergensq; Iudas contra Chananæum,qui habitabat in Hebron , cuius nomen fuit antiquitus Ca-
riatharbe,percussit Sesai, Ahiman,& Tholmai:atq; inde profectus abijt ad habitatores Dabir, cuius nomen
vetus erat Cariathsepher,id est ciuitas literarum. Dixitq; Caleb.Qui percusserit Cariathsepher, & vastauerit
eam,dabo ei Axam filiam meã vxorẽ. Cumq; cepisset eã Othoniel filius Cenez fratris Caleb † qui minor il-
lo erat,dedit ei Axam filiam suam coniugem.Quam pergentem in itinere monuit vir suus,vt peteret à patre
suo agrum.† Quę cum lapsa esset de asino,dixit ei Caleb.Quid habes?At illa respondit.Da mihi benedictio-
D nem,quia terram arentẽ dedisti mihi:da & irriguam aquis.Dedit ergo ei Caleb irriguum superius & irriguũ
inferius.Filij autem Cinæi † soceri Moysi ascenderunt de [d] ciuitate palmarũ, cũ filijs Iuda in desertum sortis
eius,quod est ad meridiem Arad,& habitauerunt cũ eo . Abijt autem Iudas cum Simeone fratre suo, & per- Num. 14.d
cusserunt simul Chananęum,qui habitabat in Sephath,& interfecerunt eum. Vocatumq; est nomen vrbis,
Horma,id est anáthema.Cepitq; Iudas Gazã cum finibus suis,& Ascalonem, atq; Accaron cũ terminis suis.
Fuitq; Dominus cum Iuda , & montana possedit : nec potuit delere [e] habitatores vallis , quia falcatis curri-
E bus abundabant.Dederuntq; Caleb Hebron,sicut dixerat Moyses:qui deleuit ex ea tres filios Enac. Iebusæũ
autem habitatorem Ierusalem non deleuerunt filij Beniamin:habitauitq; Iebusæus cum filijs Beniamin [f] in
Ierusalem vsq; in præsentem diem.Domus quoq; Ioseph ascendit in Bethel : fuitq; Dominus cum eis. † Ex-
ploraueruntautem ij,qui erant de domo Ioseph,Bethel,cuius vrbis nomen antea fuit Luza : & viderunt ob-
seruatores hominem egredientem de ciuitate,dixeruntq; ad eũ. Ostende nobis introitum ciuitatis, & facie-
mus tecum misericordiam.Qui cum ostendisset eis,percusserunt vrbem in ore gladij:hominẽ autem illum,
F & omnem cognationem eius dimiserunt.Qui dimissus,abijt in terram Hethim, & ædificauit ibi ciuitatem,
vocauitq; eam Luzam:quę ita appellatur vsq; in præsentem diem. Manasses quoque non deleuit Bethsan,
& Tanach cum viculis suis,& habitatores Dor,& Ieblaam,& Mageddo cum viculis suis: † aususque est Cha-
nanæus habitare cum eis . Postquam autem confortatus est Israel , fecit eos tributarios , & delere noluit.
Ephráim etiam non interfecit Chananęum,qui habitabat in Gazer,sed habitauit cum eo. Zabulon nó
deleuit habitatores Cethron,& Naalol,sed habitauit Chananæus in medio eius, factusq; est ei tributarius.
G Aser quoque non deleuit habitatores Accho, & Sidonis, Alab , & Achazib , & Amma,& Aphec , & Ro-
hob,habitauitq; in medio Chananæi habitatoris illius terræ,nec interfecit eum . Nephthali quoque non
deleuit habitatores Bethsemes,& Bethanath:& habitauit inter Chananæum habitatorem terræ,fueruntq; ei
Bethsemitæ,& Bethanitæ tributarij.Arctauitq; Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum , vt ad
planiora descenderent : habitauitq; † Amorrhæus in monte Hares,quod interpretatur † testa in Aialon , &

Salebim. Et † inualuit manus domus Ioseph, factusq; est ei tributarius. Fuit autem terminus Amorrhæi ab ascensu scorpionis Petra, & superiora loca.

SCHOLIA.

[a] Quis ascendet.] *Mortuo Iosue cum destituti essent duce, pondus magnum primo incubuit bello, cum nullum communem haberent gubernatorem. Vnde prudenter currunt ad oraculum Diuinum, rogantes, quam ipse Deus delegerit tribum, quæ in imminentibus prælijs teneat gubernacula.* [b] Adonibezec.] *Hoc est, Dominus loci Bezech.* [c] Ierusalem.] *Hæc oppugnatio Hierusalem, & Dabir, facta est adhuc viuente Iosue, vt habes Cap. 10. & 15.* [d] Ciuitate palmarum.] *Hæc ciuitas fuit Hiericho, quòd multæ per circuitum eius crescerent palmæ. Et licet anáthemati suppósita esset, tamen tota Vallis illa denominata est ab ipsa. Cur autem isti Cinæi, qui à Iethro socero Mosis descenderunt, cum filijs Iudæ ab hoc loco migrarint, ex textu sciri non potest, nisi quòd quidam putant, eos fugisse consortium Chananæorum, ne eorum commercio contagionis aliquid contraherent. Ab his Cinæis tandem descenderunt Rechabitæ, de quibus habetur Iere. 35. Et quando dicitur in lege de Iethro quòd abierit in terram suam. Hebræi hoc sic intelligendum putant: quòd abierit, vt proselytos faceret homines suæ cognationis, & ad fidem vnius, ac veri Dei conuerteret.* [e] Habitatores vallis.] *Non potuerunt exterminare habitatores Vallium, non ob id tantum, quòd vterentur curribus, acutis falcibus munitis, sed quòd Dominus voluit eos exerceri per gentes illas, ne ocio torperent, & sui obliuiscerentur. Sic non semper aufert tentationes à suis Deus, vtilitatis eorum gratia.* [f] In Ierusalem vsque in præsentem diem.] *Quando dicitur, quòd in hunc vsq; diem expugnari non potuerit, Hebræi id referendum docent ad tempus Samuelis qui hunc scripsit librum, cuius temporibus Iebusæi adhuc Hierosolymam inhabitabant.*

CAPVT II.

Gene. 22. d
Exod. 33. a

Iosue 24. g

A Scenditq; [a] angelus Domini de Galgalis ad locum flentium, & ait. Eduxi vos de Ægypto, & introduxi in terram pro qua iuraui patribus vestris: & pollicitus sum, vt non facerem irritum pactū meū vobiscum in sempiternum: ita duntaxat, vt non feriretis fœdus cum habitatoribus terræ huius, & aras eorum subuerteretis: & noluistis audire vocem meam: cur hoc fecistis? Quam ob rem nolui delere eos à facie vestra: vt habeatis hostes, & dij eorum sint vobis in ruinam. Cumq; loqueretur angelus Domini hæc verba ad omnes filios Israel, eleuauerunt vocem suam, & fleuerunt. Et vocatum est nomen loci illius. Flentium siue Lachrymarum: immolaueruntq; ibi hostias Domino. Dimisit ergo Iosue populū, & abierunt filij Israel vnusquisque in possessionem suam, vt obtinerent eam, seruieruntq; Domino cunctis diebus B eius, & seniorum, qui longo post eum vixerunt tempore, & nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cū Israel. Mortuus est autem Iosue filius Nun, famulus Domini centum & decem annorum, & sepelierunt eū in finibus possessionis suæ in [b] Thamnath Hares in monte Ephraim, à septentrionali plaga montis Gaas. Omnisq; illa generatio congregata est ad patres suos: & surrexerunt alij, qui non nouerunt Dominum, & opera, quę fecerat cum Israel. Feceruntq; filij Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt [c] Baalim. Ac dimiserunt Dominum Deum patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti: & secuti sunt deos alienos, deos quoque populorum qui habitabant in circuitu eorum, & adorauerunt eos, & ad iracundiam con- C citauerunt Dominum, dimittentes eum, & seruientes Baal & Astaroth. Iratusq; Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium: qui † diripuerunt eos, & vendidit eos hostibus qui habitabant per gyrum: nec potuerunt resistere aduersarijs suis: sed [d] quocunque pergere voluissent, manus Domini super eos erat, sicut locutus est, & iurauit eis: & vehementer afflicti sunt. Suscitauitq; Dns iudices qui liberarent eos de vastantium manibus, sed nec eos audire voluerunt, fornicantes cum dijs alienis, & adorantes eos. Citò deseruerunt viam per quam ingressi fuerant patres eorum: & audientes mandata Domini, omnia fecere contraria. Cumq; Dominus iudices suscitaret, † erat Dominus cum iudice cunctis diebus illius iudicis, & flecte D batur misericordia, & audiebat afflictorum gemitus, & liberabat eos de cęde vastantium. Postquam autem mortuus esset iudex, reuertebantur, & multò faciebant peiora quàm fecerant patres eorum, sequentes deos alienos, seruientes eis, & adorantes illos. Non dimiserunt adinuentiones suas, & viam durissimam per quā ambulare consueuerant. Iratusq; est furor Domini in Israel, & ait. Quia irritum fecit gens ista pactū meū quod pepigeram cum patribus eorum, & vocem meam audire contempsit, & ego non delebo gentes quas dimisit Iosue, & mortuus est: vt [e] in ipsis experiar Israel, vtrū custodiant viam Domini, & ambulent in ea, sicut custodierunt patres eorum, an non. Dimisit ergo Dominus omnes nationes has, & citò subuertere noluit, nec tradidit in manus Iosue.

SCHOLIA.

[a] Angelus Domini.] *Hebræi hic intelligunt per angelum, nuntium Domini, nempè Phinees, qui spiritu prophetico afflatus obiurgauit filios Israel. Vnde ad fletum commoti, ob rei euentum, loco nomen indiderunt.* [b] In Thamnath Hares.] *Est Hares idem quod sol, cuius figuram Hebræi dicunt positam super sepulchrum Iosue, qui precatione sua fecerat stare in cœlo solem. Et hinc locus ille vocatus fuit Thamnath solis, quasi figura, seu effigies solis.* [c] Baalim.] *Vocantur in Hebræo plerique dij vani, atque simulachra gentium, Baal, & Baalim, quòd sint quasi domini eorum, qui colunt eos. Est enim Baal, dominus magister, & maritus. Astaroth verò sunt imagines idolorum factæ in similitudinem ouium.* [d] Quocunque pergere voluissent.] *Intelligendum est de egressu in bellum.* [e] In ipsis experiar Israel]. *Ad probationem fidei piorum, permittuntur aduersarij inter eos versari.*

CAPVT III.

HÆ sunt gentes quas Dominus dereliquit, vt † tentaret in eis Israelem & omnes, qui non nouerant A bella Chananæorum: [a] & postea discerēt filij eorum certare cum hostibus, † eò quòd prius ea ignorabant: quinque satrapas Philisthinorum, omnemq; Chananæum, & Sidonium atque Heuęum, qui habitabant in monte Libano, de monte Baalhermon vsque ad introitum Emath. Dimisitque eos, vt in ipsis

in ipsis experiretur Israelem vtrum audirent mandata Domini, quæ præceperat patribus eorum per manum Moysi, an non. Itaque filij Israel habitauerunt in medio Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi: & duxerunt vxores filias eorum, ipsiq; filias suas filijs eorum tradiderunt, & seruierunt dijs eorum. Feceruntq; malum in conspectu Domini, & obliti sunt Dei sui, seruientes Baalim, & B Astaroth. Iratusq; contra Israel Dominus, tradidit eos in manus Chusan rasathaim regis Mesopotamiæ, seruieruntq; ei octo annis. Et clamauerunt ad Dominum: qui suscitauit eis saluatorem, & liberauit eos, Othoniel videlicet filium Cenez, † fratris Caleb qui illo minor erat, fuitq; in eo spiritus Domini, & iudicauit Israel. Egressusq; est ad pugnam, & tradidit Dominus in manus eius Chusan rasathaim regem Syriæ, & oppressit eum. Quieuitq; terra quadraginta annis, & mortuus est Othoniel filius Cenez. Addiderunt autem filij Israel facere malum in conspectu Domini: qui confortauit aduersum eos Eglon regem Moab: quia fecerunt malum in conspectu eius. Et copulauit sibi filios Ammon, & Amalec: abijtq; & percussit Israel, atque possedit vrbem palmarum. Seruieruntq; filij Israel Eglon regi Moab decem & octo annis, & postea clamauerunt ad Dominum: qui suscitauit eis saluatorem vocabulo Aod, filium Gera filij [b] Iemini, † cuius viri dextera manus [c] erat contracta. Miseruntq; filij Israel per illum munera Eglon regi Moab. Qui fecit sibi gladium C ancipitem, † longitudine cubitali, & accinctus est eo subter sagum in dextro femore. Obtulitq; munera Eglon regi Moab. Erat autem Eglon crassus nimis. Cumq; obtulisset ei munera, † diuisit socios qui munus portauerant. [d] Et reuersus de Galgalis, vbi erant idola, dixit ad regem. Verbum secretum habeo ad te ò rex. Et ille imperauit silentium: egressisq; omnibus, qui circa eum erant, ingressus est Aod ad eum: sedebat autem in æstiuo cœnaculo solus, dixitq;, Verbum Dei habeo ad te. Qui statim surrexit de throno. Extenditq; Aod sinistram manum, & tulit ficam de dextro femore suo, infixitq; eam in ventrem eius tam validè, vt capulus sequeretur ferrum in vulnere, ac pinguissimo adipe † lamina stringeretur. Nec eduxit gladium, sed ita, vt percusserat reliquit in corpore, stat imq; † stercora proruperunt. Aod autem clausis † ostijs cœnaculi, & obfirmatis sera, per † vestibulum egressus est. Seruiq; regis † venientes viderunt clausas fores cœnaculi, atq; dixerunt. [e] Forsitan purgat aluum in æstiuo cœnaculo. Expectantesq; diu donec erubescerent, & videntes, D q; nullus aperiret, tulerunt clauē: & aperiētes inuenerunt dominū suū in terra iacētem mortuū. Aod autem dum illi turbarētur, effugit, † & trāsiuit vsq; ad locū idolorū, euasitq; in Seirath: & statim insonuit buccina in mōte Ephraim: descēderuntq; cū eo de mōte filij Israel, ipso in fronte gradiēte. Qui dixit ad eos, Sequimini me: tradidit enim Dominus inimicos nostros Moabitas in manus nostras. Descēderuntq; post eum, & occupauerunt vada Iordanis, quę transmittunt in Moab: & non dimiserunt transire quēquam, sed percusserūt Moabitas in tēpore illo circiter decē millia, omnes robustos & fortes viros: nullus eorū euadere potuit. Humiliatusq; est Moab in die illo sub manu Israel: & quieuit terra octoginta annis. Post hūc fuit Samgar filius Anath, qui percussit de Philistijm sexcentos viros † stimulo bouis: & ipse quoq; defendit Israel.

SCHOLIA.

[a] Postea discerent.] *Vel, vt saltem scirent generationes filiorum Israel, & doceret eos prælium: magna (inquit) illa prælia, quæ gesta sunt contra Chananæos, facta fuerunt virtute Diuina & non humana. Nunc autem cum filij Israel paulatim deficerent à Domino Deo, voluit Dominus eos docere, quid esset prælium, vt suo incommodo discerent, quam periculosè illi belligerentur, qui Dominum contra se offensum in bello habent. Patres eorum, qui ante eos pugnauerunt contra gentes, nihil horum scierunt, cum non ipsi, sed Dominus contra hostes eorum pugnauerit. Proinde quinque satrapæ, de quibus hic agitur, fuerunt præfecti quinque principalium ciuitatum Palestinæ scilicet, Azoti, Gazæ, Geth, Ascalonis, & Accaronis. Et cū suprà dictum sit, Iudam cepisse Ascalonem, Gazam, et Accaronem cū terminis eorū, facilè hic aduerti potest, Philistæos vrbes illas iterū occupasse, promerētibus id Iudæorū peccatis.* [b] Iemini.] *Hoc est, de tribu Beniamin, vt Ionathas Cal. vertit.* [c] Erat contracta.] *Hic manum dextram habebat nulli vsui aptam, sola sinistra vtebatur: quod scriptura hic cōmemorat, quo egregium illud facinus, & Dei opus magis commendet.* [d] Et reuersus.] *Oblato munere egressus est cum sodalitio suo, peruentq; vsq; ad locum vbi lapidicinæ erat in Galgal, vbi imagines ex lapidibus sculpebantur. Et positis socijs in tuto loco, reuersus est ipse solus, vt si infeliciter negocium adoriretur, solus periculo obnoxius esset. Nec voluit rex, vt secretum illud aperiret præsentibus famulis, quare imperauit silentium & dixit, tace, &c.* [e] Forsitan purgat aluum.] *Hebraismus habet, forsitan cooperit pedes suos. Describit autem hic Hebraismus rem verecundam obtectis verbis. Si quidem qui verecundi sunt, cum necessitati naturæ operam dant, vestibus pedes & crura tegunt.*

CAPVT IIII.

A ADdideruntque filij Israel facere malum in conspectu Domini post mortem Aod: & tradidit illos Dominus in manus Iabin regis Chanaan, qui regnauit in Asor: habuitque ducem exercitus sui nomine Sisaram, ipse autem habitabat [a] in Haroseth gentium. Clamauerunque filij Israel ad Dominum: nongentos enim habebat falcatos currus, & per viginti annos vehementer oppressérat eos.

Erat autem Debora prophetes vxor Lapidoth, quę iudicabat populum in illo tempore. Et sedebat sub palma, quę nomine illius vocabatur, inter Rama & Bethel in monte Ephraim: ascendebantq; ad eam filij Israel in omne iudicium. Quæ misit, & vocauit Barac, filium Abinoem de Cedes Nephthali: dixitque ad eum, Præcepit tibi Dominus Deus Israel, Vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum de filijs Nephthali, & de filijs Zabulon: ego autem adducam ad te in loco torrentis Cison, Sisaram Principem exercitus Iabin, & currus eius: atque omnem multitudinem, & tradam eos in ma- B nu tua. Dixitque ad eam Barac, Si venis mecum, vadam: si nolueris venire mecum, non pergam. Quæ dixit ad eum. Ibo quidem tecum, sed in hac via victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara. Surrexit itaque Debora, & perrexit cum Barac in Cedes. Qui accitis Zabulon, & Nephthali, ascē-

dit cum decem millibus pugnatorum, habens Deboram in comitatu ſuo.[b] Haber autem Cinæus receſſerat quódam á cæteris Cineis † filijs Hobab, †ſoceri Moyſi: & tetenderat tabernacula vſque ad vallem quæ vocatur Sennim & erat iuxta Cedes. Nuntiatumq; eſt Siſarę quòd aſcendiſſet Barac filius Abinoem, in montem Thabor: & congregauit non gentos falcatos currus, & omnem exercitum de Haroſeth gentium ad torrentem Ciſon. Dixitq; Debora ad Barac, Surge, hæc eſt enim dies in qua tradidit Dominus Siſaram in ma- C
Pſal. 82. c nus tuas: en ipſe ductor eſt tuus. Deſcendit itaq; Barac de monte Thabor, & decem millia pugnatorum cum eo. † Contriuitq; Dominus Siſaram, & omnes currus eius, vniuerſamq; multitudinem in ore gladij ad conſpectum Balac: in tantum vt Siſara de curru deſiliens, pedibus fugeret, & Barac perſequeretur fugientes currus, & exercitum vſq; ad Haroſeth gentium, & omnis hoſtium multitudo vſque ad † vnum in ore gladij caderet. Siſara autem fugiens peruenit ad tẽtorium Iahel vxoris Haber Cinęi. Erat autem pax inter Iabin regem Aſor, & domum Haber Cinęi. Egreſſa igitur Iahel in occurſum Siſarę, dixit ad eum, Intra ad me domine mi, intra, ne timeas. Qui ingreſſus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio, dixit ad eã, Da mihi obſecro paululum aquæ, quia ſitio valde. Quæ aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum. Dixitq; Siſara D
ad eam, Sta ante oſtium tabernaculi, & cum venerit aliquis interrogans te, & dicens, Nũquid hic eſt aliquis? reſpondebis. Nullus eſt. Tulit itaq; Iahel vxor Haber clauum tabernaculi, aſſumens pariter & malleum: & ingreſſa abſconditè, & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumq; malleo defixit in cerebrum vſque ad terram: † nam ſopore plenus erat & laſſus, & mortuus eſt. Et ecce Barac ſequens Siſaram veniebat: egreſſaq; Iahel in occurſum eius, dixit ei, Veni, & oſtendam tibi virum quem quæris. Qui cum intraſſet ad eam, vidit Siſaram iacẽtem mortuum, & clauum infixum in tempore eius. Humiliauit ergo Deus in die illo Iabin regem Chanáan corám filijs Iſrael: qui creſcebant quotidie, & forti manu opprimebant Iabin regem Chanáan, donec delerent eum.

SCHOLIA.

[a] In Haroſeth gentium.] *Vel in nemore gentium. Licet Ioſua regem Iabin, & ciuitatem eius Haſor exterminauerit, manſerunt tamen reliquiæ aliquæ, quæ fugientes in nemora gentium, ſucceſſu temporis vires receperunt, & alium inſtituerunt regẽ, qui erat de ſemine Iabin, & affligere cæpit filios Iſrael.* [b] Haber autem Cinæus.] *Haber Cinæus licet fœdus haberet cum Iabin, maluit tamen illud diſſoluere, quàm hoſtem filiorum Iſrael fouere. Segregatus verò fuit Haber à reliquis Cinæis, qui habitabant in deſerto Iuda, illuc ex ciuitate palmarum tranſlati.*

CAPVT V.

CEcineruntq; Debora & Barac filius Abinoem in illo die, dicẽtes, † [a] Propter vltiones factas in Iſrael, A
& propter populum volũtarium redditũ, benedicite Domino. Audite reges, auribus percipite principes. Ego, † ego Domino canam, pſallam Domino Deo Iſrael. Domine cum exires de Seir, & tranſires per regiones Edom, terra mota eſt, cœliq; ac nubes diſtillauerunt aquis. Montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Iſrael. In diebus Sangar filij Anath, in diebus Iahel [b] quieuerũt ſemitę: & qui ingrediebantur per eas, ambulauerunt per calles deuios. Ceſſauerunt † oppida in Iſrael, & quieuerũt: donec ſurgerem † ego Debora, ſurgerem mater in Iſrael. [c] Nouos deos eligebat, tunc bellum in portis habuit, clypeus & haſta ſi apparuerint in quadraginta millibus Iſrael. Cor meum † ad principes Iſrael: qui propria voluntate obtuliſtis vos diſcrimini: benedicite Domino. [d] Qui aſcenditis ſup nitentes aſinos, & ſedetis ſupra in B
iudicio, & ambulatis in via, loquimini. † A voce iaculatorum inter haurientes aquas, ibi prædicabunt iuſtitias Domini, iuſtitias in locis Iſrael non munitis. Tunc deſcendit populus Domini ad portas. † Surge ſurge Debora, ſurge ſurge, & loquere canticum: ſurge Barac, & apprehende captiuos tuos fili Abinoem. † [e] Tunc dominabuntur reliquiæ magnificis populi. Dominus dominabitur propter me potentibus. [f] Ex Ephráim fuit radix eorum contra Amalech, & poſt te Beniamin in populis tuis: [g] de Machir principes deſcenderunt, & de Zabulon qui † ſtilum ducerent ſcribæ. Duces Iſſachar fuere cum Debora. † Sed & Iſachar atque Barac in vallẽ miſſus eſt pedibus ſuis, [h] cũ in ſeparatiõe Ruben eſſent magni viri, & ſapiẽtes corde. Quare habitas inter caulas, vt audias ſibilos gregum, & ſegreges Ruben cum magnatibus, & ſapientibus corde? Galaad trans Iordanem quieſcebat, & Dan vacabat nauibus: Aſer habitabat in littore maris, & in † locis ſuis ruino- C
ſis morabatur. Zabulon verò & Nephthali obtulerunt animas ſuas morti in regione Merome. Venerunt reges & pugnauerunt, pugnauerunt reges Chanáan in Tanach. iuxta aquas Mageddo, & tamen [i] nihil tulere prædantes. De cœlo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manẽtes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt. Torrens Ciſon traxit cadauera eorum, torrens Cadumin, torrẽs Ciſon: [k] conculca anima mea robuſtos. †[l] Tunc concuſſę ſunt vngulę equorum propter ſaltus, à magnificis eorum excitatos. Maledicite terræ Meroz, dixit angelus Domini, maledicite habitatoribus eius, quia non venerunt ad auxilium Domini in adiutorium † Domini cum fortibus. Benedicta inter mulieres Iahel vxor Haber Cinæi, & benedicatur in tabernaculo. Aquam petenti, lac dedit, & in phiala principum obtulit butyrum. Siniſtram manum miſit D
ad clauum, & dextram ad fabrorum malleos, percuſſitq; Siſaram, † vulnerans caput eius, & tempus validè perforãs. Inter pedes eius ruit, defecit, & mortuus eſt. Voluebatur ante pedes eius, & iacebat exanimis & miſerabilis. Per feneſtram reſpiciens, vlulabat mater eius, & † per cancellos. Cur moratur regredi currus eius? quare tardauerunt pedes quadrigarum illius? † Sapientes quæq; dominę reſpondebant illi, quin & ipſa ſibi ipſi reddebat verba. Certè inuenerũt: diuidunt ſpolia: eſt puella vna vel duæ cuilibet viro veſtes diuerſorum colorum Siſaræ traduntur in prædam: prædam, inquam, veſtium diſcolorium, & quæ acu pictæ ſunt: veſtem diſcolorem & acu pictam, [m] quæ priori competit in ſpoliorũ diſtributione. Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, ſicut ſol † cum progreditur in fortitudine ſua, ita rutilent. Quieuitque terra per quadraginta annos.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Propter vltiones.] *Primò prophetes iubet Deum laudari propter vltionem Iſraelis, & iterum propter obedientiam populi, qui tam voluntariè ad bellum contra hoſtem proceſſit. Deinde magnificat Deum, quòd non minori præſidio aſſuerit Iſraeli in hoc prælio, quàm cum pugnaret pro filijs Iſrael contra reges Seon, & Og, cum tranſiſſent montem Seir, in quo prælio montes tremere videbantur, haud ſecus quàm mons Sinai, cum Dominus deſcendiſſet ſuper illum.* [b] Quieuerunt ſemitæ.] *Hoc eſt, tantus vbique metus fuit hoſtium, vt nemo niſi per obliquas, atque obliteratas vias incedere auderet, ſed & habitatores locorum non munitorum coacti ſunt confugere ad loca tutiora, ne hoſtium prædæ exponerentur.* [c] Nouos deos eligebat.] *Hoc eſt, cum eligeret Iſrael deos nouos, & verum deſereret Deum, habuit hoſtem in portis, cui reſiſtere nequiuit clypeis & haſtis, quantumlibet multa millia eſſent in Iſrael.* [d] Qui aſcenditis ſuper nitentes aſinos.] *Hoc eſt, diuites, qui vehuntur nitidis aſinis, iudices, & mercatores, qui ambulant per varias vias, loquimini, quoniam ſublato hoſtis metu, iam iterum poteſtis exercere officia veſtra. Sic qui prius iaculis hoſtium ab hauriendâ aquâ repulſi fueratis, iam hoſte perempto, prædicate iuſtitias Domini.* [e] Tunc dominabuntur.] *Iſrael dominabitur ijs, qui prius magnifici fuerunt in populo Iabin.* [f] Ex Ephráim.] *Hic fuit Ioſue, qui pugnauit cõtra Amalec, & poſt eum pugnauit Saul de tribu Beniamin contra Amalechitas.* [g] De Machir.] *Qui fuit primogenitus Manaſſe. Commendat eos, qui ex tribubus huic prælio Domini interfuerunt, iudices & rectores, atque qui leges rectè viuendi populo præſcribunt.* [h] Cum in ſeparatione Ruben.] *Redarguuntur filij Ruben qui ſeparati à reliquis tribubus, pecoribus ſuis alendis maluerunt intendere, quàm periclitantibus fratribus opem ferre. Dan quoque negocia ſua egit, nauibus occupatus Iordanis, ſicut & Aſer in prædio ſuo circa mare manſit, præſertim cum oppida poſſideret interrupta, quæ iugi opus habebant defenſione.* [i] Nihil tulere prædantes.] *Hoſtis ſpreto lucro, ſanguinem tantum ſitiebat populi Dei. Sed milites cœleſtes pugnauerũt pro Iſrael, nempe Stellæ, quæ ſecundum Hebræos, tantum immiſerunt hoſtium corporibus calorẽ, vt ſub loricis ſubitò exanimarentur, aut ingreſſi torrentem Ciſon cauſa refrigerandi corporis, ſubmergerentur.* [k] Conculca anima mea.] *Alius vertit. Calcabit anima mea eum fortiter. Hoc eſt licet hic torrens hoſti impermeabilis fuerit, tamen Iſraelitis ſolidum conceſſit veſtigium.*
[l] Tunc concuſſæ ſunt.] *Magnifici (inquit) equis inſidentes tantum eos incitauerunt, vt eneruarentur plãtæ & vngulæ.* [m] Quæ priori competit.] *In Hebræo eſt, procelloſpolÿ, hoc eſt, vt quidam interpretantur, veſtis illi ex ſpolijs datur, veluti anteſignano exercitus.*

CAPVT VI.

A FEcerunt autem filij Iſrael malum in conſpectu Domini: qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis, & oppreſſi ſunt valde ab eis. Fecerunt que ſibi antra & ſpelũcas in montibus, & munitiſſima ad repugnandum loca. Cumq; ſeuiſſet Iſrael, aſcendebat Madian & Amalec, cæteriq; orientalium nationum, & apud eos figentes tentoria, ſicut erant in hærbis cuncta vaſtabant vſque ad introitum Gaze: nihilq; omnino ad vitam pertinens relinquebant in Iſrael, non oues, non boues, non aſinos. Ipſi enim & vniuerſi greges eorum veniebant cum tabernaculis ſuis, & inſtar locuſtarum vniuerſa complebant, innumera multitudo hominum, & camelorum quicquid tetigerant deuaſtantes. Humiliatusq; eſt Iſrael valde in cõſpectu
B Madian. Et clamauit ad Dominum poſtulans auxilium contra Madianitas. Qui miſit ad eos virum prophetam, & locutus eſt, Hæc dicit Dominus Deus Iſrael. Ego vos feci conſcendere de Ægypto, & eduxi vos de domo ſeruitutis, & liberaui de manu Ægyptiorum, & omnium inimicorum qui affligebant vos: eiecíq; eos ad introitum veſtrum, & tradidi vobis terram eorum, & dixi, Ego Dominus Deus veſter, ne timeatis deos Amorrhæorum, in quorum terra habitatis: Et noluiſtis audire vocem meam. Venit autem angelus Domini, & ſedit ſub quercu quæ erat in Ephra, & pertinebat ad Ioas patrẽ † Ezri. Cumq; Gedeon filius eius excuteret atque purgaret frumenta in torculari, vt fugeret Madian, apparuit ei angelus Domini, & ait, Dominus
C tecum [a] virorum fortiſſime. Dixitque ei Gedeon, Obſecro mi Domine, ſi Dominus nobiſcum eſt, cur ergo apprehenderunt nos hæc omnia? vbi ſunt mirabilia eius quæ narrauerunt patres noſtri, atque dixerunt, De Ægypto eduxit nos Dominus? Nunc autem dereliquit nos Dominus, & tradidit in manus Madian. Reſpe- 2. Re. 12. b
xitque ad eum Dominus, & ait. Vade in hac fortitudine tua, & liberabis Iſrael de manu Madian: ſcito quòd miſerim te. Qui reſpondens ait, Obſecro mi Domine in quo liberabo Iſrael? ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei. Dixitque ei Dominus, Ego ero tecum, & percuties Madian
D quaſi vnum virum. Et ille, Si inueni, inquit, gratiam corám te, da mihi ſignum [b] quòd tu ſis qui loqueris ad me. Ne recedas hinc, donec reuertar ad te, portans ſacrificium, & † ponens coràm te. Qui reſpondit, Ego præſtolabor aduentum tuum. Ingreſſus eſt itaque Gedeon, & coxit hædum, & de farinæ modio azymos panes, carneſque ponens in caniſtro, et ius carnium mittens in ollam, tulit omnia ſub quercu, & obtulit ei. Cui dixit angelus Domini, Tolle carnes & azymos panes, & pone ſupra petrã illam, & ius deſuper funde. Cumq; feciſſet ita, extendit angelus Domini ſummitatem virgæ quam tenebat in manu, & tetigit carnes & panes
azymos: aſcenditque ignis de petra, & carnes, azymosque panes conſumpſit: angelus autem Domini euaE nuit ex oculis eius. Videnſque Gedeon quod eſſet angelus Domini, ait, Heu mihi Domine Deus, quia vidi angelum Domini facie ad faciem. Dixitque ei Dominus, Pax tecum: ne timeas, [c] non morieris. Ædificauit ergo ibi Gedeon altare Domino: vocauitq; illud, Domini pax: vſque in præſentem diem: † illud adhuc eſt in Ephra quæ eſt familiæ Ezri. Nocte † autem illa dixit Dominus ad eum, Tolle taurum patris tui, & [d] alterum taurum annorum ſeptem, deſtrueſq; aram Baal quæ eſt patris tui: & nemus quod circa aram eſt ſuccide: & ædificabis altare Domino Deo tuo in ſummitate petrę huius, † in loco ordinato: tollesque taurum ſecũdum, & offeres holocauſtum ſuper ſtruem lignorum, quæ de nemore ſucciderís. Aſſumptis ergo Gedeon decem viris de ſeruis ſuis, fecit ſicut præceperat ei Dominus. Timens autem domum patris ſui, & homines illius ciuitatis, per diem noluit facere, ſed omnia nocte compleuit. Cumq; ſurrexiſſent viri oppidi eius manè, viderunt deſtructam aram Baal, lucumq; ſucciſum, & taurum alterum † oblatum ſuper altare, quod

tunc

tunc ædificatum erat. Dixeruntque adinuicem, Quis hoc fecit? Cumq; perquireret authorem facti, dictum F
est, Gedeon filius Ioas fecit hæc omnia. Et dixerunt ad Ioas, Produc filium tuum huc, vt moriatur: quia de-
ſtruxit aram Baal, & ſuccidit nemus. Quibus ille reſpondit, Nunquid vltores eſtis Baal, vt pugnetis pro eo?
[e] qui aduerſarius eſt eius, moriatur antequã lux craſtina veniat: ſi Deus eſt, vindicet ſe de eo qui ſuffodit aram
eius. Ex illo die vocatus eſt Gedeon [f] Ierobáal, eò quòd dixiſſet Ioas, Vlciſcatur ſe de eo Baal, qui ſuffodit arã
eius. Igitur omnis Madian & Amalec, & orientales populi congregati ſunt ſimul, & tranſeuntes Iordanem,
caſtrametati ſunt in valle Iezrael. Spiritus autem Domini induit Gedeon, qui clangens buccina conuocauit
domum Abiezer, vt ſequeretur ſe. Miſitq; nuntios in vniuerſum Manaſſen, qui & ipſe ſecutus eſt eum: & G
alios nuntios in Aſer & Zabulon & Nephtali, qui occurrerunt ei. Dixitq; Gedeon ad Deum, Si ſaluum fa-
cis per manum meam populum Iſrael, ſicut locutus es, ponam hoc vellus lanæ in area: ſi ros in ſolo vellere
fuerit, & in omni terra ſiccitas, ſciam quòd per manum meam, ſicut locutus es, liberabis Iſrael. Factumq; eſt
ita. Et de nocte conſurgens expreſſo vellere, concham rore impleuit. Dixitq; rurſus ad Dominum, Ne ira-
ſcatur furor tuus contra me, ſi adhuc ſemel tentauero, ſignum quærẽs in vellere, Oro vt ſolum vellus ſiccum
ſit, & omnis terra rore madens. Fecitq; Dominus nocte illa vt poſtulauerat: & fuit ſiccitas in ſolo vellere, & ros in omni terra.

SCHOLIA.

[a] Virorum fortiſsime.] *Vel fortiſsime bellator, vocat verò eum fortem militem, vt illi animum addat, & inciret cõtra hoſtes, victoriamq; promittat.* [b] Quod tu ſis.] *Fac (inquit) ſignum aliquod, per quod cognoſcam, quòd tu verè ſis nuntius Dei, &c.* [c] Non morieris.] *Ex hoc, quòd Gedeon timet, quod viderit angelum Domini, colligunt Hebræi, tũc vulgarem opinionem fuiſſe apud Iudæos, quòd, cum alicui contingeret aſpectus angeli, vel Dei, hunc mors corriperet: ſicut & Iacob dixit. Vidi Deum facie ad faciem, & liberata eſt (à morte ſcilicet) anima mea. Sic infra dixit Manahe, morte morie-mur, quia vidimus Deum.* [d] Et alterum taurum.] *De tauro ſecundo variæ apud Hebræos ſunt opiniones: conueniunt tamen in hoc, quòd is ſeptem annis fuerit ſeruatus & ſaginatus pro ſacrificio Baal.* [e] Qui aduerſarius eſt eius, moriatur.] *Hoc eſt, ſi eſt Baal Deus, interficiat illum, qui altare ſuum deſtruxit, hac nocte antequam illuceſcat. Deriſit verò Ioas per hæc verba ſtultitiam eorum, & cohibuit eorum temeritatem, quod quidem facilè facere potuit, cum Dominus illorum eſſet, quaſi diceret. Facto oſtenditis, quòd non creditis Baal eſſe Deum: alioqui cogitaretis, illum iniuriam ſibi illatam non dimittere.* [f] Ierobaal.] *Quaſi diſceptet, vel vlciſcatur ſe Baal.*

CAPVT VII.

IGitur Ierobáal qui & Gedeon, † manè conſurgens, & omnis populus cum eo, † caſtrametati ſunt ad fon- A
tem qui vocatur Harad: erant autem caſtra Madian † illis à ſeptentrione, à petra, vnde ſpeculatio patebat
in vallem. Dixitq; Dominus ad Gedeon, Multus tecum eſt populus, nec tradetur Madian in manus eius:
1.Mac. 3.g ne glorietur contra me Iſrael, et dicat, Meis viribus liberatus ſum. Loquere ad populum: & cunctis audienti-
Deut. 20.b bus prædica, Qui formidoloſus, & timidus eſt, reuertatur. Receſſeruntq; de monte Galaad, & reuerſi ſunt ex
populo viginti duo millia virorum, & tantum decem millia remanſerunt. Dixitq; Dominus ad Gedeon, B
Adhuc populus multus eſt: duc eos ad aquas, & ibi [a] † probatum quenq; tibi oſtendam: & de quo dixero ti-
bi, vt tecum vadat, ipſe pergat: quem ire prohibuero, reuertatur. Cumq; deſcẽdiſſet populus ad aquas, di-
xit Dominus ad Gedeon, Qui lingua lambuerint aquas. ſicut ſolẽt canes lambere, ſeparabis eos ſeorſum: qui
autem curuatis genibus biberint, in altera parte erunt. Fuit itaq; numerus eorum qui manu ad os proijcien-
te aquas lambuerant, trecenti viri: omnis autem reliqua multitudo flexo poplite biberat. Et ait Dominus ad
Gedeon, In trecentis viris qui lambuerũt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian: omnis autem
reliqua multitudo reuertatur in locum ſuum. Sumptis itaq; † de populo cibarijs: & rubis, omnem reliquam C
multitudinem abire præcepit ad tabernacula ſua: & ipſe cum trecentis viris ſe certamini dedit. Caſtra autem
Madian erant ſubter in valle. Eadem nocte dixit Dominus ad eum, Surge, & deſcende in caſtra: quia tradidi
eos in manu tua: ſi autem ſolus ire formidas, deſcendat tecum Phara puer tuus, Et cum audieris quid loquã-
tur, tunc confortabuntur manus tuæ, & ſecurior ad hoſtium caſtra deſcendes. Deſcendit ergo ipſe & Phara
puer eius † ad extremitatem armatorum, qui erant in caſtris. Madian autem & Amalec, & omnes orientales
populi fuſi iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo: cameli autem innumerabiles erãt, ſicut arena quæ ia- D
cet in littore maris. Cũq; veniſſet Gedeon, narrabat † quidam ſomnium proximo ſuo: & in hunc modum
referebat quod viderat, Vidi ſomnium, & videbatur mihi quaſi [b] ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in
caſtra Madian deſcendere: cumq; perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud atq; ſubuertit, & terræ fundi-
tus coæquauit. Reſpondit is cui loquebatur, Non eſt hoc aliud niſi gladius Gedeonis, filij Ioas viri Iſraelitæ:
tradidit enim Dominus in manus eius Madian, & omnia caſtra eius. Cumq; audiſſet Gedeon ſomnium, & E
interpretationem eius, adorauit: & reuerſus eſt ad caſtra Iſrael, & ait, Surgite, tradidit enim Dominus in ma-
nus noſtras caſtra Madian. Diuiſitq; trecentos viros in tres partes, & dedit tubas in manibus eorũ, lagenasq;
vacuas, ac lampades in medio lagenarũ. Et dixit ad eos, Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar † ex-
tremitatem caſtrorum, & quod fecero, ſectamini. † Cum ego clanxero tuba, & omnes qui mecum fuerint,
vos quoq; per caſtrorum circuitum clangite, & conclamate [c] Domino & Gedeoni. Ingreſſusq; eſt Gedeon,
† & centum viri cum eo ad extremam partem caſtrorum, incipiẽtibus vigilijs noctis mediæ, & cuſtodibus F
ſuſcitatis, cœperunt buccinis clangere, & complodere inter ſe lagenas. Cumq; per gyrum caſtrorum in tri-
bus perſonarẽt locis, & hydrias confregiſſent, tenuerunt ſiniſtris manibus lampades, & dextris ſonantes tu-
bas, clamaueruntq;, Gladius Domini & Gedeonis: ſtãtes ſinguli in loco ſuo per circuitum caſtrorũ hoſtium.
Pſal. 82. Omnia itaque caſtra turbata ſunt, et vociferantes, vlulãtesq; fugerunt: & nihilominus inſiſtebant trecẽti viri
buccinis perſonantes. Immiſitq; Dñs gladium in omnibus caſtris, & mutua ſe cæde trũcabant, fugiẽtes vſq;
ad Bethſeta,

G ad Bethſeta, & † confinia Abelmehula in Tebbath. Conclamãtes autem viri Iſrael de Nephthalim & Aſer,
& omni Manaſſe perſequebantur Madian. Miſitq; Gedeon nuntios in omnem montem Ephráim, dicens,
Deſcendite in occurſum Madian, & occupate aquas vſque Bethbera atque Iordanem. † Congregatusq; eſt
omnis Ephráim, & præoccupauit aquas † vſque ad Bethbera, & Iordanem. Apprehenſosq; duos viros Eſaie 10.f
Madian, Oreb, & Zeb, interfecit Oreb in petra Oreb, Zeb verò in torculari Zeb. Et perſecuti ſunt Madian, Pſal. 82.
capita Oreb & Zeb portantes ad Gedeon trans fluenta Iordanis.

SCHOLIA.

[a] Probatum quenque.] *Voluit Dominus ſolum iuſtos viros habere in hoc prælio, et qui genua ſua ante Baal nõ curuauerant, atque ex tot millibus ſolum trecentos delegit. Sunt tamen qui dicant, curuationem genuum indicium fuiſſe ignauorum hominum. In prima ſeparatione iuſſi ſunt abire illi, qui formidoloſo fuerant corde, in ſecunda autem ij, qui ignaui fuerant.* [b] Subcinericius panis.] *Significabat panis ille Iſraelem, qui debilis erat, & tamẽ impetu ſuo maxima & fortiſſima deuicit hoſtium caſtra.* [c] Domino & Gedeoni.] *Pugna iſta eſt Domini et Gedeonis, vel, vt paulo poſt ſubditur, gladius, cui nemo reſiſtere poterit.*

CAPVT VIII.

A DIxeruntq; ad eũ viri Ephráim, Quid eſt hoc quod facere voluiſti, vt nos nõ vocares cum ad pugnam
pergeres cõtra Madian? † Iurgatiq; ſunt cũ eo vehementer. Quibus ille reſpondit, Quid enim tale fa-
cere potui, quale vos feciſtis? [a] nonne melior eſt racemus Ephráim, vindemijs Abiezer? In manus
veſtras Dñs tradidit principes Madian, Oreb, & Zeb: quid tale facere potui, quale vos feciſtis? Quod cum lo-
cutus eſſet, requieuit ſpiritus eorũ, quo tumebant contra eũ. Cumq; veniſſet Gedeon ad Iordanẽ, tranſiuit eũ
cũ trecentis viris qui ſecum erãt: † laſsi perſequẽdo. Dixitq; ad viros Socoth, Date obſecro panes populo qui
B mecum eſt, quia valde defecerunt: vt poſsimus perſequi Zébee & Salmana reges Madian. Reſponderunt
principes Socoth, Forſitan palmæ manuum Zébee & Salmana in manu tua ſunt, & iccirco poſtulas vt de-
mus exercitui tuo panes? Quibus ille ait, Cum ergo tradiderit Dominus Zébee & Salmana in manus meas,
cõteram carnes veſtras cũ ſpinis, tribuliſq; deſerti. Et inde cõſcendẽs, venit in Phanuel: locutusq; eſt ad viros
loci illius ſimilia. Cui & illi reſponderũt, ſicut reſponderãt viri Socoth. Dixit itaq; eis, Cũ reuerſus fuero vi-
ctor in pace, deſtruã turrim hanc. Zébee autẽ & Salmana † erãt in Carcar cum omni exercitu ſuo. Quinde-
C cim enim millia viri remãſerant ex omnibus turmis orientaliũ populorũ: cæſis centũ viginti millibus bella-
torũ, & educentium gladiũ. Aſcendẽsq; Gedeon per viam eorũ qui in tabernaculis morabãtur ad oriẽtalem
partem Nobe, & Iegbaa, percuſsit caſtra hoſtiũ, qui ſecuri erant, & nihil aduerſi ſuſpicabãtur. Fugerũtq; Zé- Oſee 10.d
bee & Salmana: quos perſequẽs Gedeon comprehẽdit, turbato omni exercitu eorũ. Reuertẽsq; de bello ante
ſolis † occaſum, apprehẽdit puerũ de viris Socoth: interrogauitq; eũ nomina principum & ſeniorũ Socoth:
& deſcripſit ſeptuaginta ſeptẽ viros. Venitq; ad Socoth, & dixit eis, En Zébee & Salmana ſuper quibus expro-
D braſtis mihi, dicentes, Forſitan manus Zébee & Salmana in manibus tuis ſunt, & iccirco poſtulas vt demus
viris, qui laſsi ſunt, & defecerũt, panes? Tulit ergo ſeniores ciuitatis, & ſpinas deſerti ac tribulos, & contriuit
cum eis, † viros Socoth. Turrim quoq; Phanuel ſubuertit, occiſis habitatoribus ciuitatis. Dixitq; ad Zébee
& Salmana, Quales fuerũt viri quos occidiſtis in Tabor? Qui reſpõderunt, Similes tui, & vnus ex eis quaſi fi-
lius regis. Quibus ille reſpõdit, Fratres mei fuerunt, filij matris meæ: viuit Dñs, quod ſi ſeruaſſetis eos, nõ vos
occiderem. Dixitq; Iether primogenito ſuo, Surge, & interfice eos. Qui non eduxit gladium: timebat enim,
E quia adhuc puer erat. Dixerũtq; Zébee & Salmana, Tu ſurge, & irrue in nos: quia iuxta etatẽ robur eſt homi-
nis. Surrexit Gedeon, & interfecit Zébee & Salmana: & tulit ornamẽta ac bullas quibus colla regaliũ came- Pſal. 82.
lorum decorari ſolent. Dixerũtq; omnes viri Iſrael ad Gedeon, Dominare noſtri tu & filius tuus, & filius fi-
lij tui: quia liberaſti nos de manu Madian. Quibus ille ait, Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos
filius meus, ſed dominabitur vobis Dñs. Dixitq; ad eos, Vnã petitionem poſtulo à vobis, Date mihi inaures
ex præda veſtra. Inaures enim aureas [b] Iſmahelitæ habere conſueuerãt. Qui reſpõderunt, Libentiſsimè dabi-
F mus. Expãdentesq; ſuper terrã pallium, proiecerunt in eo inaures de præda: & fuit pondus poſtulatarũ inau-
rium, mille ſeptingenti auri ſicli, abſq; ornamẽtis, & monilibus, & veſte purpurea, quibus reges Madian vti
ſoliti erant, & præter torques † quæ fuerũt in collis camelorũ. [c] Fecitq; ex eo Gedeon Ephod, & poſuit illud
in ciuitate ſua Ephra. Fornicatusq; eſt omnis Iſrael in eo, & factũ eſt Gedeoni, & omni domui eius in rui-
nam. Humiliatus eſt autẽ Madian coràm filijs Iſrael, nec potuerũt vltrà ceruices eleuare: ſed quicuit terra
per quadraginta annos quibus Gedeon præfuit. Abijt itaq; Ierobáal filius Ioàs, & habitauit in domo ſua, ha-
G buitq; ſeptuaginta filios, qui egreſsi ſunt de femore eius, eò quòd plures haberet vxores. Concubina autẽ illius,
quã habebat in Sichem, genuit ei filium nomine Abimélech. Mortuusq; eſt Gedeon filius Ioas in ſenectute
bona, & ſepultus eſt in ſepulchro Ioas patris ſui in Ephra † quæ fuit patris Ezeitarum. Poſtquam autẽ mor-
tuus eſt Gedeon, auerſi ſunt filij Iſrael, & fornicati ſunt in Baalim. Percuſſeruntq; cũ Baal fœdus, vt eſſet eis
in deum: nec recordati ſunt Dñi Dei ſui, qui eruit eos de manibus inimicorum ſuorum omnium per circui-
tum: nec fecerunt miſericordiam cum domo Ierobáal Gedeon iuxta omnia bona quæ fecerat Iſraeli.

SCHOLIA.

[a] Nonne melior eſt.] *Senſus huius figuratæ locutionis hic eſt, minores, qui ſunt inter vos, præſtantiores ſunt maioribus noſtris. Vel: Vos epiſtis principes Madian, qui comparantur racemis, ego autem & exercitus meus percuſſimus caſtra Madian, quæ vindemiæ comparantur, & nunc racemi veſtri meliores ſunt vindemia noſtra. Nos quidem parum egiſſemus, niſi vos principes illos cepiſſetis, quippe qui facilè exercitum ſuum redintegrare potuiſſent.* [b] Iſmaelitæ.] *Quidam pro Iſmaelitis exponunt Madianitas, ſicut & in Geneſi dicitur, quòd Ioſeph venditus fuerit Iſmaelitis, deinde Madianitæ vendiderunt eum in Aegyptũ. Alij dicunt Iſmaelitas illos fuiſſe Arabes, qui concitati in Madianitas, occiderunt*

derunt eos, tuleruntq; ab eis inaures aureas. c Fecitq; ex eo Gedeon Ephod.] *Fecit quidem Ephod, siue succinctorium illud bono zelo, vt scilicet conseruaretur in ciuitate sua pro monumento concessæ à Domino salutis. Verum homines mali eo abusi sunt, fornicantes, & idololatriam exercentes, cum eo post mortem Gedeon.*

CAPVT IX.

ABijt autem Abimélech filius Ierobáal in Sichem ad fratres matris suæ, & locutus est ad eos, & ad om- A
nem cognationem domus patris † matris sue, dicens, Loquimini ad omnes viros Sichem, Quid vobis
est melius, vt dominetur vestri septuaginta viri omnes filij Ierobáal: an vt dominetur vobis vnus vir?
simulq; consyderate, quòd os vestrum, & caro vestra sum. Locutiq; sunt fratres matris eius de eo ad omnes
viros Sichem, vniuersos sermones istos, & inclinauerunt cor eorum post Abimélech, dicentes, Frater noster
est. Dederuntq; illi septuaginta † argenteos de phano a Baalberith. Qui conduxit sibi ex eo viros b † inanes,
& mobiles, securiq; sunt eum. Et venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Ierobáal se
ptuaginta viros super lapidem vnum: remansitq; Ioathan filius Ierobáal minimus, & absconditus est. Con-
gregati sunt autem omnes viri Sichem, & † vniuersa domus Mello: abieruntq;, & constituerunt regem Abi-
mélech † in planitie vbi erat statua in Sichem. Quod cum nuntiatum esset Ioatham, iuit & stetit in vertice
montis Garizim: eleuataq; voce, clamauit & dixit, Audite me viri Sichem, ita vt audiat vos Dominus. Ierunt B
ligna, vt vngerent super se regem: dixeruntq; oliuæ, Impera nobis. Quæ respondit, Nunquid possum c defere
re pinguedinem meam, qua & dij vtuntur, & homines: & venire vt † super ligna promouear? Dixeruntque
ligna ad arborem ficum, Veni, & super nos regnum accipe. Quę respondit eis, Nunquid possum deserere dul
cedinem meam, fructusq; suauissimos, & ire vt † super cætera ligna promouear? Locutaq; sunt ligna ad vi-
tem, Veni, & impera nobis. Quæ respondit eis, Nunquid possum deserere vinum meum, quod lætificat Deũ
& homines, & † super ligna cætera promoueri? Dixeruntq; omnia ligna ad rhamnum, Veni, & impera su-
per nos. Quæ respondit eis, d Si vere me regem vobis constituitis, venite, & sub vmbra mea requiescite: si au-
tem non vultis, egrediatur ignis de rhamno, & deuoret cedros libani. Nunc igitur si rectè, & absq; peccato
constituistis super vos regem Abimélech, & bene egistis cum Ierobáal, & cum domo eius, & reddidistis vicé
beneficijs eius, qui pugnauit pro vobis, & animam suam dedit periculis, vt erueret vos de manu Madian, qui C
nunc surrexistis contra domum patris mei, & interfecistis filios eius septuaginta viros super vnum lapidẽ, &
constituistis regem Abimélech filium ancillæ eius super habitatores Sichem, eò quòd frater vester sit: si ergo
rectè, & absq; vitio egistis cum Ierobáal, & domo eius, hodie lætamini in Abimélech, & ille lętetur in vobis:
sin autem peruersè, egrediatur ignis ex eo, & cõsumat habitatores Sichem, & † domum Mello: egrediaturq;
ignis de viris Sichem, & de † domo Mello, & deuoret Abimélech. Quæ cum dixisset, fugit, & abijt in Bera:
habitauitq; ibi ob metum Abimélech fratris sui. e Regnauit itaq; Abimélech super Israel tribus annis. Mi-
sitq; Dominus spiritum pessimum inter Abimélech, & habitatores Sichem: qui cœperũt eum detestari: † vt
veniret scelus interfectionis septuaginta filiorum Ierobáal, & effusio sanguinis eorum in Abimélech fratrẽ
eorum, qui occiderat eos, & in cæteros Sichimorum principes, qui eum adiuuerant, vt occideret fratres suos:
Posuerunt autem viri Sichem insidias aduersum eum in summitate montium: & † exercebant latrocinia, D
agentes prædas de prætereuntibus. Nuntiatumq; est Abimélech. Venit autem Gaal filius Obed cum fratri-
bus suis, & transiuit in Sichimam: Ad cuius aduentum erecti habitatores Sichem, egressi sunt in agros vasta-
tes vineas, vuasq; calcantes: & factis cantantium choris ingressi sunt phanum dei sui, & inter epulas & pocu-
la maledicebant Abimélech, clamante Gaal filio Obed, Quis est iste Abimélech, & f quę est Sichem, vt seruia
mus ei? nunquid non est filius Ierobáal, & constituit principem Zebul: † seruite igitur viris Emor patris
Sichem. Cur ergo seruiemus ei? vtinam daret aliquis populum istum sub manu mea, vt auferrem de medio
Abimélech. † Et dixit contra Abimélech, g Congrega exercitus multitudinem, & veni. Zebul † autem prin
ceps ciuitatis auditis sermonibus Gaal filij Obed, iratus est valde, & misit clàm ad Abimélech nuntios, dicés,
Ecce Gaal filius Obed, venit in Sichimã cum fratribus suis, & oppugnat aduersum te ciuitatem. Surge itaque E
nocte cum populo qui tecum est, & latita in agro: & primo mane, oriente sole, irrue super ciuitatem: illo au-
tem egrediente aduersum te cum populo suo, fac ei quod potueris. Surrexit itaq; Abimélech cum omni exer
citu suo nocte, & tetendit insidias iuxta Sichimam † cum quatuor turmis. Egressusq; est Gaal filius Obed, &
stetit in introitu portæ ciuitatis. Surrexit autem Abimélech, & omnis exercitus cum eo de insidiarum loco.
Cumq; vidisset populum Gaal, dixit ad Zebul, Ecce de montibus multitudo descendit. Cui ille respondit,
Vmbras montium vides quasi capita hominum, & hoc errore deciperis. Rursumq; Gaal ait, Ecce populus
h de vmbilico terræ descendit, & vnus cuneus venit per viam, quæ † ducit ad planiciem ariolorum. Cui dixit
Zebul, vbi est nunc os tuum, quo loquebaris, Quis est Abimélech, vt seruiamus ei? Nonne hic populus est,
quem despiciebas? Egredere, & pugna contra eum. Abijt ergo Gaal, spectante Sichimorum populo, & pu-
gnauit contra Abimélech, qui persecutus est eum fugientẽ † à conspectu eius: ceciderunt q; † vulnerati pluri
mi, vsq; ad portam ciuitatis, & Abimélech sedit in Ruma. Zebul autem, Gaal, & socios eius expulit de vrbe,
nec in ea passus est commorari. Sequenti ergo die egressus est populus in campum. Quod cum nuntiatũ esset
Abimélech, tulit exercitum suum, & diuisit in tres turmas tendens insidias in agris. Videnśq; quòd egredere F
tur populus de ciuitate, surrexit, † & percussit eos. Et Abimélech quidem, & turmæ eius extenderunt se, ste-
teruntq; in foribus portæ ciuitatis: duæ autem turmæ palantes per campum aduersarios persequebantur.
Porrò Abimélech omni die illo oppugnabat vrbẽ: quam cepit, interfectis habitatoribus eius, ipsãq; destruc-
ta, ita vt sal in ea dispergeret. Quod cum audissent i qui habitabant in turre Sichimorum, ingressi sunt pha-
Sup. 8. g num dei sui Berith, † Abimélech quoq; audiẽs viros turris Sichimorum pariter conglobatos, ascẽdit in mõ-
tem Selmon cum omni populo suo: & arrepta securi præcidit arboris ramum, impositumq; ferẽs humero,
dixit

dixit ad socios, Quod me vidistis facere, citò facite. Igitur cęrtatim ramos de arboribus præcidentes, seque-
bantur ducem. Qui circundantes præsidium, succenderunt: atq; ita factum est vt fumo & igne mille homi-
num necarentur, viri pariter & mulieres habitatorum turris Sichem. Abimélech autem inde proficiscẽs ve-
nit ad oppidum Thebes, quod circundans obsidebat exercitu. Erat autem turris excelsa in media ciuitate, ad
quam confugerant simul viri ac mulieres, & omnes principes ciuitatis † & clausis circa se ostijs ascenderant
G ad tectum turris. Accendensq; Abimélech iuxta turrim, pugnabat fortiter: & appropinquans ostio: ignem
supponere nitebatur: & ecce vna mulier fragmen molę desuper iaciens, illisit capiti Abimélech, & confregit 2. Reg. 11. c
cerebrum eius. Qui vocauit citò armigerum suum, & ait ad eum, Euagina gladium tuum, & percute me, ne
forte dicatur quòd à fœmina interfectus sim. Qui iussa perficiens, interfecit eum: illo quoq; mortuo, omnes
qui cum eo erant, de Israel, reuersi sunt in sedes suas: & reddidit Deus malum quod fecerat Abimélech con-
tra patrem suum interfectis septuaginta fratribus suis. Sichimitis quoq; quod operati erant, retributum est,
& venit super eos maledictio Ioathan filij Ierobáal.

SCHOLIA.

a Baalberith.] *Erant olim apud Chananæos multi dij, qui communi nomine Baal vocabantur, quod dominum & magistrum sonat, sed habuit quilibet Baal etiam proprium nomen, vt Baal Zebub, id est, domina musca, Baal peor, id est magister voracitatis. Baalberith, id est dominus fœderis, &c.* b Inanes & mobiles.] *Leues, & vagos, qui scilicet nihil habuerũt, vnde viuerent, sed victum rapiendo & prædando quærebant.* c Deferere pinguedinem.] *Regno præficiendi sunt viri clementes, fideles, & prudentes, at q refugere consueuerunt, quibus iucundius est sua agere, ac sibi viuere, suisque animi bonis frui. Mali verò, & qui minimè apti sunt facilè adducuntur, atque adeo potius inuadũt regnum.* d Si verè me regẽ.] *Per rhamnum intelligę Abimelech, Is egit malitiosè primum cum matris suæ consanguineis, vt peteretur à plebe, nunc, cũ petitur, fingit inuitum se obsequi vocationi, & obsequentibus gratiam pollicetur, immorigeris verò crudelia comminatur, etiã si magni fuerint, & velut cedri in populo.* e Regnauit itaq;.] *Non dixit textus, iudicauit Abimelech filios Israel, sicut de alijs scribitur iudicibus sed vsurpauit sibi dominium propria temeritate super Israel, & sicut tyrannicè se ingessit, sic quoque tyrannũ in subditos egit, quapropter spretus est à Sichimitis, qui tamen illi in tam detestabili parricidio non defuerunt, & voluit Dominus iniuriam illam fratribus illatam, retorquere in caput eius, & primum immittens spiritum malũ, & dissensionis seminarium in Sichimitas, summo cum dedecore tam regem quàm Sichimitas perdidit.* f Quæ est Sichẽ.] *Alius vertit. Quis est Sichem, vt non sit nomen ciuitatis, sed principis, filij Hemor, qui violauit Dinam filiã Iacob, & olim oppido illi præfuit, Dicit itaque Gaal, nolite seruire Abimelech, sed potius excite eum, et si vultis seruire, seruite potius viris, qui descenderunt ab Hemor patre Sichem, Quis est enim Abimelech iste, & quis Zebul iste, quem constituit præfectũ super ciuitatem vestram?* g Congrega exercitus multitudinem.] *Hoc dixit Gaal superbo animo, & absente Abimelech, multa sibi pollicẽs, quòd facilius Sichimitas ad suum inclinaret votum. Dixit autem verba ista absente Abimelech, qui illo præsente tam turpiter fugit.* h De vmbilico terræ.] *Vel de media terra, & est eadem locutio cum priore: mõtes enim hic per vmbilicum significantur, de quibus ille videbat descendere milites Abimelech. Desiit proinde Zebul his verbis Gaal ipsum, quasi diceret, male vides, vt vmbram montium homines esse suspiceris.* i Qui habitabant in turri.] *Viri vel magnates ciuitatis, qui confugerant ad turrim quandam intra mœnia Sichem positam, in qua cum se minimè tutos arbitrarẽtur, fugerunt ad aliam turrim multò munitiorem, sed fefellit eos spes sua, cum flamma & fumo in ea extincti sint.*

CAPVT X.

A POst Abimélech surrexit dux in Israel, Thola filius Phua patrui Abimélech, vir de Issachar, qui habita-
uit in Samir montis Ephráim, & iudicauit Israel viginti & tribus annis: mortuusq; est, ac sepultus
in Samir. Huic successit Iair Galaadites: qui iudicauit Israel per viginti & duos annos, habens trigin-
ta filios sedentes a super triginta pullos asinarum, & † habuerunt triginta oppida, quæ ex nomine eius sunt
appellatę Auoth Iair, id est oppida Iair, vsq; in præsentem diem in terra Galaad. Mortuusq; est Iair: ac sepul-
B tus in loco, cui est vocabulum Camon. Filij autem Israel peccatis veteribus iungentes noua, fecerũt malum
in conspectu Domini, & seruierunt idolis Baalim & Astaroth, & dijs Syriæ ac Sydonis & Moab & filiorum
Ammon & Philisthijm: dimiseruntq; Dominum, & non coluerunt eum. Contra quos Dominus iratus tra-
didit eos in manus Philisthijm & filiorum Ammon. Afflictiq; sunt, & vehementer oppressi per annos decẽ
& octo omnes qui habitabãt trans Iordanem in terra Amorrhæi, quæ est in Galaad: in tantũ vt filij Ammon
C Iordane transmisso vastarent Iudam & Beniamin & Ephráim: afflictusq; est Israel nimis. Et clamantes ad
Dominum, dixerunt, Peccauimus tibi, quia dereliquimus Deum nostrum, & seruiuimus Baalim. b Quibus
locutus est Dominus, Nunquid non Ægyptij & Amorrhæi, filijq; Ammon & Philisthijm, Sydonij quoque
& Amalec & † Maon oppresserunt vos: & clamastis ad me, & erui vos de manu eorum? Et tamen reliquistis
me, & coluistis deos alienos? iccircò non addam vt vltrà vos liberem: ite, & inuocate deos quos elegistis, ipsi
D vos liberent in tempore angustiæ vestrę. Dixeruntq; filij Israel ad Dominum. Peccauimus, redde tu nobis
quicquid tibi placet: tantum nunc libera nos. Quæ dicentes, omnia de finibus suis alienorum deorum idola
proiecerunt, & seruierunt Domino Deo: c qui doluit super miserijs eorum. Itaq; filij Ammon † congrega-
ti, in Galaad fixere tentoria: contra quos congregati filij Israel, in Maspha castrametati sunt. Dixerũtq; prin-
cipes Galaad singuli ad proximos suos. Qui primus ex nobis cõtra filios Ammon cœperit dimicare, erit dux
populi Galaad.

SCHOLIA.

a Super triginta pullos.] *Additur id, ad indicandum, quòd vir ille magnus et dives fuerit, vt etiam quilibet filius proprium habuerit paratum Asellum.* b Quibus locutus est Dominus.] *Subaudiẽdum per prophetã.* c Qui doluit super miserijs eorũ.] *Pulchrè interpres, vt multis etiã alijs locis, mollivit Hebraismũ, quo sic habet: cuius anima retracta est à labore Israel, vel abbreuiata est, vt sit sensus. Cessauit voluntas Domini grauare Israelem laboribus & afflictionibus.*

Caput

CAPVT XI.

FVit itaq; illo in tempore Iephte Galaadites vir fortiſsimus atq; pugnator, filius mulieris [a] meretricis, qui natus eſt de Galaad. Habuit autem Galaad vxorem, de qua ſuſcepit filios: qui poſtquam creuerant, eiecerunt Iephte, dicentes, Hæres in domo patris noſtri eſſe non poteris, quia de altera matre natus es. Quos ille fugiens, atq; deuitans habitauit in terra Tob: congregatiq; ſunt ad eum viri † otioſi, & egrediebãtur cum eo. In illis diebus pugnabant filij Ammon contra Iſrael. Quibus acriter inſtantibus perrexerunt maiores natu de Galaad, vt tollerent in auxilium ſui Iephte de terra Tob: dixeruntque ad eum, Veni & eſto princeps noſter, & pugna contra filios Ammon. Quibus ille reſpõdit, Nónne vos eſtis qui odiſtis me, & eieciſtis de domo patris mei, & nunc veniſtis ad me neceſsitate cõpulſi? Dixerũtq; principes Galaad ad Iephte, Ob hanc cauſam nunc ad te venimus, vt proficiſcaris nobiſcum, & pugnes contra filios Ammon, ſiſq; dux omnium qui habitant in Galaad. Iephte quoq; dixit eis, Si verè veniſtis ad me, vt pugnem pro vobis contra filios Ammon, tradideritq; eos Dominus in manus meas, ego ero veſter princeps? Qui reſponderunt ei. Dominus qui hæc audit, ipſe † teſtis eſt q̃ noſtra promiſſa faciemus. Abijt itaq; Iephte cũ principibus Galaad, fecitq; eum omnis populus principem ſui. Locutusq; eſt Iephte omnes ſermones ſuos coram Domino [b] in Maſpha. Et miſit nuntios ad regem filiorum Ammon, qui † dicerent, Quid mihi & tibi eſt, quia veniſti contra me, vt vaſtares terram meam? Quibus ille reſpondit, Quia tulit Iſrael terram meam, quando aſcendit de Ægypto à finibus Arnon vſque Ieboc atq; Iordanem: nũc ergo cum pace redde mihi eam. Per quos rurſum mandauit Iephte, & imperauit eis vt dicerent regi Ammon, Hæc dicit Iephte, Non tulit Iſrael terrã Moab, nec terram filiorum Ammon: ſed quando de Ægypto conſcenderunt, ambulauit per ſolitudinem vſque ad mare rubrum, & venit in Cades. Miſitq; nuntios ad regem Edom, dicens, Dimitte vt tranſeam terrã tuam. Qui noluit acquieſcere precibus eius. Miſit quoq; ad regem Moab, qui & ipſe tranſitum prębere contẽpſit. Manſit itaq; in Cades, † Pergens autẽ per deſertũ circuiuit terram Edom, & terrã Moab: venitq; ad orientalem plagam terrę Moab, & caſtrametatus eſt trãs Arnon: nec voluit intrare terminos Moab: Arnon quippe confiniũ eſt terræ Moab. Miſit itaq; Iſrael nũtios ad Seon regẽ Amorrhæorũ, qui habitabat in Heſebon, & dixerunt ei, Dimitte vt tranſeam per terrã tuam vſq; ad † locũ meum. Qui & ipſe Iſrael verba deſpiciens, nõ dimiſit eum tranſire per terminos ſuos: ſed † vniuerſo populo ſuo congregato egreſſus eſt contra eum in Iaſa, & fortiter reſiſtebat. Tradiditq; eum Dñs in manus Iſrael cũ omni exercitu ſuo, & percuſsit eũ, & poſſedit omnẽ terram Amorrhæi habitatoris regionis illius, & vniuerſos fines eius de Arnon vſq; Ieboc, & de ſolitudine vſq; ad Iordanem. Dñs ergo Deus Iſrael ſubuertit Amorrhęum, pugnante contra illum populo ſuo Iſrael, & tu nunc vis poſsidere terrã eius? Nónne † quod poſsidere faciet te Chamos deus tuus, illud poſsidebis? Quæ autem Dñs Deus noſter victor obtinuit, in noſtrã cedent poſſeſsionẽ: niſi fortè melior es Balac filio Sephor rege Moab: † An non ille acriter contendit cum Iſrael, & pugnauit contra eos? Cum itaq; Iſrael habitauerit in Heſebon, & viculis eius, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis ciuitatibus iuxta † terminos Arnon per [c] trecentos annos. Quare tanto tempore nihil ſuper hac repetitione tentaſtis? Igitur nõ ego pecco in te, ſed tu contra me malè agis, indicens mihi bella non iuſta. Iudicet Dñs, † qui iudex eſt, hodie inter Iſrael, & inter filios Ammon. Noluitq; acquieſcere rex filioꝝ Ammon verbis Iephte, quæ per nuntios mãdauerat. Factus eſt ergo ſuper Iephte ſpiritus Dñi, & circuiens Galaad, & Manaſſe, Maſpha quoq; Galaad, & inde tranſiens ad filios Ammon, votum vouit Dño, dicens, Si tradideris filios Ammon in manus meas: quicunq; primus fuerit egreſſus de foribus domus meę, mihiq; occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum [d] holocauſtum offeram Dño. Tranſuitq; Iephte ad filios Ammon, vt pugnaret contra eos: quos tradidit Dominus in manus eius. Percuſsitq; ab Aroer vſq; dum venias in Mennith, viginti ciuitates, & vſque ad Abel, quę eſt vineis conſita, plaga magna nimis: humiliatiq; ſunt filij Ammon à filijs Iſrael. Reuertenti autẽ Iephte in Maſpha domũ ſuam, occurrit ei † vnica filia ſua cum tympanis & choris: [e] nõ enim habebat alios liberos. Quã viſa ſcidit veſtimẽta ſua, & ait, † Heu filia mea humiliando humiliaſti me, & fuiſti inter turbãtes me: aperui enim os meũ ad Dominum, & aliud facere non potero. Cui illa reſpondit, Pater mi, ſi aperuiſti os tuum ad Dominum, fac mihi quodcũq; pollicitus es, cõceſſa tibi vltione atq; victoria de hoſtibus tuis. Dixitq; ad patrem, Hoc ſolum mihi præſta quod deprecor, Dimitte me vt duobus menſibus † [f] deſcendam ſuper montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis. Cui ille reſpondit, Vade. Et dimiſit eam duobus menſibus. Cumq; abijſſet cum ſocijs ac ſodalibus ſuis, flebat virginitatem ſuam in mõtibus. Expletisq; duobus menſibus, reuerſa eſt ad patrem ſuum, & fecit ei ſicut vouerat: quæ ignorabat virũ. Exinde mos increuit in Iſrael, & conſuetudo ſeruata eſt, vt poſt anni circulum cõueniant in vnum filiæ Iſrael, & plãgant filiam Iephte Galaaditæ diebus quatuor.

Num. 21. f

Num. 20. c

Num. 22. a

SCHOLIA.

[a] Meretricis.] *Vocatur mater Iephte meretrix, non quòd commune fuerit ſcortum, ſed concubina, quæ ſcilicet vni viro ſit addicta, ſed citra vinculum matrimonij. Vnde & filij eius non poſſunt cum filijs legitimis hæreditatem accipere. Alij verò dicunt, quòd hic per meretricem intelligatur mulier alterius tribus, quam Galaad duxit in vxorem vel concubinam, atque ideo filius eius non potuit patri ſuccedere in hæreditate, cum lex hoc nomine vetet connubia diuerſarum tribuum, ne permixtio fiat prædiorum.* [b] In Maſpha.] *Locus eſt, in quo reges conuenerunt contra Ioſue, & vbi propter victoriam ibi à Domino conceſſam, altare fuit ædificatum, illicque conuenerunt, quoties deinceps ad bellum erat procedendum.* [c] Trecentos annos.] *Hos annos ſic colligunt. Præfuit Ioſue Iſraeli viginti octo annis. Othoniel quadraginta annis. Ehod octoginta annis. Debora & Barac quadraginta annis. Gedeon quadraginta annis. Abimelech tribus annis. Thola viginti tribus annis. Iair viginti duobus annis, qui ſimul iuncti faciunt annos ducentos & ſeptuaginta ſex, deinde ſeruierũt filijs Ammon, decem & octo annis, qui ferè trecentos annos faciunt.* [d] Holocauſtum offeram.] *Sub hac ſcilicet conditione, ſi idoneum fuerit*

fuerit pro holocauſto: Non autem potuit holocauſtum fieri, niſi de tribus ſpeciebus animalium. Vnde quando textus dicit, quòd venerit in occurſum meum, erit Domini, & offeram ipſum in holocauſtum, ſic exponunt. Quod primò occurrerit, Domino mancipabitur veluti ſanctum, ſi immolatitium non ſit: Vel ſi immolatitium ſit, offeram illud in holocauſtum. Non igitur interfecit pater filiam ſuam, alioquin ipſa non dixiſſet plangam ſuper virginitate mea, ſed plangam ſuper anima mea: ſed ſecundum Hebræos, recluſit eam, & à conſortio hominum ſeparauit, nec niſi quatuor diebus per annum aditum conceſſit. [e] Non enim habebat alios liberos.] *Ex ſe ſcilicet, licet habuerit priuignos, quos vxor priùs ab alio ſuſtulit marito, qui filij quoque illius dicebantur.* [f] Deſcendam ſuper montes.] *Hoc dicitur, quod locus habitationis Iephte altiorem haberet ſitum, quàm montes illi, quos filia eius conſcenſura erat.*

CAPVT XII.

ECce autem in Ephraim orta eſt ſeditio: nam tranſeuntes contra Aquilonem, dixerunt ad Iephte, Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluiſti, vt pergeremus tecum? Igitur incendemus te & domum tuam. Quibus ille reſpondit, Diſceptatio erat mihi & populo meo contra filios Ammon vehemens: vocauiq; vos vt præberetis mihi auxilium, & facere noluiſtis. Quod cernẽs, [a] poſui animam meam in manibus meis, tranſiuiq; ad filios Ammon, & tradidit eos Dominus in manus meas. Quid commerui, vt aduerſum me conſurgatis in prælium? Vocatis itaque ad ſe cunctis viris de Galad, pugnabat contra Ephraim: percuſſeruntque viri Galaad Ephraim, quia dixerat, [b] Fugitiuus eſt Galaad de Ephraim, & habitat in medio Ephraim & Manaſſe. Occupaueruntque Galaaditæ vada Iordanis, per quæ Ephraim reuerſurus erat. Cumq; veniſſet ad ea de Ephraim numero, fugiens, atque dixiſſet, Obſecro vt me tranſire permittas: dicebant ei Galaaditæ, Nunquid Ephrathæus es? Quo dicente, Non ſum: interrogabant eum, Dic ergo Sibboleth, † Qui reſpondebat, [c] Cibboleth: non enim aptus erat, vt ſic loqueretur. Statimque apprehenſum iugulabant in ipſo Iordanis tranſitu. Et ceciderunt in illo tempore de Ephraim quadraginta duo millia. Iudicauit itaque Iephte Galaadites Iſrael ſex annis: & mortuus eſt, ac ſepultus in ciuitate ſua Galaad. Poſt hunc iudicauit Iſrael [d] Abeſan de Bethléhem: qui habuit triginta filios, & totidẽ filias: quas emittens foras, maritis dedit, & eiuſdem numeri filijs ſuis accepit vxores, introducens in domum ſuam. Qui ſeptẽ annis iudicauit Iſrael, mortuusq; eſt, ac ſepultus in Bethléhem. Cui ſucceſsit Elon Zabulonites: & iudicauit Iſrael decem annis: mortuusq; eſt ac ſepultus † in Aialon in terra Zabulon. Poſt hunc iudicauit Iſrael Abdon, filius Elel Pharathonites: qui habuit quadraginta filios, & triginta ex eis, nepotes, aſcendentes ſuper ſeptuaginta pullos aſinarum, & iudicauit Iſrael octo annis: mortuusq; eſt ac ſepultus in Pharathon terræ Ephraim, in monte Amalec.

A

B

C

D

SCHOLIA.

[a] Poſui animam meam in manibus meis.] *Hebraiſmus eſt, qui in multis locis inuenitur, pro, expoſui me periculo.*
[b] Fugitiuus eſt Galaad.] *Ionathas hunc locum ſic vertit. Vos Galaaditæ, qui fugitiui eſtis, quid reputamini in medio Ephraim, & in medio Manaſſe? Alius ſic vertit. Fugitiui Ephraim vos eſtis, vos, inquam, Galaaditæ, inter Ephraim, & inter Manaſſe.* [c] Sibboleth.] *Rogabant eos, vt proferrent dictiones, in quibus eſt Sin, hoc eſt S craſſum, quod Ephratæi proferre nequiuerunt, ſed loco eius S acutum proferebant, quod certum erat indicium, prolatorem eſſe Ephratæum, quantumlibet id verbis negaret.* [d] Abeſſan.] *Iſte nullum ex tot filijs poſt ſe populi reliquit gubernatorem, quantumlibet filias foras elocauerit, & filijs ſuis aliunde vxores adduxerit: exemplum humanæ imbecillitatis, cui minimè fidendum ſit. Nam dum adhuc viueret, mortui ſunt omnes filij eius, ſucceſsitq; illi paulo poſt Samſon ex ſterilibus natus parẽtibus. Idem ſentiendum de Abdon, cuius filij aſcenderunt ſuper ſeptuaginta aſellos.*

CAPVT XIII.

RVrſumq; filij Iſrael fecerunt malum in conſpectu Domini: qui tradidit eos in manus Philiſthinorum quadraginta annis. Erat autem quidam vir de Sarea, & de ſtirpe Dan, nomine Manue, habens vxorem ſterilem: cui apparuit angelus Domini, & dixit ad eam, Sterilis es, & abſq; liberis: ſed concipies & paries filium: caue ergo ne bibas vinum ac ſiceram, nec immundum quicquam comedas: quia concipies & paries filium: cuius non tanget caput nouacula: erit enim [a] Nazaræus Dei ab † ipſo vtero, & ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum. Quæ cum veniſſet ad maritum ſuum, dixit ei, Vir Dei venit ad me, habens vultum angelicum, terribilis nimis. † Nec interrogaui eum vnde is eſſet, nec ipſe indicauit mihi nomẽ ſuum, ſed dixit mihi, Ecce concipies & paries filium: caue ne vinum bibas nec ſiceram, & ne aliquo veſcaris immundo: erit enim puer Nazareus Dei † ex vtero, vſq; ad diem mortis ſuæ. Orauit itaq; Manue Dominũ, & ait, Obſecro Domine, vt vir Dei, quem miſiſti, veniat iterum, & doceat nos quid debeamus facere † puero quando natus fuerit. Exaudiuitq; Dominus deprecãtem Manue, & apparuit rurſum angelus Dei vxori eius ſedenti in agro. Manue autem maritus eius non erat cum ea. Quæ cum vidiſſet angelum, feſtinauit, et cucurrit ad virum ſuum: nuntiauitq; ei, dicẽs, Ecce apparuit mihi vir quẽ ante videram. Qui ſurrexit, & ſecutus eſt vxorem ſuam: veniensq; ad virum dixit ei, Tu es, qui locutus es mulieri? Et ille reſpondit, Ego ſum. Cui Manue, Quando, inquit, ſermo tuus fuerit expletus, quid vis vt faciat puer? aut à quo ſe obſeruare debebit? Dixitq; angelus Domini ad Manue, Ab omnibus, quæ locutus ſum vxori tuę, abſtineat ſe: & quicquid ex vinea naſcitur, non comedat: vinũ & ſicerã non bibat, nullo veſcatur immũdo: & quod ei præcepi impleat atq; cuſtodiat. Dixit itaq; Manue ad angelum Dñi, † Detineamus quæſo te, & faciamus tibi hœdũ de capris. Cui reſpondit angelus, Si me cogis, non comedã panes tuos, ſi autẽ vis holocauſtũ facere, offer illud Dño. Et neſciebat Manue q̃ angelus Dñi eſſet: dixitq; ad eũ, Quod eſt tibi nomen, vt ſi ſermo tuus fuerit expletus, honoremus te? Cui ille reſpondit, Cur quæris nomen meũ, quod eſt † ſecretum? Tulit itaq; Manue hœdum de capris, & libamenta, & poſuit ſuper petram, offerens Domino: † mirabiliterque egit angelus, videntibus Manue & vxore eius. Cumq; aſcenderet flamma altaris in cœlum, angelus Domini pariter in flamma aſcendit.

A

B

C

D

Quod

Quod cum vidiſſet Manue,& vxor eius,proni ceciderunt in terram,& vltrà eis non apparuit angelus Domini.Statimq; intellexit Manue angelum Domini eſſe,& dixit ad vxorẽ ſuam,Morte moriemur,quia vidimus Dominum.Cui reſpondit mulier,Si Dominus nos vellet occidere,de manibus noſtris holocauſtum,& libamenta non ſuſcepiſſet:nec oſtendiſſet nobis hæc omnia,neq; ea,quæ ſunt ventura,dixiſſet.Peperit itaque filiũ,& vocauit nomẽ eius Samſon.Creuitq; puer,& benedixit ei Dominus.Cœpitq; ſpiritus Domini eſſe cũ eo in caſtris Dan inter Saraa & Eſthaol.

SCHOLIA.

[a] Nazaræus] *Nazaræis etiam quædam munda prohibebantur,vt eſt vſus vini,et quicquid à vite producitur. Vnde quando hic dicitur,neque comedas vllũ immundũ,nõ eſt hoc intelligendũ de re ſimpliciter immunda, vt eſt eſus carnis porcinæ vel leporinæ,cum illa alioqui per legem omnibus Iudæis fuerint interdicta,ſed de rebus licitis quidẽ,ſed Nazaræis prohibitis,vt eſt quinis potus inebriãs valens.Sed quomodo iubetur mater pro naſcituri pueri ſanctitate ab immundis quibuslibet abſtinere rebus,cũ filius ab immundis ducendis vxoribus non abſtinuerit,nec propterea in ſcriptura redarguatur? nam duxit incircunciſorum filias in vxores. Reſpondẽt Hebræi,quòd vxores illas alienigenas primum imbuerit in lege, & ritũ docuerit Iſraelitarum.Abſit enim vt tantus iudex & liberator Iſraelitarum peccare auſus fuerit in hoc præceptum. Non facies affinitatem cum eis,&c.Præſertim cum ſcriptura non referat de eo,quòd malum fecerit in oculis Domini, ſed magis à Domino fuit,vt Philiſtæam duceret in vxorem,quæ illi occaſionem præberet impugnandi Philiſtæos : tamen in nouiſſimis diebus ſuis,oculis fuit priuatus,quòd à concupiſcentia oculorum ſibi non temperaſſet.*

CAPVT XIIII.

A DEſcendit ergo Samſon in Thamnátha:videnſq; ibi mulierem de filiabus Philiſtijm,aſcendit,& nunciauit patri ſuo,& matri ſuæ,dicens,Vidi mulierem in Thamnátha de filiabus Philiſthinorũ : quam quæſo vt mihi accipiatis vxorem. Cui dixerunt pater ſuus & mater,Nunquid non eſt mulier in filiabus fratrum tuorum,& in omni populo tuo,quia vis accipere vxorem de Philiſtijm , qui incircunciſi ſunt? Dixitq; Samſon ad patrem ſuum,Hanc mihi accipe:quia placuit oculis meis.Parentes autem eius neſciebãt quòd res à Domino fieret,& quæreret occaſionem contra Philiſthijm : eo enim tempore Philiſthijm dominabantur Iſraeli. Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo & matre in Thamnátha.Cumq; veniſſent ad vineas oppidi,apparuit catulus leonis fæuus,& rugiens,& occurrit ei. Irruit autẽ ſpiritus Domini in Samſon, B & dilacerauit leonem,quaſi hœdum in fruſta decerperet,nihil omnino habens in manu:& hoc patri & matri [a] noluit indicare. Deſcenditq;,& locutus eſt mulieri quæ placuerat oculis eius.Et poſt aliquot dies reuertens vt acciperet eam,declinauit vt videret cadauer leonis , & ecce examen apum in ore leonis erat ac fauus mellis.Quem cum ſumpſiſſet in manibus,comedebat in via:veniensq; ad patrem ſuum & matrem,dedit eis partem,qui & ipſi comederunt:nec tamen eis voluit indicare q̃ mel de corpore leonis aſſumpſerat. Deſcendit itaq; pater eius ad mulierem,& † Samſon parauit ibi conuiuium : ſic enim iuuenes facere conſueuerant. Cum ergo ciues loci illius vidiſſent eum,dederunt ei ſodales triginta qui eſſent cum eo. Quibus locutus eſt C Samſon.Proponam vobis problema:quod ſi ſolueritis mihi intra ſeptem dies conuiuij , dabo vobis triginta ſindones,& totidẽ tunicas:ſinautẽ nõ potueritis ſoluere,vos dabitis mihi triginta ſindones,& eiuſdẽ numeri tunicas.Qui reſponderunt ei,Propone problema,vt audiamus.Dixitq; eis,De comedente exiuit cibus,& de forti egreſſa eſt dulcedo.Nec potuerunt per tres dies propoſitionem ſoluere. Cumq; adeſſet [b] dies ſeptimus, dixerunt ad vxorem Samſon,Blandire viro tuo,& ſuade ei vt indicet tibi quid ſignificet problema : quod ſi facere nolueris,incendemus te,& domum patris tui : an iccircò vocaſtis nos ad nuptias vt ſpoliaretis? Quæ fundebat apud Samſon lacrymas,& querebatur,dicens,Odiſti me & nõ diligis:iccircò problema quod pro- D poſuiſti filijs populi mei,non vis mihi exponere.At ille reſpõdit,Patri meo, & matri nolui dicere:& tibi indicare potero? Septem igitur diebus conuiuij flebat ante eum : tandemq; die ſeptimo cum ei eſſet moleſta, expoſuit.Quæ ſtatim indicauit ciuibus ſuis. Et illi dixerunt ei die ſeptimo ante ſolis occubitum. Quid dulcius melle,& quid fortius leone? Qui ait ad eos . Si non araſſetis in vitula mea,non inueniſſetis propoſitionem meam.Irruit itaq; in eum ſpiritus Domini,deſcenditq; Aſcalonem,& percuſsit ibi triginta viros:quorum ablatas veſtes dedit his qui problema ſoluerant.Iratusq; nimis aſcendit in domum patris ſui:vxor autẽ eius accepit maritum vnum de amicis eius & pronubis.

SCHOLIA.

[a] Noluit indicare.] *Magnæ indolis indicium,ac generoſi animi,atque parati ad maiora aggredienda , cum tam præclarum facinus non curauerit parentibus indicare.* [b] Dies ſeptimus.] *Sunt qui intelligunt ſabbatum , quòd quarta dies fuerit nuptiarum.Sunt tamen qui accipiant ſeptimum diem pro vltimo die nuptiarum, et hi dicunt,vxorem ſeptem diebus fleuiſſe in ſinu mariti,metuentem euenturum quod euenit.Et cum ciues incendiũ minarẽtur vltimo die,importunius extorquere conatam problematis ſolutionem.*

CAPVT XV.

POſt aliquantulum autem temporis , cum dies triticeæ meſsis inſtarent , venit Samſon inuiſere volens A vxorem ſuam,& attulit ei hœdum de capris.Cumq; cubiculum eius ſolito vellet intrare, prohibuit illum pater illius,dicens,Putaui quod odiſſes eam, & ideo tradidi illam amico tuo : ſed habet ſororem, quæ iunior & pulchrior illa eſt,ſit tibi pro ea vxor.Cui Samſon reſpondit , Ab hac die non erit culpa in me contra Philiſteos,faciam enim vobis mala. Perrexitq; & cepit trecentas vulpes , caudaſq; earum iunxit ad caudas,& faces ligauit in medio : quas igne ſuccendens dimiſit † in ſtantes ſegetes Philiſtinorum : & incendit tam aceruos,quàm ſtantem ſegetem,intãtum vt vineas quoq;,& oliueta,flamma conſumeret. Dixerũtq; B Philiſtijm, Quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt,Samſon gener Thamnathæi , quia tulit vxorem eius,& alteri tradidit,hæc operatus eſt. Aſcenderuntq; Philiſtijm:& combuſſerũt tam mulierem quàm patrẽ eius.

Quibus

Quibus ait Samſon, Licet hæc feceritis,tamen adhuc ex vobis expetam vltionem, & tunc quieſcam. Percuſſitq; eos ingenti plaga,ita vt ſtupentes [a] ſuram femori imponerent.Et deſcendens habitauit in ſpelũca petræ Etham.Igitur aſcendẽtes Philiſthijm in terram Iuda caſtrametati ſunt in loco , qui poſtea vocatus eſt Lechi, id eſt maxilla.† Dixeruntq; ad eos de tribu Iuda.Cur aſcendiſtis aduerſum nos? Qui reſponderunt. Vt ligeC mus Samſon venimus,& reddamus ei quę in nos operatus eſt.Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etam,dixeruntq; ad Samſon,Neſcis quòd Philiſthiim imperent nobis? quare ergo hoc facere voluiſti? Quibus ille ait,Sicut fecerunt mihi,ſic feci eis.Ligare,inquiunt,te venimus,& tradere in manus Philiſthinorum. Quibus Samſon,Iurate,ait,& ſpondete mihi,quòd non occidatis me.Dixerunt , Nõ te occidemus,ſed vinctum trademus.Ligaueruntq; eum duobus nouis funibus , & tulerunt eum de petra.Etã. Qui cum veniſſet ad locum Maxillæ,& Philiſthijm vociferãtes occurriſſent ei , irruit ſpiritus Domini in eũ: & ſicut ſolent ad ardorem ignis lina conſumi:ita vincula quibus ligatus erat,diſsipata ſunt & ſoluta. Inuentamq; maxillam,id eſt,mandibulam aſini,† recentem,arripiens,interfecit in ea mille viros,& ait, In maxilD la aſini,in mandibula pulli aſinarum deleui eos,& percuſsi mille viros.Cumq; hæc verba † compleſſet,proiecit mandibulam de manu,& vocauit nomẽ loci illius Ramathlechi. quod interpretatur eleuatio maxillæ. Sitiensq; valde,clamauit ad Dominum,& ait,Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam atq; victoriam:& en ſiti morior,incidamq; in manus incircunciſorum.Aperuit itaq; Dominus [b] molarem dẽtem in maxilla aſini,& egreſſæ ſunt ex ea aquæ. Quibus hauſtis refocillauit ſpiritũ ſuum & vires recepit. Iccircò appellatum eſt nomen loci illius,Fons inuocantis de maxilla:vſq; in præſentem diem. Iudicauitq; Iſrael in diebus Philiſthijm viginti annis.

SCHOLIA.

[a] Suram fœmori imponerẽt.] *Alius vertit:coxa ſuper fœmur : quod ſcilicet ſuras illorum ac fœmora percuſſerit: alius interpretatur,vt fugientes & cadentes , crura & pedes illiſerint fœmoribus.* [b] Molarem dentem.] *Sunt multi apud Hebræos,qui putant per dentem molarem hic intelligi petram quandam,quæ formã habuerit dentis molaris,& fuiſſe in eo loco,qui Lechi,id eſt maxilla,vocatus fuit,quam Dominus ſcindens,largiſſimas produxerit aquas.*

CAPVT XVI.

A ABijt quoq; in Gazam,& vidit ibi mulierem [a] meretricẽ,ingreſſusq; eſt ad eam. Quod cum audiſſent † Gazenſes,& percrebuiſſet apud eos,intraſſe vrbem Samſon,circundederunt eum , poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus:& ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes,vt facto manè exeuntem occiderent. Dormiuit autem Samſon vſq; ad medium noctis : & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera , impoſitasq; humeris ſuis portauit ad verticem montis qui reſpicit Hebron. Poſt hæc amauit mulierem,quæ habitabat in valle Sorec,& vocabatur Dalila. Venerũtq; ad eam principes Philiſthinorum,atq; dixerunt.Decipe eum,et diſce ab illo in quo habeat tantam fortitudinem,& quomodo eum ſuB perare valeamus,& vinctum affligere:quod ſi feceris,dabimus tibi ſinguli mille centum argenteos. Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon,Dic mihi obſecro,in quo ſit tua maxima fortitudo , & quid ſit quo ligatus erũpere nequeas? Cui reſpondit Samſon,Si ſeptem neruiceis funibus necdum ſiccis,& adhuc humentibus ligatus fuero,infirmus ero vt cęteri homines.Attuleruntq; ad eam ſatrapę Philiſthinorum ſeptem funes,vt dixerat: quibus vinxit eum,latentibus apud ſe inſidijs,& in cubiculo finem rei expectantibus : clamauitque ad eum, Philiſthijm ſuper te Samſon . Qui rupit vincula quomodo ſi rumpat quis filum † ex ſtupa factum cũ odoC rem ignis acceperit:& nõ eſt cognitum in quo eſſet fortitudo eius. Dixitq; ad eum Dalila,Ecce illuſiſti mihi,& falſum locutus es:ſaltem nunc indica mihi quo ligari debeas. Cui ille reſpondit , Si ligatus fuero nouis funibus,qui nunquam fuerunt in opere,infirmus ero,& aliorum hominum ſimilis. Quibus rurſum Dalila vinxit eũ,& clamauit,Philiſtijm ſuper te Samſon:in cubiculo inſidijs preparatis.Qui ita rupit vincula quaſi filum. Dixitq; Dalila rurſum ad eũ,Vſquequo decipis me, & falſum loqueris? oſtende quo vinciri debeas. Cui reſpondit Samſon,Si,inquit,ſeptem crines capitis mei [b] cum licio plexueris,& clauum his circunligatũ terræ fixeris,infirmus ero.Quod cum feciſſet Dalila,dixit ad eum,Philiſthijm ſuper te Samſon.Qui conſurD gens de ſomno extraxit clauum † texturæ cum licio. Dixitque ad eum Dalila,Quomodo dicis q̃ amas me, cum animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mẽtitus es mihi , & noluiſti dicere in quo ſit maxima fortitudo tua.Cumq; moleſta eſſet ei,& per multos dies iugiter adhæreret,ſpatium ad quietem non tribuens,defecit anima eius,& ad mortem vſq; laſſata eſt.Tunc aperiens veritatem rei,dixit ad eam, Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum,quia Nazaræus,id eſt,conſecratus Dño ſum de vtero matris meæ : ſi raſum fuerit caput meum,recedet à me fortitudo mea,& deficiam,eroque ſicut cæteri homines. Videnſq; illa q̃ conE feſſus ei eſſet omnem animũ ſuum,miſit ad principes Philiſthinorum ac mandauit. Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum. Qui aſcenderũt aſſumpta pecunia quam promiſerant. At illa dormire eũ fecit ſuper genua ſua. Vocauitq; tonſorem,& raſit ſeptem † cincinnos eius,& cœpit affligere eum : ſtatimq; ab eo fortitudo diſceſsit:dixitq;,Philiſthijm ſuper te Samſon. Qui de ſomno conſurgens,dixit in animo ſuo, Egrediar ſicut ante feci,& me excutiam:neſciens q̃ receſsiſſet ab eo Dominus. Quem cum apprehendiſſent Philiſthijm,ſtatim eruerunt oculos eius,& duxerunt Gazam vinctum catenis,& clauſum in carcere [c] molere fecerunt. Iamq; capilli eius renaſci cœperant,& principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum vt immolarẽt hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo,& epularentur,dicẽtes,Tradidit Deus noſter inimicum noſtrũ F Samſon in manus noſtras.Quod etiam populus videns,laudabat Deum ſuum,eadẽq; dicebat , Tradidit Deus noſter aduerſarium noſtrum in manus noſtras,qui deleuit terram noſtram,& occidit plurimos. Lætantesq; per conuiuia,ſumptis iam epulis præceperunt vt vocaretur Samſon,& ante eos luderet.Qui adductus de carcere ludebat ante eos,feceruntque eum ſtare inter duas columnas. Qui dixit puero regenti greſſus ſuos,Di-

mitte me,vt tangã columnas quibus omnis imminet domus, & recliner ſuper eas. † Domus autem erat plena virorum ac mulierũ,& erant ibi omnes principes Philiſthinorum,ac de tecto, & ſolario circiter tria millia vtriuſque ſexus ſpectantes ludentem Samſon. At ille inuocato Domino ait, Domine Deus meus memẽto mei,& redde mihi nunc fortitudinem meam priſtinam Deus meus,vt vlciſcar me de hoſtibus meis,& pro G
amiſsione duorum luminum vnam vltionem recipiam. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus,alteramq; earum dextera, & alteram leua tenens, ait, Moriatur anima mea cum Philiſthijm. Concuſsisq; fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes,& cæteram multitudinẽ, quę ibi erat: multoq; plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat. Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio tulerunt corpus eius,& ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue: iudicauitq; Iſrael viginti annis.

SCHOLIA.

[a] Meretricem.] *Hebræi putant hic dictionem Hebræam non pro meretrice, ſed pro cibatrice ſeu hoſpitatrice accipi.*
[b] Cum licio plexueris.] *Senſus eſt: ſi fuerint cincinni capitis mei intra telam contexti, licitatoriumq; ipſum, circa quod tela plicatur, clauo fixum, & ad certum ſitum firmatum, debilis ero, &c.* [c] Molere fecerunt.] *Mos erat apud antiquos, vt captiui in carceribus compellerentur ad laborem, ne ociosi panem comederent, & præſertim ad trahendum molares lapides inſtituebantur. Sunt qui per illud molendi verbum intelligunt, mulieres Philiſtæas ad eum introductas, vt ex tam forti viro ſemen acciperent.*

CAPVT XVII.

FVitq; eo tempore vir quidam de monte Ephráim nomine Michas,qui dixit matri ſuæ, Mille centum A
argenteos † qui ablati ſunt tibi,& ſuper quibus me audiente † deuoueras,ecce ego habeo, † ego ſuſtuli eos.Cui illa reſpondit,Benedictus filius meus Domino. Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei, Conſecraui,& voui hoc argentum Dño,vt de manu mea ſuſcipiat filius meus,& faciat ſculptile atq; conflati le:& nunc trado illud tibi. Reddidit igitur eos matri ſuæ:quæ tulit [a] ducentos argenteos, & dedit eos argenta- B
rio,vt faceret ex eis ſculptile atq; conflatile,quod fuit in domo Michæ. Qui ędiculam quoq; in ea Deo ſeparauit,& fecit Ephod,& theraphim,id eſt veſtem ſacerdotalem, & idola: [b] impleuitq; vnius filiorũ ſuorũ manũ,& factus eſt ei ſacerdos. In diebus illis nõ erat rex in Iſrael,ſed vnuſquiſq; quod ſibi rectũ videbatur, hoc faciebat. Fuit quoq; alter adoleſcẽs de Bethlehem Iuda ex cognatione eius:eratq; ipſe Leuites,& habitabat C
ibi. Egreſſuſq; de ciuitate Bethlehem, peregrinari voluit vbicunq; ſibi cõmodũ reperiſſet. Cúq; veniſſet in montẽ Ephráim iter faciens, & declinaſſet parumper in domũ Michę, interrogatus eſt ab eo vnde veniſſet. Qui reſpondit,Leuita ſum de Bethlehẽ Iuda,& vado vt habitẽ vbi potuero & vtile mihi proſpexero. Dixitq; Michas,Mane apud me,& eſto mihi parens ac ſacerdos:dabo q; tibi per annos ſingulos decẽ argenteos, ac ve- D
ſtem duplicem,& quę ad victũ ſunt neceſſaria. Acquieuit,& manſit apud hominem,fuitq; illi quaſi vnus de filijs.Impleuitq; Michas manum eius,& habuit † adoleſcentem illum ſacerdotem apud ſe, Nunc ſcio,dicẽs, q; benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis ſacerdotem.

SCHOLIA.

[a] Ducentos argenteos.] *Hos ducentos argenteos dedit argentario pro precio, reliquos verò nongentos argenteos expoſuit pro ſculptili, & conflatili formando,fecit & templum pro idolis & Theraphim,&c.* [b] Impleuitq;.] *Scilicet manum oblationibus, quo ritu ſacerdotes initiabantur,ſignificat ergo conſecrare. Incertum eſt autem quo tempore hoc acciderit. Sed cum à Samſon vſque ad Eli iudicem tranſierint anni aliquot, quando Iſraelitæ non habuerunt iudicem, ictirco credunt hæc tunc contigiſſe.*

CAPVT XVIII.

IN diebus illis non erat rex in Iſrael,& tribus Dan quærebat poſſeſsionem ſibi, vt habitaret in ea. Vſq; ad A
illũ enim diẽ inter cæteras tribus [a] ſortẽ nõ acceperat.Miſerunt ergo filij Dan ſtirpis,& familię ſuæ quinque viros † de primatibus,viros exercitatos in militia de Saraa,& Eſthaol,vt explorarent terrã, & diligenter inſpicerẽt:dixeruntq; eis,Ite,& cõſyderate terrã. Qui cũ pergẽtes veniſſent in mõtẽ Ephráim,& intraſſent domũ Michę,requieuerũt ibi:& agnoſcẽtes vocẽ adoleſcẽtis Leuitę,vtentesq; illius diuerſorio,dixerunt ad eũ,Quis te huc adduxit?quid hic agis?quam ob cauſam huc venire voluiſti? Qui reſpõdit eis, Hęc & hæc B
prętitit mihi Michas,& me mercede cõduxit,vt ſim ei ſacerdos.Rogauerũt autẽ eũ [b] vt conſuleret Dñm, & ſcire poſſent † an proſperũ futurũ eſſet iter,per quod ambularẽt. Qui reſpõdit eis,Ite cum pace, Dñs reſpicit viã veſtrã,& iter quò pergitis. Euntes igitur quinq; viri venerũt Lais:viderunt q; populũ habitãtẽ in ea abſq; vllo timore, [c] iuxta conſuetudinẽ Sidoniorum,ſecurum & quietum, † nec erat qui moliretur quicquã iniurię inferre terrę illi, [d] aut veluti in regni poſſeſsionẽ accipere.Sed & à Sidonijs longẽ aberãt, nec quicquã ne- C
gocij habebãt cũ hominibus.Reuerſiq; ad fratres ſuos in Saraa,& Eſthaol,quid egiſſent ſciſcitantibus reſpõderũt,Surgite,& aſcẽdamus ad eos:vidimus enim terrã valde opulentã & vberẽ:nolite negligere, nolite ceſſare: eamus,& poſsideamus eam, † ſi ire volueritis, venietis ad ſecuros in regionem latiſsimam,tradetq; nobis Dominus locum,in quo nullius rei eſt penuria eorum, quę gignuntur in terra. Profecti igitur ſunt de co- D
gnatione Dan,id eſt de Saraa,& Eſthaol ſexcenti viri accinẽti armis bellicis,aſcendentesq; manſerunt in Cariathiárim Iudæ:qui locus ex eo tempore Caſtrorum Dan,nomen accepit,& eſt poſt tergum Cariathiárim. Inde tranſierunt in montem Ephráim.Cumq; veniſſent ad domum Michę, dixerunt quinq; viri qui prius miſsi fuerant ad conſyderandam terram Lais,cęteris fratribus ſuis, Noſtis quòd in domibus iſtis ſit Ephod, Theraphim,& ſculptile atq; conflatile? videte quid vobis † faciendum ſit.Et cum paululum declinaſſent,ingreſsi ſunt domum adoleſcentis Leuitæ,qui erat in domo Michę: ſalutaueruntq; eum verbis pacificis. Sex- E
centi autem viri ita,vt erant armati,ſtabãt ante oſtium.At illi qui ingreſsi fuerant domum iuuenis, ſculptile

&

& ephod,& theraphim,atq; conflatile tollere nitebantur,& ſacerdos ſtabat ante oſtium,ſexcentis viris † illis accinctis armis bellicis haud procul exęcutibus. Tulerunt igitur qui intrauerant,ſculptile, ephod,& idola,atque conflatile. Quibus dixit ſacerdos, Quid facitis? Cui reſponderunt, Tace, & pone digitum ſuper os tuum:veniq; nobiſcum,vt habeamus te patrem ac ſacerdotem. Quid tibi melius eſt, vt ſis ſacerdos in domo vnius viri,an in vna tribu,& familia in Iſrael? Quod cum audiſſet, acquieuit ſermonibus eorum, & tulit ephod,& idola,ac ſculptile,& profectus eſt cum eis. Qui cum pergerent,& ante ſe ire feciſſent paruulos ac
F iumenta,& omne quod erat pretioſum, iamq; à domo Michæ eſſent procul, viri qui habitabant in ędibus Michæ conclamantes ſecuti ſunt,& poſt tergum clamare cœperunt. Qui cum reſpexiſſent, dixerunt ad Micham,Quid tibi vis? † quòd ſic conglobatus es? Qui reſpondit,Deos meos quos mihi feci, tuliſtis, & ſacerdotem, † & abiſtis,& quid eſt mihi amplius? & dicitis,Quid eſt tibi? Dixeruntq; ei filij Dan, Caue ne vltrà loquaris ad nos,& veniant ad te viri animo concitati,& ipſe cum omni domo tua pereas. Et ſic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas quòd fortiores ſe eſſent,reuerſus eſt in domum ſuam. Sexcenti autem viri tulerunt ſacerdotem,& quæ ſuprà diximus: veneruntq; in Lais ad populum quieſcentem,atq; ſecurum,
G & percuſſerunt eos in ore gladij:vrbemq; [e] incendio tradiderunt,nullo penitus ferente præſidium, eò quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quicquam ſocietatis ac negotij. Erat autem ciuitas ſita † in valle,quæ eſt iuxta Beth Rohob:quam rurſum extruentes habitauerunt in ea, vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris ſui quem genuerat Iſrael, quæ prius Lais dicebatur. Poſueruntq; ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſon filij † Manaſſe, ac filios eius ſacerdotes in tribu Dan, [f] vſq; ad diẽ captiuitatis † terræ.Manſitq; apud eos idolum Michæ omni tempore quo fuit domus Dei in Silo: in diebus illis non erat rex in Iſrael.

SCHOLIA.

[a] Sortem non acceperat.] *Non eſt intelligendum,quòd nulla omnino illis obtenerit ſors, ſed quòd ea, quæ poſſidebant, anguſtior eſſet,quàm vt omnibus ſufficeret.* [b] Vt conſuleret Dominum.] *Viderant Danitæ Ephod illud factum ſecundum formam Ephod legalis, ideo putabant ſibi hinc dandum oraculum, præſertim cum Theraphim adeſſent,ex quorum inſpectione,quæ futura erant,nonnunquam dæmonis reuelatione cognoſcebantur, etiam ſi illi ſecus crederent, nempè quòd vel per aſtrorum influentiam, vel per diuinam reuelationem,futuri euentus ex Theraphim inſpectione innoteſcerent. De Theraphim dictum eſt Gene.xxxi.* [c] Iuxta conſuetudinem Sidoniorum.] *Indicatur, illis nullum fuiſſe timorem, ſicut nec Sidonys.* [d] Aut veluti in regni poſſeſsionem accipere.] *Nemo(inquit)erat, qui regẽ ageret in hac vrbe, nec negociũ aliquod,id eſt,fœdus habuit vrbs iſta cum vicinis hominibus,niſi forte cum Sidonys,ſed illi longius aberant,quã vt eis opem ferre poſſent in tam repentino hoſtium incurſu. Et hæc omnia diligenter didicerũt exploratores, qui quaſi mercatores ingreſsi fuerunt vrbem Lais.* [e] Incendio tradiderunt.] *Sed quare combuſſerunt vrbem igni, quam tamen inhabitare decreuerant? Vt cæteris vicinis habitatoribus terrorem incuterent, vt cum regni metropolim tam facilè obtinuiſſent,de viculis quo que eius actum eſſe ſcirent. Poteſt etiam eſſe, vt ſexcenti viri ingreſsi ciuitatem,mox illam incenderint,quo ciuibus munus liceret ad arma conuolare.* [f] Vſque ad diem captiuitatis.] *Alius vertit tranſmigrationis, & Hebræi intelligunt hoc de tranſmigratione arcæ,tunc enim multi Iſraelitæ fuerunt tranſmigrati:non enim eſt veriſimile, vt hoc ſculptile diuauerit vſque ad tempora Dauid,& Salomonis,qui citra omnem controuerſiam illud in regno ſuo non toleraſſent.*

CAPVT XIX.

A FVit quidam vir Leuites,habitans in latere montis Ephráim, qui accepit vxorem † concubinã de Bethlehem Iuda: † quæ fornicata eſt apud eum, diſcedens ſcilicet ab eo in domum patris ſui in Bethlehem, manſitq; apud eum quatuor menſibus.Secutusq; eſt eam vir ſuus,volens reconciliari ei, atq; blandiri, & ſecum reducere,habens in comitatu puerum & duos aſinos, quæ ſuſcepit eum, & introduxit in domũ patris ſui. † Quem cũ ſocer eius,vidiſſet,occurrit ei lætus,& amplexatus eſt hominẽ. Manſitq; gener in domo
B ſoceri tribus diebus comedẽs cum eo & bibens † atq; pernoctans ibi. Die autẽ quarto † manè cõſurgẽs,proficiſci voluit.Quem tenuit ſocer,& ait ad eum,Guſta prius puſillũ panis, & cõforta ſtomachũ, & ſic proficiſceris.Sederuntq; ſimul,ac comederunt & biberunt.Dixitq; pater puellæ ad generũ ſuũ,Quæſo te, vt hodie hic maneas,pariterq; lętemur. At ille cõſurgẽs,cœpit velle proficiſci. Et nihilominus obnixè eũ ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere.Mane autẽ facto,parabat Leuites iter. Cui ſocer rurſum, Obſecro,inquit,vt paululũ cibi capias,& † morã fecerunt vſq; dũ inclinaret dies.Comederunt ergo ſimul,ſurrexitq; adoleſcẽs, vt perge
C ret cũ vxore ſua & puero.Cui rurſum locutus eſt ſocer,Conſydera q; dies ad occaſum decliuior ſit, & propinquat ad veſperũ: mane apud me etiã hodie,& duc lętũ diẽ,& cras proficiſceris,vt vadas in domũ tuã. Noluit gener acquieſcere ſermonibus eius:ſed ſtatim ſurrexit,& venit cõtra Iebus,quæ altero nomine vocatur Ieruſalem,ducẽs ſecum duos aſinos onuſtos,& concubinam.Iamq; aderant iuxta Iebus,& dies † erat valde inclinata:dixitq; puer ad dñm ſuum,Veni obſecro,declinemus ad vrbẽ Iebuſęorũ,& maneamus in ea. Cui reſpõ
D dit dominus,Non ingrediar oppidũ gentis alienę,quę nõ eſt de filijs Iſrael:ſed trãſibo vſq; Gabaa, & cũ illuc peruenero manebimus in ea,aut certè in vrbe Rama. Tranſierunt ergo Iebus,& cœptum carpebant iter, occubuitq; eis ſol iuxta Gabaa,quę eſt in tribu Beniamin:diuerteruntq; ad eam, vt manerent ibi. Quò cum intraſſent,ſedebant in platea ciuitatis,& nullus eos recipere volebat hoſpitio.Et ecce,apparuit homo ſenex,reuertens de agro,& de opere ſuo veſperi,qui & ipſe de monte erat Ephráim, & peregrinus habitabat in Gabaa:homines autem regionis illius erant [a] filij Iemini. Eleuatisq; oculis, vidit ſenex † virum viatorem in
E platea ciuitatis,& dixit ad eum,Vnde venis?& quò vadis?Qui reſpondit ei, Profecti ſumus de Bethlehem Iuda,& pergimus ad locum noſtrum,qui eſt in latere montis Ephráim,vnde ieramus in Bethleheem: & nunc vadimus [b] ad domum Dei,nullusq; ſub tectum ſuum nos vult recipere,habentes paleas,& fœnum in aſinorum pabulum, & panem ac vinum in meos, & ancillæ tuæ vſus, & pueri qui mecum eſt: nulla re indige-

mus,niſi hoſpitio.Cui reſpondit ſenex,Páx tecum ſit,ego præbebo omnia quæ neceſſaria ſunt:tantum queſo ne in platea maneas.Introduxitq; eum in domum ſuam,& pabulum aſinis præbuit:ac poſtquam lauerũt pedes ſuos,recepit eos in conuiuiũ. Illis epulantibus,& poſt laborem itineris,cibo & potu reficientibus cor F
pora,venerunt viri ciuitatis illius filij Belial,id eſt abſq; iugo,& circundãtes domum ſenis, fores pulſare cœperunt,clamantes ad dominum domus,atq; dicentes,Educ virum qui ingreſſus eſt domum tuam,vt abutamur eo.Egreſſusq; eſt ad eos ſenex,& ait,Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo
Gene. 19.b hoſpitium meum,& ceſſate ab hac ſtultitia:habeo filiã virginem,& hic homo habet concubinã,educam eas ad vos,vt humilietis eas, & veſtrã libidinẽ compleatis:tãtum obſecro ne ſcelus hoc † tã abominabile operemini in virum.Nolebant acquieſcere ſermonibus illius:quod cernẽs homo, eduxit ad eos cõcubinam ſuã, & eis tradidit illudendam:qua cum tota nocte abuſi eſſent,dimiſerunt eam manè.At mulier recedẽtibus te- G
nebris,venit ad oſtium domus,vbi manebat dominus ſuus,& ibi corruit.Mane facto,ſurrexit homo,& aperuit oſtium,vt cœptam expleret viam:& ecce cõcubina eius iacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus. Cui ille,† Surge,vt ambulemus.Qua nihil reſpondente,intelligens quòd erat mortua,tulit eam,& impoſuit aſino,reuerſuſq; eſt in domum ſuam.Quam cum eſſet ingreſſus,arripuit gladium,& cadauer vxoris cũ oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens,miſit in omnes terminos Iſrael. Quod cum vidiſſent ſinguli,conclamabant,Nunquam res talis facta eſt † neq; viſa,ex eo die quo aſcenderunt † filij Iſrael de Ægypto, vſq; in præſens tempus:ferte ſententiam,& in commune decernite quid facto opus ſit.

SCHOLIA.

[a] Filij Iemini.] *Quidam Hebræorum exponunt poſt Ionathan Chal.hunc locum ſic. Erant homines loci illius de tribu Beniamin, alij interpretantur:erant filij malitiæ & nequitiæ.* [b] Ad domum Dei.] *Domus Dei tunc fuit in Silo. Silo autem erat in monte Ephraim, vnde Leuites ille erat oriundus.*

CAPVT XX.

EGreſſi itaq; ſunt omnes filij Iſrael,& pariter congregati quaſi vir vnus de Dan vſque Berſabee, & terra A
Galaad ad Dominum in Maſpha: [a] omnesq; anguli populorum, & cunctæ tribus Iſrael in eccleſiam
Obſc. 10.c populi Dei conuenerũt quadringenta millia peditum pugnatorum. Nec latuit filios Beniamin quòd aſcẽdiſſent filij Iſrael in Maſpha.† dixiſſentq; ò filij Iſrael dicite quomodo factum ſit malum iſtud,& reſpõdit vir Leuita maritus mulieris interfectæ,& ait,Veni in Gaaba Beniamin cum vxore mea,illucq; diuertiẽs ecce,homines ciuitatis illius circundederunt nocte domum in qua manebam,volentes me occidere, & vxorem meam † ita oppreſſerunt,vt mortua ſit.Quam arreptam,in fruſta concidi, miſiq; partes in omnes terminos poſſeſsionis veſtræ: quia † fecerunt ſcelus,& rem abominandam in Iſrael. Adeſtis omnes filij Iſrael, decernite quid facere debeatis. Stansq; omnis populus,& quaſi vnius hominis ſermone reſpondit,Non recedemus in tabernacula noſtra,nec ſuam quiſquã intrabit domum:ſed hoc contra Gabaa † [b] per ſortem fa- B
ciemus.Decẽ viri eligantur è centũ,ex omnibus tribubus Iſrael, & centũ de mille, & mille de decẽ millibus, vt comportent exercitui cibaria,& poſsimus pugnare cõtra Gabaa Beniamin,& reddere ei pro ſcelere quod † fecit in Iſrael.Conuenitq; vniuerſus Iſrael ad ciuitatem,quaſi homo vnus eadem mente,vnoq; conſilio,& miſerunt nuntios ad omnẽ tribum Beniamin,qui dicerent,Cur tantũ nefas in vobis repertũ eſt? Tradite homines de Gabaa,† filios Belial,vt moriantur,& auferatur malum de Iſrael.Qui noluerunt fratrũ ſuorum filiorum Iſrael audire mandatũ:ſed ex cunctis vrbibus quæ ſortis ſuæ erant,conuenerũt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium,& cõtra vniuerſum populum Iſrael dimicarent. Inuentiq; ſunt † viginti ſex millia de Beniamin educentium gladium,præter habitatores Gabaa,qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi † in omni autem C
populo illo electo fuerunt ſeptingenti viri ita [c] ſiniſtra vt dextra præliantes: & ſic fundis lapides ad certũ iacientes, vt capillũ quoq; poſſent percutere,& nequaquam in alterã partem ictus lapidis deferretur. Virorum quoq; Iſrael,abſq; filijs Beniamin,inuenta ſunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam. Qui ſurgentes venerunt in domum Dei, hoc eſt in Silo:cõſuluerunteq; Dñm,atq; dixerunt,Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dñs,Iudas ſit dux veſter.Statimq; filij Iſrael ſurgentes,manè caſtrametati ſunt iuxta Gabaa: & inde procedentes ad pugnam,cõtra Beniamin vrbem oppugnare cœperunt.Egreſsiq; filij Beniamin de Gabaa,[d] occiderũt de filijs Iſrael die illo viginti duo millia virorũ.Rurſum filij Iſrael † redintegrati,in eodem loco in quo prius certauerant,aciẽ D
direxerunt:ita tamen vt prius aſcenderent,& flerent coràm Domino vſq; ad noctem: conſulerentq; eum & dicerẽt,Debeo vltrà procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos,an non? Quibus ille reſpondit,Aſcendite ad eos,& inite certamen. Cumq; filij Iſrael altera die contra filios Beniamin ad prælium proceſsiſſent,eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa: & occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati ſunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerẽt. Quam ob rem omnes filij Iſrael venerunt in domũ Dei,& ſedentes flebãt coràm Domino:ieiunaueruntq; die illo vſq; ad veſperam, & obtulerũt ei holocauſta,atque pacificas victimas, & ſuper ſtatu ſuo interrogauerunt.Eo tempore ibi erat arca fœderis Dñi, & [e] Phinees filius Eleazari filij Aaron præpoſitus domus.Conſuluerunt igitur Dñm,atq; dixerũt,Exire vltrà debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros,an quieſcere? Quibus ait Dñs,Aſcendi- E
te:cras enim tradam eos in manus veſtras.Poſueruntq; filij Iſrael inſidias per circuitum vrbis Gabaa: & tertia vice,ſicut ſemel & bis,& contra Beniamin exercitum produxerunt.Sed & filij Beniamin audaciter eruperunt de ciuitate,& fugientes aduerſarios longius perſecuti ſunt:ita vt vulnerarent ex eis ſicut primo die & ſecundo,& cederent per duas ſemitas vertentes terga,quarum vna ferebatur in Bethel,& altera in Gabaa, atq; proſternerent triginta circiter viros:putauerũt enim ſolito eos more cædere.Qui fugam arte ſimulãtes inierunt conſilium,vt abſtraherent eos de ciuitate,& quaſi fugientes ad ſupradictas ſemitas perducerẽt. Omnes

itaq; filij Iſrael ſurgentes de ſedibus ſuis,tetenderunt aciem in loco qui vocatur Baalthamar. † Sed & inſidiæ egreſſæ ſunt de loco ſuo,nempè de loco graminoſo, qui erat circa Gabaa. Sed & alia decem millia virorum de vniuerſo Iſrael habitatores vrbis ad certamina prouocabant. Ingrauatumq; eſt bellum contra filios Beniamin: & non intellexerũt,quòd ex omni parte illis inſtaret interitus. Percuſsitq; eos Dominus in conſpe- F
ctu filiorum Iſrael,& interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia,& centum viros, omnes bellatores & educentes gladium.Filij autem Beniamin cum ſe inferiores eſſe vidiſſent,cœperunt fugere. Quod cernentes filij Iſrael,dederunt eis ad fugiendum locum,vt ad præparatas inſidias deuenirent, quas iuxta vrbem poſuerant. † Et qui in inſidijs fuerunt,feſtinanter impetum facientes contra Gabaa, ingreſsi ſunt ciuitatem, & percuſſerunt eam in ore gladij. Signum autem dederant filij Iſrael his quos in inſidijs collocauerant, vt poſtquã vrbem cepiſſent, ignem accenderent:vt aſcendente in altum fumo,captam vrbem demonſtrarent. † Quando verò filij Iſrael verterũt tergum in prælio, cœpit Beniamin proſternere vulneratos in viris Iſrael, quaſi triginta viros,dixeruntq;:vtiq; corruendo corruunt ante faciem noſtram,ſicut in priori pugna. Cum verò eleuatio flammæ cœpiſſet aſcendere à ciuitate,atq; columna fumi, reſpexit Beniamin ad tergũ: & ecce totum ciuitatis incendium aſcendebat in cœlum.Et cum ſe quoq; verterent viri Iſrael,territi ſunt viri Benia- G
min,videntes quòd malum irrueret in ſeipſos. Verterunt igitur tergum viris Iſrael, verſus viam deſerti, ſed prælium apprehendit eos. Sed & ij, qui vrbem ſuccenderant,occurrerunt eis: atque in hunc modum cinxerunt Beniamitas,& perſecuti ſunt eos,atq; conculcauerunt eos,à Menuha vſq; ad ipſam Gabaa ab exortu ſolis. Ceciderunt verò de Beniamin decem & octo millia virorum, qui omnes fuerunt viri bellicoſi. Vertentesq; ſe fugerunt in deſertum ad petrã Remmon, & quaſi racemando ſuccciderunt ab eis in ſemitis ipſis quinque millia virorum: & extenderunt ſe poſt illos vſque in Gideon, percutientes ex ipſis duo millia virorum. Fuerunt autem omnes,qui ceciderunt ea die de Beniamin, viginti quinque millia virorum educentium gladium,qui omnes fuerunt viri bellicoſi. Verterunt itaq; ſe,& fugerunt in deſertum ad petram Remmon ſexcenti viri,manſeruntq; in petra Remmon quatuor menſibus. Viri verò Iſrael reuerſi ſunt ad filios Beniamin,& percuſſerunt eos in ore gladij in ciuitate,ab homine vſque ad iumenta,quicquid inueniebatur:ſed & in omnes ciuitates illic inuentas miſerunt ignem.

SCHOLIA.

[a] Omnes anguli.] *Hebræi exponunt angulos, pro præfectis populi, qui ſtantes in tanta multitudine dixerunt, ò filij Iſrael dicite quomodo factum ſit malum iſtud, &c.* [b] Per ſortem faciemus.] *Alius vertit: aſcendemus contra eam per ſortem: hoc eſt. Eligemus per ſortem decimum quemque, qui multitudini commeatum, & neceſſaria adducant.* [c] Siniſtra.] *Alius vertit. Quorum dextra manus impedita erat: vt ſcilicet magis mirandum ſit, quòd cum dextra vti non poſſent,ita aptè vterentur ſiniſtra.* [d] Occiderunt de filijs Iſrael.] *Iſraelitæ vltione ſceleris inflammati prius ipſi purgandi erant,per quos aliorum culpa corrigeretur. Nam cur tam pauci Beniamitæ tantum numero Iſraelitarum prima, & altera vice percuſſerint,Hebræi hanc putant eſſe rationem,quòd propter idolum Micha Iſraelitæ tacuerint, quod grauius erat, eò quòd ipſi vleiſci volebant.* [e] Phinees.] *Secundum Heb. vixit hic Phinees, vſque ad trecenteſimum vitæ ſuæ annũ, quod à Domino obtinuit propter illum Zelum,quem oſtenderat: de quo in Numeris.*

CAPVT XXI.

A IVrauerunt quoque filij Iſrael in Maſpha,& dixerunt. Nullus noſtrum dabit filijs Beniamin de filiabus ſuis vxorem. Veneruntq; omnes ad domum Dei in Silo: & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperã, leuauerunt vocem,& magno vlulatu cœperunt flere, dicẽtes, Quare Domine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in populo tuo,vt hodie vna tribus auferretur ex nobis? Altera autem die diluculo conſurgentes, extruxerunt altare:obtuleruntq; ibi holocauſta,& pacificas victimas,& dixerunt, Quis non aſcendit in exercitum Domini de vniuerſis tribubus Iſrael? Grandi enim iuramento ſe conſtrinxerant,cũ eſſent in Maſpha,interfici eos qui defuiſſent.Ductiq; pœnitẽtia filij Iſrael ſuper fratre ſuo Beniamin,cœperũt dicere. Ablata eſt tribus vna de Iſrael,† quid faciemus eis,qui relicti ſunt, vt habeãt vxores? Omnes. n.in cõmune iurauimus
B non daturos nos his filias noſtras.Iccircò dixerunt, Quis eſt de vniuerſis tribubus Iſrael, qui non aſcendit ad Dñm in Maſpha? Et ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe: † Numeratus eſt enim populus,& ecce nõ erat ibi vir vllus de habitatoribus Iabes Galaad.Miſerũt itaq; illuc multitudinẽ,nẽpe duodecim millia viros robuſtiſſimos,& præceperunt eis, Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij, tam vxores quàm paruulos eorum:& hoc erit quod obſeruare debebitis, Omne generis maſculini, & mulieres, quæ cognouerunt viros, interficite. Inuentæq; ſunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines,quæ neſcierunt viri torum,& adduxerunt eas ad caſtra in Silo, in terram Chanáan. Miſeruntq; nuntios ad filios Beniamin,qui erant in petra Remmon, † reuocaueruntq; eos cum pace. Veneruntq; filij Beniamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad: † quas in vita conſeruarant, [a] ſed non ſuffecerunt
C eis.Vniuerſusq; Iſrael valde doluit, † ſuper Beniamin, quòd Dominus feciſſet rupturam in tribubus Iſrael. Dixeruntq; maiores natu, Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? omnes in Beniamin fœminæ conciderunt, † & dixerunt, hæreditas illorum ſit, qui euaſerunt in Beniamin, ne vna tribus deleatur ex Iſrael. Filias enim noſtras eis dare non poſſumus, conſtricti iuramento, & maledictione qua diximus, Maledictus qui dederit de filiabus ſuis vxorem Beniamin. Ceperuntque conſilium, atque dixerunt, Ecce ſolennitas Domini eſt in Silo anniuerſaria,quæ ſita eſt ad ſeptentrionẽ vrbis Bethel, ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona. Præceperuntque filijs Beniamin, atq; dixerunt, Ite, & latitate in vineis. Cumq; videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas,& pergite in terram Beniamin. Cumq; vene-
D rint patres earum,ac fratres,& aduerſum vos queri cœperint, atq; iurgari, dicemus eis, [b] Miſeremini noſtri

propter eos,quoniam non accepimus pro quolibet vxorem in prælio,& vos non dediſtis eis, vt hoc tempore peccaretis. Fecerunt́q; filij Beniamin, vt ſibi fuerat imperatum: & iuxta numerum ſuum rapuerunt ſibi de his,quæ ducebant choros vxores ſingulas:abierunt́q; in poſſeſſionem ſuam,ædificantes vrbes,& habitantes in eis. † Abierunt quoq; inde in tempore illo filij Iſrael,quiſq; ad tribum ſuam,& ad cognationem ſuam ſinguli inde exeuntes ad hæreditatem ſuam.In diebus illis nõ erat rex in Iſrael: ſed vnuſquiſq; , quod ſibi rectum videbatur,hoc faciebat.

SCHOLIA.

a Sed non ſuffecerunt eis.] *Quadringentæ illæ Virgines non ſuffecerunt pro reliquis Beniamitarũ, qui fuerunt ſexcenti viri.* b Miſeremini noſtri.] *Gratificamini in hoc nobis, & dimittite eis raptas puellas: nec putetis vos in hac re tranſgreſſores eſſe iuramenti,quandoquidem vos non dediſtis veſtra ſponte illis filias veſtras,ſed ipſi acceperunt eas.*

LIBER RVTH

Liber Ruth,qui libri iudicum appendix eſt,ad declarandum progeniem Dauid ſcriptus eſt,vt prouidentia Dei,de alienigenis matribus ſit natus Chriſtus Dominus,qui in tota Iſraelitica gente princeps,gentibus fiduciã præſtitit,& expectatio certa fuit ſalutis totius mundi,non tantum Iudæorum, ſed & gentium rex.Sunt multi Hebræi in hac opinione,vt putent Booz qui Ruth duxit vxorem,fuiſſe iudicem,qui alio nomine in libro Iudicum cap. xij. vocatur Abeſſam, is ſcilicet,qui mox ſecutus fuit iudicem Iephthe. Addit etiam Chal. interpres, Ruth fuiſſe filiam Eglon regis Moab, ſed quod nulla ſcripturæ probatur authoritate. Non enim veriſimile videtur, vt regis filia peregrini hominis filiũ duxerit maritum,& relicta patria in aliam conceſſerit regionem,in qua etiam panis erat quærendus.

CAPVT I.

IN diebus,† quando iudices præerant,facta eſt fames in terra. Abijt́q; homo de Bethlé- A
hem Iuda,vt peregrinaretur in regiõe Moabitide cum vxore ſua,ac duobus liberis: ipſe
vocabatur Elimeléch,& vxor eius Noemi: & duo filij, alter Mahalon,& alter Chelion,
Ephratæi de Bethléhem Iuda. Ingreſsiq; regionẽ Moabitidem,morabantur ibi.Et mor
tuus eſt Elimeléch maritus Noemi:remanſitq; ipſa cum duobus filijs. Qui acceperunt
vxores Moabitidas,quarum vna vocabatur Orpha,altera Ruth.Manſeruntq; ibi decem
annis,& ambo mortui ſunt,Mahalon videlicet, & Chelion: remanſitq; mulier orbata
duobus liberis ac marito. Et ſurrexit,vt in patriam pergeret cum vtraq; nuru ſua de regione Moabitide: au- B
dierat enim q̃ reſpexiſſet Dominus populum ſuum,& dediſſet eis eſcas.Egreſſa eſt itaq; de loco peregrinatio
nis ſuæ cum vtraque nuru:& iam in via reuertendi poſita in terram Iuda,dixit ad eas,Ite in domũ matris ve-
ſtræ,faciat vobiſcum Dñs miſericordiam,ſicut feciſtis cum mortuis & mecum. Det vobis inuenire requiem
in domibus virorum,quos ſortituræ eſtis.Et oſculata eſt eas.Quæ eleuata voce,flere cœperũt,& dicere, Tecũ
pergemus ad populum tuum.Quibus illa reſpondit,Reuertimini filiæ meæ, cur venitis mecum? num vltra
habebo filios in vtero meo,vt viros ex me ſperare poſsitis? Reuertimini filiæ meę,& abite:iam enim ſenectu
te confecta ſum,nec apta vinculo coniugali:etiam ſi poſſem hac nocte concipere, & párere filios,ſi eos expe- C
ctare velitis donec creſcant,& annos pubertatis impleant,ante eritis vetulę,q̃ nubatis.Nolite queſo filię meę
facere hoc:quia veſtra anguſtia magis me premit,& egreſſa eſt manus Dñi cõtra me.Eleuata igitur voce,rur-
ſum flere cœperunt.Orpha oſculata eſt ſocrum,ac reuerſa eſt:Ruth adhęſit ſocrui ſuę. Cui dixit Noemi, En
reuerſa eſt cognata tua ad populum ſuum,& ad deos ſuos,vade cum ea.Quę reſpondit,Ne aduerſeris mihi,vt
relinquam te & abeam:quocunq; enim perrexeris,pergam:& vbi morata fueris,& ego pariter morabor.Po-
pulus tuus populus meus,& Deus tuus Deus meus.Quæ te terra morientem ſuſceperit, in ea moriar: ibique
locum accipiam ſepulturæ.Hæc mihi faciat Deus,& hæc addat,ſi non ſola mors me & te ſeparauerit. Vidés D
ergo Noemi,quod obſtinato animo Ruth decreuiſſet ſecum pergere,aduerſari noluit,nec ad ſuos vltra redi-
tum perſuadere:profectæq; ſunt ſimul,& venerunt in Bethléhem. Quibus vrbem ingreſsis,velox apud cun-
ctos fama percrebuit:dicebantq; mulieres,Hæc eſt illa Noemi. Quibus ait,Ne voceris me Noemi,id eſt pul
chram:ſed vocate me,Mara,id eſt amaram,quia amaritudine valde repleuit me omnipotẽs. Egreſſa ſum ple-
na,& vacuam reduxit me Dominus.Cur ergo vocatis me Noemi,quam Dominus humiliauit,& afflixit om
nipotens? Venit ergo Noemi cum Ruth Moabitide nuru ſua,de † regione Moab:ac reuerſa eſt in Bethléhé,
quando primum hordea metebantur.

CAPVT II.

ERat autem viro Elimeléch conſanguineus, homo potens, & magnarum opum, nomine Booz. Di- A
xitque Ruth Moabitis ad ſocrum ſuam, Si iubes, vadam in agrum, & colligam ſpicas, quę fugerint
manus metentium, vbicunque clementis in me patriſfamilias reperero gratiam. Cui illa reſpondit,
Vade filia mea. Abijt itaque, & colligebat ſpicas poſt terga metentium. Accidit autem, vt ager ille habe-
ret dominum nomine Booz, qui erat de cognatione Elimeléch. Et ecce,ipſe veniebat de Bethléhem, dixit-
que meſſoribus, Dominus vobiſcum. Qui reſponderunt ei,Benedicat tibi Dominus. Dixitque Booz iuue-
ni, qui meſſoribus præerat, Cuius eſt hæc puella? Cui reſpondit, Hæc eſt Moabitis, quæ venit cum Noe-
mi,de regione Moabitide,& rogauit,vt ſpicas colligeret remanentes,ſequens meſſorum veſtigia: & de mane
vſque

B vſque nunc ſtat in agro,† excepta modica seſsione eius in tugurio.Et ait Booz ad Ruth, Audi filia, ne vadas
in alterum agrum ad colligendum, nec recedas ab hoc loco:ſed iungere puellis meis, &,vbi meſſuerint, ſe-
quere. Mandaui enim pueris meis, vt nemo moleſtus ſit tibi: ſed etiam ſi ſitieris, vade ad ſarcinulas, & bi-
be aquas de quibus & pueri mei bibunt. Quæ cadens in faciem ſuã,& adorans ſuper terram, dixit ad eum,
Vnde mihi hoc, vt inuenirem gratiam ante oculos tuos, & noſſe me dignareris peregrinam mulierem?
Cui ille reſpondit, Nuntiata ſunt mihi omnia quæ feceris ſocrui tuæ poſt mortem viri tui: & quòd relique-
ris parentes tuos,& terram in qua nata es,& veneris ad populum,quem antea neſciebas. Reddat tibi Domi-
nus pro opere tuo,& plenam mercedem recipias à Domino Deo Iſrael,ad quem veniſti, & ſub cuius confu-
C giſti alas. Quæ ait,inueniam gratiam apud oculos tuos domine mi,qui conſolatus es me,& locutus es ad cor
ancillæ tuæ,quæ non ſum ſimilis vnius puellarum tuarum. Dixitque ad eam Booz, Quando hora veſcendi
fuerit,veni huc,& comede panem, & intinge buccellam tuam in aceto. Sedit itaque ad meſſorum latus, &
† ipſe porrexit ei polentam,comeditque,& ſaturata eſt, & tulit reliquias. Atq; inde ſurrexit,vt ſpicas ex mo-
re colligeret.Præcepit autem Booz pueris ſuis, dicens, Etiam ſi † inter aceruos ipſos colligat, ne prohibea-
tis eam: & de veſtris quoque manipulis proijcite de induſtria,& remanere permittite,vt † colligat, & colli-
gentem nemo corripiat. Collegit ergo in agro vſque ad veſperam: & quæ collegerat virga cædens & excu-
tiens,inuenit hordei quaſi ephi menſuram,id eſt tres modios,quos portans reuerſa eſt in ciuitatem,& oſten-
D dit ſocrui ſuæ: inſuper protulit, & dedit ei de reliquijs cibi ſui, quo ſaturata fuerat. Dixitque ei ſocrus ſua,
Vbi hodie collegiſti,& vbi feciſti opus? ſit benedictus, qui miſertus eſt tui.Indicauitque ei apud quem eſſet
operata:& nomen dixit viri,quòd Booz vocaretur.Cui reſpondit Noemi,Benedictus ſit à Domino: quoniã
eandem gratiam,quam præbuerat viuis,ſeruauit & mortuis.Rurſumque ait,Propinquus noſter † eſt homo
ille,atque de affinitate noſtra.Et Ruth.Hoc quoque,inquit,præcepit mihi,vt tandiu meſſoribus eius iunge-
rer,donec omnes ſegetes meterentur.Cui dixit ſocrus,Melius eſt filia mea,vt cum puellis eius exeas, † ne in
alieno agro quiſpiam reſiſtat tibi.Iuncta eſt itaque puellis Booz:& tandiu cum eis † collegit, donec hordea
& triticum in horreis conderentur.

CAPVT III.

A POſtquam autem reuerſa eſt ad ſocrum ſuam,audiuit ab ea, Filia mea,quæram tibi requiem, & proui-
debo vt bene ſit tibi.Booz iſte,cuius puellis in agro iuncta es,propinquus noſter eſt, & hac nocte areã
hordei ventilat. Lauare igitur,& vngere,& induere cultioribus veſtimentis, & deſcende in aream:nõ
te videat homo,donec eſum potumque finierit. Quando autem ierit ad dormiendum, nota locum in quo
dormiat: veniesq; , & diſcooperies pallium quo operitur à parte pedum, & proijcies te, & ibi iacebis: ipſe
autem dicet tibi quid agere debeas. Quæ reſpondit,Quicquid præceperis, faciam. Deſcenditque in aream,
B & fecit omnia quæ ſibi imperauerat ſocrus. Cũq; comediſſet Booz,& bibiſſet,& factus eſſet hilarior,iſſetq;
ad dormiendum iuxta aceruum manipulorum,venit abſcõditè,& diſcooperto pallio à pedibus eius, ſe pro-
iecit. Et ecce, nocte iam media expauit homo, & conturbatus eſt: viditque mulierem iacentem ad pedes
ſuos,& ait illi, Quæ es? Illaque reſpondit, Ego ſum Ruth ancilla tua: expande pallium tuum ſuper famu-
lam tuam, quia propinquus es. Et ille, Benedicta, inquit, es à Domino filia, & priorem miſericordiam
C poſteriore ſuperaſti: quia non es ſecuta iuuenes pauperes, ſiue diuites. Noli ergo metuere, ſed quicquid
dixeris mihi faciam tibi. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te eſ-
ſe virtutis. Nec abnuo me propinquum, ſed eſt alius me propinquior. Quieſce hac nocte: & facto ma-
ne,ſi te voluerit propinquitatis iure retinere, bene res acta eſt: ſinautem ille noluerit, ego te abſque vlla du-
bitatione ſuſcipiam, viuit Dominus: dormi vſque mane. Dormiuit itaque ad pedes eius vſque ad noctis
D abſceſſum. Surrexit itaque antequam homines ſe cognoſcerent mutuò, & dixit Booz, Caue ne quis noue-
rit quòd huc veneris.Et rurſum,Expande,inquit,pallium tuum, quo operiris, & tene vtraque manu. Qua
extendente,& tenente, menſus eſt ſex modios hordei,& poſuit ſuper eam. Quæ portans ingreſſa eſt ciuita-
tem, & venit ad ſocrum ſuam.Quæ dixit ei, Quid egiſti filia? Narrauitq; ei omnia quæ ſibi feciſſet homo.
Et ait,Ecce ſex modios hordei dedit mihi,& ait, Nolo vacuam te reuerti ad ſocrum tuam. Dixitq; Noemi,
Expecta filia,donec videamus quem res exitum habeat: neq; enim ceſſabit homo,† donec compleat hodie
quod locutus eſt.

CAPVT IIII.

A AScendit ergo Booz ad portam,& ſedit ibi. Cumq; vidiſſet propinquum præterire, de quo prius ſer-
mo habitus eſt, dixit ad eum, Declina pauliſper, & ſede hic: vocans eum nomine ſuo. Qui diuer-
tit, & ſedit. Tollens autem Booz decem viros de ſenioribus ciuitatis, dixit ad eos, Sedete hic. Qui-
bus reſidentibus locutus eſt ad propinquum,Partem agri fratris noſtri Elimèlech † vendidit Noemi, quę re
uerſa eſt de regione Moabitide: quod audire te volui,& tibi dicere coram † habitatoribus,& maioribus na-
tu de populo meo.Si vis poſsidere iure propinquitatis:eme,& poſside:ſinautem diſplicet tibi hoc ipſum,in-
dica mihi,vt ſciam quid facere debeam:nullus enim eſt propinquus excepto te,qui prior es:& me, qui ſecũ-
dus ſum.At ille reſpondit,Ego agrum emam.Cui dixit Booz,Quando emeris agrũ de manu mulieris, Ruth
B quoque Moabitidem,quæ vxor defuncti fuit,debes accipere:vt ſuſcites nomen † defuncti in hæreditate ſua.
Qui reſpondit, Cedo iuri propinquitatis: neque enim poſteritatem familiæ meæ delere debeo: † redime
tu ius propinquitatis meæ: ego enim non poſſum redimere.Hic autem erat mos antiquitus in Iſrael inter
propinquos,vt ſi quando alter alteri ſuo iuri cedebat: vt eſſet firma conceſsio, ſoluebat homo calceamen- Deut. 25.
tum ſuum, & dabat propinquo ſuo:hoc erat teſtimonium ceſsionis in Iſrael. Dixit ergo † propinquus ad
Booz, Poſside tu, extraxitq; calceamentum ſuum. At ille maioribus natu,& vniuerſo populo, Teſtes vos,

inquit,estis hodie,quòd possederim omnia quæ fuerũt Elimèlech & Chelion & Mahalon, tradente Noemi: C
& Ruth Moabitidem,vxorem Mahalon,in coniugium sumpserim, vt suscitem nomen defuncti in hæreditate sua,ne vocabulum eius de familia sua,ac fratribus & populo deleatur:vos,inquam, huius rei testes estis.
Respondit omnis populus qui erat in porta,& maiores natu,Nos testes sumus:faciat Dominus hanc mulierem,quæ ingreditur domum tuam,sicut Rachel,& Liam,quæ ædificauerunt domum Israel:vt sit exemplũ
virtutis in Ephratha,& habeat celebre nomen in Bethlehem : fiatque domus tua,sicut domus Phares,quem
Thamar peperit Iudæ,de semine quod tibi dederit Dominus ex hac puella. Tulit itaque Booz Ruth,& acce-
Gene.38. pit vxorem:ingressusq; est ad eam,& dedit illi Dominus vt cõciperet & páreret filium. Dixeruntq; mulieres ad Noemi,Benedictus Dominus qui non est passus vt deficeret successor familiæ tuæ,vt vocaretur nomẽ D
eius in Israel : & habeas qui consoletur animam tuam, & enutriat senectutem : de nuru enim tua natus est,
† quę te dilexit:& multò tibi melior est,quàm si septem haberes filios.Susceptũq; Noemi puerum posuit in
sinu suo,& nutricis ac gerulæ fungebatur officio. Vicinæ autem mulieres congratulantes ei,& dicentes,Na-
tus est filius Noemi:vocauerunt nomẽ eius Obed,hic est pater Isai,patris Dauid.Hæ sunt generationes Pha-
res:Phares genuit Esron,Esron genuit Aram,Aram genuit Aminadab,Aminadab genuit Naason , Naason
Mat.1.a genuit Salmon,Salmon genuit Booz,Booz genuit Obed,Obed genuit Isai,Isai genuit Dauid.

FINIS.

IN LIBROS REGVM PROLOGVS SANCTI HIERONYMI, qui Galeatus dicitur:item de libris canonicis & apocryphis Bibliorum.

VIginti & duas literas esse apud Hebræos,Syrorum quoq; lingua & Chaldæorũ testatur,quæ Hebræę magna ex parte confinis est.Nam & ipsi viginti duo elementa habent eodem sono , sed diuersis characteribus.Samaritani etiam pentateuchũ Moysi totidem literis scriptitant, figuris tantum & apicibus discrepantes.Certũq; est Esdram scribam,legisq; doctorem,post captam Hierosolymã,& instaurationẽ templi sub Zorobabel alias literas reperisse,quibus nunc vtimur,cum ad illud vsq; tempus ijdem Samaritanorum & Hebræorum characteres fuerint.In libro quoq; Numerorum hęc eadem supputatio, sub Leuitarum ac sacerdotum sensu mysticé ostenditur.Et nomen Domini tetragrãmaton in quibusdam Græcis volu minibus vsq; hodie antiquis expressum literis inuenimus. Sed & Psalmi Tricesimussextus , & Centesimusdecimus, & Centesimusvndecimus,& Centesimus decimusoctauus , & Centesimusquadragesimusquartus, quãquam diuerso scribantur metro, tamen eiusdem numeri texuntur alphabeto.Et Ieremię lamentationes, & oratio eius. Salomonis quoque in fine prouerbia , ab eo loco in quo ait:Mulierem fortem quis inueniet,
Pro.31.b eisdẽ alphabetis vel incisionibus supputãtur.Porrò quinq; literæ duplices apud Hebræos sunt,Caph,Mem,
Libri dupli ces. Nun,Phe,Sade.Aliter enim scribũtur per has principia medietatesq; verborum , aliter fines. Vnde & quinque à plerisq; libri duplices æstimantur,Samuel Malachim,Dibrahaiomim Esdras,Ieremias, cum Cynoth, id est lamentationibus suis.Quomodo igitur viginti duo elementa sunt,per quæ scribimus Hebraicè omne quod loquimur,& eorum initijs vox humana comprehenditur, ita viginti duo volumina supputantur,quibus quasi literis & exordijs in Dei doctrina tenera adhuc & lactẽs viri iusti eruditur infantia. Primus apud
LEX. eos liber vocatur Beresith,quem nos Genesim dicimus : Secundus Vellesmoth,qui Exodus appellatur:Tertius Vaijcra,id est Leuiticus:Quartus Vaiedabber,quẽ Numeri vocamus:Quintus Ellehadbarim , qui Deuteronomium prenotatur.Hi sunt quinq; libri Moysi,quos propriè thora,id est legem appellant.Secundum prophetarum ordinem faciunt,& incipiunt ab Iesu filio Naue,qui apud illos Iosue Ben Nun dicitur. Deinde subtexunt Sophtim,id est Iudicum librum,& in eundem compingunt Ruth, quia in diebus Iudicum fa-
Prophetę. cta eius narratur historia.Tertius sequitur Samuel,quẽ nos regnorum primum & secũdum dicimus:Quartus Malachim,id est Regum,qui tertio & quarto regnorum volumine cõtinetur. Meliusq; multò est Malachim,id est Regum,q̃ Malachor,id est regnorum dicere.Non enim multarum gentium regna describit, sed vnius Israelitici populi, qui tribubus duodecim continetur. Quintus est Esaias. Sextus Ieremias. Septimus Hezechiel.Octauus liber duodecim prophetarum,qui apud illos vocatur There asar. Tertius hagiographa
Haiogra- pha. possidet.Et primus liber incipit ab Iob. Secundus à Dauid,quem quinq; incisionibus , & vno psalmorum volumine comprehendunt. Tertius est Salomon,tres libros habens , prouerbia , quæ illi parabolas , id est Misle appellãt. Quartus Ecclesiasten,idest coheleth. Quintus est Canticũ canticorum,quem titulo Sirasirim prænotant.Sextus est Daniel.Septimus Dibre haiomim,id est verba dierum, quod significantius chronicon totius diuinæ historiæ possumus appellare,qui liber apud nos Paralipomenon primus atq; secundus inscribitur. Octauus Esdras , qui & ipse similiter apud Græcos & Latinos in duos libros diuisus est. Nonus Hester.Atq; ita fiunt pariter veteris legis libri vigintiduo,id est Moysi quinq;,& prophetarum octo , hagiographorum nouem.Quanq̃ nonnulli Ruth & Cynoth inter hagiographa scriptitẽt,& hos libros in suo putẽt numero supputãdos,ac per hoc esse priscæ legis libros vigintiquatuor, quos sub numero vigintiquatuor seniorum Apocalypsis Ioãnis inducit adorãtes agnum,& coronas suas prostratis vultibus offerentes stãtibus coràm quatuor animalibus oculatis ante & retro,id est in præteritũ & in futurũ respicientibus , & indefessa voce clamãtibus,Sanctus sanctus sanctus Dñs Deus omnipotens.qui erat,& qui est,& qui venturus est. Hic
Apo.4.c prologus scripturarũ,quasi galeatũ principium omnibus libris quos de Hebręo vertimus in Latinũ conue-
Apocripha nire potest,vt scire valeamus quicquid extra hos est,inter apocrypha esse ponẽdũ.Igitur sapiẽtia , quę vulgò Salominis

Salominis inscribitur,& Iesu filij Sirach liber,& Iudith , & Tobias,& pastor nõ sunt in canone.Machabęorum primum librum Hebraicum reperi.Secũdus,Græcus est,quod ex ipsa quidẽ phrasi probari potest.Quę cum ita se habeant,obsecro te lector,ne laborem meum reprehensionẽ existimes antiquorũ.In templo Dei offert vnusquisq; quod potest.Alij aurum,alij argentũ,& lapides pretiosos,alij byssum & purpurã & coccũ offerunt & hiacinthum.Nobiscum bene agetur, si obtulerimus pelles & caprarum pilos. Et tamen apostolus contemptibiliora nostra magis necessaria iudicat.Vnde & tota illa tabernaculi pulchritudo,& per singu 1.Cor.12.c
las species ecclesiæ præsentis futureque distinctio pellibus tegitur & cilicijs,ardoremq; solis & iniuriam imbrium,ea,quæ viliora sunt,prohibent.Lege ergo primum Samuel & Malachim meũ.Meum,inquam,meũ.
Quicquid enim crebrius vertendo & emẽdando solicitius & didicimus & tenemus , nostrum est.Et cum intellexeris quod antea nesciebas,vel interpretem me æstimato,si gratus es,vel paraphrastẽ,si ingratus, quanq̃
mihi omnino conscius nõ sim,mutasse me quippiam de Hebraica veritate.Certè si incredulus es , lege Grę-
cos codices & Latinos,& confer cum his opusculis,quæ nuper emendauimus. Et vbicunq; discrepare inter
se videris,interroga quemlibet Hebræorum,cui magis accommodare debeas fidem.Et si nostra firmauerit,
puto quòd eum non existimes coniectorem, vt in eodem loco mecum similiter diuinauerit. Sed & vos famulas Christi rogo,quę Domini discumbentis preciosissima fidei myrrha vngitis caput,quę nequaq̃ saluatorem quæritis in sepulchro,quibus iam ad patrem Christus ascendit,vt cõtra latrantes canes,qui aduersum
me rabido ore desæuiunt,& circueunt ciuitatem,atq; in eo se doctos arbitrantur, si alijs detrahant , orationum vestrarum clypeos opponatis.Ego sciens humilitatem meam,illius semper sententiæ recordabor.Dixi
custodiam vias meas,vt non delinquam in lingua mea.Posui ori meo custodiam,cum consisteret aduersum
me peccator.Obmutui & humiliatus sum,& silui à bonis. Psal 38.

LIBER PRIMVS SAMVELIS, QVEM NOS PRIMVM REGVM DICIMVS.

CAPVT I.

A EVIT vir vnus de [a]Ramathàim Sophim,de monte Ephràim,& nomen eius Elcana , filius Ieroham,filij Eliu,filij Thou,filij Suph Ephrathæus: & habuit duas vxores , nomen vni Anna,& nomen secundæ Phenenna . Fueruntq; Phenennæ filij : Annæ autem non erant liberi.Et ascendebat vir ille de ciuitate sua statutis diebus, vt adoraret, & sacrificaret Domino exercituum in Silo.Erant autem ibi duo filij Heli,Ophni,& Phinees, sacerdotes Domini. Venit ergo dies,& immolauit Elcana , dedítq; Phenennæ vxori suæ , & cunctis filijs eius,& filiabus partes:Annæ autem dedit [b] partem vnam tristis,quia Annã diligebat. Dominus autem concluserat vuluam eius. † Irritabat quoq; eam æmula eius, & vehementer angebat,intantum vt exprobraret,q̃ Dominus conclusisset vuluam eius. Sicq; faciebat per singulos annos , cũ
B redeunte tempore ascenderent ad templum Domini:& sic prouocabat eam. Porrò illa flebat , & non capiebat cibum. Dixit ergo ei Elcana vir suus,Anna cur fles? & quare non comedis? & quam ob rem affligitur cor tuum? nunquid non ego melior tibi sum,q̃ decem filij ? Surrexit autem Anna postquam comederat , & biberat in Silo. Et Heli sacerdote sedente super sellam ante postes domus Domini , cum esset Anna amaro animo,orauit ad Dominum flens largiter,& votum vouit,dicens. Domine exercituum,si respiciens videris afflictionem famulæ tuæ,& recordatus mei fueris,nec oblitus ancillæ tuæ , dederisq; seruæ tuæ sexum virilem:dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius,& nouacula non ascendet super caput eius. Factum est autem,cum illa multiplicaret preces coràm Domino,vt Heli obseruaret os eius. Porrò Anna loquebatur in
corde suo,tantumq; labia illius mouebantur,& vox penitus non audiebatur. Existimauit ergo eam Heli temulentam,dixitq; ei,Vsquequo ebria eris? digere paulisper vinum quo mades. Respondens Anna, Nequa-
C quam,inquit, domine mi:nam mulier infelix nimis ego sum,vinum,& omne quod inebriare potest,nõ bibi,sed effudi animam meam in conspectu Domini.Ne reputes ancillam tuam , quasi vnã de filiabus Belial: quia ex multitudine doloris,& mœroris mei locuta sum vsq; in præsens . Tunc Heli ait ei,Vade in pace , & Deus Israel det tibi petitionem tuam,quam rogasti eum.At illa dixit , Vtinam inueniat ancilla tua gratiam in oculis tuis.Et abijt mulier in viam suam,& comedit,vultusq; illius non sunt amplius † collapsi . Et surrexerunt manè,& adorauerunt coràm Domino:reuersíq; sunt,& venerunt in domum suam in Ramàtha.Cognouit autem Elcana Annam vxorem suam:& recordatus est eius Dominus . Et factum est post circulum dierum,concepit Anna,& peperit filium , vocauitq; nomen eius Samuel : eò q̃ à Domino postulasset eum.
Ascendit autem vir eius Elcana,& omnis domus eius,vt immolaret Domino hostiam solennem, & [c] votum
suum,& Anna non ascendit:dixit enim viro suo,Non vadam,donec ablactetur infans:& ducam eum,vt ap-
D pareat ante conspectum Domini,& maneat ibi iugiter.Et ait Elcana vir suus,Fac quod bonum tibi videtur,

& mane

& mane donec ablactes eum:precorq; vt impleat Dominus verbum suum. Mansit ergo mulier, & lactauit filium suum,donec amoueret eum à lacte. Et adduxit eum secum, postquam ablactauerat, in vitulis tribus, & vno modio farinę,& amphora vini,& adduxit eum ad domum Domini in Silo.Puer autem erat adhuc infantulus:& immolauerunt vitulum,& obtulerunt puerum Heli.Et ait. Obsecro mi domine, viuit anima tua domine:ego sum illa mulier,quę steti coràm te,hic orans Dominum pro puero isto.Oraui,& dedit mihi Dominus petitionem meam,quam postulaui eum. Iccircò & ego cõmodaui eum Domino cunctis diebus, quibus fuerit accommodatus Domino.Et adorauerunt ibi Dominum. [d] Et orauit Anna,& ait.

SCHOLIA.

QVatuor libri Regum in Hebræo duo tantum sunt libri,nempè liber Samuelis,& liber Regum,& Vtrunq; Latini interpretes in duos distinxerunt libros,& sic facti sunt,& appellati omnes,libri Regum.

[a] De Ramathàim.] *Alius vertit ex vna duarum Ramath, de cognatione Sophim.Nam quidam putant Sophæum dictum à cognatione Soph,cuius sit mentio in libro Paralip.* [b] Partem vnam tristis.] *In Hebræo est,partem vnam faciem:pro quo Ionathas vertit,partem vnam electam,hoc est,dedit Annæ partem honorificam, vt ab illa auferret animi & vultus molestiam.* [c] Votum suum.] *Quod scilicet fecerat,si Dominus illi prolem ex Anna daret.*

[d] Et orauit Anna.] *Orationem vocat canticum illud,quo beneficium Dei commemorat: vt intelligamus non solas preces orationes vocari,sed quoties diuinæ beneficentiæ,ac magnitudinis,& diuinorum operum mentio fit.*

CAPVT II.

EXultauit cor meum in Domino, & exaltatum est [a] cornu meum in Domino. [b] Dilatatum est os meũ A
super inimicos meos:quia lætata sum in salutari tuo. Non est sanctus,vt est Dominus : neque enim est
alius extra te,& non est fortis sicut Deus noster.[c] Nolite multiplicare loqui † valde sublimia: [d] recedãt
vetera de ore vestro:quia Deus scientiarum Dominus est, & ipsi præparantur cogitationes. [e] Arcus fortium
superatus est,& infirmi accincti sunt robore.Repleti prius,p panibus se locauerũt, & famelici saturati sunt:
donec sterilis peperit plurimos:& quæ multos habebat filios,infirmata est.Dominus mortificat,& viuificat,
deducit ad inferos,& reducit.Dominus pauperẽ facit,& ditat,humiliat,& subleuat. Suscitat de puluere egenum,& de stercore eleuat pauperem:vt † collocet cum principibus, & solium gloriæ † hæreditare eos facit. B
Domini enim sunt cardines terrę,& posuit super eos orbem.[f] Pedes sanctorum suorum seruabit,& impij in
tenebris conticescent:quia non in fortitudine roborabitur vir. † A Domino conterentur aduersarij eius, &
super ipsos in cœlis tonabit:Dominus iudicabit fines terræ, & dabit imperium regi,suo, & sublimabit cornu CHRISTI sui. Et abijt Elcana in Ramátha, in domum suam : puer autem erat minister in conspectu
Domini ante faciem Heli sacerdotis. Porrò filij Heli, [g] filij Belial,nescientes Dominum, † [h] & ius fecerãt
sacerdotes erga populum,quòd quicunque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis dum coquerentur carnes,& habebat fuscinulam tridentem in manu sua,& mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut C
in ollam,siue in cacabum: & omne,quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi : sic faciebant vniuerso Israeli,venienti † illuc in Silo.Etiam antequam adolerent adipem,veniebat puer sacerdotis,& dicebat immolanti,Da mihi carnem,vt coquam sacerdoti:non enim accipiam à te carnem coctam,sed crudam.Dicebatq; illi immolans,Incendatur primum iuxta morẽ hodie adeps, & tolle tibi quantuncũq; desyderat anima tua.
Qui respondens aiebat ei,Nequaquam:nunc enim dabis,alioqui tollam vi. Erat ergo peccatum puerorum
grande nimis coràm Domino:quia † abominabantur homines sacrificium Domini. [i] Samuel autem ministrabat ante faciem Dñi:puer accinctus ephod lineo.Et tunicam paruam faciebat ei mater sua, quã afferebat † annuatim,ascendens cum viro suo,vt immolaret hostiam solennem.Et benedixit Heli Elcanę,& vxori eius, dixitq; ei, Reddat tibi Dominus semen de muliere hac,pro † commodato quod commodasti Dño. D
Et abierunt in locum suum. Visitauit ergo Dominus Annam,& concepit,& peperit tres filios, & duas filias:
& magnificatus est puer Samuel apud Dominum. Heli autẽ erat senex valde,& audiuit omnia, quæ faciebãt
filij sui vniuerso Israeli:& quomodo dormiebant cum mulieribus, [k] quæ obseruabant ad ostium tabernaculi,& dixit eis,Quare facitis res huiuscemodi,quas ego audio,res pessimas, ab omni populo? Nolite filij mei:
non enim est bona fama quam ego audio,vt transgredi faciatis populum Domini. Si peccauerit vir in virũ, E
† [l] arbitri esse poterunt iudices:si autem in Dominum peccauerit vir, quis orabit pro eo? Et non audierunt
vocem patris sui:quia voluit Dominus occidere eos. Puer autem Samuel proficiebat,atq; crescebat, & placebat tam Deo quàm hominibus. Venit autem [m] vir Dei ad Heli, & ait ad eum, Hæc dicit Dominus,Nunquid non [n] apertè reuelatus sum domui patris tui, cum essent in Ægypto in domo Pharaonis? Et elegi eum
ex omnibus tribubus Israel,mihi in sacerdotem,vt † offerret super altare meum,et adoleret mihi incensum,
& portaret ephod coràm me : & dedi domui patris tui omnia de sacrificijs filiorũ Israel? Quare calce abiecistis
victimam meam,& munera mea,quę præcepi,vt offerrentur in templo:& magis honorasti filios tuos quàm F
me,vt comederetis primitias omnis sacrificij Israel populi mei? Propterea ait Dominus Deus Israel,Loquẽs
locutus sum,vt domus tua,& domus patris tui ministraret in conspectu meo, [o] vsq; in sempiternum. Nunc
autem,dicit Dominus,Absit hoc à me:sed quicunq; honorificauerit me,glorificabo eum, qui autem contẽnunt me, † ignominia afficientur.Ecce dies veniunt,& præcidam brachium tuũ, & brachium domus patris
tui,vt non sit senex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo, in vniuersis prosperis Israel : & non
erit senex in domo tua omnibus diebus. Veruntamen non auferam penitus virum ex te ab altari meo:vt defi-
ciant oculi tui,& tabescat anima tua, † & omnis multitudo domus tuæ morietur cum ad virilem ætatem G
venerit. Hoc autem erit tibi signum,quod venturum est duobus filijs tuis Ophni,& Phinees,In die vno morientur ambo.Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem,qui iuxta cor meum,& animam meam faciet : & ædificabo ei domum fidelem,& ambulabit coràm Christo meo cunctis diebus. Futurum est autem,vt quicunq;

remanserit

remanserit in domo tua, veniat vt † adoret eum,& offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatq;,
Dimitte me obsecro ad vnam partem sacerdotalem,vt comedam buccellam panis.

SCHOLIA.

[a] Cornu meum.] *Caput meum,quod humile erat,sublime est effectum.* [b] Dilatatum est os meum.] *Iam loqui possum confidenter Dei erga me beneficentiam,nec audebit æmula mea post hac in me inuehi, quia lætitia mihi addita est in hac salute Dei,qua abstulit à me sterilitatis opprobrium.Et vide,vt doceat quid nobis faciendum sit, quoties assequimur à Deo,quod optamus : nam continuò ad contemplandam Dei & potentiam & benignitatem conuerti debemus : is enim debet esse finis acceptorum ab eo beneficiorum : quare & hæc mox addit.Non est sanctus vt est Dominus,neque enim est alius extra te,vel, non est aliquis præter te, qui inuocandus sit pro salute.* [c] Nolite multiplicare.] *Cesset omnis gloriatio cel-*
situdinis cuiusque,quæ nihil omnino est, nisi quatenus à Deo pendet, eique innititur. [d] Recedant vetera.] *Quod autem veterascit prope interitum est : & videtur spiritus sanctus, vt in prophetis solet, altius extulisse huius mentem, & os, vt subindicaret, iam præparari longè maiora, quàm vnquam fuerint, aduentus scilicet Christi, qui nasciturus erat ex semine Dauid, quem hic puer Samuel nasciturus erat,noua (inquit) est hæc excogitatio,nec antea nota hominibus, nec iniuria,*
cum ipse sit scientiarum Dominus, & ipsi præparentur cogitationes, hoc est, ipsi cedunt cogitationes humanæ omnes, nec sine eo perficiuntur conatus filiorum hominum, vt nemo gloriari possit, sed qui gloriatur, in Domino glorietur. [e] Arcus fortium.] *Vel : arcus cum fortibus. Generatim tangit magnificentiam operum eius, & obiter admonet neminem suis viribus,opibus, potentia debere fidere,sed tantum ex Deo pendere. Deus (inquit) robustos cum armis eorum conterit, & debiles fortes reddit : eiusmodi sensum & in cantico matris Dei inuenies.Ipse diuites ad paupertatem adigit,vt etiam cogantur seruire pro pane : & contra famelicos à mendicitate ad opulentias vocat,steriles fœcundas reddit,& fœcũdas steriles:*
obscuro loco natos subuehit ad regiam dignitatem,& deponit potentes de sede,&c. Nec mirum cum ille Dominus sit vniuersorum,& solus ipse mundi collocauerit columnas,illasque,ne mundus ruat,fortiter sustinet. Nam quod ait cardines,vertit potest,& columnæ. [f] Pedes sanctorum.] *Ne scilicet ambulent ad malum : impij verò tandem in tenebras conijcentur,vbi nullus se iuuare poterit sua fortitudine,potentia,& opulentia,nec vllus potest euadere manus Dei viuentis, cum ille iudex sit etiam finium terræ.Et hic dabit omnem potestatem,& auctoritatem Christo suo nempe Messiæ, etiam secundũ*
Hebræorum interpretationem. [g] Filij Belial.] *Hoc est, absque iugo.* [h] Et ius fecerant.] *Hoc est. Sacerdotes hoc ius sibi facere præsumpserunt, non contenti pectusculo & armo in pacificis.* [i] Samuel autem ministrabat.] *Ministerium illud fuit studium legis Diuinæ,cognitio Domini, cantare ore, & ludere in instrumẽtis musicis. Porrò Ephod lineum erat indumenti genus,quo Leuitæ accessuri ad cultum Dei vestiebantur : per tunicam verò paruam intellige palliolum, quod induebat in magnis solennitatibus,& mater post transactos solennitatis dies, illud iterum domum portabat.* [k] Quæ obseruabant.] *Vel : excubabant. Quidam exponunt hic excubare, pro orare, aly pro sacrificare sicut mulieribus puerperis indicta erat certa lex sacrificiorum.* [l] Arbitri esse poterunt iudices.] *Si quis in proximum peccet, tractari inter iudices causa poterit,& arbitros,donec satisfaciat homini. Si quis verò in Dominum peccet, quis causam eius aget? aut quis intrabit pro eo in iudicium Dei?* [m] Vir Dei.] *Quidam putant hunc prophetam fuisse patrem Samuelis,aly verò Phinees sacerdotem.* [n] Aperte reuelatus sum.] *Hoc dicitur propter Mosen & Aharon, quibus Dominus reuelatus fuit, & elegit domum patris eorum in dignitatem sacerdotalem.* [o] Vsque in sempiternum.] *Putant Hebræi summum sacerdotium translatum ad Eli & posteros eius à Phinees filio Eleazar, sed quia illi Dominum inhonorauerunt, fuit iterum ad filios Phinees translatum. Nec tamen posteri Eli penitus fuerunt amoti,sed in mœrorem animi sui,& consumptionem oculorum,in infimis permissi sunt officijs,qui prius summam tenebant arcem. Non autem mox post mortem Eli hæc sacerdotij translatio facta est,sed sub Dauid,quando in locum Abiathar summi sacerdotis, constitutus fuit Sadoch sacerdos fidelis:cuius familiam duraſſe ferũt vsque ad Christum, cui ministrabat in legalibus illis figuris.Et hoc esse videtur quod ait ambulabit coram Christo meo cunctis diebus.*

CAPVT III.

A PVer autem Samuel ministrabat Domino coràm Heli, & sermo Domini [a] erat pretiosus. In diebus illis non erat visio manifesta.Factum est ergo in die quadam,Heli iacebat in loco suo, & oculi eius caligauerant,nec poterat videre.† [b] Et antequam lucerna Dei extingueretur, Samuel dormiebat in templo Domini,vbi erat arca Dei.Et vocauit Dominus Samuel.Qui respondens ait, Ecce ego. Et cucurrit ad
Heli,& dixit,Ecce ego:vocasti enim me.Qui dixit,Non vocaui:reuertere,& dormi.Et abijt, & dormiuit.Et
adiecit Dominus rursum vocare Samuelem.Consurgensque Samuel abijt ad Heli, & dixit, Ecce ego : quia
B vocasti me.Qui respondit,Non vocaui te fili mi : reuertere & dormi. Porrò Samuel [c] necdum sciebat Dominum, nec reuelatus fuerat ei sermo Domini. Et adiecit Dominus, & vocauit adhuc Samuelem certiò.
Qui consurgens abijt ad Heli,& ait,Ecce ego : quia vocasti me.Intellexit ergo Heli quod Dominus vocaret
puerum,& ait ad Samuelem, Vade,& dormi:& si deinceps vocauerit te,dices, Loquere Domine, quia audit
seruus tuus. Abijt ergo Samuel,& dormiuit in loco suo. Et venit Dominus, & stetit : & vocauit sicut vocauerat † prius, Samuel Samuel.Et ait Samuel, Loquere, quia audit seruus tuus.Et dixit Dominus ad Samue-
lem, Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicunque audierit, tinnient ambæ aures eius.In die illa susci-
C tabo aduersum Heli,omnia quæ locutus sum super domum eius, incipiam & complebo. Prædixi enim ei
quòd iudicaturus essem domum eius in æternum,propter iniquitatem eius,eò quòd nouerat indignè agere
filios suos, & non corripuerit eos. Iccircò iuraui domui Heli, quòd non expietur iniquitas domus eius victimis & muneribus vsque in æternum. Dormiuit autem Samuel vsque manè, aperuitque ostia domus
Domini.Et Samuel timebat indicare visionem Heli. Vocauit ergo Heli Samuelẽ, & dixit, Samuel fili mi?
Qui respondens,ait,Prestò sum.Et interrogauit eum, Quis est sermo qui dictus est ad te? oro te ne cœlaueris me:hæc faciat tibi Deus, & hæc addat, si absconderis à me sermonem ex omnibus verbis quæ dicta sunt
D tibi.Indicauit itaque ei Samuel vniuersos sermones,& non abscondit ab eo.Et ille respondit, Dominus est:

quod

quod bonum est in oculis suis, faciat. Creuit autem Samuel, & Dominus erat cum eo, & non cecidit ex omnibus verbis eius in terram. Et cognouit vniuersus Israel à Dan, vsque Bersabee, quòd fidelis Samuel propheta esset Domini. Et addidit Dominus, vt appareret in Silo: [d] quoniam reuelatus fuerat Dominus Samueli in Silo, iuxta verbum Domini †.

SCHOLIA.

[a] Erat preciosus.] *Hoc est, rari erant eo tempore Prophetæ, qui populo Verbum Domini annuntiarent: nec visio erat aperta, sed veluti intra maceriam clausa: & quod ait, nec poterat videre, intelligendum est, bene, & clarè.* [b] Et antequam lucerna Dei extingueretur.] *Hoc est, nocte, quando lucernæ candelabri adhuc ardebant, quæ in ascensu auroræ extinguebantur.* [c] Necdum sciebat Dominum.] *Non (inquit) assuetus erat Samuel locutionibus Diuinis, ideo Vocem Domini non cognouit. Et vide, vt aptauerit se maiestas Diuina pueri moribus, & voluerit ab Eli Samuelem docere, Vocem illi fuisse Domini, quem vt reprehenderet vocabatur.* [d] Quoniam reuelatus.] *Sensus est. Sicut primò ei apparuit in Silo, sic secundo in eo loco apparuit ei.*

CAPVT IIII.

FIt† [a] autem verbum Samuelis ad omnem Israel. Et egressus est Israel, obuiam Philisthijm in prelium, & castrametatus est iuxta Lapidem adiutorij. Porrò Philisthijm venerunt in Aphec, & instruxerũt aciẽ contra Israel. Inito autem certamine, terga vertit Israel Philistheis: & cæsa sunt in illo certamine passim per agros, quasi quatuor millia virorum. Et reuersus est populus ad castra: dixeruntq; maiores natu de Israel, Quare percussit nos Dominus hodie coràm Philisthijm? Afferamus ad nos de Silo arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum. Misit ergo populus in Silo, & tulerunt inde arcam fœderis Domini exercituum sedentis super cherubim, erantq; duo filij Heli cum arca fœderis Domini, Ophni, & Phinees. Cumq; venisset arca fœderis Domini in castra, vociferatus est omnis Israel clamore grandi, & personuit terra, & audierunt Philisthijm vocem clamoris, dixeruntq;, Quænam est hæc vox clamoris magni in castris Hebræorum? Et cognouerunt quòd arca Domini venisset in castra. Timueruntq; Philisthijm, dicentes, Venit Deus in castra. Et † rursum dixerunt, Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius: væ nobis. Quis nos saluabit de manu Deorum sublimium istorum? hi sunt Dij, qui percusserunt Ægyptum omni plaga in deserto. Confortamini, & estote viri, Philisthijm: ne seruiatis Hebræis, sicut & illi seruierunt vobis: confortamini, & bellate. Pugnauerunt ergo Philistijm, & cæsus est Israel, & fugit vnusquisque in tabernaculum suum: & facta est plaga magna nimis: & cæciderunt de Israel triginta millia peditum, & arca Dei capta est: duo quoq; filij Heli mortui sunt, Ophni, & Phinees. Currens autem vir de Beniamin ex acie venit in Silo in die illa, scissa veste, & cõspersus puluere caput. Cumq; ille venisset, Heli sedebat super sellam contra viam spectans. Erat enim cor eius pauens pro arca Dei. Vir autem ille postquã ingressus est, nuntiauit vrbi: & vlulauit omnis ciuitas. Et audiuit Heli sonitum clamoris, dixitq;, Quis est hic sonitus tumultus huius? At ille festinauit, & venit, & nuntiauit Heli. Heli autem erat nonaginta & octo annorum, & oculi eius caligauerant, & videre non poterat. Et dixit ad Heli, Ego sum qui veni de prælio, & ego, qui de acie fugi hodie. Cui ille ait, Quid actum est fili mi? Respondens autem ille qui nuntiabat, Fugit, inquit, Israel coràm Philisthijm, & ruina magna facta est in populo: insuper, & duo filij tui mortui sunt, Ophni, & Phinees: & arca Dei capta est. Cumque ille nominasset arcam Dei, cecidit de sella retrorsum iuxta ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Senex enim erat vir, & grandæuus: & ipse iudicauit Israel quadraginta annis. Nurus autem eius vxor Phinees, prægnans erat, vicinaq; partui: & audito nuntio quòd capta esset arca Dei, & mortuus esset socer suus, & vir suus, incuruauit se, & peperit: irruerant enim in eã dolores subiti. In ipso autem momento mortis eius, dixerunt ei, quæ stabant circa eam, Ne timeas, quia filiũ peperisti. Quæ non respondit eis, [b] neque animaduertit. Et vocauit puerum [c] Ichabod, dicens, Translata est gloria de Israel, quia capta esset arca Dei. Et pro socero suo, & pro viro suo. † Et rursum ait, Translata est gloria † ab Israel, eò quòd capta esset arca Dei.

SCHOLIA.

[a] Fuit autem verbum.] *Præcepit Dominus per Samuelem filijs Israel, vt procederent contra Philisthym, vt sic pro enormibus suis peccatis punirentur. Qui voci Dei obedientes, castrametati sunt ad lapidem adiutory, non quòd tunc vocaretur lapis adiutory, sed postea in alio prælio hoc sortitus fuit vocabulum, vt infra capite septimo dicitur.* [b] Nec animaduertit.] *Vel, nec apposuit cor suum, quasi parum curans de nato filio ob dolorem captæ arcæ Domini.* [c] Ichabod.] *Quasi, non est gloria, vel, vbi gloria?*

CAPVT V.

PHilisthijm autem tulerunt arcam Dei, & asportauerunt eam à Lapide adiutorij in Azotum. Tulerũtq; Philisthijm arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & statuerunt eam iuxta Dagon. Cumq; surrexissent diluculo Azotij altera die, ecce [a] Dagon iacebat pronus in terra ante arcam Domini: & tulerunt Dagon, & restituerunt eũ in locum suũ. Rursumq; manè die altera consurgentes, inuenerunt Dagon iacentẽ super faciẽ suam in terra corã arca Dñi: caput autem Dagon, & duę palmę manuũ eius abscisę erant super limen: porrò Dagon solus truncus remãserat † iuxta eam. Propter hanc causam non calcãt sacerdotes Dagon, & omnes qui ingrediũtur tẽplũ eius, sup limẽ Dagon in Azoto, vsq; in hodiernũ diẽ. Aggrauata est autẽ manus Dñi super Azotios, & demolitus est eos: & pcussit [b] in secretiori parte natiũ Azotũ, & fines eius. † Videntes autẽ viri Azotij huiusmodi plagã, dixerunt, Nõ maneat arca Dei Israel apud nos: quoniã dura est manus eius super nos, & super Dagon deum nostrũ. Et mittẽtes cõgregauerũt omnes satrapas Philisthinorũ ad se, & dixerũt, Quid faciemus de arca Dei Israel? Respõderũtq;. † Deducatur in Geth arca Dei Israel. Et circunduxerunt arcam Dei Israel. Illis autem circunducentibus eã, † factus est per manũ Domini in ciuitate

Psal. 77.

te tumultus valde magnus, & percussit homines ciuitatis à paruo vsque ad maiorem, habueruntq; [c] secretos morbos. Miserunt ergo arcam Dei in Accaron. Cumq; venisset arca Dei in Accaron, exclamauerunt Accaronitæ, dicentes, Adduxerunt ad nos arcam Dei Israel, vt interficiat nos & populum nostrum. Miserũt itaq;, & congregauerunt omnes satrapas Philisthinorum: qui dixerunt, Dimittite arcam Dei Israel, & reuertatur in locum suum, vt non interficiat nos cum populo nostro. Fiebat enim pauor mortis in singulis vrbibus, & grauissima valde manus Dei. Viri quoq; qui mortui non fuerant, percutiebantur in secretiori parte natium: & ascendebat vlulatus vniuscuiusq; ciuitatis in cœlum.

SCHOLIA.

[a] Dagon iacebat.] *Cernis vt vbique gloria Domini emineat etiam tum, cum deiecta existimatur?* [b] In secretiore parte natium.] *Alius vertit, in inferioribus ventris. Hunc morbum quidam putant fuisse sicum, qui in locis secretis interiora ventris depascebatur, alij verò asserunt fuisse fluxum sanguinis incurabilem.* [c] Secretos morbos.] *Et quoniam morbus ille absconditus fuit, & non in propatulo, grauius affligebat Palæstinos, cum nullam medelam adhibere possent.*

CAPVT VI.

AFVit ergo arca Domini in regione Philisthinorum septem mensibus. Et vocauerunt Philistijm sacerdotes & diuinos, dicẽtes, Quid faciemus de arca Domini? indicate nobis quomodo remittamus eam in locum suum. Qui dixerunt, Si remittitis arcam Dei Israel, nolite dimittere eam vacuam, sed quod debetis, [a] reddite ei pro peccato, & tunc curabimini: & scietis quare non recedat manus eius à vobis. Qui dixerunt, Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei? Responderuntq; illi, Iuxta numerum prouinciarum Philisthinorum quinq; anos aureos facietis, & quinque mures aureos: quia plaga vna fuit omnibus vobis, & satrapis vestris. Facietisq; similitudines anorum vestrorum, & [b] similitudines murium qui demoliti sunt terram, & dabitis Deo Israel gloriam: si fortè releuet manum suam à vobis, & à dijs vestris, & à terra
B vestra. Quare aggrauatis corda vestra sicut aggrauauit Ægyptus, & Pharao cor suum? nonne postquam percussus est, tunc dimisit eos, & abierunt? Nunc ergo arripite & facite plaustrum nouum vnũ: & duas vaccas Exod. 12.d
fœtas, quibus non est impositum iugum, iungite in plaustro, & recludite vitulos earum domi. Tolletisq; arcam Domini, & ponetis in plaustro, & vasa aurea quæ exoluistis ei pro delicto, ponetis in capsellam ad latus eius: & dimittite eam vt vadat. Et aspicietis: & si quidem per viam finium suorum ascenderit contra Bethsámes, ipse fecit nobis hoc malum grande: sinautem minimè: sciemus quòd nequaquam manus eius tetigit nos, sed casu accidit. Fecerunt ergo illi hoc modo: & tollentes duas vaccas quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plaustrum, vitulosque earum concluserunt domi. Et posuerunt arcam Dei super plaustrum, & capsellam
C quæ habebat mures aureos & similitudinem anorum. Ibant autem in directum vaccæ per viam quæ ducit Bethsámes, & itinere vno gradiebantur, pergentes & [c] mugientes: & non declinabãt neque ad dexteram neque ad sinistram. Sed & satrapæ Philistijm sequebantur, vsque ad terminos Bethsámes. Porrò Belhsámitæ metebant triticum in valle: & cleuantes oculos suos, viderũt arcam, & gauisi sunt cum vidissent. Et plaustrum venit in agrum Iosue Bethsámitæ, & sterit ibi. Erat autem ibi lapis magnus, & conciderunt ligna plaustri, vaccasq; imposuerunt super ea holocaustum Domino. Leuitæ autem deposuerunt arcam Dei, & capsellam quæ erat iuxta eam in qua erant vasa aurea, & posuerunt super lapidem grandem. Viri autem Bethsámitæ obtulerunt holocausta, & immolauerunt victimas in die illa Domino. Et † satrapæ Philisthi-
D norum viderunt, & reuersi sunt in Accaron in die illa. Hi sunt autẽ ani aurei, quos reddiderunt Philisthijm pro delicto Domino: Azotus vnum, Gaza vnum, Ascalon vnum, Geth vnum, Accaron vnum: & mures aureos secundum numerum vrbium Philisthijm † nempe [d] secundum quinq; principes, & ab vrbe murata, vsque ad villam quæ erat absque muro, & vsque ad Abel magnum super quem posuerunt arcam Domini, quæ erat vsque in die illa in agro Iosue Bethsámitis. Percussit autem Dominus de viris Bethsámitibus, [e] eò quòd vidissent arcam Domini: & percussit de populo septuaginta viros, & quinquaginta millia † hominum. Luxitq; populus, eò quòd Dominus percussisset plebem plaga magna. Et dixerunt viri Bethsámitæ, Quis poterit stare in conspectu Domini Dei sancti huius? & ad quem ascendet à nobis? Miseruntq; nũtios ad habitatores Cariathiárim, dicentes, Reduxerunt Philisthijm arcam Domini, descendite, & reducite eam ad vos.

SCHOLIA.

[a] Reddite ei.] *Secundum Hebræos vtitur hic scriptura verbo hoc, reddo, quia homo peccans, quantum ex se est, tollit id, quod est Dei, & sibi vsurpat, atque ideo tenetur iterum ablatum restituere, si cupiat Deum sibi habere propitium. Restitutio illa, est cordis contritio, atque huius signum, exterior oblatio.* [b] Similitudines murium.] *De muribus Hebræi sic scribunt, Cũ ex infirmitate ani etiam intestinum rectum propenderet, & effunderet sanguinem, ac reliquum ventris succum, veniebant mures terræ, & intestinum illud arrodebant, cum maximo patientis dolore.* [c] Mugientes & non declinabant.] *Nam ita in proximum quenque misericordes esse debemus, vt tamen non recedatur à lege Dei.* [d] Secundum quinque principes.] *Vt enim tunc in Palæstina quinque præcipue erant ciuitates, sic iuxta numerum illarum ciuitatum quinque facti fuerunt mures, sed qui oblati fuerant pro omnibus locis, & quæ muro cinctæ erant, & quæ nullis ambiebantur muris: si quidem tam principes ipsi, quàm vulgares homines percussi fuerunt communi illo morbo. Aliarum tamen ciuitatum & locorum homines audientes consilium sacerdotum, voluerunt & ipsi offerre Deo Israel anos & mures aureos, timentes, quinque præcipuarum ciuitatum oblationem sibi minimè suffragaturam.* [e] Eo quòd vidissent arcam.] *Putant quidam Hebræorum: quòd Bethsamitæ desyderio videndæ arcæ, illam aperuerint, & interiora eius videre voluerint, quapropter Deus offensus tot millia hominum interfecit. Sunt rursus apud eos, qui putẽt solum septuaginta viros à Domino percussos, sed qui tantæ existimationis fuerint, vt quinquaginta millibus plebeiorum hominum comparari potuerint.*

Caput

CAPVT VII.

VEnerunt ergo viri Cariathiárim,& reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Aminadab in Gabaa:Eleazarum autem filium eius [a] ſanctificauerũt, vt cuſtodiret arcam Domini. Et factum eſt,ex qua die mãſit arca Domini in Cariathiárim,multiplicati ſunt dies,erat quippe iã annus viceſimus:& † luxit omnis domus Iſrael poſt Dominum. Ait autem Samuel ad vniuerſam domum Iſrael, dicẽs,Si in toto corde veſtro reuertimini ad Dominum,auferte deos alienos de medio veſtri Baalim & Aſtaroth:& præparate corda veſtra Domino,& ſeruite ei ſoli,& eruet vos de manu Philiſthijm. Abſtulerũt ergo
Deut. 6.c Matth. 4.b filij Iſrael Baalim & Aſtaroth,& ſeruierunt Domino ſoli. Dixit autem Samuel, Cõgregate vniuerſum Iſrael in Maſphath,vt orem pro vobis Dominum. Et conuenerunt in Maſphath:[b] hauſeruntque aquam, & effuderunt in conſpectu Domini,& ieiunauerunt in die illa,atque dixerunt ibi,Peccauimus Domino. Iudicauitq; Samuel filios Iſrael in Maſphath. Et audierunt Philiſthijm quòd cõgregati eſſent filij Iſrael in Maſphath,& aſcenderunt ſatrapę Philiſthinorum ad Iſrael. Quod cum audiſſent filij Iſrael, timuerunt à facie Philiſthinorum. Dixeruntq; ad Samuelem,Ne ceſſes pro nobis clamare ad Dominum Deum noſtrum,vt ſaluet nos de manu Philiſthinorum. Tulit autem Samuel agnum lactẽtem vnum, & obtulit illum holocauſtum integrũ Domino: & clamauit Samuel ad Dominum pro Iſrael,& exaudiuit eum Dominus. Factum eſt autem,cum Samuel offerret holocauſtum,Philiſtijm iniere prælium cõtra Iſrael:intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthijm,& exterruit eos, & cęſi ſunt à filijs Iſrael. Egreſsiq; filij Iſrael de Maſphath
Eccl. 46.d perſecuti ſunt Philiſthęos,& percuſſerunt eos vſque ad locum qui erat ſubter Bethchar. Tulit autem Samuel lapidem vnum,& poſuit eum inter Maſphath & inter Sen:& vocauit nomen loci illius, Lapis adiutorij. Dixitque,Hucuſq; auxiliatus eſt nobis Dominus. Et humiliati ſunt Philiſthijm,nec apposuerunt vltrà vt venirent in terminos Iſrael. Facta eſt itaq; manus Domini ſuper Philiſthæos,cunctis diebus Samuelis:& redditæ ſunt vrbes quas tulerant Philiſthijm ab Iſrael,Iſraeli,ab Accaron vſque Geth, & terminos ſuos: † rapuitque eas Iſrael de manu Philiſthinorum,eratq; pax inter Iſrael & Amorrhæum. Iudicabat quoq; Samuel Iſraelẽ cũctis diebus vitæ ſuę,& ibat per ſingulos annos circuiẽs Bethel & Galgala & Maſphath,& iudicabat Iſraelẽ in ſupradictis locis. Reuertebaturq; in Ramátha:ibi enim erat domus eius,& ibi † quoq; iudicabat Iſraelẽ. Ædificauit etiam ibi altare Domino.

SCHOLIA.

[a] Sanctificauerunt.] *Chal. interpres vertit: ad aptauerunt, vel ordinauerũt eum, vt ſcilicet cuſtodiret domum, in qua erat arca, atque illam mundam conſeruaret.* [b] Hauſeruntq; aquam.] *Quidam hoc intelligunt de lacrymis effuſis, alij de aqua materiali, qua ſordes quaſque corporeas pœnitentes abluerunt, & pœnitentiam pro peccatis egerunt, &c.*

CAPVT VIII.

FActum eſt autẽ cũ ſenuiſſet Samuel, poſuit filios ſuos iudices ſuper Iſrael. Fuitq; nomen filij eius primogeniti Ioel:& nomen ſecundi Abia,[a] iudicum in Berſabee. Et non ambulauerunt filij illius inuijs eius: ſed declinauerunt poſt auaritiam,acceperuntq; munera, & peruerterunt iudicium. Congregati ergo vniuerſi maiores natu Iſrael,venerunt ad Samuelem in Ramátha. Dixeruntque ei, Ecce tu ſenuiſti, &
Oſee. 9.b 13.c filij tui non ambulant in vijs tuis: [b] Conſtitue nobis regem, vt iudicet nos, ſicut & vniuerſæ habent nationes. Diſplicuitq; ſermo in oculis Samuelis,eò quòd dixiſſent,Da nobis regem, vt iudicet nos. Et orauit Samuel ad Dominum. Dixit autem Dominus ad Samuelem, Audi vocem populi in omnibus quæ loquuntur tibi:non enim te abiecerunt,ſed me,ne regnem ſuper eos. Iuxta omnia opera ſua quæ fecerũt à die qua eduxi eos de Ægypto vſque ad diem hanc:ſicut dereliquerunt me,& ſeruierunt dijs alienis, ſic faciũt etiam tibi. Nunc ergo vocem eorum audi:veruntamen conteſtare eos, & prædic eis ius regis qui regnaturus eſt ſuper eos. Dixit itaque Samuel omnia verba Domini ad populum qui petierat à ſe regẽ, & ait. Hoc erit ius Regis qui imperaturus eſt vobis. Filios veſtros tollet,& ponet in curribus ſuis, facietque ſibi equites & præcurſores quadrigarum ſuarum,& conſtituet ſibi tribunos & † quinquagenarios, & aratores agrorum ſuorum, & meſſores ſegetum,& fabros armorum & curruum ſuorum. Filias quoque veſtras faciet ſibi vnguentarias & focarias & panificas. Agros quoq; veſtros,& vineas,& oliueta optima tollet,& dabit ſeruis ſuis. Sed & ſegetes veſtras & vinearum redditus addecimabit,vt det eunuchis & famulis ſuis. Seruos etiam veſtros, & ancillas,& iuuenes optimos:& aſinos auferet, & ponet in opere ſuo. Greges quoque veſtros addecimabit,vosq; eritis ei ſerui. Et clamabitis in die illa à facie Regis veſtri quem elegiſtis vobis:& non exaudiet vos Dominus in die illa. Noluit autem populus audire vocem Samuelis,ſed dixerũt,Nequaquam:rex enim erit ſuper nos, & erimus nos quoq; ſicut omnes gentes:& iudicabit nos rex noſter,& egredietur ante nos,& pugnabit bella noſtra. † Et audiuit Samuel omnia verba populi, & locutus eſt ea in auribus Domini. Dixit autẽ Dominus ad Samuelem, Audi vocem eorum,& conſtitue ſuper eos regem. Et ait Samuel ad viros Iſrael, vadat vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.

SCHOLIA.

[a] Iudicum in Berſabee.] *Per hoc innuitur, quòd non ſicut pater eorum circuierunt per loca, & decernebant iudicia, ſed cogebant filios Iſrael, cum magno eorum diſpendio, venire ad locum manſionis eorum, hoc eſt, in Berſabee, quæ fuit in vna extremitate terræ Iſrael, ſicut Dan in alia extremitate.* [b] Conſtitue nobis regem.] *Colligunt Hebræi, ex lege Moſaica tria præcepta, quæ mandata fuerunt patribus, in ingreſſu terræ promiſſionis obſeruanda, nempe vt conſtituerent ſuper ſe regem, delerent Amalech, & ædificarẽt templum. Et cur igitur ſcribitur hic quòd offenderint Dominum in petitione regis? Reſpondent ijdem, quòd patres eorum ex tumultuario quodam, & inconſyderato animo, & non pro honore Dei & conſeruatione iuſtitiæ poſtulauerint regem, & iccircò Deum offenderunt, præſertim cum magis fiduciam ſuam in hominem collocauerint quàm in Deum, qui toties eos ex magnis eripuit periculis.*

Caput

CAPVT IX.

ERat vir de Beniamin,nomine Cis,filius Abiel,filij Seror,filij Bechorath,filij Aphia,filij viri Iemini, fortis robore. Et erat ei filius vocabulo Saul,electus,& bonus: & nõ erat vir de filijs Iſrael † pulchrior illo:ab humero & ſurſum eminebat ſuper omnẽ populum. Perierant autem aſinæ Cis patris Saul: & dixit Cis ad Saul filium ſuum, Tolle tecum vnũ de pueris, & conſurgens vade,& quære aſinas. Qui cum trãſiſſent per montem Ephráim,& per terram Saliſa,& non inueniſſent,tranſierũt etiam per terrã Salim,& nõ erant:ſed & per terrã Iemini,& minimè repererunt. Cum autẽ veniſſent in terrã Suph,dixit Saul ad puerum qui erat cũ eo, Veni,& reuertamur,ne fortè dimiſerit pater meus aſinas,& ſolicitus ſit,p nobis. Qui ait ei,Ecce vir Dei eſt in ciuitate hac,vir † honorabilis:omne quod loquitur,ſine ambiguitate venit: nũc ergo eamus illuc,ſi fortè indicet nobis de via noſtra,propter quam venimus. Dixitq; Saul ad puerũ ſuum, Ecce ibimus:
B quid feremus ad virum? † [a] panis deficit in † vaſis noſtris:& munus nõ habemus,vt demus homini Dei, nec quicquam aliud. Rurſum puer reſpõdit Sauli, & ait, Ecce inuẽta eſt in manu mea quarta pars † ſicli argenti: demus homini Dei,vt indicet nobis viã noſtram. Olim in Iſrael ſic loquebatur vnuſquiſq;, vadens conſulere Deũ. Venite,& eamus ad videntem. Qui enim Propheta dicitur hodie,vocabatur olim videns. Et dixit Saul ad puerũ ſuũ,Optimus ſermo tuus:veni,eamus. Et ierunt in ciuitatem in qua erat vir Dei. Cũq; aſcenderent cliuum ciuitatis,inuenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam, & dixerunt eis, Num hic eſt videns? Quæ reſpondentes,dixerũt illis, Hic eſt:ecce ante te:feſtina nunc:hodie enim venit in ciuitatẽ, quia [b] ſacrificiũ eſt hodie populi in excelſo. Ingredientes vrbẽ, ſtatim inuenietis eũ antequam aſcendat excelſum ad veſcendũ:neq; enim comeſturus eſt populus, donec ille veniat:quia ipſe benedicet hoſtię, & deinceps comedent,qui vocati ſunt. Nunc ergo aſcendite,quia hodie reperietis eũ. Et aſcenderunt in ciuitatem. Cumq;
C illi ambularent in medio vrbis,apparuit Samuel egrediens obuiam eis,vt aſcenderet in excelſum. Dominus autẽ reuelauerat auriculã Samuelis ante vnam diem quàm veniret Saul,dicens, Hac ipſa hora, quę nunc eſt, Act. 13.c cras mittam virũ ad te de terra Beniamin, & vnges eũ ducẽ ſuper populum meum Iſrael: & ſaluabit populũ meũ de manu Philiſthinorũ,quia reſpexi populum meũ: venit enim clamor eorũ ad me. Cumq; aſpexiſſet Samuel Saulem, Dominus dixit ei, Ecce vir quem dixeram tibi,iſte dominabitur populo meo. Acceſsit autem Saul ad Samuelem in medio portæ,& ait,Indica,oro,mihi,vbi eſt domus videntis? Et reſpondit Samuel Sauli, dicens, Ego ſum videns: aſcende ante me in excelſum, vt comedatis mecum hodie, & dimittã te manè: & omnia,quæ ſunt in corde tuo,indicabo tibi. Et de aſinis,quas nudiustertius perdidiſti, ne ſolicitus ſis, quia inuentæ ſunt. [c] Et cui erunt optima quæque Iſrael? nonne tibi,& omni domui patris tui? Reſpondens autem Saul ait,Nunquid non filius Iemini ego ſum de minima tribu Iſrael, & cognatio mea nouiſſima in-
D ter omnes familias de tribu Beniamin? quare ergo locutus es mihi ſermonem iſtum? Aſſumens itaque Samuel Saulem & puerum eius, introduxit eos in triclinium,& dedit eis locum in capite eorum qui fuerant inuitati: erant enim quaſi triginta viri. Dixitq; Samuel coquo,Da partem quam dedi tibi, & præcepi vt reponeres ſeorſum apud te. Leuauit autem coquus armum † & quod erat ſuper ipſum & poſuit ante Saul. Dixitq; Samuel,Ecce quod remanſit,pone ante te,& comede:quia † ad hoc tempus ſeruatum eſt tibi, quando populum vocaui. Et comedit Saul cum Samuele in die illa. Et deſcenderunt de excelſo in oppidum, & locutus eſt cum Saule in ſolario. Cumq; manè ſurrexiſſent,& iam dies lucęſceret,vocauit Samuel Saulem in ſolario, dicens,Surge,& dimittam te. Et ſurrexit Saul:egreſsiq; ſunt ambo,ipſe videlicet & Samuel. Cumq; deſcenderẽt in extrema parte ciuitatis,Samuel dixit ad Saul,Dic puero vt antecedat nos,& † tranſiuit:tu autem ſubſiſte pauliſper,vt indicem tibi verbum Dei.

SCHOLIA.

[a] Panis defecit.] *Hoc dicebat, quòd pecuniam, quam ſecum habebant, Prophetæ dare non poterant, cum vix ſufficeret eis pro commeatu itineris comparando.* [b] Sacrificium eſt hodie.] *Loquitur hic ſcriptura de ſacrificijs pacificorum, quæ poſt adipis cremationem, & ſanguinis ſpꝛſionem, ab omnibus comedi poterant. Vnde excelſum illud, de quo hic agitur, fuit domus quædam, in qua hæc ſacrificia fiebant, & Viri boni illuc confluxerunt, pranſuri cum Samuele iudice.* [c] Et cui erunt optima.] *Alius vertit. Ad quem ſtat deſyderium totius Iſrael? Quaſi dicat, totus Iſrael deſyderat habere regẽ, & tu es ille, in quem omnium vota nutu diuino conſpirant.*

CAPVT X.

A TVlit autem Samuel lenticulam olei,& effudit ſuper caput eius,& deoſculatus eſt eum, & ait, Ecce vnxit te Dominus ſuper hæreditatem ſuam in principem. † Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel,in finibus Beniamin in † Zelzah, dicentq; tibi, Inuentę ſunt aſinę, ad Act. 13.c
quas ieras perquirẽdas:& intermiſiis pater tuus aſinis,ſolicitus eſt pro vobis,& dicit,Quid faciam † pro filio Oſee 9.d meo? Cumq; abieris inde,& vltra tranſieris,& veneris ad quercũ Thabor, inuenient te ibi tres viri aſcendentes [a] ad Deum in Bethel, vnus portans tres hœdos, & alius tres tortas panis, & alius portans lagenam vini. Cumq; te ſalutauerint,dabunt tibi duos panes,& accipies de manu eorum. Poſt hæc venies [b] in collem Dei, vbi eſt ſtatio Philiſthinorum:& cum ingreſſus fueris ibi vrbem,obuium habebis [c] gregem prophetarum deſcendentium de excelſo,& ante eos pſalterium & tympanum,& tibiam, & citharam, ipſosq; prophetantes.
B Et inſiliet in te ſpiritus Domini,& prophetabis cum eis,& mutaberis in virum alium. Quando ergo euenerint ſigna hæc omnia tibi,fac [d] quæcunq; inuenerit manus tua,quia Dominus tecum eſt. Et deſcendes ante me in Galgala:ego quippe deſcendam ad te † vt offeram holocauſta,& immolem victimas pacificas. Septem diebus expectabis,donec veniam ad te,& oſtendam tibi quid facias. Itaq; cũ auertiſſet humerũ ſuum vt abiret à Samuele,immutauit ei Deus cor aliud,& venerunt omnia ſigna hæc in die illa. Veneruntq; ad prædictum collem,& ecce cuneus prophetarum obuius ei: & inſiluit ſuper eũ ſpiritus Domini, & prophetauit in

medio

medio eorum. Videntes autem omnes, qui nouerant eum heri & nudiustertius, quòd esset cum prophetis
Infra 10.d & prophetaret, dixerunt adinuicem, Quænam res accidit filio Cis? Num & Saul inter prophetas? Respondit
alius ad alterum, dicens. Et [e] quis pater eorum? Propterea [f] versum est in prouerbium, Num & Saul inter pro-
phetas? Cessauit autem prophetare, & venit ad excelsum. Dixitq; patruus Saul ad eum, & ad puerũ eius. Quò C
abistis? Qui responderunt, Quærere asinas, quas cum non reperissemus, venimus ad Samuelem. Et dixit ei
patruus suus, Indica mihi quid dixerit tibi Samuel. Et ait Saul ad patruum suum, Indicauit nobis quòd inuẽ-
tæ essent asinæ. De sermone autem regni non indicauit ei quem locutus fuerat ei Samuel. Et conuocauit
Samuel populum ad Dominum [g] in Maspha th, & ait ad filios Israel, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego
eduxi Israel de Ægypto, & erui vos de manu Ægyptiorum, & de manu omnium regum qui affligebant vos.
Vos autem hodie proiecistis Dominum Deum vestrũ qui solus saluauit vos de vniuersis malis & tribulatio-
nibus vestris: & dixistis, Nequaquam, sed regem constitue super nos. Nunc ergo state coràm Domino per
tribus vestras, & per † millia vestra. Et applicuit Samuel omnes tribus Israel, & cecidit sors super tribum
Beniamin. Et applicuit tribum Beniamin & cognationes eius, & cecidit sors super cognationem Metri, & D
peruenit vsque ad Saul filium Cis. Quæsierunt ergo eum, & non est inuentus. Et consuluerunt post hæc
Dominum, vtrum nam venturus esset illuc. Respondit; Dominus, Ecce absconditus est † [h] inter vasa. Cu-
currerunt itaque, & tulerunt eum inde: stetitq; in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero,
& sursum. Et ait Samuel ad omnem populum, Certè videtis quem elegit Dominus, quòd [i] non sit similis
illi in omni populo. Et clamauit omnis populus, & ait, Viuat rex. Locutus est autem Samuel ad populum
[k] legem regni, & scripsit in libro, & reposuit coràm Domino: & dimisit Samuel omnem populum singulos
in domum suam. Sed & Saul abijt in domum suam in Gabaa: & abijt cũm eo pars exercitus, quorum tetige-
rat Deus corda. Filij verò Belial dixerunt, Num saluare nos poterit iste? Et despexerunt eum, & non attule-
runt ei munera, ille verò dissimulabat se audire.

SCHOLIA.

[a] Ad Deum in Bethel.] *Hæc est Luz, vbi Iacob pernoctauit. In hoc loco posteri extruxerunt altare prius quàm excel-
sa prohiberentur, & in abusum venirent. Inuenitur enim tempore Samuelis multa fuisse excelsa & altaria, vbi populus ora-
bat & sacrificabat, præter locum Silo, vbi erat arca Dei prius, quàm à Philistæis caperetur.* [b] In collem Domini.] *Pu-
tant Hebræi, hunc collem fuisse Ciriath Iearim, vbi tunc arca Dei manebat, & vbi stationes erant Philistæorũ: hoc est, vt
quidam putant, vbi constituti erant Philistæi, custodiam tenentes super Israel, atq; eos in officio continentes, ne rebellarent.*
[c] Gregem prophetarum.] *Secundum Heb. intelliguntur discipuli sapientum, qui & scribæ appellantur, atq; filij prophe-
tarũ, eò quòd discipuli illorum fuerunt. Hi igitur descendebant de colle, in quo erat arca Dei, & præcedebant eos varia mu-
sica instrumenta, quòd spiritus Dei non insiliat in eos, qui mœsto sunt corde, sed in hilares, vt quidam docent, Vnde sequitur,
& prophetabunt, hoc est, instigati spiritu Dei dicent Deo laudes & cantica.* [d] Quæcunq; inuenerit manus tua.] *Qui-
dam putãt hoc dictum de apparatu armorum, quæ pro regno necessaria sunt. Alij intelligunt de rebus omnibus initio regni
necessarijs.* [e] Quis pater eorum.] *Capitur hic pater pro magistro, & præceptore. Et videntur cum admiratione quærere,
quis tam repente instituat homines prophetas?* [f] Versum est in prouerbium.] *Vt scilicet quoties aliquem humilem &
abiectæ sortis hominem viderent ascendere ad dignitatem aliquam, & gradum sublimem, dicerent: Num & Saul inter pro
phetas?* [g] In Maspha.] *Erat & in hoc loco excelsum, hoc est, altare, & domus orationis.* [h] Inter vasa.] *Accipiuntur
vasa pro armis, & quibuslibet alijs rebus, quæs multitudo secum illuc tulerat, & in locum vnum reposuerat.* [i] Non sit si-
milis illi.] *In corporis scilicet proceritate & pulchritudine. Voluit (aiunt Hebræi) Deus eleg. antem personam constituere in
regem, quæ præseferret maiestatem quandam, non ob aliam rationem, quàm vt à subditis magis timeretur ac coleretur.*
[k] Legem regni.] *Hoc est, præscripsit certas leges, quibus gubernaretur regnum, ne vel rex tyrannidem exerceret in subdi
tos, aut subditi regis imperium contemnerent.*

CAPVT XI.

ET ascendit Naas Ammonites, & pugnare cœpit aduersum Iabes Galaad. Dixeruntq; omnes viri A
Iabes ad Naas, Habeto nos fœderatos, & seruiemus tibi. Et respondit ad eos Naas Ammonites, In
hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrum oculos dextros, ponamq; opprobrium
in vniuerso Israel. Et dixerunt ad eum seniores Iabes, Concede nobis septem dies, vt mittamus nuntios ad
vniuersos terminos Israel: & si non fuerit qui defendat nos, egrediemur ad te. Venerunt ergo nuntij in Ga-
baa † ad Saul, & locuti sunt verba hæc, audiente populo: & leuauit omnis populus vocem suam, & fleuit. B
Et ecce Saul veniebat, sequens boues de agro, & ait, Quid habet populus quòd plorat? Et narrauerunt ei ver-
ba virorum Iabes. Et insiliuit spiritus Domini in Saul, cum audisset verba hæc, & iratus est furor eius nimis.
Et assumens vtrunque bouem, concidit in frusta, misitq; in omnes terminos Israel per manum nuntiorum,
dicens. Quicunque non exierit, & secutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius. Inuasit ergo timor Do-
mini populum [l], & egressi sunt quasi vir vnus. Et recensuit eos in Bezec: fueruntq; filiorum Israel trecen- C
ta millia, virorum autem Iuda triginta millia. Et dixerunt nuntijs qui venerant, Sic dicetis viris, qui sunt
in Iabes Galaad, Cras erit vobis salus, cum incaluerit sol. Venerunt ergo nuntij, & annuntiauerunt viris
Iabes: qui lætati sunt. Et dixerunt, Manè exibimus ad vos, & facietis nobis omne quod placuerit vobis.
Et factum est, cum dies crastinus veniisset, constituit Saul populum in tres partes: & † ingressi sunt media
Supr. 10.d castra in vigilia matutina, & † percusserunt Ammon vsque dum incalesceret dies, reliqui autem dispersi D
sunt, ita vt non relinquerentur in eis duo pariter. Et ait populus ad Samuelem, Quis est iste qui dixit, Saul
non regnabit super nos? Date viros, & interficiemus eos. Et ait Saul, non occidetur quisquam in die
hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israel. Dixit autem Samuel ad populum, Venite, & eamus in
Galgala, & [a] innouemus ibi regnum. Et perrexit omnis populus in Galgala, & fecerunt ibi regem Saul
coràm

coràm Domino in Galgala: & immolauerunt ibi victimas pacificas coràm Domino. Et lætatus est ibi Saul,
& cuncti viri Israel nimis.

SCHOLIA.

[a] Innouemus ibi regnum.] *Hæc dixit Samuel, quòd multi hactenus contempsissent Saul, nolẽtes eum agnoscere vt
regem: iam verò experientia ipsa didicerunt, illum Dei ordinatione in regem electum.*

CAPVT XII.

A DIxit autem Samuel ad vniuersum Israel, Ecce audiui vocem vestram iuxta omnia quæ locuti estis ad
me, & constitui super vos regem. Et nunc rex graditur ante vos: ego autem senui, & incanui, porrò
[a] filij mei vobiscum sunt: itaque conuersatus coràm vobis ab adolescentia mea vsque ad hanc diem,
ecce præstò sum. Loquimini de me coràm Domino, & coràm Christo eius, vtrum bouem cuiusquam tule-
rim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cuiusquam munus acce- Eccle.46.d
pi: & † [b] abscondi oculos meos super eo, restituam enim vobis. Et dixerunt, Non es calumniatus nos, neq;
oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam. Dixitque ad eos, Testis est Dominus aduersum vos,
& testis Christus eius in die hac, quòd non inueneritis in manu mea quippiam. Et dixerunt, Testis. Et ait
Samuel ad populum, Dominus [c] qui fecit Moysen & Aaron, & eduxit patres vestros de terra Ægypti, Nunc
B ergo state, vt iudicio contendam aduersum vos coràm Domino de omnibus misericordijs Domini, quas fe-
cit vobiscum, & cum patribus vestris: quomodo Iacob ingressus est Ægyptum, & clamauerunt patres ve-
stri ad Dominum: & misit Dominus Moysen & Aaron, † qui eduxerunt patres vestros de Ægypto, & † col-
locauerunt eos in loco hoc. Qui obliti sunt Domini Dei sui, & tradidit eos in manus Sisaræ magistri militiæ Gene.46.a
Asor, & in manus Philisthinorum, & in manus regis Moab, & pugnauerunt aduersum eos. Postea au- Iudi.4.a
tem clamauerunt ad Dominum, & dixerunt, Peccauimus, quia dereliquimus Dominum & seruiuimus
Baalim & Astaroth: nunc ergo erue nos de manu inimicorum nostrorum, & seruiemus tibi. Et misit Do-
minus [d] Ierobaal & [e] Badan & Iephte & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circui- Iudi.6.c
tum, & habitastis confidenter. Videntes autem quòd Naas rex filiorum Ammon venisset aduersum vos,
C dixistis mihi, Nequaquam, sed rex imperabit nobis: cum Dominus Deus vester regnaret in vobis. Nunc
ergo præstò est rex vester, quem elegistis & petistis: ecce dedit vobis Dominus regem. Si timueritis Do-
minum, & seruieritis ei, & audieritis vocem eius, & non exasperaueritis os Domini: eritis & vos, & rex
qui imperat vobis sequentes Dominum Deum vestrum: si autem non audieritis vocẽ Domini, sed exaspe-
raueritis sermones eius, erit manus Domini super vos, & super patres vestros. Sed & nunc state, & videte
rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Nunquid non messis tritici est ho-
die? inuocabo Dominum, & dabit voces, & pluuias: & scietis, & videbitis, quòd grande malum feceri-
tis vobis in conspectu Domini, petentes super vos regem. Et clamauit Samuel ad Dominum, & dedit Do-
minus [f] voces, & pluuias in illa die. Et timuit omnis populus nimis Dominum & Samuelem. Et dixit vni-
D uersus populus ad Samuelem, Ora pro seruis tuis ad Dominum Deum tuum, vt non moriamur: addidi-
mus enim vniuersis peccatis nostris malum, vt peteremus nobis regem. Dixit autem Samuel ad populum,
Nolite timere, vos fecistis vniuersum malum hoc: veruntamen nolite recedere à tergo Domini, sed seruite
Domino in omni corde vestro. Et nolite declinare [g] post vana, quæ non proderunt vobis, neque eruent vos,
quia vana sunt: & non derelinquet Dominus populum suum, propter nomen suum magnum: quia iura-
uit Dominus facere vos sibi populum. Absit autem à me hoc peccatum in Dominum, vt cessem orare pro
vobis, sed docebo vos viam bonã & rectam. Igitur timete Dominum, & seruite ei in veritate, ex totò cor-
de vestro: vidistis enim magnifica: quę in vobis gesserit. Quòd si perseueraueritis in malitia: & vos & rex ve-
ster pariter peribitis.

SCHOLIA.

[a] Filij mei vobiscum sunt.] *Videtur ea ratione hoc dicere, vt in quæstionibus legis, & iudiciorum vti eorum consi-
lijs possent tam rex, quàm alij, cum rex ipse discere illa hactenus non potuerit.* [b] Abscondi oculos.] *Si ob acceptum (in-
quit) munus, cuiquam in iudicio patrocinatus fui contra iustitiam, aut dissimulaui in causa non recta.* [c] Qui fecit Mo-
sen.] *Hoc est, qui illos magnificauit, atque edocuit: Ionathas sic vertit. Qui fecit grandia per manum Mosis & Aharon.*
[d] Ierobaal.] *Hic est Gedeon, cui cur hoc nomen additum fuerit, habes in libro Iudicum.* [e] Badan.] *Vel Bedan: hoc
est, filius Dan, Samson qui fuit de tribu Dan.* [f] Voces & pluuias.] *Hoc appellauit rem grandem: nã non pluit in terra illa
tempore messis, sed habet pluuiam matutinam & serotinam, quarum scriptura toties meminit. Erat igitur magnũ mi-
raculum, vt contra naturam tempore messis tunc plueret. Vnde qui mente præditi erant, iram Dei contra se excitatam ad-
uertere poterant.* [g] Post vana.] *Intelligit simulachra, quæ nihil sunt, & nullam habent virtutem aut potestatem.*

CAPVT XIII.

A FIlius vnius anni erat Saul in regno suo: [b] duobus autem annis regnauit super Israel. Et elegit sibi
Saul tria millia de Israel: & erant cum Saul duo millia in Machmas, & in monte Bethel: mille autem Infra 15. d
cum Ionatha in Gabaa Beniamin: porrò cæterum populum remisit vnumquenque in tabernacula
sua. Et percussit Ionathas stationem Philisthinorum, quæ erat in Gabaa. [c] Quod cum audissent Philisthijm,
Saul cecinit buccina in omni terra, dicens, Audiant Hebræi. Et vniuersus Israel audiuit huiusmodi famã,
Percussit Saul stationem Philisthinorum: & erexit se Israel aduersus Philisthijm. † Congregatus est ergo
populus post Saul in Galgala. Et Philisthijm congregati sunt ad præliandum contra Israel, triginta mil-
lia curruum, & sex millia equitum, & reliquum vulgus, sicut arena quæ est in littore maris plurima. Et
ascendentes castrametati sunt in Machmas ad orientem Bethauen. Quod cum vidissent viri Israel se in ar-

cto positos (afflictus enim erat populus) absconderunt se in speluncis, & in abditis, in petris quoque, & in B
antris, & in cisternis. Hebræi autem transierunt Iordanem in terram Gad et Galaad. Cumq; adhuc esset Saul
in Galgala, vniuersus populus perterritus est, qui sequebatur eum. Et expectauit septem diebus iuxta placitũ
Samuelis, & non venit Samuel in Galgala: dilapsusq; est populus ab eo. Ait ergo Saul, Afferte mihi holocau-
stum, & pacifica. Et obtulit holocaustum. Cumq; complesset offerens holocaustum, ecce Samuel veniebat:
& egressus est Saul obuiam ei, vt salutaret eum. Locutusq; est ad eum Samuel, Quid fecisti? Respondit Saul,
Quia vidi quòd populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, porrò Philisthijm congrega-
ti fuerant in Machmas: dixi, nunc descendent Philisthijm ad me in Galgala, & faciem Domini non † oraui. C
Et cum mihi vim fecissem, tandem obtuli holocaustum. Dixitq; Samuel ad Saul, Stultè egisti, nec custodisti
mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi. Quod si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum
tuum super Israel [d] in sempiternum, sed nequaquam regnum tuum vltrà consurget. Quæsiuit Dominus si-
bi virum iuxta cor suum: & præcepit ei Dominus vt esset dux super populum suum, eò quòd non seruaue-
ris quæ præcepit Dominus. Surrexit autem Samuel, & ascendit de Galgalis in Gabaa Beniamin. † Et recen-
suit Saul populum, qui inuẽti fuerant cum eo, quasi sexcẽtos viros: & Saul, & Ionathas filius eius, populusq;, D
qui inuentus fuerat cum eis, erat in Gabaa Beniamin: porrò Philisthijm consederant in Machmas. Et egressi
sunt ad † vastandum de castris Philisthinorum tres cunei: vnus cuneus pergebat cõtra viam † Ophra ad ter-
ram Sual: porrò alius ingrediebatur per viam Beth horon: tertius autẽ verterat se ad iter termini † qui cõ-
spicitur supra vallem Seboim contra desertũ. Porrò [e] faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel:
cauerant enim Philisthijm, ne fortè facerent Hebræi gladium aut lanceam. Descendebat ergo omnis Israel
ad Philisthijm, vt exacueret vnusquisque vomerem suum, & ligonem, & securim, & sarculum. Retusæ itaq;
erant acies vomerum, & ligonum, † atque [f] fabrilia instrumenta sua vsque ad stimulum corrigendum. Cũq;
venisset dies prælij, non est inuentus ensis & lancea in manu totius populi qui erat cum Saule & Ionatha, ex-
cepto Saul & Ionatha filio eius. Egressa est autem statio Philisthijm, vt † transiret vltra Machmas.

SCHOLIA.

[a] Filius vnius anni.] *Ob innocentiam videlicet, vt quidam volunt, ac mentem ab omni malicia immunem. Quanquã rectius erit si sic interpretere. Cũ hæc fierent, Saul annum vnum in regno exegit, quãdo scilicet regnum eius in Galgalis renouatum fuit.* [b] Duobus autem annis regnauit.] *Cum legatur in actis apostolorum cap. 13. dedit eis Deus Saul filium Cis, virum ex tribu Beniamin, annis quadraginta: hunc locum quidam sic intelligunt, quòd duobus annis regnauerit in ea humilitate, ac sine regia pompa, quibus transactis, cœpit deligere exercitum, parare milites, & præsidio se tueri. Alij intelligunt, de legitimo regno, scilicet antequam abyceretur à Deo, & Dauid in eius locum inungeretur.* [c] Quod cum audissent.] *Apertius erit si sic legas. Audierunt̃ id Philisthæi, & Saul clanxit tubam, &c.* [d] In sempiternum.] *Vel, vsque in sæculum. Sæculum autem non semper est perpetuum tempus, nec perpetuo tempore posteritas Saulis poterat præesse regno, cum regnum tribui Iuda esset promissum, Gen. quadragesimo nono,* [e] Faber ferrarius.] *Cum tempore senectutis Samuelis Philisthæi iterum dominium consecuti fuissent super Israel, & stationes suas intra terram Israel collocassent, abduxerunt omnes fabros, ne fiducia armorum bellicorum auderent rebellare, adeoque gladijs et lanceis Israelem spoliarunt, vt in sexcentis hominibus bellicosis, duo duntaxat inuenirentur glady. Quomodo igitur pugnauerunt homines tam inermes contra tantam hostium multitudinem? lapidibus, & spiculis, hoc est, fundis, & arcubus.* [f] Fabrilia instrumenta.] *Instrumenta artificum, quibus scilicet vtuntur ad cædendos lapides & secanda ligna.*

CAPVT XIIII.

ET accidit in quadam die vt diceret Ionathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum, Veni, & A
transeamus ad stationem Philisthinorum, quæ est trans locum illum. Patri aũt suo hoc ipsum non in-
dicauit. Porrò Saul morabatur in extrema parte Gabaa sub malo granato, quę erat in † Migron: &
erat populus cum eo quasi sexcentorum uirorum. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filij Phinees,
qui ortus fuerat ex Heli, sacerdos Domini in Silo portabat Ephod. Sed & populus ignorabat quò isset Io-
Sup. 4.d nathas. Erant autem [a] inter † transitus, per quos nitebatur Ionathas transire ad stationem Philisthinorum,
eminentes petræ ex vtraque parte, & quasi in modum dentium scopuli hinc inde prærupti, nomen vni
Boses, & nomen alteri Sene: vnus scopulus prominens ad aquilonem ex aduerso Machmas, & alter ad meri-
diem contra † Geba. Dixit autem Ionathas ad adolescentem armigerum suum, Veni, transeamus ad sta-
tionem incircuncisorum horum, si fortè faciat Dominus pro nobis: quia non est Domino difficile saluare
vel in multis, vel in paucis. Dixitque ei armiger suus, Fac omnia quæ placent animo tuo: perge quò cu-
pis, & ero tecum vbicunque volueris. Et ait Ionathas, Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque appa- B
ruerimus eis, si taliter locuti fuerint ad nos, Manete, [b] donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec
ascendamus ad eos: si autem dixerint, Ascendite ad nos: ascendamus, quia tradidit eos Dominus in ma-
nibus nostris, & hoc erit nobis signum. Apparuit igitur vterque stationi Philisthinorum: dixeruntque
Philisthijm, En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus absconditi fuerant. Et locuti sunt viri de statio-
ne ad Ionathan, & ad armigerum suum, dixeruntque, Ascendite ad nos, & ostendemus vobis rem. Et
ait Ionathas ad armigerum suum, Ascendamus, sequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Israel.
Ascendit autem Ionathas manibus & pedibus reptans, & armiger eius post eum. Itaque † alij cadebant
ante Ionathan, alios armiger eius interficiebat, sequens eum. Et facta est plaga prima, qua percussit Io-
nathas & armiger eius, quasi viginti virorum in media parte iugeris, quam par boum in die arare consue-
uit. Et factus est † pauor in castris per agros; sed & omnis populus stationis eorum, qui erant ad præ-
dandum obstupuit, [c] & conturbata est terra, & accidit quasi miraculum à Deo. Et respexerunt speculato-
res

C res Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, & ecce multitudo prostrata, & huc illucq; diffugiens. Et ait Saul po-
pulo qui erat cum eo, Requirite, & videte quis abierit ex nobis. Cumq; requisissent, repertum est non adesse
Ionathã, & armigerum eius. Et ait Saul ad Achiam, Applica arcam Dei. Erat enim ibi arca Dei in die illa cũ
filijs Israel. Cumq; loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philisthinorum:
crescebatq; paulatim, & clarius resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem, Contrahe manum tuam. † Congrega-
tus est ergo Saul, & omnis populus qui erat cum eo, & venerunt vsq; ad locum certaminis: & ecce versus fue-
rat [d] gladius vniuscuiusq; ad proximum suum & cædes magna nimis. Sed & Hebræi qui fuerant cum Phili-
sthijm heri & nudiustertius, ascenderantq; cum eis in castris, reuersi sunt vt essent cum Israel qui erant cum
Saul & Ionatha. Omnes quoque Israelitæ qui se absconderant in monte Ephraim, audientes quòd fugissent
Philisthæi, sociauerunt se cum suis in prælio: † & saluauit Deus Israel in die illa: pugna autem peruenit vsq;
D ad Bethauen. Et viri Israel † premebantur fame in die illa: adiurauit autem Saul populum, dicẽs, Maledi-
ctus vir qui comederit panem vsq; ad vesperum, donec vlciscar de inimicis meis. Et non manducauit vniuer
sus populus panem: omneq; terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciẽ agri. Ingressus est itaq;
populus saltum, & apparuit fluens mel, nullusq; applicuit manum ad os suum: timebat enim populus iura-
mentum. Porrò Ionathas non audierat cum adiuraret pater eius populum: extenditq; summitatem virgæ,
quam habebat in manu, & intinxit in fauum mellis: & conuertit manũ suam ad os suum, & illuminati sunt
[e] oculi eius. Respondensq; vnus de populo, ait, Iureiurando constrinxit pater tuus populum, dicẽs, Maledi-
ctus vir, qui comederit panem hodie, defecerat autem populus. Dixitq; Ionathas, Turbauit pater meus ter-
ram: vidistis ipsi quòd illuminati sunt oculi mei, eò quòd gustauerim paululum de melle isto: quantò magis
si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quam reperit? nõne maior plaga facta fuisset in Phi-
E listhijm? Percusserunt ergo in die illa Philisthæos à Machmis vsq; in Aialon. Defatigatus est autem populus
nimis, & versus ad prædam tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra: comeditq; populus [f] cum
sanguine. Nuntiauerunt autẽ Sauli dicentes q̃ populus peccasset Domino, comedẽs cũ sanguine. Qui ait,
præuaricati estis: voluite ad me iam nunc saxum grande. Et dixit Saul, Dispergimini in vulgus, & dicite eis
vt adducat ad me vnusquisq; bouẽ suum & arietẽ, & occidite super istud, & vescimini, & nõ peccabitis Dño
comedẽtes cum sanguine. Adduxit itaq; omnis populus vnusquisq; bouem in manu sua † in nocte, & occi-
derũt ibi. Ædificauit autem Saul altare Dño, tuncq; primũ [g] cœpit ædificare altare Dño. Et dixit Saul, Irruа-
mus super Philisthæos nocte, & vastemus eos vsquedũ illucescat mane, nec relinquamus ex eis virũ. Dixitq;
populus, Omne, quod bonũ videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos, Accedamus huc ad Deum. Et cõsuluit
Saul Dñm, Nũ persequar Philisthijm? si trades eos in manus Israel? [h] Et nõ respondit ei in die illa. Dixitq;
F Saul. Applicate huc vniuersos [i] angulos populi: & scitote, & videte per quẽ acciderit peccatũ hoc hodie. Vi-
uit Dñs saluator Israel, q̃ si per Ionathan filiũ meum factũ est, absq; retractatione morietur. Ad quod nullus
cõtradixit ei de omni populo. Et ait ad vniuersum Israel, Separamini vos in partẽ vnam, & ego cum Ionatha
filio meo ero in parte altera. Respõditq; populus ad Saul, Quod bonũ videtur in oculis tuis, fac. Et dixit Saul
ad Dñm Deum Israel, Dñe Deus [k] da † sortẽ integram. Et deprehensus est Ionathas & Saul, populus autem
exiuit. Et ait Saul, Mittite sortẽ inter me, & inter Ionathan filiũ meum. Et captus est Ionathas. Dixit aũt Saul
ad Ionathan, Indica mihi quid feceris. Et indicauit ei Ionathas, & ait, Gustãs gustaui in summitate virgę, quę
erat in manu mea, paululũ mellis, & ecce ego morior. Et ait Saul, Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat, quòd
morte morieris Ionatha. Dixitq; populus ad Saul, Ergòne Ionathas morietur, qui fecit salutem hanc magnã
in Israel? hoc nefas est: viuit Dominus, si ceciderit capillus de capite eius in terram, quia cum Deo operatus
G est hodie. Liberauit ergo populus Ionathan, vt non moreretur. Recessitq; Saul, nec pśecutus est Philisthijm:
porrò Philisthijm abierunt in loca sua. Et Saul confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitũ aduer-
sum omnes inimicos eius, contra Moab, & filios Ammon, & Edom, & reges Soba, & Philisthæos: & quocũ-
que se verterat, superabat. Cõgregatoq; exercitu percussit Amalec, & eruit Israel de manu vastatorum eius.
Fuerunt autem filij Saul, Ionathas, & Iessui, & Melchisua: & nomina duarum filiarum eius, nomen primo-
genitæ Merob, & nomen minoris Michol. Et nomen vxoris Saul, Achinoem filia Achimaas: & nomẽ prin-
cipis militiæ eius Abner, filij Ner, patruelis Saul. Porrò Cis fuerat pater Saul, & Ner pater Abner, filij Abiel.
Erat autẽ bellum potens aduersum Philistheos omnibus diebus Saul. Et quemcunq; viderat Saul virum for-
tem, & aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

SCHOLIA.

[a] Inter transitus.] *Per transitus, vel vada, Hebræi docent hic intelligendum vallem quandam, cui incumbebant duæ præruptæ petræ, erat q; vna ad Israel, et altera ad Philistæos exposita. Vocat autem hic Hebraismus præruptam petram, dentem petræ.* [b] Donec veniamus ad vos.] *Hoc signum erat audacis et constantis animi, ideo Ionathas illud malum omen sibi futurum iudicabat. At cum dicerent ascendite ad nos, signum erat trepidi animi, & qui hostem aggredi formidabat, ideo Ionathas corroboratus, virili animo manibus pedibusque reptabat ad eos non dubitans de diuino auxilio.* [c] Et conturbata est terra.] *Vel tremuit, Hyperbole est, per quam significatur vehemens consternatio castrorum Philisthym.*
[d] Gladius vniuscuiusq;.] *Tantus (inquit) erat tumultus in castris, vt putarent hostẽ adesse, & furore repleti, pro hostibus proximos quosque occidebant. Israelitæ autem qui peregrinati fuerant apud Philistæos, & qui propter armorum artificium ad illos superioribus diebus à terra Israel fuerunt ducti, & iam ad pugnandum contra Israelitas coacti, videntes Dei liberationem, fugerunt ex castris Philistæorum, & iunxerunt se fratribus suis Israelitis, &c.* [e] Oculi eius.] *Erant oculi eius caligantes ob famem & fatigationem, sed cum parum mellis comedisset, receperunt tam oculi, quàm alia membra vires.* [f] Cum sanguine.] *Sensus est, quòd populus fame laborans, pecudes festinanter mactauit super terram, & sanguinẽ ipsum de singulis membris non expressit, sed sanguinolentas partes coquens, comedit carnem cum sanguine. Sunt tamen qui*

hunc sensum afferant: quod comederint iuxta sanguinem, quisque in eo loco, vbi pecus suum mactauit. g Cœpit ædificare.] *Hoc est, altare illud primum fuit quod ipse extruxit.* h Et non respondit ei.] *Vide quanti sit, principis imperium transgredi, cum ob exiguum tonathæ gustum mellis contra regis præceptum, quamuis illud ignoraret, Deus petenti oraculi non responderit.* i Angulos populi.] *Per angulos intelliguntur primi, qui sunt in populo, & hi sunt in ciuitate, sicut angulus in pariete.* k Da sortem integram.] *Hoc est, da sortem iustam & veram.*

CAPVT XV.

Exod. 17.c

ET dixit Samuel ad Saul, Me misit Dominus, vt vngerem te in regem super populum eius Israel: nunc A
ergo audi vocē Domini, Hæc dicit Dominus exercituū, Recensui quæcunq; fecit Amalec Israeli, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & [a] demolire
vniuersa eius: non parcas ei, sed interfice à viro vsq; ad mulierem, & paruulum atq; lactātem, bouem & ouē,
camelum & asinum. Præcepit itaq; Saul populo, & recensuit eos † [b] in Telaim: ducenta millia peditum, &
decem millia virorum Iuda. Cumq; venisset Saul vsque ad ciuitatem Amalec, retendit insidias in torrente.
Dixitque Saul Cinæo, Abite, recedite atq; discedite ab Amalec: ne fortè inuoluam te cum eo: tu enim fecisti B
misericordiam cum omnibus filijs Israel, cum ascenderēt de Ægypto. Et recessit Cinæus de medio Amalec.
Percussitq; Saul Amalec ab Euila, donec venias ad Sur, quæ est ē regione Ægypti. Et apprehendit Agag regem Amalec viuum: omne autem vulgus interfecit in ore gladij. Et pepercit Saul & populus Agag, & optimis gregibus ouium & armentorum, & † pinguibus & agnis, & vniuersis quæ pulchra erant, nec voluerunt
disperdere ea: quicquid verò vile fuit & reprobum, hoc demolti sunt. Factū est autem verbum Domini ad
Samuel, dicens, Pœnitet me quòd constituerim Saul regem: quia dereliquit me, & verba mea opere non im- C
pleuit. Contristatusq; est Samuel, & clamauit ad Dominū tota nocte. Cumq; † diluculo surrexisset Samuel,
vt iret ad Saul manè, nuntiatū est Samueli, eò quòd venisset Saul in Carmelū, & † [c] constituisset sibi locum,
& reuersus transisset, descendissetq; in Galgala. Venit ergo Samuel ad Saul, & † dixit ei Saul, Benedictus tu à
Domino, impleui verbum Domini. Dixitq; Samuel, Et quæ est hæc vox gregum quæ resonat in auribus
meis, & armentorum, quam ego audio? Et ait Saul, De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus me- D
lioribus ouibus & armentis vt immolarentur Domino Deo tuo, reliqua verò occidimus. Ait autem Samuel
ad Saul, Sine me, & indicabo tibi quæ locutus sit Dominus ad me nocte. Dixitq; ei, Loquere. Et ait Samuel,
Supra 13.a Nonne cum paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es: vnxitq; te Dominus in regem super Israel, & misit te Dominus in viam, & ait, Vade, & interfice peccatores Amalec, & pugnabis contra eos
vsq; ad internecionem eorum. Quare ergo nō audisti vocem Domini: sed versus ad prædam es, & fecisti ma-
lum in oculis Domini? Et ait Saul ad Samuelem, Imò audiui vocē Domini, & ambulaui in via per quā mi-
Eccle 4.d Osee 6.c Matth. 9.b sit me Dominus, & adduxi Agag regē Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de præda populus oues & E
boues primitias eorum quæ cæsa sunt, vt immolet Domino Deo tuo in Galgalis. Et ait Samuel, nūquid vult
Dominus holocausta & victimas, & non potius vt obediatur voci Domini? MELIOR EST ENIM
OBEDIENTIA QVAM VICTIMAE: & auscultare, magis quàm offerre adipem arietum: quo-
niam quasi [d] peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Pro eo ergo q
abiecisti sermonem Domini, abiecit te, ne sis rex. Dixitq; Saul ad Samuelē, Peccaui, quia præuaricatus sum
sermonem Domini, & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum. Sed nunc porta quæso peccatū F
meum. & reuertere mecum vt adorē Dominum. Et ait Samuel ad Saul, Non reuertar tecum, quia proiecisti
sermonem Domini, & [e] proiecit te Dominus, ne sis rex super Israel. Et conuersus est Samuel vt abiret: ille
autem apprehendit summitatē pallij eius, quæ & scissa est. Et ait ad eum Samuel, Scidit Dominus regnum
Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te. [f] † Non fallet fortitudo Israelis, & pœnitudine non
flectetur, neque enim homo est, vt agat pœnitentiam. At ille ait, Peccaui: sed nunc honora me coràm senio-
ribus populi mei, & coràm Israel, & reuertere mecum, vt adorem Dominum Deum tuū. Reuersus ergo Sa- G
muel secutus est Saulem: & adorauit Saul Dominū. Dixitq; Samuel, Adducite ad me Agag regem Amalec.
† Venitq; ad eū Agag [g] delicatè. Et dixit Agag, [h] † Vtiq; accedit amara mors. Et ait Samuel, Sicut fecit absq;
liberis mulieres gladius tuus, sic absq; liberis erit inter mulieres mater tua. Et in frusta concidit eum Samuel
coràm Domino in Galgalis. Abijt autem Samuel in Ramàtha, Saul verò ascendit in domum suam in Ga-
baa † Saul. Et non vidit Samuel vltra Saul vsque ad diem mortis suæ: veruntamen lugebat Samuel Saulem,
† pœnituitq; Dominum quòd constituisset regem Saul super Israel.

SCHOLIA.

[a] Demolire.] *Hoc est, anathemati subyce, & in nihilum redige omnia. Quæ viuunt occidite, quæ non viuunt comburite & deuastate, vt nemini hinc vtilitatis aliquid accrescat.* [b] In Telaim.] *Quidam dicunt, hic capiendum pro agnis qui numerati fuerunt, & ex eorum numero cognita est summa virorum. Singuli enim adduxerūt singulos agnos.* [c] Constituisset sibi locum.] *Quidam sic interpretantur, Parauit sibi locum ibi, in quo castra poneret, & vbi spolia diuideret.* [d] Peccatum ariolandi.] *Non minus (inquit) est peccatum, quando quis rebellis est præcepto Domini, quàm cum quis fiduciam suam magis ponit in augurum & arioladi artem, quàm in verbum Domini: & Deo nolle obedire, est idolorum cultura.* [e] Abiecit te Dominus.] *Is, qui Dei voluntate electus fuerat in regem, tamen abiectus est, quid illis fiet, qui contra Dei præceptum inuadunt dignitates, & gradus sibi vendicant nulla habita diuini timoris ratione?* [f] Non fallet fortitudo Israelis.] *Sensus est: licet regnum tuum sit scissum à te & à semine tuo, eò quòd inobediens fueris verbo Domini, tamen Deus, qui est fortitudo Israel, non deerit populo suo, nec permittet concidere regnum Israelis, sed delegit sibi virum alium secūdum cor suum, quem in locum tuum substituet.* [g] Delicate.] *Hoc est, accessit suauiter more regio, vel accessit superbè, perinde quasi minimè mortem horreret.* [h] Vtique accedit.] *Quidam aliter exponunt, in hunc modum. Verè recedit amaritudo mortis, sperans scilicet per Samuelem à morte liberari.*

Caput

CAPVT XVI.

DIxitq; Dominus ad Samuelem, vsquequo tu luges Saul, cū ego proiecerim eū ne regnet super Israel? A
imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittam te ad Isai Bethlehemitem: prouidi enim in filijs eius mihi
regem. Et ait Samuel, Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me. Et ait Dominus, Vitu-
lum de armento tolles in manu tua, & dices, Ad immolādum Domino veni. Et vocabis Isai ad victimam, &
ego ostendam tibi quid facias: & vnges quemcunq; monstrauero tibi. Fecit ergo Samuel sicut locutus est ei
Dominus. Venitq; in Bethlehem, & [a] admirati sunt seniores ciuitatis, occurrentes ei, dixerūtq;, Pacificus ne
est ingressus tuus? Et ait, Pacificus: ad immolandum Domino veni: sanctificamini, et venite mecū vt immo-
B lem. Sanctificauit ergo Isai & filios eius, & vocauit eos ad sacrificiū. Cumq; ingressi essent, vidit Eliab & Psal. 7.
ait, [b] † Certè coràm Domino est Christus eius. Et dixit Dominus ad Samuelem, Ne respicias vultum eius,
neq; altitudinem staturæ eius: quoniam abieci eum, nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim vi-
det ea quę apparent, Dominus autē intuetur cor. Et vocauit Isai Abinadab, & adduxit eū coràm Samuele.
Qui dixit, Nec hunc elegit Dominus. Adduxit autē Isai Samma: de quo ait, Etiam hunc non elegit Domi
nus. Adduxit itaq; Isai septē filios suos corā Samuele: & ait Samuel ad Isai, Non elegit Dñs ex istis. Di-
xitq; Samuel ad Isai, Nunquid iā cōpleti sunt filij? Qui respōdit, Adhuc reliquus est paruulus, & pascit oues.
C Et ait Samuel ad Isai, Mitte, & adduc eum: [c] nec enim discumbemus prius quam huc ille veniat. Misit ergo & 2. Reg. 7. b
adduxit eum. Erat autē rufus & pulcher aspectu, decoraq; facie, & ait Dominus, Surge, & vnge eum, ipse
est enim. Tulit ergo Samuel cornu olei, & vnxit eum in medio fratrū eius: & † mansit spiritus Domini à die Psal. 77.
illa in Dauid, & deinceps: surgensq; Samuel abijt in Ramàtha. Spiritus autē Domini recessit à Saul, & exagi- Actuū. 7.f
tabat eum spiritus nequam à Domino. Dixeruntq; serui Saul ad eum, Ecce spiritus Domini malus exagi- 13. d
tat te. Iubeat Dominus noster, & serui tui qui coràm te sunt, quærent hominem scientem psallere cithara:
vt quàndo arripuerit te spiritus Dñi malus, psallat manu sua, & leuius feras. Et ait Saul ad seruos suos, Proui-
D dete ergo mihi aliquem bene psallentē, & adducite eum ad me. Et respondens vnus de pueris, ait, Ecce vidi
filium Isai Bethlehemitem scientē psallere, & fortissimū robore, & virum bellicosum: & prudentem in † re-
bus gerendis, & virum pulchrū: & Dñs est cum eo. Misit ergo Saul nuntios ad Isai, dicēs, Mitte ad me Dauid
filium tuum, qui est in pascuis. Tulit ergo Isai asinū plenum panibus, & lagenā vini, & hœdū de capris vnū,
& misit per manū Dauid filij sui Sauli. Et venit Dauid ad Saul, & stetit coram eo: At ille dilexit eum nimis, et
factus est eius armiger. Misitq; Saul ad Isai, dicens, Stet Dauid in conspectu meo: inuenit enim gratiā in oculis
meis. Igitur quandocūq; spiritus Domini arripiebat Saul, Dauid tollebat citharam, & percutiebat manu
sua, [d] & refocillabatur Saul, & leuius habebat: recedebat enim ab eo spiritus malus.

SCHOLIA.

[a] Admirati sunt.] *Vel expauerunt: timuerunt enim, ne propter inopinatum aduentum prophetæ, aliquid mali natum esset in ciuitate sua.* [b] Certe coràm Domino.] *Hoc dicebat apud se, putās quòd Dominus delegisset illum sibi in regem, quem ipse vngeret, præsertim cum esset primogenitus, & pulchræ formæ, procerāque staturæ. Ita iudicia Dei longè diuersa ab hominum iudicijs sunt.* [c] Nec enim discumbemus.] *Hoc dicitur, quòd post sacrificia pacificorum edebantur cōsecrata.* [d] Et refocillabatur Saul.] *Musicus enim concentus, naturalem, ac vitalem spiritum in homine refocillat ac recreat, ne phantasmata cerebri ita grauiter opprimant.*

CAPVT XVII.

A COngregantes autem Philisthijm agmina sua in prælium, conuenerunt in Socho Iudæ: & castrametati sunt inter Socho & Azeca in finibus Dommim. Porrò Saul & filij Israel congregati venerunt in
vallem Terebinthi, & direxerunt aciem ad pugnandum contra Philisthijm. Et Philisthijm stabant
super montem ex parte hac, & Israel stabat supra montem ex altera parte: vallisq; erat inter eos. Et egressus
est vir † inter vtrosque de castris Philisthinorum nomine Goliath de Geth, altitudinis sex cubitorum & pal-
mi: & cassis ærea super caput eius: & lorica squamata induebatur: porrò pondus loricæ eius, quinque mil-
lia siclorum æris erat: & ocreas æreas habebat in cruribus: & clypeus æreus tegebat humeros eius: hastile
autem hastæ eius erat quasi [a] liciatorium texentium: ipsum autem ferrum hastæ eius sexcentos siclos habe-
bat ferri: & armiger eius antecedebat eum. Stansq; clamabat aduersum phalangas Israel, & dicebat eis, Quare
venistis parati ad prælium? nunquid ego non sum Philisthæus, & vos serui Saul? Eligite ex vobis vi-
B rum, & descendat ad singulare certamen: si quiuerit pugnare mecum, & percusserit me, erimus vobis ser-
ui: si autem ego prævaluero, & percussero eum, vos serui eritis, & seruietis nobis. Et aiebat Philisthæus, Ego
exprobraui agminibus Israel hodie, date mihi virum, & ineat mecum singulare certamen. Audiens au-
tem Saul, & omnes Israelitæ sermones Philisthei huiusce modi, stupebant, & metuebant nimis. Dauid autem
erat filius viri Ephrathei, † de Bethléhem Iuda, cui nomen erat Isai, qui habebat octo filios, & erat vir in die- Supra 16.a
bus Saul senex, & grandæuus inter viros. Abierunt autem tres filij eius maiores post Saul in prælium: & no-
mina trium filiorū eius qui perrexerunt ad bellum, Eliab primogenitus, & secundus Abinadab, tertius quo-
que Samma, Dauid autem erat minimus. Tribus ergo maioribus secutis Saulem, abijt Dauid, & reuer-
sus est à Saul, vt pasceret gregem patris sui in Bethléhem. Procedebat verò Philisthæus manè & vespere, &
[b] stabat quadraginta diebus. Dixit autem Isai ad Dauid filium suum, Accipe fratribus tuis ephi polentæ,
C & decem panes istos, & curre in castra ad fratres tuos, & decem formellas casei has deferes ad tribunum: &
fratres tuos visitabis: si recte agant, [c] & † tolle pignus eorum. Saul autem, & illi, & omnes filij Israel, in valle
Terrebinthi pugnabant aduersum Philisthijm. Surrexit itaq; Dauid manè, & commendauit gregem custo-
di: & onustus abijt, sicut præceperat ei Isai. † Et venit intra circulum castrorum, & exercitus egrediebatur
in aciem, vociferabanturque in pugna. Direxerat enim aciem Israel, sed & Philisthijm ex aduerso fuerant

præparati. Derelinquens ergo Dauid vasa, quæ attulerat,sub manu custodis ad sarcinas,cucurrit ad locum certaminis,& interrogabat si omnia rectè agerentur erga fratres suos. Cumq; adhuc ille loqueretur eis, apparuit vir ille † inter duas acies ascendens, Goliath nomine, Philisthæus de Geth,de castris Philisthinorum: & loquente eo hæc eadem verba,audiuit Dauid.Omnes autem Israelitæ,cum vidissent virum, fugerunt à facie eius,timentes eum valde. Et dixit vnus quispiam de Israel, Num vidistis virum hunc qui ascendit? ad ex probrandum enim Israel,ascēdit. Virum ergo qui percusserit eum,ditabit rex diuitijs magnis, & filiam suā dabit ei,& domum patris eius faciet absq; tributo in Israel. Et ait Dauid ad viros qui stabant secum,dicēs, Quid dabitur viro qui percusserit Philisthæum hunc,& tulerit opprobrium de Israel? quis est enim hic Philistheus incircumcisus qui exprobrauit aciem Dei viuentis?Referebat autem ei populus eundem sermonem, dicens, Hæc dabuntur viro qui percusserit eum. Quod cum audisset Eliab frater eius maior, loquente eo cum alijs,iratus est contra Dauid,& ait,Quare venisti,& quare dereliquisti pauculas oues illas in deserto?ego noui [d] superbiam tuam,& nequitiam cordis tui:q; vt videres prælium,descendisti. Et dixit Dauid, Quid feci? [e] nunquid non verbum est? Et declinauit paululum ab eo ad aliū:dixitq; eundem sermonem.Et respōdit ei populus verbū sicut prius.Audita sunt autem verba,quæ locutus est Dauid, & annūtiata in cōspectu Saul. Ad quē cū fuisset adductus,locutus est ei,Non concidat cor cuiusquā in eo:ego seruus tuus vadam, & pugnabo aduersus Philisthæum. Et ait Saul ad Dauid,nō vales resistere Philisthæo isti, nec pugnare aduersus eū, quia puer es:hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.Dixitq; Dauid ad Saul, Pascebat seruus tuus patris sui gregem,& veniebat leo vel vrsus,& tollebat arietem de medio gregis,& persequebar eos,& percutiebam, eruebamq; de ore eorum:& illi consurgebant aduersum me,& apprehendebam mentum eorum,& suffocabam,interficiebamq; eos. Nam & leonem & vrsum interfeci ego seruus tuus:erit igitur, & Philisthæus hic
Eccle. 47.a incircumcisus,quasi vnus ex eis:quia ausus est maledicere exercitui Dei viuentis. Et ait Dauid,Dominus qui eripuit me de manu leonis,& de manu vrsi,ipse me liberabit de manu Philisthæi huius. Dixit autem Saul ad Dauid, Vade, & Dominus tecum sit. Et induit Saul Dauid vestimentis suis, & imposuit galeam æream super caput eius,& vestiuit eum lorica. Accinctus ergo Dauid gladio eius super vestem suam, cœpit tentare si armatus posset incedere:non enim habebat consuetudinem. Dixitq; Dauid ad Saul,Non possum sic incedere,quia non vsum habeo.Et deposuit ea,& tulit baculum suum † in manibus: & elegit sibi quinq; † polītos lapides de torrente,& misit eos in peram pastoralem quam habebat secū,& fundam manu tulit: & processit aduersum Philisthæum. Ibat autem Philisthæus incedens,& appropinquans aduersum Dauid, & armiger eius ante eum. Cumq; inspexisset Philisthæus, & vidisset Dauid, [f] despexit eum. Erat autem adolescens rufus, & pulcher aspectu.Et dixit Philisthæus ad Dauid, Nunquid ego canis sum, quòd tu venis ad me cum baculo? Et maledixit Philisthæus Dauid in Dijs suis:dixitq; ad Dauid, Veni ad me, & dabo carnes tuas volatilibus cœli,& bestijs terræ. Dixit autem Dauid ad Philisthæum,Tu venis ad me cum gladio,& hasta, & clypeo: ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum Dei agminū Israel,quibus exprobrasti hodie,& dabit te Dominus in manu mea,& percutiam te,& auferam caput tuum à te:& dabo cadauera castrorum Philisthijm hodie volatilibus cœli, & bestijs terræ: vt sciat omnis terra quòd est Deus in Israel. Et nouerit vniuersa ecclesia hæc quòd non in gladio nec in hasta saluat Dominus:ipsius enim est bellum,& tradet vos in manus nostras. Cum ergo surrexisset Philisthæus, & veniret, & appropinquaret contra Dauid,festinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerso Philistæi: & misit manum suam in peram, tulitq; vnum
1.Mac. 4.d Psal. 77.d lapidem, & funda iecit, & percussit Philisthæum in fronte: & infixus est lapis in fronte eius,& cecidit in faciem suam super terram. Prævaluitq; Dauid aduersum Philisthæum in funda & lapide, percussumq; Philisthæum interfecit. Cumque gladium non haberet in manu Dauid, cucurrit,& stetit super Philisthæum, & tulit gladium eius, & eduxit eum de vagina sua: & interfecit eum, præciditq; caput eius. Videntes autem Philisthijm quòd mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt. Et consurgentes viri Israel & Iuda vociferati sunt, & persecuti sunt Philisthæos vsquedum venirent in vallem, & vsque ad portas Accaron: ceciderunt̄q; vulnerati de Philisthijm in via Sarim,& vsque ad Geth, & vsque ad Accaron. Et reuertentes filij Israel postquam persecuti fuerant Philisthæos,inuaserunt castra eorum.Assumens autem Dauid caput Philisthæi, attulit illud in Ierusalem:arma verò eius posuit in tabernaculo suo. Eo autem tempore quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philisthæum, ait ad Abner principem militiæ, De qua stirpe descendit hic adolescens, Abner? Dixitq; Abner, Viuit anima tua,rex,si noui.Et ait rex,Interroga tu, [g] cuius filius sit iste puer. Cūq; regressus esset Dauid, percusso Philisthæo, tulit eum Abner,& introduxit coràm Saule caput Philisthæi habentem in manu sua. Et ait ad eum Saul, De qua progenie es ò adolescens? Dixitque Dauid,Filius serui tui Isai Bethlehemitæ ego sum.

SCHOLIA.

[a] Liciatorium.] *Circa quod scilicet textores telam voluunt.* [b] Stabat quadraginta diebus.] *Collocans, scilicet se singulis diebus ante conspectum filiorum Israel, & probris afficiens,atque timiditatem eorum redarguens,quòd nullus inter eos esset,qui ad singulare certamen cum eo congrederetur.* [c] Et tolle pignus eorum.] *Hoc est, accipe pecuniam tecum, vt,si fratres tui rem aliquam loco pignoris exposuerint,tu impignorationem illam pecunia dissoluas.* [d] Superbiam tuam.] *Vel,audaciam. Nimium(inquit)tibi arrogas,qui audeas certamen inire cum gigante illo.* [e] Nunquid nō verbum est.] *Quidam sic exponunt.Quod excuset,nihil se hactenus nisi verba protulisse: quasi diceret.Si quando opera videbis,quid dices? Vel sic. Certè non sola verba fuisse dices ex facto. Videtur etiam hic sensus esse posse. Nunquid non verbum est, hoc est, nonne hæc est res digna,de qua quiuis cogitare debeat?* [f] Despexit eum.] *Videlicet quòd non esset vir bellicosus, & pugnis assuetus,nam cernebat eum iuuenem rubicundum & pulchro aspectu, quales martiales homines esse non solent, quos radij solares & assidua fatigatio deformes reddunt.* [g] Cuius filius sit.] *Regum enim memoria non raro labitur ob personarum negotiorumq; per omne regnum multitudinem. Sic Dauidis, qui tamen paulo ante seruierat Sauli, prospicia excidere potuit,vt illam rescire voluerit rex.*

CAPVT XVIII.

A ET factum est:cum complesset loqui ad Saul, anima Ionathæ conglutinata est animæ Dauid, & dilexit eum Ionathas quasi animam suam. Tulitq; eum Saul in die illa, & non concessit ei, vt reuerteretur in domum patris sui. Inierūt autem Dauid & Ionathas fœdus:diligebat enim eum quasi animam suā. Nam expoliauit se Ionathas tunica,qua erat indutus,& dedit eam Dauid, & reliqua vestimenta sua vsque ad gladium & arcum suum,& vsq; ad balthæum.Egrediebatur quoq; Dauid ad omnia quæcunq; mittebat eum
B Saul, & prudenter se agebat: Posuitq; eum Saul super viros belli,& acceptus erat in oculis vniuersi populi, † & in conspectu famulorū Saul. Porrò cum † ipsi venirent,& reuerteretur percusso Philisthæo Dauid, egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel,cantantes,chorosq; ducentes in occursum Saul regis, in tympanis lætitiæ & in sistris.Et prælucebant mulieres ludentes,atq; dicentes,Percussit Saul mille, & Dauid decem Eccle. 47.a
millia.Iratus est autem Saul nimis,& displicuit in oculis eius sermo iste:dixitq;, Dederūt Dauid decē millia,
C & mihi mille dederunt:quid ei superest,nisi solum regnum? Non rectis ergo oculis Saul aspiciebat Dauid à die illa & deinceps. Post diem autem alteram, inuasit spiritus Dei malus Saul, [a] & prophetabat in medio domus suę:Dauid autem psallebat manu sua,sicut per singulos dies. Tenebatq; Saul lanceam,& misit eam, putans ꝙ configere posset Dauid cum pariete:& declinauit Dauid à facie eius secūdò. Et timuit Saul Dauid: eò ꝙ Dominus esset cum eo,& à se recessisset.Amouit ergo eum Saul à se,& fecit eum tribunum super mille
D viros:& egrediebatur,& ingrediebatur in conspectu populi. In omnibus quoq; vijs suis Dauid prudēter agebat,& Dñs erat cum eo. Vidit itaq; Saul ꝙ prudens esset nimis,& cœpit cauere eum. Omnis autem Israel & Iuda diligebat Dauid:ipse autem egrediebatur & ingrediebatur ante eos. Dixitq; Saul ad Dauid, Ecce filia mea maior Merob,ipsam dabo tibi vxorem:tantummodo esto vir fortis,& præliare bella Dñi. Saul autem reputabat,dicens,Non sit manus mea in eum,sed sit super eum manus Philisthinorum. Ait autem Dauid ad
E Saul,Quis ego sum,aut quæ est vita mea,aut cognatio patris mei in Israel,vt fiam gener regis? Factum est autem tempus cū deberet dari Merob filia Saul Dauid,data est Hadrieli Molathithę vxor. Dilexit autē Michol filia Saul altera Dauid. Et nuntiatum est Saul,& placuit ei. Dixitq; Saul,Dabo eā illi, vt fiat ei in scandalū, & sit super eum manus Philisthinorū.Dixitq; Saul ad Dauid, [b] In † altera filiarū gener meus eris hodie. Et mandauit Saul seruis suis,Loquimini ad Dauid clam me,dicentes,Ecce places regi, & omnes serui eius dili-
F gunt te. Nunc ergo esto gener regis. Et locuti sunt serui Saul in auribus Dauid omnia verba hæc, & ait Dauid,Num parum videtur vobis generum esse regis? ego autem sum vir pauper & tenuis. Et renuntiauerunt serui Saul,dicentes,Huiusce modi verba locutus est Dauid.Dixit autem Saul, Sic loquimini ad Dauid, Non habet rex sponsalia necesse,nisi tantum centum præputia Philisthinorum,vt fiat vltio de inimicis regis.Porrò Saul cogitabat tradere Dauid in manus Philisthinorū. Cumq; renuntiassent serui eius Dauid verba,quæ
G dixerat Saul, placuit sermo in oculis Dauid,vt fieret gener regis.[c] Et † antequam impleti essent dies,surgens Dauid, abijt cum viris,qui sub eo erant.Et percussit ex Philisthijm ducentos viros: & attulit eorum præputia, & † annumerauerunt ea regi,vt esset gener eius.Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam vxorem. Et vidit Saul,& intellexit quòd Dominus esset cum Dauid. Michol autem filia Saul,diligebat eum.Et Saul magis cœpit timere Dauid: factusq; est Saul inimicus Dauid,cunctis diebus. Et egressi sunt principes Philisthinorum: à principio autem egressionis eorum,prudentius se gerebat Dauid,quàm omnes serui Saul, & celebre factum est nomen eius nimis.

SCHOLIA.

[a] Et prophetabat.] *Hebræi hic exponunt prophetare pro delirare, & insanire.* [b] In altera filiarum.] *In Hebræo est, in duabus eris gener mihi hodie, pro quo Ionathan sic vertit. In vna ex duabus gener meus eris, & vna quidem iam est elocata, igitur altera tibi debetur.* [c] Et antequam impleti essent dies.] *Hoc est, attulit Dauid præputia ante tempus à Saul constitutum.*

CAPVT XIX.

A LOcutus est autem Saul ad Ionathan filium suum,& ad omnes seruos suos, vt occiderent Dauid. Porrò Ionathas filius Saul, diligebat Dauid valde. Et indicauit Ionathas Dauid, dicens, Quærit Saul pater meus occidere te: quapropter obserua te quæso † vsque mane, & manebis clàm, & absconderis.
Ego autem egrediens,stabo iuxta patrem meum in agro, † vbi tu fueris: & ego loquar de te ad patrem meū, & quodcunq; videro,nuntiabo tibi.Locutus est ergo Ionathas de Dauid bona,ad Saul patrem suum: dixitq; ad eum,Ne peccet rex in seruum suum Dauid,quia non peccauit tibi, & opera eius bona sunt tibi valde, &
[a] posuit animam suam in manu tua: & percussit Philisthæum, & fecit Dominus salutem magnam vniuerso Israel: vidisti,& lætatus es:quare ergo peccas in sanguine innoxio,interficiens Dauid, qui est absque culpa?
Quod cum audisset Saul, placatus voce Ionathæ, iurauit, Viuit Dominus, quia non occidetur. Vocauit
B itaque Ionathas Dauid, & indicauit ei omnia verba hæc: & introduxit Ionathas Dauid ad Saul, & fuit ante eum,sicut erat heri & nudiustertius. Motum est autem rursum bellum: & egressus Dauid,pugnauit aduersum Philisthijm: percussitq; eos plaga magna, & fugerunt à facie eius. Et factus est spiritus Domini malus in Saul: sedebat autem in domo sua, & tenebat lanceam, porrò Dauid psallebat manu sua. Nisusq; est Saul configere Dauid lancea in pariete: & declinauit Dauid à facie Saul: lancea autem cassò vulnere perlata est in parietem, & Dauid fugit,& saluatus est nocte illa.Misit ergo Saul satellites suos in domum Dauid, vt custodirent eum, & interficeretur mane. Quod cum annuntiasset Dauid Michol vxor sua,dicens, Nisi saluaueris te nocte hac, cras morieris: deposuit eum per fenestram, porrò ille abijt & aufugit,atque saluatus

est. Tulit autem Michol statuam,& posuit eam super lectum, & pellem pilosam caprarum posuit ad caput C
eius,& operuit eam vestimentis. Misit autem Saul apparitores qui raperent Dauid:& responsum est q egro-
taret. Rursumque misit Saul nuntios vt viderent Dauid,dicens, Afferte eū ad me in lecto,vt occidatur. Cūq;
venissent nuntij,inuentum est simulachrum super lectum,& pelles caprarum ad caput eius. Dixitque Saul
ad Michol, Quare sic illusisti mihi, & dimisisti inimicum meum,vt fugeret? Et respondit Michol ad Saul,
Quia ipse locutus est mihi,Dimitte me,alioqui interficiam te. Dauid autem fugiens saluatus est, & venit ad
Samuel in Ramátha,& nuntiauit ei omnia quæ fecerat sibi Saul: & abierunt ipse & Samuel, & morati sunt
in Naioth. Nuntiatum est autem Sauli à dicentibus ecce Dauid in Naioth in Ramátha. Misit ergo Saul li-
ctores,vt raperent Dauid:qui cum vidissent cuneum prophetarum [b] vaticinantium, & Samuelem stantem D
super eos,factus est etiam spiritus Domini in illis,& prophetare cœperunt etiam ipsi. Quod cum nūtiatum
esset Sauli, misit & alios nuntios:prophetauerunt autē & illi. Et rursum misit Saul tertios nuntios:qui & ipsi
prophetauerunt. Abijt etiam ipse in Ramátha, & venit vsque ad cisternam magnam, quæ est in Socho, &
interrogauit, & dixit, In quo loco sunt Samuel & Dauid? Dictumq; est ei, Ecce in Naioth sunt in Ramá-
tha. Et abijt in Naioth in Ramátha,& factus est etiam super eum spiritus Domini, & ambulabat ingrediēs,
& prophetabat vsquedum veniret in Naioth in Ramátha. Et [c] expoliauit etiam ipse se vestimentis suis, &
prophetauit cum cæteris [d] coràm Samuele,& cecidit nudus tota die illa & nocte. Vnde & exiuit prouerbiū,
Num & Saul inter prophetas?

SCHOLIA.

[a] Posuit animam suam in manu sua.] *Hebraismus est, pro exposuit intrepide vitam suam periculo mortis propter te. Et hic Hebraismus frequens est in scriptura: vt illud, Anima mea in manibus meis semper.* [b] Vaticinantiū.] *Chal. interpres vertit. Laudantium & cantantium in spiritu Dei.* [c] Et expoliauit.] *Quando enim prophetæ tangebantur spiritu Dei,amittebant sæpenumero vsum sensuum exteriorum,nescientes quid foris fieret. Vnde abiecerunt vestes suas, & corruerunt in terram,ob internam Dei locutionem non valentes subsistere in pedibus suis. Quidam erant dormientibus similes, alij mortuis, alij loquebantur ex spiritu Dei, &c. Irruit itaque spiritus Dei propheticus in Saul, quo tutius Dauid effugeret manus illius.* [d] Coram Samuele.] *Coràm Samuele hic prophetasse dicitur,cum prius dictum sit, Samuelem postea non vidisse Saulem: Vel quia familiariter ei non est locutus postea, Vel,cum gratia secum nihil egit, ac promissis diuinis, vel in habitu & statu regio: hic enim in alium virum mutatus videtur,non adesse prophetis, vt rex.*

CAPVT XX.

FVgit autem Dauid de Naioth quæ est in Ramátha,veniēsq; locutus est coràm Ionatha, Quid feci? quæ A
est iniquitas mea, & quod peccatum meum in patrem tuum,quia quærit animam meam? Qui dixit
ei, Absit,non morieris:neque enim faciet pater meus quicquam grande vel paruum, nisi prius indica-
uerit mihi:hunc ergo cœlauit à me pater meus sermonem tantummodo? Nequaquam erit istud. Et iurauit
rursum Dauid: † dicens, Scit profectò pater tuus quia inueni gratiam in oculis tuis,& dicet, Nesciat hoc Io-
nathas, ne fortè tristetur. Quinimò viuit Dominus,& viuit anima tua,quia vno tātum † gradu, ego morsq;
diuidimur. Et ait Ionathas ad Dauid, Quodcunq; dixerit mihi anima tua, faciam tibi. Dixit autem Dauid ad
Ionathan, Ecce calendæ sunt crastino,& ego ex more sedere soleo iuxta regem ad vescendum: dimitte ergo B
me vt abscondar in agro vsq; ad vesperam diei tertiæ. Si respiciens requisierit me pater tuus, respondebis ei,
Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem suam: quia victimæ solennes ibi sunt vniuersis
contribulibus suis. Si dixerit benè, pax erit seruo tuo: si autem fuerit iratus, scito quòd [a] completa est malicia
eius. Fac ergo misericordiam in seruum tuum: quia fœdus Domini me famulum tuum tecum inire fecisti: si
autem est iniquitas aliqua in me, tu me interfice,& ad patrem tuū ne introducas me. Et ait Ionathas, Absit
hoc à te: neq; enim fieri potest, vt si certè cognouero completā esse patris mei malicià contra te, non annun-
tiem tibi. Respondítq; Dauid ad Ionathan, Quis renuntiabit mihi, si quid fortè responderit tibi pater tuus C
durè? Et ait Ionathas ad Dauid, Veni,& egrediamur foras in agrum. Cumq; exissent ambo in agrum, ait Io-
nathas ad Dauid: Domine Deus Israel, si inuestigauero sentētiam patris mei † cras hoc tempore vel peren-
die:& aliquid boni fuerit super Dauid,& non statim misero ad te,& notum tibi fecero, hæc faciat Dominus
Ionathan,& hęc augeat, si autem perseueraverit patris mei malicia aduersum te, reuelabo aurem tuam,& di-
mittam te, vt vadas in pace,& [b] sit Dominus tecum, sicut fuit cum patre meo. Et si vixero, facies mihi misери-
cordiam Domini: si verò mortuus fuero, non auferes misericordiam tuam à domo mea vsq; in sempiternū
† etiam cum eradicauerit Dominus inimicos Dauid, vnumquenq; de terra. Pepigit ergo Ionathas fœdus cū D
domo Dauid † dicens, Requirat Dominus de manu inimicorum Dauid. Et addidit Ionathas † adiurare Da-
uid per dilectionem, qua illum diligebat: sicut enim animam suam, ita diligebat eum. Dixitq; ad eum Iona-
thas, Cras calēdæ sunt,& requireris, requiretur enim sessio tua † per triduum igitur in demissum locum de-
scendes, ibisq; ad locum illum, vbi absconditus eo die fuisti [c] quando opus fiebat, & sedebis iuxta lapidem
cui nomen est Ezel. Et ego tres sagittas mittam iuxta eum,& iaciam quasi exercens me ad signum. Mittam
quoq; & puerum, dicens ei, Vade,& affer mihi sagittas. Si dixero puero, Ecce sagittæ † citra te sunt, accipe eū
& veni, quia pax tibi est,& nihil est mali, viuit Dominus. Si autem sic locutus fuero puero, Ecce sagittæ vltra E
te sunt: vade in pace, quia dimisit te Dominus. De verbo autem quod locuti sumus ego & tu, [d] sit Dominus
inter me & te, vsq; in sempiternum. Absconditus est ergo Dauid in agro,& venerunt calendæ,& sedit rex ad
comedendum panem. Cumq; sedisset rex super cathedram suam secundum consuetudinem, quæ erat iuxta
parietem, surrexit Ionathas,& sedit Abner ex latere Saul, vacuusque apparuit locus Dauid. Et nō est locutus
Saul quicquam in die illa: cogitabat enim quòd sorte euenisset ei vt non esset mundus, nec purificatus. Cum-
que illuxisset, dies secunda post calendas, rursus apparuit vacuus locus Dauid. Dixitq; Saul ad Ionathan filiū
suum,

suum, Cur non venit filius Isai, nec heri, nec hodie ad vescendum? Respondítq; Ionathas Sauli, Rogauit me
obnixè, vt iret in Bethlehem,& ait, Dimitte me quoniam sacrificium solenne est in ciuitate, vnus de fratri-
F bus meis accersuit me: nunc ergo si inueni gratiam in oculis tuis, vadam citò,& videbo fratres meos: ob hāc
causam, non venit ad mēsam regis. Iratus autem Saul aduersum Ionathan dixit ei, † [e] fili iniquæ rebellionis,
nunquid ignoro, quòd diligis filium Isai in confusionem tuam, & in confusionem † & ignominiam ma-
tris tuæ? Omnibus enim diebus, quibus filius Isai vixerit super terram, non stabilieris tu, neq; regnū tuum:
itaq; iam nunc mitte,& adduc eum ad me: quia filius mortis est. Respondēs autem Ionathas Sauli patri suo,
ait, Quare morietur? quid fecit? Et arripuit Saul lāceam, vt percuteret eum. Et intellexit Ionathas quòd de-
finitum esset à patre suo, vt interficeret Dauid. Surrexit ergo Ionathas à mensa in ira furoris,& non comedit
in die calendarum secunda panem. Contristatus est enim super Dauid, eò quòd confudisset eum pater suus.
Cumq; illuxisset mane, venit Ionathas in agrum iuxta placitum Dauid, & puer paruulus cum eo. Et ait ad
G puerum suum, Vade,& affer mihi sagittas quas ego iacio. Cumq; puer cucurrisset, iecit † sagittam trās pue-
rum. Venit itaq; puer ad locum iaculi, quod miserat Ionathas: & clamauit Ionathas post tergum pueri,& ait, Ecce ibi est sagitta porrò vltra te. Clamauitq; iterum Ionathas post tergum pueri, dicens, Festina veloci-
ter, ne steteris. Collegit autem puer Ionathæ sagittas,& attulit ad dominum suum:& quid ageretur, penitus
ignorabat, tantummodo enim Ionathas & Dauid rem nouerant. Dedit ergo Ionathas arma sua puero,& di-
xit ei, Vade,& defer in ciuitatem. Cumq; abijsset puer, surrexit Dauid de loco qui vergebat ad austrum,& ca-
dens pronus in terram, adorauit tertiò: [f] & osculantes se alterutrum, fleuerūt pariter, Dauid autem amplius.
Dixit ergo Ionathas ad Dauid, Vade in pace: quæcunq; iurauimus ambo in nomine Domini, dicentes, Do-
minus sit inter me & te, inter semen tuum,& semen meum vsque in sempiternū. Et surrexit Dauid,& abijt:
sed & Ionathas ingressus est ciuitatem.

SCHOLIA.

[a] Completa est malitia eius.] *Obstinatus est in malitia,& mentem à malo non vult auocare.* [b] Sit Dominus te-
cum.] *Intelligendum est de regni felici successu. Ionathas enim multis certisq; coniecturis cernebat Dauid aliquando regna turum, sciebatq; patrem à propheta reiectum, atque iccirco desiturum regnum eius.* [c] Quando opus fiebat.] *Hoc est, latitabis in eo loco, vbi prius latuisti, quando ego negocium tuum egi apud patrem meum, & ille mihi iurauit, apud te nō occi-
deret, &c. Capitur igitur hic dies operis, pro die negocij.* [d] Sit Dominus inter me & te.] *Hoc est, sit Deus iudex noster, si vel ego vel tu pactum violauerimus.* [e] Fili iniquæ rebellionis.] *Quidam sic legit: filius es reprobatæ mulieris ob rebellionem, hoc est, imitaris matrem tuam, quæ ob id, quòd fuit mihi rebelli reproba & peruersa meritò est iudicanda.* [f] Et osculantes se.] *Cum Ionathas videret nullum adesse hominem, qui eum prodere posset, venit ad Dauid, & oretenus quoq; illi indicauit obstinatum in malitia patris animum, subetq; illum ocyus abire, & saluti suæ consulere.*

CAPVT XXI.

A VEnit autem Dauid in Nobe ad Achimélech sacerdotem: & obstupuit Achimélech, eò quòd venisset
Dauid. Et dixit ei, Quare tu solus,& nullus est tecum? Et ait Dauid ad Achimélech sacerdotem, Rex
præcepit mihi sermonem,& dixit, Nemo sciat rem, propter quam missus es à me,& cuiusmodi præ-
cepta tibi dederim: nam & [a] pueris meis condixi in illum & illum locum. Nunc ergo si quid habes ad manū
vel quinq; panes, da mihi, aut quicquid inueneris. Et respondens sacerdos ad Dauid, ait illi, Non habeo lai-
cos panes ad manum, sed tantum panem sanctum: si mundi sunt pueri, maxime à mulieribus. Et respondit
B Dauid sacerdoti,& dixit ei, Equidem si de mulieribus agitur, continuimus nos ab heri & nudiustertius, quā-
do egrediebamur,& fuerunt [b] vasa puerorum sancta: porrò via hæc, † prophana est, sed & ipsa hodie sanc-
ificabitur in vasis. Dedit ergo ei sacerdos sanctificatum panem: neque enim erat ibi panis, nisi tantum panes Matt. 12.a
propositionis, qui sublati fuerunt à facie Domini, vt ponerentur [c] panes calidi † eo die, quo illi auferebātur. Marc. 2.d
Erat autem ibi vir quidam de seruis Saul in die illa, [d] † qui morabatur coràm Domino: & nomen eius Lucæ 6.a
C Doeg Idumæus, potentissimus pastorum Saul, Dixit autem Dauid ad Achimélech, Si habes hic ad manum
hastam aut gladium? quia gladium gladium meum. & arma mea non tuli mecū: sermo enim regis vrgebat.
Et dixit sacerdos, Ecce gladius Goliath Philisthæi, quem percussisti in valle Terebinthi, est inuolutus pallio
post ephod: si istum vis tollere, tolle: neq; enim hic est alius absq; eo. Et ait Dauid, Non est huic alter similis?
da mihi eum. Surrexit itaq; Dauid,& fugit in die illa à facie Saul,& venit ad Achis regem Geth. Dixeruntq; Supra 18.b
D serui Achis ad eum, Nunquid nō iste est Dauid rex terræ? nōne huic cantabant per choros,& dicentes, Per-
cussit Saul mille,& Dauid decem millia? Posuit autem Dauid sermones istos in corde suo,& extimuit valde
à facie Achis regis Geth. [e] † Et immutauit eloquium suum coràm eis, & stultum se simulabat inter manus
eorum:& scribebat super ostia portæ, defluebantq; saliuæ eius in barbam. Et ait Achis ad seruos suos, Vidi-
stis hominem insanum: quare adduxistis eum ad me? An desunt nobis furiosi, quòd introduxistis istum, vt
fureret me præsente? Hiccine ingredietur domum meam?

SCHOLIA.

[a] Pueris meis.] *Hoc est, constitui pueris meis locum talem & talem, vbi meum expectent aduentum.* [b] Vasa pue-
rorum.] *Hoc est, indumenta, & quod sequitur, Via prophana est, hunc habet sensum. Licet prophanum arripuerimus iter, non quidem cogitantes quòd opus haberemus panibus sanctis, nihil tamen accidit immundum in itinere, quod nos cohercere posset ab esu sanctorum panum: et quanto magis hodie, cum eguerimus rebus sanctis, abstinuisse nos putas à qualibet immū-
ditia, quæ & corpora & indumenta nostra polluere potuisset?* [c] Panes calidi.] *Iubētur sacerdotes in lege Mosaica, singu-
lis sabbatis duodecim recentes ponere panes super mensam propositionis, & veteres auferre atque comedere: nec liciti erant panes illi nisi sacerdotibus, tamen propter periculum animarum, poterant etiam prophani homines illis vesci, sicut & Domi-
nus Mat. xij. docet. Sed quomodo scribitur hic panes illos sabbato calidos fuisse, cum sabbato operari prohibitū fuerit? Respon-*

dens

dent Hebræi, panes illos in fornace calida seruatos fuisse vsque in horam propositionis, &c. [d] Qui morabatur coràm Dominо.] *Moram ibi traxit, vt offerret sacrificia, & audiret legem Dei.* [e] Immutauit eloquium suum.] *Significat eum stulta opera fecisse, vt est, scribere ad hostium domus, seu stultorum more in parietibus pingere, pro quo scriptorum error posuit, impingere.*

CAPVT XXII.

ABijt ergo Dauid inde, & fugit in spelunсam Odollam. Quod cum audissent fratres eius, & omnis domus patris eius, descenderunt ad eum illuc. Et conuenerunt ad eum omnes, qui erant in angustia constituti, & [a] oppressi ære alieno, & amaro animo: & factus est eorum princeps: fueruntq; cum eo quasi quadringẽti viri. Et profectus est Dauid inde in Maspha, quæ est Moab: & dixit ad regem Moab, Maneat oro pater meus, & mater mea vobiscum, donec sciam quid faciat mihi Deus. Et reliquit eos ante faciẽ regis Moab: manseruntq; apud eum cunctis diebus quibus Dauid fuit in præsidio. Dixitq; Gad propheta ad Dauid, Noli manere in præsidio: proficiscere: & vade [b] in terram Iuda. Et profectus est Dauid, & venit in saltũ Hareth. Et audiuit Saul quòd apparuisset Dauid, & viri qui erant cum eo. Saul autem cum maneret in Gabaa, & esset † sub arbore in Rama, hastam manu tenens, cunctiq; serui eius circunstarent eum, ait ad seruos suos qui assistebant ei, Audite me nunc [c] filij Iemini: nunquid omnibus vobis dabit filius Isai agros, & vineas, & vniuersos vos faciet tribunos, & centuriones: quoniam coniurastis omnes aduersum me, & non est qui mihi renuntiet, maximè cum & filius meus fœdus inierit cũ filio Isai? Non est qui vicem meam doleat ex vobis, nec qui annuntiet mihi: eò quòd susciterauerit filius meus seruum meum aduersum me, insidiantem mihi vsq; hodie? Respondens autẽ Doeg Idumæus qui assistebat, & ipse inter seruos Saul, Vidi, inquit, filium Isai in Nobe apud Achimélech filium Achitob. Qui cõsuluit pro eo Dñm, & cibaria dedit ei: sed & gladiũ Goliath Philisthei dedit illi. Misit ergo rex ad accersendum Achimélech sacerdotẽ filium Achitob, & omnem domũ patris eius sacerdotũ, qui erant in Nobe, qui vniuersi venerunt ad regẽ. Et ait Saul, Audi fili Achitob. Qui respondit, Præsto sum domine. Dixitq; ad eum Saul, Quare coniurastis aduersum me tu & filius Isai, & dedisti ei panes & gladium, & consuluisti pro eo Dñm, vt cõsurgeret aduersum me insidiator vsq; hodie permanẽs? Respondensq; Achimélech regi, ait, Et quis in omnibus seruis tuis, sicut Dauid fidelis, & gener regis, & pergens ad imperium tuum, & gloriosus in domo tua? [d] Num hodie cœpi pro eo cõsulere Dñm? absit hoc à me: ne suspicetur rex aduersus seruum suum rem huiuscemodi, in vniuersa domo patris mei: nõ enim sciuit seruus tuus quicquam super hoc negotio, vel modicum vel grande. Dixitq; rex, Morte morieris Achimélech, tu, & omnis domus patris tui. Et ait rex emissarijs, qui circunstabant eum, Conuertimini, & interficite sacerdotes Domini: nam manus eorum cum Dauid est: scientes q fugisset, & nõ indicauerunt mihi. Noluerũt autem serui regis extendere manus suas in sacerdotes Domini. Et ait rex ad Doeg, Conuertere tu, & irrue in sacerdotes. Conuersusq; Doeg Idumæus, irruit in sacerdotes, & trucidauit in die illa octogintaquinq; viros vestitos ephod lineo. Nobe autẽ ciuitatem sacerdotum percussit in ore gladij, viros & mulieres, & paruulos, & lactentes, bouemq; & asinum, & ouem in ore gladij. Euadens autem vnus filius Achimélech filij Achitob, cuius nomen erat Abiathar, fugit ad Dauid, & annuntiauit ei quòd occidisset Saul sacerdotes Domini. Et ait Dauid ad Abiathar, Sciebam in die illa, quòd cum ibi esset Doeg Idumæus, proculdubio annuntiaret Sauli: ego sum reus omnium animarum domus patris tui. Mane mecum, ne timeas: [e] si quis quæsierit animã meã, quæret & animam tuam, mecumq; seruaberis.

SCHOLIA.

[a] Oppressi ære alieno.] *Hoc est, omnes qui ob debita duros habuerũt exactores, possessionibus q; suis cedere coacti sunt, hi ad Dauid afflictorum patronum confugerunt. Sic Christus verus Dauid afflictos iuuitabat, vt ad se irent, dicens. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego refocillabo vos.* [b] In terram Iuda.] *Monetur hic Dauid per prophetam Domini, vt sese recipiat in terram Iudæ, & habitet in tribu ac cognatione sua. Illi enim non facilè permisissent Saul tyrannicè agere cũ Dauid, contra ius & æquitatem.* [c] Filij Iemini.] *Pro quo Ionathas sic vertit. Audite filij tribus & domus Beniamin, & est sensus, vos, qui estis de tribu & cognatione mea, & quos volui tanquã fideles ministros lateri meo semper adhærere, debueretis mihi magis fauere, quã Dauid, homini externo à tribu nostra, qui regnũ sceptrũ nititur transferre à tribu vestra, &c. Sed & hoc pessimè me habet, vt filius meus, cui iure meũ debetur regnũ, descuerit à me, et plus fauerit Dauid, quã sibipsi, & mihi: & vos non hic aduertitis, aut si aduertitis mihi nõ condoletis, vt hominẽ è mũdo eliminetis, qui vitæ meæ insidiatur.* [d] Num hodie cœpi.] *Num hodie primũ cœpi consulere pro eo Deũ? Absit, vt ego sciuerim quòd fugeret à te, cum alioqui toties pro eo cõsuluerim Deũ. Alius hunc sensum affert. Quare redarguis me, quòd cõsuluerim Deũ pro eo, cum is primus sit dies, quo illud facere cœpi, ignorans quòd fugeret? Absit, absit à me, si sciuissem te illi aduersari, nequaquam id egissem. Non igitur imponas mihi, aut cuiquã ex vniuersa familia mea, verbũ hoc.* [e] Siquis quæsierit.] *Alius sic legit. Qui requirit animam meam, is est, qui & animam tuam quærit: tu apud me esto in custodia.*

CAPVT XXIII.

ET annuntiauerunt Dauid, dicentes, Ecce Philisthijm oppugnant Ceilam & diripiunt areas. Consuluit ergo Dauid Dominum, dicens, Num vadam, & percutiam Philisthæos istos? Et ait Dominus ad Dauid, Vade, & percuties Philisthæos, & Ceilam saluabis. Et dixerunt viri, qui erant cum Dauid, ad eum, Ecce nos hic in Iudæa consistentes timemus: quantò magis si ierimus in Ceilam aduersum agmina Philisthinorum? Rursum ergo Dauid consuluit Dominum. Qui respondens, ait ei, Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philisthæos in manu tua. Abijt ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduersum Philisthæos, [a] & abegit iumenta eorum, & percussit eos plaga magna: & saluauit Dauid habitatores Ceilæ. Porrò eo tempore, quo fugiebat Abiathar filius Achimélech ad Dauid in Ceilam, Ephod secum habens descenderat. Nuntiatum est autem Sauli quòd venisset Dauid in Ceilam: & ait Saul, Tradidit eum Dominus in manus

in manus meas, concluso; est introgressus vrbem in qua portæ & seræ sunt. Et præcepit Saul omni populo, vt ad pugnã descenderet in Ceilam, & obsideret Dauid & viros eius. Quod cum Dauid resciisset, quòd præ
B pararet ei Saul clàm malum, dixit ad Abiathar sacerdotem, Applica ephod. Et ait Dauid, Domine Deus Israel, audiuit famam seruus tuus quòd disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius? & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israel indica seruo tuo. Et ait Dominus, Descendet. Dixitq; Dauid, Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus, Tradent. Surrexit ergo Dauid & viri eius quasi sexcenti, & egressi de Ceila, huc atque illuc vagabantur incerti: nuntiatumq; est Sauli quòd fugisset Dauid de Ceila † & desijt exire. Morabatur autem Dauid in deserto in locis firmissimis, mansitq; in monte solitudinis Ziph, quærebat eum tamen Saul cunctis diebus: & non tradidit eum Dominus in manus eius. Et vidit Dauid quòd egressus esset Saul, vt quæreret animam eius. Porrò Dauid erat in deserto Ziph in sylua. Et surrexit Ionathas filius Saul, &
C abijt ad Dauid in Syluam, & confortauit manus eius in Deo, dixitq; ei, Ne timeas: neq; enim inueniet te manus Saul patris mei: & tu regnabis super Israel, & ego ero tibi secundus: sed & Saul pater meus scit hoc. Percussit ergo vterq; fœdus coràm Domino: mansitq; Dauid in sylua, Ionathas autem reuersus est in domum suam. Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes, Nonne Dauid latitat apud nos in locis tutissimis syluæ, in colle Hachilæ, quæ est ad dexteram deserti? Nunc ergo, sicut desyderauit anima tua, vt descenderes, descende: nostrum autem erit, vt tradamus eum in manus regis. Dixitq; Saul, Benedicti vos à Domino, quia doluistis vicem meam. Abite ergo oro, & diligentius præparate, & curiosius agite, & consyderate locum vbi sit pes eius, vel quis viderit eum ibi. † Dictum est enim mihi, quòd callidus sit & callidè agat. Consyderate, & videte omnia latibula eius, in quibus absconditur: & reuertimini ad me ad rem certam, vt
D vadam vobiscum: † & si ipse fuerit in terra, perscrutabor eũ in cunctis millibus Iuda. At illi surgentes abierunt in Ziph ante Saul. Dauid autem & viri eius erant in deserto Maon, in campestribus ad dexteram Iesmon. Iuit ergo Saul & socij eius ad quærendum eum: & nuntiatum est Dauid, statimq; [b] descendit ad petrã, & versabatur in deserto Maon: Quod cum audisset Saul, persecutus est Dauid in deserto Maon. Et ibat Saul ad latus montis ex parte vna, Dauid autẽ & viri eius erant in latere montis ex parte altera: porrò Dauid † anxius erat quomodo euaderet à facie Saul: nam Saul, & viri eius in modum coronæ cingebant Dauid, & viros eius, vt caperent eos. Et nuntius venit ad Saul, dicens, Festina & veni, quoniam infuderunt se Philisthijm super terram. Reuersus est ergo Saul desistens persequi Dauid, & perrexit in occursum Philisthinorũ: propter hoc vocauerunt locum illum Petram diuidentem.

SCHOLIA.

[a] Et abegit iumenta eorum.] *Nunquid pecora fuerunt in pugna, quæ abigere potuerit Dauid? Respondent Hebræi, quòd Dauid & viri eius post partam victoriam insecuti fuerint fugientes Philisthæos, vsque in terram Philisthæorum, & hinc abduxerint pecora, & aliam prædam.* [b] Descendit ad petram.] *Sensus est, quòd ab eo loco, in quo fuit, descendit, in vallem, vt hinc ascenderet ad præsidium petræ.*

CAPVT XXIIII.

A ASCendit ergo Dauid inde, & habitauit in locis tutissimis Engaddi. Cumq; reuersus esset Saul, postquam persecutus est Philisthæos, nuntiauerunt ei, dicentes, Ecce, Dauid in deserto est Engaddi. Assumens ergo Saul tria millia electorum virorum ex omni Israel, perrexit ad vestigandum Dauid & viros eius, etiam super abruptissimas petras, quæ solis ibicibus peruię sunt. Et venit ad caulas ouium, quę se offerebant vianti, eratq; ibi spelunca, quam ingressus est Saul, [a] vt purgaret ventrem: porrò Dauid & viri eius in interiore parte speluncæ latebant. Et dixerunt serui Dauid ad eum, Ecce dies de qua locutus est Dominus ad te, Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei sicut placuerit in oculis tuis. Surrexit ergo Dauid, & [b] præscidit oram chlamydis Saul silenter. Post hæc [c] percussit cor suum Dauid, eò quòd abscidisset
B oram chlamydis Saul. Dixitq; ad viros suos, Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem domino meo Christo Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Christus Domini est. † Et confregit Dauid viros suos sermonibus, & non permisit eos, vt consurgerent in Saul: porrò Saul exurgens de spelunca, pergebat cœpto itinere. Surrexit autem Dauid post † hæc: & egressus de spelunca, clamauit post tergum Saul, dicens, Domine mi rex. Et respexit Saul post se: & inclinans se Dauid pronus in terram, adorauit, dixitque ad Saul,

Quare audis verba hominum loquentium? Dauid quærit malum aduersum te. Ecce hodie viderunt oculi tui quòd tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca: & † dixit quispiam, vt occiderem te, sed peperci tibi oculus meus: dixi enim, Non extendam manum meam in dominum meum, quia Christus Domi-
C ni est. Quin potius pater mi, vide, & cognosce oram clamydis tuæ in manu mea: quod cum præscinderem summitatem chlamydis tuæ, nolui extendere manum meam in te: animaduerte, & vide, quòd non est in manu mea malum, neque iniquitas, neque peccaui in te: tu autem insidiaris animæ meæ, vt auferas eam. Iudicet Dominus inter me & te, & vlciscatur me Dominus ex te: manus autem mea non sit in te. Sicut & in prouerbio antiquo dicitur, [d] AB IMPIIS EGREDIETVR IMPIETAS: manus ergo mea non sit in te. Quem persequeris rex Israel? quem persequeris? [e] canem mortuum persequeris, & pulicem vnum. Sit Dominus iudex, & iudicet inter me & te: & videat, & iudicet causam meam, & eruat me de manu tua. Cum autem complesset Dauid loquens sermones huiuscemodi ad Saul, dixit Saul, Nunquid vox hæc tua est fili
D mi Dauid? Et leuauit Saul vocem suam, & fleuit, dixitq; ad Dauid, Iustior tu es, quàm ego: tu enim tribuisti mihi bona, ego autem reddidi tibi mala. Et tu indicasti hodie, quæ feceris mihi bona: quomodo tradiderit me Dominus in manum tuam, & nõ occideris me. Quis enim, cũ inuenerit inimicum suũ, dimittet eum in via bona? Sed Dominus reddat tibi vicissitudinem hanc, pro eo quod hodie operatus es in me. Et nunc,

quia

quia scio quòd certissimè regnaturus sis, & habiturus in manu tua regnum Israel: iura mihi in Domino ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Et iurauit Dauid Sauli. Abijt ergo Saul in domum suam: & Dauid, & viri eius ascenderunt ad tutiora loca.

SCHOLIA.

[a] Vt purgaret ventrem.] *Hebraismus habet: Vt contegeret pedes suos. Verecundè enim loquitur de excrementitione vesicæ, renum, & alui, vt alibi diximus.* [b] Præscidit oram chlamydis Saul silenter.] *Nam qui bene subiecti esse volunt, modestè humiliterq; præsulum suorum mala tangunt.* [c] Percussit cor suum.] *Redarguit eum conscientia sua, quòd truncasset vestimentum Christi Domini, timens quòd Dominus hoc illi imputaret ad peccatum. Indicium profectò pij animi, ac mentis synceræ.* [d] Ab impijs egredietur impietas.] *Quidam Hebræorum sic exponunt. Desinent impy aliquando impiè agere, cum nullum violentum sit perpetuum. Aly sic: ex impiorum corde nihil procedere potest, nisi impium. Sed verba sequentia declarant, quid velit, cum ait, manus ergo mea non sit in te: significat ergo ab impys semper mali quippiam exoriri. Proinde nihil esse cur Saul metuat, ne à se occideretur. hoc facinus impium non nisi ab impys esse patrandum, se manus suas regia cæde non inquinaturum.* [e] Canem mortuum.] *Vt quid persequeris (inquit) hominem abiectissimum, qui ad tui comparationem vix sum vel canis mortuus, vel pulex quidam, cui saltanti de loco ad locum insidiatur homo.*

CAPVT XXV.

Eccl. 46.d

A MOrtuus est autem Samuel, & congregatus est vniuersus Israel, & planxerunt eum, & sepelierunt eũ in domo sua in Ramatha. Consurgensque Dauid descendit in desertum Pharan. Erat autem vir quispiam in solitudine Maon, & possessio eius in Carmelo, & homo ille magnus nimis: erantq; ei oues tria millia, & mille capræ: & accidit vt tonderetur grex eius in Carmelo. Nomen autem viri illius erat Nabal: & nomẽ vxoris eius, Abigáil: eratq; mulier illa prudentissima & speciosa: porrò vir eius, durus, & pessimus, & malitiosus: erat autem de genere Caleb. Cum autẽ audisset Dauid in deserto, quòd tondèret Nabal gregem suũ, misit decem iuuenes, & dixit eis, Ascẽdite in Carmelũ, & venietis ad Nabal, & salutabitis eũ [a] ex nomine meo pacificè. Et sic dicetis. † Sic valeas, vt sit tibi pax, & domui tuę pax, & omnibus, quęcũq; habes, sit pax. Audiui q̃ tonderent pastores tui qui erant nobiscum in deserto: nunquam eis molesti fuimus, nec aliquando defuit quicquam eis de grege omni tẽpore quo fuerũt nobiscũ in Carmelo. Interroga pueros tuos, B & indicabũt tibi. Nũc ergo inueniant pueri tui gratiã in oculis tuis: [b] in die enim bona venimus: quodcũq; inuenerit manus tua, da seruis tuis, & filio tuo Dauid. Cũq; venissent pueri Dauid, locuti sunt ad Nabal omnia verba hæc ex nomine Dauid: & siluerunt. Respondens autem Nabal pueris Dauid, ait, Quis est Dauid? & quis est filius Isai? hodie increuerunt serui qui fugiũt dominos suos. Tollam ergo panes meos, & [c] aquas meas, & carnes pecorum, quæ occidi tonsoribus meis, & dabo viris quos nescio vnde sint? Regressi sunt itaq; pueri Dauid per viam suam, & reuersi venerunt, & annuntiauerunt ei omnia verba, quę dixerat Nabal. Tũc ait Dauid pueris suis, Accingatur vnusquisq; gladio suo. Et accincti sunt singuli gladijs suis, accinctusq; est & Dauid ense suo: & secuti sunt Dauid quasi quadringenti viri, porrò ducenti remanserunt ad sarcinas. Abigáil autem vxori Nabal nuntiauit vnus de pueris suis, dicens, Ecce Dauid misit nuntios de deserto, vt benedi- C cerent dño nostro, & auersatus est eos: homines isti, boni † valde fuerunt nobis, & non molesti: nec quicquã aliquando perijt omni tempore quo fuimus conuersati cum eis in deserto: pro muro erant nobis tam in nocte quàm in die, omnibus diebus quibus pauimus apud eos greges. Quam ob rem cõsydera, & recogita quid facias: quoniam cõpleta est malitia aduersum virũ tuũ, & aduersum domum tuam, & ipse est filius Belial, ita vt nemo possit ei loqui. Festinauit igitur Abigáil, & tulit ducentos panes, & duos vtres vini, & quinq; arietes coctos, & quinq; sata polentę, & centum ligaturas vuę passę, & ducentas massas caricarum, & imposuit super asinos, dixitq; pueris suis, Præcedite me, & ecce, ego post tergum sequar vos: viro autem suo Nabal nõ indicauit. Cum ergo ascendisset asinum, & descenderet † per abscondita montis Dauid & viri eius descendebãt D in occursum eius: quibus & illa occurrit. Et ait Dauid, Verè frustra seruaui omnia, quæ huius erant in deserto, & non perijt quicquam de cunctis, quæ ad eum pertinebant: & reddidit mihi malum pro bono. Hæc faciat Deus inimicis Dauid, & hæc addat, Si reliquero de omnibus, quæ ad ipsum pertinent vsque mane mingentem [d] ad parietem. Cum autem vidisset Abigáil Dauid, festinauit, & descendit de asino, & procidit coram Dauid super faciem suam, & adorauit super terram, & cecidit ad pedes eius, & dixit, In me sit domine mi hæc iniquitas: loquatur, obsecro, ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ. Ne ponat, oro, dominus meus † cor suum super virum istum iniquum Nabal: quia secundum nomen suum stultus est, & stultitia est cum eo: ego autem ancilla tua non vidi pueros tuos domine mi, quos misisti. Nunc ergo domine mi viuit Dominus, & viuit anima tua, † en Dominus prohibuit te ne venires in sanguinem, & saluauit manum tuam tibi: & nunc fiant sicut Nabal inimici tui, & qui quærunt domino meo malum. Qua propter E susscipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo: & da pueris qui sequuntur te domi num meum. Aufer iniquitatem famulę tuæ: faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem, quia prælia Domini domine mi tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te omnibus diebus vitæ tuæ. Si enim surrexit aliquando homo persequens te & quærens animam tuam, erit anima domini mei custodita [e] quasi in fasciculo viuentium apud Dominum Deum tuum: porrò inimicorum tuorum anima rotabitur, quasi in impetu, & circulo fundæ. Cum ergo fecerit Dominus tibi domino meo omnia hæc, quæ locutus est bona de te, & constituerit te ducem super Israel, non erit tibi hoc in singultum, & in scrupulum cor dis domino meo, quòd effuderis sanguinem innoxium, aut ipse te vltus fueris: & cum benefecerit Domi- F nus domino meo, recordaberis ancillæ tuæ. Et ait Dauid ad Abigáil, Benedictus Dominus Deus Israel, qui misit te hodie in occursum meum, & benedictum eloquium tuum, & benedicta tu, quæ prohibuisti me hodie, ne irem ad sanguinem, & vlciscerer me manu mea. Alioquin viuit Dominus Deus Israel, qui prohibuit

buit me ne malum facerem tibi: nisi citò venisses in occursum mihi, non remansisset Nabal vsque ad lucem matutinam mingens ad parietem. Suscepit ergo Dauid de manu eius omnia, quæ attulerat ei, dixitque ei, Vade pacificè in domum tuam: ecce audiui vocem tuam, & honoraui faciem tuam. Venit autem Abigáil ad Nabal: & ecce erat ei conuiuium in domo eius quasi conuiuium regis, & cor Nabal iucundum, erat enim ebrius nimis: & non indicauit ei verbum pusillum aut grande vsq; mane. Diluculo autem cũ digessisset vi- G num Nabal, indicauit ei vxor sua verba hęc, & [f] emortuum est cor eius intrinsecus, & factus est quasi lapis. Cumq; pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est. Quod cum audisset Dauid mortuum Nabal, ait, Benedictus Dominus qui iudicauit causam opprobrij mei de manu Nabal, & seruum suum custodiuit à malo, & malitiam Nabal reddidit Dominus in caput eius. Misit ergo Dauid, & locutus est ad Abigáil, vt sumeret eam sibi in vxorem. Et venerunt pueri Dauid ad Abigáil in Carmelum, & locuti sunt ad eam, dicentes, Dauid misit nos ad te, vt accipiat te sibi in vxorem. Quæ consurgens adorauit prona in terram, & ait, Ecce famula tua sit in ancillam, vt lauet pedes seruorum domini mei. Et festinauit, & surrexit Abigáil, & ascendit super asinum, & quinq; puellæ ierunt cum ea, pedissequę eius, & secuta est nuntios Dauid: & facta est illi vxor. Sed & Achinoam accepit Dauid de Iezrahel: & fuit vtraq; vxor eius. Saul autem dedit Michol filiam suam vxorem Dauid, Phalti, filio Lais, qui erat de Gallim.

SCHOLIA.

[a] Ex nomine meo pacificè.] *Hoc est, precabimini ei salutem nomine meo.* [b] In die enim bona.] *Mos fuit veterum, vt cum tonderent oues, solenne instituerent conuiuium, & amicos ad illud inuitarent: vocabantq; diem illum, diem bonum, id est solennem.* [c] Aquas meas.] *Per aquas intelligitur hic quilibet potus.* [d] Mingentem ad parietem.] *Hebræi communiter per mingentem ad parietem, intelligunt canem, cuius natura est mingere ad parietem. Sunt tamen qui intelligunt masculum, qui & ipse parietem lotio aspergere potest.* [e] Quasi in fasciculo viuentium.] *Sensus est, protegat te Dominus sub alis suis ab inimicis tuis, sicut illi tutissimè viuunt, qui apud Dominum viuunt, vel, sub Domini protectione viunt, intelligunt enim Hebræi per fasciculum viuentium, solium maiestatis, sub quo aiunt animas iustorum in seculo alio quiescere. Hinc etiam est, Vt tumbis suis passim hanc insculpant sententiam. Sit anima eius ligata in fasciculo viuentium.* [f] Emortuum est cor eius.] *Scilicet propter missum munus, quod adeo hominem illum parcum discruciauit, vt quasi lapis insensibilis redderetur.*

CAPVT XXVI.

A ET venerũt Ziphæi ad Saul in Gabaa, dicentes, Ecce, Dauid absc̃ditus est in colle Hachilæ, quæ est ex aduerso † Iesimõ. [a] Et surrexit Saul, & descẽdit in desertũ Ziph, & cũ eo tria millia virorũ de electis Israel, vt quęreret Dauid in deserto Ziph. Et castrametatus est Saul in Gabaa Hachilę, quę erat ex aduerso † Iesimon in via: Dauid autẽ habitabat in deserto. Videṡ autẽ q̃ venisset Saul post se in desertũ, misit explo ratores, & didicit q̃ venisset certissimè. Et surrexit Dauid, & venit ad locũ vbi erat Saul: cũq; vidisset locũ in quo dormiebat Saul, & Abner filius Ner princeps militię eius, & Saulẽ dormiẽtẽ in tẽtorio, & reliquũ vulgus per circuitũ eius, ait Dauid ad Achimẽlech Hethæũ, & Abisai filiũ Saruiæ, fratrẽ Ioab, dicens, Quis descẽdet mecũ ad Saul in castra? Dixitq; Abisai, Ego descendã tecũ. Venerũt ergo Dauid & Abisai ad populum nocte, & inuenerũt Saul iacentẽ & dormientẽ in tẽtorio, & hastã fixã in terra ad caput eius: Abner autem & B populũ dormiẽtes in circuitu eius. Dixitq; Abisai ad Dauid, Cõclusit Deus inimicũ tuũ hodie in manus tuas: nũc ergo perfodiã eũ lancea in terra semel, & secundò opus nõ erit. Et dixit Dauid ad Abisai, Ne interficias eũ: quis enim extendet manũ suã in Christũ Dñi, & innocens erit? Et dixit Dauid, Viuit Dñs, q̃ nisi Dñs percusserit eũ, aut dies eius venerit vt moriatur, aut in prælium descendens perierit, propitius sit mihi Dñs, ne extendam manũ meam in Christũ Dñi: nunc igitur tolle hastam, quę est ad caput eius, & scyphũ aquę, & abeamus. Tulit igitur Dauid hastam, & scyphũ aquę, qui erat ad caput Saul, & abierunt: & nõ erat quisquã qui videret, & intelligeret, & euigilaret, sed omnes dormiebant, quia [b] sopor Dñi irruerat super eos. Cumq; transisset Dauid ex aduerso, & stetisset in vertice montis delonge, & esset grande interuallũ inter eos, clamauit Dauid ad populũ, & ad Abner filiũ Ner, dicens, Nónne respondebis Abner? Et respondens Abner, ait, C Quis es tu qui clamas, & inquietas regem? Et ait Dauid ad Abner, Nũquid non vir tu es? & quis alius similis tui in Israel? quare ergo non custodisti dominum tuum regem? ingressus est enim vnus de turba, vt interficeret regem dominum tuum. Non est bonum hoc quod fecisti: viuit Dominus quòd filij mortis estis vos, qui non custodistis dominum vestrum Christum Domini: nunc ergo vide vbi sit hasta regis, & vbi sit scyphus aquæ, qui erat ad caput eius. Cognouit autem Saul vocem Dauid, & dixit, Nunquid vox hæc tua fili mi Dauid? Et ait Dauid, Vox mea domine mi rex. Et ait, Quam ob causam dominus meus persequitur seruum suum? Quid feci? aut quod est malum in manu mea? Nunc ergo audi oro domine mi rex verba serui tui, Si Dominus incitat te aduersum me, [c] odoretur sacrificium: si autem filij hominum, maledicti sunt in conspectu Domini, quia eiecerunt me hodie, [d] vt non habitem in hæreditate Domini, dicentes, Vade, serui D dijs alienis. Et nunc non effundatur sanguis meus in terra coràm Domino: quia egressus est rex Israel vt quęrat pulicem vnũ, sicut † quis persequitur perdicem in montibus. Et ait Saul, Peccaui, reuertere fili mi Dauid: nequaquam enim vltrà tibi malefaciam, eò q̃ pretiosa fuerit anima mea in oculis tuis hodie: apparet. n. q̃ stultè egerim, & ignorauerim multa nimis. Et respondens Dauid, ait, Ecce hasta regis: transeat vnus de pueris regis, & tollat eam: Dominus autem retribuet vnicuiq; secũdum iustitiam suam & fidẽ: tradidit enim te Dominus hodie in manũ meam, & nolui extendere manum meam in Christũ Domini. Et sicut magnificata est anima tua hodie in oculis meis, sic magnificetur anima mea in oculis Domini, & liberet me de omni angustia. Ait ergo Saul ad Dauid, Benedictus tu fili mi Dauid: equidem [e] faciens facies, & potẽs poteris. Abijt autem Dauid in viam suam, & Saul reuersus est in locum suũ.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Et surrexit Saul.] *Mirum,quanta sit inuidiæ vis,atque odij,vt omnis beneficientiæ obliuiscatur, omnisque iustitiæ. Dudum fleuerat Saul,quòd Dauid pepercisset gladio,neque eum interfecisset,cum posset tam facile,nunc iterum persequitur illum.* [b] Sopor Domini.] *Hoc est,sopor magnus. Vocat enim scriptura sæpe id,quod est magnificum,diuinum,vt montes Dei,cedros Dei,ciuitatem Dei,& similia. Vel ad literam intelligendum est: alioqui quomodo fieri posset, vt hostis ingrederetur penetralia castrorum ad regem vsque,& ad introitum eius nemo excitaretur, nisi Dominus immisisset soporem istum?* [c] Ódoretur sacrificium.] *Hoc est,acceptet oblationem pro peccato meo,quo merui illam persecutionem.* [d] Vt non habitem in hæreditate Domini.] *Hoc est,exturbor à populo meo,vt non possim adhærere ei, & versari inter Israel, qui est hæreditas Domini,sed adigor ad gentes,& quodam modo cogor à meis ad culturam idolorum. Et vide animum Deo addictum,qui ægrè illam persecutionem ferebat,quòd non posset cum Israele,hoc est populo Dei continuè versari,& ad domũ Dei accedere,quod in psalmis sæpe dolet.* [e] Faciens facies.] *Pro quo Chal. interpres sic vertit,etiam regnando regnabis,& prosperando proſperaberis.*

CAPVT XXVII.

ET ait Dauid in corde suo,Aliquando incidam vna die in manus Saul: nónne melius est vt fugiam, & saluer in terra Philisthinorum,[a] & desperet Saul,cesserq; me quærere in cunctis finibus Israel? fugiam ergo manus eius. Et surrexit Dauid,& abijt ipse, & sexcenti viri cum eo, [b] ad Achis filium Maoch regem Geth. Et habitauit Dauid cum Achis in Geth,ipse & viri eius, vir † quisque cum familia sua, Dauid & duæ vxores eius, Achinoam Iezrahelitis, & Abigáil vxor Nabal Carmeli. Et nuntiatum est Saul quòd fugisset Dauid in Geth,& non addidit vltra quærere eum. Dixit autem Dauid ad Achis, Si inueni gratiam in oculis tuis,detur mihi locus in vna vrbium regionis huius,vt habitem ibi: cur enim manet seruus tuus in ciuitate regis tecum? Dedit itaq; ei Achis in die illa Siceleg: propter quam causam facta est Siceleg regum Iuda,vsque in diem hanc. Fuit autem numerus dierum quibus habitauit Dauid in regione Philisthinorũ,[c] quatuor mensium † & aliquot dierum. Et ascẽdit Dauid,& viri eius,& agebant prædas de Gessuri, & de Gerzi,& de Amalechitis: hi enim † habitabantur in terra antiquitus,euntibus Sur vsque ad terram Ægypti. Et percutiebat Dauid omnem terram,nec relinquebat viuentem virum & mulierẽ: tollensq; oues, & boues,& asinos,& camelos,& vestes,reuertebatur,& veniebat ad Achis. Dicebat autem ei Achis,In quem irruisti hodie? Respondebat Dauid,[d] Contra meridiem Iudæ,& contra meridiem Ierameel, & contra meridiem Ceni: virum & mulierem non viuificabat Dauid,nec adducebat in Geth,dicens,Ne fortè loquantur aduersùm nos. Hæc fecit Dauid: & hoc erat decretum illi omnibus diebus quibus habitauit in regione Philisthinorũ. Credidit ergo Achis Dauid, dicens, Multa mala operatus est contra populum suum Israel: erit igitur mihi seruus sempiternus.

SCHOLIA.

[a] Vt desperet Saul.] *Hoc est,omnem spem deponat,neque iã amplius cogitet,quo pacto me persequatur,aut assequatur.* [b] Ad Achis.] *Quærunt hic Hebræi,quomodo Dauid ausus fuerit fugere ad Achis, cum prius vix euaserit manus eius. Respondent,quòd nuntium miserit ad Achis,& indicauerit illi,quomodo à suis persecutionem pateretur, & nullibi locum tutus esset,et præterea secum haberet sexcentos expeditos milites,quibus si opus haberet, posset præliari bella eius cõtra quoscunque hostes,modo se & suos in pace reciperet, & hanc conditionem rex Achis facile accepit, atque cum Dauid fœdus iniit.* [c] Quatuor mensium & aliquot dierum.] *In Hebræo est,dies,& quatuor menses, vnde quidam per dies intelligunt annum iuxta proprietatem Heb. sermonis, Alij verò capiunt hic,dies simpliciter pro aliquot vltra menses diebus, & aiunt Dauid per integrum annum illic non mansisse,id quod hinc patet, quòd Dauid secesserit ad Achis post mortem Samuelis,præcesserit autem mors Samuelis interitum Saul septem dũtaxat mensibus.* [d] Contra meridiem Iudæ.] *Existimabat Achis huiusce modi prædas afferri de regno Saulis,iccircò sic respondebat Dauid,vt & verum diceret,& rex non intelligeret,neque tamen idem rex vlla in parte lædretur. Excurrebat quidem Dauid ad meridiem Iuda, sed gentes, quæ ex ea parte adhuc hæreditatem tribus Iuda possidebant,deuastabat. Id autem nesciebat rex, nec aliquis hoc illi renũtiare poterat, quandoquidem nullum illorum capiebat,sed omnes occidebat.*

CAPVT XXVIII.

FActum est autem in diebus illis, congregauerunt Philisthijm agmina sua, vt præpararentur ad bellum contra Israel: dixitque Achis ad Dauid, Sciens nunc scito quòd mecum egredieris in castris tu & viri tui. Dixitque Dauid ad Achis, Nunc scies quę facturus est seruus tuus. Et ait Achis ad Dauid, Et ego custodem capitis mei ponam te cunctis diebus. Samuel autem mortuus est, planxitq; eum omnis Israel, & sepelierunt eum in Ramatha vrbe sua. Et Saul abstulit magos & ariolos de terra. Congregatiq; sunt Philisthijm,& venerunt,& castrametati sunt in Sunam: congregauit autem & Saul vniuersum Israel, & venit in Gelboe. Et vidit Saul castra Philisthijm,& timuit,& expauit cor eius nimis. Consuluitque Dominum, & nõ respondit ei [a] neq; per somnia, neque per sacerdotes, neq; per prophetas. Dixitque Saul seruis suis, Quærite mihi mulierem habentem pythonem & vadam ad eam,& scisitabor per illam. Et dixerunt serui eius ad eũ, Est mulier pythonem habens,in Endor. Mutauit ergo habitum suum,vestitusq; est alijs vestimentis,& abijt ipse,& duo viri cum eo,veneruntq; ad mulierem nocte, & ait illi, Diuina mihi in pythone, & suscita mihi quem dixero tibi. Et ait mulier ad eum, Ecce tu nosti quãta fecerit Saul, & quomodo eraserit † pythonissas, & ariolos de terra: quare ergo insidiaris animæ meæ,vt occidar? Et iurauit ei Saul in Domino, dicens, Viuit Dominus, quòd non eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem. Dixitq; ei mulier, Quem suscitabo tibi? Qui ait, Samuelem mihi suscita. Cum autẽ vidisset mulier Samuelẽ, exclamauit voce magna, & dixit ad Saul, Quare imposuisti mihi? [b] tu es enim Saul. Dixitq; ei rex, Noli timere: quid vidisti? Et ait mulier ad Saul, [c] Deos vidi ascendentes de terra. Dixitq; ei, Qualis est forma eius? Quæ ait, Vir senex ascendit, & ipse amictus

Supra. 25. a

amictus est pallio. Et intellexit Saul quòd Samuel esset,& inclinauit se super faciem suam in terra, & adorauit. Dixit autẽ Samuel ad Saul,[d] Quare inquietasti me,vt suscitarer? Et ait Saul, Coarctor nimis: siquidẽ Philisthijm pugnãt aduersum me,& Deus recessit á me,& exaudire me noluit, neq; in manu prophetarum, neq; per somnia: vocaui ergo te,vt ostẽderes mihi quid faciã. Et ait Samuel, Quid interrogas me, cũ Dominus recesserit à te,& trãsierit ad æmulum tuum? Faciet enim tibi Dñs sicut locutus est in manu mea, & scinder regnum tuũ de manu tua,& dabit illud proximo tuo Dauid: quia non obedisti voci Dñi, neq; fecisti irã furoris eius in Amalec: iccircò quod pateris,fecit tibi Dñs hodie,& dabit Dominus etiã Israel tecũ in manus Philisthijm: cras autẽ tu & filij tui [e] mecum eritis,sed & castra Israel tradet Dominus in manus Philisthijm. Statimq; Saul cecidit porrectus in terrã: extimuerat enim valde verba Samuelis, & robur non erat in eo, quia nõ comederat panẽ tota die illa. Ingressa est itaq; mulier illa ad Saul,& vidit (cõturbatus enim erat valde) dixitq; ad eũ, Ecce obediuit ancilla tua voci tuæ, & posui animã meam in manu mea: & audiui sermones tuos quos locutus es ad me. Nunc igitur audi & tu vocẽ ancillæ tuæ,& ponã coràm te bucellã panis, vt comedens conualescas,& possis iter agere. Qui renuit,& ait, Non comedã. Coegerunt autẽ eum serui sui & mulier, & tandem audita voce eorũ surrexit de terra, & sedit super lectum. Mulier autem illa habebat vitulum † pinguem in domo,& festinauit,& occidit eum: tollensq; farinam, miscuit eam, & coxit azyma, & posuit ante Saul,& ante seruos eius. Qui cum comedissent,surrexerunt & ambulauerunt per † noctem illam.

Ecclc. 46. d

Supra. 15. f

SCHOLIA.

[a] Neque per somnia.] *Hoc est,per somniatores,siue diuinos,qui per somnia quærebant responsa. Et quod sequitur: neque per sacerdotes, vel, vt alius vertit,neque per Vrim,hoc est,neque per summum sacerdotem pontificalibus indutum vestimentis. Sed quomodo potuit consulere summum sacerdotem,cum is exul esset,& ageret cum Dauid? Respondent Hebræi, quòd miserit in tanta necessitate nuntios ad Dauid,& ad Abiathar summum sacerdotem, & rogauerit,vt is applicato Ephod consuleret Dominum,quid facto opus esset.* [b] Tu es enim Saul.] *Aliquod indicium factum est, prodeunte Samuele,quo mulier agnouit hunc esse Saulem.* [c] Deos vidi.] *Quod alius vertit,angelos Domini.* [d] Quare inquietasti me.] *Reuocans me scilicet à requie mea ad hæc negocia. Alij sic exponunt, quare terruisti me? nam putabam instare diem iudicij diuini,cum suscitares me à requie mea.* [e] Mecum eritis.] *Hoc est,in alio sæculo,mortui scilicet. Quidam tamen intelligunt,in thalamo iustorum. Interficieris (inquit) quidem tu & filij tui,propter grande illud peccatum,quod commisisti, occidendo sacerdotes Domini,sed peccatum illud expiabitur per obedientiam tuam, quando pro populo Dei pugnam non recusas. Scribunt hic Iudei multa de hac Samuelis apparitione,sed non satis inter eos conuenit: Verum omnes Hebræorum Rabini in hoc consentiunt,opus Pythonum præter præstigium, vanitatem,mendacium, & deceptionem aliud nihil esse. In hoc tamen loco inter se dissentiunt,nam sunt qui hæc omnia mulieris putant esse arte conficta, quæ ex certis cõiecturis sic deluserit Saulem. Alij autem putant,hanc veram fuisse visionem,non quidem mulieris arte,sed Dei virtute apparentem, vnde & mulier ipsa,cum præter solitum morem miranda videret,stupefacta,cœpit magna voce clamare.*

CAPVT XXIX.

COngregata sunt ergo Philisthijm vniuersa agmina in Aphec: sed & Israel castrametatus est super fontem, qui erat in Iezrael. Et satrapæ quidem Philisthijm incedebant in cẽturijs & millibus: Dauid autẽ & viri eius erant in nouissimo agmine cum Achis. Dixeruntque principes Philisthijm, Quid sibi volunt Hebræi isti? Et ait Achis ad principes Philisthijm, Nunquid ignoratis Dauid, qui fuit seruus Saul regis Israel, & est apud me multis [a] diebus † & annis? & non inueni in eo quicquam, ex die qua transfugit ad me, vsque ad diem hanc? Irati sunt autem aduersus eum principes Philisthijm, & dixerũt ei. Reuertatur vir, & sedeat in loco suo, in quo constituisti eum: & nõ descendat nobiscũ in prælium, ne fiat nobis aduersarius, cum præliari cœperimus: quomodo enim aliter poterit placare Dominum suum, nisi in capitibus nostris? Nonne iste est Dauid cui cantabant in choris, dicentes, Percussit Saul in millibus suis, & Dauid in decẽ millibus suis? Vocauit ergo Achis Dauid,& ait ei, Viuit Dominus, quòd rectus es tu, & bonus in conspectu meo,† egrediens & ingrediens apud me cum exercitu: & non inueni in te quicquam mali ex die qua venisti ad me, vsq; in diem hanc, sed satrapis non places. Reuertere ergo, & vade in pace, & non offendes oculos satraparum Philisthijm. Dixitq; Dauid ad Achis, Quid enim feci, & quid inuenisti in me seruo tuo á die qua fui in conspectu tuo vsq; in diem hanc, vt non veniam, [b] & pugnem cõtra inimicos domini mei regis? Respondẽs autem Achis, locutus est ad Dauid, Scio quòd bonus es tu in oculis meis, sicut angelus Dei, sed principes Philisthinorum dixerunt, Nõ ascendet nobiscũ in prælium. Igitur cõsurge manè, tu et serui Domini tui, qui venerunt tecũ: & cum † manè surrexeritis, & cœperit diluceſcere, pergite. Surrexit itaq; de nocte Dauid ipse & viri eius, vt proficiscerẽtur, † & reuerterẽtur ad terrã Philisthijm: Philisthijm aũt ascẽderũt in Iezrael.

1. Par. 12. d

Supra. 8. b

SCHOLIA.

[a] Diebus & annis.] *Quomodo dicit,quòd aliquot annis secum fuerit, qui solum quatuor mensibus apud eum fuit, & aliquot diebus? Respondent Hebræi,quòd per illos quatuor menses adeo bene eius integritatem explorauerit, ac si tot annis secum commoratus fuisset.* [b] Et pugnem contra inimicos domini mei regis.] *Sed nunquid ex animo Dauid voluit pugnare contra populum suum Israel? Respondent quidã,quòd quidẽ tenebatur eĩ Achis domino suo, in cuius ditione cum suis morabatur,egredi,sed interim poterat suis magis prodesse,quàm obesse,infatuando scilicet consilia Philisthæorum, & in periculis monendo Israelitas,id quod satrapæ Philisthæorum facilè aduertere potuerunt.*

CAPVT XXX.

CVmq; venissent Dauid,& viri eius in Siceleg die tertia, Amalechitæ impetum fecerant ex parte australi in Siceleg,& percusserant Siceleg, & succenderant eam igni. Et captiuas duxerant mulieres ex ea à minimo vsque ad magnum: & non interfecerant quenquam, sed secum duxerant, & pergebant itinere suo. Cum ergo venisset Dauid & viri eius ad ciuitatem,& inuenissent eam succensam igni, & vxores suas,

suas,& filios suos,& filias: ductas esse captiuas, leuauerunt Dauid & populus, qui erat cum eò, voces suas, & planxerunt donec deficerent in eis lacrymæ. Siquidem & duæ vxores Dauid captiuæ ductæ fuerant, Achinoam Iezraelitis, & Abigáil vxor Nabal Carmeli. Et contristatus est Dauid valde: volebat enim eum populus lapidare, quia amara erat anima vniuscuiusque viri super filijs suis, & filiabus: confortatus est autem Dauid in Domino Deo suo. Et ait ad Abiathar sacerdotem filium Achimélech, Applica ad me Ephod. Et applicauit Abiathar Ephod ad Dauid, & consuluit Dauid Dominum, dicens, Persequar latrunculos hos, & comprehendam eos, an non? Dixitque ei Dominus, Persequere: absque dubio enim comprehendes eos,& excuties prædam. Abijt ergo Dauid ipse, & sexcenti viri qui erant cum eo: & venerunt vsque ad torrentem Besor: & lassi quidam substiterunt. Persecutus est autem Dauid ipse & quadringenti viri: substiterant enim ducenti, qui lassi transire non poterant torrentem Besor. Et inuenerunt virum Ægyptium in agro, & adduxerunt eum ad Dauid: dederuntque ei panem, vt comederet, & biberet aquam, sed & fragmen massæ caricarum, & duas ligaturas vuæ passæ. Quæ cum comedisset, reuersus est spiritus eius,& refocillatus est: non enim comederat panem, neque biberat aquam tribus diebus, & tribus noctibus. Dixitq; itaque ei Dauid, Cuius es tu? vel vnde? Qui ait, Puer Ægyptius ego sum, seruus viri Amalechitæ: dereliquit autem me dominus meus, quia ægrotare cœpi nudiustertius. Siquidem nos erupimus ad australem plagam Cerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg succendimus igni. Dixitq; ei Dauid, Potes me ducere ad cuneum istum? Qui ait, Iura mihi per Deum, quòd non occidas me, & non tradas me in manus domini mei, & ego ducam te ad cuneum istum. Qui cum duxisset eum, ecce illi discumbebant super faciem vniuersæ terræ comedentes & bibentes, & quasi festum celebrantes diem, pro cuncta præda, & spoljs, quæ cœperant de terra Philisthijm, & de terra Iuda. Et percussit eos Dauid à [a] vespera vsque ad vesperam alterius diei, & non euasit ex eis quisquam, nisi quadringenti viri adolescentes, qui ascenderant camelos, & fugerant. Eruit ergo Dauid omnia, quæ tulerant Amalechitæ, & duas vxores suas eruit. Nec defuit quicquam à paruo vsque ad magnum, tam de filijs quàm de filiabus, & de spolijs: & quæcunque rapuerant, omnia reduxit Dauid. Et tulit vniuersos greges & armenta, [b] & † duxerunt ante gregem ipsum: dixeruntque, Hæc est præda Dauid. Venit autem Dauid ad ducentos viros, qui lassi substiterant, nec sequi poterant Dauid, & residere eos iusserat in torrente Besor: qui egressi sunt obuiam Dauid, & populo qui erat cum eo. Accedens autem Dauid ad populum, salutauit eos pacificè. Respondensq; omnis vir pessimus, & iniquus de viris qui ierant cum Dauid, dixit, Quia non venerunt nobiscum, non dabimus eis quicquam de præda quam eruimus: sed sufficiat vnicuique vxor sua, & filij, quos cum acceperint, recedant. Dixit autem Dauid, Non sic facietis fratres mei de his, quæ tradidit nobis Dominus, & custodiuit nos, & dedit latrunculos, qui eruperant aduersum nos, in manus nostras, nec audiet vos quisquam super sermone hoc, æqua enim pars erit descendentis ad prelium, & remanentis ad sarcinas, & similiter diuident. Et factum est hoc ex die illa & deinceps constitutum & præfinitum: & quasi lex in Israel vsque in diem hanc. Venit ergo Dauid in Siceleg, & misit dona de præda senioribus Iuda proximis suis, dicens, Accipite benedictionē de præda hostium Domini. His qui erant in Bethel, & qui in Ramoth ad meridiem: & qui in Gether, & qui in Aroer, & qui in Sephamoth, & qui in Esthamo, & qui in Rachal, & qui in vrbibus Ierameel, & qui in vrbibus Ceni, & qui in Harama, & qui in lacu Asan, & qui in Athach, & qui in Hebron: & reliquis qui erāt in his locis in quibus commoratus fuerat Dauid ipse & viri eius.

SCHOLIA.

[a] Vespera vsque ad vesperam.] *Exponunt quidam vesperam pro crepusculo matutino, quando illos cœpit cædere, duravitq; cædes illa vsq; ad vesperam eiusdem diei, & quando additur, alterius diei, hoc referendum putant ad initium persecutionis, nam circa vesperam incœpit persequi eos, & tota nocte insecutus, manè inuenit eos effusos super terram.* [b] Et duxerunt ante gregem ipsum.] *Quidam Heb. putant hunc esse sensum, duxerunt ea pecora, quæ erant omnibus communia, ante alium gregem, quem ipsius Dauid, veluti singulare munus, esse volebant. Alij sic exponunt. Duxerūt ante pecora sua, quæ Amalechitæ abduxerant, alium gregem pecorum, quem sustulerant de terra Amalechitarum.*

CAPVT XXXI.

1.Par.20,a

PHilisthijm autem pugnabant aduersum Israel: & fugerunt viri Israel ante faciem Philisthijm, & cecide- A
runt interfecti in monte Gelbóe. Irruerunt; Philisthijm in Saul & in filios eius, & percusserunt Ionathan & Abinadab & Melchisua filios Saul, totumq; pōdus prælij versum est in Saul: & cōsecuti sunt eū viri sagittarij, & † timuit veheméter à sagittarijs. Dixitq; Saul ad armigerū suū, Euagina gladium tuū, & percute me: ne fortè veniāt incircūcisi isti, & interficiant me illudētes mihi. Et noluit armiger eius: fuerat enim B
nimio terrore perterritus: Arripuit itaq; Saul gladiū suū, & irruit super eū. Quod cū vidisset armiger eius, videlicet ꝙ mortuus esset Saul, irruit etiam ipse super gladiū suū, & mortuus est cū eo. Mortuus est ergo Saul, & tres filij eius, & armiger illius, & vniuersi viri eius in die illa pariter. Videtes autē viri Israel qui erāt trans vallem & trans Iordanē, ꝙ fugissent viri Israelitæ, & ꝙ mortuus esset Saul, & filij eius, reliquerunt ciuitates suas, C
& fugerunt: veneruntq; Philisthijm, & habitauerunt ibi. Facta autem die altera, venerunt Philisthijm, vt expoliarent interfectos, & inuenerūt Saul & tres filios eius iacentes in mōte Gelbóe. Et preciderunt caput Saul, & expoliauerunt eum armis: & miserunt in terram Philisthinorum per circuitum, vt annuntiaretur in templo idolorum, & in populis. Et posuerunt arma eius in templo Astaroth, corpus verò eius suspenderunt in D
muro Bethsan. Quod cum audissent habitatores Iabes Galaad, quæcunque fecerant Philisthijm Saul, surrexerunt omnes viri fortissimi, & ambulauerunt tota nocte, & tulerunt cadauer Saul, & cadauera filiorū eius de muro Bethsan: veneruntq; Iabes Galaad, & [a] combusserunt ea igni: & tulerunt ossa eorum, & sepelierūt in nemore Iabes, & ieiunauerunt septem diebus.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Combusserunt ea.] *Quidam intelligunt per hanc combustionem, aromaticam perfusionem, sicut & Ioseph pærens suum in Ægypto aromatibus condiuisse scribitur. Alij uerò dicunt, quòd carnem corporis, quæ iam uermibus scatere cœpit, combusserint, indignum rati, quòd rex cum uermibus sepulturæ traderetur, ossa uerò more regio decenter sepeliuerunt. Cæterum habitatores Tabes humanitatem istam præ cæteris Hebræis exhibuerunt regi Saul, quòd illius clementiam superioribus annis sensissent, quando rex Nahas in terram eorum hostili animo irruens, singulis dextrum uoluit effodere oculum. Historia supra cap. xi. scribitur.*

FINIS.

LIBER SECVNDVS SAMVELIS, QVEM NOS SECVNDVM REGVM DICIMVS.

CAPVT I.

A

ACTVM Est autem postquā mortuus est Saul, vt Dauid reuerteretur à cæde Amalech, & maneret in Siceleg duos dies. In die autem tertia apparuit homo veniēs de castris Saul veste conscissa, & puluere conspersus caput: & vt venit ad Dauid, cecidit super faciem suam, & adorauit. Dixitq; ad eum Dauid, vnde venis? Qui ait ad eum, de castris Israel fugi. Et dixit ad eum Dauid, Quod est verbum, quod factum est? indica mihi. Qui ait, Fugit populus ex prælio, & multi corruentes è populo mortui sunt, sed & Saul & Ionathas filius eius interierunt. Dixitq; Dauid ad adolescentem qui nuntiabat ei, Vnde scis ꝙ
B mortuus est Saul & Ionathas filius eius? Et ait adolescens qui nuntiabat ei, Casu veni in montem Gelbóe, & Saul incumbebat super hastam suam: porrò currus & equites appropinquabant ei, & conuersus post tergum suū, vidensq; me vocauit. Cui cū respondissem, Adsum: dixit mihi, Quisnam es tu? Et aio ad eū, Amalechites ego sum. Et locutus est mihi, Sta super me, & interfice me: quoniam tenent me angustiæ, & adhuc tota anima mea in me est. Stansq; super eum, occidi illum: sciebam enim ꝙ viuere non poterat [a] post ruinam: & tuli diadema quod erat in capite eius, & armillam de brachio illius, & attuli ad te dominum meū huc. Appre
hendēs autē Dauid vestimēta sua scidit, omnesq; viri qui erant cū eo, & plāxerūt, & fleuerūt, & ieiunauerunt vsq; ad vesperā super Saul, & super Ionathan filiū eius, & super populū Dñi, & super domum Israel, eò ꝙ corruissent gladio. Dixitq; Dauid ad iuuenē qui nuntiauerat ei, Vnde es tu? Qui respōdit, Filius hominis aduenæ
C Amalechitę ego sum. Et ait ad eum Dauid, Quare non timuisti mittere manum tuam, vt occideres Christum Pſal.104.
Domini? Vocansque Dauid vnum de pueris suis, ait, Accedens irrue in eum. Qui percussit illum, & mortuus est. Et ait ad eum Dauid, Sanguis tuus super caput tuum: os enim tuum locutum est aduersum te, dicens, Ego interfeci Christum Domini. Planxit autē Dauid planctum huiuscemodi super Saul, & super Ionathan filium eius: & præcepit [b] vt docerent filios Iuda arcum, sicut scriptum est in libro † rectissimi. Et ait,
†[c] O nobilis Israel, in excelsis tuis vulneratus, quomodo ceciderunt fortes? Nolite annuntiare in Geth, neq; annuntietis in compitis Ascalonis: ne fortè lętentur filiæ Philisthijm, ne exultēt filiæ incircuncisorum. Mon
D tes Gelbóe, nec ros, nec pluuia veniant super vos, [d] neq; sint agri † oblationum: quia ibi abiectus est clypeus fortium, clypeus Saul [e] quasi non esset vnctus oleo. † Propter sanguinem interfectorum, & adipem fortium sagitta Ionathæ [f] nunquam redijt retrorsum, & gladius Saul non est reuersus inanis. Saul & Ionathas amabiles, & decori valde in vita sua, in morte quoque non sunt diuisi: aquilis velociores, leonibus fortiores. Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino in delicijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro. Quo modo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est. Doleo super te frater mi Ionatha, † gratissimus enim mihi fuisti: mirabilis factus est mihi tui amor, [g] super amorem mulierum. Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

SCHOLIA.

[a] Post ruinam.] *Hoc est, postquam irruerat in gladium suum. Sunt tamen apud Hebræos, qui putent hunc Amalechiten adulatorum morem mentitum fuisse, quando se dicit Saul interfecisse, cum in præcedenti capite, Vbi interitus Saul describitur, huius Amalechitæ non fiat mentio.* [b] Vt docerent filios Iuda arcum.] *Hæc verba non pertinent ad lamentationem Dauid: sed cum mortui essent tam præclari viri in prælio illo, monet suos, Vt arma bellica, inter quæ præcipuū locum tunc arcus tenebat, desperati non deponerent, sed magis filios suos militiam docerent, præsertim cum liber legis Mosaicæ id ipsum multis locis doceat, sicut dicitur Gene. 49. Erit manus tua in cervice hostium tuorum. Per librum igitur rectissimi, Hebræi docent intelligendam Gene. quæ est liber Abraham, Isahac, & Iacob, rectissimorum virorum, qui verbo & opere docuerunt, contra impios & infideles homines sumenda arma.* [c] O nobilis Israel.] *Hic incipit lamentatio Dauid, intelligiturq; per nobilem vel inclytum Israel, terra Israel desyderabilis, ad quam Dauid dirigit vocem suam.*

 [d] Neque

[d] Neque sint agri oblationum.] *Alius vertit, neque super agros oblationum: hoc est, etiamsi in monte illo sint agri fertiles, de quibus decimæ & aliæ leuationes hactenus obuenerunt ministris Domini, deinceps careant benedictione illa cœlesti, propter miserabilem cladem, quæ illic contigit.* [e] Quasi non esset vnctus oleo.] *Hoc dicitur, quòd olim in bellis, clypei pinguedine inungebantur, vt nitida clypei superficies non facilè iacula, & ictus armorum quosque susciperet.* [f] Nunquam rediit retrorsum.] *Sensus est: quomodo hi fortissimi viri ceciderunt, cum arcus Ionathæ nunquam elanguerit, nec gladius Saul vnquam vacuus è prælio redierit?* [g] Super amorem mulierum.] *Quæ arctius diligere consueuerunt.*

CAPVT II.

IGitur post hæc consuluit Dauid Dominum, dicens, Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait A
Dominus ad eum, Ascende. Dixitque Dauid, Quò ascendam? Et respondit ei, In Hebron. Ascendit ergo
Dauid, & duæ vxores eius Achinoam Iezraelitis, & Abigáil vxor Nabal Carmeli: sed & viros, qui erant
cum eo, duxit Dauid singulos cum domo sua: & manserunt in oppidis Hebron. Veneruntq; viri Iuda, &
1. Mac. 2. f vnxerunt ibi Dauid, vt regnaret super domum Iuda. Et nuntiatum est Dauid quòd viri Iabes Galaad sepelis-
1. Re. 31. b sent Saul. Misit ergo Dauid nuntios ad viros Iabes Galaad, dixitq; ad eos, Benedicti vos à Domino, qui feci-
stis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Do- B
minus misericordiam & veritatem: sed & ego reddam gratiam, eò quòd fecistis verbum istud. Conforten-
tur manus vestræ, & estote filij fortitudinis: licet enim mortuus sit dominus vester Saul, tamen me vnxit do
mus Iuda in regem sibi. Abner autem filius Ner princeps exercitus Saul, tulit Isbóseth filium Saul, & cir-
cunduxit eum per castra: regemq; constituit super Galaad, & super Assuri, & super Iezrahel, & super Ephrá-
im, & super Beniamin, & [a] super Israel vniuersum. Quadraginta annorum erat Isbóseth filius Saul, cum re-
gnare cœpisset super Israel, & duobus annis regnauit: sola autem domus Iuda sequebatur Dauid. Et fuit nu- C
merus dierum, quos commoratus est Dauid, imperans in Hebron super domum Iuda, septem annorum,
& sex mensium. Egressusque est Abner filius Ner, & pueri Isbóseth filij Saul de castris in Gabaon. Porrò
Ioab filius Saruiæ, & pueri Dauid egressi sunt, & [b] occurrerunt eis iuxta piscinam Gabaon. Et cum in vnũ
conuenissent, è regione sederunt, hi in vna parte piscinæ, & illi ex altera. Dixitque Abner ad Ioab, Surgant
pueri, & ludant coràm nobis. Et respondit Ioab, Surgant. Surrexerunt ergo, & transierunt numero duo-
decim de Beniamin, ex parte Isbóseth filij Saul, & duodecim de pueris Dauid. Apprehensoq; vnusquisque D
capite comparis sui, defixit gladium in latus contrarij, & ceciderunt simul: vocatumq; est nomen loci il-
lius, Ager robustorum, in Gabaon. Et ortum est bellum durum satis in die illa: fugatusq; est Abner & viri
Israel à pueris Dauid. Erant autem ibi tres filij Saruiæ, Ioab, & Abisai, & Asael: porrò Asael cursor ve-
locissimus fuit, quasi vnus de capreis, quæ morantur in syluis. Persequebatur autem Asael Abner, & non de
clinauit ad dexteram neque ad sinistram omittens persequi Abner. Respexit itaq; Abner post tergum suũ,
& ait, Tu ne es Asael? Qui respondit, Ego sum. Dixitq; ei Abner, Vade ad dexteram, siue ad sinistram, & [c] ap- E
prehende vnum de adolescentibus, & tolle tibi spolia eius. Noluit autem Asael omittere quin vrgeret eum.
Rursumq; locutus est Abner ad Asael, Recede, & noli me sequi, ne fortè compellar confodere te in terram,
& leuare non potero faciem meam ad Ioab fratrem tuum. Qui audire contempsit, & noluit declinare: Per-
cussit ergo eum Abner [d] auersa hasta † in quinta costa, & transfodit, & mortuus est in eodẽ loco: Omnesq;
qui transibant per locum in quo ceciderat Asael, & mortuus erat, subsistebant. Persequentibus autẽ Ioab
& Abisai fugientem Abner, sol occubuit: & venerunt vsq; ad collem † Amma, qui est ex aduerso vallis, iti- F
neris deserti in Gabaon. Congregatiq; sunt filij Beniamin ad Abner: & conglobati in vnum cuneum, stete-
runt in summitate tumuli vnius. Et exclamauit Abner ad Ioab, & ait, † Nunquid in æternum desæuiet gla-
dius? an nescis quòd [e] amaritudo erit in nouissimo? vsquequo non dices populo, vt omittat persequi fratres
suos? Et ait Ioab, Viuit Dominus, [f] † nisi locutus fuisses, certè ab ineunte die recessisset populus persequens
fratrem suum. Insonuit ergo Ioab buccina, & stetit omnis exercitus, nec persecuti sunt vltra Israel, neque
† adiecit amplius pugnare. Abner autem & viri eius abierunt per campestria, tota nocte illa: & transierunt G
Iordanem, & lustrata omni Beth horon, venerunt ad castra. Porrò Ioab reuersus omisso Abner, congregauit
omnem populum: & defuerunt de pueris Dauid decem & nouem viri, excepto Asaele. Serui autem Dauid,
percusserunt de Beniamin, & de viris qui erant cum Abner trecentos sexaginta viros, qui & mortui sunt. Tu
leruntq; Asael, & sepelierunt eum in sepulchro patris sui in Bethlehem: & ambulauerunt tota nocte Ioab, &
viri, qui erant cum eo & in ipso crepusculo, peruenerunt in Hebron.

SCHOLIA.

[a] Super Israel vniuersum.] *Nominantur hic vndecim tribus, regum Israel, & sola tribus Iudæ vocatur regnũ Iuda & Dauidicum, sicut & post mortem Salomonis vniuersum regnũ Iudæorum iterum in illa duo scissum fuit regna, nisi quòd regno Iuda adhuc vna accessit tribus, nempe Beniamitica.* [b] Occurrerunt eis.] *Venit Ioab hostili animo contra Abner, sed videns illum fortiorem se esse, noluit inchoare pugnam, donec Abner dixit, surgant pueri & ludant, capitur autem hic ludere, pro dimicare gladijs, id quod rei euentus docet.* [c] Apprehende vnum de adolescentibus.] *Sensus est: redi iterũ ad tuos, nos enim parcimus tibi, & nolumus te occidere, quanquam in medio nostri sis. Et si times, tolle tecum vnum ex pueris nostris, qui te ducat. Et, si illum quoq; times, accipe arma eius ab eo.* [d] Auersa hasta.] *Quod alius vertit: cum posteriori parte hastæ. Quia enim Abner aciem hastæ non vertit contra insequentem Asael, ille facilè interfici potuit, præsertim stimulo posteriori, cuius ictus subter quintam costam locum epatis læsit.* [e] Amaritudo erit in nouissimo.] *Sensus est: nisi à principio paci studuerimus, ita dissensio illa incrementa suscipiet, vt tandem res ipsa vtrinque in meram amaritudinem, & summam calamitatem sit abitura.* [f] Nisi locutus fuisses.] *Hoc est, tu tragœdiæ huic occasionem præbuisti: si enim nõ dixisses, surgant pueri & ludant coràm nobis, à prima diei luce quisque desijsset persequi fratrem suum.*

CAPVT III.

A FActa est ergo longa concertatio inter domum Dauid, & inter domum Saulis: Dauid proficiẽs & sem-
per se ipso robustior, domus autem Saul decrescens quotidie. Natiq; sunt sex filij Dauid in Hebron:
fuitq; primogenitus eius Amnon de Achinoam Iezrahelitide. Et post eum. [a] Cheleab de Abigáil vxo
re Nabal Carmeli. Porrò tertius Absalom [b] filius Maacha filię Tholmai regis Gessur. Quartus autẽ Ado-
nias, filius Haggith: & Quintus Saphatia, filius Abital. Sextus quoque Iethraam de Egla vxore Dauid: hi 1. Para. 3. a
nati sunt Dauid in Hebron. Cum ergo esset pręlium inter domum Saul & domum Dauid, Abner filius Ner
regebat domum Saul. Fuerat autem Sauli concubina nomine Respha, filia Aaia. Dixitque Isbóseth ad Ab-
B ner, Quare ingressus es ad concubinam patris mei? Qui iratus nimis propter verba Isbóseth, ait, Nunquid
[c] caput canis ego sum aduersum Iudam hodie, qui fecerim misericordiam super domum Saul patris tui, &
super fratres & proximos eius, & non tradidi te in manus Dauid, † & imponis mihi iniquitatem mulieris
huius hodie? Hæc faciat Deus Abner, & hæc addat ei, nisi quomodo iurauit Dominus Dauid, sic faciam cũ
eo, vt transferatur regnum de domo Saul, & eleuetur thronus Dauid super Israel, & super Iudam, à Dan vsq;
Bersabee. Et non potuit respondere ei quicquam: quia metuebat illum. Misit ergo Abner nuntios ad Da-
uid pro se dicentes, Cuius est terra? Et vt loquerentur, Fac mecum amicitias, & erit manus mea tecum, & re-
C ducam ad te vniuersum Israel. Qui ait, Optimè: ego faciam tecum amicitias: sed vnam rem peto à te, dicens,
Non videbis faciem meam antequam adduxeris mihi Michol filiam Saul: & sic venies, & videbis me. Misit
autẽ Dauid nuntios ad Isbóseth filium Saul, dicens, Redde vxorem meam Michol, quam despondi mihi cẽ-
tum præputijs Philisthijm. Misit ergo Isbóseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel, filio Lais. Sequebaturq; eam 1. Re. 18. g
vir suus, plorans vsq; Bahurim: & dixit ad eum Abner, Vade, & reuertere. Qui reuersus est. Sermonem quo-
que intulit Abner ad seniores Israel, dicens, Tam heri quam nudiustertius quærebatis Dauid, vt regnaret su-
per vos, Nunc ergo facite: quoniam Dominus locutus est ad Dauid, dicens, In manu serui mei Dauid, salua-
D bo populum meum Israel de manu Philisthijm, et omnium inimicorum eius. Locutus est autem Abner etiam
ad Beniamin. Et abijt vt loqueretur ad Dauid in Hebron omnia quæ placuerant Israeli & vniuerso Benia-
min. Venitque ad Dauid in Hebron cum viginti viris: & fecit Dauid Abner, & viris eius, qui venerant cũ
eo, conuiuium. Et dixit Abner ad Dauid, Surgam: vt congregem ad te Dominũ meum regem omnẽ Israel,
& ineam tecũ fœdus, & imperes omnibus, sicut desyderat anima tua. Cum ergo deduxisset Dauid Abner: &
ille isset in pace, statim pueri Dauid & Ioab venerunt cæsis latronibus, cum præda magna nimis: Abner au-
tem non erat cum Dauid in Hebron, quia iam dimiserat eum, & profectus fuerat in pace. Et Ioab & omnis
E exercitus, qui erant cum eo, postea venerant: nuntiatum est itaque Ioab à narrantibus, Venit Abner filius
Ner ad regem, & dimisit eum, & abijt in pace. Et ingressus est Ioab ad regem, & ait, Quid fecisti? ecce venit
Abner ad te: quare dimisisti eum, & abijt & recessit? ignoras Abner filium Ner, quòd ad hoc venit vt deci-
peret te, & sciret exitum tuum & introitum tuum, & nosset omnia quæ agis? Egressus itaque Ioab à Dauid,
misit nuntios post Abner, & reduxit eum à cisterna Sira, ignorante Dauid. Cũq; redijsset Abner in Hebron,
seorsum adduxit eum Ioab ad medium portę, vt loqueretur ei in dolo: & percussit illum ibi † sub quinta co-
sta, & mortuus est in vltionem sanguinis Asael fratris eius. Quod cum audisset Dauid rem iam gestã, ait, 3. Reg. 2. a
F Mundus ego sum, & regnum meum apud Deum vsq; in sempiternum à sanguine Abner filij Ner, & veniat
super caput Ioab, & super omnem domum patris eius: nec deficiat de domo Ioab fluxum seminis sustinens,
& leprosus, & † se sustentans baculo, & cadens gladio, & indigens pane. Igitur Ioab & Abisai frater eius in-
terfecerunt Abner, eò quòd occidisset Asael fratrem eorum in Gabaon in prælio. Dixit autẽ Dauid ad Ioab,
& ad omnem populum qui erat cum eo, Scindite vestimenta vestra, & accingimini saccis, & plangite ante
exequias Abner: porrò rex Dauid sequebatur feretrum. Cumque sepelissent Abner in Hebron, leuauit rex
vocem suam, & fleuit super tumulum Abner: fleuit autem & omnis populus. Plangẽsq; rex Abner, ait, Ne-
G quaquam vt mori solent ignaui, mortuus es Abner. Manus tuæ [d] ligatæ non sunt, & pedes tui nõ sunt com-
pedibus aggrauati: sed sicut solent cadere coràm filijs iniquitatis, sic corruisti. Congeminansq; omnis popu-
lus fleuit super eum. Cumq; venisset vniuersa multitudo cibum capere cũ Dauid, clara adhuc die, iurauit
Dauid, dicens, Hæc faciat mihi Deus, & hęc addat, si ante occasum solis gustauero panẽ vel aliud quicquam.
Omnisq; populus audiuit, & placuerũt eis cũcta quæ fecit rex in cõspectu totius populi. Et cognouit omne
vulgus, & vniuersus Israel in die illa quòd non actũ fuisset à rege vt occideretur Abner filius Ner. Dixit quo-
que rex ad seruos suos, Num ignoratis quòd princeps & maximus cecidit hodie in Israel? [e] Ego autẽ adhuc de-
licatus & vnctus rex: porrò viri isti filij Saruiæ duri sunt mihi: retribuat Dominus facienti malum iuxta ma-
litiam suam.

SCHOLIA.

[a] Cheleab.] *Sonat Cheleab, quasi ipse pater, impositumque est hoc nomen huic filio, quòd suspicio apud quosdam esset, illum non Dauid, sed Nabal prioris mariti esse filium: at effigies aliud indicauit, cum patri Dauid in omnibus conformis esset.* [b] Filius Maacha.] *Fuit secundum Hebræos Maacha mulier pulchra, quam Dauid in bello captam, ad Iudaismum inuitam coegit, & ob id ex ea putant natum Absalom filium tam rebellem.* [c] Caput canis.] *Hoc est, non reputas aliud me esse, quàm præfectum canibus?* [d] Ligatæ non sunt.] *Non est mortuus Abner (inquit) sicut impij, qui propter impietatem suam occiduntur, cum manus eius nõ fuerint ligatæ, nec pedes vincti, quippe qui nihil mali suspicatus est ab æmulo suo, alioqui se manibus defendere potuisset, aut pedibus effugere.* [e] Ego autem adhuc.] *Non possum (inquit) vlcisci mortem Abner, cum adhuc in initio regni sim, quamuis hi filij Saruiæ duri mihi sint, sed in præsenti causam hanc omnem Domino commendo.*

CAPVT IIII.

AVdiuit autem filius Saul quòd cecidisset Abner in Hebron, & dissolutæ sunt manus eius, omnisque A
Israel perturbatus est. Duo autem viri principes † cohortum erant filio Saul, nomẽ vni Baana, & no-
men alteri Rechab, filij Remmon Berothitæ de filijs Beniamin: siquidem & Beroth reputata est in
Beniamin: & fugerunt Berothitæ in Gethaim, fueruntque ibi aduenæ vsque ad tempus illud. Erat autem Io-
nathæ filio Saul filius debilis pedibus: quinquẽnis enim fuit, quando venit nuntius de Saul & Ionatha ex Iez-
rahel: tollens itaq; eum nutrix sua, fugit: cumq; festinaret vt fugeret, cecidit, & claudus effectus est: habuitq; B
vocabulum Miphiboseth. Venientes igitur filij Remmon Berothitæ, Rechab & Baana, ingressi sunt feruen-
te die domum Isbòseth: qui dormiebat super stratum suum meridie. † Et venerunt ad mediũ domus, [a] quasi
triticũ accepturi, & percusserunt eũ in † quinta costa Rechab & Baana frater eius, & fugerunt. Cum † enim
ingressi fuissent domum, ille dormiebat super lectum suum in conclaui † strati sui, & percutientes interfe-
cerunt eum: sublatoq; capite eius, abierunt per viam † campestrem tota nocte, & attulerunt caput Isbòseth C
ad Dauid in Hebron. Dixeruntque ad regem, Ecce caput Isbòseth filij Saul inimici tui, qui quærebat animã
tuam: & dedit Dominus domino meo regi vltionem hodie de Saul, & de semine eius. Respondens autẽ Da-
uid Rechab, & Baana fratri eius filijs Remmon Berothitæ, dixit ad eos, Viuit Dominus qui eruit animam
meam de omni angustia: quòd eum qui annuntiauerat mihi, & dixerat, Mortuus est Saul: qui putabat se pro
Supra.1.b spera nuntiare, tenui, & occidi eum in Siceleg, † qui putabat, me mercedem daturum pro nuntio: Quantò D
magis nunc cum homines impij interfecerint virum innoxium, in domo sua, super lectum suum, non quæ-
ram sanguinem eius de manu vestra, & auferam vos de terra? Præcepit itaque Dauid pueris suis, & interfe-
cerunt eos: præcidentesq; manus & pedes eorum, suspenderunt eos super piscinam in Hebron: caput autem
Isbòseth tulerunt, & sepelierunt in sepulchro Abner in Hebron.

SCHOLIA.

[a] Quasi triticum accepturi.] *Chal. interpres sic vertit. Quasi emptores tritici ingressi sunt domum, & percusserunt eum in latere fœmoris sui. Quidam putant hunc locum sic legendum, intrauerunt cum ys, qui triticum erant accepturi.*

CAPVT V.

1.Par.11.a ET venerunt vniuersæ tribus Israel ad Dauid in Hebron, dicentes, Ecce nos os tuum, & caro tua sumus. A
Sed & heri & nudiustertius cum esset Saul rex super nos, tu eras educens & reducens Israel: dixit autem
Dominus ad te, Tu pasces populum meum Israel, & tu eris dux super Israel. Venerunt quoque & se-
niores Israel ad regem in Hebron, & percusit cum eis rex Dauid fœdus in Hebron coram Domino: vnxe-
runtq; Dauid in regem super Israel. Filius triginta annorũ erat Dauid, cum regnare cœpisset, & quadragin-
ta annis regnauit. In Hebron regnauit super Iudam septem annis, & sex mẽsibus: in Ierusalem autem
regnauit triginta tribus annis super omnem Israel & Iudam. Et abijt rex, & omnes viri qui erant cum eo, in
Ierusalem ad Iebusæum habitatorem terræ: dictumq; est Dauid ab eis, Non ingredieris huc, [a] nisi abstuleris B
cæcos & claudos: † dicebant enim, Non ingredietur Dauid huc. Cepit autem Dauid arcem Sion, hæc est ci-
uitas Dauid. Proposuerat enim Dauid in die illa præmium, qui percussisset Iebusæum, & tetigisset domatũ
fistulas & abstulisset cæcos & claudos odientes animam Dauid. † [b] Et ob id dixerunt, Cæcus & claudus non
venient in eam domum. Habitauit autem Dauid in arce, & vocauit eam, Ciuitatem Dauid: & ædificauit
per gyrum [c] à Mello & intrinsecus. Et ingrediebatur proficiens atque succrescens, & Dominus Deus exerci-
2.Par.14.a tuum erat cum eo. Misit quoque Hiram rex Tyri nũtios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices lignorũ,
artificesque lapidum ad parietes: & ædificauerunt domũ Dauid. Et cognouit Dauid quòd confirmasset eum C
Dominus regem super Israel, & quòd exaltasset regnum eius super populum suum Israel. Accepit ergo Da-
uid adhuc concubinas & vxores de Ierusalem, postquam venerat de Hebron: natiq; sunt Dauid & alij filij &
filiæ: & hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Ierusalem, Samua & Sobab & Nathan & Salomon & Iebahar
1.Para.3.b & Elisua & Nepheg & Iaphia & Elisama & Eliada & Eliphalet. Audierũt ergo Philisthijm quòd vnxissent
Dauid in regem super Israel: & ascenderunt vniuersi vt quærerent Dauid: quod cum audisset Dauid, descen-
dit in præsidium. Philisthijm autem venientes, diffusi sunt in valle Raphaim. Et cõsuluit Dauid Dominum,
dicens, Si ascendam ad Philisthijm? & si dabis eos in manu mea? Et dixit Dominus ad Dauid, Ascende, quia D
tradens dabo Philisthijm in manu tua. Venit ergo Dauid in Baalpharasim, & percussit eos ibi, & dixit, [d] Di-
Esa.28.f uisit Dominus inimicos meos coràm me, sicut diuiduntur aquæ. Propterea vocatum est nomen loci illius
Baalpharasim. Et reliquerunt ibi sculptilia sua: quæ tulit Dauid, et viri eius. Et addiderunt adhuc Philisthijm
vt ascenderent, & diffusi sunt in valle Raphaim. Consuluit autem Dauid Dominum, † Qui respondit, Non
ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum, & venies ad eos ex aduerso pyrorum. Et cum audieris [e] so-
nitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem
tuã, vt percutiat castra Philisthijm. Fecit itaq; Dauid sicut præceperat ei Dominus, & percussit Philisthijm
de Gabaa, vsq; dum venias Gezer.

SCHOLIA.

[a] Nisi abstuleris cæcos & claudos.] *Est locus iste valde obscurus. Ionathas eum sic vertit. Nisi remoueris peccato-
res & reos, qui dicunt, non ascendet Dauid huc. Alij dicunt per cæcos & claudos significari imagines quasdam, quæ oculos
habent, & non vident, pedes habent sed non ambulant, quas Iebusæi olim fecerant in memoriã fœderis, quod Abrahã iuit
cum eis, ne posteri eius, quibus hæc terra erat promissa locum illum impugnarent. Cum igitur Dauid ingredi vellet vrbem,
habitatores eius obiecerunt illi commentum illud, dicentes, non poteris ingredi nisi abstuleris imagines illas, super quas scri-
ptum est fœdus iuramenti. Tunc ait Dauid viris suis. Qui primus ascenderit, & tulerit imagines illas, erit dux. Alius sic
interpretatur. Ciuitas ista Hierosolymitana tua erit, si poteris per arma tua deuincere cæcos & claudos, hoc est, turrim, seu
fortilicium*

*fortilicium illud, in quo sunt imagines cæcæ & claudæ: sed nos scimus propugnaculum illud robustius esse, quàm vt à te su-
perari possit. Tunc ait Dauid, quicunque percusserit Iebusæũ & peruenerit ad canales, & ad cæcos & claudos, hoc est obti-
nuerit arcem illam, constituam illum ducem, sicut in Paralip. aliquanto clarius describitur hæc historia.* [b] Et ob id dixe-
runt.] *Sensus est: quod cum assecuti fuissent illud fortilicium, quod Iebusæi putabant per cæcos & claudos ab hostibus tuen-
dum (hinc enim quidam putant illud sic dictum fuisse) dicebant Dauid & viri eius irrisorie: non cæcus & claudus veniẽt
amplius in domum seu arcem istam, qui ipsam tueantur, sed viri fortes.* [c] A Mello.] *Ferũt locum fuisse muro propinquũ,
hoc est, atrium quoddam, quod multis hominibus impleri potuit. Est enim Mello, plenitudo vel impletio.* [d] Diuisit Domi-
nus.] *Alius vertit. Dissipauit Dominus hostes meos ante faciem meam, in morem inundationis aquarũ: hoc est, sicut inun-
datio aquarum etiam macerias quasq; obuias disrumpit & perdit, sic Dominus hostes meos dissipauit.* [e] Sonitũ gradien-
tis.] *Vel: cõmotionis. In Heb. est, vocem gressus, & est sensus: hoc tibi erit signum præsentiæ meæ, quãdo videris arbores cõ-
moueri & fragorem quendam illas ædere in summitatibus suis, scito angelos aduenire, qui pugnabunt contra hostes tuos.*

CAPVT VI.

A COngregauit autem rursum Dauid omnes electos ex Israel triginta millia. Surrexitq; Dauid, & abijt,
& vniuersus populus qui erat cum eo de viris Iuda, vt adducerent arcam Dei, super quam inuocatum
est nomen Domini exercituum sedentis in cherubim super eam. Et imposuerunt arcam Dei super 1.Par.13.b
plaustrum nouum: tuleruntque eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa: Oza autem & Ahio filij Abina-
dab, minabant plaustrum nouum. Cumq; tulissent eam de domo Abinadab, qui erat in Gabaa custodiens 1.Reg.7.a
arcam Dei, Ahio præcedebat arcam: Dauid autem, & omnis Israel ludebant coràm Domino in omnibus li-
gnis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & sistris, & cymbalis. Postquam autem venerũt ad aream
Nachon, extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, † quoniam [a] excusserunt se boues. Iratusque est
B indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum [b] super temeritate: qui mortuus est ibi iuxta arcam
Dei. Contristatus est autem Dauid eò quòd percussisset Dominus Ozam, & vocatum est nomen loci illius,
Percussio Ozæ: vsque in diem hanc. Et extimuit Dauid Dominum in die illa, dicens, Quomodo ingredietur
ad me arca Domini? Et noluit diuertere ad se arcam Domini in ciuitatem Dauid: sed diuertit eam in do-
mum Obededom Gethæi. Et habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus & bene-
dixit Dominus Obededom: & omnem domum eius. Nuntiatumq; est regi Dauid quòd benedixisset Do-
minus Obededom, & omnia eius propter arcam Dei. Abijt ergo Dauid, & adduxit arcã Dei de domo Obe- 1.Par.15.d
dedom, in ciuitatem Dauid cum gaudio: † cumq; progressi essent ij, qui portabãt arcam Domini [c] sex pas-
C sus, immolabant bouem, & arietem: & Dauid † saltabat totis viribus ante Dominum: porrò Dauid erat ac-
cinctus ephod lineo. Et Dauid, & omnis domus Israel ducebant arcam † Domini in iubilo, & in clangore
buccinæ. Cumq; intrasset arca Domini in ciuitatem Dauid, Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vi-
dit regem Dauid subsilientem, atque saltantem coràm Domino: & despexit eum in corde suo. Et introduxe-
runt arcam Domini, & imposuerunt eam in loco suo in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid: & ob
tulit Dauid holocausta, & pacifica coràm Domino. Cumq; complesset offerens holocaustum & pacifica, be
nedixit populo in nomine Domini exercituum. Et partitus est vniuersæ multitudini Israel tam viro quàm
mulieri singulis collyridam panis vnam, & † frustum carnis vnum, & lagenulam vnam: & abijt omnis po-
D pulus vnusquisque in domum suam. Reuersusq; est Dauid vt benediceret domui suæ: & egressa Michol
filia Saul in occursum Dauid, ait, Quàm gloriosus fuit hodie rex Israel discooperiens se ante ancillas seruorũ
suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris. Dixitque Dauid ad Michol, † Ludam ante Dominũ,
qui elegit me potius, quàm patrem tuum, & quàm omnẽ domum eius: & præcepit mihi vt essem dux super
populum Domini in Israel, & † ludam coràm Domino. Et vilior fiam plus quàm factus sum: & ero humilis
in oculis meis, & cum ancillis, de quibus locuta es, [d] gloriosior apparebo. Igitur Michol filiæ Saul nõ est na-
tus filius vsq; in diem mortis suæ.

SCHOLIA.

[a] Excusserunt se boues.] *Subduxerunt se boues à plaustro, cum arca magis leuitarum humeris, quàm plaustro porta-
ri debuerit.* [b] Super temeritate.] *Vel, propter errorem. Fuit enim peccatum erroris, quòd nut. antem arcam nude teti-
git, cum leuitis non concessum esset, nisi per vectes portare arcam.* [c] Sex passus.] *Hinc quidam putant, quòd Oza solum
sex passibus processerit, quando eum Dominus percussit, & cum hic quoque sex passibus cum arca moti fuissent, & videret
Dominum adesse, pro gratiarum actione obtulerunt sacrificia Domino priusquam longius procederẽt.* [d] Gloriosior appa-
rebo.] *Si me (inquit) humiliauero coràm Deo, non ob id ab ancillis & vxoribus seruorum meorum contemnar, sicut à te
vilipensus sum, sed magis ab illis laudabor.*

CAPVT VII.

A FActum est autem cum sedisset rex in domo sua, & Dominus dedisset ei requiem vndique ab vniuersis
inimicis suis, dixit ad Nathan prophetam, Vidésne quòd ego habitem in domo cedrina, & [a] arca Dei 1.Par.17.a
posita sit in medio † cortinarum? Dixitq; Nathan ad regem, Omne, quod est in corde tuo, vade fac,
quia Dominus tecum est. Factum est autem in illa nocte, & ecce sermo Domini ad Nathan, dicens, Vade, &
loquere ad seruum meum Dauid, Hæc dicit Dominus, Nunquid tu ædificabis mihi domum ad habitandũ?
Neque enim habitaui in domo ex die illa, qua eduxi filios Israel de terra Ægypti, vsque in diem hanc: sed
ambulabam in tabernaculo, & in tentorio, per cuncta loca quæ transiui cum omnibus filijs Israel: nunquid
loquens locutus sum ad vnam de tribubus Israel, cui præcepi vt pasceret populum meum Israel, dicens, 1.Re.16.e
Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? Et nunc hæc dices seruo meo Dauid, Hæc dicit Dominus
exercituum, Ego tuli te de pascuis sequentem greges, vt esses dux super populum meum Israel: & fui tecum
in omnibus vbicunque ambulasti, & interfeci vniuersos inimicos tuos à facie tua: fecique tibi nomen gran-

4.Reg.8.e de iuxta nomen magnorum qui sunt in terra. Et ponam locum populo meo Israel, & plantabo eum, & habitabit sub eo, & non turbabitur amplius: nec addent filij iniquitatis vt affligant eum sicut prius ex die qua B
3.Reg.5.a constitui iudices super populum meum Israel: & requiē dabo tibi ab omnibus inimicis tuis: † prædicit etiā
1.Par.22.c tibi Dominus, quòd domum faciat tibi Dominus. Cumq; completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, [b] quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. EGO ERO EI IN
Heb.1.b PATREM, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum [c] in virga virorum, & in
Psal.88. plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie tua. Et † confirmabitur domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Secundum omnia verba hæc, & iuxta vniuersam visionem istam, sic locutus est C
Nathan ad Dauid. Ingressus est autem rex Dauid, & sedit coràm Domino, & dixit, Quis ego sum Domine Deus, & quę domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum? [d] ista est enim lex Adā Domine Deus. Quid ergo addere poterit adhuc Dauid, vt loquatur ad te? tu enim scis seruum tuum Domine Deus. [e] Propter verbum tuum, & secundum cor tuum fecisti omnia magnalia hæc, † vt ea nota faceres seruo tuo. Iccircò magnificatus es Domine Deus, quia non est similis tui, neque est Deus extra te, in omnibus quæ audiuimus auribus nostris. Quæ est autem vt populus tuus Israel, gens in terra, propter quam iuit Deus vt redimeret eam sibi in populum, & poneret sibi nomen, faceretque eis magnalia, & horribilia super terram à facie populi tui, quem redemisti tibi ex Ægypto, [f] gentibus, & † iudicibus eius? Firmasti enim tibi populū tuum D
Israel in populum sempiternum: & tu Domine Deus factus es eis in Deum. Nunc ergo Domine Deus verbum, quod locutus es super seruum tuum, & super domum eius, suscita in sempiternum: & fac sicut locutus es, & magnificetur nomen tuum vsq; in sempiternum, atq; dicatur, Dominus exercituū, Deus super Israel. Et domus serui tui † erit stabilita coràm te, quia tu Domine exercituum Deus Israel reuelasti auriculam serui tui, dicens, [g] Domum ædificabo tibi: propterea inuenit seruus tuus cor suum, vt oraret te oratione hac. Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus, & verba tua erunt vera: locutus es enim ad seruum tuum bona hæc. Incipe ergo, & benedic domui serui tui, vt sit in sempiternum coràm te: quia tu Domine Deus locutus es, & benedictione tua benedicetur domus serui tui in sempiternum.

SCHOLIA.

[a] Arca Dei.] *Per arcam intelligitur quoque mensa, candelabrum, & altare incensi, quæ omnia sub cortina seruabātur.*
[b] Quod egredietur de vtero tuo.] *Patet hinc, quòd regnum Israel post Dauid non debebatur Absalom aut Adoniæ, cum illi iam nati essent.* [c] In virga virorum.] *Sicut homines (inquit) castigant filios suos, & non interficiūt eos, sic ego paterna castigatione corripiā eos: sic quod sequitur, et in plagis filiorum hominum, repetitio est eiusdem sententiæ.* [d] Ista est enim lex Adam.] *Vel: hic enim est mos hominis: Ionathas sic vertit. Talis enim est prouisio humana, vt scilicet suis in longinquum prouideant de impery stabilitate. Alius sic exponit. Hæc est dispositio magnorum hominum, qui posteris suis sic de successione in imperio prouident.* [e] Propter verbum tuum.] *Nosti (inquit) me seruum tuum, qui sim, & nihil mihi deberi, nisi quod tu locutus es de me ad Saul, & propter hoc verbum, atque etiam secundum cor tuum, hoc est, secundum piā voluntatem tuam, hæc facis.* [f] Gentibus & iudicibus eius.] *Hebraica habent, gentem cum dys eius, & capiuntur hic dy pro senioribus & iudicibus populi.* [g] Domum ædificabo tibi.] *Chal. interpres hunc locum sic vertit: regnum confirmabo tibi.*

CAPVT VIII.

1.Par.18.a FActum est autem, post hæc percussit Dauid Philisthijm, & humiliauit eos, & tulit Dauid [a] frenum tri- A
buti de manu Philisthijm. Et percussit Moab, & mensus est eos funiculo coæquans terræ: [b] mensus
est autem † duobus funibus eos, quos occidit, & vnum funē plenum conseruauit: factusque est Moab
Dauid seruiens sub tributo. Et percussit Dauid Adarézer filium Rohob regem Soba, quādo profectus est
vt † reduceret terminū suum iuxta flumen Euphráten. Et captis Dauid ex parte eius mille septingentis equi-
tibus, & viginti millibus peditum, [c] subnernauit omnes iugales curruum: dereliquit autem ex eis centū cur- B
rus. Venit quoque Syria Damasci, vt præsidium ferret Adarézer regi Soba: & percussit Dauid de Syria vi-
ginti duo millia virorum. Et posuit Dauid præsidium in Syria Damasci: factaque est Syria Dauid seruiens
sub tributo: seruauitq; Dominus Dauid in omnibus ad quæcunq; profectus est. Et tulit Dauid arma aurea,
quæ habebant serui Adarézer, & detulit ea in Ierusalem. Et de Bete, & de Beroth ciuitatibus Adarézer tulit
rex Dauid æs multum nimis. † Audiuit autem Thou rex Emath, quòd percussisset Dauid omne robur
Adarézer, & misit Thou Ioram filium suum ad regem Dauid, vt salutaret eum congratulans, & gratias age- C
ret: eò quòd expugnasset Adarézer, & percussisset eum: † quoniam vir ille Thou gesserat multa bella con-
tra Adarézer, & in manu eius erant vasa aurea, & vasa argentea, & vasa ærea: quæ & ipsa sanctificauit rex Da-
uid Domino cum argento & auro, quæ sanctificauerat de vniuersis gentibus quas subegerat, de Syria, &
Moab, & filijs Ammon, & Philisthijm, & Amalec, & de manubijs Adarézer filij Rohob regis Soba. Fecit
quoque sibi Dauid nomen, cum reuerteretur capta Syria in valle Salinarum, cæsis decem & octo millibus: D
& posuit in Idumæa custodes, statuitque præsidium: & facta est vniuersa Idumæa seruiens Dauid: & serua-
uit Dominus Dauid in omnibus ad quęcunque profectus est. Et regnauit Dauid super omnem Israel: faciebat quoque Dauid iudicium, & iustitiam omni populo suo, Ioab autem filius Saruię erat super exercitum:
porrò Iosaphat filius Ahilud, erat [d] à commentarijs: & Sadoc filius Achitob, & Achimélech filius Abiathar,
erāt sacerdotes, & Saraias, scriba: Banaias autem filius Ioiadę super [e] Cerethi & Phelethi: [f] filij autem Dauid,
sacerdotes erant.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Frenum tributi.] *Dictio Hebræa significat riuum aquæ, quem quidam Hebræi putant transisse ab vna ciuitate ad aliam, per quem Philisthæi mutuò sibi subuenieb ant, donec à Dauid riuus ille ab vtribus fuit amotus. Alij putant per frenum riui intelligi regionem quandam, cum in Paralip. vbi eadem scribuntur, loco freni commemorentur Viculi Gath.*
[b] Mensus est autem duobus funibus.] *Ionathas sic vertit: mensurauit eos sorte, proiecitque eos in terram. Nam duas partes interfecit Dauid, & tertiam in vita conseruauit, idque ideo quòd Moabitæ parentes & fratres eius occiderant.*
[c] Subneruauit.] *Nam prohibet lex, ne rex sibi multiplicet equos, & iccircò nō licuit Dauid, illos accipere in prædam, quare inutiles eos reddidit, nec tamen occidit, cum sint creaturæ innocuæ.* [d] A commentarijs.] *Hoc est, constitutus super librum memorabilium rerum.* [e] Cerethi.] *Textus Heb. hic sic habet. Et Banaias filius Ioiadæ, atque Cerethi, et Phelethi, vbi Hebræi pro, atq, legunt super. Ionathas verò sic vertit. Banaias filius Ioiadæ erat præfectus arcubus, & fundis, vel sagittarijs, & fundibularijs. Rabbini communiter per Cerethi & Pheleth intelligunt Vrim & Thummim, de quibus sæpe dictum est. Alij dicunt, per eos significari duas cognationes, quæ semper stipabant latera regis, paratæ vt exequerentur imperium regis, quorum princeps fuit Banaias.* [f] Filij Dauid sacerdotes erant.] *In libro Paralip. dicitur, erant primi, hoc est, magni, & omnibus præpositi, Alij intelligunt, discipulos sapientum.*

CAPVT IX.

A ET dixit Dauid, Putásne est aliquis qui remanserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionathan? Erat autem de domo Saul seruus, nomine Siba: quem cum vocasset rex ad se, dixit ei, Tu ne es Siba? Et ille respondit, Ego sum seruus tuus. Et ait rex, Nunquid supereſt aliquis de domo Saul: vt faciam cum eo misericordiam Dei? Dixitque Siba regi, Supereſt filius Ionathā debilis pedibus. Vbi,
B inquit, est? Et Siba ad regem, Ecce, ait, in domo est Machir filij Ammiel † de Lodabar. Misit ergo rex Dauid, & tulit eum de domo Machir filij Ammiel de Lodabar. Cum autē venisset Miphibóseth filius Ionathan filij Saul ad Dauid, corruit in faciem suam, & adorauit. Dixitq; Dauid, Miphibóseth? Qui respondit, Adsum seruus tuus. Et ait ei Dauid, Ne timeas, quia faciens faciam in te misericordiam propter Ionathan patrem
C tuum, & [a] restituam tibi omnes agros Saul patris tui, & tu comedes panem in mensa mea semper. Qui adorans eum, dixit, Quis ego sum seruus tuus, quòd respexisti super canem mortuū similem mei? Vocauit itaque rex Sibam puerum Saul, & dixit ei, Omnia, quæcunq; fuerunt Saul, & vniuersam domum eius, dedi filio domini tui. Operare igitur ei terram tu, & filij tui, & serui tui: [b] & inferes filio domini tui cibos, vt alatur:
D Miphibóseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam. Erant autē Sibæ quindecim filij, & viginti serui. Dixitq; Siba ad regē, Sicut iussisti domine mi rex seruo tuo, sic faciet seruus tuus: [c] & Miphibóseth comedet super mensam meam quasi vnus de filijs regis. Habebat autem Miphibóseth filiū paruulū nomine Micha: omnis verò cognatio domus Sibę seruiebat Miphibóseth. Porrò Miphibóseth habitabat in Ierusalem: quia de mensa regis iugiter vescebatur: & erat claudus vtroq; pede.

SCHOLIA.

[a] Restituam tibi omnes agros.] *Hoc est, vniuersam possessionem, quam dedit rex Mephiboseth: nam fily Rizpa cōcubinæ Saul, multa sibi vsurpauerant, cum tamen ille verus esset hæres, & successor patris atque aui. Sed & Dauid, cum Iboseth filium Saul regni æmulum pateretur, nonnulla iure prælij sibi vsurpauit.* [b] Et inferes filio domini tui.] *Quicquid (inquit) ex agris collegeris, illud erit Micha filij domini tui, et de illo ipse viuet: dominus autem tuus Mephiboseth comedet panem de mensa mea sicut fily regis.* [c] Et Mephiboseth comedet.] *Hæc sunt verba Dauid: nam postquam Siba regi respondisset, sic faciet seruus tuus, intulit rex, bene, Mephiboseth verò comedet panem super mensam meam.*

CAPVT X.

A FActum est autem post hæc, vt moreretur rex filiorum Ammon, & regnauit Hanon filius eius pro eo. 1.Par.13.a
Dixitq; Dauid, Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas, sicut fecit pater eius mecum misericordiam. Misit ergo Dauid consolans eum per seruos suos super patris interitu. Cum autem venissent serui Dauid in terram filiorum Ammon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon dominum suum, Putas quòd propter honorem patris tui miserit Dauid ad te consolatores, & non ideò vt te inuestigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam, misit Dauid seruos suos ad te? Tulit itaque Hanon seruos Dauid, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præscidit vestes eorum medias vsque ad nates, & dimisit eos.
Quod cum nuntiatum esset Dauid, misit in occursum eorum: erant enim viri confusi turpiter valde: & mā-
B. dauit eis Dauid, Manete in Iericho, [a] donec crescat barba vestra, & tunc reuertimini. Videntes autem filij Ammon, quòd iniuriam fecissent Dauid, miserunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba viginti millia peditum, & à rege Maacha mille viros, & ab Istob duodecim millia virorum. Quod cum audisset Dauid, misit Ioab & omnem exercitum bellatorum. Egressi sunt ergo filij Ammon, & direxerunt aciem ante ipsum introitum portæ: Syrus autem Soba, & Rohob, & Istob, & Maacha seorsum erant in campo. Videns igitur Ioab quòd præparatum esset aduersum se prelium, & ex aduerso & post tergum, elegit sibi ex omnibus electis Israel, & instruxit aciem contra Syrum: reliquam autem partem populi tradidit Abisai
C fratri suo: qui direxit aciem aduersus filios Ammon. Et ait Ioab, Si prævaluerint aduersum me Syri, eris mihi in adiutorium: si autem filij Ammon prævaluerint aduersum te, auxiliabor tibi. Esto vir fortis, & pugnemus pro populo nostro, & ciuitate Dei nostri: Dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. Iniit itaque Ioab & populus, qui erat cum eo, certamen contra Syros: qui statim fugerunt à facie eius. Filij autem Ammon videntes quòd fugissent Syri, fugerunt & ipsi à facie Abisai, & ingressi sunt ciuitatem: reuersusque est Ioab à filijs Ammon, & venit Ierusalem. Videntes igitur Syri quòd corruissent coràm Israel, congregati sunt pariter. Misitq; Adarézer, & eduxit Syros qui erant trans fluuium, & adduxit eorum exercitum: Sobach autem magister militiæ Adarézer, erat princeps eorum. Quod cum nuntiatum esset Dauid,

contraxit omnem Israelem, & transiuit Iordanem, venitq; in Helam: & direxerunt aciem Syri ex aduerso Dauid,& pugnauerunt contra eum.Fugeruntq; Syri à facie Israel,& occidit Dauid de Syris septingẽtos currus,& quadraginta millia equitum:& Sobach principem militiæ percussit,qui statim mortuus est. Videntes autem vniuersi reges qui erant in præsidio Adarézer,se victos esse ab Israel,fecerunt pacem cum Israel:& seruierunt eis,timueruntq; Syrij auxilium præbere vltra filijs Ammon.

SCHOLIA.

[a] Donec crescat barba.] *Sed quare non abradebatur etiam altera barbæ medietas? Respondent Heb. quòd tunc non erat consuetudo apud Iudæos, vt essent viri omnino imberbes, nisi quòd tempore luctus & mœroris radebant solum pilos, qui erant in labio superiori.*

CAPVT XI.

1.Par. 20.a

FActum est autem,vertente anno [a] eo tempore, quo solent reges ad bella procedere, misit Dauid Ioab, & seruos suos cum eo,& vniuersum Israel,& vastauerunt filios Ammon,& obsederunt Rabba: Dauid autem remansit in Ierusalem. Dum hæc agerentur, accidit quadam die vt surgeret Dauid de stratu suo † tempore vespertino,& deambularet super tectum domus regię, † viditq; de tecto mulierẽ se lauantẽ: erat autem mulier pulchra valde.Misit ergo rex,& requisiuit,quę esset mulier.Nuntiatumq; est ei quòd ipsa esset Bethsabee filia Eliam,vxor [b] Vriæ Hethęi. Missis itaq; Dauid nuntijs tulit eam: Quę cum ingressa esset ad illum,dormiuit cum ea:† ipsa autem [c] sanctificauerat se ab immunditia sua,& reuersa est in domũ suã: † Cõcepit autẽ mulier,mittensq; nuntiauit Dauid,& ait, Cõcepi.Misit autem Dauid ad Ioab,dicens,Mitte ad me Vriam Hethęum.Misitq; Ioab Vriam ad Dauid.Et venit Vrias ad Dauid: quęsiuitq; Dauid quàm recte ageret Ioab,& populus,& quomodo administraretur bellum.Et dixit Dauid ad Vriã, Vade in domum tuam, & laua pedes tuos.Et egressus est Vrias de domo regis,secutusq; est eũ cibus regius.Dormiuit autem Vrias ante portam domus regiæ,cum alijs seruis domini sui,& non descendit ad domum suam. Nũtiatumq; est Dauid à dicentibus,Non iuit Vrias in domum suam.Et ait Dauid ad Vriam,Nunquid non de via venisti? quare nõ descendisti in domũ tuam?Et ait Vrias ad Dauid, Arca,& Israel,& Iuda habitãt in papilionibus,& dñs meus Ioab,& serui domini mei super faciem terræ manent:& ego ingrediar domum meam,vt comedam,& bibã, & dormiam cum vxore meа?per salutẽ tuam,& per salutem animæ tuę nõ faciam rẽ hãc. Ait ergo Dauid ad Vriam,Mane hic etiam hodie,& cras dimittam te.Mansit autẽ Vrias in Ierusalẽ in die illa & altera, & vocauit eum Dauid,vt comederet coràm se & biberet, & inebriauit eũ: qui egressus vespere, dormiuit in stratu suo cũ seruis domini sui,& in domum suam nõ descẽdit.Factum est ergo mane, & scripsit Dauid epistolam ad Ioab: misitq; per manum Vriæ, scribens in epistola, Ponite Vriam ex aduerso belli,vbi fortissimum est prælium:& derelinquite eum,vt percussus intereat. Igitur cũ Ioab obsideret vrbẽ, posuit Vriam in loco vbi sciebat viros esse fortissimos.Egressique viri de ciuitate,bellabant aduersum Ioab, & ceciderunt de populo seruorum Dauid,& mortuus est etiam Vrias Hethæus, Misit itaque Ioab, & nuntiauit Dauid omnia verba prælij,præcepitq; nuntio,dicens,Cum compleueris vniuersos sermones belli ad regem, si eum videris indignari,& dixerit, Quare accessistis ad murum,vt præliaremini?an ignorabatis, quòd multa desuper ex muro
Iudi.9.g
tela mittantur?Quis percussit Abimélech [d] filium Ierobeseth?nónne mulier misit super eum fragmen molę de muro,& interfecit eum in Thebes?quare iuxta murũ accessistis? Dices, Etiam seruus tuus Vrias Hethęus occubuit. Abijt ergo nuntius, & venit, & narrauit Dauid omnia,quæ ei præceperat Ioab. Et dixit nuntius ad Dauid, Prævaluerunt aduersum nos viri,& egressi sunt ad nos in agrum: nos autem facto impetu persecuti eos sumus vsq; ad portam ciuitatis.Et direxerunt iacula sagittarij ad seruos tuos ex muro desuper: mortuiq; sunt de seruis regis,quinetiã seruus tuus Vrias Hethæus mortuus est.Et dixit Dauid ad nũtium,Hęc dices Ioab,Non te frangat ista res:varius enim euentus est belli,& nũc hũc,& nunc illũ cõsumit gladius: cõforta bellatores tuos aduersus vrbem,vt destruas eam,& exhortare eos. Audiuit autẽ vxor Vrię,q; mortuus esset Vrias vir suus,& planxit eum.Transactoq; luctu misit Dauid, & introduxit eam in domũ suam, & facta est ei vxor,peperitq; filium:& displicuit verbum hoc quod fecerat Dauid,coràm Domino.

SCHOLIA.

[a] Eo tempore.] *Putant Heb.hoc tempus esse quando segetes in agris inueniuntur pro equis pascendis.* [b] Vriæ Hethæi.] *Vocatur Hethæus,quòd vel aduena fuerit ex Hebræis,aut quòd peregrinatus fuerit aliquandiu apud eos.* [c] Sanctificauerat se ab immunditia sua.] *Ionathas hunc locum sic vertit.Ipsa autem mundauerat se à menstruo suo,quod scilicet cum Dauid videret illam se lauantem,tunc mundabat se ab immunditia menstrui, nesciens quòd Dauid in eam oculos conieciisset.* [d] Filium Ieroboseth.] *Hic in libro Iudicum vocatur filius Ieroboal. Significat autem Ieroboseth, habens contentionem cum confusione,& vocat idolum Baal,confusionem.Hic autem vulgatiori nomine vocatur Gedeon.*

CAPVT XII.

Eccle. 47.a

MIsit ergo Dominus Nathan ad Dauid: qui cum venisset ad eum, dixit ei, Duo viri erant in ciuitate vna,vnus diues,& alter pauper. Diues habebat oues & boues plurimos valde:pauper autem nihil habebat omnino, præter ouem vnam paruulam [a] quam emerat & nutrierat, & quæ creuerat apud eum cum filijs eius,simul de pane illius comedens,& de calice eius bibens, & in sinu illius dormiens, eratq; illi sicut filia.Cum autem peregrinus quidam venisset ad diuitem,parcens ille sumere de ouibus,& de bobus suis,vt exhiberet conuiuium peregrino illi qui venerat ad se,tulit ouem viri pauperis, & preparauit cibos homini illi qui venerat ad se. Iratus autem indignatione Dauid aduersus hominem illum nimis, dixit ad Nathan, Viuit Dominus,quòd [b] filius mortis est vir qui fẽcit hoc. Ouem reddet in quadruplum, eò q; fecerit verbum istud, & non pepercerit. Dixit autem Nathan ad Dauid, Tu es ille vir. Hæc dicit Dominus Deus Israel,Ego vnxi te in regem super Israel, & ego erui te de manu Saul, & dedi tibi domũ domini tui,& [c] vxores

res domini tui in sinu tuo,dediq; tibi domũ Israel & Iuda: & si parua sunt ista, adijciam tibi multò maiora. Quare ergo contempsisti verbum Domini, vt faceres malum in conspectu meo? Vriam Hethęum percussisti gladio,& vxorẽ illius accepisti in vxorẽ tibi,& interfecisti eũ gladio filiorũ Ammon. Quã ob rem non recedet gladius de domo tua vsque in sempiternum,eò quòd despexeris me,& tuleris vxorem Vrię Hethei,vt esset vxor tua.Itaque hęc dicit Dominus,Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua, & tollã vxores tuas in oculis tuis,& dabo proximo tuo,& dormiet cum vxoribus tuis [d] in oculis solis huius. Tu enim fecisti absconditè:ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel,& in conspectu solis. Et dixit Dauid ad Nathan,Peccaui Domino. Dixitq; Nathan ad Dauid,Dominus quoque transtulit peccatum tuum: non morieris. Veruntamen quoniam blasphemare fecisti inimicos nomẽ Domini:propter verbum hoc, filius qui natus est tibi,morte morietur. Et reuersus est Nathan in domum suam. Percussit quoque Dominus paruulum quem pepererat vxor Vriæ Dauid,& desperatus est.Deprecatusq; est Dauid Dominum pro paruulo, & ieiunauit Dauid ieiunio,& ingressus † pernoctauit & iacuit super terram. Venerunt autem seniores domus eius,cogentes eum,vt surgeret de terra:qui noluit, nec comedit cum eis cibum. Accidit autem die septima,vt moreretur infans: timuerunt q; serui Dauid nuntiare ei q; mortuus esset paruulus: dixerunt enim, Ecce cum paruulus adhuc viueret,loquebamur ad eum,& non audiebat vocem nostram:quantomagis,si dixerimus,Mortuus est puer,se affliget? Cum ergo Dauid vidisset seruos suos musitantes,intellexit quòd mortuus esset infantulus:dixitq; ad seruos suos,Num mortuus est puer? Qui responderunt ei,Mortuus est. Surrexit ergo Dauid de terra,& lotus vnctusq; est:cumq; mutasset vestes,ingressus est domum Domini: & adorauit,& venit in domum suam,petiuitq; vt ponerent ei panem,& comedit. Dixerunt autem ei serui sui, Quis est sermo quem fecisti?propter infantem,cum adhuc viueret,ieiunasti & flebas: mortuo autem puero surrexisti & comedisti panem? Qui ait, Propter infantem, dum adhuc viueret,ieiunaui & fleui: dicebam enim, Quis scit si † misereatur mei Deus,& viuet infans? Nunc autem,quia mortuus est,quare ieiuno?nunquid potero reuocare eum amplius? ego vadam magis ad eum:ille verò non reuertetur ad me. Et consolatus est Dauid Bethsabee vxorem suam,ingressusq; ad eam,dormiuit cum ea:quæ genuit filium,& vocauit nomen eius [e]Salomon,& Dominus dilexit eum.Misitq; in manu Nathan propheræ,& vocauit nomen eius † Iedidia:eò quòd diligeret eum Dominus. Igitur pugnabat Ioab cõtra Rabbath filiorum Ammon, & † expugnauit vrbem regiam. Misitq; Ioab nuntios ad Dauid, dicens,Dimicaui aduersum Rabbath,& † cepi [f] vrbem aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi:& obside ciuitatem,& cape eam:ne cum à me vastata fuerit vrbs,nomini meo ascribatur victoria. Congregauit itaque Dauid omnem populum,& profectus est aduersum Rabbath: cumque dimicasset, cepit eam, Et [g] tulit diadema regis eorum de capite eius pondo auri talentum,habens gemmas pretiosissimas,& impositum est super caput Dauid.Sed & prædã ciuitatis asportauit multam valde,populum quoque eius † educens [h] posuit super serras, & super rastra ferrea, atque super fecures ferreas,& traduxit eos per lateritium furnum, sic fecit vniuersis ciuitatibus filiorum Ammon:& reuersus est Dauid,& omnis exercitus in Ierusalem.

SCHOLIA.

[a] Quam emerat.] *Qui ducit vxorem,emit eam,secundum Hebraismi proprietatem.* [b] Filius mortis est.] *Vide, vt etiam post tantum scelus,non oblitus est se esse Dauid.* [c] Vxores domini tui.] *Hæ fuerunt Egla vxor Saul, & Michol filia Saul.* [d] In oculis solis huius.] *Hoc est in manifesto.Sic enim infra legitur,quòd Absalom apertè ingressus sit ad concubinas patris sui.* [e] Salomon.] *Hebræi legunt, Solomo. Mater monita per prophetam, vocat nomen pueri Solomo, pater autem vocauit eum Iedidia,quòd Dominus diligeret ipsum.Significat enim Iedidia,dilectus Domini.* [f] Vrbem aquarũ.] *Erant duæ coniunctæ ciuitates,quarum minor vocabatur ciuitas aquarũ, propter multas aquas, quæ erant in ea:alia Rabbathi,in qua manebat rex:priorem cœpit Ioab,& alteram rex.* [g] Tulit diadema.] *Putatur de hac corona intelligi, cum in psalmo dicitur.Posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso.* [h] Posuit super terras.] *Hoc est:tulit sententiam,vt serris,rastris,& securibus occiderentur,atque comburerentur in loco vbi lateres coquebantur:in loco scilicet, vbi pro honore dei sui Moloch filios suos flammis exurendos immolabant.*

CAPVT XIII.

FActum est autem post hæc,vt Absalóm filij Dauid sororem speciosissimam vocabulo Thamar,adamaret Amnon filius Dauid, & deperiret eam valde, ita vt propter amorem eius ægrotaret: quia cum esset virgo,difficile ei videbatur,vt quippiam † ageret cum ea. Erat autem Amnon amicus nomine Ionadab,filius Semmaa fratris Dauid,vir prudens valde.Qui dixit ad eum, Quare sic attenuaris macie fili regis per singulos dies?cur non indicas mihi?Dixitq; Amnon,Thamar sororem fratris mei Absalom amo.Cui respõdit Ionadab,Cuba super lectum tuum,& languorẽ simula:cumq; venerit pater tuus, vt visitet te, dic ei, Veniat oro Thamar soror mea,vt det mihi cibum,& faciat pulmentum,& comedam de manu eius. Accubuit itaq; Amnon,& quasi ægrotare cœpit:cumq; venisset rex ad visitandũ eum, ait Amnon ad regem, Veniat obsecro Thamar soror mea,vt faciat in oculis meis † duos pastillos,& cibum capiã de manu eius. Misit ergo Dauid ad Thamar domũ dicens, Veni in domum Amnon fratris tui,& fac ei pulmẽtum. Venitq; Thamar in domum Amnon fratris sui:ille autem iacebat:quę tollens farinam commiscuit,& † in pastilli formã redigens in oculis eius coxit † pastillos. Tollensq; quod coxerat, effudit & posuit corã eo, & noluit comedere:dixitq; Amnon,Eijcite vniuersos à me. Cumque † exissent omnes,dixit Amnon ad Thamar,Infer cibum in conclaui,vt vescar de manu tua. Tulit ergo Thamar † pastillos quos fecerat,& intulit ad Amnon fratrem suum in cõclaui. Cumq; obtulisset ei cibum, apprehendit eam,& ait, Veni,cuba mecum soror mea. Quæ respondit ei,Noli frater mi,noli opprimere me:neque enim hoc fas est in Israel,noli facere stultitiã hanc. Ego enim ferre nõ potero opprobrium meũ, & tu eris quasi vnus de insipientibus in Israel:quin potius loquere

ad

ad regem, [a] & non negabit me tibi. Noluit autem acquiescere precibus eius, sed prævalens viribus oppressit eā, & cubauit cū ea. Et [b] exosam eam habuit Amnon odio magno nimis: ita vt maius esset odium quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat. Dixitq; ei Amnon, Surge, & vade. Quę respōdit ei, Maius est hoc malū quod nunc agis aduersum me, quam quod antè fecisti, expellens me. Et noluit audire eam, sed vocato puero, qui ministrabat ei, dixit, Eijce hanc à me foras: & claude ostiū post eam. Quę induta erat † discolori tunica: huiuscemodi enim filiæ regis virgines vestibus vtebantur: eiecit itaq; eam minister illius foras, clausitq; fores post eam. Quæ aspergens cinerem capiti suo, scissa † discolori tunica, impositisq; manibus super caput suum ibat ingrediens, & clamans. Dixit autem ei Absalom frater suus, Nunquid Amnon frater tuus concubuit tecum? sed nunc soror tace, frater tuus est: neq; affligas cor tuum pro hac re. Mansit itaque Thamar contabescens in domo Absalom fratris sui. Cum autem audisset rex Dauid verba hęc, † indignatus est valde. Porrò nō est locutus Absalom ad Amnon nec malum, nec bonū: oderat † autē Absalom Amnon, eò q violasset Thamar sororem suam. Factum est autem post tempus biennij, vt tonderentur oues Absalom in Baalhasor, quæ est iuxta Ephraim: & vocauit Absalom omnes filios regis, venitq; ad regem, & ait ad eum. Ecce tondentur oues serui tui: veniat oro rex cum seruis suis ad seruum suum. Dixitq; rex ad Absalom, Noli fili mi, noli rogare vt veniamus omnes, & grauemus te. Cum autē cogeret eū, & noluisset ire, benedixit ei. Et ait Absalom, Si non vis venire, veniat obsecro nobiscum saltem Amnon frater meus. Dixitq; ad eum rex, Nō est necesse vt vadat tecum. Coegit itaq; Absalom eum, & dimisit cū eo Amnon & vniuersos filios regis. Præceperat autem Absalom pueris suis, dicens, Obseruate cum temulentus fuerit Amnon vino, & dixero vobis, Percutite eum: & interficite, nolite timere, ego enim sum qui præcipio vobis: roboramini, & estote viri fortes. Fecerunt ergo pueri Absalom aduersum Amnon, sicut præceperat eis Absalom: surgentesq; omnes filij regis ascenderūt singuli mulas suas, & fugerunt. Cumq; adhuc pergerent in itinere, fama peruenit ad Dauid, dicēs, Percussit Absalom omnes filios regis, & nō remansit ex eis saltem vnus. Surrexit itaq; rex, & scidit vestimenta sua, & cecidit super terram: & omnes serui illius, qui assistebant ei, sciderunt vestimenta sua. Respondens autem Ionadab filius Semmaa fratris Dauid, dixit, Ne æstimet dominus meus rex q omnes pueri filij regis occisi sint: Amnon solus mortuus est, quoniam in ore Absalom † hoc fuit constitutum ex die qua oppressit Thamar sororem eius. Nunc ergo ne ponat dominus meus rex super cor suū verbum istud, dicens, Omnes filij regis occisi sunt: quoniám Amnon solus mortuus est. Fugit autē Absalom, & eleuauit puer speculator oculos suos, & aspexit: & ecce populus multus venicbat per iter † à latere per posteriorem partē montis. Dixit autē Ionadab ad regem, Ecce filij regis adsunt: iuxta verbum serui tui, sic factum est. Cūq; cessasset loqui, apparuerūt & filij regis: & intrantes leuauerūt vocem suam, & fleuerunt: sed & rex & oēs serui eius fleuerunt ploratu magno nimis. Porrò Absalom fugiens, abijt ad Tholomai filium Ammiud regem Gessur: luxit ergo Dauid filium suū † cunctis diebus. Absalom autem cū fugisset, & venisset in Gessur, fuit ibi tribus annis. † Et desyderiū inerat Dauid regi, vt egrederetur ad Absalom, eò q consolatus esset super Amnon interitu.

SCHOLIA.

[a] Non negabit me tibi.] *Sed quomodo potuit soror duci in vxorem? Respondent Heb. quòd secundum carnem fuerit soror eius, non autem secundum legem. Nam Dauid videns in bello Maacha matrem eius mulierem gentilem, amore eius captus, priusquàm illa Iudæa fieret, grauidam eam fecit, natáq; est Thamar ex illo concubitu: deinde genuit Absalom fratrem eius: et quoniā Thamar nata fuit in paganismo, reputatur ad Amnon, qui alitē habuit matrem, quasi mulier extranea, ideo potuit ab eo duci.* [b] Exosam eam habuit.] *Causam odij quid.am putant fuisse mala verba, quibus Virga Verecunda pudicitiam suam tueri nitebatur: aly alias afferunt rationes: sed simplicius dici potest, id sæpe Deo volente accidere in stultis stultorum amoribus, vt vehementem amorem vehementius odium subsequatur.*

CAPVT XIIII.

INtelligens autem Ioab filius Saruię, q cor regis versum esset ad Absalom, misit Thecuā, & tulit inde mulierem sapientē, dixitq; ad eam, Lugere te simula, & induere veste lugubri: & ne vngaris oleo, vt sis quasi mulier plurimo iam tēpore lugens mortuum: & ingredieris ad regem, & loqueris ad eū sermones huiuscemodi. Posuit autem Ioab verba in ore eius. Itaq; cū ingressa fuisset mulier Thecuitis ad regē, cecidit coram eo super terram, & adorauit, & dixit, Serua me rex. Et ait ad eā rex, Quid causæ habes? Quæ respōdit, Heu, mulier vidua ego sum: mortuus est enim vir meus: & ancillę tuę erant duo filij: qui rixati sunt aduersum se in agro, nullusq; erat qui eos prohibere posset: & percussit alter alterū, & interfecit eū. Et ecce cōsurgens vniuersa cognatio aduersum ancillā tuā, dicit, Trade eū qui percussit fratrē suū, vt occidamus eū pro anima fratris sui quem interfecit, & deleamus hæredē: & quærunt extinguere scintillam meā, quæ relicta est, vt nō supersit viro meo nomen, & reliquię super terram. Et ait rex ad mulierem, Vade in domum tuam, & ego iubebo pro te. Dixitq; mulier Thecuitis ad regē, [a] In me dñe mi rex sit iniquitas, & in domum patris mei: rex autem & thronus eius sit innocens. Et ait rex, Qui cōtradixerit tibi, adduc eum ad me, & vltra non addet vt tangat te. Quę ait, [b] Recordetur rex Dñi Dei sui, vt non multiplicentur proximi sanguinis ad vlciscendū, & nequaquā interficiant filium meū. Qui ait, Viuit Dñs quod non cadet de capillis filij tui super terram. Dixit ergo mulier, Loquatur ancilla tua ad dominum meum regem verbum. Et ait, Loquere. Dixitq; mulier, [c] Quare cogitasti huiuscemodi rem contra populum Dei, & locutus est rex verbum istud vt peccet, & nō reducat eiectum suū? Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non reuertuntur: † nec Deus parcit vlli animæ. Cogiter ergo cogitationes, vt non reijciat à se, qui est reiectus. Nūc igitur veni, vt loquar ad dominū meū regem verbū hoc, † quia terruit me populus: Et dixit ancilla tua, Loquar ad regē, si quo modo faciat rex verbum ancillæ suæ: † audiet enim rex, vt liberet ancillam suam de manu omnium qui volebant de hæreditate Dei delere me, & filium meum simul. † Dixit ergo ancilla tua, vt fiat verbū domini mei regis † in cōsolationem.

D lationem. Sicut enim angelus Domini, sic est dominus meus rex, vt † audiat bonum & malum: vnde & Dominus Deus tuus est tecum. Et respondens rex, dixit ad mulierem, Ne abscōdas à me verbum quod tè interrogo. Dixitq; ei mulier, Loquere domine mi rex. Et ait rex, Nunquid manus Ioab tecum est in omnibus istis? Respondit mulier, & ait, Per salutem animæ tuæ domine mi rex, [d] nec ad sinistrā, nec ad dextram est ex omnibus his quæ locutus est dominus meus rex: seruus enim tuus Ioab, ipse præcepit mihi, & ipse posuit in os ancillæ tuæ omnia verba hæc. Vt verterem figurā sermonis huius, seruus tuus Ioab præcepit istud: tu
E autem domine mi rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei, vt intelligas omnia super terrā. Et ait rex ad Ioab, Ecce † feci verbū hoc: vade ergo, & reuoca puerum Absalom. Cadēsq; Ioab super faciē suam in terrā, adorauit, & benedixit regi: & dixit Ioab, Hodie intellexit seruus tuus q inueni gratiā in oculis tuis domine mi rex: fecisti enim sermonem rex serui tui. Surrexit ergo Ioab, & abijt in Gessur, & adduxit Absalom in Ierusalem. Dixit autem rex, Reuertatur in domum suam, & faciem meam nō videat. Reuersus est itaq; Absalom in domū suam, & faciem regis non vidit. Porrò, sicut Absalom, vir nō erat pulcher in omni Israel;
F & decorus nimis: à vestigio pedis vsq; ad verticem, non erat in eo macula. Et quando tondebat capillum (semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere † regio. Nati sunt autem Absalom filij tres: & filia vna, nomine Thamar, elegātis formæ. Mansitq; Absalom in Ierusalem duobus annis, & faciem regis non vidit. Misit itaq; ad Ioab, vt mitteret eum ad regē: qui noluit venire ad cū: cumq; secundò misisset, & ille noluisset venire ad eum, dixit seruis suis, scitis agrum
G Ioab iuxta agrum meum, habentem messem hordei: ite igitur, & succendite eum igni. Succenderūt ergo serui Absalom segetem igni. † Surrexitq; Ioab, & venit ad Absalom in domum eius, & dixit, Quare succenderunt serui tui segetē meam igni? Et respondit Absalom ad Ioab, Misi ad te obsecrās vt venires ad me, & mitterem te ad regem, vt diceres ei, Quare veni de Gessur? melius mihi erat ibi esse: obsecro ergo vt videam faciem regis: q si † est in me iniquitas, interficiat me. Ingressus itaq; Ioab ad regem, nuntiauit ei omnia: vocatusq; est Absalom, & intrauit ad regē, & adorauit super faciem terræ coràm eo: osculatusq; est rex Absalom.

SCHOLIA.

[a] In me Domine mi rex sit iniquitas.] *Si culpa (inquit) tanta est occidisse fratrem, ego feram pro filio, quod ferendum est, & ego ac familia patris mei rea sit, tantum vt filius non occidatur, & rex promissa non mutet, soliumq; illius immoxium sit.* [b] Recordetur rex.] *Sensus est: emittat rex iuramentum ex ore suo, ne interficiatur filius, alioqui si vnus cohibeatur vltor, poterit alius insurgere, & interfecti fratris vlcisci necem.* [c] Quare cogitasti.] *Hoc est: non credent quòd nouaueris, sed dicent, quòd errans locutus fueris: at cum eiectum reuocaueris, tunc scient sanguinem illius non vlciscendum, vt quid enim vlciscendum putas sanguinem, maximè illius, qui sine testibus occisus est, cum omnes in breui morituri simus, & corpora nostra haud secus quàm aqua à terra sint absumenda? Ea tua certa est mors, vt Deus nulli mortalium parcat. Cogitabis igitur, vt non reiectus vllum à te, qui est reiciendus, vel qui iā est reiectus, sed potius cura, vt reuocetur. Aliter autē sic interpretatur illa verba, quare cogitasti, &c. Quomodo audes rex super populū Dei constitutus talem de mea causa ferre sententiam, & quomodo sanguinis vindices credent, talem se sententiam pronuntiasse sine peccato tuo, qui de tuo filio aliter agas, quàm de meo pronuntiauisti? &c.* [d] Nec ad sinistram, nec ad dexteram.] *Nemo est (inquit) qui cooperatus sit mihi in omnibus verbis, quæ ad te sum locuta, præter vnum Ioab, qui figuratam hanc locutionē dictauit, & mihi suggessit.*

CAPVT XV.

A IGitur post hæc fecit sibi Absalom currus & equites, & quinquaginta viros qui præcederent eum. Et manè consurgens Absalom, stabat iuxta introitum portæ in via, & omnem virum qui habebat negotium vt veniret ad regis iudicium, vocabat Absalom ad se, & dicebat, De qua ciuitate es tu? Qui respondens aiebat, Ex vna tribu Israel ego sum seruus tuus. Respondebatque ei Absalom, Videntur mihi sermones tui boni & iusti, sed non est qui te audiat constitutus à rege. Dicebatque Absalom, Quis me constituat iudicem super terram, vt ad me veniant omnes qui habent negotium, & iustè iudicem? Sed & cum accederet
B ad eum homo vt salutaret illum, extendebat manum suam, & apprehendens, osculabatur eum. Faciebatq; hoc omni Israel venienti ad iudicium vt audiretur à rege, & solicitabat corda virorum Israel. [a] Post quadraginta autem annos, dixit Absalom ad regem Dauid, Vadam & reddam vota mea, quæ vouí Domino [b] in Hebron. Vouens enim vouit seruus tuus, cum esset in Gessur Syriæ, dicens, Si reduxerit me Dominus in Ierusalem, sacrificabo Domino. Dixitque ei rex Dauid, Vade in pace. Et surrexit, & abijt in Hebron.
Misit autem Absalom exploratores in vniuersas tribus Israel, dicens, Statim vt audieritis clangorem
C buccinæ, dicite, Regnabit Absalom in Hebron. Porrò cum Absalom ierunt ducenti viri de Ierusalem vocati, euntes simplici corde, & causam penitus ignorantes. Accersiuit quoque Absalom Achitophel Gilonitem consiliarium Dauid de ciuitate sua Gilo, cum immolaret victimas: & facta est coniuratio valida, populusque concurrens augebatur cum Absalom. Venit igitur nuntius ad Dauid, dicens, Toto corde vniuersus Israel sequitur Absalom. Et ait Dauid seruis suis qui erant cum eo in Ierusalem, Surgite, fugiamus: neque enim erit nobis effugium à facie Absalom, festinate egredi, ne fortè veniens occupet nos, & impellat
D super nos ruinam, & percutiat ciuitatem in ore gladij. Dixeruntque serui regis ad eum, Omnia, quæcunque præceperit dominus noster rex, libenter exequemur serui tui. Egressus est ergo rex, & vniuersa domus eius pedibus suis: & dereliquit rex decem mulieres concubinas ad custodiendam domum. Egressusque rex & omnis Israel pedibus suis, stetit † in loco qui procul aberat: et vniuersi serui eius ambulabant iuxta eum, & † omnes Cerethi & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validi sexcenti viri qui secuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem. Dixit autem rex ad Ethai Gethæum, Cur venis nobiscum? reuertere, & habita cum rege, quia [c] peregrinus es, & egressus es de loco tuo. Heri venisti, & hodie compelleris nobiscū egredi: ego autem vadam quò iturus sum: reuertere, & reduc tecum fratres tuos, & Dominus faciet tecum misericordiam

misericordiam & veritatem,† Et respondit Ethai regi,dicens,Viuit Dominus, & viuit dominus meus rex E
quòd in quocunque loco fueris domine mi rex siue in morte,siue in vita, ibi erit seruus tuus. Et ait Dauid:
Ethai, Veni, & transi. Et transiuit Ethai Gethæus,& omnes viri † eius,atq; omnes paruuli,qui cum eo erãt.
Omnesque flebant voce magna, & vniuersus populus transibat:rex quoque transgrediebatur torrẽtem Ce-
dron,& cunctus populus incedebat contra viam quæ respicit ad desertum. Venit autem & Sadoc sacerdos,
& vniuersi Leuitæ cum eo portantes arcam fœderis Dei,& depositerunt arcam Dei: [d] & ascendit Abiathar,
donec expletus esset omnis populus qui egressus fuerat de ciuitate.Et dixit rex ad Sadoc,Reporta arcam Dei
in vrbem:si inuenero gratiam in oculis Domini,reducet me, & ostendet mihi eam & tabernaculum suum. F
Si autem dixerit mihi,Non places:præstò sum,faciat mihi quod bonum est coràm se. Et dixit rex ad Sadoc
sacerdotem,O vidẽs reuertere in ciuitatem in pace:& Achimaas filius tuus, & Ionathan filius Abiathar duo
filij vestri,sint vobiscum.Ecce ego abscondar in campestribus deserti,donec veniat sermo à vobis,indicans
mihi.Reportauerunt ergo Sadoc & Abiathar arcam Dei in Ierusalem,& manserũt ibi. Porrò Dauid ascẽ
debat cliuum oliuarum:scandens & flens,nudis pedibus incedẽs,& operto capite:sed & omnis populus, qui
erat cum eo,operto capite ascendebat plorans.Nuntiatum est autem Dauid quòd Achitóphel esset in cõiu-
ratione cum Absalom:dixitq; Dauid,Infatua quæso Domine consilium Achitóphel. Cumq; ascẽderet Da- G
uid summitatem mõtis [e] in quo adoraturus erat Deum,ecce occurrit ei Chusai Arachites,scissa veste, & terra
pleno capite.Et dixit ei Dauid,Si veneris mecum,eris mihi oneri:si autem in ciuitatem reuertaris,& dixe-
ris Absalom,Seruus tuus sum ego rex,sicut fui seruus patris tui,sic ero seruus tuus: dissipabis consiliũ Achi-
tóphel.Habes autem tecum Sadoc & Abiathar sacerdotes:& omne verbum, quodcũq; audieris de domo re-
gis,indicabis Sadoc & Abiathar sacerdotibus. Sunt enim cum eis duo filij eorum Achimaas filius Sadoc, &
Ionathan filius Abiathar:& mittetis per eos ad me omne verbum quod audieritis.Veniẽte ergo Chusai ami
co Dauid in ciuitatem, Absalom quoq; ingressus est Ierusalem.

SCHOLIA.

[a] Post quadraginta autem annos.] *Scilicet vt quidam volunt ab eo tempore, quando Israelitæ sub Samuele petierunt sibi dari regem,tunc pestifera illa nata fuit seditio. Alij intelligunt à morte primi regis Saul: vt sit sensus.Cum ferè quadraginta annos regnasset Dauid & putaretur propediem cessaturus vel moriturus.* [b] In Hebron.] *Fuerunt enim tunc in terra multa altaria,in quibus offerrent Domino sacrificia,donec extructum fuit templum Hierosolymitanum.*
[c] Peregrinus es.] *Putantur isti Gethæi fuisse Israelitæ,sed qui sub Gethæorum dominio tunc habitauerunt, quando haec rebellio nata fuit,Veneruntque cum duce Ethai,vt Dauid auxilium ferrent.* [d] Et ascendit.] *Hoc est, stabat cum arca Domini ad latus donec omnes, qui Dauid fauebant, egrederentur de Hierusalem.* [e] In quo adoraturus erat.] *Solitus fuit Dauid adorare Dominum in hoc monte,sicut & à Christo seruatore nostro orationibus & sacris meditationibus fuit hic mons consecratus.*

CAPVT XVI.

CVmq; Dauid transisset paululum montis verticem, apparuit Siba, puer Miphibóseth, in occursum A
eius,cum duobus asinis,qui onerati erant ducentis panibus,& centum alligaturis vuæ passæ, & cen-
tum massis † ficuum æstiualium, & vtre vini.Et dixit rex Sibæ. Quid sibi volunt hæc? Respondit̃q;
Infra.19.e Siba,[a] Asini domestici regis vt sedeant,& panes & † ficus æstiuales ad vescendum pueris, vinum autem vt
bibat si quis defecerit in deserto.Et ait rex, Vbi est filius domini tui? Responditque Siba regi, Remansit in
3.Reg.2.b Ierusalem,dicens. Hodie restituet mihi dominus Israel regnum patris mei. Et ait rex Sibę, Tua sint omnia
quæ fuerunt Miphibóseth.Dixitque Siba,† Adoro.Inueniam gratiam apud te domine mi rex. Venit ergo
rex Dauid vsque Bahurim: & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul, nomine Semei, filius B
Gera,procedebat egrediens,& maledicebat.Mittebatq; lapides contra Dauid,& contra vniuersos seruos re-
gis Dauid:omnis autem populus,& vniuersi bellatores à dextro & à sinistro latere regis incedebant. Ita au-
tem loquebatur Semei cum malediceret regi,Egredere,egredere vir sanguinum,& vir Belial. Reddidit tibi
Dominus vniuersum sanguinem domus Saul: † cuius loco tu regnasti, & dedit Dominus regnum in manu
Absalom filij tui: & ecce premunt te mala tua, quoniam vir sanguinum es. Dixit autem Abisai filius Sa-
uiæ,regi,Quare maledicit canis hic mortuus domino meo regi? vadam,& amputabo caput eius. Et ait rex,
Quid mihi & vobis est filij Saruiæ, † si sic maledicit? Dominus enim præcepit ei vt malediceret Dauid,& C
quis est qui audeat dicere quare sic fecerit?Et ait rex Abisai,et vniuersis seruis suis,Ecce filius meus,qui egres-
sus est de vtero meo,quærit animam meam,quantò magis hic filius Iemini?dimittite eum vt maledicat iux-
ta præceptum Domini,si fortè respiciat Dominus afflictionem meam,& reddat mihi Dominus bonum pro
maledictione hac die hodierna. Ambulabat itaque Dauid, & socij eius per viam cum eo:Semei autem † in
latere montis ex aduerso eius gradiebatur,maledicens,& mittens lapides aduersum eum,terramq; spargens.
Venit itaque rex Dauid,& vniuersus populus cum eo lassus,& refocillati sunt ibi. Absalom autem & omnis
populus † virorum Israel ingressi sunt Ierusalem, sed & Achitóphel cum eo. Cum autem venisset Chusai
Arachites amicus Dauid ad Absalom,locutus est ad eum,Salue rex,salue rex.Ad quem Absalom,Hęc est,in- D
quit,gratia tua ad amicum tuum:quare non iuisti cum amico tuo? Respondit̃q; Chusai ad Absalom,Ne-
quaquam,quia illius ero quem elegit Dominus,& omnis hic populus & vniuersus Israel, & cum eo mane-
bo.Sed vt & hoc inferam,cui ego seruiturus sum? nónne filio regis? sicut parui patri tuo, ita parebo & tibi.
Dixit autem Absalom ad Achitóphel,Inite consilium, quid agere debeamus. Et ait Achitóphel ad Absa-
lom,Ingredere ad concubinas patris tui,quas dimisit ad custodiẽdam domum:vt cum audierit omnis Israel
[b] quòd fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus † omnium qui tecum sunt. Tetenderunt er-
go Absalom tabernaculum in solario,ingressusq; est ad concubinas patris sui coràm vniuerso Israel. Con-
silium

silium autem Achitóphel, quod dabat in diebus illis, quasi si quis consuleret Deum: sic erat omne consiliũ
Achitóphel,& cum esset cum Dauid,& cum esset cum Absalom.

SCHOLIA.

[a] Asini domestici regis.] *Hoc est,pro vxoribus.* [b] Quod fœdaueris.] *Alius vertit, quòd reprobatus sis à patre tuo, Heb.habent,quòd fœtidus seu abominabilis factus sis coràm patre tuo:hoc est,si illam publicam confusionem feceris patri tuo,nemo non sciet tibi implacabilem esse cum patre tuo simultatem,alioqui,nisi tale quid feceris,cogitabunt filij Israel,te propediem in gratiam regis venturum,& eos qui huius conspirationis sunt authores & fautores pœnam daturos. Hoc autem consilium dederat Achitóphel,quòd parum faueret ipse Dauid ob stuprum,quod intulerat Bersabææ,cuius auus ipse erat.Et interim impletum est,quod Nathan dixerat ad Dauid.Ego tollam vxores tuas,&c.*

CAPVT XVII.

A DIxit ergo Achitóphel ad Absalom, Eligam mihi duodecim millia virorum, & cõsurgens persequar
Dauid hac nocte. Et irruens super eum(quippe qui lassus est, & solutis manibus) † terrebo eũ: cũq;
fugerit omnis populus qui cũ eo est,percutiam regem † solum. Et reducam vniuersum populũ,quo-
modo vnus homo reduci solet,vnũ enim virũ tu quęris:& omnis populus erit in pace. Placuitq; sermo eius
Absalom,& cunctis maioribus natu Israel.Ait autẽ Absalom, Voca & Chusai Arachiten, & audiamus quid
etiam ipse dicat.Cumq; venisset Chusai ad Absalom,ait Absalom ad eũ, Huiusce modi sermonẽ locutus est
B Achitóphel,Facere debemus an non? quod das consiliũ? Et dixit Chusai ad Absalom,Non est bonum consi
lium quod dedit Achitóphel hac vice. Et rursum intulit Chusai,Tu nosti patrem tuum, & viros qui cum eo
sunt esse fortissimos & amaro animo, veluti si vrsa raptis catulis in saltu fœuiat: sed & pater tuus vir bellator
est, [a] nec morabitur cum populo.Forsitan nunc latitat in foueis,aut in vno quo voluerit loco: & cum cecide
rit vnus quilibet in principio,audiet quicũq; audierit,& dicet, Facta est plaga in populo qui sequebatur Ab-
salom.Et fortissimus ipse,cuius cor est quasi leonis, pauore soluetur:scit enim omnis Israel fortem esse patrẽ
C tuũ,& robustos omnes qui cũ eo sunt. Sed hoc mihi videtur rectũ esse consilium, Congregetur ad te vniuer
sus Israel,à Dan vsq; Bersabęæ,quasi arena maris innumerabilis: [b] & tu eris in medio eorum.Et irruemus su
per eum in quocunq; loco inuentus fuerit:& operiemus eũ,sicut cadere solet ros super terrã:& non relinque
mus † de eo,& de viris,qui cũ eo sunt,ne vnum quidẽ. Quòd si vrbem aliquam fuerit ingressus, [c] circunda-
bit omnis Israel ciuitati illi funes,& trahemus eam in torrentem, vt non reperiatur nec calculus quidem ex
ea. Dixitq; Absalom,& omnes viri Israel,Melius est consilium Chusai Arachitę,consilio Achitóphel.Dñi
D autem nutu dissipatũ est consilium Achitóphel vtile,vt induceret Dñs super Absalom malum.Et ait Chusai
Sadoc & Abiathar sacerdotibus,Hoc & hoc modo consilium dedit Achitophel Absalom, & senioribus Isra-
el: & ego tale & tale dedi consilium.Nunc ergo mittite citò,& nuntiate Dauid,dicentes, Ne moreris nocte
hac in campestribus deserti,sed absq; dilatione transgredere:ne fortè absorbeatur rex, & omnis populus qui
cum eo est. Ionathan autem & Achimaas stabant iuxta fontem Rogel: abijt ancilla,& nuntiauit eis,& illi
profecti sunt, vt referrent ad regem Dauid nuntium:non enim † audebant illi apparere,aut introire ciuita-
E tem. Vidit autem eos quidam puer, & indicauit Absalom:illi verò concito gradu ingressi sunt domum cu-
iusdam viri in Bahurim,qui habebat puteum in vestibulo suo,& descenderunt in eum. Tulit autem mulier,
& expandit velamen super os putei, quasi siccans ptisanas: & sic latuit res. Cumque venissent serui Absa-
lom in domum, ad mulierem dixerunt, Vbi est Achimaas & Ionathan? Et respondit eis mulier, Transie-
runt † riuum aquarum. At hi qui quærebant, cum non reperissent, reuersi sunt in Ierusalem. Cumque
abijssent,ascenderunt illi de puteo,& pergentes nuntiauerunt regi Dauid,& dixerunt, Surgite, & transite ci-
F tò fluuium: quoniam huiusce modi dedit consilium contra vos Achitóphel.Surrexit ergo Dauid, & omnis
populus qui cum eo erat,& transierunt Iordanem, donec dilucesceret: & ne vnus quidem resíduus fuit, qui
non transisset fluuium. Porrò Achitóphel videns quòd non fuisset factum consilium suum, strauit asinum
suum,surrexitq;,& abijt in domum suam & in ciuitatem suam:& [d] dispositа domo sua,suspendio interijt, &
sepultus est in sepulchro patris sui. Dauid autem venit in † Mahenaijm,& Absalom trãsijt Iordanem,ipse
& omnes viri Israel cum eo.Amasam verò constituit Absalom pro Ioab super exercitum:Amasa autem erat
G filius cuiusdam viri,qui vocabatur [e] Ietra † Israelitę,qui ingressus est ad Abigáil filiam Naas,sororem Saruię
quæ fuit mater Ioab. Et castrametatus est Israel cum Absalom in terra Galaad. Cumque venisset Dauid in
Mahenaijm Sobi filius Naas de Rabath filiorum Ammon, & Machir filius Amihel de Lodabar, & Berzel-
lai Galaadites de Rogelim,obtulerunt ei stratoria & tapetia,& vasa fictilia, frumentum & hordeum & fari-
nam, & † spicas tostas & fabam & lentem, & † tostas leguminum spicas, & mel & butyrum, oues & † ca-
seos bouinos: dederuntq; Dauid, & populo qui cum eo erat, ad vescendum: suspicati enim sunt populum
fame & siti fatigari in deserto.

SCHOLIA.

[a] Nec morabitur cum populo.] *Cum Dauid(inquit)sit vir bellicosus,nouit astutias quasque bellicas,& non moratur vltra vnam noctem in vno loco,ne ab hostibus incautè obruatur,sed in speluncis & alijs locis tutis sese abdit, vt cum illum hic esse putauerimus,sit alibi,mane igitur est consilium Achitóphel. Quòd si Achitóphel cum suis duodecim millibus etiam illum inueniret,& aliqui à principio ex suis caderent,cũ Dauid & Viri sui exercitati sint in militia, cogita tu Absalom,quantus terror insuasurus sit vniuersum populum,qui tibi adhæret. Nec hoc verum est, quòd Dauid facile terreri possit, vt dixit Achitóphel, cum sit vir bellicosus, & habeat cor leonis, atque cum paucis millitibus non vereatur occurrere maximis hostium copijs.* [b] Et tu eris in medio eorum.] *Hoc est: præsentia tua est necessaria in prælio,sic enim populus erit animosior, & hic quoque non subscribo consilio Achitóphel, qui absque te decreuit occurrere hosti.* [c] Circundabit omnis Israel ciuitati illi funes.] *Hyperbole est,vt sit sensus, cingent ciuitatem illam turmæ atque diruent eam.*

[d] Dispositа

[a] Dispositа domo suа.] *Ordinauit domum suam, videns se in periculo mortis constitutum, quòd Absalom consilia eius non acquieuisset, & ob id futurum, vt Dauid facilè superaret omnes illos, qui conspirationis illius authores erant. Maluit igitur propriis interire manibus, quàm supplicio Dauid excarnificari.* [e] Iethra Israelitæ.] *In Paralipom. libro dicitur, Ismaelitæ. Sed sciendum quòd natione fuit Israelita, &, quoniam apud Ismaelitas peregrinatus fuit, Ismaelita fuit Ismaelita.*

CAPVT XVIII.

IGitur consyderato Dauid populo suo, constituit super eos tribunos, & centuriones, & dedit populi tertiam partem sub manu Ioab, & tertiam partem sub manu Abisai filij Saruiæ fratris Ioab, & tertiam partem sub manu Ethai, qui erat de Geth: dixitq; rex ad populum, Egrediar & ego vobiscum. Et respondit populus, Non exibis: siue enim fugerimus, non magnopere ad eos de nobis pertinebit: siue media pars ceciderit è nobis, non satis curabunt: quia tu vnus solus pro decem millibus computaris: melius est igitur vt sis nobis in vrbe præsidio. Ad quos rex ait, Quod vobis videtur rectum, hoc faciam. Stetit ergo rex iuxta portam: egrediebaturq; populus per turmas suas centeni & milleni. Et præcepit rex Ioab & Abisai & Ethai, dicens, Seruate mihi puerum Absalom. Et omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Absalom. Itaque egressus est populus in campum contra Israel, & factum est prælium in saltu Ephraim. Et cæsus est ibi populus Israel ab exercitu Dauid, factaq; est plaga magna in die illa viginti millium. Fuit autem ibi prælium dispersum super faciem omnis terræ, & multò plures erant [a] quos saltus consumpserat de populo, quàm hi quos vorauerat gladius in die illa. Accidit autem vt occurreret Absalom seruis Dauid, sedens mulo: cumque ingressus fuisset mulus subter condensam quercum & magnam, [b] adhæsit caput eius quercui: & illo suspenso inter cœlum & terram, mulus, cui insederat, pertransiuit. Vidit autem hoc quispiam, & nuntiauit Ioab, dicens, Vidi Absalom pendere de quercu. Et ait Ioab viro qui nuntiauerat ei, Si vidisti, quare non confodisti eum † ibi in terram? & ego dedissem tibi decem argenti siclos, & vnum baltheum. Qui dixit ad Ioab, Si appenderes in manibus meis mille argẽteos, nequaquam mitterem manũ meã in filium regis: audientibus enim nobis præcepit rex tibi, & Abisai, & Ethai, dicens, Custodite mihi puerum Absalom. † Quod si fecissem, iniquè fecissem contra animam meam, quoniam nequaquam hoc regem latere potuisset, [c] & tu stares ex aduerso. Et ait Ioab, † Non sic mora trahenda est coràm te. Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas [d] in corde Absalom: cumq; adhuc palpitaret hærens in quercu, cucurrerũt decem iuuenes armigeri Ioab, & percutientes interfecerunt eum. Cecinit autem Ioab buccina, & retinuit populum, ne persequeretur fugientem Israel, volens parcere multitudini. Et tulerũt Absalom, & proiecerũt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis: omnis autem Israel fugit in tabernacula sua. Porrò Absalom erexerat sibi, cum adhuc viueret, titulum, qui est in valle regis: dixerat enim [e] Non habeo filium, & hoc erit monimentum nominis mei. Vocauitque titulum nomine suo, & appellatur, † Locus Absalom, vsque ad hanc diem. Achimaas autem filius Sadoc, ait, Curram, & nuntiabo regi: quòd iudicium fecerit ei Dominus de manu inimicorum eius. Ad quem Ioab dixit, Non eris † vir boni nuntij in hac die, sed nuntiabis in alia, hodie nolo te nuntiare, filius enim regis est mortuus. Et ait Ioab Chusi, Vade, & nuntia regi, quæ vidisti. Adorauit Chusi Ioab, & cucurrit. Rursus autem Achimaas filius Sadoc dixit ad Ioab, Quid impedit si etiam ego curram post Chusi? Dixitq; ei Ioab, Quid vis currere fili mi, † cum tibi pro nuntio nullum obuenturum sit munus? Qui respondit, Quid enim si cucurrero? Et ait ei, Curre. Currens ergo Achimaas per viam compendij, transuit Chusi. Dauid autem sedebat inter duas portas: speculator verò qui erat in fastigio portæ super murum, eleuans oculos, vidit hominem currentem solum. Et exclamans indicauit regi: dixitque rex, [f] Si solus est, bonum est nuntium in ore eius. Properante autem illo, & accedente propius, vidit speculator hominem alterum currentem, & vociferans in culmine, ait, Apparet mihi alter homo currens solus. Dixitque rex, Et iste † est nuntius. Speculator autem, Contemplor, ait, cursum prioris, quasi cursum Achimaas filij Sadoc. Et ait rex, Vir bonus est: & nuntium portans bonum, venit. Clamans autem Achimaas, dixit ad regem, † Pax. Et adorans regem coràm eo pronus in terram, ait, Benedictus Dominus Deus tuus, qui conclusit homines, qui leuauerunt manus suas contra Dominum meum regem. Et ait rex, Est ne pax puero Absalom? Dixitque Achimaas, Vidi tumultum magnum, cum mitteret Ioab † seruum regium & me seruum tuum: nescio aliud. Ad quem rex, Transi, ait: & sta hic. Cumq; ille transisset, & staret, apparuit Chusi: & veniens ait, Bonum apporto nuntium domine mi rex: iudicauit enim pro te Dominus hodie de manu omnium qui surrexerunt contra te. Dixit autem rex ad Chusi, Est ne pax puero Absalom? Cui respondens Chusi, Fiant, inquit, sicut puer, inimici domini mei regis: & vniuersi qui consurgunt aduersus eum in malum. Contristatus itaq; rex, ascendit cœnaculum portæ, & fleuit. Et sic loquebatur vadens, Fili mi Absalom, † fili mi Absalom, fili mi: quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te? Absalom fili mi, fili mi †.

SCHOLIA.

[a] Quos saltus consumpserat.] *Hoc est, vulnerati qui fugerunt ad syluam, perierunt in ea, aut lacerati sunt à bestijs malis, vel, vt quidam putant, ab arboribus sunt oppressi.* [b] Adhæsit caput eius quercui.] *Suspensus enim fuit per crinem in arbore.* [c] Et tu stares ex aduerso.] *Hoc est, & te passus fuissem aduersarium, qui à rege magis quàm à me stetisses.* [d] In corde Absalom.] *Capitur hic cor pro medio: non enim viuere potuisset, si tres lanceæ penetrassent cor eius, nec opus fuisset armigerorum fustibus, qui suis plagis illum interfecisse hic memorantur.* [e] Non habeo filium.] *Supra dicitur illum tres habuisse filios, & vnam filiam, sed mortui erãt. Aly tamen dicunt, quòd adhuc viuerent, sed essent inepti ad imperium.* [f] Si solus est, bonum est nuntium in ore eius.] *Fortassè ob id, quòd si res in contrarium cessisset, non vnus sed plures confusi ac fugientes venissent.*

Caput

CAPVT XIX.

NVntiatum est autem Ioab quòd rex fleret, & lugeret filium suum: & versa est victoria in luctum in die illa omni populo: audiuit enim populus in die illa dici, Dolet rex super filio suo. Et declinauit populus in die illa ingredi ciuitatem, quomodo declinare solet populus versus, & fugiens de prælio. Porrò rex operuit caput suum, & clamabat voce magna, Fili mi Absalom, † fili mi. Ingressus ergo Ioab ad regem in domum, dixit, Confudisti hodie vultus omnium seruorum tuorum qui saluam fecerunt animam tuam, & animam filiorum tuorum & filiarum tuarum, & animam vxorum tuarum, & animam concubinarum tuarum. Diligis odientes te, & odio habes diligentes te: & ostendisti hodie quòd nõ curas de ducibus tuis, & de seruis tuis: & verè cognoui modò, quòd si Absalom viueret, & omnes nos occubuissemus, tũc placeret tibi. Nunc igitur surge, & procede: & alloquens satisfac seruis tuis: iuro enim tibi per Dominum, quòd si non exieris, ne vnus quidem remansurus sit tecũ nocte hac: & peius erit hoc tibi, quàm omnia mala quæ venerunt super te ab adolescentia tua vsque in præsens. Surrexit ergo rex, & sedit in porta: & omni populo nuntiatum est quòd rex sederet in porta: venitq; vniuersa multitudo coràm rege, Israel autem fugit in tabernacula sua. Omnis quoque populus certabat in cunctis tribubus Israel, dicens, Rex liberauit nos de manu inimicorum nostrorum, ipse saluauit nos de manu Philisthinorum: & nunc fugit de terra propter Absalom. Absalom autem, quem vnximus super nos, mortuus est in bello: vsquequo siletis, & non reducitis regem? Rex verò Dauid misit ad Sadoc & Abiathar sacerdotes, dicens, Loquimini ad maiores natu Iuda, dicentes, Cur venitis nouissimi ad reducendum regem in domum suam? Sermo autem omnis Israel peruenerat ad regem, in domum eius. † [a] Fratres mei vos, os meum, & caro mea vos: quare nouissimi reducitis regem? Et Amasæ dicite, Nonne os meum, & caro mea es? Hæc faciat mihi Deus, & hæc addat: si non magister militiæ fueris coràm me omni tempore pro Ioab. Et inclinauit cor omnium virorum Iuda, quasi viri vnius: miseruntq; ad regem, dicentes, Reuertere tu, & omnes serui tui. Et reuersus est rex: & venit vsque ad Iordanem, & omnis Iuda venit vsque in Galgala, vt occurreret regi, & traduceret eum Iordanem. Festinauit autem Semei filius Gera filij Iemini de Bahurim, & descendit cum viris Iuda in occursum regis Dauid cum mille viris de Beniamin, & Siba puer de domo Saul: & quindecim filij eius, ac viginti serui erant cum eo: & irruperunt Iordanem ante regem, † [b] & transiuit nauis, vt traducerent domum regis, & facerẽt iuxta iussionem eius. Semei autem filius Gera prostratus coràm rege cum † ille transiret Iordanem, dixit ad eum, Ne reputes mihi domine mi iniquitatem, neque memineris iniuriarum serui tui in die qua egressus es domine mi rex de Ierusalem, neque ponas rex in corde tuo. Agnosco enim seruus tuus peccatum meum: & iccircò hodie primus veni [c] de omni domo Ioseph, descendiq; in occursum domini mei regis. Respondens verò Abisai filius Saruiæ, dixit, Nunquid pro his verbis non occidetur Semei, quia maledixit Christo Domini? Et ait Dauid, Quid mihi & vobis filij Saruiæ? cur efficimini mihi hodie in satan? ergóne hodie interficietur vir in Israel? an ignoro hodie me factum regem super Israel? Et ait rex Semei, Non morieris. Iurauitq; ei. Miphibóseth quoq; filius Saul descendit in occursum regis illoris pedibus, & intonsa barba: vestesq; suas nõ lauerat à die qua egressus fuerat rex, vsque ad diem reuersionis eius in pace. Cumq; in Ierusalem occurrisset regi, dixit ei rex, Quare non venisti mecum Miphibóseth? Et respondens ait, domine mi rex, seruus meus † fefellit me: dixiq; ei, ego famulus tuus vt sterneret mihi asinum, & ascendens abirem cum rege: claudus enim sum seruus tuus. Insuper & accusauit me seruum tuum ad te dominum meum regem: tu autem domine mi rex, sicut angelus Dei es, fac quod placitum est tibi. Neq; enim fuit domus patris mei, nisi morti obnoxia domino meo regi: tu autem posuisti me seruum tuum inter conuiuas mensæ tuæ: quid ergo habeo iustæ querelæ? aut quid possum vltra vociferari ad regem? Ait ergo ei rex, [d] Quid vltra loqueris? † dixi: tu, & Siba diuidite possessiones. Respondirq; Miphibóseth regi, Etiam cuncta accipiat, postquam reuersus est dominus meus rex pacificè in domum suam. Berzellai quoq; Galaadites, descẽdẽs de Rogelim † traiecit ante regem Iordanem, paratus etiam vltra fluuium prosequi eum. Erat autem Berzellai Galaadites senex valde, id est octogenarius, & ipse præbuit alimenta regi, cum moraretur in † Mahenaijm: fuit quippe vir diues nimis. Dixit itaque rex ad Berzellai, Veni mecum, † & cibabo te apud me in Ierusalem. Et ait Berzellai ad regem. Tot sunt dies annorum vitæ meæ, & ascendam cum rege in Ierusalem? Octogenarius sum hodie: nũquid vigent sensus mei ad discernendum suaue aut amarum? aut delectare potest seruum tuum cibus & potus? vel audire possum vltra vocem cantorũ atq; cantatricum? quare seruus tuus sit oneri domino meo regi? Paululũ procedat famulus tuus ab Iordane tecũ: nõ indigeo hac vicissitudine, sed obsecro, vt reuertar seruus tuus, & moriar in ciuitate mea, & sepeliar iuxta sepulchrum patris mei & matris meæ. Est autem seruus tuus Chamaam, ipse vadat tecum domine mi rex, & fac ei quicquid tibi bonũ videtur. Dixit itaq; rex, Mecũ transeat Chamaam, & ego faciam ei quicquid tibi placuerit: & omne quod petieris à me, impetrabis. Cumq; trãsisset vniuersus populus & rex Iordanem, osculatus est rex Berzellai, & benedixit ei: & ille reuersus est in locũ suum. Transiuit ergo rex in Galgalam, & Chamaam cum eo: omnis autem populus Iuda traduxerat regem, & media tantum pars affuerat de populo Israel. Itaq; omnes viri Israel concurrentes ad regem, dixerũt ei, [e] Quare te furati sunt fratres nostri viri Iuda, & traduxerunt regem & domum eius Iordanem, omnesq; viros Dauid cum eo? Et respondit omnis vir Iuda ad viros Israel, Quia mihi propior est rex: cur irasceris super hac re? nunquid comedimus aliquid ex rege, aut munera nobis data sunt? Et respondit vir Israel ad viros Iuda, & ait, Decem partibus maior ego sum apud regem, magisq; ad me pertinet Dauid, quàm ad te: cur feci sti mihi iniuriam, & non mihi nuntiatum est priori, vt reducerem regem meum? Durius autem responderunt viri Iuda viris Israel.

Scholia.

3. Reg. 2. b

Supra 16. c

Supra 16. a

2. Re. 16. a

3. Reg. 2. b

Supra 17. g

SCHOLIA.

[a] Fratres mei vos.] *Adhærent hæc verba superioribus illis, cur veniſtis notiſſimi ad reducendum regem in domum ſuam? Vt cætera dicta per parentheſin ſint. Nam cum omnis Iſrael decreuiſſet reducere regem, nolebat Dauid tribum ſuam videri minus alacrem reliquis tribubus.* [b] Et tranſiuit nauis.] *Intelligendum putant nauim, qua familia regis Iordanē traiecit.* [c] De omni domo Ioſeph.] *Per domum Ioſeph communiter intelliguntur hæ tres tribus, Beniamin, Ephraim, & Manaſſe.* [d] Quid vltra loqueris.] *Reſpondit Dauid ipſi Mephiboſeth durè, & plus æquo credulus fuit ſeruo Sibæ, qui impiè traduxit dominum ſuum apud regem. Et ſecundum Hebræos ob hanc iniquam ſententiam, qua Dauid ſeruū Mephiboſeth participem fecit omnium bonorum domini ſui, factum eſt, vt regnum Dauid paulo poſt in duas ſcinderetur partes, & vna medietas traderetur ſeruo Roboam, nempe Ieroboam.* [e] Quare te furati ſunt.] *Hoc eſt, cur clam tranſiuexerunt te viri Iuda, vt te in regnum reſtituerent nobis neſcientibus.*

CAPVT XX.

ACcidit quoq;, vt ibi eſſet vir Belial nomine Seba filius Bochri, vir Ieminæus: & cecinit buccina, & ait, A
non eſt nobis pars in Dauid, neq; hæreditas in filio Iſai: reuertere in tabernacula tua Iſrael. Et ſeparatus eſt omnis Iſrael à Dauid, ſecutusq; eſt Seba filiū Bochri: viri autem Iuda adhæſerunt regi ſuo à Iordane vſq; Ieruſalem. Cumq; veniſſet rex in domum ſuam in Ieruſalem, tulit decē mulieres concubinas ſuas, quas dereliquerat ad cuſtodiendam domum, & tradidit eas in cuſtodiam, alimenta eis præbens: & non eſt ingreſſus ad eas, ſed erant clauſæ vſq; in diem mortis ſuæ in viduitate viuentes. Dixit autem rex Amaſæ, Conuo B
ca mihi omnes viros Iuda in diem tertium, & tu adeſto præſens. Abijt ergo Amaſa vt conuocaret Iudam, & moratus eſt extra placitum quod ei conſtituerat. Ait autem Dauid ad Abiſai, Nunc magis afflicturus eſt nos Seba filius Bochri, quàm Abſalom: tolle igitur [a] ſeruos domini tui, & perſequere eum, ne fortè inueniat ciuitates munitas, & effugiat nos. Egreſſi ſunt ergo cū eo viri Ioab, Cerethi quoq;, & Phelethi: & omnes robuſti exierunt de Ieruſalem ad perſequendum Seba filium Bochri. Cumq; illi eſſent iuxta lapidem grandem qui C
eſt in Gabaon, Amaſa † præcedebat eos. Porrò Ioab veſtitus erat tunica † ſua, & déſuper accinctus gladio de
3 Reg. 2. a pendente vſq; ad ilia in vagina, & [b] egreſſus eſt Ioab, & cecidit gladius. Dixit itaq; Ioab ad Amaſam, Salue mi frater. Et tenuit manu dextera mentum Amaſæ, quaſi oſculans eum. Porrò Amaſa non obſeruauit gladium, quem habebat Ioab: qui percuſſit eum in latere, & effudit inteſtina eius in terram, & mortuus eſt, nec ſecundum vulnus appoſuit. Ioab autem, & Abiſai frater eius perſecuti ſunt Seba filium Bochri. Interea quidam vi D
ri cum ſtetiſſent iuxta cadauer Amaſæ de ſocijs Ioab, dixerunt, [c] Ecce qui eſſe voluit pro Ioab comes Dauid. Amaſa autem conſperſus ſanguine, iacebat in media via. Vidit hoc quidam vir q̄ ſubſiſteret omnis populus, † & amouit Amaſam de via in agrum: operuitq; eum veſtimento, ne ſubſiſterent tranſeuntes, propter eum. Amoto ergo illo de via, tranſibat omnis vir ſequens Ioab ad perſequendum Seba filium Bochri. Porrò ille tranſierat per omnes tribus Iſrael vſq; in Abelam, & Bethmaacha: † & omnia loca Berim, & iſti congregati E
venerūt poſt eū. Venerūt itaq;, & oppugnabant eū in Abela, & in Bethmaacha, & circūdederūt munitionibus ciuitatē, & obſeſſa eſt vrbs: omnis autem turba, quæ erat cū Ioab, moliebatur deſtruere muros. Et exclamauit mulier ſapiens de ciuitate, Audite audite, dicite Ioab, Appropinqua huc, & loquar tecum. Qui cū accęſsiſſet ad eā, ait illi, Tu es Ioab? Et ille reſpondit, Ego ſum. Ad quē ſic locuta eſt, Audi ſermones ancillę tuæ. Qui reſpondit, Audio. Rurſumq; illa, Sermo, inquit, dicebatur in veteri prouerbio, [d] QVI INTERRO- F,
GANT, interrogent in Abela: & ſic perficiant. Nonne ego ſum † ex pacificis & fidelibus Iſrael, & tu queris ſubuertere ciuitatem, & euertere matrem in Iſrael? quare præcipitas hæreditatem Domini? Reſpondensq; Ioab, ait, Abſit, abſit hoc à me, non præcipito, neque demolior. Non ſic ſe haber res, ſed homo de monte Ephraim Seba filius Bochri † nomine, leuauit manum ſuam contra regem Dauid: tradite illum ſolum, & recedemus à ciuitate. Et ait mulier ad Ioab, Ecce caput eius mittetur ad te per murum. Ingreſſa eſt ergo ad om- G
nem populum, & locuta eſt eis ſapienter: qui abſciſſum caput Sebæ filij Bochri proiecerunt ad Ioab. Et ille cecinit tuba, & receſſerunt ab urbe, unuſquiſque in tabernacula ſua: Ioab autem reuerſus eſt Ieruſalem ad regem. [e] Fuit ergo Ioab ſuper omnem exercitum Iſrael: Banaias autem filius Ioiadæ ſuper Cerethæos, & Phelethæos: Aduram uerò ſuper tributa: porrò Ioſaphat filius Ahilud, à commentarijs: Siua autem, ſcriba: Sadoc uerò & Abiathar, ſacerdotes: Ira autem Iairites erat [f] ſacerdos Dauid.

SCHOLIA.

[a] Seruos domini tui.] *Hoc eſt, milites qui ſub Ioab duce pugnare conſueuerunt.* [b] Egreſſus eſt.] *Hoc eſt, inter eundum è vagina lapſus eſt, quem tenuit Ioab manu ſua ſiniſtra, quo minus Amaſa dolum ſuſpicaretur.* [c] Ecce qui eſſe uoluit.] *Alius uertit. Qui conſentit cum Ioab, atque qui conſentit cum Dauid, poſt Ioab eat: Vt ſit ſenſus. Stetiſſe illum inxta cadauer, vt ſubſiſtentes moneret, ſi bene cuperent Ioab & Dauid, ſtrenuè perſequerentur Sebam. Cum autem videret, ſe nihil proficere, voluit cadauer à uia in agrum, & contexit ueſtimento.* [d] Qui interrogant interrogent in Abela.] *Locus hic in Hebræo obſcurus eſt, & videtur alludere ad illud Moſaicum. Cum perrexeritis oppugnare ciuitatem, primo offeretis ei pacem, & ſi illa noluerit vobiſcum inire pacem, impugnabitis eam. Vnde Ionatas Chal. hunc locum ſic vertit. Et ait mulier: recordor nunc quod ſcriptum eſt in libro legis, vt rogetur ciuitas in prmis, ſic quoque fuerat tibi interrogandum pro Abela, num pacem vellent. Alius hunc ſenſum elicit. Ecce qui venerunt cum Seba, primum locuti ſunt cum habitatoribus Abela, interrogantes num et ipſi cupiant conſpirare contra regem. Tu igitur propterea deſtrues ciuitatem, quæ ſemper pacifica, integra, & fidelis inuenta eſt, etiamſi quidam, non autem omnes abierint in ſententiam Sebæ?* [e] Fuit ergo Ioab. *Licet Dauid ſubmouerit eum ab officio ſuo, tamen cum Amaſa amplius non extaret, quem in locum eius ſurrogauerat, & ille regni æmulum Sebam extinxerat, ſuſtinuit eum Dauid vſque ad mortem ſuam.* [f] Sacerdos Dauid.] *Hoc eſt, quem Dauid inſtituit, & quo Dauid præ cæteris vſus eſt.*

Caput

CAPVT XXI.

A FActa eſt quoq; fames in diebus Dauid tribus annis iugiter: & conſuluit Dauid oraculum Domini. Dixitq; Dominus, Propter Saul, & domum eius ſanguinum, [a] quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis rex, dixit ad eos. Porrò Gabaonitæ non erant de filijs Iſrael, ſed reliquiæ Amorrhæorum: filij quippe Iſrael iurauerant eis, & voluit Saul percutere eos † ex zelo ſuo pro filijs Iſrael, & Iuda. Dixit ergo Dauid ad Gabaonitas, Quid faciam vobis? & quod erit veſtri piaculum, vt benedicatis hęreditati Domini? Dixeruntq; ei Gabaonitę, † Nolumus habere argentum vel aurum à Saul & à domo eius: neq; volumus vt interficiatur homo de Iſrael. Ad quos ait, Quid ergo vultis vt faciam vobis? Qui dixerunt regi, Virum, qui attriuit nos & oppreſsit iniquè, ita delere debemus, † ne ſtet in vllo termino Iſrael. Dentur nobis ſeptem viri de
B filijs eius, & crucifigemus eos Dño in Gabaa Saul † electi Dñi. Et ait rex Ego dabo. Pepercitq; rex Miphibó- 1. Reg. 18. a
ſeth filio Ionathæ filij Saul, propter iuſiurandum Dñi quod fuit inter Dauid, & inter Ionathan filium Saul. Tulit itaq; rex duos filios Reſpha filię Aia, quos peperit Sauli, Armoni, & Miphibóſeth: & quinq; [b] filios Michol filiæ Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi, & dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coràm Domino: & ceciderunt hi ſeptem ſimul occiſi in diebus meſsis primis, incipiēte meſsione hordei. Tollens autem Reſpha filia Aia [c] ciliciū, ſubſtrauit ſibi ſupra petram ab initio meſsis, donec ſtillaret aqua ſuper eos de cœlo: & nō dimiſit aues lacerare eos per diem, neq; beſtias per
noctem. Et nuntiata ſunt Dauid, quæ fecerat Reſpha filia Aia concubina Saul. Et abijt Dauid, & tulit oſſa 1. Re. 31. e
C Saul, & oſſa Ionathan filij eius à viris Iabes Galaad, qui furati fuerant ea de platea Bethſan, in qua ſuſpenderāt eos Philiſthijm cum interfeciſſent Saul in Gelboe, & aſportauit inde oſſa Saul, & oſſa Ionathæ filij eius: † ſed & oſſa collegerunt eorum, qui affixi fuerant, † ſepelieruntque oſſa Saul, & Ionathan filijs eius in terra Beniamin, in † zela, in ſepulchro Cis patris eius: fecerūtq; omnia, quæ præceperat rex, & repropitiatus eſt Deus terræ poſt hæc. Factum eſt autem rurſum prelium Philiſthinorum aduerſum Iſrael, & deſcēdit Dauid & ſerui eius cum eo, & pugnabant cōtra Philiſthijm. Deficiente autē Dauid, Iesbibenob, qui fuit de genere
Arapha, cuius haſta trecentos † ſiclos appendebat, & accinctus erat enſe nouo, niſus eſt percutere Dauid. Prę- 1. Par. 20. c
ſidioq; ei fuit Abiſai filius Saruiæ, & percuſſum Philiſtheum interfecit. Tunc iurauerunt viri Dauid, dicētes,
D Iam non egredieris nobiſcum in bellum ne extinguas lucernā Iſrael. Secundum quoq; bellum fuit in Nob cōtra Philiſthæos: tunc percuſſit Sobochai de Huſathi, Saph de ſtirpe Arapha. Tertium quoq; fuit bellū in Gob cōtra Philiſthæos, in quo percuſsit † Elhanan filius Iaere Orgim Bethlehemites Goliath Gethæum, cuius haſtile haſtę erat quaſi liciatorium texentiū. Quartū bellum fuit iñ Geth: in quo vir fuit excelſus, qui ſenos in manibus pedibuſq; habebat digitos, id eſt vigintiquatuor, & erat de origine Arapha. Et blaſphemauit Iſrael: percuſsit autem eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Hi quatuor nati ſunt de Arapha in Geth, & ceciderunt in manu Dauid, & ſeruorum eius.

SCHOLIA.

[a] Quia occidit Gabaonitas.] *Putant quidam id factum in ciuitate Nob, quando Saul ſacerdotes Domini trucidauit. Erant enim Gabaonitæ apud ſacerdotes, cædentes eis ligna, & aquam haurientes. Alij dicunt, quòd Saul zelo quodam indi ſcreto motus, voluerit omnino extirpare Gabaonitas, etiam contra iuramentum illis à maioribus factum, & à Deo approbatum, quam iniuriam Dominus hic vlciſci voluit. Sed quomodo iubentur filij occidi pro patre, cum filij parentum crimina portare non debeant, & è contra? Dicendum, quòd homo non debet punire filios propter iniquitatem parentum, Deus autem vltra iniquitatem patrum etiam in quarta generatione, alijs hominibus in exemplum, præſertim ſi filij fuerint impij. Sic Hebræi hunc nodum ſoluunt.* [b] Filios Michol.] *Michol non habuit filios, nec fuit vxor Adrielis, ſed intelligitur hic ſecūdū Hebræos, per Michol ſoror eius Merab, quæ ſenior fuit, quàm Michol.* [c] Cilicium ſubſtrauit.] *Expandit mulier ſaccum in loco vbi ligno affixi pendebant filij eius, vt illo ſeſe per diem & noctem contegeret. Manſiſſe etiam ibi ſcribitur, donec pluuia de cœlo ſtillauit, orans interim Dominum, vt propter ſupplicium filiorum ſuorum auerteret iram ſuam, daret conſuetas pluuias, & auferret ſterilitatem terræ, atque famem ab hominibus. Huius autem mulieris egregio facto permotus Dauid, iuſſit deponi cadauera, atque ſepulturæ tradi.*

CAPVT XXII.

A LOcutus eſt autem Dauid Domino verba carminis huius in die, qua liberauit eum Dominus de manu omnium inimicorum ſuorum, & de manu Saul. Et ait, Dominus petra mea, & † arx mea, & ſaluator meus. Deus fortis meus ſperabo in eum: ſcutum meum & [a] cornu ſalutis meæ, eleuator meus, & refugium meum: ſaluator meus, † ab iniuria liberabis me. Laudabilem inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Quia circundederunt me cōtritiones mortis: [b] torrentes Belial terruerunt me. † Do- Pſal. 17.
lores inferi circundederunt me: prœuenerunt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocabo Dominum, & ad Deum meum clamabo: & exaudiet de templo ſuo vocem meam, & clamor meus veniet ad aures eius. Cō-
B mota eſt, & contremuit terra, & fundamenta † cœlorum concuſſa ſunt, & commota, quoniam iratus eſt eis. Aſcendit fumus de naribus eius, & ignis de ore eius vorabit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo. Et inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius. [c] Et aſcendit ſuper cherubim, & volauit: & lapſus eſt ſuper pennas venti. [d] Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum: † denſas aquas de nubibus cœlorum. † A ſplendore præſentiæ ſuæ ſuccenſi ſunt carbones ignis. Tonabit de cœlo Dominus, & excelſus dabit vocem ſuam. Miſit ſagittas, & diſſipauit eos fulgur, & conſumpſit eos. Et apparuerunt effuſiones maris, & reuelata ſunt fundamenta orbis ab increpatione Domini, ab inſpiratione ſpiritus furoris eius. Miſit de cœlo, & aſſumpſit me,
C & extraxit me de aquis multis. Liberauit me ab inimico meo potentiſsimo, & ab his qui oderant me: quoniam robuſtiores me erant. Præuenit me in die afflictionis meæ, & factus eſt Dominus firmamentum meum, & eduxit me in lautudinem: liberauit me, quia complacui ei. Retribuet mihi Dominus ſecundū iu-

ſtitiam meam, & ſecundum munditiam manuum mearum reddet mihi. Quia cuſtodiui vias Domini, & C
non egi impiè à Deo meo. Omnia enim iudicia eius in conſpectu meo, & præcepta eius non amoui à me.
Et ero perfectus coràm eo, & [c] cuſtodiam me ab iniquitate mea. Et reſtituet mihi Dominus ſecundum iuſtitiam meam: & ſecundum munditiam manuum mearum, in conſpectu oculorum ſuorum. Cum ſancto ſanctus eris, & cum † perfecto perfectus. Cum † mundo mundus eris, & cum peruerſo peruerteris. Et populum pauperem ſaluum facies, oculisque tuis excelſos humiliabis. Quia tu lucerna mea Domine, & tu Domine illuminabis tenebras meas. In te enim † conteram exercitum, in Deo meo tranſiliam murum. Deus [f] immaculata via eius, eloquium Domini igne examinatum: ſcutum eſt omnium ſperantium in ſe. Quis eſt Deus præter Dominum: & quis fortis, præter Deum noſtrum? Deus qui accinxit me fortitudine, & [g] complanauit perfectam viam meam. Coæquàs pedes meos ceruis, & ſuper excelſa mea ſtatuens me. Docens manus meas ad prælium, † vt etiam frangatur arcus æreus brachijs meis. Dediſti mihi clypeum ſalutis tuæ, & D
manſuetudo tua multiplicauit me. Dilataſti greſſus meos ſubtus me, & non deficient tali mei. Perſequar inimicos meos, & conteram, & non reuertar donec conſumam eos. Conſumam eos & confringam, vt non con
ſurgant: cadent ſub pedibus meis. Accinxiſti me fortitudine ad prælium, incuruabis reſiſtentes mihi ſubtus
me. Inimicos meos [h] dediſti mihi dorſum: odientes me, & diſperdam eos. Clamabunt, & non erit qui ſaluet: ad Dominum, & non exaudiet eos. Delebo eos, vt puluerem terræ: quaſi lutum platearum comminuí
eos atque confringam. Saluabis me à contradictionibus populi mei: cuſtodies me in caput gentium. Populus quem ignoro, ſeruiet mihi: [i] filij alieni † mentientur mihi, auditu auris obedient mihi. Filij alieni de-
fluxerunt, & contrahentur in anguſtijs ſuis. Viuit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltabitur Deus
Rom. 15. b fortis ſalutis meæ. Deus qui das vindictas mihi, & deijcis populos ſub me. Qui educis me ab inimicis meis,
& à reſiſtentibus mihi eleuas me: à viro iniquo liberabis me. Propterea confitebor tibi Domine in gentibus,
& nomini tuo cantabo: Magnificans ſalutes regis ſui, & faciens miſericordiam CHRISTO SVO DAVID,
& ſemini eius in ſempiternum.

SCHOLIA.

[a] Cornu ſalutis.] *Abyt apud Hebræos cornu ſalutis in prouerbium, vſurpaturq́ pro ſalute & inſigni victoria. Vt enim cornu corona eſt cornuti animalis, ita diuina & ſumma liberatio cornu vocatur ſalutis.*

[b] Torrentes Belial.] *Metaphorica eſt locutio, intelligiturq́ per eam vehemens tyrannorum perſecutio, quæ inundationi comparatur aquarum: ſic quod ſequitur. Dolores inferni circundederunt me, hoc eſt: tanti dolores vndique mihi imminuerunt, vt potuerint me exanimare, & deducere in ſepulchrum. Nullibi non poſita erant offendicula, & laquei mortis, ſed Deus vnicum refugium meum ex his omnibus me liberauit. Cuius furor hoſtibus ſuis eſt tam intolerabilis, vt cum ipſe pro ſuis pugnat, videatur illis, cœlum ac terram commoueri. Vocat verò hic fundamenta cœlorum, montes ipſos, qui cœlos ſuſtentare videntur.* [c] Aſcendit ſuper Cherubim.] *Velocißimè velut volucrem inequitat, & velocior eſt vento ipſo.*

[d] Poſuit tenebras.] *Senſus eſt: mirabilis & terribilis eſt Deus in ſublimibus aeris partibus. Nam videtur illic habitare in tugurys tenebroſis, quando ſubitò liquidum aerem cogit in denſas & obſcuras nubes, & effundit imbres inundantes, atq́ in medijs aquis incendit terribilem ignem, qui coruſcat ab oriente in occidentem, caditq́ in modum carbonum de cœlo. Hinc demittit ignita ſpicula, etiam robuſtißima ſaxa penetrantia, hinc horribiliter tonat, deijcit lapides, qui animalia & homines interimunt, & terræ naſcentia ad terram proſternunt. Hinc flat Dominus per nares ſuas, vt flatus etiam ille fundamentum maris denudet, & aquas ſupra modum hinc inde iactet. Qui igitur tam potens eſt, huic fidere atque inniti omnino debemus.*

[e] Cuſtodiam me ab iniquitate mea.] *Hoc eſt, natam intra me quamlibet malam ſug geſtionem reprimo, & illi conſenſum non præbeo. Quin & conſortium fugi malorum hominum non ignoras, quòd apud pios diſcitur pietas, et apud peruerſos impietas.* [f] Immaculata via eius.] *Vel, integer eſt in via ſua: reddens ſcilicet cuiq́ iuxta opera ſua.* [g] Et cõplanauit.] *Vel aperuit mihi in bello viam perfectam. Hoc eſt, quando veni intra media agmina hoſtium, vt non eſſet poſſibilis euaſio: fecit mihi Dominus perfectam viam, & eduxit me illæſum.* [h] Dediſti mihi dorſum.] *Hebraiſmus eſt, pro, in fugam eos conuertiſti, vt dorſum obuerterent mihi.* [i] Mentientur mihi.] *Ficto animo parent mihi.*

CAPVT XXIII.

HÆc autem ſunt [a] verba † Dauid nouiſſima: dixit Dauid filius Iſai: Dixit vir qui conſtitutus † erat A
IN CHRISTVM DEI Iacob, egregius pſaltes Iſrael. Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam. [b] Dixit Deus Iſrael † de me, locutus eſt fortis Iſrael: dominator hominum, iuſtus dominator in timore Dei. [c] Sicut lux auroræ oriente ſole, manè abſque nubibus rutilat, & † à
pluuia hærba de terra. Non ſic erit domus mea apud Deum, † quia pactum æternum iniit mecum firmum
in omnibus atque munitum: cuncta enim ſalus mea, & omnis voluntas: † quæ non vt germen creſcat. Prævaricatores autem quaſi ſpinæ euellentur vniuerſi: quæ non tolluntur manibus. Et ſi quis tangere voluerit
eas, armabitur ferro, & ligno lanceato, igneq́ ſuccenſæ comburentur † in ipſo loco. Hæc nomina fortium
Dauid, [d] ſedens in cathedra ſapientiſſimus princeps inter tres, ipſe † erat delicatus & ligneus, qui octingen- B
tos interfecit impetu vno. Poſt hunc Eleazar filius † Dodi filij Ahohi inter tres fortes, qui erant cum Dauid
quando exprobrauerunt Philiſthijm, & congregati ſunt illuc in prælium: Cumq́ aſcendiſſent viri Iſrael, ipſe ſtetit & percuſſit Philiſthæos donec deficeret manus eius, & obrigeſceret cum gladio: fecitq́ Dominus ſalutem magnam die illa: & populus qui fugerat, reuerſus eſt ad ceſorum ſpolia detrahenda. Et poſt hũc, Semma filius Agge de Arari: congregati ſunt Philiſthijm † iuxta villam quandam, erat quippe ibi ager lente plenus. Cumq́ fugiſſet populus à facie Philiſthijm, ſtetit ille in medio agri, & tutatus eſt eum, percuſſitq́ Philiſthæos: & fecit Dominus ſalutem magnam. † Deſcenderant verò tres iſti principes qui erant ex triginta pre- C
cipuis ducibus, & venerant tempore meſsis ad Dauid in ſpeluncã Odollam: caſtra autem Philiſthinorũ erant
poſita in valle Gigantum. Et Dauid erat in præſidio: Porrò ſtatio Philiſthinorum tunc erat in Bethléhem.

Deſyderauit

Deſyderauit ergo Dauid, & ait, O ſi quis mihi daret potũ aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethléhem iuxta portam. Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt [e] aquam de ciſterna Bethléhem, quæ
erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid: at ille noluit bibere, ſed libauit eam Domino, dicens, Propitius ſit
mihi Dominus, ne faciam hoc: num ſanguinem hominum iſtorum qui profecti ſunt, & animarum periculum bibam? Noluit ergo bibere: hæc fecerunt tres robuſtiſsimi. Abiſai quoque frater Ioab filius Saruiæ,
princeps erat de tribus: ipſe eſt qui leuauit haſtam ſuam contra trecentos, quos interfecit, nominatus in tribus, & inter tres nobilior, eratq́ eorum princeps, ſed vſque ad tres primos non peruenerat. Et Banaias fi-
lius Ioiadæ viri fortiſsimi magnorum operum de Cabſeel: ipſe percuſsit duos † fortes leones Moab, & ipſe
D deſcendit, & percuſsit leonem in media ciſterna in diebus niuis. Ipſe quoque interfecit virum Ægyptium,
virum dignum ſpectaculò, habentem in manu haſtam: itaque cum deſcendiſſet ad eum in virga, vi extorſit
haſtam de manu Ægyptij, & interfecit eum haſta ſua: hæc fecit Banaias filius Ioiadæ. Et ipſe nominatus
inter tres robuſtos, [g] † inter triginta honorabiliores: veruntamen vſque ad tres non peruenerat: fecitq́ eum
ſibi Dauid auricularium à ſecreto. Aſael frater Ioab inter triginta, Elehanan filius † Dodo de Bethléhem,
Séma de Harodi, Elica de Harodi, Heles de Phalti, Hira filius Acces de Thecua, Abiezer de Anathoth,
Mobonnai de Huſathi, Selmon Ahohites, Maharái Netophathites, Heled filius Baana, & ipſe Netopha-
thites, Ithai, filius Ribai de Gabaath filiorũ Beniamin, Banáia Pharathonites, Heddai de torrente Gaas,
Abialbon Arbathites, Azmáueth de Beromi, Eliaba de Salaboni. Filij Iaſſen, Ionathan. Semma de
Arori, Ahiam filius Sarar Ararites, Eliphélet filius Aasbi filij Machati, Eliam filius Achitóphel Gelo-
nites, Heſrái de Carmelo, Pharái de Arbi, Igaal filius Nathan de Soba, Bani de Gadi, Selec de Am-
moni, Naharái Berothites armiger Ioab filij Saruię, Ira Ietrites, Gareb & ipſe Iethrites, Vrias Hetheus,
Omnes triginta ſeptem.

SCHOLIA.

[a] Verba nouiſſima.] *Non abſolutè vltima, ſed quæ poſt omnes pſalmos ſpiritu ſancto ſuggerente dixit.* [b] Dixit Deus Iſrael de me.] *Fortis Deus Iſrael dixit ad Samuelem prophetam de me, quod ego futurus eſſem dominator in hominibus, vnxitque me in regem, & voluit vt præeſſem in timore Dei, & conſeruarem iuſtitiam. Chal. interpres intelligit id dictum de Meſſia.* [c] Sicut lux auroræ.] *Senſus eſt. Creſcet regnum meum, ſicut lux matutina, quæ paulatim in maiorem accreſcit claritatem. Lux autem, quæ nube turbatur, aut pluuia, nihil proderit, niſi quòd hærbam creſcere facit citò perituram. Non ſic erit regnum meum, quod fœdere Dei interueniente eſt firmatum, ex quo procedet ſalus mea & totum deſyderium meum. ſcilicet Chriſtus Dei: hoc non creſcet ſicut hærba, quæ mox areſcit, ſed regni huius non erit finis. Impy verò & viri Belial, qui regni tyrannicè præſunt, ſunt vt ſpinæ euulſæ, quæ ſine ferreis inſtrumentis tractari non poſſunt, aut certè igni ſunt exurendæ. Sic omnia regna mundi tandem degenerant in interitum: ſolum regnum Dauidicum & Chriſti manet in æternum.*

[d] Sedet in cathedra.] *Deſcribitur hic catalogus inſignium militum, quos Dauid habuit in aula ſua, quos celebrat ſcriptura propter inſignia eorum facta, quæ inter hoſtes egerunt. Et primò deſcribuntur tres cæteris omnibus eminẽtiores, inter quos tamen vnus primatum dignitatis habuit, cuius nomen hic non aliter exprimitur, quàm quòd ſederit in ſolio ſapientiæ: & hunc plerig, Hebræi putant Dauid fuiſſe. Hic fuit delicatus & ſyncerus in ſtudio legis, contra hoſtes verò fuit, quaſi lignum durum & inſenſibile, aly verò putant hunc alium quempiam athletam fuiſſe fortiſsimum.* [e] Aquam de ciſterna.] *Non cuiuslibet aquæ erat ei appetitus, ſed illius, quæ in Bethleem erat.* [f] Abiſai quoque.] *Ponitur hic alius ternarius egregiorum athletarum, ſed qui in factis ſuis, primis tribus non adæquantur: è quibus nobilior fuit Abiſai, qui trecentos in vno bello peremit hoſtes. Alter Banaias, qui duos duces Moab interfecit, quos fortes leones vocat. Sed & leonem occidit in ipſa niue, quando beſtiæ ſyluestres sæuiores ſunt, & plus homini inſidiantur.* [g] Inter triginta honorabilis.] *Inter triginta ſcilicet illos, quorum nomina mox recenſentur.*

CAPVT XXIIII.

A ET addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, [a] commouitq́; Dauid in eis dicentem, Vade, numera Iſrael
& Iudam, Dixitque rex ad Ioab, principem exercitus ſui, Perambula omnes tribus Iſrael à Dan vſque
Berſabee, & numerate populum, vt ſciam numerum eius. Dixitq́; Ioab regi, Adaugeat Dominus Deus
tuus ad populum tuum, quantus nunc eſt, † & centuplicet in conſpectu Domini mei regis: ſed quid ſibi Dñs
meus rex vult in re huiuſcemodi? Obtinuit autẽ ſermo regis verba Ioab, & principũ exercitus: egreſſusq́; eſt
Ioab, & principes militum à facie regis, vt numerarent populum Iſrael. Cũq́; pertranſiſſent Iordanem, vene
runt in Aroer ad dexteram vrbis, quæ eſt in valle Gad: † contra Iazer, deinde venerunt in Galaad, & in terrã
B inferiorem Hadſi, & venerũt in Dan † Iaan. Circũeunteſq́; iuxta Sidonẽ tranſierunt propè mœnia Tyri, &
omnẽ terrã Heuæi & Chananæi, veneruntq́; ad meridiẽ Iuda in Berſabee: & luſtrata vniuerſa terra affuerunt
poſt nouem menſes & viginti dies in Ieruſalẽ. Dedit ergo Ioab numerũ deſcriptionis populi regi: & inuenta
ſunt de Iſrael octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium: & de Iuda quingenta millia pu-
gnatorum. Percuſsit autem cor Dauid eum, poſtquam numeratus eſt populus: & dixit Dauid ad Domi-
num, Peccaui valde in hoc facto: ſed precor Domine, vt transferas iniquitatem ſerui tui, quia ſtultè egi ni-
mis. Surrexit itaque Dauid manè, & ſermo Domini factus eſt ad Gad prophetam & videntem Dauid, dicens,
C Vade, & loquere ad Dauid, Hęc dicit Dominus, Trium tibi datur optio, elige vnum quod volueris ex his, vt
faciam tibi. Cũq́; veniſſet Gad ad Dauid, nuntiauit ei, dicens, [b] Aut ſeptem annis veniet tibi fames in ter
ra tua: Aut tribus menſibus fugies aduerſarios tuos, & illi te perſequẽtur: Aut certè tribus diebus erit peſti
lẽtia in terra tua. Nunc ergo delibera, & vide quę reſpondeam ei, qui me miſit, ſermonẽ. Dixit autẽ Dauid ad
Gad, Coarctor nimis: ſed melius eſt, vt incidam in manus Domini (multæ enim miſericordiæ eius ſunt) q̃
in manus hominum. Immiſitq́; Dominus peſtilentiam in Iſrael, de mane vſque ad tempus conſtitutum, &
mortui ſunt ex populo, à Dan vſque ad Berſabee, ſeptuaginta millia virorum. Cumq́; extendiſſet manum

ſuam angelus Domini ſuper Ieruſalem, vt diſperderet eam, miſertus eſt Dominus ſuper afflictionem,& ait angelo percutienti populum,Sufficit,nunc contine manum tuam: erat autem angelus Domini iuxta aream Areunę Iebuſæi. Dixitq; Dauid ad Dominum cum vidiſſet angelum cædentē populum, Ego ſum qui peccaui,& ego iniquè egi:iſti,qui oues ſunt,quid fecerunt? vertatur obſecro manus tua contra me, & contra domum patris mei. Venit autem Gad propheta ad Dauid in die illa, & dixit ei, Aſcende, & conſtitue altare Domino in area [c] Areunæ Iebuſæi. Et aſcendit Dauid iuxta ſermonem Gad, quem præceperat ei Dominus. D Conſpiciensq; Areuna, animaduertit regem, & ſeruos eius tranſire ad ſe: & egreſſus adorauit regem prono vultu in terram,& ait,Quid cauſæ eſt,vt veniat dominus meus rex ad ſeruū ſuum? Cui Dauid ait, Vt emam à te aream, & ædificem altare Domino, & ceſſet interfectio, quæ graſſatur in populo. Et ait Areuna ad Dauid, Accipiat, & offerat dominus meus rex, ſicut placet ei: habes boues in holocauſtum,& plauſtrum, & † inſtrumenta boum in vſum lignorum. Omnia dedit Areuna regi: dixitq; Areuna ad regem,Dominus Deus tuus ſuſcipiat votum tuum. Cui reſpondens rex, ait, Nequaquam vt vis, ſed emam pretio à te,& nō offeram Domino Deo meo holocauſta gratuita. Emit ergo Dauid aream & boues, argenti [d] ſiclis quinquaginta: & ædificauit ibi Dauid altare Domino, & obtulit holocauſta & pacifica: & propitiatus eſt Dominus terræ,& cohibita eſt plaga ab Iſrael.

SCHOLIA.

[a] Commouitq; Dauid.] *Secundum Heb. Deus non incitauit Dauid contra populum, ſed cor Dauid incitauit ipſum, Vt diceret intra ſe, Vade & numera Iſrael, &c. Iratus verò eſt Deus, quòd Dauid carnem poſuerit brachium ſuum, & magis confiſus fuerit multitudine populi, quàm nomine Domini, deinde quòd lex vetuerit numerare populum, niſi ſinguli viri tribuerint expiationem animæ ſuæ. Exod. xxx.* [b] Aut ſeptem annis.] *In Paralip. dicitur, tres anni. Dicendum igitur quòd hæc res mox geſta eſt poſt tres illos famis annos, qui fuerunt propter Gabaonitarum necem, & illi hic quoque numerantur. Et quoniam in ſexto anno qui adhuc ſterilis futurus fuiſſet, propter pluuiarum retentionem, ſeminari non potuiſſet, ſeptimus quoq; annus famelicus eſſet futurus.* [c] Araunæ.] *Fuit hic Arauna rex Iebuſæorum in Ieruſalem, hi enim adhuc in vrbe inter Iudæos erant, ſub tributo tamen Dauid, & a cultura Idolorum ſemoti, quorum regulus ſeu præfectus habuit aream in monte Moria ſitam, vbi poſtea Salomon templum Domini extruxit, in loco vbi Abraham quoq; filium ſuum Iſaac ſacrificare voluit. In hoc loco voluit Dominus placari oblatione holocauſti, contra plagam in populo graſſantem.* [d] Siclis quinquaginta.] *In libro Paralip. dicitur, quòd Dauid impenderit ſexcentos ſiclos aureos: verum hoc intelligitur de toto ambitu & prædio illius loci, in quo vt diximus, extructum fuit templum Domini cum omnibus adiacentibus locis: hic verò notatur, quid Dauid dederit pro area tantum & bobus.*

LIBER TERTIVS
REGVM SECVNDVM HEBRAEOS, PRIMVS MELACHIM.

CAPVT I.

T rex Dauid ſenuerat, habebatq; ætatis plurimos dies: cumq; operiretur veſtibus, non A calefiebat. Dixerūt ergo ei ſerui ſui. Quæramus Domino noſtro regi adoleſcentulam virginem, & ſtet coràm rege,& foueat eum, dormiatq; in ſinu tuo,& calefaciat dominum † meum regem. Quæſierunt igitur adoleſcentulam ſpecioſam in omnibus finibus Iſrael,& inuenerunt Abiſag Sunamitidem,& adduxerunt eam ad regem. Erat autē puella pulchra nimis, dormiebatque cum rege & miniſtrabat ei: rex verò non cognouit eam. Adonias autem filius Haggith eleuabatur, dicens, Ego regnabo. Fecitque ſibi currum & equites,& quinquaginta qui currerent ante eum. Nec corripuit eum pater ſuus aliquando, dicens, Quare hoc feciſti? erat autem & ipſe pulcher valde, ſecundus natu poſt Abſalom. [a] Et ſermo eius cum Ioab filio Saruiæ,& cum Abiathar ſacerdote, qui adiuuabant partes Adoniæ. Sadoc verò ſacerdos & Banaias filius Ioiadæ,& Nathan propheta,& Semei,& Rei,& omne robur exercitus Dauid non erat, cum Adonias † B ouibus & bobus & vniuerſis pinguibus iuxta lapidem Zoheleth, qui erat vicinus fonti Rogel, vocauit vniuerſos fratres ſuos filios regis,& omnes viros Iuda ſeruos regis. Nathan autem prophetam, & Banaiam,& robuſtos quoſq;,& Salomonem fratrem ſuum non vocauit. Dixit itaq; Nathan ad Bethſabee matrem Salomonis, Num audiſti quòd regnauerit Adonias filius Haggith,& dominus noſter Dauid hoc ignorat? Nunc ergo veni, accipe conſilium à me,& ſalua animam tuam, filijque tui Salomonis, Vade,& ingredere ad regem Dauid,& dic ei, Nònne tu domine mi rex iurafti mihi ancillæ tuæ, dicens, Quòd Salomon filius tuus regnabit poſt me,& ipſe ſedebit in ſolio meo? quare ergo regnat Adonias? & adhuc ibi te loquente cum rege, ego veniam poſt te,& complebo ſermones tuos: Ingreſſa eſt itaq; Bethſabee ad regem in cubiculo: rex aūt ſenuerat nimis,& Abiſag Sunamitis miniſtrabat ei. Inclinauit ſe Bethſabee,& adorauit regē. Ad quā rex, Quid tibi, inquit, vis? Quæ reſpondens ait, Domine mi, tu iurafti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon C filius tuus regnabit poſt me,& ipſe ſedebit in ſolio meo. Et ecce nūc Adonias regnat, te dñe mi rex ignorāte.

Mactauit

Mactauit boues & pinguia quæq;,& arietes plurimos,& vocauit omnes filiòs regis, Abiathar quoque ſacerdotem,& Ioab principem militiæ,Salomonem autem ſeruum tuum non vocauit. Veruntamen domine mi rex,in te oculi reſpiciunt totius Iſrael, vt indices eis quis ſedere debeat in ſolio tuo, domine mi rex, poſt te. Eritq;,cum dormierit dominus meus rex cū patribus ſuis, erimus ego, & filius meus Salomon [b] peccatores. Adhuc illa loquente cum rege, Nathan propheta venit. Et nuntiauerunt regi, dicentes, Adeſt Nathan propheta. Cumq; introiſſet in cōſpectum regis,& adoraſſet eum pronus in terram, dixit Nathan, Domine mi rex,tu dixiſti, Adonias regnet poſt me,& ipſe ſedeat ſuper thronum meum? Quia deſcendit hodie, & immo- D lauit boues & pinguia & arietes plurimos, & vocauit vniuerſos filios regis, & principes exercitus, Abiathar quoq; ſacerdotem: illiſiq; veſcentibus & bibentibus coràm eo,& dicētibus, Viuat rex Adonias. Me ſeruū tuū & Sadoc ſacerdotem,& Banaiam filium Ioiadę,& Salomonem famulum tuum nō vocauit. Nunquid à domino meo rege exiuit hoc verbū,& mihi non indicaſti ſeruo tuo quis ſeſſurus eſſet ſuper thronum domini mei regis poſt eum? Et reſpondit rex Dauid, dicens, Vocate ad me Bethſabee. Quę cum fuiſſet ingreſſa corā rege,& ſtetiſſet ante eum, iurauit rex,& ait, Viuit Dñs, qui eruit animā meā de omni anguſtia, q͗ ſicut iuraui tibi per Dñm Deum Iſrael, dicens, Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit ſuper ſolium meū pro me: ſic faciam hodie. Summiſſoq; Bethſabee in terram vultu, adorauit regem, dicens, Viuat dominus meus rex Dauid in æternum. Dixit quoq; rex Dauid, Vocate mihi Sadoch ſacerdotem,& Nathan prophetā, & Banaiam filium Ioiadę. Qui cū ingreſſi fuiſſent coràm rege, dixit ad eos, [c] Tollite vobiſcū ſeruos domini veſtri, E & imponite Salomonem filiū meum ſuper mulā meam,& ducite eū [d] in Gihon. Et vngat eum ibi Sadoch ſacerdos,& Nathan propheta in regem ſuper Iſrael: & canetis buccina, atq; dicetis, Viuat rex Salomon. Et aſcēdetis poſt eū,& veniet,& ſedebit ſuper ſolium meum,& ipſe regnabit pro me: illiq; præcipiā vt ſit dux ſuper Iſrael,& ſuper Iudam. Et reſpondit Banaias filius Ioiadę regi, dicens, [e] Amen: ſic loquatur Dominus Deus domini mei regis. Quomodo fuit Dominus cum domino meo rege, ſic ſit cum Salomone, & ſublimius faciat ſolium eius à ſolio domini mei regis Dauid. Deſcendit ergo Sadoc ſacerdos & Nathan propheta, & Banaias filius Ioiadæ,& Cerethi,& Phelethi: & impoſuerunt Salomonem ſuper mulam regis Dauid, & adduxerunt eum in Gihon. Sumpſitq; Sadoc ſacerdos cornu olei de tabernaculo, & vnxit Salomonem: & cecinerunt buccina,& dixit omnis populus, Viuat rex Salomon. Et aſcendit vniuerſa multitudo poſt eum,& popu- F lus canentium tibijs,& lætantium gaudio magno,& inſonuit terra à clamore eorum. Audiuit autem Adonias, & omnes qui inuitati fuerant ab eo: iamq; conuiuium finitum erat: ſed & Ioab, audita voce tubæ, ait, Quid ſibi vult clamor ciuitatis tumultuantis? Adhuc illo loquente, Ionathan filius Abiathar ſacerdotis venit: cui dixit Adonias, Ingredere, quia vir fortis es,& bona nuntians. Reſponditq; Ionathan Adoniæ, Nequaquam: dominus enim noſter rex Dauid regem conſtituit Salomonem: miſitq; cum eo Sadoc ſacerdotē, & Nathan prophetam, & Banaiam filium Ioiadæ,& Cerethi,& Phelethi,& impoſuerunt eum ſuper mulam regis. Vnxeruntq; eum Sadoc ſacerdos, & Nathan propheta regem in Gihon: & aſcenderunt inde lætantes,& inſonuit ciuitas: hæc eſt vox quam audiſtis. Sed & Salomon ſedet ſuper ſolium regni, & ingreſſi ſerui regis, benedixerunt domino noſtro regi Dauid, dicentes, Amplificet Deus nomen Salomonis ſuper nomen G tuum, & magnificet thronum eius ſuper thronum tuum. Et adorauit rex Dauid in lectulo ſuo, inſuper & hæc locutus eſt, Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui dedit hodie ſedentem in ſolio meo, videntibus oculis meis. Territi ſunt ergo, & ſurrexerunt omnes, qui inuitati fuerant ab Adonia, & iuit vnuſquiſque in viam ſuam, Adonias autem timens Salomonem, ſurrexit, & abijt: † tenuitque cornu altaris. Et nuntiauerunt Salomoni, dicentes, Ecce Adonias timens regem Salomonem, tenuit cornu altaris, dicens, Iuret mihi rex Salomon hodie quòd non interficiat ſeruum ſuum gladio. Dixitque Salomon, Si fuerit vir bonus, non cadet ne vnus quidem capillus eius in terram: ſinautem malum inuentum fuerit in eo, morietur. Miſit ergo rex Salomon, & eduxit eum ab altari,& ingreſſus adorauit regem Salomonem: dixitque ei Salomon, Vade in domum tuam.

SCHOLIA.

Scribunt Hebræi, Dauid cœpiſſe imperare populo Iſrael anno trecenteſimo & nonageſimo, poſtquam Iſrael intrauit terrā promiſſam, qui fuit annus quadringenteſimus & trigeſimus exitus de Ægypto, & bis milleſimus octingenteſimus atq; ſeptuageſimus quintus à creatione mundi. Regnauit autem annis quadraginta: fuitq; annorum triginta cum regnare cœpiſſet, nec ultra ſeptuaginta annos vixit, propter multas, belli iniurias, quas ſuſtinuit, citò valetudinarius factus. [a] Et ſermo eius.] *Hebraiſmus eſt, hoc eſt, conſilia eius.* [b] Peccatores.] *Hoc eſt, extranei erimus à regno, vel, imputabitur nobis iniquitas, propter quam filius meus ineptus exiſtimabitur regno.* [c] Tollite vobiſcum ſeruos Domini veſtri.] *Hoc eſt, ſeruos meos, qui adſint coronando Salomoni, vt ſit rex veſter.* [d] In Gihon.] *Chal. interpres vertit, ad Siloe, fluuium ſcilicet, cuius in Euangelio fit mentio.* [e] Amen.] *Hoc eſt, verum fiat, vel, probetur.*

CAPVT II.

A Appropinquauerunt autem dies Dauid, vt moreretur, præcepitq; Salomoni filio ſuo, dicens, Ecce ego ingredior viam vniuerſæ terræ: confortare,& eſto vir. Et obſerua, vt cuſtodias mandata Domini Dei tui, vt ambules in vijs eius,& [a] cuſtodias ceremonias eius,& præcepta eius,& iudicia & teſtimonia, ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi: vt † proſperè ſuccedant vniuerſa, quæ facis,& quocunq; te verteris. Vt confirmet Dominus ſermones ſuos, quos locutus eſt ad me, dicens, Si cuſtodierint filij tui viam ſuam,& ambulauerint coràm me in veritate, in omni corde ſuo,& in omni anima ſua, non auferetur tibi vir de ſolio Iſrael. Tu quoq; noſti, quæ fecerit mihi Ioab filius Saruiæ, quæ fecerit duobus principibus exercitus Iſrael, Abner filio Ner,& Amaſæ filio Iether: quos occidit, & effudit ſanguinem belli in pace,& [b] poſuit cruorem prælij in baltheo ſuo, qui erat circa lumbos eius,& in calceamento ſuo quod erat in pedibus eius. Facies ergo iuxta ſapiē- 2. Reg. 3. c 2. Re. 20. c

2.Reg.19.f tiam tuam, & non deduces caniciem eius pacificè ad inferos. Sed & filijs Berzellai Galaaditis reddes gra- B
2.Re. 16.b tiam,eruntq; comedentes in mensa tua:occurrerũt enim mihi,quãdo fugiebam à facie Absalom fratris tui.
2. Re. 19.e Habes quoq; apud te Semei filium Gera filij Iemini de Bahurim, qui maledixit mihi maledictione pessi-
ma,quando ibam ad † Mahenaijm:sed quia descendit mihi in occursum cum transirem Iordanem, & iura-
ui ei per Dominum,dicens,Non te interficiam gladio:[c] tu noli pati eum esse innoxiũ. Vir autẽ sapiens es, &
scies quę facies ei,deducesq; canos eius cũ sanguine ad inferos. Dormiuit igitur Dauid cũ patribus suis,& se-
Act. 2.c.& pultus est in ciuitate Dauid. Dies autẽ,quibus regnauit Dauid sup Israel,quadraginta anni sunt:in Hebron
13.c regnauit septẽ annis:in Ieruſalẽ,triginta tribus. Salomõ aũt sedit super thronũ Dauid patris sui, & firmatũ
1.Par. 19.f est regnũ eius nimis. Et ingressus est Adonias filius Haggith ad Bethsabee matrem Salomonis. Quæ dixit ei,
Pacificusne est ingressus tuus? Qui respõdit,Pacificus. Addiditq;,Sermo mihi est ad te. Cui ait,Loquere. Et C
ille,Tu,inquit,nosti quod meũ erat regnũ,& me prępositurum esse omnis Israel sibi in regẽ: sed translatũ est re-
gnum,& factũ est fratris mei:à Dño enim constitutũ est ei. Nunc ergo petitionẽ vnam deprecor à te, ne cõ-
fundas faciẽ meam. Quæ dixit ad eũ,Loquere,Et ait ille,Precor vt dicas Salomoni regi (neq; enim negare ti-
bi quicquam potest) vt det mihi Abisag Sunamitidem vxorẽ. Et ait Bethsabee, Bene,ego loquar pro te regi.
Venit ergo Bethsabee ad regẽ Salomonẽ,vt loqueretur ei pro Adonia:& surrexit rex in occursum eius, adora-
uitq; eam,& sedit super thronũ suum:positusq; est thronus matri regis,quæ sedit ad dexterã eius. Dixitq;
ei,Petitionẽ vnam paruulã ego deprecor à te,ne cõfundas faciem meã. Et dixit ei rex,Pete mater mea:neque
enim fas est vt † auerser faciẽ tuam. Quæ ait,Detur Abisag Sunamitis Adoniæ fratri tuo vxor. Respondit q; D
rex Salomon,& dixit matri suæ,Quare postulas Abisag Sunamitidem Adoniæ? postula ei & regnum: ipse
est enim frater meus maior me,& habet Abiathar sacerdotẽ,& Ioab filium Saruiæ. Iurauit itaq; rex Salomõ
per Dñm,dicens,Hæc faciat mihi Deus,& hæc addat,q; cõtra animam suam locutus est Adonias verbũ hoc.
Et nunc viuit Dominus,qui firmauit me,& collocauit me super solium Dauid patris mei,& qui [d] fecit mihi
domum,sicut locutus est,q; hodie occidetur Adonias. Misitq; rex Salomon per manum Banaiæ filij Ioiadæ,
qui interfecit eum,& mortuus est. Abiathar quoq; sacerdoti dixit rex, [e] Vade in Anathoth ad agrũ tuum,es
quidem vir mortis:sed hodie te non interficiam,quia portasti arcam Dñi Dei coràm Dauid patre meo,& fu
stinuisti laborem in omnibus,in quibus laborauit pater meus. Eiecit ergo Salomon Abiathar,vt non esset E
sacerdos Dñi,vt impleretur sermo Domini quem locutus est super domum Heli in Silo. Venit autem nũ-
2. Reg. 2.f tius † ad Ioab,nã & Ioab declinauerat post Adoniam,& post Salomonem non declinauerat:fugit ergo Ioab
in tabernaculum Domini,& apprehendit cornu altaris. Nuntiatumq; est regi Salomoni quòd fugisset Ioab
in tabernaculum Domini,& esset iuxta altare:misitq; Salomon Banaiam filium Ioiadæ,dicens,Vade,inter-
fice eum. Et venit Banaias ad tabernaculum Domini,& dixit ei,Hæc dicit rex,Egredere. Qui ait, [f] Nõ egre-
diar,sed hic moriar. Renuntiauit Banaias regi sermonem,dicens,Hæc locutus est Ioab,& hæc respondit mi
hi. Dixitque ei rex,Fac sicut locutus est,& interfice eum,& sepeli:& amouebis sanguinem innocentem, qui
effusus est à Ioab,à me,& à domo patris mei. Et reddet Dominus sanguinẽ eius super caput eius, quia inter-
2. Reg.3.e fecit duos viros iustos,meliores q; se:& occidit eos gladio,patre meo Dauid ignorãte, Abner filiũ Ner prin- F
2.Re. 20.c cipem militiæ Israel,& Amasam filiũ Iether principem exercitus Iuda: & reuertetur sanguis illorum in ca-
put Ioab,& in caput seminis eius in sempiternum:Dauid autem & semini eius,& domui & throno illius sit
pax vsq; in æternum à Domino. Ascendit itaq; Banaias filius Ioiadæ, & aggressus eum interfecit, sepultusq;
est in domo sua in deserto. Et constituit rex Banaiã filium Ioiadę pro eo super exercitum,& Sadoc sacerdote
posuit pro Abiathar. Misit quoq; rex,& vocauit Semei,dixitq; ei,Ædifica tibi domum in Ieruſalem, & ha-
bita ibi:& non egredieris inde,huc atq; illuc. Quacũq; autẽ die egressus fueris, & transieris torrentẽ Cedrõ,
scito te interficiẽdũ:sanguis tuus erit super caput tuũ. Dixitq; Semei regi, Bonus sermo:sicut locutus est Dñs
meus rex,sic faciet seruus tuus. Habitauit itaq; Semei in Ieruſalẽ diebus multis. Factũ est autem post annos G
tres,vt fugerẽt serui Semei ad Achis filiũ Maacha regẽ Geth:nũtiatũq; est Semei, q; serui eius essent in Geth.
Et surrexit Semei,& strauit asinũ suum,iuitq; ad Achis in Geth ad requirendũ seruos suos, & adduxit eos de
Geth. Nuntiatum est autem regi Salomoni,q; isset Semei in Geth de Ieruſalem,& redijsset. Et mittens voca-
uit eum,dixitq; illi,Nonne testificatus sum tibi per Dñm, & prædixi tibi, Quacunq; die egressus fueris huc
& illuc,scito te esse moriturũ? & respondisti mihi,Bonus sermo quẽ audiui. Quare ergo nõ custodisti iusiu-
randum domini,& præceptum quod præceperã tibi? Dixitq; rex ad Semei,Tu nosti omne malũ, cuius tibi
cõscium est cor tuũ quod fecisti Dauid patri meo:redditq; Dominus malitiã tuam in caput tuũ. Et rex Sa-
lomon benedictus,& thronus Dauid erit stabilis coràm Domino vsq; in sempiternum. Iussit itaq; rex Banaiæ
filio Ioiadæ:qui egressus percussit eum,& mortuus est.

SCHOLIA.

[a] Custodias ceremonias.] *Siue Statuta. Hoc differre dicunt inter hæc nomina: Vt Statuta sint, quorum ratio ignoratur, Vt est, non seminabis diuersa semina in vno agro. Præcepta, quando additur Verbum præcipiendi. Iudicia, quæ inter hominem & proximum suum decernuntur. Testimonia, quæ aliquid testantur, siue alicuius rei memoriam faciunt, vt est, sabbatum, pascha, &c.* [b] Posuit cruorem prælij in baltheo suo.] *Sensus est, fœdauit gladium suum, qui hærebat lumbis eius, sanguine innocentum, perinde ac si sanguinem in bello fudisset. sic quoque sanguine respersa sunt calceamenta pedum eius.* [c] Tu noli pati eum esse innoxium.] *Iurauerat quidem Dauid illi gratiam postulanti & primum occurreti ad Iordanem, his Verbis. Non occidam te gladio, idque præstitit. Sed Solomonis regno hoc iuramento præiudicare non debuit. Instruit ergo filium, quid ei sit agendum.* [d] Fecit mihi domum.] *Capitur hic domus pro regno.* [e] Vade in Anathoth.] *Erat locus Anathoth sacerdotum, ideo iubetur Abiathar illuc secedere, qui nouam conspirationem iam moliebatur cum Adonia, prætextu Abisag Sunamitis.* [f] Non egrediar, sed hic moriar.] *Quæritur cur fugerit ad altare,*

ad altare, cum fuerit vir sapiens, & in lege peritus, nã secundum Hebræos fuit caput Sanhedrin, in lege autem scriptũ est, quòd voluntarius homicida, qualis Ioab fuit, etiam ab altari est auellendus. Respondent Hebræi, quòd nihil ei profuit, quòd interfectus fuerit in loco sacro, nisi quòd sic meruit sepeliri apud patres suos, quod factum non fuisset, si per iudicum decretum fuisset occisus.

CAPVT III.

A COnfirmatum est igitur regnum in manu Salomonis, & [a] affinitate coniunctus est Pharaoni regi 2.Par.1.a
Ægypti: accepit nanq; filiam eius, & adduxit [b] in ciuitatem Dauid, donec compleret ædificans do-
mum suam,& domum Domini,& murum Ieruſalem per circuitum. Attamen populus immolabat
[c] in excelsis:non enim ædificatũ erat templum nomini Domini vsq; in diem illum. Dilexit autem Salomon
Dominum,ambulans in præceptis Dauid patris sui,excepto quòd in excelsis immolabat, & accẽdebat thy-
miama. Abijt itaque Salomõ in Gabaon,vt immolaret ibi:illud quippe erat excelsum maximum:mille ho-
stias in holocaustum obtulit Salomon super altare illud. † Apparuit autem in Gabaon Dominus Salomoni
per somnium nocte,dicens,Postula quod vis,vt dem tibi. Et ait Salomon,Tu fecisti cum seruo tuo Dauid
patre meo misericordiam magnam,sicut ambulauit in cõspectu tuo in veritate & iustitia, & recto corde te-
cum:custodisti enim ei misericordiam grandem,& dedisti ei filium sedentem super thronum eius, sicut est
B hodie. Et nunc Domine Deus meus, tu regnare fecisti seruum tuum pro Dauid patre meo: ego autem sum
[d] puer paruulus. & ignorans egressum et introitum meum. Et seruus tuus in medio est populi, quem elegisti,
populi infiniti,qui numerari & supputari non potest præ multitudine. Dabis ergo seruo tuo cor docile, vt
populum tuum iudicare possit,& discernere inter bonum & malũ: quis enim potest iudicare populum istũ,
populum tuum hunc multum? Placuit ergo sermo coràm Domino, q; Salomon postulasset huiuscemodi
rem. Et dixit Dominus Salomoni, Quia postulasti verbum hoc,& non petisti tibi dies multos, nec diuitias,
aut animas inimicorum tuorum,sed postulasti tibi sapientiam ad discernendum iudicium: ecce feci tibi se- Sapiẽ.7.b
cundum sermones tuos,& dedi tibi cor sapiens & intelligens,intãtum vt nullus ante te similis tui fuerit, nec
post te surrecturus sit. Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, diuitias scilicet & gloriam, vt nemo fuerit si-
milis tui in regibus cunctis † tuis diebus. Si autem ambulaueris in vijs meis,& custodieris præcepta mea &
C mandata mea,sicut ambulauit Dauid pater tuus, [e] longos faciam dies tuos. Igitur euigilauit Salomon, & †
ecce fuit verum somnium:cumq; venisset Ieruſalem, stetit coràm arca fœderis Domini, & obtulit holocau-
sta,& fecit victimas pacificas & † conuiuium vniuersis famulis suis. Tunc venerunt duæ mulieres mere-
trices ad regem,steteruntq; coràm eo,quarũ vna ait, Obsecro mi domine, ego & mulier hæc habitabamus
in domo vna,& peperi apud eam in cubiculo. Tertia autem die postquam ego peperi, peperit & hæc:& era-
mus simul,nullusq; alius nobiscum in domo,exceptis nobis duabus. Mortuus est autem filius mulieris hu-
ius nocte, [f] dormiens quippe oppressit eum. Et consurgens intempestæ noctis silentio, tulit filium meum de
latere meo ancillæ tuæ dormientis,& collocauit in sinu suo:suum autem filium,qui erat mortuus, posuit in
sinu meo. Cumq; surrexissem manè,vt darem lac filio meo,apparuit mortuus: quem diligẽtius intuens cla-
ra luce,deprehendi non esse meum quem genueram. Respondit q; altera mulier,Nõ est ita vt dicis, sed filius
D tuus mortuus est,meus autem viuit. Econtrariò illa dicebat,Mentiris: filius quippe meus viuit,& filius tuus
mortuus est. Atque in hunc modum contendebant coràm rege. Tunc rex ait,Hæc dicit, Filius meus viuit,
& filius tuus mortuus est:Et ista respondit,Nõ,sed filius tuus mortuus est,meus autem viuit. Dixit ergo rex,
[g] Afferte mihi gladium. Cumq; attulissent gladium coràm rege,Diuidite,inquit, infantem viuum in duas
partes,& date dimidiam partem vni,& dimidiam partem alteri. Dixit autem mulier cuius filius erat viuus,
ad regem (commota sunt quippe viscera eius super filio suo) Obsecro domine,date illi infantem viuum, &
nolite interficere eum. Econtrariò illa dicebat,Nec mihi,nec tibi sit,sed diuidatur. Respondit rex,& ait,Da-
te huic infantem viuum,& non occidatur:hæc est enim mater eius. Audiuit itaq; omnis Israel iudiciũ quod
iudicasset rex,& timuerunt regem,videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.

SCHOLIA.

[a] Affinitate coniunctus est Pharaoni.] *Quomodo potuit Salomon facere affinitatem cum Pharaone homine gentili, cum lex prohibeat? Respondent Hebræi, quod lex loquitur de muliere, quandiu manet in pag. anismo, nam illa non potest duci in vxorem, sed proselyta facta duci potest. Salomon autem erudiri fecit filiam Pharaonis in lege Domini, licet temporis successu ab ea recesserit, & regem quoque ad idolorum culturam inclinauerit.* [b] In ciuitatem Dauid.] *Intelligitur per ciuitatem Dauid arx in monte Sion extructa, quæ & domus erat Dauid.* [c] In excelsis.] *Hoc est, in altaribus passim in collibus extructis, id quod licitum fuit, donec domus ad honorem nominis diuini ædificata fuit. Vox tamen illa, attamen, indicat, Salomonem non perfectè imitatum vestigia patris, qui non inuenitur in alio aliquo sacrificasse loco, quàm vbi arca Domini habebatur: nempe Hierosolymis & in Gabaon, quantumlibet in montibus & collibus multæ essent extructæ aræ pro offerentium deuotione. In Gabaon erat altare illud æneum & Mosaicum, quod Beçaleel fecerat, quod hic maximum fuisse dicitur.* [d] Puer paruulus.] *Duodecim erat annorum, cum in regem inungeretur. Et quod addit: ignorans egressum & introitum: sensus est, minor sum in sapientia, quàm qui tanto populo commodè præesse possim, ingrediendo & egrediendo ante eos, vel cum illis versando.* [e] Longos faciam dies tuos.] *Hoc locutus est cum conditione, & quoniam illam non seruauit, sed declinauit à vijs Domini, non sunt prolongati dies eius, cum vltra quinquaginta duos annos non vixerit. Diuitiæ verò & honores, illi non promittuntur cum ea conditione, cum vsque ad mortem illis destitutus non fuerit.* [f] Dormiens quippe oppressit eum.] *Dixit hoc ex cõiectura, nam cum nulla infirmitas præesset, verisimile ei videbatur, quòd nocte in somno oppressisset eum.* Afferte mihi gladium.] *Matrem veram, & cuius filius viuat, gladius Salomonis indicat, hoc est, examen iudicis discernit vinos fructus.*

CAPVT IIII.

ERat autem rex Salomon regnans ſuper omnem Iſrael:& hi principes quos habebat: Azarias filius Sadoc,ſacerdos:Elihòreph & Ahia filij Siſa,ſcribæ:Ioſaphat filius Ahilud, à commentarijs:Banaias filius Ioiadæ,ſuper exercitum:Sadoc autem & Abiathar, ſacerdotes: Azarias filius Nathan, [a] ſuper † præfectos:Zabud filius Nathan,ſacerdos amicus regis:& Ahiſar præpoſitus domus: & Adoniram filius Abda, ſuper tributa. Habebat autem Salomon duodecim præfectos ſuper omnem Iſrael qui præbebant annonam regi,& domui eius:per ſingulos enim menſes in anno,ſinguli neceſſaria miniſtrabant. Et hæc nomina eorum:Benhur in monte Ephràim. Bendécar,in Macces,& in Salebim,& in Bethſames & in Elon, & in Bethhanan. Benhéſed in Aruboth,ipſius enim erat Socho, & omnis terra Epher. Benabinadab, cuius omnis Nephaddor,Tapheth filiam Salomonis habebat vxorem. Bana filius Ahilud regebat Thanach & Mageddo, & vniuerſam Bethſan, quæ eſt iuxta Sarthána ſubter Iezrahel, à Betſan vſque Abelmehula è regione Iecmaam. Bengaber in Ramothgalaad:habebat Auothiair filij Manaſſe in Galaad,ipſe præerat in omni regione Argob,quæ eſt in Baſan,ſexaginta ciuitatibus magnis,atque muratis,quæ habebant ſeras æreas. Aſinadab filius Addo præerat in † Mahenaijm. Achimaas in Nephthalim: ſed & ipſe habebat Báſemath filiã Salomonis in coniugio. Baana filius Huſi,in Aſer,& in Aloth. Ioſaphat filius Pharue, in Iſſachar. Semei
Eccl.47.c filius Ela,in Beniamin. Gaber filius Vri,in terra Galaad, & in terra Seon regis Amorrhæi, & Og regis Baſan † & præfectus vnus erat in illa terra. Erant autẽ Iuda & Iſrael innumerabiles,ſicut arena maris in multitudine comedentes,& bibentes,atque lætantes.Salomon autem erat in ditione ſua, [b] habens omnia regna, à flumine † vſque ad terminum Ægypti:offerentes ſibi munera & ſeruientes ei cunctis diebus vitæ eius. Erat autem cibus Salomonis per dies ſingulos triginta cori ſimilę,& ſexaginta cori farinæ,decem boues pingues, & viginti boues paſcuales, & centum arietes,excepta venatione ceruorum, caprearum,atque bubalorum,& auium altilium.Ipſe enim obtinebat omnem regionem quę erat trans flumen,à Taphſa vſque ad Gazam,& cunctos reges illarum regionum:& habebat pacem ex omni parte in circuitu.Habitabatq; Iuda & Iſrael abſq; timore vllo,vnuſquiſq; ſub vite ſua, & ſub ficu ſua à Dan vſque Berſabee cunctis diebus Salomonis. Et habebat Salomon [c] quadraginta millia præſepia equorum currulium, et duodecim millia equeſtrium.† Et præbebant prefecti illi alimoniam regi Salomoni & omnibus,qui paſ-
fim accedebant ad menſam regis Salomonis,quiſque per menſem ſuum, nec minuebant quicquam. Hordeum quoque,& palcas equorum & iumentorum deferebant in locum,† qui cuique erat conſtitutus.Dedit
Eccl.47.c quoque Deus ſapientiam Salomoni,& prudentiam multam nimis,& latitudinem cordis,quaſi arenam quę eſt in littore maris.Et præcedebat ſapientia Salomonis ſapientiam omnium orientalium, & Ægyptiorum, & erat ſapientior cũctis hominibus:ſapientior Ethan Ezrahita,& Heman & Chalcol,& Dorda filijs Mahol: & erat nominatus in vniuerſis gentibus per circuitum. Locutus eſt quoq; Salomon [d] tria millia parabolas: & fuerunt carmina eius quinque & mille. Et diſputauit ſuper lignis à cedro, quæ eſt in Libano, vſque ad hyſſopum quæ egreditur de pariete:& diſſeruit de iumentis & volucribus & reptilibus & piſcibus. Et veniebant de cunctis populis ad audiendam ſapientiam Salomonis,& ab vniuerſis regibus terræ, qui audiebãt ſapientiam eius.

SCHOLIA.

[a] Super præfectos.] *Erat iſte poſitus ſuper duodecim totius regni præfectos, quorum officium erat, pro tot. à regis aula pecuniam colligere pro victu parãdo, atque horum nomina paulo poſt in textu explicãtur, ſicut & regiones, ex quibus quiſq; ſingulis annis tantum collegit alimoniæ, quod regi ac toti familiæ eius ſufficere potuit per vnum menſem.* [b] Habens omnia regna.] *Non quòd omnia circumiacentia regna fuerint ſubiecta Salomoni, ſed quòd reges illarum regionum timebant Salomonem, & mittebant ei munera, ſeruiebantque ei, quandiu ille vixit.* [c] Quadragintamillia præſepia equorũ.] *Cum in Paralip. libro fiat mentio quatuor millium præſepiorum, putant hic numerari equos, & in Paralip. præſepia. Alij dicunt quadraginta millia fuiſſe ſtabulorum, & in ſingulis quadraginta fuiſſe equos. Hæc autem equorum multitudo magis fuit pro cumulo gloriæ & magnificentiæ Salomonis, quam vt animum poneret in illos ad detruncendos hoſtes.* [d] Tria millia parabolas.] *Hunc librum dicunt Hebræi perditum in captiuitatibus, ſicut & librum carminum dicunt non extare. Idem iudicium eſt de libro naturalium rerum, qui medicinalis fuiſſe memoratur, agens de plantis, animalibus, auibus, reptilibus, & piſcibus. Extant quidem octingentæ ſententiæ, aut magis verſus, quæ parabolæ Salomonis inſcribuntur, ſed hæ ſummam trium millium non adæquant. Sunt tamen qui dicant, ex canticis & prouerbijs Salomonis ſolum vtiliora ſpiritus ſancti inſtinctu reſeruata, & in libellos eos coacta, qui adhuc hodie extant, & pro fragmentis iudicantur.*

CAPVT V.

2.Para.2.a MIſit quoque Hiram rex Tyri ſeruos ſuos ad Salomonem: audiuit enim quòd ipſum vnxiſſent regẽ pro patre eius:quia amicus fuerat Hiram Dauid omni tempore. Miſit autem Salomon ad Hiram, dicens, Tu ſcis † quomodo Dauid pater meus non potuerit ædificare domum nomini Domini Dei ſui propter bella imminentia per circuitum,donec daret Dominus eos ſub veſtigio pedum eius. Nunc autem requiem dedit Deus meus mihi per circuitum: & non eſt Satan, neque occurſus malus. Quam ob rem cogito ędificare templum nomini Domini Dei mei,ſicut locutus eſt Dominus Dauid patri meo,dicẽs,
2.Reg.7.b Filius tuus quem dabo pro te ſuper ſolium tuum, ipſe ædificabit domum nomini meo. Præcipe igitur vt
1.Par.22.c præcidant mihi ſerui tui cedros [a] de Libano,& ſerui mei ſint cum ſeruis tuis:mercedem autẽ ſeruorum tuorum dabo tibi quamcunque petieris:ſcis enim quomodo non eſt in populo meo vir qui nouerit ligna cędere ſicut Sidonij. Cum ergo audiſſet Hirã verba Salomonis, lætatus eſt valde, & ait, Benedictus Dominus hodie,qui dedit Dauid filium ſapientiſſimum ſuper populum hunc plurimum. Et miſit Hiram ad Salomonem,dicens, Audiui quæcunque mandaſti mihi: ego faciam omnem voluntatem tuam in lignis cedri-

nis & abiegnis.Serui mei deponent ea de Libano ad mare:& ego componam ea in ratibus in mari, vſq; ad locum quem ſignificaueris mihi,[b] & † diſſoluam ea ibi,& tu tolles ea: † faciesque viciſsim volũtatem meã, vt detur cibus domui meæ.Itaq; Hiram dabat Salomoni ligna cedrina, & ligna abiegna, iuxta omnem voluntatem eius.Salomon autem præbebat Hiram viginti millia coros tritici in cibum domui eius, & viginti coros puriſsimi olei:hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.Dedit quoq; Dñs ſapientiam Salomoni,ſicut locutus eſt ei:& erat pax inter Hiram & Salomonem,& percuſſerunt ambo fœdus. Elegitq; rex
D Salomon operarios de omni Iſrael,& erat † ſumma illa [c] triginta millia virorum.Mittebatq; eos in Libanũ decem millia per menſes ſingulos viciſsim,ita vt duobus menſibus eſſent in domibus ſuis:& Adoniram erat ſuper huiuſcemodi † ſummam.Fuerunt itaque Salomoni ſeptuaginta millia eorum qui onera portabãt: & octoginta millia latomorum in monte: abſque præpoſitis qui præerant ſingulis operibus, numero trium milliũ,& trecentorum præcipientium populo,† qui faciebant opus.Præcepitq; rex vt tollerent lapides grãdes,lapides pretioſos,† atq; lapides politos pro fundamento domus.Et dolauerunt cementarij Salomonis & cementarij Hiram atq; artifices quadratarij:parabantq; ligna & lapides ad ædificandum domum.

SCHOLIA.

[a] De Libano.] *Fuit Libanus in terra Iſrael, atque ideo Salomon non rogauit Hiram pro lignis ſibi dandis, ſed vt mitteret fabros lignarios, qui illi apta ſuccederent ligna, præſertim cum Sidonij, qui tunc Tyrijs parebant, inſignes haberẽt artifices lignarios.* [b] Et diſſoluam ea.] *Nam in ratibus ducebãtur, quæ ſunt faſces magnarum trabium, quæ per aquas ab vna regione in aliam tranſmittuntur.* [c] Triginta millia.] *Hi creduntur fuiſſe de filijs Iſrael, qui ſolum cum ſeruis Hiram ſuccidebant arbores, & cum quadrigis ducebant ad mare. Reliqui verò ſeptuaginta millia et octoginta millia, qui grauiores fecerunt labores, vt pote qui onera ferebant humeris ſuis, & lapides è foueis eruebant, proſelytos fuiſſe putant.*

CAPVT VI.

A FActum eſt ergo quadringenteſimo & octogeſimo anno egreſsionis filiorum Iſrael de terra Ægypti,in anno quarto, menſe Zif (ipſe eſt menſis ſecundus) regni Salomonis ſuper Iſrael, ædificare cœpit do- 2. Para. 3.a
mum Domino.Domus autẽ, quam ædificabat rex Salomon Domino, habebat [a] ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine. Et porticus erat ante tẽplum viginti cubitorum longitudinis, iuxta menſuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem † domus. Fecitq; in templo feneſtras † foris latas, intus anguſtas. Et ædificauit † in pariete tẽpli † [b] thalamos per gyrum in parietibus domus per circuitum templi & oraculi, & fecit † tabulata in circuitu. Tabulatum quod ſubter erat, quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis. † Nam contractiones muri poſuit in domo per circuitum forinſecus, vt non hærerent muris templi. Domus autem cum ædificaretur,de lapidibus † perfectis, vt allati erant,ædificata eſt:& [c] malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non
B ſunt audita in domo cum ædificaretur.Oſtium † thalami intermedij erat in latere domus dextro: & per cochleam aſcendebant in medium † thalamum,& à medio in tertium.Et ędificauit domum, & conſummauit eam: [d] texit quoque domum † excauatis laquearibus cedrinis. Et ædificauit † thalamos ad totam domum illam quinque cubitis altitudinis, & † hærebant ad domum lignis cedrinis. Et factus eſt ſermo Domini ad Salomonem,dicens,Domus hæc,quam ædificas:ſi ambulaueris in præceptis meis,& iudicia mea feceris, & cuſtodieris omnia mandata mea,gradiens per ea,firmabo ſermonem meum tibi,quẽ locutus ſum ad Dauid patrem tuum.Et habitabo in medio filiorum Iſrael,& non derelinquam populum meum Iſrael. Igitur ædificauit Salomon domum,& conſummauit eam.Et ędificauit parietes domus intrinſecus,tabulatis cedrinis:à pauimento domus vſq; ad ſummitatem parietum,& vſque ad laquearia,operuit lignis cedrinis intrinſecus,& texit pauimẽtum domus tabulis abiegnis.Ædificauitq; viginti cubitorum † [e] à lateribus templi tabulata cedrina,à pauimento vſque ad ſuperiora:& fecit interiorem domum oraculi in ſanctum ſanctorum.
C Porrò quadraginta cubitorum erat ipſum templum,† hoc eſt,templum exterius ante oraculum. Et cedro omnis domus intrinſecus veſtiebatur,habens † ſculpturam pomellorum,& cœlaturas filorum,omnia cedri nis tabulis veſtiebantur:nec omnino lapis apparere poterat in pariete. Oraculum autem † intra ipſam domum in interiori parte fecerat,vt poneret ibi arcam fœderis Domini. Porrò oraculum habebat viginti cubitos longitudinis,& viginti cubitos latitudinis,& [f] viginti cubitos altitudinis:& operuit illud atq; veſtiuit auro puriſsimo:ſed & [g] altare veſtiuit cedro. Domum quoque † intrinſecus operuit auro puriſsimo, & † fecit tranſire [h] vectes aureos ante oraculum,operuitq; illum locum auro:operuit & vniuerſam domum auro, donec perfecit totam domum:ſed & totum altare oraculi texit auro. Et fecit in oraculo duos cherubim de lignis oliuarum decem cubitorum altitudinis.Quinque cubitorum ala cherub vna, & quinque cubitorum ala cherub altera:id eſt decem cubitos habentes,[i] à ſummitate alæ vnius vſque ad alæ alterius ſummitatem.
D Decem quoque cubitorum erat cherub ſecundus:in menſura pari,& opus vnum erat in duobus cherubim, id eſt altitudinem habebat vnus cherub decem cubitorum,& ſimiliter cherub ſecundus. Poſuitque cherubim in medio templi interioris:extendebant autem alas ſuas cherubim,& tangebat ala vna parietem, & ala cherub ſecundi tangebat parietem alterum: alæ autem alteræ in media parte templi ſe inuicem contingebant.Texit quoque cherubim auro.Et omnes parietes templi per circuitum ſculpſit varijs cœlaturis,& † figuris.Et fecit in eis cherubim,& palmas,† & cœlaturas florum tam in interiori oraculo, quàm in exteriori domo.Sed & pauimẽtũ domus texit auro intrinſecus † in oraculo,& extrinſecus.Et in ingreſſu oraculi fecit oſtiola de lignis oliuarum,poſteſq; angulorum quinq;.Et duo oſtia de lignis oliuarũ:& ſculpſit in eis † cœlaturas cherubim,& palmarũ ſpecies,& † ſculpturas florum, & texit ea auro:& operuit tam cherubim, quã palmas auro.Fecitque in introitu templi poſtes de lignis oliuarum [k] quadrangulatos. † Duæ autem ianuæ

erant

erant de lignis abiegnis, erantque in vtroque latere ianuæ vnius cœlaturæ, & similiter in duobus lateribus ianuæ alterius erant cœlaturę: sculpsit enim in eis figuras, palmas, & cœlaturas florum, texitq; auro, quod attenuatum ponebatur super sculpturas. Et ędificauit atrium interius[1] tribus ordinibus lapidum politorum, & vno ordine lignorum cedri. Anno quarto fundata est domus Domini in mense Zio: & in anno vndecimo, mense Bul (ipse est mensis octauus) perfecta est domus † per omnes partes suas, & iuxta cunctam dispositionem suam: ædificauitq; eam annis septem.

SCHOLIA.

[a] Sexaginta cubitos.] *Talis erat domus Domini dispositio: tota domus continebat duas partes, nempe oraculum seu sanctum sanctorum, quod & interior vocatur domus, atque exteriorem domum. Et has duas partes includebant ydem parietes, atque idem tectum. Oraculum vergebat ad occidentem, & domus ipsa ad orientem. Vtraque autem pars simul accepta, habuit sexaginta cubitos, & viginti in latitudine, atque triginta in altitudine. Oraculo cedebant viginti cubiti in longitudine de sexaginta, eratque quadratum æquilaterum: longitudo domus dupla erat ad latitudinem. Porrò lateri templi orientali adhærebat vestibulum quoddam, cuius longitudo erat latitudo templi. Latitudo autem eius tenebat decem cubitos & altitudo centum & viginti cubitos, vt in Paralip. dicitur: & sic magis turris, quàm vestibuli præseferebat formam. Sunt tamen qui dicant, totum templum centum & viginti cubitos habuisse in altitudine, & quòd fuerunt supra contignationem varia gazophilacia, bicamerata & tricamerata loca, quæ nonaginta cubitos in altitudine tenebant: à pauimento autem templi ad contignationem fuerunt triginta cubiti, vt in textu dicitur. Cæterum feneſtræ sic erant formatæ, vt in superficie parietis interiori multò arctiores essent, quàm foris, vbi lux cœlestis ingrediebatur, vt templum illud magis diuino splendore illustratum fuerit, quàm corporeo lumine, alioqui contraria dispositio adhibita fuisset feneſtris.* [b] Thalamos.] *Erant thalami illi triplici ordine dispositi, infimi scilicet, medij, & terty. Infimi adhærebant parieti, sed non occuparunt partem aliquam de pariete, habueruntque in latitudine quinque cubitos. Medij verò ingrediebantur parietem per vnum cubitum, per vnum cubitum sedentes super parietem, vnde & vno cubito latiores fuerunt infimis thalamis. Terty & supremi thalami, habuerunt pro suo pauimento contignationem mediorum thalamorum, ingrediebanturq; murum per cubitum vnum, habentes in latitudine septem cubitos.* [c] Malleus & securis.] *Non audiebantur in ædificio domus instrumenta fabrilia quia lapides, vt iam dixerat, allati erant e laborati atq; perfecti. Allegoricos verò, hic tantum tundimur, vt illic tranquille in ædificio collocemur.*

[d] Texit quoque domum.] *Alius sic vertit. Posuitque contignationem vnam demissiorem, & aliam per ordinatas cedros. Quòd videlicet, quemadmodum tabernaculum Mosis fuit aulæo picto cortinis, & pellibus tectum, sic Salomon fecit in templo præter tectum duplicem contignationem.* [e] A lateribus templi.] *Hoc est, sicut parietes templi operuit tabulis cedrinis, sic quoque oraculi parietes obtexit tabulis cedrinis per longum & latum.* [f] Viginti cubitos altitudinis.] *Auro scilicet operiens parietes per viginti cubitos, & lapidibus preciosis per alios decem cubitos.* [g] Altare vestiuit cedro.] *Hoc erat altare incensi, quod ante oraculum positum fuit.* [h] Vectes aureos.] *Erat murus quidam inter oraculum & templum, vbi velum ponendi erat, & huc adhibiti fuerunt vectes illi. Quidam putant fuisse catenas.* [i] A summitate alæ vnius.] *Hoc est, extremitates alarum vnius cherub à se distabant decem cubitis.* [k] Quadrangulatos.] *Alius vertit. Erantque tam superliminare quàm postes quintuplices. Vt scilicet vnus postis gradatim altero sit eminentior, & contrà lior. Alij intelligunt, quòd postes habuerint quinque angulos.* [l] Tribus ordinibus lapidum.] *Hoc est, murulus ex triplici quadratorum lapidum ordine constitutus cingebat, seu potius terminabat atrium interius, quod templum ipsum ambiebat, & super hunc murum posita fuerunt cedrina ligna muro sic adaptata, vt nec latiora fuerint, nec arctiora muro ipso.*

CAPVT VII.

† Omum autem suam ædificauit Salomon tredecim annis, & ad perfectum vsque perduxit. Ædificauit quoque [a] domum saltus Libani centum cubitorum longitudinis, & quinquaginta cubitorum latitudinis: & triginta cubitorum altitudinis, super quatuor ordines columnarum cedrinarum: & trabes cedrinæ positæ erant super columnas illas. Deinde posita est contignatio cedrina, super trabes illas, quæ columnis incumbebant: quadraginta scilicet ac quinque tigna in quindecim ordinibus. Feneſtræ quoque erant in triplici ordine, & erat feneſtra è regione feneſtræ triplicata. Ostia verò cum postibus & superliminari, in quadrangulari erant forma, habueruntque feneſtram è regione feneſtræ triplicatam, & porticum columnarum fecit quinquaginta cubitorum longitudinis, & triginta cubitorum latitudinis. Eratq; vestibulum illud stans super faciem illarum & aliarum columnarum: nam erat [b] lignum crassum positum in superficie illarum. Fecit & porticum solij vbi iudicabat, quæ porticus erat iudicij: contignauitque eam cedris [c] à pauimento ad pauimentum. Domus autem eius, in qua ipse manebat, & quæ erat in atrio alio extra vestibuli domum, facta est simili opere. Fecit denique domū pro filia Pharaonis, quam Salomon duxerat iuxta formam vestibuli huius. Omnes istæ domus ex [d] lapidibus preciosis erant factæ, & erant lapides ad certam mensuram quadrati, & per serram secti [e] intus & extra, à fundamento vsque ad trabes prominentes per palmum, sic deforis vsque ad atrium maius. Fuit verò ædificium fundatum super lapides preciosos, & super lapides magnos, è quibus quidam continebant decem cubitos, quidam octo: desuper verò erant lapides boni, sed qui iuxta certam normam erant quadrati, & cedro operti. Atrium autem maius constabat per circuitum triplici ordine politorum lapidum, & vno ordine sectarum cedrorum, iuxta normam atrij domus Domini interioris, & vestibuli templi. Misit quoque rex Salomon, & tulit Hiram de Tyro, filium mulieris viduæ de tribu Nephthali, [f] patre Tyrio, artificem ærarium, & plenum sapientia, & intelligentia, & doctrina ad faciendum omne opus ex ære. Qui cum venisset ad regem Salomonem, fecit omne opus eius. Et finxit duas columnas æreas decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam, & [g] linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtranque. Duo quoque capitella fecit, quæ ponerentur super capita columnarum fusilia ex ære: quinque cubitorum altitudinis capitellum vnum, & quinque cubitorum altitudinis capitellum alterum, & quasi in modum retis, & catenarum super capita, quę erant in summitate columnarum: septem scilicet ordines

columnarum: septem scilicet ordines super caput vnum, & septem super caput alterum. Fecit itaq; columnas, & duos ordines per circuitum in opere vno perplexo, ad operiendum capita, quæ erant in summitate malorum punicorum: & sic quoq; fecit pro capite secundo. Capita autem, quæ erant in fastigio columnarum, tegebat rosarum perplexitate sursum versus palatium per quatuor cubitos. Similiter sub capitibus in illis duabus columnis deorsum, è regione ventris & contra opus reticulatum, fuit caput aliud: & erant mala punica ducēta per ordines duos in circuitu super caput illud secundum. Et erexit columnas illas in porticu templi: erigens verò columnam dexteram, vocauit nomen eius Iachin: & erigens columnam sinistram, vocauit nomen eius Booz. Eratq; in summitate columnarum opus rosarum, & consummatum est opus columnarum. Fecit quoq; mare fusile, habens decem cubitos à labio suo ad labium suum rotundum per circuitum: altitudo verò eius habuit quinq; cubitos, & linea triginta cubitorum cingebat ipsum per circuitū. Circumdabant quoq; ipsum subter labium sphærulæ: decem in cubito vno cingebant mare ipsum per circuitū: eranteq; per duos ordines sphærulæ fusæ in fusura ipsius maris. Stabat verò, super duodecim boues, quorum tres faciem vertebant ad aquilonem, & tres ad occidentem, tres ad meridiem, & tres ad orientem: stabatque mare super ipsos, posteriora autem eorum erāt introrsum. Porrò crassities eius tenebat palmum, & labiū eius erat quasi opus labij calicis, & germinans lilium capiebatq; duo millia batorum. Fecit quoq; [h] decem bases æneas, & habebat basis vna quatuor cubitos in longitudine, & quatuor cubitos in latitudine, & tres in altitudine. Et fuit tale opus basium: habuerunt clausuras, erantq; clausuræ inter gradus: super quas erant leones, boues, & cherubim, & similiter super gradus superiores: & subter leones ac boues erant additamenta quædam, tenuia facta opere. Quatuor quoq; rotulę æneæ erant sub basi vna, & tabulæ æneę: & in quatuor angulis eius erant sustentacula quasi humeri: subter labrum ipsum erant sustentacula ipsa fusa, vnumquodq; è regione additamenti. Porrò eminentia illius vergebat ad rotunditatem labri, quæ sursum per vnum cubitum erigebatur: eratq; summitas eius rotunda opere conuenienti, habens scilicet cubitum & dimidium: & in hac summitate eius erant cœlaturæ, quarum clausuræ erant in quadrum dispositæ, & non in rotundum. Quatuor autem rotæ erant subter clausuras, & axes rotarum erāt in basi ipsa: altitudo verò rotæ vnius habuit cubitum & dimidium. Eratq; opus rotarum, quasi opus rotæ quadrigæ: & axes earum, circunferentię, cardines, radij erant fusiles. Erant etiam quatuor prominentiæ in quatuor angulis basis vnius: ex ipsa basi erant prominētię eius. Porrò in summitate basis, altitudine dimidij cubiti erat rotūditas circularis, & in ea summitate basis procedebant tam gradus, quàm clausurę ex ipsa basi. Sculpserat enim in tabulis gradus, & iuxta clausuras picturas, leones & palmas, vnumquodq; è regione alterius quod per circuitum additum erat. In hunc igitur modum fecit decem bases, eratq; omnibus vna fusura, vna mensura, & vna sculptura. Fecit denique decem lauacra ænea, cōtinebatq; labrum vnum quadraginta batos: & habebat labrum vnum quatuor cubitos: posuit etiā labrum vnum super basim vnam ex decem basibus: posuitq; bases quinq; ad latus domus dextrū, & quinq; ad latus domus sinistrum: mare vero ipsum collocauit à parte domus dextera, [i] orientem versus, & cōtra meridiem. Fecit quoque Hiram lebetes, palas, & pelues, & perfecit vniuersum opus regis Salomonis pro domo Dñi. Nempe columnas duas, & rotunda capita, quę ponenda erāt in summitate duarum columnarum: duas reticulationes ad operiendum duo rotunda capita, summitati columnarum imponēda. Mala quoq; punica quadringēta pro duabus reticulationibus, duos scilicet ordines malorum punicorum in reticulatione vna, ad operiendum duo rotunda capita, quæ erant in summitāte columnarum. Item bases decem & labra decē super bases ponēda. Mare vnum, & boues duodecim sub mari: lebetes quoque & palas, pelues, & omnia vasa ista, que fecit Hiram regi Salomoni pro domo Domini ex ære repurgato. In planitie Iordanis fudit ea rex in argillosa terra inter Socoth, & Sarthan. Et omisit Salomon ponderare omnia vasa, q̄ nimis multa essent, nec inuestigatum est pondus æris. Fecitq; Salomon omnia vasa in domo Domini, altare aureū & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, aureum: & candelabra [j], quinq; ad dexteram & quinq; ad sinistram contra oraculum ex auro puro, & quasi lilij flores, & lucernas desuper aureas: & forcipes aureos, & hydrias, & fuscinulas, & phialas, & mortariola, & thuribula de auro purissimo: & cardines ostiorum domus interioris sanctisanctorū: & ostiorum domus templi ex auro erāt. Et perfecit omne opus quod faciebat rex Salomon in domo Domini, & intulit quæ sanctificauerat Dauid pater suus, argentum, & aurum, & vasa, reposuitq; in thesauris domus Domini. 2. Para. 5. a

SCHOLIA.

[a] Domum saltus Libani.] *Ionathas sic vertit: & ædificauit domum refrigerij regiam: qua scilicet vteretur æstiuo tempore. Et putant quidam Libanum ferè transisse vsque ad montem Sion: vnde & domus Domini aliquando vocatur Libanus.* [b] Lignum crassum.] *Hoc lignum incubebat columnis domus, & partim sustinebat porticū.* [c] A pauimento.] *Strauit totum pauimentum à pariete ad parietem tabulis cedrinis.* [d] Lapidibus preciosis.] *Intelligre lapidibus optimis.*

[e] Intus & extra.] *Hoc est, in oppositis lateribus erant politi.* [f] Patre Tyrio.] *Pater eius dicitur fuisse Tyrius, quòd illic aliquandiu moratus fuisset.* [g] Linea duodecim cubitorum.] *Fuerunt hæ columnæ intrinsecus concauæ, vt in Hieremia dicitur. Porrò capita columnarum habuerunt in altitudine quinque cubitos, sed solum per tres fuerunt cœlaturis varijs ornata. Indæ in expositione harum columnarum & decem basium, de quibus infra dicetur, æque vt Latini inter se dissident, vt difficile sit in tam obscuris locis certi aliquid pronuntiare. Vocauit autem Salomon columnam vnam Iachim, quod firmationem significat, & alteram Boaz, id est, fortitudo in eo, quod reipsa optabat & precabatur, vt Deus domum illam firmam & stabilem in perpetuum conseruaret.* Decem bases æneas.] *Bases fuerunt factæ pro lauacris sustinendis, & his multiplex fuit adhibitus ornatus, vsque ad accliuitatis terminū, vbi labrum ipsum sedebat in basi, nempe clausuræ sine iunctura æneæ, in quatuor angulis basis incastratæ, &c.* [i] Orientem versus & contra meridiem.] *Hoc est, in septentrionali parte. Hæc enim ingredientibus in templum erat ad dexteram.*

Caput

CAPVT VIII.

2.Para.5.a TVnc congregati sunt omnes maiores natu Israel cum principibus tribuum,& duces familiarum filio- A
rum Israel ad regem Salomonem in Ierusalem:vt deferrent arcã fœderis Domini de ciuitate Dauid,id
est de Sion.Conuenitq; ad regem Salomonem vniuersus Israel [a] in mẽse Ethanim,in solenni die, ipse
est mensis septimus. Venerunt q; cuncti senes de Israel, & tulerunt arcam sacerdotes,& portauerunt arcam
Dñi,& tabernaculum fœderis,& omnia vasa sanctuarij,quæ erant in tabernaculo: & ferebant ea sacerdotes,
& leuitæ.Rex autẽ Salomon,& omnis multitudo Israel,quæ conuenerat ad eũ,gradiebatur cũ illo ante arcã,
& immolabant oues & boues absq; æstimatione & numero. Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Dñi in
locum suum,in oraculum templi, in sanctum sanctorum subter alas cherubim. Siquidem cherubim expã-
debant alas super locum arcæ,& protegebant arcã,& vectes eius désuper. [b] Cumq; eminerent vectes,& appa
rerent summitates eorũ † è sanctuario intra ipsum oraculum,foris non videbantur, qui & fuerunt ibi vsque
Exod.34.d in præsentem diem. In arca autẽ non erat aliud [c] nisi duę tabulę lapideę, quas posuerat in ea Moyses in Ho-
reb,quando pepigit Dñs fœdus cũ filijs Israel,cũ egrederẽtur de terra Ægypti. Factum est autẽ,cum exissent
sacerdotes de sanctuario,[d] nebula impleuit domũ Domini,& nõ poterant sacerdotes stare & ministrare pro-
pter nebulam:impleuerat enim gloria Domini domum Domini. Tunc ait Salomon,Dominus dixit, vt ha- B
2.Para.6.a bitaret in nebula.Ædificans ædificaui domum in habitaculum tuum,[e] firmissimum solium tuum in sempi-
ternum. Conuertitq; rex faciem suam,& benedixit omni ecclesiæ Israel: omnis enim ecclesia Israel stabat.
Et ait,Benedictus Dominus Deus Israel qui locutus est ore suo ad Dauid patrem meũ,& in manibus eius per
fecit,dicẽs,A die qua eduxi populũ meum Israel de Ægypto, nõ elegi ciuitatem de vniuersis tribubus Israel,
2.Reg.7.a vt ędificaretur domus,& esset nomẽ meum ibi:sed elegi Dauid,vt esset super populum meũ Israel. Voluitq;
Dauid pater meus ædificare domum nomini Domini Dei Israel:& ait Dominus ad Dauid patrẽ meũ,Quòd
cogitasti in corde tuo ędificare domum nomini meo,bene fecisti hoc ipsum mente tractans. Veruntamen tu
non ædificabis domum,sed filius tuus qui egredietur de renibus tuis, ipse ędificabit domum nomini meo.
Confirmauit Dominus sermonem suum,quem locutus est: stetiq; pro Dauid patre meo, & sedi super thro-
num Israel,sicut locutus est Dominus : & ædificaui domum nomini Domini Dei Israel. Et constitui ibi lo-
cum arcæ:in qua fœdus Domini est,quod percussit cũ patribus nostris quando egressi sunt de terra Ægypti.
Stetit autem Salomon ante altare Domini in conspectu ecclesiæ Israel,& expãdit manus suas in cœlum,& C
ait,Domine Deus Israel,nõ est similis tui Deus in cœlo désuper,& super terram deorsum: qui custodis pactũ
2.Mac.2.b & misericordiam seruis tuis qui ambulant coràm te in toto corde suo. Qui custodisti seruo tuo Dauid patri
meo,quæ locutus es ei:ore locutus es, & manibus perfecisti,vt hæc dies probat. Nunc igitur Domine Deus
2.Reg.7.b Israel,conserua famulo tuo Dauid patri meo,quę locutus es ei,dicens. Nõ auferetur de te vir coràm me,qui
sedeat super thronum Israel: ita tamẽ si custodierint filij tui viam suam , vt ambulent coràm me sicut tu am-
bulasti in conspectu meo. Et nunc Domine Deus Israel firmentur verba tua , quæ locutus es seruo tuo Da-
uid patri meo.Ergóne putandum est q; verè Deus habitet super terram? si enim cœlum , & cœli cœlorum te
Deut.12.b capere non possunt,quantò magis domus hæc quam ædificaui?Sed respice ad orationem serui tui , & ad pre-
ces eius Dñe Deus meus:audi hymnum & orationem quam seruus orat corã te hodie. Vt sint oculi tui aper-
ti super domum hanc nocte ac die:super domum de qua dixisti,Erit nomen meũ ibi:vt exaudias orationem,
quam orat in loco isto ad te seruus tuus. Vt exaudias deprecationem serui tui & populi tui Israel,† cũ orauc
rint in loco isto,& exaudies in loco habitaculi tui in cœlo:& cum exaudieris,propitius eris.Si peccauerit ho-
mo in proximum suum,[f] & † interuenerit iuramentum,cogatq; is illũ : & venerit propter iuramentũ coràm
altari tuo in domum † istam,tu exaudies in cœlo:& facies,& iudicabis seruos tuos,condemnans impium , & D
reddens viam suam super caput eius,iustificãsq; iustum, & retribuens ei secundũ iustitiam suam . Si fugerit
populus tuus Israel inimicos suos,quia † peccauerint in te,& reuersi ad te,& cõfitentes nomini tuo venerint,
& orauerint,& deprecati te fuerint in domo hac:exaudi in cœlo,& dimitte peccatum populi tui Israel, & re-
duces eos in terram quam dedisti patribus eorũ. Si clausum fuerit cœlum, & nõ pluerit propter peccata eo-
rũ,& orantes in loco isto † confessi fuerint nomini tuo, & à peccatis suis conuersi fuerint propter afflictionẽ
suam:exaudi eos in cœlo,& dimitte peccata seruorum tuorũ,& populi tui Israel : & ostende eis viam bonam
per quam ambulent,& da pluuiã super terrã quã dedisti populo tuo in possessionem. Fames si oborta fuerit
in terra,aut pestilentia,aut † ariditas,aut ęrugo,aut locusta,vel † bruchus,& afflixerit eum inimicus eius por
tas obsidens,omnis plaga,vniuersa infirmitas,† omnis oratio,& quęcũq; supplex precatio,quę acciderit om
ni homini de populo tuo Israel:si quis cognouerit [g] plagã cordis sui, & expanderit manus suas in domo hac,
tu exaudies in cœlo in loco habitationis tuę,& repropitiaberis, & facies, vt des vnicuiq; secundũ omnes vias
suas,sicut videris cor eius,quia tu nosti solus cor omnium filiorum hominum : vt timeant te cunctis diebus
quibus viuunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris.Insuper & alienigena, qui non est de popu- E
lo tuo Israel,cũ venerit de terra lõginqua propter nomen tuum(audietur enim nomẽ tuũ magnũ, & manus
tua fortis , & brachiũ tuũ extentum vbiq;) Cum venerit ergo,& orauerit in hoc loco,tu exaudies in cœlo,in
firmamento habitaculi tui, & facies omnia pro quibus inuocauerit te alienigena:vt discant vniuersi populi
terrarum nomen tuum timere,sicut populus tuus Israel,& probent quòd nomen tuum inuocatum est super
domum hanc, quam ædificaui. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra inimicos suos, per viam,
quocunque miseris eos , orabunt te contra viam ciuitatis quam elegisti , & contra domum quam ædificaui
2.Para.6.g nomini tuo,& exaudies in cœlo orationes eorum,& preces eorum,& [h] facies iudicium eorum. Quòd si pec-
1.Ioan.1.d cauerint tibi (non est enim homo qui non peccet,) & iratus tradideris eos inimicis suis,& captiui ducti fue-
Eccle.7.c rint in terram inimicorum longè vel prope,& egerint pœnitentiam in corde suo in loco captiuitatis,& con-
uersi

uersi deprecati te fuerint in captiuitate sua , dicentes , Peccauimus,iniquè egimus,impiè gessimus:& reuersi
fuerint ad te in vniuerso corde suo,& tota anima sua in terra inimicorum suorũ , ad quam captiui ducti fue-
rint:& orauerint te contra viam terrę suæ quam dedisti patribus eorum,& ciuitatis quam elegisti , & templi
quod ædificaui nomini tuo:exaudies in cœlo in firmamento solij tui orationes eorum,& preces eorũ , & fa-
cies iudicium eorum:& propitiaberis populo tuo qui peccauit tibi,& omnibus iniquitatibus eorum quibus
F præuaricati sunt in te:& dabis misericordiam coràm eis qui eos captiuos habuerint,vt misereantur eis.Popu
lus enim tuus est,& hæreditas tua,quos eduxisti de terra Ægypti, [i] de medio fornacis ferreæ. Vt sint oculi tui
aperti ad deprecationẽ serui tui,& populi tui Israel , & exaudias eos in vniuersis pro quibus inuocauerint te.
Tu enim separasti eos tibi in hæreditatem de vniuersis populis terræ , sicut locutus es per Moysen seruũ tuũ,
quando eduxisti patres nostros de Ægypto Domine Deus . Factum est autem,cum complesset Salomon
orans Dominum omnem orationem,& deprecationem hanc , surrexit de cõspectu altaris Domini:vtrunq;
enim genu in terrã fixerat,& manus expanderat in cœlo. Stetit ergo , & benedixit omni ecclesiæ Israel vo-
ce magna, dicens, Benedictus Dominus qui dedit requiem populo suo Israel , iuxta omnia,quæ locutus est:
non cecidit ne vnus quidem sermo ex omnibus bonis,quæ locutus est per Moysen seruum suum. Sit Domi-
nus Deus noster nobiscum,sicut fuit cum patribus nostris, non derelinquens nos, neque proijciens. Sed in-
clinet corda nostra ad se , vt ambulemus in vniuersis vijs eius , & custodiamus mandata eius , & ceremonias
eius,& iudicia quæcunque mandauit patribus nostris. Et sint sermones mei isti quibus deprecatus sum corã
Domino , appropinquantes Domino Deo nostro die ac nocte , vt faciat iudicium seruo suo , & populo suo
G Israel per singulos dies: & sciant omnes populi terræ quòd Dominus ipse est Deus , & non est vltrà absq; eo.
Sit † ergo cor vestrum perfectum cum Domino Deo nostro,vt ambulemus in decretis eius , & custodiamus
mandata eius , sicut & hodie . Igitur rex & omnis Israel cum eo , immolabant victimas coràm Domino.
Mactauitq; Salomon hostias pacificas, quas immolauit Domino, boum vigintiduo millia , & ouium cen-
tum viginti millia: & dedicauerunt tẽplum Domini rex & omnes filij Israel. In die illa sanctificauit rex me-
dium atrij quod erat ante domum Domini : fecit quippe holocaustum ibi,& sacrificium,& adipem pacifico
rum:quoniam altare æreum quod erat coràm Domino,minus erat , & capere non poterat holocaustum , &
sacrificium,& adipem pacificorum. Fecit ergo Salomon in tempore illo festiuitatem celebrem, & omnis Is-
rael cum eo,multitudo magna ab introitu Emath vsq; ad riuum Ægypti, coràm Domino Deo nostro , [k] sep-
tem diebus & septem diebus,id est quatuordecim diebus. Et in die octaua dimisit populos: qui benedicen-
tes regi, profecti sunt in tabernacula sua lætantes,& alacri corde super omnibus bonis,quę fecerat Dominus
Dauid seruo suo,& Israel populo suo.

SCHOLIA.

[a] In mense Ethanim.] *Hic est Tirsi,id est september,& vocatur Ethanim,quod fortitudines sonat,propter fructuum, quæ in eo fiunt,collectiones,aut propter multos solennes dies, qui in eo celebrari iubentur.* [b] Cumq; eminerent vectes.] *Habuerunt enim in longitudine decem cubitos,& extraxerunt eos à parte vna, vt illis eminerent quatuor aut quinq; cubitis,vt sacerdos semel in anno ingrediens,inter vectes illos incensum poneret.* [c] Nisi duæ tabulæ.] *putant Hebræi librum legis & alia,quæ fuerant in arca,reposita in thesauris domus Domini vna cum tabernaculo Mosis & vasis eius:nam scribitur in quarto Regum quòd Helchias sacerdos repererit librum legis in domo Domini.* [d] Nebula.] *Hoc est gloria Domini per nubem apparuit in domo illa,sicut antea apparuit in tabernaculo.* [e] Firmissimum solium.] *Habuit Dominus antea multas mansiones inter homines:nam habitauit in Galgal,in Silo,in Nob, & in Gabaon,sed non fuerunt durabiles, vt hæc domus.* [f] Et interuenerit iuramentum.] *Quidam sic exponunt.Et condemnauerint eum iudices, coegerintq; eum iurare, vt cum quis negauerit se recepisse depositum alterius,quod tamen recepit,ecce is peccat in proximum,de quo Leuit.5.a principio datur præceptum.* [g] Plagam cordis sui.] *Hoc est,qui secreta pressus infirmitate aut necessitate, ad te cordium scrutatorem clamauerit.* [h] Facies iudicium eorum.] *Hoc est, tu causam eorum agas, & vindictam sumes de hostibus eorum.* [i] De medio fornacis ferreæ.] *Sicut aurum & argentum probantur in fornace ferrea , sic Israelitæ examinati sunt in Ægypto,per duram seruitutem.* [k] Septem diebus.] *Septem primis diebus celebrabant solennitatem tabernaculorum,& septem reliquis diebus,festum dedicationis templi.*

CAPVT IX.

A FActum est autem cum perfecisset Salomon ædificium domus Domini,' & ædificium regis , & omne
quod optauerat & voluerat facere , apparuit ei Dominus secundò sicut apparuerat ei in Gabaon . Di-
xitq; Dominus ad eum,Exaudiui orationem tuam & deprecationem tuam,quam deprecatus es coràm
me:sanctificaui domum hanc quam ædificasti , vt ponerem nomen meũ ibi in sempiternum, & erunt oculi 2.Para.7.c
mei & cor meum ibi cunctis diebus. Tu quoq; si ambulaueris coràm me , sicut ambulauit Dauid pater tuus Supra 6.b
in simplicitate cordis,& in æquitate:& feceris omnia,quæ præcepi tibi, & legitima mea & iudicia mea serua
ueris, Ponam thronũ regni tui super Israel in sempiternum,sicut locutus sum Dauid patri tuo,dicens, Non
auferetur vir de genere tuo de solio Israel. Si autem auersione auersi fueritis vos & filij vestri , non sequentes 2.Reg.7.b
me,nec custodientes mandata mea, & ceremonias quas proposui vobis , sed abieritis , & colueritis deos alie-
B nos,& adoraueritis eos:auferã Israel de superficie terræ quam dedi eis,& templum quod sanctificaui nomini
meo proijciam à conspectu meo: eritq; Israel in prouerbiũ , & in fabulã cunctis populis. Et domus hæc erit
in † desolationem: omnis qui transierit per eam,stupebit & sibilabit,& dicet,Quare fecit Dominus sic terrę Deut. 29.
huic & domui huic? Et respondebunt, Quia dereliquerunt Dñm Deum suum, qui eduxit patres eorum de Hier. 22.c
terra Ægypti , & secuti sunt deos alienos,& adoraverunt eos, & coluerunt eos : idcircò induxit Dominus su-
per eos omne malum hoc . Expletis autem [a] annis viginti † quibus ædificauerat Salomon duas domos , id
est domũ Domini,& domũ regis:Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina & abiegna , & aurum

& omne

2.Para. 8.a & omne quod opus habuerat:tunc dedit Salomon Hirã viginti oppida in terra Galileæ. Et egressus est Hirã de Tyro,vt videret oppida,quæ dederat ei Salomon,& nõ placuerunt ei,& ait,Hęccine sunt ciuitates quas dedisti mihi frater? Et appellauit eas terrã [b] Chabul,vsq; in diem hanc. Misit quoq; Hiram ad regẽ Salomonẽ C centum viginti talenta auri. Hæc summa † est,quã tributi nomine rex Salomon leuauit ad ædificandam domum Dñi & domum suam,& [c] Mello,& murum Ierusalem,& Hesер,& Mageddo,& Gazer. Pharao enim rex Ægypti ascendit,& cepit Gazer, succenditq; eã igni: & Chananæum qui habitabat in ciuitate interfecit, & dedit eam in dotẽ filiæ suæ vxori Salomónis. Ædificauit ergo Salomon Gazer,& Beth horũ inferiorem,& Balaath & Palmirã in terra solitudinis. † Omnes quoq; ciuitates thesaurorum,quas habuit Salomon & ciuitates curruum,& ciuitates equitũ,& quodcunq; ei placuit,vt ędificaret in Ierusalem & in Libano & in omni terra potestatis suæ. Vniuersum populũ qui remãserat de Amorrhæis,& de Hethæis,& Pherezæis, & Heuęis, & Iebusæis,qui non sunt de filijs Israel:horũ filios,qui remanserant in terra, quos scilicet non potuerant filij Israel exterminare:fecit Salomon tributarios vsq; in diem hanc. De filijs autẽ Israel non constituit Salomon D seruire quenquã,sed erant viri bellatores,& ministri eius & principes & duces: præfecti curruum & equorũ. Erant autem principes super omnia opera Salomonis præpositi, quingenti quinquaginta,qui habebant sub iectũ populum,& statutis operibus imperabant. Filia autem Pharaonis ascendit de ciuitate Dauid in domũ suã quã ædificauerat ei Salomon:tunc ædificauit Mello. Offerebat quoq; Salomon tribus vicibus per annos singulos holocausta,& pacificas victimas super altare quod ædificauerat Domino,& adolebat thymiama coràm Dño:perfectumq; est templũ. Classem quoq; fecit rex Salomon in Asion Gáber, quæ est iuxta † Eloth in littore maris rubri,in terra Idumeæ. Misitq; Hirã in classe illa seruos suos viros nauticos & gnaros maris, cum seruis Salomonis. Qui cum venissent in Ophir, sumptum inde aurum quadringentorum viginti talentorum,detulerunt ad regem Salomonem.

SCHOLIA.

[a] Annis viginti.] *Septem annis ędificauit domum Domini, & tredecim annis domum regiam, qui simul iuncti faciunt viginti annos.* [b] Chabul.] *Sunt qui exponant,arenam,& quod terra illa ob arenam sterilis fuerit. Alij exponunt Chabul.pro clausa,dicentes terram illam clausam fuisse,hoc est, non habitatam propter abiectionem eius.* [c] Mello.] *Per Mello intelligitur ędificium ciuitatis Sion,quod Dauid quidem inchoauit, sed Salomon absoluit. Alij dicunt, quòd pro filia Pharaonis ibi extruxerit domum.*

CAPVT X.

2.Para. 9.a Matt. 12.d Lucæ 11. d SEd & regina Saba audita fama Salomonis, [a] in nomine Domini venit tentare eum in ænigmatibus. Et A ingressa Ierusalem † cum exercitu maximo,camelis portantibus aromata,& aurũ † plurimum,& gemmas pretiosas,venit ad Salomonẽ,& locuta est ei vniuersa,quæ habebat in corde suo. Et docuit eã Salomon omnia verba,quæ proposuerat:nõ fuit sermo qui regẽ posset latere,& nõ respõderet ei. Videns autẽ regina Saba omnem sapientiã Salomonis,& domũ quã ædificauerat,& cibos mẽsę eius, & habitacula seruorũ, & ordines ministrantium,vestesq; eorum,& pincernas,& holocausta,quæ offerebat in domo Dñi:non habebat vltrà spiritũ,dixitq; ad regem, Verus est sermo quem audiui in terra mea super sermonibus tuis,& super sapientia tua:& non credebã narrantibus mihi,donec ipsa veni,& vidi oculis meis, & probaui q; media pars mihi nuntiata non fuerit:maior est sapientia & opera tua,quã rumor quẽ audiui. Beati viri tui, & beati serui tui hi,qui stant coràm te semper,& audiunt sapientiam tuam. Sit Dñs Deus tuus benedictus,cui cõplacuiB sti,& posuit te super thronũ Israel,eò q; dilexerit Dominus Israel in sempiternũ:& constituit te regẽ, vt faceres iudicium & iustitiam. Dedit ergo regi centũ viginti talenta auri,& aromata multa nimis,& gemmas pretiosas:non sunt allata vltrà aromata tam multa, quã ea,quę dedit regina Saba regi Salomoni. Sed & classis Hiram,quę portabat aurum de Ophir,attulit ex Ophir ligna thina multa nimis,& gẽmas pretiosas. Fecitq; rex de lignis thinis fulchra domus Dñi,& domus regiæ,& citharas lyrasq; cantoribus: nõ sunt allata huiusce modi ligna thina,neq; visa vsq; in præsentẽ diem. Rex autẽ Salomon dedit reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petiuit ab eo:exceptis his,quæ vltrò obtulerat ei munere regio. Quæ reuersa est,& abijt in terram suam cũ seruis suis. Erat autẽ pondus auri quod afferebatur Salomoni per annos singulos, sexcentorum sexaginta sex talentorum auri:excepto eo quod afferebant viri † mercatores & negotiatores,atq; aromatarij, & omnes C reges Arabiæ,ducesq; terræ. Fecit quoq; rex Salomon ducenta scuta de auro purissimo: sexcentos auri siclos dedit in laminas scuti vnius. Et trecentas peltas ex auro probato † & tres minæ auri vnam peltam vestiebant: posuitq; eas rex in domo saltus Libani. Fecit etiam rex Salomon thronum de ebore grandem: & vestiuit eum auro † optimo,qui habebat sex gradus:& summitas throni,rotunda erat in parte posteriori:[b] & manus hinc atq; inde † in loco sedis:& duo leones stabant iuxta manus singulas. Et duodecim leunculi stantes super sex gradus hinc atq; inde:non est factum tale opus in vniuersis regnis. Sed & omnia vasa, de quibus potabat rex Salomon,erant aurea: & vniuersa supellex domus saltus Libani de auro purissimo:[c] non erat argentum, nec alicuius precij putabatur in diebus Salomonis, quia classis regis per mare cum classe Hiram semel per tres annos ibat in Tharsis, deferens inde aurum & argentum, & dentes elephantorum, & simias, & pauos. D Magnificatus est ergo rex Salomon super omnes reges terræ diuitijs & sapientia. Et vniuersa terra desyderabat vultum Salomonis,vt audiret sapientiam eius,quam dederat Deus in corde eius. Et singuli deferebant ei munera,vasa argentea & aurea,vestes & arma bellica,aromata quoq;,& equos,& mulos per annos singulos. Congregauitque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum: & disposuit eos [d] per ciuitates † curruum, & cum rege in Ierusalem. Fecitq; vt tanta esset abundantia argenti in Ierusalem, quanta & lapidum: & cedrorum præbuit multitudinem quasi sycomoros,quę nascuntur in campestribus. Et educebantur equi Salomoni de Ægypto [e] † & collectionem rerum vicissim tollebant

tollebant mercatores regis,& vendebant cõsarcinatum opus pro precio. Egrediebatur autem quadriga ex Ægypto sexcentis siclis argenti,& equus centum quinquaginta. Atq; in hunc modum cuncti reges Hetheorum & Syriæ † per manus eorum extrahebant.

SCHOLIA.

[a] In nomine Domini.] *Quidam hunc locum sic exponunt. Audiens regina Saba, Salomoni à Deo tantam datam sapientiam. Alij sic. Cum audisset regina Saba, sapientiam Salomonis non esse naturalem, qualis est sapientia philosophorum, magorum, & id genus hominum, venit vt sermonibus,retrusis tentaret illum.* [b] Et manus hinc atque inde.] *Manus vel, vt alius vertit,fulcra throni,sunt latera eius quibus brachia innituntur.* [c] Non erat argentum.] *Mysticè, non erat argentum in precio in diebus Salomonis: non enim est regnum Dei in sermone,sed in virtute.* [d] Per ciuitates curruum.] *Dictum enim supra,quòd proprias,ciuitates ordinauerit pro curribus & equis,præter illos currus & equos, quos semper secum habuit Hierosolymis, ministerio eius quotidiano deputatos.* [e] Collectionem rerum.] *Locus iste obscurus est in Hebræo. Quis sequuntur Chal.interpretem,hunc eliciunt sensum. Duo magna commoda habuit Salomon ex Ægypto videlicet equos & byssum:nam mercatores Salomonis portauerunt res quasdam,quæ Hierosolymis habentur,in Ægyptum,& commutauerunt eas pro equis & filis,Vnde multum illi emolumentum accessit. Alij verò hunc,aiunt,haberi sub his verbis sensum: nempè quòd rex Ægypti omne lucrum, quod ex equis colligi potuit, dederit Salomoni, & Salomon vendiderit illud pro certo precio singulis annis mercatoribus, quibus quoque tradidit collectionem quarumcunque rerum, quas illi vendiderunt in Ægypto. Et sic factum est, vt reges Hetheorum, & Syriæ,non potuerint educere equos de Ægypto, nisi per manus mercatorum negociatorum, Vnde Salomoni plurimum accessit commodi.*

CAPVT XI.

A REx autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas,filiam quoque Pharaonis, & Moabitidas, & Ammonitidas,Idumæas,& Sidonias, & Cethæas:de gentibus super quibus dixit Dominus filijs Israel,Non ingrediemini ad eas, neq; de illis ingredientur ad vestras:certissimè enim auertent corda vestra,vt sequamini deos earum. His itaq; copulatus est Salomon † amore. Fueruntq; ei [a] vxores † regiæ septingentæ,& concubinę trecentæ:& auerterũt mulieres cor eius. Cumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres,vt sequeretur deos alienos: nec erat cor eius perfectum cum Dño Deo suo, sicut cor Dauid patris eius. Sed colebat Salomon † Asthoreth deum Sidoniorum,& Moloch idólum Ammonitarum. Fecitq; Salomon quod non placuerat corã Domino,& non adimpleuit, vt sequeretur Dominum,sicut Dauid pater
B eius. Tunc ædificauit Salomon phanum Chamos idólo Moab,in monte qui est contra Ierusalem,& Moloch idólo filiorum Ammon. Atq; in hunc modum fecit vniuersis vxoribus suis alienigenis,quę adolebant thura & immolabant dijs suis. Igitur iratus est Dominus Salomoni, q; auersa esset mens eius, à Domino Deo Israel,qui apparuerat ei secundò,& præceperat de verbo hoc ne sequeretur deos alienos,& nõ custodiuit,quę mandauit ei Dñs. Dixit itaq; Dominus Salomoni,Quia habuisti hoc apud te,& non custodisti pactũ meũ,& præcepta mea,quæ mandaui tibi,dissumpens scindam regnum tuum,& dabo illud seruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam propter Dauid patrem tuũ:de manu filij tui scindam illud,nec totum regnum auferam,sed [b] tribum vnã dabo filio tuo propter Dauid seruum meum,& Ierusalẽ quam elegi. Suscitauit autẽ
C Dominus aduersarium Salomoni [c] Adad Idumæum de semine regio,qui erat in Edom. Cum enim esset Dauid in Idumæa, & ascendisset Ioab princeps militiæ ad sepeliendum eos, qui fuerant interfecti,& occidisset omne masculinum in Idumæa (sex enim mensibus ibi moratus est Ioab, & omnis Israel,donec interimeret omne masculinum in Idumæa) fugit Adad ipse, & viri Idumæi de seruis patris eius cum eo,vt ingrederetur Ægyptum:erat autẽ Adad puer paruulus. Cumq; surrexissent de Madian,venerunt in Pharan: tuleruntq; secum viros de Pharan,& introierunt Ægyptum ad Pharaonem regem Ægypti:qui dedit ei domum, & cibos constituit,& terram delegauit. Et inuenit Adad gratiam coràm Pharaone valde,in tantum vt daret ei vxorẽ, sororem vxoris suæ germanã Taphnes reginæ. Genuitq; ei soror Taphnes Cenubath filium,& nutriuit eum
D Taphnes in domo Pharaonis:eratq; Genubath habitans apud Pharaonẽ cum filijs eius. Cũq; audisset Adad in Ægypto dormisse Dauid cũ patribus suis, & mortuum esse Ioab principem militiæ, dixit Pharaoni, Dimitte me,vt vadam in terrã meam. Dixitq; ei Pharao, Qua enim re apud me indiges, vt quæras ire ad terram tuam? At ille respõdit, Nulla:sed obsecro te vt dimittas me. Suscitauit quoq; ei Deus aduersariũ Razon filiũ Eliada,qui fugerat Adadézer regem Soba dominum suum:& cõgregauit cõtra eum viros, & factus est † dux turmæ cum interficeret eos Dauid:abieruntq; Damascum,& habitauerunt ibi, & cõstituerunt eum regẽ in Damasco,eratq; aduersarius Israeli cunctis diebus Salomonis:& hoc est malum Adad,& odium cõtra Israel, regnauitq; in Syria. Ieroboam quoq; filius Nabat,Ephrateus,de Sareda,seruus Salomonis,cuius mater erat
E nomine Serua:mulier vidua:leuauit manũ contra regẽ. Et hæc est causa rebellionis aduersus eum,[d] quia Salomon ædificauit Mello,& † clausit interruptionẽ ciuitatis Dauid patris sui. Erat autem Ieroboam,vir † potens robore:vidensq; Salomon adolescentẽ bonæ indolis & industrium, cõstituerat eũ præfectum super tributa vniuersæ domus Ioseph. Factum est igitur in tẽpore illo,vt Ieroboam egrederetur de Ierusalem, & inueniret eũ Ahias Silonites propheta,in via,opertus pallio nouo:erant autem duo tantum in agro. Apprehendensq; Ahias pallium suum nouum,quo coopertus erat,scidit in duodecim partes. Et ait ad Ieroboam, Tolle tibi decem scissuras:hæc enim dicit Dñs Deus Israel, Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis,& dabo tibi decem tribus. Porrò vna tribus remanebit ei propter seruum meũ Dauid, & propter Ierusalem ciuitatẽ
F quam elegi ex omnibus tribubus Israel:eò q; dereliquerit me,& adorauerit † Asthoreth deum Sidoniorũ, & Chamos deum Moab,& Moloch deum filiorum Ammon: & non ambulauerit in vijs meis, vt faceret iustitiam coràm me,& præcepta mea,& iudicia sicut Dauid pater eius. Nec auferam omne regnũ de manu eius, sed ducem ponam eũ cunctis diebus vitæ suæ,propter Dauid seruum meum quem elegi, qui custodiuit mãdata

Sup. 9.b

2. Reg. 8.d

data mea & præcepta mea. Auferam autem regnum de manu filij eius, & dabo tibi decem tribus: filio autem
eius dabo tribum vnam, vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coràm me in Ierusalem ciui-
tate quam elegi, vt esset nomen meum ibi. Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desyderat ani-
ma tua, erisq; rex super Israel. Si igitur audieris omnia quæ præcepero tibi, & ambulaueris in vijs meis, & fe- G
ceris quòd rectum est coràm me, custodiens mãdata mea, & præcepta mea, sicut fecit Dauid seruus meus: ero
tecum, & ædificabo tibi domum fidelem, quomodo ædificaui Dauid domum, & tradam tibi Israel: & affligã
semen Dauid super hoc, veruntamen non cunctis diebus. Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam: qui
surrexit & aufugit in Ægyptum ad Sesac regem Ægypti, & fuit in Ægypto vsq; ad mortẽ Salomonis. [c] Reli-
quum autem verborum Salomonis, & omnia quæ fecit, & sapientia eius: ecce vniuersa scripta sunt in libro
verborum Salomonis. Dies autem quos regnauit Salomon in Ierusalem super omnem Israel, quadraginta
anni sunt. Dormiuitq; Salomõ cum patribus suis, & sepultus est in ciuitate Dauid patris sui: regnauitq; Ro-
boam filius eius pro eo.

SCHOLIA.

[a] Vxores regiæ.] *In Heb. est: Vxores principes, & quod ait, septingentæ, & post, trecentæ, sunt qui putent positũ numerum finitum pro indefinito.* [b] Tribum vnam.] *Connumeratur tribui Iuda tribus Beniamin, quòd sors eius esset ferè in sorte Iuda, Vnde & semper mansit sub regno Iuda, alijs decem tribubus regi Israel parẽtibus.* [c] Adad.] *Hic Adad in pueritia fugiens in Ægyptum, tanto odio flagrauit contra filios Israel, vt deserta aula regia, repeteret terram suam, quò se se vlcisci posset de posteris Dauid, atque is primus fuit aduersarius Salomonis. Alter fuit Rasõn, qui fugit à domino suo Hadadezer, cum Dauid illum percuteret, audiensq; Adad ex Ægypto reuersum in terram suam, vt impugnaret Israelitas, abyt & ipse in Damascum, & illic prosperos habens successus, obtinuit ipse & viri eius, qui illum comitati fuerãt, principatum, & tandem prævalens, solus obtinuit regnum super totam Syriam, et cœpit infestus esse filijs Israel. Hæc autem pacis interruptio ideo contigit sub Salomone, ne promissiones perpetuæ pacis in regno Christi filij Dauid, tunc completæ putarentur, de quibus in psalmo, Deus iudicium tuum regi da, &c.* [d] Quia Salomon ædificauit Mello.] *Quæ ædificatio cum displicuisset populo, & nemo auderet quicquam dicere regi præter vnum filium Nabat, quæsiuit eum rex interficere. Adjecit quoque textus aliam causam, nempe quòd obstruxerit interruptionem ciuitatis Dauid, per quam populus ascendit in templum Domini: filiæ Pharaonis, cui ibi extruxit domum, magis quam Deo placere studens. Pro qua re cum Ieroboam illi publice redarguisset, vt Hebræi putant, gratiam illius perdidit.* [e] Reliquum autem verborum.] *Hoc est, alia facta & dicta eius scripta sunt in libro proprio, sed qui non extat.*

CAPVT XII.

2.Par. 10.a VEnit autem Roboam [a] in Sichem: illuc enim congregatus erat omnis Israel ad constituendum eum A
regem. † Audiuit autem hoc Ieroboam filius Nabat, cum adhuc esset in Ægypto profugus à facie re-
gis Salomonis, † manseretq; in Ægypto. Miseruntq;, & vocauerunt eũ: venit ergo Ieroboam, & om-
nis multitudo Israel, & locuti sunt ad Roboam, dicentes, Pater tuus [b] durissimum iugum imposuit nobis:
tu itaq; nunc imminue paululum de imperio patris tui † dúro, & de iugo † graui quod imposuit nobis, &
seruiemus tibi. Qui ait eis, Ite vsq; ad tertium diem, & reuertimini ad me. Cumq; abijsset populus, inijt con-
silium rex Roboam cum senioribus qui astabant coràm Salomone patre eius, cum adhuc viueret, & ait,
Quod datis mihi consilium, vt respondeam populo huic? Qui dixerunt ei, Si hodie obedieris populo huic, B
& seruieris, & petitioni eorum cesseris, locutusq; fueris ad eos verba lenia, erunt tibi serui cũctis diebus. Qui
dereliquit consilium senum quod dederant ei, & adhibuit adolescentes, qui nutriti fuerant cum eo, & assiste-
bant illi, dixitq; ad eos, Quod mihi datis consilium, vt respondeam: populo huic? qui dixerunt mihi, Leuius
fac iugum, quod imposuit pater tuus super nos. Et dixerunt ei iuuenes qui nutriti fuerant cum eo, Sic loque-
Eccle.47.d re populo huic, qui locuti sunt ad te, dicentes, Pater tuus aggrauauit iugum nostrum, tu releua nos. Sic loque
ris ad eos. Minimus digitus meus grossior est † quàm pater meus fuerit in lumbis. Et nũc pater meus posuit
super vos iugum graue, ego autem addam super iugum vestrum: pater meus cęcidit vos flagellis, ego autem C
cædam vos [c] scorpionibus. Venit ergo Ieroboam, & omnis populus ad Roboam die tertia, sicut locutus fue-
rat rex, dicens, Reuertimini ad me die tertia. Respondit; rex populo dura, derelicto consilio seniorũ quod
ei dederant, & locutus est eis secundum consilium iuuenum, dicens, Pater meus aggrauauit iugum vestrum,
Supra 11.f ego autem addam iugo vestro: pater meus cęcidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Et non
acquieuit rex populo: quoniam † ordinatio fuit Dei, vt suscitaret verbum suum quod locutus fuerat in ma-
nu Ahiæ Silonitæ ad Ieroboam filium Nabat. Videns itaq; populus quòd noluisset eos audire rex, respõdit
ei, dicens, Quæ nobis pars in Dauid? vel, quæ hæreditas in filio Isai? in tabernacula tua Israel, [d] nunc vi- D
de domum tuam Dauid: & abijt Israel, in tabernacula sua. Super filios autem Israel, quicunq; habitabant in
ciuitatibus Iuda, regnauit Roboam. Misit ergo rex Roboã Aduram qui erat super tributa: & lapidauit eũ
omnis Israel, & mortuus est. Porrò rex Roboam festinus ascendit currum, & fugit in Ierusalem, recessitq;
Israel à domo Dauid, vsq; in præsentem diem. Factum est autem cum audisset omnis Israel quòd reuersus
esset Ieroboam, miserunt, & vocauerunt eũ congregato cœtu, & constituerunt eum regẽ super omnẽ Israel,
nec secutus est quispiã domum Dauid, præter tribum Iuda solã. Venit aũt Roboam Ierusalem, & cõgregauit
2.Para.11.a vniuersam domũ Iuda, & tribũ Beniamin centũ octoginta millia electorum virorũ, & bellatorũ, vt pugna- E
rent contra domũ Israel, & reducerẽt regnum Roboã filio Salomonis. Factus est aũt sermo Dñi ad Semeiã
virũ Dei, dicens, Loquere ad Roboam filiũ Salomonis regem Iuda, & ad oẽm domum Iuda, & Beniamin, &
reliquos de populo, dicens, Hæc dicit Dñs, Non ascendetis, neq; bellabitis contra fratres vestros filios Israel:
reuertatur vir in domum suam, à me enim factũ est verbum hoc. Audierũt sermonẽ Domini, & reuersi sunt
de itinere sicut eis præceperat Dominus. Ædificauit autem Ieroboam Sichem in monte Ephraim, & habi-
tauit

F tauit ibi: & egressus inde ædificauit Phanuel. Dixitq; Ieroboam in corde suo, Nũc reuertetur regnum ad do-
mum Dauid, si ascenderit populus iste vt faciat sacrificia in Domo Domini in Ierusalem: & conuertetur cor
populi huius ad Dominum suum Roboam regem Iuda, interficientq; me, & reuertentur ad eum. Et excogi Supra. 11.f
tato consilio, fecit duos vitulos aureos, & dixit eis, Nolite vltrà ascendere in Ierusalem, Ecce dij tui Israel, qui
te eduxerũt de terra Ægypti. Posuitq; vnum in Bethel, & alterum in Dan: & factum est verbum hoc in pec-
catum: ibat enim populus ad adorandum vitulum, vsq; in Dan. Et fecit phana in excelsis, & facerdotes [e] de Exod.32.b
G extremis populi qui non erant de filijs Leui. Constituitq; diem solennem [f] in mense octauo quintadecima
die mensis, in similitudinem solennitatis quæ celebrabatur in Iuda. Et † obtulit super altare, similiter fecit
in Bethel, vt immolaret vitulis quos fabricatus fuerat: constituitq; in Bethel sacerdotes excelsorum quæ fe-
cerat. † Et faciebat holocausta super altare quod extruxerat in Bethel quintadecima die mẽsis octaui, quem
finxerat de corde suo: & fecit solennitatem filijs Israel, & † obtulit super altare, atq; adoleuit incensum.

SCHOLIA.

[a] In Sichem.] *Israelitæ in hunc locum conuenerunt, cum regem eligere vellent, quò facilius occasionem inuenirent cõtra domum Dauid, loci ipsius aduiti, vt errantes putabant infelici auspicio. Ibi enim corrupta fuit Dina, ibi venditus Ioseph, atq; ibi tandem scissum regnum Iuda.* [b] Durissimum iugum.] *Iugum illud fuit tributũ, quod singulis annis pendebãt, de quo tamen minimè conqueri debebant, cum interim viuerent in summa pace & quiete.* [c] Scorpionibus.] *Sunt scorpiones etiam flagella, sed quibus additi sunt aculei, & spinarum punctiones.* [d] Nunc vide domum tuam Dauid.] *Sensus est, videte vos, qui estis de familia Dauid, ad quàm arctum lacum contractum sit regnum illud Dauidicum amplissimũ.*
[e] De extremis populi.] *Hoc est, maiores quosq; ad hanc elegit functionem: alij intelligũt, infimos. Filij autem Leui, quorum erat sacerdotium, noluerunt hoc subire reprobum officium, sicut nec in deserto, quando Aharon vitulum aureum confleri permisit.* [f] In mense octauo.] *solennitatem, quam Iudæi celebrare iubentur in mense septimo, præcepit Ieroboam celebrari in mense octauo, vt paulatim filios Israel à patrijs abduceret ritibus, aut siqui ex suis, festo propitiationis interesse vellent in mense septimo, reuerti possent ad solennitatem mensis sui, quem ipse finxerat ex corde suo.*

CAPVT XIII.

A ETecce [a] vir Dei venit de Iuda in sermonẽ Domini in Bethel, Ieroboam stante † iuxta altare, vt incen-
sum poneret. Et exclamauit contra altare in sermone Domini, & ait, Altare altare, hæc dicit Dominus
Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te sacerdotes excelsorũ, qui nunc 4.Re. 23.
in te thura succendunt, & ossa hominum super te incẽdet. Deditq; in illa die signum, dicens, Hoc erit signũ
quòd locutus est Dominus, Ecce, altare scindetur, & effundetur cinis qui in eo est. Cumq; audisset rex ser-
monem hominis Dei quem inclamauerat contra altare in Bethel, extendit manum suam de altari, dicens,
B Apprehendite eum. Et exaruit manus eius quam extenderat contra eum: nec valuit retrahere eam ad se. Al-
tare quoq; scissum est, & effusus est cinis de altari, iuxta signum quod prædixerat vir Dei in sermone Domi-
ni. Et ait rex ad virum Dei, Deprecare faciem Domini Dei tui, & ora pro me, vt restituatur manus mea mi-
hi. Orauitq; vir Dei faciem Domini, & reuersa est manus regis ad eum, & facta est sicut prius fuerat. Locutus
est autem rex ad virum Dei, Veni mecum domum vt prandeas, & dabo tibi munera. Respõditq; vir Dei ad
regem, Si dederis mihi mediam partem domus tuæ, non veniam tecum, nec comedam panem, neq; bibam
aquam in loco isto: sic enim mandatum est mihi in sermone Domini præcipientis, Non comedes panem,
C neque bibes aquam, nec reuerteris per viam qua venisti. Abijt ergo per aliam viam, & non est reuersus per
iter quo venerat in Bethel. Prophetes autem quidam senex habitabat in Bethel, ad quem venit filius suus,
& narrauit ei omnia opera quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel, & verba quę locutus fuerat ad regẽ, & [b] nar-
rauerunt patri suo. Et dixit eis pater eorum, Per quam viam abijt? Ostẽderunt ei filij sui viam per quã abie-
rat vir Dei, qui venerat de Iuda. Et ait filijs suis, Sternite mihi asinum. Qui cum strauissent, ascendit, & abijt
post virũ Dei, & inuenit eum sedentẽ subtus terebinthũ: & ait illi, Tu ne es vir Dei, qui venisti de Iuda? Re-
spondit ille, Ego sum. Dixitq; ad eũ, Veni mecum domũ, vt comedas panem. Qui ait, Non possum reuerti,
D neq; venire tecum, nec comedam panem, neq; bibã aquam in loco isto: quia locutus est Dominus ad me in
sermone Dñi, dicens, Non comedes panem, & non bibes aquã ibi, nec reuerteris per viam qua ieris. Qui ait
illi, Et ego propheta sum similis tui: & angelus locutus est mihi in sermone Dñi, dicens, Reduc eum tecũ in
domum tuam, vt comedat panẽ, & bibat aquã. Fefellit eum, & reduxit secũ: Comedit ergo panem in domo
eius, & bibit aquam. Cumq; sederent ad mensam, factus est sermo Dñi ad prophetam qui reduxerat eum.
Et exclamauit ad virum Dei, qui venerat de Iuda, dicens, Hæc dicit Dñs, Quia non obediens fuisti ori Dñi,
E & non custodisti mandatum quod præcepit tibi Dñs Deus tuus: & reuersus es, & comedisti panem & bibisti
aquã in loco in quo præcepit tibi ne comederes panẽ, neq; biberes aquam, nõ inferetur cadauer tuum in se-
pulchrum patrũ tuorum. Cumq; comedisset & bibisset, strauit asinũ ei propheta ille qui eũ reduxerat. Qui
cũ abijsset, inuenit eũ leo in via & occidit, & erat cadauer eius proiectũ in itinere, asinus autem stabat iuxta
illũ, & leo stabat iuxta cadauer. Et ecce, viri transeuntes viderunt cadauer proiectũ in via, & leonem stantem
iuxta cadauer. Et venerũt, & diuulgauerunt in ciuitate in qua prophetes ille senex habitabat. Quod cum au-
F disset propheta ille qui reduxerat eũ de via, ait, Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Dñi, & tradidit eum Do-
minus leoni, & confregit eum, & occidit iuxta verbum Domini quod locutus est ei. Dixitq; ad filios suos,
Sternite mihi asinum. Qui cum strauissent, & ille abijsset, inuenit cadauer eius proiectum in via, & asinum
& leonem stantes iuxta cadauer: non comedit leo de cadauere, nec læsit asinum. Tulit quoq; prophetes cada-
uer viri Dei, & posuit illud super asinum, & reuersus intulit in ciuitatem propheteș senex, vt † plangeret ac
sepeliret eum. Et posuit cadauer eius in sepulchro suo: & planxerunt eum, Heu mi frater. Cumq; † sepelisset
eũ, dixit ad filios suos. Cũ mortuus fuero, sepelite me in sepulchro in quo vir Dei sepultus est: iuxta ossa eius

ponite ossa mea. Profectò enim [c] veniet sermo quem prædixit in sermone Domini contra altare quod est in G
Bethel, & contra omnia phana excelsorum quæ sunt in vrbibus Samariæ. Post verba hęc non est reuersus Ie-
roboam de via sua pessima, sed † conuersus fecit de † extremis populi sacerdotes excelsorum: quicunq; vole-
bat, implebat manum suam, & fiebat sacerdos excelsorum. Et propter hãc causam peccauit domus Ieroboã,
& euersa est, & deleta de superficiæ terræ.

SCHOLIA.

[a] Vir Dei.] *Putant hũc fuisse Ado prophetam, qui in diebus Ieroboã vaticinatus est.* [b] Narrauerunt patri suo.] *Venit primo filius vnus, & indicauit patri, quid egisset propheta iuxta altare cum rege, deinde superuenerunt alij filij, et idẽ retulerunt.* [c] Veniet sermo.] *Implebitur (inquit) verbum viri Dei, vt comburantur ossa ex sepulchris, ossibus autem viri Dei parcetur. Et si ego sepultus fuero iuxta corpus eius, seruabuntur ossa mea cum ossibus eius.*

CAPVT XIIII.

Supra. 11.f IN tempore illo ægrotauit Abia filius Ieroboam. Dixitque Ieroboam vxori suæ, Surge, & commuta habi- A
tum, ne cognoscaris quòd sis vxor Ieroboã, et vade in Silo, vbi est Ahias propheta qui locutus est mihi q
regnaturus essem super populum hunc. Tolle quoq; in manu tua decem panes, & crustulam, & vas mel-
lis, & vade ad illum: ipse enim indicabit tibi quid euẽturum sit puero huic. Fecit vt dixerat, vxor Ieroboam,
& consurgens abijt in Silo, & venit in domum Ahiæ: at ille non poterat videre, quia caligauerant oculi eius
præ senectute. Dixit autem Dñs ad Ahiam, Ecce vxor Ieroboam ingreditur, vt consulat te super filio suo qui
ęgrotat: hæc & hęc loqueris ei. Cum ergo illa intraret, & dissimularet se esse quæ erat, audiuit Ahias sonitum B
pedum eius introeuntis per ostium, & ait, Ingredere vxor Ieroboam, quare aliam te esse simulas? ego autem
missus sum ad te durus nũtius. Vade, & dic Ieroboam, Hæc dicit Dñs Deus Israel, Quia exaltaui te de medio
populi, & dedi te ducem super populum meum Israel: & scidi regnum domus Dauid, & dedi illud tibi, & nó
fuisti sicut seruus meus Dauid, qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens quod
placitum esset in conspectu meo: sed operatus es malè super omnes qui fuerũt ante te, & fecisti tibi deos alie-
nos, & conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares, me autem proiecisti post tergum tuum: Iccircò ego in- C
ducam mala super domum Ieroboam, & percutiam de Ieroboam [a] mingentem ad parietem, & clausum, &
nouissimum in Israel: & mundabo reliquias domus Ieroboam, sicut mundari solet fimus vsq; ad purũ. Qui
mortui fuerint de Ieroboam in ciuitate, comedent eos canes: qui autem mortui fuerint in agro, vorabũt eos
aues cœli: quia Dominus locutus est. Tu igitur surge, & vade in domũ tuam: & in ipso introitu pedum tuorũ
in vrbem, morietur puer, & planget eum omnis Israel, & sepeliet: iste enim solus inferetur de Ieroboam in
sepulchrum, quia inuentus est super eo sermo bonus à Domino Deo Israel in domo Ieroboam. Constituet D
autem sibi Dominus regem super Israel, qui percutiet domum Ieroboam [b] † hac ipsa die, sed quale hoc nũc
est? & percutiet Dñs Deus Israel, sicut moueri solet arundo in aqua: & euellet Israel de terra bona hac, quam
dedit patribus eorum, & ventilabit eos [c] trans flumen: quia fecerunt sibi lucos, vt irritarent Dominũ. Et tra-
det Dominus Israel propter peccata Ieroboam, qui peccauit, & peccare fecit Israel. Surrexit itaque vxor Ie-
roboam, & abijt, & venit in Thersa: cumq; illa ingrederetur limen domus, puer mortuus est, & sepelierunt
eum. Et planxit eum omnis Israel iuxta sermonem Domini quem locutus est in manu serui sui Ahiæ pro- E
phetæ. Reliqua autem verborum Ieroboã quomodo pugnauerit, & quomodo regnauerit, ecce scripta sunt
in libro verborum dierum regum Israel. Dies autem quibus regnauit Ieroboã, vigintiduo anni sunt: & dor-
2. Par. 12.d miuit cũ patribus suis: regnauitq; Nadab filius eius pro eo. Porrò Roboam filius Salomonis regnauit in Iu-
da: quadraginta & vnius anni erat Roboam, cum regnare cœpisset: decem & septem annos regnauit in Ieru
salem ciuitate, quam elegit Dñs vt poneret nomen suum ibi, ex omnibus tribubus Israel. Nomẽ autem ma-
tris eius Naama Ammonitis. Et fecit Iudas malum coràm Domino, & irritauerunt eum † in pluribus quã F
quę fecerãt patres eorum in peccatis suis quæ peccauerunt. Ædificauerunt enim & ipsi sibi [d] aras, & statuas,
& lucos super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam: sed & effœminati fuerũt in
Supra. 10.c terra, feceruntq; omnes abominationes gentium, quas attriuit Dominus ante faciem filiorũ Israel. In quin-
to autem anno regni Roboam, ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem, & tulit thesauros domus Domini, &
thesauros regios, & vniuersa diripuit: scuta quoque aurea, quæ fecerat Salomon, pro quibus fecit rex Roboã
scuta ærea: & tradidit ea in manum ducum scutariorum, & eorum qui excubabant ante ostium domus re- G
gis. Cumq; ingrederetur rex in domum Domini, portabant ea qui præeundi habebant officium: & postea
reportabant ad armamẽtarium scutariorum. Reliqua autem sermonum Roboam, & omnia quæ fecit, ecce
scripta sunt in libro sermonum dierum regum Iuda. Fuitq; bellum inter Roboam & Ieroboam cũctis die-
bus. Dormiuitq; Roboam cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid: nomen autem matris
eius Naama Ammonitis: & regnauit Abiam filius eius pro eo.

SCHOLIA.

[a] Mingentem ad parietem.] *Hoc est, canem, cuius natura est, mingere ad parietem, & est hyperbolica locutio. Porrò per clausum intelligitur is, qui primum effugit hostis irruentis impetum, sed tandem in manus eius incidit. Alij intelligunt per clausum, diuitias occultatas, & per nouissimum, vel, Vt alius vertit, derelictũ, pecora in campo relicta: sed fortasse aptius per clausum & nouissimum intelligitur, non parcendum vel infimæ sortis hominibus.* [b] Hac ipsa die.] *Subaudiendum, consurget rex ille: potest & verti illa die & quod mox sequitur. Sed quale hoc nunc est? hunc habet sensum. Hæc immanis tribulatio ferè nulla est, respectu illorum malorum, quæ superuentura sunt.* [c] Trãsflumen.] *Hæc fuit Israelitarum prima captiuitas, quando rex Assyriæ eos transtulit vltra Euphraten.* [d] Aras.] *Vel excelsa. Ante extructionem templi, licita fuerunt altaria in locis excelsis, sed post eius ædificationem, nullibi licitum fuit sacrificia offrrre, præterquàm Hierosolymis, Deus tamen certis ex causis id prophetis quibusdam permisit.*

Caput

CAPVT XV.

IGitur in octauodecimo anno regni Ieroboam filij Nabat, regnauit Abiam super Iudam, Tribus annis A
regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Maacha filia Abessalom. Ambulauitque in omnibus peccatis
patris sui, quæ fecerat ante eum: nec erat cor eius perfectum cũ Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris
eius. Sed propter Dauid dedit ei Dominus Deus suus lucernam in Ierusalem, [a] vt suscitaret filium eius post
eum, & statueret Ierusalem: eò quòd fecisset Dauid rectum in oculis Domini, & nõ declinasset ab omnibus 2. Re. 12.a
quæ præceperat ei, cũctis diebus vitæ suæ, excepto sermone Vriæ Hethæi. † Bellum autem fuit inter Roboã
B & Ieroboam omni tempore vitæ eius. Reliqua autem sermonũ Abiam, & omnia quæ fecit, nónne hæc scri- 2. Par. 13.a
pta sunt in libro verborum dierum regum Iuda? Fuitq; pręliũ inter Abiam, & inter Ieroboam. Et dormi-
uit Abiam cum patribus suis, & sepelierunt eum in ciuitate Dauid: regnauitq; Asa filius eius pro eo. In an- 2. Par. 14.a
no ergo vicesimo Ieroboam regis Israel regnauit Asa rex Iuda: & quadraginta & vno anno regnauit in Ieru-
salem: [b] Nomen matris eius Maacha, filia Abessalom. Et fecit Asa rectum ante conspectum Dñi, sicut Dauid
pater eius: & abstulit effœminatos de terra, purgauitq; vniuersas sordes idolorum, quæ fecerant patres eius.
C Insuper & Maacham matrem suam amouit, ne esset princeps † eò quòd ipsa fecerat in lucis simulachra: &
extirpauit Asa simulachra illius, & combusit in torrente Cedron: [c] excelsa autem non abstulit. Veruntamẽ
cor Asa perfectum erat cum Dño cunctis diebus suis: & intulit ea quæ sanctificauerat pater suus, & vouerat
in domum Dñi argentum, & aurum, & vasa. Bellum autem erat inter Asa & Baasa regem Israel cunctis die-
bus eorum. Ascendit quoq; Baasa rex Israel in Iudam, & ædificauit Rama, vt non posset quispiam egredi vel
ingredi de parte Asa regis Iudæ. Tollés itaq; Asa omne argentũ & aurum quod remanserat in thesauris do-
D mus Domini & in thesauris domus regiæ, dedit illud in manus seruorum suorum: & misit ad Benadad filiũ
Tabremon filij Hezion regem Syrię, qui habitabat in Damasco, dicens, Fœdus est inter me & te, & inter pa-
trem meum, & patrem tuum: ideò misi tibi munera argentum & aurum: & peto vt venias, & irritum facias
fœdus quod habes cum Baasa rege Israel, & recedat à me. Acquiescés Benadad regi Asa, misit principes exer-
citus sui in ciuitates Israel, & percusserũt Ahion & Dan & Abel, domum Maacha, & vniuersam Cenneroth
& omnem terram Nephthalim. Quod cum audisset Baasa, intermisit ædificare Rama, & † mansit in Ther-
E sa. Rex autem Asa nuntium misit in omnem Iudam, dicens, Nemo sit excusatus. Et tulerunt lapides de Ra-
ma, & ligna eius, quibus ædificauerat Baasa, & extruxit de eis rex Asa, Gabaa Beniamin, & Maspha. Reliqua
autem omnium sermonum Asa, & vniuersæ fortitudinis eius, & cuncta quæ fecit, & ciuitates quas extruxit,
nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Iuda? Veruntamen in tempore senectutis suę do-
luit pedes. Et dormiuit Asa cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid patris sui. Regnauitq;
Iosaphat filius eius, pro eo. Nadab verò filius Ieroboam regnauit super Israel anno secundo Asa regis Iuda:
F regnauitq; super Israel duobus annis. Et fecit quod malum est in conspectu Domini, & ambulauit in vijs pa
tris sui, & in peccatis eius quibus peccare fecit Israel. Insidiatus est autem ei Baasa filius Ahiæ de domo Issa-
char, & percussit eum in Gebbethon, quæ est vrbs Philisthinorum: siquidem Nadab, & omnis Israel obside-
bant Gebbethon. Interfecit ergo illum Baasa in anno tertio Asa regis Iuda, & regnauit pro eo. Cumque re-
gnasset, percussit omnem domum Ieroboam: non dimisit nec vnam quidem animã de semine eius, donec
deleret eum iuxta verbum Dñi quod locutus fuerat in manu serui sui Ahiæ Silonitis, propter peccata Iero- Sup. 14.e
G boam quę peccauerat, & quibus peccare fecerat Israel: & propter delictũ quo irritauerat Dñm Deum Israel.
Reliqua autem sermonum Nadab, & omnia quæ operatus est: nónne hæc scripta sunt in libro verborũ die-
rum regum Israel? Fuitq; bellum inter Asa & Baasa regem Israel cunctis diebus eorum. Anno tertio Asa re-
gis Iuda regnauit Baasa filius Ahiæ, super omnem Israel in Thersa vigintiquatuor annis. Et fecit malum co-
ràm Domino, ambulauitq; in vijs Ieroboam, et in peccatis eius quibus peccare fecit Israel.

SCHOLIA.

[a] Vt suscitaret filium eius.] *Hic filius fuit Asa, homo totus pius, natus ex impio patre, quod prouidentia Dei est factum, ne lucerna Dauid in Ierusalem extingueretur, vnde lux mundi aliquando esset nascitura.* [b] Nomen matris eius Maacha.] *Hic ponitur mater pro auia, & hanc putant vocari matrem Asa, in laudem & honorem Asa, quòd optimus filius per pessimam matrem à vero Deo ad idololatriam perduci non potuerit.* [c] Excelsa autem nõ abstulit.] *Videntur hæc excelsa fuisse altaria Domini, qualia habuerunt ante extructionem templi Domini: alioqui si illic idola coluissent, Asa zelo Dei feruens, ea sustulisset, cum cor eius perfectum fuerit cum Domino.*

CAPVT XVI.

FActus est autem sermo Domini ad Iehu filium Hanani contra Baasa, dicens, Pro eò q exaltaui te de A
puluere, & posui te ducem super populum meum Israel, tu autem ambulasti in via Ieroboam, & pec-
care fecisti populum meum Israel, vt me irritares in peccatis eorum: ecce, ego demetam posteriora
Baasa, & posteriora domus eius: & faciam domum tuam sicut domum Ieroboam filij Nabath. Qui mor-
tuus fuerit de Baasa in ciuitate, comedent eum canes: & qui mortuus fuerit ex eo in † agro, comedent eum Supra. 15.f
volucres cœli. Reliqua autem sermonum Baasa, & quæcunque fecit, & † fortitudo eius: nonne hæc scripta 2. Par. 16.a
sunt in libro verborum dierum regum Israel? Dormiuit ergo Baasa cũ patribus suis, sepultusq; est in Ther-
B sa: & regnauit Ela filius eius pro eo. † Porrò in manu Iehu filij Hanani prophetæ verbũ Domini factũ † est
contra Baasa, & contra domum eius, & contra omne malum quod fecerat coràm Domino ad irritandum
eum in operibus manuum suarum, vt fieret sicut domus Ieroboam: [a] † & pro eo quòd occidit eum. Anno
vicesimosexto Asa regis Iuda regnauit Ela filius Baasa super Israel in Thersa duobus annis. Et rebellauit cõ-
tra eum seruus suus Zambri, dux mediæ partis † curruum: erat autem Ela in thersa bibens, & temulentus in
domo Arsa præfecti Thersa. Irruens ergo Zambri, percussit, & occidit eum anno vicesimoseptimo Asa

4.Reg.9.g regis Iuda,& regnauit pro eo.Cumq; regnasset,& sedisset super solium eius, percussit omnem domum Baasa,& nō dereliquit ex ea mingentem ad parietem,& propinquos & amicos eius. Deleuitq; Zambri omnem C
domum Baasa iuxta verbum Domini quod locutus fuerat ad Baasa in manu Iehu prophetæ propter vniuersa peccata Baasa,& peccata Ela filij eius,qui peccauerunt,& peccare fecerunt Israel, prouocantes Dominum Deum Israel in vanitatibus suis.Reliqua autem sermonum Ela,& omnia,quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israel? Anno vicesimoseptimo Asa regis Iuda, regnauit Zambri septem diebus in Thersa: porrò exercitus obsidebat Gebbethon vrbem Philisthinorum. Cumq; audisset rebellasse Zambri,& occidisse regem,fecit sibi regem omnis Israel Amri, qui erat princeps militiæ super Israel in die D
illa in castris. Ascendit ergo Amri,& omnis Israel cum eo de Gebbethon,& obsidebant Thersa. Videns autem Zambri quòd expugnanda esset ciuitas,ingressus est palatium,& succendit se cum domo regia: & mortuus est † propter peccata sua,quæ peccauerat faciens malum coràm Domino, & ambulās in via Ieroboam, & in † peccatis eius,quæ fecit,& qui fecit peccare Israel. Reliqua autē sermonū Zābri,& † conspiratio eius quam excitauit,nonne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israel? Tunc diuisus est populus Israel in duas partes:media pars populi sequebatur Thebni filium Gineth, vt constitueret eum regem:& me E
dia pars,Amri. Præualuit autem populus qui erat cum Amri, populo qui sequebatur Thebni filiū Gineth: mortuusq; est Thebni,& regnauit Amri. Anno tricesimoprimo Asa regis Iuda regnauit Amri super Israel duodecim annis:in Thersa regnauit sex annis.Emitq; montem Samariæ à Semer duobus talentis argenti: & ædificauit eum,& vocauit nomen ciuitatis quam extruxerat,nomine Semer Domini montis Samariæ.Fecit autem Amri malum in conspectu Domini,& operatus est nequiter super omnes qui fuerunt ante eum. Am
bulauitq; in omni via Ieroboam filij Nabat,& in peccatis eius quibus peccare fecerat Israel: vt irritaret Do- F
minum Deum Israel in vanitatibus suis. Reliqua autem sermonum Amri,& † omnia, quæ fecit, & fortitudo eius quam ostendit,nónne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Israel? Dormiuitq; Amri cum patribus suis,& sepultus est in Samaria:regnauitq; Achab filius eius pro eo. Achab verò filius Amri, regnauit super Israel anno tricesimooctauo Asa regis Iuda.Et regnauit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti & duobus annis. Et fecit Achab filius Amri malum in conspectu Domini super omnes qui fuerunt ante eum. Nec sufficit ei,vt ambularet in peccatis Ieroboam filij Nabat:insuper duxit vxorem Iezā- G
bel filiam Ethbáal regis Sidoniorum:& abijt,& seruiuit Baal,& adorauit eum. Et posuit aram Baal in templo Baal,quod ædificauerat in Samaria,& plantauit lucum:& addidit Achab in opere suo, irritans Dominū Deū Israel super omnes reges Israel,qui fuerunt ante eum.In diebus eius ædificauit Hiel de Bethel [b] Iericho:
Iosue 6.d in Abiram primitiuo suo fundauit eam,& in Segub nouissimo suo posuit portas eius, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Iosue filij Nun.

SCHOLIA.

[a] Et pro eo quòd occidit eum.] *Fecit Baasa conspirationem contra dominum suum Nadab, et occidit eum,vt imperium assequeretur,ideo minatur Dominus hic per prophetam eliminationem posteritatis eius, sicut & paulo post factum scribitur.* [b] Iericho.] *Hoiel contra prohibitionem Domini, & contra maledictionem Iosue ausus fuit reædificare Iericho ciuitatem,anathemati suppositam,quapropter punitus fuit à Domino,vt omnes filij eius interficerentur. Primus natu interijt in fundamentorum collocatione,& iunior in ostiorum appensione.*

CAPVT XVII.

ET dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad,ad Achab, Viuit Dominus Deus Israel,in cuius con- A
spectu sto, si erit annis his ros & pluuia, nisi iuxta oris mei verba. Et factum est verbum Domini ad
Eccl.48.a eum,dicens,Recede hinc,& vade contra orientem,& abscondere in torrente Carith, qui est cōtra Ior-
Iacobi 5.d danem,& ibi de torrente bibes:coruisq; præcepi,vt pascant te ibi. Abijt ergo,& fecit iuxta verbum Domini.
Psal. 106. Cumq; abijsset,sedit in torrente Carith,qui est contra Iordanem.Corui quoq; [a] deferebant ei panem & car-
Luc.4.d nes manè,similiter panem & carnes vesperi,& bibebat de torrente. Post dies autē aliquantos siccatus est torrens:non enim pluerat super terram. Factus est ergo sermo Domini ad eum, dicens, Surge, & vade [b] in Sa- B
reptha Sidoniorū,& manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduę,vt pascat te. Surrexit,& abijt in Sareptha. Cumq; venisset ad portam ciuitatis,apparuit ei mulier vidua colligens ligna,& vocauit eā,dixitq; ei,Da mihi paululū aquæ in vase,vt bibā. Cūq; illa pergeret,vt afferret,clamauit post tergū eius,dicens,Affer mihi ob secro & buccellam panis in manu tua.Quæ respondit, Viuit Dominus Deus tuus,q; non habeo panem, nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria,& paululum olei in lecytho:en colligo duo ligna, vt ingrediar,& faciā illud mihi & filio meo,vt comedamus,& moriamur,Ad quā Elias ait, Noli timere,sed vade, & fac sicut dixisti:veruntamen mihi primū fac de ipsa farinula subcinericiū panē paruulum,& affer ad me:tibi autē,& filio tuo facies postea. Hæc autem dicit Dominus Deus Israel, Hydria farinæ non deficiet, nec lecy- C
thus olei minuetur vsq; ad diē in qua Dominus daturus est pluuiā super faciē terræ. Quæ abijt, & fecit iuxta verbum Eliæ:& comedit ipse,& illa,& domus eius † per dies multos,& hydria farinæ nō defecit, & lecythus olei non est imminutus,iuxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Eliæ. Factum est autem post verba hæc, egrotauit filius mulieris † illius matris familias,& erat languor eius fortissimus,ita vt non remaneret in eo halitus.Dixit ergo ad Eliam,Quid mihi & tibi vir Dei?ingressus es ad me,vt rememorarentur iniquitates meæ,& interficeres filium meum?Et ait ad eam,Da mihi filium tuum. Tulitq; eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum vbi ipse manebat,& posuit super lectulū suum, & clamauit ad Dominum, & dixit, D
Domine Deus meus, etiámne viduam apud quam ego † vt aduena maneo, afflixisti, vt interficeres filium eius? Et [c] expandit se † super puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait,Domine Deus meus reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. Et exaudiuit Dominus vocē Eliæ:& reuersa est anima
pueri

pueri intra eum,& reuixit.Tulitq; Elias puerum,& deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domū, & tradidit matri suæ,& ait illi,En viuit filius tuus.Dixitq; mulier ad Eliam,Nunc in isto cognoui quòd vir Dei es tu,& verbum Domini in ore tuo verum est.

SCHOLIA.

[a] Deferebant ei panem & carnes.] *Quidam Hebræi dicunt corvos cibos de mensa Achab tulisse ad Eliam. Sed cū habuerit Dominus adhuc septem millia iustorum in terra,qui non curuauerunt genua sua ante Baal,fieri potuit,vt ad aliquem eorum direxerit corvos,& iusserit cibos dari famulo suo.* [b] In Sareptam.] *In Heb.est: Zarphath: & est ciuitas apud Sidonem,ea autem de qua in Abdia legitur,est prouincia quædam, per quam Hebræi hodie communiter intelligunt Galliam.Vnde Francigenam vocant Zarphathi.* [c] Expandit se super puerum.] *Cur hoc? nisi quòd in hoc facto signabatur Christum Dei filium ad mensuram nostram contrahendum,vt nos viuificaret?*

CAPVT XVIII.

A POst dies multos factum est verbum Domini ad Eliam,[a] in anno tertio,dicēs,Vade,& ostēde te Achab, [b] vt dem pluuiam super faciem terræ.Iuit ergo Elias,vt ostenderet se Achab:erat autē fames vehemens in Samaria.Vocauitq; Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum Deū valde.Nā cū interficeret Iezabel prophetas Dñi,tulit ille cētū prophetas,& absc̄odit eos quinquagenos & quinquagenos in spelūcis,& pauit eos pane & aqua. Dixit ergo Achab ad Abdiam, Vade in terrā ad vniuersos fontes aquarum,& in cunctas valles:si fortè possimus inuenire herbam,& saluare equos & mulos ,& non penitus iumenta intereant.Diuiseruntq; sibi regiones,vt circuirent eas:Achab ibat per viam vnam, & Abdias per viam alteram seorsum. Cumq; esset Abdias in via,Elias occurrit ei: qui cum cognouisset eum, cecidit super faciem suam,& ait,Non tu es,domine mi,Elias? Cui ille respondit, Ego:vade, & dic domino B
tuo,Adest Elias.Et ille,Quid peccaui,inquit,quòd tradis me seruum tuū in manu Achab, vt interficiat me? Viuit Dominus Deus tuus,quòd non est gens aut regnum, in quo nō miserit dominus meus te requirens:& respondentibus cunctis,Non est hic:adiurauit regna singula,& gentes,eò quòd minimè reperireris. Et nūc tu dicis mihi,Vade,& dic domino tuo,Adest Elias.Cūq; recessero à te,spiritus Domini asportabit te in locū quem ego ignoro:& ingressus nuntiabo Achab,& non inueniens te,interficiet me:seruus autem tuus timet Dominum ab infantia sua. Nunquid nō indicatum est tibi domino meo quid fecerim cum interficeret Iezabel prophetas Domini, quòd abscōderim de prophetis Domini centum viros quinquagenos & quinquagenos in speluncis,& pauerim eos pane & aqua? Et nunc tu dicis,Vade,& dic domino tuo, Adest Elias: C
vt interficiat me.Et dixit Elias,Viuit Dominus exercituum,ante cuius vultum sto,quòd hodie apparebo ei. Abijt ergo Abdias in occursum Achab:& indicauit ei:venitq; Achab in occursum Eliæ. Et cum vidisset eū, ait,Tune es ille qui conturbas Israel? Et ille ait,Non ego turbaui Israel,sed tu, & domus patris tui,qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim. Veruntamen nunc mitte, & congrega ad me vniuersum Israel in monte Carmeli,& prophetas Baal quadringentos quinquaginta,prophetasq; lucorum quadringētos,qui comedunt de mensa Iezabel.Misit Achab ad omnes filios Israel,& congregauit prophetas in monte Carmeli.Accedens autem Elias ad omnem populum Israel,ait,Vsquequo claudicatis [c] in duas partes? si Dominus est Deus,sequimini eum:si autem Baal,sequimini illum.Et non respondit ei populus verbum. Et ait D
rursus Elias ad populum,Ego remansi propheta Domini solus: prophetæ autem Baal, quadringēti & quinquaginta viri sunt.Dentur nobis duo boues,& illi eligant sibi bouem vnum,& in frusta cædentes ponāt super ligna,ignem autem nō supponant: & ego faciam bouem alterum,& imponam super ligna, ignem autē non supponam.Inuocate nomina deorum vestrorum,& ego inuocabo nomen Domini: & Deus qui exaudierit per ignem,ipse sit Deus.Respondēs omnis populus ait,Optima propositio. Dixit ergo Elias prophetis Baal,Eligite bouem vnum,& facite primi,quia vos plures estis:& inuocate nomina deorum vestrorum, ignemq; non supponatis.Qui cum tulissent bouem,quem dederat eis,fecerunt:& inuocabant nomen Baal de mane vsq; ad meridiem,dicentes, Baal exaudi nos. Et non erat vox,nec qui responderet:transiliebantq; altare quod fecerant.Cumq; esset iā meridies,illudebat illis Elias,dicens,Clamate voce maiore:[d] Deus enim
E est,& forsitā loquitur,aut † occupatur in insectatione hostium,aut in itinere,aut certè dormit, vt excitetur. Clamabant ergo voce magna,& incidebant se iuxta ritum suum cultris,& lanceolis, donec perfunderentur sanguine. Postquam autem transijt meridies,& illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet,nec audiebatur vox,nec aliquis respondebat,nec attendebat orantes:dixit Elias omni populo,Venite ad me.Et accedente ad se populo,[e] curauit altare Domini,quod destructum fuerat. Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob,ad quem factus est sermo Domini,dicens, Israel erit nomen tuum.Et ædificauit de lapidibus altare in nomine Domini:fecitq; aquęductum,quasi per duas aratiunculas
Gene.32.f in circuitu altaris,& composuit ligna:diuisitq; per membra bouē,& posuit super ligna,& ait, Implete qua-
F tuor hydrias aquæ,& fundite super holocaustum,& super ligna. Rursumq; dixit, Etiam secundò hoc facite. Qui cum fecissent secundò,ait,Etiam tertiò idipsum facite.Feceruntq; & tertiò , & currebant aquæ circum altare,& fossa aquæductus repleta est. Cumque iam tempus esset vt offerretur holocaustum, accedens Elias propheta,ait,Domine Deus Abraham,& Isaac, & Israel, ostende hodie quòd tu es Deus Israel,& ego seruus tuus,& iuxta præceptū tuum feci omnia verba hæc.Exaudi me Dñe,exaudi me: vt discat populus iste quòd tu es Dominus Deus , & tu conuertisti cor eorum iterum.Cecidit autem ignis Domini,& vorauit holocaustum, & ligna , & lapides , puluerem quoque & aquam quæ erat in aquæductu lambens. Quod cum vidisset omnis populus,cecidit in faciem suam,& ait,Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. Dixitque Elias ad eos,Apprehendite prophetas Baal , & ne vnus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison,& interfecit eos ibi.Et ait Elias ad Achab,Ascēde,comede, & bibe: quia

sonus multæ pluuiæ est. Ascendit Achab, vt comederet & biberet: Elias autem ascendit in verticem Carme- G
li, & [f] pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, & dixit ad puerũ suum, Ascende, & prospice cõ-
tra mare. Qui cum ascendisset, & contemplatus esset, ait, Non est quicquam. Et rursum ait illi, Reuertere se-
ptem vicibus. In septima autem vice ecce nubecula parua: quasi † manus hominis ascendebat de mari. Qui
ait, Ascende, & dic Achab, Iunge, & descende, ne occupet te pluuia. ℟ † Interea ecce cœli cõtenebrati sunt, &
nubes, & ventus, & facta est pluuia grandis. Ascendens itaq; Achab abijt in Iezrahel, & manus Domini facta
est super Eliam, accinctisq; lumbis [h] currebat ante Achab, donec veniret in Iezrahel.

SCHOLIA.

[a] In anno tertio.] *Postquam scilicet fames in terra ob pluuiarum retentionem inualuerat.* [b] Vt dem pluuiã.] *Vide, vt reueritus sit Deus verba Eliæ, quibus dixerat, non futuram pluuiã nisi iuxta verba oris sui.* [c] In duas partes.] *Dii videmini velle vocari populus Dei, & tamen sequimini Baal.* [d] Deus enim vester est.] *Hoc est, in supernis habitat longè à vobis, necesse igitur est, vt fortiter clametis, & vox vestra ad cœlum vsque pertingat. Irridendo autem hæc dicit.* [e] Curauit altare Domini.] *Vel. Reparauit: putant altare illud prius à Saul in monte illo extructum, quod cultores Baal deinde diruerunt, qui passim in montibus illis excelsa construxerunt, vbi Domino exercituum filij Israel ante templi extructionem sacrificia obtulerunt. Nec peccauit Elias in hoc, quòd altare Domini reparauit, & sacrificia super ipsum obtulit, cum illud faceret pro honore Dei, ad reuocandum populum ab errore.* [f] Pronus in terram.] *Prostrauit se primum super terrã ad orationem, deinde resedit facie ad genua conuersa, nõ cessans Deum inuocare pro pluuia, donec exauditus fuit. Et quamuis dixerat regi, sonitum adesse multæ pluuiæ, perstat tamẽ in precibus pro ipsa pluuia, ita admonemur, etiam in rebus, quas certò scimus dandas, à precibus non cessandum: nam non fiunt ab hominibus eiusmodi preces, vt benignitatem Dei prouocemus, qui semper est sua natura benignissimus, sed vt sic precando ei pietate animi coniungamur, & magis capaces donorum illius reddamur, & agnoscamus præterea omnia ab eius liberalitate in nos minimè meritos proficisci.* ℟ Interea ecce cœli.] *Hebraica habent: Vsq; sic, & Vsq; sic, hoc est, dum Achab currum aptauit, & descendit de loco in quo comedit, obducta est cœlum pluuiosis nubibus, & flare cœpit ventus pluuiam generans.* [h] Currebat ante Achab.] *Is, qui cœlum clauserat, tanquam vnus è seruis currit ante regem: neq; enim viri sancti hanc externam rerum pompam assis faciunt.*

CAPVT XIX.

NVntiauit autem Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias, & quomodo occidisset vniuersos prophe- A
tas Baal gladio. Misitque Iezabel nuntium ad Eliam, dicens, Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, nisi
hac hora cras posuero animam tuam sicut animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & surgens abijt
quocunq; eum ferebat voluntas: venitq; in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in deser-
tum viam vnius diei. Cumq; venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animæ suæ vt moreretur, &
ait, Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: neque enim melior sum quàm patres mei. Proiecitque se, &
obdormiuit in vmbra iuniperi: & ecce angelus tetigit eum, & dixit illi, Surge, & comede. Et respexit, & ecce
ad caput suũ subcineritius panis, & vas aquæ: Comedit ergo, & bibit, & rursum obdormiuit. Reuersusq; est B
angelus Domini secũdò, & tetigit eum. dixitq; illi, Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum sur-
rexisset, comedit & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noc-
tibus vsque ad montem Dei Horeb. Cumq; venisset illuc, mansit in spelunca: & ecce sermo Domini ad eũ,
Rom. 11.a Dixitque illi, Quid hic agis Elia? At ille respondit, Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia de-
reliquerunt pactum tuum filij Israel: altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelic-
tus sum ego solus, & quærunt animam meam vt auferant eam. Et ait ei, Egredere, & sta in mõte coràm Do-
mino: & ecce Dominus transit, & spiritus grandis, & fortis [a] subuertens montes, & conterẽs petras ante Do- C
minum: non in spiritu Dominus: & post spiritum commotio, non in commotione Dominus: & post com-
motionem ignis, non in igne Dominus: & post ignem † vox quita & tenuis. Quod cum audisset Elias, [b] ope-
ruit vultum suum pallio, & egressus stetit in ostio speluncæ, & ecce vox ad eum, dicens, Quid hic agis Elia?
Et ille respondit, Zelo zelatus sum pro Dño Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filij Israel:
altaria tua destruxerunt, & prophetas tuos occiderunt gladio, & derelictus sum ego solus, & quærunt animã
3. Re. 19.a meam vt auferant eam. Et ait Dominus ad eum, Vade, & reuertere in viam tuam per desertũ in Damascum:
Eccle.48. cumque perueneris illuc, vnges Hazael regem super Syriam, et Iehu filium Namsi vnges regem super Israel:
Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, vnges prophetam pro te. Et erit, quicunq; fugerit gla- D
dium Hazael, occidet eum Iehu: & quicũq; fugerit gladium Iehu, [c] interficiet eum Eliseus. Et derelinquam
mihi in Israel [d] septem millia virorum, quorũ genua nõ sunt incuruata ante Baal, & † quorum omnium os
Rom. 11.a non est osculatum eum. Profectus ergo inde Elias, reperit Eliseum filium Saphat, aratrẽ in duodecim iugis
boum: & ipse in duodecim, iugis boum arantibus vnus erat: cumq; venisset Elias ad eum, misit pallium suũ
super illum. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, & ait, Osculer, oro, patrẽ meum, & matrẽ meam,
& sic sequar te. Dixitq; ei, Vade, & reuertere: [e] † quid enim est, quod feci tibi? Reuersus autẽ ab eo, tulit par
boum, & mactauit illud, & in aratro boum coxit carnes, & dedit populo, & comederunt: consurgẽsq; abijt,
& secutus est Eliam, et ministrabat ei.

SCHOLIA.

[a] Subuertens montes.] *Hyperbole est, Venti vehementiam volens significare. Cum verò ventus ille transiret, audiuit Elias vocem ex vento loquentem: non in vento Dominus. Deinde transiuit fragor quidam, in modum tonitrui horrendi, & tandem vox quædam lenis auræ, vel, vt Hebræi exponunt, vox demissa, in qua & Dominus fuisse memoratur. Porrò quid per hæc significetur, non satis clarè ex Hebræis scriptoribus habetur. Quidam putant, Deum Eliæ compensationẽ quandam reddidisse pro Zelo eius, ducendo eum mirabiliter per desertum vsque ad montem Horeb, & vna refectione illum corroborando quadraginta diebus & noctibus, & tandem maiestatem suam gloriosam illi ostendendo, in loco, vbi & Mosi*

Mosi famulo suo gloriam suam ostendit. Alij putant horrendum illum ventum, fragorem, & ignem à Domino Eliæ ostensos, vt illum doceret, impiorum hominum magis desyderandam pœnitentiam, quàm perditionem, & sustinendũ peccatorem ad tempus, quàm subitò perdendum. Elias autem nimio feruens Zelo, nullum putabat peccatori dandum pœnitentiæ locum. At Dominus non inuenitur in turbine impetuoso, in fragore omnia concutiente, aut in igne omnia subito deuastante, sed in voce placida, id est, in spiritu mansuetudinis. Verum vtcunque quis interpretetur, nemo non intelligere apertissimè potest, hæc plenissima esse mysteriorum, quæ eodem duntaxat spiritu possint intelligi, quo & facta & scripta sunt. [b] Operuit vultũ suum.] *Cum intellexit adesse Dominum, operuit vultum ob Dei reuerentiam, & tamen egreditur ad ostium speluncæ, confisus Dei benignitate ac voce illa tenui & quieta. Interrogat ergo illum iterum Dominus eisdem verbis: nam cum prius interrogasset, ac ille respondisset, nihil ei mandauit Dominus, sed signis illis docuit eum, omnia facienda in lenitatis atq; mansuetudinis spiritu, quo peracto mandat ei, quid agendum sit.* [c] Interficiet eum Eliseus.] *Dicitur hic Eliseum occidisse eos, quos rebus superstites dimisit, non quòd manu sua interfecerit eos, sed quòd ab hostibus, vt inobedientes, fuerint occisi.* [d] Septem millia.] *Septem pro plurimis accipitur, numerus scripturæ familiaris, pro numero indefinito.* [e] Quid enim est, quod feci tibi?] *Quid hoc est quod feci tibi, quòd tam citò deseris tuos, & sequeris meẽ? Ego solum tunicam meam proieci super te, sed quid hoc est? nisi Deus te traxisset, propter solam tunicæ impositionem tam prompto animo me non sequereris. Mactauit autem Eliseus seruus suus, & reliquo populo, qui in campo secum erat, duos boues, coxitq; carnes illorum igne facto ex varijs instrumentis, quæ agriculturæ inseruiunt, vt sunt aratrum, rastra, ligones, & eiusmodi.*

CAPVT XX.

A PORRÒ Benadad rex Syriæ, congregauit omnem exercitum suum, & triginta duos reges secum, & equos,
& currus: & ascendens pugnauit contra Samariam, & obsedit eam. Mittensq; nuntios ad Achab regẽ
Israel in ciuitatem, ait, Hæc dicit Benadad, Argentum tuum, & aurum tuum meum est: vxores tuæ, &
filij tui optimi, mei sunt. Respondítq; rex Israel, Iuxta verbum tuum domine mi rex, [a] tuus sum ego, & om-
nia mea. Reuertentesq; nuntij, dixerunt, Hæc dicit Benadad, † quoniam misi ad te dicens, Argentum tuum,
& aurum tuum, & vxores tuas, & filios tuos dabis mihi. Cras igitur hac eadem hora mittam seruos meos ad
te, & scrutabuntur domum tuam, & domum seruorum tuorum: & omne, quod † desyderabile est in oculis
tuis, ponent in manibus suis, & auferent. Vocauit autem rex Israel omnes seniores terræ, & ait, Animaduerti-
B te & videte q̃ insidiatur nobis: misit enim ad me pro vxoribus meis, & filijs, & pro argento & auro, & nõ ab-
nui. Dixeruntq; omnes maiores natu, & vniuersus populus ad eũ, Non audias, neq; acquiescas illi. Respon-
dit itaq; nuntijs Benadad, Dicite domino meo regi, Omnia propter, quæ misisti ad me seruum tuũ in initio,
faciam: hanc autem rem facere non possum. Reuersíq; nuntij retulerunt ei. Qui remisit, & ait, Hæc faciant
mihi dij, & hęc addant, si sufficerit puluis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me. Et respondens rex
Israel, ait, Dicite ei, [b] Ne glorietur accinctus æquè vt discinctus. Factum est autẽ cum audisset verbũ istud, bi-
bebat ipse & reges in vmbraculis, & ait seruis suis, Circundate ciuitatem. Et circundederunt eam. Et ecce pro-
pheta vnus accedens ad Achab regẽ Israel, ait ei, Hęc dicit Dominus, Certè vidisti omnem multitudinẽ hanc
C nimiam? ecce, ego tradam eam in manũ tuam hodie, vt scias q̃ ego sum Dominus. Et ait Achab, Per quem?
Dixitq; ei, Hæc dicit Dominus, Per pedisequos principum prouinciarum. Et ait, Quis incipiet pręliari? Et
ille dixit, Tu. Recensuit ergo pueros principum prouinciarum, & reperit numerum ducentorum triginta-
duorum: recensuit post eos populum, omnes filios Israel septem millia: & egressi sunt meridie. Benadad autẽ
bibebat temulentus in vmbraculo suo, & reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium eius venerant. Egressi
sunt autem pueri principum prouinciarum in prima fronte: misit itaq; Benadad. Qui nuntiauerunt ei, di-
centes, Viri egressi sunt de Samaria. At ille ait, Siue pro pace veniunt, apprehendite eos viuos: siue vt prælien-
tur, viuos eos capite. Egressi sunt ergo pueri principum prouinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur eos:
D & percussit vnusquisq; virum qui cõtra se veniebat: fugeruntq; Syri, & persecutus est eos Israel. Fugit quoq;
Benadad rex Syriæ in equo cum equitibus suis. Necnon egressus rex Israel percussit equos, & currus: & per-
cussit Syriam plaga magna nimis. Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit ei. Vade, & conforta-
re, & scito, & vide quid facias: sequenti enim anno rex Syriæ ascendet contra te. Serui verò regis Syriæ dixe-
runt ei, Dij montium sunt dij eorum, ideò superauerunt nos: sed melius est, vt pugnemus contra eos in
campestribus, & obtinebimus eos. Tu ergo verbum hoc fac, Amoue reges singulos † de loco suo, & pone
principes pro eis, & instaura numerum militum qui ceciderunt de tuis, & equos secundum equos pristinos,
& currus secundum currus quos antea habuisti: & pugnabimus contra eos in campestribus, & videbis quòd
E obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, & fecit ita. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad
Syros, & ascendit in Aphec, vt pugnaret contra Israel. Porrò filij Israel recensiti sunt, † & integro numero
profecti ex aduerso, castraquemetati sunt contra eos, quasi duo parui greges caprarum: Syrij autem repleue-
runt terram. Et accedens vir Dei, dixit ad regem Israel, Hæc dicit Dominus. Quia dixerunt Syri, Deus mon
tium est Dominus, & non est Deus vallium: dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, &
scietis quòd ego sum Dominus. Dirigebant itaque septem diebus ex aduerso hi, atque illi acies, septima au
tem die commissum est bellum, percusseruntq; filij Israel de Syris centum millia peditum in die vna. Fuge-
runt autem Syri qui remanserant in Aphec, in ciuitatẽ: & cecidit murus super viginti septem millia hominũ
F qui remanserant. Porrò Benadad fugiẽs ingressus est ciuitatem in cubiculum quod erat intra cubiculum, di-
xeruntq; ei serui sui. Ecce, audiuimus q̃ reges domus Israel clementes sint: ponamus itaq; saccos in lumbis
nostris, & funiculos in capitibus nostris, & egrediamur ad regem Israel: forsitan † viuere permittet animam
tuam. Accinxerunt saccis lumbos suos, & posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntq; ad regem Israel
& dixerunt ei, Seruus tuus Benadad dicit, Viuat, oro te, anima mea. Et ille ait, Si adhuc viuit, frater meus est.
Quod acceperunt viri [c] pro omine: & festinantes rapuerunt verbum ex ore eius, atq; dixerunt, Frater tuus

Benadad. Et dixit eis, Ite, & adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, & leuauit eũ in currũ suũ. Qui dixit ei, Ciuitates, quas tulit pater meus à patre tuo, reddam: & plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, [d] & ego † cũ fœdere dimittã te, Pepigit ergo fœdus, & dimisit eũ. Tunc vir quidam de filijs prophetarũ dixit ad sociũ suũ in sermone Dñi. Percute me. At ille noluit percutere. Cui ait, Quia nolusti audire vocẽ Dñi, ecce, recedes à me, & [e] percutiet te leo. Cũq; paululũ recessisset ab eo, inuenit eũ leo, atq; percussit. Sed & alterũ inueniens virũ, dixit ad eum, Percute me. Qui percussit eum, & vulnerauit. Abijt ergo propheta, & occurrit regi in via, & mutauit aspersione pulueris oculos suos. Cumq; rex trãsisset, clamauit ad regem, & ait, Seruus tuus egressus est † in medium prælij: cumq; fugisset vir vnus, adduxit eum quidã ad me, & ait, Custodi virum istum: qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima eius, aut talentum argenti appẽdes. Dum autem ego turbatus huc illucq; me verterem, subitò non comparuit. Et ait rex Israel ad eum. Hoc est iudicium tuum, quod ipse decreuisti. At ille statim absterso puluere de facie sua, & cognouit eum rex Israel
Infra 22.i quòd esset de prophetis. Qui ait ad eum, Hæc dixit Dominus, Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius. Reuersus est igitur rex Israel domũ suã † tristis, & furibundus venit in Samariam.

SCHOLIA.

[a] Tuus sum ego.] *Non vt accipias mea ad te, sed vt tu sis Dominus noster, & nos sub tributo seruiamus, remisit itaq; Benadad nuntios, vt seruarentur omnia, quæ habuit rex Israel, & tollerent meliora quæq; & pulchriora.* [b] Ne glorietur accinctus.] *Hoc est, nullus gloriari debet & opinion celebrare ante partum victoriam. Non potest is, qui se ad pugnam accingit, gloriari, sicut is, qui iam lætus post pugnæ optatum exitum, arma deponit, & ab ijs se soluit.* [c] Pro homine.] *In Hebræo est, & viri illi augurati sunt, festinauerunt, & rapuerunt id ab eo, & est sensus. Cum nos dixerimus, seruus tuus Benadad, si ille mox placidè responderit ad auditum huius nominis, signum erit piæ acceptationis, & quòd nos viuere sinet. Cũ igitur audissent ab Achab, viuit adhuc frater meus, rapuerunt hoc responsum ex ore eius, veluti omen & sacrum oraculũ, & priusquam ille suam complesset orationem, ipsi festinanter responderunt, frater tuus Benadad.* [d] Et ego cum fœdere dimittam te.] *Hæc sunt verba Achab respondentis ad sermonem Adad, qui cum dixisset, plateas pones tibi in Damasco, hoc est, leuabis tributum, vel vectigal in quibusdam plateis vrbis meæ à negotiatoribus, subiecit Achab, quia hoc facis, ecce ego cum fœdere dimitto te.* [e] Percutiet te leo.] *Vide, vt oporteat reuereri verba ac præcepta seruorum Dei, cum eum, qui prophetam id præcipientem noluit percutere, leo percusserit. Volebat autem Dominus exteriori demonstratæ signo, Achab præceptum suum transgressum fuisse in hoc, quòd regem Syriæ viuere permisit in magnam perniciem Israelis, cum tamen iam vidisset Deum id voluisse, vt omnes interimeret hostes, cum & fugientes intra ciuitatem, muri casu in maximo oppressi fuerint numero. Atque vt propheta conuenientius redargueret regem, deformauit se luto, vel cinere & puluere, ne agno sceretur, & proponens regi causam, regem ad hoc adegit, vt proprio se condemnaret iudicio. Simile quiddam legimus fecisse Nathan prophetam, cum pergeret corripere Dauid ob adulterium. Sic Dominus quoque confudit Iudæos, cum illis ingratitudinem illorum obyceret, sub parabola Vineæ.*

CAPVT XXI.

A POst verba autem hæc, vinea erat Naboth Iezrahelitæ, qui erat in Iezrahel, iuxta palatium Achab regis Samariæ, Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens, Da mihi vineam tuam, vt faciam mihi hortum olerum, quia vicina est, & prope domũ meam, daboq; tibi pro ea vineam meliorem: aut si commodius tibi putas, argenti pretium quantum digna est, dabo. Cui respõdit Naboth. Propitius sit mihi Dñs, ne dem hæreditatem patrum meorum tibi. Venit ergo Achab in domum suam indignans, & frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Iezrahelites, dicens, Non dabo tibi hæreditatẽ patrum meorũ. Et proijciens se in lectulum suum, auertit faciem suam ad parietem, & nõ comedit panem. Ingressa est autẽ ad B eum Iezabel vxor sua, dixitq; ei. Quid est hoc, vnde anima tua contristata est? & quare non comedis panem? Qui respondit ei, Locutus sum Naboth Iezrahelitæ, & dixi ei, Da mihi vineam tuam, accepta pecunia: aut si tibi placet dabo tibi vineam pro ea. Et ille ait, Non dabo tibi vineã meã. Dixit ergo ad eũ Iezabel vxor eius, Grandis authoritatis es: & bene regis regnũ Israel: surge & comede panem, & æquo animo esto, ego dabo tibi vineã Naboth Iezrahelitę. Scripsit itaq; literas ex nomine Achab, & signauit eas annulo eius, & misit ad maiores natu, & optimates qui erant in ciuitate eius & habitabant cũ Naboth. Literarũ autẽ hæc erat sententia, C
[a] Prædicate ieiunium: & sedere facite Naboth inter primos populi: & submittite duos viros filios Belial cõtra eũ, & falsum testimonium dicant, Benedixit Deo & regi: & educite eum, & lapidate, sicq; moriatur. Fecerunt ergo ciues eius maiores natu, & optimates qui habitabant cum eo in vrbe, sicut præceperat eis Iezabel, & sicut scriptũ erat in literis quas miserat ad eos: prędicauerunt ieiunium, & sedere fecerũt Naboth inter primos populi. Et adductis duobus viris filijs diaboli, fecerunt eos sedere cõtra eum. At illi, scilicet vt viri diabolici, dixerunt cõtra eum testimonium coràm multitudine, [b] Benedixit Naboth Deo & regi: Quam ob rem eduD xerunt eum extra ciuitatem, & lapidibus interfecerunt. Miseruntq; ad Iezabel, dicentes, Lapidatus est Naboth, & mortuus est. Factũ est autẽ, cum audisset Iezabel lapidatum Naboth, & mortuũ, locuta est ad Achab, Surge, posside vineam Naboth Iezrahelitę, qui noluit tibi acquiescere, & dare eam accepta pecunia, nõ enim viuit Naboth, sed mortuus est. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, & ascendebat in vineam Naboth Iezrahelitę, vt possideret eam. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens, Surge & descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descen E dit, vt possideat eam, & loqueris ad eũ, dicens, Hæc dicit Dominus, Occidisti, insuper & possedisti. Et post hęc addes, Hæc dicit Dominus, In loco hoc in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoq; sanguiem tuum. Et ait Achab ad Eliam, [c] Num inuenisti me inimicè mi? Qui dixit, Inueni, eo quòd venũdatus sis, vt faceres malum in conspectu Domini. Ecce ego inducam super te malum, & demetam posteriora tua, &
4.Reg.9.b interficiam

F interficiam de Achab mingentem ad parietẽ, & clausum & vltimum in Israel. Et dabo domum tuã, sicut domum Ieroboã filij Nabat, & sicut domũ Baasa filij Ahia, quia egisti, vt me ad iracũdiã prouocares, & peccare Supra 15.g fecisti Israel. Sed & de Iezabel locutus est Dñs, dicẽs, Canes comedẽt Iezabel. † Qui mortuus fuerit de Achab Supr. 16.2 in ciuitate, comedent eũ canes: si autẽ mortuus fuerit in agro, comedent eũ volucres cœli. Igitur nõ fuit alter talis, sicut Achab qui venundatus est, vt faceret malum in conspectu Dñi: cõcitauit enim eũ Iezabel vxor sua, 4.Reg.9.g
D & abominabilis factus est, in tantum, vt sequeretur idóla, quæ fecerãt Amorrhæi, quos cõsumpsit Dominus à facie filiorum Israel. Itaq; cum audisset Achab sermones istos, scidit vestimenta sua, & operuit cilicio carnẽ suã, ieiunauitq;, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite. Et factus est sermo Dñi ad Eliam Thesbiten: dicens, Nonne vidisti humiliatum Achab coràm me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus eius, sed in diebus filij sui inferam malum domui eius. 4.Re.10.c

SCHOLIA.

[a] Prædicate ieiunium.] *Cum enim ieiunarent, religiosi erant, & inquirebant in malefacta, & si quid deprehenderãt castigatione dignum, illud inultum transire non sinebant. Cum itaq; testes falsi insurgerent contra innocentem Naboth. Populus illis credidit, etiam si seniores & nobiles siue præfecti scirent innocentiam eius, illorum tamen fuerunt pauci, & qui pessimæ Iezabeli in malo consentiebant.* [b] Benedixit Naboth.] *Hoc est, blasphemauit: Veretur enim scriptura pronuntiare vocabulum rei tam abominandæ, vt doceamur nos, quanta habenda sit diuino nomini reuerentia.* [c] Num inuenisti me inimicum tibi.] *Alius vertit, Nunquid inuenisti me inimice meus? hoc est, Nunquid deprehendisti me nunc in malo, vt more tuo propter illud mihi comminaris futuram vltionem? Qui respondit, deprehendi. Tam licenter enim peccas, ac si venditus esses ad peccandum. Vtitur enim Hebraismus hic verbo vendendi, quòd ea res, quæ venditur, tota in mentis transeat potestatem. Sic rex ille videbatur ad hoc natus, vt pessimè ageret, ac peccata peccatis cumularet.*

CAPVT XXII.

A TRansierunt igitur tres anni absq; bello, inter Syriã & Israel. In anno autẽ tertio, descẽdit Iosaphat rex Iuda ad regẽ Israel. Dixitq; rex Israel ad seruos suos, Ignoratis q̃ nostra sit Ramoth Galaad, & negligimus tollere eam de manu regis Syriæ? Et ait ad Iosaphat, Veniẽsne mecum ad præliãdum in Ramoth 2.Par.18.a
Galaad? Dixitq; Iosaphat ad regem Israel, Sicut ego sum, ita & tu: populus meus, & populus tuus vnum sunt, & equites mei equites tui. Dixitq; Iosaphat ad regem Israel, Quære, oro te, hodie sermonem Domini. Congregauit ergo rex Israel [a] prophetas, quadringentos circiter viros, & ait ad eos, Ire debeo in Ramoth Galaad ad bellandum, an quiescere? Qui responderunt, Ascende, & dabit eam Dominus in manu regis. Dixit autẽ Iosaphat, Non est hic propheta Domini quispiam, vt interrogemus per eũ? Et ait rex Israel ad Iosaphat, Remansit vir vnus, per quem possumus interrogare Dominum: sed ego odi eum, quia non prophetat mihi bo-
B num, sed malum, Micheas filius Iemla. Cui Iosaphat ait, Ne loquaris ita rex. Vocauit ergo rex Israel eunuchũ quendã, & dixit ei, Festina adducere Michæam filium Iemla. Rex autem Israel, & Iosaphat rex Iuda sedebant vnusquisq; in solio suo vestiti cultu regio, in area iuxta ostium portæ Samariæ, & vniuersi prophetę [b] prophetabant in conspectu eorum. Fecit quoque sibi Sedechias filius Chanaan cornua ferrea, & ait. Hæc dicit Dñs, His ventilabis Syriã, donec deleas eam. Omnesq; prophetę similiter prophetabant dicentes, Ascende in Ramoth Galaad, & vade prosperè, & tradet eam Dñs in manus regis. Nũtius verò qui ierat, vt vocaret Michęã, locutus est ad eum, dicens, Ecce sermones prophetarum ore vno regi bona prędicant: sit ergo & sermo tuus similis eorũ, & loquere bona. Cui Michæas ait, Viuit Dominus, † q̃ quicquid dixerit mihi Dominus, hoc loquar. Venit itaq; ad regẽ, & ait illi rex, Michęa ire debemus in Ramoth Galaad ad præliandũ, an cessare? Cui
C ille respõdit, Ascende, & vade prosperè, & [c] tradet Dominus in manus regis. Dixit autẽ rex ad eum, Iterũ atq; iterũ adiuro te, vt non loquaris mihi nisi quod verum est, in nomine Dñi. Et ille ait, Vidi cunctum Israel dispersum in montibus quasi oues non habentes pastorem: & ait Dominus, Non habẽt isti dominũ, reuertatur vnusquisq; in domum suã in pace. Dixit ergo rex Israel ad Iosaphat. Nunquid non dixi tibi q̃ non prophetat mihi bonũ, sed semper malum? Ille verò addens, ait, Propterea audi sermonem Dñi, Vidi Dominum sedentem super soliũ suum, & omnẽ exercitũ cœli assistentem ei à dextris & à sinistris: & ait Dominus, Quis decipiet Achab regem Israel, vt ascendat & cadat in Ramoth Galaad? Et dixit vnus verba huiusce modi, & alius aliter. Egressus est autem spiritus, & stetit coràm Dño, & ait, Ego decipiã illum, Cui locutus est Dominus, In quo? Et ille ait, Egrediar, & ero spiritus mẽdax in ore omnium prophetarũ eius. Et dixit Dominus, Decipies,
D & præualebis: egredere & fac ita. Nunc igitur ecce dedit Dominus spiritum mendacij in ore omniũ prophetarum tuorum, qui hic sunt, & Dominus locutus est cõtra te malũ. Accessit autẽ Sedechias filius Chanaan, & percussit Michæam in maxillam, & dixit, † Quando me dimisit spiritus Domini, & locutus est tibi? Et ait Michæas, Visurus es in die illa, quando ingredieris in cubiculum intra cubiculum, vt abscondaris. Et ait rex Israel, Tollite Michæam, & maneat apud Amon principem ciuitatis, & apud Ioas filium † regis, & dicite eis, Hæc dicit rex, Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum pane tribulationis & aqua angustię, donec reuertar in pace. Dixitq; Michæas, Si reuersus fueris in pace, non est locutus in me Dominus. Et ait, Audite populi omnes. Ascendit itaq; rex Israel, & Iosaphat rex Iuda in Ramoth Galaad. Dixit itaque rex Israel ad Iosaphat, † Mutabo me, & ingrediar bellum, tu autem induere vestibus tuis: porrò rex Israel mutauit habi-
E tum suum, & ingressus est bellum. Rex autem Syriæ præceperat principibus curruum triginta duobus, dicens, Non pugnabitis contra minorem & maiorem quempiam, nisi contra regem Israel solum. Cum ergo vidissent principes curruum Iosaphat, suspicati sunt, q̃ ipse esset rex Israel, & impetu facto pugnabant contra eum: & exclamauit Iosaphat. Intellexeruntq; principes curruum q̃ non esset rex Israel, & cessauerunt ab eo. Vir autem quidam tetendit arcum, in incertum sagittam dirigẽs, & casu percussit regẽ Israel [e] inter † iuncturas & loricam. At ille dixit aurigæ suo, Verte manũ tuam, & eijce me de exercitu, quia grauiter [f] vulneratus
sum.

ſum. Commiſſum eſt ergo prælium in die illa:& rex Iſrael ſtabat in curru ſuo contra Syros, & mortuus eſt
veſpere, Fluebat autem ſanguis plagæ in ſinum currus, & preco inſonuit in vniuerſo exercitu antequam ſol
occumberet,dicens, Vnuſquiſq; reuertatur in ciuitatem,& in terram ſuam.Mortuus eſt autem rex, & perla-
tus eſt in Samariam:ſepelieruntq; regem in Samaria,& lauerunt currum eius in piſcina Samariæ,& linxerũt F
Supra 21.c canes ſanguinẽ eius, g † & arma lauerũt, iuxta verbum Dñi quod locutus fuerat. Reliqua autem ſermonũ
Achab,& vniuerſa,quæ fecit, & domus eburnea quam ædificauit, † & omnes vrbes quas extruxit,nónne hęc
ſcripta ſunt in libro ſermonum dierum regum Iſrael? Dormiuit ergo Achab cum patribus ſuis, & regnauit
Ochozias filius eius pro eo. Ioſaphat verò filius Aſa regnare cœperat ſuper Iudam, anno quarto Achab re-
gis Iſrael. Trigintaquinq; annorum erat cum regnare cœpiſſet, & vigintiquinque annis regnauit in Ieruſa-
lem:nomen matris eius Azuba filia Salai. Et ambulauit in omni via Aſa patris ſui,& non declinauit ex ea:
fecitq; quod rectum erat in conſpectu Dñi. Veruntamen excelſa non abſtulit: adhuc enim populus ſacrifi-
cabat,& adolebat incenſum in excelſis.Pacemq; habuit Ioſaphat,cum rege Iſrael.Reliqua autem verborum
Ioſaphat,& opera eius, quę geſſit,& prælia, nónne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Iudæ? G
Sed & reliquias effœminatorum,qui remanſerant in diebus Aſa patris eius, abſtulit de terra. Nec erat tunc
rex conſtitutus in Edom.Rex verò Ioſaphat fecerat [h] claſſes in mari,quæ nauigarent in Ophir propter aurũ:
& ire non potuerunt,quia confractæ ſunt in Aſiongaber. Tunc ait Ochozias filius Achab ad Ioſaphat, Va-
dant ſerui mei cum ſeruis tuis in nauibus.Et noluit Ioſaphat.Dormiuitq; Ioſaphat cũ patribus ſuis, & ſepul-
tus eſt cum eis in ciuitate Dauid patris ſui:regnauitq; Ioram filius eius pro eo. Ochozias autem filius Achab
regnare cœperat ſuper Iſrael in Samaria, anno ſeptimo decimo Ioſaphat regis Iuda, regnauitq; ſuper Iſrael
duobus annis.Et fecit malum in conſpectu Domini,& ambulauit in via patris ſui & matris ſuæ, & in via Ie-
roboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael,Seruiuit quoq; Baal,& adorauit eum, & irritauit Dominũ Deũ
Iſrael,iuxta omnia,quæ fecerat pater eius.

SCHOLIA.

[a] Prophetas quadringentos circiter.] *Non erant prophetæ,ſed pſeudo prophetæ, venerabatur autem eos impius Achab,ac ſi veri eſſent prophetæ,quibus in veſtitu & moribus conformes ſe gerebant.* [b] Prophetabant.] *Aliena loquebantur, vt viderentur imitari morem prophetarum,ſed quæ ex cerebro ſuo fingebant.* [c] Tradet Dominus in manu regis.] *Hoc dixit illudendo,quaſi diceret,ſi promiſerunt tibi prophetæ tui falſi proſperitatem & victoriam,aſcende,& videbis quid tibi ſit euenturum,& quomodo Dominus tibi conceſſurus ſit victoriam,iuxta prophetarũ tuorum aſſeuerationem. Aduertit autem rex quòd non ſerio ſibi reſpõderet,ideo adiurauit eum multis modis,vt veritatem ſibi aperiret.* [d] Mutabo me.] *Nam cum ego,inquit,belli ſim author, neceſſe eſt, vt omnibus modis mihi prouideam,cum nemo inter hoſtes futurus ſit, qui non quærat animam meam.* [e] Inter iuncturas & loricam.] *Vel,in iuncturis loricarum, vbi iaculũ inueniens ingreſſum, abſq; vllo ferrei indumenti obſtaculo,Deo volente corpus regis vulnerauit.* [f] Vulneratus ſum.] *Alius vertit: infirmor, quòd ſcilicet rex noluerit dicere ſe vulneratum,ſed ſuperueniente infirmitate debilem effectum, ne ſuos puſillanimes redderet,et illis animum adimeret. Et cum caſtra egredi non poſſet ſine exercitus ſui maximo detrimento,perſtitit tota die ſic vulneratus contra exercitum Syrorum.Veſpere autem mortuus eſt.* [g] Arma lauerunt.] *Alius vertit:meretrices lauerunt iuxta piſcinam,quòd videlicet ſanguis eius in maximum veniſſet contemptum,quippè quem canes linxerunt, & cum quo viliſſimæ perſonæ lauerunt immunditias ſuas,nam cum currus in piſcina fuerit allutus, conſequens eſt, vt totũ ſtagnũ illud verſum fuerit ſanguine eius.* [h] Claſſes in mari.] *Vel in Tarſis.Et Chal.interpres interpretatur Aphricam, in qua eſt locus Ophir qui Zaphalla à Coſmographis eſſe putatur.Illic enim hodie ferunt aurifodinam inueniri.*

FINIS.

LIBER QVARTVS
REGVM, SECVNDVM HEBRAEOS, MELACHIM LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

[a] RAEVARICATVS eſt autem Moab in Iſrael, poſtquã mortuus eſt Achab. Ceciditq; A
Ochozias [b] per cancellos cœnaculi ſui quod habebat in Samaria,& ęgrotauit: miſitque
nuntios,dicens ad eos, Ite cõſulite Beelzebub deum Accaron,vtrũ viuere queam de in-
firmitate mea hac. Angelus autẽ Dñi locutus eſt ad Eliam Thesbiten,dicens, Surge,&
aſcende in occurſum nuntiorum regis Samarię,& dices ad eos, Nunquid non eſt Deus
in Iſrael,vt eatis ad conſulendum Beelzebub deum Accaron? Quam ob rem, hæc dicit
Dominus,De lectulo,ſuper quem aſcendiſti,nõ deſcendes,ſed morte morieris. Et abijt
Elias,reuerſiq; ſunt nuntij ad Ochoziam. Qui dixit eis, Quare reuerſi eſtis? At illi reſponderunt ei, Vir oc-
currit nobis:& dixit ad nos, Ite,& reuertimini ad regẽ qui miſit vos,& dicetis ei, Hæc dicit Dñs, Nunquid B
quia non erat Deus in Iſrael,mittis vt cõſulatur Beelzebub deus Accaron? Iccircò de lectulo ſuper quẽ aſcẽ-
diſti nõ deſcẽdes,ſed morte morièris. Qui dixit eis,Cuius figurę & habitus eſt vir ille qui occurrit vobis,& locutus eſt verba hęc? At illi dixerũt:Vir piloſus,& zona pellicea accinctus renibus. Qui ait, Elias Thesbites eſt,

C eſt,Miſitq; ad eum quinquagenarium principem,& quinquaginta qui erant ſub eo.Qui aſcẽdit ad eum: ſe-
dentiq; in vertice montis,ait,Homo Dei,rex præcepit vt deſcendas.Reſpondẽsq; Elias, dixit quinquage-
nario,Si homo Dei ſum,deſcendat ignis de cœlo,& deuoret te,& quinquaginta tuos.Deſcendit itaque ignis de
cœlo,& deuorauit eum,& quinquaginta qui erant cum eo. Rurſumq; miſit ad eum principem quinqua-
genarium alterum,& quinquaginta cum eo.Qui locutus eſt illi,Homo Dei,hæc dicit rex,Feſtina,deſcende.
Reſpondens Elias,ait,Si homo Dei ego ſum,deſcẽdat ignis de cœlo,& deuoret te,& quinquaginta tuos. De-
ſcendit ergo ignis de cœlo,& deuorauit illum,& quinquaginta eius. Iterum miſit principem quinquagena
rium tertium,& quinquaginta qui erant cum eo.Qui cum veniſſet,curuauit genua cõtra Eliam, & precatus
D eſt eum,& ait.Homo Dei,noli deſpicere animam meã, & animas ſeruorum tuorum qui mecum ſunt. Ecce
deſcendit ignis de cœlo & deuorauit duos principes quinquagenarios primos,& quinquagenos qui cum eis
erant:ſed nunc obſecro,vt miſererearis animæ meæ.Locutus eſt autem angelus Domini ad Eliam,dicens, De-
ſcende cum eo,ne timeas.Surrexit igitur,& deſcẽdit cum eo ad regem,& locutus eſt ei, Hęc dicit Dominus,
Quia miſiſti nuntios ad conſulendum Beelzebub deum Accaron,quaſi nõ eſſet Deus in Iſrael, à quo poſſes
interrogare ſermonem,ideo de lectulo,ſuper quem aſcendiſti,non deſcendes,ſed morte morieris. Mortuus
eſt autem iuxta ſermonem Domini quem locutus eſt Elias,& regnauit Ioram † pro eo, anno ſecũdo Ioram
filij Ioſaphat regis Iudæ:non enim habebat filium. Reliqua autem verborum Ochoziæ quæ operatus eſt,
nónne hæc ſcripta ſunt in libro ſermonum dierum regum Iſrael?

SCHOLIA.

[a] Præuaricatus autem eſt Moab.] *Nam cum Moab ſeruiſſet Achab patri Ochoziæ ſub tributo,illeq; interiiſſet, noluit filio tributa pendere,ſed rebellis illi fuit.* [b] Per cancellos.] *Heb.exponũt opus reticulatum,& per modum crucis formatum,vt in cœnaculis ſuperioribus fieri ſolent per ligna cancelli, per quos lux in inferiora decidat habitacula, qui cum in aula regis vetuſtate emarcuiſſent,& rex ſuper eos grederetur,fractis illis ipſe deorſum graui colliſione cecidit.*

CAPVT II.

A FActum eſt autem:cum leuare vellet Dominus Eliam [a] per turbinem in cœlum, ibãt Elias & Eliſęus de
Galgalis.Dixitq; Elias ad Eliſęum,Sede hic,quia Dominus miſit me vſq; in Bethel.Cui ait Eliſęus, Vi-
uit Dominus,& viuit anima tua,quòd non derelinquã te.Cumq; deſcendiſſent Bethel,egreſſi ſunt filij
prophetarum qui erant in Bethel,ad Eliſęum,& dixerunt ei, Nunquid noſti q̃ hodie Dominus tollet domi-
num tuũ à te? Qui reſpondit,Et ego noui:ſilete.Dixit autem Elias ad Eliſęum,Sede hic, quia Dominus mi-
ſit me in Iericho.Et ille ait, Viuit Dñs,& viuit anima tua,q̃ non derelinquam te. Cumq; veniſſent Iericho,
acceſſerunt filij prophetarum qui erant in Iericho,ad Eliſęum,& dixerunt ei,Nũquid noſti quòd Dominus
hodie tollet dominum tuum à te? Et ait,Et ego noui:ſilete.Dixit autem ei Elias,Sede hic,quia Dñs miſit me
B vſq; ad Iordanem.Qui ait, Viuit Dominus,& viuit anima tua,q̃ non derelinquam te.Ierũt igitur ambo pa-
riter,& quinquaginta viri de filijs prophetarum ſecuti ſunt eos,qui & ſteterunt è cõtra longè:illi autẽ ambo
ſtabant ſuper Iordanem.Tulitq; Elias pallium ſuum,& inuoluit illud,& percuſſit aquas, quæ diuiſæ ſunt in
vtranq; partem,& tranſierunt ambo per ſiccum.Cumq; tranſiſſent,Elias dixit ad Eliſęum, Poſtula quod vis
vt faciam tibi,antequam tollar à te.Dixitq; Eliſęus,Obſecro vt fiat in me [b] duplex † pars ſpiritus tui.Qui re-
ſpõdit, Rem difficilem poſtulaſti:attamen ſi videris me quando tollar à te, erit tibi quod petiſti:ſi autem nõ
videris,non erit.Cumq; pergerent,& incedentes ſermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diuiſe-
runt vtrunq;:& aſcendit Elias per turbinẽ in cœlum,Eliſęus autem videbat,& clamabat, Pater mi, [c] currus Eccl. 42.a
C Iſrael & equites eius.Et non vidit eum amplius:apprehenditq; veſtimenta ſua,& ſcidit illa in duas partes. Et
leuauit pallium Elię,quod ceciderat ei:reuerſuſq; ſtetit ſuper ripam Iordanis, & pallio Eliæ, quod ceciderat
ei,percuſſit aquas,& dixit, Vbi eſt † Dñs Deus Eliæ,[d] atq; ipſemet? Percuſſitq; aquas,& diuiſæ ſunt huc atq;
illuc,& tranſijt Eliſęus. Videntes autẽ filij prophetarũ qui erant in Iericho è contra,dixerũt,Requieuit ſpi-
ritus Eliæ ſuper Eliſęum.Et venientes in occurſum eius,adorauerunt eum proni in terram, dixeruntq; illi,
Ecce,cum ſeruis tuis ſunt quinquaginta viri fortes,qui poſſunt ire,& [e] quærere dominum tuum,ne fortè tu-
lerit eum ſpiritus Dñi,& proiecerit eum in vnũ montiũ,aut in vnam vallũ. Qui ait,Nolite mittere. Coege-
runtq; eum,donec acquieſceret,& diceret,Mittite.Et miſerunt quinquaginta viros: qui cum quæſiſſent tri-
D bus diebus,non inuenerunt.Et reuerſi ſunt ad eum:At ille habitabat in Iericho,& dixit eis, Nunquid nõ di-
xi vobis,Nolite † ire? Dixerunt quoq; viri ciuitatis ad Eliſęum,Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt,ſi-
cut tu ipſe domine proſpicis,ſed aquæ peſſimæ ſunt & terra ſterilis.At ille ait, Afferte vas nouum, & mittite
in illud ſal.Quod cum attuliſſent,egreſſus ad fontem aquarum,miſit in illum ſal,& ait,Hęc dicit Dominus,
Sanaui aquas has,& non erit vltra in eis mors,neq; ſterilitas.Sanatæ ſunt ergo aquæ,vſq; in diem hanc,iuxta
verbum Eliſęi quod locutus eſt. Aſcendit autem inde Eliſęus in Bethel:cumq; aſcẽderet per viam, pueri par-
ui egreſſi ſunt de ciuitate,& illudebant ei,dicẽtes,Aſcende calue,aſcende calue.Qui cũ reſpexiſſet, vidit eos,
& maledixit eis in nomini Dñi:egreſſiq; ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pue-
ros.Abijt autem inde in montem Carmeli,& inde reuerſus eſt in Samariam. 2.Mac. 2.f

SCHOLIA.

[a] Per turbinem.] *Infra dicitur, quòd per currum igneum fuerit vectus in cœlum. Dicendum ergo. Eliſæo viſum fuiſſe,quòd quaſi currus & equi ignei eum abduxerint,cum illũ turbo igneus ſubleuaret à terra. Intelligunt autem Hebræi hic per cœlum,aerem.Et ſunt inter eos,qui putant veſtes & corpus Eliæ in ſphæra ignis conſumpta & ſolum ſpiritum in cœlum ingreſſum:alij autem putant,quòd Deus introduxerit eum in paradiſum cum corpore & anima.*
[b] Duplex pars ſpiritus tui.] *Poſtulabat,vt ſibi de ſpiritu Eliæ, tanquam primogenito diſcipulo, duæ traderentur partes ſupra alios prophetas, qui etiam hunc ſpiritum erant participaturi. Quidam tamen intelligunt petiſſe Eliſęum duplicem*

plicem ſpiritum quam habuerit Elias, vt maior eſſet ſibi efficacia ad parandam populi ſalutem, & eum id aſſecutum. Cum Elias tantũ octo miracula fecerit, Eliſæus verò ſexdecim. [c] Currus Iſrael & equites.] *Quia ſcilicet eſſet Iſraeli pro curru & equitibus.* [d] Atq; ipſemet.] *Hoc eſt, ipſe Elias, aly referunt ad Eliſeum, vt ſit ſenſus: etiam ipſe percuſſit aquas, ſicut prius Elias fecit, vt diuiſæ tranſitum illi præberent.* [e] Quærere dominum tuum.] *Nam illum ſæpe alias Dominus tulerat ab hominibus, ſicut & Abdias ſeruus Achab ſupradixit, ideo volebant illi quinquaginta fortes viri quærere illum, ſi fortè ſpiritus eum Domini depoſuiſſet in montibus aut locis deſertis, nec poterat eis perſuaderi ab Eliſæo, illum ſic tranſlatum, vt aduentus eius in multis annis minimè eſſet expectandus.*

CAPVT III.

IOram verò filius Achab regnauit ſuper Iſrael in Samaria anno decimooctauo Ioſaphat regis Iudæ. Regnauitq; duodecim annis. Et fecit malũ corã Dño, ſed nõ ſicut pater ſuus & mater: tulit enim ſtatuas Baal quas fecerat pater eius. Verũtamen [a] in peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Iſrael adhæſit, nec receſsit ab eis. Porrò Meſa rex Moab, nutriebat pecora multa, & ſoluebat regi Iſrael centũ millia agnorũ, & centũ millia arietũ cũ velleribus ſuis. Cumq; mortuus fuiſſet Achab præuaricatus eſt fœdus, quod habebat cum rege Iſrael. Egreſſus eſt igitur rex Ioram in die illa de Samaria, & recenſuit vniuerſum Iſrael. Miſitq; ad Ioſaphat regẽ Iuda, dicẽs, rex Moab receſsit à me, veni mecũ contra eũ ad præliũ. Qui reſpondit, Aſcẽdã: qui meus eſt, tuus eſt: populus meus, populus tuus: & equi mei, equi tui. Dixitq;, Perquam viam aſcendemus? At ille reſpondit, Per deſertum Idumęę. Perrexerunt igitur rex Iſrael, & rex Iuda, & rex Edom, & circuierũt per viam ſeptem dierũ, nec erat aqua exercitui & iumentis, quæ ſequebantur eos. Dixitq; rex Iſrael, Heu, † congregauit nos Dñs tres reges, vt traderet in manu Moab. Et ait Ioſaphat, Eſt ne hic propheta Dñi, vt deprecemur Dñm per eũ? Et reſpondit vnus de ſeruis regis Iſrael. Eſt hic Eliſæus filius Saphat, qui fundebat aquã ſuper manus Eliæ. Et ait Ioſaphat, Eſt apud eũ ſermo Dñi? Deſcẽditq; ad eũ rex Iſrael, & Ioſaphat & rex Edom. Dixit autẽ Eliſæus ad regem Iſrael, Quid mihi & tibi eſt? vade ad prophetas patris tui, & matris tuæ. Et ait illi rex Iſrael, † Nequaquã, quia congregauit Dñs tres reges hos, vt traderet eos in manus Moab. Dixitq; ad eum Eliſæus, Viuit Dñs exercituum, in cuius conſpectu ſto, q̃ ſi nõ vultũ Ioſaphat regis Iudę erubeſcerem, nõ attendiſſem quidẽ te, nec reſpexiſſem. Nũc autẽ [b] adducite mihi pſaltem. Cumq; caneret pſaltes, facta eſt ſuper eũ manus Dñi, & ait, Hæc dicit Dñs, Facite in alueo torrẽtis huius foſſas & foſſas. Hęc enim dicit Dñs, Non videbitis ventũ, neq; pluuiã: & alueus iſte replebitur aquis, & bibetis vos, & familię veſtræ, & iumenta veſtra, Parũq; eſt hoc in cõſpectu Dñi? inſuper tradet etiã Moab in manus veſtras. Et percutietis omnẽ ciuitatẽ munitã, & omnẽ vrbẽ electã: & vniuerſum lignũ † optimũ ſuccidetis, cũctoſq; fontes aquarũ obturabitis, & omnem agrum egregiũ operietis lapidibus. Factum eſt igitur mane, quãdo ſacrificiũ offerri ſolet: & ecce, aquæ veniebant per viã Edom: & repleta eſt terra aquis. Vniuerſi autẽ Moabitę audientes q̃ aſcendiſſent reges, vt pugnarent aduerſum eos, cõuocauerũt oẽs † ab eo, qui accingi poterat gladio, & ſupra, & ſteterũt in termi nis. Primoq; mane ſurgẽtes: & orto iã ſole ex aduerſo aquarum, viderũt Moabitæ ecõtra [c] aquas rubras quaſi ſanguinẽ, dixerũtq;, Sanguis gladij eſt: pugnauerũt reges cõtra ſe, & cæſi ſunt mutuò: nunc perge ad prędam Moab. Perrexerũtq; in caſtra Iſrael: porro cõſurgẽs Iſrael, percuſsit Moab: at illi fugerũt corã eis. Venerunt igitur qui vicerãt, & percuſſerũt Moab, & ciuitates deſtruxerũt: & omnẽ agrũ optimũ, mittẽtes ſinguli lapides, & repleuerũt: & vniuerſos fontes aquarũ obturauerũt: & omnia ligna † optima ſucciderũt, † vt ſolũ [d] in ciuitate fictili dimitterent lapides eius: & circũdata eſt ciuitas à fundibularijs, & † percuſſa. Quòd cũ vidiſſet rex Moab pręualuiſſe ſcilicet hoſtes, tulit ſecũ ſeptingẽtos viros educẽtes gladios, vt irrũperẽt ad regẽ Edom, & nõ potuerũt. Arripiẽsq; filiũ ſuũ primogenitũ, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtũ ſuper mu: & facta eſt indignatio magna in Iſrael, ſtatimq; receſſerunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram ſuam.

SCHOLIA.

[a] In peccatis Ieroboam.] *Hoc eſt, licet deteſtaretur cultum Baal, & illum pro virili ſua exterminaret, tamen vitulos illos, quos Ieroboam poſuit, coluit, & adorauit.* [b] Adducite mihi pſaltem.] *Qui ſcilicet inſtrumenti melodia auferat turbationem animi, & tumultuarias in me ſedet cogitationes, quæ prophetiæ non admittunt ſpiritum. Erat autem prophetа turbatus propter regis impietatem, qui tempore pacis Deum non quæſierit.* [c] Aquas rubras.] *Cum radij ſolares in aquas illas inciderent, reflexu ſuo oculos Moabitarum faſcinarunt, vt putarent cruore humano terram perfuſam, quippe qui probè ſcirent, ab heri & nudiuſtertius illic aquam non fuiſſe: quare animo ſumpto præcipites ruunt in hoſtem multo ſe validiorem.* [d] In ciuitate fictili.] *Hoc eſt, quam ambiebat murus ex fictilibus lapidibus conſtructus. Hebræi tamen putant nomen illius ciuitatis fuiſſe Hareſeth, quam Iſraelitæ propter fortiſſimum murum expugnare non poterant, ſed fundibulary circuibant eam, & plurimos in muris lædebant, donec tandem rex Moab, qui intra vrbem illam fuit, coactus eſt cum cerno militum numero prodire, & in medium hoſtium exercitum prorumpere. Sed cum ad regem Edom peruenire non poſſet, abducto filio eius primogenito, combuſſit illum in muro ciuitatis ſuæ, quod tantum offendit regem Edom, vt indignabundus recederet à reliquis duobus regibus, Non igitur proprium ſacrificauit filium, vt noſtri ferè putant. Aly tamen dicunt, filium regis Edom fuiſſe detentum apud regem Moab, atque iccirco regem Edom adiunxiſſe ſe duobus regibus, Iſrael, & Iuda, vt filium ſuum liberaret è manibus Moabitarum.*

CAPVT IIII.

MVlier autem quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad Eliſeum, dicens, Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quòd ſeruus tuus fuit, timens Dominũ: & ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi. Cui dixit Eliſæus, Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpondit, Non habeo ancilla tua quicquam in domo mea, niſi † vaſculum olei. Cui ait, Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua nõ pauca. Et ingredere, & claude oſtium tuũ, cũ intrin ſecus fueris tu & filij tui: & mitte inde in oĩa vaſa hæc, & cum plena fuerint, tolles. Iuit itaq; mulier, & clauſit oſtium

oſtium ſuper ſe, & ſuper filios ſuos: illi offerebant vaſa, & illa infundebat. Cumq; plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum, Affer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit, Non habeo. Stetitq; oleum. Venit autẽ illa, & indicauit homini Dei. Et ille, Vade, inquit, vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filij tui viuite de reliquo.

Facta eſt autẽ quędam dies, & tranſibat Eliſęus per Sunam: erat autem ibi mulier magna, quę tenuit eum, vt comederet panẽ: cumq; frequenter inde tranſiret, diuertebat ad eã, vt comederet panẽ. Quæ dixit ad virũ ſuum, Animaduerto q̃ vir Dei ſanctus eſt iſte, qui tranſit per nos frequenter. Faciamus ergo ei cœnaculum paruũ, & ponamus ei in eo lectulũ, & menſam, & ſellam, & candelabrum, vt cum venerit ad nos, maneat ibi. Facta eſt ergo dies quædam, & veniens diuertit in cœnaculũ, & requieuit ibi. Dixitq; ad Giezi puerũ ſuum, Voca Sunamitidem iſtam. Qui cum vocaſſet eam, & illa ſtetiſſet coràm eo, dixit ad puerũ ſuum, Loquere ad eam. Ecce ſedulè in omnibus miniſtraſti nobis, quid vis vt faciam tibi? nunquid habes negotium, & vis vt loquar regi, ſiue principi militię? Quæ reſpondit, [a] In medio populi mei habito. Et ait, Quid ergo vult, vt faciã ei? Dixitq; Giezi, † Certè filiũ nõ habet, & vir eius ſenex eſt, Præcepit itaq; vt vocaret eam: Quæ cum vocata fuiſſet, & ſtetiſſet ante oſtium, dixit ad eã, In tempore iſto, & [b] † iuxta tempus vitę, habebis in vtero filium. At illa reſpondit, Noli quęſo domine mi vir Dei, [c] noli mentiri ancillę tuę. Et cõcepit mulier, & peperit filiũ in tempore † illo iuxta tempus vitę, ſicut dixerat ei Eliſęus. Creuit autem puer. Et cum eſſet quædam dies, & egreſſus iſſet ad patrẽ ſuum, ad meſſores, ait patri ſuo, Caput meũ, caput meũ. At ille dixit puero, Tolle, duc eum ad matrẽ ſuam. Qui cũ tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrẽ ſuam, poſuit eũ illa ſuper genua ſua vſq; ad meridiem, & mortuus eſt. Aſcẽdit autẽ, & collocauit eũ ſuper lectulũ hominis Dei, & clauſit oſtiũ: & egreſſa vocauit virũ ſuum, & ait, Mitte mecũ obſecro vnũ de pueris, & aſinã, vt excurram vſq; ad hominẽ Dei, & reuertar. Qui ait illi, Quã ob cauſam vadis ad eũ? hodie non ſunt Calendę, neq; ſabbatum. Quę reſpõdit, † Propter ſalutẽ. Strauitq; aſinã, & præcepit puero, Mina, & propera, nec † facias eam [d] tardè incedere eò q̃ ego inſideo ei, niſi cum dixero tibi. Profecta eſt igitur, & venit ad virũ Dei in montẽ Carmeli: cumq; vidiſſet eã vir Dei de cõtra, ait ad Giezi puerũ ſuum, Ecce Sunamitis illa. Vade ergo in occurſum eius, & dic ei, Rectẽne agitur circa te, & circa virum tuũ, & circa filiũ tuũ? Quę reſpõdit, Rectè. Cumq; veniſſet ad virũ Dei in montẽ, apprehendit pedes eius, & acceſsit Giezi, vt amoueret eam. Et ait homo Dei, Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine eſt, & Dñs cœlauit à me, & non indicauit mihi. Quę dixit illi, Nũquid petiui filiũ à Dño meo? nũquid nõ dixi tibi, Ne illudas me? Et ille ait ad Giezi, Accinge lũbos tuos, & tolle baculũ meũ in manu tua, & vade, Si occurrerit tibi homo, [e] non ſalutes eum: & ſi ſalutauerit te quiſpiam, non reſpondeas illi, & pones baculum meum ſuper faciẽ pueri. Porrò mater pueri ait, Viuit Dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & ſecutus eſt eam, Giezi autem præceſſerat ante eos, & poſuerat baculum ſuper faciẽ pueri: & nõ erat vox, neq; ſenſus: reuerſusq; eſt in occurſum eius, & nuntiauit ei, dicẽs, Non ſurrexit puer. Ingreſſus eſt ergo Eliſęus domũ, & ecce, puer mortuus iacebat in lectulo eius: ingreſſusq; clauſit oſtiũ ſuper ſe, & ſuper puerum, & orauit ad Dñm. Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum: poſuitq; os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius: & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri. Lnc. 10.

At ille [f] reuerſus, deambulauit in domo ſemel huc atque illuc: & aſcendit, & incubuit ſuper eum: & oſcitauit puer ſepties, aperuitq; oculos. Et ille vocauit Giezi, & dixit ei, Voca Sunamitidem hãc, Quæ vocata, ingreſſa eſt ad eum. Qui ait, Tolle filium tuum. Venit illa & corruit ad pedes eius, & adorauit ſuper terrã: tulitq; filiũ ſuum, & egreſſa eſt, & Eliſęus reuerſus eſt in Galgala. Erat autẽ fames in terra, & filij prophetarum habitabant coràm eo: dixitq; vni de pueris, Pone ollam grandem, & coque pulmentũ filijs prophetarũ. Et egreſſus eſt vnus in agrum, vt colligeret herbas: † inuenitq; quaſi vitem ſylueſtrem, & collegit ex ea colocynthidas agri, & impleuit pallium ſuum, & reuerſus concidit in ollam pulmenti: neſciebat enim quid eſſet. Infuderunt ergo ſocijs, vt comederent: cumq; guſtaſſent de coctione, exclamauerunt dicẽtes, [g] Mors in olla vir Dei. Et non potuerunt comedere. At ille, Afferte, inquit, farinam. Cũq; tuliſſent, miſit in ollã, & ait, Infunde turbæ, vt comedant. Et nõ fuit amplius quicquã amaritudinis in olla. Vir autẽ quidam venit de Baalſaliſa deferens viro Dei panes primitiarum, & viginti panes hordeaceos, & frumentum nouum in pera ſua. At ille dixit, Da populo, vt comedat. Reſponditq; ei miniſter eius, Quantum eſt hoc, vt apponam coràm cẽtum viris? Rurſum ille ait, Da populo, vt comedat: hæc enim dicit Dominus, Comedent, & ſupererit. Poſuit itaq; corã eis: qui comederunt, & ſuperfuit iuxta verbum Domini.

SCHOLIA.

[a] In medio populi mei habito.] *Hoc eſt, cum habitem in medio cognationis & populi, illi cauſam meam agent apud regem, quando neceſſitas ingruerit.* [b] Iuxta tempus vitæ.] *Alius vertit. Iuxta tempus vitæ amplexaberis filium. Hoc eſt, poſt certum tempus, quo fœtus in vtero viuificabitur, & ad iuſtum membrorum robur perueniet, et cum in lucem editus fuerit, tu amplexaberis filium.* [c] Noli mentiri.] *Quaſi dicat: Videtur hæc res impoſsibilis, atq; ideo caue, ne erres in iudicio tuo.* [d] Tarde incedere.] *Ne tardius facias eam incedere, quàm ſi vir illi inſideret.* [e] Non ſalutes eum.] *Hoc eſt, non facias moram vllam in itinere, ſed imperium meum ſtudebis velociter implere.* [f] Reuerſus deambulabat.] *Hebræi ſic interpretantur, & reuerſus eſt à lecto ad terram, vt iterum oraret.* [g] Mors in olla.] *Hebraiſmus eſt, pro venenum mortiferum eſt in olla. Allegoricòs, ſapientia carnis mors eſt, niſi euangelica farina immiſceatur.*

CAPVT V.

NAaman autem princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum ſuum, & honoratus: per illum enim dedit Dominus ſalutem Syriæ: erat autem vir † potens robore, ſed leproſus. Porrò de Syria egreſſi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de terra Iſrael puellam paruulam, quæ erat in obſequio vxoris Naaman, quæ ait ad dominam ſuam, Vtinam fuiſſet dominus meus ad prophetam qui eſt in Samaria, profectò curaſſet eum à lepra, quam habet. Ingreſſus eſt itaq; Naaman ad dominum

num ſuum,& nunciauit ei dicens.Sic & ſic locuta eſt puella de terra Iſrael. Dixitq; ei rex Syriæ, Vade,& mit B
tam literas ad regem Iſrael.Qui cum profectus eſſet,& tuliſſet ſecum decem talenta argenti, & ſex millia au-
reos,& decem mutatoria veſtimẽtorum:detulit literas ad regem Iſrael,in hæc verba. Cum acceperis epiſto-
lam hanc,ſcito q̃ miſerim ad te Naaman ſeruum meum,vt cures eum à lepra ſua. Cumq; legiſſet rex Iſrael
literas,ſcidit veſtimenta ſua,& ait,Nunquid Deus ego ſum,vt occidere poſsim,& viuificare:quia iſte miſit ad
me,vt curẽ hominẽ à lepra ſua? Animaduertite,& videte [a] q̃ occaſiones quærat aduerſum me. Quod cũ au-
diſſet Eliſæus vir Dei,ſcidiſſe videlicet regem Iſrael veſtimenta ſua,miſit ad eum,dicens, Quare ſcidiſti veſti- C
menta tua?veniat ad me,& ſciat eſſe prophetam in Iſrael. Venit ergo Naaman cum equis & curribus, & ſte-
tit ad oſtium domus Eliſæi:miſitq; ad eum Eliſeus nuntium,dicens,Vade,& lauare ſepties in Iordane, & re-
cipiet ſanitatem caro tua,atq; mundaberis. Iratus Naaman recedebat,dicẽs, Putabam q̃ egrederetur ad me,
& ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui,& tangeret manu ſua locum lepræ,& curaret me. Nunquid non
meliores ſunt Amana & Pharphat fluuij Damaſci omnibus aquis Iſrael,vt lauer in eis,& munder?Cum ergo
vertiſſet ſe,& abiret indignans,acceſſerunt ad eum ſerui ſui,& locuti ſunt ei. Pater, ſi rem grandem dixiſſet D
tibi propheta,certè facere debueras:quantò magis quia nunc dixit tibi, Lauare:& mundaberis?Deſcendit,&
Luc. 4. lauauit in Iordane ſepties iuxta ſermonem viri Dei:& reſtituta eſt caro eius:ſicut caro pueri paruuli,& mun-
datus eſt. Reuerſusq; ad virũ Dei cũ vniuerſo comitatu ſuo venit,& ſtetit coràm eo, & ait, Verè ſcio q̃ non
ſit Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſrael. Obſecro itaq;,vt accipias benedictionẽ à ſeruo tuo. At ille re
ſpondit, Viuit Dñs ante quem ſto,q̃ non accipiam. Cũq; vim faceret,penitus non acquieuit. Dixitq; Naa-
man, † Obſecro concede mihi ſeruo tuo,vt tollam onus duorũ burdonũ [b] de terra † hac: non enim faciet vl E
trà ſeruus tuus holocauſtum,aut victimam dijs alienis,niſi Domino. † In hac autẽ re propitietur Dñs ſeruo
tuo.Quãdo ingredietur dominus meus templũ Remmon,vt adoret: & illo innitente ſuper manum meam,
ſi adorauero in templo Remmon,adorante eo in eodẽ loco:vt ignoſcat mihi Dñs ſeruo tuo pro hac re. Qui
dixit ei,vade in pace.Abijt ergo ab eo † quaſi per ſtadium terræ. Dixitq; Giezi puer viri Dei.Pepercit domi
nus meus Naaman Syro iſti vt non acciperet ab eo,quæ attulit:viuit Dominus, q̃ curram poſt eum, & accipiam ab eo aliquid. Et ſecutus eſt Giezi poſt tergum Naaman: quem cũ vidiſſet ille currẽtem ad ſe, deſiliit F
de curru in occurſum eius,& ait,Recténe ſunt omnia?Et ille ait, Rectè:dominus meus miſit me ad te, dicẽs,
Modo venerunt ad me duo adoleſcentes de mõte Ephráim ex filijs prophetarum:da eis talentum argenti: &
veſtes mutatorias duplices.Dixitq; Naaman,Melius eſt vt accipias duo talenta.Et coegit eum, ligauitq; duo
talenta argenti in duobus ſaccis,& duplicia veſtimenta, & impoſuit duobus pueris ſuis, qui & portauerunt
coràm eo.Cumq; veniſſet † ad locum quendam ſecretum,tulit de manu eorum,& repoſuit in domo, dimi-
ſitq; viros,& abierunt:ipſe autem ingreſſus,ſtetit coràm domino ſuo.Et dixit Eliſeus, Vnde venis Giezi?Qui G
reſpondit,Non iuit ſeruus tuus quoquam.At ille ait,Nónne cor meum in præſenti erat, quando reuerſus eſt
homo de curru ſuo in occurſum tui?Nunc igitur accepiſti argentum,& accepiſti veſtes, vt emas oliueta & vi
neas & oues & boues & ſeruos & ancillas. Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & ſemini tuo vſq; in ſempi-
ternum.Et egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix.

SCHOLIA.

[a] Quod occaſiones quærat.] *Hoc eſt,ſtudet vt adinueniat contra me aliquid, quò occaſionem habeat præliandi.*

[b] De terra hac.] *Rogauit Naaman tantum ſibi terræ dari, vnde in terra ſua pro Veri Dei cultu extruere poſſet altare, quaſi terra ſancta eſſet:hoc ſigno ſuum erga Deum Iſrael teſtatus fidem.*

CAPVT VI.

DIxerunt autem filij prophetarum ad Eliſeum, Ecce locus,in quo habitamus corã te,anguſtus eſt no- A
bis.Eamus vſq; ad Iordanem,& tollant ſinguli de ſylua materias ſingulas,vt ædificemus nobis ibi lo-
cum ad habitandum,Qui dixit,Ite. Et ait vnus ex illis, Veni ergo & tu cũ ſeruis tuis. Reſpondit, Ego
veniam.Et abijt cũ eis.Cumq; veniſſent ad Iordanem,cædebant ligna. Accidit autem, vt cum vnus materiã
ſuccidiſſet,caderet ferrum ſecuris in aquam:exclamauitq; ille,& ait,Heu † domine mi,& hoc ipſum mutuò
acceperã.Dixit autẽ homo Dei,Vbi cecidit?At ille monſtrauit ei locũ,Præcidit ergo lignũ, & miſit illuc: na-
tauitq; ferrũ,& ait,Tolle.Qui extendit manum,& tulit illud. Rex autẽ Syriæ pugnabat contra Iſrael, cõſi- B
liũq; inijt cũ ſeruis ſuis,dicens,In loco illo & illo ponamus † caſtra.Miſit itaq; vir Dei ad regẽ, dicens, Caue
ne trãſeas in locũ illũ:quia ibi Syri in inſidijs ſunt.Miſit itaq; rex Iſrael ad locum quem dixerat ei vir Dei, &
† monuerat eũ,& obſeruauit ſe ibi nõ ſemel neq; bis. Conturbatumq; eſt cor regis Syriæ pro hac re:& cõuo
catis ſeruis ſuis,ait,Quare nõ indicatis mihi quis proditor mei ſit apud regem Iſrael? Dixitq; vnus ſeruorum
eius,Nequaquã domine mi rex,ſed Eliſeus prophera,qui eſt in Iſrael,indicat regi Iſrael omnia verba quæcũ- C
que locutus fueris in cõclaui tuo.Dixitq; eis.Ite,& videte vbi ſit,vt mittã & capiã eũ.Annũtiauerunt q̃; ei,di-
cẽtes,Ecce in Dothan.Miſit ergo illuc equos & currus,& robur exercitus:qui,cũ veniſſent nocte,circundede
runt ciuitatẽ.Cõſurgẽs autẽ diluculo miniſter viri Dei,† vt egrederetur,vidit exercitũ in circuitu ciuitatis,&
equos & currus:nuntiauitq; ei dicẽs,Heu † domine mi,quid faciemus?At ille reſpondit,Noli timere : plures
enim nobiſcũ ſunt,quàm cũ illis.Cũq; oraſſet Eliſeus, ait, Domine aperi oculos huius,vt videat. Et aperuit
Dñs oculos pueri,& vidit:& ecce mons plenus equorũ,& curruũ igneorũ [a] in circuitu Eliſei.Hoſtes verò de- D
ſcenderunt ad eum:porrò Eliſeus orauit ad Dominum,dicens,Percute obſecro gẽtem hanc cæcitate.Percuſ-
ſitq; eos Dominus,ne viderent,iuxta verbum Eliſei. Dixit autem ad eos Eliſeus,Non eſt hęc via,neq; iſta eſt
ciuitas:ſequimini me,& oſtendam vobis virum quem queritis.Duxit ergo eos in Samariam. Cumq; ingreſ-
ſi fuiſſent in Samariam, dixit Eliſeus, Domine aperi oculos iſtorum, vt videant. Aperuitq; Dominus ocu-
los eorum,& viderunt ſe eſſe in medio Samarię. Dixitq; rex Iſrael ad Eliſeum, cum vidiſſet eos, Nunquid
percutiam

E percutiam eos pater mi? Et ille ait, Non percuties: neq; enim cepiſti eos gladio,& arcu tuo,vt percutias: ſed
pone panem,& aquam coràm eis,vt comedant,& bibant,& vadant ad dominum ſuum. Appoſitaq; eſt eis
ciborum magna præparatio,& comederunt,& biberunt,& dimiſit eos,abieruntq; ad dominum ſuũ. Et vl-
trà non venerunt [b] latrones Syriæ in terram Iſrael. Factum eſt autem poſt hæc,cõgregauit Benadad rex Sy-
riæ vniuerſum exercitum ſuum,& aſcendit,& obſidebat Samariam.Factaq; eſt fames magna in Samaria: &
tandiu obſeſſa eſt,donec venundaretur caput aſini octoginta argenteis,& quarta pars cabi [c] ſtercoris colum-
F barum quinq; argenteis.Cumq; rex Iſrael tranſiret per murum,mulier quædam exclamauit ad eum, dicẽs,
Salua me domine mi rex.Qui ait † ſi non te ſaluat Dominus:vnde ego te poſſum ſaluare? de area, vel de tor-
culari? Dixitq; ad eam rex,Quid tibi vis? Quæ reſpondit,Mulier iſta dixit mihi,da filium tuum, vt comeda-
mus eum hodie,& filium meum comedemus cras.Coximus ergo filiũ meum,& comedimus: Dixiq; ei die
altera,Da filium tuum vt comedamus eum. Quæ abſcondit filium ſuum. Quod cum audiſſet rex,ſcidit veſti
menta ſua,& tranſibat per murum. Viditq; omnis populus cilicium,quo veſtitus erat rex ad carnem intrin-
G ſecus.Et ait rex, Hæc mihi faciat Deus, & hæc addat, [d] ſi ſteterit caput Eliſei filij Saphat ſuper ipſum hodie.
Eliſeus autem ſedebat in domo ſua,& ſenes ſedebant cum eo.Premiſit itaq; virum:& antequam veniret nun
tius ille,dixit ad ſenes,Nunquid ſcitis q̃ miſerit [e] filius homicidæ † huius,vt præcidatur caput meum? videte
ergo,cum venerit nuntius, claudite oſtium, & non ſinatis eum introire:ecce enim ſonitus pedũ domini eius
poſt eum eſt.Adhuc illo loquente eis, [f] apparuit nuntius,qui veniebat ad eum,& ait, Ecce,tantum malum à
Domino eſt:quid amplius expectabo à Domino?

SCHOLIA.

[a] In circuitu Eliſei.] *Cum Eliſæus fuerit intra ciuitatem, & exercitus ille igneus in montibus,quomodo circundabat Eliſeum? Reſpondent Hebræi, quòd puero videbatur, Eliſæum circundari & defendi ab exercitu illo cæleſti,vt nemo hoſtium illi nocere potuerit.* [b] Latrones Syriæ.] *Conſueuit interpres vertere latrones, vel latrunculos, pro turma & cuneo. Et quod ait,non vltra eos veniſſe in terram Iſrael,non intelligitur eos nunquam poſtea veniſſe,cum paulopoſt ſcribatur Benadad veniſſe & oppugnaſſe Samariam ipſam, ſed accipitur pro eo tempore, quo inſidias poſuerat in loco ſecreto contra regem Iſrael.* [c] Stercoris columbarum.] *Ferunt eo ſtercore,obſeſſos fouiſſe ignem,alij exponunt de eo quod in ſtruma,ſiue in glu ue columbarum euolantium inueniebatur,id enim cum nondum eſſet digeſtum,tolleb.ant homines & comedebant.* [d] Si ſte-
terit caput Eliſei.] *Videtur regem deſcribere hanc voluiſſe calamitatem Eliſeo,qui non impetrarit liberationem à Domino: ita cæca eſt mens hominum,qui Deum non ſequuntur.* [e] Filius homicidæ.] *Vocat regem filium homicidæ,quia fuit filius Achab,qui interfecit Naboth.* [f] Apparuit nuntius.] *Vt,ſcilicet tolleret caput eius ante,quàm rex veniret, ille verò coram ſenioribus ait. Non tolletis famem per hanc crudelitatem,nec Dominum vobis propitium reddetis per eiuſmodi impietatem,&c. cuius verbis ſic arius ille ad pœnitentiam commotus reſpondit, Ecce agnoſco, quòd propter peccata noſtra hoc extremum malum,& quo maius expectari non poteſt,nobis euenerit.*

CAPVT VII.

A DIxit autem Eliſeus, Audite verbum Domini, Hæc dicit Dominus. In tempore hoc cras modius ſi-
milæ vno ſtatere erit, & duo modij hordei ſtatere vno in porta Samariæ. Reſpondens vnus de du-
cibus, [a] ſuper cuius manum rex incumbebat, homini Dei ait, Si Dominus fecerit etiam [b] catara-
ctas in cœlo,nunquid poterit eſſe quod loqueris? Qui ait, Videbis oculis tuis, & inde non comedes. Qua-
tuor ergo viri erant leproſi iuxta introitum portæ: qui dixerunt adinuicem, Quid hic eſſe volumus donec
B moriamur? Siue ingredi voluerimus ciuitatem, fame moriemur: ſiue manſerimus hic, moriendum nobis
eſt: venite ergo,& transfugiamus ad caſtra Syriæ: ſi pepercerint nobis, viuemus: ſi autem occidere volue-
rint, nihilominus moriemur. Surrexerunt ergo veſperi, vt venirent ad caſtra Syriæ. Cumq; veniſſent ad
principium caſtrorum Syriæ,nullum ibidem repererunt. Siquidem Dominus ſonitum audiri fecerat in ca-
C ſtris Syriæ,curruum,& equorum,& exercitus plurimi: dixeruntq; adinuicem, Ecce mercede conduxit ad-
uerſum nos rex Iſrael reges Hethæorum,& Ægyptiorum,& venerunt ſuper nos. Surrexerunt ergo, & fuge-
runt in tenebris,& dereliquerunt tentoria ſua, & [c] equos & aſinos † & caſtra ipſa, vt erant,fugeruntq;: ani-
mas tantum ſuas ſaluare cupientes. Igitur cum veniſſent leproſi illi ad principium caſtrorum, ingreſſi ſunt
D vnum tabernaculum,& comederunt & biberunt:tulerũtq; inde argentum,& aurum,& veſtes, & abierunt,
& abſconderunt,& rurſum reuerſi ſunt ad aliud tabernaculum,& inde ſimiliter auferentes abſconderũt. Di-
xeruntq; adinuicem,Non rectè facimus:hæc enim dies boni nuntij eſt.Si tacuerimus, & noluerimus nuntia
re vſq; mane,ſceleris arguemur:venite,eamus,& nuntiemus in aula regis. Cumq; veniſſent † clamauerũt ad
ianitorem ciuitatis,& nuntiauerunt eis,dicentes,Iuimus ad caſtra Syriæ, & nullum ibidem reperimus homi
E nem † nec audiuimus, niſi equos,& aſinos alligatos,& fixa tentoria. † Clamauit itaq; [d] ianitor ad portarios,
& illi nuntiauerunt in palatio regis intrinſecus.Qui ſurrexit nocte,& ait ad ſeruos ſuos,Dico vobis quid fece
rint nobis Syri,Sciunt quòd fame laboramus,& idcircò egreſsi ſunt de caſtris,& latitant in agris,dicẽtes, Cũ
egreſsi fuerint de ciuitate,capiemus eos viuos,& tunc ciuitatẽ ingredi poterimus. Reſpondit autem vnus ſer
uorum eius,Tollamus quinq; equos, qui remanſerunt in vrbe, [e] quia ipſi tantum ſunt in vniuerſa multitu-
F dine Iſrael,alij enim conſumpti ſunt,& mittentes,explorare poterimus. Adduxerunt ergo duos equos † cur
ruum, miſitq; rex in caſtra Syrorum,dicens,Ite,& videte. Qui abierunt poſt eos vſq; ad Iordanem.Ecce au-
tem omnis via plena erat veſtibus,& vaſis,quę proiecerant Syri cũ turbarentur:reuerſiq; nuntij indicauerũt
regi.Et egreſſus populus diripuit caſtra Syrię:factusq; eſt modius ſimilæ ſtatere vno,& duo modij hordei ſta
G tere vno iuxta verbũ Domini. Porrò rex ducem illum, in cuius manu incumbebat, conſtituit ad portam:
quẽ conculcauit turba in introitu portæ, & mortuus eſt, iuxta quod locutus fuerat vir Dei, quando deſcen-
derat rex ad eum.Factumq; eſt ſecundũ ſermonem viri Dei,quẽ dixerat regi,quando ait, Duo modij hordei
ſtatere

ſtatere vno erunt,& modius ſimilæ ſtatere vno, hoc eodem tempore cras in porta Samariæ:quando reſpon- G
derat dux ille viro Dei,& dixerat,Etiam ſi Dominus fecerit cataractas in cœlo, nũquid poterit fieri quod lo-
queris? Et dixit ei,Videbis oculis tuis,& inde non comedes.Euenit ergo ei ſicut prædictum erat, & concul-
cauit eum populus in porta,& mortuus eſt.

SCHOLIA.

[a] Super cuius manu rex incumbebat.] *Quando ſcilicet per viam gradiebatur.* [b] Cataractas in cœlo.] *Si Dominus,inquit,aperiret cœlos,& effunderet triticum & hordeum,ſicut olim effudit manna de cœlis,id fieri non poſſet.* [c] Equos & aſinos alligatos.] *Subaudiendum ad præſepe,tantum enim metum immiſit Dominus Syris illis, vt non auſi fuerint moram facere,quousque ſellas & frenos equis imponerent.* [d] Ianitor ad portarios.] *Ianitor ciuitatis indicant ianitoribus qui præerãt palatio regio.* [e] Quia ipſi tantum.] *Alius vertit.En ipſi ſunt ſicut vniuerſa multitudo Iſrael, qui relicti ſunt in ea:vt ſit ſenſus. Equi illi,qui ſuperſtites manſerunt,ſunt macie & inedia confecti, ſicut & populus ipſe, vt non ſit magnum damnum,ſi eos perdamus,modo rei veritatem inueſtigemus,& quod ſequitur duos currium equos ſenſus eſt,acceperunt duos equos,qui curribus trahendis aſſueti erant.*

CAPVT VIII.

ELiſeus autem locutus eſt ad mulierem cuius viuere fecerat filium,dicẽs,Surge,& vade,tu & domus tua, A
& peregrinare vbicunq; repereris:vocauit enim Dominus famem, & veniet ſuper terram ſeptem an-
nis. Quæ ſurrexit, & fecit iuxta verbum hominis Dei: & vadens cum domo ſua, peregrinata eſt in
terra Philiſthijm diebus multis. Cumq; finiti eſſent anni ſeptem, reuerſa eſt mulier de terra Philiſthijm:&
egreſſa eſt vt interpellaret regem pro domo ſua & pro agris ſuis. Rex autem loquebatur cum Giezi puero
viri Dei,dicens,Narra mihi omnia magnalia quæ fecit Eliſeus. Cumque ille narraſſet regi quomodo mor-
tuum ſuſcitaſſet, apparuit mulier cuius viuificauerat filium, clamans ad regem pro domo ſua, & pro agris B
ſuis:dixitq; Giezi,Domine mi rex,hæc eſt mulier[1], & hic eſt filius eius quem ſuſcitauit Eliſeus. Et interro-
gauit rex mulierem : quæ narrauit ei. Deditq; ei rex eunuchum vnum, dicens, Reſtitue ei omnia quæ ſua
ſunt,& vniuerſos redditus agrorum à die qua reliquit terram, vſque ad præſens. Venit quoque Eliſeus Da-
maſcum,& Benadad rex Syriæ ægrotabat: nuntiauerunt̃q; ei,dicentes,Venit vir Dei huc. Et ait rex ad Ha-
zael.Tolle tecum munera,& vade in occurſum viri Dei, & conſule Dominum per eum, dicens, Si euadere C
potero de infirmitate mea hac? Iuit igitur Hazael in occurſum eius, habens ſecum munera, & omnia bo-
na Damaſci: onera quadraginta camelorum.Cumque ſtetiſſet coràm eo,ait, Filius tuus Benadad rex Syriæ,
miſit me ad te,dicens,Si ſanari potero de infirmitate mea hac? Dixitq; ei Eliſeus : Vade, dic ei, [a] Sanaberis:
porrò oſtendit mihi Dominus quòd morietur.† Auertitque faciem ſuam, & conturbatus eſt vſq; ad D
ſuffuſionem vultus,fleuitque vir Dei. Cui Hazael ait. Quare Dominus meus flet? At ille dixit, Quia ſcio
quæ facturus ſis filijs Iſrael mala, ciuitates eorum munitas igne ſuccendes, & iuuenes eorum interficies gla-
dio,& paruulos eorum elides,& prægnantes diuides. Dixitq; Hazael, Quid enim ſum ſeruus tuus canis, vt
faciam rem iſtam magnam? Et ait Eliſeus, Oſtendit mihi Dominus te regem Syriæ fore. Qui cum recef-
ſiſſet ab Eliſeo, venit ad Dominum ſuum : qui ait ei, Quid dixit tibi Eliſeus? At ille reſpondit, Dixit mihi,
Recipies ſanitatem.Cumque veniſſet dies altera,[b] tulit ſtragulum,& infudit aquam, & expandit ſuper faciẽ
eius : quo mortuo regnauit Hazael pro eo. Anno quinto Ioram filij Achab regis Iſrael † & Ioſaphat regis E
Iuda regnauit Ioram filius Ioſaphat rex Iuda. Triginta duorum annorum erat cum regnare cœpiſſet,& octo
annis regnauit in Ieruſalem.Ambulauitq; in vijs regum Iſrael,ſicut ambulauerat domus Achab : filia enim
Achab erat vxor eius:& fecit quod malum eſt in conſpectu Domini.Noluit autem Dominus diſperdere Iu-
2.Reg.7.b dam propter Dauid ſeruum ſuum,ſicut promiſerat ei,vt daret illi lucernam † de filijs eius cunctis diebus.In
diebus eius receſsit Edom,ne eſſet ſub Iuda,& conſtituit ſibi regem. Venitque Ioram Seira, & omnis currus F
cum eo:& ſurrexit nocte,percuſsitque Idumæos qui eum circundederãt,& principes curruum, populus au-
tem fugit in tabernacula ſua. Receſsit ergo Edom,ne eſſet ſub Iuda,vſque ad diẽ hanc. Tunc receſsit & Lob-
na in tempore illo. Reliqua autem ſermonum Iorã, & vniuerſa quæ fecit, nónne hæc ſcripta ſunt in libro
verborum dierum regum Iudæ?Et dormiuit Ioram cum patribus ſuis,ſepultusq; eſt cum eis in ciuitate Da-
uid,& regnauit Ochozias filius eius pro eo. Anno duodecimo Iorã filij Achab regis Iſrael regnauit Ocho-
zias filius Ioram regis Iudę. Vigintiduorum annorum erat Ochozias,cum regnare cœpiſſet,& vno anno re- G
gnauit in Ieruſalem:nomen matris eius Athalia filia Amri regis Iſrael. Et ambulauit in vijs domus Achab:
& fecit quod malum eſt coràm Domino,ſicut domus Achab:gener enim domus Achab fuit. Abijt quoque
cum Ioram filio Achab,ad præliandum contra Hazael regem Syriæ in Ramoth Galaad, & vulneraverunt
Syri Ioram:qui reuerſus eſt, vt curaretur in Iezrahel: quia vulneraverant eum Syri in Ramoth præliantem
contra Hazahel regem Syriæ.Porrò Ochozias filius Ioram rex Iuda, deſcẽdit inuiſere Ioram filium Achab
in Iezrael,quia ægrotabat ibi.

SCHOLIA.

[a] Sanaberis.] *Quomodo dicit illum victurum,quando mox addit illum moriturum? Reſpondent, quòd ab illa quidem infirmitate conualuiſſet,cum illa non eſſet mortalis,ſi violenta morte non fuiſſet peremptus. Sed prophetæ videns quod futurum erat,illico ſubiecit,oſtẽdit mihi Dominus quòd moriturus ſit. Alius ait etiam infirmitatem illam fuiſſe ad mortem,ſed noluiſſe prophetam,vt Hazael id illi indicaret,ne diceretur illum metu mortis exanimatum,& cauſa mortis eius prophetæ imputaretur. Et tunc erit ſenſus. Dicere quidem illi poteris:vt bono ſit animo,quòdque adhuc diutius victurus ſit,at Dominus oſtendit mihi eũ moriturum.* [b] Tulit ſtragulum.] *Laborabat rex æſtu intolerabili, atque ideo petebat adhiberi ſibi ſuæ refrigerium aquæ frigidæ: quod cum Hazael imprudenter egiſſet,intincto panno rudi in aqua frigida,interemit dominum ſuum,non quidem volens,vt aliqui eum excuſant.*

Caput

CAPVT IX.

A ELiſæus autẽ prophetes vocauit vnum de filijs prophetarum,& ait illi,Accinge lumbos tuos,& tolle len- 3. Re 19.c
ticulam olei hanc in manu tua,& vade in Ramoth Galaad. Cũq; veneris illuc,videbis Iehu filium Io-
ſaphat filij Namſi:& ingreſſus ſuſcitabis eum de medio fratrum ſuorum, & introduces in interius cubi
culum.Tenensq; lenticulam olei,fundes ſuper caput eius,& dices,Hæc dicit Dominus,Vnxi te regem ſuper
Iſrael.Aperiesq; oſtium,& fugies,& nõ ibi ſubſiſtes.Abijt ergo adoleſcẽs puer prophetę in Ramoth Galaad,
& ingreſſus eſt illuc: ecce autem principes exercitus ſedebant,& ait: Verbum mihi ad te ò princeps. Dixitq; 3. Re. 21.f
Iehu,Ad quem ex omnibus nobis? At ille dixit,Ad te ò princeps.Et ſurrexit,& ingreſſus eſt cubiculum:at il-
B le fudit oleum ſuper caput eius,& ait,Hæc dicit Dominus Deus Iſrael,Vnxi te regem ſuper populum Domi 3.Re. 15.g
ni Iſrael, & percuties domum Achab Domini tui: & vlciſcar ſanguinem ſeruorum meorum prophetarum,
& ſanguinem omnium ſeruorum Domini,de manu Iezabel.Perdamq; omnẽ domum Achab : & interficiã 3.Re. 16.a
de domo Achab mingentẽ ad parietem,& clauſum,& nouiſſimum in Iſrael. Et dabo domum Achab, ſicut
domum Ieroboam filij Nabath,& ſicut domum Baaſa filij Ahia.Iezabel quoq; comedent canes in agro Iez-
rael,nec erit qui ſepeliat eam.Aperuitq; oſtium & fugit. Iehu autẽ egreſſus eſt ad ſeruos domini ſui, qui di-
xerunt ei,Recténe ſunt omnia? quid venit [a] inſanus iſte ad te? Qui ait eis, Noſtis hominẽ,& quid locutus ſit?
C At illi reſponderunt,Falſum eſt,ſed magis narra nobis. Qui ait eis,Hęc & hæc locutus eſt mihi:& ait,Hęc di-
cit Dominus,Vnxi te regem ſuper Iſrael. Feſtinauerunt itaq;, & vnuſquiſq; tollens pallium ſuum poſuerũt
ſub pedibus eius,in ſimilitudine tribunalis,& cecinerunt tuba,atq; dixerunt.Regnabit Iehu. Coniurauit er-
go Iehu filius Ioſaphat filij Namſi contra Ioram. Porrò Ioram [b] cuſtodiebat Ramoth Galaad,ipſe & omnis
Iſrael contra Hazael regẽ Syriæ,& reuerſus fuerat,vt curaretur in Iezrael,propter vulnera,quia percuſſerant
eum Syri,præliantem contra Hazael regẽ Syriæ. Dixitq; Iehu,Si placet vobis, nemo egrediatur profugus de Supra 8.g
ciuitate,ne vadat, & nuntiet in Iezrael. Et aſcendit,& profectus eſt in Iezrael:Ioram enim ęgrotabat ibi, &
D Ochozias rex Iuda deſcenderat ad viſitandum Ioram.Igitur ſpeculator,qui ſtabat ſuper turrim Iezrael, vidit Supr. 8.g
globum Iehu venientis,& ait,Video ego globum.Dixitq; Ioram,Tolle † equitatũ, et mitte in occurſum eo-
rũ,& dicat vadẽs,Recténe ſunt omnia? Abijt ergo † eques,in occurſum eius,& ait,Hæc dixit rex, Pacatáne
ſunt omnia?Dixitq; Iehu,Quid tibi & paci?tranſi,& ſequere me. Nuntiauit quoq; ſpeculator,dicens, Venit
nuntius ad eos,& nõ reuertitur. Miſit etiã currum equorũ ſecundũ:venitq; ad eos,& ait, Hæc dixit rex,Nũ-
quid pax eſt?Et ait Iehu,Quid tibi & paci? tranſi & ſequere me.Nuntiauit autẽ ſpeculator,dicens, Venit vſq;
ad eos,& nõ reuertitur:Eſt autẽ inceſſus quaſi inceſſus Iehu filij Namſi, pręceps enim graditur. Et ait Ioram,
E Iunge currum.Iunxitq; currũ eius:& egreſſus eſt Ioram rex Iſrael,& Ochozias rex Iuda, ſinguli in curribus
ſuis,egreſsiq; ſunt in occurſum Iehu,et [c] inuenerunt eũ in agro Naboth Iezrahelitę. Cumq; vidiſſet Ioram
Iehu,dixit, Pax eſt Iehu? At ille reſpondit,Quę pax?adhuc fornicationes Iezabel matris tuę,et veneficia eius
multa vigent.Cõuertit autẽ Ioram manum ſuam,et fugiens ait ad Ochoziam,Inſidiæ Ochozia. Porrò Iehu
tetendit arcũ manu,et percuſsit Ioram inter ſcapulas:et egreſſa eſt ſagitta per cor eius,ſtatimq; corruit in cur
ru ſuo. Dixitq; Iehu ad Badacer ducem,Tolle,proijce eum in agro Naboth Iezrahelitæ:memini enim quã-
do ego, et tu ſedẽtes in curru ſequebamur Achab patrem huius,quòd Dominus onus hoc leuauerit ſuper eũ,
F dicens, Si non pro ſanguine Naboth, et [d] pro ſanguine filiorum eius,quem vidi heri, ait Dominus, reddam 3. Re.21.f
tibi in agro iſto,dicit Dominus.Nunc ergo tolle, et proijce eum in agro iuxta verbum Domini. Ochozias
autem rex Iuda videns hoc,fugit per viam domus horti: perſecutusq; eſt eum Iehu,et ait, Etiam hunc percu-
tite in curru ſuo. Et percuſſerũt eum in aſcenſu Gur qui eſt iuxta Ieblaam:qui fugit in Mageddo, et mortuus
eſt ibi. Et impoſuerunt eum ſerui eius ſuper currum ſuum, & tulerunt in Ieruſalem : ſepelieruntq; eum in
ſepulchro cum patribus ſuis in ciuitate Dauid. Anno vndecimo Ioram filij Achab regis Iſrael, regnauit
Ochozias ſuper Iudam,venitq; Iehu in Iezrael..Porrò Iezabel introitu eius audito, [e] depinxit oculos ſuos ſti
bio et ornauit caput ſuum,et reſpexit per feneſtram ingredientem Iehu per portam,et ait, Nunquid pax po-
G teſt eſſe Zambri,qui interfecit dominum ſuum?Leuauitq; Iehu faciem ſuam ad feneſtram, et ait, [f] † Quis eſt 3.Re. 16.e
apud mẽ?et aſpexerunt ad eum duo vel tres eunuchi. At ille dixit eis,Præcipitate eam deorſum. Et præcipita-
uerunt eam,aſperſuſq; eſt ſanguine paries † et equi [g] et conculcauit eam. Cumq; introgreſſus eſſet,vt come-
deret,biberetq;,ait,Ite,et videte maledictam illam,et ſepelite eam: quia filia regis eſt. Cumq; iſſent, vt ſepe- 3. Re. 21.f
lirent eam,nõ inuenerunt niſi caluariam,et pedes,et ſummas manus. Reuerſiq; nuntiauerunt ei. Et ait Iehu,
Sermo Domini eſt,quem locutus eſt per ſeruum ſuum Eliam Thesbiten, dicens, In agro Iezrael comedent
canes carnes Iezabel: & erunt carnes Iezabel, ſicut ſtercus ſuper faciem terræ in agro Iezrael, † vt nemo di-
cat hæc fuit Iezabel.

SCHOLIA.

[a] Inſanus iſte.] *Vel furioſus iſte.Vocantur prophetæ à malis furioſi & amentes,quòd nonnunquam deſtituerentur omni ſenſu, neſcientes quid circa ipſos extra fieret.* [b] Cuſtodiebat Ramoth.] *Hoc eſt defendebat eam contra regem Syriæ, etiam ſi corpore non eſſet præſens, cum propter vulnera curanda ſeceſsiſſet in Iezrael.* [c] Inuenerunt eum in agro Naboth.] *Vt in eo agro iuxta prophetæ vaticinium occideretur.* [d] Pro ſanguine filiorum eius.] *Hoc quidam dictum putant, de filijs eius ſecum lapidatis,alij de filijs nondum ab eo natis, ſed qui geniti fuiſſent, ſi diutius vixiſſet.* [e] Depinxit oculos.] *Adhibuit fucum mulier illa deteſtabilis faciei ſuæ,non vt acceptior eſſet Iehu,caperetq; ipſum oculis ſuis,ſed vt grauitatem regiam præ ſe ferret,& illum à ſuo conatu deterreret: vnde & ſuperbo animo locuta eſt ad illum. Neſcis quòd non bene ceſſerit Zambri, qui percuſſit Baana dominum ſuum,ſicut & tu tuum interfeciſti?* [f] Quis eſt apud me:] *In Hebræo eſt, quis & quis eſt mecum? quis ſcilicet mihi ſit auxilio.* [g] Et conculcauit eam.] *Intelligendum eſt de Iehu,qui cum equo ſuo illam conculcauit.*

CAPVT X.

ERāt autē Achab ſeptuaginta filij in Samaria:ſcripſit ergo Iehu literas, & miſit in Samariā,ad † principes Iezrael,& ad maiores natu,& ad nutritios Achab,dicens, Statim vt acceperitis literas has,qui habetis filios domini veſtri,& currus & equos,& ciuitatem † munitam,& arma eligite meliorem:& eū qui vobis placuerit de filijs domini veſtri,& eum ponite ſuper ſolium patris ſui, & [a] pugnate pro domo domini veſtri. Timuerunt illi vehementer,& dixerunt, Ecce duo reges non potuerunt ſtare coràm eo, & quomodo nos valebimus reſiſtere? Miſerunt ergo prepoſiti domus,& prefecti ciuitatis,& maiores natu, & nutritij, ad Iehu,dicentes,Serui tui ſumus.quæcunq; iuſſeris faciemus,nec conſtituemus nobis regem : quæcunque tibi placent,fac.Reſcripſit autem eis literas ſecundò,dicens,Si mei eſtis,& obeditis mihi, tollite capita filiorum domini veſtri,& venite ad me hac eadem horas cras in Iezrael. Porrò filij regis ſeptuaginta viri apud optimates ciuitatis nutriebantur. Cumq; veniſſent literæ ad eos tulerunt filios regis,& occiderunt ſeptuaginta viros,& poſuerunt capita eorū in cophinis,& miſerunt ad eum in Iezrael. Venit autem nuntius, & indicauit ei dicens, Attulerunt capita filiorum regis. Qui reſpondit, Ponite ea ad duos aceruos iuxta introitum portæ vſque mane. Cumq; diluxiſſet egreſſus eſt, & ſtans dixit ad omnem populum, Iuſti eſtis [b] ſi ego coniuraui contra dominum meū,& interfeci eum,quis percuſſit omnes hos? Videte ergo nunc q̄ nō cecidit de ſermonibus Dñi in terram,quos locutus eſt Dñs ſuper domum Achab,& Dominus fecit quod locutus eſt in manu ſerui ſui Elię. Percuſſit igitur Iehu omnes qui reliqui erant de domo Achab in Iezrael, & vniuerſos optimates eius & notos & ſacerdotes,donec non remanerēt ex eo reliquię. Et ſurrexit,& venit in Samariam: Cumq; veniſſet ad cameram paſtorum,in via inuenit fratres Ochoziæ regis Iuda, dixitq; ad eos, Quinam eſtis vos? Qui reſponderunt, Fratres Ochoziæ regis ſumus, & deſcendimus ad ſalutandos filios regis, & filios reginę. Qui ait, Cōprehendite eos viuos. Quos cū cōprehendiſſent viuos, iugulauerunt eos in ciſterna iuxta cameram,quadraginta duos viros,& non reliquit ex eis quēquam. Cūq; abijſſet inde inuenit Ionadab filiū Rechab in occurſum ſibi,& [c] benedixit ei,& ait Iehu ad eum, Nunquid eſt cor tuū rectū cū corde meo, ſicut cor meum cū corde tuo? Et ait Ionadab, Eſt † Eſt, Si eſt, inquit:da mihi manum tuam. Qui dedit ei manum ſuam. At ille leuauit eū ad ſe in currum, dixitq; ad eū, Veni mecū,& vide zelum meū pro Domino. Et impoſitum currui ſuo,duxit in Samariam. Et percuſſit omnes qui reliqui fuerant de Achab in Samaria, † donec deleret eum iuxta verbum Dñi quod locutus eſt † ad Eliam. Congregauit ergo Iehu omnem populum, & dixit ad eos, Achab coluit Baal parū,ego autē colam eum amplius. Nūc igitur omnes prophetas Baal,& vniuerſos ſeruos eius,& cunctos ſacerdotes ipſius vocate ad me:nullus ſit qui nō veniat, ſacrificium enim grāde eſt mihi Baal:quicunq; defuerit,non viuet. Porrò Iehu faciebat hoc inſidioſè,vt diſperderet cultores Baal, & dixit,Sanctificate diem ſolennem Baal. Vocauitq;,& miſit in vniuerſos terminos Iſrael, & venerunt cuncti ſerui Baal:non fuit reſiduus ne vnus quidem qui non veniret. Et ingreſſi ſunt tēplum Baal : & repleta eſt domus Baal, à ſummo vſque ad ſummum. Dixitque his qui præerant ſuper veſtes, Proferte veſtimenta vniuerſis ſeruis Baal. Et protulerunt eis veſtes:ingreſſuſq; Iehu,& Ionadab filius Rechab templum Baal,ait cultoribus Baal,Perquirite,& videte ne quis fortè vobiſcum ſit de ſeruis Domini,ſed vt ſint ſerui Baal ſoli. Ingreſſi ſunt igitur vt facerent victimas & holocauſta:Iehu autem præparauerat ſibi foris octoginta viros, & dixerat eis. Quicunque fugerit de hominibus his quos ego adduxero in manus veſtras, anima eius erit pro anima illius. Factum eſt autem:cum completum eſſet holocauſtum,præcepit Iehu militibus & ducibus ſuis, Ingredimini,& percutite eos,nullus euadat. Percuſſeruntq; eos in ore gladij,& proiecerunt milites & duces: & ierunt in ciuitatem templi Baal,& protulerunt ſtatuas de phano Baal,& combuſſerunt,& cōminuerunt † eas. Confregerunt quoq; ſtatuam Baal,& diruerunt domum Baal, & fecerunt pro ea latrinas vſq; in diem hanc.

Deleuit itaq; Iehu Baal de Iſrael:veruntamē à peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Iſrael,nō receſſit,nec dereliquit vitulos aureos qui erant in Bethel & in Dan. Dixit autem Dominus ad Iehu, Quia ſtudioſè egiſti quod rectum erat & placebat in oculis meis,& omnia, quæ erant in corde meo feciſti contra domum Achab:filij tui vſq; ad quartam generationem ſedebunt ſuper thronum Iſrael. Porrò Iehu non cuſtodiuit vt ambularet in lege Domini Dei Iſrael in toto corde ſuo:non enim receſſit à peccatis Ieroboam qui peccare fecerat Iſrael. In diebus illis cœpit Dominus † excidere Iſraelem: percuſſitq; eos Hazael in vniuerſis finibus Iſrael,à Iordane contra orientalem plagam,omnem terram Galaad & Gad & Ruben & Manaſſe, ab Aroer † vſq; ad torrentem Arnon, Galaad & Baſan. Reliqua autem verborum Iehu,& vniuerſa quæ fecit, & fortitudo eius,nonne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Iſrael? Et dormiuit Iehu cum patribus ſuis, ſepelieruntq; eum in Samaria:& regnauit Ioachaz filius eius pro eo. Dies autem quos regnauit Iehu ſuper Iſrael,viginti & octo anni ſunt in Samaria.

3.Re. 21.g

Infra 15. c

3. Re.16.g

SCHOLIA.

[a] Pugnate pro domo domini veſtri.] *Hoc ſerio non dixit,ſed voluit tentare eos,num & ipſi eum pro domino habere vellent,quod illi facilè aduerterunt.* [b] Ego coniurauī. *Quaſi dicat,ex facto meo poteritis diſcere, nos in hoc rectè agere, quòd domum Achab extirpamus,cum impleamus ſermonem Domini,& illum in omnibus cooperatorem habeamus.*

[c] Benedixit ei.] *Imprecatus eſt ei pacem,vel ſalutauit eum.*

CAPVT XI.

AThalia verò mater Ochoziæ, videns mortuum filium ſuum, ſurrexit, & interfecit omne ſemen regium. Tollens autem Ioſaba filia regis Ioram, ſoror Ochoziæ,Ioas filium Ochoziæ,furata eſt eum de medio filiorum regis qui interficiebantur, & nutricem eius de triclinio : & abſcondit eum à facie Athaliæ,vt non interficeretur. Eratq; cum ea ſex annis clam in domo Domini:porrò Athalia regnauit ſuper terram. Anno autem ſeptimo miſit Ioiada,& aſſumens centuriones, † duces ſatellites introduxit ad ſe in

2.Par.22.d

ſe in templum Dñi,pepigitq; cum eis fœdus:& adiurans eos in domo Dñi,oſtendit eis filiū regis & precepit illis,dicens, Iſte eſt ſermo,quem facere debetis. Tertia pars veſtrum [a] introeat ſabbato, & obſeruet excubias domus regis. Tertia autem pars ſit ad portam Sur:& tertia pars ſit ad portā quæ eſt poſt † ſatellites : & cuſtodietis excubias domus Meſſa. Duæ verò partes è vobis omnes egrediētes ſabbato cuſtodiant excubias domus Domini circa regem. Et vallabitis eum, habētes arma in manibus veſtris:ſi quis autem ingreſſus fuerit ſeptū templi : interficiatur : eritisq; cum rege introeunte,& egrediente. Et fecerunt centuriones iuxta omnia quæ præceperat eis Ioiada ſacerdos:& aſſumentes ſinguli viros ſuos, qui ingrediebātur ad ſabbatum cum his qui egrdiebantur è ſabbato,venerunt ad Ioiadam ſacerdotem. Qui dedit eis haſtas,& arma regis Dauid,quæ erāt in domo Dñi. Et ſteterunt ſinguli habentes arma in manu ſua à parte templi dextera,vſq; ad partē ſiniſtram altaris,& ædis circum regem. Produxitq; filium regis,& poſuit ſuper eū diadema & [b] teſtimoniū:feceruntq; eum regem,& vnxerunt,& plaudētes manu,dixerūt, Viuat rex. Audiuit autem Athalia vocem populi currentis:& ingreſſa ad turbas in templum Dñi,vidit regē ſtantem † prope columnā iuxta morem, & cantores & tubas prope eum,omnemq; populū terrę lętantem,& canentē tubis:& ſcidit veſtimenta ſua,clamauitq;, Coniuratio,coniuratio. Præcepit autem Ioiada ſacerdos centurionibus qui erant ſuper exercitum, & ait eis, Educite eam extra ſepta templi,& quicunq; eam ſecutus fuerit,feriatur gladio. Dixerat enim ſacerdos,Non occidatur in templo Domini. Impoſueruntq; ei manus, † donec venit in viam,per quā equi ingrediebantur in domū regis & interfecta eſt ibi. Pepigit ergo Ioiada fœdus inter Dñm & regē, & inter populum, vt eſſet populus Dñi,& inter regē & populum. Ingreſſusq; eſt omnis populus terræ templum Baal, & deſtruxerunt † illud & aras eius,& imagines contriuerunt valdè : Mathan quoq; ſacerdotem Baal occiderunt † ante aras. Et poſuit ſacerdos cuſtodias in domo Domini,tulitq; cēturiones,& † duces,& ſatellites legiones, & omnem populum terræ,deduxeruntq; regem de domo Dñi:& venerūt per viam portæ ſcutariorum in palatium, & ſedit ſuper thronum regum. Lætatusq; eſt omnis populus terræ,& ciuitas conquieuit. Athalia autem occiſa eſt gladio in domo regis. Septemq; annorum erat Ioas,cum regnare cœpiſſet.

SCHOLIA.

[a] Introeat ſabbato.] *Deputati fuerant per Dauid quatuor millia Leuitarum : qui eſſent portarij & cuſtodes templi, atque quatuor millia qui cantarent, & pſallerent in templo, non quidem ſimul,ſed erat ordo inter eos,vt cum quidam per hebdomadam in templo miniſtraſſent,illis domum abeuntibus,alij in eorum ſuccederēt locum. Vnde vt negocium iſtud, quod Ioiada moliebatur,ſine ſuſpicione ageretur,aſſumpſit pro cuſtodibus tam illos, quorū hebdomadarum officium iam erat completum,quàm eos,qui iam miniſtraturi accedebant.* [b] Teſtimonium.] *Hoc eſt,tradidit ei cum corona regia legem Dei: vt illius nunquam obliuiſceretur.*

CAPVT XII.

ANno ſeptimo Iehu regnauit Ioas:quadraginta annis regnauit in Ieruſalē:nomē matris eius Sebia de Berſabee. Fecitq; Ioas rectū coràm Dño cunctis diebus quibus docuit eū Ioiada ſacerdos. Verūtamē excelſa nō abſtulit:adhuc enim populus immolabat,& adolebat in excelſis incēſum. Dixitq; Ioas ad ſacerdotes,[a] Oēm pecuniam ſanctorū,quæ illata fuerat in templum Dñi à prætereuntibus, quæ offertur pro prerio animę,& quā ſponte & arbitrio cordis ſui inferūt in templum Dñi:accipiant illā ſacerdotes † à notis ſuis,& inſtaurent [b] ſartatecta domus,ſi quid neceſſariū viderint inſtauratione. Igitur vſq; ad viceſimūtertiū annum regis Ioas,nō inſtauraverunt ſacerdotes ſartatecta tēpli. Vocauitq; rex Ioas Ioiadā pontificem & ſacerdotes, dicens eis, Quare ſartatecta non inſtauratis tēpli? nolite ergo amplius accipere pecuniā † à notis veſtris,niſi pro inſtauratione tēpli dederitis eā. Prohibitiq; ſunt ſacerdotes vltrà accipere pecuniam à populo,& inſtaurare ſartatecta domus. Et tulit Ioiada pontifex gazophylacium vnū, aperuitq; foramen déſuper, & poſuit illud iuxta altare ad dexterā ingredientiū domum Dñi, mittebantq; in eo ſacerdotes qui cuſtodiebant oſtia,oēm pecuniam quæ deferebatur ad tēplum Dñi. Cumq; viderent nimiā pecuniam eſſe in gazophilatio,aſcēdebat ſcriba regis & pontifex,effundebantq;, & numerabant pecuniā quæ inueniebatur in domo Dñi:& dabant eam iuxta numerū atq; menſuram in manu eorū qui præerant cæmentarijs domus Dñi: qui impendebant eā in fabris lignorū,& in cæmentarijs ijs qui operabātur in domo Dñi,& ſartatecta faciebant:& in ijs qui cędebant ſaxa,& vt emerent ligna & lapides qui excidebātur : ita vt impleretur inſtauratio domus Dñi in vniuerſis quę indigebant expenſa ad muniendā domum. Veruntamen non fiebant ex eadem pecunia [c] hydriæ templi Dñi,& fuſcinulæ & thuribula & tubæ,& omne vas aureum & argenteum, de pecunia quæ inferebatur in templum Dñi. Iis enim,qui faciebant opus,dabatur,vt inſtauraretur templum Dñi: & non fiebat ratio his hominibus qui accipiebāt pecuniam vt diſtribuerent eam artificibus, ſed in fide tractabant eam. Pecuniam verò pro delicto,& pecuniam pro peccatis,nō inferebant in templum Dñi, quia ſacerdotum erat. Tūc aſcendit Hazael rex Syrię,& pugnabat contra Geth,cœpitq; eam:& direxit faciē ſuam vt aſcenderet in Ieruſalem. Quam ob rem tulit Ioas rex Iuda omnia ſanctificata,quæ cōſecrauerat Ioſaphat, & Ioram,& Ochozias patres eius reges Iuda,& quæ ipſe obtulerat : & vniuerſum aurū quod inueniri potuit in theſauris templi Domini,& in palatio regis:miſitq; Hazaeli regi Syrię,& receſſit ab Ieruſalem. Reliqua autem ſermonum Ioas,& vniuerſa quę fecit, nónne hæc ſcripta ſunt in libro verborum dierum regum Iuda? Surrexerunt autem ſerui eius,& coniurauerunt inter ſe,percuſſeruntq; Ioas [d] in domo Mello in deſcēſu Sella. Iozachar nanq; filius Semaath,& Iozabad filius Somer ſerui eius, percuſſerunt eum & mortuus eſt : & ſepelierunt eum cum patribus ſuis in ciuitate Dauid,regnauitq; Amaſias filius eius pro eo.

SCHOLIA.

[a] Omnem pecuniam ſanctorum.] *Vel ſanctificatorum, et vocantur ſanctificata,quæ ex populo leuabantur pro domo Domini,aut quæ liberè offerebātur. Leuatio erat,vt à qualibet perſona dimidius daretur ſiclus. Facit autem textus mē-*

tionem de triplici pecunia: prima erat quæ per cõtributionem colligebatur, altera quæ ob æstimationem animarum dabatur, vt, si quis personam suam Domino vouisset, per æstimationem sacerdotis pecunia se redimebat: tertia quæ sponte à deuotis personis dabatur. b Sarta tecta.] *Vel fracturas domus, nam propriè sarta tecta vocabantur publica opera, quæ locabantur, vt integra tecta præstarentur, nam sarcire est in integrum facere: hoc explicatius in Paralip. dictum est, vt instaurent, inquit, templum, & infirma quæq; sarciant. Vnde sartum tectum habere est, integrum, & incorruptum seruare. Steterat autẽ iam domus Domini per centum quinquaginta quinq; annos, & in multis locis erat ruinosa, nec sacerdotes volebãt inchoare opus, donec pecunia sufficiens colligeretur. Et cum interim multi laberentur anni, suspicatus rex quòd sacerdotes pecuniam in suũ commutarent commodum, nolebat vt amplius pecuniam leuarent, nisi mox illam pro templo restaurando impenderent. Quod illi audientes, posuerunt in templo arcam clausam, in quam per foramen pecuniam miserunt, à se remouentes cõceptam suspicionem.* c Hydriæ templi.] *In libro Paralip. dicitur, quod fecerint varia instrumenta & vasa pro templo necessaria ex illa pecunia. Dicendum igitur, quòd nulla fecerint vasa, donec ruinæ quæque in templo fuerint instauratæ, tunc ex residua pecunia fecerunt vasa, vt Par. dlip. liber dicit.* d In domo Mello.] *Vel in Beth Mello: est enim nomẽ oppidi. Iacebat autẽ rex in lecto propter multa vulnera, quibus eum sauciauerunt Syri in bello, vt dicitur in libro Par. dlip. & consurgentes serui eius interfecerunt eum in lecto, cum de Beth Mello portaretur ad Sela.*

CAPVT XIII.

A ANno vicesimo tertio Ioas filij Ochoziæ regis Iudæ, regnauit Ioachaz filius Iehu super Israel in Samaria decem & septem annis. Et fecit malum coràm Domino, secutusq; est peccata Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israel, & non declinauit ab eis, Iratusq; est furor Domini contra Israel. & tradidit eos in manu Hazael regis Syriæ, & in manu Benadad filij Hazael cunctis diebus. Deprecatus est autem Ioachaz faciem Domini, & audiuit eum Dominus: vidit enim angustiã Israel, quia attriuerat eos rex Syriæ, & dedit Dominus saluatorem Israeli, & liberatus est de manu regis Syriæ: habitauerũtq; filij Israel in tabernaculis suis, sicut heri & nudiustertius. Veruntamen non recesserunt à peccatis domus Ieroboam, qui peccare fecit Israel: sed in ipsis ambulauerunt: siquidem & lucus permansit in Samaria, & non sunt derelicti Ioachaz de populo, nisi quinquaginta equites, & decem currus, & decem millia peditum: interfecerat enim eos B rex Syriæ, & redegerat quasi puluerem in tritura areæ. Reliqua autem sermonum Ioachaz, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius: nonne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regũ Israel? Dormiuitq; Ioachaz cum patribus suis: & sepelierunt eum in Samaria: regnauitq; Ioas filius eius pro eo. Anno tricesimoseptimo Ioas regis Iuda regnauit Ioas filius Ioachaz super Israel in Samaria sedecim annis, & fecit quod malum est in cõspectu Domini, nõ declinauit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israel, sed in ipsis ambulauit. Reliqua autẽ sermonum Ioas, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius quomodo pugnauerit contra Amasiam regem Iuda, nónne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel. Et dormiuit Ioas cum patribus suis: Ieroboam autem a sedit super solium eius. Porrò Ioas sepultus est in Samaria cum re C gibus Israel. Elisæus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est: descenditq; ad eum Ioas rex Israel, & flebat coràm eo, dicebatq;, Pater mi, pater mi, currus Israel & equites eius. Et ait illi Elisæus, Affer arcum & sagittas. Cumq; attulisset ad eum arcum & sagittas, dixit ad regem Israel, pone manum tuam super arcum. Et cum posuisset ille manũ suam, superposuit Elisæus manus suas manibus regis, & ait, Aperi fenestrã orientalem. Cumq; aperuisset, dixit Elisæus, Iace sagittam. Et iecit. Et ait Elisæus, Sagitta salutis Dñi, et sagitta salutis contra Syriam: percutiesq; Syriam in Aphec, donec cõsumas eam. Et ait, Tolle sagittas. Qui cum tulisset, rursum dixit ei, Percute iaculo terram. Et cum percussisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait, Si percussisses quinquies, aut sexies, † percussisses Syriam vsq; ad consummationem: nunc autem D tribus vicibus percuties eam. Mortuus est ergo Elisæus, & sepelierunt eum. Latrũculi autem de Moab venerunt in terram in ipso anno. Quidã autem sepelientes hominem, viderunt latrunculos, b & proiecerunt ca-
Eccle. 48.b dauer in sepulchrum Elisæi: quod † deuolutum tetigit ossa Elisæi: & reuixit homo, & stetit super pedes suos. Igitur Hazael rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Ioachaz: & misertus est Dominus eorum, & reuersus est ad eos propter pactum suum quod habebat cum Abraham & Isaac & Iacob: & noluit disperdere eos, neque proijcere penitus vsque in præsens tempus. Mortuus est autem Hazael rex Syriæ, & regnauit Benadad filius eius pro eo. Porrò Ioas filius Ioachaz, tulit vrbes de manu Benadad filij Hazael, quas tulerat de manu Ioachaz patris sui iure prælij: tribus vicibus percussit eum Ioas, & reddidit ciuitates Israel.

SCHOLIA.

a Sedit super solium eius.] *Non dicitur hic, quòd regnauerit Ieroboam filius eius pro eo, sed quòd sederit super solium eius, nam pater timens post mortem suam schisma exoriri in regno, posuit filium, dum adhuc viueret, super regni solium.*
b Et proiecerunt cadauer.] *Cum enim illi proprium facere vellent sepulchrum, superuenerunt hostes, vt non liceret tãtum insumere temporis, donec sepulchrum foderent, & iccircò aperientes tumbam Elisæi, proiecerũt cadauer illud in speluncam illam, in qua corpus prophetæ quiescebat, & contingẽs homo ille ossa viri Dei, reuixit, & stans super pedes suos egressus est foras, atque illicò vita defunctus est, nam erat homo impius, vt Hebræi communiter sentiunt, & indignus qui requiesceret cum corpore viri Dei. Sunt tamen qui aliter sentiant, nempe quod fuerit vir iustus & magnus, nomine Sallum, & quod domum regressus adhuc filios genuerit.*

CAPVT XIIII.

1.Par. 25.a IN anno secundo Ioas filij Ioachaz regis Israel regnauit Amasias filius Ioas regis Iuda: vigintiquin- A que annorum erat cum regnare cœpisset: viginti autem & nouem annis regnauit in Ierusalem: nomẽ matris eius Ioadan de Ierusalem. Et fecit rectum coràm Domino, veruntamen non vt Dauid pater eius. iuxta omnia quæ fecit Ioas pater suus, fecit, † excelsa quidem non sunt ablata: adhuc enim populus † immolabat & adolebat incẽsum in excelsis. Cumq; obtinuisset regnum, percussit seruos suos qui interfecerant

B cerant regẽ patrem suũ: filios autem eorũ qui occiderãt, nõ occidit, iuxta quod scriptũ est in libro legis Moysi, sicut præcepit Dñs, dicens, Nõ morietur patres pro filijs, neq; filij morietur pro patribus: sed vnusquisq; Deut. 24.c in peccato suo morietur. Ipse percussit Edom in valle Salinarũ decem millia, & a apprehẽdit petram in præ- Eze. 18.c lio, vocauitq; nomẽ eius Iectheel, vsq; in præsentẽ diem. Tunc misit Amasias nũtios ad Ioas filiũ Ioachaz, filij Iehu regis Israel, dicens, Veni, & b videamus nos. Remisitq; Ioas rex Israel ad Amasiã regem Iuda, dicẽs,
C Carduus Libani misit ad cedrũ, qui est in Libano, dicens, Da filiã tuam filio meo vxorẽ. Tranfieruntq; bestiæ saltus, quæ sunt in Libano, et conculcauerunt carduũ. Percutiẽs inualuisti sup Edom, & subleuauit te cor tuũ: contentus esto gloria, & sede in domo tua: quare prouocas malũ, vt cadas tu & Iudas tecũ? Et nõ acquieuit Amasias. Ascenditq; Ioas rex Israel, & viderunt se, ipse & Amasias rex Iuda in Bethsames oppido Iudæ.
Percussusq; est Iuda coràm Israel, & fugerunt vnusquisq; in tabernacula sua, Amasiã verò regẽ Iuda filium
D Ioas filij Ochoziæ cepit Ioas rex Israel in Bethsames, & adduxit eũ in Ierusalem: & interrupit murũ Ierusalẽ, à porta Ephraim vsq; ad portã anguli, quadringẽtis cubitis. Tulitq; omne aurũ & argentũ, & vniuersa vasa quę inuẽta sunt in domo Dñi, & in thesauris regis, & obsides, & reuersus est in Samariã. Reliqua autẽ verborum Ioas quæ fecit & fortitudo eius, & † quomodo pugnauit contra Amasiam regẽ Iuda, nònne hæc scripta sunt in libro sermonum dierũ regum Israel? Dormiuitq; Ioas cũ patribus suis, & sepultus est in Samaria cũ
E regibus Israel: & regnauit Ieroboam filius eius pro eo. Vixit autem Amasias filius Ioas rex Iuda, postquam mortuus est Ioas filius Ioachaz regis Israel † quindecim annis. Reliqua autẽ sermonum Amasiæ, nónne hæc scripta sunt in libro sermonũ dierum regũ Iuda? Factaq; est cõtra eum cõiuratio in Ierusalẽ: at ille fugit in Lachis. Miseruntq; post eũ in Lachis, & interfecerũt eum ibi. Et asportauerunt in equis, sepultusq; est in Ierusalem cũ patribus suis in ciuitate Dauid. Tulit autẽ vniuersus populus Iudę Azariam annos natũ sedecim,
F & constituerunt eũ regem pro patre eius Amasia, Ipse ædificauit Ailath, & restituit eam Iudæ, postquã dormiuit rex cũ patribus suis. Anno quintodecimo Amasiæ filij Ioas regis Iuda, regnauit Ieroboã filius Ioas regis Israel in Samaria quadraginta & vno anno: & fecit quod malũ est coràm Dño. Non recessit ab omnibus peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel. Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath, vsq; ad mare solitudinis, iuxta sermonem Dñi Dei Israel, quem locutus est per seruũ suum Ionã filium Amathi
G prophetam, qui erat de Geth, quæ est in Opher. Vidit enim Dñs afflictionem Israel amarã nimis, & q consumpti essent c vsq; ad clausos carcere & extremos, et non esset qui auxiliaretur Israel. Nec locutus est Dñs, vt deleret nomen Israel sub cœlo, sed saluauit eos in manu Ieroboam filij Ioas. Reliqua autẽ sermonum Ieroboam, & vniuersa quæ fecit, & fortitudo eius qua præliatus est, & quomodo d restituit Damascum, & Emath Iudæ in Israel: nònne hæc scripta sunt in libro sermonũ dierum regum Israel? Dormiuitq; Ieroboam cum patribus suis regibus Israel, & regnauit Zacharias filius eius pro eo.

SCHOLIA.

a Apprehendit petram.] *Hoc est arcem & præsidium super petram extructum, quod Iectheel appellauerunt, cuius vocabuli ratio ex textu haberi non potest.* b Videamus nos.] *Hebraismus est, pro, videamus quis altero superior in pugna esse possit.* c Vsq; ad clausos.] *Hunc locum alius sic vertit: vidit quòd in nihilum redigerentur clausus & derelictus, & per clausum intelligunt id, quod domi seruatum perditur, & per derelictum, id quod in campo derelictum perditur: vt intelligatur, eos nec domi thesauros nec in agro fructus possedisse, sed summa rerum egestate laborasse.* d Restituit Damascum.] *In qua scilicet Dauid præsidia iam antea collocarat, sed à succedentibus regibus amissa fuerant.*

CAPVT XV.

A ANno vicesimo septimo Ieroboam regis Israel regnauit Azarias filius Amasię regis Iuda. Sedecim annorum erat, cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem: nomẽ matris eius Iechelia de Ierusalem. Fecitq; quod erat placitum coràm Domino iuxta omnia quæ fecit Amasias pater eius. Veruntamen excelsa non est demolitus: adhuc populus sacrificabat, & adolebat incẽsum
2.Par.26.d in excelsis. a Percussit autem Dominus regem, & fuit leprosus vsq; in diem mortis suæ, & habitabat in domo
B † sequestrata: Ioatham verò filius regis gubernabat palatium, & iudicabat populum terræ. Reliqua autem sermonum Azariæ, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Iuda? Et dormiuit Azarias cum patribus suis, sepelieruntque eum cum maioribus suis in ciuitate Dauid, & regnauit Ioatham filius eius pro eo. Anno tricesimooctauo Azariæ regis Iudæ, regnauit Zacharias filius Ieroboam super Israel in Samaria sex mensibus: & fecit quod malum est coràm Domino, sicut fecerãt patres eius: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel. Coniurauit autem contra eum Sellum filius Iabes: percussitq; eum palàm, & interfecit, regnauitq; pro eo. Reliqua autem verborum Zachariæ: nónne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel? Iste est sermo Domini quem locutus est ad Iehu,
C dicens, Filij tui vsque ad quartam generationem sedebunt de te super thronum Israel. Factumq; est ita. Sellum filius Iabes regnauit tricesimo anno Azariæ regis Iudæ: regnauit autem vno mense in Samaria. Et ascẽ- Supra 10.f dit Manahem filius Gadi b de Thersa: venitque in Samariam, & percussit Sellum filium Iabes in Samaria, & interfecit eum, regnauitque pro eo. Reliqua autem verborum Sellum, & coniuratio eius, per quam tetendit insidias: nónne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Israel? Tunc percussit Manahem Thapsa, & omnes qui erant in ea, & terminos eius de Thersa, noluerant enim aperire ei: & interfecit omnes
D pregnantes eius, & scidit eas. Anno tricesimonono Azariæ regis Iudæ regnauit Manahem filius Gadi super Israel decem annis in Samaria. Fecitq; quod erat malum coràm Domino: non recessit à peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecit Israel, cunctis diebus eius. † Venit verò Phul rex Assyriorum in terram, & dabat Manahem Phul mille talenta argenti, vt esset ei in auxilium, et firmaret regnum eius. Indixitq; Manahem argentũ super Israel cunctis potentibus, & diuitibus, vt daret regi Assyriorum quinquaginta si-

clos argenti per singulos:reuersusq; est rex Assyriorum,& nō est moratus in terra. Reliqua autem sermonū Manahem, & vniuersa quæ fecit,nonne hæc scripta sunt in libro sermonū dierum regū Israel? Et dormiuit Manahem cum patribus suis:regnauitq; Phaceia filius eius pro eo. Anno quinquagesimo Azariæ regis Iudæ,regnauit Phaceia filius Manahē super Israel in Samaria biēnio:& fecit quod erat malum coràm Dño:nō recessit à peccatis Ieroboam filij Nabath,qui peccare fecit Israel. Cōiurauit autē aduersus eum Phacee filius Romeliæ dux eius,& percussit eum in Samaria,in turre domus regiæ † vnà cum Argob & Arie: & cum eo erant quinquaginta viri de filijs Galaaditarum,& interfecit eum,regnauitq; prò eo. Reliqua autem sermonū Phaceia,& vniuersa quæ fecit,nonne hæc scripta sunt in libro sermonū dierum regū Israel? Anno quinquagesimo secūdo Azariæ regis Iudæ,regnauit Phacee filius Romeliæ super Israel in Samaria viginti annis. Et fecit quod erat malū coràm Dño:nō recessit à peccatis Ieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israel. In diebus Phacee regis Israel venit Theglathphalasar rex Assur,& cepit Aion,& Abel,domū Maacha, & Ianoe, & Cedes,& Asor,& Galaad,& Galilæam,& vniuersam terrā Nephthalim:& transtulit eos in Assyrios. Coniurauit aūt,& intendit insidias Osee filius Ela contra Phacee filium Romeliæ,& percussit eū,& interfecit:regnauitq; pro eo vicesimo anno Ioatham filij Oziæ. Reliqua autē sermonum Phacee,& vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in libro sermonū dierū regū Israel? Anno secūdo Phacee filij Romelię regis Israel,
2. Par. 27.a regnauit Ioatham filius Oziæ regis Iuda. Vigintiquinq; annoꝝ erat,cum regnare cœpisset,& sedecim annis regnauit in Ierusalē:nomen matris eius,Ierusa filia Sadoc. Fecitq; quod erat placitū corā Dño:iuxta omnia, quæ fecerat Ozias pater suus,operatus est. Verūtamē excelsa nō abstulit:adhuc populus immolabat, & adolebat incensum in excelsis:ipse ædificauit portam domus Dñi † superiorē. Reliqua autem sermonū Ioathā, & vniuersa quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in libro,sermonū dierum regū Iuda? In diebus illis cœpit Dominus mittere in Iudam Rasin regem Syriæ,& Phacee filium Romelię. Et dormiuit Ioatham cum patribus suis,sepultusq; est cum eis in ciuitate Dauid patris sui,& regnauit Achaz filius eius pro eo.

SCHOLIA.

[a] Percussit autem Dñs regem.] *In libro Para. scribitur quare percussus fuerit rex iste lepra,nempe quòd præsumpserit in templo adolere incensum:percussus autē fuit ab omni negotio hominū,et administratione regni,cū leprosus, in loge iubeatur habitare extra castra.* [b] De Thersa.] *Vel,à Thersa. Erat Thersa de regno Israel, & termini urbis Thapsa pertingebant vsq; ad Thersa:cū autem habitatores Thapsa nollēt aperire portas regi Manahem,& eum susciperе in pace, atq; tributū pendere,obtinuit vi ciuitatē illam,& omnes qui in ea erant interfecit,non etiā parcens prægnātibus mulieribus,sed cū maiori crudelitate illas quàm alios interfecit,scindens scilicet vteros earum. Sunt tamen qui dictionem Hebræam,nō pro prægnātibus,sed pro mōtibus exponūt,et intelligāt per montes turres robustas in montibus extructas, quas Manahē diruit.*

CAPVT XVI.

2. Par. 28.a ANno decimoseptimo Phacee filij Romeliæ,regnauit Achaz filius Ioatham regis Iuda. Viginti annorū erat Achaz,cū regnare cœpisset,& sedecim annis regnauit in Ierusalē:nō fecit quod erat placitum in conspectu Dñi Dei sui,sicut Dauid pater eius. Sed ambulauit in via regū Israel: insuper & filium suum consecrauit:transferens per ignē secundum idòla gētium,quæ dissipauit Dominus coràm filijs Israel. Immolabat quoq; victimas,& adolebat incēsum in excelsis,& in collibus,& sub omni ligno frondoso. Túc ascendit Rasin rex Syriæ,& Phacee filius Romeliæ rex Israel in Ierusalem ad prælиandum:Cumq; obsideret Achaz,non valuerunt superare eum. In tempore illo restituit Rasin rex Syriæ Ailam Syrię,& eiecit Iudęos de † Ailath:& Idumæi venerunt in Ailam,& habitauerunt ibi vsq; in diem hanc. Misit autem Achaz nūtios
Esaiæ 7.a ad Theglathphalasar regem Assyriorum,dicens,Seruus tuus,& filius tuus ego sum:ascēde, & saluum me fac de manu regis Syrię,& de manu regis Israel,qui consurrexerunt aduersum me. Et cum collegisset Achaz argentum & aurum quod inueniri potuit in domo Domini,& in thesauris regis,misit regi Assyriorꝝ munera. Qui & acquieuit voluntati eius: Ascendit enim rex Assyriorum in Damascum, & vastauit eam : & transtulit habitatores eius Cyrenen,Rasin autem interfecit. Perrexitq; rex Achaz in occursum Theglathphalasar regi Assyriorum in Damascum. Cūq; vidisset altare Damasci, misit rex Achaz ad Vriam sacerdotem exemplar eius,& similitudinem iuxta omne opus eius. Extruxitq; Vrias sacerdos altare:iuxta omnia quæ præceperat rex Achaz de Damasco,ita fecit sacerdos Vrias,donec veniret rex Achaz de Damasco. Cumq; venisset rex de Damasco,vidit altare,† & accedēs rex ad altare obtulit super ipsum,& immolauit holocausta & sacrificium suum,& libauit libamina,& fudit sanguinem pacificorum,quę obtulerat super altare. Porrò [a] altare æreum, quod erat coràm Domino,transtulit de facie templi,† inter altare & inter templum Domini:posuitq; illud ex latere altaris ad aquilonem. Præcepit quoq; rex Achaz Uriæ sacerdoti,dicēs,Super altare maius offer holocaustum matutinum,& sacrificium vespertinum,& holocaustum regis,& sacrificium eius, & holocaustū vniuersi populi terræ,& sacrificium eorum,& libamina eorū:& omnem sanguinē holocausti,& vniuersum sanguinem victimæ super illud effundes:altare verò æreum erit paratum ad voluntatem meam. Fecit igitur Vrias sacerdos iuxta omnia quę præceperat rex Achaz. † Resecuit verò rex Achaz [b] ambitus basis,& amouit ab eis lauacrum:& mare deposuit de bobus æreis,qui sustentabāt illud & posuit super pauimentum stratum lapide. [c] Musach quoq; sabbati,quod ædificauerant in templo:& ingressum regis exterius,conuertit in templum Domini propter regem Assyriorum. Reliqua autem verborum Achaz quæ fecit,nónne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Iuda? Dormiuitq; Achaz cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate Dauid,& Regnauit Ezechias filius eius pro eo.

SCHOLIA.

[a] Altare æneum.] *Vocat altare æneum, altare Salomonicum, iuxta quod collocauit altare illud nouum, scilicet inter altare æneum,quod foris in atrio stabat:& inter domum Domini, vt propinquius esset templo, quàm altare æneum. Vocatur etiam idem nouum altare,altare maius,in quo sacrificia facere volebat,vt scilicet illud esset altare præcipuum, et altare Domini esset minus principale,super quo non ingiter,sed cum placeret,sacrificia offerrentur.* [b] Ambitus basis.] *Sensus est,abstulit lauacrum,& mare æneum de basibus & bobus,super quibus à tempore Salomonis collocata fuerunt, & posuit ea in pauimentum,ex animi impietate vasa Domini discerpens,sicut & altare Domini in alium transferens locum. Fecit & alias multas abominationes:sicut in libro Paral.scribitur,vbi dicitur,quòd extinxerit lucernas,clauserit ianuas templi, et in omnibus angulis ciuitatis extruxerit aras,atque de impietate in impietatē lapsus fuerit.* [c] Musach quoq;.] *Alius vertit,Velum,& putant intelligendum tabernaculum quoddam, quod erat in templo, sub quo manebant ministri Domini per sabbatum,cum transacta hebdomada in templo officio suo functi essent.*

CAPVT XVII.

A ANno duodecimo Achaz regis Iuda,regnauit Osee filius Ela in Samaria super Israel nouem annis. Fecitq; malum coràm Domino:sed non sicut reges Israel,qui ante eum fuerunt. Contra hunc ascendit Salmanasar rex Assyriorum, & factus est ei Osee seruus,reddebatq; illi tributa. Cumq; deprehendisset rex Assyriorum Osee, quòd rebellare niteꝛis,misisset nuntios ad Sua regem Aegypti, ne præstaret tributa regi Assyriorum sicut singulis annis solitus erat,obsedit eum,& vinctum misit in carcerem. Peruagatusq; est omnem terram:& ascendens Samariam,obsedit eam tribus annis. Anno autem nono Osee,cepit rex Assyriorum Samariam,& transtulit Israel in Assyrios,posuitq; eos in Hala,& in Habor iuxta fluuium Gozan,& Infra 18.c
B in ciuitatibus Medorum. Factum est enim, cum peccassent filij Israel Domino Deo suo,qui eduxerat eos de terra Ægypti, de manu Pharaonis regis Ægypti, coluerunt deos alienos. Et ambulauerunt iuxta ritum gentium quas consumpserat Dominus in conspectu filiorum Israel,& regum Israel,quia similiter fecerant. [a] Et studuerunt filij Israel abscondere ea,quæ non erant recta à Domino Deo suo:& ædificauerunt sibi excelsa in cunctis vrbibus suis [b] à turre custodum vsq; ad ciuitatem munitam. Feceruntq; sibi statuas & lucos in omni colle sublimi,& subter omne lignum nemorosum:& adolebant ibi incēsum, † in omnibus excelsis in morē gentium quas transtulerat Dñs à facie eorū:feceruntq; verba pessima irritantes Dñm, & coluerunt immūditias de quibus præceperat eis Dñs ne facerent verbum hoc. Et testificatus est Dñs in Israel,& in Iuda per ma-
C num omnium prophetarum [c] & videntium,dicens, Reuertimini à vijs vestris pessimis,& custodite præcepta mea & ceremonias,iuxta omnē legē,quā præcepi patribus vestris:& sicut misi ad vos in manu seruorum meorum prophetarum. Qui nō audierunt, sed indurauerunt cervicē suam iuxta ceruicem patrum suorum, qui noluerunt obedire Dño Deo suo. Et abiecerunt legitima eius,pactum quod pepigit cum patribus eorū, & [d] testificationes quibus testificatus est eos:secutiq; sunt vanitates,& vanè egerunt,& secuti sunt gentes,quę erant per circuitum eorum,super quibus præceperat Dñs eis,vt non facerent sicut & illæ faciebant. Et dereliquerunt omnia præcepta Dñi Dei sui:feceruntq; sibi conflatiles duos vitulos,& lucos, & adorauerunt vniuersam militiam cœli:seruieruntq; Baal,& cōsecrauerunt filios suos,& filias suas per ignem : & diuinationi-
D bus inseruiebant & augurijs:& tradiderunt se,vt facerent malum coràm Dño, vt irritarent eum. Iratusque est Dominus vehementer Israeli,& abstulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iuda tantummodo. Sed nec ipse Iuda custodiuit mandata Domini Dei sui:verū ambulauit in erroribus Israel, quos operatus fuerat. Proiecitq; Dominus omne semen Israel, & afflixit eos, & tradidit eos in manu diripientium, donec proijceret eos à facie sua. † Nā scissus est Israel à domo Dauid, & constituerunt sibi regē Ieroboam filiū Na- 3. Re. 12.c
bat:separauit enim Ieroboam Israel à Domino,& peccare eos fecit peccatum magnum. Et ambulauerūt filij Israel in vniuersis peccatis Ieroboā quæ fecerat:non recesserunt ab eis, vsquequo Dominus auferret Israel à facie sua, sicut locutus fuerat in manu omnium seruorum suorum prophetarum: translatusq; est Israel de
E terra sua in Assyrios vsq; in diem hanc. Adduxit autem rex Assyriorum de Babylone,& de Cutha,& de Aua, Hier. 25.b
& de Emath,& de Sepharuaim:& collocauit eos in ciuitatibus Samariæ pro filijs Israel : qui possederunt Samariam,& habitauerunt in vrbibus eius. Cumq; ibi habitare cœpissent,non timebant Dominum, & immisit in eos Dominus leones,qui interficiebant eos. Nuntiatumq; est regi Assyriorum, & dictum, Gentes, quas transtulisti,& habitare fecisti in ciuitatibus Samariæ,ignorant legitima Dei terræ,& immisit in eos Dominus leones:& ecce interficiunt eos,eo quòd ignorent ritum Dei terræ. Præcepit autem rex Assyriorum,dicens,Ducite illuc vnum de sacerdotibus,quos inde captiuos adduxistis,& vadat,& habitet cum eis: & doceat
F eos legitima Dei terræ. Igitur cum venisset vnus de sacerdotibus his qui captiui ducti fuerunt de Samaria, habitauit in Bethel,& docebat eos quomodo colerent Dominum. Et vnaquęq; gens fabricata est deum suum: posueruntq; eos in phanis excelsis,quę fecerant Samaritę gens,& gens in vrbibus suis in quibus habitabant. Viri enim Babylonij fecerunt Socothbenoth:viri autem Cuthæi fecerunt Nergel: & uiri de Emath fecerunt Asima. Porrò † Auitæ fecerunt Nebaz & Tharthac. Hi autem qui erant de Sepharuaim comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech dijs Sepharuaim , & nihilominus colebant Dñm. Fecerunt autem sibi † quosdam sacerdotes excelsorum,† qui illis in phanis excelsorum faciebant sacrificia. Et cū Dominum
G colerent,dijs quoq; suis seruiebant iuxta cōsuetudinem gentium:de quibus translati fuerant Samariam,vsq; in præsentē diem morem sequuntur antiquū:[e] non timent Dñm,neq; custodiunt ceremonias eius,atq; iudicia & legem & mandatum quod præceperat Dominus filijs Iacob,quem cognominauit Israel:& percusserat cum eis pactum,& mandauerat eis,dicens,Nolite timere deos alienos, & nō adoretis eos, neq; colatis eos,& non immoleris eis. Sed Dominum Deum uestrum,qui eduxit vos de terra Aegypti , in fortitudine magna, Gene. 32.f
& in brachio extento:ipsum timete,& illum adorate, & ipsi immolate. Ceremonias quoq;,& iudicia & legē & mandatum,quod scripsi uobis.custodite,vt faciatis cunctis diebus:& non timeatis deos alienos. Et pactū quod percussit vobiscū,nolite obliuisci, nec colatis deos alienos , sed Dñm Deum vestrū timete,& ipse eruet vos de manu omnium inimicorū vestrorum. Illi verò non audierunt , sed iuxta consuetudinem suam pristi-

nam perpetrabant. Fuerunt igitur gentes iſtę timentes quidem Dominum, ſed nihilominus & idólis ſuis ſeruientes: nam filij eorum, & nepotes, ſicut fecerunt patres ſui, ita faciunt vſq; in præſentem diem.

SCHOLIA.

[a] Et ſtuduerunt.] *In tantam, inquit, venerunt ſtultitiam filij Iſrael, vt putarent Deum ignorare factum eorũ, et quòd abſcondere poſſent facta ſua ab oculis eius.* [b] A turre cuſtodum.] *Senſus eſt, etiam in locis quantumlibet paruis, & vbi pauci fuerunt homines, fecerunt excelſa & aras pro idolis.* [c] Et videntium.] *Quos putant maiores eſſe, quàm ij, qui prophetæ vocantur, cum claram habeant viſionem: propheta autem aliquis dici poteſt: qui per viſionem vel per ſomnium reuelationem Dei agnoſcit.* [d] Teſtificationes.] *Vocantur teſtificationes, quæ aliquid olim ſignificabant. Vt paſcha, & tabernaculorum erectio, teſtabantur exitum de Ægypto, & ſanctificatio primogenitorum ſignificabat inter emptionem primogenitorum Ægypti. Sic omnia præcepta, quæ ſub conteſtatione cœli & terræ data fuerunt filys Iſrael, vocantur teſtificationes Domini, quoniam obſeruantia eorum teſtabatur Dei benedictionem, & violatio eorum maledictionem.* [e] Nõ timent Dñm.] *Timere enim Deum eſt illi ſoli ſeruire, & nulli creaturæ honorem illum impendere, qui ſoli Deo debetur.*

CAPVT XVIII.

A ANno tertio Oſee filij Ela regis Iſrael, regnauit Ezechias filius Achaz regis Iuda. Vigintiquinq; annorum erat, cum regnare cœpiſſet: & vigintinouem annis regnauit in Ieruſalem: nomẽ matris eius Abi filia Zacharię. Fecitq; quod erat bonum corã Dño, iuxta omnia, quæ fecerat Dauid pater eius.

2.Par.29.a Ipſe diſſipauit excelſa, & cõtriuit ſtatuas, & ſuccidit lucos, confregitq; ſerpẽtem æneum, quem fecerat Moyſes: ſiquidem vſq; ad illud tempus filij Iſrael adolebant ei incenſum: vocauitque nomen eius [a] Nehuſtan. In Domino Deo Iſrael ſperauit: itaque poſt eum non fuit ſimilis ei de cunctis regibus Iuda, ſed neque in his qui

Num.21.c ante eum fuerunt: & adhæſit Dño, & non recesſit à veſtigijs eius, fecitque mandata eius quæ præceperat Dñs Moyſi. Vnde & erat Dominus cum eo, & in cunctis, ad que procedebat, † proſperè agebat. Rebellauit quoq; B contra Regem Aſſyriorum, & non ſeruiuit ei. Ipſe percuſſit Philiſthæos vſq; ad Gazam, & omnes terminos eorum, [b] à turre cuſtodum vſq; ad ciuitatem munitã. Anno quarto Regis Ezechię, qui erat annus ſeptimus Oſee filij Ela Regis Iſrael, aſcendit Salmanaſar Rex Aſſyriorum in Samariam, & oppugnauit eam, & cepit.

Sup.17.e Nam poſt annos tres, anno ſexto Ezechiæ, id eſt nono anno Oſee Regis Iſrael, capta eſt Samaria: & tranſtulit Rex Aſſyriorum Iſrael in Aſſyrios, collocauitq; eos in Hala, & in Habor fluuijs Gozan, & in ciuitatibus Medorum: quia non audierunt vocem Domini Dei ſui, ſed prætergreſſi ſunt pactum eius: omnia quæ præceperat Moyſes ſeruus Dñi, non audierunt, neq; fecerunt. Anno quartodecimo Regis Ezechiæ, aſcendit Senna- C cherib rex Aſſyriorum, ad vniuerſas ciuitates Iuda munitas: & cepit eas. Tunc miſit Ezechias rex Iuda, nuntios ad regem Aſſyriorum in Lachis, dicẽs, [c] Peccaui, recede à me, & omne, quod impoſueris mihi, feram. In-

2.Par.32.c dixit itaq; rex Aſſyriorum Ezechiæ regi Iudæ, trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri. Dedit; Eze-

Eſaiæ 36.a chias omne argentum quod repertum fuerat in domo Domini, & in theſauris regis. In tempore illo cõfre-

Eccle.48.c git Ezechias valuas templi Domini, & laminas auri quas ipſe affixerat, & dedit eas regi Aſſyriorũ. Miſit autẽ rex Aſſyriorum Tharthan, & Rabſaris, & Rabſacen de Lachis ad regem Ezechiam cum manu valida, Ieruſalem: qui cum aſcendiſſet, venerũt Ieruſalem, & ſteterunt [d] iuxta aquæductũ piſcinæ ſuperioris, quæ eſt in via D agri fullonis. Vocauerunt; regem: egreſſus eſt autẽ ad eos Eliacim filius Helcię præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à cõmentarijs. Dixitq; ad eos Rabſaces, Loquimini Ezechiæ, Hæc dicit rex magnus rex Aſſyriorum, Quæ eſt iſta fiducia qua niteris? Forſitan iniſti conſilium, vt præpares te ad prælium: in quo confidis, vt audeas rebellare? An ſperas in baculo arundineo atq; confracto Aegypto? ſuper quem ſi incubuerit homo, † ingredietur manum eius, & perforabit eã: ſic eſt Pharao rex Aegypti, omnibus qui confidunt in ſe. Quòd ſi dixeritis mihi, In Domino Deo noſtro habemus fiduciam: nõne iſte eſt [e] cuius abſtulit Ezechias excelſa & altaria? & præcepit Iudæ, & Ieruſalem, Ante altare hoc adorabitis in Ieruſalem. E Nunc igitur † trade obſides Domino meo regi Aſſyriorum, & dabo vobis duo millia equorum, & videte an habere valeatis aſcenſores eorum. Et quomodo poteſtis reſiſtere ante vnum ſatrapam de ſeruis domini mei minimis? An fiduciam habes in Aegypto propter currus & equites? Nunquid ſine domini voluntate aſcẽdi ad locum iſtum, vt demolirer eum? dominus dixit mihi, Aſcende ad terram hãc & demolire eam. Dixerunt autem Eliacim filius Helciæ: & Sobna ſcriba, & Ioahe, Rabſaci, Precamur vt loquaris nobis ſeruis tuis Syriacè, ſiquidem intelligimus hanc linguam: & [f] non loquaris nobis Iudaicè audiente populo, qui eſt ſuper murum. Reſponditq; eis Rabſaces, dicens, Nunquid ad dominum tuum, & ad te miſit me dominus meus, F vt loquar ſermones hos, & non potius ad viros qui ſedent ſuper murum, vt comedant ſtercora ſua, & bibant vrinam ſuam vobiſcum? Stetit itaq; Rabſaces, & exclamauit voce magna Iudaicè, & ait, Audite verba regis magni, regis Aſſyriorum. Hæc dicit rex, Non vos ſeducat Ezechias: non enim poterit eruere vos de manu mea. Neque fiduciam vobis tribuat ſuper Dominum, dicens, Eruens liberabit nos Dominus, & nõ tradetur ciuitas hæc in manu regis Aſſyriorum. Nolite audire Ezechiam. Hæc enim dicit rex Aſſyriorum, Facite mecum quod vobis eſt vtile, & egredimini ad me: & comedet vnuſquisque de vinea ſua, & de ficu ſua: & biberis aquas de ciſternis veſtris, donec veniam, [g] & transferam vos in terram quæ ſimilis eſt terræ veſtræ, in terram G fructiferã, & fertilem vini, terram panis & vinearũ, terrã oliuarũ, & olei ac mellis: & viuetis, & non moriemini. Nolite audire Ezechiã, qui vos decipit, dicẽs, Dñs liberabit nos. Nunquid liberauerũt dij gentium terrã ſuam de manu regis Aſſyriorũ? Vbi eſt deus Emath, & Arphad? Vbi eſt deus Sepharuaim, Ana, & Aua? Nunquid liberauerunt Samariã de manu mea? Quinã illi ſunt in vniuerſis dijs terrarũ, qui eruerũt regionẽ ſuam de manu mea, vt poſſit eruere Dñs Ieruſalẽ de manu mea? Tacuit itaq; populus, & nõ reſpondit ei quicquã: ſiquidẽ præceptũ regis acceperant, vt non reſpõderẽt ei. Venitq; Eliacim filius Helciæ, præpoſitus domus, & Sobna ſcriba, & Ioahe filius Aſaph à cõmẽtarijs, ad Ezechiã ſciſſis veſtibus, & nũtiauerũt ei verba Rabſacis.

Scholia

SCHOLIA.

[a] Nehuſtan.] *Sic vocauit rex ſerpentem illum æneum, quaſi dicat, res eſt ænea, & nihil diuinitatis in ſe habet, quare ergo adoratis æs illud, quod nec obeſſe, nec prodeſſe poteſt? Seruatus autem fuit ſerpens ille, in memoriam ſigni illius, quod Deus filys Iſrael in deſerto oſtendit, quando morſi à ſerpentibus, intuitu huius ænei ſerpentis iterum ſanabantur.* [b] A turre cuſtodum.] *Hoc eſt omnem percuſſit locum tam paruum, quàm magnum. Huius Hebraiſmi facta etiam ſuperius mentio eſt.* [c] Peccaui.] *Negando ſcilicet tributum, ſed dabo nunc quicquid à me exegeris: exegit autem trecenta talenta argenti, &c. quæ cum accepiſſet redyt in Aſſyriam. Et cum ſequenti anno rex Ezechias memoratam ſummam pecuniæ denuo reddere renuiſſet, aut non potuiſſet, mouit rex Aſſyriæ arma contra Iudam, veniens cum valido exercitu in Lachis, vnde miſit nuntios Ieruſalem, non autem continuò oppugnauit ciuitatem, eò quòd rex Aethiopiæ exercitum produxit cõtra eum, & cum contra illum arma moueret, miſit denuo nuntios Ieruſalem, vt populum in ea terreret: deuictoq; rege Aethiopiæ, tranſtulit exercitum ſuum contra Ieruſalem.* [d] Iuxta aquæductum.] *Intelligunt latam foſſam, quæ erat iuxta piſcinam, in quam emittebant aquam de piſcina cum veſtes lauare vellent.* [e] Cuius abſtulit Ezechias excelſa.] *Quod pie fecerat Ezechias, is peruerſe interpretatur, quaſi latè patentem cultum Dei intra vrbem vnam contraxerit.* [f] Non loquaris nobis Iudaicè.] *Ex hoc loco colligunt quidam Heb. Rapſacen fuiſſe apoſtatam, quod Hebraicè ſciret. Patet quoque ex hoc loco, linguam Hebraicam eo tempore fuiſſe Iudæis vernaculam, quam plebei quiq; intelligebant, ſed poſt captiuitatem Babylonicam vſque ad tempora Chriſti, nemo callebat eam niſi docti, cum in captiuitate conſtituti, et inter Chaldæos diſperſi, Chaldaicam cogerentur diſcere linguam, præſertim pueri in Chaldæa nati, quorum etiam plerique connubia inierunt cum Chaldæis mulieribus, vt in Ezra ſcribitur, reuerſi autem poſtliminio in Iudæam, non alia poterant loqui lingua, quàm Chaldaica. Et hinc eſt, quòd Daniel & Ezra, qui in captiuitate quoque fuerunt, pro magna parte Chaldaicè ſcripſerunt. Hinc etiam eſt, quòd dictiones peregrinæ, quæ paſſim in nouo inueniuntur Teſtamento. Chaldaicæ ſunt, & non Hebraicæ, quales ſunt, Mamona, Golgotha, Cepha, Talitha, Cumi, Hacaldama, Maranaatha, Tabita, Eli eli lama ſabactani.* [g] Transferam vos.] *Sic enim faciebat rex Aſſur omnibus populis, quos deuicerat, ponens alium populum in terram eorum, quò facilius deuictos in obedientia contineret.*

CAPVT XIX.

A QVæ cum audiſſet Ezechias rex, ſcidit veſtimenta ſua, & opertus eſt ſacco, ingreſſuſq; eſt domum Domini. Et miſit Eliacim præpoſitus domus, & Sobnam ſcribam, & ſenes de ſacerdotibus opertos ſaccis, ad Eſaiam prophetam filium Amos. Qui dixerunt ei, Hæc dicit Ezechias, Dies tribulationis, & increpationis, & blaſphemiæ dies iſte: [a] venerunt filij vſque ad partum, & vires non habet parturiens. Si fortè audiat Dominus Deus tuus vniuerſa verba Rabſacis, quem miſit rex Aſſyriorum dominus

B ſuus, vt exprobraret Deum uiuentẽ, & argueret uerbis quæ audiuit Dominus Deus tuus: & fac orationẽ pro reliquijs, quæ repertæ ſunt. Venerunt ergo ſerui regis Ezechiæ ad Eſaiam. Dixitq; eis Eſaias, Hæc dicetis domino ueſtro, Hæc dicit Dominus, Noli timere à facie ſermonum quos audiſti, quibus blaſphemauerunt pueri regis Aſſyriorum me. Ecce ego [b] immittam ei ſpiritum, & audiet nuntium, & reuertetur in terrã ſuam, & deijciam eum gladio in terra ſua. Reuerſus eſt ergo Rabſaces, & inuenit regem Aſſyriorum expugnantem Lobnam: audierat enim quòd recesſiſſet de Lachis. Cumq; audiſſet de Tharaca rege Aethiopiæ, dicen-

C tes, Ecce egreſſus eſt, vt pugnet aduerſum te: † reuerſus eſt, & miſit nuntios ad Ezechiam, dicens, Hæc dicite Ezechiæ regi Iuda, Non te ſeducat Deus tuus, in quo habes fiduciam: neq; dicas, Non tradetur Ieruſalem in manus regis Aſſyriorum. Tu enim ipſe audiſti, quæ fecerunt reges Aſſyriorum uniuerſis terris, quomodo uaſtauerunt eas: tu ergo ſolus poteris liberari? Nunquid liberauerunt Dij gentium ſingulos, quos uaſtauerunt patres mei, Gozan uidelicet, & Haran, & Reſeph, & filios Eden, qui erant in Thelaſſar? Vbi eſt rex Emath, & rex Arphad, & rex ciuitatis Sepharuaim, Ana, & Aua? Itaq; cum accepiſſet Ezechias literas de

D manu nuntiorum, & legiſſet eas, aſcendit in domum Dñi, & expandit eas coràm Dño, & orauit in conſpectu eius, dicens, Dñe Deus Iſrael, qui ſedes ſuper cherubim, tu es Deus ſolus regum omnium terræ: tu feciſti cœlum & terram. Inclina aurem tuam & audi: aperi Dñe oculos tuos, & uide, & audi omnia uerba Sẽnacherib, qui miſit, vt exprobraret Deum uiuentem. Verè Domine diſſipauerunt reges Aſſyriorum gentes, & terras earum. Et miſerũt deos eorum in ignem: non enim erant dij, ſed opera manuum hominum ex ligno & lapide, & perdiderunt eos. Nũc igitur Domine Deus noſter, ſaluos nos fac de manu eius, vt ſciant omnia regna

E terræ quòd tu es Dominus Deus ſolus. Miſit autem Eſaias filius Amos ad Ezechiam, dicens, Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, Quæ deprecatus es me ſuper Sennacherib rege Aſſyriorum, audiui. Iſte eſt ſermo quem locutus eſt Dominus de eo. [c] Spreui te, & ſubſannauit te uirgo filia Sion, poſt tergum tuum caput mouit filia Ieruſalem. Cui exprobraſti, & quem blaſphemaſti? cõtra quem exaltaſti uocem tuam, & eleuaſti in excelſum oculos tuos? contra ſanctũ Iſrael. Per manum ſeruorũ tuorũ exprobraſti Domino, & dixiſti, In multitudine

F curruum meorũ aſcendi [d] excelſa montium † latera Libani, & ſuccidi ſublimes cedros eius, & electas abietes illius. † Et ingreſſus ſum in diuerſorium niduli eius, atq; in ſyluã planiciei eius. [e] Ego fodi & bibi aquas alienas, & ſiccaui ueſtigijs pedũ meorũ oẽs aquas clauſas. [f] Nunquid † non audiſti quid ab initio fecerim? Ex diebus antiquis plaſmaui illud, & nunc adduxi: † eritq; in deſolationem, & munitæ urbes redigentur in aceruos ruinarũ. Et qui ſedẽt in eis, humiles manu: cõtremuerunt & confuſi ſunt, facti ſunt uelut fœnũ agri, & uirens herba tectorũ, quę arefacta eſt antequã ueniret ad maturitatẽ. Habitaculũ tuũ, & egreſſum tuũ, & introitum

G tuum † ego noui, & furorem tuũ cõtra me. Inſaniſti in me, & ſuperbia tua aſcendit in aures meas: ponã itaq; † hamũ meũ in naribus tuis, & chamũ in labijs tuis, & reducam te in uiam per quã ueniſti. Tibi autem Ezechia hoc [g] erit ſignum, Comede hoc anno quæ repereris, in ſecundo autem anno quæ ſponte naſcuntur: por rò in tertio anno ſeminate & metite: plantate uineas, & comedite fructum earũ. Et quodcũq; reliquũ fuerit de domo Iuda, mittet radicẽ deorſum, & faciet fructũ ſurſum. De Ieruſalem quippe egredientur reliquiæ, &

quod

quod saluetur de monte Sion:zelus Domini exercituũ faciet hoc. Quã ob rem hæc dicit Dñs de rege Assyriorum.Non ingredietur vrbem hanc,nec mittet in eam sagittam,nec occupabit eam clypeus,nec circũdabit eam munitio.Per viã qua venit reuertetur:& ciuitatẽ hanc non ingredietur,dicit Dñs.Protegamq; vrbẽ G hanc,& saluabo eam propter me & propter Dauid seruum meum.Factum est igitur in nocte illa, venit angelus Domini,& percussit in castris Assyriorum centũ octogintaquinq; millia.Cumq; diluculo surrexisset, vidit omnia corpora mortuorum:& recedens abijt,& reuersus est Sennacherib rex Assyriorum, & mãsit in Niniue.Cumq; adoraret in templo Nesroch deum suum, Adramélech & Sarasar filij eius percusserunt eum gladio,fugeruntq; in terram Armeniorum,& regnauit Asarhaddon filius eius pro eo.

Tobiæ 1.d
Eccle 48.d
Esaiæ 37.g
1. Mac.7.f
2. Mac.8.e

SCHOLIA.

[a] Venerunt filij.] *Sensus est,tanta imminet afflictio,vt prægnantes mulieres ante iustum tempus rumpantur ad partum,& tamen præ anxietate fœtum educere nequeant.* [b] Immittam ei spiritum.] *Capitur hic spiritus pro voluntate, quam Dominus in rege mutauit,audito rumore aduentus regis Aethiopiæ,licet postea redierit:Verum Iudæi interim potuerunt sibi prouidere de necessarijs.* [c] Spreuit te.] *Scilicet Virgo Israel, quæ nulli alij marito quàm vero Deo subiecta fuit, atque ob id non rarò in scriptura vocatur Virgo.Hæc igitur confisa in Domino,spreuit & subsannauit minas regis Assur, mouens caput post eum,secura ob auxilium Dei.* [d] Excelsa montium.] *Per excelsa vel iuga montium intelliguntur loca in montibus extructa,arte atque natura munita.Per latera Libani intelligitur terra Israel,præsertim mõtana, vt est ea, quæ circa Ierusalem inuenitur:per cedros & abietes intellige insigniora quæque loca, et per diuersorium Hierosolymam,vel templum ipsum,quod vnicum illius regni fuit Asylum.* [e] Ego fodi & bibi.] *Sunt qui ad literam hunc versum exponant,alij verò putant intelligendum de locis passim à rege Assur deuictis, cuius aduentus tantum metum incussit habitatoribus terræ,vt ille nemine resistente,vestigio pedis sui transierit fossas & munitiones quasque circa ciuitates extructas.*

[f] Nũquid nõ audisti.] *Iamdiu,inquit,illa terræ & gentium desolationem præordinaui,& per prophetas prædixi,sed modo sub regibus Assur, voluiam in effectum venire,vt vrbes munitissimæ passim in ruinas collaberentur, & habitatores earum fortissimi,quasi non haberent manus,languescerent,confunderentur,& in modum inualidæ herbæ mollescerent.*

[g] Erit signum.] *Signum illud additur,vt non timeat,ne rex alius post interfectum Sennacherib facilè aussurus sit inuadere terram Iuda.Est autem hoc signum,quòd Deus daturus erat suam benedictionem, sponte nascentibus in terra, vt magna hominum multitudo hinc sufficiens alimentum esset habitura, non vno tantum sed duobus annis: putant autem Hebræi secundum annum fuisse annum remissionis.Illud autem.Comede quæ repereris. in Heb.est quæ sua sponte nascuntur, & in anno secundo,quæ repullulauerint à sponte nascentibus.*

CAPVT XX.

IN diebus illis ægrotauit Ezechias vsq; ad mortẽ:& venit ad eum Esaias filius Amos propheta, dixitq; ei, A
Hæc dicit Dominus,[a] Præcipe domui tuæ:morieris enim tu,& non viues. Qui conuertit faciem suã [b] ad
parietem,& orauit Dominum,dicens,Obsecro Domine, memento quæso quomodo ambulauerim co-
ràm te inveritate, & in corde perfecto,et quod placitum est coràm te fecerim.Fleuit itaq; Ezechias fletu magno.Et antequam egrederetur Esaias mediam partẽ atrij,factus est sermo Domini ad eum,dicẽs, Reuertere, & dic Ezechiæ duci populi mei,Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuam, vidi lacrymam tuam:ecce sanaui te,die tertio ascendes templum Domini.Et addã diebus tuis quindecim annos: sed & de manu regis Assyriorum liberabo te,& ciuitatem hanc,& protegam vrbem istã propter me, & B
propter Dauid seruum meum.Dixitq; Esaias,Afferte [c] massam ficorum.Quam cum attulissent, & posuissent super vlcus eius,curatus est.Dixit autem Ezechias ad Esaiam,Quod erit signum quòd Dominus me sanabit,& quòd ascẽsurus sum die tertia templum Domini? Cui ait Esaias,Hoc erit signum à Domino, quòd facturus sit Dominus sermonem quem locutus est:vis vt ascẽdat vmbra [d] decem lineis, an vt reuertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias, Facile est vmbram crescere decem lineis:nec hoc volo vt fiat,sed vt reuertatur retrorsum decem gradibus. Inuocauit itaq; Esaias propheta Dominum,& reduxit vmbram per lineas, quibus iã descenderat in horologio Achaz,retrorsum decem gradibus. In tempore illo misit Berodach Baladan filius C
Esaiæ 33.a Baladan [e] rex Babyloniorum,literas,& munera ad Ezechiam:audierat enim quòd ægrotasset Ezechias. Lætatus est autem in aduentu eorum Ezechias,& ostendit eis domum † thesauri sui,& aurum, & argentum, & † aromata,vnguentum optimum,& domum vasorum suorũ & omnia quæ habere poterat in thesauris suis. Nõ fuit verbum quod nõ monstraret eis Ezechias in domo sua,& in omni potestate sua.Venit autem Esaias propheta ad regem Ezechiam, dixitq; ei. Quid dixerũt viri isti? aut vnde venerunt ad te? Cui ait Ezechias, De terra longinqua venerũt ad me de Babylone.At ille respõdit,Quid viderunt in domo tua? Ait Ezechias, Omnia,quæcunq; sunt in domo mea,viderunt:nihil est quod non monstrauerim eis in thesauris meis. Dixit itaq; Esaias Ezechiæ,Audi sermonem Domini,Ecce dies venient,& auferentur omnia quę sunt in domo tua,& quæ condiderunt patres tui vsq; in diem hanc,in Babylonem : non remanebit quicquam, ait Dominus.Sed & de filijs tuis,qui egredientur ex te,quos generabis,tollent,& erunt eunuchi in palatio regis Babylonis.Dixitq; Ezechias ad Esaiam,Bonus sermo Dñi,quem † tu locutus es:sit pax et veritas in diebus meis. Reliqua autem sermonum Ezechiæ,& omnis fortitudo eius,& quomodo fecerit piscinam,& aquęductum, & introduxerit aquas in ciuitatẽ,nónne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Iuda? Dormiuitq; Ezechias cum patribus suis,& regnauit Manasses filius eius pro eo.

2.Par. 32.f
Esaiæ 38.a
Eccle.48.d

SCHOLIA.

[a] Præcipe domui tuæ.] *Hebraismus est: pro, commenda viro alicui domum tuam.* [b] Ad parietem.] *Quòd se magis colligeret adorandum, & flere liberius posset.* [c] Massam ficorum.] *Ferunt Hebræi hic miraculum additum miraculo, quòd secundum naturæ vim potius exasperandum fuisset vlcus appositione ficorum.* [d] Decem lineis.] *Sive gradibus,& intelligunt horas.Putant quidam solem subitò vno temporis momento motum decem gradibus.*

[e] Rex Babyloniorum.] *Senacherib rex Assur,qui monarchiam tenebat imperij, dominabatur quidem regno Babylonico, sed habuit regnum illud proprium regem,qui tributa pendebat regi Assyriorum, donec Nabuchodonosor in Babylonia regnare cœpit,hic enim abiecit omne seruitutis iugum, & factus est monarcha, etiam regnum Assyriorum sibi subijciens: mansitq; monarchia apud Babylonios septuaginta annis.In libro Paralip.scribitur,missos legatos, qui interrogarent de portento,quod acciderat super terram.*

CAPVT XXI.

A DVodecim annorum erat Manasses cum regnare cœpisset, & quinquagintaquinque annis regnauit in 2.Par.33.a
Ierusalem:nomen matris eius Aphsiba.Fecitq; malum in cõspectu Domini,iuxta idola gentiũ, quas deleuit Dominus à facie filiorũ Israel,Cõtersusq; est, & ędificauit excelsa, quę dissipauerat Ezechias pater eius:& erexit aras Baal,& fecit lucos sicut fecerat Achab rex Israel : & adorauit omnem militiam cœli, & coluit eam.Extruxitq; aras in domo Domini,de qua dixit Dominus,in Ierusalem ponam nomen meum. 2.Reg.7.b
Et extruxit altaria vniuersæ militiæ cœli in duobus atrijs templi Domini. Et traduxit filium suum per ignẽ: & ariolatus est,& obseruauit auguria,& fecit pythones,& aruspices multiplicauit, vt faceret malum coràm
B Domino,& irritaret eum.Posuit quoq; idolum luci , quem fecerat in templo Domini,super quo locutus est 2.Reg.7.b
Dominus ad Dauid,& ad Salomonem filium eius,In templo hoc & in Ierusalem , quam elegi de cunctis tri- 3.Reg.8.b
bubus Israel,ponã nomen meum in sempiternum.Et vltrà nõ faciam cõmoueri pedẽ Israel de terra quam dedi patribus eorum:si tamen custodierint opere omnia, quę præcepi eis , & vniuersam legẽ quã mandauit eis seruus meus Moyses.Illi verò non audierunt:sed seducti sunt à Manasse,vt facerent malum super gẽtes quas contriuit Dominus à facie filiorum Israel. Locutusq; est Dñs in manu seruorũ suorũ prophetarum,dicens, Hiere.15.a
Quia fecit Manasses rex Iuda abhominationes istas pessimas,super omnia , quę fecerunt Amorrhæi ante eũ,
C & peccare fecit etiam Iudam in immundicijs suis:propterea hęc dicit Dñs Deus Israel,Ecce ego inducã mala super Ierusalẽ,& Iudam:vt quicunq; audierit, tinniant ambę aures eius.Et extendã super Ierusalẽ [a] funiculũ Samariæ,& pondus domus Achab:& [b] delebo Ierusalẽ,sicut † detergi solent patellę,& detersę verti in faciem suam.Dimittam verò reliquias hęreditatis meę,& tradam eas in manus inimicorum eius:eruntq; in [2] vastitatẽ,& in rapinam cunctis aduersarijs suis:eò [3] quòd fecerint malum coràm me,& perseuerauerint irritantes me ex die qua egressi sunt patres eorũ ex Ægypto,vsq; ad hanc diẽ.Insuper & sanguinem innoxium fudit Manasses multũ nimis,donec impleret Ierusalem vsque ad os:absq; peccatis suis quibus peccare fecit Iudam,vt faceret
D malum coràm Dño. Reliqua autem sermonũ Manasse, & vniuersa,quæ fecit,& peccatum eius quod peccauit nónne hęc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Iuda? Dormiuitq; Manasses cũ patribus suis, & sepultus est in horto domus suæ,in horto Oza:& regnauit Amon filius eius pro eo. Vigintiduorum annorum erat Amon cum regnare cœpisset:duobus quoque annis regnauit in Ierusalem , nomẽ matris eius Mesalémeth filia Harus de Iateba,Fecitq; malum in conspectu Domini,sicut fecerat Manasses pater eius.Et ambulauit in omni via per quam ambulauerat pater eius:seruiuitq; immundicijs quibus seruierat pater eius, & adorauit eas,& dereliquit Dominum Deum patrum suorũ,& non ambulauit in via Domini. Tetenderũtq; ei insidias serui sui,& interfecerunt regem in domo sua . Percussit autem populus terræ omnes qui coniurauerant contra regem Amon:& constituerant sibi regem Iosiam filium eius pro eo. Reliqua autem sermonũ Amon,quæ fecit,nónne hæc scripta sunt in libro sermonum dierum regum Iuda? Sepelieruntq; eum in sepulchro suo in horto Oza:& regnauit Iosias filius eius pro eo.

SCHOLIA.

[a] Funiculum Samariæ.] *Hoc est ea mensura qua Samaritis impiè agentibus mensi sumus, Hierosolymitanis quoque metiar, cum eadem commiserint scelera.* [b] Delebo Ierusalem.] *Sensus est, sicut patella immunda detergitur, deinde in superficiem concauam ponitur, ne labem aliquam contrahat.sic Ierusalem à sceleratis hominibus repurgabitur, & penitus subuertetur.*

CAPVT XXII.

A OCto annorum erat Iosias cum regnare cœpisset, & triginta vno anno regnauit in Ierusalem : no- 2.Par.34.a
men matris eius Idida , filia Adaia de Besecath . Fecitque quod placitum erat coràm Domino, & ambulauit per omnes vias Dauid patris sui:non declinauit ad dextram , siue ad sinistram. Anno autem octauodecimo regis Iosiæ,misit rex, Saphan filium Asalia,filij Messulam scribam † ad templum Domini,dicens,Vade ad Helciam sacerdotem magnum , vt [a] confletur pecunia , quę illata est in templum Domini,quam collegerunt ianitores à populo,deturq; fabris per prępositos in domo Domini: qui & distribuãt eam his qui operantur in templo Domini , ad instaurandas fartatecta templi , tignarijs videlicet & cęmentarijs,& ijs qui interrupta componũt:& vt emantur ligna,& lapides † secti ad instaurandum templum Domi-
B ni.Veruntamen † ratio nõ exigatur ab eis de pecunia quã accipiũt , sed in potestate habeant,& in fide.Dixit autem Helcias pontifex ad Saphan scribam.[b] Librum legis reperi in domo Domini . Deditq; Helcias volumen Saphan,qui & legit illud.Venit quoque Saphan scriba ad regem,& renuntiauit ei quod præceperat , & ait,Conflauerunt serui tui pecuniã, quæ reperta est in domo Domini:& dederunt vt distribueretur fabris ac præfectis operum templi Domini. Narrauit quoque Saphan scriba regi,dicens, Librum dedit mihi Helcias sacerdos. Quem cum legisset Saphan coràm rege,& audisset rex verba libri legis Domini, scidit vestimenta sua.Et præcepit Helciæ sacerdoti, & Ahicam filio Saphan , & Achobor filio Michaiæ , & Saphan scribæ , & Asaiæ seruo regis,dicens,Ite,& consulite Dominum super me,& super populo , & super omni Iuda , de ver-
C bis voluminis istius quod inuentum est:magna enim ira Domini succensa est contra nos: quia non audierũt patres nostri verba libri huius,vt facerent omne quod scriptum est nobis. Ierunt itaque Helcias sacerdos , & Ahicam,& Achobor , & Saphan , & Asaia ad Oldam prophetidem vxorem Sellum filij Thecuæ , filij Araas, custodis

custodis vestium,quæ habitabat in Ierusalem,in † domo doctrinæ:locutiq; sunt ad eam. Et illa respõdit eis.
Hęc dicit Dominus Deus Israel, Dicite viro qui misit vos ad me,Hæc dicit Dominus,Ecce, ego adducam
mala super locum istum,& super habitatores eius,omnia † scilicet verba libri, [c] quæ legit rex Iuda:quia dere
liquerunt me,& sacrificauerunt dijs alienis,irritantes me in cunctis operibus manuum suarum:& succende- D
tur indignatio mea in loco hoc,& non extinguetur. Regi autem Iuda qui misit vos, vt consuleretis Domi-
num,sic dicetis,Hæc dicit Dominus Deus Israel,Pro eo quòd audisti verba voluminis,& perterritum est cor
tuum,& humiliatus es coràm Domino,auditis sermonibus contra locum istum, & habitatores eius, quòd
videlicet fierent in stuporem & in maledictum,& scidisti vestimenta tua,& fleuisti coràm me, & ego audiui
ait Dominus:iccirco colligam te ad patres tuos,& colligeris ad sepulchrum tuum in pace,vt nõ videant ocu-
li tui omnia mala,quæ inducturus sum super locum istum.

SCHOLIA.

[a] Conflетur.] *In vnum colligatur,& ordinetur in opus ædificij.* [b] Librum legis.] *Manasse rex impius qui quinquaginta annis regno præfuit, penitus aboleuit legem Domini, & occidit prophetas, atque omnes bonos viros, qui suæ impietati noluerunt subscribere, & tunc vir quidam bonus reposuit exemplar legis diuinæ in quodam loco templi tuto, quod sub Iosia nutu Dei fuit repertum. Et licet Manasse post captiuitatem suam,qua in Babel fuerat ductus: pœnitentiam egerit, vt liber Paralip. docet, & magno studio idololatriam,quam introduxerat, studuerit eliminare à terra, senio tamen grauatus, & morte præuentus, legem Domini instaurare non valuit.* [c] Quæ legit rex Iuda.] *Secundum Hebr. incidit rex in lectionem vigesimioctaui capitis Deuteronomij: nam illic agitur de extremo malo, quod venturum erat super Iudæos, quando legem Dei desererent.*

CAPVT XXIII.

ET renuntiauerunt regi quod dixerat. Qui misit : & congregati sunt ad eum omnes senes Iuda & Ierusa- A
2.Par. 34.f lem. Ascenditq; rex templum Domini,& omnes viri Iuda, vniuersiq; qui habitabant in Ierusalem cũ
eo sacerdotes & prophetæ,& omnis populus à paruo vsq; ad magnum: legitq; cunctis audientibus om
nia verba libri fœderis,qui inuentus est in domo Domini.Stetitq; rex † iuxta columnam:& fœdus percussit
coràm Dño,vt ambularet post Dñm,& custodirent præcepta eius,& testimonia, & ceremonias in omni cor
de,& in tota anima, & suscitarent verba fœderis huius, quæ scripta erant in libro illo: acquieuitq; populus
pacto.Et præcepit rex Helciæ pontifici & sacerdotibus secundi ordinis,& † custodibus vasorum, vt proijce-
rent de templo Domini omnia vasa,quæ facta fuerant Baal,& luco,& vniuersæ militiæ cœli:& combussit ea B
foris Ierusalem in conualle Cedron,& tulit [a] puluerem eorum in Bethel.Et deleuit † ministros Baal quos po
Eccle.49.a fuerant reges Iuda ad sacrificandum in excelsis per ciuitates Iuda,& in circuitu Ierusalem:& eos qui adolebãt
incensum Baal,& Soli & Lunæ † & Signis,& omni militiæ cœli. Et efferri fecit lucum de domo Domini fo-
ras Ierusalem in conualle Cedron:& combussit eum ibi,& redegit in puluerem,& proiecit super [b] sepulchra
vulgi.Destruxit quoq; ędiculas effœminatorum,quæ erant † iuxta domum Domini, † in quibus [c] mulieres
texebant quasi domunculas luci. Cõgregauitq; omnes sacerdotes de ciuitatibus Iuda: & contaminauit excel
sa,vbi sacrificabant sacerdotes,de Gabaa vsq; Bersabee:& destruxit aras portarum in introitu ostij Iosue prin C
cipis ciuitatis,quod erat ad sinistram portę ciuitatis. Veruntamen non ascendebant sacerdotes excelsorum
ad altare Domini in Ierusalem:sed tantum [d] comedebant azyma in medio fratrum suorum. Contaminauit
quoq; [e] Thophet,quod est in conualle filij Ennon:vt nemo cõsecraret filium aut filiam per ignem, Móloch.
Abstulit quoq; [f] equos quos dederant reges Iudæ Soli,in introitu templi Domini,iuxta † cameram Nathan-
mélech eunuchi,qui erat † princeps in suburbijs:currus autem Solis combussit igni. Altaria quoq;,quę erãt
super tecta cœnaculi Achaz,quæ fecerant reges Iuda, & altaria, quę fecerat Manasses in duobus atrijs templi
Domini destruxit rex:& cucurrit inde,& dispersit cinerem eorũ in torrẽtẽ Cedron.Excelsa quoq;,quę erant D
in † prospectu Ierusalẽ ad dexteram partem mõtis † Olíueti, quę ędificauerat Salomon rex Israel Astaroth
idólo Sidoniorum,& Chamos offensioni Moab,& Melchom abominationi filiorũ Ammon,polluit rex. Et
3.Re.12.b cõtriuit statuas,& succidit lucos:repleuitq; loca eorum ossibus mortuorum. Insuper & altare quod erat in
Bethel,& excelsum quod fecerat Ieroboam filius Nabat,qui peccare fecit Israel: † altare,inquam,illud & ex-
3.Re.11.g celsum destruxit atq; combussit,& cõminuit in puluerem,succenditq; etiam lucum. Et conuersus Iosias,vi
dit ibi sepulchra,quę erant in monte:misitq; & tulit ossa de sepulchris,& combussit ea super altare,& polluit
3. Re.13.a illud iuxta verbũ Domini,quod locutus est vir Dei,qui prædixerat verba hæc. Et ait, Quis est titulus ille quẽ E
video?Responderuntq; ei ciues vrbis illius,Sepulchrum est hominis Dei,qui venit de Iuda, & prędixit verba
hęc,quę fecisti super altare Bethel.Et ait,Dimittite eũ,nemo cõmoueat ossa eius.Et intacta manserunt ossa il
lius cum ossibus prophetæ qui venerat de Samaria.Insuper & omnia phana excelsorum,quæ erant in ciuita-
tibus Samariæ,quæ fecerant reges Israel ad irritandũ Dominum,abstulit Iosias:& fecit eis secundum omnia
opera,quæ fecerat in Bethel.Et occidit vniuersos sacerdotes excelsorum, qui erant ibi, super altaria:& com-
2.Par.35.a bussit ossa humana super ea:reuersusq; est Ierusalem.Et præcepit omni populo, dicens, Facite phase Domi-
3.Esdr.1.a no Deo vestro,secundũ quod scriptum est in libro fœderis huius. Nec enim factũ est phase tale à diebus Iu- F
dicum,qui iudicauerunt Israel,& omnium dierum regum Israel: & regum Iuda, sicut in octauodecimo an-
no regis Iosiæ factũ est phase istud Dño in Ierusalem.Sed & pythones & ariolos,& figuras idolorũ,& immũ-
ditias,& abominationes,quæ fuerant in terra Iuda,& Ierusalem,abstulit Iosias: vt statueret verba legis, quæ
scripta sunt in libro quẽ inuenit Helcias sacerdos in tẽplo Domini. Similis illi nõ fuit ante eũ rex,qui reuer-
teretur ad Dominũ in omni corde suo,& in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua iuxta omnẽ legẽ Moy-
si:neque post eum surrexit similis illi. Veruntamen non est auersus Dominus ab ira furoris sui magni, quo
iratus est furor eius contra Iudam : propter irritationes quibus prouocauerat eum Manasses. Dixit itaque
Dominus,

Dominus,Etiam Iudam auferam à facie mea,sicut abstuli Israel: & proijciam ciuitatem hanc quam elegi Ie-
rusalem,& domum de qua dixi,Erit nomen meũ ibi.Reliqua verò sermonum Iosiæ, & vniuersa, quæ fecit,
nónne hæc scripta sunt in libro verborum dierum regum Iuda? In diebus eius ascendit Pharao Nechao rex
Ægypti contra regem Assyriorum ad flumen Euphráten:& abijt Iosias rex in occursum eius:& occisus est in 2.Par.35.a
Mageddo cum vidisset eum. Et portauerunt eum serui sui mortuum de Mageddo : & pertulerunt in Ierusa-
G lem,& sepelierũt eũ in sepulchro suo. Tulitq; populus terræ Ioachaz filiũ Iosię:& vnxerũt eũ & cõstituerunt
eum regẽ pro patre suo. Vigintitriũ annorum erat Ioachaz cum regnare cœpisset, & tribus mẽsibus regna-
uit in Ierusalem:nomen matris eius Amital,filia Ieremiæ de Lobna. Et fecit malum coràm Domino,iuxta
omnia,quæ fecerant patres eius. [g] Vinxitq; eum Pharao Nechao in Rebla,quæ est in terra Emath,ne regna-
ret in Ierusalem:& imposuit mulctam terrę centum talentis argenti,& talento auri.Regemq; constituit Pha 2.Par.36.e
rao Nechao Eliacim filium Iosiæ pro Iosia patre eius, vertitq; nomen eius Ioacim: porrò Ioachaz tulit,† ve-
niensq; in Ægyptum mortuus est ibi.Argentum autem,& aurum dedit Ioacim Pharaoni,cum indixisset ter
ræ per singulos,vt conferretur iuxta præceptum Pharaonis:& † ab vnoquoq; iuxta vires suas exegit, tam ar-
gentum quàm aurum de populo terrę,vt daret Pharaoni Nechao, Vigintiquinq; annorum erat Ioacim cum
regnare cœpisset:& vndecim annis regnauit in Ierusalem: nomen matris eius Zebda filia Phadaia de Ruma.
Et fecit malum coràm Domino iuxta omnia,quæ fecerant patres eius.

SCHOLIA.

[a] Puluerem eorum in Bethel.] *Hoc ideo fecit,quòd illic à tempore quo Ieroboam ibi erexerat vitulum, præcipua viguisset idololatria.* [b] Sepulchra vulgi.] *Sparsit cinerem super sepulchra illorum,qui in vita sua coluerunt idola, vt inde aduerteretur,quàm vana res esset idolum,quòd cum suo cultore sic periret.* [c] Mulieres texebant.] *Fiebant quædam tentoria & domunculæ, sub quibus in lucis ipsis nephanda exercebantur.* [d] Comedebant Azima.] *Hoc est oblationes Minha, quæ paratæ erant ex farina non fermentata.* [e] Thophet.] *Ferunt locum illum sic vocatum à timpano, quod illic percutiebatur,cũ puer per duos ignes hinc atque hinc positos adigeretur, ne clamor eius & eiulatus, quem inter flammas emittebat, audiretur,& paterna commouerentur viscera. Fuit autem imago ipsa Moloch concaua, habens caput vituli, & manus hominis extentas atque paratas ad suscipiendum, & ponebatur in ignem, & pueri qui per ignem traducebantur ad brachia Moloch impellebantur, vt inter amplexus eius cremati, gratum illi fieret sacrificium. Vocatusq; est locus ille vallis filiorũ Hennon à rugitu ipso quem filij ibi immolati emiserunt.* [f] Equos.] *Adoraturi solem insidebant equis illis, equitabantq; ab ingressu templi vsq; ad cameram Nathanmelech,quem rex constituerat principem super suburbia.* [g] Vinxitq; eum.] *Volens enim Ioachaz vlcisci patrem suum Iosiam, irruit in terram Aegypti,sed captus à Pharaone & in Aegyptum ductus,mortuus est ibi in vinculis.*

CAPVT XXIIII.

A IN diebus eius ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & factus est ei Ioacim seruus tribus annis: &
rursum rebellauit contra eum. Immisitq; ei Dominus latrunculos Chaldæorum & [a] latrunculos Syrię,
& latrunculos Moab, & latrunculos filiorum Ammon: & immisit eos in Iudam, vt disperderent eum
iuxta verbum Domini quod locutus fuerat per seruos suos prophetas. Factum est autem hoc per verbum
Domini contra Iudam, vt auferret eum coràm se propter peccata Manasse vniuersa,quę fecit:& propter san
guinem innoxium quem effudit, & impleuit Ierusalem cruore innocentium: & ob hanc rem noluit Do-
B minus propitiari. Reliqua autem sermonum Ioacim, & vniuersa, quæ fecit, nónne hæc scripta sunt in li-
bro sermonum dierum regum Iuda? Et dormiuit Ioacim cum patribus suis: & regnauit Ioachin filius eius
pro eo.Et vltrà non addidit rex Ægypti,vt egrederetur de terra sua: tulerat enim rex Babylonis à riuo Ægy-
pti,vsq; ad fluuium Euphráten omnia,quæ fuerant regis Ægypti. Decem & octo annorum erat Ioachin cũ
regnare cœpisset:& tribus mensibus regnauit in Ierusalem:nomen matris eius Nehusta filia Elnathan de Ie-
rusalem.Et fecit malum coràm Domino, iuxta omnia, quæ fecerat pater eius. In tempore illo ascenderunt
C serui Nabuchodonosor regis Babylonis in Ierusalẽ, & circundata est vrbs munitionibus. Venitque Nabu-
chodonosor rex Babylonis ad ciuitatem, cum serui eius oppugnarent eam. [b] Egressusque est Ioachin rex
Iuda ad regem Babylonis, ipse & mater eius,& serui eius, & principes eius, & eunuchi eius: & suscepit eum Dan.1.a
rex Babylonis anno octauo regni sui. Et protulit inde omnes thesauros domus Domini, & thesauros domus
regię:& concidit vniuersa vasa aurea, quæ fecerat Salomon rex Israel in templo Domini iuxta verbum Do-
mini. Et transtulit omnem Ierusalem,& vniuersos principes,& omnes fortes exercitus,decem millia in ca- Est.2.a
D ptiuitatem:& omnem artificem & inclusorem: nihilq; relictum est,exceptis pauperibus populi terræ. Tran-
stulit quoque Ioachin in Babylonem,& matrem regis,& vxores regis,& eunuchos regis: & iudices terræ du-
xit in captiuitatem de Ierusalem in Babylonem. Et omnes viros robustos,septem millia,& artifices & inclu-
sores mille,omnes viros fortes & bellatores:duxitque eos rex Babylonis captiuos in Babylonem. Et consti-
tuit Matthaniam patruum eius pro eo:imposuitque nomen ei Sedechiam. Vicesimum & primum annum
ætatis habebat Sedechias, cum regnare cœpisset,& vndecim annis regnauit in Ierusalem:nomen matris eius Hier. 37.a
erat Amital, filia Ieremiæ de Lobna.Et fecit malum coràm Domino,iuxta omnia,quæ fecerat Ioacim. Ira- &52.a
scebatur enim Dominus contra Ierusalem & contra Iudam, donec proijceret eos à facie sua: recessitq; Se-
dechias à rege Babylonis.

SCHOLIA.

[a] Latrunculos.] *Vel turmas, quæ per subitas incursiones homines diripiunt, quam artem hodie Turca contra finitimos Christianos strenuè exercet, subitò in eos irruens, & captiuos abducens.* [b] Egressusque est Ioachin.] *Vt scilicet pacem faceret cum Nabuchodonosor, verum illo renuente ductus est in captiuitatem vnà cum principibus, artificibus, eunuchis,& custodibus.*

Caput

CAPVT XXV.

FActum est autem anno nono regni eius, mense decimo, decima die mẽsis, venit Nabuchodonosor rex A
Babylonis, ipse & omnis exercitus eius in Ierusalem, & circundederunt eam: & extruxerunt in circuitu
Hier. 39.a & 52.a eius munitiones. Et clausa est ciuitas atq; vallata, vsq; ad vndecimum annum regis Sedechię, [a] nona die
mensis, prævaluitq; fames in ciuitate, nec erat panis populo terræ. Et interrupta est ciuitas: & omnes viri bellatores nocte fugerunt per viã porte, quę est inter duplicẽ murum ad hortum regis: porrò Chaldęi obsidebãt
in circuitu ciuitatẽ: fugit itaq; Sedechias per viam, quæ ducit in campestria solitudinis. Et persecutus est exercitus Chaldęorum regẽ: cõprehenditq; eum in planitie Iericho: & omnes bellatores, qui erant cum eo dispersi B
fi sunt. † Apprehensum ergo regem duxerunt ad regem Babylonis in Reblá: [b] qui locutus est cũ eo iudiciũ.
Filios autem Sedechiæ occidit coràm eo, & oculos eius effodit: vinxitq; eum catenis, & adduxit in Babylonẽ.
[c] Mense quinto, septima die mẽsis, ipse est annus nonusdecimus regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps
Psal. 73. exercitus, seruus regis Babylonis in Ierusalẽ. Et succẽdit domum Domini, & domum regis: & omnes domos
Ierusalem, omnemq; domum magnam cõbusit igni. Et muros Ierusalem in circuitu destruxit omnis exercitus Chaldæorum, qui erat cum principe militum. Reliquam autem populi partem, quæ remanserat in ci- C
uitate, & perfugas, qui transfugerant ad regem Babylonis, & reliquum vulgus transtulit Nabuzardan prin-
Hier. 27.d ceps militiæ. Et de pauperibus terræ reliquit vinitores & agricolas. Columnas autem æreas, quæ erant in tẽplo Domini, & bases, & mare æreum quod erat in domo Dñi, confregerunt Chaldæi, & transtulerunt ęs omnium in Babylonem. Ollas quoq; æreas, & trullas, & tridẽtes, & scyphos, & mortariola, & omnia vasa ærea,
in quibus ministrabant, tulerunt. Necnon & thuribula, & phialas: quæ aurea, aurea: & quę argentea, argẽtea
tulit princeps militiæ: colũnas duas, mare vnũ, & bases, quas fecerat Salomon in templo Domini: nõ erat põ D
dus ęris omniũ vasorum. Decẽ & octo cubitos altitudinis habebat columna vna: & capitellum æreum super
se altitudinis trium cubitorum: & retiaculum, & mala granata super capitellum † per circuitũ, omnia ærea:
similem & columna secunda habebat ornatum. Tulit quoq; princeps militiæ Saraiam sacerdotem primũ:
& Sophoniam sacerdotem secundum, & tres ianitores. Et de ciuitate eunuchum vnum qui erat præfectus
super bellatores viros: & quinq; viros de his qui steterant coràm rege, quos reperit in ciuitate: † sed & eũ qui
erat scriba principis militiæ, educentis populum terræ ad pugnam, atq; sexaginta viros de populo terræ, qui E
inuenti fuerant in ciuitate. Quos tollens Nabuzardan princeps militum, duxit ad regẽ Babylonis in Reblá.
Percussitq; eos rex Babylonis, & interfecit eos in Reblá in terra Emath: & transtatus est Iuda de terra sua. Po-
Hier. 40. c pulo autem, qui relictus est in terra Iuda, quẽ dimiserat Nabuchodonosor rex Babylonis, prefecit Godoliam
filium Ahicam filij Saphan. Quod cum audissent omnes duces militũ, ipsi & viri qui erant cum eis, videlicet
q̃ cõstituisset rex Babylonis Godoliam: venerũt ad Godoliam in Maspha, Ismael filius Nathanię, & Iohanan
filius Caree, & Saraia filius Thanehumeth Nethophathites, & Iezonias filius Maachathi ipsi & socij eorum. F
Iurauitq; Godolias ipsis & socijs eorũ, dicẽs, Nolite timere seruire Chaldęis: manete in terra, & seruite regi
Babylonis, & bene erit vobis. Factum est autẽ in mense septimo, venit Ismael filius Nathanię filij Elisama de
semine regio, & decẽ viri cum eo: percusseruntq; Godoliã, qui & mortuus est: sed & Iudæos & Chaldæos qui
erant cum eo in Maspha. Consurgensq; omnis populus à paruo vsq; ad magnũ, & principes militum venerunt in Ægyptum timẽtes Chaldęos. Factum est verò in anno tricesimoseptimo transmigrationis Ioachin
regis Iudę, mense duodecimo, vicesimaseptima die mẽsis subleuauit Euilmerodach rex Babylonis anno quo G
regnare cœperat, caput Ioachin regis Iuda de carcere. Et locutus est ei benignè, & posuit thronum eius super
thronum regum qui erant cum eo in Babylone. Et mutauit vestes eius quas habuerat in carcere, & comedebat panem semper in conspectu eius cunctis diebus vitæ suę. Annonam quoq; constituit ei sine intermissione, quæ & dabatur ei à rege per singulos dies omnibus diebus vitæ suæ.

SCHOLIA.

[a] Nona die mensis.] *In Hieremia scribitur, quòd mense quarto nona die mensis per Chaldæos interruptus fuerit murus ciuitatis.* [b] Qui locutus est cum eo iudicium.] *Rex seuero animo corripuit eum, quòd rebellare ausus fuerit, & violare fidem atq; iuramentum.* [c] Mense quinto.] *Hoc primum Hierosolymitanæ vrbis excidium factũ fuisse scribitur, anno ab ingressu terræ octingentesimo & quinquagesimo, à principio verò mundi anno ter millesimo tricentesimo octauo.*

FINIS.

LIBER PARALIPOMENON.

Nostri hunc librum post Græcos Paralipomenon, hoc est, derelictorum, quòd in eo tangantur historiæ, quæ in libris Regum sunt prætermissæ: apud Hebræos vocatur, Verba seu gesta dierum, quòd in hoc libro describãtur sigillatim verba regum Iuda atq; Israel. An autem liber iste is sit liber, cuius mentionẽ facit liber Regum, quando dicitur. Nonne hæc scripta sunt in libro Verborum dierum regum Iuda & Israel? incertum est, & quibusdam videtur is non esse, cũ plura eorum non contineat, quæ ibidem in ipso legi inscribuntur. Ponitur ab Hebræis post librum Ezræ, quòd putent illum scriptum ab Ezra eo tempore quo populus Iudaicus post captiuitatem Babylonicam sub duce Zorobabel redierat Ierusalem, id quod colligunt ex fine huius libri. Et hi quidem dicere nequeunt hunc librum citari in libris Regum, cum eo tempore nõdum fuerit conscriptus, nisi malueris etiam duos libros Regum descriptos post captiuitatem, id quod negant, qui eos à Hieremia propheta conscriptos asserunt. Porrò quidam scribunt, Ezram inuenisse tres libros genealogiarum, ex quibus hũc conflarit librum, & vbi illos mancos inuenit, transfisse: hinc factum putant, quòd in sequentibus loca quædam sunt tam obscura in recensione genealogiarum, vt à nemine explicari possint.

Liber

LIBER PARALIPO
MENON PRIMVS. HEBRAICE DIBRE HAIAMIN.

CAPVT I

A DAM, Seth, Enos, Cainam, Malaleel, Iared, Enoch, Mathusale, Lamech, Noe, Sem,
Chã, & Iapheth. Filij Iapheth: Gómer & Magog & Madai & Iauan, Thubal, Mósoch,
Thiras. Porrò filij Gómer: Ascenez & Riphat & Thógorma. Filij autem Iauan: Elisa & Tharsis, Cethim & Dodanim. Filij Chã: Chus & Mesráim & Phut & Chanáan.
Filij autem Chus: Saba & Euila, Sabatha & Regma & Sabathacha. Porrò filij Regma: Gene. 2.b
Saba & Dadan. Chus autem genuit Nemrod: iste cœpit esse potẽs in terra. Mesráim 4.d.5.b
verò genuit Ludim & Anamim & Laabim, & Nepthuim, Phetrusim quoq; & Chas-
luim: de quibus egressi sunt Philisthijm & Caphtorim. Chanaám verò genuit Sidonẽ primogenitũ suum, Gene. 10.a
Hethæum quoque Iebusæum & Amorrhæum & Gergesæum, Heuæumq;, & Araceum, & Sinæum, Aradiũ
B quoque, & Samaræum, & Amathæum. Filij Sem: Ælam: & Assur & Arphaxad & Lud & Aram. † Hus &
Hul & Gether & Mosoch. Arphaxad autem genuit Sale, qui & ipse genuit Heber. Porrò Heber nati sunt Gene. 10.b
duo filij, nomen vni Phaleg, quia in diebus eius diuisa est terra: & nomen fratris eius Iectan. Iectan autem
genuit Elmodad & Saleph & Asarmoth & Iare, Adoram quoq; & Vzal & Decla, Hebal etiam & Abimáel &
Saba, necnon & Ophir & Euila & Iobab: omnes isti filij Iectan. Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Ragau, Serug, Nachor, Thare, Abram: iste est Abraham. Filj autem Abraham, Isaac & Ismael. Et hę generationes eorum. Primogenitus Ismaelis, Nabaioth & Cedar & Abdeel & Mabsam & Masma & Duma, Massa, Gene. 10.d
Hadad & Thema, Ietur, Naphis, Cedma: hi sunt filij Ismaelis. Filij autem Ceturæ concubinæ Abrahã, quos 11.b
C genuit: Zamran, Iecsan, Madan, Madiã, Iesboc, & Sue. Porrò filij Iecsan. Saba, & Dadan. † Filij autem Madiam: Epha & Epher & Enoc & Abida & Eldaa: omnes hi, filij Cethuræ. Genuit autem Abraham Isaac: cuius fuerunt filij Esau & Israel. Filij Esau: Eliphaz, Raphuel, Iehus, Ihelom & Core: Filij Eliphaz: Theman,
Omar, Sephi, Gatham, Cenez, Thamna, Amalec. Filij Rahuel: Nahath, Zara, Samma, Meza. Filij Seir: Lotan, Sobal, Sebeon, Ana, Dison, Eser, Disan. Filij Lotan: Hori, Homã. Soror autẽ Lotã fuit Thamna. Filij Gene. 11.d
Sobal: Alian, & Manáhath, & Ebal, Sephi & Onã. Filij Sebeon: Aia & Ana. Filij Ana: Dison. Filij Dison: Gene. 25.b
Hamran, & Eseban & Iethran & Charã. Filij Eser: Balaan & Zauan & Iacan. Filij Dison: Hus & Arã. Isti
sunt reges, qui imperauerunt in terra Edon, antequam esset rex super filios Israel. Bela filius Beor: & nomen Gene. 25.a
D ciuitatis eius, Denába. Mortuus est autẽ Bela, & regnauit pro eo Iobab, filius Zaræ de Bosra. Cũq; & Iobab
fuisset mortuus, regnauit pro eo Husam de terra Themanorum. Obijt quoq; & Husam, & regnauit pro eo Gene. 25.c
Adad filius Badad, qui percussit Madian in terra Moab: & nomẽ ciuitatis eius Auith. Cumq; & Adad fuisset Gene. 36.b
mortuus regnauit pro eo Semla de Masreca. Sed & Semla mortuꝰ est, & regnauit pro eo Saul de Rohoboth,
quæ iuxta amnem sita est. Mortuo quoq; Saul, regnauit pro eo Bálanan filius Achobor; Sed & hic mortuus
est, & regnauit pro eo Adad: cuius vrbis nomen fuit Phai, & appellata est vxor eius Meetabel, filia Matred: filię Mezaab. Adad autem mortuo, duces pro regibus in Edom esse cœperũt: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, dux Cenez, dux Theman, dux Mabsar, dux Magdiel, dux Hiram:
hi duces Edom.

CAPVT II.

A FIlij autem Israel: Ruben, Simeon, Leui, Iuda, Issachar, & Zabulõ, Dan, Ioseph, Beniamin, Nephthalim, Gene. 29.g
Gad & Aser. Filij Iuda: Her, Onan, & Sela: hi tres, nati sunt ei de filia Sue Chananitide. Fuit autẽ Her & 30. a &
primogenitus Iudam, malus coràm Domino, & occidit eum. Thamar autẽ nurus eius peperit ei Pha- 35.c. d
res & Zara: omnes ergo filij Iuda, quinq;. Filij autem Phares: Esron & Hamul. Filij quoque Zaræ: Zamri Gene. 38.a
& Ethan & Emã, Chalchol quoq; & Dara, simul quinq;. Filij Charmi: Achar, qui turbauit Israel, & pecca- & 46.b
B uit in furto anathématis. Filij Ethã, Azarias. Filij autem Esron qui nati sunt ei: Iarameel & Ram & Calu- Infra. 4.a
bai. Porrò Ram genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naason principem filiorũ Iuda. Naason quo- Gene. 38.g
que genuit Salma, de quo ortus est Booz. Booz vero genuit Obed, qui & ipse genuit Isai. Isai autẽ genuit primogenitum Eliab, secundum Abinabab, tertium Simmaa, quartum Nathanael, quintum Raddai, sextum
C Asom, septimum Dauid, quorum sorores fuerũt Saruia & Abigáil. Filij Saruiæ: Abisái, Ioab & Asahel, tres. Matth. 1.a
Abigáil autem genuit Amasa, cuius pater fuit Iether Ismaelites. Caleb verò filius Esron † genuit Azubã, ex Iosue 7.a
vxore Azuba, & Ierioth: fueruntq; filij eius Iaser & Sobab & Ardon. Cumq; mortua fuisset Azuba: accepit Ruth 4.d
vxorem Caleb, Ephratha: quæ peperit ei Hur. Porrò Hur genuit Vri: & Vri genuit Beseleel. Post hæc ingres- 1.Re. 16.b
D sus est Esron ad filiam Machir patris Galaad, & accepit eam cum esset annorum sexaginta: quæ peperit ei Se- & 17.b
gub. Sed & Segub genuit Iair, & possedit vigintitres ciuitates in terra Galaad. Cepitq; Gessur & Aram oppida Iair, & Canath & viculos eius sexaginta ciuitatum: oćs isti, filij Machir patris Galaad. Cum autem mortuus esset Esron, ingressus est Caleb ad Ephratha. Habuit quoque Esron vxorem Abia, quæ peperit ei Ashur
patrem Thecue. Nati sunt autem filij Iarameel primogeniti Esron, Ram primogenitus eius, & Buna & Arã,

& Asom

& Asom & Achaia. Duxit quoq; vxorẽ alterã Ierameel, nomine Atara, quę fuit mater Onã. Sed & filij Ram primogeniti Ierameel, fuerunt Moos, Iamin & Acar. Onam autem habuit filios Semei & Iada. Filij autem Semei: Nadab & Abisur, Nomen verò vxoris Abisur, Abiháil, quę peperit Ahobban, & Molid. Filij autem Nadab fuerunt Saled, & Apphaim. Mortuus est autẽ Saled absq; liberis. Filius verò Apphaim Iesi: qui Iesi, genuit Sesan. Porrò Sesan genuit Oholai. Filij autẽ Iada fratris Semei: Iether & Ionathan, Sed & Iether mortuus est absq; liberis. Porrò Ionathan genuit Phaleth & Ziza. Isti fuerunt filij Ierameel. Sesan autẽ nõ habuit filios, sed filias: & seruum Ægyptiũ, nomine Ieraa. Deditq; ei filiã suã vxorem: quæ peperit Ethei. Ethei autẽ genuit Nathan, & Nathan genuit Zabad, Zabad quoq; genuit Ophlal, & Ophlal genuit Obed, Obed genuit Iehu, Iehu genuit Azariã, Azarias genuit Helles, & Helles genuit Elasa, Elasa genuit Sisamoi, Sisamoi genuit Sellum, Sellum genuit Icamia, Icamia autem genuit Elisama. Filij autem Caleb fratris Ierameel: Mesa primogenitus eius, ipse est pater Ziph: & filij Maresa patris Hebron. Porrò filij Hebron, Core, & Thaphua, & Recem, & Samma, Samma autem genuit Raham patrẽ Iercaam, & Recem genuit Sammái. Filius autẽ Sammái, Maon: & Maon pater Bethsur. Epha autem concubina Caleb peperit Haran, & Mosa, & Gezer. Porrò Haran genuit Gezer. Filij autem Iahaddái: Regom, & Ioathan, & Gesan, & Phalet, & Epha, & Saaph. Concubina Caleb Maacha, peperit Saber, & Tharana. Genuit autẽ Saaph pater Madmena, Sue patrem Machbena, & patrem Gabaa. Filia verò Caleb, fuit Achsa. Hi erant filij Caleb, filij Hur primogeniti Ephrátha, Sobal pater Cariathiarim, Salma pater Bethléhem, Hariph pater Bethgader. Fuerunt autẽ filij Sobal patris Cariathiarim, qui videbat dimidium requietionum, & de cognatione Cariathiarim, Iethrei, & Pluthéi, & Semathei, & Maserei. Ex his egressi sunt Saraithæ, & Esthaolitę. Filij Salma † Bethléhem, & Netophathi coronæ domus Ioab, & dimidium requietionis Sarai. Cognationes quoq; scribarũ habitantium in Iabes, † Tirathæi, Simathæi, Suchathæi. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de † Hammath patre domus Rechab.

CAPVT III.

2. Reg. 3.a

DAuid verò hos habuit filios, qui ei nati sunt in Hebron: primogenitum Amnon ex Achinoam Iezrahelitide, secundum Daniel de Abigáil Carmelitide, tertium Absálom filium Maacha filiæ Tholmai regis Gessur, quartum Adoniam filium Aggith, quintum Saphatiam ex Abital, sextum Iethraham de Egla vxore sua. Sex ergo nati sunt ei in Hebron, vbi regnauit septem annis & sex mensibus. Triginta autem & tribus annis regnauit in Ierusalem. Porrò in Ierusalẽ nati sunt ei filij Simmaa, & Sobab, & Nathan, 1. Reg. 5.c & Salomon, quatuor de Bethsua filia Ammiel. Iebaar quoq;, & Elisama, & Eliphalet, & Noge, & Nepheg, & Iaphia, necnon Elisama, & Eliada, & Eliphélet, nouem: omnes hi, filij Dauid, absq; filijs concubinarũ: habuerunt q; sororẽ Thamar. Filius autẽ Salomonis, Roboam: cuius Abia filius genuit Asa. De hoc quoq; natus est Iosaphat pater Ioram: qui Ioram, genuit Ochoziam, ex quo ortus est Ioas: & huius Amasias filius, genuit Azariam. Porrò Azariæ filius Ioatham, procreauit Achaz patrem Ezechiæ, de quo natus est Manasses. Sed & Manasses genuit Amon patrem Iosiæ. Filij autem Iosiæ fuerunt: primogenitus Iohanan, secundus Ioacim, tertius Sedechias, quartus Sellum. De Ioacim natus est Iechonias, & Sedechias. Filij Iechoniæ fuerunt: Assir, Matth. 1.b Salathiel, Melchiram, Phadaia, Senneser, & Iecemia, Hósama, & Nadabia. De Phadaia orti sunt Zorobabel, & Semei. Zorobabel genuit Mosollam, Hananiam, & Salomith sororem eorũ: Hasabam quoq;, & Ohol, & Barachiam, & Hasadiã, Iosabhésed quinq;. Filius autẽ Hananiæ † Phaltias, & Iesaia, filij Raphaia, filij Arnã, filij Obadia, filij Sechenia: Filij Secheniæ, Semeia: cuius filij Hattus, & Iegaal, & Baria, & Naaria, & Saphat sex numero. Filius Naariæ, Elioenai, & Ezechias, & Ezricam, tres. Filius Elioenái, Oduia, & Eliasub, & Pheleia, & Achub, & Iohanan, & Dalaia, & Anani, septem.

CAPVT IIII.

Supra 2.a Gene. 38.d & 46.b

FIlij Iuda: Phares, Esron, & Charmi, & Hur, & Subal. Raia verò filius Subal genuit Iahath, de quo nati sunt Ahumai & Laad: hæ cognationes Sarathi. Ista quoque stirps Etam: Iezrahel, & Iesema, & Iedebos. Nomen quoque sororis eorum, Asalelphuni. Phanuel autem pater Gedor, & Ezer pater Hosa. Isti sunt filij Hur primogeniti Ephratha patris Bethléhem. Ashur verò patris Thecue erant duæ vxores, Halaa, & Naara. Peperit autem ei Naara, Oozam, & Hepher, & Themani, & Ahastari: isti sunt filij Naara. Porrò filij Halaa: Séreth, & Sahar, & Ethnan. Cos autem genuit Anob, & Soboba, & cognationes Aharchel filij Arum. Fuit autem Iabes inclytus præ fratribus suis, & mater eius vocauit nomen illius Iabes, dicens, Quia peperi eum in dolore. Inuocauit ergo Iabes Deum Israel, dicens, Si benedicens benedixeris mihi, & dilataueris terminos meos, & fuerit manus tua mecum, & feceris me à malitia non opprimi. Et præstitit Deus, quæ precatus est. Caleb autem frater Sua, genuit Mahir, qui fuit pater Esthon. Porrò Esthon genuit Bethrapha, & Phesse, & Tehinna patrem vrbis Naas: hi sunt viri Recha. Filij autem Cenez: Othoniel, & Sarraia. Porrò filij Othoniel, Hathath, & Maonathi. Maonathi genuit Ophra. Saraia autem genuit Ioab patrem vallis artificum: ibi quippe artifices erant. Filij verò Caleb filij Iephone: Hir, & Ela, & Nahã. Filij quoq; Ela Cenez.

Filij quoq; Ialleleel: Ziph, & Zipha, Thiria, & Asrael. Et filij Ezra: Iether, & Mered, & Epher, & Ialon, genuitq; Mariam, & Sammai, & Iesba patrem Esthamo. Vxor quoq; eius Iudaia, peperit Iared patrem Gedor, & Heber patrem Socho, & Icuthiel patrẽ Zanoe: hi autẽ filij Bethiæ filię Pharaonis, quam accepit Mered, & filij vxoris Odaiæ sororis Naham patris Ceila Garmi, & Esthamo qui fuit de Machathi. Filij quoq; Simon: Amnon, & Rhinna filius Hanan, & Thilon. Et filij Iesi: Zoheth, & Benzoheth. Filij Sela, filij Iudæ: Her pater Gene. 38.a Lecha, & Laada pater Maresa: & cognationes domus operantium byssum in domo † Asbea, & Ioachin, & viri Chozeba, Ioas & Saraph, qui principes fuerunt in Moab, & † Iasubi Lahem: hæc autem verba vetera: Hi sunt figuli habitantes in plantationibus, & in sepibus apud regem in operibus eius, commoratiq; sunt ibi.

Filij Simeon: Namuel, & Iamin, Iarib, Zara, Saul. Sellum filius eius, Mabsam filius eius, Masma filius eius.

Filij

Filij Masma: Hamuel filius eius. Zachur filius eius, Semei filius eius. Filij Semei sedecim, & filiæ sex: fratres autẽ eius non habuerunt filios multos, & vniuersa cognatio non potuit adæquare summam filiorum Iuda. Habitauerunt autẽ in Bersabee & Molada & Hasarsuhal, & in Bala, & in Asom, & in Tholad, & in Bathuel & in Horma, & in Siceleg, & in Bethmarchaboth, & in Hasarsusim, & In Bethberai, & in Saarim: hæ ciuitates eorum vsq; ad regem Dauid. Villæ quoq; eorum: Etam & Aen, Remnon & Thochen & Asan, ciuitates quinq;. Et vniuersi viculi eorum per circuitum ciuitatum istarum vsq; ad Baal: hæc est habitatio eorum, & sedium distributio. Mosobab quoq; & Iemlech, & Iosa filius Amasiæ, & Ioel, Iehu filius Iosabiæ filij Saraiæ filij Asiel, & Elioenai & Iacoba & Isuhaia & Asaia & Adiel & Ismiel & Banaia, Ziza quoq; filius Sephei filij Allon filij Idaia filij Semri filij Samaia. Isti sunt nominati principes in cognationibus suis & in domo affinitatum suarum multiplicati sunt vehementer. Et profecti sunt, vt ingrederentur in Gador vsq; ad orientem vallis, & vt quærerent pascua gregibus suis. Inuenerunt q; pascuas vberes & valde bonas, & terram latissimã & quietam & fertilẽ, in qua ante habitauerant de stirpe Chã. Hi ergo venerunt, quos supra descripsimus nominatim, in diebus Ezechiæ regis Iuda: & percusserunt tabernacula eorum, & habitatores qui inuenti fuerãt ibi, & deleuerunt eos vsq; in præsentem diem: habitaueruntq; pro eis, quoniam vberrimas pascuas ibidem repererunt. De filijs quoq; Simeon abierunt in montem Seir viri quingenti, habentes principes Phaltiam et Naariam & Raphaiam & Oziel filios Iesi: & percusserunt reliquias quæ euadere potuerant Amalecitarum & habitauerunt ibi pro eis vsq; ad diem hanc.

CAPVT V.

Gene. 35.d & 49.a

FIlij quoq; Ruben primogeniti Israel (ipse quippe fuit primogenitus eius: sed cum violasset torum patris sui: data sunt primogenita eius filijs Ioseph filij Israel † licet hæc secundum hanc primogenituram ducta sit genealogia: quoniam Iudas hic erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt: primogenita autem reputata sunt Ioseph) filij ergo Ruben primogeniti Israel: Enoch & Phallu, Esron & Charmi. Filij Ioel: Samaia filius eius, Gog filius eius, Semei filius eius, Micha filius eius, Reia filius eius, Baal filius eius, Beera filius eius, quem captiuum duxit Thelgathphalnasar rex Assyriorum, & fuit princeps in tribu Ruben. Fratres autem eius, vniuersa cognatio eius quando numerabãtur per familias suas, Gene. 46.b habuerunt principes Iehiel & Zachariam. Porrò Bala filius Azaz, filij Sãma, filij Ioel, ipse habitauit in Aroer Exod. 6.c vsq; ad Nebo & Beelmeon. Contra orientalem quoq; plagam habitauit vsq; ad introitum erémi à flumine Num. 26.a Euphráte. Multum quippe iumentorum numerum possidebant in terra Galaad. In diebus autem Saul præliati sunt contra Agarenos, & interfecerunt illos, habitauerũtq; pro eis in tabernaculis eorum in omni plaga quæ respicit ad orientem Galaad. Filij verò Gad è regione eorum habitauerunt in terra Basan vsq; Selcha: Ioel in capite, & Sapham secundus: Ianai autem & Saphat in Basan. Fratres vero eorum secundum domos cognationum suarum, Michael & Mosollam & Sebe & Iorai & Iachan & Zie & Heber, septem. Hi filij Abiháil, filij Huri, filij Iara, filij Galaad, filij Michael, filij Iesesi, filij Ieddo, filij Buz. † Ahi filius Abdiel, filij Guni princeps † fuit familiæ patrum suorum, & habitauerunt in Galaad & in Basan & in viculis eius, & in cunctis suburbanis Saron vsq; ad terminos. Omnes hi, numerati sunt † per gencalogias in diebus Ioathã regis Iuda, & in diebus Ieroboam regis Israel. Filij Rubẽ & Gad & dimidiæ tribus Manasse, viri bellatores, scuta portantes, & gladios, & tendentes arcum, eruditiq; ad prælia, quadragintaquatuor millia, & septingenti sexaginta procedentes ad pugnam, dimicauerunt contra Agarenos. Ituræi verò, & Naphis & Nodab præbuerunt eis auxilium. Traditiq; sunt in manus eorum Agareni, & vniuersi qui fuerant cum eis, quia Deum inuocauerunt cum præliarentur: & exaudiuit eos, eò quòd credidissent in eum. Ceperuntq; omnia quæ possederant, camelorum quinquaginta millia, & ouium ducenta quinquaginta millia, & asinos duo millia, & animas hominum cẽtum millia. Vulnerati autem multi corruerũt: fuit enim bellum Domini. Habitauerunt q; pro eis vsq; ad transmigrationem. Filij quoq; dimidiæ tribus Manasse possederunt terram à finibus Basan vsq; Baal, Hermon & Sanir, & montem Hermon: ingẽs quippe numerus erat. Et hi fuerũt principes domus cognationis eorum Epher, Iesi, & Eliel, & Ezriel, & Ieremia, & Odoia, & Iediel viri fortissimi & potentes, & nominati duces in familis suis. Reliquerunt autem Deum patrum suorum, & fornicati sunt post deos populorum terræ, quos abstulit Deus coràm eis: & suscitauit Deus Israel spiritum Phul regis Assyriorum, & spiritum Thelgathphalnásar regis Assur: & abstulit Ruben & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & Ara, & fluuium Gozam, vsq; ad diem hanc.

CAPVT VI.

Gene. 46.b Infra 23.b

FIlij Leui: Gerson, Caath, & Merari. Filij Caath: Amram, Isaar, Hebron, & Oziel. Filij Amram: Aaron Moyses & Maria. Filij Aaron. Nadab & Abiu, Eleazar & Ithamar. Eleazar genuit Phinees, & Phinees genuit Abisuè, Abisuè verò genuit Bocci, & Bocci genuit Ozi, Ozi genuit Zarahiã, & Zarahias genuit Meraioth. Porrò Meraioth genuit Amariam, & Amarias genuit Achitob, Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Achimaas, Achimaas genuit Azariam, Azarias genuit Iohanan, Iohanã genuit Azariam: ipse est qui sacerdotio functus est in domo, quam ædificauit Salomon in Ierusalem. Genuit autem Azarias Amariam, & Amarias genuit Achitob, Achitob genuit Sadoc, & Sadoc genuit Sellum, Sellum genuit Helciam, & Helcias genuit Azariam, Azarias genuit Saraiam, & Saraias genuit Iosedec. Porrò Iosedec egressus est quando transtulit Dominus Iudam & Ierusalem per manus Nabuchodonosor. Filij ergo Leui: Gerson, Caath, & Merari, Et hæc nomina filiorum Gerson: Lobni, & Semei, Filij Caath: Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel. Filij Merari: Moholi & Musi. Hæ autem generationes Leui secundum familias eorum. Gerson, Lobni filius eius, Iáhath filius eius, Zãma filius eius, Ioah filius eius. Addo filius eius, Zara filius eius, Iethrái Exod. 6.c filius eius. Filij Caath, Aminadab filius eius, Core filius eius, Asir filius eius, Elcana filius eius, Abiasaph filius eius.

lius eius, Asir filius eius, Thâhath filius eius, Vriel filius eius, Ozias filius eius, Saul filius eius. Filij Elcana: Amasai, & Achimoth, & Elcana. Filij Elcana, Sophài filius eius, Nahath filius eius, Eliab filius eius, Ieroh̃ filius eius, Elcana filius eius. Filij Samuel: primogenitus Vasseni, & Abia. Filij autẽ Merari, Moholi, Lobni filius eius, Semei filius eius, Oza filius eius, Sãmaa filius eius, Haggia filius eius, Asaia filius eius. Isti sunt quos C constituit Dauid super cantores domus Domini, ex quo collocata est arca: & ministrabant coram tabernaculo testimonij, canentes donec ædificaret Salomon domum Dñi in Ierusalem: stabant autem iuxta ordinẽ suum in ministerio. Hi verò qui assistebant cum filijs suis, de filijs Caath. Hemã cantor filius Ioel, filij Samuel, filij Elcana, filij Ierohã, filij Eliel, filij Thou, filij Suph, filij Elcana, filij Mahath, filij Amasai, filij Elcana, filij Ioel, filij Azariæ, filij Sophoniæ, filij Thahath, filij Asir, filij Abiasaph, filij Core, filij Isaar, filij Caath, filij Leui, filij Israel: & frater eius Asaph, qui stabat à dextris eius. Asaph filius Barachiæ, filij Samaa, filij Michael, filij Basaiæ, filij Melchię, filij Athanai, filij Zara, filij Adaia, filij Ethã, filij Zamma, filij Semei, filij Ieth, filij Gerson, filij Leui. Filij autem Merari fratres eorũ, ad sinistram: Ethan filius Cusi, filij Abdi, filij Maloch, D filij Hasabiæ, filij Amasiæ filij Helciæ, filij Amasai, filij Boni, filij Somer, filij Moholi, filij Musi, filij Merari, filij Leui. Fratres quoq; eorũ Leuitæ, qui ordinati sunt in cunctum ministeriũ tabernaculi domus Dñi. Aarõ verò, & filij eius adolebant incensum super altare holocausti, & super altare thymiamatis in omne opus sanctisanctorũ: & vt precarentur pro Israel iuxta omnia quæ præceperat Moysẽs seruus Dei. Hi aũt filij Aaron: Eleazar filius eius, Phineęs filius eius, Abisuè filius eius, Bocci filius eius, Ozi filius eius, Zarahia filius eius, Meraioth filius eius, Amarias filius eius, Achitob, filius eius, Sadoc filius eius, Achimaas filius eius, Et hæc habitacula eorum per vicos. atq; confinia filiorum scilicet Aaron, iuxta cognationes Caathitarum: ipsis enim sorte contigerant. Dederunt igitur eis Hebron in terra Iuda, & suburbana eius per circuitum: agros autem ciui E tatis, & villas, Caleb filio Iephone. Porrò filijs Aaron dederunt ciuitates, ad confugiẽdum Hebron: & Lobna & suburbana eius, Iether quoq; & Esthemo cũ suburbanis suis, sed & Helon, & Dabir cũ suburbanis suis, Iosue 21.b
Asan quoq; & Bethsémes & suburbana earum. De tribu autem Beniamin: Gabee & suburbana eius, & Almath cum suburbanis suis, Anathoth quoq; cum suburbanis suis: omnes ciuitates, tredecim p cognationes suas. Filijs autem Caath residuis de cognatione sua dederunt ex dimidia tribu Manasse in possessionẽ vrbes decẽ. Porrò filijs Gerson per cognationes suas de tribu Issachar, & de tribu Aser, & de tribu Nephthalim, & de tribu Manasse in Basan, vrbes tredecim. Filijs autem Merari per cognationes suas de tribu Ruben, & de tribu Gad, & de tribu Zabulon, dederunt sorte ciuitates duodecim. Dederunt quuoq; filij Israel Leuitis F ciuitates, & suburbana earum. Dederũtq; per sortem, ex tribu filiorum Iuda, & ex tribu filiorum Simeon, & ex tribu filiorum Beniamin, vrbes has quas vocauerunt nominibus suis, & his qui erant de cognatione fi- Iosue 21.b
liorum Caath: fueruntq; ciuitates & terminus eorum de tribu Ephráim. Dederunt ergo eis vrbes, ad confugiendum Sichem cum suburbanis suis in monte Ephráim: & Gazer cum suburbanis suis, Iecmaam quoque cum suburbanis suis, & Bethhoron similiter, necnon & Aialon cum suburbanis suis, & Gethrémon in eundem modum. Porrò ex dimidia tribu Manasse, Aner & suburbana eius. Balaam & suburbana eius: his videlicet qui de cognatione filiorum Caath reliqui erant. Filijs autem Gersom de cognatione dimidię tribus Manasse, Gaulõ in Basan, & suburbana eius, & Astaroth cum suburbanis suis. De tribu Issachar, Cedes sub- G urbana eius, & Dabereth cum suburbanis suis, Ramoth quoq; & suburbana eius, & Anem cum suburbanis suis. De tribu verò Aser, Masal cum suburbanis suis, & Abdon similiter, Hacoc quoq; & suburbana eius, & Rohob cũ suburbanis suis. Porrò de tribu Nephthalim, Cedes in Galilea, & suburbana eius, Hamon cum suburbanis suis, & Cariathâim et suburbana eius. Filijs autem Merari residuis: de tribu Zabulon, Remmono & suburbana eius, & Thabor cũ suburbanis suis: Trans Iordanem quoq; ex aduerso Iericho cõtra orientem Iordanis, de tribu Ruben, Bosor in solitudine cũ suburbanis suis, & Iassa cũ suburbanis suis, Cademoth quoque & suburbana eius, & Miphâath cum suburbanis suis. Necnõ de tribu Gad, Ramoth in Galaad & suburbana eius, & Manâim cum suburbanis suis, sed & Hesebon cum suburbanis suis, & Iezer cũ suburbanis suis.

CAPVT VII.

PORrò filij Issachar: Thola, & Phua, Iasub & Simeron, quatuor. Filij Thola: Ozi & Raphaia, & Ieriel, & A
Gene.46.b Iemâi & Iebsen, & Samuel, principes per domos cognationũ suarũ. De stirpe Thola viri fortissimi numerati sunt in diebus Dauid, vigintiduo millia sexcenti. Filij Ozi: Izrahia, de quo nati sunt Michael, & Obadia, & Ioel, & Iesia, quinq;: omnes principes. Cum eis per familias, & populos suos, accincti ad preliũ, viri fortissimi, triginta & sex millia: multas enim habuerunt vxores, & filios. Fratres quoque eorum per omnem cognationem Issachar, robustissimi ad pugnandum octoginta septem millia numerati sunt. † Benia- B
Gene.46.c min: Bela, & Bechor, & Iadihel, tres. Filij Bela: Esbon & Ozi & Oziel & Ierimoth & Irai, quinque principes familiarum, & ad pugnandum robustissimi: numerus autem eorum, vigintiduo millia & triginta quatuor.
Porrò filij Bechor: Zamira, & Ioas, & Eliézer, & Elioénai, & Amri, & Ierimoth, & Abia, & Anathoth, & Almath: omnes hi, filij Bechor. Numerati sunt autem per familias suas principes cognationum suarum ad C bella fortissimi, viginti millia & ducenti. Porrò filij Iadihel: Balan. Filij autem Balan: Iehus, & Beniamin, & Ahod, & Chanaana, & Zethan, & Tharsis, & Abisáhar: omnes hi, filij Iadihel, principes cognationum suarum, viri fortissimi, decem & septem millia, & ducenti ad prælium procedẽtes. Sepham quoque & Hapham filij Hir: & Hasim filij Aher. Filij autem Nephthalim: Iasiel, & Guni, & Ieser, & Sellum, filij Bala. Porrò filius Manasse: Esriel: † quem peperit vxor sua. Concubina autem eius Arammia peperit Machir patrem Galaad. Machir autem accepit vxores † pro Happhim & Sapham: & habuit vxorẽ nomine Maacha: nomen D autem secundi, Salphaad: natæq; sunt Salphaad filiæ. Et peperit Maacha vxor Machir filium, vocauitq; nomen eius Phares: porrò nomen fratris eius, Sares: & filij eius, Vlam, & Recem. Filius autem Vlam, Badan: hi sunt

sunt filij Galaad, filij Machir, filii Manasse. Soror autem eius † Molechet peperit Ishod, & Abiezer, & Mohola. Erant autem filij Semida: Ahim, & Sechem, & Leci, & Aniam. Filii autem Ephráim Suthála, Bared filius eius, Thâhath filius eius, Elada filius eius, Thâhath filius eius, & huius filius Zabad, & huius filius Suthála, & huius filius Ezer & Elad: occiderunt autem eos viri Geth indigenæ, quia descenderant, vt inuaderent possef- E siones eorum. Luxit igitur Ephráim pater eorum multis diebus, & venerunt fratres eius, vt consolarentur eum. Ingressusq; est ad vxorem suam: quæ concepit & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria, eò quòd in malis domus eius ortus esset: filia autem eius fuit Sara, quæ ædificauit Beth horon inferiorem & superiorem, & Ozensara. Porrò filius eius Rapha, & Reseph, & Thale, de quo natus est Thaan, qui genuit Laadan, huius quoq; filius Ammiud, qui genuit Elisama, de quo ortus est Nun, qui habuit filium Iosuè. Possessio au- F tem eorum, & habitatio, Bethel cum filiabus suis, & contra orientem Noran, ad occidentalem plagam Gazer & filiæ eius, Sichem quoq; cum filiabus suis, vsque ad Aia cum filiabus eius. † Et iuxta loca filiorum Manasse, Bethsan & filias eius, Thanach & filias eius, Mageddo & filias eius, Dor & filias eius: in his habitauerunt filij Ioseph, filij Israel. Filij Aser: Iemna, & Iesua, & Iessui, & Baria, & Sara soror eorum. Filij autem Baria: Heber, & Melchiel: ipse est pater Barzaith. Heber autem genuit Iephlat, & Somer, & Hotham, & Suaa sororẽ Gene.46.c
G eorum. Filij Iephlat: Phosech, & Bamaal, & Asoth: hi filij Iephlat. Porrò filij Somer: Ahi, & Roaga, & Haba, & Aram. Filij autem Helem fratris eius: Supha, & Iemna, & Selles, & Amal. Filij Supha: Sue, Harnapher, & Sual, & Beri, & Iamra, Bosor, & Hod, & Samma, & Salusa, & Iethran, & Bera. Filij Iether: Iephonne, & Phaspha, & Ara. Filij autem Olla: Aree, & Haniel, & Rhesia. Omnes hi, filij Aser, principes cognationum electi atq; fortissimi duces ducum: numerus autem eorum † per genealogiam suam ætatis, quæ apta esset ad bellum, vigintisex millia.

CAPVT VIII.

A BEniamin autem genuit Bela primogenitum suum, Asbel secundum, Ahara tertium, Nohaa quartũ, & Rapha quintum. Fuerunt̃q; filij Bela: Addar, & Gera, & Abiud, Abisuè quoque, & Naaman, & Gene.46.c
Ahóe, sed & Gera, & Sephuphan, & Huram. Hi sunt filij Ahod, principes cognationum habitantiũ Supr.7.b
in Gabaa, qui translati sunt in Manâhath. Naaman † videlicet & Achia, & Gera ipse transtulit eos, & genuit Oza, & Ahihud. Porrò Saharaim genuit in regione Moab, postquam dimisit Husim & Bara vxores suas. Genuit autem de Hodes vxore sua, Iobab, & Sebia, & Mosa, & Molchom, Iehus quoq; & Sechia, & Marma: B hi sunt filij eius: principes in familijs suis. Mehusin verò genuit Abitob, & Elphâal. Porrò filij Elphâal: Heber, & Misaam, & Samad: hic ædificauit Ono, & Lod, & filias eius. Baria autem & Sama principes cognationum habitantium in Aialon: hi fugauerunt habitatores Geth. Et Ahio, & Sesac, & Serimoth & Zabadia, & Arod, & Heder, Michael quoq; & Iespha, & Ioha filij Baria. Et Zabadia, & Mosollam, & Hezeci, & Heber, & Iesamari, & Iezlia, & Iobab filij Elphâal. Et Iacim, & Zechri, & Zabdi, & Elioenai, & Selethai, & Eliel, & Adaia, & Baraia, & Samarath filij Semei. Et Iesphan, & Heber, & Eliel, & Abdon, & Zechri, & Hanâ, & Hanania, C & Aelâ, & Anathothia, & Iephdaia, & Phanuel filij Sesac. Et Samsari, & Sohoria, & Otholia, & Iersia, & Elia, & Zechri, filij Ieroham: hi patriarchæ & cognationum principes, qui habitauerunt in Ierusalem. In Gabaon autem habitauerunt Abigabaon, & nomen vxoris eius Maacha: filiusq; eius primogenitus Abdon, & Sur, & Infra 9.f
Cis, & Baal, & Nadab, Gedor quoq; & Ahio, & Zacher, & Macelloth: & Macelloth genuit Samaa: habitauerunt̃q; ex aduerso fratrum suorum in Ierusalem cũ fratribus suis. Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul. Porrò Saul genuit Ionathã, & Melchisuà, & Abinadab, & Esbáal. Filius autem Ionathan, Meribbáal; & Me- D ribbáal genuit Micha. Filij Micha Phithon, & Melech, & Tharaa, & Ahaz. Et Ahaz genuit Ioada: & Ioada genuit Alamath, & Azmoth, & Zamri: porrò Zamri, genuit Mosa. Et Mosa genuit Banaa, cuius filius fuit Rapha, de quo ortus est Elasa, qui genuit Asel. Porrò Asel sex filii fuerunt, his nominibus, Ezricam, Bochru, Ismael, Saria, Obdia, & Hanan: omnes hi, filii Asel. Filii autẽ Esec fratris eius, Vlam primogenitus, & Iehus secundus, & Eliphálet tertius. Fuerunt̃q; filii Vlam viri robustissimi, & magno robore tendentes arcum: & & multos habentes filios ac nepotes vsq; ad centum quinquaginta. Omnes hi, filii Beniamin.

CAPVT IX.

A VNiuersus ergo Israel dinumeratus est: & summa eorum scripta est in libro Regum Israel, & Iuda: translatiq; sunt in Babylonem propter delictum suum. Qui autem habitauerunt primi in possessionibus, & in vrbibus suis: Israel, & sacerdotes, & Leuitæ, & Nathinei. Commorati sunt in Ierusalem de filiis Iuda, & de filiis Beniamin: de filiis quoque Ephráim, & Manasse. Othei filius Ammiud, filius Amri, filij Omrai, filij Bóni, de filijs Phares filij Iuda. Et de Siloni: Asaia primogenitus, & filij eius. De filijs B autem Zara: Iehuel, & fratres eorum, sexcenti nonaginta. Porrò de filijs Beniamin: Salo filius Mosollam, filij Oduia, filij Asana: & Iobania filius Ieroham: & Ela filius Ozi, filij Mochori: & Mosollam filius Saphatiæ filij Rahuel, filij Iebaniæ: & fratres eorum per familias suas, nongenti quinquaginta sex. Omnes hi, principes cognationum per domos patrum suorum. De sacerdotibus autem: Iedaia, Ioiarib, & Iachin: Azarias quo que filius Helciæ, filij Mosollam, filij Sadoc, filij Maraioth, filij Achitob † principis domus Dei. Porrò Ada- C ias filius Ieroham, filij Phassur, filij Melchiæ: & Maâsai, filius Adiel, filij Iezra, filij Mosollam, filij Mosollamith, filij Emmer: fratres quoque eorum, principes per familias suas, mille septingenti sexaginta fortissimi robore ad faciendum opus ministerij in domo Dei. De Leuitis autem: Semeia filius Hassub, filij Ezricam, filij Hasebia de filijs Merari. Bacbacar quoq; † & Heres, & Galal, & Mathania filius Micha, filij Zechri, filij Asaph: & Obdia filius Semeiæ filij Galal, filij Idithun: & Barachia filius Asa, filij Elcana, qui habitauit in D † villis Netophati. Ianitores autem Sellum, & Accub, & Thelmon, & Ahiman: & frater eorum Sellum princeps: vsque ad illud tempus, in porta regis ad orientem obseruabant per vices suas de filijs Leui. Sellum verò

filius Core, filij Abiasaph, filij Core, cum fratribus suis, & domo patris sui, hi sunt Coritæ super opera minis- D
terij custodes vestibulorum tabernaculi: & familię eorum per vices castrorum Domini custodientes introi-
tum. Phinees autem filius Eleazari, erat Dux eorum coram Domino, † eratq; Dominus cum eo. Porrò Za-
charias filius Mosollamia, ianitor portæ tabernaculi testimonij. Omnes hi electi in ostiarios per portas, du-
centi duodecim, & descripti in villis proprijs quos constituerunt Dauid, & Samuel videns †: ob fidem eorum
tam ipsos, quàm filios eorum in ostijs domus Domini, & in tabernaculo vicibus suis. Per quatuor ventos erat
ostiarij: id est ad orientem, & ad occidentem, & ad aquilonem, & ad austrum. Fratres autem eorum in viculis E
morabantur, & veniebant in Sabbatis suis de tempore vsq; ad tempus. † Erant enim illi sub fide quatuor in
signium ianitorum, Nempe Leuitæ, qui constituti erant super cameras, ac thesauros domus Dei. Per gyrum
quoq; templi Domini morabantur in custodijs suis: vt cum tempus fuisset, ipsi manè aperirent fores. De ho-
rum grege erant & super vasa ministerij: ad numerum enim & inferebantur vasa & efferebantur. De ipsis &
qui credita habebant vtensilia sanctuarij, præerant similæ, & vino, & oleo, & thuri, & aromatibus. Filij autē
sacerdotum vnguenta ex aromatibus cōficiebant. Et Mathathias Leuites primogenitus Sellum Coritæ, præ- F
Supra. 8.a fectus erat eorum quæ in sartagine frigebantur. Porrò de filijs Caath fratribus eorū, super panes erant pro
positionis, vt semper nouos per singula sabbata præparārēt. Hi sunt principes cantorum per familias Leui-
tarum, qui in ędibus morabantur, ita vt die ac nocte iugiter suo ministerio deseruirent, † isti capita Leuita-
rum per familias suas, principes manserunt in Ierusalem. In Gabaon autem commorati sunt †: Abi Gabaon
Iehiel, & nomē vxoris eius Maacha. Filius primogenitus eius Abdon, & Sur, & Cis, & Baal, & Ner, & Nadab,
Gedor quoq;, & Ahio, & Zacharias, & Macelloth. Porrò Macelloth genuit Samaam: isti habitauerūt è regio- G
ne fratrum suorum in Ierusalem cum fratribus suis. Ner autem genuit Cis: & Cis genuit Saul: & Saul genuit
Ionathan, & Melchisuà, & Abinadab. & Esbáal. Filius autem Ionathan, Meribbáal: & Meribbáal genuit Mi-
cha. Porrò filij Micha, Phithon & Melech, et Tharaa, & Ahaz. Ahaz autem genuit Iara: & Iara genuit Alámat,
& Azmoth, & Zamri. Zamri autem genuit Mosa: Mosa verò genuit Banaa: cuius filius Raphaia, gēnuit Ela
sa: de quo ortus est Asel. Porrò Asel sex filios habuit his nominibus, Ezricam, Bochru, Ismael, Saria, Obdia,
Hanan: hi sunt filij Asel.

CAPVT X.

1.Reg.31.a PHilisthijm autem pugnabant contra Israel, fugeruntq; viri Israel Philisthæos, & ceciderunt vulnerati A
in monte Gelbóe: Cumq; appropinquassent Philisthæi persequentes Saul & filios eius, percusserūt Io-
nathan, & Abinadab, & Melchisuà filios Saul; Et aggrauatum est prælium contra Saul, inuenerunq;
eum sagittarij, & vulnerauerunt iaculis. Et dixit Saul ad armigerum suum, Euagina gladium tuum, & inter-
fice me, nè forte veniant incircūcisi isti, & illudāt mihi. Noluit aūt armiger eius hoc facere, timore perterri-
tus, Arripuit ergo Saul ensem, & irruit in eū. Quod cum vidisset armiger eius, videlicet mortuum esse Saul, B
irruit etiam ipse in gladium suum, & mortuus est. Interijt ergo Saul, & tres filij eius, & omnis domus illius
pariter concidit. Quod cum vidissent viri Israel qui habitabant in campestribus, fugerūt, & Saul ac filijs eius
mortuis, dereliquerunt vrbes suas, & huc illucq; dispersi sunt: venerūtq; Philisthijm, & habitauerunt in eis.
Die igitur altero detrahentes Philisthijm spolia cæsorum, inuenerunt Saul, & filios eius iacentes in monte C
Gelboe. Cumq; spoliassent eum, & amputassent caput, armisq; nudassent, miserūt in terram suam, vt circū-
ferretur, & ostenderetur idolorum templis & populis: arma autē eius consecrauerunt in phano dei sui, & ca-
put affixerunt in templo Dagon. Hoc cum audissent viri Iabes Galaad, omnia scilicet quæ Philisthijm fece-
rant super Saul, Consurrexerunt singuli virorum fortium, & tulerunt cadauera Saul & filiorum eius: attule- D
runtq; ea in Iabes & sepelierunt ossa eorum subter quercum quæ erat in Iabes, & ieiunauerunt septem die-
bus. Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quòd præuaricatus sit mandatum Domini quod pre-
ceperat, & non custodierit illud: sed insuper etiam pythonissam consuluerit, nec sperauerit in Domino,
propter quod interfecit eum, & transtulit regnum eius ad Dauid filium Isai.

CAPVT XI.

2.Reg.5.a COngregatus est igitur omnis Israel ad Dauid in Hebron, dicens, Os tuū sumus & caro tua. Heri quo- A
que & nudiustertius cum adhuc regnaret Saul, tu eras qui educebas & introducebas Israel, tibi enim
dixit Dominus Deus tuus, Tu pasces populum meum Israel, & tu eris princeps super eum. Venerunt
ergo omnes maiores natu Israel ad regem in Hebron, & inijt Dauid cum eis fœdus coràm Domino: vnxe-
runtq; eum regem super Israel, iuxta sermonem Domini quem locutus est in manu Samuel. Abijt quoque
Dauid & omnis Israel in Ierusalem, hæc est Iebus, vbi erant Iebusæi habitatores terræ. Dixeruntq; qui habi- B
tabant in Iebus ad Dauid, Non ingredieris huc. Porrò Dauid cepit arcē Sion, quæ est ciuitas Dauid, Dixitq;,
Omnis qui percusserit Iebusæum in primis, erit princeps & dux. Ascendit igitur primus Ioab filius Sauiæ, et
factus est princeps. Habitauit autem Dauid in arce, & iccirco appellata est ciuitas Dauid. Ædificauitq; vr-
bem in circuitu à Mello, vsq; ad gyrum: Ioab autē reliqua vrbis extruxit. Proficiebatq; Dauid vadens & cre-
scens, & Dñs exercituum erat cum eo. Hi principes virorum fortiū Dauid, qui adiuuerūt eum vt rex fieret
2.Re.23.a super omnem Israel, iuxta verbum Domini quod locutus est ad Israel. Et iste numerus robustorum Dauid: C
Iesbaam filius Hachamoni princeps inter triginta, iste leuauit hastam suam super trecentos vulneratos vna
vice. Et post eum Eleazar filius patrui eius Ahohites, qui erat inter tres potētes: iste fuit cum Dauid in Phes-
domim, quando Philisthijm cōgregati sunt ad locū illum in prælium: & erat ager regionis illius plenus hor-
deo, fugeratq; populus à facie Philisthinorū. Hi steterunt in medio agri, & defenderunt eum: cumq; percus-
sissent Philisthæos, dedit Dñs salutem magnam populo suo. Descenderunt autē tres de triginta principibus
ad petram in qua erat Dauid ad speluncam Odollam, quando Philisthijm fuerant castrametati in valle Ra-
pham.

D phaim. Porrò Dauid erat in præsidio, & statio Philisthinorum in Bethlehem. Desyderauit igitur Dauid, &
dixit, O si quis mihi daret aquam de cisterna Bethlehem, quæ est in porta. Tres igitur isti per media castra
Philisthinorum perrexerunt, & hauserunt aquam de cisterna Bethlehem, quæ erat in porta, & attulerunt ad
Dauid vt biberet: qui noluit, sed magis libauit illam Dño, dicens, Absit vt in cōspectu Dei mei hoc faciam,
& sanguinem istorum virorum bibam: quia in periculo animarum suarum attulerunt mihi aquā. Et ob hāc
causam noluit bibere: hęc fecerūt tres robustissimi. Abisai quoq; frater Ioab ipse erat princeps trium, & ipse
E leuauit hastam suam contra trecētos vulneratos, & ipse erat inter tres nominatissimus, & inter tres † glorio-
sior erat duobus, fuit enim eorum caput: veruntamen vsq; ad tres primos non peruenerat. Banaia filius Ioia-
dæ viri robustissimi, qui multa opera perpetrarat de Cabseel: ipse pcusit duos, † fortissimus ex Moab & ip-
se descendit, & interfecit leonem in media cisterna tempore niuis. Et ipse percussit virum Ægyptium, cuius
statura erat quinque cubitorum, & habebat lanceam, vt liciatorium texentium: descendit igitur ad eum
cum virga, & rapuit hastam quam tenebat manu, & interfecit eum hasta sua. Hæc fecit Banaia filius Ioiadæ,
F qui erat inter tres † fortissimos, inter triginta primus, verūtamen ad tres vsq; non peruenerat: posuit autem
eum Dauid ad auriculā suam. Porrò fortissimi viri in exercitu, Asahel frater Ioab, & Elehanan filius patrui
eius de Bethlehem, Sammoth Arorites, Helles Phalonites, Ira filius Acces Thecuites, Abiezer Anathothites,
Sobbochai Vsathites, Ilai Ahohites, Maharai Netophathites, Heled filius Baana Nethophathites, Ethai filius
Ribai de Gabaath filiorum Beniamin, Banaia Pharathonites, Hurai de torrente Gaas, Abiel Arbathites, Az-
moth Bauramites, Eliaba Salabonites. Filij Assem Gexonites, Ionathā filius Sagę Ararites, Achiam filius Sa-
G char Ararites. Eliphal filius Vr, Hepher Mecherathites, Ahia Pheloníes, Hesro Carmelites, Naarai filius Az-
bai, Iohel frater Nathā, Mibahar filius Agarai, Selec Ammonites, Naharai Berothites armiger Ioab filij Sar-
uiæ, Ira Iethræus, Gareb Iethræus, Vrias Hethæus, Zabad filius Oholi, Adina filius Siza Rubenites princeps
Rubenitarum, & cum eo triginta: Hanan filius Maacha, & Iosaphat Mathanites, Ozia Astarothites, Samma
& Iehiel filij Hotham Arorites, Iedihel filius Samri, & Ioha frater eius Thosaites, Eliel Mahumites, & Ieribai
& Iosaia filij Elnaen, & Iethma Moabites, Eliel & Obed, & Iasiel de Masobia.

CAPVT XII.

A HI quoq; venerūt ad Dauid in Siceleg, cum adhuc fugeret Saul filium Cis, qui erant fortissimi & egre-
gij pugnatores, tendentes arcum, & vtraq; manu fundis saxa iacientes, & dirigentes sagittas: de fratri-
bus Saul ex Beniamin. Princeps Ahiezer, & Ioas filij Samaa Gabaathites: & Iaziel & Phallet filij
Azmoth, & Baracha & Iehu Anathothites. Samaias quoq; Gabaonites fortissimus inter triginta & super tri-
ginta. Ieremias & Ieheziel & Iohanan & Iezabad Gaderothites: & Eluzai & Ierimuth, & Baalia & Samaria
& Saphatia Haruphites. Elchana & Iesia & Azareel & Ioezer & Iesbaam de Carehim: Iohela quoque & Za-
B badia filij Ieroham de Gedor. Sed & de Gaddi transfugerunt ad Dauid, cum lateret in deserto, viri robustissi
mi, & pugnatores optimi, tenentes clypeum & hastam: facies eorum quasi facies leonis, & veloces quasi ca-
preæ in montibus: Ezer princeps. Obdias secundus, Eliab tertius, Masmana quartus, Ieremias quintus, Ethi
sextus, Eliel septimus, Iohanā octauus, Elzebad nonus, Ieremias decimus, Mathbanai vndecimus. Hi de filijs
Gad principes exercitus, † vnus qui minor erat persequebatur centum, & qui maior, mille. Isti sunt qui trā-
sierunt Iordanem mense primo, quando inundare consueuit super ripas suas: & omnes fugauerunt qui mo-
rabantur in vallibus ad orientalem plagam & occidentalem. Venerūt autem & de Beniamin & de Iuda ad
C presidium in quo morabatur Dauid. Egressusq; est Dauid obuiam eis, & ait, Si pacificè venistis ad me, vt au-
xiliemini mihi, cor meum iungatur vobis: si autem insidiamini mihi pro aduersarijs meis, cum ego iniqui-
tatem in manibus nō habeam, videat Deus patrum nostrorum, & iudicet. Spiritus verò induit Amasai prin-
cipem inter triginta, & ait, Tui sumus ò Dauid, & tecū fili Isai, pax pax tibi, & pax adiutoribus tuis: te enim
adiuuat Deus tuus. Susceptit ergo eos Dauid, & constituit principes turmæ. Porrò de Manasse transfugerunt
ad Dauid, quando veniebat cum Philisthijm aduersus Saul, vt pugnaret: & nō dimicauit cum eis, quia inito 2.Re. 29.a
D consilio remiserunt eum principes Philisthinorum, dicētes, Periculo capitis nostri reuertetur ad dominum
suum Saul. Quando igitur reuersus est in Siceleg, transfugerūt ad eum de Manasse, Ednas, & Iozabad, & Ie-
dihel, & Michael, & Iozabad, & Eliu, & Salathi, principes militum in Manasse, hi præbuerunt auxilium Da-
uid aduersus latrunculos: omnes enim erant viri fortissimi, & facti sunt principes in exercitu. Sed & per sin-
gulos dies veniebant ad Dauid, ad auxiliandum ei, vsque dum fieret grandis numerus quasi exercitus Dei.
Iste quoque est numerus principum exercitus, qui venerunt ad Dauid, cum esset in Hebron, vt transferrent
E regnum Saul ad eum, iuxta verbum Domini. Filij Iuda portantes clypeum & hastam, sex millia octingenti
expediti ad prælium. De filijs Simeon virorum fortissimorum ad pugnandum, septem millia cētum. De
filijs Leui, quatuor millia sexcenti. Ioiada quoq; princeps de stirpe Aaron, & cum eo tria millia septingēti.
Sadoc etiā puer † fortis & bellicosus, & domus patris eius principes viginti duo. De filijs autem Beniamin
fratribus Saul, tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul. Porrò de filijs Ephraim
viginti millia octingenti, fortissimi robore viri nominati in cognationibus suis. Et ex dimidia parte tribus
F Manasse, decem & octo millia, singuli per nomina sua venerunt vt constituerent regē Dauid. De filijs quo-
que Issachar viri eruditi, qui nouerant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, princi-
pes ducenti: omnis autem reliqua tribus, eorum consilium sequebatur. Porrò de Zabulon qui egredieban-
tur ad prælium, & stabant in acie instructi armis bellicis, quinquaginta millia venerunt in auxilium non in
corde duplici. Et de Nephthali, principes mille: & cum eis instructi clypeo & hasta, triginta & septē mil-
lia. De Dan etiā præparati ad prælium, viginti octo millia sexcenti. Et de Asser egredientes ad pugnam &
† renentes aciem belli, quadraginta millia. Trans Iordanem autē de filijs Ruben, & de Gad: & dimidia par-

te tribus Manasse instructi armis bellicis, centum viginti millia. Omnes isti viri bellatores & expediti ad pugnandum, corde perfecto venerunt in Hebron, vt constituerent regem Dauid super vniuersum Israel: sed & omnes reliqui ex Israel, vno corde erant, vt rex fieret Dauid. Fueruntq; ibi apud Dauid tribus diebus comedentes & bibentes: præparauerant enim eis fratres sui. Sed & qui iuxta eos erant, vsq; ad Issachar & Zabulon & Nephthalim, afferebant panes in asinis, & camelis, & mulis, & bobus ad vescẽdum: farinam, palathas, vuã passam, vinum, oleum, boues, arietes ad omnem copiam: gaudium quippè erat in Israel.

CAPVT XIII.

INijt autem consilium Dauid cum tribunis & centurionibus, & vniuersis principibus, & ait ad omnem cœtum Israel, Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo quem loquor: mittamus ad fratres nostros reliquos in vniuersas regiones Israel, & ad sacerdotes & Leuitas qui habitant in suburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, & reducamus arcam Dei nostri ad nos: non enim requisiuimus eam in diebus Saul. Et respondit vniuersa multitudo vt ita fieret: placuerat enim sermo omni populo. Congregauit ergo Dauid cũctum Israel à Sihor Ægypti, vsq; dum ingrediaris Emath, vt adduceret arcam Dei de Cariathiarim. Et ascẽdit Dauid & omnis vir Israel ad collem Cariathiarim, qui est in Iuda, vt afferret inde arcam Domini Dei sedentis super cherubim, vbi inuocatum est nomen eius. Imposuerũtq; arcam Dei super plaustrũ nouum de domo Abinadab: Oza autem, & frater eius minabãt plaustrum. Porrò Dauid & vniuersus Israel, ludebãt coràm Deo omni virtute, in canticis, & cytharis, & psalterijs, & tympanis, & cymbalis, & tubis. Cũ autem peruenissent ad aream Chidon, tetendit Oza manum suam, vt sustentaret arcam: † calcitrabant enim boues. Iratus est itaq; Dominus contra Ozam, & percussit eum, eò quòd tetigisset arcam: & mortuus est ibi coràm Deo. Contristatusq; est Dauid, eò quòd diuisisset Dominus Ozam: vocauitq; locum illum, Diuisio Ozæ, vsq; in præsentem diem. Et timuit Deum tunc temporis, dicens, Quomodo possum ad me introducere arcam Dei? Et ob hanc causam non adduxit eam ad se, hoc est in ciuitatem Dauid, sed auertit in domum Obededom Gethæi. Mansit ergo arca Dei in domo Obededom tribus mensibus: & benedixit Dominus domui eius, & omnibus quæ habebat.

2.Reg.6.a

CAPVT XIIII.

3.Reg.5.b

MIsit quoq; Hiram rex Tyri nuntios ad Dauid, & ligna cedrina, & artifices parietum lignorumq; vt ædificarent ei domum. Cognouitq; Dauid eo quòd confirmasset eum Dñs in regem super Israel, & subleuatum est regnum suum super populum eius Israel. Accepit quoque Dauid alias vxores in Ierusalem: genuitq; filios & filias. Et hæc nomina eorum qui nati sunt ei in Ierusalem: Samua, & Sòbab, Nathan & Salomon, Iebahar, & Elisua, & Eliphalet, Noga quoque, & Napheg, & Iaphia, Elisama & Baliada, & Eliphalet. Audientes autem Philisthijm q̃ vnctus esset Dauid in regem super vniuersum Israel, ascenderũt omnes vt quærerent eum: quod cũ audisset Dauid, egressus est obuiam eis. Porrò Philisthijm venientes, diffusi sunt in valle Raphaim. Consuluitq; Dauid Dominum, dicens, Si ascendam ad Philisthæos, & si trades eos in manu mea? Et dixit ei Dominus, Ascende, & tradam eos in manu tua. Cumq; illi ascẽdissent in Baalpharasim, percussit eos ibi Dauid, & dixit, Diuisit Deus inimicos meos per manũ meam, sicut diuiduntur aquæ: & iccirco vocatum est nomen illius loci, Baalpharasim. Dereliquerũtq; ibi deos suos, quos Dauid iussit exuri. Alia etiam vice Philisthijm irruerunt, & diffusi sunt in valle. Consuluitq; rursum Dauid Deum: & dixit ei Deus, Non ascendas post eos, recede ab eis, & venies contra illos ex aduerso pyrorum. Cumq; audieris sonitum gradientis in cacumine pyrorum, tunc egredieris ad bellum: egressus est enim Deus ante te, vt percutiat castra Phisthijm. Fecit ergo Dauid sicut præceperat ei Deus, & percussit castra Philisthinorũ: de Gabaon vsq; Gazera. Diuulgatumq; est nomẽ Dauid in vniuersis regionibus: et Dominus dedit pauorem eius super omnes gentes.

CAPVT XV.

FEcit quoque sibi domos in ciuitate Dauid: & ædificauit locum arcæ Dei, tetenditq; ei tabernaculum. Tunc dixit Dauid, Illicitum est vt à quocunque portetur arca Dei, nisi à Leuitis: quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad ministrandum sibi vsq; in æternum. Congregauitq; vniuersum Israel in Ierusalem, vt afferretur arca Dei in locum suum quem præparauerat ei: necnon & filios Aaron & Leuitas: de filijs Caath, Vriel princeps fuit: & fratres eius centum viginti: de filijs Merari, Asaia princeps: & fratres eius ducenti viginti: de filijs Gersom, Ioel princeps: & fratres eius centũ triginta: de filijs Elisaphan, Semeias princeps: & fratres eius ducenti: de filijs Hebron, Eliel princeps: & fratres eius octoginta: de filijs Oziel, Aminadab princeps: & fratres eius centum duodecim. Vocauitque Dauid Sadoc & Abiathar sacerdotes, & Leuitas Vriel, Asaiam, Ioel, Semeiam, Eliel, & Aminadab: & dixit ad eos, Vos, qui estis principes familiarum Leuitarum, sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte arcam Domini Dei Israel ad locum qui ei præparatus est, nam à principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus: † eò quòd nõ requisierimus eum sicut oportebat. Sanctificati sunt ergo sacerdotes & Leuitæ, vt portarent arcam Dñi Dei Israel. Et tulerũt filij Leui arcã Dei, sicut præceperat Moyses iuxta verbum Dñi, humeris suis, in vectibus. Dixitq; Dauid principibus Leuitarum, vt constituerent de fratribus suis cantores in organis musicorum, nablis videlicet, & lyris & cymbalis, vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ. Cõstitueruntq; Leuitas: Heman filiũ Ioel, & de fratribus eius Asaph filiũ Barachię: de filijs verò Merari, fratribus eorũ: Ethan filiũ Casaię. Et cum eis fratres eorũ in secundo ordine, Zachariã & Ben & Iaziel & Semiramoth, & Iahiel, & Ani, Eliab & Banaiam & Maasiam & mathathiam & Eliphalu & Maceniam & Obededom et Iehiel, ianitores. Porrò cãtores, Heman, Asaph et Ethan: in cymbalis æneis concrepantes. Zacharias autem et Oziel, et Semiramoth et Iahiel et Ani et Eliab et Maasias et Banaias in nablis † super Alamoth. Porrò Mathathias et Eliphalu et Macenias et Obededom et Iehiel

& Iehiel & Ozaziu: in citharis pro octaua † triumphantes canebãt. Chonenias aũt princeps Leuitarum, prophetiæ præerat, & ad præcinendam melodiam, erat quippè valde sapiẽs. Et Barachias & Elcana: ianitores arcæ. Porrò Sebenias & Iosaphat & Nathanael & Amasai & Zacharias & Banaias & Eliezer sacerdotes, clangebant tubis coràm arca Dei, & Obededom & Iehias erãt ianitores arcæ. Igitur Dauid & maiores natu Israel, & tribuni, ierunt ad deportãdam arcam fœderis Domini de domo Obededom cum lætitia. Cumq; adiuuisset Deus Leuitas qui portabant arcam fœderis Domini, immolabantur septem tauri & septẽ arietes. Porrò Dauid erat indutus stola byssina, & vniuersi Leuitæ qui portabant arcam, cãtoresq;, & Chonenias princeps prophetiæ inter cantores: Dauid autem indutus erat ephod lineo. Vniuersiq; Israel deducebant arcam fœderis Domini in iubilo, & sonitu buccinæ, & tubis, & cymbalis, & nablis & cytharis concrepantes. Cumque peruenisset arca fœderis Domini vsq; ad ciuitatem Dauid: Michol filia Saul prospiciens per fenestram, vidit regem Dauid saltantem atq; ludentem, & despexit eum in corde suo.

2.Re.6.c

CAPVT XVI.

ATtulerunt igitur arcam Dei, & constituerunt eam in medio tabernaculi, quod tetenderat ei Dauid: & obtulerunt holocausta & pacifica coràm Deo. Cumq; complesset Dauid offerẽs holocausta & pacifica, benedixit populo in nomine Domini. Et diuisit vniuersis per singulos à viro vsque ad mulierem tortam panis, & † bonam partem carnis, ac lagenam vini. Constituitq; coràm arca Domini de Leuitis, qui ministrarent: & recordarentur, † & glorificarent, atq; laudarent Dominum Deum Israel: Asaph principem, & secundum eius Zachariam. Porrò Iahiel & Semiramoth & Iehiel & Mathathiam & Eliab & Banaiã & Obededom, & Iehiel super organa psalterij & lyras: Asaph autem, vt cymbalis personaret: Banaiam verò & Iahaziel sacerdotes, canere tuba iugiter coràm arca fœderis Dei. In illo die fecit Dauid principem ad cõfitendum Domino, Asaph, & fratres eius. Confitemini Domino, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius. Cantate ei, & psallite ei, & narrate omnia mirabilia eius. † Gloriamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum, & virtutem eius, quærite faciem eius semper. Recordamini mirabilium eius quæ fecit: signorum illius, & iudiciorum oris eius. Semen Israel serui eius: filij Iacob electi eius. Ipse Dominus Deus noster: in vniuersa terra iudicia eius. Recordamini in sempiternum pacti eius: sermonis quem præcepit in mille generationes. Quem pepigit cum Abraham, & iuramẽti illius cum Isaac. Et constituit illud, Iacob in præceptum: & Israel in pactum sempiternum, dicens, Tibi dabo terram Chanàan, funiculum hæreditatis vestræ. Cum essent pauci numero, parui & coloni eius. Et transierunt de gente in gentem, et de regno ad populum alterum. Non dimisit quenq; calumniari eos: sed increpauit pro eis reges. Nolite tangere christos meos: & in prophetis meis nolite malignari. Cantate Domino omnis terra, annuntiate ex die in diem salũtare eius. Narrate in gentibus gloriam eius: in cunctis populis mirabilia eius. Quia magnus Dominus, & laudabilis nimis: & horribilis super omnes deos. Omnes enim dij populorum, idola: Dominus autem cœlos fecit. Confessio & magnificentia coràm eo: fortitudo & gaudium in loco eius. Afferte Domino familiæ populorũ: afferte Domino gloriam & imperium. Date Domino gloriam nomini eius, leuate sacrificium & venite in conspectu eius: & adorate Dominum in decore sancto. Cõmoueatur à facie eius omnis terra: † etiam si orbis ita sit firmatus, vt moueri nequeat. Lætentur cœli, & exultet terra: & dicant in nationibus, Dominus regnauit. Tonet mare, & plenitudo eius: exultent agri, & omnia quæ in eis sunt. Tunc laudabunt ligna saltus coràm Domino: quia venit iudicare terram. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius. Et dicite, Salua nos Deus saluator noster: & congrega nos, & erue de gentibus, vt confiteamur nomini sancto tuo, & exultemus in carminibus tuis. Benedictus Dominus Deus Israel ab æterno, & vsque in æternum: & dicat omnis populus, Amen, & hymnum Domino. Dereliquit itaq; ibi coràm arca fœderis Domini Asaph & fratres eius: vt ministrarent in cõspectu arcæ iugiter † in ijs, quæ singulis diebus erant facienda. Porrò Obededom, & fratres eius sexaginta octo: & Obededom filium Idithun, & Hosa constituit ianitores. Sadoc autem sacerdotem & fratres eius sacerdotes, coràm tabernaculo Dñi in excelso, quod erat in Gabaon: vt offerrent holocausta Dño super altare holocaustomatis iugiter mane & vespere, iuxta omnia quæ scripta sunt in lege Dñi, quam præcepit Israeli. Et post eũ Hemam & Idithun, & reliquos electos, vnumquenq; vocabulo suo ad confitendum Domino: quoniam in æternum misericordia eius. Heman quoq; & Idithun canentes tuba, & quatientes cymbala: & omnia musicorum organa ad canendum Deo: filios autem Idithun fecit esse portarios. Reuersusq; est omnis populus in domum suam: & Dauid, vt benediceret etiam domui suę.

Pſal.104. Iſaiæ 12.a

Pſal.104. Pſal.95.

CAPVT XVII.

CVm autem habitaret Dauid in Domo sua, dixit ad Nathan prophetam, Ecce ego habito in domo cedrina: arca autem fœderis Domini sub pellibus est. Et ait Nathan ad Dauid, Omnia quæ in corde tuo sunt fac. Deus enim tecum est. Igitur nocte illa factus est sermo Dei ad Nathan, dicẽs, Vade, & loquere Dauid seruo meo: Hæc dicit Dominus, Non ædificabis tu mihi domum ad habitandum. Neq; enim mãsi in domo ex eo tempore quo eduxi Israel vsque ad diem hanc: sed fui semper mutans loca tabernaculi, & in tentorio manens cum omni Israel. Nunquid locutus sum saltem vni iudicum Israel, quibus præceperam vt pascerent populum meum, & dixi, Quare non ædificastis mihi domum cedrinam? Nunc itaque sic loqueris ad seruum meum Dauid, Hæc dicit, Dominus exercituum, Ego tuli te, cum in pascuis sequereris gregẽ: vt esses dux populi mei Israel. Et fui tecum quocunq; perrexisti: & interfeci omnes inimicos tuos coràm te, feciq; tibi nomen quasi vnius magnorum, qui celebrantur interra. Et dedi locum populo meo Israel, † plãtaui eum, & habitabit in eo, & vltrà non commouebitur, nec filij iniquitatis atterent eos, sicut à principio, ex diebus, quibus dedi iudices populo meo Israel, & humiliaui vniuersos inimicos tuos. † Annuntiaui

2.Re.6.d

2.Re.7.a

quoque tibi, quòd ædificaturus esset tibi Dominus domum. Cumq; impleueris dies tuos, vt vadas ad patres
tuos, suscitabo semen tuum post te, quod erit de filijs tuis, & stabiliam regnum eius. Ipse ædificabit mihi do-
mum, & firmabo solium eius vsq; in æternum. EGO ERO EI IN PATREM, & ipse erit mihi in filiũ: C
& misericordiam meam non auferam ab eo, sicut abstuli ab eo qui ante te fuit. Et statuam eum in domo
mea, & in regno meo vsque in sempiternum: & thronus eius erit firmissimus in perpetuum. Iuxta omnia
verba hæc, & iuxta vniuersam visionem istam, sic locutus est Nathan ad Dauid. Cumq; venisset rex Dauid,
& sedisset coràm Domino, dixit, Quis ego sum Domine Deus, & quæ domus mea, vt præstares mihi talia?
Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, † Deus, quod locutus es super domum serui tui etiam in futu-
rum: & fecisti me spectabilẽ super omnes homines Domine Deus. Quid vltrà addere potest Dauid, cum
ita glorificaueris seruum tuum, & cognoueris eum? Domine propter famulum tuum iuxta cor tuum fecisti
omnem magnificentiam hanc, & nota esse voluisti vniuersa magnalia. Domine non est similis tui: & non
est alius Deus absque te ex omnibus quos audiuimus auribus nostris. Quis enim est alius, vt populus tuus D
Israel, gens vna in terra, ad quam perrexit Deus, vt liberaret, & faceret populum sibi, & magnitudine sua,
atq; terroribus eijceret nationes à facie eius, quem de Ægypto liberarat? Et posuisti populum tuum Israel ti-
bi in populum vsq; in æternum, & tu Domine factus es Deus eius. Nunc igitur Domine, sermo, quem locu-
tus es famulo tuo, & super domum eius, confirmetur in perpetuum, & fac sicut locutus es. Permaneatq;, &
magnificetur nomen tuum vsque in sempiternum: & dicatur, Dominus exercituum Deus Israel, & domus
Dauid serui eius permanens coràm eo. Tu enim Domine Deus meus reuelasti auriculam serui tui, vt ædi-
ficares ei domum: iccircò inuenit seruus tuus fiduciam, vt oret coràm te. Nunc ergo Domine tu es Deus: &
locutus es ad seruum tuum tanta beneficia. Et cœpisti benedicere domui serui tui, vt sit semper coràm te: te
enim Domine benedicente benedicta erit in perpetuum.

CAPVT XVIII.

FActum est autem post hæc, vt percuteret Dauid Philisthijm, & humiliaret eos, & tolleret Geth, & fi- A
3. Reg. 8.a lias eius de manu Philisthijm: percuteretq; Moab, & fierent Moabitæ serui Dauid, offerentes ei mu-
nera. Eo tempore percussit Dauid etiam Adarezer regem Soba regionis Hemat, quando perrexit,
vt dilataret imperium suum vsque ad flumen Euphraten. Cœpit ergo Dauid mille quadrigas eius, & se-
ptem millia equitum: ac viginti millia virorum peditum: subneruauitq; omnes equos curruum, exceptis
centum quadrigis quas reseruauit sibi. Superuenit autem & Syrus Damascenus, vt auxilium præberet Ada- B
rezer regi Soba: sed & huius percussit Dauid viginti duo millia virorum. Et posuit milites in Damasco, vt
Syria quoque seruiret sibi, & offerret munera. Audiuitq; eum Dominus in cunctis ad quæ perrexerat. Tu-
lit quoque Dauid pharetras aureas, quas habuerant serui Adarezer: & attulit eas in Ierusalem. Necnon de
Tebath & Chun vrbibus Adarezer æris plurimum, de quo fecit Salomon mare æneum, & columnas: & va-
sa ænea. Quod cum audisset Thou rex Hemath, percussisse videlicet Dauid omnem exercitum Adarezer C
regis Soba: misit Adoram filium suum ad regem Dauid, vt postularet ab eo pacem, & congratularetur ei
eò quòd percussisset, & expugnasset Adarezer: aduersarius quippè erat Thou Adarezer. Sed & omnia vasa
aurea, & argentea, & ænea consecrauit Dauid rex Domino cum argento, & auro quod tulerat ex vniuersis
gentibus, tam de Idumæa & Moab, & filijs Ammon, quàm de Philisthijm, & Amalec. Abisai verò filius
Saruiæ percussit Edom in valle salinarum, decem & octo millia: & constituit in Edom præsidium, vt ser- D
uiret Idumæa Dauid: saluauitq; Dominus Dauid in cũctis ad quæ perrexerat. Regnauit ergo Dauid super
vniuersum Israel, & faciebat iudicium atque iustitiam cuncto populo suo. Porrò Ioab filius Saruiæ erat su-
per exercitum: & Iosaphat filius Ahilud à commentarijs. Sadoc autem filius Achitob, & Achimelech filius
Abiathar, sacerdotes: & Susa, scriba. Banaias quoque filius Ioiadæ super legiones Cerethi, & Phelethi: porrò
filij Dauid, primi ad manum regis.

CAPVT XIX.

ACcidit autem, vt moreretur Naas rex filiorum Ammon, & regnaret filius eius pro eo. Dixitq; Da- A
2. Reg. 10.a uid, Faciam misericordiam cum Hanon filio Naas: præstitit enim mihi pater eius gratiam. Misitq;
Dauid nuntios ad consolandum eum super morte patris sui. Qui cum peruenissent in terram filio
rum Ammon, vt consolarentur Hanon, dixerunt principes filiorum Ammon ad Hanon, Tu forsitan pu-
tas quòd Dauid honoris causa in patrem tuum, miserit qui consolarentur te, nec animaduertis, quòd vt ex-
plorent, & inuestigent, & scrutentur terram tuam venerint ad te serui eius. Igitur Hanon pueros Dauid † ra-
sit, & præcidit tunicas eorum à natibus vsque ad pedes, & dimisit eos. Qui cum abijssent & hoc † nuntiaſ- B
sent Dauid, misit in occursum eorum (grandem enim contumeliam sustinuerant) & præcepit, vt manerẽt
in Iericho, donec cresceret barba eorum, & tunc reuertertẽur. Videntes autem filij Ammon quòd iniuriam
fecissent Dauid, tam Hanon quàm reliquus populus, miserunt mille talenta argenti, vt conducerent sibi de
Mesopotamia, & de Syria Maacha, & de Soba currus & equites. Conduxeruntq; trigintaduo millia curruũ,
& regem Maacha cum populo eius. Qui cum venissent, castrametati sunt è regione Medaba. Filij quoq;
Ammon congregati de vrbibus suis, venerunt ad bellum. Quod cum audisset Dauid, misit Ioab & omnem
exercitum virorum fortium: egressiq; filij Ammon, direxerunt aciem iuxta portam ciuitatis: reges autem,
qui ad auxilium eius venerant, separatim in agro steterunt. Igitur Ioab intelligens bellum ex aduerso, & C
post tergum contra se fieri, elegit viros fortissimos de vniuerso Israel, & perrexit contra Syrum: reliquam
autem partem populi dedit sub manu Abisai fratris sui: & perrexerunt contra filios Ammon. Dixitque, Si
vicerit me Syrus, auxilio eris mihi: si autem superauerint te filij Ammon, ero tibi in præsidium. Confor-
tare, & agamus viriliter pro populo nostro, & pro vrbibus Dei nostri: Dominus autem, quod in conspe-
ctu

ctu suo bonum est, faciat. Perrexit ergo Ioab, & populus qui cum eo erat, contra Syrum ad prælium: & fu
gauit eos. Porrò filij Ammon, videntes quòd fugisset Syrus, ipsi quoq; fugerunt Abisai fratrẽ eius, & ingressi
D sunt ciuitatem: reuersusq; est etiam Ioab in Ierusalem. Videns autem Syrus quòd cecidisset coram Israel, mi
sit nuntios, & adduxit Syrum qui erat trans fluuium: Sophach autem princeps militiæ Adarezer, erat dux eo
rum. Quod cum annuntiatum esset Dauid, congregauit vniuersum Israel, & transiuit Iordanem, irruitq; in
eos, & direxit ex aduerso aciem, illis contra pugnantibus. Fugit autem Syrus Israel: & interfecit Dauid de Sy-
ris septem millia curruum, & quadraginta millia peditum, & Sophach exercitus principem. Videntes autem
serui Adarezer se ab Israel esse superatos, transfugerunt ad Dauid, & seruierunt ei: noluitq; vltrà Syria auxi-
lium præbere filijs Ammon.

CAPVT XX.

A FActum est autem post anni circulum, eo tempore quo solent reges ad bella procedere, congregauit Io-
ab exercitum & robur militiæ, & vastauit terram filiorum Ammon: perrexitq;, & obsedit Rabba: por- 2. Re. 11.a
rò Dauid manebat in Ierusalem, quando Ioab percussit Rabba, & destruxit eam. Tulit autem Dauid
B coronam † regis eorum de capite eius, & inuenit in ea auri pondo talentum, & pretiosissimas gẽmas: fecitq;
sibi inde diadema: manubias quoq; vrbis plurimas tulit. Populum autem, qui erat in ea, eduxit: & fecit super
eos tribulas, & trahas & ferrata carpenta transire, ita vt dissecarentur, & contererẽtur: sic fecit Dauid cunctis
C vrbibus filiorum Ammon: & reuersus est cum omni populo suo in Ierusalem. Post hæc initum est bellum in
Gazer aduersum Philistheos: in quo percussit Sobochai Husathites Saphai, de genere Raphaim, & humilia-
uit eos. Aliud quoq; bellum gestum est aduersus Philisthæos, in quo percussit † Elhanan filius Iair Lahmi fra 3. Re. 21.d
D trem Goliath Gethæi, cuius hastæ lignum erat quasi liciatorium texentium. Sed & aliud bellum accidit in
Geth, in quo fuit homo longissimus senos habens digitos, id est simul viginti quatuor: qui & ipse de Rapha
fuerat stirpe generatus. Hic blasphemauit Israel: & percussit eum Ionathan filius Samaa fratris Dauid. Hi
sunt filij Rapha in Geth, qui ceciderunt in manu Dauid & seruorum eius.

CAPVT XXI.

A COnsurrexit autem Satan contra Israel, & incitauit Dauid vt numeraret Israel. Dixitq; Dauid ad Ioab, 2. Re. 24.a
& ad principes populi, Ite, & numerate Israel à Bersabee vsque Dan, & afferte mihi numerum, vt sciã.
Respondit; Ioab, Augeat Dominus populum suum centuplum, q̃ sunt: nónne domine mi rex, om-
nes serui tui sunt? quare hoc quærit dominus meus, ꝙ in peccatum reputetur Israeli? Sed sermo regis magis
prævaluit: egressusq; est Ioab, & circuiuit vniuersum Israel, & reuersus est Ierusalem. Deditq; Dauid nume-
rum eorum quos circuierat: & inuentus est omnis numerus Israel mille millia, & centum millia virorũ edu-
cẽtium gladium: de Iuda autem quadringenta septuaginta millia bellatorum. Nam Leui, & Beniamin non
numerauit: eò ꝙ Ioab inuitus exequeretur regis imperium. Displicuit autem Deo quod iussum erat: & per-
cussit Israel. Dixitq; Dauid ad Deum, Peccaui nimis, vt hoc facerem, obsecro aufer iniquitatẽ serui tui, quia
insipienter egi. Et locutus est Dominus ad Gad vidẽtem Dauid, dicens, Vade, & loquere ad Dauid, & dic ei,
B Hæc dicit Dominus, Trium tibi optionem do: vnum quod volueris elige, & faciam tibi. Cumq; venisset
Gad ad Dauid, dixit ei, Hæc dicit Dominus, Elige quod volueris. Aut tribus annis pestilentiam famis: Aut
tribus mensibus te fugere hostes tuos, & gladium eorum nõ posse euadere: Aut tribus diebus gladium Do-
mini, & mortem versari in terra, & angelum Domini interficere in vniuersis finibus Israel: nunc igitur vide
quid respondeam ei, qui misit me. Et dixit Dauid ad Gad, Ex omni parte me angustiæ premunt: sed melius
mihi est, vt incidam in manus Domini, quia multæ sunt miserationes eius: quàm in manus hominũ. Misit
ergo Dñs pestilentiam in Israel: & ceciderunt de Israel septuaginta millia virorum. Misit quoq; angelum in
Ierusalem, vt percuteret eam: cumq; percuteretur, vidit Dñs, & misertus est super magnitudine mali: & impe
rauit angelo qui percutiebat, Sufficit iam, cesset manus tua. Porrò angelus Domini stabat iuxta aream Or-
nan Iebusæi. Leuansq; Dauid oculos suos, vidit angelum Dñi stantem inter cœlum & terram, & euaginatũ
C gladium in manu eius, & versum contra Ierusalem: & ceciderunt tam ipse, quàm maiores natu vestiti cilicijs
proni in terram. Dixitq; Dauid ad Deũ, Nónne ego sum qui iussi, vt numeraretur populus? Ego qui pec-
caui, ego qui malum feci: iste grex quid commeruit? Dñe Deus meus vertatur obsecro manus tua in me, &
in domũ patris mei: populus autem tuus nõ percutiatur. Angelus autẽ Dñi præcepit Gad, vt diceret Dauid
vt ascenderet, extrueretq; altare Dño Deo in area Ornan Iebusæi. Ascẽdit ergo Dauid iuxta sermonem Gad:
quem locutus ei fuerat ex nomine Dñi. Porrò Ornan cum suspexisset, & vidisset angelũ, quatuorq; filii eius
cum eo, absconderunt se: nam eo tẽpore terebat in area triticum. Igitur cum veniret Dauid ad Ornan, cõspe
xit eum Ornan, & processit ei obuiam de area, & adorauit eum pronus in terram. Dixitq; ei Dauid, Da mihi
locum areæ tuæ, vt ædificem in ea altare Domino: ita vt quantum valet argenti accipias: & cesset plaga à po-
pulo. Dixit autem Ornan ad Dauid, Tolle, & faciat dominus meus rex quodcunq; ei placet: sed & boues do
D in holocaustum, & tribulas in ligna, & triticum in sacrificium, omnia libens præbebo. Dixitq; ei rex Da-
uid, Nequaquam ita fiet, sed argentum dabo quantum valet: neq; enim tibi auferre debeo, & sic offerre Do-
mino holocausta gratuita. Dedit ergo Dauid Ornan, pro loco, siclos auri iustissimi põderis sexcẽtos. Et ẽdi-
ficauit ibi altare Domino: obtulitq; holocausta, & pacifica: & inuocauit Dominum, & exaudiuit eum igne
de cœlo super altare holocausti. Præcepitq; Dominus angelo: & conuertit gladium suum in vaginam. Pro-
tinus ergo Dauid, videns quòd exaudisset eum Dominus in area Ornan Iebusæi, immolauit ibi victimas. Ta
bernaculum autem Domini, quod fecerat Moyses in deserto, & altare holocaustorum, ea tempestate erat in
excelso Gabaon. Et non prævaluit Dauid ire ad altare, vt ibi obsecraret Deũ: nimio enim fuerat timore per-
territus, videns gladium angeli Domini.

Caput

CAPVT XXII.

DIxitq; Dauid, Hæc eſt domus Domini Dei, & hoc altare in holocauſtum Iſrael. Et precepit vt cõgarentur omnes proſelyti de terra Iſrael, & conſtituit ex eis latomos ad cędendos lapides & poliędos, vt ædificaretur domus Dei. Ferrum quoq; plurimum ad clauos ianuarum, & ad commiſſuras atq; iuncturas præparauit Dauid: & æris pondus innumerabile. Ligna quoq; cedrina non poterãt æſtimari, quæ Sydonij & Tyrij deportauerant ad Dauid. Et dixit Dauid, Salomon filius meus puer paruulus eſt & delicatus: domus autem, quam ædificare volo Domino, talis eſſe debet, vt in cũctis regionibus nominetur, præparabo ergo ei neceſſaria. Et ob hanc cauſam, ante mortem ſuam omnes præparauit impenſas. Vocauitq; Salomonem filium ſuum: & præcepit ei vt ædificaret domum Domino Deo Iſrael. Dixitq; Dauid ad Salomonem, Fili mi, voluntatis meæ fuit, vt ædificarem domum nomini Dei mei. Sed factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Multum ſanguinem effudiſti, & plurima bella beллaſti: non poteris ędificare domũ nomini meo, tanto effuſo ſanguine coràm me: filius, qui naſcetur tibi, erit vir quietiſſimus: faciam enim eum requieſcere ab omnibus inimicis ſuis per circuitum: & ob hanc cauſam Pacificus vocabitur: & pacem, & ocium dabo in
2.Reg.7.b Iſrael cunctis diebus eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo: & ipſe erit mihi in filium: & ego ero illi in
3.Reg.5.a patrem: firmaboq; ſolium regni eius ſuper Iſrael in æternum. Nunc ergo fili mi, ſit Dominus tecum & proſperare, & ędifica domum Dño Deo tuo, ſicut locutus eſt de te. Det quoq; tibi Dominus prudentiam & ſenſum, vt regere poſsis Iſrael, & cuſtodire legem Dñi Dei tui. Tunc enim proficere poteris, ſi cuſtodieris mandata, & iudicia quæ præcepit Dominus Moyſi vt doceret Iſrael: confortare, & viriliter age, ne timeas, neque paueas. Ecce ego in paupertate mea præparaui impenſas domus Domini, auri talenta centum millia, & argẽti mille millia talentorum, æris verò, & ferri non eſt pondus: vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides præparaui, † quibus tu adijcere poteris. Habes quoq; plurimos artifices latomos, & cæmẽtarios, artifices q; lignorum: & omnium artium ad faciendum opus prudẽtiſſimos. † Auri & argenti & æris & ferri, nõ eſt numerus. Surge igitur, & fac, & erit Dominus tecum. Precepit quoq; Dauid cunctis principibus Iſrael, vt adiuuarent Salomonem filium ſuum. Cernitis, inquiens, quòd Dominus Deus veſter vobiſcum ſit, & dederit vobis requiem per circuitum, & tradiderit † in manu mea habitatores terræ, & ſubiecta ſit terra coràm Domino, & coràm populo eius. Præbete igitur corda veſtra & animas veſtras, vt quæratis Dominum Deum veſtrum: & conſurgite ædificate ſanctuarium Domino Deo: vt introducatur arca fœderis Domini, & vaſa Deo conſecrata in domum quæ ædificatur nomini Domini.

CAPVT XXIII.

IGitur Dauid ſenex & plenus dierum, regem conſtituit Salomonem filium ſuum ſuper Iſrael. Et conuocauit omnes principes Iſrael, & ſacerdotes atque Leuitas. Numeratiq; ſunt Leuitæ à triginta annis, & ſupra: & inuenta ſunt triginta octo millia virorum. Ex his electi ſunt, & diſtributi in miniſterium domus
Supra.6.a Domini viginti quatuor millia, præpoſitorum autem & iudicum, ſex millia. Porrò quatuor millia ianitores: & totidem pſaltes canentes Domino in organis quæ fecerat ad canẽdum. Et diſtribuit eos Dauid per vices. Filiorum Leui, Gerſon videlicet, & Caath, & Merari. Filij Gerſon: Leedan, & Semei. Filij Leedan principis: Iahiel, & Zethã, & Ioel, tres. Filij Semei: Salomith & Hoziel & Arã, tres: iſti principes familiarum Leedã. Porrò filij Semei: Ieheth, & Zina, & Iaus, & Baria: iſti filij Semei, quatuor. Erat autem Ieheth prior Zina ſecundus: porrò Iaus & Baria non habuerunt plurimos filios, & iccircò in vna familia vnaq; domo computati ſunt. Filij Caath, Amram, & Iſaar, Hebron & Oziel, quatuor. Filij Amram Aaron, & Moyſes. Separatusq;
Exod.2.a 6.c Hebr.5.b Exod.2.d eſt Aaron, vt miniſtraret in ſanctoſanctorum, ipſe & filij eius in ſempiternum, & adoleret incẽſum Domino † et miniſtraret ei, ac benediceret nomini eius in ſempiternum. Moyſi quoq; hominis Dei filij annumerati ſunt in tribu Leui. Filij Moyſi, Gerſom & Eliezer. Filij Gerſom, Subuel primus. Fuerũt autem filij Eliezer: Rohobia primus: & non erãt Eliezer filij alij: porrò filij Rohobia multiplicati ſunt nimis. Filij Iſaar: Salomith primus. Filij Hebron: Ieriau primus, Amarias ſecundus, Iahaziel tertius, Iecmaã quartus. Filij Oziel: Micha primus, Ieſia ſecũdus. Filij Merari: Moholi & Muſi. Filij Moholi: Eleazar & Cis. Mortuus eſt autem Eleazar, & non habuit filios, ſed filias, acceperuntq; eas filij Cis fratres earum. Filij Muſi: Moholi & Eder & Ierimoth, tres. Hi filij Leui in cognationibus & familijs ſuis, principes † patrum, ſecũdum officia ſua, & iuxta numerum nominũ, & ſummam eorũ qui faciebãt opera miniſterij domus Dñi à viginti annis, & ſupra. Dixit enim Dauid, Requiem dedit Dñs Deus Iſrael populo ſuo, & habitationem Ieruſalem vſq; in æternũ. Nec erit officij Leuitarum vt vltrà portent tabernaculum, & omnia vaſa eius ad miniſtrandum. Iuxta præcepta quoq; Dauid nouiſsima ſupputabitur numerus filiorum Leui à viginti annis & ſupra. Et erũt ſub manu filiorum Aaron in cultum domus Domini, in veſtibulis & in exedris, & in loco purificationis: & in ſanctuario & in vniuerſis operibus miniſterij templi Dei † ſuper panes propoſitionis, & ad ſimilæ ſacrificium, & ad lagana & azyma & ſartaginem, & ad torrendum, & ſuper omne pondus atque menſuram, † et, vt ſtent per ſingulos dies mane ad confitendum, et canendum Dño: ſimiliterq; ad veſperã, et in oblatione holocauſtorum Domini, † in Sabbatis et Calendis et ſolennitatibus reliquis iuxta numerum, et ceremonias vniuſcuiuſq; rei iugiter coràm Dño. Et † obſeruent cuſtodiam tabernaculi fœderis, et † cuſtodiam ſanctuarij, et obſeruationẽ filiorum Aaron fratrum ſuorum, vt miniſtrent in domo Domini.

CAPVT XXIIII.

POrrò filijs Aaron hæ partitiones erant. Filij Aaron: Nadab et Abiu et Eleazar et Ithamar. Mortui ſunt autem Nadab et Abiu ante patrem ſuum abſq; liberis: ſacerdotioq; functus eſt Eleazar & Ithamar. Et diuiſit eos Dauid et Sadoc de filijs Eleazari, et Abimelech de filijs Ithamar ſecundum vices ſuas et miniſterium. Inuentiq; ſunt multò plures filij Eleazar in principibus viris, quàm filij Ithamar. Diuiſit autem eis, hoc eſt filijs Eleazar principes per familias ſedecim: & filijs Ithamar per familias, & domos ſuas octo. Porrò diuiſit vtrasq; inter ſe familias ſortibus: erant enim principes ſanctuarij, & principes Dei tam de filijs Eleazar, quàm de filijs Ithamar. Deſcripſitq; eos Semeias filius Nathanael ſcriba Leuites coràm rege & principibus, & Sadoc ſacerdote, & Abimélech filio Abiathar, principibus quoq; familiarum ſacerdotalium & Leuiticarum: † domus patris vna retenta eſt apud Eleazar, & vna apud Ithamar. Exiuit autem ſors prima Ioiarib, ſecunda Iedeiæ, tertia Harim, quarta Seorim, quinta Melchia, ſexta Maiman, ſeptima Accos, octaua Abia, nona Ieſua, decima Sechenia, vndecima Eliaſib, duodecima Iacim, tredecima Hoppha, decimaquarta Isbaab, decimaquinta Belga, decimaſexta Emmer, decimaſeptima Hezir, decimaoctaua Aphſes, decimanona Phetheia, viceſima Hezeciel, viceſima prima Iachin, viceſima ſecunda Gamul, viceſimatertia Dalaiaũ, viceſimaquarta Maaziau. Hæ vices eorũ ſecundũ miniſteria ſua, vt ingrediantur domum Domini iuxta ritum ſuum ſub manu Aaron patris eorũ: ſicut præcepit Dominus Deus Iſrael. Porrò filiorum Leui, qui reliqui fuerant de filijs Amram, erat Subael: & de filijs Subael, Iehedeia. De filijs quoq; Rohobiæ princeps Ieſias Iſaari verò filius Salemoth, filiusq; Salemoth Iahath: filij † Ieriau, Amarias ſecundus, Iahaziel tertius, Iecmaã quartus. Filius Oziel, Micha, filius Micha, Samir. Frater Micha, Ieſia, filiusq; Ieſiæ, Zacchur. Filij Merari, Moholi, & Muſi. Filius Oziau, Benno. Filius quoq; Merari, Oziau, & Soam, & Zacchur, & Hebri. Porrò Moholi filius, Eleazar: qui non habebat liberos. Filius verò Cis, Ierameel. Filij Muſi, Moholi, Eder & Ierimoth. Iſti filij Leui ſecundum domos familiarum ſuarum. Miſeruntq; & ipſi ſortes contra fratres ſuos filios Aaron coràm Dauid rege, & Sadoc, & Abimélech, & principibus familiarum ſacerdotalium & Leuiticarum, patres ſcilicet præcipui è regione fratrum ſuorum minorum.

CAPVT XXV.

IGitur Dauid, & magiſtratus exercitus ſegregauerunt in miniſterium filios Aſaph, & Heman, & Idithun: qui prophetarent in cytharis, & pſalterijs, & cymbalis ſecundum numerum ſuum dedicato ſibi officio ſeruientes. De filijs Aſaph: Zacchur, & Ioſeph, & Nathania, & Aſarela, filij Aſaph: ſub manu Aſaph prophetantis iuxta regem. Porrò Idithun: filij Idithun, Godolias, Sori, Ieſeias, & Haſabias, & Mathathias, ſex, ſub manu patris ſui Idithun, qui in cythara prophetabat † pro confeſsionibus, & hymnis Domini. Heman quoq;: filij Heman, Bocciau, Mathaniau, Oziel, Subuel, & Ierimoth, Hananias, Hanani, Eliatha Gedlethi, & Romemthiezer, Iesbacaſſa. Mellothi, Othir, Mahazioth: omnes iſti filij Heman videntis regis in ſermonibus Dei, vt exaltaret cornu: deditq; Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres. Vniuerſi ſub manu patris ſui ad cantandum in templo Domini † in cymbalis, & pſalterijs, & citharis, in miniſteria domus Dei iuxta regem: Aſaph videlicet, & Idithun, & Heman. Fuit autem numerus eorum cum fratribus ſuis, qui † eruditi erant in canticis Domini: cuncti doctores ducenti octogintaocto. Miſeruntq; ſortes per vices ſuas, ex æquo tam maior, quàm minor, doctus pariter, & indoctus. Egreſſaq; eſt ſors prima † in cognatione Aſaph pro Ioſeph. Secunda Godoliæ, ipſi & filijs eius, & fratribus eius duodecim. Tertia Zacchur, filijs & fratribus eius duodecim. Quarta Iſari, filijs & fratribus eius duodecim. Quinta Nathaniæ, filijs & fratribus eius duodecim. Sexta Bocciau, filijs & fratribus eius duodecim. Septima Iſraela, filijs & fratribus eius duodecim. Octaua Ieſaiæ, filijs & fratribus eius duodecim. Nona Mathaniæ, filijs & fratribus eius duodecim. Decima Semeiæ, filijs & fratribus eius duodecim. Vndecima Azareel, filijs & fratribus eius duodecim. Duodecima Haſabiæ, filijs & fratribus eius duodecim. Tertiadecima Subael, filijs & fratribus eius duodecim. Quartadecima-Mathathiæ, filijs & fratribus eius duodecim. Quintadecima Ierimoth, filijs & fratribus eius duodecim. Sextadecima Hananiæ, filijs & fratribus eius duodecim. Septimadecima Iesbacaſſæ, filijs & fratribus eius duodecim. Octauadecima Hanani, filijs & fratribus eius duodecim. Nonadecima Mellothi, filijs & fratribus eius duodecim. Viceſima Eliatha, filijs & fratribus eius duodecim. Viceſimaprima Othir, filijs & fratribus eius duodecim. Viceſimaſecunda Geddelthi, filijs & fratribus eius duodecim. Viceſimatertia Mahazioth, filijs & fratribus eius duodecim. Viceſimaquarta Romemthiezer, filijs & fratribus eius duodecim.

CAPVT XXVI.

DIuiſiones autem ianitorum: de Coritis Meſellemia, filius Core, de filijs Aſaph. Filij Meſellemiæ: Zacharias primogenitus, Iadihel ſecundus, Zabadias tertius, Iathanael quartus, Aelam quintus, Iohanan ſextus, Elioenai ſeptimus. Filij autem Obededom: Semeias primogenitus, Iozabad ſecundus, Ioaha tertius, Sachar quartus, Nathanael quintus, Ammiel ſextus, Iſſachar ſeptimus, Phollathi octauus: quia benedixit illi Dominus. Semeiæ autem filio eius nati ſunt filij, præfecti familiarum ſuarum: erant enim viri fortiſsimi: filij ergo Semeiæ: Othni, & Raphael, & Obed, Elzabad, & fratres eius viri fortiſsimi: Eliu quoque, & Samachias: omnes hi, de filijs Obededom: ipſi & filij, & fratres eorum fortiſsimi ad miniſtrandum, ſexagintaduo de Obededom. Porrò Meſellemiæ filii, & fratres eorũ robuſtiſsimi, decẽ & octo. De Hoſa autẽ, id eſt de filijs Merari: Semri princeps, † & licet non fuerit primogenitus, tamen poſuerat eum pater eius in principem: Helcias ſecundus, Tabelias tertius, Zacharias quartus, omnes hi filij, & fratres Hoſa, tredecim. Hi diuiſi ſunt in ianitores, vt ſemper principes cuſtodiarum, ſicut & fratres eorũ miniſtrarent in domo Domini. Miſſæ ſunt ergo ſortes ex æquo, & paruis & magnis per familias ſuas in vnamquanq; portarũ. Cecidit ergo ſors orientalis, Selemiæ. Porrò Zachariæ filio eius, viro prudentiſsimo, & erudito, ſortitò obtigit plaga ſeptentrionalis. Obededom verò, & filijs eius, ad auſtrum: in qua parte domus, erat ſeniorum concilium. Sephim, & Hoſa, ad occidentẽ, iuxta portam, quæ ducit ad viam aſcenſionis: cuſtodia contra cuſtodiam. Ad orientem verò, Leuitæ ſex: & ad aquilonem, quatuor per diem: atq; ad meridiem ſimiliter in die, quatuor: &

vbi

vbi erat concilium, bini & bini.† In domo Pharbar ad occidentem, quatuor in aſcenſu, & duo in Pharbar. C
Hæ ſunt diuiſiones ianitorum filiorum Core, & Merari. Porró † Leuitæ Achias erat ſuper theſauros domus
Dei, & vaſa ſanctorum. Filij quoque Ledan, filij Gerſonni: de Ledan principes familiarum, Ledan et Gerſon-
ni, Iehieli. Filij Iehieli: Zatham, & Ioel fratres eius ſuper theſauros domus Amramitis, & Iſſaaritis, & Hebro-
nitis & Ozihelitis. Subael autem filius Gerſom, filij Moyſi, præpoſitus theſauris. Fratres quoque eius Eliezer,
cuius filius Rahabia, & huius filius Eſaias, & huius filius Ioram, huius quoque filius Zechri, & huius filius Se-
lemith: ipſe Selemith, & fratres eius ſuper theſauros ſanctorum, quæ ſanctificauit Dauid rex, & principes fa-
miliarum, & tribuni & centuriones, & duces exercitus, de bellis & manubijs præliorum quę conſecrauerant
ad inſtaurationē † templi Domini. Sed & cuncta, quæ ſanctificauit Samuel vidēs, & Saul filius Cis, & Abner D
filius Ner, & Ioab filius Saruiæ: † & quicunq; aliquid ſanctificauerat, erat ſub manu Selemith, & fratrū eius.
Iſaaritis verò præerat Chonenias, & filij eius ad opera forinſecus ſuper Iſrael ad † exigendum, & iudicādum
eos. Porrò de Hebronitis Haſabias, & fratres eius viri fortiſſimi, mille ſeptingenti præerant Iſraeli trans Ior-
danem contra occidentem, in cunctis operibus Domini, & in miniſterium regis. Hebronitarum autē prin-
ceps fuit Ieria ſecundum familias, & cognationes eorum. Quadrageſimo anno regni Dauid recenſiti ſunt: &
inuenti ſunt † in eis viri ſtrenui in Iazer Galaad, & fratres eius viri ſtrenui, duo millia ſeptingenti principes
familiarum. Præpoſuit autem eos Dauid rex Rubenitis & Gadditis, & dimidiæ tribui Manaſſe, in omne mi-
niſterium Dei & regis.

CAPVT XXVII.

Filij autem Iſrael ſecundum numerum ſuum principes familiarum, tribuni & centuriones, & prefecti, A
qui miniſtrabant regi iuxta turmas ſuas, ingredientes & egredientes per ſingulos menſes in anno: vi-
gintiquatuor millibus ſinguli præerant. Primæ turmæ in primo menſe Iesboam præerat filius Zab-
diel: & ſub eo vigintiquatuor millia. De filijs Phares, princeps cunctorum principū exercitus menſe primo.
Secundi mēſis habebat turmam Dudia Ahohites, & poſt ſe alter nomine Macelloth, qui regebat partē exer-
citus vigintiquatuor millium. Dux quoque turmæ tertię in menſe tertio, erat Banaias filius Ioiadæ † ſacer-
dotis ſummi: & in diuiſione ſua viginti quatuor millia. Ipſe & Banaias fortiſſimus inter triginta, ſup trigin-
ta: præerat autem turmæ ipſius Amizabad filius eius. Quartus, menſe quarto, Azahel frater Ioab, & Zaba-
dias filius eius poſt eum, & in turma eius vigintiquatuor millia. Quintus, mēſe quinto, princeps Samaoth B
Iezerites: & in turma eius vigintiquatuor millia. Sextus, menſe ſexto, Hira filius Acces Thecuites: & in tur-
ma eius vigintiquatuor millia. Septimus, menſe ſeptimo, Helles Phallonites de filijs Ephraim: & in turma
eius vigintiquatuor millia. Octauus, menſe octauo, Sobochai Huſathites de ſtirpe Zarahi: & in turma eius
vigintiquatuor millia. Nonus, menſe nono, Abiezer Anathothites de filijs Iemini: & in turma eius vigin-
tiquatuor millia. Decimus, menſe decimo, Marai, & ipſe Netophathites de ſtirpe Zarahi: & in turma eius
vigintiquatuor millia. Vndecimus, menſe vndecimo, Banaias Pharathonites de filijs Ephraim: & in turma
eius vigintiquatuor millia. Duodecimus, menſe duodecimo, Holdai Netophathites de ſtirpe Othoniel: &
in turma eius vigintiquatuor millia. Porrò tribubus præerant in Iſrael, Rubenitis, dux Eliezer filius Zechri: C
Simeonitis, dux Saphatias filius Maacha: Leuitis, Haſabias filius Camuel: Aaronitis, Sadoc: Iudaitis, Eliu fra-
ter Dauid: Iſſacharitis, Amri filius Michael: Zabulonitis Ieſmaias filius Abdiæ: Nephthalitibus, Ierimoth fi-
lius Oziel: filijs Ephraim, Oſee filius Ozaziu: dimidiæ tribui Manaſſe, Ioel filius Phadaiæ: & dimidiæ tribui
Manaſſe in Galaad, Iaddo filius Zachariæ: Beniamin autem, Iaſiel filius Abner: Dā verò, Ezriel filius Ierohā:
hi principes filiorum Iſrael. Noluit autem Dauid numerare eos à viginti annis inferius: quia dixerat Domi-
nus vt multiplicaret Iſrael quaſi ſtellas cœli. Ioab filius Saruię cœperat numerare, nec compleuit, quia ſuper
hoc ira irruerat in Iſrael: & iccircò numerus eorum qui fuerāt recenſiti, nō eſt relatus in faſtos regis Dauid.
Super theſauros autem regis fuit Azmoth filius Adiel: † & ſuper theſauros agrorum in vrbibus, & in vicis, & D
in turribus præſidebat Ionathā filius Oziæ. Operi autem ruſtico, & agricolis qui exercebāt terram, præerat
Ezri filius Chelub. Vinearumq; cultoribus, & Semeias Ramathites: cellis autem vinarijs, Zabdias Sapho-
nites. Nam ſuper oliueta & ficeta, quæ erant in campeſtribus, Balanan Gaderites: ſuper apothecas autē olei,
Ioas. Porrò armētis, quæ paſcebātur in Saron, præpoſitus fuit Setrahi Saronites: & ſuper boues in vallibus,
Saphat filius Adli: ſup camelos verò, Vbil Iſmahelites: & ſuper aſinos, Iadias Meronathites: ſup oues quoq;
Iaziz Agarenus: omnes hi, principes ſubſtantiæ regis Dauid. Ionathan autem patruus Dauid conſiliarius, vir
prudens & literatus ipſe, & Iahiel filius Hachamoni, erant cum filijs regis. Achitophel etiam conſiliarius re-
gis, & Chuſai Arachites amicus regis. Poſt Achitophel fuit Ioiada filius Banaiæ, et Abiathar. Princeps autem
exercitus regis erat Ioab.

CAPVT XXVIII.

Conuocauit igitur Dauid omnes principes Iſrael, duces tribuum, et præpoſitos turmarum, qui mini- A
ſtrabant regi: tribunos quoque et centuriones, et qui præerant ſubſtantiæ, et poſſeſſionibus regis: fi-
lioſq; ſuos cum eunuchis, et potentes, et robuſtiſſimos quoſq; in † Ieruſalem. Cumq; ſurrexiſſet rex,
et ſtetiſſet, ait, Audite me fratres mei, et populus meus. Cogitaui vt ędificarem domum in qua requieſceret
arca fœderis Domini, et ſcabellum pedum Dei noſtri: et ad ædificandum omnia præparaui. Deus autē dixit
2.Re.7.b mihi, Non ædificabis domum nomini meo, eò quòd ſis vir bellator, et ſanguinem fuderis, Sed et elegit Do-
minus Deus Iſrael me de vniuerſa domo patris mei, vt eſſem rex ſuper Iſrael in ſempiternum: de Iuda enim
elegit principes: porrò de domo Iuda, domum patris mei: et de filijs patris mei, placuit ei vt me eligeret regē
Sapien.9.b ſuper cunctum Iſrael. Sed et de filijs meis (filios enim mihi multos dedit Dominus) elegit Salomonē filium
meum, vt ſederet in throno regni Domini ſuper Iſrael, dixitq; mihi. Salomon filius tuus ædificabit domum
meam,

meam, & atria mea: ipſum enim elegi mihi in filium, & ego ero ei in patrem. Et firmabo regnum eius vſque
in æternum, ſi perſeuerauerit facere præcepta mea & iudicia, ſicut & hodie. Nunc ergo coràm vniuerſo cœtu
Iſrael audiente Deo noſtro, & cuſtodite & perquirite cuncta mandata Dñi Dei veſtri: vt poſſideatis terram
bonam, & relinquatis eam filijs veſtris poſt vos vſq; in ſempiternum. Tu autem Salomon fili mi, ſcito Deū
patris tui, & ſerui ei corde perfecto, & animo voluntario. Omnia enim corda ſcrutatur Dominus, & vniuer
ſas mentium cogitationes intelligit. Si quæſieris eum, inuenies: ſi autem dereliqueris eum, proijciet te in ęter
C num. Nunc ergo quia elegit te Dominus, vt ædificares domum ſanctuarij, confortare & perfice. Dedit au
tēm Dauid Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi: & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorū
in adytis, & domus propitiationis, necnon & omniū, quæ cogitauerat atriorum & exedrarum per circuitum
† pro theſauris domus Dei & pro theſauris conſecratorum: diuiſionumq; ſacerdotalium & Leuiticarum in Pſal.7.
omnia opera domus Domini, & in vniuerſa vaſa miniſterij templi Domini. Aurum in pondere per ſingula
vaſa miniſterij: Argenti quoq; pondus pro vaſorum & operum diuerſitate. Sed & ad candelabra aurea, & ad
lucernas eorum, aurum pro menſura vniuſcuiuſq; candelabri & lucernarum. Similiter & in candelabra ar-
gentea, & in lucernas eorum, pro diuerſitate † miniſterij, pondus argenti tradidit. Aurum quoque dedit in
D menſas propoſitionis pro diuerſitate menſarum. Similiter & argentum in alias menſas argenteas. Ad fuſci-
nulas quoq;, & phialas, & thuribula ex auro puriſſimo, † & pro peluibus aurum in pōdere pro qualitate mē-
ſuræ, ſic pro peluibus argentum in pondere pro pelui & pelui. Altari autem, in quo adoletur incenſum, au-
rum puriſſimum dedit: & † pro diſpoſitione quadrigæ cherubim extendentium alas, & velantium arcam fœ
deris Domini. Omnia (inquit) venerunt ſcripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuerſa opera exem
plaris. Dixit quoq; Dauid Salomoni filio ſuo, Viriliter age, & confortare, & fac: ne timeas & ne paueas. Do-
minus enim Deus meus tecum erit, & non dimittet te, nec derelinquet, donec perficias omne opus miniſte-
rij domus Domini. Ecce diuiſiones ſacerdotum & Leuitarum, in omne miniſterium domus Dei aſſiſtunt ti-
bi, † in omni opere vnà cum omni viro eximio in ſapientia pro quocunque miniſterio. Habes & principes,
atq; vniuerſum populum pro quibuſcunq; neceſſitatibus tuis.

CAPVT XXIX.

A Locutusq; eſt Dauid rex ad omnem eccleſiam, Salomonem filium meum vnū elegit Deus, adhuc pue-
rum & tenellum: opus autem grande eſt, neq; enim homini præparatur habitatio, ſed Dño Deo. Ego
autem totis viribus meis præparaui impenſas domus Dei mei. Aurum ad vaſa aurea, & argentum in
argentea, æs in ænea, ferrū in ferrea, ligna ad lignea: & lapides onychinos, & † qui includantur, lapides rutilā-
tes, & diuerſorū colorum, omnemq; pretioſum lapidem, & † lapides marmoreos abundantiſsimē: † inſuper
pro mea affectiōe in domū Dei mei, de peculio meo aurum & argentum do in tēplum Dei mei, exceptis his
B quæ præparaui in ædem ſanctam. Tria millia talenta auri de auro Ophir: & ſeptē millia talentorū argēti pro
batiſsimi, ad deaurādos parietes tēpli. Et vbicunq; opus eſt aurum de auro, & vbicunq; opus eſt argentum de
argento, † & ad omne opus per manus artificū: & ſi quis ſponte offert, impleat manum ſuam hodie. † Obtu-
lerunt itaq; ſe ſpontaneos principes familiarum, & proceres tribuum Iſrael, tribuni quoq; & centuriones, &
principes poſſeſsionum regis. Dederuntq; in opera domus Dei auri talenta quinque millia, & ſolidos de-
cem millia: argenti talenta decem millia, & æris talenta decem & octo millia: ferri quoque centum millia ta-
lentorum. Et apud quencunque inuenti ſunt lapides, dederunt in theſauros domus Domini per manum Ia-
C hiel Gerſonitis, Lætatusq; eſt populus, cum vota ſponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domi-
no: ſed & Dauid rex lætatus eſt gaudio magno. Et benedixit Domino coràm vniuerſa multitudine, & ait,
Benedictus es Domine Deus Iſrael patris noſtri ab æterno in æternum. Tua eſt Domine magnificentia,
& potentia, & gloria, atque victoria, & tibi laus: cuncta enim, quæ in cœlo ſunt, & in terra, tua ſunt, tuum
Domine regnum, & tu es ſuper omnes principes. Tuæ diuitiæ, & tua eſt gloria, tu dominaris, omnium,
in manu tua virtus & potentia, in manu tua † magnificare, & roborare omnia. Nunc igitur Deus noſter
D confitemur tibi, & laudamus nomen tuum inclytum. Quis ego, & quis populus meus, vt poſſimus hæc tibi
vniuerſa † donare? tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi. Peregrini enim ſumus co-
ràm te & aduenæ, ſicut omnes patres noſtri. Dies noſtri quaſi vmbra ſuper terram, & nulla eſt mora. Do- Sapien.2.b
mine Deus noſter, omnis hæc copia, quam parauimus, vt ædificaretur domus nomini ſancto tuo, de ma-
nu tua eſt, & tua ſunt omnia. Scio Deus meus, quòd probes corda, & ſimplicitatem diligas, vnde & ego in
ſimplicitate cordis mei lætus obtuli vniuerſa hæc: & populum tuum: qui hic repertus eſt, vidi cum ingenti
E gaudio tibi offerre donaria. Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſrael patrum noſtrorum: cuſtodi in ęter
num hanc voluntatem cordis eorum, † & præpara cor eorum ad te. Salomoni quoque filio meo da cor per
fectum, vt cuſtodiat mandata tua, teſtimonia tua, & ceremonias tuas, & faciat vniuerſa: & ædificet ædem,
cuius impenſas paraui. Præcepit autem Dauid vniuerſæ eccleſiæ, Benedicite Domino Deo veſtro. Et
benedixit omnis eccleſia Domino Deo patrum ſuorum: & inclinauerunt ſe, & adorauerunt Dominum, &
deinde regem. Immolauerunt̄q; victimas Domino: & obtulerunt holocauſta die ſequenti tauros mille, arie-
tes mille, agnos mille cum libaminibus ſuis, † ſacrificia multa propter omnem Iſrael. Et comederunt, & 3.Re.1.e
F biberunt coràm Domino in die illo cum grandi lætitia: & vnxerunt ſecundò Salomonem filium Dauid.
Vnxerunt autem eum Domino in principem, & Sadoc in pontificē. Seditq; Salomon ſuper ſolium Domini
in regē pro Dauid patre ſuo, & † proſperè egit: & paruit illi omnis Iſrael. Sed & vniuerſi principes & poten-
tes, & cuncti filij regis Dauid dederunt manum, & ſubiecti fuerunt Salomoni regi. Magnificauit ergo Domi
nus Salomonē † excellenter videntibus cunctis Iſraelitis: & dedit illi gloriam regni qualem nullus habuit an 3.Reg.2.c
te eū rex Iſrael. Igitur Dauid filius Iſai regnauit ſuper vniuerſum Iſrael. Et dies, quibus regnauit ſup Iſrael,
fuerunt

fuerunt quadraginta anni:in Hebron regnauit ſeptem annis,& in Ieruſalem annis trigintatribus. Et mortuus eſt in ſenectute bona,plenus dierum,& diuitijs,& gloria regnauit Salomon filius eius pro eo. Geſta autem Dauid regis priora, & nouiſſima ſcripta ſunt in libro Samuelis videntis, & in libro Nathan prophetæ, atq; in volumine Gad videntis; vniuerſiq; regni eius & fortitudinis, & temporum, quæ tranſierunt † ſuper eum,atq; ſuper Iſraelem & ſuper cuncta regna terrarum.

FINIS.

LIBER SECVNDVS
PARALIPOMENON, HEBRAICE DIBRE HAIAMIN.

CAPVT I.

3. Re. 3.a

ONFORTATVS eſt ergo Salomon filius Dauid in regno ſuo,& Dominus Deus erat A cum eo,& magnificauit eum in excelſum. Præcepitq; Salomon vniuerſo Iſraeli,tribunis,& centurionibus, & ducibus, & iudicibus omnis Iſrael,& principibus familiarum: & abijt cum vniuerſa multitudine in excelſum Gabaon,vbi erat tabernaculum fœderis Dei,quod fecit Moyſes famulus Dei in ſolitudine. Arcam autem Dei adduxerat Dauid de Cariathiarim in locum quem præparauerat ei, & vbi fixerat illi tabernaculum, hoc

Exod. 38.d eſt in Ieruſalē. Altare quoq; æneum,quod fabricatus fuerat Beſeleel filius Vri filij Hur, B ibi erat coràm tabernaculo Dñi:quod & requiſiuit Salomon,& omnis eccleſia. Aſcēditq; Salomon ad altare æneū coràm tabernaculo fœderis Domini,& obtulit in eo mille † holocauſta. Ecce autem in ipſa nocte apparuit ei Deus,dicēs,Poſtula quod vis, vt dem tibi.Dixitq; Salomon Deo. Tu feciſti cum Dauid patre meo miſericordiam magnā:& conſtituiſti me regē pro eo. Nunc ergo Dñe Deus impleatur ſermo tuus, quē pollicitus es Dauid patri meo:tu enim me feciſti regē ſuper populum tuū multum, qui tam innumerabilis eſt, quàm puluis terræ.Da mihi ſapiētiam & intelligentiam,vt ingrediar & egrediar corā populo tuo:quis enim C

1.Par. 28.b poteſt hunc populum tuum dignè,qui tam grandis eſt,iudicare?Dixit autem Deus ad Salomonē, Quia hoc

Sapien. 9.b magis placuit cordi tuo,& non poſtulaſti diuitias,& ſubſtantiam, & gloriam,neq; animas eorum qui te oderunt,ſed nec dies vitæ plurimos:petiſti autē ſapientiam & ſciētiam,vt iudicare poſsis populum meum, ſuper quem conſtitui te regem. Sapientia & ſcientia data ſunt tibi: diuitias autem,& ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi,ita vt nullus in regibus nec ante te,nec poſt te fuerit ſimilis tui. Venit ergo Salomon ab excelſo Gabaon in Ieruſalem coram tabernaculo fœderis:& regnauit ſuper Iſrael. Congregauitq; ſibi currus & equi- D tes:& facti ſunt ei mille quadringenti currus,& duodecim millia equitum: & fecit eos eſſe in vrbibus quadrigarum,& cum rege in Ieruſalem. Præbuitq; rex argentum & aurum in Ieruſalem quaſi lapides, & cedros quaſi ſycomoros,quæ naſcuntur in campeſtribus multitudine magna. Adducebantur autem ei equi de Ægypto,& de Coa à negotiatoribus regis, qui ibant, & emebant pretio quadrigam equorum ſexcentis argenteis,& equum centum quinquaginta: † ſimiliter & pro omnibus regibus Cethæorum, & pro regibus Syriæ manu ſua educebant equos.

CAPVT II.

3. Reg. 5.a

DEcreuit autem Salomon,ædificare domum nomini Dñi,& palatium ſibi. Et numerauit ſeptuaginta A virorum portantium humeris,& octoginta millia qui cederent lapides in mōtibus,præpoſitosq; eorum tria millia ſexcentos,Miſit quoque ad Hiram regem Tyri, dicens, Sicut egiſti cum Dauid patre meo,& miſiſti ei ligna cedrina,vt ædificaret ſibi domum,in qua & habitauit, ſic fac mecum vt ædificem domum nomini Dñi Dei mei,† ad offerendum ei ſancta,& adolendum in cōſpectu eius incenſum aromaticū, & ad propoſitionem panum ſempiternā, & ad holocauſtomata mane & veſpere, ſabbatis quoq;,& neomenijs & ſolennitatibus Dñi Dei noſtri in ſempiternū,quæ mandata ſunt Iſraeli. Domus enim quam ædificare cupio,magna eſt:magnus eſt enim Deus noſter ſuper omnes deos. Quis ergo poterit præualere, vt ædi- B ficetei dignam domū? ſi cœlum,& cœli cœlorum capere eum nequeunt: quantus ego ſum, vt poſsim ædificare ei domum? ſed adhoc tantum, vt adoleatur incenſum coràm illo. Mitte ergo mihi virum eruditum, qui nouerit operari in auro & argēto,ære & ferro,purpura,coccino,& hyacintho, & qui ſciat ſculpere celaturas cum his artificibus quos mecū habeo in Iudæa & Ieruſalem, quos præparauit Dauid pater meus. Sed & ligna cedrina mitte mihi, & arceuthina, & pinea de Libano:ſcio enim q; ſerui tui nouerint cædere ligna de Libano,& erunt ſerui mei cum ſeruis tuis,vt parentur mihi ligna plurima.Domus enim,quam cupio ædificare,magna eſt nimis & inclyta. Præterea operarijs qui cæſuri ſunt ligna ſeruis tuis dabo in cibaria tritici C † contuſi coros viginti millia,& hordei coros totidem,& vini viginti millia metretas, oleiq; † batos viginti millia. Dixit autem Hiram rex Tyri per literas,quas miſerat Salomoni,Quia dilexit Dñs populum ſuum iccirco te regnare fecit ſuper eum. Et addidit,dicens, Benedictus Dñs Deus Iſrael,qui fecit cœlum & terram, qui dedit Dauid regi filium ſapientem & eruditum & ſenſatum atq; prudentē,vt ædificaret domum Dño,& palatium ſibi. Miſi ergo tibi virum prudentē, & ſcientiſsimum, † quo vſus eſt Hiram pater meus, filiū mulieris

lieris de filiabus Dan,cuius pater fuit Tyrius,qui nouerit operari in auro & argento, ære & ferro, & marmore,& lignis,in purpura quoq; & hyacintho,& byſſo & coccino:& qui ſciat cælare omnem ſculpturā,& adinuenire prudenter quodcunq; in opere neceſſariū eſt cum artificibus tuis,& cum artificibus domini mei Da- D uid patris tui. Triticum ergo,& hordeum,& oleū,& vinum,quæ pollicitus es dñe mi,mitte ſeruis tuis. Nos autē cædemus ligna de Libano,quot neceſſaria habueris, & applicabimus ea ratibus per mare in Ioppe: tuū autem erit tranſferre ea in Ieruſalem. Numerauit igitur Salomon omnes viros proſelytos qui erant in terra Iſrael,poſt dinumerationem quam dinumerauit Dauid pater eius: & inuenti ſunt cētum quinquaginta tria millia & ſexcenti. Fecitq; ex eis ſeptuaginta millia,qui humeris onera portarent & octoginta millia qui lapides de montibus cæderent:tria autem millia,& ſexcentos præpoſitos operum populi.

CAPVT III.

A ET cœpit Salomon edificare domum Domini in Ieruſalem,in monte Moria,qui demonſtratus fuerat Dauid patri eius,in loco quem parauerat Dauid in area Ornan Iebuſæi. Cœpit autem ædificare men ſe ſecundo,anno quarto regni ſui.Et hę † ſunt diſpoſitiones de quibus Salomon inſtructus fuit,vt ędi 3.Reg.6.a ficaret domum Dei,longitudinis cubitos in menſura prima ſexaginta, latitudinis cubitos viginti. Porticum verò ante frontem,quæ tendebatur in longum iuxta menſuram latitudinis domus cubitorum viginti: porrò altitudo centum viginti cubitorum erat:& deauraui eam intrinſecus auro mundiſſimo. Domum quoq; B maiorem texit tabulis ligneis abiegnis, & laminas auri obrizi affixit, † ſculpſitq; in ea palmas, & † catenas. Operuit præterea domum lapidibus preciosis pro decore eius. Porrò aurum erat probatiſsimum, de cuius laminis texit domum,& trabes eius, & poſtes, & parietes, & oſtia:& cælauit cherubim in parietibus. Fecit quoq; domum ſanctiſanctorum:longitudinem iuxta latitudinem domus,cubitorum viginti:& latitudinem ſimiliter viginti cubitorum:& laminis aureis texit eam, † ſcilicet talentis ſexcentis. Sed & clauos fecit aureos ita vt ſinguli claui ſiclos quinquagenos appenderent:cœnacula quoq; texit auro. Fecit etiam in domo ſan- C ctiſanctorum cherubim duos, opere † imaginum puerilium:& texit eos auro. Alæ cherubim viginti cubitis extendebantur,ita vt vna ala haberet cubitos quinque,& tangeret parietem domus:& altera quinq; cubitos habens,alam tangeret alterius cherub. Similiter cherub alterius ala, quinque habebat cubitos, & tangebat parietem:& ala eius altera quinque cubitorum, alam cherub alterius contingebat. Igitur alæ vtriuſque cherubim expanſæ erant,& extendebantur per cubitos viginti:ipſi autem ſtabāt erectis pedibus, & facies eorum erant verſæ ad exteriorem domum. Fecit quoque velum ex hyacintho,purpura,cocco, & byſſo: & in- D texuit ei cherubim:ante fores etiam templi duas columnas,quæ triginta & quinque cubitos habebant altitudinis:porrò capitella earum,quinque cubitorum. Necnon & quaſi catenulas in oraculo,& ſuperpoſuit eas capitibus columnarum:mala granata etiam centum,quæ catenulis interpoſuit. Ipſas quoque columnas poſuit in veſtibulo templi,vnam à dextris,& alteram à ſiniſtris:eam,quæ à dextris erat, vocauit Iachin: & quæ ad leuam,vocauit Booz.

CAPVT IIII.

A FEcit quoque altare æneum viginti cubitorum longitudinis, & viginti cubitorum latitudinis, & decē cubitorum altitudinis, Mare etiam fuſile decem cubitis à labio vſq; ad labium, rotundum per circuitum:quinque cubitos habebat altitudinis,& funiculus triginta cubitorum ambiebat gyrum eius. Similitudo quoque boum erat ſubter ipſum per circuitum,qui ambiebant ipſum: decem cubitis circunſcribebant mare per circuitum,erantq; duo ordines boum,qui fuſi erant cōſimili fuſura:& ipſum mare ſuper duo decim boues impoſitum erat,quorum tres reſpiciebant ad aquilonem,& alij tres ad occidentem, porrò tres alij meridiem,& tres,qui reliqui erant,orientem,habentes mare ſuperpoſitum:poſteriora autem boum erāt B intrinſecus ſub mari. Porrò craſsities eius habebat menſuram palmi, & labium illius erat quaſi labium calicis,vel repandi lilij: capiebatq; tria millia † batos,fecit quoque conchas decem: & poſuit quinque à dextris, & à quinq; à ſiniſtris,vt lauarent in eis omnia,quæ in holocauſtum oblaturi erant: porrò in mari ſacerdotes lauabantur. Fecit autem & candelabra aurea decem ſecundum ſpeciem qua iuſſa erant fieri: & poſuit ea in templo,quinq; à dextris,& quinq; à ſiniſtris. Necnon & menſas decem:& poſuit eas in templo,quinque à dextris:& quinque à ſiniſtris. Phialas quoq; aureas centum. Fecit etiam atrium ſacerdotum, † & aliud atriū magnum:& oſtia in † atrio,quæ texit ære. Porrò mare poſuit in latere dextro † ad orientem ex aduerſo me- C tidiei.Fecit autem Hiram lebetes,& creagras,& phialas:& cōpleuit omne opus regis in domo Dei: Hoc eſt, columnas duas: † operimenta ſcu coronas duas ſuper capita columnarum, retiacula duo ad operiēdum duo capitella ſeu coronas,quæ erant in capite columnarum.Mala granata quoq; quadringenta, & retiacula duo, ita vt bini ordines malorum granatorum ſingulis retiaculis iungerentur, † ad operiendum duas ſummitates ſeu coronas,quæ erant ſuper columnas. Baſes etiam † duas fecit,& conchas, quas ſuperpoſuit baſibus: mare vnum, boues quoq; duodecim ſub mari.Et lebetes,& creagras,& phialas. Omnia † iſta vaſa fecit Salomoni Hiram pater eius † pro domo Domini ex ære mundiſsimo. In regione Iordanis fudit ea rex in argilloſa ter D ra,inter Socoth & Saredatha.Erat autem multitudo vaſorum innumerabilis, ita vt ignoraretur pondus eris. Fecitq; Salomon omnia vaſa domus Dei,& altare aureum:& menſas,& ſuper eas panes propoſitionis. Candelabra quoque cum lucernis ſuis,vt lucerent ante oraculum iuxta ritum:ex auro puriſsimo:& florētia quędam,& lucernas,& forcipes aureos:omnia de auro mundiſsimo facta ſunt. Thymiamateria quoq;, & thuribula,& phialas,& mortariola ex auro puriſsimo. † Oſtium quoq; templi, & fores eius interiores intra ſanctumſanctorum, ſed & fores interiores templi deauratæ erant. Sicq; completum eſt omne opus quod fecit Salomon in domo Domini.

Caput

CAPVT V.

INtulit igitur Salomon omnia quæ vouerat Dauid pater suus,argẽtum , & aurum,& vniuersa vasa posuit A
in thesauris Domus Dei. Post quæ congregauit maiores natu Israel,& cũctos principes tribuum , & ca-
pita familiarum de filijs Israel,in Ierusalem:vt adducerent arcam fœderis Domini de ciuitate Dauid,quę
3.Reg.7.g est Sion. Venerunt itaque ad regem omnes viri Israel in die solenni mensis septimi.Cumq; venissent cuncti
3.Reg.8.a seniorum Israel,portauerunt Leuitæ arcam,& intulerunt eam & omnem paraturam tabernaculi.Porrò va-
sa sanctuarij,quę erant in tabernaculo,portauerunt sacerdotes cum Leuitis.Rex autem Salomon,& vniuer-
sus cœtus Israel,& omnes qui fuerunt cõgregati ante arcam,immolabant arietes & boues absque vllo nume B
ro:tanta enim erat multitudo victimarum.Et intulerunt sacerdotes arcam fœderis Domini in locum suum,
id est ad oraculum templi in sanctasanctorum subter alas cherubim : ita vt cherubim expanderent alas suas
super locum in quo posita erat arca,& ipsam arcam tegerent cum vectibus eius. Vectium autem quibus por
tabatur arca,quia paululum longiores erant,capita † apparebant extra arcam intra oraculum , & non vide-
batur foris.Fuit itaque arca ibi vsq; in præsentem diem. Nihilq; erat aliud in arca nisi duæ tabulæ,quas po- C
suerat Moyses in Horeb,quando legem dedit Dominus filijs Israel egredientibus ex Ægypto. Egressis autem
sacerdotibus de sanctuario (omnes enim sacerdotes qui ibi potuerãt inueniri,sanctificati sunt : nec adhuc in
illo tempore vices,& ministeriorum ordo inter eos diuisus erat) tam Leuitę,qàm cantores,id est & qui † va-
rijs officijs deputati sub Asaph erant,& qui sub Heman,& qui sub Idithun filij, & fratres eorum vestiti byssi
nis:cymbalis,& psalterijs,& cytharis concrepabant,stantes ad oriẽtalem plagam altaris , & cum eis sacerdo-
tes centum viginti canẽtes tubis.Igitur cunctis pariter,& tubis,& voce,& cymbalis:& organis,& diuersi ge- D
neris musicorum concinentibus:& vocem in sublime tollentibus, longè sonitus audiebatur : † & cum Do-
minum laudare cœpissent,& dicere,Confitemini Domino quoniam bonus , quoniam in æternum misericordia eius:implebatur domus Domini nube,ne possent sacerdotes stare & ministrare propter caliginem.
Compleuerat enim gloria Domini domum Dei.

CAPVT VI.

TVnc Salomon ait,Dominus pollicitus est,vt habitaret in caligine:ego autem ædificaui domum † ho- A
spitij tibi,& locum,vt habitares ibi in perpetuum.Et conuertit rex faciem suam, & benedixit vniuer-
sæ multitudini Israel (nam omnis turba stabat intenta) & ait , Benedictus Dominus Deus Israel,qui
3.Reg.8.b quod locutus est Dauid patri meo,opere compleuit,dicens,A die qua eduxi populum meum de terra Ægy-
pti,non elegi ciuitatem de cunctis tribubus Israel,vt ædificaretur in ea domus, nomini meo:neq; elegi quẽ-
quam alium virum,vt esset dux in populo meo Israel:sed elegi Ierusalem vt sit nomen meum in ea , & elegi
Dauid,vt constituerem eum super populum meum Israel.Cumq; fuisset voluntatis Dauid patris mei,vt ędi
ficaret domum nomini Domini Dei Israel,dixit Dominus ad eum, Quia hæc fuit voluntas tua,vt ædificares
domum nomini meo,bene quidem fecisti huiusce modi habere voluntatem : sed non tu ædificabis mihi do- B
mum,veruntamen filius tuus,qui egredietur de lumbis tuis,ipse ædificabit domum nomini meo. Comple-
uit ergo Dominus sermonem suum,quem locutus fuerat:& ego surrexi pro patre meo Dauid , & sedi super
thronum Israel:sicut locutus est Dominus:& ædificaui domum nomini Domini Dei Israel. Et posui in ea
arcam,in qua est pactum Domini quod pepigit cum filijs Israel. Stetit ergo coràm altari Domini ex aduer-
so vniuersæ multitudinis Israel,& extendit manus suas.Siquidem fecerat Salomon basim æneam , & posue-
rat eam in medio † atrij,habentem quinque cubitos longitudinis,& quinq; latitudinis , & tres cubitos alti-
tudinis:stetitq; super eam,& deinde flexis genibus † coràm vniuersa multitudine Israel,& palmis in cœlum
leuatis,ait, Domine Deus Israel,nõ est similis tui Deus in cœlo & in terra:qui custodis pactũ & misericor- C
diam cum seruis tuis qui ambulant coràm te in toto corde suo.Qui præstitisti seruo tuo Dauid patri meo
quæcunque locutus fueras ei:& quæ ore promiseras,opere complesti,sicut & præsens tempus probat. Nunc
ergo Domine Deus Israel imple seruo tuo patri meo Dauid quæcunq; locutus es, dicens , Non deficiet ex te
vir coràm me,qui sedeat super thronum Israel:ita tamen si custodierint filij tui viam suam,& ambulauerint
in lege mea,sicut & tu ambulasti coram me. Et nunc Domine Deus Israel firmetur sermo tuus quem locu-
tus es seruo tuo Dauid,Ergòne credibile est vt habitet Deus cum hominibus super terram ? Si cœlũ , & cœli
cœlorum non te capiunt:quantò magis domus ista quam ædificaui ? † Aspicere ergo digneris orationẽ ser-
ui tui,& obsecrationẽ eius Domine Deus meus:& audias preces quas fundit famulus tuus coràm te : vt ape- D
rias oculos tuos super domum istam diebus ac noctibus,super locum in quo pollicitus es vt inuocaretur no-
men tuum:& exaudires orationem quam seruus tuus orat in eo,& exaudias preces famuli tui , & populi tui
Israel. Quicunque orauerit in loco isto,exaudi de habitaculo tuo,id est de cœlis, & propitiare. Si peccauerit
quispiam in proximum suum,& iurare contra eum paratus venerit, seq; maledicto constrinxerit coràm al-
tari in domo ista:tu audies de cœlo,& facies iudicium seruorum tuorum , ita vt reddas iniquo viam suam in
caput proprium,& vlciscaris iustum retribuens ei secũdum iustitiam suam.Si superatus fuerit populus tuus
Israel ab inimicis † cum peccauerint tibi,& conuersi cõfessi fuerint nomini tuo,& orauerint , & fuerint de-
precati te in loco isto,tu exaudies de cœlo,& propitiare peccato populi tui Israel, & reduc eos in terrã quam E
dedisti eis, & patribus eorum. Si clauso cœlo pluuia non fluxerit propter peccata populi tui,& deprecati te
Infra. 20.b fuerint in loco isto,& confessi nomini tuo,& conuersi à peccatis suis,cum eos afflixeris:exaudi de cœlo Do-
mine,& dimitte peccata seruis tuis & populi tui Israel,& doce eos viam bonam per quam ingrediãtur,& da
pluuiam terræ quam dedisti populo tuo ad possidendum.Fames si orta fuerit in terra,& pestilẽtia,& erugo,
& locusta,& brucus,& hostes,† portas obsederint ciuitatis,omnisque plaga,& infirmitas pressérit:si quis de
populo tuo Israel fuerit deprecatus,cognoscens plagam,& infirmitatem suam,& expanderit manus suas ad
domum

F domum hanc:tu exaudies de cœlo,de sublimi scilicet habitaculo tuo,& propitiare, & redde vnicuiq; secun-
dum vias suas quas nosti eum habere in corde suo:tu enim solus nosti corda filiorum hominum. Vt timeant
te,& ambulent in vijs tuis cunctis diebus quibus viuunt super faciem terræ quam dedisti patribus nostris.
Externum quoq; qui non est de populo tuo Israel,si venerit de terra longinqua , propter nomen tuum ma-
gnum,& propter manum tuam robustam,& brachium tuum extentum, & adorauerit in loco isto:tu exau-
dies de cœlo firmissimo habitaculo tuo,& facies cuncta pro quibus inuocauerit te ille peregrinus : vt sciant
omnes populi terræ nomen tuum,& timeant te sicut populus tuus Israel,& cognoscant quòd nomen tuum 3.Reg. 8.e
inuocatum est super domum hanc quam ædificaui. Si egressus fuerit populus tuus ad bellum contra aduer- Eccle. 7.c
sarios suos per viam in qua miseris eos,adorabunt te contra viam in qua ciuitas hæc est quam elegisti, & do- 1. Ioan. 1.d
G mus quam ædificaui: † & exaudies de cœlo preces eorum,& obsecrationem,& vlciscaris. Si autem peccauerint tibi (neq; enim est homo qui non peccet) & iratus fueris eis,& tradideris hostibus, & captiuos duxerint
eos in terram longinquam,vel certè quæ iuxta est:& cõuersi in corde suo in terra ad quam captiui ducti fuerint,egerint pœnitentiam,& deprecati te fuerint in terra captiuitatis suæ,dicentes,Peccauimus , iniquè fecimus,iniustè egimus:& reuersi fuerint ad te in toto corde suo,& in tota anima sua,in terra captiuitatis suæ ad
quam ducti sunt,adorabunt te contra viam terræ suæ quam dedisti patribus eorum , & vrbis quam elegisti,
& domus quam ædificaui nomini tuo:tu exaudies de cœlo,hoc est de firmo habitaculo tuo preces eorum,& Psal. 131.c
facias iudicium,& dimittas populo tuo quamuis peccatori. Tu es enim Deus meus , aperiantur quæso oculi
tui,& aures tuæ intentæ sint ad orationem,quæ fit in loco isto. Nunc igitur consurge Domine Deus in re-
quiem tuam,tu & arca fortitudinis tuæ:Sacerdotes tui Domine Deus induantur salutem,& sancti tui lætentur in bonis.Domine Deus meus:ne auerseris faciem Christi tui memẽto misericordiarum Dauid serui tui.

CAPVT VII.

A CVmq; complesset Salomon fundens preces,ignis descendit de cœlo,& deuorauit holocausta & victi-
mas:& maiestas Domini impleuit domum. Nec poterant sacerdotes ingredi templum Domini, eò 2.Mac. 2.c
quòd implesset maiestas Domini templum Domini.Sed et omnes filij Israel videbant descendentem
ignem,& gloriam Domini super domum:& corruentes proni in terram super pauimentum, † adorauerũt:
& laudauerunt Dominum quoniam bonus,quoniam in sæculum misericordia eius. Rex autem, & omnis
populus immolabãt victimas coràm Domino.Mactauit igitur rex Salomon hostias, boum vigintiduo mil-
lia,arietum cẽtum viginti millia:& dedicauit domum Dei Rex & vniuersus populus. Sacerdotes autem sta-
bant in officijs suis:& Leuitæ in organis carminum Domini,quæ fecit Dauid rex ad laudandum Dominum
B quoniam in æternum misericordia eius, hymnos Dauid canentes per manus suas:porrò sacerdotes canebãt
tubis ante eos,cunctusq; Israel stabat.Sanctificauit quoque Salomon medium atrij ante templum Domini:
obtulerat enim ibi holocausta & adipes:† quia altare æneum quod fecerat,non poterat sustinere holocausta
& sacrificia & adipes. Fecit ergo Salomon solennitatem in tempore illo septem diebus , & omnis Israel cum
eo ecclesia magna valde,ab introitu Emath vsq; ad torrẽtem Ægypti.Fecitq; die octauo collectam, eo quòd
dedicasset altare septem diebus,& solennitatem celebrasset diebus septem. Igitur in die vicesimo tertio mẽ-
sis septimi dimisit populos ad tabernacula sua lætantes atque gaudentes super bono quod fecerat Dominus
Dauid,& Salomoni,& Israel populo suo.Compleuitq; Salomon domum Domini,& domũ regis, & omnia 3.Reg. 9.a
C quæ dispositerat in corde suo vt faceret in domo Domini,& in domo sua, & prosperatus est. Apparuit autẽ
ei Dominus nocte,& ait, Audiui orationem tuam,& elegi locum istum mihi in domum sacrificij. Si clause-
ro cœlum,& pluuia non fluxerit,& mandauero & præcepero locustæ vt deuoret terram, & misero pestilen-
tiam in populum meum:conuersus autem populus meus,super quos inuocatum est nomen meum , depre-
catus me fuerit,& exquisierit faciem meam,& egerit pœnitentiam à vijs suis pessimis:& ego exaudiã de cœ-
lo,& propitius ero peccatis eorum,& sanabo terram eorum.Oculi quoq; mei erunt aperti,& aures meę ere-
ctæ ad orationem eius qui in loco isto orauerit.Elegi enim,& sanctificaui locum istum, vt sit nomen meum
ibi in sempiternũ & permaneant oculi mei,& cor meum ibi cũctis diebus. Tu quoq; si ambulaueris coràm
D me,sicut ambulauit Dauid pater tuus,& feceris iuxta omnia quæ præcepi tibi,& iustitias meas,iudiciaq; ser-
uaueris:suscitabo thronum regni tui,sicut pollicitus sum Dauid patri tuo,dicens, Nõ auferetur de stirpe tua
vir,qui non sit princeps in Israel. Si autem auersi fueritis , & dereliqueritis iustitias meas , & præcepta mea
quæ proposui vobis,& abeũtes seruieritis dijs alienis,& adoraueritis eos:euellam vos de terra mea quam de-
di vobis,& domum hanc quam sanctificaui nomini meo proijciam à facie mea,& tradam eam in parabolã,
& in exemplum cunctis populis,† & super domum istam quæ fuit altissimi : obstupescet omnis qui transie-
rit,dicetq;,Quare fecit Dominus sic terræ huic,& domui huic ? Respondebuntq; , Quia dereliquerunt Do-
minum Deũ patrum suorum,qui eduxit eos de terra Ægypti & apprehenderunt deos alienos,& adorauerũt
eos,& coluerunt:iccirco venerunt super eos vniuersa hæc mala.

CAPVT VIII.

A EXpletis autem viginti annis † quibus ædificauit Salomon domum Domini & domum suam : ciuita-
tes quas dederat Hiram Salomoni,ædificauit,& habitare ibi fecit filios Israel. Abijt quoque in Emath 3.Reg.9.b
Suba , & obtinuit eam. Et ædificauit † Themor in deserto , & alias ciuitates † pro thecis ædificauit in
Emath.Extruxitq; Beth horon superiorem,et Beth horon inferiorẽ,ciuitates muratas habẽtes † muros por-
tas & vectes.Balaad etiam & omnes vrbes † in quibus erant thecæ,quæ fuerunt Salomonis , cunctasq; vrbes
quadrigarũ & vrbes equitũ.Omnia quæcunq; voluit,fecit rex Salomon atq; disposuit:ædificauit in Ierusalẽ
& in Libano,& in vniuersa terra potestatis suæ.Omnẽ populum qui derelictus fuerat,de Hetheis,& Amor-
theis & Pherezæis,& Heuæis,& Iebusæis,qui non erant de stirpe Israel,de filijs eorũ.Et de posteris quos non

interfecerant filij Israel,subiugauit Salomon in tributarios,vsq; in diē hanc.Porrò de filijs Israel nō posuit B
vt seruirent operibus regis:ipsi enim erant viri bellatores,& duces primi & principes quadrigarum & equi-
tum eius.Omnes autem principes † regis Salomonis fuerunt ducenti quinquaginta, qui † præerant popu-
lo.Filiam verò Pharaonis transtulit de ciuitate Dauid in domum quam ędificauerat ei.Dixit enim,Non ha-
bitabit vxor mea in domo Dauid regis Israel,eò quòd sanctificata sit: quia ingressa est in eam arca Domini.
Tūc obtulit Salomon holocausta Domino super altare Domini,quod extruxerat ante porticum, vt per sin- C
gulos dies offerretur in eo iuxta præceptum Moysi,in sabbatis & in calendis,& in festis diebus ter per annū,
id est in solennitate azimorum,& in solennitate hebdomadarum,& in solennitate tabernaculorum. Et cō-
stituit iuxta dispositionem Dauid patris sui officia sacerdotum in ministerijs suis:& Leuitas in ordine suo,vt
laudarent, & ministrarēt coràm sacerdotibus iuxta ritum vniuscuiusq; diei:& ianitores in diuisionibus suis
per portam & portam:sic enim præceperat Dauid homo Dei. Nec prætergressi sunt de mandatis regis tam D
sacerdotes,quàm Leuitæ,ex omnibus quæ præceperat.Et in custodijs thesaurorum omnes impensas præpa-
ratas habuit Salomon,ex eo die quo fundauit domum Domini,vsque in diem quo perfecit eam.Tunc abijt
Salomon in Asiongaber,& in Ailath ad oram maris, † quæ est in terra Edom.Misit ergo ei Hiram per ma-
nus seruorum suorum naues,& nautas gnaros maris,& abierūt cum seruis Salomonis in Ophir: tulerunt q;
inde quadringenta quinquaginta talenta auri,& attulerunt ad regem Salomonem.

CAPVT IX.

2. Re. 10.a Matt. 12.d Luc. 11.d

REgina quoq; Saba cum audisset famam Salomonis,venit vt tentaret eum in ænigmatibus in Ierusalē: A
cum † exercitu magno valde & camelis, qui portabāt aromata & auri plurimū,gemmasq; pretiosas.
Cumq; venisset ad Salomonem,locuta est ei quæcunque erant in corde suo. Et exposuit ei Salomon
omnia quæ proposuerat:nec quicquam fuit quod non perspicuum ei fecerit.Quæ postquam vidit,sapientiā
scilicet Salomonis,& domum quam ædificauerat,necnon & cibaria mensæ eius & habitacula seruorum, &
officium ministrorum eius & vestimenta eorum, pincernas quoque & vestes eorum & † ascensum eius,per
quem ascendebat in domum Domini:non erat præ stupore vltrà in ea spiritus. Dixitq; ad regem, Verus est B
sermo quem audieram in terra mea de virtutibus & sapientia tua.Non credebam narrātibus, donec ipsa ve-
nissem,& vidissent oculi mei:& probassem vix medietatem sapientiæ tuæ mihi fuisse narratam:vicisti famā
virtutibus tuis.Beati viri tui,& beati serui tui,hi qui assistunt coràm te omni tempore, & audiunt sapiētiam
tuam.Sit Dominus Deus tuus benedictus, qui voluit te ordinare super thronum suum regem Domini Dei
tui.Quia diligit Deus Israel,& vult seruare eum in æternum:iccirco posuit te super eum regem, vt facias iu- C
dicia atq; iustitiam.Dedit autem regi centum viginti talenta auri, & aromata multa nimis, & gemmas pre-
tiosissimas:non fuerunt aromata talia,vt hæc quæ dedit regina Saba regi Salomoni.Sed & serui Hiram cum
seruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir,& ligna Thina,& gemmas pretiosissimas.De quibus fecit rex,
de lignis scilicet Thinis,gradus in domo Domini & in domo regia:citharas quoque & psalteria cantoribus:
nunquam visa sunt in terra Iuda ligna talia. Rex autem Salomon dedit reginæ Saba cuncta, quæ vo-
luit,& quæ postulauit,& multò plura quàm attulerat ad eum:quæ reuersa, abijt in terram suam cum seruis D
suis. Erat autem pondus auri quod afferebatur Salomoni per singulos annos,sexcenta sexaginta sex talenta
auri:excepta ea summa quam † regionum lustratores, & negotiatores afferre consueuerant, omnesq; reges
Arabię,& satrapæ terræ,qui comportabant aurum & argentum Salomoni. Fecit igitur rex Salomon duc-
tas † peltas aureas de summa sexcentorū aureorum,qui † ex auro ductili in singulis peltis expēdebātur.Tre-
centa quoque scuta aurea trecentorum aureorum quibus tegebantur singula scuta:posuitq; ea rex in arma-
mentario,quod erat † in sylua Libani. Fecit quoq; rex solium eburneū grande:& vestiuit illud auro mun- E
dissimo.Sex quoq; gradus,quibus ascendebatur ad solium,& scabellum aureum, & † hæc fixa hærebant ad
solium,sustentacula quoq; manuum hinc & hinc prope locum sessionis,& duos leones stantes iuxta † susté-
tacula illa:sed & alios duodecim leunculos stantes super sex gradus ex vtraq; parte:non fuit tale soliū in vni-
uersis regnis.Omnia quoq; vasa † poculorum regis erant aurea: & vasa domus saltus Libani ex auro puris-
simo.Argentū enim in diebus illis pro nihilo reputabatur.Siquidē naues regis ibāt in Tharsis cum seruis Hi- F
ram,semel in annis tribus:& deferebāt inde aurum & argentū & ebur,& simias, & pauos. Magnificatus est
igitur Salomon super oēs reges terræ præ diuitijs,& † sapiētia.Omnesq; reges terræ desyderabāt videre fa-
ciem Salomonis:vt audirēt sapientiā quam dederat Deus in corde eius.Et deferebant ei munera,vasa argen-
tea & aurea,& vestes,& arma,& aromata,equos & mulos per singulos annos. Habuit quoq; Salomon † qua
tuor millia præsepiū pro equis & curribus,equitumq; duodecim millia:constituitq; eos in vrbibus quadri- G
garū,& vbi erat rex in Ierusalē.Exercuit etiam potestatē super cunctos reges a flumine Euphrate vsq; ad ter-
ram Philisthinorū,& vsq; ad terminos Ægypti.Tantamq; copiam præbuit argēti in Ierusalem quasi lapidū:
& cedrorū tantam multitudinē velut sycomorū quæ gignuntur in campestribus † in multitudine. Adduce-
bantur autē ei equi de Ægypto,cunctisq; regionibus.Reliqua autē opera Salomonis priorū & nouissimorū
scripta sunt in verbis Nathan prophetę,& in † prophetia Ahię Silonitis,in visione quoq; Addo vidētis,con-
tra Ieroboā filium Nabat.Regnauit autē Salomon in Ierusalē super omnem Israel quadraginta annis.Dor-
miuitq; cum patribus suis:& sepelierunt eum in ciuitate Dauid:regnauitq; Roboam filius eius pro eo.

CAPVT X.

3.Re. 12.a

PRofectus est autem Roboam in Sichem: illuc enim cunctus Israel conuenerat,vt constitueret eum re A
gem. Quod cum audisset Ieroboam filius Nabat,qui erat in Ægypto (fugerat quippe illuc ante Salo-
monem) statim reuersus est. Vocauerunt q; eum, & venit cum vniuerso Israel, & locuti sunt ad Ro-
boam,dicentes, Pater tuus durissimo iugo nos pressit:tu leuiora impera patre tuo, qui nobis imposuit grā-
uem

uem seruitutem,& paululum de onere subleua,vt seruiamus tibi. Qui ait, Post tres dies reuertimini ad me.
B Cumq; abijsset populus,inijt consilium cum senibus, qui steterant coràm patre eius Salomone,dum adhuc
viueret,dicens,Quod datis consilium,vt respondeam populo? Qui dixerunt ei, Si placueris populo huic, &
linieris eos verbis clementibus,seruient tibi omni tempore.At ille reliquit cōsilium senum, & cum iuueni-
bus tractare cœpit,qui cum eo nutriti fuerant,& erāt in comitatu illius.Dixitq; ad eos, Quid vobis videtur?
vel quid respondere debeo populo huic,qui dixit mihi, Subleua iugum, quod imposuit nobis pater tuus?
At illi respondерunt † iuuenes nutriti cum eo atque dixerunt, Sic loquēris populo, qui dixit tibi,Pater tuus
C aggrauauit iugum nostrum,tu subleua:& sic respondebis eis, Minimus digitus meus grossior est lumbis pa-
tris mei,Pater meus imposuit vobis graue iugum,et ego maius pondus apponam:pater meus cecidit vos fla-
gellis,ego verò cædam vos scorpionibus. Venit ergo Ieroboam, & vniuersus populus ad Roboam die ter-
tio,sicut præceperat eis.Respondit q; rex dura,derelicto consilio seniorum,locutusq; est iuxta iuuenum vo-
lūtatem,Pater meus graue vobis imposuit iugum,quod ego grauius faciam:pater meus cecidit vos flagellis,
ego verò cędam vos scorpionibus.Et non acquieuit populi precibus:erat enim voluntatis Dei,vt comple-
D tur sermo eius,quem locutus fuerat per manum Ahiæ Silonitis ad Ieroboam filium Nabat. Populus autem
vniuersus rege duriora dicente,sic locutus est ad eum,Non est nobis pars in Dauid, neque hæreditas in filio
Isai.Reuertere in tabernacula tua Israel,tu autem pasce domum tuam Dauid. Et abijt Israel in tabernacula
sua.Super filios autem Israel,qui habitabāt in ciuitatibus Iuda,regnauit Roboam. Misitq; rex Roboā Adu-
ram,qui præerat tributis,& lapidauerūt,eum filij Israel, & mortuus est:porrò rex Roboam currum festina-
uit ascendere,& fugit in Ierusalem.Recessitq; Israel à domo Dauid vsq; ad diem hanc.

CAPVT XI.

A VEnit autem Roboam in Ierusalem,& conuocauit vniuersam domum Iuda & Beniamin centū octo-
ginta millia electorum,atq; bellantium,vt dimicaret contra Israel,& conuerteret ad se regnum suū.
Factusq; est sermo Domini ad Semeiam hominem Dei,dicēs, Loquere ad Roboam filiū Salomonis
regem Iuda,& ad vniuersum Israel qui est in Iuda & Beniamin:Hæc dicit Dominus,Non ascendetis, neque 3. Re. 12.c
pugnabitis contra fratres vestros:reuertatur vnusquisq; in domum suam,quia mea hoc gestum est volunta
te.Qui cum audissent sermonem Domini,reuersi sunt,nec perrexērunt contra Ieroboam. Habitauit autē
Roboam in Ierusalem,& ædificauit ciuitates muratas in Iuda. Extruxitq; Bethléhem, & Etam,& Thecue,
B Bethsur quoq;,& Socho,& Odollam,necnon & Geth,& Maresa,& Ziph:sed & Aduram,& Lachis,& Azeca:
Saraa quoq;,& Aialon,& Hebron,quæ erant in Iuda,& Beniamin ciuitates munitissimas. Cumq; clausissēt
eas muris,posuit in eis principes,ciborumq; horrea,† vinum quoq; & oleum. Sed & in singulis vrbibus fe-
cit armamentaria scutorum,& hastarum:firmauitq; eas summa diligentia,& imperauit super Iudam,& Be-
niamin.Sacerdotes autem,& Leuitæ qui erant in vniuerso Israel,venerūt ad eum de cunctis sedibus suis, re-
linquentes suburbana & possessiones suas,& transeuntes ad Iudam,& Ierusalem:eò quòd abiecisset eos Iero
C boam,& posteri eius,ne sacerdotio Domini fungerentur. Qui constituit sibi sacerdotes excelsorum, & dæ-
moniorum,vitulorumq; quos fecerat.Sed & de cunctis tribubus Israel,quicunq; dederant cor suum vt quę-
rerent Dominum Deum Israel,venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coràm Domino Deo
patrum suorum.Et roborauerunt regnum Iuda,& confirmauerunt Roboam filium Salomonis per tres an-
nos:ambulauerunt enim in vijs Dauid,& Salomonis annis † tribus. Duxit autem Roboam vxorem Maha-
lath,filiam Ierimoth filij Dauid:Abiháil quoq; filiam Eliab filij Isai, quæ peperit ei filios Ieus, & Somoriā,
& Zoom.Post hanc quoq; accepit Maacha filiā Absalom,quæ peperit ei Abia,& Ethai,& Ziza,& Salomith.
D Amauit autem Roboam Maacha filiam Absalom,super omnes vxores suas,et concubinas:nam vxores decē
& octo duxerat,concubinas autem sexaginta:& genuit viginti octo filios,& sexaginta filias. Constituit verò
in capite Abiam filium Maacha ducem super omnes fratres suos: ipsum enim regem facere cogitabat, † &
prudenter prospiciens distraxit cunctos filios suos in cunctis finibus Iuda,& Beniamin, & in vniuersis ciui-
tatibus muratis:præbuitq; eis escas plurimas,& multas petiuit vxores.

CAPVT XII.

A CVmq; roboratum fuisset regnum Roboam,& confortatum,dereliquit legē Domini,& omnis Israel
cum eo.Anno autem quinto regni Roboam ascendit Sesac rex Ægypti in Ierusalem (quia peccaue-
rant Domino) cum mille ducentis curribus,& sexaginta millibus equitum: nec erat numerus vulgi
quod venerat cum eo ex Ægypto,Lybies scilicet,& Troglodytæ, & Æthiopes. Cepitq; ciuitates munitissi-
mas in Iuda,& venit vsq; in Ierusalem.Semeias autem propheta ingressus est ad Roboam,et principes Iuda,
qui congregati fuerant in Ierusalem,fugientes Sesac:dixitq; ad eos, Hæc dicit Dominus, vos reliquistis me,
B & ego reliqui vos in manu Sesac.Consternatiq; principes Israel,& rex,dixerūt,Iustus est Dominus. Cumq;
vidisset Dominus quòd humiliati essent,factus est sermo Domini ad Semeiam,dicens, Quia humiliati sunt;
non disperdam eos:daboq; eis pauxillum auxilij, & nō stillabit furor meus super Ierusalem per manum Se-
sac.Veruntamen seruient ei:vt sciant distantiam seruitutis meæ:& seruitutis regni terrarum.† Intrauit itaq;
Sesac rex Ægypti in Ierusalem,† & accepit thesauros domus Domini,& domus regis, omniaq; secum tulit:
& clypeos aureos quos fecerat Salomon:pro quibus fecit rex æneos, & tradidit illos principibus scutariorū
C qui custodiebant vestibulum palatij.Cumq; introiret rex domum Domini,veniebant scutarij, & tollebant
eos:iterumq; referebant eos ad armamentariū suum. Verūtamen quia † humiliatus est, auersa est ab eo ira
Dñi,nec deleti sunt penitus:siquidem in Iuda inuenta sunt opera bona. Confortatus est ergo rex Roboam
in Ierusalem,atq; regnauit,quadraginta autem & vnius anni erat cum regnare cœpisset:& decem & septem 3. Re. 14.f
annis regnauit in Ierusalem vrbe quam elegit Dominus vt confirmaret nomen suum ibi de cūctis tribubus

Iſrael:nomen autem matris eius Naama Ammonitis.Fecitq; malum,& non præparauit cor ſuum vt quæreret Dominum.Opera verò Roboam prima & nouiſsima ſcripta ſunt in libris Semeiæ prophetæ,& Addo videntis,† & genealogiam texentis:pugnauerũtq; aduerſum ſe Roboam & Ieroboam cunctis diebus. Et dormiuit Roboam cum patribus ſuis:ſepultusq; eſt in ciuitate Dauid.Et regnauit Abia filius eius pro eo.

CAPVT XIII.

ANno octauodecimo regis Ieroboam,regnauit Abia ſuper Iudam. Tribus annis regnauit in Ieruſalẽ: nomenq; matris eius Michaia,filia Vriel de Gabaa:& erat bellum inter Abia & Ieroboam. Cumq; 3. Re. 15.a iniſſet Abia certamen & haberet bellicoſiſsimos viros,& electorum quadringenta millia:Ieroboam inſtruxit cõtra aciem octingenta millia virorum, qui & ipſi electi erant,& ad bella fortiſsimi, Stetit ergo Abia ſuper montem Semerom,qui erat in Ephráim,& ait,Audi Ieroboam,& omnis Iſrael, Num ignoratis quòd Dominus Deus Iſrael dederit regnum Dauid ſuper Iſrael in ſempiternum, ipſi & filijs eius in pactum ſalis? Et ſurrexit Ieroboam filius Nabat,ſeruus Salomonis filij Dauid:& rebellauit cõtra dominum ſuum. Congregatiq; ſunt ad eum viri vaniſsimi, & filij Belial: & præualuerunt contra Roboam filium Salomonis: porrò Roboam erat rudis,& corde pauido,nec potuit reſiſtere eis. Nunc ergo vos dicitis quòd reſiſtere poſsitis regno Domini,quod poſsidet per filios Dauid:habetisque grandem populi multitudinem,atque vi- 3. Re. 12.g tulos aureos quos fecit vobis Ieroboam in deos.Et eieciſtis ſacerdotes Domini,filios Aaron, atq; Leuitas: & feciſtis vobis ſacerdotes, ſicut omnes populi terrarum: quicunque venerit, & initiauerit manum ſuam in tauro de bobus,& in arietibus ſeptem, fit ſacerdos eorum qui non ſunt dij. Noſter autem Dominus Deus eſt,quem non relinquimus:ſacerdotesq; miniſtrant Domino de filijs Aaron: & Leuitæ ſunt in ordine ſuo. Holocauſta quoque offerunt Domino per ſingulos dies mane & veſpere: & thymiama iuxta legis præcepta confectum,& proponuntur panes in menſa mundiſsima, eſtq; apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius,vt accendantur ſemper ad veſperam:nos quippe cuſtodimus præcepta Domini Dei noſtri,quem vos reliquiſtis.Ergo in exercitu noſtro dux Deus eſt, & ſacerdotes eius qui clangunt tubis,& reſonant contra vos: filij Iſrael nolite pugnare contra Dominum Deum patrum veſtrorum,quia non vobis expedit.Hæc illo loquente,Ieroboam retro moliebatur inſidias.Cumq; ex aduerſo hoſtium ſtaret, ignorantem Iudam ſuo ambiebat exercitu.Reſpiciensq; Iudas,vidit inſtare bellum ex aduerſo & poſt tergum,& clamauit ad Dominũ: ac ſacerdotes tubis canere cœperunt.Omnesq; viri Iuda vociferati ſunt: Et ecce, illis clamantibus perterruit Deus Ieroboam,& omnem Iſrael qui ſtabat ex aduerſo Abia & Iuda.Fugeruntq; filij Iſrael Iudam, & tradidit eos Deus in manu eorum.Percuſsit ergo eos Abia, & populus eius plaga magna:& corruerunt vulnerati ex Iſrael quingenta millia virorum fortium.Humiliatique ſunt filij Iſrael in tempore illo: & vehementiſsimè confortati filij Iuda,eò quòd ſperaſſent in Domino Deo patrum ſuorum. Perſecutus eſt autem Abia fugientem Ieroboam:& cepit ciuitates eius,Bethel & filias eius:& Ieſana cum filiabus ſuis:Ephron quoque & filias eius. Nec valuit vltrà reſiſtere Ieroboam in diebus Abia: quem percuſsit Dominus, & mortuus eſt. Igitur Abia,† fortis factus eſt, & duxit vxores quatuordecim: procreauitq; vigintiduos filios,& ſedecim filias. Reliqua autem ſermonum Abia, viarumq; & operum eius ſcripta ſunt diligentiſsimè in libro Addo prophetæ.

CAPVT XIIII.

3. Re. 15.b DOrmiuit autem Abia cum patribus ſuis, & ſepelierunt eum in ciuitate Dauid: regnauitq; Aſa filius eius pro eo,in cuius diebus quieuit terra annis decem. Fecit ergo Aſa quod bonum & placitum erat in conſpectu Dei ſui,& ſubuertit altaria peregrini cultus,& excelſa,& cõfregit ſtatuas, lucosq; ſuccidit.Et præcepit Iudæ vt quæreret Dominum Deum patrum ſuorum,& faceret legem, & vniuerſa mandata. Et abſtulit de cunctis vrbibus Iuda aras & phana,& regnauit in pace. Ædificauit quoque vrbes munitas in Iuda,quia quietus erat,& nulla temporibus eius bella ſurrexerant, pacem Domino largiente. Dixit autem Iudæ,Ædificemus ciuitates iſtas,& vallemus muris,& roboremus turribus, & portis, & ſeris:donec à bellis quieta ſunt omnia,eò quòd quæſierimus Dominum Deum patrum noſtrorum,& dederit nobis pacem per gyrum.Ædificauerunt igitur,& nullum in extruendo impedimentum fuit. Habuit autem Aſa in exercitu ſuo portantium ſcuta & haſtas,de Iuda trecenta millia,de Beniamin verò ſcutariorum, & ſagittariorum ducenta octoginta millia:omnesq; iſti viri fortiſsimi. Egreſſus eſt autem contra eos Zara Æthiops cum exercitu ſuo decies centena millia,& curribus trecẽtis:& venit vſq; Mareſa.Porrò Aſa perrexit obuiam ei, & inſtruxit aciem ad bellum in valle Sephátha,quæ eſt iuxta Mareſa.Et inuocauit Dominum Deum, & ait, Domine non eſt apud te vlla diſtantia,vtrum in paucis auxilieris,an in pluribus:adiuua nos Domine Deus noſter,in te enim,& in tuo nomine habentes fiduciam venimus contra hanc multitudinem.Domine Deus noſter tu es,non præualeat contra te homo.Exterruit itaq; Dominus Æthiopes coram Aſa & Iuda:fugeruntq; Æthiopes.Et perſecutus eſt eos Aſa,& populus qui cum eo erat,vſq; Gerara:& ruerunt Æthiopes vſq; ad internecionem,quia Domino cædente contriti ſunt,& exercitu illius præliante:tulerunt ergo ſpolia multa.Et percuſſerunt ciuitates omnes per circuitum Gérare:grandis quippe cunctos terror inuaſerat:& diripuerunt vrbes,& multam prædam aſportauerunt. Sed & caulas ouium deſtruentes,tulerunt pecorum infinitã multitudinem,& camelorum:reuerſiq; ſunt in Ieruſalem.

CAPVT XV.

AZarias autem filius Obed facto in ſe ſpiritu Dei egreſſus eſt in occurſum Aſa, & dixit ei, Audite me Aſa, & omnis Iuda & Beniamin, Dominus vobiſcum, quia fuiſtis cum eo. Si quæſieritis eum,inuenietis: ſi autem dereliqueritis,derelinquet vos.Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo vero,& abſque ſacerdote doctore,& abſq; lege. Cumq; reuerſi fuerint in anguſtia ſua ad Dominum Deum Iſrael,

Iſrael,& quæſierint eum,reperient eum.In tempore illo non erit pax egredienti, & ingredienti: ſed terrores vndiq; in cunctis habitatoribus terrarum. Pugnabit enim gens contra gentem, & ciuitas contra ciuitatem: quia Dominus conturbabit eos in omni anguſtia.Vos ergo confortamini, & nõ diſſoluantur manus veſtræ: erit enim merces operi veſtro. Quod cum audiſſet Aſa,verba ſcilicet,& prophetiam Azarię filij Obed prophetæ,confortatus eſt,& abſtulit idola de omni terra Iuda,& de Beniamin, & ex vrbibus quas ceperat montis Ephráim:& dedicauit altare Domini,quod erat ante porticum Domini.Congregauitq; vniuerſum Iudã, & Beniamin,& aduenas cum eis de Ephráim,& de Manaſſe,& de Simeon: plures enim ad eum confugerant ex Iſrael,videntes quòd Dominus Deus illius eſſet cum eo.Cumq; veniſſent in Ieruſalem menſe tertio,anno decimoquinto regni Aſa,immolauerunt Domino in die illa de manubijs & præda quam adduxerant,boues ſeptingentos,& arietes ſeptem millia.Et intrauit ex more ad corroborandũ fœdus, vt quærerent Dominum Deum patrum ſuorum in toto corde,& in tota anima ſua. Si quis autem, inquit, non quæſierit Dominum Deum Iſrael,moriatur à minimo vſq; ad maximum,à viro vſq; ad mulierem.Iurauerũtq; Domino voce magna in iubilo,& in clangore tubæ,& in ſonitu buccinarum † & lætati ſunt omnes in Iuda de iuramento: in omni enim corde ſuo iurauerunt,& in tota voluntate quæſierunt eum,& inuenerunt: præſtititq; eis Dñs requiem per circuitum.Sed & Maacham matrem Aſa regis ex auguſto depoſuit imperio,eò quòd feciſſet in luco ſimulachrum † horrendum: quod omne contriuit, & in fruſta comminuens combuſsit in torrente Cedron.Excelſa autem derelicta ſunt in Iſrael:attamen cor Aſa erat perfectum cunctis diebus eius. Eaq; quę voluerat pater ſuus,& ipſe intulit in domum Domini:argentum & aurum, vaſorumq; diuerſam ſupellectilem. Bellum verò non fuit vſq; ad tricesimum quintum annum regni Aſa.

CAPVT XVI.

ANno autem tricesimoſexto regni eius aſcendit Baaſa rex Iſrael in Iudam, & muro circundabat Rama, vt nullus tutè poſſet egredi, & ingredi de regno Aſa. Protulit autem Aſa argentum & aurum de theſauris domus Domini, & de theſauris regijs: miſitq; ad Benadad regem Syriæ, qui habitabat in Damaſco dicens,Fœdus inter me & te eſt,pater quoq; meus & pater tuus habuere concordiam: quam ob rem miſi tibi argentum & aurum,vt rupto fœdere quod habes cum Baaſa rege Iſrael, facias eum à me recedere:Quo comperto Benadad miſit principes exercituũ ſuorum ad vrbes Iſrael: qui percuſſerunt Ahion, & Dan,& Abelmaim,& vniuerſas vrbes Nephthalim muratas. Quod cum audiſſet Baaſa,deſiit ædificare Rama,& intermiſit opus ſuum. Porrò Aſa rex aſſumpſit vniuerſum Iudam,& tulerunt lapides de Rama,& ligna,quæ ædificationi præparauerat Baaſa,ædificauitq; ex eis Gabaa, & Maſpha. In tempore illo venit Hanani propheta ad Aſam regem Iuda,& dixit ei,Quia habuiſti fiduciam in rege Syriæ, & nõ in Domino Deo tuo:iccircò euaſit Syriæ regis exercitus de manu tua.Nonne Æthiopes & Lybies multò plures erant quadrigis & equitibus,& multitudine nimia:quos cũ Dño credidiſſes, tradidit in manu tua? Oculi enim Domini contemplantur vniuerſam terram,& prębent fortitudinem his qui corde perfecto credunt in eum.Stulté igitur egiſti,& propter hoc ex preſenti tempore aduerſum te bella conſurgent. Iratusq; Aſa aduerſus videtem, 2. Mac. 9.a Ioan. 7.f iuſsit eum mitti in neruum:valde quippe ſuper hoc fuerat indignatus: & interfecit de populo in tempore illo.† Opera autem Aſa prima & nouiſsima ſcripta ſunt in libro Regum Iuda & Iſrael. Ægrotauit etiam Aſa anno tricesimo nono regni ſui,dolore pedum vehementiſsimo, & nec in infirmitate ſua quęſiuit Dñm, ſed magis in medicorũ arte confiſus eſt. Dormiuitq; cũ patribus ſuis:& mortuus eſt anno quadrageſimoprimo regni ſui.Et ſepelierunt eũ in ſepulchro ſuo quod foderat ſibi in ciuitate Dauid: poſuerũtq; eum ſuper lectũ ſuũ † quem ipſe repleuerat ſpeciebus aromaticis & odoriferis,quæ erant pigmentariorũ arte confectæ, & cõ buſſerunt ſuper eum ambitione nimia.

CAPVT XVII.

REgnauit aũt Ioſaphat filius eius pro eo,& inualuit contra Iſrael. Conſtituitq; militũ numeros in cunctis vrbibus Iuda,quę erant vallatę muris.Preſidiaq; diſpoſuit in terra Iuda,& in ciuitatibus Ephráim quas ceperat Aſa pater eius,Et fuit Dñs cũ Ioſaphat,quia ambulauit in vijs Dauid patris ſui primis: & non ſperauit in Baalim,ſed in Deo patris ſui,& perrexit in præceptis illius,& non iuxta peccata Iſrael. Cõfirmauitq; Dñs regnũ in manu eius: & dedit omnis Iuda munera Ioſaphat: factæq; ſunt ei infinitæ diuitię, & multa gloria.Cumq; ſumpſiſſet cor eius audaciam propter vias Domini,etiam excelſa & lucos de Iuda abſtulit.Tertio autẽ anno regni ſui miſit de principibus ſuis Benhail, & Obdiam, & Zachariam,& Nathanael, & Micheam,vt docerent in ciuitatibus Iuda:& cũ eis Leuitas,Semeiam,& Nathaniã, & Zabadiã, Aſahel quoq; & Semiramoth & Ionathan, Adoniãq; & Thobiam & Thobadoniam Leuitas: & cum eis Eliſama & Ioram ſacerdotes:docebantq; populũ in Iuda,habentes librũ legis Dñi:& circuibat cunctas vrbes Iuda,atq; erudiebant populũ.Itaq; factus eſt pauor Domini ſuper omnia regna terrarum, quę erant per gyrũ Iuda:nec audebant bellare contra Ioſaphat.Sed & Philiſthæi,Ioſaphat munera deferebant, & vectigal argenti. Arabes quoque adducebant pecora arietũ ſeptem millia ſeptingentos,& hircos totidem.Creuit ergo Ioſaphat,& magnificatus eſt vſq; in ſublime:atq; ædificauit in Iuda † arces,vrbesq; muratas. Et multa opera patrauit in vrbibus Iuda:viri quoq; bellatores,& robuſti erant in Ieruſalem, quorum iſte numerus per domos atq; familias ſingulorum.In Iuda principes exercitus Ednas dux,& cum eo robuſtiſsimi viri trecenta millia.Poſt hũc, Iohanan princeps,& cum eo ducenta octoginta millia. Poſt iſtum quoque Amaſias filius Zechri,conſecratus Domino,& cum eo ducenta millia virorum fortium. † Ex filijs autem Beniamin robuſtus ad prælia Eliada, & cum eo tenentium arcum & clypeum ducenta millia. Poſt iſtum etiam,Iozabad: & cum eo centũ octoginta millia expeditorum militum.Hi omnes erant ad manum regis,exceptis alijs quos poſuerat in vrbibus muratis,& in vniuerſo Iuda.

CAPVT XVIII.

3. Re. 22.a

FVit ergo Ioſaphat diues & inclytus multum,& affinitate coniunctus eſt Achab. Deſcẽditq́, poſt annos ad eum in Samariam:ad cuius aduentum mactauit Achab arietes,& boues plurimos ipſi & populo qui venerat cum eo:perſuaſitq́; illi,vt aſcenderet in Ramoth Galaad. Dixitq́; Achab rex Iſrael ad Ioſaphat regem Iuda, Veni mecum in Ramoth Galaad.Cui ille reſpõdit,Vt ego,& tu:ſicut populus tuus, ſic & populus meus:tecumq́; erimus in bello. Dixit Ioſaphat ad regem Iſrael, Conſule obſecro in præſenti ſermonem Dñi.Congregauit igitur rex Iſrael prophetarum quadringentos viros,& dixit ad eos, In Ramoth Galaad ad bellandũ ire debemus,an quieſcere?At illi, Aſcende,inquiũt,& tradet Deus in manũ regis. Dixitq́; Ioſaphat, Nũquid nõ eſt hic prophetes Dñi,vt ab illo requiramus?Et ait rex Iſrael ad Ioſaphat,Eſt vir vnus à quo poſſumus quærere Dñi voluntatẽ:ſed ego odi eũ quia nõ prophetat mihi bonũ, ſed malũ omni tempore: eſt autẽ Micheas filius Iemla. Dixitq́; Ioſaphat, Ne loquaris rex hoc modo. Vocauit ergo rex Iſrael vnum de eunuchis,& dixit ei,Voca citò Micheam filũ Iemla: Porrò rex Iſrael,& Ioſaphat rex Iuda,vterq́; ſedebant in ſolio ſuo,veſtiti cultu regio:ſedebant autem in area iuxta portam Samarię,omneſq́; prophetæ vaticinabantur coràm eis. Sedecias verò filius Chanaana fecit ſibi cornua ferrea,& ait, Hæc dicit Dominus, his ventilabis Syriam,donec cõteras eam.Omneſq́; prophetæ ſimiliter prophetabant,atq; dicebant, Aſcende in Ramoth Galaad,& proſperaberis,& tradet eos Dominus in manu regis.Nuntius autem qui ierat ad vocandum Micheã, ait illi,Ẽn,verba omniũ prophetarũ vno ore bona regi annuntiant:quæſo ergo te, vt & ſermo tuus ab eis nõ diſſentiat,loquariſq́; proſpera. Cui reſpõdit Micheas, Viuit Dominus, q̃ quicquid dixerit mihi Deus meus, hoc loquar. Venit ergo ad regem. Cui rex ait, Michæa,ire debemus in Ramoth Galaad ad bellandum, an quieſcere? Cui ille reſpondit, Aſcendite & cuncta proſpera eueniant, & tradantur hoſtes in manus veſtras. Dixitq́; rex,Iterum atq; iterum te adiuro,vt mihi non loquaris, niſi quod verum eſt in nomine Domini. At ille ait,Vidi vniuerſum Iſrael diſperſum in montibus, ſicut oues abſq; paſtore:& dixit Dominus, Non habent iſti dominos,reuertatur vnuſquiſq; in domum ſuam in pace. Et ait rex Iſrael ad Ioſaphat, Nonne dixi tibi quòd non prophetaret iſte mihi quicquam boni,ſed ea,quæ mala ſunt? At ille, Iccirco,ait,audite verbũ Domini, Vidi Dominum ſedentem in ſolio ſuo, & omnem exercitum cœli aſſiſtentem ei a dextris & à ſiniſtris.Et dixit Dominus,Quis decipiet Achab regem Iſrael: vt aſcendat & corruat in Ramoth Galaad?Cumq́; diceret vnus hoc modo, & alter alio, proceſſit ſpiritus, & ſtetit coràm Domino, & ait, Ego decipiam eum. Cui Dominus, In quo, inquit, decipies? At ille reſpondit, Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. Dixitq́; Dominus,Decipies,& prævalebis: egredere & fac ita. Nunc igitur ecce Dominus dedit ſpiritum mendacij in ore omniũ prophetarum tuorum: & Dominus locutus eſt de te mala. Acceſſit autem Sedecias filius Chanaána,& percuſsit Michææ maxillam,& ait, Per quam viam tranſiuit ſpiritus Domini à me,vt loqueretur tibi? Dixitq́; Michæas, Tu ipſe videbis in die illo,quando ingreſſus fueris cubiculum de cubiculo,vt abſcondaris. Præcepit autem rex Iſrael,dicens, Tollite Micheã,& ducite eũ ad Amon principem ciuitatis,ad Ioas filiũ Amelech,Et dicetis,Hęc dicit rex,Mittite hunc in carcerem, & date ei panis modicum,& aquæ pauxillum,donec reuertar in pace.Dixitq́; Michæas,Si reuerſus fueris in pace,non eſt locutus Dominus in me.Et ait,Audite omnes populi.Igitur aſcenderunt rex Iſrael,& Ioſaphat rex Iuda in Ramoth Galaad.Dixitq́; rex Iſrael ad Ioſaphat,Mutabo habitum,& ſic ad pugnam vadam: tu autẽ induere veſtibus tuis.Mutatoq́; rex Iſrael habitu,venit ad bellum. Rex autem Syriæ præceperat ducibus equitatus ſui, dicens,Ne pugneris contra minimum,aut contra maximum,niſi contra ſolum regem Iſrael.Itaque cum vidiſſent principes equitatus Ioſaphat,dixerunt,Rex Iſrael eſt iſte. Et circundederunt eum dimicantes: at ille clamauit ad Dominum,& auxiliatus eſt ei,atq; auertit eos ab illo. Cum enim vidiſſent duces equitatus quòd non eſſet rex Iſrael,reliquerunt eum. Accidit autem,vt vnus è populo ſagittam in incertum iaceret,& percuteret regem Iſrael inter ceruicem, & ſcapulas: at ille, aurigæ ſuo ait, Conuerte manum tuam,& educ me de acie,quia vulneratus ſum. Et finita eſt pugna in die illo: porrò rex Iſrael ſtabat in curru ſuo cõtra Syros vſq; ad veſperum,& mortuus eſt occidente ſole.

CAPVT XIX.

REuerſus eſt autem Ioſaphat rex Iuda in domum ſuam pacificè in Ieruſalem. Cui occurrit Iehu filius Hanani videns,& ait ad eum, Impio præbes auxilium,& his qui oderunt Dominum amicitia iungeris:& iccircò iram quidem Domini merebaris: ſed bona opera inuenta ſunt in te, eò quòd abſtuleris lucos de terra Iuda,& præparaueris cor tuum,vt requireres Deum. Habitauit ergo Ioſaphat in Ieruſalẽ: rurſumq́; egreſſus eſt ad populum de Berſabee vſq; ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dñm Deũ patrũ ſuorum. Conſtituitq́; iudices terræ in cunctis ciuitatibus Iuda munitis per ſingula loca,& præcipiens iudicibus, Videte,ait,quid faciatis:non enim hominis exercetis iudicium,ſed Domini:† quippe qui iuxta vos eſt in cauſa iudicij. Sit timor Domini vobiſcum:& cum diligentia cuncta facite:non eſt enim apud Dominũ Deũ noſtrum iniquitas,nec perſonarum acceptio,nec cupido munerum.In Ieruſalem quoq; conſtituit Ioſaphat Leuitas,& ſacerdotes,& principes familiarum ex Iſrael,vt iudicium & cauſam Domini iudicarent:† & reuerſi ſunt Ieruſalem. Præcepitq́; eis,dicens,Sic agetis in timore Domini fideliter,& corde perfecto. Omnẽ cauſam,quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum qui habitant in vrbibus ſuis, inter cognationem & cognationẽ, vbicunq; quæſtio eſt de lege,de mandato,de ceremonijs,de iuſtificationibus: oſtendite eis,vt non peccent in Dominum,& ne veniat ira ſuper vos & ſuper fratres veſtros:ſic ergo agentes non peccabitis. Amarias autem ſacerdos & pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit: porrò Zabadias filius Iſmael, qui eſt dux in domo Iuda, ſuper ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent: habetisq́; magiſtros Leuitas coràm vobis,confortamini,& agite diligenter:& erit Dominus cum bonis.

Deut. 10.d
Roma. 2.b
Gala. 2.b
Ephe. 6.b
Coloſ. 3.b
Actuũ 10.e
1.Petri.2.c

Caput

CAPVT XX.

POſt hæc congregati ſunt filij Moab,& filij Ammon, & cum eis † alij nati de Ammonitis ad Ioſaphat, vt pugnarent contra eum. Veneruntq́; nuntij,& indicauerunt Ioſaphat, dicẽtes, Venit cõtra te multitudo magna de his locis quæ trans mare ſunt,& de Syria,& ecce conſiſtunt in Aſaſonthamar, quæ eſt Engaddi.Ioſaphat autem timore perterritus,totum ſe contulit ad rogandum Dominum:& prædicauit ieiunium vniuerſo Iuda. Congregatusque eſt Iudas ad deprecandum Dominum:ſed & omnes de vrbibus ſuis venerunt ad obſecrandum eum.Cumq́; ſteteſſet Ioſaphat in medio cœtu Iudę,& Ieruſalem in domo Domini ante atrium nouum,ait, Domine Deus patrum noſtrorum,tu es Deus in cœlo,& dominaris cunctis regnis gentium:in manu tua eſt fortitudo,& potentia, nec quiſquam tibi poteſt reſiſtere. Nónne tu Deus noſter interfeciſti omnes habitatores terræ huius coràm populo tuo Iſrael,& dediſti eã ſemini Abraham amici tui in ſempiternum? Habitaueruntq́; in ea,& extruxerunt in illa ſanctuarium nomini tuo,dicẽtes,Si irruerint ſuper nos mala,gladius iudicij,peſtilentia,& fames,ſtabimus coràm domo hac in conſpectu tuo, in qua inuocatum eſt nomen tuum:& clamabimus ad te in tribulationibus noſtris,& exaudies nos,ſaluoſq́; facies. Nunc igitur ecce filij Ammon,& Moab,& mons Seir,per quos nõ conceſiſti filijs Iſrael vt tranſirent quãdo egrediebantur de Ægypto, ſed declinauerunt ab eis, & non interfecerunt illos:è contrario agunt, & nituntur ejicere nos de poſſeſsione quam tradidiſti nobis Deus noſter:ergo non iudicabis eos? In nobis quidẽ non eſt tanta fortitudo,vt poſsimus huic multitudini reſiſtere, quæ irruit ſuper nos. Sed cum ignoremus quid agere debeamus,hoc ſolum habemus reſidui,vt oculos noſtros dirigamus ad te. Omnis verò Iuda ſtabat coràm Domino cum paruulis,& vxoribus, & liberis ſuis. Erat autem Iahaziel filius Zachariæ, filij Bananiæ,filij Iehiel,filij Mathanię,Leuites de filijs Aſaph,ſuper quem factus eſt ſpiritus Domini in medio turbæ,& ait,Attendite omnis Iuda,& qui habitatis in Ieruſalem, & tu rex Ioſaphat:hæc dicit Dominus vobis, Nolite timere,nec paueatis hanc multitudinem:non eſt enim veſtra pugna,ſed Dei. Cras deſcendetis contra eos:aſcenſuri enim ſunt per clivum nomine Zis,& inuenietis illos in ſummitate torrentis, qui eſt contra ſolitudinem Ieruel.Non enim eritis vos qui dimicabitis,ſed tantummodo confidentes ſtate, & videbitis auxilium Domini ſuper vos:ò Iuda,& Ieruſalem nolite timere, nec paueatis:cras egredimini contra eos, & Dominus erit vobiſcum.Ioſaphat ergo,& Iuda,& omnes habitatores Ieruſalem ceciderunt proni in terram coràm Domino,& adorauerunt eum.Porrò Leuitæ de filijs Caath,& de filijs Core laudabant Dominum Deũ Iſrael voce magna in excelſum.Cumque mane ſurrexiſſent egreſsi ſunt per deſertum Thecua: profectisque eis,ſtans Ioſaphat in medio eorum,dixit, Audite me viri Iuda, & omnes habitatores Ieruſalem: credite in Domino Deo veſtro,& ſecuri eritis:credite prophetis eius,& cuncta euenient proſpera.Deditque conſilium populo,& ſtatuit cantores Domini, vt laudarent † magnificentiam ſanctitatis, & antecederent exercitum, ac voce conſona dicerent, Confitemini Domino, quoniam in æternum miſericordia eius. Cumque cœpiſſent laudes canere,vertit Dominus inſidias eorum in ſemetipſos,filiorum ſcilicet Ammon, & Moab, & montis Seir: qui egreſsi fuerant vt pugnarent contra Iudam, & percuſsi ſunt.Nanq; filij Ammon,& Moab conſurrexerunt aduerſum habitatores montis Seir, vt interficerẽt, & delerẽt eos:cumque hoc opere perpetraſſent,etiam in ſemetipſos verſi,mutuis concidere vulneribus. Porrò Iuda cum veniſſet ad ſpeculam quę reſpicit ſolitudinem † aſpexit multitudinem et vidit regionem plenam cadaueribus,nec ſupereſſe quenquã, qui necem potuiſſet euadere. Venit ergo Ioſaphat,& omnis populus cum eo ad detrahenda ſpolia mortuorum:inueneruntque inter cadauera variam ſupellectilem,veſtes quoque & vaſa pretioſiſsima:& diripuerũt, ita vt omnia portare non poſſent † inſumptique ſunt tres dies, quibus diripuerunt ſpolia, tanta erat eorum copia. Die autem quarto congregati ſunt in Valle benedictionis: etenim quoniam ibi benedixerant Domino,vocauerunt locum illum Vallis benedictionis, vſque in præſentem diem. Reuerſusq́; eſt omnis vir Iuda,& habitatores Ieruſalem,& Ioſaphat ante eos in Ieruſalem cum lætitia magna,eò quòd dediſſet eis Dominus gaudium de inimicis ſuis.Ingreſsiq́; ſunt in Ieruſalem cum pſalterijs, & cytharis,& tubis in domum Domini. Irruit autem pauor Dei ſuper vniuerſa regna terrarum,cum audiſſent quòd pugnaſſet Dominus cõtra inimicos Iſrael.Quieuitq́; regnum Ioſaphat,& prębuit ei Deus pacem per circuitum. Regnauit igitur Ioſaphat ſuper iudam,& erat trigintaquinque annorum, cum regnare cœpiſſet: viginti autem & quinque annis regnauit in Ieruſalem:& nomen matris eius Azuba filia Selahi.Et ambulauit in via patris ſui Aſa, nec declinauit ab ea,faciens quæ placita erant coràm Domino. Veruntamen excelſa non abſtulit,& adhuc populus non direxerat cor ſuum ad Deum patrum ſuorum.Reliqua autem geſtorum Ioſaphat priorum & noviſsimorum ſcripta ſunt in verbis Iehu filij Hanani,quæ digeſsit in libro regum Iſrael.Poſt hæc inijt amicitias Ioſaphat rex Iuda cum Ocozia rege Iſrael,cuius opera fuerũt impijſsima. Et particeps fuit vt faceret naues quæ irent in Tharſis:feceruntq́; claſſem in Aſiongaber. Prophetauit autem Eliezer filius Dodau de Mareſa ad Ioſaphat,dicens,Quia habuiſti fœdus cum Ochozia,percuſsit Dominus opera tua, contritæque ſunt naues,nec potuerunt ire in Tharſis.

Supr. 6.e

Deute. 2.a

CAPVT XXI.

DOrmiuit autem Ioſaphat cum patribus ſuis,& ſepultus eſt cum eis in ciuitate Dauid:regnauitque Ioram filius eius pro eo.Qui habuit fratres filios Ioſaphat, Azariam, & Iahiel, & Zachariam & Azariam, & Michael, & Saphatiam: omnes hi,filij Ioſaphat regis Iuda. Deditque eis pater ſuus multa munera argenti, & auri,& † peculia cum ciuitatibus munitiſsimis in Iuda,Regnum autem tradidit Ioram eò quòd eſſet primogenitus. Surrexit autem Ioram ſuper regnum patris ſui: cumque ſe confirmaſſet, occidit omnes fratres ſuos gladio,& quoſdam de principibus Iſrael. Triginta duorũ annorum erat Ioram, cum regnare cœpiſſet: & octo annis regnauit in Ieruſalem. Ambulauitque in vijs regum Iſrael, ſicut egerat do-

2.Reg.7.b

mus Achab:filia quippe Achab erat vxor eius:& fecit malum in cõſpectu Dñi. Noluit autem Dñs diſperde- B
re domum Dauid propter pactum,quod inierat cum eo: † quemadmodũ promiſerat vt daret ei lucernã, &
filijs eius omni tempore. In diebus illius rebellauit Edom,ne eſſet ſubditus Iudæ, & conſtituit ſibi regem.
Cumq; tranſiret Ioram cum principibus ſuis,& cuncto equitatu,qui erat ſecum,ſurrexit nocte, & percuſſit
Edom qui ſe circundederat, & omnes duces equitatus eius. Attamẽ rebellauit Edom,ne eſſet ſub ditione Iu-
da vſq; ad hãc diẽ. Eo tẽpore & Lobna receſſit,ne eſſet ſub manu illius. Dereliquerat enim Dominũ Deum
patrum ſuorum,inſuper & excelſa fabricatus eſt in vrbibus Iuda,& fornicari fecit habitatores Ieruſalem, &
præuaricari Iudam. Allatæ ſunt autem ei literæ ab Elia propheta,in quibus ſcriptum erat,Hæc dicit Domi C
nus Deus Dauid patris tui, Quoniam non ambulaſti in vijs Ioſaphat patris tui,& in vijs Aſa regis Iuda, ſed
inceſiſti per iter regum Iſrael,& fornicari feciſti Iudam,& habitatores Ieruſalem, imitatus fornicationẽ do-
mus Achab:inſuper & fratres tuos domum patris tui meliores te occidiſti: ecce Dominus percutiet te plaga
magna cum populo tuo,& filijs,& vxoribus tuis,vniuerſaq; ſubſtantia tua:tu autem ægrotabis peſsimo lan-
guore vteri tui,donec egrediantur vitalia tua † præ dolore per ſingulos dies. Suſcitauit ergo Dominus cõtra
Ioram ſpiritum Philiſthinorum,& Arabum,qui confines ſunt Æthiopibus, & aſcenderunt in terram Iuda, D
& vaſtauerunt eam:diripuerunt; cunctam ſubſtantiam quæ inuẽta eſt in domo regis, inſuper & filios eius,
& vxores:nec remãſit ei filius, niſi Ioachaz,qui minimus natu erat. Et ſuper hæc omnia percuſsit eum Do-
minus alui languore inſanabili. Cumq; diei ſuccederet dies,& temporum ſpacia voluerẽtur, duorum anno-
rum expletus eſt circulus:& ſic longa conſumptus eſt tabe,ita vt egereret etiam viſcera ſua:languore pariter,
& vita caruit. Mortuusq; eſt in infirmitate peſsima,& non fecit ei populus ſecundum morem combuſtionis
exequias,ſicut fecerat maioribus eius. Triginta duos annorum fuit,cũ regnare cœpiſſet:& octo annis regna
uit in Ieruſalẽ,† & vixit miſerabiliter,& ſepelierunt eũ in ciuitate Dauid: veruntamẽ nõ in ſepulchro regũ.

CAPVT XXII.

COnſtituerunt autem habitatores Ieruſalem Ochoziam filium eius minimum regem pro eo: omnes A
enim maiores natu,qui ante eum fuerant,† interfecerat turma quæ venerat cum Arabum caſtris:re-
4. Reg. 8.f gnauitq; Ochozias filius Ioram regis Iuda. Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum re-
gnare cœpiſſet,& vno anno regnauit in Ieruſalem,& nomen matris eius Athalia filia Amri. Sed & ipſe in-
greſſus eſt per vias domus Achab:mater enim eius impulit eum vt impiè ageret. Fecit igitur malum in con-
ſpectu Domini,ſicut domus Achab: ipſi enim fuerunt ei conſiliarij poſt mortem patris ſui in interitũ eius. B
Ambulauitq; in conſilijs eorum. Et perrexit cum Ioram filio Achab rege Iſrael in bellum contra Hazael re
gem Syriæ in Ramoth Galaad:vulneraueruntq; Syri Ioram. Qui reuerſus eſt vt curaretur,in Iezrahel: mul-
tas enim plagas acceperat in ſupradicto certamine. Igitur Ochozias filius Ioram rex Iuda deſcendit vt inui-
ſeret Ioram filium Achab in Iezrael ægrotantem. Voluntatis quippe fuit Dei aduerſus Ochoziam vt veni-
ret ad Ioram:& cum veniſſet,egreſſus eſt cum eo aduerſum Iehu filium Namſi,quem vnxit Dominus vt de- C
leret domum Achab. Cum ergo ouerteret Iehu domum Achab,inuenit principes Iuda,& filios fratrũ Ocho
ziæ,qui miniſtrabant ei,& interfecit illos. Ipſum quoq; perquirens Ochoziam,comprehendit latitantem in
Samaria:adductumq; ad ſe,occidit,& ſepelierunt eum:eò quòd eſſet filius Ioſaphat, qui quæſierat Dominũ
in toto corde ſuo:nec erat vltra ſpes aliqua vt de ſtirpe quis regnaret Ochoziæ: ſiquidem Athalia mater eius
videns quòd mortuus eſſet filius ſuus,ſurrexit,& interfecit omnem ſtirpem regiam domus Iuda. Porrò Io- D
4. Re. 11.a ſabeth filia regis tulit Ioas filium Ochoziæ,& furata eſt eum de medio filiorum regis, cum interficerentur:
abſconditq; eum cum nutrice ſua in cubiculo lectulorum:Ioſabeth autem quæ abſconderat eum, erat filia
regis Ioram,vxor Ioiade pontificis,ſoror Ochoziæ:& iccirco Athalia non interfecit eum. Fuit ergo cum eis
in domo Dei abſconditus ſex annis,quibus regnauit Athalia ſuper terram.

CAPVT XXIII.

4. Re. 11.a ANno autem ſeptimo confortatus Ioiada, aſſumpſit centuriones, Azariam videlicet filium Ieroham, A
& Iſmael filium Iohanam, Azariam quoque filium Obed, & Maaſiam filiũ Adaiæ, & Eliſaphat fi-
lium Zechri: & iniit cum eis fœdus. Qui circũeuntes Iudam, congregauerunt Leuitas de cunctis
vrbibus Iuda,& principes familiarum Iſrael: veneruntq; in Ieruſalem. Iniit ergo omnis multitudo pactũ
in domo Domini cum rege: dixitq; ad eos Ioiada, Ecce filius regis regnabit, ſicut locutus eſt Dominus ſu-
per ſiltos Dauid. Iſte eſt ergo ſermo quem facietis. Tertia pars veſtrum,qui veniunt ad ſabbatum,† erit cũ
ſacerdotibus & Leuitis: & ianitoribus veſtibulorum: tertia verò pars ad domum regis:& tertia ad portam
quę appellatur fundamenti:omne verò reliquum vulgus ſit in atrijs domus Domini. Nec quiſpiam alius in-
grediatur domum Domini, niſi ſacerdotes, & qui miniſtrant de Leuitis: ipſi tantummodo ingrediantur, B
quia ſanctificati ſunt:& omne reliquum vulgus obſeruet cuſtodias Domini. Leuitæ autem circundent regẽ
habentes ſinguli arma ſua. Et ſi quis alius ingreſſus fuerit templum,interficiatur: ſintq; cum rege & intrãte
& egrediente. Fecerunt ergo Leuitæ,& vniuerſus Iuda iuxta omnia quæ præceperat Ioiada põtifex:& aſſum-
ſerunt ſinguli viros qui ſub ſe erant,& veniebant per ordinem ſabbati, cum his qui impleuerant ſabbatũ,
& egreſſuri erant: ſiquidem Ioiada pontifex non dimiſerat abire turmas quæ ſibi per ſingulas hebdomadas
ſuccedere conſueuerant. Deditq; Ioiada ſacerdos centurionibus lanceas, clypeosque & peltas regis Dauid,
quas conſecrauerat in domo Dei. Conſtituitq; omnem populum tenẽtium pugiones à parte templi dextra,
vſq; ad partem templi ſiniſtram,coràm altari & templo, per circuitum regis. Et eduxerunt filium regis,& C
impoſuerũt ei diadema,& teſtimonium,† & conſtituerunt eum regem: vnxit quoq; illum Ioiada pontifex,
& filij eius:imprecatiq; ſunt ei,atque dixerunt, Viuat rex. Quod cum audiſſet Athalia, vocem ſcilicet cur-
rentium atq; laudantium regem,ingreſſa eſt ad populum in templum Domini. Cumq; vidiſſet regem ſtan-
tem

tem ſuper gradum in introitu,& principes,† tubaſq; circa eum,omnemq; populum terræ gaudentem, atq;
clangẽtem tubis,& diuerſi generis organis concinentem: vocemq; laudantium,ſcidit veſtimenta ſua,& ait,
† coniuratio, cõiuratio. Egreſſus autem Ioiada pontifex ad centuriones & principes exercitus, dixit eis,Edu
cite illam extra ſepta templi,& interficiatur foris gladio. Præcepitq; ſacerdos ne occideretur in domo Do- D
mini. Et impoſuerunt ceruicibus eius manus:cumq; intraſſet portam equorum domus regis, interfecerunt
eam ibi. Pepigit autẽ Ioiada fœdus inter ſe,vniuerſumq; populum & regem, vt eſſet populus Domini. Itaq;
ingreſſus eſt omnis populus domum Baal,& deſtruxerunt eam:& altaria ac ſimulachra illius confregerunt:
Mathan quoq; ſacerdotem Baal interfecerunt ante aras. Conſtituit autem Ioiada præpoſitos in domo Do-
mini,ſub manibus ſacerdotum & Leuitarum,quos diſtribuit Dauid in domo Domini: vt offerrẽt holocau-
ſta Domino,ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, in gaudio & canticis, iuxta diſpoſitionem Dauid. Conſtituit
quoq; ianitores in portis domus Domini,vt non ingrederetur eam immundus in omni re. Aſſumpſitq; cẽ-
turiones & fortiſsimos viros ac principes populi, & omne vulgus terræ, & fecerunt deſcẽdere regem de do-
mo Domini,& introire per medium portæ ſuperioris in domum regis,& collocauerunt eum in ſolio rega-
li. Lætatusq; eſt omnis populus terræ,& vrbs quieuit:porrò Athalia interfecta eſt gladio.

CAPVT XXIIII.

A SEptem annorum erat Ioas, cum regnare cœpiſſet:& quadraginta annis regnauit in Ieruſalem:nomen
matris eius Sebia de Berſabee. Fecitque quod bonum eſt coràm Domino cunctis diebus Ioiadæ ſacer-
dotis. Accepit autem ei Ioiada vxores duas, è quibus genuit filios & filias. Poſt quæ placuit Ioas vt 4. Re. 12.a
inſtauraret domum Domini. Congregauitque ſacerdotes & Leuitas,& dixit eis,Egredimini ad ciuitates Iu-
da, & colligite de vniuerſo Iſrael pecuniam ad ſartatecta templi Dei veſtri per ſingulos annos, feſtinatóque
hoc facite: porrò Leuitæ egere negligentius. Vocauitque rex Ioiadam principem, & dixit ei, Quare tibi
B non fuit curæ vt cogeres Leuitas inferre de Iuda & de Ieruſalem pecuniam quæ conſtituta eſt à Moyſe ſeruo
Domini,vt inferret eam omnis multitudo Iſrael in tabernaculum teſtimonij? Athalia enim impijſsima,et
filij eius deſtruxerunt domum Dei & de vniuerſis quæ ſanctificata fuerant in templo Domini, ornauerunt
phanum Baalim. Præcepit ergo rex,& fecerunt arcam:poſueruntq; eam iuxta portam Domini foriſecus.
Et prædicatum eſt in Iuda & Ieruſalem vt deferrent ſinguli pretium Domino, quod cõſtituit Moyſes ſeruus
Dei ſuper omnem Iſrael in deſerto. Lętatiq; ſunt cuncti principes,& omnis populus:& ingreſſi contulerunt
C in arcam Domini, atque miſerunt, ita vt impleretur. Cumq; tempus eſſet vt deferrent arcam † ad eos qui
erant in officio regis per manus Leuitarum (videbant enim multam pecuniam) ingrediebatur ſcriba regis,
& quem primus ſacerdos conſtituerat: effundebantq; pecuniam quæ erat in arca: porrò arcam reportabãt
ad locum ſuum: ſicq; faciebant per ſingulos dies, & congregata eſt infinita pecunia. Quam dederunt rex,
& Ioiada his qui præerant operibus domus Domini: at illi conducebant ex ea cæſores lapidum, & artifices
operum ſingulorum, vt inſtaurarent domum Domini: fabros quoque ferri & æris,vt quod cadere cœpe-
D rat,fulciretur. Egeruntq; hi qui operabantur induſtriè, & obducebatur parietum cicatrix per manus eorũ:
ac ſuſcitauerunt domum Domini in ſtatum priſtinum, & firmiter eam ſtare fecerũt. Cumq; compleſſent
omnia opera,detulerunt coràm rege & Ioiada reliquam partẽ pecuniæ: de qua facta ſunt vaſa templi in mi-
niſterium,† phialæ quoque & cocleria & cætera vaſa aurea & argẽtea:& offerebantur holocauſta in domo
Domini iugiter cunctis diebus Ioiadę. Senuit autem Ioiada plenus dierum,& mortuus eſt cum eſſet centum
triginta annorum: ſepelieruntq; eum in ciuitate Dauid cum regibus, eò quòd feciſſet bonum cum Iſrael,
E & cum † Deo,& cum domo eius. Poſtquam autem obijt Ioiada, ingreſſi ſunt principes Iuda & adorauerũt
regem:qui delinitus obſequijs eorum,acquieuit eis. Et dereliquerunt templum Domini Dei patrũ ſuorum,
ſeruierũtq; lucis & ſculptilibus:et facta eſt ira contra Iudam et Ieruſalem propter hoc peccatum. Mittebatq;
eis prophetas,vt reuerterẽtur ad Dominum: quos proteſtantes illi audire nolebant. Spiritus itaque Dei in-
duit Zachariam filium Ioiadæ ſacerdotis,& ſtetit in conſpectu populi,& dixit eis,Hęc dixit Dominus Deus,
Quare tranſgredimini præceptum Domini,quod vobis non proderit:& dereliquiſtis Dominum,vt derelin-
F queret vos? Qui congregati aduerſus eum,miſerunt lapides iuxta regis imperium,in atrio domus Domini.
Et nõ eſt recordatus Ioas rex miſericordiæ,quam fecerat Ioiada pater illius ſecum, ſed interfecit filium eius.
Qui cum moreretur,ait, Videat Dominus,& requirat. Cumq; euolutus eſſet annus,aſcendit contra eũ exer-
citus Syriæ:venitq; in Iudam & Ieruſalem,& interfecit cunctos principes populi,atque vniuerſam prædam Matt. 23.d
miſerunt regi in Damaſcum. Et certè cum permodicus veniſſet numerus Syrorum, tradidit Dominus in
manibus eorum infinitam multitudinem: eò quòd dereliquiſſent Dominum Deum patrum ſuorũ:in Ioas
G quoque ignominioſa exercuere iudicia. Et abeuntes dimiſerunt eum in lãguoribus magnis:ſurrexerunt au-
tem contra eum ſerui ſui in vltionem ſanguinis filij Ioiadæ ſacerdotis, & occiderunt eum in lectulo ſuo: &
mortuus eſt,ſepelieruntq; eum in ciuitate Dauid,ſed non in ſepulchris regum. Inſidiati verò ſunt ei Zabad
filius Semaath Ammonitidis,& Iozabad filius Semarith Moabitidis. Porrò filij eius,ac ſumma pecuniæ quę
adunata fuerat ſub eo,& inſtauratio domus Dei ſcripta ſunt diligentius in libro regum:regnauit autẽ Ama-
ſias filius eius pro eo.

CAPVT XXV.

A VIgintiquinque annorum erat Amaſias, cum regnare cœpiſſet, & vigintinouem annis regnauit in
Ieruſalem: nomen matris eius Ioadan de Ieruſalem. Fecitq; bonum in conſpectu Domini, verũ- 4. Re. 14.a
tamen non in corde perfecto. Cumq; roboratum ſibi videret imperium, iugulauit ſeruos qui oc-
ciderant regem patrem ſuum. Sed filios eorum nõ interfecit, ſicut ſcriptum eſt in libro legis Moyſi vbi præ-
cepit Dominus,dicens,Non occidentur patres pro filijs, neq; filij pro patribus ſuis: ſed vnuſquiſque in ſuo
peccato

Deut. 24.c 4.Reg. 4.b Ezc. 18.e

peccato morietur. Congregauit igitur Amasias Iudam, & constituit eos per familias, tribunosq; & centu- B
riones in vniuerso Iuda & Beniamin:& recensuit à viginti annis sursum, inuenitq; † trecenta millia electo-
rum qui egrederentur ad pugnam,& tenerent hastam & clypeum.Mercede quoq; conduxit de Israel cētum
millia robustorum centum talentis argenti. Venit autem homo Dei ad illum,& ait,O rex, ne egrediatur te-
cum exercitus Israel,non est enim Dominus cum Israel,& cunctis filijs Ephraim. Quod si putas in robore
exercitus bella consistere,superari te faciet Deus ab hostibus:Dei quippe est & adiuuare, & in fugam cōuer- C
tere. Dixitq; Amasias ad hominem Dei, Quid ergo fiet de centum talentis quæ dedi militibus Israel? Et re-
spondit ei homo Dei,habet Dominus vnde tibi dare possit multò his plura. Separauit itaq; Amasias exerci-
tum qui venerat ad eū ex Ephraim,vt reuerteretur in locū suum:at illi contra Iudā vehementer irati,reuersi
sunt in regionem suam.Porrò Amasias confidenter eduxit populum suum,& abijt in vallem Salinarū, per-
cussitq; filios Seir decem millia. Et alia decem millia virorum ceperūt filij Iuda, & adduxerunt ad præruptū
cuiusdā petræ,præcipitaueruntq; eos de summo in præceps,qui vniuersi crepuerunt. At ille exercitus,quem D
remiserat Amasias,ne secum iret ad prælium,diffusus est in ciuitatibus Iuda,à Samaria vsq; ad Bethhoron,&
interfectis tribus millibus,diripuit prædam magnā. Amasias verò post cædem Idumæorum, & allatos deos
filiorum Seir,statuit illos in deos sibi,& adorabat eos,& illis adolebat incensum. Quamobrem iratus Domi
nus contra Amasiam,misit ad illum prophetam,qui diceret ei, Cur adorasti deos qui non liberauerūnt po-
pulum suum de manu tua? Cumq; hæc ille loqueretur, respondit ei, Num consiliarius regis es? quiesce,ne E
interficiam te.Discedēsq; propheta,Scio,inquit,quòd cogitauerit Deus occidere te,quia fecisti hoc malum,
& insuper non acquieuisti consilio meo.Igitur Amasias rex Iuda inito † consilio, misit ad Ioas filiū Ioachaz
filij Iehu regem Israel,dicens,Veni,videamus nos mutuò. At ille remisit nuntios dicens,Carduus qui est in
libano misit ad Cedrū Libani,dicens,Da filiam tuam filio meo vxorem:& ecce,bestię quę erant in sylua Li-
bani transierunt,& cōculcauerunt carduū.Dixisti,Percussi Edom:& iccirco erigitur cor tuū in superbiā:se-
de in domo tua,cur malū aduersum te prouocas,vt cadas & tu & Iudas tecū? Noluit autem audire Amasias, F
eo q̄ Dñi esset voluntas vt traderetur in manus hostium propter deos Edom. Ascendit igitur Ioas rex Israel
& mutuos sibi præbuere conspectus,† ipse & Amasias rex Iuda in Bethsámes Iudæ. Corruitq; Iudas coram
Israel,& fugit in tabernacula sua.Porrò Amasiam regem Iuda filium Ioas, filij Ioachaz cepit Ioas rex Israel
in Bethsámes,& adduxit in Ierusalem:destruxitq; murum eius á porta Ephraim vsq; ad portam anguli qua-
dringentis cubitis.Omne quoque aurum,& argentum,& vniuersa vasa quæ repererat in domo Dei,& apud G
Obededom,in thesauris etiam domus regiæ, necnon & filios obsidum reduxit in Samariam. Vixit autem
Amasias filius Ioas rex Iuda,postquam mortuus est Ioas,filius Ioachaz rex Israel quindecim annis. Reliqua
autem sermonum Amasiæ priorum & nouissimorum scripta sunt in libro regū Iuda & Israel. Qui postquā
recessit à Domino,tetenderunt ei insidias in Ierusalē.Cumq; fugisset Lachis,miserunt,& interfecerunt eum
ibi.Reportantesq; super equos,sepelierunt eum cum patribus suis in ciuitate Iuda.

CAPVT XXVI.

OMnis autem populus Iuda filium eius Oziam annorum sedecim constituit regem pro Amasia pa- A
tre suo.Ipse ædificauit Ailath, & restituit eam ditioni Iudæ, postquam dormiuit rex cum patri-
4.Re. 14.c bus suis. Sedecim annorum erat Ozias, cum regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis re-
gnauit in Ierusalem: nomen matris eius Iechelia de Ierusalem.Fecitque quod erat rectum in oculis Domi-
ni, iuxta omnia quæ fecerat Amasias pater eius. Et exquisiuit Deum in diebus Zachariæ intelligentis & vi-
dentis Deum. Cumque requireret Dominum, direxit eum in omnibus. Denique egressus est, & pugna-
uit contra Philisthijm, & destruxit murum Geth, & murum Iabnæ, murumque Azoti: Ædificauit quo-
que oppida in Azoto, & in Philisthijm. Et adiuuit eum Deus contra Philisthijm, & contra Arabes qui ha-
bitabant in Gurbáal,& † Hammehunim. Appendebantque Ammonitæ munera Oziæ: & diuulgatum est
nomen eius vsque ad introitum Ægypti † eò quòd viriliter ageret supra modum. Ædificauitque Ozias B
turres in Ierusalem super portam anguli, & super portam vallis, & † iuxta flexuras muri, firmauitque eas.
Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas plurimas, eò quòd haberet multa pecora † in valli-
bus & planiciebus, agricultoresque & vinitores in montibus, & in Carmelo, erat quippe homo agricul-
turæ deditus. Fuit autem exercitus bellatorum eius, qui procedebant ad prælia † iuxta numerum præfectu-
ræ suæ, sub manu Iehiel scribæ, Maasiæque doctoris, & sub manu Hananiæ qui erat de ducibus regis.
Omnisque numerus principum per familias virorum fortium duorum millium sexcentorum. Et sub eis
vniuersus exercitus trecentorum,& septem millium quingentorum:qui erant apti ad bella,& pro rege con-
tra aduersarios dimicabant. Præparauit quoque eis Ozias, id est cuncto exercitui clypeos & hastas & ga-
leas & loricas,arcusque, & fundas ad iaciendos lapides.Et fecit in Ierusalem diuersi generis machinas, quas
in turribus collocauit, & in angulis murorum, vt mitterent sagittas, & saxa grandia: egressumque est no- C
men eius procul,eò quòd auxiliaretur ei Dominus, & corroborasset illum.Sed cum corroboratus esset,ele-
uatum est cor eius in interitum suum,& neglexit Dominum Deum suum:ingressusque templum Domini,
adolere voluit incensum super altare thymiamatis.Statimque ingressus post eum Azarias sacerdos, & cum
Zach. 14.a eo sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi, restiterunt regi, atque dixerunt, Non est tui officij Ozia,
vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiuscemo-
di ministerium: egredere de sanctuario, † quia præuaricatus es, & non reputabitur tibi in gloriam hoc à
Domino Deo. Iratusque Ozias,& tenens in manu † incensum vt illud adoleret, indignabatur contra sacer
dotes.Statimq; orta est lepra in fronte eius coràm sacerdotibus in domo Domini † iuxta altare thymiama-
tis. Cumque respexisset eum Azarias pontifex, & omnes reliqui sacerdotes, viderunt lepram in fron-
te eius,

D te eius,& festinatò expulerunt eum.Sed & ipse perterritus acceleraut egredi, eò quòd sensisset illico plagam 4. Re. 15.c
Domini.Fuit igitur Ozias rex leprosus vsq; ad diem mortis suæ,& habitauit in domo separata plenus lepra,
ob quam eiectus fuerat de domo Domini.Porrò Ioatham filius eius rexit domum regis, & iudicabat popu-
lum terræ. Reliqua autem sermonum Oziæ priorum nouissimorum scripsit Isaias filius Amos propheta.
Dormiuitq; Ozias cum patribus suis,& sepelierūt eum † cum patribus suis in agro sepulturæ qui erat iuxta
sepulchra regum,eò quòd esset leprosus:regnauitq; Ioatham filius eius pro eo.

CAPVT XXVII.

A VIgintiquinq; annorum erat Ioatham cum regnare cœpisset, & sedecim annis regnauit in Ierusalem: 4. Re. 15.g
nomen matris eius Ierusa filia Sadoch. Fecitq; quod rectum erat coràm Domino iuxta omnia quæ
fecerat Ozias pater suus:excepto quòd non est ingressus templum Domini: & adhuc populus delin-
B quebat.Ipse ædificauit portam domus Domini † superiorem, & in muro, vbi erat propugnaculum multa
construxit.Vrbes quoq; ædificauit in montibus Iuda:& in saltibus castella,& turres.Ipse pugnauit cōtra re-
gem filiorum Ammon,& vicit eos:dederuntq; ei filij Ammon † anno illo centum talenta argenti,et decem
C millia coros tritici,ac totidem coros hordei:Hæc ei prębuerunt filij Ammon † sicut & anno secundo & ter-
tio.Corroboratusq; est Ioatham,eò quòd direxisset vias suas coràm Domino Deo suo. Reliqua autē sermo-
num Ioathā,& omnes pugnæ eius,& opera,scripta sunt in libro regum Israel & Iuda. Vigintiquinq; annor
D erat cum regnare cœpisset,& sedecim annis regnauit in Ierusalem.Dormiuitq; Ioatham cum patribus suis,
& sepelierunt eum in ciuitate Dauid:& regnauit Achaz filius eius pro eo.

CAPVT XXVIII.

A VIginti annorum erat Achaz cum regnare cœpisset:& sedecim annis regnauit in Ierusalem. Non fe-
cit rectum in conspectu Domini sicut Dauid pater eius, sed ambulauit in vijs regum Israel, insuper
& statuas fudit Baalim. Ipse est qui adoleuit incēsum in valle Benennō:& lustrauit filios suos in igne 4. Re. 16.a
iuxta ritum gentium quas interfecit Dominus in aduentu filiorum Israel. Sacrificabat quoq;, & thimiama
succendebat in excelsis,& in collibus,& sub omni ligno frōdoso.Tradiditq; eum Dñs Deus eius in manu re
gis Syriæ,qui percussit eum,magnamq; prædam cepit de eius imperio,& adduxit in Damascum: manibus
quoq; regis Israel traditus est,& percussus plaga grandi,Occiditq; Phacee filius Romeliæ, de Iuda cētum vi-
ginti millia in die vno,omnes viros bellatores:eò q̄ reliquissent Dñm Deum patrū suorum. Eodem tēpore
occidit Zechri vir potens ex Ephraim Masiam filium regis,& Ezricam ducem domus eius, Elcanam quoq;
B secundum à rege.Ceperuntq; filij Israel de fratribus suis ducenta millia mulierum,puerorū,& puellarum,&
infinitam prædam:pertuleruntq; eam in Samariam. Ea tempestate erat ibi propheta Dñi, nomine Obed:
qui egressus obuiam exercitui venienti in Samariam,dixit eis,Ecce, iratus Dñs Deus patrum vestrorum cō
tra Iudam,tradidit eos in manibus vestris,& occidistis eos atrociter,ita vt ad cœlum pertingeret vestra cru-
delitas. Insuper filios Iuda, & Ierusalem vultis vobis subijcere in seruos,& ancillas:quod nequaquam facto
opus est:peccastis enim super hoc Domino Deo vestro.Sed audite consilium meū,& reducite captiuos quos
adduxistis de fratribus vestris:quia magnus furor Dñi imminet vobis. Steterunt itaque viri de principibus
filiorum Ephraim,Azarias filius Iohanan,Barachias filius Mosollamoth,Ezechias filius Sellum,et Amasa fi-
lius Hadali,contra eos qui veniebāt de prælio,& dixerunt eis, Non introducetis huc captiuos,ne peccemus
Dño. Quare vultis adijcere super peccata nostra,& vetera cumulare delicta? grande quippe peccatū est, &
C ira furoris Dñi imminet super Israel.Dimiseruntq; viri bellatores prædam,& vniuersa quæ ceperāt, coràm
principibus & omni multitudine.Steterūtq; viri quos supra memorauimus:apprehēdentes captiuos,oēsq;,
qui nudi erant,vestierūt de spolijs:cumq; vestissent eos,& calceassent,& refecissent cibo ac potu,vnxissentq;
propter laborem,& adhibuissent eis curam:quicunq; ambulare non poterāt,& erāt imbecillo corpore, im-
posuerunt eos tumentis,& adduxerunt Iericho ciuitatem palmarū ad fratres eorum,ipsiq; reuersi sunt in Sa
mariam. Tempore illo misit rex Achaz ad regem Assyriorū, postulans auxilium.Veneruntq; Idumæi, &
percusserunt multos ex Iuda,& ceperunt prędam magnā.Philisthijm quoq; diffusi sunt per vrbes cāpestres,
& ad meridiem Iudæ:ceperuntq; Bethsámes,& Aialon,& Gaderoth, Socho quoq;, & Thamnan,& Gamzo
cum viculis suis:et habitauerunt in eis.Humiliauerat enim Dñs Iudam propter Achaz regem Iuda,eò quòd
D nudasset † Iudam,& cōtemptui habuisset Dominum.† Venit præterea ad eum Theglat Phalnasar rex Assy-
riorum,& tribulauit eum magis quàm vt roborareret eum.Nam Achaz spoliata domo Domini, & domo re-
gum,ac principum,dedit regi Assyriorum munera:& tamen nihil ei profuit. Insuper & tempore angustiæ
suæ auxit contemptum in Dominum,† ipse rex Achaz. Nam immolauit dijs Damasci victimas percussori-
bus suis,& dixit,Dij regum Syriæ auxiliantur eis,quos ego placabo hostijs, & aderunt mihi:cum è cōtrario
ipsi fuerint ruinæ ei,& vniuerso Israel. Direptis itaq; Achaz omnibus vasis domus Dei,atq; confractis,clau-
sit ianuas templi Dei:& fecit sibi altaria in vniuersis angulis Ierusalē,in omnibus quoq; vrbibus Iuda extru-
xit aras ad cremandum thus:atq; ad iracūdiam prouocauit Dominum Deum patrum suorum.Reliqua autē
sermonum eius,& omnium operum suorum priorum, & nouissimorum scripta sunt in libro regum Iuda
& Israel.Dormiuitq; Achaz cum patribus suis,& sepelierunt eum in ciuitate Ierusalem: neq; enim recepe-
runt eum in sepulchra regum Israel.Regnauitq; Ezechias filius eius pro eo.

CAPVT XXIX.

A IGitur Ezechias regnare cœpit cum vigintiquinque esset annorum, & vigintinouem annis regnauit in 4. Re. 18.a
Ierusalem: nomen matris eius Abia, filia Zachariæ. Fecitque quod erat placitum in conspectu Domi-
ni,iuxta omnia quæ fecerat Dauid pater eius. In ipso anno, & mense primo regni sui aperuit valuas do-
mus Domini,& instaurauit eas.Adduxitque sacerdotes,atque Leuitas, & congregauit eos in plateam orien-
talem.

talem. Dixitq; ad eos, Audite me Leuitæ, & ſanctificamini, mundate domum Domini Dei patrum veſtrorum, & auferte omnem immunditiam de ſanctuario. Peccauerunt patres noſtri, & fecerunt malum in conſpectu Domini Dei noſtri, derelinquentes eum: auerterunt facies ſuas à tabernaculo Domini, & præbuerũt dorſum. Clauſerunt oſtia, quæ erant in porticu, & extinxerunt lucernas: incenſumq́ue non adoleuerunt, & holocauſta non obtulerunt in ſanctuario Deo Iſrael. Concitatus eſt itaq; furor Domini ſuper Iudam & Ieruſalem: tradiditq; eos in commotionem, in † ſtuporem, & in ſibilum, ſicut ipſi cernitis oculis veſtris. En, corruerunt patres noſtri gladijs: filij noſtri, & filiæ noſtræ, & coniuges captiuæ ductæ ſunt propter hoc ſcelus,

Nunc ergo placet mihi, vt incamus fœdus cum Domino Deo Iſrael, & auertet à nobis furorem iræ ſuæ. B Filij mei nolite negligere: vos elegit Dominus, vt ſtetis coràm eo, & miniſtretis illi, colatisq; eum, & cremetis ei incenſum. Surrexerunt ergo Leuitæ: Mahath filius Amaſai, & Ioel filius Azariæ, de filijs Caath. Porrò de filijs Merari: Cis filius Abdi, & Azarias filius Ialaleel. De filijs autem Gerſon: Ioach filius Zemma, & Eden filius Ioath. At verò de filijs Eliſaphan: Samri & Iahiel. De filijs quoque Aſaph: Zacharias, Mathanias. Necnon de filijs Heman, Iahiel, & Semei, ſed & de filijs Idithun, Semeias, & Oziel. Congregaueruntq́ue fratres ſuos, & ſanctificati ſunt: & ingreſſi iuxta mandatum regis, & imperium Domini, vt expiarent domum Dei. Sacerdotes quoq; ingreſſi templum Domini, vt ſanctificarent illud, extulerunt omnem immunditiam, quam intro repererant in veſtibulo domus Domini, quam tulerunt Leuitæ, & aſporauerunt ad torrentem Cedron foras. Cœperunt autem prima die menſis primi mundare, & in die octauo eiuſdem menſis ingreſſi ſunt porticũ templi Domini: expiaueruntq; templũ diebus octo, & in die ſextadecima menſis eiuſdem, quod cœperant, impleuerunt. Ingreſſi quoq; ſunt ad Ezechiam regem, & dixerũt ei, Sanctificauimus omnem domum Domini, & altare holocauſti, vaſaq; eius, necnon & menſam propoſitionis cũ omnibus vaſis ſuis, cunctamq; templi ſuppellectilem quam † dimiſerat rex Achaz in regno ſuo, poſtquam C præuaricatus eſt: & ecce expoſita ſunt omnia coràm altari Domini. Conſurgensq; diluculo Ezechias Rex, adunauit omnes principes ciuitatis, & aſcendit in domum Domini, obtuleruntq; ſimul tauros ſeptem, & arietes ſeptem, agnos ſeptem, & hircos ſeptem pro peccato, pro regno, pro ſanctuario, pro Iuda: dixitq; ſacerdotibus filijs Aaron, vt offerrent ſuper altare Domini. Mactauerunt igitur tauros, & ſuſceperunt ſanguinem ſacerdotes, & fuderunt illum ſuper altare: mactauerunt etiam arietes: & illorum ſanguinem ſuper altare fuderunt, immolauerunt agnos, & fuderunt ſuper altare ſanguinem. Applicuerunt hircos pro peccato coràm rege, & vniuerſa multitudine: impoſuerunteq; manus ſuas ſuper eos. Et immolauerunt illos ſacerdotes, & † expiauerunt cum ſanguine eorum altare pro piaculo vniuerſi Iſraelis: pro omni quippè Iſrael præceperat rex, vt holocauſtum fieret & pro peccato. Conſtituit quoq; Leuitas in domo Domini cum cymbalis, & pſalterijs, & cytharis ſecundum diſpoſitionem Dauid, & Gad videntis regis, & Nathan prophetæ: ſiquidem Domini præceptum fuit per manum prophetarum eius. Steteruntq; Leuitæ tenentes organa Dauid, & ſacerdotes tubas. Et iuſsit Ezechias, vt offerrent holocauſta ſuper altare. Cũq; offerrentur holocauſta, cœperunt laudes canere Domino, & clangere tubis, atq; in diuerſis organis, quę Dauid rex repererat, concrepa- D re. Omni autem turba adorante, cantores, & ij, qui tenebant tubas, erant in officio ſuo: donec compleretur holocauſtum. Cumq; finita eſſet oblatio, incuruatus eſt rex, & omnes, qui erant cum eo, & adorauerũt. Præcepitq; Ezechias, & principes Leuitis, vt laudarent Dominum ſermonibus Dauid & Aſaph videntis: qui laudauerunt Deum magna lætitia, & incuruato genu adorauerunt. Ezechias autem etiam hæc addidit, Impleſtis manus veſtras Domino, accedite, & offerte victimas, & laudes in domo Domini. Obtulit ergo vniuerſa multitudo † ſacrificia & oblationes pro gratiarum actione, & holocauſta mente deuota. Porrò numerus holocauſtorũ, quæ obtulit multitudo, hic fuit, Tauros ſeptuaginta, arietes centum, agnos ducentos. Sanctificatæ runtq; Domino boues ſexcentos, & oues tria millia. Sacerdotes verò pauci erant, nec poterant ſufficere, vt pelles holocauſtorum detraherent: vnde & Leuitæ fratres eorũ adiuuerunt eos, donec impleretur opus, & ſanctificarentur antiſtites. Leuitæ quippè † habuerunt maiorem cordis integritatem ad ſanctificationem, quã ſacerdotes. Fuerunt ergo holocauſta plurima, adipes pacificorum, & libamina holocauſtorum: & completus eſt cultus domus Domini. Lętatusq; eſt Ezechias: & omnis populus, † q; Deus idoneum feciſſet populum, & quòd tam repentè impletum fuiſſet verbum.

CAPVT XXX.

MIſit quoque Ezechias ad omnem Iſrael & Iudam: ſcripſitq; epiſtolas ad Ephraim, & Manaſſen, vt A venirent ad domum Domini in Ieruſalem, & facerent phaſe Domino Deo Iſrael. Inito ergo conſilio regis, & principum, & vniuerſi cœtus in Ieruſalem, decreuerunt, vt facerent phaſe menſe ſecundo. Non enim † poterant facere in tempore ſuo: quia ſacerdotes † ſufficienter ſanctificati non fuerãt, & populus necdum congregatus erat in Ieruſalem. Placuitq; ſermo regi, & omni multitudini. Et decreuerunt, vt mitterent nuntios in vniuerſum Iſrael de Berſabee vſq; Dan, vt venirent, & facerent phaſe Domino Deo Iſrael in Ieruſalem: † quia iandiu non fecerant ſicut lege præſcriptum eſt. Perrexeruntq; curſores cum epiſtolis ex regis imperio, & principum eius in vniuerſum Iſrael & Iudam iuxta id quod rex iuſſerat, prædicantes. Filij Iſrael reuertimini ad Dominum Deum Abraham, & Iſaac, & Iſrael: & reuertetur ad reliquias, quæ effugerunt manus regis Aſſyriorum, Nolite fieri ſicut patres veſtri, & fratres qui receſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum, & tradidit eos in interitum, vt ipſi cernitis. Nolite indurare ceruices veſtras, ſicut patres veſtri: tradite manus Domino, & venite ad ſanctuarium eius quod ſanctificauit in æternum: ſeruite B Domino Deo patrum veſtrorum, & auertetur à vobis ira furoris eius. Si enim vos reuerſi fueritis ad Dominum, fratres veſtri, & filij habebunt miſericordiam coràm dominis ſuis qui illos duxerunt captiuos, & reuertentur in terram hanc: pius enim, & clemens eſt Dominus Deus veſter, & non auertet faciem ſuam à vobis,

vobis, ſi reuerſi fueritis ad eum. Igitur curſores pergebant velociter de ciuitate in ciuitatem per terram Ephraim & Manaſſe, vſq; ad Zabulon, illis irridentibus & ſubſannantibus eos. Attamen † viri ex Aſer, & Manaſſe, & Zabulon acquieſcentes conſilio, venerunt Ieruſalem. In Iuda verò facta eſt manus Domini, vt daret eis cor vnum, vt facerent iuxta præceptum regis, & principum verbum Domini. Congregatiq; ſunt in Ieruſalem populi multi, vt facerent ſolennitatem azymorum in menſe ſecundo. Et ſurgentes deſtruxerunt altaria, quæ erant in Ieruſalem: atque vniuerſa in quibus idólis adolebatur incenſum, ſubuertentes, proie- C cerunt in torrentem Cedron. Immolauerunt autem phaſe quartadecima die menſis ſecundi. Sacerdotes quoque, atque Leuitæ † qui notam confuſionis induerant tandem ſanctificati obtulerunt holocauſta in domo Domini. Steteruntq; in ordine ſuo iuxta diſpoſitionem, & legem Moyſi hominis Dei: ſacerdotes verò ſuſcipiebant effundendum ſanguinem de manibus Leuitarum, eò quòd multa turba ſanctificata nõ eſſet: & iccirco immolarent Leuitæ phaſe † pro ijs, qui non erant mundi, & qui non poterant ſanctũ Domini exequi opus. Magna enim pars populi, & plurimi de Ephraim, & Manaſſe, & Iſſachar, & Zabulon, quæ ſanctificata non fuerat, comedit phaſe, non iuxta quod ſcriptum eſt: & orauit pro eis Ezechias, dicens, Dominus bonus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum, & non imputabit eis, quòd minus ſanctificati ſunt. Quem exaudiuit Dominus, & placatus eſt populo. Feceruntq; filij Iſrael, qui inuenti ſunt in Ieruſalem, ſolennitatem azymorum ſeptem diebus in lætitia magna, laudantes Dominum per ſingulos dies, Leuitæ quoque & ſacerdotes per organa, † potentiam Domini magnificabant. Et D locutus eſt Ezechias ad cor omnium Leuitarum qui habebant intelligentiam bonam ſuper Domino: & comederunt ſeptem diebus ſolennitatis immolantes victimas pacificorum, & laudantes Dominum Deum patrum ſuorum. Placuitq; vniuerſæ multitudini, vt celebrarent etiam alios dies ſeptem: quod & fecerunt cum ingenti gaudio. Ezechias autem rex Iuda præbuerat multitudini mille tauros, & ſeptem millia ouium: principes verò dederant populo tauros mille, & oues decem millia: ſanctificata eſt ergo ſacerdotum plurima multitudo. Et hilaritate perfuſa omnis turba Iuda tam ſacerdotum, & Leuitarum, quàm vniuerſæ frequentiæ, quæ venerat ex Iſrael: proſelytorum quoq; de terra Iſrael, & habitantium in Iuda. Factaq; eſt grandis celebritas in Ieruſalem, qualis à diebus Salomonis filij Dauid regis Iſrael in ea vrbe non fuerat. Surrexerunt autem ſacerdotes atque Leuitæ benedicentes populo: & exaudita eſt vox eorum, peruenitq; oratio ad habitaculum ſanctum cœli.

CAPVT XXXI.

A CVmq; hæc fuiſſent rítè celebrata, egreſſus eſt omnis Iſrael, qui inuentus fuerat in vrbibus Iuda, & fregerunt ſimulachra, ſucciderunteq; lucos, demoliti ſunt excelſa, & altaria deſtruxerunt: non ſolum de vniuerſo Iuda & Beniamin, ſed & de Ephraim quoque & Manaſſe, donec penitus euerterent, reuerſiq; ſunt omnes filij Iſrael in poſſeſsiones & ciuitates ſuas. Ezechias autem conſtituit turmas ſacerdotales, & Leuiticas per diuiſiones ſuas, vnumquenq; in officio proprio, tam ſacerdotum videlicet, quàm Leuitarum, ad holocauſta, & pacifica, vt miniſtrarent & confiterentur, canerentq; in portis caſtrorum Domini. Pars autem regis erat, vt de propria eius ſubſtantia offerretur holocauſtum manè ſemper, & veſpere, ſabbatis quoq; & calendis, & ſolennitatibus cæteris, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini. Præcepit etiam popu- B lo habitantium Ieruſalem, vt darent partes ſacerdotibus, & Leuitis, vt poſſent vacare legi Domini. Quod cum percrebuiſſet in auribus multitudinis, plurimas obtulere primitias filij Iſrael, frumenti, vini, & olei: mellis quoq;, & omnium, quæ gignit humus decimas † in copia obtulerunt. Sed & filij Iſrael & Iuda, qui habitabant in vrbibus Iuda, obtulerunt decimas boum & ouium, decimasq; ſanctorum, quæ vouerant Domino Deo ſuo: atq; vniuerſa portantes, fecerunt aceruos plurimos. Menſe tertio cœperunt aceruorum iacere fundamenta, & menſe ſeptimo compleuerunt eos. Cumq; ingreſſi fuiſſent Ezechias, & principes eius, viderunt aceruos, & benedixerunt Domino ac populo eius Iſrael. Interrogauitq; Ezechias ſacerdotes, & Leuitas, cur ita iacerent acerui. Reſpondit illi Azarias ſacerdos primus de ſtirpe Sadoc, dicens, Ex quo cœpe- C runt offerri primitiæ in domo Domini, comedimus, & ſaturati ſumus: & remanſerunt plurima: eò quòd benedixerit Dominus populo ſuo: reliquiarum autem copia eſt iſta, quam cernis. Præcepit igitur Ezechias, vt præpararent horrea in domo Domini. Quod cum feciſſent, intulerunt tam primitias quàm decimas, & quæcunque vouerant fideliter. Fuit autem præfectus eorum Chonenias Leuita, & Semei frater eius ſecundus: poſt quem Iahiel, & Azazias, & Nahath, & Aſael, & Ierimoth, Iozabad quoque, & Eliel, & Ieſmachias, & Mahath, & Banaias, præpoſiti ſub manibus Choneniæ, & Semei fratris eius, ex imperio Ezechiæ regis, & Azariæ pontificis domus † Domini. Core verò filius Iemna Leuites, & ianitor orientalis portæ, præpoſitus erat ijs, quæ ſponte offerebantur Deo, † & quæ velut ſegregata dabantur Domino, atq; ſuper ſanctaſanctorum. Et ſub cura eius Eden & Miniamin, Ieſue, & Semeias. Amarias quoq;, & Sechenias, in ciuitatibus ſacerdotum: vt fideliter diſtribuerent fratribus ſuis partes minoribus atque maioribus: exceptis maribus ab D annis tribus & ſupra, cunctisq; qui ingrediebantur templum Domini. Et quicquid per ſingulos dies conducebat in miniſterio atque obſeruationibus iuxta diuiſiones ſuas, ſacerdotibus per familias, & Leuitis à vicesimo anno & ſupra per ordines & turmas ſuas, vniuerſæque multitudini tam vxoribus quàm liberis eorum vtriuſque ſexus, fideliter cibi de his, quæ ſanctificata fuerant præbebantur. Sed & † filijs Aaron ſacerdotibus, qui erant per agros, & ſuburbana vrbium ſingularum diſpoſiti erant viri, † quorum nomina ſupra expreſſa ſunt, qui partes diſtribuerent vniuerſo ſexui maſculino, de ſacerdotibus & Leuitis. Fecit ergo Ezechias vniuerſa, quæ diximus in omni Iuda: operatusq; eſt bonum & rectum, & verum coràm Domino Deo ſuo, in vniuerſa cultura miniſterij domus Domini, iuxta legem & ceremonias, volens requirere Deũ ſuũ in toto corde ſuo: fecitq;, & proſperatus eſt.

Caput

CAPVT XXXII.

4.Re. 18.c Esaiæ 36.a

POstquam † autem hæc fideliter sunt gesta, venit Sennacherib rex Assyriorum, & ingressus Iudam, ob A sedit ciuitates munitas, volens eas capere. Quod cum vidisset Ezechias, venisse scilicet Sennacherib, & totum belli impetum verti contra Ierusalem: inito cum principibus cõsilio, virisq; fortissimis, vt obturarent capita fontium qui erant extra vrbem: & hoc omnium decernente sententia, congregauit plurimã multitudinem, & obturauerunt cunctos fontes, & riuum qui fluebat in medio terræ, dicentes, Ne veniant reges Assyriorum, & inueniant aquarum abundantiam. Ædificauit quoque agens industriè omnem murum qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper, & forinsecus alterum murum: instaurauitq; Mello in ciuitate Dauid, & fecit † gladios & clypeos in magna copia. Constituitq; principes † bellicosos super populum. B Et conuocauit vniuersos in platea portæ ciuitatis, ac locutus est ad cor eorum, dicens, Viriliter agite, & confortamini, nolite timere nec paueatis regem Assyriorum, & vniuersam multitudinem, quæ est cum eo: multò enim plures nobiscum sunt, quàm cum illo. Cum illo enim est brachium carneum, nobiscum Dominus Deus noster qui auxiliator est noster, pugnatq; pro nobis. Confortatusq; est populus huiusce modi verbis Ezechiæ regis Iuda. Quæ postquam gesta sunt, misit Sennacherib rex Assyriorum seruos suos, Ierusalem (ipse enim cum vniuerso exercitu obsidebat Lachis) ad Ezechiam regem Iuda, & ad omnem populum qui erat in vrbe, dicens, Hæc dicit Sennacherib rex Assyriorum, In quo habentes fiduciam, sederis ob- C sessi in Ierusalem? Num Ezechias decepit vos, vt tradat morti in fame & siti, affirmans quòd Dominus Deus vester liberet vos de manu regis Assyriorum? Nunquid non est iste Ezechias qui destruxit excelsa illius, & altaria, & præcepit Iudæ & Ierusalem, dicens, Coràm altari vno adorabitis, & in ipso comburetis incensum? An ignoratis, quæ ego fecerim, & patres mei cunctis terrarum populis? nunquid præualuerunt dij gentium, omniumq; terrarum liberare regionem suam de manu mea? Quis est de vniuersis dijs gentium, quas vastauerunt patres mei, qui potuerit eruere populum suum de manu mea, vt possit etiam Deus vester eruere vos de hac manu? Non vos ergo decipiat Ezechias, nec vana persuasione deludat, neque credatis ei. D Si enim nullus potuit Deus cunctarum gentium atque regnorum liberare populum suum de manu mea, & de manu patrum meorum, consequenter nec † Dij vestri poterunt eruere vos de manu mea. Sed & alia multa locuti sunt serui eius contra Dominum Deum, & contra Ezechiam seruum eius. Epistolas quoque scripsit plenas blasphemiæ in Dominum Deum Israel, & locutus est aduersum eum. Sicut dij gentium cæterarum non potuerunt liberare populum suum de manu mea, sic & Deus Ezechiæ eruere non poterit populum suũ de manu ista. Insuper & clamore magno lingua Iudaica contra populũ, qui sedebat in muris Ierusalem, personabat, vt terreret eos, & caperet ciuitatem. † Locutiq; sunt contra Deum Ierusalem, sicut aduersum deos E populorum terræ opera manuum hominum. Orauerunt igitur Ezechias rex, & Esaias filius Amos prophetes aduersum hanc blasphemiam, ac vociferati sunt vsque in cœlum. Et misit Dominus angelum qui percussit omnem virum robustum, & bellatorem & principem exercitus regis Assyriorum. Reuersusq; est cum ignominia in terram suam. Cumq; ingressus esset domum dei sui, filij qui egressi fuerant de vtero eius, interfecerunt eum gladio. Saluauitq; Dominus Ezechiam, & habitatores Ierusalem, de manu Sennacherib regis Assyriorum, & de manu omnium, & præstitit ei quietem per circuitum. Multi etiam deferebant hostias, & sacrificia Domino in Ierusalem, & munera Ezechiæ regi Iuda: qui exaltatus est post hæc coràm cunctis gen- F

4.Re. 20.a Esaiæ 38.a

tibus. In diebus illis ægrotauit Ezechias vsque ad mortem, & orauit Dominum: exaudiuitq; eum, & dedit ei signum. Sed non iuxta beneficia, quæ acceperat, retribuit, quia eleuatum est cor eius: & facta est contra eũ ira, & contra Iudam & Ierusalem. Humiliatusq; est postea, eò quòd exaltatum fuisset cor eius, tam ipse, quàm habitatores Ierusalem: & iccircò non venit super eos ira Domini in diebus Ezechiæ. Fuit autem Ezechias dives, & inclytus valde, & thesauros sibi plurimos congregauit, argenti & auri, & lapidis pretiosi, aromatum, † clypeorum, & omnium vasorum desyderabilium. Apothecas quoq; frumẽti, vini, & olei, & præsepia omnium iumentorum, caulasq; pecorum, & vrbes ædificauit sibi: habuitq; greges ouium & armentorum innu- G merabiles, eò quòd dedisset ei Dominus substantiam multa nimis. Ipse est Ezechias qui obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, & auertit eas subter ad occidentem vrbis Dauid: in omnibus operibus suis, fecit prosperè, quæ voluit. Attamen in legatione principum Babylonis, qui missi fuerant ad eum, vt interrogarent de portento quod acciderat super terram, dereliquit eum Deus, vt tentaretur, & nota fierent omnia, quę erant in corde eius. Reliqua autem sermonum Ezechiæ, & misericordiarũ eius scripta sunt in visione Esaiæ filij Amos prophetæ, in libro regum Iuda & Israel. Dormiuitq; Ezechias cum patribus suis, & sepelierunt eũ super sepulchra filiorum Dauid: & celebrauit eius exequias vniuersus Iuda, & omnes habitatores Ierusalem: regnauitq; Manasses filius eius pro eo.

CAPVT XXXIII.

4.Re. 21.a

DVodecim annorum erat Manasses, cum regnare cœpisset: & quinquagintaquinque annis regna- A uit in Ierusalem. Fecit autem malum coràm Domino, iuxta abominationes gentium quas subuertit Dominus coràm filijs Israel. Et conuersus, instaurauit excelsa, quæ demolitus fuerat Eze-

2.Reg.7.b chias pater eius: construxitq; aras Baalim, & fecit lucos: & adorauit omnem militiam cœli, & coluit eam. Ædificauit quoq; altaria in domo Domini, de qua dixerat Dominus. In Ierusalem erit nomen meũ in æternum. Ædificauit autẽ ea cuncto exercitui cœli, in duobus atrijs domus Domini. Transireq; fecit filios suos per ignem, in valle Ben Ennom: obseruabat somnia, sectabatur auguria, maleficis artibus inseruiebat: habebat secum magos, & incantatores: multaque mala operatus est coràm Domino, vt irritaret eum. Sculptile B

2.Reg.7.b quoque, & conflatile signum posuit in domo Dei de qua locutus est Dominus ad Dauid, & ad Salomonem

3.Reg.8.b filium eius, dicens, In domo hac, & in Ierusalem, quam elegi de cunctis tribubus Israel, ponam nomen meũ in

in sempiternum. Et mouere non faciam pedem Israel, de terra quam tradidi patribus eorum: ita duntaxat, si custodierint † & fecerint, quę præcepi eis, cunctamq; legem, & ceremonias atq; iudicia, quę mandaui per manum Moysi. Igitur Manasses seduxit Iudam & habitatores Ierusalem, vt facerent malum super omnes gentes quas subuerterat Dominus à facie filiorum Israel. Locutusq; est Dñs ad eum, & ad populum illius: & attẽdere noluerunt. Iccircò superinduxit eis principes exercitus regis Assyriorũ: ceperuntq; Manassen, & vinctũ C catenis, atq; compedibus duxerũt in Babylonẽ. Qui postquam coangustatus est, orauit Dñm Deum suũ: & egit pœnitentiam valde coràm Deo patrum suorum. Deprecatusq; est eum, & obsecrauit intentè: & exaudiuit orationẽ eius, reduxitq; eum Ierusalem in regnũ suũ, & cognouit Manasses ꝙ Dñs, ipse esset Deus. Post hæc ædificauit murum extra ciuitatem Dauid ad occidentem Gihon, in cõualle: ab introitu portæ pisciũ per circuitum vsq; ad Ophel, & exaltauit illũ vehementer: constituitq; principes exercitus in cunctis ciuitatibus Iuda munitis. Et abstulit deos alienos, & simulachrum de domo Dñi: aras quoq; quas fecerat in monte domus Domini, & in Ierusalem: & proiecit omnia extra vrbem. Porrò instaurauit altare Domini, & immolauit super illud victimas, † pacificorum & gratiarum actionis: præcepitq; Iudæ, vt seruiret Dño Deo Israel. Attamẽ adhuc populus immolabat in excelsis Domino Deo suo. Reliqua autem gestorum Manasse, & obsecratio D eius ad Deum suum, verba quoq; videntium, quæ loquebantur ad eum in nomine Domini Dei Israel, continentur in sermonibus regum Israel. Oratio quoq; eius & exauditio, & cuncta peccata, atq; contemptus, loca etiam in quibus ædificauit excelsa, & fecit lucos, & statuas antequam ageret pœnitentiam, scripta sunt in sermonibus Hozai. Dormiuit ergo Manasses cum patribus suis, & sepelierunt eum in domo sua: regnauitq; pro eo filius eius Amon. Vigintiduorum annorum erat Amon, cum regnare cœpisset, & duobus annis regnauit in Ierusalem. Fecitq; malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius: & cunctis idólis, quæ Manasses fuerat fabricatus, immolauit, atq; seruiuit. Et non est † humiliatus in conspectu Domini, sicut humiliatus est Manasses pater eius: & multò maiora deliquit. Cumq; coniurassent aduersus eum serui sui, interfecerunt eum in domo sua. Porrò reliqua populi multitudo, cæsis ijs qui Amon percusserant, constituit regem Iosiam filium eius pro eo.

CAPVT XXXIIII.

A OCto annorum erat Iosias cum regnare cœpisset: & triginta & vno anno regnauit in Ierusalem. Fecitq; quod rectum erat in conspectu Domini, & ambulauit in vijs Dauid patris sui: non declinauit 4.Re. 22.a neq; ad dexteram, neq; ad sinistram. Octauo autem anno regni sui, cũ adhuc esset puer, cœpit quærere Deum patris sui Dauid: & duodecimo anno postquam regnare cœperat, mundauit Iudam & Ierusalem ab excelsis, & lucis, simulachrisq;, & sculptilibus. Destruxeruntq; coràm eo aras Baalim: & simulachra, quæ superposita fuerant, demoliti sunt: lucos etiam, & sculptilia succidit atque comminuit: & super tumulos eorum qui eis immolare consueuerant, fragmenta dispersit. Ossa præterea sacerdotum combussit in alta- B ribus idolorum, mundauitq; Iudam & Ierusalem. Sed & in vrbibus Manasse, & Ephraim, & Simeon vsq; Nephthalim cuncta subuertit. Cumque altaria dissipasset, & lucos, & sculptilia contriuisset in frusta, cunctaq; delubra demolitus esset de vniuersa terra Israel, reuersus est in Ierusalem. Igitur anno octauodecimo regni sui, mundata iam terra, & templo Domini, misit Saphan filium Eseliæ, & Maasiam principem ciuitatis, & Ioha filium Ioachaz à commentarijs: vt instaurarent domum Domini Dei sui. Qui venerunt ad Helciam sacerdotem magnum: † & dederunt pecuniam, quæ illata fuerat in domum Domini, & quam congregauerant Leuitæ, & ianitores de Manasse, & Ephraim, & vniuersis reliquijs Israel, ab omni quoque Iuda, & Beniamin, † reuersiq; sunt in Ierusalem, & tradiderunt in manibus eorum, qui præerant operarijs C in domo Domini, vt instaurarent templum, & infirma quæque sarcirent. At illi dederunt eam artificibus, & cæmentarijs, vt emerent lapides † sectos, & ligna ad commissuras ædificij, & ad contignationem domorũ, quas destruxerant reges Iuda. Qui fideliter cuncta faciebant. Erant autem præpositi operantium, Iahath & Abdias † Leuitæ de filijs Merari: Zacharias & Mosollam de filijs Caath, qui vrgebant opus: † sed & omnes Leuitæ scientes organis canere. Super eos verò, qui ad diuersos vsus onera portabant, erant scribæ, & magistri de Leuitis, & ianitores. Cumq; efferrent pecuniam, quæ illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos librum legis Domini, qui datus fuerat per manum Moysi. Et ait ad Saphan scribam, Librum legis inueni in domo Domini. Et tradidit ei. At ille intulit volumen ad regem, & nuntiauit ei, dicens, Omnia, D quæ dedisti in manu seruorum tuorum, ecce complentur. Argentum, quod repertum est in domo Domini, conflauerunt: datumq; est præfectis artificum, & diuersa opera fabricantium. Præterea tradidit mihi Helcias sacerdos hunc librum. Quem cũ rege præsente recitasset; audissetq; ille verba legis, scidit vestimenta sua: & præcepit Helciæ, & Ahicam filio Saphan, & Abdon filio Micha, Saphan quoq; scribæ, & Asaiæ seruo regis, dicens, Ite, & orate Dominum pro me, & pro reliquijs Israel & Iuda, super vniuersis sermonibus libri istius qui repertus est: magnus enim furor Domini stillauit super nos, eò quòd non custodierint patres nostri verba Domini, vt facerent omnia, quæ scripta sunt in isto volumine. Abijt ergo Helcias, & hi qui si- E mul à rege missi fuerant, ad Oldam prophetidem, vxorem Sellum filij Thecuath, filij Hasra custodis vestium: quæ habitabat in Ierusalem in secunda: & locuti sunt ei verba, quæ supra narrauimus. At illa respondit eis, Hæc dicit Dominus Deus Israel: dicite viro qui misit vos ad me, Hæc dicit Dominus, Ecce ego inducam mala super locum istum, & super habitatores eius: cunctaque maledicta, quæ scripta sunt in libro hoc, quem legerunt coràm rege Iuda, quia dereliquerunt me, & sacrificauerunt dijs alienis, vt me ad iracundiam prouocarent in cunctis operibus manuum suarum: iccircò stillabit furor meus super locum istum, & non extinguetur. Ad regem aũt Iuda, qui misit vos pro Domino deprecando, sic loquimini, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Quoniam audisti verba voluminis, atq; emollitum est cor tuum: & humiliatus es in con-

spectu

ſpectu Dei ſuper his,quæ dicta ſunt contra locum hunc, & habitatores Ieruſalem: reueritusq; faciem meã, F
ſcidiſti veſtimenta tua, & fleuiſti coràm me: ego quoq; exaudiui te, dicit Dominus. Iam enim colligam te
ad patres tuos,& infereris in ſepulchrum tuum in pace:nec videbunt oculi tui omne malum quod ego indu-
cturus ſum ſuper locum iſtum,& ſuper habitatores eius. Retulerunt itaq; regi cuncta,quę dixerat. At ille có
uocatis vniuerſis maioribus natu Iuda,& Ieruſalem,aſcendit in domum Domini,vnaq; omnes viri Iuda,&
4. Re.23.a habitatores Ieruſalem ſacerdotes & Leuitæ,& cunctus populus à minimo vſq; ad maximum. Quibus audiẽ-
tibus in domo Domini, legit rex omnia verba voluminis. Et ſtans in tribunali ſuo, percuſsit fœdus coràm G
Domino,vt ambularet poſt eum, & cuſtodiret præcepta, & teſtimonia, & iuſtificationes eius in toto corde
ſuo,& in tota anima ſua,facereтq; quæ ſcripta ſunt in volumine illo quod legerat. Adiurauit quoque ſuper
hoc omnes, qui reperti fuerant in Ieruſalem & Beniamin, & fecerunt habitatores Ieruſalem iuxta pactum
Domini Dei patrum ſuorum. Abſtulit ergo Ioſias cũctas abominationes de vniuerſis regionibus filiorum
Iſrael:& fecit omnes qui reſidui erant in Iſrael, ſeruire Domino Deo ſuo. Cunctis diebus vitæ eius non re-
ceſſerunt à Domino Deo patrum ſuorum.

CAPVT XXXV.

FEcit autem Ioſias in Ieruſalem phaſe Domino, quod immolatum eſt quartadecima die menſis pri- A
mi. Et conſtituit ſacerdotes in officijs ſuis: hortatusq; eſt eos,vt miniſtrarent in domo Domini. † Le-
4.Re.23.c uitis quoque qui erudiebant omnem Iſrael, & erant ſancti Domino, locutus eſt. Ponite arcam ſan-
3. Eſdr. 1.a ctuarij in templo quod ædificauit Salomon filius Dauid, rex Iſrael: nequaquam enim eam vltra portabitis:
nunc ergo miniſtrate Domino Deo veſtro,& populo eius Iſrael. Et præparate vos per domos & cognatio-
nes veſtras in diuiſionibus ſingulorum, ſicut præcepit Dauid rex Iſrael, & deſcripſit Salomon filius eius. Et
miniſtrate in ſanctuario eius per familias turmasq; Leuiticas, & ſanctificati immolate phaſe: fratres etiam B
veſtros,vt poſsint iuxta verba, quæ locutus eſt Dominus in manu Moyſi facere, præparate. Dedit præterea
Ioſias omni populo,qui ibi fuerat inuentus in ſolennitate phaſe,agnos & hœdos de gregibus, † triginta mil-
lia,boum quoq; tria millia. Hæc de regis vniuerſa ſubſtantia. Duces quoq; eius ſponte quod vouerant,obtu-
lerunt, tam populo, quàm ſacerdotibus & Leuitis. Porrò Helcias & Zacharias & Iahiel principes domus
Domini dederunt ſacerdotibus ad faciendum phaſe pecora † duo millia ſexcenta, & boues trecentos. Cho-
nenias autem,& Semeias etiam & Nathanael fratres eius: nec non Haſabias, & Iehiel, & Iozabad principes C
Leuitarum,dederunt cæteris Leuitis ad celebrandum phaſe quinque millia pecorum, & boues quingentos.
Præparatumq; eſt miniſterium, & ſteterunt ſacerdotes in officio ſuo: Leuitæ quoque in turmis iuxta regis
imperium. Et immolatum eſt phaſe: aſperſeruntq; ſacerdotes manu ſua ſanguinem: & Leuitæ detraxerunt
pelles holocauſtorum. Et ſeparauerunt ea,vt darent per domos & familias ſingulorum, & offerrentur Domi
no,ſicut ſcriptum eſt in libro Moyſi: de bobus quoq; fecerunt ſimiliter. Et aſſauerunt phaſe ſuper ignem,
iuxta quod in lege præceptum eſt: † ſanctificata verò coxerunt in leberibus, & cacabis, & ollis: & feſtinatò D
diſtribuerunt vniuerſæ plebi. Sibi autem & ſacerdotibus poſtea parauerunt: nam in oblatione holocauſtorũ
& adipum,vſq; ad noctem ſacerdotes fuerũt occupati: vnde Leuitæ ſibi, & ſacerdotibus filijs Aaron parauе-
runt nouiſsimis. Porrò cantores filij Aſaph ſtabant in ordine ſuo,iuxta præceptũ Dauid,& Aſaph, & Eman,
& Idithun prophetæ regis Dauid: ianitores verò per portas ſingulas obſeruabant, ita vt nec puncto quidem
diſcederent a miniſterio: quam ob rem & fratres eorum Leuitæ parauerunt eis cibos. Omnis igitur cultura
Domini ritè completa eſt in die illa,vt facerent phaſe,& offerrent holocauſta ſuper altare Domini, iuxta præ E
ceptum regis Ioſiæ. Feceruntq; filij Iſrael,qui repertu fuerant ibi,phaſe in tempore illo,& ſolennitatem azy-
morum ſeptem diebus. Non fuit phaſe ſimile huic in Iſrael,à diebus Samuelis prophetæ: ſed nec quiſquam
de cunctis regibus Iſrael fecit phaſe ſicut Ioſias † & ſacerdotes:& Leuitæ,& omnis Iuda,& Iſrael qui repertus
fuerat,& habitantes in Ieruſalem. Octauodecimo anno regni Ioſiæ, hoc phaſe celebratum eſt. Poſtquam
inſtauraverat Ioſias templum,aſcendit Nechao rex Ægypti ad pugnandum in Charcamis iuxta Euphraten,
4.Re.23.f & proceſsit in occurſum eius Ioſias. At ille miſsis ad eum nuntijs, ait, Quid mihi, & tibi eſt rex Iuda? non F
aduerſum te hodie venio, ſed contra aliam pugno domum, ad quam me Deus feſtinatò ire præcepit: deſine
Zach. 12.d aduerſum Deum facere,qui mecum eſt,ne interficiat te. Noluit Ioſias reuerti, ſed præparauit contra eum
bellum: nec acquieuit ſermonibus Nechao ex ore Dei: verum perrexit, vt dimicaret in campo Mageddo.
Ibiq; vulneratus à ſagittarijs, dixit pueris ſuis, Educite me de prælio,quia oppidò vulneratus ſum. Qui tran-
ſtulerunt eum de curru in alterum currum,qui ſequebatur eum more regio:& aſportauerunt eum in Ieruſa-
lem,mortuusq; eſt:& ſepultus in mauſoleo patrum ſuorum: & vniuerſus Iuda, & Ieruſalem luxerunt eum, G
Hieremias maximè: cuius omnes cantores atq; cantatrices vſq; in preſentem diem lamentationes ſuper Io-
ſiam replicant, & quaſi lex obtinuit in Iſrael: ecce ſcriptum fertur in lamentationibus. Reliqua autem ſer-
monum Ioſiæ & miſericordiarum eius, quæ lege præcepta ſunt Domini, opera quoque illius prima & no-
uiſsima,ſcripta ſunt in libro regum Iuda & Iſrael.

CAPVT XXXVI.

TVlit ergo populus terræ Ioachaz filium Ioſiæ, & conſtituit regem pro patre ſuo in Ieruſalem. Vi- A
4.Re. 23.f gintitrium annorum erat Ioachaz cum regnare cœpiſſet,& tribus menſibus regnauit in Ieruſalem.
Amouit autem eum rex Ægypti cum veniſſet in Ieruſalem, & condemnauit terram centum talen-
Matth. 1.b tijs argenti, & talento auri. Conſtituitq; pro eo regem, Eliacim fratrem eius,ſuper Iudam & Ieruſalem:& ver
tit nomen eius Ioacim. Ipſum verò Ioachaz tulit ſecum, & abduxit in Ægyptum. Vigintiquinque anno-
rum erat Ioacim cum regnare cœpiſſet,& vndecim annis regnauit in Ieruſalem: fecitq; malum coràm Do-
mino Deo ſuo. Contra hunc aſcendit Nabuchodonoſor rex Chaldæorum: & vinctum catenis duxit in
Babylonem.

B Babylonem. Ad quam & † de vaſis Domini tranſtulit,& poſuit ea in templo ſuo. Reliqua autem verborum
Ioacim,& abominationum eius, quas operatus eſt, & quæ inuentæ ſunt in eo, continentur in libro regum
Iuda & Iſrael. Regnauit autem Ioachin filius eius pro eo. Octo annorum erat Ioachin cum regnare cœpiſ-
ſet:& tribus menſibus,ac decem diebus regnauit in Ieruſalem: fecitq; malum in conſpectu Domini. Cumq;
anni circulus volueretur,miſit Nabuchodonoſor rex nuntios,qui & adduxerunt eum in Babylonẽ,& aſpor-
tatis ſimul pretioſiſsimis vaſis domus Domini. Regem verò conſtituit Sedechiam patruum eius ſuper Iudã 4.Re. 24.d
& Ieruſalem. Viginti & vnius anni erat Sedechias,cum regnare cœpiſſet:& vndecim annis regnauit in Ie- Hier. 37.a
C ruſalem. Fecitq; malum in oculis Domini Dei ſui: nec erubuit faciem Hieremiæ prophetæ loquentis ad Hiere. 38.a
ſe ex ore Domini. A rege quoque Nabuchodonoſor receſsit,qui adiurauerat eum per Deum & indurauit cer
uicem ſuam & cor,vt non reuerteretur ad Dominum Deum Iſrael. Sed & vniuerſi principes ſacerdotes, &
populus præuaricati ſunt iniquè iuxta vniuerſas abominationes gentium: & polluerunt domum Domini,
quam ſanctificauerat ſibi in Ieruſalem. Mittebat autem Dominus Deus patrum ſuorum ad illos per manũ
nuntiorum ſuorum,† manè ſurgens,& mittens:eò quòd parceret populo & habitaculo ſuo. At illi ſubſan-
nabant nuntios Dei,& paruipendebant ſermones eius, illudebantq; prophetis: donec aſcenderet furor Do-
mini in populũ eius,& eſſet nulla curatio. Adduxit enim ſuper eos regem Chaldęorum,& interfecit iuuenes
eorum gladio in domo ſanctuarij ſui: non eſt miſertus adoleſcentis, & virginis, & ſenis, nec decrepiti qui-
D dem: ſed omnes tradidit in manibus eius. Vniuerſáq; vaſa domus Domini tam maiora, quàm minora,&
theſauros templi,& regis & principum tranſtulit in Babylonem. Incenderunt hoſtes domum Dei,deſtruxe-
runtq; murum Ieruſalem: vniuerſas turres combuſſerunt, & quicquid pretioſum fuerat, demoliti ſunt. Si
quis euaſerat gladium, ductus in Babylonem ſeruiuit regi & filijs eius, donec imperaret Rex Perſarum. Vt
compleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ: & celebraret terra ſabbata ſua: cunctis enim diebus deſolatio-
nis egit ſabbatum, vſque dum complerentur ſeptuaginta anni. Anno autem primo Cyri regis Perſarum,
ad explendum ſermonem Domini, quem locutus fuerat per os Ieremiæ, ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cy-
ri regis Perſarum: qui iuſsit prædicari in vniuerſo regno ſuo, etiam per ſcripturam, dicens. Hæc dicit Cy-
rus Rex Perſarum, Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli: & ipſe præcepit mihi, vt ædifica-
rem ei domũ in Ieruſalem,quæ eſt in Iudæa: quis ex vobis eſt in omni populo eius? ſit Dominus Deus ſuus
cum eo, & aſcendat.

FINIS.

ORATIO MANASSES REGIS IVDA,
Cum captus teneretur in Babylone: Quæ, neque in Hebræo, neque in Græco habetur.

DOMINE DEVS omnipotens patrum noſtrorum Abraham, Iſaac, & Iacob, & ſeminis eorum
iuſti, qui feciſti cœlum & terram cum omni ornatu eorum, qui ſignaſti mare verbo præcepti tui,
qui concluſiſti abyſſum, & ſignaſti terribili, & laudabili nomini tuo,quod omnes pauent, & tre-
munt à vultu virtutis tuæ: & inſuſtentabilis ira ſuper peccatores comminationis tuæ, immenſa verò & in-
ueſtigabilis miſericordia promiſsionis tuæ: quoniam tu es DOMINVS DEVS altiſsimus ſuper omnem
terram, longanimis, & multum miſericors, & pœnitens ſuper malitiam hominum. Tu autem Domine
ſecundum bonitatem tuam promiſiſti pœnitentiam remiſsionis peccatorum, & tu DEVS iuſtorum non
poſuiſti pœnitentiam iuſtis, Abraham, Iſaac, & Iacob, his qui tibi non peccauerunt: quoniam peccaui
ſuper numerum arenæ maris, multiplicatæ ſunt iniquitates meę, incuruatus ſum multo vinculo ferri,
& non eſt reſpiratio mihi, quia excitaui iracundiam tuam, & malum coràm te feci, ſtatuens
abominationes, & multiplicans offenſiones. Et nunc flecto genuo cordis mei, precans à
te bonitatem Domine. Peccaui Domine, peccaui, & iniquitatem meam agnoſco.
Peto rogans te Domine, remitte mihi, remitte mihi: ne ſimul perdas me cum
iniquitatibus meis, neque in æternum reſerues mala mihi, quia indignũ
ſaluabis me ſecundum magnam miſericordiam tuam, & lau-
dabo te ſemper omnibus diebus vitæ meę, quo-
niam te laudat omnis virtus cœlo-
rũ, & tibi eſt gloria in
ſecula ſeculo-
rum.
AMEN.

LIBER ESDRAE PRIMVS.

CAPVT I.

Ier.25.c.& 29.c
2.Par.36.d
3.Esdr.2.a

IN [a] anno primo Cyri regis Persarum, vt compleretur verbum Domini ex ore Ieremię, A
suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & traduxit vocē in omni regno suo,
etiam per scripturam dicens, Hæc dicit Cyrus rex Persarum, Omnia regna terræ dedit
mihi Dominus Deus cœli, & ipse præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Ierusalem,
quę est in Iudæa. Quis est in vobis de vniuerso populo eius? Sit Deus illius cum ipso. B
Ascendat in Ierusalem, quę est in Iudea, & ędificet domum Domini Dei Israel, ipse est
Deus qui est in Ierusalem. Et omnes reliqui in cunctis locis vbicūq; habitant, adiuuent
eum viri de loco suo, argento & auro, & substantia, & pecoribus: excepto q̄ voluntariè offerunt templo Dei,
quod est in Ierusalem. Et surrexerunt principes patrum de Iuda & Beniamin, & sacerdotes & Leuitę, & om- C
nis cuius Deus suscitauit spiritum, vt ascenderet ad ædificandum templum Dñi, quod erat in Ierusalē. Vni-
uersiq;, qui erant in circuitu, adiuuerunt manus eorum in vasis argenteis, & aureis, in substantia & iumentis,
in supellectili, exceptis his, quæ sponte obtulerant. Rex quoq; Cyrus protulit vasa templi Dñi, quæ tulerat
Nabuchodonosor de Ierusalem, & posuerat ea in templo dei sui. Protulit autem ea Cyrus rex Persarum per D
manum Mithridatis † thesaurarij, & annumerauit ea Sassabasar principi Iudæ. Et hic est numerus eorū, phia
læ aureę triginta, phialę argenteę mille, culri viginti nouem, scyphi aurei triginta, scyphi argętei secūdi qua-
dringenti decem: vasa alia mille. Omnia vasa aurea & argentea, quinq; millia quadringenta: vniuersa tulit
Sassabasar cum his qui ascendebant de transmigratione Babylonis in Ierusalem.

SCHOLIA.

[a] Anno primo Cyri.] *Anno primo non regni sui, sed monarchiæ, monitus à Deo populum Iudæorum abire permisit. Successit autem iste Dario in imperio, quippè cui Darius rex Persarum ante deuictum Babyloniorum regnum prole masculâ carens, dedit filiam in vxorem, atq; regnum Medorum in dotem. Fuit enim nepos eius ex sorore. Et cum Darius non toto anno regnasset post subactum imperium Chaldæorum, successit illi Cyrus, & simul eodem anno completi fuerunt septuaginta anni, quos prædixerat Ieremias in consolationem Iudæorum. Et Cyrus aduertens, sibi super nè concessam victoriam tam potentis & initiatæ Babylonis, gratificaturus Deo cœli, populum eius, atq; vasa sanctuarij Ierosolymam remisit, ciuitatem & templi instaurari præcepit, & humaniter tractauit Iudæos. Sed postea persuasus per consiliarios, mandata reuocauit. Huic successit Cambyses hostis omnis religionis, sub quo Iudæis nihil fausti fuit. Post hunc factus est Darius alius, cuius anno secundo Iudæi iterum ædificare cœperunt in templo, & sexto eius anno absolutum est. Septimo autem anno venit Esras cum magna parte populi. Anno vicesimo misit rex Nehemiam, qui intra duodecim annos reparauit portas Ierusalem.*

CAPVT II.

3.Esdr.5.a

HI sunt autem prouinciæ filij, qui ascenderunt de captiuitate quam tulerat Nabuchodonosor rex Ba- A
bylonis in Babylonem, & reuersi sunt in Ierusalem, & Iudæam vnusquisque in ciuitatem suam.
Qui venerunt cum Zorobabel, † hi sunt Iesua, Nehemia, Saraia, Rahelaia, Mardochai, Belsan, Me-
sphar, Beguai, Rehum, Baana. Numerus virorum populi Israel: Filij Pharos duo millia centum septuagin-
taduo: filij Saphatia, trecenti septuagintaduo: filij. Area, septingenti septuagintaquinque: filij Phahathmoab,
† de filijs Iesua & Ioab duo millia octingēti duodecim: filij Aelam, mille ducenti quinquagintaquatuor: filij
Zethua, nongenti quadragintaquinque: filij Zacchai, septingenti sexaginta: filij Bani, sexcenti quadragin-
taduo: filij Bebai, sexcenti vigintitres: filij Azgad, mille ducenti vigintiduo: filij Adonicam, sexcenti sexagin-
tasex: filij Beguai, duo millia quinquagintasex: filij Adin, quadringenti quinquagintaquatuor: filij Ater,
qui erant ex Ezechia, nonagintaocto: filij Besai, trecenti vigintitres: filij Iora, centum duodecim: filij Hasum, B
ducenti vigintitres: filij Gebbar, nonagintaquinq;: filij Bethlehem, centum vigintitres. Viri Netupha, quin-
quagintasex: viri Anathoth, centum viginti octo, filij Azmaueth, quadraginta duo: filij Cariathiarim, Ce-
phira, & Beroth, septingenti quadragintatres: filij Rama, & Gabaa, sexcenti vigintiunus: viri Machmas, cen-
tum vigintiduo: viri Bethel & Hai, ducenti vigintitres: filij Nebo, quinquaginta duo: filij Megbis, centum
quinquagintasex: filij Aelam alterius, mille ducenti quinquagintaquatuor: filij Harim, trecenti viginti: filij
Lodhadid, & Ono, septingenti vigintiquinque: filij Iericho, trecenti quadragintaquinque: filij Senaa, tria
millia sexcenti triginta. Sacerdotes: Filij Iadaia in domo Iosue nongenti septuagintatres: filij Emmer, mil-
le quinquaginta duo: filij Pheshur, mille ducenti quadraginta septem: filij Harim, mille decem & septem.
Leuitæ: Filij Iesue, & Cedmiel filiorum Odouiæ septuagintaquatuor. Cantores: Filij Asaph, centum vi- C
gintiocto. Filij ianitorum: filij Sellum, filij Ater, filij Telmon, filij Accub, filij Hatita, filij Sobai: vniuer-
si centum trigintanouem. Nathinæi: Filij Siha, filij Hasupha, filij Tabbaoth, filij Ceros, filij Siaa, filij
Phadon, filij Lebana, filij Hagaba, filij Accub, filij Hagab, filij Semlai, filij Hanan, filij Gaddel, filij Gaher,
filij Raaia, filij Rasin, filij Necoda, filij Gazam, filij Aza, filij Phasea, filij Besee, filij Asena, filij Munim, fi-
lij Nephusim, filij Bachuc, filij Hacupha, filij Harhur, filij Besluth, filij Mahida, filij Harsa, filij Bercos, filij
Sisara, filij Thema, filij Nasia, filij Hatipha, filij seruorum Salomonis, filij Sotai, filij Sopphereth, filij Pharu-
da, filij Iæla, filij Dercon, filij Geddel, filij Saphatia, filij Hatil, filij Phochereth, qui erāt de Asebaim, filij Ami.

Omnes

Omnes nathinæi, & filij seruorum Salomonis, trecenti nonagintaduo. Et hi qui ascenderunt de Thelmela,
Thelharsa, Cherub, & Adon, & Emer: & non potuerunt indicare domum patrum suorum & semen suū vtrū
ex Israel essent. Filij Dalaia, filij Thobia, filij Necoda, sexcenti quinquagintaduo. Et de filijs sacerdotum: Filij
Hobia, filij Accos, filij Berzellai, qui accepit de filiabus Berzellai Galaaditis vxorem, & vocatus est nomine
D eorum. Hi quæsierunt scripturam genealogię suę, & non inuenerunt, & eiecti sunt de sacerdotio. [a] Et dixit
Athersatha eis, vt non comederent de sanctosanctorum, donec surgeret sacerdos doctus atq; perfectus. Om-
nis multitudo quasi vir vnus quadragintaduo millia trecenti sexaginta: exceptis seruis eorum & ancillis, qui
erant septem millia trecenti trigintaseptem: & in ipsis cantores atq; cantatrices ducenti. Equi eorum septin-
genti triginta sex: muli eorum, ducēti quadragintaquinq;: cameli eorum, quadringenti trigintaquinq;: asini
eorum, sex millia septingenti viginti. Et de principibus patrum cum † venissent propter domū Dñi, quā eri-
gere cupiebant in Ierusalem, sponte obtulerunr in domum Dei ad extruendam eam in loco suo. Secundum
vires suas dederant impensas operis, auri solidos sexaginta millia & mille, argenti mnas quinq; millia, & ve-
stes sacerdotales centum. Habitauerunt ergo sacerdotes, & Leuitæ, & de populo, cantores, & ianitores, & na-
thinæi in vrbibus suis, [b] vniuersusq; Israel in ciuitatibus suis.

SCHOLIA.

[a] Et dixit Atherſatha eis.] *Hic est Nehemias sic appellatus, quòd dispensaret potum: fuit enim pincerna regis. Vel potest esse, quòd Atherſatha in lingua Chaldaica sit nomen dignitatis.* [b] Vniuersusq; Israel.] *Hic locus obyci potest Iudæis, qui contendunt solum tribum Iuda & tribum Beniamin redisse in terram promissionis. Hæ autem duæ tribus vocari non possunt vniuersus Israel.*

CAPVT III.

A IAmq; venerat [a] mensis septimus, & erant filij Israel in ciuitatibus suis: cōgregatus est ergo populus qua si vir vnus in Ierusalem. Et surrexit Iosue filius Iosedec, & fratres eius sacerdotes, & Zorobabel filius Sa- 3.Esdr.5.a
lathiel, & fratres eius: & ædificauerunt altare Dei Israel, vt offerrent in eo holocaustomata, sicut scriptū
est in lege Moysi viri Dei. Collocauerunt autem altare Dei super bases suas, deterrentibus eos per circuitum
populis terrarum: & obtulerunt super illud holocaustum Domino mane & vespere. Feceruntq; solennitatē
tabernaculorum, sicut scriptum est: & holocaustum diebus singulis per ordinem secundum præceptum,
B opus diei in die suo. Et post hæc holocaustum iuge tam in Calendis, quàm in vniuersis solennitatibus Domi
ni, quæ erant consecratæ, & in omnibus in quibus vltrò offerebatur munus Domino. A primo die mensis
septimi cœperunt offerre holocaustum Domino: porrò templum Dei nōndum fundatum erat. Dederunt
autem pecunias latomis, & cæmentarijs: cibum quoq;, & potum, & oleum Sidonijs, Tyrijsq; vt deferrent li-
gna cedrina de Libano ad mare Ioppen, iuxta quod præceperat Cyrus rex Persarum eis. Anno autem secun-
do aduentus eorum ad templum Dei in Ierusalem mense secundo cœperunt Zorobabel filius Salathiel, &
C Iosue filius Iosedec, & reliqui de fratribus eorum sacerdotes, & Leuitæ, & omnes qui venerant de captiuitate
in Ierusalem: & constituerunt Leuitas à viginti annis, & supra, vt vrgerēt opus Domini. Stetitq; Iosue & filij
eius & fratres eius, Cedmihel, & filij eius, filij Iuda, quasi vir vnus, vt instarent super eos qui faciebant opus in
templo Dei: filij Henadad, & filij eorum, & fratres eorum Leuitæ. Fundato igitur à cementarijs templo
Domini, steterunt sacerdotes in ornatu suo cum tubis: & Leuitę filij Asaph in cymbalis, vt laudarent Deum
per † modum Dauid regis Israel. Et concinebant in hymnis, & confessione Domino, quoniam bonus,
D quoniam in æternum misericordia eius super Israel. Omnis quoq; populus vociferabatur clamore magno
in laudando Dominum, eò quòd fundatum esset templum Domini. Plurimi etiam de sacerdotibus & Le-
uitis & principes patrum, & seniores qui viderant templum prius cum fundatum esset, & hoc templum in
oculis eorum, flebant voce magna: & multi vociferantes in lętitia, eleuabant vocem. Nec poterat quisquā
agnoscere vocem clamoris lætantium, & vocem fletus populi: commixtim enim populus vociferabatur cla
more magno, & vox audiebatur procul.

SCHOLIA.

[a] Mensis septimus.] *Hic est Tirsi, septembri nostro respondens. Et in hoc mense extruxerunt altare propter terrorem hostium, vt scilicet cum holocaustis Deum inuocantes, illius auxilium sentirent contra inimicos suos.*

CAPVT IIII.

A AVdierunt autem hostes Iudę & Beniamin quòd filij captiuitatis ędificarent templum Domino Deo
Israel. Et accedentes ad Zorobabel, & ad principes patrum, dixerunt eis, Ædificemus vobiscū, quia 3.Esdr.5.g
ita vt vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolauimus victimas à diebus Asorhaddan regis
Assur, qui adduxit nos huc. Et dixit eis Zorobabel, & Iosue, & reliqui principes patrum Israel, Non est nobis
& vobis vt ędificemus domū Deo nostro: sed nosipsi soli ædificabimus Domino Deo nostro Israel, sicut prę-
cepit nobis Cyrus rex Persarum. Factum est igitur vt populus terrę impediret manus populi Iudę, & turba-
ret eos in ędificando. Conduxerunt quoq; aduersus eos consiliatores, vt destruerēt consilium eorum omni-
bus diebus Cyri regis Persarū, & vsq; ad regnū Darij regis Persarū. [a] In regno aūt Assueri in principio regni 3.Esdr.2.d
B eius, scripserūt accusationē aduersus habitatores Iudę & Ierusalem. Et in diebus Artaxersis scripsit † verbis
pacificis Mithridates, & Tabeel, & reliqui qui erant in consilio eorum, ad Artaxersem regem Persarum: epi-
stola autem accusationis scripta erat Syriacè, & legebatur sermone Syro. Rehum † à commentarijs, & Sam
sai scriba scripserunt epistolam vnam de Ierusalem Artaxersi regi, huiuscemodi. RHEVM † à cōmentarijs,
& Samsai scriba, & reliqui consiliatores eorum Dinęi, & Apharsathachęi, Terphalæi, Arphasæi, Erchuęi,
Babylonij, Susanechæi, Dieui, & Aelamitæ: & cæteri de gentibus quas transtulit Asenaphar magnus & glo-
riosus: & habitare eas fecit in ciuitatibus Samariæ, & in reliquis regionibus trans flumen in pace: (Hoc est

exemplar epistolę,quam miserunt ad eũ) Artaxersi regi, serui tui viri qui sunt trans fluuium salutem dicunt.

Notum sit regi ꝙ Iudęi qui ascenderunt à te ad nos,venerunt in Ierusalẽ ciuitatẽ rebellẽ & pessima quam ędificant extructes muros eius,& parietes cõponentes.Nunc igitur notũ sit regi,ꝙ si ciuitas illa ędificata fuerit,& muri eius instaurati,tributum,& vectigal, & annuos redditus nõ dabũt, & vsq; ad reges hæc noxa perueniet. Nos autẽ memores salis quod in palatio comedimus,& quia læsiones regis videre nefas ducimus: idcircò misimus & nuntiamus regi,vt recenseas in libris historiarũ patrũ tuorũ,& inuenias scriptum in cõmentarijs:& scies ꝙ vrbs illa,vrbs rebellis est,& nocens regibus, & prouincijs,& bella cõcitantur in ea ex diebus antiquis,quã ob rem & ciuitas ipsa destructa est.Nuntiamus nos regi ꝙ si ciuitas illa ędificata fuerit, & muri ipsius instaurati,possessionẽ trãs fluuiũ nõ habebis. Verbũ misit rex ad Rheum à commentarijs, & Samsai scribam,& ad reliquos qui erant in cõsilio eorum habitatores Samarię & cæteris trans fluuium, salutem dicens & pacem. ACCVSATIONEM quam misistis ad nos,manifestè lecta est coràm me, & à me præceptũ est:& recensuerunt,inueneruntq; ꝙ ciuitas illa à diebus antiquis aduersum reges rebellat,& seditiones & prælia cõcitantur in ea.Nã & reges fortissimi fuerunt in Ierusalẽ: qui & dominati sunt omni regioni, quę trans fluuium est. Tributũ quoq; & vectigal,& redditus accipiebãt.Nunc ergo † date mandatum,vt prohibeatis viros illos,vt vrbs illa nõ ędificetur,donec si fortè à me iussum fuerit. Videte ne negligenter hoc impleatis,& paulatim crescat malũ cõtra reges. Itaque exemplũ edicti Artaxersis regis lectũ est coràm Rheum & Samsai scriba,& consiliarijs eorum,& abierunt festini in Ierusalem ad Iudęos,& prohibuerunt eos in brachio & robore. Tunc intermissum est opus domus Dei in Ierusalem, & non fiebat vsque ad annum secundum regni Darij regis Persarum.

SCHOLIA.

[a] In regno autem Assueri.] *Iudæi communiter sentiunt hunc Assuerum successisse Cyro, duxisseq; Hester Iudæam, & ex ea suscepisse Darium, qui ædificari permisit ciuitatem Ierusalem. Nostri verò aiunt Cambysem filium Cyri patri in regno successisse, & quòd Artaxerses commune fuerit nomen regum Persarum, sicut Cæsares Romanorum. Et putant quidam scripsisse aduersarios Iudæorum duas accusationes contra Iudæos, vnam ad Artaxersem, quem putant Cyrum fuisse, & alteram in principio regni Assueri, succedentis Cyro in imperio.*

CAPVT V.

3. Esdr. 6.a PRophetauerunt autem Aggæus propheta,& Zacharias filius Addo, prophetantes ad Iudęos, qui erãt in Iuda & Ierusalem, in nomine Dei Israel. Tunc surrexerunt Zorobabel filius Salathiel, & Iosue filius Iosedec: & cœperunt ædificare templum Dei in Ierusalem, & cum eis prophetæ Dei adiuuantes eos. In ipso autem tempore venit ad eos Thathanái qui erat dux trans flumen,& Stharbuzanái, & consiliarij eorum:sicq; dixerunt eis, Quis dedit vobis consilium vt domum hanc ædificaretis,& muros eius instauraretis? Ad quod respondimus eis, quæ essent nomina hominum authorum ędificationis illius. Oculus autem Dei eorum factus est super senes Iudæorum, & non potuerunt inhibere eos. Placuitq; vt res ad Dariũ referretur, [a] & tunc satisfacerent aduersus accusationẽ illam. Exemplar epistolę quam misit Thathanái dux regionis trans flumen, & Stharbuzanái, & consiliatores eius Arphasachęi, qui erant trans flumen, ad Darium regem. Sermo, quem miserant ei, sic scriptus erat, DARIO REGI pax omnis. Notum sit regi isse nos ad Iudæam prouinciam, ad domum Dei magni, quę ædificatur lapide impolito, & ligna ponuntur in parietibus: opusq; illud diligenter extruitur, & crescit in manibus eorum. Interrogauimus ergo senes illos,& ita diximus eis, Quis dedit vobis potestatem, vt domum hanc ædificaretis, & muros hos instauraretis? Sed & nomina eorum quæsiuimus ab eis, vt nuntiaremus tibi: scripsimusq; nomina eorum virorum qui sunt principes in eis. Huiuscemodi autem sermonem responderunt nobis, dicentes, Nos sumus serui Dei cœli & terræ, & ædificamus tẽplum quod erat extructum ante hos annos multos, quodq; Rex Israel magnus ædificauerat, & extruxerat. Postquam autem ad iracundiam prouocauerunt patres nostri Deum cœli, tradidit eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, Chaldæi: domum quoque hanc destruxit,& populum eius transtulit in Babylonem. Anno autem primo Cyri regis Babylonis,Cyrus rex proposuit edictum,vt domus Dei ædificaretur. Nam & vasa templi Dei aurea & argentea, quę Nabuchodonosor tulerat de templo quod erat in Ierusalem, & asportauerat ea in templum Babylonis: protulit Cyrus rex de templo Babylonis, & data sunt Sassabasar vocabulo, quem & principem constituit, dixitq; ei, Hęc vasa tolle,& vade:& pone ea in templo quod est in Ierusalem,& domus Dei ędificetur in loco suo. Tunc itaq; Sassabasar ille venit,& posuit fundamenta templi Dei in Ierusalem, & ex eo tempore vsque nunc ędificatur & necdum completum est. Nunc ergo si videtur regi bonum,recenseat in bibliotheca regis, quæ est in Babylone, vtrumnam à Cyro rege iussum fuerit,vt ædificaretur domus Dei in Ierusalem, & voluntatem regis super hac re mittat ad nos.

SCHOLIA.

[a] Et tunc satisfacerent.] *Alius vertit. Et tunc responderũt Iudæi per epistolam de hac re: vt sit sensus, habebãt apud se literas regis Cyri, in quibus illis concessum erat, vt extruerent templum, & ex illis literis responderunt aduersarijs suis, quòd non temerè & sine authoritate regis opus inchoassent.*

CAPVT VI.

3. Esdr. 6.c TVnc Darius rex præcepit:& recensuerunt in bibliotheca † in loco vbi in Babylone reposuerant thesauros,& inuentũ est in scrinio [a] in castro quod est in prouincia Medię,volumẽ vnũ, talisq; scriptus erat in eo commentarius, ANNO PRIMO Cyri regis,Cyrus rex decreuit, vt domus Dei ædificaretur, quæ est in Ierusalem, in loco vbi immolant hostias, & vt ponant fundamenta sustentantia altitudinem cubitorum sexaginta,& latitudinẽ cubitorum sexaginta, ordines de lapidibus impolitis tres, & † ordinem lignorum vnum:sumptus autem,de domo regis dabuntur.Sed & vasa templi Dei aurea & argẽtea,quæ Nabuchodonosor tulerat de templo Ierusalem,& attulerat ea in Babylonem,reddantur, & referantur in tẽplum Ierusalem in locum suum,† in domo Dei. Nunc ergo Thathanái dux regionis, quæ est trans flumen, Stharbuzanai,& consiliarij vestri Apharsachęi,qui estis trans flumẽ,procul recedite ab illis,& dimittite fieri templum Dei illud à duce Iudæorum & à senioribus eorum,& domum Dei illam ædificent in loco suo. Sed & à me præceptum est quid oporteat fieri † cum senioribus Iudæorum illis,vt ędificetur domus Dei,scilicet vt de arca regis,id est de tributis,quæ dantur de regione trans flumen, studiosè sumptus dentur viris illis, ne impediatur opus.Quod si necesse fuerit,& vitulos,& agnos,& hœdos in holocaustum Deo cœli,frumẽtum, sal,vinum,& oleum secundum ritum sacerdotum,qui sunt in Ierusalem, detur eis per singulos dies: † absq; vlla cunctatione,vt habeant vnde offerãt odorem suauem Deo cœli,orentq; pro vita regis, & filiorum eius. A me ergo positum est decretum, Vt omnis homo,qui hanc mutauerit iussionem,tollatur lignum de domo ipsius,& erigatur,& configatur in eo,domus autem eius † fiet sterquilinium propter hanc rem.Deus autem qui habitare fecit nomen suum ibi,dissipet omnia regna, & populum,qui extenderit manum suam † vt inuertat,& dissipet domum Dei illam,quæ est in Ierusalem:Ego Darius statui decretum,quod studiosè impleri volo. Igitur Thathanái dux regionis trans flumen,& Stharbuzanái,& consiliarij eius,secundũ quod præceperat Darius rex,sic diligenter executi sunt.Seniores autẽ Iudæorum ædificabant & prosperabantur iuxta prophetiam Aggæi prophetæ,& Zachariæ filij Addo:& ædificauerunt & construxerunt iubente Deo Israel, & iubente Cyro & Dario,& Artaxerse regibus Persarum:& compleuerunt domum Dei istam vsq; ad diem tertium mensis Adar,qui est annus sextus regni Darij regis. Fecerunt autem filij Israel sacerdotes & Leuitæ, & reliqui filiorum transmigrationis dedicationem domus Dei in gaudio: & obtulerunt in dedicatione domus Dei,vitulos centum,arietes ducentos,agnos quadringentos, hircos caprarum pro peccato totius Israel duodecim, iuxta numerum tribuum Israel. Et statuerunt sacerdotes in ordinibus suis,& Leuitas in vicibus suis super opera Dei in Ierusalem,sicut scriptum est in libro Moysi. Fecerunt autem filij Israel transmigrationis pascha,quartadecima die mensis primi.Purificati enim fuerant sacerdotes, & Leuitæ, † erantq; pariter omnes mundi ad immolandum pascha vniuersis filijs trãsmigrationis, & fratribus suis sacerdotibus,et sibi.Et comederunt filij Israel,qui reuersi fuerant de transmigratione, & omnes qui se seperauerant à coinquinatione gentium terræ ad eos,vt quærerent Dominum Deum Israel.Et fecerunt solennitatem azymorũ septem diebus in lætitia,quoniã lætificauerat eos Dominus,& conuerterat cor regis Assur ad eos,vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini Dei Israel.

SCHOLIA.

[a] In castro quod est in prouincia Mediæ.] *Putant quidam hunc fuisse titulum illius scrinij, alioqui quomodo volumen potuit inueniri in Babylone & in castro Mediæ?*

CAPVT VII.

3. Esdr. 8.a APosthæc autem verba in regno Artaxersis regis Persarum,Esdras filius Saraiæ,filij Azariæ,filij Helciæ, filij Sellum,filij Sadoc,filij Achitob, filij Amariæ,filij Azariæ,filij Maraioth,filij Zarahiæ,filij Ozi,filij Bocci, filij Abisuæ, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron sacerdotis ab initio. Ipse Esdras ascendit de Babylone,& ipse scriba velox in lege Moysi,quam Dominus Deus dedit Israel:& dedit ei rex secundum manum Domini Dei eius super eum,omnem petitionem eius.Et ascenderunt de filijs Israel,& de filijs sacerdotum, & de filijs Leuitarum, & de cantoribus, & de ianitoribus,& de nathinæis in Ierusalem anno septimo Artaxersis regis.Et venerũt in Ierusalem mense quinto,ipse est annus septimus regis.Quia in primo die mẽsis primi cœpit ascendere de Babylone,& in primo die mensis quinti venit in Ierusalem, iuxta manum Dei sui bonam super se. Esdras autem parauit cor suum,vt inuestigaret legem Domini, & faceret & doceret in Israel præceptum & iudicium. Hoc est autem exemplar epistolæ edicti,quod dedit rex Artaxerses Esdrę sacerdoti, scribæ erudito in sermonibus & præceptis Domini,& ceremonijs eius in Israel. ARTAXERSES rex regnm Esdræ sacerdoti,scribæ legis Dei cœli doctissimo,† & populo transfluuiali. A me decretum est,vt cuicunque placuerit in regno meo de populo Israel,& de sacerdotibus eius,& de Leuitis ire in Ierusalem, tecum vadat. A facie enim regis, & septem consiliatorum eius missus es, vt visites Iudæam, & Ierusalem in lege Dei tui,quæ est in manu tua, & vt feras argentum & aurum quod rex & consiliatores eius sponte obtulerunt Deo Israel,cuius in Ierusalem tabernaculum est. Et omne argentum & aurum quodcunque inueneris in vniuersa prouincia Babylonis,& populus offerre voluerit,et de sacerdotibus qui sponte obtulerint domui Dei sui,quæ est in Ierusalẽ, liberè accipe, & studiosè eme de hac pecunia vitulos,arietes, agnos, & sacrificia & libamina eorum,& offer ea super altare templi Dei vestri,quod est in Ierusalem. Sed & si quid tibi & fratribus tuis placuerit de reliquo argento & auro vt faciatis,iuxta voluntatem Dei vestri,facite. Vasa quoq; quæ dantur tibi in ministerium domus Dei tui, trade in conspectu Dei tui Ierusalem.Sed & cætera quibus opus fuerit in domo Dei tui quantumcunque necesse est vt expendas, dabis de thesauro, & de fisco regis, † & ego Artaxerses rex statui atq; decreui omnibus custodibus arcę publicę,qui sunt trans flumen,vt quodcunque petierit à vobis Esdras sacerdos, scriba legis Dei cœli, absque mora detis, vsq; ad argẽti talẽta centum,& vsque ad frumenti coros centum, & vsque ad vini batos centum, & vsque ad batos olei centum, sal verò absque mensura. Omne,quod ad ritum Dei cœli pertinet, tribuatur diligenter in domo Dei cœli:ne fortè irascatur contra regnum regis, & filiorum eius.Vobis quoque notum facimus de vniuersis sacerdotibus,& Leuitis, & cantoribus, & ianitoribus, nathinæis, & ministris domus Dei huius,vt vectigal,& tributum,& annonas non habeatis potestatem imponendi super eos.Tu autem Esdra secundum sapientiam Dei tui,quæ est in manu tua,constitue iudices & præsides, vt iudicent omni populo qui est trans flumen,his vi-

delicet qui nouerunt legem Dei tui, sed & imperitos docete liberè. Et omnis qui nō fecerit legem Dei tui, & legem regis diligenter, iudicium erit de eo, siue in mortem siue in exilium, siue in condemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem. Benedictus Dominus Deus patrum nostrorum, qui dedit hoc in corde regis, vt glorificaret domum Domini, quæ est in Ierusalem, & in me inclinauit misericordiam suam coràm rege, & consiliatoribus eius, & vniuersis principibus regis potētibus: & ego confortatus manu Domini Dei mei, quę erat in me, congregaui de Israel principes, qui ascenderent mecum.

CAPVT VIII.

3. Esdr. 8.c

HI sunt ergo principes familiarum & genealogia eorū, qui ascenderunt mecum in regno Artaxersis A regis de Babylone. De filijs Phinees, Gersom. De filijs Ithamar, Daniel. De filijs Dauid, Hattus. De filijs Sechenię, de filijs Pharos, Zacharias: & cum eo numerati sunt viri centū quinquaginta. De filijs Phahathmoab, Elioenai filius Zarehe: & cum eo ducenti viri. De filijs Secheniæ, filius Ezechiel: & cum eo trecenti viri. De filijs Adan, Abed filius Ionathan: & cū eo quinquaginta viri. De filijs Alam, Esaias filius Athaliæ: & cum eo septuaginta viri. De filijs Saphatiæ, Zebedia filius Michael: & cum eo octoginta viri. De filijs Ioab, Obedia filius Iahiel: & cum eo ducenti decem & octo viri. De filijs Selomith, filius Iosphię: & cū eo cē- B tum sexaginta viri. De filijs Bebai, Zacharias filius Bebai: & cū eo vigintiocto viri. De filijs Azgad, Iohanan filius Eccetan: & cum eo centum & decem viri. De filijs Adonicā, qui erant nouissimi, & hæc nomina eorū, Eliphelet, & Iehiel, & Samaias, & cū eis sexaginta viri. De filijs Begui, Vthai & Zachur, & cum eis septuaginta viri. Cōgregaui autē eos ad fluuiū qui decurrit ad Ahaua, & māsimus ibi tribus diebus: quęsiuiq; in populo, & in sacerdotibus de filijs Leui, & non inueni ibi. Itaq; misi † ad Eliezer, & Ariel, & Semeiam, & Elnathan, & Iarib, & alterum Elnathan, & Nathan, & Zachariā, & Mosollā principes: & Ioiarib, & Elnathan sapientes. Et C misi eos ad Eddo, qui est primus in Chasphiæ loco: & posui in ore eorum verba, quæ loquerentur ad Eddo, & ad fratres eius nathinæos in loco Casphię, vt adducerent nobis ministros domus Dei nostri. Et adduxerūt nobis per manum Dei nostri bonam super nos, virum doctissimū de filijs Moholi filij Leui filij Israel, & Sarabiam & filios eius: & fratres eius decem & octo: & Hasabiam, & cum eo Isaiam de filijs Merari, fratresq; eius, & filios eius viginti. Et de nathinæis quos dederat Dauid, & principes ad ministeria Leuitarum nathinæos ducentos viginti: omnes hi suis nominibus vocabantur. Et prædicaui ibi ieiunium iuxta fluuiū Ahaua, vt afflī D geremur coràm Domino Deo nostro, & peteremus ab eo viam rectam nobis & filijs nostris, vniuersæq; substantiæ nostræ. Erubui enim petere à rege auxiliū & equites, qui defenderent nos ab inimico in via: quia dixeramus regi, Manus Dei nostri est super omnes qui quęrunt eum in bonitate: & imperium eius, & fortitudo eius & furor super omnes qui derelinquunt eum. Ieiunauimus autem, & rogauimus Deum nostrū pro hoc: & euenit nobis prosperè. Et separaui de principibus sacerdotum duodecim, Sarabiam, & Hasabiam, & cum eis de fratribus eorum decem: appendiq; eis argentum & aurum, & vasa cōsecrata domus Dei nostri, quę ob- E tulerat rex & consiliatores eius, & principes eius, vniuersusq; Israel eorum qui inuenti fuerant: & appendi in manibus eorum argenti talenta sexcenta quinquaginta, & vasa argentea centum † talentorum: auri centum talenta: & crateres aureos viginti, qui habebant solidos millenos, & vasa æris fulgentis optimi duo pulchra, vt aurum. Et dixi eis, Vos sancti Dñi, & vasa sancta, & argentum & aurum † sunt spōtanea oblatio Dño Deo patrum vestrorum, vigilate & custodite, donec appendatis coràm principibus sacerdotum, & Leuitarum, & ducibus familiarum Israel in Ierusalem, in thesaurum domus Domini. Susceperunt autem sacerdotes & Le- F uitæ pondus argenti, & auri, & vasorum, vt deferrent Ierusalem in domum Dei nostri. Promouimus ergo à flumine Ahaua duodecimo die mensis primi, vt pergeremus Ierusalem: & manus Dei nostri fuit super nos, & liberauit nos de manu inimici & insidiatoris in via. Et venimus Ierusalem, & māsimus ibi tribus diebus. Die autem quarta, appensum est argentum, & aurum, & vasa in domo Dei nostri per manum Maremoth filij Vriæ sacerdotis, & cum eo Eleazar filius Phinees, & cum eis Iozabed filius Iosue, & Noadaia filius Bennoi Leuitæ, iuxta numerum & pondus omnium. Descriptumq; est omne pondus in tempore illo. Sed & qui G venerant de captiuitate filij transmigrationis, obtulerunt holocausta omnata Deo Israel, vitulos duodecim pro omni populo Israel, arietes nonaginta sex, agnos septuaginta septem, hircos pro peccato duodecim: omnia in holocaustum Domino. Dederunt autem edicta regis satrapis † regis & ducibus trans flumen, & eleuauerunt populum & domum Dei,

CAPVT IX.

POstquā autē hæc cōpleta sunt, accesserunt ad me principes, dicētes, Nō est separatus populus Israel & sa A cerdotes & Leuitę à populis terrarū, & de abominationibus eorū, Chananęi videlicet, & Hethęi, & Pherezæi, & Iebusęi, et Ammonitarū, et Moabitarū, et Ægyptiorū, et Amorrhęorū. Tulerunt enim de filiabus eorū sibi, et filijs suis, et cōmiscuerunt semen sanctū cū populis terrarū. Manus etiā principū et magistratuū fuit in trāsgressione hac prima. Cumq; audissem sermonem istum, scidi pallium meum & tunicam, et euelli capillos capitis mei et barbę, et sedi mœrens. Conuenerunt autem ad me omnes qui timebāt verbū Dei Israel, pro transgressione eorū qui de captiuitate venerant: et ego sedebam tristis, vsq; ad sacrificium ve- B spertinū. Et in sacrificio vespertino surrexi de afflictione mea, et scisso pallio et tunica, curuaui genua mea, et expandi manus meas ad Dominum Deum meum, et dixi, Deus meus confundor et erubesco leuare faciē meā ad te † Deus meus: quoniā iniquitates nostræ multiplicatę sunt super caput nostrū, & delicta nostra creuerunt vsq; ad cœlum, à diebus patrum nostrorū. Sed et nosipsi peccauimus grauiter vsq; ad diē hanc, & in iniquitatibus nostris traditi sumus ipsi et reges nostri, et sacerdotes nostri in manū regum terrarum, et in gladium in captiuitatem, et rapinam, et confusionem vultus, sicut et die hac. Et nunc quasi parum et ad mo- C mentum facta est deprecatio nostra ad Dñm Deum nostrum, vt dimitterentur nobis reliquiæ, et daretur paxillus

C xillus in loco sancto eius, & illuminaret oculos nostros Deus noster, & daret nobis vitam modicam in seruitute nostra, quia serui sumus, & in seruitute nostra non dereliquit nos Deus noster: & inclinauit super nos misericordiam coràm rege Persarum, vt daret nobis vitam, & sublimaret domum Dei nostri, & extraeret solitudines eius, & daret nobis sepem in Iuda & Ierusalē. Et nunc quid dicemus Domine Deus noster post hęc? quia dereliquimus mandata tua, quæ præcepisti in manu seruorum tuorum prophetarum, dicens, Terra ad quam vos ingredimini, vt possideatis eam, terra immunda est iuxta immunditiam populorum, † regionum Deute. 7.a qui propter abominationes suas repleuerunt eam ab ore vsq; ad os coinquinatione sua. Nunc ergo filias vestras ne detis filijs eorum, & filias eorum ne accipiatis filijs vestris: & non quæratis pacem eorum, & prosperitatem eorum vsq; in æternum, vt confortemini, & comedatis quæ bona sunt terræ, & hæredes habeatis filios vestros vsq; in sęculum. Et post omnia quæ venerūt super nos in operibus nostris pessimis, & in delicto D nostro magno, † tu Deus noster liberasti nos de iniquitate nostra, & dedisti nobis salutem sicut est hodie, vt non conuerteremur, & irrita faceremus mandata tua, neq; matrimonia iūgeremus cum populis abominationum istarum. † An non meritò irasceris nobis vsq; ad consummationem, ne dimittas nobis reliquias ad salutem? Domine Deus Israel iustus es tu: quoniā derelicti sumus, qui saluaremur sicut die hac. Ecce coràm te sumus in delicto nostro. Non enim stari potest coràm te super hoc.

CAPVT X.

A SIc ergo orante Esdra, & implorante eo, & flente, & iacente ante templum Dei, collectus est ad eum de Israel cœtus grandis nimis virorum & mulierum & puerorum: & fleuit populus fletu multo. Et respōdit Sechenias filius Iahiel de filijs Aelam, & dixit Esdrę, Nos præuaricati sumus in Deum nostrum, & duximus vxores alienigenas de populis terrę: † spes est in Israel super hoc, percutiamus fœdus cū Deo nostro, vt proijciamus vniuersas vxores: & eos qui de his nati sunt, iuxta voluntatem Domini, & eorum qui timent præceptum Dei nostri: fecundum legem fiat. Surge, tuum est discernere, nosq; erimus tecum, confortare, & fac. Surrexit ergo Esdras, & adiurauit principes sacerdotum & † Leuitas, & omnem Israel, vt facerent secundum verbum hoc: & iurauerunt. Et surrexit Esdras ante domum Dei, & abijt ad cubiculū Iohanan filij Eliasib, & ingressus est illuc: panem non comedit, & aquam non bibit: lugebat enim trāsgressionem eorum qui 3. Esdr. 8.g venerant de captiuitate. Et missa est vox in Iuda, & in Ierusalem omnibus filijs transmigrationis, vt congre- 3. Esdr. 9.a B garentur in Ierusalem: & omnis qui non venerit in tribus diebus iuxta consilium principum & seniorum, auferetur vniuersa substantia eius, & ipse abijcietur de cœtu transmigrationis. Conuenerunt igitur omnes viri Iuda & Beniamin in Ierusalem tribus diebus, ipse est mensis nonus, vicesima die mensis: & sedit omnis populus in platea domus Dei, trementes pro peccato & pluuijs. Et surrexit Esdras sacerdos, & dixit ad eos, Vos transgressi estis, & duxistis vxores alienigenas, vt adderetis super delictum Israel. Et nunc date confessionem Domino Deo patrum vestrorum, & facite placitum eius: & separamini à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis. Et respondit vniuersa multitudo, dixitq; voce magna, Iuxta verbum tuum ad nos, sic fiat. Verūtamen quia populus multus est, & tempus pluuiæ, & nō sustinemus stare foris, & opus non est diei vnius vel duorum (vehementer quippè peccauimus in sermone isto) constituantur principes in vniuersa multitudine: & omnes in ciuitatibus nostris, qui duxerunt vxores alienigenas, veniant in temporibus statutis, & cum C his seniores per ciuitatem & ciuitatem, & iudices eius, donec auertatur ira Dei nostri à nobis super peccato hoc. Igitur Ionathan filius Azahel, & Iaazia filius Thecue steterunt super hoc, & Mesollam & Sebethai Leuites adiuuerunt eos: fecerunt q; sic filij transmigrationis. Et abierūt Esdras sacerdos, & viri principes familiarum in domos patrum suorum, & omnes per nomina sua: & sederunt in die primo mensis decimi, vt quererent rem. † Et consummatum est negotium cum omnibus viris, qui duxerunt vxores alienigenas vsq; ad diē primam mēsis primi. Et inuenti sunt de filijs sacerdotum, qui duxerant vxores alienigenas. De filijs Iosue filij Iosedec, & fratres eius, Maasia, & Eliezer, & Iarib, & Godolia. Et dederunt manus suas, vt eijcerent vxores suas, & pro delicto suo arietem de ouibus offerrent. Et de filijs Emmer, Hanani & Zebedia. Et de filijs Harim, Maasia & Elia & Semeia, & Iehiel & Ozias. Et de filijs Pheshur, Elioenai Maasia, Ismahel, Nathanael, Iozabed & Elasa. Et de filijs Leuitarum, Iozabed & Semei & Celaia: ipse est Calita. Phathaia, Iuda & D Eliezer. Et de cantoribus, Eliasib. Et de ianitoribus, Sellum & Telem & Vri. Et ex Israel, de filijs Pharos: Remeia & Iezia & Melchia & Miamin & Eliezer & Melchia et Banea. Et de filijs Aelam, Mathania, Zacharias & Iehiel & Abdi & Ierimoth & Elia. Et de filijs Zethua, Elioenai, Eliasib, Mathania & Ierimuth & Zabad & Aziza. Et de filijs Bebai, Iohanan, Hanania, Zabbai, Athalai. Et de filijs Bani, Mosollam & Melluch & Adaia, Iasub & Saal & Ramoth. Et de filijs Phahathmoab. Edna & Chalal, Banaias, & Maasias, Mathanias, Beseleel, Bennui & Manasse. Et de filijs Herem, Eliezer, Iesue, Melchias, Semeias, Simeon, Beniamin, Maloch, Samarias. Et de filijs Hasom, Mathanai, Mathatha, Zabad, Eliphelet, Iermai, Manasse, Semei. De filijs Bani, Maaddi, Amram & Vel, Baneas & Badaias, Cheliau, Vania, Marimuth & Eliasib, Mathanias, Mathanai, & Iasi & Bani & Bennui, Semei & Salmias & Nathan & Adaias, Mechnedebai, Sisai, Sarai, Ezrel & Selemiau, Semeria, Sellū, Amaria, Iosęph. De filijs Nebo, Iehiel, Mathathias, Zabad, Zabina, Ieddu et Ioel, et Banaia. Omnes hi acceperant vxores alienigenas, & fuerūt ex eis mulieres quę pepererant filios.

FINIS.

LIBER NEHEMIAE
QVI ET ESDRAE SECVNDVS DICITVR.

CAPVT I.

ERBA Nehemiæ filij Hecheliæ. Et factum est in mense Casleu, anno vicesimo, & ego A
erã in Susis castro. Et venit Hanani vnus de fratribus meis, ipse, & viri ex Iuda: & interrogaui eos de Iudæis qui remanserant, & supererant de captiuitate, & Ierusalem. Et dixerunt mihi, Qui remanserunt, & derelicti sunt de captiuitate ibi in prouincia: in afflictione magna sunt, & in opprobrio: & murus Ierusalem dissipatus est, & portæ eius cõbustæ sunt igni. Cumq; audissem verba huiuscemodi, sedi, & fleui, & luxi diebus multis, & ieiunabam, & orabam ante faciem Dei cœli. Et dixi, Quæso Domine Deus cœli Danie. 9.a
fortis, magne atq; terribilis, qui custodis pactum, & misericordiam cum his qui te diligũt, & custodiunt mãdata tua: fiant aures tuæ auscultantes, & oculi tui aperti, vt audias orationem serui tui, quam ego oro coràm te hodie, nocte & die pro filijs Israel seruis tuis: & confiteor pro peccatis filiorum Israel, quibus peccauerunt tibi: & ego, & domus patris mei peccauimus, vanitate seducti sumus, & non custodiuimus mandatum, & cerC
monijs, & iudicia quæ præcepisti Moysi famulo tuo. Memento verbi quod mandasti Moysi seruo tuo, dicẽs, Cum trãsgressi fueritis, ego dispergam vos in populos. Et si reuertamini ad me, & custodiatis præcepta mea, & faciatis ea: etiam si abducti fueritis ad extrema cœli, inde congregabo vos, & reducam in locum quẽ elegi
D
vt habitaret nomen meum ibi. Et ipsi serui tui, & populus tuus, quos redemisti in fortitudine tua magna, & in manu tua valida. Obsecro Domine, sit auris tua attẽdens ad orationẽ serui tui, & ad orationem seruorum tuorum qui volunt timere nomen tuum: & dirige seruum tuum hodie, & da ei misericordiam ante virum hunc. Ego enim eram pincerna regis.

CAPVT II.

FActum est autem in mense Nisan, anno vicesimo Artaxersis regis, & vinum erat ante eum: leuaui vi- A
num, & dedi regi: † & non eram solitus præ me ferre tristitiam coràm eò. Dixitq; mihi rex, Quare vultus tuus tristis est, cum te ægrotum non videam? Non est hoc frustra, sed malum nescio quod in corde tuo est. Et timui valde, ac nimis, & dixi regi, Rex in æternum viue: quare non mœreat vultus meus, quia ciuitas domus sepulchrorum patris mei deserta est, & portæ eius combustæ sunt igni? Et ait mihi rex, Pro quare postulas? Et oraui Deum cœli: & dixi ad regem, Si videtur regi bonum, et si placet seruus tuus ante faciem tuam, vt mittas me in Iudæam ad ciuitatem sepulchri patris mei, & ædificabo eam. Dixitq; mihi rex, & regina quæ sedebat iuxta eum. Vsque ad quod tempus erit iter tuum, & quando reuerteris? Et placuit ante vul- B
tum regis, & misit me: & cõstitui ei tempus. Et dixi regi, Si regi videtur bonum, epistolas det mihi ad duces regionis trans flumen, vt traducant me, donec veniam in Iudæam: et epistolam ad Asaph custodem saltus regis, vt det mihi ligna, † vnde fiant tigna [a] pro portis palatij, quod est iuxta templum, & pro muris ciuitatis ac domo, quam ingressus fuero. Et dedit mihi rex iuxta manum Dei mei bonam mecum. Et veni ad duces regionis trans flumẽ, dediq; eis epistolas regis. Miserat autem rex mecum principes militum, & equites. Et audierunt Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammonites, & contristati sunt afflictione magna, quòd veC
nisset homo qui quæreret prosperitatem filiorum Israel. Et veni Ierusalem, & eram ibi tribus diebus: & surrexi nocte ego, & viri pauci mecum, & non indicaui cuiquam quid Deus meus dedisset in corde meo vt facerem in Ierusalem: & iumentum nõ erat mecum, nisi animal cui insidebam. Et egressus sum per portam vallis nocte, & ante fontem draconis, & ad portam stercoris, & considerabam murum Ierusalem dissipatum, & portas eius consumptas igni. Et transiui ad portam fontis, & ad aquæductum regis, & non erat locus iumẽto cui sedebam, vt transiret. Et ascendi per torrentem nocte, & considerabam murum: & reuersus veni ad portam vallis, & redij. Magistratus autem nesciebant quò abijssem, aut quid ego facerem: sed & Iudæis, & sacerdotibus, & optimatibus, & magistratibus: & reliquis qui faciebant opus, vsque ad id loci nihil indiD
caueram. Et dixi eis, Vos nostis afflictionem in qua sumus, quia Ierusalem deserta est, & portæ eius consumptæ sunt igni: venite, & ædificemus muros Ierusalem, & non simus vltra opprobrium. Et indicaui eis manum Dei mei quòd esset bona mecum, & verba regis quæ locutus esset mihi, † & ipsi dixerunt, Surgamus, & ædificemus. Et confortatæ sunt manus eorum in bono. Audierunt autem Sanaballat Horonites, & Tobias seruus Ammanites, & Gosem Arabs: & subsannauerunt nos, & despexerunt, dixeruntq;, Quæ est hęc res quam facitis? nunquid contra regem vos rebellatis? Et reddidi eis † rationem, dixiq; ad eos, Deus cœli ipse nos iuuat: & nos serui eius sumus, surgamus, & ædificemus: vobis autem non est pars, & iustitia, & memoria in Ierusalem.

SCHOLIA.

[a] Pro portis palatij.] *Templum quidem iam extructum erat, sed portæ muri ciuitatis et portæ domus atrij, quod erat per circuitum sanctuarij, nondum erant reparatæ, ideo pro illis postulauit ligna.*

Caput

CAPVT III.

ET surrexit Eliasib sacerdos magnus, & fratres eius sacerdotes: & ædificauerunt portam gregis: [a] ipsi sanA
ctificauerũt eam, & statuerũt valuas eius, & vsq; ad turrim † Meah sanctificauerũt eam, vsq; ad turrim Hananeel. Et iuxta eũ ædificauerunt viri Iericho, & iuxta eum ædificauit Zacchur filius Amri. Portam autẽ piscium ædificauerũt filij Asnaa: ipsi texerũt eam, & statuerũt valuas eius, & seras, & vectes. Et iuxta eos ædificauit Marimuth filius Vriæ, filij Accus. Et iuxta eos ædificauit Mosollã filius Barachiæ, filij Mesezebel: & iuxta eos ędificauit Sadoc filius Baana. Et iuxta eos ædificauerunt Thecueni: optimates autẽ eorũ non supB
posuerunt colla sua in opere Dñi sui. Et portã veterẽ ædificauerunt Ioiada filius Phasea, & Mosollã filius Besodia: ipsi texuerũt eam, & statuerũt valuas eius, & seras & vectes. Et iuxta eos ædificauerũt Meltias Gabaonites, & Iadon Meronathites, viri de Gabaon, & Maspha: pro † solio ducis qui erat in regione trans flumẽ. Et iuxta eum ædificauit Eziel filius Araia aurifex: & iuxta eũ ædificauit Ananias filius pigmẽtarij: & † roborauerunt Ierusalẽ vsq; ad murum plateæ latioris. Et iuxta eos ædificauit Raphaia filius Hur princeps † mediæ
C
partis Ierusalem. Et iuxta eos ædificauit Iedaia filius Haromaph contra domũ suam: & iuxta eum ædificauit Hattus filius Hasebniæ. † Mẽsuram secundã ædificauit Melchias filius Herẽ, & Hasub filius Phahatmoab, & turrim furnorum. Et iuxta eum ædificauit Sellum filius Alohes, princeps medię partis † Ierusalem, ipse & filiæ eius. Et portam vallis ædificauit Hanun, & habitatores Zanóe: ipsi ædificauerunt eam, et statuerunt valuas eius, & seras, & vectes, & mille cubitos in muro, vsq; ad portam sterquilinij. Et portam sterquilinij ædificauit Melchias filius Rechab, princeps vici Bethacharẽm, ipse ædificauit eam, & stauit valuas eius, & seras &
D
vectes. Et portam fontis ędificauit Sellũ filius Cholhoza, princeps pagi Maspha: ipse ędificauit eam, & texuit, & statuit valuas eius, & seras, & vectes, & muros piscinæ Siloe in hortum regis, & vsq; ad gradus, qui descendunt de ciuitate Dauid. Post eũ ædificauit Nehemias filius Azboc, princeps dimidiæ partis vici Bethsur, vsq; contra sepulchrum Dauid, & vsq; ad piscinam † reparatam, & vsq; ad domum fortium. Post eum ædificauerunt Leuitæ, Rehum filius Benni. Post eum ædificauit Hasebias princeps dimidię partis † Ceilę in termino
E
suo. Post eum ædificauerunt fratres eorum Banai filius Henadad, princeps dimidię partis Ceilæ. Et ędificauit iuxta eum Azer filius Iosue, princeps Maspha mensuram secundam, contra ascensum † armẽtarij, quod erat in muri reflexione. Post eũ prorumpens ex indignatione [b] ędificauit Baruch filius Zachái mensuram † alteram, ab angulo vsq; ad portam domus Eliasib sacerdotis magni. Post eum ædificauit Marimuth filius Vriæ filij Haccus mensuram secũdam, à porta domus Eliasib † vsq; ad finem domus Eliasib. Et post eum ædificauerunt sacerdotes viri de campestribus. † Post eos ædificauit Beniamin & Hasub contra domũ suam, & post
F
eum ædificauit Azarias filius Maasiæ filij Ananiæ contra domum suam. Post eum ædificauit Bennui filius Henadad mensuram secundam, à domo Azariæ vsq; ad flexuram, & vsque ad angulum. Post eum ædificauit Phalel filius Ozi contra flexuram & turrim quæ eminet de domo regis excelsa, id est in atrio carceris. Post eum Phadaia filius Pharos. Nathinæi autem habitabant in † munitione, vsq; contra portã aquarum ad oriẽtem, & turrim quæ prominebat. Post eum ædificauerunt Thecueni mensuram secundam è regione † turris
G
magnę & eminentis vsq; ad murum arcis. Sursum autem ad portam equorum ędificauerũt sacerdotes, vnusquisq; contra domum suam. Post eos ædificauit Sadoc filius Emmer contra domum suam. Et post eum ædificauit Semaia filius Secheniæ, custos portæ oriẽtalis. Post eum ædificauit Hanania filius Selemiæ, & Hanun filius Seleph sextus mensuram secundam. Post eum ædificauit Mosollam filius Barachiæ, contra gazophylacium suum. Post eum ædificauit Melchias filius aurificis, vsq; ad domum Nathinæorum, & † negociatorum cõtra portam iudicialem, & vsq; ad cœnaculum anguli. Et inter cœnaculum anguli † vsq; ad portam gregis. ædificauerunt aurifices & negociatores.

SCHOLIA.

[a] Ipsi sanctificauerunt eam.] *Capitur hic sanctificare pro sumptuosè & magnificè præparare. Sacerdotes igitur primam muri reparauerunt portam, & magnam muri partem, & à termino illorum ædificabant viri Iericho certam muri portionem.* [b] Prorumpens ex indignatione.] *Fremuit in seipso, quòd ædificium tam tardè surgeret, & in fremitu illo erexit certam muri partem.*

CAPVT IIII.

FActum est autem, cum audisset Sanaballat quòd ædificaremus murum, iratus est valde: & motus ni- A
mis subsannauit Iudæos, & dixit coràm fratribus suis, & frequentia Samaritanorum, Quid Iudæi faciunt imbecilles? num dimittent eos Gentes? num sacrificabunt, & complebunt in vna die? Nunquid ædificare poterunt lapides de aceruis puluęris, qui cõbusti sunt? Sed & Thobias Ammonites proximus eius, ait, Ædificent: si ascenderit vulpes transiliet murum eorum lapideum. Audi Deus noster, quia facti sumus despectui: conuerte opprobrium super caput eorum, & da eos in despectionem in terra captiuitatis. Ne operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum coràm facie tua non deleatur: quia irriserunt ædificantes. Itaq; ædificauimus murum, & coniunximus totum vsque ad partem dimidiam: & prouocatum est cor populi ad
B
operandum. Factum est autem, cũ audisset Sanaballat, & Thobias, & Arabes, & Ammonitæ, & Azotij, quòd obducta esset cicatrix muri Ierusalem, & quòd cœpissent interrupta concludi: irati sunt nimis. Et congregati sunt omnes pariter, vt venirent, & pugnarent contra Ierusalem, & molirẽtur insidias. Et orauimus Deum nostrum, & posuimus custodes super murum die ac nocte contra eos. Dixit autem Iudas, Debilitata est fortitudo portantis, & humus nimia est, & nos non poterimus ædificare murum. Et dixerunt hostes nostri, Nesciant & ignorent, donec veniamus in medium eorum, & interficiamus eos, & cessare faciamus opus. Factum est autem venientibus Iudæis qui habitabant iuxta eos, & dicentibus nobis per decem vices ex omnibus locis quibus venerãt ad nos, † collocaui igitur in demissiora loca post murum in loca perrosa populum

per

per familias cum gladijs suis,& lanceis, & arcubus. Et perspexi atq; surrexi:& aio ad optimates & magistra- C
tus,& ad reliquam partem vulgi,Nolite timere à facie eorum.Domini magni & terribilis memẽtote, & pu-
gnate pro fratribus vestris, filijs vestris & filiabus vestris & vxoribus vestris & domibus vestris. Factum est
autem,cum audissent inimici nostri nuntiatum esse nobis,dissipauit Deus consilium corũ. Et reuersi sumus
omnes ad muros,vnusquisq; ad opus suum.Et factum est a die illa, media pars iuuenũ eorum faciebat opus
& media parata erat ad bellum,& lanceæ,& scuta,& arcus,& loricæ, & principes † erant post vniuersam do-
mum Iuda,& edificantes murum portabant & ferebant onera:vna manu sua faciebat opus,& altera tenebat
gladium.Ædificantium enim vnusquisq; gladio erat accinctus renes.Et ædificabant, & clangebant buccina D
iuxta me.Et dixi ad optimates,& ad magistratus,& ad reliquam partem vulgi, Opus grande est & latum, &
nos separati sumus in muro procul alter ab altero:in loco quocunq; audieritis clangorem tubæ,illuc cõcur-
rite ad nos.Deus noster pugnabit pro nobis. Et nosipsi faciamus opus:& media pars nostrum teneat lanceas
ab ascensu auroræ,donec egrediantur astra.In tempore quoq; illo dixi populo, Vnusquisq; cum puero suo
maneat in medio Ierusalem,† vt habeamus nocte custodiam,& per diem faciamus opus. Ego autẽ & fratres
mei & pueri mei,& custodes qui erant post me,non deponebamus vestimẽta nostra:vnusquisq; tantum nu-
dabatur ad baptismum.

CAPVT V.

ET factus est clamor populi,& vxorum eius magnus aduersus fratres suos Iudæos.Et erant qui dicerent, A
Filij nostri & filiæ nostræ † & nos multi sumus:accipiamus pro pretio eorum frumentum,& comedamus,& viuamus. Et erant qui dicerent,Agros nostros,& vineas,& domos nostras † oppignoremus: &
accipiamus frumentum in fame.Et alij dicebant,† Nos mutuò accepimus pecuniam, propter tributum re-
gis,idq; super agros nostros & vineas:& nunc sicut carnes fratrum nostrorum,sic carnes nostræ sunt:& sicut
filij eorum,ita & filij nostri:ecce nos subiugamus filios nostros, & filias nostras in seruitutem, & de filiabus
nostris sunt famulæ,nec habemus vnde possint redimi,& agros nostros & vineas nostras alij possidẽt. Et ira-
tus sum nimis,cum audissem clamorem eorum secundum verba hæc,cogitauitque cor meum, & increpaui B
optimates & magistratus,& dixi eis, Vsurasne singuli à fratribus vestris exigitis? Et congregaui aduersum
eos concionem magnam,& dixi eis,Nos † redemimus fratres nostros Iudæos qui venditi fuerant gẽtibus,se-
cundum possibilitatem nostram: & vos † iterum vendetis fratres nostros † postquam venditi fuerũt nobis?
Et siluerunt,nec inuenerunt quid responderent.Dixiq; ad eos,Nõ est bona res,quã facitis: quare nõ in timo
re Dei nostri ambulatis,ne exprobretur nobis à gẽtibus inimicis nostris? Et ego & fratres mei, & pueri mei
commodauimus plurimis pecuniam & frumentum:† desistamus igitur nunc à grauamine illo. Reddite eis
hodie agros suos, & vineas suas & oliueta sua, & domos suas : quin † & centesimam pecuniæ, frumenti, vi- C
ni,& olei,quam exigere soletis ab eis,† dimittite.Et dixerunt,Reddemus,& ab eis nihil quæremus : sicq; fa-
ciemus vt loqueris.Et vocaui sacerdotes,& adiuraui eos vt facerẽt iuxta quod dixeram. Insuper excussi sinũ
meum,& dixi,Sic excutiat Deus omnem virum qui non compleuerit verbum istud de domo sua & de labo-
ribus suis:sic excutiatur,& vacuus fiat.Et dixit vniuersa multitudo,Amen.Et laudauerunt Dominum. Fecit
ergo populus sicut erat dictũ. A die autem illa qua præceperat rex mihi vt essem dux in terra Iuda, ab anno
vicesimo vsq; ad annum tricesimumsecundum Artaxersis regis,per annos duodecim, ego & fratres mei an-
nonas, quæ ducibus debebantur, nõ comedimus. Duces autem primi, qui fuerant ante me, grauauerunt D
populum,& acceperunt ab eis † panem & vinum post exactionem pecuniæ quadraginta siclorum:sed & mi
nistri eorum depressерant populum.Ego autem nõ feci ita,propter timorem Dei:quin potius in opere mu-
ri ædificaui,& agrum non emi,& omnes pueri mei congregati ad opus erant. Iudæi quoque & magistratus
centum quinquaginta viri,& qui veniebant ad nos de gentibus, quæ in circuitu nostro sunt, in mensa mea
erãt.Parabatur autem mihi per dies singulos bos vnus,arietes sex electi,exceptis volatilibus, & inter dies de-
cem † pro omnibus afferebatur vinũ in copia:& tamen annonas ducatus mei non quæsiui, valde enim atte-
nuatus erat populus.Memento mei Deus meus in bonum secundum omnia quæ feci populo huic.

CAPVT VI.

FActum est autem,cum audisset Sanaballat,& Thobias,& Gosem Arabs,& cæteri inimici nostri, quòd A
ædificassem ego murum, & non esset in ipso residua interruptio (vsque ad tempus autem illud valuas
non posueram in portis) miserunt Sanaballat,& Gosem ad me,dicentes, Veni, & percutiamus fœdus
pariter in viculis in campo Ono.Ipsi autem cogitabant, vt facerent mihi malum. Misi ergo ad eos nuntios
dicens,Opus grande ego facio,& non possum descendere:ne fortè negligatur,cum venero, & descendero ad
vos.Miserunt autem ad me,secundum verbum hoc,per quatuor vices & respondi eis iuxta sermonem prio-
rem.Et misit ad me Sanaballat iuxta verbum prius quinta vice puerum suum, & epistolam † apertam habe B
bat in manu sua scriptam hoc modo, IN GENTIBVS auditum est,& Gosem dixit,quòd tu, & Iudæi co-
gitetis rebellare, & propterea ædifices murum, & leuare te velis super eos regem : propter quam causam &
prophetas posueris qui prædicent de te in Ierusalem,dicentes,Rex in Iudæa est.Auditurus est rex verba hęc:
iccirco nunc veni,vt ineamus consilium pariter.Et misi ad eos, dicens, Nõ est factum secundum verba hæc
quæ tu loqueris:de corde enim tuo tu componis hæc.Omnes enim hi terrebant nos, cogitantes quòd cessa-
rent manus nostræ ab opere,& quiescerem.us.Quam ob causam magis confortaui manus meas:& ingressus C
sum domum Semaiæ filij Dalaię filij Metabeel [a] † qui erat sequestratus. Qui ait, Tractemus nobiscum in
domo Dei in medio templi, & claudamus portas ædis:quia venturi sunt vt interficiant te,& nocte venturi
sunt ad occidendum te.Et dixi,Num quisquam similis mei fugit? & quis vt ego,ingredietur templum,& vi-
uet? Non ingrediar. Et intellexi quòd Deus non misisset eum, sed quasi vaticinans locutus esset ad me, &
Thobias

Thobias & Sanaballat conduxissẽt eum. Acceperat enim pretium, vt territus facerem, & peccarem, & ha-
berent malum quod exprobrarent mihi.Memẽto † Deus meus Thobiæ & Sanaballat, iuxta opera † eius ta-
D liased & Noadiæ prophetæ,& cæterorum prophetarum qui terrebant me. Completus est autem murus vi-
cesimoquinto die mensis Elul,quinquaginta duobus diebus. Factum est ergo cum audissent omnes inimici
nostri,vt timerent vniuersę gentes quę erant in circuitu nostro,& concíderent intra semetipsos,& scirent q;
à Deo factum esset opus hoc.Sed & in diebus illis multæ optimatum Iudæorũ epistolę mittebantur ad Tho-
biam,& à Thobia veniebant ad eos.Multi enim erant in Iudæa habentes iuramentum eius, quia gener erat
Secheniæ filij Area,& Iohanan filius eius acceperat filiam Mosollam filij Barachię:sed & laudabant eum co-
rám me,& verba mea nuntiabant ei:& Thobias mittebat epistolas,vt terreret me.

SCHOLIA.

a Qui erat sequestratus.] *Fingens scilicet se habere spiritum Dei,& ob id sequestrabat se à reliquis.*

CAPVT VII.

A POstquam autem ædificatus est murus,& posui valuas,& recensui ianitores,& cantores,& Leuitas:præ-
cepi Hanani fratri meo,& Hananiæ principi † arcis Ierosolymitanæ. Ipse enim † erat vir verax & ti
mens Deum plus cæteris.† Et dixi eis,Non aperiantur portæ Ierusalem vsq; ad calorem solis. Cumq; Eccle. 49.d
adhuc assisterent,clausæ portæ sunt,& oppilatæ:& posui custodes de habitatoribus Ierusalem, singulos per
vices suas,& vnumquemq; contra domũ suam.Ciuitas autẽ erat lata nimis & grandis, & populus paruus in
medio eius,& non erant domus ædificatæ.Deus autem dedit in corde meo,& congregaui optimates, & ma-
B gistratus & vulgus,vt recenserem eos:& inueni librum census eorum qui ascenderant primum, & inuẽtum
est scriptum in eo:Isti filij prouinciæ,qui ascenderunt de captiuitate migrantium, quos transtulerat Nabu-
chodonosor rex Babylonis,& reuersi sunt in Ierusalem,& in Iudæam,vnusquisq; in ciuitatem suam,qui ve-
nerunt cum Zorobabel,Iosue,Nehemias,Azarias,Raamias,Nahamani, Mardochæus,Belsan ,Mespharath, 1. Esdr.2.2
Begoai,Nahum,Baana.Numerus virorũ populi Israel.Filij Pharos,duo millia centum septuaginta duo. Filij
Saphatia,trecenti septuaginta duo.Filij Area,sexcenti quinquaginta duo. Filij Phahathmoab filiorũ Iosue &
Ioab,duo millia octingẽti decẽ & octo.Filij Aelam,mille ducẽti quinquaginta quatuor.Filij Zethua, octin-
C genti quadraginta quinq;.Filij Zachai,septingẽti sexaginta.Filij Bănui,sexcẽti quadraginta octo.Filij Bebai,
sexcenti vigintiocto.Filij Azgad,duo millia trecẽti vigintiduo.Filij Adonicã,sexcenti sexaginta septem. Filij
Beguai,duo millia sexaginta septẽ.Filij Adin,sexcẽti quinquaginta quinq;.Filij Ater,filij Hezeciæ,nonagin-
taocto.Filij Hasem,trecenti vigintiocto.Filij Besai,trecenti vigintiquatuor.Filij Hareph , centũ duodecim.
Filij Gabaon,nonagintaquinq;.Filij Bethlehem & Netupha,centũ octogintaocto. Viri Anathoth , centum
vigintiocto.Viri Berhazmoth,quadraginta duo. Viri Cariathiarim,Cephira , & Beroth septingenti quadra-
D gintatres.Viri Rama & Gẽba,sexcẽti vigintiunus. Viri Machmas,centũ vigintiduo. Viri Bethel,& Hai,cen-
tum vigintitres. Viri Nebo alterius,quinquaginta duo. Viri Aelam alterius , mille ducẽti quinquagintaqua-
tuor.Filij Harẽ,trecenti viginti.Filij Iericho,trecenti quadragintaquinq;.Filij Lodhadid & Ono, septingẽti
vigintivnus.Filij Senaa,tria millia nongẽti triginta.Sacerdotes:Filij Idaia in domo Iesua , nõgẽti septuagin-
tatres.Filij Emmer,mille quinquaginta duo.Filij Phashur,mille ducẽti quadraginta septẽ. Filij Arem,mille
decẽ & septẽ.Leuitę:Filij Iosue † ex Cedmiel † & ex filijs Oduie,septuagintaquatuor.Cantores:Filij Asaph,
centumquadragintaocto.Ianitores:Filij Sellum,filij Ater,filij Thelmon,filij Accub,filij Hatita , filij Sobai:
E centũ trigintaocto.Nathinæi:Filij Soha,filij Hasupha,filij Tebbaoth,filij Ceros,filij Sihaa,filij Phadon,filij
Lebana,filij Hagaba,filij Selmon,filij Hanã, filij Geddel, filij Gaher,filij Raaia,filij Rasin,filij Necoda, filij
Gezen,filij Aza,filij Phasea,filij Besai,filij Munim,filij Nephusim,filij Bachue,filij Hacupha,filij Harhur,fi-
lij Besloth,filij Mahida,filij Harsa,filij Bercos,filij Sisara,filij Thema,filij Nasia,filij Hatipha,filij seruorum
Salomonis,filij Sotai,filij Sophéreth,filij Pharida,filij Iahala,filij Darcõ,filij Ieddel,filij Saphatia,filij Hatil,
filij Phochereth,qui erat ortus ex Sabaim filio Amon.Oẽs nathinęi,& filij seruorũ Salomonis,trecẽti nona-
F gintaduo.Hi sunt autẽ qui ascenderũt de Thelmela Thelarsa,Cherub,Addon & Emmer:& nõ potuerũt in-
dicare domum patrum suorũ,& semen suum,vtrũ ex Israel essent.Filij Dalaia,filij Thobia, filij Necoda sex-
centi quadragintaduo.Et de sacerdotibus filij Habia,filij Accos,filij Berzellai,qui accepit de filiabus Berzel-
lai Galaaditis vxorẽ & vocatus est nomine eorum:hi quæsierunt scripturam suã in cẽsu, & non inuenerunt:
& eiecti sunt de sacerdotio.Dixitq; Athersatha eis,vt non mãducarent de sanctis sanctorum,donec staret sa-
cerdos doctus & eruditus.Omnis multitudo quasi vir vnus quadraginta duo millia trecẽti sexaginta : absquo
seruis & ancillis eorũ,qui erant septem millia trecẽti triginta septẽ:& inter eos cantores,& cãtatrices ducentę
G quadraginta & quinq;.Equi eorũ septingenti triginta septem : muli eorũ,ducenti quadragintaquinq;:cameli
eorum,quadringenti triginta quinq;:asini sex millia septingẽti viginti. Nonnulli autẽ de principibus fami-
liarum dederunt in opus. Athersatha dedit in thesaurũ auri drachmas mille , phialas quinquaginta , tunicas
sacerdotales quingentas triginta.Et de principibus familiarũ dederunt in thesaurum operis auri drachmas
viginti millia,& argenti mnas duo millia ducentas. Et quod dedit reliquus populus , auri drachmas viginti
millia,& argenti mnas duo millia,& tunicas sacerdotales sexaginta septẽ.Habitauerunt autem sacerdotes, &
Leuitæ,& ianitores,& cantores,& reliquum vulgus,& nathinæi,& omnis Israel in ciuitatibus suis.

CAPVT VIII.

A ET venerat mensis septimus:filij autem Israel erant in ciuitatibus suis. Congregatusq; est omnis popu-
lus,quasi vir vnus ad platéam,quæ est ante portam aquarum:& dixerunt Esdræ scribæ vt afferret librũ
legis Moysi.quam præceperat Dominus Israeli. Attulit ergo Esdras sacerdos legem coràm multitudi-
ne virorũ & mulierũ,cunctisq; qui poterãt intelligere,in die prima mẽsis septimi.Et legit in eo.† in planicie
platéæ

platée,quę erat ante portam aquarum,de mane vsque ad mediam diem in conſpectu virorũm,& mulierum, † auſcultantium : & aures omnis populi erant erectæ ad librum . Stetit autem Eſdras ſcriba ſuper gradum ligneum , quem fecerant ad loquendum : & ſteterunt iuxta eum Mathathias, & Semeia, & Ania, & Vria,& Helcia,& Maaſia,ad dextram eius:& ad ſiniſtram,Phadaia,Miſael,& Melchia,& Haſum , & Hasbadána, Zacharia,& Moſollam.Et aperuit Eſdras librum coràm omni populo:ſuper vniuerſum quippe populũ eminebat.Et cum aperuiſſet eum,ſterit omnis populus.Et benedixit Eſdras Dño Deo magno:& reſpõdit omnis populus,Amen amen,eleuans manus ſuas.Et incuruati ſunt,& adorauerunt Deum proni in terram. Porrò Ioſue,& Bani,& Serebia,Iamin,Accub,Sebthái,Odia,Maaſia,Celita,Azarias,Iozabed,Hanan,Phalaia,Leuitæ: ſilentium faciebant in populo ad audiendum legem:populus autem ſtabat in gradu ſuo.Et legerunt in libro legis Dei diſtinctè,& appoſitè ad intelligendum:& intellexerũt cum legeretur.Dixit autem Nehemias (ipſe eſt Athersátha) & Eſdras ſacerdos , & ſcriba,& Leuitæ interpretantes vniuerſo populo , Dies ſanctificatus eſt Dño Deo veſtro,nolite lugere,& nolite flere. Flebat enim omnis populus,cum audiret verba legis. Et dixit eis,Ite,comedite pinguia , & bibite mulſum , & mittite partes his qui non præparauerunt ſibi, quia ſanctus dies Domini eſt,& nolite contriſtari:gaudium etenim Domini eſt,fortitudo veſtra. Leuitæ autem ſilentium faciebant in omni populo,dicentes,Tacete:quia dies ſanctus eſt,& nolite dolere. Abijt itaq; omnis populus, vt comederet,& biberet,& mitteret partes,& faceret lætitiam magnam:quia intellexerant verba,quę docuerat eos . Et in die ſecundo congregati ſunt principes familiarum vniuerſi populi , ſacerdotes , & Leuitæ ad Eſdram ſcribam,vt interpretaretur eis verba legis. Et inuenerunt ſcriptum in lege, præcepiſſe Dominum in manu Moyſi,vt habitent filij Iſrael in tabernaculis,in die ſolenni , menſe ſeptimo,& vt prædicent , & diuulgent vocem in vniuerſis vrbibus ſuis,& in Ieruſalem,dicentes,Egredimini in montem,& afferte frondes oliuæ,& frondes ligni pulcherrimi,frondes myrthi,& ramos palmarum,& frondes ligni nemoroſi , vt fiant tabernacula,ſicut ſcriptum eſt.Et egreſſus eſt populus,& attulerunt. Fecerunt́q; ſibi tabernacula vnuſquiſque in domate ſuo,& in atrijs ſuis,& in atrijs domus Dei, & in platéa portæ aquarũ , & in platéa portę Ephraim, Fecit ergo vniuerſa eccleſia eorum,qui redierant de captiuitate,tabernacula , & habitauerũt in tabernaculis, non enim fecerant à diebus Ioſue filij Nun taliter filij Iſrael vſq; ad diem illum. Et fuit lætitia magna nimis. Legit autem in libro legis Dei per dies ſingulos,à die primo vſque ad diem nouiſsimum:& fecerunt ſolennitatem ſeptem diebus,& in die octauo collectam iuxta ritum.

CAPVT IX.

3. Eſdr.9.a IN die autem viceſimo quarto menſis huius conuenerunt filij Iſrael in ieiunio , & in ſaccis,& humus ſuper eos . Et ſeparatum eſt ſemen filiorum Iſrael ab omni filio alienigena : & ſteterunt , & confitebantur peccata ſua,& iniquitates patrum ſuorum. Et conſurrexerunt ad ſtandum : & legerunt in volumine legis Domini Dei ſui,quater in die,& quater confitebantur,& adorabant Dominum Deum ſuum. Surrexerunt autem ſuper gradum Leuitarum Ioſue,& Bani,& Cedmiel,Sabania,Bonni,Sarebias,Bani,& Chanáni, & clamauerunt voce magna ad Dominum Deum ſuum. Et dixerũt Leuitę Ioſue,& Cedmiel,Bonni,Haſebnia,Sarebia,Odaia,Sebnia,Phathahia, Surgite, benedicite Domino Deo veſtro ab æterno vſque in æternum & benedicant nomini gloriæ tuæ excelſo † ſuper omnem benedictionem & laudem.† Tu es Domine ſolus, tu feciſti cœlum,& cœlum cœlorum, & omnem exercitum eorum:terram, & vniuerſa,quæ in ea ſunt: maria, & omnia , quæ in eis ſunt : & tu viuificas omnia hæc,& exercitus cœli te adorat. Tu ipſe Domine Deus, qui elegiſti Abram,& eduxiſti eum de † Vr Chaldæorum: & poſuiſti nomen eius Abraham. Et inueniſti cor eius fidele coràm te:& percuſsiſti cum eo fœdus,vt dares ei terram Chananæi, Hethæi, & Amorrhæi,& Pherezæi, & Iebuſæi, & Gergeſæi , vt dares ſemini eius:& impleſti verba tua , quoniam iuſtus es. Et vidiſti afflictionem patrum noſtrorum in Ægypto : clamoremq; eorum audiſti ſuper mare rubrum . Et dediſti ſigna atque portenta in Pharaone,& in vniuerſis ſeruis eius,& in omni populo terræ illius: cognouiſti enim quòd ſuperbè egerant cõtra eos:& feciſti tibi nomen,ſicut & in hac die. Et mare diuiſiſti ante eos, & tranſierũt per medium maris in ſicco:perſecutores autem eorum proieciſti in profundum, quaſi lapidem in aquas validas. Et in columna nubis ductor eorum fuiſti per diem : & in columna ignis per noctem : vt appareret eis via per quam ingrediebantur. Ad montem quoq; Sinai deſcendiſti, & locutus es cũ eis de cœlo : & dediſti eis iudicia recta,& legem veritatis,ceremonias,& præcepta bona. Et ſabbatum ſanctificatum tuum oſtendiſti eis, & mandata , & ceremonias,& legem præcepiſti eis in manu Moyſi ſerui tui. Panem quoque de cœlo dediſti eis in fame eorum,& aquam de petra eduxiſti eis ſitientibus:& dixiſti eis,vt ingrederentur & poſſiderent terram ſuper quam leuaſti manum tuam,vt traderes eis . Ipſi verò,& patres noſtri ſuperbè egerunt,& induraverunt ceruices ſuas,& non audierunt mandata tua . Et noluerunt audire:& non ſunt recordati mirabilium tuorum,quæ feceras eis.Et indurauerunt ceruices ſuas,& dederunt caput , vt conuerterentur ad ſeruitutẽ ſuã quaſi per contentionem.Tu autem Deus propitius,clemens,& miſericors, longanimis, & multæ miſerationis non dereliquiſti eos,& quidem cum feciſſent ſibi vitulum conflatilem,& dixiſſent,Iſte eſt Deus tuus, qui eduxit te de Ægypto. Feceruntq; blaſphemias magnas. Tu autem in miſericordijs tuis multis non dimiſiſti eos in deſerto:columna nubis non receſsit ab eis per diem, vt duceret eos in viam : & columna ignis per noctem,vt oſtenderet eis iter per quod ingrederentur.Et ſpiritum tuum bonũ dediſti qui doceret eos , & manna tuum non prohibuiſti ab ore eorum , & aquam dediſti eis in ſiti. Quadraginta annis pauiſti eos in deſerto,nihilq; eis defuit:veſtimenta eorum non inueterauerunt,& pedes eorum non ſunt attriti. Et dediſti eis regna & populos,& partitus es eis ſortes , & poſſederunt terram Seon , & terram regis Heſebon, & terram Og regis Baſan . Et multiplicaſti filios eorum ſicut ſtellas cœli , & adduxiſti eos ad terram de qua dixeras patribus eorum , vt ingrederentur & poſſiderent.Et venerunt filij, & poſſederunt terram,& humiliaſti coràm eis habitatores

habitatores terrę Chananęos,& dediſti eos in manu eorum,& reges eorum,& populos terrę, vt facerẽt eis ſicut placebat illis.Cœperũt itaq; vrbes munitas & humũ pinguem, & poſſederũt domos plenas cũctis bonis: ciſternas ab eis fabricatas,vineas,& oliueta,& ligna pomifera multa:& comederũt,& ſaturati ſunt,& impinguati ſunt,& abundauerunt delicijs in bonitate tua magna.Prouocauerunt aũt te ad iracundiã & receſſerunt a te,& proiecerunt legẽ tuã poſt terga ſua:& prophetas tuos occiderunt,qui cõteſtabãtur eos, vt reuerterẽtur ad te:feceruntq; blaſphemias grãdes.Et dediſti eos in manum hoſtiũ ſuorũ,& afflixerunt eos.Et in tẽpore tribulationis ſuę clamauerunt ad te,& tu de cœlo audiſti , & ſecũdum miſerationes tuas multas dediſti eis ſaluatores qui ſaluarẽt eos de manu hoſtium ſuorũ. Cumq; requieuiſſent, reuerſi ſunt,vt facerẽt malum in cõſpectu tuo,& dereliquiſti eos in manu inimicorũ ſuorum,& poſſederunt eos. Cõuerſiq; ſunt, & clamauerunt ad te:tu aũt de cœlo exaudiſti,& liberaſti eos in miſericordijs tuis multis tẽporibus.Et cõteſtatus es eos, vt reuerterentur ad legẽ tuã.Ipſi verò ſuperbè egerunt & nõ audierunt mãdata tua,& in iudicijs tuis peccauerũt,quæ faciet homo,& viuet in eis:& dederunt humerũ recedẽtẽ,& ceruicem ſuã indurauerunt,nec audierũt. Et protraxiſti ſuper eos annos multos,& cõteſtatus es eos in ſpiritu tuo per manum prophetarum tuorum:& nõ audierunt,& tradidiſti eos in manum populorum terrarum. In miſericordijs autẽ tuis plurimis non feciſti eos in cõſumptionẽ nec dereliquiſti eos:quoniam Deus miſerationum, & clemens es tu. Nunc itaque Deus noſter magne,fortis & terribilis,cuſtodiens pactum & miſericordiam,ne auertas à facie tua omnem laborẽ qui inuenit nos reges noſtros,& principes noſtros,& ſacerdotes noſtros,& prophetas noſtros , & patres noſtros, & omnem populum tuum à diebus regis Aſſur,vſq; in diem hanc. Et tu iuſtus es in omnibus,quæ venerunt ſuper nos:quia veritatem feciſti nobis,nos autem impiè egimus.Reges noſtri,principes noſtri,ſacerdotes noſtri,& patres noſtri non fecerunt legem tuam,& non attenderunt mandata tua,& teſtimonia tua, quæ teſtificatus es in eis.Et ipſi in regnis ſuis bonis , & in bonitate tua multa quam dederas eis , & in terra latiſsima , & pingui quam tradideras in conſpectu eorum,non ſeruierunt tibi,nec reuerſi ſunt à ſtudij ſuis peſsimis. Ecce noſipſi hodie ſerui ſumus:& terra quam dediſti patribus noſtris,vt comederẽt panem eius, & quæ bona ſunt eius,& noſipſi ſerui ſumus in ea. Et fruges eius multiplicantur regibus quos poſuiſti ſuper nos propter peccata noſtra,& corporibus noſtris dominantur , & iumentis noſtris ſecundum voluntatem ſuam,& in tribulatione magna ſumus.Super omnibus ergo his noſipſi percutimus fœdus,& ſcribimus, & ſignãt principes noſtri,Leuitæ noſtri,& ſacerdotes noſtri.

CAPVT X.

† Ignati autem in libro hi fuerunt,Nehemias, Athersátha filius Hachelai,& Sedecias, Saraias, Azarias, Ieremias,Pheshur,Amarias,Melchias,Hartus,Sebenia,Melluch,Harem,Merimuth,Obdias,Daniel,Genthon,Baruch,Moſollã,Abia,Miamin,Maazia,Belgai,Semeia:hi ſacerdotes . Porrò Leuitæ, Ioſue filius Azaniæ,Bennui de filijs Henadad,Cedmiel:& fratres eorum,Sechenia,Odia,Celita,Phalaia, Hanan,Micha, Rohob,Haſebia,Zachur,Serebia,Sabania,Odiia,Bani,Baninu. Capita populi,Pharos,Phahathmoab,Aelã, Zethu,Bani,Bonni,Azgat,Bebai,Adonia,Begoai, Adin, Ater, Hezecia,Azur,Odiia,Haſum,Beſai,Hareph, Anathoth,Nebái,Megphias,Moſollam, Hazir, Mezizabel,Sadoch,Ieddua,Pheltia,Hanan,Anaia,Oſee,Hanania,Haſub,Aloheſ,Phalea,Sobec,Rehum,Maaſia,Echaia,Hanan,Anan,Melluch,Haram, Baana, & reliqui de populo,ſacerdotes.Leuitę,ianitores,& cantores,nathinæi,& omnes qui ſe ſeparauerunt de populis terrarum ad legem Dei,vxóres eorum, filij eorum,& filiæ eorum,omnes qui poterant ſapere. † Hos roborabãt vnà cum fratribus eorum,& optimatibus eorum,veniebãtq; ad pollicendum & iurandum , vt ambularẽt in lege Dei,quam dederat in manu Moyſi ſerui ſui,vt facerent, & cuſtodirent vniuerſa mãdata Dñi Dei noſtri, & iudicia eius & ceremonias eius,& vt non daremus filias noſtras populo terrę,& filias eorum non acciperemus filijs noſtris.Populi quoq; terrę,qui important venalia,& omnia ad vſum per diem ſabbati,vt vendant, non accipiemus ab eis in ſabbato & in die ſanctificato. Et dimittemus annum ſeptimum , & exactionẽ vniuerſę manus.Et ſtatuemus ſuper nos præcepta,vt demus tertiam partẽ ſicli per annũ ad opus domus Dei noſtri,ad panes præpoſitionis,& ad ſacrificium ſempiternum,& in holocauſtũ ſempiternũ in ſabbatis, in calendis,in ſolẽnitatibus,† pro ſanctificatis,† & hoſtia expiationis,vt exoretur pro Iſrael,& in omnẽ vſum domus Dei noſtri.Sortes ergo miſimus ſuper oblationẽ lignorũ inter ſacerdotes,Leuitas,& populum , vt inferrẽtur in domum Dei noſtri per domos patrũ noſtrorũ,† tẽporibus cõſtitutis per ſingulos annos : vt arderẽt ſuper altare Dñi Dei noſtri,ſicut ſcriptum eſt in lege Moyſi:& vt afferremus primogenita terræ noſtrę,& primitiua vniuerſi fructus omnis ligni ab anno in annum,in domo Domini,& primitiua filiorum noſtrorũ, & pecorum noſtrorũ ſicut ſcriptum eſt in lege,& primitiua boum noſtrorum,& ouium noſtrarum,vt offerrẽtur in domo Dei noſtri ſacerdotibus qui miniſtrant in domo Dei noſtri. † Primitias quoq; libaminum noſtrorũ,& ſeparationes noſtras,& poma omnis ligni,vindemiæ quoq;,& olei afferemus ſacerdotibus ad gazophylaciũ Dei noſtri,& decimã partẽ terræ noſtræ Leuitis. Ipſi Leuitæ decimas accipient ex omnibus ciuitatibus operum noſtrorum.Erit autem ſacerdos filius Aaron cum Leuitis in decimis Leuitarum, & Leuitæ offerent decimam partem decimæ ſuæ in domo Dei noſtri,ad gazophylacium in domo theſauri. Ad gazophylacium enim deportabunt filij Iſrael,& filij Leui primitias frumenti,vini,& olei,& ibi erunt:vaſa ſanctificata , & ſacerdotes † miniſtrantes,ianitores,& cantores,& non dimittemus domum Dei noſtri.

CAPVT XI.

HAbitauerunt autem principes populi in Ieruſalem : reliqua verò plebs miſit ſortem,vt tolleret vnã partem de decem, qui habitaturi eſſent in Ieruſalem ciuitate ſancta , nouem verò partes in ciuitatibus. Benedixit autem populus omnibus viris qui ſe ſponte obtulerãt , vt habitarent in Ieruſalem. Hi ſunt itaque principes prouinciæ qui habitauerunt in Ieruſalem,& in ciuitatibus Iuda. Habitauit autem vnuſquiſq;

vnuſquiſq; in poſſeſsione ſua,in vrbibus ſuis Iſrael,ſacerdotes, Leuitæ, nathinæi, & filij ſeruorum Salomonis. Et in Ieruſalem habitauerunt de filijs Iuda, & de filijs Beniamin:& de filijs Iuda, Athaias filius Aziam, filij Zachariæ, filij Amarię, filij Saphatiæ, filij Malaleel:de filijs Phares, Maaſia filius Baruch, filius Cholhoza, filius Hazia, filius Adaia, filius Ioiarib, filius Zachariæ, filius Silonites:omnes hi, filij Phares, qui habitauerũt in Ieruſalem, quadringenti ſexagintaocto viri fortes. Hi ſunt autem filij Beniamin:Sellu filius Moſollã, filius B Ioed, filius Phadaia, filius Colaia, filius Maſia, filius Ethcel, filius Isáia, & poſt eum Gebbai, Sellái: nongenti vigintiocto:& Iohel filius Zechri præpoſitus eorum, & Iudas filius Senua ſuper ciuitatem ſecundus. Et de ſacerdotibus, Idaia filius Ioarib, Iachin, Saraia, filius Helciæ, filius Moſollam, filius Sadoc, filius Meraioth, filius Achitob, princeps domus Dei, & fratres eorum, facientes opera templi:octingenti vigintiduo. Et Adaia filius Ieroham, filius Pheleia, filius Amſi, filius Zachariæ, filius Pheshur, filius Melchiæ, & fratres eius principes patrum, ducenti quadragintaduo. Et Amaſſai filius Azreel, filius Ahazi, filius Moſollamoth, filius Emmer, & fratres eorum potentes † viribus, centum vigintiocto: & præpoſitus eorum Zabdiel, filius potentium. Et de Leuitis Semeia filius Haſub, filius Azaricam, filius Haſabia, filius Boni, & Sabathái, & Iozabed, ſuper omnia opera, quæ erant forinſecus in domo Dei à principibus Leuitarum. Et Mathania filius Micha, filius Zebedei, filius Aſaph princeps ad laudandum, & ad confitendum in oratione, & Becbecia ſecundus de fratribus eius, & Abda, filius Sammua filius Galal, filius Idithun:omnes Leuitæ in ciuitate ſancta, ducenti octogintaquatuor. Et ianitores Accub, Telmon, & fratres eorum, qui cuſtodiebant oſtia: centum ſeptuagintaduo. Et reliqui ex Iſrael ſacerdotes, & Leuitæ in vniuerſis ciuitatibus Iuda, vnuſquiſque in poſſeſſione ſua. Et nathinæi qui habitabant in Ophel, & Siaha, & Gaſpha de nathinæis. Et epiſcopus Leuitarum in Ieruſalem, Azzi filius Bani, filius Haſabiæ, filius Mathaniæ, filius Michæ. De filijs Aſaph, cantores in miniſterio domus Dei. Præceptum quippe regis ſuper eos erat, & ordo in cantoribus per dies ſingulos, & Phathahia filius Meſezebel de filijs Zara filij Iuda † erat loco regis in omni cauſa populi, & in villis & agris eorum, de filijs Iuda habitauerũt in Cariatharbe & in filiabus eius, & in Dibon, & in filiabus eius, & in Cabſeel & in viculis eius, & in Ieſue, & in Molada, & in Bethphalet, & in Haſerſual, & in Berſabee, & in filiabus eius, & in Siceleg:& in Mochona, & in filiabus eius, & in Remmon, & in Saraa, & in Ierimuth, Zonoa, Odollam, & in villis earum, Lachis & in regionibus eius, Azeca, & in filiabus eius. Et manſerunt in Berſabee vſque ad vallem Ennom. Filij autem Beniamin, à Geba, Mechmas, & Hai, & Bethel, & filiabus eius: Anathoth, Nob, Anania, Aſor, Rama, Gethaim, Hadid, Seboim, & Neballat, Lod, & Ono, valle artificum:& de Leuitis portiones Iudæ & Beniamin.

CAPVT XII.

HI ſunt autem ſacerdotes, & Leuitæ qui aſcenderunt cum Zorobabel filio Salathiel, & Ioſue: Saraia, A Ieremi s, Eſd a, Amaria, Melluch, Hattus, Sebenias, Rchum, Merimuth, Addo, Genthon, Abia, Miamin, Madia, Belga, Semeia, & Ioiarib, Idaia, Sellum, Amoc, Helcias, Idaia. Iſti principes ſacerdotum, & fratres eorum in diebus Ioſue. Porrò Leuitæ, Ieſua, Bennui, Cedmiel, Sarebia, Iuda, Mathanias, ſuper hymnos ipſe, & fratres eius: & Becbecia atque Hanni, & fratres eorum vnuſquiſque in officio ſuo. Ioſue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliaſib, & Eliaſib genuit Ioiada, & Ioiada genuit Ionathan, & Ionathan genuit Ieddoa. In diebus autem Ioacim erant ſacerdotes, & principes familiarum, Sub Saraia, Maraia: Sub Ieremia, Hanania: Sub Eſdra, Moſollam: Sub Amaria, Iohanan: Sub Milico, Ionathan: Sub Sebenie, Ioſeph: Sub Haram, Edna: Sub Maraioth, Helci: Sub Adaia, Zacharia: Sub Genthon, Moſollã: Sub Abia, Zechri: Sub Miamin, & Moadia, Phelti: Sub Belga, Sammua: Sub Semaia, Ionathan: Sub Ioiarib, Mathanai: Sub Iodaia, Azzi: Sub Sellai, Celai: Sub Amoc, Heber: Sub Helcie, Haſebia: Sub Idaia, Nathanael. Porrò Leuitæ in diebus Eliaſib, & Ioiada, & Iohanã, & Ieddoa ſcripti principes familiarũ, & ſacerdotes in regno Darij Perſę. Filij Leui principes familiarũ ſcripti in libro verborũ dierũ, & vſq; ad dies Ionathã filij Eliaſib. Et principes Leuitarũ, Haſebia, Serebia, & Ieſue filius Cedmiel: & fratres eorũ † corã eis, vt laudarent, & cõfiterẽtur iuxta præceptũ Dauid viri Dei, & obſeruarẽt † cuſtodiã è regiõe cuſtodię. Mathania, & Becbecia, Obedia, Moſollam, Telmon, Accub cuſtodes portarũ, & veſtibulorum ante portas. Hi in diebus Ioacim filij Ioſuę, filij Ioſedec, & in diebus Nehemię ducis, & Eſdrę ſacerdotis ſcribęq;. In dedicatione autem muri in Ieruſalem requiſierunt Leuitas de omnibus locis ſuis, vt adducerent eos in Ieruſalem, & facerẽt dedicationem, & lætitiam in actione gratiarum, & cantico, & in cymbalis, pſalterijs, & citharis. Congregati ſunt autem filij cantorum, de campeſtribus circa Ieruſalem, & de villis Netuphati, & de domo Galgal, & de regionibus Geba, & Azmaueth:quoniam villas ædificauerunt ſibi cantores in circuitu Ieruſalem. Et mundati ſunt ſacerdotes & Leuitæ, & mundauerunt populum, & portas, & murum. Aſcendere autem feci principes Iuda ſuper murum, & ſtatui duos magnos choros laudantium. Et ierunt ad dexteram ſuper murum ad portam ſterquilinij. Et iuit poſt eos Oſaias, & media pars principum Iudæ, & Azarias, Eſdras, & Moſollam, Iuda, & Beniamin, & Semeia, & Ieremias. Et de filijs ſacerdotum in tubis Zacharias filius Ionathan, filij Semeiæ, filij Mathaniæ, filij Michaiæ, filij Zechur, filij Aſaph, & fratres eius Semeia, & Azareel, Malalai, Galalai, Maai, Nathanael, & Iuda, & Hanani, in vaſis cantici Dauid viri Dei: & Eſdras ſcriba ante eos † & iuxta portam fontis coràm eis aſcenderunt in gradibus ciuitatis Dauid in aſcenſu muri † vltra domum Dauid, & vſq; ad portam aquarum ad orientem. Et chorus ſecundus gratias referentium ibat ex aduerſo, & ego poſt eum, & media pars populi ſuper murum † vltra turrim furnorum, vſque ad murum latiſsimum, & ſuper portã Ephraim, & ſuper portam antiquam, & ſuper portam piſcium, & turrim Hananeel, & turrim † Mea, & vſque ad portam gregis: & ſteterunt in porta cuſtodiæ: ſteteruntque duo chori laudantium in domo Dei: & ego, & dimidia pars magiſtratuum mecum. Et ſacerdotes Eliacim, Maaſia, † Miniamin, Michęa, Elioenai, Zacharia,

D ria, Hanania in tubis, & Maaſia, & Semeia, & Eleazar, & Azzi, & Iohanan, & Melchia, & Aelam, & Ezer. Et clarè cecinerunt cantores, & Iezraia prępoſitus: & immolauerunt in die illa victimas magnas, & lętati ſunt, Deus enim lætificauerat eos lætitia magna. Sed & vxores eorum & liberi gauiſi ſunt, & audita eſt lętitia Ieruſalem procul. Recenſuerũt quoq; in die illa viros ſuper gazophylacia theſauri ad libamina, & ad primitias, & ad decimas, † quas inferebãt ex agris ciuitatum, portiones ſcilicet legales pro ſacerdotibus & Leuitis: quia lætificatus eſt Iuda in ſacerdotibus, & Leuitis aſtantibus. Et cuſtodierunt obſeruationem Dei ſui, & obſeruationem expiationis, & cantores, & ianitores iuxta præceptum Dauid, & Salomonis filij eius: quia in diebus Dauid & Aſaph ab exordio erant principes conſtituti cantorum in carmine laudantium, & cõfitentiũ Deo. Et omnis Iſrael in diebus Zorobabel, & in diebus Nehemiæ dabãt partes cantoribus, & ianitoribus per dies ſingulos, & ſanctificabant Leuitas, & Leuitæ ſanctificabant filios Aaron.

CAPVT XIII.

A IN die autem illo lectum eſt in volumine Moyſi audiente populo:& inuentum eſt ſcriptum in eò, quòd non debeant introire Ammonites, & Moabites in eccleſiam Dei, vſque in æternum: eò quòd non occurrerint filijs Iſrael cum pane & aqua, & conduxerint aduerſum eos Balaam ad maledicendum eis, & conuertit Deus noſter maledictionem in benedictionem. Factum eſt autem, cum audiſſent legem, ſeparauerunt omnem alienigenam ab Iſrael, Et † antehac erat Eliaſib ſacerdos † præpoſitus in gazophylacio domus Dei noſtri, & proximus Thobiæ. † Et fecerat ei gazophylacium grande, & ibi erant ante eum reponẽtes munera, & thus, & vaſa, & decimam frumenti, vini & olei, partes Leuitarum, & cantorum, & ianitorum, & † leuationes ſacerdotum. In omnibus autem his non fui in Ieruſalem, quia anno triceſimoſecundo Artaxerſis regis Babylonis veni ad regem:& in fine dierum rogaui regem. Et veni in Ieruſalem, & intellexi malũ quod fecerat Eliaſib Thobię, vt faceret ei † cubiculum in atrijs domus Dei. Et malum mihi viſum eſt valde. Et pro
B ieci vaſa domus Thobiæ foras de gazophylacio. Præcepiq;, & emundauerunt gazophylacium: & retuli ibi vaſa domus Dei, ſacrificium, & thus. Et cognoui quòd partes Leuitarum non fuiſſent datæ: & fugiſſet vnuſquiſque in regionem ſuam de Leuitis, & cantoribus, & de his qui miniſtrabant: & egi cauſam aduerſum magiſtratus, & dixi, Quare dereliquimus domum Dei? Et congregaui eos: & feci ſtare in ſtationibus ſuis. Et omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini, & olei in horrea. Et conſtituimus ſuper horrea Selemiam ſacerdotem, & Sadoch ſcribam, & Phadaiam de Leuitis, & iuxta eos Hanan filium Zachur, filium Mathaniæ: quoniam fideles comprobati ſunt, & ipſis creditæ ſunt partes fratrum ſuorum. Memento mei Deus meus pro hoc, & ne deleas miſerationes meas quas feci in domo Dei mei, & in ceremonijs eius. In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia in ſabbato, portantes aceruos, & onerantes ſuper aſinos vinum, & vuas, & ficus, & omne onus:& inferentes in Ieruſalem die ſabbati. Et conteſtatus ſum, vt in die, qua vende-
C reliceret, venderent. Et Tyrij habitauerunt in ea, inferentes piſces, & omnia venalia: & vendebant in ſabbatis filijs Iuda † in ipſa Ieruſalem:& obiurgaui optimates Iuda, & dixi eis, Quæ eſt hæc res mala quam vos facitis, & prophanatis diem ſabbati? Nunquid non hæc fecerunt patres noſtri, & adduxit Deus noſter ſuper nos omne malum hoc, & ſuper ciuitatem hanc? Et vos additis iracundiam ſuper Iſrael violando ſabbatum. Factum eſt autem, cum † adumbrarentur veſpere portæ Ieruſalem ante ſabbatum dixi: & clauſerunt ianuas, & præcepi vt non aperirent eas vſque poſt ſabbatum:& de pueris meis conſtitui ſuper portas, vt nullus inferret onus in die ſabbati. Et manſerunt negociatores, & vendentes vniuerſa venalia foris Ieruſalem ſemel & bis. Et conteſtatus ſum eos, & dixi eis, Quare manetis ex aduerſo muri? ſi ſecundò hoc feceritis, manum mittam in vos. Itaq; ex tempore illo non venerunt in ſabbato. Dixi quoq; Leuitis, vt mundarentur, & venirent ad cuſtodiendas portas, & ſanctificandum diem ſabbati: & pro hoc ergo memento mei Deus meus, & parce mihi
D ſecundum multitudinem miſerationum tuarum. Sed & in diebus illis vidi Iudęos ducentes vxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas. Et filij eorum ex media parte loquebantur Azoticè, & neſciebant loqui Iudaicè, & loquebantur iuxta linguam populi & populi. Et obiurgaui eos, & maledixi. Et cęcidi ex eis viros, & decaluaui eos, & adiuraui in Deo, vt non darent filias ſuas filijs eorum, & non acciperent de filiabus eorum filijs ſuis, & ſibimetipſis, dicens, Nunquid non in huiuſcemodi peccauit Salomon rex Iſrael? & certè in gentibus multis non erat rex ſimilis ei: & dilectus Deo ſuo erat, & poſuit eum Deus regem ſuper omnem Iſrael: & † tamen ipſum duxerunt ad peccatum mulieres alienigenę. † Vobis igitur cõſentiemus & faciemus omne malum grãde hoc, vt pręuaricemur in Deo noſtro, & ducamus vxores peregrinas? De filijs 3.Reg.3.b
autem Ioiada filij Eliaſib ſacerdotis magni † quidam erat gener Sanaballat Horonites, quẽ 3.Re. 11.a
fugaui à me. Recordare Domine Deus meus aduerſum eos qui polluũt ſacerdotium, iuſq; ſacerdotale, & Leuiticum. Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis: & conſtitui ordines ſacerdotum, & Leuitarum. Igitur mundaui eos ab omnibus alienigenis: & conſtitui ordines ſacerdotum, & Leuitarum, vnumquenq; in miniſterio ſuo: & in oblatione lignorum in temporibus conſtitutis, & in primitijs: memento mei Deus meus in bonum.

FINIS.

Liber

LIBER ESDRAE TERTIVS, QVI INTER APOCHRYPHA PONITVR.

CAPVT I.

4. Re 23.a
2. Par. 35.a

ET fecit Iosias pascha in Ierosolymis Domino, & immolauit phasę quartadecima luna primi mensis, statuens sacerdotes per vices dierum stolis amictos in templo Domini: & dixit Leuitis sacris seruis Israel, vt sanctificarent se Domino in positione sanctæ arcę Domini, in domo quam ædificauit Salomon filius Dauid rex. Non erit vobis tollere super humeros eam. Et nunc deseruite Domino vestro, & curam agite gentis illius Israel, ex parte secundum pagos & tribus vestras, secundum scripturam Dauid regis Israel: & secundum magnificentiam Salomonis filij eius, omnes in templo, & secundum partriculam principatus paternam vestram eorum, qui stant in conspectu fratrum filiorum Israel. Immolate pascha, & sacrificia parate fratribus vestris, & facite secundum præceptum Domini, quod datum est Moysi. Et donauit Iosias in plebem, quæ inuenta est, ouium, agnorum, & hœdorum, & caprarum triginta millia, vitulos tria millia: hæc de regalibus data sunt secundum promissionem populo: & sacerdotibus in pascha, oues numero duo millia, ac vituli centum. Et Iechonias, & Semeias, & Nathanael fratres, & Hasabias, & Oziel, & Coraba in phasę, oues quinq; millia, vitulos quingentos. Et hæc cum fierent eleganter, steterunt sacerdotes, & Leuitę, habentes azyma per tribus. Et secundum partes principatus patrum, in conspectu populi offerebant Domino, secundum ea, quæ in libro Moysi scripta sunt: & assauerunt phasę igni, prout oportebat: & hostias coxerunt in æneis vasis & ollis cum suaueolentia: & attulerunt omnibus qui erant ex plebe: & posthæc parauerunt sibi, & sacerdotibus. Sacerdotes enim offerebant adipes, vsq; dum finita esset hora: & Leuitæ parauerunt sibi, & fratribus suis filijs Aaron. Et sacri cantores filij Asaph erant per ordinem secundum præceptũ Dauid, & Asaph, & Zacharias, & Ieddimus, qui erat à rege. Et ostiarij per singulas ianuas, ita vt non præuaricaretur vnusquisq; suam: fratres enim illorum parauerunt illis. Et consummata sunt, quæ pertinebant ad sacrificium Domini. In illa die egerunt phasę, & offerebant hostias super Domini sacrificium, secundum præceptum regis Iosiæ. Et egerunt filij Israel, qui inuenti sunt in tempore illo, phasę: & diem festum azymorum per dies septem: & non est celebratum phasę tale in Israel, à temporibus Samuel propheræ: & omnes reges Israel non celebrauerunt tale pascha, quale egit Iosias, & sacerdotes, & Leuitæ, & Iudæi, & omnis Israel, qui inuenti sunt in commoratione Ierosolymis. Octauodecimo anno regnante Iosia, celebratum est phasę. Et directa sunt opera Iosiæ in conspectu Domini sui in corde pleno † pietatis: & quæ circa illum quidem conscripta sunt in pristinis temporibus de eis qui peccauerunt, quiq; irreligiosi fuerunt in Dominum præ omni gente, & qui non quæsierunt verba Domini super Israel. Et post omnem actum hunc Iosiæ, ascendit Pharao rex Ægypti veniens in Charcamis ab itinere super Euphráten, & exijt obuiã illi Iosias. Et misit rex Ægypti ad Iosiam dicens, Quid mihi & tibi est rex Iudæ? Non sum missus à Domino, vt pugnem contra te: super Euphráten enim bellum meum est, festinans descende. Et non est reuersus Iosias super currum: sed expugnare eum conabatur, non attendens verbum prophetæ ex ore Domini: sed constituit ad eum bellum in campo Mageddo. Et ascenderunt principes ad regem Iosiam. Et dixit rex pueris suis, Amouete me à prælio, infirmatus sum enim valde. Et statim amouerunt eum pueri ipsius de acie. Et ascendit super currum secundariũ suum: & perueniens Ierosolymam, vita functus est, & sepultus est in paterno sepulchro. Et in tota Iudæa lugebant Iosiam: & qui præsidebant, cum vxoribus lamentabant eũ vsq; in hunc diem. Et datum est hoc fieri semper in omne genus Israel. Hæc autem præscripta sunt in libro historiarũ regũ Iudę: & singula gesta actus Iosiæ, & eius gloria, & intellectus eius in lege Dñi: quęq; gesta sunt ab eo, & quæ non scripta sunt in libro regum Israel, & Iudæ. Et assumentes, qui erant ex gente Iechoniam filium Iosiæ, constituerũt regem pro Iosia patre suo, cum esset annorum trigintatrium. Et regnauit super Israel mensibus tribus. Et amouit eũ rex Ægypti, ne regnaret in Ierosolymis: & mulctauit gẽtem argenti talenta centũ, & auri talentũ vnũ. Et constituit rex Ægypti Ioacim fratrẽ ipsius, regẽ Iudę & Ierusalẽ: & alligauit magistratus Ioacim, & Zaracelem fratrem suũ, & apprehendens reduxit in Ægyptũ. Annorum erat Ioacim viginti quinq;, cum regnare cœpisset in terra Iuda & Ierusalẽ: & fecit malũ in conspectu Dñi. Post hunc autẽ ascendit Nabuchodonosor rex Babylonis, & alligans eum in æreo vinculo, perduxit in Babyloniam: & sacra vasa Domini accepit Nabuchodonosor, & tulit & consecrauit in templo suo in Babylonia. Nã de immunditia illius, & irreligiositate scriptum est in libro temporum regum. Et regnauit Ioachin filius eius pro eo. Cum autem constitutus esset rex, erat annorum decem & octo. Regnauit autem menses tres, & dies decem in Ierusalem: & fecit malum in cõspectu Domini: & post annum mittens Nabuchodonosor, transmigrauit eum in Babyloniam simul cum sacris vasis Domini. Et cõstituit Sedeciam regem Iuda, & Ierusalem, cum esset annorum viginti vnius. Regnauit autẽ annis vndecim. Et fecit malum in cõspectu Domini, & nõ est veritus à verbis, quæ dicta sunt ab Ieremia propheta ex ore Domini: & adiuratus à rege Nabuchodonosor, periurans discesserit: & indurata ceruice sua, & corde suo, transgressus est legitima Domini Dei Israel. Et duces populi Domini multa iniquè gesserũt, & impiè

Hier. 38.

egerunt

egerunt super omnes immunditias gentium: & polluerunt templum Domini, quod sanctum erat in Ierosolymis. Et misit Deus patrum ipsorum per angelum suum reuocare eos, propter quod parceret illis, & tabernaculo suo. Ipsi verò subsannabant in angelis suis: & qua die locutus est Dominus, erant illudentes prophetis eius. Qui vsq; ad iracundiam concitatus est super gentem suam, propter irreligiositatem suam, & præcepit ascendere reges Chaldæorum. Hi occiderunt iuuenes eorum in gladio, in circuitu sancti templi eorũ, & non pepercerunt iuueni, & seni, & virgini, & adolescẽti: sed omnes traditi sunt in manus ipsorũ, & omnia sacra vasa Domini, & regales apothecas resumentes tulerunt in Babyloniam, & incenderũt domum Domini, & demolierunt muros Ierusalem: & turres eius incenderunt igne, & consummauerunt omnia honorifica eius, & ad nihilum redegerunt, & reliquos à gladio duxerunt in Babylonem. Et erãt serui illius vsq; dum regnarent Persæ in repletione verbi Domini in ore Ieremiæ, quousq; benignè ageret terra sabbata sua, omni tempore desertionis suæ sabbatizauit in applicatione annorum septuagintaseptem. Hiere. 25.c & 29.c

CAPVT II.

A REgnante Cyro rege Persarum in consummatione verbi Domini in ore Ieremiæ, suscitauit Dominus spiritum Cyri regis Persarum, & prædicauit in toto regno suo simul per scripturam, dicens, Hæc dicit Cyrus rex Persarum, Me constituit regem orbi terrarum Dominus Israel, Dominus excelsus, & significauit mihi ædificare domum sibi in Ierusalé, quæ est in Iudea. Si quis est genere vestro, Dominus ipsius ascendat cum eo in Ierusalem. Quotquot ergo circa loca habitant, adiuuẽt eos qui sunt in loco ipso, in auro, & argento, in dationibus cum equis & iumentis, cũq; alijs quæ secundum vota apponuntur in ędem Domini quæ est in Ierusalem. Et stantes principes tribuum, pagorum, & Iudeę ex tribu Beniamin, & sacerdotes, & Leuitæ, quos excitauit Dominus ascendere, & ædificare domum Domini, quę est in Ierusalem, & qui erant in circuitu eorum, adiuuerunt in omni auro & argento eius, & iumentis, & votis compluribus multi quorũ sensus excitatus est. Et Cyrus rex protulit vasa sacra Domini, quæ trãstulit Nabuchodonosor rex Babylonis ex Ierusalem, & consecrauit ea idolo suo: & proferẽs ea Cyrus rex Persarum, & tradidit Mithridato, qui erat super thesauros ipsius. Per hũc autem tradita sunt Salmanasaro præsidi Iudææ. Horum autem hic numerus: Libatoria argentea duo millia quadringenta, athiscæ argenteæ triginta, phialę aureę triginta: item argenteę, duo millia quadringentæ, & alia vasa mille: omnia autem vasa aurea & argentea, quinque millia octingenta sexaginta. Et numerata sunt Salmanasaro simul cum his qui ex captiuitate Babyloniæ venerant in Ierosolymã. In Artaxersis autem regis Persarum temporibus scripserunt ei de his qui inhabitabant in Iudæa & Ierusalé, Balsamus, & Mithridatus, & Sabellius, & Rathimus, Balthemus, Samelius scriba, & reliqui inhabitantes in Samaria, & ceteris locis, subiectam epistolam regi Artaxersi. DOMINE pueri tui Rathimus ab accidentibus, & Sabellius scriba, et reliqui curię tuę iudices in Cœlesyria & Phœnice. Et nũc notum sit domino regi q; Iudæi qui ascenderunt à vobis ad nos, venientes in Ierusalem ciuitatem refugam & pessimam, ædificant † fora, & statuunt muros † eius & templum suscitant. Quòd si ciuitas ista, & muri consummati fuerint, non tantum tributa non sustinebunt pendere, sed etiam regibus resistent. Et quia id agitur circa tẽplum, rectè haberi arbitrati sumus non despicere hoc ipsum: sed notum facere dño regi, vt si videbitur, rex, quæratur in libris patrũ tuorũ, & inuenies in admonitionibus scripta de his, & scies q; ciuitas ista fuit refuga, & reges, & ciuitates concutiens, & Iudæi refugæ, & prælia committẽtes in ea ab æterno, ob quam causam ciuitas ista deserta est. Nunc ergo notũ facimus domine rex, q; si ciuitas hęc ędificata fuerit, & huius muri erecti fuerint, descensus tibi non erit in Cœlesyriam & Phœnicem. Tunc scripsit rex Rathimo, qui scribebat accidentia, & Balthemo, & Sabellio scribæ, & cæteris constitutis, & inhabitantibus in Syria & Phœnice ea, quæ subiecta sunt. LEGI epistolam quam misistis mihi. Præcepi ergo inquiri, & inuẽtum est q; ciuitas illa est ab æuo regibus resistens, & homines refugę, & prælia in ea efficientes, & fortissimi erãt in Ierusalem dñantes, & tributa exigentes à Cœlesyria & Phœnice. Nũc ergo præcepi prohibere homines illos ædificare ciuitatẽ, & prohibere nequid vltra hæc fiat, sed nec procedant † in maius malitiæ, ita vt regibus molestia importetur. Tũc recitatis his quę à rege Artaxerse scripta fuerant, Rathimus, & Sabellius scriba, & qui cum his constituti erant iungentes festinanter venerunt in Ierusalem cũ equitatu, & turba, & agmine: cœperuntq; ædificantes prohibere, & vacabant ab ædificatione templi in Ierusalem, vsq; ad secũdum annum regni Darij regis Persarum. 1. Esdr. 4.a

CAPVT III.

A REx Darius fecit cœnã magnam omnibus vernaculis suis, & omnibus magistratibus Mediæ & Persidis, & omnibus purpuratis, & prætoribus, & consulibus, & prefectis sub illo ab India vsq; Æthiopiã, centũ vigintiseptem prouincijs. Et cũ manducassent & bibissent, & satiati reuerterentur, tunc Darius rex ascendit in cubiculo suo, & dormiuit: & expergefactus est. Tũc illi tres iuuenes corporis custodes, qui custodiebant corpus regis, dixerunt alter alteri, Dicamus vnusquisq; nostrũ sermonem qui præcellat, & cuius-

B cunq; apparuerit sermo sapiẽtior alterius, dabit illi rex Darius dona magna purpura cooperiri, & in auro bibere, & super aurum dormire, & currum aureo freno, & cydarim byssinã, & torquem circa collum: & secũdo loco sedebit à Dario propter sapientiam suã, & cognatus Darij vocabitur. Tunc scribentes singuli suum verbũ signauerunt, & posuerũt subtus ceruical Darij regis, & dixerũt, Cũ surrexerit rex, dabimus illi scripta nostra: & quodcunq; iudicauerit rex è tribus, & magistratus Persidis, q; verbum eius sapientius est, ipsi dabi-

C tur victoria sicut scriptũ est. Vnus scripsit, Forte est vinũ. Alius scripsit, Fortior est rex. Tertius scripsit, Fortiores sunt mulieres: super omnia autẽ vincit veritas. Et cũ surrexisset rex, acceperũt scripta sua, & dederunt illi, & legit. Et mittens vocauit oẽs magistratus Persarũ, & Medos, & purpuratos, & prætores, & præfectos: & sederũt in cõcilio: & lecta sunt scripta corã ipsis. Et dixit, Vocate adolescentes, et ipsi indicabũt verba sua. Et vocati sunt, & introierũt. Et dixit illis, Indicate nobis de his quę scripta sunt. Et cœpit prior, q; dixerat de

rat de fortitudine vini,& dixit, Viri quàm prævalet vinum:omnibus hominibus qui bibũt illud? Seducit mentẽ. Itemq; regis & orphani facit mentẽ vnam. Itẽ ſerui ac liberi,pauperis ac diuitis & omnẽ mentẽ conuertit in ſecuritatem & iucunditatẽ,& non meminit omnem triſtitiam & debitum, & omnia præcordia facit honeſta,& non meminit regem,nec magiſtratum,& omnia per talenta loqui facit. Et non meminerunt cũ biberunt,amicitiam nec fraternitatẽ:ſed non multo pòſt ſumũt gladios:& cum à vino emerſerint, & ſurrexerint,nõ meminerunt q̃ geſſerũt. O viri,nónne præcellit vinũ? quod ſic cogit facere? Et tacuit hoc dicto.

CAPVT IIII.

ET inchoauit ſequens dicere,qui dixit de fortitudine regis. O viri,nónne præcellunt homines, qui terram & mare obtinent,& omnia quæ in eis ſunt? Rex autem ſuper omnia præcellit, & dominatur eorum:& omne quodcunq; dixerit illis,faciunt. Et ſi miſerit illos ad † hoſtes,vadunt,& demoliunt montes,& muros,& turres. Iugulantur,& iugulant,& regis verbum non prætereunt:nam ſi vicerint,afferunt regi omnia quæcunq; prædati fuerint. Similiter & alij omnes,& quotquot non militant,nec pugnant, ſed coſunt terram,rurſum cum fuerint metẽtes,afferunt tributa regi:& ipſe vnus ſolus ſi dixerit,occidite, occidũt: dixerit remittite,remittunt:dixerit percutite,percutiunt:dixerit exterminate,exterminant:dixerit ædificate, ædificant:dixerit excidite,excidunt,dixerit plantate,plantant:& omnis plebs,& virtutes eum obaudiunt, & ſuper hoc ipſe recumbit,& bibit,& dormit. Hi autem cuſtodiunt in circuitu eum, & nõ poſſunt ire ſinguli, & facere opera ſua,ſed in dicto obaudientes ſunt ei. Viri,quomodo non præcellit rex, qui ſic diffamatur? Et tacuit. Tertius qui dixerat de mulieribus & veritate,hic eſt Zorobabel,cœpit loqui. Viri, non magnus rex, & multi homines,nec vinum præcellit. Quis eſt ergo,qui dominatur eorum? Nónne mulieres genuerũt regem,& omnem populũ,qui dominatur mari & terræ:& ex illis nati ſunt, & ipſæ educauerunt eos qui plantauerunt vineas,ex quibus vinum fit? Et ipſæ faciũt ſtolas omnium hominum, & ipſæ faciunt gloriã hominibus,& non poſſunt homines ſeparari à mulieribus. Si congregauerint aurum & argẽtum & oẽm rem ſpecioſam,& viderint mulierem vnã bono habitu,& bona ſpecie,omnia hæc relinquẽtes in eam intendunt,& aperto ore conſpiciunt,& eã alliciunt magis,q̃ aurum & argentũ, & omnem rem pretioſam. Homo patrẽ ſuum relinquit,qui enutrijt illum & ſuã regionem, & ad mulierẽ ſe coniungit. Et cum muliere remittit animam:& neque patrem meminit,neq; matrem,neq; regionem. Et hinc oportet vos ſcire,quòd mulieres dominantur veſtri.† Nónne laboratis,& defatigamini, & omnia mulieribus datis & affertis? Et accipit homo gladium ſuum,& vadit in viã facere furta,& homicidia,& mare nauigare,& flumina, & leonem videt, & in tenebris ingreditur:& cum furtum fecerit,& fraudes,& rapinas,amabili ſuæ affert. Et iterum, diligit homo vxorẽ ſuam magis q̃ patrem,aut matrẽ. Et multi dementes facti ſunt propter vxores ſuas & ſerui facti ſunt propter illas,& multi perierunt & iugulati ſunt,& peccauerũt propter mulieres. Et non credite mihi,q; magnus eſt rex in poteſtate ſua:quoniã omnes regiones verentur tãgere eum. Videbam tamen Apemen filiam † Bartaci mirifici concubinã regis ſedentem iuxta regem ad dexterã, & auferentem diadema de capite eius, & imponentẽ ſibi,& palmis cædebat regem de ſiniſtra manu. Et ſuper hæc aperto ore intuebatur eam: & ſi arriſerit ei,ridet:† ſi verò indignata ei fuerit, blanditur,donec reconcilietur in gratiam. O viri, cur non ſunt fortiores mulieres,† quæ ita agũt? Et tunc rex,& purpurati intuebãtur in alterutrũ. Et inchoauit loqui de veritate. O viri,nónne fortes ſunt mulieres? Magna eſt terra,& excelſum eſt cœlũ:& velox curſus ſolis, conuertit in gyro cœlũ in locum ſuũ in vna die. Nonne magnificus eſt,qui hæc facit? Et veritas magna,& fortior præ omnibus. Omnis terra veritatẽ inuocat,cœlũ etiã ipſam benedicit,& omnia opera mouentur & tremũt eam,& nõ eſt cũ ea quicquã iniquum. Vinũ iniquum,iniquus rex,iniquæ mulieres,iniqui oẽs filij hominũ, & iniqua illorũ omnia opera,& nõ eſt in ipſis veritas,& in ſua iniquitate peribũt:& veritas manet,& invaleſcit in æternũ,& viuit,& obtinet in ſæcula ſeculorũ. Nec eſt apud eã accipere pſonas, neq; differẽtias:ſed quæ iuſta ſunt facit omnibus,iniuſtis ac malignis,& oẽs † afficiuntur operibus eius. Et nõ eſt in iudicio eius iniquum,ſed fortitudo,& regnũ,& poteſtas,& maieſtas oĩum ætuorũ. Benedictus Deus veritatis. Et deſiit loquẽdo. Et omnes populi clamauerũt,& dixerũt,Magna eſt veritas,& prævalet. Tũc rex ait illi,Pete, ſi quid vis, amplius,q̃ quæ ſcripta ſunt,& dabo tibi,ſecundũ quod inuentus es ſapiẽtior proximis, & proximus mihi ſedebis,& cognatus meus vocaberis. Tũc ait regi,Memor eſto voti tui,quod vouiſti, ædificare Ieruſalẽ, in die qua regnũ accepiſti:& omnia vaſa quę accepta ſunt ex Ieruſalẽ,remittere,quæ ſeparauit Cyrus,qũ † optauit excidere Babyloniam,& voluit remittere ea ibi. Et tu vouiſti ædificare tẽplum,quod incenderunt Idumæi, quando exterminta eſt Iudæa à Chaldæis. Et nunc hoc eſt quod poſtulo domine, & quod peto, hoc eſt maieſtas quod à te poſtulo,vt facias votum quod vouiſti regi cœli ex ore tuo. Tunc ſurgẽs Darius rex, oſculatus eſt illum:& ſcripſit epiſtolã ad omnes diſpenſatores,& præfectos,& purpuratos,vt deducerẽt eum,& eos qui cum illo erant,omnes aſcendentes ædificare Ieruſalem. Et omnibus præfectis qui erãt in Syria, & Phœnice, & Libano ſcripſit epiſtolas,vt traherent ligna cedrina à Libano in Ieruſalem,vt ædificarent cum eis ciuitatẽ. Et ſcripſit omnibus Iudæis qui aſcendebant à regno in Iudæam pro libertate,omnem potẽtem,& magiſtratum,& præfectum non † accedere ad ianuas ipſorum, & omnem regionem quam obtinuerant immunem eſſe eis,& Idumæi relinquant caſtella quæ obtinẽt Iudæorum, & in ſtructuram templi dare per ſingulos annos talenta viginti,vſq; dum perædificaretur:& ſuper ſacrarium holocauſtomata † adhibere quotidie, ſicut habent præceptum,alia talenta decem † & ſeptem offerre per ſingulos annos, & omnibus qui procedunt à Babylonia cõdere ciuitatem:vt eſſet libertas tam ipſis quàm filijs eorum,& omnibus ſacerdotibus qui præcedunt. Scripſit autem & † contributionem,& ſacram ſtolam iuſſit dari in qua deſeruirẽt, & Leuitis ſcripſit dare † contributionem, vſq; in diem qua cõſummabitur domus, & Ieruſalem extruetur:& omnibus cuſtodientibus ciuitatem,ſcripſit dari eis ſortes & ſtipendia. Et dimiſit omnia vaſa quæcunq; ſeparauerat Cyrus à Babylonia,

Babylonia,& omnia quæcunq; dixit Cyrus,& ipſe præcepit fieri, & mitti Ieruſalẽ. Et cum proceſſiſſet ille adoleſcens,eleuans faciem in Ieruſalem,benedixit regem cœli,& dixit,Abs te eſt victoria, & abs te eſt ſapiẽtia & claritas. Et ego ſeruus tuus ſum. Benedictus es,qui dediſti mihi ſapientiam, & tibi confitebor Domine Deus patrum noſtrorum. Et accepit epiſtolas,& profectus eſt in Babyloniam. Et venit, & nũtiauit fratribus ſuis omnibus qui fuerunt in Babylonia:& benedixerũt Deum patrum ſuorum, & quòd dedit illis remiſſionem & refrigerium,vt aſcenderent & ædificarent Ieruſalem & templum vbi nominatum eſt nomen eius in ipſo,& exultauerunt cum muſicis & lætitia diebus ſeptem.

CAPVT V.

POſt hæc autem electi ſunt,vt aſcenderent principes pagorum per domos, & tribus ſuas, & vxores illorum,& filij & filiæ eorum,& ſerui & ancillæ ipſorum,& pecora eorum. Et Darius rex miſit vnà cũ eis equites mille,donec deducerent eos in Ieruſalẽ cum pace,& cum muſicis, & cum tympanis & tibijs:& omnes fratres erant ludentes,& fecit eos aſcendere ſimul cum eis. Et hæc ſunt nomina virorũ,qui aſcenderũt per pagos ſuos in tribus,& in partem principatus ipſorum. Sacerdotes: Filij Phinees,filij Aaron, Ieſus filius Ioſedec,Ioacim filius Zorobabel filij Salathiel de domo Dauid,ex progenie Phares,de tribu Iuda, qui locutus eſt ſub Dario rege Perſarum ſermones mirificos in ſecundo anno regni ipſius menſe Niſan primo. Sunt autẽ hi,qui aſcenderunt ex Iudea de captiuitate tranſmigrationis,quos tranſmigrauit Nabuchodonoſor rex Babyloniæ in Babylonem, & reuerſus eſt in Ieruſalem. † Et reliquam Iudæam vnuſquiſq; in ciuitatem ſuã, qui venerunt cũ Zorobabel & Iehu,Nehemia,† Zacharia, Reeſeo, Enetrio,Mardocheo, Beelſaro,† Aſpharaſo,Reelio Roimo,Baana,qui erant duces eorum:numerus eorum,qui erant ex gente,et duces eorum. Filij Phares,duo millia centum ſeptuagintaduo:filij Ares,tria millia centũ quinquagintaſeptẽ:filij Phemo,centũ quadraginta duo:in filijs Ieſu Ioabes, mille trecẽti duo:filij Demu,duo millia quadringenti ſeptuaginta:filij Choraba,ducentiquinq;:filij Banica,centũ ſexagintaocto:filij Bebec,quadringẽtitres:filij Archad, quadringenti vigintiſeptẽ:filij Chan,trigintaſeptem:filij Zoroar,duomillia ſexagintaſeptẽ:filij Adinu,quadringenti ſexaginta vnus:filij Aderecẽtis,centũoctoginta octo:filij Ciaſo & Zelas,centumſeptẽ:filij Azoroc, quadringenti triginta nouẽ:filij Iedarbone,centũ trigintaduo:filij Ananiæ,centum triginta: filij Aſoni,nonaginta:filij Marſar, quadringenti vigintiduo:filij Zabarus,nonagintaquinq;:filij Sepolemon, centũ viginti tres, filij Nepopas, quinquagintaquinq;:filij Hechanatus,centũ quinquagintaocto:filij Cebethamus centum triginta duo: filij Crearpatros,qui Enocadies,& Modię,quadringenti vigintitres:qui ex Gramas & Gabea,centũ vigintivnus: qui ex Beſſelon,& Ceagge,ſexagintaquinq;,qui ex Baſtaro,centũ vigintiduo. Qui ex Bechenobes, quinquagintaquinq;:filij Liptis,centũ quinquagintaquinq;:filij Labonni,trecenti quinquaginta ſeptẽ:filij Sichẽ, trecẽti ſeptuaginta:filij Suadon,& Cliomus,trecẽti ſeptuagintaocto:filij Eticus,duo millia centũ quadragintaquinq;:filij Anaas,trecenti ſeptuaginta. Sacerdotes:Filij Ieddus:filij Euther,filij Eliaſib,trecẽti ſeptuagintaduo:filij Emerus,ducẽti quinquagintaduo:filij Phaſuri:trecẽti quinquagintaſeptẽ:filij Caree,ducẽti viginti-ſeptem. Leuitæ:Filij Ieſu in Caduhel, & Bamis,& Serebias,& Edias,ſeptuagintaquatuor:omnis numerus à duodecimo anno, triginta millia quadringenti ſexagintaduo. Filij & filiæ,& vxores omnis computatio,quadraginta millia ducẽti quadraginta duo. Filij ſacerdotũ,qui pſallebant in tẽplo:filij Aſaph,centum viginti-octo. Oſtiarij verò:filij Eſmẽni,filij Azer,filij Amon,filij Accuba,Topa filij Tobi,oẽs cẽtum triginta nouẽ. Sacerdotes ſeruientes templo:filij Sel,filij Gaſpha,filij Tobloch,filij Carie,filij Su,filij Hellu,filij Labana;filij Armacha,filij Accub,filij Vtha,filij Cetha,filij Aggab,filij Obai, filij Anani,filij Canna,filij Geddu, filij An,filij Radin,filij Deſanon,filij Nachoba,filij Caſeba,filij Gaze,filij Ozui,filij Sinone,filij Attre, filij Haſtẽ,filij Aſiana,filij Manei,filij Naſiſim,filij Accuſu,filij Agiſta,filij Azui,filij Fauõ,filij Phaſalõ, filij Meedda,filij Phuſa,filij Caree,filij Barcus,filij Saree,filij Coeſi,filij Naſith,filij Agiſti,filij Pedon. Salomõ filij eius filij Aſophor,filij Phazida,filij Celi,filij Dedon,filij Gaddael,filij Sephegi,filij Aggia,filij Sachareth, filij Sabathen: filij Caroneth, filij Malſith, filij Amæ, filij Saſus, filij Addus, filij Suba,filij Eura, filij Rahotis,filij Phaſphath,filij Malmon. Omnes ſacro ſeruientes,& pueri Salomonis,quadringenti octogintaduo. Hi ſunt filij qui aſcenderunt à Thelmela Thelarſa:principes eorum,Carmellam,& Careth: & non poterant edicere ciuitates ſuas,& progenies ſuas,quemadmodum ſint ex Iſrael. Filij Dalari,filij Tubal,filij Nechodaici, ex ſacerdotibus,qui ſungebãtur ſacerdotio:& nõ ſunt inuenti filij Obia,filii Achiſos,filij Addin,qui accepit vxorem ex filiabus Phargeleu:& vocati ſunt nomine eius, & horum quæſita eſt generis ſcripta in † recenſione, & non eſt inuẽta,& prohibiti ſunt ſacerdotio fungi. Et dixit illis Nehemias,& Aſtharas,Ne participẽt ſancta donec exurgat pontifex doctus in oſtenſionẽ,& veritatem. Omnis autẽ Iſrael erat,exceptis ſeruis, & ancillis, quadragintaduo millia trecenti quadraginta. Serui horũ,& ancillæ:ſeptem millia trecenti triginta ſeptem. Cantores,& cantatrices:ducenti ſexagintaquinq;. Cameli,quadringenti trigintaquinq;. Equi:ſeptẽ millia trigintaſex. Muli:ducenta millia quadragintaquinq;. Subiugalia quinq; millia vigintiquinq;. Et de præpoſitis ipſis per pagos,dum venirent in tẽplum Dei,quod erat in Ieruſalem,innouare, & ſuſcitare templũ in loco ſuo,ſecundum ſuam virtutem:& dari in templum theſaurorum operũ ſacrum auri mnas duodecim millia,& mnas argenti quinq; millia,& ſtolas ſacerdotales centum. Et habitauerunt ſacerdotes, & Leuitę,& qui exierant de plebe in Ieruſalẽ & in regione,& ſacri cantores,& oſtiarij,& omnis Iſrael in regionibus ſuis. Inſtante autẽ ſeptimo menſe,cumq; eſſent filij Iſrael vnuſquiſq; in rebus ſuis, conuenerunt vnanimes in atriũ, quod erat ante ianuam orientalem. Et ſtantes Ieſus filius Ioſedec, & fratres eius ſacerdotes, & Zorobabel filius Salathiel,& huius fratres,parauerunt altare,vt offerrent ſuper illud holocauſtomata, ſecundum quòd in libro Moyſi hominis Dei ſcripta ſunt. Et conuenerunt ibi ex alijs nationibus terræ, & erexerunt ſacrarium in loco ſuo omnes gẽtes terræ,& offerebant hoſtias, & holocauſtomata Dño matutina. Et egerunt ſcenopegiam,

1. Eſdr. 1.a

1. Eſdr. 3.a

giam,& diem ſolennem:ſicut præceptum eſt in lege:& ſacrificia quotidie, ſicut oportebat:& poſt hæc oblationes inſtitutas,& hoſtias ſabbatorũ,& neomeniarum,& dierũ ſolẽnium omniũ ſanctificatorũ. Et quotquot vouebant Dño à neomenia ſeptimi meſis,cœperunt hoſtias offerre Deo,& templũ Dñi nondum erat ædificatum.Et dederunt pecuniam lapidarijs & fabris,& potum, & pabula cum gaudio. Et dederunt carra Sidonijs,& Tyrijs,vt tranſuecherent illis de Libano trabes cedrinas,& facerẽt rates in Ioppe portu, ſecundũ decretum quod ſcriptũ erat eis à Cyro rege Perſarũ. Et in ſecundo anno veniẽtes in templũ Dei in Ieruſalẽ, mẽſe ſecũdo inchoauit Zorobabel filius Salathiel,& Ioſue filius Ioſedech,& fratres ipſorũ,& ſacerdotes,& Leuitæ,& oẽs qui venerant de captiuitate in Ieruſalẽ:& fundauerunt tẽplum Dei nouilunio ſecũdi menſis ſecũdi anni,cum veniſſent in Iudæam & Ieruſalẽ.Et ſtatuerunt Leuitas à viginti annis,ſuper opera Dñi:& ſtetit Ieſus & filius eius & fratres,omnes Leuitæ conſpirantes,& executores legis,facientes opera in domo Domini. Et ſteterunt ſacerdotes habentes ſtolas cum tubis:& Leuitæ filij Aſaph, habentes cymbala collaudantes Dominum, & benedicẽtes ſecundum Dauid regem Iſrael.Et cantabant canticum Domino,quoniam dulcedo eius,& honor in ſecula ſuper omnem Iſrael.Et omnis populus tuba cecinerunt, & proclamauerũt voce magna collaudantes Dominum in ſuſcitatione domus Domini.Et venerunt ex ſacerdotibus,& Leuitis, & præſidentibus ſecundum pagos ſenioribus,qui viderant priſtinam domum:& ad huius ædificationem cum clamore & planctu magno,& multi cum tubis & gaudio magno,intantum vt populus non audiret tubas propter planctum populi.Turba enim erat tubis canẽs magnificè,ita vt longè audiretur. Et audierunt inimici tribus Iudæ,& Beniamin,& venerunt ſcire quæ eſſet vox tubarum.Et cognouerunt,quòd qui erant ex captiuitate,ædificant templum Dño Deo Iſrael.Et accedẽtes ad Zorobabel,& Ieſum præpoſitos pagorum, dixerunt eis,Ædificabimus vnà vobiſcum:ſimiliter enim audiuimus Dominum veſtrum, & ipſi pariter incedimus à diebus Asbazareth regis Aſſyriorum,qui tranſmigrauit nos huc. Et dixit illis Zorobabel, & Ieſus,& principes pagorum Iſrael.Non eſt nobis & vobis ædificare domum Dei noſtri. Nos enim ſoli ædificabimus Domino Iſrael ſecundum ea quæ præcepit nobis Cyrus rex Perſarum.Gentes autem terrę incumbentes his qui † erant in Iudæa,& † obſidentes prohibebant ædificationem,& inſidias,& populos adducẽtes, prohibebant eos ædificare,& aggreſſuras exercentes impedierunt,ne conſummaretur ædificium omni tempore vitæ Cyri regis,& protraxerunt ſtructuram per biennium,vſq; ad Darij regnum.

1. Eſdr. 4.a

CAPVT VI.

IN ſecundo autem anno regni Darij,& prophetauit Aggæus,& Zacharias filius Addin prophetę apud Iudæam & Ieruſalem in nomine Dei Iſrael ſuper eos.Tunc ſtans Zorobabel filius Salathiel, & Ieſus filius Ioſedec,inchoauerunt ædificare domum Domini, quæ eſt in Ieruſalem:cum adeſſent eis prophetæ Dñi, & adiuuarent eos.In ipſo tempore venit ad illos Siſennes ſubregulus Syriæ,& Phœnicis,& Satrabuzanes,& ſodales eius,& dixerunt eis,Quo præcipiente vobis domum hãc ędificatis,& tectum iſtud,& alia omnia perficitis? Et qui ſunt ſtructores,qui hæc ædificant? Et habuerunt gratiam viſitatione facta ſuper eos, qui erant ex captiuitate à Dño ſeniores Iudæorũ,& non ſunt impediti ædificare, donec ſignificaretur Dario de omnibus iſtis,& reſponſum acciperetur.Exemplũ epiſtolæ quã miſerunt Dario. SISENNES ſubregulus Syriæ,& Phœnicis,& Satrabuzanes,& ſodales eius in Syria,& Phœnice præſides,regi Dario ſalutẽ. Omnia nota ſunt domino regi,q; cum veniſſemus in regionem Iudææ,& introiſſemus in Ieruſalem, inuenimus ædificantes domum Dei magnam:& tẽplum ex lapidibus politis,& magnis,& pretioſis materijs in parietibus,& opera illa inſtanter fieri,† & proſperare in manibus eorũ, & in omni gloria q̃ diligẽtiſſimè perfici. Tunc interrogauimus ſeniores,dicentes,Quo permittẽte vobis ædificatis domum iſtam,& opera hæc fundatis? Ideo autem interrogauimus eos,vt notũ faceremus tibi:homines & præpoſitos , & nominũ ſcripturam † ab ipſis præpoſitis poſtulauimus. At illi reſponderunt nobis dicentes,Nos ſumus ſerui Dñi, qui fecit cœlum & terram,& ædificabatur hæc domus ante annos iſtos multos à rege Iſrael magno & fortiſſimo , & conſummata eſt.Et quoniam patres noſtri exacerbantes erant,& peccauerũt in Deum Iſrael,tradidit eos in manus Nabuchodonoſor regis Babyloniæ,regis Chaldęorũ,& domũ iſtam demolientes incenderũt, & populum captiuũ duxerunt in Babylonem. In primo anno regnante Cyro rege Babyloniæ,ſcripſit Cyrus rex domum hanc ædificare:& illa ſacra vaſa aurea & argentea quæ extulerat Nabuchodonoſor de domo quæ eſt in Ieruſalem, & conſecrauerat ea in ſuo templo,rurſus protulit ea Cyrus rex de templo quod erat in Babylonia, & tradita ſunt Zorobabel,& Salmanaſaro ſubregulo:& præceptum eſt eis vt offerrent hæc vaſa,& reponerent in templo,quod erat in Ieruſalem,& ipſum templum Dei ædificare in loco ſuo. Tunc Salmanaſarus ſubiecit fundamenta domus Domini,quæ eſt in Ieruſalem:& exinde vſq; nunc ædificatur , & non accepit conſummationem.Nunc ergo ſi iudicatur à te ò rex,perquiratur in regalibus bibliothecis Cyri regis , quæ ſunt in Babylonia:& ſi inuentum fuerit conſilio Cyri regis cœptam eſſe ſtructuram domum Domini,quæ eſt in Ieruſalem,& iudicabitur à domino rege noſtro,ſcribat de his nobis. Tũc Darius rex prędcepit inquiri in bibliothecis,& inuentus eſt in Ecbathanis oppido,quod eſt in media regione locus vnus, in quo ſcripta erant iſta, ANNO primo regnante Cyro,rex Cyrus præcepit domum Domini,quæ eſt in Ieruſalem ędificare,vbi incendebant igni aſſiduo,cuius altitudo ſit cubitorum † ſexaginta,& altitudo cubitorũ ſexaginta,quadratum lapidibus politis tribus,& meniano ligneo eiuſdem regionis † vno nouo, & impędia dari de domo Cyri regis : & ſacra vaſa domus Domini tam aurea quàm argentea, quæ extulit Nabuchodonoſor in domum Domini,quæ eſt in Ieruſalem,vbi erant poſita , vt ponantur illic ; & præcepit curam agere Siſennem ſubregulum Syriæ , & Phœnicis , & Satrabuzanem , & ſodales eius,& qui ordinati erant in Syria & Phœnice præſides,vt abſtinerent ſe ab eodem loco.Et ego quoq; præcepi in totum ædificare : & proſpexi, vt aduuent eos, qui ſunt ex captiuitate Iudæorum,donec conſummetur tẽpus ędis Domini: & à vexatione tributorum Ceſyriæ

1. Eſdr. 5.a

1. Eſdr. 6.a

leſyrię & Phœnicis,diligenter quãtitatem dari his hominibus ad ſacrificiũ Domini, Zorobabel præfecto ad tauros,& arietes,& agnos,ſimiliter autem & frumentum,& ſal,& vinum,& oleum inſtãter per ſingulos annos: prout ſacerdotes qui ſunt in Ieruſalem,dictauerunt conſumi quotidie ſine vlla dilatione , vt offerantur libationes ſummo Deo pro rege & pueris eius,& orẽt pro ipſorum vita:& denuntietur,vt quicũq; tranſgreſſi fuerint aliquid ex his quæ ſcripta ſunt,aut ſpreuerint,accipiatur lignum de ſuis proprijs, & ſuſpendantur, & bona ipſorum regi aſcribantur.Propterea & Dominus,cuius nomẽ inuocatum eſt ibi , exterminet omnẽ regem & gentem,qui manum ſuam extenderit prohibere,aut malè tractare domum Domini,illam quæ eſt in Ieruſalem.Ego Darius rex decreui quàm diligentiſsimè ſecundum hæc fieri.

CAPVT VII.

TVnc Siſennes ſubregulus Cœloſyriæ , & Phœnicis & Satrabuzanes, & ſodales obſecuti his quę à Dario rege erant decreta,inſiſtebant ſacroſanctis operibus diligentiſsimè, cooperantes cũ ſenioribus Iudęorum principibus Syriæ , & proſperata ſunt ſacroſancta opera propheratibus Haggæo & Zacharia prophetis.Et conſummauerũt omnia per præceptum Domini Dei Iſrael,& ex conſilio Cyri, & Darij,& Artaxerxis regis Perſarum.Et conſummata eſt domus noſtra vſq; ad tertiam & vicesimam diẽ menſis Adar, ſexto anno Darij regis. Et fecerunt filij Iſrael,& ſacerdotes,& Leuitæ,et cæteri qui erant ex captiuitate , qui appoſiti ſunt ſecundum ea quæ ſcripta ſunt in libro Moyſi. Et obtulerunt in dedicationem templi Domini, tauros centum,arietes ducẽtos,agnos quadringentos,& hœdos pro peccatis vniuerſi Iſrael duodecim,ſecundum numerum tribuum Iſrael.Et ſteterunt ſacerdotes,& Leuitæ amicti ſtolis per tribus ſuper omnia opera Dñi Dei Iſrael ſecundum librum Moyſi,& oſtiarij per ſingulas ianuas. Et egerũt filii Iſrael cum his qui erãt ex captiuitate illud phaſe quartadecima luna menſis primi,quãdo ſanctificati ſunt ſacerdotes & Leuitæ. Oẽs filii captiuitatis non ſunt ſimul ſanctificati,quia Leuitæ omnes ſimul ſanctificati ſunt.Et immolauerũt phaſe vniuerſi filii captiuitatis,& fratribus ſuis ſacerdotibus,& ſibimetipſis. Et manducauerunt filii Iſrael , qui erant ex captiuitate omnes qui remanſerant ab omnibus execrationibus gentium terræ quærẽtes Dominũ, & celebrauerunt diem feſtum azymorum ſeptem diebus epulantes in conſpectu Domini,quoniam conuertit conſilium regis Aſſyriorum in eos,confortare manus eorum ad opera Domini Dei Iſrael.

1. Eſdr. 6.c

CAPVT VIII.

ET poſt hunc regnãte Artaxerſe Perſarum rege acceſsit Eſdras filius Azariæ,filij Helciæ,filij Solome,filij Sadoc , filij Achitob , filij Ameri , filij Azahel,filij Bocci,filij Abiſue,filij Phinees, filij Eleazari,filij Aaron primi ſacerdotis:hic Eſdras aſcẽdit de Babylonia , cum eſſet ſcriba & ingenioſus in lege Moyſi, quæ data eſt à Domino Deo Iſrael docere & facere.Et dedit ei rex gloriam q̃ inueniſſet gratiam in omni dignitate & deſyderio in conſpectu eius.Et aſcenderunt ſimul cum ipſo ex filijs Iſrael,& ſacerdotibus,& Leuitis,& ſacris cantoribus templi,& oſtiarijs,& ſeruis templi in Ieruſalem. Anno ſeptimo regnãte Artaxerſe in quinto menſe,hic annus ſeptimus eſt regni,exeuntes de Babylonia nouilunio quinti menſis,venerunt Ieroſolymam iuxta præceptũ illius ſecundum proſperitatem itineris à dño ipſorũ datam eis. In his enim Eſdras magnam diſciplinam obtinebat,ne prætermitteret quicquã eorum,quæ eſſent ex lege Dñi & præceptis : & docendo vniuerſum Iſrael,omnẽ iuſtitiam & iudicium.Accedentes autem , qui ſcribebant ſcripta Artaxerſis regis,tradiderunt ſcriptum quod obuenerat ab Artaxerxe rege ad Eſdram ſacerdotem , & lectorem legis Dñi,cuius exemplum ſubiectũ eſt. REX Artaxerſes Eſdrę ſacerdoti & lectori legis Domini ſalutẽ.Humaniora ego iudicans in beneficijs præcepi eis,qui deſyderant ex gẽte Iudæorum ſua ſpõte, & ex ſacerdotibus, & Leuitis,qui ſunt in regno meo comitari tecũ in Ieruſalẽ.Si qui ergo cupiunt ire tecum,cõueniant, & proficiſcantur ſicut placuit mihi,& ſeptem amicis meis conſiliarijs,vt viſitent ea quæ aguntur ſecundũ Iudęam & Ieruſalem,obſeruantes ſicut habes in lege Dñi,& ferant munera Dño Deo Iſrael , quæ vouit ego & amici Ieruſalem:& omne aurum & argentum , quod inuentum fuerit in regione Babyloniæ Domino in Ieruſalem cum illo,quod eſt donatum pro ipſa gẽte in templo Domini eorum quod eſt in Ieruſalem:vt colligatur hoc aurũ & argentum,† in tauros,& arietes,& agnos,& hœdos,& quæ his ſunt congruentia , vt offerrẽt hoſtias Dño ſuper altare Dñi ipſorũ,quod eſt in Ieruſalem. Et omnia quæcunq; volueris cum frattribus tuis facere auro & argento,perfice pro voluntate tua ſecundum præceptum Dñi Dei tui : & ſacroſancta vaſa , quæ data ſunt tibi ad opera domus Dñi Dei tui,quæ eſt in Ieruſalem,& cætera quæcũq; tibi ſubuenerint ad opera templi Dei tui,dabis de regali gazophylacio:cum volueris cum fratribus tuis facere auro & argento, perfice ſecundũ voluntatem Dñi.Et ego quidem rex Artaxerſes præcepi cuſtodibus theſaurorũ Syrię & Phœnicis,vt quæcunq; ſcripſerit Eſdras ſacerdos,& lector legis Domini , diligenter detur ei vſq; ad argenti talenta centum,ſimiliter & auri:& vſq; ad frumenti modios centum,& vini amphoras centũ & alia quæcunq; abũdant ſine taxatione. Omnia ſecundũ legem Dei fiant Deo altiſsimo , nẽ fortè exurgat ira in regno regis , & filij,& filiorum eius. Vobis autem dicitur,vt omnibus ſacerdotibus,& Leuitis,& ſacris cantoribus, & ſeruis templi,& ſcribis templi huius nullum tributum,neq; vlla alia indictio irrogetur, nec habeat quiſquam poteſtatem obijcere eis quicquam.Tu autem Eſdra ſecundum ſapientiam Dei conſtitue iudices, & arbitros in tota Syria & Phœnice:& omnes,qui legem Dei tui non nouerunt, doce : vt quotquot tranſgreſſi fuerint legem,diligenter plectantur ſiue morte,ſiue cruciatu,ſiue etiam pecuniæ mulctatione,vel abductione. Et dixit Eſdras ſcriba,Benedictus Deus patrum noſtrorum,qui dedit hanc voluntatem in cor regis clarificare domum ſuam quæ eſt in Ieruſalem,& me honorificauit in conſpectu regis,& conſiliariorum,& amicorum,& purpuratorũ eius : & ego conſtans animo factus ſum ſecundũ opitulationẽ Domini Dei mei , & congregaui ex Iſrael viros,vt ſimul aſcenderent mecũ.Et hi ſunt prępoſiti ſecundũ ſuas patrias,& principatus portionales eorũ qui mecum aſcenderunt de Babylonia in regno Artaxerſis. Et ex filijs Phares,Gerſomus:ex filijs Sie

1. Eſdr. 7.a

1. Eſdr. 8.a

marith, Amenus: filiorũ Dauid Acchus filius Sceciliæ : ex filijs Phares, Zacharias, & cum eo reuersi sunt viri D
centum quinquaginta: ex filijs ductoris Moabilionis Zaraei, & cũ ipso viri ducẽti quinquaginta: ex filijs Za-
chues, Iechonias Zechoeli, & cum ipso viri ducẽti quinquaginta: ex filijs Sala, Maasias Gotholię, & cum ipso
viri septuaginta: ex filijs Saphatię, Zarias Micheli, & cũ ipso viri octoginta: ex filijs Iob, Abdias Icheli, & cum
ipso viri ducenti duodecim: ex filijs Baniæ, Salimoth, filius Iosaphiæ, & cũ ipso viri cẽtum sexaginta : ex filijs
Beer, Zacharias Bebei, & cũ ipso viri ducentiocto: ex filijs Ezead, Ioannes Ecceram, & cũ ipso viri centũ de-
cem: ex filijs Adonicam ipsis postremis, & hæc sunt nomina eorũ. Eliphalam, filius Gebel, & Semeias, & cum
ipso viri septuaginta. Et cõgregaui eos ad fluuiũ qui dicitur Thia, & metati fuimus illic triduo, & recognoui
eos. Et ex filijs sacerdotũ & Leuitarum nõ inueni illic. Et misi ad Eleazarũ, & Eccelon, & Masman, & Malo-
ban, & Enaathan, & Samea, & Ioribũ, Nathan, Enuagan, Zachariã, & Mosolamũ ipsos ductores & peritos: &
dixi eis vt venirent ad Loddeum, qui erat apud locũ gazophylacij. Et mandaui eis vt dicerẽt Loddeo, & fra-
tribus eius, & illis qui erant in gazophylacio, vt mitterẽt nobis eos qui sacerdotio fungerentur in domo Dñi
Dei nostri. Et adduxerunt nobis secundũ manum validam Dñi Dei nostri viros peritos: ex filijs Moholi, filij
Leui, filij Israel, Sebebian, & filios & fratres, qui erant decem & octo, Asbiam & Amin ex filijs filiorũ Chana
næi, & filij eorũ viri viginti. Et ex his qui templo seruiebant, quos dedit Dauid, & ipsi principes ad operatio-
nem Leuitis tẽplo seruientiũ ducẽti viginti . Omnia nomina significata sunt in scripturis. Et voui illic ieiu-
nium iuuenibus in conspectu Dei, vt quærerem ab eo bonũ iter nobis, & qui nobiscũ erant, & filijs, & peco-
ribus propter insidias. Erubui enim petere à rege pedites, & equites in comitatu, turelę gratia cõtra aduersa-
rios nostros. Diximus enim regi, quòd virtus Dñi erit cum eis qui inquirunt eũ in omni affectu. Et iterũ de- E
precati sumus Dñm Deum nostrum secundum hæc: quem & propitium habuimus. † Et separaui ex plebis
præpositis, & sacerdotibus templi viros duodecim, & Sedebian, & Asannam, & cum eis ex fratribus eorum
viros decem: & appendi eis aurum, & argentũ, & vasa sacerdotalia domus Dei nostri, quæ donauerat rex, &
consiliarij eius, & principes, & omnis Israel. Et cum appẽdissem, tradidi argenti talẽta centum quinquagin-
ta, & vasa argentea talentorũ centum, & auri talenta centũ, & vasorũ aureorum septies viginti, & vasa ærea de
bono æramento splendentia, duodecim, auri speciẽ reddentia: & dixi eis, Et vos sancti estis Dño, & vasa sunt
sancta, & aurũ, & argentum votũ est Domino Deo patrum nostrorũ. Vigilate & custodite, donec tradatis ex
plebis præpositis, & sacerdotibus, & Leuitis, & principibus ciuitatũ Israel in Ierusalẽ, in pastophorio domus
Dei nostri. Et hi qui susceperunt sacerdotes & Leuitæ aurum & argentum & vasa, intulerunt in Ierusalem in
templum Domini. Et promouimus à fluuio † Thera, die duodecima mensis primi, vsq; quo introiuimus
in Ierusalem, † secundũ potentem manum Dñi nostri, quæ erat in nobis, & liberauit nos ab ipso egressu Do
minus ab omni hoste, & venimus in Ierusalẽ. Et cum factus fuisset tertius dies, quarta † die ponderatum au-
rum, & argentũ traditum est in domo Dñi Dei nostri Marimoth filio Iori sacerdoti, & cũ ipso erat Eleazar
filius Phinees: & erant cum ipsis Iosadus filius Iesu, & Medias, & Banni filius Leuitæ ad numerum, & ad pon-
dus vniuersa. Et scriptũ est pondus ipsorũ eadem hora. Qui autẽ venerunt ex captiuitate, obtulerũt sacrificiũ
Domino Deo Israel, tauros duodecim pro omni Israel, arietes octogintasex, agnos septuaginta duos, hircos
pro peccato duodecim, & pro salute vaccas duodecim, omnia in sacrificium Dñi. Et relegerunt præcepta re-
gis regalibus dispensatoribus, & subregulis Cœlesyriæ, & Phœnicis: & honorificauerunt gẽtem, & templum F
1.Esdr. 9.a Dñi. Et consummatis his, accesserunt ad me præpositi dicentes, Non segregauerunt genus Israel, et principes
& sacerdotes, & Leuitæ, & alienigenæ gentes, & nationes terræ immunditias suas à Chananæis & Hethæis &
Pherezæis & Iebusæis & Moabitis & Ægyptijs & Idumæis. Coniuncti enim sunt filiabus eorũ & ipsi, & filij
eorũ: & mistum est semen sanctũ alienigenis gentibus terræ, & participes erãt præpositi, & magistratus ini-
quitatis eius ab initio ipsius regni. Et mox vt audiui ista, conscidi vestimẽta, & sacrã tunicam: & lacerans ca-
pillos capitis, & barbã, sedi dolens & mœstus. Et cõuenerunt quotquot tunc mouebantur in verbo Dñi Dei
Israel ad me lugentẽ super iniquitatem istã, & sedebam tristis vsq; ad sacrificiũ vespertinum. Et consurgens à
ieiunio, cõscissa habens vestimenta, & sacrã tunicam, ingeniculans, & extẽdens manus ad Dñm, dicebã, Do-
mine cõfusus sum, & reueritus sum ante faciẽ tuam. Peccata enim nostra multiplicata sunt super capita no-
stra, & iniquitates nostrę exaltatę sunt vsq; ad cœlũ, quoniam à tẽporibus patrum nostrorũ sumus in magno
peccato vsq; ad diẽ hunc. Et propter peccata nostra, & patrum nostrorũ sumus traditi cum fratribus nostris,
& cũ sacerdotibus nostris regibus terræ in gladium & captiuitatem, & deprecationẽ cum confusione vsq; in
hodiernum diẽ. Et nunc † aliquantulum contigit nobis misericordia abs te Dñe Deus, † vt relinquas nobis
radicẽ, & nomen in loco sanctificationis tuæ, detegere luminare nostrũ in domo Dñi Dei nostri, dare nobis
cibum in omni tẽpore seruitutis nostræ. Et cum seruiremus, nõ fuimus derelicti à Dño Deo nostro: sed con-
stituit nos in gratia, ponẽs nobis reges Persarum dare cibum, & clarificare templum Domini Dei nostri, &
ædificare deserta Sion, dare nobis stabilitatẽ in Iudęa & Ierusalem. Et nunc quid dicimus Dñe habentes hęc?
Transgressi enim sumus præcepta tua, quæ dedisti in manus puerorũ tuorum prophetarum dicẽs, Quòd ter- G
ra, in quam introistis possidere hæreditatem eius, terra polluta est coinquinationibus alienigenarũ terræ, &
immunditię illorum repleuerunt eã totam immunditia sua. Et nunc filias vestras non cõiungetis filijs eorũ,
& filias eorum non accipietis filijs vestris, & non inquiretis pacẽ habere cum illis omni tẽpore, vt inualescẽ-
tes manducetis optima terræ, & hęreditatẽ distribuatis filijs vestris vsq; in æuum. Et quę contingunt nobis,
omnia fiunt propter opera nostra maligna, & magna peccata nostra. Et dedisti nobis talem radicem, & rur-
sum reuersi sumus transgredi legitima tua, vti commisceremur immunditiæ alienigenarum gentium terræ
huius. Nónne irascaris nobis perdere nos, quoadusque non relinquatur radix, & nomẽ nostrum? Dñe Deus
Israel verax es. Derelicta est enim radix vsq; in hodiernũ diem. Ecce, nunc sumus in cõspectu tuo in iniqui-
tatibus

tatibus nostris. Non est enim adhuc stare ante te in his. Et cum adorando cõfiteretur Esdras flens, humi pro- 1.Esd. 10.a
stratus ante tẽplum, congregati sunt ante eum ex Ierusalem turba magna valde, viri & mulieres & iuuenes
& iuuẽculę. Fletus enim erat magnus in ipsa multitudine. Et cum clamasset, Iechonias Ieheli ex filijs Israel,
dixit Esdrę, Nos in Dominũ peccauimus, q̃ collocauimus nobis ĩ matrimoniũ mulieres alienigenas ex gẽ-
tibus terrę. Et nunc es super omnẽ Israel. In his ergo sit iusiurandum à Dño expellere omnes vxores nostras,
quæ ex alienigenis sunt, cum filijs earum. Sicut tibi decretum est à maioribus secundũ legem Domini exur-
gẽs explica. Ad te enim spectat negotium, & nos tecum sumus: viriliter fac. Et exurgẽs Esdras adiurauit prin-
cipes sacerdotum, & Leuitas, & omnem Israel facere secundum hæc, & iurauerunt.

CAPVT IX.

A ET exurgens Esdras ab † atrio templi, abijt in pastophorium Ionatę filij Nasabi, & hospitatus illic non 1.Esdr.10.a
gustauit panem, nec aquam bibit super iniquitatem multitudinis. Et facta est prædicatio in omni Iu-
dæa, & in Ierusalẽ omnibus qui erant ex captiuitate in Ierusalẽ congregati, vt quicunq; nõ occurrerit
biduo vel triduo diei secundum iudiciũ aſsidentiũ seniorũ, tollerẽtur facultates suæ, & ipse alienus iudicare-
tur à multitudine captiuitatis. Et cõgregati sunt oẽs qui erãt ex tribu Iuda, & Beniamin in tribus diebus in
Ierusalẽ. Hic mensis est nonus, dies mensis viceſimus. Et sedit omnis multitudo in area tẽpli trementes pro-
pter hyemem præsentẽ. Et exurgẽs Esdras dixit illis, Vos iniquè feciſtis collocãtes vobis in matrimoniũ vxo-
res alienigenas, vt adderetis ad peccata Israel. Et nunc date confessionẽ, & magnificentiã Dño Deo patrũ no-
B strorũ: & perficite voluntatẽ ipsius, & diſcedite à gẽtibus terræ, & ab vxoribus alienigenis. Et clamauit om-
nis multitudo, & dixerũt voce magna, Sicut dixiſti, faciemus. Sed quoniam multitudo magna est, & tempus
hybernum, & non possumus † sub diuo stare: & hoc opus nõ est nobis vnius diei, neq; bidui, multum enim
in his peccauimus: stent præpositi multitudinis, & omnes qui nobiscum inhabitant, & quotquot habẽt vxo
res apud se alienigenas, & aſsistãt accepto tempore ex omni loco presbyteri, & iudices, vſquequo soluant irã
Dñi negotij huius. Ionathas autẽ filius Exeli, & Ozias Thecam susceperunt secundum hæc: & Bosoramus, &
Leuis, & Sabbateus simul cooperti sunt cũ illis. Et steterunt secundũ hæc omnia vniuersi, qui erant ex capti-
uitate. Et elegit sibi viros Esdras sacerdos principes magnos de patribus eorũ secundum nomina: & conſede-
C runt nouilunio mensis decimi examinare negotiũ istud. Et determinatũ est de viris, qui habebãt vxores alie-
nigenas, vſq; ad neomeniam primi mẽsis: & inuẽti sunt ex sacerdotibus permisti, qui habebant alienigenas
vxores. Ex filijs Iesu filij Iosedec, & fratribus eius: Maseas, & Eliozerus, & Ioribus, & Ioadeus, & iniecerũt ma
nus, vt expellerent vxores suas: & ad litandum in exorationẽ arietem pro ignorãtia sua, & ex filijs Semmeri:
Maseas & Esses & Ieelech, Azarias: & ex filijs Fosere: Limosias, Hismaenis, & Nathanee, Iuſsio, Reddus, &
Talsas: & ex Leuitis, Ioraddus, & Semeis, & Colnis, & Calitas, & Facteas, & Coluas, & Elionas: & ex sacris cã-
toribus: Eliasib, Zaccarus: & ex ostiarijs: Salumus, & Tolbanes: & ex Israel: ex filijs Foro: Ozi, & Remias &
Geddias & Melchias & Michelus, Eleazarus & Iemmebias & Bannas: & ex filijs Iolamam: Chamas & Zacha-
D rias & Iezrelus & Ioddus & Erimoth & Helias: & ex filijs Zathoim: Eliadas & Liasumus, Zochias & Lari-
moth & Zabdis & Tebedias: & ex filijs Zebes: Ioannes: & Amanias, & Zabdias & Emens: & ex filijs Banni:
Olamus & Maluchus & Ieddeus & Iasub & Asabus & Ierimoth: & ex filijs Addin: Naathus et Moosias & Ca-
leus & Raanas, Maaseas, Mathathias & Beseel & Bonnus & Manasses: & ex filijs Nuae: Noneas & Aseas &
Melchias & Sameas & Simon, Beniamin & Malchus & Marras: & ex filijs Asom, Carianeus, Mathathias &
Bannus & Eliphalach & Manasses & Semei: & ex filis Bãni: Ieremias & Moadias & Abramus & Iohel & Ba-
neas & Pelias & Ionas & Marimoth & Eliasib & Mathanaeus & Eliasis & Orizas & Dielus & Semedius &
Zambris & Iosephus: & ex filijs Nobei: Idelus & Mathathias & Sabadus & Zecheda, Sedmi & Iessei, Baneas.
E Omnes isti coniunxerunt sibi vxores alienigenas, & dimiserunt eas cũ filijs. Et inhabitauerunt sacerdotes, &
Leuitæ: & qui erant ex Israel in Ierusalẽ, & in tota vna regione nouilunio mensis septimi. Et erant filij Israel
in commorationibus suis. Et congregata est omnis multitudo simul in aream, quæ est ab oriente portæ sa-
cræ: & dixerunt Esdræ pontifici, & lectori, vt afferret legẽ Moysi, quæ tradita est à Dño Deo Israel. Et attulit
Esdras põtifex legem omni multitudini eorum à viro vsq; ad mulierem, & omnibus sacerdotibus audire le-
gem nouilunio mensis septimi. Et legebat in area, quæ est ante sacram portam templi, à prima luce vsque ad
vesperam coràm viris, & mulieribus. Et dederunt omnes sensum ad legem. Et stetit Esdras, sacerdos & lector
legis super ligneum tribunal, quod fabricatum erat. Et steterunt ad eũ Mathathias, & Samus, Ananias, Aza-
F rias, Urias, Ezechias, & Balsamus ad dexteram: & ad siniſtram Faldeus, Misael, Malachias, Abusthas, Sabus,
Nabadias, & Zacharias. Et assumpsit Esdras librum coràm omni multitudine: præsidebat enim in gloria in
conspectu omnium. Et cum absoluisset legem, omnes erecti steterũt: & benedixit Esdras Dominum Deum
altissimum, Deum Sabaoth omnipotentem. Et respõdit omnis populus, Amen. Et eleuatis sursum manibus
procidentes in terram, adorauerunt Dominum: Iesus & Banaeus & Sarebias & Iaddimus & Accubus et Sab-
bateus & Calithes & Azarias & Ioradus et Ananias et Philias Leuitæ, qui docebãt legem Domini, et in mul-
titudine legebant legem Domini, et præferebant singuli eos, qui intelligebant lectionem. Et dixit Atha-
rathes Esdræ pontifici, et lectori, et Leuitis, qui docebant multitudinem, dicens, Dies hic sanctus est Domino.
G Et omnes flebant, cum audissent legem. Et dixit Esdras, Digressi ergo mãducate pinguissima quæq;, et bibi-
te dulcissima quæq;, et mittite munera his qui non habent. Sanctus enim est hic dies Domini, nolite mœsti
esse. Dominus enim clarificabit vos. Et Leuitę denuntiabant in publico omnibus, dicentes, Dies hic sanctus
est, nolite mœsti esse. Et abierunt omnes mãducare, et bibere, et epulari, et dare munera his qui nõ habebãt,
vt epulentur. Magnificè enim sunt exaltati verbis, quibus edocti sunt. Et congregati sunt vniuersi in Ieruſa-
lem celebrare lætitiam, secundum testamentum Domini Dei Israel.

LIBER ESDRAE QVARTVS QVI INTER APOCRYPHA PONITVR.

CAPVT I.

IBER Esdræ prophetæ secundus, filij Sarei, filij Azarei, filij Helchiæ, filij Sadaniæ, filij Sadoch, filij Achitob, filij Achiæ, filij Phinees, filij Heli, filij Ameriæ, filij Asiei, filij Marimoth, filij Arna, filij Oziæ, filij Borith, filij Abisei, filij Phinees, filij Eleazar, filij Aaron ex tribu Leui, qui fuit captiuus in regione Medorum, in regno Artaxerxis regis Persarum, Et factum est verbum Domini ad me, dicens, Vade, & nuntia populo meo facinora ipsorum, & filijs eorum iniquitates, quas in me admiserunt, vt nuntient filijs filiorum: quia peccata parentũ ipsorum in illis creuerunt. Obliti enim mei sacrificauerunt dijs alienis. Nónne ego eduxi eos de terra Ægypti de domo seruitutis? Ipsi autem irritauerũt me, & cõsilia mea spreuerunt. Tu autem excute comam capitis tui, & proijce omnia mala super illos: quoniam nõ obedierunt legi meæ. Populus autem est indisciplinatus. Vsquequo eos sustinebo, quibus tanta beneficia contuli? Reges multos propter eos subuerti. Pharaonẽ cum pueris súis, & omnem exercitum eius percussi. Omnes gentes à facie eorum perdidi, & in oriente prouinciarum duarum populos Tyri, & Sidonis dissipaui, & omnes aduersarios eorum interfeci. Tu verò loquere ad eos, dicens, Hæc dicit Dominus, Nempè ego vos per mare transmeaui, & plateas vobis initio munitas exhibui: ducem vobis dedi Moysen, & Aaron sacerdotem: lucem vobis per columnam ignis præstiti, & magna mirabilia feci in vobis: vos autem mei obliti estis, dicit Dominus. Hæc dicit Dominus omnipotens, Coturnix vobis in signo fuit, castra vobis ad tutelam dedi, & illic murmurastis: & non triumphastis in nomine meo de perditione inimicorum vestrorum, sed adhuc nũc vsque murmurastis. Vbi sunt beneficia, quæ præstiti vobis? Nónne in deserto cum esuriretis, proclamastis ad me, dicentes, Vt quid nos in desertum istud adduxisti interficere nos? melius nobis fuerat seruire Ægyptijs, quàm mori in deserto hoc? Ego dolui gemitus vestros, & dedi vobis manna in escam. Panem angelorum manducastis. Nónne cum sitiretis, petram excidi, & fluxerunt aquæ in saturitate? Propter quos folijs arborum vos texi. Diuisi vobis terras pingues: Chananæos, & Pherezæos, & Philisthæos à facie vestra proieci, quid faciam vobis adhuc, dicit Dominus? Hæc dicit Dominus omnipotens, In deserto cũ essetis in flumine Ammorrhæo sitientes, & blasphemãtes nomen meum, nõ ignem vobis pro blasphemiis dedi, sed mittens lignum in aquã, dulce feci flumen. Quid tibi faciam Iacob? Noluisti obedire Iuda. Transferã me ad alias gentes, & dabo eis nomen meũ, vt custodiant legitima mea. Quoniam me dereliquistis: & ego vos derelinquam. Petentibus vobis à me misericordiam, nõ miserebor. Quando inuocabitis me, ego non exaudiã vos. Maculastis enim manus vestras sanguine, & pedes vestri impigri sunt ad cõmittẽda homicidia. Non quasi me dereliquistis, sed vosipsos, dicit Dominus. Hæc dicit Dominus omnipotens, Nonne ego vos rogaui, vt pater filios, & vt mater filias, & vt nutrix paruulos suos, vt essetis mihi in populum, & ego vobis in Deum: & vos mihi in filios, & ego vobis in patrem? Ita vos collegi, vt gallina pullos suos sub alas suas. Modo autẽ quid faciam vobis? Proijciam vos à facie mea. Oblationem cum mihi attuleritis, auertã faciem meã à vobis. Dies enim festos vestros, & neomenias & circuncisiones repudiaui. Ego misi pueros meos prophetas ad vos, quos acceptos interfecistis, & laniastis corpora eorũ, quorũ sanguinẽ exquirã, dicit Dñs. Hęc dicit Dñs omnipotẽs, Domus vestra deserta est. Proijciam vos sicut ventus stipulam, & filii procreationem non facient: quoniam mandatum meum neglexerunt, &, quod malum est coràm me, fecerunt. Tradam domus vestras populo venienti, qui me non audientes credent, quibus signa non ostendi, facient quæ præcepi. Prophetas non viderunt, & memorabuntur iniquitatem eorum. Testor populi venientis gratiam, cuius paruuli exultant cum lætitia, me non videntes oculis carnalibus, sed spiritu credentes, quæ dixi. Et nunc frater aspice, quæ gloria: & vide populum venientem ab oriente, quibus dabo ducatum Abraham, Isaac, & Iacob, & Osee, & Amos, & Micheæ, & Ioel, & Abdiæ, & Ionæ, & Naum, & Habacuc, Sophoniæ, Aggæi, Zachariæ, & Malachiæ, qui & angelus Domini vocatus est.

CAPVT II.

HÆc dicit Dominus, Ego eduxi populum istum de seruitute, quibus mandata dedi per pueros meos prophetas, quos audire noluerunt, sed irrita fecerunt mea consilia. Mater, quæ eos generauit, dicit illis, Ite filii, quia ego vidua sum & derelicta. Educaui vos cum lætitia, & amisi vos cum luctu & tristitia, quoniam peccastis coràm Domino Deo vestro, & quod malum est coràm eo fecistis. Modo autem quid faciam vobis? Ego vidua sum, & derelicta: ite filii, & petite à Domino misericordiam. Ego autem te pater testem inuoco super matrem filiorum, qui noluerunt testamentum meum seruare, vt des eis confusionem, & matrem eorum in direptionem, ne generatio eorum fiat. Dispergantur in gentes nomina eorum, deleantur à terra: quoniam spreuerunt sacramentum meum. Væ tibi Assur, qui abscondis iniquos penes te. Gens mala, memorare quid fecerim Sodomæ & Gomorrhæ, quorum terra iacet in piceis glebis & aggeribus cinerum. Sic dabo eos, qui me non audierunt, dicit Dominus omnipotens, Hæc dicit Dominus ad Esdram,

ad Esdram, Nuntia populo meo, quòd dabo eis regnum Ierusalem, quod daturus eram Israel. Et sumam mihi gloriam illorum, & dabo eis tabernacula æterna, quæ præparaueram illis. Lignum vitæ erit illis in odo
B re vnguenti, & non laborabunt, neque fatigabuntur. Ite, & accipietis. Rogate vobis dies paucos, vt immorentur. Iam paratum est vobis regnum: vigilate. Testare cœlum & terram. Contriui enim malum, & creaui bonum, quia viuo ego dicit Dominus. Mater amplectere filios tuos, educa illos cum lætitia. Sicut columba confirma pedes eorum: quoniam te elegi dicit Dominus. Et resuscitabo mortuos de locis suis, & de monumentis educam illos, quoniam cognoui nomen meum in Israel. Noli timere mater filiorum, quoniã te elegi dicit Dominus. Mittam tibi adiutorium pueros meos Isaiam, & Ieremiam, ad quorum consilium sanctificaui, & paraui tibi arbores duodecim grauatas varijs fructibus, & totidem fontes fluentes lac & mel:
& montes immensos septem, habentes rosam & lilium, in quibus gaudio implebo filios tuos. Viduam iustifica, pupillo iudica, egenti da, orphanum tuere, nudum vesti, confractum & debilem cura, claudum irridere noli, tutare mancum, & cæcum ad visionem claritatis meæ admitte. Senem & iuuenem intra muros tuos serua: mortuos vbi inueneris signans commenda sepulchro, & dabo tibi primam sessionem in resurrectione mea. Pausa & quiesce populus meus, quia veniet requies tua. Nutrix bona nutri filios tuos, con-
C firma pedes eorum. Seruos, quos tibi dedi, nemo ex eis interibit. Ego enim eos requiram de numero tuo. Noli fatigari. Cũ enim venerit dies pressuræ & angustiæ, alij plorabunt, & tristes erunt: tu autem hilaris, & copiosa eris. Zelabunt gentes, & nil aduersus te poterunt, dicit Dominus. Manus meæ tegent te, ne filij tui gehennam videant. Iucundare mater cum filiis tuis, quia ego te eripiam, dicit Dominus. Filios tuos dormientes memorare, quoniam ego eos educam de lateribus terræ, & misericordiam cum illis faciam: quoniam misericors sum, dicit Dominus omnipotens. Amplectere natos tuos vsque dum venio, & præstem illis misericordiam: quoniam exuberant fontes mei, & gratia mea non deficiet. Ego Esdras præceptum accepi à Domino in monte Oreb, vt irem ad Israel: ad quos cum venirem, reprobauerunt me, & respuerunt mã
datum Domini. Ideoq; vobis dico gentes, quæ auditis & intelligitis. Expectate pastorem vestrum, requiem æternitatis dabit vobis: quoniam in proximo est ille, qui in fine sæculi aduenit. Parati estote ad præmia regni, quia lux perpetua lucebit vobis per æternitatem temporis. Fugite vmbram sæculi huius: accipite iucun
D ditatem gloriæ vestræ. Ego testor palàm saluatorem meum. Commendatum donum accipite, & iucundamini, gratias agentes ei, qui vos ad cœlestia regna vocauit. Surgite, & state, & videte numerum signatorum in conuiuio Domini. Qui se de vmbra sæculi transtulerunt, splendidas tunicas à Domino acceperunt. Recipe Sion numerum tuum, & conclude candidatos tuos, qui legem Domini compleuerunt. Filiorum tuorum, quos optabas plenus est numerus. Roga imperium Domini, vt sanctificetur populus tuus, qui vocatus est ab initio. Ego Esdras vidi in monte Sion turbam magnam, quam numerare non potui, & omnes canticis collaudabant Dominum. Et in medio eorum erat iuuenis statura celsus, eminentior omnibus illis, & singulis eorum capitibus imponebat coronas, & magis exaltabatur. Ego autem miraculo tenebar. Tunc interrogaui angelum, & dixi, Qui sunt hi Domine? Qui respondens, dixit mihi, Hi sunt, qui mortalem tunicam deposuerunt, & immortalem sumpserunt, & confessi sunt nomen Dei. Modo coronantur, & accipiunt palmas. Et dixi angelo, Ille iuuenis quis est, qui eis coronas imponit, & palmas in manus tradit? Et respondens dixit mihi, Ipse est filius Dei, quem in sæculo confessi sunt: ego autem magnificare eos cœpi, qui fortiter pro nomine Domini steterunt. Tũc dixit mihi angelus, Vade, annuntia populo meo, qualia & quanta mirabilia Domini Dei vidisti.

CAPVT III.

A ANno tricesimo ruinæ ciuitatis eram in Babylone, & conturbatus sum super cubiculo meo recumbens, & cogitationes meæ ascendebant super cor meum: quoniam vidi desertionem Sion, & abundantiam eorum qui habitabant in Babylone, & ventilatus est spiritus meus valde, & cœpi loqui ad altissimum verba timorata, & dixi, O dominator Domine, tu dixisti ab initio, quando plantasti terram, & hoc solus, & imperasti populo, & dedisti Adam corpus mortuum: sed & ipsum figmentum manuum tuarũ erat, & insufflasti in eum spiritum vitæ, & factus est viuens coràm te, & induxisti eum in paradiso, quem plãtauerat dextra tua antequam terra aduentaret. Et huic mandasti diligere viam tuam, & præteriuit eam, & statim instituisti in eo mortem, & in nationibus eius: & natæ sunt gentes, & tribus & populi, & cognationes quarum non est numerus. Et ambulauit vnaquæq; gens in voluntate sua, & mira agebant coràm te, & spernebant præcepta tua. Iterum autem in tempore induxisti diluuium super inhabitantes sęculum, & per
B didisti eos. Et factum est in vnoquoque eorum, sicut Adæ mori, sic his diluuium. Dereliquisti autem vnum ex his Noe cum domo sua, & ex eo iusti omnes. Et factum est, cum cœpissent multiplicari, qui habitabant super terram, & multiplicauerunt filios, & populos: & gentes multas, & cœperunt iteratò impietatem facere plus quàm priores. Et factum est, cum iniquitatem facerent coràm te, elegisti tibi virum ex his cui nomen erat Abraham. Et dilexisti eum, & demonstrasti ei soli voluntatem tuam: & dispositi ei testamentum æternum, & dixisti ei, vt non vnquam derelinqueres semen eius. Et dedisti ei Isaac, & Isaac dedisti Iacob & Esau. Et segregasti tibi Iacob, Esau autem separasti. Et factus est Iacob in multitudine magna. Et factum est, cũ educeres semen eius ex Ægypto, adduxisti super montem Sina. Et inclinasti cœlos, & statuisti terram, & cõmouisti orbem, & tremere fecisti abyssos, & conturbasti sæculum, & transiit gloria tua portas quatuor ignis & terræmotus, & spiritus, & gelu, vt dares semini Iacob legem, & generationi Israel diligentiã. Et non abstuli-
C sti ab eis cor malignum, vt faceret lex tua in eis fructum. Cor enim malignum baiulans primus Adam transgressus & victus est, sed & omnes qui de eo nati sunt. Et facta est permanens infirmitas & lex cum corde populi, cum malignitate radicis: & discessit quod est bonum, & mansit malignum. Et transierũt tempora, & finiti

finiti sunt anni: et suscitasti tibi seruum nomine Dauid, et dixisti ei ædificare ciuitatẽ nominis tui, et offerre tibi in eadem thus & oblationes. Et factum est hoc annis multis, & dereliquerunt qui habitabant ciuitatem, in omnibus facientes sicut fecit Adam, & omnes generationes eius: vtebantur enim & ipsi corde maligno. Et tradidisti ciuitatem tuam in manibus inimicorum tuorum. Nunquid meliora faciunt, qui habitãt Babylonem? Et propter hoc dominabitur Sion. Factum est cum venissem huc, & vidissem impietates, quarum nó D est numerus: & delinquentes multos vidit anima mea hoc tricesimo anno, & excesit cor meum: quoniam vidi quomodo sustines eos peccantes, & pepercisti impiè agentibus, & perdidisti populum tuum, & conseruasti inimicos tuos, & non significasti. Nihil memini quomodo debeat derelinqui via hæc. Nunquid meliora facit Babylon, q̃ Sion? aut alia gens cognouit te præter Israel? Aut quę tribus credidерũt testamentis tuis, sicut Iacob? Quarum merces non comparuit, neq; labor fructificauit. Pertransiens enim pertransiui in gẽtibus, & vidi abundantes eas, & non memorantes mandatorum tuorum. Nunc ergo pondera in statera nostras iniquitates, & eorum qui habitant in seculo: & non inuenietur nomen tuum, nisi in Israel. Aut quando non peccauerunt in conspectu tuo, qui habitant terram? aut quæ gens sic obseruauit mãdata tua? Hos quidem per nomina inuenies seruasse mandata tua, gentes autem non inuenies.

CAPVT IIII.

ET respondit ad me angelus, qui missus est ad me, cui nomen Vriel, & dixit mihi, Excedens excesit cor A tuum in sæculo hoc, & comprehendere cogitas viam altissimi. Et dixi, Ita Domine meus. Et respondit mihi, & dixit, Tres vias missus sum ostendere tibi, & tres similitudines proponere coràm te: de quibus mihi si renuntiaueris vnam ex his, & ego tibi demonstrabo viam quam desyderas videre, & docebo te vnde sit cor malignum. Et dixi, Loquere Dñe meus. Et dixit ad me, Vade, pondera mihi ignis pondus, aut mẽsura mihi flatũ venti, aut reuoca mihi diem quæ præterijt. Et respõdi, & dixi, Quis nator: poterit facere, vt me interrogas de his? Et dixit ad me, Si essem interrogans te, dicens, Quantæ habitationes sunt in corde maris, aut quantæ venæ sunt in principio abyssi, aut quantæ venæ sunt super firmamentũ, aut qui sunt exitus paradisi: diceres mihi fortassis, In abyssum non descendi, neq; in infernum adhuc, neq; in cœlum vnquam ascendi. Nunc autẽ non interrogaui te, nisi de igne, & vento, & die, per quem transisti, & à quibus separari nó potes: & non respondisti mihi de eis. Et dixit mihi, Tu quę tua sunt, tecum coadolescentia, non potes cognoscere: & quomodo poterit vas tuum capere altissimi viam, & iã exterius corrupto sæculo, intelligere corruptionem euidentẽ in facie mea? Et dixi illi, Melius erat nos non esse, quàm adhuc viuẽtes viuere in impietatibus, & pati, & non intelligere de qua re. Et respondit ad me, & dixit, Proficiscens profectus sum ad syluam lignorum campi, & cogitauerunt cogitationẽ, & dixerũt, Venite, & eamus, & faciamus ad mare bellum, vt recedat B coràm nobis, & faciamus nobis alias syluas. Et similiter fluctus maris, & ipsi cogitauerunt cogitationẽ, & dixerunt, Venite ascendentes, debellemus syluas campi, vt & ibi consummemus nobismetipsis aliã regionem. Et factus est cogitatus syluę in vanum: venit enim ignis, & cõsumpsit eam. Similiter & cogitatus fluctuũ maris: stetit enim arena, & prohibuit eos. Si enim essẽs iudex horum, quẽ inciperes iustificare, aut quem condẽnare? Et respõdi, & dixi, Vtiq; vanã cogitationem cogitauerũt. Terra enim data est syluæ, & mari locus portare fluctus suos. Et respondit ad me, & dixit, Bene tu iudicasti, & quare non iudicasti tibimetipsi? Quemadmodum enim terra syluæ data est, & mare fluctibus suis: sic qui super terram inhabitant, quæ sunt super terram, intelligere solũmodo possunt: & qui super cœlos, quæ super altitudinẽ cœlorꝝ. Et respõdi & dixi, Deprecor te Domine, vt mihi detur sensus intelligendi: non enim volui interrogare de superioribus tuis, sed de his, quæ pertranseunt per nos quotidie, propter quid Israel datus in opprobrium gentibus, quem dilexisti populũ datus est tribubus impijs, & lex patrũ nostrorꝝ in interitum deducta est, & dispositiones scriptæ nusquã sunt: & pertransiuimus de sæculo, vt locustæ, & vita nostra stupor & pauor, & nec digni sumus misericordiã consequi. Sed quid faciet nomini suo quod inuocatum est super nos? Et de his interrogaui. Et respondit ad me, & dixit, Si fueris plurimum scrutatus, frequenter miraberis: quoniam festinans festinat sæculum pertã- C sire, & non capit portare quę in futuris temporibus iustis repromissa sunt, quoniam plenum iniustitia est sęculum hoc, & infirmitatibus. De quibus autem interrogas dicam, Seminatum est enim malum, & necdum venit destructio ipsius. Si ergo non inuersum fuerit quod seminatum est, & discesserit locus vbi seminatum est malum: non veniet vbi seminatum est bonum. Quoniam gramen seminis mali seminatum est in corde Adam ab initio: & quantum impietatis generauit vsque nunc, & generat vsque cum veniat area? Æstima autem apud te gramen mali seminis, quantum fructum impietatis generauit: quando secatæ fuerint spicæ, quarum non est numerus, quàm magnam aream incipient facere? Et respondi, & dixi, Quomodo, & quando hæc? Quare modici & mali anni nostri? Et respondit ad me, & dixit mihi, Non festines tu super altissimum. Tu enim festinas inaniter esse super ipsum: nam excessus tuus multus. Nonne de his interrogauerunt animę iustorum in promptuarijs suis, dicentes, Vsquequo ispero sic, & quãdo veniet fructus areæ mercedis nostræ? Et respondit ad ea Ieremiel archangelus, & dixit, Quando impletus fuerit numerus seminum in vobis, quoniam in statera ponderauit sæculum, & mensura mensurauit tempora, & numero numerauit tempora, & non commouit, nec excitauit vsquedum impleatur prædicta mensura? Et respondi, & dixi, O dominator Domine, sed & nos omnes pleni sumus impietate. Et ne fortè propter nos non implean- D tur iustorum areę, propter peccata inhabitantium super terram. Et respondit ad me, & dixit, Vade, & interroga prægnantem, si quando impleuerit nouem menses suos, adhuc poterit matrix eius retinere partum in semetipsa? Et dixi, Non potest Domine. Et dixit ad me, In inferno promptuaria animarum matrici assimilata sunt. Quemadmodum enim illa festinat, quæ parit, effugere necessitatẽ partus: sic & hæc festinat reddere ea quæ commendata sunt. Ab initio tibi demonstrabitur de his quæ concupiscis videre. Et respondi, & dixi,

& dixi, Si inueni gratiam ante oculos tuos, & si possibile est, & si idoneus sum, demonstra mihi, si plusquàm præteritum sit habet venire, aut plura pertransierunt supra quàm futurum est. Quid pertransiuit, scio: quid autem futurum sit ignoro. Et dixit ad me, Sta super dexteram partem, & demonstrabo tibi interpretationem similitudinis. Et steti, & vidi: & ecce fornax ardens transijt coràm me, & factum est, cum transiret flamma, vidi, & ecce superauit fumus. Post hæc transiit coràm me nubes plena aquæ, & immisit pluuiam impetu multam: & cum transisset impetus pluuiæ, superauerunt in ea guttæ. Et dixit ad me, Cogita tibi, sicut crescit pluuia amplius quàm guttæ, & ignis quàm fumus: sic superabundauit, quæ transiuit mensura. Superauerunt autem guttæ, & fumus: & oraui, & dixi, Putas viuo vsque in diebus illis? vel quid erit in diebus illis? Respondit ad me, & dixit, De signis, de quibus me interrogas, ex parte possum tibi dicere: de vita autem tua non sum missus dicere tibi, sed nescio.

CAPVT V.

A DE signis autem: ecce dies venient, in quibus apprehendentur qui inhabitant terram in censu multo: & absconderur veritatis via: & sterilis erit à fide regio: & multiplicabitur iniustitia super hanc quam ipse tu vides, & super quam audisti olim: & erit impositio vestigio, quam nunc vides regnare regionem, & videbunt eam desertam. Si autem tibi dederit altissimus viuere, videbis post tertiam tubam: & relucescet subitò sol noctu, & luna ter in die, & de ligno sanguis stillabit, & lapis dabit vocem suam, & populi commouebuntur: & regnabit, quem non sperant qui inhabitant super terram, & volatilia commigrationem facient: & mare Sodomiticum pisces reijciet, & dabit vocem noctu quam non nouerant multi. Omnes autem audient vocem eius, & chaos fiet per loca multa, & ignis frequenter remittetur, & bestiæ agrestes transmigrabunt, & mulieres menstruatæ parient monstra, & in dulcibus aquis salsæ inuenientur, & amici omnes semetipsos expugnabunt: & absconderur tunc sensus, & intellectus separabitur in promptuarium suum: & quęretur à multis, & non inuenietur: & multiplicabitur iniustitia, & incontinentia super terram: & interrogabit regio proximam suam, & dicet, Nunquid per te pertransiit iustitia iustum faciens? Et hoc negabit. Et erit in illo tẽpore, & sperabunt homines, & non impetrabunt: laborabunt, & nõ dirigentur viæ eorum. Hæc signa dicere tibi permissum est mihi: & si oraueris iterum, & ploraueris, sicut & nunc, & ieiunaueris septem diebus, audies B iteratò horum maiora. Et euigilaui, & corpus meum horruit valde: & anima mea laborauit, vt deficeret: & requiuit me qui venit angelus, & loquebatur in me, & confortauit me, & statuit me super pedes. Et factum est in nocte secunda, & venit ad me Salathiel dux populi, & dixit mihi, Vbi eras? & quare vultus tuus tristis? An nescis, q̃ tibi creditus est Israel in regione trãsmigrationis eorũ? Exurge ergo, & gusta panẽ, & non derelinquas nos, sicut pastor gregem suum in manibus luporum malignorum. Et dixi ei, Vade à me, & non appropies ad me. Et audiuit, vt dixi: & recessit à me: & ego ieiunaui diebus septem vlulans & plorans, sicut mihi mandauit Vriel angelus. Et factum est post dies septem, & iterum cogitationes cordis mei molestæ erant mihi valde, & resumpsit anima mea spiritum intellectus: & iterum cœpi loqui coràm altissimo sermones, & dixi, Dominator Domine ex omni sylua terrę, & omnibus arboribus eius, elegisti vineam vnicam: & ex omni terra orbis, elegisti tibi foueam vnã: & ex omnibus floribus orbis, elegisti tibi lilium vnũ: & ex omnibus abyssis maris, replesti tibi riuum vnũ: & ex omnibus ædificatis ciuitatibus, sanctificasti tibimetipsi Sion: & ex omnibus creatis volatilibus, nominasti tibi columbã vnam: & ex omnibus plasmatis pecoribus, prouidisti tibi ouem vnam: & ex omnibus multiplicatis populis, acquisiuisti tibi populum vnum: & ab omnibus probatam legẽ donasti huic, quem desyderasti, populo. Et nunc Domine, vt quid tradidisti vnum pluribus? Et preparasti iu- C per vnam radicem alias, & dispersisti vnicum tuum in multis: & conculcauerunt eum, qui contradicebant sponsionibus tuis, quiq; tuis testamentis non credebant. Et si odiens odisti populum tuum, tuis manibus debet castigari. Et factum est, cum locutus essem sermones, & missus est angelus ad me, qui ante venerat ad me præterita nocte, & dixit mihi, Audi me, & instruam te: & intẽde mihi, & adijciam coràm te. Et dixi, Loquere Domine meus. Et dixit ad me, Vade tu in excessu mentis factus es pro Israel: an plus dilexisti eum, q̃ qui eũ fecit? Et dixi ad eum, Non Domine, sed dolens locutus sum. Torquent enim me renes mei per omnem horam, quærentem apprehendere sententiam altissimi, & inuestigare partem iudicii eius. Et dixit ad me, Non potes. Et dixi quare Domine? ad quid nascebar, aut quare non fiebat matrix matris meæ mihi sepulchrum, vt non viderem laborem Iacob, & defatigationem generis Israel? Et dixit ad me, Numera mihi, quæ necdum venerant, & collige mihi dispersas guttas, & reuirida mihi aridos flores, & aperi mihi clausa promptuaria, & produc mihi inclusos in eis flatus, demonstra mihi vocis imaginem: & tunc ostendam tibi laborem, quem rogas videre. Et dixi, Dominator Domine, quis enim est, qui potest hæc scire, nisi qui cum hominibus habitationem non habet? Ego autem insipiens: & quomodo potero dicere de his, quibus me interrogasti? Et dixit ad me, Quomodo non potes facere vnum de his, quæ dicta sunt: sic non poteris inueni- D re iudicium meum, aut in fine charitatem, quam populo promisi. Et dixi, Sed ecce Domine, tu prope es his, qui in finem sunt: & quid facient, qui ante me fuerunt, aut nos, aut hi qui post nos? Et dixit ad me. Coronæ assimilabo iudicium meum. Sicut non nouissimorum tarditas, sic nec priorum velocitas. Et respondi & dixi, Nec poteras facere eos, qui facti sunt, & qui sunt, & qui futuri sunt, in vnum, vt celerius iudicium tuum ostendas? Et respondit ad me, & dixit, Non potest festinare creatura super creatorem, nec sustinere sæculum eos, qui in eo creandi sunt, in vnum. Et dixi, Quomodo dixisti seruo tuo, quòd viuificans viuificasti à te creatam creaturam in vnum, & sustinebat creatura: poterit & nunc portare præsentes in vnum. Et dixit ad me, Interroga matricem mulieris, & dices ad eam, Et si paris, quare per tempus? Roga ergo eam, vt det decem in vnum. Et dixi, Non vtiq; poterit, sed secundum tempus. Et dixit ad me, Et ego dedi matricem terræ his, qui seminati sunt super eam per tempus. Quemadmodum enim infans non parit ea, quæ senum sunt:

sic ego

sic ego disposui à me creatum sæculum. Et interrogaui, & dixi, Cum iam dederis mihi viam, loquar coràm te: nam mater nostra, de qua dixisti mihi, adhuc iuuenis est: iam senectuti appropinquat. Et respondit ad me, & dixit, Interroga eam, quæ parit, & dicet tibi. Dices enim ei, Quare quos peperisti nũc, nõ sunt similes his qui ante te, sed minores statura? Et dicet tibi & ipsa. Alij sunt qui in iuuentute virtutis nati sunt: & alij qui sub tempore senectutis deficiente matrice sunt nati. Consydera ergo & tu, quòd minori statura estis præ his, qui ante vos, & qui post vos minori quàm vos, quasi iam senescentes creaturæ, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes. Et dixi, Rogo Domine, si inueni gratiam ante oculos tuos, demonstra seruo tuo, per quem visites creaturam tuam.

CAPVT VI.

ET dixit ad me, Initio terreni orbis, & antequam starent exitus sæculi, & anteq̃ spirarent conuentiones A
ventorum, & antequam sonarent voces tonitruum, & antequam splenderent nitores coruscationum,
& antequam confirmarentur fundamenta paradisi, & antequam viderẽtur decori flores, & antequam
confirmarentur motæ virtutes, & anteq̃ colligerentur innumerabiles militiæ angelorũ, & anteq̃ extollerentur altitudines aeris, & anteq̃ nominarentur mensuræ firmamentorũ, & antequam æstuarent camini in Sion,
& anteq̃ inuestigarẽtur præsentes anni, & anteq̃ abalienarentur eorũ, qui nunc peccant, adinuentiones, & cõ
signati essent qui fidem thesaurizauerunt: tunc cogitaui, & facta sunt per me solum, & non per alium: & finis
per me, & nõ per alium. Et respondi, & dixi, Quæ erit separatio temporũ? aut quando prioris finis, & sequentis initium? Et dixit ad me, Ab Abraham vsq; ad Isaac, quando nati sunt ab eo Iacob & Esau, manus Iacob tenebat ab initio calcaneum Esau: finis enim huius sæculi Esau, & principium sequentis Iacob. Hominis manus inter calcaneũ, & manũ. Aliud noli quærere Esdra. Et respondi, & dixi, O dominator Dñe, si inueni gratiam ante oculos tuos, oro vt demonstres seruo tuo finem signorũ tuorũ, quorum partem mihi demonstrasti
nocte præcedenti. Et respondit, & dixit ad me, Surge super pedes tuos, & audi vocem plenissimam sonitus. Et
erit sicut cõmotio, nec cõmouebitur locus, in quo stes super eũ. Ideo cum loquitur, tu non expaueas, quoniã
de fine verbum & fundamentum terræ intelligitur, quoniam de ipsis sermo tremescit & commouetur. Scit
enim q̃ finem eorum oportet commutari. Et factum est, cum audissem, surrexi super pedes meos, & audiui, B
& ecce vox loquens, & sonus eius sicut sonus aquarum multarũ. Et dixit, Ecce dies veniunt, & erit, quando
appropinquare incipiam, vt visitem habitantes in terra: & quando inquirere incipiam ab eis, qui iniusti nocuerunt in iustitia sua, & quando suppleta fuerit humilitas Sion, & cum supersignabitur sæculum quod incipiet pertransire, hæc signa faciam, Libri aperientur ante faciem firmamenti, & omnes videbunt simul, & anniculi infantes loquentur vocibus suis, & pregnates immaturos parient infantes trium & quatuor mensium,
& viuent & suscitabuntur. Et subitò apparebunt seminata, loca non seminata, & plena promptuaria subitò inuenientur vacua: & tuba canet cum sono, quam cum omnes audirent, subitò expauescent. Et erit in illo
tẽpore, debellabunt amici amicos, vt inimici, & expauescet terra cum his: & venæ fontium stabunt, & non
decurrent in horis tribus: & erit, omnis qui derelictus fuerit ex omnibus istis quibus prædixi tibi, ipse saluabi
tur, & videbit salutare meum, & finem sæculi vestri. Et videbunt qui recepti sunt homines, qui mortem nõ
gustauerunt à natiuitate sua, & mutabitur cor inhabitantium, & conuertetur in sensum alium. Delebitur
enim malum, & extinguetur dolus. Florebit autem fides, & vincetur corruptela, & ostendetur veritas, quæ sine fructu fuit diebus tantis. Et factum est cum loquereturmihi, & ecce paulatim intuebar super eum ante
quem stabam, & dixit ad me hæc, Veni tibi ostendere tempus venturæ noctis. Si ergo iterum rogaueris, &
iterum ieiunaueris septem diebus, iterum tibi renuntiabo horum maiora per diem quàm audiui. Audita C
est enim vox tua apud altissimum. Vidit enim fortis directionem tuam, & prouidit pudicitiam, quam à iuuentute tua habuisti: & propter hoc misit me demonstrare tibi hæc omnia, & dicere tibi, Confide & noli timere: & noli festinare cum prioribus temporibus cogitare vana, vt non properes à nouissimis temporibus.
Et factum est post hæc, & fleui iterum: & similiter ieiunaui septem diebus, vt supplẽa tres hebdomadas, quæ
dictæ sunt mihi. Et factum est in octaua nocte, & cor meum turbabatur iteratò in me, & cœpi loqui coràm altissimo. Inflammabatur enim spiritus meus valde, & anima mea anxiabatur, & dixi, O Domine, loquens locutus es ab initio creaturæ in primo die, dicens, Fiat cœlum & terra: & tuum verbum opus perfectum. Et erat tunc spiritus, & tenebræ circumferebantur, & silentium, sonus vocis hominis nondum erat
abs te. Tunc dixisti de thesauris tuis proferri lumen luminosum, quo appareret opus tuum. Et die secundo
creasti spiritum firmamenti, & imperasti ei, vt diuideret & diuisionem faceret inter aquas, vt pars quædam
sursum recederet, pars verò deorsum maneret. Et tertia die imperasti aquis congregari in septima parte terræ: sex verò partes siccasti & conseruasti, vt ex his sint coràm te ministrantia seminata à Deo, & culta. Verbum enim tuum processit, & opus statim fiebat. Processit enim subitò fructus multitudinis immensus, &
concupiscentiæ gustus multiformes, & flores colore immutabili, & odores odoramenti inuestigabilis: &
die tertia hæc facta sunt. Quarta autem die imperasti fieri solis splendorem, lunæ lumen, stellarum dispositionem: & imperasti eis, vt deseruirẽt futuro plasmato homini. Quinto autem die dixisti septimę parti, vbi D
erat aqua congregata, vt procrearet animalia, & volatilia, & pisces: & ita fiebat: aqua muta, & sine anima, quæ
Dei nutu iubebantur, animalia faciebat, vt ex hoc mirabilia tua nationes enarrent. Et tunc conseruasti duas
animas, nomen vni vocasti Enoch, & nomen secundę vocasti Leuiathan, & separasti ea ab alterutro. Non
enim poterat septima pars, vbi erat aqua congregata, capere ea. Et dedisti Enoch vnam partem, quæ siccata
est tertio die, vt habitet in ea vbi sunt montes mille. Leuiathan autem dedisti septimam partem humidam, &
seruasti eam, vt fiat in deuorationem quibus vis, & quando vis. Sexto autem die imperasti terræ, vt crearet
coràm te iumenta, & bestias, & reptilia: & super his Adam, quem cõstituisti ducem super omnibus factis,
quæ

quæ fecisti, & ex eo educimur nos omnes, quem q; elegisti populum. Hæc autem omnia dixi coràm te Domine, quia propter nos creasti sæculum. Reliduas autem gẽtes ab Adam natas dixisti eas nil esse, & quoniam
saliuæ assimilatæ sunt, & quasi stillicidium de vase similasti abundantiam eorum. Et nunc Domine, ecce,
istæ gentes quæ in nihilum deputatæ sunt, cœperunt dominari nostri, & deuorare: nos autem populus tuus,
quem vocasti primogenitum vnigenitum æmulatorem tuum, traditi sumus in manibus eorum: & si propter nos creatum est sæculum, quare non hæreditatem possidemus cum sæculo? vsquequo hęc?

CAPVT VII.

A ET factum est, cum finissem loqui vera hæc, missus est ad me angelus, qui missus fuerat ad me primis
noctibus, & dixit ad me, Surge Esdra, & audi sermones quos veni loqui ad te: Et dixi, Loquere
Deus meus. Et dixit ad me, Mare positum est in spatioso loco, vt esset altum & immensum: erit autem
ei introitus in angusto loco positus, vt esset similis fluminibus. Quis enim volens voluerit ingredi mare,
& videre eum vel dominari eius: si non transierit angustum, in latitudinem quomodo venire poterit? Item
aliud, Ciuitas est ædificata, & posita in loco campestri: est autem plena omnium bonorum. Introitus eius angustus & in præcipiti positus, vt esset a dextris quidem ignis, à sinistris aqua alta: semita autem est vna sola
inter eos posita, hoc est inter ignem & aquam, vt non capiat semita, nisi solummodo vestigium hominis. Si
autem dabitur ciuitas homini in hæreditatem, si nunquam antepositum periculum pertransierit, quomodo accipiet hæreditatem suam? Et dixi, Sic Domine. Et dixit ad me, Sic est & Israel pars. Propter eos enim
feci sæculum: & quando transgressus est Adam constitutiones meas, iudicatum est quod factum est. Et facti sunt introitus huius sæculi angusti, & dolentes, & laborioſi: pauci autem & mali: & periculorum pleni,
& labore magnopere fulti: nam maioris sæculi introitus spatioſi & securi, & facientes immortalitatis fructum. Si ergo ingredientes non fuerunt ingressi qui viuunt, angusta & vana hæc, non poterunt recipere, quæ
sunt reposita. Nunc ergo quare tu conturbaris, cum sis corruptibilis? & quid moueris tu, cum sis mortalis?
Et quare non accepisti in corde tuo quod est futurum, sed quod in præsenti? Respondi, & dixi, Domi-
B nator Domine, ecce disposuisti lege tua, quòd iusti hæreditabunt hæc, impij autem peribunt: iusti autem
ferent angusta, sperantes spatioſa: qui enim impiè gesserunt, & angusta passi sunt: & spatioſa non videbunt. Et dixit ad me, Non est iudex super Deum, neque intelligens super altissimum. Perierunt enim multi
præsentes, quia negligitur, quæ anteposita est Dei lex. Mandans enim mandauit Deus venientibus, quando
venerunt, quid facientes viuerent, & quid obseruantes non punirentur. Hi autem non sunt persuasi, & contradixerunt ei, & cõstituerunt sibi cogitamen vanitatis, & proposuerunt sibi circunuentiones delictorum, &
superdixerunt altissimo non esse, & vias eius non cognouerunt, & legem eius spreuerunt, & sponsiones eius
abnegauerunt: & in legitimis eius fidem non habuerunt, & opera eius non perfecerunt: propter hoc Esdra
vacua vacuis, & plena plenis. Ecce tempus veniet, & erit, quando venient signa, quæ prędixi tibi, & apparebit
sponsa, & apparescens ostendetur, quæ nunc subducitur terra: & omnis, qui liberatus est de prædictis malis,
ipse videbit mirabilia mea. Reuelabitur enim filius meus IESVS, cum his, qui cum eo sunt: & iucundabuntur qui relicti sunt in annis quadringentis. Et erit post annos hos: & morietur filius meus CHRISTVS,
& omnes qui spiramentum habent homines: & cõuertetur sæculum in antiquum silentium diebus septem,
sicut in prioribus iudicijs, ita vt nemo derelinquatur. Et erit post dies septem, & excitabitur quod nondum
vigilat sæculum, & morietur corruptum: & terra reddet, quæ in ea dormiunt, & puluis qui in eo silentio habitant, & promptaria reddent, quæ eis commendatæ sunt animæ. Et reuelabitur altissimus super sedem iudicij, & pertransibunt miseriæ, & longanimitas congregabitur. Iudicium autem solum remanebit, veritas
C stabit, & fides conualescet: & opus subsequetur, & merces ostendetur: & iustitiæ vigilabunt, & iniustitiæ non
dominabuntur. Et dixi, Primus Abraham propter Sodomitas orauit, & Moyses pro patribus, qui in deserto peccauerunt, & qui post eum pro Israel in diebus Achaz, & Samuelis, & Dauid pro confractione, &
Salomon pro eis qui venerunt in sanctificationem, & Elias pro his qui pluuiam acceperunt, & pro mortuo,
vt viueret, & Ezechias pro populo in diebus Sennacherib, & multi pro multis. Si ergo modo quando corruptibile increuit, & iniustitia multiplicata est, & orauerunt iusti pro impijs: quare & nunc sic non erit?
Et respondit ad me, & dixit, Præsens sæculum non est finis, gloria in eo frequens manet, propter hoc orauerunt pro inualidis. Dies enim iudicij erit finis temporis huius, & initium temporis futuræ immortalitatis, in quo transiuit corruptela, soluta est intemperantia, abscissa est incredulitas, creuit autem iustitia, orta
est veritas. Tunc enim nemo poterit saluare eum qui perijt, neque demergere qui vicit. Et respondi, & dixi, Hic est sermo meus primus & nouissimus, quòd melius erat non dare terram Adam, vel eum iam dedisset coercere eum, vt non peccaret. Quid enim prodest hominibus in præsenti viuere in tristitia, & mortuos
sperare punitionem? O tu quid fecisti Adam? Si enim tu peccasti, non est factus solius tuus casus, sed & nos-
ter qui ex te aduenimus. Quid enim prodest nobis si promissum est nobis immortale tempus, nos autẽ mortalia opera egimus? Et quòd prædicta est nobis perennis spes: nos verò pessimi vani facti sumus. Et quòd
reposita sunt nobis habitacula sanitatis & securitatis: nos verò malè conuersati sumus. Et quòd reposita est
gloria altissimi protegere eos, qui tardè conuersati sunt: nos autem pessimis vijs ambulauimus. Et quòd
D ostendetur paradisus, cuius fructus incorruptus perseuerat, in quo est securitas & medela: nos verò non ingrediemur: in ingratis enim locis conuersati sumus. Et quòd super stellas fulgebunt facies eorum, qui abstinentiam habuerunt: nostræ autem facies super tenebras nigræ: non enim cogitauimus viuentes quando iniquitatem faciebamus, quòd incipiemus post mortem pati. Et respondit, & dixit, Hoc est cogitamentum certaminis quod certabit, qui super terram natus est homo, vt si victus fuerit, patiatur quod dixisti: si autem
vicerit, recipiet quod dico: quoniam hæc est vita quam Moyses dixit cum viueret, ad populum, dicens, Eli-

ge tibi

ge tibi vitam,vt viuas.Non crediderunt autem ei, ſed nec poſt eum prophetis, ſed nec mihi qui locutus ſum ad eos: quòd non eſſet triſtitia in perditionem eorum, ſicut futurum eſt gaudium ſuper eos, quibus perſuaſa eſt ſalus. Et reſpondi, & dixi, Scio Domine, quòd vocatus eſt altiſſimus miſericors in eo, quòd miſeratur his qui nondum in ſæculo aduenerunt, & quòd miſeretur illis, qui conuerſionem faciunt in lege eius:& longanimis eſt,quoniam longanimitatem præſtat his qui peccauerunt quaſi ſuis operibus:& munificus eſt,quoniam quidem donare vult pro exigentijs:& multæ miſericordiæ, quoniam multiplicat magis miſericordias his qui preſentes ſunt,& qui preterierunt,& qui futuri ſunt.Si enim non multiplicauerit miſericordias ſuas, non viuificabitur ſæculum cum his qui inhæreditabant in eo, & donat: quoniam ſi non donauerit de bonitate ſua,vt alleuientur hi,qui iniquitatem fecerunt,de ſuis iniquitatibus,non poterit decies milleſima pars viuificari hominum.Et iudex ſi non ignouerit his qui curati ſunt verbo eius,& deleuerit multitudinem contentionum:non fortaſis derelinquerentur in innumerabili multitudine,niſi pauci valde.

CAPVT VIII.

ET reſpondit ad me, & dixit, Hoc ſæculum facit altiſſimus propter multos, futurum autem propter A
paucos. Dicam autem coràm te ſimilitudinem Eſdra. Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi, quòd dabit terram multam magis vnde fiat fictile,paruum autem puluerem vnde aurum fit: ſic & actus præſentis ſæculi.Multi quidem creati ſunt,pauci autem ſaluabuntur.Et reſpondi, & dixi,Abſorbe ergo anima ſenſum,& deuora quod ſapit:conueniſti enim obaudire,& prophetare volens. Nec enim tibi datum eſt ſpatium,niſi ſolummodo viuere.O Dñe,ſi non permittes ſeruo tuo, vt oremus coràm te,& des nobis ſemen cordi, & ſenſui culturam, vnde fructus fiat, vnde viuere poſsit omnis corruptus,qui portabit locum hominis? Solus enim es, & vna plaſmatio nos ſumus manuum tuarum, ſicut locutus es: & quomodo nunc in matrice plaſmatum eſt corpus, & præſtas membra: conſeruatur in igne & aqua tua creatio:& nouem menſibus patitur tua plaſmatio tuam creaturam, quæ in ea creata eſt: ipſum autem quod ſeruat,& quod ſeruatur,vtraque ſeruabuntur:ſeruataq; quandoque iterum reddit matrix, quæ in ea creuerunt. Imperaſti enim ex ipſis membris,hoc eſt mammillis præbere lac fructui mammillarum,vt nutriatur id quod plaſmatum eſt vſque in tempus aliquod, & poſtea diſponas eum tuæ miſericordiæ, enutriſti eum tua iuſtitia, & erudiſti eum in lege tua, & corripuiſti eum tuo intellectu: & mortificabis eum,vt tuam creaturam: & viuificabis eum, vt opus tuum. Si ergo perdideris eum qui tantis laboribus plaſmatus eſt:tuo iuſſu facilè eſt ordinari, vt & id quod fiebat ſeruaretur. Et nunc Domine dicam,De omni homine tu magis ſcis,de populo B
autem tuo ob quem doleo: & de hæreditate tua, propter quam lugeo: & propter Iſrael, propter quem triſtis ſum:& de Iacob, propter quem doleo:ideo incipiam orare coràm te pro me, & pro eis: quoniam video lapſus noſtros, qui inhabitamus terram. Sed audiui celeritatem iudicis, qui futurus eſt. Ideo audi vocem meam,& intellige ſermonem meum,& loquar coràm te. Initio verborum Eſdræ priuſquam aſſumeretur: & dixi, Domine qui inhabitas ſæculum,cuius oculi eleuati in ſuperna & aere: & cuius thronus inæſtimabilis: & gloria incomprehenſibilis: cui aſtat exercitus angelorum cum tremore, quorum ſeruatio in vento & igni conuertitur:cuius verbum verum,& dicta perſeuerantia: cuius iuſsio fortis, & diſpoſitio terribilis: cuius aſpectus arefacit abyſſos,& indignatio tabeſcere facit montes, & veritas teſtificatur:exaudi orationem ſerui tui, & auribus percipe precationem figmenti tui. Dum enim viuo, loquar:& dum ſapio,reſpondebo. Nec reſpicias populi tui delicta,ſed qui tibi in veritate ſeruiunt. Nec intendas impia gentium ſtudia,ſed qui tua teſtimonia cum doloribus cuſtodierunt. Nec cogites qui in conſpectu tuo falsè conuerſati ſunt,ſed memorare qui ex voluntate tua timorem cognouerunt. Neque volueris perdere, qui pecudum mores habuerunt: ſed reſpicias eos: qui legem tuam ſplendidè docuerunt. Nec indigneris eis,qui beſtijs peiores iudicati ſunt: ſed diligas eos,qui ſemper in tua iuſtitia confidunt,& gloria. Quoniã nos & patres noſtri talibus morbis languemus: tu autem propter nos peccatores miſericors vocaberis. Si enim deſyderaueris, vt noſtri mi- C
ſerearis,tunc miſericors vocaberis:nobis autem non habentibus opera iuſtitiæ. Iuſti enim quibus ſunt opera multa repoſita,ex proprijs operibus recipient mercedem. Quid eſt enim homo, vt ei indigneris: aut genus corruptibile,vt ita amarus ſis de ipſo?In veritate enim nemo de genitis eſt, qui nõ impiè geſsit:& de confitentibus,qui non deliquit. In hoc enim annuntiabitur iuſtitia tua, & bonitas tua Domine,cum miſertus fueris eis, qui non habent ſubſtantiam bonorum operum. Et reſpondit ad me, & dixit, Rectè locutus es aliqua, & iuxta ſermones tuos, ſic & fiet. Quoniam non verè cogitabo ſuper plaſma eorum qui peccauerunt ante mortem,ante iudicium,ante perditionem:ſed iucundabor ſuper iuſtorum figmentum, & memorabor peregrinationis quoque, & ſaluationis, & mercedis receptionis. Quomodo ergo locutus ſum, ſic & eſt. Sicut enim agricola ſerit ſuper terram ſemina multa, & plantationes multitudinis plantat, ſed non in tempore omnia,quæ ſeminata ſunt,ſaluantur,ſed non omnia,quæ plantata ſunt,radicabunt:ſic &,qui in ſæculo ſeminati ſunt,non omnes ſaluabuntur. Et reſpondi,& dixi,Si inueni gratiam, loquar. Quomodo ſemen agricolæ ſi non aſcenderit, aut non acceperit pluuiam tuam in tempore, aut ſi corruptum fuerit multitudine pluuiæ ſic perit: & ſimiliter homo qui manibus tuis plaſmatus eſt, & tu ei imago nominatus,quoniam ſimilatus es ei,propter quem omnia plaſmaſti, & ſimilaſti ſemini agricolæ. Non iraſcaris ſuper nos, ſed parce populo tuo,& miſerere hæreditati tuæ. Tu autem creaturæ tuæ miſereris. Et reſpondit ad me, & D
dixit,Quæ ſunt præſentia præſentibus,& quæ futura futuris.Multũ enim tibi reſtat, vt poſsis diligere meam creaturã ſuper me:tibi autẽ frequenter & ipſi proximaui,iniuſtis autem nunq̃. Sed & in hoc mirabilis es coràm altiſsimo,quoniã humiliaſti te ſicut decet te:& nõ iudicaſti te, vt inter iuſtos plurimũ glorificeris. Propter quod miſeriæ multæ,& miſerabiles efficiẽtur eis:qui habitant ſæculũ in nouiſsimis:quia in multa ſuper bia ambulauerũt.Tu aũt pro te intellige,& de ſimilibus tuis inquire gloriã. Vobis enim apertus eſt paradiſus,

ſus,plantata eſt arbor vitæ,præparatum eſt futurum tempus, præparata eſt abundantia, edificata eſt ciuitas, probata eſt requies,perfecta eſt bonitas,& perfecta ſapientia.Radix mali ſignata eſt á vobis:infirmitas, & tinea à vobis abſconſa eſt:& in infernũ fugit corruptio in obliuione.Tranſierũt dolores,& oſtenſus eſt in fine theſaurus immortalitatis. Noli ergo adijcere inquirendo de multitudine eorũ qui pereunt. Nam & ipſi accipientes libertatẽ,ſpreuerunt altiſsimum,& legem eius cõtemſerunt,& vias eius deliquerunt. Adhuc autem iuſtos eius cõculcauerunt,& dixerunt in corde ſuo,non eſſe Deũ:& quidem ſcientes q̃ moriũtur.Sicut enim vos ſuſcipient,quę prędicta ſunt:ſic eos ſitis,& cruciatus, quæ præparata ſunt. Non enim voluit hominem diſperdi. Sed & ipſi,qui creati ſunt,coinquinauerunt nomen eius qui fecit eos: & ingrati fuerunt ei qui præparauit eis vitam. Quapropter iudicium meum modo appropinquat. Quæ non omnibus demonſtraui: niſi tibi,& tibi ſimilibus paucis. Et reſpondi,& dixi. Ecce nunc Domine demonſtraſti mihi multitudinem ſignorum,quæ incipies facere in nouiſsimis,ſed non demonſtraſti mihi quo tempore.

CAPVT IX.

A ET reſpondit ad me,& dixit,Metiens metire tempus in ſemetipſo,& erit,cum videris, quando tranſierit pars quædã ſignorum,quæ prędicta ſunt,tunc intelliges q̃ ipſum eſt tempus,in quo incipiet altiſsimus viſitare ſeculum quod ab eo factum eſt.Et quãdo videbitur in ſeculo motio locorum,& populorũ turbatio,tũc intelliges q̃ de his erat altiſsimus locutus à diebus,qui fuerunt ante te ab initio. Sicut enim omne, quod factum eſt in ſeculo,initium habet,pariter & conſummationem,& conſummatio eſt manifeſta: ſic & altiſsimi tempora initia habent manifeſta in prodigijs, & in virtutibus, & conſummationes in actu & in ſignis. Et erit, omnis qui ſaluus factus fuerit, & qui poterit effugere per opera ſua & per fidem, in qua crediſtis,relinquetur de prædictis periculis,& videbit ſalutare meum in terra mea,& in finibus meis,quoniã ſanctificaui me à ſeculo. Et tunc miſerebuntur,qui tunc abuſi ſunt vias meas:& in tormentis cõmorabuntur hi qui eas proiecerunt in contemptu. Qui enim non cognouerunt me,viuẽtes beneficia conſecuti:& qui faſtidierunt legẽ meã, cum adhuc erant habentes libertatem, & cũ adhuc eſſet eis apertus pœnitentiæ locus non
B intellexerunt,ſed ſpreuerunt:hos oportet poſt mortẽ in cruciamento cognoſcere.Tu ergo noli adhuc curioſus eſſe,quomodo impij cruciabuntur:ſed inquire quomodo iuſti ſaluabuntur, & quoꝝ ſeculum & propter quos ſeculum,& quando. Et reſpondi,& dixi,Olim locutus ſum,& nunc dico, & poſtea dicã: quoniã plures ſunt qui pereunt,quàm qui ſaluabuntur:ſicut multiplicatur fructus ſuper guttã.Et reſpondit ad me,& dixit, Qualis ager,talia & ſemina:& quales flores,tales & tincturæ:& qualis operator,talis & creatio: & qualis agricola,talis & cultura:quoniam tempus erat ſeculi.Et nunc cũ eſſem parans eis his qui nũc ſunt,antequã fieret ſeculum,in quo habitarent:& nemo mihi cõtradixit:tunc enim quiſq;, & nunc creator in mundo hoc parato,& menſe indeficienti,& lege inueſtigabili corrupti ſunt mores eorũ. Et conſyderaui ſæculum,& ecce erat periculum propter cogitationes,quæ in eo aduenerũt. Et vidi,& peperci ei valde:& ſeruaui mihi acinum de botro,& plãtationẽ de tribu multa. Pereat ergo multitudo,quę ſine cauſa nata eſt, & ſeruetur acinus meus, & plantatio mea:quia cũ multo labore perfeci.Tu autẽ ſi adhuc intromittas ſeptẽ dies alios, ſed non ieiunabis in eis: ibis in campum floꝛ,vbi domus nõ eſt ædificata:& manducabis ſolummodo de floribus campi,& C
carnẽ nõ guſtabis,& vinũ nõ bibes,ſed ſolummodo flores: deprecare altiſsimũ ſine intermiſsione, & veniã, & loquar tecum.Et profectus ſum,ſicut dixit mihi in campũ,qui vocatur Ardath,& ſedi ibi in floribus.Et de herbis agri manducaui,& facta eſt eſca earum mihi in ſaturitatem. Et factum eſt poſt dies ſeptẽ,& ego diſcũbebã ſupra fœnum,& cor meũ iterum turbabatur ſicut ante.Et apertum eſt os meum, & inchoaui dicere coram altiſsimo,& dixi, O Dñe,te nobis oſtẽdens oſtenſus es patribus noſtris in deſerto,quod nõ calcatur:& infructuoſo,quando erant exeuntes de Ægypto:& dicens dixiſti,Tu Iſrael audi me, & ſemen Iacob intẽde ſermonibus meis.Ecce enim ego ſemino in vobis legẽ meã,& faciet in vobis fructũ, & glorificabimini in eo p ſæculum.Nã patres veſtri accipientes legẽ,nõ ſeruauerunt,& legitima mea nõ cuſtodierunt, & factus eſt fructus legis nõ parens:nec enim poterat,quoniã tuus erat.Nã qui acceperunt,perierunt, nõ cuſtodientes quod in eis ſeminatum fuerat.Et ecce,cõſuetudo eſt,vt cum acceperit terra ſemen, vel nauẽ mare, vel vas aliquod
D eſcã vel potum:cum fuerit exterminatũ id,in quo ſeminatũ eſt,vel in quod miſſum eſt:ſimul id quod ſemina tum,vel miſſum eſt,vel quę ſuſcepta ſunt,exterminãtur,& ſuſcepta iam non manent apud nos,Sed nobis ſic nõ factum eſt.Nos quidem qui legẽ accepimus peccantes periuimus,& cor noſtrũ quod ſuſcepit eam: nã lex non perijt,ſed permãſit in ſuo labore.Et cum loquerer hæc in corde meo,reſpexi oculis meis,& vidi mulierẽ in dextera parte:& ecce hæc lugebat,& plorabat cum voce magna,& animo dolebat valde, & veſtimẽta eius diſciſſa,& cinis ſuper caput eius.Et dimiſi cogitatus,in quibus eram cogitãs,& cõuerſus ſum ad eã, & dixi ei, Vt quid fles?& quid doles animo?Et dixit ad me,Dimitte me dñe meus,vt defleam me,& adijciã dolorẽ:quoniam valde amaro ſum animo,& humiliata ſum valde.Et dixi ei,Quid paſſa es?dic mihi. Et dixit ad me, Sterilis fui ego famula tua,& nõ peperi,habens maritũ annis triginta.Ego enim per ſingulas horas,& per ſingulos dies,& annos hos triginta deprecor altiſsimum nocte,ac die. Et factum eſt, poſt triginta annos exaudiuit me Deus ancillam tuam,& vidit humilitatem meam,& attẽdit tribulationi meæ,& dedit mihi filiũ:& iucũdata ſum ſuper eum valde ego,& vir meus,& omnes ciues mei,& honorificabamus valde fortem. Et nutriui eum cum labore multo.Et factum eſt,cum creuiſſet,& veniſſet accipere vxorem,feci diem epuli.

CAPVT X.

A ET factum eſt,cum introiſſet filius meus in thalamo ſuo, cecidit, & mortuus eſt: & euertimus omnes lumina,& ſurrexerunt omnes ciues mei ad cõſolandum me, & quieui vſque in alium diem vſque nocte.Et factum eſt,cum omnes quieuiſſent,vt me conſolarentur,vt quieſcerem: & ſurrexi nocte, & fugi,& veni ſicut vides in hoc campo:& cogito iam nõ reuerti in ciuitatẽ,ſed hic conſiſtere: & neq; mãducare, neq;

neq; bibere,ſed ſine intermiſsione lugere,& ieiunare vſq; dum moriar. Et dereliqui ſermones in quibus erã, & reſpondi cum iracundia ad eam,& dixi, Stulta ſuper omnes mulieres,non vides luctum noſtrum,& quæ nobis contingunt? Quoniam Sion mater noſtra omni triſtitia contriſtatur,& humilitate humiliata eſt,& luget validiſsimè. Et nunc quoniam omnes lugemus, & triſtes ſumus:quoniam omnes contriſtati ſumus, tu autem contriſtaris in vno filio?Interroga enim terram, & dicet tibi:quòd hæc eſt, quæ debeat lugere caſum tantorum ſuper eam germinãtium.Et ex ipſa ab initio omnes nati,& alij venient:& ecce,penè omnes in perditionem ambulant,& exterminium ſit multitudo eorum.Et quis ergo debet lugere magis, niſi hæc,quæ tã magnam multitudinem perdidit,quàm tu,quæ pro vno doles? Si autem dicis mihi, Quòd non eſt planctus meus ſimilis terræ:quoniam fructum ventris mei perdidi,quẽ cum mœroribus peperi,& cum doloribus genui:terra autem ſecundum viam terræ,abijtq; in ea multitudo præſens,quo modo euenit:& ego tibi dico,ſicut tu cum labore peperiſti,ſic & terra dat fructum ſuum homini ab initio ei qui fecit eam. Nũc ergo retine B apud temetipſam dolorem tuum,& fortiter fer qui tibi cõtigerunt caſus. Si enim iuſtificaueris terminũ Dei, & conſilium ſuum recipies in tempore,& in talibus collaudaberis. Ingredere ergo in ciuitatem ad virũ tuũ. Et dixit ad me,Nõ faciã neq; ingrediar ciuitatẽ,ſed hic moriar.Et appoſui adhuc loqui ad eam, & dixi, Noli facere hunc ſermonem,ſed conſenti perſuadenti. Quor enim caſus Sion? Conſolare propter dolorem Ieruſalem. Vides enim quòd ſanctificatio noſtra deſerta effecta eſt,& altare noſtrum demolitum eſt, & templum noſtrum deſtructum eſt,& pſalterium noſtrum humiliatum eſt,& hymnus conticuit,& exultatio noſtra diſſoluta eſt,& lumen candelabri noſtri extinctum eſt,& arca teſtamenti noſtri direpta eſt, & ſancta noſtra contaminata ſunt,& nomen quod inuocatum eſt ſuper nos,penè prophanatum eſt, & liberi noſtri contumeliã paſsi ſunt,& ſacerdotes noſtri ſuccenſi ſunt,& Leuitæ noſtri in captiuitatem abierunt, & virgines noſtrę coinquinatę ſunt,& mulieres noſtrę vim paſſę ſunt,& iuſti noſtri rapti ſunt,& paruuli noſtri perditi ſunt,& iuuenes noſtri ſeruierunt,& fortes noſtri inualidi facti ſunt: & quod omnium maius ſignaculum Sion, q̃ reſignata eſt de gloria ſua. Nã & tradita eſt in manibus eorum,qui nos oderunt. Tu ergo excute tuam triſtitiam multã,& depone abs te multitudinem dolorum,vt tibi repropitietur fortis, & requiem faciet tibi altiſsimus requietionem laborum. Et factũ eſt,cũ loquebar ad eã, facies eius fulgebat ſubitò & ſpecies, coruſcus fiebat viſus eius, vt eſſem pauẽs valde ad eã & cogitarẽ quid eſſet hoc. Et ecce, ſubitò emiſit ſon itũ vocis magnũ timore plenum,vt commoueretur terra à mulieris ſono,& vidi: & ecce, amplius mulier nõ cõparebat mihi, ſed ciuitas ędificabatur,& locus demonſtrabatur de fundamentis magnis: & timui, & clamaui voce magna, C & dixi,Vbi eſt Vriel angelus,qui a principio venit ad me? quoniam ipſe me fecit venire in multitudine in exceſſu mentis huius,& factus eſt finis meus in corruptionẽ,& oratio mea in improperium. Et cum eſſem loquens ego hæc,ecce venit ad me,& vidit me:& ecce erã poſitus vt mortuus,& intellectus meus alienatus erat, & tenuit dexteram meã,& confortauit me,& ſtatuit me ſuper pedes meos,& dixit mihi,Quid tibi eſt? & quare conturbatus eſt intellectus tuus,& ſenſus cordis tui?& quare conturbaris?Et dixi, Quoniã dereliquiſti me, & ego quidem feci ſecundum ſermones tuos,& exiui in cãpum: & ecce vidi & video quod non poſſum enarrare.Et dixit ad me,Sta vt vir,& commouebo te.Et dixi, Loquere Domine meus tu in me, noli me derelinquere,vt non fruſtra moriar:quoniam vidi,quę non ſciebã,& audio,quę non ſcio.Aut nunquid ſenſus meus fallitur,anima mea ſupremat?Nunc ergo deprecor te,vt demonſtres ſeruo tuo de exceſſu hoc. Et reſpõdit ad me,& dixit,Audi me,& doceam te,& dicam tibi de quibus times:quoniam altiſsimus reuelauit tibi myſteria multa. Vidit rectã viã tuã,q̃ ſinc intermiſsione cõtriſtabaris pro populo tuo,& valde lugebas propter Sion. Hic ergo intellectus viſionis, quę tibi apparuit ante paululum. Quam vidiſti lugentem,inchoaſti conſolari eam.Nunc autem iam ſpeciem mulieris non vides,ſed apparuit tibi ciuitas ędificari: & quoniam enarrabat tibi de caſu filij ſui,hæc abſolutio eſt.Hęc mulier quam vidiſti, hęc eſt Sion:& q̃ dixit tibi quam & nunc cõſpicies,vt ciuitatem ædificatam.Et quòd dixit tibi, quòd ſterilis fuit triginta annis: propter quod erant anni ſcilicet triginta, quando non erat in ea adhuc oblatio oblata. Et factum eſt poſt annos triginta, ædificauit Salomon ciuitatem,& obtulit oblationes,tunc fuit quando peperit ſterilis filium. Et quòd tibi dixit, quòd D nutriuit eum cum labore,hoc erat habitatio in Ieruſalem.Et quòd dixit tibi,quòd filius meus veniens in ſuo thalamo mortuus eſſet,& contigiſſet ei caſus,hoc erat,quæ facta eſt ruina Ieruſalem. Et ecce, vidiſti ſimilitudinem eius:& quòd filium lugeret,inchoaſti conſolari eam,& de his,quæ contigerunt,hæc erant tibi aperiẽda.Et nunc videt altiſsimus,q̃ ex animo contriſtatus es,& q̃ ex toto corde pateris pro ea,oſtendit tibi claritatem gloriæ eius,& pulchritudinem decoris eius.Propterea enim dixit tibi, vt maneres in campo vbi domus non eſt ædificata.Sciebam enim ego,quòd altiſsimus incipiebat tibi oſtendere hæc:propterea dixi tibi,vt venires in agrum vbi non eſt fundamentum ædificij.Nec enim poterat opus ędificij hominis ſuſtineri in loco, vbi incipiebatur altiſsimi ciuitas oſtendi.Tu ergo noli timere,neq; expaueſcat cor tuum:ſed ingredere,& vide ſplendorem & magnitudinem ædificij, quantum capax eſt tibi viſu oculorum videre: & poſt hæc audies quantum capit auditus aurium tuarum audire.Tu enim beatus es præ multis, & vocatus es apud altiſsimum ſicut & pauci.Nocte autem,quæ in craſtinum futura eſt,manebis hic:& oſtendet tibi altiſsimus has viſiones ſupremorum,quæ faciet altiſsimus his qui habitant ſuper terram à nouiſsimis diebus. Et dormiui illam noctem,& aliam,ſicut dixerat mihi.

CAPVT XI.

ET vidi ſomnium, & ecce aſcẽdebat de mari aquila, cui erant duodecim alæ pennarum,& capita tria. A
Et vidi, & ecce expandebat alas ſuas in omnem terram, & omnes venti cœli inſufflabant in eam, & colligebantur. Et vidi,& de pennis eius naſcebantur contrariæ pennæ,& ipſæ fiebant in pennaculis mĩnutis & modicis.Nã capita eius erant quieſcẽtia,& dimidiũ caput erat maius aliorũ capitũ, ſed ipſa quieſcebat

ſcebat cum eis.Et vidi,& ecce aquila volauit in pennis ſuis,& regnauit ſuper terrã, & ſuper eos qui habitant in ea.Et vidi quòd ſubiecta erant ei omnia ſub cœlo,& nemo illi contradicebat, neq; vnus de creatura quæ eſt ſuper terram.Et vidi,& ecce ſurrexit,aquila ſuper vngues ſuos,& miſit vocem pennis ſuis,dicens, Nolite omnes ſimul vigilare,dormite vnuſquiſq; in loco ſuo,& per tẽpus vigilate. Capita autem in nouiſsimo ſeruentur.Et vidi,& ecce vox non exibat de capitibus eius,ſed de medietate corporis eius. Et numeraui contra rias pẽnas eius,& ecce ipſæ erant octo. Et vidi, & ecce à dextera parte ſurrexit vna penna,& regnauit ſuper
B omnem terram.Et factum eſt cum regnaret,venit ei finis, & non apparuit locus eius:& ſequẽs exurrexit, & regnabat.Ipſa multũ tenuit tempus.Et factum eſt cum regnaret,& veniebat finis eius, vt nõ appareret ſicut prior.Et ecce vox emiſſa eſt illi,dicens, Audi tu quæ tanto tempore tenuiſti terram:hæc annuntio tibi antequam incipias non apparere.Nemo poſt te tenebit tempus tuum,ſed nec dimidium eius.Et leuauit tertia,& tenuit principatum ſicut & priores:& non apparuit & ipſa. Et ſic contingebat & omnibus alijs ſingulatim principatum gerere,& iterum nuſquã comparere. Et vidi, & ecce in tẽpore ſequentes pennæ erigebantur à dextera parte,vt tenerent & ipſæ principatum:& ex his erant quæ tenebant,ſed tamen ſtatim non compareſcebant.Nam & aliquæ ex eis erigebantur,ſed non tenebant principatum.Et vidi poſt hęc & ecce non comparuerunt duodecim pennæ,& duo pennacula:& nihil ſupererat in corpore aquilæ niſi duo capita quieſcẽtia & ſex pennacula.Et vidi,& ecce ſex pennaculis diuiſæ ſunt duæ,& manſerunt ſub capite,quod eſt ad dex-
C teram partem.Nam quatuor manſerunt in loco ſuo.Et vidi,& ecce ſubalares cogitabant ſe erigere,& tenere principatus.Et vidi & ecce vna erecta eſt,ſed ſtatim non comparuit.Et ſecundæ velocius, quàm priores non comparuerunt.Et vidi,& ecce duæ quæ ſuperauerunt apud ſemetipſas cogitabant & ipſæ regnare: & in eo cũ cogitarent,ecce vnũ quieſcentiũ capitum quod erat mediũ,euigilabat:hoc enim erat duoꝝ capitum maius.Et vidi quòd completa ſunt duo capita ſecum:& ecce conuerſum eſt caput cum his,qui cum eo erant, & comedit duas ſubalares quę cogitabant regnare. Hoc etiam caput perconterruit omnem terram,& dominabatur in ea his qui habitant terrã cum labore multo,& potentatũ tenuit orbis terrarum ſuper omnes alas quæ fuerunt. Et vidi poſt hæc, & ecce medium caput ſubitò non comparuit,& hoc ſicut alæ.Superauerunt autem duo capita,quæ & ipſa ſimiliter regnauerunt ſuper terram,& ſuper eos qui habitant in ea. Et vidi, & ecce deuorauit caput à dextera parte illud quod à leua.Et audiui vocem dicentẽ mihi, Conſpice contra te,&
D conſydera quod vides.Et vidi,& ecce ſicut leo concitatus de ſylua rugiens:& vidi quòd emittebat vocem hominis ad aquilam.Et dixit dicẽs,Audi tu,& loquar ad te,& dicet altiſsimus tibi, Nonne tu es qui ſuperaſti de quatuor animalibus,quæ fecerã regnare in ſęculo meo, & vt per eos veniret finis temporum eoꝝ? Et quartus veniens deuicit omnia animalia quæ tranſierunt, & potentatu tenuit ſæculum cum tremore multo, & omnem orbem cum labore peſsimo,& inhabitauit tot temporibus orbem terrarum cum dolo. Et iudicaſti terram non cum veritate.Tribulaſti enim manſuetos,& læſiſti quieſcentes,& dilexiſti mendaces, & deſtruxiſti habitationes eorum qui fructificabant:& humiliaſti muros eoꝝ qui te non nocuerunt.Et aſcendit contumelia tua vſq; ad altiſsimũ,& ſuperbia tua ad fortem.Et reſpexit altiſsimus ſuperba tempora,& ecce finita ſunt,& ſcelera eius completa ſunt.Propterea non appareas tu aquila,& alæ tuæ horribiles, & pennacula tua peſsima, & capita tua maligna, & vngues tui peſsimi,& omne corpus tuum vanum, vti refrigeretur omnis terra,& reuertatur liberata de tua vi,& ſperet iudicium & miſericordiam eius qui fecit eam.

CAPVT XII.

A ET factum eſt, dum loqueretur leo verba hæc ad aquilam:& vidi, & ecce quod ſuperauerat caput, & non comparuerunt quatuor alæ illæ quæ ad eum tranſierunt, & erectæ ſunt vt regnarent: & erat regnum eorum exile, & tumultu plenum. Et vidi,& ecce ipſa non apparebant,& omne corpus aquilę incendebatur,& expaueſcebat terra valde,& ego à tumultu & exceſſu mentis,& à magno timore vigilaui, & dixi ſpiritui meo,Ecce tu preſtitiſti mihi hoc in eo,quod ſcrutaris vias altiſsimi.Ecce adhuc fatigatus ſum animo,& ſpiritu meo inualidus ſum valde,& nec modica eſt in me virtus à multo timore, quam expaui nocte hac.Nunc ergo orabo altiſsimum,vt me confortet vſque in finem. Et dixi, Dominator Domine ſi inueni gratiam ante oculos tuos,& ſi iuſtificatus ſum apud te præ multis, & ſi certè aſcendit deprecatio mea ante faciem ruam,conforta me,& oſtende ſeruo tuo mihi interpretationẽ & diſtinctionem viſus horribilis huius vt pleniſsimè conſoleris animam meam.Dignum enim me habuiſti oſtendere mihi temporum nouiſsima. Et dixit ad me, Hæc eſt interpretatio viſionis huius,Aquilam quam vidiſti aſcendẽtem de mari, hoc eſt regnum quod viſum eſt in viſione Danieli fratri tuo.Sed non eſt illi interpretatum, quoniam ego nũc tibi in-
B terpretor.Ecce dies veniunt,& exurget regnum ſuper terram, & erit timor acrior omnium regnorum quæ fuerunt ante eum.Regnabunt autem in ea reges duodecim, vnus poſt vnum. Nam ſecundus incipiet regnare,& ipſe tenebit amplius tempus præ duodecim. Hæc eſt interpretatio duodecim alarum quas vidiſti. Et quam audiſti vocem quæ locuta eſt, non de capitibus eius exeuntem, ſed de medio corporis eius,hæc eſt interpretatio, quoniam poſt tempus regni illius naſcentur contentiones non modicæ, & periclitabitur vt cadat:& non cadet tunc,ſed iterum conſtituetur in ſuum initium.Et quoniam vidiſti ſubalares octo cohærentes alis eius,hæc eſt interpretatio:exurgent in ipſo octo reges,quorum erunt tempora leuia,& anni citati, & duo quidem ex ipſis perient. Appropinquante autem tempore medio, quatuor ſeruabuntur in tempore, cum incipiet appropinquare tempus eius vt finiatur: duæ verò in finem ſeruabuntur. Et quoniã vidiſti tria capita quieſcentia,hæc eſt interpretatio:in nouiſsimis eius ſuſcitabit altiſsimus tria regna, & renouabit in ea multa,& dominabuntur terram,& qui habitant in ea,cum labore multo ſuper omnes qui fuerunt ante hos: propter hoc ipſi vocati ſunt capita aquilæ. Iſti enim erunt qui recapitulabunt impietates eius, & qui perficient nouiſsima eius.Et quoniam vidiſti caput maius non apparens,hæc eſt interpretatio eius: quoniã vnus

ex eis ſuper lectum ſuum morietur,& tamen cum tormentis.Nam duo qui perſeuerauerint, gladius eos co- C
meder.Vnius enim gladius comedet qui cum eo:ſed tamen hic gladio in nouiſsimis cadet.Et quoniam vidi-
ſti duas ſubalares traijcientes ſuper caput quod eſt in dextera parte,hæc eſt interpretatio:hi ſunt quos conſer
uauit altiſsimus in finem ſuum,hoc eſt regnum exile,& turbationis plenum.Sicut vidiſti & leonẽ, quem vi-
diſti de ſylua euigilantem,& rugientem,& loquentem ad aquilam,& arguẽtem eam, & iniuſtitias ipſius per
omnes ſermones eius ſicut audiſti:hic eſt vẽtus quem ſeruauit altiſsimus in finem ad eos, & impietates ipſo-
rum,& arguet illos,& incutiet coràm ipſis diſcerptiones eorum. Statuet enim eos in iudicio viuos:& erit,cũ
arguerit eos,tunc corripiet eos:nam reſiduum populum meum liberabit cum miſeria,qui ſaluati ſunt ſuper
fines meos,& iucundabit eos quoadusq; veniet finis dies iudicij:de quo locutus ſum tibi ab initio.Hoc ſom-
nium quod vidiſti,& hæ interpretationes.Tu ergo ſolus dignus fuiſti ſcire altiſsimi ſecretũ hoc. Scribe ergo
omnia iſta in libro quæ vidiſti,& pone ea in loco abſcondito:& docebis ea ſapientes de populo tuo,quorum
corda ſcis poſſe capere & ſeruare ſecreta hæc.Tu autem adhuc ſuſtine hic alios dies ſeptem,vt tibi oſtendatur
quicquid viſum fuerit altiſsimo oſtẽdere tibi.Et profectus eſt à me.Et factum eſt, cum audiſſet omnis popu- D
lus q̃ pertranſierunt ſeptem dies,& ego non fuiſſem reuerſus in ciuitatem , & congregauit ſe omnis à mini-
mo vſq; ad maximum:& venit ad me,& dixerunt mihi dicentes , Quid peccauimus tibi, & quid iniuſtè egi-
mus in te,quoniam derelinquens nos ſediſti in loco hoc ? Tu enim nobis ſuperes ſolus ex omnibus populis,
ſicut botrus de vinea,& ſicut lucerna in loco obſcuro,& ſicut portus & nauis ſaluata à tempeſtate. Aut non
ſufficiunt nobis mala quæ contingunt ? Si ergo tu nos dereliqueris,quantò nobis erat melius ſi eſſemus ſuc-
cenſi & nos cum incendio Sion ? Nec enim nos ſumus meliores eorum,qui ibi mortui ſunt. Et ploraverunt
voce magna.Et reſpondi ad eos , & dixi , Confide Iſrael,& noli triſtari tu domus Iacob. Eſt enim memoria
veſtri coràm altiſsimo,& fortis non eſt oblitus veſtri in tentatione.Ego enim non dereliqui vos,neq; exceſi
à vobis:ſed veni in hunc locum,vt deprecarer pro deſolatione Sion, vt quærerem miſericordiam pro humi-
litate ſanctificationis veſtrę.Et nunc ite vnuſquiſq; veſtrum in domum ſuam,& ego veniam ad vos poſt dies
iſtos.Et profectus eſt populus , ſicut dixi ei , in ciuitatem:ego autem ſedi in campo ſeptem diebus,ſicut mihi
mandauit,& manducabam de floribus ſolummodo agri,de herbis facta eſt eſca mihi in diebus illis.

CAPVT XIII.

ET factum eſt poſt dies ſeptẽ,& ſomniaui ſomniũ nocte.Et ecce de mari ventus exurgebat , vt cõturba- A
ret omnes fluctus eius.Et vidi,& ecce conualeſcebat ille homo cũ millibus cœli:& vbi vultũ ſuum ver-
tebat vt conſyderaret,tremebant omnia quæ ſub eo videbantur:& vbicunq; exibat vox de ore eius,ar-
deſcebant omnes qui audiebant voces eius,ſicut quieſcit terra quando ſenſerit ignẽ.Et vidi poſt hæc , & ecce
congregabatur multitudo hominum,quorum non erat numerus de quatuor ventis cœli, vt debellarent ho-
minem qui aſcenderat de mari.Et vidi,& ecce ſibimetipſi ſculpſerat montẽ magnum, & volauit ſuper eum.
Ego autem quæſiui videre regionem,vel locũ vnde ſculptus eſſet mons,& nõ potui.Et poſt hæc vidi, & ecce
omnes qui congregati ſunt ad eũ,vt expugnarent eum,timebant valde,tamen audebant pugnare. Et ecce,vt
vidit impetum multitudinis veniẽtis nõ leuauit manũ ſuam,neq; phramęam tenebat , neq; aliquod vas bel-
licoſum,niſi ſolũmodo vt vidi,quoniã emiſit de ore ſuo,ſicut flatũ ignis & de labijs eius ſpiritus flammæ,&
de lingua eius emittebat ſcintillas,& tẽpeſtates,& commiſta ſunt omnia ſimul,hic flatus ignis,& ſpiritus flã-
mæ,& multitudo tempeſtatis:& cõcidit ſuper multitudinem in impetu,quæ præparata erat pugnare,& ſuc-
cendit omnes,vt ſubitò nihil videretur de innumerabili multitudine,niſi ſolũmodo puluis,& fumi odor,&
vidi,& extimui.Et poſt hęc vidi ipſum hominem deſcendentẽ de monte,& vocantẽ ad ſe multitudinẽ aliam
pacificam,& accedebat ad eũ vultus hominum multorũ,quorundam gaudentiũ,quorundam triſtantiũ: ali-
qui verò alligati,aliqui adducẽtes ex eis qui offerebãtur:& ægrotaui à multitudine pauoris, & expergefactus B
ſum,& dixi, Tu ab initio demonſtraſti ſeruo tuo mirabilia hæc , & dignũ me habuiſti vt ſuſciperes deprecatio-
nẽ meã:& nunc demonſtra mihi adhuc interpretationẽ ſomnij huius.Sicut enim exiſtimo in ſenſu meo,
væ qui derelicti fuerint in diebus illis:& multò plus vę his qui non ſunt derelicti.Qui enim nõ ſunt derelicti
triſtes erant.Intelligo nũc quę ſunt repoſita in nouiſsimis diebus,& occurrẽt eis,ſed & his qui derelicti ſunt.
Propter hoc venerũt enim in pericula magna,& neceſsitates multas,ſicut oſtẽdunt ſomnia hęc. Attamẽ faci
lius eſt periclitantẽ venire in hunc quàm pertrãſire,ſicut nubem à ſęculo, & nũc videre quæ contingunt in
nouiſsimo.Et reſpõdit ad me,& dixit,Et viſionis interpretationẽ dicã tibi:& de quibus locutus es , & adape-
riã tibi. Quoniã de his dixiſti qui derelicti ſunt,hęc eſt interpretatio:qui aufert periculũ illo tempore, hic ſe
cuſtodiuit:qui in periculo inciderũt,hi ſunt,qui habẽt opera,& fidẽ ad fortiſsimum.Scito ergo quòd magis
beatificati ſunt,qui derelicti ſuper eos qui mortui ſunt.Hæ interpretationes viſionis,quia vidiſti virũ aſcen-
dentem de corde maris,ipſe eſt quem conſeruat altiſsimus multis temporibus,qui per ſemetipſum liberabit
creaturã ſuam:& ipſe diſponet,qui derelicti ſunt.Et quoniã vidiſti de ore eius exire,vt ſpiritum, & ignem,&
tempeſtatem:& quoniam non tenebat framæam,neque vas bellicoſum : corrupit enim impetus eius multi-
tudinem,quæ venerat expugnare eum,hęc eſt interpretatio:Ecce dies veniunt, quando incipiet altiſsimus li
berare eos qui ſuper terram ſunt:& veniet in exceſſu mentis ſuper eos qui inhabitant terram.Et alij alios co- C
girabunt debellare:ciuitas ciuitatem,& locus locum,& gens aduerſus gentem,& regnum aduerſus regnum.
Et erit,cum fient hæc,& contingent ſigna quæ ante oſtendi tibi:& tũc reuelabitur filius meus,quem vidiſti,
vt virum aſcendentem. Et erit,quando audierint omnes gentes vocem eius : & derelinquet vnuſquiſque in
regione ſua bellum ſuum,quod habent ad alterutrum:& colligetur in vnum multitudo innumerabilis,ſi-
cut volentes venire,& expugnare eum.Ipſe autem ſtabit ſuper cacumen montis Sion.Sion autem veniet, &
oſtẽdetur omnibus parata,& ædificata:ſicut vidiſti montem ſculpi ſine manibus. Ipſe autem filius meus ar-
guet,

guet,quæ adinuenerũt gentes,impietates eorum has,quæ tẽpeſtati appropinquauerunt, propter mala cogi-
tamenta eorũ,& cruciamenta,quibus incipiẽt cruciari:quæ aſſimilatæ ſunt flammæ, & perdet eos ſine labore,
per legem,quæ igni aſſimilata eſt.Et quoniam vidiſti eũ colligentem ad ſe aliam multitudinẽ pacificam,hæ
ſunt decẽ tribus , quę captiuæ factę ſunt de terra ſua,in diebus Oſee regis,quẽ captiuũ duxit Salmanaſar rex
Aſſyriorum:& trãſtulit eos trans flumẽ,& translati ſunt in terrã aliam.Ipſi autẽ ſibi dederunt conſiliũ hoc,
vt derelinquerẽt multitudinem gentiũ,& proficiſcerentur in vlteriorem regionem,vbi nunquã inhabitauit
genus humanũ:vel ibi obſeruare legitima ſua,quæ nõ fuerant ſeruãtes in regione ſua. Per introitus autẽ an-
D guſtos fluminis Euphrãten introierũt.Fecit enim eis tũc altiſsimus ſigna,& ſtatuit venas fluminis vſquequo
trãſirent.Per eam enim regionẽ erat via multa itineris,anni vnius,& dimidij:nã regio illa vocatur Arſareth.
Tũc inhabitauerũt ibi vſq; in nouiſsimo tẽpore:& nunc iterũ cum cœperint venire, iterũ altiſsimus ſtatuet
venas fluminis,vt poſſint tranſire:propter hęc vidiſti multitudinẽ cum pace. Sed & qui derelicti ſunt de po-
pulo tuo,hi ſunt qui inueniũtur intra terminũ meum.Factũ erit ergo,quando incipiet perdere multitudinẽ
earum,quæ collectę ſunt gentes,proteget eos qui ſuperauerunt populum : & tunc oſtẽdet eis multa plurima
portenta.Et dixi ego,Dñator Dñe,hoc mihi oſtẽde,propter quod vidi virũ aſcendentẽ de corde maris.Et di-
xit mihi,Sicut nõ potes hæc vel ſcrutari,vel ſcire,quæ ſunt in profundo maris : ſic non poterit quiſquę ſuper
terram videre filiũ meum,vel eos,qui cũ eo ſunt,niſi in tempore diei.Hæc eſt interpretatio ſomnij,quod vi-
diſti,& propter quod illuminatus eſt hic ſolus.Dereliquiſti enim tuã,& circa meam vacaſti legem, & quæſi-
ſti.Vitã enim tuam diſpoſuiſti in ſapientia,& ſenſum tuum vocaſti matrem:& propter hoc oſtendi tibi mer
ces apud altiſsimum:erit enim,poſt alios tres dies,ad te alia loquar,& exponam tibi grauia, & mirabilia. Et
profectus ſum,& tranſij in campum,multum glorificans,& laudans altiſsimum de mirabilibus,quæ per tẽ-
pus faciebat:& quoniam gubernat ipſum,& quæ ſunt in temporibus illata,& ſedi ibi tribus diebus.

CAPVT XIIII.

A ET factum eſt tertio die,& ego ſedebam ſub quercu.Et ecce,vox exiuit cõtra me de rubo,& dixit , Eſdra
Eſdra.Et dixi,Ecce ego Domine.Et ſurrexi ſuper pedes meos. Et dixit ad me, Reuelans reuelatus ſum
ſuper rubum,& locutus ſum Moyſi,quando populus meus ſeruiebat in Ægypto, & miſi eum & eduxi
populum meum de Ægypto,& adduxi eum ſuper montem Sina,& detinebam eum apud me diebus multis:
& enarraui ei mirabilia multa,& oſtendi ei tempora ſecreta,& finem.& præcepi ei,dicens,Hæc in palàm fa-
cies verba,& hæc abſcondes.Et nunc tibi dico:ſigna quæ demonſtraui,& ſomnia quæ vidiſti , & interpreta-
tiones quas tu vidiſti,in corde tuo repone ea:tu enim recipieris ab omnibus , conuerteris reſiduus cum con-
ſilio meo,& cum ſimilibus tuis,vſquequo finientur tempora.quoniam ſęculum perdidit iuuentutem ſuam,
& tempora appropinquant ſeneſcere.Duodecim enim partibus diuiſum eſt ſæculũ, & tranſierunt eius deci-
ma,& dimidium decimæ partis:ſuperſunt autẽ eius poſt medium decimæ partis.Nũc ergo diſpone domum
tuã,& corripe populum tuũ,& conſolare humiles eorũ,& renuntia iam corruptelæ,& dimitte abs te morta-
B les cogitationes,& proijce abs te pondera humana,& exue te iam infirmam naturã:& repone in vnam par-
tem moleſtiſsima tibi cogitamenta,& feſtina tranſmigrare à temporibus his : quę enim vidiſti nunc contig-
iſſe mala,iterum horum deteriora facient:quantum enim inualidum fiet ſæculum à ſenectute , tantũ mul-
tiplicabuntur ſuper inhabitantes mala.Prolongauit enim ſe magis veritas, & appropinquauit mendacium.
Iam enim feſtinat venire,quam vidiſti viſionẽ.Et reſpondi,& dixi coram te Domine,Ecce enim ego abibo,
ſicut præcepiſti mihi,& corripiã præſentem populum.Qui autem iterum nati fuerint,quis commonebit?
Poſitum eſt ergo ſæculũ in tenebris:& qui inhabitant in eo,ſine lumine.Quoniã lex tua incenſa eſt,propter
quod nemo ſcit quæ à te facta ſunt,vel quę incipiẽt opera.Si enim inueni in te gratiã, immitte in me ſpiritũ
ſanctum,& ſcribam omne quod factum eſt in ſæculo ab initio quæ erant in lege tua ſcripta,vt poſſint homi
nes inuenire ſemitam:& qui voluerint viuere in nouiſsimis,viuant,Et reſpondit ad me,& dixit,Vadens con-
grega populum,& dices ad eos,vt non quęrãt te diebus quadraginta. Tu autẽ præpara tibi buxos multos, &
C accipe tecum Saream,Dabriam,Salemiam,Echanũ , & Aſiel quinq; hos, qui parati ſunt ad ſcribendũ veloci-
ter:& venias huc,& ego accendã in corde tuo lucernam intellectus,quæ non extinguetur,quoadusq; finiã-
tur,quæ incipies ſcribere.Et tunc perfectis quædã palàm facies,quędã ſapientibus abſconſe trades : in craſti-
num enim hac hora incipies ſcribere.Et profectus ſum,ſicut mihi præcepit,& congregaui omnem populũ,
& dixi,Audi Iſrael verba hęc,Peregrinati ſunt patres noſtri ab initio in Ægypto, & liberati ſunt inde : & ac-
ceperunt legẽ vitæ,quam non cuſtodierũt,quam & vos poſt eos tranſgreſsi eſtis:& data eſt vobis terra in ſor
tẽ,& terra Sion,& patres veſtri,& vos iniquitatẽ feciſtis,& non ſeruaſtis vias quas præcepit vobis altiſsimus:
& iuſtus iudex cum ſit,abſtulit à vobis in tẽpore quod donauerat.Et nũc vos hic eſtis,& fratres veſtri intror-
ſum veſtrũ ſunt. Si ergo imperaueritis ſenſui veſtro,& erudieritis cor veſtrum,viui conſeruati eritis,& poſt
mortem miſericordiã conſequemini.Iudicium enim poſt mortẽ veniet, quãdo iterum reuiuiſcemus:& tũc
iuſtorum nomina parebũt,& impiorum facta oſtendentur.Ad me igitur nemo accedat nunc,neq; requirat
D me vſq; dies quadraginta,Et accepi quinq; viros,ſicut mandauit mihi,& profecti ſumus in campũ , & man-
ſimus ibi.Et factus ſum in craſtinum,& ecce vox vocauit me,dicens,Eſdra aperi os tuum,& bibe quo te po-
tauero,Et aperui os meũ,& ecce calix plenus porrigebatur mihi.Hoc erat plenum ſicut aqua : color autem
eius vt ignis ſimilis.Et accepi,& bibi,& in eo cum bibiſſem , cor meum cruciabatur intellectu , & in pectus
meum increſcebat ſapientia.Nã ſpiritus meus conſeruabatur memoria.Et apertum eſt os meum,& non eſt
clauſum amplius.Altiſsimus dedit intellectum quinq; viris,et ſcripſerunt quæ dicebãtur exceſsiones noctis
quas non ſciebant.Nocte autem manducabant panem,ego autem per diem loquebar , & per noctẽ non ta-
cebam.Scripti ſunt autem per quadraginta dies libri ducẽti quatuor,Et factum eſt cum compleuiſſent qua-

draginta dies, locutus est altissimus, dicens, Priora quæ scripsisti, in palàm pone, & legant digni & indigni: nouissimos autem septuaginta conseruabis, vt tradas eos sapientibus de populo tuo. In his enim est vena intellectus, & sapientiæ fons, & scientiæ flumen. Et feci sic.

CAPVT XV.

ECce loquere in aures plæbis meæ sermones prophetiæ, quos immisero in os tuum, dicit Dominus, & A
fac vt in charta scribantur, quoniam fideles & veri sunt. Ne timeas à cogitationibus aduersum te, nec
turbent te incredulitates dicentium. Quoniam omnis incredulus in incredulitate sua morietur. Ecce
ego induco, dicit Dominus, super orbem terrarum mala, gladium, & famem, & mortem, & interitum: propter quod superpolluit iniquitas omnem terram, & adimpleta sunt opera nociua illorum. Propterea dicit Dominus, Iam non silebo de impietatibus eorꝫ, quæ irreligiosè agunt, nec sustinebo in his quæ iniquè exercent: ecce sanguis innoxius & tristis clamat ad me, & animę iustorum clamant perseueranter. Vindicàs vindicabo illos, dicit Dominus, & accipiam omnem sanguinem innoxium ex illis ad me. Ecce populus meus quasi grex ad occisionem ducitur, iam non patiar illum habitare in terra Ægypti: sed educam eum in manu potẽti, & brachio excelso, & percutiam plaga sicut prius, & corrumpam omnem terram eius. Lugebit Ægyptus, & fundamenta eius plaga verberata, & castigatione quas inducet ei Deus. Lugebunt cultores operantes terram, quoniam deficient semina eorum ab vredine & grãdine, & à sydere terribili. Væ sæculo, & qui habitant in eo: quia appropinquauit gladius & contritio eorum, & exurget gens contra gentem ad pugnam, et romphæa in manibus eorum. Erit enim inconstabilitio hominibus, & alij alijs inualescentes non curabunt regem suum & principes, viæ gestorum suorum in potentia sua. Concupiscet enim homo in ciuitatem ire, & non poterit. Propter superbiam enim eorum ciuitates turbabuntur, domus exterentur, homines metuẽt. B
Non miserebitur homo proximum suum ad irritum faciendum domos eorum in gladium, ad diripiendas substantias eorum propter famẽ panis & tribulationem multam. Ecce ego conuoco dicit Deus, omnes reges terræ ad me verendum, qui sunt ab oriente, & ab austro, ab euro, & à Libano, ad conuertendos ad se, & reddere quæ dederũt illis: sicut faciunt vsq; hodie electis meis, sic faciã & reddam in sinu eorꝫ. Hæc dicit Dñs Deus, Non parcet dextera mea super peccatores, nec cessabit romphæa super effundentes sanguinem innoxium super terram. Exijt ignis ab ira eius, deueuorauit fundamenta terræ, et peccatores quasi stramen incensum. Væ eis qui peccant, & non obseruãt mandata mea, dicit Dñs non parcam illis. Discedite filij à potestate. Nolite contaminare sanctificationẽ meam: quoniam nouit Dñs omnes qui delinquunt in illum: propterea tradidit eos in mortem, & in occisionem. Iã enim venerunt super orbẽ terrarum mala, & manebitis in illis: nõ enim liberabit vos Deus, propter quod peccastis in eũ. Ecce visio horribilis, & facies illius ab oriẽte. Et exient nationes draconũ Arabum in curribus multis, & sicut flatus eorum numerus fertur super terram, vt iã timeant & trepident omnes qui illos audiẽt Carmonij insaniẽtes in ira, & exient vt apri de sylua, & aduenient in virtute magna, & constabũt in pugnam cum illis, & vastabũt portionem terræ Assyrioꝝ. Et post hæc superualescent dracones natiuitatis suæ memores, & conuertent se cõspirantes in virtute magna ad persequendos eos. Isti turbabuntur & silebũt in virtute illoꝝ, & conuertent pedes suos in fugam, & à territorio C
Assyrioꝝ subsessor obsidebit eos, & consumet vnum ex illis, & erit timor & tremor in exercitu illoꝝ, & cõtentio in reges ipsoꝝ. Ecce nubes ab oriẽte, & à septentrione vsq; ad meridianũ, & facies earum horrida valde, plena iræ & procellæ, & collident se inuicẽ, & collident sydus copiosum super terrã, & sydus illorum, & erit sanguis à gladio vsq; ad ventrẽ, & fimus hominis vsq; ad substramẽ cameli, & erit timor & tremor multus super terram, & horrebunt qui videbunt iram illam, & tremor apprehendet illos: & post hæc mouebuntur nimbi copiosi à meridiano, & septentrione, & portio alia ab occidente: & superinualescent venti ab oriẽte & recludent eam, & nubem quam suscitauit in ira, & sydus ad faciendam exterritationem ad orientalem ventum & occidentem violabitur: & exaltabuntur nubes magnæ & validæ plenæ iræ, & sydus, vt exterreant omnem terram, & inhabitantes eam, & infundent super omnem locum altum & eminentem sydus terribile, ignem & grandinem, & romphæas volantes, & aquas multas, vt etiam impleantur omnes cãpi, & omnes riui plenitudine aquarum multarum: & demolientur ciuitates, & muros & montes & colles, & ligna syluarum, & fœnum pratorum, & frumenta eorum. Et transibunt constantes vsque Babylonem, & exterrent eã: conuenient ad ipsam, & circuibunt eam, & effundent sydus & omnem iram super eam, & subibit puluis & fumus vsque in cœlum, & omnes in circuitu lugebunt eam: & qui sub ea remanserint, seruient his qui exterruerunt. Et tu Asia concors in spem Babylonis, & gloria personæ eius: væ tibi misera propter quod assimi- D
lasti ei, & ornasti filias tuas in fornicatione ad placendum & gloriandum in amatoribus tuis, qui tecũ cupierunt semper fornicari. Odibilem imitata es in omnibus operibus eius, & in adinuentionibus eius, propterea dicit Deus, Immittam tibi mala, viduitatem, paupertatem, & famem, & gladium, & pestem, ad deuastandas domos tuas à violatione, & morte, & gloria virtutis tuæ. Sicut flos siccabitur, cum exurget ardor qui emissus est super te infirmaberis vt paupercula plagata, & castigata à mulieribus, vt non possint te suscipere potentes & amatores. Nunquid ego sic zelabor te dicit Dominus, nisi occidisses electos meos in omni tempore, exaltans percussionẽ manuum, & diceres super mortem eorum, cum inebriata esses, Exorna speciem vultus tui? Merces fornicationis tuæ in sinu tuo, propter hoc redditionem accipies. Sicut facies electis meis, dicit Dominus, sic faciet tibi Deus, & tradet te in malum. Et nati tui fame interient: & tu rhomphęa cades, & ciuitates tuæ conterentur, & omnes qui in campo gladio cadent. Et qui sunt in montibus, fame peribunt, & mãducabunt carnes suas, & sanguinem bibent à fame panis & siti aquæ. Infelix per maria venies, & rursum accipies mala. Et in transitu allident ciuitatem occisam, & exterẽt aliquam portionem terræ tuæ, & partem gloriæ tuæ exterminabunt, rursum reuertentes conuersam. Et demolita eris illis pro stipula, & ipsi erunt tibi ignis:

ignis: & deuorabunt te, & ciuitates tuas, terram tuam, & montes tuos: omnes syluas tuas, & lignum fructiferum igni comburent. Filios tuos captiuos ducent, & censum tuum in prædam habebunt, & gloriam faciei tuæ exterminabunt.

CAPVT XVI.

A VÆ tibi Babylon & Asia, væ tibi Ægypte & Syria. Præcingite vos saccis & cilicijs, & plangite filios vestros, & dolete: quoniam appropinquauit contritio vestra. Immissus est vobis gladius, & quis est qui auertat illum? Immissus est in vobis ignis, & quis est qui extinguat illũ? Immissa sunt vobis mala, & quis est qui repellat ea? Nunquid repellet aliquis leonem esurientem in sylua, aut extinguet ignem in stipula mox quando cœperit ardere? Nunquid repellet aliquis sagittam à sagittario forti missam? Dominus fortis immittit mala, & quis est qui repellat ea? Exijt ignis ex iracundia eius, & quis est qui extinguat eum? Coruscabit, & quis non timebit? Tonabit, & quis non pauebit? Dominus cõminabitur, & quis non funditus conteretur à facie ipsius? Terra tremuit & fundamenta eius, mare fluctuat de profundo, & fluctus eius disturbabuntur, & pisces eius à facie Domini, & à gloria virtutis eius: quoniam fortis dextera eius, quæ arcum tendit, sagittæ eius acutæ, quæ ab ipso mittuntur, non deficient cum cœperint mitti in fines terræ. Ecce mittũtur mala, & non reuertentur, donec veniant super terram. Ignis succenditur, & non extinguetur, donec cõsumat fundamenta terræ. Quemadmodum non redit sagitta missa à valido sagittario: sic nõ reuertentur mala, quę missa fuerint in terram. Væ mihi, væ mihi: quis me liberabit in illis diebus? Initium dolorum & multi gemitus, initium famis & multi interitus, initium bellorum & formidabunt potestates, initium malorum & rrepidabunt omnes. In his quid faciam cum venerint mala? Ecce fames & plaga, & tribulatio, & angustia missa sunt flagella in emendatione, & in his omnibus se non conuertent ab iniquitatibus suis, neque flagellorum memores erunt semper. Ecce, erit annonæ vilitas super terram, sicut putent sibi esse directam pacem, & tunc germinabunt mala super terram, gladius, fames, & magna confusio. A fame enim plurimi qui inhabitãt ter-
B ram interient, & gladius perdet cæteros, qui superauerint à fame, & mortui sicut stercora proijcientur, & nõ erit qui consoletur eos. Derelinquetur enim terra deserta, & ciuitates eius deijcientur, Non derelinquetur qui colat terram, & qui seminet eam. Ligna dabunt fructus, & quis vindemiabit illa? Vua matura fiet, & quis calcabit illam? Erit enim locis magna desertio. Cupiet enim homo hominem videre, vel vocem eius audire. Relinquentur enim de ciuitate decem, & duo de agro qui absconderint se in densis nemoribus, & scissuris petrarum: quemadmodum dũ derelinquuntur in oliueto, & singulis arboribus tres, aut quatuor oliuę: aut sicut in vinea vindemiata racemi relinquuntur ab his qui diligenter vineam scrutantur: sic relinquẽtur in diebus illis tres, aut quatuor scrutantibus domos eorum in rhomphæa. Et relinquetur terra deserta, & agri eius inuterabunt, & viæ eius & omnes semitæ eius germinabunt spinas, eò q̃ non transient homines per eam. Lugebunt virgines non habentes sponsos, lugebunt mulieres non habentes viros, lugebunt filiæ earum non habẽtes adiutorium, & sponsi earum in bello consumentur, & viri earum in fame exterentur. Audite verò ista, & cognoscite ea ferui Domini. Ecce verbum Domini, excipite illud: ne dijs credatis, de quibus dicit Dominus, Ecce appropinquant mala, & non tardant. Quemadmodum prægnans cũ parit in nono mense filium suũ, appropinquante hora partus eius ante horas duas vel tres, dolores circueunt ventrem eius, & prodeunte infante de ventre nõ tardabunt vno puncto: sic nõ morabũtur mala ad prodeundũ super terrã, & sæculum gemet, & dolores circumtenebunt illud. Audite verbũ plebs mea. Parate vos in pugnã, & in malis sic estote, quasi aduenæ terræ. Qui vendit, quasi qui fugiat: & qui emit, quasi qui perditurus. Qui mercatur, quasi qui fructũ nõ capiat: & qui ædificat, quasi nõ habitaturus. Qui seminat, quasi qui nõ metet: sic & qui vineã putat, quasi qui
C nõ vindemiaturus. Qui nubũt, sicut quasi filios nõ facturi: & qui nõ nubũt, sic quasi vidui. Propter quod qui laborant, sine causa laborãt. Fructus enim illorũ alienigenæ metẽt, & substãtiã illorũ rapient, & domos euertent, & filios eorũ captiuabunt, quia in captiuitate & fame generãt natos suos. Et qui negotiantur in rapina, quantũ diu exornãt ciuitates & domos suas, & possessiones & personas suas, tantò magis adzelabor eos super peccata sua dicit Dñs. Quomodo zelatur fornicaria mulierem idoneam & bonam valde, sic zelabitur iustitia iniquitatem cũ exornat se, & accusat eam in facie, cum venerit qui defendat exquirentẽ omne peccatum super terram. Propterea nolite similari ei, nec operibus eius: quoniam adhuc pusillũ, & tolletur iniquitas à terra, & iustitia regnabit in vos: nõ dicat peccator se nõ peccasse: quoniã carbones ignis cõburẽtur super caput eius qui dicit, Nõ peccaui coràm Dño Deo, & gloria ipsius. Ecce Dominus cognoscet omnia opera hominum, & adinuentiones illorũ, & cogitationes illorum, & corda illorum. Dixit enim, Fiat terra, & facta est: fiat cœlum, & factum est. Et in verbo illius stellæ fundatæ sunt, & nouit numerum stellarum. Qui scrutatur abyssum, & thesauros illarum: qui mensus est mare, & cõceptum eius. Qui concluſit mare in medio aquarũ & suspendit terram super aquas verbo suo. Qui extendit cœlum quasi cameram, super aquas fundauit eum. Qui posuit in deserto fontes aquarũ, & super verticẽ montiũ lacus ad emittendũ flumina ab eminenti petra, vt portaret terram. Qui finxit hominem, & posuit cor suum in medio corporis, & misit ei spiritum, vitam, & intellectum, & spiramen Dei omnipotentis qui fecit omnia, & scrutauit omnia absconsa in absconsis terræ. Hic nouit adinuentionem vestram, & quæ cogitatis in cordibus vestris, peccantes, & volentes occultare peccata vestra. Propter quod Dominus scrutando scrutinauit omnia opera vestra, & traducet vos omnes:
D & vos confusi eritis cum processerint peccata vestra coràm hominibus, & iniquitates erunt, quæ accusatores stabunt in die illo. Quid facietis? aut quomodo absondetis peccata vestra coràm Deo, & angelis eius? Ecce iudex Deus timete eũ. Definite à peccatis vestris, & obliuiscamini iniquitates vestras iam agere eas in sempiterno, & Deus educet vos, & liberabit de omni tribulatione. Ecce enim incenditur ardor super vos turbæ copiosæ, & rapient quosdã ex vobis, & cibabunt idolis ociosos, & qui consenserint eis, erunt illis in deriſum

& in improperium,& in conculcationem: erit enim locis locus, & in vicinas ciuitates exurrectio multa fu- b
per timentes Dominum. Erunt quasi insani, nemini parcentes: ad diripiendum & deuastandum adhuc ti
mentes Dominum, quia deuastabunt & diripient substantias, & de domibus suis eos eijcient. Tunc parebit
probatio electorum meorum, vt aurum quod probatur ab igne. Audite dilecti mei, dicit Dominus. Ecce
adsunt dies tribulationis,& de his liberabo vos. Ne timeatis,nec hæsitetis: quoniam Deus dux vester est. Et
qui seruat mandata & præcepta mea,dicit Dominus Deus,ne præponderent vos peccata vestra, ne superele-
uent se iniquitates vestræ. Væ qui constringuntur à peccatis suis,& obreguntur ab iniquitatibus suis, quem-
admodum ager constringitur à sylua,& spinis tegitur semita eius,per quam nõ transit homo, & excluditur,
& mittitur ad deuorationem ignis.

LIBER TOBIAE

CAPVT I.

3.Re. 12.f

OBIAS ex tribu & ciuitate Nephthalim, quæ est in superioribus Galileæ super Naas- A
son,post viam, quæ ducit ad occidentem, in sinistro habens ciuitatem Sephet:cum ca-
ptus esset in diebus Salmanasar regis Assyriorum, in captiuitate tamen positus, viam
veritatis non deseruit,ita vt omnia,quæ habere poterat,quotidie concaptiuis fratribus,
qui erãt ex eius genere,impartiret. Cumq; esset iunior omnibus ex tribu Nephthalim,
nihil tamen puerile gessit in opere. Denique cum irent omnes ad vitulos aureos,quos
Ieroboam fecerat rex Israel, hic solus fugiebat consortia omnium:& pergebat in Ieru- B
salem ad templum Domini,& ibi adorabat Dominum Deum Israel, omnia primitiua sua, & decimas suas
fideliter offerens,ita vt in tertio anno proselytis & aduenis ministraret omnem decimationem. Hæc & his
similia secundum legem Dei puerulus obseruabat. Cum verò factus fuisset vir, accepit vxorem Annam de
tribu sua:genuitq; ex ea filium, nomen suum imponens ei,quem ab infantia timere Deum docuit, & absti-
nere ab omni peccato. Igitur dum per captiuitatem deuenisset cũ vxore sua & filio in ciuitatem Ninuen, C
cum omni tribu sua: & cum omnes ederent ex cibis gentilium, iste custodiuit animam suam, & nunquam
contaminatus est in escis eorum. Et quoniam memor fuit Domini in toto corde suo, dedit illi Deus gratiã
in conspectu Salmanasar regis:& dedit illi potestatem quocunque vellet ire, habens libertatem quæcunque
facere voluisset.Pergebat ergo per omnes qui erant in captiuitate,& monita salutis dabat eis.Cum autem ve
nisset in Rages ciuitatem Medorum,& ex his quibus honoratus fuerat à rege,habuisset decem talenta argen-
ti,& cum in multa turba generis sui Gabelum egentem videret,qui erat ex tribu eius, sub chyrographo de- D
4.Re.19.g dit illi memoratum pondus argenti. Post multum verò temporis mortuo Salmanasar rege, cum regnaret
Ecclę.48.d Sennacherib filius eius pro eo,& filios Israel exosos haberet in conspectu suo, Tobias quotidie pergebat per
Esaiæ 37.g omnem cognationem suam,& consolabatur eos,diuidebatq; vnicuiq;,prout poterat de facultatibus suis,cũ
1.Mach 7.f rientes alebat,nudisq; vestimenta præbebat,& mortuis atq; occisis sepulturam sollicitus exhibebat. Deniq;
& 2.Mach. cum reuersus esset rex Sennacherib fugiens à Iudæa plagam, quam circa eum fecerat Deus propter blasphe-
8.c miam suam,& iratus multos occideret ex filijs Israel, Tobias sepeliebat corpora eorum. At vbi nuntiatum
est regi,iussit eum occidi,& tulit omnem substantiam eius. Tobias verò cum filio suo,& cum vxore fugiens,
nudus latuit,quia multi diligebant eum. Post dies verò quadraginta quinq; occiderunt regem filij ipsius,&
reuersus est Tobias in domum suam,omnisq; facultas eius restituta est ei.

CAPVT II.

POst hæc verò cum esset dies festus Domini, & factum esset prandium bonum in domo Tobiæ, dixit A
filio suo, Vade, & adduc aliquos de tribu nostra timentes Deum, vt epulentur nobiscum. Cumque
abijsset, reuersus nuntiauit ei vnum ex filijs Israel iugulatum iacere in platea. Statimque exiliens de
accubitu suo, relinquens prandium, ieiunus peruenit ad corpus: tollensque illud portauit ad domum sua
occultè, vt dum sol occubuisset, cautè sepeliret eum. Cumque occultasset corpus, manducauit panem cum
luctu, & tremore memorans illum sermonem, quem dixit Dominus per Amos propheram, Dies festi ve-
stri conuertentur in lamentationem,& luctum. Cum verò sol occubuisset,abijt,& sepeliuit eum. Arguebãt
autem eum omnes proximi eius,dicentes, Iam huius rei causa interfici iussus es,& vix effugisti mortis impe-
rium,& iterum sepelis mortuos? Sed Tobias plus timens Deum quàm regem, rapiebat corpora occisorum B
& occultabat in domo sua, & medijs noctibus sepeliebat ea. Contigit autem, vt quadam die fatigatus à se-
pultura,veniens in domum suam, iactasset se iuxta parietem, & obdormisset: & ex nido hirundinum dor-
mienti illi,calida stercora inciderent super oculos eius,fieretq; cæcus. Hanc autem tentationem ideo permi-
sit Dominus euenire illi,vt posteris daretur exemplum patientiæ eius, sicut & sancti Iob. Nam cum ab in-
fantia sua semper Deum timuerit, & mandata eius custodierit, non est contristatus contra Deum quòd pla-
ga cæcitatis euenerit ei:sed immobilis in Dei timore permansit,agens gratias Deo omnibus diebus vitæ sue.
Nam sicut beato Iob insultabant reges, ita isti parentes, & cognati eius irridebant vitam eius, dicentes, Vbi C
est spes tua,pro qua eleemosynas, & sepulturas faciebas? Tobias verò increpabat eos, dicens, Nolite ita lo-
qui, quoniam filij sanctorum sumus,& vitam illam expectamus,quam Deus daturus est his,qui fidem suam
nunquam mutant ab eo. Anna verò vxor eius ibat ad opus textrinum quotidie: & de labore manuum sua-
rum

D rum victum,quem consequi potuisses deferebat. Vnde factum est,vt hœdum caprarum accipiens detulisset
domum. Cuius cum vocem balantis vir eius audisset,dixit, Videte ne fortè furtiuus sit: reddite eum domi
nis suis,quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid,aut contingere,Ad hæc vxor eius irata, respõdit,Ma-
nifestè vana facta est spes tua, & eleemosinæ tuę modo apparuerunt.Atque his, & alijs huiusce modi verbis
exprobrabat ei.

CAPVT III.

A TVnc Tobias ingemuit,& cœpit orare cum lacrymis,dicens, Iustus es Domine, & omnia iudicia tua
vera sunt:& omnes viæ tuæ misericordia,& veritas,& iudicium. Et nunc Domine memor esto mei,
& ne vindictam sumas de peccatis meis,neq; reminiscaris delicta mea vel parentum meorum. Quo-
niam non obediuimus præceptis tuis:ideo traditi sumus in direptionem,& captiuitatem, & mortem, & in
fabulam,& in improperium omnibus nationibus,in quibus dispersisti nos. Et nunc Domine magna iudi-
cia tua,quia non egimus secundum præcepta tua,& non ambulauimus synceriter coràm te.Et nunc Domi-
ne secundum voluntatem tuam fac mecum,& præcipe in pace recipi spiritum meum. Expedit enim mihi
B mori magis quàm viuere. Eadem itaque die contigit,vt Sara filia Raguelis in Rages ciuitate Medorum, &
ipsa audiret improperium ab vna ex ancillis patris sui, quoniam tradita fuerat septem viris, & dæmonium
nomine Asmodæus occiderat eos mox vt ingressi fuissent ad eam. Ergo cum pro culpa sua increparet puel-
lam,respondit ei,dicens,Amplius ex te non videamus filium,aut filiam super terram, interfectrix virorum
tuorum.Nunquid & occidere me vis,sicut occidisti septem viros? Ad hanc vocem perrexit in superius cu-
biculum domus suæ:& tribus diebus,& tribus noctibus non manducauit,neque bibit: sed in oratione per-
sistens cum lacrymis deprecabatur Deum,vt ab isto improperio liberaret eam. Factum est autem die tertia
C dum compleret orationem,benedicens Dominum, dixit, Benedictum est nomen tuum Deus patrum no-
strorum:qui cum iratus fueris,misericordiam facies,& in tempore tribulationis peccata dimittis his qui in-
uocant te.Ad te Domine faciem meam conuerto,ad te oculos meos dirigo.Peto Domine,vt de vinculo im-
properij huius absoluas me, aut certè desuper terram èripias me. Tu scis Domine quia nunquam cõcupiui
virum,& mundam seruaui animam meam ab omni concupiscentia. Nunquam cum ludẽtibus miscui me,
neque cum his qui in leuitate ambulant,participem me præbui.Virum autem cum timore tuo, nõ cum li-
bidine mea consensi suscipere.Et aut ego indigna fui illis,aut illi forsitan me non fuerunt digni: quia forsi-
D tan viro alij conseruasti me.Non est enim in hominis potestate cõsilium tuum. Hoc autem pro certo habet
omnis qui te colit,quòd vita eius,si in probatione fuerit,coronabitur:si autem in tribulatione fuerit,libera-
bitur:& si in corruptione fuerit,ad misericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditioni-
bus nostris:quia post tempestatem tranquillum facis,& post lacrymationem & fletum,exultationem infun-
dis.Sit nomen tuum Deus Israel benedictum in sæcula. In illo tempore exauditæ sunt preces amborum in
conspectu gloriæ summi Dei:& missus est angelus Domini sanctus Raphael,vt curaret eos ambos, quorum
vno tempore sunt orationes in conspectu Domini recitatę.

CAPVT IIII.

A IGitur cum Tobias putaret orationem suam exaudiri, vt mori potuisset, vocauit ad se Tobiam filium
suum,dixitque ei, Audi fili mi verba oris mei,& ea in corde tuo quasi fundamentum construe. Cum Eccl. 7.c
acceperit Deus animam meam,corpus meum sepeli:& honorẽ habebis matri tuæ omnibus diebus vi-
tæ eius:memor enim esse debes,quæ & quanta pericula passa sit propter te in vtero suo. Cum autem & ipsa Lucæ 24. c
compleuerit tempus vitę suæ,sepelias eam circa me. Omnibus autẽ diebus vitę tuæ in mente habeto Deũ: Prouer.3.b
Eccle.4.a
B & caue ne aliquãdo peccato consentias,& prætermittas præcepta Domini Dei nostri. Ex substantia tua fac & 14.b
eleemosynam,& noli auertere faciem tuam ab vllo paupere:ita enim fiet vt nec à te auertatur facies Domi- Eccle. 29.a
ni.Quomodo potueris,ita esto misericors. Si multum tibi fuerit,abundanter tribue:si exiguum tibi fuerit,
etiam exiguum libenter impertiri stude.Premium enim bonum tibi thesaurizas in die necessitatis, quoniã
eleemosyna ab omni peccato,& à morte liberat,& nõ patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit
coram summo Deo,eleemosyna, omnibus facientibus eam. Attende tibi fili mi ab omni fornicatione: & Leui.19.e
C præter vxorem tuam nunquam patiaris crimen scire. Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo Deut. 24.c
dominari permittas:in ipsa enim initiũ sumpsit omnis perditio. Quicũq; tibi aliquid operatus fuerit, sta- Matth. 7.b
tim ei mercedem restitue,et merces mercẽnarij tui apud te omnino nõ remaneat. Quod ab alio oderis fieri
tibi,vide ne tu aliquando alteri facias,Panẽ tuum cũ esurientibus,& egenis comede:& de vestimẽtis tuis nu-
dos rege.Panem tuum,& vinum tuum super sepulturam iusti constitue,& noli ex eo manducare, & bibere
D cum peccatoribus.Consilium semper à sapiẽte perquire. Omni tempore benedic Deũ:& pete ab eo vt vias
tuas dirigat,& omnia consilia tua in ipso permaneant.Indico etiam tibi fili mi dedisse me decem talenta ar-
genti,dum adhuc infantulus esses, Gabelo,in Rages ciuitate Medorum,& chyrographum eius apud me ha-
beo:& ideo perquire quomodo ad eum peruenias, & recipias ab eo supra memoratum pondus argenti, &
restituas ei chyrographum suum.Noli timere fili mi,pauperem quidem vitam gerimus,sed multa bona ha-
bebimus,si timuerimus Deum,& recesserimus ab omni peccato,& fecerimus bene.

CAPVT V.

A TVnc respondit Tobias patri suo, & dixit,Omnia quæcunque præcepisti mihi faciam pater.Quomo-
do autem pecuniam hanc requiram, ignoro. Ille me nescit, & ego eum ignoro: quod signum da-
bo ei? Sed neque viam per quam pergatur illuc,aliquando cognoui. Tunc pater suus respondit illi,
& dixit,Chyrographum quidem illius apud me habeo:quod dum illi ostenderis, statim restituet. Sed perge
nunc,& inquire tibi aliquem fidelem virum,qui eat tecum salua mercede sua: dum adhuc viuo, vt recipias

eam. Tunc egressus Tobias, inuenit iuuenem splendidum stantem precinctum, & quasi paratum ad ambulandum. Et ignorans quòd angelus Dei esset, salutauit eum, & dixit, Vnde te habemus bone iuuenis? At ille respondit ex filijs Israel. Et Tobias dixit ei, Nosti viam quę ducit in regionem Medorum? Cui respondit, B Noui, & omnia itinera eius frequenter ambulaui, & mansi apud Gabelum fratrem nostrum, qui moratur in Rages ciuitate Medorum, quæ posita est in monte Ecbathanis. Cui Tobias ait, Sustine me obsecro, donec hæc ipsa nuntiem patri meo. Tunc ingressus Tobias, indicauit vniuersa hæc patri suo. Super quæ admiratus pater, rogauit vt introiret ad eum. Ingressus itaque salutauit eum, & dixit. Gaudium tibi sit semper. Et ait Tobias, Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video? Cui ait iuuenis, Forti animo esto, in proximo est vt à Deo cureris. Dixit itaque illi Tobias, Nunquid poteris perducere filium meum ad Gabelum in Rages ciuitatem Medorum? Et cum redieris, restituam tibi mercedem tuam. Et dixit ei C angelus, Ego ducam, & reducam eum ad te. Cui Tobias respondit, Rogo te, indica mihi de qua domo, aut de qua tribu es tu? Cui Raphael angelus dixit, Genus quæris mercennarij, an ipsum mercennarium qui cum filio tuo eat? Sed ne fortè solicitum te reddam, ego sum Azarias Ananiæ magni filius. Et Tobias respondit, Ex magno genere es tu. Sed peto ne irascaris, quòd voluerim cognoscere genus tuum. Dixit autem illi angelus. Ego sanum ducam, & sanum tibi reducam filium tuum. Respondens autem Tobias, ait, Bene ambules tis, & sit Deus in itinere vestro, & angelus eius comitetur vobiscum. Tunc paratis omnibus quæ erant in via portanda, dixit Tobias, vale, patri suo & matri suæ, & ambulauerunt ambo simul. Cumque profecti essent, D cœpit mater eius flere, & dicere, Baculum senectutis nostræ tulisti, & transmisisti à nobis. Vtinam nunquam fuisset ipsa pecunia, pro qua misisti eũ. Sufficiebat enim nobis paupertas nostra: vt diuitias computaremus hoc, quòd videbamus filium nostrum. Dixitque ei Tobias, Noli flere, saluus perueniet filius noster, & saluus reuertetur ad nos, & oculi tui videbũt illum. Credo enim quòd angelus Dei bonus comitetur ei, & bene disponat omnia quæ circa eum geruntur, ita vt cum gaudio reuertatur ad nos. Ad hanc vocem cessauit mater eius flere, & tacuit.

CAPVT VI.

PRofectus est autem Tobias, & canis secutus est eum, & mansit pri ma mansione iuxta fluuium Tigris. A Et exiuit vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum. Quem expauescens Tobias, clamauit voce magna, dicens, Domine inuadit me. Et dixit ei angelus, Apprehẽde branchiam eius, & trahe eum ad te. Quod cum feciſſet, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius. Tunc dixit ei angelus, Exentera hunc piscẽ: & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: sunt enim hęc necessaria ad medicamenta vtiliter. Quod cum feciſſet, assauit carnes eius, & secum tulerunt in via: cætera salierunt quæ sufficerent eis, quousq; peruenirent in Rages ciuitatem Medorum. Tunc interrogauit Tobias angelum, & dixit B ei, Obsecro te Azaria frater, vt dicas mihi quod remediũ habebunt ista quæ de pisce seruare iussisti? Et respõdens angelus, dixit ei, Cordis eius particulã, si super carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dæmoniorum, siue à viro, siue à mulíere, ita vt vltra nõ accedat ad eos. Et fel valet ad vngẽdos oculos in quibus fuerit albugo, et sanabuntur. Et dixit ei Tobias, Vbi vis vt maneamus? Respondẽsq; angelus, ait, Est hic Raguel nomine, vir propinquus de tribu tua, & hic habet filiam nomine Saram: sed neq; masculum, neq; feminam vllam habet aliam præter eam. Tibi debetur omnis substantia eius, & oportet eam te accipere coniugẽ. Pete C ergo eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem. Tunc respondit Tobias, & dixit, Audio quia tradita est septem viris, & mortui sunt: sed & hoc audiui, quia dæmoniũ occidit illos. Timeo ergo: ne fortè & mihi hæc eueniant: & cum sim vnicus parẽtibus meis, deponam senectutem illorum cum tristitia ad inferos. Tũc angelus Raphael, dixit ei, Audi me, & ostendam tibi qui sunt quibus præualere potest dęmonium. Hi namque qui coniugium ita suscipiunt, vt Deum à se, & à sua mente excludant, & suæ libidini ita vacẽt, sicut equus & mulus, quibus non est intellectus, habet potestatem dæmonium super eos. Tu autem cum acceperis eam, in- D gressus cubiculũ, per tres dies continẽs esto ab ea, & nihil aliud, nisi orationibus vacabis cum ea. Ipsa autem nocte, incenso iecore piscis, fugabitur dæmonium. Secunda verò nocte, in copulatione sanctorum patriarcharum admitteris. Tertia autem nocte benedictionẽ consequeris, vt filij ex vobis procreentur incolumes. Transacta autem tertia nocte, accipies virginẽ cum timore Dñi, amore filiorum magis q̃ libidine ductus, vt in semine Abrahæ benedictionem in filijs consequaris.

CAPVT VII.

INgressi sunt autem ad Raguelem, & suscepit eos Raguel cum gaudio, Intuensq; Tobiam Raguel, di- A xit Annæ vxori suæ. Quàm similis est iuuenis iste consobrino meo? Et cum hæc dixisset, ait, Vnde estis iuuenes fratres nostri? At illi dixerunt, Ex tribu Nephthalim sumus, ex captiuitate Niniue. Dixitq; illis Raguel, Nostis Tobiam fratrem meum? Qui dixerunt, Nouimus. Cumque multa bona loqueretur de eo, dixit angelus ad Raguelem, Tobias, de quo interrogas, pater istius est. Et misit se Raguel, & cum lacry- B mis osculatus est eum, & plorans supra collum eius, dixit, Benedictio sit tibi fili mi, quia boni & optimi viri filius es. Et Anna vxor eius, & Sara ipsorum filia lacrymatæ sunt. Postquam autem locuti sunt, præcepit Raguel occidi arietem, & parari conuiuium. Cumque hortaretur eos discumbere ad prandium, Tobias dixit, Hic ego hodie non manducabo, neq; bibam, nisi prius petitionem meam confirmes, & promittas mihi dare Saram filiam tuam, Quo audito verbo Raguel, expauit, sciens quod euenerit illis septem viris, qui in- C gressi sunt ad eam: & timere cœpit ne fortè & huic similiter contingeret. Et cum nutaret, & nõ daret pereti vllũ responsum, dixit ei angelus, Noli timere dare eã isti, quoniã huic timenti Deum debetur coniunx filia tua: propterea alius non potuit habere illam. Tunc dixit Raguel. Non dubito, quin Deus preces, & lacrymas meas in conspectu suo admiserit. Et credo, quoniam ideo fecit vos venire ad me, vt & ista coniungeretur,

geretur, cognationi suæ secundum legem Moysi: & nunc noli dubium gerere quòd tibi eam tradam: & ap- D prehendens dexteram filiæ suæ, dextræ Tobiæ tradidit, dicens, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob vobiscum sit, & ipse coniungat vos, impleatq; benedictionem suam in vobis. Et accepta charta, fecerunt cõ- Num. 36.c scriptionem coniugij. Et post hæc epulati sunt, benedicentes Deum. Vocauitq; Raguel ad se Annã vxorem suam, & præcepit ei vt præpararet alterum cubiculum. Et introduxit illuc Saram filiam suam, & lacrymata est. Dixitq; ei, Forti animo esto filia mea: Dominus cœli det tibi gaudium pro tędio quod perpessa es.

CAPVT VIII.

A POstquam verò cœnauerunt, introduxerunt iuuenem ad eam. Recordatus itaq; Tobias sermonum angeli, protulit de cassidili suo partem iecoris, posuitq; eam super carbones viuos. Tunc Raphael angelus apprehendit dæmonium, & relegauit illud in deserto superioris Ægypti. Tunc hortatus est virginẽ Tobias, dixitq; ei, Sara, exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & secundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur: tertia autem trãsacta nocte, in nostro erimus coniugio. Filij quippe sanctorum sumus, & nó possumus ita coniungi, sicut gentes quæ ignorant Deum. Surgentes autem pariter, instanter orabant ambo simul, vt sanitas daretur eis. Dixitq; Tobias, Domine Deus patrum nostrorum, benedicant te cœli B & terra, mareq;, & fontes, & flumina, & omnes creaturæ tuæ quæ in eis sunt. Tu fecisti Adam de limo terræ, dedistiq; ei adiutorium Euam. Et nunc Domine tu scis, quia non luxurię causa accipio sororem meam coniugem, sed sola posteritatis dilectione, in qua benedicatur nomen tuum in sæcula sæculorum. Dixit itaque Sara, Miserere nobis Domine, miserere nobis, & consenescamus ambo pariter sani. Et factum est circa pullorum cantum, accersiri iussit Raguel seruos suos, & abierunt cum eo pariter, vt foderent sepulchrum. Dicebat enim, Ne fortè simili modo euenerit ei, quo & cæteris illis septem viris qui sunt ingressi ad eam. Cumq; C parassent fossam, reuersus Raguel ad vxorem suam, dixit ei, Mitte vnam ex ancillis tuis, & videat si mortuus est, vt sepeliam eũ antequam illucescat dies. At illa misit vnam ex ancillis suis. Quæ ingressa cubiculum, reperit eos saluos & incolumes, secum pariter dormientes. Et reuersa, nuntiauit bonum nuntium, & benedixe runt Dominum, Raguel videlicet, & Anna vxor eius, & dixerũt, Benedicimus te Domine Deus Israel, quia non contigit quemadmodum putabamus. Fecisti enim nobiscum misericordiam tuam, & exclusisti à nobis inimicum persequentem nos. Misertus es autem duobus vnicis. Fac eos Domine plenius benedicere te: D & sacrificium laudis tuæ, & suæ sanitatis offerre, vt cognoscat vniuersitas gentium quia tu es Deus solus in vniuersa terra. Statimq; præcepit seruis suis Raguel, vt replerent terra fossam quam fecerant, priusquam eluceseeret. Vxori autem suæ dixit vt instrueret conuiuium, & præpararet omnia quæ in cibos erant iter agentibus necessaria. Duas quoq; pingues vaccas, & quatuor arietes occidi fecit, & parari epulas omnibus vicinis suis, cunctisq; amicis. Et adiurauit Raguel Tobiam, vt duas hebdomadas moraretur apud se. De omnibus autem quę possidebat Raguel dimidiam partem dedit Tobię, & fecit hãc scripturam, vt pars dimidia quæ superaret, post obitum eorum Tobię dominio deueniret.

CAPVT IX.

A TVnc vocauit Tobias angelum ad se, quem quidem hominem existimabat: dixitq; ei, Azaria frater peto vt ausculres verba mea, Si meipsum tradam tibi seruum, non ero condignus prouidentiæ tuæ. Tamen obsecro te, vt assumas tibi animalia siue seruitia, & vadas ad Gabelum in Rages ciuitatem Medo- B rum, reddasq; ei chirographum suum, & recipies ab eo pecuniam. & roges eum venire ad nuptias meas. Scis enim ipse, quoniam numerat pater meus dies: & si tardauero vna dies plus, contristatur anima eius. Et certè vides quomodo adiurauit me Raguel, cuius adiuramentum spernere non possum. Tunc Raphael assumens quatuor ex seruis Raguelis, & duos camelos, in Rages ciuitatem Medorum perrexit: & inueniens Gabelum, C dedit ei chirographum suum, & recepit omnem pecuniam. Indicauitq; ei de Tobia filio Tobiæ, omnia quæ gesta sunt: fecitq; eum secum venire ad nuptias. Cumq; ingressus esset domum Raguelis, inuenit Tobiam discumbẽtem: & exiliens, osculati sunt seinuicem: & fleuit Gabelus, benedixitq; Deum, & dixit, Benedicat D te Deus Israel, quia filius es optimi viri, & iusti, & timentis Deum, & eleemosynas facientis: & dicatur benedictio super vxorem tuam, & super parentes vestros: & videatis filios vestros, & filios filiorum vestrorũ, vsq; in tertiam & quartã generationẽ, & sit semen vestrũ benedictum à Deo Israel, qui regnat in sęcula sęculoꝝ. Cumq; oꝫ dixissent, Amen, accesserũt ad conuiuiũ: sed & cum timore Dñi nuptiarũ conuiuiũ exercebant.

CAPVT X.

A CVm verò moras faceret Tobias, causa nuptiarum, sollicitus erat pater eius Tobias, dicens, Putas quare moratur filius meus, aut quare detentus est ibi? Putásne Gabelus mortuus est, & nemo reddet illi pecuniam? Cœpit autem cõtristari nimis ipse & Anna vxor eius cum eo: & cœperunt ambo simul flere, eò quòd die statuto minimè reuerteretur filius eorum ad eos. Flebat igitur mater eius irremediabili- bus lacrymis, atque dicebat, Heu me fili mi, vt quid te misimus peregrinari lumẽ oculorum nostrorum, ba- B culum senectutis nostræ, solatium vitæ nostræ, spem posteritatis nostræ? Omnia simul in te vno habẽtes, te non debuimus dimittere ire à nobis. Cui dicebat Tobias, Tace, & noli turbari, sanus est filius noster: satis fidelis est vir ille, cum quo misimus eum. Illa autem nullo modo consolari poterat, sed quotidie exiliens circunspiciebat & circuibat vias omnes per quas spes remeandi videbatur, vt procul videret eum si fieri posset venientem. At verò Raguel dicebat ad generum suum, Mane hic, & ego mittam nuntium salutis de te ad C Tobiam patrem tuum. Cui Tobias ait, Ego noui quia pater meus & mater mea modo dies computant, & cruciatur spiritus eorum in ipsis. Cumq; verbis multis rogaret Raguel Tobiam, & ille cum nulla ratione vellet audire, tradidit ei Saram, & dimidiam partem omnis substantiæ suæ in pueris, in puellis, in pecudibus in camelis, & in vaccis, & pecunia multa: & saluum atque gaudentem dimisit eum à se, dicens, Angelus Domini

mini ſanctus ſit in itinere veſtro, perducatq; vos incolumes, & inueniatis omnia rectè circa parentes veſtros, D
& videant oculi mei filios veſtros priuſquam moriar. Et apprehendentes parentes filiam ſuam, oſculati
ſunt eam, & dimiſerunt ire: monentes eam honorare ſoceros, diligere maritum, regere familiam, gubernare
domum, & ſeipſam irreprehenſibilem exhibere.

CAPVT XI.

CVmq; reuerterentur, peruenerunt ad Charan, quæ eſt in medio itinere contra Niniuem, vndecimo A
die. Dixitq; angelus, Tobia frater, ſcis quemadmodum reliquiſti patrem tuum. Si placet itaque ti-
bi, præcedamus, & lento gradu inſequantur iter noſtrum familiæ, ſimul cum coniuge tua, & cũ ani-
malibus. Cumque hoc placuiſſet vt irent, dixit Raphael ad Tobiam, Tolle tecum ex felle piſcis: erit enim ne
ceſſarium. Tulit itaq; Tobias ex felle illo, & abierunt. Anna autem ſedebat ſecus viam quotidie in ſuperci
lio montis, vnde reſpicere poterat de longinquo. Et dum ex eodem loco ſpecularetur aduentum eius, vidit B
à longe, & illico cognouit venientem filium ſuum: currensq; nuntiauit viro ſuo, dicens, Ecce venit filius
tuus. Dixitq; Raphael ad Tobiam, At vbi introieris domum tuam, ſtatim adora Dominum Deum tuum:
& gratias agens ei, accede ad patrem tuum, & oſculare eum. Statimque lini ſuper oculos eius ex felle iſto
piſcis, quod portas tecum. Scias enim quoniam mox aperientur oculi eius, & videbit pater tuus lumen cœ-
li, & in aſpectu tuo gaudebit. Tunc præcucurrit canis, qui ſimul fuerat in via: & quaſi nuntius aduenies blã C
dimento ſuæ caudæ gaudebat. Et conſurgens cæcus pater eius, cœpit offendens pedibus currere: & data ma-
nu puero, occurrit obuiam filio ſuo. Et ſuſcipiens oſculatus eſt eum cum vxore ſua, & cœperunt flere præ
gaudio. Cumque adoraſſent Deum, & gratias egiſſent, conſederunt. Tunc ſumens Tobias de felle piſcis, li-
niuit oculos patris ſui. Et ſuſtinuit quaſi dimidiam ferè horam: & cœpit albugo ex oculis eius quaſi membra
na oui, egredi. Quam apprehendens Tobias traxit ab oculis eius, ſtatimque viſum recepit. Et glorificabit D
Deum, ipſe videlicet & vxor eius, & omnes qui ſciebant eum. Dicebatq; Tobias, Benedico te Domine
Deus Iſrael, quia tu caſtigaſti me, & tu ſaluaſti me: & ecce, ego video Tobiam filium meum. Ingreſſa eſt cũ
poſt ſeptem dies Sara vxor filij eius, & omnis familia & pecora ſana, & cameli, & pecunia multa vxoris, ſed &
illa pecunia quam receperat à Gabelo: & narrauit parentibus ſuis omnia beneficia Dei, quæ feciſſet circa
eum per hominem qui eum duxerat. Veneruntq; Achior & Nabath conſobrini Tobiæ, gaudentes ad To-
biam, & congratulantes ei de omnibus bonis, quæ circa illum oſtenderat Deus. Et per ſeptem dies epulan-
tes, omnes cum gaudio magno gauiſi ſunt.

CAPVT XII.

TVnc vocauit ad ſe Tobias filium ſuum, dixitq; ei, Quid poſſumus dare viro iſti ſancto, qui venit tecũ? A
Reſpondens Tobias, dixit patri ſuo, Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignũ poterit eſſe be
neficijs eius? Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniã à Gabelo ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, et
dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, meipſum à deuoratione piſcis eripuit, te
quoq; videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus. Quid illi ad hæc poterimus dignũ
dare? Sed peto te pater mi, vt roges eũ, ſi fortè dignabitur medietatẽ de omnibus, quæ allata ſunt, ſibi aſſume
re. Et vocantes eum, pater ſcilicet, & filius tulerunt eũ in partẽ: & rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam B
partem omniũ, quæ attulerant, acceptã habere. Tunc dixit eis occultè, Benedicite Deũ cœli, & coràm omni
bus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcũ miſericordiam ſuã. Etenim ſacramentũ regis abſcondere,
bonũ eſt: opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificũ eſt. Bona eſt autem oratio cũ ieiunio: & eleemo-
ſyna magis, q̃ theſauros auri recondere: quoniam eleemoſyna à morte liberat, & ipſa eſt, quę purgat peccata,
& facit inuenire vitã æternam. Qui autẽ faciunt peccatum & iniquitatem, hoſtes ſunt animæ ſuæ. Manifeſto
ergo vobis veritatem, & non abſcondã à vobis occultum ſermonẽ. Quando orabas cũ lacrymis, & ſepeliebas C
mortuos, & derelinquebas prãdium tuũ: & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas
eos, ego obtuli orationem tuam Dño. Et quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit vt tentatio probaret te. Et nunc
miſit me Dñs vt curarem te, & Saram vxorem filij tui à dæmonio liberarem. Ego enim ſum Raphael ange-
lus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dñm. Cumq; hæc audiſſent, turbati ſunt, & trementes ceciderunt ſuper
terram in faciem ſuam. Dixitq; eis angelus, Pax vobis, nolite timere. Etenim cum eſſem vobiſcum, per volũ-
tatem Dei eram: ipſum benedicite, & cantate illi. Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere: ſed ego D
cibo inuiſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, vtor. Tempus eſt ergo, vt reuertar ad eũ, qui me
miſit: vos autem benedicite Deum, & narrate omnia mirabilia eius. Et cum hæc dixiſſet, ab aſpectu eorum
ablatus eſt, & vltrà eum videre non potuerunt. Tunc proſtrati per horas tres in faciem, benedixerunt Deum,
& exurgentes narrauerunt omnia mirabilia eius.

CAPVT XIII.

APeriens autem Tobias os ſuum, benedixit Dominum, & dixit, Magnus es Domine in æternum, A
& in omnia ſæcula regnum tuum: quoniam tu flagellas, & ſaluas: deducis ad inferos, & reducis:
& non eſt, qui effugiat manum tuam. Confitemini Domino filij Iſrael, & in conſpectu gentium
laudate eum: quoniam ideo diſperſit vos inter gentes, quæ ignorant eum, vt vos enarretis mirabilia eius, &
faciatis ſcire eos quia non eſt alius Deus omnipotens præter eum. Ipſe caſtigauit nos propter iniquitates no-
ſtras, & ipſe ſaluabit nos propter miſericordiam ſuam. Aſpicite ergò, quæ fecit vobiſcum, & cum timore
& tremore confitemini illi, regemq; ſæculorum exaltate in operibus veſtris. Ego autem in terra captiuitatis B
meæ confitebor illi: quoniam oſtendit maieſtatem ſuam in gentem peccatricem. Conuertimini itaq; pecca-
tores, & facite iuſtitiam coràm Deo, credentes quòd faciat vobiſcum miſericordiam ſuam. Ego autem, &
anima mea in Deo lætabimur. Benedicite Dominum omnes electi eius: agite dies lætitiæ, & confitemini illi.

Ieruſalem

Ieruſalem ciuitas Dei, caſtigauit te Dominus in operibus manuum tuarum. Confitere Domino in bonis
ſuis, & benedic Deum ſæculorum, vt rædificet in te tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos,
C & gaudeas in omnia ſæcula ſæculorum. Luce ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabunt te. Na-
tiones ex longinquo ad te venient: & munera deferentes, adorabunt in te Dominum, & terram tuam in ſan-
ctificationem habebunt. Nomen enim magnum inuocabunt in te. Maledicti erunt, qui contempſerint
te: & condemnati erunt omnes qui blaſphemauerint te: benedictiq; erunt, qui ædificauerint te. Tu autem
lætaberis in filijs tuis, quoniam omnes benedicentur, & congregabuntur ad Dominum. Beati omnes qui di-
ligunt te, & qui gaudent ſuper pace tua. Anima mea benedic Dominum, quoniam liberauit Ieruſalem ciui-
D tatem ſuam à cunctis tribulationibus eius Dominus Deus noſter. Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei
ad videndam claritatem Ieruſalem. Portæ Ieruſalem ex ſaphyro, & ſmaragdo ædificabuntur: & ex lapide pre
tioſo omnis circuitus murorum eius. Ex lapide candido, & mundo omnes plateæ eius ſternentur: & per vi
cos eius halleluia cantabitur. Benedictus Dominus, qui exaltauit eam, vt ſit regnum eius in ſæcula ſæculo-
rum ſuper eam, Amen.

CAPVT XIIII.

A ET conſummati ſunt ſermones Tobiæ. Et poſtquam illuminatus eſt Tobias, vixit annis quadragin-
ta duobus, & vidit filios nepotum ſuorum. Completis itaque annis centum duobus, ſepultus eſt ho-
norificè in Niniue. Quinquaginta nanque & ſex annorum lumen oculorum amiſit: ſexagenarius ve
rò recepit. Reliquum verò vitæ ſuæ in gaudio fuit, & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace. In
hora autem mortis ſuæ vocauit ad ſe Tobiam filium ſuum, & ſeptem iuuenes filios ſuos nepotes ſuos, di-
B xitq; eis, Prope erit interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini: & fratres noſtri, qui diſperſi ſunt
à terra Iſrael, reuertentur ad eam. Omnis autem deſerta terra eius replebitur, & domus Dei, quæ in ea incen
ſa eſt, iterum reædificabitur: ibiq; reuertentur omnes timentes Deum, & relinquent gentes idóla ſua, & ve
nient in Ieruſalem, & inhabitabunt in ea: & gaudebunt in ea omnes reges terræ, adorantes Deum Iſrael.
Audite ergo filij mei patrem veſtrum, Seruite Domino in veritate, & inquirite, vt faciatis, quæ placita
C ſunt illi: & filijs veſtris mandate, vt faciant iuſtitias, & eleemoſynas, vt ſint memores Dei, & benedicant eum
in omni tempore in veritate, & in tota virtute ſua. Nunc ergo filij audite me, & nolite manere hic: ſed qua-
cunq; die ſepelieritis matrẽ veſtram circa me in vno ſepulchro, ex eo dirigite greſſus veſtros, vt exeatis hinc.
Video enim quia iniquitas eius finem dabit ei. Factum eſt autem poſt obitum matris ſuæ. Tobias abſceſsit
ex Niniue cum vxore ſua, & filijs, & filiorum filijs, & reuerſus eſt ad ſoceros ſuos. Inuenitq; eos incolumes in
D ſenectute bona: & curam eorum geſsit, & ipſe clauſit oculos eorum: & omnem hæreditatem domus Ragueli
ipſe percepit: viditq; quintam generationem, filiosq; filiorum ſuorum. Et completis annis nonagintano-
uem in timore Domini cum gaudio ſepelierunt eum. Omnis autem cognatio eius, & omnis generatio eius
in bona vita, & in ſancta conuerſatione permanſit, ita vt accepti eſſent tam Deo, qnàm hominibus: & cun-
ctis habitantibus in terra.

LIBER IVDITH

CAPVT I.

A RPHAXAD † rex Medorum ſubiugauerat multas gentes imperio ſuo, & ipſe ædifica-
uit ciuitatem potentiſsimã, quã appellauit Ecbathanis. Ex lapidibus quadratis, & ſectis
fecit muros eius, in altitudine cubitorũ ſeptuaginta, & in latitudine cubitorũ triginta:
turres verò eius poſuit in altitudine cubitorũ centum. Per quadrũ verò earũ latus vtrũ-
que vicenorũ pedum ſpacio tendebatur: poſuitq; portas eius in altitudine turrium. Et
gloriabatur quaſi porẽs in potentia exercitus ſui, & in gloria quadrigarũ ſuarũ. Anno
igitur duodecimo regni ſui. Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum, qui regnabat in Niniue ci
uitate magna, pugnauit cõtra Arphaxad: & obtinuit eũ in cãpo magno, qui appellatur Ragau, circa Euphrã-
C ten, & Tigrim, & Iadaſon in cãpo Erioch regis Elicorum. Tũc exaltatũ eſt regnũ Nabuchodonoſor, & cor eius
eleuatum eſt: & miſit ad omnes qui habitabant in Cilicia, & Damaſco, & Libano: & ad gentes, quæ ſunt in
Carmelo, & Cedar, & inhabitantes Galilæã in cãpo magno Eſdrelon: & ad omnes qui erãt in Samaria & trãs
flumen Iordanem vſq; ad Ieruſalem, & omnem terram Ieſſe, quouſq; perueniatur ad † terminos Æthiopiæ.
D Ad hos omnes miſit nuntios Nabuchodonoſor rex Aſſyriorum, qui omnes vno animo cõtradixerunt, & re-
miſerunt eos vacuos, & ſine honore abiecerunt. Tunc indignatus Nabuchodonoſor rex ad omnem terram
illam, iurauit per tronum & regnum ſuum, q̃ defenderet ſe ab omnibus regionibus his.

CAPVT II.

A ANno tertiodecimo Nabuchodonoſor regis, viceſima & ſecunda die menſis primi, factum eſt verbum
in domo Nabuchodonoſor regis Aſſyriorũ, vt defenderet ſe. Vocauitq; omnes maiores natu, oẽsq;
duces, & bellatores ſuos, & habuit cum eis myſterium conſilij ſui. Dixitq; cogitationem ſuam in eo
eſſe, vt omnem terram ſuo ſubiugaret imperio. Quod dictum, cum placuiſſet omnibus, vocauit Nabucho-
donoſor rex Holofernem principem militiæ ſuæ, & dixit ei, Egredere aduerſum omne regnũ occidentis: &
contra eos præcipuè qui contempſerunt imperium meũ. Non parcet oculus tuus vlli regno, omnemq; vrbẽ

munitam

munitam ſubiugabis mihi. Tunc Holofernes vocauit duces, & magiſtratus virtutis Aſſyriorum: & dinume- B
rauit viros in expeditione, ſicut præcepit ei rex, centum viginti millia peditum pugnatorum, & equites ſa-
gittarios duodecim millia. Omnemq; expeditionem ſuam fecit præire in multitudine innumerabilium ca-
melorum cum his, quæ exercitibus ſufficerent copioſè: boum quoq; armenta, gregesq; ouium, quorum nõ
erat numerus. Frumentum ex omni Syria in tranſitu ſuo parari conſtituit. Aurum verò & argentum, de do-
mo regis aſſumpſit multum nimis. Et profectus eſt ipſe & omnis exercitus, cũ quadrigis & equitibus, & ſa- C
gittarijs, qui cooperuerunt faciem terræ, ſicut locuſtæ. Cumq; pertranſiſſet fines Aſſyriorũ, venit ad magnos
montes Ange, qui ſunt à ſiniſtro Ciliciæ, aſcenditq; omnia caſtella eorum, & obtinuit omnem munitionẽ.
Effregit autem ciuitatem opimiſſimam Melothi, prædatusq; eſt omnes filios Tharſis & filios Iſmahel, qui
erant contra faciem deſerti, & ad auſtrum terræ Chellon. Et tranſiuit Euphráten, & venit Meſopotamiam: &
fregit omnes ciuitates excelſas quæ erant ibi, à torrente Mambre, vſquequo perueniatur ad mare: & occupa- D
uit terminos eius, á Cilicia vſq; ad fines Iapheth, qui ſunt ad auſtrũ. Adduxitq; omnes filios Madian, & præ-
dauit omnem locupletationem eorum, omnesq; reſiſtentes ſibi occidit in ore gladij. Et poſt hæc deſcẽdit in
campos Damaſci in diebus meſſis, & ſuccendit omnia ſata, omnesq; arbores & vineas fecit incidi, & cecidit
timor illius ſuper omnes inhabitantes terram.

CAPVT III.

TVnc miſerunt legatos ſuos vniuerſarum vrbium, ac prouinciarum reges ac principes, Syriæ ſcilicet & A
Meſopotamiæ, & Syriæ Sobal, & Lybiæ, atq; Ciliciæ, qui venientes ad Holofernem, dixerunt, Deſinat
indignatio tua circa nos. Melius eſt enim, vt viuẽtes ſeruiamus Nabuchodonoſor regi magno, & ſub-
diti ſimus tibi, quàm moriẽtes cũ interitu noſtro ipſi ſeruitutis noſtræ damna patiamur. Omnis ciuitas no-
ſtra, omnisq; poſſeſsio, omnes mõtes, & colles & campi, & arméta boum, gregesq; ouiũ & caprarũ, equorũq; B
& camelorum, & vniuerſæ facultates noſtræ atq; familię in conſpectu tuo ſunt: ſint omnia ſub lege tua. Nos
etiam & filij noſtri, ſerui tui ſumus. Veni nobis pacificus dominus, & vtere ſeruitio noſtro, ſicut placuerit ti-
bi. Tunc deſcendit de montibus cum equitibus in virtute magna, & obtinuit omnem ciuitatem, & omnem
inhabitantem terram. De vniuerſis autem vrbibus, aſſumpſit ſibi auxiliarios viros fortes, & electos ad bellũ. C
Tantusq; metus prouincijs illis incubuit, vt vniuerſarum vrbium habitatores principes & honorati ſimul
cum populis exirent obuiam venienti, excipientes eum cum coronis & lampadibus ducẽtes choros in tym-
panis & tibijs. Nec iſta tamen facientes, ferocitatem eius pectoris mitigare potuerunt. Nam & ciuitates eorũ
deſtruxit, & lucos eorũ excidit. Præceperat enim illi Nabuchodonoſor rex, vt omnes deos terræ exterminа- D
ret, videlicet vt ipſe ſolus diceretur deus ab his nationibus quæ potuiſſent Holofernis potentia ſubiugari.
Pertranſiens autem Syriam Sobal, & omnem Apamiam, omnemq; Meſopotamiam, venit ad Idumæos in
terram Gabaa, accepitq; ciuitates eorum, & ſedit ibi per triginta dies, in quibus diebus adunari præcepit vni-
uerſum exercitum virtutis ſuæ.

CAPVT IIII.

TVnc audientes hæc filij Iſrael, qui habitabant in terra Iuda, timuerunt valde à facie eius. Tremor etiã A
& horror inuaſit ſenſus eorum, ne hoc faceret Ieruſalem & templo Domini, quod fecerat cęteris ciui-
tatibus & templis earum. Et miſerunt in omnem Samariam per circuitum vſq; Iericho, & præoccu-
pauerunt omnes vertices montium. Et muris circundederunt vicos ſuos, & congregauerunt frumẽta in pre-
parationem pugnæ. Sacerdos etiam Eliachim, ſcripſit ad vniuerſos qui erant contra Eſdrelon, quæ eſt contra
faciem campi magni, iuxta Dothaim, & vniuerſis per quos viæ tranſitus eſſe poterat, vt obtinerent aſcenſus B
montiũ, per quos via eſſe poterat ad Ieruſalem, & illic cuſtodirent vbi anguſtũ iter eſſe poterat inter mõtes.
Et fecerunt filij Iſrael ſecundum quod cõſtituerat eis ſacerdos Dñi Eliachim. Et clamauit omnis populus ad
Dñm inſtãtia magna, & humiliauerũt animas ſuas in ieiunijs & orationibus, ipſi & mulieres eorũ. Et indue-
runt ſe ſacerdotes cilicijs, & infantes proſtrauerunt contra faciem templi Dñi, & altare Domini operuerunt
cilicio. Et clamauerunt ad Dñm Deum Iſrael vnanimiter, ne darentur in prædã infantes eorum, & vxores C
eorũ in diuiſionem, & ciuitates eorum in exterminium, & ſancta eorũ in pollutionem, & fieret in opprobriũ
gentibus. Tũc Eliachim ſacerdos Dñi magnus circuiuit omnẽ Iſrael, allocutuſq; eſt eos, dicẽs, Scitote quòd
exaudiet Dñs preces veſtras, ſi manentes permanſeritis in ieiunijs, & orationibus in conſpectu Dñi. Memo-
res eſtote Moyſi ſerui Dñi, qui Amalec confidentem in virtute ſua, & in potentia ſua, & in exercitu ſuo, & in
clypeis ſuis, & in curribus ſuis, & in equitibus ſuis, non ferro pugnando, ſed precibus ſanctis orando deiecit: D
ſic erunt vniuerſi hoſtes Iſrael, ſi perſeueraueritis in hoc opere quod cœpiſtis. Ad hanc igitur exhortationem
eius deprecantes Dñm, permanebant in conſpectu Dñi, ita vt etiam hi qui offerebant Domino holocauſta,
præcincti cilicijs offerrent ſacrificia Domino, & erat cinis ſupra capita eorum. Et ex toto corde ſuo omnes
orabant Deum, vt viſitaret populum ſuum Iſrael.

CAPVT V.

NVntiatumq; eſt Holoferni principi militiæ Aſſyriorum, quòd filij Iſrael præpararent ſe ad reſi- A
ſtendum, ac montium itinera concluſiſſent: & furore nimio exarſit in iracundia magna, vocauit-
que omnes principes Moab & duces Ammon, & dixit eis, Dicite mihi quis ſit populus iſte, qui
montana obſidet, & quales, & quantæ ſunt ciuitates eorum, quæ etiam ſit virtus eorum, aut quæ ſit multi-
tudo eorum, vel quis rex militiæ illorum: & quare præ omnibus qui habitant in oriente, iſti contempſerunt
nos, & non exierunt in obuiam nobis, vt ſuſciperent nos cum pace? Tunc Achior dux omnium filiorum
Ammon reſpondens, ait, Si digneris audire domine mi, dicam veritatem in conſpectu tuo de populo iſto,
qui in montanis habitat, & nõ egredietur verbum falſum ex ore meo. Populus iſte ex progenie Chaldæo-
rum

B rum eſt, hic primum in Meſopotamia habitauit, quoniam noluerunt ſequi deos patrum ſuorum, qui erant
in terra Chaldæorum. Deſerentes itaq; ceremonias patrum ſuorum, quæ in multitudine deorum erant, vnũ
Deũ cœli coluerunt, qui & præcepit eis vt exirent inde, & habitarent in Charan. Cumq; operuiſſet omnem Gene. 12.a
terram fames, & deſcenderunt in Ægyptũ, illicq; per quadringentos annos ſic multiplicati ſunt, vt dinume Gene. 46.a
rari eorũ non poſſet exercitus. Cumq; grauaſſet eos rex Ægypti, atq; in ædificationibus vrbium ſuarũ in luto
& latere ſubiugaſſet eos, clamauerũt ad Dñm ſuum, & percuſsit totam terram Ægypti plagis varijs. Cumq;
eieciſſent eos Ægyptij à ſe, & ceſſaſſet plaga ab eis, & iterũ eos vellent capere, & ad ſuum ſeruitium reuocare, Exod. 14.e
fugientibus his, Deus cœli mare aperuit, ita vt hinc inde aquæ quaſi murus ſolidarẽtur, & iſti pede ſicco fun-
dum maris perambulando tranſirent. In quo loco dum innumerabilis exercitus Ægptiorũ eos perſequere-
tur, ita aquis coopertus eſt, vt nõ remaneret vel vnus qui factũ poſteris nuntiaret. Egreſſus etiã mare rubrũ,
C deſerta Sina montis occupauerunt, in quibus nunquã homo habitare potuit, vel filius hominis requieuit. Exod. 16.a
Illic fontes amari obdulcati ſunt eis ad bibẽdum, & per annos quadraginta annonã de cœlo conſecuti ſunt.
Vbicunq; ingreſſi ſunt ſine arcu & ſagitta, & abſq; ſcuto & gladio, Deus eorũ pugnauit pro eis, & vicit. Et nõ
fuit qui inſultaret populo iſti, niſi quando receſsit a cultu Dñi Dei ſui. Quotieſcunque autem præter ipſum
Deum ſuum, alterum coluerunt, dati ſunt in prædam, & in gladium, & in opprobrium. Quotieſcũq; autem
pœnituerũt ſe receſsiſſe à cultura Dei ſui, dedit eis Deus cœli virtutem reſiſtendi. Deniq; Chananæum regẽ,
& Iebuſæum, & Pherezæum, & Hethęum, & Heuæum, & Amorrhęum, & omnes potentes in Heſebon pro-
ſtrauerunt, & terras eorum & ciuitates eorũ ipſi poſſederunt: & vſq; dum non peccauerũt in conſpectu Dei
ſui, erant cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatẽ. Nam & ante hos annos cũ receſsiſſent à via qua
dederat illis Deus, vt ambularent in ea, exterminati ſunt prælijs à multis nationibus, & plurimi eorũ captiui
D abducti ſunt in terrã non ſuam, Nuper autem reuerſi ad Dñm Deum ſuum, ex diſperſione qua diſperſi fue-
rant, adunati ſunt, & aſcenderunt montana hæc omnia, & iterum poſsident Ieruſalẽ, vbi ſunt ſanctaſanctorũ.
Nunc ergo mi domine, perquire ſi eſt aliqua iniquitas eorum in conſpectu Dei eorũ: & aſcendemus ad
illos, quoniam tradens tradet illos Deus eorum tibi, & ſubiugati erunt ſub iugo potentiæ tuæ. Si verò nõ eſt
offenſio populi huius coràm Deo ſuo, non poterimus reſiſtere illis, quoniam Deus eorum defender illos, &
erimus in opprobrium vniuerſę terrę. Et factum eſt cum ceſſaſſet loqui Achior verba hæc, irati ſunt omnes
magnates Holofernis, & cogitabãt interficere eum, dicẽtes ad alterutrum, Quis eſt iſte, qui filios Iſrael poſſe
dicat reſiſtere regi Nabuchodonoſor & exercitibus eius, homines inermes, & ſine virtute, & ſine peritia artis
pugnæ? Vt ergo agnoſcat Achior quòd fallit nos, aſcendamus in montana, & cum capti fuerint potẽtes eo-
rum, tunc cum eiſdem gladio tranſuerberabitur: vt ſciat omnis gens quòd Nabuchodonoſor deus terræ eſt,
& præter ipſum alius non eſt.

CAPVT VI.

A FActum eſt autem cum ceſſaſſent loqui, indignatus Holofernes vehemẽter, dixit ad Achior, Quoniam
prophetaſti nobis, dicens, quòd gens Iſrael defendatur à Deo ſuo, vt oſtendam tibi quòd non eſt Deus,
niſi Nabuchodonoſor, cum percuſſerimus eos omnes ſicut hominem vnum, tunc & ipſe cũ illis Aſſy-
riorum gladio interibis, & omnis Iſrael tecum perditione deperibit, & probabis quòd Nabuchodonoſor
dominus ſit vniuerſæ terræ: tunc̃q; gladius militiæ meæ tranſibit per latera tua, & confixus cades inter vul-
neratos Iſrael, & non reſpirabis vltra, donec externineris cum illis. Porrò autem ſi prophetiam tuã veram
exiſtimas, non concidat vultus tuus, & pallor, qui faciem tuam obtinet, abſcedat à te, ſi verba mea hæc putas
B impleri non poſſe. Vt autem noueris quòd ſimul cum illis hæc experieris, ecce ex hac hora illorum populo
ſociaberis: vt dum dignas mei gladij pœnas exceperint, ipſe ſimul vltioni ſubiaceas. Tunc Holofernes præ-
cepit ſeruis ſuis vt comprehenderent Achior, & ducerent eum in Bethuliam, & traderent eum in manus fi-
liorũ Iſrael. Et accipientes eum ſerui Holofernis, profecti ſunt per campeſtria: ſed cum appropinquaſſent ad
montana, exierunt contra eos fundibularij. Illi autem diuertentes a latere montis, ligauerunt Achior ad ar-
borem manibus & pedibus, & ſic vinctum de reſtibus dimiſerunt eum, & reuerſi ſunt ad dominum ſuum.
Porrò filij Iſrael deſcendentes de Bethulia, venerunt ad eum. Quem ſoluentes duxerũt ad Bethuliam, atque
in medium populi illum ſtatuẽtes, percunctati ſunt quid rerum eſſet quòd illum vinctum Aſſyrij reliquiſ-
C ſent. In diebus illis erant illic principes, Ozias filius Micha de tribu Simeon, & Charmi, qui & Gothoniel.
In medio itaq; ſeniorum, & in conſpectu omnium, Achior dixit omnia quæ locutus ipſe fuerat ab Holofer-
ne interrogatus: & qualiter populus Holofernis voluiſſet propter hoc verbum interficere eum, & quemad-
modum ipſe Holofernes iratus iuſſerit eum Iſraelitis hac de cauſa tradi: vt dum vinceret filios Iſrael, tunc &
ipſum Achior diuerſis iubeat interire ſupplicijs, propter hoc quòd dixiſſet, Deus cœli defenſor eorum eſt.
Cumq; Achior vniuerſa hæc expoſuiſſet, omnis populus cecidit in faciem, adorãtes Dominum, & commu-
ni lamẽtatione & fletu vnanimes preces ſuas Domino effuderũt, dicẽtes, Domine Deus cœli & terræ, intue-
re ſuperbiam eorum, & reſpice ad noſtram humilitatem, & faciem ſanctorum tuorum attende, & oſtende
D quòd non derelinquis præſumentes de te: & præſumentes de ſe, & de ſua virtũte gloriantes, humilias. Fini-
to itaq; fletu, & per totam diem oratione populorum completa, conſolati ſunt Achior, dicentes, Deus patrũ
noſtrorum, cuius tu virtutem prædicaſti, ipſe tibi hãc dabit viciſsitudinem, vt eorum magis tu interitum vi-
deas. Cum verò Dominus Deus noſter dederit hanc libertatem ſeruis ſuis, ſit & tecum Deus in medio no-
ſtri: vt ſicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus conuerſeris nobiſcum. Tunc Ozias, finito conſilio, ſuſcepit
eum in domum ſuam, & fecit cœnam magnam. Et vocatis omnibus preſbyteris, ſimul expleto ieiunio refe-
cerunt. Poſtea verò conuocatus eſt omnis populus, & per totam noctem intra eccleſiam orauerunt, petentes
auxilium à Deo Iſrael.

Caput

CAPVT VII.

HOlofernes autem altera die præcepit exercitibus suis, vt ascenderent contra Bethuliam. Erant autem A pedites bellatorum centum viginti millia, & equites viginti duo millia, præter præparationes virorũ illorum quos occupauerat captuitas, & adducti fuerant de prouincijs, & vrbibus vniuersæ iuuentutis. Omnes parauerunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, & venerunt per crepidinem montis vsq; ad apicem, qui respicit super Dothaim, a loco qui dicitur Belma vsq; ad Chelmon, qui est contra Esdrelon. Filij autem Israel, vt viderunt multitudinem illorum, prostrauerunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua vnanimes orantes, vt Deus Israel misericordiam suam ostenderet super populum suum. Et assumentes arma sua bellica, fecerunt per loca, quæ ad angusti itineris tramitem dirigunt inter montosa, & erant cu- B stodientes ea tota die & nocte. Porrò Holofernes, dum circuit per gyrũ, reperit q; fons qui influebat, aquæductum illorũ á parte australi extra ciuitatem dirigeret, & incidi præcepit aquæductũ illorũ. Erant tamẽ non longe à muris fontes, ex quibus furtim videbantur haurire aquam ad refocillandum potius, quàm ad potandum. Sed filij Ammon & Moab accesserunt ad Holofernem, dicentes, Filij Israel non in lancea, nec in sagitta confidunt: sed montes defendunt illos, & muniunt illos colles in præcipitio cõstituti. Vt ergo sine cõgressione pugnæ possis superare eos, pone custodes fontium, vt non hauriant aquam ex eis, & sine gladio interficies eos, vel certè fatigati tradent ciuitatem suam, quam putant in montibus positã superari nõ posse. Et pla- C cuerunt verba hæc corã Holoferne, & coràm satellitibus eius, & constituit per gyrum centenarios per singulos fontes. Cũq; ista custodia per dies viginti fuisset expleta, defecerunt cisternæ, & collectiones aquarũ omnibus inhabitantibus Bethuliam, ita vt nõ esset intra ciuitatẽ vnde satiarentur vel vna die, quoniam ad mẽsuram dabatur populis aqua quotidie. Tũc ad Oziam cõgregati omnes viri, fœminæq; iuuenes, & paruuli, omnes simul vna voce dixerunt, Iudicet Deus inter nos & te, quoniã fecisti in nos mala, nolens loqui pacificè cũ Assyrijs, & propter hoc vendidit nos Deus in manibus eorũ. Et ideo nõ est qui adiuuet, cũ prosternamur ante oculos eorum in siti, & perditione magna. Et nunc cõgregate vniuersos qui in ciuitate sunt, vt sponte tra- D damus nos omnes populo Holofernis. Melius est enim, vt captiui benedicamus Dñm viuentes, quàm moriamur, & simus opprobriũ omni carni, cum videamus vxores nostras & infantes nostros mori ante oculos nostros. Conteſtamur hodie cœlum, & terram, & Deum patrum nostrorum, qui vlciscitur nos secũdum peccata nostra, vt iam tradatis ciuitatem in manu militiæ Holofernis, vt sit finis noster breuis in ore gladij, qui longior efficitur in ariditate sitis. Et cum hæc dixissent, factus est fletus, & vlulatus magnus in ecclesia omnibus, & per multas horas vna voce clamauerunt ad Deum dicentes, Peccauimus cum patribus nostris, iniustè
Psal. 105. egimus, iniquitatem fecimus. Tu quia pius es miserere nostri, & in tuo flagello vindica iniquitates nostras, & noli tradere confitentes te populo qui ignorat te: vt non dicant inter gentes, Vbi est Deus eorum? Et cũ fatigati his clamoribus, & his fletibus lassati silуissent, exurgens Ozias, infusus lacrymis dixit, Æquo animo estote fratres, & hos quinque dies expectemus à Domino misericordiam. Forsitan enim indignationem suam abscindet, & dabit gloriam nomini suo. Si autem transactis quinque diebus non venerit adiutorium, faciemus hæc verba, quæ locuti estis.

CAPVT VIII.

ET factum est, cum audisset hæc verba Iudith vidua, quæ erat filia Merari, filij Idox, filij Ioseph, filij A Oziæ, filij Elai, filij Iamnor, filij Gedeon, filij Raphaim, filij Achitob, filij Melchiæ, filij Enan, filij Nathanię, filij Salathiel, filij Simeon, filij Ruben: & vir eius fuit Manasses, qui mortuus est in diebus messis hordeaceæ: instabat enim super alligantes manipulos in campo, & venit æstus super caput eius, & mortuus est in Bethulia ciuitate sua, & sepultus est illic cum patribus suis. Erat autem Iudith relicta eius vidua iam annis tribus, & mensibus sex. Et in superioribus domus suæ fecit sibi secretum cubiculum, in quo cum puellis suis clausa morabatur: & habens super lumbos suos cilicium, ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel. Erat enim eleganti aspectu nimis, cui vir suus reliquerat diuitias multas & familiam copiosam, ac possessiones armentis boum & gregibus ouium plenas. Et erat hæc in omnibus famosissima, quoniam timebat Dominum valde: nec erat qui loqueretur de illa verbum malum. B Hæc itaque cum audisset, quòd Ozias promisisset, quòd transacto quinto die traderet ciuitatem, misit ad presbyteros Chabri, & Charmi. Et venerunt ad illam, & dixit illis, Quod est hoc verbum, in quo consensit Ozias, vt tradat ciuitatem Assyrijs, si intra quinque dies non venerit vobis adiutorium? Et qui estis vos, qui tentatis Dominum? Non est iste sermo qui misericordiam prouocet: sed potius qui iram excitet, & furorem accendat. Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diem constituistis ei. Sed quia patiens Dominus est, in hoc ipso pœniteamus, & indulgentiam eius fusis lacrymis postulemus: nõ enim quasi homo, sic Deus, comminabitur: neque sicut filius hominis ad iracundiam inflammabitur. Et ideo humiliemus illi animas nostras: & in spiritu constituti humiliato, seruientes illi dicamus flentes Domino, vt secundum voluntatem suam sic faciat nobiscum misericordiam suam: vt sicut conturbatum est cor nostrum C in superbia eorum ita etiam de nostra humilitate gloriemur, quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum: qui dereliquerunt Deum suum, & adorauerunt deos alienos: pro quo scelere dati sunt in gladium, & in rapinam, & in confusionem inimicis suis: nos autem alterum Deũ nescimus præter ipsum. Expectemus humiles consolationem eius: & exquiret sanguinem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorũ: & humiliabit omnes gentes, quæcunq; insurgunt contra nos: & faciet illas sine honore Dominus Deus noster. Et nunc fratres quoniam vos estis presbyteri in populo Dei, & ex vobis pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite, vt memores sint quòd tentati sunt patres nostri, vt probarentur si verè colerent
Gene. 22.8 Deum suũ. Memores esse debent, quomodo pater noster Abraham tentatus est, & per multas tribulationes probatus,

probatus, Dei amicus effectus est. Sic Isaac, sic Iacob, sic Moyses: & omnes qui placuerunt Deo, per multas tribulationes transierunt fideles. Illi autem qui tentationes non susceperunt cum timore Domini, & impatien- D tiam suam, & improperium murmurationis suæ contra Dominum protulerunt, exterminati sunt ab exterminatore, & à serpentibus perierunt. Et nos ergo non vlciscamur nos pro his, quæ patimur, sed reputantes peccatis nostris hæc ipsa supplicia minora esse flagella Domini, quasi serui qui corripimur, ad emendationẽ, & non ad perditionem nostram euenisse credamus. Et dixerunt illi Ozias, & presbyteri. Omnia, quæ locuta es, vera sunt, & non est in sermonibus tuis vlla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis, quoniam mulier sancta es, & timens Deum. Et dixit illis Iudith, Sicut quod potui loqui, Dei esse cognoscitis: ita quod facere disposui, probate si ex Deo est: & orate, vt firmum faciat Deus consilium meum. Stabitis vos ad portam nocte ista, & ego exeam cum Abra mea: & orate, vt sicut dixistis, in diebus quinq; respiciat Dominus populum suum Israel. Vos autem nolo, vt scrutemini actum meum: & vsq; dum renuntiem vobis nihil aliud fiat, nisi oratio pro me ad Dominum Deum nostrum. Et dixit ad eam Ozias princeps Iudæ, Vade in pace, & Dominus sit tecum in vltionem inimicorum nostrorum. Et reuertentes abierunt.

CAPVT IX.

A QVibus ascendentibus, Iudith ingressa est oratorium suum: & induens se cilicio, posuit cinerem super caput suum: & prosternens se Domino, clamabat ad Dominum, dicens, Domine Deus patris mei Simeon, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt femur virginis in confusionem: & dedisti mulieres illorum in prædam, & filias illorum in captiuitatem: & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerũt zelum tuum: subueni quæso te Domine Deus meus mihi viduę. Tu enim fecisti priora, & illa post illa cogita B sti: & hoc factũ est quod ipse voluisti. Omnes enim vię tuæ paratæ sunt, & tua iudicia in tua prouidentia posuisti. Respice castra Assyriorũ nũc, sicut tunc castra Ægyptiorũ videre dignatus es, quando post seruos tuos armati currebant, confidentes in quadrigis, & in equitatu suo, & in multitudine bellatorum. Sed aspexisti super castra eorum, & tenebræ fatigauerunt eos. Tenuit pedes eorum abyssus, & aquæ operuerunt eos. Sic fiant & isti Domine, qui cõfidunt in multitudine sua, & in curribus suis, & in contis, & in scutis, & in sagittis suis, & in lanceis gloriantur, & nesciunt quòd tuipse es Deus noster, qui conteris bella ab initio, & Dominus est C nomen tibi. Erige brachium tuum, sicut ab initio: & allide virtutem illorum in virtute tua: cadat virtus eorũ in iracundia tua, qui promittunt se violare sancta tua, & polluere tabernaculum nominis tui, & deijcere gladio suo cornu altaris tui. Fac Domine, vt gladio proprio eius superbia amputetur, capiatur laqueo oculorum suorum in me, & percuties eum ex labijs charitatis meæ. Da mihi in animo constantiam, vt contemnam illum: & virtutem eius, vt euertam illum. Erit enim hoc memorabile nominis tui, cum manus fœminæ deiecerit eum. Non enim in multitudine est virtus tua Domine, neq; in equorum viribus voluntas tua est. Nec sur- D perbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium, & mãsuetorum semper tibi placuit deprecatio. Deus cœlorũ, creator aquarum, & Dominus totius creaturæ, exaudi me miseram deprecantem, & de tua misericordia præsumentem. Memento Domine testamenti tui, & da verbum in ore meo, & in corde meo consilium corrobora, vt domus tua in sanctificatione tua permaneat: & omnes gentes agnoscant quòd tu es Deus, & non est alius præter te.

CAPVT X.

A FActum est autem, cũ cessasset clamare ad Dñm, surrexit de loco, in quo iacuerat prostrata ad Dñm. Vocauitq; Abram suam, & descendens in domũ suam, abstulit à se ciliciũ, & exuit se vestimẽtis viduitatis suę, & lauit corpus suũ, & vnxit se myrro optimo, & discriminauit crinẽ capitis sui, & imposuit mitram super caput suũ, & induit se vestimentis iucunditatis suæ, induitq; sandalia pedibus suis, assumpsitq; dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis suis ornauit se. Cui etiã Dñs cõtulit splendorẽ: quoniam omnis ista cõpositio nõ ex libidine, sed virtute pendebat: & ideo Dñs hanc in illã pulchritudinem B ampliauit, vt incõparabili decore omniũ oculis appareret. Imposuit itaq; Abrę suę afcopam vini, & vas olei, & polentã, & lapates, & panes, & caseum, & profecta est. Cũq; venissent ad portam ciuitatis, inuenerũt expectantem Oziam, & presbyteros ciuitatis. Qui cum vidissent eam, stupentes mirati sunt nimis pulchritudinẽ eius. Nihil tamen interrogantes eam, dimiserunt transire, dicentes, Deus patrum nostrorum det tibi gratiã, & omne consilium tui cordis sua virtute corroboret, glorietur super te Ierusalem, & sit nomen tuum in numero sanctorum, & iustorum. Et dixerunt hi, qui illic erant, omnes vna voce, Fiat fiat. Iudith verò orãs Do C minum, transiuit per portas ipsa & Abra eius. Factum est autem, cum descenderet mõtem, circa ortum diei, occurrerunt ei exploratores Assyriorũ, & tenuerunt eam, dicentes, Vnde venis? aut quo vadis? Quæ respondit, Filia sum Hebræorum, ideo ego fugi à facie eorum, quoniã futurum agnoui q; dentur vobis in deprædationem, pro eo quòd contemnentes vos, noluerunt tradere seipsos, vt inuenirent misericordiam in cõspectu vestro. Hac de causa cogitaui mecum, dicens, Vadam ad faciem principis Holofernis, vt indicem illi secreta illorũ, & ostendam illi quo aditu possit obtinere eos: ita vt non cadat vir vnus de exercitu eius. Et cum audiD sent viri illi verba eius, considerabant faciem eius: & erat in oculis eorum stupor, quoniam pulchritudinem eius mirabantur nimis. Et dixerunt ad eam, Conseruasti animam tuam, eò quòd tale reperisti consilium, vt descenderes ad dominum nostrum. Hoc autem scias, quòd cum steteris in cõspectu eius, bene tibi faciet, & eris gratissima in corde eius. Duxeruntq; illam ad tabernaculum Holofernis, annuntiantes eam. Cumq; intrasset ante faciem eius, statim captus est in suis oculis Holofernes. Dixeruntq; ad eum satellites eius, Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contra eos debeamus? Videns itaque Iudith Holofernem sedentem in conopæo, quod erat ex purpura, & auro, & smaragdo,

ſmaragdo,& lapidibus pretioſis intextum:& cum in faciem eius intendiſſet, adorauit eum, proſternens ſe ſu
per terram.Et eleuauerunt eam ſerui Holofernis,iubente domino ſuo.

CAPVT XI.

TVnc Holofernes dixit ei,Æquo animo eſto, & noli pauere in corde tuo: quoniam ego nunquam no- A
cui viro qui voluit ſeruire Nabuchodonoſor regi. Populus autem tuus,ſi nõ contẽpſiſſet me,nõ alle-
uaſſem lanceam meam ſuper eum.Nunc autem dic mihi,qua de cauſa receſiſti ab illis, & placuit tibi
vt venires ad nos?Et dixit illis Iudith,Sume verba ancillæ tuę:quoniam ſi ſecutus fueris verba ancillæ tuę,per
fectam rem faciet Dominus tecum. Viuit enim Nabuchodonoſor rex terræ,& viuit virtus eius, quæ eſt in te
ad correptionem omnium animarum errantium:& non ſolum homines ſeruiunt illi per te,ſed & beſtiæ agri
obtemperant illi. Nuntiatur enim animi tui induſtria vniuerſis gentibus, & indicatum eſt omni ſæculo,& B
tu ſolus bonus & potens es in omni regno eius,& diſciplina tua omnibus prouincijs prædicatur. Nec hoc la-
tet quod locutus eſt Achior,nec illud ignoratur quod ei iuſſeris euenire. Conſtat enim Deum noſtrũ ſic pec-
catis offenſum,vt mandauerit per prophetas ſuos ad populum,& tradat eũ pro peccatis ſuis. Et quoniã ſciũt
ſe offendiſſe Deum ſuum filij Iſrael,tremor tuus ſuper ipſos eſt.Inſuper etiam fames inuaſit eos, & ab aridita-
te aquæ iam inter mortuos computantur.Deniq; hoc ordinant,vt interficiant pecora ſua, & bibant ſangui-
nem eorum:& ſancta Domini Dei ſui,quæ præcepit Deus non contingi,in frumento, vino,& oleo, hæc co- C
gitauerunt impendere,& volunt conſumere,quæ nec manibus deberent contingere: ergo quoniam hæc fa-
ciunt,certum eſt quòd in perditionem dabuntur. Quod ego ancilla tua cognoſcens,fugi ab illis, & miſit me
Dominus hæc ipſa nuntiare tibi. Ego enim ancilla tua Deum colo,etiam nũc apud te: & exiet ancilla tua,&
orabo Deum,& dicet mihi quando eis reddat peccatum ſuum, & veniens nuntiabo tibi, ita vt ego adducam
te per mediam Ieruſalem,& habebis omnem populum Iſrael,ſicut oues quibus non eſt paſtor, & nõ latrabit
vel vnus canis contra te,quoniam hæc mihi dicta ſunt per prouidentiã Dei.Et quoniam iratus eſt illis Deus, D
hæc ipſa miſſa ſum nuntiare tibi. Placuerunt autem omnia verba hæc coràm Holoferne, & coràm pueris
eius, & mirabantur ad ſapientiam eius: & dicebant alter ad alterum, Non eſt talis mulier ſuper terram in
aſpectu,in pulchritudine,& in ſenſu verborum.Et dixit ad illã Holofernes,Benefecit Deus, qui miſit te ante
populũ,vt des illũ tu in manibus noſtris:& quoniã bona eſt promiſsio tua,ſi fecerit mihi hoc Deus tuus, erit
& Deus meus,& tu in domo Nabuchodonoſor magna eris,& nomen tuũ nominabitur in vniuerſa terra.

CAPVT XII.

TVnc iuſsit eam introire, vbi repoſiti erant theſauri eius, & iuſsit illic manere eam, & cõſtituit quid A
daretur illi de conuiuio ſuo. Cui reſpondit Iudith,& dixit, Nunc nõ potero manducare ex his,quæ
mihi præcipis tribui,ne veniat ſuper me offenſio: ex his autem, quæ mihi detuli,manducabo. Cui
Holofernes ait, Si defecerint tibi iſta, quæ tecum detulisti, quid faciemus tibi? Et dixit Iudith, Viuit anima
tua domine meus,quòd non expendet omnia hæc ancilla tua,donec faciat Deus in manu mea hæc,quæ cogi
taui.Et induxerunt illam ſerui eius in tabernaculum quod præceperat. Et petijt,dum introiret, vt daretur ei B
copia nocte & ante lucem egrediendi foras ad orationem, & deprecandi Dominum. Et præcepit cubicula-
rijs ſuis,vt ſicut placeret illi,exiret & introiret ad adorandum Deum ſuum per triduum. Et exibat noctibus
in vallem Bethuliæ,& baptizabat ſe in fonte aquæ. Et,vt aſcendebat, orabat ad Dominum Deum Iſrael,vt
dirigeret viam eius ad liberationem populi ſui. Et introiens,munda manebat in tabernaculo,vſq; dum acci
peret eſcam ſuam in veſpere. Et factum eſt in quarto die, Holofernes fecit cœnam ſeruis ſuis, & dixit ad C
Vagao eunuchum ſuum,Vade,& ſuade Hebræam illam,vt ſponte conſentiat habitare mecum. Fœdum eſt
enim apud Aſſyrios,ſi fœmina irrideat virum agendo,vt immunis ab eo tranſeat. Tunc introiuit Vagao ad
Iudith,& dixit, Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt honorificetur ante faciem eius,
& manducet cum eo,& bibat vinum in iucunditate. Cui Iudith reſpondit, Quæ ego ſum, vt contradicam
domino meo?Omne,quod erit ante oculos eius bonum & optimum,faciam. Quicquid autem illi placuerit, D
hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitæ meæ. Et ſurrexit & ornauit ſe veſtimento ſuo, & ingreſſa ſteti
ante faciem eius.Cor autem Holofernis concuſſum eſt:erat enim ardens in concupiſcentia eius. Et dixit ad
eam Holofernes,Bibe nunc,& accumbe in iucunditate:quoniam inueniſti gratiam coràm me. Et dixit Iu-
dith,Bibam domine:quoniam magnificata eſt anima mea hodie præ omnibus diebus meis.Et accepit,& mã
ducauit,& bibit coràm ipſo ea,quæ parauerat illi ancilla eius. Et iucundus factus eſt Holofernes ad eam, bi-
bitq; vinum multum nimis,quantum nunquam biberat in vita ſua.

CAPVT XIII.

VT autem ſero factum eſt, feſtinauerunt ſerui illius ad hoſpitia ſua, & concluſit Vagao oſtia cubiculi, A
& abijt: erant autem omnes fatigati à vino.Eratq; Iudith ſola in cubiculo. Porrò Holofernes iacebat
in lecto,nimia ebrietate ſopitus. Dixitq; Iudith puellæ ſuæ,vt ſtaret foris ante cubiculum,& obſerua
ret. Stetitq; Iudith ante lectum,orans cum lacrymis,& labiorum motu in ſilentio dicens, Confirma me Do
mine Deus Iſrael,& reſpice in hac hora ad opera manuum mearum,vt ſicut promiſiſti, Ieruſalem ciuitatem
tuam erigas:& hoc quod credens per te poſſe fieri cogitaui, perficiam. Et cum hæc dixiſſet, acceſsit ad co-
lumnam,quæ erat ad caput lectuli eius,& pugionem eius,qui in ea ligatus pendebat,exoluit. Cumq; euagi-
naſſet illum,apprehendit comam capitis eius,& ait,Confirma me Domine Deus in hac hora:& percuſsit bis
in ceruicem eius, & abſcidit caput eius, & abſtulit conopœum eius à columnis, & euoluit corpus eius trun- B
cum.Et poſt puſillum exiuit,& tradidit caput Holofernis ancillæ ſuæ,& iuſsit vt mitteret illud in perã ſuam.
Et exierunt duæ, ſecundum conſuetudinem ſuam, quaſi ad orationem, & tranſierunt caſtra: & gyrantes
vallem,venerunt ad portam ciuitatis, Et dixit Iudith à longe cuſtodibus murorum, Aperite portas, quo-
niam

niam nobiſcum eſt Deus,qui fecit virtutem in Iſrael.Et factum eſt,cum audiſſent viri vocẽ eius,vocauerunt
presbyteros ciuitatis.Et occurrerunt ad eam omnes,à minimo vſq; ad maximum :quoniam ſperabant eam
iam non eſſe venturam. Et accendentes luminaria congyrauerunt circa eam vniuerſi:illa autem aſcendens
in eminentiorẽ locum,iuſsit fieri ſilentiũ.Cumq; omnes tacuiſſent, dixit Iudith, Laudate Dñm Deum no-
C ſtrum,qui non deſeruit ſperantes in ſe:& in me ancilla ſua adimpleuit miſericordiam ſuam, quam promiſit
domui Iſrael:& interfecit in manu mea hoſtem populi ſui in hac nocte.Et proferens de pera caput Holofer-
nis,oſtendit illis,dicens,Ecce caput Holofernis principis militiæ Aſſyriorũ.Et ecce conopœum illius in quo
recumbebat in ebrietate ſua,vbi & per manum fœminæ percuſsit illum Dñs Deus noſter. Viuit autem ipſe
Dominus,quoniã cuſtodiuit me angelus eius & hinc euntẽ,& ibi commorantẽ, & inde huc reuertentem:&
non permiſit me Dñs ancillam ſuam coinquinari,ſed ſine pollutione peccati reuocauit me vobis gaudẽtem
in victoria ſua,in euaſione mea,& in liberatione veſtra.Confitemini illi omnes,quoniã bonus, quoniam in Pſal. 105.
ſæculum miſericordia eius.Vniuerſi autem adorantes Dñm,dixerunt ad eã,Benedixit te Dñs in virtute ſua, & 106.
quia per te ad nihilũ redegit inimicos noſtros.Porrò Ozias princeps populi Iſrael,dixit ad eam,Benedicta es
tu filia à Dño Deo excelſo,præ omnibus mulieribus ſuper terram.Benedictus Dominus,qui creauit cœlum
D & terram,qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorũ noſtrorum,quia hodie nomen tuũ ita magni-
ficauit,vt nõ recedat laus tua de ore hominũ,qui memores fuerint virtutis Dñi in æternum,pro quibus non
pepercisti animæ tuæ propter anguſtias & tribulationẽ generis tui,ſed ſubueniſti ruinę ante cõſpectum Dei
noſtri.Et dixit omnis populus,Fiat fiat.Porrò Achior vocatus venit,& dixit ei Iudith,Deus Iſrael cui tu teſti-
monium dediſti q vlciſcatur ſe de inimicis ſuis,ipſe caput omnium incredulorũ incidit in hac nocte in ma-
nu mea.Et vt probes q ita eſt,ecce caput Holofernis,qui in contemptu ſuperbiæ ſuę Deum Iſrael contẽpſit,
& tibi interitum minabatur,dicẽs,Cum captus fuerit populus Iſrael,gladio perforari præcipiam latera tua.
Videns autem Achior caput Holofernis,anguſtiatus præ pauore cecidit in faciem ſuam ſuper terrã,& ẽſtua-
uit anima eius.Poſtea verò quàm reſumpto ſpiritu recreatus eſt,procidit ad pedes eius,& adorauit eam,& di
xit,Benedicta tu à Deo tuo in omni tabernaculo Iacob,quoniam in omni gente quæ audierit nomen tuum
magnificabitur ſuper te Deus Iſrael.

CAPVT XIIII.

A DIxit autem Iudith ad omnem populum, Audite me fratres, Suſpendite caput hoc ſuper muros no-
ſtros:& erit,cum exit ſol,accipiat vnuſquiſq; arma ſua,& exite cũ impetu:non vt deſcendatis deor-
ſum,ſed quaſi impetum facientes. Tunc exploratores neceſſe erit vt fugiãt ad principem ſuũ exci-
tandum ad pugnam. Cumque duces eorum concurrerint ad tabernaculum Holofernis, & inuenerint eum
truncum in ſuo ſanguine volutatum,decidet ſuper eos timor. Cumq; cognoueritis fugere eos,ite poſt illos
ſecuri:quoniam Dominus conteret eos ſub pedibus veſtris. Tunc Achior videns virtutem quam fecit Deus
B Iſrael, relicto gentilitatis ritu,credidit Deo,& circuncidit carnem præputij ſui, & appoſitus eſt ad populum
Iſrael,& omnis ſucceſsio generis eius vſq; in hodiernum diem.Mox autem vt ortus eſt dies,ſuſpenderunt ſu-
per muros caput Holofernis,acceptiq; vnuſquiſq; vir arma ſua,& egreſsi ſunt cum grandi ſtrepitu & vlula-
tu.Quod videntes exploratores,ad tabernaculum Holofernis cucurrerunt.Porrò hi qui in tabernaculo erãt
venientes,& ante ingreſſum cubiculi perſtrepentes excitandi gratia,inquietudinem arte moliebantur,vt nõ
ab excitantibus,ſed à ſonantibus Holofernes euigilaret.Nullus enim audebat cubiculum virtutis Aſſyriorũ
C pulſando aut intrando aperire. Sed cum veniſſent eius duces ac tribuni,& vniuerſi maiores exercitus regis
Aſſyriorum,dixerunt cubicularijs, Intrate,& excitate illum, quoniam egreſsi mures de cauernis ſuis, auſi
ſunt prouocare nos ad prælium.Tũc ingreſſus Vagao cubiculum eius,ſtetit ante cortinam, & plauſum fecit
manibus ſuis:ſuſpicabatur enim illum cum Iudith dormire.Sed cum nullum motum iacentis ſenſu aurium
caperet,acceſsit proximans ad cortinam,& eleuans eam,videsq; cadauer abſq; capite Holofernis in ſuo ſan-
guine tabefactum iacere ſuper terram,exclamauit voce magna cum fletu,& ſcidit veſtimenta ſua. Et ingreſ-
D ſus tabernaculum Iudith,non inuenit eam,& exilijt foras ad populum,& dixit, Vna mulier Hebræa fecit cõ
fuſionem in domo regis Nabuchodonoſor:ecce enim Holofernes iacet in terra,& caput eius non eſt in illo.
Quod cum audiſſent principes virtutis Aſſyriorum,ſciderunt omnes veſtimenta ſua, & intolerabilis timor
& tremor cecidit ſuper eos,& turbati ſunt animi eorum valde. Et factus eſt clamor incõparabilis in medio
caſtrorum eorum.

CAPVT XV.

A CVmq; omnis exercitus decollatum Holofernem audiſſet,fugit mens & conſilium ab eis,& ſolo tre-
more & metu agitati,fugæ præſidium ſumunt,ita vt nullus loqueretur cum proximo ſuo, ſed incli-
nato capite,relictis omnibus euadere feſtinabant Hebræos,quos armatos ſuper ſe venire audierant,
fugientes per vias camporum & ſemitas collium. Videntes itaq; filij Iſrael fugientes,ſecuti ſunt illos. Deſcẽ-
deruntq; clangentes tubis,& vlulantes poſt ipſos.Et quoniam Aſſyrij non adunati in fugam ibant præcipi-
B tes,filij autem Iſrael vno agmine perſequentes,debilitabant omnes quos inuenire potuiſſent. Miſitq; Ozias
nuntios per omnes ciuitates,& regiones Iſrael.Omnis itaq; regio omnisq; vrbs,electam iuuentutem arma-
tam miſit poſt eos,& perſecuti ſunt eos in ore gladij,quouſq; peruenirent ad extremitatem finium ſuorum.
Reliqui autẽ qui erant in Bethulia,ingreſsi ſunt caſtra Aſſyriorum,& prædam, quam fugientes Aſſyrij reli-
querant,abſtulerunt,& onuſtati ſunt valde.Hi verò qui victores reuerſi ſunt ad Bethuliam, omnia quæ erãt
C illorum abſtulerunt ſecum,ita vt non eſſet numerus in pecoribus, & iumentis, & vniuerſis mobilibus eo-
rum,vt à minimo vſque ad magnum omnes diuites fierent de prædationibus eorum. Ioachim autem ſum-
mus pontifex de Ieruſalem,venit in Bethuliam cum vniuerſis presbyteris ſuis, vt videret Iudith. Quæ cum

exiſſet ad illum, benedixerunt eam omnes vna voce, dicẽtes, Tu gloria Ieruſalem, tu lętitia Iſrael, tu honorificentia populi noſtri, quia feciſti viriliter, & cõfortatum eſt cor tuum, eò quòd caſtitatem amaueris, & poſt virum tuum, alterum neſcieris, ideo & manus Domini confortauit te, & ideo eris benedicta in æternum. Et dixit omnis populus, Fiat fiat. Per dies autem triginta, vix collecta ſunt ſpolia Aſſyriorum à populo Iſrael. Porrò autem vniuerſa quę Holofernis peculiaria fuiſſe probata ſunt, dederunt Iudith in auro, & argento, & veſtibus, & gemmis, & omni ſupellectili, & tradita ſunt omnia illi à populo. Et omnes populi gaudebant cũ mulieribus, & virginibus, & iuuenibus in organis, & cytharis.

D

CAPVT XVI.

TVnc cantauit canticum hoc Domino Iudith, dicens, Incipite Domino in tympanis, cantate Domino in cymbalis, modulamini illi pſalmum nouum, exultate & inuocate nomen eius. Dominus conterẽs bella, Dominus nomẽ eſt illi. Qui poſuit caſtra ſua in medio populi ſui, vt eriperet nos de manu omnium inimicorum noſtrorum. Venit Aſſur ex montibus ab aquilone in multitudine fortitudinis ſuę. Cuius multitudo obturauit torrentes, & equi eorum cooperuerunt valles. Dixit ſe incẽſurũ fines meos, & iuuenes meos occiſurum gladio, infantes meos dare in prędam, & virgines in captiuitatem. Dominus autem omnipotens nocuit eum, & tradidit eum in manus fœminę, & confudit eum. Non enim cecidit potens eorum à iuuenibus, nec filij Titan percuſſerunt eum, nec excelſi gigantes impoſuerunt ſe illi, ſed Iudith filia Merari in ſpecie faciei ſuæ diſſoluit eum. Exuit enim ſe veſtimento viduitatis, & induit ſe veſtimento lętitię in exultatione filiorum Iſrael. Vnxit faciem ſuam vnguento, & colligauit cincinnos ſuos mitra, accepit ſtolam nouam ad decipiendum illum. Sandalia eius rapuerunt oculos eius, pulchritudo eius captiuam fecit animam eius, amputauit pugione ceruicem eius. Horruerunt Perſæ conſtantiam eius, & Medi audaciam eius. Tunc vlulauerunt caſtra Aſſyriorum, quando apparuerunt humiles mei, areſcentes in ſiti. Filij puellarum cõpunxerunt eos, & ſicut pueros fugientes occiderunt eos, perierunt in prælio à facie Domini Dei mei. Hymnum cantemus Domino, hymnum nouum cantemus Deo noſtro. ADONAI Domine magnus es tu, & præclarus in virtute tua, & quem ſuperare nemo poteſt. Tibi ſeruiat omnis creatura tua: quia dixiſti, & facta ſunt: miſiſti ſpiritum tuum, & creata ſunt, & non eſt qui reſiſtat voci tuę. Montes à fundamentis mouebũtur cum aquis, petræ ſicut cera liqueſcent ante faciem tuam. Qui autem timent te, magni erunt apud te per omnia. Væ genti inſurgenti ſuper genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis, in die iudicij viſitabit illos. Dabit enim ignem & vermes in carnes eorum, vt vrantur & ſentiant vſq; in ſempiternum. Et factum eſt poſt hæc, omnis populus poſt victoriam venit in Ieruſalem adorare Dominum: & mox vt purificati ſunt, obtulerunt omnes holocauſta, & vota, & repromiſſiones ſuas. Porrò Iudith vniuerſa vaſa bellica Holofernis, quę dedit illi populus, & conopœum, quod ipſa ſuſtulerat de cubili ipſius, obtulit in anathema obliuionis. Erat autem populus iucundus ſecundum faciem ſanctorum, & per tres menſes gaudium huius victoriæ celebratum eſt cum Iudith. Poſt dies autem illos vnuſquiſq; rediit in ſua, & Iudith magna facta eſt in Bethulia, & pręclarior erat vniuerſæ terræ Iſrael. Erat etiam virtuti caſtitas adiuncta, ita vt non cognoſceret virum omnibus diebus vitæ ſuę, ex quo defunctus eſt Manaſſes vir eius. Erat autem diebus feſtis procedens cum magna gloria. Manſit autem in domo viri ſui annos centum quinq;, & dimiſit Abram ſuam liberam, & defuncta eſt ac ſepulta cum viro ſuo in Bethulia. Luxitq; illam omnis populus diebus ſeptem. In omni autem ſpatio vitæ eius nõ fuit qui perturbaret Iſrael, & poſt mortem eius annis multis. Dies autem victoriæ huius feſtiuitatis, ab Hebręis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tẽpore, vſq; in pręſentem diem.

Pſal. 32.

LIBER ESTHER

CONtigit hæc hiſtoria citra vllam controuerſiam tempore captiuitatis Babylonicæ, quando omnes Iudæi apud Perſas, Medos, Aſſyrios, & Chaldæos in exilio agebant, ſed quis iſte fuerit Aſſuerus, qui Eſther Iudæam vxorẽ duxit, in dubium vertitur: Hebræi communiter ita ſentiunt, quòd iſte Aſſuerus genuerit ex Eſther Darium Perſam, cuius regni anno ſecũdo fuit extructum templum Hieroſolymitanum. Fuit & alius Darius Medus, ſed qui iſtum aliquot annis præceſſit.

CAPVT I.

IN DIEBVS Aſſueri, qui regnauit ab India vſq; Æthiopiam ſuper centũ viginti ſeptẽ prouincias: † in diebus illis cum ſederet rex Aſſuerus in ſolio regni ſui, † quod erat in Suſan metropoli, anno tertio imperij ſui fecerat † cõuiuiũ cunctis principibus, & pueris ſuis, † erat q; militia Perſiæ & Mediæ, ſed & pręfecti & principes prouinciarum coràm ſe, † & oſtendebat diuitias glorię regni ſui, ac magnitudinẽ, atq; iactantiam portẽtiæ ſuę multo tempore, centum videlicet & octoginta diebus. Cumq; implerẽtur dies cõuiuij, inuitauit omnẽ populũ, qui inuentus eſt in Suſan á maximo vſq; ad minimũ, & iuſsit ſeptẽ diebus conuiuiũ prępărari in veſtibulo horti † domus regis. Tẽtoria carbaſini coloris & virdis, ac hyacinthini, ſuſtẽtata funibus byſsinis, atq; purpureis, qui † argenteis circulis inſerti erãt, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoq; aurei, & argentei ſuper pauimentũ, ſmaragdino, & pario † & marmoreo

A

B

moreo & Pario ſtratũ lapide. Bibebant autẽ † aureis poculis, & alijs atq; alijs vaſis. † Vinum quoq;, vt magnificentia regia dignũ erat, abundans, & † pręceptũ ponebatur, vt non eſſet qui nolentes cogeret ad bibendum: † ſic. n. rex ſtatuerat, pręponẽs menſis ſingulos de principibus ſuis, vt ſumeret vnuſquiſq; quod vellet. Vaſthi quoq; regina fecit conuiuiũ fœminarum in palatio, vbi rex Aſſuerus manere conſueuerat. Itaque die ſeptimo, cũ rex eſſet hilarior † poſt vinũ, præcepit Mauman & Bazatha & Harbona & Bagatha & Abgata & Zethar & Charchas ſeptẽ enunuchis, qui in cõſpectu eius miniſtrabãt, vt introducerẽt reginam Vaſthi corã rege, poſito ſuper caput eius diademate, vt oſtẽderet cunctis populis, & principibus pulchritudinẽ illius: erat enim pulchra valde. Quæ renuit, & ad regis imperiũ, quod per eunuchos mãdauerat, venire contẽpſit. Vnde iratus rex, & nimio furore ſuccenſus, interrogauit ſapientes, † qui cognitionẽ habuerunt tempor: ſic enim erat cõſuetudo regis, vt proponeret cauſas omnibus, qui notitiã habebant conſtitutionũ iudiciorum (erant autem primi & proximi, Charſena & Sethar & Admatha & Tharſis † & Mãres Marſana & Mamuchã, ſeptẽ duces Perſarum, atq; Medor, qui videbant faciem regis, & primi poſt eũ reſidere ſoliti erant) cui ſententiæ Vaſthi regina ſubiaceret, quę Aſſueri regis imperiũ, quod per eunuchos mandauerat, facere noluiſſet. Reſpõditq; Mamuchan audiente rege, atq; principibus, Non ſolũ regem lęſit regina Vaſthi, ſed & omnes populos, & principes, qui ſunt in cunctis prouincijs regis Aſſueri. Egredietur enim ſermo reginę ad omnes mulieres, vt contemnant viros ſuos, & dicant, Rex Aſſuerus iuſsit vt regina Vaſthi intraret ad eum, & illa noluit. Atq; hoc exemplo omnes principũ coniuges Perſarum, atq; Medor, paruipendent imperia maritor, vnde regis iuſta eſt indignatio. Si ergo tibi placet, egrediatur edictum à facie tua, & ſcribatur iuxta legem Perſarũ atque Medorum, quam pręteriri illicitum eſt, vt nequaquã regina Vaſthi ingrediatur ad regem, ſed regnũ illius altera, quæ melior eſt illa, accipiat. Et hoc in omne (quod latiſsimum eſt) prouinciarum tuarũ diuulgetur imperium, vt cunctę vxores tam maiorum, quàm minor, deferant maritis ſuis honorem. Placuit conſiliũ eius regi, & principibus: fecitq; iuxta conſiliũ Mamuchan, & miſit epiſtolas ad vniuerſas prouincias regni ſui, vt quæq; gẽs audire & legere poterat diuerſis linguis, & literis, eſſe viros principes, ac maiores in domibus ſuis: † edifferens edictum iuxta linguam populi ſui.

C

D

CAPVT II.

HIs itaque geſtis, poſtquam regis Aſſueri indignatio deferbuerat, recordatus eſt Vaſthi & quæ feciſſet, vel quæ paſſa eſſet: dixeruntq; pueri regis, ac miniſtri eius, Quærantur regi puellæ virgines, ac ſpecioſæ, & mittantur qui conſyderent per vniuerſas prouincias puellas ſpecioſas, & virgines: & adducant eas ad ciuitatem Suſan, & tradant eas in domum fœminarum ſub manu Egei eunuchi, qui eſt præpoſitus & cuſtos mulierum regiarum: & accipiant mundum muliebrem, † & quæcunque inter omnes oculis regis placuerit, ipſa regnet pro Vaſthi. Placuit ſermo regi: & ita, vt ſuggeſſerant, iuſsit fieri. Erat vir Iudæus in Suſan ciuitate, vocabulo Mardochæus, filius Iair, filij Semei, filij Cis, de ſtirpe Iemini, qui translatus fuerat de Ieruſalem eo tempore, quo Iechoniam regem Iuda Nabuchodonoſor rex Babylonis tranſtulerat, qui fuit nutricius filię patrui ſui Ediſſe, quæ altero nomine vocabatur Eſther, & vtrunque parentem amiſerat: pulchra nimis, & decora facie. Mortuiſq; patre eius, ac matre, Mardochæus ſibi eam adoptauit in filiam. Cumq; percrebuiſſet regis imperium, & iuxta mandatum illius multæ pulchræ virgines adducerentur Suſan, & Egeo traderentur eunucho: Eſther quoque inter cæteras puellas ei tradita eſt, vt ſeruaretur in numero fœminarum. Quæ placuit ei, & inuenit gratiam in conſpectu illius. Et præcepit eunucho vt acceleraret mũdum muliebrem, & traderet ei partes ſuas, & ſeptẽ puellas ſpecioſiſsimas de domo regis, & tam ipſam, quàm pediſſequas eius ornaret, atque excoleret. Quæ noluit indicare ei populum, & patriam ſuam. Mardochæus enim præceperat ei, vt de hac re omninò reticeret: qui deambulabat quotidie ante veſtibulũ domus, in qua electæ virgines ſeruabantur, curam agens ſalutis Eſther, & ſcire volens quid ei accideret. Cum autem veniſſet tempus ſingularum per ordinem puellarum, vt intrarent ad regem † à fine, quo agebatur cum vnaquaque iuxta morem mulierum, erant duodecim menſes: nam ſic implebantur dies purificationis earum, quãdoquidem ſex menſes inſumerentur pro inunctione myrrhæ, & ſex menſes pro aromaticis pigmentis, atq; alijs præparationibus mulierum. Ingredienteſq; ad regem, quicquid poſtulaſſent, accipiebant, & cum eo de triclinio fœminarum ad regis cubiculum tranſibant. Et quæ intrauerat veſperè, egrediebatur manè, atq; inde in ſecundas ædes deducebatur, quæ ſub manu Saſagazi eunuchi erant, qui concubinis regis præſidebat: nec habebat poteſtatem ad regem vltrà † ingrediendi, niſi voluiſſet rex, & eam venire iuſsiſſet ex nomine. Euoluto autem tempore per ordinem, inſtabat dies, quo Eſther filia Abiháil † patrui Mardochæi, quam ſibi adoptauerat in filiam, deberet intrare ad regem. Quæ non quęſiuit muliebrem cultum, ſed quæcunq; voluit Egeus eunuchus cuſtos virginum, hęc ei ad ornatum dedit. Erat enim formoſa valde, & incredibili pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis videbatur. Ducta eſt itaq; ad cubiculum regis Aſſueri mẽſe decimo, qui vocatur Tebeth, † ideſt, decẽber ſeptimo anno regni eius. Et adamauit eam rex plusquàm omnes mulieres, habuitq; gratiam, & miſericordiam coràm eo ſuper omnes mulieres, & poſuit diadema regni in capite eius, fecitque eam regnare in loco Vaſthi. Et iuſsit conuiuium præparari permagnificum cunctis principibus & ſeruis ſuis pro coniunctione, & nuptijs Eſther. Et dedit requiem vniuerſis prouincijs, ac dona largitus eſt iuxta magnificentiam regiam. Cumque & ſecundò † virgines, congregarentur, Mardochæus manebat ad ianuam regis: necdum prodiderat Eſther patriam & populum ſuum, iuxta mandatum eius. Quicquid enim ille præcipiebat, obſeruabat Eſther: & ita cuncta faciebat, vt eo tempore ſolita erat, quo eam paruulam nutriebat. Eo igitur tempore, quo Mardochæus ad regis ianuam morabatur, irati ſunt Bagathã, & Thares duo eunuchi regis, qui ianitores erant, & in primo palatij limine præſidebant: voluerũtque inſurgere in regem, & occidere eum. Quod Mardochæum non latuit: ſtatimque nuntiauit regi-

4. Re. 24. d

ne Esther:& illa regi ex nomine Mardochæi,qui ad se rem detulerat. Quæsitum est, & inuētum:& appēsus est uterq; eorum in patibulo.Mandatumq; est historijs,et annalibus traditum coràm rege.

CAPVT III.

POst hæc rex Assuerus exaltauit Aman filium Amadathi,qui erat de stirpe Agag:& posuit solium eius A
super omnes principes quos habebat. Cunctiq́ue serui regis,qui in foribus palatij versabantur, flectebant genua,& adorabant Aman : sic enim præceperat eis imperator : solus Mardochæus non flectebat genu,neque adorabat eum.Cui dixerunt pueri regis,qui ad fores palatij præsidebant, Cur præter ceteros non obseruas mandatum regis ? Cumq; hoc crebrius dicerent,& ille nollet audire,nūtiauerunt Amā, scire cupientes vtrum perseueraret in sententia:dixerat enim eis , se esse Iudæum. Quod cum audisset Aman, & experimento probasset , quòd Mardocheus non flecteret sibi genu,nec se adoraret,iratus est valde,& pro B
nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus suas:audierat enim quòd esset gentis Iudææ: magisque voluit omnem Iudæorum , qui erant in regno Assueri , perdere nationem , † & qui erant de populo Mardochæi.Mense primo (cuius vocabulum est Nisan) anno duodecimo regni Assueri,missa est sors in vrnam, quæ Hebraicè dicitur phur,coràm Aman ,quo die & quo mense gens Iudæorum deberet interfici:& exiuit mensis duodecimus qui vocatur Adar.Dixitq; Aman regi Assuero,Est populus per omnes prouincias regni tui dispersus,& † separatus, nouis vtens legibus & ceremonijs,insuper & regis scita contemnens. Et optimè C
nosti quòd non expediat regno tuo vt insolescat per licentiam : si tibi placet, decerne vt pereat , & decē millia talentorum † argenti appendam arcarijs gazę tuæ. Tulit ergo rex annulum,quo vtebatur , de manu sua, & dedit eum Aman filio Amadathi de progenie Agag,hosti Iudæorum,dixitq; ad eum, Argentum,quod tu polliceris,tuum sit:de populo age quod tibi placet. Vocatiq; sunt scribę regis mense primo Nisan tertiadecima die eiusdem mensis:& scriptum est,vt iusserat Aman, ad omnes satrapas regis, & iudices prouinciarum, diuersarumq; gentium , vt quęque gens legere poterat & audire pro varietate linguarum ex nomine regis D
Assueri:& literę signatę ipsius annulo missę sunt per cursores † ad vniuersas prouincias,vt occiderent atque delerent omnes Iudæos,a puero vsque ad senem,paruulos & mulieres vno die , hoc est tertiodecimo mensis duodecimi,qui vocatur Adar,& bona eorum diriperent.Summa autem epistolarum hæc fuit,vt omnes prouinciæ scirent & pararent se ad prædictam diem.Festinabant cursores, qui missi erāt regis imperium explere.Statimq; in Susan pependit edictum,rege & Aman celebrante conuiuium,& cunctis , qui in vrbe erant, † interim perplexis.

CAPVT IIII.

QVæ cum audisset Mardochæus,scidit vestimenta sua,& indutus est sacco , spargens cinerem capiti: A
& in platea mediæ ciuitatis,voce magna clamabat,ostendens amaritudinem animi sui,& hoc eiulatu vsque ad fores palatij gradiens. Non enim erat licitum,indutum sacco aulam regis intrare.In omnibus quoq; prouincijs,oppidis,ac locis,ad quæ crudele regis dogma peruenerat , planctus ingens erat apud Iudæos,ieiunium,vlulatus,et fletus,sacco & cinere multis pro stratu vtentibus.Ingressę autem sunt puellę Esther & eunuchi,nuntiaueruntq; ei.Quod audiens,consternata est:& vestem misit Mardochæo,vt ablato sacco indueret eam:quam accipere noluit. Accitoq; Athach eunucho , quem rex ministrum B
ei dederat, præcepit vt iret ad Mardocheum,& disceret ab eo cur hoc faceret.Egressusq; Athach, iuit ad Mardochæum stantem in platea ciuitatis ante ostium palatij:qui indicauit ei omnia quæ acciderant , quomodo Aman promisisset,vt in thesauros regis pro Iudæorum nece inferret argentum:exemplar quoq; edicti quod pendebat in Susan,dedit ei vt reginæ ostenderet,& moneret eam vt intraret ad regem , & deprecaretur eum pro populo suo.Reuersusq; Athach, nuntiauit Esther omnia quę Mardocheus dixerat.Quæ respondit ei, & iussit vt diceret Mardocheo,Omnes serui regis,& cunctæ quæ sub ditione eius sunt,norunt prouincię,quòd C
siue vir,siue mulier non vocatus,interius atrium regis intrauerit,absq; vlla cunctatione statim interficiatur: nisi fortè rex auream virgam ad eum tetēderit,† arq; ita possit viuere. Ego igitur quomodo ad regem intrare potero,quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum ? Quod cum audisset Mardocheus,rursum mandauit Esther,dicēs,Ne putes quòd animam tuam † liberes,quia in domo regis es prę cunctis Iudæis:si enim nunc siluueris,per aliam occasionem liberabūtur Iudæi:† tu autem & domus patris tui peribitis. Et quis nouit,vtrum iccircò ad regnum veneris , vt in tali tempore parareris ? Rursumq; Esther hæc Mardocheo ver- D
ba mandauit,Vade,& congrega omnes Iudæos,quos in Susan repereris,& orate prò me.Non comedatis,& non bibatis tribus diebus,& tribus noctibus:& ego cum ancillulis meis similiter ieiunabo , & tūc ingrediar ad regem,contra legem faciens non vocata,tradensq; me morti & periculo.Iuit itaq; Mardochæus , & fecit omnia quæ ei Esther præceperat.

CAPVT V.

DIe autem tertio , induta est Esther regalibus vestimentis , & stetit in atrio domus regiæ , quod erat A
interius contra basilicam regis : at ille sedebat super solium suum in † palatio regni contra ostium domus. Cumque vidisset Esther reginam stantem,placuit oculis eius, & extendit contra eam virgam auream,quam tenebat manu.Quæ accedens , osculata est summitatem virgę eius. Dixitq; ad eam rex, quid vis Esther regina ? Quæ est petitio tua ? etiam si dimidiam partem regni petieris , dabitur tibi. At illa respondit , Si regi placet , obsecro vt venias ad me hodie , & Aman tecum ad conuiuium quod paraui. Sta- B
timque rex, Vocate,inquit,citò Aman,vt Esther obediat voluntati. Venerunt itaque rex & Aman ad conuiuium,quod eis regina parauerat.Dixitque ei rex,† inter potationem vini , Quid petis , vt detur tibi ? & pro qua re postulas ? Etiam , si dimidiam partem regni mei petieris,impetrabis. Cui respondit Esther,Petitio mea , & preces sunt istæ , Si inueni in conspectu regis gratiam, & si regi placet , vt det mihi quod postulo, & meam

C & meam impleat petitionem:veniat rex & Aman,ad conuiuium quod paraui eis,& cras aperiam regi volūtatem meam. Egressus est itaque illo die Aman lætus & alacer. Cumq; vidisset Mardocheum sedentē ante fores palatij,& non solum non assurrexisse sibi,sed nec motum quidem de loco sessionis suæ , indignatus est valde:& dissimulata ira reuersus in domum suam,cōuocauit ad se amicos suos,& Zares vxorem suam, & exposuit illis magnitudinem diuitiarum suarum,filiorumq; turbam,& quanta eum gloria super omnes prin-
D cipes,& seruos suos rex eleuasset.Et post hæc ait,Regina quoq; Esther,nullum alium vocauit ad conuiuium cum rege, præter me:apud quam etiam cras cum rege pransurus sum. Et cum hęc omnia habeam , nihil me habere puto,quandiu videro Mardochæum Iudeum sedentem ante fores regias. Responderuntq; ei Zares vxor eius,& cæteri amici,Iube parari excelsam trabem , habentem altitudinis quinquaginta cubitos : & dic manè regi,vt appendatur super eam Mardocheus,& sic ibis cum rege lætus ad conuiuium. Placuitq; ei consilium,& iussit excelsam præparari crucem.

CAPVT VI.

A NOctem illam duxit rex insomnem,iussitq; sibi afferri historias & annales priorum temporum.Quæ cum illo presente legerentur , ventum est ad illum locum , vbi scriptum erat , quomodo nuntiasset Mardochæus insidias Bagathan & Thares eunuchorum , regem Assuerum iugulare cupientium. Quod cum audisset rex,ait , Quid pro hac fide honoris ac premij Mardocheus consecutus est ? Dixerunt ei serui illius, ac ministri,Nihil omninò mercedis accepit.Statimq; rex,Quis est,inquit,in atrio ? Aman quip-
B pè exterius atrium domus regiæ intrauerat,vt suggereret regi,& iuberet Mardocheum affigi patibulo quod ei fuerat preparatum. Respondentes pueri,Aman stat in atrio. Dixitq; rex,Ingrediatur. Cumque esset ingressus,ait illi,Quid debet fieri viro,quem rex honorare desyderat ? Cogitans autem in corde suo Aman , & reputans quòd nullum alium rex,nisi se,vellet honorare,respondit.Homo,quem rex honorare cupit, debet indui vestibus regijs : & imponi super equum qui de sella regis est , & accipere regium diadema super caput suum,& primus de regijs principibus ac tyrannis † accepto vestimento & equo induat virum illum , quem
C cupit rex honorare,& imponat eum super equum in platea ciuitatis:clamentq; ante eum , Sic honorabitur, quemcunq; voluerit rex honorare.Dixitq; ei rex, Festina,& sumpta stola & equo,fac ita,vt locutus es , Mardocheo Iudæo,qui sedet ante fores palatij. Caue ne quicquam de his quæ locutus es prętermittas. Tulit itaque Aman stolam & equum,indutumq; Mardocheum in platea ciuitatis , & impositum equo præcedebat, atque clamabat,Hoc honore dignus est,quemcunque rex voluerit honorare.Reuersusq; est Mardocheus ad
D ianuam palatij:& Aman festinauit ire in domum suam,lugens & operto capite:narrauitq; Zares vxori suæ, & amicis omnia quæ euenissent sibi. Cui respondentes sapientes quos secū habebat in consilio,& vxor eius, Si de semine Iudeorum est Mardocheus , ante quem cadere cœpisti,non poteris ei resistere,sed cades in conspectu eius. Adhuc illis loquentibus,venerunt eunuchi regis,& citò eum ad conuiuium,quod regina paraverat,pergere compulerunt.

CAPVT VII.

A INtrauit itaque rex & Aman, vt biberent cum regina. Dixitq; ei rex etiam secunda die postquam vino incaluerat. Quę est petitio tua Esther , vt detur tibi ? & quid vis tibi fieri ? etiam , si dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis. Ad quem illa respondit , Si inueni gratiam in oculis tuis ò rex , & si placet,dona mihi animam meam pro qua rogo , & populū meum pro quo obsecro. Traditi enim sumus,
B ego & populus meus,vt conteramur,iugulemur,& pereamus. Atque vtinam in seruos & famulas venderemur:esset tolerabile malum,& † tacerem : quoniam hostis noster non perpendit damnum regis. Respondensq; rex Assuerus ait,Quis est iste ? & cuius potentiæ,vt hęc audeat facere ? Dixitq; Esther,Hostis & inimicus pessimus iste est Aman. Quod ille audiens,illico obstupuit, vultum regis ac reginę ferre non sustinens.
C Rex autem iratus surrexit,& de loco conuiuij intrauit in hortum,† qui erat iuxta palatium. Aman quoque surrexit,vt rogaret Esther reginam pro anima sua:intellexit enim à rege sibi paratum malum. Qui cum reuersus esset de horto † palatij,& intrasset conuiuij locum,reperit Aman super lectulum corruisse, in quo iacebat Esther , & ait , Etiam reginā vult opprimere me presente in domo mea.† Vix verbū de ore regis exie-
D rat,& statim operuerunt faciem eius. Dixitq; Harbona,vnus de eunuchis qui stabant in ministerio regis,En lignum,quod parauerat Mardocheo,qui locutus est pro rege,stat in domo Aman , habens altitudinis quinquaginta cubitos. Cui dixit rex, Appendite eum in eo. Suspensus est itaq; Aman in patibulo,quod parauerat Mardocheo:& regis ira quieuit.

CAPVT VIII.

A DIe illo dedit rex Assuerus Esther reginę domum Aman aduersarij Iudeorum , & Mardochæus ingressus est ante faciem regis. Confessa est enim ei Esther , quòd esset patruus suus. Tulitq; rex annulū quem ab Aman recipi iusserat, & tradidit Mardochæo . Esther autem constituit Mardocheū super domum † Aman. Nec his contenta , procedit ad pedes regis:fleuitque & locuta ad eum orauit vt malitiam Aman Agagitę , & machinationes eius pessimas , quas excogitauerat contra Iudæos , iuberet irritas fieri. At ille ex more sceptrum aureum prętendit manu. † Illaque consurgens stetit ante eum, & ait,Si pla-
B cet regi,& si inueni gratiam in oculis eius,& deprecatio mea non ei videtur esse contraria , obsecro vt nouis epistolis veteres Aman literę insidiatoris & hostis Iudæorum , quibus eos in cunctis regis prouincijs perire præceperat,corrigantur. Quomodo enim potero sustinere necem,& interfectionem populi mei ? Respondit q; rex Assuerus Esther reginæ,& Mardochæo Iudeo,Domum Aman cōcessi Esther reginæ:& ipsum iussi affigi cruci,quia ausus est manum mittere in Iudeos. Scribite ergo Iudeis , sicut vobis placet , ex regis nomine, signantes literas annulo meo . Hæc enim consuetudo erat , vt epistolis quę ex regis nomine mittebantur,&

tur,& illius annulo ſignatæ erant,nemo auderet contradicere. Accitiſq; ſcribis & librarijs regis (erat autem tempus tertij menſis,qui appellatur Siban) viceſima & tertia die illius ſcriptæ ſunt epiſtolæ vt Mardochæus voluerat,ad Iudæos & ad principes,procuratoresq; & iudices,qui centum vigintiſeptem prouincijs ab India vſq; ad Æthiopiam præſidebant,prouinciæ atq; prouinciæ,populo & populo,iuxta linguas & literas ſuas,& Iudæis,prout legere poterãt,& audire. Ipſéq; epiſtolæ,quæ ex regis nomine mittebantur,annulo ipſius obſignatæ ſunt, & miſſæ per † currentes in equis & veredarios, & mulos equarum, Quibus imperauit rex, vt conuenirent Iudæos per ſingulas ciuitates,& in vnum præciperent congregari, vt ſtarẽt pro animabus ſuis, D & omnes inimicos ſuos cum coniugibus ac liberis & vniuerſis domibus interficerent, atq; delerent † & diriperent ſpolia eorũ. Et conſtituta eſt per omnes prouincias vna vltionis dies, id eſt tertiadecima menſis duodecimi Adar. Summaq; epiſtolæ,hæc fuit,vt in omnibus terris ac populis,qui regis Aſſueri ſubiacebant imperio,notum fieret paratos eſſe Iudæos ad capiendã vindictam de hoſtibus ſuis. Egreſſiq; ſunt veredarij celeres nuntia perferentes,& edictum regis pependit in Suſan. Mardochæus autem de palatio,& de conſpectu regis egrediens fulgebat veſtibus regijs,hyacinthinis videlicet & aerinis,coronam auream portans in capite,et amictus ſerico pallio atq; purpureo. Omniſq; ciuitas exultauit,atq; lætata eſt. Iudæis autem noua lux oriri viſa eſt,gaudium,honor,& tripudium. Apud omnes populos,vrbes,atq; prouincias quocũq; regis præcepta veniebant,mira exultatio,epulæ,atq; conuiuia,& feſtus dies: intantum vt plures alterius gentis & ſectæ,eorũ religioni & ceremonijs iungerentur. Grandis enim cunctos Iudaici nominis terror inuaſerat.

CAPVT IX.

IGitur duodecimi menſis,quem Adar vocari ante iam diximus, tertiadecima die quando cunctis Iudæis A interfectio parabatur,& hoſtes eorum inhiabant ſanguini,verſa vice Iudæi ſuperiores eſſe cœperunt, & ſe de aduerſarijs vindicare. Congregatiq; ſunt per ſingulas ciuitates & oppida & loca,vt extenderent manum contra inimicos,& perſecutores ſuos. Nulluſq; auſus eſt reſiſtere,eò quòd omnes populos magnitudinis eorum formido penetraret. Nam & prouinciarum iudices & duces,& procuratores, omniſque dignitas quæ ſingulis locis ac operibus præerat,extollebant Iudæos timore Mardochei: quem principem eſſe palatij, & plurimum poſſe cognouerant: fama quoq; nominis eius creſcebat quotidie,† ſiquidẽ vir ille Mardocheus proficiebat,& maior fiebat. Itaq; percuſſerunt Iudæi inimicos ſuos plaga magna,& occiderunt eos, † agêres B cum hoſtibus ſuis ſecundum voluntatem ſuam: intantum, vt etiam in Suſan quingentos viros interficerẽt, extra decem filios Aman Agagitæ hoſtis Iudæorum: quorum iſta ſunt nomina, Pharſandátha, & Delphon, & Eſphátha,& Phorátha,& Adalia,& Aridátha, & Phermẽſta, & Ariſãi, & Aridai, & Iezatha. Quos cum occidiſſent,prædas de ſubſtantijs eorum agere noluerunt. Statimq; numerus eorum, qui occiſi erant in Suſan,ad regem relatus eſt. Qui dixit reginæ,In vrbe Suſan interfecerũt Iudæi quingentos viros, & alios decẽ filios Aman: quãtam putas eos exercere cædem in vniuerſis prouincijs? Quid vltra poſtulas, & quid vis vt fieri iubeam? Cui illa reſpondit, Si regi placet, detur poteſtas Iudæis,vt ſicut fecerũt hodie in Suſan, ſic & C cras faciant,& decem filij Aman in patibulis ſuſpendãtur. Præcepitq; rex vt ita fieret. Statimq; in Suſan pependit edictum,& decem filij Aman ſuſpẽſi ſunt. Congregatis Iudæis quartadecima die menſis Adar interfecti ſunt in Suſan trecenti viri: nec eorum ab illis direpta ſubſtantia eſt: ſed & per omnes prouincias quæ ditioni regis ſubiacebant,pro animabus ſuis ſteterunt Iudæi,interfectis hoſtibus ac perſecutoribus ſuis: intantum vt ſeptuagintaquinq; millia occiſorum implerentur, & nullus de ſubſtantijs eorum quicquam contingeret. Dies autem tertiuſdecimus menſis Adar vnus apud omnes interfectionis fuit, & quartadecima die cẽdere deſierunt. Quem conſtituerunt eſſe ſolennem,† in gaudio atq; conuiuijs. At hi qui in vrbe Suſan cædẽ D exercuerant,tertiodecimo & quartodecimo die eiuſdem menſis in cæde verſati ſunt: quintodecimo autẽ die percutere deſierunt. Et iccirco eundem diem conſtituerunt ſolennem,epularum atque lætitiæ. Hi verò Iudæi in oppidis non muratis ac villis morabantur,quartumdecimũ diem menſis Adar conuiuiorum, & gaudij decreuerunt,ita vt exultent in eo,& mittant ſibi mutuò partes epularum & ciborum. Scripſit itaq; Mardochæus omnia hæc,& literis comprehenſa miſit ad Iudæos, qui in omnibus regis prouincijs morabantur, tam in vicino poſitis quam procul, vt quartamdecimam & quintamdecimam diem menſis Adar pro feſtis ſuſciperent,& reuertente ſemper anno ſolenni celebrarent honore: quia in ipſis diebus ſe vlti ſunt Iudæi de E inimicis ſuis,& luctus atque triſtitia in hilaritatem gaudiũq; conuerſi ſunt,eſſentq; dies iſti epularum atque lætitiæ,& mitterent ſibi inuicem ciborum partes,& pauperibus munuſcula largirentur. Suſceperuntq; Iudæi in ſolennẽ ritum cũcta,quę eo tẽpore facere cœperant,& quæ Mardocheus literis facienda mandauerat. Aman enim filius Amadathi ſtirpis Agag,hoſtis,& aduerſarius Iudæorũ,cogitauit cõtra eos malum,vt occideret illos,atq; deleret: & miſit phur (quod noſtra lingua vertitur in ſorte) & poſtea ingreſſa eſt Eſther ad regem obſecrans,vt conatus eius,literis regis irriti fierent: & malũ,quod contra Iudæos cogitauerat,reuerteretur in caput eius. Deniq; & ipſum & filios eius affixerũt cruci,atq; ex illo tẽpore dies iſti appellati ſunt phu- F rim,id eſt ſortium: eò quòd phur, id eſt ſors in vrnã miſſa fuerit. † Et propter omnes ſermones huius epiſtolæ,& quicquid viderunt in hoc negocio,& id,quod peruenit ad eos,comprobauerunt, & ſuſceperunt Iudæi ſuper ſe,& ſemen ſuum,& ſuper cunctos qui religioni eorum voluerũt copulari,vt nulli liceat duos hos dies abſque ſolennitate tranſigere: quos ſcriptura teſtatur,† idque ſingulis annis ſuo tempore. Iſti ſunt dies,quos nulla vnquam delebit obliuio: & per ſingulas generationes cunctæ in toto orbe prouinciæ celebrabunt: nec eſt vlla ciuitas,in qua dies phurim,id eſt ſortium, non obſeruentur à Iudæis, & ab eorum progenie,quæ his ceremonijs obligata eſt. Scripſeruntq; Eſther regina filia Abiháil, & Mardocheus Iudæus etiam ſecundam G epiſtolam,vt omni ſtudio dies iſta ſolennis ſanciretur in poſterum: & miſerunt ad omnes Iudæos, qui in cẽtum vigintiſeptem prouincijs regis Aſſueri verſãbantur, vt haberent pacem,& ſuſciperent veritatem, obſeruantes

ſeruantes dies ſortium, & ſuo tempore cum gaudio celebrarent: ſicut conſtituerant Mardochæus & Eſther. Et ſibi obſeruanda ſuſceperunt à ſe,& à ſemine ſuo ieiunia,& clamores, † & Eſther ſermone confirmauit verba ſortium,ſicut ſcriptum eſt in libro.

CAPVT X.

A REx verò Aſſuerus omnem terram,& cunctas maris Inſulas fecit tributarias: cuius fortitudo, & imperium,& dignitas,atque ſublimitas,qua exaltauit Mardochæum,ſcripta ſunt in libris Medorum,atque Perſarum: & quomodo Mardochæus Iudaici generis ſecundus à rege Aſſuero fuerit: & magnus apud Iudæos, & acceptabilis plebi fratrum ſuorum, quærens bona populo ſuo, & loquens ea, quæ ad pacem se- B minis ſui pertinerent.

Quæ habentur in Hebræo, plena fide expreſsi. Hęc autem, quæ ſequuntur,ſcripta reperi in ęditione vulgata: quę Græcorum lingua: & literis continentur: & interim poſt finem libri hoc capitulum ferebatur, quod iuxta conſuetudinem noſtram obelo, id eſt veru prænotauimus.

C Dixitq; Mardochæus, A Deo facta ſunt iſta. Recordatus ſum ſomnij, quod videram, hæc eadem ſignificantis: nec eorum quicquam irritum fuit. Paruus fons qui creuit in fluuium,& in lucem,ſolemq; conuerſus eſt,& in aquas plurimas redundauit: Eſther eſt,quam rex accepit vxorem,& voluit eſſe reginam. Duo autem dracones: ego ſum,& Aman. Gentes, quæ conuenerant: hi ſunt, qui conati ſunt delere nomen Iudæorum. D Gens autem mea: Iſrael eſt,quæ clamauit ad Dominum,& ſaluum fecit Dominus populũ ſuum: liberauitq; nos ab omnibus malis,& fecit ſigna magna,atq; portenta inter gentes: & duas ſortes eſſe præcepit, vnã populi Dei,& alteram cunctarum gentium: venitq; vtraq; ſors in ſtatutum ex illo iam tempore coràm Deo vniuerſis gentibus: & recordatus eſt Dominus populi ſui,ac miſertus eſt hæreditatis ſuæ, Et obſeruabuntur dies iſti in menſe Adar quartadecima,& quintadecima die eiuſdem menſis,cum omni ſtudio,& gaudio in vnum cœtum populi congregati,in cunctas deinceps generationes populi Iſrael.

CAPVT XI.

A ANno quarto regnantibus Ptolemæo,& Cleopatra,attulerunt Doſithæus,qui ſe ſacerdotem, & Leuiti ci generis ferebat,& Ptolemæus filius eius,hanc epiſtolam phurim, quam dixerunt interpretatũ eſſe Lyſimachum Ptolemæi filium in Ieruſalem.

Hoc quoque principium erat in ęditione vulgata,quod nec in Hebręo,nec apud vllum fertur interpretum.

B Anno ſecundo,regnante Artaxerſe maximo,prima die menſis Niſan, vidit ſomnium Mardochæus filius Iairi,filij Semei,filij Cis de tribu Beniamin: homo Iudęus qui habitabat in vrbe Suſan, vir magnus, & inter primos aulæ regiæ. Erat autem de eo numero captiuorum, quos tranſtulerat Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieruſalẽ cum Iechonia rege Iuda: & hoc eius ſomnium fuit, Apparuerunt voces, & tumultus, tonitrua, C & terræmotus,& conturbatio ſuper terram: & ecce duo dracones magni, paratiq; contra ſe in prælium. Ad quorum clamorem cunctæ concitatę ſunt nationes,vt pugnarent contra gentem iuſtorũ. Fuitq; dies illa tenebrarum & diſcriminis,tribulationis & anguſtię, & ingens formido ſuper terram. Conturbataq; eſt gens iuſtorum,timentium mala ſua, & præparata ad mortem. Clamauerunt ad Deum: & illis vociferantibus, D fons paruus creuit in fluuium maximum,& in aquas plurimas redũdauit. Lux & ſol ortus eſt,& humiles exaltati ſunt,& deuorauerunt inclytos. Quod cum vidiſſet Mardochæus,& ſurrexiſſet de ſtratu,& cogitabat quid Deus facere vellet: & fixum habebat in animo,ſcire cupiens quid ſignificaret ſomnium.

CAPVT XII.

A MOrabatur autem eo tempore in aula regis,cum Bagatha & Thara eunuchis regis, qui ianitores erãt B palatij. Cumq; intellexiſſet cogitationes eorum,& curas diligentius peruidiſſet,didicit quòd conarentur in regem Artaxerſem manus mittere: & nuntiauit ſuper eo regi. Qui de vtroque habita queſtione,confeſſos iuſsit duci ad mortem. Rex autem quod geſtum erat, ſcripſit in commentarijs: ſed & Mar- C dochæus rei memoriam literis tradidit. Præcepitq; ei rex, vt in aula palatij moraretur, datis ei pro delatione muneribus. Aman verò filius Amadathi Bugæus erat glorioſiſsimus coràm rege,& voluit nocere Mardocheo, D & populo eius pro duobus eunuchis regis, qui fuerant interfecti.

Hucuſque proœmium.

Quę ſequuntur,in eo loco poſita erant, vbi ſcriptum eſt in volumine, Et dirigebant bona, vel ſubſtantias eorum: quæ in ſola vulgata ęditione reperimus. Epiſtolę autem hoc exemplar fuit quod ſubijcitur.

CAPVT XIII.

A REx maximus Artaxerſes ab India vſque Æthiopiam, centum vigintiſeptem prouinciarum principibus,& ducibus, qui eius imperio ſubiecti ſunt,ſalutem. Cum plurimis gentibus imperarem, & vniuerſum orbem meæ ditioni ſubiugaſſem, volui nequaquam abuti potentiæ magnitudine,ſed clementia,& lenitate gubernare ſubiectos: vt abſq; vllo terrore vitam ſilentio tranſigentes, optata cũctis mortalibus pace fruerentur. Quærente autem me à cõſiliarijs meis,quomodo poſſet hoc impleri, vnus qui ſapientia & fide cæteros præcellebat, & erat poſt regem ſecundus, Aman nomine, indicauit mihi in toto orbe terrarum populum eſſe diſperſum, qui nouis vteretur legibus, & contra omnium gentium conſue- B tudinem faciens regum iuſſa contemneret, & vniuerſarum concordiam nationum ſua diſſenſione violaret. Quod cum didiciſſemus, videntes vnam gentem rebellem aduerſus omne hominum genus peruerſis vti legibus,noſtrisq; iuſsionibus contraire,& turbare ſubiectarum nobis prouinciarum pacem, atq; cõcordiam: iuſsimus,vt quoſcunq; Aman,qui omnibus prouincijs præpoſitus eſt,& ſecundus à rege, & quem patris loco colimus,monſtrauerit: cum coniugibus ac liberis deleantur ab inimicis ſuis, nullusque eorum miſereatur

quartadecima die duodecimi mensis Adar, anni presentis: vt nefarij homines vno die ad inferos descendentes, reddant imperio nostro pacem, quam turbauerant.

Hucusque exemplar epistolæ.

Quæ sequuntur, post eum locum scripta reperi, vbi legitur, Pergensque Mardocheus, fecit omnia, quę ei mandauerat Esther. Nec tamen habetur in Hebraico, & apud nullum penitus feruntur interpretum.

Mardocheus autem deprecatus est Dominum memor omnium operum eius, & dixit, Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita: & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israel. Tu fecisti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur: Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Cuncta nosti, & scis quòd non pro superbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman superbissimum: libenter enim pro salute Israel etiam vestigia pedum eius deosculari paratus essem: sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quę quam adorarem, excepto Deo meo. Et nunc Domine rex Deus Abrahá, miserere populi tui, quia volunt nos inimici perdere, & hæreditatem tuam delere. Ne despicias partem tuam quã redemisti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, & propitius esto sorti & funiculo tuo, & conuerte luctum nostrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum Domine, & ne claudas ora te canentium. Omnis quoq; Israel pari mente, & obsecratione clamauit ad Dominum, eò quòd eis certa mors impenderet.

CAPVT XIIII.

Esther quoq; regina confugit ad Dominum, pauens periculum quod imminebat. Cumque deposuisset vestes regias, fletibus & luctui apta indumenta suscepit, & pro vnguentis varijs, cinere & stercore impleuit caput, & corpus suum humiliauit ieiunijs, omniaque loca, in quibus antea lætari consueuerat, crinium laceratione compleuit. Et deprecabatur Dominum Deum Israel, dicens, Domine mi, qui rex noster es solus, adiuua me solitariam, & cuius præter te nullus est auxiliator alius. Periculum meum in manibus meis est. Audiui à patre meo, quòd tu Domine tulisses Israel de cunctis gentibus, & patres nostros ex omnibus retrò maioribus suis, vt possideres hæreditatem sempiternam, fecistiq; eis sicut locutus es. Peccauimus in conspectu tuo, & iccircò tradidisti nos in manus inimicorum nostrorum: coluimus enim deos eorum. Iustus es Domine. Et nunc non eis sufficit quòd durissima nos opprimunt seruitute, sed robur manuũ suarum idolorum potentiæ deputantes, volunt tua mutare promissa, & delere hæreditatem tuam, & claudere ora laudantium te, atque extinguere gloriam templi & altaris tui, vt aperiant ora gentium, & laudent idolorum fortitudinem, & prædicent carnalem regem in sempiternum. Ne tradas Domine sceptrum tuum his qui non sunt, ne rideant ad ruinam nostram, sed conuerte consilium eorum super eos, & eum, qui in nos cœpit sæuire, disperde. Memento Domine, & ostende te nobis in tempore tribulationis nostrę, & da mihi fiduciam Domine rex deorum, & vniuersæ potestatis, tribue sermonem compositum in ore meo in cõspectu leonis, & transfer cor illius in odium hostis nostri, vt & ipse pereat & cæteri qui ei consentiunt. Nos autem libera in manu tua, & adiuua me ancillam tuam, nullum aliud auxiliũ habentẽ, nisi in te Domine: qui habes omnium scientiam, & nosti quòd oderim gloriam iniquorum, & detester cubile incircumcisorum, & omnis alienigenæ. Tu scis necessitatem meam, q̃ abominer signum superbiæ & gloriæ meæ, quod est super caput meũ in diebus ostentationis meæ, & detester illud quasi pannum menstruatæ, & non portẽ in diebus silentij mei, & quòd non comederim in mensa Aman, nec mihi placuerit conuiuium regis, & non biberim vinum libaminum: & nunquam lætata sit ancilla tua, ex quo huc translata sum vsq; in præsentem diem, nisi in te Domine Deus Abraham. Deus fortis super omnes exaudi vocem eorum qui nullam aliam spem habent, & libera nos de manu iniquorum, & erue me à timore meo.

CAPVT XV.

Hęc quoque addita reperi in editione vulgata.

Et mandauit ei (haud dubium, quin Esther Mardochæus,) vt ingrederetur ad regem, & rogaret pro populo suo, & pro patria sua. Memorare (inquit) dierũ humilitatis tuę quomodo nutrita fis in manu mea, quia Aman secundus à rege locutus est contra nos in mortem: & tu inuoca Dominum, & loquere regi pro nobis, & libera nos de morte.

Necnon & ista, quæ subdita sunt, in editione vulgata reperi.

Die autem tertio, deposuit vestimenta ornatus sui, & circundata est gloria sua. Cumque regio fulgeret habitu, & inuocasset omnium rectorem, & saluatorem Deum, assumpsit duas famulas: & super vnam quidem innitebatur, quasi præ delitijs, & nimia teneritudine corpus suum ferre non sustinens: altera autem famularum sequebatur dominam, defluentia in humum indumenta sustentans. Ipsa autem roseo colore vultum perfusa, & gratis ac nitentibus oculis tristem cęlabat animum, & nimio timore contractum. Ingressa igitur cuncta per ordinem ostia, stetit contra regem, vbi ille residebat super solium regni sui, indutus vestibus regijs auroque fulgens & pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu. Cumq; eleuasset faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicasset, regina corruit, & in pallorem colore mutato, lassum super ancillulam reclinauit caput. Conuertitque Deus spiritum regis in mansuetudinem, & festinus ac metuens exiliuit de solio: & sustentans eam vlnis suis donec rediret ad se, his verbis blandiebatur, Quid habes Esther? Ego sum frater tuus, noli metuere. Non morieris: non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est. Accede igitur & tange sceptrum. Cumq; illa reticeret, tulit auream virgam, & posuit super collum eius, & osculatus est eam, & ait, Cur non loqueris? Quæ respondit, Vidi te domine quasi angelum Dei, & conturbatum est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde enim mirabilis es domine, & facies tua plena est gratiarum. Cumque loqueretur, rursus corruit, & penè exanimata est. Rex autem turbabatur, & omnes ministri eius consolabantur eam.

Exemplar

Exemplar epistolæ regis Artaxersis, quam pro Iudæis ad totas regni sui prouincias misit, quod & ipsum in Hebraico volumine non habetur.

CAPVT XVI.

Rex magnus Artaxerses, ab India vsq; Æthiopiã centũ viginti septẽ prouinciarũ ducibus ac principibus, qui nostrę iussioni obediũt, salutẽ dicit. Multi bonitate principum & honore, qui in eos collatus est, abusi sunt in superbiã: & nõ solũ subiectos regibus nituntur opprimere, sed datã sibi gloriã nõ ferẽtes, in ipsos qui dederunt moliũtur insidias. Nec cõtenti sunt gratias nõ agere beneficijs, & humanitatis in se iura violare, sed Dei quoq; cuncta cernẽtis arbitrãtur se posse fugere sententiam. Et in tantũ vesaniæ proruperunt, vt eos qui credita sibi officia diligẽter obseruãt, & ita cuncta agunt, vt omniũ laude digni sint, mendaciorũ cuniculis conẽtur subuertere, dũ aures principũ simplices, & ex sua natura alios ęstimãtes, callida fraude decipiũt. Quę res & ex veteribus probatur historijs, & ex his, quę gerũtur quotidie, quomodo malis quorũdã suggestionibus regũ studia deprauẽtur. Vnde prouidendũ est paci omniũ prouinciarũ. Nec putare debetis, si diuersa iubeamus, ex animi nostri venire leuitate, sed pro qualitate & necessitate tẽporũ, vt reipublicę possit vtilitas ferre sententiam. Et vt manifestius quod dicimus intelligatis: Aman filius Amadathi, & animo, & gẽte Macedo, alienusq; à Persarũ sanguine, & pietatẽ nostrã sua crudelitate cõmaculans, peregrinus à nobis susceptus est: & tãtã in se expertus humanitatem, vt pater noster vocaretur, & adoraretur ab omnibus, post regẽ secũdus: qui in tantũ arrogãtię tumorẽ subleuatus est, vt regno priuare nos niteretur & spiritu. Nã Mardochæũ, cuius fide & beneficijs viuimus, & cõsortẽ regni nostri Esther cũ omni gẽte sua, nouis quibusdã atq; inauditis machinis expetiuit in mortẽ: hoc cogitãs, vt illis interfectis insidiaretur nostræ solitudini, & regnũ Persarũ transferret in Macedonas. Nos autẽ à pessimo mortaliũ, Iudęos neci destinatos, in nulla penitus culpa reperimus, sed ecõtrariò iustis vtẽtes legibus, & filios altissimi & maximi, semperq; viuẽtis Dei, cuius beneficio & patribus nostris & nobis regnũ est traditũ, & vsq; hodie custoditur. Vnde eas literas, quas sub nomine nostro ille direxerat, sciatis esse irritas. Pro quo scelere ante portas huius vrbis, id est Susis, & ipse qui machinatus est, & omnis cognatio eius pendet in patibulis: nõ nobis, sed Deo reddente ei quod meruit. Hoc autẽ edictũ quod nũc mittimus, vrbibus proponatur, vt liceat Iudæis vti legibus suis. Quibus debetis esse ad miniculo, vt eos qui, se ad necem eorũ parauerant, posint interficere tertiadecima die mensis duodecimi qui vocatur Adar: hanc enim diẽ, Deus omnipotẽs mœroris & luctus eis vertit in gaudiũ. Vnde & vos inter cætera festos dies, hãc habetote diẽ, & celebrate eã cũ omni lętitia, vt & in posterũ cognoscãtur omnes, qui fideliter Persis obediũt dignã pro fide recipere mercedẽ: qui autẽ infidiãtur regno eorũ, perire ꝓ scelere. Omnis autẽ prouincia & ciuitas, quæ noluerit solẽnitatis huius esse particeps, gladio & igne pereat, & sic deleatur, vt non solũ hominibus, sed etiam inuia bestijs sit in sempiternũ, pro exẽplo contẽptus & inobedientiæ.

LIBER IOB

CAPVT I.

[a] Ir erat [b] in terra Hus, nomine Iob: & erat vir ille [c] simplex & rectus, ac timẽs Deũ, & recedens à malo. Natiq; sunt ei septẽ filij, & tres filię. Et fuit possessio eius septem millia ouiũ, & tria millia camelorũ, quingenta quoq; iuga boum, & quingentæ asinę, ac familia multa nimis, eratq; vir ille magnus inter omnes orientales. [d] Et ibant filij eius, & faciebant cõuiuia per domos, vnusquisq; in die suo. Et mittẽtes vocabãt tres sorores suas, vt comederent, & biberent cũ eis. Cũq; in orbẽ transissent dies cõuiuij, mittebat ad eos Iob, & [e] sanctificabat illos: cõsurgens q; diluculo, offerebat holocausta per singulos. Dicebat enim, Ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus suis. Sic faciebat Iob cunctis diebus. [f] Quadã autem die, cum venissent filij Dei, & assisterent coràm Dño, affuit inter eos etiã satan. Cui dixit Dñs, Vnde venis? Qui respondens, ait, Circuiui terrã, & perambulaui eã. Dixitq; Dominus ad eũ, Nunquid consyderasti seruũ meũ Iob, q̃ non sit ei similis in terra, homo simplex & rectus, ac timens Deũ, & recedens à malo? Cui respondens satan, ait, Nunquid Iob fruſtra timet Deum? Nónne tu vallasti eum, ac domum eius, vniuersamq; substantiam eius per circuitum? operibus manuum eius benedixisti, & possessio eis creuit in terra? Sed extende paululum manum tuam, & tange cuncta, quę possider, nisi in faciem benedixerit tibi. Dixit ergo Dominus ad satan, Ecce, vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt, tantum in eum ne extendas manum tuam. Egressusq; est satan à facie Domini. Cũ autem quadam die filij & filię eius comederent, & biberent vinum in domo fratris sui primogeniti, nuntius venit ad Iob, qui diceret, Boues arabant, & asinæ pascebantur iuxta eos, & irruerunt Sabæi, tulerunt q; omnia, & pueros percusserunt gladio, & euasi ego solus, vt nuntiarem tibi. Cumque adhuc ille loqueretur, venit alter, & dixit, Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues pueros q; consumpsit: & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi. Sed & adhuc illo loquente venit alius, & dixit, Chaldæi fecerunt tres turmas, & inuaserunt camelos, & tulerunt eos, necnon & pueros percusserunt gladio: & ego fugi solus, vt nuntiarem tibi. Adhuc loquebatur ille, & ecce alius intrauit, & dixit, Filijs tuis, & filiabus vescentibus & bibentibus vinum in domo fratris sui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt: & effugi ego solus, vt nuntiarem tibi. Tunc surrexit Iob, [g] & scidit vestimenta sua, & tonso capite corruens in terra, adorauit,

Eccle. 5.c
1.Tim. 6.b

adorauit,& dixit, [h] Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Dominus dedit, Dominus abstulit † sit nomen Domini benedictum. [i] In omnibus ijs non peccauit Iob, neque stultum quid cõtra Deum locutus est.

SCHOLIA.

[a] Vir erat.] *Fuerunt olim apud Hebræos, qui suæ sententiæ nimium fidentes, putarunt, Iob non in humanis fuisse, sed hunc librum scriptum duntaxat in exemplum. Sed hos docti omnes confutant per eum locum qui habetur in Ezech. cap. xiiij. Si fuerint tres viri illi Noe, Daniel, & Iob in medio eorum. Et Iacobus in epi. sustinentiam Iob audistis. Præterea tam exquisitè posuisse scripturam nomen eius, numerum possessionis & filiorum, & amicorum nomina, & prosapiam eorũ, arguunt minimè hoc fuisse figmentum. Putant autem Heb. hunc librum à Mose conscriptum, quibus ex nostris quidam accedunt, alij aliud sentiunt. Sed non refert siue Moses, siue alius propheta eum scripserit, cum hoc apud omnes minimè dubitetur, & concors sit Hebræorum, ac Christianorum sententia, librum hunc cõtinere spiritus sancti eloquia. Argumentum huius libri est omnium rerum moderationem & procurationem soli Deo esse tribuendam, sine cuius nutu, nec pilus quidem de capite nostro defluit. Docet præterea quàm simus Deo curæ, quantumq; eius maiestatis sit imperium, vt prorsus indignum sit, vt conqueramur, & obmurmuremus, quasi iniquitas apud illum sit, nostrarumq; rerum neglectus. Quin magis hoc vnum curemus, vt voluntates nostras illius iussis subijciamus, et reuereamur celsitudinem iudiciorum eius, quæ à nostris cogitationibus plus distant, quàm cœli à terra, aut occidens ab oriente. Ob quam rem citra vllam contradictionem, hilari, ac tranquillo animo parati simus tolerare, quæcunq; illi visa fuerint, iustumq; ipsum, etiam in medys calamitatibus piorum, & impiorum prosperis successibus prædicemus. Et hæc quidem carni difficilia sunt, nec in scholis huius mũdi sapientum discuntur, alioquin amici Iob philosophiæ non ignari, non tantopere sancto viro reluctati fuissent. Sed spiritus sanctus hanc docet artem, lenitq; sua gratia mentes, vt py homines & velint, & possint ferre crucem, dicantq; cum sancto viro Iob in medys afflictionibus, et quibuslibet molestijs, quamuis duris atque horribilibus. Sicut Domino placuit ita factum est, sit nomen Domini benedictum. Præmittitur autẽ beati viri multiplex calamitas, et incomparabilis patientiæ specimen. Deinde conspecta viri iusti miseria, offeruntur occasiones multipliciũ disputationum præsertim de summa, & inexplicabili prouidentia, sapietia, & scientia Dei. Aduenientes enim tres amici Iob, viri sapientia & religione admirabiles, varia cum viro sancto miscent colloquia. Superuenit & quartus nempè Aelihu, & cum eo in arenam descendit, atq; tota huius libri tragœdia inter hos quinque viros agitatur.* [b] In terra hus.] *Sunt qui putent Hus haud procul positum à Charan, & quòd Iob descenderit à Nachor fratre Abraham. Alij putant eum descendisse ab Esau, & quòd Hus sit Idumæa, iuxta illud Threnorum quarto. Gaude & lætare filia Aedom, quæ habitas in terra Hus.* [c] Simplex.] *Chal. vertit, perfectus, alius vertit integer.* [d] Et ibant filij] *Felicitatis Iob magnum incrementum erat filiorum eius concordia, & honesta conuersatio, quæ rarior est potentum domibus.* [e] Sanctificabat eos.] *Hoc est, mittebat, & monebat eos, vt pararent se ad cultum Dei, & nihil inhonestum agerent in conuiuijs. Manè verò offerebat sacrificia, quo tempore mens est sobria magis, & expeditior atque ad præclariora quæq; negocia aptior. Iccirco enim manè apud Latinos appellatum volunt, quòd manum olim bonum significaret. Porrò benedicere hic capitur per antiphrasim, pro maledicere, sicut & de Naboth legitur 3. Reg. 23. Benedixit Naboth Deum, & regem: tam intisa enim erat apud veteres blasphemia, vt ab eius etiam appellatione abhorrerent.*

[f] Quadam autem die.] *Mos est scripturæ, ea quæ suprà tempus sunt designare ex aliquibus, quæ dicuntur in tempore, sicut in principio Geneseos dicitur Deus aliqua dixisse primo vel secondo die, quamuis Dei dicere sit æternum, propter hoc quòd ea, quæ ab ipso dicuntur, fiebant in tempore. Ita & nunc quia factum hoc determinato tempore extitit, dicuntur administri huius facti coràm Domino astitisse, quamuis coràm eo assistere nunquam desistant. Angeli autem dicuntur filij Dei, vt diuinæ gloriæ participes, & expressiorem imaginis Dei similitudinem in se habentes, vel sicut prophetarum discipuli, ac ministri, filij eorum dicti sunt, sic isti filij Dei. Pulcher autem est iste σχηματισμὸς, sicut etiam totus liber, & verborum & sententiarum elegantissimis tropis abundat. Quem morem imitata est alio loco scriptura, vbi in 3. Reg. Michæas ait Dominum quæsisse qui deciperet Achab & cætera: minus enim iucundam fuisset simpliciter dicere. Permisit Deus vt Satan tentaret Iob &c.* [g] Scidit vestimenta sua.] *Quòd scidit vestimenta sua, & totondit caput, seruare voluit morẽ lugentium, vt se suæ gentis moribus accommodaret, atque vt charos sibi fuisse filios declararet, alioqui visus fuisset quidam esse sensu carens. Verum & si externum hoc signum luctus dedit, declarauit infractam animi constantiam, cum demittit se humiliter in terram, & adorat, agnoscens suam humilitatem, & Dei magnificans gloriam, cuius cum omnia sint, eiusdem est etiam dare ea & adimere pro arbitrio.* [h] Nudus egressus sum.] *Verum matris quidam hic volunt terram esse, de qua sumptus est Adam, vt sit sensus. Ex puluere natus sum, reuertar in puluerem. Sed intelligi tamen potest sic. De genitrice nudus prody, & reuertar illuc, quò scilicet statutum est omnibus.* [i] In omnibus his non peccauit Iob.] *Strenuum militem suo encomio coronat spiritus sanctus. Quasi dicat, licet tot tantisque modis tentatus fuerit vir Dei, tam firmus tamen stetit, vt ne vel minimum peccaret, vel absurdum quippiam loqueretur.*

CAPVT II.

FActum est autem, cum quadam die venissent filij Dei, & starent coràm Domino, venisset quoque satan inter eos, & staret in conspectu eius, vt diceret Dominus ad satan, Vnde venis? Qui respondens ait, Circuiui terram, & perambulaui eam. Et dixit Dominus ad satan, Nunquid consyderasti seruum meum Iob, quòd non sit ei similis in terra, vir simplex & rectus, ac timens Deum, & recedens à malo, & adhuc retinens innocentiam? Tu autem commouisti me aduersus eum, vt affligerem eum frustra. Cui respondens satan, ait, [a] Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima sua: alioqui mitte manũ tuã, & tange os eius & carnem, & tunc videbis q̃ in faciem benedicat tibi. Dixit ergo Dñs ad satan, [b] Ecce, in manu tua est, veruntamen animã illius serua. Egressus igitur satan à facie Dñi, percussit Iob vlcere pessimo, à plãta pedis vsq; ad verticẽ eius, qui [c] testa saniem radebat, sedens in † medio cineris. Dixit autẽ illi vxor sua, Adhuc tu permanes in simplicitate tua? benedic Deo, & morere. Qui ait ad illam, Quasi vna de stultis locuta es: [d] si bona suscepimus de manu Dei, mala quare non sustineamus? In omnibus his nõ peccauit Iob labijs suis.

Igitur.

Igitur [e] audientes tres amici Iob omne malum quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur. Cumq; eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum. Et exclamantes plorauerunt, scisisq; vestibus sparserũt puluerem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo in terra, septem diebus & septem noctibus: & nemo loquebatur ei verbum. Videbant enim dolorem esse vehementem.

SCHOLIA.

[a] Pellem pro pelle.] *Hoc est, ignobiliora membra abscit quis, vt tueatur nobiliora, puta, brachium pro capite: vel, minora facile deficiuntur, vt seruentur maiora, nihil que est, quod homo non contemnat, modo vitam liberet. Chal. interpres vertit, Membrum pro membro.* [b] Ecce in manu tua.] *Quasi dicat, vt agnoscant homines non metu grauioris pœnæ illum ista toleraſſe, patiar eum etiam grauissimis corporis doloribus affligi. Veruntamen animam, hoc est vitam eius ne illi adimas.* [c] Testa saniem radebat.] *Nunc constantiam viri describit, qui quoniam ignorare non poterat hæc diuinitus accidere, non inueniebat enim in se causam morbi ex intemperantia diætæ, vel ex corruptione elementorum, parat se ad pœnitentiam. Pœnitentis enim erat indicium sedere in medio cineris, veteri more, quo se aspergebant cinere pœnitentes, induebantur sacco, sicque testabantur se è puluere ortos, in puluerem reuersuros. Porrò cum hac humilitate Iob magnanimitatem præseferebat, dum ad siccanda vlcera non molliculis linteolis vtebatur, sed immundam saniem testa excipiebat.* [d] Si bona susceppimus.] *Si tot bona (inquit) Deus in nos, qui nihil tale meriti fueramus, contulit, quo pacto mala quibus magis digni sumus, non perferemus?* [e] Audientes tres amici.] *Accedit nouæ hæc reliquis tentatio videlicet scandalum amicorum, & eorum qui consolari debuerant, irritatio viri sancti.*

CAPVT III.

POst hæc aperuit Iob os suum, & [a] maledixit diei suo, & locutus est, Pereat dies in qua natus sum, & nox in qua dictum est, Conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras: non requirat eum Deus desuper, & non illustretur lumine. Obscurẽt eum tenebræ & vmbra mortis: occupet eum caligo, & † terreant eum [b] amaritudines diei. [c] Noctem illam tenebrosus turbo possideat: non computetur in diebus anni, nec numeretur in mẽsibus. Sit nox illa solitaria, † nec veniat exultatio in ea. [d] Maledicant ei qui maledicũt dieì, qui parati sunt suscitare Leuiathan. Obtenebrentur stellæ † noctis illius: expectet lucem, & non videat, nec ortum surgentis auroræ. Quia [e] non conclusit ostia ventris qui portauit me, nec abstulit mala ab oculis meis. Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero non statim perij? Quare exceptus genibus? cur lactatus vberibus? Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem [f] cum regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines, Aut cum principibus qui possident aurum, & replent domos suas argento. Aut sicut abortiuum absconditum non subsisterem, † & sicut infantes qui non viderunt lucem. [g] Ibi impij cessauerunt † grassari, & ibi requieuerunt fessi robore. [h] Et quondam vincti pariter sunt sine molestia, & non audiunt vocem exactoris. Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à domino suo. Quare misero data est lux, & vita his qui in amaritudine animæ sunt? Qui expectant mortem, & non venit: [i] quasi effodientes thesaurum, Gaudentque vehementer cum inuenerint sepulchrum. Viro [k] cuius abscondita est via, & circundedit eum Deus tenebris. [l] Antequam comedam, suspiro: & quasi inundantes aquæ, sic rugitus meus. Quia timor quem timebam euenit mihi: & quod verebar, accidit. † Non vacaui luxui, neque securus fui, neque quietus: & venit super me indignatio.

SCHOLIA.

[a] Maledixit diei suo.] *Hoc est conquestus est de inauspicata illa hora, qua mater cum sua, in hunc protulit mundum, ad perferenda tanta mala, & tam acerbam agendam vitam. Vnde ob doloris magnitudinem laudat mortem præ vita, tædiumque est ei hæc vita calamitosa, in qua viuus infernum, quem timuerat, patiebatur. Verum ne quis existimet beatũ Iob in morem desperantis viri, & omnem in Deum spem abycientis, locutum esse, meminerimus ipsum in fine laudatum ab ipso Deo præ illius amicis, quocirca obseruandum est orationis artificium, & quo pacto hæ disputationes contexantur. Nam quatuor disputationes (has enim præmittere erit vtile) sumus habituri. In prima & secuda disputat Iob ac tres amici illius: in tertia verò Iob & duo amici: in postrema Aelihu, Deus, ac Iob. Huius autem primæ hæc est ratio. In hoc capite tertio Iob tragico eiulatu doloris sui magnitudinem testatur. In capite quarto & quinto, Eliphaz glorians in scientia visionis suæ, & alienus à misericordia, taxat Iob vt blasphemum, hypocritam, & incõstantem dum ignorat filios Dei etiam non peccantes, aduersitatibus hic probari, consulit vt Iob oret Deum, beatos. n. esse & qui hic corripiantur, si respiscãt. In cap. sexto & septimo excusat se Iob dicens, se doloribus, vt sic loqueretur incitatum, & immisericordiam Eliphacis taxat, atque ad iustum iudicium prouocat, bene sibi conscius. Iterum denique ad eiulatum illum tragicũ, quem cœperat, redit. In capite octauo Baldad Deum ab iniustitia vindicat, & autoritate patrum fretus inuehitur in Iob, vt loquacem, & importunum hypocritam, & ait, innocentes hic quidem flagellari, sed in bonum ipsorum flagella cedere, id quod impys non accidit. Et hortatur & ipse Iob ad preces. In capite nono & decimo, Iob excusaturus se de hypocrisi, fatetur quidem iustitiã Dei, & se peccatorem, quomodo lex omnes condemnat: addit autem se præter communem & solitum iudicium flagellari sicque perseuerat in prima sua assertione tragica, & Deũ orat, vt se liberet. In cap. Vndecimo Sophar perquam austere insectatur beatum Iob, et eo spectat, non esse requirendũ ab ipso, qui non nisi terrena capiat, quare Deus sic vel sic puniat, alia illius esse iudicia, alia nostra. In capite duodecimo 13. & 14. Iob asserit gloriosum illum nihil noui docere: Vnde de diuina potentia magnificentiæ, quam ille, disserit, quem ait non opus habere nostris commentis ad vindicandam gloriam suam, & manifeste testatur, quod licet sit tam misere afflictus, non tamen abiecerit spem omnem, nimirum ob redemptionem: nihilo tamen minus redit ad primam querimoniam. Hæc in prima disputatione tractabuntur. Prodit ergo primus Iob suam deplorans calamitatem, hoc modo. Pereat dies in qua natus sum, quasi dicat, si qua dies, aut nox execrabilis est, ista potissimum meretur cui omnes imprecentur, & quæ non luce decoretur, vt prima dies à Deo condita, sed tenebris inuoluatur. Non requirat eam Deus desuper sua illustratoone, sed vendicent sibi eam tenebræ, & sit, vt mors, horribilis, &c.* [b] Amaritudines diei.] *Quod alius exponit exterminum meridianum,*

meridianum,alius æstum diei,vel pestilentem,& æstuantem aerem.In summa, diei imprecatur, vt auferatur quicquid iucundum est,& relinquatur quicquid est molestum. [c] Noctem illam.] *Redit ad noctem, cui, si ea Vitæ suæ origo fuit similiter, vt diei imprecatur caliginem densam,quo suo ornatu spolietur,nec celebretur ab hominibus, & nullis natalitys vel festis,siue anniuersarys,siue menstruis,seruiat.* [d] Maledicant ei.] *Malè precentur ei,quibus grauis est Vita: sic enim quidam interpretantur illud,qui maledicunt diei,qui scilicet in maledictiones prorumpunt. Faciebant autem hoc & lamentatrices,ac thræniſtæ in funeribus.Et quod sequitur,Qui parati sunt suscitare Leuiathan: alij pro Leuiathan vertunt,mœrorem:significat etiam Leuiathan,societatem eorum,vel suam.Vnde intelligi sic potest,maledicant & lamentatrices, quarum officium est flere super mortuos,& socias adhortari ad fletum.Alij de nautis intelligunt anxijs,ac timentibus, ne a Leuiathan deuorentur,& maledicentibus diei suo,quo nauem ingressi sunt.Sunt enim nautæ ac vectores,impatiēs hominum genus,atque execrationibus ac diris studens.* [e] Non conclusit hostia ventris.] *Alius vertit, fores ventris mei, & per has fores,intelligunt vmbilicum,per quem fœtus suscipit nutrimentum.* [f] Cum regibus.] *Dormirem (inquit) ego cum regibus ac principibus,qui multum in terra laborantes,quo arces,palatia,pyramides extruerent,ac loca deserta facerent habitabilia domos q̃ auro,& argento implerent,in morte tandem quiete potiuntur.Vtinam vel sicut abortiuū,vel paruuli,qui necdum lucem viderunt,& vitæ huius labores non sunt experti,omnino non essem.Esset & hæc nō parua felicitatis portio.*

[g] Ibi impij.] *In morte (inquit) finem habet tyrannis impiorum,& æquales sunt reges,ac subditi,liberi ac vincti, magni atque pusilli.Ibi,inquam,finem laborandi habent fessi robore,hoc est,qui viriliter laborauerunt, et strenuè malis studuerunt: etiam si tunc initium sumpturi sunt dolorum.Me autem miserum,hac felicitate destitutum.Quis enim in tanta miseria lucis vsus? quæ in tanta amaritudine Vitæ suauitas?* [h] Et quondam vincti.] *Non solum ibi sunt reges & tyranni, verumetiam qui captiui,& vincti olim fuerunt,nūc sunt sine molestia.* [i] Quasi effodientes thesaurum.] *Expectāt mortem eo desiderio,quo y,qui effodiunt,vt thesaurum inueniant.* [k] Cuius abscondita est via.] *Via (inquit) mortis est illi abscondita,& Deus posuit eam in obscuro,alioqui gaudium esset viro,si inueniret eam.* [l] Ante quàm comedā suspiro.] *Si in timore (inquit) Domini non ambulassem,nec humanæ fragilitatis,diuiniq̃ iudicy memor vixissem, meritò hæc paterer.Sed ego nunquam cibum sumpsi sine lacrymis,& nunquam me pro felici habui,& tamen quod timui,euenit mihi.*

CAPVT IIII.

REspondēs autē Eliphaz Themanites, dixit, Si cœperimus loqui tibi, forsitan molestè accipies:sed cōceptum sermonem tenere quis poterit? Ecce,docuisti multos, & manus lassas roborasti. Vacillantes confirmauerunt sermones tui,& genua trementia confortasti. Nūc autem venit super te plaga, & defecisti:tetigit te,& conturbatus es.[a] † An non timor tuus est fiducia tua,& spes, & perfectio viarum tuarum? [b] Recordare obsecro te,quis vnquā innocens perijt? aut quando recti deleti sunt? Quin potius vidi eos, qui † arāt iniquitatem,& seminant dolores,† metere eos & flāte Deo perisse, & spiritu iræ eius esse consumptos. [c] Rugitus leonis & vox leenæ,& dentes catulorum leonum contriti sunt.† Leo perijt,eò q̃ non haberet prēdam:& catuli leonis dissipati sunt. Porrò [d] ad me dictum est verbum absconditum, & quasi furtiuè suscepit auris mea venas susurrij eius.In † cogitationibus visionis nocturnæ,quando solet sopor occupare homines. Pauor tenuit me,& tremor,& omnia ossa mea perterrita sunt.Et cum spiritus me præsente transiret, inhorruerunt pili carnis meæ.Stetit quidam,cuius non agnoscebam vultum,imago coram oculis meis, & † in silentio ipso audiebam vocem.[e] Nunquid homo iustior erit Deo, vt factore suo purior erit vir? Ecce qui seruiunt ei,non sunt stabiles,[f] & in angelis suis reperit prauitatem. Quantò magis hi, qui habitant domos luteas,qui [g] terrenum habent fundamentum,consumentur velut à tinea? De mane vsq; ad vesperam succidētur:& quia nullus intelligit,in ęternum peribunt.† An non excellētia eorum migrauit cum eis? morientur, & non in sapientia.

2.Pet.2.a

SCHOLIA.

[a] An non timor tuus?] *Sensus est:non purè coluisti,& timuisti Deum,sed hac spe id fecisti, vt ille copiam verum supplicandi haberet,atque eas conseruaret, et huc spectauit integritas viarum tuarum.* [b] Recordare obsecro.] *Nunc aggreditur causam,& assertioni Iob,quòd præter meritum puniatur,opponit nullum innocentem puniri.* [c] Rugitus leonis.] *Non defendit (inquit) eiusmodi homines leonina illa ferocia sua,quin tandem fleat rugitus ille terribilis,euulsi sunt indomiti prædonum dentes,qui omnia pauperum ossa commolebant.* [d] Ad me dictum est verbum.] *Gloriatur Eliphaz ineptè hæc sibi diuinitus reuelata.Visionemq̃ magnificis describit verbis.Et quod ait.Quasi furtiuè,etc.in Heb.est. Et accepit auris mea modicum quid ab eo.* [e] Nunquid homo.] *Hæc sunt verba oraculi,quæ gloriatur se audisse,& ex hoc principio sic argumentabitur contra Iob,si Deus innocentem perderet,sequeretur hominem Deo esse iustiorem,et puriorem, sed hoc est impossibile, contrarium enim mihi reuelatum est.* [f] Et in angelis suis.] *Stabilem illam & immutabilē naturam non habent angeli,quam habet Deus.Vnde Hebraismus propriè habet.En seruis suis non credit,& in angelis suis posuit stultitiam.posest & Verti,nec in angelis suis ponet luccm,sunt enim mutabiles si suæ relinquātur naturæ.* [g] Terrenum habent fundamentum.] *Hoc est,ex puluere originem habent.*

CAPVT V.

VOca ergo si est qui tibi respondeat,& [a] ad aliquem sanctorum cōuertere. Verè stultum interficit iracundia,& paruulum occidit inuidia. Ego vidi stultum firma radice,& [b] maledixi † habitaculo eius statim.Longè fient filij eius à salute,& [c] conterentur in porta, & non erit qui eruat. Cuius messem [d] famelicus comedet,& ipsum rapiet armatus,& bibent sitientes diuitias eius. † [e] Non quidem prodit è puluere iniquitas,& de humo non egredietur dolor.[f] Homo nascitur ad laborem, & † scintillę in sublime volant. Quam ob rem ego [g] deprecabor Deum,& † ad Deum ponam eloquium meum. Qui facit magna, & inscrutabilia,& mirabilia absque numero. Qui dat pluuiam super faciem terræ, & irrigat aquis vniuersa. Qui ponit humiles in sublime,& mœrētes erigit sospitate. Qui dissipat cogitationes malignorum, ne possint implere manus eorum quod cœperant. Qui apprehēdit sapientes in astutia eorum, & cōsilium prauorum

C rum dissipat. Per diem incurrent tenebras: & quasi in nocte, sic palpabūt in meridie. Porrò saluum faciet egenum, à gladio oris eorum, & de manu violenti pauperem. Et erit egeno spes, [h] iniquitas autem contra hēc os suum. Beatus homo qui corripitur à Deo:increpationem ergo Domini ne reprobes. Quia ipse vulnerat,& medetur: & percutit, & manus eius sanabunt. [i] In sex tribulationibus liberabit te,& in septima nō tanget te malum. In fame, eruet te de morte:& in bello, de manu gladij. A flagello linguæ absconderis: &
D non timebis calamitatem cum venerit. In vastitate,& fame ridebis: & bestias terræ non formidabis. [k] Sed cum lapidibus regionum pactum tuum:& bestiæ terræ pacificæ erunt tibi. Et scies quòd pacem habeat tabernaculum tuum:& [l] visitans † habitaculum tuum,non peccabis. Et scies quòd multiplex erit semen tuū, & progenies tua quasi hærba terræ. Ingredieris † grandæuus sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tēpore suo. Ecce,hoc inuestigauimus, † & ita est: quod auditum mente pertracta.

SCHOLIA.

[a] Ad aliquem sanctorum.] *Arguit impatientiæ virum sanctum,& ait,nullum alium sic egisse, & neminem è sanctis calcitrasse contra Deum in doloribus. Alij putant hic ostendi distantiam mortalis nostræ naturæ,à natura angelica, cui nequaquam possumus conferri,multo autem minus ipsi Deo. Stulti enim sunt plerig̃ omnes, & stultè amant hæc temporalia,& cum illa amittunt, stomachantur, turbantur, & mœrore enecantur, inuidentes alienæ felicitati, quibus verbis Eliphaz sanctum Iob perstringit.* [b] Maledixi.] *Hoc est, maledictione dignū iudicabam, & sicut visio mihi demonstrata fuit,sic euenit. Nā licet stultus ille fixisset radices,immobilisq̃ videretur in sua felicitate,tamē subito extirpatus est,&c.*

[c] Conterentur in porta.] *Hoc est,in iudicys publicè condemnabuntur, nemine intercedente pro eis,vel miserante. Olim enim in portis fiebant iudicia,& ideo scriptura portas pro iudicys accipit.* [d] Famelicum.] *Per famelicos & sitientes intelligee eos,qui rapiendis diuitys inhiant.* [e] Non quidem prodit.] *Hoc est Sterilitas terræ non ascribitur ipsi terræ, sed vel desidiæ, vel iniquitati hominum,vt agnoscant iustitiam Dei,& prouidentiam eius.* [f] Homo nascitur ad laborē.] *Non vitio(inquit)terræ,sed hominum flagitys est inuecta fames,atque vt homo habeat, quæ sunt necessaria vitæ eius, necesse est,vt viribus corporis,& animæ labori intendat,& nunquam otio vacet: & sicut scintillæ,ac filij tædæ,(vt Hebraismus habet) semper à prunis exurgunt,ita homo iugiter bonos ferre debet fructus. Alij referunt excusas scintillas ad eos, qui in agro laborantes,ligone sæpe ex silicibus excitant scintillas.* [g] Deprecabor Dominum.] *Tacitè admonet, vt suo exemplo Iob ad Deum confugiat,atque iterum varijs modis diuinam prouidentiam celebrat, multosq̃ locos habet quibus id persuadeat, nempe à possibili,deinde à facili, dum eius misericordiam commonstrat.* [h] Iniquitas autem contrahet os suū.] *Hoc non audebit sperare & petere à Deo bona.* [i] In sex tribulationibus.] *Sensus est:etiam si Deus multas sinat afflictiones accidere iusto,ille patienter Dei ferens castigationem, liberabitur tandem ab omnibus, siue sex,siue septem,aut plures fuerint. Et est idem modus loquendi, quo & Salomon vtitur Prouerb.24. Septies in die cadit iustus.* [k] Sed cum lapidibus.] *Nihil est (inquit) quod electis Dei nocere possit, non lapides, non terra, non bestiæ, sed omnia studebunt inseruire eis, vt etiam pedem non sint illisturi ad lapidem.* [l] Visitans habitaculum tuum.] *Habebis pacem domi, & foris, non erit quod te ad iram prouocet, sed omnia ad laudem Dei te accendent. Non peccabis, sed gratias Deo ages,qui tibi tam fuerit propitius.*

CAPVT VI.

A REspondens autem Iob,dixit,[a] Vtinam appenderentur † indignatio mea: & calamitas,quam patior, in statera. † Nam arena maris hæc grauior appareret: vnde & verba mea dolore sunt plena. Quia sagittæ Domini in me sunt, quarum † virus bibit spiritus meus, & terrores Domini militant contra me. [b] Nunquid rugiet onager,cum habuerit hærbam? aut mugiet bos,cum ante præsepe plenum steterit? [c] Aut poterit comedi insulsum,quod non est sale conditum? † aut est sapor in albo vitelli? [d] Quæ prius no
B lebat tangere anima mea, nunc præ angustia cibi mei sunt. Quis det, vt veniat petitio mea: & quod expecto,tribuat mihi Deus. † Vt acquiescat Deus, & conterat me: soluat manum suam,& succidat me? Et hęc mihi sit consolatio,& animabor in dolore: non parcat: nec contradicā sermonibus sancti? [e] Quæ est enim fortitudo mea,vt sustineam? aut quis finis meus,vt patienter agam? Nec fortitudo lapidum fortitudo mea, nec caro mea ænea est. Ecce,non est auxilium mihi in me,& † vires sustinendi recesserunt à me. [f] Qui tol
lit ab amico suo misericordiam,timorem Domini derelinquit. † Fratres mei crassantur in me quasi torrēs,
C & quasi riuus fluminum pertranseunt. [g] Horrescebant à glacie, quam obtegebat nix. Tempore quo † effluxerint, peribunt: & vt incaluerint, soluentur de loco suo. Inuolutæ sunt semitæ gressuum eorum, ambulabunt in vacuum, & peribunt. [h] Consyderate semitas Theman, itinera Saba, & expectate paulisper.
Confusi sunt, quia sperauerunt, venerunt quoque † illuc, & pudore cooperti sunt. † Et nunc vos similes facti estis tali fluuio: videntes plagam meam timetis. [i] Nunquid dixi, Afferte mihi, & de substantia vestra donate mihi?
D Vel liberate me de manu hostis, & de manu robustorum eruite me? Docete me, & ego tacebo,& si quid fortè ignorauī, instruite me. † [k] Quam solida sunt verba veritatis, cum è vobis nullus sit, qui possit arguere me? Ad increpandum tantum eloquia concinnatis,& in ventum † dicta putatis eloquia abiecti hominis. [l] Super pupillum irruitis, & subuertere nitimini amicum vestrum. † Et nunc acquiescite, & respicite ad me, & coram facie vestra non mentiar. Conuertimini quæso, & non sit iniquitas in vobis: iterum conuertimini, vt iustificetis me ab ea. Et non inuenietis in lingua mea iniquitatem,nec in faucibus meis stultitia personabit.

SCHOLIA.

[a] Vtinam appenderentur.] *In hac oratione Iob se primum excusat,non se blasphemasse, sed doloribus, vt sic loqueretur incitatum,& multis locis amicos officy admonēns, ad misericordiam prouocat, atque vt causam melius expendant,hortatur. Deinde respondet Eliphaci, qui asseruerat iustos minoribus afflictionibus pro suis delictis puniri, quàm Iob puniatur, illumq; ad Deo reuocillari,ostendens quòd secum aliter agatur, &c. Ait ergo primum: Vtinam appenderentur indignatio, hoc est,*

hoc est, stomachatio mea, & verba quibus amaritudinem animæ meæ declaro, & calamitas quam patior, sic enim inuenirer plura pati, & maior esset cruciatus, quàm verbis expressesrim. [b] Nunquid rugiet onager.] *Arguit ab infirmitate aliorum, qui licet in minoribus queruli sint, excusantur. Ignoscitur onagro & boui, si carentes cibis rugiant, & mugiant. Quantò maiore dignus est venia Iob inter tot calamitates eiulans?* [c] Aut poterit comedi insulsum.] *Exaggerat rem, quasi dicat, habetis, in quos dentes acuatis. Videtis enim quosdam, non solum queri, si sibi desint, sed etiam si quid condimenti cibis defuerit, & in illos nemo inuehitur. Alij referunt hoc dictum ad insulsa illa Eliphacis verba, quasi Iob dicat, Quis toleraret stulta illa vestra verba?* [d] Quæ prius nolebat.] *Intolerabilis ego, qui sic vndique angor, vobis videor, dum opto id, quod horrere solebam, nempe dum vnicè precor, vt me totum Deus comminuat, atque hoc vnicum solatium & lucrum puto, si in me extinguendo misericordiam exuat: tanta grassantis vis morbi est. Alius vertit, Quæ renuit contingere anima mea, ea sunt veluti dolores carnis meæ, & hunc affert sensum, Ea, quæ semper sum execratus, & dedignatus, vt saltem ea contingerem, vt sunt vlcera, & tumores saniosi, ea sunt, quæ corpus meum vehementer affligunt.* [e] Quæ est enim fortitudo mea.] *Argumentum ab infirmitate sua, quòd aliter loquendi vires negatæ sint. Recogitate (inquit) quàm sint exiguæ, & impares doloribus istis vires meæ, & quàm nihil sit mihi sperandum, etiam si productior fuerit vita mea. Nam illud, patienter agam: alius vertit: vt prolongem vitam animæ meæ.* [f] Qui tollit ab amico.] *Hactenus excusauit sermones suos, nunc obiurgat amicorum immisericordiam.* [g] Horrescebant à glacie.] *Torrentes congelascunt hyeme, & obteguntur niue, flante verò austro liquescit glacies, & recedunt: sic falsi amici Iob erant, intus horridi glacie, foris simulatione candoris tecti, diffugientes, & ab omni humore gratiæ alieni, vbi ignis persecutionum exarserit. Et quod ait. Inuolutæ sunt, &c. Alius vertit. Recedunt per semitas itineris sui.* [h] Considerate semitas.] *Qui ambulant in vijs Theman vel Saba, quæ sunt in solitudine, dum sperant se, in æstate sitientes, inuenturos aquas, veniendo ad locũ aquarum, quia spe frustantur, confunduntur. Ciuiliter autem perstringit amicos ad quos ipse respexerat, vt aquam consolationum suppeditarent. Erat enim Eliphaz Themanites.* [i] Nunquid dixi.] *Tantò maius (inquit) est vituperium vestrum, quia nec aurum, nec munera à vobis petij, sed solum beneuolum animum & rectè docentem.* [k] Quin solida sunt.] *Quæ scilicet vestra sophismata, & argutiæ euertere nunquam possunt. Quidam hunc sensum elicit, Quamuis roboretis verba rectitudinis, hoc est, strenuè contendatis, & rhetorizemini, non est tamen quod iure in me quisquam ex vobis taxet.* [l] Super pupillum irruitis.] *Agitis mecum subdolè, quamuis vt pupillus sim ab omnibus derelictus, & præterea amicus vester.*

CAPVT VII.

M[a]Ilitia est vita hominis super terram:& sicut dies mercenarij dies eius. Sicut seruus desyderat vm- A
bram,& sicut mercenarius præstolatur finem operis sui. Sic & ego habui menses vacuos, & noctes
laboriosas enumeraui mihi. Si dormiero,dicam,quando consurgam? & rursum expectabo vespe
ram, & replebor doloribus vsque ad † crepusculum. Induta est caro mea putredine,& sordibus pulueris:
cutis mea aruit, & contracta est. [b] Dies mei velocius transierunt † radio textoris,& consumpti sunt absque B
vlla spe. Memento quòd ventus est vita mea & non reuertetur oculus meus, vt videat bona. Nec aspiciet
me visus hominis:oculi tui in me,& non subsistam. Sicut consumitur nubes, & pertransit: sic qui descen-
derit ad inferos [c] non ascendet. Nec reuertetur vltra in domum suam, neque cognoscet eum amplius locus
eius. Quapropter & ego non parcam ori meo, loquar in tribulatione spiritus mei: cõfabulabor cum ama- C
ritudine animæ meæ. [d] Nunquid mare ego sum, aut cetus,quia circundedisti me carcere? Si dixero,Con-
solabitur me lectulus meus, & eleuabor loquens mecum in stratu meo. Terrebis me per somnia, & per vi
siones horrore concuties. Quam ob rem [e] elegit suspendium anima mea, & mortem, † magis quàm vt
ossa mea consistant. Desperaui, nequaquam vltra iam viuam: parce mihi, nihil enim sunt dies mei. D
[f] Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo,&
† per momenta probas illum: vsquequo non parcis mihi, nec dimittis me, vt glutiam saliuam meam?
Peccaui, quid faciam tibi ò custos hominum? quare me posuisti contrarium tibi, & factus sum mihi met-
ipsi grauis? Cur non tollis peccatum meum,& quare non aufers iniquitatem meam? ecce, nunc in pulue
re dormiam:& si manè me quæsieris,non subsistam.

SCHOLIA.

[a] Militia.] *Alius vertit: certum tempus habet homo super terram. Sic autem coniunge, Disputationis tuæ scopus ò Eliphaz, is est, omnibus afflictis, maxime pijs, statutum esse suum tempus, quo refocillandi sint, sicut mercenarius præstolatur vesperam, seruus noctis vmbram. Dixisti enim. Dominus vulnerat, & obligat, nunc autem vide, vt mecum agatur. Mihi multi & perpetui in doloribus numerantur menses, qui nihil iucundè afferunt, mihi constituuntur noctes, omnis quietis nesciæ, &c. Vel etiam sic, Serui habent post laborem, quietem, & mercenarij accipiunt mercedem operis sui, menses autem mei vani sunt, quippe qui graues sustineo dolores, & nullam expecto refocillationem. Cum incipit nox opto esse diem, & horas omnes numero, vsque ad crepusculum, at cum dies illuxit, cupio aduentare vesperam, & finem diei.* [b] Dies mei.] *Sunt qui putent, hæc verba per modum precationis legenda, vt Iob ad Deum conuersus dixerit. Vtinam leuiores essent dies mei radio textoris, citro vltroque discurrente, per quem subtegmen stamini miscetur, vt vel subitò ab his liberarer ærumnis. Si enuntiatiuè pronunties, videtur petere: vt cum tam exigua sit hæc vita, parcat Deus tantis cruciatibus, neq; tam vehementer affligat.* [c] Non ascendet.] *Scilicet ad hanc mortalem vitam iterum degendam: nam infra astruit resurrectionem mortuorum: quòd alterius vitæ genus erit.* [d] Nunquid mare ego sum.] *Cui scilicet constitutus est limes, ne illum transgrediatur, sicut & ceti prohibentur egredi de oceano magno, sic ego in tantis afflictionibus prohibeor egredi de carceribus huius ærumnosæ vitæ.* [e] Elegit suspendium.] *Si optio, inquit, daretur mihi à Domino, nullum mortis genus quamuis fœdum, & acerbum detrectarem, modo liberarer ab his cruciatibus.* [f] Quid est homo.] *Miror, inquit, supra modum, cum magnificacias hominum genus, & innumera contuleris in eos beneficia, quonam consilio me afflictum homunculũ tantopere conserues. Tanta solicitudine anxius es, ne qui pereant, vt primo quoque diluculo illos inuisas, & per singula*

momenta

momenta inquiris, quid illis desit, mihi verò omne respirandi interuallum adimis, nec tantisper ab illa seueritate, qua in me animaduertis, declinas, vt vel saliuam deglutire vacet, atque ad horam in tanto dolore liceat respirare, obijciuntur mihi peccata mea, fateor me peccatorem. Sed ò Deus, qui humani generis seruator es, & custos, qua ratione placabo te? sacrificio non curas, ex meis infirmitatibus nihil tibi commodi accedit, nec quid tibi præstare possim video, ad tuam gratiam necesse est cõfugiam. Quid te iuuat, quòd pariter & tu mihi infestus es, & ego mihi oneri sum? Grauat enim supra modum, quòd te mihi succensere experior. Cur illi non ignoscis, sed succenses, qui tibi aduersarius esse non vult? Iam enim in puluere dormirem, si tu in his afflictationibus me non retineres, & cum cras redires, vt me flagellares, non essem in quem mala illa inferri possent. Hebræi singulos hos versus adaptant, veluti responsiones ad verba Eliphaz.

CAPVT VIII.

A R Espondens autem Baldad Suhites, dixit, [a] Vsquequo loqueris talia, & † sunt veluti ventus fortis ser-
monis oris tui? Nunquid Deus [b] supplantat iudicium? aut omnipotens subuertit quod iustum est?
Etiam [c] si filij tui peccauerunt ei,& dimisit eos in manu iniquitatis suę. Tu tamen si diluculo con
surrexeris ad Deum,& omnipotentem fueris deprecatus. Si mundus, & rectus incesseris, statim euigilabit
B ad te,& pacatum reddet habitaculum iustitiæ tuæ. Intantum si priora tua fuerint parua,nouissima tua mul
tiplicentur nimis. [d] Interroga enim generationem pristinam, & diligenter inuestiga patrum memoriam,
[e] (Hesterni quippe sumus,& ignoramus: † quòd sicut vmbra dies nostri sunt super terram.) Et ipsi doce- Psal. 143.a
bunt te:loquentur tibi,& de corde suo proferent eloquia. [f] Nunquid virere potest scirpus absq; humore?
C aut crescere carectum sine aqua? Cum adhuc sit in flore,nec carpatur manu,ante omnes hærbas arescit.
Sic viæ omnium,qui obliuiscuntur Deum:& spes hypocritæ peribit. † Succidetur inquam spes eius, & si-
cut tela aranearum fiducia eius. Innitetur super domum suam,& non stabit:fulciet eam, & non † firmabi-
tur. [g] Humectus videtur ante † solem: & in horto suo germen eius egredietur. † Iuxta fontem radices eius
D densabuntur,& † iuxta domum lapideam complicabitur. Siquis eradicauerit eum de loco suo, negabit eũ,
& dicet,Non † vidi te. [h] Hæc est enim lætitia viæ eius,& rursum de terra alij germinabunt. Deus nõ proij-
ciet simplicem,nec porriget manũ malignis. Donec impleatur risu os tuum, & labia tua iubilo. Qui ode-
runt te,induentur confusione:& tabernaculum impiorum non subsistet.

SCHOLIA.

[a] Vsquequo loqueris talia.] *Inuehitur in Iob tanquam in loquacem, & importunum hypocritam, quasi vindicaturus Deum ab iniustitia, atque authoritate patrum fretus pronuntiat, innocentes quidem hic flagellari, ita tamen vt flagella in bonum ipsorum postea cedant, id quod impijs non eueniet.* [b] Supplantat iudicium.] *Inter iudicium & iustitiam hoc discrimen ponunt, vt iudicium ad cognitionem causæ, & pronuntiationem sententiæ spectet, iustitia autem ad executionem.* [c] Si filij tui peccauerunt.] *Putabat filios Iob sua culpa interijsse, & censebat hoc pacto se vindicaturum diuinã iustitiã. Deinde pro eadem iustitia asserenda dum affliguntur pij, dicit, profuturas illis tentationes, si se ad Deum orando conuerterint.* [d] Interroga enim.] *Confirmat sententiam suam authoritate patrum. Percurre (inquit) omnes generationes, & reperies semper hunc fuisse iudicandi morem. Ante diluuium, & in diluuio Noe multum tentatus fuit, sed liberatus est à diluuio cæteris pereuntibus. Abraham, Isaac, Iacob, & Ioseph variè tentati sunt, sed mirè postea illis benedixit Deus.* [e] Hesterni quippe sumus.] *Nos vtpote pauca experti, quiq; non tot annis viximus, sicut vmbra corpus, ita illorum doctrinam sequimur, atq; adeò nullam nobis vindicamus authoritatem.* [f] Nunquid virere potest scyrpus.] *Vt scyrpus & carectum sine aqua crescere nequeunt, & præ cæteris hærbis non resecta citius arescunt, ita impij quia beneficiorum Dei sunt immemores, & fiduciam in Deum nõ ponunt, citò pereunt. Quod enim aqua est scyrpo, hoc gratia Dei est homini iusto.* [g] Humectus videtur.] *Interpretes referunt ad arborem, sic, quasi arbor virens ante solem, hoc est, coràm sole, atq; in conspectu solis. Et hũc quidam afferunt sensum, De bonis autem, qui hic cruciantur, sic maiores nostros docentes obseruauimus. Vt arbor viridis in horto inter puteum & domum lapideam plantata, etiam si sole aduratur, nihilo tamen minus, stolones, & propagines, ac ramos profert vsq; ad puteum & domum: vbi autem offenditur à lapidibus, et fontis & ædium ita, vt radices non proserpant vltra, sed impeditæ intricentur, & incuruentur, à domo lapidea rami, non vltra se extendere valentes, agricola extirpat quidem funditus, nec vestigium relinquit, vt videre possis, an aliquid affuerit: transplantat verò illam, cum magno eius incremento, vt ex alia humo, in quam transfertur fœcundior fiat. Ita & Deus, licet simplicem, ac pium aliquantisper affligat, nõ tamen totum abijcit, ac abominatur, (quemadmodum nec impiorum vt surgant, dexteram apprehendit) sed suo fauore prosequitur illum, donec perfectè beatus, & ab omni malo securus rideat, &c.* [h] Hæc est enim lætitia viæ eius.] *Hoc est, natura eius est, vt delectetur transplantari de loco in locum.*

CAPVT IX.

A E T [a] respondens Iob,ait. Verè scio quòd ita sit,& ꝙ non iustificetur homo compositus Deo. Si volue
rit contendere cum eo,non poterit ei respondere vnum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore:
quis restitit ei,& pacem habuit? [b] Qui transtulit mõtes,& nescierunt hi : quos subuertit in furore suo.
Qui commouet terram de loco suo,& columnæ eius concutiuntur. Qui præcipit soli,& non oritur:& stel
las claudit quasi sub signaculo. Qui extendit cœlos solus,& graditur super fluctus maris. Qui facit Arctu-
rum,& Oriona,& Hyadas,& interiora austri. Qui facit magna,& incõprehensibilia,& mirabilia, quorum
non est numerus. Si venerit ad me,non videbo eum:si abierit,non intelligam. † Si rapuerit,quis reducet
B illud? vel quis dicere ei potest, Cur ita facis. [c] Deus cuius iræ nemo resistere potest,& sub quo curuantur
† potentissimi auxiliatores. Quantus ergo sum ego, vt respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo? Qui
etiã si habuero quippiam iustũ,nõ respõdebo,sed meum iudicem deprecabor. Et cum inuocantem exaudie
rit me, [d] non credo ꝙ audierit vocem meam. In turbine enim conteret me, & multiplicabit vulnera mea
[e] etiam sine causa. Non concedit requiescere spiritum meum,& implet me amaritudinibus. [f] Si fortitudo
quæritur, robustissimus est: si æquitas iudicij, nemo audet pro me testimonium dicere. Si iustificare me

voluero,

voluero,os meum condemnabit me:si innocentem ostendere,prauum me comprobabit. Etiam si simplex C
fuero,hoc ipsum ignorabit anima mea, & tædebit me vitæ meæ. [g] Vnum est † propter quod locutus sum,
& innocentem & impium ipse consumit.[h] Si flagellat,occidat semel, & non de pœnis innocentum rideat.
Terra data est in manus impij,vultum iudicum eius operit:† & si non est,† vbi est,& quis est? [i] Dies mei ve-
lociores fuerunt cursore:fugerunt, & non viderunt bonum. Pertransierunt [k] † cum nauibus Ebah, sicut
aquila volans ad escam.[l] Cum dixero, Nequaquam ita loquar: † deseram iram meam, & confortabo me.
Metuo omnes dolores meos:scio enim quòd non innocentem me iudicabis. Si autē ego impius sum qua- D
re frustra laboraui? Si lotus fuero quasi aquis niuis, & † mundauero in fonte manus meas, Tamen sordi-
bus intinges me,& † inquinabunt me vestimenta mea. Neq; enim viro qui similis mei est respondebo:nec
qui mecum in iudicio ex æquo possit audiri. [m] Non est qui vtrunq; valeat arguere,& ponere manum suam
in ambobus. Auferat à me virgam suã:& pauor eius non me terreat. Loquar,& non timebo eũ: nec enim
possum metuens respondere.

SCHOLIA.

[a] Et respondens Iob ait.] *Superiore oratione Iob excusauit se, dicens, querulas suas voces,à cruciatuum nimietate exortas,nō fuisse blasphemias,& iccircò amicorum misericordia se non indignum:nōdum autem ad disputationem ipsam de iustitia Dei,deque sua innocentia peruenerat,nimirum importunè à Baldad interpellatus, nunc igitur contumelias dissimulans,illam aggreditur,vtrique respondens simul,Eliphaci qui dixerat,Nunquid homo iustior est Deo? & Baldado idem repetenti & dicenti.Nunquid Deus peruertet iudicium? Differit itaque de diuina maiestate primum, deinde ingenium humanæ naturæ peccato sauciæ graphicè depingit.Postea in decimo capite,ad suam regressus tragediam, Deum orat,vt iudicet,quam ob causam sic grauiter affligatur,ait ergo,Verè scio quòd ita sit.Vos (inquit) putatis,quòd negem Deum iustum, vel hominem cum Deo conferendum,at ego assero illum iustissimum,hominem autem nequaquam illi conferēdum.* [b] Qui transtulit montes.] *Chaldæus interpres sic vertit,Qui amouet reges validos sicut montes,& nescierunt, &c.* [c] Deus cuius iræ.] *In Heb.est.Deus non reuocat iram suam.* [d] Non credo,quòd audierit.] *Tam infirma (inquit) atque adeò mala est caro humana,vt etiam propositis promissionibus Dei nolit credere.Respondet autem per hæc amicis hortantibus ad preces,quas Deus statim exauditurus sit.In persona igitur infirmorum vir sanctus magis loquitur hæc & sequentia verba,quam in sua persona.* [e] Etiam sine causa.] *Non propterea dicit Deum iniustum,sed ostendit, non oportere hominem in iudicio cum Deo contendere,iustè ne an iniustè flagellet, præsertim cum flagella quæ in hac vita adhibet,sine percussi culpa accidere possint,id quod ipsi Iob accidit.* [f] Si fortitudo quæritur.] *Exaggerat & hoc humanæ calamitatis miseriā, quòd nihil occurrit,quòd rectè consoletur.Si aspicit diuinam potentiam,illi præualere non possumus. Sin iudicium requirimus, non est alius qui possit Deum nobis sistere coràm iudice aliquo.Atqui si iustificare nos voluerimus, os nostrum arguet nos mēdacij.* [g] Vnum est propter quod locutus sum.] *Locus iste difficilis est, & impietatem includere videtur, quasi vnum et idem sit bonorum & malorum iudicium,quòdque Deus hæc inferiora nō curet. Verum Iob hic sicut & in alijs quibusdam locis loquitur in persona hominis,qui sit absque gratia & cognitione Dei. Quanquam in hac omni narratione videtur velle concludere,nō oportere hominem disquirere curiosius rationes operum Dei,cum siue iustum puniat,siue impium patiatur regnare,siue quodcunque aliud agat,quod nobis minus rectum videatur,humana illud peruestigatio assequi non possit.* [h] Si flagellat.] *Alius vertit,Si flagello interficit subitò,in mulctatione insontium ridebit.Et putant quidam hunc habere sensum,Si punit malos,quare non subitò occidit? Si remunerat iustos,quare affligit eos & ridet? Quare impij sunt potentes in terra? & quare ipse excæcat facies iudicum? Et si non ita fit, sicut dixi, vbi est, & quis est,qui aliter agit?* [i] Dies mei.] *Quid nunc vltra (inquit) miraberis in homine? an per se ipsam vita dulcis est super terram? Atqui nihil hinc reportamus,quòd oblectet,tam citò enim præterit,vt,si etiam aliquid boni occurrerit,non vacet id rectè intueri.* [k] Cũ nauibus Ebæ.] *Eba dicunt Hebræi flumen esse Arabiæ rapidissimũ, in quo naues celeriter transeunt.* [l] Cum dixero.] *Videtur hic esse sensus.Si adijcere mihi animos voluero,mox surrepet trepidatio,metu vltionis tuæ. Quòd si hactenus impius sum,post tantam curam rectæ vitæ,videor frustra laborasse, &c. Quidam sic exponunt,Quocunque nos verterimus,nihil est,quod mœrorem nostrum mitiget.Nam si,vt quidam præscribunt,imperare nobis ipsis,facere virtutem ex necessitate,& varijs adhortationibus nos ipsos voluerimus consolari,dicentes,cur non ponimus mœrorem? dissimulemus hæc, viri simus.Vanum fuerit hoc solatium,& horrorem habent studia illa.Certum enim est,quòd fictæ sapientiæ dissimulantiā Deus non probat,sed interna pectoris abscondita scrutatur.Quòd si quis doceat contemnendam illam conscientiarum religionem,& abijciendam,quid futurum sit,ex ijs,quæ ipse nunc patior,colligere facilè est.Si enim,vt vobis videtur,hæc vt peccata mihi accidunt,quid non timendum,si peccata peccatis adiecta fuerint.Iterum si diuersam ingrediar viā,& omni studio laborem purificare opera mea,et fontanis niualibusq; aquis,immunditia expertibus vtar,nihil proficio,eroq; nihilominus, quasi in cœno volutatus,& abominabilia apparebunt vestimenta mea, &c.* [m] Non est qui vtrunq; valeat arguere.] *Vel nō est inter nos arbiter, qui scilicet ponat se inter ambos medium.Absque Christo tales sumus,quales hic depinxit.At vbi Christus intercedit arbiter,ipse vtiq; virgam,ac terrorem amouet.Nam hoc proprium Christi est officium, cum dictum est Esaiæ nono,Iugum enim oneris eius,& virgam humeri eius,& sceptrum exactoris superasti,&c.*

CAPVT X.

T[a]Ædet animam meam vitæ meæ,dimittam aduersum me eloquium meum, loquar in amaritudine A
animæ meæ, Dicam Deo, Noli me condemnare: indica mihi cur me ita iudices? [b] Nunquid bo-
num tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impio-
rum adiuues? [c] Nunquid oculi carnei tibi sunt? aut sicut videt homo, & tu videbis? Nunquid sicut dies
hominis dies tui,& anni tui sicut humana sunt tempora. Vt quæras iniquitatem meam, & peccatum meum B
scruteris? Et scias quòd nihil impium fecerim,cum sit nemo qui de manu tua possit eruere. [d] Manus tuæ fe-
cerunt me,& plasmauerunt me totum in circuitu:& sic repentè præcipitas me? Memento quæso,quòd sicut
lutum feceris me,& in puluerem reduces me.[e] Nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti?

C Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Vitã & misericordiam tribuisti mihi, & [f] vi-
sitatio tua custodiuit spiritum meum. [g] † Hæc cœlas in corde tuo,scio quòd hoc tecum est. Si peccaui,vtiq;
obseruasti me,& ab iniquitate mea mundum me esse non pateris. Et si impius fuero,væ mihi est,& si iustus,
non leuabo caput, saturatus afflictione & † videns miseriam. Et † insurgendo quasi leænam capies me, re-
uersusque † mirabilem te ostendisti erga me. [h] Instauras testes tuos contra me,& multiplicas iram tuam ad
D uersum me,& pœnæ † vicissim militant in me. Quare de vulua eduxisti me? qui vtinam cõsumptus essem,
ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem de vtero translatus ad tumulum. [i] Nunquid non paucitas
dierum meorum finietur breui? dimitte ergo me,vt † paululum corroborer. Antequam vadam:& non re-
uertar: ad terram tenebrosam,& opertam mortis caligine. Terram miseriæ & tenebrarum,vbi vmbra mor
tis,& nullus ordo,sed sempiternus horror inhabitat.

SCHOLIA.

[a] Tædet animam meam vitæmeæ.] *Quoniam(inquit)ita viuo quasi mortuus,nunc non vt blasphemem, sicut obijcitis,sed vt amaritudini indulgeam, non aduersus Deum,sed aduersum meipsum ad Deum loquar.* [b] Nunquid bonum tibi videtur.] *Cum non alicuius facinoris,quod tanta pœna sit expiandum, mihi conscius sim, non inuenio quid te mouerit: nequaquam enim iniustitiam approbas,vt vi opprimas quempiam: neque immisericordia placet, vt quod tuis manibus condidisti, temerè confringas, neque impijs ita faues, vt illorum consilio aliquid facias.* [c] Nunquid oculi.] *Neque hoc(inquit)dixerim,quòd hallucinentur oculi tui,sicut oculi nostri,qui carne obsepti sumus, & sæpe in innoxios per errorem irruimus. Similiter & hoc alienissimum est à te, vt instabilitatem tibi tribuamus, ac mutabilitatem, quòd sicut nos varijs pro dierum varietate affectibus,sis obnoxius, & quod paulò ante amabas, mox odio prosequaris. Quid? quòd & nulla exploratione tibi opus est, qua discas, quid in penitissimis cordium finibus delitescat, & qualis futurus sim, impius ne, an pius. Iam antea tibi satis spectatus sum, & scis, nullum esse,qui me de manu tua liberet, &c.* [d] Manus tuæ.] *Miror (inquit) hoc magis, quò plus cum tua benignitate pugnat noua crudelitas ista, dum eum, quem tuis manibus tam industriè effinxisti, & in tantam gloriam prouexisti,ita deuoras.* [e] Nonne sicut lac.] *Graphicè formationem hominis describit comparans semen lacti, quod funditur primò, deinde semen conceptum coadunatur, vt concipiendis membrorum liniamentis, sit commodius. Vt condensatum fuerit, crescunt vitalia membra,quæ carne,& cute,vt ab incommodis tecta sint, vestiuntur, atque vt subsistant,ac cohæreant ossibus,ac neruis contexuntur.* [f] Visitatio tua.] *Hoc est,tua prouidentia spiritum meum custodiuit in plurimis periculis. Nihil enim sine tua gratia,vel ad momentum durare potest.* [g] Hæc cœlas.] *Hæc sunt(inquit)arcana tua iudicia. Quidam sic vertit, Et illa recondidisti in corde tuo,scio quòd hæc tecum, vt peccantem obserues,& ab iniquitate non dicas innocentem.Et sic interpretatur, Illa tam rara iudicia, quòd & peccantem obserues, & etiam iustè agentem humilies, & affligas: mirum quomodo cum summa misericordia, & iustitia tua conueniant, & non pugnent. Latent ergo (inquit Iob) interim in corde illo tuo tam arcana consilia, vt si peccem, me obserues, & in carcerem conijcias, ab iniquitate mea me non absoluturus, sed vt impium in perpetuo væ ac vlulatu relicturus: sin iustè agam, nihilo tamen minus non ausim attollere caput meum, mea fretus iustitia, sed vis humilier, ignominia implear,& affligar.* [h] Instauras testes.] *Plagas testantes iniquitatem meam, vel, iram Dei.* [i] Nunquid non paucitas.] *Cum alioquin augusta hæc vita & vana sit, cesset ira paulisper, vt aliquantum corroborer, prius quàm in mortis domum, è qua homines regredi non solent, abeam, versaturus ibi in summis tenebris & obscuritatibus: vbi nullus vicissitudinum ordo, sicut in hac vita,diei noctisq; varietas est,&c.*

CAPVT XI.

A R[a]Espondens autem Sophar Naamathites dixit,Nunquid qui multa loquitur, non & audiet? aut [b] vir
verbosus iustificabitur? † Figmentis tuis tacebunt homines? & cum cæteros irriseris, à nullo confuta
beris?Dixisti enim,Purus est sermo meus,& mundus sum in conspectu tuo. Atq; vtinam Deus loque-
retur tecum,& aperiret labia sua tibi. Vt ostenderet tibi secreta sapientiæ, † [c] quare duplicia suo decreto ir-
B rogarit, & scires,quòd obliuiscitur tui Deus propter iniquitatem tuam. Forsitan vestigia Dei comprehendes,&
vsq; ad perfectum, omnipotentem reperies. Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & vnde
cognosces? Longior terra mensura eius,& latior mari.Si subuerterit omnia,vel in vnũ coarctauerit,quis cõ-
tradicet ei †? Ipse enim nouit hominum vanitatem, & videns iniquitatem nonne considerat? [d] Vir vanus
C in superbiam erigitur,& tanquam pullum onagri se liberum natum putat. Tu autē † si firmaueris cor tuũ, Leui. 26.a
& expanderis ad eum manus tuas,Si iniquitatem,quæ est in manu tua abstuleris à te, & non manserit in ta-
bernaculo tuo iniustitia, Tunc leuare poteris faciem tuam absq; macula,& eris stabilis,& non timebis.Mise
riæ quoq; obliuisceris,[e] & quasi aquarum,quæ præterierunt recordaberis. Et quasi meridianus fulgor con-
D surget [f] † æuum tuum,splendebis & eris quasi lux matutina. Et habebis fiduciam proposita tibi spe, [g] & de-
fossus securus dormies.Requiesces,& non erit qui te exterreat:& deprecabũtur faciem tuam plurimi. Oculi
autem impiorum deficient,& effugium peribit ab eis,& spes illorum † cruciatus animæ.

SCHOLIA.

[a] Respondens autem Sophar.] *Surgit disputatio.Propositione enim sua vincit superiores. Eliphaz enim simpliciter afflictionem,malorum pœnam putat esse. Baldad asserit etiam bonos hic affligi,sed magno cum prouentu. Sophar planè causam quærendam non censet. Inuehitur autem maiore impetu in Iob,vt sic inuisum faciat ante,quàm causam suam stabiliat. Deinde ad pœnitentiam cum magnis promissionibus inuitat. In multis autem calumniatur Iob, neque enim ille se mundum dicebat in oculis Dei,neque mentiebatur,neque alios subsannabat,neque diuina omnia se capere posse confidebat,neque pœnitentiam intermittebat:tot tamen nominibus malè audit.* [b] Vir verbosus iustificabitur.] *Hoc est,nunquid sola labiorum disertorum quis volubilitate fretus iustitiam sibi vendicabit?* [c] Quare duplicia.] *Vtinam(inquit)Deus aperiret intellectum tuum,vt videres, quàm iustè multis his subiaceas afflictionibus, cum innocentes sic punire ex decreto non soleat.* [d] Vir vanus.] *Alius vertit. Vir quidem est vacuus à principio, sed intellectu donatur, & homo recens natus, est sicut*

pullus onagri. [e] Et quasi aquarum.] *Nunquàm redibunt molestiæ ad te, sicut nec aqua per alueum redit, vbi semel per transijt.* [f] Æuum tuum.] *Residuum tempus vitæ.* [g] Et defossus.] *Ceu foueam feceris circum te, qua munitus, securus dormies.*

CAPVT XII.

Prou. 14.a R Espondens autem Iob, dixit, † certè vt video vos [a] estis populares homines, & vobiscum morietur sa- A
pientia. Et mihi est cor sicut & vobis, nec inferior vestri sum: quis enim hæc, quæ nostis ignorat? Qui deridetur ab amico suo sicut ego, inuocabit Deum, & exaudiet eum: deridetur enim iusti simplicitas. [b] † Sum quasi lampas contempta apud cogitationes diuitum, † sicut qui paratus est nutare pedibus. [c] Abundant tabernacula prædonum, & audacter prouocant Deū, cum ipse dederit omnia in manus eorum. Nimirū B
[d] interroga iumenta, & docebunt te: & volatilia cœli & indicabunt tibi. Loquere † frutici terræ, & responde-
Prouc. 14.a Esa. 22.f Apoc. 3.b bit tibi, & narrabunt pisces maris. Quis ignorat quod omnia hæc manus Domini fecerit? In cuius manu anima omnis viuentis, & spiritus vniuersæ carnis hominis. [e] Nonne auris verba dijudicat: & fauces comedentis, saporem? In antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia. [f] Apud ipsum est sapientia & fortitudo, & C
ipse habet consilium & intelligentiam. Si destruxerit, nemo est qui ędificet: si incluserit hominem, nullus est qui aperiat. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur: & si emiserit eas, subuertent terram. Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse nouit & decipientem, & eum qui decipitur. Adducit consiliarios in stultum finē, & iudices in stuporem. [g] Baltheum regum dissoluit, & pręcingit fune renes eorum: ducit sacerdotes in † præ D
dam, & optimates supplantant. [h] Commutans labium veracium, & doctrinam senum auferens. Effundit despectionem super principes: & † eum, qui fortis est, vt meatus aquarum, debilitat. Qui [i] reuelat profunda de tenebris, & producit in lucem vmbram mortis. Qui multiplicat gētes & perdit eas, & [k] subuersas in integrū restituit. Qui immutat cor principum populi terræ, & decipit eos, vt frustra incedant per inuium. Palpabūt quasi in tenebris, & non in luce, & errare eos faciet quasi ebrios.

SCHOLIA.

[a] Estis homines populares.] *Hoc est, non sublimius sapitis, quàm vulgares homines. Quoniam enim acerba Sopharis oratione miserè proscissus erat Iob: in medium allaturus ipse sublimiora & sanctiora, quàm illi, se illis in scientia æquat. Nam de sapientia Dei disserens, non hæret in sensilibus illis, sed rara Dei iudicia in desolatione regnorum, in reuelatione arcanorum, & in excæcatione gentium commemorat. Deinde de spe iustorum agens, illos iterum taxat, vt vanam consolationem promittentes in hoc mundo: ipse ad resurrectionis gaudia confugit, orans denuò, à suis aliquando cruciatibus liberari.* [b] Sum quasi lampas contempta.] *Accidit (inquit) mihi perinde atque lampadi seu faci extinctæ, et non lucenti, quæ abijcitur: sic ego exutus, & priuatus opibus meis ac felicitate, contemnor à ditioribus, et existimor tanquam, qui nutat pedibus, hoc est, vir infirmis ac labantibus genibus, qui à robustis contemnitur.* [c] Abundant tabernacula prædonum.] *Quamuis illi diuites sic inflentur, quasi ex his bonis Deo chari sint, falluntur tamen, quando etiam prædonibus, & idololatris, qui quotidie illum irritant, ista impertiatur.* [d] Interroga iumenta.] *Non (inquit) opus est, vt sublimitatem cœlorum, latitudinē maris, & longitudinem terræ peruagemur in inquisitione vulgaris sapientiæ, sicut tu Sophar doces: cum etiam minuta animalia, quæ nobiscum versantur, incomparabilem nos doceant Dei sapientiam.* [e] Nonne auris.] *Certè mihi (inquit) persuaserim, audiendum probandumque sermonem, & palato iudicij degustandum, cuius saporis sit, iuuenilem ne, an senilem sapientiam referat.* [f] Apud ipsum.] *Hymnus est diuinæ sapientiæ, quo ea, vt summa & incomparabilis extollitur. In hoc autem potissimum illam extollit, quòd iunctam habet fortitudinem.* [g] Baltheum regum.] *Ornatum & gloriam regum ab eis tollit, & accingit illos seruili zona, quia & ipsos captiuos sæpe duci videmus.* [h] Commutans labiū veracium.] *Eorum videlicet quorum magna est authoritas, & quibus maxima habetur fides.* [i] Reuelat profunda.] *Quæ clam tractata, & profundo silentio tecta fuerant, & quasi in tenebris posita.* [k] Subuersas in integrum restituit.] *In Heb. est. Dilatat gentes & ducit eas.*

CAPVT XIII.

E Cce omnia hæc vidit oculus meus, & audiuit auris mea, & intellexi singula. Secundum scientiam ve- A
stram, & ego noui: nec inferior † vobis sum. Sed tamen [a] ad omnipotentem loquar, & disputare cum Deo cupio: † Et vos quidem estis fabricatores mendacij, † estis omnes medici vani. Atq; vtinam taceretis, vt putaremini esse sapientes. Audite ergo corruptiones meas, & iudicium labiorum meorum attendite. [b] Nunquid Deus indiget vestro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? [c] Bonumne est, vt ille inuestiget vos? aut decipietur, vt homo, vestris fraudu- B
lentijs? Ipse vos arguet, quoniam in abscondito [d] faciem eius accipitis. † Annon dignitas eius terret vos, & pauor eius cadet super vos? Memoria vestra comparabitur cineri, & redigentur in lutum ceruices vestrę. Tacete paulisper, vt loquar quodcunq; mihi mens suggesserit. [e] Quare † fero carnes meas dentibus meis, & animam meam porto in manibus meis? Etiam si occiderit me, in ipso sperabo: [f] veruntamen vias meas in conspectu eius arguam. Et ipse erit saluator meus: non enim veniet in conspectu eius omnis hypocrita. Audite C
sermonem meum, & † quæ annuntio percipite auribus vestris. [g] † Ecce nunc ordinaui iudicium, & scio quod iustus inueniar. Quis est qui iudicetur mecum? Veniat [h] quare tacens consumor? [i] Duo tantum ne facias mihi, & tunc à facie tua non abscondar. Manum tuam longè fac à me, & formido tua non me terreat. Voca me, & ego respondebo tibi: aut certè loquar, & tu responde mihi. [k] Quantas habeo iniquitates & peccata, scelera mea & delicta mea ostende mihi? Cur [l] faciem tuam abscondis, & arbitraris me inimicum tuum? Con- D
tra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in neruo pedem meum, & obseruasti omnes semitas meas, † & constringis talos pedum meorum. Qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea.

SCHOLIA.

[a] Ad omnipotentem loquar.] *Verba ista non putanda sunt dicta fuisse per arrogantiam, aut impatientiam, sed dū amicos suos vir sanctus vanos inuenit consolatores, & insipientes, maluit cum Deo disputare de ijs rebus, quæ inter illos in controuersia agitabantur, à quo & in sapientia proficere atque in patientia roborari poterat.* [b] Nunquid Deus.] *Respondet tacitæ obiectioni. Possent enim dicere, se ob Dei gloriam loqui: quibus respondet, gloriam Dei nullis humanis commentis ornari, & Deum adulationes non amare: vt siquis excusare Deum vellet, cur afflixerit Iob, diceret, id factum propterea, quòd Iob impius fuisset, &c. In Heb. est. Nunquid pro Deo loquimini iniquitatem?* [c] Faciem eius accipitis.] *Faciem accipere est respectu personarum à veritate deflectere.* [d] Bonum ne est.] *Hoc est, non proderit vobis, vt Deus ipse vos requirat de hoc, quòd illi affingitis, quæ maiestati suæ non conueniunt.* [e] Quare fero.] *Putant prouerbialiter dictum de eo, qui vitam suam periculis obijcit, & sibi non parcit: sicut is sibi non parcit, qui carnem suam dentibus premit. Sic qui animam in manibus gestat, portat eam quasi mox depositurus. Alij sic exponunt, Caro mea tam macilenta est, vt possim eam vno bolo excipere. Coniunge autem sic, Non vt desperans loquor, quia longius mea spes porrigitur, quàm vos assequimini: neque enim solum, si hæc mala inferat, verum etiam, si me occiderit, sperabo in eum: licet hæc, atque alia de meæ vitæ statu loquar.* [f] Veruntamen vias meas.] *Sensus est, disceptabo cum eo, & quæ hactenus passus sum, proponam ei, si fortè queam inuestigare rationem meæ calamitatis, in quam corrui, quæ in sapientissimo Deo citra omnem controuersiam magna est, qui sine causa nihil agit. Ab hoc expecto salutem, & syncerè ingredi studeo, cum ipse auersetur hypocritas.* [g] Ecce nunc ordinaui iudicium.] *Hypocritæ quò propinquiores iudicio sunt, hoc magis formidant: ego, quò sum vicinior morti, eò magis confido.* [h] Quare tacens consumor.] *Vel, vt nunc taceam, et exspirem. Libenter (inquit) moriar, nec vllum timeo, qui obijcere mihi verè possit mala aliqua, & compescere me ab hac assertione, habens totam meam fiduciam in Deo meo. Reorum est tacere, & se non excusare: non igitur mihi tacendum est, neque hoc fidei meæ congruit. Credidit, ait alius, propter quod locutus sum.* [i] Duo tantum ne facias mihi.] *Conuertit hic sermonem suum ad Deum, petens ne agat iuxta potentiam suā, opprimatq́; os loquentis, aut ne terreat seueritate iudicij, quæ etiam mentes bene sibi conscias reddit meticulosas.* [k] Quantas habeo iniquitates.] *Propter, quæ scilicet Deus contempta humanæ naturæ & fragilitate & breuitate, ipsum tā acriter flagellet. Non enim se omnino à peccatis alienum ait, sed de ingentibus peccatis, quæ tantam pœnam exigant, inquirit. Ponunt hic quidam quatuor peccatorum genera. Iniquitatem in Deum, peccatum in seipsum, scelus in proximum, delictum in omissione.* [l] Faciem tuam abscondis.] *Aufers indicia beneuolentiæ, hostem te declaras: nulla mea, qui folio deciduo, et stipula sicca fragilior sum, imbecillitate ad misericordiam moueris, sed persequeris, accusationes amarissimas intentas, in memoriam vetera stultæ adolescentiæ peccata reuocas, &c.*

CAPVT XIIII.

A H [a] Omo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Qui quasi flos egreditur, & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos: & adducere eum tecum in iudicium? Quis potest facere mun- Psal. 50.a
dum de immundo conceptum semine? [b] † ne vnus quidem est. Breues dies hominis sunt numerus mensium eius apud te est: constituisti terminos eius qui præteriri non poterunt. [c] Recede paululum ab eo, vt quiescat,
B donec optata veniat, sicut mercenarij dies eius. Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum virescit, & rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, Ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quasi cùm plantatum est. [d] Homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est? Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat. Sic homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum non euigilabit, nec consurget de somno suo.
C Quis mihi hoc tribuat, [e] vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus, & con- Prouer. 5.d
stituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putásne mortuus homo rursum viuet? [f] cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti, † nec expectationem concedis peccato meo. Signasti quasi in sacculo delicta meæ, † & adijcis iniquitati meę. [g] Mons cadens defluit, & saxum trans-
D fertur de loco suo. Lapides excauant aquæ, & alluuione paulatim terra consumitur, † & expectationem hominis perdis. Inualescis contra eum vsque in finem, & migrat, immutabis faciem eius, & emittes eum. Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget. Attamen caro eius † in eo dolebit, & anima illius super ipsum lugebit.

SCHOLIA.

[a] Homo natus de muliere.] *Oblata occasione, hominis fragilitatem describit, ab ortu, progressu, & exitu.* [b] Ne vnus quidem est.] *Omnes (inquit) naturæ filij iræ sunt, nec vnus excipitur, quippe qui omnes de massa peccatrice prouenimus. Immundum igitur semen intellige, quòd propter peccatum animæ polluitur, non suapte natura, cum omnia ab optimo Deo bona sint condita. In Adam omnes peccauimus, non sola imitatione, sed & carnis eius participatione, in qua habitare cœperat peccatum. Vnde fit, vt mox cum adolescimus, experiamur, quomodo caro pugnet contra spiritum.* [c] Recede paululum ab eo.] *Orat pro se sub alterius nomine, vt Deus auferat manum suam ab eo, qui in mortali vita sustentatur, quò citius moriatur, & ab ærumnis liberetur, sicut mercenarius, qui aspirat ad diem quietis, & remunerationis.* [d] Homo verò cum mortuus fuerit.] *Melior (inquit) est conditio arboris, quæ etiam putrefacta reuirescit, quàm hominis, qui per se nisi suscitetur, perpetuò manet in puluere. Alij putant hunc locum interrogatiuè legendum, in hunc sensum. Si arbor succisa repullulat, homo nunquam resurget? nusquam ne erit? nunquam comparebit? an non odor Christi illum resuscitabit? sicut odor & humectio aquæ emortuam arborem reuiuificat? Item, quandiu aquæ fluunt ex mari, fluuij habent quod manant: quòd si exiccati fuerint, iterum per emanationem maris, suum cursum assequuntur: homo autem semel in cursu vitæ præcisus, nunquam ne redit ad vitam? Illud verò, Donec atteratur cœlum, vel donec non sint cœli, intellige in æternum.* [e] Vt in inferno protegas me.] *Per infernum intellige sepulchrum, & videtur, Iudæis etiam quibusdam nō repugnan-*

tibus, resurrectionem hic doceri, vt sit sensus, Obsecro Deus, vt à præsentis iudicy acerbitate me serues, & defunctum in sepulchro abscondas, ibique mei memor in illo die me excita, & accerse, non enim refecta est spes vitæ, etiam si non iamiur: accerso ait. Putas ne mortuus homo rursum viuet? quasi sit hoc quidem aliis admirationi, sibi verò minime. Alius vertit, & fortasse aptius, Si moriatur vir, non viuet? f Cunctis diebus.] *Quia hæc vnica (inquit) vitæ huius, quæ mihi dimensa est, constat expectatio, vt moriar & immuter, ad vocem tubæ & iussum archangeli, è sepulchris mortuos euocantis, sisse illum et visurus, quam te beneficum tuis electis exhibiturus sis, Verum nunc, dum sic omnia studia mea excutis, omnes & gressus numeras, nec pœnam in longum tempus differs, sed repetitis plagis pœnas pœnis socias, dum peccatum meum tam profunde clausum & signatum non eluitur, sed, quasi in profundo adhuc sit, inquiritur, nihil æquè atque mortem, quæ liberet, precor. Porro quod ait, porriges dexteram, in Heb. est bene cupies.* g Mons cadens defluit.] *Montes (inquit) commouentur, aquæ comminuunt lapides duros, & aqua sua inundatione abripit, quicquid inuenitur in superficie terræ: & mors, quam ego expecto, tam acerbis doloribus addüci non valet. Mihi euenire non potest, quod alijs accidit hominibus. Tu enim Deus imaleficis contra eos, & morbis expugnas eos, immutas & pallidam facis faciem eorum in mortem, & sic dimittis eos, vt non curent, num filijs relinquant diuitias aut paupertatem, sola angustia & præsenti morte occupati. Mihi autẽ contrario modo omnia euenient. Illud verò, imaleficis contra eum: alius vertit per imperatiuum, Imaledice, &c. Vt sit sensus. Semel tandem o Deus potenti virtute præcipe, vt ex hac vita emigrem, tametsi dura mors faciem colore lurido deformet, ac disturbet, mentemq; cogitare non sinat, quantæ posteritati opes, vel, quanta egestas in hæreditatem relinquatur. Dum enim caro doloribus cruciatur, anima etiam suo in luctu occupatur, anxiaq; distrahitur.*

CAPVT XV.

A R[a] Espondens autem Eliphaz Themanites, dixit, [b] Nunquid sapiens respondebit † scientiam vẽtosam, & implebit vento orientali † stomachum suum? † Arguet ne verbo, quod nihil proficit, & sermonibus in quibus nulla est vtilitas. Etiam tu dissoluis timorem, & subtrahis orationem à conspectu Domini. Docuit enim iniquitas tua os tuum, & imitaris linguam versutorum. Condemnabit te os tuum, & nõ ego: & labia tua respondebunt tibi. Nũquid primus homo tu natus es, & ante colles formatus? Nunquid cõsilium Dei audisti, & † traxisti ad te sapientiam? Quid nosti, quod ignoremus? Quid intelligis, quod nescia-
Eccle. 18.b mus? Et senes & antiqui sunt in nobis [c] multò vetustiores, quàm patres tui. [d] Nunquid † parum est, vt consoletur te Deus? sed verba tua praua hoc prohibent. Quid te eleuat cor tuum, & † quamobrem [e] annuunt oculi tui? Quid tumet contra Deum spiritus tuus, vt proferat de ore tuo huiusce modi sermones? Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce † sanctis suis non credit, & cœli non sunt mundi in conspectu eius. Quanto magis abominabilis & inutilis homo, qui bibit quasi aquas iniquitatem? Ostendam tibi, audi me: quod vidi narrabo tibi. † Quod sapientes confitentur, & [f] non abscondũt patres suos. [g] Quibus solis data est terra, & non transiuit alienus per eos. Cunctis diebus suis [h] impius † dolet in modum parturientis, & numerus annorum incertus est tyrãnidis eius. Sonitus terroris semper in auribus illius: & cum pax sit, ille insidias suspicatur. Non credit quòd reuerti possit de tenebris, circũspectans vndiq; gladium. Cum se mouerit [i] ad quærẽdum panem, nouit quòd paratus sit in manu eius tenebrarum dies. Terrebit eum tribulatio, & angustia vallabit eum [k] sicut regem qui præparatur ad prælium. Tetendit enim aduersus Deum manum suam, & contra omnipotentem roboratus est. Cucurrit aduersus eum erecto collo, & pingui ceruice armatus est. [l] Operuit faciem eius crassitudo, & de lateribus eius aruina dependet. Habitauit in ciuitatibus desolatis, & in domibus desertis, quæ in tumulos sunt redactæ. Non ditabitur nec perseuerabit substantia eius, † neq; extendetur in terra prosperitas eorum. Non recedet de tenebris: ramos eius arescet flamma, & auferetur spiritu oris sui. † Non credit se esse in vanitate errore deceptus, & quòd vanitas futura sit compensatio eius. Antequam dies eius impleantur, peribit: & † ramus eius arescet. Lædetur quasi vinea in primo flore botrus eius, & quasi oliua proijciens florem suum. Cõgregatio enim hypocritæ sterilis, & ignis
Psal. 7.d Esa. 59.a. deuorabit tabernacula eorum qui munera libenter accipiunt. Concepit † laborẽ, & parit vanitatem, & vterus eius præparat dolos.

SCHOLIA.

[a] Respondens autem Eliphaz.] *Duo agit Eliphaz: primum immisericordiam & insipientiam, quarum nota inustus fuerat, recriminando diluere nititur. Deinde doctũ Iob, hic nullam felicitatem expectantis, refutat, & à mala conscientia profectum temerè iudicat, quæ nihil boni in hoc mundo, neque etiam in alio sperari sinat. Itaque principio immisericorditer in Iob inuehitur, tanquam nugacem, blasphemum, & cunctis mortalibus arrogantiorem.* [b] Nũquid sapiens.] *Si minore plausu (inquit excipitur oratio tua, id non tam nostræ inhumanitati, quàm tuæ insipientiæ acceptum referendum est. A sapienti enim viro expectantur sermones vtiles, sancti, ac modesti: non impij, & arrogantes, & vani: quibus nec mens refocillari, nec fructus colligi, nec vtilitas aliqua haberi potest: quales hi tui sunt, qui eò tendunt, vt semel omnis Dei timor aboleatur.* [c] Multo vetustiores.] *Æstimat sapientium ex diebus, quasi dicat, habes hic præsentem virum, qui antiquior est patre tuo, & tu iunior illo audes sic gloriari de sapientia?* [d] Num parum est, vt consoletur te Deus?] *Vel, An exiguum quid apud te sunt consolationes Dei? hoc est, videtur ne te indignæ horum tam grauium virorum magnæ ac diuinæ consolationes? Alius sic interpretatur, Deus potest te in hac vita iterum consolari, & tibi illæ consolationes paruæ videtur, habes q; pro mendacio? Et quod ait. Sed verba tua praua hoc prohibent: in Heb. est. Et verbum inuolutum, siue mendax, tecum est.* [e] Annuunt oculi tui.] *Hoc est, cor tuum, oculi tui, flatus ipse tuus, & verba labiorum ostendunt, ac præ se ferunt iam ferunt, & contemptũ.* [f] Non abscondunt patres suos.] *In Heb. est à patribus suis. Et subintelligunt, acceptũ a patribus suis.* [g] Quibus solis data est terra.] *Si visioni meæ (inquit) non credis, crede sapientibus, qui me instruxerunt, & qui successerunt magnis viris, quibus terrarum iudicia & regimina commissa fuerunt, qui ita gesserunt rempublicam, atque in tantam obedientiam redegerũt, vt nullus sub illis impius apparaeret.* [h] Impius dolet.] *Hoc est, quod docere vult, impium scilicet sibi malè conscium, omni tempore vitæ suæ nunquam bene sperare, semper timere mortem, ac priuari sua felicitate.*

citate. [i] Ad quærendum panem.] *Impius in paupertatem redactus, si tempore famis mendicare cogatur, nescit quo se vertat: & quia nulli benefecit, à nullo beneficia expectat.* [k] Sicut regem.] *Stipant enim ministri regem in vrbe, sic vndique impium mala vallabunt.* [l] Operuit faciem crassitudo.] *Quia delitijs (inquit) incrassatus, Dei oblitus est, & aliud nihil cogitauit, quàm vt saginaret corpus, exstrueret sumptuosa ædificia, resuscitaret q; habitacula, quæ olim destructa fuerant, festinabit manus Dei contra eum, &c.*

CAPVT XVI.

A R[a] Espondens autem Iob, dixit, Audiui frequenter talia: consolatores onerosi omnes vos estis. Nũquid habebunt finem verba ventosa? † & quid te audacem reddit, quòd respondes? [b] Poteram & ego similia vestri loqui: si esset anima vestra pro anima mea. Consolarer & ego vos sermonibus, & mouerem caput meum super vos. Roborarem vos ore meo: & mouerem labia mea, quasi parcens vobis. [c] Si locutus fuero, non quiescet dolor meus: & si tacuero, non recedet à me. Nunc autem oppressit me dolor meus, & [d] in
B nihilum redacti sunt omnes artus mei. Rugæ meæ testimonium dicunt contra me, & suscitatur † macilentia mea, & in faciem meam testimonium respondet. [e] Diripuit furor eius me, & comminãs mihi infremuit contra me dentibus: hostis meus terribilibus oculis me intuitus est. Aperuerunt super me ora sua, exprobrãtes percusserunt maxillam meã, † pariter aduersum me sese congregant. Conclusit me Deus apud iniquum,
C & manibus impiorum me tradidit. Ego ille quondam opulentus repentè contritus sum: tenuit ceruicem meam, confregit me, & posuit me sibi quasi in signum. Circundedit me lanceis suis, conuulnerauit lumbos meos, & non pepercit, & effudit in terra viscera mea. Conscidit me vuulnere super vulnus, irruit in me quasi gigas. [f] Saccum consui super cutem meam, & operui cinere † caput meum. Facies mea intumuit à fletu, &
D palpebræ meæ caligauerunt. Hæc passus sum absq; iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces. [g] Terra ne operias sanguinem meum, neq; inueniat in te locum latendi clamor meus. Ecce enim in cœlo testis meus, & cõscius meus in excelsis. Verbosi amici mei, [h] ad Deum stillat oculus meus. Atq; vtinam sic iudicaretur vir cum Deo, quomodo iudicatur filius hominis cum collega suo. Ecce enim breues anni trãseunt: & semitam, per quam non reuertar, ambulo.

SCHOLIA.

[a] Respondens autem Iob.] *Iterum Eliphacem ab immisericordiæ affectu liberare studet, ad'hoc proferens, ac inducens dolorum suorum magnitudinem non vulgarem, pœnitentiam eximiam, & innocentiam perfectam. Deinde et impiam eius doctrinam refellit, semper puritatem conscientiæ suæ, quam ille damnauerat, vindicans, & iustorum felicitatem nõ esse in hoc seculo contendens, vel suo ipsius calamitosi exemplo.* [b] Poteram & ego.] *Alij verterunt, Etiam ego sicut vos loquerer. Et putant illum respondere tacitæ obiectioni. Dixissent enim: non poteramus te alia ratione consolari, nodus hic alio cuneo non rumpitur. Opponit ergo Iob, quod possent afflictum blandis sermonibus consolari, & absque illa subsannatione ac exprobratione, amicis monitu dolorem mitigare, possunt enim spirituales quod carnales nequeũt. Mouissem ergo (inquit) caput ex affectu miserẽtis, super vos si esset anima vestra loco animæ meæ, hoc est, si in hoc statu essetis, & roborarem vos ore meo, & labijs meis ad patientiam hortarer.* [c] Locutus fuero.] *Alia antypophora. Respondet enim tacitè obycientibus, & dicentibus. Cur non ergo teipsum consolaris? & dicit, se tot cruciatibus impeditum, non sufficere vt consoletur seipsum, et æquè dolere, siue loquatur, siue non.* [d] In nihilum redacti.] *Interpres sensum eruere studuit. nam in Heb. est. Desolasti omnem congregationem meam.* [e] Diripuit furor eius.] *Declarat pœnas & dolores suos, & quò id conuenientius faciat, fingit, quasi illi insti&i essent à crudeli quodam tyranno, qui primò ira, truculenta facie, & fremitu dentium sæuiat cõtra aliquem, deinde mittat satellites, qui captum in faciem percutiant, & ponant inter custodes iniquos ac crudeles: tertiò eductum è carcere renitentem collidat in terram, ponatq; carnificibus in signum, quem sagittis impetant, & dilacerent.* [f] Saccum consui.] *In signum scilicet pœnitentiæ.* [g] Terra ne operias sanguinem meum.] *Sanguinem in terra operire, capitur in Hebraismo pro non vlcisci. Explicat autem hunc locum id, quod de Abel scribitur in Genesi, Vox sanguinis fratris tui clamat de terra. Vult ergo, vt testetur innocentiam suam, vel, quia obiecta ei fuerat vitiosa conscientia, vt se innocẽtem probet, cœlum ac terram super se in vltionem, & Deum cordium inspectorem in testem vocat, per quem solum occulta probantur.* [h] Ad Deum stillat.] *Hoc est, clamo ad Deum optima fiducia, & cum lacrymis ad illum confugio, qui verus testis est innocentiæ meæ, & si cum illo liceret disputare, sicut cum hominibus, facilè possem probare innocentiam meam: præsertim cũ iam instet tempus dissolutionis meæ, vt hinc vadam & nunquam reuertar. Alij tamẽ putant, hunc vltimum versum esse orationem, qua precatur aduenire diem mortis suæ, fretus conscientiæ securitate.*

CAPVT XVII.

A S[a] Piritus meus † corruptus est, dies mei † succisi sunt, et solũ mihi supereſt sepulchrũ. † Re vera peruersi mecũ sunt, & in amaritudinibus eorũ moratur oculus meus. [b] † Pone quæso, & decerne mihi fideiussorẽ apud te, quis in manũ meam stipuletur. Cor eorũ longè fecisti à disciplina, propterea non exaltabuntur.
B [c] Prædã pollicetur socijs, & oculi filiorũ eius deficiẽt. Posui me quasi in prouerbiũ vulgi, & exemplũ sum coram eis. Caligauit ab indignatione oculus meus, & membra mea quasi vmbra facta sunt. [d] Stupebũt iusti super hoc, & innocens cõtra hypocritam fuscitabitur. Et tenebit iustus viã suam, & mũdus manibus addet for-
C titudinẽ. Igitur omnes vos cõuertimini, & venite, & non inueniã in vobis vllum sapientẽ. Dies mei transierunt, † [e] consilia mea euulsa sunt, & cogitationes cordis mei. [f] Noctẽ verterunt in diẽ, † lux propinqua mihi ante tenebras. [g] Si sustinuero, infernus domus mea est, in tenebris straui lectulũ meum. Putredini dixi, Pater
D meus es: Mater mea, & soror mea, vermibus. [h] Vbi est ergo nunc præstolatio mea, & patientiã meam quis cõsyderat? In profundissimum infernum descendent omnia mea: putásne saltem ibi erit requies mihi?

SCHOLIA.

[a] Spiritus meus corruptus est.] *Per spiritum intelligit anhelitum: quanquam & hunc versum quidam, sicut & finem superioris capitis, optatiuè exponunt.* [b] Pone quæso.] *Conuertit hic Iob sermonem suum ad Deum, lamentans per-*

uersitatem & incredulitatem amicorum suorum, quasi dicat, Opus esset fideiussore, coram quo cõuincerem hos homines erroris & illusionis, qui sana ratione conuinci renuunt. Alij sic exponunt, Malo Domine tecũ disputare de innocentia mea, quam cum istis hominibus modo respondeas mihi, & des fideiussionem per aliquem qui stipuletur in manum meam, quòd verbis meis respondeas. c Prædam pollicetur.] *In singulari appellat hic, quos in plurali dixit non exaltandos, & est sensus, Qui docent, quæ blandiuntur carni, vt faciunt amici mei, hi se & discipulos suos seducunt, & excæcant. Traducunt me & meos similes afflictos, & ludibrio habent, &c. Et quod ait exẽplũ sum coràm eis. Intelligit ludibrio sum. Alius vertit, Qui ante eram gaudium. Alius. In igne geennæ antea ero. Nimirum ambiguitas vocum has parit varietates.* d Stupebũt iusti.] *Py & amici Dei (inquit) vt pote verè prudentes, atq; à Deo docti, tantum abest, vt à cruce sanctorum offendantur, vt non aliunde magis proficiant, sed admirentur consilia Dei, atque ideo hypocritarum vitam iudicent abominadam.* e Consilia mea euulsa sunt.] *Actum (inquit) est de vita mea, & de cogitationibus ac varijs consilijs meis. Quæ verba quidam sic cum superioribus continuant. Licet vos nescio quos aureos montes in hoc sæculo polliceamini, ipse tamẽ nentiquam sic sentio: video enim transisse dies meos &c. Potest etiam esse vt, quemadmodum & superius sæpius fecit, ita & nunc idem redeat ad suæ calamitatis tragediam.* f Noctem verterunt.] *Vel intelligit inquietas noctes, vel sic, Irrisores quidem posuerunt mihi noctem in diem, & lucem propinquam ante tenebras, id est, pollicitis sunt temporalem felicitatem in hoc mundo, tametsi vita mea transierit.* g Si sustinuero.] *Alius vertit, An non sustineo, vel expectо. Ego nihil (inquit) aliud expecto, quàm mortem: non expecto aulam regiam, sed sepulchrum: non lectulum, sed tenebrosum lacum: non patrem, matrem, ac sorores, sed vermes & corruptionem. Vel sic, Si expectauero id, quod illi promittunt, nihilo tamen minus sepulchrum domus est mea, & ita vana erit promissio.* h Vbi est ergo nunc.] *Concludit: frustra, inquiens, pollicemini, si spes mea in profundissimum infernum, vel in lateribus sepulchri quiescit, hoc est, si intercidit simul mecum. Ibi ergo simul in puluere quiescemus: sic enim quidam vertit illud putas ne saltem ibi erit requies mihi?*

CAPVT XVIII.

RA Espondens autem Baldad Suhites, dixit, Vsque ad quem finem verba b iactabitis? intelligite prius, A
& sic loquamur. Quare reputati sumus vt iumenta, & sorduimus coràm vobis? Quid c perdis animam tuam in furore tuo? d nunquid propter te derelinquetur terra, & transferentur montes de loco suo? Nónne e lux impij extinguetur, nec splẽdebit flamma ignis eius? Lux obtenebrescet in tabernaculo
illius: & lucerna, quæ super eum est, extinguetur. f Arctabuntur gressus virtutis eius, & præcipitabit eum cõ- B
filium suum. Immisit enim in rete pedes suos, & in maculis eius ambulat. Tenebitur planta illius laqueo,
& exardescet contra eum sitis. Abscondita est in terra pedica eius, & decipula illius super semitam. Vndique
Prouer. 2. d terrebunt eum formidines, & dispergent pedes eius. g Attenuetur fame robur eius, & inedia inuadat costas C
illius. Deuoret pulchritudinem cutis eius, consumat brachia illius † h primogenitus mortis. Auellatur de tabernaculo suo fiducia eius, † adducet eum i ad regem terrorum. Habitẽt in tabernaculo illius † nõ sui, aspergatur in tabernaculo eius sulphur. Deorsum radices eius siccẽtur, sursum autem atteratur † ramus eius. Memoria illius pereat de terra, & non celebretur nomen eius in platéis. Expellent eum de luce in tenebras, & de
orbe transferent eũ. Non erit semen eius, neq; progenies in populo suo, nec vllæ reliquiæ in regionibus eius. D
k In die eius stupebunt nouissimi, & primos inuadet horror. Hæc sunt ergo tabernacula iniqui, & iste locus eius qui ignorat Deum.

SCHOLIA.

a Respondens autem Baldad.] *Offensus Baldad verbis Iob, quòd Deus longè fecisset cor eorum ab intelligentia, & antea ad pecudes remisisset, se verò ac iustos vtiliter per crucem erudiri: non curans quicquid de misericordia dictum sit, austera oratione inuehitur in Iob, vt loquacem ac impium. Et sicut Eliphaz malam conscientiam illi obiciebat, vt desperationis & malorum omnium causam: ita Baldad taxat, quòd Iob putet Deum nouo, & insolito modo secum agere, & ostendi, quod semper iusto Dei iudicio, impy infauentur, & malè perire mereantur.* b Iactabitis.] *Loquitur in pluribus, tanquam Iob & eius similes alloquens.* b Perdis animam tuam.] *Dum supra modum stomacharis, & præ furore atque indignatione discerpere videris animam tuam. Et notat hic Iob, eò quòd toties precetur ab hac vita absolui, & nullam cõsolationem hic recipiat.* d Nunquid propter te.] *Nunquid propter te mutabit Deus rerum ordinem? cõquereris quòd insolito iudicio tecum Deus agat, nouoque modo patiaris, & opinaris te sic excusatum, si blasphema verba eructes. Sed nihil tecum nouatur: lex illa, qua in impios animaduertit, olim constituta non enerubitur. Aut quia tu non es votorum tuorum compos, vis vt suum ordinem in rebus mutet Deus? Si placet, impera etiam vt ad sententiam tuam non inhabitetur terra, & suo loco mõtes moueantur.* e Lux impij.] *Vera est sententia quidem, sed male in Iob retorta.* f Arctabuntur gressus.] *Hoc est, perplexus erit secum, etiam quando adhuc feliciter & sine periculo incedere potest. Itinera sunt ei plena laqueis & funibus.* g Attenuetur fame robur eius.] *Per robur intelligunt primogenitum: sic enim vertit Chal. interpres hunc locum, & per costas vxorem.* h Primogenitus mortis.] *Hoc est, grauissimus dolor, qui maximè vitalia infestat, vel mors præpropera.* i Ad regem terrorum.] *Quidam intelligunt per hunc regem mortem ipsam, quæ summus est terror, & omnium terribilium supremum.* k In die eius.] *Diem appellat omnium horum euentuum fortunam & iudicium. Mirabuntur ergo & posteri qui sequentur, & audient: & antiqui vel priores, qui hoc opus Dei viderant.*

CAPVT XIX.

REspondens autem Iob dixit, a Vsquequo affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus? b En, A
decies confunditis me, & non erubescitis opprimẽtes me. Nempe c & si ignorauí, mecũ erit ignorantia mea. At vos contra me erigimini, & arguitis me opprobrijs meis. Saltem nunc intelligite † quòd Deus d subuertit me, & retibus suis me cinxerit. Ecce, clamabo vim patiẽs, & nemo exaudiet: vociferabor, & non est qui iudicet. Semitam meam circunsepsit, & transire non possum, & in calle meo tenebras posuit. Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo. Destruxit me vndique, & pereo, quasi &

B & quasi euulsę arbori abstulit spem meã. Iratus est contra me furor eius, & sic me habuit quasi hostem suũ.
Simul venerunt e † turmę eius, & fecerunt sibi viã per me, & obsederũt in gyro tabernaculũ meum. Fratres
meos longè fecit à me, & noti mei quasi alieni recesserũt à me. Dereliquerunt me propinqui mei: & qui mè
nouerãt, obliti sunt mei. Inquilini domus meæ, & ancillę meę sicut alienũ habuerũt me, & quasi peregrinus
fui in oculis eorum. Seruum meũ vocaui, & non respondit, ore proprio deprecabar illum. Halitum meũ
C exhorruit vxor mea, & orabam f † ob filios vteri mei. † Iuuenes quoq; despiciebãt me, & cum † surgerẽ, detrahebant mihi. Abominati sunt me quondã consiliarij mei: & quẽ maximè diligebam, auersatus est me.
g Pelli meæ † & cõsumptis carnibus adhęsit os meũ, & derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos.
Miseremini mei, miseremini mei, saltẽ vos amici mei, quia manus Dñi tetigit me. Quare persequimini me
h sicut Deus, & carnibus meis † non saturamini? i Quis mihi tribuat vt scribãtur sermones mei? quis mihi
D detur vt exarẽtur in libro. Stilo ferreo, & plumbi lamina, † & in æternitatẽ sculpãtur in silice? k Scio enim q; redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra surrecturus sum. Et rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum. Quem visurus sum ego ipse: & oculi mei conspecturi sunt, l & nõ alius: m reposita est hæc spes mea in sinu meo. n Quare ergo nũc dicitis. Persequamur eum: & radicem verbi inueniamus contra eum? Fugite ergo à facie gladij, quoniam vltor iniquitatum gladius est, & scitote esse iudicium.

SCHOLIA.

a Vsquequo affligitis?] *Venia fortasse (inquit) dignum erat, quòd duris me verbis aggressi estis, sed non desistere ab afflictione indignum fuerit.* b Et decies.] *Hoc est sæpius innumera probra obiecistis mihi: Vt denarius hic, sicut alibi sæpe septenarius, numeri consummationi deputetur.* c Et si ignoraui.] *Vel erraui. Esto (inquit) errauerim, non oportebat tamẽ tam seuerè agi cum eo, cuius error inemendabilis vobis videretur, & quo meliora docere nõ possetis. Moratur apud me error meus, id est, ideo maneo in hac sententia, quam vos errorem putatis, quia vos nihil rectius docetis. Vestrum erat erudire, sed magis placet vobis magnificare linguas vestras: spectat q; omnis vestra disputatio huc, non vt doceat, sed vt opprobrijs meis obiectemini.* d Subuertit me.] *Deus, inquit, videtur sæuire in me, id quod vobis sufficere debebat: at vos omnino immisericordes estis ergà me, qui afflicto additis afflictionem. Monetis quidem, vt clamem ad Deum, & ecce clamo, sed non exaudior, quia Deus agit contra me insolito sibi more.* e Turmę eius.] *Hoc est, morbi vlcera, & afflictiones, quæ excarnificant me, simul venerunt contra me.* f Ob filios vteri mei.] *Rogabam vxorem, inquit, propter filios, quos communes habueramus, & iam mortui erant. Alij intelligunt per filios nepotes. Vt sic dicatur. Orabat filios vteri mei.* g Pelli meæ & consumptis carnibus.] *Nihil integrum mansit in tota cute mea, sed illa vbiq; fuit sauciata & læsa, nisi quòd circa dẽtes portio aliqua salua mansit, quam vlcera non corruperunt.* h Sicut Deus.] *Sufficere vobis debebat, quòd Deus cruciat me vt quid & vos malis vestris verbis me discerpitis, cum nihil lucri vobis accedat ex carne mea?* i Quis mihi tribuat.] *Ne dicatis, vos ideo non misereri: quòd blasphemus: sim: ecce fidem & innocentiam meã declaro. Opto vt verba mea toti mundo, cunctisque sæculis innotescant, atque vt magis conseruentur, velim, vt in plumbo vel petra sculpantur. Atq; hoc loco hic petit Iob, vbi magnificum & apertissimum fert de fide resurrectionis testimonium.* k Scio enim.] *Vos, inquit, promittitis mihi spem in hoc sæculo: at ego longè maiorem futurorum habeo spem, atque adeo certitudinem potius, quam spem. Vos enim opinione vana deludemini, ego autem certus sum, nec fallit me fides mea. Nam quamuis non sperem in hoc mundo beatitudinem, scio tamen redemptorem meum (quo cognomine fidem maximè docet) viuere. Et quod sequitur, Et in nouissimo die de terra surrecturus sum. Aly verterunt, Qui & in nouissimo cõsurget super puluerem. Vel nouissimus resurget in puluere. Vt scilicet verba ista ad Christum redemptorem referantur, qui primitiæ fuit dormientium: ipse est nouissimus ac primus: sic illud, Et rursum circundabor pelle mea: aly verterunt. Et postquam corroserint corpus istud: Vermes scilicet.* l Et non alius.] *Ne mihi, inquit, fingat aliquis communem puluerem, vnde excitandus sim. In hoc ipso corpore, & non alio, resurrecturus sum, & visurus redemptorem.* m Reposita est.] *Alius vertit, defecerunt renes mei in sinu meo. Hæc futura, inquit, sunt, etiam si renes mei intra me deficerẽt.* n Quare ergo nunc dicitis.] *Arguit eos immisericordiæ, et calumniæ, qui ex flagello impietatem illi ascribebant.*

CAPVT XX.

A RA Espondens autem Sophar Naamathides, dixit, b Iccircò cogitationes meę variæ succedunt sibi, † & ob id promptitudo mea est intra me. Doctrinam qua me arguis audiam, & spiritus intelligẽtię meæ respõdebit mihi. † Audisti ne hoc à principio, ex quo positus est homo super terram, q; laus impiorum breuis sit, & gaudium hypocritę ad instar puncti? Si ascenderit vsq; ad cœlũ superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, Quasi sterquilinium in perpetuum perdetur: & qui eum viderant, dicent, Vbi est? Velut
B somnium auolans non inuenietur, transibit sicut visio nocturna. Oculus, qui eum viderat, nõ videbit: nec vltrà intuebitur eum locus suus. c Filij eius † cogentur placare pauperes, & manus illius reddent † opes suas.
Ossa eius † impleta sunt vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. Cum enim dulce fuerit in
ore eius malum, abscondet illud sub lingua sua. d † Parcebat illi, & non dereliquebat illud, & cœlabat in gut-
ture suo. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Diuitias quas deuorauit euomet, & de
C ventre illius extraher eas Deus. Caput aspidum suget, occidet eum lingua viperę. Non videat riuos fluminis,
torrentes mellis, & butyri. e restituet laborem, & non deglutiet, sicut substantiam permutationis suæ, & non
gaudebit. Quoniam confringens † dimisit pauperes, domum rapuit, & non ædificauit eam. Nec est satiatus
venter eius: & cum habuerit quæ concupierat, † non euadet. Non remãsit de cibo eius, & propterea † nemo Eccle. 5. e
expectabit bonum eius. f Cum satiatus fuerit, arctabitur, æstuabit, & omnis dolor irruet super eum. † Cum
D impletus fuerit venter eius, † emittet in eum iram furoris sui, † & pluet super illum bellum suũ. g Fugiet arma ferrea, & irruet in arcũ æreum. Eductus, & egrediẽs de vagina sua, & fulgurans in amaritudine sua: † venient super eum horribiles. h Omnes tenebrę absconditę sunt in occultis eius: deuorabit eum ignis, qui non succenditur: affligetur relictus in tabernaculo suo. Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra consurget

aduersus eum. † Migrauit prouentus de domo eius, Detrahetur in die furoris Dei. Hæc est pars hominis impij à Deo, & [1] hæreditas verborum eius à Domino.

SCHOLIA.

[a] Respondens autem Sophar.] *Sophar idem agens, quod socij, in hoc ab eis recedit, quòd iudicat ex hypocrysi proficisci, quòd Iob, qui se testabatur innocentem, non speraret aliquam in hoc sæculo felicitatem, cum hoc aly tribuerent vel malæ conscientiæ, vel pertinaci, ac superbo ingenio ipsius Iob.* [b] Iccirco cogitationes meæ.] *Duplicem sibi loquendi necessitatem facit, Vnam à contemptu sui, vnde dicit, doctrinam, vel castigationem, qua me arguis, audiui. Alteram à dicendorum quam tenebat sublimitate, & propter hoc dicit, spiritus intelligentiæ meæ respondebit mihi.* [c] Filij eius cogentur placare pauperes.] *Repetentibus scilicet pauperibus ea, quæ pater vi extorsit, & rapuit.* [d] Parcebat illi.] *Hoc est, cum peccatis, & cupiditatibus habenas laxaret, faciebat sicut is, qui delicatum cibum non cito traycit in stomachum, sed aliquandiu tenet in ore, &c.* [e] Restituet laborem.] *Id, quod aly elaborauerunt, et ipse vi sistulit ab eis, cogetur restituere, aut commutationem eius, hoc est, precium eius, et non gaudebit de ea re.* [f] Cum satiatus fuerit arctabitur.] *Etiam si abundauerit supra modum, anxius tamen erit, & quod sequitur, & omnis dolor irruet super eum. Alius vertit, Etiam si acceſſerit ei omnis manus laborans, hoc est, etiam si omnes homines laborent in eius commoda, adhuc tamen egebit. Deest enim auaro tam quod habet quàm quod non habet.* [g] Fugiet arma ferrea.] *Vitabit Charibdim, & incidet in Scyllam.* [h] Omnes tenebræ.] *Multa, inquit, pericula, quæ impius non præuidet, manent eum, quousque tandem perpetuo igni, qui sufflatione opus non habet, tradatur.* [1] Hæreditas verborum eius.] *Hoc est talem consequetur à Deo portionem pro suo eloquio quo contumaciter & superbè contra Deum, locutus est, non veritus laxare iniquam linguam contra eum. Perstringitur autẽ Iob potissimum.*

CAPVT XXI.

A [a] Respondens autem Iob dixit, Audite quæso sermones meos, [b] & † erit hoc pro consolationibus vestris. Sustinete me, vt ego loquar: & post mea, si videbitur, verba, ridete. [c] Nunquid † ad hominem disputatio mea est, vt meritò non debeam contristari? Attendite me: & obstupescite, & superponite digitum ori vestro. Et ego quando recordatus fuero, pertimesco, & concutit carnem meam tremor.

Iere. 12.a Abac. 10.a [d] Quare ergo impij viuunt, subleuati sunt, confortatiq; diuitijs? Semen eorum permanet coràm eis, propin-

Mala. 3.d quorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos. Bos eorum † iniuit, & non abiecit semen: vacca peperit, & non est priuata fœtu suo. Egrediuntur B quasi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant lusibus. Tenent tympanum, & cytharam, & gaudet ad sonitum organi. Ducunt, in bonis dies suos, [e] & in puncto ad inferna descendunt. Qui dixerunt Deo, Recede à nobis, & scientiam viarum tuarum nolumus. Quis est omnipotens, vt seruiamus ei? Et quid nobis prodest, si orauerimus illum? Veruntamen quia [f] non sunt in manu eorum bona sua, consilium impiorum longè sit à me. Quoties lucerna impiorũ extinguetur, & superuenient eis inundatio, & dolores diuidet † eis Deus in furore suo. Erunt sicut paleæ ante faciem venti, & sicut † gluma quam turbo dispergit. Deus seruabit filijs illius dolorem patris: & cum reddiderit, tunc sciet. Videbunt oculi eius interfectionem suam, & de furore omnipotentis bibet. Quid enim † placet ei de domo sua post se? † cum numerus mensium eius fuerit succisus? [g] Nunquid Deum Docebit quispiam scientiam, qui excelsos iudicat? Iste moritur robustus & sanus, diues & felix. Viscera eius plena sunt adipe, & medullis ossa illius irrigantur. Alius verò moritur in amaritudine animæ absq; vllis opibus. Et tamen simul in puluere dormient, & vermes operient eos. [h] Certè noui cogitationes vestras, & sententias contra me iniquas. Dicitis enim, [i] Vbi est domus principis? & vbi tabernacula impiorum? [k] Interrogate quemlibet de viatoribus, † certè signa eorum non potestis abnuere. Quia in diem perditionis seruatur malus, & ad diem furoris ducetur. [l] Quis arguet coràm eo viam eius? & quæ fecit, quis reddet illi? Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum † morabitur. Dulces sunt ei [m] glebæ torrentis, & post se omnem hominem trahet, & ante se innumerabiles. [n] Quomodo igitur consolamini me frustra, cum responsio vestra repugnare ostensa sit veritati?

SCHOLIA.

[a] Respondens autem Iob.] *Hæc oratio refutat fundamentum vniuersæ disputationis trium illorum. Quia enim Sophar socijs suis subscribens, asseruerat tanquam vniuersaliter verum, & omnibus sæculis compertum, impiorum, hypocritarumq; omnem gloriam momentaneam esse, & nunquam vsque ad mortem durabilem: opponit Iob contradictorium: quorundam scilicet hypocritarum gloriam, non esse breuissimam sed constantem per omne huius vitæ tempus, ita vt nihil incommodi sentiant, tametsi adyciat, etiam illos non raro hic calamitosos fieri.* [b] Et erit hoc.] *Si me, inquit, audieritis, erit mihi pro consolatione, quam tandẽ à vobis expecto.* [c] Nunquid ad hominem.] *Alius sic vertit, Nunquid propter hominem ego loquor? & si sic, quomodo non deficeret spiritus meus? hoc est, verba mea non sunt vana, quippe quæ vera & Deo approbante loquor: alioqui quomodo non deficeret spiritus meus in his tantis doloribus?* [d] Quare ergo impij viuunt?] *Amici Iob dixerant impiorum felicitatem esse momentaneam, & non durabilem vsque ad mortem: at vir sanctus contradicit illis asserens quorundam hypocritarum gloriam & prosperitatem constare toto vitæ huius tempore, & non raro fieri, vt illi nunquã sint calamitosi, vt sequentibus declarat sententijs.* [e] Et in puncto.] *Hoc est, non laborant diutino præuio languore, sed suauiter mori videntur. Porrò hanc felicitatem non meruerunt à Deo, cum Deum & viam eius omnino execrentur, quemadmodum subditur, Qui dixerũt Deo recede à nobis, &c.* [f] Non sunt in manu eorum bona.] *Fœlicitas, inquit, impiorum non est in manu eorum, sed in manu Dei, qui quoties vult, extinguit lucernam eorum, &c.* [g] Nunquid Deum docebit quispiam?] *Cum res, inquit, ita se habeant, & par sit ratio iustorum ac impiorum, si felicitatem in hoc sæculo constituamus, conabimur Deum, qui in cœlis iudicat, & angelorum iudex est docere, & reprehendere in factis suis: si in dispari vita parem omnes æquè finem sortiantur, quemadmodum sequitur, Ipse moritur robustus, &c.* [h] Certe noui.] *Nunc postremo loco temerarium illorum iudicium arguit, quia temerè condemnabant ipsum.* [i] Vbi est domus principis?] *Qui scilicet à felicitate decidit ob tyrannidem suam, sic enim sentiebant tres viri de Iob.* [k] Interrogate quemlibet de viatoribus.] *Qui ambulant,*

inquit, per vias & varias regiones, multam rerum habent experientiam, multa audiunt & vident, atque ideo demonstrationibus eorum quiuis facilè credere potest. Hos interrogare debueratis de Iob, quem præsentes vsque adeo contemnitis. Hi sciunt & docent, impios in futuro sæculo perditioni destinari, & hoc iudicium fallere non potest. [l] Quis arguet.] *Hic nemo potest impium in faciem condemnare, præsertim eum, qui in calamitatibus hominum saluus euadit: quin & cum malum fecerit, quis vltionem exiget hic ab eo? Cum moritur, habet hoc commune cum omnibus, eritq; ei sepulchrum pro dulcedine & consolatione, hoc est, habebit excusationem, eo quòd dicere potest omnibus esse moriendum.* [m] Glebæ torrentis.] *Siue vallis, per phrasis autem est sepulchri, quod in fabulo vallium, in quibus sunt torrentes, constituebatur, vt corpus citius cõsumeretur. Figuratè autem locutus est, non enim vel letatur vel consolationem habet impius mortuus, sed securus est, quòd propter mortem nos nihil certi de eo pronunciare queamus.* [n] Quomodo igitur consolamini.] *Patet, inquit, non esse retributionem in hac vita expectandam, & iccirco vana est consolatio vestra, & responsa vestra falsa sunt.*

CAPVT XXII.

A [a] Respondens autem Eliphaz Themanites, dixit, † [b] Nũquid homo prodesse poterit Deo, sicut sibi prodesse poterit aliquis prudens? Quid prodest Deo si iustus fueris? aut quid ei confers si immaculata fuerit via tua? Nunquid timens te, arguet te, & veniet tecum in iudicium? Et non propter malitiam tuam plurimam & infinitas iniquitates tuas? Abstulisti enim pignus fratrũ tuorũ sine causa, & nudos spoliasti vestibus. Aquam lasso non dedisti, & esurienti subtraxisti panem. In fortitudine brachij tui possidebas terrã,

B & potentissimus obtinebas eam. Viduas dimisisti vacuas, & lacertos pupillorum cõminuisti. Propterea circundatus es laqueis, & conturbat te formido subita. Et putabas te tenebras non visurum, & impetu aquarũ inundãtium non oppressum iri. [c] An non cogitas q, Deus excelsior cœlo sit, & super stellarum verticẽ subli-

metur? Et dicis, Quid enim nouit Deus? & quasi per caliginẽ iudicat. Nubes latibulum eius, nec nostra consyderat, & circa cardines cœli perambulat. [d] Nunquid semitam sæculorũ † nõ obseruas, quam calcauerunt

C viri iniqui? Qui sublati sunt ante tempus suum, & fluuius subuertit fundamentũ eorum. Qui dicebãt Deo, Recede à nobis: & quasi nihil possit facere omnipotens, æstimabant eum. Cum ille implesset domos eorũ bo-

nis: quorũ sententia procul sit à me. Videbunt iusti & lætabuntur, & innocens subsannabit eos. Nónne succisa est erectio eorũ, & reliquias eorũ deuorauit ignis? Acquiesce igitur ei, & habeto pacem, & per hæc habe- Psal. 106.

D bis fructus optimos. Suscipe ex ore illius legem, & pone sermones eius in corde tuo. Si reuersus fueris ad omnipotentem, ædificaberis, & longè facies iniquitatem à tabernaculo tuo. † Et pones super puluerem aurum, & sicut silices fluminum aurum obrizum. Eritq; omnipotens contra hostes tuos, & argentum coacer-

uabitur tibi. Tunc super omnipotentem delicijs affluES, & eleuabis ad Deum faciem tuam. Rogabis eum, & exaudiet te, & vota tua reddes. Decernes rem, & veniet tibi, & in vijs tuis splendebit lumen. [e] Qui enim Pro. 29.d

humiliatus fuerit, erit in gloria: & qui inclinauerit oculos suos, ipse saluabitur. [f] † Liberabit innocens insulam, propter puritatem manuum tuarum.

SCHOLIA.

[a] Respondens autem Eliphaz.] *In hac tertia disputatione Eliphaz, & Baldad suas propositiones iterum stabilire nituntur. Eliphaz argumentum est, Deum summè beatum, nihil sui commodi ratione facere, vnde fit, vt qui flagellantur ob sua delicta flagellentur. Baldad verò ratio est, non esse iniustitiam apud Deum, etiam si iustus patiatur, sicut sapientia eius nõ erret, licet ijsa obscuretur in eclypsi. Sophar nihil loquitur: Iob verò quater disserit. Ipsi Eliphaz magnitudinem dolorũ suorum cum innocentia & spe sua enarrat. Eyg a Baldad copiosiorem de operibus naturæ, quibus ipses commendatur, sermonem fecit. Sophari etiam tacenti respondet, qui diuinam sapientiam in prima sua oratione laudauerat, cuius iudicio relinquendum sentiebat absque nostra diiudicatione, quare iusti nonnunquam patiantur. Præmittit tamen Iob suum innocentiam, & quid impys debeatur. Postremò Iob tribus respondens simul, sua facta annuntiat, perfectam iusti viri vitam docens.* [b] Nunquid homo prodesse poterit Deo?] *Sensus horum versuũ est. Prudens vir, aut fortis prodesse quidem poterit sibi, sed non Deo. Sed ne obesse quidem: nam non ideo arguit te, quòd timeat, ne ex peccato tuo illi nocumentum aliquod accidat. Cum igitur sic de Deo sentire conueniat, quòd nullarum rerum nostrarum indigus, & præterea iustissimus sit, reliquum est, vt quicquid nũc iuste pateris, magnæ impietati, ac iniquitati tuæ ascribas.* [c] An cogitas.] *De impietate notatur his verbis. Hinc etiam est, inquit, quòd & de Deo impiè sentis, & blasphemè loqueris, nempè quia ille cœlum inhabitat, stellisq; excelsis sublimior est, ac hinc is ignorantem rerum humanarum, & ab agnoscendis factis nostris caligine quadam prohiberi. Porrò quòd ait. Super stellarum verticem sublimetur. In Heb. est. Intuere cacumen stellarum, quam sublimes sint.* [d] Nunquid semitam sæculorum.] *Hoc est non attendis quomodo Deus olim iudicauerit impios? sustulit enim eos ex hoc mundo ante tempus, quod potissimum factum est in diluuio. Quod videntes iusti, Noe & Loth lætati sunt sese ereptos, & cum gaudio dicebant: nonne suscisa est erectio eorum? &c.* [e] Qui humiliatus fuerit erit in gloria.] *In Hebr. est. Si humiliati fuerint, dices, excellens, vel, erectus. Et ob hanc loquutionem concisam, alius vertit. Si humiliati fuerint impy, tu dices, erectus ego.* [f] Liberabit innocens.] *Tantus, inquit, eris coràm Deo, vt non te solum, sed etiam omnes vicinos, ac ciues tuos à maximis periculis puritate tua eripere possis.*

CAPVT XXIII.

A [a] Respondens autem Iob, ait, [b] Nunc quoque in amaritudine est sermo meus, & manus plagæ meæ aggrauata est super gemitum meum. Quis mihi tribuat, vt cognoscam & [c] inueniam illum, & ve-

niam vsque ad solium eius? Ponam coràm eo iudicium, & os meum replebo † disputationibus. Vt

B sciam verba, quæ mihi respondeat, & intelligam quid loquatur mihi. [d] † Nunquid multa fortitudine contendet mecum? non: sed ipse addet vires mihi. Ibi rectus disceptationem init cum eo, & liberabor in perpetuum à iudice meo. Si [e] ad orientem iero, non apparet: si ad occidentem, non intelligam eum. Si ad sinistrã:

C † vbi ipse facit opus suum, non videbo, inuoluit dextram, vt non videre possim. Ipse verò scit viam meam, † probat me, [f] vt quasi aurum egrediar. Vestigia eius secutus est pes meus, viam eius custodiui, & non declinaui

naui ex ea. A mandatis labiorum eius non receſsi,& in ſinu meo abſcondi verba oris eius. Ipſe [g] in vno fixus D
manet,& nemo auertere poteſt cogitationem eius:& anima eius quodcunq; voluit, hoc fecit. † Ipſe implet
in me voluntatem ſuam,& alia multa ſimilia preſtò ſunt ei. Et iccircò à facie eius turbatus ſum,& conſide-
rans eum timore ſolicitor. [h] Deus molliuit cor meum, & omnipotens conturbauit me. [i] Non enim perij
† ante tenebras, nec faciem meam operuit caligo.

SCHOLIA.

[a] Reſpondit autem Iob.] *Iob in hac oratione innocentiam ſuam defendit ex eo, quod coràm iudice cauſſam agere cupiat. Impij enim lucem & iudicium Dei formidant. Porrò quamuis bene fidat de Deo, nihilo tamen minus addit, ſe diuinam maieſtatem reuereri.* [b] Nunc quoque in amaritudine.] *Excuſat quare tam querulam, & amaram orationem proferat, & dicit in cauſa eſſe doloris magnitudinem, eo quòd manus ac violenta percuſſio Dei, quæ ipſum affligit, grauata eſt, & non retrahitur, ſed ſemper extorquet gemitum. Vnde plus eſt, quàm ſi diceret, manus grauior eſt gemitu, & eiulatu meo.*
[c] Inueniam illum.] *Cupit, vt diximus, agere cauſſam ſuam coram iudice Deo, coram quo implerem, inquit, os meum diſputationibus, vt declarem innocentiam meam, id quod coràm argutis hominibus nequeo.* [d] Nunquid multa fortitudine.] *Quaſi dicat, æquus ille iudex neminem vi opprimit, contempto iudicij ordine, quin & virtutem ſuppeditat ſubſiſtendi ante tribunal ſuum. Ibi non eſt formidandum iuſto & recto, cum illi detur copia loquendi, ac ſe defendendi.* [e] Si ad orientem iero.] *Senſus eſt. Quandiu verſor ſuper terram, non fio compos voti mei, cum ſolium iudicis inuenire non poſſim in quatuor plagis mundi. Siniſtram vocauit aquilonem, & dexteram meridiem.* [f] Quaſi aurum.] *Vt, ſcilicet iudicio Dei manifeſtetur, quòd quamuis tot afflictionibus explorer, ac diſcutiar, propter innocentiam tamen meam, ſicut aurum excoctum purus inueniar, ac declarer.* [g] In vno fixus manet.] *Hoc eſt, non eſt Deus mutabilis vt homo, cui nunc hoc nunc illud placet: ideo meritò eſt timendus, cum ignoremus, num lutum ſimus in manu Dei, aut vas pretioſum. Agit enim, quod ab æterno à ſua ſapientia eſt ſtatutum: exequitur id, quod per me nouerat faciendum, & talia multa atque infinita licet deprehendere in hoc omnium rerum iuſtiſſimo moderatore. Hæc ego ſciens, inquit, et conſyderans, formido, ac contremiſco: nam hic timor debetur ſapientiæ ac maieſtati diuinæ, etiam ſi homo non ſit ſibi ſcelerum conſcius. Vel timebat, ne in ſe eſſet peccatum, per quod affligeretur.* [h] Deus molliuit cor meum.] *Ne eſſem abſque timore, Deus duriciem meam emolliuit, & me ſatis admonuit his plagis. Omnipotens enim Deus me terret, vt licet nihil mihi ſim conſcius, nihilo tamen minus metuam.*
[i] Non enim perij ante tenebras.] *Non ſum mortuus ante has afflictiones in mea felicitate, neque paſſus eſt, hanc ignorantiæ caliginem operire me, ſed eruduit me, vt eum magis ac magis timeam.*

CAPVT XXIIII.

Q† Vare [a] ab omnipotente non ſunt abſcondita tempora, qui autem nouerunt eum, ignorant dies il A
lius? Alij terminos tranſtulerunt, diripuerunt greges,& pauerunt eos. Aſinum pupillorum abege-
runt & abſtulerunt pro pignore bouem viduę. [b] Subuerterunt pauperum viam,& latuerunt pari-
ter manſueti terrę. Alij quaſi onagri in deſerto egrediunt: [c] ad opus ſuum, vigilantes ad prædã:
præparant panem liberis. Agrum non ſuum demetunt: [d] & vineam eius, quem vi oppreſſerant, vindemiant.
Nudos dimittunt homines, indumenta tollentes, quibus non eſt operimentum in frigore. Quos imbres B
montium rigant:& non habentes velamen, amplexantur lapides. Vim fecerunt deprædantes pupillos, †&
à paupere tollunt pignus. Nudum faciunt incedere abſq; indumento,& eſurientibus tulerunt ſpicas. [e] Intra
muros ſuos faciunt oleum, qui calcatis torcularibus ſitiunt. De ciuitatibus fecerunt viros gemere,& anima
vulneratorum clamauit,& [f] Deus † non prohibet eorum opera. Ipſi fuerunt rebelles lumini, neſcierũt vias
eius: † nec ſedent in ſemitis eius. Mane primo conſurgit homicida, [g] interficiet egenum & pauperem: per no C
ctem verò erit quaſi fur. Oculus adulteri obſeruat caliginem, dicens, Non me videbit oculus:& operiet vultũ
ſuum. Perfodit in tenebris domos, ſicui in die condixerant ſibi,& ignorauerunt lucem. Si ſubitò apparuerit
aurora, arbitrantur vmbram mortis: † ſi cognouerit eos quis, terrores ſunt vmbræ mortis: [h] Leuis eſt ſuper
faciem aquæ: maledicta ſit pars eius in terra, nec ambulet per viam vinearum. [i] † Vt ſiccitas & æſtus rapiũt
aquas niuis, ſic infernus eos, qui peccauerunt. Obliuiſcetur eius † amicus & ipſe dulceſcet vermibus: non ſit D
in recordatione, ſed conteratur quaſi lignum † impietas. [k] † Oppreſsit enim ſterilem & quæ non parit, &
viduæ bene non fecit. Detraxit fortes in fortitudine ſua: † ſurgebat & nemo credebat vitæ. † Dabat ei manũ
pro ſecuritate, vt ſuffulciretur:& oculi eius ſuper vias eorum. Eleuati ſunt ad modicum,& non ſubſiſtent,&
humiliabuntur ſicut omnia,& auferentur,& ſicut ſummitates ſpicarum conterentur. [l] Quòd ſi non eſt ita,
quis me poteſt arguere eſſe mentitum,& ponere † in nihilum verba mea?

SCHOLIA.

[a] Quare ab omnipotente.] *Vos, inquit, dicitis, Deo nihil eſſe abſconditum, & ego quæro à vobis, quomodo illis tempora, et ea, quæ ſunt in tempore, non ſint abſcondita, cum videamus impios homines, libere graſſari in innocentes & pauperes, Deo non iudicante, neque prohibente. Siquidem apprehendunt terminos agrorum aliorum, rapiunt pecora, diſpoliant pupillos & viduas, &c. Et hæc dicit ſanctus Iob, non animo blaſphemandi, quaſi aſſerat, à Deo negligi particulares cauſſas huius mundi, ſed amicorum voluit explorare ſapientiam, qui illi aſci ibebant, quaſi ſentiret Deum in cælis agere, & hæc inferiora non curare, ſicut ſupra cap. 22. dictum eſt. Porrò quod ait, Qui autem nouerunt eum, ignorant dies illius, hunc habet ſenſum. Quare iuſti & cognoſcentes Deum non vident diem Domini, hoc eſt, iudicium eius, ſed patiuntur multas perſecutiones ab impijs, perinde quaſi Deus id non videat? Sequitur ergo Deum in præſenti mũdum non iudicare, ſed poſt hanc vitam æquis omnibus iudicium expectandum.* [b] Subuertunt pauperum viam.] *Alius vertit, faciunt declinare inopes à via, hoc eſt, tam immiſericordes & crudeles ſunt erga pauperes, vt quoties illis occurrunt illi pariter fugiant aſpectum eorum, & abſcondant ſe ab eis.* [c] Ad opus ſuum.] *Nempe ad deprædandum, ſicut ſequitur, vigilantes ad prædam præparant panem liberis.* [d] Et vineam eius.] *Alius vertit. Et vineam impij dimittunt. Alius. Vineam impij tardè vindemiauerunt.*
[e] Intra muros ſuos faciunt oleum.] *Alia tyrannis, quod pauperes cogantur laborare dimitibus, ſicut Pharao Iſraelitas cogebat, proprio ſumptu. Vel auferunt hi tyranni oleum & vinum, quæ pauperes intra parietes ſuos exprimũt, quo fit vt calcatis torcularibus pauperes ſitiant.* [f] Deus non prohibet opera eorum.] *Hebraiſmus habet. Deus non ponit inſulſum quid.*
[g] Interficiet egenum.] *Nocte tantum furatur: per diem autem, quando cognoſcitur, occidit, ne prodatur.* [h] Leuis eſt.] *Qui mala agere conatur, leuis eſt pedibus, vt periculo imminente fugiat, ſicut res leuis per aquam celeriter defluit. Et talis fugiunt à terra ſua, ac ſi eſſet maledicta, vel fugiunt à terris frugiferis in terras ſquallidas, quæ maledictæ videntur eſſe, & non ambulant per viam vinearum, hoc eſt per loca, quæ frequentantur ab hominibus. Vel, ita feſtinant fugere, vt ne propias quidem vineas, olim tam gratas, aſpiciant.* [i] Vt ſiccitas & æſtus.] *Sicut terra ſiticuloſa, & calor ſolis rapiunt aquas niuis, vt lentè tranſeat ac euaneſcat: ita infernus, hoc eſt, ſepulchrum impios, qui plerunque lentè & ſuauiter moriuntur, & deferuntur in ſepulchrum, vt etiam amicus videns tam gratam mortem, non multum condoleat, & ille integro corpore, ac nullis languoribus fracto, gratus fiat cibus vermibus, atque in hunc modum tandem interit impietas eius, quaſi ſi putre lignum ſua decidat ſponte.* [k] Oppreſsit enim ſterilem.] *Ecce talis mors conſequitur impios, qui ſterilibus vxoribus ob ſteriltatem infeſti fuerunt, qui viduis mala irrogarunt, qui robuſtis robuſtiores fuerunt, & quorum vitæ nemo credebat. Nam & ſi porrigerent manus, & fœdera percuterent, tamen quærebant occaſiones nocendi.* [l] Quod ſi non eſt ita.] *Eſt igitur, inquit, res, vt dixi, iam non eſſe tempus iudicandi: atque hæc veriora ſunt, quam vt redargui poſſint.*

CAPVT XXV.

A REſpondens autem Baldad Suhites, dixit, [a] Poteſtas & terror apud eum eſt, qui facit concordiam in
ſublimibus ſuis. Nunquid eſt numerus militum eius? & [b] ſuper quem non ſurget lumen illius? Nun
quid iuſtificari poteſt homo comparatus Deo, aut apparere mundus natus de muliere? Ecce † vſque
B ad lunam non ſplendet, & ſtellæ non ſunt mundæ in conſpectu eius. Quantò magis homo putredo, & fi-
lius hominis vermis?

SCHOLIA.

[a] Poteſtas & terror.] *An non veram ille habet potentiam, & ab omnibus eſt reuerendus, qui in cœlis inter tot principatus, poteſtates, dominationes, thronos, & virtutes cum ſummã regnat concordia, cum in terra etiam regulus ſine diſſidijs gubernare non poſſit exiguum populum?* [b] Super quẽ non ſurget lumen illius.] *Hoc eſt, in quo non relucet lux diuinæ ſapientiæ? Quomodo igitur poteſt homo iuſtus eſſe cum Deo, vt audeat dicere, Deum errare in aliquo opere, ſicut tu Iob fecere videris, qui te Deo præfers in iuſtitia & munditia? Et in opere cœleſti vſque ad lunam nihil non obſcuratur, comparatione ſummi illius luminis, hoc eſt, Dei: quanto minus comparari poteſt Deo homo mortalis, mutabilis, & mille caſibus obnoxius? Alius tamen ſic exponit, lunam in cœlis ſuum ferre deliquium, & ſtellarum claritatem aliquantiſper à nubium caligine intercipi: cum tamen Deum in hoc nemo incuſet quaſi indigne cum illis agat. Quid igitur male audit Deus, ſi hominem iuſtum aliquantulo tempore affligat, mox denuo refocillandum: qui tamen non eſt, niſi fragilis, & horrorem afferens vermis, ſi rectè eius ſpectes humilitatem.*

CAPVT XXVI.

A REſpondens autem Iob, dixit, [a] cuius adiutor es? nunquid imbecillis? & ſuſtentas brachium eius, qui nõ
eſt fortis? Cui dediſti conſilium? forſitan illi qui non habet ſapientiam, & † ſapientiã oſtendiſti † plu-
rimis. Quem docere voluiſti? † & [b] cuius anima exiuit ex te? [c] Mortua formantur ſub aquis, & quæ
B vicina ſunt illis. [d] Nudus eſt infernus coràm illo, & nullum eſt operimentum perditioni. Qui [e] extendit aqui
lonem ſuper vacuum, & appendit terram ſuper nihilum. [f] Qui ligat aquas in nubibus ſuis, † & non ſcindi-
C tur nubes ſub eis. Qui [g] tenet vultum ſolij ſui, & expandit ſuper illud nebulam ſuam. Terminum circũdedit
aquis [h] vſq; dum finiantur lux & tenebræ. [i] Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent ad nutum eius. In for-
titudine illius † ſedatur mare, & prudentia eius percuſſit ſuperbũ. Spiritus eius ornauit cœlos † formauitq;
D manus eius [k] ſerpentem tortuoſum. Ecce, hæc ex parte dicta ſunt viarum eius: & cum vix paruam ſtillam ſermonis eius audierimus, quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?

SCHOLIA.

[a] Cuius adiutor es.] *Tam ieiuna, inquit, eſt oratio tua, vt infirmus hinc non roboretur, nec inſipiens diſcat ſapientiam, aut errans, legem rectè viuendi apprehendat.* [b] Cuius anima exiuit ex te?] *Hoc eſt, cuius ſpiritus, vt iterum ſpiret, ex te, id eſt, per eloquium doctrinæ tuæ, refocillatus eſt, ac reuixit? Vel, cuius ſpiritus ſtupefactus eſt ad eloquia tua? Alij intelligunt ex cuius ſpiritus locutus es?* Mortua formantur ſub aquis.] *Enumerat hic opera Dei, & longè copioſius, quàm Baldad de eis loquitur, atque ita, vt multò amplior ſpei ac conſolationis materia ſuppeditetur. Docet ergo quomodo Deus ex nihilo, & abiectiſſimis rebus ſummã faciat, idq; in vtilitatem hominis. Vide quomodo ex mortuo & putrefacto ſemine educit germina, & arbores tam in aquis, quam in locis aquis vicinis. In aquis creſcunt conchilia, in quibus vniones inueniuntur: ex viſceribus terræ eruuntur metalla auri & argenti: ſtercore fœtido redditur ager fertilis.* [d] Nudus eſt infernus.] *Infernus & perditio loca infima dicuntur, in quibus Deus operatur: hinc enim metalla eruuntur. Dicit ergo, æquè format illa Deus, & agnoſcit atque ea, quæ ſupra lunam ſunt, de quibus tu Baldad philoſophatus es. Ex his facile quiuis mediocriter exercitatus, ſibi reſurrectionem promittit, maximè admonitus à Paulo, qui ait, Stulte, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur, &c. Sunt etiam qui illud, Nudus eſt infernus, &c. ſic interpretentur. In ſepulchris mira operatur Deus, qui corpus mortuum ac putrè iam factum reſuſcitat.* [e] Extendit aquilonem.] *Docet etiam Deum ex nihilo creaſſe cœlum ac terram, nullaq; ſibi ad formationem opus fuiſſe materia. Per aquilonem intellige cœlum συνεκδοχικῶς. Vbi vna extremitas axis eſt nobis ſemper apparens, cum meridianus deprimatur. Hoc ergo cœlum expanſum ſuper inane, quis illic continet, ne aliquando è vertice polari exorbitet? Deus. Inane autem hic vocat ſcriptura iuxta vulgi opinionem, quod ſpacium illud aere plenum vacuum vocat: & ſuper hoc inane eſt cœlum & terra, quæ vt ex nihilo prodierunt, ita à nulla alia re, quam à Deo portantur.* [f] Ligat aquas.] *Rem ita fluxam ligat nubibus, re videlicet tam tenui, atque ita eas moderatur, vt non defluant omnes ſimul, ſuo pondere rumpentes nubes, & terram deuaſtent ſed ſtillicidijs ſuis inebrient terram.* [g] Tenet vultum ſolij.] *Solium Dei eſt cœlum, vultus ſoly apſis & curuatura eius, hanc apprehendit, & obtegit velamento nubium.*

[h] Vſque

[h] Vsque dum finiatur.] *Quandiu scilicet lux & tenebræ sunt, ac perseuerant.* [i] Columnæ cœli.] *Per columnas cœli putant intelligendos montes, & terram ipsam. Concutit enim Deus terram ventis, similiter & superbum mare, & commouet & sedat suo imperio.* [k] Serpentem tortuosum.] *Per serpentem tortuosum vel lubricum, (in Heb. est. vectem) quidã intelligunt cetos & ingentes beluas marinas, quæ ab vna extremitate maris oceani in aliam mira fugacitate sese proripiũt. Alij intelligunt constellationem, quæ est circa polum arcticum, includentem vtranque vrsam.*

CAPVT XXVII.

ADdidit quoq; Iob, assumens parabolam suam, & dixit, [a] Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum: & A omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam. Quòd donec superest halitus in me, & spiritus Dei in naribus meis. Non loquentur labia mea iniquitatem, nec lingua mea meditabitur mendacium. Absit à me, vt iustos vos esse iudicem: donec deficiam, non recedam ab innocentia mea. Iustificationem meam, quam cœpi tenere, non deseram: neque enim reprehendit me cor meũ in omni vita mea. B Sit vt impius inimicus meus, & aduersarius meus quasi iniquus. [b] Quæ est enim spes hypocritæ si auarè rapiat, † quando rapiet Deus animam eius? Nunquid Deus audiet clamorẽ eius, cũ venerit super eũ angustia? Aut poterit in omnipotẽte delectari, & inuocare Deũ omni tẽpore? [c] Docebo vos per manũ Dei, quæ omnipotens habeat, nec abscondã. Ecce, vos omnes nostis, & vt quid hęc sine causa vana loquimini? Hæc est pars C hominis impij apud Deum, & hæreditas violentorũ, quam ab omnipotẽte suscipiẽt. Si multiplicati fuerint filij eius, in gladio erunt, & nepotes eius non saturabuntur pane. Qui reliqui fuerint ex eo, sepelientur in interitu, & viduæ illius non plorabũt. Si cõportauerit quasi terrã argentũ, & sicut lutum pręparauerit vestimenta. Pręparabit quidem, sed iustus vestietur illis, & argentum innocẽs diuidet. Ædificauit [d] sicut † araneus domũ D suã, & sicut custos fecit vmbraculũ. Diues cum dormierit, nihil secũ auferet: [e] aperiet oculos suos, & nihil inueniet. Apprehendet eum quasi aqua † terror, nocte opprimet eum tẽpestas. Tollet eum ventus vrẽs, auferet, & velut turbo rapiet eum de loco suo. Et [f] mittet super eum, & non parcet, de manu eius fugiens fugiet. † Complodet super eum manus suas, & sibilabit super illum † de loco suo,

SCHOLIA.

[a] Viuit Deus, qui abstulit iudicium meum.] *Hoc est, qui abscondit causam huius tantæ meæ afflictionis: sed ego animo minimè fractus, quoad vixero, nihil impium loquar contra eum, quin magis iustitiam semel apprehensam mordicus tenebo: nec erit, vt cor meum vnquam obijciat mihi dies meos malè collocatos. Et eos, qui mihi in mea sententia refragantur, censebo impios, & publicos hostes veritatis.* [b] Quæ est enim spes hypocritę?] *Quid certius, inquit, quàm id genus impios hypocritas, qui auaritiam magis quàm iustitiam sectantur, vbi ex hac vita educti à Deo fuerint, vniuersa spe simul destitui, imò etiam si in hoc sæculo obruerint illos afflictiones, frustra ad Deum clamabunt: quandoquidem nõ toto corde ad Deũ conuertuntur, neque in illo fiduciam beatitudinemue suam collocant.* [c] Docebo vos.] *Veritatem scilicet de sapientia & iudicijs Dei, quæ sunt in manu eius, & dispensat ea pro arbitrio suo. Et vos multa vidistis & experti estis de his, quæ locutus sum, & tamen vanitatem ac mendacium sectamini. Asseritis enim, hanc esse portionem impiorum, & tanquam hæreditatem eorum, quòd vsque in finem illis non concedatur frui felicitate sua: atque ex hac falsò fundamento temerè iudicatis me, quasi ob impietatem meam mihi hæc acciderit infelicitas. Dicitis enim impiorum filios cadere in gladium, atque illis deficere panes, mortem ipsam esse sepulturam eorum, et quòd vxores eorum relictæ, non sint deploratæ maritorum præmaturam mortem, &c.* [d] Sicut araneus.] *Sicut araneus sese euiscerat telam suam conficiens, quæ tamen breui momento dissipatur, ita impius magnis sumptibus ædificat, vel breui destruenda, vel ab ipso paulòpost non habitanda, sicut etiam vmbraculum quòd tumultuaria opera fecit vinearum custos, breui vindemiæ tempore exacto, inhabitatorem non habet. Potest & verti. Fecit tanquàm vmbraculum, siue tugurium custodis, nempe, vineæ.* [e] Aperiet oculos.] *In morte scilicet, quos peccatum clauserat.* [f] Mittet super eum.] *Subaudi, ventus vrens, siue orientalis inducet super eum morbos incurabiles, vt hinc citius fugere cogatur, vel superueniens hostilis impetus eyciet eum de loco suo. Alij referunt ad Deum, à cuius manu impius frustra fugere conabitur. Et hæc quidem omnia dicta sunt ex aduersariorum ore, qui censerent impios in hac vita demum affligi, non attendentes, multos ex eis feliciter ac tranquillè in vltimam vsque senectutem vitam agere: in sequenti autem capite Iob ponet sententiam suam.*

CAPVT XXVIII.

H[a]Abet argentum venarum suarum principia: & auro locus est in quo cõflatur. Ferrum de terra tol A litur: & lapis solutus calore, in æs vertitur. [b] † Finem posuit tenebris, & † quicquid consummationẽ accipit ipse consyderat, † in lapide caliginis, & vmbra mortis. [c] † Facit vt inualescat torrens iuxta habitatorem, obliuioni dentur aquæ à pede: exaltatæ sunt, supra hominem motæ sunt. [d] A terra ipsa egreditur panis, & subter eam conuertitur sicut ignis. Locus sapphiri lapides eius, & glebæ illius aurum. [e] Semitam ignorauit auis, nec intuitus est eam oculus vulturis. Non calcauerunt eam † bestiæ rapaces, nec pertran B siuit per eam leæna. [f] Ad silicem extendit manum suam, subuertit à radicibus montes. In petris riuos excidit, & omne pretiosum vidit oculus eius. [g] Profunda quoq; fluuiorum coercuit, & abscondita in lucem produxit. [h] Sapientia verò vbi inuenitur? & quis est locus intelligentię? Nescit homo pretium eius, nec inuenitur in terra † viuentium. Abyssus dicit, Non est in me: & mare loquitur, Non est mecum. Non dabitur aurum obrizum pro ea, nec appendetur argentum in commutatione eius. Non cõferetur † massæ auri Ophir, C nec lapidi sardonico pretiosissimo, vel sapphiro. Non adæquabitur ei aurum vel † cristallus, nec commutabuntur pro ea vasa auri. [i] † Corallia & gabes in memoriam non veniant: pretiosior est sapientia margaritis. Non adæquabitur ei topacius de Æthiopia, nec aurum purissimum obtinet precium eius. Vnde ergo sapiẽtia venit? & quis est locus intelligentiæ? Abscondita est ab oculis omnium viuentium, [k] volucres quoq; cœli latet. Perditio & mors dixerunt, Auribus nostris audiuimus famam eius. Deus intelligit viam eius, & D ipse nouit locum illius. Ipsę enim fines † terræ intuetur: & omnia, quæ sub cœlo sunt † aspicit. [l] Qui fecit ventis

ventis pondus, & aquas appendit in mensura. Quando ponebat pluuijs legem, & viam † radiationi tonitruorum. [m] Tunc vidit illam, & enarrauit, & præparauit, & inuestigauit. Et dixit homini, Ecce, timor Domini, ipsa est sapientia: & recedere à malo, intelligentia.

SCHOLIA.

[a] Habet argentum.] *Omnia, inquit, quæ latent in terris & aqua, manifestantur, aut humana industria, aut temporũ successu: sapientia autem diuina est imperscrutabilis.* [b] Finem posuit tenebris.] *Hoc est, nihil est tam absconditum, quod non aliquando reueletur, & cuius perfectionem Deus non agnoscat. Et lapidem, inquit, caliginis, atque vmbram mortis, hoc est abditissimos lapides, qui in fundamento terræ sunt, ipse nouit.* [c] Vt inualescat torrens.] *Hoc est, ipse exiccat in vno loco fluuium, & facit, vt in alio loco arido fluuius profundus incipiat currere. Et nunc aquæ obliuioni datæ sunt à pede, hoc est, vadabiles sunt, et ob siccitatem transiri possunt pede non tincto: nunc iterum extolluntur vltra quàm, vt ab homine possint transiri: qua vicissitudine multa reuelari contingit.* [d] A terra ipsa.] *Aliud miraculum Dei, quòd in plerisque locis terra in superficie producit panem, & in fundo inuenitur materia sulphurea, atque vena salsuginis. Vel, terra quæ modo est fertilis, temporum successu redigitur in fundum sterilem. Sic sapphirus, & alij pretiosi lapides terræ, habent loca sua, etiam quæ nullius animalis pes calcauit, &c. Et hæc Deus quoq; transmutat.* [e] Semitam ignorauit auis.] *Semitam illam nullum vidit volatile, &c.* [f] Ad silicem.] *Alia mutatio, quæ fit per potentiam Dei, nempe quòd montes transferuntur, & torrentes è petris producuntur.* [g] Profunda quoq; fluuiorum.] *Flumina procellosa sæpe in altum coercentur locum, & apparet quicquid in eorum fundo latuit. Hoc enim est, quod & dudum dixit. Omne preciosum vidit oculus eius. Et quod ait. Profunda fluuiorum coercuit. In Heb. est. A fletu. vel, ne stillarent, flumina ligauit.* [h] Sapientia verò.] *Res corporeæ, inquit, alicubi inueniuntur, at sapientia Dei nulla peregrinatione inueniri potest, nec vllis emi thesauris. Per terram viuentium intellige præsens sæculum.* [i] Corallia & gabes.] *Non constat ex Hebræis scripturis, qui lapides per hæc nomina significentur.* [k] Volucres quoq; cœli.] *Hi putantur esse angeli, qui non nouerunt omnia mysteria Dei. Idem sentiendum de hominibus sanctis, qui migrarunt ex hoc sæculo, & qui hic significantur, nomine perditionis & mortis, propter corporis dissolutionem.* [l] Qui fecit ventis pondus.] *Dum exufflandi et ascendendi præscribitur eis terminus, ita & aqueis vaporibus, quantum ascendere debeant, suus limes positus est.* [m] Tunc vidit illam.] *Hoc est ab initio & ante omnia sæcula manifestauit sapientiam suam, præscripsitq; homini mensuram scientiæ, & voluit, vt sobriè saperet.*

CAPVT XXIX.

A ADdidit quoq; Iob, assumẽs parabolã suã, & dixit, Quis mihi tribuat, vt sim [a] iuxta mẽses pristinos secũdũ dies quibus Deus custodiebat me? Quãdo splẽdebat lucerna eius super caput meũ, & ad lumẽ eius ambulabam in tenebris? Sicut fui in diebus adolescẽtiæ meę, quãdo secreto Deus erat in tabernaculo meo. Quãdo erat omnipotẽs mecũ: & in circuitu meo pueri mei. [b] Quãdo lauabã † vias meas butyro, & B petra fundebat mihi riuos olei. Qñ pcedebã ad portã ciuitatis, & ĩ platea parabã cathedrã mihi. Videbãt me iuuenes, & abscõdebãtur: & senes assurgẽtes stabãt. Principes cessabant loqui, & digitũ supponebant ori suo. Vocẽ suã cohibebãt duces, & lingua eoꝝ gutturi suo adhærebat. Auris audiẽs beatificabat me, & oculus vidẽs testimoniũ reddebat mihi. Eò ꝙ liberassem pauperẽ vociferãtẽ, & pupillũ cui nõ esset adiutor. [c] Benedictio C perituri super me veniebat, & cor viduę cõsolatus sum. Iustitia indutus sum? & † illa vestiebat me sicut vestimẽto, & diademate, iudicio meo. Oculus fui cęco, & pes claudo. Pater erã pauperũ: & causam, quã nesciebã, diligẽtissimè inuestigabã. Cõterebã molas iniqui, & de dentibus illius auferebã prędã. Dicebãq;, [d] In nidulo meo moriar, & sicut harenã multiplicabo dies. [e] Radix mea apta est secus aquas, & ros morabitur in mes- D sione mea. Gloria mea semp innouabitur, & arcus meus in manu mea instaurabitur. [f] Qui me audiebant, expectabãt sentẽtiã, & intẽti tacebãt ad cõsiliũ meũ. Verbis meis addere nihil audebãt, & sup illos stillabat eloquiũ meũ. Expectabant me sicut pluuiã, & os suũ aperiebant quasi ad imbrẽ serotinũ. [g] Si quãdo ridebã ad eos, nõ credebant, & lux vultus mei nõ cadebat in terrã. Si voluissem ire ad eos, sedebã primus: [h] cũq; sederem quasi rex circunstante exercitu, eram tamen mœrentium consolator.

SCHOLIA.

[a] Iuxta menses pristinos.] *Cogitur vir sanctus improbitate aduersariorum, suarum laudum encomium recensere, ostenditq; in primis, quàm felix olim fuerit munere diuino.* [b] Quando lauabam.] *Hoc est, cum tantus mihi esset numerus pecorum, vt itinera ipsa butyro redundare potuerint.* [c] Benedictio perituri.] *Hoc est, is, quem ex periculis erui, alioqui periturum, benedixit mihi pro accepto beneficio.* [d] In nidulo meo moriar.] *Hoc est, in mea fœlicitate sperabam me victurum vsque ad mortem. Vel secũdum alios hunc habet sensum, expirabo in lecto meo, vt post hac perpetuos viuam dies.* [e] Radix mea.] *Hoc est, licet sicut arbor præ senio putrescam, tamen est spes repullulandi & resurgendi propter aquas diuinæ gratiæ, quæ animam meam fouebit. Sic licet sicut gramen demetar, tamen ob perpetuum rorem qui morabitur super me, reuirescam, & non totus disperibo. Innouabitur gloria mea in resurrectione mortuorum, & robur manuum mearum instaurabitur: euasurus enim sum gloriosior, robustior, ac potentior, immò planè immortalis.* [f] Qui me audiebant.] *Vt ad priorem, inquit, sermonem reuertar, omnes mihi obediebant, meque reuerebantur, &c.* [g] Si quando ridebam.] *Si quando per iocum aliquid dicerem, non putabant me iocatum, tantam in me experti erant grauitatem. Cauebant proinde ne lucem, hoc est, hilaritatem vultus mei aliquo modo turbarent. Vel delectabatur in illa mea hilaritate, quæ grata illis erat, neq; sinebant, vt frustra essem hilaris.* [h] Cumq; sederem.] *Tanta erat in me maiestas, vt omnes timerent, tanta lenitas, ac benignitas, vt omnes mœrentes, qui ad me accedebant, consolarer.*

CAPVT XXX.

A NVnc autem [a] derident me iuniores tempore, quorum non dignabar patres ponere cũ canibus gregis mei. Quorum virtus manuum mihi erat pro nihilo, & vita ipsa putabantur indigni. Egestate & fame † solitarij facti, fugiebant in solitudinem, squallentes calamitate & miseria. Et mandebãt herbas, & arborum cortices, & radix iuniperorum erat cibus eorum. † Et medio vrbium expellebantur, clamabantq;

bantęq; super eos,vt super furem. In desertis habitabant torrentium, & in cauernis terræ vel super glaream. B
† Rugiebant inter frutices,& subter spinas colligebantur. Filij stultorum & ignobilium, & in terra penitus
non apparentes. Nunc in eorum canticum versus sum,& factus sum eis in prouerbium. Abominatur me,&
longè fugiunt à me,& faciem meā conspuere nō verentur.[b] Pharetrā enim suā aperuit,& afflixit me, & fre-
num posuerunt in os meum.[c] † Ad dexteram surgunt iuuenes florentes: pedes meos subuerterunt, & calca-
uerunt super me quasi † super itinera perditionis suæ. Dissipauerunt itinera mea, † quasi in calamitate mea
commodum haberent,& non fuit qui ferret auxilium. † Veniebant veluti eruptio aquarum laté patēs, & ad C
meas miserias deuoluti sunt.[d] † Eò ꝙ terrores conuersi sunt in me,& persequitur liberalem animam meam
veluti ventus,& veluti nubes pertransijt salus mea. Nunc autem in memetipso marcescit anima mea,& pos-
sident me dies afflictionis.[e] Nocte os meum perforatur doloribus: & † pulsus mei, non quiescūt. † Ob mul-
tam vim doloris mutatur[f] vestimentum meum, & quasi capitio tunicæ succinxerunt me. † Proiecit me in
lutū,& assimilatus sum fauillæ & cineri. Clamo ad te,& non exaudis me: sto & respicis me. Mutatus es mihi
in crudelem,& in duritia manus tuæ aduersaris mihi. Eleuasti me,&[g] quasi super ventū ponens elixisti me
valde.[h] Scio ꝙ morti trades me, vbi constituta est domus omni viuenti. Veruntamen non † in tumulū mit- D
tet manum,& nunquid in contritione eius habebunt clamorem?[i] Flebam quondam super eo qui afflictus
erat,& cōpatiebatur anima mea pauperi. Expectabam bona, & venerunt mihi mala: præstolabar lucem,&
eruperunt tenebræ. Interiora mea efferbuerunt absq; vlla requiæ, præuenerunt me dies afflictionis. Mœrēs
incedebam, sine † calore, surgebam in congregatione,& clamabam.[k] Frater fui draconū, & socius struthio-
num. Cutis mea denigrata est super me,& ossa mea aruerunt præ caumate. Versa est in luctum cythara mea,
& organum meum in vocem flentium.

SCHOLIA.

[a] Derident me iuniores.] *Declarat hoc capite vir sanctus triplicē sibi accidisse molestiam: vnam ab aduersarijs, alteram à semetipso,& tertiam à Deo. Aduersarios,& illusores patiebatur, viles, & ignominiosos homines quos in sua fœlicitate custodiæ canum dedignatus fuisset deputare, quippe qui sibi et alijs inutiles, nullo tempore bene vsi fuerint, sed ob famem fugerint in solitudines, non audentes ob mala sua apparere in conspectu proborum hominum, & poscere ab eis panem.*
[b] Pharetram enim suam aperuit.] *Subaudi, Deus. Quidam tamen referunt ad illusores, qui ludibrium quoddam fecerit ex viro sancto, agentes quasi inutile pecus: nunc frenum immittentes, nunc extrahentes, & nunc protrudebant, nunc prosternebant, &c.* [c] Ad dexteram surgunt.] *Validiores ex adolescentioribus stabant ad latus, & ad iter vrgebāt, pedesq; ad lapsum impellebant: corrumpebant semitam obiectis lapidibus, & offendiculis &c. Et quod ait. Et non fuit qui ferret auxilium. In Heb. est. Non fuit adiutor eis, vt videatur sensus. Nō opus habuerunt adiutore.* [d] Terrores conuersi sunt in me.] *Præter externas illas, inquit, afflictiones, sustineo & internos dolores, atque terrores, qui cruciant animam meam, & impellunt eam, haud secus, quàm ventus, qui stipulam pro libito impellit. Vocat autem liberalem animam, vel, vt diuus Hieronymus vertit, spontaneam, & salutem, eò quòd anima salus & liberalis conseruatrix est corporum. Alius exponit, non est in me vlla libertas, vt velim aliquid, nec vis vt possim, ita persecutio totam animā absorbet.* [e] Nocte os meum.] *Nocte, cum ceteri homines quiescunt, ego crucior in ossibus & neruis meis.* [f] Mutatur vestimentum meum.] *Tam vehemens est dolor meus, vt etiam exudet in vestes vis doloris per saniem & humorem: & ipse dolor me vt ora vestimenti circundat sic, vt eum exuere nequeam,* [g] Quasi super ventum.] *Attollis me, inquit, in sublime, vt videar mihi equitare super nubes, et conuersus deycis me in imum, & eneruas robur meum.* [h] Scio quòd morti trades me.] *Quamuis, inquit, sciam mortē & paratum vitus omnibus sepulchrum euitare me non posse, vna tamen consolatio est, quòd post mortem in sepulchro assignare cessabis, & erit clamori illi maximo finis. Vel non poterit clamor precum liberare hominem, quo minus fiat mancipiū mortis. Nam versus hic, Veruntamen non in tumulum &c. Vaviè exponitur ab Hebræis.* [i] Flebam quondam.] *Obiecto aut aduersarij viro sancto immisericordiam, iccirco hāc commemorat nunc, & ait, se non ob hoc flagellatum, quòd non fuisset miseratus alios, quin ob id ipsum se expectasse bona, quamuis contraria euenerint.* [k] Frater fui draconum.] *Eiulatus ingentem se ædidisse commemorat. Ferunt enim dracones ab elephantis, cum quibus pugnant, victos miserabiliter lugere. Ita tradunt Hebræi de Struthys in deserto escam non habentibus: Vnde & Michæas dicit: plangam & vlulabo, faciam planctum velut dracones, & luctum sicut Struthius. Porrò quod infra ait, præ caumate, intellige, præ æstu, nam Græcam dictionem reliquimus, vt erat.*

CAPVT XXXI.

PEpigi fœdus cum oculis meis,[a] † & quid consyderaui in virgine? Quam enim partem haberet in me A
Deus desuper,& hæreditatem omnipotens de excelsis? Nunquid non perditio est iniquo, [b] & alie-
natio operantibus iniustitiam? Nónne ipse consyderat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?
Si ambulaui in vanitate,& festinauit in malo pes meus, Appendat me in statera iusta,sciat Deus simplicita-
tem meam. Si declinauit gressus meus de via,& si † secutum est oculos meos cor meū,& si in manibus meis
adhæsit macula, Seram, & alius comedat, & progenies mea eradicetur. Si deceptum est cor meū super mu
liere: & si ad ostium amici mei insidiatus sum, Scortum alterius sit vxor mea, & super illam incuruētur alij.
Hoc.n. nephas est,& [c] iniquitas † iudicata. Ignis est vsq; ad perditionem deuorans, & omnia eradicans ge- B
nimina. Si contempsi subire iudicium cum seruo meo, & ancilla mea: cum disceptarent aduersum me.
Quid enim faciam, cum surrexerit ad iudicandum Deus? & cum quæsierit, quid respondebo illi? Nūquid
non in vtero fecit me,& qui & illum operatus est: & formauit † nos [d] in vtero vno? Si negaui quod volebāt
pauperibus,& oculos viduę expectare feci. Si comedi buccellam meam solus,& nō comedit pupillus ex ea.
(Quia ab infantia mea creuit mecū † hoc, vt essem quasi pater, & de vtero matris meę egressum est mecū.)
Si despexi pereūtem,eò ꝙ non habuerit indumentum,et absq; operimento pauperem. Si non benedixerunt
mihi latera eius,& de velleribus ouium mearū calefactus est. Si leuaui super pupillum manum meā, etiam

cum

C cum viderem me in porta superiorem. Humerus meus à iunctura sua cadet, & brachium meum † de loco
suo confringatur. Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum,& pondus eius ferre non po
tui. Si putaui aurum robur meum: & obrizo dixi, Fiducia mea. Si lætatus sum super multis diuitijs meis,
& ꝙ plurima reperit manus mea.[e] Si vidi solem cum fulgeret,& lunam incedētem claré. Et † seductum est
in abscondito cor meum, & osculatus sum manum meam ore meo. Quæ est iniquitas maxima,& negatio
cōtra Deum altissimum. Si gauisus sum ad ruinam eius qui me oderat: & exultaui ꝙ inuenisset eū malum.
Non enim dedi ad peccandum guttur meum, vt expeterem maledicens animam eius. Si non dixerunt viri
tabernaculi mei,[f] Quis det de carnibus eius, vt saturemur? Foris non mansit peregrinus, ostium meum via-
D tori patuit.[g] Si abscondi quasi homo peccatum meum: & celaui in sinu meo iniquitatem meam.[h] Si expaui
ad multitudinem nimiam,& despectio propinquorum terruit me,& † tacui, nec egressus sum ostium. Quis
mihi tribuat auditorem, vt desyderium meum audiat omnipotens:[i] & librū scribat † vir contentionis meæ?
Vt in humero meo portem illum,& circundem illum quasi coronam mihi? Per singulos gradus meos pro-
nuntiabo illum,& quasi † princeps accedā ad eum. Si aduersum me terra mea clamat, & cum ipsa sulci eius
desient. Si fructus eius comedi absq; pecunia,& animam agricolarum eius afflixi. Pro frumento oriatur mi-
hi tribulus,& pro hordeo † lolium. Finita sunt verba Iob.

SCHOLIA.

[a] Et quid consyderaui in virgine.] *Quasi dicat, cum virginem intuebar, nihil cogitabam aliud, quàm quod ad mūdiciem cordis, atque honestatem pertineret: neque illam ad concupiscentiam aspiciebam.* [b] Et alienatio.] *Hoc est segregatio ab hæreditate sanctorum manet illos, qui voluptatum sunt serui. Quapropter ego continui membra mea à nefarijs operibus, frenaui oculos ab illicito aspectu mulierum: linguam à dolo, & medacio: manus & pedes à crudelitate, violentia, vltione, & rapacitate &c.* [c] Iniquitas iudicata.] *Vel, iniquitas iudicum, quæ scilicet vel communi iudicio damnata est, vel digna, quæ in primis à iudicibus puniatur: Est enim adulterium scelus magnum & quasi ignis, cuius valido incendio omnia bona pariter intereunt. Irritatur enim maritus, pollnitur mulier, filij ex ea nati, redduntur suspecti, & ordinatio Dei atque naturæ confunditur.* [d] In vtero vno.] *Hoc est, pari dispositione.* [e] Si vidi solem.] *Hunc versum quidam ad cultum syderum referunt, quæ vetus erat idololatria: ally de prosperitate viri sancti intelligunt, quæ illum nunquam influerit, vt ipse sibi in suis tantu successibus placuerit, quod fuisset quasi oscular manum suam, & sibi ascribere dei beneficia. Felicibus autem sol lucere & luna iucundius incedere dicitur: cōtra verò scriptura passim tenebras pro afflictione accipit.* [f] Quis det de carnibus eius?] *Hūc volunt esse sensum. Non permisi seruis meis, vt vltionē sumerent de illatis mihi iniurijs, etiā cum se quocunque cibo non satiari quererentur, nisi & talium hominum saturarentur carnibus, hoc est, discerperent eos. At Chrysostomus putat referendum ad Iob, vt scilicet domestici eius ita affecti essent viro sancto, vt non satis haberent verberari cum eo, sed optarent etiam, si fieri potuisset, illum in se trajecere, vt vnum quid cum illo fierent. Solent enim (inquit) interdū homines, eorum quos amant, brachia morsu apprehendere, in maximi amoris significationem.* [g] Si abscondi quasi homo.] *Vel sicut Adam,* [illegible] *quòd peccatum occultare vellet.* [h] Si expaui.] *Citra personarum respectum libere, quos oportuit, redargui, neque timui, ne ob eam causam desperem.* [i] Et librum scribat.] *Si Dominus (inquit) testimonium tulerit innocentiæ meæ, quamuis aduersary mei librum contra me scripserint, querelis & accusationibus plenum calumniæ erunt, ac mendacia. Portabo in humeris, quicquid scriptū est in libro illo, immò pro corona decoris erit mihi, vbi Deus innocentiam meam declarauerit. Confidens accedam ad aduersarium meum, veluti princeps, qui securus de victoria ad bellum procedit: & enumerabo omnia opera mea, conscius mihi, quòd nemo in terra, etiam agricolæ, defraudati sint mercede laborum suorum, aut quod vllius rem iustulerim, & comederim citra iustam compensationem. Hæc autem omnia eò referuntur, vt ostendat vir sanctus quàm temerè ab amicis condemnetur. Porrò illud, & desyderium meū audiat omnipotens, alius vertit, Et signum meum, quòd omnipotens respondebit pro me: alius ecce signum meum, altissimus humiliauit me.*

CAPVT XXXII.

A [a] Miserunt autem tres viri isti respondere Iob, eò quòd iustus sibi videretur. Et iratus, indignatusq;
est [b] Eliu filius Barachel Buzites, de cognatione Ram: iratus est autē aduersum Iob, eò quòd iustum
se esse diceret † magis quàm Deum. Porrò aduersum amicos eius indignatus est, eò quòd non inue-
nissent responsionem rationabilem, sed tantummodo condemnassent Iob. Igitur Eliu expectauit Iob lo-
quentem: eò ꝙ seniores essent, qui loquebantur. Cum autem vidisset ꝙ tres respondere non potuissent, ira-
B tus est vehementer. Respondēsq; Eliu filius Barachel Buzites, dixit, Iunior sum tempore, vos autē antiquio-
res: iccirco demisso capite veritus sum vobis indicare meam sententiam. Sperabam enim quòd ætas proli-
xior loqueretur, & annorum multitudo doceret sapientiam. Sed vt video, [c] spiritus est in hominibus, & in-
spiratio omnipotentis dat intelligentiam. Non sunt longæui † multi sapientes, nec senes intelligunt iudi-
cium. Ideo dicam, † audi me, ostendam † etiam ego meam sapiētiam. Expectaui enim sermones vestros,
C audiui prudentiam vestram, donec † disceptaretis sermonibus. Et donec putabam vos aliquid dicere, con-
syderabam: sed vt video, non est qui possit arguere Iob, & respōdere ex vobis sermonibus eius. Ne fortè di-
catis,[d] inuenimus sapientiam, Deus proiecit eum, non homo. Nihil locutus est mihi, & ego non secūdum
sermones vestros respondebo illi. Extimuerunt, nec responderunt vltrà: abstuleruntq; à se eloquia. Quo-
niā igitur expectaui & non sunt locuti: steterunt, nec vltrà responderunt. Respondebo & ego partē meam,
D & ostendam scientiam meam. Plenus sum enim sermonibus,& coarctat me spiritus vteri mei. En venter
meus quasi mustum absq; spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Loquar, & respirabo paululū: ape-
riam labia mea,& respondebo. Non accipiam personam viri, † [e] neque cognominabo hominem. Nescio
enim † cognominare, cum futurum sit, vt post modicum tollat me factor meus.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Omiserunt autem.] *Prætexentes quasi Iob esset incorrigibilis eo, quòd ipse sibi iustus videretur: iudicantes eum superbum & præfractum, cum reuera ipsi tales essent.* [b] Heliu.] *Dicunt hunc descendisse ex prosapia Nachor fratris Abraham. Nouus hic actus est, in quo Iob tacet, nam Deus post Heliu loquitur, & ipsius Heliu mentem dictis suis confirmare videtur.* [c] Spiritus est in hominibus.] *Nihil (inquit) sapientiæ est, in hominibus, nisi ab altissimo afflentur.* [d] Inueniemus sapientiam.] *Excludit obiectionem, qua illi dicere potuissent, non imprudentes tacemus, et non respondemus ei, cui Deus impulsurus sit eum, & pœnis ipsis ostensurus, quàm impius fuerit, vt non sit opus, vt homo percutiat eum virga oris sui.*

[e] Neque cognominabo hominem.] *Hoc est non loquar adulatium more vsurpans gloriosos titulos, vt appellem hominem sapientem, prudentem, aut iustum, sciens quòd breui Deus me sit rapturus ad iudicium, vt illi rationem reddam verborum ac factorum meorum.*

CAPVT XXXIII.

AVdi igitur Iob eloquia mea, & omnes sermones meos ausculta. Ecce aperui os meum, loquetur lingua mea in faucibus meis. Simplici corde meo sermones mei, & scientiam puram labia mea loquentur. [a] Spiritus Dei fecit me, & spiraculum omnipotentis viuificauit me. Si potes, respõde mihi, & aduersus faciem meam consiste. Ecce, & me sicut & te fecit Deus, [b] & de eodem luto ego quoque formatus sum. † Ecce terror meus non terrebit te, & coactio mea non erit tibi grauis. Dixisti ergo in auribus meis, & vocem verborum tuorum audiui. [c] Mundus ego sum, & absq; delicto immaculatus, & non est iniquitas in me. Quia querelas in me reperit, ideo arbitratus est me inimicum sibi. Posuit in neruo pedes meos, custodiuit omnes semitas meas. Hoc est ergo, in quo non es iustificatus: respondebo tibi, quòd maior sit Deus homine. Aduersus eum contendis, quòd non ad omnia verba responderit tibi. [d] Semel loquitur Deus, & secundò idipsum non repetit. Per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, Tunc aperit aures virorum, & erudiẽs eos, instruit disciplina; vt auertat hominem ab his quæ fecit, & liberet eum de superbia. Eruens animam eius à corruptione: & vitam illius, vt non transeat in gladium. Increpat quoq; per dolorem in lectulo, & omnia ossa eius † castigat fortiter. Abominabilis ei fit in vita sua panis, & animę illius cibus aute desyderabilis. Tabescet caro eius † ne videat: & ossa quę tecta fuerant, nudabũtur. Appropinquabit corruptioni anima eius, & vita illius mortiferis. Si fuerit pro eo [e] angelus † eloquens vnus de millibus, vt annuntiet homini equitatem. Miserebitur eius, & dicet, Libera eum, vt nõ descendat in corruptionem: inueni in quo ei propitier.† Tenerior erit caro eius magis, quàm paruuli, [f] reuertetur ad dies adolescentiæ suæ. Deprecabitur Deum, & placabilis ei erit: & videbit faciem eius in iubilo, & reddet homini iustitiam suam. Respiciet homines, & dicet, Peccaui, & verè deliqui: & † nihil mihi profuit. Liberauit animam † meam, ne pergeret in interitum, sed viuens lucem videret. Ecce, hæc omnia operatur Deus tribus vicibus † cum hominibus, vt reuocet animas eorum à corruptione, & illuminet luce viuentium. [g] Attende Iob, & audi me: & tace, dum ego loquor. Si autem habes quid loquaris, respõde mihi: loquere, volo enim te apparere iustum. Quòd si non habes, audi me: tace, & docebo te sapientiam.

SCHOLIA.

[a] Spiritus Dei fecit me.] *Non debes me (inquit) auersari vt prophanum: nam agnosco & ego conditorem meum.*

[b] Et de eodem luto.] *Loquitur humiliter cum Iob, & non tam insolens est ac crudelis erga virum sanctũ, sicut tres amici. Loquitur ex præmeditato, loquitur diuina, loquitur amicè atque humiliter, quas conditiones habere omnes debent qui de rebus præsertim sacris disputare contendunt.* [c] Mundus sum ego.] *Post longam præfationem proponit tandem Heliu, in quo Iob reprehensibilem iudicat, nempe quòd dixerit se iustum, & quòd Deus eum flagellauerit, & querelas atque accusationes aduersus eum inuenerit, cum non id exigerent peccata eius &c. Sententiæ istæ scribuntur supra capi. xiij. & vi.*

[d] Semel loquitur Deus.] *Non expectet (inquit) homo, dum semper Deus rationem omnium iudiciorum suorum reddat. Potest hic locus & sic verti. Semel loquitur Deus et alterà vice, ei, qui nõ aduertit illud, vt sit sensus, quòd Deus variis modis hominem conetur retrahere à malo & perditione. Loquitur noctu ad hominem, & ne vanam putet esse visionẽ, consignat eam veluti sigillo, castigatione, & flagello. Addit stimulos multiplicium languorum, & tam grauiter sæpe attrectat obstinatos, vt anima eorum ne panem quidem desyderet comedere, deficiat visus, & ossa cum cute prominẽat, quæ antea sub pingui latebãt corpore, & nihil restet, nisi vt anima effletur, & per interfectores morbos vita tollatur. Illud tamẽ ossa quæ tecta fuerant, nudabũtur: potest sic verti. Conterentur ossa eius, non videbuntur.* [e] Angelus eloquens.] *Hæc est alia via, qua Deus multos ad se vocat, scilicet per bonum doctorem, et syncerum interpretem scripturæ sacræ, sed qualem vix vnum ex mille inuenies. Per hũc ergo miseretur eius Deus, atque hoc pacto inuenit propitiationem, hoc est, medium per quod ille assequitur propitiationem. Medium illud est morbus, & doctrina sana. Sunt qui angelum intelligunt Christum, magni consilij angelum, per quẽ iustificati sumus.* [f] Reuertetur ad dies.] *Liberabitur à morbo, & restituetur perfectæ sanitati.*

[g] Attende Iob.] *Et hoc modestè atque humiliter. Hæc quidem (inquit) mihi videntur irreprehensa, si tamen habes quod obycias, obyce, sin minus, tu me audi, & vt cœpi docebo.*

CAPVT XXXIIII.

PRonuntians itaq; Eliu, etiam hæc locutus est, Audite sapientes verba mea, & eruditi auscultate me. [a] Auris enim verba probat, & guttur escas gustu diiudicat. Iudiciũ eligamus nobis, & inter nos videamus quid sit melius. Quia [b] dixit Iob, iustus sum, & Deus subuertit iudicium meum. [c] In iudicando enim me, mendacium est: † lætalis sagitta mea absque vllo peccato. Quis est vir vt est Iob, qui [d] bibit subsannationem quasi aquam. Qui graditur cum operantibus iniquitatem, & ambulat cum viris impijs. Dixit enim, † Nihil commodi habet vir à Deo, etiam si cucurrerit cum eo. Ideo viri cordati audite me, Absit à Deo impietas, & ab omnipotente iniquitas. Opus enim hominis reddet ei, & iuxta vias singulorum restituet eis. Verè enim Deus non condemnabit frustra, nec omnipotens subuertet iudicium. [e] Quẽ constituit alium

alium super terram? aut quem posuit super orbem quem fabricatus est? Si direxerit ad eum cor suum, spiritum illius & flatum ad se trahet. Deficiet omnis caro simul, & homo in cinerem reuertetur. Si habes ergo intellectum, audi quod dicitur, & ausculta vocem eloquij mei. Nunquid [f] qui non amat iudicium, † dominari potest? & quomodo tu eum, qui iustus est, intantum condemnas? Qui dicit regi apostata, qui vocat duces impios. [g] Qui non accipit personas principum, nec cognouit † discrimen diuitis & pauperis: opus enim manuum eius sunt vniuersi. Subitò morientur, & in [h] media nocte turbabuntur populi, & pertrãsibunt, [i] & auferent violentum absq; manu. Oculi enim eius super vias hominum, & omnes gressus eorum consyderat. Non sunt tenebræ, & non est vmbra mortis, vt abscondantur ibi qui operantur iniquitatem, Neq; enim vltrà in hominis potestate est, vt veniat ad Deum in iudicium, conteret multos innumerabiles, et stare faciet alios pro eis. Nouit enim opera eorum: & iccircò [k] inducet noctem, & conterentur. Quasi impios percussit eos in loco videntium. † Propter quod recesserunt ab eo, & omnes vias eius intelligere noluerunt. Vt peruenire facerent ad eum clamorem egeni, & audiret vocem pauperum. Ipso enim concedente pacé, quis est [l] qui condemnet? ex quo absconderit vultum, quis est qui contempletur eum? & super gentes & super omnes homines. [m] Qui regnare facit hominem hypocritam, propter peccata populi. [n] Quia ergo ego locutus sum ad Deum, te quoq; non prohibebo. Si erraui, tu doce me: si iniquitatem locutus sum, vltrà non addam. [o] Nunquid à te † est, quod ille perficiet, reprobasti enim iudicium eius, & tu eligis quod vis, aut non ego: quòd si quid nosti melius, loquere. Viri intelligentes loquantur mihi, & vir sapiens audiet me. Iob autem stultè locutus est, & verba illius non sonant disciplinam. [p] Pater mi, proberur Iob vsq; ad finem: † propter responsiones quibus impijs patrocinatur. Qui addidit super peccata sua † blasphemiam, plaudit inter nos, & multiplicat verba sua ad Deum.

Deut. 10.d
2.Par. 19.c
Sapien. 6.b
Eccle. 35.b
Roma. 2.b
Gala. 2.b
Ephe. 6 b
Goloſ. 3.d
Actu. 10.e
1.Pet. 1.e

SCHOLIA.

[a] Auris enim verba probat.] *Si sonus auribus, & sapores palato discernimus, cur non, vt constet inter nos, quid bonũ sit, certo, indubitatoque iudicio exploremus?* [b] Dixit Iob iustus sum.] *Proponit hic Heliu dictum Iob, et impugnat illud atque exagitat duabus rationibus: vna est, quòd Deus non eget consiliario, altera, quòd regibus detrahere non licet, multò minus Deo.* [c] In iudicando me mendacium.] *Vel, in iudicio meo mendax ero: quasi dicat, cum iustus sim, & tamẽ flageller, iudicium, quod de me profero, tanquam de innocente, mendax alys appareat. Atque hoc loco Heliu non rectè intellexit verba Iob, quæ supra cap. xiij. xiiij. & xix. dixerat, impulsus amicorũ importunitate.* [d] Bibit subsannationẽ.] *Hoc est, ab omnibus malè audit propter absurdam doctrinam: dum impijs patrocinatur, asserens nihil prodesse viro bono, etiam si in præceptis Dei sedulus ambulet. At Iob hoc non dixit, sed dixerat, iustos sæpe in hoc mũdo flagellari, & iudicium eorum absconditum filys hominum.* [e] Quem constituit.] *Quis visitat per iudicium terram, & omnes populos, nisi Deus? qui si malle vellet nobis, posset vno flatu omnes redigere in puluerem, huc enim est, quod ait. Si dixerit ad eum &c. quod aly verterunt, si posuerit ad illum cor suum, congregabit contra illum spiritum suum, atque flatum suum. Aly sic, si posuerit ad illum cor suum, spiritu suo & flatu suo ad se congregabit.* [f] Qui non amat iudicium.] *Alia item ratio. Nullus (inquit) populo commodè præesse potest, qui non est iustus, & seruat iudicium. Deus autem totum mundum gubernat, idque cum summa laude: quomodo igitur iniustus esse potest? Et cum prohibeamur, dys, hoc est iudicibus detrahere, quomodo quis dicet Deo, præuaricator es iustitiæ.* [g] Qui non accipit personam.] *Hæc verba ad Deum referuntur, sicut sequentia docẽt.* [h] Media nocte turbabuntur.] *Hoc est, tam potens est Deus, vt sola voluntate absque manibus, & exteriori potentia homines morte ebruere possit, quando minimè mortem expectant. Nec est latibulum aliquod in quo se homo abscondat ab oculis Dei: neque cum Deus quenquam in iudicium vocat, amplius quippiam illi imponit, quàm ille iniquè gesserit. Nam illud, neque enim vltra &c. quidam sic vertit, Non etiam imponit homini amplius quid, cum vadit ad Deum in iudicium.* [i] Et auferent.] *In Hebræo est, transibunt. quare alius vertit, discedent, nempe virtute illius, qui est fortis absque manu.* [k] Inducet noctem.] *Alius, conuertit noctem, hoc est, quæ in tenebris fiebant, educit in lucem, vt multi videant æquum iudicium Dei, cũ illos publicè conterit.* [l] Qui cõdẽnet.] *Qui conturbet. Si. n. Deus pro nobis quis cõtra nos? Si rursum auertat faciẽ, nõ est qui aspiciat, hoc est qui adiuuet. aut à calamitate liberet, & hoc aget super gentes, et super omnes homines.* [m] Qui regnare facit.] *Alius vertit, Ne regnet homo impius, propter illaqueationes populi. Aly sic, Auertit Deus faciem suam propter regem impium & offendicula populi.* [n] Quia ergo ego locutus sum.] *Alius vertit, Quod de Deo potest dici, sustinui, & non adyciam. Alius sic, Nunquid enim ad Deum dicere potest: ego sic portaui populum, vt non obfuerim? Variè enim etiam ab Hebræis exponitur.* [o] Nunquid à te est.] *Censes fore, vt Deus nihil agat absque cõsilio tuo? Et hic quoque Versio variè admodum exponitur.* [p] Pater mi.] *Chaldæus vertit, Desiderium nostrum est vt probetur Iob, quantum satis est, & donec respiscat, propter responsiones, quibus impys patrocinatur.*

CAPVT XXXV.

AIGitur Eliu hæc rursum locutus est, Nunquid æqua videtur tua cogitatio, vt diceres, Iustior sum Deo? Dixisti enim, Non tibi † proderit quod rectũ est: † & quid mihi proderit, si † non peccauero? Itaque ego respondebo sermonibus tuis, & amicis tuis tecum. [a] Suspice cœlum & intuere, & cõtemplare † nubes, quæ altiores te sunt. Si peccaueris, quid ei nocebis? & si multiplicatę fuerint iniquitates tuæ, quid facies contra eum? Porrò si iustè egeris, quid donabis ei, aut quid de manu tua accipiet? [b] Homini, qui similis tui est, nocebit impietas tua: & filium hominis adiuuabit iustitia tua. [c] Propter multitudinem calumniatorum clamabunt: & eiulabunt, propter vim brachij tyrannorum. Et non dixit, Vbi est Deus qui fecit me, qui dedit carmina in nocte? Qui docet nos super iumẽta terræ, & super volucres cœli erudit nos. [d] Ibi clamabũt, & † nemo exaudiet, propter superbiam malorum. † Atqui mendacium est quòd non audiat Deus, & quòd altissimus non aspiciat hoc ipsum. Etiam cum dixeris, Nõ consyderat: iudicare coràm illo, & expecta eum. [e] Nunc enim non infert furorem suum, nec vlciscitur scelus valde. Ergo Iob frustra aperit os suum, & absq; scientia verba multiplicat.

SCHOLIA.

a Suſpice cœlum.] *Senſus eſt: poteris agnoſcere maieſtatem Dei ex cœlo, quod eſt ſedes eius, & ex nubibus quæ ſunt vehicula eius, quæ cum ſint altiſſima, nec prodeſſe nec obeſſe illis poſſumus, & multò minus Deo, qui illis præſidet. Si peccaſti, inquit, quid nocuiſti ei? tibi magis nocuiſti, ſi peccaſti, ſicut & vnicuique ſua obeſt impietas, & prodeſt iuſtitia, nō autem Deo.* b Homini qui ſimilis tui eſt.] *Senſus eſt, vnicuique, ſicut & tibi tua, obeſt impietas, & filio hominis, ſicut & tibi tua, prodeſſe poteſt iuſtitia.* c Propter multitudinem calumniatorum.] *Non eſt, inquit, quod obycias multorum tyrannorum ſæuitiam & infirmorum oppreſſiones tolerari. Attende potius quā multi ſint, qui à potentioribus oppreſſi, nec ſic exi tentur, vt cum fide precentur, ac dicant. Vbi eſt, qui adiuuet nos cōditor noſter, qui dat cantica in nocte, hoc eſt, exhilarat hominem in medijs afflictionibus, quod alij de cantu auicularum noctu cantillantiū accipiunt.* d Ibi clamabunt.] *clamant quidem, qui vim patiuntur, ſed quia non clamant ad Deum verum auxiliatorem, in vanum clamant. Idem tibi o Iob, accidit, quando dicis illum non videre te, nec conſyderare, ſed iudicium eſt coràm illo, modo expectes eum.* e Nunc enim non infert.] *Alius vertit, nunc quando non viſitat per iram ſuam, neq; cognoſcit in multitudine nimia, hoc eſt, hoc tempore inuocandus eſt, antequam vltionem exigat in ira ſua, non eſt expectandum vſq; dum nullus vltra veniæ locus fuerit, ſed quærendus eſt, dum, inueniri poteſt.*

CAPVT XXXVI.

A Ddens quoq; Eliu, hæc locutus eſt, Suſtine me paululū, & indicabo tibi: adhuc enim habeo quod pro Deo loquar. Repetam ſcientiam meam à principio, & operatorem meum probabo iuſtum. Verè enim abſque mendacio ſermones mei,[a] † cum & is apud te ſit qui perfectus eſt, in ſcientijs. Ecce Deus magnus neminem reſpuit, magnus eſt virtute cordis. Sed non ſaluat impios, & iudicium pauperibus tribuit. Nō auferet à iuſto oculos ſuos, † ſed cū regibus in ſolio collocat in perpetuū, & illi erigūtur. Et ſi fuerint in catenis, & vinciantur funibus paupertatis. b Indicabit eis opera eorum & ſcelera eorum, quia † inualuerunt. Reuelabit quoque aurem eorum, vt corripiat: & loquetur, vt reuertantur ab iniquitate. Si audierint & obſeruauerint, complebunt dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria. Si autem non audierint tranſibunt per gladium, & conſumentur in ſtultitia. Simulatores & callidi prouocant iram Dei, neque clamabunt cum vincti fuerint. Morietur † in adoleſcentia anima eorum & vita eorum inter ſcortatores. Eripiet de anguſtia ſua pauperem, & reuelabit in tribulatione aurem eius. Igitur ſaluabit te de ore anguſto † in latum ſub quo nihil eſt arctum: requies autem menſæ tuæ erit plena pinguedine. c † Iudicium quidem impij impleuiſti, cauſam iudiciumq; recipies. † Ira quoq; inſtar, ne fortè abijciat te cum ſufficientia tua, & multipex redemptio non te liberet. An putas, quòd in æſtimatione habiturus ſit opulentiam tuā? non æſtimabit aurum, aut omnes robuſtos fortitudine. Ne[d] prorrahas noctem, † quomodo aſcendant populi de locis ſuis. Caue ne declines ad iniquitatem: hanc enim[e] cœpiſti ſequi poſt miſeriam. Ecce, Deus excelſus in fortitudine ſua, & nullus ei ſimilis in legislatoribus. Quis poterit ſcrutari vias eius? aut quis audet ei dicere, Operatus es iniquitatem? Memento † vt magnifices opus eius, [f] de quo cecinerunt viri. Oēs homines vident † illud, vnuſquiſq; intuetur procul. Ecce Deus magnus vincens ſcientiam noſtram: numerus annorum eius inæſtimabilis. † Qui ſubtrahit ſtillas aquę, & rurſum ſtillant in pluuiam propter nubem eius. Reſoluuntur enim nubes, & rorant ſuper homines copioſè. Si modo aduertit homo expāſiones nubium, & [g] eleuationes tabernaculi eius. h Ecce expandit ſuper ipſam lumen ſuum, & radices maris operit. i Per hæc enim iudicat populos, & dat eſcas † in copia. k In manibus abſcondit lucem, & præcepit ei, vt † ſubitò adueniat. † Annuntiat de illa ſocius eius: tonitru erit in nube aſcendente.

SCHOLIA.

a Cum & is apud te ſit.] *Hoc eſt, cum & tu illum agnoſcas, ſaltem in afflictione tua.* b Indicabit eis opera eorum.] *Hoc eſt reuocat errantes, & peccatores flagellis & afflictionibus. Hypocritæ verò falſum ſimulantes pœnitentiam reuocari non poſſunt ab errore, ſed moriuntur in obſtinatione ſua, cū verè ad Deum non clament &c.* c Iudicium quidem impij impleuiſti.] *Nempe dum videris illorum cauſæ patrocinari.* d Ne protrahas noctem.] *Vel ne abſorbeas noctē, hoc eſt, nō ſatiget te per noctem hæc cogitatio, quomodo aut quare Deus auferat populos de locis ſuis, etiam qui magnis pollent viribus.* e Cœpiſti ſequi.] *Hoc eſt, incidiſti in reprobum ſenſum propter afflictionem. Confugiendum igitur ad ſummum illum, & veriſimum doctorem, qui in nullo eſt reprehenſibilis.* f De quo cecinerunt viri.] *Homines grati et ſancti cantant, & glorificant Deum in operibus ſuis, & veluti per ſpeculum à longe cognoſcunt maieſtatem eius.* g Eleuationes tabernaculi eius.] *Nubem propter varias operationes, & iudicium Dei, quod in illis agnoſcitur, tentorium vocat Dei, per radices maris, intellige ambitum eius.* h Ecce expandit ſuper ipſam.] *Videlicet, nubem. mutat. n. numerum, nam dixerat, expanſiones nubium.* i Per hæc enim iudicat populos.] *Per nubes Deus exerit iudicium ſuum, cum pleroſque per eos terreat, & ſubmergat horribili tempeſtate, alios verò exhilaret, fœcundans terram ſalutari pluuia.* k In manibus abſcondit lucem.] *Quidam ſic interpretantur. Per nubes operit lucem, ideſt, exhalationem, quæ mox in fulgur rumpitur, & præcipit Deus, vt exhalatio occurrat vapori, & impellatur, donec inflammata, violēter rumpat nubem. Et tunc annuntiat de ea ſocius eius, nubes ſcilicet violenter rupta, quæ horribilem edit boatum, & veluti immenſam iram declarat, quæ ex aſcendente vapore ſpirat. Et quod ait, præcipit ei, vt ſubito aduenat, poteſt & verti, præcipit ei propter orantem.*

CAPVT XXXVII.

S Vper hoc expauit cor meum, & emotum eſt de loco ſuo. Audite auditionem in terrore vocis eius, [a] & ſonum de ore illius procedentem. Subter omnes cœlos † diriget ipſum, & lumen illius ſuper terminos terræ. b Poſt eum rugiet ſonitus, tonabit voce magnitudinis ſuæ, & non † tardabit in eis, cum audita fuerit vox eius. Tonabit Deus in voce ſua † qui mirabilia facit, † & magna, † neſcientibus nobis.

Qui

Qui præcipit niui vt deſcendat ſuper terram, † & pluuiam redigit in imbrem, & fortitudine ſua ex nubibus facit pluuiam. c Qui in manu omnium hominum ſignat, vt nouerint ſinguli opera ſua. Ingredietur beſtia latibulum, & in antro ſuo morabitur. d Ab interioribus egredietur tempeſtas, & ab arcturo frigus. Flante Deo concreſcit gelu, & † latitudo aquarum conſtringitur. † Sed & propter irrigationem fatigat nubes, & ſpargere facit nubes pluuiam ſuam. e Quæ luſtrant cuncta per circuitum quocunque eas voluntas gubernantis duxerit, ad omne quod præcepit illis ſuper faciem orbis terrarum. f Siue † pro flagello, ſiue pro commodo terræ ſuæ, ſiue pro beneficio, quod offert. Auſculta hæc Iob: ſta & cōſydera mirabilia Dei. Nunquid ſcis quando præcepit Deus † ſuper eis, vt oſtenderet g lucem nubium eius? † Nunquid noſti diſgregationes nubium, & mirabilia eius, qui eſt perfectus in ſcientijs? † Vnde veſtimenta tua calida ſunt, h cum † perflari deſierit terra auſtro? Tu forſitan cum eo fabricatus es cœlos, qui ſolidiſſimi quaſi ære fuſi ſunt? Oſtende nobis quid dicamus illi: i non enim valemus concinnare verba idonea propter tenebras. k Quis narrabit ei quæ loquor? etiam ſi locutus fuerit homo, deuorabitur. l † Nunc non vident lucē, † quę ſplendet in nubibus, & ventus tranſiens fugabit eas. Ab aquilone † venit ſerenitas aurea in conſpectu Dei, qui terribilis eſt in magnificentia. Digné eum inuenire nō poſſumus: magnus fortitudine, & iudicio, & iuſtitia, & m † non affligit. Ideo timebunt eum viri, & non audebunt contemplari omnes † ſapientes corde.

SCHOLIA.

a Et ſonum.] *Vocat horribilem tonitrui ſonum, Vocem Dei, quæ rugit ſub vniuerſo cœlo, ſimulque lux ipſa & fulguratio, diſcurrit in finibus terræ.* b Poſt eum rugiet ſonitus.] *Corruſcationem tonitrui rugitus ſequitur, non multò autem poſt ſequitur vel pluuia, vel grando, vel fulmen: non enim tardat in eis, id eſt, in nubibus.* c Qui in manu omnium.] *Quia variæ ſunt in aere immutationes, coguntur homines notare ſigna, vnde colligant, quando terra ſit inuertenda, ſeminanda, ſtercoranda, arbores putandæ, aut propter ſuperuenturum frigus tegendæ. Quin & animalia temporum agnoſcunt viciſſitudines: & hyemali tempore vel pluuio ſeſe recipiūt in latibula terræ. Alius vertit, omnem hominem includit, vt ſciat vnuſquiſque opus ſuum &c. quòd ſcilicet homines ob pluuiam continuantur domi, ſolliciti quo pacto res in agris ſe habent.* d Ab interioribus.] *Quod quidam ſic exponit. Ex penetralibus nubium venit vetus tempeſtuoſus. Et quod ait, Ab arctoo frigus, alij verterunt, Ex diſperſionibus nubium frigus, quando ſcilicet poſt grandines pulſis nubibus frigora ſequi ſolent.*
e Quæ luſtrent cuncta.] *Alij verterunt, ipſe reuoluit orbes gubernatione ſua in opus ſuum &c. hoc eſt, ipſe inuertit cauſas, vt homines perficere poſſint labores ſuos, ſi enim perpetuò pluueret, nemo terrā colere poſſet.* f Siue pro flagello.] *Prunam & grandinem omnia deuaſtantem, vocat hic flagellum, ſeu virgam Dei.* g Lucem nubium eius.] *Putant per hæc ſignificari iridem.* h Cum perflari deſierit terra auſtro.] *Alius vertit, Quando ille tranquillam facit terram à meridie, vt ſit ſenſus, quando quieſcit ventus auſtralis, & inhorreſcit frigidus ventus aquilonaris, vnde ſuppeditatur corpori tuo calor.* i Non enim valemus.] *Nos, inquit, verſamur in tenebris, & laboramus ignoratia: tu ergo, qui te Deo fere æquas, oſtende nobis, quid de Deo ſublimè loquamur.* k Quis narrabit?] *Nihil, inquit, poteſt narrari de Deo, quod Deo ſatis ſit dignum, cum in tenebris verſemur, & ſi quiſpiam id auſus fuerit, is abſorbebitur & opprimetur à gloria.* l Nunc non vident lucem.] *Fit interdum vt nubes nobis intercipiant lumen ſolis, ſed quas ventus aquilonaris iterum diſpellit ſerenitatem afferens aeris.* m Non affligit.] *Quantum ex ſe, eſt ad miſerēdum pronus, ſed peccata noſtra cogunt iuſtum iudicium infligere pœnas.*

CAPVT XXXVIII.

A Rеſpondens autem Dominus Iob [a] de turbine, dixit, [b] Quis eſt iſte † obſcurans conſilium ſermonibus imperitis? Accinge ſicut vir lumbos tuos, interrogabo te, & † tu doce me. Vbi eras quando ponebam fundamenta terræ? indica mihi, ſi habes intelligentiam? Quis poſuit menſuras eius ſi noſti? vel quis tetendit ſuper eam lineam? Super quo baſes illius ſolidatæ ſunt? aut quis dimiſit lapidem angularem eius? Cum me laudarent ſimul [c] aſtra matutina: & iubilarent omnes filij Dei? Quis concluſit oſtijs mare, [d] quando † erumpit quaſi de vulua procedens? Cum ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem? Circundedi illud terminis meis, & poſui vectem & oſtia.
B Et dixi, vſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos. Nunquid poſt ortum tuum præcepiſti diluculo, & oſtendiſti auroræ locum ſuum? † [e] Vt apprehendat extrema terræ, & † eijciantur impij ex ea? Conuertitur veluti lutum à ſignaculo, & ſtabit ſicut veſtimentum. Auferetur ab impijs lux ſua, & brachium excelſum confringetur. Nunquid ingreſſus es [f] profundum maris, & in nouiſſimis abyſsi deambulaſti? Nunquid apertæ ſunt tibi portæ mortis, & oſtia tenebroſa vidiſti? Nunquid conſyderaſti latitudines terræ? indica mihi ſi noſti omnia. In qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit? Vt ducas † eam ad terminos ſuos, & intelligas ſemitas domus eius. [g] Sciebas tunc quòd na-
C ſciturus eſſes & numerum dierum tuorum noueras? Nunquid ingreſſus es theſauros niuis, aut theſauros grandinis aſpexiſti? Quæ præparaui [h] in tempus hoſtis, in diem pugnæ & belli? Per quam viam ſpargitur lux, diuiditur æſtus ſuper terram? Quis dedit vehementiſsimo imbri curſum, & viam ſonantis tonitrui? Vt plueret ſuper terram abſque homine, in deſerto, vbi nullus mortalium commoratur? Vt impleret inuiam & deſolatam, & produceret hærbas virentes? Quis eſt pluuiæ pater? vel quis genuit ſtillas roris? De cuius vtero egreſſa eſt glacies? & † pruinam cœli quis genuit? In ſimilitudinem lapidis aquæ durantur, & ſuperficies abyſsi conſtringitur. Nunquid coniungere valebis micantes ſtellas pleiades, aut
D gyrum arcturi poteris diſsipare? Nunquid producis luciferum tempore ſuo, † aut arcturum cum filijs ſuis ducere poteris? Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationem eius in terra? Nunquid [i] eleuabis ad nebulam vocem tuam, & impetus aquarum operiet te? Nunquid mittes fulgura, & ibunt: & † dicent tibi, Adſumus? Quis poſuit [k] in renibus ſapientiam? vel quis dedit † cordi intelligentiam? Quis enarrabit

cœlorum rationem,& † lagenas cœli quis † quiescere facit?! Quando fundabatur puluis in terrã, & glebæ compingebantur?

SCHOLIA.

[a] De turbine.] *Dominus totius litis, quæ in hoc libro agitatur, arbiter & diremptor, ex turbine apparet viro sancto ærumnoso scilicet homini conformem exhibens aspectum, vel vt alij turbinem exponunt, apparuit Dominus in grani somn, mentisque excessu, qualis in Adam fuit. Reprehendit autem primò Dominus Iob, quòd cum Deo contendere voluerit, deinde amicos eius, qui iuxta huius seculi fortunam, virum sanctum temerè iudicauerunt, neglecta in amicum amicitia.*

[b] Quis est iste obscurans consilium?] *Qui suam mentem sine amicorum offendiculo explanare non potuit, quomodo ad diuina dyudicanda per se aptus erit?* [c] Astra matutina.] *Hebræi intelligunt corpora cœlestia, quæ hic referuntur pro modulo suo laudasse Deum cum poneret fundamenta terræ. Sed, cum cœlum & terra simul sint fundata, vt patet ex principio Geneseos, nostri per Stellas intelligunt angelos.* [d] Quando erumpit.] *Semper mouetur mare & agitatur immensis procellis: & tamen per Deum coercetur intra limites suos. Nebulæ & nubes sunt indumentum eius, teneturq; ligatum in loco suo, velut infans, qui fascia ligatus tenetur intra cunabula.* [e] Vt apprehendat extrema terræ.] *Sensus est. Subito exporrigitur lux auroræ in vniuersam terram, & tunc impij, qui fugiunt lucem, ejciuntur de terra, abdentes se in locis tuturibus. Tunc conuertitur terra, sicut cum sigillum figuram suam imprimit luto: sic impij alias facies sumunt, & simulant se probos, ac veluti aliud induunt vestimentum. Alij tamen aliter hunc locum exponunt.* [f] Profundum maris.] *Hebraismus habet, perplexitates maris, per quas significantur gurgites, voragines & recessus maris. Sicut & per portas mortis intelliguntur tenebrosi specus subterranei.* [g] Sciebas tunc.] *Alij sic interpretantur, Cognoscebas quidem ista, si iam olim creatus fuisses, & haberes numerum dierum multorum.* [h] In tempus hostis.] *Hoc est, cum volo punire homines, vt non nonnunquam grandinibus, fulminibus, & inundationibus. Et quod ait, diuiditur æstus. Pro æstu in Heb. est. Ventum orientalis. Vel, vrens.* [i] Eleuabis ad nebulam.] *Nunquid voce tua poteris imperare nubibus, vt pro arbitrio tuo effundant aquas?* [k] In renibus sapientiam.] *Interiora renes vocat, vt sapientiæ sedes. Et quod ait, cordi, sunt etiam inter Hebræos; qui gallum interpretentur. Per lagenas cœli intellige nubes, quæ dum effundunt aquas, dissipatum pulverem conglutinat, et glebæ compinguntur.* [l] Quando fundabatur puluis in terram.] *Hoc est, quando puluis in rem solidam firmabatur.*

CAPVT XXXIX.

[a] Vnquid capies leoni prædam, & animam catulorum eius implebis, quando cubant in antris, & in A
specubus insidiantur? Quis præparat coruo escam suam, quando pulli eius clamant ad Deum vagãtes, eò quòd non habeant cibos? Nunquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas obseruasti? Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum? Incuruantur ad fetum & pariunt, [b] & † partus suos emittunt. † Pinguescunt filij earum, augentur, egrediuntur, et non reuertuntur ad eas. Quis dimisit onagrum liberum, & vincula eius quis soluit? Cui dedi in solitudine domum, & tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnet multitudinem ciuitatis, clamorem exactoris non audit. Circunspicit montes pascuæ suæ, & virentia quæq; perquirit. [c] Nunquid volet rhinoceros seruire tibi, aut B
morabitur ad præsepe tuum? Nunquid alligabis rhinocerota ad arandum loro tuo? aut confringet glebas vallium post te? Nunquid fiducia habebis in magna fortitudine eius, & derelinques ei labores tuos? Nunquid credes illi, quòd sementem reddat tibi, & in areãm tuam cõgreget? † Alis pauo exultauit, nunquid pênas Struthioni, & plumas dedisti? Quando derelinquit ouа sua in terra, † & in puluere [d] calefacit ea, Obliuiscitur quòd pes conculcet ea, aut bestia agri conterat. Duratur ad filios suos quasi non sint sui, † & quasi frustraneus esset labor partus eius, sic est sine pauore. Priuauit enim eam Deus sapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum & ascensorem eius. Nunquid prebebis C
equo fortitudinem, aut circundabis collo eius [e] hinnitum? Nunquid suscitabis eum quasi locustas? [f] gloria narium eius terror. Terram vngula fodit, exultat audacter: in occursum pergit armatis. Contemnit pauorem, † & non frangitur animo, nec cedit gladio. Super ipsum sonabit pharethra, † cuspis lancea & hasta. Feruens & fremẽs † effodit terram, nec reputat tubę sonare clangorẽ. Vbi audierit buccinã, dicit, † Heah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus. Nunquid per sapiẽtiam tuam plumescit accipiter, expandens alas suas ad austrum? Nunquid ad præceptum tuũ eleuabitur aquila, & in arduis ponet nidum suum? In petris manet, in præruptis silicibus commoratur, atq; in inaccessis rupibus. Inde D
contemplatur escam, & delonge oculi eius prospiciunt. Pulli eius lambunt sanguinem: & vbicunq; cadauer fuerit, statim adest. Et adiecit Dominus, & locutus est ad Iob, † Annon contendẽs cum altissimo declinabit? vtiq; qui arguit Deum, debet respõdere ei. Respondẽs autem Iob Dño, dixit, † Ecce qui abiectę sortis sum, respondere tibi quid possum? manũ meam ponam super os meum. [g] Vnũ locutus sum, † et non respondebo, & alterum, quibus vltrà non addam.

SCHOLIA.

[a] Num capies leoni prædam?] *Transit ad animalia in quibus diuinam sapientiam mira ingeniorum varietas testatur. Quare autem Deus huic talem & alteri aliam naturam dederit, nullus explicabit homo.* [b] Partus suos emittunt.] *Hebraismus habet dolores suos. De difficultate partus ceruarũ mira scribunt Hebræi: in Psalmis quoque fit mẽtio de difficili earum partu.* [c] Nunquid volet Rhinoceros.] *Quasi dicat morietur potius, quàm libertatem suam amittere velit.*
[d] Calefacit ea.] *Non quòd incubet eis, nam corporis eius pondere facile comminuerentur, sed dimittit ea in puluere, vt calore solis foueantur. Habet præterea innatam hanc vel crudelitatem, vel obliuionem, vt editis ouis, nõ sit sollicita propter ea, neq; curet si dispergantur, aut conculcentur.* [e] Hinnitum.] *Alius vertit strepitum, & intelligitur animositas equi, & addit, Nunquid suscitabis eum, quasi locustas? hoc est, Nunquid terrorem incuties ei, quasi locustæ?* [f] Gloria narium.] *Virtutis narium eius habet terrorem.* [g] Vnum locutus sum.] *Locutus quidem sum iterum atque iterum, sed nunc tacebo: & hoc lapsu prudentior factus, ne ad eundem lapidem rursus impingam, sedulo cauebo.*

Caput

CAPVT XL.

A Respondens autem Dominus Iob de turbine, dixit, Accinge sicut vir lumbos tuos: interrogabo te, & indica mihi. Nunquid irritum facies iudicium meum: & condemnabis me, vt tu iustificeris? Et si habes brachium sicut Deus, & si voce simili tonas, Circunda tibi decorem, & in sublime erigere, & esto glorioſus, & speciosis induere vestibus. [a] Disperge superbos furore tuo, & respiciens omnem arrogantem humilia. Respice cunctos superbos & confunde eos, & contere impios in loco suo. Abscõde eos in puluere simul, & facies eorum demerge in foueam. Et ego confitebor quòd saluare te possit dextera tua. [b] Ecce, B
Behemoth quem feci tecum, fœnum quasi bos comedet. Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius. Stringit caudam suam quasi cedrum, [c] nerui testiculorum eius perplexi sunt. Ossa eius velut fistulæ æris, † ossa, inquam, eius sunt sicut baculus ferreus. Ipse est [d] principium viarũ dei qui fecit eum, [e] applicabit gladium ei. Huic montes herbas ferunt: omnes bestiæ agri ludent ibi. Sub vmbra dor- C
mit in secreto calami, in locis humentibus. † Obtegent ipsum arbores vmbrosæ, vt habeat vmbram, circundabunt eum salices torrentis. Ecce, [f] absorbebit fluuium, & non mirabitur: habet fiduciam, quòd influat Iordanis in os eius. † Oculis suis tollit eum in offendiculis perforat narẽ. An extrahere poteris [g] Leuiathan hamo, & fune ligabis linguam eius? Nũquid pones circulum in naribus eius, aut † spina perforabis maxillam eius? Nunquid multiplicabit ad te preces, aut loquetur tibi mollia? Nunquid feriet tecum pactum, D
& accipies eum seruum sempiternum? Nunquid illudes ei quasi auí? aut ligabis eum cum ancillis tuis? [h] Concident eum amici, diuident illum negociatores. [i] Nũquid implebis sagenas pelle eius, & gurgustium piscium capite illius? Pone super eum manum tuam: memẽto belli, nec vltrà addas. † Ecce, spes eius frustrabitur eum, & † nónne tolletur ad aspectum eius?

SCHOLIA.

[a] Disperge superbos.] *Hoc est, si es tam potens, vt ego: disperge omnes aduersarios tuos, humilia superbos, & contere impios de terra. Sin id nequis, agnosce infirmitatem tuã.* [b] Ecce Behemoth.] *Ostendit Deus in Behemoth & Leuiathan magnificentiam suam, quòd possit facere quæcunque vult. Est Behemoth secundum Hebræos animal terrestre miræ magnitudinis, sicut & per Leuiathan intelligunt cetum, & ingentem piscem marinum. Et quod ait. Stringit caudam, vel potius, pro arbitrio monet, sicut cedrum, significat proceritatem, ac rigiditatem caudæ.* [c] Nerui testiculorum.] *Hoc est, in infimis & vilissimis membris, in quibus alia animantia magis infirma cernũtur maius robur inesse.* [d] Principium viarum Dei.] *Ipse vnus ab initio maior creaturis, quas fecit Deus in seculo inferiori. Vel, ipse est caput bestiarũ omnibus diebus seculi. Sic enim quidam Hebræi exponunt.* [e] Applicabit gladium.] *Hoc est, potest interficere ipsum.* [f] Absorbebit fluuium.] *Sensus est, cum bibit, ingentem facit haustum, quasi totum cupiat ebibere flumen. Immo nutibus oculorum ostendit quasi totum flumen velit exhaurire, & si quispiam obstiterit, hunc naribus conatur adigere in periculo. Variè tamen exponitur, & putant quidam hunc esse elephãtum.* [g] Leuiathan.] *Hoc est, magnam beluam marinam, in quam solus Deus potestatem habet, vt illam pro voluntate coerceat, capiat, & ponat hamum in maxillam eius.* [h] Concident eum.] *Solent conuiuia publica fieri, quando capiuntur grandiores pisces, aut negociatores partiuntur illos inter se: sed quod cum Leuiathan homines facere nequeunt, qui in solius Dei est potestate. At cæci Iudæi finxerunt hinc magnum quoddam & generale conuiuium: quod in resurrectione mortuorum sint celebraturi. Atqui eorum quidam partem suam, magna vi pecuniæ non vederent, ne eb illo excluditur conuiuio.* [i] Nunquid implebis.] *Hoc versiculo ostenditur magnitudo huius beluæ, sicut duobus sequentibus terror eius. Nam si quisquam voluerit cum eo inire certamen, cogitetque quam periculosum sit pugnare aduersus talem beluam, desistet, ac metu percussus fugiet ad conspectum eius.*

CAPVT XLI.

A † Emo est tam crudelis, qui excitare possit eum, [a] & quis est ille qui coràm me consistat? Et quis dedit antè mihi, vt reddam ei? omnia quæ sub cœlo sunt mea sunt. † Non silebo mẽbra eius, & quicquid habet virium, gratiam quoque dispositionis eius. [b] Quis reuelabit faciem indumenti eius: & multiplici freno quis accedet? Portas vultus eius quis aperiet? per gyrum dentium eius formido. [c] Cor- Iere. 50.
B pus illius quasi scuta † compactum squamis se prementibus. Vna vni coniungitur, & ne spiraculum quidẽ incedit per eas. Vna alteri adhærebunt, & tenentes se nequaquam separabuntur. Sternutatio eius splendor ignis, & oculi eius vt palpebræ diluculi. De ore eius lampades procedunt sicut tedę ignis accensæ. De naribus eius procedit fumus sicut ollæ succensæ, atq; feruentis. Halitus eius prunas ardere facit, & flamma de ore eius egreditur. In collo eius morabitur fortitudo, & † coràm eo [d] comminuetur labor. Partes carniũ
C eius cohærentes sibi: † soliditas in eis non mouebitur. Cor eius indurabitur tanquam lapis, & † solidum sicut lapis molaris inferior. [e] Cum † eleuatus fuerit, timebunt fortes & territi purgabuntur. [f] Cum apprehẽderit eum gladius, subsistere non poterit, neq; hasta, neque thorax. Reputabit enim quasi paleas ferrum, & quasi lignum putridum æs. Non fugabit eum vir sagittarius, in stipulam versi sunt ei lapides fundæ. Quasi stipulam æstimabit malleum, & deridebit vibrantem hastam. Sub ipso erunt † [g] acutæ testæ, sternet sibi
D asperum locum quasi lutum. Feruescere faciet quasi ollam profundum maris: & ponet quasi † mortarium pigmentariorum. Post eum lucebit semita, æstimabit abyssum quasi senescentem. [h] Non est super terram potestas, quæ comparetur ei, qui factus est vt nullum timeret. [i] Omne sublime videt, ipse est rex super vniuersos filios superbiæ.

SCHOLIA.

[a] Et quis est ille.] *Quis est, inquit, qui audeat contendere mecum, & in faciem resistere, cum nemo sit tam audax, qui Leuiathan beluam marinam dormientem, & quietam excitare conetur, quæ tamen à me creata est, mirabili corporis, et mẽbrorũ dispositione, ac fortitudine?* [b] Quis reuelabit.] *Hoc est quis audebit expoliare cutẽ eius, aut quis audebit accedere,*

Vt illi frenum multiplex injciat & extrahat? [c] Corpus illius quasi scuta.] *Hebraismus habet. Superbit robore scutorum, quæ clausa sunt signaculo angusto.* [d] Comminuetur labor.] *Tanta est fortitudinis, vt nihil ei sit laboriosum.* [e] Cum eleuatus fuerit.] *Cum se mouet in mari, tanti excitantur fluctus, vt fortes quoque metu dissoluti, stercore & lotio sese coinquinent.* [f] Cum apprehenderit eum gladius.] *Vel, qui adhibuerit ei gladium, non figetur in eo, Sic qui adhibuerit lanceam, hastam, & loricam, nihil efficiet.* [g] Acutæ testæ.] *Tam durum, inquit, ac forte habet corpus, vt tam suauiter cubet super asperas, duras, & præacutas testas, ac si cubaret in luto. Et cum se mouet, feruet mare tempestatibus, in modum bullientis ollæ, & omnia confunditur in mari, sicut cum variæ species commiscentur in mortario. Et cum vagatur per mare, relinquitur post ipsum via quædam spumosa, & alba, vt abyssus cana videri possit ab ipsa spuma.* [h] Non est super terram.] *In Heb. est. Non est in puluere potestas eius, quod quidam interpretantur, non in terra cura, sed in mari potestatem habere priori tamen sententiæ multi fauent.* [i] Omne sublime.] *Quicquid sublime & forte est despicit præ nimia fortitudine sua, cum rex sit super cunctas creaturas magnificas & sublimes, præsertim qui vagantur in mari. Nostri hæc omnia quæ de Leuiathan scribuntur, referunt per allegoriam in diabolum, & membra eius. Huius os dolosum & mendax nemo freno cohibere potest: is habet dentes præacutos, & varios nocendi modos: tegitur squamis, idest, technis, spumat ignem, seminans scilicet incendia discordiarũ. Quando mouet se, fœuit mare, quia à Satana sunt bella, homicidia, & tumultus, qui sunt in mundo, nec quicquam metuit in toto mundo præter diuinam maiestatem.*

CAPVT XLII.

RE spondens autem Iob Domino, dixit, Scio quòd omnia potes, [a] & nulla te latet cogitatio. Quis est iste qui cœlat consilium absq; scientia? † Ideo indicaui, quòd non intellexerim ea, quę vltra modum excedunt scientiam meam. Audi, & ego loquar: interrogabo te, & respondebis mihi. Auditu auris audiui te, nunc autem oculus meus videt te. Iccirco ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in faualla & cinere. Postquam autem locutus est Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitẽ, Iratus est furor meus in te, & in duos amicos tuos, quoniam non estis locuti coràm me rectum sicut seruus meus Iob. Sumite ergo vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob, & offerte holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia: neque enim locuti estis coràm me rectum, sicut seruus meus Iob. Abierunt ergo Eliphaz Themanites, & Baldad Suhites, & Sophar Naamathites, & fecerũt sicut locutus fuerat Dominus ad eos, & suscepit Dominus faciem Iob. [b] Dominus quoq; conuersus est ad pœnitentiam Iob, cum oraret ille pro amicis suis. Et addidit Dominus omnia, quæcunq; fuerant Iob, duplicia. Venerunt autem ad eum omnes fratres sui, & vniuersæ sorores suæ, & cuncti qui nouerant eum prius: & comederunt cum eo panem in domo eius. Et mouerũt super eum caput, & consolati sunt eum super omni malo quod intulerat Dominus super eum. [c] Et dederunt ei vnusquisq; ouem vnam, & inaurem auream vnam. Dominus autẽ benedixit nouissimis Iob magis, quàm principio eius. Et facta sunt ei quatuordecim millia ouium, & sex millia camelorũ, & mille iuga boum, & mille asinæ. Et fuerunt ei septem filij, & tres filiæ. Et vocauit nomen vnius [d] Diem: & nomen secundæ Casiam: & nomen tertiæ Cornu stibij. Non sunt autem inuentæ mulieres speciosæ, sicut filię Iob in vniuersa terra. Deditq; eis pater suus hæreditatem inter fratres earum. Vixit autem Iob post flagella hęc, centum quadraginta annis, & vidit filios suos, & filios filiorum suorum, vsque ad quartam generationem: & mortuus est senex, & plenus dierum.

A

B

C

D

SCHOLIA.

[a] Et nulla te latet cogitatio.] *Vt enim es potentissimus, ita quoq; es sapientissimus, quem nullum latet secretum, & cui manifestæ sunt cogitationes cordis. Ego agnosco me illũ esse, de quo tu dixisti. Quis est iste, qui occultat cõsilium absq; scientia? dum disputarem de ys, quæ longe sunt celsiora, quàm vt ea assequi intelligentia possem. Audi igitur nunc confessionem meam, qui nunc clarius te video, quam antea, cum solũ per aures tunc te audierim.* [b] Dominus quoq; conuersus est.] *Alius vertit, Dominus cõuertit captiuitatem Iob. Vocatur enim tota miseria eius captiuitas quædam, quòd & corpus eius captiuum teneretur à morbis, & omnia iumenta eius captiua abducta essent. Fily quoque eius morte intercepti. Et obserua, Dominum tunc demum conuertisse captiuitatem Iob, cum ipse orauit pro ys, qui ei fuerant aduersati.* [c] Et dederunt ei.] *Simul cum hoc symbolo, veram seruitutem atque obedientiam promittẽtes.* [d] Diem.] *Iemima, hoc est, diurnam. Chaldæus interpres adycit rationẽ, quare filias his appellauerit nominibus. Vocauit, inquit, Iemã Iemima, quòd pulchra esset sicut dies: alteram, Casia, siue Relia, quòd nobilis esset sicut species aromatica, quam casiam vocãt, & tertiam Cerenhapuch, id est, cornu stiby, propter eleganiam vultus eius. Vel etiam à copia omnium bonorum, quasi beatam.*

FINIS.

LIBER PSALMORVM.

PSALMVS I.

[a] EATVS vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit. [b] Sed in lege Domini voluntas eius: & in lege eius meditabitur die ac nocte. [c] Et erit tanquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum: quod fructum suũ dabit in tempore suo. Et folium eius nõ defluet: & omnia quæcunque faciet, prosperabuntur. [d] Non sic impij, non sic: sed tanquam puluis, quem proijcit ventus à facie terræ. Ideo [e] non resurgent impij in iudicio, neque peccatores in concilio iustorum. Quoniam [f] nouit Dominus viam iustorum: & iter impiorum peribit. Iere. 17. b

SCHOLIA.

Existimant pleriquenon omnes psalmos esse Dauid, sed illos ab ijs factos, quorum nominibus sunt prænotati, vt Iudithi, filiorum Chore, Asaph, Emam, Ethan, & siqui alij sunt huius generis tituli. Cæterum alij has inscriptiones id signi ficare tantum volũt, quòd his viris, quos beatus Dauid elegerat ex tribu Leui, in duces, ac principes chororum, quos & instituerat, vt variis organis Deum laudarent, quorum genera aperte postremus omnium psalmus commemorat: his inquã viris priuatim illi psalmi, qui eorum nomina præferunt, canendi, aut certe accepta à Dauid materia, componendi traditi sint. Quod etiam manifestius esse dicunt ex ys, quæ in libro Paralip. legimus. Cecinit (inquit) canticum hoc in manu Asaph. Quocirca etiam eos, qui inscriptione carent, non dubitant illius esse, hoc præsertim argumento, quòd nonagesimus quartus psalmus inscriptione caret, quem tamen in Epistola ad Hebræos Apostolus ascripsit ipse Dauid. Alij eiusmodi psalmos crediderunt ab ys compositos, quorum proximè nomina in præcedentium psalmorum inscriptionibus expressa habentur. Cumque hac lege psalmus, qui incipit. Dominus regnauit iræscantur populi, Mosis esse debeat, fiat autem in illo mentio etiam Samuelis, qui multo post Mosen fuit, confugiunt ad propheticam præcognitionem, qua & Iosiæ regis nomẽ multis ante sæculis, quàm nasceretur, prædictum à propheta legimus. 3. Reg. 13. Alij decem fuisse volunt huius libri psalmorum authores, vel Dauid cõscripsisse librum suum per manus decem seniorum. Verum cum omnis scriptura teste Apostolo sit diuinitus inspirata, certum est principem huius libri authorem esse Spiritum sanctum. Vt non multum opus sit, per quos id opus composuerit, digladiari. Id quoque vulgatum est, ab Esdra in vnum volumen has sacras odas collectas, & digestas esse (quanquam ferunt quidam hoc apud Hebræorum scripturas non inueniri) Creditæque sunt fuisse quasi reliquiæ quædam, quæ tunc extarent. Nam quando mille & quinque, vnus Salomon composuit, dubium non est intercidisse quamplurimas. Eodem modo creditur à quibusdam, aliquot à posterioribus adiectas, maximè Religione instaurata per Machabæos. Etenim 74, & 78, et 79, psalmos de ea populi calamitate, quam ab Antiocho Iudæi pertulerunt, canere, non dubitari: Nam quòd y Asaph nomine prænotati sint, non plus valere putant, quàm compositos ab eo sacrorum cantorum ordine, quorum Asaph pater & princeps fuerit. Constat etiam psalmos nõ esse iuxta verum, quas canunt, ordinẽ digestos. Qui enim tertio loco habetur, de seditione Absalon memorat, & 139, de persecutione Saulis. Sic & alij multi posteriore loco positi, res prius gestas continent, & contra. De inscriptionibus quoque psalmorum nihilo certiora afferuntur, tam ab hebræis, quàm à nostris. Quæ ex ys historias sacras notant, claui vice hactenus sunt ad psalmos intelligendos sed præter apertè indicatas historias, habẽt ferè dictiones quasdã, quarum intelligentia ne Hebræis quidem adhuc peruestigari potuit. Omnium frequentissima est illa, lamnatzeach quam vertunt, in finem. præter hanc vocem pleræque aliæ in inscriptionibus identidem recurrunt, æquè ancipitis significationis, tam Hebræis, quàm nostris, vt Alamoth, quam dicũt significare absconditas, vel adolescentulas. Neginoth, id est, modulationes. Schiagion, ignorantiam. Schiginoth, ignorantias vel curas. Githith, torcular. Schosannim, lilia, vel rosas. Necheloth, hæreditates. Michtam, insignem. Machelach, congregationem, vel infirmitatem. Scheminith, octauam. Mascel, erudiẽtem, vel intelligentiam. Maeioth, gradus. His alij putant significari modos & genera certa melodiarum. Alij instrumenta. Alij initia carminum, ad quorum modos sunt psalmi cantati: quibus hæc prænotata leguntur: alij singularum ethymon excutiẽtes, quæ sunt mysteria. Sed apud illos Hebræos, qui & doctrina præstant, & certiora sectantur, omnia propria nomina habentur. Vel modulationum, vel instrumentorum musicorum. Fateamur ergo, quòd & doctissimos, & vetustissimos Hebræorum fateri non piguit: has inscriptiones, vbi nullas notant historias, in sacris bibljs memoratas, à nobis cognosci non posse, propterea quòd institutum sacrorum cantorum, & rationem has modulandi sacras cantiones, penitus ignoramus. Quod ad nomen pertinet, nostri psalmum dicunt esse sonum organi cessante voce humana. Canticum, quãdo humana voce fit modulatio, sine concentu organi. Canticum psalmi, cum vox humana concentum sequitur organi. Psalmum cantici, vbi contra fit. Hebræorum doctores differentia huius rationem se ignorare ingenuè fatentur. De Selah, quod etiam Diapsalma dicitur, varia feruntur, vt credatur significare, vel mutationem sententiæ, aut cantus, vel pausam: seu interiectionem quandam pulsationis, vel fulgorem, atque illuminationẽ diuini spiritus, quæ tunc canentibus apparebat. Sed ex Hebræis eruditiores putant fuisse notam attollendæ vocis, ac propterea admonitionem, cogitationis animi intendendæ. [a] Beatus vir.] *Hebraismus habet, felicia illi. Quod verò sequitur. In consilio impiorum: Vel improborum, in via peccatorum, in sede Versutorum, Vel derisorum, schema est, quod congeries dicitur, dum propè idem significant, Vel certe amplificatio, dum stare plus videtur, quàm ire, & sedere plus, quàm stare. Obseruant autem Hebræi omnem hominis vitam, eundo, stando, & sedendo peragi. Nam iacere subsessione comprehenditur. Pulchrè verò hos gradus propheta posuit: nam primum aliquantum arridet peruersorum studia, & ad imitationem sui alliciunt, sed nondum animo in illis fixo stamus, quod si non illicò pedem referimus, vsu ipso facta illorum*

rum magis placebunt,& ſtabitur iam inter illos. Poſtremò eorũ etiã inſtituta profitemur:& tanquam eaũdem rerum magiſtri facti ſedemus. Fortaſſe vero non dixit,beatus qui nõ fuerit impius,nec peccator,ſed qui nõ abyt in conſilio impiorũ, etc. Vt ſignificaret homines potiſſimum imitatione euadere peccatores,et in ſcelera delabi,ſuperiores verò illi gradus in recte factis etiam ſeruantur. Vt primum bonorum conſuetudine delectati,quaſi cum illis ambulare incipiamus, antequam fixa mente illis adhæreamus. poſt verò progreſſu temporis intellecto recte viuendi fructu,tanquam pedem in eorum ſententia deſigimus, animumque offirmamus. Tum demum amorem illius pulchritudinis in aliorum animis inſeri cupientes, tanquam prædicatores & doctores ſedemus. In cathedra peſtilentiæ) pulchrè ſenſum expreſſit interpres,quod aly verterunt, in ſede verſutorum, vel in conſeſſu deriſorum, nam ver nihil peſtilẽtius prauis doctoribus. [b] Sed in lege Domini.] *in illis locis, vbi nos habemus Dominum,in Hebræo eſt nomen illud Dei præcipuum Τετραγράμματον,nempe iehouah, quod volunt ſignificare ens, ſiue exiſtens. Quod verò ſubdit,& in lege eius meditabitur die ac nocte,illud eſt,quod præcepit Dominus Deut.ſexto. Audi Iſrael (inquit Moſes) Dominus Deus noſter,Dominus vnus eſt. Diliges Dominum Deum tuum,ex toto corde tuo,ex tota anima tua,omnibus q; viribus tuis,ſint q; hæc,quæ ego hodie tibi præcipio,inſculpta cordi tuo: expones ea filys tuis, loquerisq; de illis,dum ſedes domi tuæ,cum iter facis per viam,cum accubas,cum ſtas. Alligabis ea manui tuæ ſignum, ſint tibi pro monili inter oculos tuos,inſcribesque ea poſtibus domus tuæ,& portis tuis.* [c] Et erit tanquam lignum.] *Parabola arboris in ſcripturis admodum frequens eſt,in hac enim & bonorum,& malorum, & arrogantium, & humilium natura exprimi magis perſpicuè,quàm alys in rebus videtur,Vt pluribus locis facile eſt obſeruare. Ait ergo,probum virum adhærentem diuinæ legi,& fructus ferre, et ſpeciem ſuam,ac gratiam nunquam amittere,haud aliter,quàm arbor iuxta aquas plantata,& c.proſperè autem omnia ei cedent,quia Vt ait Apoſtolus,diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

[d] Non ſic impij.] *Synecdoche eſt. Cum breuitatis & argutiæ gratia verbum ſubtrahitur. Quod verò ait, tãquam puluis, aly verterunt,glumam,quisquilias,feſtucam,res nimirum,quas facilè diſpellit vẽtus. Repetitio quidem illa,non ſic,& illud à facie terræ,non ſunt in Hebræo. ſed eius modi loca,quæ ſenſum potius adiuuant,quàm impediant, non fuerunt mutanda.*

[e] Non reſurgunt impij.] *Dictio Hebræa,ſignificat erigere ſeſe. Qui ergo perpetuæ morti ſunt addicti, reſurgere non valent,ſed iacebunt preſſi onere peccatorum ſuorum. Quid autem ſit,non reſurgere peccatores in iudicio, explicat propheta altero hemiſtichio,quando dicit,peccatores non inueniri in cœtu iuſtorum. Alius vertit,non ſtabunt,Vt ſtare in iudicio ſit, pro vincere iudicium,& cauſam probare. Vnde,& Terent. Vix ſteti,inquit,pro, vix fabulam approbaui, huic contrarium eſt, cedere cauſæ.* [f] Nouit Dominus viam iuſtorum.] *Synecdoche eſt,qua ex eo,quod præcedit id,quod eſt conſequens, intelligitur. Cognitionem enim ſolet amor conſequi: iter verò impiorum peribit, quoniam ſcelera impiorum hominum finem habebunt,quando Dominus viam iuſtorum,hoc eſt,conuerſationem optimam agnoſcet,atque æterna munerabit vita.*

PSALMVS II.

Actuũ 4.c

[a] Quare fremuerunt gentes:& populi meditati ſunt inania? [b] Aſtiterunt reges terræ, & principes cõuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus CHRISTVM eius. [c] Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipſorum. Qui habitat in cœlis irridebit eos:& Dominus ſubſannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira ſua:& in furore ſuo conturbabit eos. [d] Ego autẽ

Actuũ 13.c Heb.1.h &.5.b

conſtitutus ſum rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum eius,prædicans præceptum eius. Dominus dixit ad me,Filius meus es tu,ego hodie genui te. Poſtula à me,& dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ. [e] Reges eos in virga ferrea,& tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite:erudimini qui iudicatis terram. Seruite Domino in timore:& exultate ei cũ tremore. [f] Apprehendite diſciplinam,nequãdo iraſcatur Dominus,& pereatis de via. [g] Cum exarſerit in breui ira eius. [h] beati omnes qui confidunt in eo.

2.Reg.15

SCHOLIA.

Cum Paulus in actis Apoſtolorum cap. vij. citans illud,filius meus es tu,dixerit,id primo pſalmo contineri, vnde factum ſit, vt poſtea ex vno,duo facti ſint pſalmi,non magnopere laborãdum eſt, cum item Græci & Latini,ex nono & decimo apud Hebræos, vnum: ſicut & ex centeſimo decimo quarto,& centeſimo decimo quinto item vnum conflauerint,tum cẽteſimum decimum ſextum,& centeſimum quadrageſimum ſeptimum, vtrunque diuiſerint in duos. Hunc autem pſalmum de Chriſti ſeruatoris ſalutifero Regno canere, apud neminem orthodoxorum vnquam dubitatum eſt, cum præter Paulum aly quoque diſcipuli eum de Chriſto interpretati ſint. Sed quia pleraque omnia in veteri teſtamento ſub figura obtegebantur,hic quoque in Dauid adumbratus eſt Chriſtus. Cuius hic expreſſa fit mentio natiuitatis,paſſionis,& reſurrectionis. Id idem ſanè confitentur Iudæi,etiam ſi conſtanter de Chriſto noſtro exponendum negent. Hiſtoria igitur, quatenus pertinet ad Dauid, ea eſt,quæ ſcribitur. 2. Reg. 5. de Philiſtis,qui contra Dauid poſteàquam audierant, eum in Regem ſuper omnẽ Iſraelem vnctum, vniuerſi aſcenderant,idque cum ille iam Sion,quæ poſtea ipſius ciuitas vocata eſt,expugnaſſet. Contra hos Dominus inſignem Dauid victoriam dedit ſemel,atque iterum, regnumque ei miris incrementis auxit, ac roborauit, atque Sion in regni caput,in qua & ſacrarij ſui ſedem eſſe voluit,euexit, nam eò Dauid,deiectis Philiſtæys, arcam fœderis tranſtulit. Hæc aũt omnia appoſitè ad Chriſtũ verũ Regẽ aptãtur. [a] Quare fremuerũt gẽtes.] *Vel tumultuatæ ſunt. Hebræa dictio ſignificat turmatim, et per tumultum cõgregari, quod animaduertens Græcus interpres reddidit ἐφρύαξαν quod ſignificat, authore Heſychio. Cõcitati ſunt.* [b] Aſtiterunt reges.] *Qui ſint hi, aperuerũt Apoſtoli ipſis, qui in actis allegatos huc locũ ſic ſunt interpretati: conuenerũt enim verè aduerſus ſanctũ puerum tuũ Ieſum, quẽ vnxiſti, et Herodes, et pontius Pilatus, cum gentibus & populis Iſrael. Quidam Heb. interpretatur per principes, ſenatores, & ſummos conſiliarios, at hi potiſſimũ conſpirauerunt contra Chriſtum.* [c] Dirumpamus vincula eorum.] *Subaudi, Dicentes, dirumpamus, & c. atque hoc illud eſt, quod legitur in Euangelio nolumus hunc regnare ſuper nos.* [d] Ego autem.] *Heb. habet, ego autem conſtitui regem meum, nam frequens eſt Hebræis mutatio perſonarum. Verum cum ſententia non diſcrepet, noluimus locum hunc mutare: ſicut &, quod infra ſequitur, prædicans præceptum eius, cum in Hebræo ſit, narrabo decretum, nempe hoc quod ſequitur.*

Dominus dixit ad me, filius meus es tu, & mihi videtur factum, vt prò rege, vel alio titulo filium appellaret, quo nos facilius ad cogitationem veri filij Dei inuitaremur, hoc ipſum eſt, quod Dominus concilio Iudæorum reſpondebat, ex hoc tempore erit filius hominis à dextris virtutis Dei. His enim ſatis apertè decretum patris de ſe illis narrauit, regemq; ab ipſo creatum ſe palam profeſſus eſt, quod & coràm Pilato non tacuit, Sunt qui de æterna verbi Dei generatione hùc locum intelligãt: Paulus tamen in actis. 13. de regno mediatoris, quod, Vt homo adminiſtrat, hunc locum intellexiſſe videtur, ſic enim ait, Et nos euangelizamus vobis promiſſionem factam patribus, quòd eam Deus filys illorum, nempe nobis, præſtitit, reſuſcitato Ieſu, quemadmodum in primo pſalmo ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ego hodie genui te: eodem ſenſu & epiſtola ad Hebræos lucum iſtum accepit Chriſtus (inquiens) non glorificauit ſeipſum, ſed is, qui dixit ad eum, filius meus es tu, & quod ſequitur Ego hodie genui te, videtur aptari poſſe ad illud tempus, quo in baptiſmo facta eſt vox patris dicens, Hic eſt filius meus dilectus. Sunt tamen, qui referant ad innouationem illam, qua Chriſtus reduiuus ex ſepulchro ad immortalem reſurrexit vitã, quando additur, Poſtula à me, et dabo tibi gentes, & c. Et Chriſtus Matthæi vltimo dixit, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. [e] Reges eos.] *Vel confringes eos, nimirũ eos, qui conſpirantes in Dominũ, aduerſus eũ tumultuabãtur.* [f] Apprehendite diſciplinam.] *Sic & chaldæa paraphraſis, nam ait, ſuſcipite doctrinam, iuxta illud, tollite iugum meũ ſuper vos. In Hebr. eſt, oſculamini filium, ne forte iraſcatur, & pereatis à via.* [g] Cum exarſerit in breui.] *Si vel paulum exarſerit ira eius, vel ſignificat eum citius opinione affuturum, vt pœnam de contemptoribus ſuis ſumant.*

[h] Beati omnes qui cõfidunt in eo.] *Epiphonema eſt, adiectum cum affectu, qui in eo notatur, quod per quandam apoſtrophen velut exclamat.*

Pſalmus Dauid cum fugeret à facie Abſalom filij ſui. III.

DOmine quid multiplicati ſunt qui tribulant me? multi inſurgunt aduerſum me. Multi dicũt animæ meæ,[a] Non eſt ſalus ipſi in Deo eius. Tu autem Domine ſuſceptor meus es,[b] gloria mea,& exaltans caput meũ. Voce mea ad Dominum clamaui:& exaudiuit me de monte ſancto ſuo. Ego dormiui, & ſoporatus ſum:& exurrexi quia Dominus ſuſcepit me. Non timebo millia populi circundantis me:exur ge Domine:ſaluum me fac Deus meus. Quoniam [c] tu percuſiſti omnes aduerſantes mihi † in maxilla:dentes peccatorum contriuiſti. [d] Domini eſt ſalus:& ſuper populum tuum benedictio tua.

Ioan. 2.d

SCHOLIA.

Hiſtoria huius pſalmi habetur ſecundo regum à capite XV. vſque ad XX. In hoc autem pſalmo, quem tamen peracta re compoſitum creditur, more ſuo ſe per hypotypoſin introducit, ceu in eo periculo conſtitutum, volens ſcilicet ſuo exemplo ad fidendum Domino prouocare. Interim memineris, & hic & huiuſcemodi locis animum referre ad Chriſtum, cuius typum geſſit Dauid. [a] Non eſt Salus ipſi in Deo.] *Non ſine emphaſi dictum eſt, nam hic nomen à virtute, & robore ſcripturã Domino tribuit. Huius ergo fiuore, & ope, ac virtute exiſtimabant Dauid deſtitutum, Sclah. quod hic poſitum eſt, vel attollendæ vocis nota eſt, vel fortaſſe quædam admiratio, conſiſtente animo, & intra ſe cogitante, ac ſi diceret admirabundus. Tam inueniantur impudenter ſceleratí. Pulchrè autem & hic pſalmus figuram ſeruatoris præfert, nam quemadmodum Dauid in perſecutione ſily, egreſſus Ieruſalem, in vertice montis oliuarum ad Dominum precem fudit. Sic Dominus Ieſus Chriſtus, cum totus ferè Iſrael, cum principibus ſuis omnibus contra ipſum conſpiraſſent, & ipſe afflictus in monte oliuarum Deum patrem orauit.* [b] Gloria mea.] *Dictio Hebræa, quæ gloria vel decus verti ſolet, hic & multis alys locis, à quibuſdam Hebr. pro mente accipitur, vt ſit ſenſus. Domine ſcutum es corpori meo, & ſcutum es menti meæ, & quod ſequitur, & exaltans caput meum, caput deyciunt, qui pudore ſuffundũtur, vel etiam grauius lugent. Caput verò erigunt, qui honorantur, & exhilarantur. Sic demiſſo capite ingrediebatur Achab, cum ob cædem Naboth pœnitentiam teſtaretur. Contra alio pſalmo, propterea exaltabit caput, & ad diſcipulos Dominus. Suſpicite & attollite capita veſtra. Poſt illa autem verba, de monte ſancto ſuo Selah poſitum eſt, quod præter ſuperius adnotata, poteſt eſſe confirmatio quædam, quaſi diceret, ita eſt, aut certius certo. Illud verò, accubui, & dormiui, & euigilaui, ſecuritatem animi & fiduciam erga Deum ſignificat, in maximis (inquit) periculis ſuauiter quieui, & ſecurus à ſomno ſurgebam, Domino me protegente: Quod autem ait. Dominus ſuſcepit me. In Heb. eſt, ſuſtentauit me. Interim obſerua, vt ſpiritus ſanctus verbis vſus eſt, quæ ad mortem & reſurrectionem Domini aptari poſſent: cuiuſmodi morem etiam alys locis notare poteris.* [c] Tu percuſiſti.] *Tu percutere ſoles omnium inimicorum meorum maxillas, & ignominioſe veluti colaphum impingere illis, et dentes impiorum, male de me loquentium confringere. Per dentes beluinam quandam ferociam, & truculentiam, à beſtijs immanioribus mutuata ſimilitudine, exprimere voluit.* [d] Domini eſt ſalus.] *Epiphonema eſt & quo ardentiorem adhuc affectum indicaret, ſubitò perſonam mutauit. Deum alloquens ſic, & ſuper populum tuum benedictio tua.*

† Vincenti in carminibus pſalmus Dauid IIII.

[a] VM inuocabo exaudi me Deus iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi. Miſerere mei, & exaudi orationem meam. [b] Filij hominum, vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem,& quæritis mẽdacium? Et ſcitote quòd mirificauit Dominus [c] ſanctum ſuum: Dominus exaudiet me cum clamauero ad eum. [d] Iraſcimini,& nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, in cubilibus veſtris compungimini, [e] Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino, [f] multi dicunt, Quis oſtendit nobis bona? † Eleua ſuper nos lumen vultus tui Domine: dediſti lætitiam in corde meo. [g] A fructu frumenti, & vini † ſui multiplicati ſunt. In pace in idipſum dormiam & requieſcam. Quoniam tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.

Ephe. 4.f

SCHOLIA.

Titulus huius pſalmi eſt. Vincenti in melodijs, & videtur traditus eſſe cantandus magiſtro cantorum, vel muſicorum inſtrumentorum, qui cæteros facilè in arte muſica antecelleret. Quorundam autem Hebræorum opinio eſt, & hunc pſalmum de coniuratione Abſalom agere. [a] Cum inuocabo exaudi me.] *Cum anxiè implorem auxilium tuum, exaudi me quæſo Deus, innocentiæ meæ teſtis, qui in angustias redacto mihi, latiſſimum ſæpe derepente campum aperuiſti, etiam nunc miſerere & votis meis reſponde.* [b] Filij hominum.] *Vel filij viri, hoc eſt, vos principes viri, apoſtrophe eſt, quæ & efficaciam habet,*

habet,& mouet attentionem,& quod sequitur,Vsquequo graui corde, subaudi estis? Est enim reticentia,quousque(inquit) graui erga me odio laboratis,vt cogitetis semper,quo me pacto contumelia afficiatis? Interpres videtur, vbi vertit, corde, legisse,aut certe in suo codice habuisse,beth pro caph,quæ literæ affinitate figuræ plerunque fallunt,& tunc,si puncta desint, vertendum est,Vsque quo graui corde? nunc legunt Hebræi,Vsquequo gloria mea in ignominiam? hoc est,quo tandem fronte,me,quem Deus hoc honore dignatus est,studebitis contumelia afficere? Porrò diligere vanitatem, & quærere mendacium, significat,irritos illorum fore conatus. Sic ficus mendax,& arcus mendax in scriptura dicitur,quod spem eludat nostram.

c Sanctum suum.] *Se autem intelligit,hoc est,miris modis Deus sanctum quendam sibi elegit.* d Irascimini & nolite peccare.] *Dictio,quam Hebræi ferè reddunt contremiscite,vel ex pauescite,significat conturbari,commoueri,vel metu,vel dolore,vel indignatione:hoc certè loco significat commotionem iræ,quod Græcus interpres reddidit,& hanc apud Græcos inuulgatam versionem secutus est Paulus Ephe.4.vbi scripsit,irascimini,& ne peccetis,videturq; quod dixit irascimini,significasse, consternamini, dum contra fratres irascitur, nequid præter dilectionem in illos agentes peccetis. Sit ergo hic sensus. Date operam sedulo ne peccetis, si enim perpenderitis rem ipsam apud animum vestrum in lectis vestris soli, desinetis de me sinistrè loqui. In Heb.est. Dicite in corde vestro,super cubili vestro,& tacete. Et quod ait, ne peccetis, potest hic accipi secundum morem scripturæ, pro aberrare, vt illud 1ud. 20. Iaciebant lapides ad capillum, neque lapides peccare faciebant.*

e Sacrificate sacrificium iustitiæ.] *Chaldæus habet,domate concupiscentiam vestram,& reputabitur vobis sicut sacrificia,& sperate in Deo. Sic & Paulus,exhibete corpora vestra,hostiam viuentem,vel sic. Si quemadmodum externis sacrificijs,ita innocentia studeretis placare Deum,tuto illi fidere posseris.* f Multi dicunt.] *Multitudo ista,atque hostes mei dicunt,si videamus,quod nobis bonum quærimus,hoc est,extinctum Dauid,vel alia quæ vis bona, tu verò fac luceat nobis, qui te diuitijs,& rebus omnibus præferimus,lumen vultus tui,ac fauor tuus.* g A fructu frumenti.] *Coniunge sic. Dedisti lætitiam cordi meo,ex eò,quod cum illis frumentum & vinum,quemadmodum optauerant,abundè prouenerit, ego sine metu,fauore tuo contentus,non minus feliciter,quàm diuites illi,& iacebo,& obdormiscam. Hebraismus habet. Plus quam tempus frumenti,vt sit sensus, dedisti lætitiam in corde meo plus,quàm cum in tempore frumenti,& vini eorum ipsi ditantur. Et ego in pace ac tranquille,simul atque eodem tempore iacebo & dormiam,hoc est,vbi primum me sopori dedero,mox ob dormiscam,quod signum est securi animi,& minime solliciti,quique onus omne suum,sicut alibi admonet faciendum,projecerit in Deum. Quia tu solus(inquit)præstas,vt secure habitem.*

† Vincenti in muſicis concentibus Pſalmus Dauid V.

VErba mea auribus percipe Domine: intellige clamorem meum. Intende voci orationis meæ rex meus & Deus meus. Quoniam ad te orabo Domine: [a] manè exaudies vocem meam. Manè astabo tibi, & videbo: quoniam non Deus volens iniquitatem tu es. Neque habitabit iuxta te malignus,neq; permanebunt iniusti ante oculos tuos. Odisti omnes,qui operantur iniquitatem: perdes omnes qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominabitur Dominus. Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam: [b] adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine [c] deduc me in iustitia tua:propter inimicos meos dirige in conspectu † meo viam tuam. Quoniam non est in ore eorum veritas:cor eorum vanum est. Sepulchrũ patens est guttur eorũ: linguis suis dolose agebant, [d] iudica illos Deus. Decidant a cogitationibus suis:secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos,quoniam irritauerunt te Domine. Et lætentur omnes qui sperant in te:in æternum exultabunt,& proteges eos. Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum:quoniam tu benedices iusto.

Infra 13.b
Roma. 3.b

Domine [e] vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti † eum.

SCHOLIA.

Qui,a præcipuè de mendacibus, & dolo blandientibus inimicis Dauid hic queritur,videtur hoc psalmo precationem meam orare,quam habuit in exilio,pulsus patria à Saule,cuius furorem Doeg,ac alij quidam adulatores,suis mendacijs falsisque criminibus incendebant. [a] Mane exaudies.] *Hic versus legi potest & enunciatiuè,& optatiuè,nam Hebræis futurum vtrunque valent,quippe qui nullum voce optatiuum habeant,optationem vel futuro indicatiui, vel imperatiuo exprimentes. Manè verò præter id,quod matutino tempore precibus operam dabat,significat etiam tempestiuè,& tanquam post tempestuosas molestias,lucem salutarem ac requiem. Quidam ex Hebræis manè hoc referunt ad tempus iudicij in improbos exercendi,vt illud. Et dominabuntur eorum iusti manè. Et quod ait. Manè astabo tibi. In Hebr.est. Manè ordinabo, vel præparabo ad te,videlicet orationem meam, & videbo me compotem voti factũ.* [b] Adorabo ad templum sanctum tuum.] *Vt enim verè Deum, & ex animo colebat, ita nihil in suo exilio ferebat tam molestè, quàm se à societate religionis exclusum, quod expostulatio illa cum Saule indicat,quam in libro Regum primo,cap. XXVI. habes.* [c] Deduc me in iustitia.] *Dirige me ad normam iustitiæ tuæ,non habeant vnde glorientur, qui insidias parant mihi, fac plana sit ante oculos meos via, qua itur ad te,hoc enim est,quod ait. Dirige in conspectu meo viam tuam.* [d] Iudica illos Deus.] *Hoc est,condemna eam in Heb.est.in desolationem redige. Et illud,irritauerunt te. Potest etiam verti.rebelles fuerunt contra te.* [e] Vt scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti eũ.] *Quomodo quis coronatur scuto? Illud ergo,coronasti,idem est, quod circundediſti. quod in alio psalmo apertius est, vbi dicitur: scuto circundabit te veritas eius. Sensus ergo est. Domine circundediſti, & protexisti eum vndique bona voluntate tua,& propenso erga eum affectu,tanquam scuto.*

† Vincenti in carminibus Pſalmus Dauid pro octaua VI.

DOmine ne in furore tuo arguas me: neque in ira tua corripias me. Miserere mei Domine, quoniam infirmus sum: sana me Domine,quoniam conturbata sunt ossa mea. Et anima mea turbata est valde:sed tu Domine vsquequo? Conuertere Domine,& [a] eripe animam meam: saluum me fac propter misericordiam tuam. Quoniam non est in morte qui memor sit tui [b] in inferno autem quis confitebitur tibi? Laboraui in gemitu meo, [c] lauabo per singulas noctes lectum meum,lacrymis meis stratum meũ rigabo. [d] Turbatus est à furore oculus meus: inueterauit † inter oẽs inimicos meos. Discedite à me omnes qui operamini iniquitatem: quoniam exaudiuit Dominus vocem fletus mei. Exaudiuit Dominus deprecationem

Matth, 7.d
25.d
Luc, 13.f

precationem meam,Dominus orationem meam suscepit. Erubescant & conturbentur vehemẽter omnes inimici mei,conuertantur & erubescant valde velociter.

SCHOLIA.

Creditur ab Hebræis,correptum fuisse Dauid graui aliquo morbo,ac periculoso, quo extinguendum eũ hostes speraverint. Cum ergo perpenderet sua morte fore, vt perditi illi,gloriæ Dei, & hominum saluti plurimum obsisterent,obnixè Deum pro salute orauit,quem cum exorasset,tum hoc carmen condidit,& de more,velut sic etiam afficeretur,ista cecinit,et veluti precandi formam sibi, & alys infirmis præscripsit. Porrò quod ait,super octauam,putant hic esse citharam octo chordarum.

a Eripe animam meam.] *Vel extrahe animam meam,scilicet ab hoc,cui obnoxius sum, morbo.* b In inferno.] *Hoc est,in sepulchro quis te laudet? Gloriæ Dei erat studiosissimus, hanc cœperat illustrare, quòd si hinc migrasset, videbat futurum, vt hostes sui obscurarent illam. Porrò infernus in scriptura statum significat mortuorum,tam bonorum, quam malorũ, malorum autem peculiariter à seruatore Gehenna dicitur,sicut etiã Hebræi eam iam tum vocare cœperant. De qua in Esaia diximus.* c Lauabo.] *Hyperbole est,qua fletus magnitudo exprimitur,qua figura (vt ait Fabius) cõceditur dicere amplius, quando dici, quantum satis est, non potest, melius q; vltra, quàm citra stat oratio.* d Turbatus est.] *Caligauit præ nimio mœrore oculus meus, hebetata est acies eius præ metu tantæ hostium turbæ, qui me subuertere cupiunt, potest & sic verti. Corrosa est,præ turbatione forma mea,nam oculus non raro capitur pro toto aspectu alicuius rei. Internus enim sæuiens morbus, & hostium indefessa persecutio faciem corporis viri sancti immutauerant, & vires exhausserant, vt iam efflatio expectaretur animæ, sed accepta consolatione diuina, veluti ex mortis faucibus ereptus,clamat confidenter. Discedite à me omnes,qui operamini iniquitatem,&c.*

Pſalmus Dauid,quem cantauit Domino pro † rebus Chusi Beniaminitæ VII.

DOmine Deus meus in te speraui: saluum me fac ex omnibus persequentibus me, & libera me. Nequando rapiat,vt leo animam meam laceret,dum non est qui redimat. Domine Deus meus [a] si feci istud,si est iniquitas in manibus meis. Si reddidi retribuentibus mihi mala:† qui etiam eripui aduersantem mihi fine causa. Persequatur inimicus animam meam,& comprehendat, & conculcet in terra vitã meam,& gloriã meam in puluerem deducat. Exurge Domine in ira tua: & [b] exaltare † ob furorẽ inimicorum meorũ. Et exurge Domine Deus meus in præcepto, quod mandasti: & synagóga populorum circũdabit te. Et propter hanc in altum regredere: [c] Domine iudicat populos. Iudica me Dominus iuxta iustitiam meam,& secundum innocentiam meam super me. [d] Cõsumetur nequitia peccatorũ, & diriges iustũ, scrutans corda & renes Deus † iustè. Adiutoriũ meum à Domino,qui saluos facit rectos corde. [e] Deus iudex iustus,† Deus irascitur per singulos dies? Nisi conuersi fueritis,gladiũ suum vibrabit, arcum suũ tetendit,& parauit illum. Et in eo parauit vasa mortis: [f] sagittas suas ardentibus effecit. Ecce [g] parturit iniustitiã, concepit dolorem:& peperit iniquitatem. Lacũ aperuit & effodit eum:& incidit in foueam quam fecit. Cõuerteur dolor eius in caput eius:& in verticem ipsius iniquitas eius descendet. [h] Confitebor Domino secũdum iustitiam eius:& psallam nomini Domini altissimi.

1.Reg. 16.b
1.Par. 28.b

Esa. 59.a
Iob 15.d

SCHOLIA.

In huius psalmi titulo,est hæc vox,Sigaion,quod Hebræorum opinio est quorundam,fuisse vnum ex instrumentis, ad quæ psalmi fuerint decantati,aut aliquod genus melodiæ. Quod verò ait,pro verbis, vel in negotio Chusi. Hebræi hoc nomine accipiunt Saulem,præsertim cum subijciatur Beniaminitæ. Fuit enim ex ea tribu, & Chus potius quam suo nomine appellatum putant propter reuerẽtiam dignitatis regiæ. Appositè autem ideo fortasse Chus,id est Aethiopem vocauit, ob mentè mutari nesciam,tanquam Aethiopis colorem. Annotandum autem,& hic, & in libris iudicum & regum, vt vbicunque interpretes verterunt,filij Iemini,legendum esse,Beniaminitæ. [a] Si feci istud.] *Hoc est,si conatus sum vnquam veluti leo rapere animam eius,id quod ipse mihi molitur,aut si vnquam reddidi malum alicui,qui nihil malè mereretur,nec suspicaretur de me,quemadmodum Saul contra me agit,qui etiam paratus fui opem ferre illi in necessitate constituto, quantumlibet mihi aduersaretur,etiam sine causa. Opem autem tulit, cum illum Abisai sua ipsius lancea perfodere vellet dormientem. 1.Reg. 26.& in spelunca,nisi suis obstitisset,actum de Saule erat. 1.Reg. 24.* [b] Exaltare ob furorem.] *Hoc est, ostende potentiam tuam sublimem contra hostes meos,qui sine causa innocentem persequuntur,& excitare ad me in iudicio, quod præcepi seu,hoc est,suus regni,quod iuxta Patriarchæ Iacob vaticinium,in tribum meam transtuliſti, illud excita, ne populus tuus sic dissipatus oberret,quasi non habens pastorem,sed in vnum congregatus tibi adhæreat,& tu in excelsum reuersus, flagellum tuum ab eo auertas. Hoc enim significare volunt,illud in altum regredere,vt in excelsum ascendere dicatur, quando immissam vltionem amouet: potest & sic intelligi. Orabit populus tuus,vt digneris te in altissimo regni tui solio collocare,& Rex esse illius.* [c] Dominus iudicat populos.] *Vel iudicabit,hanc(inquit)prouinciam non grauatè suscipiet Dominus, & iuste iudicabit populos illos,iudica & me Domine secundum innocentiam meam.* [d] Consumetur.] *Hoc est, finem accipiat malitia eorum,& dirige iustum,id est,cogitationes eius,ac interiores motus,qui solus nosti corda & renes, per quæ intelligitur summè intimarum cogitationum & cupiditatum explorator esse Deum.* [e] Deus iudex iustus.] *Quidam sic interpretantur. Deus iudicat iustum,secundum iustitiam eius, & impium iuxta impietatem eius, qui per singulos dies effendit Deum. Chaldæus verò interpres sic vertit. Deus est iudex iustus,& grauiter offenditur contra impios tota die, et nisi ille conuersus fuerit ad timorem eius,acuet Deus gladium suum,&c. Potest autem hic locus, & hunc sensum habere. Deus iudicat iuste,& iudicat eum,qui illum prouocat quotidie ad iracundiam. Per Vasa mortis intellige lætifera tæla,id est, pestem.* [f] Sagittas suas ardentibus effecit.] *Illud ardentibus, intellige ardentibus odio, & studio insectandi iustos, Deus sagittas effecit,id est parauit mala. Alij verterunt, persequentibus: nam dictio Hebræa vtrunque significat, sunt & qui vertant,sagittas suas,vt incendant,inficit.* [g] Parturijt iniustitiam.] *Vita(inquit)impij hominis similis est mulieri parturienti. Primo enim concipitur cogitatio doloris,& amaritudinis plena,deinde cum perducitur ad linguam,angitur quasi mulier,quæ tenetur doloribus partus,donec in opus nefarium procedat,& hac methaphora scriptura sæpe vtitur. Cogitationem ergo conceptui,cõsiliorum anxiam dispositionem,ac concinnationem parturitioni,factum partui assimilat. Iniustitiã autem*

autem, dolorem, iniquitatem, pro eodem accipi volunt, pro iniuria scilicet dolosa, & violentia. Impius enim cogitat, loquitur, & facit iniquitatem. [h] Confitebor Domino secundum iustitiam eius.] *Hoc est, Laudabo Dominum ob iusta iudicia eius, quæ pro me declarauit.*

† Vincenti in Githith, Psalmus Dauid VIII.

DOmine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra? Quoniam eleuata est magnificentia tua super cœlos. [a] Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: vt destruas [b] inimicum & vltorem. Quoniam [c] videbo cœlos tuos, opera digitorũ tuorum: lunam & stellas, quæ tu fundasti. Quid est homo, quòd memor es eius? aut filius hominis, quòd visitas eum? [d] Minuisti eum † paululum ab angelis: gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius: oues & boues vniuersas: insuper & pecora campi. Volucres cœli, & pisces maris, [e] qui perambulant semitas maris. [f] Domine Dominus noster: quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?

SCHOLIA.

Quod in titulo psalmi ponitur, Githith, alij descendere volunt à Gath, quòd significat torcular. Alij quòd psalmus iste factus sit in Gath vrbe philisthæorum. Sunt rursum alij, qui dicunt ideo præfixum illi esse hunc titulum, quod traditus sit ob id Gethæo cantandus. Canit propheta in hoc psalmo diuinæ potentiæ ac bonitatis vim, Quod verò ait, quàm admirabile est nomen tuum, de sacrosancto nomine Iehouah quidam Hebræorum hoc dictum intelligunt, quod ita esse proprium Dei, & substantiale volunt, vt reliqua adiectiua, & epitheta putent, atque ideo secundum eos, hoc, quàm admirabile est nomen tuum, idem valet, quod, quàm admirabilis es tu? Videtur autem hic esse sensus, mirabile & magnificum est nomen tuum in vniuersa terra, quòd tu cum in cœlis habites, & illic sedem collocaueris pro tua maiestate, adhuc digneris præsentem te exhibere omnibus creaturis tuis, in quem vnum totus mundus, & omnia, quæ in eo sunt, suspiciũt, quippe à quo habent quod sint. Vel sic, meritò magnifica spargi est fama nominis tui per vniuersam terram, argumenta sunt gloriæ, et maiestatis tuæ maximè, ea quæ apparent in cœlis. [a] Ex ore infantium.] *Dominus Christus apud Matthæum dixit impletũ in se versiculum hunc, quando pueri illum laudantes, & acclamantes, non parum solidarunt existimationem illam, quam vulgus ea conceperant de Christo, & confundebant phariseorum inimicorum Christi impios conatus. Quidam Hebræi existimant, Deum initium facere prædicandæ virtutis suæ, ex ore infantium, cum primum sugere incipiunt, mirandumq; esse, quod tam tenello puero, papillarum modus ita egregiè attemperatus sit, lactisq; copiam vbera abundè suppeditent. Aly mirum hoc tum fieri putant, cum loqui incipiunt, quo munere homines animantia cætera antecellent. Confirmantur autem in eis miracula, quæ in ipsis maternis vteris cœpta sunt, in quibus etiam non minora sanè reperiuntur, quæ admiremur, quæq; aly Prophetæ interdum commemorant. Illud verò, perfecisti laudem, aly verterunt, fundasti robur, & fundasti, pro confirmasti vel initium fecisti, accipiunt, & robur vel virtutem, per metonymiam, hoc est, laudem virtutis.* [b] Inimicum & vltorem.] *Enallage numeri est, pro eo quod est, inimicos & vltores. Intelliguntur autem impy, qui negant Deum esse, et iccirco ad vlciscendum, & puniendum eos, qui Deo credunt, propendent. Destruuntur autem hi, cum pater cœlestis arcana sua, quæ à sapientibus & prudentibus abscondit, reuelat humilibus, qui infantes quodam modo dici possunt.* [c] Videbo cœlos tuos.] *Cum dixisset, Deum reuelasse paruulis sua miracula, nunc ad ea contemplanda conuersus ait. Cum cœlos suspicio, & tã egregium opus tuum contemplor, atque ex eo maiestatem admiror, tum demum stupeo, cur tu tantus, hominis, rei tam abiectæ, tam solicitè curam geras. Aly sic, cum in cœlo multa admiranda contemplor, rursum in terra hominis structuram magis obstupefco. Quid enim est homo, &c. Putant, hoc loco non factam mentionem solis, quòd quo tempore videtur luna, et stellæ, is non videatur.* [d] Minuisti eum.] *Sunt qui verterint, fecisti eum paulo minorem Deo, vel fecisti eum tantum non Deum. Quod autem ait, homo, & filius hominis, conditionem ærumnosam, & abiectam, & sordidam notat. Quare, quo seruator testaretur, omnem se humilitatem nostram, & miseriam solo peccato excepto, subisse, filium hominis, id est, mortalem, & vnum è vulgo ac infima plebe sese vocabat, eumq; titulum sibi proprium fecerat. Epistola ad Hebræos cap. 2. hunc locum de Christo interpretatur, idq; iure, per seruatorem enim filium Dei primogenitum, omnia diuinæ dignitatis reliquis nobis conciliata sunt, eiusq; beneficio illa percipimus, propterea quicquid de hominis dignitate scriptura prædicat, Christo primum, & generis nostri capiti, atque instauratori competit, ac de eo iure intelligitur, cuius dignitatis tantum quisq; particeps euadit, quanto Christi spiritu fuerit largius donatus.* [redacted] *Nam quod ait, constituisti eum super opera manuum tuarum, expressit illud Gene. cit. Deus dominari eum iussit in cæteras creaturas.* [e] Qui perambulant.] *Quia in Heb. per participium dicitur, perambulans, sunt ex Hebræis, qui referant ad hominem quòd scilicet homo viam sibi fecerit per mare.* [f] Domine Dominus noster.] *Epiphonema est, quo eadem admiratione, qua psalmum cœpit, etiam finit.*

Vincenti Almuth Labben, Psalmus Dauid IX.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo: narrabo [a] omnia mirabilia tua. Lætabor & exultabo in te psallam nomini tuo altissime. [b] † Dum conuertitur inimicus meus retrorsum, infirmabũtur & peribunt à facie tua. Quoniam [c] fecisti iudicium meum & causam meam: sedisti super thronũ qui iudicas iustitiam. Increpasti gentes, & perijt impius: nomen eorum delesti in æternum & in sæculum sæculi. Inimice [d] defecerunt phrameæ in finem: & ciuitates eorum destruxisti. Perijt memoria eorum cum sonitu, & Dominus inæternum permanet. Parauit in iudicio thronum suum: & ipse iudicabit orbem terræ in æquitate, iudicabit populos in iustitia. Et factus est Dominus refugium pauperi: adiutor in opportunitatibus in tribulatione. Et sperent in te qui nouerunt nomen tuum: quoniam non dereliquisti quærentes te Domine. Psallite Domino qui habitabat in Sion: annuntiate inter gentes studia eius. Quoniam requirens sanguinem eorum recordatus est: non est oblitus clamorem pauperum. Miserere mei Domine: vide humilitatem meam de inimicis meis. Qui exaltas me de portis mortis, vt annuntiem omnes laudationes tuas in portis filiæ Sion. Exultabo in salutari tuo: infixæ sunt gentes in interitu quem fecerunt. In laqueo isto quẽ abscõderunt,

abscõderunt, comprehensus est pes eorum. Cognoscetur Dominus iudicia faciens: [e] in operibus manuum suarum comprehensus est peccator. Conuertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliuiscuntur Deum. Quoniam non in fine obliuio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. Exurge Domine non confortetur homo: iudicentur gentes in conspectu tuo. [f] Constitue Domine legislatorem super eos: vt sciant gentes quòd homines sunt. [g] Vt quid Domine recessisti longè, despicis in opportunitatibus in tribulatione? [h] Dum superbit impius, incenditur pauper: comprehenduntur in consilijs quibus cogitant. Quoniam [i] laudatur peccator in desyderijs animæ suæ, & iniquus benedicitur. Exacerbauit Dominum peccator: [k] secundum altitudinem iræ suæ non quæret. Non est Deus in conspectu eius: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore. [l] Auferuntur iudicia tua à facie eius: omnium inimicorum suorum dominabitur. Dixit enim in corde suo, [m] Nõ mouebor à generatione in generationem: † ero sine malo. Cuius maledictione os plenum est, & amaritudine, & dolo: sub lingua eius labor & dolor. Sedet in insidijs cum diuitibus [n] in occultis, vt interficiat innocentem. Oculi eius in pauperem respiciunt: insidiatur in abscondito quasi leo in spelunca sua. Insidiatur, vt rapiat pauperem, rapit pauperem dum attrahit eum. In laqueo suo humiliabit eum: [o] inclinabit se, † vt cadat sub viribus eius cœtus pauperum. Dixit enim in corde suo, Oblitus est Deus, auertit faciem suam ne videat in finem. Exurge Domine Deus, exaltetur manus tua ne obliuiscaris pauperum. Propter quod irritauit impius Deum? dixit enim in corde suo, Non requiret. [p] Vides, quoniam tu laborem & dolorem consyderas: vt tradas eos in manus tuas. Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adiutor. Contere brachium peccatoris & maligni: [q] quæretur peccatum illius & non inuenietur. Dominus regnabit in æternum & in sæculum sæculi: peribitis gentes de terra illius. Desyderium pauperum exaudiuit Dominus: [r] præparationem cordis eorum audiuit auris tua. † Vt iudices pupillum, & humilem: vt non apponat vltrà magnificare se homo super terram.

SCHOLIA.

In titulo huius psalmi, Vbi nostra habent, pro occultis filij. In Hebræo est. Almuth Labben, quod Chald. sic interpretatus est, super morte viri, qui egressus erat de medijs castris. Goliat scilicet philisthæum significans. Aly putant Labben nomen fuisse cuiusdam principis philisthæi, quo cæso, pro concessa victoria fuerit iste æditus psalmus. aly aliter sentiunt. [a] Narrabo omnia mirabilia tua.] *Non quòd id vel ipse, vel quiuis alius posit, sed quod ita vellet posse.* [b] Dum conuertitur inimicus.] *Post proœmium, connumerare incipit beneficia, & ait. Dum conuertuntur inimici mei retrorsum, labuntur & pereunt à facie tua.* [c] Fecisti iudicium meum.] *Hoc est, vultus es inimicos meos, & quasi aliunde veneris sessurus in tribunali tuo, vt sententiam ferres pro me innocente, contra hostes meos.* [d] Inimice.] *Vocatiui est casus, ò inimice. Interpretatio autem huius loci duplex est, aut enim commemorat, quod ab hoste factum erat, aut ironicè obycit hosti, quæ ipse hostis animo destinarat, vt dicat ò hostis, qui animo iam omnia vastaras, num confectæ tibi sunt vastitates illæ æternæ? &c. qui sensus potior videtur, quàm quòd malus hostis, quem Dauid deuicit, sic regionem Israelis excisis vrbibus desolauerit, vt dici potuerit, perfecisse eum vastitates æternas, & aboleuisse memoriam Israelitarum, vnà cum ipsis. Quod nostra habent, defecerunt phrameæ in finem. Aly verterunt, desolationes finem perpetuum acceperunt, vel, consummatæ sunt vastitates in sempiternum, pro quo sæpe interpres vertit in finem. Dicamus autem rursum sic. O inimice, finem habent populationes tuæ, neque posthac amplius tibi vnquam dabitur populandi potestas. Ciuitates certè aljs sic subuertisti, vt memoria illarum perierit, eiq; admiratione transeuntium, & tu quidem ista Domino ad tempus conniuente fecisti, verum ille in perpetuum regnabit, & obseruabit omnia, & iam nunc solium suum parat, vt sedeat pro tribunali.* [e] In operibus manuum suarum.] *Per hæc verba, videtur significari Goliath suo ipsius gladio confectum. In fine huius versus est positum. Higaion Selah, id est, meditatio, in sæculum est salus hæc, vt per illud, meditatio, intelligas inuenire electos Dei in operibus eius multa, quæ meditentur, & vnde plurimum mirentur, quomodo Deus ad tempus permittat impios facere foueas, abscondere laqueos, ac struere pias insidias, in quas tamen ipsi tandem diuino iudicio incidunt, cum Deus suos in finem non deserat: sed opportunè opem salutarem ferat.* [f] Constitue Domine legislatorem.] *Qui scilicet eos coherceat, ac terreat, nam aly verterunt. Pone Domine timorem eis.* [g] Vt quid Domine recessisti longè.] *Initium alterius Psalmi est apud Hebræos, & oratio est contra peruersos ac præfractos homines, qui malitia, dolo, iniurijs, & vi circumueniunt, atque opprimunt innocentes, quos paupe* [illegible] *hic vocat, sed magna est in vocabulis quibusdam obscuritas, quæ in omni fere sensu ambigua sunt, vnde non parua laboris est Hebræis, vt aptè omnia interpretentur.* [h] Dum superbit impius.] *Alius vertit, propter concupiscentiam suam impius persequitur pauperem, vt sit sensus, philargyria in causa est, cur impy plerunque persequantur, & opprimant innocentes.* [i] Laudatur peccator.] *Laudat se, id est, placet sibi peccator, & facit quicquid illi petulantia animi suggesserit, potest & sic reddi hic versus. Quoniam laudat impius impium, propter concupiscentiam animæ eius, & benedicit auaro, Deum autem blasphemat, omnia scilicet contrario faciens ordine, cum Deum laudare, ac ei benedicere debuerit, & execrari auaros.* [k] Secundum altitudinem iræ suæ.] *Alius vertit, propter eleuationem vultus sui non requirit, Deũ scilicet, nam sublati oculi arrogantium animi designant. Latini tales attollere dicunt supercilia.* [l] Auferuntur iudicia tua à facie eius.] *Hæc (inquit) facit impius, quia quæ interim ò Deus de illo statuis, penitus ignorat, sed veluti furibundus & cæcus aduersarios suos vniuersos vel solis minis perditurum se confidit.* [m] Non mouebor.] *Hic faciendæ est distinctio, posteà sequitur, in generationem, & generationem ero sine malo.* [n] In occultis.] *Aly verterunt, in atrijs, isti (inquit) insidiantur, & latrocinantur, sed non, vt vulgò solent, latrones è syluis & speluncis suis cum periculo, verum in ipsis principalibus atrijs, & aulis. Et quod interpres vertit, cum diuitibus, sensum transtulit, cum in Heb. sit, in atrijs. Aly verterunt, in vicis, vel villis.* [o] Inclinabit se.] *Alludit similitudo ista ad animalia quædam, quæ dum aliam bestiolam venari instituunt, comprimunt se, & quantum licet contrahunt, ne à capienda bestiola auertantur, sic impij varijs artibus conantur imponere simplicibus.* [p] Vides.] *Fallitur (inquit) qui putat te non curaturum hæc, nam vides omnia, & maleuolentiam ac scelera eius diligentissimè consideras, ostensurus te nosse flagitia illius, & potestatem habere sumendi supplicium de illo. Et illud. vt tradas eos in manus tuas. Potest esse Hebraismus, vt dicat, vt reponas in manum tuam. Hoc est, vt conserues, &*

vltionem

ultionem de eis sumas. Quod enim in manum ponitur, non facilè traditur obliuioni. [q] Quæretur peccatum illius.] Si tu dißipaueris (inquit) impios, non inuenies impietatem in terra, cum non pij, sed impij impiè agunt. Vel inquire in impietatem illius, quoad nulla reliqua fuerit impunita. Alius sic, si tantum quæstionem institueris de horum improbitate, nusquam apparebunt. Vel. Quæres impietatem eius, quam dixit, quòd non inuenies. [r] Preparationem cordis eorum.] Alius vertit. Tu præparas cor eorum, & auscultauit auris tua, hoc est, gubernabis corda ipsorum, præbebis aures tuas precibus eorum. Vel, vota cordis eorum diriges, optata eis concedens.

† Vincenti Psalmus Dauid X.

I[a]N Domino confido: quomodo dicitis animæ meæ, Transmigra in montem sicut passer? Quoniam
ecce [b] peccatores intenderunt arcum: parauerūt sagittas suas † super neruum, vt sagittent in obscuro re-
ctos corde. Quoniam [c] quæ perfecisti destruxerunt: iustus autē quid fecit? [d] Dominus in templo san-
Aba.2.d cto suo, Dominus in cœlo sedes eius. Oculi eius † aspiciunt: palpebræ eius interrogant filios hominum.
[e] Dominus interrogat iustum: & impium, & qui diligit iniquitatem, odit anima † eius. Pluet super peccato-
res laqueos: ignis & sulphur & spiritus procellarum, [f] pars calicis eorum. Quoniam iustus Dominus, & iu-
stitias dilexit: [g] æquitatem vidit vultus eorum.

SCHOLIA.

[a] In Domino confido.] *Cum in Domino spem (inquit) meam posuerim, cur me ridere audetis dicentes. Fuge de monte in montem, sicut soles cum tuis, et delitesce in aliquo antro, sicut consueuit passer? Alloquitur enim Dauid eos, qui sibi exuli, nullum tutò latitandi locum in populo Dei concedebant, continuò ipsum prodentes Sauli, quocunque fugisset, vt tandem coegerint, vt relicto regno Israelis ad Philisthæos concederet, vt legimus. 1. Reg. à cap. 22. vsque ad caput 27. Potest & sic accipi, cur me demigrare de latebra in latebram compellitis, vt auem oberrantem, cui nusquam nidulari concedatur? Rectè autem auiculæ erranti similem se facit, nam duodecies, postea quàm subducere se à Saulis conspectu coactus fuerat, latibula mutauit. Alius vertit Auola de monte, vt per montem intelligatur tota terra Iudæa.* [b] Peccatores intenderunt arcū.] *Ait nunc, in quo sit periculo constitutus, & quod ait, in obscuro intelligit occulta latibula sua.* [c] Quæ perfecisti destruxerunt.] *Videtur Græcus interpres voluisse idem exprimere, quod Hiero. vertit. Leges dißipatæ sunt, iccircò non mutamus hunc locum, præsertim, cū variè etiam ab Hebræis hic versiculus exponatur. Alij verterunt, fundamenta diruta sunt, & per fundamenta intelligunt alij cogitationes & versuta consilia, quæ irrita tandem facta fuerunt, alij sacerdotes iussu à Saule trucidatos, qui nihil iniquè egerant, alij conditiones pacis, quas Saul toties violauit, alij omnem consistendi locum, & quasi habitandi fundamentum sublatum, Chaldæus sic vertit. Quoniam si fundamenta destruuntur, iustus cur operatus est bonum?* [d] Dominus in templo.] *Non me lædere (inquit) isti poterunt, quia Dominus in regia sanctitati suæ dicata est, & in cœlo habet solium suum, vnde oculi eius omnia contemplantur, quæ in his inferioribus fiunt, & palpebræ (per quas lumen oculi significatur) illius obseruant diligentißimè, quæcunque designant posteri Adam.* [e] Dominus interrogat.] *Vel exquirit, debet enim rectius sic verti. Dominus iustum probat, impium autem, & diligentem iniquitatem odit anima eius.* [f] Pars calicis eorum.] *Frequens est in scripturis hæc metaphora, qua per calicē, hoc est, ad mensam vini portionem, certa cuiusque sors, siue merces, tam optata, quàm contra, significatur. Mutuata verò est à potantium veteri ritu, quo per conuiuij præsidem, sua cuique vini portio, quam hauriret, statuebatur.* [g] Æquitatē vidit.] *Et hic versus coniungendus est superiori verbo, sic. Iustus Dominus, et iustitiā diligit, et diligit eos, quorū vultus vident recta. Obseruent enim Hebrææ linguæ studiosi, Hebræam particulam, Mo, in fine positam, pronomen esse tertiæ personæ pluralis, & huius vsum esse in versibus. Hæc autem particula hic posita est, vt non poßit dici vultus eius, sed vultus eorum, vt sic dicas, quorum vultus vident æquitatem, hos Deus diligit.*

† Vincenti pro octaua, Psalmus Dauid XI.

S[a]Aluum me fac Domine, quoniam, defecit sanctus, quoniam diminutæ sunt veritates à filijs hominū. Vana locuti sunt vnusquisq; ad proximum suū, labia dolosa [b] in corde, & corde locuti sunt. Disperdat Dominus vniuersa labia dolosa, linguā magniloquam. Qui dixerunt, Linguam nostram magnificabimus: [c] labia nostra † apud nos sunt, quis noster Dominus est? Propter miseriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam dicit Dominus. [d] Ponam in salutari: fiducialiter agam in eo. [e] Eloquia Domini, eloquia casta: argentum igne examinatum, probatum, † à terra purgatum septuplum. Tu Domine [f] seruabis nos: & custodies nos à generatione hac in ęternum. [g] In circuitu impij ambulant: † cum exaltantur, in ignominia sunt filij hominum.

SCHOLIA.

Verisimile est, & hunc psalmum contra eos esse compositum, qui regnante Saule, primas in regno habebant, homines perditi, & omnibus molesti, de quorum improbitate etiam psal. 5. 55. 56. 57. 58. 59. vehementer queritur. Quod verò titulus habet pro octaua, instrumentum musicum esse affirmant, octo chordarum. [a] Saluum me fac Domine.] *Opus habeo (inquit) te seruatore, nullus enim reliquus est sanctus, inter filios hominum: perijt fides & iustitia, & mendaces homines inualuerunt, & nisi Dominus verbo suo afflictis succurrat, actū de illis est.* [b] In corde & corde.] *Hoc est, duplici corde, dum quis aliam intra animum sententiam seruans, aliam verbis exprimit.* [c] Labia nostra apud nos sunt.] *Nam & Græcus habet: παρ' ἡμιν, hoc est, apud nos: quod interpres videtur legisse, παρ' ἡμῶν: & est sensus. Loqui nobis, & facere licet, quæcunq; libuerit, nemo enim est, quē vereamur, et talia nobis labia sunt, quibus facilè quod volumus, efficere poßimus.* [d] Ponā in salutari.] *Hoc est, ponā & collocabo pauperē eo loco, vt tutus futurus sit, & quod sequitur, fiducialiter agā, idē est, quod liberè agam: nā in Græco est, παῤῥησιάσομαι. Alius vertit respirare eum faciet: alius loquetur ei, alius ab eo qui deridendo sufflat in eum. Heb. sic habent. Ponam in salutem: loquetur ei, vel pro eo. Hoc est. Seruabo (ait Dominus) eum, & Dominus loquetur pro eo. i. pro vnoquoque paupere, & aget causam illorum.* [e] Eloquia Domini.] *Hoc est, verba ac promissiones eius, per quod intelligit, fidendum esse illius promißis, neque in quibusuis aduersis desperandum. Et quod sequitur, à terra purgatum: alius vertit: in exquisito loco terræ defæcatum, quod quidam accipiūt, pro furnulo aurifabri, de exquisita formata terra.*

terra. Alius vertit. Manifestum terræ. i. omnibus apertum. [f] Seruabis nos.] *Idem est sensus cū Hebræo: vbi legitur tu Domine custodies eos, seruabis eū, hoc est, vnumquenque eorū, nempe pauperum tuorum, & oppressorum: & non vacat affectibus, quod neque eos, pro quibus, neque eos, contra quos orat, nominatim exprimit.* [g] In circuitu.] *Sensus est: circumueniunt impij optimum quenque, & cum illis contingit præfectura, viliter ab eis tractantur subditi. Alius sic est interpretatus, Circunquaque tum impij obambulant securi, cum principatum nacti fuerint, qui inter homines sunt perditißimi. Vel in circuitu impij ambulant, vt ij, qui vertiginem patiūtur, sic & illud. Deus meus pone illos vt rotam.*

† Vincenti Psalmus Dauid. XII.

VSquequo Domine obliuisceris me in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? [a] Quandiu ponam consilia in anima mea: dolorem in corde meo per diem? Vsquequo exaltabitur inimicus meus super me? respice, & exaudi me Domine Deus meus. Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus, Præualui aduersus eum. Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero, ego autem in misericordia tua speraui. Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino [b] qui bona tribuit mihi †.

SCHOLIA.

Apparet, & hunc psalmum esse compositum ob præsens aliquod periculum, in quo fuerit deprehensus, dum exularet, & eum Saul proximè persequeretur. [a] Quandiu ponam consilia.] *Quandiu cogor intra me deliberare, & varia excogitare consilia, vt imminens euadam periculum, & cum hæc nihil præter dolorem & mœrorem quotidianum, atque continuū pariant? Certè nisi tu Domine seruo tuo, in afflictionum tenebris constituto lumē attuleris gratiæ tuæ, dormiā somnum mortis.* [b] Qui bona tribuit mihi.] *Heb. habet: quoniam retribuit mihi: vt subaudias, iuxta fiduciam meam: et vltus est iniuriam, qua me affecerunt hostes mei.*

† Vincenti Psalmus Dauid. XIII.

DIxit insipiens in corde suo, Non est Deus. Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studijs suis: Rom.3.b
non est qui faciat bonum. Dominus de cœlo prospexit super filios hominum: vt videat si est intel- Supra.5.c
ligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt: non est qui faciat bo- Rom.3.b Supra 9.c
num, non est vsq; ad vnum. † Nónne cognoscent omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem Rom.3.c
meam sicut escam panis: [a] Dominum non inuocauerunt: [b] illic trepidauerunt timore. † Quoniam Dñs Esa.39.b
in generatione iusta est, [c] consilium inopis confudistis: quoniam Dñs spes eius est. [d] Quis dabit ex Sion sa- Rom.3.c
lutare Israel? cum auerterit Dominus captiuitatem plebis suæ, exultabit Iacob & lætabitur Israel.

SCHOLIA.

Hunc psalmum quidam Hebræi putant contra Gētes compositum. Nos Paulum secuti ad Rom. 3. intelligimus etiam ad Iudæos pertinere. Loquitur ergo contra perniciosos principes populi, qui nihil agunt aliud, quàm quòd populū expilant, atq; vt apud Michæam legimus, comedunt carnes populi vsque ad ossa, postposito omni timore Domini, quem neque colunt, neque inuocant, sed veniet tempus vltionis diuinæ, quando magno timore timebunt, sensuri Deum populi sui, quem deuorauerūt, defensorem, & qui eripiet eos ex captiuitate eiusmodi Tyrānorum. Hic enim est sensus psalmi. [a] Dominum non inuocauerunt.] *Inuocatio hic pro cultu accipitur. Et Gen. 4. vbi scribitur, nato Enos cœptum inuocari nomen Dei, idem est, quòd cultus Dei exerceri cœptus est.* [b] Illic trepidauerunt timore.] *Pauor corripiet eos, cum viderint, Deū ijs adesse qui iustitiæ sunt studiosi. Porrò illud, vbi non erat timor: videtur acceptum à 52. psalmo.* [c] Consilium inopis.] *Irrident (inquit) eos: qui spem ponit in Domino.* [d] Quis dabit.] *Idem Hebræis valet, quod vtinam, vtinam (inquit) præstet Dominus, vt ex Sion prodeat salus Israeli promissa.*

Psalmus Dauid. XIIII.

DOmine [a] quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam. [b] Qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolū in lingua sua. Nec fecit proximo suo malum, & [c] opprobrium non accepit aduersus proximos suos. [d] Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat. [e] Qui iurat proximo suo & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad vsuram, [f] & munera super innocentem non accepit. Qui facit hæc, non mouebitur in æternum.

SCHOLIA.

[a] Quis habitabit.] *Quidam vertit, peregrinabitur, quod cum Græco conuenit, vbi legitur παροικήσει vbi pulchrè huius verbi occasione magnus Basilius in huius psalmi expositione tractat, quid sit peregrinari in tabernaculo Domini, sed quod ad rem præsentem pertinet: sicut in altero psalmo per templum cœlum, sic nunc per tabernaculum, & montem sanctum regnum cœlorū adumbrabatur allegoricῶs: quod ita esse, illud indicio est, quod in fine psalmi ait, qui facit hæc, non mouebitur in æternum.* [b] Qui loquitur veritatem.] *Veritas Latinis dicitur fides, & definitur à Cicerone offic. primo dictorum, cōuentorumque constantia & veritas, quam & iustitiæ fundamentum vocat. Vnde & scriptura, ipsam vbique ferè cum iustitia coniungit, & vbicunque concidisse illam queritur, & huius simul casum deplorat, vt psal. 11. et alijs locis.* [c] Opprobrium non accepit.] *Dum scilicet defendit proximum quenque contra detrahentes.* [d] Ad nihilum deductus est.] *Hoc est malignum nihil æstimandum putat, quod alius vertit: despectus in oculis eius cōtemptus est, vt sit sensus, Qui ob scelera sua meretur contemni, eum pius auersatur. Sunt tamen qui sic interpretentur, Qui despectus est in oculis proprijs, & cōtemptus, hoc est, qui cum integræ sit vitæ, & operetur iustitiam, loquatur veritatem, nec præuaricetur lingua sua, is ob has virtutes non extollitur, nec despicit proximum, vt superbus ille pharisæus, sed est humilis in oculis suis. Vt hoc alludat ad sententiam seruatoris, vbi dixit, Cum feceritis omnia, quæ vobis præcepta sunt, dicite, serui inutiles sumus.* [e] Qui iurat proximo.] *Hebræus habet, Qui iurat malum inferre & non mutat, quod Hebræi intelligunt de votis, et maceratione carnis: potest etiam intelligi de quocunque iuramento, quod etiam iuranti graue, ac damnosum est, quale Ionathas Dauidi fecerat, qui maluit amittere regnum, quàm violare iusiurandum.* [f] Et munera.] *Qui non accepit munera, non solum in causa iniusta,*

iusta, verum ne in re iusta quidem, & illud. Non mouebitur in æternum. Quia scilicet, & si interdum mutet, non tamen id perpetuo ei accidet, iuxta illud. Septies in die cadit iustus & resurgit.

† Insignia Dauid XV.

CONserua me Domine, quoniam speraui in te: [a] dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam [b] bonorum meorum non eges. [c] Sanctis, qui sunt in terra & mirificis omnes voluntates meæ in eis. [d] Multiplicatæ sunt infirmitates eorum: † qui ad alienum accelerauerunt. Non libabo libamina eorum de sanguinibus: nec memor ero nominum eorum per labia mea. [e] Dominus, pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi. Funes ceciderunt mihi in præclaris: etenim hæreditas mea præclara est mihi. [f] Benedicam Dñm qui tribuit mihi intellectum, insuper & † per noctes erudierũt me renes mei. Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & [g] exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. [h] Notas mihi fecisti vias vitæ: adimplebis me lætitia cum vultu tuo: delectationes in dextera tua vsque in finem.

SCHOLIA.

Tituli inscriptio est, insignia Dauid: sunt qui dictionem Hebræam exponant pro instrumento musico, alij pro insignibus, & dignitate militari. Hoc autem psalmo videtur propheta præcipuè canere, quanta sit dignitas & felicitas, agere in ecclesia Dei, atque inter sanctos & electos Dei habere locum. [a] Dixi Domino.] *In Hebræo est, Dixisti, & cum fœminini sit generis, animam forè omnes Hebræi, & Chaldæus paraphrastes subintelligunt.* [b] Bonorum meorum non eges.] *si quid in me (inquit) est boni, id tibi vsui non erit. Sed quia in Heb. est. Bonum meum non est super te, potest habere hunc etiam sensum. Non mihi debes ea, quæ in me confers beneficia, neq; ego his dignus sum, sed sancti qui sunt in terra, propter quos habeo quicquid opto. Hoc enim est quod ait. Omnes voluntates meæ in eis. Aliter illa verba, Sanctis, & c. sic interpretabimur.* [c] Sanctis, qui in terra sunt.] *Cum beneficia nostra (inquit) & pia voluntes nihil Domino conferat, id saltem sanctis, qui sunt in terra, præstabo vt ijs ex animo studeam.* [d] Multiplicatæ sunt infirmitates.] *Quod alij verterũt anxietates, vel, molestias vt sit sensus, multæ sunt apud idololatras anxietates, qui in cultu idolorum, sese incidunt, filios ingulant, & offerunt libamina de sanguine humano: vel per sanguinem intelliguntur sacrificia, quæ ex furto & rapina fiebant: potest & hic esse sensus, Qui multo labore, & superstitione victimas offerre conabuntur, illos mihi illarum victimarum sanguine adeo libare non iubebo, vt ne mentionem quidem vnquam amplius eiusmodi libaminum fieri apud me velim. Illud autem. Multiplicatæ sunt, &c. Potest esse imprecatiu, vt sic dicas. Multiplicentur dolores eorum, qui accedunt ad Deum alienum.* [e] Dominus pars hæreditatis meæ.] *Capitur hic, pars, hæreditas, calix, funiculi distributionis, ferè pro eodem. Nam postea, quàm dixit, sibi nullum esse commercium cum impijs & eorum sacrificijs, quæ sanguine plena sunt, addit solum Dominum esse possessionẽ sibi nullum esse commercium cum impijs & eorum sacrificijs, quæ sanguine plena sunt, addit solum Dominum esse possessionẽ sibi, sortem suam, & omne bonum suum, iccirco ait, funes, id est, sortem cecidisse sibi in præclaris rebus, cum Deus sors eius sit, & alludit ad illud, quod sortibus à Iosue terra Chanaam duodecim tribubus diuisa fuit, ex præcepto Domini.* [f] Benedicam Dominum.] *Gratias agit Deo, qui hunc sibi animum dederit, vt cæteris spretis, in spiritualibus oblectetur bonis, & quod sequitur. Per noctes eruditerunt (nam & Græcus habet ἐπαίδευσαν) me renes mei, per renes eruditos, intelligens secretum stimulum, ad optima quæq; incitantem. Nam aiunt renes esse officinam consiliorum. Solet etiam scriptura interiores affectus per renes significare, hanc fortasse ob causam, quòd cum gignendi affectus in renibus sedem habeat, et is sit omnium potentissimus, hunc renes, tanquam omnium affectuum sedes, & origo, pro ipsis affectibus per metonymiam vsurpentur.* [g] Exultauit lingua mea.] *Quod in Hebræo est, gloria, Græcus reddidit, lingua, nam sermo est, quo præcipuè dignitas hominis constat. Hic locus ab apostolis Petro & Paulo in Act. 2. & 13. capi. adducitur de Christo seruatore, & sanè verba huius loci, scilicet, non derelinques animam meam in inferno, &c. Non proprie in Dauid quadrant, sed prophetæ mens tunc in Christum fuit rapta, & agnouit se Christi typum gerere: cuiusmodi multa alia typice de patribus scribuntur, quæ tamen verè in Christo sunt adimpleta.* [h] Notas mihi fecisti vias vitæ.] *Noluisti (inquit) vt corruptioni fiam obnoxius, sed viam potius ostendisti, qua ad vitam peruenirẽtur, nempe ad resurrectionem, atque ad tui contemplationem, vbi vera gaudia sunt, & nũquam finienda, nam hæc & exigua sunt, & finem habent, illud verò, vsque in finem, rectius vertitur in perpetuum.*

Oratio Dauid XVI.

EXaudi Domine iustitiam meam: intende deprecationem meam. Auribus percipe orationem meam [a] non in labijs dolosis. [b] De vultu tuo iudicium meum prodeat: oculi tui videant æquitatem. Probasti cor meum, & [c] visitasti nocte: † me examinasti, & non inuenies: quod cogitaui, non transiuit os meum. [d] Propter opera hominum, & verba labiorum tuorum, ego obseruaui vias duri. Perfice gressus meos in semitis tuis: vt non moueantur vestigia mea. Ego clamaui [e] quoniam exaudisti me Deus, inclina aurem tuam mihi, & exaudi verba mea. Mirifica misericordias tuas, qui saluos facias sperantes in te.

A resistentibus dexteræ tuæ custodi me, vt pupillam oculi. Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerunt. Inimici mei animam meam circundederunt, [f] adipem suum concluserũt, os eorum locutum est superbiam. † Gressus nostros nunc circundederunt: [g] oculos suos statuerunt declinare in terram. † Similes sunt leoni ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis. Exurge Domine præueni eum, & supplanta eum: eripe animam meam ab impio, [h] phramea tua, à viris manus tuæ. † Domine à viris huius sæculi, [i] quorum pars est in vita: [k] de absconditis tuis adimpletus est venter eorum. Saturati sunt filij: & dimiserunt reliquias suas paruulis suis. Ego autem in iustitia apparebo conspectui tuo: satiabor cum apparuerit gloria tua.

SCHOLIA.

Ipsa psalmi verba abunde indicant, Dauid precationem hanc contra hostes suos, à quibus premebatur, cõposuisse, atque ita animi sui, in maximo periculo à sceleratis inimicis suis deprehensi, habitum hic referre. [a] Non in labijs dolosis.] *Hæc est, simplici corde effundo ad te orationem meã, quippe qui nullis dolis circumueni proximũ, vel, oratio mea ex animo profecta est, & ab*

animi fuco quàm alienissima. Et quod infra ait. Quod cogitaui, non per transiuit os meum. ferè eundem habet sensum. Nam sicut labia eius erant absque dolo, sic cogitatio cordis eius fuit syncera & recta. [b] De vultu tuo.] *Pronuntia tu (inquit) in causa mea, et expendant oculi tui, quæ recta sunt.* [c] Visitasti nocte.] *Quando scilicet maximè dediti cogitationibus esse homines solent. Nocte enim, dum ab externis negotijs animus vacat, ea, quæ in penetralibus animi latent, magis sese proferunt. Nisi quis malit, hanc allegoriam, ex more hominum mutuatam, qui eos, quorum secreta nosse cupiunt, nocte inopinatos aggrediuntur, & res actionesque eorum perquirant, eo enim tempore maximè sui similes sunt.* [d] Propter opera hominum.] *Odio malorum, quæ passim ab hominibus fiunt, memor præceptionum tuarum, operam dedi, vt essem à duris moribus sceleratorum alienus.* [e] Quia exaudisti me.] *Quia solitus es me exaudire, vel, certus quòd me esses exauditurus.* [f] Adipem suum concluserunt.] *Nam rerum copia freti, angusto ergà alios corde sunt, & stricto ore, neminem facile cõpellantes.* [g] Oculos suos statuerunt declinare in terram.] *Hoc est, nihil aliud spectant, quàm terrena, quibus per fas et nefas inhiant, proximo cuiq; insidias struentes, sicut leo, qui in latibulo transeuntem feram expectat, quàm dilaceret.* [h] Framea tua.] *Vt sit appositio, & ablatiui casus, sic, eripe animam meam ab impio, qui est framea tua, hoc est, qui est veluti gladius tuus, eodem modo appellat inimicos suos, manum Dei, quibus scilicet vice flagelli Deus vtitur.* [i] Quorum pars est in vita.] *Qui scilicet in hac tantum vita quærunt, quæ corpori blandiuntur.* [k] De absconditis tuis.] *Vel thesauris, tu satias (inquit) ventrem eorum, & filiorum ipsorum, iuxta voluntatem eorum, nec parentes aliud curant pro filijs, quàm vt illis multum relinquant diuitiarum, quas ipsi secum ferre non possunt, ego verò & omnes electi tui Domine, non has quæremus temporarias, & transeuntes diuitias, sed iustè ac piè viuemus in hoc sæculo, vt aliquando in futuro videamus faciem tuam, & ea satietur, cum scilicet è puluere terræ euigilauerimus, & reformati fuerimus ad similitudinem Christi tui. N. ẽ illud satiabor cum apparuerit gloria tua, verti etiam potest, satiabor cum euigilauero ad similitudinem tuam. Quod tamẽ qui dam sic interpretatur. Vellem satiari gloria tua vigilans, & non per somnium, vel nocturnam visionem.*

† Vincenti pueri Domini Dauid, qui locutus est Domino verba cantici huius, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum eius, et de manu Saul, & dixit, XVII.

DIligam te Domine fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adiutor meus: & sperabo in eum. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus. [a] Laudans inuocabo Dñm: & ab inimicis meis saluus ero. Circundederunt mẽ dolores mortis, & [b] torrentes iniquitatis conturbauerunt me. Dolores inferni circundederũt me: præoccupauerũt me laquei mortis. In tribulatione mea inuocaui Dñm, & ad Deum meum clamaui. Et exaudiuit de templo sancto suo vocem meam, & clamor meus in cõspectu eius introiuit in aures eius. [c] Commota est & cõtremuit terra: & fundamenta montium conturbata sunt, & commota sunt, quoniam iratus est eis. [d] Ascendit fumus in ira eius: & ignis à facie eius exarsit: carbones succẽsi sunt ab eo. Inclinauit cœlos, & descendit: & caligo sub pedibus eius. [e] Et ascendit super Cherubim, & volauit: volauit super pennas ventoꝝ. Et [f] posuit tenebras latibulũ suum, [g] in circuitu eius tabernaculum eius: tenebrosa aqua in nubibus aeris. [h] Præ fulgore in cõspectu eius nubes transierunt, grãdo, & carbones ignis. Et intonuit de cœlo Dñs, & altissimus dedit vocem suã: grando, & carbones ignis. Et misit sagittas suas, & [i] dissipauit eos: fulgura multiplicauit, & conturbauit eos. Et [k] apparuerunt fontes aquarum, & reuelata sunt fundamenta orbis terrarum. Ab increpatione tua Dñe, [l] ab inspiratiõe spiritus iræ tuæ. Misit de summo, & accepit me: & assumpsit me de aquis multis. Eripuit me de inimicis meis fortissimis, & ab his qui oderunt me: quoniam confortati sunt super me. Præuenerunt me in die afflictionis meæ: & factus est Dñs protector meus. Et eduxit me in latitudinẽ: saluũ me fecit, quoniã voluit me. Et retribuet mihi Dñs secundum iustitiam meam, & secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi: Quia custodiui vias Domini, nec impiè gessi à Deo meo. Quoniã omnia iudicia eius in conspectu meo: & iustitias eius nõ repuli à me. [m] Et † fui immaculatus cum eo: [n] & † obseruaui me ab iniquitate mea. Et retribuet mihi Dñs secundum iustitiam meam: & secundum puritatem manuum mearꝝ in conspectu oculorũ eius. [o] Cum sancto sanctus eris: & cũ viro innocente innocens eris. Et cum electo electus eris: & cũ peruerso peruerteris. Quoniam tu populum humilem saluum facies: & oculos superborum humiliabis. Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: Deus meus † illuminas tenebras meas. Quoniã in te † conteram exercitum: & in Deo meo trãsgrediar murum. Deus meus [p] impolluta via eius: eloquia Domini igne examinata: protector est omnium sperãtium in se. Quoniam quis Deus præter Dominum? aut quis fortis præter Deũ nostrum? Deus qui præcinxit me virtute: & posuit immaculatam viam meã. Qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum: & [q] super excelsa statuens me. Qui docet manus meas ad prælium: & † conterent arcum æreum brachia mea. Et dedisti mihi protectionem salutis tuæ: & dextera tua suscepit me: † Et mansuetudo tua multiplicabit me. Dilatasti gressus meos subtus me: & non sunt infirmata vestigia mea. Persequar inimicos meos, & comprehendam illos, & nõ conuertar donec deficiant. Confringam illos, nec poterunt stare: cadent subtus pedes meos. Et præcinxisti me virtute ab bellũ: supplantasti insurgentes in me subtus me. Et inimicos meos dedisti mihi dorsum: & odientes me disperdi. Clamauerũt, nec erat qui saluos faceret, ad Dominum, nec exaudiuit eos. Et comminuam eos, vt puluerem ante faciẽ venti: vt lutum platearũ delebo eos. Eripies me de contradictionibus populi: cõstitues me in caput gentium. Populus, quẽ non cognoui, seruiuit mihi: in auditu auris obediuit mihi. [r] Filij alieni mentiti sunt mihi, filij alieni [s] † inueterauerunt, & claudicauerũt à semitis suis. Viuit Dñs, & benedictus Deus fortitudo mea, & exaltetur Deus salutis meæ. Deus qui das vindictas mihi, & subdis populos sub me, liberator meus de inimicis meis. † Et ab insurgẽtibus ĩ me exaltabis me: à viro iniquo eripies me. Propterea confitebor tibi in nationibus Domine: & nomini tuo psalmum dicam. Magnificans salutes regis eius, & [t] faciens misericordiam CHRISTO suo Dauid · & semini eius vsq; in sæculum.

2. Re. 22. c

2. Re. 22. c

2. Re. 22. d
Rom. 15. b

SCHOLIA.

Titulus ipse indicat huius psalmi argumentum, atque hic psalmus penè eisdem verbis inuenitur. 2. Reg. cap. 22. Vbi obserua pium animum, qui non contentus per singula pericula psalmos composuisse, generatim etiam complecti voluit hoc psalmo Dei erga se beneficia.

[a] Laudans inuocabo Dominum.] *Vel laudatum inuocabo Dominum, vt sit sensus, posteaquàm his encomijs celebrauì Dominum, nunc eum inuocabo, Vel, omni laude dignissimum inuocabo Dominum.* [b] Torrentes iniquitatis.] *Vel inundationes impiorum, per quod intelligit ingentia pericula ac terrores.* [c] Commota est & contremuit terra.] *Postentiam Dei canit, quam in tempestatibus declarat, cuius rei & alijs psalmis fit mentio, Iob etiam similia ad prædicandi Dei potentiam memorat, legimus Deum ita feciſſe ſæpius, vt legem daturus. Exod. 19. item cum ad preces Samuelis declararet se populo offensum fuisse, quòd regem postulassent, sic cum præclaram ab Assyrijs liberationem promitteret per Esaiam. Immisuis (inquit) cum tonitruo, commotione, voce grandi, turbine, tempestate, & flamma ignis vorantis. In morte filij Dei sol obscuratus est, terra tremuit sic cum mitteretur spiritus sanctus. Talibus credi potest portentis Deum erga Dauid suam declarasse benevolentiam contra hostes, & auxily promissionem confirmasse, concussa terra, missis fulminibus, fulgetris, grandine, & nimbis. Hebræi aliquot allegoricè omnia dicta putant: per vim tempestatis intelligentes subitam ac vehementem vim diuini auxilij, vt eorum euersio concussioni terræ & motioni conferri queat.* [d] Ascendit fumus.] *Indixit Deo personam tractì hominis, qui fumum spiret è naribus, ignem ex ore, vnde & accendantur carbones. Intelligit autem per fumum ascendentem, nebulam, quæ densatur in atram nubem, per ignem fulgura, per carbones tela fulminea.* [e] Et ascendit super Cherub.] *Hoc est super volucri, vt celeritatem eius notet. Dicitur enim Deus ventis ferri, & pro equis habere spiritus angelicos, vnde imagines illæ, quas ſcriptura Cherubin vocat, quæ in propitiatorio collocatæ erant, alas habebant. De hoc etiam alibi habes. Qui facit angelos suos spiritus, &c.* [f] Posuit tenebras latibulum suum.] *Deus ſe quaſi caligine inuolut, vt præsentem ſe quidem teſtaretur, & tamen inuiſibilem, vt populus diſceret credere, eum, qui in cœlis præſidet, ſuis nunquam deeſſe, etiam ſi non videretur.* [g] In circuitu eius.] *Fecit (inquit) latibulum circum ſe, dum in modum tugurij habebat obſcuriſſimas aquas, & denſiſſimas nubes.* [h] Præ fulgore.] *Deſcribit tonitrua & pluuiam, & ait, præ fulgore, quo apparet iuſtis, denſiſſimæ illæ nubes, abeunt ad hoſtes, vna cum grandine, & veluti ignitis carbonibus cum grandine permixtis. Bis autem dicit, grando & carbones ignis, & ſine coniunctione, vt attoniti animi affectum exprimat.* [i] Diſſipauit eos.] *Hoſtes relatiuo deſignat, cum tamen nomina eorum non præmiſerit, nam circa, quæ animi magno affectu occupantur, putant ea neminem latere, in quibus ipſi ſunt toti, vt cum Maria dixit. Si tu ſuſtuliſti eum, &c.* [k] Apparuerũt fontes aquarum.] *Aly verterunt aluei aquarum, hoc eſt, receptacula aquarum quaſi inducat propheta Deum increpatione, & ſpiritu ſuo tota exhauſiſſe, ac ſiccaſſe flumina, vt aluei abſorpta omni aqua apparerent. Hos alueos, & profundas fluminum ſedes, propter altitudinem eorum orbis fundamenta vocat, intelligit autem hoſtes ſuos, qui ea ſubnixi potentia videbantur, vt minus credibile eſſet, eos poſſe extingui, quàm ingentia flumina exiccari.* [l] Ab inſpiratione.] *Vel à flatu, alloſit autem ad exiccationem maris rubri, nam ſcriptum eſt, cum Deus vellet ſuis iter dare, per ſinum arabicum, immiſiſſe ventum orientalem præualidum, qui perflans tota nocte, maris partem exiccaret, ac velut ſciinderet, ſic nunc tam facile ſubiatos hoſtes.*

[m] Et fui immaculatus.] *Videtur hæc propheta prædicare de ſe, quatenus pertinet ad ſtudium, & conatum, piè, & inculpatè viuendi, non ratione factorum ſingulorum quemadmodum & 1. Ioan. 3, apoſtolus ſe natum ex Deo gloriatur, atque ideò eſſe ſine peccato, & tamen in eadem epiſtola pronuntiat eos mendaces, qui ſe abſque peccatis eſſe dicant, vt lapſus concedatur ſanctis, ſed peccandi voluntas ac ſtudium adeſſe negetur.* [n] Et obſeruaui me.] *Hoc eſt, natam intra me quamlibet malam ſuggeſtionem repreſſi.* [o] Cum sancto sanctus eris.] *Rectiſſimè quidem ſemper agit Deus ac puriſſimè, ſed prauorum vita digna eſt, cuius rationes omnes perturbentur, & ſempiterno errore, ac confuſione omnium conſiliorum, et actionum rotentur: Quidam ſic exponunt, conſortium fugi malorum hominum, non ignorans quòd apud pios diſcitur pietas, & apud peruerſos impietas.* [p] Impolluta via eius.] *Deus integerrimus (inquit) eſt in omnibus operibus ſuis, & facta eius probe promiſſis reſpondent, nam verba eius ſunt exploratiſſimæ, ac certiſſimæ veritatis.* [q] Super excelsa.] *Videtur hic canere, quòd quamlibet excelſas & præruptas hoſtium munitiones occupauerit, nam hic victorias ſuas canit, &* 1. Paral. 12. *hi qui e tribu Gad, ad Dauid venerant, memorantur facie leonibus, pedum celeritate capreis ſimiles fuiſſe, & ob id bello maximè idoneos. ſcriptura prædicare voluit. Quare & propheta ad victoriam, pedum ſibi datam celeritatem profitetur.* [r] Filij alieni mentiti sunt mihi.] *Vel, mentientur, & quidem variis modis hic locus ab Hebræis exponitur, verum ne omnes hic omnium ſententias ponamus, id dicemus, quòd verò eſt ſimilius, videtur hic ille eſſe Hebraiſmus, qui habetur. Deut. 33. Mentientur tibi inimici tui, & tu ſuper excelſa eorum calcabis, &* pſalm. 80. *Inimici Domini mentiti eſſent ei, quibus locis, idem eſt mentiri, quod ſupplices fieri, & penitus ſubyci, vel, ſaltem ficto animo parere, vt intelligamus trepidantem ac ſeruilem ſubiectionem, quòd qui ita ſubditi ſunt, multa ob timorem ſoleant ys mentiri, quibus ſeruiunt, ſic Latini fures pro ſeruis dicebant, quòd ſerui omnes furari ſoleant, propter nimiam heroum ſcilicet erga eos parſimoniam.* [s] Inueterauerunt.] *Vel, Defecerunt, aut per futurum potius, deficient, & quod ſequitur. Claudicauerunt à ſemitis ſuis. Aly verterunt, expaueſcent de ergaſtulis ſuis, & ſignificat eos, etiam in locis munitis trepidaſſe. Et erit totius verſiculi ſenſus. Deſertores ſemper in metu erunt, & abdent ſeſe in latibulis ſuis.* [t] Faciens misericordiam Christo suo Dauid.] *Hic Chriſti typum exhibuit, nam vt nihil antiquius habuit Chriſti promiſsione de ſemine ſuo naſcituri, ita credendum eſt, eum, animum & verba, dum ſalutis meminit, ſibi ſemini ſuo factæ, ad canendum regnum Chriſti intendiſſe, vnde toti orbi ſempiterna ſalus facta eſt. Alioqui vbi ſemen ac poſteritas Dauid in ſempiternum fuit firmata, ſi non Chriſtum ipſum cum ſibi creſdentibus, hanc Dauidis ſobolem agnouerimus? Quanti ſanè ei Chriſti promiſsio fuerit, ipſius verba, &* 2. Reg. 7. & 1. Paralipo. 17. *& multorum pſalmorum luculenter declarant, vnde nihil mirum, eum qualibet occaſione, ad canendum de Chriſto & regno eius arreptum fuiſſe. Licet etiam in eo Dauid, vt Chriſti typum conſideraue, quòd tam multa illum perpeti ante, quàm ad iuſtam regni gloriam attolleretur, oportuit, & quòd tam præclare illi Dominus aſſiſit, ac periculis exemit, et hoſtes ei ſubiecit, præterea obſeruandum, quàm ſollicitè propheta multis verſibus omnia ab vno Deo geri, eiuſq; munera dona eſſe prædicet, tam animi, quàm corporis dotes.*

† Vincenti

† Vincenti, Pſalmus Dauid XVIII.

[a] Oeli enarrant gloriam Dei & opera manuum eius annuntiat firmamentum. [b] Dies, diei eructat verbum: & nox nocti indicat ſcientiam. [c] Non ſunt loquelæ neque ſermones, † quibus non audiantur voces eorum. [d] In omnem terram exiuit ſonus eorum: & in fines orbis terræ verba eorũ. † [e] Soli poſuit tabernaculum † in eis: & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Exultauit, vt gigas ad currendam viam, à ſummo cœlo egreſsio eius. Et occurſus eius vſq; ad ſummum eius: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius: [f] Lex Domini immaculata, conuertens animas, teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans paruulis. † Iuſsiones Domini rectæ, lætificantes corda: præceptum Domini † purum, illuminans oculos. Timor Domini ſanctus permanens in ſæculum ſæculi: iudicia Domini vera, [g] iuſtificata per † omnia. Deſyderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſuper mel & fauum. Etenim ſeruus tuus [h] cuſtodit ea: in cuſtodiendis illis retributio multa. [i] Delicta quis intelligit? ab occultis meis mũda me: & ab alienis parce ſeruo tuo. Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximò. Et erunt, vt complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in cõſpectu tuo ſemper. Domine adiutor meus & redemptor meus.

Luc. 24. g

Prou. 30. a

SCHOLIA.

Duo agit in hoc pſalmo propheta, primò magnificam Dei potentiam prædicat, quæ in cœlorum mirabili opificio & ſtructura, tanta maieſtate ſeſe contuentium oculis ingerit, præſertim qui aduertunt motum, lucem, calorem, vim influentem, magnitudinem, & numerum ſyderum, &c. vt qui neſcit magna Dei in hac mundi admiranda ſtructura, contemplari miracula, hoc hymno admoneatur, & ad conſiderandum pronocetur. Deinde ad prædicandam Dei legem conuertitur, et quaſi facta vtriuſq; rei cõparatione, multò eã hac mundi fabrica illuſtriorem canit. [a] Cœli enarrãt.] *Chaldæus interpres ſic exponit. Qui conſtruxerunt cœlos, enarrant gloriam Domini, & opera manuũ eius demõſtrant, qui rimantur æthera, vt illud æthera exprimat, quid per cœlos ſignificarit, & magis proprium eſſe quidam putant, quàm ſi dicatur, firmamentum: cum Rakia expoſuerit, non firmitatem ſignificet. & Moſen hac appellatione vocaſſe cœlos, cui etiam externi conſentiant. Nam Ariſtoteles in libro de mundo ſcribit, cœli ſyderumq; naturam hoc nomine appellari, origine huius vocabuli inde ducta, quod ſemper currat, nam ἀεὶ θέειν. quaſi ἀεὶ θέων.* [b] Dies diei.] *Hic verſus variè exponitur. Quidam hunc afferunt ſenſum, dies de die loquitur, & nox de nocte ſcientiam monſtrat, vnde diſcimus, ſicut prioris ratio fuit, ita & poſterioris futuram, perſeuerantibus ſuo ordine ſolis ortu & occaſu. Alius ſic, ſicut dies ſuccedit diei, & nox nocti, ita perpetuo gloria, & maieſtas Dei innoteſcit per noua opera, quæ per virtutem & influxus cœlorum, quotidie in his inferioribus efficit locis, vt homini nunquã deſit occaſio loquendi & laudandi Deum, vnde ſequitur. Non ſunt loquelæ, &c. Si ergo ſic intelligas, quemlibet diem, & quemlibet noctem noua Dei opera depromere, quibus Dei potentia, ſapientia, & bonitas, peculiariter manifeſtetur, ſimile erit hoc, dies diei loquitur, verſiculo illi. Diſcipulus eſt prioris poſterior dies. Chaldæus reddidit, dies diei apponit, & manifeſtat. verbum, & nox nocti diminuit, & nunciat ſcientiam. Quibus verbis fortaſſe exprimere voluit illas vices incrementi ac diminutionis, dum adiungitur diei, quod adimitur nocti, & contrà, quæ ordinem & aly ſapientes viri ſunt admirati.* [c] Non ſunt loquelæ.] *Nullum eſt idioma, nec vlli ſermones, quibus audita non ſit vox illorum, nec tam barbarus populus, ad quem horum notitia non peruenerit. Alius ſic interpretatur, nunquam tranſit dies, in qua homines non loquantur de operibus Dei, quæ fiunt miniſterio cœlorum, nam pluuia, ſerenitas, nunc caloris, nunc frigoris, viciſſitudo, grandines, nix, ignis, fulgura, tonitrua, fulmina, & eiuſmodi, materiam præbent commemorandi mira opera Domini. Alius ſic vertit, non ſermo & non verba, non auditur vox eorum. In omnem terram, &c. Vt ſit ſenſus, et ſi ſine voce ſunt cœli, ordo tamen adamuſim compoſitus pro voce eſt.* [d] In omnem terram.] *Paulus ad Roma. 10. Hoc teſtimonio vſus eſt, per ſimilitudinem, quòd ſcilicet ita apoſtolorum prædicatio mundo fuerit declarata, quemadmodum cœli gloriam Dei prædicant in quauis orbis terræ parte. In eundem ſe habet modum & illud. 2. ad Corinth. 8. cum enim hortaretur, vt Corinthy ex ſua abundantia ſarcirent fratrum in tudæa inopiam, ſubiecit, ſicut ſcriptum eſt. Qui multum, ei nihil redundabat, qui parum, ei nihil deerat, non enim negat id ſcriptum fuiſſe de manna. Exod. 16. ſed vult hortari, vt ita ſtuderent ſancti res vitæ æquare, vt manna olim ex æquo populo tribuebatur, ſic de bone triturante. 1. Timo. 5. & 1. Cor. 9. Porrò quod ait, Sonus eorum, in Heb. eſt, linea, Vel directio, vel ædificium eorum. Vt diſcamus in eiuſmodi locis ſenſum magis, quàm verba exprimere.* [e] Soli posuit.] *Cum nullũ ſidus cœleſte præclarius Dei atteſtetur maieſtatem, quam ſol ipſe, iam ad eius ſpeciem commemorandam accedit, nempè quòd Deus ei tanquam ſponſo thalamum in cœlo collocarit, vocans tabernaculum eius hemiſpærium inferius, vnde ſol manè egredi tur tanquam ſponſus de thalamo ſuo. Quam ſponſi ſimilitudinem poſitam putant, quòd mos eſſet Hebræis, qui etiam nunc obſeruetur, vt ſub expanſo velo ſponſo ſponſam tradant, è quo cũ progreditur, cunctos exhilarat, & nuptiarum feſtum inchoatur, ad quod & Ioannes alluſiſſe viſus eſt, cum diceret. Amicus ſponſi gaudet ad vocem eius. Sic exoriente ſole, & aureũ os orbi proferente, creaturæ omnes mirum in modum recreantur. Laudatur & eius pernicitas, quæ dos præcipuis Heroibus tribuitur, vnde & Homerus ſuum Achillem πόδας ὠκὺν vbiq; prædicat, quam dotem & Dauid ſibi donatam memorauit. Hæc verò quaſi diſſimilis ſimilitudo, qua ſol Heroi comparatur, non caret gratia, ſicut & cum nubes ac cœlos Dei tabernaculum facit, motum ventorum quaſi remigium alarum & tonitruum vocem, ſic ſagittas eius fulmina, nam hæc diſparilitas obiecta animo ſtupere Dei amplitudinem facit, quam collatam rebus humanis, videt nullis, quamlibet excellentibus apud nos poſſe conferri.* [f] Lex Domini.] *Hactenus (inquit) dixi cœlos gloriam Dei prædicare, quod magnum quidem & præclarum eſt, at nihil eſt, ſi legi Domini conferatur. Ea enim ſyncera, perfecta, & abſoluta eſt, nihil mutationis admittens, nihil continens inſyncerì, cum in cœlis, lucis viciſſitudo, & aliæ mutationes multæ obueniant. Animos hominum hæc verè reſtituit, & inæternum recreat, cum cæli tantum corporibus opitulentur. Fidele & certum eſt teſtimoniũ Domini in ſcripturis, at cœlorum ſæpe variat, & immutatur. Cæli ſapientiæ quidem Dei præclarè admonent, at ſcriptura etiam imperitis ſapientiam ſuppeditat. Iuſſa Domini æqua & recta ſunt, in quibus nihil deſyderare queas, At cœlorũ lux obliqua, & ſui diſſimilis ſit. Præterea exhilarat illa cor gaudio ſpirituali, & ſempiterno, cæli autem ſua luce ad tempus tantum, & enanidã lætitiam afferunt. Præcepta Dei pura ſunt, quibus nihil iniqui admixtum eſt, at cœlorum lucem ſæpe tetræ nubes obſcurant, tũ*

hi oculos corporis,illa mentis illuminat. Lampas cœlorum mira quidem puritate pollet;at purior timor & religio Domini, obtinet illa ordinem & cursum suum,dum hoc sæculum perstiterit,at vltra sæculum hoc stat obseruantia Dei. Iudicia Dei vera sunt,at sæpe iudicia astrorum fallunt. Iusta sunt per omnia, vt nulla vnquam sui parte non obseruanda existant,sed ab indicatura sydera plerunque recedere oportet. Lux ipsa plerunque deficit,cum vita,quam præcipit scriptura, æterna sit. Per hanc legem & ipse Dominus Deut. 4.suum populum testatus est vniuersos alios antecellere, hanc & Salomon & Paulus vehementer commendant. In hoc autem psalmo Propheta eam variis nominibus appellat,& celebrat, & etiam in psal.118. Vocat eam legem,vel doctrinam, quòd viuendi,ac rectè agendi rationem præscribat. Testimonium,quia de voluntate Dei nobis testatur,iussa,vel mandata,quòd contineat,quæ nobis Deus imperat obseruare. Præceptum quòd in se habeat, & quæ exigit a nobis Deus, & quæ vetat. Timorem,vel reuerentiam potius Domini,quòd timere Deum doceat, & veram ingerat religionem. Iudicia, vel edicta, quòd recto iudicio agere omnia instituat. g Iustificata per omnia.] *Hoc est, modis omnibus æquissima. Græcus habet ἐπὶ τὸ αὐτὸ, id est,in idipsum. Alius vertit pariter.* h Custodit ea.] *Alius vertit, admonetur per ea, & in custodiendis (inquit) illis retributio multa, ipsa siquidem obseruatio, merces per se amplissima est.*
i Delicta quis intelligit?] *Cernens se non posse integrè legi Dei operam dare,nisi mundo corde fuerit,rursus q; nimis lubricam esse hominum vitam,& irrepere tam latenter vitia,vt sæpe & sanctos fallant, precatur se ab eis occultis liberari, & ab ijs affectibus,qui fallere possunt conscientiam nostram,iccirco ait.Et ab alienis parce seruo tuo, vel prohibe seruum tuum, alius vertit,ab insolentijs,alius a flagitijs,ne scilicet videretur reliquorum & crassiorum peccatorum iam securus. Sunt qui per alienos intelligant malorum societatem,a qua seruari se orauit. Sed non displicet, quod hic petat se liberari, præcipue a superbia & fastu, qui si ei non fuerit dominatus, a graui quouis scelere futurus sit alienus. Postremò concludit psalmum solito epiphonemate. Domine adiutor meus & redemptor meus.*

Psalmus Dauid XIX.

EXaudiat te Dominus in die tribulationis, protegat te nomen Dei Iacob. Mittat tibi auxilium [a] de sancto:& de Sion tueatur te. Memor sit omnis sacrificij tui: [b] & holocaustum tuũ pinguefiat. Tribuat tibi secundum cor tuum,& omne cõsilium tuum confirmet. Lætabimur [c] in salutari tuo: & in nomine Dei nostri magnificabimur. Impleat Dominus omnes petitiones tuas: nunc cognoui quòd saluum fecit Dominus CHRISTVM suum. Exaudiet illum de cœlo sancto suo: [d] in potentatibus salus dexteræ eius. Hi in curribus,& hi in equis: nos autẽ in nomine Domini Dei nostri inuocabimus. Ipsi obligati sunt & ceciderunt: nos autem surreximus & erecti sumus. [e] Domine saluum fac regem: & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.

SCHOLIA.

Quia hic psalmus pro rege orat, existimant quidam Hebræorum, eum ab alio compositum esse, vt pro Dauid caneretur, Sed cur non optasset pro se Dauid,bellum pro salute populi gerente,fieri publicam precem,eamq; vt dirigeret, psalmum populo composuisset: Nisi quis magis credat,eum parta iam victoria, & prece populi audita, psalmum hunc composuisse, vt & populi erga se studium declararet,& exemplum proponeret,& principibus,& populis,ad vnum Deum in periculis confugiendi. Credibile autem est,hoc bellum illud fuisse,quod suscepit aduersus Ammonitas,& Syros, vt habetur 2.Reg.10.& 1.Paralip.19.præsertim cum curruum,& equitum fiat mentio,quorum ingens eò bello copia fuit. Vt igitur insigne fuit periculum,ita solemnem pro Rege supplicationem suscipere conueniebat. a De sancto.] *Hoc est,de sanctuario, vel de sacratori loco sanctuarij.* b Holocaustum tuum pinguefiat.] *Alius vertit.incineret,hoc est,mittat ignem è cœlo,qui absumat holocaustum tuum,& in cinerem redigat,per quod agnoscatur beneplacitum Dei.* c In salutari tuo.] *In salute tua, & illud,magnificabimur, potest & verti, triumphabimus, vel vexilla erigemus.* d In potentatibus.] *Potentia salutaris dexteræ eius. Hoc est.Salutiferis omnipotentiæ suæ viribus succurret illi. Et quod ait inuocabimus. In Hebr. est, recordabimur.Sic illud.Obligati sunt,rectius erat,incurruati: vt opponatur ei, nos erecti sumus.* e Domine saluum fac regem.] *Quidã sic distinguunt.Domine serua,& rex cœli exaudiat nos in die qua inuocauerimus. Potest & sic verti.Domine serua. Et rex respondebit nobis,hoc est strenuè aget te adiuuante,in die quo inuocauerimus.*

† Vincenti Psalmus Dauid XX.

DOmine in virtute tua lætabitur Rex: & super salutare tuum exultabit vehementer. Desyderium cordis eius tribuisti ei: & [a] voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite eius coronam de lapide pretioso. Vitam petijt à te: & tribuisti ei [b] longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi. Magna est gloria eius in salutari tuo:gloriam & magnum decorem impones super eum. Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum sæculi: [c] lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. Quoniam rex sperat in Domino: & in misericordia altissimi non commouebitur. [d] Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt, [e] Pones eos,vt clibanum ignis in tẽpore vultus tui. Dominus in ira sua conturbabit eos,& deuorabit eos ignis. [f] Fructum eorum de terra perdes: & semen eorum à filijs hominum. Quoniam [h] posuerunt in te mala: cogitauerunt consilia,quæ non potuerunt stabilire. Quoniam [g] declinauerunt in te mala: cogitauerunt consilia,quæ non potuerunt stabilire. Quoniam [h] pones eos dorsum: † sagittas tuas præparabis in vultum eorum. Exaltare Domine in virtute tua: cantabimus & psallemus virtutes tuas.

SCHOLIA.

Sæpe psalmi iunguntur,qui eadem occasione compositi sunt, & eadem de re loquuntur, sicut patet tertium & quartum de coniuratione Absalon esse conscriptos, vndecimum, cum tribus sequentibus de persecutione,quam à Saule, atque aduersatoribus eius Dauid perpessus fuit, ita videtur hic psalmus de eadem victoria canere, de qua & superior locutus est, ea

eius coronam de lapide pretioso,coniectura est,hunc psalmum victoriam de Ammonitis canere,quorum regis coronam suo capiti Dauid imposuisse legitur,eamq; precy multo maximi. Hæc habentur 2.Reg.12.& 1.Paralip.20. a Voluntate labiorum eius.] *Hoc est,id,pro quo tibi supplex fuit, ex tuo munere obtinuit.* b Longitudinem dierum in sæculum.] *Hoc ad votum populi respicit,cum interim tamen ad Christum referenda sit cogitatio, in quem propriè quadrat.* c Lætificabis eũ in gaudio cum vultu tuo.] *Vt,qui regibus proximi sunt,& in oculis semper versantur,chariores habentur, ita scriptura,summe charos Deo, videre faciem eius,& coràm eo agere dicuntur, vt de angelis scriptum est.* d Inueniatur manus tua.] *Rex (inquit) non nutabit, eò quòd manus eius inueniet inimicos suos,& coercebit eos, vt nihil possint nocere ei.*
e Pones eos,vt clibanum ignis.] *Hypallage est,pro.pones vel mittes ignem in eos,sic illud pones eos,sicut ignem,qui cõburit syluam,sicut flammam, quæ comburit montes,significari autem putant genus pœnæ,quo Dauid in deuictos Ammonitas desæuierit,quos in calcis fornace concremauit. Cæterum solet in scripturis sæuior Dei vltio conflagratio ignis vocari per hyperbolen,& allusionem ad ignem sodomiticum. In tempore vultus tui.Hebra.est,pro in tempore iræ tuæ.* f Fructum eorum.] *per fructum & semen intelliguntur filij & nepotes.* g Declinauerunt in te mala.] *Subaudi,o rex,ad quem sermo iste dirigitur.* h Pones eos dorsum.] *Hoc est,in fugam conuertes eos. Alius vertit pones eos seorsum ad partem, hoc est in vnam partem,ceu signum & scopum,ad quem iaciantur sagittæ.*

† Vincenti pro cerua matutina,Psalmus Dauid XXI.

DEus Deus meus respice in me: quare me dereliquisti? longe es à salute mea † à verbis rugitus mei. Matt. 27.d
Deus meus clamabo per diem, & non exaudies: & nocte, & non † est silentium mihi. Tu autem [b] in sancto habitas,laus Israel. In te sperauerunt patres nostri: sperauerunt, & liberasti eos, Ad te clamauerunt, & salui facti sunt: in te sperauerunt, & non sunt confusi. [c] Ego autem sum vermis & non homo:opprobrium hominum & abiectio plebis, Omnes videntes me,deriserunt me:locuti sunt labijs: & mouerunt caput. Marc. 15.c
[d] Sperauit in Domino,eripiat eum:saluum faciat eum,quoniam vult eum. Quoniam [e] tu es qui extraxisti me de ventre: spes mea ab vberibus matris meæ, in te proiectus sum ex vtero. De ventre matris meæ Deus meus es tu: ne discesseris à me. Quoniam tribulatio proxima est, quoniam non est qui adiuuet. Circundederunt me vituli multi: tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum: sicut leo rapiens & rugiens. [f] Sicut aqua effusus sum:& dispersa sunt omnia ossa mea. Factum est cor meum tanquam cera liquescens,in medio ventris mei. Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis:& in puluerem mortis deduxisti me. Quoniam circundederunt me canes multi: concilium malignantium obsedit me. Matt. 27.d Ioan. 19.e
[g] Foderunt manus meas & pedes meos, [h] dinumerauerunt omnia ossa mea. Ipsi vero [i] consyderauerunt & inspexerunt me,diuiserunt sibi vestimenta mea,& super vestem meam miserunt sortem. Tu autem Domine ne † longè sis fortitudo mea,ad defensionem meã conspice. Erue à phramea animam meã:& de manu canis vnicã meam. Salua me ex ore leonis: & [k] à cornibus vnicornium † exaudi me.
[l] Narrabo nomen tuum fratribus meis:in medio ecclesiæ laudabo te. Qui timetis Deum laudate eum:vniuersum semen Iacob glorificate eum. Timeat eum omne semen Israel: quoniam non spreuit neq; despexit deprecationem pauperis. Nec auertit faciem suam à me:& cum clamarem ad eum,exaudiuit me. [m] † A te laus mea in ecclesia magna:vota mea reddam in conspectu timentium eum. Edent pauperes & saturabuntur:& laudabunt Dominum qui requirunt eum:viuent corda eorum in sæculum sæculi. [n] Reminiscentur, & conuertentur ad Dominum vniuersi fines terræ. Et adorabunt in conspectu eius vniuersæ familiæ gentium. Quoniam Domini est regnum:& ipse dominabitur gentium. [o] Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ:in conspectu eius cadent omnes,qui descendunt in terram. Et anima † eorum non viuet: & [p] semen meum seruiet ipsi. Annuntiabitur † de Domino,† in generationem venient, & annuntiabunt [q] iustitiam eius,populo qui nascetur,quæ fecit Dominus.

SCHOLIA.

Dauid Christi se typum admodum apertè hoc psalmo exhibet. Primum ergo summam eius deiectionem, deinde exaltationem,regniq; eius, & ad orbis terminos propagationem, & ad finem vsque sæculi deductionem,in se adumbratam canit. Quod verò ad titulum pertinet Variè etiam Hebræi interpretantur dictionem illam Aieleth,quidam dicunt,hoc nomine significari instrumentum musicum: alij speciem carminis,alij stellam, alij virtutem vel fortitudinem, nonnulli capream vel cervam,vt Israel hac metaphora vocetur,sicut & in cantico, vbi sponsus adiurat filias Hierusalem per hinnulos vel capreas agri, quibus Israelitas designatos putant.Thalmudici nomen stellæ esse autumant, Luciferum hoc nomine vocantes. Præter Euangelistarum indubitatam authoritatem, ipsa psalmi verba enunciant,de seruatore nostro hunc psalmum esse compositũ. Ergo,cum non conueniens esset de eo sine aliquo inuolucro canere,sydus matutinum illum vocauit, propterea quòd diuinitatis fidem hominibus per ipsum hominem adducendum præuideret. Vel certè vocauit ceruam,illud præuidẽs quòd esset hostia futura,quæ oblata semel in sempiternum absolueret sanctificatos. Quid? si voluisset alludere ad Ayl, id est arietem illum, quem Abraham pro Isaac filio suo Domino mactauit? Nec offendit, quòd in fœminino genere voce hac vsus est, fortasse enim voluit per id summam eius deiectionem, de qua hic canit,subindicare. Matutinam autem iure vocauit, eò quòd vltima, vt & epistola ad Hebræos multis probat, omnia perficiens hostia fuerit. Vt enim à vespera diem Hebræi auspicantur, ita vespertinas victimas matutinæ sequebantur: & ceremonias, cultumq; religionis consummabant. Nec inepta esset metaphora,si ecclesiam Christi ceruæ nomine vocasset,sponsa est siquidem seruatori vnicè dilecta. Iam chara vxor, & in proverbijs cerua vel caprea appellatur. a Deus Deus meus.] *Matthæi 27.hæc verba impleta scribuntur, & quia interpres de suo addidit,respice in me,sunt qui coniectent,interpretem illum fuisse ante seruatoris aduentum, quippe qui, si post scripta Euangelia fuisset,non illud adiecisset,quod ab Euangelistis non esset positum. Vsq; ad versum vigesimi tertii,quibus in malis fuerit,canit,& quam anxiè atq; ardenter Dei opem implorarit:inde ad finem vsq; de diuinæ gloriæ,veræq; religionis illustratione,& dilatatione. Vtrunq; verò ita cecinit,vt apertè videas,illum nequaquam se, nisi quantum ad rationem typi attinet,*

sed ipsum seruatorem in omni narratione ante oculos habuisse. Vt igitur nihil impium feceris, si cogitaueris Dauid, impiet-
tate Saulis & assentatorum eius exagitatum, Christum adumbrasse, ita nullos haberes oculos pietatis, si non cerneres, omnia
propriè in Christo consentire. Quòd autem hic videtur queri, quòd derelictus à patre fuerit, Vt videatur non impetratarum
liberationem, quam magnis clamoribus postulet, non impatientiam aliquam, aut diffidentiam hæc verba præ se ferunt. Sed
Christi veram humanam naturam, veramq; eius declarant passionem. Et quod ait. A verbis rugitus mei, qui locus possit
etiam verti. Longè à salute mea verba rugitus mei: rugitū dixit, vocem immanem, quadem viri aliqui fortes, emittere so-
lent, cum intolerabili cordis angore distringuntur, & vis doloris, quemuis venientibus, lacrimas & eiulatum exprimit. Ea
vera natura doloris est, vt cogat in vocem erumpere, eò quòd faciat spiritū retineri, qui quando retineri amplius nequit, vo-
uersus cum clamore erumpit: quemadmodum & philosophi tractant. [b] In sancto habitas.] *Interim tu (inquit) Deus*
securus horum, quæ patior, desidere videris. Tu, inquam, laus Israel: hoc est, qui succurristi toties, & materia fuisti carmi-
num ipsi Israeli. [c] Ego autem sum vermis.] *Videor ego esse vermis, magis quàm homo, dum ita negligor. Cum tamen pa-*
tres olim nostros nunquàm neglexeris. [d] Sperauit in Domino.] *Subaudi dicentes: & est ironia, qua dicere videbant:*
stultè & ridiculè eum fecisse, quòd à Deo diligi se, charumq; tantopere haberi, fuisset arbitratus. Quæ de hac irrisione cant,
narratio potius, quàm vaticinium sunt eorum, quæ Christus perpessus est, sic, enim Matthæus scripsit, præteuntes autem ma-
iaciebant in eum, mouētes capita: & post pauca, memorat pontifices cum scribis & senioribus inter cætera dixisse. Confidit in
Deo, eripiat eum, si quidem vult eum. [e] Tu extraxisti me de ventre.] *Testatur his verbis, se Dei esse figmentum, & ve-*
rum hominem, è claustris virginalibus, bonitate q; diuina educatum, atq; ideo rogat, ne longè à se recedat. [f] Sicut aqua effu-
sus sum.] Metus cogit calorem, ab extremis in intima, & è supernis in infima: à frigore ergo, quod circa pectus est, & tem-
pora, quam extrema cuncta occupat, omnia refrigerantur, ipsaq; membrorum compages soluuntur, quare & poeta ait. Ex
templo Aeneæ soluuntur frigore membra. Hanc dissolutionem videtur per hyperbolen significasse, cum dixit, velut aqua ef-
fusus sum, vel desluxi & luxata sunt omnia ossa mea. Ex eadem verò causa, quòd metus caloris defectio & in infima depul-
sio est, accidunt & quæ subijcit. Factum est cor meum quasi cera liquescens, & succus meus velut testa exaruit: nam calor
pectus deserens, facit cor colliquescere, idem humorem in intimis absumens, ariditatem inuehit, & sitim excitat. [g] Fode-
runt manus meas.] Hebræi legunt. Quasi leo, & nescio quam fabulam commiscuntur, de leonis venatione, quæ vt
euertant sensum, qui pro nobis facit. Hebræa dictio caari, si punctа negligas, & Aleph redundet, significat foderunt, quam
vocem sine Aleph, Felix Prætensis testatur Deum, se hoc loco in commentario quodam legisse, cui non minus fidei tribui de-
beant, quàm ipsi scripto prophetæ. Chaldæus habet. Mordentes veluti leones manus meas & pedes meos. [h] Dinumerauе-
runt omnia ossa mea.] Vel dinumerabo. Si ad historiam Christi supplicij spectes, hunc sensum habebit. Ita extensus sum
& distractus, vt numerare licuerit omnia ossa mea: neque obstat, quòd in Dauid, qui typum Christi gessit, nihil tale præcessit.
Sæpe enim vltrà typos rapti prophetæ ea canunt, quæ in vno Christo perfecta sunt. [i] Confyderauerunt & inspexe-
runt me.] Adhuc post omnem cruciatum torue aspiciebant, & contemplabantur me: & quod sequitur diuiserunt sibi ve-
stimenta mea, &c. Hic versus omnium euidentissimè Christi hic prædictum supplicium probat, cuius vestes, cum eum mili-
tes crucifixissent, inter se partiti, & de inconsutili sortiti sunt. [k] Acornibus vnicornium exaudi me.] *Hoc est, ser-*
opem. iam cornibus sæuissimarum beluarum permisso, & obserua elegantes antitheses: questus erat primum se à Domino de-
relictum, tam ergo orat, ne procul absit. Deinde se die ac nocte frustra auxilium implorasse: tam ergo precatur, vt properet,
auxilium ferendo: tum se cinctum à cœtu noxiorum, item & a canibus: à cæde igitur, & canum rabie hic se petit liberari,
postremò hostes sibi instar leonum imminere, nunc orat ex ore leonis, cornuq; vnicornium eripi. Neque verò hic Christus tan-
quam mortem deprecans orat, sed meminisse debemus, Dauid Christi fuisse typum, & eius corporalem liberationem adum-
brasse illam Christi spiritualem, atque hunc non minus pro hac salute spirituali, quàm illum pro corporali orasse, præsertim
cum ecclesia corpus eius intelligatur. Temporis autem ratio diuinitus sic comparata tum fuit, vt quæ Christi sunt, tecte, atq;
raro sine vmbrarum velamento traderentur. Non mirum igitur, & hic quædam sic dicta, vt in Dauid Christi exemplar
magis, quàm in ipsum Christum, videantur quadrare. Non desient autem simul, & quæ sient typum aperte excedant, ita
Christo soli competunt. [l] Narrabo nomen tuum fratribus meis.] *Ex hoc versu epistola ad Hebræos cap. 2. communi-*
onem naturæ probat, quam nobiscum seruator habet. [m] A te laus mea in ecclesia magna.] *Et Græcus habet παρὰ*
σοῦ. quod videtur interpres legisse παρὰ σοι hoc est, apud te, vt prius nostra habebant. Testantur passim sacræ literæ, in-
rem pijs regibus fuisse, quoties singulari aliquo beneficio essent diuinitus adiuti, peculiari hymno in frequenti ecclesia, Deo in
se beneficia prædicare. Id nemo studiosius præstitit, quam Dauid, qui simulatq; in regno confirmatus fuit, & arcam fœde-
ris Ierusalem transtulit, leuitas instituit, qui quotidie Dominum ante arcam fœderis celebrarent. Tum verò, cum cultum
Dei, toto ferè Israele præsente instauraret, & vt. 1. Par. d. 16. commemoratur, populo bene precaretur magnificè & ipse Deū
prædicauit, & per Asaph, fratres q; eius prædicari fecit hymno, qui illic recitatur. Confitemini Domino & inuocate nomen
eius, nota facite in populis opera eius. Tum vota sua regia, holocaustis & victimis, quas lex pacificas vocat, vt ibidem me-
moratur, persoluit. Et epulum præbuit populo, quo epulo Israelitæ accepti saturati fuerunt, & in Domino exhilarati, de-
mumq; redierunt, seruata & memoriæ mandata illa iucunditate, hinc ait, viuent corda eorum in sæculum sæculi, intelligens
hoc verbo singularem alacritatem. Quæ si in vmbrarum velamine tam grata fuerunt, qua nos decet affici voluptate, quibus
proposita est caro & sanguis filij Dei, qui in filios, et hæredes Dei fuimus adoptati? [n] Reminiscentur & conuertentur.]
Satis liquet, prophetam hic non de sto, sed Christi regno cecinisse, quod adumbratum fuit regnante Dauid & Salomone, qui a
flumine Aegypti vsque Euphratem, à mari vsque ad vltimos fines Syriæ imperarunt. Ostendit ergo hic fidem Christi pro-
pagandam inter omnes gentes, & per id quod ait, reminiscentur: ad id respexit, quòd gentes Dei veri cognitionem & reli-
gionem primum habuerunt, quæ restituenda ys fuit per Christum. Et quod ait. Adorabunt in conspectu eius vniuersæ fami-
liæ gentiū, intelligit ex omnibus gentibus aliquot credituros Christo, mos etiam est Hebrææ linguæ omnes dicere pro multos.
[o] Manducauerunt & adorauerunt.] *Versus hic obscurus est, putant autem hunc continere sensum. Delitiosi & opulen-*
ti incurubabunt se, & agnoscent Christum, immo & illi, qui iam dudum in puluerem terræ descenderunt, et excesserunt hac
vita, flectent genua sua, & agnoscent Christum esse piorum redemptorem. Et quod sequitur. Et animam suam nullus vui-
ficabit,

ficabit, vel, & anima eorum non viuet, pro Hebræa linguæ consuetudine sic accipiendum est, & quorum: nemo animæ suæ
potuit vitam seruare vel prorogare, vt etiam genua flectantur κατὰ χθονίων id est, eorum, qui sub terra sunt. Nam & qui-
dam Hebræorum de mortuis intellegunt. Alius continuat cum superiori sic, flectent ei genua etiam mortui, qui propriam vi-
tam non est dedignatus impendere pro illis. Quidam etiam Heb. illud. Omnes qui descendunt in terram, & anima eorum non
viuet, sic exponunt. Homines è terra facti, & qui animam suam non viuificauit est, impius. Semen autem quod seruierit Do-
mino, ascribetur, vel annumerabitur Domino in generationem, hoc est, tanquam peculiare genus eius. [p] Semen meum
seruiet ipsi.] In Hebr. deest illud, meum. Et est sensus, posteritas credentium adhærebit Domino, annumerabitur q; ei per
generationes succedentes, quæ venient, & narrabunt priores posteris suis, quæ & qualia Dominus egerit pro redemptio-
ne generis humani. [q] Iustitiam eius.] *Bonitatem eius, nam per hoc nomen absoluta bonitas accipitur. Illa verò iuris-*
senerita indicy nomine vocatur.

Psalmus Dauid XXII.

[a] Ominus regit me, & nihil mihi deerit: [b] in loco pascuę ibi me collocauit. Super aquam refe-
ctionis educauit me: [c] animam meam conuertit. Deduxit me super semitas iustitiæ: propter no-
men suum. Nam, & si ambulauero in medio vmbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu
mecum es. [d] Virga tua & baculus tuus: ipsa me consolata sunt. [e] Parasti in conspectu meo mensam aduer
sus eos, qui tribulant me. Impinguasti in oleo caput meum: & calix meus inebrians quàm præclarus est?
Et misericordia tua subsequetur me, omnibus diebus vitæ meæ. [f] Et vt inhabitem in domo Domini, in lō-
gitudinem dierum.

SCHOLIA.

[a] Dominus regit me.] *Vel, pascit me. In hoc psalmo mirificam prædicat fiduciæ in Deum & securitatem & felicitā*
tem, frequens autem est in scripturis hæc allegoria, quia pij omes, Deus pastor vocatur. Non est enim aliud pecus, quod æquè pa
storis opera indigeat, quod minus sibi ipsi prospicere possit: (vnde & prouerbium natum est. ouilli mores) & tamen æquè tanto
est hominū vsu. Sic necesse est, hominem prorsus perire, nisi eum ducat, & foueat suo spiritu Deus, quo destitutus, nihil earum
rerum, quibus salus constat, vel suspicari potest. [b] In loco pascuæ.] *Vel in amænis locis, & germinosis. Qui optimè pa-*
scunt greges, stabula non longè à pascuis habent, præsertim in Iudæa, cui syluarum vmbræ raræ sunt. Medio enim die cum
æstat astus in vmbram ducendæ sunt, quod & poeta admonet.

Aestibus in medijs vmbrosam exquirere vallem.
Siubi magna Iouis antiquo robore quercus
Ingentes tendit ramos, aut ficubi nigrum
Illicibus crebris sacra nemus accubat vmbra.

Addit psaltes, quòd & ad aquas refectionis, vel refrigery, & lenè fluentes ducat, quòd & ipsum bis in die fieri solet. Vel,
ita appellat aquas, quia periti rei pecuariæ, canalibus eidem imponere solent, quem redeuntes à pastu oues lambant, eoq; sapo-
re cupidinem bibendi pascendiq; concipiunt. [c] Animam meam conuertit.] *Vel restituit mihi, siue ducit, & reducit*
per semitas iustitiæ. Quod versu præcedenti per allegoriam dixerat, hic declarat. Quanquam Hebræi illud, conuertit, di-
ctum putant, quasi lenter deducit, quòd & hoc verbo ad pastoris curam indulgentem psaltes respexerit. Nam istud quoque
præcipiunt, vt qui sequitur gregem circumspectus ac vigilans, magna clementia moderetur, & duci propior, quàm Domino
in cogendis recipiendisq; ouibus, acclamatione ac baculo minetur, nec vnquam telum emittat. [d] Virga tua.] *Per baculi*
& pedum pastorale nihil aliud intelligitur, quàm cura & sedulitas pastoralis. Synecdoche enim est, vt per instrumentum
actionem intelligas. Baculus ergo, quo oues rationales ducuntur, est verbum Dei: mensæ sunt promissiones, quibus homo ro-
boratur contra hostes. Oleum beneficia Dei, & calix inebrians gratia consolationis. [e] Parasti in conspectu meo men
sam.] *Altera allegoria canit, se omnium rerum copia abundare, pascente Deo. Et illud, impinguasti in oleo caput meum. In*
lautioribus conuiuijs olim etiam vnguenta, præsertim in Palæstina, adhibebantur. [f] Et vt inhabitem. *Vide votorum*
eius finem. Nempè, vt hostium turbis ereptus, versetur quietius cum Deo.

Psalmus Dauid prima Sabbathi XXIII.

[a] Omini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Quia ipse [b] super
maria fundauit eum, & super flumina præparauit eum. [c] Quis ascendet in montē Domini? aut quis 1. Cor. 10. f
stabit in loco sancto eius? Innocens manibus & mundo corde, qui non accepit in vano animā suā,
nec iurauit in dolo proximo suo. Hic, accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari
suo. Hæc est generatio quærentium eum, quærentium faciem Dei Iacob. [d] Attollite portæ † capita vestra,
& eleuamini portæ æternales: & introibit rex gloriæ. Quis est iste rex gloriæ? Dñs fortis & potens, Domi-
nus potens in prælio. Attollite portæ † capita vestra, & eleuamini portę æternales, & introibit rex glorię.
Quis est iste rex gloriæ? Dominus virtutum ipse est rex gloriæ.

SCHOLIA.

Cum Dominus & aspectu angeli cædentis, & oraculo prophetæ Gad, denique acceptatione holocaustorum igni demisso
cælitus, demonstrasset ipse Dauid aream Araunæ Iebusæi, quæ in monte Moria erat, locum esse, in quo vellet sibi tem-
plum extrui, cogitans hic Dauid incomprehensam Dei erga Israelitas bonitatem, inter quos sedem sibi peculiarem delege-
rat, cum tamen omnis terra, cunctique mortales eius opificium sint, canit, quibus verè in loco sancto Dei locus pateat, quæ
vere Dei natio sit, apud quam Deus habitare dignetur, cum non omnes, qui sunt ex Israel, ipsi sint Israel. Tum ad extru
ctionem templi, hortatur, promittens Dei præsentiam, per arcam fœderis in eo reponendam. [a] Domini est terra.]
Cum (inquit) terra, & omnia, quæ in ea sunt, Dei sint, quanta hæc est eius maiestatis dignatio, vt populum Israeli-
ticum sibi peculiari ratione delegerit? [b] Super maria fundauit eum.] *Super fragile (inquit) fundamentum collocauit*

firmiſsimum ædificium. Et illud, ſuper flumina, &c. ſunt qui intelligant ſic, fluminibus elegantiſsimè diſtinxit eum. c Quis aſcendet.] *A monte terreſtri Moria aſcendit ad montem cœleſtem, docetq́; quis aſcenſurus, & poſt reſurrectionem illuc peruenturus ſit, nempe qui mundo corde puris ſtudet operibus, & qui non ſine cauſſa iurat per animam Dei. Aliſ ſic intelligunt. Qui non iurat falſo ad obſtringendã animã ſuã. Hiero. Non exaltauit fruſtra animam ſuam. Summa autem hac comprehenditur, qui ſit aſcenſurus, qui ſcilicet ſit innocens opere, purus corde, ore verus.* d Attollite portæ capita veſtra.] *His verſibus hortatur ad extructionem templi, & per proſopopeiam ipſum templum alloquitur. O portæ (inquiens) templi attollite capita veſtra, et aſſurgite, vt inferatur per vos arca fœderis. Æternales autem ſiue ſempiternas vocat, quòd intrà templum arca iam fixa permanſura erat, non, vt antea, de loco in locum transferenda. Antea enim in deſerto ſæpius locum mutauerat, poſtea è deſerto in Galgal, è Galgal in Silo, inde in terram Philiſthæorum, ex ea in Betſames, inde Cariathiarim, ex hac in domum Obed Ædom, inde in ciuitatem Dauid, & ex hac in templum delata fuerat, in templo autem vſque ad excidium vrbis perſtitit, vnde & Salomon dicebat. Ædificans ædificaui domum, in qua permaneres, locum vbi habitares in ſæcula. Quod ergo ait. Et introibit rex gloriæ, arcam intelligit, ſicut & Moſen num. 10. legimus, cum arca proficiſceb atur, dixiſſe. Exurge Domine & diſſipentur inimici tui, &c. Et cum reponeretur, dicebat. Reuertere Domine ad Miriades millium Iſrael. Repetitio autem illa verſus ſeptimi teſtatur, quantopere animus eius ſtudio domus Dei ædificandæ flagrarit.*

Pſalmus Dauid XXIIII.

AD te Domine leuaui animam meam: Deus meus in te confido non erubeſcam. Neque irrideant me inimici mei: etenim vniuerſi qui ſuſtinent te, non confundentur. Confundantur omnes [a] iniqua agentes ſuperuacuè. Vias tuas Domine demonſtra mihi: & ſemitas tuas edoce me. Dirige me [b] in veritate tua, & doce me: quia tu es Deus ſaluator meus, & te ſuſtinui tota die. Reminiſcere miſerationum tuarum Domine, & miſericordiarum tuarum, quæ à ſeculo ſunt. Delicta iuuentutis meæ, & ſcelera mea ne memineris. Secundum miſericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam Domine. [c] Dulcis & rectus Dominus: propter hoc legem dabit delinquentibus in via. [d] Diriget manſuetos in iudicio: docebit mites vias ſuas. [e] Vniuerſæ viæ Domini miſericordia & veritas requirentibus teſtamentũ eius & teſtimonia eius. Propter nomen tuũ Domine propitiaberis peccato meo: multum eſt enim. [f] Quis eſt homo qui timet Dominum? legem ſtatuit ei in viâ quam elegit. [g] Anima eius in bonis demorabitur: & ſemen eius hæreditabit terram: † [h] Secretum Domini in timentibus eum: & teſtamẽtum ipſius, vt manifeſtetur illis. Oculi mei ſemper ad Dominum: quoniã ipſe euellet de laqueo pedes meos. Reſpice in me & miſerere mei: quia [i] vnicus & pauper ſum ego. Tribulationes cordis mei multiplicatæ ſunt: de neceſsitatibus meis erue me. [k] Vide humilitatem meam & laborem meum: & dimitte vniuerſa delicta mea. Reſpice inimicos meos, quoniam multiplicati ſunt, & odio iniquo oderunt me. Cuſtodi animam meam & erue me: non erubeſcam, quoniam ſperaui in te. † Innocentia, & rectitudo cuſtodiant me: quia ſuſtinui te. Libera Deus Iſrael, ex omnibus tribulationibus ſuis.

SCHOLIA.

Precatio eſt ſancti, & peccatis & inimicorum improbitate preſſi, orat ergo Dominum, vt a peccatis eum liberet, ac vias ſuas doceat, hoſtiumq́; furori eripiat. In fine annectit precatiunculam pro toto populo Dei. Hic primus pſalmus eſt eorum, quorum verſus à literis iuxta ordinẽ alphabeti incipiunt, deſunt tamen, beth, Vau, & Coph, & incipiunt duo verſus in Aleph, totidemq́; in Res. Cauſam huius inſtituti certam, ne Hebræi quidem reddere poſſunt, apparet Vulgatam rationem carminis fuiſſe, & ſi per pauci pſalmi hoc carminis genere conſtant, ydemq́; non pari ratione. a Iniqua agentes ſuperuacuè.] *Qui ſcilicet me perſequuntur ſine cauſſa.* b In veritate tua.] *Simile hoc illi eſt. Deduc me Domine in iuſtitia tua. Nam & iuſtitiæ, & veritatis, vel fidei numine, ea vita ſignificatur, qua iuſtè & fideliter, atque, vt decet, & è re proximorum eſt, viuitur. ſolet verò in pſalmis præcipuè, veritas vel fides cum benignitate, & commoditate coniungi. Dei autem eſſe fides, iuſtitia, bonitas, meritò dicuntur, quia ipſe nobis dat, veris, iuſtis, & bonis eſſe.* c Dulcis & rectus Dominus.] *Quia benignus (inquit) eſt Dominus, non dedignabitur docere vel ipſos peccatores, quo pacto viuere illos hic oporteat. Solet autem grauitas mens diutius in conſideratione diuinæ bonitatis immorari.* d Diriget manſuetos in iudicio.] *Docebit optima ratione, quo pacto viuere modeſtos velit.* e Vniuerſæ viæ Domini.] *Meminerat toties viarum Domini, & poſtulauerat illas ſibi oſtendi, hoc eſt, effectum earũ exhiberi, nunc quæ eæ ſint dicit. Quæcunq́; (inquiens facit Dominus plena ſunt miſericordiæ & fidei, ſed ys, qui recipiunt pactum & admonitiones illius, nam alys hæc ſunt odor) mortis?* f Quis eſt, homo qui timet Dominum.] *Exclamatio eſt, quàm felix eſt (inquit) ille vir, & quæ illum bona ſequantur, adiungit, & per partes explicat, ac primum omnium viam (inquit) ſelectam docebit eum, nam à cognitione, ſolidáq́; perſuaſione veritatis, initium eſt omnis & rectæ & beatæ vitæ.* g Anima eius in bonis demorabitur.] *Iudæi interpretantur de ſanctorum quiete in ſæculo futuro & optata poſterorum ſucceſsione in præſenti: ſed de vtraque vita etiam intelligi poteſt, nam ſols recti his bonis liberè ac feliciter vtuntur.* h Secretum Domini.] *Secretum Domini eſt, quòd carni & ſanguini pateſieri nequit, & reuelatur ſolis electis, de quibus ait apoſtolus. Quoniam autem eſtis filij Dei, emiſit Deus ſpiritum filij ſui in corda veſtra clamantem, Abba pater.* i Vnicus & pauper.] *Hoc eſt ab omnibus derelictus ſum, & afflictus.* k Vide humilitatem.] *Afflictionem vel paupertatem.* l Innocentia & rectitudo.] *Innocentiæ & æquitatis ſtudia ſeruent me, ſollicitè enim expecto aduentum tuum, vltimus verſus loco epiphonematis eſt.*

† Pſalmus Dauid XXV.

IVdica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingreſſus ſum: & in Domino ſperans non infirmabor. Proba me Domine & tenta me: [a] vre renes meos & cor meum. [b] Quoniam miſericordia tua ante oculos meos eſt: & complacui in veritate tua. Non ſedi cum concilio vanitatis, & cum iniqua gerẽtibus non introibo. Odiui eccleſiam malignantium: & cum impijs non ſedebo. Lauabo inter innocentes manus meas: & circundabo altare tuum Domine. Vt † audiri faciam vocem laudis tuæ, & enarrem vniuerſa mirabilia tua. Domine [c] dilexi decorem domus tuæ, & locũ habitationis gloriæ tuæ. Ne perdas cũ impijs animam

animam meam, & cum viris ſanguinum vitam meam. In quorum manibus iniquitates ſunt: dextera eorum repleta eſt muneribus. Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum: redime me, & miſerere mei. Pes meus ſtetit in directo: in eccleſijs benedicam te Domine.

SCHOLIA.

Veriſimile eſt occaſionem huius pſalmi dediſſe eos, qui Dauid multorum falsò inſimulabant, contra quos, vt in laudẽ Dei, qui integram ac religioſam viuere vitam ei dederat, ita in confirmationem bonorum, quos malorum mendacia perturbabat, de integritate & ſanctimonia ſua, hæc canere dignum ſe duxerat. Vbi conſiderandum eſt, quibus rebus fretus Dauid ſeſe iudicio Dei efferat, nempe ſyncerit ate, qua fecit, quæcunque fecit, & fiducia in Deum, & ingi diuinæ bonitatis conſideratione. Simul hoc pſalmo diſcimus qualis eſſe debeat vita innocentis hominis, vt ſcilicet totus pendeat à Deo, mũdos habens affectus & cogitationes, atque puras manus, hoc eſt, opera immaculata, & fugiens ſocietatem malorum hominum. a Vre renes.] *Scrut.are omnia mea (inquit) & experire qui ſim. explora tanquam igne interiora mea, &c.* b Quoniam miſericordia tua.] *Imenſes memorem me beneficiorum tuorum fuiſſe ſemper, exercui enim me diligenter in fide, quam concepi de te. Hoc enim eſt, quod ait. Complacui in veritate tua.* c Dilexi decorem.] *Vel, habitaculum domꝰ tuæ. Qui enim Deum ex animo colit, nuſquam libentius eſt, quàm in cœtu colentium eum.*

† Pſalmus Dauid. XXVI.

DOminus illuminatio mea, & ſalus mea: quem timebo? Dominus protector vitæ meæ: à quo trepidabo? Dum appropiant ſuper me nocentes, vt edant carnes meas. Qui tribulant me inimici mei, ipſi infirmati ſunt, & ceciderunt. Si conſiſtant aduerſum me caſtra: non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium: [a] in hoc ego ſperabo. Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. [b] Vt videam † pulchritudinem Domini, & viſitem templũ eius. Quoniam abſcondit me in tabernaculo ſuo: in die malorũ protexit me in abſcondito tabernaculi ſui. In petra exaltauit me: & nunc exaltauit caput meum ſuper inimicos meos † per circuitum meum, Et immolabo in tabernaculo eius [c] hoſtiã vociferationis: cantabo & pſalmũ dicã Domino. Exaudi Domine vocẽ meã qua clamaui ad te: miſerere mei, & exaudi me. [d] Tibi dixit cor meũ, exquiſiuit te facies mea: faciem tuã Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à ſeruo tuo. [e] Adiutor meus eſto: ne derelinquas me, neque deſpicias me Deus ſalutaris meus. Quoniam [f] pater meus & mater mea dereliquerunt me: Dominus autem aſſumpſit me. [g] Legem pone mihi Domine in via tua: & dirige me in ſemita recta propter inimicos meos. Ne tradideris me in animas tribulantium me: quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, [h] & mentita eſt iniquitas ſibi. [i] Credo videre bona Domini in terra viuentium. [k] Expecta Dominũ, viriliter age: & confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum.

SCHOLIA.

Hoc periculum, de quo canit, num à Saule, vel exteris hoſtibus, aut denique ab Abſalon fuerit, incertum eſt. Exhibet autem ſe, tanquam iam ſecum magnitudinem periculi, in quo erat, conſyderantem, & ſtatim conſyderatione Dei, in quo ſpem omnem collocauerat, quicquid id erat, fortiſsimè contemnentem, ſalutemq́; ſibi ſecuriſsimè pollicentem. a In hoc ego ſperabo.] *In ipſa pugna firmiſsimè credam auxilio futurum te mihi: Aliꝰ intelligunt de eo, quod ſequenti verſu ſe dicit petiſſe vnum rem.* b Vt videa pulchritudinẽ Dñi.] *Græcus habet τερπνότητα delectationem. Vide mirum regis in Deum affectum, quotidie (inquit) adero in domo Domini, mira eius ſuper nos, quæ facit conſyderaturus, & videbo, quantũ ſit amœnitatis apud Dominum, & ſcrutabor, quàm ſint in regia illius varia multa, & admiratione digniſsima, primum vnicum, ac perpetuum huius votum fuit, vt regnum ſuum perſtaret, & in populo ſyncerus Dei cultus vigeret, donec Chriſtus omnia inſtaurator adueniret, cum hinc, totius orbis ſalus expectaretur. Id cum promiſſum ſibi cogitabat, nullo negotio quæuis pericula, & mala contemnebat. Quòd verò Latinus interpres Græcum imitatus dixit. Vnam petij, genere fœminino, Hebraiſmus eſt, nam cum neutro genere careant Hebræi, pro neutro vtuntur fœminino. Aptius autem iungetur illud: quoniam abſcondit me, &c. Si per ſubiunctiuum ſic dicas. Abſconderet me in tabernaculo ſuo, nec ſineret me vnquam ſentire me incommodi quippiam. Occultaret me in penetralibus domus ſuæ, & veluti ſuper petram, hoſtibus meis inacceſſam, collocaret me.*

[c] Hoſtiam vociferationis.] *Vel ſacrificia clangoris intelligit ſolemnes pro victoria gratias, adhibitis holocauſtis, cum hymnis, & canticis.* d Tibi dixit cor meum.] *Alius vertit. De te dixit cor meum, inquirite faciem meam, vt ſit ſenſus, cor meum cogitat quid nobis mandes per eos, quos ad nos mittis, & reſpondes: inquirite faciem meam, propterea faciem tuam inquiram. Vel ſic. Expertus bonitatem tuam, hortatus ſum ex animo alios, vt ſtudeant comparare futurem tuum ſibi, ego certè, faciant illi, quod volunt, ſedulo conabor, vt placido ſis Domine erga me vultu.* e Adiutor meus eſto.] *Aly verterunt. Auxilium meum fuiſti. Quamlibet autem firmarint ſancti ſpem, flagranter tamen opem implorãt, nam ſpiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma, accedit præterea in illa anxia prece, vt animus inardeſcat in Dominum.* f Pater meus & mater mea.] *Siue eos dicat, qui verè parentes fuerant, ſiue qui fuerant illi parentum loco, ait Deũ tum etiam ſibi affuiſſe, cum intimorum & ſummè neceſſariorum auxilium nullũ haberet.* g Legem pone mihi.] *Oſtende mihi Domine viam, qua itur ad te, & porrecta manu, quemadmodum paruulo mater ſolet, duc me per ſemitam rectam, ne hoſtes mei viam intercipiant mihi.* h Et mentita eſt iniquitas ſibi.] *In Hebr. eſt. Et loquens iniuriam, vel, iniquitatem. Inſurrexerunt (inquit) in me teſtes iniqui, & is, qui falſo ſcelus commentus eſt, quod impingat mihi.* i Credo videre bona Domini.] *In Hebræo eſt apoſiopeſis: ſic, niſi credidiſſem videre bona Domini in terra viuentium, vt ſubaudiatur, tũ animum planè deſpondiſſem. Terram viuentium etiam quidam Hebræi de futuræ vitæ ſtatu intelligunt, pluribus tamen ſcripturæ locis etiam pro præſenti vita inuenitur, vt cum dixit Ezechias. Non videbo Dominum Deũ, id eſt templum Domini, in terra viuentium.* k Expecta Dominum.] *Promiſerat Deus Dauid inter cætera & vitam longæuam, cum illi dixerat, cum impleti fuerint dies tui, id eſt, Cum ad iuſtam ætatem peruueneris, promiſerat & pacem, rerumq́; copiam. Hæc ergo Dei promiſſa ſecum reputans, cum extrema hoſtes minarentur, ſemetipſum alloquebatur, & confirmabat his verbis, expecta Dominum, fortis eſto, & ille roborabit cor tuum, & tu ſpera in Domino. Nam interpres frequentiſsimè ponit ſuſtinere,*

pro

prosperare,& expectare. Hæc autem propter imperitiores admonuimus.

†Dauid. XXVII.

AD te Domine clamabo, Deus meus [a] ne fileas à me: nequando taceas à me, & † assimiler descendentibus in lacum. Exaudi Domine vocē deprecationis meæ dum oro ad te, dum extollo manus meas ad templum sanctum tuum. [b] Ne simul trahas me cum peccatoribus: & cum operātibus iniquitatem ne perdas me. Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinuentionum ipsorum. Secundum opera manuum eorum tribue illis: redde retributionem eorum ipsis. Quoniam non [c] intellexerunt opera Domini, & opera manuum eius: destrues illos, & non ædificabis eos. Benedictus Dominus: quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ. Dominus adiutor meus & protector meus: & in ipso sperauit cor meum & adiutus sum. † Et exultauit cor meum, & cantico meo confitebor ei. Dominus fortitudo plebis suæ: & protector salutaris † CHRISTI sui est. Saluum fac populum tuum Domine, & benedic hæreditati tuę: & rege eos & extolle illos vsque inæternum.

SCHOLIA.

In graui quopiam periculo positus primum Dei auxilium implorat, deinde rogat, ne innocens cum nocentibus in vltione iungatur, tum eisdem meritum iudicium est, imprecatus, post, gratias agit pro victoria, postremò precatur pro populo. Illud vero Deus meus, in Heb. est petra mea, seu fortis meus. hoc & alys etiam locis accidit. [a] Ne fileas à me.] *Per silere, vel tacere significatur permittere, negligere, quiescere, contra loqui, pro facere scriptura vsurpat, porrò quanto in periculo fuerit, ex eo ostenditur, quod queritur se parem futurum fuisse descendentibus in sepulchrum, hoc est mortuis, nisi Deus opem tulisset.* [b] Ne simul tradas me cum peccatoribus.] *Vt scilicet me talis apprehēdat vltio, quæ illis ob sua debetur scelera.* [c] Nō intellexerunt opera Domini.] *Non sunt conati cognoscere Dominum per ea, quæ facta sunt ab illo, nec per mirabile hoc creationis opus, in quo tam manifestè relucet, omnipotentia manus illius, iccircò ipse destruet funditus eos, a nullo vnquam restituendos.*

Psalmus Dauid †. XXVIII.

AFferte Domino [a] filij Dei: afferte Domino † gloriam & fortitudinem. Afferte Domino gloriam nomini eius: adorate Dominum in atrio sancto eius, [b] Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit Dominus super aquas multas. Vox Domini in virtute: vox Domini in magnificentia. Vox Domini confringentis cedros: & confringet Dominus cedros Libani. † Et exilire facit eas sicut vitulum: Libanum quoque & Sirion quemadmodum filium vnicornium. Vox Domini [c] intercidētis flammā ignis: vox Domini [d] concutientis desertum: & commouebit Dominus desertū Cades. Vox Domini † [e] parere facit ceruas, & [f] reuelabit condēsa: & in templo eius omnes dicent gloriam. [g] Dominus diluuiū inhabitauit: & sedebit Dominus rex inæternum. Dominus virtutem populo suo dabit: Dominus benedicet populo suo in pace.

SCHOLIA.

Inuitat ad prædicandum Dei maiestatem & potentiam omnibus supereminentem, quam per tonitrua, & reliquas cœli tempestates exerit, & vide, vt scriptura omnibus modis doceat nos, quo pacto in meditatione rerum diuinarū assiduè immoremur. [a] Filij Dei.] *Vel filij procerum. Hebr. habet filij deorum, quidam intelligunt cœtum angelorum. Aly stellas, quod hæ inuitentur ad laudandum Deum, sicut & Iob. 28. Vocantur filij deorum, id est, dij. Filios enim Dei, & deos scriptura vocat, quicunque Deum præsentius & excellentius referunt, non solum angelos, verum etiam principes, ac potestate pollentes. Quos autem cunque propheta hic intelligat, significare voluit, nihil tam sublime & præstans esse, quod non supplex Deo canere laudem debeat.* [b] Vox Domini super aquas.] *Mira (inquit) sunt opera Dei, qui in humidis nubibus tam stupendas tonitruorum excitat voces, vt putes cœlos atque elementa scindi, & disrumpi. Tam vehemens (inquit) est hæc vox Domini, vt ad eius sonitum & fulminis ictum, altissimæ & fortissimæ cedri libani deijciantur, & confringantur, neque id solum, sed sic comminuantur, vt fragmenta eorum in libano, more vitulorum, saltare videantur, immò totus mons exilire putetur, porrò Sirion est mons hermon coniunctus Antilibano, Simile quid de hac voce Dei & Iob cecinit cap. 23.* [c] Intercidentis flammam ignis.] *Hoc est, ex tonitruo & nube rupta erumpit flamma ignis, superius de tonitru & fulminibus, nunc de fulgetris loquitur, quæ celeri quadam vi flatus, ceu ex lapide exciduntur, & tanquam excisæ ignis partes, iaciuntur. Ordine tamen vltimum est fulmen, & primum tonitru, inde fulgur. Quòd autem ante fulgura videntur, & fulminis ictus sentitur prius, quàm tonitru exaudiatur, tarditas efficit auditus, qui naturæ est aeriæ et spirabilis, cum oculi sint ignei, tum & lux velocior est sonitu.* [d] Concutientis desertum.] *Hoc est, nullum tam sæuum est animal in deserto illo vastissimo, quod non expauescat & contremiscat ad horribilem illam vocem Domini, sicut & animalia quædam, quæ cum difficultate pariunt tonitrui terrore concussa, illicò ejciunt fœtum, deteguntur & syluæ fulmine ictæ. At in his omnibus py homines potentiam Dei animaduertentes, dicunt Deo gloriam & laudem in templo suo, quòd totus est mundus, quē Deus implet, nec tamen capitur ab eo. Deserti autem Cades meminit, quòd sit multò vastissimum, & maximè horrendum, per quod populus Israel quadraginta annis circunductus fuit.* [e] Parere facit ceruas.] *Ferunt has difficillime parere, proinde terroris magnitudinem ex eo indicat, quòd tempestate consternatæ parturiant, & fortasse de intempesta parturitione & abortu intellexit, vt sit maius diuinæ potentiæ miraculum, cuius vox ante legitimum tempus parturire factat, etiam eas animantes, quæ suo etiam tempore ægrè pariant.* [f] Reuelabit condensa.] *Detegit syluas. Id intelligunt Hebræi de arborum deiectione, quidam intelligunt ob terrorem prodire, quicquid antea latebat in syluis.*
[g] Dominus diluuium inhabitauit.] *Vel, supra diluuium sedet, vel diluuio præsidet, hoc est, in potestate habet inundationes illas, quæ comitātur tonitrua illa &c. Vel. Dominus tempore diluuij regnum obtinuit, & manebit rex perpetuò. Alius sic exponit. Dum sæuit tempestas, & nimbi descendunt, nos admonemur diluuij, quo orbis periit, cui præsidet Deus, & hodie*

& hodie æquè atque olim, eodē nos absumere potest. Chaldæus sic vertit. Deus in tēpore diluuij super sedē iudicij sedit, vt vicem redderet pravis, sedit q; super sedem misericordiæ, & liberauit Noe, & regnabit super filios eius in sæcula sæculorum.

Psalmus cantici in dedicatione domus Dauid. XXIX.

EXaltabo te Domine, quoniam exultasti me: nec delectasti inimicos meos super me. Domine Deus meus clamaui ad te: & sanasti me. Domine eduxisti ab inferno animam meam: saluasti me à descendentibus in lacum. Psallite Domino sancti eius: & confitemini memoriæ sanctitatis eius. Quoniā [a] ira in indignatione eius: & vita in voluntate eius. Ad vesperum demorabitur fletus: & ad matutinum lætitia. [b] Ego autem dixi in abundantia mea: Non mouebor in æternum. Domine in voluntate tua [c] præstitisti † monti meo virtutem. Auertisti faciem tuam à me, & factus sum conturbatus. Ad te Domine clamabo, & Deum meum deprecabor. Quæ vtilitas in sanguine meo dum descendero in corruptionem? Nunquid confitebitur tibi puluis, aut annuntiabit veritatem tuam? Audiuit Dominus, & misertus est mei: Dominus factus est adiutor meus. Cōuertisti planctum meum in gaudium mihi: [d] conscidisti saccum meum: & circundedisti me lætitia: Vt cantet tibi [e] gloria mea & non † fileat: Domine Deus meus in æternū confitebor tibi.

SCHOLIA.

Scribunt Hebræi, psalmum hunc à Dauid esse conscriptum pro dedicatione templi, aly primi templi extructi per Salomonem, aly secundi ædificati per reduces è Babylone, aly extruendi per Messiam, quem expectant. Verum ipsa verba aperte indicat, eodem esse, qua Dauid gratias agere Domino voluit, pro restituta valetudine. Quod autem inscriptio dedicationis domus meminit, videtur hunc psalmum in dedicatione domus eius primum fuisse cantatum: fieri enim potest, vt hoc ipso tempore ex aliquo graui morbo conualuerit. Neque mirum est, dedicationem domus solemni hymno fuisse celebratam. Nam inter mala, quæ Deus in lege contemptoribus suis minatus est, & hoc numeratur, domum extruere, quam alius inhabitet. Deut. 28. Erat verò hoc tam infaustum, vt Dominus iusserit, imminente bello renunciari per tribunos, vt siquis in populo ædificasset nouam domum, quam nondum initiasset ab exercitu reuerteretur, maneretq; domi suæ, ne forte in bello caderet, & alius domum illius dedicaret. [a] Ira in indignatione eius.] *Momentanea est (inquit) ira eius, hoc est, afflictio, quæ à Deo ceu irato immitti videtur, cum tamen interim voluntas eius sit, vt ipsa afflictione castigati, perpetuò viuamus. sic si forte sub vesperā accidit flebile quicquam, illud in ipsa aurora commutabitur in gaudium. Insignem profectò significationem paternæ erga nos charitatis, qui nunquam, nisi necessariò & nostræ duntaxat salutis causa, seuerè nobiscum agat, atque in ipsa seueritate, quàm minimum potest, immoretur, nihilque longius ei videatur, quàm vt finita castigatione, benignitatem rursum sibi propriam exerceat.* [b] Ego autem dixi.] *Cum omnia (inquit) in regni primordijs feliciter succederent, & mecum ipse dicerem, iam confirmatus sum in regno, non facilè amoueri possum, subitò immisit Dominus morbum, quo erectum animū humiliaret.* [c] Præstitisti monti meo virtutem.] *Cum me roborasses in regno, veluti fortissimum & immobilem montem, subitò abscondisti faciem tuam, & factus sum conturbatus, graui percussus morbo, & tunc clamaui ad te, quæ vtilitas, si mihi vita eripiatur, & si descendero in sepulchrum? nunquid laudabit te homo cōuersus in puluerem, aut prædicabit veritatem, id est, constantiam & stabilitatem tuam in promissis? per id quod ait. Quæ vtilitas in sanguine meo, id est, erepta vita significatur, verum sanctum in gloriam tantum Dei viuere optasse, quam gloriam cæperat illustrare, quod opus eo mortuo fuisset interceptum.* [d] Conscidisti saccum meum.] *Hoc est dedisti sanitatem & lætitiam, vt saccum & lugubrem vestem, quidem mœrore confecti portare solent, abycerem: per exultionem ergo & confessionem sacci luctus remotionē syneedochicè intellexit.* [e] Gloria mea.] *Hoc est, lingua: nam decus præcipuum est hominis facultas loquendi: aly animam intelligunt, quæ decus & pars optima nostri est. In Heb. non est, mea, sed tantum, vt cantet tibi gloria, iccirco quidam interpretatus est, vt vnusquisque canat tibi gloriam.*

†Vincenti Psalmus Dauid. XXX.

IN te Domine speraui, non confundar in æternum: [a] in iustitia tua libera me. Inclina ad me aurem tuā: accelera vt eruas me. Esto mihi [b] in † petram fortitudinis, & in domum refugij, vt saluum me facias. Quoniam fortitudo mea & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Educes me de laqueo hoc quem absconderunt mihi: quoniam tu es protector meus. [c] In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Domine Deus veritatis. [d] Odiui obseruantes vanitates supervacuè. Ego autem in Domino speraui: exultabor & lętabor in misericordia tua. Quoniam respexisti humilitatem meam, saluasti de necessitatibus animam meam. Nec cōclusisti me in manibus inimici: [e] statuisti in latitudine pedes meos. Miserere mei Domine quoniam tribulor: [f] conturbatus est in ira oculus meus, anima mea, & venter meus. Quoniā defecit in dolore vita mea, & anni mei in gemitibus. [g] Infirmata est in paupertate virtus mea, & ossa mea contabuerunt. [h] Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium vicinis meis valde, & timor notis meis. Qui videbant me foras fugerunt à me: obliuioni datus sum tanquam [i] mortuus à corde. Factus sum tanquam vas perditum: quoniam [k] audiui vituperationem multorū, pauorem in circuitu. In eo dum conuenirent simul aduersum me: accipere animam meam consultauerunt. Ego autem in te speraui Domine: dixi Deus meus es tu, [l] in manibus tuis sortes meę. Eripe me de manu inimicorum meorum, & à persequētibus me. Illustra faciem tuam super seruum tuum, saluum me fac in misericordia tua Domine: non confundar, quoniam inuocaui te. Erubescant impij, & [m] deducantur in infernum: muta fiant labia dolosa. Quæ loquuntur aduersus iustum iniquitatem in superbia & contemptu. Quā magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te? Perfecisti eis, qui sperāt in te, [n] in conspectu filiorum hominum. Abscondes eos in abscondito faciei tuæ à conturbatione hominum. Proteges eos in tabernaculo, à contradictione linguarum. Benedictus Dominus: quoniam [o] mirificauit misericordiam suam mihi in ciuitate munita. Ego autem [p] dixi in † anxietate mentis meę, proiectus sum à facie oculorum tuorum. Ideo exaudisti vocem orationis meæ, dum clamarem ad te. Diligite Dominum

omnes

omnes sancti eius:quoniam fideles custodit Dominus,& retribuet abundanter facientibus superbiam. Viriliter agite,& confortabit ipse cor vestrum omnes qui speratis in Domino.

SCHOLIA.

Omnia huius psalmi ad illud tempus congruunt, cum vrgeret Dauidem Saul in deserto Maon, iamq; suo exercitu cinxisset. [a] In iustitia tua libera me.] *Hoc est, pro iustitia tua: quia nimirū soles ex fide optima, & quàm benignissimè agere cum ijs, qui tibi sese crediderint.* [b] In petram fortitudinis.] *Sic plerunque vocat Hebraismus arces & fortia ædificia, quæ super montes & petras contra hostium insultus extruūtur.* [c] In manus tuas.] *Cum Christus in cruce hūc vsurparit versum. Constat, Dauid in plerisque typum fuisse Christi.* [d] Odisti obseruantes vanitates.] *Alij verterunt vanitates superstitiosas, vel sortes vanitatis, siue vanas. Vt sit sensus, Dauid, cum Deo innixus esset, curiositatem sortiū esse aspernatum, ad quem confugiunt interdum ij maximè, qui in discrimine sunt cōstituti: inde se imposturis quibuslibet, ac sæpe plusquàm anilibus stultissimè addicunt: hinc augures, astrologi, somniorum interpretationes, vaticinia &c. de quibus præcipit Deus Deut. 18. & propter hæc gentes Chananæorum sedibus suis eiecit, atque deleuit.* [e] Statuisti in latitudine.] *Accepta est similitudo ab ijs, qui dilatant crura, vt solidius stent. Sic in prouerbijs dicitur. Cum incedis non sint stricti gressus tui. & alibi Dauid. Dilatasti gressus meos sub me.* [f] Conturbatus est in ira.] *In molestia, quæ ab hostium cōtra me indignatione proficiscitur, & interdum ab ira Dei immittitur. Videtur & posse intelligi de indignatione sua: n.i quò magis animus malo, quod premit, indignatur, eò atrocius vis doloris incrudescit. Iam multa erant, quæ accendere Dauid contra Saul, et eius assentatores poterant, qui crudeliter ipsum minimè meritum, atque adeo optimè potius de omnibus meritum, persequebatur. Quod ait: anima mea, & venter meus, animæ nomine vim intelligit, qua vita constat animalis, eam volunt habere sedem suam in media corporis parte super diaphragma, vbi natura cor, pulmonesque collocauit: vbi audacia, metus, fuga, iracundia, spes, amor, odium, voluptas, dolor stationem suam obtinēt. Ventris nomine significauit, quæ sunt infra diaphragma. Dū enim animus totus ad id, quod vrebat, intenderetur, impediebatur concoctio, macies oriebatur, contrahebantur intestina, arescebat cutis, denique vmbræ similior, quam viuenti reddebatur. Quamuis autem has odas psaltes composuerit postea, quam pericula euasit, solet tamen affectus suos, quibus in periculis æstuabat, potissimum referre.* [g] Infirmata est in paupertate.] *Tot (inquit) patior miserias & calamitates, vt omnis virtus mea corruerit.* [h] Super omnes inimicos meos.] *Præ cunctis inimicis meis fui probro vicinis meis, cum ij tamen inimici essent sceleratissimi. Alius sic vertit: cunctis hostibus meis fui opprobrium, maximè autem vicinis meis.* [i] Mortuus à corde.] *Qui à corde viuentium euanuit: nec speratur vnquā pristinæ vitæ restituendus.* [k] In manibus tuis sortes meæ.] *Vel tempora mea. Hoc est: quamlibet sæuiant hostes mei contra me, & circumquaque immineant pericula, quorum metus etiam animam extorquere possit, adhuc tamen consolatur id me, quòd in manu tua sunt tempora mea, & æuum vitæ meæ, & non in manu hostium.* [l] Audiui vituperationem multorum.] *In his omnibus seruator Christus, infra cunctos mortales abiectus, in Dauid hæc patiente fuit adumbratus: neque minus de ipso, quàm de se, ista Dauid cecinisse cogitandum est.* [m] Deducantur in infernum.] *Compescantur in sepulchro, vel taceant sepulti in inferno: prædictio est enim malorum, quæ eos manent.* [n] In conspectu filiorum hominum.] *Hoc est, in manifesto fidelibus tuis bonitatem tuam ostendis & abscondis eos in abscondito faciei tuæ, quod alibi vocat vmbra alarum.* [o] Mirificauit mihi.] *Miro quodam modo ostendit misericordiam suam mihi, & tanquam in munitissima fuissem ciuitate, tutatus est me.* [p] Dixi in anxietate.] *Cum putarem me abiectum abs te, continuò clamorem meum exaudisti.*

Ipsi Dauid intellectus XXXI.

BEati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir, cui non imputauit
Esa.5.c Dominus peccatum, nec est in spiritu eius dolus. [a] Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea: dum clamarem tota die. Quoniā die ac nocte grauata est super me manus tua: cōuersus † est succus meus, in siccitatem æstiuam. Delictum meum cognitum tibi feci: & iniustitiam meam non abscondi. Dixi, Cōfitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei. Pro hac orabit ad te omnis sanctus [b] in tempore opportuno. Veruntamen in diluuio aquarum multarum, ad eū non approximabunt. Tu es refugium meum à tribulatione † custodies me, [c] canticis liberationis circundabis me. [d] Intellectum tibi dabo, & instruam te in via hac qua gradieris: firmabo super te oculos meos. Nolite fieri sicut equus & mulus: quibus nō est intellectus. In camo & freno maxillas eorū cōstringe, † ne approximēt ad te. Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino, misericordia circundabit. Lętamini in Domino & exultate iusti, & gloriamini omnes recti corde.

SCHOLIA.

Titulus huius psalmi est, intellectus Dauid, vel erudiens, siue intellectum præstans, & pulchrè aptatur ijs, quæ infra in hoc psalmo dicuntur. Intellectum tibi dabo & instruam te &c. & ob hoc putant psalmum hoc titulo insignitum. Ex versu autem tertio & quarto, quibus propheta queritur, se cogitationibus discerptum præ dolore fremuisse, ac interim ossa sua contabuisse, omnemque fuisse succum exhaustum. Et ex versu decimo, quo canit, multos dolores accidere improbis, cōiectura fit, referri hoc psalmo, quemadmodum morbo aliquo grauiore correptus peccatorū suorum, quibus ipse sibi id mali asciuerat, fuerit admonitus. [a] Quoniam tacui.] *Iacens in infirmitate, cruciabatur cogitationibus suis, cogitans quàm bene esset homini, cui condonata essent peccata, et rursum quàm importabile onus illi incumberet, super quem Dominus misisset manū suam, peccata illius graui puniens vltione, id quod in seipso experiebatur, cū graui premeretur morbo, qui etiam humorem exhauriebat. Vel sic, Quandiu tacui, conterebantur vires meæ, præ erumpente eiulatu assiduè, Quia per diem & noctem ingrauescebat manus tua cōtra me, sic mutatus sum, vt ex succulēto factus sim aridior, quàm sunt aristæ in media messe. Sed aptior videtur hic sensus. Si tacuissem (peccatum scilicet meum) emarcuissent ossa mea. propter hoc clamo tota die.* [b] In tempore opportuno.] *Vel, in tempore, quo inuenire te licet, sic Esaias, Querite Dominum dum inueniri potest. In hoc tempore clemens inuenitur, quando etiam peccatum ex corde recognitum condonatur, & si inundationes multorum malorū insurgunt, ad talem hominem, qui tempore opportuno meo exemplo Dominum inuocauerit, non peruenirent.* [c] Canticis liberationis circundabis me.] *Gaudijs, quibus gaudere solent è manibus hostium elapsi, afficies me.* [d] Intellectum tibi dabo.]

Prudentem

Prudentem (inquit Dominus) faciam te, & docebo, quo pacto viuere oporteat te, & studiosissimè obseruabo te oculo proprio. Tantum ne similes efficiamini equo vel mulo, qui nō solum nihil intelligit beneficiorum, in se collatorum, sed capistro vel freno os eius constringere oportet, ne appropinquet, ac mordeat vos. Docet non expectādum, vt à prauitate cohibeamur aduersis, quasi freno & lupato.

Psalmus Dauid XXXII.

EXultate iusti in Domino: rectos decet collaudatio. Confitemini Domino [a] in cythara: in psalterio, † & decacordo psallite illi. Cātate ei canticum nouum: bene psallite ei in vociferatione. Quia [b] rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide. [c] Diligite † iustitiam & iudicium: misericordia Domini plena est terra. [d] Verbo Domini cœli firmati sunt: & spiritu oris eius omnis virtus eorum. [e] Congregans sicut in vtre aquas maris: ponens in thesauris abyssos. Timeat Dominum omnis terra: ab eo autem commoueantur omnes inhabitantes orbem. Qoniam ipse dixit: & facta sunt, ipse mādauit, & creata sunt. Dominus dissipat consilia gentium: reprobat autem cogitationes populorum. † Cōsilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generationem & generationem. [f] Beata gens cuius est Dominus Deus eius: populus quem elegit in hæreditatem sibi. De cœlo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum. De pręparato habitaculo suo respexit super omnes qui habitant terram. [g] Qui finxit pariter corda eorum: qui intelligit omnia opera eorum. Nō saluatur rex per multam virtutem: & gigas nō saluabitur in multitudine virtutis suæ. Fallax equus ad salutem: in abundantia autem virtutis suæ non saluabitur. Ecce oculi Domini super metuentes eum, & in eis qui sperant super misericordia eius. Vt eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Anima nostra sustinet Dominum: quoniam adiutor & protector noster est. Quia in eo lætabitur cor nostrū, & in nomine sancto eius sperauimus. Fiat misericordia tua Domine super nos quemadmodum sperauimus in te.

SCHOLIA.

Iustos & rectos, & qui in hoc incumbunt, vt ex bono & æquo cum omnibus agant, inuitat ad celebrandum & prædicādum Deum, quia soli bonitatem Dei, vt verè præcipiunt, ita agnoscunt, & laudare possunt. [a] In cithara in psalterio.] *Sanctus rex vt in populi animis affectus quàm religiosissimos excitaret, ac de diuinis beneficijs lætitiam adaugeret, non solum vocum, verum etiam organorum concentum adhibuit. Animales enim spiritus, quibus affectus animæ constant, aeriæ materiæ sunt, atque ideò ab infracto extrinsecus, temperatoque commode aere, atque per aures ad animum delato, mirum in modum citantur, proque illius temperatura immutantur. Inde tam varios & inter se pugnantes affectus musica mutatio efficit: hinc modi Phrygij, Lydij, Dorij, & Ionici tam celebris differentia. Quod vero ait in vociferatione, rectius esset, in iubilo. non enim hic vociferandum iubet, sed læto atque alacri corde psallendū. alioqui vociferatio insanum quiddam est.* [b] Rectum est verbum Domini.] *Hoc est, quæcunque agit Dominus, recta sunt: nam appellatione verbi scriptura, negocium, rem, factum, mandatum intelligit. Et omnia opera eius in fide: est enim Deus fidelis in promissionibus, et omnia summa cum æquitate & fide gerit.* [c] Diligite iustitiam & iudicium.] *Vbicunq; iudicium & iustitia iunguntur, significant, rectè & ordine quid fieri & administrari.* [d] Verbo Domini.] *Id canit, quod Gen. primo loquitur.* [e] Congregās sicut in vtre.] *Cœli, & aquarum nominatim meminit, tanquam in quibus præclarius Dei maiestas reluceat. Eleganter autem dicit aquas velut in vtrem collectas, & suo ac naturali loco, veluti in thesauris repositas. Immensa enim hic Dei potentia apparet, qui in tam vastum mare eam habeat potestatem, quam homo in pauxillum aquæ, quam vtri concludens reponit vt libet. De hoc miraculo cecinit & Iob cap. 38. & psal. 103.* [f] Beata gens.] *Cum Deus intueatur & regat omnia, beati imprimis fideles, qui rectè de Deo sentiunt, & intelligunt, omnia tandem in salutem sibi cooperatura.* [g] Qui finxit pariter.] *Qui finxit sine vlla exceptione corda omnium. Alius vertit. Qui solus finxit corda eorum.*

Dauid cum immutauit vultum suum coram Abimélech, & dimisit eum, & àbijt. XXXIII.

BEnedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo. [a] † Dominum laudabit anima 1.Re.21.d
mea: audiant mansueti, & lætentur. Magnificate Dominum mecum: & exaltemus nomen eius [b] in-
idipsum. Exquisiui Dominum, & exaudiuit me: & [c] ex ōmnibus tribulationibus meis eripuit me.
[d] Accedite ad eum, & illuminamini: & facies vestræ non confundentur. Iste pauper clamauit, & Dominus
exaudiuit eum: & ex omnibus tribulationibus eius saluauit eum. [e] † Castrametatur angelus Domini in cir-
cuitu timentium eum: & eripiet eos. Gustate, & videte quoniam suauis est Dominus: beatus vir qui sperat
in eo. Timete Dominum omnes sancti eius: quoniam non est inopia timentibus eum. [f] Diuites eguerunt
& esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Venite filij audite me: timorem
Domini docebo vos. Quis est homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos. [g] Prohibe linguam tuam à
malo, & labia tua ne loquantur dolum. Diuerte à malo & fac bonum, [h] inquire pacem & persequere eam. 1.Pet.3.b
Oculi Domini super iustos: & aures eius in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala, vt
perdat de terra memoriam eorū. Clamauerūt iusti, & Dominus exaudiuit eos: & ex omnibus tribulationi- Eccl.15.d
bus eorum liberauit eos. Iuxta est Dominus ijs qui tribulato sunt corde: & humiles spiritu saluabit. Multæ Heb.4.c
tribulatiōes iustorū: & de omnibus his liberabit eos Dominus. Custodit Dominus omnia ossa eorū: vnum
ex his non conteretur. [i] Mors peccatorum pessima: & qui oderunt iustum † peribūt. Redimet Dominus
animas seruorum suorum: & [k] non † peribunt omnes qui sperant in eo.

SCHOLIA.

Indicat Titulus huius psalmi, qua ratione Dauid motus ædiderit eum. Reges Palestinorum Abimélech vocabātur, vti Reges Aegyptiorum Pharaones. Accōmodatum autem regibus nomen, quos patrum loco esse decet: significat enim, pater meus rex. Cæterum hic rex, ad quem Dauid fugerat, Achis proprio nomine dictus fuit, sunt qui putent eum fuisse binominem. Historia hæc habetur 1. Reg. 21. Cum itaque Deus huius simulationi fauēs effecisset, vt rex iuberet Dauid à se expelli,

tanquam

tanquam insanientem, tanto liberatus periculo, hunc psalmum composuit, in quo & Dei erga se bonitatem prædicat, & ad fidem illi hortatur. [a] Dominum laudabit.] *Vel, in Domino gloriabitur, nam de Domino gloriari, nihil aliud est, quam laudes eius magno affectu prædicare.* [b] In idipsum.] *pariter, vnà omnes.* [c] Ex omnibus tribulationibus.] *Quamuis adhuc Saul ipsum persequeretur, videbatur tamen sibi omni se periculo liberatum, simul atque præsens periculum euasisset. Obseruandum verò, quòd Dauid hanc ereptionem diuinæ benignitati, non suæ sagacitati, vel fortunæ acceptam retulit, quod si idem homines facere discerent, multò magis essent pij, ac Deo grati.* [d] Accedite ad eum.] *Alius vertit. Respexerunt ad eum, & illustrati sunt, nec facies eorum erubuerunt. Et illud, ad eum, quidam intelligunt, Dauid ipsum, de quo facit alios loqui, quæ sequuntur: Iste pauper clamauit &c. Fructum ergo canit, qui ex sua liberatione prouenit, nempè quòd visa Dei bonitate, in ipso tam præclarè demonstrata, & alij ad Deum sese receperint.* [e] Castrametatur.] *Sic & Græcus interpres vertit.* παρεμβαλος, *quãquam noster interpres significatione vocis nõ satis intellecta vertisset, immittet.* [f] Diuites eguerunt.] *Alij verterunt. leones, sed interpres sensum exprimere voluit: quòd videlicet, qui potentia leonibus similes videbãtur, ad inopiam redacti sint, & famem passi, cum interim quærentibus Dominum nihil vnquam defuerit. Sunt tamen qui hunc sensum afferant. Citius leones, qui semper prædæ insidiantur, penuriam paterentur, quàm inquirẽtes Dominum inopia laborarent.* [g] Prohibe linguam.] *Vide, vt primam rem, cuius cõmonefaciat, linguam ponat, veluti à qua omnia fere mala proficisci cantur.* [h] Inquire pacem & persequere eam.] *Quam scilicet nisi studiosè quæras, atq; adeo, tãquam venatu feram, totis viribus persequare, frui ea non licebit.* [i] Mors peccatorum pessima.] *Alius vertit. Impiũ interficiet malum.* [k] Non peribunt.] *Sic & in prouerbijs: septies in die cadet iustus, et surget tamẽ, at impius in mala corruet, hoc est, in plurima pericula iustus incidet, at emerget, impium verò mala, quæ inciderint, penitus extinguent.*

Dauid XXXIIII.

IVdica Domine nocentes † mihi: expugna impugnantes me. Apprehende arma & scutum: & exurge in adiutorium mihi. Effunde phrameam, & [a] conclude aduersus eos qui persequuntur me: dic anime meę, Salus tua ego sum. Confundantur & reuereantur quærentes animam meam. Auertantur retrorsum & confundantur cogitantes mihi mala. Fiant tanquam puluis ante faciem vẽti, & angelus Domini coarctans eos. [b] Fiant viæ illorum tenebræ & lubricum: & angelus Domini persequens eos. Quoniam gratis abscõderunt mihi interitum laquei sui: supervacuè † foueam fecerunt animę meæ. Veniat illi laqueus quẽ ignorat, & captio quam absconditapprehendat eum: & [c] in laqueum cadat in ipsum. Anima autem mea exultabit in Domino: & delectabitur super salutari suo. Omnia ossa mea dicent. Domine, quis similis tibi? Eripiens inopem de manu fortiorum † eo: egenum & pauperem à diripientibus eum. Surgentes testes iniqui, [d] quæ ignorabam interrogabant me. Retribuebãt mihi mala pro bonis: [e] sterilitatem animæ meæ. [f] Ego autem cum † molestiam paterentur, induebar cilicio. Humiliabam in ieiunio animam meã: [g] & oratio mea in sinũ meũ cõuertetur. Quasi † proximo, & quasi fratri nostro, sic complacebam: [h] quasi † lugens matrem contristatus sic humiliabar. [i] Ipsi † verò in meis aduersis lætati sunt, & conuenerunt: congregati sunt super me † praui, & ignoraui. † Conuitiati sunt nec compuncti, & tentauerunt me, subsannauerunt me subsannatione: frenduerunt super me dentibus suis. Domine quãdo respicies? restitue animam meam à malignitate eorum, à leonibus vnicam meam. Confitebor tibi in ecclesia magna, [k] in populo † grandi laudabo te. Non supergaudeant mihi, qui aduersantur mihi iniquè, qui oderunt me gratis, & [l] annuunt oculis. Quoniã † nihil quidem pacificè loquebantur, † sed contra quietos terræ, dolos cogitabant. Et dilatauerunt super me os suum: [m] dixerunt, Euge euge, viderunt oculi nostri. Vidisti Domine ne fileas: Domine ne discedas à me. Exurge & intende iudicio meo: Deus meus, & Dominus meus in causam meam. Iudica me secũdum iustitiam tuam Domine Deus meus: & non supergaudeant mihi. Non dicant in cordibus suis, Euge euge, animæ nostræ: nec dicant, Deuorabimus eũ. Erubescant & reuereantur simul, qui gratulantur malis meis. Induantur confusione & pudore, qui magna loquuntur super me. Exultent & lætentur qui volunt iustitiã meam: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui voluit pacem serui † sui. Et lingua mea meditabitur iustitiam tuam, tota die laudem tuam.

Ioan.15.d

SCHOLIA.

Dauid à Deo in regem fuerat vnctus, ei electioni inseruiebat cum nullius iniuria, salutem regni & Regis totis viribus tutatus fuerat, nec aliud, quàm Dei gloriam illustrare vnquam quæsierat: hac conscientia fretus non dubitabat, Deum in se ab iniquo Saule, et adulatoribus eius oppugnari. Deum ergo magna fiducia inuocat, vt ipse bellum cõtra hostes susciperet, eiusq; solita sibi authropopatia, velut hominem armat clypeo & lancea. [a] Conclude.] *Viam scilicet hosti, vnde ei aditus patere posset.* [b] Fiant viæ illorum.] *Via per quam fugiendum erit eis, destituatur lumine, & præterea lubrica sit, & persequatur etiam eos angelus Domini.* [c] In laqueum cadat.] *In illum ipsum laqueum, quem mihi parauerat, cadat.* [d] Quæ ignorabam interrogabant me.] *Interrogantes obyciebant mihi ea, quorum non eram mihi conscius.* [e] Sterilitatem animæ meæ.] *Ad inopiam redigere conabantur me. Hebraismus enim sic habet. Vt sterilem facerent animã meam. Quod quidam intelligunt de interfectione, alij de summa desolatione, in quali sunt orbi, qui neque amicum neque patronum quempiam habent,* [f] Ego autem cum molestiam paterentur.] *Ego contra, atque illi nunc in me faciunt, in eorum calamitatibus agebam: ea scilicet, quæ lugentes solent. Nam luctus tribus constabat, ieiunio, habitu tristi, precatione.* [g] Et oratio mea.] *Quidam verterunt, in precationibus curuabar, vt habitum precandi propheta expresserit. Alij Heb. hunc sensum afferunt, precatum me pro hostibus, nemo potest inficiari: at forte dicent, me malum illis imprecatum, non bonum, peto igitur vt in sinum meum oratio mea redeat, hoc est, mihi eueniat, quod oraui illis.* [h] Lugens matrem.] *Solent matres diligi à liberis tenerius, quàm patres, quare mortes earum ferunt grauius.* [i] In meis aduersis.] *Hebraismus habet, in claudicatione mea.* [k] In populo grandi.] *Vel, forti. In hominum frequentia (inquit) & apud populum fortem extollam te.* [l] Annuunt oculis.] *Dum voluptatem, quam de meo malo habent, oculis ostendunt.*
[m] Dixerunt euge euge.] *Vel, vah, vah, interiectio gaudentis, aut magis insultantis, quasi dicat: iam videt oculus noster,*

rogo, quod diu optauimus. Idem sentiẽdum de eo, quod sequitur: euge animæ nostræ: hoc est: iam bene est animæ nostræ posteæ, quam euenit, quod optauimus. Talem de seruatore triumphum gesserunt Iudæi: sed magno suo malo.

† Vincenti seruo Domini Dauid XXXV.

[a] DIxit † de iniusto cor meum, non est timor Dei ante oculos eius. [b] Quoniam † blãditur sibi ipsi in conspectu † suo: vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Verba oris eius iniquitas & dolus: noluit intelligere vt bene ageret. Iniquitatem meditatus est in cubili suo: astitit omni viæ non bonę, malitiã autem non odiuit. [c] Domine in cœlo misericordia tua: & veritas tua vsq; ad nubes. Iustitia tua sicut montes Dei: iudicia tua abyssus multa. Homines & iumẽta saluabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam Deus. Filij autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ: & [d] torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ: & [e] in lumine tuo videbimus lumen. [f] Prætende Domine misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his qui recto sunt corde. Non veniat mihi pes superbiæ: & manus peccatoris non moueat me. [g] Ibi ceciderunt oẽs qui operantur iniquitatem: expulsi sunt, nec potuerunt stare.

SCHOLIA.

Admiratur effusissimam Dei in omnia bonitatem, qui quamuis improborum peruersitas maxima sit, tamen bonitatem suam in illos non claudat. In inscriptione vocat se seruum Domini, quo putãt Hebræi, voluisse eum significare, quãlibet multis sceleratis & perditis rebus secundis vtantur, ipse verò & multi alij pietatis studiosi innumeris aduersis exerceantur, se nihilo tamen minus in studio atque obseruatione legis diuinæ perseuerare, & seruum sese Domini approbare. [a] Dixit de iniusto cor meum.] *Hebraismus habet. Dixit iniquitas impy in corde meo. Quantum (inquit) cogitatione assequi possum, persuasit sibi impius, non esse ei metuendum, ne Deus supplicium sumat de sceleribus illius. Peruersa enim cupiditas dicit improbo & ex legi, non esse Deum metuendum, atque, Vt ita iudicem, iniquitas, quam videbo ab eo exerceri, mihi persuadet.*
[b] Blanditur sibi ipsi.] *Dum praui homines sibi ipsis blandiuntur in flagitijs, efficiunt, vt eorum prauitas, summo Dei & hominum odio obnoxia inueniatur.* [c] Domine in cœlo.] *Effusam Dei bonitatem admiratur, canitq; quod & seruator ait, de patre. Qui solem suum facit oriri super bonos & malos. Nubes & cœlos pro eodem accepit: sicut bonitatem & veritatem, seu fidem, & iustitiam, & iudicia, & dicere vult, omnem orbem terræ, ita beneficentia Dei plenum, vt hæc pertingat vsq; ad cœlos: quam benignitatem etiam altis montibus (quos more Hebrææ linguæ montes Dei vocat) & immẽso mari assimilat. Cum verò subijcit. Homines & iumenta conseruas, idem simplicibus verbis dixit: porrigi scilicet Dei beneficentiam ad omnia. Illud verò, quemadmodum multiplicasti. in Heb. est, quam præciosa, vel præclara est, &c.* [d] Torrente voluptatis tuæ.] *Vel deliciarum* Τῆς τρυφῆς: *& Vide, vt, dum conaretur exprimere ingentem vim bonorum, quæ Deus fidelibus suis præparauit, nouam quandam excogitauit similitudinem, vt Torrentem voluptatis ac delitiarum appellaret. Sic Paulus de eadem re loquens, admiranda & ipse oratione vsus est, dum conaretur id eloqui, quod eloqui vox humana non potest. Momentaneã (inquit) leuitas afflictionis nostræ, supra modum, in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur nobis.*
[e] In lumine tuo.] *Cum illuminati fuerimus lumine tuo, à tenebris liberi erimus perpetuò. Sin abstrusius scrutere, nõ errabis, mysterium hinc trinitatis pie eruens.* [f] Extende.] *Siue continua: in Hebræo est, trahe seu protrahe, vt scilicet hic, et in futuro tua fruamur pietate.* [g] Ibi ceciderunt.] *In eo loco, in quo impiè egerũt. Vel, in ipso conatu collapsi sunt, ac prostrati, nec potuerunt surgere.*

Ipsi Dauid XXXVI.

[a] NOli æmulari in malignantibus, neque zelaueris facientes iniquitatem. Quoniam tanquam fœnum velociter arescent: & quemadmodum olera hærbarum citò decident. Spera in Domino, & fac bonitatem: & inhabita terram, & [b] pasceris in diuitijs eius. Delectare in Domino: & dabit tibi petitiones cordis tui. [c] Reuela Domino viam tuam, & spera in eo: & ipse faciet. Et educet quasi lumẽ iustitiam tuam, & iudicium tuum tanquam meridiem: subditus esto Domino, & expecta eum. Noli æmulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias. Define ab ira, & derelinque furorem: [d] noli æmulari vt maligneris. Quoniam qui malignantur exterminabuntur: sustinentes autem Dominum ipsi hæreditabunt terram. Et adhuc pusillum, & non erit peccator: & quæres locum eius, & non inuenies. Mãsueti autem hæreditabunt terram: & delectabuntur in multitudine pacis. Obseruabit peccator iustum: & Matt.5.a
stridebit super eum dẽtibus suis. Dominus autem irridebit eum: quoniam prospicit quod veniet dies eius. Gladium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum suum. Vt deijciant pauperem & inopem, vt trucident rectos corde. Gladius eorum intret in corda ipsorum: & arcus eorum confringatur. Melius est modi cum iusto, super diuitias peccatorum multas. Quoniam bracchia peccatorum conterentur: confirmat autẽ iustos Dominus. Nouit Dominus dies immaculatorum: & hæreditas eorum in æternum erit. Non confundentur in tẽpore malo, & in diebus famis saturabuntur: quia peccatores peribunt. Inimici verò Domini † vt adeps agnorum cum adoletur: deficientes quemadmodum fumus deficient. [e] Mutuabitur peccator, & non soluet: iustus autem miseretur & tribuet. Quia benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei, disperibunt. A Domino gressus hominis dirigentur: & viam eius volet. Cum ceciderit, [f] non collidetur: quia Dominus supponit manum suam. Iunior fui, & senui: & non vidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. Tota die miseretur & commodat: & semen illius in benedictione erit. Declina à malo, & fac bonum, & [g] inhabita in sæculum sæculi. Quia Dominus amat iudicium: & nõ derelinquet sanctos suos: in æternum conseruabuntur: semen † autem impiorum peribit. Iusti autem hæreditabũt terram: & inhabitabunt in sæculum sæculi super eam. Os iusti meditabitur sapientiam: & lingua eius loquetur Esa.51.e
iudicium. Lex Dei eius in corde ipsius: & non supplantabuntur gressus eius. Cõsyderat peccator iustum: & quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum cũ iudicabitur illi. Expecta Dominum, & custodi viam eius: & exaltabit te, vt hæreditate capias terram, cum

perierint

perierint peccatores videbis. Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Et transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus. † Custodi innocentiã, & vide æquitatem: quoniã sunt [h] reliquiæ † huic homini, pax. Iniusti autem disperibunt: simul reliquiæ impiorum interibunt. Salus autem iustorum à Domino: & protector eorum in tempore tribulationis. Et adiuuabit eos Dominus, & liberabit eos: & eruet eos à peccatoribus, & saluabit eos: quia sperauerunt in eo.

SCHOLIA.

Consolatur infirmiores, qui dum vident florere impios: perturbantur, & vt impietatis studio strenuè perseuerent, hortatur. Tentatio huiusce modi infra psalmo 27. graphicè descripta est: idem Hiere. 12. Noli æmulari. Ne mouearis (inquit) cum vides impios florere in hoc mũdo, perinde quasi Deus nullam curam habeat hominum. [a] Pasceris in diuitijs eius.] *Quod aly verterunt, in veritate, vel fide. Sed idem sensus est, omnibus enim copiosè prouenientibus & affluentibus diuitijs, vnum est fidelis & certus: non fallit, aut frustratur. Sic & fideles aquæ, pro non deficientibus dicuntur. Et quod ait, fac bonum & inhabita terram: intellige, vt inhabites terram longo tempore.* [b] Reuela Domino viam tuam.] *Committe Domino statum rerum tuarum: fide illi, optima enim fide curabit & te, & tua omnia: neque vnquam tibi deerit.* [c] Noli æmulari vt maligneris.] *Ne sic incendaris vt illorum sceleratorum exẽplo, ad perpetranda similia animum inducas.* [d] Vt adeps agnorum.] *Sicut adeps agnorum, qui adoletur super altare, illicò inflammatur & consumitur, sic isti finem capient, et vna cum fumo deficient. Benedicentes ei. Alius vertit, qui benedicuntur ab ipso, nempe Deo, possidebunt terram, & qui maledicuntur ab eo, extermin. abuntur.* [e] Mutuabitur.] *Mutuum accipit impius, nec reddet, iustus autem misericordiatur, vltro etiam dat ys, qui opus habent.* [f] Non collidetur.] *Non sic cadet, vt resurgere nõ valeat.* [g] Inhabita in sæcula.] *Hoc est, vt possis durare perpetuò.* [h] Reliquiæ sunt huic homini pax.] *Hominem, qui talis est, pax manet perpetua.*

Psalmus Dauid in rememoratione † XXXVII.

DOmine, ne in furore tuo arguas me, neq; in ira tua corripias me. Quoniam [a] sagittæ tuæ infixę sunt mihi, & confirmasti super me manũ tuam. Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ: non est pax ossibus meis à facie peccatorum meorum. Quoniam [b] iniquitates meæ supergressæ sunt caput meũ & sicut onus graue grauatæ sunt super me. [c] Putruerunt & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ. Miser factus sum & curuatus sum vsq; in finem: tota die cõtristatus ingrediebar. Quoniam [d] lumbi mei impleti sunt † ardore: & non est sanitas in carne mea. Afflictus sum & humiliatus sum nimis: rugiebã à gemitu cordis mei. Domine, ante te omne desyderium meum: & gemitus meus à te non est absconditus. [e] Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea: & lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. Amici mei, & proximi mei, † è regione plagæ meæ steterunt. Et qui iuxta me erant de longe steterunt † & vim faciebant qui quærebant animam meam. Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur. Ego autem tanquam surdus, non audiebam: & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones. Quoniam in te Domine speraui, tu exaudies me Domine Deus meus. [g] Quia dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei: & dum commouentur pedes mei, super me magna locuti sunt. Quoniam ego [h] in flagella paratus sum: & dolor meus in conspectu meo semper. [i] Quoniam iniquitatẽ meam annuntiabo: & cogitabo pro peccato meo. Inimici autem mei viuunt, & confirmati sunt super me: & multiplicati sunt qui oderunt me iniquè, Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebãt mihi quoniam sequebar bonitatem. Ne derelinquas me Domine Deus meus: ne discesseris à me. Intende in adiutorium meum, Domine Deus salutis meæ.

SCHOLIA.

Incertum est, illud quod in titulo ponitur, ad reminiscendum vel memorandum, an sit nota cantus, an ad aliud quid referatur. Fortasse cum morbo graui correptus, iram Dei ob peccata sua sensisset, ac inde et benevolentiam eius, cum morbo rursus esset liberatus, voluit hoc carmine id memorare, quod alys esset exemplo. Canit & superioribus aliquot psalmis, de morbo quo laborauerat, præsertim psalmo 34. in quo claudicationis meminit, & videtur hic de eiusce modi morbo canere: fortasse pestilenti aliquo vlcere laborauit, vnde claudum se fore timuerit. Qualis verocunq; fuerit morbus, summos illum attulisse cruciatus abunde queritur. [a] Sagittæ tuæ.] *Vocat vim illam morbi intolerabilem, quicquid demum fuerit, pestilentia, aut vlcus, vnde claudicatio suborta fuit, sagittas, & manum Domini grauem.* [b] Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum.] *Dolor morbi, qui mihi propter iniquitates meas inflictus est, occupauit omnia corporis membra. Et quod hic iniquitatem vocat, mox appellat insipientiam, vel stultitiam.* [c] Putruerunt.] *Quod cicatrices vertit interpres, aly verterunt liuores, vel vlcera. Et videtur speciem morbi exprimere. Fortasse vero, vt Ezechias, ita hic pestilenti aliquo abscessu laborauit in fœmore, eoq; tam noxio, vt totum corpus deijceretur, periculumq; esset, non recuperandam gradiẽdi facultatem. Dicto sanè Hebræa, abscessum, & vlcus, in quo sit collectum pus, significat. Numeratur & inter maledicta legis, ac item. Esa. 1. inter ea, quæ tum populo ob suam impietatem acciderant.* [d] Lumbi mei.] *Vel fœmora mea: præcipuus dolor & origo malis fuit sub lumbis iuxta ilia, & iunctura fœmorum: ideo timebat futuram claudicationem. Et quod ait: impleta sunt ardore: alius vertit, fœda vt subaudiatur, plaga, & putant Hebræi fuisse vlcus tam abominandum, vt veritus sit psaltes illud in hoc sacro carmine nominare.* [e] Cor meum conturbatum est.] *Alius vertit, circumagatur. Dicit se destitutum animi bus viribus corporis vsqueadeo, vt etiam cor, quod est fons vitæ, ferè exanimatum fuerit, & nullam habuerit requiem, vt fieri solet in acutioribus morbis.* [f] Et vim faciebant.] *Quod alius vertit. Laqueos tetenderunt, per quos intelliguntur verba ad desperationem inducentia.* [g] Quia dixi.] *Valde (inquit) metuebam, ne nanciscerentur ipsi ansam gloriandi aduersum me, qui quoties vel tantillum accepissem incommodi, erigere solent cristas.* [h] In flagella paratus sum.] *Alius vertit, ad claudicationem. Causam (inquit) habebam metuendi, quòd ferèdis verberibus destinatus essem, quodq; vnicus meum cogerer circumferre mecum iugiter.* [i] Quoniam iniquitatem meam annunciabo.] *Quarta manifestationis causa,*

causa, cur omnia tacitus tulerit muto, ac surdo similis: prima enim dixerat spem in Deum, secundam, quòd sciret hostes suos odisse à Deo haberi, tertiam morbi diuturnitatem, persuasum quippe habebat, Deum nequaquam se tantis malis perpetuò oppressurum. Et quod ait. Cogitabo. In Heb. est. Formidabo, vel, anxius ero.

† Vincenti Idithun canticum Dauid XXXVIII.

DIxi, Custodiam vias meas: vt non delinquam in lingua mea. Posui ori meo custodiam: cum consisteret peccator aduersum me. Obmutui, & † compescui me, [a] & silui à bonis: & dolor meus renouatus est. [b] Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea exardescit ignis. [c] Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum. Et numerum dierum meorum quis est: vt sciã quid desit mihi. [d] Ecce mensurabiles posuisti dies meos: & substantia mea tanquam nihilum ante te. Siquidem vniuersa vanitas: omnis homo viuens. † Siquidem [e] in imagine pertransit homo † vtique: frustra conturbatur. Thesaurizat: & ignorat cui congregabit ea. Et nunc, quę est expectatio mea? nònne Dominus, & spes mea apud te est? Ab omnibus iniquitatibus meis erue me: opprobrium insipienti, † ne dederis me.

Obmutui, & non aperui os meum, [f] quoniam tu fecisti: amoue à me plagas tuas. A fortitudine manus tuæ ego defeci † [g] in increpationibus propter iniquitatem: corripuisti hominem. Et tabescere fecisti sicut † tinea animam eius: † vanitas ergo est omnis homo. Exaudi orationem meam Domine, & deprecationem meam auribus percipe: lacrymas meas. Ne fileas: quoniam aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei. [h] Remitte mihi, vt refrigerer priusquam abeam: & amplius non ero.

SCHOLIA.

Quod in titulo ait Idithum, putant hùc psalmum à Dauid æditum, & Idithum cantori præcipuo vnius ordinis traditum decantandum. Aly putant aliquod carmen celebre fuisse, cuius initium fuerit Idithum, ad cuius modulationem, & hic psalmus concinatus sit, sed ingens est harum rerum etiam apud Hebræos ignoratio, canit & hoc psalmo de quodam morbo, cuius acerbissimis doloribus exagitatus, continuerit se tamen, ne, si quereretur, indigna proferret, præsertim audientibus improbis. [a] Et silui à bonis.] *Metuens scilicet, ne & illa in calumniam raperent, quamuis ea taciturnitas vehementer auxerit dolorem mihi.* [b] Concaluit cor meum intra me.] *Ita nanque homini accidit, dum dolore affectus à querelis temperat, & spiritum continet. Is etenim intentus: (vt Aristoteles ait) calefacit doloris incitabula,* [g] *contracto intrinsecus calore, quo patissimum vis doloris intenditur.* [c] Locutus sum in lingua mea.] *Naturæ ingenium expressit. Ignis (inquit) qui intra me ardebat, erumpere coegit in vocem hanc. Notum fac mihi Domine finem meum. Vel, vt sciam quandiu mihi viuendum sit in miseris, vel, si longiora spacia, & meliorem vitæ statum sis concessurus, vt ferri possit tam atrox vlcus.* [d] Ecce mensurabiles.] *Certum est enim (inquit) te veluti in digitis numeratos habere paucissimos dies meos.* [e] In imagine.] *Velut vmbra inanis, & imago descripta lineis, aly pro tenebris accipiunt, sed quadrat, vt intelligamus velut inanem vmbram, quæ ilico euaneſcat, hominem in hoc sæculo versari. Et vanè (inquit) conturbatur, hoc est in vanum tumultibus his & curis sese ingerit, ob exiguam hanc temporis vmbram.* [f] Quoniam tu fecisti.] *Quòd scirem ad exercendam patientiam abste immitti hæc mihi.* [g] In increpationibus propter iniquitatem.] *Castigationibus propter iniquitatem immissis, erudire soles hominem & absumere, quemadmodum tinea vestimentum consuevit.* [h] Remitte mihi.] *Abstine paululum à flagellando me, vt vires pristinas recipiam, priusquam migrare cogar, nunquam huc reuersurus.*

† Vincenti Psalmus Dauid XXXIX.

EXpectans expectaui Dominum: & intendit mihi. Et exaudiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis. Et statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Et immisit in os meum canticum nouum, carmen Deo nostro. Videbunt multi & timebunt: & sperabunt in Domino. Beatus vir cuius est nomen Domini spes eius: & nõ respexit in vanitates, & † inanes iactantias. Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & [b] cogitationibus tuis erga nos non est qui similis sit tibi. [c] Annuntiaui & locutus sum: multiplicatæ sunt super numerum. [d] Sacrificium & oblationẽ noluisti: aures autem perfodisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi: Ecce venio. [e] In † volumine libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam. Deus meus volui, & legem tuã in medio cordis mei. Annuntiaui iustitiam tuam in ecclesia magna: ecce labia mea nõ prohibebo, Domine tu scisti. Iustitiam tuam nõ abscondi in corde meo: veritatem tuam & salutare tuum dixi. Non abscondi misericordiam tuam & veritatem tuam à concilio multo. Tu autem Domine ne longè facias miserationes tuas à me: misericordia tua & veritas tua semper susceperunt me. Quoniam circundederunt me mala, quorum nõ est numerus: comprehenderunt me iniquitates meæ, [f] & non potui † videre. Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: & cor meum dereliquit me. Complaceat tibi Domine, vt eruas me: Domine ad adiuuandum me respice. Confundantur & reuereantur simul: qui querunt animam meam, vt auferant eam. Conuertantur retrorsum & reuereantur qui volunt mihi mala. [g] Ferant confestim confusionem suam, qui dicunt mihi, Euge, euge. Exultent & lætentur super te omnes quærentes te: & dicant semper, Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum. Ego autem mendicus sum & pauper: Dominus solicitus est mei. Adiutor meus & liberator meus tu es: Deus meus ne tardaueris.

SCHOLIA.

Quodcunque malum fuerit, de quo se auxilio Dei ereptum hic canit, proculdubiò anceps, & perdifficile fuit, sed fidem suam expugnare non potuit, pertinaci enim fiducia semper opem Dei præstolatus est. [a] Expectans expectaui.] *Hebraismus est, pro solicitè & anxiè expectaui.* [b] Cogitationibus tuis erga nos.] *Consilia tua erga nos exemplo carent, & cogitationes, quibus sedulo curas nos, tam sunt multæ & mirabiles, vt nemo hominum intelligere queat, quantum tibi debeat pro illis. Alius vertit. Sicut & cogitationes tuæ, quæ sunt erga nos, & nemo est qui ordinet ad te, hoc est. Ingrati sumus, qui quotidie tuis fruimur beneficijs, & tamen pauci sunt, qui ea ad tuam ordinent gloriam, sed plurimi abutun-*

tur in luxum,& gloriam inanem. Vel, non poteſt eorum ordo aliquis, nec numerus ſtatui, vt ſeſe ad te habent, id eſt, vt à te proficiſcuntur. [c] Annunciaui.] *Hoc eſt, ſi alijs enarrare coner eas, inueniam plures eſſe, quam vt numerare ſufficiam, nedum verbis explicare.* [d] Sacrificium & oblationem noluiſti.] *Videtur ſic continuanda ſuperioribus ſententia. Cum cogito, quòd tibi reddam pro hac liberatione, inueniо te ſacrificia hæc animantium ratione carentium non deſyderare, ſed velle, vt acquieſcam & auſcultem præceptis tuis, iccirco aures purgatas dediſti mihi, & eas mihi aperuiſti. Nam in Heb. eſt, aures autem perfodiſti mihi, & videtur alludere ad illud, quod legimus, præceptum de ſeruo Hebræo, qui in anno remiſſionis ſeruitutem libertati prætuliſſet: eius enim aurem iuſſit Dominus per herum ſtio vel poſti affigi, in ſignum ſeruitutis ſempiternæ. Exo. 21. porrò in his Dauid ſimul Chriſti typum in ſe exhibuit, vnde epiſtola ad Hebræos de Chriſto hæc interpretatur, atque ex eo ceremoniarum abolitionem rectè probat. Vnde enim auſus fuiſſet propheta hic canere, Deum nihil aſſici reliquis ſacrificiorum, à ſe præceptæ, niſi nouiſſet, illa eſſe abroganda, cum ſcilicet ſyncerior Dei cultus mundo per Chriſtum traderetur? Græca editio legit, corpus autem perfeciſti mihi, ſed videtur idem ſenſus, cum enim ad auſcultandum, auris aptatur, etiam omne corpus, alioqui voluntati Dei rebelle, ad obſequium Dei formatur. Quod ait. Et pro peccato, ſubintellige, hoſtiam. Quæ erat alia ab holocauſto.* [e] In volumine libri.] *Hoc eſt in lege Moſis ſcriptum eſt de me, & de quocunque alio homine, vt faciamus voluntatem tuam Domine: At hæc verba potiſſimum competunt Chriſto, cuius typum geſſit Dauid, ideo aptiſſimè priuatim dixit, de me. Chriſtus enim ſolus omnem impleuit iuſtitiam. Vulgata apud nos verſio habet, in capite libri, ſed Græca dictio & multò magis Hebræa proprie ſignificat in volumine libri, vt conſcriptionem librum appellet, & inuolutas chartas, volumina. Adhuc enim gens iſta in oblongis membranis, quæ conuoluuntur, legem ſcriptam habet, Ethnicis quoque hic vſus voluminum multus fuit, quòd prouerbium illud indicat, ad vmbilicum perducere. Erat enim vmbilicus lignum, circa quòd rotabatur membrana, & volumen illud.* [f] Et non potui videre.] *Tot (inquit) ſunt, vt earum numerus oculos fallat.* [g] Ferant confeſtim.] *In Heb. eſt. Deſolentur pro mercede confuſionis ſuæ.*

† Vincenti Pſalmus Dauid XL.

BEatus vir qui intelligit ſuper † afflictũ: [a] in die mala † liberet eũ Dñs. Dominus cõſeruet eũ, & viuificet eũ, & beatum faciat eũ in terra: & nõ tradat eũ in animã inimicorũ eius. Dñs opẽ ferat illi ſuper lectũ doloris eius: [b] vniuerſum ſtratũ eius † verſes in infirmitate eius. Ego dixi, Dñe miſerere mei, ſana animã meã, quia peccaui tibi. Inimici mei [c] dixerũt mala mihi, Quando morietur & peribit nomen eius? [d] Et ſi ingrediebatur, vt videret, vana loquebatur cor eius: congregauit iniquitatem ſibi. Egrediebatur foras: & loquebatur idipſum. Aduerſum me ſuſurrabant omnes inimici mei: aduerſum me cogitabant mala mihi. [e] Verbũ iniquum † adhæſit ei, qui iacet nõ adijciet, vt reſurgat. † Etiã [f] homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edẽbat panes meos: magnificauit ſuper me ſupplantationẽ. Tu autẽ Dñe miſerere mei, & reſuſcita me, [g] & retribuã eis. In hoc cognoui q̃ voluiſti me: quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me. Me autem propter innocentiam ſuſcepiſti: & confirmaſti me in conſpectu tuo in ætternum. [h] Benedictus Dominus Deus Iſrael à ſæculo & vſq; in ſæculum: fiat fiat.

Matt. 26. b
Mar. 14. b
Luc. 22. b
Ioan. 13. b
Act. 1. c

SCHOLIA.

Veriſimile eſt, Dauid cum iam regno potiretur, eo morbo laboraſſe, de quo hic cecinit. Quidam ergo nõ tam ipſi, quam pietati inimici, dum laboraret periculoſius, mirè gaudebant, iamq; libidini, ac violentiæ ſuæ viam muniebant, qua defuncto rege, in optimum quenq;, & regi amicum graſſarentur. Plerique ex amicis quoq;, & ijs coniunctioribus, deſperatis ſuis commodis, cum inimicis facere, & regno fortaſſe, vxoribus, liberis, & ſanctis inſtitutis eius, vna inſidiari cœperant, quibus reſtituta ſibi valetudine, vt regem decebat, dignam perfidiæ huius & impietatis mercedem repẽdit. [a] In die mala.] *Beatus qui non aſpernatur afflictum, ſed cogitans apud ſe ita dicit, in die quo malũ ei ingruerit, liberet eũ Dominus. Alius ſic exponit, vt ſit oratio cuiuslibet illorum, qui veniebant, vt inuiſerent prophetam, graui laborantem morbo, & ſummis affectibus expectabant valetudinem eius, dicentes: In die mali liberet eum Dominus.* [b] Vniuerſum ſtratum eius verſes.] *Hoc eſt, ſummam reddes ac ita afficies, vt lectum, in quo ægrotus modo detinetur, penitus relinquat, alioq;, vt fieri ſolet, commutet. Alius ſic, lectum illius totum, angulis vndiq; ventilatis, in ipſo morbo verſabis Domine, vt mollius cubet. Vel ſimpliciter ſit ſenſus. Tu commutare digneris morbũ eius in ſanitatem.* [c] Dixerunt mala mihi.] *Dixerũt mala de me, vel malè precabatur mihi, dicentes, quando morietur.* [d] Et ſi ingrediebatur.] *Subaudi, aliquis eorũ, is loquebatur fucatè. Loquitur de ijs, qui fucata amicitia veniebant ad Dauid languentem, ſimulantes & mentientes ſe dolere ob eius infirmam valetudinem, cum tamen illius mortem, atq; nominis eius extinctionem, intimis optarent præcordijs, & egreſſi foras, quæcunq; explorauerant, in alios ſpargebant, qui regi malè cupiebant.* [e] Verbum iniquum.] *Vel res iniqua, ſiue noxia. Morbus (inquiunt) grauiſſimus corripuit illum, & decumbere tam grauiter cæpit, vt nunquam valetudinem priſtinam recepturus ſit. Illud tamen, Verbi iniquum, quod Hebraiſmus habet, verbum Belial, quidam accipiunt pro inſigni quodam ſcelere, cui æmuli Dauid illum dixerunt obnoxium, propter quod daret pœnas tam graui morbo.* [f] Homo pacis meæ.] *Hic Iudæ ſcharyotis vmbra præceſſit, proinde rectè Dominus dicebat Ioannis 13. proditione Iudæ in ſe hunc verſiculum completum. Etenim ſancti cum patiuntur, Dominus ipſe in eis perfert: inde Paulus aiebat, ſe implere adhuc in ſua carne, quæ afflictionibus Chriſti deerant. Homo ergo (inquit) cum quo mihi arctiſſima fuit familiaritas, cui fidebam, qui & meo victitabat cibo, ſublato pede velut calce petebat me, & magnas mihi ſtruxit inſidias.* [g] Et retribuam eis.] *Non vlciſcendi gratia, ſed quia ad eum, tanquam regem pertinebat, vlciſci ſceleratos, ſic & Chriſtus vlciſcitur impios.* [h] Benedictus Deus.] *Epiphonema eſt, quo ſæpe in fine pſalmorum, gratulabundus, & gratias Deo agens vti conſueuit.*

† Vincenti intellectus filijs Core Pſalmus XLI.

[a] VEmadmodum deſyderat ceruus ad fontes aquarum: ita deſyderat anima mea ad te Deus. [b] Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum: quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerũt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte: dum dicitur mihi quotidie, [c] Vbi eſt Deus tuus? [d] Hæc recordatus ſum, & effudi in me animam meam: quoniam tranſibo in numero, deducẽs eos vſq; ad domum Dei. In voce exultationis & confeſsionis, ſonus epulantis. Quare triſtis es anima mea? & quare conturbas

conturbas me? Spera in Deo, quoniam [e] adhuc cõfitebor illi † ſalutem vultus † eius. Deus meus ad meipſum anima mea conturbata eſt: propterea memor ero tui [f] de terra Iordanis, & Hermonijm à monte modico. [g] Abyſſus abyſſum inuocat in voce cataractarum tuarum. Omnes illiſiones tuę & fluctus tui ſuper me tranſierunt. [h] In die mandauit Dominus miſericordiam ſuã, & nocte canticum eius. Apud me oratio Deo vitæ meæ: dicam Deo, ſuſceptor meus es, Quare oblitus es mei? & quare contriſtatus incedo, dũ affligit me inimicus? Dum confringuntur oſſa mea: exprobrauerunt † mihi inimici mei, Dum dicunt mihi per ſingulos dies, Vbi eſt Deus tuus? quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi † qui eſt ſalutare vultus mei, & Deus meus.

SCHOLIA.

Quod in titulo poſitum eſt filij Core incertum eſt Hebræis, cum aliquot pſalmi ijs inſcripti legantur, an ipſi eorum pſalmorum authores ſint, an à Dauid æditos acceperint decantandos. Core pronepos Leui, princeps coniurationis contra Moſen & Aaron à terra abſorptus fuit. Nume. 10. ſeruati fuerunt filij eius tres: horum fuerunt aliquot cum alijs Leuitis à Dauid ad decantandum ſacros hymnos conſtituti, & inter eos Heman præcipuus cantorum princeps. 1. Paralipo. 6. Quatuor nanque millia cantorum, qui certos habebant ordines, certasq; vices Dauid ſelegerat. 1. Paralipo. 23. Veriſimile quibuſdam videtur, pſalmos, qui nomen filiorum Core præ ſe tulerunt habent, à primoribus ex eodem ordine fuiſſe dictatos, nam ſi ab alijs dictati eſſent, vel alicubi authorum nomina legerentur adſcripta, ſicut pſalmus 38. ſupra titulum habet pro Idithum canticum Dauid, vt per ordinem Idithum decantatum, & per Dauid agnoſcas æditum: præterea ſacra hiſtoria 3. Reg. 4. volens prædicare ſapientiam regis Salomonis, qua cunctos mortales præceſſit, confert eum nominatim Aethan Ezrachitæ, Heman, Calcol, & Darda: fuerunt igitur hi ſapientiæ quàm rariſſimæ, vt quibus ex omni hominum genere ſelectis. Salomon ſapientia maior fuiſſe dicatur. Cumque Salomon prædictus fuerit ſpiritu componendi ſacras odas, nam ibidem mille & quinque compoſuiſſe legitur. Non eſt dubitandum, & Heman, alioſq; aliquot ex poſteris Core idem potuiſſe, eos nimirum, quos Dauid polentes ſpiritu dictandi ſacras odas ſacris præfecerat cancionibus. [a] Quemadmodum deſyderat ceruus.] *Cum nemo magis quàm Dauid arderet ſtudio feſta Deo celebrandi, non potuit ei non moleſtiſſimum eſſe, id ſibi per improbos minimè licere. An autem hoc fuerit, cum Saul ipſum in exilium egiſſet, vel cum fugiſſet à filio Abſalon, incertum eſt. In regione trans Iordanem detentum ſe fuiſſe queritur verſu ſeptimo, & in hanc conceſſerat, cum ei exercitus Abſalon immineret 2. Reg. 17. quanquam in eadem eum fuiſſe, etiam cum illum Saul perſequeretur, legimus. 1. Reg. 22. Quod ad ſimilitudinem à ceruis accepta pertinet, ſcribit Ariſtoteles ceruos à canibus infeſtatos, cupidiſſimè ad aquas fugere, propter eſtum, atque anhelitum. Idem facere dicuntur & cum vorauerunt ſerpentes, quod identidem ſolent.* [b] Sitiuit anima mea.] *Ex verbis huius loci videlicet, Deum, fortem, viuentem, exiſtimant quidam ſumptum illum hymnum quem Græci triſagion vocant, Videlicet ſanctus Deus, ſanctus fortis, ſanctus immortalis. Nam & Græca habent, fortem,* ἰσχυρὸν. *Pro quo noſtri deprauate legebant, fontem.* [c] Vbi eſt Deus tuus.] *Dum dicunt mihi hoſtes mei, Vbi eſt nunc Deus ille tuus, cuius auxilium tam confidenter iactabas, in cuius ceremonijs tam multus eras.* [d] Hæc recordatus ſum.] *In memoriam renocabam, quæ olim patribus præſtitiſti, & effundebam intra me animam meam, memetipſum conſolans, & futurũ ſperans, vt liberer aliquando à malis præſentibus, & hinc tranſeam cum multis, & proficiſcar cum illis vſque in domum Dei, tali cum gaudio, quali feſtus dies celebrari ſolet. Alij de præterito intelligunt, ſic. Hoc potiſſimum vrebat animum, quòd memineram illius temporis, quo aſcendere cum reliqua multitudine ſolitus eram in domum Domini, &c. Quod ait. Sonus epulantis. In Heb. eſt. Turba feſtiuans, vel tripudians.* [e] Adhuc confitebor illi.] *Quorſum (inquit) affligeris anima mea? bene ſpera de Deo, veniet enim tempus, vt ipſe pro ſua benignitate eripiat me ex his malis, & ego occaſionem habeam laudandi, & pro acceptis ab eo beneficijs, gratias agendi.* [f] De terra Iordanis.] *Nunc ſemotus à templo & populo feſtos agente dies, ago circa Iordanem, & circa montes Hermon & ciuca hunc montem exiguum, in quo detineor ob rabiem hoſtium meorum. Cum populus Domini verſetur in monte illo glorioſo Moria, & hilaris ſit in Domino. Alius ſic vertit, ô Deus anima mea ſuper me deiecta eſt, propterea, quòd memor tui eram à terra Iordanis, & Chermonim à monte Miſſaar. Alij intelligunt, prophetam recordatum beneficia patribus exhibita iuxta Iordanem, &c.* [g] Abyſſus abyſſum inuocat.] *Calamitas calamitatem inuitat. Significatur hoc verſiculo maxima calamitas, quæ Dauidi accidit in ſua fuga. Nam inducitur Deus, quaſi maximã viã aquarum demiſerit è cœlo, veluti per canales, ſuper Dauid, vnde inundarint abyſſi, commoti ſint fluctus, & natæ procellæ.* [h] In die mandauit Dominus.] *Vel commemorat felicitatem priſtinam, cum vna cum populo dies ſolennes ageret, & Dominus per diem adeo affatim oſtenderet beneficentiam ſuam, vt & ipſe nocte canticis eius addictus illum laudaret, vel ſperat pulſis moleſtijs etiam tota nocte ſe operam daturum laudibus Dei.*

† XLII.

[a] IVdica me Deus, & diſcerne cauſam meã de gente non ſancta: ab homine iniquo & doloſo eripe me. Quia tu es Deus fortitudo mea: [b] quare me repulisti? & quare triſtis incedo dum affligit me inimicus? Emitte lucem tuam, & veritatem tuam: [c] ipſa me deduxerunt & adduxerunt in montem ſanctum tuũ, & in tabernacula tua. Et introibo ad altare Dei: ad Deum † gaudij & exultationis meæ. Cõfitebor tibi in cithara Deus Deus meus: quare triſtis es anima mea? & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: † qui eſt ſalutare vultus mei, & Deus meus.

SCHOLIA.

Hunc pſalmum eiuſdem eſſe argumenti cum ſuperiore etiam Hebræi agnoſcunt, ſed ad ſuum, in quo nunc ſunt, exilium torquent vtrunque. [a] Iudica me Deus.] *Litiga pro me, & age cauſam meam, aduerſus gentem, quæ nihil minus eſt, quam ſancta.* [b] Quare me repulisti.] *Cum tu author ſis omnimodæ fortitudinis meæ, quare nunc me deſeruiſti?* [c] Ipſa me deduxerunt.] *Ipſa me deducant, & peruenire faciant vſque ad montem, quem tua ſanctitas inhabitat, imo in ipſa penetralia cubiculi tui, vt perueniam vſque ad altare tuum, & ad ſanctam celebritatem in monte Sion, vbi tabernaculum tuum eſt.*

† Vincenti filijs Core ad intellectum XLIII.

DEus auribus nostris audiuimus: patres nostri annuntiauerunt nobis. Opus quod operatus es in diebus eorum, in diebus antiquis. Manus tua gentes disperdidit, [a] & plantasti eos: afflixisti populos, [b] & expulisti eos. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, Sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui: quoniam complacuisti in eis. Tu es ipse rex meus & Deus meus: qui mandas salutes Iacob. In te inimicos nostros [c] ventilabimus cornu: & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Non enim in arcu meo sperabo: & gladius meus non saluabit me. Saluasti enim nos de affligentibus nos: & odientes nos, cõfudisti. In Deo laudabimur tota die, & in nomine tuo confitebimur in sæcula. Nunc autẽ repulisti & cõfudisti nos: & [d] nõ egrederis Deus in virtutibus nostris: Auertisti nos retrorsum post inimicos nostros: & qui oderunt nos diripiebant sibi. Dedisti nos tanquã oues escarum: & in gentibus dispersisti nos. Vendidisti populum tuum sine pretio: & [e] non fuit † augmentum in cõmutationibus eorum. Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his qui sunt in circuitu nostro. Posuisti nos in similitudinem gentibus: commotionem capitis in populis. Tota die verecundia mea contra me est, & confusio faciei meæ cooperuit me. A voce exprobrantis & obloquentis, à facie inimici & persequentis. Hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te: & iniquè nõ egimus in testamento tuo, Et non recessit retrò cor nostrũ: [f] & declinasti semitas nostras à via tua. Quoniã humiliasti nos in loco afflictionis: & cooperuit nos vmbra mortis. Si obliti sumus nomẽ Dei nostri: & si expandimus manus nostras ad Deum alienum, Nonne Deus requiret ista? ipse enim nouit abscõdita cordis. [g] Quoniã propter te mortificamur tota die: estimati sumus sicut oues occisionis. Exurge, quare obdormis Domine? exurge: & ne repellas in finem. Quare faciem tuam auertis? obliuisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? Quoniã humiliata est in puluere anima nostra: conglutinatus est in terra venter noster. Exurge Domine adiuua nos: & redime nos propter misericordiam tuam.

Rom. 8. g

SCHOLIA.

Memoratur hoc psalmo, quibus cogitationibus veri Israelitæ (nam de ijs intelligendum esse docet Paulus ad Romanos octauo) moueri nonnunquam soleant, libidini impiorum expositi, et modis omnibus diuexati, reputates secum, Vt magnifice Deus suos olim vindicarit. Dum enim procul abesse opem Domini sentiunt, in mentem eis venit, quam præclarè ille assueuerit verbis. Mentiuntur ergo Iudæi, qui hunc psalmum de ista nunc captiuitate sua exponendum contendunt, quandoquidem versus ille, hæc omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, &c. nequaquam quadret in eos, sicut nec reliqui versiculi sequentes. [a] Et plantasti eos.] *Nempe patres: verba sunt martyrum Christi, & aliorum fidelium, qui persecutionem patiebantur à gentibus. Vbi (inquiunt) Domine sunt miracula tua, quæ olim ostendisti patribus nostris, quando expulsis Chananæo populum tuum in eorum terris collocasti? Nos autem à te deserimur, & permittis gentes pro voto suo grassari contra nos, blasphemamur enim ab eis, subsannamur, opprobrijs satiamur, vertimur in proverbium toti mundo, agimur in exilium, vt habitare cogamur cum draconibus in locis horrendis, quæ præ se ferunt vmbram mortis, interficimur et mactamur, quasi oues, sed in omnibus istis nõ obliuiscimur tui, neque ad hoc adigimur, quãtumlibet inimici nostri hoc vnum à nobis exigant, vt manus nostras extendamus ad Deos alienos, scientes, quòd cum tibi placuerit, fortiores futuri simus hostibus nostris, conculcantes etiam eos sub pedibus nostris.* [b] Et expulisti eos.] *Alius vertit. Et fecisti illos mittere radicẽ, vt sit sensus, affixisti quidem illos, & patres nostros fecisti germinare, siue mittere radices.* [c] Ventilabimus.] *Et aly quidem per futurum verterunt, sed aptius fortasse est, vt de præterito accipiamus, vt scilicet superiora facta commemoret, & quæ Deo fauente feliciter eius gesserant.* [d] Et non egrederis.] *Non egrederis nunc cum exercitibus nostris in prælium.* [e] Non fuit augmentum in commutationibus eorum.] *Hoc est non es factus ditior ex hac venditione.* [f] Et declinasti.] *Multi negationem præcedentem subintelligunt in sequenti, sic, non recessit retro cor nostrum, nec declinauit semita nostra à via tua. Et illud. Humiliasti nos. In Heb. est. Contriuisti, vel, detrusisti nos in locum draconum.* [g] Quoniam propter te.] *Continua sic, si obliti essemus nomen Dei nostri, merito ista nobis euenirent, nunc vero quamuis sciat Deus, nihil in nobis esse tale, tamen hæc patimur, propter te enim occidimur assiduè.*

† Vincenti in lilijs, filijs Core ad intellectum, canticum pro delicto. XLIIII.

E [a] Ructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. [b] Speciosus forma præ filijs hominum, diffusa est gratia in labijs tuis: propterea benedixit te Deus in æternum. [c] Accingere gladio tuo super fœmur tuũ, potentissimè. † Pro gloria tua, & magnificentia tua [d] & ob decorem tuum prosperè procede, & inequita. Propter veritatem & mansuetudinem & iustitiam, & deducet te mirabiliter dextera tua. [e] Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum regis. [f] Sedes tua Deus in sæculum sæculi: virga directionis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea [g] vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ, præ consortibus tuis. [h] Myrrha & gutta & casia à vestimentis tuis à domibus eburneis: ex quibus delectauerunt te, [i] Filiæ regum † inter honorabiles tuas: astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato. † Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam: & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui. Et concupiscet rex decorem tuum: quoniam ipse est Dominus † tuus, & adorabis eum. [k] Et filia Tyri, in muneribus vultum tuum deprecabuntur omnes diuites plebis. Omnis gloria † [l] filiæ regis ab intus, in fimbrijs aureis circumamicta varietatibus. Adducentur regi † [m] & virgines post eam: proximę eius afferentur tibi. Afferentur in lætitia & exultatione: adducentur in templum regis. [n] Pro patribus tuis nati sunt tibi filij: constitues eos principes super omnem terram. Memor ero nominis tui Domine in omni generatione & generationem. Propterea populi confitebũtur tibi in æternum, & in sęculum sęculi.

Heb. 1. c

SCHOLIA.

Tam secundum Hebræos, quàm Christianos, hic psalmus agit de Messia, etiam si quibusdam videatur exponendus, de Salomone,

Salomone, qui typus fuit Christi. Vnde titulus habet, canticum amorum, quia Dominus dilexit Salomonem, quem etiam Iedidiah hoc est dilectum Domini à propheta Nathan vocatum legimus 2. Reg. 12. Hanc verò dilectionem Dominus abundè declarauit, dum eum opibus & sapientia cunctis regibus terræ augustiorem fecit, in quibus omnibus præfiguratum est regnum Christi, vnicè Deo dilecti, per quem & nobis omnia obuenerunt bona. [a] Eructauit.] *Primi duo versus proœmij loco sunt, ad ea quæ aggreditur narrationem. Ait ergo, erumpit ex corde meo sermo optimus, quem vnà cum reliquis operibus meis dedicaui regi.* [b] Speciosus forma.] *Iam laudare incipit regem, & primum à dignitate formæ, Vt & scriptura Ioseph, & Homerus Hectorem & Achillem, & Virgilius Aeneam, deinde à gratia eloquentiæ. Chaldæus interpres hunc locum sic vertit, Pulchritudo tua rex Messia excedit filios hominum, & datus est spiritus prophetiæ in labijs tuis. Porrò illud propterea aliqui volunt positum pro, propterea quòd, sic enim dictionem Hebræam & hic, & alys multis scripturæ locis solere accipi.* [c] Accingere gladio tuo.] *Persequitur reliquas virtutes & successum ac splendorem regni.* [d] Et ob decorem tuum.] *Honorem virtutibus tuis debitum assecutus, tenta quicquid volueris, prosperrimè enim cedet tibi, veheris prædicatione fidei, & mansuetæ iustitiæ, designabit stupenda dextera diuinitatis tuæ, quæ summo tibi erunt honori. Describitur ergo hic in Salomone regnum Christi, feliciter successurum, quippe quòd ad finem orbis dilatatum est. Insedit enim apostolis veluti equo, & expugnauit orbem verbo veritatis, mansuetudinis, & iustitiæ, tanquam quadrigæ cuidam insidens, sicut Zacharias sexto clarius habet.* [e] Sagittæ tuæ acutæ.] *Commendatur cum personæ mutatione ab efficacia verbi, penetrabilia enim sunt verba Dei omni gladio anciptiti. Sit autem is ordo, Sagittæ tuæ acutæ cadent in corda inimicorum regis, populi sub te erunt, vel supplices tibi fient, Vt illud, cadent, referatur & ad sagittas casuras in corda inimicorum, & ad populos subiciendos. Quòd verò ait, inimicorum regis, subita est personæ mutatio, familiaris prophetæ.* [f] Sedes tua Deus.] *Regem appellatione Dei ornauit, ex quo animos in ipsum seruatorem subducere voluit. Sed Iudæi (vt solent) verentes, ne dicamus hic Christum nostrum Deum vocatum, Vt suum tueantur errorem, peruerterunt hunc locum, sic, solium tuum præparauit Deus, vel, solium tuum solium Dei.* [g] Vnxit te Deus.] *Ait Christum vnctum fuisse oleo fragrantiore, quàm omnes participes siue socij eius, hi fuerant reges, prophetæ, & sacerdotes, quorum omnium officia in vno Christo conuenerunt, sed nullus fuit illis similis, quippe qui etiam potestatem habuit in terris dimittendi peccata, & cuius regnum est æternum, & qui vnico sacrificio totius mundi expiauit peccata. Hic igitur vnctus à Deo patre, non, Vt aly reges ab hominibus lætificauit omnes iustos. Vidit Abraham illum in spiritu, & gauisus est.* [h] Mirrha & gutta.] *Gutta, pro qua aly verterunt aloen, Græcis stacte dicitur, humor est quidam, qui à Myrrha stillat, vnde guttæ nomen accepit: omnis autem stilla, seu gutta, (ait magnus Basilius) deorsum fertur, & ad inferiora delabitur. Dum igitur Myrrham & stacten, prouenturas dixit à vestimentis diuinitatis Christi, id est, à corpore & ab anima eius, quid aliud, quàm corporis mortem absque corruptione, & animæ ad inferos descensum significat? Casia etiam cortex quidam est odoratissimus: per casiam igitur suauissimum Dominici corporis odorem significat, quod natura ipsi optimi erat odoris, eò quòd sine peccato semper fuerit. Commendatur ergo hic à suauè olentibus vestimentis, ex quorum fimbrijs tanta processit efficacia, vt morbi eorum attactu curarẽtur. Quod ait, à domibus eburneis, videtur intelligendum, de repositorijs vestium eburneis.* [i] Filiæ regum inter honorabiles tuas.] *Habent hic Hebræi crassissimum intellectum, qui hæc verba ad literam intelligunt de filiabus regum, quas reges gentium certatim mittent ad Messiam, sed ille vnam, nempe quam eliget ex populo Israelitico, præ omnibus puellis diliget. Nos hæc in spiritu dicta accipimus de ecclesia, vnica & prædilecta, sponsa Christi, quæ omnibus modis Christi contendit sequi vestigia. Vna ergo est, tametsi ex omnibus gentibus congregetur. Quòd verò ad literam pertinet, ex vxoribus Salomonis præcipua fuit filia Pharaonis, quam vocant Contoralem, Vt quæ præcipuum dormiendi cum rege ius habuerit. Hanc ornamentis aureis, reliquas precioso mundo rege digno, & à rege subministrato decoratas canit. Quia autem hæc Contoralis erat alienigena, hortatur eam sequenti versu, Audi filia, &c. Vt scilicet probè intelligat, quæ ille de vera Dei bonitate, cultuq; tradebat.* [k] Et filia Tyri.] *Græcus etiam sic habet* καὶ θυγάθηρ *filiam Tyri pro Tyro ponunt, sicut filiam Sion pro Sion. Hiram autem rex Tyri peculiari amicitia iunctus fuit Salomoni. Tyrus ergo & opulentissimi quiq; populi, quales Aegyptij, Syri, & Sabæi erant, muneribus te certatim honorabunt.* [l] Omnis gloria filiæ regis.] *Varius erit ornatus reginæ regis illius, sed non omnium oculis expositus, animi enim magis erit, quàm corporis, vestis illius auro intexta erit artificiosissimè. Quod ad filiam Pharaonis pertinet, promittitur ei fore, Vt in interiore regia semper assideat regi proxima, aureis vestibus ornata, & intus in eius cubiculo, quod alys non licebat, nisi certis temporibus, adire, perpetuò versetur.* [m] Et virgines post eam.] *Virgines proximæ ac sodales eius comitabuntur eam, & adducentur ad te ô rex.* [n] Pro patribus tuis.] *Christi filij sunt apostoli, ad quos dixit, filioli mei, adhuc modicum tempus vobiscum sum, & hi loco patrum, regum, & prophetarum constituti sunt, & verè principes terræ positi. Hæc enim, quæ in Salomone adumbrata sunt, præcipuè in seruatore Christo impleta fuerunt, imò quædam non, nisi in Christum quadrant, Vt, quæ de sempiterno regni successu sunt, & ea, quæ habet versus vltimus. Memor ero nominis tui in omni generatione & generatione, hoc est, per sæcula omnia, & quod sequitur, propterea populi confitebuntur tibi in sæculum & in sæculum sæculi, quis sanæ mentis tribuat Salomoni? Successor eius filius meliorem regni partem amisit, & demum omni dignitate genus illud spoliatum est. Huius psalmi, Vt qui ad Christum referatur, meminit epistola ad Hebræos cap. primo.*

† Vincenti filijs Core super Alamoth. Psalmus XLV.

DEus noster refugium & virtus: adiutor in tribulationibus † inuentus est valde. Propterea non timebimus dum turbabitur terra, & [a] transferentur montes in cor maris. [b] Sonuerunt & turbatæ sunt aquę † eius: conturbati sunt montes in fortitudine eius. [c] Fluminis † riuuli lętificant ciuitatem Dei: [d] † sanctum tabernaculum † altissimi. Deus in medio eius est: non cõmouebitur: adiuuabit eã Deus manè diluculo. Cõturbatæ sunt gentes, & inclinata sunt regna: [e] dedit vocem suã, mota est terra. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob. Venite, & videte opera Domini, quę posuit prodigia super terram: auferens bella vsq; ad finem terrę. Arcum conteret, & confringet arma: & † currus comburet igni. [f] Vacate, & videte quoniam ego sum Deus: exaltabor in gentibus, & exaltabor in terra. Dominus virtutum nobiscum: susceptor noster Deus Iacob.

SCHOLIA.

Satis ex ipsius psalmi verbis apparet, esse gratulationem pro insigni aliquo auxilio, vrbi sanctæ Ierusalem collato, quæ res fiduciam affert sanctis de præsidio Dei quibusuis in periculis. Alamoth pleriq; asserunt esse instrumentum musicum. Alij aliud sentiunt. [a] Transferentur montes in cor maris.] *Cor maris pro medio dixit. Non timebimus (inquit) etiam si tota terra subuertatur, aut montes ipsi in medium mare præcipitentur, alij intelligunt, si montes, qui sunt in medio mari, loco cedant, vt montes dicantur siti in medio maris eò, quòd terra mari ambitur.* [b] Sonuerunt.] *Vim hostium tempestuoso mari comparat. Quamuis (inquit) vsque adeo hoc mare sæuiat, per tumorem suum & agitationem procellarum, vt etiam montes ipsi contremiscant, adhuc non timebimus.* [c] Fluminis riuuli.] *Riuulos prætenuis fluminis, nempè Gihon, quod Ierusalem interfluit, opposuit frementibus vndis maris, hoc est, consolationem Dei in exiguo populo Ierusalem, ingenti & terrificæ vi hostium. Eadem allegoria vsus est Esa. cap. octauo. Propterea quòd populo isti aquæ Siloe fluentes leniter, despectæ sunt, &c. Riuuli itaque fluminis sunt vel variæ diuini auxilij rationes, vel sancti homines spiritu Dei præditi.* [d] Sanctũ tabernaculum altissimi.] *Ex omnibus locis Israel, quæ omnia Dei habitacula erant selecta fuit Ierusalem, iuxta illud, Diligit Dominus portas Sion, super omnia tabernacula Iacob.* [e] Dedit vocem suam.] *Subaudi Deus, sensus ergo est, dum aliæ gentes terrentur, Dominus virtutum, id est, in cuius potestate sunt omnes exercitus, adest nobis.* [f] Vacate.] *Diligenter hæc perpendite. Vel, dimittite conatum vestrum.*

† Vincenti filijs Core, Psalmus. XLVI.

OMnes gentes plaudite manibus: iubilate Deo in voce exultationis. Quoniam Dominus excelsus, terribilis, rex magnus super omnem terram. [a] Subiecit populos nobis: & gentes sub pedibus nostris. Elegit † nobis hæreditatem † nostram: speciem Iacob quem dilexit. [b] Ascendit Deus in iubilo: Dominus in voce tubæ. [c] Psallite Deo, psallite: psallite regi nostro, psallite. Quoniam rex omnis terrę Deus: psallite sapienter. Regnauit Deus super gentes: Deus sedet super sedem sanctam suam. Principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham: quoniam [d] † Dei sunt fortes terrę, vehementer † eleuatus est.

SCHOLIA.

Incredibili pompa & magnificentia Salomonem templum à se extructum dedicasse, arcamq; fœderis illuc intulisse, legitur. 3. Reg. 8. & 2. Paralipo. 5. Hic ergo volunt, populos inuitari ad laudes Dei, sacramq; lætitiam. In his omnibus typus & figura quædam exhibita est eorum, quæ per Christum postea perfecta sunt, & quotidie perficiuntur. Quare de Christi regno hæc sunt præcipuè intelligenda, id quod & Iudæi agnoscunt, hinc sacri cantores omnes populos inuitant, vt plaudant. [a] Subiecit populos nobis.] *Subiectæ enim sunt Christo omnes nationes de quibus infra dicit, principes populorum congregati sunt cum Deo Abraham, vel cum populo Dei Abraham, vt fieret vna ex Iudæis & gentibus ecclesia.* [b] Ascendit Deus in iubilo.] *Pompam canit, qua illata templo arca fuit, quam nomine Dei vocat, vt etiam illud, introibit rex gloriæ, id est, arca.* [c] Psallite Deo.] *Sunt qui pie obseruauerint, quod profectò admittendum est Christianis, vbi tersit Dei mentio, secundo loco additum, noster significare filium, qui naturam nostram suscepit. Vt illud. Benedicat nos Deus Deus noster, benedicat nos Deus, & hic. Psallite Deo, psallite regi nostro, quoniam rex omnis terræ Deus. Nam hoc loco rex idem valet, quod Deus. Et Deut. 6. Dominus, Deus noster, Dominus vnus est, &c.* [d] Dei sunt fortes terræ.] *Hoc est. Deus habet potestatem in fortissimos quosque totius terræ, & infinitis modis factus est superior omnibus illis.*

Canticum Psalmi filijs Core † XLVII.

MAgnus Dominus & laudabilis nimis in ciuitate Dei nostri, in mõte sancto eius. [a] † Pulcher locus & gaudiũ vniuersæ terræ: mons Sion, latera aquilonis, ciuitas regis magni. Deus in domibus eius cognoscetur: † qꝛ suscepit eam. [b] Quoniam ecce reges terrę congregati sunt: cõuenerũt in vnum. Ipsi videntes, sic admirati sunt: cõturbati sunt: cõmoti sunt: tremor apprehendit eos. Ibi dolores, vt parturientis: in spiritu vehementi cõteres naues Tharsis. [c] Sicut audiuimus sic vidimus in ciuitate Dñi virtutum, in ciuitate Dei nostri: Deus fundauit eã in ęternũ. [d] Suscepimus Deus misericordiã tuã in medio templi tui. [e] Secundũ nomen tuũ Deus, sic & laus tua in fines terræ: iustitia plena est dextera tua. Lętetur mons Sion, & exultent filię Iudę: propter iudicia tua Dñe. [f] Circundate Sion, & cõplectimini eam: † numerate turres eius. Ponite corda vestra † ad muros eius, & consyderate domos eius, vt enarretis in progenie altera. Quòd hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula.

SCHOLIA.

Canit eximiam ecclesiæ felicitatem, ob præsentiam & tutelam Dei, idq; sub typo Ierusalem: occasio autem fuisse apparet, insignis aliqua vrbis Ierusalem contra hostes victoria, siue ea fuerit nobilis illa contra Ammonitas, Syros, & Aedomitas, de qua in Psalm. 19. siue qua donatus fuit rex Iosaphat, de qua paulò post, siue alia quæpiam. [a] Pulcher locus.] *Vel pulchrum clima. Meritò diuersis appellationibus celebratur Ierusalem, è qua in omnem terram salutaris Dei doctrina sparsa est. Vocat autem eandem, montem Sion, & latus aquilonis, à parte scilicet eius, in aquilonari enim vrbis parte Sion erat, sicut & Esaiæ 14. notatur, vbi rex Babylonis inducitur dicere, sedebo in monte testamenti, in lateribus aquilonis.* [b] Quoniam ecce reges terræ.] *Contra huius regionis metropolim, nempè contra Ierusalem, conuenerunt reges, vt illam expugnarent, sed viderunt, & experti sunt cum suo damno virtutem inhabitantis Dei, contritique sunt, veluti naues maris quas corripit vehemens ventus. Et putant appellatas naues Tharsis, hoc est, maximas, à Tharsis, quam volunt esse Ciliciam, à Tharsith nepote Iaphet: vnde, & metropolis eius, quæ insignem portum habuit, & mercatum maximum, Tharsus nomen habuerit, quæ Paulo patria fuit. Hinc et mare Ciliciæ Tharsis, et naues, quibus in mediterraneo mari nauigabatur, maximæ, quas quidem norãt Israelitæ, naues Tharsis dictæ sint, Solinus scribit, Tharsum olim matrem vrbiũ dicta, & Ciliciã vsque ad Pelusium Aegypti pertinuisse, Habuisseq; sub imperio Lydos, Medos, Armenios, Pamphiliam, & Cappadociam. Memorantur quoq; Cilices Xersi contra Græcos centum naues suppeditasse.* [c] Sicut audiuimus.] *Hoc dicebant, vel ipsi*

hostes,

hostes, vel populus Dei, qui vidit quòd audierat, Deum scilicet promisisse se affuturum populo. [d] Suscepimus.] *Vel expectauimus. Cum fiducia (inquit) expectauimus Deus benignitatem tuam, qui versamur in medio domus regiæ tuæ.* [e] Secundum nomen tuum.] *Sicut nomen tuum euulgatum est, sic & laus expanditur tuæ maiestatis, Iustitia plena est dextera tua, quæcunq; enim facis, iustissimè facis.* [f] Circundate Sion.] *Contemplamini, inquit, mœnia vrbis, palatia, muros, et turres, atq; totam eius magnificẽtiam, vt memoriam eius transmittatis ad posteros. Ea enim omnia inuicta videntur esse, præsertim cum Dominus Deus noster sit protector eius. Hæc autem omnia non tam de Ierusalem terrena, quæ post aliquot annos solo fuit æquata, sunt accipienda, quàm de ecclesia Dei, cuius typum illa expreßit. Cum hinc Euangeliũ Christi dimanauerit vsq; ad fines terræ. Hæc vrbs Dei verè inuicta mansit, & manebit vsque ad finem mundi, vt etiam portæ inferi non præualere possint aduersus eam. Quod ait. Reget nos in sæcula, Hebraismus habet, Reget nos vsq; ad mortem.*

† Vincenti filijs Core Psalmus XLVIII.

AVdite hæc omnes gentes: auribus percipite omnes qui habitatis orbẽ, [a] Quiq; terrigenę & filij hominũ: simul in vnũ diues & pauper. Os meũ loquetur sapiẽtiam: & meditatio cordis mei prudentiam. [b] Inclinabo in parabolã aurem meã, aperiam in psalterio propositionẽ meã. [c] Cur timebo in die Psal. 77.
mala? iniquitas calcanei mei circundabit me. [d] Qui cõfidunt in virtute sua: & in multitudine diuitiarũ suarũ gloriãtur. Frater † redimẽdo nõ redimet hominẽ, nõ dabit Deo placationẽ suã. [e] Et preciũ redemptionis animę suæ: † vt vitet mortẽ in æternum, & viuat adhuc in finẽ, & nõ videat interitũ. [f] Cũ viderit sapientes moriẽtes: simul insipiẽs & stultus peribunt. Et relinquent alienis diuitias suas: & [g] sepulchra eorũ domus illorũ in ęternũ. Tabernacula eorũ in progenie & progenie, [h] vocauerũt nomina sua in terris suis. [i] Et homo in honore † nõ perdurabit: cõparatus est iumẽtis insipiẽtibus, & similis factus est illis. [k] Hæc via illorũ † stultitia eoꝝ est: & posteri in ore suo cõplacebũt. Sicut oues in inferno positi sunt [l] mors depascet eos. Et [m] dñabũtur eoꝝ iusti ĩ matutino: et † forma eoꝝ veterascet in inferno [n] à gloria eoꝝ. Verũtñ Deus redimet aĩam meã de manu inferi cũ accepit me. Ne timueris cũ diues factus fuerit hõ: & cũ multiplicata fuerit gloria domus eius. Qm̃ cũ interierit, nõ sumet oĩa: neq; descẽdet cũ eo gloria eius. [o] Quia anima eius ĩ vita ipsius benedicetur: cõfitebitur tibi cũ bñfeceris † tibi. [p] Introibit in ꝓgenies patrũ suoꝝ: & vsq; ĩ ęternũ nõ videbit lumẽ. [q] Hõ cũ in honore esset nõ intellexit: cõparatus est iumẽtis insipiẽtibus, & similis factus est illis.

SCHOLIA.

Irridet hic psalmus insaniam admirantium diuitias: docet paupertatem, aliaq; vitæ huius incommoda non esse timenda, opes, et copias nõ admirandas: Deum ijs, qui in gratiã ipsius omnia respuunt, dare beata & perpetua vitam, quæ cum obscura & perplexa sint ijs, qui per spiritũ Dei renati non fuerint, iure se in parabolis & ænigmatibus locuturum pollicetur. Parabolæ autem, enarrationes, verba sapientium, et ænigmata pro eodem accipiuntur, vt est, Prou. primo: ea scilicet, quæ grauioribus sententijs constant, & reconditi aliquid habent, atq; ideo explicationem apud imperitos requirunt. Esa. 14. Carmen de casu regis Babel, eò quòd audentiores translationes, & hyperbolas more poematum habet, Maschal, id est, parabola à propheta nuncupatum est. Infra psalm. 77. Cantaturus Asaph beneficia, & miracula, quæ Deus Israeli exhibuit: dixit se aperturum os suũ in parabolis, & elocuturũ ænigmata temporis prisci. [a] Quiq; terrigenæ.] *In Hebr. est. Etiam filij Adam etiam filij viri, vt filij viri intelligantur præstantiores. Sic ergo Hebraismus explicetur, et plebeij, et principes.* [b] Inclinabo.] *Adhibebo ad expendendam parabolam aurem meam.* [c] Cur timebo in die mala?] *Hic incipit ponere sapientiam, & prudentiam, de quibus præfatus est, idq; sub parabolis, id est, grauioribus sententijs, monetq; in primis, nequis multum sollicitus sit in hoc sæculo de rebus fluxis & caducis, vocans æuum huius mundi dies malos: iccircò alius vertit in diebus malitiæ, porrò per calcaneos, qui sunt vltima pars corporis humani, quidam docent intelligendum finem operum, vt sit sensus cur timeam huius vitæ incommoda, vel sollicitus ero de huius vitæ bonis, quandoquidem ij, qui se totos huius mundi negocijs implicant, nihil reportant in fine, nisi iniquitatem & conscientiam oneratam, vt scilicet finis operum nostrorum iniquitatis nos condemnet?* [d] Qui confidunt in veritate sua.] *Coniunge sic hunc versum sequenti. Quicunque confidunt in operibus suis, & in multitudine diuitiarum gloriantur, nemo horum fratrem suum redimere vlla ratione poterit, vel vitam cuiquam prorogare, nec offerre Deo quicquam, quod pro eius redemptione velit suscipere.* [e] Et pretium redemptionis animæ suæ.] *Alius vertit, Pretiosa est redemptio animæ eorum, vt sit sensus huius loci. Rarißimè seruantur qui diuitijs inhiant, & qui perit ex eis, peribit perpetuo. Viuet quidem in æternum, sed sic, vt ne optatus quidem interitus illi contingat, Vel. Preciosior est redemptio animæ, quàm vt poßit ijs rebus liberari, vt viuat in perpetuum, & non videat sepulchrum. Vt illud preciosum, significet charum ac maioris pretij quàm vt permutari poßit. Quare quidam Heb. sic interpretantur. Preciosa est redemptio animæ eorum, hoc est. Charior, quàm vt redimi poßit, & prohibita est in æternum, hoc est, homo non potest redimere vitam cuiusquam, vt euadat mortem, & non videat sepulchrum. Videt enim & sapientes & stultos mori.* [f] Cum viderit sapientes morientes.] *Quia videbunt quidam mori sapientes, nihil interesse putabunt inter mortem sapientum, & stultorũ. Cũ stulti & bruti homines, non moriantur solum sicut sapientes, sed post mortem perpetuò intereant, destituti omnibus illis, quæ hic magno studio & animæ detrimento congesserant, relinquere enim ea alijs coguntur.* [g] Sepulchra eorum.] *Sepulchra eorum erunt illis pro domibus, & tabernaculis perpetuis. Alius sic vertit. Et tamen cogitatio eorum est, quòd domus suæ maneant in æternum, & habitacula sua sint in generationem & generationem.* [h] Vocauerunt nomina sua.] *Cum viuerent, famæ magis, quæ ad posteros perueniret, studiosi, quàm salutis æternæ, nomina sua indiderunt terris.* [i] Et homo in honore non perdurabit.] *Fieri non potest, vt eiusmodi homo in precio diu sit, stoliditas enim illius deprehenditur, & non fiet pluris, quàm bestiæ, quibus se similem fecit.* [k] Hæc via illorum.] *Hic est successus, stultitia illorum dignus: sed & posteri illorum, quod ab illis didicerunt, sequentur. Quod alius vertit. Et posteri eorum approbant verbum eorum.* [l] Mors depascet eos.] *Pabulum erunt morti perpetuæ. Vel, mors pascet eos, hoc est, pastor eorum erit mors.* [m] Dominabunrur eorum iusti in matutino.] *Vel manè, per quod futura vita & resurrectio mortuorum intelligitur, quando sancti cum Christo iudices erunt impiorum, qui nunc opprimunt iustos de hac aurora nouæ vitæ locuturus psalmus, meritò præfatus est, se ænigma dicturũ, ænigma videlicet filijs huius sæculi.* [n] A gloria eorum.]

Hoc est, à magnificis ædibus: forma (inquit) & robur eorum peribit, vbi ad inferos à magnificis ædibus, quas hic extruxerant, transłati fuerint. ° Quia anima eius.] *Quia in hac vita beatus sibi vsus est, & alios ad idem vitæ genus hortatus est, vt videlicet genio indulgeas, & exemplo eius bene cures te. Alij tamen hunc sensum afferunt. Benedicere debuerat animæ suæ in vita sua, & magis curare salutem animæ suæ, quam delicias corporis. Et, si tu sic feceris, & benefeceris tibi, confitebuntur tibi, hoc est, laudabunt te.* P Introibit.] *Quia in hoc mundo duntaxat ijs studet, quæ blandiuntur corpori, putat, ob ea se felicem esse, rapietur subitò ad patres suos, quos in hoc malo imitatus est, & in æternum non videbit lumen.* q Homo cum in honore esset.] *Miserabilis homuncio, Cum in honore propter diuitias esset, nihil intellexit, sed pecudum vitam imitatus, sese similem fecit illis, &c.*

Psalmus Asaph XLIX.

DEus deorum Dominus locutus est: & vocauit terram. A solis ortu vsque ad occasum: [a] ex Sion species decoris eius. Deus manifestè veniet: Deus noster, & non silebit. [b] Ignis in conspectu eius exardescet: & in circuitu eius tempestas valida. [c] Aduocauit cœlum desursum: & terram discernere populum suum. [d] Congregate illi sanctos eius: qui ordinant testamentum eius super sacrificia. [e] Et annunciabunt cœli iustitiam eius: quoniam Deus iudex est. [f] Audi † populo meus, & loquar: Israel, & testificabor tibi. Deus Deus tuus ego sum. Non in sacrificijs tuis arguam te: holocausta autem tua, in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ sunt omnes ferę syluarum, iumenta in montibus † mille. Cognoui omnia volatilia † montium: & fera agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi: meus est enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum? aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis: & redde altissimo vota tua.

Et inuoca me in die tribulationis: eruam te, & honorificabis me. [g] Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Tu verò odisti disciplinam: & proiecisti sermones meos retrorsum. Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Os tuum abundauit malitia: & lingua tua concinnabat dolos. Sedens, aduersus fratrem tuum loquebaris, & aduersus filium matris tuæ ponebas scandalum: hæc fecisti, & tacui. Existimasti iniquè quòd ero tui similis: arguã te: [h] & statuã cõtra faciẽ tuã. Intelligite hęc qui obliuiscimini Deũ: nequando rapiat, & nõ sit qui eripiat. Sacrificium laudis honorificabit me: [i] & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.

SCHOLIA.

Canit de aduentu Christi, Euangelijq; exortu ac populi Dei selectione, quod requisiturus sit sacrificium, & quantopere eos execraturus, qui religionem eius iactant absque syncero pietatis studio. Rabini quoque intelligunt eum de iudicio, quod futurum asserunt tempore redemptoris, vnde principium huius psalmi sic exponunt. Iudex iudicium. Porrò Asaph, & ipsum principem fuisse cantorum, præter 15. & 16. primi Paralip. alia quoque loca testantur. [a] Ex Sion.] *Ex Sion, veluti quadam omnis elegantiæ summa, illustris apparuit. Illic enim lampas Euangely primum effulsit, inde in mundum totum peruenit.* [b] Ignis in conspectu eius exardescet.] *Quo significat virtutem omnia deuincentem.* [c] Aduocauit cœlum.] *Tam cœlestes mentes, quàm mortales in hoc sæculo, inseruire fecit, ad auferendam Satanæ tyrannidem. Vel apertius, si de iudicio intelligas illud est, quod in Euangelio legis, virtutes cœlorum mouendas, & congregandos omnes, vt dijudicentur, nam illud, discernere, in Græco est διακρῖναι hoc est, dijudicare, vel, vt dijudicet, siue redarguat. Vel, quemadmodum & in Mosis cantico habes, aduocabitur cœlum & terra in testes, tanquam firmiora & durabiliora corpora, & veluti ea, quæ & peccatores, & virtute præditos homines complectantur, vt fit prosopopeia, quando inanimis rebus personam imponimus.* [d] Cõgregate.] *In Heb. introducitur Deus loquens. Congregate mihi, (inquit) sanctos meos, de quibus tam, sum meritus bene, & qui mecum inierunt pactum de sacrificandi ratione. Chaldæus sic vertit colligite ad me bonos meos, qui statuunt pacta mea, paciscuntur legem meam, & occupantur in precibus, quæ pares habentur oblationibus. Qui sensus pulchrè quadrat cum sequentibus.* [e] Et annunciabunt cœli iustitiam eius.] *Bonitas eius vbiq; inuulgabitur, est enim ipse iustissimus.* [f] Audi populo meus.] *Cum admonuisset propheta futurum Deum iudicem omnium, nunc inducit ipsum Deum loquentem, & dicentem, quid à nobis velit, vt paratiores simus iudicij illius tempore. Et quod ait testificabor tibi, vel contra te, alius vertit, teipsum testem adhibeo, quod ego Deus tuus sim.* [g] Peccatori autem dixit Deus.] *Ei nimirum in primis, qui se Dei ministrum appellare audet, & verbum Dei tractat, cum longè aliter viuat, atque seruum Dei decet.* [h] Et statuam contra faciem tuam.] *Producam ea, quæ fecisti, ante oculos tuos. Alius vertit, Statuam me contra oculos tuos.* [i] Et illic iter.] *Et hac via ostendam illi salutem Dei, hoc est. Felicitatem planè diuinam. Alius vertit. Et qui ordinat viam, huic ostendam salutem Dei. Vt ordinare viam, idem sit, quod rectà ire ad eum.*

2. Reg. 12.

† Vincenti Psalmus Dauid, cum venit ad eum Nathan propheta, quando intrauit ad Bethsabee L.

Rom. 3.a

MIserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. [a] Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est semper. [b] Tibi soli peccaui, & malum coràm te feci: vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris. [c] Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum: & in peccatis concepit me mater mea: [d] Ecce enim veritatem dilexisti † in intimis: & in occulto sapientiam tuam manifestabis mihi. [e] Asperges me hyssópo, & mundabor: lauabis me, & super niuem de albabor. [f] Auditui meo dabis gaudium & lætitiam: & exultabunt ossa humiliata. Auerte faciem tuam à peccatis meis: & omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea in me Deus: & [g] spiritum rectum innoua in visceribus meis. Ne proijcias me à facie tua: & spiritum sanctũ tuũ ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui: & [h] spiritu principali confirma me. [i] Docebo iniquos vias tuas: & impij ad te conuertentur. [k] Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis meæ: & exultabit lingua mea iustitiam tuam. [l] Domine, labia mea aperies: & os meum annuntiabit laudem tuam. Quoniam

[m] si voluisses sacrificium dedissem: vtique holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo, spiritus contribulatus: cor contritum & humiliatum Deus non despicies [n] Benignè fac Domine in bona voluntate tua Sion: vt ædificentur muri Ierusalem. Tunc aeceptabis sacrificium iustitiæ, oblationes & holocausta: tunc imponent super altare tuum vitulos.

SCHOLIA.

[a] Amplius laua me.] *Iterum atque iterum lauando elue iniquitatem meam.* [b] Tibi soli peccaui.] *Peccaui qui deum & in vtriam, & in totum exercitum, verum id in primis me excruciat, quòd te offenderim. Alius sic exponit, peccatum quod commisi, in occulto feci, & nemo nouit nisi tu solus. Et quod sequitur, Vt iustificeris, &c. ita continuabitur. Miserere mei, & dele peccata mea, quia ego agnosco, atque in te solum admissa confiteor, vt iustus agnoscaris in verbis tuis, & vincas (vel, purus sis, vt est in Hebr.) in iudicio, cum disceptare volueris homo tecum. Et hoc sensu Apostolus ista Roma. 3. adduxit, vt dicere volueris Dauid, si hanc iniquitatem mihi condonaueris, & promissa seruaueris mihi perfido, meritò æquissimus iudicaberis, & in seruandis promissis constantissimus, & in damnandis illis, qui respiscere nolunt, iustissimus. Quidam Hebr. sic aiebat. Peccaui, et malum coram te feci, ideo sis iustus in sermone tuo, vt scilicet iudicio tuo ignoscas peccanti, sicut in lege tua pollicitus es.* [c] Ecce enim in iniquitatibus.] *Vt Deum magis ad misericordiam trahat, ait iniquitatem esse sibi veluti genuinam. Dũ fingimur (inquit) & concipimur, nos statim occupat peruersitas, vt, nisi nouus suo spiritu Deus faciat, ad malum propendeant omnes vires nostræ.* [d] Ecce enim veritatem dilexisti.] *Quanquam, ergo (inquit) vitiatæ carnis impulsu fœdissimè lapsus sim, à fide tamen & candore, qui in penetralibus pectoris situs est, et quem maximè amare soles, non omnino sum alienus, non enim tam malitia hoc scelus admisi, quam concupiscentia victus. Quare iterum occultis inspira nonibus docere me solidam sapientiam, sicut soles, non dedignaberis. Vel sic. Ecce veritatem quam voluisti, habeo in cogitatione: & in occulto sapientiam tuam manifesta mihi, hoc est. Habui semper in cogitatione veritatem, & rectam vitam, quam amas, & si quid me latet, fac me illud scire, & ostende mihi sapientiam tuam.* [e] Asperges me hyssopo.] *Hyssopi memini, quia in solenni sacrificio pro peccato, de quo Num. 19. item in purgatione leprosi de qua Leui. 14. Hyssopus adhibebatur, id quod Dominus fortasse ita statuit: quòd hæc verba singularem habent vim purgandi.* [f] Auditui meo.] *Vbi exhilaraueris me in gaudio, & solita lætitia, tum exultabunt ossa mea, quæ tu vulneraueras.* [g] Spiritum rectum.] *Vel, spiritum illum integrum & stabilem.* [h] Spiritu principali.] *Spiritu illo principe munime, spiritu digno principibus, & ad eorum officia necessario, quos oportet plurimis sapere. Alij verterunt, spiritu libertatis, per spiritum verò sanctum quidam intelligunt, donum prophetiæ, quod precatur, ne à se ob paratum scelus auferatur.* [i] Docebo iniquos.] *Meo exemplo discent peccatores quibus vijs reuertantur ad te. Et profectò psalmus hic non solum dat fiduciam cuiuis peccatori accedenti ad petendum à Deo veniam, verum etiam pulchrè docet, quo se pacto quis gerat. Vbi post commissum facinus reuerti ad Deum cupit. Cernis enim, vt in ipsa confessione peccati in ingentem surgat fiduciam, & diuinæ misericordiæ assequendæ, & eadem dona, quæ prius habuerat, reparandi. Sed meminerimus illud in primis oportet (ne quod pro remedio institutum est, trahatur in occasionem carnis) Dauid ita petisse veniam, vt nunquam posteà ad idem peccatum sit reuersus. Id enim præcipuè est animi, quem verè pœniteat, indicium, post pœnitentiam, non iterum sordidari.* [k] Libera me de sanguinibus.] *Ab vltione sanguinis Vriæ, & aliorum, quos morti destinauit. Chaldæus interpres sic habet. Libera me de iudicio interfectionis.*
[l] Domine labia mea aperies.] *Pium animum, qui post reconciliationem continuò de laudibus Dei cogitat quibus indignum se illo scelere factum, intellexerat.* [m] Si voluisses sacrificium.] *Hoc tibi (inquit) obtuli, & oblaturus sum, sacrificium & contriti cordis, & tuæ laudis, quo te scio vnicè delectari, alioqui supperebant multa brutorum animalium sacrificia, quæ obtulissem, si his te delectari, intelligerem.* [n] Benigne fac.] *Precatur, vt Ierusalem & cultus Dei in ea instauretur, et ne ob peccatum suum, ea, qua Deus in ea agere instituerat, intermitterentur. Nec spectauit propheta tantum vrbis externũ ædificium, & solum cerimoniarum strepitum, sed oculos mentis magis direxit in regnum Christi, cuius vmbram se esse cernebat. Idem intelligendum de holocausto & consummato sacrificio, quod figura erat veri sacrificij, quod fit in iustitia. Externa enim sacrificia internæ signa erant iustitiæ.*

† Vincenti intellectus Dauid, cum venit Doeg Idumæus, & annuntiauit Saul, & dixit Venit Dauid in domum Achimélech LI. 1.Re.22.b

QVid gloriaris in malitia, ò † potens, misericordia Dei tota die. Iniustitiam cogitauit lingua tua: sicut [b] nouacula acuta fecisti dolum. Dilexisti malitiam super benignitatem: iniquitatem magis, quàm loqui æquitatem. Dilexisti omnia verba præcipitationis, lingua dolosa: Propterea Deus destruet te in finem: euellet te, & emigrabit te de tabernaculo, & radicem tuam de terra viuentium. Videbunt iusti & timebunt, & super eum ridebunt: & dicent, Ecce homo qui non posuit Deum adiutorem suum: Sed sperauit in multitudine diuitiarum suarum: & præualuit in vanitate sua.

Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum: & in sæculum sæculi. Confitebor tibi in sæculum [c] quia fecisti: & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.

SCHOLIA.

Historia huius psalmi legitur 1. Reg. 21. & 22. Quidam aiunt Doeg Idumæum hic dictum, quòd in Idumæa aliquando habitauit, nõ quòd genere fuerit Idumæus. Sicut Obed Edom Gethæus dictus est, eo quòd in Geth aliquando sedẽ habuerit. In hunc Doeg & assentatores alios hunc psalmum & plerosq; alios Dauid conscripsit. [a] Quid gloriaris in malitia potens.] *Potentem vocat, quòd præcipuus esset inter pastores Saulis. Quid gloriaris (inquit) & multa posse te putas per malitiam? An ignoras Deum sua clementia adesse bonis omni tempore?* [b] Nouacula acuta.] *Hæc vel leuiter attacta, grauiter vulnerat: sic quem Doeg dolis suis circumuenisset, huic graue imminebat periculum.* [c] Quia fecisti.] *Videlicet, hoc iudicium, vt periret impius de domo tua, ego autem velut oliua fructum ferrem in ea, &c.*

† Vincenti

† Vincenti in Mahalath intelligentia Dauid LII.

Supr.13.d

DIxit insipiens in corde suo,Non est Deus. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in iniquitatibus:non est qui faciat bonum. Deus de cœlo prospexit super filios hominum:vt videat si est intelligens,aut requirens Deum. Omnes declinauerunt,simul fœtidi facti sunt: non est qui faciat bonum,non est vsque ad vnum. Nònne scient omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meã vt cibum panis? Deum non inuocauerunt:illic trepidauerunt timore, vbi nõ erat timor. Quoniam Deus dissipauit ossa eorum [a] qui † oppugnant te:confusi sunt,quoniam Deus spreuit eos. Quis dabit ex Sion salutare Israel? cum conuerterit Deus captiuitatem plebis suæ,exultauit Iacob,& lætabitur Israel.

SCHOLIA.

Hic psalmus idem est cum tertiodecimo exceptis duobus versiculis,qui & ipsi plani sunt. Mahalath,putant esse nomẽ instrumenti musici. [a] Qui oppugnant te.] *Potest esse apostropha ad Christum.*

1.Re.23.d

† Vincenti in carminibus intellectus Dauid cum venissent Ziphæi, & dixissent ad Saul, Nònne Dauid absconditus est apud nos? LIII.

DEus [a] in nomine tuo saluum me fac: & in virtute tua iudica me. Deus exaudi orationem meam: auribus percipe verba oris mei. Quoniam [b] alieni insurrexerunt aduersum me,& fortes quæsierũt animam meam:& non proposuerunt Deum ante cõspectum suum. Ecce enim Deus adiuuat me, & Dominus susceptor est animæ meæ. Auerte mala inimicis meis:& in veritate tua disperde illos. Voluntariè sacrificabo tibi:& confitebor nomini tuo Domine,quoniam bonum est. Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me:& super inimicos meos [c] dispexit oculus meus.

SCHOLIA.

Historia huius psalmi habetur 1.Reg.23. & 26.Canit ergo,vt in periculum maximũ proditione Ziphæorum adductus, Domini opem orarit, & exorarit, & pro ea agere gratias instituerit, vt denig, Deus de eius hostibus vltionem sumpserit. [a] In nomine tuo.] *Nomen sæpe pro fauore & auxilio in scriptura accipitur,et pro maiestate ac nomine ipso. Et illud,iudicame, vel, vindica me, hoc est, age causam meam.* [b] Alieni insurrexerunt.] *Erant quidem Israelitæ,sed alium animo & moribus.* [c] Dispexit oculus meus.] *Hebraismus est,vt dicat,super inimicos vel in inimicis meis vidit oculus meus, vt subaudas optatam vltionem.*

† Vincenti in carminibus intellectus Dauid LIIII.

EXaudi Deus orationem meam,& ne despexeris deprecationem meam: intende mihi, & exaudi me. Cõtristatus sum in † agitatione mea:& conturbatus sum à voce inimici,& à tribulatione peccatoris. [a] Quoniam declinauerunt in me iniquitatem: & in ira molesti erant mihi. Cor meum conturbatũ est in me: & formido mortis cécidit super me. Timor & tremor venerunt super me:& contexerunt me tenebræ. Et dixi,Quis dabit mihi pennas sicut columbæ:& volabo & requiescam? Ecce † elongarem fugiés: & † [b] manerem in solitudine. [c] † Expectarem eum qui saluum me † faceret [d] à vehemẽtia spiritus,& tempestate. Præcipita Domine,diuide linguas eorum: quoniam vidi iniquitatem & contradictionẽ in ciuitate. [e] Die ac nocte circundabit eam super muros eius iniquitas:& labor in medio eius, & iniustitia. Et non defecit de platéis eius vsura & dolus. Quoniam [f] si inimicus meus maledixisset mihi:sustinuissem vtique.Et si is,qui oderat me,super me magna locutus fuisset: abscondissem me ab eo. Tu verò homo vnanimis,[g] dux meus & notus meus.Qui simul mecum dulce capiebas † secretum: in domo Dei ambulauimus [h] cum consensu. [i] Veniat mors super illos: & descendant in infernum viuentes. Quoniam nequitiæ in habitaculis eorum,in medio eorum. Ego autem ad Deum clamaui:& Dominus saluabit me. Vespere,& manè,& meridie orabo & clamabo, & exaudiet vocem meam. Redimet in pace animam meam ab his qui appropinquant mihi:[k] quoniam inter multos erant mecum. Exaudiet Deus, & humiliabit illos,qui est ante sæcula. [l] Non enim est illis commutatio,& non timuerunt Deum:[m] extendit manum suam † in pacificos suos, cõtaminauit testamẽtum † suum. Blandius erat os eius butyro, & bellum habebat cor illius. Molliti sunt sermones eius super oleum:& ipsi sunt iacula. [n] Iacta super Dominum † onus tuum,& ipse te enutriet:nõ dabit in æternum fluctuationem iusto. Tu verò Deus deduces eos in puteum interitus. Viri sanguinũ & dolosi,non dimidiabunt dies suos,ego autem sperabo in te Domine.

Mat.6.d
Luc.12.c
1.Pet.5.b

SCHOLIA.

Verisimile est hunc psalmum conscriptum fuisse,de eo discrimine,in quo erat Dauid,cum oraculo didicisset aduenire Saulem,vt ipsum in vrbe Cæila comprehenderet. Historiam legis 1.Reg.23.Illud autem ne despexeris.in Heb.est.ne absondas te à precatione mea. [a] Quoniam declinauerunt.] *Quoniam machinantur contra me iniquitatem.* [b] Manerem in solitudine.] *In desertis habitarem potius,quàm inter hos impios.* [c] Expectarem eum.] *In Heb.est..Accelerarem mihi saluationem.* [d] A vehementia spiritus.] *A periculo venti vehementis & tempestatis.Est autem metaphora.* [e] Die ac nocte.] *Sic distinguendum esset,Die ac nocte hæc,id est,iniquitas & contentio circundant eam intra muros eius, & sunt iniquitas,& dolor in medio eius.* [f] Si inimicus meus maledixisset.] *Queritur hic de quodam singulari amico, qui tamẽ ficto animo se adiunxerat ipsi Dauid,de quo ille non diffidens,secretorum suorum illum fecerat cõscium. Quidam intelligunt de Achitophel. Hic simulatus amicus typum gessit Iudæ proditoris.* [g] Dux meus.] *Quem præfeci rebus meis, & veluti dux fuisti mihi.* [h] Cum consensu.] *In Heb.est cum strepitu,vel cum frequentia, hoc est, cum societate simul, sicut soci deambulauimus.* [i] Veniat mors.] *Inferet Deus mortem de improuiso illis.* [k] Quoniam inter multos.] *Quidam intelligunt de angelis fauentibus Dauid,vt sit simile illi 4.Reg.6. plures sunt nobiscum, quàm cum illis. Alij sic accipiunt, quamuis plurimi sint,qui oppugnant me.* [l] Non enim est illis commutatio.] *Nunquam sceleratum vitæ genus mutauerunt,iccirco digni sunt,qui pereant.* [m] Extendit manum suam in pacificos suos.] *Iniecit manum violentam in eum, cum quo pacem simulauerat,amicitiæ vinculo turpiter rupto, id enim significat, contaminauit testamentum,hoc est fœdus suum.*

suum. [n] Iacta onus tuum.] *Loquitur ad seipsum propheta, & ad quemlibet iustum, qui Deo fidat,& ait.Reyce in Dominum sarcinam tuam,nec dubita,quin ipse perfecturus sit omnia,qui nunquam sinet obrui iustum.*

† Vincenti,de columba muta longè auolante,insignia Dauid, cum eum Philistæi comprehendissent in Geth. LV. 1.Reg.21.

MIserere mei Deus,quoniam [a] conculcauit me homo:tota die impugnans tribulauit me. Conculcauerunt me inimici mei tota die: quoniam multi bellantes aduersum me † altissimè. Die quo timebam,ego in te sperabã. [b] In Deo laudabo sermones † eius,in Deo speraui:non timebo quid faciat mihi caro. Tota die [c] verba mea execrabantur aduersum me: omnes cogitationes eorum in malum. [d] Inhabitabunt & abscondent:ipsi calcaneum meum obseruabunt, † dum expectant animam meam.† Ab hac iniquitate saluos nè facies illos? in ira populos confringes. [e] Deus † fugas meas tu numerasti, pone lacrymas meas in conspectu tuo. Sint & in † libro tuo:tunc conuertentur inimici mei retrorsum. In quacunque die inuocauero te,ecce cognoui,quòd † Deus † mecum est. In Deo laudabo verbum, in Domino laudabo sermonem:in Deo speraui,non timebo, quid faciat mihi homo. [f] In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi. Quoniã eripuisti animam meam de morte,& pedes meos de lapsu,[g] vt † ambulem coràm Deo in lumine viuentium.

SCHOLIA.

Titulus huius psalmi in Hebræo habet.Vincenti,De columba muta longè auolante, insignia Dauid, cum eum Philistæi comprehẽdissent in Geth.Quod autem ait,de columba muta,quidam putant,carminis cuiusdam fuisse initium, ad cuius numeros se hic psalmus compositus. Alij existimant, Dauid seipsum columbam mutam, & longè volantem vocasse propterea, quod omnia Deo committens,& nihil aduersarijs suis respondens,longè à suis fugisset, nimirum ad Philistæos vsque,gẽtem non solum alienigenam,sed & hostilem.Historia hæc legitur 1.Reg.21. [a] Conculcauit me homo.] *Conculcare conatus est,& per hominem intelligit Saulem,qui illum sæpenumero in summum adduxit vitæ discrimen, vt aliquando etiam desperaret,se posse illius euadere insidias.* [b] In Deo laudabo sermones eius.] *Hoc est,laudabo Deum propter verbum suũ, quo ille me corroborauit,& in se sperare fecit.Vel fretus Dei benignitate,boni consulã, quicquid ab illo immittitur mihi.etc. Recordabatur autem promissionis factæ sibi per Samuelem.* [c] Verba mea execrabantur.] *Hoc est, calumniabãtur quicquid instituebam.* [d] Inhabitabunt & abscondent.] *Vel simul morantur,& delitescunt,ac plantas meas obseruãt,dum expectãt,vt capiant animam meam.* [e] Fugas meas tu numerasti.] *Quam scilicet fugere sæpe cõpulsus sim. Et quòd ait, pone lacrymas meas in conspectu tuo. Hebraismus habet,in vtre tuo,vel laguncula tua, vt scilicet videas quã multæ sint, et in libro rationum tuarum scribe eas.* [f] In me sunt Deus vota.] *Hoc est constitui offerre tibi sacrificia,quæ voueram.* [g] Vt ambulẽ coràm Deo.] *Vt possim ambulare in cõspectu tuo mi Deus,illustratus lumine,quo solẽt,qui perpetuò viuũt.*

† Victori ne disperdas,insignia Dauid, cum fugeret à facie Saul in speluncam. LVI. 1.Reg.22. & 24.

MIserere mei Deus,miserere mei:quoniam in te confidit anima mea. Et in vmbra alarum tuarum sperabo: [a] donec transeat iniquitas. Clamabo ad Deum altissimum: Deum [b] qui benefecit mihi. Misit de cœlo,& liberauit me: [c] dedit in opprobrium conculcantes me. Misit Deus misericordiam suam & [d] veritatem suam † anima mea est in medio leonum: & ego [e] iaceo inter furentes.Filij hominum,dentes eorum arma & sagittæ: & lingua eorum,gladius acutus. [f] Exaltare super cœlos Deus: & in omnem terram gloria tua. Laqueum parauerunt pedibus meis: & incurauerunt animam meam. Foderunt ante faciem meam foueam:& inciderunt in eam. [g] Paratum cor meum Deus,paratum cor meum: cantabo & psalmum dicam. [h] Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara: exurgam diluculo. Cõfitebor tibi in populis Domine: [i] psalmum dicam tibi in gentibus: Quoniam magnificata est vsque ad cœlos misericordia tua,& vsque ad nubes veritas tua. Exaltare super cœlos Deus: & super omnem terram gloria tua. Ioan.2.d

SCHOLIA.

Illud,ne perdas,quod in psalmi titulo est, quod & duobus sequentibus psalmis præmittitur, sunt qui putent significare, quod Dauid suos repressérit, qui eum,vt perderet Saulum, incitabant, seseque ad id offerebant. Alij putant carminis esse initium, ad cuius numerum fuerint hi psalmi compositi.Historia legitur 1.Reg.24. [a] Donec transeat iniquitas.] *Hoc est, iniquorum & tyrannorum pertinacitas.Hiero.Vertit. Donec transeant insidiæ.* [b] Qui benefecit mihi.] *Hiero.Vertit,Vltorem meum.alius,qui transigit causam meam, hoc est, qui causam meam perficiet, & perducet ad rectum,& optatum finem.Hebraismus habet. Qui perficit super me.* [c] Dedit in opprobrium.] *Infames faciet eos,qui conculcare me conãtur.* [d] Veritatem suam.] *Vel fidem,quam suis seruat.* [e] Inter furentes.] *Quod alius vertit, inter flamma succensos,tanto enim furore & inuidia ardebant æmuli Dauid, contra eum, vt viderentur quasi flamma succensi.* [f] Exaltare super cœlos Deus.] *Hoc est ostende te Dominum cœli, & declara gloriam tuam in vniuersa terra,id autem fiet, si innocentes liberes de manu persequentium eos.* [g] Paratum cor meum.] *Optimè animatus sum Deus quare et voce cantabo, & musicis instrumentis psalmos modulabor.* [h] Exurge gloria mea.] *Gloriam appellat,linguã vel animam,& eam cum musicis instrumentis,per prosopopeiam inuitat,vt ipsam excitet auroram.Tale quid & apud Pindarum legis.* [i] Psalmum dicam tibi in Gentibus.] *Prædicit diuulgandam in Gentes,Euangelij veritatem & lucem.*

† Vincenti ne disperdas,insignia Dauid. LVII.

SI [a] verè vtiq; iustitiam loquimini:rectè iudicate filj hominum. Etenim in corde iniquitates operamini in terra: [b] iniustitias manus vestræ concinnant. Alienati sunt peccatores à vulua: errauerunt ab vtero,locuti sunt falsa. Furor illis secundum similitudinem serpentis: sicut aspidis surdæ,& obturantis aures suas. Quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter. Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum:molas leonum confringet Dominus. Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens:

decurrens:† dum intendunt ſagittas ſuas,confringentur. [c] Sicut † limax quæ fluit auferetur:† & ſicut abortiuum mulieris non videbunt ſolem.[d] Priuſquam † intelligant ſpinæ veſtræ rhamnum:† repete viuos ſicut in ira abſorbebit eos. [e] Letabitur iuſtus cum viderit vindictam:† pedes ſuos lauabit in ſanguine peccatoris. Et dicet homo,vtique eſt fructus iuſto,vtique eſt Deus iudicans eos in terra.

SCHOLIA.

Inuectiua eſt in aſſentatores Saulis, ex quorum vltione prædicit iuſtos mirè eſſe exhilarandos ſed horum typo notantur omnes Chriſti & Chriſtianorum hoſtes. [a] Si verè vtique.] *Alius ſic vertit. Num verè o concilium, quod iuſtum eſt, decernitis,& rectè iudicatis,o filij hominum? Et notantur per hoc concilium proceres Saulis, qui conſpirarant contra Dauid vna cum Saule rege eorum,quorum tamen officium erat,regem auocare propoſito tā iniquo.* [b] Iniuſtitias manus veſtræ concinnant.] *Hoc eſt iniquam cogitationem corde conceptam,manibus & opere exequimini, abutētes poteſtate veſtra in proximorum iniuriam.Sed mirum non eſt,quòd tam mali ſunt,qui ex quo tempore in hanc lucem æditi ſunt, abalienati fuerunt à timore Dei,mancipia facti ſpiritus mali,qui exagitat eos & infundit peſsimū virus.* [c] Sicut limax.] *Similes erūt limaci,quæ inter rependum colliqueſcit,& abortiuo vel talpæ quæ nō videt ſolem.Ponit ergo quaſdam ſimilitudines, quibus exprimit,adimendam illis nocendi poteſtatem.Prima eſt aquæ dilabentis:ſecunda conantis iacere arcu iam extenſo,ſed cuius ſagittæ diſsiliunt.tertia limacis intra teſtam deficientis, vel inter rependum colliqueſcentis. quarta abortiui. quinta carnis raptæ antequam olla calorem ſenſerit,hoc eſt,ſuperueniet illis perditio, & vltio Dei, dum adhuc ſunt in felicitate ſua.* [d] Priuſquam intelligant.] *Priuſquam creſcant ſpinæ veſtræ o impij in rhamnum in flore ætatis veluti iratus Dominus ſubuertet eum,qui dux eſt veſter,vnà vobiſcum. Alius vertit. Priuſquam percipiant ollæ veſtræ rhamnum accēſum, ſicut crudum quid,ſic furor exagitet eum,hoc eſt,ſimiles erunt carni raptæ, antequam olla calorem conceperit rhamni ab igne accenſi.* [e] Lætabitur iuſtus cum viderit vindictam.] *Iuſti,vt Deum toto corde diligunt,ita,vt illuſtretur nomen Dei,etiam liberos odiſſe parati ſunt.Et quod ſequitur.Pedes ſuos lauabit,hyperbole eſt,qua ſignificatur,impios delendos ſuperuenientibus iuſtis.*

.Reg.18. † Vincenti ne diſperdas inſignia Dauid,quando miſit Saul,& cuſtodiuit domum eius vt interficeret eum. LVIII.

ERipe me de inimicis meis Deus meus:& ab inſurgentibus in me libera me. Eripe me de operantibus iniquitatem:& de viris ſanguinum ſalua me. Quia ecce obſederunt animam meam: irruerūt in me fortes. Neque iniquitas mea,neque peccatum meum Domine:ſine iniquitate † mea currūt & accinguntur. Exurge in occurſum meum & vide:& tu Domine Deus virtutum Deus Iſrael. Intende ad viſitandas omnes gentes:non miſerearis omnibus qui operantur iniquitatem. [a] Conuertentur ad veſperam, † & frement vt canes:& circuibunt ciuitatem. [b] Ecce loquentur in ore ſuo,& gladius in labijs eorum:quoniam quis audiuit? Et tu Domine deridebis eos:& † ſubſannabis omnes gentes. Fortitudinem meam ad te cuſtodiam,quia Deus ſuſceptor meus es:Deus meus miſericordia eius præueniet me.Deus [c] oſtēdit mihi ſuper inimicos meos,[d] ne occidas eos:nequando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua:& depone eos protector meus Domine. † Ob delictum oris eorum, ob ſermonē labiorum ipſorum, & cōprehendantur in ſuperbia ſua. [e] Et de execratione & mendacio annuntiabunt † conſume in ira conſummationis, & non erunt. Et ſcient quod Deus dominabitur Iacob,& finium terræ.[f] Conuertentur ad veſperā,& † frement,vt canes:& circuibunt ciuitatē. Ipſi diſpergentur ad manducandum:ſi vero non fuerint ſaturati,pernoctabunt.Ego autem cantabo fortitudinem tuam,& exultabo manè miſericordiam tuam. Quia factus es ſuſceptor meus,& refugium meū in die tribulationis meæ. Adiutor meus tibi pſallam, quia Deus ſuſceptor meus es:Deus meus miſericordia mea.

SCHOLIA.

Hiſtoria huius pſalmi ſcribitur 1.*Reg.*19.*quomodo Dauid ab inimicis ſuis vallatus, ferè captus fuit, niſi ab vxore monitus fuiſſet.* [a] Conuertentur ad veſperam.] *Hoc eſt,ſanguinarij à Saul miſsi, ibant & redibant, domum Dauid cuſtodientes,ne ille effugeret manus eorum,fremebantq; in morem canū,qui feram inſequuntur,& diſcurrebant per ciuitatē, ne vllo modo euaderet,illi inſidias tendentes.* [b] Ecce loquentur in ore ſuo.] *Res mira (inquit) ore & labijs ſuis gladios loquuntur,nec tamen quenquam eſſe putant,qui audiat.* [c] Oſtendit mihi ſuper inimicos meos.] *Alius vertit.Deus faciat me videre in aduerſarijs meis vt ſubaudias vltionem,& ſit Hebraiſmus,ſicut et illud. Et ſuper inimicos meos vidit oculus meus.* [d] Ne occidas eos.] *Ne occideris ſubitò eos Domine, ne penitus in obliuionē veniat hæc vltio tua populo meo, ſed vagari coge illos de loco ad locum.* [e] Et de execratione.] *Qui loquuntur de execratione, ſiue periurio & mendacio.* [f] Conuertentur ad veſperam.] *Sicut veſperè me capturi ibant,& reuertebantur,ſic Deus percutiet eos fame,vt cogantur veſperè quærere panem,& reuerti in domum ſuam,atque pernoctare,ventre non ſatiato.*

2.Reg.8. & 10. 1.Para.18. † Vincenti in Suſan teſtimonij,† inſignia Dauid in doctrinam, cum ſuccendit Syriam Meſopotamię & Syriam Soba,& conuertit Ioab, & percuſsit Idumęam in valle Salinarum duodecim millia. LIX.

DEus repuliſti nos,& deſtruxiſti nos:iratus es,† conuertere ad nos. [a] Commouiſti terram, & cōſcidiſti:ſana contritiones eius,quia commota eſt. Oſtēdiſti populo tuo dura: potaſti nos vino compunctionis. [b] Dediſti metuentibus te ſignum:vt erigant,à facie veritatis. Vt liberentur dilecti tui:ſaluū fac dextera tua,& exaudi me. [c] Deus locutus eſt in ſancto ſuo,Lætabor,& partibor Sichimam, & cōuallem tabernaculorū metibor. Meus eſt Galaad, & meus eſt Manaſſes: & Ephráim fortitudo capitis mei. [d] Iuda rex meus:[e] Moab olla † lotionis meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum:† ſuper me Philiſtæa iubila. Quis deducet me in [f] ciuitatem munitam? quis deducet me vſq; in Idumæam? Nónne tu Deus qui repuliſti nos: [g] & non egredieris Deus in virtutibus noſtris? Da nobis auxilium de tribulatione:quia vana ſalus hominis. In Deo faciemus virtutem:& ipſe ad nihilum deducet tribulantes nos.

Scholia.

SCHOLIA.

Hoc accidit dum bellum gereret Dauid contra eam Syriæ partem,quæ Meſopotamia dicitur, & cōtra eam partem,quæ vocata eſt Zoba,& Ioab reuerſus percuſsiſſet xij.millia Idumæorum in valle ſalis. Hiſtoria habetur 2.*Reg.*8.*et.*1. *Paralip.*18.*quod autem ibi legitur,decem & octo millia cæſa,ſic ſoluitur,quòd Ioab ab alia hoſtium cæde reuerſus,Abiſai fratri velut ſuppetias tulerit,& ipſe cum ſua exercitus parte interfecerit duodecim millia, & Abiſai tantum ſex.Quòd autem in libro Regum Syri cæſi,& in libro Paralipomenon,atque hic Idumæi leguntur,inde factum eſt, quòd commune harum gentium bellum fuit,vt* 2.*Reg.*10.*&* 1.*Paralip.*19.*ſcribitur. De Cuſan nihil certe habent Hebræi quod proferant.* [a] Commouiſti terram.] *Metaphora eſt,per quam ſignificatur, populum fuiſſe concuſſum & interruptum per hoſtiles impetus. Sic & illud potaſti nos vino compunctionis, vel lætali, alia metaphora eſt,per quam ſignificatur,populum tatis obrutum malis,vt in morem inſanorum hominum neſcirent rebus ſuis conſulere.Vel,ſumus tanquam qui vinum biberint, non quod bibentes exhilaret,ſed mœſtiſsimos faciat.* [b] Dediſti metuentibus te.] *Sicut olim tuis clementer affuiſti, vt hoſtes verterentur in fugam,ſic nunc ſerua nos.Sunt qui per futurum exponant ſic. Dabis ijs qui reuerentur te, vexillum, vt erigant illud contra hoſtes ſuos,& viſo eo in fugam conuertantur:hoc enim te facturum pollicitus es.Alius vertit.Dediſti metuentibus te ſignum,vt triumpharent,propter veritatem,vel à facie veritatis, id eſt,promiſsionis diuinæ.* [c] Deus locutus eſt in ſancto ſuo.] *Alius vertit in ſacrario ſuo,id eſt,oraculum ædidit,& promiſit per ſpiritum ſanctum ſuum, hæc ſe facturum,& daturum mihi regnum Iſrael,etiam Sichem,& vallem Soccoth,in quibus Abner regem cōſtituit Isboſeth filium Saul:iccircò minus quàm alia ceſſura Dauidis imperio credebātur.Diuidere & dimetiri accipiuntur,pro poſsidere iure hæreditario.Per Galaad et Manaſſen ſignificatur regio trans Iordanem. Porrò Ephraim vocat fortitudinem capitis ſui, quòd alijs tribubus potentior & numeroſior eſſet.* [d] Iuda rex meus.] *Siue dux,vel legifer. Alludit ad illud Gen.*49. *non auferetur ſceptrum de Iuda,& dux,ſeu legifer,& ſcriba de medio pedum eius,&c.Hoc eſt, regnum ex promiſsione debebatur tribui Iuda,vnde Chriſtus erat naſciturus,nec erat ſpes venturi Meſsiæ,quouſq; ſceptrum perueniret ad tribum Iuda.* [e] Moab olla lotionis meæ.] *Significatur per iſtas allegorias, humilis ſubiectio Moabitarum & Ammonitarum, quos etiam ſibi Dauid ſubegerat.Per iubilationem verò Philiſtæorum,intelligitur acclamatio eorū,qua Dauid agnouerunt ſuum dominum.* [f] Ciuitatem munitam.] *Hoc intelligendum putant de Rabbath metropoli Ammonitarum,quam exercitus Dauid cum magna difficultate expugnauit.* [g] Et non egredieris.] *Nonne egredieris nūc in prælium nobiſcum, & dux eris exercitibus noſtris?*

† Vincenti in hymnis Dauid LX.

EXaudi Deus deprecationem meam:intende orationi meæ. A finibus terræ ad te clamaui, dum anxiaretur cor meum:[a] in petram † quæ altior eſt me, deduc me. Quia tu factus es ſpes mea turris fortitudinis à facie inimici. Inhabitabo in tabernaculo tuo in ſæcula: protegar in velamento alarum tuarū. Quoniam tu Deus meus exaudiſti orationem meam:dediſti hæreditatem timentibus nomen tuum. [b] Dies ſuper dies regis adijcies:annos eius vt generationis & generationis. † Permanebit in æternum in cōſpectu Dei:miſericordiam & veritatem † præpara,quæ cuſtodiāt illum. Sic pſalmum dicam nomini tuo in ſæculum ſæculi:vt reddam vota mea de die in diem.

SCHOLIA.

Videtur hunc pſalmum æditum fuiſſe,cum Dauid propter Saul extorris ageret in extremis partibus terræ Iſrael. [a] In petram.] *In rupem ad quam viribus meis pertingere non poſſem,perducas me,in locum videlicet tutum.* [b] Dies ſuper dies.] *Annos addes annis regis: quare anni vitæ illius erunt, non quales eſſe ſolent reliquorum hominum, ſed generationum infinitarum. Vt ſecurus ſedeat rex ille perpetuò in conſpectu Dei, &c.At hic quis alius eſt: præter Chriſtum, cuius typus erat Dauid?*

† Vincenti pro ieduthun,Pſalmus Dauid LXI.

N[a]Onne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum. Nam & ipſe Deus meus:& ſalutaris meus: ſuſceptor meus, non mouebor amplius. Quouſque irruitis in hominem? † interficiemini vniuerſi vos:[b] tanquam † paries inclinatus,& maceria depulſa. [c] † Vtiq; honorem meum cogitauerunt repellere,† diligunt mendacium:ore ſuo benedicebant,& corde ſuo maledicebant. Veruntamen Deo ſubiecta eſto anima mea:quoniā [d] ab ipſo ſpes,mea. Quia ipſe Deus meus & ſaluator meus:adiutor meus,non emigrabo. In Deo ſalutare meum,& gloria mea:Deus auxilij mei, & ſpes mea in Deo eſt. Sperate in eo † omni tempore congregatio populi,[e] effundite coràm illo corda veſtra: Deus adiutor noſter in æternum. Veruntamen vani filij hominum,mendaces filij hominum,† in ſtateris ſi aſcendant [f] ipſi pariter leuiores ſunt vanitate. Nolite ſperare in iniquitate,& † rapina ne euaneſcatis:diuitiæ ſi affluant,nolite cor apponere. Semel locutus eſt Deus [g] † bis hoc audiui:[h] quod poteſtas Dei eſt, & tibi Domine miſericordia,quia tu reddes vnicuiq; iuxta opera ſua.

SCHOLIA.

Docet ſuam in Deum fiduciam,quodq; nullis mortalium viribus vel copijs ſit fidendum. Porrò Ieduthun putant nomen fuiſſe cantoris. [a] Nonné Deo.] *Interpres explicuit Hebraiſmum,qui ſic habet.Vtique ad Deum ſilet anima mea, hoc eſt, quieta eſt anima mea ad Deum,& præſtolatur in ſilentio auxilium eius.Meritò (inquit) patienter Deum expectas animā mea ab ipſo enim prouenit ſalus mihi.Et quod ait.Non mouebor amplius: in Heb.eſt.Non mouebor multum, hoc eſt, non admodum ſolicitus ero.Et illud,irruitis.in Heb.eſt.inſidiamini,ſic infra.Deus auxilij mei,petra fortitudinis meæ.* [b] Tanquā paries inclinatus.] *Senſus eſt,paries inclinatus omni momento minatur caſum, ſic vos manet repentinus interitus.* [c] Vtique honorem meum.] *Et Græcus habet,*Τομήν.*Hebræa pro,meum, habent eius,vt de ſe tanquam in tertia perſona loquatur,ſic,cauſa certè odij in virum illum ea fuit præcipua,quòd videbant illum auxilio Dei creſcere, hoc vt impedirent ſtulti,inito conſilio ſanè ridiculo,ſubuertere illum conabantur,&,quaſi falli poſſet Deus,ore ſuo blandiebantur illi, cum animo vellent peſsimè.* [d] Ab ipſo ſpes mea.] *Ipſe ſalutem,quam expectas,afferet tibi.* [e] Effundite coràm illo corda veſtra.]

vestra.] *Curas & necessitates vestras illi committite, qui vobis opem ferre potest.* ᶠ Ipsi pariter leuiores sunt vanitate.] *Hebraismus habet, ipsi præ vanitate simul sunt, hoc est, si eos omnes simul in vnam posueris trutinæ lancem, & vanitatem ipsam in alteram lancem, erunt ipsi leuiores vanitate ipsa. Non ergo est, vt rem tam inanem timeas.* ᵍ Bis hoc audiui.] *Hebraismus est, sic. Vnum quiddam locutus est Deus, sed sæpenumero illud audiui, solum Deum esse qui posit omnia, et te Dominum natura esse clementissimum, quare & malos malè perdere potes, & tuos pro tua clementia perpetuo facere felices. Ab illo enim non ab homine pendere debemus.*

Psalmus Dauid cum esset in deserto † Iuda LXII.

1. Cor. 3. b
Gala. 6. b
1. Reg. 22.

DEus Deus meus [a] ad te de luce vigilo. Sitiuit in te anima mea, † concupiscit te caro mea. In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi: vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam. Quoniam [b] melior est misericordia tua super vitas: labia mea laudabunt te. Sic benedicam te in vita mea: & in nomine tuo leuabo manus meas. Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea: & labijs exultationis laudabit os meum. Sic memor fui tui super stratum meum: in matutinis meditabor in te quia fuisti adiutor meus. Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: me suscepit dextera tua. Ipsi verò ad desolationem quæsierunt animam meam, [c] introibunt in inferiora terræ, tradentur in manus gladij, [d] partes vulpium erunt. Rex verò lætabitur in Deo, laudabuntur omnes, [e] qui iurant in eo, quia obstructum est os loquentium iniqua.

SCHOLIA.

Desertum Iuda desertum est Ziph, in quo diu Dauid delituit: cum ergo ad sacrum cœtum conuenire minimè ei per hostes liceret, & fortè iam vnum ex tribus illis solennioribus festis instaret, æstuans desyderio cecinit hoc carmen. [a] Ad te de luce vigilo.] ὀρθρίζω, *de manè surgo, quod alius vertit: manicabo. Vult ergo dicere, manè, id est, antequam dies oriatur, ad te suspicio, cupiens in tuo te cœtu adorare. Cupiebat enim sanctus Dauid supra modum, prouehere gloriam Dei, et nihil æque quærebat, atque illam cum sanctis celebrare: grauè illi erat separari à sanctuario Domini, & à synceris cultoribus eius, ideo totis affectibus clamabat in deserto. Diluculo & manè te Domine requiram, ad te suspiro, & te adoro in hac vasta solitudine, & quia non licet mihi id facere in cœtu sancto tuo: ego, vt possum, hic contemplor te in spiritu meo, perinde ac si essem in sacrario tuo, & viderem arcam virtutis & gloriæ tuæ, & hoc est, quod ait, in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam & gloriam tuam: potest & sic dici. Ego te in loco sanctitati tuæ destinato videre cupiui, & contemplari potentiam & maiestatem tuam.* [b] Melior est.] *Melior est benignitas (inquit) qua nos prosequeris, quàm ipsa hæc corporis vita, quare labia mea nunquam desinent laudare te, tanquam dicat. Quæ enim esset hæc vita, si eam sine tuis laudibus, & contemplatione tuæ maiestatis, & misericordiæ degere cogeremur? Et profectò ita est, quamuis miseri mortales id plerique omnes non agnoscant.* [c] Introibunt in inferiora terræ.] *Periphrasis est sepulchri.* [d] Partes vulpium erunt.] *Hoc est, erunt esca vulpium, & ferarum. Prædicit enim illorum casum, quod videlicet per hostes adigendi essent in gladium, & cadauera eorum per vulpes laceranda.* [e] Qui iurant in eo.] *Quisquis iurauerit in verba illius, & quidam referunt ad regem, nempe Dauid.*

† Vincenti Psalmus Dauid LXIII.

EXaudi Deus orationem meam cum deprecor: à timore inimici eripe animam meam. † Protege me à conuentu malignantium: à † conspiratione operantium iniquitatem. Quia exacuerunt, vt gladiũ linguas suas, intenderunt arcum rem amaram: vt sagittent in occultis immaculatum. Subitò sagittabunt eum, & non timebunt: firmauerunt sibi sermonem, nequam. Narrauerunt, vt absconderent laqueos: dixerunt, Quis videbit eos? Scrutati sunt iniquitates: [a] † & exequuntur quod scrutati sunt: etiam intimum cuiusque & cor profundum. Sed Deus sagittauit eos sagitta repentina: subitò sunt plagæ eorũ, & [b] infirmatę sunt contra eos linguæ eorum: Conturbati sunt omnes, qui videbant eos: & timuit omnis homo. Et annuntiauerunt opera Dei: & facta eius intellexerunt. Lętabitur iustus in Domino, & sperabit in eo: & † gloriabuntur omnes recti corde.

SCHOLIA.

Aduersus fallaces linguas, & noxios delatores, & hic & sæpè aliàs canit. [a] [Exequuntur quod scrutati sunt.] *Vbi excogitauerunt varios nocendi modos, absoluerunt consilia sua, & in vnum contulerunt, quicquid vlla diligentia excogitari potuit ab animo humano, etiam summa prudentia prædito.* [b] Infirmatæ sunt contra eos.] *Hoc est, malum illud, quod falsa sua lingua in alios conflarunt, recidet in caput eorum, vt miraturi sint omnes, qui eos aspexerint, quomodo eorum consilium tam diuersum habuerit exitum: agnoscetur q; illud opus esse Dei. Quæ autem per præteritum dixit, vt sagittauit eos, infirmatæ sunt, turbati sunt, &c. de futuro sunt intelligenda. Hebrææ enim linguæ mos est, tempora pro temporibus ponere.*

† Vincenti Psalmus & Canticum Dauid LXIIII.

TAE decet hymnus Deus in Sion: & tibi reddetur votũ. † Quia exaudis orationem: [b] ad te omnis caro veniet. [c] † Res iniquæ pręualuerunt super nos: & impietatibus nostris tu propitiaberis. [d] Beatus quẽ elegisti & assumpsisti, inhabitabit in atrijs tuis. Replebimur in bonis domus tuæ, † sancti templi tui, [e] Mirabiliter in æquitate, exaudies nos Deus salutaris noster: spes omnium finium terrę, & in mari longè. [f] Pręparans montes in virtute tua, accinctus potentia: qui † compescis fremitum maris, sonum fluctuum eius, & tumultum populorũ. Et timebunt qui habitant terminos † terrę [g] à signis tuis: exitus matutini & vespere delectabis. [h] Visitasti terrã & inebriasti eã: multiplicasti locupletare eã. Flumen Dei repletũ est aquis: parasti cibum illorũ: quoniam ita est præparatio eius. † Sulcos eius inebrias, comprimis glebas eius, stillicidijs liquefacies eam, & germini eius benedicis. [i] Coronas annũ benignitate tua: & semitæ tuæ stillabunt pinguedinem. Pinguescent speciosa deserti: & [k] exultatione colles accingentur. † [l] Induentur pascua ouibus, & valles abundabunt frumento: clamabunt, & † hymnum dicent.

Scholia.

SCHOLIA.

Canit hoc psalmo Deum in Sion peculiariter præsidentem; agnoscendumque ab omnibus, vt à quo omnia sint, quidq; verorum vitæ huius omnimodam abundantiam, ita non minore liberalitate etiam cœlestia bona largiatur. [a] Te decet hymnus.] *Deus, qui es in Sion ob tabernaculum videlicet, te decet laus, Hebraismus habet, tibi silet laus, vt silere idem sit, quod expectare. Quia enim is, qui silet, cessat, atque expectat, hinc dictio, quæ silere significat, accipitur in scripturis ad significandum quiescere, æquo animo esse, cessare, expectare. Hunc Hebraismum habes supra in psalmo 61. Ad Deum silet anima mea, hoc est, Deum expectat anima mea. Quidam tamen hunc locum. i. tibi silet laus, exponunt, tibi silentium laus, quod scilicet idoneis verbis laudari non possit.* [b] Ad te omnis caro veniet.] *Laus Dei à facilitate commendatur, quem adire omnes possint, quod apertum est de regno Christi vaticinium.* [c] Res iniquæ.] *Grauissimæ iniquitates nostræ superauerunt vires cuiusque nostrum, quare pro peccatis nostris, vt ipse tu satisfacias necesse est. Hebraismus habet. Verba inquita tum &c.* [d] Beatus quem elegisti.] *Felix modis omnibus ille, quem tu elegeris, et tibi propinquum feceris, habitabit enim ille in atrijs tuis, & nos vnà perfruemur elegantia domus tuæ & sanctimonia regy palatij tui. Quidam de Iudæorum populo intelligunt, qui ex omnibus gentibus à Deo electus est.* [e] Mirabiliter in æquitate exaudies nos.] *Dictu mirabile (inquit) cum simus peccatores, tanquam iustos exaudies nos Deus author salutis nostræ, qui spes omnium finium es terræ, et insulentium extremas oras maris. Alius vertit. Terribilia in iustitia respondebis nobis. &c. Cum enim iustitia Dei per Christum allata est hominibus, quàm visenda ea fuerint, quæ tunc fuerunt declarata mundo, scriptura noui testamenti abundè explicat. Nam hunc psalmum agere de regno Christi, ex illis verbis aduerti potest, cum dixit, ad te omnis caro veniet.*

ᶠ Præparans montes.] *Conuertitur ad contemplandam potentiam Dei, & dicit ipsas montium moles Dei potentia conditas, ipsum compescere tempestatem exagitati maris, & sedare quantumuis multorum populorum tumultum. Sunt qui per montes intelligant regna, quorum robur à Deo est.* ᵍ A signis tuis.] *Signa cœlestia & horum admirandus motus, omnes fines terræ timere & reuereri Deum faciunt. Et eorum matutino exitu & vespertino occasu exhilarantur. Alius vertit. Qui in progressibus matutinis & vespertinis laudem excitas, & per hos progressus ortum solis manè, & vespere ortum lunæ atque stellarum intelligunt, in qua re cum agnoscatur admiranda Dei vis, & potentia, qui pio animo est, & hæc Dei aduertit opera, rapitur, & excitatur ad laudem Dei.* [h] Visitasti terram.] *Narrat deinceps quotidianam Dei et magna beneficia, visitat enim sua dignatione terram, afficitur ei, et vbertim ditat eam. Diuersa enim illa flumina (inquit) bonitate tua Deus plena erunt aquis, & curabis vt copiosè proueniat è terra pabulum illis, quæ degunt in ea. Alius vertit illud, flumen Dei, &c. Riuus Dei plenus est aqua, tu præparas frumentum eorum, eò quòd sic disponis eam. Et per riuum Dei, intelligit salubrem imbrem, terram fœcundantem, qua præparat Deus terram ad ferendum frumentum. Et illud. Frangis, seu, Comprimis glebas, alius vertit, demittis in valliculas, nempe, pluuium.* [i] Coronas annum.] *Exornas annum omni genere frugũ, & merum pinguedinem stillas de cœlis in hæc inferiora. Semita tuæ (inquit) stillabit pinguedinem, id est, quocunque ieris, apparebunt in vestigijs tuis signa fertilitatis maximæ. Semitas quidam nubes interpretantur.* [k] Exultatione colles accingentur.] *Hæc exultatio est læta illa pascuorum et collium germinatio.* [l] Induentur pascua ouibus.] *Vel, vestient gramine pascua gregem. Significat ergo & pascuorum & gregium copiam.*

† Vincenti Canticum psalmi LXV.

IVbilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini eius: [a] date gloriam laudi eius. Dicite Deo, quàm terribilia sunt opera tua Domine? in multitudine virtutis tuæ [b] mentientur tibi inimici tui. Omnis terra adoret te, & psallat tibi: psalmum dicat nomini tuo. Venite, & videte opera Dei: terribilis in consiljs super filios hominum. Qui [c] conuertit mare in aridam, in flumine pertransibũt pede: ibi lætabamur in ipso. Qui dominatur in virtute sua in æternum, oculi eius super gentes respiciunt: [d] qui † increduli sunt, nõ exaltantur in semetipsis. Benedicite gentes Deum nostrum, & auditam facite vocem laudis eius. [e] Qui posuit animam † nostram ad vitam: & nõ dedit in commotionem pedes † nostros. Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti, sicut examinatur argẽtum. Induxisti nos in laqueum, [f] posuisti tribulationes in dorso nostro: imposuisti homines super capita nostra. Transiuimus per ignem & aquam: & eduxisti nos in refrigerium. Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerũt labia mea. Et [g] locutum est os meum, in tribulatione mea. Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum: offerã tibi boues cum hircis. Venite, audite: & narrabo omnes qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Ad ipsum ore meo clamaui, & exaltaui † eum sub lingua mea. Iniquitatem si aspexi in corde meo: nõ exaudiet Dominus. Propterea exaudiuit Deus: & attendit voci deprecationis meæ. Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.

SCHOLIA.

Propheta tanquam mirificè gratulabundus vniuersos mortales inuitat, ad laudandũ pariter Deum. Et videtur insignis aliqua liberatio ab hostibus, occasionem dedisse componẽdi huius psalmi. [a] Date gloriam laudi eius.] *Vel, magnificentiæ eius, palmo facite (inquit) quàm sit magnifica dignus laude. Et illud. Psalmum dicite. in Hebr. est. Psallite gloriã.* [b] Mentientur tibi inimici tui.] *Alibi hunc Hebraismum declarauimus. Vel, hic potest hoc loco esse sensus. Magnitudine potentiæ tuæ mendaces palàm deprehendentur fuisse in te hostes, qui diuinitatem non tribuebãt tibi.* [c] Conuertit mare in aridam.] *Loquitur de mari rubro, sicut & per flumen intelligitur Iordanis, quem filij Israel sub duce Iosue, sicco transierunt pede. Ibi (inquit) lætabamur ea res, incredibili nobis, in quorum gratiam id fecerat, gaudio fiut, & in amorem illius nos accendit.* [d] Qui increduli sunt.] *Desertores Dei non exaltabuntur, quamuis diuersum sibi persuaserint.* [e] Qui posuit animam nostram ad vitam.] *Qui conseruat nos in vita, etiam si mille mortis discrimina ingruant.* [f] Posuisti tribulationes.] *Alius vertit, posuisti anxiam molestiam in lumbis nostris. Significat defectionem virtutis, & magnam tyrannidem, quam Israelitæ perpessi fuerunt ab hostibus.* [g] Et locutum est os meum.] *Et quæ scilicet vota promisit os meum, cum essem in afflictione mea.*

† Vincenti

† Vincenti in hymnis Psalmus cantici LXVI.

DEus misereatur nostri,& benedicat nobis:illuminet vultum suum super nos. † Vt cognoscamus in terra viam tuam:in omnibus gentibus salutare tuum. Confiteantur tibi populi Deus:confiteantur tibi populi omnes. Lætentur & exultent gentes, quoniam iudicas populos in æquitate,& gentes in terra dirigis. Confiteantur tibi populi Deus,confiteantur tibi populi omnes:[a] terra dedit fructum suũ. Benedicat nos Deus Deus noster,benedicat nos Deus:& metuant eum omnes fines terræ.

SCHOLIA.

Fauorem & Diuini vultus irradiationẽ precatur populo Israelitico. Vt inde Diuinæ bonitatis agnitio spargatur, per vniuersum orbem, quod factum est seruatoris aduentu. Illud, illuminet vultum suum super nos. Hebraismus habet, nobiscum, idem autem est, quod, illustret nos lumine vultus sui. [a] Terra dedit fructum suum.] *Vel, dabit. Tũc (inquit) dabit terra prouentum suum, & benedicet nobis amplius adhuc Deus, Deus iste noster, & exemplo nostro imitati, religiose illum culturi sunt vniuersi termini terræ.*

† Vincenti Psalmus cantici Dauid LXVII.

EA[a] Xurgat Deus & dissipentur inimici eius:& fugiant qui oderunt eum,à facie eius. Sicut deficit fumus deficiant:sicut fluit cera à facie ignis,sic pereant peccatores à facie Dei. Et iusti lętentur,& exultent in conspectu Dei:& delectentur in lętitia. Cantate Deo, psalmum dicite nomini eius:† exaltate eũ [b] qui ascendit super † cœlos:[c] Dominus nomen illi. Exultate in conspectu eius † patris orphanorum, & iudicis viduarũ. Deus in loco sancto suo:Deus qui inhabitare facit † vnicos in domum. Qui educit vinctos † cõpedibus,†sed qui † eum exasperant,† habitant in † locis aridis.† Deus cum egredereris in conspectu populi tui,cum † pertransfires in deserto. [d] Terra mota est, etenim cœli distillauerunt à facie Dei † & ipse Sinai, à facie Dei,Dei Israel. [e] Pluuiam voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ:& infirmata est,tu verò perfecisti eam. [f] Animalia tua habitabunt in ea:parasti in dulcedine tua pauperi Deus. [g] Dominus dabit verbũ euangelizantibus virtutem multam. † [h] Reges exercituum fugient, fugient & familia domus diuidet spolia. [i] Si dormiatis inter † nigras ollas,pennæ columbæ deargentatę, & posteriora dorsi eius in pallore auri. [k] Dum dispergit cœlestis reges super eâ, niue † dealbabitur in Selmon:[l] mons Dei mõs Basan. Mons excelsus vt mons Basan:[m] vt quid inuidetis montes excelsi? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem. [n] Currus Dei decem millibus multiplex,millia lętantium:Dominus in eis † sicut in Sinai in sancto. [o] Ascendisti in altum,cœpisti captiuitatem: accepisti dona in hominibus. † Etiam non credentes,† vt inhabitet Dominus Deus. Benedictus Dominus:† quotidie onerat nos donis, Deus salutis nostræ. Deus noster Deus saluos faciẽdi:& Domini [p] Domini exitus mortis. † Et quidẽ Deus confringet capita inimicorũ suorum:† [q] verticem capilli perambulãtium in delictis suis. Dixit Dominus, [r] Ex Basan conuertam,conuertam † ex profundo maris. Vt intingatur pes tuus in sanguine, lingua canum tuorum ex inimicis ab ipso. [s] Viderunt ingressus tuos Deus,ingressus Dei mei, regis mei, qui est in sancto. Præuenerunt † cantores,coniuncti psallentibus,in medio iuuẽcularum tympanistriarum. In ecclesijs benedicite Deo Domino:de fontibus Israel. Ibi Beniamin adolescentulus [t] in mentis excessu. Principes Iuda,duces eorum:principes Zabulon, principes Nephtalim. [u] Mandat Deus † tuus virtutem tibi: confirma hoc Deus,quod operatus es in nobis. [x] A templo tuo in Ierusalem, tibi offerent reges munera. [y] Increpa † cœtum lanceæ, congregationem taurorum in vitulis populorum: vt † humilient se cum fragmentis argenti. Dissipa gentes quę bella volunt,venient legati ex Ægypto:Æthiopia † celeriter porriget manus suas Deo. Regna terræ cantate Deo:psallite Domino. Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli † ab initio. Ecce [z] dabit voci suæ vocem virtutis [a] date gloriam Deo super Israel: magnificentia eius, & virtus eius in nubibus. [b] Mirabilis Deus in sanctis suis,Deus Israel ipse dabit virtutem & fortitudinem plebi suæ: benedictus Deus.

SCHOLIA.

Videtur compositus psalmus ob insignem illam victoriam de allophylis, in quo verbis planè heroicis Dei in suum populum & sanctam ciuitatem bonitatem prædicat: apertè simul Christi regno in his deliniato, cui nimirum totum orbem nomen daturum præuidit. Quare & laudem Domino canere vniuersos hortatur. [a] Exurgat Deus.] *Alludit ad Mosis dictũ, cum enim arca in deserto trãsferebatur, legimus dixisse Mosen. Surge Domine, & dissipentur inimici tui, etc. Num.10.* [b] Qui ascendit super cœlos.] *Qui orbibus cœlorũ velut equo insidet. Vel, qui pro vehiculo vtitur nubibus. Hiero. Vertit. Ascedenti per deserta: & vocant Hebræi desertum, supremum cœlum ambientem omnia, & motu suo omnes mouentem sphæras: quòd desertum sit stellis, vt quidam volunt. Vel quod melius sit & dignius inferioribus sphæris, nam verbum vnde ea dictio sumitur, plura habet significata.* [c] Dominus nomen illi.] *Alij verterunt, in IA nomen eius, quam vocem significare volunt naturam eius, qua cuncta condidit & conseruat, quasi dicat. Proprium nomen eius est seruator Deus. Porrò licet Deus inhabitet summos cœlos, est tamen adhuc pater omnium afflictorum, defensor pupillorum & viduarum, et donat familiam ijs, qui vnici & absque liberis sunt. Vt domus accipiatur pro familia.* [d] Terra mota est.] *Memorat miracula in deserto, & monte Sinai declarata, quibus potẽtia Dei apparuit.* [e] Pluuiam voluntariam.] *Susceperat Deus hîc populum tanquam ægrum hæreditarium excolendum, ait ergo, tu modis omnibus studuisti fœcundum reddere hũc ægrum, populum scilicet Israeliticum, & hæreditatem tuam, licet afflictam, tu stabilies.* [f] Animalia tua.] *Alius vertit. Cœtus tuus habitabit in ea, hoc est, terra promissa, vel, vt Hebræi exponunt, in Hierusalem, vbi Dominus pro paupere & afflicto populo magnificam præparauit mansionem.* [g] Dominus dabit verbum euangelizantibus.] *Vel, annũciatricibus: quales illæ fuerunt, quæ canebant. Saul percussit mille, & Dauid decem millia: ait ergo. Dominus suppeditabit efficacem sermonẽ annunciatricibus potentiæ illius admirabilis & maximæ. Potest & sic dici. Dominus dabat verbum, hoc est, occasionem loquendi. Et annunciatricum exercitus erat magnus.* [h] Reges exercituum.] *Fortasse illud est, quod legimus 2. Reg.12. & quod*

& quod ait, fideles domus, &c. Alius vertit. Quæ sedit domi diuisit prædam. [i] Si dormiatis inter nigras ollas.] *Si hucusque inter fuligine obductas ollas iacuistis, et tam atri, quàm carbo, facti estis: eritis posthac tam candidi, quam alæ alicuius columbæ etiam si argento exornata fuerit, & pennæ illius eleganter admixtum habeant auri pallorem.* [k] Dum dispergit cœlestis reges.] *Alius vertit. Cum dissiparet omnipotens propter eam reges, candescebat veluti nix in Selmon. Hic mons prope Iordanem situs, niue præ aliis solet albere. Alij afferunt hunc sensum. Cum distribueris ò omnipotens per varias pronuncias qui regant eam: tum candidiorem reddes eam niue, quæ hucusque versata est in obscuro.* [l] Mons Dei mons Basan.] *Loquitur metaphoricõs: Basan regio, in qua Og vnus ex gigantibus reliquis regnauerat, præpinguis erat, vt legimus Num.32. Vocat ergo Ierusalem montem Basan: intelligens præpinguem & celsum.* [m] Vt quid inuidetis?] *Quidam verterunt. Quid exilitis? Dicit montes multos exiliisse contra montem Dei, hoc est, reges multos & potentes inuidisse, & sese extulisse contra montem hunc, videlicet populum Dei.* [n] Currus Dei.] *Ostendit quibus auxilijs freti sint sancti Dei contra impios gentiles, & quàm terribilem sese Deus ostenderit. Equitatus (inquit) Dei centenorum est millium, habet & angelorum millia, quibus comitatus, nunc huic monti adest Dominus, sicut olim Sinai cum sanctimonia. Nam illud. Decem millibus multiplex, &c. In Heb. est. Viginti millia, millia angelorum.* [o] Ascẽdisti in altum.] *Hoc est, superior tu fuisti hostibus, & inobedientiam ad obedientiam coegisti. Diuus Paulus ad Ephesios quarto, intelligit hunc locum de exaltatione Christi, & de donorum spiritus distributione. Vbi obseruare possumus, quam multa delitescant loca alia, quæ ad Christum pertinent, atq; in media historiæ narratione ad ipsum referuntur. Interpretemur ergo hunc locum iuxta sensum Pauli. Ascendisti in altum, asseruisti eos tibi, qui olim à diabolo captiui detinebantur, acquisiuisti varia dona posteris Adæ, quin & rebelles plurimos, & Dei penitus ignaros, in gratiam recepisti (hoc enim est quod ait, etiam non credentes, &c.) Vt verè dici nunc possit, habitare inter homines seruatorem Deum.* [p] Domini exitus mortis.] *In eius potestate est, quemcunq; voluerit à morte eripere.* [q] Verticem capilli.] *Findet Dominus caput eius, qui perdurat in peccatis suis obstinatus.* [r] Ex Basan conuertam.] *Hoc est, liberabo populum meum, sicut olim liberauit de manu Og regis Basan, atq; de manu regis Ægypti, in mari rubro, quos sic contriui cum populis suis, vt pedes Israelis potuerint tingi in sanguine eorum, & lingua canum sanguinem inimicorũ lamberet, ab ipso Domino interfectorum.* [s] Viderunt ingressus tuos.] *Viderunt pij hos successus, & agnouerunt eos esse absque, qui Deus meus es insigni sanctimonia prædictus. Alij incessus Dei intelligunt, pompam populi, in cuius medio Deus incedebat veluti in sacrario, vel, qui præsidebat sacrario arcæ, & in hoc incessu cantores præibant, & sequebantur lusores instrumentorum musicorum, & puellæ tympana pulsantes. Aderant & principes tributum, præsertim numeratur Beniamin, qui ante Dauid dominator fuit in Israel propter Saulem. Et vocatur Beniamin ad olesentulus vel paruulus, propter populi paucitatẽ, cuius causam habes. Iud.20. Porrò quod ait. De fontibus Israel. Intellige, qui emanauerunt veluti è fonte Israelis.* [t] In mentis excessu.] *Vel sopore corripitur. Alius vertit, dominator eorum.* [u] Mandat Deus.] *Constituit Deus tuus robur addere tibi: quare perge quæsumus confirmare hoc Deus quod cæpisti in nobis.* [x] A templo tuo.] *Quidam sic exponit. A templo tuo in Ierusalem prodeat robur tuum, & afferent tibi reges munera. Vel sic. Aliter longè & magnificentius, quàm olim in templo Ierosolymitano, offerent tibi munera reges, vt hoc ad tempus aduentus Christi pertineat.* [y] Increpa cœtum lanceæ.] *Sensus est. Cum hostes lanceary, & validi illi vituli populorum, hoc est, principes & rectores sic sint castigati & repressi, vt etiam humiliter veniant afferentes fragmenta argenti pro tributo, & Deus differserit populos, qui perpetuò populum suum impugnare contenderunt: audientes id Aethiopes, venient & ipsi obtensuri manus suas Deo. Nam Aethiopia contermina Ægypto religionis & innocentiæ iam olim studiosissima. Vnde & Homerus Aethiopas ἀμύμονας vocauit, edicta Deum ab exulantibus apud se Iudæis, veram religionem magno ardore coluit. De quo præclarè Esa.18. & 48. Item Sopho.3. Ex ultra regione eunuchum reginæ Candacis venisse Ierusalem, habes in Actis.* [z] Dabit voci suæ vocem virtutis.] *Sensus est, terribilis est Deus, qui insidet cœlis, in nubibus, poterit q; fortitudo eius agnosci per solam vocẽ tonitrui, qua exercitum hominum multò maximum terrere potest, vt omnes suas amittant vires. Vix enim aliud est, vnde mortalibus Dei potentia æquè tremenda appareat, sicut in aeris tempestatibus. Qua propter prophetæ illas sæpe commemorant, quibus per allegoriam describunt virtutem Dei, quæ possit omnia subitò immutare.* [a] Date gloriam Deo.] *Quidam sic distinguunt, super Israel magnificentia eius: Vbi obseruatur Israelis cum cœlis coniunctio. Verus Israel, verum regnum Dei est, regnumq; cœlorum, in quo præclarius, quàm in istis visibilibus cœlis, virtutem & bonitatem suam exerit.* [b] Mirabilis Deus in sanctis suis.] *Vel de sanctuario suo, siue de sacrarijs suis.*

† Vincenti Sosannim Dauid LXVIII.

SAluum me fac Deus, quoniam [a] intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Infixus sum in limo profundi: & [b] non est † subsistentia. Veni in altitudinem maris: & tempestas demersit me. Laborauí clamans: raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei,dum spero in Deum meum. Multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis. Confortati sunt, qui persecuti sunt me inimici mei iniustè: [c] quæ non rapui, tunc exoluebam. Deus [d] tu scis insipientiam meam: & delicta mea à te non sunt ascondita. [e] Non erubescant in me qui expectant te Domine: Domine virtutum. Non confundantur super me qui quærunt te, Deus Israel: Quoniam propter te sustinui opprobrium: operuit confusio faciem meam. Extraneus factus sum fratribus meis: & peregrinus filijs matris meæ. Quoniam [f] zelus domus tuæ comedit me: & [g] opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. [h] † Flebam,& in ieiunio erat anima mea: & factum est in opprobrium mihi. Et posui vestimentum meum cilicium: & factus sum illis in parabolam. Aduersum me loquebantur [i] qui sedebant in porta: & in me psallebant qui bibebant vinum. Ego verò orationem meam ad te Domine: tempus beneplaciti Deus. In multitudine misericordiæ tuæ exaudi me: [k] in veritate salutis tuæ. Eripe me de luto, vt non infigar: libera me ab his qui oderunt me,& de profundis aquarum. Non me demergat tempestas aquæ, neque absorbeat me profundum: neque vrgeat super me puteus os suum. Exaudi me Domine quoniam benigna est misericordia tua: secundũ multitudinem miserationum tuarum respice in me. Et ne auertas faciem tuam à puero tuo: quoniam tribulor

velociter exaudi me. Intende animæ meæ & libera eam: propter inimicos meos eripe me. Tu ſcis improperium meum, & confuſionem meam: & † ignominiam meam: In conſpectu tuo ſunt omnes qui tribulāt me: improperium † fregit cor meum & † afflictabar. Et ſuſtinui qui ſimul contriſtaretur, & nō fuit: & qui conſolaretur, & non inueni. Et [l] dederunt in eſcam meam fel: & in ſiti mea potauerunt me aceto. Fiat mēſa eorum coràm ipſis in laqueum: & in retributiones & in ſcandalū. Obſcurentur oculi eorum ne videant: [m] & † lumbos eorum ſemper fac nutare. Effunde ſuper eos iram tuam: & furor iræ tuæ comprehendat eos. Fiat habitatio eorum deſerta: & in tabernaculis eorum non ſit qui inhabitet. Quoniam quem tu percuſiſti, perſecuti ſunt: [n] & ſuper dolorem vulnerum † tuorum addiderunt. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum: & non intrent in iuſtitiam tuam. [o] Deleantur de libro viuentium, & cum iuſtis nō ſcribantur. Ego ſum pauper & dolens: ſalus tua Deus ſuſcepit me. Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude: Et placebit Deo ſuper † bouem aut vitulum, cornua producentem & vngulas. Videāt pauperes & lætentur: quærite Deum, & viuet anima veſtra: Quoniam exaudiuit pauperes Dominus: & vinctos ſuos nō deſpexit. Laudent illum cœli & terra: mare & omnia reptilia in eis. Quoniam Deus [p] ſaluam faciet Sion: & ædificabuntur ciuitates Iudæ. Et inhabitabunt ibi, & hereditate acquirent eam. Et ſemen ſeruorum eius poſsidebit eam: & qui diligunt nomen eius habitabunt in ea.

SCHOLIA.

Quæritur de maximis malis, vt typum Chriſti, ac Chriſti fidelium præferat, orat pro liberatione, poſtremò de allato auxilio gratulatur. Dictio verò, ſoſannim, ſignificat lilia & flores. Hic verò putatur inſtrumentum muſicum. [a] Intrauerunt aquæ.] *Per quas ſubmergentes intelliguntur ſæpe in ſcriptura magna mala, quæ vitam eximant, niſi ſubſidium feratur.* [b] Et non eſt ſubſiſtentia.] *Non eſt vbi ſubſiſtam, nam fundo penitus caret.* [c] Quæ non rapui.] *Hoc eſt, dedi pœnas eorum, quæ non admiſi.* [d] Tu ſcis inſipientiam meam.] *Noſti, nihil me ita ſtultè & prauè admiſiſſe, vt iſti hoſtes mei videri volunt.* [e] Non erubeſcant in me.] *Fac quæſo, ne propter hoc meum infortunium, cæteri, qui à te pendent, pudefiant. Et vide, vt ſemper gloriæ Dei ſtudeant ſancti.* [f] Zelus domus tuæ comedit me.] *Indicat hic verſus magnū ſtudium, quod propheta habuit erga domum Dei, ad cultum eius, cuius neglectum & contemptum ferre non potuit, quantumlibet impij ſæuirent contra eum. Et in hoc verè repræſentauit Chriſtum, ſicut & Euangeliſtæ hunc verſum de eo dictū ſcribunt, quando flagello facto, vendentes & ementes eiecit è templo.* [g] Opprobria exprobrantium ceciderunt ſuper me.] *Probra quibus probroſè affecerunt te, perinde ego ægrè tuli, atque ſi ego ipſe probris illis affectus eſſem. Citat hunc locum Paulus ad Romanos.* [h] Flebam & in ieiunio.] *Siquando flebam, & in ieiunio affligebam me, ipſi probro vertebant id mihi.* [i] Qui ſedebant in porta.] *Forum agi conſueuerat in portis ciuitatis, illucque frequentia populi conueniebat.* [k] In veritate ſalutis tuæ.] *Pro fide tua, qua ſalutem te allaturum pollicitus es, ſuccurre mihi.* [l] Dederunt in eſcam meam fel.] *Manifeſtiſsimè in ſeruatore impletum, merito memorauit Euangeliſta. Sicut etiam quod ſequitur, fiat habitatio eorum deſerta, petrus in actis apoſtolorum retulit ad Iudam.* [m] Et lumbos eorum.] *Hoc eſt, fac eos ita vacillare, vt corruant, vel, aufer ab eis omnem poſteritatem, quæ ex lumbis originem trahit.* [n] Et ſuper dolorem.] *Putant non ipſos, ſed te nos perſequi. Alius vertit. De dolore vulneratorum tuorum loquuntur, hoc eſt, narrant & loquuntur inuicem, quomodo tuis dolorem ſuper dolorem addant, perinde quaſi tu iuſsiſſes & vulnera eorum eſſent vulnera tua.* [o] Deleantur de libro viuentium.] [redacted]. [p] Saluam faciet Sion.] *Per Sion Hieruſalem & Iudam, intellige eccleſiam & eius inſtaurationem, & per terram accipe credentes, qui veram tenent fidem, horum ſemen, & poſteri hæreditabunt terram, viuentque ex fide Dei, quæ quodlibet deſertum paradiſum reddit.*

† Vincenti Dauid, in rememoratione LXIX.

Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me, feſtina. Confundantur & reuereantur qui quęrunt animam meam. Auertantur retrorſum & erubeſcant qui volunt mihi mala. [a] Auertantur † vt merentur erubeſcentes: qui dicunt mihi, Euge euge. Exultent & lætentur in te omnes qui quærunt te: & dicant ſemper. Magnificetur Dominus, [b] qui diligūt ſalutare tuum. Ego verò egenus & pauper ſum: Deus adiuua me. Adiutor meus & liberator meus es tu: Domine ne moreris.

SCHOLIA.

Hoſtes non tam ſuos, quàm Dei, à peruerſis conatibus ſuis contra innocentes orat depelli. In multis autem pſalmis ſimilia huic pſalmo cecinit, & ferè ad verbum eadem, quæ hic habentur. [a] Conuertantur vt merentur.] *Alius vertit, conuertantur pro mercede confuſionis ſuæ: hoc eſt, hæc ſit merces eorum, qui omnes confundunt, & omnibus probra obijciunt, & dicunt euge, inſultantes ſcilicet eis iniquè, vt retrorſum agantur, & redeant opprobria eorum in caput eorum.* [b] Qui diligunt ſalutare tuum.] *Qui ſalutis tuæ cupiunt fieri participes.*

LXX.

In te Domine ſperaui, non confundar in æternum: in iuſtitia tua libera me & eripe me. Inclina ad me aurem tuam: & ſalua me. Eſto mihi in † rupem munitam, quò ſemper veniam: [a] tu mandaſti vt me ſalues. Quoniam firmamentum meum: & refugium meum es tu. Deus meus eripe me de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui: Quoniam tu es fiducia mea Domine: Domine ſpes mea à iuuentute mea. In te confirmatus ſum ex vtero: de ventre matris meæ tu es † eductor meus. [b] In te cantatio mea ſemper: tanquam prodigium factus ſum multis, & tu adiutor fortis. Repleatur os meum laude tua: vt cantem gloriam tuam, tota die. † Ne proijcias me in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me: [c] Quia dixerunt inimici mei mihi: & qui cuſtodiebant animam meā, conſilium fecerunt in vnum. Dicentes, Deus reliquit eum: perſequimini, & comprehendite eum: quia non eſt, qui eripiat.

Deus ne elongeris à me: Deus meus in auxilium meum reſpice. Confundantur & deficiant aduerſantes animæ meæ: operiantur confuſione & pudore, qui quærunt mala mihi. Ego autem ſemper ſperabo: & [d] adijciam ſuper omnem laudem tuam. Os meum annuntiabit iuſtitiam tuam: tota die ſalutare tuū. [e] Quoniam non cognoui † numerum. [f] Introibo in potentias Domini: Domine memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Deus docuiſti me à iuuentute mea: & vſq; nunc pronūtiabo mirabilia tua. Et vſq; in ſenectam & ſeniū: Deus ne derelinquas me. Donec annuntiem brachium tuum [g] generationi omni, quæ ventura eſt. Potentiam tuam & iuſtitiam tuam Deus vſq; in altiſsima, quæ feciſti magnalia: Deus quis ſimilis tibi? Quantas oſtendiſti mihi tribulationes multas & malas: & conuerſus viuificaſti me: & de abyſsis terræ iterum reduxiſti me. [h] Multiplicaſti magnificentiam meam: & conuerſus conſolatus es me. Quare & ego confitebor tibi vaſis pſalmi veritatem tuam Deus meus: pſallam tibi in cithara ſanctus Iſrael. † Exultabunt labia mea cum cantauero tibi: & anima mea quam redemiſti. Sed & lingua mea tota die meditabitur iuſtitiam tuam: cum confuſi & reueriti fuerint qui quærunt mala mihi.

SCHOLIA.

Communis argumenti pſalmus eſt, quo memorat, quemadmodum in periculo (vt creditur) coniurationis Abſalon, opem contra coniuratos orauerit, & accepta à Domino conſolatione, qui ſicut à puero ipſum ſeruarat, ita nec in ſenectute erat deſerturus, vota laudis ipſi nuncuparit. [a] Tu mandaſti, vt me ſalues.] *Poteſt & præteritum hic accipi pro futuro, vt ſit ſenſus. Tu mandabis angelis tuis de me, vt me liberent.* [b] In te cantatio mea ſemper.] *In te laudando (inquit) meritò ſum occupatus aſsiduè.* [c] Quia dixerunt.] *Iam cœperunt de me loqui hoſtes mei, & vt inſidias ſtruant mihi, conſpirauerunt inter ſe.* [d] Adijciam ſuper omnem laudem tuam.] *Maiore ſtudio quàm vnquam antea, canendis laudibus tuis incumbam.* [e] Quoniam non cognoui numerum.] *Memorabit os meum (inquit) iuſtitiam tuam, & quam fers ſalutem quotidie, nam quotidie illa fruor atque ita cumulate, vt numerum beneficiorum ignorem, vel laudum, quæ tibi debentur.* [f] Introibo in potentias.] *Quidam vertit. Introeam Domine Deus ad commemorandum potentiam & iuſtitiam tuam ſolius. Melius fortaſſe vertetur. Introibo in potentijs tuis, hoc eſt, quicquid vnquam aggrediar, fretus omnipotētia Domini Dei aggrediar: in memoriam reuocabo omnibus, & celebrem faciam integritatem tuam ſolius.* [g] Generationi omni.] *Quidam ſic diſtinguunt. Donec annuntiem brachium tuum meæ ætatis hominibus, & vniuerſæ poſteritati omnipotentiam tuam. Et iuſtitiam tuam Deus, laudibus in altum extollam, &c. Alius vertit. Et quidem iuſtitia tua Deus patet vſque in excelſum.* [h] Multiplicaſti magnificentiam meam.] *Auxiſti me potentia & honoribus.*

† Salomoni LXXI.

D[a]Eus iudicium tuum regi da: & iuſtitiam tuam filio regis. Iudicare populum tuum in iuſtitia: & pauperes tuos in iudicio. [b] Suſcipiant montes pacem populo: & colles iuſtitiam. Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum: & humiliabit calumniatorem. [c] † Timebunt te cū ſole & ante lunam in generationem & generationem. [d] Deſcendet ſicut pluuia in † deſectum: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram. Orietur in diebus eius iuſtitia & abundantia pacis: [e] donec auferatur luna. [f] Et dominabitur à mari vſq; ad mare: & à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes: & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis & Inſulę munera offerēt: reges Arabum & Saba dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ: omnes gentes ſeruient ei. Quia liberauit pauperem [g] à potente, & pauperem cui non erat adiutor. Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum ſaluas faciet. Ex vſuris & iniquitate redimet animas eorum: & † honorabilis ſanguis eorum coram illo. [h] Et viuet, & dabitur ei de auro Arabiæ & † orabunt pro ipſo ſemper: tota die benedicent ei. [i] Erit pugillus frumēti in terra in ſummis montium † agitabitur ceu libanus fructus eius: & florebunt de ciuitate ſicut fœnum terræ. [k] Sit nomē eius in ſæcula: [l] ante ſolem permanet nomen eius. Et [m] benedicentur in ipſo omnes tribus terræ: omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus. Et benedictū nomen maieſtatis eius in ęternum, & replebitur maieſtate eius omnis terra, fiat fiat.

Defecerunt laudes Dauid filij Ieſſe.

SCHOLIA.

Precatur aduenire regnum Dei per Chriſtum, & vaticinatur de regni eius amplitudine, æquitate, felicitate, & diuturnitate, omnia autem ſub typo regni Salomonis. Quidam compoſitum hunc pſalmum à Dauid putant, vt in quo ſit vltimum precatus pro filio Salomone, & ſub eius typo, de regni Chriſti ſucceſſu. Alij vltima quidem hæc fuiſſe Dauidis vota, ſed pſalmum à Salomone compoſitum. Verum hoc certum eſt, etiam ſecundum Hebræos, multa ſcribi in hoc pſalmo, quæ verius de Chriſto, quàm de Salomone dicantur. [a] Deus iudicium tuum.] *Deus iudicandi ſecundum te formulas regi da, & æquitatis ſtudium filio regis. Vt poſsit iudicare populum tuum ſecundum æquitatem, & pauperes tuæ curæ relictos cum iudicio. Hoc enim præcipuum regis officium eſt, defendere innocuos, & ſeruare à malis oppreſſos.* [b] Suſcipiant montes.] *Vel, afferent montes pacem. Sicut Salomon pacem habuit cum omnibus regibus, & principibus, qui montibus ſimiles videntur: ita cum Chriſtus aduenit, per apoſtolos pacem, & iuſtitiam fecit prædicare per orbem.* [c] Timebunt te cum ſole.] *Hoc eſt, quandiu ſol lucebit, videlicet in perpetuum timebunt & colent. Idem intelligitur per id, quod dicitur, ante lunam, vel coram luna, & præſente luna.* [d] Deſcendet ſicut pluuia.] *Vt pluuia reſectam hærbam creſcere facit, ita Chriſtus veniens, ſuos copioſis perfudit donis.* [e] Donec auferatur luna.] *Durabit vltra lunam. Hinc patet hæc ad Meſsiam pertinere, cum pax Salomonis non fuerit perpetua cum luna, ſed deſierit cum eo.* [f] Et dominabitur à mari.] *Terminos ponit mare rubrum & mare Palæſtinæ, flumen Euphratem, & deſertum magnum. Quia enim nullum vaſtius flumen Euphrate Iudæis notum erat, ſcriptura illum abſolutè ferè flumen vocat. De his terminis habes 3. Reg. 4. Illud tamen, à flumine, & cætera, alius interpretatur ab oceano orientali, vſque ad extremos occidentis fines, quod neceſſe eſt ad Chriſtum pertine-*

re. Honorabilis sanguis. Quem scilicet pro Christo effuderunt. g A potente.] *Potest etiam verti, Vociferantem.* h Et viuet.] *Quidam sic interpretantur. Viuet pauper, et rex dabit ei de auro Arabiæ. Significatur autem hoc versiculo, quòd sicut omnes gentes studuerunt honoribus afficere regem Salomonem, ob excellentem sapientiã, gratiam, & dignitatem, sic Christum, qui est fons & plenitudo sapientiæ, scientiæ, omnis copiæ, ac salutis, mundus totus esset adoraturus, & precaturus pro eius regni felici successu.* i Erit pugillus.] *Expaucis granis etiam in summis montibus, in ea altitudinem messis crescet, vt strepitum aristæ plenæ excitent, sicut cedri solent libani. Florebunt insuper ciues, & multiplicabuntur in ciuitate, quemadmodum herba solet in agris. Sic Euangelica seges ex paruis initijs maxima fecit incrementa.* k Sit.] *Vel, erit nomen eius in sæculum, hoc est, durabit perpetuo.* l Ante solem permanet.] *Vel coram sole, & quandiu sol manebit. Vel potius priusquã esset sol, ab æterno, filius erat nomen illi.* m Benedicentur in ipso omnes tribus terre.] *Ad Christum hoc proprie pertinet, nam quantum quæso beneficiorum per Salomonem ad cunctas gentes peruenit? Sed prophetæ soliti sunt oracula sua canere, vt quædam typo, quædam antitypo proprie competant. Quod in fine psalmi est, finiunt preces Dauid, significat, hæc vt euenirent, summam fuisse votorum ipsius Dauid filij Iesse.*

Psalmus Asaph LXXII.

Q[a] Vam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde? Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei. Quia zelaui super iniquos, pacem peccatorum videns. Quia [b] non est † anxietas morti eorum: & † firmum est robur eorum. In labore hominum non sunt: & cum hominibus non flagellabuntur. Ideo tenuit eos superbia: operti sunt iniquitate & impietate sua. [c] Prodijt † propter adipem oculus eorum, transierunt in affectum cordis. [d] † Dissipauerunt & locuti sunt nequitiam: iniquitatem in excelsum locuti sunt. [e] Posuerunt in cœlum os suum: & lingua eorum transiuit in terra. [f] Ideo conuertetur populus eius † huc: & aquæ calicis pleni exprimentur eis. Et dixerunt, Quomodo scit Deus, & si est scientia in excelso? Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo: obtinuerunt diuitias. Et dixi, [g] Ergo sine causa iustificaui cor meum: & laui inter innocentes manus meas. Et fui flagellatus tota die, & [h] castigatio mea in matutinis. Si dicebam, Narrabo sic: ecce nationem filiorum tuorum fefelli. Existimabam, vt cognoscerem hoc: labor est ante me. Donec intrem in sanctuarium Dei: & intelligam in nouissimis eorum. † Siquidem in lubrico posuisti eos: deiecisti eos † in desolationes. Quomodo facti sunt in desolationem, subito defecerunt [i] perierunt propter † terrores. Velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua [k] imaginem ipsorum ad nihilum rediges: [l] Quia † acerbum factum est cor meũ, & renes mei commutati sunt: & † stultus non intelligebam. Vt iumentum factus sum apud te: & ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam: & in voluntate tua deduxisti me: & postea cum gloria suscipies me. [m] Quis enim mihi est in cœlo: & † præter te quem volui super terram? Defecit caro mea & cor meum. Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum: Quia ecce, qui elõgant se à te, peribunt: perdidisti omnes [n] qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Dño Deo spem meam: vt annuntiem † omnia opera tua.

SCHOLIA.

Canit in consolationem sanctorum, qui felicitate impiorum offenduntur, quàm infelicem ea exitum habeat, & rursus quàm felicem sanctorum infelicitas. a Quam bonus Israel Deus?] *Vide sapientiam prophetæ, antequam ea conqueratur, quæ ei suggerit cogitatio, præmittit fidei sententiã & agnoscit iustissimum esse Deum semper, tametsi sæpenumero eius iudicia non intelligamus, sic & Hiere. 12. Iustus (inquit) es Domine, si disceptem tecum, attamen iudicia, id est, quæ videantur rationem aliquam habere, loquar tecum. Quare via impiorum prospere agit, feliciter agunt, quicunque iniuriæ sese dediderunt? ait ergo hic. Quamuis certissimum sit nunquam non esse beneficium Deum in Israelem, hoc est, illos, qui candido sunt pectore (nam qui alterius sunt generis, hoc intelligere non possunt, tametsi porrigatur in omnes eius benignitas) mihi tamen hoc accidit absurdi, vt cum mei penè oblitus essem: tantum non labi cœperint pedes mei, & quemadmodum accidere solet ijs, qui per lubrica ambulant, effuso gressu collapsus fuerim: in causa verò fuit, quòd excandescere cœperim in eos, qui ebrietate fortunæ ad insaniam vsq; sibi placent. Nam illud iniquos, aly verterunt, stultos.* b Non est anxietas.] *Non solum (inquit) fortunata est eorum vita, verum etiam cum moriuntur, suauiter mori videntur, & tranquille, quippe quibus nihil deest ad leniendum morbum, atq; ætate defecti sine longo cruciatu extinguuntur, & in opulentia magna, quam relinquunt posteris.* c Prodijt propter adipem.] *Vel vix apparent præ pinguedine oculi eorum, & supra quàm sperauerant omnia illis prosperè eueniunt, hoc enim est, transierunt in affectum cordis.* d Dissipauerunt.] *Alius vertit, dissolutos reddunt alios. Vel. Terrori sunt obuys omnibus propter potentiam illorum, quæ eo excreuit, vt scelera sua, et vim, qua opprimunt miseros latere non cupiant: sed palàm loquantur, & sese ob huiusmodi iactent, neque pudeat eos, ipsum Deum, quamuis supra omnia sit, virulenta lingua lacessere.* e Posuerunt in cœlum.] *Neq; superis, neq; inferis parcunt: nam eum, qui cœlos inhabitat, ore blasphemo irritare audent, & lingua illorum virulenta per eos, qui terram incolunt, obambulant.* f Ideo conuertetur.] *Propter huiusmodi fluctuabit populus Dei, nunc hoc, nunc illud animo versans: & hæc, veluti aquæ amarissimæ, pleno calice obtrudentur illis, vt bibant. Aly hunc sensum afferunt. Apud quos versantur impy, eisdem se studys addicunt, & aquæ pleni calicis sugentur eos, hoc est, benè quoque habent & feliciter, qui ipsos consectantur.* g Ergo sine causa iustificaui.] *Hanc tentationem & desperationem sug gerit caro, quæ videt improbos felices, & pios miseros. At ratio fide illustrata repugnans dicit. Si dixero, enarrabo sic, vt scilicet præmissum est, iniurius ero in filios Dei, quos ille castigat, & miserys vult esse subiectos, ne ab eo ad creaturas more impiorum desiectant. Hæc cum secundum carnem difficilia mihi essent ad cogitãdum, tamen cum introirem in sacrarium Dei, facilè edoctus fui huius rei causam, cum notissimum eorum explicet huiusmodi difficultatem. Video enim sanctos Dei per afflictiones contineri in timore Domini vsque ad mortem, impios autem à fluxis, & somnio similibus delitijs transire ad perpetuam infelicitatem, id quod satis Lazari & diuitis illius astruit historia.*
h Castigatio mea in matutinis.] *A summo manè incipiebat afflictio.* i Perierunt propter terrores.] *Subitis terroribus exterriti in nihilum redacti sunt.* k Imaginem ipsorum.] *Hoc est dignitatem, potentiam, & memoriam eorum in nihilum*

in nihilum rediges. In Heb. est, despicies, sed sensum expressit interpres. l Acerbum factum est.] *Hoc est, antequàm perfecte cognoscerem iudicium Dei, motus sum intra me, videns improborum prosperos successus, sed quod nũc stultitiæ meæ imputo, qui quasi iumentum, aliud iudicare nequiui, quàm quod oculis vidi. Interim tamen Domine fui tecum, & in tua cura, quamuis non apparerat, & apprehensam semper habuisti manum dexteram meam, & consilio tuo me dirigebas, & me tandem maiestatis tuæ participem ad te recipies.* m Quis enim mihi?] *Nemo (inquit) in cœlis, aut in terris mihi arridet præter te, neq; quisquam tibi conferri potest, qui vnus es omnia in omnibus.* n Qui fornicantur abs te.] *Qui te deserto aliũ Deum querunt, quæ, fornicatio appellatur in scriptura.*

Intellectus, Asaph LXXIII.

V[a] T quid Deus repulisti in finem: iratus est furor tuus super oues pascuæ tuæ? Memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. [b] Redemisti virgam hæreditatis tuæ: † montem Sion istũ, in quo habitasti. [c] Leua † gressus tuos ad desolandum in perpetuum: quãta malignatus est inimicus in sancto? Rugierunt qui oderunt te: in medio solennitatis tuæ. [d] Posuerunt signa sua, signa: † palàm ascenderunt vastaturi templum tuum, quasi in sylua lignorum securibus excidentes. Et nunc simul ianuas † & ornatũ eius: in securi & † malleis deiecerunt. Incenderunt igni sanctuarium tuum in terram deijcientes: polluerunt tabernaculum nominis tui. Dixerunt in corde suo † fæniemus in eos simul, exusserunt omnes synagogas Dei in terra. [e] Signa nostra non vidimus, iam non est propheta: & † nemo nobiscum est, qui agnoscat finem. Vsquequo Deus improperabit inimicus: † blasphemabit aduersarius nomen tuum in finem? Vt quid auertis manum tuam, & dexteram tuam? † profer de medio sinu tuo in † hostem. Deus autem [f] rex noster ante sæcula: operatus est salutem in medio terræ. Tu † dissecuisti in virtute tua mare: cõtribulasti [g] capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis: dedisti eum escam populis † desertis. [h] Tu dirupisti fontes & torrẽtes: tu siccasti fluuios † fortes. Tuus est dies, & tua est nox: tu fabricatus es † lucem & solem. Tu fecisti omnes terminos terræ: æstatem & † hiemem tu plasmasti ea. [i] Memor esto huius, inimicus improperauit Domino: & populus insipiens incitauit nomen tuum. Ne tradas hostibus animam turturis tuæ, & congregationem pauperum tuorum ne obliuiscaris in finem. Respice in testamentũ tuũ: quia † repleta sunt omnia obscuris terræ carceribus, & domibus iniquitatum. [k] Respice in testamentũ tuũ: [l] Ne † reuertatur humilis factus confusus: pauper & inops laudabunt nomen tuum. Exurge Deus, iudica causam tuam: memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die: Ne obliuiscaris voces inimicorum tuorũ: superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.

SCHOLIA.

Aperte admodum de templi vastatione hic psalmus canit, quare creditur eum, non ab Asaph, quem Dauid, cũ quibusdam aliys, sacris carminibus præfecit, compositum, sed à posteris eius, quorum ordo patris nomen retinuerit. Hæc autem creditur ea esse vastatio, quæ facta est per Antiochum. a Repulisti in finem.] *Deseris nos perpetuò. Nam familiare est interpreti, finem pro perpetuitate vertere.* b Redemisti virgam.] *Vel, tribum, commemorat priora beneficia, & per virgam videtur significari regia dignitas.* c Leua gressus tuos.] *Erige te in pedes, vt obuiam hostibus profectus, malis illos afficias nunquam finiendis.* d Posuerunt signa sua.] *Erexerunt vexilla sua in trophæum palàm videntibus cunctis ascenderunt, (nam hic vsi sumus paraphrasi, vt Hebraicam phrasim deuitaremus) vastaturi templum tuum, non aliter, quàm syluam lignorum ingressi, arbores truncare solent. Hi duo versus perquam obscuri sunt etiam apud Hebræos, quare sunt qui & alterum hunc afferant sensum. Nobilis erat sicut adducens ad sublime, adducens in sylua arborum secures. Et nunc sculpturas eius, simul in bipenni & malleis deijciunt, hoc est, olim cum templum extrueretur, etiam cæsores lignorum, in precio erant, qui ad id cooperabantur, vt in sublime sacrum ædificium perduceretur, nunc omnia destruuntur. Illud verò. Palam ascenderunt, & c. in Heb. sic habet. Cognitus erat, tanquàm adducens supra, cum ramo ligni cum securi. Et nunc sculpturas, eius simul malleo, & bipenni diruerunt. Quod quidam sic interpretantur. Qui afferebat lignum cæsum ad templum, agnoscebatur à Deo tanquàm si attulisset in cœlum, & c.* e Signa nostra non vidimus.] *In tãta rerum calamitate destituimur auxilio Dei. Signa liberationis adhuc nulla apparent, nec vllus est propheta, nec quenquam dedisti nobis qui scire possit, quando horum sperare liceat finem.* f Rex noster ante sæcula.] *A sæculis plurimis. Mirum (inquit) quo pacto nunc deseramur, cum iste sit Deus, qui in medio huius terræ innumeris argumentis palàm ostendit vires sibi non deesse.* g Capita draconum.] *Sic vocat Pharaonem & populum Aegyptiacum, quem, ait, datum fuisse escam populo deserti, hoc est spolia eius dedit Israeli vaganti per solitudines, vel proiecit cadauera feris & coruis, qui in desertis versari solent.* h Tu dirupisti fontes.] *Tu aperuisti aridam petram, & eduxisti ex ea aquam, tanquam ex fonte, tam copiosam, vt iniustum flumen excretarit, è contrario rapidissimos fluuios exiccasti, quoties tibi ita visum fuit.* i Memor esto huius.] *Habe rationem huius tam insignis contumeliæ, hostis enim ille non solum affligit nos, sed & Dominum te assiduè afficit contumelia, & c.* k Respice in testamentum tuum.] *Respice ad fœdus, quod cum patribus pepigisti, eò enim malorum peruenimus, vt in teterrimis locis, & veluti subterraneis, & obscuritatibus plenissimis degere mœsti cogamur, nec hæ tamen domus ab iniuria, & insultibus hostium immunes sunt.* l Ne reuertatur.] *Ne abire (quæso) cogatur pauper suffusus pudore: pauper enim humano auxilio destitutus, non diuites isti, ad te confugiet, ac nomen tuum laudibus celebre faciet. Illud verò. Qui te oderunt. In Hebr. est, qui consurgunt aduersum te.*

† Vincenti ne corrumpas, Psalmus cantici † Asaph LXXIIII.

C[a] Onfitebimur tibi Deus, confitebimur: [b] & † propè adest nomen tuum. Narrabimus mirabilia tua: [c] cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Liquefacta est terra, & omnes qui habitant in ea: ego confirmaui columnas eius. Dixi iniquis, Nolite iniquè agere: & delinquentibus, Nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altum cornu vestrum: nolite loqui [d] aduersus Deum iniquitatem: Quia néq;

ab oriẽte, neq; ab occidente, [e] neq; à deserto † erit exaltatio: quoniam Deus iudex est. Hunc humiliat, & hunc exaltat: quia [f] calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc, † & fœces eius exprimẽt: bibent omnes peccatores terræ. Ego autem annuntiabo in sæculum: cantabo Deo Iacob. Et omnia cornua peccatorum confringam: & exaltabuntur cornua iusti.

SCHOLIA.

Christus seruator inducitur sub typo Dauid gloriari de potestate sibi tradita restituendi mundi: & monere, ne quisquam sese erigat contra regnum eius. Illud verò, quod in titulo est, scilicet, ne corrumpas, vel perdas, fortasse hic significat impios conari perdere Christum, sed prohibente Deo non posse. [a] Prope adest nomen tuum.] *Hoc est. Confestim sensimus præsentiam numinis tui.* [b] Cum accepero tempus.] *Verba sunt Domini dicentis, Statuam mihi tempus, quo quæ iusta sunt exequar. Aly verterunt, cum accepero cœtum, id est ecclesiam.* [c] Liquefacta est terra.] *Vbi hoc fecero, sentiet terra iram meam, & præ metu exanimabuntur, quotquot inhabitant in ea, cuius ego fundamenta ieci, & veluti columnis stabilini, quare & concutere eam difficile mihi non erit.* [d] Aduersus Deum iniquitatem.] *Interpres mollyt Hebraismum, quia ait. Nolite loqui collo præfracto.* [e] Neque à deserto.] *Hoc est, à meridie, sensus autem est. Vera salus & exaltatio in terra non inuenitur, sed apud summum regem & iudicem, contra quem miseri homines, qui illi subijci renuunt, non verentur loqui collo præfracto, seu duro, vt Hebraismus habet.* [f] Calix in manu Domini.] *Accipitur apud prophetas non raro calix pro vltione diuina, vt est illud Ieremiæ 51. Calix aureus fuit Babel in manu Domini, de cuius vino biberunt gentes, & insanierunt. Ait ergo. Habet Dominus in manu poculum in quo meracum, vel pulchrè rubens vinum est, sed cui est plurimum fœcis admixtũ, ex hoc porriget meracum pijs, fœcem verò noxiam exugere imò epotare coget impios omnes, quantumuis degant in terra multi. Vel porriget Deus hunc vltionis calicem impijs, vt ebibant illum vsque ad fœces, nã cogentur reddere etiam nouissimum quadrantem.*

† Vincenti in laudibus, Psalmus † & canticum
† Asaph LXXV.

NOtus in Iudæa Deus: in Israel magnum nomen eius. Et [a] factus est in † salem locus eius: & habitatio eius in Sion. [b] Ibi confregit † iacula, arcum, scutum, gladium, & bellum. † Illustrior tu & mirabilior [c] montibus prædæ: spoliati sunt audaces corde. Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerũt omnes † viros diuites manus suæ. Ab increpatione tua Deus Iacob dormitauerunt † currus & equus.

Tu terribilis es, & quis resistet tibi † [d] cum exarserit ira tua? [e] De cœlo auditum fecisti iudicium: terra tremuit & quieuit. Cum exurgeret in iudicium Deus: vt saluos faceret omnes mansuetos terræ. Quoniã † [f] indignatio hominis confitebitur tibi: & † reliquias indignationis tu accinges. Vouete & reddite Domino Deo vestro: omnes qui in circuitu eius † estis, afferte munera. Terribili, & ei qui aufert spiritum principum: terribili apud reges terræ.

SCHOLIA.

Canit insigniter defensam à Deo Ierusalem & potentiam eius supereminentem omnibus, & vnicè formidandam celebrat. [a] Factus est in Salem.] *Salem vocat Ierusalem, quæ hoc nomen habuit ante, quàm Ierusalem diceretur, vt legimus Gen. 14. Ierusalem putant dictam postea, quàm ei loco Abrahã nomen indiderat. Dominus videt.* [b] Ibi confregit.] *Ex hoc versu conijcitur, psalmum hunc æditum fuisse propter præclaram aliquam hostiũ deiectionem, in qua Dominus ostendit se defensorem esse Ierusalem.* [c] Montibus prædæ.] *Vocat montes prædæ regna Tyrannica, quæ rapinis & violentis extorsionibus molem congerunt opum, qui tamen & ipsi tandem spolys exponuntur, qui prius omnibus fuerunt terribiles: & non tantum rebus spoliantur, verum & vita: nec poterunt se iuuare potentia & opulentia sua. Vel sic. Conspicuus apparuisti tu, & ferox in hostes magis, quàm vllus leo vel vrsus egressus ad prædandum è montibus, qui receptacula esse solent rapacium animalium.* [d] Cum exarserit ira tua.] *Explicamus Hebraismum qui ait. Ex tunc ira tua.* [e] De cœlo auditum fecisti iudicium.] *Ita hi versus seruiunt propositæ historiæ, vt aptari etiam possint ad generale illud iudicium: efficies (inquit) vt è cœlo audiant æquitatem iudicij, quod vbi factum fuerit, metuent sibi quicunque terram inhabitant, nec multo (inquit) vt è cœlo audiant æquitatem iudicy, quod vbi factum fuerit, metuent sibi quicunque terram inhabitant, nec mutare contra audebunt.* [f] Indignatio hominis.] *Patet hoc in Aegyptys, qui dixerunt, fugiamus Israelem, pugnat enim Deus pro eis, & quod sequitur. Et reliquias indignationis tu accinges: sensus est. Tu cohibebis gentes, ne posthac sæuiant contra populum tuum, qui, siquid minarum hostilium reliquum fuerit, id vendicabis tibi, & te illi oppones, ne terreantur tui.*

† Vincenti pro Idithun, Psalmus Asaph LXXVI.

VOce mea ad Dñm clamaui: voce mea ad Deũ, & intendit mihi. In die tribulationis meæ Deũ exquisiui, [a] † manus meas expandi nocte, nec remisi. Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, † eiulabam, querebar: & defecit spiritus meus. † Tenuisti vigilias † oculorum meorum: turbatus sum, & non sum locutus. [b] Cogitaui dies antiquos: & annos æternos in mente habui. [c] † Recordatus sum carminis mei, & loquor nocte cũ corde meo & perscrutatur spiritus meus. Nũquid in æternũ proijciet Deus? aut non apponet, vt cõplacitior sit adhuc? Aut in finẽ misericordiã suã abscindet, †[d] & loqui desinet in generatione nẽ in generationem? Aut obliuiscetur misereri Deus? aut cõtinebit in ira sua misericordias suas? Et dixi, [e] † Ægritudo mea hæc mutata est dextera excelsi. [f] Memor fui operum Dñi: quia memor ero ab initio mirabiliũ tuorũ. Et meditabor in omnibus operibus tuis: & in adinuentionibus tuis exercebor. [g] Deus in sancto via tua: quis Deus magnus sicut Deus? tu es Deus qui facis mirabilia. Notã fecisti in populis virtutẽ tuã: redemisti in brachio tuo populũ tuũ, filios Iacob & Ioseph. [h] Viderunt te aquæ Deus, viderũt te aquæ: & timuerunt, & turbatæ sunt abyssi. † Nubes effuderunt aquas, & vocem dederunt. † Etiam sagittæ tuæ transeunt: [i] vox tonitrui tui in rota. Illuxerunt coruscationes tuæ orbi terræ: commota est & contremuit terra.
Exod. 14.e [k] In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur. Deduxisti sicut oues populum tuum in manu Moysi & Aaron.

Scholia.

SCHOLIA.

Exprimit calamitatem populi sancti supra modum afflicti, rursus memoria operum olim Dei, animum recipit. [a] Manus meas expandi.] *Alius vertit. Plaga mea nocte diffluebat, & non cessabat.* [b] Cogitaui dies antiquos.] *Non minus (inquit) angit animam meam, dum præterita ad memoriam reuoco: cogitans quomodo præsto olim fueris beneficijs tuis: nunc autem deseris me in calamitatibus constitutum.* [c] Recordatus sum carminis mei.] *Quo scilicet alios consolari soleo, & per noctem cum corde meo colloquor.* [d] Et loqui desinet.] *Irritus ne factus est sermo, quo pollicitus est, se consolaturum mœstos, non vna tantum generatione sed omnibus?* [e] Ægritudo mea.] *Hoc est. Feram patienter hanc ægritudinem, quia dextera Domini nunc fauet inimicis. Quia tamen Hebræa dictio, Senoth, significat etiam annos, potest habere & hunc sensum. Cruciat me vsque ad mortem hæc recordatio superiorum annorum, quibus toties & tam manifestè affuit omnipotentis dextera sua, is, qui supra omnia est Dominus.* [f] Memor fui operum Domini.] *Non tamen sperare desinam (inquit) sed memoria repetam consilia seruatoris Dei, quibus se aliquando placatum ostendere solet: memoria, inquam, repetam quam miraculose olim ipse affueris tuis Deus.* [g] Deus in sancto via tua.] *Hoc est, conatus tui, studia tua, & institutа tua sanctissima sunt: qui nihil agis sine maxima ratione & summo consilio. Alius sic distinguit, Deus in sancto, hoc est, qui præsides sanctuario, & propitium te exhibes. Deinde per exclamationem atque admirationem:* [b] Viæ tuæ. [h] Viderunt te aquæ.] *Loquitur de mari rubro. Cuius aquæ sensserunt potentiam diuinam & timentes præuaricari præceptũ eius, steterunt immobiles in modum muri, donec transirent filij Israel. Castra autem Ægyptiorum nimbis, fulminibus, & concussu aquarum, horribiliter fuerunt in profundum demersa.* [i] Vox tonitrui tui in rota.] *Alius vertit, in sphæra. Sci licet aeris.* [k] In mari via tua.] *Per medium mare obambulas, & per aquas plurimas, non aliter, quàm per tritissimas vias, nec apparent vlla vestigia tui.*

Intellectus Asaph LXXVII.

ATtendite populo meus [a] legem meam: inclinate aurem vestram in verba oris mei. Aperiam in parabolis os meum: loquar propositiones ab initio. Quanta audiuimus & cognouimus ea: & patres nostri narrauerunt nobis? Non sunt occultata à filijs eorũ in generatione altera. Narrantes laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia eius, quæ fecit. Et fuscitauit [b] testimonium in Iacob: & legem posuit in Israel. Quãta mandauit patribus nostris nota facere ea filijs suis, vt cognoscat generatio altera? Filij qui nascentur & exurgent, & narrabunt filijs suis. Vt ponant in Deo spem suam, & non obliuiscantur operũ Dei, & mandata eius exquirant. Ne fiant sicut patres eorũ, generatio praua & exasperans. Generatio, quę nõ direxit cor suum, & non † fuit fidelis cũ Deo spiritus eius. [c] Filij † Ephraim armati & mittentes arcũ: cõuersi sunt in die belli. Non custodierunt testamentũ Dei: & in lege eius noluerunt ambulare. Et obliti sunt benefactorum eius: & mirabilium eius, quæ ostendit eis. Coràm patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægy Exod. 14.e
pti: in campo Taneos. Interrupit mare & perduxit eos: & statuit aquas quasi in vtre. Et deduxit eos in nu- Exod. 13.d
be diei: & tota nocte in illuminatione ignis. Interrupit petrã in eremo: & adaquauit eos velut in abyssо mul 14.e.f
ta. Et eduxit aquã de petra: & eduxit tanquam flumina aquas. Et apposuerunt adhuc peccare ei: in iram ex- Psal. 104.d
citauerunt excelsum in inaquoso. Et tentauerunt Deũ in cordibus suis, vt peterent escas animabus suis. Et Exod. 17.b
malè locuti sunt de Deo: dixerunt, Nunquid poterit Deus parare mensam in deserto? Quoniam percussit Nume. 11.a
petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: Nunquid & panẽ poterit dare, aut parare mensam po- Num. 10.b
pulo suo? Ideo audiuit Dñs, & † iratus est: & ignis accensus est in Iacob, & ira Dei ascendit Israel. Quia nõ Num. 11.a
crediderunt in Deo, nec sperauerunt in salutari eius. Et mandauit nubibus desuper, & ianuas cœli aperuit. Exod. 16.c
Et pluit illis manna ad manducandum: & panem cœli dedit eis. [d] Panem angelorũ manducauit homo: cibaria misit eis in abundantia. † Impulit Eurũ in cœlo: & induxit in virtute sua Aphricũ. Et pluit super eos si- Num. 11.b
cut puluerem carnes: & sicut arenam maris volatilia pennata, Et ceciderunt in medio castrorũ eorũ: circa Ioan. 6.d
tabernacula eorũ. Et manducauerunt & saturati sunt nimis, & desyderium eorũ attulit eis: non sunt frauda- 1. Cor. 10.a
tà desyderio suo. Adhuc escæ eorũ erant in ore ipsorũ: & ira Dei ascendit super eos. Et occidit pingues eo- Num. 11.g
rum: & electos Israel † incuruauit. In omnibus his peccauerunt adhuc: & non crediderunt in mirabilibus Num. 11.g
eius. Et defecerunt in vanitate dies eorum: & anni eorum cum festinatione. [e] Cum occideret eos quærebant eum: & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum. Et rememorati sunt quod Deus adiutor est eorum: & Deus excelsus redemptor eorum est. Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei. Cor autem eorum non erat rectum cum eo: nec fideles habiti sunt in testamento eius. Ipse autem est misericors, & propitius † fuit peccatis eorum: & non disperdidit eos. Et abundauit, vt auerteret iram suam: & non accendit omnem iram suam. Et recordatus est quod caro sunt: spiritus vadens & non rediens. Quoties ex acerbauerunt eum in deserto: in iram concitauerunt eum in inaquoso. Et conuersi sunt, & tentauerunt Deũ: & [f] sanctum Israel exacerbauerunt. Non sunt recordati manus eius, die qua redemit eos de manu tribulantis. Sicut posuit in Ægypto signa sua: & prodigia sua in campo Taneos. Et conuertit in sanguinem flumina eorum: & † riuos eorum ne biberent. Misit in eos cynomyam: & comedit eos, & ranam, & Exod. 7.d
disperdidit eos. Et dedit † brucho fructus eorum: & labores eorum locustæ. Et occidit in grandine vineas Exod. 8.f
eorum: & moros eorum in pruina. Et tradidit grandini iumenta eorum: & possessionem eorum Exod. 8.a
igni. Misit in eos iram indignationis suæ: indignationem, & iram, & tribulationem: immissiones per an- Exod. 10.c
gelos malos. [g] Viam fecit, & semitam iræ suæ, & non pepercit à morte animabus eorum: & iumenta eo- Exod. 9.a
rum in morte conclusit. Et percussit omne primogenitum in terra Ægypti: [h] primitias omnis virtutis eorũ Exod. 9.e
in tabernaculis Cham. Et abstulit sicut oues populum suum: & perduxit eos tanquam gregem in deserto. Exod. 12.d
Et deduxit eos † securos, & non timuerunt: & inimicos eorum operuit mare. Et induxit eos in † terminos Exod. 14.e

Iosue.13.b sanctificationis suæ:[f] montem quem acquisiuit dextera eius. Et eiecit à facie eorum gẽtes:& sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis. Et habitare fecit in tabernaculis eorum tribus Israel. Et tentauerunt, & exacerbauerunt Deum excelsum:& testimonia eius non custodierunt. Et auerterunt se,& non seruauerunt pactum:quèmadmodum patres eorum,conuersi sunt [k] in arcum prauum. In iram concitauerunt eum in collibus suis:& in sculptilibus suis ad æmulationem eum prouocauerunt. Audiuit Deus, & iratus est,& ad
1.Reg.4.a nihilum redegit valde Israel. Et repulit tabernaculum Silo, tabernaculum suum vbi habitauit in hominibus. Et tradidit in captiuitatem virtutem eorum:& pulchritudinem eorum in manus inimici. Et conclusit in gladio populum suum: & hæreditatem suam spreuit. Iuuenes eorum comedit ignis: & virgines eorum [l] non sunt † honoratæ. Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt:& [m] viduæ eorum non † plorabant. Et excitatus est tanquam dormiens Dñs tanquam potens [n] crapulatus à vino. Et [o] percussit inimicos suos in posteriora:opprobrium sempiternum dedit illis. Et [p] reppulit tabernaculum Ioseph:& tribum Ephraim non elegit. Sed elegit tribum Iuda: montem Sion quem dilexit. Et ædificauit sicut † excelsa palatia sanctificium suum [q] vt terram quam fundauit in sęcula. Et elegit Dauid seruum suum,& sustulit eum de gregibus ouiũ:
[r] post fœtantes accepit eum. Pascere Iacôb † populum suum,& Israel hæreditatem suam. Et pauit eos in innocentia cordis sui:& [s] in intellectibus manuum suarum deduxit eos.

SCHOLIA.

Memorat facta Dei declarata in suum populum,& monet,salutare præceptum esse ea meminisse. demum de Christo sub typo Dauid Vaticinatus est. Hunc psalmum citat Matthæus de Christo,cap.xiij.dicens. Sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum est per prophetam dicentem. Aperiam in parabolis os meum,eructabo abscõdita à constitutione mundi. [a] Legem meam.] *Doctrinam meam. Vocat legem,rectæ Vitæ institutionem,quæ acquiritur, si rite perpendantur opera Dei,in quibus relucet bonitas,ac potentia Dei,quæ diligenter considerata, animum accendunt,atque efficiunt, vt in vno Deo fiduciam ponamus,& iuxta præcepta eius Vitam instituamus. Vocat quoque hoc canticum parabolam,quòd graues & sapientiæ plenas contineat sententias.* [b] Testimonium in Iacob.] *Aliqui accipiunt hic testimonium pro lege Mosis,aly pro lege,quæ Deus præcepit senioribus,narrare filijs opera,quæ fecit in Aegypto.* [c] Filij Ephraim.] *Vel meminit historiæ quæ legitur 1.Paralip.7. Vel per Ephraim intelligit Israelem, quòd in horũ sorte Silo sedes arcæ fuerat, vnde Verisimile est, eam tribum primas in bello partes habuisse, Cum arca à Philistæis caperetur,& iccircò maiorem accepisse cladem, & causa subditur,non custodierunt pactum Domini.* [d] Panem angelorum.] *Cibum,qui è cœlis, angelorum domicilio descendit.*
[e] Cum occideret eos.] *Quandiu percutiebat illos,recurrebant ad ipsum,& manè surgentes supplices siebat Deo, et agnoscebant Deum adiutorem suum. Verum hæc ab animo eorum non proficiscebantur, sed ore tantum blandiebantur &c.*
[f] Sanctum Israel exarcebauerunt.] *In Heb.est. Limitem præscripserunt,hoc est,nõ crediderunt illum omnia posse,sed conati sunt metiri potentiam eius qui sanctificat Israelem,quædam.n.illum posse credebant,sed non omnia.* [g] Viam fecit & semitam iræ suæ.] *Complanauit iter pro ira sua, vt sine impedimento procederet contra eos.* [h] Primitias omnis laboris.] *Pro quibus laborauerant. Alius vertit. Primitias virtutis eorum. Vocatur primogenitus principium virtutis & virium patris. Per tabernacula Cham intelligitur Aegyptus.* [i] Montem quem acquisiuit.] *Vocat montem terram Chananæorum,quòd sit montana.* [k] In arcum prauum.] *Vel dolosum,qui scopum non petit,sed fractus percutit eum, qui tendit.* [l] Non sunt honoratæ.] *Epithalamys,scilicet, vt mos erat, vel manserũt innuptæ.* [m] Viduæ eorum non plorabant.] *Non fuerunt superstites, viduæ quæ eorum casum deflerent.* [n] Crapulatus à vino.] *Tanquam qui vino exhilaratus fortiter pericula aggreditur.* [o] Percussit inimicos suos in posteriora.] *Vulnerauit ostium suorum populos.*
[p] Repulit tabernaculum Ioseph.] *Hoc dicitur,quòd arca Domini reducta à Philistæis,non est restituta in Silo,qui locus fuit in tribu Ephraim & Ioseph,sed pro eius domicilio electa fuit tribus Iuda.* [q] Vt terram.] *Voluit (inquit) eadem maiestati suæ dicatam perpetuò stabilem esse sicut terram ipsam.* [r] Post fœtantes.] *A fœtis vaccis, quas sectabatur pastor.*
[s] In intellectibus manuum suarum.] *Prudenter administrauit regnum.*

Psalmus Asaph LXXVIII.

Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam,polluerunt templum sanctum tuum:posuerunt Hierusalem in † aceruos lapidum. Posuerunt morticina seruorum tuorum escas volatilibus cœli: carnes sanctorum tuorum bestijs terræ. Effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam in circuitu
Iere.10.d Hierusalem:& nõ erat qui sepeliret. Facti sumus opprobrium vicinis nostris:subsannatio & illusio his qui in circuitu nostro sunt. Vsquequo Domine irasceris in finem:accendetur velut ignis zelus tuus? [a] Effunde
Esa.64.d iram tuam in gentes quæ te non nouerunt:& in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Quia comederunt Iacob: & locum eius desolauerunt. Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, citò anticipient nos misericordiæ tuæ: quia pauperes facti sumus nimis. Adiuua nos Deus salutaris noster: & propter gloriam nominis tui Domine libera nos,& propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum. Ne forte dicant in gẽtibus, Vbi est Deus eorum? & innotescat in nationibus coràm oculis nostris. [b] Vltio sanguinis seruorum tuorum qui effusus est:introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Secũdum magnitudinem brachij tui [c] posside filios mortificatorum. Et redde vicinis nostris [d] septuplum in sinu eorũ: improperium ipsorum quod exprobrauerunt tibi Domine. Nos autem populus tuus & oues pascuæ tuæ confitebimur tibi in sæculum,In generatione & generationem annuntiabimus laudem tuam.

SCHOLIA.

Agit psalmus iste de desolatione Hierusalem,& de prophanatione templi, quam fecerunt impuræ gẽtes sub Antiocho, aut, vt Hebræi putant, sub Nabuchodonosor rege Chaldæorum in prima deuastatione. [a] Effunde iram.] *Euome potius iram tuam in impios.* [b] Vltio sanguinis.] *Iunge sic, Innotescat in nationibus coràm oculis nostris, vltio sanguinis.*
[c] Posside.] *Reliquos fac, atque in Vita conserua.* [d] Septuplum.] *Hebræorum morè septuplum posuit pro multiplici.*

† Vincenti

† Vincenti in Sosannim,testimonium & Psalmus Asaph LXXIX.

Qui regis Israel intende:qui deducis velut ouem, Ioseph. [a] Qui sedes super Cherubim, manifestare coram Ephràim,Beniamin,& Manasse. Excita potentiã tuam,& veni:vt saluos facias nos. [b] Deus cõuerte nos:& ostende faciem tuam,& salui erimus. Domine Deus virtutum, quousque irasceris super orationem populi tui? Cibabis nos pane lacrymarum:& potum dabis nobis in [c] lacrymis in mensura? Posuisti nos in contradictionem vicinis nostris: & inimici nostri subsannauerunt nos.
Deus virtutum conuerte nos:& ostende faciem tuam,& salui erimus. Vineam de Ægypto transtulisti:eieci
gentes,& plantasti eam [d] † Repurgasti superficiem eius.& fixit radices suas,& impleuit terram. Operuit
montes vmbra eius:& [e] rami eius cedros Dei. Extendit palmites suos [f] vsq; ad mare:& vsq; ad flumen propagines eius. Vt quid destruxisti maceriam eius: & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam?
Exterminauit eam aper de sylua:& † fera agri depasta est eam. Deus virtutum conuertere:respice de cœlo,& vide,& visita vineam istam. Et perfice eam quam plãtauit dextera tua:& [g] propter filium quem confirmasti tibi. Incensa est igni & suffossa:[h] ab increpatione vultus tui peribunt. Fiat manus tua super virũ dexteræ tuæ:& super filium hominis quem confirmasti tibi. Et non discedimus à te, viuificabis nos, & nomen tuum inuocabimus. Domine Deus virtutum conuerte nos: & ostende faciem tuam,& salui erimus.

SCHOLIA.

Precatur finem malorum,& rogat vt meminerit populi sui,quem Vineæ nomine appellat,quam tanta cura de Aegypto transtulit,& plantauit in promissa terra. [a] Qui sedes super Cherubim.] *Hoc dicit propter arcam, quam velabat Cherubim alis suis,petit ergo vt affulgeat,& declaret præsentiam suam. Et quod addit, coram Ephraim &c. hoc dixit quia in profectione arcæ,castra Ephraim Beniamin & Manasse ad occidentem sequebantur cum suo vexillo arcam Dei, quæ in tabernaculo ad occidentalem partem posita erat.* [b] Deus conuerte nos.] *Recipe in gratiam nos Vel conuerte corda nostra ad te & placido vultu aspice nos.* [c] Lacrymis in mensura.] *Alius vertit,copiosis, vt intelligas mensuram magnam. Hoc loco is Hebraismus est,quem habes Esaiæ 40. Vbi ait. Quis mensus est mensura ternaria molem terræ?* [d] Repurgasti.] *Repurgasti diligenter ruderibus eiectis superficiem eius.* [e] Rami eius cedros Dei.] *Rami eius similes fuêrunt ramis cedrorum maximarum,quas iccircò cedros Dei per Hebraismum appellauit.* [f] Vsque ad mare.] *Tangit confinia terræ promissæ,de quibus supra est dictum.* [g] Propter filium quem.] *Si ipsa nõ mereretur, propter filium tamen,per quem fortia designare constituisti,fac quod in rem Vineæ huius esse putabis.* [h] Ab increpatione vultus tui.] *Quòd excussa sit Vinea hæc igni,& vastata,austeritas vultus tui in causa est,quæ si duraverit,funditus peribunt omnes,qui hac Vinea significantur. Quare manus tua dextera,qua hactenus eos defendisti & liberasti à cunctis periculis,sit super hunc populum tuum, quem tibi quasi in filium adoptasti. Verum dum ait,filium hominis,indicat singularem illum in primis filium, qui & ipse se filium hominis identidem appellabat.*

† Vincenti in Gitthit,psalmus Asaph,quinta sabbati LXXX.

Exultate Deo adiutori nostro:iubilate Deo Iacob. Sumite psalmum, & date tympanum: psalterium iucundum cum cithara. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solennitatis nostræ. Quia præ-
ceptum in Israel est, & iudicium Deo Iacob. [a] Testimonium in Ioseph posuit illud, [b] cum exiret de Gene.41.f
terra Ægypti:linguam quam nõ nouerat audiuit. [c] Diuertit ab oneribus dorsum eius:manus eius † à furno Exo.17.b
transierunt. In tribulatione inuocasti me,& liberaui te,exaudiui te [d] in abscondito tempestatis:[e] probaui te
apud aquã contradictionis. Audi populus meus,& [f] contestabor te:Israel si audieris me,non erit in te Deus
† extraneus,neq; adorabis Deum alienum. Ego enim sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægy- Exo.20.2
pti:[g] dilata os tuum, & implebo illud. Et non audiuit populus meus vocem meam: & Israel non intendit Act.14.c
mihi. Et dimisi eos † in prauitate cordis eorum, ibunt in adinuentionibus suis. Si populus meus audisset me:Israel si in vijs meis ambulasset:† Quàm breui inimicos eorum humiliassem:& super tribulãtes eos misissem manum meam?[h] Inimici Domini mẽtiti † essent ei:& fuisset tempus horum in sæcula. Et † cibasset eos ex adipe frumenti:& de petra melle saturasset eos.

SCHOLIA.

Psalmus hic compositus videtur, vt in aliquo præcipuo festo caneretur,ad excitandum Dei studium in populo. Illud verò Neomenia erat,in qua ex lege Nu.10.buccinis clangebatur ad sacrificia,quò populus admoneretur Domini, qui cum legem illi daret,& fœdus cum eo iniret,tuba sonitum ædiderat in nubibus. Porrò Gitthit,quod in titulo est, quidam putant esse instrumentum musicum,alij vocem à Geth deriuatam,quòd scilicet Dauid hunc composuerit psalmum, dum profugus esset in Geth. [a] Testimonium in Ioseph.] *Totus Israel,sub nomine Ioseph appellatur,quia Ioseph ob beneficium fratribus et patri præstitum,etiam ipse patris loco colebatur.* [b] Cum exiret de terra Aegypti.] *Quidam putant sic legendum. Cum exiret contra Aegyptum,hoc est, Vel,quòd Deus exierit contra Aegyptum, vt suos vlcisceretur, vel quòd è terra Ramasses venerint,ac transierint Aegyptum,atque hoc pacto non cõiungatur cum sequenti. Alij sic legunt. Cũ egrederetur Israel de terra Chanaan in terram Aegypti:tunc audiuit linguam,quã ne intellexit: Vt sit sensus. Ritum illum seruari voluit à posteris Ioseph,in memoriam eius,quòd feliciter versatus fuerit ipse in terra Aegypti,quò cum venissemus, linguam quàm non didiceramus audiebamus,nam in Hebræo mutatio est personæ.* [c] Diuertit ab oneribus.] *Deus à seruitute & à coquendis lateribus liberauit eum.* [d] In abscondito tempestatis.] *Vel,tonitrui,cum me quasi in occulto rogares ob metum Aegyptiorum,tonitru turbaui eos.* [e] Probaui te.] *Feci etiam periculum tui iuxta aquas contentionis,Exod.17.* [f] Contestabor te.] *Sanctissimè tibi pollicebor.* [g] Dilata os tuum.] *Aperi quantum velis os tuum, & postula à me quicquid charum fuerit animo tuo, ego copiosissimè voti compotem faciam te.* [h] Inimici Domini mentiti essent ei.] *Subiecti fuissent,& saltem ficto animo paruissent, vt alibi diximus. Vel,inimici,qui de sua virtute gloriabantur,deprehensi essent mendaces,cum subijcerentur ei,atque id quidem accidisset hostibus,at horum,id est, populi mei fuissent tempora felicia perpetuò.*

Psalmus

Psalmus Asaph LXXXI.

DEus stetit [a] in synagóga Deorum:in medio autem deos dijudicat. Vsquequo iudicatis iniquitatem: & [b] facies peccatorum sumitis? Iudicate egeno & pupillo:humilem & pauperem iustificate. Eripite pauperem:& egenum de manu peccatoris liberate.Nescierunt neq; intellexerunt,in tenebris ambulant:[c] mouebuntur omnia fundamenta terræ. [d] Ego Dixi dij estis, & filij excelsi omnes:Vos autem sicut
Ioan. 10.g homines moriemini:& sicut vnus de principibus cadetis. [e] Surge Deus,iudica terram:quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus.

SCHOLIA.

Monet principes Vt iustitiæ studeant:invocat Deum, Vt ipse per Christum orbem iudicet. [a] In synagoga Deorũ.] *Scriptura principes & iudices,deorum nomine dignatur,omnino enim diuinum quiddam est, hominem in homines vitæ,ac necis arbitrium habere,Ait ergo,Deus adest,& adsertit,quicquid iudices agunt, & statuunt,et quo pacto subiectos iudicent.* [b] Facies peccatorum sumitis.] *Accipitis personas, & in gratiam impiorum iustos opprimitis.* [c] Mouebuntur omnia fundamenta terræ.] *Hoc est,cum impij in iudicij loco sedent, qui nihil nouerunt, neque intelligunt,omnia perturbantur,& omnis humanæ vitæ ratio & ordo confunditur, quæ non nisi side & iustitia consistit. Vel sic.* Nihilo facti sunt *admonitionibus his sapientiores,sed in tenebris assiduè versantur,quæres ita Deo inuisa est,Vt propterea aliquoties sic totum orbem turbauerit, Vt bases terræ tantum non visæ fuerint.* [d] Ego dixi Dij estis.] *Ego Vos habui pro dijs, & similes iudicauI Vos omnes angelis,qui tam sunt chari Deo, Vt videri possint filij altissimi. Verum longè vobis alter, quam filijs eueniet: moriemini enim sicut abiectissimus quisque in plebe,& quemadmodum tyrannus quispiam præcipitabimini,ad inferos.* [e] Surge Deus.] *Hæc cum ita se habeant,surge, quæso, tu ipse Deus,Vt iudices terram: tu enim velati hæreditarie iure, & tanquam patrimonium possidebis vniuersas gentes, quod ad Euangelica tempora pertinet.*

Canticum,& Psalmus Asaph LXXXII.

DEus qui similis erit tibi? ne taceas, neque compescaris Deus. Quoniam ecce inimici tui sonuerunt: & qui oderunt te,extulerunt caput. Super populum tuum malignauerunt consilium: & cogitauerunt [a] aduersus sanctos tuos. Dixerunt, Venite,& dispersamus eos de gente:& non memoretur nomen Israel vltrà. Quoniam cogitauerunt vnanimiter: simul aduersus te testamentum disposuerunt tabernacula Idumæorum & Ismahelitæ. Moab,& Agareni,Gebal & Ammon,& Amalec:† Palæstini cum habi-
Iudic.7.f tantibus Tyrum. Etiam Assur venit cum illis:facti sunt in adiutorium [b] filijs Lot. [c] Fac illis sicut Madian
Iudic.4.d & Sisare: sicut Iabin in torrente Cisson. Disperierunt in Endor:facti sunt vt stercus terræ. Pone principes
Iudic.7.g eorum sicut Oreb & Zeb:& Zebee,& Salmana. Omnes principes eorum, qui dixerunt, Hæreditate possideamus sanctuarium Dei. Deus meus pone illos [d] vt rotam,& sicut stipulam ante faciem vẽti. Sicut ignis qui comburit syluam,& sicut flamma comburens mõtes:Ita persequeris illos in tempestate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominia:[e] & quærent nomen tuum Domine. Erubescant & conturbentur in sæculum sæculi:& confundantur & pereant.Et cognoscant quod nomen tibi Dominus, tu solus altissimus in omni terra.

SCHOLIA.

Hebræi existimant hunc psalmum in hostes illos compositum esse,qui contra Iosaphat ingentibus copijs venerant, de quibus legimus.2.Paralip.20.si sanè ita, Vt hic populus sanctus precatus est,extincti diuinitus fuerunt. [a] Aduersus sanctos tuos.] *Alij verterunt,absconditos:nam absconditi Dei electi sunt,eò quòd fruatur tutela Dei mundo abscondita.* [b] Filijs Lot.] *Hoc est,Ammonitis,& Moabitis,quos Lot ex incestu filiarum genuit.* [c] Fac illis sicut Madian.] *Horum historias habes Iudicum.6.7,8.* [d] Vt rotam.] *Hoc est,instabiles.* [e] Et quærent.] *Et quærere cogantur placationem lesi numinis tui Domine.*

† Vincenti in Gittith,filijs Core Psalmus LXXXIII.

QVàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum: concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Cor meum & caro mea exultauerũt in Deum viuum. [a] Etenim passer inuenit sibi domum: & turtur nidum sibi,vbi ponat pullos suos. [b] Altaria tua Domine virtutũ:rex meus & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua Domine:in sæcula sæculorum laudabunt te. [c] Beatus vir cuius est auxilium abs te,semitæ in corde eorum, Transeuntes per vallem mororum,fontem ponent eam. Et benedictione amicietur legislator, ibunt de virtute in virtutem: videbitur Deus deorum in Sion. Domine Deus virtutum exaudi orationem meam:auribus percipe Deus Iacõb. Protector noster aspice Deus, & respice [f] in faciem CHRISTI tui:Quia [g] melior est dies vna in atrijs tuis super millia. Elegi abiectus esse in domo Dei mei:magis quàm habitare in tabernaculis peccatorum. [h] Quia sol & clypeus est Dominus Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus,Non priuabit bonis eos qui ambulant in innocentia:Domine virtutũ, beatus homo qui sperat in te.

SCHOLIA.

Multo flagrantissimum Dauid desyderium veniendi in cœtum sacrum, & felicitas illum adeuntium, atq; in eo Deum laudantium,describitur. [a] Etenim passer.] *Dolebat quòd ob intestina bella cogeretur deserere tabernaculum Domini, ad quod tamen passeribus & hyrundinibus patebat aditus.* [b] Altaria tua Domine.] *Quidam coniungunt superioribus, sic. Inuenit passer domum iuxta altaria tua. Alijs videtur aposiopesis, Vt dicat altaria tua Domine ego contingere non possim.* [c] Beatus vir.] *Hebraica ita se habent. Beatus vir cuius est fortitudo à te, omnes qui habent semitas in corde suo. Transeuntes per vallem mororum,fontem ponent ipsam,etiam canales occupabit pluuia,ibunt cateruatim. Vel,etiam benedictione amicietur legislator,ibunt de virtute in virtutem,hoc videbitur à Deo in Sion, Vt sit sensus. Dixerat beatos habitatores domus Domini,quare addit. Beatus est,cuius est fortitudo à te, Vt scilicet ire posit ad templum tuum, & beati omnes, qui habent semitas in corde suo, hoc est, mentem præparatam ad visendum templum Dei. Transeuntes per vallem mororum, intelligit*

intelligit locum aquis carentem,vbi eiusmodi arbores crescebant. Homines,ergo illi si transirent per eiusmodi viam, Vt irent ad templum Domini, ponerent ibi fontes, Vt aquam haberent: etiam piscinas occuparet pluuia,hoc est, & Deus mitteret pluuiam.ibunt cateruatim, &c. Vel,benedictione amicietur legislator, id est, ei, qui fuerit doctor aliorum, omnes benedicent, & ibunt de virtute in virtutem. Hæc omnia videbuntur à Deo in Sion. Quod autem ait. De Virtute, & c. Hebræa dictio significat,robur,cateruam,exercitum,diuitias. [f] In faciem Christi.] *Vncti,ipsius scilicet Dauid,quem Deus per Samuelem vnxerat in regem.* [g] Melior est dies vna.] *Melior est dies Vna, qua degatur in atrys tuis, quam mille quocunq; alio loco. Verè pium,& dignum Dauide animum,sic quod sequitur. Eligerem magis abiectus esse, vel ad limen accubare domus Dei,quàm habitare in splendidis impietatis ædibus.* [h] Sol & Clypeus.] *Lux & securitas.*

† Vincenti filijs Core Psalmus LXXXIIII.

BEnedixisti Domine terram tuam:auertisti captiuitatem Iacob. Remisisti iniquitatem plebis tuę:operuisti omnia peccata eorum. Mitigasti omnem iram tuam:auertisti ab ira indignationis tuæ. [b] Cõuerte nos Deus salutaris noster:& auerte iram tuam à nobis. Nunquid in æternum irasceris nobis?aut extendes iram tuam à generatione in generationem? Deus tu conuersus viuificabis nos:& plebs tua lætabitur in te. Ostende nobis Domine misericordiam tuam:& salutare tuum da nobis. Audiã quid loquatur Dominus Deus:quoniam loquetur [c] pacem in plebem suam. Et super sanctos suos, [d] † vt non reuertantur ad stultitiam. Vere propè timentes eũ salutare ipsius:[e] vt inhabitet gloria in terra nostra. [f] Misericordia & veritas obuiauerũt sibi:iustitia & pax osculatæ sunt. Veritas de terra orta est:& iustitia de cœlo prospexit. Etenim Dominus dabit benignitatem: & terra nostra dabit fructum suum. [g] Iustitia ante eum ambulabit: & ponet in via gressus suos.

SCHOLIA.

Vaticinium de regno Christi, & pro aduentu eius precatio,cum descriptione felicitatis, qua omnia plena sunt, vbi illud obtinuerit. [a] Benedixisti.] *Reconciliatus es terræ tuæ,reduxisti enim è captiuitate Iacob.* [b] Conuerte nos.] *Recipe nos in gratiam, precatur enim salutem, quæ per Christum danda erat.* [c] Pacem in plebem suam.] *Hoc est,loquetur de populo suo,res feliciter habituras.* [d] Vt non reuertantur ad stultitiam.] *Stultitia vocatur seruitus cupiditatum, quam excludit pax illa cœlestis, vbi cor possederit hominis.* [e] Vt inhabitet gloria.] *Intelligitur hic per gloriam præsentia diuinæ maiestatis incarnatæ.* [f] Misericordia & veritas.] *Significatur hoc versiculo diuinarum promissionum adimpletio, veritatis,bonitatis,iustitiæ,& pacis abundantia mutuata similitudine ab hominibus,sibi inuicem occurrentibus,atq; mutuo osculantibus. Additur alia similitudo de fœcunditate terræ respondentis benignitati cœli,per quam significatur omnia plena esse iustitiæ & veritatis in regno Christi.* [g] Iustitia ante eum ambulabit.] *Hoc est iustus quisque studebit ambulare ante Deum,& ponere gressus suos in via mandatorum Dei,ageté feliciter. Vel, Iustitia præcedet illum,qui Domino charus est, & figet gressus viri illius in via,per quam gradietur: Vt proprie referatur ad Christum.*

† Oratio Dauid LXXXV.

INclina Domine aurem tuam,& exaudi me:quoniam inops & pauper sum ego. Custodi animam meã, quoniam [a] sanctus sum: saluum fac seruum tuum Deus meus sperantem in te. Miserere mei Domine quoniam ad te clamaui tota die:lętifica animam serui tui, quoniam ad te Domine animam meã leuaui. Quoniam tu Domine suauis, & mitis, & multæ misericordiæ omnibus inuocantibus te. Auribus percipe Domine orationem meam:& intẽde voci deprecationis meæ. In die tribulationis meę clamaui ad te:[b] quia Ioel. 2.c exaudisti me. Non est similis tui in dijs Domine:& non est secundum opera tua. [c] Omnes gentes quascũq; fecisti, venient, & adorabunt coràm te Domine: & glorificabunt nomen tuum: Quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus. Deduc me Domine in via tua, & [d] ingrediar in veritate tua: † vni cor meum, vt timeat nomen tuum. Confitebor tibi Domine Deus meus in toto corde meo,& glorificabo nomen tuũ in æternũ. Quia misericordia tua magna est super me: & eruisti animam meam [e] ex inferno inferiori. Deus iniqui insurrexerunt super me, & synagóga potentium quæsierunt animam meam: & non proposuerunt te in conspectu suo. Et tu Domine Deus miserator & misericors, patiens & multę misericordiæ & verax. Respice in me, & miserere mei, da † robur tuum puero tuo: & saluum fac filium ancillæ tuæ. [f] Fac mecum signum in bonum, vt videant qui oderunt me, & confundantur: quoniam tu Domine adiuuisti me,& consolatus es me.

SCHOLIA.

Precatur propheta in hoc psalmo se iuuari à Deo, Vt innocenter ac piè viuat, vbi & de regno Christi fit mentio. [a] Sanctus sum.] *Candido sum erga te pectore.* [b] Quia exaudisti me.] *Quia solitus es me exaudire.* [c] Omnes gentes.] *Vaticinatur de regno Christi, sub quo omnes gentes ad veritatem erant venturæ, & ad salutem vocandæ.* [d] Ingrediar in veritate tua.] *Nihil dubitabo, quin bona fide mihi comes itineris futurus sis.* [e] Ex inferno inferiori.] *Intelligit periculum capitale, quòd in sepulchrum afflictum demisisset, nisi Deus se liberatorem exhibuisset.* [f] Fac mecum signum.] *Hoc propterea dicit, quòd sine magna significatione fauoris Dei, ergà se, homo eiectus, & toto regno expulsus, non poterat euehi in solium regni.*

Filijs Core Psalmus cantici LXXXVI.

FVndamenta eius in montibus sanctis: [a] diligit portas Sion super omnia tabernacula Iacob. Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei. [b] Memor ero Rahab & Babylonis scientiũ me. Ecce † Philistæa, & Tyrus,& populus Æthiopum: † [c] ille natus est illic. [d] Et de Sion dicetur,Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundauit eam altissimus. [e] † Dominus commemorabit in descriptione populorum,iste natus est ibi. [f] Et cantores sicut tibicines:omnes modulationes meæ in te.

Scholia.

SCHOLIA.

Ecclesiam sanctorum sub typo Hierusalem, sacri Vates prædicant, quia hæc Hierosolymis cœpit, atque inde per orbem diffusa est, & ad cunctas propagata mundi nationes. [a] Diligit Dominus portas Sion.] *Elegit enim Hierusalē præ omnibus vrbibus ac locis Iacob, id est, populi Iudæorū.* [b] Memor ero Rahab.] *Hoc est, agnoscam inter populum meū, & hos, qui extremi fuere hostes eiusdem populi mei, eritq; vna ecclesia Israelitarum & gentium. Intelligitur autem per Rahab Aegyptus.* [c] Ille natus est illic.] *Vnientur gentes fidelibus Dei habitātibus in Sion, eò quòd ille in Sion sit natus, qui ab omnibus iustis expectatus fuit, & à prophetis prænunciatus.* [d] Et de Sion dicetur.] *Vbi ille natus illic fuerit, & declaratus, factum est, vt quàm plurimi ibi renascerentur, vt quotidie diceretur, ille & ille natus est ibi, dedítque nomen suum Christo, & altissimus confirmabit hanc ecclesiam suam. Vel, De Sion quidem dicetur, quòd plurimi nati sint in ea, sed insignis ille confirmabit eam, cum sit altissimus.* [e] Dominus commemorabit.] *Hoc est. Dominus efficiet, dum conscribet populos, qui in se credent, vt commemoretur, quòd iste insignis ibi natus sit.* [f] Et cantores.] *Quicquid vsquam inueniri potest laudis, & precoq, erit in Sion, ad extollendam Dei bonitatem, qui filium suum pro totius mundi salute, tradidit, meræq, scaturigines sanctissimarum meditationum, & locutionum diuinarum erunt in ea. Nam quidam vertit. Omnes scaturigines meæ in te. Propriè autem significat studium & diligentiam.*

Canticum psalmi filijs Core † Vincenti in Mahalath ad respondendum, intellectus Eman Ezrahitæ LXXXVII.

DOmine Deus salutis meæ, in die clamaui & nocte coràm te: Intret in conspectu tuo oratio mea: inclina aurem tuam ad precem meam. Quia repleta est malis anima mea: & vita mea inferno appropinquauit. Æstimatus sum cum descēdentibus in lacum factus sum sicut homo sine † viribus: [a] inter mortuos liber. Sicut vulnerati dormientes in sepulchris, quorum non es memor amplius: & ipsi de manu tua repulsi sunt. Posuisti me in lacu inferiori: in tenebrosis, & † profundis. Super me confirmatus est furor tuus: & omnes fluctus tuos induxisti super me. Longè fecisti notos meos à me: posuerunt me abominationem sibi. † Clausus sum, & non egrediar: oculi mei languerunt præ inopia. Clamaui ad te Domine tota die: expandi ad te manus meas. Nunquid mortuis facies mirabilia: aut [b] † mortui resurgent, & confitebuntur tibi? Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam: & veritatem tuam in perditione? Nunquid cognoscentur in tenebris mirabilia tua: & iustitia tua [c] in terra obliuionis? [d] Et ego ad te clamaui: & manè oratio mea præueniet te. Vt quid Domine repellis † animam meam, auertis faciem tuam à me? Pauper sum ego, [d] & in laboribus à iuuentute mea: † tuli terrores tuos, [e] dico, ne forte. In me transierunt iræ tuæ: & terrores tui † oppresserunt me. Circundederunt me sicut aqua: tota die circundederunt me simul. Elongasti à me amicum & proximum: & notos meos † abscondisti.

SCHOLIA.

Creditur authorem huius psalmi Heman fuisse, traditum verò ad cantandum filijs Core. [a] Inter mortuos liber.] *Ereptus per mortem & liber à negotijs huius mundi. Alij distinguunt à superiori, & hic inchoant nouum sensum sic. Præstaret esse mortuum & liberum ab his malis, quales sunt qui vel vulnerati, vel morbo extincti, iacēt in sepulchris, quorum non recordaberis amplius, vt vitæ huic, quā vixerunt, eos restituas, verum liberi sunt à plagis hos tuis quibus ego affligor.* [b] Mortui resurgent.] *Quasi dicat, Viuo mihi adhuc, succurrendum est, nam vbi mortuus quis fuerit, non reuertitur iam ad hanc vitam degendam, vt tibi de reddita vita gratias agat.* [c] In terra obliuionis.] *In sepulchro scilicet, in quod vbi quis descenderit, memoria eius cito aboletur.* [d] Et in laboribus.] *Vel, deficiens siue expiranti similis.* [e] Dico, ne forte.] *Scilicet accidant mihi hæc atque hæc.*

Intellectus Ethan Ezrahitæ LXXXVIII.

MIsericordias Domini in æternum cantabo. In generationem & generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. Quoniam dixi, In æternum [a] misericordia ædificabitur: in cœlis præparabitur veritas tua. † [b] Disposui testamentum electis meis, iuraui Dauid seruo meo, vsque in æternum præparabo semen tuum, Et ædificabo in generatione & generationem sedem tuam. [c] Confitebuntur cœli mirabilia tua Domine: & † veritatem tuam in ecclesia sanctorum. Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino? similis erit Deo in filijs Dei? [d] Deus formidabilis in consilio sanctorū: magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt. Domine Deus virtutum, quis similis tibi? potens es Domine, & [e] veritas tua in circuitu tuo. [f] Tu dominaris potestati maris: motum autem fluctuum eius tu mitigas.
Gene. 1.a [g] Tu humiliasti, sicut vulneratum, superbum: in brachio virtutis tuæ dispersisti inimicos tuos. Tui sunt cœli & tua est terra: orbem terræ & plenitudinem eius tu fundasti: aquilonem & austrum tu creasti. [h] Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt: tuum brachium cum potentia. [i] Firmetur manus tua, & exaltetur dextra tua: iustitia & iudicium præparatio sedis tuę. [k] Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: beatus populus qui scit iubilationem. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iustitia tua exultabuntur. [l] Quoniam gloria virtutis eorum tu es, & in beneplacito tuo [m] exaltabitur cornu nostrum. Quia Domini est protectio nostra, & sancti Israel regis nostri. [n] Tunc locutus es in visione sanctis tuis, & dixisti, Posui adiutoriū in potente: & exaltaui electum de plebe mea. Inueni Dauid seruum meum: oleo sancto meo vnxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei: & brachium
1.Reg.16. c.20. meum confortabit eum. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non apponet nocere ei. Et
Act.13.d concidam à facie ipsius inimicos eius: & odientes eum, † percutiam. Et veritas mea & misericordia mea cum ipso: & in nomine meo exaltabitur cornu eius. [o] Et ponam in mari manum eius: & in fluminibus dexteram eius. Ipse inuocauit me, Pater meus es tu: Deus meus & firmamentum salutis meæ, Et ego primogenitum ponam illum: excelsum præ regibus terræ. In æternum seruabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi. Et ponam in sæculum sæculi semen eius, & thronum eis sicut dies cœli.

Si autem

Si autem dereliquerint filij eius legem meam: & in iudicijs meis non ambulauerint, Si iustitias meas profanauerint: & mandata mea nō custodierint, Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: Misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neq; † mentiar in veritate mea. Neque profanabo testamentum meum: & quę procedunt de labijs meis, non faciam irrita. [p] Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar: semen eius in ęternum manebit. Et thronus eius sicut sol in conspectu meo, & sicut 2. Reg.7.d luna † firmabitur in ærternū: & [q] testis in cœlo fidelis. [r] Tu verò repulisti & despexisti: † iratus es in CHRISTVM tuum. Dissipasti testamentum serui tui: prophanasti in terra † diadema eius. Destruxisti omnes sepes eius: proposuisti [f] firmamentum eius formidinem. Diripuerunt eum omnes transeuntes viam: factus est opprobrium vicinis suis. Exaltasti dexteram deprimentium eum: lætificasti oēs inimicos eius. [t] Auertisti † aciem gladij eius: & nō es auxiliatus ei in bello. Destruxisti † eius ornatum: & sedem eius in terra collisti. Minorasti dies † iuuentutis eius: perfudisti eum confusione. Vsquequo Domine auerteris in finem: exardescet sicut ignis ira tua? Memorare [u] quæ mea substantia: nunquid enim vanè constituisti omnes filios hominum? Quis est homo qui viuet, & non videbit mortem: eruet animā suam de manu inferi? Vbi 2. Reg.7.c sunt misericordiæ tuæ antiquæ Domine: sicut iurasti Dauid in veritate tua? Memor esto Domine opprobrij seruorum tuorum, quod continui in sinu meo multarum gentium, [x] Quod exprobrauerunt inimici tui Domine, quod exprobrauerūt [y] vestigijs CHRISTI tui. [z] Benedictus Dominus in æternum: fiat fiat.

SCHOLIA.

Fœdus id est, testamentum nouum, & æternum sub typo Dauidis copiosè & eleganter celebrat. [a] Misericordia ædificabitur.] *Crescet vel augebitur pietas tua, sicut et veritas tua seu fides tua, tam firma manet in promissionibus sicut cœlum ipsum, vt illud in cœlis sit Hebraismus, pro, cum cœlis.* [b] Disposui testamentum.] *Testamentum illud est, quo Deus promisit filij sui incarnationem ex semine Dauid propter salutem hominū.* [c] Confitebuntur cœli.] *Testantur cœli, quàm admirandus artifex sis. Vel per cœlos, nubes, filios Dei, intelligit cœlestes mentes, quæ vt ex hominum instauratione suā perfectionem consequuntur, ita illæ de ea pariter Deum prædicant.* [d] Deus formidabilis.] *Deus miris modis magnus est, & suspiciendus, etiam in cœtu sanctorum suorum, & metuendus cunctis, qui circa illū sunt.* [e] Veritas tua in circuitu tuo.] *Fides ac stabilitatis tuæ circum te habes testes plurimos.* [f] Tu dominaris potestati maris.] *Tu imperium habet in vastitatem maris.* [g] Tu humiliasti.] *Tu contriuisti vsque ad internitionem Aegyptum. In Heb. est. Rahab, sicut & supra. Memor ero Rahab.* [h] Thabor & Hermon.] *Hoc est occidentem & orientem: nam Thabor ad occidentem, Hermon, ad orientem situs est, præcipui montes in terra Israel.* [i] Brachium tuum cum potentia.] *Subaudi, est, Brachium (inquit) habes omnipotentia præditum.* [k] Firmetur.] *Vel, firma est, & robustissima.* [l] In iustitia tua exaltabuntur.] *Beneficio iustificationis tuæ magni erunt.* [m] Exaltabitur cornu nostrum.] *Superiores nos facies hostibus nostris.* [n] Domini est assumptio nostra.] *Vel protectio nostra, beneficio Domini (inquit) magis quàm, illo Clypeo tuti sumus, & auxilio illius, qui sanctimoniæ author est Israeli, feliciter cedent, quæcunque aggreditur noster rex. Nam verti etiam potest sic. Apud sanctum Israelis rex noster.* [o] Tunc locutus es.] *Olim locutus es cum sancto tuo Samuele, quomodo cum prophetis soles, et dixisti, robur addidi viro alioqui forti, exaltaui adolescētem illum, quem è populo elegeram. Canitur ergo hic promissio facta Dauid, quam memorat & sacra historia, 2. Regum. 7. & 1. Paralip. 17.* [p] Ponam in mari.] *Dominium eius erit etiam super illos, qui finitimi sunt mari, & qui habitant iuxta flumen Euphratem, atque Tigrim. Agnoscebant enim imperium Dauid Syri, Palestini, Moabitæ, Idumæi & aliæ finitimæ gentes. Attamen hæc omnia intelliguntur veriùs de Christo, cuius typus fuit Dauid. Ille ergo patris cœlestis vnicus imperium habet in omnes: primogenitus & consubstantialis filius, celsior omnibus regibus terræ, cuius thronus est sicut dies cœli, id est, æternus.* [q] Semel iuraui in sancto meo.] *Per sanctitatem & maiestatem meam. Si Dauid mentiar. Hebraismus est sicut & illud, Si intrabunt in requiem meam: quasi dicat, absit vt intrent, absit vt mentiar Dauid, sed firmum erit semen eius & manebit in æternum.* [r] Testis in cœlo fidelis.] *Sol & luna testes sunt durationis regni Christi. Vt enim illa nunquam deficient, ita nec regnum Christi.* [s] Tu verò repulisti.] *Querela est populi Iudaici, quibus omnia videbantur contraria promissionibus Dei euenire in captiuitate Babylonica, vel in persecutione, quam mouit contra eos Antiochus. Tunc videbatur Deus abiecisse populum suum, repudiasse regnum & Christum suum, hoc est, Dauid, & semen eius, dissipasse fœdus suum, destruxisse vineæ suæ maceriam, et manum porexisse hostibus contra populum suum.* [t] Firmamentum eius formidinem.] *Vel munitiones in confractionem.* [u] Auertisti aciem gladij.] *Retudisti aciem gladij nostri.* [x] Quæ mea substantia.] *Quàm scilicet breuis & nihil sit vita mea, an non ex ipsa conditione, mali satis habemus, qui vanitati per totam vitā obnoxij, quotquot sumus posteri Adæ, ab ie cōditi sumus. Cur ergo nos obnoxios facis tot calamitatibus, alioqui cito morituros?* [y] Vestigijs Christi tui.] *Iudæi sancti, qui ex suo sanguine sperabant Christum nasciturum, omnia mala, & opprobria ipsis irrogata queruntur vergere in ignominiam Christi, præsertim cum hostes eorum ipsis insultarēt, se frustra expectare aduentum Messiæ, cuius vestigia nūquam essent visuri.* [z] Benedictus Dominus.] *Claudit psalmum oratione digna fideli homine. Qualiscunque (inquiens) status sit rerum nostrarum. Deus quod promisit, non poterit non præstare: quamuis molesta sit nobis mora, quare dignus est, qui perpetuo laudetur ab omnibus. Amen. Amen.*

Oratio Moysi hominis Dei LXXXIX.

DOmine, refugium factus es nobis à generatione in generationem. Priusq; montes fierent: aut formaretur terra, & orbis à fœculo & vsq; in fœculum tu es Deus. † [b] Conuertis hominem vsque ad cōtritionem: & dicis, reuertimini filij hominum. Quoniam mille anni ante oculos tuos: tanq; dies hesterna quæ præterijt. Et custodia in nocte, † diffluent velut somnus. Manè sicut hærba transeat, manè floreat & trāseat: vespere decidat, † & arescat. Quia defecimus in ira tua: & in furore tuo turbati sumus. Posuisti iniquitates nostras in cōspectu tuo: [c] † occulta nostra in illuminatione vultus tui. Quoniam omnes dies nostri defecerunt in ira tua † Defecerunt anni nostri [d] veluti sermo: dies annorum nostrorū in ipsis [e] septuaginta anni. Si autem in potētibus octoginta anni: [f] & fastus eorum labor & dolor. Quoniam cito recedit, Eccle. 18.a

& nos

& nos auolamus. g Quis nouit poteſtatem iræ tuæ:& pro timore tuo iram tuam? † h Vt numeremus dies noſtros ſic notum fac: & erudiemus cor ſapientia. Conuertere Domine, i vſquequo? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos. † Repleamur mane misericordia tua: & exultabimus & delectabimur omnibus diebus noſtris. † Lætifica nos pro diebus quibus nos humiliaſti: annis quibus vidimus mala. † k Appareat in ſeruis tuis opus tuum, & gloria tua in filijs eorum. Et ſit ſplendor Domini Dei noſtri ſuper nos, & opera manuũ noſtrarum confirma ſuper nos: & opus manuum † noſtrarum confirma.

SCHOLIA.

a Domine refugium.] *Vel habitaculum, Vt videatur reſpexiſſe ad tabernaculum fœderis, quaſi diceret, non hoc, ſed tu ipſe es verum habitaculum, & fuiſti antequam orbis ipſe conderetur, ad quem tuto confugiamus.* b Conuertis homi nem.] *Hoc eſt tu continuo ducis hominem ad mortem, & dicis, reuertimini corpore in puluerem, & ſpiritu ad me. Et quidem tu Deus noſti, quàm nihilum ſit omne tempus, quo viuimus: cum mille anni in oculis tuis ſint, quaſi dies, eáque, quæ iam præterijt, & ceu vigilia noctis, &c.* c Occulta noſtra.] *Peccata, quæ nos pro occultis habuimus, & in adoleſcentia commiſimus, ipſa luce manifeſtiora, ſunt in conſpectu tuo.* d Veluti ſermo.] *Scilicet illico tranſiens, vel, ſicut leue murmur, ad momentum aurem percellens, vel res momento deſinens, atque, Vt dicitur, dicto citius.* e Septuaginta.] *Iuxta cõmunem curſum naturæ, prouectiores ætate ſeptuageſimũ, aut ad ſummum octogeſimum attingunt annum, pauciſſimi centeſimum.* f Et faſtus.] *Hoc eſt, qui paucis annis ſuperbiunt, & ferociunt, horum vita tandem deſinit in ærumnam, & moleſtiam. Vel, qui præcipui ſunt inter hos, & tanquam flos ipſe huius tam raræ ætatis, & moleſtys & laborioſis miſerijs pleni abeunt velociſſimè, & nos toti, velut alis aſſumptis, auolamus.* g Quis nouit poteſtatem?] *Vel, vim iræ tuæ: maximè ſi à nobis exigas veneration em, maieſtati tuæ debitam, & ob eam non ſatis diligenter præſtitam, quantum res ipſa requirat, vt aſſi volueris.* h Vt numeremus.] *Numerare nos doce ad hunc modum pauciſſimos dies noſtros, & ſemper habere pauci tatem illorum in memoria, Vt nihil nobis de hac vita magni promittentes, diuinæ ſapientiæ ſtudio animum intendamus, Alij hos duos verſus ſic interpretantur. Quis nouit vim iræ tuæ? nam pro modo, quo te quiſque timet, & colit, videtur ſæuire ira tua. Notum ergo fac nobis numerum dierum noſtrorum, Vt ſciamus, quantæ iræ tuæ ſubiecti ſumus, & conſecremus cor noſtrum ſapientiæ.* i Vſquequo.] *Subaudi, abes, & non redis ad nos? Vel, an non ſatis in miſeros nos ſeuiſtura vindex?*
k Appareat in ſeruis tuis.] *Appareat ſeruis tuis ſalutiferum illud redemptionis opus: & reconciliatio diuinæ maieſtatis tuæ, nota fiat ſeruorum tuorum poſteris.*

XC.

a Vi habitat in adiutorio altiſsimi, in protectione † omnipotentis commorabitur. Dicet Domino, Suſceptor meus es tu: & refugium meum Deus meus, ſperabo in eum. Quoniã ipſe liberabit te de b laqueo venantium: & à verbo aſpero. Scapulis ſuis obumbrabit tibi: & ſub pennis eius ſperabis. Scuto circundabit te veritas c eius: d non timebis à timore nocturno, A ſagitta volante in die, e à † peſte perambulante in tenebris: † à pernicie vaſtante in meridie. f Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit. Verùm g oculis tuis conſyderabis: & retributionem peccatorum videbis. Quoniam tu es Domine ſpes mea: h altiſsimum poſuiſti refugium tuum. Nõ accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. Quoniam angelis ſuis mandauit de te: vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te: ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super † leonem & aſpidem ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Quoniam in me ſperauit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognouit nomen meum. Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipſo ſum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum: & oſtendam illi ſalutare meum.

Matth. 4.a
11.Lu.4.b

SCHOLIA.

Canit, quàm tutus agat, liberq; à malis vniuerſis, qui Deo ſeſe ſolida fide commiſerit, Vt nec homines illi, nec Dæmones nocere poſſint. a Qui habitat.] *Alius vertit, Qui ſedet in latibulo altiſsimi, in vmbra omnipotentis commorabitur. Quicunque (inquit) committit ſe protectioni altiſsimi, quantumuis occultæ: illius tutelam ſuſcipit omnipotens Deus, & tuto verſabitur inter pericula vitæ huius.* b De laqueo venantium.] *Hoc eſt, de inſidijs, quæ hoſtes clanculum moliuntur. Et quod ait à verbo aſpero. Hebraiſmus eſt, Vt verbum pro re accipiatur, rem ergo aſperam intellexit interpres, quod alij vertũt, à peſte noxia.* c Veritas eius.] *Veritatem hic, Vt ſæpe aliàs, fidem intelligit, quam ſeruat Deus ſuis.* d Non timebis à timore nocturno.] *Hoc eſt, neque nocte te quicquam terrebit, neque die.* e A peſte perambulante in tenebris.] *A peſte, quæ clam inuadere homines ſolet, & ab ea, quæ de improuiſo ſuborta ſæuiet, ſecurus eris. Hebræi per pauorem noctis, & peſtem graſſantem meridie, intelligũt Dæmones, per quos Deus immittit mala hominibus.* f Cadent à latere tuo mille.] *Hoc eſt, ſi tanta vis peſtis ſæuiat, Vt à ſiniſtris mille cadant, &c. Vel ſi prælium ingreſſus, cum hoſtibus manus conſerueris, corruent à dexteris et à ſiniſtris.* g Oculis tuis.] *Quin potius oculis tuis videbis præliantem pro te Deum, et impios pœnas dare ſecurus aſpicies.* h Altiſsimum poſuiſti.] *Tutiſsimum veluti aſylum, habitaculum refugyq; tui.*

Pſalmus cantici in die ſabbati XCI.

BOnum eſt confiteri Domino: & pſallere nomini tuo altiſsime: Ad annuntiandum mane miſericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. In decachordo & pſalterio, cum cãtico in cithara, Quia delectaſti me Domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo. Quàm magnificata ſunt opera tua Domine: nimis profundæ factæ ſunt cogitationes tuæ. Vir inſipiens non cognoſcet: & ſtultus non intelliget hæc. a Cum exorti fuerint peccatores ſicut fœnum, & floruerint omnes qui operãtur iniquitatem, Vt intereant in ſæculum ſæculi: (tu autem altiſsimus in æternum Domine.) Quoniam ecce inimici tui Domine: quoniam ecce inimici tui peribunt: & diſpergentur omnes qui operantur iniquitatem. Et exaltabitur ſicut vnicornis cornu meum: & ſenectus mea † præ ſucco vireſcet, b Et aſpexit oculus meus inimicos meos: & de inſurgentibus in me malignantibus, audiet auris mea. Iuſtus vt palma florebit: ſicut

ſicut cedrus Libani multiplicabitur. Plãtati in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri florebũt. Adhuc multiplicabuntur in ſenecta † pingues & florentes erunt vt annuntient. Quòd rectus Dominus † fortitudo mea: & non eſt iniquitas in eo.

SCHOLIA.

Ad diem ſabbati inſcriptus pſalmus eſt, quòd ſabbatu, Vt creditur, præcipuè fuerit decantatus. Docet igitur quid ſabbatis in primis ſit agendum, nempe conſiderandi opera Domini, & illum laudãdum iuxta magnificentiam ſuam, quòd potiſſimum agendum decernitur manè & veſpere. a Cum exorti fuerint peccatores.] *Hæc ſunt, quæ ſtultus nõ intelliget: quod videantur virere impy, ſicut gramen, ſed hoc non putandum ſit illorum felicitatis argumentum, ſed damnationis perpetuæ: quodq; ſolida beatitudo apud vnum Deum ſit, qui ſemper altiſsimus permanet.* b Et aſpexit oculus meus.] *Siue, aſpiciet, Vt ſit Hebraiſmus, ſic. Videbit oculus meus in meis, qualia quiſquam optaret in hoſtibus ſuis, & de inſurgentibus in me ſceleratis talia audient aures meæ.*

† XCII.

DOminus regnauit, decõrem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortitudinem & precinxit ſe. Etenim firmauit orbem terræ: qui non commouebitur. Parata ſedes tua Deus ex tunc: à ſæculo tu es. a Eleuauerunt flumina Domine: eleuauerunt flumina vocem ſuam. Eleuauerunt flumina fluctus ſuos: à vocibus aquarum multarũ. b Mirabiles elationes maris: mirabilis in altis Dominus. c Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis: domum tuam † ornat ſanctitudo Domine in longitudinem dierum.

SCHOLIA.

Prædicat maieſtatem Dei, & potentiam, qua omnia condidit. a Eleuauerunt flumina.] *Allegoria eſt, qua ſignificatur hoſtium contra populum Dei, ferocitas, ſed quam Dominus facile compeſcere potuit, qui etiam formidabilis eſt ſæuis fluctibus maris. In hoc autem ſalus etiam per Chriſtũ parta, fuit adumbrata.* b Mirabiles elationes maris.] *Vehementes quidem ſunt marini fluctus, ſed multò eſt potentior Dominus.* c Teſtimonia tua.] *Vera ſunt omnia quæ in ſcriptura promiſiſti, & certa ſunt oracula tua. Per domum verò ornatam & perpetuo perſtituram, intellige fidelium eccleſiam.*

† XCIII.

DEus vltionum Dominus: Deus vltionum † conſpicuus appare. Exaltare qui iudicas terram: redde retributionem ſuperbis. Vſquequo peccatores Domine, vſquequo peccatores gloriabuntur: a Effabuntur & loquentur iniquitatem: † iactabunt ſe omnes qui operantur iniuſtitiam? Populum tuum Domine humiliauerunt: & hereditatem tuam vexauerunt. Viduam & aduenam interfecerunt: & pupillos occiderunt. Et dixerunt, Non videbit Dominus: nec intelliget Deus Iacõb. Intelligite inſipiẽtes in populo: & ſtulti aliquando ſapite. Qui plantauit aurem, non audiet? aut qui finxit oculum, non conſyderat? b Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem ſciẽtiam? Dominus ſcit cogitationes hominũ quoniam vanę ſunt. Beatus homo c quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum, Vt mitiges ei à diebus malis: donec fodiatur peccatori fouea. Quia non repellet Dominus plebem ſuam, & hæreditatem ſuã non derelinquet: Quoaduſq; iuſtitia cõuertatur in iudicium: d & qui iuxta illam, omnes qui recto ſunt corde. Quis conſurget mihi aduerſus malignantes? aut quis ſtabit mecum aduerſus operantes iniquitatem? Niſi quia Dominus adiuuit me: penè habitaſſet in inferno anima mea. Si dicebam, Motus eſt pes meus: miſericordia tua Domine adiuuabat me. Secũdũ multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. e Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis: † vt fingas laborem ex præcepto? † Congregabuntur in animam iuſti, & ſanguinem innocentem condemnabunt. Et factus eſt mihi Dominus in refugium: & Deus meus in adiutorium ſpei meæ. Et reddet illis iniquitatem ipſorum: & in malitia eorum diſperdet eos: diſperdet illos Dominus Deus noſter.

SCHOLIA.

Pſalmus hic ſolatium præſtat pys hominibus, qui ab iniquis & impys opprimuntur. a Effabuntur.] *Hoc eſt, oblatrant impy, quicquid illis in buccam venit: neque Deum, neque homines veriti, immò non credunt eſſe Deum vltorem malorum ſuorum, ideo agunt quicquid illis libet.* b Qui corripit gentes.] *Putant referendum ad vltiones Dei inſigniores, qualis fuit ſummerſio in diluuio, ignis in ſubuerſione Sodomæ &c.* c Quem tu erudieris.] *Quem caſtigas: nõ autem quem tantum caſtigas, ſed & quem doces legem tuam, Vt cognoſcat caſtigationem ſibi cedere in bonum, dum impius graſſatur in pios, quod tandiu fit, donec ei fodiatur fouea, in qua ob ſua ſcelera tandem pereat, & tunc futurum eſt, Vt iuſtitia redeat ad iudicium, & æquum omnibus fiat iudicium.* d Et qui iuxta illam.] *Vel, Et poſt illam incedent omnes, qui recto ſunt corde.*
e Nunquid adhæret tibi.] *Nunquid commune tibi quicquam erit cum ſolio & poteſtate Tyranni, qui ſtruit calumniã iuſontibus, idq; ſuo more, & tanta calliditate, vt legitimè illud facere videatur.*

† XCIIII.

VEnite, exultemus Domino, iubilemus Deo ſalutari noſtro. Preoccupemus faciem eius in confeſsione: & in pſalmis iubilemus ei. Quoniã Deus magnus Dominus: & rex magnus ſuper omnes deos: Quia in manu eius ſunt a † penetralia terræ: & altitudines montium ipſius ſunt. Quoniam ipſius eſt mare, & ipſe fecit illud: & ſiccam manus eius formauerunt. Venite, adoremus, & procidamus, & † genua flectamus ante Dominum qui fecit nos: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter. Et nos populus paſcuę eius: & oues manus eius. Hodie ſi vocem eius audieritis: nolite obdurare corda veſtra. Sicut in irritatione ſecundum diem tentationis in deſerto: Vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerunt me & viderunt opera mea. Quadraginta annis offenſus fui † à generatione hac: & dixi, b Semper hi errant corde: Et iſti non cognouerunt vias meas: † quibus iuraui in ira mea, c Si introibunt in requiem meam.

Heb.3.b
Heb.4.a

Scholia.

SCHOLIA.

Conuocantur hoc psalmo ad exultationem fideles omnes, qui Christum nouerunt: & Iudæi admonentur, vt dum idoneum pœnitentiæ tempus habent, conuertantur ad Dominum. [a] Penetralia terræ.] *Hoc est, nihil est tam abstrusum nihilque tam patens in rerum natura, quod non sit in manu Dei.* [b] Semper hi errant corde.] *In Heb. est, populus errans corde hi sunt.* [c] Si introibunt.] *Hebraismus est, pro, nullo modo introibunt in requiem meã, de qua pulchrè et copiosè epistola ad Hebræos, hunc citans locum.*

† XCV.

1. Par. 16. c
Eccle. 43. d

CAntate Domino [a] canticum nouum: cantate Domino omnis terra. Cantate Domino, & benedicite nomini eius: annuntiate de die in diem salutare eius. Annuntiate inter gentes gloriam eius: in omnibus populis mirabilia eius. Quoniam magnus Dominus, & laudabilis nimis: terribilis est super omnes deos: Quoniam omnes dij gentium † vani sunt: Dominus autem cœlos fecit. Cõfessio & pulchritudo in conspectu eius: † potentia & magnificentia in [b] sanctuario eius. Afferte Domino patriæ gentium, afferte Domino gloriam & † potentiam, afferte Domino [c] gloriam nomini eius. Tollite hostias, & introite in atria eius: adorate Dominum in atrio sancto eius. Commoueatur à facie eius vniuersa terra: dicite in gentibus quod [d] Dominus regnauit. Etenim correxit orbem terræ qui non commouebitur: iudicabit populos in æquitate. Lætentur cœli & exultet terra, commoueatur mare & plenitudo eius: gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt: Tunc exultabunt omnia ligna syluarũ à facie Domini quia venit: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.

SCHOLIA.

Inuitat ad laudem Dei omnes creaturas propterea, quòd Deus iam vtique per Christum suum regnet, vnde non homines modo, sed vniuersæ etiam creaturæ restituuntur. Vaticinium autem est de regno Christi, & eiusdem incremento. [a] Canticum nouum.] *Nimirum, quod in spiritu videret noua, & inaudita beneficia exhibenda vniuerso populo terræ.* [b] In sanctuario eius.] *Nomine sanctuarij, intelligè hic ecclesiam Christi, decoratam cœlestibus ornamentis, præfiguratam magnificentia templi Iudaici.* [c] Gloriam nomini eius.] *Tribuite ei maiestatem, quæ respondeat nomini ipsius. Et illud, in atrio sancto eius. In Heb. est, in magnificentia sanctitatis.* [d] Dominus regnauit.] *Hoc est, regnum Dei per Christum venit in orbem, & est orbis sic per illud confirmatus, vt nunquam nutet. Orbis autem, qui recipit regnum Christi, sunt electi Dei, qui ob id tanto gestiunt gaudio, vt ad lætandum inuitent cœlum & terram, atque vniuersas creaturas.*

† XCVI.

DOminus regnauit, exultet terra: [a] lætentur insulæ multæ. Nubes & caligo in circuitu eius: iustitia & iudicium † habitaculum sedis eius. [b] Ignis ante ipsum præcedet: & inflamabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ: vidit, & commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini † facie Domini omnis terræ. [c] Annuntiauerunt cœli iustitiam eius: & viderunt omnes populi gloriam eius. Confundantur omnes qui adorant sculptilia: & qui gloriantur in simulachris suis. Adorate eum omnes angeli eius: audiuit: & [d] lætata est Sion. Et exultauerunt filiæ Iudæ, propter iudicia tua Domine: Quoniam tu Dominus altissimus super omnem terram, nimis exaltatus es super omnes deos. Qui diligitis Dominum odite malum: custodit Dominus animas sanctorũ suorum, de manu peccatoris liberabit eos. [e] Lux orta est iusto: & rectis corde lætitia. Lætamini iusti in Domino: & confitemini memoriæ sanctificationis eius.

Exod. 20. a
Le. 26. a
Deute. 5. a
Heb. 1. c
Amos. 5. d
Ro. 12. b

SCHOLIA.

Et hic de regno Christi vaticinium canit, quo potentiam suam mirificè declarauit, in salutem suorum, et deiectionem hostium, vanarumq; superstitionum. [a] Lætentur insulæ multæ.] *Dicit imperium eius propagandum per terras & insulas maris: prædicat & tremendam potentiam eius, cum dicit, Nubes & caligo in circuitu eius, quasi dicat, ipse agnoscetur esse Dominus, ille terribilis & potentissimus, qui subito ex atra & condensata nube tam horribiliter tonat in cœlis, vt inde commoueatur vniuersus orbis.* [b] Ignis ante ipsum præcedet.] *Ipse est, qui in nouo testamento, non minus se conspicuum fecit igne & fulgure, quàm in veteri testamento: id quod Act. 2. probatur, quando discipuli eius spiritum sanctum acceperit in signo ignis, & in sono venti vehementis. Quin & illi per orbem discurrentes, illum quasi fulgure illustrarunt, fuerunt q; omnibus terrori, vt regna terræ commota fuerint à conspectu eorum, & reges, tanquam montes quidã, cesserũt, confisi fuerunt omnes idolatræ, & adorauerunt hunc vnum & verum Christum omnes angeli.* [c] Annuntiauerunt cœli.] *Prophetæ & apostoli.* [d] Lætata est Sion.] *Ecclesia videlicet, sic & filiæ Iudæ.* [e] Lux orta est iusto.] *Lux fidei, veritatis, vitæ, & felicitatis, & materia perpetuæ lætitiæ seminata est per orbem, vnde iusti gaudent, & laudant, & gratias agunt cum veneratione sanctissimæ maiestati illius.*

Psalmus † XCVII.

Esa. 2. c. & 63. b

CAntate Domino cãticum nouum: quia mirabilia fecit. [a] Saluauit sibi dextera eius & brachium sanctum eius. Notum fecit Dominus salutare suum: in conspectu gentium reuelauit iustitiam suam. Recordatus est misericordiæ suæ, & [b] veritatis suæ domui Israel. Viderunt omnes termini terræ, salutare Dei nostri. Iubilate Deo omnis terra: cantate, & exultate, & psallite. Psallite Domino in cithara, in cithara & voce psalmi: in tubis ductilibus, & voce tubæ. Iubilate in conspectu regis Domini: [c] moueatur mare & plenitudo eius: orbis terrarum, & qui habitant in eo. Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt à conspectu Domini: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terrarum in iustitia: & populos in æquitate.

SCHOLIA.

Idem huius psalmi argumentum est, quod præcedentium duorum psalmorum. [a] Saluauit sibi.] *Vel, salutem parauit sibi, fieri potest si literam spectes, vt salus aliqua magna et victoria obtigerit populo Israelitico de hostibus suis, vnde propheta occasionem*

occasionem acceperit scribendi de salute quam seruator erat allaturus sola sua virtute, quæ hic per dexteram significatur. Et sanè ipsa huius psalmi verba non nisi in Christum proprie quadrant. [b] Veritatis suæ.] *Recordatus est promissionis suarum & quæ pollicitus fuerat, tanquam fidelis, præstitit.* [c] Moueatur mare.] *Quod mare & omnes creaturæ inuitatur ad laudem & plausum, monet salutem per Christum paratam tantam esse, vt eam homo non satis digne perpendere possit: cùpiatq; ob immensum gaudium, quod ex eius meditatione concipit, omnes creaturas incitare ad laudandum Deum.*

† XCVIII.

DOminus regnauit, † cõtremiscant populi: [a] qui sedet super cherubim, moueatur terra. Dominus in Sion magnus: & excelsus super omnes populos. Confiteantur nomini tuo magno, quoniam terribile & sanctum est: & [b] honor regis iudicium diligit. Tu parasti directiones: iudicium & iustitiam in Iacob tu fecisti. Exaltate Dñm Deũ nostrũ: & adorate [c] scabellũ pedũ eius: quoniã sanctũ est. Moyses & Aarõ in sacerdotibus eius: & Samuel inter eos qui inuocãt nomẽ eius. Inuocabant Dñm, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos. Custodiebant testimonia eius, & præceptũ quod dedit illis. Dñe Deus noster, tu exaudiebas eos: Deus propitius fuisti eis: [d] & vlciscens in omnes adinuentiones eorum. Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte sancto eius: quoniam sanctus Dominus Deus noster.

SCHOLIA.

Canit & hic bonitatem & potentiam Dei, per arcam fœderis olim repræsentatam, & Israeli multis portentis declaratam. [a] Sedet super Cherubin.] *Demonstrauit Deus se delegisse sibi sedem in propitiatorio inter Cherubin, significans se libenter habitare inter mentes, quæ sumptis aliis spiritus in cœlis versantur.* [b] Honor regis iudicium diligit.] *Vel virtus, siue potentia regis iudicium diligit. Hoc est, Quamuis potens sit Dominus, non tyrannidem exercebit, sed æquitatem, cuius amantissimus est. Et quòd sequitur, parasti directiones, vel æquitatem, hoc est, gubernabis omnia cum æquitate summa.* [c] Scabellum pedum eius.] *Intelligit arcam, quæ peculiaris erat locus Dei, videlicet vt sinceritas religionis melius in populo conseruaretur, & præludium fieret Christianis, qui corda haberent sursum erecta in cœlum. Quod autem Moses, Aaron, & Samuelis fit mentio, exemplum est integrorum cultorum & ministrorum Dei.* [d] Et vlciscens.] *Hoc ad rebelles in populo refertur, sæpe enim relatiua vsurpantur sine antecedentibus apud Hebræam linguam.*

Psalmus in confessione XCIX.

IVbilate Deo omnis terra: seruite Domino in lætitia. Introite in conspectu eius in exultatione. Scitote quòd Dominus ipse est Deus: Ipse fecit nos, & non ipsi nos. Populus eius, & oues pascuæ eius, introite portas eius in confessione [a] atria eius in hymnis: confitemini illi. Laudate nomen eius, quoniam suauis est Dominus, in æternum misericordia eius, & vsq; in generationem & generationem veritas eius.

SCHOLIA.

Inuitantur hoc psalmo omnes homines ad gratiarum actionem, & laudem Dei, & præsertim monetur hoc fieri in cœtu sacro. [a] Atria eius.] *Sic distingue. Introite portas eius in confessione, hoc est, laude, & in atria eius in hymnis, cõfitemini illi & laudate nomen eius.*

Psalmus ipsi Dauid C.

M[a]Isericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Psallam & [b] intelligam in via immaculata: quãdo venies ad me. Perambulabam in innocentia cordis mei, in medio domus meæ. Non proponebam ante oculos meos rem iniustam facientes preuaricationes odiui, † nec adhæsérũt mihi. Cor prauum declinauit à me: malignum nõ cognoscebam. Detrahentem secretò proximo suo: hunc perdebã. Superbo oculo & insatiabili corde † hunc nõ ferebam. Oculi mei ad fideles terræ, vt sedeant mecũ: ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabit. Non habitabat in medio domus meę qui facit dolum: qui loquitur iniqua non † durauit in conspectu oculorum meorum. [c] In matutino interficiebam omnes peccatores terræ: vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.

SCHOLIA.

Officio pij principis functurum se pollicetur, hoc est, & se victurum innocenter, & malos oppressurum bonosque euecturum. [a] Misericordiam & iudicium cantabo.] *Misericordia mouetur animus ad succurendum proximo, iudicio verò cuncta aguntur æquo libramine, & his duobus constat tota vitæ integritas, præsertim illius qui præsit. De his gloriatur David, & Deo accepta refert.* [b] Intelligam in via immaculata.] *Prudenter me geram, & integritatis morum studiosus ero sed conatus mei irriti fient, nisi venias ad me, id est, nisi tu adiuueris. Alij, quando venies ad me interrogatiuè pronunciant, & sic intelligunt. Quando venies, vt exulantem in regnũ euehas?* [c] In matutino.] *Hoc est, maturè curabã exterminare impios, priusquàm malicia eorum in alios serperet.*

Oratio pauperis cum anxiatus fuerit, & coràm Domino effuderit precem suam. CI.

DOmine exaudi orationem meam: & clamor meus ad te veniat. Non auertas faciem tuam à me: in quacunque die tribulor, inclina ad me aurem tuam. In quacunque die inuocauero te: velociter exaudi me. Quia defecerunt sicut fumus dies mei: & ossa mea [a] sicut † focus aruerunt. Percussus sum vt fœnum, & aruit cor meum: quia [b] oblitus sum comedere panem meũ. A voce gemitus mei, [c] adhæsit os meum carni meæ. Similis factus sum [d] pellicano solitudinis: factus sum sicut nycticorax in deserto. Vigilaui, & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Tota die exprobrabant mihi inimici mei, & † insultantes mihi, [e] aduersum me iurabant. [f] Quia cinerem tanquàm panem manducabant, & potum meum cum fletu miscebam. A facie iræ & indignationis tuę: quia [g] eleuans allisisti me. Dies mei sicut vmbra declinauerunt: & ego sicut fœnum arui. Tu autem Domine in æternum permanes: & memoriale tuum in generationem & generationem. Tu exurgens Domine misereberis Sion: quia tẽpus miserendi eius, [h] quia venit tempus. Quoniam [i] placuerũt seruis tuis lapides eius: & pulueris eius misereb[illegible]tur. Et timebũt gen-

tes nomen tuum Domine,& omnes reges terræ gloriam tuam. Quia ædificabit Dominus Sion: & videbitur in gloria sua. Respexit in orationem humilium:& non spreuit precem eorum. [k] Scribãtur hæc in generatione altera:& populus qui creabitur laudabit Dominum. Quia prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit: Vt audiret gemitus compeditorum, vt solueret filios interemptorum: Vt annuntient in Sion nomen Domini,& laudem eius in Hierusalem,† [l] Cum conueniẽt populi in vnum, & reges vt seruiãt Domino. [m] † Afflixit in via virtutem meam & abbreuiauit dies meos: dicam: Deus meus [n] ne reuoces me in dimidio dierũ meorum: in generatione & generationem anni tui. Initio tu Domine ter-
Hebr.1.c.d ram fundasti:& opera manuum tuarum sunt cœli. [o] Ipsi peribunt, tu autem permanes:& omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos,& mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui nõ deficient. Filij seruorum tuorum [p] habitabunt:& semen eorum † coràm te firmabitur.

SCHOLIA.

Vehemens querela est de miseria populi sancti, qua reuersus à Babylone, dum templum & Vrbem conaretur reparare, innumeris iniurijs & contumelijs fere conficiebatur à gentibus vicinis. Consolatio admiscetur, ex consideratione æternitatis & benevolentiæ Dei iam illucescentis ex fauore Cyri ac Darij. [a] Sicut focus.] *Hoc est, locus in quo perpetuò ignis est.*

[b] Oblitus sum.] *Præ nimia scilicet calamitate, oblitus sum comedere panem meum, iccirco aruit cor meum &c. Et illud oblitus sum.* Ἀνώσιον *habet, quòd tanta esset ægritudo, vt non amplius de cibo cogitaret.* [c] Adhesit os.] *Vix hærebat ossibus pellis mea. In scriptura caro pro pelle, & pellis pro carne interdum accipitur.* [d] Pelicano.] *Nempe auibus, quæ in desertis habitant, & reliquarum auium consortia fugiunt. Vel hoc dicitur, quòd populus in somnos esset, quasi aues nocturnæ.*

[e] Aduersum me iurabant.] *In perniciem meam coniurauerant. Alius vertit. Iurant per me, ideſt, iurãtes imprecantur sibi sortem Iudæorum.* [f] Quia cinerem.] *Notatur per hæc magnus luctus eorum, qui erant in captiuitate.* [g] Eleuans allisisti me.] *Videris extulisse me in altum, vt me grauius ruere faceres.* [h] Quia venit tempus.] *Loquitur de septuaginta annis, quibus templum & ciuitas desolationi subiacere debuerant, post quos erant reædificanda.* [i] Placuerunt seruis tuis.] *Per seruos qui piè sentiebant de ruinis Hierusalem intelligunt Cyrum & Darium. Alij Iudæos, qui piè erant affecti. Serui (inquit) tui iam pridem desiderio tenentur videndorum lapidum eius, & quantumuis misera sit facies, piè tamẽ erga rudera eius affecti, succurrere cupiunt.* [k] Scribentur hæc.] *Dicit scribendam pro posteris reædificationem templi, vt scilicet in memoria habeantur beneficia Dei, præsertim cum illa templi & Vrbis restauratio, figura esset restituendæ per Christum orbis, qui ab initio mundi in solitudinem redactus, manserat sic squalidus vsque ad aduentum eius.* [l] Cum conuenient populi.] *Vide vt in media suorum temporum historia, interserat tempora euangelica, quando colligendi erant populi & regna ad fidem.* [m] Afflixit in via.] *Putant id referendum ad Iudæos qui dum operi perficiendo instarent, multas passi fuerunt iniurias.* [n] Ne reuoces me.] *Ne me hinc sustuleris, in dimidio dierum meorum cum paucissimi sint, & anni tui, nunquam vlla generatione finem sint habituri. Tu eras prius, quàm terræ fundamenta iacerentur. &c. Hic autem locus adducitur in epistola ad Hebræos vbi de Christo loquitur.* [o] Ipsi peribunt.] *Eadem facilitate poteris ad nihilũ redigere, qua creasti.* [p] Habitabunt.] *Securè videlicet, & illorum filiorum filij, fauore tuo in officio continebuntur.*

Ipsi Dauid CII.

BEnedic anima mea Domino:& [a] omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Domino:& noli obliuisci omnes [b] retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui [c] redimit de interitu vitam tuam: qui [d] coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desyderium tuum: renouabitur, [e] vt aquilæ iuuentus tua. Faciens misericordias Dominus:& iudicium omnibus iniuriam patientibus. [f] Notas fecit vias suas Moysi: filijs Israel opera sua. Miserator & misericors Dominus: longanimis & multum misericors. Non in per-
Num. 14.c petuum irascetur:neque in æternum comminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundum altitudinem cœli à terra: corroborauit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat ortus ab occidente:longè fecit à nobis iniquitates nostras. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se:quoniam ipse cognouit figmentum nostrum. Recordatus est quòd puluis sumus, homo sicut fœnum: dies eius tanquam flos agri sic efflorebit. Quoniam [g] spiritus pertransibit † super illum & nõ subsistet:& non cognoscet amplius † eũ locus eius. [h] Misericordia autem Domini ab æterno,& vsque in æternum super timentes eum. Et iustitia illius in filios filiorum: his qui seruant testamentum eius. Et memores sunt mandatorum ipsius ad faciendum ea. Dominus in cœlo parauit sedem suam:& regnum ipsius omnibus dominabitur. Benedicite Domino omnes angeli eius: [i] potentes, virtute facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum eius. Benedicite Domino omnes virtutes eius, ministri eius qui facitis volũtatẽ eius, Benedicite Domino omnia opera eius: in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.

SCHOLIA.

Celebrat Dei bonitatem in homines, peccata illis condonantis, & corporis pariter, ac animi bona cumulatè impertientis.

[a] Et omnia quę intra me sunt.] *Vires omnes meæ: et breuiter complectitur illud, toto corde tota anima.* [b] Retributiones eius.] *Beneficia, quæ in te contulit.* [c] Redimit de interitu.] *Prolongat dies tuos, vt non mox à pueritia sepulchrum te deuorauerit.* [d] Coronat te.] *Veluti regem facit, benignitatis in te, ac pietatis officijs.* [e] Vt aquilæ.] *De renouatione, aquilæ, Hebræi dicunt illam quolibet decennio è sublimitate cœlorum se præcipitem dare in mare, indeq; ei nouas fucrescere plumas. Id verum sit an non, constat certè ex hoc loco, aquilam aliqua ratione reiuuenescere, & vires instaurare.*

[f] Notas fecit.] *Memorat de more superiora illa beneficia collata patribus, quod & nobis faciendum est, in commemorandis beneficijs Dei.* [g] Spiritus pertransibit.] *Vbi vento aliquanto duriore attactus fuerit, emarcescet, & auelletur à loco suo, nec locus ille magis agnoscet ipsum postea quàm si nunquam floruisset ibi.* [h] Misericordia autem Domini.] *Nostra quidem*

miseriam ita se habent, sed misericordia Domini neque hic neque in futurũ deserit timentes se. [i] Potentes virtute.] *Quãta sit angelica vis ostendit strages vnius angeli in exercitu Assyriorum vna nocte.*

CIII.

BEnedic anima mea Domino: Domine Deus meus magnificatus es vehementer. [a] Confessionem & decorem induisti:amictus lumine sicut vestimento. Extendens cœlum sicut pellem:[b] qui tegis aquis superiora eius. Qui ponis nubem [c] ascensum tuum:qui ambulas super pennas ventorum. [d] Qui facis angelos tuos spiritus:& ministros tuos ignem vrentem. Qui fundasti terram [e] super stabilitatem suam: Heb.1.c
non inclinabitur in sæculum sæculi. [f] Abyssus sicut vestimentum amictus eius:super montes stabũt aquę. Ab increpatione tua fugient:à voce tonitrui tui formidabunt. [g] Ascendunt montes & descẽdunt campi in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti quem non transgredientur: neque conuertentur operire terram. Qui [h] emittis fontes in cõuallibus:inter medium montium pertransibunt aquæ. Potabũt omnes bestiæ agri:[i] † sedabũt onagri sitim suã. [k] Super † eas volucres cœli habitabunt:de medio frondium dabũt voces. Rigans montes [l] de superioribus suis: de fructu operum tuorum satiabitur terra: [m] Producens fœnum iumentis:& herbam † cultura hominum. Vt educas panem de terra: & [n] vinum lætificet cor hominis: Vt exhilaret faciem [o] in oleo:& panis cor hominis confirmet. [p] Saturabuntur ligna † Domini, & cedri Libani quas plantauit:illic passeres nidificabunt. † [q] Ciconiæ domus abietes, montes excelsi ceruis: petra refugium herinacijs. Fecit lunam in tempora:sol cognouit occasum suum. Posuisti tenebras, & facta est nox:in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ. Catuli leonum rugientes vt rapiant, & [r] quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol,& congregati sunt:& in cubilibus suis collocabũtur. Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam vsque ad vesperam. [f] Quàm magnificata sunt opera tua Domine! omnia in sapiẽtia fecisti:impleta est terra possessione tua. Hoc mare magnum,& [t] spatiosum † locis:illic reptilia quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis:illic naues pertransibunt. [u] Draco iste quem formasti ad illudendum ei:omnia à te expectant, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent:te aperiente manum tuam:omnia replebuntur bonitate. Auertente autem te faciem, turbabũtur:auferes spiritum eorum, & deficient,& in puluerem suum reuertentur. [x] Emitte spiritum tuum,& creabuntur,& renouabis faciem terræ. Sit gloria Domini in sæculum:lætabitur Dominus in operibus suis. Qui respicit terram, & facit eã tremere:qui tangit montes & fumigant. Cantabo Domino in vita mea:psallam Deo meo quandiu sum. Iucundum sit ei eloquium meum:ego verò delectabor in Domino. Deficient peccatores à terra,& iniqui, ita vt non sint:benedic anima mea Domino.

SCHOLIA.

Hymnus est, quo Deum celebrat à rerum conditione, & benigna omnium gubernatione. [a] Confessionem & decorem.] *Gloriam & maiestatem: Hoc est omnia opera tua tam absoluta & magnifica sunt, vt prædicent, & glorificent te summa ornatum sapientia, potentia, & bonitate. Et enarrans propheta opera Dei, incipit à cœlis & luminaribus cœlestibus, qui sunt veluti pellis, id est cortina & vestis Dei fulgidissima, vt videatur principium Geneseos describere.* [b] Qui tegis aquis.] *Quidam putant esse nonã sphæram, alij intelligunt nubes, quæ cum sit conuolutum crassamẽtum exhalationum, vim habens, aquæ gignendæ, ideo ipsa, quoque nubes aqua appelletur.* [c] Ascensum tuum.[*Veteris nube pro vehiculo. Iccirco et nubes suscepit Dominum, vt patri æqualis agnosceretur.* [d] Qui facis angelos.] *Intelligunt ventos, quibus Deus pro nuncijs vtitur, similiter & ignibus illis, qui in cœlo apparent, & è nubibus emittuntur. Siquis tamen Deum angelos mittere cum igne intelligat, is à verò nihil aberrabit, nam de angelis epistola ad Hebræos hũc locum interpretatur.* [e] Super stabilitatem suam.] *Sine, basim, & ea est aqua, cui terra mirabiliter innatat, vel potius centrum ipsium, ad quod vndique terræ partes suo pondere inclinantur, atque in hunc modum in medio illo mundi terra ipsa immobiliter consistit, omnium elementorum fundamentum.* [f] Abyssus.] *Intellige oceanum intra quem ab initio terra & montes demergebatur: & nunc quoque super montes (inquit) si iusseris, stabunt aquæ. Sed voce diuina, quæ veluti tonitruum est, increpatus, detexit terram: et tunc apparuerunt montes excelsi, & valles, ac planicies campi, statutusque est mari terminus suus, vt illum transgredi non possit.* [g] Ascendunt montes.] *Ad phantasiam hominum dicit, montes ascendisse, & descendisse valles, vbi desinentibus aquis, & in oceanum collectis, montes & campi, valles que apparuerunt. Tale quid et Ouidius. Crescunt loca decrescentibus vndis.* [h] Emittis fontes.] *Alius vertit. Ipse mittit fontes in fluuios, quod scilicet nõ vsqueadeo segregauerit Deus aquas à terra, quin perennes fontes administret, & inexhausto atque perpetuo tenore faciat fluere aquas, non sine magna hominum & animalium omnium commoditate.* [i] Sedabunt onagri sitim suam.] *Onagrorum meminit nominatim, quòd sint inter cæteras bestias solitudinis amantiores, atque iccirco fere habitent in locis arentibus, quare sitis illorum pro exemplo ardentioris desydery ponitur. De his. Hiere. 2. & Iob. 34.* [k] Super eas.] *Iuxta eas, scilicet aquas, & fluuios volucres cœli habitabunt.* [l] De superioribus suis.] *Quod alij verterunt, è cœnaculis suis, id est, è nubibus irrigat altos montes, ne sterilescant.* [m] Producens fœnum.] *Prouenire facit sua sponte fœnum in vsum brutorum animantium, & ad culturam hominis reliquam segetem, vt accipiat sibi cibum è terra, & in sudore vultus sui vescatur pane suo.*

[n] Et vinum lætificet cor hominis.] *Et vinum subauditur, facit Deus prouenire cultura, & labore hominis vt lætificet cor hominis. Et tam salutifero liquore, tamq; nobili, ebrioſi homines abutũtur, in suam aliorumq; perniciem, ingrati, cum ob hanc vnam causam scriptura dicat datum, vt nimijs curis affectum cor, aliquantum eo recreetur, tanquam præcipuo quodam afflicti animi medicamento.* [o] In oleo.] *Putant id dictum de vnguentis odoriferis, alij de oleo, quo lampades accenduntur, vnde illucescat noctu facies hominum.* [p] Saturabuntur ligna Domini.] *Vel, reficiuntur, hoc est, suscipiunt incrementum à Deo, & vocantur ligna vel arbores Domini, quasi ingentes & excelsæ, more Hebræo, vel quòd nulla nisi eius cultura crescant, ideo adiecit, quas plantauit.* [q] Ciconiæ domus abietes.] *Ciconiæ peculiariter meminit, quòd ea in altioribus soleat arboribus nidificare.* [r] Quærant à Deo escam sibi.] *Hinc discendum, si iustus Deus has truces bestias, innocuis feris pascit, quibus tamen post hanc vitam nihil promisit: ferendum nobis esse, siquando malorum*

arbitrio permittimur, qui post hãc vitam illam beatam certò expectamus. Discimus etiam, quo pacto Diuina prouidentia in omnia porrigitur, nec metuit scriptura, nequid de Deo indignum loquatur, si asserat, etiam bruta animãtia expectare a Deo escam. f Quam magnificata sunt.] *Facturus finem enarrandi ea, quæ in terra digna sunt, quæ quinis assiduè contemplentur: pulchro epiphonemate exclamat, admiranda esse & plenissima sapientiæ opera Dei, mox conuertitur ad ea contemplanda, quæ in mari fiunt.* t Spaciosum locis.] *Latum spacys & littoribus. Sed quia Hebræa dictio significat etiam manus, verterat interpres spaciosum manibus.* u Draco iste.] *Aly verterunt, Leuiathan, & significantur immanissima maris belluæ. Et quod ait, ad illudendum ei, vel, vt ludat in eo, notat immensum robur, vt naues euertere, & omnem vim proterere, sit ei merus lusus.* x Emitte spiritum tuum.] *Hoc est, continuè tua creatione renouatur orbis, quando in locum intereuntium animantium alia fingis animalia quibus immittis spiraculum vitæ.*

Halleluia CIIII.

1.Para.16. Esa.12. Ge.22.c d 1.pa.16.c d 2.reg.1.c Gen.37.f 29.d 42.b 41.e 46.a Exod.1.b 3.c.4.d.e 7.a 10.f 7.d 8.b 8.f.e 9.e 10.c.d Exod.12.d 13.d Exod 13.d psal.77. Exod.16.c Num.20.c Ge.22. c.d Iosue.3.d

COnfitemini Domino,& inuocate nomen eius: annuntiate inter gentes opera eius. Cantate ei, & psallite ei: narrate omnia mirabilia eius.† Gloriamini in nomine sancto eius: lætetur cor quærentium Dominum. Quærite Dominum,& † fortitudinem eius: quærite faciem eius semper. Mementote mirabilium eius quæ fecit: prodigia eius & iudicia oris eius: Semen Abraham serui eius: filij Iacob electi eius. Ipse Dominus Deus noster in vniuersa terra iudicia eius. Memor fuit in seculum testamẽti sui verbi [a] quod mandauit in mille generationes: Quod disposuit ad Abraham:& iuramenti sui ad Isaac: Et statuit illud Iacob in præceptum: & Israel in testamentum æternum. Dicens, Tibi dabo terram Chanáan: [b] funiculum hæreditatis vestræ. Cum essent numero breui: paucissimi, & incolæ eius: Et pertransierunt de gente in gentem:& de regno ad populum alterum. Nõ reliquit hominem nocere eis: & [c] corripuit pro eis reges: Nolite tangere christos meos:& in prophetis meis nolite malignari. Et vocauit famem super terram:& omne [d] firmamentum panis contriuit. Misit ante eos virum:in seruum venundatus est Ioseph. Humiliauerunt in compedibus pedes eius:[e] ferrum pertransijt animam eius: donec veniret verbum eius. Eloquium Domini inflammauit eum. Misit rex,& soluit eum, princeps populorum & dimisit eum. Constituit eum Dominum domus suę,& principem omnis possessionis suę. † Vt corriperet principes eius suo arbitrio:& senes eius prudentiam doceret. Et intrauit Israel in Ægyptum: & Iacob accola fuit in terra Cham. Et auxit populum suum vehementer: & firmauit eum super inimicos eius. [f] Cõuertit cor eorum vt odirent populum eius:& dolum facerent in seruos eius. Misit Moysen seruum suum:Aaron quem elegit ipsum. † Posuerunt in eis verba signorũ suorum:& prodigitorum in terra Cham. Misit tenebras,& obscurauit:[g] & non † exacerbauerunt sermones † eius. Conuertit aquas eorum in sanguinem, & occidit pisces eorum. Et dedit terra eorum ranas in penetralibus regum ipsorum. Dixit,& venit cynomya, & sciniphes in omnibus finibus eorum. Posuit pluuias eorum grandinem:ignem comburentem in terra ipsorum. Et percussit vineas eorum & ficulneas eorum: & contriuit lignum finium eorum. Dixit, & venit locusta & brucus,cuius nõ erat numerus: Et comedit omne fœnum in terra eorum:& comedit omnem fructum terræ eorum. Et percussit omne primogenitum in terra eorum: [h] primitias omnis virtutis eorum. Et eduxit eos cum argento & auro:& non erat in tribubus eorum infirmus. Lætata est Ægyptus in profectione eorũ: quia incubuit timor eorum super eos. Expandit nubem in protectionem eorum: & ignem vt luceret eis per noctem. Petierunt,& venit cournix:& pane cœli saturauit eos. Dirupit petram, & fluxerunt aquæ: [i] † decurrerũt in sicco flumina. Quoniam memor fuit verbi sancti sui quod habuit ad Abraham puerum suum. Et eduxit populum suum in exultatione: & electos suos in lętitia. Et dedit illis regiones gentium: & labores populorum possederunt. Vt custodiant iustificationes eius:& legem eius exquirant:Halleluia.

SCHOLIA.

Inuitat ad laudandum Deum apud arcam fœderis, & memorat Dei beneficia in populum suum. [a] Quod mandauit in mille generationes.] *Hoc est: quicquid promisit, constantissimè seruabit, etiam si mille sibi mutuo generationes succedant.* [b] Funiculum.] *Vsurpat mensuram pro re mensurata.* [c] Corripuit pro eis reges.] *Quod patet in Abimelech Gen.12.20.& 26. itemque in Pharaone habetur apertum exemplum.* [d] Firmamentum panis.] *Hebraismus habet, baculum panis, pro sustentatione panis.* [e] Ferrum pertransijt animam eius.] *Frequẽs Hebraismus est, vt anima accipiatur pro ipso corpore animato. Vincula enim ferrea animã ligare non poterant, sed corpus. Et quod sequitur, donec veniret Verbum eius, hoc est, Vsque ad tempus, quo id venit, quod decretum illi à Deo fuerat: sermo videlicet ille, quem suggessit illi Dominus, qui & liberauit illum &c.* [f] Conuertit cor eorum.] *Immutauit animos illorum, nempe Aegyptiorum, vt adito prosequerentur populum suum. Immittit enim Deus suis, qui eos exerceant, vbi obseruandum, omnem hominum & fauorem, & odium, sub imperio Dei contineri.* [g] Et non exacerbauerunt.] *Vel, non fuerunt rebelles sermonibus eius. Hæc Verba referuntur ad Mosen, & Aaron, qui paruerunt Verbo Dei.* [h] Primitias omnis virtutis eorum.] *Pro quibus scilicet laborauerunt. Alius vertit. Primitias omnis virtutis. Vocat enim Hebraismus id, quod primum aperit parentis vterum, primam virtutem, vel primitias virtutis.* [i] Decurrerunt in sicco flumina.] *Aquæ labebãtur instar fluminum per loca arentia.*

Halleluia CV.

Iudith.13.c Eccl.43.d

COnfitemini Domino quoniam bonus:quoniam in sæculum misericordia eius. Quis loquetur potentias Domini: auditas faciet omnes laudes eius? Beati qui custodiunt iudicium: & faciunt iustitiam in omni tempore. Memento nostri Domine [a] in beneplacito populi tui: visita nos in salutari † tuo: [b] Ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ: vt † glorier cum hæreditate tua. Peccauimus cum patribus nostris: iniuste egimus, iniquitatem fecimus. Patres nostri in Ægypto non intellexerunt mirabilia tua: non fuerunt memores multitudinis misericordiæ tuæ. Et irritauerunt † iuxta mare:mare rubrum. Et saluauit eos propter nomen suum: vt notam faceret potentiam suam. Et increpuit mare rubrum,& exiccatum est:& deduxit eos in abyssis sicut in deserto. Et saluauit eos de manu odientium:& redemit eos de manu inimici. Et operuit aqua tribulantes eos: vnus ex eis non remansit. Et crediderunt verbis eius: & laudauerunt laudem eius. [c] Cito fecerunt,obliti sunt operum eius:& non expectauerunt consilium eius. Et concupierunt concupiscentiam in deserto:& tentauerũt Deum in inaquoso.Et dedit eis petitionem ipsorum:& misit [d] † maciem in animas eorum. Et irritauerunt Moysen in castris:Aaron sanctum Domini. Aperta est terra,& deglutiuit Datham:& operuit congregationem Abiron. Et exarsit ignis in synagoga eorum:flamma combussit peccatores. Et [e] fecerunt vitulum in Horeb:& adorauerunt sculptile. [f] Et mutauerunt gloriam suam in similitudinẽ vituli comedentis fœnum. Obliti sunt Deum qui saluauit eos,qui fecit magnalia in Ægypto,mirabilia in terra Cham:terribilia in mari rubro. Et dixit vt disperderet eos:si non Moyses electus eius stetisset [g] in confractione in conspectu eius: Vt auerteret iram eius ne disperderet eos:et [h] pro nihilo habuerunt terram desyderabilem. Non crediderũt verbo eius,& murmurauerunt in tabernaculis suis:non exaudierunt vocem Domini. Et eleuauit manum suam super eos:vt prosterneret eos in deserto. Et vt deijceret semen eorum in nationibus,& disperderet eos in regionibus. Et initiati sunt Beel phegor:& comederunt sacrificia mortuorum: Et irritauerunt eum in adinuentionibus suis:& multiplicata est in eis ruina. Et stetit Phinees,& placauit:& [i] cessauit quassatio. Et reputatum est ei in iustitiam in generationem & generationem, vsq; in sempiternum. Et irritauerunt eum ad aquas contradictionis:& vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerũt spiritum eius [k] vt vacillaret labijs suis.Non disperdiderunt gentes,quas dixit Dominus illis. Et commisti sunt inter gentes:& didicerũt opera eorum,& seruierunt sculptilibus eorum:& factum est illis in scãdalum. Et immolauerunt filios suos, & filias suas dęmonijs. Et effuderunt sanguinem innocẽtem, sanguinem filiorum suorum & filiarũ suarum: quas sacrificauerunt sculptilibus Chanáan. Et infecta est terra in sanguinibus, & contaminata est in operibus eorum: & fornicati sunt in adinuentionibus suis. Et iratus est furore Dominus in populum suum: & abominatus est hęreditatem suam. Et tradidit eos in manus gentium:& dominati sunt eorum,qui oderunt eos. Et tribulauerunt eos inimici eorum:& humiliati sunt sub manibus eorum:sæpe liberauit eos. Ipsi autem exacerbauerunt eum in consilio suo:& humiliati sunt in iniquitatibus suis. Et vidit cum tribularẽtur: & audiuit orationem eorum. Et memor fuit testamenti sui:& pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ. Et dedit eos in misericordias:in conspectu omnium qui ceperant eos. Saluos nos fac Domine Deus noster:& congrega nos de nationibus: Vt confiteamur nomini sancto tuo:& gloriemur in laude tua. Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo & vsque in sæculum: & dicet omnis populus, Fiat fiat, Halleluia.

Deut.30.c

SCHOLIA.

Populus Dei hortatur sese ad laudandam Dei bonitatem, et commemorat maiorum suorum peccata. [a] In beneplacito populi tui.] *Cum eo fauore quo prosequi soles populum tuum.* [b] Ad videndum in bonitate.] *Vt videam et frui liceat bono, qui fruuntur, quos elegisti tibi, vt gaudeam quomodo gentes, quæ charæ sunt tibi, gaudere solẽt: vt oblectem me vna cum populo, quem tibi velut hæreditario iure conquisiuisti.* [c] Cito fecerunt.] *Festinater obliti sunt operum eius.* [d] Maciem in animas eorum.] *Dum cibum cœlestem fastidirent, & concupiscerent carnes, misit cum carnibus interitum eorum, quem vocat maciem.* [e] Fecerunt vitulum.] *Id ab Aegyptijs didicerant, qui boues & vaccas pro dijs coluerunt, et in regia sua Memphi insignem illum Apim. Is bos erat albus frontem, & quasdam paruas corporis partes, cætera verò niger, quibus signis iudicabant, qui esset, ad successionem idoneus, alio vita functo. Hunc in septo quodam alebant, ante quod erat aula, in qua erat aliud septum matris eius.* [f] Et mutauerunt gloriam suam.] *Nempe Deum, cõmutauerunt, ait diuinam maiestatem, quæ gloria eorum fuerat in similitudinem animantis comedentis fœnum. Rem mirandam.* [g] In confractione.] *In media vastatione, de qua habes Exo.32.* [h] Pro nihilo habuerunt.] *Memorat, quæ legimus Num.14.& cap.25. eiusdem libri scribitur quomodo adiuncti fuerint mulieribus Moabiticis, & Baal Peor.* [i] Cessauit quassatio.] *Fecit subsistere vltionem.* [k] Vt vacillaret labijs suis.] *Hoc dicitur, quòd Moses cum populum obiurgaret, magis eum dubitare fecisset de promissis Dei, quàm in eius fide solidasset. Et quod ait, vexatus est Moses, intellige, malè affectum eum fuisse, & afflictum propter eos.*

CVI.

Iudit.13.c

COnfitemini Domino quoniam bonus:quoniam in sæculum misericordia eius. Dicant qui redempti sunt à Domino,quos redemit de manu inimici:& de regionibus congregauit eos. A solis ortu & occasu,[a] ab aquilone & mari. [b] Errauerunt in solitudine in inaquoso: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, Esurientes & sitientes: anima eorum in ipsis defecit. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eripuit eos. Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis. Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum, Quia satiauit animam inanem: & animam esurientem satiauit bonis, [c] Sedentes in tenebris & in vmbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro: Quia exacerbauerunt eloquia Dei: & consilium altissimi irritauerũt. Et [d] humiliatum est in laboribus cor eorum:infirmati sunt, nec fuit qui adiuuaret. Et clamauerũt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos. Et eduxit eos de tenebris & vmbra mortis: & vincula eorum disrupit. Confiteantur Domino misericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum. Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit, [e] † Stulti ob viam iniquitatis eorum: propter iniustitias suas humiliati sunt. Omnem escam abominata est anima eorum: & appropinquauerunt vsque ad portas mortis. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum liberauit eos. Misit verbum suũ,& sanauit eos:& eripuit eos de interitionibus eorũ. Confiteantur Do-

mino misericordię eius:& mirabilia eius filijs hominũ:Et sacrificent sacrificiũ laudis: & annuntient opera eius in exultatione. Qui descendunt mare in nauibus,[f] facientes operationẽ in aquis multis: Ipsi viderunt opera Domini,& mirabilia eius in profundo. [g] Dixit & stetit spiritus procellæ:& exaltati sunt fluctus eius. Ascendunt vsque ad cœlos, descẽdunt vsque ad abyssos:anima eorum in malis tabescebat. Turbati sunt & moti sunt sicut ebrius:& omnis sapientia eorum deuorata est. Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de necessitatibus eorum eduxit eos. Et statuit procellam eius in † tranquillitatem: & siluerunt fluctus eius. Et lætati sunt quod siluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum. Confiteantur Domino misericordiæ eius:& mirabilia eius filijs hominum. Et exaltent eum in ecclesia plebis:& in cathedra seniorum laudent eum. [h] Posuit flumina in desertum:& exitus aquarum in sitim: Terram fructiferam in salsuginem,à malitia inhabitantium in ea.Posuit desertum in stagna aquarum,& terram sine aqua,in exitus aquarum.Et [i] collocauit illic esurientes:& constituerunt ciuitatem habitationis. Et seminauerunt agros,& plantauerunt vineas:& fecerunt fructum † prouentus. Et benedixit eis,& multiplicati sunt nimis:& iumẽta eorum non minorauit. Et pauci facti sunt,& vexati sunt à dominatione malorum & dolore.[k] Effusus est contemptus super principes:& errare fecit eos in inuio,& nõ in via. Et adiuuit pauperem de inopia: & posuit sicut oues familias. Videbunt recti & lætabuntur:& omnis iniquitas oppilabit os suum. Quis sapiens,& custodiet hæc:& intelliget misericordias Domini?

Iob.22.c

SCHOLIA.

Canit cuncta mala diuinitus & immitti & tolli:memorat pericula errantium in desertis,vinctorum, ægrotantium,& eorum,qui in mari sunt,quorum omnium liberator est Deus. [a] Ab aquilone & mari.] *Videtur hic mare positum esse pro meridie,quamuis alias pro occidente vsurpari soleat,sed mediterraneum quod Iudææ ad occidẽtem est. Nam sinus arabicus est ei ad meridiem,quod mare hic videtur appellatum.* [b] Errauerunt in solitudine.] *Memorat fames sitisque periculum, quod in summam angustiam errantes adigit:sunt enim solitudines vastæ circa Iudæam,& passim in regionibus orientis,in quibus à via aberrasse,exitu proximum est.* [c] Sedentes in tenebris.] *Loquitur de ijs, qui in obscuro vincti detinentur carcere,& occasionem dederunt ei rei,quia abiecerunt verbum Domini.qui tamen si respiscant,& ad Deum clament, non deerit eis seruator.* [d] Humiliatum est.] *Afflixit molestissimis curis animas illorum,corruerunt enim, nec fuit qui iuuaret, qui eis aut posset,aut succurrere vellet.* [e] Stulti ob viam.] *Auxilium (inquit) Dei liberat etiam illos, qui propter scelera sua in morbos cadunt,& pereuenunt vsque ad portas mortis,liberat,inquam, eos,si ad eum clament.* [f] Facientes operationem.] *Qui negotiantur in aquis illis vastissimis,isti re ipsa didicerunt, qualia sint opera Domini quamque admirationi digna,quæ fiunt ab ipso in profundo mari.* [g] Dixit & stetit.] *Quoties libitum fuerit illi, excitat vento tempestatem.* [h] Posuit flumina.] *Canit quo pacto Deus pro arbitrio suo omnia immutet, & terram fœcundam sterilem faciat, & sterilem fœcundam.Exiccat (inquit) flumina,vt fiat terra ob sterilitatem deserta,etc.* [i] Collocauit illic esurientes.] *Dicit famem nonnunquam causam esse,cur homines eligant locum aliquem incultum,& illum inhabitare incipiant,colant,& ex benedictione Dei omnium bonorum hinc sibi parent affluentiam. Et rursum fieri solet, vt locus cultus propter peruersum imperium, & malitiam inhabitantium redigatur in solitudinem.* [k] Effusus est contemptus.] *Hoc est.in potestate quoq; Domini est,vt principes abijciat, atque humiliet,& pauperes subuehat,magnamq; illis tribuat familiam.*

Canticum & Psalmus Dauid CVII.

PAratum cor meum Deus:cantabo & psallam in gloria mea.Exurge gloria mea: exurge psalterium & cithara:exurgam diluculo. Confitebor tibi in populis Domine,& psallam tibi in nationibus. Quia magna est super cœlos misericordia tua:& vsque ad nubes veritas tua. Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua:vt liberentur dilecti tui. Saluum fac dextera tua,& exaudi me: Deus locutus est in sancto suo. Exultabo,& diuidam Sichimam:& conuallem † Sochot dimetiar. Meus est Galaad, & meus est Manasses: & Ephraim fortitudo capitis mei. Iuda rex meus:Moab lebes † loturæ meæ. In Idumæam extendam calceamentum meum:† super Philistęam iubilabo. Quis deducet me in ciuitatem munitam? quis deducet me vsque in Idumæam? Nónne tu Deus qui repulisti nos? & non exibis Deus in virtutibus nostris? Da nobis auxilium de tribulatione:quia vana salus hominis. In Deo faciemus virtutem: & ipse ad nihilum deducet inimicos nostros.

SCHOLIA.

Canit ardere se,vt laudes Dei voce et organis moduletur,deinde amplitudinem regni Christi sub typo memorat. Videtur autem hic psalmus cõpositus ex psalmo quinquagesimo sexto et quinquagesimo nono. Quare ad illa loca remittimus lectorem.

† Vincenti Psalmus Dauid CVIII.

[a] DEus † laudis meæ ne tacueris:quia os peccatoris & os dolosi super me apertum est. Locuti sunt aduersum me lingua dolosa,& sermonibus odij circundederunt me:& expugnauerunt me gratis. Pro eo,vt me diligerent,detrahebant mihi:ego autem orabam. Et posuerũt aduersum me mala pro bonis:& odium pro dilectione mea. Constitue super eum peccatorem:[b] & diabolus stet à dextris eius. Cum iudicatur,exeat condemnatus:& oratio eius fiat in peccatum. Fiant dies eius pauci: [c] & episcopatum eius accipiat alter. Fiant filij eius orphani, & vxor eius vidua. Nutantes transferantur filij eius, & mendicent: † quærant desolatis habitationibus suis. Scrutetur fœnerator omnem substantiam eius: & diripiant alieni labores eius. Non sit illi adiutor:nec sit qui misereatur pupillis eius. Fiant nati eius in interitum:in generatione vna deleatur nomen eius. [d] In memoriam redeat iniquitas patrum eius in conspectu Domini: & peccatum matris eius nõ deleatur. [e] Fiant † coràm Domino semper,& dispereat de terra memoria eorum: pro eò qꝺ non est recordatus facere misericordiam:Et persecutus est hominem inopem & mendicum,vt cõpunctum corde mortificaret. Et dilexit maledictionem,& veniet ei:& noluit benedictionem,& elongabitur ab eo. Et induit maledictionem sicut vestimentũ,& intrabit sicut aqua in interiora eius, & sicut oleum in ossibus

Iohan.17.c act.1.d

in ossibus eius. Fiat ei sicut vestimentum quo operitur:& sicut zona qua semper præcingitur. [f] Hoc opus eorum,qui detrahunt mihi,† à Domino: & qui loquuntur mala aduersus animam meam. Et tu Domine Domine fac mecum propter nomen tuum:quia suauis est misericordia tua. Libera me quia egenus & pauper ego sum:& cor meum conturbatum est intra me. [g] Sicut vmbra cum declinat,ablatus sum: & excussus sum sicut locustæ. Genua mea infirmata sunt à ieiunio,& caro mea immutata est [h] propter oleum. Et ego factus sum opprobrium illis:viderunt me,& mouerũt capita sua. Adiuua me Domine Deus meus: saluum me fac secundum misericordiam tuam. Et sciant [i] quod manus tua hæc: & tu Domine fecisti † istud. Maledicent illi,& tu benedices:qui insurgunt in me,confundãtur:seruus autem tuus lætabitur. Induantur qui detrahunt mihi,pudore:& operiãtur sicut diploide cõfusione sua. Confitebor Domino nimis in ore meo: & in medio multorum laudabo eum. Quia astitit à dextris pauperis:vt saluam faceret à persequẽtibus animam meam.

SCHOLIA.

Diræ sunt in Doeg,aliósque adulatores Saulis,qui Saulem mendacijs suis contra Dauid incitabant, & sub typo horum, in Iudam proditorem Christi. [a] Deus laudis meæ.] *Deus author & materia gloriationis meæ,ne, quæso, dissimula. Vel hoc dixit,quòd laudibus Dei nihil haberet antiquius.Pro eo,vt me diligerent.In Heb.est, pro dilectione mea, vt videatur dicere,pro dilectione,qua eos diligebam,aduersabantur mihi.* [b] Et diabolus.] *Vel Satan.Hoc est habeat aduersarius astantem,à quo iniurijs & calumnijs conficiatur.Et cum iudicatus fuerit, reus inueniatur, & à nemine liberetur, Imprecatur quoq; ei vitæ abscisionem,& dignitatis ablationem.* [c] Et episcopatum eius.] *Hunc locũ beatus Petrus de Iuda dictum ait Act.1.* [d] In memoriam redeat.] *Simile videtur illi, quod Deus in lege de se testatur solere se iniquitatem patrum vlcisci in filijs in tertiam & quartam generationem,quod videtur ita posse intelligi, Deum dum filios punit,indicare se maiorum scelera execrari.Quanquam sit & impijs ea inter ipsos communio,vt ad maiores quodammodo pertineant mala, quæ minores perferunt. Vel dicitur punire in filijs,in quibus,scelera ad summum iam peruenerunt, quæ in maioribus visa sunt inulta relinqui:De hoc Hebraismo alibi diximus.* [e] Fiant coràm Domino.] *Vt scilicet iugiter versentur coràm oculis eius,vt vlciscatur iniquitates eorum.* [f] Hoc opus.] *Hæc sit merces operis eorum à Domino &c.* [g] Sicut vmbra.] *Sicut vmbra,quæ inclinante iam die assiduè crescit,& tenebris noctis propinquior fit,ita & ego aby, & abeo assiduè magis. Interim vagari cogor de loco ad locum,quemadmodum locusta saltat nunc huc,nunc illuc,nullam certam sedem habens.*

[h] Propter oleum.] *Propter deficientem pinguedinem,vel,exuta est pinguedine. Potest & intelligi de lautioribus cibis, à quibus in vniuersum abstinebat, ieiunio macerans corpus, atque humilians se in oculis Dei.* [i] Quod manus tua hæc.] *Sciant,non illos suis viribus hæc potuisse contra me,sed quia tibi visum fuit ad hunc modum patientiam meam exercere.*

Psalmus Dauid CIX.

[a] DIxit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellũ pedum tuorum. [b] Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. [c] † Populus tuus spontaneus in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: [d] ex vtero † auroræ est tibi ros natiuitatis tuæ. [e] Iurauit Dominus,& non pœnitebit eum:Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. [f] Dominus à dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges. Iudicabit in nationibus,[g] implebit † cadaueribus: conquassabit capita in terra † multa [h] De torrẽte in via bibet, propterea exaltabit caput.

SCHOLIA.

Canit de regno Christi, quod in Sion cœpit, atque inde vsque ad fines orbis omnium terrarum peruenit. Obtinebitque quoad Christum superi atque inferi adorent vniuersi,hostesq; eius scabellum positi fuerint pedibus eius. Constat enim non solum ex Euangelio,verùm & ex antiquorum Rabinorum scriptis, hunc psalmum de Christo intelligendum. Nam quidam Rabi sic dixit.Futurum est,vt Deus sanctus & benedictus collocet regem Messiam ad dexteram suam: sicut dictum est: Dixit Dominus Domino meo sede à dextris meis.&c.Item alius sic dixit.Non inuenimus Hominem, etiam prophetam,cuius prophetata sit natiuitas ante natiuitatem patris & matris suæ,nisi Messiam iustitiam nostram,ideo præsignant, à Vlua ex aurora tibi ros natiuitatis tuæ,hoc est antequam crearetur Vlua genitricis tuæ,prophetata fuit natiuitas tua.Et huc pertinet illud,Ante solem propagatur nomen eius,quoniam antequam crearetur sol, subsistens & firmum erat nomen Messiæ nostri,fuitq; sedens ad dexteram Dei,& hoc est,quod dicit sede ad dexteram meam.Hactenus ille.

[a] Dixit Domninus Domino meo.] *Dixit pater cœlestis filio suo,sede ad dexteram meam,hoc est, regna super omnia. Et hæc Christi magnificentia primum orbi est reuelata,cum ipse cœlos conscendisset.Marci vltimo. Hostes eius sunt, qui ex Deo nati non sunt,& hi sternentur pedibus eius,quando destruxerit mortem. Quod verò ait. Donec ponam &c.non excludit regnum eius post subactos hostes,nam tunc plenissimè regnabit, sed tutum reddit, qua parte illi metuere quis potuisset, hoc est,quo tempore nondum subacti essent hostes.* [b] Virgam virtutis.] *Vel,robur fortitudinis. Proficiscetur (inquit) imperium illud Christi ex Sion: dicetq; pater ad filium. Dominare in medio inimicorum tuorum, hoc est, Statue de illis pro arbitrio tuo, & potestatem exerce in eos. Qui putant omnia, quæ ad Christum attinent, sub typo fuisse signata, narrationem huius psalmi referunt ad illud quod legimus,Paralipom.15.Dauid cum vellet arcam in Sion transferre,totum Israelem collegisse, qui & maxima alacritate affuit cum principibus suis, & quicquid in regno eximium erat, iccircò dictum, populus tuus spontaneus, hoc est, spontaneæ voluntatis,in die exercitus tui, in magnificentijs sanctuary, &c.* [c] Populus tuus.] *Populus tuus spontaneas offeret, & liberas oblationes tibi, quo tempore apparebit virtus, id est,omnipotentia tua, & omnimodus ille decor, qui te comitabitur: ante auroram enim cecidit, qui gratissimum te faciet omnibus,vos natiuitatis tuæ. Quod ait spontaneas, intellige, qui non tantum res suas, verùm & corpora paratus sit offerre, & exponere pro Christo. Diem virtutis vel exercitus, accipe ecclesiasticam congregationem. In splendoribus sanctorum, illud sanctorum generis est neutri, quod alius vertit, in magnificentijs sanctuary,hoc est, propter sublimia dona Dei.Et videtur alludere ad sanctuarium & locum arcæ, quod sancta sanctorum erat, & figura verorum,in quæ Christus introiuit.Alius vertit.Populus au-*

tem tuus in die triumphi tui vota offeret cum sancta pompa. Vbi notandum quòd Græca habent ἀρχὴ, *vertendum fuisse, principatus, non principium.* [d] Ex vtero auroræ.] *Quidam Hebræus hunc sensum affert. Ab vtero, hoc est, aurora tua, tibi cecidit ros natiuitatis tuæ, hoc est, singularis Dei fauor, te prosequi cœpit, Hiero. totum hunc versum sic vertit. Populi tui spontanei in die fortitudinis tuæ, in montibus sanctis, de vulua orietur tibi ros adolescentiæ tuæ. Chaldæus sic vertit. Populus tuus domus Israel, qui incumbunt legi, in die cõcertationis prælij tui, adiuuabis eos splendoribus sanctæ misericordiæ Dei, præsto erunt tibi tanquam descendens ros, sedebunt confidenter nati tui, hæc ille. In Christo autem omnia consummata habentur, huic enim in die, quo veriorem arcam, id est, corpus suum cœlis intulit, statim adesse cœperunt in credibili frequentia populi spontanei, qui etiam vitæ iacturam magno cum gaudio facerent. Ibi cœlestem splendorem, & magnificentiam per tam varias & admirandas dotes spiritus sancti exhibuit, & sicut ros manè terram obtegit, & fœcundat, ita vndique apparuerunt, qui spiritu eius mundum fertilem pietatis & innocentiæ reddiderunt.* [e] Iurauit Dominus.] *Sensus est. Sicut in Ierusalem regnauit Melchisedech, & simul fungebatur sacerdotio, hoc est, docebat populum, orabat pro eo, & sacrificia obtulit: sic Christus regnare debuit, & esse sacerdos in æternum, semetipsum semel offerens pro peccatis totius mundi. Et sicut Melchisedech protulit panem & vinum Abrahæ fesso à prælio, & suis, quo eos refocillaret: ita Christus verus rex & sacerdos, dat carnem suam & sanguinem fidelibus suis.* [f] Dominus à dextris tuis.] *Significatur hoc versu, diuina virtute & potentia, hostes quoslibet Christi fundendos, quantumlibet videantur esse potentes, & magna præditi potestate.* [g] Implebit cadaueribus.] *Implebit locum prælij cadaueribus, conquassabit, & cædet capita hostium in terra multa, hoc est, super terram spatiosam.* [h] De torrente.] *Significat tantum effundendum sanguinis in hostibus, vt hinc, velut ex torrente bibere poßit hic rex. Mos enim est hic scripturæ, cum significare vult perfectam victoriam, vt Nume. 23. Donec vorauerit prædam, & sanguinem occisorum biberit.*

Halleluia CX.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo, in consilio iustorũ & congregatione. Magna opera Dñi:
[a] exquisita in omnes voluntates † eorum. Confeßio & magnificentia opus eius: & iustitia eius manet
in sæculum sæculi. [b] Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors & miserator Dominus: [c] escã
dedit timentibus se. Memor erit in sæculum [d] testamenti sui, [e] virtutem operum suorum annuntiauit po-
Prouer. 1.a pulo suo. Vt det illis hæreditatem gentium, opera manuum eius: veritas & iudicium. [f] Fidelia omnia manda
& 9.c ta eius: confirmata in sæculum sæculi, facta in veritate & æquitate. [g] Redemptionem misit populo suo: man-
Eccle. 1.b dauit in æternum testamentum suum. Sanctum & terribile nomen eius: [h] initium sapientiæ, timor Domi-
ni. Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in sæculum sæculi.

SCHOLIA.

Psalmus hic gratiarum complectitur actiones & celebrat maiestatem Dei, icircò adiectum habet alleluia. [a] Exquisita.] *Alius vertit exquisitè facta, & hunc afferunt sensum, magna opera Domini, in quibus, qui ea explorauerint, inueniunt, quæcunque cupiunt. Et peruestigata faciunt ad omnia beneplacita illorum, id est, vestigantium. Alius hunc sensum elicit. Magna sunt opera Domini, quod constat omnibus illis, qui pio studio scrutantur ea.* [b] Memoriam fecit.] *Effecit, vt nunquam perire poßit memoria operum suorum.* [c] Escam dedit timentibus se.] *Intelligunt Hebræi, cum eduxit eos Dominus ex Aegypto, ditatos auro & argento.* [d] Testamenti sui.] *Quod percußit cum Abraham & patribus.* [e] Virtutem operum.] *Quanta fuerit opus potentia, priusquàm fieri potuerint, quæ fecit, ostendit re ipsa populo suo, cum daret illi posseßiones aliarum nationum, pulsis inde illis, quorum fuerant antea.* [f] Fidelia omnia mandata eius.] *Optima fide statuit atque vtiliter, quæcunque statuit, vt meritò ei credi poßit, & obtemperandum sit, confirmata sunt nec conuelli poterunt vllo vnquam sæculo, decreta enim sunt ab eo optima fide, & summa cum æquitate, hoc enim est, quod ait, facta in veritate & æquitate.* [g] Redemptionem.] *Liberationem attulit populo suo, decreuit perpetuò duraturum pactum, quod inijt cum suis is, cuius nomen sanctißimum est & augustißimum.* [h] Initium sapientiæ.] *Initium solidæ sapientiæ est timor, quo reueremur Dominum, et prudentia salutaris manet illos, qui sese exercent in his, laudem enim assequentur perpetuò duraturã. Illud tamen. Laudatio eius, referri & ad Deum potest, Cum tamen singulare esse poßit, pro plurali, more scripturæ.*

Halleluia CXI.

BEatus vir qui timet Dominum: [a] in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit semen eius: gene
ratio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi.
[b] Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator, & iustus. [c] Iucundus homo, qui mise-
retur & commodat, disponet sermones suos † cum iudicio: quia in æternum non commouebitur. In me-
moria æterna erit iustus: [d] ab auditione mala non timebit. Paratum cor eius sperare in Domino, confirma
2. Cor. 9.c tum est cor eius: non cõmouebitur [e] donec aspiciat † super inimicos suos. Dispersit, dedit pauperibus: [f] iusti
tia eius manes in sæculum sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria. Peccator videbit, & irascetur, dentibus
suis fremet & tabescet: desyderium peccatorum peribit.

SCHOLIA.

[a] In mandatis eius volet nimis.] *In mandatis eius inueniet, quibus oblectare se poterit mirificè.* [b] Exortum est in tenebris.] *Hoc est, cum aduersitas aliqua ingruerit, iusti & recti homines non deseruntur à Domino, qui clemens est videlicet, ac pius, & iustus.* [c] Iucundus homo.] χρηστὸς. *Benignus (inquit) qui misericordia mouetur erga pauperes, & mutuò dat, dabit enim illi Dominus eam prudentiam, vt dispensare sciat reliqua, quæ tractanda illi erunt, cum iudicio, & videtur illud, sermones vel verba, Hebraismus esse, quo quælibet res intelligitur.* [d] Ab auditione mala.] *A rumore mali alicuius appropinquantis nihil metuet sibi, constans enim erit perpetuò anima eius, &c.* [e] Donec aspiciat.] *Hebraismus est, quem alibi aliquoties habuimus, vnde & Diuus Hiero. vertit. Donec aspiciat in hostibus suis, vt sit sensus. Tandem visurus est in hostibus suis, qualia quiuis alius vellet in suis. Etiam Græcus consentit.* [f] Iustitia eius manet in sæculum sæculi.] *Per iustitiam intelligit eleemosynam, dixerat enim dispersit dedit pauperibus estq; Hebraismus, qui etiam in Euan-*

gelio

gelio à Matthæo seruatus est, cum loquens de eleemosyna, Dominus dixit, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coràm hominibus, &c. Et mox subdit. Cum ergo facis eleemosynam.

Halleluia CXII.

L[a]Audate pueri Dominum: laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum: ex hoc nũc & vsque in sæculum. A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen Domini. Excelsus super omnes gentes Dominus: & super cœlos gloria eius. Quis sicut Dominus Deus noster, [b] qui in altis habitat: & humilia respicit in cœlo & in terra? [c] Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperẽ. Vt collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Qui habitare facit sterilem in domum: matrem filiorum lætantem. Halleluia.

SCHOLIA.

[a] Laudate pueri.] *Laudate ò serui, Dominum. Nam seruos fideles decet colere suum Dominum.* [b] Qui in altis habitat.] *Licet (inquit) Deus supremum inhabitet locum, & omnibus rebus supereminеat, tamen nihil est tam humile atq; abiectum in mundo quod non videat, & sua prouidentia gubernet.* [c] Suscitans à terra.] *Deus pro arbitrio suo potest omnia mutare, nam sæpe euehit è sordibus pauperes in sublimem gradum, & deijcit potentes, steriles reddit fœcundas, & fœcundas facit steriles. Ponit (inquit) sterilem in domum, id est, in familiam, & in matrem ob filios lætantem. Hæc autem cogitatio id efficit, vt omnibus in rebus siue eæ secundæ, siue aduersæ sint, æquo animo simus, & neque inepta lætitia gestiamus, aut insolescamus, neque desperatione deijciamur.*

CXIII.

IN exitu Israel de Ægypto, domus Iacob [a] de populo barbaro. [b] Facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel
potestas eius. Mare vidit & fugit: Iordanis conuersus est retrorsum. [c] Montes exultauerunt, vt arietes: Exod. 13.a
& colles sicut agni ouium. Quid est tibi mare quòd fugisti: & tu Iordanis, quod conuersus es retror-
sum? Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ouium? A facie Domini mota est terra: à facie Dei
Iacob. Qui conuertit petram in stagna aquarum: & rupem in fontes aquarum. [d] Non nobis Domine, nõ
nobis: sed nomini tuo da gloriam. † Propter misericordiam tuam & veritatem tuam: nequando dicant gẽ-
tes. Vbi est Deus eorum? Deus autem noster in cœlo: omnia quæcunque voluit fecit. Simulachra gentiũ
argentum & aurum: opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non vi-
debunt. Aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt, Sapi. 15.a
pedes habent & non ambulabunt: non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant qui faciunt ea: & om-
nes qui confidunt in eis. Domus Israel sperauit in Domino: adiutor eorum & protector eorum est. Do-
mus Aaron sperauit in Domino: adiutor eorum & protector eorum est. Qui timent Dominum speraue-
runt in Domino: adiutor eorum & protector eorum est. Dominus memor fuit nostri: & benedixit no-
bis. Benedixit domui Israel: benedixit domui Aaron. Benedixit omnibus, qui timent Dominum, pu-
sillis cum maioribus. Adijciat Dominus super vos: super vos & super filios vestros. Benedicti vos à Do-
mino: qui fecit cœlum & terrã. [e] Cœlum cœli Domino: terram autem dedit filijs hominum. Non mor- Baruch 2.d
tui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernum. Sed nos qui viuimus, benedicimus Dan. 2.c
Domino ex hoc nunc & vsque in sæculum. Halleluia.

SCHOLIA.

[a] De populo barbaro.] *Vocant Hebræi omnem linguam, quæ non sit Hebraica, barbaram.* [b] Facta est Iudæa.] *Vel Iuda. Fuit (inquit) Iuda particeps sanctimoniæ Dei, & totus Israel præ cæteris nationibus ditioni eius subijciebatur.* [c] Montes exultauerunt.] *Hoc dicitur, quòd terra & montes, præsertim mons Sion, tremuerunt, quando Deus è cœlis descendit super ipsum, vt legem daret.* [d] Non nobis.] *Viri sancti omnia, quæ cupiunt, etiam ipsam vitam, cupiunt, vt Dei cognitio & cultus augeatur. Vel sic, Non quasi nos mereamur Domine, non inquam quasi nos mereamur, sed ne nominis tui maiestas lædatur, libera nos pro tua benignitate, & fide, qua te obstrinxisti affuturum nobis. Hebræi hic initium faciunt alterius psalmi.* [e] Cœlum cœli.] *Alius vertit, cœli, cœli, inquã, Domini sunt. In cœlis (inquit) Dominus mansionem habet, & illic collocauit sedem suam, filijs autem hominum dedit terram hanc, in qua ipsum agnoscerent, & glorificarent, quòd si pij hinc rapiantur, & soli impij remaneant in terra, quis in terris laudabit nomen Domini?*

CXIIII.

D[a]Ilexi, quoniam exaudiet Dominus vocem orationis meæ. Quia inclinauit aurem suam mihi: & in diebus meis inuocabo. Circundederunt me dolores mortis: & pericula inferni inuenerunt me. Tribulationem & dolorẽ inueni: & nomen Dñi inuocaui. O Dñe libera animã meã: misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur. Custodiens paruulos Dominus: [b] humiliatus sum, & liberauit me. Conuertere anima mea in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lacrymis: pedes meos à lapsu. [c] Placebo Domino in regione viuorum.

SCHOLIA.

Carmen gratulatorium est Dauidis de ope Domini, qua euasit, cum iam cinctus esset ab exercitu Saulis. [a] Dilexi.] *Dilectio (inquit) Dei vendicauit sibi cor meum eò, quòd ille me in anxietate positum exaudiuit, & eripuit è mortis faucibus. Et quoties deinceps afflictio apprehenderit me, inuocabo nomen eius, dicens, ò Domine libera animam meam.* [b] Humiliatus sum.] *Cum affligerer grauißimè, & consilij inops essem, ipse saluauit me.* [c] Placebo Domino.] *Hebraismus habet. Ambulabo coràm Domino in terris viuentium.*

CXV.

CRedidi, propter quod locutus sum: ego autẽ humiliatus sum nimis. [a] Ego dixi in excessu meo. Om- 2. Cor. 4.c
nis homo mendax. Quid retribuã Dño pro omnibus, quę retribuit mihi? [b] Calicẽ salutaris accipiã, Rom. 3.a
& nomen Dñi inuocabo. Vota mea Dño reddam coràm omni populo eius: [c] pretiosa in cõspectu
Dñi, mors sanctorum eius. O Domine quia ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti

vincula

vincula mea:tibi sacrificabo hostiam laudis:& nomen Domini inuocabo. Vota mea Domino reddam in cõ spectu omnis populi eius:in atrijs domus Domini,in medio tui Ierusalem. Halleluia.

SCHOLIA.

Psalmus hic apud Hebræos coniungitur & vnus est cum superiori,quare sic etiam sensus continuatur. Dixerat,Placebo Domino in regione viuorum. Vel,ambulabo in conspectu Domini,in terris viuentium, hoc est, securus obambulabo post hac, sub tutela Domini in atrijs eius,vnà cum illis,qui verè viuunt. Subdit ergo, Credidi firmissimè,quare & loquebar confidenter,etiam cum grauissimè periclitarer.Citat autem hunc locum Paulus in epistola secunda ad Corinthios, de fide resurrectionis loquens. [a] *Ego dixi in excessu.] Hiero.Vertit,stupore.Alius festinatione.In trepidatione(inquit)& summa propemodum desperatione mea constanter diceb am : omnis quidem homo mentitur,& fallere potest,verum Deus nequaquam.* [b] *Calicem salutaris.] Epulum notat gratulatorium,sacra enim habebantur conuiuia,cum solennes Deo pro insignioribus beneficijs gratias agerent.* [c] *Pretiosa.] Hoc est,non temerè patitur mortem inferri sanctis suis.*

CXVI.

Rom. 15.c
Ioan. 12.e

LAudate Dominum omnes gentes,laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia eius : [a] & veritas Domini manet in æternum. Halleluia.

SCHOLIA.

Paulus in epistola ad Romanos cap. 15. citat hunc psalmum, quippè qui vaticinetur Euangelium cõmunicandum gentibus. Tu verò obserua, quàm diligenter oracula Dei sint seruanda,quando hæc exigua verba tot annorum millibus perdurarunt, & in orbem omnium terrarum fuerunt disseminata, à communi ecclesia passim decantanda. [a] Et veritas eius.] *Constantia ipsius in promissis duratura est perpetuo.*

CXVII.

CONfitemini Domino quoniam bonus:quoniam in sæculum misericordia eius. Dicat nunc Israel: quòd in sæculum misericordia eius. Dicat nunc [a] domus Aaron : quòd in sæculum misericordia
Heb. 13.a eius. Dicant nunc qui timent Dominum : quod in sæculum misericordia eius. [b] De tribulatione inuocaui Dominum:& exaudiuit me in latitudine Dominus. Dominus mihi adiutor : non timebo quid faciat mihi homo. Dominus † pro me [c] inter adiutores meos : & ego despiciam inimicos meos. Bonum est confidere in Domino:quàm confidere in homine. Bonum est sperare in Domino: quàm sperare in principibus. [d] Omnes gentes circuierunt me: & in nomine Domini quòd vltus sum in eos. Circundantes circũdederunt me : & in nomine Domini quòd vltus sum in eos. Circundederunt me sicut apes, [e] & † extincti
Exod. 15.a sunt sicut ignis in spinis : & in nomine Domini quod vltus sum in eos. Impellendo impulsus sum, vt caderem : & Dominus suscepit me. Fortitudo mea & laus mea Dominus. & factus est mihi in salutem. Vox
Exod. 12.a exultationis,& salutis in tabernaculis iustorum . Dextera Domini fecit virtutem,dextera Domini † exaltata est: dextera Domini fecit virtutem . Non moriar, sed viuam : & narrabo opera Domini. Castigans castigauit me Dominus: & morti non tradidit me. [f] Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor
Matt. 21.d Marci 12.a Luc. 20.c Act. 4.b Roma. 9.g 1. Pe. 2.a Esa. 28.a Mac. 21.b Domino : hæc porta Domini,iusti intrabunt in eam . Confitebor tibi quoniam exaudisti me: & factus es mihi in salutem . [g] Lapidem quem reprobauerunt ædificantes : hic factus est in caput anguli . A Domino factum est istud : & est mirabile in oculis nostris . [h] Hæc est dies quam fecit Dominus : exultemus & lætemur in ea . [i] O Domine saluos fac , ò Domine benè prosperare : [k] benedictus qui venit in nomine Domini. Benedximus vobis de domo Domini:Deus Dominus,& illuxit nobis. Constituite diem solennem [l] in condensis: vsque ad cornu altaris. Deus meus es tu,& confitebor tibi,Deus meus es tu,& exaltabo te. Confitebor tibi quoniam exaudisti me : & factus es mihi in salutem. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia eius.

SCHOLIA.

Hymnus est,quo Dauid defunctus iam malis suis, & in regem totius Israelis euectus, publicè in tabernaculo Dei gratias egit,ac simul Christi in se imaginem exposuit. [a] Domus Aaron.] *Nomine Aaron comprehendit propheta Dauid omnes sacerdotes,atque inuitat eos ad laudem Domini.* [b] In tribulatione.] *Vel,in angustia,cui post opponit latitudinem, & fauorem aduersitati.* [c] Inter adiutores meos.[*Loquitur de sexcentis illis viris,qui eum fugitiuum stipabant.Et quod ait, despicia inimicos meos.In Heb.est,aspiciam in inimicis meis,scilicet,vltionem.Sic quod infra ait.Vltus sum in eos,in Heb.est succidam eos.* [d] Omnes gentes.] *Gens enim propria expulit eum è regno,& circũiacentes gẽtes,puta Philistæi,& Amalechitæ,atque aliæ quærebant animam eius,atque odio eius flagrantes,quasi apes eum obsederunt,& ceu ignis,qui grassatur in spinis:at ipse fretus nomine Domini,victoriam sibi pollicebatur,& illis interitum,præsertim externis gẽtibus.* [e] Extincti sunt sicut ignis in spinis.] *Qui scilicet cito extinguitur.* [f] Aperite mihi portas iustitiæ.] *Vocat templũ portas iustitiæ atque cætum sacrum,in quem non veniunt nisi iusti:cum autem ipse extorris esset,videbantur sibi hæ portæ clausæ.* [g] Lapidem quem reprobauerunt.] *Fui (inquit) reiectus velut lapis inutilis, qui nulli ædificij loco idoneus videtur, & rursus Dei beneficio restitutus,in locum regni dignissimum sum euectus, etiam præter totius populi expectationem . Atque in hoc Christi gessit typum,qui hæc verba hostibus suis obiecit.Matthæi.21.Vtrumque autem mirabile fuit in oculis Iudaici populi.*

[h] Hæc dies.] *Sic canebat populus, cum Dauid in regem eueheretur, sic & omnes Christi fideles canunt, & canent gratulantes Christo, à mortuis ad immortalitatem resurgenti.* [i] O Domine saluos fac.] *Sic acclamabant nouo regi Dauid, sic quoque acclamauerunt Christo. Mat. 21. Veteres autem Hebræi statuerant, Vt in die octaua festi tabernaculorum, in qua ramos & fasciculos frondium Iudæi portare iubentur,hæc precatio diceretur. Propter te deus deorum salua nos. Propter te domine dominorum salua nos, &c. Vt non temere turbæ ante Christi passionem ramos acceperint, & clamauerint Hosanna (quæ vox Chaldaica est, & significat salua nos) cum vsum huiusmodi ritus etiam prius habuerint.* [k] Benedictus qui venit.] *Ea videtur primum fuisse vox sacerdotum, qua exceperunt & regem, & alios ad tabernaculum Domini venientes.* [l] In condensis.] *Hiero. Vertit, in frondosis, colligate (inquit) sub diem festum ramos, & templum ornate*

vsque ad cornu altaris. Potest & verti. Alligate hostiam funibus, sed interpres studuit sensum explicare magis quàm verba.

Aleph CXVIII.

BI.Eati immaculati in via:qui ambulant in lege Domini. Beati qui scrutantur testimonia eius,in toto corde exquirunt eum. † Qui enim non operantur iniquitatem:in vijs eius ambulauerunt. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis . Vtinam dirigantur viæ meę ad custodiendas iustificationes tuas. Tunc non confundar,cum perspexero in omnibus mandatis tuis . Confitebor tibi in directione cordis: in eo quòd didici iudicia iustitiæ tuæ.2.Iustificationes tuas custodiam : non me derelinquas vsquequaq;.

Beth

IN quo corrigit.3.adolescentior viam suam ? in custodiendo sermones tuos. In toto corde meo exquisiui te. 4. ne repellas me à mandatis tuis . In corde meo abscondi eloquia tua:vt non peccẽ tibi. 5.Benedictus es Domine:doce me iustificationes tuas.6. In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui . In via testimoniorum tuorum delectatus sum,sicut in omnibus diuitijs. In mandatis tuis exercebor : & consyderabo vias tuas.In iustificationibus tuis meditabor:non obliuiscar sermones tuos.

Gimel

R7 Etribue seruo tuo,viuifica me:& custodiam sermones tuos. Reuela oculos meos: & consyderabo mirabilia de lege tua. 8. Incola ego sum in terra : non abscondas à me mandata tua. Consternitur anima mea, † desyderans iustificationes tuas in omni tempore . Increpasti superbos : maledicti, qui declinant à mandatis tuis. 9. Aufer à me opprobrium & contemptum : quia testimonia tua exquisiui. Etenim sederunt principes,& aduersum me loquebantur:seruus autem tuus exercebatur in iustificationibus tuis. Nam & testimonia tua meditatio mea est: & consilium meum iustificationes tuæ.

Daleth

A10.Dhæsit pauimento anima mea : viuifica me secundum verbum tuum. 11. Vias meas enunciaui, & exaudisti me : doce me iustificationes tuas. 12. Viam iustificationum tuarum instrue me: & exercebor in mirabilibus tuis. 13.Dormitauit anima mea præ tedio : confirma me in verbis tuis . Viã iniquitatis amoue à me : & 14. de lege tua miserere mei . Viam veritatis elegi : iudicia tua non sum oblitus. Adhæsi testimonijs tuis Domine : noli me confundere . Viam mandatorum tuorum cucurri. 15. cum dilatasti cor meum.

He

L16.Egem pone mihi Domine viam iustificationum tuarum: & exquiram eam semper. Da mihi intellectum , & scrutabor legem tuam : & custodiam illam in toto corde meo. Deduc me in semita mandatorum tuorum:quia ipsam volui. Inclina cor meum in testimonia tua, & non in auaritiam. Auerte oculos meos ne videant vanitatem : in via tua viuifica me . 17. Statue seruo tuo eloquium tuum,in timore tuo. 18.Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum : quia iudicia tua iucunda.19.Ecce concupiui mandata tua:in æquitate tua viuifica me.

Vau

ET veniat super me misericordia tua Domine,salutare tuum secundum eloquiũ tuũ. 20.Et respõdebo exprobrantibus mihi verbũ,qꝛ speraui in sermonibus tuis. 21.Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaq;:quia in iudicijs tuis supersperaui. Et custodiam legem tuam semper in sæculum:& in sæculum sæculi. Et ambulabam 22.in latitudine:quia mandata tua exquisiui. Et loquebar in testimonijs tuis in conspectu regum:& non confundebar. Et meditabar in mandatis tuis: quæ dilexi. 23. Et leuaui manus meas ad mandata tua,quæ dilexi:& exercebor in iustificationibus tuis.

Zain

MEmor esto 24. verbi tui seruo tuo,in quo mihi spem dedisti 25.Hæc me cõsolata est in humilitate mea: quia eloquium tuum viuificauit me. 26.Superbi † insultabant mihi vsquequaq; : à lege autem tua non declinaui. 27.Memor fui iudiciorum tuorum à sæculo Domine : & consolatus sum. Defectio tenuit me pro peccatoribus derelinquentibus legem tuam. 28. Cantabiles mihi erant iustificationes tuæ, in loco peregrinationis meæ . Memor fui nocte nominis tui Domine : & custodiui legem tuam. 29. Hæc facta est mihi: quod iustificationes tuas exquisiui.

Heth

P30. Ortio mea Domine,dixi,custodire legem tuam . Deprecatus sum faciem tuã in toto corde meo: miserere mei 31. secundum eloquium tuum. Cogitaui vias meas:& conuerti pedes meos in testimonia tua. † Festinaui nec moram feci : vt custodiam mandata tua 32. Funes peccatorum circumplexi sunt me:& legem tuam non sum oblitus. Media nocte surgebam ad confitendum tibi:super iudicia iustificationis tuæ. 33.Particeps ego sum omnium timentium te: & custodientium mandata tua. 34. Misericordia tua Domine plena est terra:iustificationes tuas doce me.

Teth

BOnitatem fecisti cum seruo tuo Domine,secundum verbum tuum. 35. Bonitatem, & scientiam doce me:quia mandatis tuis credidi. 36.Priusquam humiliarer ego deliqui : propterea eloquium tuum custodiui. Bonus es tu:& in bonitate tua doce me iustificationes tuas. Multiplicata est super me iniquitas superborum : ego autem in toto corde meo scrutabor mandata tua. 37. † Incrassatum est sicut adipe cor eorum:ego verò legem tuam meditatus sum. Bonum mihi, 38. quod humiliasti me, vt discam iustificationes tuas.Bonum mihi lex oris tui super milia auri & argenti.

Iod

Iod

MAnus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me:da mihi intellectum, vt discam mandata tua.39. Qui timent te videbunt me, & lætabuntur: quòd in verba tua supersperaui.40. Cognoui Domine quòd equitas iudicia tua & in veritate tua humiliasti me.41. Fiat misericordia tua vt consoletur me:secundum eloquium tuum seruo tuo. Veniant mihi miserationes tuæ, & viuam: quia lex tua meditatio mea est. Confundantur superbi quia iniustè iniquitatem fecerunt in me: ego autem exercebor in mandatis tuis. 42. Conuertantur mihi timentes te:& qui nouerunt testimonia tua. Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, vt non confundar.

Caph

D43. Efecit in salutare tuum anima mea: & in verbum tuum superperaui. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum:dicentes, Quando consolaberis me? 44. Quia factus sum sicut vter in † fumo: iustificationes tuas non sum oblitus. 45. Quot sunt dies serui tui, quando facies de persequentibus me iudicium. 46.† Foderunt mihi superbi foueas, quod non est lex tua. 47. Omnia mandata tua veritas: iniqui persecuti sunt me, adiuua me. Penè consumpserunt me in terra:ego autem non dereliqui mandata tua. Secundum misericordiam tuam viuifica me:& custodiam testimonia oris tui.

Lamed

I48. N æternum Domine verbum tuum in permanet in cœlo. In generationem & generationem veritas tua:fundasti terram, & permanet. Ordinatione tua perseuerant † hodie: quoniam omnia seruiunt tibi. 49. Nisi quod lex tua meditatio mea est:tunc perissem in humilitate mea. In æternum non obliuiscar iustificationes tuas:quia in ipsis viuificasti me. Tuus sum ego, saluum me fac: quoniam iustificationes tuas exquisiui. Me expectauerunt peccatores, vt perderét me:testimonia tua intellexi. 50. Omnis cõsummationis vidi finem:latum mandatum tuum nimis.

Mem

QVomodo dilexi legem tuam Domine tota die meditatio mea est. Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo:quia in æternum mihi est. 51. Super omnes docentes me intellexi:quia testimonia tua meditatio mea est. Super senes intellexi: quia mandata tua quæsiui. 52. Ab omni via mala prohibui pedes meos:vt custodiam verba tua. A iudicijs tuis non declinaui: quia tu legem posuisti mihi. Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo? 53. A mandatis tui intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis.

Nun

LVcerna pedibus meis verbum tuum:& lumẽ semitis meis. 54. Iuraui & statui custodire iudicia iustitiæ tuæ. Humiliatus sum vsquequaque Domine: viuifica me secundum verbum tuum. 55. Voluntaria oris mei beneplacita fac Domine: & iudicia tua doce me. 56. Anima mea in manibus meis semper:& legẽ tuam non sum oblitus. Posuerunt peccatores laqueum mihi:& de mandatis tuis non erraui. 57. Hereditate acquisiui testimonia tua in æternum: quia exultatio cordis mei sunt. 58. Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas † in sæculum & in finem.

Samech

INiquos odio habui:& legem tuam dilexi. 59. Adiutor & susceptor meus es tu:& in verbum tuum superperaui. Declinate a me maligni: & scrutabor mandata Dei mei. Suscipe me secundum eloquium tuum: & viuam:& non confundas me ab expectatione mea. Adiuua me, & saluus ero:& meditabor in iustificationibus tuis semper. Spreuisti omnes discedentes à iudicijs tuis: quia † fallax cogitatio eorum. 60.† Vt scoriam erasisti omnes peccatores terræ:ideo dilexi testimonia tua. † Horruit timore tuo † caro mea: à iudicijs enim tuis timui.

Ain

FEci iudicium & iustitiam: non tradas me calumniantibus me. 61. Suscipe seruum tuum in bonum: non calumnientur me superbi. 62. Oculi mei defecerunt in salutare tuum:& in eloquium iustitiæ tuæ. Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam: & iustificationes tuas doce me. Seruus tuus sum ego:da mihi intellectum, vt sciam testimonia tua. 63. Tempus faciendi Domine: dissipauerunt legem tuam. Ideo dilexi mandata tua super aurum & topazion. Propterea 64. ad omnia mandata tua † iusta dirigebar: omnem viam iniquam odio habui.

Phe

M65. Irabilia testimonia tua: ideo scrutata est ea anima mea. 66. Declaratio sermonum tuorum illuminat:& intellectum dat paruulis. 67. Os meum aperui, & attraxi spiritum: quia mandata tua desyderabam. Aspice in me, & miserere mei 68. secundum iudicium diligentium nomen tuum. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum:& non dominetur mei omnis iniustitia. Redime me à calumnijs hominum: vt custodiam mandata tua. 68. Faciem tuam illumina super seruum tuum:& doce me iustificationes tuas. Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.

Sade

IVstus es Domine:& rectum iudicium tuum. 70. Mandasti iustitiam testimonia tua; & veritatem tuã nimis. Tabescere me fecit zelus meus:quia obliti sunt verba tua inimici mei. Ignitum eloquiũ tuũ vehementer:& seruus tuus dilexit illud. 71. Adolescentulus sum ego & contemptus: iustificationes tuas non sum oblitus. Iustitia tua iustitia in æternum: & lex tua veritas. 72. Tribulatio & angustia inuenerunt me: mandata tua meditatio mea est. 73. Æquitas testimonia tua in æternum: intellectum da mihi, & viuam.

Coph

Coph

CLamaui in toto corde, Exaudi me Domine:iustificationes tuas requiram. Clamaui ad te, 74. Saluũ me fac: vt custodiam mandata tua. Præuéni diluculo, & clamaui: quia in verba tua superperaui. Præuenerunt oculi mei † vigilias: vt meditarer eloquia tua. Vocem meam audi secundum misericordiam tuam Domine:& secundum iudicium tuum viuifica me. 75. Appropinquauerunt persequentes me iniquitati: à lege autem tua longè facti sunt. Propè es tu Domine:& omnes viæ tuæ veritas. Initio cognoui de testimonijs tuis: quòd in æternum fundasti ea.

Res

VIde humilitatem meam, & eripe me:quia legem tuam non sum oblitus. Iudica iudicium meum & redime me: propter eloquiũ tuum viuifica me. Longè à peccatoribus salus:quia iustificationes tuas non exquisierunt. Misericordiæ tuæ multæ Domine:secundum iudicium tuum viuifica me. Multi qui persequuntur me, & tribulant me, à testimonijs tuis non declinaui. Vidi præuaricantes, & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt. Vide † ꝙ mandata tua dilexi Domine: in misericordia tua viuifica me. 76. Principium verborum tuorum veritas:in æternum omnia iudicia iustitiæ tuæ.

Sin

P77. Rincipes persecuti sunt me gratis: & à verbis tuis formidauit cor meum. Lætabor ego super eloquia tua: sicut qui inuenit spolia multa. Iniquitatem odio habui & abominatus sum: legem autem tuam dilexi. Septies in die laudem dixi tibi, super 78. iudicia iustitiæ tuæ. Pax multa diligentibus legem tuam:& non est illis scandalum. Expectabam salutare tuum Domine:& mandata tua † seruaui. Custodiuit anima mea testimonia tua:& dilexit ea vehementer. Seruaui mãdata tua & testimonia tua 79. quia omnes viæ meæ in conspectu tuo.

Thau

APpropinquet deprecatio mea in conspectu tuo Domine, 80. iuxta eloquium tuum da mihi intellectum. Intret postulatio mea in conspectu tuo, 81. secundum eloquium tuum eripe me. Eructabũt labia mea hymnum, cum docueris me iustificationes tuas. Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia omnia mandata tua æquitas. Fiat manus tua, vt saluet me, quoniam mandata tua elegi. Concupiui salutare tuum Domine, & lex tua meditatio mea est. Viuet anima mea & laudabit te, & iudicia tua adiuuabunt me. 82. Erraui sicut ouis, quæ perijt: quare seruum tuum Domine, quia mandata tua non sum oblitus.

SCHOLIA.

Canit hic psalmus, quanti faciant sancti leges Dei, quantopere illis studeant, vt oppugnari illas ab impijs doleant, quemadmodum urent, se illas doceri diuinitus. In hoc psalmo sæpius memoratur, lex, iustificationes, præcepta, testimonia, mandata, &c. quæ Iudæi fatentur pro lege, & institutione accipi. Compositus est iuxta ordinem, Hebræi alphabeti, octonis semper versibus ab vna litera incipientibus: nec est versus vllus, in quo non inuenias vnam illarum dictionum, lex, præcepta, testimonia, mandata, iudicia, iustificationes, iustitia, via, veritas, verbum, præter secundum versum in litera Ain, vt mirum sit eandem penè rem toties variis modis repetitam. 1 Beati immaculati.] *Felices, qui innocenter viuunt in hac vita, & quotquot ambulant secundum doctrinam Domini. Vbi obseruandum est, sicut ingeniosum est ex cogitare, quo pacto versus omnes huius psalmi coniungantur inter se, ita non esse necesse, id semper requirere, etiam, si interdum cõtinuentur sententiæ, quando author is mens videatur ea fuisse, vt quolibet versu aliquid diceret, quod ad laudẽ Diuinæ legis pertineret.* 2 Iustificationes tuas custodiam.] *Mandata tua seruabo pro viribus, nisi tu destitueris me auxilio tuo.* 3 Adolescentior.] *In quo scilicet affectus carnis maiorem habere vim solent, at illis vnum hoc remedium est, si diligenter obseruauerint verba Dei.* 4 Ne repellas me.] *Ne sinas me aberrare à mandatis tuis. Sic enim in Heb. est.* 5 Benedictus es.] *Laudandus & omni laude maior.* 6 In labijs meis.] *Indicat quàm gratum esset illi, de Deo, & eius lege assiduè loqui.* 7 Retribue seruo tuo.] *Præsta hoc seruo tuo, & dum viuo liceat parere mandatis tuis.* 8 Incola ego sum.] *Atque ob hanc causam, tanquam solatium peregrinationis meæ, opto exercitationem in lege ac mandatis tuis.* 9 Auferà me opprobrium.] *Libera me à probro & contemptu illorum superborum, quia admonitiones tuas custodiui.* 10 Adhæsit pauimento.] *Vel, pulueri, ac limo. Proximus fui morti, tantis expositus periculis, restitue me pristinæ valetudini iuxta promissa tua.* 11 Vias meas enunciaui.] *Opera mea recensui, quare exaudisti me, & cum huius rei fructum nouerim, doce me quæso intelligere mandata tua, quo semper dirigar.* 12 Viam iustificationum.] *Genuinam sententiam mandatorum tuorum assequi fac me.* 13 Dormitauit.] *Solutus est mihi animus præ anxietate, erige me secundum verbum tuum. Nam in Hebr. pro dormitauit est, diffluxit, vel, stillauit.* 14 De lege tua miserere mei.] *Secundum legem tuam misericorditer tracta me. Alius vertit. Fac, vt lex tua grata sit mihi.* 15 Cum dilatasti cor meum.] *Si tu vires & spiritum suppeditaueris, curram viam mandatorum tuorum.* 16 Legem pone.] *Doce me Domine intelligentiam mandatorum tuorum, vt ad eam seruandam quoad vixero accommodem me.* 17 Statue seruo tuo.] *Propone seruo tuo eum sermonem, qui maximè inuitat ad venerationem tui. Alius sic. Confirma seruo tuo eloquium tuum, qui se addixit timori tuo.* 18 Amputa opprobriũ.] *Aufer infamiam, à qua metui mihi, iudicia enim tua clementiæ admixtum habent plurimum, atque iccircò fiduciam habeo hæc postulandi.* 19 Ecce concupiui.] *Ego certè amaui mandata tua, quare pro tua æquitate in vita conserua me.* 20 Et respondebo.] *Vt habeam, quod respondeam ei, qui exprobrat mihi, quod dicere soleam fidere me promissioni tuæ.* 21 Et ne auferas.] *Quare ne vnquam sinas quæso irritum fieri hoc, quod sæpe dixi, & verè iudicia enim tua expectaui, quibus palam fiet, mea ne, an aduersariorum causa sit melior.* 22 In latitudine.] *In cordis lætitia, & tranquillitate.* 23 Et leuauimanus.] *Vel. Tollam in altum manus ad amata mihi præcepta.* 24 Verbi tui.] *Memor esto eius, quòd promisisti seruo tuo.* 25 Hæc me consolata est.] *Hæc promissio consolata est me, tempore afflictionis meæ, verbum enim hoc tuum effecit, ne mœstitia extingueret, sed in vita continerer.* 26 Superbi insultabant mihi.] *Superbi insultauerunt mihi*

mihi miris modis,ego verò lege tua consolatus sum me,nec aliò, quàm ad eam confugi. 27 Memor fui iudiciorum tuorum.] In memoriam reuocaui,quanta æquitate & iudicio,olim tractaueris patres nostros, quæ res plurimum mihi consolationis attulit. 28 Cantabiles mihi erant.] Pro carminibus fuerunt mihi præceptiones tuæ,quocunque loco fuissem tempore exilij mei. 29 Hæc facta est.] Hoc loco Hebraismum seruauit interpres, vt fœminino vteretur pro neutro,quo carent Hebræi.Sensus ergo est.Hoc fuit mihi summæ curæ,vt mandata tua seruarem. 30 Portio mea.] Portio mea tu es Domine,quare statui seruare,quæ verbis tuis mandata sunt. 31 Secundum eloquium tuum.] Quo promisisti affuturum te mihi. 32 Funes.] Potest & verti.Turmæ impiorum diripuerunt me. 33 Particeps.] Socius ego sum,& amicus omnium illorum,qui venerantur,& seruant mandata tua. 34 Misericordia tua.] Benignitate tua Domine plena est terra. Et ob hanc causam præcepta tua doce me. 35 Bonitatem & disciplinam.] Alij verterunt,bonum gustum,vel bonum sensum, hoc est,aperi tu mihi rectam intelligentiam eorum,quæ latent in lege tua,vel sic, Vtilitatem, quæ est in cognitione legis tuæ, doce me,mandatis enim tuis maximam inesse vim firmissimè credidi. 36 Priusquam humiliarer.] Priusquam diligenter auscultarem ad mandata tua, sæpe aberraui,nunc autem attentior factus, verbis tuis parebo. 37 Incrassatum est.] Impinguatum est,& stupore veluti aruina obductum cor illorum,&c. 38 Quod humiliasti me.] Quod rebus aduersis non nihil afflictus fuerim. 39 Qui timent te.] Tunc cultores tui videbunt me,& gaudebunt,quòd in promissionibus tuis posuerim spem meam. 40 Cognoui Domine.] Noui quòd iustissima æquitas sunt iudicia tua, & meritò afflixeris me. 41 Fiat misericordia tua.] Verum sit quæso tandem malorum satis & pro tua benignitate consolare me, id enim promisisti seruo tuo verbis tuis. 42 Conuertantur mihi.]Conueniant apud me,qui reuerenter colunt te,&c. 43 Defecit in salutare tuũ.] Vix amplius est apud se,præ desyderio salutis quam expectat anima mea abs te,promissis tamen tuis non diffidam.Sic quod sequitur, Defecerũt oculi mei in eloquium tuum,id est cupiunt videre quod promisisti. 44 Quia factus sum sicut vter.] Quamuis similis esset cutis mea vtri à fumo in rugas contracto, mandatorum tamen tuorum non fui oblitus. 45 Quot sunt dies.] Quot adhuc supersunt dies seruo tuo quando de ijs,tandem, qui me persequuntur , supplicium sumes? 46 Foderunt.] Qui verterat. Narrauerunt mihi iniqui fabulationes . Videtur voluisse metaphoram sermonis explicare, cum addatur. Sed non , vt lex tua. Vt fodere foueas sit,ea persuadere, quæ præter legem Dei sint. 47 Omnia mandata tua.] Vniuersa mandata tua fidei plenissima sunt,quare cum sine causa persequuntur me,auxilio,sis mihi tu. 48 In æternum Domine.] Illud,in cælo,videtur esse Hebraismus,pro,cum cælo,atque stabiliter.Perpetua est(inquit)verbi tui constantia & potius cœlum ipsum rueret,quàm vt vnum de oraculis tuis non adimpleretur , sicut terra stat in omne æuum, sic veritas Domini firma manet in perpetuum,& indicia eius,ac decreta,hæc omnia inuariabilia consistunt hodie, id est, vsque in hunc diem , cum omnia obsequuntur Deo , & exequantur voluntatem eius, pro cuiusque naturæ conditione. 49 Nisi quòd lex tua.] Nisi doctrina tua recreasset me,tum mœrore perissem,cum affligerer tam periculosè. 50 Omnis consummationis.] Nihil est eorum,quæ in mundo fiunt,tam absolutum,cuius non viderim interitum, præter legem tuam, quæ latissimè se extendens,vsque in futurum etiam sæculum porrigitur. Charitas enim finis legis nunquàm excidit. 51 Super omnes docentes me intellexi.] Profectò enim frequens diuinæ legis meditatio efficit homines ingenio,eruditione,prudentia,cæteris præstantiores,idq; breuissimo interdum tempore,vt iunior multis senibus sapientia antecellat. 52 Ab omni via mala.] Obserua, hunc non cauisse à vitijs ob malum pœnæ , sed ob diuinæ legis amorem,cui inter vitiorum consuetudinem operam dare non potuisset. 53 A mandatis tuis intellexi.] Acquiro intelligentiam & prudens fio ex mandatis tuis. 54 Iuraui & statui.] Vel iuraui,& persistam in proposito seruandi quicquid æquissimo iudicio præcepisti. 55 Voluntaria oris mei.] Pias has oblationes oris mei,gratanter quæso accipe Domine,&c. Ea, quæ non ex lege , nec pro culpa , sed pro gratiarum actione offerebantur, voluntaria, vel spontanea vocabantur. 56 Anima mea in manibus meis.] Hunc Hebraismum aliquoties habuimus,nam animã habere in manibus est,illam semper periculis esse expositam, sicut mulier Pythonissa dixit ad Saul.1.Reg.28.Posui animam meam in manu mea. 57 Hæreditate acquisiui.] In hæreditatem accepi, quasi mea semper futura & nunquàm amittenda. 58 Inclinaui cor meum.] Accommodaui animum meum , vt opere præstem præcepta tua, vsque in finem vitæ meæ, [redacted] Seruire ei debemus toto animo, si etiam decreuisset nos in Gehennam detrudere:tum ob id,quòd ei debemus,tum quòd id solum viuimus temporis , cum in rectè facta incumbimus,nam qui se in omnia flagitia ingurgitant,hi viuere nullo modo dici possunt. Potest tamen fieri interpretatio verborum Hebræorum sine eiusmodi offensione,vt dicatur,in æternum est retributio,vt alibi legimus in custodiendis illis retributio multa.Nam hoc pacto significatur,ingentem quidem esse fructum seruatæ diuinæ legis, non tamen scopum esse illam retributionem,sed amorem Dei. 59 Adiutor & susceptor.] Vel latibulum & scutum es mihi tu,quare in verbis tuis spem omnem meam collocaui. 60 Vt scoriam erasisti.] Sicut scoria separatur , & reijcitur ab argento,ita impij perdentur de terra. 61 Suscipe seruum tuum in bonum.] Vel oblecta bono seruum tuum, siue instiga ad bonum seruum tuum. 62 Oculi mei defecerunt.] Oculi mei caligare cœperunt, prospectantes diu , num alicunde adueniret salus abs te verbo iustitiæ tuæ promissa. 63 Tempus faciendi.] Tempus appetit,quo sumpturus es supplicium de impijs, nihili enim fecerunt doctrinam tuam. 64 Ad omnia mandata tua.] In Heb.est.Omnia mandata tua ,omnia dirigebam,hoc est, pro rectis habebam. 65 Mirabilia testimonia tua.] Admiratione dignæ sunt ceremoniæ tuæ, quare obseruauit eas anima mea. 66 Declaratio.] Vel apertio siue initium,vt sit sensus, simulatq; aperiuntur eloquia tua , & datur venire in vestibulum eorum, admirabili, is, qui ingressus est,perfunditur luce,& potissimũ simplices,nam qui tument spiritu,non hanc consequuntur illustrationem. 67 Os meum aperui.] Metaphora est,accepta ab ijs,qui cum aliquid vehementer cupiunt,hiatu oris, & maioris spiritus attractione indicant suum desiderium. 68 Secundum iudicium.] Quomodo misereri soles eorum,qui amantes sunt nominis tui. 69 Faciem tuam.] Fac clarè appareat fauor vultus tui erga seruum tuum. 70 Mandasti iustitiam.] Adesse voluisti iustitiam statutis tuis,& veritatem,hoc est,fidem valde. 71 Adolescentulus sum ego.]

Significat,

Significat,se legis beneficio emersisse in eam dignitatem,in qua tunc erat rex tam augustus. 72 Tribulatio & angustia.] Ostendit singulare refugium,& solatium in afflictionibus,esse meditationem mandatorum Dei. 73 Æquitas testimonia tua.] Iustitia comitabitur præcepta tua perpetuò,fac,vt intelligam hæc & viuam. 74 Saluum me fac.] Vt quid? vt custodiam mandata tua , liberationem molestiarum petit,vt diligentius & quietius operam det diuinis præceptis. 75 Appropinquauerũt.] Magno conatu egerunt,qui persequuntur me,vt scelesta † designarent,quare à lege tua absunt quàm remotissimè. Tu verò propè ades,& omnes viæ tuæ veritatis ac fidei plenæ sunt. 76 Principium verborum tuorum veritas.] Caput & summa verborum tuorum,siue omnium rerum tuarum,est stabilitas,perpetuò durabit æquissimum iudicium tuum. Vel,ab initio rerum (sic enim quidam interpretantur) vsque in omnia sæcula verba tua veritas & iustitia sunt. 77 Principes persecuti sunt.] Potentes principes persecuti sunt me sine causa, quos non tantopere metui , quàm timui ex animo,ne à verbis tuis discederem. 78 Iudicia iustitiæ.] Iudicia iusta,vel normas viuendi æquissimas. 79 Quia omnes viæ meæ.] Omnia facta mea notissima sunt tibi, nec vllum illorum latet te.Itaq; , vt qui coràm Deo semper essem, ita me gerebam. 80 Iuxta eloquium tuum.] Verborum tuorum intelligentiam præbe mihi. 81 Secundum eloquiũ tuum eripe me.] Quemadmodum promittunt verba tua,è malis eripe me. 82 Erraui sicut ouis,quæ perijt.] Petit in fine pulcherrimi huius psalmi,eius opem,qui perditam ouem suis humeris ad gregem reportauit.In hoc psalmo interpres vertit interdum meditor pro oblector,& exquiro vel scrutor,pro custodio.

Canticum graduum CXIX.

AD Dominum cum tribularer clamaui,& exaudiuit me. Domine libera animam meam à labijs iniquis & à lingua dolosa. [a] Quid detur tibi,aut quid apponatur tibi à lingua dolosa? Sagittæ potentis acutæ : cum carbonibus desolatorijs. Hei mihi, [b] quòd incolatus meus prolongatus est:habitaui cum habitantibus Cedar : multum incola fuit anima mea. [c] Cum his , qui oderunt pacem,erã pacificus: cum loquebar illis,impugnabant me. †

SCHOLIA.

Cur psalmus iste & aliquot sequentes vocentur psalmi graduum , vel ascensionum , certò sciri nequit:quamuis quidam Hebræorum dicunt,eos à Leuitis decantatos in quindecim gradibus , quibus ab æde mulierũ ascendebatur ad ædem virorũ. [a] Quid detur tibi.] Quantum putas nocet tibi lingua fraudulenta? profectò quantum vllæ sagittæ, quas iaculatur fortissimus quisq; vir arcu,easq; acutas,quarum acies inter volandum tantum concipiet ardoris, quantum habere solent carbones iuniperorum,potest & duplex esse comparatio. Aiunt autem carbones iuniperorum vrere vehementius, & ignem retinere diutius fauilla tectum. Interpres sensum contentus exprimere, vertit,cum carbonibus desolatorijs. [b] Quia incolatus meus.] Alius vertit.Hei mihi,Quod cum Mesech peregrinari cogor,hoc est,dum habito cum fraudulentis illis hominibus, perinde est,ac si habitarem in regione Mesech & Cedar,qui Ismaelitæ sunt , & efferi Arabes, in deserto præda & rapina viuentes. [c] Cum his qui oderunt pacem.] Ita distinguendum esset , multùm incola fuit anima mea cũ ijs , qui oderunt pacem.Ego vir pacis sum,& cum loquor de pace,ipsi bellum adornant.

Canticum graduum CXX.

LEuaui oculos meos in montes: [a] vnde veniat auxilium mihi. [b] Auxilium meum à Domino : qui fecit cœlum & terram. [c] Non det in commotionem pedem tuum : neque dormitet qui custodit te. Ecce [d] non dormitabit neque dormiet,qui custodit Israel. [e] Dominus custodit te , Dominus protectio tua super manum dexteram tuam. [f] Per diem sol non feriet te:neque luna per noctem.Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus. Dominus custodiat [g] introitum tuum & exitum tuum: [h] ex hoc nunc,& vsque in sæculum.

SCHOLIA.

[a] Vnde veniat.] Circunferebam(inquit)oculos meos,veluti stans in monte,sic vnde viderem fortè ferri suppetias mihi. Hoc ergo dixit per allegoriam,similitudine mutuata ab illis,qui expectantes auxilia,ex æditioribus locis speculantur, vnde illa demum adueniant. [b] Auxilium meum.] Id quidem faciebam, verùm deprehendi,nullum esse mihi sperãdum auxilium,nisi à solo Domino,&c. [c] Non det.] Iste non sinet vacillare pedes tuos,nec dormiet vnquam. [d] Non dormitabit.] Neque dormiet vnquam,neque vel leuiter obdormisset. [e] Dominus custodit te.] Bono(inquit)animo sis,Dominus curat te & tua,erit instar vmbraculi tibi ad dexteram manum assiduè. [f] Per diem sol.] Hoc vmbraculo fiet,vt nihil te lædat,siue id incidat per diem siue per noctem. [g] Introitum tuum.] Hebraismus est,illi similis,vbi dicitur.Ingredietur & egredietur. Significat ergo,& profectionem & reditum , & facta eius omnia prospera futura, curante Domino. [h] Ex hoc nunc.] ἀπὸ τοῦ νῦν. ex nunc,id est,ab hac hora vsque in finem vitæ.

Canticum graduum Dauid CXXI.

L [a] Ætatus sum † cum his qui † dixerunt mihi:in domum Domini ibimus. [b] Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Ierusalem . Ierusalem ; quæ ædificatur,vt ciuitas : [c] cuius participatio eius in idipsum. Illuc enim ascenderunt tribus tribus Domini : [d] testimonium Israel , ad confitendum nomini Domini. [e] Quia illic sederunt sedes in iudicio:sedes super domum Dauid. [f] Rogate, quæ ad pacem sunt Ierusalem : & abundantia diligentibus te . Fiat pax [g] in virtute tua : & abundantia in turribus tuis . Propter fratres meos , & proximos meos [h] loquebar pacem de te. Propter domum Domini Dei nostri : quæsiui bona tibi.

SCHOLIA.

Sub typo Ierusalem ecclesiæ Christi felicitatem describit, & vota sanctorum,optantium semper illam prouehi. [a] Lætatus sum.] Gaudebam ex animo,cum dicerent mihi in domum Domini ibimus. [b] Stantes erant.] In tribus enim illis solennitatibus omnes viriles sexus à viginti annis conueniebant ad locum tabernaculi fœderis. [c] Cuius participatio eius in idipsum.] Vel,vt alius vertit.Quæ coniuncta est sibi ipsi pariter, siue, Cuius ciues in vnum coeunt. Ierusalem(inquit) ædificata est,vt par est ædificari ciuitatem consociatam sibi,& optimè institutam ciuium vnitate. [d] Testimoniũ Israel.]

Lex

Lex & decretum statutum Israeli. Sic enim vocatur lex, quia de voluntate Dei nobis afferat testimoniũ. [e] Quia illic sederunt.] *Quo tempore illic collocabãtur sedes ad exercenda iudicia, & solium familiæ Dauid.* [f] Rogate, quæ ad pacem sunt.] *Hortatur, vt quærant pacem & felicitatem eius, quòd totius populi & regni pax ab eius pendeat pace, ideirco addit abundantia diligentibus te, hoc est, feliciter euenient omnia illis, qui bene volunt & amant te.* [g] In virtute tua.] *Alius vertit, in antemurali tuo, hoc est, sit pax, & nemo infestet valla tua, prospera sint omnia in palatys tuis. Interpres per virtutem intelligere voluit robur militum, quod non discrepat à sensu.* [h] Loquebar pacem de te.] *Vel loquar, precabor (inquit) tibi salutem, & optabo, vt omnia prosperè eueniant tibi.*

Canticum graduum CXXII.

AD te leuaui oculos meos: qui habitas in cœlis. Ecce [a] sicut oculi seruorum in manibus dominorũ suorum. Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri. Miserere nostri Domine, miserere nostri: quia multùm repleti sumus despectione. Quia multum repleta est anima nostra: † opprobrio abundantium, & despectione † superborum.

SCHOLIA.

[a] Sicut oculi seruorum.] *Serui (inquit) qui toti iuris sunt dominorum suorum, refugium aliud non habent, nec alò spectant, cum iniurys lacessuntur, quàm ad dominos suos, qui eos tueantur, ita nos opprobria nostra, atque calumnias apud te Dominum Deum nostrum querimur, vt tu nos pro tui nominis gloria vlciscaris & liberes ab ys, qui in hoc mundo regnare & felices esse quærunt, quos appellat abundantes & superbos.*

Canticum graduum Dauid CXXIII.

NIsi † quòd Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi † quòd Dominus erat in nobis. Cũ exurgerent homines in nos: † tunc viuos deglutissent nos. Cum irascereturfuror eorum in nos, † tũc aqua absorbuisset nos. [a] † Torrens pertransisset animam nostram: pertransisset aniam nostram aqua intolerabilis. Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrũ in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram.

SCHOLIA.

Putant hunc psalmum compositum de reliquys Israel, quæ in captiuitate Babylonica mortis discrimen euaserunt, debacchante hoste in vrbem Ierusalem, in templum, atque in populum. [a] Torrens pertransisset.] *Metaphora est. Vndæ malorum (inquit) obruissent nos.*

Canticum gradunm CXXIIII.

QVi confidunt in Domino † erunt sicut mons Sion: qui non commouebitur † sed stat in æternum. [a] Ierusalem, montes in circuitu eius: & Dominus in circuitu populi sui, ex hoc nunc & vsq; in seculum. [b] Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum: vt non extendat iusti ad iniquitatem manus suas. Benefac Domine bonis & rectis corde. [c] Declinantes autẽ in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: pax super Israel.

SCHOLIA.

[a] Ierusalem, montes in circuitu eius.] *Ierusalem, montes quidem habet in circuitu, verum illi non hoc possunt in defensionem ciuitatis, quod Dominus, qui adest populo suo à prima hora vsque in perpetuum.* [b] Non relinquet Dominus.] *Hoc est, Violentia & tyrannis pessimorum hominum non in perpetuum tolerabitur à Deo, ne & iusti à recto studio auocentur. Appellat autem sortem iustorum, ea loca, quæ veluti diuina sorte obtenerunt iustis.* [c] Declinantes autem in obligationes.] *Vel in peruersitates.*

Canticum graduum CXXV.

† VM conuerteret Dominus captiuitatem Sion: [a] facti sumus sicut consolati. Tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. Tunc † dicebant inter gentes, Magnificauit Dominus facere cum eis: Magnificauit Dominus facere nobiscum: facti sumus lætantes. Conuerte re Domine captiuitatem nostrã, [b] sicut torrens in austro. [c] Qui seminant in lachrymis: in exultatione metent. Euntes ibant & flebant: mittentes semina sua. Venientes autem venient cum exultatione, portantes manipulos suos.

SCHOLIA.

Canit lætitiam populi è Babylonico exilio liberati, quod tu ad spiritalem transfer liberationem. [a] Facti sumus sicut consolati.] *Alius vertit, quieti restituti sumus. Plures tamen verterunt, sicut somniantes, hoc est, videbamur nobis præ magnitudine lætitiæ somniare eam felicitatem, cum soluta captiuitate reduces venieremus in terram nostram.* [b] Sicut torrens in austro.] *Vel, in meridie precatur Deum, vt pergat, tam enim gratam fore liberationem, quàm esse posset, si flumina contingerent habitantibus aridas solitudines, quales sunt vastissimæ in meridionali plaga Ierusalem, vnde desertum sæpe prometidie illis accipitur. Alius tamen vertit. Vertisti Domine captiuitatem nostram, non secus, quã cum austro flante torrens excitatur.* [c] Qui seminant in lacrymis.] *Coniungitur superiori sic. Tam grata est hæc liberatio, quàm cum terra sitiens accipit fluentes per eam riuulos aqua plenos: in quam, qui ante irrigationem iecerant semen, desperates propemodum, et cum fletu illi metent, quæ prouenerunt, de improuiso cum gaudio summo, &c.*

Canticum graduum Salomoni CXXVI.

NIsi Dominus [a] ædificauerit domum: in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem: frustra vigilat, qui custodit eam. [b] Vanum est vobis ante lucem surgere: † surgere postquam sederitis qui manducatis panem doloris. [c] † Sic dabit dilectis suis somnum: ecce hæreditas Domini filij: merces, fructus ventris. Sicut sagittæ in manu potentis: ita filij † iuuentutis.

Beatus

Beatus vir [e] qui impleuit † pharetram suam ex ipsis: non confundetur cum loquetur inimicis suis in porta.

SCHOLIA.

[a] Ædificauerit domum.] *In scriptura ædificare domum, est augere rem familiarem & familiam: sic dicitur Dominum ædificasse domum obstetricibus, vel, vt alij volunt, Israelitis, quando animum dabat obstetricibus, ne infantes illorum perderent.* [b] Vanum est vobis.] *Vanum est, summo manè surgere ad labores, & parum quiescere, ac sero redire ad quietem, & parto laboribus maximis pane vesci, nisi Dominus dederit incrementum.* [c] Sic dabit dilectis.] *Dare somnum, est securam omnium, & cunctis bonis affluentem quietem dare. Videtur autem Salomon per illud verbum, sic, seipsum in exemplum proposuisse, quem etiam Nathan vocauit Tedidia, id est, dilectum Domini.* [d] Ecce hæreditas Domini.] *Distingue sic. Hæreditas Domini filij sunt, & merces, fructus ventris, id est hæreditas, quam Dominus dat, filij sunt, & præmium præcipuum fructus ventris, vt sint munus quoddam liberalissimum Dei, & donum quoddam gratis datum. Quibus liberis dat etiam vitam cum valetudine, & alia munera sua: id quod similitudine sagittarum, quæ in manu potentis alicuius sint, explicatur.* [e] Qui impleuit pharetram.] *Perstat in metaphora. Beatus (inquit) vir ille, cui tales contingunt sagittæ, id est, filij, nam non pudefient, cum in portis ad iudicium venerint, disceptaturi cum hostibus suis. Sunt enim prudenter educati, ideo prudenter omnia administrabunt.*

Canticum graduum CXXVII.

BEati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in vijs eius. Labores manuum tuarum quia manducabis: beatus es, & bene tibi erit. Vxor tua [a] sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ. Filij tui sicut nouellæ oliuarum: in circuitu mensæ tuæ. Ecce sic benedicetur homo qui timet Dominum. Benedicat tibi Dominus ex Sion: & [b] videas bona Ierusalem omnibus diebus vitæ tuæ. Et videas filios filiorum tuorum: pacem super Israel:

SCHOLIA.

Dicit colentem Deum priuatim ac publicè bene, beatèq; habitaturum. [a] Sicut vitis abundans.] *Licet debile ac despectum lignum sit vitis, quæ se ipsam nequit sustentare, dulcem tamen profert fructum: sic vxor imbecillum est organum, quæ absq; viri præsidio vix viuere potest, parit tamen dulces liberos, qui plantulis oliuarum comparantur, quòd sanctorũ filij more oliuarum semper optima floreant fama. Quod ait, in lateribus domus tuæ, respicit ad morem vitis, quæ sese propagare solet per omnia latera.* [b] Videas bona Ierusalem.] *Quia felicitas priuata non satis stat sine publica, rogat vt Deus benefaciat toti ciuitati, vt in ea tuti viuere possint colentes Deum.*

Canticum graduum CXXVIII.

[a] SÆpe oppugnauerunt me à iuuentute mea, dicat nunc Israel, Sæpe oppugnauerunt me à iuuentute mea: & non potuerunt mihi. [b] Supra dorsum meum † arauerunt peccatores: prolõgauerunt † sulcos suos. Dominus iustus [c] concidit † funes peccatorum: confundantur & conuertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion. Fiant [d] sicut fœnum tectorum: quod priusquam euellatur, exaruit. De quo non impleuit manum suam qui metet: & sinum suum, qui manipulos colliget. Et non dixerunt, qui præteribant, Benedictio Domini super vos: benediximus vobis in nomine Domini.

SCHOLIA.

[a] Sæpe oppugnauerũt me.] *Vox est populi, cõmemorantis beneficentiam Dei erga se, quem numero & viribus exiguum superauerint, quantumlibet impij sæpe tentarint illum extinguere.* [b] Supra dorsum meum.] *Dorso meo tantum onus imposuerunt, vt signa in eo apparuerint, qualia aratores agris imprimere solent: & veluti sulcos longos induxerunt. Videtur hic psalmus de Babylonico exilio compositus, ideo dicit hostes prolongasse sulcos.* [c] Cõcidit funes.] *Dominus virtute sua confregit potentiam impiorum, atque ab eorum tyrannide liberauit suos.* [d] Sicut fœnum tectorum.] *optat fieri impios, qui cultores Dei persequuntur, similes herbæ, quæ nascitur è rimis & fissuris tectorum (quæ plana habentur in Palæstina) & exarescit deficiente humore ante quàm euellatur & demetatur, nec messor facile implet manum suam, vnde & transeuntes non bene precantur his qui eadem resecant herbam, vt dicant, prosperè eueniat hæc seges &c.*

Canticum graduum CXXIX.

[a] DE profundis clamaui ad te Domine: Domine exaudi vocem meam. Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. Si iniquitates obseruaueris Domine: Domine quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est: vt te reuereamur: Sustinui te Domine: sustinuit anima mea, & in verbo eius sperauit. Anima mea ad Dominum [b] ante custodiam matutinam: ante custodes, inquam, matutinos. Spera Israel in Domino, quia apud Dominum misericordia: & copiosa apud eum redemptio. Et ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.

SCHOLIA.

[a] De profundis.] *Cum tantum non obrutus essem profundissimis malorum vndis, tuum Domine auxilium imploraui, putant & hunc psalmum dictum de captiuitate Babylonica.* [b] Ante custodiam matutinam.] *Vt significet, se maturè consuesse surgere ad precandum. Intelligit autem custodes, qui tota nocte per vices vrbem custodiunt, Vel hic sensus est, Anima mea ardentius expectat aduentum Domini, quàm vigiles nocturni tempus matutinum. Vigiles, inquam, qui somno grauati, matutinum expectant tempus, quo dormire eis liceat.*

Canticum graduum Dauid XXX.

DOmine non est exaltatum cor meum: neq; elati sunt oculi mei. [a] Neq; ambulaui in magnis: neque in mirabilibus super me. [b] Si non humiliter sentiebam, † compescens animam meam. Sicut ablactatus est super matre sua, [c] † sicut ablactatus in me est anima mea. Speret Israel in Domino ex hoc nunc & vsque in sæculum.

SCHOLIA.

[a] Neque ambulaui in magnis.] *Non ambiui magna, & fastui atque arrogantiæ nõ dedi locũ, vt tentarẽ quod supra me esset.*

me esset. [b] Si non humiliter.] *Hebraismus habet. Si non posui,& silere feci,vel compescui animam meã.* [c] Sicut ablactatus,in me est anima mea.] *Eo affectu sum,quo infans ab vberibus matris suæ recens depulsus,qui solus figere gressus non potest,sed matris sustentatur manu. Iuratio autem est,more Hebræorum,cui non addit,quid sibi imprecetur, deest enim, frustra spe mea penitus,si ita non est,sic est illud. Si Dauid mentiar,& si introibunt in requiem meam.*

Canticum graduum CXXXI.

[a] Memento Domine Dauid,& omnis † afflictionis eius. Sicut [b] iurauit Domino, votum vouit Deo Iacob. Si introiero in tabernaculum domus meæ,si ascendero in lectum strati mei. Si dedero somnum oculis meis,& palpebris meis dormitationem,donec inueniam locum Domino,tabernaculi Deo Iacob. Ecce [c] audiuimus eam in Ephrātha:inuenimus eam in cāpis syluę. [d] Introibimus in tabernaculum eius:adorabimus in loco vbi steterūt pedes eius. [e] Surge Domine in requiem tuam: tu & arca † fortitudinis tuæ. Sacerdotes tui induantur iustitia:& sancti tui exultēt. Propter Dauid seruum tuum: [f] non auertas faciem CHRISTI tui. Iurauit Dñs Dauid veritatem,& non frustrabitur eam, De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filij tui testamentum meum:& testimonia mea hæc quę docebo eos. Et filij eorum vsq; in sæculum sedebunt super sedem tuam. Quoniam elegit Dominus Sion:elegit eā in habitationem sibi. [g] Hæc requies mea in sæculum sęculi:hic habitabo,quoniam elegi eam. † Victui eius benedicens benedicam:pauperes eius saturabo panibus. Sacerdotes eius [h] induam salutari:& sancti eius exultatione exultabunt. [i] † Illic florere faciam cornu Dauid:[k] paraui lucernā CHRISTO meo. Inimicos eius induam confusione:super ipsum autem efflorebit † diadema meum.

2.Para.6.g

Luc.1.g
Mala.3.a
Luc.1.b

SCHOLIA.

Canit de sempiternitate,et felicitate regni Christi,& præsentia Dei in ecclesia eius sub typo regni Dauid, et arcæ in Sion repositæ. [a] Memento Domine Dauid.] *Precatur propheta, Vt Deus promissa sua præstet,& numinis sui sedem in Sion vrbe regia figat,regnumque posteris eius cōfirmet,donec veniat,qui orbi salutem afferat.* [b] Iurauit Domino.] *Hoc votum putant Hebræi fuisse nuncupatū,cum sæuiret pestilētia.1.Reg.vltimo.et 1.Paral.21.* [c] Audiuimus eā in Ephrāta.] *Hic versus plurimum Hebræos fatigat,cum non legatur arcam perlatam fuisse Ephrāta,idest, Bethleem, quare quidam sic interpretantur. Audiuimus eam per Dauid,qui fuit ex Ephrāta, Alius sic, Audiuimus ex ore prophetarum locum arcæ debere esse Bethleem, Verùm reuelante angelo inuenimus eā in campis Sylua,idest in area Araunæ, Iebusæi. Potest autem idem appellasse Ephrāta et campos Sylua, Vt prædium Araunæ hoc nomen habuerit ob fertilitatem:nam Ephrāta fertilem terram significat: potest et sic intelligi, Dauid in Bethleem accepisse promissionem de certo rempli loco inueniendo,de hac area habetur.1.Paralip.21.* [d] Introibimus in tabernaculum eius.] *Eamus ergo (inquit) in tabernacula,quæ ipse elegit sibi,prosternamus nos supplices ante scabellum pedum eius.* [e] Surge Domine.] *Precatur Deum, Vt eat ad eum locū, quem sibi ad hoc elegerat, Vt præ cæteris peculiariter,requisceret in eo.* [f] Ne auertas faciem.] *Ne auerseris vnctum tuum.* [g] Hæc requies mea in sæculum.] *Hic manifeste propheta ad spiritualem Sion aspexit. Cum enim Deus in terrena Sion sedem perpetuò non habuerit,necesse est, Vt ecclesiam Christi intelligamus.* [h] Induam salutari.] *Vel salute. Cōspicuus (inquit) faciam conuersatione & doctrina, Vt nihil nisi sempiternam salutem præ se ferant: quod etiam est, iustitia esse indutos.* [i] Florere faciam cornu Dauid.] *Hoc est, permanebit regnum Dauid vsque ad Christum, non in exteriori pompa, sed in posteris eius erunt aliqui,qui populo præerunt donec veniat Christus,qui regnabit in domo Iacob in æternum.* [k] Paraui lucernam.] *Vocat lucernam,posteritatem Dauid in regno, Vt idem sit,quod cornu Dauid, de hac habes 3. Reg.11.& 15.& 2.Paral.21.*

Canticum graduum CXXXII.

Ecce quàm bonũ & quàm iucũdum,habitare fratres in vnum. Sicut vnguentũ optimũ in capite, quod descendit in barbam,barbam Aaron:Quod descendit in oram vestimēti eius:sicut [a] ros Hermon,qui descendit in montem Sion. Quoniam illic mādauit Dominus benedictionē:& vitam vsq; in seculū.

SCHOLIA.

Intelligitur psalmus iste de ijs,qui spiritu Dei renati,veram inter se habent fraternitatem, qua nihil est iucundius, assimilatque propheta eam pretioso illi vnguento,quo soli sacerdotes,& vasa tabernaculi inungebantur,quod effusum, immensum spargebat odorem. Effusum autem super caput sacerdotis,distillabat in barbam eius, atque in oras vestimentorum eius. Vtitur & alia similitudine,nempe roris,qui fœcundat montem Hermon pascuosum, et montana Sion. Sic, Vbi vera est concordia,ibi est benedictio Dei omnium gratiarum affluentia, Vitaq; planè beata: et iccirco addit. Illic mandauit Dominus benedictionem. [a] Ros Hermon.] *Bis repetendũ est, sic. Ros,qui descendit in Hermon,& ros,qui descendit in mōtem Sion.*

Canticum graduum CXXXIII.

Ecce nunc benedicite Dominum omnes serui Domini. [a] Qui statis in domo Domini, † per noctes. Extollite manus vestras [b] in sancta:& benedicite Dominum? Benedicat te Dominus ex Siō, qui fecit cœlum & terram.

SCHOLIA.

[a] Qui statis in domo Domini.] *Per hos intelliguntur nō solum Leuitæ,quorum officium erat excubias agere in domo Domini. Verùm & reliqui ex populo,quorum plerique per noctes in templo,Domino supplicaturi manebant.* [b] In sancta.] *Vel,ad sanctitatem,ideſt,ad arcam fœderis, Vnde Dominus responsa dabat,quæ & typus fuit Christi,perquem veluti mediatorem Pater cœlestis nos exaudit.*

Halleluia CXXXIIII.

Laudate nomen Domini,laudate serui Dominum. Qui statis in domo Domini, in atrijs domus Dei nostri. Laudate Dominum,quia bonus Dominus: psallite nomini eius quoniam suaue. Quoniam Iacob elegit sibi Dominus,Israel in possessionē sibi. Quia ego cognoui quòd magnus est Dominus: & Deus noster præ omnibus dijs. Omnia quæcunq; voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus

omnibus abyssis. Educens nubes [a] ab extremo terræ:[b] fulgura in pluuiam fecit. Qui producit ventos [c] de thesauris suis:qui percussit primogenita Ægypti ab homine vsq; ad pecus. Et misit signa & prodigia in medio tui Ægypte:in Pharaonem,& in omnes seruos eius. Qui percussit gentes multas & occidit reges fortes. Seon regem Amorrhæorum,& Og regem Basan,& omnia regna Chanaan. Et dedit terram eorum hæreditatem,hæreditatem Israel populo suo. Domine nomē tuum in æternum:Domine memoriale tuum in generationem & generationem. Quia [d] iudicabit Dominus populum suum:& in seruis suis † placabilis erit. Simulachra gentium argentum,& aurum,opera manuum hominum. Os habent,& non loquētur: oculos habent,& non videbunt. Aures habent & non audient:neq; enim est spiritus in ore ipsorum. Similes illis fiant,qui faciunt ea:& omnes qui confidunt in eis. Domus Israel benedicite Domino:domus Aaron benedicite Domino. Domus Leui benedicite Domino: qui timetis Dominum, benedicite Domino. Benedictus Dominus ex Sion,qui habitat in Ierusalem. Halleluia.

Iere.10.c
Exod.12.d
Nu.21.e.g
Iosue 12.c

Sapiē.15.b

SCHOLIA.

Inuitat ad laudem Domini peculiares ministros eius, Vt erant, sacerdotes, leuitæ, & alij sancti homines,qui per noctes excubias agebant in templo. [a] Ab extremo terræ.] *Hoc est,à terra, quæ est extrema pars orbis. Alij intelligūt de mari, sed etiam à terra ascendunt exhalationes,à sicca quidem,quæ in fumum conformatæ gignunt ventos,flatus,contrua, turbines,fulgura,fulmina,& id genus. Ab irrigua verò humidæ,a quibus oriuntur nebulæ,rores,& gelu omne genus, nubes, pluuiæ,nives,& grandines,quæ omnia maiestatem Dei ingentem referunt,atq; potentiam.* [b] Fulgura in pluuiā fecit.] *Fulgura vertit in pluuiam, vel fulgura inter pluuiam fecit, Vt miro modo aquæ non extinguant ignem coruscantem.* [c] De thesauris suis.] *Educit ventos è locis abditis,tanquam thesaurorum suorum repositorys.* [d] Iudicabit Dominus.] *Suscipiet patrocinium causæ populi sui contra aduersarios.*

CXXXV.

Confitemini Domino quoniam bonus: [a] quoniam in æternum misericordia eius. Cōfitemini [b] Deo deorum:quoniam in æternum misericordia eius. Confitemini Domino dominorum:quoniam in æternum misericordia eius. Qui facit mirabilia magna solus:quoniam in æternū misericordia eius. [c] Qui fecit cœlos in intellectu:quoniam in æternum misericordia eius. [d] Qui † expandit terrā super aquas: quoniam in æternum misericordia eius. Qui fecit luminaria magna:quoniam in æternū misericordia eius. Solem [e] in potestatem diei:quoniam in æternum misericordia eius. Lunam & stellas,in potestatem noctis: quoniam in æternum misericordia eius. Qui percussit Ægyptum cum primogenitis eorum: quoniam in æternum misericordia eius. Qui eduxit Israel de medio eorum: quoniam in æternum misericordia eius. In manu potenti & brachio extento:quoniam in æternum misericordia eius. Qui diuisit mare rubrum in diuisiones:quoniam in æternum misericordia eius. Et eduxit Israel per medium eius: quoniā in æternum misericordia eius. Et [f] excussit Pharaonē & virtutem eius in mari rubro: quoniam in æternum misericordia eius. Qui traduxit populum suum per desertum:quoniam in æternū misericordia eius. Qui percussit reges magnos:quoniam in æternum misericordia eius. Et occidit reges fortes:quoniam in æternum misericordia eius. Seon regem Amorrhæorum: quoniam in æternum misericordia eius. Et Og regem Basan: quoniam in æternum misericordia eius. Et dedit terram eorum hæreditatem:quoniam in æternum misericordia eius. Hæreditatem Israel seruo suo:quoniam in æternum misericordia eius. Quia in humilitate nostra memor fuit nostri:quoniam in æternum misericordia eius. Et redemit nos ab inimicis nostris:quoniam in æternum misericordia eius. Qui dat escam omni carni: quoniam in æternum misericordia eius. Confitemini Deo cœli:quoniam in æternum misericordia eius.

Exod.12.d
Exod.13.d
14.e.14.g
Num.21.e
21.g
Iosue 12.c

SCHOLIA.

[a] Quoniam in æternum misericordia eius.] *Sensus est,sicut omnia superat virtute & potentia,sic omnibus antecellit pietate & bonitate. Laudandus igitur est,memorandus,et celebrandus ab omnibus pijs.* [b] Deo deorum.] *Non quòd multi sint dij,sed quòd imago aliqua potentiæ Dei reluceat in ijs,qui summa videntur præditi potestate.* [c] Qui fecit cœlos in intellectu.] *Hoc est,singulari ingenio et arte.* [d] Expandit terrā super aquas.] *Hoc est, denuduit terram ab aquis, & aquas seorsum in abyssis contra earum naturam manere coegit,& hoc diuinū beneficium stat in seculum, Vt homines, animalia,& plantæ,in superficie terræ apte manere possint. In diluuio tamen propter impietatem hominum,sed ad breue tēpus,permisit aquas redire ad locum suum,donec eos vlciscetur.* [e] In potestatem.] *Hoc est, Vt præessent. Sol quidem diei, luna verò & stellæ nocti,quarum vtilitatem ij sentiunt,qui noctu per deserta et inuia gradiuntur, aut nauibus perambulat mare.* [f] Excussit Pharaonem.] *Alius vertit,impulit,hoc est renitentem coegit intrare mare cum ille diceret,fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eo.*

CXXXVI.

Super flumina Babylonis illic sedimus & fleuimus,dum recordaremur tui Sion. In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Quia illic interrogauerunt nos qui captiuos duxerunt nos, verba cātionum: † & insultantes nobis verba lætitiæ:Hymnum cātate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus cāticum Dñi in terra aliena? Si oblitus fuero tui Ierusalē:[b] obliuioni detur dextera mea. Adhæreat lingua mea faucibus meis:si non meminero tui. Si non prępposuero Ierusalem in principio lætitiæ meę. Memor esto Dñe [c] filiorum Edom,in die Ierusalē. Qui dicunt, Exinanite,exinanite vsq; ad fundamentum in ea. [d] Filia Babylonis misera:beatus qui retribuet tibi retributionem tuam,quam retribuisti nobis. Beatus qui tenebit & allidet paruulos tuos ad petram.

SCHOLIA.

Prædicit psalmus iste captiuitatem Iudæorum,& iniurias quas in Babylone erant passuri. Nam sacerdotes, Leuitæ, &

cantores iuxta flumina considentes, vt tumultum populi vitarent, à Babylonijs rogantur, vt cantent carmina illa, quæ Ierosolymis in templo canere consueuerunt. [a] Super flumina.] *Irrigatur regio Babyloniorum multis fluminibus, quorum maxima sunt Tigris, et Euphrates.* [b] Obliuioni detur dextera mea.] *Obliuiscatur operis sui dextera mea, poteſt & ſic distingui. Si oblitus fuero tui Ierusalem, et dextera mea officij sui oblita, citharam pulsauerit in gratiã alterius, quàm mihi Dei mei, opto, vt ſic hæreat lingua mea, ne posſim loqui, immo et palato meo affigatur, ſi non, quoad vixero, memor fuero tui, & ſi non præpoſuero laudes ipsius Ierusalem summo gaudio, quod vnquam contingere poterit mihi.* [c] Filiorum ædom.] *Precatur Idumæis vicissitudinem, qui fraternitatis obliti (fuerunt enim Iacob & Aedom, id est Esau, fratres) lætatisſunt de excidio Iudæorum, & incitauerunt hoſtes, vt vrbem radicitus extirparent, & quòd ait, in die Ierusalem, hoc est, in calamitate, vel in die desolationis Ierusalē.* [d] Filia Babylonis misera.] *Vel, deuaſtata. Precatur & Babyloni talionem, quam vocat filiam deuaſtatam, cernens in spiritu eam deuaſtandam meritò, quæ tantam crudelitatem exercuit contra Ierusalem. Et vide ingenium, primo Idumæis precatus est vltionem, quod, vt fratres, multò visi sunt iniquius se gessisse hoſtibus Babylonijs.*

Ipſi Dauid CXXXVII.

COnfitebor tibi Domine in toto corde meo. [a] In conſpectu angelorum pſallam tibi: adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. [b] Super misericordia tua & veritate tua: quoniam magnificaſti ſuper † omnia nomen tuum & eloquium tuum. In quacũq; die inuocauero te, † exaudis me, †roboraſti me, & addidiſti in anima mea virtute. Cõfiteãtur tibi Domine [c] omnes reges terræ, quia audierunt omnia verba oris tui. Et cãtent in vijs Domini: quòd magna eſt gloria Domini: Quoniam excelſus Dominus: & humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit. Si ambulauero in medio tribulationis, viuificabis me: & ſuper iram inimicorum meorum extẽdiſti manum tuam, & ſaluũ me fecit dextera tua. [d] Dominus perficiet pro me: Domine miſericordia tua in ſæculum, opera manuum tuarum ne deſpicias.

SCHOLIA.

[a] In cõſpectu angelorum.] *Hoc eſt, præſentibus illis, qui poteſtate aliqua ſublimi ſunt præditi. Vnde chaldæus interpres vertit, coràm iudicibus, vel laudabo te palam, & inuitis aliarum nationum omnibus dys.* [b] Super miſericordia.] *Celebrabo te propter benignitatem, qua vſus es erga nos, & conſtantiam tuam in ſeruandis promiſsis, multò namque plura, quàm tu verbis tuis promiſeras, præſtitit nobis auguſtiſsimum illud nomen tuum.* [c] Omnes reges terræ.] *Auditus ſcilicet, quæ Dauidi Deus præſtiterit. Et tunc quidem de vicinioribus regibus, qui Dauid nouerant, & audierant, ei promiſſum regnum à Deo, at in vero Dauid, meritò omnes totius orbis omnium terrarum reges intelliguntur.* [d] Dominus perficiet pro me.] *Vel, circa me, nempe, pietatem ſuam.*

† Vincenti Pſalmus Dauid CXXXVIII.

DOmine probaſti me, & cognouiſti me: [a] tu cognouiſti seſsionem meam, & reſurrectionem meam. Intellexiſti cogitationes meas de lõge: ſemitam meam & † accubitum meum inueſtigaſti. Et omnes vias meas præuidiſti: quia [b] non eſt ſermo in lingua mea. Ecce tu Domine cognouiſti omnia,
Amos. 9.a † [c] retrò & ante formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuam. [d] Mirabilis facta eſt ſcientia ex me: confortata eſt, & nõ potero ad eam. Quò ibo à ſpiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum, tu illic es: ſi deſcẽdero in infernũ, ades. Si ſumpſero [e] pennas † diluculi, & habitauero in extremis maris: etiã illuc manus tua deducet me, [f] & tenebit me dextera tua. Et dixi, Forſitan tenebræ † occultabunt me: † ſed nox quaſi lux erit circa me. Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: † ſic tenebræ † ſunt ſicut lumen † ipſum: Quia tu poſſediſti [f] renes meos: [g] † operuiſti me in vtero matris meæ. Confitebor tibi quia terribiliter † & mirificè formatus ſum mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. [h] Non eſt occultatum os meum à te quod feciſti in occulto: [i] † contexiſti me in inferioribus terræ. [k] Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo † omnia ſcribuntur, [l] per dies formantur, & nullus in eis. [m] Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus: nimis cõfortatus eſt † numerus eorũ. Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabũtur, [n] exurrexi, & adhuc ſum tecum. Si occideris Deus peccatores: viri ſanguinum declinate à me. † Qui loquuntur contra te ſceleratè: aſſumunt in vanum nomen tuum hoſtes tui. Nõnne qui oderunt te Domine, oderã: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos: inimici facti ſunt mihi. Proba me Deus & ſcito cor meũ: interroga me & cognoſce ſemitas meas. Et vide ſi via iniquitatis in me eſt: & [o] deduc me in via æterna.

SCHOLIA.

Docetur hoc pſalmo, Deo formatori noſtro omnia eſſe cognita & perſpecta, vbi, & ipſum adeſſe, nec quicquam oculis eius eſſe abſconditum, etiam interiora cordis illi patere. [a] Tu cognouiſti seſsionem.] *Omnes hominis actiones ſub allegoria quatuor appellationum, ſedendi, ſurgendi, eundi, cubandi, quibus tota hominis vita conſtat, complectitur, clauis allegoriæ eſt, quòd ſubdit, intelleXiſti omnes cogitationes meas, & omnes vias meas præuidiſti, & quod ait, de longe, id eſt, antequam nobis in mentem veniant.* [b] Non eſt ſermo.] *Ne voculam quidem vllam ſonare poterit lingua mea, quin tu Domine (dictu mirum) ſcias per omnia melius me, quid velint illa. Vel priusquàm noſtra verba in linguam veniant, noſti quid velint.* [c] Retrò & ante.] *Hoc eſt, vndique finxiſti me, non eſt ergo mirum, quod nil te in tuo figmento lateat, & quod ait, poſuiſti ſuper me manum tuam: ſenſus eſt: formaſti me manu tua, & compegiſti me ab exordio conceptionis meæ, quando ex paucissimo liquore coagulato, formaſti carnem & oſſa, caput, & corpus, cor, & cerebrum, ſenſus, et tot meatus, atq; infinita ferè membra, &c. Vere admiranda eſt res, & quæ omnium intelligentiam ſuperet.* [d] Mirabilis facta eſt.] *Hæc ſcientia & cognitio humani opificij mirabilior eſt, quàm vt illam ego conſequi poſsim.* [e] Pennas diluculi.] *Alluſit ad celerrimam radiorum ſolis excurſionem, qui momento ab oriente ad occidentem vſq; pertingunt, per extremitatem namq; maris intelligit occidentem, dum enim ſol occidit, videtur ſubire oceanum.* [f] Renes meos.] *Nempe ſecretiſsimas corporis mei partes, et iſſe-*

ctuum ſedes. [g] Operuiſti me in vtero.] *Compegiſti me incredibili artificio in abditiſsima parte ventris genitricis meæ. In Hebræo eſt, veluti tabernaculo contexiſti me, & intelligunt de corpore animam contegente.* [h] Non eſt occultatum os.] *Non eſt vllum os intra me loco tam occulto, vt te lateat.* [i] Contexiſti me in inferioribus terræ.] *Hoc eſt, in vtero matris loco magis abdito, quàm vllum eſt antrum terræ.* [k] Imperfectum meum.] *Vel informe meum, id eſt, rudem fœtum, & informem maſſam, quaſi in libro deſcripta eſſent omnia membra, tu noſti.* [l] Per dies formantur.] *Hæc membra & ſi non niſi multis diebus in iuſtam magnitudinem excreſcere poſſunt, apud te tamen non eſt ea dierum varietas, ſed vnus perpetuus dies. Variè tamen hic locus exponitur, nam quidam hunc ſenſum afferunt, per dies formata ſunt, & non vllum in eis, id eſt, cum ne vnũ quidem extaret ex membris, quæ ſuis diebus fingenda erant. Alius ſic, & ipſi, ſcilicet Deo, vnum ſubaudi omnia ſunt, in eis, nempe diebus, quibus membra paulatim ſuam formam accipiunt. Vel, nullus inter ea membrum eſt, quod Deus non ante cognouerit, quàm eſſet natum.* [m] Mihi autem nimis honorificati ſunt.] *Sic et chaldæus interpres, ait enim. Et mihi quàm precioſi ſunt amici tui Deus, quaſi dicat propheta. Celebrãdus es tu Domine ſuper omnia, qui tam mira ratione me formaſti, ſed & precioſi ſunt in oculis meis amici tui, & rurſum impij, quos tu interficies, & quos ego veluti viros ſanguinum arceo à me, hos æque vt tu, odio habet, animum ſcilicet illorum impium, et mores peruerſos execrans. Aly tamen ſic interpretantur, vt pro amicus dicant conſilia, in hunc ſenſum. Interim mihi quàm incomprehenſibilia facta ſunt conſilia tua, omnipotens Deus quàm ſupra modum ingentes factæ ſunt ſummæ illorum. Si numerare coner ea, ſuperant numerũ arenæ maris, & ſi perrugil durauero tota vita mea in enumerandis illis, idem egero.* [n] Exurrexi & adhuc ſum tecum.] *Hoc eſt, & nocte ſomnio, & cum euigilauero, adhuc apud te ſum animo in tuis operibus occupato.* [o] Deduc me in via æterna.] *Hoc eſt, quæ ducit ad vitam perpetuam. Quidam tamen hunc verſum ſic exponunt. Si tale ſtudium fuerit in me, quale eſt impijs, patiar æquo animo, vt more aliorum impiorum occidas me.*

Vincenti Pſalmus Dauid CXXXIX.

ERipe me Domine ab homine malo: à viro iniquo eripe me. Qui cogitauerunt iniquitates in corde: tota die conſtituebant prælia. Acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentes: venenum aſpidum ſub labijs eorum. Cuſtodi me Domine de manu peccatoris: & ab hominibus iniquis eripe me. Qui cogitauerũt ſupplantare greſſus meos: abſconderunt ſuperbi laqueum mihi. Et funes extenderunt in laqueum: iuxta iter ſcandalum poſuerunt mihi. Dixi Domino, Deus meus es tu: exaudi Domine vocẽ deprecationis meæ. Domine Deus virtus ſalutis meæ: obumbraſti ſuper caput meum in die belli. [a] Ne tradas † Domine † deſyderio † peccatoris, cogitauerunt contra me, ne derelinquas me, ne fortè exaltentur. [b] Caput circuitus eorum: labor labiorum ipſorum operiet eos. [c] Cadẽt ſuper eos carbones: in ignem deijcies eos, † & in foueas, vt non reſurgant, [d] Vir linguoſus non dirigetur in terra: virum iniuſtum mala capiẽt in interitu. Cognoui quod faciet Dominus iudicium inopis: & vindictam pauperum. † Tunc iuſti confitebũtur nomini tuo: & habitabunt recti cum vultu tuo.

SCHOLIA.

Putam hunc pſalmum compoſitum cõtra Doeg, & alios adulatores Saulis, qui tot tendiculas poſuerunt ipſi Dauid, atque in tot adduxerunt periculo. Cogitauerunt contra eum mala, excitauerunt prælia, traduxerunt eum apud populum ſerpentina lingua, & vbique locorum poſuerunt laqueos, & extenderunt retia, vt illum caperent, ſed Dominus fuit illi protectio, et gaudet ſalutis in omnibus. [a] Ne tradas Domine.] *Ne ſinas votorum ſuorum cõpotem fieri impium. Et quod ſequitur. Cogitauerunt &c. in Heb. eſt. Sceleratum cogitatum eius ne perficias.* [b] Caput circuitus eorum.] *Hoc eſt, caput eorum, qui animæ meæ inſidiantur, & me circundant, eſt Doeg, labor igitur & moleſtia, quam labijs ſuis moliuntur contra me, recidat in eos.* [c] Cadẽt ſuper eos carbones.] *Vltio videlicet Sodomorum.* [d] Vir linguoſus.] *Hoc eſt, Doeg ille linguax, & mendax, nunquam habebit ſucceſſum proſperum in terra, ſed malum quod alteri molitur, comprehendet eum.*

Pſalmus Dauid CXL.

DOmine, clamaui ad te, † propera ad me: intende voci meæ, cum clamauero ad te. Dirigatur oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo: eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum. Pone Domine cuſtodiam ori meo: & oſtium circunſtantiæ labijs meis. [a] Non declines cor meum in verba malitiæ, † ne occuper operibus impietatis. Cum hominibus operantibus iniquitatem: [b] & nõ communicabo cum electis eorum. Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris [c] nõ † infringat caput meum. [d] Quoniam adhuc & oratio mea † cõtra mala eorum: [e] abſorpti ſunt † in locis petroſis iudices eorum, † vt audiant verba mea quoniam † ſuauia ſunt. Sicut, qui frangit & diſſecat ligna in terra, diſſipata ſunt oſſa noſtra ſecus infernum: quia ad te Domine, Domine oculi mei, in te ſperaui, non auferas animam meam. Cuſtodi me à laqueo quem ſtatuerunt mihi: & à ſcandalis operãtium iniquitatem. Cadent in retia † ſua peccatores: [f] † ſimul ego in ſæculum tranſibo.

SCHOLIA.

Submotus Dauid à tabernaculo fœderis, & incenſum atque ſacrificium precationibus ſarciens, orat primum ſibi ſpiritum dari, quo præſeret ſanctorum amicitiam, & caſtigationem, quæ ſæpe aſpera eſt, gratiæ impiorum quamlibet fœlicium. Deinde dignam impijs hoſtibus vltionem, & ſuam liberationem. [a] Non declines cor meum.] *Precatur propheta hic, ne Deus eum tradat in reprobum ſenſum, ſed potius faciat vas gratiæ, in quo ſe Dei gloria beneficijs, non vltionibus exerat. Inclinare autem dicitur Deus cor ad res noxias, quando ſatanæ permittit, vt illud impollat ad ea, quæ iuſtam Dei exigunt vltionem, quale exemplum in Phærone habemus.* [b] Et non communicabo.] *Alius vertit. Vt non comedam de vs, quæ eis ſunt iucunda, hoc eſt, ne ſeducar proſperitate eorum, quæ illos ad interitum perduxit.* [c] Non infringat caput meum.] *Appoſitè, non dixit vngat, ſed infringat. Malo (inquit) vt percutiant me iuſti, & hoc beneficij loco habiturus ſum, quàm impij oleo optimo cuius vſus in ſummis habetur delitijs, caput meum inungant. Vnguentum enim eorũ non ſanat, ſed frangit & turbat caput, quidam tamen ſic interpretantur, Percutiat me iuſtus in miſericordia & redarguat me,*

& erit quasi vnguentum primarium, quod nemo prohibeat à capite meo. [d] Quoniam adhuc.] *Non deterrebor (inquit) à proposito, sed pergam potius orare Dominum, vt seruet me quàm alienissimum à sceleratis impiorum operibus.* [e] Absorpti sunt in locis petrosis.] *Supplicium sumetur, & veluti de rupibus præcipitabuntur iudices eorum, tunc sentient quanto fuisset illis satius auscultare sermonibus meis, gratioſe conditis, & à maledicentia diuersis. Vel sic: tãtum abest, vt optem illorum gratiam & beneficia, vt etiam optem iudices, & præcipuos eorũ præcipitari in scopulosa saxa, vt vel simplices auscultent verbis meis, qui per suos principes dementãtur, vt ego & mei similes pij homines nullibi tuti simus, quippe, qui nos fragunt, & dissecant, sparguntque ossa nostra, & in tanta inducunt vitæ discrimina, vt in ore sepulchri & inferorum simus.*

[f] Simul ego in sæculum transibo.] *Ipsi cadant in retia, & foueas, quas mihi parauerunt, ego autem in sæculum euadam insidias eorum.*

Intellectus Dauid cum esset in spelunca oratio. CXLI.

VOce mea ad Dominum clamaui: voce mea ad Dominum deprecatus sum. Effundo in cõspectu eius orationem meam: & tribulationem meam ante ipsum pronuntio. [a] † Cum deficeret in me spiritus meus: tu cognouisti semitas meas. In via hac qua ambulabã, absconderunt laqueum mihi. [b] Consyderabam ad dexteram, & videbam: & non erat, qui cognosceret me. [c] Perijt fuga à me: & nõ est, qui requiret animam meam. Clamaui ad te Domine, dixi, Tu es spes mea, [d] portio mea in terra viuentium. Intende ad deprecationem meam: quia humiliatus sum nimis. Libera me à persequentibus me: quia confortati sunt super me: [e] Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo: [f] † me cingent iusti, cum retribueris mihi.

SCHOLIA.

[a] Cum deficeret.] *Quo tempore animus meus mœrore conficiebat se se, tu sciebas, me insontem illa perpeti, est enim notissima tibi omnis semita & vita mea.* [b] Considerabam ad dexteram.] *Respiciebam nunc in partem dexteram, nunc in sinistram, &c.* [c] Perijt fuga à me.] *Desperabã posse me aufugere, nullus enim aderat, cui curæ esset vita mea.* [d] Portio mea in terra viuentium.] *Dixi non esse inter viuentes in vllo alio spem vllam reliquã mihi.* [e] Educ de custodia.] *Vel, carcere. Vocat carcerẽ speluncam, in qua latebat.* [f] Me cingent iusti.] *Si me (inquit) liberaueris ab hac molestia, at q; angustia, & retributionem hanc, hoc est, beneficium in me contuleris, stipabunt me iusti omnes, & celebrabunt nomen tuum. Vide autem, vt sancti viri finem suarum cogitationum, Dei gloriam statuant.*

Psalmus Dauid † CXLII.

DOmine exaudi orationem meam, auribus percipe obsecrationem meam: in veritate tua, exaudi me in tua iustitia. Et [a] non intres in iudicium cum seruo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuẽs. Quia persecutus est inimicus animam meam: humiliauit in terra vitam meam. [b] Collocauit me in obscuris sicut mortuos sæculi, & anxiatus est super me spũs meus: in me turbatũ est cor meum [c] Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: in factis manuum tuarum meditabar. Expandi manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine: defecit spiritus meus. Non auertas faciem tuam à me: [d] & similis ero descendentibus in lacum. [e] Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: quia in te speraui. Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te leuaui animam meam. Eripe me de inimicis meis Domine, ad te confugi: [f] doce me facere voluntatem tuã: quia Deus meus es tu. Spiritus tuus bonus deducet me [g] in terra recta: propter nomen tuum Domine viuificabis me in æquitate tua. Educes de tribulatione animam meam: & in misericordia tua disperdes omnes inimicos meos. Et perdes omnes qui tribulant animam meam: quoniam ego seruus tuus sum.

SCHOLIA.

Putant hunc psalmum eiusdem esse argumẽti, cuius superior, nempe quòd factus sit à Dauid, cum in specu anxietate plenus Dominum inuocaret. [a] Non intres in iudicium.] *Orat, ne illo summo iure secũ agat, alioqui nemo erit, qui non reus, & immundus in oculis Dei inueniatur. Appellat tamen Deum iudicem propter aduersarios, quos sciebat non tã suos, quam pietatis esse hostes.* [b] Collocauit me in obscuris.] *Habitare me cogit in locis obscurissimis, quæ mortuorum sepulchris simillima sunt.* [c] Memor fui dierum antiquorum.] *Memoria (inquit) dierum pristinorum, & facta, quæ Dominus gesserit, illa pusillanimem, & deiectum erexerunt, spem firmauerunt, & benignitatem Domini ob oculos posuerunt, quippe qui suos in afflictione nunquam deseruit.* [d] Et similis ero.] *Ne similis fiam illis, qui decidũt in puteum.* [e] Auditam fac mihi mane.] *Hoc est, celeriter sentiam bonitatem tuam, & sciam, qua via elabar, & effugiam hostes.* [f] Doce me facere voluntatem tuam.] *Nihil cupio (inquit) in medys afflictionibus, nisi quod tibi placitum sit.* [g] In terra recta.] *Per viam bonam.*

Dauid † CXLIII.

BEnedictus Dominus Deus meus qui docet manus meas ad prælium: & digitos meos ad bellum. Misericordia mea & refugium meum: susceptor meus, & liberator meus. Protector meus, & in ipso speraui: qui subdis populũ meum sub me. Domine quid est homo, [a] quod innotuisti ei: aut filius hominis quod reputes eum? Homo vanitati similis factus est: dies eius sicut vmbra prætereunt. [b] Domine inclina cœlos tuos: & descende: tange montes, & fumigabunt. Fulgura coruscationem, & dissipabis eos: emitte sagittas tuas, & conturbabis eos. Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis, & de manu filiorum alienorum. Quorum os locutum est vanitatem: & dextera eorũ dextera iniquitatis. [c] Deus canticum nouum cantabo tibi: in psalterio & decachordo psallam tibi. Qui das salutem regibus: qui redemisti Dauid seruũ tuum, de gladio maligno eripe me: Erue me de manu filiorum alienorum, quorũ os loquutum est vanitatem; & dextera eorum dextera iniquitatis. [d] † Vt sint filij nostri sicut nouellę plãtationes in iuuentute sua. Filiæ † nostræ compositæ: circumornatæ vt similitudo tẽpli. Promptuaria † nostra plena: [e] eructãtia ex hoc in illud. [f] Oues † nostræ fœtuosæ, abundãtes in † plateis nostris: boues nostri robusti.

[g] Non

[g] Non † sit interruptio, neq; transitus, neq; clamor in plateis † nostris. Beatus † populus cui hæc sunt: beatus populus, cuius Dominus Deus † ipse.

SCHOLIA.

Laudat Deum propheta, quòd eum liberarit ab infestatione hostili, superioremq; fecerit hostibus in prælio, robur et industriam ad deuincẽdos hostes. [a] Quod innotuisti ei.] *In Heb. est, quod cognouisti eum.* [b] Domine inclina cœlos.] *Sic orauit Dauid cum opem Dei implorare contra hostes in se sæuientes, & videtur significare terrificam tempestatem, de qua ratione apis diuinæ dictum est psalmo. 17.* [c] Deus canticum nouum cãtabo.] *Adiutus (inquit) à te, nouo carmine celebrabo nomen tuum, nempe quòd tu sis, qui salutem das regibus &c.* [d] Vt sint filij nostri.] *Precatur, vt se regnãte, Deo munus promissum felicitatem populo præstet, nempe numerosam sobolem, pecora multa & fœcunda, frumenti abundantiam, inclumitatem & pacem, de qua promissione habes Deut. 28. Comparat autem filios elegantibus plantulis, & filias exornatis palatijs ac templis, vel sicut columnæ angulares, summo studio exornatæ, quales in templis & regum domibus conspiciuntur.* [e] Eructãtia ex hoc in illud.] *Alius vertit, & efferant de specie in speciẽ. Sint (inquit) penuaria nostra plena suppeditantia omnis generis annonam. Vel, omnes anguli domus sint pleni variis speciebus frumenti, vt speciem misceant ei speciei.* [f] Oues nostræ.] *In Heb. est. Oues nostræ millia producant, & decẽ millia in plateis nostris.* [g] Non sit interruptio.] *Intelligunt verbis ab hoste destructionem, aly sterilitatem, qua homines patrys sedibus cogũtur cedere, sunt qui sic interpretentur. Nihil eorum, quæ nostra sunt, aberret, nec vlla audiatur lamentabilis vox in plateis nostris.*

Laudatio ipsi Dauid CXLIIII.

EXaltabo te Deus meus rex: & benedicam nomini tuo in sæculum, & in sæculum sæculi. Per singulos dies benedicam tibi: & laudabo nomen tuum in sæculum, & in sæculum sæculi. Magnus Dominus & laudabilis nimis: & magnitudinis eius nõ est finis. Generatio & generatio laudabit opera tua: & potentiam tuam pronuntiabunt. Magnificẽtiam gloriæ sanctitatis tuæ loquentur: & mirabilia tua narrabũt. Et virtutem terribilium tuorum dicent: & magnitudinem tuã narrabunt. Memoriã abundantiæ suauitatis tuę eructabunt: & iustitia tua exultabunt. Miserator & misericors Dñs: patiẽs & multum misericors. Suauis Dñs vniuersis: & miserationes eius super omnia opera eius. Confiteantur tibi Dñe omnia opera tua: & sancti tui benedicant tibi: Gloriam regni tui dicent. & potentiam tuam loquentur, Vt notam faciant filijs hominum potentiam tuam: & gloriam magnificẽtiæ regni tui. Regnum tuum regnum omnium sæculorum: & dominatio tua in omni generatione & generatione. [a] Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & sanctus in omnibus operibus suis. Alleuat Dominus omnes qui corruunt: & erigit omnes elisos. Oculi omnium in te sperãt Domine: & tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam: & imples omne animal benedictione. Iustus Dominus in omnibus vijs suis: & sanctus in omnibus operibus suis. Propè est Dominus omnibus inuocantibus eum: omnibus inuocantibus eum in veritate, [b] Voluntatem timẽtium se faciet, & deprecationem eorum exaudiet: & saluos faciet eos. Custodit Dominus omnes diligentes se: & omnes peccatores disperdet. Laudationem Domini loquetur os meum: & benedicat omnis caro nomini sancto eius: in sæculum & in sæculum sęculi.

SCHOLIA.

Titulus huius psalmi est, laudatio, quòd per totũ propheta canat laudes Dei, celebretq; beneficia eius, quæ largissima sunt in omnes creaturas eius. scriptus est autem psalmus per ordinem alphabeti. [a] Fidelis Dominus.] *Hic versus in hebræo deest, & inuenitur Veteres hebræos dixisse, tempore Messiæ hunc versum qui tam deerat, reponendum, quod cernimus factum.* [b] Voluntatem timentium se faciet.] *Ingentem dignationem, vt illa maiestas polliceatur, sed voluntati eorum, qui illam reuerenter fuerint, obsecuturam. Sed quo pacto id fit? quando Deus omnia, quæcunque sano consilio optare quisque deberet, præstat, quæque maxime vtilitati sint, quam poscere quisquam sciret, id enim omnes tandem volumus, tametsi consilia nostra in quotidianis euentibus impediri interdum videantur.*

CXLV.

LAuda anima mea Dominum: laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quandiu fuero. Nolite confidere in principibus: [a] in filijs hominum, in quibus nõ est salus. Exibit spiritus eius & reuertetur in terram suam: in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Beatus cuius Deus Iacob adiutor eius, spes eius in Domino Deo ipsius: qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quę in eis sunt. Qui custodit veritatem in sæculum, facit iudicium iniuriam patientibus: dat escam esurientibus. Dominus soluit compeditos: Dominus illuminat cæcos. Dominus erigit clisos: Dominus diligit iustos. Dominus custodit aduenas, pupillum & viduam suscipiet: & vias peccatorum disperdet. Regnabit Dominus in sæcula Deus tuus Sion, in generationem & generationem. Halleluia.

SCHOLIA.

[a] In filijs hominum.] *Licet sint principes (inquit) & magni esse videantur, adhuc tamen sunt homines, sunt mortales, & qui se ipsos in summa necessitate iuuare non possunt. Sed velint nolint, emigrat vno momento spiritus eorum, et tũc intereunt omnia studia, instituta, & consilia eorum. Spes igitur est in solo deo collocanda, cuius potentia summa, opes immensa, salus perpetua, qui creauit omnia, & inconcussa sua veritate custodit, & seruat ipse, iniuriam passos vindicat, ipse eunctis viuentibus cibum administrat, captiuos vinculis eripit, morbis fractos erigit, aduenam, pupillum, viduã tuetur: & peccatores demum, qui se hic aliquid esse credunt disperdit.*

CXLVI.

LAudate Domiuum quoniam bonus est psalmus: [a] Deo nostro sit iucunda decoráque laudatio. Ædificans Ierusalem Dominus: dispersiones Israelis congregabit. Qui sanat contritos corde: & alligat contritiones eorum. [b] Qui numerat multitudinem stellarum: & omnibus eis nomina vocat. Magnus Dominus noster, & magna virtus eius, & sapientiæ eius non est numerus. Suscipiens mansue-

tos Dominus: humilians autem peccatores vsque ad terram. Præcinite Domino in confessione: psallite Deo nostro in cithara. Qui operit cœlum nubibus: & parat terræ pluuiam. [c] Qui producit in montibus † herbam. Qui dat iumentis escam ipsorum: & [d] pullis coruorum inuocantibus eum. [e] Non in fortitudine equi voluntatem habebit: nec in tibijs viri beneplacitum erit ei. Beneplacitum est Domino super timentes eum, & in eis, qui sperant super misericordia eius.

SCHOLIA.

[a] Deo nostro sit iucunda.] *Vel sic, iucundus & gratiosissimus est, & ipsum maximè decet laus.* [b] Qui numerat multitudinem stellarum.] *Hoc dicitur, quòd eadem facilitate, qua stellas in cœlo dispersas numerat, congregare possit dispersos Israelitas. Quod verò aut, Deum stellas singulas suis nominibus appellare, significat eum nosse vim cuiusq; earum, nam illud cuiusq; rei duntaxat proprium nomen est, quod eius naturam exprimat. Et cum dicitur, Adam imposuisse nomina animalibus, significatur, eum agnouisse cuiusq; animalis naturam, quòd nemini contigisse post eum credendum est, ob corruptam postea naturam nostram. Iccirco videtur Plato dixisse, existimare se eam naturam, quæ rebus nomina imposuerit, maiorem fuisse homine.* [c] Qui producit in mõtibus.] *Vt scilicet habeant bestiæ syluestres vnde viuant.* [d] Pullis coruorum.] *Quo scilicet tempore à parentibus adhuc implumes destituuntur. Quanto igitur magis pascet nos pusillæ fidei?* [e] Non in fortitudine equi.] *Fortitudinem equi nihil æstimabit, nec quæ videntur esse fortia crura viri, ad amorem imitabunt illa. Sed amat Dominus, qui eum reuerenter colunt, & qui spem suam ponunt in clementia ipsius.*

CXLVII.

LAuda Ierusalem Dominũ: lauda Deum tuum Sion. Quoniam confortauit seras portarũ tuarum: benedixit filijs tuis in te. Qui posuit fines tuos pacem: & adipe frumenti satiat te. Qui [a] emittit eloquium suum terræ: velociter currit sermo eius. Qui dat niuem sicut lanam: † pruinam sicut cinerẽ spargit. Mittit † glaciẽ suã sicut bucellas: ante faciem frigoris eius quis sustinebit? Emittet verbũ suum, & liquefaciet ea: flabit spiritus eius, & fluent aquæ. Qui [b] annuntiat verbum suum Iacob: iustitias & iudicia sua Israel. Non fecit taliter omni nationi: & iudicia sua non manifestauit eis. Halleluia.

SCHOLIA.

[a] Qui emittit eloquium suum terræ.] *Significatur per id, eum solo verbo, quicquid vult, subitò efficere posse. Instu enim eius decidit in terram pluuia, & eius mandatis parent subitò omnia. Tribuit niuem similem lanæ, & pruinam tam quam cinerem dispergit. Mittit frustatim grandinem similem glacie, tam frigidam, vt nemo non horreat à frigore ipsius. Eius illo iubente, solis ardor liquefacit glaciem illam, spirare facit ventum quemcunque voluerit, & producere pluuiam. Cernis vnde occasiones quærant viri sancti, laudandi Deum? & stupidi homines in tanta rerũ copia excogitare nesciunt, quicquam, vnde se gratos ex aliqua parte ostendant.* [b] Annuntiat verbum suum Iacob.] *Hoc est, præ ceteris nationibus dedit legem suam populo Israelitico.*

CXLVIII.

LAudate Dominum [a] de cœlis: laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes angeli eius: laudate eum omnes virtutes eius. Laudate eum sol & luna: laudate eum omnes stellæ & lumen. Laudate eum [b] cœli cœlorum: & aquæ quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quia † ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in æternum & in sæculum sæculi: præceptum posuit, & nõ præteribit. [c] Laudate Dominum de terra: dracones & omnes abyssi, [d] Ignis, grando, nix, [e] † vapor, spiritus procellarum: quę faciunt verbum eius. Montes & omnes colles: ligna fructifera: & omnes cedri. Bestiæ, & vniuersa pecora, serpentes, & volucres pennatæ. Reges terræ, & omnes populi: principes, & omnes iudices terræ: iuuenes, & virgines: senes cum iunioribus, laudent nomen Domini: quia exaltatum est nomen eius solius. Confessio eius super terram & cœlum: & exaltauit cornu populi sui. Hymnus omnibus sanctis eius: filijs Israel populo appropinquanti sibi. Halleluia.

SCHOLIA.

[a] De cœlis.] *Hoc est vos angeli, qui estis è natura cœlesti, & qui agitis in supernis, expertes corporeæ molis.* [b] Cœli cœlorum.] *Sunt apud Hebræos, qui per cœlos cœlorum intelligãt cœlos, qui sunt sub cœlis, hoc est, regionem ignis & aeris. Descendit enim propheta à supremis cœlis, obseruato ordine naturæ, vsque ad terram cuius paulo post meminit. Idem intelligunt de eo, quòd sequitur & aquæ, quæ super cœlos sunt.* [c] Laudate Dominum de terra.] *Hoc est, vos, qui habitatis & viuitis in terra, sed & dracones, siue immanes belluæ atque omnia maria, & quicquid in eis continentur, laudate Dominum.* [d] Ignis.] *Per ignem intelligit hic tonitrua, fulgura, & fulmina, quæ nascuntur in aere proximo terræ, & per vaporem intelliguntur exhalationes siccæ, vnde generantur venti & flatus.* [e] Spiritus procellarum.] *Ventus turbinem excitans.*

CXLIX.

CAntate Domino canticum nouum: laus eius in ecclesia sanctorum. Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: & filij Sion exultẽt in rege suo. Laudent nomen eius in choro: in tympano & psalterio spallant ei. Quia beneplacitum est Domino in populo suo: & exaltauit mansuetos in salutem. Exultabunt sancti in gloria: lætabuntur in cubilibus suis. Exaltationes Dei in gutture eorum, & [a] gladij ancipites in manibus eorum. Ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. Ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: Vt faciant in eis [b] iudicium conscriptum: gloria hæc est omnibus sanctis eius. Halleluia.

SCHOLIA.

Agit hic psalmus de restitutione Israelis ex captiuitate, inuitatq; ob nouum Dei beneficium ad nouum carmen, vt ne in cubilibus quidem suis cessent à laudibus. [a] Gladij ancipites.] *Vtrinque acuti, ait Deum concessisse illis magnificas contra hostes victorias.* [b] Iudicium conscriptum:] *Hoc est præscriptum à Deo Deu. 32. Cum acuero (inquit) gladium meum, reddam vltionem hostibus meis, &c. Hæc autem omnia vmbra fuerunt eorum, quæ postea facta sunt sub Christo, cuius fideles ministri armis spiritualibus mundum oppugnarunt, & felices triumphos retulerunt, victis regibus, & subactis Christi Euangelio nationibus.*

CL.

LAudate Dominum [a] in sanctis eius: laudate eum in firmamento virtutis eius. Laudate eum [b] in virtutibus eius: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis eius. Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio & cithara. Laudate eum in tympano & choro: laudate eum in chordis & organo. Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis iubilationis: [c] omnis spiritus laudet Dominum. Halleluia.

SCHOLIA.

[a] In sanctis eius.] *In sanctuario eius, vel in sanctitate eius, & intelligitur sacrarium dei cœleste, non illud, quod in monte Sion habebatur, vbi intra sanctũ sanctorum arca Dei continebatur, vnde & altera huius versiculi particula habet. Laudate eum in firmamento virtutis, vel potentiæ eius, id est, vbi potentia eius, & fortitudo visenda electis apertè exhibetur.* [b] In virtutibus.] *Vel propter fortitudinem eius.* [c] Omnis spiritus.] *Quicquid spirat (inquit) sonare debet laudem Dei, à quo tam ingentia accepimus beneficia.*

LIBER PROVERBIORVM QVEM HEBRAEI MISLE APPELLANT.

CAPVT I.

ARABOLAE Salomonis filij Dauid regis Israel: [a] ad sciendam sapientiam & disciplinam, ad intelligenda verba prudentiæ, & suscipiendam eruditionem doctrinæ, iustitiã, & iudicium, & æquitatem: [b] vt detur paruulis astutia, adolescenti scientia & intellectus. Audiens sapiens, sapientior erit: & intelligens, gubernacula possidebit: animaduertet parabolam & interpretationem, verba sapientum, & ænigmata eorum. [c] Timor Domini principium sapientię. Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Audi fili mi disciplinã patris tui, & ne dimittas [d] legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas. Si dixerint, Veni nobiscum, insidiemur sanguini, abscondamus tendiculas contra insontem frustrà, deglutiamus eum sicut infernus † viuentes, & integrum quasi descendentem in lacum: omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spolijs, sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit omnium nostrum: fili mi ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à semitis eorum. Pedes enim illorum ad malum currunt, & festinant, v. effundant sanguinem. [e] Frustrà autem iacitur rete ante oculos pennatorum. Ipsi quippe contra sanguinem † eorum insidiantur, & moliuntur fraudes contra animas † eorum: sic semitę omnis auari animas possidentium rapiũt. Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, in foribus portarum † & in vrbe profert verba sua, dicens, [f] Vsquequo paruuli diligitis infantiam, & stulti ea, quę sibi sunt noxia cupiunt, & imprudentes odibunt scientiam? Conuertimini ad correptionem meam: en proferam vobis spiritum meum, & ostendam vobis verba mea, Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoqne in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id quod timebatis aduenerit. [g] Cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit: quando venerit super vos tribulatio & angustia: tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane consurgent, & non inuenient me, eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieuerint consilio meo, & detraxerint vniuersæ correptioni meæ. Comedent igitur fructus viæ suæ, suisq; consilijs saturabuntur. [h] Auersio paruulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Qui autem me audierit, absque terrore requiescet, & securitate perfruetur, timore malorum sublato.

Pſal. 110.d
Eccl. 1.b
Eſa. 59.b
Eſa. 65.b
Ier. 7.c

SCHOLIA.

Cvm titulus huius libri sit, parabolæ Salomonis, appellatione parabolarum non comprehenduntur in scripturæ similitudines tantum, verum etiam sapienter dicta, vt illud. Aperiam in parabolis os meum. Hic autem sententiæ istæ proditæ sunt de variis rebus, & euentibus humanis, atque communibus casibus, etiam si plurimæ ad formas virtutum & vitiorum referri possint. Est enim libellus hic compositus, vt ratio quædam sit vitæ instituendæ. [a] Ad sciendam sapientiam.] *Quidam Heb. exponunt timorem Domini. Per verba prudentiæ accipe cognitionem abstrusiorem sententiarum scripturæ. Sed videtur appellatione sapientiæ, disciplinæ, prudentiæ, eruditionis, &c. idem voluisse intelligere videlicet institutum esse hoc opus ad formandum ad meliora animum.* [b] Vt detur paruulis astutia.] *Vel, simplicibus calliditas: ysecilicet, qui veluti arundo mobiles sunt, & minimè solidi quibus citò persuadeatur, vt inclinent ad malum.* [c] Timor Domini.] *Quidam sic interpretantur: fundamentum & basis veræ scientiæ est timor Domini, alij sic, prima & præcipua scientia est timor Domini.* [d] Legem matris tuæ.] *Hoc est, institutionem & formationem in moribus, quibus puer ornatur, & fit gratus*

sit gratus hominibus. [c] Frustra iacitur rete.] *Hoc est,sicut aues innocenter,& sine culpa earum capiuntur,ita accidit viris bonis,quibus pessimi insidiantur. Vsque ad mortem. Sed videtur hic propriè sensus. Frustra spargitur, siue aspergitur rete. Vt dicat. Aucupes spargunt super rete grana seminum, Vt capiantur aues,& aues putant,illa semina carere dolo, non aduertentes rete. Sed aucupes sanguini eorum insidiantur,&c. Et quod paulopost ait, Animam possidentium rapiunt. Intellige,eorum,qui illam habent. Sic illud. In capite turbarum,hoc est, vbi conueniunt turbæ.* [f] Vsquequo paruuli.] *Alius vertit. Quousque ignaui diligitis ignauiam,& derisores illusionem sibi vendicant? Accipitur tamen pro ijs, quorum cognitio est parua,& qui facilè seduci possunt. Est autem querela contra eos, qui contemnunt verbum Dei.* [g] Cum irruerit repentina calamitas.] *In Heb. est. Cū venerit quasi vastitas timor vester,id est id quod timuistis.* [h] Auersio parauloru.] *Alius vertit, quies ignauorū, vt sit sensus. Occasio causa est, cur multi cadant in impietatem, accipitur tamen & pro actione,qua ignaui se à Deo auertunt.*

CAPVT II.

FIli mi,si susceperis sermones meos, & mandata mea absconderis penes te, vt audiat sapientiam auris A
tua:inclinabis cor tuum ad cognoscendam prudentiam. Si enim sapientiam inuocaueris,& [a]† prudentiæ dederis vocem tuam,si quæsieris eam quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam: tunc
intelliges timorem Domini,& scientiam Dei inuenies,quia Dominus dat sapientiam,& ex ore eius prudentia & scientia. [b] Custodiet rectorum salutem, & proteget gradientes † integrè, seruans semitas iustitiæ, & B
vias sanctorum custodiens. Tunc intelliges iustitiam & iudicium, & æquitatem, & omnem semitam boni.
Si intrauerit sapientia cor tuum,& scientia animæ tuæ placuerit: [c] consilium custodiet te, & prudentia seruabit te,vt eruaris à via mala,ab homine qui peruersa loquitur. [d] Qui relinquunt iter rectum & ambulāt per C
vias tenebrosas,qui lætantur cum malefecerint,& exultant in rebus pessimis: quorum viæ peruersæ sunt, &
infames gressus eorum: vt eruaris à muliere aliena,& ab extranea,quæ mollit sermones suos, & relinquit du- D
cem pubertatis suæ,& pacti Dei sui oblita est(inclinata est enim ad mortem domus eius,& ad inferos semitæ
ipsius, omnes qui ingrediuntur ad eam, non reuertentur nec apprehendent semitas vitæ,)vt ambules in via
bona,& calles iustorū custodias. Qui enim recti sunt,habitabunt in terra, & † perfecti permanebunt in ea:
impij verò de terra perdentur,& qui iniquè agunt,auferentur ex ea.

SCHOLIA.

[a] Prudentiæ dederis vocem tuam.] *Hoc est,si clamaueris pro ea acquirenda, & postulaueris eam toto corde, quæsieris eam veluti nobilissimum thesaurum, inuenies eam nempè timorem Dei & cognitionem eius. Est enim haec summa Christianæ philosophiæ,timere Deum,& nosse eum. Nosse Deum,est nosse voluntatem eius erga nos,quod scilicet peccato,ignoscit pœnitentibus,adest credentibus,& illos custodit.* [b] Custodit rectorum salutem.] *Describuntur hic sanctus,qui nascuntur ex sapientia,nempe salus,protectio,iustitia,& æquitas,&c. Hebraismus habet. Abscondet pro rectis salutem. Sed interpres scite,& hic & sæpissimè alias sensum quærit eruere, verba non curans.* [c] Consilium custodiet te.] *Intelligunt sapientum cogitationem.* [d] Qui relinquunt iter rectum.] *Subaudiendum,errant,& nihil aliud agunt,quàm quòd in tenebris ambulant,& destituuntur omni luce, Vel referendus est hic versus ad præcedentia, vt sit sensus. Si quæsieris sapientiam,illa liberabit te ab hominibus peruersis, qui relinquunt iter rectum, &c. Eruet quoque te à muliere procaci, quæ deserit maritum suum primum,quem vocat ducem pubertatis.*

CAPVT III.

FIli mi,[a] ne obliuiscaris legis meæ,& præcepta mea cor tuum custodiat, longitudinem enim dierū, & A
annos vitæ: & pacem apponent tibi. Misericordia & veritas te non deserant, circunda eas gutturi tuo,
& describe in tabulas cordis tui:& inuenies gratiam & disciplinam bonā coràm Deo & hominibus.
Rom. 12.d Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo,& ne innitaris prudentiæ tuæ. In omnibus vijs tuis cogita illum,& ipse diriget gressus tuos. Ne sis sapiens apud temetipsum. Time Dominum,& recede à malo. [b] Sanitas quippe erit vmbilico tuo,& irrigatio ossium tuorum. [c] Honora Dominum de tua substantia, & de pri-
Tob. 4.b mitijs omnium frugum tuarum † & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabūt. B
Luc. 14.c [d] Disciplinam Domini,fili mi,ne abijcias, nec deficias cum ab eo corriperis, quem enim diligit Dominus,
Heb. 12.b corripit:& quasi pater in filio complacet sibi. [e] Beatus homo qui inuenit sapientiam, & qui affluit prudentia,melior est acquisitio eius negotiatione argenti, & auro primo fructus eius, pretiosior est cunctis opibus:
& omnia,quæ desyderantur, huic non valent comparari: longitudo dierum in dextera eius, & in sinistra illius diuitiæ & gloria: viæ eius,viæ pulchræ,& omnes semitæ illius pacificæ: lignum vitæ est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerit eam,beatus. Dominus [f] sapientia fundauit terram,stabiliuit cœlos prudentia. C
Sapientia illius [g] eruperunt abyssi,& [h] nubes rore cōcrescunt. Fili mi,ne effluant hæc ab oculis tuis. Custodi
legem atq; consilium:& erit vita animę tuæ,& gratia faucibus tuis:tunc ambulabis fiducialiter in via tua, &
pes tuus non impinget: si dormieris,non timebis:quiesces,& suauis erit somnus tuus. Non † pauebis repentino terrore,& irruentes tibi ruinas impiorum. Dominus enim erit in latere tuo, & custodiet pedem tuū ne
capiaris. [i] Noli prohibere benefacere eum qui potest:si vales,& ipse benefac. Nec dicas amico tuo, Vade & reuertere,& cras dabo tibi:cum statim possis dare. Ne moliaris amico tuo malū, cum ille in te habeat fiduciā, D
Non contendas aduersus hominem frustra,cum ipse tibi nihil mali fecerit. [k] Ne æmuleris hominem iniustum: nec imiteris vias eius: quia abominatio Domini est omnis illusor,& cum † rectis sermocinatio eius.
Egestas à Domino in domo impij:habitacula autem iustorum benedicentur. Ipse deludet illusores,& mansuetis dabit gratiam. Gloriam sapientes possidebunt: [l] stultorum exaltatio,ignominia.

SCHOLIA.

[a] Ne obliuiscaris legis meæ.] *Loquitur in primis de primo præcepto decalogi,quod paulo post subiungit. Time Deum.*
[b] Sanitas quippe erit.] *Hoc est, optimè habebis, & nihil tibi in ijs quæ corpori sunt necessaria, defuerit. Dicit autem, vmbilico*

vmbilico tuo,quod homo prima fomenta suscipiat per vmbilicum. [c] Honora Deum de tua substantia.] *Hoc est,agnosce & confitere in oblatione primitiarum,omnia bona tua esse beneficia Dei,& pro illis age gratias Deo. Neque tantum de victu,verum & de bonis reliquis omnibus, vita,prudentia,eruditione,iustitia sentire debemus, quòd sint dona Dei, neque dicamus cum ijs,qui Deum ignorant, Det vitam, Det opes, æquum mi animum ipse parabo,& illud. Virtutem nemo vnquam Deo acceptam retulit.* [d] Disciplinam Domini.] *Castigationem. Docet, vt in omnibus afflictionibus sentiamus, Deum nos vocare ad pœnitentiam,& non cogitemus cū mundo,calamitates temerè,& sine voluntate Dei nobis accidere.* [e] Beatus homo,qui inuenit sapientiam.] *Docet hic beatitudinem non esse in his rebus, quæ à carne cernuntur & quærūntur sed in sapientia verbi Dei. Vocat enim eum beatum, qui cum inuenerit sapientiam Dei, candidè illam docet proximum, & profert eam ex corde suo. Qui enim fecerit,& docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum.* [f] Sapientia fundauit terram.] *Sic quoque psaltes cecinit. Verbo Domini cœli firmati sunt.* [g] Eruperunt abyssi.] *Alius vertit, interruptæ sunt abyssi,& intelligitur separatio aquarum à superficie terræ, quam Dominus à principio creationis fecit pro commoda habitatione hominum,& reliquorum animantium in terra. Sin legis, eruperunt, intelligunt de diebus Noe,cum rupti sunt fontes abyssi magnæ, Vel cum quotidiano progressu fontes & flumina de abysso per terræ venas emanant.* [h] Nubes rore concrescunt.] *Vel, Aether stillat rorem.* [i] Noli prohibere.] *Alius vertit. Ne subtrahas bonum ab ijs,qui eo opus habent,quando manus tua potens est, vt bene faciat. Heb. sic habent. Noli prohibere bonum ab eo,qui est Dominus eius, hoc est, qui dignus est,illo bono,cum potest manus tua id facere.* [k] Ne æmuleris hominem iniustum.] *Hoc est, si videris aliquē ditescere ex rapinis,& fraudibus,caue ne vias illius sequaris.* [l] Stultorum exaltatio,ignominia.] *Vel, Stulti attollunt super se ignominiam.*

CAPVT IIII.

A Vdite filij disciplinam patris,& attendite,vt sciatis prudentiam. † Doctrinam bonam tribuam vobis, legem meam ne derelinquatis: nam & ego filius fui patris mei, tenellus, & vnigenitus coràm
matre mea: & docebat me,atque dicebat, Suscipiat verba mea cor tuum,custodi præcepta mea,& viues. Posside sapientiam,posside prudentiam. Ne obliuiscaris: neque declines à verbis oris mei. Ne dimittas eam,& custodiet te:dilige eam,& conseruabit te.† In primis posside sapientiam,sapientiam inquam,
B & in omni possessione tua acquire prudentiam, attolle illam, & exaltabit te: glorificaberis ab ea,cum eam
fueris amplexatus, dabit capiti tuo augmentum gratiæ,& corona inclyta proteget te. Audi fili mi,& susci-
pe verba mea, vt multiplicentur tibi anni vitæ,viam sapientiæ monstraui tibi,& duxi te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, [a] non arctabūtur gressus tui, & currens non habebis offendiculum. Tene disciplinam, ne dimittas eam,custodi illam,quia ipsa est vita tua. Ne delecteris in semitis impiorum, nec tibi
C placeat malorum via,fuge ab ea,nec transeas per illam, declina & desere eam,non enim dormiunt, nisi male-
fecerint: † & rapitur somnus ab eis, † donec supplantauerint: [b] comedunt panem impietatis,& vinum iniquitatis bibunt. Iustorum autem semita,quasi lux splendens,procedit & crescit [c] vsque ad perfectam diem.
Via impiorum tenebrosa: nesciunt vbi corruant. Fili mi ausculta sermones meos, & ad eloquia mea inclina aurem tuam: [d] ne recedant ab oculis tuis,custodi ea in medio cordis tui, vita enim sunt inuenientibus ea,
D & vniuersæ carni sanitas. Omni custodia serua cor tuum: quia ex ipso vita procedit. Remoue à te os prauū,
& detrahentia labia sint procul à te. [e] Oculi tui recta videant, & palpebræ tuæ præcedant gressus tuos. [f] Dirige semitas pedibus tuis,& omnes viæ tuæ stabilientur. Ne declines ad dexteram, neque ad sinistram, auerte pedem tuum à malo†.

SCHOLIA.

[a] Non arctabuntur gressus tui.] *Hoc est, si habueris veram sapientiam, quæ est in verbo Dei,inoffense ambulabis, neque quicquam erit,quod te in discrimen adducere possit.* [b] Comedunt panem iniquitatis.] *Quasi dicat,traiecerunt in suas viscera,& in sanguinem ac succum suum conuerterunt impietatem,& obstinati sunt in malo,atque inebriati iniquitate, vt nihil aliud possint agere, Vel loqui, quam impietatem.* [c] Vsque ad perfectum diem.] *Crescit lux diei, donec sol ad summum hemispery peruenerit gradum, quod fit in meridie.* [d] Ne recedant ab oculis tuis.] *Sunt enim vita animæ,atque ita etiam largiuntur robur carni, cum corporis vita,à vita animæ pendeat.* [e] Oculi tui recta videant.] *Hæc sententia alibi sic scribitur. Tene regiam viam,& quod infra ait, Vt scilicet non aspicias ad dexteram, id est, ad prosperitatem impiorum, Vel ad sinistram,id est,aduersitatibus frangaris in via Dei. Recta autem via est fiducia in Deum.* [f] Dirige semitas.] *Vel, libra semitam, quod Hebræi exponunt, mensuram & modum tenere in omnibus, & non plus sapere, quàm oportet sapere.*

CAPVT V.

A FIli mi,attende ad sapientiam meam,& prudentiæ meæ inclina aurem tuam: [a] vt custodias cogitationes, & disciplinam labia tua conseruent, † Fauus enim distillans labia meretricis,& nitidius oleo gutur eius: nouissima autem illius amara quasi absynthium, † acuta quasi gladius biceps. Pedes eius
descendunt in mortem,& ad inferos gressus eius penetrant, † semitam vitæ non † librabis, vagi sunt gressus
B eius & inuestigabiles. Nunc ergo fili mi audi me,& ne recedas à verbis oris mei. Longè fac ab ea viā tuam,
& ne appropinques foribus domus eius. Ne des alienis [b] honorem tuum,& annos tuos crudeli:ne forte impleantur extranei viribus tuis,& labores tui sint in domo aliena,& gemas in nouissimis quando consumpseris carnes tuas & corpus tuum: & dicas, Cur detestatus sum disciplinam,& increpationibus non acquieuit
C cor meum, nec audiui vocem docentium me,& magistris non inclinaui aurem meam? [c] Penè fui in omni malo, in medio ecclesiæ & synagogæ. [d] Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui. Deriuentur fontes tui foras, & in plateis aquas tuas diuide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui. Sit vena tua benedicta, & [e] lætare cum muliere adolescentiæ tuæ: cerua charissima, & gratissimus hinnulus: vbera eius
D inebrient te in omni tempore,in amore eius delectare iugiter. Quare seduceris fili mi ab aliena,& foueris in

sinu

Iob. 34.c sinu alterius? Respicit Dominus vias hominis,& omnes gressus eius considerat. Iniquitates suæ capiũt impium,& funibus peccatorum suorum constringitur. Ipse morietur,quia non habuit disciplinam,& in multitudine stultitiæ suæ decipietur.

SCHOLIA.

[a] Vt custodias cogitationes.] *Sensus est,opus est,Vt summam custodiam adhibeas animo & linguæ, cũ autem accendere volueris sapientiæ meæ. Nec minus cauendum est à mulieribus procacibus,quæ dulcibus verbis suis animum virilem effœminant,& veluti spiculis veneno tinctis,cor ipsum ad perditionem sauciant. Et,si dixeris,quid si viam vitæ libr.atero, atque immaculatam tenuero,dum versor cum ea? respondet. Qui tetigerit picem,inquinabitur ab ea. Et præterea tam vagi, & vary sunt gressus eius, Vt non possis euadere laqueos eius, nisi penitus segregaueris te ab ea.* [b] Honorem tuum.] *Alius vertit, Robur tuum,& intelligunt per robur,substantiam rerum. Qui enim adhæret meretrici, exponit & res ipsas & vitam iacturæ,quemadmodum subditur,& annos tuos crudeli.* [c] Penè fui in omni malo.] *Hoc est, parum abfuit, quin omnem abstulerim pudorem,non verens etiam publicè in omnia me dare scelera.* [d] Bibe aquam.] *Hebræi exponunt, derelinque alienam,& adhære vxori tuæ,& tunc fontes tui deriuabuntur foras,hoc est,filij tui cũ honore prodibunt in publicum,eruntq; illi tui solius,cum nothi sint & tui & aliorum,si ad alienam accesseris.* [e] Lætare cum muliere.] *Gaudiũ admittit,sed,quod à Domino accipit benedictionem,quo coniugij leuius feruntur molestiæ,ponit etiam exemplum mutui amoris,de hinnulo & cerua, quem locum Hebræi, sic exponunt. Vt cerua amorum inuenit gratiam apud hinnulum,ita vxor maritum ex corde diligens, Vicissim à marito redamari debet. Quod autem de inebriatione verum sequitur, quidam putãt sic intelligẽdum,Vt etiam amor vxoris sit restringendus,ne erres in præceptis Dei,si nimium vxori animus tuus sit affixus. Alius sic,si errare poteris in vxore,quantus erit error,si alienæ sis affixus?*

CAPVT VI.

FIli mi,si spoponderis pro amico tuo,defixisti apud extraneũ manum tuã, illaqueatus es verbis oris tui, A
& captus proprijs sermonibus. Fac ergo quod dico fili mi,& temetipsum libera,quia incidisti in manũ
proximi tui. † Vade,[a] prosterne te,magnifica amicũ tuũ,ne dederis somnũ oculis tuis,nec dormitet pal
pebræ tuæ. Eruere quasi damula de manu,& quasi auis de manu aucupis. [b] Vade ad formicã,ò piger, & cõsydera vias eius,& disce sapientiã:quę cũ nõ habeat ducẽ,nec præceptorẽ, nec principẽ, parat in æstate cibũ sibi, & cõgregat in messe quod comedat. Vsquequo piger dormies? quãdo cõsurges è somno tuo? [c] Paululum dormies, paululũ dormitabis, paululũ cõseres manus tuas,vt dormias:& veniet tibi quasi viator egestas,& paupe- B
ries quasi vir armatus. † [d] Homo apostata vir inutilis,graditur ore peruerso,annuit oculis, loquitur pede, digitis docet,prauo corde machinatur malũ,et omni tẽpore iurgia seminat,huic extẽplo veniet perditio sua,& subito cõteretur,nec habebit vltrà medicinã. Sex sunt,quæ odit Dñs,[e] & septimũ detestatur anima eius:oculos sublimes,linguã mendacẽ,manus effundẽtes innoxiũ sanguinẽ,cor machinans cogitationes pessimas, pedes veloces ad currẽdũ in malũ,proferentem mẽdacia testẽ fallacẽ, & eũ qui seminat inter fratres discordias. C
Cõserua fili mi præcepta patris tui,& ne dimittas legẽ matris tuæ:liga ea in corde tuo iugiter, & circũda gut-
turi tuo:cũ ambulaueris,gradiãtur tecũ:cũ dormieris,custodiant te,& euigilans loquere cũ eis, quia mãdatũ
lucerna est,& lex lux,& via vitę increpatio disciplinę,vt custodiãt te à muliere mala, & à blãda lingua extra
neę. Nõ cõcupiscat pulchritudinẽ eius cor tuũ,ne capiaris nutibus illius,† [f] quoniã ob scõrtũ mendicabit homo vsq; ad buccellã panis:mulier aũt,viri pretiosam aĩam capit. Nũquid potest homo abscõdere ignẽ in sinu suo,vt vestimẽta illius nõ ardeãt? aut ambulare super prunas,& nõ cõburẽtur plãtæ eius? sic qui ingreditur ad mulierẽ proximi sui,nõ erit mũdus,cũ tetigerit eã. Nõ grãdis est culpa, cũ quis furatus fuerit, furatur D
enim,vt esuriẽtẽ impleat animã:deprehensus quoq; [g] reddet septuplũ,& omnem substãtiã domus suę tradet.
Qui autem adulter est,propter cordis inopiam perdet animam suam: flagellum & ignominiam cõgregat sibi,& opprobrium illius non delebitur:quia [h] zelus & furor viri non parcet in die vindictæ,nec acquiescet cuiusquam precibus,nec suscipiet pro redemptione dona plurima.

SCHOLIA.

[a] Prosterne te.] *Si pro altero(inquit)te obligasti,& aduenit tempus, Vt soluas debitum creditori, Vade & humiliate ante creditorem,& lauda illum:te fac paruum,illum verò magnum,& tunc facile illum placare poteris.* [b] Vade ad formicam.] *Hortatur hic hominem ad laborem,qui & in Genesi præcipitur,cura autem prohibetur.* [c] Paululũ dormies.] *Alij sic interpretantur. Modicum dormiendum est,modicus enim somnus sufficit, Vt corpus lassum recreetur,& modica dormitatio exhausta recreat membra,sic temperatè manus conserendæ,hoc est, Vt quidam exponunt,complectenda vxor, alij accipiunt complexum manuum pro quiete manibus in labore danda. Idsi egeris (inquit) & irruerit egestas,illa non dubitabit, sed veluti viator pertransibit,& veluti vir armatus,qui non manet, sed semper progreditur donec venerit ad aciem belli.* [d] Homo apostata.] *Vel impius. In Heb. est. Belial. Et quod ait,annuit oculis,significat peruersum hominem, Vbi loqui non audet,prodere oculis & reliquis membris impietatem suam.* [e] Et septimum.] *Quidam putant sic legẽdum:immò septem sunt, quæ abominatur anima eius. Per oculos sublimes intellige impudentiam frontis.* [f] Ob scortum mendicabit homo.] *Qui scorto sese associat,in tantam veniet egestatem, Vt cogatur mendicare frustum panis,& non externis solum prunatur bonis, verùm & pretiosam animam venalem diabolo exponit.* [g] Reddet septuplum.] *Hoc est, perfectam faciet restitutionem.* [h] Zelus & furor.] *Vir(inquit)cuius vxorem alius violauit,tanto agitur furore & zelo, Vt nullo modo parcat adultero,quantumlibet ille magnifica offerat munera.*

CAPVT VII.

FIli mi,custodi sermones meos,& præcepta mea reconde tibi. † Serua mandata mea,& viues:& legem A
meam quasi pupillam oculi tui. liga eam in digitis tuis, scribe illam in tabula cordis tui. Dic sapientiæ,Soror mea es: & prudentiam voca amicam tuam, vt custodiat te à muliere extranea, & ab aliena,quę verba sua dulcia facit. De fenestra enim domus meæ per cancellos prospexi,& video paruulos. Consydero

E videro vecordem iuuenem,qui transit per platèas iuxta angulum:& propè viam domus illius graditur in ob
scuro,aduesperascente die,in noctis tenebris,& caligine,& ecce occurrit illi mulier † [a] apertis signis meretri
cis,solum cor erat absconditum, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus
suis,nunc foris,nunc in platèis,nunc iuxta angulos insidians. Apprehensumq; deosculatur iuuenem,& pro-
caci vultu blanditur,dicens. [b] Victimas pro salute deuoui,hodie reddidi vota mea. Idcirco egressa sum in oc-
C cursum tuũ,mature desyderãs te videre, & repperi, pannis ornaui lectulum meum,straui tapetibus pictis ex
Ægypto,asperſi cubile meum myrrha & aloe, & cinnamomo:veni inebriemur vberibus,& fruamur cupitis
amplexibus,donec illucescat dies:non est enim vir in domo sua,abijt via longissima: sacculum pecuniæ secũ
tulit,in die solenni reuersurus est in domum suam. Irretiuit eum multis sermonibus, & blanditijs labiorum
protraxit illum. Statim eam sequitur quasi bos ductus ad victimam, † & quasi stultus,qui compede constrin-
D gitur ad castigationem [c] donec transfigat sagitta iecur eius: velut si auis festinet ad laqueum, & nescit quòd
de periculo animæ illius agitur. Nunc ergo fili mi audi me,& attende verbis oris mei. Ne abstrahatur in vijs
illius mens tua,neque decipiaris semitis eius: multos enim vulneratos deiecit,& fortissimi quique interfecti
sunt ab ea. Viæ inferi domus eius,penetrantes interiora mortis.

SCHOLIA.

[a] Apertis signis meretricis.] *In Heb. Vocabulum obscœnum est,sed est sensus,totam se discooperuit, præter fallax cor, quod erat munitum.* [b] Victimas pro salute.] *Hoc dicit, Vt iuuenem alliciat,atque inuitet ad epulas,quasi dicat, est mihi domi multa caro,nam feci hodie sacrificia pacificorum,indulgebimus igitur genio.* [c] Donec transfigat.] *Hoc est,non quiescit miser,nec abstinet à scorto,donec maritus scorti spiculo confodiat iecur eius.*

CAPVT VIII.

A NVnquid non [a] sapientia clamitat,& prudentia dat vocem suam? In summis excelsisque verticibus
supra viam in medijs semitis stans,iuxta portas ciuitatis in ipsis foribus loquitur, dicens, O viri ad
vos clamito,& vox mea ad filios hominum. Intelligite paruuli astutiam, & insipientes animaduer-
tite,audite quoniam de rebus magnis locutura sum:& aperientur labia mea, vt recta prædicent. Veritatem
meditabitur guttur meum,& labia mea detestabuntur impium. Iusti sunt omnes sermones mei, non est in
eis prauum quid,neque peruersum,recti sunt intelligentibus,& æqui inuenientibus scientiam. Accipite di-
B sciplinam meam,& non pecuniam:doctrinam magis,quàm aurum † electum. Melior est enim sapientia cũ
ctis pretiosissimis:& omne desyderabile,ei non potest comparari. Ego sapientia habito in consilio,& scien-
tiam cogitationum inueni. Timor Domini odit malum: arrogantiam,& superbiam, & viam prauam, & os
bilingue detestor. Meum est consilium & æquitas,mea est prudentia, mea est fortitudo. Per me reges re-
gnant,& legum conditores iusta decernunt. Per me principes imperant, & potentes decernunt iustitiam.
Ego diligentes me,diligo:& qui manè vigilant ad me,inuenient me. Mecum sunt diuitiæ & gloria,opes † du-
C raturæ & iustitia. Melior est fructus meus auro & lapide pretioso,& genimina mea argento electo. In vijs iu-
stitiæ † ambulare facio, in medio semitarum iudicij, vt ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam.
[b] Dominus possedit me in initio viarum suarum,antequam quicquam faceret à principio, ab æterno ordi- Sapien. 9.b
nata sum,& ex antiquis antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum
fontes aquarum eruperant,necdum montes graui mole constiterant. Ante colles ego parturiebar:adhuc ter-
ram non fecerat, † [c] & latitudines regionum,& cardines orbis. Quando præparabat cœlos aderam: quando
D certa lege & gyro [d] vallabat abyssos,quando æthera firmabat sursum, & [e] librabat fontes aquarum, quando
circundabat mari [f] terminum suum,& legem ponebat aquis,ne transirent fines suos. Quando appendebat
fundamenta terræ,cum eo eram cuncta componens. Et delectabar per singulos dies, [g] ludens coràm eo om
ni tempore, ludens in orbe terrarum: & deliciæ meæ, esse cum filijs hominum. Nunc ergo filij audite me,
Beati qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam & estote sapientes,& nolite abijcere eam. Beatus homo
qui audit me,qui vigilat ad fores meas quotidie,& obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet
vitam, & hauriet † fauorem Domini, qui autem in me peccauerit, lædet animam suam. Omnes, qui me
oderunt,diligunt mortem.

SCHOLIA.

[a] Sapientia clamitat.] *Nomine sapientiæ accipe cognitionem Dei,quam habemus ex verbo Dei, per prudentiam verò accipe cognitionem,qua facta Dei,& iudicia eius agnoscuntur. Hebræi tamen exponunt hic sapientiam pro viris sapientibus,qui homines vocant ad sapientiam legis,idq; in locis publicis, Vt nemo sit,qui se abscondat à luce eius, & excusationem habeat. Obseruatur autem in textu,sapientiam Dei extolli in septem. Primò insignis est, & longè antecellit sapientiam humanam,sicut principes antecellunt vulgares homines. Secundò est recta,per rectam ducens viam. Tertiò vera,nullum habens admixtum errorem. Quarto quietum reddit hominis animum. Quinto in nulla re aduersatur sibi ipsi. Sextò rectum tenet ordinem. Septimo non habet adnexum fastidium, sed quantò plus in ea profeceris, tantò ardentius ea oblectaberis.*
[b] Dominus possedit me.] *Verbum Dei & potentia eius sunt æterna,& sicut verbo omnia sunt condita,ita omnia agunt,& dispensantur verbo Dei. Quare qui crediderit,omnia pendere à Deo,is credit, se quoque in manu Dei esse, cum deserenda sunt omnia. Vocat autem hic initium viæ Domini,creationem mundi.* [c] Et cardines orbis.] *Alius vertit. Et quæ sunt extra eam, & caput puluerum orbis. Et intelligunt portionem terræ habitabilem,quæ extra aquam apparet, quã & mox caput puluerum orbis appellat. Alij intelligunt per exteriora illa,elementum aeris, & per caput puluerum, sphæram ignis,quæ supremum inter elementa tenet locum.* [d] Vallabat abyssos.] *Hebræi intelligunt centrum mundi, super quo omnes sphæræ elementares,& cœlestes, veluti circino sunt formatæ. Vnde alius vertit. Cum describeret circulum super facies abyssi.* [e] Librabat fontes aquarum.] *Alius vertit. Cum solidaret fontes abyssi.* [f] Terminum suum.] *Vel,legem suam,nempe arenam,quam posuit mari Deus limitem,quem non transiliret.* [g] Ludens coràm eo.] *Ludere dicitur in orbe*

in orbe terræ, quòd sapientia, quæ habetur per Verbum Dei, regit, seruat, terret, consolatur, et vinificat filios hominum, offert vitam æternam, defendit nos aduersus Satanam, & aduersus portas inferorum, vt ludere dicatur, dum nos omnibus modis refocillat, & recreat. Quid verò, si dicatur ludere, vt significet omnem hanc rerum fabricam, si cum Deo & artifice ipsa conferatur ludum quendam esse? Illud verò, delectab. ut, potest etiam verti, eram ei oblectamento.

CAPVT IX.

Sapientia [a] ædificauit sibi domum, excidit columnas septem: Immolauit victimas suas, miscuit vinum, & proposuit mensam suã. Misit ancillas suas, vt vocarent [b] † in excelsis locis ciuitatis, Si quis est parvulus, veniat ad me. Et insipientibus locuta est. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis. Relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. Qui erudit derisorem, ipse sibi iniuriam facit: & qui arguit impium, sibi maculam generat. Noli arguere derisorem, ne oderit te. Argue sapientem & diliges te. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce iustum, & † adijcietur eruditionem. Principium sapientiæ, timor Domini: & [c] scientia sanctorum, prudentia. Per me enim multiplicabuntur dies tui, & addentur tibi anni vitæ. Si sapiens fueris, tibimetipsi eris: si autem illusor, solus portabis malum. [d] Mulier stulta & clamosa, plenaq; illecebris, & nihil omnino sciẽs, sedet in foribus domus suę super sellam in excelsõ vrbis loco, vt vocet transeuntes per viam & † rectè pergentes in itinere suo, Quis est parvulus, declinet ad me. Et vecordi locuta est. [e] Aquę furtiuæ dulciores sunt, & panis absconditus suauior. Et ille ignorauit quòd ibi sint † mortui, & in profundis inferni conuiuæ eius.†

Sup. 7.a
Psal. 110.d
Eccle. 1.b

SCHOLIA.

[a] Ædificauit sibi domum.] *Domus illa, est ecclesia, columnæ septem, id est, multæ (sic enim plerunque capitur septenarius numerus in scriptura) sicut sunt apostoli & sancti doctores, mensa est prædicatio Verbi, vnde pascuntur esurientes & sitientes, Per immolationem victimarum intellige apparatum conuiuij.* [b] In excelsis locis.] *Hoc est, in locis publicis.* [c] Scientia sanctorum prudentia.] *Hebræi sic legunt. Principium cognitionis Dei est, intelligentia rerum sanctarum.* [d] Mulier stulta.] *Quidam Hebræorum intelligunt per hanc mulierem, stultitiam ipsam, quæ diuersos à sapientia habet mores, aly intelligunt per eam corpus hominis insipientis: ex nostris quidam intelligunt rationem cæcam, quæ Deum neſcit, & humanas opiniones de iustitia, de gloria, & aliis rebus, quas caro sapit, effert. Hic enim multò impudentior est ratio quæcunque muliere stulta & procaci, non verens sibi arrogare doctrinam legis, cum tamen non intelligat, quid loquatur. Arripit quod sibi iucundum est, & non videt iudicium, & voluntatem Dei.* [e] Aquæ furtiuæ.] *Dum scilicet arripimus, quæ nobis libent, & commoda esse videntur.*

CAPVT X.

[a] PARABOLAE SALOMONIS.

[b] Filius sapiens lætificat patrem: filius verò stultus mœstitia est matris suæ. Nil proderunt thesauri impietatis: iustitia verò liberabit à morte. Non affliget Dominus fame animam iusti, & [c] infidias impiorum subuertet. Egestatem operata est manus remissa: [d] manus autem sedulorũ, diuitias parat. †[e] Qui congregat in messe, filius sapiens est: qui autem stertit æstate, filius confusionis. Benedictiones super caput iusti: os autem impiorum operit iniquitas. Memoria iusti cum laudibus: & nomen impiorum putrescet. Sapiens corde præcepta suscipiet: [f] stultus cæditur labijs. [g] Qui ambulat, † in integritate, ambulat confidenter: qui autem deprauat vias suas, manifestus erit. [h] Qui annuit oculo, dabit dolorem: & stultus labijs verberabitur. Vena vitæ, os iusti: os autem impiorum cælat iniuriam. Odium suscitat rixas: & [i] vniuersa delicta operit charitas. In labijs sapientis inuenitur sapientia: & virga in dorso eius, qui indiget corde. Sapientes abscondunt scientiam: os autem stulti contritioni proximum est. [k] Substantia diuitis, vrbs fortitudinis eius: pauor pauperum, egestas eorum. Opus iusti ad vitam: fructus autem impij ad peccatum. Via vitæ custodienti disciplinam: qui autem increpationes relinquit, errat. Abscondunt odium labia mendacia: qui profert cõtumeliam, insipiens est. In multiloquio non deerit peccatũ: qui autem moderatur labia sua, prudentissimus est. Argentum electum lingua iusti: cor autem impiorũ pro nihilo. Labia iusti eruduint plurimos: qui autem stulti sunt, in cordis egestate morientur. Benedictio Domini diuites facit, nec sociabitur ei afflictio. Quasi per risum stultus operatur scelus: sapientia autem est viro prudentia. Quod timet impius, veniet super eum: desyderium suũ iustis dabitur. [l] Quasi tempestas transiens nõ erit impius: iustus autẽ quasi fundamentum sempiternum. Sicut acetum dentibus, & fumus oculis, [m] sic piger his qui miserunt eum. Timor Domini apponet dies, & anni impiorum breuiabuntur. Expectatio iustorum, letitia: spes autem impiorum peribit. [n] Fortitudo † integri, via Domini: & pauor his qui operantur malum. Iustus in æternum non commouebitur: impij autem non habitabunt super terram. Os iusti parturiet sapientiam, lingua prauorũ peribit. Labia iusti [o] conſyderant placita: & os impiorum peruersa.

Ecle. 27.c
1. Pet. 4.b

SCHOLIA.

[a] Parabolæ Salomonis.] *Incipiunt hoc capite Misle Salomonis, hoc est, sententiæ, quæ autem præmissa sunt, communes sunt quædam adhortationes, & præfatio quædam, vt Hebræi dicunt.* [b] Filius sapiens.] *Vocat filium sapientem, qui parentibus obtemperat, & seſe regi sinit iuxta mandatum Dei.* [c] Et insidias.] *Vel. Oppressionem, hoc est, bona, quæ oppressione aliorum congregauerunt. Alius vertit, opes.* [d] Manus autem sedulorum.] *In Heb. est. Manus dolosa. Quæ scilicet nihil agit, sed tantùm fallere cupit.* [e] Qui congregat in messe.] *Docet hæc sententia, obseruandum tempus, & occasionem in rebus agendis, vt suum quisq; pro tempore munus exequatur, quæratur victus, dum vires sunt integræ, studeant iuuenes, dum optimos habent præceptores, diu sufficit ætas, &c.* [f] Stultus cæditur labijs.] *Hoc est, qui præceps est lingua, & vult docere antequàm didicerit.* [g] Qui ambulat in integritate.] *Seu in perfectione, perfecti autem sunt, & prouide securi, qui rectè de Deo sentiunt, sciuntq; se ei curæ esse, credentes se ab eo regi, & seruari. Qui autem has vias Domini inuertit, facilè cognoscitur, qui scilicet viribus ac bonis suis fidit.* [h] Qui annuit oculo.] *Quidam exponunt de ijs, qui nutibus oculorum*

rum alios subsannant & irritant. [i] Vniuersa delicta operit charitas.] *Amicitia mutua constare non potest, siquis ad amici vitia nolit alicubi conniuere, & oculatior esse voluerit, in obseruandis erratis proximi, ferre ergo debet charitas, & quasi operire amici peccata tolerando.* [k] Substantia diuitis.] *Hebræi putant id dici contra ignauos homines, & ocio deditos, vt & ipsi ad labores excitentur.* [l] Quasi tempestas.] *Alius vertit. Quando pertransit tempestas, non manet impius, hoc est, quando imminet afflictio & tentatio, impius subitò ruit, iustus autem firmus manet, vt fundamentum mundi, solidatus super firmam petram.* [m] Sic piger.] *Ignaui homines ad nulla officia, quæ gerant & exequantur, sunt idonei. Taxatur locus hic potissimum magistratus negligentes.* [n] Fortitudo integri.] *Via Domini fortem facit virum integrum, nam ex ea vires resumit, at eam horrent & fugiunt, & quasi ea conspecta debilitantur, qui operantur malum.* [o] Conſyderant placita.] *Quæ scilicet Deo placeant.*

CAPVT XI.

Statera dolosa abominatio est apud Dominum, & pondus æquum voluntas eius. [a] Vbi fuerit superbia, ibi erit & contumelia: vbi autem est humilitas, ibi & sapientia.† Integritas iustorum diriget eos, & prauitas peruersorum vastabit illos. Non proderunt diuitiæ in die vltionis, iustitia autem liberabit à morte. Iustitia † integri diriget viam eius: & in impietate sua corruet impius. Iustitia rectorum liberabit eos: & in prauitate capientur iniqui. Mortuo homine impio nulla erit vltra spes, & expectatio † diuitiarum peribit. Iustus de angustia liberatus est: & [b] tradetur impius pro eo. Simulator ore decipit amicũ suũ: [c] iusti autem liberabuntur scientia. In bonis iustorum exultabit ciuitas: & in perditione impiorum erit lætitia. [d] Benedictione iustorum exaltabitur ciuitas: & ore impiorum subuertetur. Qui despicit amicum suum, indigens corde est: [e] vir autem prudẽs tacebit. Qui ambulat fraudulenter, reuelat arcana: qui autem fidelis est, celat amici cõmissum. Vbi non est gubernator, [f] populus corruet: salus autem, vbi multa consilia. Affligetur malo, qui fidem facit pro extraneo: qui autem † [g] odit stipulatores, securus erit: [h] Mulier gratiosa inuenit gloriam, & robusti habebunt diuitias. Benefacit animę suæ vir misericors: qui autem crudelis est, turbat propinquos suos. Impius facit opus instabile: seminanti autem iustitiam, merces fidelis. † Iustitia præparat vitam: & sectatio malorum mortem. Abominabile Domino cor prauum, & voluntas eius in his qui † integrè ambulant. [i] Manus in manu non erit innocens malus: semen autem iustorum saluabitur. Circulus aureus [k] in naribus suis, mulier pulchra & fatua. Desyderium iustorum omne bonum est: præstolatio impiorũ furor. Alij diuidunt propria, & ditiores fiunt: [l] qui autem parcus est in eo quod rectum est, certè ad penuriã veniet. Anima, quæ benedicit impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. [m] Bene consurgit diluculo, qui quærit bona: qui autem inuestigator malorum est: opprimetur ab eis. Qui confidit in diuitijs suis, corruet: iusti autem quasi virens folium germinabunt. [n] Qui conturbat domum suam, possidebit ventos: & qui stultus est, seruiet sapienti. Fructus iusti lignum vitæ, & [o] qui suscipit animas, sapiens est. [p] Si iustus in terra recipit, quantò magis impius & peccator?

Ecle. 5.c
Sapien. 5.e
Ecle. 9.b
1. Pet. 4.d

SCHOLIA.

[a] Vbi fuerit superbia.] *Superbum hominem comitatur contumelia, vel ignominia, quia cum in magistratu & officio aliquo est, nihil agere potest cum populi commodo. Vel, vbi est homo superbus, illic cæteri homines ab eo despiciuntur, vt solus ipse aliquid esse videatur.* [b] Tradetur impius pro eo.] *Vel, venit impius in locum eius. Vt sit sensus. Iustus emerget à malorum fluctibus, at in ea mala quasi succedens impius immergetur, neque erit qui opem ferat.* [c] Iusti autem liberabũtur scientia.] *Hoc est scientes iusti viam prudentiæ & pietatis liberabuntur ab hoc malo, & illud vitabunt.* [d] Benedictione iustorum.] *Hæc sententia ferè est eadem cum præcedenti, & est sensus. Respublica salua & felix esse non poterit, nisi acceſserit benedictio & bonitas Dei. Et quando Deus vlciſci vult populum ob peccata eorum, dat eis inutiles magistratus, qui consilijs iniquis ac dolis euertunt ciuitates ac regna.* [e] Vir prudens tacebit.] *Hoc est, non vicissim respondet stulto iuxta stultitiam eius.* [f] Populus corruet.] *Hebræi docent, hanc sententiam potissimum intelligendam de bello, in quo nisi omnia cautissimè agantur, populus cadit in manus hostium.* [g] Odit stipulatores.] *Hoc est, qui non spoponderit pro alieno, ille securè habitat, monet autem, pro alieno, & quem non nouimus, non fideiubendum, ne incidamus in manus creditoris.*
[h] Mulier gratiosa.] *Mulier, quæ ob probitatem vitæ omnibus grata est, reliquit post se nomen gloriosum, at, qui in ducenda vxore magis contemplantur diuitias, quàm probitatem vitæ, nebulones sunt, quos interpres robustos vocauit. Nã vox Hebr. significat quidem robustos: sed in malum.* [i] Manus in manu.] *Quod alius vertit, mox mox, qui Hebraissmus vulgo etiam apud nos tritus est, cum dicere solemus, ad manum ad manum, hoc est, iam iam. Ait ergo si pauliſper expectaueris, videbis, nullum hominem non abire inultum, hoc enim est, quod ait, non erit innocens. Consueuit enim scriptura vti innocente pro inulto, vt sit antecedens pro consequente, quod & Latini interdum faciunt.* [k] In naribus suis.] *In naribus porci. Monet hic sapiens, mulieres magis ornari bonis moribus, quàm forma. Nam forma, cui deſit prudentia, est tanquam annulus aureus in naribus suis. Sus enim aurum illud fœdat in luto, sic stulta mulier abutitur pulchritudine sua, vt verè plumbeus gladius sit in aurea vagina, vt in prouerbio dicitur.* [l] Qui autem parcus est.] *Hoc est, qui de suo alijs nihil largitur, priuabitur etiã ea re, quam poſsidere videtur.* [m] Bene consurgit.] *Rectius sit. Qui mane quærit bonum, quærit fauorem. Et videtur is esse sensus cito eum assecuturum bona qui ea quærit.* [n] Qui conturbat domum.] *Hoc est, qui dilapidat bona sua, hic ventum poſsidebit, hoc est, manis erit, & cogetur esse seruus prudentioris se.* [o] Qui suscipit animas.] *Videlicet eruditas.* [p] Si iustus in terra recipit.] *Si Deus punit iustos, cum vel leuiter peccant, quantò magis impios tandem aliquando reddet vltores, qui sine vllo freno labuntur in scelera?*

Caput

CAPVT XII.

QVi diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes: insipiens est. Qui bonus est, A hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, condemnabitur. Non roborabitur homo ex impietate: & radix iustorum nõ commouebitur. Mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus eius, [a] quæ confusione res dignas gerit. Cogitationes iustorũ iudicia: & consilia impiorum fraudulenta. Verba impiorum [b] insidiantur sanguini, os iustorũ liberabit eos. [c] Verte impios, & non erunt: domus autem iustorum permanebit. Doctrina sua laudatur vir: qui autem † pereruso corde est patebit contemptui. Melior est pauper & [d] sufficiens sibi, quàm gloriosus & indigẽs pane. Non- B
Eccle. 10.d uit iustus [e] iumentorum suorum animas: viscera autem impiorum crudelia. Qui operatur terram suam, latiabitur panibus: qui autem sectatur ocium, stultissimus est †. [f] Desyderium impij rete est malorum: radix
Eccle.20.d autem iustorum proficiet. Propter peccata labiorũ ruina † appropinquat malo: effugiet autem iustus d: angustia. De fructu oris sui vnusquisq; replebitur bonis, & iuxta opera manuum suarum retribuetur ei. Via stulti recta in oculis eius: qui autem sapiens est, audit cõsilia. Fatuus statim indicat iram suam: qui autẽ dissi- C mulat iniuriam, callidus est. Qui quod nouit loquitur, index iustitiæ est: qui autem mentitur, testis fraudulentus. Est qui † temere loquitur, [g] quasi punctu̇ris gladij: lingua autem sapientium, sanitas est. Labium veritatis firmum erit in perpetuum: † [h] at vsque ad momẽtum lingua mendacij. Dolus, in corde cogitantium mala: qui autem pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium: [i] Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit: impij autem replebuntur malo. Abominatio est Domino labia mẽdacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. Homo [k] versutus cælat scientiam, & cor insipientium prouocat stultitiam. Manus sedulorum domi- D nabitur: quæ autem remissa est, tributis seruiet. Mœror in corde viri humiliabit illum, & sermone bono lætificabitur. [l] † Excellit iustus proximum suum: iter autẽ impiorum decipiet eos. [m] Non inueniet fraudulentus lucrum, & substantia hominis † iusti erit auri pretium. In semita iustitiæ, vita: † & in hac ipsa via non est mors.

SCHOLIA.

[a] Quæ confusione res dignas gerit.] *Vel, confusione digna: hoc est, vt quidam interpretantur ign. aut inrebus gerendis & in exequendis domesticis officijs.* [b] Insidiantur sanguini.] *Impij student effundere sanguinem innocentem, iusti autem student liberare innocẽtem.* [c] Verte impios.] *Alius vertit. Subuertit Deus statum impiorum, & non sint. Vel sic. Subuertendi sunt, vel, digni qui subuertantur, & non sint.* [d] Sufficiens sibi.] *Qui studiosè operatur, & agrũ, vnde viuat, colit, contentus conditione sua.* [e] Animas iumentorum suorum.] *Iustus non solum in homines est misericors, verùm & in bruta animalia. Vide Iacob, quid æbat. Si greges meos nimium defatigari ambulando facere, morientur cuncti vna die.* [f] Desyderium impij.] *Alius vertit. Desyderat impius rete malorum hominum: radix autem iustorum etiam sua tribuit, vt sit sensus. Venatio malorum hominum est astutia illa, qua per fas & nefas aliorum in mala bona, id quod iusti non faciũt, qui etiam sua largiũtur.* [g] Quasi punctu̇ris gladij.] *Pluribus enim nocet lingua quam gladius.* [h] Vsque ad momentum.] *Quidam sic exponunt, Vix ad horam vnam lingua falsa potest verum dicere, quippe quæ sibi nunquam constet.* [i] Non contristabit iustum.] *Alius vertit. Non accidet iusto vlla iniquitas, hoc est, protegit Deus suos, vt malorum hominũ mali conatus, quibus pleni sunt, illis nocere non possint.* [k] Versutus cælat scientiam.] *Hoc est, non temere neque ad ostentationem effundit sapientiam suam, sicut stulti faciunt, qui prius, quam didicerint, volũt esse magistri.* [l] Excellit iustus.] *Iustus, qui Deum habet propitium, in omnibus est felicior homine iniusto.* [m] Non inueniet fraudulentus.] *Fraudulenti non percipient commodum ex ijs, quibus inhiarunt, quod autẽ homo iustus habet, illud à Deo tanquam thesaurus custoditur. Pulchrè autem interpres explicuit Hebraismum, qui sic ait. Non aduret fraudulentus venationem suam. Vt significet id illi accidere, quod venatori, cuius captũ feram canes comedunt antequàm ille eam assauerit.*

CAPVT XIII.

Fa Ilius sapiens, doctrina patris: qui autem illusor est, non audit cum arguitur. [b] De fructu oris homo sa- A
tiabitur bonis: anima autem præuaricatorum † comedet iniquitatem. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsyderatus est ad loquendum, sentiet mala. † Desyderat piger, & nihil habet anima eius: anima autem operantium impinguabitur. Verbum mendax iustus detestabitur: impius autem fœtidum se facit, & confusione dignum. Iustitia custodit innocentis viã: impietas autem peccatorem supplantat. [c] Est quasi diues, cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis diuitijs sit. [d] Redemptio B
animæ viri diuitiæ suæ: qui autem pauper est, increpationem non sustinet. Lux iustorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur. Inter superbos semper iurgia sunt: qui autem agunt omnia cum consilio, reguntur sapientia. [e] Substantia † ex vanitate minuetur: quæ autem † colligitur manu, multiplicabitur. Spes quæ differtur, affligit animam: lignum vitæ desyderium veniens. [f] Qui † contemnit aliquam rem, ipse se in futurum obligat: qui autem timet præceptum, in pace versabitur. † Lex sapientis fons vitæ, vt declinet à C
ruina mortis. [g] Doctrina bona dabit gratiam: † iter cõtemptorum † durum. Astutus omnia agit cum cõsilio: qui autem fatuus est, aperiet stultitiam. Nuntius impij cadet in malum: legatus autem fidelis, sanitas. Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam: qui autem acquiescit arguenti, glorificabitur. Desyderium si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos qui fugiunt mala. Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum similis illis efficietur. Peccatores persequetur malum: & iustis retribuentur bo- D
na. Bonus [h] relinquet hæredes, filios & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris. Multi cibi in noualibus pauperum [i], ille autem perditur, qui est absque iudicio. Qui parcit virgæ suę, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. Iustus comedit, & replet animam suam, venter autem impiorũ, penuriam patietur.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Filius sapiens.] *Alius vertit. Filius sapiens audit castigationem patris.* [b] De fructu oris.] *Quidam sic vertit. De fructu oris sapientis vnusquisque comedit bonum, anima autem præuaricatorum comedet iniurium. Vt sit sensus. Qui ore fideliter docet, ille bonam à Deo accipiet remunerationem anima autem, quæ Deum negligit, & proximum lacessit iniurys, illa quoque reportabit fructum labiorum suorum iniquorum.* [c] Est quasi diues.] *Ex Hebræis quidam hanc sententiam sic vertendam putant. Est, qui diuitem se ostendit, & tamen nihil habet domi, & est, qui se pauperem simulat, cum habeat multas opes. Alij sic exponunt. Est, qui sollicitus est, & multum laborat pro diuitijs, & tamen semper manet in egestate, & rursum est alius pauper, qui sine sollicitudine ad grandes peruenit diuitias.* [d] Redemptio animæ.] *Quidam sic coniungunt superiori. Vtraque est bona, opulentia & paupertas, opes enim liberant aliquem ex captiuitate, & paupertas obstat, vt vir pauper non facilè à potentibus capiatur, cum nihil habeat, quod emungi possit, & hoc est, quod ait, pauper non sustinet, vel non audit increpationem.* [e] Substantia ex vanitate.] *Hoc est, bona acquisita fraude et rapina, citò dilapidabuntur, quæ autem acquiruntur labore manuum, ijs Deus dat incrementum.* [f] Qui contemnit rem aliquam.] *Contemptus sæpe ducit contementem in discrimen, cum in tempore licuisset periculum præuenire.* [g] Doctrina bona.] *Qui rectè vtitur concessa ingenij perspicacitate, inueniet gratiam apud Deum & homines, at, qui intelligentiam illam conuertit in prudentiam carnis, durum est, talem regnare in populo.* [h] Relinquet hæredes.] *Vel relinquit hæreditatem, filijs & nepotibus.* [i] Ille autem perditur.] *Qui in agro suo in tempore omittit debita exercere officia, illius nouale nihil proferet.*

CAPVT XIIII.

A Sapiens mulier [a] ædificat domum suam: insipiens extructam quoque manibus destruet. [b] Ambulans Iob 12.a
recto itinere, & timẽs Dominum despicitur ab eo qui infami graditur via. In ore stulti [c] virga superbiæ, labia sapiẽtium custodiunt eos. [d] Vbi non sunt boues, præsepe vacuum est: vbi autem plurimæ segetes, ibi manifesta est fortitudo bouis. Testis fidelis non mentietur: profert autem mendacium dolosus testis. [e] Quærit derisor sapientiam, & non inuenit: doctrina prudentium facilis: † Recede à viro stulto, qui nescit labia prudentiæ. Sapientia callidi est, intelligere viam suam: & imprudentia stultorum do- B
lus. [f] Stultus illudet peccatum, & inter iustos morabitur gratia. [g] Cor, quod nouit amaritudinem animæ suæ, in gaudio eius non miscebitur extraneus. Domus impiorum delebitur, tabernacula iustorum germinabunt. Est via quæ videtur homini iusta: nouissima autem eius deducunt ad mortem. [h] Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupabit. [i] Vijs suis replebitur stultus, & super eum erit vir bonus. † Inexpertus credit omni verbo: astutus consyderat gressus suos. †Sapiẽs timet, & declinat à malo: stultus transilit & confidit. Impatiens operabitur stultitiam: & vir † consilij odio habetur ab eo. Possidebunt paruuli C
stultitiã: & [k] expectabunt astuti scientiam. [l] Iacebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorum. Etiã proximo suo pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi. Qui despicit proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperis, beatus erit. †Errant qui operãtur malum: misericordia & veritas præparant bona. In omni opere erit abundantia: vbi autem verba sunt plurima, ibi † egestas. [m] Corona sapientum, diuitiæ eorum: fatuitas stultorum, imprudentia. Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis. In timore Domini fiducia fortitudinis, & filijs eius erit spes. Timor Domini fons vitæ, vt declinet à D
laqueis mortis. In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia principis. Qui patiens est, multa gubernatur sapientia: qui autem impatiens est, exaltat stultitiam suam. Vita carnium, sanitas cordis: putredo ossium, inuidia. Qui calumniatur egentem, exprobrat factori eius: honorat autem eum, qui miseretur pauperis. In malitia sua [n] repellitur impius: sperat autem iustus in morte sua. In corde prudentis requiescit sapientia, [o] & indoctos quosque erudiet. Iustitia eleuat gentem: miseros autem facit populos peccatum. Acceptus est regi minister intelligens: [p] iracundiam eius inutilis sustinebit.

SCHOLIA.

[a] Ædificat domum.] *Hoc est, curam habet rei domesticæ, & ne quid pereat, studiosè cauet.* [b] Ambulans recto itinere.] *Alius vertit. Qui ambulat in rectitudine sua, timet Dominum, qui autem se auertit à vijs eius, despicit eum.* [c] Virga superbiæ.] *Qua scilicet superbi sæuiunt contra proximum quenque, percutientes eum lingua, at labia sapientium etiam bene loquuntur proximo, tantum abest, vt illi sint nocumento.* [d] Vbi non sunt boues.] *Sensus est, qui laborat, is habet vnde viuat, at qui ocium sectatur, ille egestatem habet in domo. Accommodari hoc etiam potest ad studiosos literarum, sicut quidam Hebræorum transferunt ad studium legis.* [e] Quærit derisor.] *Videtur hic esse sensus. Quo magis deluditur contendit vel esse, vel haberi sapiens, eo magis insipiens deprehenditur. At quicunq; ex animo quærunt eã, ij facile inueniunt.* [f] Stultus illudit peccatũ.] *Sunt qui interpretentur hunc locum in hũc sensum. Stulti omnia interpretantur in deterius, ideo non potest cohærere inter eos amicitia, quod contra fit iniustis. Potest etiam esse hic sensus. Sic delectat insanos sua enumerare & iactare flagitia, vt viros sanos iuuat memorare aliorum benefacta.* [g] Cor quod nouit.] *Quidam sic exponunt hanc sententiam. Non est verus mœror, qui non ex corde procedit, aut verum gaudium, quod solum foris fingitur, vt sic veritas. Cor cognoscit amaritudinem animæ suæ, nec miscebitur in gaudio eius alienus. Alius Hebræus sic exponit. Durum est negare animæ corpoream delectationem, sed gaudium futuri sæculi animo conceptum, immensum est, ideo qui timet Deum, nihil extranei mœroris immiscet huic gaudio. Nostri hunc eliciunt sensum. Immensam habent consolationem, quibus mortua est caro. Neque opinor aberrabis, si sic interpretere, eum, qui in sese inquiret assiduè, vt se optimè agnoscat, assecuturum id gaudium, quod nemo intelligere possit, nisi is, qui experitur. Alius sic interpretatur. Nemo certe scire potest, vtrum quis ex animo gaudeat, aut doleat, nisi is qui gaudet, aut dolet. Et tunc sic vertetur. Cor cognouit amaritudinem animæ suæ nec miscebitur in gaudio eius alienus.* [h] Risus dolore miscebitur.] *In Hebr. est. Etiã in risu dolet cor. In his rebus (inquit) vbi potissimum quæritur gaudium, nõ inuenitur gaudium sine afflictione & dolore.* [i] Vijs suis replebitur stultus.] *Vnicuiq; datur iuxta opera sua.* [k] Expectabunt astuti scientiam.] *Potest etiam verti. Coronabuntur astuti scientia.* [l] Iacebũt mali.] *Magna (inquit) est dignitas iustorum, vt impy, qui impietate eos contempserunt, conuersi procidant ante eos, requi-*

rantq; consilia eorum ante limina domorum ipsorum. m Corona sapientum.] *Diuitiæ sapientibus prosunt, quippe qui eis velut donis Dei vtuntur, stultis verò obsunt.* n Repelletur impius.] *Impius abijcitur in morte sua in æternam damnationem, at iusti in hora mortis spem certissimam habent æternæ vitæ.* o Et indoctos quosq; erudiet.] *Alius vertit. Et in medio stultorum cognoscetur. Subaudi sapientia, vt sit sensus. Si stulti quid sapientiæ habent temere illud profundunt, & non habet locum apud eos. Sicut apud sapientes quiescere dicitur sapientia, & mansionem apud eos facere.* p Iracundiam eius.] *Vel, Ira eius est contra seruum ignominiosum.*

CAPVT XV.

REsponsio mollis frangit irã: sermo durus suscitat furorem. Lingua sapiẽtũ a ornat scientiã: os fatuorũ ebullit stultitiã. In omni loco, oculi Dñi cõtẽplantur bonos & malos. b Lingua placabilis, lignũ vitę: quę autẽ peruersa est, cõteret spiritũ. Stultus irridet disciplinã patris sui: qui autem custodit increpationes, astutior fiet. † Domus iusti plurima fortitudo, & in fructibus impij conturbatio. Labia sapiẽtum disseminabũt scientiam: cor stultorũ dissimile erit. Victimæ impiorũ abominabiles Dño: vota iustorũ placabilia. Abominatio est Dño via impij: qui sequitur iustitiam, diligitur ab eo. † Castigatio pessima deserentibus viã: qui increpationes odit, morietur. c Infernus & perditio coràm Dño: quantò magis corda filiorum hominũ? Nõ amat derisor eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur. Cor gaudens exhilarat faciẽ: in mœrore animi d deijcitur spiritus. Cor sapiens quæret doctrinam: & os stultorũ pascetur imperitia. Omnes dies pauperis, mali: secura mens quasi iuge conuiuium. Melius est parum cũ timore Dñi, q̃ thesauri magni † in quibus est turbatio. Melius est vocari ad olera cũ charitate: quàm ad vitulũ saginatũ cum odio. Vir iracundus prouocat rixas: qui patiens est, mitigat suscitatas. e Iter pigrorũ quasi sepes spinarũ: via iustorũ absq; offendiculo. Filius sapiens lætificat patrẽ: & stultus homo despicit matrem suã. f Stultitia gaudium stulto: & vir prudẽs dirigit gressus suos. Dissipantur cogitationes vbi nõ est consiliũ: vbi verò sunt plures cõsiliarij, confirmantur. Lętatur homo g in sententia oris sui: & sermo opportunus est optimus. Semita vitæ h super eruditũ, vt declinet de inferno nouissimo. Domũ superborũ demolietur Dñs: & firmos faciet termi nos viduæ. Abominatio Dñi cogitationes malæ: & purus sermo pulcherrimus. † Conturbat domũ suam, qui sectatur auaritiam: qui autem odit munera, viuet: † Mens iusti meditabitur † quod respondeat, os impiorũ redundat malis. Longè est Dñs ab impijs: & orationes iustorũ exaudiet. i Lux oculorũ lætificat animã, fama bona impinguat ossa. Auris, quæ audit increpationes vitæ, in medio sapientum cõmorabitur. Qui abijcit disciplinã, despicit animam suam: qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. Timor Domini disciplina sapientiæ: & gloriam præcedit humilitas.

Ecclc. 34.c
Supra 10.
Infra 18.a
Sup. 15.c
Supr. 14.b

SCHOLIA.

a Ornat scientiam.] *Hoc est, pulchrè vtitur scientia.* b Lingua placabilis.] *In Heb. est. Sanitas linguæ, vel, salubris lingua.* c Infernus & perditio.] *Monet hæc sententia, Deum vbiq; præsentem esse, et æquè contemplari abditissima, vt ea, quæ sunt apertissima: quid enim magis est absconditum ab oculis humanis quàm sepulchrum, & status mortuorũ, qui per infernum & perditionem significatur, vnde nemini ad mortales conceditur reditus? Cum autem Deo hæc secretissima loca sint manifesta, quippe qui exerit iudicium suum & vltionem, vtique & cordis secreta nouit, & perspicit omnes animorum nostrorum intimos motus.* d Deijcitur spiritus.] *Quidam exponunt hic spiritum pro anhelitu, quem cor mœstum grauiter trahit. Cor enim, quod fons est vitæ, & radix omnium motuum corporis, cum illud aut gaudio, aut mœrore afficitur, fieri non potest, quin & in reliqua membra hic affectus deriuetur.* e Iter qui pigrorum.] *Cum pigri ad viam præceptorum Dei incitantur, ægerrimè ambulant in ea, perinde quasi tota via spinis esset obsita, nullibi non impingentes, cum via illa rectis planissima sit, & viam mandatorum Dei inoffensi currant.* f Stultitia gaudium stulto.] *Lætantur stulti cùm male fecerint.* g In sententia oris sui.] *Gaudet consiliarius, cum sit aliquid iuxta consilium à se datum.* h Super eruditũ.] *Vel sursum ducit eruditum hoc est, prudentem, vt declinet ab inferno, qui est deorsum. Sic illud. Purus sermo, id est mundorũ hominum.* i Lux oculorum.] *Hoc est, sicut pulchra ab oculis apprehensa lætificant cor, ita fama bona, quæ spargitur de iis, quos diligimus, exhilarat interiora cordis.*

CAPVT XVI.

HA Ominis est animam præparare, & Dñi gubernare linguã. Omnes viæ † hominis, mundæ videntur in oculis suis: sed spirituũ ponderator est Dñs. Reuela Dño opera tua, & dirigẽtur cogitationes tuæ. b Vniuersa propter semetipsum operatus est Dñs, impiũ quoq; ad diẽ malum. Abominatio Dñi est omnis arrogans: †c manus ad manũ & non insons euadet. † Misericordia & veritate redimitur iniquitas, & in timore Dñi declinatur à mãlo. Cũ placuerint Dño viæ hominis, d inimicos quoq; eius cõuertet ad pacẽ. Melius est parũ cũ iustitia, quã multi fructus cũ iniquitate. Cor hominis cogitat viã suã, sed Dñi est dirigere gressus eius. e Diuinatio in labijs regis, in iudicio nõ errabit os eius. f Pondus & statera iudicia Domini sunt: & opera eius omnes lapides sacculi. Abominabiles regi qui agunt impiè: quoniam iustitia firmatur solium. Voluntas regum labia iusta: qui recta loquitur, diligetur. Indignatio regis, nuntij mortis: & vir sapiens placabit eam. In hilaritate vultus regis, vita: & clementia eius quasi imber serotinus. Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudẽtiam, quia pretiosior est argento. Semita iustorum declinat malã: custos animæ suæ seruat viam suam. Contritionem præcedit superbia, & ante ruinam exaltabitur spiritus. Melius est humiliari cum mitibus, quàm diuidere spolia cum superbis. Eruditus in verbo reperiet bona: & qui sperat in Dño beatus est. Qui sapiens est corde, appellabitur prudens: & qui g dulcis eloquio, addit doctrinam. Fons vitæ h eruditio possidentis: † castigatio stultorum fatuitas. Cor sapientis erudiet os eius, & labijs eius addet doctrinã. Fauus mellis composita verba, dulcedo animæ & sanitas ossium. Est via, quæ videtur homini recta, & nouissima eius ducunt ad mortem. i Anima laborantis laborat sibi, quia compulit eum os suum. Vir insipiẽs k fodit malũ, & in labijs eius ignis ardescit. Homo peruersus suscitat lites, & † delator

& † delator l separat principes. Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam. Qui m attonitis oculis cogitat praua, mouens labia sua perficiet malum. Corona dignitatis senectus, quæ in vijs iustitiæ repertur. Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium. n Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino totum iudicium earum.

SCHOLIA.

a Hominis est animam præparare.] *Quidam Hebræi sic exponunt. Non satis est concipere aliquem sermonem in corde, sed opus est etiam Dei auxilio, vt illum ore depromas. Aly sic, potest quidem homo varia excogitare consilia, quid scilicet loquatur, aut quid faciat, sed nihil potest citra Dei auxilium perducere ad finem, Deo enim annuente consilia nostra sunt felicia, & facta nostra bona. Ipse ponderat spiritus, & interiores cordis videt affectus, videt q; peccatum, vbi nos nullum aduertimus. Rogandus igitur est, vt ipse fortunet & dirigat omnia nostra, interiora & exteriora, iccirco addit. Reuela Domino opera tua, & dirigentur cogitationes tuæ.* b Vniuersa propter semetipsum.] *Hoc est, propter gloriam suam, etiam impium, cum enim illum ducit ad diem malum, aly, qui Dei iudicium cernunt, dicunt. Iustus Dominus, & rectæ viæ eius.* c Manus ad manum.] *Superius hunc Hebraismum explicuimus.* d Inimicos quoque eius.] *Hoc est, non perpetuò sinit eum subiacere malis hominibus, etiam si ad tempus eum probet. Sunt qui hunc versiculum exponant de carnis desiderijs, quæ in homine Dei grato premuntur, etiam si non omnino in hac mortali vita extinguantur.* e Diuinatio in labijs regis.] *Hoc est, tam verax & firmus debet esse rex in iudicio, ac si oracula proferret.* f Pondus & statera.] *Hoc est, decretum Domini est, vt libra & statera iustæ sint, & pondera, quorum opus situm est in lapidibus sacculi, vt illi iusti sint in pondere & mensura.* g Dulcis eloquio.] *Qui suauibus verbis alios docet, huic adijcitur sapientia, & eruditio, & qui in credito sibi talento fidelis fuerit, dignus erit, qui plus accipiat.* h Eruditio possidentis.] *Prudentia in ijs, qui eam habent.* i Anima laborantis.] *Intelligunt de labore manuum, qui omnibus hominibus mandatus est, vt in sudore vultus acquirant necessaria vitæ. Ait autem, os suum compellere eum, quia scilicet opus habet cibo. Alius vertit. Anima ignaui hominis molestat eum, eò, quòd os eius occasionem præbeat ei, vt sit sensus. Homo, qui habet os peruersum, in perpetua erit miseria, ad quam os eius impellet eum.* k Fodit malum.] *Hoc est, ex profundo cordis producit malum, excogitat, & machinatur malum, & non ex infirmitate tantum humana ruit in malum. Et mala sic excogitata, virulenta lingua, & labijs tarta veluti igne accensis, in proximi profert perniciem.* l Separat principes.] *Vel, principem seu ducem, hoc est, auertit dominum à proximo suo. Quidam accipiunt pro marito, quem pessimi homines ab vxore separant.* m Attonitis oculis.] *Vsque adeo intentum est cor impij cogitationibus malis, vt attonitis sit oculis, nesciat q; quid exterioribus agat membris. Potest etiam sic vertere, claudit oculos, vel annuit oculis impius, vt cogitet rem peruersam.* n Sortes mittuntur in sinum.] *Quæ nobis ex euentu & casu accidere videntur, horum rationem Deus tenet.*

CAPVT XVII.

A MElior est buccella sicca cum gaudio, quàm domus plena victimis cum iurgio. Seruus sapiens dominabitur filijs stultis, & inter fratres a hereditatem diuidet. Sicut igne probatur argẽtum, & aurum camino, ita corda probat Dominus. Malus obedit linguæ iniquæ: & † peruersus obtẽperat labijs mẽdacibus. Qui despicit pauperem exprobrat factori eius: & qui in ruina lætatur alterius, nõ erit impunitus. Corona senum, filij filiorum: & gloria filiorum patres eorum. Non decent stultum verba digna
B laude: nec principem labium mentiens. Gemma gratissima † est munus in oculis habentium ipsum: b quocunq; se vertet, prosperè aget. c Qui cælat delictum, quærit amicitias: qui sermonem repetit, separat † à se † principem, d Plus proficit correctio apud prudentem, quàm centum plagæ apud stultum. † e Rebellis quærit malum: angelus autem crudelis mittetur contra eum. Expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quàm fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius.
C † f Sicut qui dimittit aquam, sic caput est iurgiorum, † ante congressum igitur dimitte contentionem. Qui iustificat impium, & qui condemnat iustum, abominabilis est vterq; apud Deum. Quid prodest stulto habere diuitias, cum sapientiam emere nõ possit? † Omni tempore diligit qui amicus est, & frater in angustijs comprobatur. g Stultus homo plaudet manibus, cum spoponderit pro amico suo. Qui diligit † iniquitatem, diligit rixas: &
D h qui exaltat ostium suum, quærit ruinam. Qui peruersi cordis est, non inueniet bonũ: & qui peruertit linguam, incidet in malum. Stultus generat filios in ignominiam suã, nec pater in fatuo lætabitur. Animus gaudens ætatem floridam facit: spiritus tristis exiccat ossa. Munera de sinu impius accipit, vt peruertat semitas iudicij. i In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terræ. Ira patris filius stultus, & dolor matris, quæ genuit eum. Non est bonum, damnum inferre iusto, nec percutere principem qui recta iudicat. Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & preciosi spiritus, vir eruditus, stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens.

Rom. 12.e
1. Pet. 3.b
1. thes. 5.d
Isa. 5.c
Supra. 15.b
Eccle. 2.c
8.a
Iacob 1.c

SCHOLIA.

a Hæreditatem diuidet.] *Hoc est, partem capiet hæreditatis cum filijs domini sui.* b Quocunque se vertet prosperè aget.] *Vbicunque munus fuerit expositum, ibi causis etiam malis malè succedere non potest. Capiuntur enim omnes muneribus.* c Qui cælat delictum.] *Qui operit iniquitatem proximi, acquirit dilectionem: & qui repetit rem malam, hoc est, qui iterat mala, hic perdit gratiam principis sui. Interpres autem seruauit Hebraismum, quo sermo vel verbum pro re ponitur.* d Plus proficit.] *Increpatio magis terret intelligentem, quàm centum plagæ stultum.* e Rebellis quærit malum.] *Spectat hæc sententia ad mox præcedentem, & est sensus. Tantum abest, vt stultus plagis emendetur, vt etiam magis rebellis fiat, & quærat malum facere, donec nuntius crudelis veniat contra eum, & perdat. Exemplo est Pharao.* f Sicut qui dimittit aquam.] *Qui aquis inclusis non obstruit foramen angustum, mox violentia aquæ rumpit sibi, latissimum meatum, vt iam coerceri nequeat, sic euenit in discordiarum primordijs, &c.* g Stultus homo plaudet.] *Alius vertit. Homo ille deficit corde, qui stipulatur manu, & spondet fideiussionem pro proximo suo, hoc est, stultitia est, si stipuleris pro alio, & obsidem te ponas, exponasq; te periculo, vt creditor pro libidine sua contra te agat.*

 h Qui

[h] Qui exaltat ostium.] *Per ostium plerique intelligunt labia, vt sit sensus, qui loquitur cum superbia, illum apprehendet contritio.* [i] In facie prudẽtis.] *Homo prudens semper in prospectu suo habet, vnde discat sapientiam, stultus autem putat eam quærendam in extremo terræ, ideo nunquam inueniet eam.*

CAPVT XVIII.

O[a]B delectationem quærit sequestratus, in omni sapientia permiscetur. Non appetit stultus verba sa- A
pientiæ, nisi vt aperiat cor suum. [b]† Cum venit impius, venit & contemptus, & cum viro ignominioso opprobrium. [c] Aqua profunda verba ex ore viri: & torrens redundans fons sapientiæ.
Accipere personam impij non est bonum, vt declines à veritate iudicij. Labia stulti miscent se rixis, & os
eius iurgia prouocat. Os stulti contritio eius: & labia ipsius ruina animæ eius. Verba bilinguis, quasi B
verbera, & ipsa peruenient vsque ad interiora ventris. [d]† Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater
Eccle. 11.a est sua opera dissipantis. Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus, & exaltabitur. Substantia diuitis vrbs roboris eius, & quasi murus validus [e]† in imaginatione eius. Antequam conteratur, ex
altatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur. Qui prius respondet quàm audiat: stultum se C
esse demonstrat, & confusione dignum. [f] Spiritus viri sustentat imbecillitatem eius: spiritum verò† concussum, quis poterit sustinere? Cor prudentis possidebit scientiam, & auris sapientium quærit doctrinam.
[g] Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit. [h] Iustus prior est† in causa sua: venit† proximus eius, & inuestigabit eum. Contradictiones comprimit sors, & inter potentes quoque dijudicat. [i] Frater qui deficit à fratre, est fortior ciuitate firma, & lites, quasi vectes vrbium. De fructu oris D
viri replebitur venter eius, & genimina labiorum ipsius saturabunt eum. Mors & vita in manibus linguæ:
qui diligunt eam, comedent fructus eius. Qui inuenit mulierem bonam, inuenit bonũ, & hauriet† gratuitum munus à Domino. † Cum obsecrationibus loquetur pauper, & dues effabitur rigidè. [k] Vir amica
bilis ad societatem magis amicus erit, quàm frater.

SCHOLIA.

[a] Ob delectationem.] *Sensus est. Stultus, qui moribus ab alijs seiungitur (iccirco enim appellat sequestratum) quærit sapientiam tantummodo animi causa & ideo de qualibet re ac facultate vult disputare & loqui. Et quod ait, nisi vt aperiat cor suum. Intellige ob inanem iactantiam & gloriam.* [b] Cum venit impius.] *Quando impius nascitur, venit publicum malum in mundum.* [c] Aqua profunda.] *Vt aquæ profundæ exhauriri nequeunt, sic nec verba sapientiæ.* [d] Qui mollis est.] *Alius vertit. Qui desistit ab opere suo, frater est viri dissipatoris. Et damnatur hic ignauia hominum, qui cum alijs in opere ipsi cessent, nec habeant vnde viuant, necesse est, vt circumueniant alios, & impostoras exerceant.* [e] In imaginatione eius.] *Hoc est, habet diues hanc falsam opinionem, quòd diuitiæ eius sint vnicum propugnaculum eius, cum interim iustus longè tutiorem habeat munitionem, ad quam confugiat, nempè, nomen Domini.* [f] Spiritus viri.] *Sensus est, morbi animæ longè grauiores sunt morbis corporis: quia anima potest sanare corpus ægrotum, non autem corpus animam.* [g] Donum hominis.] *Qui liberalis est in erogandis donis, huic aditus patet vsque ad principes & reges.* [h] Iustus prior.] *Hoc est, qui iustam causam habet, is simpliciter & confidenter proponit eam iudicibus, cum aduersarius eius, vt illam impugnet, multas cogatur facere inquisitiones, & excogitare commenta. Alij tamen referunt illud, inuestigabit eum, ad iudicem, qui alteri non tam facile credit, vt priori, qui liberè causam suam proposuit.* [i] Frater qui deficit à fratre.] *Vult significare, virum gentem habere fraternas iras, easq; esse implacabiles. Alius vertit. Frater iniquitate offensus, præstantior est vrbe fortissima, & dissensiones similes sunt repagulo palatij. Vt sit sensus, frater etiã offensus à fratre, illi in necessitate magis prodest, quàm vrbs fortis, eò quòd ex vno sanguine sint. Sic fratres, qui in mutua sunt dissensione, tempore necessitatis alter alteri fert opem, & est quasi propugnaculum repagulis obseratum. Alij referunt hanc sententiam ad sortem, quòd ea implacabiles fratrum dissensiones, quæ ratione hæreditatis oboriuntur, componat. Sed variè admodum ab Hebræis hic versus exponitur.* [k] Vir amicabilis.] *Alius vertit. Vir qui diligit amicos, associat illos sibi, & est amicus, qui firmius adhæret quàm frater.*

CAPVT XIX.

Danic.13.g MElior est pauper, qui ambulat in† integritate sua, quàm [a] torquens labia sua, & insipiens. Vbi nõ A
est scientia animæ, non est bonum, & qui festinus est pedibus, offendet. Stultitia hominis supplãtat gressus eius, & contra Dominum feruet animo suo. Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem & hi quos habuit seperantur. Testis falsus non erit impunitus: &, qui mendacia loquitur, non
effugiet. Multi colunt personam potentis, & omnes amici sunt dona tribuentis. Fratres omnes pauperis
oderunt eum, insuper & amici procul recesserunt ab eo. [b] Qui tantum verba sectatur, nihil habebit: qui B
autem possessor est mentis, diligit animam suam, & custos prudentiæ inueniet bona. Falsus testis non erit
impunitus: & qui loquitur mendacia peribit. Non decent stultum deliciæ, [c] nec seruum dominari principibus. Doctrina viri per patientiam noscitur, & gloria eius est iniqua pretergredi. Sicut fremitus leonis: ita &
regis ira: & sicut ros super herbã, ita & hilaritas eius. Dolor patris filius stultus: & tecta iugiter perstillãtia, litigiosa mulier. Domus & diuitię dantur à patribus, à Dño autẽ propriè vxor prudens. Pigredo immittit sopo C
rem, & [d] anima dissoluta esuriet. Qui custodit mandatũ, custodit animã suã: qui autem negligit viam suam,
mortificabitur. Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & vicissitudinẽ suã reddet ei. Erudi filiũ tuũ,
[e] ne desperes: ad interfectionẽ autem eius ne ponas animã tuam: qui enim impatiens est, sustinebit damnum:
[f] & cum† eripueris eum, adhuc appones. Audi consiliũ, & suscipe disciplinam, vt sis sapiens in nouissimis
tuis. Multę cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini in æternum permanebit. [g] Delectat homi- D
Infra 21.b nem pietas eius: & melior est pauper, quàm vir mendax. Timor Dñi ad vitã: & in plenitudine cõmorabitur
absq; visitatione pessimi. Abscondit piger manũ suam sub ascella, nec ad os suum applicat eam. Derisore
flagellato stultus sapientior erit: si autẽ corripueris sapientem, intelliget sapientiam. [h] Qui affligit patrem,
†. & fugat matrem, ignominiosus erit, & infelix. †Cessa audire fili mi doctrinam, quę ducit à verbis scientię
ad errores.

ad errores. Testis iniquus deridet iudicium, & os impiorum deuorat iniquitatem. Parata sunt derisoribus
iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus.

SCHOLIA.

[a] Torquens labia.] *Hoc est, qui peruerso ore dicit, mihi melius est propter diuitias, quàm pauperi propter innocentiam vitæ. Alij sic exponunt, melior est sapientia cum paupertate, quàm diuitiæ cum stultitia. Qui enim cavet sapientia, is festinat, & currit, vt exequatur desideria carnis, & peccet.* [b] Qui tantum verba sectatur.] *Alius vertit, & ipse quidem subet verbis sectari eos, at ipsi nolunt acquiescere. Vt scilicet pendeat sensus à superiori: quòd pauper quærat cur ita à se discedant: at ipsi non dignentur audire eum.* [c] Nec seruum dominari.] *Per seruum dominantem principibus, quidam Heb. intelligunt ordinem in viribus: & affectibus non inuertendum: ne superiores animæ vires subyciantur affectibus carnis, sed spiritui caro subyciatur.* [d] Anima dissoluta.] *Hebraismus habet, dolosa, sed ponitur pro remissa: vt habes supra Cap. x.* [e] Ne desperes.] *Vel, dum spes est, hoc est, dum adhuc puer est, ne parcas ei. Quod sequitur alius vertit. Ad clamorem eius non auertas animam tuam, id est ne te moueat clamor eius.* [f] Et cum eripueris eum.] *Monet hic versiculus, iracundum hominem sæpe incidere in pericula, & ex vnius euasione, illum minimè cautum reddi. Et quod ait. Adhuc appones, id est, denuo id te agere oportebit.* [g] Delectat hominem pietas eius.] *Hebræi hunc locum sic exponunt. Delectat hominem si prædicetur de eo pietas eius, etiam si falsum id esse sciat, melior igitur est homo pauper, de quo talo quid prædicari nequit.* [h] Qui affligit patrem.] *Alius vertit, perdit patrem, & fugat matrem, filius impudens, et ignominiosus, dixit scilicet bona patris, &c.*

CAPVT XX.

A D†Erisorem facit vinum, & est tumultuosa ebrietas: quicunq; his delectatur, non erit sapiens. Sicut
rugitus leonis, ita & terror regis: qui prouocat eũ, peccat in animã suã. Honor est homini, qui separat se à cõtentionibus: omnes autẽ stulti miscẽtur cõtumelijs. Propter frigus piger arare noluit, mẽ
dicabit ergo æstate, & non dabitur illi. Sicut aqua profunda, sic consiliũ in corde viri: sed homo sapiens ex-
hauriet illud. [a] Multi homines misericordes vocãtur, virũ autẽ fidelẽ quis inueniet? Iustus, qui ambulat in
B †integritate sua, beatos post se filios derelinquit. Rex, qui sedet in solio iudicij, dissipat omne malum intui- 1. Ioan. 1.a
tu suo. Quis potest dicere, Mundũ est cor meũ, purus sum à peccato? [b] Põdus & pondus, mensura & mẽsu- 3.Reg. 8.e
ra, vtrunq; abominabile est apud Dñm. Ex studijs suis intelligitur puer, [c] si munda & recta sunt opera eius. 2. Par. 6.g
[d] Aurẽ audientẽ & oculũ videntẽ, Dñs fecit vtrunq;. Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Aperi Eccl. 7.c
oculos tuos & saturare panibus. Malũ est, malũ est, dicit omnis emptor: & cũ recesserit, [e] tũc gloriabitur. Est
C aurũ, & multitudo gẽmarũ: vas autẽ pretiosum [f] labia scientiæ. [g] Tolle vestimentũ eius, qui fideiussor extitit alieni, & pro extraneis aufer pignus ab eo. Suauis est homini panis mẽdacij, & postea [h] implebitur os eius
calculo. Cogitationes cõsilijs roborãtur, & gubernaculis tractãda sunt bella. Ei, qui reuelat mysteria, & ambulat fraudulẽter, & blanditur labijs suis, ne cõmisceare is. Qui maledicit patri suo & matri, extinguetur lu- Exod. 21.c
mẽ eius [i] in medijs tenebris. [k] Hæreditas, ad quã festinatur in principio, in nouissimo benedictione carebit. Leui. 20.b
D Ne dicas, Reddã malũ: expecta Dñm & liberabit te. Abominatio est apud Dñm pondus & pondus, statera Matt. 15.a
dolosa nõ est bona. A Dño dirigũtur gressus viri: quis autẽ hominũ intelligere potest viã suã? Ruina est ho- Supra 17.c
mini [l] deuorare† sanctificatũ: & post, vota retractare. Dissipat impios rex sapiens: [m]† & cõuertit super eos Rom. 12.d
rotam. [n] Lucerna Dñi spiraculũ hominis, quę inuestigat omnia secreta ventris: Misericordia & veritas cu- 1. Petr. 3.b
stodiunt regẽ: & roboratur clementia thronus eius. Exaltatio iuuenum fortitudo eorum, & dignitas senum Thes. 5.d
canities. Liuor vulneris absterget mala, & plagæ in secretioribus ventris.

SCHOLIA.

[a] Multi homines misericordes.] *Multi sunt, qui volunt vocari homines pij, ac benefici, & tamen rarus est, qui pietatem factis ostendat.* [b] Pondus & pondus.] *Execratur Deus homines, qui vtuntur in suum commodum diuersis ponderibus & mensuris.* [c] Si munda.] *Vel, purum ne & rectum futurum sit opus eius, plerique Hebræi hanc sententiam sic legunt. In studys, seu factis suis abalienat se puer, vt iam non sit puer, quando opus eius est purum à peccato atque rectum. Vel abalienat se, ficto corde opus aliquod faciens. Est enim cor hominis à pueritia intentum ad malum.* [d] Aurem audientem.] *Vel, vt audiat, scilicet doctrinam, sapientiam, & disciplinam.* [e] Tunc gloriabitur.] *Quòd scilicet astutè venditorem deceperit.* [f] Labia scientiæ.] *Labia, quæ docent scientiam, superant vasa quæcunque preciosissima. Vasa enim aurea re ipsa non sunt preciosa, sed preciosa ea facit æstimatio, atque opinio hominum.* [g] Tolle vestimentum.] *Per vestimentum intellige pignus, quod ab homine sectante carnis desideria auferri iubetur antequã omnia dilapidet.* [h] Implebitur os eius calculo.] *Perpetratum scelus sequitur conscientiæ cruciatus.* [i] In medijs tenebris.] *Talis (inquit) morietur in tenebris afflictionum, priuatus gratia Dei.* [k] Hæreditas ad quam festinatur.] *Quidam hunc putant subesse sensum. Nõ habent prosperos successus, qui sine vocatione aliquid suscipiunt, aut non expectant vocationem. Alij hunc eliciunt sensum. Quæ nobis citra laborem nostrum accidunt, ea plerunq; non habent prosperum euentum.* [l] Deuorare sanctificatum.] *Via eius (inquit) est, si tu deuores rem, quæ Deo est dicat: aut siquid Deo vouisti, puta agnum vel vitulum: deinde pœnitentia ductus, illud iterum in commodum tuum conuertas.* [m] Conuertit super eos rotam.] *Rota, qua fruges triturantur, hic vsurpatur pro pœna infligitione.* [n] Lucerna Domini.] *Quidam sic interpretantur. Lucerna Domini perscrutatur spiritũ hominis, & omnia penetralia ventris, id est, interiora cordis.*

CAPVT XXI.

A Sa[a]icut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud. Omnis via viri recta sibi videtur: appendit autem corda Dominus. Facere iustitiam, & iudicium magis
placet Domino, quàm victimæ. Exaltatio oculorum & [b] dilatatio cordis, † & lucerna impiorum pec-
catum. [c] Cogitationes† sęduli semper in abundantia: omnis autem † præceps in egestate est. Qui congregat thesauros lingua mendacij, vanus & excors est, & impinget ad laqueos mortis. Rapinæ impiorum de-

Infra. 25.d trahent eos, quia noluerunt facere iudicium. Peruersa via viri, aliena est: qui autem mundus est, rectum opus B
eius. Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa, &[d] in domo communi: Anima impij
Supra 19.d desyderat malum, non miserebitur proximo suo. Mulctato derisore sapientior erit parvulus: [e] & si sectetur
sapientem, sumet scientiam. [f] † Cogitat prudenter iustus de domo impij: & Deus subuertet impios propter
malum. Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis, & ipse clamabit, & non exaudietur. Munus abscõ-
ditum extinguit iras: & donum in sinu indignationem maximam. Gaudium iusto est facere iudicium: et pa-
uor operantibus iniquitatem. Vir qui errauerit à via doctrinę, [g] in cœtu † mortuorum commorabitur. Qui C
diligit epulas, in egestate erit: qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. [h] Pro iusto datur impius: & pro re-
Eccle. 25.e cto iniquus. Melius est habitare in terra deserta, quàm cum muliere rixosa & iracunda. Thesaurus desyde-
rabilis, & [i] oleum in habitaculo sapientis: & imprudens homo dissipabit illud. Qui sequitur iustitiam & mi-
sericordiam, inueniet vitam, iustitiam, & gloriam. [k] Ciuitatem fortium ascendit sapiens, destruxitq; robur
fiducię eius. Qui custodit os suum, & linguam suam, custodit ab angustijs animam suam. Superbus & arro-
gans vocatur † derisor, qui in ira operatur superbiam. [l] Desyderia occidunt pigrum: noluerunt enim quic- D
quam manus eius operari. Tota die concupiscit & desyderat: qui autem iustus est, tribuet, & nõ cessabit. Ho-
Esa. 1.d stiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere. Testis mendax peribit: † vir autem, qui testificatur
quod audiuit, [m] constãter loquitur. Vir impius procaciter obfirmat vultum suum: qui autem rectus est, cor-
rigit viam suam. Non est sapientia, non est prudẽtia, non est consilium contra Dominum. Equus paratur ad
diem belli: Dominus autem salutem tribuit.

SCHOLIA.

[a] Sicut diuisiones aquarum.] *Sicut riui ex magna collectione aquarum diriguntur ad diuersa loca, ita Dominus gubernat mẽtes magistratuum: & cum fauet, inspirat felicia consilia: cum succenset, sinit eos in reprobũ cadere sensum, id quod Saulis probat reprobatio.* [b] Dilatatio cordis.] *Hoc est, inepta lætitia, quam impius quærit in rebus carnalibus.* [c] Cogitationes seduli.] *Qui sedulus & strenuus est in rebus gerendis, huic nihil poterit deesse: qui verò præceps est, & omnia sine ratione agit, hic in perpetua viuet egestate.* [d] In domo communi.] *In aliorum videlicet societate ac conuentu.* [e] Et, si sectatur sapientem.] *Vel, & cum videt prosperè agere sapientem, suscipit scientiam.* [f] Cogitat prudenter.] *Aduertit (inquit) homo iustus diligenter, quid tandem malis hominibus sit euenturum, quomodo Deus eos subuertit, & gloriosorum ad nihilum redigit.* [g] In cœtu mortuorum.] *Mortui vocantur, quòd minimè curari possint.* [h] Pro iusto.] *Vel, pro redemptione iusti, contra scilicet atque hic fit, cum iusti pro impijs pœnas luunt, tunc videbuntur redimi iusti pœna impiorum, è quorum potestate eripientur pij, illis damnatis.* [i] Oleum in habitaculo iusti.] *Hoc est, bonorum abundantia est in domibus sapientum: stulti autem deuorant etiam thesauros à maioribus relictos.* [k] Ciuitatem fortium.] *Sapientia in bellis præstantior est fortitudine.* [l] Desyderia occidunt pigrum.] *Æstuant ociosi homines cupiditatibus, & tamen refugiunt operari manibus suis, vt ea consequantur, quæ desyderant, atque ita moriuntur in desyderys suis, quibus satisfacere nequiuerunt.* [m] Constanter loquitur.] *Hoc est, nunquam vacillabit labijs suis.*

CAPVT XXII.

Ecclę. 7.a MElius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ: super argentum enim & aurum, [a] gratia bona [b] Di- A
ues & pauper obuiauerunt sibi: vtriusque operator est Dominus. Callidus vidit malum & abscondit se: [c] † imperitus transgressus est, & afflictus est damno. [d] Finis modestiæ † & timoris Domini,
diuitiæ & gloria & vita. Spinę & laquei in via peruersi: custos autem animæ suæ longè recedit ab eis. Institue
puerum iuxta viam [e] † suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Diues pauperibus imperat: & qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis. Qui seminat iniquitatem, metet mala, & [f] virga iręsuę consummabitur. B
Qui pronus est ad misericordiam, benedicetur: de panibus enim suis dedit pauperi. † Ejice derisorem, & exi-
Eccl. 31.e bit cum eo iurgium, cessabuntq; causæ, & contumeliæ. Qui diligit cordis munditiam, † & [g] gratiam labio-
rum suorum, habebit amicum regem. Oculi Domini [h] custodiunt scientiam, & supplãtantur verba iniqui.
[i] Dicit piger, Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. Fouea profunda os alienæ: cui iratus est Do-
minus, incidet in eam. Stultitia colligata est in corde pueri, & virga disciplinæ fugabit eam. Qui calumnia-
tur pauperem, vt augeat diuitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit: † inclina aurem tuam, & audi verba sapien- C
tium. Appone autem cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erit tibi cum seruaueris eam in vẽtre tuo, & re-
dũdabit in labijs tuis, vt sit in Domino fiducia tua, vnde & ostendi eã tibi hodie, & tu custodi. Ecce descripsi
eam tibi [k] tripliciter, in cogitationibus & scientia, vt ostenderem tibi firmitatem & eloquia veritatis, respõ-
dere ex his illis, [l] qui miserunt te. Non facias violentiam pauperi, quia pauper est: [m] neq; conteras egenum in
porta: quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos, qui confixerunt animam eius. Noli esse amicus D
homini iracundo, neque ambules cum viro furioso: ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ
tuę. Noli esse cum his, qui † stipulantur manu, & qui vades se offerunt pro debitis: si enim non habes vnde
restituas, quid causæ est [n] vt tollat operimentum de cubili tuo? Ne transgrediaris terminos antiquos, quos
posuerunt patres tui. Vidisti [o] virum velocem in opere suo: coràm regibus stabit, nec erit † inter ignobiles.

SCHOLIA.

[a] Gratia bona.] *Gratia melior est argento, hoc est, grata conuersatio, quæ Deo & hominibus placet.* [b] Diues & pauper.] *Quidam exponunt de æquabilitate, quæ fieri posset inter pauperem, & diuitem, si diues partem aliquam è bonis suis communicaret pauperi. Alij sic exponunt. Diues sine paupere viuere nõ potest, nec pauper sine diuite, sed alter alterius eget opera. Occurrunt igitur sibi, hoc est, mutuum subsidium ferunt: & sic Dominus statuit, vt nemo alterum contemnat.* [c] Imperitus transgressus est.] *Callidus præuidet malum, & abscondit se: imperiti verò præuaricantur & puniuntur.* [d] Finis modestię.] *Propter modestiam & timorem Domini contingunt diuitiæ, honor, & vita.* [e] Institue puerum iuxta viam suã.] *Hebræi exponunt, iuxta capacitatem animi sensim instilla ei sapientiam, nam, Quo semel est imbuta recens seruabit odorem testa diu.* [f] Virga iræ suæ.] *Hoc est, veniet tempus, quando excidet ab illa scientia, qua vsus est in subditos.* [g] Et gratiam labiorum.] *Qui corde & ore studet placere Deo, & bonis viris omnibus, huius amicitiam ambient maiores quiq; in populo.* [h] Custodiunt scientiam.] *Hoc est, custodit Dominus eos, qui student veræ sapientiæ, facinorosos autem subuertet.* [i] Dicit piger.] *Homo ignauus, et ocio deditus, pigritiæ suæ prætexit commenta varia.* [k] Tripliciter.] *Hebraismus est, pro multipliciter. Alius vertit, præscripsi tibi multifariam, vnde discas consilia, et scientiam, vt ostenderem tibi certitudinem verborũ veritatis, &c.* [l] Qui miserunt te.] *Vel, qui miserunt ad te.* [m] Neque conteras egenum in porta.] *In porta, hoc est, in iudicijs, quæ exercebantur in portis ciuitatis.* [n] Vt tollat operimentum.] *Ne facile (inquit) spondeas pro altero, ne, si creditor tandem à te solutionem quærat, & aliud nihil in domo tua inueniat, etiam lectum tollat.* [o] Virum velocem.] *Virum strenuum & sedulum in rebus agendis.*

CAPVT XXIII.

A QVando sederis, vt comedas cum principe, diligenter attende, quæ posita sunt ante faciem tuam, &
[a] statue cultrũ in gutture tuo, † si rationẽ habes animæ tuæ. Ne desyderes de cibis eius, in quo est
[b] panis mendacij. Noli laborare, vt diteris: sed [c] prudentiæ tuæ pone modum. Ne erigas oculos
tuos ad opes quas nõ potes † tenere: quia faciẽt sibi pennas quasi aquilę, & volabunt in cœlũ.
Ne comedas cum homine inuido, & ne desyderes cibos eius: quoniam † sicut quis [d] ponit mensuram in ani-
ma sua, sic ipse agit. Comede & bibe, dicet tibi, & mens eius non est tecum. Cibos quos comederas euomes,
B & [e] perdes pulchros sermones tuos. In auribus insipientium ne loquaris: quia despicient doctrinam elo- Sup. 23.d
quij tui. Ne antiquos transferas terminos, & agrum pupillorum ne introeas: redemptor enim illorum for- Eccle. 30.d
tis est, & ipse iudicabit contra te causam illorum. Ingrediatur ad doctrinam cor tuum, & aures tuæ ad verba
scientiæ. Noli subtrahere à puero disciplinam, si enim percusseris eum virga, non morietur: tu virga percu-
ties eum: & animam eius de inferno liberabis. Fili mi, si sapiens fuerit animus tuus, gaudebit tecum cor meũ:
& exultabũt renes mei, cũ locuta fuerint rectũ labia tua. Nõ æmuletur cor tuũ peccatores, sed in timore Dñi
C esto tota die: quia habebis spem in nouissimo, & præstolatio tua non auferetur. Audi fili mi, & esto sapiens,
& dirige in via animum tuum. Noli esse in conuiuijs potatorũ, nec in comessationibus eorũ qui carnes ad
vescendũ cõferunt: quia vacantes potibus, & [f] dantes symbola, cõsumentur, & [g] vestietur pannis † laceris dor-
mitatio. Audi patrẽ tuum, qui genuit te: & ne contemnas cum senuerit mater tua. Veritatem eme, & noli
vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam. Exultat gaudio pater iusti: &, qui sapientem genuit, læ-
tabitur in eo. Gaudeat pater tuus, & mater tua, & exultet, quæ genuit te. Præbe fili mi cor tuum mihi, & ocu-
D li tui vias meas custodiãt. Fouea enim profunda est meretrix, & puteus angustus aliena. Insidiatur in via qua-
si latro, & præuaricatores multiplicat inter homines. [h] Cui vę, † cui anxietas, cui rixę, cui fouęę, cui sine cau-
sa vulnera, cui suffusio oculorũ? nónne his, qui cõmorãtur in vino, & student calicibus epotãdis? Ne intue-
aris vinum, quando flaueſcit, cũ splenduerit in vitro color eius: ingreditur blandè: sed in nouissimo morde-
bit, vt coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuũ loquetur peruersa.
Et eris sicut [i] dormiens in medio mari, & quasi sopitus † in summitate mali nauis, & dices, Verberauerunt
me, sed non dolui: concusserunt me, & ego non sensi: quando euigilabo, rursus vina requiram.

SCHOLIA.

[a] Statue cultrum in gutture tuo.] *Sensus est, si habes concupiscentiam effrenem, & sedes in mensa præpotentis, ede temperatè de ijs, quæ tibi apponuntur, & si te incitat appetitus tuus, vt etiam alia concupiscas, quæ tibi non sunt proposita, refringe gulam tuam, veluti cultro gutturi infixo, neque habenas laxes concupiscentijs.* [b] Panis mendacij.] *Quasi dicat, vanus est cibus ille delicatus & non proderit tibi esus eius.* [c] Prudentiæ tuæ pone modum.] *Vel à tali prudentia tua desiste.* [d] Ponit mensuram.] *Præscribit (inquit) apud se mensuram exiguam, quam si tu comedendo excesseris, ægrè fert, neque obstat, quod dicit tibi, comede, & bibe. Vel, mensurat, & numerat quicquid comedis.* [e] Perdes pulchros sermones tuos.] *Non erunt illi sermones tui grati, quamuis suaues sint.* [f] Dantes symbola.] *Alluſit interpres ad illud Terentianum. Quid, dedit symbolum? Verbum est à συμβάλλω. Cum quisq; partem suam afferebat, vel suo die conuiuium instruebat.* [g] Vestietur pannis laceris dormitatio.] *Laceris vestibus induet se homo assuetus dormitationi.* [h] Cui væ.] *Sensus est, non sunt miserabiliores homines quàm qui die noctuq; versantur in vino: his enim nunc dolet caput, nunc torquetur venter, nunc paralytica fiunt membra, nunc incidunt in rixas, nunc absque causa infliguntur vulnera, & ex assiduitate potandi destituuntur oculi viribus suis, & in turpem degenerant rubedinem.* [i] Dormiens in medio mari.] *Qui (inquit) ebrietatem sectantur, ita excidunt ab vsu rationis, vt iacentes in lectis, putent se fluctuare in medio mari, aut iactari in malo.*

CAPVT XXIIII.

A NE æmuleris viros malos, nec desyderes esse cũ eis: quia rapinas meditabitur mens eorum, & frau-
des labia eorum loquentur. Sapientia ædificabitur domus, & prudentia roborabitur. In doctri-
na replebuntur cellaria, vniuersa substantia pretiosa & pulcherrima. Vir sapiens, fortis est: vir do-
ctus, robustus & validus: quia per consilium initur bellum, & erit salus vbi multa consilia sunt. [b] Excelsa stul
to sapientia, in porta non aperiet os suum. Qui cogitat mala facere, † author scelerum vocabitur. Cogitatio
stulti peccatum est: & abominatio hominum derisor. [c] Si desperaueris lapsus in die angustiæ: imminetur Psal. 81.2
B fortitudo tua. Erue eos, [d] qui ducuntur ad mortem: &, qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Si dixe-
ris. † Ecce non cognouimus hunc: qui inspector est cordis, ipse intelligit, & seruatorem animæ tuæ nihil fal
lit, reddetq; homini iuxta opera sua. [e] Comede fili mi mel, quia bonum est, & fauum dulcissimum gutturi
tuo: sic & doctrina sapientiæ animæ tuæ: quam cum inueneris, habebis in nouissimis spem, & spes tua non
peribit. Ne infidieris, ò impie in domo iusti, neque vastes requiem eius. [f] Septies enim cadet iustus,

& resurget:impij autem corruet in malum. Cum ceciderit inimicus tuus,ne gaudeas,& in ruina eius ne exul C
tet cor tuum:ne forte videat Dominus,& displiceat ei, [g] & auferat ab eo iram suam. [h] Ne contendas cum pes
simis,nec æmuleris impios,quoniam [i] non habent futurorũ spem mali, & lucerna impiorum extinguetur.
[k] Time Dominum fili mi,& regem:& cum aliter agentibus non commiscearis. Quoniam repente cõsurget
perditio eorum:& [l] ruinam vtriusque quis nouit?Hęc quoque sapiẽtibus. Cognoscere personam in iudicio,
Leui. 19.e non est bonum. Qui dicunt impio,Iustus es:maledicent eis populi,& detestabuntur eos tribus. Qui arguunt
Deu. 1.c eum,laudabuntur, & super ipsos veniet benedictio boni. [m] Labia deosculabitur,qui recta verba respondet. D
Eccl.42.a [n] Præpara foris opus tuum,& diligẽter exerce agrum tuum,& postea ædifices domum tuam. Ne sis testis fru
stra contra proximum tuum,nec lactes quenquam labijs tuis. Ne dicas. Quomodo fecit mihi, sic faciam ei:
Supra 10.a reddam vnicuique secundũ opus suum. Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti:& ecce to
tum repleuerant vrticæ,operuerant superficiem eius spinæ,& maceria lapidum destructa erat: quod cum vi
dissem,posui in corde meo,& exẽplo didici disciplinam † .[o] Parum † dormies,modicũ dormitabis,pauxillũ
manus conseres,vt quiescas:& veniet tibi quasi cursor egestas tua,& mendicitas quasi vir armatus.

SCHOLIA.

[a] Ne æmuleris viros malos.] *Hebræi exponunt hic æmulari,pro obsequi,& associare se:& est sensus. Noli habere cõmercium cum hominibus malis,sed occupato te cum sapientia,& instaurabitur domus tua,et implebuntur promptuaria tua omnibus bonis.* [b] Excelsa stulto sapientia.] *Desperat homo stultus,se posse consequi sapientiam,quòd putet illam esse altiorem,quàm vt apprehendi possit,aut quòd nolit virum facere in natis malis concupiscentys. Non enim peruenit sapientia ad animam maleuolam. Et quod sequitur. In porta non aperiet os suum. Per portam intellige consessum sapientum, & iudicum.*

[c] Si desperaueris.] *Quidam sic interpretantur. Si in afflictione animo fractus es per impatientiam,exiguum est robur tuum. Alij sic. Si negligens es ad acquirendam sapientiam,cum venerit dies afflictionis,infirma erit virtus tua ad resistendum tentationi.* [d] Qui ducuntur ad mortem.] *Subaudi,sine culpa sua,& qui nihil morte dignum egerunt,hos libera,si tibi constat de eorum innocentia,nec dicas,non noui eos,nec scio,commeruerint ne mortem,an non. Satis est tibi testimonii conscientiæ tuæ,quam Deus intuetur. Et sicut Deus custodit animam tuam ita quoque tu conari debes, vt protegas vitam proximi tui,alioqui Deus reddet tibi iuxta opus tuum.* [e] Comede fili mi mel.] *Sicut dulcia & pinguia corpori grata & sapida sunt,ita sapientia diligentibus eam supra modum dulcescit.* [f] Septies enim.] *Hebræi referunt ad mox præcedentem versum,vt sit sensus. Noli insidiari iusto,nam etsi cadat septies,hoc est,sæpius in afflictiones,adiutus tamen manu Domini resurgit:iuxta illud psaltis. Multæ afflictiones iustorũ,& de omnibus iis liberauit eos Dominus.* [g] Et auferat ab eo.] *Aliꝰ in te transferat scilicet.* [h] Ne contendas cum pessimis.] *Vel,ne æmuleris malignos.* [i] Non habent futurorũ spem mali.] *Alius vertit,non erit nouissimum malo,& per nouissimum intelligunt Hebræi sobolem:et per lucernam extinguendam,intelligunt extinctionem vitæ ante tempus.* [k] Time Dominum.] *Sensus est,regem quidem timendum esse, sed Deum prius & ne metu regis discedatur à Domino. Et quod nos vertimus. Cum aliter agentibus,in Heb. est cum variantibus,vel mutantibus.* [l] Ruinam vtriusque.] *Vel,extium vtrius, quòd scilicet Deus & rex transgressoribus inferre possint,hoc nemo nouit. Standum est igitur in timore Dei regis.* [m] Hæc quoq; sapientibus.] *Subaudi, dicuntur.* [n] Labia deosculabitur.] *Labia illius osculabitur omnis homo,qui respõdet sermones rectos,quod cõtra fit in ys, qui iniustæ causæ student,et dicunt impio,iustus es.* [o] Præpara foris.] *Docet,vt in primis ea curemus,quæ magis sunt necessaria,vt ne præposterus ordo in rebus gerendis seruetur.* [p] Parum dormies.] *Hanc sententiam & eius explicationẽ habes supra Cap. vi.*

CAPVT XXV.

[a] HAE QVOQVE PARABOLAE SALOMONIS, QVAS TRANSTVLERVNT VIRI EZECHIAE REGIS IVDA.

[b] Gloria Dei est cœlare verbum, & gloria regum inuestigare sermonem. [c] Cœlum sursum, & terra A
deorsum,& cor regum inscrutabile. Auser scoriam de argento, & egdietur vas purissimum: auser
impietatem de vultu regis,& firmabitur iustitia thronus eius. Ne glorioſus appareas coràm rege,&
Luc. 14.e in loco magnorum ne steteris. Melius est enim,vt dicatur tibi: Ascende huc: quàm vt humilieris corã prin
cipe,† quem viderunt oculi tui. Ne egrediaris in iurgio citò: [d] ne fortè aliquid agas post contentionem il
lã & dehonestet te proximus tuus. [e] Causam tuã tracta cũ amico tuo, & secretum † aliud ne reueles: ne for- B
tè insultet tibi cum audierit,& exprobrare non cesset. † [f] Mala aurea in † cœlaturis argenteis, qui loquitur
verbum in tempore suo. Inauris aurea,& margaritum fulgens, qui arguit sapientem & aurem obedientem.
Sup.15.a [g] Sicut frigus niuis in die messis,ita legatus fidelis ei,qui miserit eum, animã ipsius requiescere facit. [h] Nu
bes & ventus & pluuiæ non sequentes,vir glorioſus,& promissa non complens. Patientia lenietur princeps: C
& lingua mollis confringet duritiam. [i] Mel inuenisti,comede quod sufficit tibi: ne fortè satiatus euomas il-
lud. Subtrahe pedem tuum de domo proximi tui,ne quando satiatus oderit te. Iaculum,& gladius, & sagit-
ta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium. Dens putridus,& pes lassus qui
Rom. 12.d sperat super infideli in die angustiæ. † Qui aufert pallium in die frigoris,est [k] sicut acetum in nitro: aut qui
cantat carmina cordi mœsto. † Si esurierit inimicus tuus,ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas
enim congregabis super caput eius,& Dominus reddet tibi. Ventus aquilo dissipat pluuias, & facies tristis D
Sup. 21.b linguam detrahentem. Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa,& in domo com-
muni. Aqua frigida animæ sitienti, & nuntius bonus de terra longinqua, Fons turbatus pede, & vena cor-
rupta,iustus cadens coràm impio. Sicut qui mel multum comedit, non est ei bonum: sic qui scrutator est
Eccle. 3.c maiestatis,opprimetur à gloria. Sicut vrbs patens & absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in lo-
quendo cohibere spiritum suum.

SCHOLIA.

[a] Hæ quoque parabolæ Salamonis.] *Versus iste additus est à scriptore,quem putant fuisse Sobnam,& alios quosdam scriptores,*

scriptores,quos habuit Ezechias,qui transcripserunt sequẽtes parabolas ex certo libro. [b] Gloria Dei est cœlare verbum.] *Hebræi varie exponunt hunc versum,sunt enim qui dicant,hic præcipi,margaritas non proponendas porcis,& mysteria fidei non exponenda derisoribus. Alij dicunt, principium Geneseos & Ezechielis non curiose inuestigandũ. Rursum alij dicunt, non opus esse, vt ore necessitates tuas Deo exponas,cum ipse cordis secreta norit. Regibus verò cedit in gloriam, quando facta & iudicia eorum inquirũtur, & discutiuntur, rectaq; inueniuntur.* [c] Cœlum sursum.] *Hæbrei sic exponunt. Cœlum supra habet certum limitem,sic terra deorsum:cor autem regum non est perscrutabile,cum subinde alia & alia oriantur in regno negocia & causæ,quæ regi discutienda proponuntur. Videtur tamen etiam posse intelligi, & summum cœlum, & profunda terræ,& cor regis, esse inscrutabilia.* [d] Ne forte aliquid agas.] *Vel rectius , Quæ quid facies in fine eius , cum dehonestauerit te proximus tuus ? Videtur ergo significare , iurgiorum mala recidere solere in autorem.* [e] Causam tuam tracta.] *Si in controuersiã incideris cum proximo tuo,fac de ys tantum rebus mentionem,quæ ad causam pertinent,& secreta alia,aut quæ iam sepulta sunt,ne reuoces in memoriam.* [f] Mala aurea in cœlaturis.] *Vel cancellis. Significatur hoc prouerbio,verbum Dei in cortice nõ considerandum,sed in medulla: sicut serpens in eremo suspensus,significabat Christum crucifixum,& cætera id genus. Nam,quod ait,in suo tempore , aliꝰ vertit,in forma sua.* [g] Sicut frigus niuis.] *Sicut frigus (inquit) recreat eos,qui æstu calent,ita nuntius fidelis,cuius aduentus magno desiderio expectatur, refocillat animos mittentium.* [h] Nubes & ventus.] *Nubibus similis est,& vento,qui pluuiam non producunt, vir qui gloriatur de mendacij liberalitate.* [i] Mel inuenisti.] *Videtur id significare,quod mox subdit,subtrahe pedem &c. nam consuetudo nimia satietatem parit. Sunt tamen,qui hunc putent subesse sensum,non esse curiosius scrutandũ,quæ supra nos sunt.* [k] Sicut acetum in nitro.] *Acetum fusum super nitrum dissoluit illud, & qui cantat, vt tristem lætificet , magis turbat illum,sic est,qui aufert vestem in die frigoris.*

CAPVT XXVI.

A QVomodo [a] nix in æstate,& pluuię in messe,sic indecens est stulto gloria. [b] Sicut auis ad alia trãsuo-
lans,& passer quò liber vadens:sic maledictum frustra prolatum in quẽpiã nõ superueniet. Flagellũ
equo, & camus asino, & virga dorso imprudentium. [c] Ne respondeas iuxta stultitiam suam, ne
efficiaris ei similis. Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.
[d] Mutilus pedibus,& iniquitatem bibens, qui mittit verba per nuntium stultum. [e] Quomodo † inæquales
B habet claudus tibias: sic indecens est in ore stultorum parabola. Sicut [f] qui mittit lapidem in † fundam: ita 2. Petr. 2.d
qui tribuit insipienti honorem. [g] Quomodo si spina † ascendat in manu temulenti: sic parabola in ore stul
torum. † Magnus qui formauit omnia remunerat stultum & remunerat transgressores. Sicut canis qui re-
uertitur ad vomitum suum,sic imprudens qui iterat stultitiam suam. Vidisti hominem sapientem sibi vide
ri:magis illo spem habebit insipiens. Dicit piger,Leo est in via,& læena in itineribus. Sicut ostium : verti-
C tur in cardine suo,ita piger in lectulo suo. Abscondit piger manus sub ascella sua, & laborat, si ad os suum
eas conuerterit. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias: Sicut qui apprehendit auri Supra. 19.d
bus canem,sic qui transit impatiens,& commiscetur rexæ alterius. Sicut † furiosus qui mittit sagittas,& lan
eas [h] & mortem,ita vir qui fraudulenter nocet amico suo,cum fuerit deprehensus, dicit,Ludens feci. Cum
defecerint ligna,extinguetur ignis:& susurrone subtracto , iurgia conquiescunt. Sicut carbones ad prunas,
D & ligna ad ignẽ,sic homo iracundus suscitat rixas. Verba susurronis quasi verbera,& ipsa peruenient ad in- Eccl. 28.b
tima cordis. Quomodo si [i] argento sordido ornare velis vas fictile , sic labia blandientia cum pessimo corde
sociata. [k] Labijs suis non intelligitur inimicus , cum in corde tractauerit dolos : quando submiserit vocem
suam,ne credideris ei,quoniam septem nequitiæ sunt in corde illius. Qui operit odium fraudulenter, reue-
labitur malitia eius [l] in cõcilio. Qui fodit foueam,incidet in eam:& qui voluit lapidem,reuertetur ad eum. Eccle. 10.b
[m] Lingua fallax non amat pauperem:& os † blandum operatur ruinas. Eccle. 27.d

SCHOLIA.

[a] Nix] *Nix in æstate res est intempestiua,quæ illi tempori minimè conuenit, sic stulto nõ competit gloria.* [b] Sicut auis.] *Sicut auis auolat & reuolat in nidum, ita maledictio redit in maledicentem,et non venit super eum, cui maledicitur.* [c] Ne respondeas stulto.] *Vt si ille conuicietur,tu noli conuiciari,ne ei similis efficiaris. Quod autem sequitur. Responde stulto iuxta stultitiam suam,hunc habet sensum. Redargue stultum propter stultitiam, & ostende illi stultitiam suam , ne fortè sibi sapiens videatur.* [d] Mutilus pedibus.] *Qui mittit stultum,truncat pedes negocijs,quæ stulto demandantur,et potat iniquitate,hoc est, irritat illum,ad quem mittit stultum nuntium.* [e] Quomodo inæquales.] *Sicut inæqualia & sine proportione sunt crura claudo,sic verba stulti sibi non constant.* [f] Qui mittit lapidem in fundam.] *Quòd sicut lapis fixus in funda,citò ejicitur,sic stultus in honore positus,diu illum non retinet. Sin legas,in aceruum,sic dicendum videtur. Qui acerno lapides addit,facit illum eleuatiorem,sic qui stultum honorat,reddit insolentiorem. Alius vertit. Qui ligat lapidem in funda,quòd scilicet vt lapis,in funda ligatus vsum non præbet,sic honore vti oblato stultus nescit.* [g] Quomodo si spina.] *Vt ebrius spina se vel alios lædit,ita stultus labijs suis & sibi nocet,& alios lacessit.* [h] Et mortem.] *Hoc est, instrumenta mortis.* [i] Argento sordido.] *Vel,ex scoria. Significat ergo dupliciter hominem decipi,dum & sperat totum esse vas argenteũ, & illud argentum bonum. Sic qui labijs blanditur,& illa blandicie operit.* [k] Labijs suis.] *In Heb. verbum hoc loco positum,habet aduersam verbo significationem,vt si dicas, cognosco, discognosco. Attestantibus eruditioribus Hebræis hic ergo erit sensus. Labys suis non agnoscitur inimicus, hoc est,non finit se agnosci. Et pulchrè quadrat . Nam sequitur cũ in corde suo tractauerit dolos dum enim tractat dolos in corde suo, non finit se in sermone agnosci. Quod autem supra vertimus, labia blandientia,censebat Elias magister meus, vir in Hebræa lingua eruditissimus,hoc loco regulam illam esse permutandarum literarum,& daleth positum sit pro heth.* [l] In concilio.] *Hoc est Deus in manifesto puniet illum , qui clam malum struxerit proximo suo.* [m] Lingua fallax.] *Alius vertit,linguam mendacem odit humilis,os autem blandum operatur expulsionem. Alius sic interpretatur,lingua quæ loquitur mendacia odit virũ humilem, et os assuetum blanditys,odit reprehensorem.*

Caput

CAPVT XXVII.

Ne glorieris in crastinum,ignorans quid superuentura pariat dies.Laudet te alienus, & nõ os tuum: extraneus, & non labia tua. Graue est saxum, & onerosa arena: sed ira stulti vtroque grauior. Ira nõ habet misericordiam, nec erumpens furor:& [b] impetum † inuidiæ ferre quis poterit? Melior est manifesta correptio, quàm amor absconditus. [c] Meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis. Anima saturata calcabit fauum:& anima esuriens etiam amarum pro dulci sumet. Sicut auis trãsmigrans de nido suo, sic vir [d] qui derelinquit locum suum. Vnguento & varijs odoribus delectatur cor:& bonis amici cõsilijs anima dulcoratur. Amicum tuum,& amicum patris tui ne dimiseris:& [e] domum fratris tui ne ingrediaris in die afflictionis tuæ.Melior est vicinus iuxta,quàm frater procul. Stude sapientiæ fili mi,& lætifica cor meum,vt possim exprobranti respondere sermonem. Astutus videns malum, absconditus est,paruuli transeuntes sustinuerunt dispendia. Tolle vestimentum eius qui spopondit pro extraneo,& pro alienis aufer ei pignus. Qui benedicit proximo suo voce grandi,† manè consurgens, maledicenti similis erit. Tecta perstillantia in die pluuiæ & litigiosa mulier comparantur, qui retinet eam quasi qui vẽtum teneat & [f] oleũ dextræ suę † clamabit.Ferrum ferro exacuitur,& homo exacuit faciem amici sui. Qui seruat ficum,comedet fructus eius:& qui custos est domini sui,glorificabitur. [g] Quo modo in aquis resplendẽt vultus prospicientium,† sic est cor hominis ad hominem.[h] Infernus & perditio nunquam implentur,similiter & oculi hominum insatiabiles. Quo modo probatur in conflatorio argẽtum, & in fornace aurum:sic probatur homo ore laudantis †. Si contuderis stultum in pila,quasi ptisanas feriente desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia eius. Diligenter [i] agnosce vultum pecoris tui,tuosq; greges considera, non enim habebis iugiter † thesaurum neq; coronam in generationẽ & generationem. Aperta sunt prata, & apparuerũt herbæ virentes,& collecta sunt fœna de montibus. Agni ad vestimẽtum tuum:& hœdi,ad agri pretium. Sufficiat tibi lac caprarum in cibos tuos,& in necessaria domus tuæ,& ad victum ancillis tuis.

Eccle.22.b
Iob.6.b
Sup.20.c
Eccle.14.b

SCHOLIA.

[a] Ne glorieris in crastinum.] *Non est gloriandum de aere, quæ adhuc futura est, cũ multa incidere possint impedimẽta, iuxta illud, Inter os & offam.* [b] Impetum inuidię.] *Sensus est, furor apertus declinari potest, non autem inuidia latès. Crudelitas (inquit) inest furori, & inundatio quædam iræ, sed coram inuidia quis poterit stare?* [c] Meliora sunt.] *In Heb. est. Bona vel fidelia sunt vulnera diligentis, & dura, vel superflua oscula inimici, hoc est, abominanda, vt nimium videatur exiguum quicq.* [c] Qui derelinquit locum suum.] *Discurrens scilicet, vt se, ac familiam suam nutriat,* [d] Domum fratris tui.] *Docet multos habendos amicos præter fratres et propinquos.* [e] Oleum dextræ.] *Sicut enim oleum odoriferum abscondi non potest, sed prodit se de manu, quantumlibet illa claudatur, sic mulier vixosa compesci non potest.* [f] Quomodo in aquis.] *Alius vertit. Sicut aquæ, & facies ad faciem, sic est cor hominis ad hominem. Chaldæus interpres hunc locum sic interpretatur. Sicut aquæ, & sicut vultus non sunt similes alter alteri: sic cor vnius non est simile cordi alterius. Alij aliter exponunt.* [g] Infernus & perditio.] *Per infernum Hebræi intelligunt sepulchrum, & per perditionem gehennam.* [h] Agnosce vultum pecoris tui.] *Docet, vt ipsi res nostras curemus, & sic cor illis applicemus, vt cogitemus, nos illis peque tuò vti non posse, sed omnia veluti fœnum marcescere, et nos cum illis deficere, etiam si regnum assecuti fuerimus, summumque fastigium. Docet & victu, atque amictu, qui ex pecoribus colliguntur, nos contentos esse debere. Nam hæ antiquorũ fuere diuitiæ, quæ domi acquiruntur, & propter eas non oportet transire maria, aut terras varias peragrare.*

CAPVT XXVIII.

Fugit impius nemine persequẽte:iustus autẽ quasi leo confidens, absq; terrore erit. [a] Propter peccata terræ multi principes eius:& propter hominis sapientiã, † vita ducis longior erit. Vir pauper calumnians pauperes,similis est imbri vehementi,in quo paratur fames. Qui derelinquunt legem, laudant impiũ:qui custodiunt:succendũtur contra eũ. Viri mali nõ cogitant iudicium: qui autem inquirunt Dñm, animaduertũt omnia.Melior est pauper ambulans in † integritate sua,q̃ diues in prauis itineribus. Qui custodit legẽ, filius sapiẽs est:qui autẽ comessatores pascit confundit patrem suũ.Qui coaceruat diuitias vsuris, & fœnore,liberali [b] in pauperes congregat eas.Qui declinat aures suas ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.Qui decipit iustos in via mala,in interitu suo corruet,& integri possidebunt bona. Sapiens sibi videtur vir diues:pauper autem prudens [c] scrutabitur eum.In exultatione iustorũ multa gloria est:regnãtibus impijs ruinę hominum. Qui abscondit scelera sua,nõ dirigetur:qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiã cõsequetur.Beatus homo [d] qui semper est pauidus:qui verò mẽtis est durę, corruet in malum. Leo rugiens,& vrsus esuriẽs, princeps impius super populũ pauperem.Dux indigẽs prudẽtia,multos opprimet per calumniã,qui autẽ odit auaritiã,longi fient dies eius. Hominẽ [e] qui calumniatur animæ sanguinẽ, si vsque ad lacum fugerit, nemo † sustentat. Qui ambulat † integrè, saluus erit:qui peruersis graditur vijs, concidet semel.Qui operatur terrã suã,satiabitur panibus:qui autẽ sectatur ocium, replebitur egestate.Vir fidelis multũ laudabitur:qui autẽ festinat ditari,nõ erit innocens.Qui cognoscit in iudicio faciem, non bene facit,iste [f] pro bucella panis deserit veritatem.Vir qui festinat ditari,& alijs inuidet, ignorat quòd egestas superueniet ei.Qui corripit hominẽ,[g] gratiã postea inueniet apud eũ magis,quàm ille qui per linguę blãdimenta decipit. Qui subtrahit aliquid à patre suo,& à matre,& dicit hoc nõ esse peccatũ: particeps homicidę est. Qui se iactat [h] & dilatat,iurgia cõcitat:qui verò sperat in Dño,impinguabitur. Qui cõfidit in corde suo,stultus est:qui autẽ graditur sapiẽter,ipse saluabitur.Qui dat pauperi,nõ indigebit,qui despicit deprecatẽ,sustinebit penuriã.[i] Cum surrexerint impij,abscõdẽtur homines:cũ illi perierint, multiplicabũtur iusti.

Supr.19.a
Supr.12.b
Eccle.20.d

SCHOLIA.

[a] Propter peccata terræ.] *Propter peccata populi terræ fit, vt regna perturbentur dissensionibus, & multi insurgant rectores, vnusque alium pellere conetur, quod non fit sine direptionibus et cladibus hominũ.* [b] Liberali in pauperes congregat eas.] *Congregat eas homini, qui misericors erit in pauperes. Aly interpretantur, cõgregare debet eas, quod videlicet debeant homines quæ congregauerunt vsuris distribuere in pauperes.* [c] Scrutabitur eum.] *Hoc est, facilè potest ex verbis eius diudicare eum.* [d] Qui semper est pauidus.] *Scilicet ob commissa peccata sibi incutiens timorem & humilitatẽ.* [e] Qui calumniatur animæ sanguinem.] *Vel, qui calumniam facit in sanguine animæ, hoc est, qui iniustè hominẽ occiderit, nullo in loco tutus erit. Exemplum habes in Cain. Per lacum vel foueam intellige interitum, vel vltimum supplicium.* [f] Et pro buccella.] *Alius vertit. Etiã propter frustum panis peccat vir, hoc est, etiam si frustum panis in iudicio acceperis muneris loco. Deus id tibi imputabit pro peccato, qui munerum acceptionem in vniuersum prohibuit.* [g] Gratiam postea.] *In Heb. est (nisi iod in fine vacat) post me, hoc est qui meum consilium sequitur. sic. n. legunt. Qui corripit hominem post me.* [h] Et dilatat.] *Vacuus scilicet timore.* [i] Cum surrexerint impij.] *Cum impij euehuntur ad imperium, boni & iusti viri delitescunt, quos impij ferre non possunt, eò quòd graues sint illis ad videndum &c.*

CAPVT XXIX.

Vir [a] iro qui corripientem dura ceruice contemnit, repentinus ei superueniet interitus, & eum sanitas non sequetur. In multiplicatione iustorum lætabitur vulgus: cum impij sumpserint principatum, gemet populus. Vir,qui amat sapientiam, lætificat patrem suum: qui autem nutrit scorta, perdet substantiam. Rex iustus erigit terram, vir auarus destruit eam. Homo qui blandis fictisq; sermonibus loquitur amico suo,rete expandit gressibus eius.Peccantem virum iniquum inuoluet laqueus,& iustus † cantabit atque gaudebit: Nouit iustus causam pauperum,impius ignorat scientiam. Homines derisores dissipant ciuitatem,sapientes verò auertunt furorem. Vir sapiens si cum stulto contenderit,[b] siue irascatur, siue rideat,non inueniet requiem. Viri sanguinum oderunt † integrum: iusti autem [c] quærunt animam eius. Totum spiritum suum profert stultus:sapiens [d] † compescet eum in posterum.Princeps, qui libenter audit verba mendacij,omnes ministros habet impios. [e] Pauper & vir vsurarius obuiauerunt sibi,vtriusq; illuminator est Dominus. Rex,qui iudicat in veritate pauperes,thronus eius in æternum firmabitur.Virga atque correctio tribuit sapientiam:puer autem qui dimittitur voluntati suæ, confundit matrem suam. In multiplicatione impiorum multiplicabuntur scelera,& iusti ruinas eorum videbunt.Erudi filium tuum, & refrigerabit te,& dabit delitias animæ tuæ.[f] Cũ prophetia defecerit, dissipabitur populus:qui verò custodit legẽ, beatus est. Seruus verbis non potest erudiri:quia quod dicis intelligit, & respondere cõtemnit. Vidisti hominem velocem ad loquendum:† stulti magis speranda est, quàm illius correctio. Qui delicatè à pueritia sua nutrit seruum suum,postea sentiet eum contumacem. Vir iracundus prouocat rixas:& qui ad indignãdum facilis est,erit ad peccata procliuior. Superbum sequitur humilitas, & humilem spiritu suscipiet gloria.Qui cum fure partitur,odit animam suam,[g] adiurantem audit, & non indicat. [h] Qui timet hominem, citò corruet:qui sperat in Domino,subleuabitur.[i] Multi requirunt faciem principis, & iudicium à Domino egreditur singulorum.Abominantur iusti virũ impium:& abominãtur impij eos qui in recta sunt via.†

Iob.22.d

SCHOLIA.

[a] Viro qui corripientem.] *In Heb. est. Viro castigationum, hoc est, qui alios castigat, & ipse est dura ceruice, nolens audire correptionem &c.* [b] Siue irascatur.] *Alius vertit. Absque vlla cessatione, vel irritatur, vel irridetur, vt sit sensus. Quando sapiens loquitur, & stultus vel ridet, vel furit, vt sapiens causam suam proponere non possit.* [c] Quærunt animã eius.] *Hoc est, conantur liberare eum de manu sanguinariorum, vel, secundum alios, quærunt obsequi voluntati eius.*
[d] Compescet eum.] *Loquetur enim discretè, & non secundum affectus. Hunc enim finem sibi in loquendo præscribit, vt ea loquatur cum modestia, quæ ad rem pertinent.* [e] Pauper & vsurarius.] *Putant hunc habere sensum. Deus in miserendo non aspicit personas, eligit publicanos, diuites, & pauperes.* [f] Cũ prophetia defecerit.] *Cum nõ docetur verbum Dei, fit populus securus & otiosus, vacuusque timore Dei.* [g] Adiurantem audit.] *Vel, audit maledictionem.* [h] Qui timet hominem.] *Alius vertit. Pauor hominum ponit offendiculum, & sunt, qui hunc afferant sensum. Offendiculum, id est, transgressio affert homini terrorem. Et putant lectionem inuersam. Aly sic. Qui se pauidum alijs exhibet, huic malum & exitium struitur.* [i] Multi requirunt.] *Sunt qui afferant hunc sensum, multos quidem adire principes, verum quo animo, priuatæ ne an publicæ vtilitatis causa, id à solo Deo iudicari posse.*

CAPVT XXX.

Verba † Aguri filij Iaceı. Visio quã locutus est vir, Ithieli, Ithieli, inquã, & Vchalo, Stultissimus sum virorũ,& sapientia hominum non est mecum, nõ didici sapientiã,† nec noui scientiam sanctorum. Quis ascendit in cœlum, atq; descendit? Quis [b] continuit spiritum in manibus suis? Quis colligauit aquas quasi in vestimento? Quis † stabiliuit omnes terminos terræ? [c] Quod nomen est eius, † & quod nomen filij eius, si nosti? Omnis sermo Dei ignitus, clypeus est sperantibus in se. Ne addas quicquam verbis illius,& arguaris:inueniarisq; mendax. Duo rogaui te, ne deneges mihi antequam moriar. Vanitatem, & verba mendacij longè fac à me, Mendicitatem,& diuitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo necessaria, ne fortè satiatus illiciar ad negandum,& dicam, Quis est Dominus? aut egestate compulsus furer, & periurem nomen Dei mei.[d] Ne accuses seruum ad dominum suum, ne fortè maledicat tibi, & corruas. [e] † Est generatio quæ patri suo maledicit,& quæ matri suæ non benedicit. Generatio quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis. Generatio cuius excelsi sunt oculi,& palpebræ eius in alta surrectæ. Generatio quæ pro dentibus gladios habet,& † cuius molares enses sunt vt comedat inopes de terra, & pauperes ex hominibus. [f] Sanguisugæ duæ sunt filiæ, dicentes, Affer affer. Tria sunt insaturabilia, & quartum quod nunquam dicit, sufficit. Infernus,& [g] os vuluæ,& [h] terra quæ non satiatur aqua, ignis verò nunquam dicit, Sufficit. Oculum, qui subsannat patrem,& qui despicit † doctrinam matris suæ, suffodiat eum corui de torrentibus,& comedant eum filiæ aquilæ. Tria sunt difficilia mihi,& quartum penitus ignoro, [i] Viam aquilę in cœlo, viam cõlubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentula. Talis est via

Pſal.28.c
Deut.4.a
22.d

mulieris

mulieris adulteræ,quæ comedit,& [k] tergens os ſuum,dicit. Non ſum operata malum.Per tria mouetur terra,& quartum non poteſt ſuſtinere,Per ſeruum cum regnauerit, [l] per ſtultum cum ſaturatus fuerit cibo, & per odioſam mulierem cum in matrimonium fuerit aſſumpta, & per ancillam cum fuerit hæres dominæ ſuæ.Quatuor ſunt minima terræ,& ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus:formicę populus infirmus,qui præparat in meſſe cibum ſuum:lepuſculus plebs inualida,qui collocat in petra cubile ſuum:regem locuſta nõ habet,& egreditur vniuerſa per turmas ſuas: [m] ſtellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis. Tria ſunt quæ bene gradiũtur,& quartum quod incedit feliciter:leo fortiſsimus beſtiarum, ad nullius pauebit occurſum: [n] gallus ſuccinctus lumbos ſuos:& aries † & rex,nec eſt, qui reſiſtat ei. † Si ſtultus apparuiſti poſtquàm eleuatus es in ſublime,aut ſi iniquè conſultaſti,pone manum ſuper os tuum. Cum quis fortiter premit vbera ad eliciendum lac,exprimit butyrum,& qui † premit nares, elicit ſanguinẽ: & qui prouocat iras producit diſcordias.

SCHOLIA.

[a] Verba Aguri.] *Putãt quidam tempore Salomonis fuiſſe virum quendam integræ vitæ,magnæque ſapientiæ, nomine Agur,cuius dicta & ſententias tranſtulerit in librum ſuum.Et huius viri ſocios aut diſcipulos fuiſſe, Ithiel,& Vchal, ad quos locutus ſit Agur more prophetico ſequentia verba.Stultus ſum. &c. Alij putant Agurum hunc fuiſſe Salomonem:ſonat enim congregationem.Salomon autem congregauit verba ſapientiæ & deprompſit ea,dixitque prophetiam iſtam propter Ithiel,id eſt, vxores,quas plurimas habuit.Porrò Vchal ſignificat,potero.Aggreſſus eſt enim Salomon multa ex ſapientia ſua,& potuit.* [b] Continuit ſpiritum.] *Id eſt,ventum.Per hoc indicat naturæ illius ſutbilitatem, & itinera incomprehenſa.* [c] Quod nomen eſt.] *Qui hæc dicere poteſt (inquit) magnus profectò eſt,& cuius nomen dicere non potes, hoc eſt,comprehendere maieſtatem,neque filij eius,qui cum eiuſdẽ ſit naturæ,paris etiam eſt maieſtatis.Et hic de more effugia quærunt miſeri & cæci Iudæi,vt negent perſonas in diuinis: ſed nihil afferunt, quod neruos habeat.* [d] Ne accuſes ſeruum.] *Vel,ne prodas,& alludit ad illud,quod ſcribitur Deut.23.Non tradas ſeruum domino ſuo, ne ſcilicet pœna maledictionis eius veniat ſuper te.* [e] Eſt generatio.] *Enumerat hic quatuor hominum genera: quæ ob peſſima vitia grauiſſimam Dei experiuntur iram,nempe qui parentes non honorant,hypocritæ,ſuperbi,& pauperum calumniatores.* [f] Sanguiſugæ.] *Hic locus cum plenus ſit Hebraiſmi videtur à noſtris nondũ fuiſſe intellectus.Senſus ergo eſt.Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes affer,affer, immo ſunt tres,eæque inſaturabiles,immo quatuor, et nunquàm dicunt ſufficit.Deinde has huius ſanguiſugæ filias enumerat,infernus &c.* [g] Os vuluæ.] *In Heb.eſt.impedita matrix,hoc eſt, mulier cuius vuluam concluſit Dominus,& tamen cupit habere prolem.Alij intelligunt per ſepulchrum & vuluam, generationem & corruptionem,quæ vſque ad finem mundi durant.* [h] Terra.] *Terræ naſcentia,quæ ſine aqua viuere & creſcere nequeũt.* [i] Viam aquilæ.] *Per aquilam intelligunt omnes aues,quæ cum pertranſeunt aerem non relinquunt in aere veſtigium ſui volatus. Dicit quoque ſerpentem mirabilem habere greſſum,quippe qui rectum tramitem non tenet,ſed peruerſo incedit & ſerpit itinere.Sed in hac narratione obſerua,quàm abſtruſa deliteſcant in ſcripturis myſteria. Nam Hebræus quidam ante etiã ſeruatoris Chriſti aduentum,de eodem Chriſto hunc locum eſt interpretatus: & præcipua quæ in illo obſeruanda ſunt,notauit, ſed præpoſtero ordine dixit propheticè fuiſſe prædicta. Vt per viam aquilæ ſignetur aſcenſio,per viam colubri ſuper petram, reſurrectio,per viam nauis in medio mari vita admiranda, quam nobiſcum atque inter nos acturus erat, per viam viri in adoleſcentula,id eſt,virgine (nam in Hebræo eſt Ahalma quæ adoleſcẽtulam ſimul & virginem ſonat) natiuitas ex virgine.Quòd ſi recorderis ſerpentis illius ſuſpenſi per Moſen in deſerto, videbis quadrare illud,viam colubri ſuper petram.* [k] Tergens os ſuum.] *Quod ait,poſtquàm comederit,tergit os ſuum, intelligitur per eſum illum actus obſcænus.* [l] Per ſtultum cum ſaturatus fuerit.] *Intelligũt diuitem tenacem.* [m] Stellio.] *Alius vertit araneam. Hebræi autem ſic exponunt.Licet hæc ſint parua corpore,habent tamen eximiam quandam innatam prudentiam. Formicæ monent ad ſedulitatem.Cuniculi exemplo docent veram quærendam ſecuritatem,quæ in ſolo Deo eſt.Locuſtæ proponũt exemplum iuſtitiæ,ſunt enim ſine rege, & tamen ordinem tenent in volando: homines autem etiam ſub magiſtratu in officio contineri nequeunt. Aranea ad laborem ſuo exemplo inuitat.* [n] Gallus ſuccinctus.] *Alius vertit.Canis venaticus fortis in lumbis,& hircus &c.Putant autem per hæc animalia ſignificari principem.Leo non ſæuit,niſi irritatus,ſic princeps nõ debet exercere arma,vel iram,niſi cum ſit opus.Canis venaticus inſectatur feras,non hoſpites ſuos.Sin gallum legas, & ipſe ſtrenuè familiæ ſuæ præeſt.Hircus præcedit gregem tanquam cuſtos,ſic princeps bonis legibus regere ſuos debet.*

CAPVT XXXI.

[a] VERBA LAMVELIS REGIS. VISIO QVA ERVDIVIT EVM MATER SVA.

QVid fili mi,quid fili vteri mei, quid fili votorum meorum ? Ne dederis mulieribus ſubſtantiam tuam,& vias tuas [b] ad delẽdos reges.Noli regibus ò Lamuel, noli regibus dare vinum,† neq; principum eſt ſicera: ne fortè bibant & obliuiſcantur iudiciorum, & mutent cauſam filiorum pauperis.Date ſiceram pereunti,& vinum ijs qui amaro ſunt animo. Bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ,& doloris ſui non recordentur amplius.Aperi os tuum muto, in cauſis omnium filiorum [c] qui pertranſeunt.Aperi os tuum,decerne quod iuſtum eſt,& vindica inopem,& pauperem. ALEPH. [d] Mulierem fortem quis inueniet? † longe ſuperabit gemmas pretium eius. BETH. Cõfidit in ea cor viri ſui, & [e] ſpolijs non indigebit. GIMEL. [f] Reddet ei bonum & non malũ,omnibus diebus vitæ ſuæ. DALETH. Quęſiuit lanam,& linum.& operata eſt conſilio manuum ſuarum. HE. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris de longè portans panem ſuum. VAV. De nocte ſurrexit,deditque † cibum domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. ZAIN. Conſyderauit agrum,& emit eum,de fructu manuum ſuarum plantauit vineam. HETH. [g] Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. TETH. Guſtauit † quòd bona eſt negociatio ſua,† non extinguetur in nocte lucerna eius. IOD. Manum ſuam miſit ad colum, † & digiti eius apprehẽderunt fuſum. CAPH. Manum ſuam aperuit inopi,& palmas ſuas extendit ad pauperem. LAMED. Non timebit

timebit domui ſuę à frigoribus niuis, omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt [h] duplicibus. MEM. Stragulatam veſtem fecit ſibi, biſſus & purpura indumentum eius. NVN. Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. SAMECH. Sindonem fecit & vendidit,& cingulum tradidit,Chananæo. AIN. Fortitudo & decor indumentum eius,& ridebit in die nouiſsimo. PHE. Os ſuum aperuit,† ſapiẽter, & lex clementiæ in lingua eius. SADE. Conſyderat ſemitas domus ſuæ,& panem otioſa non comedit. COPH. Surrexerunt filij eius,& beatiſsimam prædicauerũt:vir eius,& laudauit eam. RES. Multę filię congregauerunt diuitias,tu ſupergreſſa es vniuerſas. SIN. [k] Fallax gratia,et vana eſt pulchritudo:mulier timens Dominum ipſa laudabitur. THAV. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera eius.

SCHOLIA.

[a] Verba Lamuelis.] *Lamuel ſignificat (ſi interpreteris) apud eos Deus. Putantq; Hebræi ſic appellatum Salomonem, quòd in diebus eius fuerit Deus cum Iſraelitis,ſecluſa omni cultura idolorum: præſertim tempore iuuentutis eius quando magno zelo templum Domino ædificauit, & cultum eius auxit. Deſcribit autem à principio huius capitis, quomodo erudierit eum mater ſua, vt ſeſe abduceret à mulieribus, & vino, quo liberius vacare poſſet ſapientiæ.* [b] Ad delendos reges.] *Eiuſmodi enim viæ abolere ſolent etiam reges.* [c] Qui pertranſeunt.] *Alludit ad illud pſalmi. Manè florent, & tranſeunt,& pereunt veſperi.* [d] Mulierem fortem.] *Vel, rectam & integram. Deſcribit autem hic officia mulieris matris familias, id quod & Philoſophi fecerunt,niſi quòd illi nihil de timore Dei, & fide præceperunt.* [e] Spolijs non indigebit.] *Vel in rebus nullam habebit penuriam.* [f] Reddet ei.] *Nempè mulier marito.* [g] Accinxit fortitudine lumbos.] *Hoc eſt agit omnia ſtrenuè,& virili animo,aſsiduaq; eſt in negocijs domi & foris.* [h] Duplicibus.] *Alius vertit,coccino,vt mentionem faciat precioſorum veſtimentorum, ad oſtendendam prudentiam mulieris huius, quæ ante etiam quàm irruat frigus,prouidet domui ſuæ optima indumenta.* [i] Chananeo.] *Hoc eſt, mercatori. Mulier (inquit) prudens, & ſagax varia parat indumenta,quæ vendit mercatoribus,& ex lucro parat neceſſaria domui,vt tempore ſenectutis, partis cum gaudio fruatur.* [k] Fallax gratia.] *Non tam (inquit) pulchritudo & venuſtas corporis reddunt mulierem laudabilem, quàm pulchri mores,timor Domini,aſsiduitas laboris, & cura domus, nec opus eſt, vt homines prædicent eam, cum opera eius ſatis oſtendant,illam omni laude & præconio dignam: & præſertim in portis, hoc eſt,in conſeſſu ſeniorum, & ſapientum memoria eius non delebitur.*

ECCLESIASTES

QVI AB HEBRAEIS CHOHELETH APPELLATVR.

CAPVT I.

VERBA Eccleſiaſtæ filij Dauid regis Ieruſalem. Vanitas vanitatum ,dixit Eccleſiaſtes. [a] Vanitas vanitatum: & omnia vanitas. [b] Quid habet amplius homo de vniuerſo labore ſuo quo laborat ſub ſole? Generatio præterit,& generatio aduenit, [c] terra autem in æternum ſtat. [d] Oritur ſol,& occidit,& ad locum ſuum reuertitur, ibiq; renaſcens gyrat per meridiem,& flectitur ad aquilonem. Luſtrans vniuerſa in circuitu [e] pergit ſpiritus,& in circulos ſuos reuertitur. Omnia flumina intrant in mare,& [f] mare non redundat. Ad locum, vnde exeunt flumina,reuertuntur, vt iterum fluant. [g] Cunctæ res difficiles:non poteſt eas homo explicare ſermone. Non ſaturatur oculus viſu, nec auris auditu impletur.Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurũ eſt. Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole nouum,nec valet quiſquam dicere,Ecce hoc recẽs eſt,iam enim præceſsit in ſæculis,quę fuerunt ante nos.Non eſt priorum memoria:ſed nec eorum quidem quę poſtea futura ſunt,erit recordatio apud eos qui futuri ſunt in nouiſsimo.Ego Eccleſiaſtes fui rex Iſrael in Ieruſalem, & propoſui in animo meo quærere,& inueſtigare ſapienter de omnibus quæ fiunt ſub ſole. [h] Hãc occupationem † malam dedit Deus filijs hominum,vt occuparentur in ea. Vidi quæ fiunt cuncta ſub ſole,& ecce vniuerſa vanitas, & afflictio ſpiritus. † [i] Peruerſum difficilè corrigitur,& defectus non poteſt numerari. Locutus ſum in corde meo, dicẽs, Ecce magnus effectus ſum:& precesſi omnes ſapientia,qui fuerunt ante me in Ieruſalem, & mens mea contemplata eſt multa ſapienter,& didici,dediq; cor meum, vt ſcirem prudentiam atq; doctrinam, [k] erroreſq; & ſtultitiam,& agnoui quòd in his quoq; eſſet labor,& afflictio ſpiritus,eò quòd [l] in multa ſapientia,multa ſit indignatio:& qui addit ſcientiam,addit & dolorem.

SCHOLIA.

NOſtri quidem putant Salomonem dictum Eccleſiaſten,id eſt,concionatorem,eò quòd loquatur ad multitudinem,et non ad vnum tantum.Hebræi verò paulò aliter ſentientes,volunt eum ita dictum,propter ſapiẽtiam, quæ copioſè congregata in eo fuerit. Has autem diſputationes, ſunt apud Heb. qui putẽt dici tanquam in perſona duorum quorum alter hoc,alter illud dicat potius eligendum. [a] Vanitas vanitatum.] *Omnia omni tempore obnoxia ſunt vaniſsimæ vanitati.* [b] Quid habet amplius homo.] *Quem enim ſtabilem fructum referet homo ex his,quæ ſub ſole ſunt, etiã ſi multis modis ſe torqueat in hoc,vt fructum aliquem inueniat?* [c] Terra autem in æternum ſtat.] *Terra immota manet veluti theatrum,in quo hæc fabula peragitur,dũ ſcilicet alij recedunt,alij ſuccedentes in hanc quaſi ſcenam ingrediuntur, vt*

tur, vt & ipſi ſuum actum peragant. [d] Oritur ſol.] *Sol ſuo motu omnia, quæ ſub ipſo ſunt immutat: & poſtquam ortus eſt, & occubuit, iterum ſine ceſſatione reuertitur, vt oriatur.* [e] Pergit ſpiritus.] *Quidam per hunc ſpiritum intelligũt ſolem, aly aerem, ſeu ventum, qui in diuerſas mundi mouetur partes, & nunc flat verſus auſtrum, nunc verſus aquilonẽ, verſus alias deinde orbis partes: donec ſingula irrequietè luſtrando, reuertatur eo, vnde flare cœperat.* [f] Mare nõ redundat.] *Quia ſcilicet remittit mare ea ad loca, vnde fluere cœperant, vt rurſus in mare influant.* [g] Cunctę res difficiles.] *Dum ſcilicet abſque vlla intermiſſione variantur, vt non poſſit homo de eis appoſitè quicquam proloqui, non enim ſubſiſtunt, donec oculos, quantumuis diligenter contemplantis, vel auribus auidiſſimè auſcultantis, ſiat ſatis. Ipſi oculi inter videndum, & aures inter audiendum aſſiduè mutantur, & aer, per quem rerum ſimulachra ad ſenſus diffunduntur, aſſiduè vento agitatur. Ipſa ergo inſtabilitas rerum, quid eſt aliud, quàm quædã vanitas?* [h] Hanc occupationem malam.] *Hoc moleſtum cognoſcendi ſtudium. Vocat autem inueſtigationem ſapientiæ & ſcientiæ malam occupationem, quòd homo plerunque dimiſſis vtilioribus, inhiet curioſis, aut plus conetur ſapere, quàm oporteat.* [i] Peruerſum difficilè corrigitur.] *Quod corruptum eſt reſtitui non poteſt: quæ autem aſſiduè corrumpuntur, innumera ſunt.* [k] Erroresq;, & ſtultitiam.] *Quo certius (inquit) aſſequerer ſapientiam, etiam hominum inſanias, & ſtultitias diſcere conatus ſum: verum conando comperi, et hoc ſtudium, eſſe inſignem quendam animi cruciatum.* [l] In multa ſapientia.] *Qui conatur ſupra modum ſapiens fieri plurima experitur valde ingrata, & qui ad priorem eruditionem aliquid addere voleſt, id ſine magna moleſtia non perficiet, præſertim cum non tam id delectat, quod quis adeptus eſt, quàm torquet quod reſtat adipiſcendum.*

CAPVT II.

DIxi ergo in corde meo. Vadam & affluam delicijs, & fruar bonis. Et vidi quòd hoc quoq; eſſet vanitas. Riſum reputaui errorẽ, & gaudio dixi. Quid hoc agis? Cogitaui in corde meo [a] † trahere in vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad ſapientiam, † apprehenderemq; ſtultitiam, donec viderem quid eſſet vtile filijs hominum, quod facto opus eſt ſub ſole numero dierum vitæ ſuæ. Magnificaui opera mea, & ædificaui mihi domos, & plantaui vineas, feci hortos & pomaria, & cõſeui ea cuncti generis arboribus: extruxi mihi piſcinas aquarum, vt irrigarem ſyluam lignorum germinantium. Poſſedi ſeruos & ancillas, multamq; familiam habui: armẽta quoque & magnos ouium greges vltra omnes qui fuerunt ante me in Ieruſalem. Coaceruaui mihi argentum & aurum, & ſubſtantias regum & prouinciarum. Feci mihi cantores, & cantatrices, & delicias filiorum hominum, ſcyphos, † & vrceos: & ſupergreſſus ſum opibus omnes qui ante me fuerunt in Ieruſalem. [b] Sapientia quoque perſeuerauit mecum, & omnia quæ deſyderauerunt oculi mei, non negaui eis: nec prohibui cor meum † ab omni lætitia: quia cor meum habuit lætitiam de omni labore meo: [c] & hanc habui partem ex omni labore meo. Cumq; me conuertiſſem ad vniuerſa opera quæ fecerant manus meæ, & ad labores in quibus † fudaueram, vidi in omnibus vanitatẽ & afflictionem animi, & nihil permanere ſub ſole. [d] Tranſiui ad contemplandam ſapientiam, erroresq; & ſtultitiam. Quid eſt, inquam, homo vt ſequi poſſit regem in ijs, quæ fecit? Et vidi quòd tantum præcederet ſapiẽtia ſtultitiam, quantum differt lux à tenebris: Sapientis oculi in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat. [e] Et didici quòd vnus vtriuſq; eſſet interitus, & dixi in corde meo. Si vnus & ſtulti & meus occaſus erit: quid mihi prodeſt quòd maiorem ſapientiæ dedi operam. [f] Locutusq; cum mente mea, animaduerti quòd hoc quoque eſſet vanitas. Non enim erit memoria ſapientis ſimiliter vt ſtulti in perpetuum: & futura tempora obliuione cuncta pariter operient. Moritur doctus ſimiliter vt indoctus, & iccirco tæduit me vitæ meæ [g] videntem mala vniuerſa eſſe ſub ſole, & cuncta vanitatem & afflictionem ſpiritus. Rurſus deteſtatus ſum omnem induſtriam meam, qua ſub ſole ſtudioſiſsimè laborauī: habiturus hæredem poſt me quem ignoro vtrum ſapiens an ſtultus futurus ſit, & dominabitur in laboribus meis quibus defudaui & ſapientiæ operã dedi, † ſub ſole: & hoc quoq; vanitas. [h] Vnde ceſſaui, renuntiauitq; cor meum vltrà laborare ſub ſole. Nam cum alius laboret in ſapientia & doctrina & † rectitudine, homini otioſo quæſita dimittit, & hoc quoq; vanitas & magnum malum. Quid enim proderit homini de vniuerſo labore ſuo, & afflictione ſpiritus, qua ſub ſole cruciatus eſt? Cuncti dies eius doloribus & ærumnis pleni ſunt, nec per noctem mente requieſcit, & hoc nõne vanitas eſt? Nõnne [i] melius eſt comedere, & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis? & hoc de manu Dei eſt. [k] Quis vorabit & delicijs affluet præter me? Homini bono in conſpectu eius [l] dedit Deus ſapientiam & ſcientiam & lętitiam: peccatori autem dedit afflictionem, vt addat & cõgreget & tradat ei qui placuit Deo, ſed & hoc vanitas eſt & caſſa ſolicitudo mentis.

SCHOLIA.

[a] Trahere in vino.] *Hoc eſt, aſſueſcere vino. Statui (inquit) longis conuiuijs, & multo vino corpus meum molliter curare, & ſtultitiam, quæ eſt in reliquis rebus, experiendo diſcere &c. Et illud, ſciphos, et vrceos. Alius vertit, ſymphonias, & muſicum concentum. Sed ambigunt. Heb. quid hæ voces ſignificent.* [b] Sapientia quoque perſeuerauit mecum.] *Interim ſapientia mihi in omnibus affuit, quæ de his iudicaret.* [c] Et hanc habui partem.] *Nec alium ſenſi fructum tam moleſti conatus, quàm vt oculos paſcerem, & animus ſe non nihil recrearet.* [d] Tranſiui ad contemplandam ſapientiam.] *Iterum me conuerti ad ea, vt ſaltem viderem, quanta ſapientia vſus eſſem in omnibus illis: & deprehendi in vno inſaniam multam, & in reliquis manifeſtum ſtultitiam. Quid enim eſt homo, vt imitatione regis Dei aliquid magni conetur, cum nullam, quantumuis paruam ex omnibus rebus, quas ille innumeras fecit, æquare poſſit? iccirco dixit Dominus. Nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus eſt, ſicut vnum ex iſtis. Vocat autem errores ſiue inſanias, ebrietatem, & Epicureorum pecuinam vitam.* [e] Et didici.] *Interim (inquit) video eũdem habere exitum omnia.* [f] Locutusq; cum mente mea.] *Iterum ergo iudicaui, ne ſapientiæ quidem ſtudium carere vanitate ſua.* [g] Videntem mala vniuerſa.] *Execrari cœpi (inquit) miſerias viuentium, quòd viderem apud me, quãtum ſine fructu ſit moleſtiæ in rebus, quæ fiunt ſub ſole, omnia enim inania ſunt, & tantum animum cruciant.* [h] Vnde ceſſaui.] *Interpres vertit ſenſum. In Heb. eſt. Et conuerſus ſum, & deſperauit cor meum.* [i] Melius eſt comedere.] *Ad liberalem eorum, quæ adſunt, vſum hortatur, & ab auaritia,*

auaritia, peſſima animi peſte, deterret. [k] Quis vorabit.] *Reſpondet ſuperioribus verbis. Ad quẽ (inquiens) magis pertinet ſtus diuitijs meis, quàm ad me?* [l] Dedit Deus ſapientiam.] *Eam ſcilicet prudẽtiam, & ſapientiam, vt audeat vtilibus ſuis.*

CAPVT III.

OMnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub cœlo. Tempus naſcendi, & tempus moriendi. Tempus plãtandi, & tempus euellendi quod plantatum eſt. Tempus occidendi, & tempus ſanandi. Tempus deſtruendi, & tempus ædificandi. Tempus flendi, & tempus ridendi. Tempus plangendi, & tempus ſaltandi. [b] Tempus ſpargendi lapides, & tempus colligendi. Tempus amplexandi, & tempus longè fieri ab amplexibus. Tempus acquirendi, & tempus perdendi. Tempus cuſtodiendi, & tẽpus abijciendi. Tempus ſcindendi, & tempus conſuendi. Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tempus dilectionis, & tempus odij. Tempus belli, & tempus pacis. [c] Quid habet amplius homo de labore ſuo? [d] Vidi occupationem quam dedit Deus filijs hominum, vt diſtendantur in ea. Cuncta fecit bona in tempore ſuo, & [e] mundum tradidit diſputationi eorum, vt nõ inueniat homo opus, quod operatus eſt Deus ab initio vſque ad finem. Et cognoui quòd non eſſet melius, niſi lætari, & facere bene in vita ſua. Omnis enim homo qui comedit & bibit, & videt bonum de labore ſuo, hoc donum Dei eſt. Didici quòd omnia opera quæ fecit Deus, perſeuerent in perpetuum: non poſſumus eis quicquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus vt timeatur. † Id quod fuit, iam eſt. Quæ futura ſunt, iam fuerũt: [f] & Deus requirit eum, qui perſecutionẽ patitur. Et adhuc vidi ſub ſole [g] in loco iudicij impietatem, & in loco iuſtitiæ iniquitatem: & dixi in corde meo, Iuſtum & impium iudicabit Dominus, † eſt enim tempus ibi opportunũ pro omni re atque pro omni opere. [h] Dixi in corde meo de filijs hominum † quod probaret eos Dẽus & oſtenderet ſimiles † eſſe beſtijs ipſos apud ſe. [i] Inſuper vnus interitus eſt hominis & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio, ſicut moritur homo, ſic & illa moriuntur, ſimiliter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumento amplius. Cuncta ſubiacent vanitati, & omnia perguũt ad vnum locum. De terra facta ſunt & in terram pariter reuertuntur. [k] Quis nouit ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcendat deorſum? Et deprehendi nihil eſſe melius, quàm [l] lætari hominẽ in opere ſuo, & hanc eſſe partem illius. Quis enim eum adducet, vt poſt ſe futura cognoſcat?

SCHOLIA.

[a] Omnia tempus habent.] *Omnium rerum viciſſitudo eſt, neque quicquam eſt ſub ſole ſtabile. Qui nunc gignũtur, aliquando morientur, quæ nunc plantantur, alio tempore euellentur, nunc amputamus, quæ olim, vt adoleſcerẽt, curauimus.* [b] Tempus ſpargendi lapides.] *Nunc diruimus vetera ædificia, nunc ex eiſdem lapidibus extruimus noua.* [c] Quid habet amplius homo.] *Quem fructum capit homo ex tam pugnãtibus, & moleſtis occupationibus.* [d] Vidi afflictionem.] *Deprehendi, quòd Deus immiſerit animis hominum eiuſmodi moleſtias occupationes, vt ipſi ſe illis torqueant.* [e] Mundum tradidit.] *Alius vertit, ſæculum. Mundum hunc (inquit) totum expoſuit examinãdum ingenio illorum, veriem ipſi nullus, vel magnæ vel paruæ earum rerum, quas Deus tam multas fecit, rationem inuenturi ſunt.* [f] Deus requirit eum.] *Comungitur ſuperiori, quod ſcilicet ſemper fuerit, ac futurum ſit, vt Deus faueat oppreſſis.* [g] In loco iudicij.] *Et tãquam non eſſet malorum ex hac inconſtantia ſatis: vidi locum ſub ſole æquitati deſtinatum in quo dominatur impietas, & locum iuſtitiæ, in quo regnat impius.* [h] Dixi in corde meo de filijs hominum.] *Cum non inuenirẽ cauſam aliam, quare Deus hæc permitteret: viſum eſt mihi velle illũ, huiuſmodi humanis tumultibus hominem ſic exercere, vt videat, ſe in hac vita parum differre à brutis: non aliter enim inter ſe homines tumultuantur, nec maiori ſæpe ratione, quàm bruta inter ſeſe.*
[i] Inſuper vnus interitus.] *Niſi repugret (inquit) Deus homines, ſunt veluti iumenta, quibus non eſt intellectus, vnde & tales putant, vnum eſſe euentum hominum & iumentorum.* [k] Quis nouit.] *Quàm rarus ſcilicet eſt, qui interim id norit?* [l] Lætari hominem.] *Hoc putant dictum à Salomone in perſona hominum Epicureorum, quibus hæc diuitiæ vitæ cordi eſt.*

CAPVT IIII.

VErti me ad alia, & vidi calumnias quę ſub ſole geruntur, & lacrymas oppreſſorum, & neminem conſolatorem, nec poſſe reſiſtere eorum violentiæ cũctorum auxilio deſtitutos. Et laudaui magis mortuos, quàm viuentes: & feliciorem vtroq; iudicaui, qui necdum natus eſt, nec vidit mala, quæ ſub ſole fiunt. Rurſum cõtemplatus ſum omnes labores hominum, & induſtrias animaduerti patère inuidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas: & afflictio ſpiritus eſt. [a] Stultus complicat manus ſuas, & comedit carnes ſuas, dicens. Melior eſt † plenus pugillus, cum requie, quàm plena vtraque manus cum labore, & afflictione animi. Conſyderans reperi & aliam vanitatem ſub ſole: vnus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi eius diuitijs: nec recogitat, dicens. Cui laboro, & fraudo animam meam bonis: & in hoc quoque vanitas eſt, & afflictio peſsima. Melius eſt duos eſſe ſimul, quàm vnum: habent enim emolumentũ ſocietatis ſuæ: ſi vnus ceciderit, ab altero ſulcietur. Vę ſoli: quia cum ceciderit non habet ſubleuantem ſe. Et ſi dormierint duo, fouebuntur mutuò. Vnus quomodo calefiet? Et ſi quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei. Funiculus triplex difficilè rumpitur. Melior eſt puer pauper & ſapiens rege ſene & ſtulto, qui neſcit præuidere in poſterũ. Quòd & de carcere, † quis egrediatur ad regnum: & alius natus in regno inopia conſumatur. [b] Vidi cunctos viuentes, qui ambulant ſub ſole cum adoleſcente ſecundo, qui conſurget pro eo. Infinitus numerus eſt populi omnium, qui fuerunt ante eũ, & qui poſtea futuri ſunt, non lætabuntur in eo: ſed & hoc vanitas & afflictio ſpiritus. [c] Cuſtodi pedem tuum ingrediens domum Dei, † qui propinquus eſt vt audiat. † Ne des ſacrificium ſtultorum, qui neſciunt aliud quàm facere malum.

Deut. 23. d

Schõlia.

SCHOLIA.

[a] Stultus complicat manus.] *Diximus (inquit) quosdam esse, qui inuidè proximo cuique, quibus possunt artibus noceant, vt ipsi rem augeant suam. Sed stulti quidam ab horum moribus abhorrentes, vitium in contrarium currunt. Iunctis enim manibus desident ociosi, & quicquid habent, consumunt, donec ad extremam inopiam perueniāt, & carnem propriam rodere cogantur: melius est (inquientes) paulum cum ignominia, quàm multa laboriosè cum anxietate conquirere.* [b] Vidi cunctos viuentes.] *Vidi maximo numero homines sequi adolescentem illum, qui seni in regno successurus est. Non minor fuit numerus eorum, qui senem hunc olim sequebantur, cum regno præficeretur, quàm nunc est, qui nouum hunc ambiunt, et sicut grauis illis superioribus visa est potestas regia illius, qui nunc contemnitur, ita & huius, qui nunc tantopere placet, grauis videbitur. Quare & ambitus ille suam habet vanitatem, & animi tædia.* [c] Custodi pedem tuum.] *Vide diligenter, quid faciendum tibi sit, ingressuro domum Dei, vt ores: & scito, illum proximè tibi adesse, & audire cūcta: caue ergo ne multis verbis cum illo agas, stultorum more, quorum sunt ingrata Deo cuncta, quæ faciunt.*

CAPVT V.

N[a]E temerè quid loquaris, neque cor tuum sit velox ad proferendum sermonem coràm Deo. Deus A enim in cœlo, & tu super terram, iccircò sint pauci sermones tui. [b] Quia multas curas sequuntur somnia, & in multis sermonibus inuenietur vox stulti. Si quid vouisti Deo, ne moreris reddere: displicet enim ei † stultus: sed quodcunque voueris redde. Multoq; melius est non vouere, quā post votum promissa non reddere. [c] Ne dederis os tuum vt peccare facias carnem tuam: neque dicas coràm angelo † ignorantia est: ne fortè iratus Deus contra sermones tuos dissipet cuncta opera manuum tuarum. [d] Vbi multa B sunt somnia, plurimę sunt vanitates, & sermones innumeri. Tu verò Deum time. Si videris calumnias egenorum & violentà iudicia, & subuerti iustitiam in prouincia, non mireris super hoc negocio: quia excelso excelsior est alius, & super hos quoque eminētiores sunt alij, [e] & vtilitas terræ in omni re est, etiam rex agro obligatus est. Auarus non implebitur pecunia: & qui amat diuitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. Vbi multæ sunt opes, multi qui comedūt eas. Et quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias C oculis suis? Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multum comedat: saturitas autem diuitis non sinit eum dormire. Est & alia infirmitas pessima: quam vidi sub sole: diuitię conseruatę in malum Domini sui: pereunt enim in afflictione pessima. (Ioan.1.d Tim.4.b) Generauit filium qui in summa egestate erit: sicut egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas: quo modo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quòd laborauit in ventū? Cunctis diebus vitę suę come- D dit in tenebris & in curis multis, & in ærumna atque tristitia. Hoc itaq; visum est mihi bonum, & pulchrū vt comedat quis & bibat: & fruatur lętitia ex labore suo, quo sub sole laborauit ipse numero dierū vitæ suæ, quos dedit ei Deus, & hęc est pars illius. Et omni homini cui dedit Deus diuitias, atq; substantiam, potestatemq; ei tribuit vt comedat ex eis, & fruatur parte sua, & lętetur de labore suo: hoc est donū Dei. [f] Non enim † multùm recordabitur dierum vitę suę, eò quòd Deus occupet delicijs cor eius.

SCHOLIA.

[a] Ne temerè quid loquaris.] *Ne præceps sis in lingua tua, oraturus Deum, neque properet cor tuum effundere verba in conspectu Dei. Est enim Deus in cœlo, vnde tua omnia, qui in terra degis, videt: quare paucis apud illum verbis vtere.* [b] Multas curas.] *Sicut diurnæ curæ gignunt somnia, ita multa verba stultam faciūt orationem.* [c] Ne dederis os tuū.] *Quare caue, ne linguæ futilitas, totum te peccato inuoluat, neque putes angelum, qui tua obseruat, rem tam æstimaturum leuem, quàm tu existimabas, qui præ multitudine verborum vix sciebas, quid promitteres, aut diceres.* [redacted]. *Alij illa verba. Vt peccare facias carnem tuam, interpretantur sic. Vt non solùm super te, verùm & super filios tuos, qui sunt tua caro, vltionem diuinam prouoces.* [d] Vbi multa sunt somnia.] *Sicut in multis somnijs plurima sunt vana, ita & in multis verbis. Quare tu Deū ex animo reuerere.* [e] Et vtilitas terrę.] *Alius vertit. Residuum, quod colligitur ex terra in omni re est rex propter agrum cultum. Et hunc eliciunt sensum: Nemo non abundè viuere potest ex cultura terræ etiam si rex sit, cum omnis victus, qui opus habet humana natura, ex terra colligatur. Vel, cum summum, quod terra homini præstare possit, sit agellus aliquis, qui illum colenti satis esse possit, vt ex eo viuat, cui ille contingit, & eo contentus est, is planè rex est. Sed videtur totius loci huius hic esse sensus. Non mireris, si videas egenos opprimi, quia non abibunt impune oppressores. nam primū Deus excelsior omnibus curam sustinet eorum, deinde præsides terræ sæpæ in hac vita vlciscuntur eos. Sed melius esset dimittere calumnias, & colere terram, cui etiam reges debent.* [f] Non enim multum.] *Qui talis est: parum memor erit incommodorum vitæ suæ.*

CAPVT VI.

E St & aliud malum quod vidi sub sole, & quidem frequens apud homines: vir cui dedit Deus diuitias & A substantiam & honorem: & nihil deest animæ suæ ex omnibus quæ desyderat: [a] nec tribuit ei potestatem Deus vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud: hoc vanitas, & miseria magna est. Si genuerit quispiam centum liberos, & vixerit multos annos, & plures dies ætatis habuerit, & anima illius non B vtatur bonis substantiæ suę, sepulturaq; careat: de hoc ego pronūtio, quòd melior illo sit abortiuus: frustra enim venit & pergit ad tenebras, & obliuione delebitur nomen eius: [b] non vidit solem neque cognouit: melius est huic, quàm illi, etiam si duobus millibus annis vixerit, & non fuerit perfruitus bonis. Nònne ad vnū C locum properant omnia? [c] Omnis labor hominis in ore eius: sed anima eius non implebitur. Quid habet amplius sapiens à stulto? & quid [d] pauper † intelligens minus habet inter eos, cum quibus viuit. [e] Melior est aspectus oculorum, quàm ambulans anima: sed & hoc vanitas est, & afflictio spiritus. [f] † Quod fuit, iam D vocatum est nomen eius: & scitur quòd homo sit. & non possit contra fotiorem se in iudicio contendere. [g] Verba sunt plurima, multámque † habentia vanitatem.

Caput

SCHOLIA.

[a] Nec tribuit ei potestatem Deus.] *Hoc est, animum vtendi illis non tribuit.* [b] Non vidit solem.] *Non vidit solem, neque cognouit, scilicet; bonum suum, melior est hic, id est, abortiuus, quàm ille, qui nesciuit frui suis bonis, dum frustra venit in hunc mundum & pergit ad tenebras, &c.* [c] Omnis labor hominis.] *Nullus fructus est alius humani laboris, quàm cibum ori suppeditare, quod quamuis factu sit facile, animi tamen cupiditati omnino satis fieri non potest.* [d] Pauper intelligens.] *Quid minus habet pauper, qui industria sua sibi victum parat, inter illos cum quibus viuit?* [e] Melior est aspectus oculorum.] *At melius (inquies) est, contemplari oculis diuitias præsentes, quàm industria sola fretum, in diem more pauperis viuere: certè falleris, qui hoc putas: non aliud enim aspectus diuitiarum affert, quàm animi stultas curas, & tormenta.* [f] Quod fuit, iam vocatum est nomen eius.] *Qua ratione fuit olim vnumquodq; prius quàm esset, nomine suo notum & scitum fuit, quid hic, velit, nolit, homo futurus esset, nec posset nisi frustra contendere cum Deo, qui ipso fortior est, quare sic, vel sic factus sit. Alius tamen hunc sensum affert. Cum homo diu per fas & nefas, inhiauerit bonis caducis, aut contenderit ad magnos honores, fueritq; nomen eius propagatum per omnem terram, tandem in morte notum fit, quòd fuerit homo mortalis, cæteris similis, & ob tyrannidem suam, quam erga pauperes exercuit, non poterit intrare in iudicium cum æquissimo iudice. Vanitas ergo est, tali se grauare onere.* [g] Verba sunt plurima.] *Et siquis (inquit) multis verbis contendere cum Deo conetur, nihil illi eiusmodi obmurmuratio proderit.*

CAPVT VII.

A E † [a] T quid residuum habet homo, cum ignorat; quid conducat sibi in vita sua numero dierum † vitæ vanitatis suæ, & tempore quod velut vmbra præterit? Aut quis ei poterit indicare, quid post eum futurum sub sole sit? Melius est nomen bonum, quàm vnguenta preciosa, & dies mortis die natiuitatis. Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat, quid futurum sit. [b] Melior est ira risu: quia per tristitiam vultus, corrigitur animus. † Cor sapientium vbi tristitia est, & cor stultorum vbi lætitia. Melius est † à sapiente corripi, quàm stultorum adulatione decipi: (Prou. 22.a) quia sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti: [c] sed & hoc vanitas. B Calumnia conturbat sapientem, & [d] perdet robur cordis illius. [e] Melior est finis † rei, quàm principium. Melior est patiens arrogante. Ne sis velox ad irascendum: quia ira in sinu stulti requiescit. Ne dicas: Quid putas causæ est quòd priora tempora meliora fuere quàm nunc sunt? [f] stulta enim est huiuscemodi interrogatio. Vtilior est sapientia cum diuitijs, & magis prodest [g] videntibus solem. Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia. Hoc autem plus habet eruditio & sapientia, quòd [h] vitam tribuunt possessori suo. Cōsydera opera Dei, quòd nemo possit corrigere, [i] quæ ille incuruauerit. In die bona fruere bonis, & malam diem considera, sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus, vt non inueniat homo [k] contra eum iustas querimo- C nias. Hæc quoq; vidi in diebus vanitatis meæ. Iustus perit in iustitia sua, & impius multo viuit tempore in malitia sua. [l] Noli esse iustus multum: neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas. Ne impiè agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. [m] Bonum est te † apprehendere hoc, sed & ab illo ne subtrahas manum tuam: quia qui timet Deum, † egreditur cum omnibus istis. [n] Sapientia confortauit sapientem, super decē principes ciuitatis. Non est enim homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. (3.Reg. 8.c 2. Par. 6.g Prou. 20.b 1.Ioan. 1.d) Sed & cunctis sermonibus, qui dicuntur, ne accommodes cor tuum: [o] ne fortè audias seruum tuum maledicentem tibi, scit enim conscientia tua † quòd & tu crebro maledixisti alijs. Cuncta hæc tentaui in sa- D pientia. Dixi: Sapiens efficiar: & ipsa longius recessit à me: † [p] & alta profunditas, quis inueniet eam? Lustraui † animo meo, vt scirem & consyderarem, & quærerem sapientiam & rationem, & vt cognoscerem impietatem stulti, & errorem imprudentium: & inueni amariorem morte mulierem, quæ laqueus venatorum est, & sagena cor eius, vincula sunt manus illius: qui placet Deo, effugiet illam: qui autem peccator est, capietur ab illa. [q] Ecce hoc inueni, dixit Ecclesiastes, † vnum ad alterum conferendo inueniri rationem. [r] Et quidē adhuc quærit anima mea: & non inueni. Virum de mille vnum reperi: mulierem ex omnibus non inueni. Solummodo hoc inueni, quòd fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus. [s] Quis talis, vt sapiens est? & quis cognouit solutionem verbi:

SCHOLIA.

[a] Quid residuum habet homo.] *Videtur iungendum superiori, sic. Quid proderit, si cum Deo verbis velit contendere? Deinde sequatur. Ferendum est æquo animo, quod à Deo immittitur. Quis enim nouit, quid expediat homini diebus vitæ, quibus in hac vanitate viuitur? fecit enim dies hominis Deus similes vmbræ, de qua post discessum, quid fiat sub sole, quis indicabit?* [b] Melior est ira.] *Hoc est, tristitia: quod declarat id, quod sequitur. Quia per tristitiam, quæ in vultu apparet, cor admonetur officij sui.* [c] Sed & hoc vanitas.] *Hoc est, interim neque sapientis obiurgatio vanitate caret. Quia mali si obiurgentur, quòd alios opprimant, affligunt sapientem, & perdere conantur eum, qui cor habet tam insigni sapientiæ dono exornatum.* [d] Perdet robur.] *Potest & verti. Perdit cor munus.* [e] Melior est finis rei.] *Docet, in omnibus habendam prouidentiam, ne inconsultò quid incipiamus. Et videtur pendere à superiori: quia sequitur: melior est patiens arrogante, hoc est, melior est homo patiens quàm is, qui liberè alios carpit.* [f] Stulta est huiusmodi interrogatio.] *Quia scilicet manifestum est, habuisse illa tempora sua incommoda, sicut & hæc nostra habent sua.* [g] Videntibus solem.] *Tempore huius vitæ, quo solem spectamus.* [h] Vitam tribuunt.] *Illam scilicet æternam.* [i] Quæ ille incuruauerit.] *Nam homo non potest facere ea meliora, quæ videantur ipsi homini: minus apte facta. Et illud malam diem considera vt scilicet omnia de manu Domini accipias, qui vtranque diem fecit.* [k] Contra eum iustas quærimonias.] *In Heb. est. Quicquam post ipsum. Quod potest sic intelligi, voluit omnia Deus vicißitudini obnoxia esse, vt videret homo, nihil esse stabile, cui fidere tutò possit.* [l] Noli esse iustus multum.] *Sicut Saul, qui contra pietatem voluit esse pius, & parcere melioribus.* [m] Bonum est, te apprehendere hoc.] *Vt hæc (inquit) pericula vites, nihil melius est, quàm vt firmiter credas, & perpetuò in memoria habeas, quòd illi, qui Deum reuerentur, omnia hæc mortifera mala effugient. Quidam in Heb. sic interpretantur, bonum est*

 accipere

accipere partem sapientiæ,& stultitiæ,quia qui timet Dominum, vtitur vtraque re vtiliter. [n] Sapientia confortavit sapientem.] *Sapientia sæpe plus iuuat illum cuius est,quàm possent decem primores ciuitatis.* [o] Ne fortè audias seruũ.] *Ne audire cogaris,quòd seruus tuus aliquoties ex impatientia male de te locutus sit.* [p] Et alta profunditas.] *Alius vertit.Et illud,quòd tam longè abest, valde quoque profundum est:& quis inueniet ipsum? Et quidam hunc sensum affert, longè supra captum humani ingenij est, velle scire quo consilio ab æterno vsus sit Deus in condendis, & conseruandis rebus, & modis omnibus incomprehensibile.* [q] Eccc hoc inueni.] *Ecce hoc (inquit concionatrix sapientia) deprehendi, ex comparatione rerum inter se,id,quod quæritur,inueniri solere.* [r] Et quidem adhuc.] *Laborauit vsque in hanc horam, vt conferendo officium fœminarum,cum ingenio & moribus virorum,bonam & prudentem aliquam inuenirem,sed nihil successit.Ex mille viris vnum inueni tolerabilem,ex mille autem fœminis nullam.* [s] Quis talis, vt sapiens est?] *Quis conferendus est cum sapiente,& eo,qui iudicium habet de rebus?*

CAPVT VIII.

Prou. 17.d

SApientia hominis [a] lucet in vultu eius,& † imprudentia faciei illius commutabitur. Ego [b] os regis obseruo,& præcepta iuramenti Dei.Ne festines recedere à facie eius, neq; permaneas in opere malo: quia omne quod voluerit faciet, Sermo regis potestate plenus est:nec dicere ei quisquam potest: Quare ita facis? Qui custodit præceptum,non experietur quicquam mali. [c] Tempus & † iudicium cor sapientis intelliget. [d] Omni † enim negocio tempus est, & iudicium,& multa hominis afflictio:quia ignorat † quid sit futurum,nam futura nullo scire potest nuncio. [e] Non est in hominis potestate † cohibere spiritum,nec habet potestatẽ in die mortis,nec sinitur quiescere ingruente bello,neq; saluabit impietas impiũ. Omnia hæc consyderaui,& dedi cor meũ in cunctis operibus,quę fiunt sub sole. † Quo tempore dominatur homo homini in malum suum. Vidi impios sepultos:qui etiam [f] cũ adhuc viuerent,in loco sancto erant,& laudabãtur in ciuitate quasi iustorum operum:sed & hoc vanitas est. Etenim quia non profertur citò contra malos sententia,absq; timore vllo filij hominũ perpetrant mala: † Peccator centies facit malũ, & per patientiam sustentatur,ego † tamen interim cognoui q̃ erit bonum timentibus Deũ,qui verentur faciem eius. Non sit bonum impio,nec prolongentur dies eius,sed quasi vmbra transeant,qui non timet faciem Dñi. Est & alia vanitas,quę fit super terram:sunt iusti quibus mala proueniunt,quasi opera egerint impiorũ: & sunt impij, qui ita securi sunt,quasi iustorũ facta habeant,sed & hoc vanissimũ iudico. Laudaui igitur lætitiam, q̃ non esset homini bonum sub sole,nisi q̃ comederet,& biberet,atq; gauderet: & hoc solũ secum auferret de labore suo,in diebus vitæ suæ,quos dedit ei Deus sub sole. Et appositi cor meũ,vt scirem sapientiam,& intelligerem distensionem,quæ versatur in terra. † Talis enim diebus & noctibus somnũ non capit oculis. Et intelexi,q̃ omnium operum Dei nullam possit homo inuenire rationem eorum,quę fiunt sub sole:& † cum laborauerit ad quærendum,† non inueniet:etiam si dixerit sapiens se nosse:non poterit reperire. Omnia hęc tractaui in corde meo,vt curiosè intelligerem: totum istud.

SCHOLIA.

[a] Lucet in vultu eius.] *Sapientia hominis gratiosum facit vultum eius.Et quod sequitur. Impudentia faciei eius mutabitur:quia scilicet, vbi sapientia animum possederit,impudentia recedit à fronte: est enim sapientia, vt ait Iacobus, pudica & verecunda.Alius vertit,crudelitatem pellit.Diuus Hiero.vertit.Improbus facie sua odietur.* [b] Os regis obseruo.] *Suadeo(inquit)etiam sapienti, vt obseruet,quæ rex mandabit:& præstet,siqua Deo in testem vocato iurauerit.* [c] Tempus & iudicium.] *Tempus aduenturum, vt sumatur supplicium de transgressoribus,non ignorat sapiens.* [d] Omni negocio.] *Statuit nanq; Deus tempus,quo de omnibus iudicaturus est:& prius,quam illud adueniat, varijs, & periculosis malis expositi sumus,nec scire cuiquam datur,quid illi continget. Quis enim id possit illis indicare?* [e] Non est in hominis potestate cohibere spiritum.] *Et si illud sciret(inquit)nihil illi prodesset:nemo enim tam potens est, vt animum suum contineat,nec appetente morte vires vllæ quicquam proderunt:neque est spes vlla elabendi ex illo prælio, quod nobis cum morte ineundum est:nec impium tunc sua impietas liberare poterit.* [f] Cum adhuc viuerent.] *Aly verterunt, & resurgere in loco sancto, vt sit sensus. Vidi impios ad sepulchrum vsque feliciter degere,& ipsos veluti resurgere in filijs, & versari inter honoratos in loco sancto:eos vero,qui benè faciunt,contemni à ciuibus,sed & hoc insigni vanitate non caret. Quidam Heb. sic interpretabatur.Vidi impios sepultos,& viuebant, & à loco sancto recedebant, & laudabant se in ciuitate,quasi iustorum operum. Hoc est,vidi impios dignos qui sepelirentur,id est qui morerentur,& tamen viuebant,et fugiebant loca sancta, &c. Vel sic. Vidi impios sepultos,hoc est,morte dignos & sepultura,& veniebant,hoc est,prospere agebant,& de loco sancto ibant,hoc est, recedebant à via bona,& obliuioni dati sunt,qui iuste fecerunt,hoc est,adeo improborum via prosperè agit,vt bonorum nulla sit mentio. Sin legas,laudabantur,erit sensus. Iactabant se in ciuitate,quòd ita fecissent.*

CAPVT IX.

SVnt iusti atque sapientes, & opera eorum in manu Dei: † & nec amorem nec odium cognoscit homo: sed [b] omnia † sunt ante eos, [c] eó quòd vniuersa æquè eueniant iusto & impio,bono & malo,mundo & immundo,immolanti victimas & sacrificia contemnenti. Sicut bonus, sic & peccator: † qui iurat, sicut qui iuramentum timet. [d] Hoc est pessimum inter omnia, quæ sub sole fiunt quia eadem cunctis eueniunt,[e] & corde filiorum hominum implentur malitia,& † procacitate in vita sua,& post hæc ad inferos deducuntur:† [f] Ille tamen,qui societatem habet cum omnibus viuentibus habet spem,quia melior est canis viuus leone mortuo,viuentes enim sciunt se esse morituros, mortui verò nihil nouerunt amplius, [g] nec habent vltrà mercedem: quia obliuioni tradita est memoria eorum. Amor quoque, & odium, & inuidiæ simul perierunt,nec habent partem in † sæculum in opere quod sub sole geritur. Vade ergo,& comede in lętitia panem tuum, & bibe cum gaudio vinum tuum:quia Deo placent opera tua: Omni tempore sint vestimenta tua candida,& oleum de capite tuo non deficiat. [h] Perfruere vita cum vxore quã diligis, cunctis diebus vitæ instabilitatis tuæ, qui dati sunt tibi sub sole, omni tempore vanitatis tuæ: hæc est enim pars in vita,&

in labore tuo quo laboras sub sole. Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus,nec ingenium,nec sapientia,nec scientia erunt apud inferos,quò tu properas. Verti me ad aliud, & vidi sub sole, [i] nec velocium esse cursum,nec fortium bellum,nec sapientium panem, nec doctorum diuitias, nec artificum gratiam:sed tempus casumq; in omnibus. Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo,& sicut aues laqueo comprehenduntur: sic capiuntur homines tempore malo, cum eis extemplo superuenerit. Hanc quoque sub sole vidi sapientiam, & probaui maximam: ciuitas parua, & pauci in ea viri. Venit cótra eam rex magnus,& vallauit eam,extruxitq; munitiones † magnas aduersus eam. Inuentusq; est in ea vir pauper & sapiens, & liberauit vrbem per sapientiam suam, & nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Et dicebam ego,meliorem esse sapientiam fortitudine. Quomodo ergo sapientia pauperis contempta est, & verba eus non sunt audita? [k] Verba sapientium audiuntur in silentio, plus quàm clamor principis inter stultos. Melior est sapientia, quàm arma bellica: & qui in vno peccauerit,multa bona perdet. Sapien. 6.a

SCHOLIA.

[a] Sunt iusti.] *Coniunge hoc cum fine superioris capitis sic. Omnia hæc tractaui in corde meo, & comperi, quòd iustum & sapientem,& opera eorum Deus habeat in sua potestate:neque quisquam nouit,quos habiturus sit, vel amicos, vel inimicos:cuncta enim hæc hominem latent. Sic & Diuus Hieron.interpretatur,ait enim hunc esse sensum. Etiam in hoc dedi cor meum,& scire volui,quos Deus diligeret, & quos odisset. Et inueni, iustorum quidem opera in manu Dei esse,& tamen vtrum amentur à Deo an non,nunc eos scire non posse,& ambiguum fluctuare,vtrum ad probationem sustineant,quod iusti nent,an ad supplicium. In futuro igitur scient,&c.* [b] Omnia sunt ante eos.] *Intelligunt quidam Heb.sapientes,ac iustos,quorum meminerat,quòd videlicet ipsi sciant. Nisi enim homines(inquiunt)sint iusti & sapientes,non aduertunt, num diligantur,aut odio habeantur à Deo.Omnia igitur sunt ante eos,hoc est,iusti omnia hæc considerant.Aly sic.Id quod diligit homo,& id quod execratur,in manu Dei est,qui vel illud tribuat, vel auertat,& homo ipse sensu id percipere nequit. Cum hæc sit ante ipsum,hoc est,cum illud adhuc expectet. Aly ex eisdem Hebræis referunt ad prædestinationem.* [c] Eo quòd vniuersa.] *Hic confusa sunt omnia, & propter ea,quæ accidunt æquè bonis ac malis, discerni non possunt à nobis.* [d] Hoc est pessimum.] *Hoc est molestissimum omnium,quæ fiunt sub sole.* [e] Et corda filiorum hominum.] *Interim corda hominum implentur malis ad insaniam vsque,toto tempore vitæ vsque ad sepulchrum.* [f] Ille tamen: qui societatem habet.] *Quandiu is versatur inter viuos,aliquid habet amplius,quam leo mortuus. Hunc tamen & superiorem versum quidam sic interpretantur.Qui ponunt vnum euentum, & non faciunt discrimen inter pios & impios, hi nouissimè descendent ad infernum,negantes vltionem diuinam,atque remunerationem,quam faciet pijs & impijs.Si tamen aliquis respuerit ab hac stulta opinione,quandiu est in hoc mundo,hic spem habet salutis.Et quod sequitur infra.Mortui nihil nouerunt,&c.Intelligunt de damnatis quibus non prodest,quòd Deum aliquando dilexerint,aut vitia odio habuerint, ob id quòd non perseuerauerunt vsque in finem.* [g] Nec habet vltra mercedem.] *Alius interpretatur, nec sunt apud viuos vllo amplius in pretio.* [h] Perfruere vita.] *Quando(inquit)scis te & opera tua Deo placere, tunc lætus poteris bibere & comedere, & erunt opera tua splendida,et bonus odor famæ nunquam destituet te:sed & ne erres in aliena,poteris tibi adiungere vxorem,quam solam diligas,manus quoque tuæ erunt apertæ ad pauperes,&c. Aly putant,hæc intelligenda ad literam de animali homine,qui solum quærendum putat voluptatem in hoc mundo,& in sepulchro,hoc est,post mortem non credit esse vllum opus, rationem,sapientiam,&c.* [i] Nec velocium esse cursum.] *Hoc est,raro veloces adhiberi ad cursum, aut robustos ad gerenda bella:Vel velocibus non prodesse cursum,& debiliores interdum superare fortes, sapientibus sæpe deesse panem, vnde viuant,nec habere industrios diuitias,nec rerum peritos in precio esse,sed tanquam ignaui semper fuissent,tempus & casum omnes de medio tollere.* [k] Verba sapientium.] *Videtur assignare causam, cur verba pauperis sapientis contempta fuerint, quòd scilicet verba sapientum non audiantur à stultis,sed ab ijs,qui attente audiunt,&c.*

CAPVT X.

AMVscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti. † Sic precioſum sapientia & gloria, parua stultitia. Cor sapientis in dextera eius,& cor stulti in sinistra illius. Sed & in via stultus ambulans, cũ ipse insipiens sit,omnes stultos æstimat. [b] Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te, locum tuum ne dimiseris:quia curatio faciet cessare peccata maxima.Est malũ:quod vidi sub sole,quasi per errorem egrediens à facie principis:positum stultum in dignitate sublimi,& diuites sedere deorsum. Vidi seruos in equis:& principes ambulantes super terram,quasi seruos. Qui fodit foueã,incidet in eam: & qui diſsipat sepem mordebit eum coluber. [c] Qui transfert lapides,affligetur in eis:& qui scindit ligna, † fatigabitur ab eis. [d] Si retusum fuerit ferrum,† & huius acies non canduerit politie: prævalebit exercitus, & excellentius diriget se per sapientiam. Si mordeat serpens sine incantatione, [e] non est vtile habenti linguam. Verba oris sapientis gratia:& labia insipientis præcipitabunt eum. Initium verborum eius stultitia, & nouissimum oris illius error pessimus. Stultus verba multiplicat. Ignorat homo † id quod erit:& quid post se futurum sit, quis ei poterit indicare? Labor stultorum affliget eos, [f] qui nescíunt in vrbem pergere. Væ tibi terra,cuius rex puer est,& cuius principes manè comedunt. Beata terra,cuius rex nobilis est, & cuius principes vescuntur in tempore suo ad reficiendum,& non ad luxuriam. In pigritijs humiliabitur contignatio,& in infirmitate manuum perstillabit domus: [g] in risu faciunt panem & vinum, vt † lætificentur viuentes. Et pecuniæ obediunt omnia. In cogitatione tua regi ne detrahas,& in secreto cubiculi tui non maledixeris diuiti:quia & auis cœli † portabit vocem † illam,& qui habet pennas annuntiabit sententiam. Prou. 26.d Eccle.27.d

SCHOLIA.

[a] Muscę morientes.] *Sicut muscæ in vnguentum,quantumuis fragrans collapsæ, si illic moriantur, vnguentum corrumpunt, & bullis veluti scabie obducunt, sic parua sæpe stultitia homini ob sapientiam & gloriam precioso, id est, claro, multum existimationis adimit, pendet autem hoc à fine superioris capitis, vbi ait. Qui in vno peccauerit multa bona perdet.*

det. [b] Si spiritus potestatem habentis.] *Vel, potestatem habendi: vt sit sensus. Si dominandi cupiditas animum tuum inuaserit, locum priorem ne facile deseruerис, qui enim compescit in eiusmodi cupiditatibus animum suum, multa vitabit & gratia peccata. Vel, si per sapientiam tuam gradum assecutus es celsiorem, non obliuiscaris prioris tuæ humilis sortis, sic enim medeberis tibi & cauebis à magnis peccatis.* [c] Qui transfert lapides.] *Qui proficit lapides, fatigabitur sæpe faciendo: & qui secat ligna, sentiet quantum ea res habeat difficultatis. Stultos autem esse significat, & periculosos magnorum conatus, si prudentia desit.* [d] Si retusum fuerit ferrum.] *Hæc dicuntur in commendationem sapientiæ. Per sapientiam (inquit) exercitus plus aget quàm per instrumenta ferrea. Nam si illa retusa fuerint, & rubigine obducta, vt iam nihil prosint ad tutelam: adhuc sapientia tutabitur eos, qui eam possident. Vel sic. Si retusum fuerit ferrum, quo secant ligna: quantumuis fortibus multum negocij exhibebit, sapientia verò difficiles alioqui res sæpe faciles reddet.* [e] Non est vtile habentu linguam.] *Hoc est, debuerat incantator vti sua virtute, ne serpens morderet. Monet ergo debere vnumquemq; vti munere sibi dato.* [f] Qui nesciunt in vrbem pergere.] *Qui rationem viuendi ciuiliter, ignorant.* [g] In risu.] *Ad voluptatem parant cibos & vinum bibunt, vt se exhilarent, quorum nequitiæ pecunia suppeditat omnia.*

CAPVT XI.

A Mitte panem tuum super trãseuntes aquas: quia post tempora multa inuenies illum. [b] Da partem, septem: nec non & octo: quia ignoras quid futurum sit mali super terram. [c] Si repletæ fuerint nubes: imbrem super terram effundent. [d] Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunq; loco ceciderit, ibi erit. [e] Qui obseruat ventum, non seminat: & qui consyderat nubes, nunquã metet. B Quo modo ignoras, [f] quę sit via spiritus, & qua ratione compingantur ossa in ventre prægnantis: sic nescis opera Dei, qui fabricator est omnium. [g] Manè semina semen tuum, & vesperè ne cesset manus tua: quia nescis quid rectius sit, hoc an illud: & si vtrumq; simul † bonum erit. Dulce lumen, & delectabile est oculis vi C dere solem. Si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lętus fuerit, meminisse debet tenebrosi tempo ris, & dierum multorum: qui cum venerint, vanitatis arguentur. † [h] Lætare † iuuenis in adolescentia tua: & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in vijs cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum, D & scito quòd pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. [i] Auser iram à corde tuo, & amoue malitiam à carne tua. Adolescentia enim, & † iuuentus vana sunt.

SCHOLIA.

[a] Mitte panem.] *Monet eleemosynam dandam pauperibus, & vs, quorum facies lacrymis sunt irriguæ. Alij sic putant intelligendum hunc locum. Mitte panem in pauperes, nulla personarum habita discretione, haud secus, quam si proijceres panem in superficiem aquarum.* [b] Da partem septem.] *Liberaliter egentibus tribue, sic enim fiet, vt non sentias mala, quæ imminent. Per septem autem & octo intelligi potest tempus huius vitæ, quo semper est benefaciendum indigentibus. Benignè (inquit) faciendum est per septem dies: qui cum pęterierint, & octauus appetierit, rursus incipiendum est, & perpetuandum. Nescis enim quale malum euenturum sit tibi, & quibus aliquando opus habiturus sis auxilijs.* [c] Si repletæ fuerint nubes.] *Significat hac similitudine nubis fœcundantis siccam terram, dandum esse vs, qui sunt in egestate.* [d] Si ceciderit lignum.] *Fructus ligni siue arboris quocunque loco ceciderit, siue in plaga australi, siue aquilonari, erunt (nam in Heb. per plurale legitur, ibi erunt) qui colligant illum: sic vbique locorum inuenientur pauperes, in quos possint collocari beneficia.* [e] Qui obseruat ventum.] *Notantur per hunc versiculum parci, & auari homines, qui tenacitati suæ prætexunt velamen malitiæ.* [f] Quæ sit via spiritus.] *Hoc est, quomodo anima coniungatur corpori.* [g] Manè semina.] *Monet semper bene agendum.* [h] Lætare iuuenis.] *Si lætaris in adolescentia tua, &c. memineris, quòd Deo redditurus sis rationem de omnibus.* [i] Auser iram.] *Qua scilicet irritas Deum. Per malitiam carnis intellige concupiscentiam malam, cui habenæ non sunt laxandæ.*

CAPVT XII.

M Emento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis tuæ, & appro A pinquent anni: de quibus dicas. Non mihi placent: [a] antequam tenebrescat sol & lumen, & stellæ, & luna, & reuertantur nubes post pluuiam: quando commouebũtur custodes domus, & nutabunt viri fortissimi, & otiosæ erunt molentes in minuto numero, & tenebrescent videntes per foramina, & claudent ostia in platèa in humilitate vocis molentis, & consurgent ad vocem volucris & † deprimẽ erunt omnes B filiæ carminis, [b] ab excelso quoq; timebunt, & formidabunt in via, [c] florebit amygdalus, † grauabitur locusta, & dissipabitur desiderium: quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ, & circuibunt in platèa plangentes, antequam rumpatur [d] funiculus argenteus, & frangatur vitta aurea, & conteratur hydria super fontem, & confringatur rota † in fouea, & reuertatur puluis in terram suam vnde erat, & spiritus redeat ad Deũ, C qui dedit illum. Vanitas vanitatum dixit Ecclesiastes, omnia vanitas. Cumq; esset sapientissimus Ecclesiastes, docuit populum † scientiam, & audire eum fecit: & inuestigans composuit parabolas multas. Quæsiuit verba vtilia, & conscripsit sermones rectissimos, ac veritate plenos. Verba sapientium, [e] sicut stimuli, & quasi claui in altum defixi, quæ [f] per magistrorum consilium data sunt à pastore vno. [g] His amplius fili mi ne re- D quiras. [h] Faciendi plures libros nullus est finis: frequensq; meditatio, carnis afflictio est. Finem † vniuersæ rei, audiuimus, Deum time, & mandata eius obserua: [i] hoc est enim omnis homo, & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in iudicium pro omni abscondito, siue bonum, siue malum sit.

SCHOLIA.

[a] Antequam tenebrescant.] *Recensẽt hic Salomon incommoda senectutis atque destitutiones omnium virium eius, qui morti appropinquat, destituuntur oculi luce, & videtur eis post pluuiam, cælum serenum nubibus obductum. Custodes domus, sunt manus & brachia, quæ totum corpus ab incommodis defendunt. Viri fortes sunt crura, quæ in senio nutare incipiunt. Per molentes intellige dentes, & per ostia labia, per humiliatam vocem molentis debilitatam vim digestionis. Porrò si cibus non trajciatur in stomachum, tollitur causa somni, atque ita ex cantu auiculæ suscitatur senex à somno.*

filius carminis exponunt pro instrumentis vocalibus, vt est guttur. [b] Excelsa quoque timebũt.] *Tunc è cælo metus, et malum in se cæsurum, & terrores, quacunque ierint, eos inuadent.* [c] Florebit amygdalus.] *Tunc canis aspergetur caput, nutabunt pedes, peribit appetitus: quæ signa sunt, eos hinc migrare in domum alterius sæculi, circundabunt eum in platea lugẽtes, vt sublatum in humeros efferat. Illud autem grauabitur locusta, alius legit, grauabit, quòd scilicet grauis erit et etiam locusta, quæ illi insederit. Sic illud dissipabitur desiderium, concupiscẽtia videlicet erga mulieres, Vel, ciborum appetitus.* [d] Funiculus argenteus.] *Intelligunt spinam dorsi, quæ ob candorem argenteæ vocatur: & per vitam seu fontem aureum, accipiunt cerebrum, quòd includatur pelliculæ aurei coloris: seu medullam, quæ transit spinam dorsi, qua vel minimum læsa, necesse est hominem mori. Per hydriam putãt intelligendam cistam fellis, & per fontem epar, per rotam cranium capitis, quod in sepulchro confringitur. Vel, confringatur rota in fouea, hoc est fractis rotis currus in foueam per præceps ruat, & reuertatur puluis in terram suam &c.* [e] Sicut stimuli.] *Vocabulo stimuli, quo hic vtitur, subindicat simillimos asinis esse nos, et frequentissimis egere extimulationibus.* [f] Per magistrorum consilium.] *Asperitatem Hebraismi lenyt interpres. Alius vertit. Sustinentes collectam supellectilem. Alius. Autores cõgregationum.* [g] His amplius.] *His paucis fili mi admonitũ te puta. Alius vertit. Quod amplius est ab istis fili mi, ab hoc caueto: hoc est, à verbis, quæ non sunt subnixa veritate.* [h] Faciendi plures libros.] *Vt omnia perstringantur sigillatim, ne plurimis quidem libris fieri poterit, & labor multa scribendi corpus defatigat.* [i] Hoc est omnis homo.] *Hoc enim (inquit) vno acquiritur, quicquid verè hominẽ & solide beatum facere potest. Aiunt Hebræi (vt scribit Hiero.) hunc librum, cum obliteraduis videretur eò, quòd vanas Dei assereret creaturas, & totum putaret esse pro nihilo, & cibum & potum & delitias transeuntes præferret omnibus, ex hoc vno capitulo meruisse authoritatem, vt in diuinorum voluminum numero poneretur, quòd totam disputationem in hoc clauderet, vt scilicet timeamus Deum &c.*

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS.

CAPVT I.

A B [a] Scvletvr me osculis oris sui, [b] quia meliores sunt amores tui vino, fragrãtes vnguentis optimis. [c] Oleum effusum nomen tuum, [d] ideo adolescentulæ dilexerunt te. [e] Trahe me post te, curremus. [f] Introduxit me rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te, memores amorum tuorum super vinũ. [g] Recti diligunt te. [h] Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem, sicut tabernacula cedar, sicut pelles Salomonis. [i] Nolite me considerare, quod fusca sim, quia decolorauit me sol. [k] Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam nõ custodiui. [l] Indi- C ca mihi, quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. [m] Si ignoras ò pulchra inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregũ, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. [n] Equitatui curruum Pharaonis assimilaui te amica mea. [o] Pulchræ sunt genæ tuę D sicut turturis, collum tuũ sicut monilia. [p] Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. [q] Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. [r] Fasciculus myrrhę dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. [s] Botrus camphorę dilectus meus mihi in vineis Engaddi. [t] Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es, oculi tui columbarum. [u] Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus. Tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.

SCHOLIA.

Æ *Didit Salomon multa cantica, nempè mille & quinq, vt habetur. 3. Re. 4. sed quia hoc cãticum cæteris omnibus antecellit, vocatur canticum canticorum, continetq; sub metaphora sponsi & sponsæ arcana mysteria, et inæstimabilem Dei erga populum suũ dignationem. Et is loquendi modus frequens quoque est apud prophetas, sicut Osee. 2. Desponsabo te mihi in perpetuum. & Ezechiel. 16. cap. totus in hoc versatur. Et nequis putet hunc librum cantilenam esse obscœnam, admonent id & ipsi Hebræi, qui hoc loco sic scribunt. Absit, absit, vt sit canticum canticorum de rebus obscœnis, sed est metaphora quædam. Alioqui nisi magnæ esset dignitatis, non scriberetur in catalogo sanctarum scripturarum. Tu vero ne a me pie lector expectes, quod hic tibi delitescentia explicem diuina illa mysteria. nam præterquam quòd ad instituti operis rationem non pertinet illa ingens exspaciatio, fateor, me nondum in cellam illam vinariam cum sponsa introductum, quod necessarium prorsus mihi videtur ys, qui tutò hos cœlestes amores sint tractaturi. Bernardi alicuius est, eiusq; similium hoc negocium, qui, quod experirentur ipsi apud se, eloqui aliqua saltem ex parte possent. Quod si colligere aliorum dicta hic voluissem, ego ne meo quidem ipsius, nedum aliorũ satis stomacho fecissem. Visum tamen est pauca hæc adnotare, vt vel crassiorem corticem aperiremus. Principio igitur, cum ecclesia Christi tam ex Iudæis quàm ex gentibus cõstet, rectè hoc epithalamium, & synagogam & ecclesiam ex gentibus complecti iudicatur, vt eadem ex vtriusque collecta sponsa, & Christi sponsi aduentum optet, & quæ superioribus contigere temporibus, nihilominus enumeret. quæ cogitatio & nostris & Hebræis ipsis satis potest facere. ait ergo.* [a] Osculetur me osculis oris sui.] *Quod non nostri solum, verum etiam veteres Thalmudistæ de Christo exposuerunt. Verba scilicet esse sponsæ ecclesiæ, quæ diceret. osculetur me Messias filius Dei osculo oris sui, id est, ipse ore proprio instruat, & eruditat me, atque oris mei tactum, cum eum de via salutis interrogauero, non contemnat. Non iam Mosen mittat, qui linguæ erat impeditæ, non Esaiam, qui se labijs pollutum aiebat. Non Ieremiam, qui se loqui nescire, eo quod puer esset, profitebatur.* [b] Quia meliores sunt amores tui vino.] *Vox Hebræa, quã vertimus amores, significat etiam*

particulam quandam sub lingua, vel oris saliuam, siue spumam, quæ ex ore defluit. Per vinum accipe gustum legis. Melius est (inquit) si loqueris tu, quàm omnis gustus legis. Longe enim iucundius est affici atque attrahi charitate, quod Euangelica lex præstat, quàm mœtu ac terrore minarum. & quod ait, fragrantes vnguentis optimis. Hebræi sic distinguunt. Odorem vnguentorum tuorum optimorum. [c] Oleum effusum.] Vel, vt Heb. habent, oleum euacuationis est nomen tuum. Nam cum effunditur, & de vase in vas transfertur, tunc magis redolet. Per oleum autem intellige aromaticum liquorem, ac suaueolentem. Præuidet ergo sponsa effundendam latius diuinam benignitatem, & quasi è longinquo illam iam odoribatur, quæ in suauissimi vnguenti morem, omnes esset recreatura. Quam benignitatem cum apostoli circumferrent, ac prædicarent, dicebant. Christi bonus odor sumus in omni loco. Nam verbum Domini ex scriptura populis ac nationibus propositum, mirifico suo odore trahit animas ad Christum. Et pulchrè sequitur. [d] Ideo adolescentulæ dilexerunt te.] Gentes, inquit, tanquam adolescentulæ, quæ recens adducuntur, hoc audiunt, & ob hanc causam amant nomen tuum. [e] Trahe me post te, curremus.] Ambo scilicet pariter, quod amoris mutui ac familiaritatis indicium est. Currere quidem cupit, sed intelligit se id minimè posse nisi trahatur. Certare vult charitatis affectu, sed longo se destitui interuallo intelligit. Quare cupit, vt aliquo modo, vel trahendo, fiat, vt eum comitetur. [f] Introduxit me rex in cellaria.] Vel, cubicula sua. Videtur, quod & Hebræi fateantur, illud, introduxit, positum pro imperatiuo, siue mauis optatiuo, vt dicat. Cupio introduci in cubicula regis, & admitti ad illa secreta, quæ velamine Mosaicæ legis obteguntur tunc enim exultabimus & lætabimur in te, memores amerum tuorum, qui iucundiores vino sunt, cuius tamen gustus solet præ cæteris oblectare. [g] Recti diligunt te.] Potest & verti, cum rectitudinibus, hoc est, non falsò vel fictè, sed sincero animo diligunt te. [h] Nigra sum, sed formosa.] Fort. assic hic respondet tacitæ obiectioni, si quis quæreret, cur audeat tanti sponsi poscere oscula atque amplexus. Non sum, inquit, adeò informis, vt me pudere debeat ista postulare. Nam & si exterior facies expositæ hominum aspectibus obscura est, si quis me tamen introspexerit, videbit me pulchram. Neque enim est aliud quicquam in hac pulcherrima rerum fabrica, cui sponsus hic afficiatur. Nigra enim sum, quia hanc indui nigredinem, cum peccaui in vitulo, sed formosa, quia non sum neglecta, sed suscepit me Deus. Niger est etiam populus Dei, afflictionibus huius mundi expositus, haud secus quàm tabernacula cedar, hoc est, tabernacula negotiatorum Agarenorum, quæ exposita sunt iniurys aeris. At si ingressus fueris tabernacula illa, inuenies ea plena opibus. Sic electi Dei lux sunt in Domino, quamlibet foris miseri, & adusti sole esse videantur. Nigra ergo est foris sponsa, sicut tabernacula Cedar, sed intus formosa, Sicut pelles & cortinæ illæ Salomonis &c. Filias autem Ierusalem vocat reliquas vrbes, vel gentes ipsas. [i] Nolite me considerare.] Vel, spernere, quòd fusca sim, quia decoloranit me sol. Æstus videlicet vel peccati, vel afflictionum, quas in Aegypto pertuli. [k] Filij matris meæ pugnauerunt contra me.] Vel inuestigauerunt me, scilicet ad peccandum. Hi fuerunt impij in populo, & mali prophetæ ac reges, qui populum induxerunt ad obseruantiam falsæ religionis, cum tamen custodire debuissent vineam Domini excelsam. Posuerunt me (inquit) custodem in vineis. Fecerunt me seruire idolis, quæ interdum nomine vineæ appellantur. Vineam meam non custodiui. Hoc est, vnius ac veri Dei cultum, ideirco nigra effecta sum. [l] Indica mihi. O quem diligit anima mea.] Indica mihi vbi pascas gregem, vbi accubare eum facias in meridie. Perstat in metaphora amantis fœminæ, quæ pastorem habeat amatorem, cum quo, dum accubant greges in ardore diei, cupiat oblectari. Nusquam (inquit) inuenio requiem, in medys præsertim afflictionibus, ac persecutionibus, nisi apud te. Quare indica mihi, vbi eo tempore verseris. Ne vagari incipiam. Vel. Quare ero quasi vidua apud greges sodalium tuorum? Cum reliqui (inquit) secum habeant amicas suas, ego cur sine te ero vidua, & sola? neque enim fert amor hanc solitudinem. Sunt qui interpretentur sodales reges (nam diuinum quiddam est alijs præesse) siue angelos præsides gentium, & eorum greges gentes ipsas. Ne vager (inquit) & errem cum gentibus. Inuenitur autem, veteres Thalmudistas legisse, quam diligit anima mea, plebem vel gentem videlicet, pro qua dedi animam meam. Sic enim interpretantur. Et obserua quemadmodum pastores requiem gregi dant ea diei hora, qua magis sol feruet, sic cœlestem pastorem refocillare tum maxime solere animas, cum opus est, et cum molestiarum æstus magus premunt. [m] Si ignoras ò pulchra.] Pulcherrimam mulierum appellat ob Dei cultum, quo vna species animarum nitescit. Si ergo ignoras (inquit) vbi pascam, vade post vestigia pecorum, & pasce ibi, hoc est, sequere vestigia patrum tuorum, & me ibi inuenies, reperies q̃, cum alys pascua apud me. [n] Equitatui curruum Pharaonis assimilaui te.] Illud, assimilaui te. Hebraismus est, pro, sociam te accepi, vt illud, Faciamus ei adiutorium simile sibi, nempe amicabile ad societatem. Ait ergo. Cum currus & equites Pharaonis persequerentur te, ego tum accepi te in sponsam, & amicam, & sociam, ac quasi similem mei. [o] Pulchræ sunt genæ tuæ.] Quidam Hebræus sic interpretabatur. Pulchræ fuerunt genæ tuæ cum filis siue vittis, quæ ex margaritis fronti apponuntur. Vt sit sensus. Cum te accepi dues fuisti opibus Aegyptiorum, & pulchra quia nondum peccaueras. Per genas Hebræi intelligunt verba. Nam genis vtimur ad loquendum. Vel tabulas legis, quia vox Hebræa vtrunque significat. Per collum accipiunt templum. [p] Murenulas aureas faciemus tibi.] Dixi (inquit) angelis. Faciamus ornamenta huic sponsæ, legem scilicet, ac dona spiritualia. Et illud, vermiculatas argento, verti etiam potest, distinctas argento, vel, cum punctis argenti. Intelligit ornamenta præsertim capitis & colli. [q] Dum esset rex in accubitu suo.] Verba sunt sponsæ, quæ ait. Ita fragrabam, vt odor meus peruenire posset ad accubitum regis. Aly sic. Dum habitaret Deus in propitiatorio, offerebam ei thymama suauissimum. Sed quia verbum nathan significat etiam relinquere, sensus esse potest. Cum adhuc esset Deus in monte Sina, dereliqui odorem meum, et feci vitulum. [r] Fasciculus myrrhæ.] Posteà (inquit) quàm reliqueram odorem meum per vituli fabrefactionem dedit mihi Deus fasciculum myrrhæ, id est, templum, vbi commorabatur Deus in arca, quæ inter vectes, quasi inter vbera erat posita. Nã prominentes vectes similes erant vberibus. Vel simpliciter intellige. Dilectus meus est quasi fasciculus myrrhæ, què inter vbera teneo, hoc est, qui mihi affixus est cordi, alioqui dilectus nõ est, si quid aliud præter ipsum cordi adhibeatur. [s] Botrus cãphoræ.] Species est odorifera. Amicus (inquit) meus factus est mihi vt botrus cãphoræ in Engaddi, quæ ter per annum fructificare dicitur. Sic Deus mihi sæpius pepercit, et repetiuit munera. [t] Ecce tu pulchra es.] Vide, vt mox, vbi sponsa recordatione prioris vitæ se deiecit, sponsus eam erigit. Pulchra (inquit) es, et oculi tui, præcipui videlicet in populo, qui nunquã recesserunt à Deo, sunt tanquã oculi columbarum, vel, quia pulchros columbæ habent oculos, vel, quòd ferunt, genus quoddam esse columbarum, quæ ita comparem amant, vt eo mortuo, alterum non admittant. Non tam (inquit) irritor pessimis

pessimis multorum in populo factis, quàm patrum tuorum recordatione placor, qui mihi chari fuerunt. Propter Abrahã inquit, & Isaac, & Iacob. [u] Ecce tu pulcher es.] Reddit amoris vicissitudinem sponsa. Tu verè es pulcher & decorus. & verò quod placeo, tuum est. Lectulus noster floridus. Hoc est, multos filios simul genuimus. Accipiunt per lectum, templum, quod multos generabat ei filios, dum in legitimo Dei cultu continebat. per tigna domorũ, & laquearia, fabrica domus.

CAPVT II.

A [a] Ego rosa Saron, & lilium conuallium. [b] Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias. [c] Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios. [d] Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. [e] Introduxit me in cellam vinariam, insigniuit in me charitatẽ. [f] Fulcite me phialis, stipate me malis, quia amore langueo. [g] Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosq; camporum, [h] ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectionem, donec ipsa velit. [i] Vox dilecti mei. ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est [k] dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. Dilectus meus loquitur mihi. Surge proxima mea, formosa mea,
C & veni. iam enim hiems transijt, imber abijt, & recessit. [l] Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita est in terra nostra, ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederũt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. ostende mihi faciẽ tuam, sonet vox tua in auribus meis. vox enim tua dulcis, & facies tua decora. [m] Ca-
D pite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. nam vinea nostra floruit. [n] Dilectus meus mihi & ego illi, qui pascitur inter lilia, [o] donec aspiret dies, & inclinẽtur vmbræ. [p] Reuertere, similis esto dilecte mi capreæ, hinnuloq; ceruorum, super montes Bather.

SCHOLIA.

[a] Ego rosa Saron.] Locus erat, optima habens pascua, sicut in Libano cedri erant, & in Carmelo fructiferæ arbores, et in monte oliueti oliuæ, sic Saron celeber erat vbertate pascuorum. Verbà ergo sunt sponsæ, quæ vbi se acceptam sponso intellexit, non veretur speciem suam prædicare. Gloriatur autem, non ex se, vel in se, sed in Deo, & ex membris. sentit enim se pulcherrimam in filijs, quos per sponsum genuerat. Quamobrem & ipse sponsus approbat sponsæ verba, et ait. [b] Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.] Lilia inter spinas, viri boni inter malos. Hoc ergo dicitur, vel quia præsens ecclesia, cũ malos permixtos habeat bonis, est tanquam lilium, cui spinæ annexæ sint, vel quòd sola ecclesia in morem lilij pulchra, cæteræ gentes quæ ab ea sunt seiunctæ, sint tanquam spinæ. Vicissim vero in amantium morem et iam sponsa formam sponsi commendat dicens. [c] Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.] Non sola tu specie (inquit) es commendandus, sed suauitate & gustu multò magis. Es enim veluti malus pulcherrima & iucundissima inter arbores, & tibi quisquis voluerit alius comparari, is erit veluti syluestris quædam & infructifera arbor. Et perinde quasi in huius arboris contemplatione immoretur addit. [d] Sub vmbra illius, quem desideraueram, sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.] Huius mali vmbra (inquit) me protegit, & fructus pascit. Aliqui per vmbram accipiunt beneficium columnæ ignis & nubis, & per fructum manna. [e] Introduxit me rex in cellam vinariam.] Vel, vt Hebraismus habet, in domum vini insigniuit in me charitatem, vel, & vexillum eius est super me charitas. Introduxit (inquit) me rex in cauponariam, ad quam accedunt epulari volentes, cuius insigne est charitas, illud autem, in me, vel, super me, idem est, quod, propter me. Apposite sanè, & eam domum, in quam introducta est, nimirum refocillanda, appellat domum vini, eius videlicet, quo repleti fuerunt apostoli, cum ebrij existimabantur. & signum illius domus (nam eiusmodi tabernæ suspendunt signum aliquod) charitatẽ fuisse dicit, vt ecclesiæ domus hospitium charitatis vel amoris propriè sit. [f] Fulcite me phialis.] Cum langueam ob amorem, facite mihi, quod ægris fieri solet, vt liquoribus suauibus, & pomis recreentur. Hoc autem vel simpliciter dicit, vt declaret, morbum hanc huius peregrinationis molestam sibi videri, vel gentes alloquitur, vt dicat, multas molestias, atque infirmitates pertuli hactenus ob amorem eius. quare ne me amplius affligatis, sed potius sustetetis. [g] Leua eius sub capite meo.] Cupio habere, quod olim habebam, cum ita me sustentabat, vt videretur, leuam supposuisse capiti meo, et dextera complexatus. Tu verò obserua, vt morem exprimat amantium, qui varios eodem momẽto miscent affectus, & animum ix. diuersas cogitationes eodem tempore distrahunt. ecclesia ergo cum rerum vicissitudines experiatur, in medys afflictionibus meminit fœliciorum temporum. Hebræi intelligunt sinistram exitum ex Aegypto, dexterã ingressum in terram promissam. [h] Ne suscitetis dilectionem.] Intelligit sponsum. Sequitur enim sponsa loquens. Et quod ait. adiuro vos per capreas. mirus est Hebraismus. significat enim, nisi id præstent, quod petit, futurum, vt expositi sint omnium venationi, tanquam capreæ & cerui. Alloquitur vel gentes, vel suos, ne peccando causam præbeant suis afflictionibus, vt discedat à complexu sponsi, ne scilicet vel auellatur à diuinis contemplationibus ob hostium perturbationes, vel eandem ob causam in infirmitatibus, qui in ecclesia sunt, aliquid detrimenti patiatur. [i] Vox dilecti mei.] Narrat sponsa principium amoris. memini (inquit) cum veniebat, quo tempore eram in Aegypto, sicut qui transilit colles, acceleras iter, vt decurtaret tempus Aegyptiacæ captiuitatis, & velocitate æquabat capreas ac ceruos. Stabat tanquam post parietem, quasi per fenestras cœli contemplans. ideirco dixit. Vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto. [k] Dilectus meus loquebatur mihi.] Per Mosen, et Aharon, inuitans, vt exirẽt è terra Aegypti, et irẽ in terra promissam. Tã inquiens, hiems transiit, quadringẽti videlicet illi anni, et afflictionis tẽpus. imber, octoginta, vt ferunt, anni quibus laborabãt in luto et latere, et cæde masculorũ. [l] Flores apparuerũt.] Moses et Aharon. tẽpus putationis aduenit, vt perstet in metaphora tẽporis Veris, quo Hebræi de Aegypto exierũt. Sed quia vox Hebræa significat etiã canticũ. Vel ad literã canticũ accipe anin, quod vere maxime viget, vel tẽpus cantici, quod cecinit populus Israel. Sic illud, Vox turturis, offerendæ in templo. Ficus, primitiæ fructuum. Vineæ, ex quibus

offerretur vinum in altari. Quanquam illud. Ecce iste venit, &c. rectius ad Christi aduentum refertur, quod & Hebræi olim senserunt, & per motes cultum alienum intelligunt, quem pertransyt. Et illud, tempus putationis, sic interpretati sunt Venit tempus, Vt redimatur Israel, & amputetur præputium, de quo dictum est Deutero. xxx. Circuncidet Dominus Deus tuus cor tuum, & cor seminis tui ad diligendum Dominum Deum tuum, & lex conuertetur ad nouitatem, & renouabitur Israel, sicut dictum est Ieremiæ. xxxi. Et scindam cum domo Israel, & cum domo Iuda pactum nouum, id est: legem nouam. Hæc illi. Vbi duo notantur, Vnum, quòd circunciso tempore Messiæ spiritualiter facienda erat. Alterum, quod lex ad nouitatem erat conuertenda, ad legem nouam, quam Messias daturus erat. Inuit at ergo Christus synagogam, Vt relicto squallore litteræ, tanquam hieme quadam, ad legem nouam, tanquam ad pulchrum Ver transeat, quo tempore formosissimus est annus, & ad præclarissima quæque negocia aptissimus. Inuitat ergo eam, Vt, quæ in terra Iudæa tantum, tanquam in scissuris petrarum delitescebat, iam se prodat, & toti mundo appareat, ac declaret, quàm & eius vox dulcis, & facies sit decora. Quid enim auditu suauius, quam quod ab ecclesiæ Christi ore proficiscitur? aut quid eius facie magis decorum est, cum sola propter Christum vincula ipso cœlo illustriora ab ijs existimentur, qui in Christianam philosophiam sunt ingressi? Sin hæc verba ad exitum de Aegypto referas, sic licet interpreteris. Tu, quæ tanquam colũba in scissuris petrarum delitescis, ostende iam te, & me sequere. Ad quam enim conuerteris in afflictione? ad Aegyptios, an ad me potius? Sonet vox tua, quæ mihi dulcis erit cum profitebere dicens. Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Et tunc etiam nitescet tua facies. [m] Capite nobis vulpes.] *Verba sunt sponsi, quibus admonet præuidendum, ne vel perfidi, vel hæretici hujus nascentis ecclesiæ initia, tanquam florentes vineas corrumpant. Vel alloquitur Vndas maris, Vt capiant Aegyptios fraudulentos, qui, cum filij Israel adhuc parauli essent, in morem florentium vinearum, insidiabantur illis.* [n] Dilectus meus mihi.] *Rursum amatoria verba. Ego dilectum (inquit) meum amo, & ille me. Ego peto ab eo, & ipse vicissim mihi præcipit. Quod alijs gentibus, quæ Deum non nouerunt, vsu non euenit. Non enim fecit taliter omni nationi. Qui pascitur (inquit) inter lilia, inter odores, fragrantiasq; virtutum.* [o] Donec aspiret dies.] *Vel, cum aspirauerit dies. Non possum, ait sponsa, venire, donec producatur dies, & fiat longior, & recedant vmbræ noctis. Eram enim charæ sponsо ante quam peccarem, & non possum illum iterum adire, nisi recedat peccatum, tanquam hyems.* [p] Reuertere.] *Quia vox Hebræa, quam omnes verterunt, reuertere, significat etiam causam, potest hic sensus esse. Ob hanc causam abibat dilectus meus à me, tanquam caprea, aut hinnulus. Et pulchre quadrat. Quod ait, super montes Bather, significat enim diuisionem, qua diuisus erat sponsus ab ea.*

CAPVT III.

A [a] IN lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea. quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea, vidistis?
B [b] Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. [c] Adiuro vos filiæ Ierusalem per capreas ceruosq; camporum, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectionem, donec ipsa velit. [d] Quæ
C est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij. [e] En lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi. Vniuscuiusq; ensis super fœmur suum, propter timores nocturnos. [f] Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani. colũnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum
D purpureum media charitate constrauit propter filias Ierusalem. Egredimini & [g] uidete filiæ Sion regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

SCHOLIA.

[a] In lectulo meo.] *Vbi me destitutum sensi, solumq; derelictam, Vt iam dicere non possem. Lectulus noster floridus. Sed relictus esset lectus solitariæ, Vt appellari posset lectus doloris non voluptatis. In ipso lectulo totis noctibus quærebam mœrens, quem diligit anima mea, sed non inueniebam. Cum videlicet, peccanti populo, nunc rebelli, nũc murmuranti iratus erat. Tempus illud mihi nox erat, cum in tenebris peccati agerent membra mea. Quare moræ impatiens, in mulieris amantis morem, quæ amissum sponsum omnibus locis quærat, ita ego discurrebam in longo illo quadraginta annorum circuitu, & squalenti eremo, quærens, sed non inueniebam, quo pacto placaretur. In illa anxietate incidi in custodes, Mosen & Aharon, qui custodes erant ciuitatis, id est, ciuium meorum. A quibus interrogabam, num, quem diligit anima mea, vidissent: hoc est, vs intercessoribus vtebar ad reconciliandum mihi sponsum. Verum non respondерunt y mihi. Nam tantum abest, Vt introduceret me in terram promissam, Vt ne ipsi quidem ingredi quiuerint. At,* [b] Cum paululum pertransissem eos.] *Post earum videlicet mortem, ac tempore Iosue, qui Veri Iesus typus fuit, inueni quem diligit anima mea, & fauorem eius experta sum. Quem inuentum tenui, nec dimisi, donec inueni locum Domino, tabernaculum Deo Iacob, quod fixi, atque illuc introduxi eum, nempè in domum matris meæ, in antiquam videlicet progenitorum meorum regionem, in qua olim Abraham, Isaac, & Iacob, habitauerant. Potest autem hæc enarratio sic aptari, Vt exprimatur mos ecclesiæ Christi, ac fidelis animæ, quæ, cum videtur ei ablatus sponsus, superiora tempora ad memoriam reuocet, quibus post iram placatus etiam sit. Vt hac recordatione fiduciam recipiat, nec desperet. Interim obseruat, vigiles, ac custodes nostrarum animarum interrogandos esse, ac consulendos, quo pacto inueniatur sponsus, quod quàm sit vtile, vide quid sequatur. Paulum cum pertransissem eos, paulo post illos interrogatos (neque enim totum illi efficere possunt, sed satis est, Vt commonstrent iter, & quasi digitum ad fontem intendat) inueni quem diligit anima mea.* [c] Adiuro vos.] *Hoc superius declaratum est. Verum quòd hic iterum repetatur, videtur illud in causa esse, quòd non semel ecclesia ab hostium infestatione metuerit.* [d] Quæ est ista.] *Verba sunt gentium admirantium, qui esset ille populus, quem præcedebat columna ignis & nubis, qui suffitum faciebat in altari, Vt vapor ille ascendentium, qui esset ille populus, quem præcedebat columna ignis & nubis, qui suffitum faciebat in altari, Vt vapor ille ascenderet, tanquam columna nubis. Quid ni mirentur gentes ecclesiæ dignitatem, cum admirari potuerint, & ipsæ cœlestes Virtutes, & principatus & potestates, quibus per eandem ecclesiam & gentium fidem reuelatam fuisse ait Paulus multiformem hanc*

hanc sapientiam Dei? [e] En lectulum Salomonis.] *Verba sunt sponsi, qui pluris (inquit) facio lectum sponsæ, quàm illum Salomonis, cuius apparatus is erat, qui hic describitur. Aly tamen putant describi, & laudari apparatum castrorum in deserto, & per lectum Salomonis intelligi arcam fœderis, quam circunstabant Hebræorum tribus, sexcenta scilicet millia pugnatorum, quæ per sexaginta fortes significantur, Vt Vnus pro decem millibus accipiatur. Et hi erant instructi ob timores nocturnos, hoc est, repentinos incursus hostium.* [f] Ferculum vel, palatium.] *Pendet hoc à superiori, quòd scilicet nihil æstimet illum splendorem ædificij Salomonis, præ lectulo & amore sponsæ. Aly referunt ad templi, aly ad tabernaculi descriptionem, quæ tamen omnia ad testificandum amorem sponsi erga se pertinent, de quo alibi scribitur. Nõ fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Columnas argenteas dici putant, quòd intra tabernaculum essent quatuor columnæ, quarum bases erant argenteæ. Reclinatorium, vel, stratum, seu pauimentis, aly propitiatorium intelligunt, quod erat quasi sedes Dei, eratq; ex auro purissimo. Ascensum, vel vehiculum, siue cortinam, velum erat in columnis surrectum, & pendens, diuidensq; sanctum, & sanctum sanctorum, eratq; in eo varietates purpureæ intextæ. In medio, id est, intra templum erat amor, hoc est, Cherubin, & tabulæ, & arca. Dicit ergo sponsus, malle se amorem sponsæ, & interiorem affectum, eoque magis delectari quàm extrinseco illo solenniq; apparatu.* [g] Videte regem Salomonem.] *Hebræi quoque interpretantur per Salomonem Messiam, qui (inquiunt) creauit omnia. Et matrem accipiunt populum Iudæorum. Hic est ergo illa pax, qui fecit vtraque vnum. Hunc coronauit mater, hoc est, synagoga, cum accipiendo legem eius, accepit eum in regem, in die desponsationis, cum sibi despondit populum illum. Mater autem eius appellatur, quòd ex ea gente carnem acceperit. Egredi autem iubentur, nempe à cauernis literæ. Alioqui illum non agnituræ.*

CAPVT IIII.

A [a] QVam pulchra es amica mea, quam pulchra es: oculi tui columbarum intra cincinnos tuos. [b] Capilli tui sicut greges caprarum, quæ descenderunt de monte Galaad. [c] Dentes tui sicut greges ordinati qui ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & orbata non est inter eas. [d] Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce. [e] Sicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ
B intra cincinnos tuos. [f] Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis. mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. [g] Duo vbera tua, sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs, donec aspiret dies, & inclinentur umbræ. [h] Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Mecum de Libano, veni, contẽplaberis de capite
C Amana, de vertice Sanir, & Hermõn, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. [i] Vulnerasti cor meũ soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno ligamine colli tui. Quam pulchri sunt amores tui soror mea sponsa, meliores sunt amores tui vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. [k] Fauum distillant labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum
D tuorum sicut odor thuris. [l] Hortus conclusus soror mea sponsa, porta conclusa, fons signatus. [m] Plantationes tuæ paradisus malorum punicorum cum fructibus suauibus cyperi cum nardis. Nardus, & crocus, fistula, & cinnamomum, cum vniuersis lignis thuriferis, myrrha & aloe cum omnibus primis aromatibus. [n] Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt de Libano. [o] Surge aquilo, & veni auster, perfla hortum meum, & fluenta aromata illius. Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum.

SCHOLIA.

[a] Quam pulchra es.] *Vel, ecce tu pulchra es. Cum huic epithalamio propositum sit, speciem, vel ecclesiæ, vel cuiusuis animæ fidelis sub corporeis imaginibus describere, hoc loco & sequentibus, tanquam mulieris pulchræ eas partes contemplatur, è quibus emicare in primis gratia solet. Per oculos accipiunt primos in populo, quemadmodum & oculi primas tenent in corpore. Intra cincinnos addit, Vt metaphoram faciat gratiorem, quando cincinni addunt oculis gratiam. Quanquam Hebræi, intra cincinnos interpretantur, intra castra, vbi collectus erat populus, tanquam cincinni.* [b] Capilli tui sicut greges caprarum.] *Infirmos accipe in populo. Sunt (inquit) sicut greges caprarum, quæ descenderunt de monte Galaad. Intelligit cum Iacob veniebat de Mesopotamia. Gene. xxxi. Vt intelligas eorum ordinem.* [c] Dentes tui.] *Fortes etiam (inquit) sunt milites tui, omnes integri, & malus non est inter eos. Sic nimirum in ecclesia Christi vsu venit, Vt nemo cuiusuis status, modo Christum ex animo profiteatur, in ea sit, cui desit sua species & pulchritudo.* [d] Sicut vitta coccinea labia tua.] *Nã hoc colore labia commendantur. Hoc significatur gratia sermonis, atque in dictis constantia. Quare non ineptè quidam alludi putant ad filum coccineum, quod Rahab posuit, & seruauit ei populus fidem.* [e] Sicut fragmen mali punici.] *Nam rubor inat genas, Vt intelligas, quàm pulchram ecclesiæ faciem præbeat verecundia, atque modestia, præsertim in ætate iunioribus. Verum, quia dictio Hebræa, quam interpretes verterunt genas, significat etiam vacuum, atque ob hanc causam hanc appellationem habet gena apud Hebræos, quod vacua carne sit, ideo hoc loco accipi possunt y, qui vacui, & viliores alijs videntur, qui in ecclesia plenì tamen virtutibus sunt, in morem malorum punicorum.* [f] Sicut turris Dauid collum tuũ.] *Robur tuum, ipsa videlicet Ierusalem, tanquam fortitudo Israelis. Et quod ait. Quæ ædificata est, cum propugnaculis, vel, Vbi vertit, lapidibus prominentibus. Potest etiam verti, quæ ædificata est ob discendum. Vel quòd eo artificio facta esset, Vt aly inde discerent fabricare, vel quòd ibi erat schola doctrinæ. Per mille clypeos numerositas discipulorum designatur. Omnis armatura fortium, nam ibi erat doctissimorum hominum schola, qui erudiebant populum.* [g] Duo vbera tua.] *Moses & Aharon, vel tabulæ testamenti. Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ. Donec illucescat dies euangelicæ prædicationis, & recedant vmbræ legis, Vt dici possit. Nox præcessit, dies autem appropinquauit. Lex enim pedagogus noster fuit in Christum. Quidam Hebræi sic exponunt. Donec venit tempus, cum clara luce peccasti, & recesserunt vmbræ excusationum.*
[h] Ac vadã ad monte myrrhæ.] *Vel, ibam ad montem Moria, vbi scilicet templum factum est. Sponsus adhuc loquitur, Feci (inquit) tibi templum, Vt te bonam redderem. Tunc tota pulchra eras, & macula non erat in te. Et tanquam ad illum locum sponsam inuitans, perinde quasi res tunc ageretur, dicit. Mecum de Libano, &c. Et putant hunc Libanum montem aliud esse Vltra Iordanem, vnde filij Israel venerunt in Iudæam. Contemplaberis de capite Amana, &c. Hoc est, ex his montibus*

montibus intueberis, tibi promissam terram, ex his, inquam, montibus, vbi habitant Leones & Pardi. Quidam Hebræi putant, hic fieri mentionem illius temporis, cum destructo templo, quod hic Libanum appellat, quòd ex lignis Libani factum esset, populus in captiuitatem ductus est, vt sit sensus. Mecum existi de Libano, id est, templo, & mecum eodem reuertetur. Tunc contemplaberis de vertice horum montium populum redeuntem à captiuitate. quod quidem verum esset, si illud intelligerent apostoli. Cum plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israel saluus erit. Et quo pacto etiam reliquiæ seruandæ sint. Sed melius sic interpretarentur. Egredere mecum de Libano, hoc est, desere corporeum templum, & figuras legis, & contemplare tam quam ex eminenti specula, & altissimis montibus fidelium multitudinem, ad fidem venientem. Vt miueris & ipsa, dicas cum Esaia. Quis mihi hos genuit? i Vulnerasti.] *Vel, abstulisti, siue fascinasti. Si haberes tantum (inquit) vnum oculum, abstulisses cor meum, nedum in tanta ista pulchritudine. Mirum huius carminis artificium, ad exprimendos amantium affectus. Ex quo etiam intelligi datur, quantus sit Dei erga genus nostrum affectus, & charitas: quam conatur spiritus sanctus his amatorys moribus explicare. Per oculum intellige, vt alibi diximus, vel Mosen, vel præcipuum quemque è populo. Per ligamen, vel torquem colli, vnum ex fortibus. Et illud, quàm pulchri sunt amores tui, &c. Gratior es mihi (inquit) omnibus alijs populis, & longe iucundior, quam quinis suauissimi vini gustus, & odor virtutum, qui à te emanat, superat aromata omnia.* k Fauum distillantia labia tua.] *Propter doctrinam diuinæ legis, nam fauus mellis composita verba, ait idem Salmon. Odor vestimentorum, ob vestes sacerdotales, quarum vsu, dum erat legitimus cultus, multa fiebant bona opera.* l Hortus conclusus.] *Cum te apprehendi, ac mea donaui gratia, fuisti virgo immaculata, & tanquam hortus obseratus, vbi flores ac herbæ integræ atque intactæ manent, & veluti fons occlusus, quem nullus perturbauerit. Sic portam occlusam vocat, quæ nullius, vel ingredientis, vel egredientis sit temerata vestigijs.* m Plantationes tuę.] *Vel, rami tui, &c. Comparat sponsam his rebus omnibus ob eius virtutes, ac pulchros mores, & consuetudinis inter omnes gratiam.* n Fons hortorum, puteus aquarum.] *Quæ scilicet rigant has species. Significat autem, populum hunc habituſſe fœcunditatem & copiam bonorum spiritualium.* o Surge aquilo.] *Vel expergiſcere. Alloquitur propheta, vel sponsa ventos oppositarum regionum, vt flet, et ex arboribus horti sui exeuntiant aromata, quæ parata sint sacrificijs faciendis. Nam veniet (inquit) dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.*

CAPVT V.

A E[a] Go veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum meum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo. comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. [b] Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium. [c] Expoliaui me tunica mea, quomodo induar, illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? [d] dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit intra me. Surrexi B vt aperirem dilecto meo, manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei myrrham transeuntem vsque ad pessulum ostij. Aperui dilecto meo, [e] at ille declinauerat, atq; transierat. [f] Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est. quæsiui, & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi. [g] Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum. [h] Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quod amore langueo. C [i] Qualis est dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? [k] Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. [l] Caput eius aurum optimum, cincinni eius condensi, & nigri quasi coruus. Oculi eius sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ sunt lotæ, & residentes super plenitudinem. [m] Genæ illius sicut areolæ aromatum cõsitæ, & germina odorifera. Labia eius lilia distillantia myrrham primam. Manus illius sphærulæ aureæ, plenæ hyacinthis. Venter D eius eburneus, obductus sapphiris. Crura illius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas. Species eius vt Libani, electus vt cedri. Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis. talis est dilectus meus, & iste est amicus meus filiæ Ierusalem.

SCHOLIA.

[a] Ego veni in hortum meum.] *Illud, quod aly verterũt. Comedi fauum meum, &c. Rectius est, cannam mellis cum melle meo, & bibi vinum meum cum floribus vini mei, vt his verbis significaret, sibi ita illud sapuisse, vt etiam flores ac fæces biberit. Respondet enim Deus superioribus sponsæ verbis, dicens. Ego olim veni, & accepi vestra sacrificia gratiosè, etiam ipsas faces sacrificiorum, & erant mihi grata, tanquam mel, &c. Et dicebam. Comedite amici mei. Nempe sacerdotes, et Leuitæ. At vos ingrati fuistis, & me ad iram prouocastis.* [b] Ego dormio.] *Verba sunt sponsæ, quæ accusat populi sui peccatum, & ait. Ego dormiebam, nolens bene facere, & cor meum, hoc est, Deus, vigilabat, vt me custodiret. Vox dilecti pulsabat per manus prophetarũ, dicẽs, aperi mihi per pœnitentiam. Caput meum plenum est rore salutifero. Nam vos omnibus prodesse rebus dicitur, at pluuia non omnibus. Voluntas ergo Dei bona est erga omnes, sed vos, qui respuunt dona Dei, ille vos est tanquã guttæ noctium, quæ nocent viatoribus, sic enim quidam Hebræi interpretantur. Sed fortasse melius est, vt idem significare voluerit per rorem, & guttas noctium, vt declaret, se omnia afferre, quæ ad salutem pertineant. Vel significatur per illud, caput meum plenum est rore, &c. Nunquam se cessasse, quin opportune importune inuitaret, eorum more, qui ne nocturnis quidem laboribus, & incommodis parcunt, vt alijs commodent.* [c] Expoliaui me tunica mea.] *Mali in populo respondebant, se deseruisse cultum Dei, quo tanquam vestimento honestabantur, et melius secum agi in cultu idolorum, cuiusmodi verba in Ieremia reperies. cap. xliij. sic enim aiebant. Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, sed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro, vt sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, sicut fecimus nos & patres nostri, reges nostri, & principes nostri in vrbibus Iuda, & in plateis Ierusalem, & saturati sumus panibus, & bene nobis erat, malimq; non vidimus. Ex eo autem tempore, quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indiguimus omnibus, & gladio ac fame consumpti sumus.* [d] Dilectus meus misit manum suam per foramen.] *Cœli videlicet, hoc est, percussiones & flagella, quibus excitata surrexi, vt aperirem, & manus meæ stillauerunt myrrham,*

myrrham, id est, operam dedi rectè factis, & illa myrrha transiuit vsq; ad pessulum ostij, hoc est, hæc bona opera toto corde feci, quæ scilicet penetrarent vsque ad cor, quod vocatur sera hominis. Illud verò, misit manum per foramen, quod ad literam spectat, exprimit morem eorum, quibus cum non aperitur, tentant illi aliquo modo terrere eum: qui intus sit. [e] At ille declinauerat.] *Renuens scilicet accipere mea sacrificia, meq; ex ingruentibus molestijs cõfestim liberare.* [f] Anima mea liquefacta est.] *Vel, exiuit à me. Postquam se abscondit, memor fui vocis eius, & contabui, præsertim cum quærerem eum, & non inuenirem, vocarem, & non responderet mihi.* [g] Inuenerunt me custodes.] *Interea oppressit me Nabuchodonosor, & exercitus eius, percusserunt q; me, & abstulerunt ornamentum meum, hoc est, templum.* [h] Adiuro vos filiæ Ierusalem.] *Fideles in populo, quorum opem implorat, ad inueniendum, vel reconciliandum dilectum. Vel certè gentes, ad quas cum transiret reuocetur tandem ad antiquum amorem, vt reliquiæ seruentur.* [i] Qualis est dilectus tuus ex dilecto.] *Vel, præ dilecto. Quid habet (inquiunt) dilectus tuus plus cæteris dilectis?* [k] Dilectus meus candidus & rubicundus.] *Nunc mitis, nunc seuerus. Quod ad literam spectat, commendat enm à colore primum. Electus, vel insignitur præ decem millibus. Alius exponit, vexillatus à decem millibus, quando scilicet in monte Sina apparuit.* [l] Caput eius] *Principium sermonum eius aurum optimum. Vel, dignitas ineſt ei regia, & tanquam aurea corona caput eius honestatum. Cincinni crispi, quia sensu eloquiorum Dei multas habet interpretationes. Nigri quasi coruus. Non enim senescunt, vt in canitiem vertantur. Alij putant alludi ad literas decalogi. Oculi eius sicut columbæ, quæ lacte sunt lotæ, hoc est purissimæ, ac candidissimæ. Vno enim intuitu contemplatur omnia, neque illi ex hoc intuitu Vllæ sordes allini possint, dum in sese omnia prospicit. Et quod ait. Residentes iuxta plenitudinem, videtur referendum ad oculos, dum scilicet cauillas suas implent oculi, vt neque promineant, neque nimis concaui sint. Et illud, super riuos aquarum, quidam Hebræi referunt ad dilectum, sic. Quando ipse stat super riuos aquarum, quod aptè significabit, cum per verbum, informis illa rerum massa, quæ etiam aquarum nomine appellatur, formam suam accepit.* [m] Genæ illius.] *Diximus supra, genas esse partes illas in facie, quæ vacuæ carne sunt, & fortasse significat illud, quod imperitioribus videtur minus perfectum in creaturis, in sapientia tamen Dei esse absolutissimum. Nam, vt ait apostolus. Quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus. Labia, eloquium purum, & incorruptionem præstans. Manus, quibus tabulas legis dedit. Vel virtus, ac potestas operandi. Venter, occultatio diuinorum iudiciorum. Crura, vis, quæ sustentat omnia. Guttur suauitas sermonis, &c.*

CAPVT VI.

A Q[a] Vo abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum? [b] Dilectus meus descendit in hortum suum ad areola aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. [c] Pulchra es amica mea vt castrorum acies ordinata. [d] Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me superbire fecerũt. B Capilli tui sicut grex caprarum, quæ descenderunt de Galaad. Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & orbata non est in eis. Sicut fragmen mali punici, sic genæ C tuæ intra cincinnos tuos. [e] Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, immaculata genitrici suæ. Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt. reginæ & concubinæ, & laudauerunt eam. Quæ est ista, quæ D progreditur, quasi aurora, pulchra vt luna, clara vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? [f] Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallis, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. [g] Nesciui, anima mea posuit me vt essem quadriga populi spontanei. [h] Reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te. Quid videbis in Sulamite, simile choris castrorum?

SCHOLIA.

[a] Quo abijt dilectus tuus?] *Verba sunt sociarum, vel gentium, quæ audita Dei fama, & promissorum, quæ Iudææ genti facta sunt, & ipse quæsierunt agnoscere eum. Referunt autem hoc Hebræi ad tempus, quo captiua abducta est à Philistæis arca, cum qua abysse dicebatur Deus, cuius sedes esset arca ipsa.* [b] Dilectus meus descendit in hortum.] *In tabernaculum, vel templum, vbi sunt aromata, vt pascatur ibi odore bonorum operum. Et illud. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, vicissitudinem amoris indicat, quod & superius dixit. Dilectus meus mihi, & ego illi.* [c] Pulchra es amica mea vt Thirza.] *Erat hæc ciuitas intra decem tribus.* [d] Auerte oculos tuos à me.] *Hebræi interpretantur de secundo templo, & cur Deus non præstiterit in eo, quæ in primo fuere. Ne petas (inquit) illa, quæ desunt in hoc templo, quia in priori templo nimis superba fuisti ob dona mea. Licet etiam simpliciter intelligas dictum amatoriè, ad exprimendos affectus amantium, vt declaretur in hoc sacro carmine, quàm vehementer nobis affectus sit Deus. Quod verò sequitur de capillis, dentibus, &c. Dicti*ũ *est supra, hæc autem repetitio consentanea amantibus est.* [e] Sexaginta sunt reginę.] *Si haberem (inquit) ingentem numerum vxorum, nulla esset tibi par. Sexaginta nati sunt ex Abraham, octoginta ex Ismaele, & ex gentibus sunt innumeræ, sed vna est columba, vna genitricis suæ, hoc est, fidei, quæ hanc Deo genuit. Non enim omnes, qui ex Israel sunt, sunt Israel, neque quia semen sunt Abrahæ, iccirco omnes filij, sed in Isaac vocabitur tibi semen, hoc est, non qui filij carnis, hi filij Dei, sed qui filij sunt promissionis, æstimantur in semine. Deinde ad contemplandam iterum cum admiratione speciem eius conuertitur dicens. Quæ est ista, quæ progreditur, &c.* [f] Descendi in hortum nucum.] *Sponsus loquitur, et appellat templum hortum nucum, populus q; comparatur nuci, dum foris aliud apparet, aliud intus includitur. Sed rectius fortasse appellatur templum hortus nucum, quod ibi exterior figurarum cortex delitescentem rerum veritatem claudebat intrà se. Descendit ergo, vt videret fructus vallium, hoc est, recte facta humilium, &, num illa Domini exercituum vinea floruisset, & malogranata, quæ in margine tunicæ summi sacerdotis locabantur, germinassent, hoc est, opera sacerdotum, ac leuitarum.* [g] Nesciui.] *Sinagoga loquitur. Non animaduerti, & ecce anima mea, hoc est, studium ac voluntas mea prauа posuit me quadrigam, hoc est, oppressam ab alienis populis. Appellat populum spontaneum, vel munificum, ob reges, qui ita appellantur, vt apud Esaiam. Introibunt portas munificorum, vel beneficorum, hoc est, ducum. Iccirco in Euangelio ait Dominus. Et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Verti etiam potest, populum tributarium, quia recipiebat tributa. In hoc enim carmine memorat rerum vicissitudines, nunc diuini fauoris, nunc iræ, & castigationis. Videtur autem hic dicere,*

illud,

illud, quòd aliquando permissa sit affligi, non sponsi culpam fuisse, sed suorum vitio id euenisse. [h] Reuertere Sulamitis.] *Ierosolymita, vel integra, seu perfecta. Gentes inuitant Synagogam ad cultum suorum Deorum, quibus illa respondet. Quid videbis in Sulamite, simile choris castrorum? Illud autem, videre in Sulamite, Hebraismus est, pro, afficere beneficijs. Quid ergo (inquit) mihi dabitis, quod simile sit choris illis, quos ducebamus in castris?*

CAPVT VII.

[a] Vam pulchri sunt grssus tui in calceamentis filia principis? Iunctura fœmorum tuorum sicut monilia, [b] quæ fabricata sunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis. Venter tuus, sicut aceruus tritici, vallatus lilijs. Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Collum tuum sicut turris eburnea. Oculi tui, sicut piscinæ in Hesebon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Frons tua, sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum. Caput tuum vt Carmelus, & comæ capitis tui, sicut purpura regis, iuncta crinibus. Quam pulchra es, & quam decora charissima in delitijs? [b] Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. Dixi. [c] Ascendam in palmam, & apprehendam summos ramos eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor naris tui, sicut odor malorum. Palatum tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, & quod eructatur per labia dormitantium. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Veni dilecte mi, [d] egrediamur in agrum, commoremur in illis. Mane surgamus ad vineas, videamus, si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi amores meos. Violę dederunt odorem. In portis nostris sunt omnia poma noua & vetera, quæ dilecte mi seruaui tibi.

A B C D

SCHOLIA.

[a] Quam pulchri sunt gressui tui.] *Cum sponsa laudat sponsum, incipit à capite. Hic sponsus commendans sponsam, à pedibus exordiatur. Nam nos petimus à Deo, vt descendat ad nos, ille, vt nos ad eum ascendamus. Gressus tui, cum ter per annum inuisebas templum meum. Vel illud potius est, quod Esaias ait. Quàm pulchri pedes euangelizantium pacem. Et quod ait. Filia principis, scilicet Abrahæ. Iuncturæ fœmorum, propter agitationem, quæ cũ illis fit in incessu, vel, coniunctio vtriusque populi, gentium & Iudæorum. Vmbilicus, et venter, fœcunditas in gignendis filijs, qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt. Hebræi per Vmbilicum intelligunt scholam, vbi erat doctrina, & erat in medio Ierusalem, sicut Vmbilicus in corpore. Per Ventrem legem, sine qua non viuitur, vel, quæ filios generat Deo. Et illud, Vallatus lilijs, siue rosis. Vt rosæ significent sepem debilem, quam quiuis transilire facile possit, sed tamen recti ob reuerentiam minimè eam transiliunt. Duo Vbera, duo testamenta, vel regnum & sacerdotium. Collum, fides, quæ coniungit corpus ecclesiæ capiti Christo, vel templum, tanquam robur quoddam. Oculi iusti, sicut piscinæ in Hesebon, vel sicut benedictus in numero, qui magno numero benedicebat. Quæ sunt in porta, vel, propè portam. Filiam multitudinis putant appellari Ierusalem, quòd esset plena populo. Frons, fiducia prædicandæ veritatis. Hebræi accipiunt luminam, quam ferebat pontifex in fronte. Caput, Nazarei, qui nutriebant comam, q maiori pallebant sanctitate.* [b] Statura tua assimilata est palmæ.] *Dum non inflecteris, neque incuruas te ad simulachra. Vbera, viri docti ac pij, qui alios nutriunt.* [c] Ascendam in palmam.] *Vellem (inquit) occupare hanc arborem. Fac ergo vt sint Vbera tua sicut botri. Palatum tuum, hoc est, gustus, sit sicut vinum optimum, dignum dilecto meo, hoc est, quouis amico. Et illud, quod eructatur. Vel, quod loqui facit labia dormientium. Dum scilicet patres, qui iam dormierunt, gaudent illic eorum rectè factis.* [d] Egrediamur in agrum.] *Iudica me (inquit) in eorum morem, qui habitant in Villis, qui scilicet minus mali sunt, & ne mecum agas, vt digna sum, sic enim quidam Hebræi interpretantur. Sed rectius intellige dilatationem fidei per orbem omnium terrarum, cum scilicet apostoli egressi ciuitatem Ierusalem, gentibus, qui tanquam in pagis, vnde & pagani dicti sunt, habitabant, longe à ciuilibus, sanctis q moribus, verbum fidei prædicarunt. Et pulchrè sequitur. Mane surgamus ad vineas, hoc est, ad custodiam animarum, &c. Ibi dabo tibi amores meos. Ibi, in locis orationum, piarumq meditationum ostendam quòd te amem. Violæ. Discipuli, In portis nostris, in domibus doctrinæ mandata sunt nouæ ac veteris legis, ac testimonia, quæ gloriæ tuæ seruire debent.*

CAPVT VIII.

[a] Vis mihi det te fratrem meum, sugentem vbera matris meę, & inueniam te foris, & deosculer te? etiam me nemo despiciet. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. [b] Leua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Ierusalem, ne suscitetis, neq; euigilare faciatis dilectionem, donec ipsa velit. [c] Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, innixa super dilectum suum? [d] Sub arbore malo suscitaui te, [e] ibi genuit te mater tua, ibi peperit genitrix tua. [f] Pone me, vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. quia fortis est, vt mors, dilectio, dura sicut infernus æmulatio. Lampades eius lampades ignis, & flamma magnifica. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. [g] Si dederit homo omnem substantiã domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. [h] Soror nostra parua, & vbera non habet. quid facienus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea, si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis. Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo, quasi pacem reperiens. [i] Vinea fuit Salomoni, in ea, quæ habet populos. tradidit eam custodibus. vir affert pro fructu eius mille argenteos. [k] Vinea mea coram me est, [l] mille tibi ò Salomo, & ducenti ijs, qui custodiunt fructus eius. [m] Quæ habitas in hortis, socij auscultant, fac me audire vocem tuam. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloq; ceruorum super montes aromatum.

A B C D

SCHOLIA.

[a] Quis mihi det.] *Sensus literæ est. Quis mihi det, vt sis frater meus, natus ex eadem matre, vt cum inuenirem te, possem deosculari, & tunc nemo me despiceret, cum fratrem meum deosculer. Mysticè verò sic dicamus, vt petat accelerari tempus aduentus eius in carne, & dicat. Quis mihi det, vt fias frater noster, & inueniam te in prophetis, ac deosculer, hoc est, amplectar*

eã, amplectar ea, quæ de te scripserunt prophetæ. Et cum foris, hoc est, inter gentes te inuenero, introducam in domum matris meæ synagogæ. Ibi me docebis, reuelabis mysteria, & dabo tibi poculum ex vino condito, hoc est, vera, nõ vmbratilia libamina, & mustum, pietatem recens conuersorum. Illud autem, quis mihi det, &c. Chaldæus interpræs sic vertit. Cum reuelabit se rex Messias ecclesiæ Israel, dicent ei filij Israel. Tu eris nobis in fratrem, deducã te regẽ Messiam, introducam te in domum sanctuarij mei, & docebis me timere Deum. Et alia expositio ait. Deducã te à superioribus ad inferiora &c. [b] Leua eius.] *Tunc ita quiescam, vt videri possit, leuam capiti meo supposuisse, & dextera fuisse amplexatũ. Itaque in hoc rerum statu, adiuro vos filiæ Ierusalem, ac fideles animæ, nequid peccetis, & interrumpatis hoc ocium, ac tranquillitatem.* [c] Quæ est ista.] *Verba sunt gentium, tantam admirantium ecclesiæ pulchritudinem, & sponsi charitatem erga eam.* [d] Sub arbore malo suscitaui te.] *Sponsa loquitur, dicens, se in ligno crucis suscitasse sponsum, hoc est, in ligno crucis se agnouisse, quanto sponsus amore ecclesiam esset prosecutus. Hebræi sic interpretantur. Sub monte Sina, qui interdum appellatur pomum, accepi te Dominum.* [e] Ibi genuit te mater tua.] *Ad literam sic habet. Credo matrem tuam genuisse te sub pomo, ita odore suauis fragras, vt, cum primum sui tecum, viderer mihi sub arbore pomo fuisse. Et pulchrè conuenit in Christum, qui ita promptè ad crucem accessit, ita q eam tota vita, qua nobiscum degere contigit, est amplexatus, vt sub ea natus esse videretur.* [f] Pone me vt signaculum.] *Verba sunt ecclesiæ petentis, ne sui obliuiscatur. Brachium intelligunt Hebræi digitum, vt digiti sint quasi brachia manus. Quia (inquit) fortis est, vt mors, dilectio. Mauult enim amãs mori, quàm relinquere dilectionem. Aquæ multæ gentes multæ, ac persecutiones.* [g] Si dederit.] *Siquis homo alteri dederit omnem substantiam, vt relinquat amorem, is opes illæs despiciet.* [h] Soror nostra parua est.] *Loquitur Christus ad angelos. Habemus sororem, quæ nondum est apta nuptijs, hoc est, nondum est tempus, quo à Messia redimatur. Quid ergo faciemus ei, cum gentes loquentur, vt auferatur nomen eius è terra? Respondetur. Si est murus, hoc est, si steterit, nec se mouerit, ædificabimus super eum palatia, nempe diuina spiritualia ædificia. Si verò est ostium, vt patiatur, per se transire hostes, compingamus palatium tabulis cedrinis, hoc est, re, quæ parum duret, facileq; pereat, ac frangatur, sed ex cedro tamen, quia natura ipsa honorifica est creatura, licet ipsa se deijciat. Respondet ecclesia. Ego murus. Volo (inquit) esse murus, non ostium, & vbera mea, hoc est, lac & doctrina prædicationis, sunt munita & fortia, sicut turris. Et cum hæc dixi, facta sum coram eo, tanquam mulier, quæ pacem apud virum reperit.* [i] Vinea fuit Salomoni.] *Amicus meus, hoc est, Deus habet vineam synagogam, quæ habet multos populos. Tradidit eam custodibus, vel apostolis, vel dedit eam in manus gentium. Vir vnusquisque, afferet, vt habeat de fructu eius tempore Messiæ, mille argenteos, hoc est, studebit habere partem cum eo.* [k] Vinea mea.] *Verba sunt Dei. Vinea mea coram me est, hoc est, sub custodia mea, & vidi, quomodo eam afflixeritis hostes. Vel illud est. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* [l] Mille tibi ò Salomo] *Gentes respondent. Mille argenteos tibi dabimus, et præterea ducentos custodibus fructuum. Quia in Leuitico cap. v. scriptũ est, vt, qui vtilitatem acceperit à rebus sacris, soluat precium rerum, & præterea quintam partem precy addat. nam ducenti est millenarij quinta pars.* [m] Quæ habitas in hortis.] *Verba sunt sponsi, dicentis, ò ecclesia, quæ habitas in hortis, hoc est, amœnis ac fructiferis ob virtutes locis, socij, angeli, audiunt vocem tuam, vt preces tuas ad me afferant. Quare fac me audire eam, hoc est, certò scias, te à me audiri, tametsi ad cœlum ascenderim. Vt in fine epithalamy finis etiam mysterij dispensationis Christi in assumpta carne describatur. Promisit enim Christus, se futurum cum ecclesia vsque ad consummationem seculi, sed expedire, vt iret. Nisi enim abiero (inquit) paracletus non veniet ad vos. His auditis sponsa, atque intellecto sponsi consilio addit. Fuge dilecte mi, et velociter, vt statuisti, transfer te ad cœlos, quò & me aliquando sis euecturus, qui rectè montes aromatum vocantur, tanquam altissima, et munitissima, ac suauissima requies electorum. Hebræi, qui mysteria nostra non intelligunt, dicunt, verba esse synagogæ, petentis à Deo, vt liberetur à captiuitate, & citò mittat, Messiam. Per montem aromatum, intelligunt montem Moriam vbi expectant reparandum templum, in quo aromata adoleantur. Nesciunt enim miseri nisi corporea hæc imaginari, dum velamen positum est super faciem Mosis.*

LIBER SAPIENTIAE.

CAPVT I.

A B C

Diligite iustitiam qui iudicatis terram. [a] Sentite de Domino in bonitate, & in simplicitate cordis quærite illum: quoniam inuenitur ab his [b] qui non tentant illum: apparet autem eis qui fidem habent in illum: P eruersæ enim cogitationes separãt à Deo: Esa. 56.a
[c] probata autem virtus corripit insipientes: quoniam [d] in maleuolam animam nõ introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, [e] & corripietur à superueniente iniquitate. Ierc. 4.c
[f] Benignus est enim spiritus † sapientia, & non liberabit maledicum à labijs suis: quoniam renum illius testis est Deus, & cordis illius scrutator est verus, & linguæ eius † auditor. Quoniam spiritus Domini repleuit orbem terrarum: [g] & † is qui continet omnia, scientiam habet vocis. Propter hoc, qui loquitur iniqua, non potest latere, nec † præteribit illum corripiẽs iudicium. In cogitationibus enim impij interrogatio erit: sermonum autẽ illius auditio ad Deum veniet, ad correptionem iniquitatum illius. Quoniam [h] auris zeli audit omnia, & tumultus murmurationum nõ abscondetur. Custodite ergo vos à murmuratione, quæ nihil prodest, & à detractione parcite linguæ: quoniam sermo † occultus in vacuum non ibit: os autem quod mentitur, occidit animam. [i] Nolite zelare mortem

tem in errore vitæ vestræ, neque acquiratis perditionem in operibus manuum vestrarum. Quoniam Deus D
mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum. Creauit enim, vt essent omnia, [k] & sanabiles fecit
nationes orbis terrarum: & non est in illis medicamentum exterminij, nec inferorum regnum in terra.
[l] Iustitia enim † est immortalis †: impij autem manibus & verbis accersierunt illam: & æstimantes illam
amicam, defluxerunt, & sponsiones posuerunt ad illam: quoniam † digni sunt, † esse ex parte illius.

SCHOLIA.

ET si plerique censent, librum hunc ob phrasin, Philonis Iudæi esse, sunt tamen etiam, quibus videatur admodum verisimile, ipsius esse Salomonis, verùm non haberi in Hebræo canone, quia ignoretur, quis has collegerit sententias. [a] Sentite de Domino in bonitate.] *Bene sentite de Domino, ne eũ credatis iniustitiæ fautorem: sic enim fiet, vt integro corde illum requiratis.* [b] Qui non tentant illum.] *Qui enim iniquè factis operam dant, quasi tentare, atq; experimentum capere velle videntur, num Deus videat, aut obseruet facta hominum.* [c] Probata autem virtus.] δοκιμαζομένη δύναμις, *fortasse significare vult, vim animi bene exercitatam in via Dei: nam eiusmodi homines aptissimi sunt corripiendis alijs.* [d] In maleuolam animam.] κακοτέχνον, *quæ videlicet omni studio atque arte studeat malo.* [e] Et corripietur.] *Si passiuè legas, intellige illum malignum tandem agniturum, nihil sibi profuisse, quòd vitijs ac sceleribus operam dederit. Sin illud* ἐλεγχθήσεται *accipias more Atticorum, actiuè scilicet, significabit, fore, vt superueniente iniquitate, spiritus arguat hominem peccatorem, vt illum tandem pœniteat, se praua ingressum via.* [f] Benignus est enim spiritus sapientia.] φιλάνθρωπον γὰρ πνεῦμα σοφία, καὶ οὐκ ἀθωώσει βλάσφημον ἀπὸ χειλέων αὐτοῦ, *vt sit sensus. Sapientia est quidam spiritus amans hominum, neque patietur, vt blasphemus immunis euadat: nam commune hoc esset hominum dæmonum. Id autem omnino fiet, vt scilicet blasphemus non possit delitescere, neque euadere, quando Deus inspector est omnium abditorum, & secretorum, quæ per renes & cor intelliguntur, vt illud. Scrutãs corda & renes Deus. Et quod addit. Et linguæ illius auditor,* ἀκουστής: *significat omnia obseruari à Deo, etiam futilia quæque, atque inania.* [g] Et is, qui continet omnia.] *Quia spiritus apud Græcos neutri est generis* τὸ πνεῦμα, *etiam neutro genere subiecit,* τὸ συνέχοντα πάντα, *at apud nos vtraque masculino genere sunt pronuntianda. Is ergo spiritus, qui replet orbem terrarum, & continet atque complectitur omnia, scientiam habet vocis, hoc est, agnitionem omnium vocum, & nouit quæcunque per linguam proferri possunt.* [h] Auris zeli.] ζηλώσεως. *Iccircò vocatur Deus Zelotes, qui cum immenso zelo curet salutem generis nostri, nihil negligere potest.* [i] Nolite zelare mortem.] μὴ ζηλοῦτε θάνατον. *Impij enim æmulatione quadam & zelo videntur mortem sectari.* [k] Et sanabiles.] καὶ σωτήριοι αἱ γενέσεις τοῦ κόσμου *est autem illud,* σωτήριοι, *positum passiuè, vt dicat, nationes orbis sua natura aptas esse, vt seruentur.* [l] Iustitia enim est immortalis.] *Vt scilicet, qui ei adhæserint in perpetua salute esse possint.*

CAPVT II.

A DIxerunt enim impij cogitantes apud se non rectè, Exiguum, & cum tædio est tempus vitæ nostræ,
& non est refrigerium in fine hominis, & non est, qui agnitus sit [a] reuersus ab inferis: quia [b] ex nihilo nati sumus, & post hoc erimus tanquam si nõ fuerimus: quoniam [c] fumus flatus est in naribus nostris, & sermo † scintillæ ad commouendum cor nostrum: quia extinctus cinis erit corpus nostrum, & spiritus diffundetur tanquam mollis aer, & transibit vita nostra tanquam vestigium nubis, & sicut nebula dissoluetur, quæ fugata est à radijs solis & à calore illius aggrauata: & nomen nostrum obliuionem accipiet per
1.Par. 29.d tempus, & nemo memoriam habebit operum nostrorum. Vmbræ enim transitus est tempus nostrum, &
Esa.56.d non est reuersio finis nostri: quoniam [d] consignata est, & nemo reuertitur. Venite ergo, & fruamur bonis, B
quæ sunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso, & vnguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis, antequam marcescant: nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrum exors sit [e] luxuriæ nostræ: vbiq; relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra. Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterani reuereamur canos multi temporis. [f] Sit autẽ fortitudo nostra, lex iniustitiæ: quod enim infirmum est, inutile inuenitur. Circumueniamus ergo iustum: quoniam † iniucundus est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & [g] diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. C
Matt. 27.c Promittit se scientiam Dei habere, & filium † Domini se nominat. Factus est nobis in † redargutionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est alijs vita illius, & immutatæ sunt uiæ eius. Tanquam † adulterini æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris tanquã ab immunditijs, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si
Matt. 27.c sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi. † Si enim est ille iustus filius Dei, suscipiet illum,
Iere. 11.d & liberabit illum de manu contrariorum. Contumelia, & tormento interrogemus eum, vt sciamus reue-
Gene. 1.d rentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum, [h] erit enim † eius in- D
2.b.5.a
Eccle. 17.a spectio ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt: & errauerunt: excæcauit enim illos malitia eorum. Et
Gene. 3.a nescierunt † arcana Dei, neque mercedem sperauerunt iustitiæ, nec iudicauerunt honorem animarum sanctarum. Quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem diaboli mors introiuit in orbem terrarũ: imitantur autem illũ, qui sunt ex parte illius.

SCHOLIA.

[a] Reuersus ab inferis.] *Post mortem iterum restitutus vitæ.* [b] Ex nihilo facti sumus.] αὐτοσχεδίως. *Videtur potius velle dicere, rudi ac crasso modo. Impij enim hunc morem habent, vt minimè omnium intelligant sapientiam Dei in humana præsertim fabrica.* [c] Fumus flatus est.] καπνὸς ἡ πνοὴ ἐν ῥισὶν ἡμῶν, καὶ ὁ λόγος σπινθὴρ ἐν κινήσει καρδίας ἡμῶν: *quasi dicat. Spiritus, qui est in naribus nostris, & quo spiramus, est tanquam fumus. Et instrumentum hoc, & quo loquimur, & cuius virtute mouetur cor, est veluti scintilla, quæ facilè extinguitur.* [d] Consignata est.] κατεσφραγίσθη, *tãquam sigillo obsignata, vt nemini reditus aperiatur.* [e] Luxuriæ nostræ.] ἀγερωχίας, *videtur interpres maluisse sensum*

sensum exprimere, quàm verbum, vt sit sensus. Incumbamus strenuè, et omnibus delitijs, ac lætitijs incidamus. [f] Sit autẽ fortitudo nostra lex iustitiæ.] ἔστω δὲ ἡμῶν ἡ ἰσχὺς νόμος τῆς δικαιοσύνης, *hoc est, robur nostrum sit loco legis atque iustitiæ, vt quicquid possumus, id iustum iudicemus, & legem iustitiæ metiamur, non ipsa æquitate, sed nostris viribus.* [g] Diffamat in nos.] ἐπιφημίζει ἡμῖν. *Videtur posuisse pro, obijcit, vt dicat. Obijcit nobis peccata, quæ in nobis ob malam disciplinam deprehendit.* [h] Erit enim eius inspectio.] *Ex verbis (inquit) eius & factis inspiciemus, qui sit.*

CAPVT III.

A IVstorum autem animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum. † Visi sunt oculis insipiẽtium mori, & æstimata est afflictio exitus illorum. [a] Et quod à nobis est iter exterminium: illi autem sunt in pace. Et si enim coràm hominibus tormenta passi sunt, spes illorum immortalitate plena est. Et in paucis vexati, [b] in multis benè disponentur: quoniã Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos se. Tanquàm aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore † vi-
B sitationis illorum fulgebunt, & tanquam [c] scintillæ in arundineto discurrent. Iudicabunt nationes, & dominabuntur populis, & regnabit Dominus illorum in perpetuum. [d] Qui confidunt in illo: intelligent veritatem, & fideles in dilectione acquiescent illi: quoniam † gratia & misericordia sanctis eius, & inspectio in electis illius. Impij autem secundum quæ cogitauerunt, correptionem habebunt: qui neglexerunt iustum, & à Domino recesserunt. Sapientiam enim, & disciplinam qui abijcit, infelix est: & vacua est spes illorum,
C & labores sine fructu, & inutilia opera eorum. Mulieres eorum † stultæ sunt, & nequissimi filij illorum. Maledicta † generatio eorum: quoniam felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nesciuit thorum in delicto, habebit fructum in † visitatione animarum, † & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitauit aduersus Deum † iniqua, dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo Dei acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidit † est radix sapientiæ. Filij
D autem adulterorum [e] † sine consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidẽ longe vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sine honore erit nouissima senectus illorum. Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec [f] in die agnitionis † consolationem. Nationis enim iniquæ, † duri sunt fines.

SCHOLIA.

[a] Et quod à nobis est iter exterminiũ.] καὶ ἡ ἀφ' ἡμῶν πορεία σύντριμμα: *hoc est, æstimatum est ab insipientibus iter, quod à nobis, id est, post nos est contritio, vel confractio, ac perditio quædam esse, & plenus interitus, vt scilicet post hanc vitam nihil supersit boni.* [b] In multis bene disponentur.] Μεγάλα εὐεργετηθήσονται. *magnis afficientur beneficijs.* [c] Scintillæ in arundineto.] *Vel, potius, in stipula,* καλάμῃ. *Vt agilitatem eorum denotet, quodque continuò in conspectu illorum impij disperdentur.* [d] Qui confidunt in illo.] *Qui illi affectu omni adhæserint, nullo mendacij aut erroris spiritu decipientur.* [e] Sine consummatione.] ἀτέλεστα, *imperfecti.* [f] In die agnitionis.] *Cum discussio & examen de illis fiet.*

CAPVT IIII.

A MElius est carere liberis cum virtute, immortalitas est enim † in memoria illius: quoniã & apud Deum nota est, & apud homines. Cum præsens est, imitantur illam: & desyderant eam cum se eduxerit, & in perpetuum coronata triumphat in coinquinatorum certaminum præmium vincens. Multigena autem impiorum multitudo non erit vtilis, & adulterinæ plantationes non dabunt radices altas, nec stabile firmamentum collocabunt. Et si † enim in ramis in tempore germinauerint: infirmiter posita, à
B vento commouebuntur, & à nimietate ventorum eradicabuntur. Confringentur enim rami inconsummati, & fructus illorum inutiles, & acerbi ad manducandum, & ad nihilum apti. Ex iniquis enim omnes filij, qui nascuntur, testes sunt nequitiæ aduersus parentes in interrogatione sua: iustus autem si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Senectus enim venerabilis est, nõ diuturna, neque annorum numero computata: cani autem sunt sensus hominis: [b] & ætas senectutis, vita immaculata. Placens Deo factus dilectus † est, & viuens inter peccatores translatus est: raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio decipe-
C ret animam illius. [c] Fascinatio enim † prauitatis obscurat bona, & inconstantia concupiscentiæ trãsuertit sensum † innocentis. Consummatus in breui [d] expleuit tempora multa. Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum. [e] Populi autem videntes, & non intelligentes, nec ponentes in † cogitatione talia, quòd gratia Dei & misericordia in sanctos eius. Et respectus in electos illius. Condemnat autem iustus mortuus viuos impios, & iuuentus celerius consummata longam
D vitam iniusti. Videbunt enim finẽ sapientis, & non intelligẽt quid cogitauerit de illo Deus, & quare † munierit illum Dominus. Videbunt enim, & contemnent eum, illos autem Dominus irridebit, & erunt post hæc decidentes sine honore, & in contumelia inter mortuos in perpetuum: quoniam dirumpet illos inflatos sine voce, & commouebit illos à fundamentis, & vsque ad supremũ desolabuntur: & erunt gementes, & memoria illorum † peribit. Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, & † arguent illos ex aduerso iniquitates ipsorum.

SCHOLIA.

[a] Melius est carere liberis cum virtute.] κρείσσων ἀτεκνία μετ' ἀρετῆς. *pro quo habebat prior æditio* ὁ *quàm pulchra est casta generatio cum claritate. Sed, quæ sequuntur, indicant apertè, id proprium esse, quod reposuimus.* [b] Et ætas senectutis vita immaculata.] *Vita immaculata est ætas senilis, in qualibet hominis ætate, & veneratione digna tanquam canities. Vita ergo immaculata est quasi quædam ætas senilis, cui honor ab omnibus exhibetur. Pleraque autem sunt in scriptura huius generis, vt inuertenda sint, quò facilius intelligantur: vt & illud. Musica in luctu, importuna narratio: hoc est, importuna narratio, est quasi quædam musica in luctu.* [c] Fascinatio enim prauitatis.] βασκανία γὰρ φαυλότητος. *id est*

id est, prauitas enim est tanquam fascinum quoddam, quo bona vitiantur, & deprauantur. [d] Expleuit tempora multa.] Quæ alij vix longissima ætate absoluissent, hic paucis annis peregit. [e] Populi autem videntes.] Hic ἔλλειψις est, familiaris Hebræis quàm sic implebis, populi autem videntes, &c. errauerunt.

CAPVT V.

TVnc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, & qui † spreuerunt labo- A
res eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur [a] in † minimè sperata salute, di-
cent intra se, pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus ali-
quando in derisum, & similitudinem improperij. Nos † stulti vitam illorum æstimabamus insaniam, & fi-
nem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est.
Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ nõ est ortus nobis. † im-
pleti sumus vijs iniquitatis, & perditionis, & [b] ambulauimus † per solitudines inaccessas: viam autem Domi
ni ignorauimus. Quid nobis profuit superbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt B
omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius percurrens: & tanquam nauis, quę pertransit fluctuantem
aquam, cuius, cum præterierit, non est vestigium inuenire neque semitam † itinerum illius in fluctibus: aut
tanquam auis, quæ transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius, sed tantum soni-
tus alarum verberans leuem ventum: & scindens per vim † stridulam aerem, commotis alis transuolauit, &
post hoc nullum signum inuenitur itineris illius: aut tanquam sagitta emissa in locum destinatum: diuisus
aer continuò in se reclusus est, vt ignoretur transitus illius: sic & nos nati continuò desiuimus esse, & virtutis
Prou. 11.a quidem nullum signum valuimus ostendere, in malignitate autem nostra consumpti sumus. Talia dixerunt C
in inferno hi, qui peccauerũt: quoniã spes impij tanquã lanugo est, quę à vento tollitur: & tanquã spuma gra-
cilis, quę à procella dispergitur: & tanquã fumus, qui à vẽto diffusus est: & tãquã memoria hospitis vnius diei
† pręterijt. Iusti autẽ in perpetuũ viuent, & apud Dñm est merces eorum, & cogitatio illorũ apud altissimũ.
Ideo accipient regnum decôris, & diadema speciei de manu Domini, quoniam dextera sua teget eos, & bra-
chio sancto suo defendet illos. [c] Accipiet † vniuersam armaturã zelum suũ, & armabit creaturam ad vltio-
nem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum, sumet scutum inex-
pugnabile æquitatem, acuet autem diram iram in lanceam, & pugnabit cum illo orbis terrarum contra † in- D
sipientes. Ibunt directè emissiones fulgurum, [d] & tanquam à bene curuato arcu nubium † ad certum locũ
iaculante, capientur. [e] Et à petrosa ira plenæ mittentur grandines, excandescet in illos aqua maris, & flumi-
na concurrent duriter. Contra illos stabit [f] spiritus virtutis, & tanquam turbo venti diuidet illos: & ad ere-
mum perducet omnem terram iniquitas, † & malignitas euertet sedes potentium.

SCHOLIA.

[a] In minimè sperata salute.] ἐπὶ τῷ παραδόξῳ τῆς σωτηρίας, *in admiranda, & quæ præter opinionem acciderit, salute. Quod autem in hac narratione interpres de iustis plurali numero vertit, in Græco de vno fit sermo, nempe de quo prius fuerat locutus, in quo tamen omnes iusti comprehenduntur.* [b] Ambulauimus per solitudines inaccessas.] διωδεύσαμεν ἐρήμους ἀβάτους. *Verè enim viæ peccatorũ solitudines sunt quædam inaccessæ, per mille mortis pericula ducentes, plenæq; molestijs omnibus.* [c] Accipiet vniuersam armaturam zelum suũ.] λήψεται πανοπλίαν τὸν ζῆλον αὐτοῦ, *quasi dicat. Zelo armabitur, & erit ei pro vniuersa armatura.* [d] Et tanquam à bene curuato arcu nubium.] *Et nubibus iaculabitur fulmina, tanquàm sagittas ab arcu forti, vt eos capiat, & perdat.* [e] Et à petrosa ira.] ἐκ πετροβόλου θυμοῦ, *quasi ab indignatione, quæ petras iaculetur.* [f] Spiritus virtutis.] πνεῦμα δυνάμεως *spiritus vehemens ac robustus.*

CAPVT VI.

Rom. 13.a A † Vdite ergo reges, & intelligite, discite iudices finiũ terræ. Prębete aures vos qui continetis multi- A
tudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Dño potestas vobis, & virtus ab al-
tissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: quoniã cũ essetis ministri regni il-
lius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem, † neq; secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendè &
Deut. 10.d citò apparebit vobis, quoniã iudiciũ durissimũ in his qui pręsunt, fiet. Exiguo enim cõceditur misericordia:
2.Par. 19.c potentes autẽ potenter tormenta patientur. Nõ enim subtraher personã cuiusquam Deus, qui est omnium
Iob. 34.b dominator, nec verebitur magnitudinẽ cuiusquam: quoniam pusillũ & magnũ ipse fecit, & æqualiter cura B
Eccle. 35.b est illi de omnibus. Fortioribus autẽ fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, vt
Roma. 2.b discatis sapientiam, & non excidatis. Qui enim custodierint iustitiã iustè, † iustificabuntur: & qui didicerint
Galat. 2.b iusta, inuenient quid respondeant. Cõcupiscite ergo sermones meos, diligite illos, & habebitis disciplinam.
Ephe. 6.b Clara est, & quæ nunquã marcescit sapientia, & facilè videtur ab his qui diligunt eã, & inuenitur ab his qui
Coloss. 3.d quærunt illã. Pręoccupat qui se cõcupiscũt, vt illis se prior ostẽdat. Qui † diluculo vigilauerit ad illã, nõ la-
Act. 10.e borabit: assidentem enim illã foribus suis inueniet. Cogitare ergo de illa, sensus est cõsummatus: & qui vigila- C
1.Petr. 1.c uerit propter illam, citò securus erit. Quoniã dignos se, ipsa circuit quęrens, & in vijs ostendet se illis hilari-
ter, & in omni † cogitatione occurret illis. Initium enim illius verissima est disciplinę cõcupiscentia. [a] Cu-
ra † verò disciplinæ, dilectio est: & dilectio custodia legum illius est. Custoditio autem legũ, cõfirmatio in-
corruptionis est: incorruptio autẽ, facit esse proximũ Deo. Cõcupiscentia itaq; sapientię deducit ad regnũ.
† Si ergo delectamini sedibus, & sceptris ò reges populi, diligite sapientiam, vt in perpetuum regnetis, diligi-
te lumen sapientiæ omnes qui præestis populis. Quid sit autem sapientia, & quemadmodum facta sit, refe- D
rã: & non abscondam à vobis † mysteria, sed ab initio natiuitatis inuestigabo, & ponam in lucem scientiam
illius, & non præteribo veritatem, neque cum inuidia tabescente iter habebo: quoniam talis homo non erit
particeps sapientiæ. Multitudo autem sapientium, sanitas est orbis terrarum, & rex sapiens populi stabili-
mentum est. Ergo accipite disciplinam per sermones meos, & proderit vobis.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Cura verò disciplinę dilectio.] *Curat id disciplina sapientiæ, vt quiuis diligat, & afficiatur ei, nam continuò vbi amare cœperit, obseruabit leges illius.*

CAPVT VII.

A SVm quidem & ego mortalis homo similis omnibus, & ex genere terreno illius, qui prior factus est, &
in ventre matris figuratus sum caro, decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine, ex semine
hominis, & [a] delectamento somni conueniente. Et ego natus accepi communem aerem, & in simili-
ter factam decidi terram: & primam vocem similem omnibus emisi plorans, in † fascijs nutritus sum, & cu-
ris. † Nemo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis initium. Vnus ergo introitus est omnibus ad vitam,
& similis exitus. Propter hoc optaui, & datus est mihi sensus: & inuocaui, & venit in me spiritus sapientiæ,
& præposui illam regnis & sedibus, & diuitias nihil esse † duxi in comparatione illius. Nec comparaui illi Iob 28.c
B [b] lapidem preciosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æ-
stimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem, & speciem dilexi illam, & proposui pro luce habe- 3.Reg. 3.b
re illam: quoniam inextinguibile est lumen illius. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, &
innumerabiles † diuitiæ per manus illius, & lætatus sum in omnibus: [c] quoniam † antecedit ea sapientia, &
ignorabam quod horum omnium mater est. Quam sine fictione didici, & sine inuidia communico, &
† diuitias illius non abscondo. Infinitus enim thesaurus est hominibus: quo qui vsi sunt, participes facti
sunt amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commendati. Mihi autem dedit Deus [d] dicere ex sententia, &
C † cogitare digna his, quæ dantur: quoniam ipse sapientiæ dux est, & sapientium emendator: in manu enim
illius & nos, & sermones nostri, & omnis sapientia, & operum scientia. † Ipse enim dedit mihi horum,
quæ sunt scientiam veram, vt sciam dispositionem orbis terrarum, & virtutes elementorum, initium & con
summationem & medietatem temporum, [e] vicissitudinum permutationes, & mutationes † temporum, an-
ni cursus, & stellarum dispositiones, naturas animalium, & iras bestiarum, vim ventorum, & cogitationes ho
minum, differentias † plantarum, & virtutes radicum, & quæcunque sunt absconsa & † aperta, didici. Om-
nium enim artifex docuit me sapientia. Est enim in illa spiritus intelligẽtię sanctus [f] multiplex, vnicus sub-
D tilis, disertus, † perspicuus, incoinquinatus, certus, † innoxius, amans bonum, acutus, † carens impedimen-
to, beneficus, humanus, benignus, stabilis, † munitus, [g] securus omnem habens virtutem, omnia prospiciẽs,
& [h] qui capiat omnes spiritus, intelligibiles, mundos, subtilissimos. † Omni enim motu mobilior est sapiẽ-
tia: [i] attingit autem vbique propter suam munditiam. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam Heb. 1.a
est claritatis omnipotentis Dei syncera: & ideò nihil iniquitatum in eam incurrit, candor est enim lucis æ-
ternæ, & speculum sine macula † Diuinæ efficaciæ, & imago bonitatis illius. Et cum sit vna, omnia potest:
& in se permanens omnia innouat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei, & prophetas
constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum qui cum sapientia inhabitat. Est quidem hæc speciosior
sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata inuenitur prior. Illi enim succedit nox, sa-
pientiam autem non vincit malitia.

SCHOLIA.

[a] Et delectamento somnni conueniente.] ἡδονῆς ὕπνου ἐλθούσης. *Videtur mihi hic significare velle, se æquè, atque alij pueri, voluptatem somni percepisse. Nam quod quidam putat, hic intelligi verecundæ congressum viri ac mulieris ad conceptionem, non admodum arridet.* [b] Lapidem preciosum.] *Græca legunt,* λίθον ἀτίμητον, *vt videatur significare, quemuis lapidem preciosum, sine honore ac precio esse, si sapientiæ comparetur.* [c] Quoniam antecedit ea sapientia.] αὐτῶν ἡγεῖται σοφία, *vt significet, ducem esse bonorum omnium sapientiam.* [d] Dicere ex sententia.] *Dicit donatum sibi esse, vt & loquatur eruditè, quæ sentit, & animaduertat ac consyderet, vt consentaneum est acceptæ sapientiæ.* [e] Vicissitudinum permutationes.] *Fortasse rectius esset, solstitiorum vicissitudines, vt legas,* τροπῶν ἀλλαγὰς *& intelligat rationes rerum, motuumq; cœlestium, sicut dudum dixerat, se accepisse, vt sciret initium & finem & medietatem temporum, quibus hæc agitur vita, quæq; anxiè à philosophis inquiruntur.* [f] Multiplex, vnicus.] *In Græco est.* μονογενές, πολυμερές *vnigenitus, & qui in multas diuidatur partes, hoc est, vnicus natura, donis multiplex. Significat autem his appellationibus, virtutes huius spiritus, quas in nobis exercet, et quas quisq; vbi eas adeptus est, in sese experitur.* [g] Securus.] ἀμέριμνος, *sine sollicitudine, ac semper tranquillus.* [h] Et qui capiat omnes spiritus.] διὰ πάντων χωροῦν πνευμάτων *quasi qui permeet ac penetret per omnes spiritus, quamlibet præstanteis.* [i] Attingit autem vbique.] διήκει δὲ καὶ χωρεῖ διὰ πάντων *penetrat ac permeat omnia.*

CAPVT VIII.

A ATtingit ergo à fine vsq; ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Hanc amaui, & exquisiui eã
à iuuentute mea, & quæsiui in sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. Ge-
nerositatem † glorificat, cõtuberniũ habẽs Dei: sed & omniũ Dñs dilexit illã, doctrix enim est disci-
plinæ Dei, & electrix operũ illius. Et si diuitię appetuntur in vita: quid sapientia locupletius, quæ operatur
omnia? Si autẽ † prudẽtia operatur: quis horum, quæ sunt magis, q̃ illa, est artifex? Et si iustitiã quis diligit:
B [a] labores huius † sunt virtutes: sobrietatem enim, & sapientiam docet, & iustitiam: & † fortitudinem; quibus
vtilius nihil est in vita hominibus. † Quòd si & multarum rerum experientiam desyderat quis: scit præte-
rita, & de futuris æstimat, scit versutias sermonum, & dissolutiones † ænigmatum, & signa & monstra scit
antequam fiant, & euentus temporum, & sæculorum. Proposui ergo hanc adducere mihi ad conuiuen-
dum: sciens quod mecum communicabit de bonis, & erit † moderatio curarum, & tœdij mei. Habebo
C propter hanc claritatem in turbis: & honorem apud seniores iuuenis, & acutus inueniar in iudicio, & in con
spectu potentium admirabilis ero, † tacẽtem me sustinebunt, & loquentem me respicient: & sermocinante

 me

me plura manus ori suo imponent. Præterea habebo per hanc, immortalitatem: & memoriam æternã his qui post me futuri sunt relinquam. Disponam populos:& nationes mihi erunt subditæ. Timebunt me audientes reges horrendi:in multitudine videbor bonus,& in bello fortis. Intrans in domum meam, cõquiescam cum illa,non enim habet amaritudinem conuersatio illius, nec tœdium conuictus illius, sed lætitiam & gaudium. Hæc cogitans apud me, & commemorans in corde meo quod immortalitas est in cognatione D sapientiæ,& in amicitia illius,delectatio bona,& in laboribus manuum illius † diuitiæ sine defectione,& in † coexercitatione consuetudinis illius † prudentia,& præclaritas in communicatione sermonum ipsius:circuibam quærens,vt mihi illam assumerem. Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam. Et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Et, vt sciui quod aliter non possem esse continens,nisi Deus det,& hoc † autem erat,prudentiæ,scire cuius esset hoc donum: adij Dominum, & deprecatus sum illum,& dixi ex totis præcordijs meis.

SCHOLIA.

[a] Labores eius sunt virtutes.] *Ipsa(inquit)parit virtutes,nempe sobrietatem,siue mauis temperantiam(est enim in Græco σοφροσύνη)& prudentiam,& iustitiam,& ἀνδρείαν, hoc est,fortitudinem.*

CAPVT IX.

DEus patrum meorum,& Domine misericordiæ tuæ,qui fecisti omnia verbo tuo, & sapientia tua cõ A stituisti hominem,vt dominaretur creaturæ,quæ à te facta est,vt disponat orbem terrarum in æquitate & iustitia,& in directione cordis iudicium iudicet: da mihi sedium tuarum assestricem sapientiam,& noli me reprobare à pueris tuis quoniam seruus tuus sum ego, & filius ancillæ tuæ, homo infirmus, 2. Pa. 28.b & exigui temporis,& minor ad intellectum iudicij & legum. Et si quis erit consummatus inter filios homi- 2.Para. 1.b num,si ab illo abfuerit sapientia tua,in nihilum computabitur. Tu † prælegisti me regem populo tuo,& B iudicem filiorum tuorum,& filiarum,& dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo,& in ciuitate habitationis tuæ altare,similitudinem tabernaculi sancti tui quod præparasti ab initio: & tecum sapientia tua, Prouer. 8.c quæ nouit opera tua, quæ & affuit tunc cum orbem terrarum faceres, & sciebat quid esset placitum oculis Ioan.1.a tuis,& quid directũ in præceptis tuis.Mitte illã de cœlis sanctis tuis & à sede † gloriæ tuæ,vt mecũ sit & mecũ laboret,vt sciã quid acceptũ sit apud te,scit enim illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis so- C brié,& custodiet me in sua potẽtia. Et erũt accepta opera mea,& disponã populum tuũ iustè, & ero dignus Esa. 40. d sedibus patris mei. Quis enim hominũ poterit scire cõsiliũ Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? Roma.11.d Cogitationes enim mortaliũ timidæ,& incertæ prouidẽtiæ nostræ. Corpus enim quod corrũpitur, aggra- 2. Cor.2.d uat animã:& terrena inhabitatio deprimit † mentẽ. Multa cura & difficilè æstimamus, quæ in terra sunt: & quæ in prospectu sunt,inuenimus cũ labore. Quæ in cœlis sunt autẽ,quis inuestigauit? † Cõsiliũ autẽ tuũ D quis sciet, nisi tu dederis sapientiam,& miseris spiritũ sanctum tuum de altissimis?& sic † correctæ sunt semitæ eorum qui sunt in terris,& quæ tibi placent didicerunt homines,& per sapientiam † saluati sunt†.

CAPVT X.

Gen. 1.d Gen 2.b Gen.4.b Gen.7.b Gen. 11.a Gen. 19.e Gen. 28.b Gen. 37.f Exod. 1.b Exo. 3.b Exod. 14.e Psal. 77.b Exod. 12.c Exod. 15.a

HÆc,illum qui primus formatus est † pater orbis terrarum,cum solus esset creatus,custodiuit,& edu A xit illum à delicto suo,† & dedit illi virtutem continendi omnia. Ab hac, vt recesserit iniustus in ira sua,per iram homicidij fraternitatis deperijt. [a] Propter quem cum aqua deleret terram, sanauit ite rum sapientia per contemptibile lignum iustum gubernans. Hæc & in consensu † malitiæ, cum se nationes † cõfudissent,inuenit iustum,& cõseruauit sine querela Deo, [b] & in † filij misericordia fortẽ custodiuit. Hęc iustum à pereuntibus impijs liberauit fugientem descendente igne in pentapolim: quibus in testimo- B nium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, [c] & † imperfecto tẽpore fructus habentes arbores, & † in credulę animę memoria stans † columna salis. Sapientiã enim prętereuntes nõ tantum in hoc † lęsi sunt,vt ignorarent ipsa bona:sed & insipientię suæ reliquerunt hominibus memoriã,vt in his,quę peccauerunt,nec latere potuissent. Sapientia autẽ hos,qui † ei inseruierunt,à doloribus liberauit. Hæc † profugum iræ fra- C tris iustum deduxit per vias rectas,& ostendit illi regnũ Dei,& dedit illi scientiam sanctorum, honestauit illum in laboribus, [d] & compleuit labores illius. In fraude circumueniẽtium illum affuit illi & † diuitẽ fecit illum. Custodiuit illum ab inimicis,& à seductoribus tutauit illum,& certamen forte dedit illi,vt vinceret, & sciret † ꝙ omnib.[c] potentior est sapientia. Hæc venditum iustum non derelinquit, sed à † peccato libera uit eum:descenditq; cum illo in foueam,& in vinculis non dereliquit illum,donec afferret illi sceptrũ regni, & potentiam aduersus eos qui eum deprimebant:& mendaces ostendit qui maculauerunt illum, & dedit illi D claritatem æternam. Hæc,populum iustum,& semen sine querela liberauit à nationibus,quæ illũ opprime bant. Intrauit in animã serui Dei,& stetit contra reges horrendos in portẽtis & signis.Et reddidit iustis mercedem laborum suorum:& [e] deduxit illos in via mirabili:& fuit illis in velamento diei, & in luce stellarũ per noctem:& transtulit illos per mare rubrum, & transuexit illos per aquam nimiam. Inimicos autem illorũ demersit in mare,& ab altitudine inferorum eduxit illos. Ideo iusti tulerunt spolia impiorum,& decantaue runt Domine nomen sanctum tuum,& victricem manum tuam laudauerunt pariter. Quoniam sapientia aperuit os mutorum,& linguas infantium fecit disertas.

SCHOLIA.

[a] Propter quem cum aqua deleret terram.] *Cum propter facinus Cain,& eorum, qui eius scelus imitati sunt,deleretur terra,iterum per sapientiam seruatus est iustus Noe.* [b] Et in filij misericordia fortẽ custodiuit.] *καὶ ἐπὶτῷ νουσπλάγχνοις ἰσχυρὸν ἐφύλαξεν. Loquitur de Abraham,quod scilicet sapientia fortem eius animum seruarit, ne viscera eius nimis commouerentur, quò minus alacri animo filiũ immolaret. Sequens autem exemplum de Lot loquitur,quem sapientia liberauit ab igne, qui Pentapolitas, hoc est, quinque illarum ciuitatum habitatores perdidit. Deinceps de Iacob, Ioseph, & reliquis*

& reliquis Israelitis. [c] Et imperfecto tempore.] *ἀτελέσιν ὥρας. Videtur significare, terram illã (quod etiam ab historicis memoratur) non perducere ad maturitatem, ac perfectionem fructus suos.* [d] Et compleuit labores illius.] *In Græco inuenitur, καὶ ἐπλήθυνε τοὺς πόνους αὐτοῦ, & videtur significare, sapientiam in eius laboribus multiplicasse ei facultates.* [e] Potentior est sapientia.] *In Græco habetur εὐσέβεια, hoc est, pietas.* [f] Deduxit illos in via mirabili.] *per viam admirandam, nempe per mare.*

CAPVT XI.

A DIrexit opera eorum in manibus prophetæ sancti. Iter fecerunt per deserta,quæ non habitabantur: & in locis desertis fixerunt tentoria. Steterunt contra hostes,& de inimicis se vindicauerunt. Sitie Exod. 16.a runt, & inuocauerunt te, & data est illis aqua de petra altissima, & † medela sitis de lapide duro. Exod. 17.a [a] Per quæ enim pœnas passi sunt inimici illorum, † per hæc ipsi, cum egerent, beneficio affecti sunt, [b] pro Num.20.b fonte quidem sempiterni fluminis, sanguine redemptionis turbati in redargutionem præceptæ cędis infantium dedisti illis abundantem aquam insperatè: ostendens per sitim,quæ tunc fuit quemadmodum † aduer- B sarios † punires. [c] Cum enim tentati sunt, & quidem cum misericordia disciplinam accipientes, scierunt, quemadmodum cum ira iudicati impij tormenta paterentur. Hos quidem tanquam pater monens probasti: illos autem tanquam durus rex interrogans condemnasti. Absentes enim,& præsentes similiter torquebantur. Duplex enim illos acceperat tœdium, & gemitus cum memoria præteritorum. Cum enim audirent per sua tormenta † illos beneficio affectos,senserunt Dominum. [d] Quem enim in expositione † olim proiectum † abnegarunt deridentes, in fine euentus mirati sunt: [e] non similiter iustis facientes,pro cogita- C tionibus autem † insipientibus iniquitates illorum. † In quibus,errantes colebant mutos serpentes, & bestias † viles, immisisti illis multitudinẽ mutorum animalium in vindictam: vt scirent quòd per quæ peccat quis,per hæc & torquetur. Non enim † impotens erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarũ ex materia † informi,immittere illis multitudinem vrsorum,aut audaces leones, aut noui generis ira plenas & ignotas bestias,aut vaporem igneum spirantes,aut fumi odorem proferentes, aut horrendas ab oculis scin tillas emittentes:quarum non solum læsura poterat illos exterminare,sed & aspectus per timorem occidere. D Sed & sine his vno spiritu poterant occidi persecutionem passi ab ipsis factis suis,& dispergi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia [f] in mensura & numero & põdere disposuisti. Multum enim valere tibi soli supererat semper: & virtuti brachij tui quis resistet? Quoniam tanquam momentum stateræ, sic est ante te orbis terrarum,& tanquam gutta roris antelucani,qui descendit in terram. Sed misereris omnium, quia omnia potes,& dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis enim omnia,quæ sunt,& nihil odisti eorum,quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti. † Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? aut quod à te vocatum non esset, conseruaretur? Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine,qui amas animas.

SCHOLIA.

[a] Per quæ enim pœnas passi sunt.] *Inimicis aquis obruti,ipsi aquis refocillati.* [b] Pro fonte quidem sempiterni fluminis.] *In hoc contextu confusum est hyperbaton, & quædam ἔλλειψις nisi quid & in Græco desit. Porrò quod nos vertimus,sanguine redemptionis,in Græco est, αἵματι λυτρώσεως sanguine redemptorio, & fortasse significat sanguinem illum,qui iussus est poni in postibus domorum,qui vbicunque esset,seruabantur illæ domus, & illo sanguine turbati sunt Aegyptij atque admoniti,illam esse vltionem,quæ primogeniti eorum occisi sunt,ob crudele mandatum interficiendorum infantum Hebræorum. Vel intellige de aquis fluminis in cruorem versis, vt non possent bibere: at Israelitis etiam è petra potus est datus,& tunc sanguinem redemptionis interpretabimur, sanguinem illum signum fuisse, quòd liberare vellet Deus populum suum,& innocentem vlcisci sanguinem. Per sitim ergo,quæ tunc fuit,Aegyptijs ostendisti(inquit)quemadmodum aduersarios punires.* [c] Cum enim tentati sunt.] *Cum tentarentur molestijs Israelitæ,quamuis illa tentatio esset potius misericors disciplina,intellexerunt,impios iudicio irati Dei torqueri, & Deum erga se quidem agere, vt patrem,qui quasi monitis quibusdam probaret suos,in hostes verò,vt dirum regem,ita vt & qui præsentes viderant, & qui absentes audierant famam verum,æquè torquerentur,& duplici,id est,ingenti(vt sit Hebraismus)tristitia tenerentur. Vel,cum memorarentur præteritas molestias,futurorum etiam solliciti erant. Cum enim audirent(inquit)per sua tormenta illos Israelitas beneficio affectos,senserunt,& experti sunt,illum esse Dominum,qui hæc ageret.* [d] Quem enim in expositione.] *Vide tur significare, Aegyptios prius subsannasse Mosen,cum eum cernerent velle educere populum ex Aegypto, memores, quo pacto susceptus fuerit è fluuio, vbi expositus fuerat,& c. demum ex euentu rei admiratos.* [e] Non similiter iustis facientes.] *Videtur interpres legisse, ποιήσαντες,vt sit sensus. Isti non fecerunt,vt solent iusti,qui non expectant castigationes,vt admirentur diuina facta. Sed nunc Græca habent, ἀνυποστάντες sistentes,& tunc obscurior erit sensus. Quid enim significat,non æquè sistentes,vt iusti? nisi forte intelligas,afflictiones non æquè illos cessisse,atque iustis,de quibus scribitur. Multæ afflictiones iustorum,& de omnibus ijs liberauit eos Dominus.* [f] In mensura,& numero,& pondere.] *Hoc est,summa cum æquitate & ratione. Sumpta est autem similitudo ab hominum commercijs,qui his rebus mensurando, aut numerando,aut ponderibus iustitiam in negociationibus suis seruant.*

CAPVT XII.

A I †[a] Ncorruptus enim spiritus tuus est in omnibus: Ideoque eos,qui aberrant,† paulatim corripis:& de quibus peccant,admones & † commonefacis,vt relicta malitia,credant in te Domine. Illos enim antiquos inhabitatores terræ sanctę tuę:quos exhorruisti, qm̃ odibilia opera tibi faciebãt per † veneficia, & sacrificia iniusta,& filiorum suorum necatores sine misericordia,& comestores viscerum hominum,& deuoratores sanguinis, & authores, parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti à medio sacramento tuo per manus parentum nostrorum, vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omniũ charior est terra.Sed & his tanquã hominibus pepercisti,[b] & misisti † præcursores exercitus tui vespas,vt

illos paulatim exterminarent. Non quia impotens eras in bello ſubijcere impios iuſtis,aut beſtijs ſæuis, aut B
verbo duro ſimul exterminare: ſed † paulatim iudicans dabas locum pœnitentiæ, non ignorans † quòd ne-
quam eſſet natio eorum,& † inſita malitia ipſorum, & † quòd non poterat mutari cogitatio illorum in per-
petuum. Semen enim erat maledictum ab initio, nec timens aliquem veniam dabas peccatis illorũ. Quis
enim dicet tibi? Quid feciſti? aut quis ſtabit contra iudicium tuum? aut quis in conſpectu tuo veniet vin-
1.Petr.5.b dex iniquorum hominum? aut quis tibi imputabit,ſi perierint nationes,quas tu feciſti? Nec enim eſt alius
Deus quàm tu,cui cura eſt de omnibus,vt oſtendas † quòd nõ iniuſtè iudicas. † Neq; rex, neq; tyrannus in
conſpectu tuo inquirent de his quos perdidiſti. Cum ergo ſis iuſtus, iuſtè omnia diſponis: ipſum quoque, C
c qui non debet puniri,condemnas,& exterum æſtimas à tua virtute. Virtus enim tua, iuſtitiæ initium eſt:
& ob hoc quòd omnium Dominus es,omnibus te parcere facit. Virtutem enim oſtendis tu, qui non crede
ris eſſe in virtute conſummatus,& horum,qui te neſciunt,audaciam † redarguis. Tu autem dominator vir-
tutis,cum tranquillitate iudicas,& † maximè parcens diſponis nos. Subeſt enim tibi, cum volueris, poſſe.
Docuiſti autem populum tuum per talia opera,quòd oportet iuſtum eſſe, & humanum,& bonæ ſpei feciſti
filios tuos: quoniam das locum in peccatis pœnitentiæ. Si enim inimicos ſeruorum tuorum, & debitos
morti,cum tanta † caſtigaſti attentione,& † prece, dans tempus & locum per quæ poſſent mutari à malitia: D
cum quanta diligentia iudicaſti filios tuos,quorum parentibus iuramenta & conuentiones dediſti bonarum
promiſsionum? Cum ergo das nobis diſciplinam, inimicos noſtros multipliciter flagellas, vt bonitatem
tuam cogitemus iudicantes:& cum de nobis iudicantur, ſperemus miſericordiam tuã. Vnde & illis, qui in
vita ſua † inſipienter & iniuſtè vixerunt,per hæc quæ coluerunt, dediſti ſumma tormenta. Etenim in erro-
ris via diutius errauerunt, deos æſtimantes hæc quæ in animalibus ſunt † ignobilia,infantium † ſtultorum
more viuentes. Propter hoc tanquam pueris † ſtultis iudicium in deriſum dediſti. Qui autem ludibrijs in-
crepationis non ſunt correcti:dignum Dei iudicium experti ſunt † In quibus enim patientes indignaban-
tur, † in his quos putabant deos in ipſis † puniebantur,videntes illum quem olim negabant ſe noſſe, verũ
Deum agnouerunt: propter quod & finis condemnationis eorum veniet ſuper illos.

SCHOLIA.

a Incorruptus enim.] *Amas (inquit) animas, quia incorruptus ille ſpiritus tuus eſt in illis,& in omnibus,vt non poſſis non amare.* b Et miſiſti præcurſores exercitus tuis veſpas.] *Græca habent, ἀπέστειλας τε προδρόμους, τοῦ στρατοπέδου σου σφῆκας, hoc eſt. Miſiſtiq́ præcurſores,exercitus tuos miſiſti, verum cum σφῆκας & ἔφηκα quorum alterum veſpas,alterum,miſiſti ſignificat,ob vocum vicinitatem, vtra lectio melior ſit nolui temerè iudicare.* c Qui non debet puniri.] *Qui iudicio hominum non videtur puniendus,at tu,ſi eum punis,iuſtè id facis.*

CAPVT XIII.

VAni autem ſunt, † natura omnes homines,in quibus non ſubeſt ſcientia Dei,& ex his † bonis, quæ A
videntur, † non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque operibus attendentes agnouerunt quis
eſſet artifex, ſed,aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam a-
quam, aut ſolem & lunam rectores orbis terrarum deos putauerunt. Quorum † ſiquidem ſpecie delectati
deos putauerunt: ſciant quantò his dominator eorum ſpecioſior eſt, ſpeciei enim generator hæc omnia cõ
ſtituit. Aut ſi virtutem, & opera eorum mirati ſunt: intelligant ab illis quòd qui hæc fecit fortior eſt illis,
à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ, † ex proportione poterit creator horum videri: ſed tamen adhuc B
Rom.1.c in his minor eſt querela. Et hi enim fortaſſe errant, Deum quærentes, & volentes inuenire. Etenim cum
in operibus illius conuerſentur: inquirunt, & perſuaſum habent † quòd bona ſunt,quæ videntur. Iterum
autem nec his debet ignoſci. Si enim tantum potuerunt ſcire,vt poſſent æſtimare ſæculum: quomodo hu-
ius Dominum non facilius inuenerunt? Infelices autem ſunt,& inter mortuos ſpes illorum eſt, qui appella-
uerunt deos opera manuum hominum,aurum & argentum,artis inuentionem, & ſimilitudines animaliũ,
Eſa.44.b aut lapidem inutilem opus manus antiquę. Aut ſi quis artifex faber de ſylua lignum rectum ſecuerit,& hu- C
ius doctè eradat omnem corticem, & arte ſua vſus diligenter fabricet vas vtile in conuerſationem vitæ, re-
liquijs autem huius operis ad præparationem eſcæ abutatur:& reliquum horum quod ad nullum vſum facit
lignum curuum, & verticibus plenum ſculpat diligenter † cura ocij ſui,& per ſcientiam ſuæ artis figuret il-
lud,& aſsimilet illud imagini hominis,aut alicui ex animalibus illud comparet, perliniens rubrica, & rubi-
cundum faciens fuco colorem illius,& omnem maculam, quæ in illo eſt perliniens,& faciat ei dignam habi
tationem,& in pariete ponens illud,& confirmans ferro,ne forte cadat proſpiciens illi,ſciens † quòd non po D
teſt adiuuare ſe, imago enim eſt,& opus eſt illi adiutorio. Et de ſubſtantia ſua, & de filijs ſuis, & de nuptijs
votum faciens inquirit. Non erubeſcit loqui cum illo qui ſine anima eſt:& pro ſanitate quidem infirmum
deprecatur, & pro vita rogat mortuum,& in adiutorium inutilem inuocat: & pro itinere petit ab eo, qui
ambulare non poteſt de acquirendo,& de operando, & de omnium rerum euentu petit ab eo qui in omni-
bus eſt inutilis.

CAPVT XIIII.

ITerum alius nauigare cogitans,& per feros fluctus iter facere incipiens, ligno portante ſe fragilius li- A
gnum inuocat. Illud enim cupiditas acquirendi excogitauit, & artifex, ſapientia fabricauit ſua. Tua
autem pater prouidentia ab initio cuncta gubernat: quoniam & dediſti in mari viam, & inter fluctus
ſemitam firmiſsimam,oſtendens † quòd potens es ex omnibus ſanare, etiam ſi ſine rate aliquis adeat mare.
Exod.14.d Sed, vt non eſſent vacua ſapientiæ tuę opera: propter hoc etiam & exiguo ligno credunt homines animas
ſuas,& tranſeuntes mare per ratem liberati ſunt. Sed & ab initio cum perirent ſuperbi gigantes, ſpes orbis
terrarum ad ratem confugiens, reliquit ſæculo ſemen natiuitatis,quæ manu tua erat gubernata. Benedictũ
eſt

B eſt enim lignum,per quod fit iuſtitia. Per manus autem quod fit Idôlum maledictum eſt & ipſum, & qui
fecit illud:quia ille quidẽ operatus eſt. Illud aũt cum eſſet fragile, deus cognominatus eſt. Similiter † enim
odio ſunt Deo impius & impietas eius. Etenim quod factũ eſt,cũ illo qui fecit, † punietur. Propter hoc &
in idôlis nationũ nõ erit † viſitatio:quoniã in creatura Dei in † abominationẽ facta ſunt, & in † offenſionẽ
animus hoĩum,& in muſcipulã pedibus inſipiẽtiũ. a Initiũ enim fornicatiõis,eſt exquiſitio idolorũ:& adin-
uẽtio illorũ:corruptio vitę eſt:neq; enim erãt ab initio,neq; erũt in perpetuũ. † Inani enim hominũ gloria
intrauit in orbẽ terrarũ:& ideò breuis illorũ finis eſt inuentus. Acerbo enim luctu dolens pater,citò ſibi ra-
pti filij fecit imaginẽ:& illũ,qui tũc quaſi homo mortuus fuerat,nũc tanquã deũ colere cœpit, & cõſtituit in
ter ſeruos ſuos ſacra,& ſacrificia. Deinde interueniente tẽpore † inualeſcẽte iniqua conſuetudine, hic error
C tanquã lex cuſtoditus eſt,& tyrannorũ imperio colebãtur figmenta. Et hos quos in † pręſentia homines ho
norare nõ poterant,propter hoc ꝙ longe eſſent,è longinquo figura eorũ allata,euidentẽ imaginẽ regis, quẽ
honorare volebant,fecerũt:vt illi qui aberat, tanquã præſenti † adularentur ſua ſolicitudine. Prouexit autẽ
ad † maiorẽ culturã & hos qui ignorabant,artificis eximia diligentia. Ille enim † fortaſſe volẽs plus placere
illi qui ſe aſſumpſit,elaborauit arte ſua, vt ſimilitudinẽ in melius figuraret. Multitudo autẽ hominũ abdu-
cta per ſpeciẽ operis,eũ qui ante tẽpus tanquã homo honoratus fuerat,nũc deũ æſtimauerũt. Et hæc fuit vi-
tę humanę deceptio,quoniã,aut affectui,aut regibus deſeruiẽtes homines,incõmunicabile nomẽ lapidibus,
& lignis impoſuerunt. Et nõ ſuffecerat erraſſe eos circa Dei ſcientiã,ſed & in magno viuentes inſcientię bel
lo,tot & tam magna mala pacem appellant. Aut enim filios ſuos ſacrificantes, aut obſcura ſacrificia facien-
D tes,aut inſanię plena † ex alijs vetuſtis moribus baccanalia agẽtes: neq; vitã, neq; nuptias mũdas iam cuſto-
diũt,ſed & alius aliũ † aut per inſidias occidit,aut adulterãs cõtriſtat:& omnia cõmiſta ſunt,ſanguis, homici-
diũ,furtũ & fictio,corruptio,infidelitas,turbatio,& periuriũ,tumultus bonorũ,Dei immemoratio, anima-
rũ inquinatio,† generationis immutatio,nuptiarũ † inordinatio,mœchia,& impudicitia. Infandorũ enim
idolorũ cultura,omnis mali cauſa eſt,& initiũ & finis. Aut enim dũ lætantur,inſaniunt:aut certè vaticinan
tur falſa,aut viuunt iniuſtè,aut peierant citò. Dũ enim cõfidũt in idôlis, quæ ſine anima ſunt, malè iurãtes
noceri ſibi nõ ſperant. Vtraq; ergo illis euenient dignè,quoniã malè ſenſerũt de Deo,attendentes idôlis, &
iurauerunt iniuſtè in dolo contemnentes iuſtitiã. Non enim iurantium eſt virtus, ſed peccantiũ pœna per-
ambulat ſemper in iuſtorum pręuaricationem.

SCHOLIA.

a Initium enim fornicationis.] *Fornicationem ſæpe apud prophetas inuenies pro cultu ſimulachrorum, recedit enim tunc anima à verò Deo,& tanquam meretrix alieno adhæret.*

CAPVT XV.

A TV autem Deus noſter ſuauis & verus es,patiens & in miſericordia diſponẽs omnia. Etenim ſi pecca
uerimus,tui ſumus,ſciẽtes magnitudinẽ tuã:† nõ aũt peccabimus,ſcientes † ꝙ apud te ſumus cõpu-
tati. Noſſe enim te,cõſummata iuſtitia eſt:& ſcire † virtutẽ tuã radix eſt immortalitatis. Nõ enim
in errorẽ induxit nos hominũ malæ artis excogitatio,nec vmbra picturæ labor ſine fructu,& effigies ſculpta
per varios colores,cuius aſpectus † inſipientibus dat cõcupiſcẽtiam,& diligit mortuæ imaginis effigiem ſine
anima. Malorũ amatores digni ſunt † tali ſpe,& qui faciunt illos,& qui diligunt, & qui colũt. Sed & figu- Roma.9.d
B lus mollẽ terrã premens laborioſè fingit ad vſus noſtros vnumquodq; vas,& de eodẽ luto fingit,quę munda
ſunt in vſum vaſa,& ſimiliter,quæ his ſunt contraria,horum autem vaſorũ quis ſit vſus,iudex eſt figulus. Et
cũ labore vano Deũ fingit de eodem luto: ille qui paulò ante de terra factus fuerat, & poſt puſillũ redit vnde
acceptus eſt,repetitus animæ debitũ. † Sed cura eſt illi, a nõ ꝙ laboraturus eſt, nec ꝙ breuis illi vita eſt, ſed
cõcertat aurificibus & argentarijs:& ærarios imitatur,& gloriã pręfert,quoniã res ſuperuacuas fingit. Cinis
eſt enim cor eius,& terra † tenuis ſpes illius,& luto vilior vita eius:quoniã ignorauit qui ſe finxit,& qui inſpi
C rauit illi animã,quæ operatur,& qui inſufflauit ei ſpiritũ vitalẽ. Sed & æſtimauerunt luſum eſſe vitã noſtrã:
& cõuerſationẽ vitæ cõpoſitã ad lucrũ,& oportere vndecunq; etiam ex malo acquirere. Hic enim ſcit ſe ſu-
per omnes delinquere,qui ex terræ materia fragilia vaſa,& ſculptilia fingit. Omnes † autẽ ſtultiſsimi & in-
felices pluſquã anima infantis ſunt,inimici populi tui, & imperantes illi: quoniam omnia idôla nationum
deos æſtimauerunt,quibus neque oculorum vſus eſt ad videndum,neq; nares ad percipiendum ſpiritum,ne-
que aures ad audiendum,neq; digiti manuum ad tractandum,ſed & pedes eorum pigri ad ambulandum,ho
D mo enim fecit illos,& qui ſpiritũ mutuatus eſt, is finxit illos. Nemo enim ſibi ſimilem homo poterit Deũ Pſal.113.b
fingere. Cum enim ſit mortalis,mortuũ fingit manibus iniquis. Melior enim eſt ipſe his quos colit quia Pſal.133.b
ipſe quidem vixit, † illi autem nunquam. Sed,& animalia † inimiciſsima colunt: † dementia enim com- &134.d
parata † alijs,ſunt deteriora. Sed nec † quatenus experi poſsint, tanquam in animalium aſpectu, pulchra
ſunt. Effugerunt autem & Dei laudem,& benedictionem eius.

SCHOLIA.

a Non quod laboraturus eſt.] *Curæ (inquit) illi eſſe debuerat,cogitare, quòd labor ingens illi incumbit, reddendæ Deo rationis factorum ſuorum, idque poſt paulò, cum breuis illi ſit vita, ſtultus cogitat potius, quo pacto æquet ſua arte aurifices,&c.*

CAPVT XVI.

A PRopter hoc † eodem modo caſtigati dignè ſunt,& per multitudinem beſtiarũ † puniti. Pro quibus Num.11.g
tormentis bene diſpoſuiſti populum tuum, † ad concupiſcentiam † appetitus nouum ſaporem, eſcã
parans eis ortygometram: vt illi quidem concupiſcentes eſcam propter ea, quæ illis oſtenſa & miſſa
ſunt, etiam à neceſſaria concupiſcentia auerterentur. Hi autem in breui inopes facti, nouam guſtauerunt

esca̅m. Oportebat enim illis sine excusatione quidem superuenire † indigentiam exercentibus tyra̅nidem:
Num. 21.b his autem tantum ostendere, quemadmodum inimici eorum exterminabantur. Etenim cum illis superuenit sæua bestiarum ira, morsibus peruersorum colubrorum exterminabantur. Sed non in perpetuum ira
tua permansit, sed ad correptionem in breui turbati sunt signum habentes salutis ad commemorationem
mandati legis tuæ. Qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat sanabatur, sed per te omnium salua-
Exod. 10.a torem, in hoc autem ostendisti inimicis tuis quod tu es qui liberas ab omni malo. Illos enim locustarum, & B
8.f
Apoc. 9.b muscarum occiderunt morsus, & non est inuenta sanitas animæ illorum: quia digni erant ab huiusmodi ex-
terminari. Filios autem tuos, nec draconum venenatorum vicerunt dentes: misericordia enim tua adue-
niens sanabat illos, † vt recordarentur enim sermonum tuorum † mordebantur, & velociter sanabantur:
ne in altam incidentes obliuionem non possent tuo vti adiutorio, etenim neque herba, neque malagma sa-
Deu. 32.f nauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia. Tu es enim Domine, qui vitæ & mortis habes potesta-
1.Reg.2.a tem, & deducis ad portas mortis & reducis: homo autem occidit quidem per malitiam † suam, & cum exci-
Tob.13.a rit spiritus, non reuertetur, nec reuocabit animam, quæ recepta est, sed tuam manum effugere impossibile
Exod.9.e est. Negantes enim te nosse impij, per fortitudinem brachij tui flagellati sunt nouis aquis, & grandinibus, C
& pluuijs persecutionem passi, & per ignem consumpti. [a] Quod enim mirabile erat: in aqua, quæ omnia
extinguit, plus ignis valebat, vindex est enim orbis iustorum. Quodam enim tempore † mansuefiebat ignis,
ne comburerentur, quæ ad impios missa erant animalia: sed, vt ipsi videntes, scirent quòd Dei iudicio pate-
Exod. 16.c rentur persecutionem. Et quodam tempore in aqua supra virtutem ignis exardescebat vndiq;, vt iniquam
Num. 11.b terræ nationem exterminaret. Pro quibus angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem
Psal. 77.c de cœlo præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem omnis saporis suauitatem. Sub-
Ioan. 6.d stantia enim tua dulcedinem tuam quam in filios habes ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati,
Exod.9.a ad quod quisque volebat conuertebatur. Nix autem, & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant, vt D
scirent quod fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grandine, & pluuia coruscans. Hoc autem
iterum, vt nutrirentur iusti, ignis etiam suæ virtutis oblitus est. Creatura enim tibi factori deseruiens, inar-
descit in tormentum aduersus iniustos: & lenior fit ad benefaciendum pro his qui in te confidunt. Propter
hoc & tunc † in omnia transfigurata omnium nutrici gratiæ tuæ deseruiebat ad voluntatem eorum qui † in
Deut. 8.a digebant, vt scirent filij tui, quos dilexisti Domine † quòd non natiuitates fructuum pascunt homines, sed
Mat.4.a sermo tuus hos, qui in te crediderint conseruat. [b] Quod enim ab igne non poterat exterminari, statim ab
exiguo radio solis calefactum tabescebat: vt notum omnibus esset † quòd oportet præuenire solem ad † gra
tias tibi agendas, & ad ortum lucis te ibi adorare. Ingrati enim spes tanquam hybernalis glacies tabesret, &
disperibit tanquam aqua † inutilis.

SCHOLIA.

[a] Quod enim mirabile erat.] *Loquitur de igni, qui grandini mixtus erat, vt habes in Exodo.* [b] Quod enim ab igne.] *Intelligit de manna, quod cum igni coqueretur, obdurescebat, & tamen ad exiguum solis calorem: tabescebat, vt discerent ad verbum Domini omnia facere, cuius imperio obediunt omnia.*

CAPVT XVII.

Exod. 10.f MAgna sunt enim iudicia tua Domine, & inenarrabilia, † propter hoc indisciplinatæ animæ erra- A
uerunt. Dum enim persuasum habent iniqui, posse dominari nationi sanctæ: vinculis tenebra-
rum, & longæ noctis compediti, inclusi sub tectis fugitiui perpetuæ prouidentiæ iacuerunt. Et
dum putant se latére in obscuris peccatis: tenebroso obliuionis velamento dispersi sunt, pauentes horrendè,
[a] & † simulachris perturbati. Neque enim, quę continebat illos spelunca, sine timore custodiebat: quoniam
sonitus descendens perturbabat illos, & personæ tristes illis apparentes, pauorem illis præstabant. Et ignis
quidem nulla vis poterat illis lumen præbere, nec syderum limpidę flammæ illuminare poterant illam no- B
ctem horrendam. Apparebat autem illis subitaneus ignis, timore plenus: & timore percussi illius, quæ non
videbatur faciei, æstimabant deteriora esse, quæ videbantur: [b] & magicæ artis appositi erant derisus, & † ar-
rogantis iactantiæ correptio cum contumelia. Illi enim qui promittebant timores, & perturbationes expel
lere se ab anima languente, hi cum derisu pleni timore languebant. Nam & si nihil illos ex monstris pertur
babat: transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant, & aerem quem nul-
la ratione quis effugere posset, negantes se videre. † Cum enim sit timida † propriè nequitia, dat testimo- C
nium condemnata: [c] semper enim præsumit sæua perturbata ob conscientiam. Nihil enim est timor, nisi
† [d] proditio auxiliorum cogitationis. Et dum † intus minor est expectatio, maiorem computat † ignoratiã
eius causæ, quę tormentum præstat. Illi autem † impotenté verè noctem, & ab † impotentis inferni intimis
superuenientem eundem somnum dormientes, aliquando monstrorum exagitabantur timore, aliquando
animæ deficiebant traductione, subitaneus enim illis, & insperatus timor superuenerat. Deinde si quisquã
ex illis decidisset, custodiebatur in carcere sine ferro reclusus. Si enim rusticus quis erat, aut pastor, aut agri D
laborum, operarius præoccupatus esset: ineffugibilem sustinebat necessitatem. Vna enim catena tenebra-
rum omnes erant colligati. Siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos auium sonus suauis, aut
vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cur-
sus † non visus, aut † rugientium sæuissimarum bestiarum vox, aut resonans de † concauis montibus Echo:
deficientes faciebant illos præ timore. Omnis enim orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non
impeditis operibus continebatur. Solis autem illis † superexpansa erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ
superuentura illis erat. Ipsi ergo sibi erant grauiores tenebris.

Scholia

SCHOLIA.

[a] Simulachris perturbati.] *Meminit illius plagæ, cũ horribiles tenebræ factæ sunt in omni terra Aegyptiorum vt tribus diebus nemo alterum videret, quo tempore ait, terriculamenta quædam & simulachra perterruisse Aegyptios.* [b] Et magicæ artis appositi erant, derisus.] *Videtur significare per ea punitos & ipsos Magos, per quæ seducebant Aegyptios, vt hoc pacto ignominiosè corriperetur eorum iactantia, qua elati erant, & prudentiam sibi vendicabant, quæ tamen erat elatio. nam φρονεῖν interdum accipitur pro, efferre sese, vnde videtur hic posuisse φρόνησιν in hac significatione, cum ait, τῆς ἐπὶ φρονήσει ἀλαζονίας, quod nos Vertimus, arrogantis iactantiæ.* [c] Semper enim præsumit sæua.] *αὐτὴ δὲ προσείληφεν τὰ χαλεπὰ συνεχομένη τῇ συνειδήσει, vt subintelligas, quod præcessit, nequitia scilicet vel malitia, quæ dum à conscientia premitur semper difficillima, ac molestissima quæque sibi proponit perferenda.* [d] Proditio auxiliorum cogitationis.] *προδοσία τῶν ἀπολογισμοῦ βοηθημάτων. Videtur is sensus esse. Id propriè agit timor, vt prodat, & arguat ea, quæ quis sibi in auxilium defensionemq; cogitationum suarum acceperat, & ostendat rationes, quas interdum nobis, fallentes nosmet, fingimus rectas, demum inanes esse ac falsas. Vnde mox sequitur expectatio vltionis. Vbi verò in interiore cogitatione minus expectatur aliquod malum significatio sit ignorantiæ eius causæ, quæ tormentum præbet, & hoc est, quod sequitur. Et dum intus minor est, &c.*

CAPVT XVIII.

A SAnctis autem tuis maxima erat lux, & horum quidem vocem inimici audiebant, sed figuram non vi- Exod. 10.f
debant. Et quia non & ipsi eadem passi erant, magnificabant te: & qui ante læsi erant, quia non lædebantur, gratias agebant tibi: & vt esset differentia, te Deum petebant. Propter quod ignis ardentem co Exod. 14.e
lumnam ducem habuerunt ignotæ viæ, & solem sine læsura boni hospitij præstitisti. Digni quidem illi cà- Psal. 77. & 10.4.
rere luce, & pati carcerem tenebrarum, qui inclusos custodiebant filios tuos, per quos † debebat incorruptũ
legis lumen sæculo dari. Cum cogitarent iustorum occidere infantes: & vno exposito filio, sed liberato, in Exod. 1.c
† redargutionem illorum, multitudinem filiorum abstulisti, & pariter illos perdidisti in aqua valida. Illa &. 2.b
enim nox ante cognita est à patribus nostris: vt verè scientes quibus iuramentis crediderunt, animæquiores
B essent. Suscepta est autem à populo tuo sanitas quidem iustorum, iniustorum autem exterminatio. Sicut Ex. 14.f.g
enim læsisti aduersarios nostros: sic & nos prouocans magnificasti. Absconsè enim sacrificabant iusti pue-
ri bonorum, & † diuinitatis legem in concordia disposuerunt: vt similiter & † bonorum & malorum parti-
cipes essent iusti, patrum iam decantantes laudes. Resonabat autem inconueniens inimicorum vox, & fle-
bilis audiebatur planctus ploratorum infantium. Simili autem pœna seruus cum domino afflictus est, & Exo.12.d.e
popularis homo regi similia passus. Similiter ergo omnes vno nomine mortis mortuos habebant innume-
rabiles. Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebant: quoniam vno momento, quæ erat præclarior natio il-
C lorum, exterminata est. De omnibus enim [a] non credentes propter veneficia, tunc cum primum fuit exter-
minium primogenitorum, † confessi sunt populum, Dei filium esse: cum enim quietum silentium continere-
ret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet omnipotens sermo tuus Domine † de cœlo à regalibus
sedibus, durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit, gladius acutus insimulatum imperium
tuum portans & stans repleuit omnia morte, † cœlum quidem attingebat, & peruenit in terram. Tunc cõ-
tinuò visus somniorum malorum turbauerunt illos, & timores superuenerunt insperati, Et alius alibi pro-
iectus semiuiuus, propter quam moriebatur causam demonstrabat mortis. Visiones enim, quæ illos turba- Num. 16.g
uerunt, hæc præmonebant, ne inscij, quare mala patiebantur, perirent. Tetigit autem tunc & iustos ten-
D tatio mortis, & commotio in eremo facta est multitudinis: sed non diu permansit ira tua. Properans enim
homo sine querela † propugnauit, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & † incensi propitiationem Exod. 28.d
afferens, restitit iræ, & finem imposuit † calamitati, ostendens † quòd tuus esset famulus, Vicit autem tur-
bas non in virtute corporis, nec armaturę potentia, sed verbo illum qui se vexabat subiecit, iuramenta paren
tum, & testamentum commemorans. [b] Cum enim iam aceruatim cecidissent super alterutrum mortui: in
terstitit, & amputauit impetum, & diuisit illam, quæ ad viuos ducebat viam. In veste enim podèris, quam
habebat, totus erat orbis terrarum: & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erat sculpta, & ma-
gnificentia tua in diademate capitis illius. † His autem cessit qui exterminabat, & hæc extimuit, erat enim
sola † experientia iræ sufficiens.

SCHOLIA.

[a] Non credentes propter veneficia.] *διὰ τὰς φαρμακείας, nempe Magorum, qui Aegyptios dementabant, vt non crederent Israelitis.* [b] Cum enim iam aceruatim.] *Hoc fuit in illo incendio, quo quatuordecim millia combusta sunt, & tunc Aharon inter mortuos, ac viuos stetit, vt plaga cessaret.*

CAPVT XIX.

A IMpijs autem vsque in nouissimum sine misericordia ira superuenit. Præsciebat enim & futura illorũ:
† quòd cum ipsi conuersi essent, vt abirent, & studiosè deduxissent eos, pœnitentia ducti persequeren-
tur illos. Adhuc enim inter manus habentes luctum, & deplorantes ad monumenta mortuorum, aliam
sibi assumpserunt cogitationem inscientiæ: & quos rogantes proiecerant, hos tanquam fugitiuos persèque-
bantur, ducebat enim illos ad hunc finem digna necessitas: & horum, quæ acciderant † obliuionem iniecit,
vt, quæ deerant tormentis † implerent punitionem & populus quidem tuus mirabiliter transiret, illi autem
B nouam mortem inuenirent. Omnis enim creatura † in suo genere rursus ab initio refigurabatur, deseruiẽs
tuis præceptis, vt pueri tui custodirentur illæsi. Nam nubes castra illorum obumbrabat, & ex aqua, quæ an-
te erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo ni-
mio, per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur tua manu videntes tua mirabilia & monstra. Tanquã
enim equi depauerunt escã, & tãquã agni exultauerũt magnificãtes te Dñe, qui liberasti illos. Memores enim

erant adhuc eorum quæ in incolatu illorum facta fuerant, quemadmodum pro natione animalium produxit terra muſcas,& pro piſcibus eructauit fluuius multitudinem ranarum. Nouiſsimè autem viderunt no-
Supr.16.a uam creaturam auium,cum adducti concupiſcentia poſtulauerunt eſcas epulationis. In † conſolationem C
enim aſcendit illis de mari ortygometra,& vexationes peccatoribus ſuperuenerunt, non ſine tllis quæ ante facta erant argumentis per vim fulminum, iuſtè enim patiebantur ſecundum ſuas nequitias. Etenim deteſtabiliorem inhoſpitalitatem inſtituerunt,alij quidem ignotos non recipiebant aduenas, alij autem bonos hoſpites in ſeruitutem redigebant. Et non ſolum hæc,ſed & alius quidem reſpectus illorum erat:quoniam inuiti recipiebant extraneos. Qui autem cum lætitia receperunt hos,qui eiſdem vſi erant inſtitutis,ſæuiſsimis afflixerunt doloribus. Percuſsi ſunt autem cęcitate : [a] ſicut in foribus iuſti cum † vaſtis cooperti eſſent tenebris,vnuſquiſque tranſitum oſtij ſui quærebat. [b] In ſe enim elementa dum conuertuntur, ſicut in or- D
gano qualitatis ſonus immutatur,& omnia ſuum ſonum cuſtodiunt:† quod æſtimari ex ipſo viſu certo poteſt.† Terreſtria enim in aquatica conuertebantur:& quæcunq; erant natantia,in terra tranſibant. [c] Ignis in aqua valebat ſupra ſuam virtutem,& aqua extinguentis naturæ obliuiſcebatur. Flammæ è cõtrario,corruptibilium animalium non vexauerunt carnes coambulantium.[d] nec diſſoluebant illam quæ facilè diſſoluebatur,ſicut glacies,bonam eſcam.In omnibus enim magnificaſti populum tuum Domine, & honoraſti, & non deſpexiſti in omni tempore,& in omni loco aſsiſtens eis.

SCHOLIA.

[a] Sicut illi in foribus iuſti.] *Hiſtoriæ meminit Lot ac Sodomitarum.* [b] In ſe enim elementa.] *Pulchra ſimilitudo,qua docet,omnia,etiam cum Deo volente videtur permutari ordo, ſuum tamen nunquam concentum amittere, vt cum terreſtria animalia per mare rubrum tranſierunt, quaſi aquatica facta,&c.* [c] Ignis in aqua valebat.] *Videtur repetere hiſtoriam illam Exod.9.quando ignis & grando,nix et aqua pariter contra Ægyptios armata deſcendebãt è cœlo.* [d] Nec diſſoluebant illam.] *Intelligit de Manna,cuius & ſupra mentio facta eſt.*

PROLOGVS IN ECCLESIASTICVM

IESV FILII SIRACH.

CVm multa & magna per legem & prophetas,& alios, qui ſecuti illos ſunt nobis ſint tradita, pro quibus æquum eſt laudare Iſraelem doctrina & ſapientiæ nomine,vt non legentes ſolum periti fieri,verum hac peritia etiam externis,& dicendo,& ſcribendo vſui eſſe poſſent. Auus meus Ieſus,cum plurimum ſe dediſſet in legis & prophetarum,& aliorum librorum,qui nobis à patribus traditi ſunt,lectionem,atque in ijs idoneum eſſet adeptus habitum,aggreſſus & ipſe eſt aliquid eorum ſcribere quæ ad diſciplinam & ſapientiam pertinent:vt qui diſcere cupiunt, & his ſe dedere, amplius proficiant per hanc legitimè viuendi rationem.Hortor itaque,vt cum beneuolentia atque attẽtione legatis, & veniam detis in ijs,in quibus viſi fuerimus in hoc ſtudio interpretationis,quædam aſſequi verbis non potuiſſe, non enim æqualem vim habent ipſa eadem cum Hebraicè pronuntiantur,& cum in aliam transferuntur linguam.Neque hæc ſolum, verum & alia,& lex ipſa,atque prophetæ,& reliqui libri non paruam habent differentiam in ſeſe.dum proferũtur. Porrò in octauo & trigeſimo anno,temporibus Ptolomæi Euergetis regis,cum in Aegyptum profectus eſſem, ibique multum temporis fuiſſem,inueni non paruæ diſciplinæ occaſionem. Itaque maximè neceſſarium putaui adhibere aliquem laborem ac diligentiam huic libro interpretando,vt poſt multam vigiliam et adhibitum ſtudiũ, in hoc temporis ſpacio ad finem deductum librum æderem,ad eorum vtilitatem,qui in hac peregrinatione ſtudioſi diſcendi eſſe volunt,& mores præparare, quibus ſecundum legem vitam inſtituant.

ECCLESIASTICVS

CAPVT I.

OMnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper & eſt ante æuum. Are- A
nam maris & pluuiæ guttas,& dies ſæculi quis dinumerauit? Altitudinem cœli, & latitudinem terræ,& profundum abyſsi quis dimenſus eſt? Sapientiam Dei præcedentem omnia,quis inueſtigauit? Prior omnium creata eſt ſapientia, & intellectus prudentiæ ab æuo. Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mãdata ęterna. Radix ſapientiæ,cui reuelata eſt? & aſtutias illius quis agnouit? Diſciplina ſapientiæ cui reuelata eſt,& manifeſtata? & multiplicationem ingreſſus illius quis intellexit? Vnus eſt altiſsimus creator omnium,omnipotens,& rex potens,& metuendus nimis,ſedens ſuper thronum illius & dominans Deus. Ipſe creauit illam in ſpiritu ſancto,& vidit & dinumerauit, & mẽſus eſt. Et effu- B
dit illam ſuper omnia opera ſua,& ſuper omnem carnem ſecundum datum ſuum, & præbuit illam diligentibus ſe. Timor Domini gloria,& gloriatio,& lætitia, & corona exultationis. Timor Domini delectabit cor,& dabit lætitiam & gaudium & longitudinem dierum. Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis ſuæ benedicetur. Dilectio Dei,honorabilis ſapientia. Quibus autem apparuerit in vi-
Pr.1.a.9.c ſu,diligunt eam in viſione,& in agnitione magnalium ſuorum. Initium ſapientiæ,timor Domini, & cum
Pſal. 110.d fidelibus in vulua cõcreatus eſt,& cum electis fœminis graditur, & cũ iuſtis & fidelibus agnoſcitur. Timor Domini,

Domini,& ſcientiæ religioſitas.Religioſitas cuſtodiet, & iuſtificabit cor, iucunditatem atque gaudium dabit. Timenti Dominum bene erit, & in diebus conſummationis illius benedicetur. Plenitudo ſapientiæ
C eſt,timere Deum,& plenitudo à fructibus illius. Omnem domum illius implebit à generationibus, & receptacula à theſauris illius. Corona ſapientiæ,timor Domini,replens pacem, & ſalutis fructum : & vidit & dinumerauit eam,vtraque autem ſunt dona Dei,Scientiam, & intellectum prudentiæ ſapientia compartietur:& gloriam tenentium ſe,exaltat. Radix ſapientiæ eſt,timere Dominum:& rami illius longęui. In theſauris ſapientiæ intellectus,& ſcientiæ religioſitas:execratio autem peccatoribus ſapientia. Timor Domini expellit peccatum,nam qui ſine timore eſt,non poterit iuſtificari:iracundia enim animoſitatis illius,ſubuerſio illius eſt. Vſque in tempus ſuſtinebit patiens, & poſtea redditio iucunditatis. Bonus ſenſus vſque in
D tempus abſcondet verba illius, & labia multorum enarrabunt ſenſum illius:in theſauris ſapientiæ ſignificatio diſciplinæ : execratio autem peccatori,cultura Dei. Fili concupiſcens ſapientiam,conſerua iuſtitiam, & Deus præbebit illam tibi. Sapientia enim & diſciplina timor Domini:& quod beneplacitum eſt illis, fides & manſuetudo,& adimplebit theſauros illius:Contumax nõ ſis, & incredibilis timori Dei:& ne acceſſeris ad illum duplici corde. Ne fueris hypocrita in conſpectu hominum, & non ſcandalizeris in labijs tuis. Attende in illis,ne fortè cadas,& adducas animæ tuæ inhonoratione,& reuelet Deus abſconſa tua, & in medio ſynagogæ elidat te:quoniam acceſsiſti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum eſt dolo & fallacia.

SCHOLIA.

LIber hic,qui eccleſiaſticus vocatur ob id, quòd vtiliſsima eccleſiæ Dei documenta complectatur, etiam πανάρετος olim vocatus fuit, quaſi omnem virtutem comprehendens,vt ſit vera Chriſtianorum ethica, & longè quàm illa ethnicorum vtilior.Obtinuit etiam apud eccleſiaſticos,vt ſapientiæ cognomen haberet, ſicut & parabolarum liber Salomonis,cui in tradendæ ſapientiæ modo admodum eſt affinis. [redacted]

CAPVT II.

A FIli accedens ad ſeruitutem Dei,ſta in iuſtitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Deprime cor tuum,& ſuſtine:& inclina aurem tuam,& ſuſcipe verba intellectus:& ne feſtines in tempus obductionis. Suſtine ſuſtentationes Dei:coniũgere Deo,ſuſtine, vt creſcat in nouiſsimo vita tua. Omne quod tibi applicitum fuerit,accipiet:& in dolore ſuſtine,& in humilitate tua patientiam habe : quoniam in igne probatur aurũ & argentum,homines verò receptibiles in camino humiliationis. Crede Deo, & recuperabit te:& dirige viam tuam,& ſpera in illum. Serua timorem illius, & in illo veteraſce. Metuẽ-
B tes Dominum ſuſtinete miſericordiam eius:& non deflectatis ab illo, ne cadatis. Qui timetis Dominum, credite illi:& non euacuabitur merces veſtra. Qui timetis Dominum,ſperate in illum:& in oblectationem veniet vobis miſericordia. Qui timetis Dominum,diligite illum, & illuminabuntur corda veſtra. Reſpicite filij nationes hominum:& ſcitote quod nullus ſperauit in Domino,& confuſus eſt. Quis enim permã- Pſal.36.
ſit in mandatis eius,& derelictus eſt? aut quis inuocauit eum, & deſpexit illum? Quoniam pius & miſeri-
C cors eſt Deus,& remittit in die tribulationis peccata : & protector eſt omnibus exquirentibus ſe in veritate. Væ duplici corde,& labijs ſceleſtis,& manibus malefacientibus, & peccatori terram ingrediẽti duabus vijs. Væ diſſolutis corde,qui non credunt Deo,& ideo non protegentur ab eo. Vę his qui perdiderunt ſuſtinentiam,& qui dereliquerunt vias rectas,& diuerterunt in vias prauas. Et quid facietis, cum inſpicere cœperit Dominus? Qui timent Dominum,non erunt incredibiles verbo illius:& qui diligunt illum conſeruabunt
D vias illius. Qui timent Dominum,inquirent quę beneplacita ſunt ei:& qui diligunt eum, replebuntur lege ipſius. Qui timent Dominum pręparabunt corda ſua,& in conſpectu illius ſanctificabunt animas ſuas. Qui timent Dominum,cuſtodiunt mandata illius,& patientiam habebũt vſque ad inſpectionem illius, dicentes,Si pœnitentiam non egerimus,incidemus in manus Domini,& nõ in manus hominum. Secundum enim magnitudinem ipſius,ſic & miſericordia illius cum ipſo eſt.

CAPVT III.

A FIlij ſapientiæ,eccleſia iuſtorum:& natio illorum, obedientia & dilectio. Iudicium patris audite filij, & ſic facite vt ſalui ſitis. Deus enim honorauit patrẽ in filijs : & iudicium matris exquirens, firmauit in filios. Qui diligit Deum,exorabit pro peccatis,& continebit ſe ab illis,& in oratione dierum exaudietur:& ſicut qui theſaurizat,ita & qui honorificat matrem ſuam. Qui honorat patrem ſuum, iucundabitur in filijs,& in die orationis ſuę exaudietur. Qui honorat patrem ſuum,vita viuet longiore:& qui obedit patri,refrigerabit matrem. Qui timet Dominũ,honorat parẽtes,& quaſi dominis ſeruiet his qui ſe genue- Exod.20.c
B runt. In opere & ſermone & omni patientia honora patrem tuum,vt ſuperueniat tibi benedictio à Deo,& Deut.5.b
benedictio illius in nouiſsimo maneat. Benedictio patris firmat domos filiorum:maledictio autem matris Matt.15.a Marc.7.b
eradicat fundamenta. Ne glorieris in contumelia patris tui : non enim eſt tibi gloria, ſed confuſio : gloria Ephe.6.a
enim hominis ex honore patris ſui,& dedecus filij pater ſine honore,Fili,ſuſcipe ſenectam patris tui, & non Pro.25.d
cõtriſtes eum in vita illius:& ſi defecerit ſenſu,veniam da, & ne ſpernas eũ in virtute tua, Eleemoſyna enim patris non erit in obliuione. Nam pro peccato matris reſtituetur tibi bonum, & in iuſtitia ædificabitur ti-
C bi,& in die tribulationis commemorabitur tui,& ſicut in ſereno glacies,ſoluentur peccata tua. Quàm malę famæ eſt qui derelinquit patrem:& eſt maledictus à Deo,qui exaſperat matrem.Fili,in mãſuetudine opera tua perfice, & ſuper hominum gloriam diligeris. Quantò magnus es,humilia te in omnibus, & coràm Deo

Deo inuenies gratiam:quoniam magna potentia Dei ſolius,& ab humilibus honoratur. Altiora te ne quæſieris,& fortiora te ne ſcrutatus fueris:ſed quæ præcipit tibi Deus,illa cogita ſemper, & in pluribus operibus eius ne fueris curioſus:non eſt enim tibi neceſſarium ea quæ abſcondita ſunt videre oculis tuis. In ſupernacuis rebus noli ſcrutari multipliciter,& in pluribus operibus eius nõ eris curioſus. Plurima enim ſuper ſenſum hominum oſtenſa ſunt tibi. Multos enim ſupplãtauit ſuſpicio illorum , & in vanitate detinuit ſenſus D illorum. Cor durum habebit malè in nouiſsimo : & qui amat periculum , in illo peribit. Cor ingrediens duas vias,non habebit ſucceſſus,& prauum cor in illis ſcandalizabitur. Cor nequam grauabitur in doloribus,& peccator adijciet ad peccandum. Sinagoge ſuperborum non erit ſanitas:frutex enim peccati eradicabitur in illis,& non intelligetur. Cor ſapientis intelligetur in ſapientia , & auris bona audiet cum omni

Daniel.4 concupiſcentia ſapientiam. Sapiens cor,& intelligibile abſtinebit ſe à peccatis , & in operibus iuſtitiæ ſucceſſus habebit. Ignem ardẽtem extinguit aqua,& eleemoſyna reſiſtit peccatis : & Deus proſpector eſt eius, qui reddit gratiam. Meminit in poſterum,& in tempore caſus ſui inueniet firmamentum.

CAPVT IIII.

Tob.4.b FIli,eleemoſynam pauperis ne defraudes,& oculos tuos ne tranſuertas à paupere. Animam eſurientem A ne deſpexeris,& non exaſperes pauperem in inopia ſua. Cor inopis ne afflixeris,& non protrahas datum anguſtianti. Rogationem contribulati ne abijcias : & non auertas faciem tuam ab egeno. Ab inope ne auertas oculos tuos propter iram:& non relinquas quærẽtibus tibi retro maledicere . Maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius,exaudiet autem eum, qui fecit illum. Cõgregationi pauperum affabilem te facito:& presbytero humilia animam tuam , & magnato humilia caput tuum. Declina pauperi ſine triſtitia aurem tuam,& redde debitum tuum,& reſponde illi pacificè in mansuetudine. Libera eum,qui iniuriam patitur,de manu ſuperbi:& nõ acidè feras in anima tua . In iudican- B
do eſto pupillis miſericors vt pater,& pro viro matri illorum:& eris tu velut filius altiſſimi obediens & [illegible] ſerebitur tui magis quàm mater. Sapientia filijs ſuis vitam inſpirat,& ſuſcipit exquirentes ſe, & præbet via iuſtitiæ,& qui illam diligit,diligit vitam:& qui vigilauerint ad illam,complectetur placentem eis. Qui tenuerint illam,vitam hæreditabunt:& quò introibit,benedicet Deus:qui ſeruiunt ei,obſequentes erũt ſancto:& eos,qui diligunt illam,diligit Deus. Qui audit illam,iudicabit gentes:& qui intuetur illam permanebit confidens. Si crediderit ei,hæreditabit illam,& erunt in confirmatione creaturæ illorum : quoniam in tentatione ambulat cum eo,& in primis eligit eum. Timorem & metum,& probationem inducet ſuper il- C
lum,& illum cruciabit in tribulatione doctrinę ſuæ,donec tenter eum in cogitationibus ſuis , & credat animæ illius.Et firmabit illum & iter adducet directum ad illum,& lætificabit illum : & denudabit abſcondita ſua illi,& theſaurizabit ſuper illum ſcientiam,& intellectum iuſtitiæ.Si autem oberrauerit,derelinquet eum, & tradet eum in manus inimici ſui. Fili,conſerua tempus, & deuita à malo . Pro anima tua ne confundaris dicere verum:eſt.n.cõfuſio adducens peccatũ,& eſt confuſio adducens gloriã & gratiã. Ne accipias faciẽ aduerſus faciẽ tuam,nec aduerſus animã tuam mendaciũ.Ne reuerearis proximum tuũ in caſu ſuo:nec retineas verbum in tempore ſalutis.Non abſcõdas ſapientiam tuam in decore ſuo. In lingua enim ſapiẽtia di- D
gnoſcitur:& ſenſus,& ſcientia,& doctrina in verbo ſenſati, & firmamentum in operibus iuſtitiæ. Non cõtradicas verbo veritatis vllo modo,& de mendacio ineruditionis tuæ confundere. Non confundaris confiteri peccata tua, & ne ſubijcias te omni homini pro peccato . Noli reſiſtere cõtra faciẽ potentis,nec coneris contra impetum fluuij. Pro iuſtitia agonizare pro anima tua,& vſq; ad mortem certa pro iuſtitia , & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Noli citatus eſſe in lingua tua : & inutilis , & remiſſus in operibus tuis. Noli eſſe ſicut leo in domo tua,euertens domeſticos tuos,& opprimens ſubiectos tibi. Nõ ſit porrecta manus tua ad accipiendum,& ad dandum collecta.

CAPVT V.

NOli attendere ad poſſeſsiones iniquas , & ne dixeris , Eſt mihi ſufficiens vita , nihil enim proderit in A
tempore vindictę & obductionis. Ne ſequaris in fortitudine tua concupiſcentiam cordis tui:& ne dixeris,Quomodo potui ? aut Quis me ſubijciet propter facta mea ? Deus enim vindicans vindicabit. Ne dixeris,Peccaui, & quid mihi accidit triſte? Altiſsimus enim eſt patiens redditor . De propitiato

Prou.10.a peccato noli eſſe ſine metu,neq; adijcias peccatũ ſuper peccatũ. Et ne dicas , Miſeratio Domini magna eſt, B
multitudinis peccatorũ meorum miſerebitur. Miſericordia enim,& ira ab illo citò proximant,& in peccatores reſpicit ira illius. Nõ tardes conuerti ad Dñm,& ne differas de die in diẽ, ſubitò.n.veniet ira illius,&

Prou.11.a in tẽpore vindictę diſperdet te. Noli anxius eſſe in diuitijs iniuſtis : nõ enim proderũt tibi in die obductionis & vindictæ. Nõ ventiles te in omnẽ ventum,& nõ eas in omnẽ viam : ſic enim omnis peccator probatur in duplici lingua. Eſto firmus in via Domini,& in veritate ſenſus tui & ſcientia , & proſequatur te verbũ C
pacis & iuſtitiæ. Eſto manſuetus ad audiendum verbum Dei, vt intelligas : & cum ſapientia profer reſponſum verum. Si eſt tibi intellectus , reſponde proximo: ſin autem ſit manus tua ſuper os tuum , ne capiaris in verbo indiſciplinato,& confundaris. Honor & gloria in ſermone ſenſati,lingua verò imprudentis ſub- D
uerſio eſt ipſius. Non appelleris ſuſurro in vita tua,& lingua tua ne capiaris & confundaris . Super furem enim eſt confuſio,& pœnitentia,& deuotatio peſsima ſuper bilinguem:ſuſurratori autem odium, & inimicitia & contumelia. Iuſtifica puſillum,& magnum ſimiliter.

CAPVT VI.

NOli fieri pro amico inimicus proximo,improperium enim, & contumeliam malus hæreditabit, & A
omnis peccator inuidus & bilinguis. Nõ te extollas in cogitatione animæ tuę, velut taurus:ne fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam,& folia tua comedat, & fructus tuos perdat , & relinquaris velut lignum

lignum aridum in eremo:anima.n.nequam diſperdet qui ſe habet,& in gaudium inimicis dat illum, & deducet in ſortem impiorum. Verbũ dulce multiplicat amicos, & mitigat inimicos : & lingua gratioſa in bono homine abũdat. Multi pacifici ſint tibi,& cõſiliarius ſit tibi vnus de mille.Si poſsides amicũ, in tẽtatione poſsides eum, & ne facilè credas ei teipſum. Eſt.n.amicus ſecundum tempus ſuum , & non permanebit B
in die tribulationis. Et eſt amicus qui conuertitur ad inimicitiam:& eſt amicus qui odium & rixam & cõuicia denudabit.Eſt autem amicus ſocius menſæ & non permanebit in die neceſsitatis. Amicus ſi permanſerit fixus,erit tibi quaſi coęqualis,& in domeſticis tuis fiducialiter aget:ſi humiliauerit ſe contra te , & à facie tua abſconderit ſe,vnanimem habebis amicitiam bonam . Ab inimicis tuis ſeparare , & ab amicis tuis attende.Amicus fidelis,protectio fortis:qui autem inuenit illum,inuenit theſaurum. Amico fideli nulla eſt comparatio,& non eſt digna ponderatio auri & argenti contra bonitatem fidei illius. Amicus fidelis medicamentum vitæ,& immortalitatis:& qui metuunt Dominum,inuenient illum. Qui timet Deum : æquè habebit amicitiam bonam:quoniam ſecundum illum erit amicus illius. Fili,à iuuentute tua excipe doctri- C
nam,& vſque ad canos inuenies ſapientiam. Quaſi is qui arat,& qui ſeminat,accede ad eã, & ſuſtine bonos fructus illius,in opere.n.ipſius exiguum laborabis , & citò edes de generationibus illius . Quàm aſpera eſt nimium ſapientia indoctis hominibus,& nõ permanebit in illa excors . Quaſi lapidis virtus probatio erit in illis,& non demorabuntur proijcere illam.Sapientia enim doctrinæ ſecundum nomẽ eſt eius , & non eſt multis manifeſta:quibus autem cognita eſt,permanet vſq; ad conſpectum Dei. Audi fili,& accipe conſiliũ intellectus,& ne abijcias conſilium meum:injce pedem tuũ in compedes illius , & in torques illius,collum tuum:ſubijce humerum tuum , & porta illam , & ne acedieris vinculis eius. In omni animo tuo accede ad illam,& in omni virtute tua conſerua vias eius. Inueſtiga illam,& manifeſtabitur tibi , & continens factus D
ne derelinquas eam:in nouiſsimis enim inuenies requiem in ea , & conuerteturtibi in oblectationem. Et erunt tibi compedes eius in protectionem fortitudinis,et baſes virtutis,& torques illius in ſtolam glorię:decor enim vitæ eſt in illa,& vincula illius alligatura ſalutaris. Stola gloriæ indues eam , & coronam gratulationis ſuperpones tibi. Fili,ſi attenderis mihi,diſces:& ſi accommodaueris animum tuum, ſapiens eris. Si inclinaueris aurem tuam,excipies doctrinam:& ſi dilexeris audire,ſapiens eris. In multitudine presbyterorum prudentium ſta,& ſapientiæ illorum ex corde coniungere , vt omnem narrationem Dei poſsis audire, & prouerbia laudis non effugiant à te. Et ſi videris ſenſatum,euigila ad eum,& gradus oſtiorum illius exterat pes tuus. Cogitatum tuum habe in præceptis Dei,& in mandatis illius maximè aſsiduus eſto:& ipſe dabit tibi cor,& concupiſcentia ſapientiæ dabitur tibi.

CAPVT VII.

A NOli facere mala,& non te apprehendent. Diſcede ab iniquo, & deficient mala abs te. Fili , non ſemines mala in ſulcis iniuſtitiæ,& non metes ea in ſeptuplum . Noli quærere ab homine ducatum, neque à rege cathedram honoris. Non te iuſtifices ante Deum,quoniam agnitor cordis ipſe eſt : & penes regem noli velle videri ſapiens. Noli quærere fieri iudex,niſi valeas virtute irrumpere iniquitates:ne forte extimeſcas faciẽ potentis:& ponas ſcãdalum in agilitate tua. Non pecces in multitudinẽ ciuitatis,nec te immittas in populum,neque alliges duplicia peccata : nec enim in vno eris immunis . Noli eſſe puſillanimis in animo tuo. Exorare,& facere eleemoſynã ne deſpicias. Ne dicas , In multitudine munerũ meo-
B rum reſpiciet Deus,& offerente me Deo altiſsimo,& munera mea ſuſcipiet. Nõ irrideas hominem in amaritudine animæ:eſt enim qui humiliat & exaltat , circumſpector Deus . Noli narrare mendacium aduerſus fratrem tuum:neque in amicum ſimiliter facies . Noli velle mentiri omne mendaciũ:aſsiduitas enim illius non eſt bona. Noli verboſus eſſe in multitudine presbyterorum , & non iteres verbum in oratione tua. Non oderis laborioſa opera,& ruſticationem creatam ab altiſsimo. Non te reputes in multitudine indiſciplinatorum. Memento irę,quoniam non tardabit. Humilia valde ſpiritum tuum:quoniam vindicta carnis impij,ignis & vermis. Noli præuaricari in amicum pecuniam differẽtem, neque fratrem chariſsimum in auro ſpreueris. Noli diſcedere à muliere ſenſata & bona,quam ſortitus es in timore Domini:gratia enim
C verecundiæ illius ſuper aurum. Non lædas ſeruum in veritate operantem, neque mercenarium dãtem animam ſuam. Seruus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua,non defraudes illum libertate , neque inopem derelinquas illum. Pecora tibi ſunt,attende illis:& ſi ſunt vtilia , perſeuerent apud te . Filij tibi ſunt , erudi illos,& curua illos à pueritia eorum : Filiæ tibi ſunt , ſerua corpus illarum , & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas. Trade filiam,& grande opus feceris,& homini ſenſato da illam. Mulier ſi eſt tibi ſecundum Supra.3.b animam tuam,non proijcias illam:& odibili non credas te in toto corde tuo. Honora patrem tuum,& ge- Tob.4.a
mitus matris tuæ ne obliuiſcaris. Memento quòd niſi per illos natus non fuiſſes:& retribue illis,quomodo
D & illi tibi. In tota anima tua time Dominum,& ſacerdotes illius ſanctifica. In omni virtute tua dilige eum qui te fecit:& miniſtros eius non derelinquas. Honora Deum ex tota anima tua , & honorifica ſacerdotes, Leuit.2.c & propurga te cum brachijs. Da illis partem,ſicut mandatum eſt tibi primitiarum & purgationis:& de negligentia tua purga te cum paucis. Datum brachiorum tuorum ſacrificium ſanctificationis offeres Domino,& initia ſanctorum:& pauperi porrige manum tuam,vt perficiatur propitiatio,& benedictio tua. Gratia dati in conſpectu omnis viuentis,& mortuo non prohibeas gratiam. Non deſis plorantibus in conſolatione,& cum lugentibus ambula. Non te pigeat viſitare infirmũ:ex his enim in dilectione firmaberis. In omnibus operibus tuis memorare nouiſsima tua,& in æternum non peccabis. Mat.25.d

Caput

CAPVT VIII.

NOn litiges cum homine potente,ne fortè incidas in manus illius. Non cõtendas cum viro locupleA
te,ne fortè è contra conſtituat litem tibi:multos.n.perdidit aurum & argentum, & vſq; ad cor regũ
extendit,& conuertit. Non litiges cum homine linguato & non ſtrues in ignem illius ligna. Non
communices homini indocto,ne mala de progenie tua loquatur. Ne deſpicias hominem auertentem ſe à
peccato,neq; improperes ei:memento q; omnes in corruptione ſumus. Ne ſpernas hominem in ſua ſeneB
ctute:etenim ex nobis ſeneſcunt. Noli de mortuo inimico tuo gaudere:ſciẽs q; omnes morimur,& in gaudium volumus venire. Ne deſpicias narrationem presbyterorum ſapientium,& in prouerbijs eorum conuerſare:ab ipſis.n.diſces ſapientiam,& doctrinam intellectus,& ſeruire magnatis ſine querela. Non te prætereat narratio ſeniorum:ipſi enim didicerũt à patribus ſuis:quoniam ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum. Non incendas carbones peccatorum arguens eos, & ne incendaris flamma ignis peccatorum illorum. Ne contra faciem ſtes contumelioſi,ne ſedeat quaſi inſidiator ori tuo. NoC
li fœnerari homini fortiori te:quòd ſi fœneraueris,quaſi perditum habe. Non ſpõdeas ſuper virtutem tuã:
quòd ſi ſpoponderis, quaſi reſtituens cogita. Non iudices contra iudicem: quoniam ſecundum quod iuſtum eſt, iudicat. Cum audace non eas in via,ne fortè grauet mala ſua in te: ipſe enim ſecundum voluntatem ſuam vadit, & ſimul cum ſtultitia illius peribis. Cum iracundo non facias rixam, & cum audace non
eas in deſertum:quoniam quaſi nihil eſt ante illum ſanguis,& vbi non eſt adiutorium,elidet te. Cum fatuis D
conſilium non habeas:non enim poterunt diligere,niſi quæ eis placent. Coràm extraneo non facies conſilium:neſcis enim quid pariet. Non omni homini cor tuum manifeſtes: ne fortè inferat tibi gratiã falſam,
& conuitietur.

CAPVT IX.

NOn zeles mulierem ſinus tui,ne oſtẽdat ſuper te malitiam doctrinæ nequam. Non des mulieri poA
teſtatem animæ tuæ,ne ingrediatur in virtute tua,& confundaris. Ne reſpicias mulierem multiuolam: ne fortè incidas in laqueos illius. Cum ſaltatrice ne aſsiduus ſis:nec audias illam,ne fortè pereas in efficacia illius. Virginem ne cõſpicias, ne fortè ſcandalizeris in decore illius. Ne des fornicarijs animam tuam in vllo: ne perdas te,& hæreditatem tuam. Noli circunſpicere in vicis ciuitatis, nec oberraueris in platéis illius. Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumſpicias ſpeciem alienam: propter B
ſpeciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. Omnis mulier quæ eſt fornicaria quaſi ſtercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Speciem mulieris alienæ multi admirati reprobi facti ſunt:colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit. Cum aliena muliere non ſedeas
omnino, nec accumbas cum ea ſuper cubitum: & non alterceris cum illa in vino, ne fortè declinet cor tuũ in illam,& ſanguine tuo labaris in perditionem. Ne derelinquas amicum antiquum:nouus enim non erit C
ſimilis illi. Vinum nouum,amicus nouus: veteraſcet,& cum ſuauitate bibes illud. Non zeles gloriam, & opes peccatoris: non enim ſcis quæ futura ſit illius ſubuerſio. Non placeat tibi iniuria iniuſtorum, ſciens quòd vſque ad inferos non placebit impius. Longè abeſto ab homine poteſtatem habente occidẽdi,& non ſuſpicaberis timorem mortis,& ſi acceſſeris ad illum,noli aliquid committere,ne fortè auferat vitam tuam. Communionem mortis ſcito: quoniam in medio laqueorum ingredieris, & ſuper dolentium arma ambuD
labis. Secundũ virtutem tuam caue te à proximo tuo,& cum ſapientibus & prudentibus tracta. Viri iuſti ſint tibi conuiuæ, & in timore Dei ſit tibi gloriatio, & in ſenſu ſit tibi cogitatus Dei, & omnis enarratio tua in præceptis altiſsimi. In manu artificum opera laudabuntur,& princeps populi in ſapientia ſermonis ſui,in ſenſu verò ſeniorum verbum. Terribilis eſt in ciuitate ſua homo linguoſus: & temerarius in verbo ſuo odibilis erit.

CAPVT X.

IVdex ſapiens iudicabit populum ſuum:& principatus ſenſati ſtabilis erit. Secundum iudicem populi, A
ſic & miniſtri eius: qualis rector eſt ciuitatis, tales & inhabitantes in ea. Rex inſipiẽs perdet populum ſuum: & ciuitates inhabitabuntur per ſenſum prudentium. In manu Dei poteſtas terræ:& execrabilis omnis iniquitas gentium, & vtilem rectorem ſuſcitabit in tempus ſuper illam. In manu Dei poteſtas hominis,& ſuper faciem ſcribæ imponet honorem ſuum. Omnis iniurię proximi ne memineris,& nihil agas in operibus iniuriæ. Odibilis coràm Deo eſt & hominibus ſuperbia: & execrabilis omnis iniquitas gentium. Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diuerſos B
dolos. Auaro autem nihil eſt ſceleſtius. Quid ſuperbit terra & cinis? Nihil eſt iniquius, quàm amare pecuniam:hic enim & animam ſuam venalem habet:quoniam in vita ſua proiecit intima ſua. Omnis potentatus breuis vita. Languor prolixior grauat medicum. Breuem languorem præcidit medicus: & rex hodie eſt,& cras morietur. Cum enim morietur homo,hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes. Initium ſuperbiæ hominis,apoſtatare à Deo:quoniam ab eo,qui fecit illum,receſsit cor eius, quoniam initium omnis peccati eſt ſuperbia:qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis,& ſubuertet eum in finem. Propterea exhonorauit Dominus conuentus malorum, & deſtruxit eos vſque in finem. Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis. Radices gentium ſuperbarum arefecit Deus, & plantauit huC
miles ex ipſis gentibus. Terras gentium euertit Dominus, & perdidit eas vſque ad fundamentum. Arefecit Deus ex ipſis,& diſperdidit eos,& ceſſare fecit memoriam eorum à terra. Memoriam ſuperborum perdidit Deus, & reliquit memoriam humilium ſenſu. Non eſt creata hominibus ſuperbia: neque iracundia nationi mulierum. Semen hominum honorabitur hoc,quod timet Deum: ſemen autem hoc exhonorabitur,

bitur, quod præterit mandata Domini. In medio fratrum rector illorum in honore: & qui timent Dominum,erunt in oculis illius. Gloria diuitum,honoratorum,& pauperum, timor Dei eſt: non deſpicere hominem iuſtum pauperem,& non magnificare virum peccatorem diuitem. Magnus eſt iudex, & potens eſt Prou.17.a
D in honore: & non eſt † quiſquam eorum maior illo qui timet Deum. Seruo ſenſato liberi ſeruient: & vir prudens & diſciplinatus non murmurabit correptus, & inſcius non honorabitur. Noli extollere te in faProu.12.c
ciendo opere tuo,& noli cunctari in tempore anguſtiæ. Melior eſt qui operatur, & abundat in omnibus, quàm qui gloriatur,& eger pane. Fili mi,in manſuetudine ſerua animam tuam, & da illi honorem ſecundum meritum ſuum. Peccantem in animam ſuam quis iuſtificabit? & quis honorificabit exhonorantem animam ſuam? Pauper gloriatur per diſciplinam & timorem ſuũ: & eſt homo, qui honorificatur propter ſubſtantiam ſuam. Qui autem gloriatur in paupertate,quanto magis in ſubſtãtia? Et qui gloriatur in ſubſtantia,paupertatem vereatur.

CAPVT XI.

A SApientia humiliati exaltabit caput illius,& in medio magnatorum conſedere illum faciet. Non laudes virum in ſpecie ſua,neque ſpernas hominem in viſu ſuo:breuis in volatilibus eſt apis, & initium dulcoIoan.7.c
ris habet fructus illius. In veſtitu ne glorieris vnquam, nec in die honoris tui extollaris: quoniam mirabilia opera altiſsimi ſolius,& glorioſa,& abſconſa,& inuiſa opera illius. Multi tyranni ſederunt in throno,& inſuſpicabilis portauit diadema. Multi potentes oppreſsi ſunt validè,& glorioſi traditi ſunt in manus alterorum. Priuſquam interroges,ne vituperes quenquam:& cum interrogaueris,corripe iuſtè. Priuſquã audias ne reſpõdeas verbum,& in medio ſermonum ne adijcias loqui. De ea re,quæ te nõ moleſtat, ne cerProu.10.c
tes:& in iudicio peccantium ne conſiſtas. Fili,ne in multis ſint actus tui:et ſi dines fueris,non eris immunis
B à delicto. Si enim ſecutus fueris,non apprehendes:& non effugies,ſi præcucurreris. Eſt homo laborans,& feſtinans,& dolens impius,& tantò magis non abundabit. Eſt homo marcidus egens recuperatione, plus deficiens virtute,& abundans paupertate,& oculus Dei reſpexit illum in bono, & erexit eum ab humilitate ipſius,& exaltauit caput:& mirati ſunt in illo multi,& honorauerunt Deum. Bona & mala, vita & mors, paupertas & honeſtas,à Deo ſunt. Sapientia & diſciplina ſcientia legis apud Deum. Dilectio,& vię bonorum apud ipſum. Error & tenebræ peccatoribus concreta ſunt:qui autem exultant in malis, conſeneſcunt in malo. Datio Dei permanet iuſtis,& profectus illius ſucceſſus habebit in æternum. Eſt qui locupletatur
C parcè agẽdo, & hęc eſt pars mercedis illius in eo quod dicit. Inueni requiem mihi, & nunc manducabo de Luc.12.c
bonis meis ſolus:& neſcit quòd tempus prætereat illum, & mors appropinquet & relinquet omnia alijs,& morietur. Sta in teſtamento tuo,& in illo colloquere,& in opere mandatorũ tuorum veteraſce. Ne manſeris in operibus peccatorum,Confide autem in Deo,& mane in loco tuo. Facilè eſt enim in oculis Dei ſubitò honeſtare pauperem. Benedictio Dei in mercedem iuſti feſtinat, & in honore veloci proceſſus illius fructificat. Ne dicas,Quid eſt mihi opus,& quæ erunt mihi ex hoc bona? Ne dicas,Sufficiens mihi ſum:et quid ex hoc peſsimabor? In die bonorum non immemor ſis malorum,& in die malorum non immemor
D ſis bonorum:quoniam facilè eſt coràm Deo in die obitus retribuere vnicuiq; ſecundum vias ſuas. Malitia Infr.18.a
horę obliuionem facit luxurię magnæ,& in fine hominis denudatio operum illius. Ante mortem ne laudes hominem quenquam,quoniam in filijs ſuis agnoſcitur vir. Nõ omnem hominem inducas in domum tuam:multę enim ſunt inſidiæ doloſi. Sicut enim eructant præcordia fœtentium,& ſicut perdix inducitur in caucam,& vt caprea in laqueum:ſic & cor ſuperborũ:& ſicut proſpector videns caſum proximi ſui. Bona enim in mala conuertens inſidiatur,& in electis imponet maculam. A ſcintilla enim vna augetur ignis, & ab vno doloſo augetur ſanguis:homo verò peccator ſanguini inſidiatur. Attende tibi à peſtifero, fabricat enim mala:ne fortè inducat ſuper te ſubſannationẽ in perpetuum. Admitte ad te alienigenam, & ſubuerret te in turbine,& abalienabit te à tuis proprijs.

CAPVT XII.

A SI bene feceris, ſcito cui feceris,& erit gratia in bonis tuis multa. Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam:& ſi non ab ipſo,certè à Domino. Nõ eſt enim ei bene qui aſsiduus eſt in malis, & eleemoſynas non danti:quoniam & altiſsimus odio habet peccatores,& miſertus eſt pœnitentibus. Da miſericordi,& ne ſuſcipias peccatorem: & impijs, & peccatoribus redde vindictam, cuſtodiens eos in diẽ vindictæ. Da bono, & non receperis peccatorem. Benefac humili,& non dederis impio. Prohibe panes illi
B dare,ne in ipſis potentior te ſit:nam duplicia mala inuenies in omnibus bonis, quæcunque feceris illi:quoniam & altiſsimus odio habet peccatores, & impijs reddet vindictam. Non agnoſcetur in bonis amicus, & nõ abſcõdetur in malis inimicus. In bonis viri,inimici illius:in triſtitia,& in malitia illius,amicus agnitus eſt. Non credas inimico tuo in æternum: ſicut enim æramentum,æruginat nequitia illius: & ſi humiliatus vadat curuus, adijce animum tuum, & cuſtodi te ab illo. Non ſtatuas illum penes te, nec ſedeat ad
C dexteram tuã,ne conuerſus ſtet in loco tuo: ne fortè conuerſus in locum tuum, inquirat cathedram tuam, & in nouiſsimo cognoſcas verba mea,& in ſermonibus meis ſtimuleris. Quis miſerebitur incãtatori à ſerpente percuſſo, & in omnibus,qui appropiant beſtijs? ſic & qui comitatur cum viro iniquo, & obuolutus eſt in peccatis eius. Vna hora tecum permanebit:ſi autem declinaueris, non ſupportabit. In labijs ſuis indulcat inimicus, & in corde ſuo inſidiatur,vt ſubuertat te in foueam. In oculis ſuis lachrymatur inimicus:
D & ſi inuenerit tempus,non ſatiabitur ſanguine:& ſi incurrerint tibi mala, inuenies eum illic priorẽ & quaſi adiuuans ſuffodiet plantas tuas. Caput ſuum mouebit,& plaudet manu,& multa ſuſurrans commutabit vultum ſuum.

Caput

CAPVT XIII.

QVi tetigerit picem,inquinabitur ab ea:& qui communicauerit ſuperbo , induet ſuperbiam. Pondus ſuper ſe tollet,qui honeſtiori ſe communicat. Et ditiori te ne ſocius fueris. Quid communicabit cacabus ad olla? quando.n.ſe colliſerint,confringetur. Diues iniuſtè egit, & fremet:pauper autem læſus tacebit. Si largitus fueris,aſſumet te,& ſi nó habueris,derelinquet te.Si habes, cõuiuet tecũ,& euacuabit te,& ipſe non dolebit ſuper te. Si neceſſarius illi fueris,ſupplantabit te,& ſubridens ſpem dabit narrans tibi omnia bona,& dicet,Quid opus eſt tibi? Et confundet te in cibis ſuis, donec te inaniat bis,& ter:& in nouiſſimo deridebit te:poſtea videns derelinquet te, & caput ſuum mouebit ad te. Humiliare Deo,& expecta manus eius. Attende, ne ſeductus in ſtultitia humilieris. Noli eſſe humilis in ſapientia tua,ne humiliatus in ſtultitiam ſeducaris. Aduocatus à potentiore diſcede:ex hoc enim magis te aduocabit. Ne improbus ſis,ne impinguaris:& ne lõgè ſis ab eo,ne eas in obliuionem. Ne retineas ex æquo loqui cum illo:ne credas multis verbis illius:ex multa enim loquela tentabit te, & ſubridens interrogabit te de abſconditis tuis: Immitis animus illius conſeruabit verba tua, & non parcet de malitia, & de vinculis. Caue tibi,& attende diligenter auditui tuo: quoniam cum ſubuerſione tua ambulas. Audiens verò verba illa,quaſi in ſomnis vide: & vigilabis. Omni vita tua dilige Deum, & inuoca illum in ſalute tua. Omne animal diligit ſimile ſibi:ſic & omnis homo proximum ſibi. Omnis caro ad ſimilem ſibi coniungetur, & omnis homo ſimili ſui ſociabitur. Si communicabit lupus agno aliquando: ſic peccator iuſto. Quæ communicatio ſancto homini ad canem? aut quæ pars bona diuiti ad pauperem? Venatio leonis onager in eremo: ſic paſcua diuitum ſunt pauperes. Et ſicut abominatio eſt ſuperbo humilitas: ſic & execratio diuitis pauper. Diues commotus confirmatur ab amicis ſuis:humilis autem cum ecciderit, expelletur & à notis. Diuiti decepto multi recuperatores:locutus eſt ſuperba,& iuſtificauerunt illum: humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur:locutus eſt ſenſatè, & non eſt datus ei locus. Diues locutus eſt,& omnes tacuerunt,& verbũ illius vſque ad nubes perducent:pauper locutus eſt, & dicunt. Quis eſt hic? Et ſi offenderit, ſubuerunt illum. Bona eſt ſubſtantia,cui non eſt peccatum in conſcientia, & nequiſſima paupertas in ore impij. Cor hominis immutat faciem illius,ſiue in bona,ſiue in mala. Veſtigium cordis boni,& faciem bonam difficilè inuenies,& cum labore.

CAPVT XIIII.

BEatus vir qui non eſt lapſus verbo ex ore ſuo,& non eſt ſtimulatus in triſtitia delicti. Felix qui nó habuit animi ſui triſtitiam, & non excidit à ſpe ſua. Viro cupido & tenaci, ſine ratione eſt ſubſtantia, & homini liuido ad quid aurum? Qui aceruat ex animo ſuo iniuſtè,alijs congregat,& in bonis illius alius luxuriabitur. Qui ſibi nequam eſt,cui alij bonus erit? & nõ iucundabitur in bonis ſuis. Qui ſibi inuidet,nihil eſt illo nequius,& hæc redditio eſt malitiæ illius: & ſi benefecerit, ignoranter, & non volens facit,& in nouiſſimo manifeſtat malitiam ſuam. Nequam eſt oculus liuidi,& auertens faciem ſuam,& deſpiciens animam ſuam. Inſatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non ſatiabitur, donec conſumat arefaciens animam ſuam. Oculus malus ad mala:& non ſatiabitur pane indigens, & in triſtitia erit ſuper menſam ſuam. Fili,ſi habes bene fac tecum,& Deo dignas oblationes offer. Memor eſto quòd mors non tardat,& teſtamentum inferorum quia demonſtratum eſt tibi:teſtamentum.n.huius mundi morte morietur. Ante mortem benefac amico tuo, & ſecundũ vires tuas exporrigens da pauperi. Non defrauderis à die bono,& particula bonæ diei non te prætereat.Nónne alijs relinques dolores,& labores tuos? In diuiſione ſortis da,& accipe,& iuſtifica animam tuam. Ante obitum tuum operare iuſtitiam,quoniam non eſt apud inferos inuenire cibum. Omnis caro ſicut fœnum veteraſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi. Alia generantur,& alia deijciũtur:ſic generatio carnis & ſanguinis,alia finitur,& alia naſcitur. Omne opus corruptibile in fine deficiet:qui illud operatur,ibit cum illo. Et omne opus electũ iuſtificabitur,& qui operatur illud honorabitur in illo. Beatus vir,qui in ſapientia morabitur:& qui in iuſtitia ſua meditabitur, & in ſenſu ſuo cogitabit circunſpectionem Dei. Qui excogitat vias illius in corde ſuo, & in abſconſis ſuis intelligens,vadens poſt illam quaſi inueſtigator,& in vijs illius conſiſtens:qui reſpicit per feneſtras illius, & in ianuis illius audiens:qui requieſcit iuxta domum illius,& in parietibus illius figens palum: Statuet caſulam ſuam ad manus illius,& requieſcẽt in cauſa illius bona per æuum,ſtatuet filios ſuos ſub tegmine illius,& ſub ramis eius morabitur,protegetur ſub tegmine illius à feruore,& in gloria eius requieſcet.

Prou.27.c

Supra.4.a Tob.4.b

Eſa.40.b Iac.1.b 1.Pet.1.d

CAPVT XV.

QVi timet Deum,faciet bona:& qui continens eſt iuſtitiæ apprehendet illam, & obuiabit illi quaſi mater honorificata,& quaſi mulier à virginitate ſuſcipiet illum. Cibabit illum pane vitæ, & intellectus,& aqua ſapientiæ ſalutaris potabit illum,& firmabitur in illo,& non flectetur: & cõtinebit illum,& non confundetur:& exaltabit illum apud proximos ſuos,& in medio eccleſiæ aperiet os eius,& adimplebit illum ſpiritu ſapientiæ & intellectus, & ſtola gloriæ veſtiet illum. Iucunditatem & exultationẽ theſaurizabit ſuper illum,& nomine æterno hæreditabit illum. Homines ſtulti non apprehendent illam,& homines ſenſati obuiabunt illi:homines ſtulti non videbunt eam, longè enim abeſt à ſuperbia & dolo:viri mendaces non erunt illius memores,& viri veraces inuenientur in illa, & ſucceſſum habebunt vſque ad inſpectionem Dei. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris:quoniam à Deo profecta eſt ſapientia:ſapientiæ enim Dei aſtabit laus,& in ore fideli abundabit, & dominator dabit eam illi. Non dixeris,Per Deum abeſt:quæ enim odit ne feceris. Non dicas, Ille me implanauit: non enim neceſſarij ſunt ei homines impij. Omne execramentum erroris odit Dominus,& non erit amabile timentibus eum. Deus ab initio conſtituit hominem,& reliquit illum in manu conſilij ſui. Adiecit mandata, & præcepta ſua:ſi volueris

volueris mandata ſeruare,conſeruabunt te,& in perpetuum fidem placitam ſeruare. Appoſuit tibi aquam & ignem:ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum:quod placuerit ei dabitur illi:quoniam multa ſapientia Dei,& fortis in potẽtia, videns omnes ſine intermiſsione. Oculi Domini ad timentes eum,& ipſe agnoſcit omnem operam hominis. Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi, non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium.

Math.19.c Iere.21.c Pſal.33.c Heb.4.c

CAPVT XVI.

NE iucunderis in filijs impijs,ſi multiplicentur:nec oblecteris ſuper ipſos, ſi non eſt timor Dei in illis. Non credas vitæ illorum, & ne reſpexeris in labores eorum. Melior eſt enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Et vtile eſt mori ſine filijs, quam relinquere filios impios. Ab vno ſenſato inhabitabitur patria, & à tribus impijs deſeretur. Multa talia vidit oculus meus, & fortiora his audiuit auris mea. In ſynagóga peccantium exardebit ignis, & in gente incredibili exardeſcet ira.Non exorauerunt pro peccatis ſuis antiqui gigantes, qui deſtructi ſunt confidentes ſuæ virtuti: & non pepercit peregrinationi illorum, & execratus eſt eos præ ſuperbia verbi illorum. Non miſertus eſt illis gentem totam perdens,& extollentem ſe in peccatis ſuis. Et ſicut ſexcenta millia peditum,qui congregati ſunt in duritia cordis ſui: & ſi vnus fuiſſet ceruicatus, mirum ſi fuiſſet immunis:miſericordia enim & ira eſt cum illo. Potens exoratio, & effundens iram ſecundum miſericordiam ſuam: ſic & correptio illius, hominem ſecũdum opera ſua iudicat. Non effugiet in rapina peccator, & non retardabit ſufferentia miſericordiam facientis. Omnis miſericordia faciet locum vnicuique ſecundum meritum operum ſuorum, & ſecũdum intellectum peregrinationis ipſius. Non dicas, A Deo abſcondar, & ex ſummo quis mei memorabitur? in populo magno non agnoſcar:quę eſt enim anima mea in tam immenſa creatura? Ecce,cœlum,& cœli cœlorum,abyſſus,& vniuerſa terra,& quę in eis ſunt,in conſpectu illius commouebuntur,mõtes ſimul, & colles,& fundamenta terræ: & cum conſpexerit illa Deus, tremore concutientur. Et in omnibus his inſenſatum eſt cor: & omne cor intelligitur ab illo: & vias illius quis intelligit, & procellam quam nec oculus videbit hominis? Nam plurima illius opera ſunt in abſconſis: ſed opera iuſtitiæ eius quis enũtiabit:aut quis ſuſtinebit? Longè enim eſt teſtamentum à quibuſdam, & interrogatio omnium in conſummatione eſt. Qui minoratur corde, cogitat inania:& vir imprudens & errans cogitat ſtulta. Audi me fili, & diſce diſciplinam ſenſus,& in verbis meis attende in corde tuo,& dicam in æquitate diſciplinam, & ſcrutabor enarrare ſapientiam: & in verbis meis attende in corde tuo, & dico in æquitate ſpiritus virtutes quas poſuit Deus in opera ſua ab initio, & in veritate enuntio ſcientiam eius. In iudicio Dei opera eius ab initio, & ab inſtitutione ipſorum diſtinxit partes illorum, & initia eorum in gentibus ſuis. Ornauit in æternum opera illorum, nec eſurierunt, nec laborauerunt, & non deſtiterunt ab operibus ſuis. Vnuſquiſque proximum ſibi non anguſtiabit vſque in æternum. Non ſis incredibilis verbo illius. Poſt hæc Deus in terram reſpexit, & impleuit illam bonis ſuis. Anima autem omnis vitalis denuntiauit ante faciem ipſius, & in ipſa iterum reuerſio illorum.

Infra.21.b

CAPVT XVII.

DEus creauit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. Et iterum conuertit illum in ipſam,& ſecundum ſe veſtiuit illum virtute. Numerum dierum & tempus dedit illi, & dedit poteſtatem eorum,quæ ſunt ſuper terram. Poſuit timorem illius ſuper omnem carnem,& dominatus eſt beſtiarum & volatilium. Creauit ex ipſo adiutorium ſimile ſibi, conſilium & linguam:& oculos,& aures,& cor dedit illis excogitandi:& diſciplina intellectus repleuit illos, Creauit illis ſcientiã ſpiritus, & ſenſu impleuit cor illorum,& mala & bona oſtendit illis. Poſuit oculũ ſuum ſuper corda illorum,oſtendere illis magnalia operum ſuorum, vt nomen ſanctificationis collaudent:& gloriari in mirabilibus illius, vt magnalia enarrent operum eius. Addidit illis diſciplinam, & legem vitæ hęreditauit illos. Teſtamentum æternum conſtituit cum illis, & iuſtitiam & iudicia ſua oſtendit illis. Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum,& honorem vocis audierũt aures illorum,& dixit illis. Attendite ab omni iniquo. Et mãdauit illis vnicuique de proximo ſuo. Viæ illorum,coràm illo ſunt ſemper, & non ſunt abſconſæ ab oculis ipſius. In vnamquanq; gentem præpoſuit rectorem:& pars Dei Iſrael facta eſt manifeſta. Et omnia opera illorum velut ſol in conſpectu Dei: & oculi eius ſine intermiſsione inſpicientes in vijs eorum. Non ſunt abſconſa teſtamenta propter iniquitatem illorum,& omnes iniquitates eorum in conſpectu Dei. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo,& gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit: & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem,vnicuiq; in caput ipſorum,& conuertet in inferiores partes terræ. Pœnitẽtibus autem dedit viam iuſtitiæ,& confirmauit deficientes ſuſtinere, & deſtinauit illis ſortem veritatis. Conuertere ad Dominum,& relinque peccata tua,precare ante faciem Domini, & minue offendicula. Reuèrtere ad Dominum,& auertere ab iniuſtitia,& nimis odito execrationem: & cognoſce iuſtitias & iudicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis,& orationis altiſſimi Dei. In partes vade ſæculi ſanctì,cum viuis & dantibus confeſsionem Deo. Non demoreris in errore impiorum,ante mortem confitere. A mortuo quaſi nihil, perit confeſsio. Confiteberis viuens,viuus & ſanus confiteberis,& laudabis Deum,& gloriaberis in miſerationibus illius. Quàm magna miſericordia Domini,& propitiatio illius conuertẽtibus ad ſe? Nec enim omnia poſſunt eſſe in hominibus,quoniam non eſt immortalis filius hominis, & in vanitate malitiæ placuerunt. Quid lucidius ſole? & hic deficit. Aut quid nequius,quàm quod excogitauit caro,& ſanguis? & hoc arguitur. Virtutem altitudinis cœli ipſe conſpicit:& omnes homines terra & cinis.

Gene.1.d 2.b.5.a Gene.2.d

Infra.29.c

Caput

CAPVT XVIII.

QVi viuit in æternum,creauit omnia simul. Deus solus iustificabitur,& manet inuictus rex in æternum. Quis sufficit enarrare opera illius? Quis enim inuestigabit magnalia eius? Virtutem autem magnitudinis eius, quis enuntiabit? aut quis adijciet enarrare misericordiam eius? Non est minuere,neque adijcere,nec est inuenire magnalia Dei. Cum consummauerit homo,tunc incipiet:& cum quieuerit,operabitur. Quid est homo,& quæ est gratia illius? & quid est bonum,aut quid nequam illius? Numerus dierum hominum,vt multum centum anni:quasi guttæ aquæ maris deputati sunt: & sicut calculus arenæ,sic exigui anni in die æui. Propter hoc patiens est Deus in illis, & effundit super eos misericordiam suam. Vidit præsumptionem cordis eorum,quòd mala est, & cognouit subuersionem illorum quòd nequam est,ideò adimpleuit propitiationem suam in illis,& ostendit eis viam equitatis. Miseratio hominis,circa proximum suum:misericordia autem Dei super omnem carnẽ. Qui misericordiam habet,docet,& erudit quasi pastor gregem suum. Misereturexcipiẽtis doctrinam miserationis, & qui festinat in iudicijs eius. Fili,in bonis non des querelam, & in omni dato non des tristitiam verbi mali. Nonne ardorem refrigerabit ros? sic & verbum melius,quàm datum. Nónne ecce verbum super datum bonum? & vtraque cum homine iustificato. Stultus acriter improperabit,& datus indisciplinati tabescere facit oculos. Ante iudicium para iustitiam tibi,& antequam loquaris disce. Ante languorem adhibe medicinam, & ante iudicium interroga teipsum,& in conspectu Dei inuenies propitiationem. Ante languorem humilia te, & in tempore infirmitatis ostende conuersationem tuam. Non impediaris orare semper,& ne verearis vsq; ad mortem iustificari:quoniam merces Dei manet in æternum. Ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo qui tentat Deum. Memento iræ in die consummationis,& tempus retributionis in conuersione faciei. Memento paupertatis in tempore abundantiæ,& necessitatem paupertatis in die diuitiarum. A manè vsq; ad vesperam immutabitur tempus,& hęc omnia citata in oculis Dei. Homo sapiens in omnibus metuet,& in diebus delictorum attendet ab inertia. Omnis astutus agnoscit sapientiam, & inuenienti eam dabit confessionem. Sensati in verbis & ipsi sapienter egerunt, & intellexerunt veritatem,& iustitiam,& imploraueruntprouerbia & iudicia. Post concupiscentias tuas nõ eas, & à voluntate tua auertere. Si præstes animę tuæ concupiscentias eius,faciet te in gaudium inimicis tuis. Ne oblecteris in turbis, nec immodicis:assidua enim est commissio illorum. Ne fueris mediocris in contẽtione ex fœnore, & non est tibi nihil in sęculo:eris enim inuidus animæ tuæ.

Pſal. 89.c

Luc.18.a
1.Theſ. 5.d
Supra 7. b
Supra 11.c

Rom. 13.d

CAPVT XIX.

OPerarius ebriosus non locupletabitur:& qui spernit modica paulatim decidet. Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes,& arguent sensatos:& qui se iungit fornicarijs, erit nequam:putredo & vermes hæreditabunt illum,& extolletur in exemplum maius, & tolletur de numero anima eius. Qui credit citò,leuis corde minorabitur: & qui delinquit in animam suam,insuper habebitur. Qui gaudet iniquitate,denotabitur:& qui odit correptionem,minuetur vita:& qui odit loquacitatem, extinguit malitiam. Qui peccat in animã suam,pœnitebit:& qui iucundatur in malitia, denotabitur. Ne iteres verbum nequam & durum,& non minoraberis. Amico & inimico noli narrare sensum tuum:& si est tibi delictum,noli denudare:audiet enim te,& custodiet te, & quasi defendens peccatum odiet te, & sic aderit tibi semper. Audisti verbum aduersus proximum tuum? commoriatur in te, fidens quòd non te dirumpet. A facie verbi parturit fatuus,tanquam gemitus partus infantis. Sagitta infixa fœmori canis, sic verbum in corde stulti. Corripe amicum,ne fortè non intellexerit,& dicat,Non feci:aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum,ne fortè non dixerit:& si dixerit,ne fortè iteret. Corripe amicum:sæpe enim fit commissio:& non omni verbo credas. Est qui labitur lingua sua,sed nõ ex animo. Quis est enim,qui non deliquerit in lingua sua? Corripe proximum antequam commineris. Et da locum timori altissimi: quia omnis sapientia timor Dei,& in illa timere Deum, & in omni sapientia dispositio legis. Et non est sapientia nequitiæ disciplina:& non est cogitatus peccatorum prudentia. Est nequitia,& ipsa execratio:& est insipiens,qui minuitur sapientia. Melior est homo, qui minuitur sapientia, & deficiens sensu in timore Dei, quàm qui abundat sensu,& trãsgreditur legem altissimi. Est solertia certa,& ipsa iniqua. Et est qui emittit verbum certum enarrans veritatem. Est qui nequiter humiliat se,& interiora eius plena sunt dolo:& est iustus,qui se nimium submittit à multa humilitate:& est iustus,qui inclinat faciem suam, & fingit non videre se quod ignoratum est. Et si ab imbecillitate virium vetetur peccare,si inuenerit tempus malefaciendi,malefaciet. Ex visu cognoscitur vir,& ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium & ingressus hominis enunciãt de illo. Est correptio mendax in ira cõtumelioſi:& est iudicium,quod non probatur esse bonum:& est tacens,& ipse est prudens.

Leui. 19.d
Math. 18.b
Luc. 17.a

CAPVT XX.

QVàm bonum est arguere,quàm irasci:& confitentem in oratione non prohibere. Cõcupiscentia spadonis deuirginauit iuuẽculam:sic qui facit per vim iudicium iniquum. Quàm bonum est correptum manifestare pœnitentiam:sic enim effugies voluntarium peccatum. Est tacens, qui inuenitur sapiens:& est odibilis,qui procax est ad loquendum. Est autem tacens, non habens sensum loquelæ:& est tacens sciens tempus apti temporis. Homo sapiens tacebit vsque ad tempus:lasciuus autem,& imprudens non seruabit tempus. Qui multis vtitur verbis, lædet animam suam: & qui potestatem sibi sumit iniustè,odietur. Est procesio in malis viro indisciplinato, & est inuentio in detrimentum. Est datum quod non est vtile:& est datum, cuius retributio duplex. Est propter gloriam minoratio: & est qui ab humilitate leuabit caput. Est qui multa redimat modico pretio, & restituens ea in septuplũ. Sapiens in verbis

verbis seipsum amabilem facit: gratiæ autem fatuorum effundentur. Datus insipientis non erit vtilis tibi: oculi enim illius septemplices sunt. Exigua dabit, & multa improperabit: & apertio oris illius inflammatio est. Hodie fœneratur quis, & cras expetit, & odibilis est homo huiusmodi. Fatuo non erit amicus, & non erit gratia in bonis illius. Qui enim edunt panem illius:falsę linguę sunt. Quoties,& quanti irridebũt eum? Neq; enim quod habendum erat,directo sensu distribuit:similiter & quod non erat habendum. Lapsus falsæ linguæ,quasi qui in pauimento cadens:sic casus malorum festinanter venient. Homo sine gratia quasi fabula vana:& in ore indisciplinatorum assidua erit. Ex ore fatui reprobabitur parabola:non enim dicit illam in tempore suo. Est qui vetatur peccare præ inopia: & in requie sua stimulabitur. Est qui perdet animam suam præ confusione, & ab imprudenti persona perdet eam: personę autem acceptione perdet se. Est qui præ confusione promittit amico,& lucratus est eum inimicum gratis. Opprobrium nequàm in homine mendacium,& in ore indisciplinatorum assiduè erit. Potior fur quàm assiduitas viri mendacis: perditionem autem ambo hæreditabunt. Mores hominum mendacium sine honore:& confusio illorum,cum ipsis sine intermissione. Sapiens in verbis producet seipsum,& homo prudens placebit magnatis. Qui operatur terram suam,inaltabit aceruum frugum:& qui operatur iustitiam,ipse exaltabitur: qui verò placet magnatis,effugiet iniquitatem. Xenia & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum. Sapientia absconsa & thesaurus inuisus: quæ vtilitas in vtrisque? Melior est qui cęlat insipientiam suam,quàm homo qui abscondit sapientiam suam.

Prou. 12.b & 28.c
Exod. 13.a
Deu. 16.
Infra. 42.c

CAPVT XXI.

FIli, peccasti? non adijcias iterum: sed & de pristinis deprecare, vt tibi dimittãtur. Quasi à facie colubri fuge peccata: & si accesseris ad illa, suscipient te. Dentes leonis dentes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plagæ illius non est sanitas. Obiurgatio,& iniuriæ annullabunt subst antiam: & domus, quæ nimis locuples est, annullabitur superbia: sic substantia superbi eradicabitur. Deprecatio pauperis ex ore vsque ad aures eius perueniet, & iudicium festinatò aduenietilli. Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris: & qui timet Deum, conuertetur ad cor suum. Notus à longè potens lingua audaci:& sensatus scit labi se ab ipso. Qui ædificat domum suam impendijs alienis, quasi qui colligit lapides suos in hyeme. Stupa collecta synagòga peccantium: & consummatio illorum flamma ignis. Via peccantium complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnę. Qui custodit iustitiam, continebit sensum eius. Consummatio timoris Dei sapientia & sensus. Non erudietur, qui non est sapiens in bono. Est autem insipientia, quæ abundat in malo: & non est sensus vbi abundat amaritudo. Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius sicut fons vitæ permanet. Cor fatui quasi vas confractum, & omnem sapientiam non tenebit. Verbum sapiens quodcunque audierit scius laudabit, & ad se adijciet: audiuit luxuriosus, & displicebit illi, & proijciet illud post dorsum suum. Narratio fatui quasi sarcina in via: nam in labijs sensati inuenietur gratia. Os prudentis quæritur in ecclesia, & verba illius cogitabunt in cordibus suis. Tanquam domus exterminata, sic fatuo sapientia: & scientia insensati inenarrabilia verba. Compedes in pedibus, stulto doctrina, & quasi vincula manuum super manum dextram. Fatuus in risu exaltat vocem suam: vir autem sapiens vix tacitè ridebit. Ornamentum aureum prudenti doctrina, & quasi brachiale in brachio dextro. Pes fatui facilis in domum proximi: & homo peritus confundetur à persona potenti. Stultus à fenestra respiciet in domum:vir autem eruditus foris stabit. Stultitia hominis auscultare per ostium:& prudens grauabitur contumelia. Labia imprudentium stulta narrabunt: verba autem prudentium statéra ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum: & in corde sapientium os illorum. Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam. Susurro coinquinabit animam suam, & inomnibus odietur: & qui permanserit, odiosus erit: tacitus & sensatus honorabitur.

Supra. 5.b

Supra. 16.a

Iudę 1.c

CAPVT XXII.

INlapide luteo lapidatus est piger, & omnes loquentur super aspernationem illius. De stercore boum lapidatus est piger:& omnis qui tetigerit eum,excutiet manus suas. Confusio patris est de filio indisciplinato: filia autem fatua in deminoratione fiet. Filia prudens hæreditas viro suo: nam, quæ confundit,in contumeliam fit genitoris. Patrem & virum confundit audax, & ab impijs non minoratur, ab vtrisq; autem inhonoratur. Musica in luctu importuna narratio: flagella & doctrina in omni tempore sapientia. Qui docet fatuũ,quasi qui cõglutinat testã. Qui narrat verbũ nõ audienti, quasi qui excitat dormientem de graui somno. Cũ dormiente loquitur,qui enarrat stulto sapientiam: & in fine narrationis dicit,Quis est hic? Super mortuũ plora,defecit enim lux eius:& super fatuũ plora,deficit enim sensu. Modicum plora supra mortuũ,quoniã requieuit.Nequissimi enim nequissima vita, super mortem fatui. Luctus mortui septẽ dies:fatui autẽ, & impij omnes dies vitæ illorum. Cum stulto ne multũ loquaris, & cum insensato ne abieris. Serua te ab illo,vt nõ molestiã habeas,& nõ coinquinaberis peccato illius. Deflecte ab illo,& inuenies requiem,& nõ acediaberis in stultitia illius. Super plumbum grauabitur: & quod illi aliud nomẽ,quàm fatuus? Arenã & salem,& massam ferri facilius est ferre,quàm hominẽ imprudentẽ,& fatuum, & impium. Sicut loramentũ ligneũ colligatum in fundamento ædificij nõ dissolueturisic & cor cõfirmatũ in cogitatione consilij. Cogitatus sensati in omni tempore, vel metu non deprauabitur. Sicut ornatus aretnosus in pariete limpido, & sicut pali in excelsis, & cementa sine impensa posita contra faciem venti non permanebunt: sic & cor timidum in cogitatione stulti contra impetum timoris non resistet. Cor trepidum in cogitatione fatui, omni tempore non metuet: sic & qui in præceptis Dei permanet semper. Pungens oculum, deducit lacrymas: & qui pungit cor, profert sensum. Mittens lapidem in volatilia, deijciet illã:

Infra 38.b

Supra. 12.c
Proue. 17.a

ciet illa: sic & qui conuitiatur amico, dissoluit amicitiam. Ad amicum si produxeris gladium non desperes: est enim regressus ad amicum. Si aperuerit os triste, non timeas: est enim concordatio: excepto conuitio, & improperio & superbia, & mysterij reuelatione, & plaga dolosa: in his omnibus effugiet amicus. Fidē posi- D de cum amico in paupertate illius, vt & in bonis illius lætēris. In tempore tribulationis illius permane illi fidelis, vt & in hæreditate illius coheres sis. Ante ignē camini vapor & fumus ignis inalratur: sic & ante sanguinem maledicta, & contumeliæ, & minæ. Amicum salutare non confundaris. A facie illius non me ab-
Psal.140. scōdam: & si mala mihi euenerint per illum, sustinebo. Omnis qui audiet, cauebit se ab eo. Quis dabit ori meo custodiam, & super labia mea signaculum certum, vt non cadam in ipsis, & lingua mea perdat me?

CAPVT XXIII.

DOmine pater & dominator vitæ meæ ne derelinquas me in cogitatu, & consilio eorum: nec sinas me A cadere in illa exprobratione. Quis superponit in cogitatu meo flagella, & in corde meo doctrinam sapientiæ, vt ignorationibus eorum non parcant mihi, & non appareant delicta eorum, & ne adin-crescant ignorantiæ meæ, & multiplicentur delicta mea, & peccata mea abundent, & incidam in conspectū aduersariorum meorum, & gaudeat inimicus meus? Domine pater, & Deus vitæ meæ, ne derelinquas me in cogitatu illorum. Extollētiam oculorum meorum ne dederis mihi, & omne desyderium prauum auerte à me. Aufer à me ventris concupiscentias, & concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, & animæ irreuerenti & impudenti ne tradas me. Doctrinam oris audite filij: & qui custodierit illam non peribit labijs, nec scandalizabitur in operibus nequissimis. In vanitate sua apprehendetur peccator, & superbus & maledicus scandalizabitur in illis. Iurationi non assuescat os tuum: multi enim casus in illa. Nominatio B
verò Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non admiscearis: quoniam non eris immunis ab eis. Sicut enim seruus interrogatus assiduè, à liuore non minuitur: sic omnis iurans, & nominans, in to-
Infra.27.b to à peccato non purgabitur. Vir multum iurans implebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga. Et si frustrauerit fratrem, delictum illius super ipsum erit: & si dissimulauerit, delinquet dupliciter: & si inuacuum iurauerit, non iustificabitur: replebitur enim retributione domus illius. Est & alia loquela contraria morti, non inueniatur in hereditate Iacob. Etenim à misericordibus omnia hęc auferentur, & in delictis non volutabuntur. Indisciplinatæ loquelæ non assuescat os tuum: est enim in illa verbum peccati. Memento patris & matris tuæ, in medio enim magnatorum consistis: ne forte obliuiscatur te Deus in con-spectu illorum, & assiduitate tua infatuatus improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem natiuita- C
2.Re.16.b tis tuę maledicas. Homo assuetus in verbis improperij, in omnibus diebus suis non erudietur. Duo genera abundant in peccatis, & tertium adducit iram, & perditionem. Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat: & homo nequam in ore carnis suæ non desinet donec incendat ignem.
Esa.29.c Homini fornicario omnis panis dulcis, non satigabitur transgrediens vsque ad finem. Omnis homo, qui transgreditur lectum suum, contemnens animam suam, & dicens, Quis me videt? tenebræ circundant me, & parietes cooperiunt me, & nemo circunspicit me: quem vereor? delictorum meorum non memorabitur altissimus. Et non intellexit quòd omnia videt oculus illius, quoniam expellit à se timorem Dei huiusmodi hominis timor, & oculi hominum timentes illum: & non cognouit q̄ oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circunspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda in- D
tuentes in absconditas partes. Domino enim Deo antequam crearentur omnia, sunt agnita: sic & post perfectum respicit omnia. Hic in plateis ciuitatis vindicabitur, & quasi pullus equinus fugabitur: & vbi non sperauit, apprehendetur. Et erit dedecus omnibus, eò quòd non intellexerit timorem Domini. Sic & mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio: primò enim in lege altissimi incredibilis fuit: & secundò in virum suum deliquit: tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi. Hæc in ecclesiam adducetur, & in filios eius respicietur. Non tradent filij eius radices, & rami eius non dabunt fructum: derelinquent in maledictum memoriam eius, & dedecus illius non delebitur. Et agnoscent qui derelicti sunt, quòd nihil melius est, quàm timor Dei: & nihil dulcius, quàm respicere in mandatis Domini. Gloria magna est sequi Dominum: longitudo enim dierum assumetur ab eo.

CAPVT XXIIII.

SApiētia laudabit animam suam, & in Deo honorabitur, & in medio populi sui gloriabitur, & in eccle- A
sijs altissimi aperiet os suum, & in conspectu virtutis illius gloriabitur, & in medio populi sui exaltabitur, & in plenitudine sancta admirabitur, & in multitudine electorum habebit laudem, & inter benedictos benedicetur, dicens, Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam. Ego feci in cęlis vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram. Ego in altissimis habitaui, & thronus meus in columna nubis. Gyrū cœli circuiui sola, & profundū abyssi penetraui, & in fluctibus maris ambulaui, & in omni terra steti. Et in omni populo, & in omni gēte primatū habui: & omnium excellentium, & humilium corda virtute calcaui, & in his omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate eius morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium: & qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi, In B
Iacōb inhabita, & in Israel hęreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante sęcula creata sum, & vsque ad futurum sæculum non desinam: & in habitatione sancta coràm ipso ministraui. Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Ierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in libano, & quasi cypressus in monte Sion, quasi palma exaltata sum in cades, & quasi plantatio rosæ in Iericho. Quasi oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa, dedi

suauitatem odoris: & quasi storax, & galbanus, & vngula, & gutta, & quasi libanus non incisus vaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mistum odor meus. Ego quasi terebinthus extēdi ramos meos C
& rami mei honoris & gratiæ. Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris: & flores mei fructus honoris & honestatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei. In me gratia omnis vię & veritatis, in me omnis spes vitæ & virtutis. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, & à generationibus meis adimplemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & fauum. Memoria mea in generatione sæculorum. Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient. Ioan.6.d
Qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt. Qui elucidāt me, vitam æternam habebunt: hęc omnia liber vitæ, & testamentum altissimi, & agnitio veritatis. Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum, & hęreditatem domui Iacōb, & Israel promissiones. Posuit Dauid puero suo excita- Iosue 3.c
re regem ex ipso fortissimum, & in throno honoris sēdētem in sempiternum. Qui implet quasi Phison sapientiam, & sicut Tigris in diebus nouorum. Qui adimplet quasi Euphrātes sensum: qui multiplicat quasi D
Iordanis in tempore messis. Qui mittit disciplinam sicut lucem, & assistens quasi Geon in die vindemiæ. Qui perficit primus scire ipsam, & infirmior non inuestigabit eam. Amari enim abundabit cogitatio eius, & consilium illius in abyssō magna. Ego sapientia effudi flumina. Ego quasi trames aquæ immensæ de fluuio, ego quasi fluuius Diorix, & sicut aquæductus exiui de paradiso. Dixi, Rigabo hortum meum plātationum, & inebriabo prati mei fructum. Et ecce factus est mihi trames abundans, & fluuius meus appropinquauit ad mare: quoniam doctrinam quasi antelucanum illumino omnibus, & enarrabo illam vsque ad longinquum. Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormiētes, & illuminabo omnes sperantes in Domino. Adhuc doctrinam quasi prophetiam, effundam, & relinquam illam quærētibus Infra.33.c
sapientiam, & non desinam in progenies illorum vsq; in æuum sanctum. Videte quòd non soli mihi laborauí, sed omnibus exquirentibus veritatem.

CAPVT XXV.

A INtribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coràm Deo & hominibus, Concordia fratrum: & amor proximorum: & vir & mulier bene sibi cōsentientes. Tres species odiuit anima mea, & aggrauor valde animæ illorum. Pauperem superbum: & diuitem mendacem: & senem fatuum & insensatum. Quæ in iuuentute tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies? Quàm speciosum canitiei iudicium, & presbyteris cognoscere consilium? Quàm speciosa veteranis sapientia, & gloriosus intellectus, & cōsilium? Corona senum multa peritia: & gloria illorum timor Dei. Nouem insuspicabilia cordis ma-
B gnificaui, & decimum dicam in lingua hominibus. Homo qui iucundatur in filijs, viués & videns subuertionem inimicorum suorum. Beatus qui habitat cum muliere sensata, & qui lingua sua nō est lapsus, & qui non seruiuit indignis se. Beatus qui inuenit amicum verum, & qui enarrat iustitiam auri audienti. Quàm magnus, qui inuenit sapientiam & scientiam, sed non est super timētem Dominum. Timor Dei super omnia se superposuit. Beatus homo, cui donatum est habere timorem Dei. Qui tenet illum, cui assimilabitur? Timor Dei initium dilectionis eius: fidei autem initium agglutinandum est ei. Omnis plaga tristitia cordis
C est: & omnis malitia nequitia mulieris. Et omnem plagam & non plagam videbit cordis: & omnem nequitiam, & non nequitiam mulieris: & omnem obductum, & non obductum odiētium: & omnem vindictam, & non vindictam inimicorum. Non est caput nequius super caput colubri: & nō est ira super iram mulieris. Commorari leoni, & draconi placebit, quàm habitare cum muliere nequam. Nequitia mulieris im- Proue.21.c
mutat faciem eius: & obcæcabit vultum suum tanquam vrsus: & quasi saccum ostendet in medio proximorum. Ingemuit vir eius, & audiens suspirauit modicum. Breuis omnis malitia super malitiā mulieris, sors
D peccatorū cadat super illam. Sicut ascensus arenosus in pedibus veterani, sic mulier linguata homini quieto. Ne respicias in mulieris speciem, & non concupiscas mulierem in specie. Mulieris ira, irreuerentia & confusio magna. Mulier si primatum habeat, contraria est viro suo. Cor humile, & facies tristis, & plaga mortus, mulier nequam. Manus debiles, & genua dissoluta mulier quę non beatificat virum suum. A muliere initium factum est peccati, & per illam omnes morimur. Non des aquæ tuæ exitum, nec modicum: nec mulieri nequam veniam prodeundi. Si non ambulauerit ad manum tuam, confundet te in conspectu inimicorum. A carnibus tuis abscinde illam, ne semper te abutatur.

CAPVT XXVI.

A MVlieris bonæ beatus vir: numerus enim annorum illorum duplex. Mulier fortis oblectat virum suū, & annos vitæ illius in pace implebit. Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deū, dabitur viro pro factis bonis: diuitis autem, & pauperis cor bonū, in omni tempore vultus illorum hilaris. A tribus timuit cor meum, & in quarto facies mea metuit. Delaturam ciuitatis: & collectionem populi: & calumniam mendacem: super mortem omnia grauia. Dolor cordis, & luctus, mulier zelotypa.
B In muliere zelotypa flagellum linguæ, omnibus communicans. Sicut boum iugum quod mouetur, ita & mulier nequam: qui tenet illam, quasi qui apprehendit scorpionem. Mulier ebriosa, ira magna: & contu- Gene.3.b
melia, & turpitudo illius non tegetur. Fornicatio mulieris in extollētia oculorū, & in palpebris illius agnoscetur. In filia non auertente se, firma custodiā: ne inuenta occasione vtatur se. Ab omni irreuerentia oculorum eius caue: & ne mireris, si te neglexerit, sicut viator sitiens ad fontē os aperiet, & ab omni aqua proxi-
C ma bibet, et contra omnē palum sedebit: & contra omnem sagittā aperiet pharetram, donec deficiat. Gratia mulieris sedulę delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. Disciplina illius datum Dei est. Mulier sensata & tacita, nō est immutatio eruditę animę. Gratia super gratiā mulier sancta, & pudorata. Omnis autē ponderatio non est digna continētis animæ. Sicut sol oriens mūdo in altissimis Dei, sic mulieris bonę

ſpecies in ornamentũ domus eius:lucerna ſplẽdens ſuper candelabrum ſanctum, & ſpecies faciei ſuper etatẽ ſtabilem. Columnę aureę ſuper baſes argenteas,& pedes firmi ſuper plantas ſtabilis mulieris. Fundamenta æterna ſupra petrã ſolidam,ſic mandata Dei in corde mulieris ſanctę. In duobus contriſtatũ eſt cor meũ, & in tertio iracundia mihi aduenit. Vir bellator deficiens per inopiam: & vir ſenſatus contemptus: & qui tranſgreditur à iuſtitia ad peccatum. Deus parauit eum ad romphæam. Duæ ſpecies difficiles & periculoſę mihi apparuerũt. Difficilè exuitur negotiãs à negligentia:& nõ iuſtificabitur caupo à peccatis labiorum.

CAPVT XXVII.

PRopter inopiam multi deliquerunt:& qui quærit locupletari,auertit oculum ſuũ. Sicut in medio cõpaginis lapidum palus figitur:& ſic & inter medium venditionis, & emptionis anguſtiabitur peccatis. Conteretur cum delinquente delictũ. Si non in timore Domini tenueris te inſtanter, citò ſubuertetur domus tua. Sicut in percuſſura cribri remanebit ſtercus: ſic aporia hominis in cogitatu illius. Vaſa figuli probat fornax,& homines iuſtos tentatio tribulationis. Sicut ruſticatio de ligno oſtendit fructum illius:ſic verbum ex cogitatu cordis hominis. Ante ſermonem non laudes virum: hæc enim tentatio eſt hominum. Si ſequaris iuſtitiam,apprehendes illam:& indues quaſi poderem honoris, & inhabitabis cum ea: & proteget te in ſempiternum,& in die agnitionis inuenies firmamentum. Volatilia ad ſibi ſimilia conueniunt:& veritas ad eos,qui operantur illam,reuerteretur. Leo venationi inſidiatur ſemper:ſic peccata operãtibus iniquitates. Homo ſanctus in ſapiẽtia manet ſicut ſol:nam ſtultus, ſicut luna mutatur. In medio inſenſatorum ſerua verbum temporis:in medio autẽ cogitantium aſſiduus eſto. Narratio peccantium odioſa, Supr. 23.b & riſus illorũ in delictis peccati. Loquela multũ iurans horripilationem capiti ſtatuet,& irreuerentia ipſius obturatio auriũ.Effuſio ſanguinis in rixa ſuperborũ:& maledictio illorũ auditus grauis. Qui denudat arcana amici:fidẽ perdit,& nõ inueniet amicum ad animũ ſuum. Dilige proximũ,& coniungere fide cum illo. Quòd ſi denudaueris abſconſa illius,non perſequeris poſt eũ. Sicut enim homo qui perdit amicũ ſuũ:ſic & qui perdit amicitiã proximi ſui. Et ſicut qui dimittit auẽ de manu ſua: ſic dereliquiſti proximum tuum, & non eum capies:non illũ ſequaris,quoniã longè abeſt: effugit enim quaſi caprea de laqueo,quoniam vulnerata eſt anima eius:vltra,eum non poteris colligare,& maledicti eſt concordatio. Denudare autẽ amici myProu. 10.b ſteria,deſperatio eſt animę infelicis. Annuens oculo fabricat iniqua,& nemo eũ abijciet:in conſpectu oculorum tuorũ conculcabit os ſuũ,& ſuper ſermones tuos admirabitur. Nouiſſimè autẽ peruertet os ſuum,& in verbis tuis dabit ſcandalũ. Multa audiui,& non coęquaui ei, & Dñs odiet illũ. Qui in altum mittit lapiProu. 26.d dem,ſuper caput eius cadet:& plaga doloſa doloſi diuidet vulnera. Et qui foueam fodit, incidet in eam: & Eccle. 10.b qui ſtatuit lapidẽ proximo ſuo,offendet in eo:& qui laqueum alij ponit,peribit in illo. Faciẽti nequiſſimũ conſilium,ſuper ipſum deuoluetur,& non agnoſcet vnde adueniat illi. Illuſio & improperiũ ſuperborum, & vindicta ſicut leo inſidiabitur illi. Laqueo peribunt qui oblectãtur caſu iuſtorũ, dolor autem conſumet illos antequam moriantur. Ira & furor vtraq; execrabilia ſunt,& vir peccator continens erit illorum?

CAPVT XXVIII.

Deut. 31.c Rom. 12.d Matth. 6.b Marc.11.c QVi vindicari vult,à Dño inueniet vindictam,& peccata illius ſeruans ſeruabit. Relinque proximo tuo nocẽti tibi:& tunc deprecanti tibi peccata ſoluẽtur. Homo homini reſeruat irã:& à Deo quærit medelã? In hominem ſimilẽ ſibi non habet miſericordiã: & de peccatis ſuis deprecatur? Ipſe cum caro ſit, reſeruat iram. & propitiationẽ petit à Deo? quis exorabit pro delictis illius? Memento nouiſſimorũ,& deſine inimicari. Tabitudo enim,& mors imminent in mandatis eius. Memorare timorem Dei,& nõ iraſcaris proximo. Memorare teſtamentũ altiſſimi, & deſpice ignorantiam proximi. Abſtine te à lite,& minues peccata:homo enim iracundus incendit litem,& vir peccator turbabit amicos,et in medio pacẽ habentiũ immittit inimicitiã. Secundũ enim ligna ſyluæ,ſic ignis exardeſcit:& ſecundũ virtutẽ hominis,ſic iracundia illius erit:& ſecundũ ſubſtantiã ſuam exaltabit irã ſuam. Certamen feſtinatũ incẽdit ignẽ:& lis feſtinãs effundit ſanguinẽ:& lingua teſtificãs adducet mortẽ. Si ſufflaueris, quaſi ignis exardebit:& ſi expueris ſuper illã,extinguetur:vtraq; ex ore proficiſcũtur. Suſurro & bilinguis maledictus:multos enim turbauit pacẽ habentes. Lingua tertia multos cõmouit, & diſperſit illos de gẽte in gentẽ:ciuitates muratas diuitũ deſtruxit,& domos magnatorũ effodit. Virtutes populorũ concidit, & gẽtes fortes diſſoluit. Lingua tertia mulieres viriles eiecit,& priuauit illas laboribus ſuis:qui reſpicit illã,non habebit requiẽ, nec habitabit cũ requie. Flagelli plaga liuorẽ fecit:plaga autẽ linguę cõminuet oſſa. Multi ceciderũt in ore gladij, ſed nõ ſic quaſi qui interierũt p linguã ſuã. Beatus qui tectus eſt à lingua nequã qui in iracũdia illius nõ trãſiuit,& qui nõ attraxit iugũ illius,& in vinculis eius nõ eſt ligatus:iugũ enim illius,iugũ ferreũ eſt, & vinculũ illius vinculũ æreum eſt. Mors illius:mors nequitiſſima:& vtilis potius inferus,quàm illa. Perſeuerãtia illius nõ permanebit,ſed obtinebit vias iniuſtorũ:in flãma ſua non cõburet iuſtos. Qui dereliquũt Dñm incidẽt in illam,& exardebit in illis,& nõ extinguetur,& immittetur in illos quaſi leo, & quaſi pardus lædet illos. Sepi aures tuas ſpinis,& linguã nequam noli audire,& ori tuo facito oſtia, & ſeras auribus tuis. Aurũ tuum & argentum tuum confla,& verbis tuis facito ſtaterã, & frenos ori tuo rectos:& attende ne fortè labaris in lingua,& cadas in conſpectu inimicorum inſidiantium tibi, & ſit caſus tuus inſanabilis in mortem.

CAPVT XXIX.

QVi facit miſericordiam,fœneratur proximo ſuo:& qui præualet manu, mandata ſeruat. Fœnerare proximo tuo in tempore neceſsitatis illius,& iterum redde proximo in tempore ſuo. Cõfirma verbum,& fideliter age cum illo: & in omni tempore inuenies quod tibi neceſſarium eſt. Multi quaſi inuentionem æſtimauerunt fœnus: & præſtiterunt moleſtiam his qui ſe adiuuerunt. Donec accipiant, oſculantur manus dantis, & in promiſsionibus humiliant vocem ſuam. Et in tempore

redditioñis poſtulabit tempus,& loquetur verba acediæ & murmuration um,& tempus cauſabitur, ſi autem potuerit reddere aduerſabitur ſolidè: vix reddet dimidium: & computabit illud quaſi inuentionem, finau-tem,fraudabit illum pecunia ſua,& poſsidebit illum inimicum gratis, & conuitia & maledicta reddet illi, & pro honore & beneficio reddet illi contumeliam. Multi non cauſa nequitiæ non fœnerati ſunt, ſed fraudati gratis timuerunt. Veruntamen ſuper humilem animo fortior eſto, & pro eleemoſyna non trahas illum. Propter mandatum aſſume pauperem: & propter inopiam eius ne dimittas eum vacuum. Perde pecuniam propter fratrem, & amicum: & non abſcondas illam ſub lapide in perditionem. Pone theſaurum tuum in præceptis altiſsimi, & proderit tibi magis, quàm aurum. Conclude eleemoſynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo. Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaTobię. 4.b ſi pupillam conſeruabit: & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem vnicuique in caput illorum. Supra. 17.c Super ſcutum potentis, & ſuper lanceam, aduerſus inimicum tuum pugnabit. Vir bonus fidem facit pro proximo ſuo: & qui perdiderit confuſionem,derelinquet ſibi. Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam, repromiſſorem fugit peccator & immundus. Bona repromiſſoris ſibi adſcribit peccator: & ingratus ſenſu,derelinquet liberantem ſe. Vir repromittit de proximo ſuo: & cum perdiderit reuerentiam,derelinquetur ab eo. Repromiſsio nequiſsima multos perdidit diligentes, & commouit illos quaſi fluctus maris viros potentes gyrans migrare fecit, & vagari ſunt in gentibus alienis. Peccator tranſgrediens mandatum Domini incidet in promiſsionem nequam: & qui conatur multa agere,incidet in iudicium. Recupera proximum ſecundum virtutem tuam,& attende tibi ne incidas. Initium vitæ homiInfra. 39.c nis, aqua & panis, & veſtimentum,& domus protegens turpitudinem. Melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum,quàm epulæ ſplendidæ in peregrè ſine domicilio. Super minimum & magnum placeat tibi, & improperium peregrinationis non audies, Vita nequam hoſpitandi de domo in domum: & vbi hoſpitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os. Hoſpitabitur, & paſcet, & potabit ingratos, & adhæc amara audiet, Tranſi hoſpes, & orna menſam, & quæ in manu habes, ciba cæteros. Exi à facie honoris amicorũ meorum: neceſsitudine domus meæ hoſpicio mihi factus eſt frater. Grauia hæc homini habenti ſenſum. Correptio domus,& improperium fœneratoris.

CAPVT XXX.

QVi diligit filiũ ſuum,aſsiduat illi flagella,vt lætetur in nouiſsimo ſuo,& nõ palpet proximorũ oſtiæ. Qui docet filiũ ſuũ,in zelum mittit inimicũ, & in medio amicorũ gloriabitur in illo. Qui docet Prou. 13.d filiũ ſuũ,in zelum mittit inimicũ, & in medio domeſticorum in illo gloriabitur. Qui docet &. 23.b & quaſi non eſt mortuus:ſimilem enim reliquit ſibi poſt ſe. In vita ſua vidit, & lætatus eſt in illo:in obitu ſuo nõ eſt contriſtatus,nec cõfuſus eſt coràm inimicis:reliquit enim defenſorẽ domus cõtra inimicos,& amicis reddentem gratiã. Pro animabus filiorũ colligabit vulnera ſua, & ſuper omnẽ vocẽ turbabuntur viſcera eius. Equus indomitus euadet durus,& filius remiſſus euadet præceps. Lacta filium tuũ, & pauentem te faciet: lude cũ eo,& cõriſtabit te. Nõ corrideas illi, nec cõdoleas, & in nouiſsimo obſtupeſcẽt dentes tui. Nõ des illi poteſtatẽ in iuuentute,& ne deſpicias cogitatus illius. Curua ceruicem eius in iuuenSupr. 7.c tute,& tunde lãtera eius dũ infans eſt,ne fortè induret,& nõ credat tibi,& erit tibi dolor animæ. Doce filiũ tuũ,& operare in illo,ne in turpitudinẽ illius offendas. Melior eſt pauper ſanus & fortis viribus,quàm diues imbecillis & flagellatus malitia. Salus animę in ſanctitate iuſtitiæ,& melior eſt omni auro & argento:& corpus validum,quàm cenſus immenſus. Nõ eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis:& non eſt oblectamentũ ſuper cordis gaudium. Melior eſt mors,q̃ vita amara:& requies æterna,q̃ languor perſeuerãs. Bona abſcõdita in ore clauſo,quaſi appoſitiones epularum circumpoſitæ ſepulchro. Quid proderit libatio idolo? nec Dan. 14.b enim manducabit,nec odorabitur:ſic qui effugatur à Domino,& portans mercedes iniquitatis. Videns oculis,& ingemiſcens,ſicut ſpado complectens virginem & ſuſpirans. Triſtitiam non des animę tuæ,& non affligas temetipſum in conſilio tuo. Iucunditas cordis hęc eſt vita hominis,& theſaurus ſine defectione ſanctitatis: & exultatio viri eſt longæuitas. Miſerere animæ tuæ placens Deo,& contine,& congrega cor tuum in ſanctitate eius,& triſtitiam longè expelle à te. Multos enim occidit triſtitia, & non eſt vtilitas in illa. Zelus & iracundia minuunt dies,& ante tempus ſenectam adducet cogitatus. Splendidum cor, bonum in epulis eſt: epulæ enim illius diligenter fiunt.

CAPVT XXXI.

VIgilia diuitiarum tabefaciet carnes, & cogitatus illius auferet ſomnum. Cogitatus præſcientiæ auertit ſenſum,& infirmitas grauis ſobriam facit animam. Laborauit dies in congregatione ſubſtantiæ, & in requie ſua replebitur bonis ſuis. Laborauit pauper in diminutione victus, & in fine inops fit. Qui aurum diligit, non iuſtificabitur: & qui inſequitur conſumptionem,replebitur ex ea. Multi dati ſunt in auri caſus,& facta eſt in ſpecie ipſius perditio illorum. Lignum offenſionis eſt aurum ſacrificantibus ei, væ illis qui ſectantur illud,& omnis imprudens deperibit in illo. Beatus diues, qui inuentus eſt Luc. 6.d ſine macula: & qui poſt aurum non abijt, nec ſperauit in pecunia & theſauris. Quis eſt hic, & laudabimus eum? Fecit enim mirabilia in vita ſua. Quis probatus eſt in illo, & perfectus inuentus eſt, & erit illi gloria æterna? quis potuit tranſgredi,& non eſt tranſgreſſus,& facere mala,& non fecit? ſtabilientur bona illius in Domino,& eleemoſynas illius enarrabit omnis eccleſia ſanctorum. Supra menſam magnam ſediſti? non aperias ſuper illam faucem tuam prior. Non dicas,multa ſunt,quæ ſuper illam ſunt. Memento quòd malus eſt oculus nequam. Nequius oculo quid creatum eſt? ideò ab omni facie ſua lachrymabitur: cum viderit. Ne extendas manum tuam prior, & inuidia contaminatus erubeſcas. Ne cõprimaris in conuiuio, vino. Intellige,quę ſunt proximi tui ex teipſo. Vtere quaſi homo frugi his,quæ tibi apponuntur:vt nõ,cum

manducas multum, odio habearis. Cessa prior, causa disciplinæ: & noli nimius esse, ne fortè offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam: nec prior poscas bibere. Quàm sufficiés est homini erudito vinum exiguum, & in dormiendo non laborabis ab illo, & non senties dolorem. Vigilia, & cholera, & tortura viro insatiabili: somnus sanitatis in homine parco: dormiet vsq; in mane, & anima illius cum ipso delectabitur. Et si coactus fueris in edendo multum, surge è medio & vome: & refrigerabit te, & non adduces corpori tuo infirmitatem. Audi me fili, & ne spernas me: & in nouissimo inuenies verba Pro.22.b mea. In omnibus operibus tuis esto velox, & omnis infirmitas non occurret tibi. Splendidum in panibus benedicet labia multorum, & testimonium veritatis illius fidele. In nequissimo pane murmurabit ciuitas, & testimonium nequitiæ illius verum est. Diligētes in vino noli prouocare: multos enim exterminauit vinum: ignis probat ferrum durum: sic vinū corda superborum arguet in ebrietate potatum. Æqua vita hominibus, vinum in sobrietate: si bibas illud moderatè, eris sobrius: Quæ vita est ei qui minuitur vino? Vinum in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem, ab initio. Exultatio animæ & cordis vinum moderatè potatum. Sanitas est animæ & corporis sobrius potus. Vinum multum potatum, & irritationem, & iram, & ruinas multas facit. Amaritudo animæ vinum multum potatum. Ebrietatis animositas, & imprudentis offensio, minorans virtutem, & faciens vulnera. In conuiuio vini non arguas proximum: & non despicias eum in iucunditate illius: verba improperij non dicas illi, & non premas illum in repetendo.

CAPVT XXXII.

REctorem te posuerunt? noli extolli: esto in illis quasi vnus ex ipsis. Curam illorum habe, & sic consydera, & omni cura tua explicita recumbe: vt læteris propter illos, & ornamētum gratiæ accipias coronam, & dignationem consequaris corrogationis. Loquere maior natu (decet enim te) in exacta scientia, & non impedias musicam. Vbi auditus non est, non effundas sermonem, & importunè noli extolli in sapientia tua. Gemmula carbunculi in ornamento auri, & comparatio musicorum in conuiuio vini. Sicut in fabricatione auri signum est smaragdi: sic numerus musicorum in iucundo & moderato in vino. Audi tacens, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Adolescēs loquere in tua causa vix cum necesse fuerit. Si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum. In multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens. In medio magnatorum loqui non præsumas: & vbi sunt senes, non multū loquaris. Ante tonitrum præibit coruscatio: & ante verecundiam præibit gratia, & pro reuerentia accedet tibi bona gratia. Et hora surgendi non te trices: præcurre autem prior in domum tuam, & illic auocare, & illic lude, & age cōceptiones tuas, & non in delictis & verbo superbo. Super his omnibus benedicito Dominum qui fecit te, & inebriantem te ab omnibus bonis suis. Qui timet Dñm, excipiet doctrinam eius: & qui vigilauerint ad illum, inuenient benedictionem illius. Qui quærit legem, replebitur ab ea: & qui insidiosè agit scandalizabitur ab ea. Qui timent Dominum, inuenient iudicium iustum, & iustitias quasi lumen accendent. Peccator homo vitabit correptionem, & secundum voluntatem suam inueniet comparationem. Vir consilij non disperdet intelligentiam, alienus & superbus non pertimescet timorem, etiam postquam fecit cum eo sine consilio, & suis infectationibus arguetur. Fili, sine consilio nihil facias, & post factum non pœnitebis. In via ruinæ non eas, & non offendes in lapides: nec credas te viæ laboriosæ, nec ponas animæ tuæ scandalū. Et à filijs tuis caue, & à domesticis tuis attende. In omni opere tuo crede ex fide animę tuę, hoc est enim cōseruatio mandatorum. Qui credit Deo, attendit mandatis: & qui confidit in illo, non minorabitur.

CAPVT XXXIII.

TImenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conseruabit, & liberabit à malis. Sapiens non odit mandata & iustitias, & non illidetur quasi in procella nauis. Homo sensatus credit legi Dei, & lex illi fidelis. Qui interrogationem manifestat, parabit verbum, & sic deprecatus exaudietur, & conseruabit disciplinam, & tunc respondebit. Præcordia fatui quasi rota carri: & quasi axis versatilis cogitatus illius. Equus emissarius, sic & amicus subsannator, sub omni supra sedēte hinnit. Quare dies diem superat, & iterum lux lucem, & annus annum à sole? à Domini scientia separati sunt facto sole, & præceptum custodiente, per Dei sapientiam diuiduntur. Et immutauit tempora, & dies festos ipsorum, & in illis dies festos celebrauerunt ad horam. Ex ipsis exaltauit & magnificauit Deus, & ex ipsis posuit in numerum dierum, & omnes homines de solo, & ex terra vnde creatus est Adam. In multitudine disciplinę Dominus separauit eos, & immutauit vias eorum. Ex ipsis benedixit, & exaltauit: & ex ipsis sanctificauit, & ad se applicauit: & ex ipsis maledixit & humiliauit: & conuertit illos à separatione ipsorum. Quasi lutum figuli in manu ipsius, plasmare illud & disponere. Omnes viæ eius secundum dispositionem eius: sic homo in manu illius qui se fecit, & reddet illi secundum iudicium suum. Contra malum bonum est, & contra vitam mors, sic & contra virum iustum peccator. Et sic intuere in omnia opera altissimi. Duo contra duo, & vnum contra vnum: & ego nouissimus euigilaui, & quasi qui colligit racinos post vindemiatores: in benedictione Dei & ipse sperauī: & quasi qui vindemiat, repleui torcular. Respicite quòd non mihi soli laborauī, sed & omnibus exquirentibus disciplinam. Audite me magnates, & omnes populi, & rectores ecclesiæ auribus percipite. Filio & mulieri, fratri & amico non des potestatem super te in vita tua: & non dederis alij possessionem tuam: ne fortè pœniteat te, & depreceris pro illis. Dum adhuc superes & aspiras, non immutabit te omnis caro: melius est enim, vt filij tui te rogent, quàm te respicere in manus filiorū tuorum. In omnibus operibus tuis præcellens esto. Ne dederis maculam in gloriam tuam. In die consummationis dierum vitæ tuæ, & in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam. Cibaria, & virga, & onus asino: panis, & disciplina, & opus seruo. Operatur in disciplina, & quærit requiescere: laxa manus illi, & quærit libertatem. Iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ. Seruo

Supr.42.d

maleuolo tortura & compedes, mitte illum in operationem, ne vacet, multam enim malitiam docuit otiositas: in opera constitue eum: sic enim condecet illum. Quòd si non obaudierit, curua illum compedibus, & non amplifices super omnem carnem. Verū sine iudicio nihil facias graue. Si est tibi seruus fidelis, sit tibi quasi anima tua, quasi fratrem sic eū tracta: quoniam in sanguine animæ comparasti illum. Si læseris eum iniustè, in fugam conuertetur: & si extollens discesserit: quē quæras, & in qua via quæras illū nescis. Supra. 7.c

CAPVT XXXIIII.

VAna spes: & mendacium viro insensato: & somnia extollunt imprudentes. Quasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum: sic & qui attendit ad visa mendacia: hoc secundum hoc visio somniorū. Ante faciem hominis similitudo alterius hominis. Ab immundo quid mundabitur? & à mendace quid verum dicetur? Diuinatio erroris & auguria, mendacia & somnia malefacientiū, vanitas est. Et sicut parturientis, cor tuū phantasias patitur: nisi ab altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum, multos enim errare fecerunt somnia, & exciderunt sperantes in illis. Sine mendacio cōsummabitur verbū legis, & sapientia in ore fidelis complanabitur. Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus, cogitabit multa: & qui multa didicit, enarrabit intellectum. Qui non est expertus, pauca recognoscit: qui autem in multis fatuus est, multiplicat malitiam. Qui tentatus nō est, qualia scit? Qui implanatus est, abundabit nequitia. Multa vidi errando, & plurimas verborū consuetudines. Aliquoties vsq; ad mortē periclitatus sum horū causa, & liberatus sum gratia Dei. Spiritus timentiū Deum quæritur, & in conspectu illius benedicetur: spes enim illorū in saluantē illos, & oculi Dei in diligentes se. Qui timet Dñm, nihil trepidabit, & non pauebit: quoniā ipse est spes eius. Timentis Dñm beata est anima eius. Ad quem respicit, & quis est fortitudo eius? Oculi Dñi super timentes eum, protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, vmbraculum meridiani, deprecatio offensionis, & adiutorium casus, exaltās animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Immolantis ex iniquo oblatio est maculata, & non sunt beneplacitæ subsannationes iniustorum. Dominus solus sustinentibus se in via veritatis & iustitiæ. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationes iniquorū, nec in multitudine sacrificium eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium ex substantia pauperum, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui. Panis egentium, vita pauperis est: qui defraudat illum, homo sanguinis est. Qui aufert in fudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Qui offendit sanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres sunt. Vnus ædificans, & vnus destruens: quid prodest illis, nisi labor? Vnus orans, & vnus maledicens: cuius vocem exaudiet Deus? [a] Qui baptizatur à mortuo, & iterum tangit mortuum, quid proficit lauatio illius? sic homo qui ieiunat in peccatis suis: & iterum eadem faciens, quid proficit humiliando se? orationem illius quis exaudiet? Prou. 15.b

SCHOLIA.

[a] Qui baptizatur à mortuo.] *Qui lauatur post contactum mortui. Nam illa particula, à, tam apud Græcos, quàm apud Latinos ponitur plerunq; pro post: quæ res cum non obseruaretur temporibus Augustini, acceperunt hæretici ex hoc loco occasionem confirmandi errores sui de rebaptizandis. Ait ergo. Qui lauatur post, quàm tetigit mortuum (qui mos erat apud Hebræos) & iterum tangit mortuum, quid prodest ei lauisse?*

CAPVT XXXV.

QVi conseruat legem, multiplicat orationem. Sacrificium salutare est attendere mandatis, & discedere ab omni iniquitate: & propitiationem litare sacrificijs super iniustitias: & deprecatio pro peccatis, recedere ab iniustitia. Retribuet gratiam, qui offert similaginem: & qui facit misericordiam, offert sacrificium. Beneplacitum est Dño recedere ab iniquitate: & deprecatio pro peccatis recedere ab iniustitia. Nō apparebis ante cōspectū Dñi vacuus. Hęc enim omnia propter mandatum Dei fiunt. Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altissimi. Sacrificiū iusti acceptū est, & memoriā eius nō obliuiscetur Dñs. Bono animo gloriam redde Deo, & nō minuas primitias manuū tuarū. In omni dato hilarem fac vultū tuū, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da altissimo secundū datum eius, et in bono oculo adinuentionē facito manuū tuarum: quoniā Dñs retribuens est, & septies tantū reddet tibi. Noli offerre munera praua nō enim suscipiet illa. Et noli inspicere sacrificiū iniustū, quoniam Dñs iudex est, & nō est apud illū gloria personæ. Nō accipiet Dñs personā in pauperē, & deprecationē læsi exaudiet. Nō despiciet preces pupilli: nec viduam, si effundat loquelam gemitus. Nónne lacrymę viduę ad maxillam descendunt, & exclamatio eius super deducentem eas? A maxilla enim ascendunt vsq; ad cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis? Qui adorat Deū in oblectatione, suscipietur, & deprecatio illius vsq; ad nubes propinquabit. Oratio humiliantis se, nubes penetrabit: & donec propinquet, non cōsolabitur: & non discedet, donec altissimus aspiciat. Et Dominus non elongabit, sed iudicabit iustos, & faciet iudicium: & fortissimus non habebit in illis patientiam, quousque contribulet dorsum ipsorum, & gentibus reddet vindictam, donec tollat plenitudinem superborum, & sceptra iniquorum contribulet, donec reddat hominibus secundum actus suos, & secundum opera Adæ, & secundum præsumptionem illius, donec iudicet iudicium plebis suæ, & oblectabit iustos misericordia sua. Speciosa misericordia Dei: in tempore tribulationis quasi nubes pluuiæ in tempore siccitatis. Exod.23.h & 34.c Deut. 16.d 2. Cor.9.b Tob. 4.b Leui. 22.c Deut. 15.d Roma.2.b Deu. 10.d 2.Par. 19.c Iob. 34.b Sapien. 6.b Roma.2.b Gala. 2.b Ephe. 6.b Colos. 3.d Act. 10.c 1.Pet.1.c

CAPVT XXXVI.

MIserere nostri Deus omnium, & respice nos, & ostende nobis lucem miserationum tuarum, & immitte timorem tuum super gentes, quæ non exquisierunt te: vt cognoscant quod non est Deus nisi tu, vt enarrent magnalia tua. Alleua manum tuam super gentes alienas, vt videant potentiam tuam. Sicut enim in conspectu eorum sanctificatus es in nobis, sic in conspectu nostro magnificabe-

ris in eis:vt cognoſcant te:ſicut & nos cognouimus,quòd non eſt Deus præter te Domine. Innoua ſigna,& immuta mirabilia. Glorifica manum,& brachium dextrum. Excita furorem,& effunde iram. Tolle aduerſarium,& affligе inimicum. Feſtina tempus,& memento finis, vt enarrent mirabilia tua. In ira flammæ deuoretur qui ſaluatur:& qui peſimant plebem tuam,inueniant perditionem. Contere caput principum,& inimicorum dicentium,Non eſt alius præter nos. Congrega omnes tribus Iacob:& cognoſcant quòd non eſt Deus,niſi tu,vt enarrent magnalia tua:& hæreditabis eos,ſicut ab initio. Miſerere plebi tuæ, ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum:& Iſrael,quem coęquaſti primogenito tuo. Miſerere ciuitati ſanctificationis tuæ Ieruſalem,ciuitati requiei tuæ. Reple Sion inenarrabilibus verbis tuis, & gloria tua populum tuum. Da teſtimonium,quòd ab initio creaturæ tuæ ſunt, & ſuſcita precationes quas locuti ſunt in nomine tuo prophetæ priores. Da mercedem ſuſtinentibus te,vt prophetę tui fideles inuentantur,& exaudi orationes ſeruorum tuorum. Secundum benedictionem Aaron da populo tuo, & dirige nos in viam iuſtitiæ: vt ſciant omnes,qui habitant terram,quòd tu es Deus conſpector ſæculorum. Omnem eſcam manducabit vĕter,& eſt cibus cibo melior:fauces contingŭt cibum feræ,& cor inſenſatum verba mendacia. Cor prauũ dabit triſtitiam,& homo peritus reſiſtet illi. Omnem maſculum excipiet mulier, & eſt filia melior filio. Species mulieris exhilarat facĭe viri ſui,& ſuper omnem concupiſcentiam hominis ſuperducit deſyderium. Si eſt lingua curationis,eſt & mitigationis,& miſericordiæ:non eſt vir illius ſecundum filios hominũ. Qui poſsidet mulierem bonam, inchoat poſſeſsionem: adiutorium ſecundum illum eſt,& columna vt requies. Vbi non eſt ſepes,diripietur poſſeſsio:& vbi non eſt mulier,ingemiſcet egens. Cui credit,qui non habet mdum? Et deflectens vbicunq; obſcuraverit,quaſi ſuccinctus latro exiliens de ciuitate in ciuitatem.

Nume.6.d

CAPVT XXXVII.

OMnis amicus dicet,Et ego amicitiam copulaui: ſed eſt amicus ſolo nomine amicus. Nónne triſtitia ineſt vſque ad mortem? Sodalis autem,& amicus ad inimicitiam conuertentur. O præſumptio nequiſsima,vnde creata es cooperire aridam malitia, & doloſitate illius? Sodalis amico coniucundabitur in oblectationibus,& in tempore tribulationis aduerſarius erit. Sodalis amico condolet cauſa ventris,& contra hoſtem accipiet ſcutum. Non obliuiſcaris amici tui in animo tuo,& non immemor ſis illius in operibus tuis. Noli conſiliari cum ſocero tuo,& à zelantibus te abſconde cõſilium. Omnis conſiliarius prodit conſilium,ſed eſt conſiliarius in ſemetipſo. A conſiliario ſerua animam tuam:prius ſcito, quæ ſit illius neceſsitas:& ipſe enim in animo ſuo cogitabit:ne fortè mittat ſudem in terrã, & dicat tibi, Bona eſt via tua:& ſtet ècontrario videre quid tibi eueniat. Cum viro irreligioſo tracta de ſanctitate, & cum iniuſto de iuſtitia,& cum muliere de ea quę æmulatur:cum timido de bello,cum negotiatore de traiectione,cũ emptore de venditione,cum viro liuido de gratijs agendis,cum impio de pietate,cum inhoneſto de honeſtate,cum operario agrario de omni opere,cum operario annuali de conſummatione anni,cum ſeruo pigro de multa operatione:non attendas his in omni conſilio. Sed cum viro ſancto aſsiduus eſto,quemcunque cognoueris obſeruantem timorem Dei,cuius anima eſt ſecundum animam tuam:qui cum titubaueris in tenebris,condolebit tibi. Et cor boni conſilij ſtatue tecum:non eſt enim tibi aliud pluris illo. Anima viri ſancti enuntiat aliquando vera, quàm ſeptem circunſpectores ſedentes in excelſo ad ſpeculandum. Et his in omnibus deprecare altiſsimum,vt dirigat in veritate viam tuam. Ante omnia opera verbũ verax præcedat te,& ante omnem actum conſilium ſtabile. Verbum nequam immutabit cor: ex quo partes quatuor oriuntur, bonum,& malum,vita & mors,& dominatrix illorum eſt aſsidua lingua. Vir peritus multos erudit, & animæ ſuæ ſuauis eſt:Qui ſophiſticè loquitur,odibilis eſt:in omni re defraudabitur: non eſt enim illi data à Domino gratia:omni enim ſapientia defraudatus eſt. Eſt ſapiens animę ſuæ ſapiens:& fructus ſenſus illius laudabilis. Vir ſapiens plebem ſuam erudit,& fructus ſenſus illius fideles ſunt. Vir ſapiens implebitur benedictionibus,& videntes illum laudabunt. Vita viri in numero dierum:dies autem Iſrael innumerabiles ſunt. Sapiens in populo hæreditabit honorem,& nomen illius erit viuens in æternum. Fili in vita tua tenta animam tuam:& ſi fuerit nequam,non des illi poteſtatem:non enim omnia omnibus expediunt, & non omni animæ omne genus placet. Noli auidus eſſe in omni epulatione,& non te effundas ſuper omnem eſcam:in multis enim eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram. Propter crapulam multi obierunt:qui autem abſtinens eſt,adijciet vitam.

CAPVT XXXVIII.

HOnora medicum propter neceſsitatem: etenim illum creauit altiſsimus. A Deo eſt enim omnis medela,& à rege accipiet donationem. Diſciplina medici exaltabit caput illius, & in cõſpectu magnatorum collaudabitur. Altiſsimus creauit de terra medicinam,& vir prudens non abhorrebit illam. Nónne à ligno indulcata eſt aqua amara? Ad agnitionem hominum virtus illorum, & dedit hominibus ſcientiam altiſsimus honorari in mirabilibus ſuis. In his curans mitigabit dolorem, & vnguĕtarius faciet pigmenta ſuauitatis,& vnctiones conficiet ſanitatis,& non conſummabũtur opera eius. Pax enim Dei ſuper faciem terræ. Fili,in tua infirmitate ne deſpicias teipſum,ſed ora Dominum,& ipſe curabit te. Auerte à delicto,& dirige manus,& ab omni delicto munda cor tuum. Da ſuauitatem, & memoriam ſimilaginis,& impingua oblationem,& da locum medico:etenim illum Dominus creauit:& non diſcedat à te, quia opera eius ſunt neceſsaria. Eſt enim tempus quãdo in manus illorum incurras:ipſi verò Dominum deprecabuntur,vt dirigat requiem eorum & ſanitatem,propter conuerſationem illorum. Qui delinquit in conſpectu eius,qui fecit eum,incidet in manus medici. Fili in mortuum produc lacrymas:& quaſi dira paſſus incipe plorare,& ſecundum iudicium contege corpus illius,& non deſpicias ſepulturam illius. Propter delaturam autem amarè fer luctum illius vno die, & cõſolare propter triſtitiam,& fac luctum ſecundum meritum

Exod.15.d

Supra 12. b

ritum eius vno die,vel duobus propter detractionem. A triſtitia enim feſtinat mors,& cooperit virtutem,& triſtitia cordis flectit ceruicem. In abductione permanet triſtitia, & ſubſtantia inopis ſecundùm cor eius. Ne dederis in triſtitia cor tuum, ſed repelle eam à te: & memento nouiſsimorum, & noli obliuiſci: neque enim eſt conuerſio,& huic nihil proderis, & teipſum peſimabis. Memor eſto iudicij mei: ſic enim erit & tuum:mihi heri,& tibi hodie. In requie mortui requieſcere fac memoriam eius,& conſolare illum in exitu ſpiritus ſui. Sapientiam ſcribe in tempore vacuitatis: & qui minoratur actu ſapientiam percipiet: quia ſapientia replebitur. Qui tenet aratrum,& qui gloriatur in iaculo,ſtimulo boues agitat,& cõuerſatur in operibus eorum,& enarratio eius in filijs taurorum. Cor ſuum dabit ad verſandos ſulcos,& vigilia eius in ſagina vaccarum. Sic omnis faber & architectus,qui noctem tãquam diem tranſigit,qui ſculpit ſignaculo ſculptilia:& aſsiduitas eius variat picturam,cor ſuum dabit in ſimilitudinem picturę,& vigilia ſua perficit opus. Sic faber ferrarius ſedens iuxta incũdem,& conſiderans opus ferri. Vapor ignis vret carnes eius, & in calore fornacis concertatur. Vox mallei innouat aurem eius, & contra ſimilitudinem vaſis oculus eius. Cor ſuum dabit in cõſummationem operum, & vigilia ſua ornabit imperfectionem. Sic figulus ſedens ad opus ſuum, conuertens pedibus ſuis rotam, qui in ſolicitudine poſitus eſt ſemper propter opus ſuum,& innumera eſt omnis operatio eius. In brachio ſuo formabit lutum, & ante pedes ſuos curuabit virtutem ſuam. Cor ſuum dabit, vt conſummet linitionem,& vigilia ſua mundabit fornacem. Omnes hi in manibus ſuis ſperauerunt, & vnuſquiſque in arte ſua ſapiens eſt: ſine his omnibus non ædificatur ciuitas. Et non inhabitabunt,nec inambulabunt, & in eccleſiam non tranſilient. Super ſellam iudicis non ſedebunt,& teſtamentũ iudicij non intelligent, neque palàm facient diſciplinam & iudicium, & in parabolis non inuenientur: ſed creaturam æui confirmabunt,& deprecatio illorum in operatione artis accommodantes animas ſuas,& conquirentes in lege altiſsimi.

Prou. 15.b & 17.d

CAPVT XXXIX.

SApientiam omnium antiquorum exquiret ſapiens,& in prophetis vocabit. Narrationem virorũ nominatorum conſeruabit,& in verſutias parabolarum ſimul introibit. Occulta prouerbiorum exquiret,& in abſconditis parabolarum conuerſabitur. In medio magnatorum miniſtrabit, & in conſpectu præſidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertranſibit: bona enim, & mala in omnibus tentabit. Cor ſuum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum,& in conſpectu altiſsimi deprecabitur. Aperiet os ſuum in oratione,& pro delictis ſuis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit,ſpiritu intelligentiæ replebit illum: & ipſe tanquam imbres mittet eloquia ſapientiæ ſuæ,& in oratione confitebitur Domino. Et ipſe diriget conſilium eius,& diſciplinam, & in abſconditis ſuis conſiliabitur. Ipſe palàm faciet diſciplinam doctrinæ ſuæ,& in lege teſtamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi ſapientiam eius,& vſque in ſæculum non delebitur. Non recedet memoria eius,& nomen eius requiretur à generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes,& laudem eius enuntiabit eccleſia. Si permanſerit nomen eius, derelinquet plus quàm mille: & ſi requieuerit, proderit illi. Adhuc conſiliabor, vt enarrem: vt furore enim repletus ſum. In voce dicit, Obaudite me diuini fructus,& quaſi roſa plantata ſuper riuos aquarum fructificate. Quaſi Libanus odorem ſuauitatis habete. Florete flores, quaſi lilium, & date odorem, & frondete in gratiam, & collaudate canticum, & benedicite Dominum in operibus ſuis. Date nomini eius magnificentiam,& confitemini illi in voce labiorum veſtrorum, & in canticis labiorum, & citharis,& ſic dicetis in confeſsione, Opera Domini vniuerſa bona valde. In verbo enim eius ſtetit aqua, ſicut congeries: & in ſermone oris illius,ſicut exceptoria aquarum: quoniam in præcepto ipſius placor ſit,& non eſt minoratio in ſalute ipſius. Opera omnis carnis coràm illo, & non eſt quicquam abſconditum ab oculis eius. A ſæculo vſque in ſæculum reſpicit,& nihil eſt mirabile in conſpectu eius. Nõ eſt dicere, Quid eſt hoc, aut quid eſt iſtud? ómnia enim in tempore ſuo quærentur. Benedictio illius quaſi fluuius inundabit: & quo modo cataclyſmus aridam inebriauit,ſic ira ipſius gentes,quæ non exquiſierunt eum, hæreditabit. Quo modo conuertit aquas in ſiccitatem, & ſiccata eſt terra, & viæ illius vijs illorum directæ ſunt: ſic peccatoribus offenſiones in ira eius. Bona bonis creata ſunt ab initio, ſic nequiſsimis bona & mala. Initiũ neceſſariæ rei vitæ hominum,aqua,ignis,& ferrum, ſal, lac, & panis ſimilagineus, & mel, & botrus vuæ, & oleum,& veſtimentum. Hæc omnia ſanctis in bona:ſic & impijs, & peccatoribus in mala conuertentur. Sunt ſpiritus,qui ad vindictam creati ſunt,& in furore ſuo confirmauerunt tormenta ſua,& in tempore conſummationis effundent virtutem: & furorem eius,qui fecit illos,cõfundent. Ignis,grando, fames,& mors, omnia hæc ad vindictam creata ſunt: beſtiarum dentes,& ſcorpij,& ſerpentes, & romphæa vindicans in exterminium impios. In mandatis eius epulabuntur,& ſuper terram in neceſsitate præparabuntur,& in temporibus ſuis non præteribunt verbum. Propterea ab initio confirmatus ſum, & conſiliatus ſum, & cogitaui: & ſcripta dimiſi. Omnia opera Domini bona, & omne opus hora ſua ſubminiſtrauit. Non eſt dicere, Hoc illo nequius eſt: omnia enim in tempore ſuo comprobabuntur. Et nunc in omni corde & ore collaudate, & benedicite nomen Domini.

Gen.1.d Mar.7.d

Gen.7.d Exod.14.e Supra 29.d

Infra. 40.d

CAPVT XL.

OCcupatio magna creata eſt omnibus hominibus, & iugum graue ſuper filios Adam à die exitus de ventre matris eorum,vſque in diem ſepulturæ in matrem omnium. Cogitationes eorum, & timores cordis adinuentiones expectationis:& dies finitionis à præſidente ſuper ſedem gloriosam, vſque ad humiliatum in terram,& cinerem,ab eo qui vtitur hyacintho, & portat coronam vſque ad eum qui operitur in lino crudo: Furor,zelus,tumultus,fluctuatio,& timor mortis,iracundia perſeuerans, & contentio, in tempore refectionis in cubili ſomnus noctis immutat ſcientiam eius. Modicum autem tanquam nihil

in

in requie,& ab eo in somnis,quasi in die respectus. Conturbatus est in visu cordis sui, tãquam qui euaserit
Supr. 39.d in die belli. In tempore salutis suæ exurrexit,& admirans ad nullum timorem cum omni carne, ab homi-
Gen.7. ne vsque ad pecus:& super peccatores septuplum. Ad hæc mors,sanguis,contentio,& romphęa,oppressio-
Infr. 41.b nes,fames,& cõtritio,& flagella:super iniquos creata sunt hęc omnia, & propter illos factus est cataclysmus.
Eccle. 1.b Omnia,quæ de terra sunt,in terram conuertentur, & omnes aquæ in mare conuertentur. Omne munus,
& iniquitas delebitur,& fides in sæculum stabit. Substantiæ iniustorum sicut fluuius siccabuntur, & sicut C
tonitrum magnum in pluuia personabunt. In aperiendo manus suas,lætabitur, sic præuaricatores in con-
summatione tabescent. Nepotes impiorum non multiplicabunt ramos, & radices immundæ super cacu-
men petræ sonant. Super omnem aquam viriditas,& ad oram fluminis ante omne fœnum euelletur. Gra-
tia sicut paradisus in benedictionibus,& misericordia in sæculo permanet. Vita sibi sufficietis operarij con-
dulcabitur,& in ea inuenies thesaurum. Filij,ædificatio ciuitatis confirmabit nomen,& super hanc mulier
immaculata computabitur. Vinum & musica lætificant cor, & super vtraque dilectio sapientiæ. Tibiæ &
psalterium suauem faciunt melodiam,& super vtraque lingua suauis. Gratiam,& speciem desyderabit ocu-
lus tuus,& super hęc virides sationes. Amicus & sodalis in tempore conuenientes,& super vtrosque mulier D
cum viro. Fratres in adiutorium in tempore tribulationis, & super eos misericordia liberabit. Aurum &
argentum est constitutio pedum:& super vtrunque consilium beneplacitum. Facultates & virtutes exaltãt
cor,& super hec timor Domini. Non est in timore Domini minoratio, & non est in eo inquirere adiuto-
rium. Timor Domini sicut paradisus benedictionis, & super omnem gloriam operuerunt illum. Fili, in
tẽpore vitæ tuæ ne indigeas. Melius est enim mori,quàm indigere, Vir respiciens in mensam alienam,non
est vita eius in cogitatione victus:alit enim animam suam cibis alienis. Vir autem disciplinatus,& eruditus
custodiet se:in ore imprudentis condulcabitur inopia,& in ventre eius ignis ardebit.

CAPVT XLI.

O Mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis viro quieto,& cuius A
vię directę sunt in omnibus,& adhuc valenti accipere cibum. O mors bonum est iudicium tuum
homini indigenti, & qui minoratur viribus, defecto ætate,& cui de omnibus cura est, & incredi-
bili,qui perdit sapientiam. Noli metuere iudicium mortis. Memento quę ante te fuerunt, & quæ super-
uentura sunt tibi:hoc iudicium à Domino omni carni: & qui superuenięt tibi in beneplacito altissimi,siue
decem,siue centum,siue mille anni. Non est enim in inferno accusatio vitæ. Filij abominationum sunt B
filij peccatorum,& qui conuersantur secus domos impiorum. Filiorum peccatorum peribit hæreditas, &
cum semine illorum assiduitas opprobrij. De patre impio queruntur filij, quoniam propter illum sunt in
Supr. 40.b opprobrio. Væ vobis viri impij,qui dereliquistis legem Domini altissimi. Et si nati fueritis,in maledictio-
ne nascemini:si mortui fueritis,in maledictione erit pars vestra. Omnia quæ de terra sunt, in terram con-
uertentur:sic impij à maledicto in perditionem. Luctus hominum in corpore ipsorum,nomen autem im- C
piorum delebitur. Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri
Supr. 20.d pretiosi & magni. Bonę vitę numerus dierum:bonum autem nomen permanebit in ęuum. Disciplinam
in pace conseruate filij: sapientia enim abscondita, & thesaurus inuisus,quę vtilitas in vtrisque? Melior est
homo qui abscondit stultitiam suam,quàm homo qui absondit sapiẽtiam suam. Veruntamen reuertimi-
ni in his,quę procedunt de ore meo. Nõ est enim bonum omnem irreuerentiam obseruare:& non omnia D
omnibus bene placent in fide. Erubescite à patre,& à matre de fornicatione:& à presidente,& à potente de
mendacio:à principe,& à iudice de delicto:à synagoga, & plebe de iniquitate: à socio & amico de iniustitia
& de loco in quo habitas,de furto,de veritate Dei,& testamento,de discubitu in panibus,& ab obfuscatione
dati & accepti:à salutantibus de silentio:à respectu mulieris fornicariæ: & ab auersione vultus cognati. Ne
auertas faciem tuam à proximo tuo,& ab auferendo partẽ,& non restituendo. Ne respicias mulierem alie-
ni viri,& ne scruteris ancillam eius,neque steteris ad lectum eius. Caue ab amicis de sermonibus impro-
rij:& cum dederis, ne improperes.

CAPVT XLII.

NOn duplices sermonem auditus de releuatione sermonis absconditi,& eris verè sine confusione,& A
inuenies gratiam in conspectu omnium hominum:ne pro his omnibus cõfundaris, & ne accipias
personam,vt delinquas. De lege altissimi,& testamẽto,& de iudicio iustificare impium,& de ver-
Leui. 19.c bo sociorum & viatorum,& de datione hæreditatis amicorum,de æqualitate statérę & ponderum,de acqui-
Deu. 1.c sitione multorum & paucorum,de correptione emptionis & negotiatorũ, & de multa disciplina filiorum,
& 16.d & seruo pessimo latus sanguinare. Super mulierem nequam bonum est signum. Vbi manus multæ sunt,
Prou. 24. claude:& quodcunque trades,numera & appende:datum verò,& acceptum omne describe,de disciplina in- B
Iacobi 2.a sensati & fatui,& de senioribus,qui iudicantur ab adolescentibus:& eris eruditus in omnibus, & probabilis
in cõspectu omnium virorum. Filia patris abscondita est:vigilia & sollicitudo eius aufert somnum,ne for-
tè in adolescentia sua adultera efficiatur,& cum viro commorata odibilis fiat nequando polluatur in virgi-
nitate sua,& in paternis suis grauida inueniatur,ne fortè cum viro commorata transgrediatur, aut certè ste-
rilis efficiatur. Super filiam luxuriosam confirma custodiam: nequãdo faciat te in opprobrium venire ini-
micis,à detractione in ciuitate,& obiectione plebis,& confundat te in multitudine populi. Omni homini C
noli intendere in specie:& in medio mulierum noli cõmorari:de vestimentis enim procedit tinea, & à mu-
liere iniquitas viri. Melior est enim iniquitas viri,quàm mulier benefaciens, & mulier confundens in op-
probrium. Memor ero igitur operum Domini,& quæ vidi annũtiabo in sermonibus Domini opera eius.
Sol illuminans per omnia respexit,& gloria Domini plenum est opus eius. Nónne Dominus facit sanctos
enarrare

enarrare omnia mirabilia sua,quæ cõfirmauit Dominus omnipotens stabiliri in gloria sua?Abyssum,& cor
hominum inuestigauit:& in astutia eorum excogitauit. Cognouit enim Dominus omnem scientiam,& in-
D spexit in sinum æui,annuntians quæ præterierunt & quæ superuentura sunt reuelans vestigia oculorum.Nõ
præterit illum omnis cogitatus, non absconditur se ab eo vllus sermo. Magnalia sapientiæ suæ decorauit: qui
est ante seculum & vsque in sæculũ,neque adiectum est neque minuitur,& non eget alicuius consilio.Quàm
desyderabilia omnia opera eius,& tanquam scintilla quæ est consyderare. Omnia hæc viuunt, & manent in
sæculum,& in omni necessitate omnia obaudiunt ei.Omnia duplicia,vnum contra vnum,& non fecit quic-
quam deesse.Vniuscuiusque confirmauit bona.Et quis satiabitur videns gloriam eius?

CAPVT XLIII.

A Altitudinis firmamentum pulchritudo eius est species cœli in visione gloriæ. Sol in aspectu annuntiãs A
in exitu,vas admirabile opus excelsi.In meridiano exuret terram,& in cõspectu ardoris eius quis po-
terit sustinere?Fornacem custodiens in operibus ardoris tripliciter sol exurens montes, radios igneos
exufflans,& refulgens,radijs suis obcæcat oculos.Magnus Dominus qui fecit illum:& in sermonibus eius fe-
stinauit iter. Et luna in omnibus in tempore suo,ostensio temporis,& signum æui. A luna signum diei fe-
sti,luminare quod minuitur in consummatione. Mensis secundum nomen eius est crescens mirabiliter in
consummatione. Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens. Species cœli gloria stellarũ,
B mundum illuminans in excelsis Dominus. In verbis sancti stabunt ad iudicium, & non deficient in vigilijs B
suis. Vide arcum,& benedic eũ qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. Gyrauit cœlum in cir- Gene.9.b
cuitu gloriæ suæ,manus excelsi aperuerunt illum. Imperio suo accelerauit niuem, & accelerat coruscatio-
nes emittere iudicij sui, Propterea aperti sunt thesauri, & euolauerunt nebulæ sicut aues. In magnitudine
sua posuit nubes,& confracti sunt lapides grandinis: In conspectu eius cõmouebuntur montes, & in volun
tate eius aspirauit notus. Vox tonitrui eius verberauit terrã, tempestas aquilonis, & congregatio spiritus, &
sicut auis deponens ad sedendum, aspergit niuem, & sicut locusta demergens descensus eius. Pulchritudinẽ
C candoris eius admirabitur oculus,& super imbrem eius expauescit cor. Gelu sicut salem effundet super ter- C
ram:& dum gelauerit,fiet tanquam cacumina tribuli. Frigidus ventus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab
aqua:super omnem cõgregationem aquarum requiescet,& sicut lorica induet se aquis: Et deuorabit mõtes,
& exuret desertum,& extinguet viride sicut ignem. Medicina omniũ in festinatione nebulæ: & ros obuiãs
ab ardore venienti humilem efficiet eum. In sermone eius siluit ventus,& cogitatione sua placauit abyssum,
& plantauit illum Dñs Iesus. Qui nauigant mare,enarrant pericula eius: & audientes auribus nostris admi-
rabimur. Illic præclara opera,& mirabilia:varia bestiarum genera,& omniũ pecorũ,& creatura beluarum.
D Propter ipsum confirmatus est itineris finis,& in sermone eius cõposita sunt omnia. Multa dicemus,& defi D
cietmus in verbis,cõsummatio autem sermonũ ipse est in omnibus. Gloriãtes ad quid valebimus? Ipse enim
omnipotens super omnia opera sua. Terribilis Dñs & magnus vehementer, & mirabilis potentia ipsius.
Glorificantes Dominum quantumcunque potueritis superalebit adhuc,& admirabilis magnificentia eius. Psal. 95.a
Benedicentes Dominum,exaltate illum quantum potestis,maior enim est omni laude. Exaltantes eum re-
plemini virtute. Ne làboretis,non enim comprehendetis. Quis videbit eum,& enarrabit? & quis magnifi Psal. 105.a
cabit eum sicut est ab initio? Multa abscondita sunt maiora his:pauca enim vidimus operum eius. Omnia
autem Dominus fecit,& piè agentibus dedit sapientiam.

CAPVT XLIIII.

A Laudemus viros glorioſos,& parentes nostros in generatione sua. Multam gloriam fecit Dominus A
magnificentia sua à sæculo. Dominantes in potestatibus suis homines magni virtute, & prudentia
sua prediti,nuntiantes in prophetis dignitatem prophetarum,& imperãtes in presenti populo,& in
virtute prudentię populis sanctissima verba. In peritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmi-
na in scriptura. Homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes: pacificantes in domibus suis.
Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus. Qui
B de illis nati sunt, reliquerunt nomen narrandi laudes eorum, & sunt quorum non est memoria, perierunt B
quasi qui non fuerint, & nati sunt quasi non nati, & filij eorum cum ipsis. Sed illi viri misericordiæ sunt
quorum pietates non defuerunt, & cum semine eorum permanet bona hæreditas,& nepotum ipsorum se-
men in testamento stetit: & filiorum ipsorum semen propter illos vsque in æternum manet: semen eorum
& gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt,& nomen eorum viuet in gene- Gene.5.c
C rationem & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem eorũ nunciet ecclesia. Enoch C Heb. 11.a
placuit Deo, & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. Noe inuentus est perfectus, iu- Ge.6.b.7.a
stus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Ideò dimissum est reliquum terræ,cum factum est di Hebr. 11.b
luuium. Testamenta sæculi posita sunt apud illum,ne deleri possit diluuio omnis caro. Abraham magnus Gene. 17.a
pater multitudinis gentium, & non est inuentus similis illi in gloria: qui conseruauit legem excelsi, & fuit Gene. 22.d
in testamento cum illo. In carne eius stare fecit testamentum,& in tentatione inuentus est fidelis. Ideò iu- Gala. 3.b
D reiurando dedit illi gloriã in gente sua,crescere illum quasi terræ cumulum, & vt stellas exaltare semen eius, D Gene. 22.c
& hæreditare illos à mari vsque ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ. Et Isaac eodem mo-
do fecit propter Abraham patrem eius. Benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus, & testa-
mentum suum confirmauit super caput Iacob. Aguouit eum in benedictionibus suis, & dedit illi hæredi-
tatem, & diuisit illi partem in tribubus duodecim. Et conseruauit illi homines misericordiæ inuenientes
gratiam in oculis omnis carnis.

Caput

CAPVT XLV.

Exo. 11.a Dilectus Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gló- A
ria sanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placauit. Glo-
rificauit illum in conspectu regum, & iussit illi coràm populo suo, & ostendit illi gloriã suã. In fidẽ
Exo. 6.7.8 & lenitate ipsius sanctũ fecit illum, & elegit eũ ex omni carne. Audiuit enim eum, & vocẽ ipsius, & induxit
Exod. 16.c illum in nubem. Et dedit illi coràm præcepta, & legem vitæ, & disciplinæ, docere Iacob testamentũ suũ, &
Exod. 19.b iudicia sua Israel. Excelsum fecit Aaron fratrẽ suum, & similem sibi de tribu Leui. Statuit ei testamentum
Exod. 4.b æternum, & dedit illi sacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloria: & circumcinxit eum zona iustitiæ, &
induit ei stolam gloriæ, & coronauit eum in vasis virtutis. Circumpedes & femoralia, & humerale posuit ei, B
Exod. 28.f & cinxit illum tintinnabulis aureis plurimis in gyro: dare sonitum in incessu suo, auditum facere sonitum in
templo in memoriam filijs gentis suæ. Stolam sanctã auro & hyacintho, & purpura, opus textile, viri sapien
tis iudicio & veritate præditi. Torto cocco opus artificis, gemmis preciosis figuratis in ligatura auri, & opc-
re lapidarij sculptis in memoriam secundum numerum tribuum Israel. Corona aurea super mitram eius
expressa signo sanctitatis: & gloria honoris, & opus virtutis, desyderia oculorũ ornata. Sic pulchra ante ip-
sum non fuerunt talia vsq; ad originem. Non est indutus illa alienigena aliquis, sed tantum filij ipsius soli, C
& nepotes eius per omne tempus. Sacrificia ipsius consummata sunt igne quotidie. Cõpleuit Moyses ma-
Leui. 8.b nus eius, & vnxit illum oleo sancto. Factum est illi in testamentum æternum, & semini eius sicut dies cœli,
fungi sacerdotio, & habere laudem, & glorificare populũ suũ in nomine suo. Ipsum elegit ab omni viuẽte,
offerre sacrificium Deo, incensum, & bonũ odorẽ in memoriam, placare pro populo suo: & dedit illi in præ-
ceptis suis potestatem, in testamentis iudiciorũ docere Iacob testimonia, & in lege sua lucẽ dare Israel. Qua
Num. 16.a contra illũ steterunt alieni, & propter inuidiam circundederunt illum homines in deserto, qui erant cũ Da-
than & Abiron, & congregatio Core in iracundia. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi: & consumpti D
sunt in impetu iracundiæ. Fecit illis mõstra, & consumpsit illos in flamma ignis. Et addidit Aaron gloriã,
& dedit illi hereditatẽ, & primitias frugum terræ diuisit illi. Panem ipsius in primis parauit in societatem:
nam & sacrificia Domini edent, quæ dedit illi, & semini eius. Cæterum inter gentes non hereditabit, & pars
non est illi in gente: ipse est enim pars eius, & hereditas. Phinees filius Eleazari tertius in gloria est, imitando
Num. 25.e eum in timore Domini: & stare in reuerentia gentis: in bonitate, & alacritate animæ suæ placuit Deo Israel.
1. Mac. 2.f Ideo statuit illi testamentum pacis, principem sanctorum & gentis suæ, vt sit illi & semini eius sacerdotij di-
gnitas in æternum. Et testamentum Dauid regi filio Iessæ de tribu Iuda, hæreditas ipsi & semini eius, vt da-
ret sapientiam in cor nostrum, iudicare gentem suam in iustitia: ne abolerentur bona ipsorum, & gloriam
ipsorum in gentem eorum æternam fecit.

CAPVT XLVI.

FOrtis in bello Iesus Naue successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum ma- A
ximus in salutem electorum Dei, expugnare insurgentes hostes, vt consequeretur hæreditatem Israel.
Quam gloriam adeptus est extollendo manus suas, & iactando contra ciuitates romphæas? Quis ante
Iosue 10.c illum sic restitit? Nam hostes ipse Dominus percussit. Aut non in iracundia eius impeditus est sol, & vnus
dies factus est quasi duo? Inuocauit altissimum potentem in oppugnando inimicos vndiq;, & audiuit illum
magnus & sanctus Deus in saxis grandinis virtutis valde fortis. Impetum fecit contra gentem hostilem, &
in descensu perdidit contrarios, vt cognoscant gentes potẽtiã eius, quia cõtra Deũ pugnare nõ est facile: & fo-
Num. 14.c cutus est à tergo potẽtes. Et in diebus Moysi misericordiã fecit ipse & Caleb filius Iephone, stare cõtra hostẽ,
& prohibere gentẽ à peccatis, & perfringere murmur malitiæ. Et ipsi duo cõstituti, à periculo liberati sunt, a
numero sexcentorum millium peditum inducere illos in hereditatem, in terrã, quę manat lac & mel. Et de-
Iosue 14.c dit Dominus ipsi Caleb fortitudinẽ, & vsq; in senectutem permansit illi virtus, vt ascenderet in excelsum ter
ræ locum, & semen ipsius obtinuit hæreditatem: vt viderent omnes filij Israel, q̃ bonum est obsequi sancto
Deo. Et iudices singuli suo nomine, quorum non est corruptum cor, qui non auersi sunt à Domino, vt sit
memoria illorum in benedictione, & ossa eorum pullulent de loco suo, & nomen eorum permaneat in ger-
num, permanente ad filios illorum sanctorum virorũ gloria. Dilectus à Domino Deo suo Samuel prophe-
ta Domini, renouauit imperium, & vnxit principes in gente sua. In lege Domini congregationem iudica-
uit, & vidit Dominus Iacob, & in fide sua probatus est propheta. Et cognitus est in verbis suis fidelis, qua
vidit Deum lucis, & inuocauit Dominum omnipotentem in oppugnando hostes circunstantes vndique, in
1. Reg. 7.c oblatione viri inuiolati. Et intonuit de cœlo Dominus, & in sonitu magno auditam fecit vocem suam, &
1. Reg. 12.a contriuit principes Tyriorum, & omnes duces Philistijm. Et ante tempus finis vitæ suæ, & sæculi, testimo-
1. Re. 25.a nium præbuit in conspectu Domini, & Christi: pecunias & vsq; ad calceamenta ab omni carne non accepit,
1. Re. 28.c & non accusauit illum homo. Et post hæc dormiuit, & notum fecit regi, & ostendit illi finem vitæ suæ, &
exaltauit vocem eius de terra in prophetia delere impietatem gentis.

CAPVT XLVII.

2. Re. 12.a POst hæc surrexit Nathan propheta in diebus Dauid. Et quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à fi- A
1. Re. 17.d lijs Israel. Cum leonibus lusit quasi cum agnis: & in vrsis similiter fecit, sicut in agnis ouium in u-
1. Re. 17.f uentute sua. Nunquid non occidit gigantem, & abstulit opprobrium de gente? In tollendo manũ
1. Re. 18.b in saxo fundæ deiecit exultationem Goliæ, vbi inuocauit Dominum omnipotentem, & dedit in dextera eius
tollere hominem fortem in bello, & exaltare cornu gentis suæ. Sic in decem millibus glorificauit eum, &
laudauit eum in benedictionibus Dñi, in offerendo illi coronam gloriæ: contriuit enim inimicos vndiq;, &
extirpauit Philisthijm contrarios vsq; in hodiernum diem: contriuit cornu ipsorũ vsq; in æternũ. In omni

opere

B opere dedit confessionem sancto, & excelso in verbo gloriæ. De omni corde suo laudauit Dominum, & di-
lexit Deum qui fecit illũ, & dedit illi contra inimicos potẽtiam: & stare fecit cantores cõtra altare, & in sono
eorũ dulces fecit modos. Et dedit in celebrationibus decus, & ornauit tẽpora vsq; in consummationẽ vitæ,
vt laudarent nomen sanctum Dñi, & amplificarẽt manè Dei sanctitatẽ. CHRISTVS purgauit peccata ip- 2. Re. 12.d
sius, & exaltauit in ęternũ cornu eius: & dedit illi testamentũ regni, & sedem gloriæ Israel: post ipsum surre-
xit filius sensatus, & propter illum deiecit oẽm potentiam inimicorũ. Salomon imperauit in diebus pacis, 3. Reg. 4.c
cui subiecit Deus omnes hostes, vt cõderet domum in nomine suo, & pararet sanctitatem in sempiternum,
C quemadmodũ eruditus est in iuuentute sua. Et impletus est quasi flumen sapiẽtia, & terram retexit anima 3. Reg. 4.d.
sua. Et replesti in cõparationibus ænigmata, ad Insulas longè diuulgatum est nomen tuum, & dilectus es in
pace tua. In cantilenis, & prouerbijs, & comparationibus, & interpretationibus miratæ sunt terrę, & in no-
mine Dñi Dei cui est cognomẽ, Deus Israel, Collegisti quasi aurichalcum aurũ, & vt plumbũ complesti ar- 3. Reg. 11.a
gentum, & inclinasti femora tua mulieribus. Potestatẽ habuisti in corpore tuo. Dedisti maculã in gloriam
tuam, & prophanasti semen tuum, inducere iracundiam ad liberos tuos, & in cæteris stultitiã tuam, vt face-
res imperiũ bipartitum, & ex Ephraim imperare imperiũ durum. Deus autem nõ derelinquet misericor-
D diam suam, & non corrumpet, nec delebit opera sua, neq; perdet à stirpe nepotes electi sui: & semen eius qui
diligit Dñm, non corrumpet. Dedit autẽ reliquũ Iacob, & Dauid de ipsa stirpe. Et finẽ habuit Salomon
cum patribus suis. Et dereliquit post se de semine suo gentis stultitiã, & imminutum prudentia Roboam, 3. Re. 12.c
qui auertit gentem consilio suo, & Ieroboam filium Nabat, qui peccare fecit Israel, & dedit viam peccandi
Ephraim, & plurima redundauerunt peccata ipsorum. Valde enim auerterũt illos à terra sua. Et quæsiuit
omnes nequitias, vsquedum peruenirent ad illos defensio, & ab omnibus peccatis liberauit eos.

CAPVT XLVIII.

A ET surrexit Elias propheta quasi ignis, & verbũ ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famẽ, & 3. Re. 17.a
imitantes illum inuidia sua pauci facti sunt: non enim poterãt sustinere præcepta Dñi. Verbo Domi-
ni exaltauit cœlum, & deiecit à se ignẽ terrę: sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et plus, quis
potest similiter sic gloriari tibi? Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis in verbo Dñi Dei. Qui
deiecisti reges ad pernicie, & confregisti facilè potentiã ipsorum, & glorioſos de lecto suo. Qui audis in Si-
na iudiciũ, & in Horeb iudicia defensionis. Qui vngis reges ad pœnitentiam, & prophetas facis succesſores 3. Re. 19.c
poste. Qui receptus es in turbine ignis in curru equorũ igneorum. Qui inscriptus es in iudicijs temporũ 4. Reg. 2.b
B lenire iracundiam Dñi, conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob. Beati sunt qui te viderunt,
& in amicitia tua decorati sunt: nã nos vita viuimus tãtum, post mortẽ autem non erit tale nomẽ nostrum.
Elias qui in turbine tectus est, & in Elisæo cõpletus est spiritus eius: in diebus suis, nõ pertimuit principem,
& potẽtia nemo vicit illũ. Nec superauit illum verbũ aliquod, & mortuũ prophetauit corpus eius. In vita 4. Re. 13.d
sua fecit monstra, & in morte mirabilia operatus est. In omnibus istis non pœnituit populus, & non recef-
serunt à peccatis suis vsq; dum eiecti sunt de terra sua, & dispersi sunt in omnẽ terram, & relicta est gens per-
C pauca, & princeps in domo Dauid. Quidã ipsorum fecerunt quod placeret Deo: alij autẽ multa commise-
rũt peccata. Ezechias muniuit ciuitatẽ suam, & induxit in mediũ ipsius aquam, & fodit ferro rupem, & ędi- 4. Re. 18.d
ficauit ad aquam puteũ. In diebus ipsius ascendit Sennacherib, & misit Rabsacem, & sustulit manũ suam 4. Re. 19.g
contra illos, & extulit manũ suam in Sion, & superbus factus est potentia sua. Tũc mota sunt corda, & ma- Tob. 1.d
nus ipsorum: & doluerunt quasi parturientes mulieres. Et inuocauerunt Dñm misericordem, & expandẽ- Esa. 37.g
tes manus suas, extulerunt ad cœlũ: & sanctus Dominus Deus audiuit citò vocem ipsorum. Non est com- 1. Mac. 7.f
D memoratus peccatorum illorũ, neq; dedit illos inimicis suis, sed purgauit eos in manu Isaiæ sancti prophe- 2. Mac. 8.e
tę. Deiecit castra assyriorum, & contriuit illos angelus Dñi: nã fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter 4. Re. 20.a
uit in via Dauid patris sui, quam mandauit illi Isaias propheta magnus & fidelis in conspectu Dei. In die- Esa. 38.a
bus ipsius retro redijt sol, & addidit regi vitam. Spiritu magno vidit vltima, & cõsolatus est lugentes in Sió,
vsque in sempiternum. Ostendit futura, & abscondita, antequam euenirent.

CAPVT XLIX.

A MEmoria Iosiæ in compositione odoris facta opus pigmẽtarij. In omni ore quasi mel indulcabitur 4. Re. 23.b
eius memoria, & vt musica in conuiuio vini. Ipse est directus diuinitus in pœnitentia gentis, et tu-
lit abominationes impietatis. Et gubernauit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorũ cor-
roborauit pietatem. Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt: nam reliquerũt
B legem altissimi reges Iuda, & contempserunt timorem Dei. Dederũt enim regnum suum alijs, & gloriam
suam alienigenæ genti. Incenderunt electam sanctitatis ciuitatem, & desertas fecerunt vias ipsius in manu Iere. 38.b
Ieremiæ. Nam malè tractauerunt illum, qui à ventre matris consecratus est propheta, euertere, & eruere, & Iere. 1.b
perdere, & iterum ædificare, & renouare. Ezechiel, qui vidit conspectum glorię, quam ostendit illi in curru Ezech. 1
C cherubim. Nam commemoratus est inimicorũ in imbre, benefacere illis, qui ostenderunt rectas vias. Et Aggæ. 2.d
duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo: nã corroborauerunt Iacob, & redemerunt se in fide vir- Zach. 3.a
tutis suę. Quomodo amplificemus Zorobabel? nam & ipse quasi signum in dextra manu Israel. Et Iesum Esdræ. 3.b
filium Iosedec? qui in diebus suis ædificauerunt domum, & exaltauerunt templum sanctum Domino para- Neh. 7.a
D tum in gloriam sempiternam. Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, Supra. 44.c
& stare fecit portas & seras, qui erexit domos nostras. Nemo natus est in terra, qualis Enoch: nam & ipse re- Gene. 50.d
ceptus est à terra. Et Ioseph qui natus est homo, princeps fratrum, firmamentum gentis, rector fratrum, sta-
blimentum populi, & ossa ipsius visitata sunt, & post mortem prophetauerũt. Seth & Sem apud homines
gloriam adepti sunt, & super omnem animam in origine Adam.

Caput

ECCLESIASTICVS

CAPVT L.

SImon Oniæ filius,ſacerdos magnus,qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit tẽplum. Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt,duplex ædificatio,& excelſi parietes templi. In diebus ipſius remanauerunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum. Qui curauit gẽtem ſuam,& liberauit eam à perditione. Qui pręualuit amplificare ciuitatem,qui adeptus eſt gloriam in cõuerſatione gẽtis:& ingreſſum domus,& atrij amplificauit. Quaſi ſtella matutina in medio nebulæ,& quaſi luna plena in diebus ſuis lucet. Et quaſi ſol refulgens,ſic ille effulſit in tẽplo Dei. Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ,& quaſi flos roſarũ in diebus vernis,& quaſi lilia,quæ ſunt in trãſitu aquæ,& quaſi thus redolens in diebus æſtatis. Quaſi ignis effulgens,& quaſi thus ardens in igne. Quaſi vas auri ſolidum ornatũ omni lapide precioſo. Quaſi oliua pullulans,& cypreſſus in altitudinem ſe extollens, in accipiendo ipſum ſtolam gloriæ,& veſtiri eum in conſummatione virtutis. In aſcenſu altaris ſancti gloriam dedit ſanctitatis amictum. In accipiendo autem partes de manu ſacerdotum, & ipſe ſtans iuxta aram. Circa illum corona fratrum:& quaſi plantatio cedri in monte Libano, ſic circa illum ſteterunt quaſi rami palmæ & omnes filij Aaron in gloria ſua. Oblatio autem Domini in manibus ipſorum,coràm omni ſynagoga Iſrael,& conſummatione fungens in ara,amplificare oblationẽ excelſi regis porrexit manum ſuam in libatione, & libauit de ſanguine vuæ. Effudit in fundamento altaris odorem diuinum excelſo principi. Tunc exclamauerũt filij Aaron,in tubis ductilibus ſonuerunt,& auditam fecerunt vocẽ magnam in memoriã corã Dño. Tunc omnis populus ſimul properauerunt,& ceciderunt in faciem ſuper terram adorare Dominum Deum ſuum, & dare preces omnipotenti Deo excelſo. Et amplificauerunt pſallentes in vocibus ſuis,& in magna domo auctus eſt ſonus ſuauitatis plenus. Et rogauit populus Dominum excelſum in prece vſq; dum perfectus eſt honor Domini,& munus ſuum perfecerunt: Tunc deſcendens,manus ſuas extulit in omnem congregationem filiorum Iſrael,dare gloriam Deo à labijs ſuis,& in nomine ipſius gloriari, & iterauit orationem ſuam, volens oſtendere virtutem Dei. Et plus orauit Deum omnium, qui magna fecit in omni terra,qui auxit dies noſtros à ventre matris noſtræ, & fecit nobiſcum ſecundum ſuam miſericordiam: det nobis iucunditatem cordis & fieri pacem in diebus noſtris in Iſrael per dies ſempiternos: credere Iſrael nobiſcum eſſe Deũ miſericordiam,vt liberet nos in diebus ſuis. Duas gentes odit anima mea: tertia autem non eſt gens quam oderim:qui ſedent in monte Seir:& Philiſtijm:& ſtultus populus qui habitat in Sichimis. Doctrinam ſapientię & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Ieſus filius Sirach Ieroſolymita, qui renouauit ſapientiam de corde ſuo. Beatus qui in iſtis verſatur bonis,qui ponit illa in corde ſuo ſapiens erit ſemper. Si enim hæc fecerit: ad omnia valebit:quia lux Dei,veſtigium eius eſt.

Oratio Ieſu filij Sirach.

CAPVT LI.

COnfitebor tibi Domine rex & collaudabo te Deum ſaluatorem meum. Confitebor nomini tuo, quoniã adiutor & protector factus es mihi, & liberaſti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ,& a labijs operantium mendacium,& in conſpectu aſtantium factus es mihi adiutor. Et liberaſti me ſecundum multitudinem miſericordiæ nominis tui à rugientibus præparatis ad eſcam, de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum, quæ circundederunt me:à preſſura flammæ, quæ circundedit me,& in medio ignis non ſum æſtuatus. De altitudine ventris inferi,& à lingua coinquinata,& a verbo mendacij,à rege iniquo,& à lingua iniuſta. Laudabit vſq; ad mortem anima mea Dominum & vita mea appropinquans erat inferno deorſum. Circundederunt me vndique, & non erat qui adiuuaret. Reſpiciens eram ad adiutorium hominum,& non erat. Memoratus ſum miſericordiæ tuæ Domine, & cooperationis tuæ,quę á ſæculo ſunt:quoniam eruis ſuſtinẽtes te Domine, & liberas eos de manibus gentium. Exaltaſti ſuper terram habitationem meã, & pro morte deſtuente deprecatus ſum. Inuocaui Dñm patrem Domini mei,vt nõ derelinquat me in die tribulationis meæ, & in tempore ſuperborũ ſine adiutorio. Laudabo nomen tuum aſsiduè,& collaudabo illud in confeſsione,& exaudita eſt oratio mea. Et liberaſti me de perditione,& eruiſti me de tẽpore iniquo. Propterea confitebor,& laudem dicam tibi, & benedicam nomini Dñi. Cũ adhuc iunior ſum, prius quàm oberrarem,quæſiui ſapientiã palã in oratione mea. Ante tẽplum poſtulabã pro illa,& vſq; in nouiſsimis inquirã eam,& florebit tanquã pręcox vua. Lętatum eſt cor meum in ea,ambulauit pes meus iter rectum,à iuuentute mea inueſtigabam eã. Inclinaui modicè aurem meam,& excepi illam. Multã inueni in me ipſo ſapientiam, & multũ profeci in ea. Danti mihi ſapientiã,dabo gloriam. Conſiliatus ſum enim,vt facerem illam:zelatus ſum bonum,& non cõfundar. Colluctata eſt anima mea in illa,& in faciendo eam confirmatus ſum. Manus meas extendi in altum,& in ſapientia eius luxit anima mea,& ignorantias meas illuminauit. Animam meam direxi ad illã,& in agnitione inueni eã. Poſſẽdi cum ipſa cor ab initio:propter hoc non derelinquar. Venter meus conturbatus eſt quærendo illam:propter rea bonam poſsidebo poſſeſsionem. Dedit enim mihi Dominus linguam mercedem meam, & in ipſa laudabo eum. Appropriate,ad me indocti,& congregate vos in domum diſciplinæ, quid adhuc retardatis? & quid dicitis in his?animæ veſtræ, ſitiunt vehementer. Aperui os meum, & locutus ſum, Parate vobis ſine argento,& collum veſtrum ſubijcite iugo, & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam: in proximo eſt enim inuenire eam. Videte oculis veſtris,quia modicum laboraui,& inueni mihi multam requiem. Aſſumite diſciplinam in multo numero argẽti,& copioſum aurum poſsidete in ea. Lætetur anima veſtra in miſericordia eius,& non confundemini in laude ipſius. Operamini opus veſtrum ante tempus,& dabit vobis mercedem veſtram in tempore ſuo.

Prophetia

PROPHETIA ISAIÆ.

CAPVT I.

ISAIE filij Amos,quam vidit ſuper Iudam & Ieruſalem in diebus Ozię,Ioatham, Achaz,& Ezechiæ regum Iuda. [a] Audite cœli,& auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus eſt,Filios enutriui,& exaltaui:ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos poſſeſſorem ſuum,& aſinus præſepe Domini ſui:Iſrael autem non cognouit, & populus meus non intellexit. [b] Vę gẽti peccatrici,populo graui iniquitate,ſemini nequam, filijs ſceleratis. Dereliquerunt Dominum,blaſphemauerunt ſanctum Iſrael,abalienati ſunt retrorſum. [c] Super quo percutiam vos vltrà,addẽtes prævaricationem? Omne caput languidum,& omne cor mœrens. A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Vulnus,& liuor,& plaga † fluens:[d] non eſt circumligata,nec curata medicamine,neque fota oleo. Terra veſtra deſerta:ciuitates veſtrę ſuccenſę ſunt igni. Regionem veſtram coràm vobis alieni deuorant:& deſolabitur, ſicut in vaſtitate hoſtili. Et derelinquetur filia Sion,vt vmbraculum in vinea,& ſicut tugurium in cucumerario, et ſicut ciuitas,quæ vaſtatur. Niſi Dominus exercituum [e] reliquiſſet nobis ſemen,quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus. Audite verbum Domini principes Sodomorum:percipite auribus legem Dei noſtri populus Gomorrhę. Quò mihi multitudinem victimarum veſtrarũ dicit Dominus? Plenus ſum holocauſto arietum,& adipe pinguium:& ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui. Cum † venitis ante conſpectum meum, [f] quis quæſiuit † hoc de manibus veſtris, † conculcare atria mea? Ne offeratis vltrà ſacrificium fruſtra. Incenſum abominatio eſt mihi. Neomeniam,& ſabbatum, & † ſolennes conuocationes alias non feram,iniquitatem coniunctam cum feſtorum celebratione. Calendas veſtras,& ſolennitates veſtras odiuit anima mea:facta ſunt mihi moleſta:laboraui ſuſtinens. Et cum extenderitis manus veſtras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam. Manus veſtræ ſanguine plenæ ſunt, Lauamini,mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarũ ab oculis meis. Quieſcite agere peruerſè,diſcite benefacere. Quærite iudicium,ſubuenite oppreſſo, iudicate pupillo,defendite viduam. [g] Et venite,& arguite me, dicit Dominus. Si fuerint peccata veſtra, vt coccinum: quaſi nix dealbabũtur: & ſi fuerint, rubra ſicut vermiculus: velut lana, erunt. Si volueritis,& audieritis,bona terræ comedetis. Quòd ſi nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis: gladius deuorabit vos, quia os Domini locutum eſt. Quomodo facta eſt meretrix ciuitas fidelis,plena iudicij? Iuſtitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum verſum eſt in ſcoriam: vinum tuum miſtum eſt aqua. Principes tui † peruerſi, ſocij furum. Omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones. Pupillo non iudicant: & cauſa viduæ non ingreditur ad illos. Propter hoc ait Dominus Deus exercituum fortis Iſrael,[h] Heu conſolabor me ſuper hoſtibus meis, & vindicabor de inimicis meis:& conuertam manum meam ad te,& excoquam ad purum ſcoriam tuam, & auferam omne ſtannum tuum, & reſtituã iudices tuos, vt fuerunt prius, & conſiliarios tuos ſicut antiquitus. Poſt hæc vocaberis Ciuitas † iuſtitiæ, vrbs fidelis. Sion in iudicio redimetur, [i] & † captiui eius in iuſtitia. Et conteret ſceleſtos, & peccatores ſimul: & qui dereliquerunt Dominum,conſumentur. Confundentur enim ab idólis quibus ſacrificauerunt:& erubeſcetis [k] ſuper hortis, quos elegeratis cum fueritis velut quercus defluentibus folijs, & velut hortus abſque aqua. Et erit [l] fortitudo veſtra,vt fauilla ſtuppæ,& † fabricator eius quaſi ſcintilla:& ſuccendetur vtrunque ſimul, & non erit qui extinguat.

Iſa. 1.

Infra. 5.d

Roma. 9.f

Gene. 19.c

Iere. 6.e

Amos. 5.f

Infra. 59.a

1.Pet. 3.b

Iere. 5.g

SCHOLIA.

NVmerant Hebræi inter prophetas poſteriores, Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem, & duodecim prophetas minores, & in his omnibus inueniuntur hæc tria, futurorum enuntiatio, caſtigationes, & conſolationes. Inter eos autem primum tenet locum Eſaias, qui prophetauit ſub quatuor regibus, ſibi deinceps in Iuda ſuccedentibus, videlicet Oſia, Ioathan, Achaz, & Ezechia. Sub Manaſſe filio Ezechiæ, quinto rege, occiſus putatur. Is enim impius rex optimos quoſq; viros trucidauit, qui Dei cultui vacantes, ſuæ impietati ſubſcribere noluerunt. Porrò principium eius prophetiæ eſſe volunt id, quod infra ſcribitur ſexto capite. Vidi Dominum ſedentem, &c. illic enim ſic habetur. Audiui vocem Domini dicentis, quem mittam? & quis ibit pro nobis? tunc Eſaias reſpondit: ecce ego, mitte me. Hic præ cæteris prophetis clariora & magnificentiora de Chriſto ſeruatore protulit teſtimonia, vt à diuo Hieronymo non tam propheta quàm Euangeliſta vocandus cenſeatur. [a] Audite cœli.] *Magnificum exordium, ſed cui tota operis ſeries pulchrè reſpondeat. Heroica enim quadam dicendi maieſtate fertur, miſcetq; oratoriæ virtuti etiam poetica ornamenta, vt gloriari poſſimus, habere nos, qui idem diuinus poeta, & vehementiſſimus orator extiterit, quod apud ethnicos non facilè reperias. Atq; vt agnoſcas ab ipſo initio poeticum ſpiritum, obſerua & Moſen eiuſmodi principio vſum in eo cantico, quod heroico metro ſcriptum fuiſſe ferunt. Sic enim exorſus fuit. Audite cœli quæ loquor, audiat terra verba oris mei. Hic ergo cum vocaſſet cœlũ ac terram ad audiendum, confeſtim reddit cauſam, cur ſic inuitet: quoniam (inquit) Dominus locutus eſt. Cum enim verba facturus ſit is, qui verbo ac iuſſu omnia fecit, quid omnium non ei aurem accommodet? quod cum vnus homo, cuius tamẽ cauſa facta iſta omnia ſunt, renuat, meritò hæc rerum fabrica vocatur, vt ſaltem teſtis ſit aduerſus hominem.* [b] Væ genti peccatrici.] *Poteſt etiam eſſe exclamatio, ſic ò gentem peccatricem etc. Quòd autem ait, peccatricem, idem eſt, ac ſi dixiſſet, aſsiduè peccante.* [c] Super quo percutiam.] *Hoc eſt, quid ad plagas veſtras accedere poterit? oſtendit autem, ſe plagas adhibere vnam*

tantum

tantum ob causam, vt corrigantur, quod verè paternæ est curæ: verum cum nouas quotidie inter verbera adijciant præuaricationes, pene ambigere se dicit, vtrum laborem hunc percutiendi ferre post hac debeat. [d] Non est circunligata.] *Obiecit deploratum esse malum, vbi medicamentum non admittitur.* [e] Reliquisset nobis semen.] *Vel, reliquias, vt est in Hebræo semen appellat exiguas bonorum reliquias, quæ seruandæ essent, quemadmodum Paulus ad Romanos interpretatur, & quarum gratia Iudæorum gens non euerteretur funditus. Accepta autem est similitudo à re rustica, vbi cum exiguam messem esse querimur, dicimus, vix semina superfuisse. Cum ergo dixisset, hoc exiguum semen obstare, ne id paterentur, quod Sodomæ accidit, ac Gomorræ, quod horum scelera illis æquarentur, merito & Iudæorum principes appellat principes Sodomorum, & populum vocat, nõ Iudæorum populum, sed Gomorræ.* [f] Quis quæsiuit hoc.] *Nam quod in primis quærit Deus, est, vt lex eius seruetur: sacrificia verò instituta fuerunt, vt in officio continerentur homines: nam per se ipsa sacrificia nihil habebant, cur Deo placerent. Nunquid manducabo (inquit) carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Et quod subdit, cõculcare atria mea, magnam habet emphasim, vt dicat, accessum sceleratorum hominum ad atria Dei, esse quasdam conculcationem.* [g] Et venite & arguite me.] *Subintelligi debet, vbi hæc feceritis. In disceptationem (inquit) tum veniamus, & videatur, vtrum iustam habituri sitis causam querendi de me, & nisi plurima vobis exhibuerim beneficia, cui vos vicissim contra me peßime egeritis. Vos quidem contra me nihil queri potestis, ego autem multa habeo contra vos, cum & timorem mei, & omnem peccandi pudorem in vniuersum abieceritis.* [h] Heu consolabor me.] *Quidam sic intelligunt. Væ hostibus meis, vbi consolari me cœpero, indulgens iræ meæ: humano enim more loquitur. Vel exclamantis est, o cogor consolari me, &c. quod fortasse est aptius. At cur hoc facit? non indignationis causa, sed vt quemadmodum subdit, exoquat ad purum scoriam eius, & in pulchriorem statum reponat.* [i] Et captiui eius.] *Alius vertit. Reuertentur ad eam in iustitia. Et quod paulo post ait, quibus sacrificauerunt. In Heb. est, quæ concupiuistis.* [k] Super hortis, quos elegeratis.] *Nempe ad sacrificandum ibi idolis.* [l] Fortitudo vestra.] *Idola intelligit: quibus nitebantur.*

CAPVT II.

Mich. 4.a

VErbum quod vidit Isaias filius Amos super Iudam, & Ierusalem. [a] Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice mõtium, & eleuabitur super colles. Et fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, Venite, & ascendamus ad montem Domini, & ad domũ Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit gentes, & arguet populos multos. [b] Et conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces. Non leuabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur vltrà ad prælium. [c] Domus Iacob venite, & ambulemus in lumine Domini. Proiecisti enim populum tuum domum Iacob: quia [d] repleti sunt † præ Chaldæis, & augures habuerunt vt Philisthijm, & † ſtudijs alienis adhęserũt. Et repleta est terra eius argento, & auro: & nõ est finis thesaurorum eius. Et repleta est terra eius equis: & innumerabiles quadrigę eius. Et repleta est terra eius idõlis. Opus manuum suarum adorauerunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incuruauit se homo, & humiliatus est vir. Nõ † enim dimittes eis. Ingredere in petram, & abscondere in puluere à facie timoris Domini, & à gloria maiestatis eius. Oculi sublimes hominis humiliati sunt, & incuruabitur altitudo virorum: exaltabitur autẽ Dominus solus in die illa. Quia dies Domini exercituum super omnem superbum & excelsum, & super omnem arrogantem, & humiliabitur: & super omnes [e] cedros Libani sublimes & erectas, & super omnes quercus Basan, & super omnes montes excelsos, & super omnes colles eleuatos, & super omnem turrim excelsam, & super omnẽ murum munitum, & super omnes naues Tharsis: & super omne quod visu pulchrum est. Et incuruabitur sublimitas hominum, & humiliabitur altitudo virorum. Et eleuabitur Dominus solus in die illa: & idõla penitus conterentur. Et introibunt in speluncas petrarum, & in voragines terræ à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. In die illa proijciet homo idóla argenti sui, & simulachra auri sui, quæ fecerat sibi [f] vt adoraret talpas & vespertiliones. Et ingredietur scissuras petrarum & in cauernas saxorum à facie formidinis Domini, & à gloria maiestatis eius, cum surrexerit percutere terram. [g] Quiescite ergo ab homine, cuius spiritus in naribus eius est.† Quid enim ille reputatur,

Luc. 23.d
Ose. 10.b
Apoc. 9.b

SCHOLIA.

[a] Et erit in nouissimis diebus.] *Prædixit primo capite salutem terrenæ Ierusalem, et excidium impiorum sub Ezechia: nunc subijcit vmbræ veritatem, & explicat, quid typus ille voluerit, nempe quòd sub Christo vero Ezechia vere liberi erimus. Is mos prophetæ & in multis locis occurret: nam scriptura omnis ad Christum tanquam ad scopum intenditur. Quin & secundum Hebræos, vbi in prophetis inuenitur, in nouissimis diebus, id de tempore Messiæ est intelligendum. Vnde tam Hebræi, quàm Christiani hoc caput de Christo intelligendum docent, quòd scilicet ecclesia Christi ex gentibus in magnã congregãda sit multitudinem, idq; prædicatione nouæ legis, ex Ierusalem prodeuntis. Iccirco hanc ecclesiã appellat hic montem domus Domini, quam & Sion infra, & Ierusalem vocat.* [b] Et conflabunt.] *Prædicit pacem, quam allaturus erat Christus orbi terrarum, quam quia non intelligunt Iudæi, obiciunt perpetuò hunc locum Christianis, quando scilicet temporе Christi nostri impletus fuerit, præsertim cum post eius aduentum plura et maiora bella in mundo fuerint, quàm antea. Sed horum obiectio facilè confutatur per id, quod propheta dicit, docebit nos vias suas, Ideo qui docti fuerint à Christo, illi non belligerabuntur, nec discent vltra prælium, præsertim in re sua & priuata, cum & pallium auferenti, tunicam etiam paratus sint tradere, & obuertere maxillam dextram percutienti sinistram. Gestat tamen nihilominus magistratus gladium, sed ad defensionem eorum, qui ab iniquis opprimuntur.* [c] Domus Iacob venite.] *Quasi imitetur adhortationẽ superiorem gentium, quæ mutuò sese inuitabant dicentes. Venite ascendamus ad montem Domini, &c. sic nunc domum Iacob inuitat, vt gentium æmulatione & ipsa accedat: prædictum enim erat, fore, vt ad æmulationem prouocarentur à gentibus.* [d] Repleti sunt præ Chaldæis.] *Vel, à Chaldæis, hoc est, superstitiosis Chaldæorum scientijs. Et quod nos vertimus. Studijs alienis, explicuimus sensum, nam in Heb. est. Filijs alienigenarũ.* [e] Cedros Libani.] *Intelliguntur per cedros & quærcus reges ac principes, & per turrim & murum, qui se in illis locis tutos putant, & per id quod visu pulchrum est, vt, qui gloriantur & superbiunt*

& superbiunt ob rem quamlibet pretiosam. His autem minis significatur, in regno Christi omnes, qui externis hisce rebus fidunt esse deijciendos, & ea afficiendos ignominia, vt in conspectu sanctorum apparere non audeant. [f] Vt adoraret talpas.] *Aly intelligunt, proijcienda idola in fossuras talparũ & vespertilionum. Aly sic: facere conabitur foramina more vespertilionum, vt latere possit in illis.* [g] Quiescite ergo.] *Monet, ne impingant in lapidem offensionis, quia propter hoc peccatum, iudicium eis impendebat, & quod ait: cuius spiritus in naribus eius, &c. hoc est, qui humilis est ac fragilis, & talis qui propediem expiraturus videatur, vt dicatus, in quo enim reputatus est ipse? Vel, in naribus eius, id est, in ira eius: nam vox Hebraram & nares significat, hoc est. Videte, ne, dum hominem, qui vobis despectus videtur, offenditis, iudicem mundi exasperetis. Iudæi autem exponunt, ne in vllo homine spes habeatur, vt sit sensus. In diebus illis dicetur, nolite timere hominem, qui per nares vitalem carpit spiritum, sed magis eum timete, qui potest corpus & animam proijcere in gennam.*

CAPVT III.

A ECce enim dominator Dominus exercituum [a] auferet à Ierusalem, & à Iuda † virtutem & fortitudinem, omne robur panis, & omne robur aquæ: fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetam, & ariolum, & senem: principem super quinquaginta, & honorabilem vultu, & consiliarium, & sapientem de architectis, & † [b] peritum incantationis. Et dabo pueros principes eorum, & pueri dominabuntur eis. Et corruet populus, vir in virum, & vnusquisque in proximum suum. [c] Tumultuabitur puer contra senem, & ignobilis contra nobilem. Apprehendet enim vir fratrem suum domesticum patris
B sui † dicens, Vestimentum tibi est, princeps esto noster, ruina autem hæc sub manu tua. † Iurabit̃; in die illa, dicens, † [d] Non ero curator, & in domo mea non est panis, neque vestimentum: nolite constituere me principem populi. Ruit enim Ierusalem, & Iudas concidit: quia lingua eorum, & adinuentiones eorũ, contra Dominum, vt prouocarent oculos maiestatis eius. [e] Agnitio vultus eorum respondit eis: & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Væ animæ eorum: quoniam † reddiderunt sibi ipsis malum. [f] Dicite iusto, quòd bene, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet. [g] Vę impio in malum: retributio enim manuum eius fiet ei. † Populi mei exactores pueri sunt, & mulieres dominatæ sunt eius. Populę meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, & viam gressuum tuorum dissipant.
D Stat ad iudicandum Dominus, & stat ad iudicandos populos. Dominus ad iudicium veniet [h] cum senibus Apoc. 1.b
populi sui, & principibus eius: vos enim depasti estis vineam, rapina pauperis in domo vestra. Quare atteritis populum meum, & facies pauperum commolitis, dicit Dominus Deus exercituum? Et dixit Dominus, Pro eo quòd eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt extento collo, & nutibus oculorum ibant,
D & plaudendo ambulabant pedibus suis, & [i] composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus † confusionem earum nudabit. In die illa auferet Dominus ornamentum calceamentorum, & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & theristra. Et erit, pro suaui odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium. † Et adustio pro pulchritudine. Viri tui gladio cadent, & fortes tui in prælio. Et mœrebunt atque lugebunt portæ eius, & desolata in terra sedebit.

SCHOLIA.

[a] Auferet à Ierusalem.] *Immittet (inquit propheta) Dominus magnam famem Ierosolymitanis, & Iudæis Christũ non recipientibus: eritq; tandem in illo populo tam sæua clades, vt amissuri sint omnes fortes viros, prophetas, iudices, &c. Vbi manifesta est de Christo prophetia, de quo dictum sit. Non auferetur sceptrum, &c. Hic vides Iudices & primates in eius aduentu auferri.* [b] Peritum incantationis.] *Vel, industrium oratorem. Et quod post ait. Corruet populus, &c. Sensus est. Irruet alter in alterum, & expilabit quisq; proximum suum.* [c] Tumultuabitur puer.] *Sublatis iudicijs, necesse est rerũ sequi confusionem, & inuerti vitæ ordinem.* [d] Non ero curator.] *Hoc est, non erit potestas mihi quenquam coercendi.*
[e] Agnitio vultus.] *Hoc est, ex vultu illorum conijcere licet, quales sint. Eo enim impudentiæ peruenerunt, vt nihil amplius dissimulent.* [f] Dicite iusto, quòd bene.] *Hoc est, quòd felix sit.* [g] Væ impio in malum.] *Vel, Væ impio malo, hoc est obstinato in impietate.* [h] Cum senibus populi.] *Qui scilicet præcipua malorum causa erant. Iccirco in eos primò expostulabitur.* [i] Composito gradu.] *Vel, tinnitum facient pedibus, id est ornamentis pedum.*

CAPVT IIII.

A ET apprehendent [a] septem mulieres virum vnum in die illa, dicentes, Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: tantummodo inuocetur nomen tuum super nos, aufer opprobrium nostrum. In die illa erit [b] germen Domini in magnificentia, & gloria, & fructus terræ sublimis, & gloria his, qui saluati fuerint de Israel. Et erit omnis, qui relictus fuerit in Sion, & residuus in Ierusalem, sanctus vocabitur, omnis qui scriptus est in vita in Ierusalem: †
C cum abluerit Dominus sordem filiarũ Sion, & sanguinem Ierusalem lauerit de medio eius [c] in spiritu iudicij & spiritu ardoris. Et creabit Dominus super omnem locũ montis Sion, & [d] vbi in eo conuocationes fiunt, [e] nubem per diem, & fumum, & splendorem ignis flammantis in nocte. [f] Super omnem enim gloriam protectio, & tabernaculum erit in vmbraculum diei ab æstu, & in securitatem & absconsionem à turbine & à pluuia.

SCHOLIA.

[a] Septem mulieres.] *Hoc est, multæ contendent pro vno viro, tanta erit virorum penuria.* [b] Germen Domini.] *Etiam secundum Iudæos hic per germen intelligitur Messias filius Dauid, quem propheta & germen Domini, & fructum terræ vocat, tectis verbis Diuinitatem illius, & humanitatem exprimens. Sed peruersi Iudæi in alium sensum hæc torquent verba, vt Messias in puericia futurus sit quasi gratissimum germen, sed sine fructu, ac, cum creuerit, producet fructu redemptionis, liberans à tyrannide Gog & Magog.* [c] In spiritu iudicij.] *Quo scilicet credentes ab incredulis discernuntur.*

nuntur. [d] Vbi in eo conuocationes fiunt.] *Hoc est, celebritates, & festiuitates. Alius vertit super loca eius.* [e] Nubé per diem.] *Quæ apud Israelitas in exitu ex Ægypto acciderunt miracula columnarum nubis & ignis, non deerunt temporibus ecclesiæ Christi, sed in spiritu implebuntur, sicut & cætera, quæ per figuram contingebant illis.* [f] Super omnem gloriam protectio.] *Hoc est, super omnem locum ita glorificatum erit protectio Dei, quasi munimentum & vertitudo. Et quod ait, ab æstu & à pluuia eos protegendos, idem significat, videlicet, filios gloriæ protegendos, ne vlla tentationis tempestas eos absumat. Quod verò ait, fumum, &c. Intelligunt fumum lucidam nubem, & splendorem ignis flammantis, hoc est, scintillantis, vt luceat ac calefaciat.*

CAPVT V.

Ierе. 2. d
Matt. 21. d

[a] Cantabo dilecto meo canticũ, † amatori, inquã, meo propter vineã suam. Vinea facta est dilecto meo A
in cornu filio olei. Et sepiuit eã, & lapides † eiecit ex ea, & plantauit vineã electã: & ædificauit turrim
in medio eius, & torcular extruxit in ea. Et expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas. Nunc ergo ha
bitatores Ierusalẽ, & viri Iuda, iudicate inter me & vineã meã. Quid est quod debui vltrà facere vineæ meę,
& non feci ei? † quare expectante me, vt faceret vuas, fecit labruscas? Et nũc ostendã vobis quid ego faciã vi-
neæ meæ. Auferã sepem eius, & erit in direptionẽ: diruã maceriã eius, & erit in conculcationẽ. Et ponã eam 2
desertã: nõ putabitur, & nõ fodietur: & ascendent super eã vepres & spinę, & nubibus mãdabo ne pluant su-
per eã imbrem. Vinea enim Dñi exercituũ, domus Israel est: & vir Iuda, germen delectabile eius. Et expecta-
ui, vt faceret iudiciũ, [b] & ecce iniquitas, & iustitiam, & ecce clamor. Væ qui coniungitis domum ad domũ,
& agrum agro copulatis, † vt nihil sit reliquũ loci. Nunquid habitabitis vos soli in medio terræ? In auribus
meis sunt hæc Dñi exercituũ. Nisi domus multę desertæ fuerint grandes & pulchrę, absq; habitatore. Decẽ C
enim iugera vinearũ facient lagunculã vnã, & triginta modij sementis facient modios tres. Vę, qui cõsurgitis
manè ad ebrietatem sectandam, & potandũ vsq; ad † crepusculũ, vt vino æstuetis. Cithara, & lyra, & tympa-
nũ, & tybia, & vinũ in conuiuijs vestris: & [c] opus Dñi nõ respicitis, nec opera manuũ eius cõsyderatis. Pro-
pterea captiuus ductus est populus meus, quia nõ habuit scientiã, & nobiles eius interierunt fame, & multitu
do eius siti exaruit. Propterea [d] dilatauit infernus animã suã, & aperuit os suũ † supra morẽ. Et descendẽt for D
tes eius, & populus eius, & sublimes, † & lętari solitus ad eũ. Et incuruabitur homo, & humiliabitur vir, &
oculi sublimiũ deprimentur. Et exaltabitur Dñs exercituũ in iudicio, & Deus sanctus sanctificabitur in iusti
tia. Et pascentur agni iuxta ordinẽ suũ, [e] & deserta † pinguiũ aduenæ comedent. [f] Vę, qui trahitis iniquita-
tẽ in funiculis vanitatis, & quasi vinculis plaustri peccatũ. [g] Qui dicitis, Festinet, & citò veniat opus eius, vt vi
deamus, & appropiet & veniat cõsiliũ sancti Israel, & sciemus illud. Væ, qui dicitis malum bonũ, & bonum E
malũ: ponentes tenebras lucẽ, & lucẽ tenebras: ponentes amarũ in dulce, & dulce in amarũ. Vę, qui sapientes
estis in oculis vestris, & coràm vobismetipsis prudẽtes. Væ, qui potẽtes estis ad bibendũ vinũ, & viri fortes ad
miscendũ ebrietatẽ. Qui iustificatis impiũ pro muneribus, & iustitiam iusti aufertis ab eo. Propter hoc sicut
deuorat stipulã lingua ignis, & † paleã flãma exurit: sic radix eorũ quasi putredo erit, & germen eorũ, vt pul-
uis ascendet. Abiecerũt enim legẽ Dñi exercituũ, & eloquiũ sancti Israel blasphemauerũt. Ideo iratus est fu- F
ror Dñi in populũ suũ, & extẽdit manũ suam super eũ, & percussit eum: & cõturbati sunt mõtes, & facta sunt
morticina eorũ quasi stercus in medio platearũ. In his omnibus nõ est auersus furor eius, sed adhuc manus
eius extẽta. Et eleuabit signũ in nationibus procul, & sibilabit ad eũ de finibus terrę: & ecce festinus veloci-
ter veniet. Nõ est deficiẽs neq; laborans in eo: nõ dormitabit, neq; dormiet, neq; soluetur cingulũ renũ eius,
nec rumpetur corrigia calceamẽti eius Sagittæ eius acutæ, & omnes arcus eius extenti. Vngulæ equorũ eius, G
vt silex, & rotæ eius quasi impetus tempestatis. Rugitus eius, vt leonis, rugiet, vt catuli leonũ: & frendet & te-
nebit prædam, & amplexabitur, & nõ erit qui eruat. Et sonabit super eum in die illa sicut sonitus maris. Aspi
ciemus in terram, & ecce tenebrę tribulationis, & lux obtenebrata est [h] in caligine eius.

SCHOLIA.

[a] Cantabo dilecto meo canticum.] *Cantabo, inquit, in honorem amatoris mei, amatoris, inquam, viri, quàm infeliciter amauerit vineam suam. Olim enim res maximas carminibus complectebantur, vt perpetua illorum seruaretur memoria. Canticum autem hic appellat parabolam illam, qua Israelem comparat Vineæ, & Deum cultori eius. Quod autem ait, in cornu filio olei, Hebraismus est. Per cornu enim intelligit eminentem locum, quem vocat filium olei ob feracitatem, oleum ergo est, ac si dixisset, in edito ac feracissimo loco. Significat ergo terram Israel, quæ magna ex parte montosa est, terra fluens lacte & melle, in qua Vinea hæc Domini populus Israel fuerat collocatus. Quod autem hic dicitur, plantauit vineam electã, alij verterunt, Vineam Sorech, quod genus est vitis electissimæ, vuas absque acinis producentis, sed antequàm plantaret, sepem circundedit ei, nempe legem, & eiecit lapides ex ea, populos scilicet impios: ædificauit turrim, celeberrimum templum, extruxit torcular, cultum legitimum, & sacrificiorum ordinem. Hanc ipsam parabolam imitatus est Dominus aduersus principes sacerdotum, & seniores populi. Duo autem hic præcipuè taxat, auaritiam & vitæ luxum, quæ duo in primis animum a Deo abalienant, & à quibus cætera vitia omnia proficiscuntur.* [b] Et ecce iniquitas.] *Vel oppressio. Hoc loco vbi nos habemus, iudicium & iniquitas, iustitia & clamor. In Heb. est pulchra alluſio vocabulorum, quam Hebræi vocant, politiem linguæ.* [c] Et opus Domini non respicitis.] *Sunt qui hunc locum sic interpretentur. Non consyderatis, cuius causa ista sint facta, at q; instituta, sed eis abutimini ad luxuriam.* [d] Dilatauit infernus animam suam.] *Significat plurimos interisse fame & siti, quorum corpora terra deuorauit, nam frequentissimè infernus in scriptura pro sepulchro accipitur, et intelligunt quidam hoc de primo excidio Ierosolymitano, alij de secundo, quod post Christi passionem contigit: ad vtrumque enim referri potest.* [e] Et deserta pinguium.] *Hoc est, ea, quæ relicta fuerunt ab illis diutitibus, ventri deditis, quorũ paulo ante memnit.* [f] Væ, qui trahitis iniquitatem.] *Væ, qui per mendacia, veluti per funes, ad se trahunt iniquitates.* [g] Qui dicitis, festinet.] *Verba sunt eorum, qui non credebant verbis prophetarum. Veniat (inquiunt) si vera hæc sunt, & acceleret iudicium Domini, vt videamus.* [h] In caligine.] *Vel, in cælis: nam hoc loco in Heb. est dictio, nomẽ habens ab eo, quod rorent pluuia.*

Caput

CAPVT VI.

IN anno quo mortuus est rex Ozias, vidi Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum: [a] & A
† fimbriæ eius replebant templum. Seraphim stabant † iuxta illum: sex alæ vni & sex alę alteri. Duabus
velabant faciem suã, & duabus velabant pedes suos, & duabus volabant, & clamabat alter ad alterum, &
dicebat. Sanctus sanctus sanctus Dominus exercituum, plena est omnis terra gloria eius. Et commota sunt
B superliminaria cardinum à voce clamantis, [b] & domus repleta est fumo. Et dixi, Væ mihi † vtiq; perij quia
vir [c] pollutus labijs ego sum, & in medio populi polluta labia habentis ego habito, & regem Dominum exer
cituum vidi oculis meis. Et volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat
de altari. Et tetigit os meum, & dixit, Ecce, † tetigit hic labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuũ
C mundabitur. Et audiui vocem Domini dicentis, Quem mittam? & quis ibit nobis? Et dixi, [d] Ecce ego, mit-
te me. Et dixit, Vade, & dices populo huic, Audite audientes, & nolite intelligere: & videte visionem, & noli-
te cognoscere. [e] Excęca cor populi huius, & aures eius aggraua, & oculos eius claude: ne fortè videat oculis
suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & conuertatur, & sanem eum. Et dixi, vsquequo Domine?
Et dixit, Donec desolentur ciuitates absq; habitatore, & domus sine homine: & terra relinquetur deserta, &
D [f] longè faciet Dominus homines, & † multorum annorum vastitas erit in medio terræ. Et adhuc in ea deci-
matio, & conuerterur: & erit in consumptionem sicut terebinthus, & sicut quercus, † quæ proijcit folia, in
quibus adhuc est subsistentia. Semen sanctum erit id quod steterit in ea.

SCHOLIA.

[a] Et fimbriæ eius.] *Dicendo, fimbrias illius replesse templum, significat, minimum Diuinæ potentiæ maius esse summa gloria hominum. Quidam autem referunt fimbrias illas ad basim solij, alij ad vestimenta Dei, quibus indutus cernebatur à propheta. Seraphim autem, quos ait stetisse iuxta illum. Hebræi dicunt esse angelos fulgentes quasi ignis.* [b] Et domus repleta est fumo.] *Prædicebatur enim excæcatio & obduratio Iudæorum. At Euangelium ortum habuit à cantu angelorũ, & Diuino atque immenso lumine.* [c] Pollutus labijs.] *Quid hoc ad visionem? opinor eum intellexisse ex ea visione, se ad munus propheticum inuitari, quod et Mosi visu venit, qui & ipse impeditam linguam excusauit.* [d] Ecce ego, mitte me.] *Hæc autem non dixit prius, quam ab illo Seraphim tangeretur, & mundaretur os eius, nequis hoc exemplo prætexat sibi causa facile accurrendi ad ecclesiasticos gradus.* [e] Excæca cor.] *Hebraismum hunc, & asperitatem, quæ videtur in hoc sermone, explicuit, & leniorem fecit Lucas Act. vltimo, cum huius loci mentionem faciens ait. Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, &c. Sic Matthæi. xiij. Qui dicendi modus etiam alijs obseruandus est scripturarũ locis. Hunc autem locum manifestè de Christo loqui, aperte admonet Ioannes Euangelista qui Cap. xij. hunc locum citans dicit. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius & locutus est de eo.* [f] Lõge faciet.] *Hoc est, in regione longè hinc distantem, permittet eos captiuos abduci, non quidem hoc tempore, sed post decadem regum: sic enim interpretantur quidam vocẽ illam, decimatio, vt intelligatur successio decem regum. Et quod sequitur. Sicut terebinthus, & sicut quercus &c. hunc volunt habere sensum. Sicut hæ arbores, licet tempore hyemali abijciant folia, & omnem extrinsecum virorem, habent tamen adhuc secretum vigorem quendam qui arborem rursus tempore æstiuo floridam reddit, sic Dominus populum suum vniuersum non delebit, sed reliquias quasdam, & semen sanctum, vnde sanctus sanctorum propagetur, conseruabit.*

CAPVT VII.

ET factũ est in diebus Achaz filij Ioatham, filij Oziæ regis Iuda ascẽdit [a] Rasin rex Syriæ, & Phacee filius A
Romelię rex Israel, in Ierusalẽ, ad præliandũ contra eã: & nõ potuerunt debellare eã. Et nuntiauerunt
domui Dauid, dicentes, [b] Requieuit Syria super Ephráim, & cõmotũ est cor eius, & cor populi eius: sic-
cut mouentur ligna syluarũ à facie venti. Et dixit Dñs ad Isaiam, Egredere in occursum Achaz tu, [c] † & Sear
Iasub filius tuus, ad extremũ aqueductus piscinę superioris in via agri fullonis, & dices ad eũ, Vide, vt fileas,
noli timere, & cor tuum ne formidet à duabus caudis titionũ fumigantiũ istorum in ira furoris Rasin regis
Syriæ, & filij Romelię: eò q; consilium inierit contra te Syria, in malum. Ephráim, & filius Romeliæ, dicen-
B tes, Ascendamus ad Iudam, & suscitemus eũ, & auellamus eum ad nos, & ponamus regẽ in medio eius filium
Tabeel. Hęc dicit Dñs Deus, Non stabit, & non erit istud. Sed [d] caput Syrię Damascus, & caput Damasci Ra-
sin. Et adhuc sexaginta & quinq; anni, & desinet Ephráim esse populus: † & quidẽ caput Ephráim Samaria,
& caput Samarię filius Romeliæ. Si nõ credideritis, nõ eritis fideles. Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, di-
cens, Pete tibi signum à Dño Deo tuo in profundũ inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz. Non pe-
tam, & non tentabo Dominum. Et dixit, Audite ergo domus Dauid, Nunquid parum vobis est [e] molestos Matth. 1. d
esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. [f] Ecce vir- Luc. 1. c
C go concipiet & pariet filium, & vocabit nomen eius Emanuel. [g] Butyrum & mel comedet, [h] vt sciat repro-
bare malum & eligere bonum. Quia [i] antequam sciat puer reprobare malum & eligere bonũ, derelinque-
tur terra † pro qua tu sollicitus es, metu horum duorũ regum eius. [k] Adducet Dominus super te, & super po
pulum tuum, & super domũ patris tui dies, qui non venerunt à diebus separationis Ephráim à Iuda, ipsum
regem Assyriorum. Et erit in die illa: [l] sibilabit Dominus muscæ, quæ est in extremo fluminum Ægypti: &
api, quę est in terra Assur: & venient, & requiescent omnes in torrentibus † desertorum & in cauernis petra-
rum, & in omnibus frutetis, & in vniuersis foraminibus. In die illa radet Dominus in nouacula conducta
D in his qui trans flumen sunt, [m] in rege Assyriorum, caput & pilos pedum, & barbam vniuersam. Et erit in die
illa: [n] nutriet homo vaccam boum, & duas oues, & præ vbertate lactis comedet butyrum: butyrum enim &
mel manducabit omnis qui relictus fuerit in medio terræ. Er erit in die illa: [o] omnis locus vbi fuerint mille
vites, mille argenteis, in spinas & in vepres erunt. Cum sagittis & arcu ingredientur illuc. Vepres enim, &
spinæ erunt in vniuersa terra. Et omnes montes [p] qui in sarculo sarrientur, non veniet illuc terror spinarum
& veprium, & erit in pascua bouis, & in conculcationem pecoris.

SCHOLIA.

a. Rasin.] *Hic fuit rex Aram, ea est Cœlesyria, & Damascene, ab Antilibanō vsque ad Perusam. Habes hanc historiam 4. Reg. 16.* b Requieuit Syria super Ephráim.] *Hoc est, exercitus Syriæ coniunctus est exercitui Israel, vt paribus copijs oppugnet Ierusalem.* c Sear Iasub.] *Sic vocauit Esaias vnum filium, in signum quòd reliquiæ Iuda tandem ad Dominum conuerterentur, illatis multis plagis: significat enim Sear Iasub, reliquiæ conuertentur, hoc est, saluæ erunt. Iubetur ergo Esaias assumere secum filium eo nomine, vt ipsa nominis significatione intelligeretur euentus rei.* d Caput Syriæ Damascus.] *Hoc est, vnusquisque horum regum intra suos terminos continebitur, neque propagabunt regnum, vt sperant, quin non post longum tempus vtrunq; regnum destruendum est, tam Syriæ quàm Samariæ, sicut & iam ante Amos propheta prædixit, à qua prophetia computandi sunt anni sexagintaquinque, quorum Esaias hic meminit, nam sexto Ezechiæ anno Israelis regnum cessauit, sicut & antea Syriæ. Quod autem ait, & quidem caput Ephráim Samaria, subauditur interim, vt dicatur, intra hoc annorum spacium Samaria, non Ierusalem, vt sperant, sicut nunc est metropolis Ephráim, id est, regni Israel, sic & erit. Hoc cum impius rex Achaz non crederet, sed mitteret pro auxilio ad regem Assur, dixit ei Dominus per prophetam, pete tibi signum, ille autem cum impius esset, nolens à Deo signum petere, excusauit, quòd nollet tentare Deū. Vox autem Hebræa, & tentare & exaltare significat.* e Molestos esse.] *Siue, vt Hebræi vertunt, fatigare. Vocat autem propheta fatigationem, incredulitatem illam, qua nec verbis hominum, nec Dei fidebant, vnde rex noluit petere signum, quòd Deum impotentem crederet. Deus verò sua bonitate signum promittit, & magnificum quidem, quod & in ruinam positum est multorum in Israel, atq; etiam in resurrectionem. Nec absurdum videri debet, quod propheta post historiam sui sæculi, prophetiam de Christo subnectit, id enim frequens est, apud prophetas, vt scilicet impijs cœlarent mysteria, & pijs nihilominus salutares darent consolationes. Quòd autem hæc prophetia de Christo & matre eius virgine sit prædicta, nō modo probatur authoritate Euangelistarum, sed ex textu quoque colligitur, cum virginis partus pro miraculo habeatur, nullius patris fiat mentio, & nomen pueri Emanuel, hoc est, nobiscum Deus, à matre vocari iubeatur. Quid autem est aliud, quod Ioannes dixit, & verbum caro factum est, quàm nobiscum Deus?* f Ecce virgo.] *Haalma, quod nomen de ea dicitur, quæ sit adolescentula simul & virgo, & volunt deriuari à verbo, quod abscondere significat, vt intelligamus puellam ab aspectibus hominum absconditam, de cuius integritate dubitari non poßit. Et lingua punica (ait Hiero.) quæ de Hebræorum fontibus manare dicitur, propriè virgo Alma appellatur. In Heb. autem est, vocabis, in genere fœminino, vt referatur ad matrem.* g Butyrum & mel comedet.] *Corporalem præsentiam veram indicat, vt ijsdem pascatur cibis, quibus & pueri peculiariter pasci solent, vt discernat cibos sicut alius homo, & more puerili abhorreat ab amaris, & appetat suauia.* h Vt sciat.] *Vel, rectius atq; apertius. Et innata sibi prudentia sciet reprobare malum, & eligere bonum.* i Antequam sciat puer reprobare malum.] *Hoc est, prius quàm nascatur, vt gustet butyrum & mel, sentiet terra auxilium eius: nam relinquetur à regibus illis, qui iam eam poßidere videbantur. Et vide, vt orationem ita attemperauit, vt suo olim tempore intelligi à posteris posset, & tamen non daretur sanctum canibus. Et profectò res tantæ maiestatis fuerant his inuolucris obtegendæ.* k Adducet Dominus super te.] *Liberaberis quidem nunc ab his duobus regibus: sed ob impietatem tuam accersam aduersum te regem Aßyriorum.* l Sibilabit Dominus muscæ.] *Aegyptios vocat muscas, alludens ad hoc, quòd multæ muscæ sint in Aegypto, Aßyrios verò comparat api, eò quòd apum & mellis copiam habeat Assyria, & simul in magno numero conglobentur, vt apes, vt Psal. Circundederunt me sicut apes. Eadem allusione dixit, venient & requiescent: vt apes & muscæ in ramis quiescentes.* m In rege Assyriorum caput & pilos.] *Per regem (inquit) Aßyriorum & Chaldæorum exercitum excidetur Iudaicum regnum, hi enim instar nouaculæ abradent omnia, & regem ac principes, & infimos etiam auferent. Nouaculam autem conductam appellat ipsos hostes quibus tanquam conductis operarijs vtitur Deus ad suorum castigationem.* n Nutriet homo vaccam.] *Docet his verbis, futuram ingentē solitudinē, & dum nō erunt cultores agrorū, redigendam regionem in saltus & desertū, vt qui viuere illic velit, opus ei sit more pastorum lacte viuere, idq; tenuiter, alendo vaccam vnam, ac duas oues, vt futuros omnes pauperes indicet, nullaq; alia copia rerum futura sit, quàm lactis, & mellis etiam, quod nimirum syluestre existimandum est, atq; ex hoc cibo mellis ac butyri, terræ vastitatem colligere potes.* o Omnis locus.] *Vbi fuerant olim mille vites æstimatæ mille argenteis, tunc erunt in spinas & in vepres.* p Qui in sarculo.] *Ostēdit fore, vt homines metu hostiū relictis cāpestribus cōfugiāt ad montana, & aspera montiū excolant, atq; iccircò minus illic vepres crescent, ibiq; eorum depascent armenta. Alius interpretatur, montes, qui alioqui sarculo sarriri solent, &c.*

CAPVT VIII.

A ET dixit Dominus ad me, Sume tibi librum grandem, & a scribe in eo stylo hominis, Velociter spolia detrahe, citò prædare. b Et adhibui mihi testes fideles Vriam sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ: & accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me, Voca nomen eius, Accelera, spolia detrahe, festina, prædare. Quia antequàm sciat puer vocare patrem suum & matrem suam, auferetur fortitudo Damasci, & spolia Samariæ coràm rege Assyriorum. Et adiecit Dominus loqui ad me adhuc, dicens, Pro eo quòd abiecit populus iste c aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, B & assumpsit magis Rasin, & filium Romeliæ, propter hoc ecce Dominus adducet super eos aquas fluminis fortes & multas, regem Assyriorum, & omnem gloriam eius: & ascendet super omnes riuos eius, & fluet super vniuersas ripas eius, & ibi per Iudam inundans, & transiens vsque ad collum veniet. Et erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ ò Emanuel. d † Conterite populi, & vincimini, & audite vniuersæ procul terræ. † Accingite vos & vincimini, accingite vos & vincimini: inite consilium, & dissipabitur: C loquimini verbum, & non fiet: quia nobiscum Deus. Hæc enim ait Dominus ad me e † in fortitudine prophetiæ, & erudiuit me, ne irem in via populi huius, dicens, Non dicetis, coniuratio † ad omnia, in quibus populus iste dicit coniuratio: & timorem eius ne timeatis, neq; paueatis. Dominum exercituum ipsum sanctificate, & ipse pauor vester, & f erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis et petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadēt, & cōterentur, & irretientur, & capientur. g Liga testimoniū, † obsigna legē in discipulis meis. Et expectabo Dominum

Luc. 2.e
Roma. 9.g
1. Petr. 2.b

Dominum qui abscondit faciem suam à domo Iacob, & præstolabor eum. h Ecce, ego & pueri mei, quos D dedit mihi Dominus in signum, & in portentum Israel à Domino exercituum, qui habitat in monte Sion. Heb. 2.d i Et cum dixerint ad vos, Quærite à pythonibus, & à diuinis qui strident in incantationibus suis, Nūquid nō populus à Deo suo requiret, num pro viuis à mortuis? k † Per legem testimonium, si non dixerint iuxta verbum hoc † in quo nihil est lucis, l & transibit per eam, & corruet, & esuriet: & cum esuriet, irascetur, & maledicet regi suo, & Deo suo, & suspiciet sursum, & ad terram intuebitur: & ecce tribulatio & tenebræ, dissolutio, & angustia, & caligo persequens, m & non poterit auolare de angustia sua.

SCHOLIA.

a Scribe in eo stilo hominis.] *Hoc est, stilo, quo homines vulgò scribere solent, vt legi ab omnibus poßit. Iubet autem scribi has dictiones, velociter detrahe spolia, citò prædare. Quæ erat prophetia eorum, quæ euentura erant populo. Duplicatur autem more prophetico eadem sententia alijs & alijs verbis, vt res ipsa exaggeretur. Sic filius, qui natus est ex vxore prophetæ, quæ hic prophetissa vocatur, in huius rei signum vocatus fuit. Accelera spolium, siue accelera direptionem. Prædicit ergo & hic, superiora duo regna delenda, quorum metropoles erant Damascus, & Samaria. Cessauit autem regnum Israel, & Syriæ, vt habetur 4. Reg. 15. ad mortem Phaceæ filij Romeliæ, sub quo Aßyrius maximam partem regni Israel cepit, & successorem, illiusq; occisorem Oseæ filium Ela tributarium tenuit, donec rebellantem sibi cum regia Samaria cepit, & transtulit residuos in Medos.* b Et adhibui mihi testes.] *De Vria quodam sacerdote legitur 4. Reg. 16. de Zacharia filio, non Barachiæ, sed Iebrechiæ legimus 2. Paral. 26. nam Zachariam prophetam, qui sub Dario fuit, non videtur consentaneū vero.* c Aquas Siloe.] *Comparat hic propheta regnum Iuda fluuiolo leniter currenti, & exercitum regis Aßyriæ comparat grauißimo fluuio, qui in totam terram funditur, & nullis ripis ac stagnis excipi potest. Reprehendit ergo eos, qui regni Iuda attenuatum statum spernebant, & fauebant regibus Syriæ & Israelis. Quod autem ait, vsque ad collum terræ, intelligit Ierusalem, quæ sola dempta tunc fuit excidio. Habet autem emphasim illa vox, ò Emanuel, cum ait, & erit extensio alarum eius, implens latitudinem terræ tuæ ò Emanuel, vbi subindicat & maiestatem eius, qui verè Dominus futurus sit Iudææ gentis, & forè etiam, vt non ei genti parcatur, quamuis ipsius Emanuelis esset gens.* d Conterite populi.] *Sensus est, quantumuis corroboraueritis vos, vincemini tamen. Loquitur enim contra regnum Syriæ & Samariæ, vel, vt alij volunt, contra Aßyriam.* e In fortitudine prophetiæ.] *Hoc est, dixit Dominus ad me per prophetiam infallibilem. Hebraismus habet in manu forti. Iubet (inquit) Dominus, ne incredulorum multitudine territus, eos sequar, & addit, Ne dicatis conspiratio, &c. hoc est, non consentiatis coniurationi, quantumuis multis verbis conetur populus iste inuitare vos ad defectionem.* f Et erit vobis in sanctificationem.] *Quibus vobis? nimirum fidelibus & credituris, nam reliquis omnibus, quod per duas domus Israel significatur, futurus erat in lapidem offensionis, & petram scandali, cuius & beatus Petrus in epistola sua fecit mentionem.* g Liga testimonium.] *Videntur esse verba Domini ad prophetam admonentis, vt obsignet hæc, quæ ei reuelata sint, neque communicet, nisi cum discipulis Domini, qui horum capaces futuri essent. Deinde propheta addit, se expectaturum Dominum, ac promissa eius.* h Ecce ego & pueri mei.] *Hoc in persona Christi dictum esse, epistola ad Hebræos indicat.* i Et cum dixerint.] *Si dixerint (inquit) quare non consultatis Pythonicos & diuinos? an non illi mußitando, & dictando futura prænuntiant? Respondete illis, num mortui consultandi sunt, cum sint viui, qui consultentur? num gens est vlla, quæ dimißis dijs suis consultet mortuos? Pro viuis ne ad mortuos eundum est? Diuinatio enim & Pythonis consultatio olim fiebat per ossa mortuorum, & à mortuis responsa petebantur. Tu verò consydera, vt propheta, & de Christi temporibus interserat verba, & tamen ab historia sui temporis non recedat, quod plurimum afferet lucis, si in omnibus prophetis id obseruetur.* k Per legem & testimonium si non dixerint.] *Modus est iurandi, & est sensus. Verè dicent ad vos superiora illa verba de consultatione diuinorum, in quibus verbis nihil est luminis, hoc est, quod penitus est absurdum.* l Et transibit per eam.] *Scilicet terram, & intelligit eum, qui relicto Deo idololatriam sequitur, & peruersa graditur via, nam eiusmodi hominibus quid accidere potest commodi?* m Et non poterit auolare.] *Alius vertit. Nec obscuratus est ille cui hæc accidit angustia.*

CAPVT IX.

A SIcut primo tēpore alleuiata est terra Zabulon & terra Nephtalim, & nouißimo aggrauata est b via maris trans Iordanem Galilææ gentium. Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam: habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. c Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam. Lætabuntur coràm te, sicut qui lætantur in messe, sicut exultant victores capta præda, quando diuidunt spolia. Iugum enim oneris eius, & virgam humeri eius, & sceptrum exactoris eius superasti, d sicut in die Madian. Iudic. 7.f e Quia omnis violenta prædatio cum tumultu † fit, & vestimento misto sanguine, † hæc erit in combustionem & cibus ignis. f Paruulus enim natus est nobis, & filius datus est nobis, & g factus est principa- B tus super humerum eius: h & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater † æternitatis, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis. Super solium Dauid, & super regnū eius sedebit: vt confirmet illud, & corroboret i in iudicio & iustitia à modo & vsque in sempiternum. Zelus Domini exercituum faciet hoc. k Verbum misit Dominus in Iacob, & cecidit in Israel. Et sciet omnis populus Ephráim, & habitantes Samariam in superbia & magnitudine cordis, dicentes, Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ędificabimus: sycomoros succiderunt, sed cedros immutabimus. Et eleuabit Dominus l hostes Rasin super eū, & inimicis eius † obruet illum. Syriam ab oriente, & Philisthijm ab occidēte, & deuorabunt Israel toto ore. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta, & popu- C lus non est reuersus ad percutientem se, & Dominum exercituum non exquisierunt. Et disperdet Dominus ab Israel caput & caudam, † m ramum & iuncum die vna. Longęuus & honorabilis, ipse est caput: & propheta docens mendacium, ipse est cauda. Et erunt qui beatificant populum istum seducentes, & qui beatificantur præcipitati. Propter hoc super adolescentulis eius non lætabitur Dominus: & pupillorum eius, & viduarum non miserebitur: quia † quisque illorum hypocrita est & nequam, & vniuersum os locutū est stul-

titiam. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. [n] Succensa est enim quasi ignis impietas, vepres & spinam uorabit: & succendetur in densitate saltus, & conuoluetur in superbia fumi. In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis. Vir fratri suo non parcet, & declinabit ad dexteram, & esuriet, & comedet ad sinistram & non saturabitur. Vnusquisque carnem brachij sui vorabit: Manasses Ephraim, & Ephraim Manassem simul ipsi contra Iudam. In omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta.

SCHOLIA.

[a] Sicut primo tempore.] *Videntur postrema superioris capitis verba coniungi cum istis, sic. Et non poterit euadere de angustia sua, sicut primo tempore, &c. Iudæi referunt ad tempus cum terra decem tribuum bis capta fuit, primùm a Theglathphalassar. 4. Reg. 15. deinde à Salmanassar 4. Reg. 17. & ideo dicunt primam transmigrationem leuem, secundam grauem fuisse. Primò enim pars populi translata est in Assyrios, capta terra Zabulon & Nephtalim cum duabus tribubus & dimidia vltra Iordanem, posteriori autem tempore, cum rex Osee rebellasset, grauius afflixit totam terram decem tribuum Salmanassar, & Sennacherib quoque Iudæam insuper oppressit, nihil relinquens saluum, vsque ad maritima loca magni maris, vbi tribus Aser, Isachar, Manasses, Ephraim, & Dan habitabant, quos omnes in Medos transtulit, & Persas. Et addunt Iudæi sub Ezechia populum sedentem in tenebris liberatum ab obsidione, & exercitu Sennacherib. Neque mirum, eos ignorare mysteria, quibus adhuc super cor velamen positum est. Nos verò authoritate Euangelistæ Matthæi fulti, dicimus, Sicut hostes primò paucos auexerunt ex Galilæa, ita & Christus velox spoliator primùm prædicans in Galilæa in Capernaum, & Bethsaida, assumpsit inde seminarium quoddam nascentis ecclesiæ. Deinde per apostolos è regione Salmanasar, vel Sennacherib, vbi resurrexit, captiuos suos ex Iudæis, & gentibus reuexit: hoc vnum enim captiuitatis genus Deũ decet. Quod si, vbi legitur, eg grauata est, dicas, magis illustrata est, quod quidam vir eruditissimus vertendũ dicebat, & sanè Heb. dictio id etiam significat aptius ad prophetiam de Christo quadrabit.* [b] Via maris.] *Describitur tota terra Israel, quæ ad occidẽtem habet mare mediterraneum, transitum autem Iordanis orientem, confinium verò gentium Tyrum & Sidonem, & Cæsaream Philippi, qua gentes attingit ad Septentrionem. Altera autem Galilæa est circa Tiberiadem.* [c] Multiplicasti gentem.] *Ad literam, loquitur ad Assyrium Sennacherib, quòd cum multa quidem gente venerit, sed eis non magnificauerit lætitiam, quando occisis vna nocte centum octuginta quinq; millibus, confusus aufugerit. At si mysterium spectes, dicendum mihi videtur, multiplicatam esse gentem quidem credentium populorum, sed non planè magnifica fuit lætitia ob excæcationem Iudæorum. Vir tamen eruditus dicebat legendum esse, multiplicasti gentem ei, magnificasti lætitiam. Nam vox hebræa vtrung, significat, vt possit esse & negatio, & pronomen, & hebræi etiam consentiunt, vt sit sensus: nemo fuit in tanta multitudine, qui non summo affectus fuerit gaudio, propter irradiantem lucem.* [d] Sicut in die Madian.] *Habes in libro Iudicum hanc historiam, quando Madianitarum exercitus à Gedeone victus est cum paucis. Sic Christi victoria fuit, qui per piscatores, at viles ac ignobiles viros, omnem & potentiam & sapientiam mundi subegit.* [e] Quia omnis violenta prædatio.] *Omne (inquit) prælium & depredatio fieri solet non sine magno tumultu, & cruentatione vestimentorum, hoc autem prælium, cum angeli cum Assyrys, quàm Christi Domini cum aduersaria potestate, factum est spiritu oris Dei, & ignis Assyriorum corpora redegit in puluerem, et fidelium mentes purgauit, cõburens omne vitiosum.* [f] Paruulus natus.] *Vt homo. Filius datus, vt Deus.* [g] Et factus est principatus super humerum eius.] *Super quem tulit crucem. Propter quod Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen super omne nomen.* [h] Et vocabitur nomen eius.] *Audi, quo pacto olim quidam Hebræus ante Christi aduentum, fuerit hunc locũ interpretatus, sic enim ait. Quia Messias Deus & homo futurus est, vocatum est nomen eius Emmanuel, hoc est, nobiscum Deus, nempè in corpore & carne nostra, quemadmodum Iob testatur cap. 19. dicens. Et ex carne mea videbo Deum. Item quia Deus est, mirabilis consiliarius dicitur, excogitauit enim mirabile consilium saluandi omnes animas, quæ propter Adæ peccatum condemnatæ sunt, nec possunt vllo pacto seruari, nisi rex Messias mortem acerbissimam, multaq; tormenta subeat. Iccircò dictus est vir. Et quia ipsius est omnis fortitudo, Deus fortis vocatur, item quia est æternus, pater sempiternus dicitur, item quia in diebus eius pax multiplicabitur, princeps ac pax appellatur. Et quia ipse festinabit, vt auferat animarum spolia, quæ in inferno torquentur, vocatur expeditus spoliator festinus prædator, quia autem eos seruabit, & ad paradisum adducet, vocabitur Iesus, quod idem est, quod seruator. Hæc ille. Iudæi autem, vt adulterent sensum, legunt, & vocauit, & exponunt. Admirabilis consiliarius, Deus fortis, pater futuri sæculi, vocauit principem pacis. Sed manifestus est dolus: nam dictionem Hebræam aliàs ferè vbiq; imperſonaliter exponunt, vocabitur, vel subintelligunt, Vnusquisque vocabit. LXX. autem ante alia ponunt nomen angeli magni consily, quod apud Hebræos non habetur. Et nota Christum & hic & Iere. 33. & alijs locis Deum dici. Prioribus autem quatuor illis nominibus potentia & sapientia Dei indicatur, duobus sequentibus, bonitas, et misericordia.* [i] In iudicio, & iustitia.] *Nam Christus iudicat inter nos & hostes, & quod iudicat, iustè exequitur.* [k] Verbum misit.] *Pergit loqui contra decem tribus, dicens, Sæpius Deum misisse prophetas, qui eos officij sui admonerent, alioqui mala super eos ventura: at illi incredituli deridebant Dei verbum, & commentiones, & dicebant, Lateres ceciderunt, sed quadris lapidibus ædificabimus, hoc est, etiam si ex fato mala quædam incidant, tamen sequentur paulo post felicia tempora.* [l] Hostes Rasin.] *Vt desinant fauere regibus Syriæ, docet & eos conterendos.* [m] Ramum & iuncum.] *Vel, validum & debilem.* [n] Succensa est enim quasi ignis impietas.] *Impietas (inquit) quasi ignis ardet in populo illo, à minimo vsque ad maximum, & adeo ardet, vt quasi in fumum ascendentem redigantur, & ab omnibus circumiacentibus regionibus vanitas eorum agnoscatur. Nec tantum erga Deum, sed & contra proximum sunt impy, rapientes bona illius & deuorantes carnem eius vsque ad ossa, &c.*

CAPVT X.

VÆ qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt: ut opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei: vt essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis, & calamitatis delongè venientis? Ad cuius confugietis auxilium? & vbi derelinquetis [a] gloriam vestram? † quia non estis mei, corruetis inter vinctos, & cum interfectis cadetis. Super omnibus his non est auersus furor eius, sed adhuc manus eius extenta. [b] Væ Assur, virga furoris mei &

mei & baculus † iræ meæ in manu eorũ. Ad gentem fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem quasi lutum platearũ. Ipse autem non sic arbitratur, & cor eius non ita existimabit: sed ad conterendũ erit cor eius, & ad internecionem gentiũ non paucarum. Dicet enim, Nunquid nõ principes mei simul reges sunt? Nunquid non, vt Charcamis, sic Calano: & vt Arphad, sic Emath? Nunquid nõ, vt Damascus, sic Samaria? Quo modo inuenit manus mea regna idôli, sic & simulachra eorum † fortiora erunt Ierusalem & Samaria. Nunquid non sicut feci Samariæ & idôlis eius, sic faciam Ierusalem & simulachris eius? Et erit: cum impleuerit Dñs cuncta opera sua in mõte Sion & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, & super gloriã altitudinis oculorum eius. Dixit enim, In fortitudine manus meæ feci, & in sapientia mea intellexi: & abstuli terminos populorũ, & principes eorũ deprædatus sum, & detraxi quasi potens in sublimi residentes. Et inuenit quasi nidum manus mea fortitudinem populorum: & sicut colliguntur oua, quę derelicta sunt, sic vniuersam terram ego cõgregaui: & nõ fuit qui moueret pennam, & aperiret os, & ganniret. Nunquid gloriabitur securis cõtra eum qui secat in ea: aut exaltabitur serra contra eũ à quo trahitur? Quomodo si eleuetur virga contra eleuantem se, [c] & exaltetur baculus † qui in iustam arborem non excrescet. Propter hoc mittet dominator Dominus exercituum in pinguibus eius tenuitatem: [d] & subtus gloriã eius succẽsio ardebit quasi combusto ignis. Et erit lumen Israel in ignem, & sanctus eius in flammam. Et succẽdetur & deuorabitur spina eius & vepres in die vna & gloria saltus eius, & Carmeli eius ab anima vsq; ad carnem cõsumetur. Et erit terrore profugus, & [e] reliquię ligni saltus eius præ paucitate numerabũtur, & puer scribet eas. Et erit in die illa nõ adijcient residuũ Israel, & hi qui fugerint de domo Iacob, inniti super eo, qui percutit eos: sed innitetur super Dñm sanctũ Israel, in veritate. Reliquiæ conuertentur, reliquię, inquam, Iacob ad Deũ fortẽ. [f] Si enim fuerit populus tuus Israel quasi arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo, [g] consummatio abbreuiata inundabit iustitiã. Cõsummationem enim, & abbreuiationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ. Propter hoc, hæc dicit Dominus Deus exercituũ, Noli timere populus meus habitator Sion, ab Assur, in virga enim percutiet te, & baculum suũ leuabit [h] super te in via Ægypti. Adhuc enim paululũ modicumq; & consummabitur indignatio & furor meus in consumptionẽ eorum. Et suscitabit super eum Dñs exercituũ flagellũ, iuxta plagam Madian [i] in petra Oreb, & virgam suam super mare, & leuabit eam in via Ægypti. Et erit in die illa: auferetur onus eius de humero tuo, & iugum eius de collo tuo, & cõputrescet iugum [k] à facie olei. [l] Veniet in Aiath, transibit in Magron: apud Machmas cõmendabit vasa sua. Transierunt cursim, † & in Gabaa diuerſorio pernoctarunt. Obstupuit Rama, Gabaath Saulis fugit. [m] Hinni voce tua filia Gallim, attende Laisa paupercula Anathoth, Migrauit Medemena: habitatores Gabim † collegerũt se. [n] Adhuc dies est, vt in Nobe stetur: agitabit manum suam super montem filiæ Sion, collem Ierusalem. Ecce, dominator Dominus exercituum † [o] cõfringet, ramum in fortitudine & excelsi statura succidentur, & sublimes humiliabuntur. Et subuertentur condensa saltus ferro: & Libanus, † [p] per fortem cadet.

SCHOLIA.

[a] Gloriam vestrã.] *Videtur idem esse, quod alibi scriptum est, mutauerunt gloriam suam, id est Deum: quasi dicat. Vbi destituti estis auxilio meo, quid erit vobis reliqui? Et quod sequitur. Quia non estis mei. In Heb. est. Absque me corruit inter vinctos.* [b] Væ Assur.] *Vel, ò Assur, et sub audiendum est, veni, vt sis virga mea, castigans populum meũ in loco suo, etiam si tu non cogites, quod in hac re meus sis minister, sed præsumis tibi subijcere omnes gentes, & omnes principes tuos facere reges, loquens magnifica de corde tuo. Et ego cum compleuero per te opus meum, visitabo quoque te iuxta superbiam tuam, qui ea operatus, quæ ego per te feci, tibi ascribis, perinde quasi securis gloriaretur contra secantem, &c. Ex hoc, atque eiusmodi scripturæ locis discere debemus, cum aliquius tyrannide premimur, aquo animo ferre, & meminisse, manum illam esse Domini, qui cum castigationem impleuerit, suo tempore tyrannos amouet, ipsosq; castigat. Cum enim impleuerit Dominus cuncta opera sua, in monte Sion, & in Ierusalem, visit. abo (inquit) super fructum magnifici cordis regis Assur. Quod autem ait. Baculus iræ meæ, &c. Potest etiam verti sic. Et baculus ipse, qui est in manu eorum, est ira mea.* [c] Et exaltetur baculus, qui in iustam arborem nõ excrescet.] *Alius sic vertit. Et sic eam virgam leuat, ac si leuaret baculum, non arborem. Vel, cum exaltet baculum non arborem, & sic interpretatur: baculus non est arbor, quæ ex sese fructum faciat, sed eo vtitur Deus percussurus grauiter.* [d] Et subtus gloriam eius.] *Per gloriam istam intelligitur magnificus exercitus regis Assyriorũ, qui vna nocte quasi per ignem in fauillam redactus fuit: Vocat quoque eundem exercitum syluam magnarum arborum, & eam optime culturæ, quod per carmelum intelligit, eò quòd magni in eo essent principes, & multi ex agricolis & vinitoribus. Et quod ait. Lumen Israel, intelligit Deum, qui futurus erat in ignem & in flammam peccatoribus, qui in morem spinarum & veprium consumentur.* [e] Et reliquiæ.] *Euasit enim rex cũ nonnullis, qui tam pauci erant, vt puerulus quisq; numerare eos potuerit.* [f] Si enim fuerit populus.] *Quod quidam sic interpretantur, si residuum, quod conuertetur in eo, sit tantũ, quantus est numerus arenæ, adhuc tamen appellaueris reliquias. Potest & sic dici. Ex illa Iudæorum infinitate reliquiæ tantum seruabuntur. Quem locum Paulus ad Romanos produxit, cum docere vellet eos, cur non mirandum esset, si tam pauci ex Iudæis conuerterentur, cum hoc iam olim ab Esaia prædictum fuisset.* [g] Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.] *Ex compendiosa fidei prædicatione immensa iustitiæ copia, quod per inundationem intelligitur, proficiscetur. Vocem autem illam, abbreuiata, aly verterunt, decreta & acris, aly perfecta.* [h] Super te in via Ægypti.] *Hoc est, sicut olim in Ægypto seruierunt, & ab ea tandem seruitute fuerunt liberati.* [i] In petra Horeb.] *Sicut Horeb, & Zeb duo principes victi sunt, Iud. 7. Occisi autem sunt, Horeb in petra Horeb, & Zeb in torculari Zeb. Et quod sequitur. Et virgam suam super mare. Sicut (inquit) olim aquis rubri maris Ægyptios prostrauit, sola baculi eleuatione per Mosen, &c.*
[k] A facie olei.] *Vncti videlicet Christi.* [l] Veniet in Aiath.] *Descripturus exercitus Sennacherib perditionem, iter eius ex Ægypto versus Ierusalem primum describit.* [m] Hinni voce tua filia.] *Gallim transire dicitur tanto furore, vt eiulans ciuitas illa audiatur in vltimis finibus Israel, nempè in Dan, vbi est origo Iordanis, quæ hic Laisa vocatur.*

[n] Adhuc dies est.] *Vel, Adhuc ipsa die stare poterit in Nobe. Futura quasi præsentia describit propheta, quasi iam ventum esset ad Nobe, vbi esset pernoctandum.* [o] Confringet ramum.] *Tandem interitum exercitus narrat.* [p] Portem cadet.] *Nempe per angelum.*

CAPVT XI.

Act. 13.d 1.Thes. 2.c

ET egredietur [a] virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus A
Domini, [b] ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilij & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ † & timoris Domini: [c] & faciet odorari eum in timore Domini. Non ſecundum viſionem oculorum iudicabit,
Infra 65.d neque ſecundum auditum aurium arguet: ſed iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate pro manſuetis terræ. Et percutiet terram virga oris ſui: & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium. [d] Et
erit iuſtitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius. [e] Habitabit lupus cum agno: & par- B
dus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus,
& vrſus paſcentur: ſimul requieſcent catuli eorum: & leo quaſi bos comedet paleas. Et delectabitur infans
ab vbere ſuper foramine aſpidis: & in cauernam reguli, qui ablactatus fuerit, manum ſuam mittet. Non no
Rom. 15.c cebunt, & non occident in vniuerſo monte ſancto meo: quia repleta eſt terra ſcientia Domini, ſicut aquæ
† fundum maris cooperientes. Et erit in die illa radix Ieſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes de- C
precabuntur, [f] & erit † requies eius gloria. Et erit in die illa: adijciet Dominus [g] ſecundò manum ſuam ad
poſsidendum reſiduum populi ſui, quod relinquetur ab Aſſyrijs, & ab Ægypto, & à [h] Phethros, & ab Æthiopia, & ab Ælam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab Inſulis maris. Et [i] leuabit ſignum in nationes, & congregabit profugos Iſrael: & diſperſos Iuda colliget à quatuor plagis terræ. Et auferetur zelus Ephráim, & hoſtes
Iuda peribunt. Ephráim non æmulabitur Iudam, & Iudas non pugnabit contra Ephráim: [k] & volabunt D
in humeros Philiſthijm † ad occidentem, ſimul prædabuntur filios orientis Idumæa & Moab † extenſio manus eorum, & filij Ammon obedientes erunt. Et deſolabit Dominus [l] linguam maris Ægypti, [m] & leuabit
manum ſuam ſuper flumen in fortitudine ſpiritus ſui: [n] & percutiet eum in ſeptem riuis, ita vt tranſeant per
Exod. 14. eum calceati. Et erit via reſiduo populo meo, qui relinquetur ab Aſſyrijs: ſicut fuit Iſraeli in die illa qua aſcendit de terra Ægypti.

SCHOLIA.

[a] Virga de radice Ieſſe.] *Vel, de stirpe. Fit autem hic Ieſſe mentio, quia tribus Ieſſe, ante quàm regnaret Dauid, contempta erat. Stirps hic dicitur truncus, qui resecta arbore adhuc cum radicibus manet in terra, vnde temporis successu repullulant surculi, tribus ergo Dauid arido trunco videbatur similis. Stirps est virgo Maria, quia absque virili semine peperit, idem autem significat stirps & radix, sicut virga & flos, siue surculus, qui Christum significat. Et intelligitur totum ad caput, etiam secundum iudæos, de Messia, sub quo regnum Israel reparari debuit, non corporaliter, vt iudæi expectant, sed in spiritu.* [b] Spiritus ſapientiæ.] *Sapientia in delectatione & contemplatione summi boni, sita est, intellectus in agnitione consistit, quo dono Christus illustrauit discipulos, vt intelligerent scripturas. Quod & Dauid petit, cum ait. Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam. Consilium in iudicando versatur, & amplectendo, quo instructi apostoli, principibus sacerdotum præcipientibus, ne docerent in nomine Iesu, responderunt. Oportet plus obedire Deo, quàm hominibus. Fortitudo roboratur, ne vel aduersis frangamur, vel prosperis dissoluamur, sine qua cõsilium inutile esset, vt in ijs apparet, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Scientia in elaboratione boni collocatur, quando hoc dono scit quisque declinare à malo, et facere bonum. Sine qua scientia, ne Zelus quidem Dei bonus est, quod de Iudæis scribit Paulus dicens. Zelum quidem Dei habent, sed non secundum scientiam. Pietas si referatur ad Deum, significat affectum, & cultum erga eum, vnde vtam & omnia accepimus, & idem videtur quibuſdam cum sapientia. Sin ad proximum quenque respicias, significat propensum animum ad benemerendum de proximo, idq; causa Dei. Ad hanc hortatur apostolus, cum ait. Exerce te ad pietatem. Donum timoris est quædam reuerentia erga Deum, qua veremur, ne vlla ex parte Deus offendatur, non metu pœnæ, sed filiorum affectu. Vel sic. Sapientia est doctori opus ad manifeste sanè, et ad ædificationem docendum, intellectus verò auditori ad capienda audita & intellecta. Spiritus consily datur consiliario, & magni consily angelo, Spiritus fortitudinis consilium accipienti, vt perficiat, quod cõsulitur. Spiritus scientiæ datur sacerdoti docenti legem Domini, Timor autem ys, qui cum pietate legem suscipiunt. Eodem autem nomine apud prophetam exprimitur timor & pietas. Videtur autem mihi voluisse propheta horum spirituum appellatione significare, eum habiturum omnem plenitudinem spiritus, sicut cum præcipitur, Vt Deum ames toto corde, tota anima, omnibus viribus, omni mente, nihil aliud videtur voluisse, quam id, quod alibi dicitur. Benedic anima mea Domino, & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius, sic hoc loco dicit, omnes virtutes spiritus, quotquot vsquam reperiũtur, in eo futuras.* [c] Et faciet odorari.] *Odoratu suo valebit, propter timorem Domini, maximè, sine sagacitate: Quare non secundum visionem oculorum iudicabit, &c.* [d] Et erit iuſtitia.] *Iustus & fidelis erit: capitur enim hic fides pro fidelitate. Siue ergo eripiendi sint pauperes per iustitiam à calumniatore, siue beneficijs adiuuãdi, vt sit fidelis, vtrag, accinctus erit.* [e] Habitabit lupus cum agno.] *Plerique Iudæi hæc ad literam intelligunt: sunt tamen etiã ex eis, qui dicant intelligendas esse per sæua animalia, gentes efferas, & homines crudeles, quos verbum Christi mansuefacit.* [f] Et erit requies eius gloria.] *Hoc est, crux & mors.* [g] Secundo manum ſuam.] *Nempe per nouam legem.* [h] Phetros.] *Petra, vnde Arabia petræa. Sic Elam, Sennaar, Hemat, intelligunt Medos Sogdianos Bactrianos Babylonios, Chaldæos Antiochum Siliciũ, Thauros Armeniam. Per insulas maris intelligitur Græcia, & omnis occidentalis mundi pars.* [i] Leuabit ſignum.] *Vexillum, vt dux magnificus, & signum illud, crux.* [k] Et volabunt in humerum Philiſthijm.] *Hoc est alienigenas, vnde interpres interdum pro Philisthæis vertit alienigenas.* [l] Linguam maris Ægypti.] *Nilum intelligit, περιφραστικῶς.* [m] Et leuabit manum ſuam ſuper flumen.] *Per flumen Hebræi intelligunt Euphraten.* [n] Et percutiet eum in ſeptem riuis.] *Faciet, vt transiri possit in omnibus locis.*

Caput

CAPVT XII.

ET dices in die illa, [a] Confitebor tibi Dñe, q̃ iratus es mihi: conuerſus eſt furor tuus, & cõſolatus es me. A
Ecce Deus ſaluator meus, fiducialiter agam, & non timebo: quia fortitudo mea, & laus mea Dominus
Deus, & factus eſt mihi in ſalutẽ. [b] Hauritis aquas in gaudio de fontibus ſaluatoris: & [c] dicetis in die Exod.15.a
B illa, Confitemini Dño, & inuocate nomen eius: notas facite in populis adinuentiones eius: mementote q̃ ex- Pſal. 117.
celſum eſt nomen eius. Cantate Domino, quoniam magnificè fecit: † annuntiatum eſt hoc in vniuerſa ter- 1.Par.16.b
ra. Exulta, & lauda habitatio Sion: quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. Pſal. 104.

SCHOLIA.

[a] Confitebor tibi Domine.] *Erumpit propheta in canticum gratulationis, qui mos erat Hebræis, cum insignem aliquam salutem essent assecuti.* [b] Hauritis aquas.] *Comparat propheta salutem Domini scaturigini iugiter mananti, & quæ exhaurири nequit.* [c] Et dicetis in illa die.] *In tempore illo vnusquisque incitabit alterum, vt confiteatur Domino, & inuocet in nomine eius.*

CAPVT XIII.

A ONus [a] Babylonis, quod vidit Iſaias filius Amos. Super montem † excelſum leuate ſignum, exaltate
vocem † ad eos: leuate manum, & ingrediantur portas † ducum. Ego mandaui ſanctificatis meis,
& vocaui fortes meos in ira mea, exultantes in gloria mea. Vox multitudinis in mõtibus, quaſi populorum frequentium, vox ſonitus regum gentium cõgregatarum. Dominus exercituum præcipit militiæ
belli, Venientibus de terra procul, à ſummitate cœli: Dominus, & vaſa furoris eius, [c] vt diſperdat omnẽ ter-
ram. Vlulate, quia prope eſt dies Domini: quaſi vaſtitas à Domino veniet. Propter hoc omnes manus diſ-
B ſoluentur, & omne cor hominis contabeſcet & conteretur: torſiones & dolores tenebunt eos, quaſi parturiẽs
dolebunt. Vnuſquiſque ad proximum ſuum ſtupebit, [d] facies † rubentes vti flamma vultus eorum. Ecce Eze. 32.b
dies Domini venit, crudelis, & indignationis plenus, & ireꝫ, furoriſq; ad ponendam terram in ſolitudinem, & Ioel.3.c
peccatores eius conterendos de ea, quoniam [e] ſtellæ cœli, & ſplendor earum non expandent lumen ſuum. Matt. 24.c
Obtenebratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna non ſplendebit in lumine ſuo. Et viſitabo ſuper orbis mala, & con Mar. 14.c
tra impios iniquitatem eorum, & quieſcere faciam † arrogantiam ſuperborum, & arrogantiam fortium hu- Luc. 21.e
C miliabo. [f] Preciоſior erit vir auro, & homo mundo obryzo. Super hoc, cœlum turbabo: & mouebitur terra de loco ſuo, propter indignationem Domini exercituum, & propter diem iræ furoris eius. Et erit quaſi
damula fugiens, & quaſi ouis: & non erit qui congreget. [g] Vnuſquiſq; ad populum ſuum conuertetur, & ſin Pſal. 136.b
guli ad terram ſuam fugient. Omnis, qui inuentus fuerit, occidetur: & omnis, qui ſuperuenerit, cadet in gladio. Infantes eorum allidentur in oculis eorum: diripentur domus eorum, & vxores eorum violabuntur.
Ecce ego ſuſcitabo ſuper eos Medos, qui argentum nõ quærant, nec aurum velint: ſed ſagittis paruulos inter-
D ficient, & lactentibus veteris non miſerebuntur, & ſuper filios nõ parcet oculus eorum. Et erit Babylon illa
glorioſa in regnis, inclyta in ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubuertit Dominus Sodomam & Gomorrham.
Non habitabitur vſque in finem, & non fundabitur vſque ad generationem & generationem: nec ponet ibi Gene. 19.e
tentoria [h] Arabs, nec paſtores requieſcent ibi: ſed requieſcẽt ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus: & habitabunt ibi ſtruthiones, & piloſi ſaltabunt ibi, & reſpondebunt ibi vlulę in ædibus eius, & † draco
nes [i] in delubris voluptatis.

SCHOLIA.

[a] Onus Babylonis.] *Vocatur hic prophetia onus, præsertim quæ afflictionem annuntiat.* [b] Leuate manum.] *Per leuationem, siue agitationem manus, intellige vocationem hostis, quæ voce, manu, & vexilli erectione fieri iubetur. Per portas ducum, siue beneficorum, intelliguntur domus principum, & per sanctificatos, Medi & Persæ diuino parentes imperio vndique, & etiam à remotissimis locis concurrentes, & communi auxilio Babyloniam deuastantes, quæ à Semiramide condita, Chaldæorum regia erat: pro ea conditæ sunt insignes ciuitates, Ctesiphon, & Seleucia, de quibus Strabo lib. 15. Geographia.* [c] Vt perdat omnem terram.] *Scilicet Babyloniorum, per allegoriam verò de toto mundo, & terra intelligamus.* [d] Facies rubentes.] *Præ pudore scilicet, quia scelerum sibi conscij sunt.* [e] Stellæ cœli.] *Est familiare scripturæ, vt vocet tempus magnæ tribulationis, tempus tenebrosum, in quo sol, & luna radios suos abscondunt.* [f] Preciosior erit vir auro.] *Sensus est. Non accipient Medi aurum à Babylonis, vt se redimant.* [g] Vnusquisque ad populum suũ conuertetur.] *Quicunque in Babylone negotiator & peregrinus inuenitur.* [h] Arabs.] *Sunt quidam Arabes, qui certa domicilia nõ habent, sed deserunt secum tabernacula sua, vagantes in desertis, & pascuosis locis. In loco autem Babyloniæ tunc breui futurum erat, vt præ horrore ruinarum, & horrendorum animalium nemo vel tentorium suum per noctem extendere posset.* [i] In delubris voluptatis.] *Vbi scilicet olim palatia regia erant.*

CAPVT XIIII.

A PRope eſt, vt veniat tempus eius & dies eius nõ elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Iacob, &
eliget adhuc de Iſrael, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adiungetur aduena ad eos, & adhærebit domui Iacob. [a] Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum ſuum, & poſſidebit eos
domus Iſrael ſuper terram Domini in ſeruos & ancillas: & erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubijcient
exactores ſuos. Et erit in die illa: cum requiem dederit tibi Dominus à labore tuo, & à concuſſione tua, & à
ſeruitute dura, qua ante ſeruiſti, fumes parabolam iſtam contra regem Babylonis, & dices, Quomodo ceſſauit exactor, quieuit tributum? Contriuit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium, cædentem
populos in indignatione plaga inſanabili, ſubijcientem in furore gentes, perſequentẽ crudeliter. Conquie-
B uit & ſiluit omnis terra, gauiſa eſt & exultauit: [b] abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani: ex quo
dormiſti, non aſcendit qui ſuccidat nos. [c] Infernus ſubter conturbatus eſt propter te in occurſum aduentus
tui, [d] ſuſcitauit tibi † mortuos. Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſolijs ſuis, omnes principes nationũ.

Vniuerſi

Vniuersi respondebunt,& dicent tibi,Et tu vulneratus es sicut & nos,nostri similis effectus es. Detracta est ad inferos superbia tua,concidit † strepitus instrumentorum musicorum:subter te sternetur tinea:& operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruisti in terram,qui vulnerabas gentes:qui dicebas in corde tuo,In cœlum conscendam,[e] super astra Dei exaltabo solium meum,& sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis: ascendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo. Veruntamen ad infernum detraheris in profundum laci. Qui viderint † te contemplabun- C
tur,teque attenti aspicient. Nunquid iste est vir qui conturbauit terram,qui concussit regna,qui posuit orbem desertum, & vrbes eius destruxit, vinctis suis non aperuit carcerem? Omnes reges gentium vniuersi dormierunt in gloria,vir in domo sua:[f] tu autem proiectus es de sepulchro tuo, quasi stirps † abominabilis quasi vestimenta occisorum,qui interfecti sunt gladio & descenderunt [g] ad fundamẽta laci. Quasi cadauer putridum non habebis consortium † cum eis in sepultura. Tu enim terram tuam disperdisti, tu populum tuum occidisti:[h] non vocabitur in æternum semen pessimorũ. Preparate filios eius occisioni [i] in iniquitate patrum suorum:non consurgent,nec hæreditabunt terram, neque implebunt [k] faciem orbis ciuitatibus.Et consurgam super eos, dicit Dominus exercituum : & perdam Babylonis nomen , & reliquias,† & filium & nepotem:dicit Dominus.Et ponam eam in possessionem erinacij , & in paludes aquarum , & scopabo eam in scopa terens,dicit Dominus exercituum.Iurauit Dominus exercituum dicens,Si non , vt putaui, ita erit: D
& quomodo mente tractaui,sic eueniet,[l] Vt conteram Assyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum,& auferetur ab eis iugum eius,& onus illius ab humero eorum tolletur.Hoc consilium, quod cogitaui super omnem terram,& hęc est manus extenta super vniuersas gẽtes. Dñs enim exercituum decreuit, & quis poterit infirmare? Et manus eius extenta : & quis auertet eam? In anno quo mortuus est rex Achaz, factum est onus istud.[m] Ne læteris Philisthæa omnis tu † quòd comminuta sit virga percussoris tui : de radice enim colubri egredietur regulus,& semen eius † draco volans. [n] Et pascentur primogeniti pauperum, & pauperes fiducialiter requiescẽt:& interire faciam in fame radicem tuam, & reliquias tuas interficiam. Vlula porta,clama ciuitas:prostrata est Philisthęa omnis tu. [o] Ab aquilone enim fumus venit, [p] & non est qui effugiat agmen eius.[q] Et quid respondebitur nuntijs gentis? Quòd Dominus fundauit Sion , & in ipsa sperabunt pauperes populi eius.

SCHOLIA.

[a] Et tenebunt eos populi.] *Vel accipient,iuxta historiam à Cyro & Dario adiuti fuerunt muneribus , pro reparando templo,& muris.* [b] Abietes quoque.] *Per abietes & cedros libani,intelligit principes , ac reges subactos , quos indignè tractabat.* [c] Infernus propter te.] *Cum (inquit) rex Babylonis, tyrannus ille insignis , mortem obyit,lætati sunt viui & mortui. Apud inferos,hoc est,in sepulchro iacẽtes excitati sunt reges & principes , quos omnes rex Babylonius sibi tyrãnicè subiecit,qui excipientes in consortium suum tantum regem,dicunt:etiam tu nobis similis mortalis factus es? quomodo huc descendisti,qui putabas te Luciferum esse cœli,& solium tuum æquasti solio altissimi? Et pulcherrimo profectò vtitur hic propheta figmento poetico,perinde quasi apud inferos sit regnum,cuius principes , et proceres omnes obuiam venerint mortuo regi Babylonis,& exprobrantes illi dixerint,quomodo è cœlo cecidisti,&c.* [d] Suscitabit tibi mortuos.] *Hoc est, nobiliores mortuos,nam Hebræam dictionem alibi vertunt medicos,alibi mortuos,vt illud , aut medici suscitabunt , significantur enim insigniores mortui.* [e] Super astra Dei.] *Intelligunt Israelitas,sic in monte testamenti, in lateribus aquilonis, significat montem Sion,qui ad aquilonem Ierusalem situs est,vbi Israelitæ ad templum Domini congregabantur , & Psal. 47.fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion latera aquilonis.* [f] Tu autem proiectus es.] *Hoc est , sepulcris abys, qui à te interfecti sunt,tu solus insepultus iacebis,ferũt enim Euilmerodach,qui,patre suo Nabuchodonosor viuente per septẽ annos inter bestias,ante regnauerat,postquam ille restitutus in regnum est , vsque ad mortem patris cum Ioachin rege Iuda in vinculis fuisse,quo mortuo cum rursus in regnum succederet,& non susciperetur à principibus , qui metuebant ne viueret is,qui dicebatur extinctus,vt fidem patris mortui faceret,aperuit sepulchrum,& cadauer eius vnco traxit , et funibus.* [g] Ad fundamenta laci.] *Intelligit sepulchrum,in quod vnà cũ cadauere proiciuntur vestimenta sanguinolenta.* [h] Non vocabitur in æternum.] *Hoc est,memoria eorum citò delebitur.* [i] In iniquitate patrum eorum.] *Qui eorundem parentũ vitia imitãtur.* [k] Faciem orbis ciuitatibus.] *Alius vertit:hostibus. Sunt qui & hũc sensum afferant.Si semen malignorum non possederit terram,filij hominum breui replebunt orbem ciuitatibus.* [l] Vt conteram Assyrium.] *Nunc loquitur de rege Sennacherib.* [m] Ne læteris.] *Prophetat contra Palestinos , & ait, ne læteris, quòd contrita sit virga percussoris tui,hoc est potestas Oziæ,sub quo quasdam ciuitates amiserant,quia de radice colubri egredietur regulus , hoc est , de regibus posteritatis Dauid nascetur Ezechias qui te vastabit.* [n] Pascentur primogeniti.] *Per hos intelliguntur Iudæi, qui olim fuerunt populus Dei electus,per radicem verò,hostes populi Dei.* [o] Ab aquilone enim fumus venit.] *Hoc est, à Ierusalem quæ est ex parte aquilonaris Palestinæ,& non erit (inquit) qui detrectet proficisci contra te temporibus eius.* [p] Et non est qui effugiat.] *Vel.Et ne vnus quidem manebit in coetibus eius.* [q] Et quid respondebitur nuntijs gentis?] *Cum maritima sit Philisthæa,ad cuius nobiles vrbes legati ac nuntij plurimi mittantur ex toto orbe , quid illi renuntiabunt ad suos reuersi,de Palestinæ negotys? nempe quòd ipse Dominus , qui fundauit Sion , etiam populum suum protegat aduersus hostes eorum.*

CAPVT XV.

ONus Moab,[a] quia nocte vastata est Ar Moab † perijt:quia nocte vastatus est murus , Moab,† perijt. A
[b] Ascendit domum in Diboon ad excelsa in planctum:super Nabo ,& super Medaba , Moab vlulabit.In cũctis capitibus eius caluitium,& omnis barba radetur.In triuijs eius accincti sunt sacco : super tecta eius,& in plateis eius omnis vlulat , descendit in fletum. Clamabit Hesebon & Eleale , vsque Iahaz audita est vox eorum.Super hoc expediti Moab vlulabunt , anima eius vlulabit sibi.[c] Cor meum ab Moab clamabit,† fuga eius vsque ad Segor [d] vitulam † trimam. Per ascensum.n.Luith flens ascẽdet & in via Oronaim

Iere.48.f
Eze.7.e

naim clamorem contritionis leuabunt. Aquæ enim Nemrim desertæ erunt,† vnde aruit hærba,defecit germẽ,viror omnis interijt. † Propterea flebit,q̃ quicquid habuit reliqui , & quicquid reposuerat,omne illud hostes eorum ad [e] torrentem salicum ducent:quoniam circuibit clamor terminum Moab. Vsq; ad Gallim vlulatus eius,& vsq; ad puteum Elim clamor eius,quia aquæ † Dimon repletę sunt sanguine.[f] Ponam enim super Dimon additamenta his qui fugerint de Moab leonem,& reliquijs terræ.

SCHOLIA.

[a] Quia nocte.] *Hoc est,repentino,& cum nemo de hoc sollicitus esset,superuenit eis interitus.* [b] Ascẽdit domum.] *Hoc est,templum Dei sui.* [c] Cor meum ad Moab.] *Vel,cor meum,vnusquisq; ad Moab clamabit , hoc est omnes clamabunt,ò cor meum,& heu quàm doleo toto corde.* [d] Vitulam trimam.] *Comparat propheta regionem Moab vitulæ triennali,quæ pinguis,& optima sit,ob multas opes,quæ tunc in ea fuerunt.* [e] Ad torrentem salicum.] *Vbi hostis spolia diuisit.* [f] Ponam enim super Dimon additamenta.] *Videlicet sanguinis,nempe leones,vel efferos,vt leones.*

CAPVT XVI.

A EMITTE[a] Mittite agnum Dominatori terræ,de petra deserti ad montem filiæ Sion.Et erit,sicut auis fugiens, & pulli de nido auolantes,sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. [b] Ini cõsilium,coge cõsilium: pone quasi noctem vmbram tuam in meridie : absconde fugientes , & vagos ne prodas. Habitabunt apud te profugi mei : Moab est latibulum eorum à facie vastatoris : † finita est enim oppressio, desiit vastatio,defecit qui conculcabat terram. Et præparabitur in misericordia solium,& sedebit super eum in veritaB te in tabernaculo Dauid iudicans & quærens iudicium , & velociter reddens quod iustum est. Audiuimus superbiam Moab,superbus est valde:superbia eius & arrogantia eius, & [c] indignatio † non erunt vsui mendacia eius.Iccircò vlulabit Moab,ob Moab, vniuersus vlulabit:† [d] propter fundamenta ciuitatis fictilis , loquimini voce submissa dolentes . Quoniam suburbana Hesebon deserta sunt, & vineam Sábama Domini gentũ exciderunt. Flagella eius [e] vsque ad Iazér peruenerunt,errauerunt in deserto,propagines eius † proC strатæ sunt,transierunt mare. [f] Super hoc plorabo in fletu Iazer , vineam Sábama . Inebriabo te lacryma mea Hesebon,& Eleale:quoniam super vindemiam tuam,& super messem tuam vox † gratulationis perijt. Et auferetur lætitia & exultatio † ab vbere campo,& in vineis non exultabit neq; iubilabit. Vinum in torculari non calcabit qui calcare consueuerat : vocem calcantium abstuli . Super hoc venter meus ad Moab quasi cithara sonabit,& viscera mea ad murũ cocti lateris.Et erit : [g] cũ apparuerit quòd † laborauerit Moab D super excelsis suis,ingredietur ad sancta sua vt obsecret,& non valebit.Hoc verbum,quod loquutus est Dominus ad Moab extunc:& nunc locutus est Dominus , dicens, In tribus annis [h] quasi anni mercenarij auferetur gloria Moab super omni populo multo,& relinquetur paruus & modicus, nequaquam † fortis.

SCHOLIA.

[a] Emittite agnum Dominatori terræ.] *Legimus 4. Regum 3. de Mesa rege Moabitarum quòd pauerit multa pecora,& soluerit tributum regi Israel Achab,quo mortuo præuaricatus est fœdus:tributum autem erat cẽtum millia agnorum,& centum millia arietum cum lana eorum.Est autẽ petra deserti arx & ciuitas principalis in regno Moab. Ab hac (inquit) nisi miseritis Dominatori vniuersæ terræ muneris,& placueritis faciem eius,eritis si cut aues è nido dimissæ , & transferent hostes filias vestras,& exulabitis vltra fluuium Arnon , &c.* [b] Ini consilium.] *Voluisses (inquit) nunc cogisse concilium,pro suscipiendis profugis nostris,cum ad vos confugerent.Et illud, Pone quasi noctem vmbrã tuam in meridie,hoc est, Voluisses recreare in afflictionibus: Vt sit ironia,quasi dicat Dominus.Cum electi mei apud te vagarentur præsidium nullum habere potuerunt,nunc autem cum illorum defecerint,& in nihilum redacti sint hostes , et regium solium in misericordia illis sit præparatum,tu exulabis,&c.Aly sic.Iam venit tempus consultandi de rebus vestris,iam vicem vobis hostes rependunt pro crudeli austeritate vestra:qua profugos Israelis ad vos confugientes susciperе renuistis , quam nunc in medio calamitatum,in ardentissimo meridiano æstu optaretis vmbram refrigerij,& hospitalitatis refugium consequi. Quare ergo non nostros quoque profugos suscepistis , sed vagos palantesque prodidistis Assyrio?* [c] Indignatio.] *Quia scilicet absque causa furore concitatus est in vicinos quosque.Superbia enim & indignatio eius magna fuit , sed hæc cum mendacia,& dolo fuerint,non liberabunt à perditione.* [d] Propter fundamenta ciuitatis fictilis.] *Quæ Heb.Cir Hareseth vocatur:per varias vites intelliguntur nobiliores quique homines,quorum quidam occisi fuerũt , alij in captiuitatem abducti. Fieri tamen potest, vt eleganter filios ebrietatis conferat vineæ,& eos contristet vinearum ablatione.Tradunt enim historiæquasdam Ammonitarum,& Moabitarum ciuitates à Baccho conditas.Quod nos vertimus loquimini voce submissa dolentes.Heb.habet. Meditabimini tantum claudi.* [e] Vsque ad Iazer.] *Quæ erat terminus Moabitarum , vrbs nobilis , in tribu Gad sita.* [f] Super hoc plorabo.] *Ego Moab flebo in fletu ciuitatem Iazer,& flebo vineam,Sabama.* [g] Cum apparuerit quòd laborauerit.] *Cum visus fuerit,frustra se fatigasse in excelsis per oblationes , confugiet ad Deos sanctuarijsi tamen præ fletu orare posset.* [h] Quasi anni mercenarij.] *Annus mercenarij prolongationem non admittit, sed mox finito anno exigitur mercenarius.*

CAPVT XVII.

A ONus Damasci.Ecce Damascus desinet esse ciuitas,& erit sicut aceruus lapidum in ruina. Derelictę ciuitates Aroer caulæ,gregibus erunt, & requiescent ibi , & non erit qui exterreat. [a] Et cessabit † munitio ab Ephraim,& regnum à Damasco:& reliquiæ Syriæ,[b] sicut gloria filiorum Israel erunt , dicit Dominus exercituum. Et erit in die illa : attenuabitur gloria Iacob , & pinguedo carnis eius emarcescet , &
B erit sicut congregans in messe,quod restiterit, & † cuius brachium spicas leget. Et erit sicut quærens spicas in valle Raphaim,& relinquetur in eo sicut racemus,[c] & sicut excussio oleæ duarum vel trium oliuarum in summitate rami,siue quatuor aut quinq; in cacuminibus † eius frugiferis, dicit Dñs Deus Israel . In die illa inclinabitur homo ad factorem suum,& oculi eius ad sanctum Israel respicient:& non inclinabitur ad † altaria quæ fecerunt manus eius,& quæ operati sunt digiti eius:non respiciet lucos & delubra.In die illa erunt

ciuitates

ciuitates fortitudinis eius derelictæ [d] † sicut palmes & racemus quæ derelictæ sunt † propter filios Israel, & C
erit deserta. Quia oblita es Dei saluatoris tui, & fortis adiutoris tui nō es recordata: † [e] propterea quòd plan-
tata es plantatio pulcherrima, sed germen alienum seminasti. In die plantationis tuæ, crescebas & manè se-
men tuum florebat. Ablata est messis in die hæreditatis, & dolebit grauiter. [f] Væ multitudini populorum
multorum, vt multitudo maris sonàtis, & tumultus turbarum, sicut sonitus aquarum multarum. Sonabunt D
populi sicut sonitus aquarum inundantium, & increpabit eum, & fugiet procul. Et rapietur sicut puluis
montium à facie venti, & sicut † stipula coràm tempestate. [g] In tẽpore vesperæ, & ecce turbatio: & ante ma-
tutinum, non subsistent, hæc est pars eorum qui vastauerunt nos, & sors diripientium nos.

SCHOLIA.

[a] Et cessabit munitio ab Ephraim.] *Per Ephraim intellige regnum Israel, quia de tribu Ephraim fuit Ieroboam, et plerique alij reges, hoc ergo regnum cum rege Syriæ se coniunxerat, & arma contra Iudam mouit. Prophetat igitur Esaias simul contra Syriam, & regnum Israel, quòd gloria vtriusque regni eodem tempore sit migratura in captiuitatem.* [b] Sicut gloria filiorum Israel.] *Gloriam ironicè appellat.* [c] Et sicut excussio oleæ.] *Relictum in eo erit tam rarum, quam raræ solent esse baccæ relictæ ab excutiente oleã, in qua relinqui solent baccæ duæ aut tres.* [d] Sicut palmes & racemus.] *Vt solet palmes relinqui cum paucissimis fructibus, & quod sequitur. Quæ derelictæ sunt propter filios Israel. Sicut (inquit) olim Cananæi dereliquerunt ciuitates suas Israelitis, sic nunc Israelitæ dereliquent eas, relictis paucis virgultis & frõdibus.* [e] Propterea quòd plantata es.] *Plantata fuisti plantatio pulcherrima, sed superseminasti semen pessimum: in die plantationis tuæ crescebas, & postridie diei illius proferre germen videbaris, nunc autem quando ad excussionem ramorum ventum est in die hoc calamitoso, nihil inuenitur præter mœrorem, & desperationem.* [f] Væ multitudini populorum.] *Vel ò multitudinem, est enim dictio & deplorantis & vocantis. Id autem ad exercitum Sennacherib referunt, quem cũ Deus increpasset, perdito vna nocte toto exercitu, rex cum paucis aufugit in Assyriam.* [g] In tempore vesperæ.] *Vesperi erat turbatio, & metus Hierosolymitanis, & ecce manè apparuit consumptus exercitus.*

CAPVT XVIII.

O † Terra [a] vmbra alarum quæ est trans flumina Æthiopiæ, qui mittit in mare legatos, & [b] in vasis A
papyri super aquas. Ite angeli veloces [c] ad gẽtem conuulsam, & dilaceratam: ad populum terribi-
lem, † à tempore quo ipse cœpit vsque nunc ad gentem paulatim cõculcatam, cuius [d] diripuerunt
flumina terram eius. Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum eleuatum fuerit signum in mõ- B
tibus, videbitis, & clangorem tubæ audietis: quia hæc dicit Dominus ad me, [e] Ego quiescam, & consyderabo
in loco meo sicut † cœlum serenum post pluuiam, & sicut nubes roris in die messis. [f] Ante messem † quasi
totus efflоruit, & immatura † profectio germinauit, & proscinderat ramusculos eius falcibus: & propagines C
eius abstulerat, & absciderat, Et relinquebantur simul auibus montium, & bestijs terræ: & æstate perpetua
erant super eum volucres, & omnes bestiæ terræ † iuxta illum hyemabant. In tempore illo [g] deferetur mu-
nus Domino exercituum populus diuulsus & dilaceratus: populus terribilis † à tempore quo esse cœpit vsq; D
nunc, gens paulatim conculcata: cuius diripuerunt flumina terram eius ad locum nominis Domini exerci-
tuum montem Sion.

SCHOLIA.

[a] Vmbra alarum.] *Hoc est, quæ inumbrat tãquàm alis, velis nauium, videlicet Arabum, Aegyptiorum, qui à Syria vsque ad Meren habitant sinum Arabicum ad orientem, Nilum & Aethiopas, qui sub Aegypto, ad occidentẽ habentes.* [b] In vasis papyri.] *Intelliguntur nauiculæ leuissimæ, quæ in superficie aquæ velocissimè moueri possint, quibus gentes illæ vtuntur, quæ vltra Aegyptum in Aethiopum regionibus habitant, quos Troglodytas esse putant.* [c] Ad gentem conuulsam.] *Per hanc gentem quidam intelligunt Iudæos, qui fuerunt populus mirabilis, cum quibus Deus tam mirabilia egit, ab eo tempore, quo populus esse cœpit. Alij verò putant hanc terribilem gentem esse Aethiopas ipsos, ad quos rex Assyriæ misit nuntios indicens eis bellum: & ita variè exponitur hoc caput non solum à Christianis, verum & à Iudæis. Recentiores tamen Hebræorum scriptores referunt ad dies Messiæ.* [d] Diripuerũt flumina.] *Per flumina intelliguntur inundationes hostilium exercituũ.* [e] Ego.] *Postquam (inquit) Dominus id dixit ad me, quiescam ego, & consolationem meam habebo haud secus, quàm terra, quæ post susceptam pluuiam, calore solari lætificatur. Alij referunt ad Deum, vt dicat: ero quasi calor siccans post pluuiam, hoc est, post afflictionem populi mei, succuram illi, & hostes eius perdam.* [f] Ante messem.] *Ait hanc Domini vineam ingentem primò præ se tulisse spem fructuum, sed fuisse deuastatam. Hunc locum sic alius vertit. Quia ante messem cum perfectum fuerit germen, erit ex flore fructus, sensim matureſcens, at succidet palmites falcibus, & propagines auferet per incisuram, &c.* [g] Deferetur munus Domino exercituum populus] *Præsentiantur gentes creditura, & per apostolos conuertendæ ad Dominum, quanquam obtectè videtur describi sub persona populi Israelitici, qui diuulsus, & dilaceratus tandem sub Ezechia gratiam habebit Domino Deo suo. Vbi nos diximus, populus terribilis. In Heb. est, à populo terribili.*

CAPVT XIX.

O [a] Nus Ægypti. Ecce Dominus ascendet [b] super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum, & moue- A
buntur simulachra Ægypti à facie eius, & cor Ægypti tabescet in medio eius. [c] Et concurrere fa-
ciam Ægyptios: aduersus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem suum, & vir contra amicum
suum, ciuitas aduersus ciuitatem, & regnum aduersus regnum. Et dirumpetur spiritus Ægypti in visceribus
eius: & consilium eius præcipitabo: & interrogabunt simulachra sua, & diuinos suos, & pythones & ariolos.
Et tradam Ægyptum in manu dominorũ crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus
exercituum. [d] Et arescet aqua de mari, & fluuius desolabitur atque siccabitur, & deficient flumina. Et attenuabuntur & siccabũtur riui † Ægypti. Calamus & iuncus marcescet, † loca pascua iuxta riuum. Et omnis D
sementis irrigua siccabitur, arescet, & non erit. Et mœrebunt piscatores, & lugebũt omnes mittentes in flu-
men

men hamum, & expandentes rete super faciem aquarum emarcescent. Confundentur qui operãtur linum,
plectentes & texentes † retia. Et erunt † retia eius contrita: omnes qui faciebãt lacunas ad † viuos seruandos
pisces. Stulti principes Taneos, sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens: quomodo di-
cetis Pharaoni, Filius sapientium ego, filius regum antiquorum? Vbi nunc sunt sapientes tui? Annuntient
& indicent tibi quid cogitauerit Dominus exercituum super Ægyptum. Stulti facti sunt principes Taneos,
C errauerunt principes Mempheos, deceperunt Ægyptum, [c] angulum populorum eius. Dominus miscuit in
medio eius spiritum vertiginis: & errare fecerunt Ægyptum in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomẽs.
Et non erit Ægypto opus quod faciat, [f] caput & cauda † ramus & iuncus. In die illa erit Ægyptus quasi mu-
lieres, & stupebunt & timebunt à facie commotionis manus Domini exercituum, quam ipse mouebit super
eam, & erit terra Iuda [g] Ægypto in pauorem. Omnis qui illius fuerit recordatus, pauebit à facie consilij Do-
mini exercituum quod ipse cogitauit super eam. In die illa erunt [h] quinque ciuitates in terra Ægypti, loquẽ-
tes lingua Chanàan, & iurantes per Dominum exercituum. [i] Ciuitas solis vocabitur vna. In die illa erit alta-
re Domini in medio terræ Ægypti [k] & titulus Domini iuxta terminum eius: & erit in signum, & in testimo-
D nium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabũt enim ad Dominum à facie tribulantis, & mittet eis
saluatorẽ & propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoscetur Dominus ab Ægypto, & cognoscent Ægyptij
Dominum in die illa, & colent eum in hostijs & in muneribus: & vota vouebũt Domino, & soluent. Et per-
cutiet Dominus Ægyptum plaga, & sanabit eam, & reuertentur ad Dominum, & placabitur eis, & sanabit
eos. In die illa [l] erit via de Ægypto in Assyrios, & introibit Assyrius in Ægyptum, & Ægyptius in Assyrios, & Danie. 11. c
seruient Ægyptij Assur. In die illa erit Israel tertius Ægyptio & Assyrio: benedictio in medio terræ, cui bene-
dixit Dominus exercituum, dicens, Benedictus populus meus Ægypti, & opus manuum mearum Assyrius,
hæreditas autem mea Israel.

SCHOLIA.

[a] Onus Ægypti.] *Cum deuastarent terram Israel Assyry, Taraches Aethiopum rex & Aegyptij se armauerunt aduersus Assyrios, qui mox contra Aegyptios, & Assyrios mouerunt exercitum.* [b] Super nubem leuem.] *Significat Dominum subitò immissurum malum Aegyptys, à quo diy eorum eos liberare non poterunt, sed nec sapientes eorum eis consulere poterunt contra consilium Domini, qui euacuabit animos eorum, vt salubre consilium afferre nequeant, & sic tandem sequentur seditiones & tumultus. Quin & rex Assur, commune gentium flagellum, veniet contra eos, sæuiturus in eos. Erit (inquit) propheta, rex Assur Aegyptys tã durus, ac si exiccatus esset Nilus et cæteri riui Aegypti, à quibus Aegyptij omnem suam habent commoditatem, cum in Aegypto nunquã pluat, sed terra inundatione Nili fœcundetur. Et sub hac allegoria inducit propheta piscatores, & textores retium, lacunas, & viuaria. Mirum profectò in hoc propheta, et penè plus-quam poeticum dicendi artificium.* [c] Concurrere faciam Ægyptios.] *Apud Aegyptios, cum à Sennacherib inuaderentur, orta est seditio, volentibus alys se tradere hostibus, alys repugnantibus.* [d] Et arescet aqua de mari.] *Hieronymus hic intelligit lacum Mareotidem.* [e] Angulum populorum.] *Hoc est, primates regni, quasi lapides angulares.* [f] Caput & caudam.] *Tam maiores scilicet, & qui primo loco sunt, quàm minores. Sic ramus & iuncus, hoc est fortis ac debilis.* [g] Ægypto in pauorem.] *Vel terrorem. Non credent (inquit) Aegypty modo verbis meis, sed veniet dies, vt sine tremore noui possint audire nomen Iuda, in qua terra hoc Domini cõsilium longè ante reuelatum fuit.* [h] Quinq; ciuitates.] *Hoc est, aliquot, & per linguam Chanaan intelligitur lingua Hebræorum, qui terram Chanaan habitant, Hebræorum autẽ tradituo habet. Sennacherib victos Aegyptios et Aethiopes secum duxisse ad expugnationem Ierusalem, suo autem Assyria exercitu percusso, Ezechiam Aegyptios remisisse saluos cum Aethiopibus, vt narrarent magnalia Dei Israel, & erectis eum aris colerent, & venerarentur sacrificijs, & hoc esse, quod hic dicitur, quinque Aegyptiorum celebriores vrbes, conuersas ad Dominum, Hebræa lingua, qua vtebantur fideles, Dominum laudaturos, quæ figura erat conuertendarũ per Christum gentium, cuius typum gerebat Ezechias.* [i] Ciuitas solis.] *Alij verterunt, ciuitas desolationis, id est, quæ Deum non nouerit, digna, quæ deuastetur. Hebræa enim dictio, & solem & deuastationem significat: quod & Oniæ sacerdoti imposuit, vt altare Domino in Aegypto extruẽdum putarit. Per altare ergo intellige cultum idolorum commutatum in cultum Dei, vt ex multis ciuitatibus paucæ fuerint, quæ Domino exercituum non crediderint: post summam cladem Aegypto illatam. Sic Dominus simul percutit & medetur, & dum aliud agere videtur, agnitionem sui affert hominibus.* [k] Et titulus.] *Columna vel statua.* [l] Erit via de Ægypto in Assyrios.] *Concordia, et pax significatur, quæ sub Ezechia reddita, vberius per Christum toti orbi restituta est.*

CAPVT XX.

A IN anno quo ingressus est Thartã in Azótum, cum misisset eum [a] Sargon rex Assyriorum, & pugnasset
contra Azótum, & cepisset eam: in tempore illo locutus est Dominus in manu Isaiæ filij Amos, dicens,
Vade, & [b] solue saccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus,
& discalceatus. Et dixit Dominus, Sicut ambulauit seruus meus Isaias nudus & discalceatus, † tribus annis in
B signum, & portentum super Ægyptum & super Æthiopiam: sic minabit rex Assyriorum captiuitatẽ Ægy-
ti, & transmigrationem Æthiopiæ, iuuenem, & senẽ, nudum & discalceatum, discoopertis natibus ad igno-
miniam Ægypti. Et timebunt, & confundentur ab Æthiopia [c] spe sua, & ab Ægypto gloria sua. Et dicet [d] ha-
bitator Insulæ huius in die illa, Ecce hęc erat spes nostra ad quos confugimus in auxilium, vt liberarent nos
à facie regis Assyriorum. Et quomodo effugere poterimus nos?

SCHOLIA.

[a] Sargon.] *Hic fuit Sennacherib, qui multa secundum Hebræos habuit nomina.* [b] Solue saccum.] *Portabat enim in lumbis suis cilicium ob captiuitatem decem tribuum. Sunt tamen qui putent, hæc in visione imaginaria gesta, & quòd propheta non tribus annis discalceatus incesserit, sicut nec ad literam intelligendum: quòd Osea accesserit ad mulierem fornicariam, & ab ea susceperit prolem, aut quòd Ezechiel comederit panem in stercore bouino coctum. Et quod ait, triuum annorum*

rum signum,intellige,quòd poſt triennium hoc futurum prædixerat,fortaſſe enim ter ſic inceſſerat. c Spe ſua.] *Quod alius vertit,reſpectu ſuo,hoc eſt,confidentia,vt ſit appoſitio:alius tamen legit,aſpectus eorũ.* d Habitator inſulæ.] *Terra Iſrael inſula dicitur quòd mari alluatur.Eſt enim,qui malit legi,habitator regionis huius,hoc eſt,Iudææ.*

CAPVT XXI.

Habac.a

A Onus deſerti maris.Sicut turbines ab Aphrico veniunt:de deſerto venit,de terra horribili. Viſio dura nuntiata eſt mihi.† Venit contra ſceleratum ſceleratus, contra vaſtatorẽ vaſtator. b Aſcende Ælã, obſide Mede:omnem gemitum eius ceſſare feci.Propterea c repleti ſunt lumbi mei dolore, & anguſtia poſſedit me ſicut anguſtia parturientis. Corrui cum audirem, conturbatus ſum cum viderem,† errauit cor meum,terror exterruit me, d noctem deſyderabilem vertit in horrorem. e Pone menſam,contemplare in ſpecula:† comede,& † bibe:ſurgite principes,arripite clypeum.Hæc enim dixit mihi Dominus, f Va- B

Habac. 2.a

de,& pone ſpeculatorem:& quodcunque viderit annuntiet.Et vidit g currum duorum equitum,aſcenſorem aſini,& aſcenſorem cameli:& cõtemplatus eſt diligenter multo intuitu. h Et clamauit, leo, i Super ſpeculam Domini ego ſum,ſtans ingiter per diem:& ſuper cuſtodiam meam ego ſum , ſtans totis noctibus. k Ecce iſte

Iere. 52.a
Apo.14.b

venit aſcenſor vir bigæ equitum,& reſpondit,& dixit,Cecidit cecidit Babylon , & omnia ſculptilia deorum C eius contrita ſunt in terra.l Tritura mea , & filius areę meæ , quæ audiui à Domino exercituum Deo Iſrael, annuntiaui vobis. m Onus Duma:ad me clamat ex Seir , Cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? Dixit cuſtos,Venit mane & nox.Si queritis quærite:conuertimini & venite. n Onus in Arabiam.In ſaltu † in Arabia dormietis,in ſemitis Dedanim. o Occurrentes ſitienti ferte aquam,qui habitatis terram auſtri, cum pa- I nibus occurrite fugienti. A facie enim gladiorum fugerunt, à facie gladij imminentis , à facie arcus extenti, à facie grauis prælij:quoniam hęc dicit Dominus ad me,Adhuc in vno anno quaſi in anno mercenarij, & auferetur omnis gloria Cedar,& p reliquiæ numeri ſagittariorum fortium de filijs Cedar imminuẽtur. Dominus enim Deus Iſrael locutus eſt.

SCHOLIA.

a Onus deſerti maris.] *Vel deſerti occidentalis,ideſt Babylonis,quæ ad occidentem ſita eſt reſpectu Perſarum, & Medorum,à quibus deletum eſt illius imperium.Et quia Ieruſalem quoque vaſtanda erat per Babyloniam, ideo nõ ſemel,ſed ſæpius prophetauit contra eam. Ait ergo, ſubito , & vehementi cum tumultu velut ab auſtrali turbine,qui ſolet eſſe impetuoſior,eam eſſe vaſtandam à populo venturo de terra horribili,hoc eſt,longinqua,de Perſia ſcilicet,ac Media : inde enim venit Cyrus,& Darius qui eam ceperunt.* b Aſcende Ælam.] *Deuaſtatores Babylonis Elamitæ,Medi,& Perſæ. Et illud, omnem gemitum eius ceſſare feci,intellige gemitum afflictarum gentium à Babylone.* c Repleti ſunt lumbi mei.] *In perſona Balthaſaris regis hæc dicuntur.Lumbos autem impleri dolore,vel defectione,eſt, infirmum atque imbecillum eſſe ſicut contra lumbos ſuccingere,ſtrenuitatem ſignificat.* d Noctem deſyderabilem.] *Cum enim is Balthaſar ſolemnem inſtituiſſet noctem,& vino æſtuaret,ſubitò irrumpentes Medi & Perſæ ceperunt vrbem , & conuerſum eſt omne gaudium in luctum.* e Pone menſam.] *Nunc (inquit propheta) adorna vaſis ſacris menſam tuam , obtege oculos contemplatione, vel,cum adornarent menſam,ſpeculator ſpeculabatur,& dum comederem,ac biberem, dictum eſt,ſurgite principes, vngite clypeum.* f Vade,& pone.] *Sic (inquit) dicturi ſunt principes Babyloniæ inter ſe,cum immiſuerit nox illa (vt mihi Dominus reuelauit) vade & conſtitue ſpeculatorem,&c.* g Currum duorum equitum.] *Cyrum ſcilicet aduentuũ cum duobus populis,Perſis videlicet ac Medis,per aſinum intellige regnum perſarũ,quod hactenus humilius fuerat regno Medorum,quod per camelum ſignatur.* h Et clamauit vt leo.] *Vel clamauit, leo , ſcilicet deuorans adeſt.* i Super ſpeculam Domini.] *Vel Domine mi,verba ſunt Eſaiæ.* k Ecce iſte venit.] *Iuxta hiſtoriam nuntiatur venturus Darius, trahens poſt ſe duorum potentiſſimorum populorum exercitum,nempe Medorum & Perſarum, qui regi tãquam iumenta obſequentur.* l Tritura mea.] *Scilicet facta eſt Babylonia,& filius areæ,hoc eſt, cõquaſſabitur ab hoſtibus ſicut triticum in horreo. Sunt autem verba iſta Dei. Hieronymus ad Ieruſalem apoſtropham eſſe putat.* m Onus Duma.] *Hic Duma , à quo Dumitæ deſcenderunt,fuit filius Iſmael,prophetaturq; contra eum malum de Seir venturum. Cuius cuſtodes cum interrogarentur num ſuperueniura nox aliquid mali paritura eſſet,illi reſponderunt,ſuccedet mane poſt noctẽ,atque ideo,ſi per noctem nihil mali incidit,ſequenti die incidere poteſt.Eſt autem prophetia per quam obſcura.Sic autem dici poteſt,cuſtos quid de nocte? cuſtos quid de nocte? Hoc eſt,quæ hora noctis,& qui tumultus,vel,quot noctes, & quot dies ſuperſunt ad expugnãdam eam? Dixit cuſtos,venit mane,et etiam nox,hoc eſt appropinquat mane,ſed altera nox ſequetur,vel, perinde erit atq; nox.Si quæritis quærite,reuertimini & venite , hoc eſt , ſi interrogare libuerit,interrogabitis,iterum interrogate,tanquam dicat,quod hac nocte non euenit,vobis eueniet alijs ſequentibus.* n Onus in Arabiam.] *Arabes illi Moabitæ ſunt, & Ammonitæ vſque ad Trachonitidem,& per omnem ſolitudinem habitant,nimirum ΣΚΗΝΙΤΑΣ,qui,et Cedareni,hodie Sarraceni dicuntur,hinc apud Salomonem tabernacula Cedar.Quoniam autem Arabia,& veſpera yſdem literis , & per metatheſim etiam ſaltus ſcribitur,vel,in ſaltu,ideo eruditè,Hebraico more Eſaias ludit in verbis,ſic dicens , Cum in captiuitatẽ ducemini,ab Aſſyrijs nimirum,vel,Chaldæis,in ſaltu ad veſperam pernoctabitis in itinere ad vrbem Dodanim.Alius interpretatur in ſemitis Dodanim:id eſt,facti comites,& ſocij viliſſimorum mancipiorum.* o Occurrentes ſitienti.] *Taxatur eorum inhumanitas erga Iſraelitas profugos.Habitantes autem terram auſtri, intelligit Themanitas.* p Et reliquiæ numeri.] *Hebraiſmus eſt,hoc eſt,facile numerabiles,vel,numero paucæ.*

CAPVT XXII.

A ONus a vallis viſionis. Quidnam quoque tibi eſt,quia aſcendiſti & tu omnis in tecta? † ſtrepitus plena,vrbs frequens,ciuitas exultans:interfecti tui,non interfecti gladio : nec mortui tui,in bello.Cuncti principes tui fugerunt ſimul,durèque ligati ſunt,Omnes qui inuẽti ſunt,vincti ſunt pariter , procul fugerunt.Propterea dixi,Recedite à me,amarè flebo.Nolite incumbere, vt conſolemini me ſuper vaſtitate filiæ populi mei : dies enim interfectionis, & conculcationis , & fletuum † à Domino Deo exercituum in valle viſionis,† b rũpens muros,vt ſonus perueniat vſq; ad montẽ. Et Aelam ſumpſit pharetram , † & inſtruxit

ſtruxit equitatum & currus bellicos,Chir nudauit clypeum. Et erunt electæ valles tuæ plenæ quadrigarum, C & equites ponent ſedes ſuas in porta.Et reuelabitur c operimentum Iudę,d & videbitis in die illa armamentarium domus ſaltus:& ſciſſuras ciuitatis Dauid videbitis,quia multiplicatæ ſunt. Et congregaſtis aquas piſcinæ inferioris,e & domos Ieruſalem numeraſtis,& deſtruxiſtis domos ad muniendum murum. f Et lacum feciſtis inter duos muros,ad aquam piſcinæ veteris : & nõ ſuſpexiſtis ad eum,qui fecerat eam,& operatorem eius délonge non vidiſtis.Et vocauit Dominus Deus exercituum in die illa ad fletum,& ad plãctum , ad calu- Sapien. 2.b
cium,& ad cingulum ſacci:g & ecce gaudium,& lætitia,occidere vitulos & iugulare arietes,comedere car- 1. Cor. 15.d
nes,& bibere vinũ,Comedamus & bibamus , cras enim moriemur. Et reuelatum eſt † hoc in auribus Do- Infra 56.d
C mini exercituum,Si dimitteretur iniquitas hæc vobis donec moriamini:dicit Dominus Deus exercituũ. Hæc dicit Dominus Deus exercituum,Vade,ingredere † ad theſaurarium hunc,ad Sobnã præpoſitum † domus, & dices ad eum,h Quid tu hic? aut † quid tibi negotij? quia excidiſti tibi hic ſepulchrum, excidiſti in excel- ſo memoriale diligenter,in petra tabernaculum tibi . Ecce Dominus aſportari te faciet ò vir, † & inuolutũ veſtibus vndique circungyrabit,i & apprehenſa coma tua , tanquam pilam proiectam in locum planum & ſpacioſum.Ibi morieris,& ibi erit currus gloriæ tuæ,ignominia domus domini tui.Et expellam te de ſtatio- D ne tua:& de miniſterio tuo deponam te. Et erit in die illa:vocabo ſeruum meum Eliacim filium Helciæ , & induam illum k tunica tua,& cingulo tuo confortabo eum,& poteſtatem tuam dabo in manus eius : & erit Apoc.3.b
quaſi pater habitantibus Ieruſalem , & domui Iuda. Et dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius : & Iob 12.b
aperiet,& non erit qui claudat:& claudet,& non erit qui aperiat. Et figam illum paxillum in loco fideli,& erit in ſolium gloriæ domui patris ſui:& ſuſpendent ſuper eum omnem gloriam domus patris eius , filios & nepotes,omne vas paruum à vaſis craterarum vſq; ad omne vas muſicorum. In die illa dicit Dominus exercituum,auferetur paxillus qui fixus fuerat in loco fideli:& frangetur,& cadet, & peribit quod pependerat in eo,quia Dominus locutus eſt.

SCHOLIA.

a Onus vallis viſionis.] *Hæc eſt Hieroſolyma,quæ,quia ſeminarium erat prophetarum , vocatur Vallis Viſionis,Vallis tamen,quia ab hoſtibus deiecta.Et hac obſeſſa à rege Babylonis,confugerunt habitatores eius ad tecta, & ad loca quæque ſublimiora,vbi,vel tuti eſſent,vel,vnde ſe defendere poſſent.Et quæ prius fuit populoſiſſima,plena ſtrepitu hominum ob frequentiam,& exultans in abundantia rerum,tempore obſidionis amiſit magnum hominum numerum, non gladio , ſed fame pereuntium:& qui fugerunt directa ciuitate,à ſagittarijs comprehenſi,vinculis ligati ſunt. Vide 4. Re. vl. de Sedechia.*
b Rumpens murum.] *Hoc eſt,quoniam hoſtis ſubuertit ciuitatem,clamor ad montes vſque tollitur.* c Operimentum Iudæ.] *Putant intelligendum templum,quo Iudæi exiſtimabant ſe protegendos à quolibet hoſtis incurſu. Quam ob cauſſam etiam Vriam,Micheam,Hieremiam morti adiudicarunt,quia aduerſus ciuitatem,& templum prophetarunt.* d Et videbis.] *Hoc eſt,ſpectabis armamentarium domus ſaltus,cum defecerit fides in Deum.Et ſciſſuras ciuitatis , nempe reparãdas. Alij intelligunt,feneſtras,& foramina,è quibus ſe defendere poterant.Sic obycit, quòd congregauerint aquas cisternarum, cum è cœlo potius auxilium præſtolandum eſſet.* e Et domos Ieruſalem numeraſtis.] *Et quæ redundantes repertæ ſunt diruerũt,et cũ lapidibus earũ diruptiones muri obſtruere ſat agerunt. Et loquitur propheta per verba præteriti temporis,licet hæc omnia ſuo tempore adhuc futura eſſent , propter certitudinem prophetiæ.* f Et lacum.] *Collectionem aquarum.* g Et ecce gaudium.] *Cum hæc à propheta prædicerentur , populus incredulus verba eius deridens , à luxu vitæ non abſtinuit, ſed in prophetæ contemptum dicebat , comedemus , & bibemus:cras enim,vt ille delyrus ait,moriemur.* h Quid tu hic?] *Vel,quid tibi? ſcilicet rei eſt? putant hunc Sobnam alienigenam fuiſſe,& Hieroſolymitanis ſuaſiſſe, ne audirent prophetas: iubetur ergo propheta cõtra eum vaticinari.* i Et apprehẽſa coma.] *Hic Vſi ſumus paraphraſi, vt apertiorem locum faceremus.Heb.habet,pila in terram longinquam manibus, vel potius,latam manibus,nam perſtat in metaphora pilæ.* k Tunica tua.] *Hoc eſt,omnia ornamenta tua,& officia,quæ habuiſti in domo regia,tradam Eliachim,ſed et clauem dabo illi, hoc eſt conſiliarius regis erit,& quicquid ille conſuluerit,fiet,& quod diſſuaſerit vitabitur:hoc enim ſignificat hic claudere & aperire,et quod ſequitur de paxillo,ſiue claue fideli,figurata locutio eſt.quòd Eliachim ſolidum poſſidebit dignitatis gradum, de quo gloriabuntur omnes poſteri eius,maiores,& minores,cuiuscunq; ſint ordinis,& gradus.Et quod ſequitur. In die illa auferetur paxillus,de Sobna dictum putant.*

CAPVT XXIII.

A ONus Tyri.Vlulate a naues maris,quia b vaſtata eſt domus , † quò venire conſueuerant: c de terra Cethim reuelatum eſt eis. d Tacete qui habitatis in Inſula : negotiatio Sidonis transfretantes mare,repleuerunt te. Semen Nili in aquis multis,& meſsis fluminis fruges eius : & facta es negotiatio gentium. e Erubeſce Sidon,ait enim mare,fortitudo maris,dicens,Non parturiui , & non peperi & non enutrii iuuenes,nec ad incrementum perduxi virgines.Cum auditum fuerit in Ægypto, dolebunt, f cum audie- B rint de Tyro,tranſite † in Tharſis,vlulate qui habitatis in Inſula.g Nunquid non veſtra hæc eſt, quæ gloriabatur à diebus priſtinis in antiquitate ſua? Ducent eam pedes ſui longè ad peregrinandum. Quis cogitauit hoc ſuper Tyrum quondam coronatam? cuius negotiatores principes , inſtitores eius inclyti terræ.Dominus exercituum cogitauit hoc,vt detraheret ſuperbiam omnis gloriæ,& ad ignominiam deduceret vniuerſos inclytos terræ. h Tranſi terram tuam,quaſi flumen filia maris, non eſt cingulum vltrà tibi. i Manũ ſuam extendit ſuper mare,& conturbauit regna. Dominus mandauit aduerſus † negotiatores, vt contereret for- C tes eius,& dixit,Non adijcies vltrà vt glorieris: k calumniam ſuſtinens virgo filia Sidonis : In Cethim,cõſurgens transfreta,ibi quoque non erit requies tibi. l Ecce † de terra Chaldæorũ † iſte populus non fuit. m Aſſur fundauit eam † pro erronibus,n traduxerunt rubuſtos eius , ſuffoderunt domos eius , poſuerunt eam in ruinam.Vlulate naues maris,quia deuaſtata eſt fortitudo veſtra. Et erit in die illa:in obliuione eris ò Tyre o ſeptuaginta annis,ſicut dies regis vnius. Poſt ſeptuaginta autem annos erit Tyro p quaſi cãticum meretricis.

Sume

Sume citharam:circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita.Bene cane,frequenta canticum,vt memoria tui fit.Et erit post septuaginta annos,visitabit Dominus Tyrum, & reducet eā ad merces suas: & rursum fornicabitur cum vniuersis regnis super faciem terræ. Et erunt negotiatio eius,[q] & merces eius sanctificatæ Domino:[r] non condentur,neque reponentur:quia his, qui habitauerint coràm Domino, erit negotiatio eius, vt manducent in saturitatem,& vestiantur † bene.

SCHOLIA.

[a] Naues maris.] *Vel,Naues Tharsis,quæ ciuitas fuerit maritima in negotiationibus haud inferior ipsa Tyro.Quidam intelligunt per eam Cartaginem,alij Tarsum Ciliciæ,per Cèthim verò, qui filius fuit Iauam, Hebræi intelligunt Romanos qui Babylonios sollicitauerint contra Tyrios.Alij intelligūt Græcorum Insulanos.* [b] Vastata est domus.] *Non habet domum amplius hospitibus excipiendis aptam,de terra Cèthim hæc vastitas reuelata est eis. In hac autem vastatione Nabuchodonosor terra & mari Tyrios aggressus est,& in terra quidem conabatur eam coniungere continenti, in mari autem nauali Græcorum subsidio vsus est.* [c] De terra Cethim.] *Terram Cethim (ait Hieronymus) quidam Cyprum intelligunt, apud quos est vrbs Citium,de qua Zeno Stoicæ sectæ princeps fuit:alij Cèthim Italiæ & Macedoniā insulas vrediit.* [d] Tacete qui habitatis.] *Vel,sic,Quieuerunt habitatores Insularum,negotiator Sidonis, transfretantes mare, qui repleuerunt te.Semen propter abundantiam aquarum Nili iactum,& messis beneficio earundem copiosè proueniens, annonam suppeditabat illi,adducebatur enim frumentum ex Aegypto in summa facta emporium fuit multarum nationum.* [e] Erubescе Sidon,ait mare.] *Hoc est,ait Tyrus,sensus est:nec te præteribit vltio diuina, ecce ad hoc ventum est,vt Tyrus, quæ quasi maris est fortitudo,ita sit humiliata,& deusta,vt dicere possit,non peperi in hoc loco filios et filias.Vel sic.Ecce ego, ait Tyrus,emporium & præsidium tuum peryi:vt et tibi,cuius colonia sum,futura sim rubori,& facta sum quasi mulier, quæ non parturit.Tyrus enim potentissimas colonias dedit.Plinius libro quinto cap.19.Olim partu clara vrbibus genitis,Lepti,Vtica, Chartagine, Gadibus.* [f] Cū audierint de Tyro.] *Metuentes ne idem accidat sibi,quod illi accidisse audierāt.* [g] Nunquid non vestra.] *Num hinc recidit vobis gloriatio de antiquissima vetustate illius? Quis hoc vnquam cogit.usset de illa magnificentissima vrbe,quæ etiam alijs nationibus coronas regias imposuit,vt sic deijceretur,et cogeretur delicata ire pedibus suis in captiuitatem?* [h] Transi terram tuam quasi flumen.] *Comparat scriptura transitum populorum fluuio:Vt Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei,et quod ait,Nō est cingulū vltra tibi,hoc est,fortitudo.* [i] Manum suam extendit.] *Supple Dominus.* [k] Calumniam sustinens.] *Tu quoque Sidon (inquit) quæ adhuc virgo es, à nullo externo principe subacta,calumniæ & depopulationi simili obnoxia eris.* [l] Ecce de terra Chaldæorum.] *Iste (inquit) populus nō fuit colonus suæ vrbis,sed à Chaldæis profectus est,& Assyriorum iussu fundatus,vt dicat. O Tyre, quæ es terra Chaldæorum, ecce hoc tibi contigit à conditoribus tuis.Quamuis prophanæ historiæ dicant Tyrum coloniam Sidoniorum, & conditam ab Agenore,tempore quo Troia capta est à Græcis,Sed variè etiam ab Hebræis expunitur hic versus. Quare alius sic vertit. Ecce terra Chaldæorum,huius populi,qui nunc occupat eam, olim non fuit, sed Assur fundauit eam.* [m] Assur fundauit eam pro erronibus.] *In gratiam scilicet illorum, qui incertis sedibus in solitudinibus vagari consueuerant. Alij verterunt.Assur fundauit eam nauibus siue trieribus.* [n] Traduxerūt robustos eius.] *Chaldæi videlicet.* [o] Septuaginta annis sicut dies regis vnius.] *Hebræi per vnum regem,Dauid,qui tot annis vixit,alij Nabuchonosor, & filios eius tanquam vnum regem,intelligunt.* [p] Quasi canticum meretricis.] *Quæ scilicet oblitos sui cantu allicit. Appellat autem ostentationem opum & mercium,carmen & citharam,negotiationem verò fornicationem.* [q] Et merces eius sanctificatæ Domino.] *Ob hæc opinor verba,hunc locum Hebræi quidam ad tempus Christi dictum putant, id quod nobis minimè displicet,cum Lucas in Actis testetur Tyrum quoque amplexam Euangelium Christi.* [r] Non condentur neque reponentur.] *Nam ij diuitijs illis operā pietatis exercebunt.*

CAPVT XXIIII.

Ose.4.b

[a] Ecce Dominus † vacuam reddet terram,& nudabit eam,& affliget faciem eius, & dispergет habitores eius.Et erit sicut populus,sic sacerdos:& sicut seruus, sic dominus eius: & sicut ancilla, sic domina eius:sicut emens,sic ille qui vendit:sicut fœnerator,sic is qui mutuum accipit:sicut qui repetit, sic qui debet.Dissipatione dissipabitur terra,& direptione prædabitur.Dominus enim locutus est verbum hoc.Luxit,& defluxit terra, & infirmata est: defluxit orbis, infirmata est altitudo populi terræ.[b] Et terra infecta est ab habitatoribus suis:quia transgressi sunt leges,mutauerunt ius, dissipauerunt fœdus sempiternum. Propter hoc maledictio vorabit terram,& † peribunt habitatores eius:ideoq; † deficient cultores eius, & relinquentur homines pauci.Luxit vindemia,infirmata est vitis,ingemuerunt omnes,qui lętabantur corde.Cessauit gaudium tympanorum,quieuit sonitus lætantium, conticuit dulcedo citharæ. Cum cantico non bibent vinum,amara erit potio bibētibus illam.Attrita est ciuitas vanitatis, clausa est omnis domus nullo introeunte.[c] Clamor erit super vino in platéis:deserta est omnis lætitia,translatum est gaudium terræ.Relicta est in vrbe solitudo,& calamitas opprimet portas:quia hęc erunt in medio terræ,in medio populorū,[d] quomodo si paucę oliuę, quæ remanserunt, excutiantur ex olea:& racemi,cum fuerit finita vindemia.Hi leuabunt vocem suam,atque laudabunt:cum glorificatus fuerit Dominus,† [e] vociferabuntur de mari. Propter hoc [f] in doctrinis glorificate Dominum:in Insulis maris nomen Domini Dei Israel. A finibus terræ laudes audiuimus,gloriam iusti.Et dixi, [g] Secretum meum mihi,secretum meum mihi,væ mihi:prævaricātes prævaricati sunt,& prævaricatione transgressorum prævaricati sunt.Formido,& fouea, & laqueus super te qui habitator es terrę.Et erit:qui fugerit à facie formidinis,cadet in foueam:& qui se explicauerit de fouea,tenebitur laqueo:quia cataractæ de excelsis apertæ sunt,& concutientur fundamenta terræ. Confractione confringetur terra.Contritione conteretur terra:commotione commouebitur terra. Agitatione agitabitur terra sicut ebrius:† & commouebitur,sicut tuguriolum solet à vento.Et grauabit eam iniquitas sua,& corruet: & nō adijciet vt resurgat.Et erit in die illa:visitabit Dominus [h] super militiam cœli in excelso:& super reges terræ,

terræ,qui sunt super terram.Et congregabuntur congregatione vinctorum in carcere, & claudentur ibi in carcere:& [i] post multos dies visitabuntur. Et erubescet luna, & confundetur sol,cum regnauerit Dominus exercituum in monte Sion,& in Ierusalem,& in conspectu senum suorum fuerit glorificatus.

SCHOLIA.

[a] Ecce Dominus vacuam reddet terram.] *Quid (inquit) sigillatim enumero ruinas ciuitatū? ecce vniuersæ terræ interitum cerno.Quidam tamen Hebræorum ad captiuitatem decem tribuum referunt: quod videtur ex eo,quod ait, & erit sicut populus sic sacerdos:qui dispergendi prædicuntur in terras nullo habito personarum respectu, quòd prævaricati fuerint legem Domini,& ordinem omnem confuderint,nullaq; fuerit aut charitas mutua,aut reuerētia, & quia omnes peccauerunt,omnes pariter affligentur.* [b] Et terra infecta est ab habitatoribus suis.] *Sterilissima, & infructuosa facta est propter habitatores suos.* [c] Clamor erit super vino.] *Deflebunt enim ebrietatem suam.* [d] Quomodo si paucæ oliuæ.] *Sic in consummatione sæculi exiguus erit electorum numerus.* [e] Vociferabuntur de mari.] *Vel, exultabunt de mari,hoc est,ab occidente.Ab occidente (inquit) erunt reliquiæ,quæ iubilabunt in magnificētia Domini,Et fortasse ab occidente dixit,quia occidente mundo iustorum salus apparebit.Cum incipient (inquit) hæc fieri,suspicite, et attollite capita vestra,quoniam ecce appropinquat redemptio vestra.* [f] In doctrinis.] *Alius vertit,in vallibus. Chaldæus verò interpretatur aduentum lucis.* [g] Secretum meum mihi.] *Hoc est, Secretum est apud me,quod omnes habitatores terræ transmigrabunt. Alij verterunt,macies mihi, hoc est,defectus animæ,cui propheta obnoxius fuit,cum videret tam licenter & impudenter peccari contra Dominum,siue ob exiguum electorum numerum.* [h] Super militiam cœli.] *Quidam accipiūt de luminaribus,in quibus Dominus aliquando signa ostendit,cum gentem aliquā eliminare constituit:alij intelligunt de diabolo & angelis eius.* [i] Et post multos dies visitabuntur.] *Hoc est,exigetur ab ijs ratio. Vide Apo.20. Iudæi ineptè de se hoc putant dictum,quòd quasi in carcere iam multis annis inter gentes vixerint,& expectent liberatorem.*

CAPVT XXV.

A Domine Deus meus es tu,exaltabo te,& [a] confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, [b] cogitationes antiquas fideles amē. Quia posuisti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam,[c] domum alienorum:vt non sit ciuitas,& in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te [d] populus fortis,ciuitas gentium robustarum timebit te.Quia factus es fortitudo pauperi,fortitudo egeno in tribu- B latione sua,spes à turbine,vmbraculum ab æstu.Spiritus.n.robustorum quasi turbo impellēs parietem.[e] Sicut æstus in siti,tumultum alienorum humiliabis:† calor sub vmbra nubis propaginem fortium marcescere facies.Et faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc, cōuiuium pinguium [f] conuiuium vindemiæ,pinguium medullatorum,vindemiæ defecatæ. Et † deteget [g] in monte isto faciem cuiuslibet ve- C laminis super omnes populos,& singula operimenta super omnes nationes. Precipitabit mortem in sempiternum.Et auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa Apo.7.d terra:quia Dominus locutus est.Et dicet in die illa,Ecce Deus noster iste:expectauimus eum,& saluabit nos: iste Dominus,sustinuimus eum,& exultabimus,& lætabimur in salutari eius:quia requiescet manus Domi- D ni in mōte isto.Et triturabitur Moab † in medio eius, sicuti teruntur palæ in sterquilinio. Et extendet manus suas in medio eius,sicut extēdit natans ad natādum:& humiliabit gloriam eius [h] cum allisione manuum eius.Et munimenta sublimium murorum tuorum concident, & humiliabuntur, & detrahentur in terram vsque ad puluerem.

SCHOLIA.

[a] Confitebor tibi quoniam fecisti mirabilia.] *Intuere morem sanctorum virorum. Dudum propheta ingemuerat ob interitum hominum,nunc in ipsis diuinis iudicijs laudat Deum, & debitum ei honorem reseruat.* [b] Cogitationes antiquas fideles.] *Consilia tua à multis prædicta,rata videmus et firma.* [c] Domum alienorum.] *Per alienos Hebræi intelligunt gentiles,quorum delubra in aduentu Christi erant destruenda.* [d] Populus fortis.] *Populus scilicet fidelium,vel quælibet hominum potentia,ac regnorum timebit te.* [e] Sicut æstus in siti.] *In siti,hoc est, in arido loco. Vbi scilicet nemo refrigerium inuenire potest:sic qui alieni sunt à Deo,& pro voto suo tyrannidem exercent in proximum, eos Deus humiliabit,vt nullus euadere possit.Patiuntur quidem & iusti æstum tribulationum,sed æstus eorum est sub vmbra nubis,vt ferrè possint.* [f] Conuiuium vindemiæ.] *Vel,conuiuium defecatum,vt sit, quod paulo post propheta explicat. Vinum,quod in hoc conuiuio potabunt,erit segregatum ab omni fæce.Constabit(inquit) conuiuium illud optimis rebus,pinguibus ferculis, et optimo vino,vnde omnes inebriabuntur.Hebræi secundum errorem suum putant,per id significari dementationem Gog, & Magog,qui tempore Messiæ conabuntur cum maximo exercitu expugnare Ierusalem, & regem eius Messiam, sed Dominus tanquam ebrios faciet eos ruere in mutuam cædem,nec erit quisquam,qui illic non aperte ostendat,quo animo fuerit contra populum Dei,id quod propheta per inuolucrum & operimentum significat, & nemo deinceps ex Iudæis morietur morte immatura & innaturali.Sic Iudæi hunc locum peruertunt, qui tamen apertam facit mentionem de Dei iudicio, quod vel in morte Christi factum est,vel in fine mundi futurum,quando perdet mortem,et peccatum,& absterget omnem lacrymam ab oculis suorum,& manifesta erunt secreta cordis,et bibituri sunt impij calicem furoris Domini.* [g] In monte isto.] *Nempe in ecclesia,& Sion spirituali,sicut & per Moab intelliguntur impij.Quod verò ait,perdendā vel detergendam faciem cuiuslibet velaminis,videtur illud esse,quod ait Paulus.Donec veniat Dominus,qui & illuminabit abscōdita tenebrarū,&c.*
[h] Cum allisione manuum eius.] *Vel,cum artubus siue brachijs manuum suarum.*

CAPVT XXVI.

A In die illa cantabitur cāticum istud in terra Iuda, [a] Vrbs fortitudinis † nobis, saluator ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur gens iusta,custodiens veritatem.Vetus error abijt:seruabis pacem,pacem quia in te sperauimus.† Sperate in Domino in sæculis æternis,in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incuruabit habitantes in excelso,ciuitatem sublimem humiliabit. Humiliabit eam vsque ad terram:detrahet eam vsque ad puluerem. Conculcabit eam pes, pes pauperis, gressus egenorum.

Semita iusti recta est † ò rectissime semitam iusti tu diriges.[b] Et in semita iudiciorum tuorum Domine sustinuimus te:nomen tuum,& memoriale tuum in desyderio animæ. Anima mea desyderauit te in nocte: sed & spiritu meo in præcordijs meis de mane vigilabo ad te:cum feceris iudicia tua in terra,iustitiam discēt habitatores orbis.† Miserabilis impius quia non discet iustitiam:in terra,vbi, quę recta sunt fieri debent, inquè gessit:& non videbit gloriā Domini.Domine exaltetur manus tua,[c] vt non videant:videant, & confundantur † zelo populi,& ignis hostes tuos deuoret.Domine dabis pacem nobis:omnia opera nostra operatus es nobis.Domine Deus noster possederunt nos domini absque te, tātum in te † recordabimur nominis tui. C † Mortui non viuent,[d] gigantes non resurgent:propterea visitasti & contriuisti eos, & perdidisti omnē memoriam eorum.† [e] Auxisti gentem Domine auxisti gentem, & glorificatus es † : latissimè implesti omnes terminos terræ. Domine in angustia requisierunt te,† [f] effuderunt precationem, cum castigatio tua super illos esset. Sicut quæ concipit, cum appropinquauerit ad partum,dolens clamat in doloribus suis: sic facti sumus à facie tua Domine.Concepimus,& quasi parturiuimus, &[g] peperimus † ventum : [h] quoniam salus non est facta in terra,neque cadunt habitatores orbis. [i] Viuent mortui tui, † cum cadauere meo resurgent: D expergiscimini,& laudate qui habitatis in puluere:quia [k] ros † herbam proferens,ros tuus,& terram gigantum detrahes in ruinam. Vade populus meus,intra in cubicula tua, claude ostia tua super te, abscondere modicum ad momentum donec pertranseat indignatio. Ecce enim Dominus egredietur de loco suo,vt visitet iniquitatem habitatoris terræ contra eum,& [l] reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltra interfectos suos.

SCHOLIA.

[a] Vrbs fortitudinis.] *More suo propheta post historiam hymnum & cāticum subdit. Cantici autem nomine apud prophetas parabolam intelligimus. Vrbs hæc est ecclesia Christi,cuius muri,& antemurale est salus, & triumphus Christi,contra hanc portæ inferi non præualebunt,ciues eius custodiunt veritatem,& iustitiam,quorum iniquus affectus (quem veterem errorem appellasse videtur interpres euidētiæ gratia) sic cum Domino crucifixus est,vt regnet in pace. Sed proprius videtur sensus illius loci. Vetus error &c. Hic esse,Huic,cuius affectus et cogitatio tibi Deus adhæsit,seruabis pacem, vel, longa in pace illum custodies.* [b] Et in semita iudiciorum tuorum.] *Hoc est,cū iusto tuo iudicio,super nos calamitates venire permittis,adhuc speramus in te,quin & multi habitatores orbis emendantur, quando vident iudicia tua. Qui autem adeo obstinatus est,sicut Pharao fuit,vt iudicys tuis non terreatur,& corrigatur,is nunquam videbit gloriam tuam, atque hunc impium ideo vocat miserabilem,quem iudicia Dei non erudiant. Miserabilis impius. Vel gratia non fiet impio.* [c] Vt non videant.] *Scilicet gloriam tuam. Videant & confundantur zelo populi: hoc est,ob fauorem,quo prosequeris populum tuum.* [d] Gigantes non resurgent.] *Alius vertit,potentes inferni,hoc est,præcipui inter mortuos:qui ad vitam, & felicitatem non sunt resurrecturi.* [e] Auxisti gentem.] *Videlicet fidelium.* [f] Effuderunt precationem.] *Fundebant submissa voce preces,agnoscentes,se illis aduersis admoneri abs te,vt respiscant.* [g] Peperimus ventum.] *Ventum parimus quando vna superata tribulatione,mox aliam,quæ nos incessat,expectamus,& in hoc certamine est nobis luctandum, donec post mortem salus animæ obtingat.* [h] Salus non est facta.] *Vel victoriæ non sunt factæ, deiectis scilicet hostibus.* [i] Viuent mortui tui.] *Contra atque dixerat dudum de impijs,qui scilicet mortui non viuent. Ait ergo propheta Deo. Viuent mortui tui,nempe fideles,cum corporibus,Vel cum cadauere meo resurgent:quod videtur dictum in persona corporis Christi, hoc est,sicut cadauer meū restitutum est vitæ,idque fiet,cum inclamauerit,expergiscimini, &c. Manifestus de resurrectione locus.* [k] Ros hærbam proferens.] *Hoc est,mortuos in vitam reuocans. Vt enim ros hærbam languescentem excitat, sic tu tua virtute excitas mortuos.* [l] Reuelabit terra sanguinem.] *Qui latebat scilicet,dum vltio non apparebat.*

CAPVT XXVII.

IN die illa visitabit Dominus in gladio suo duro,et grandi & forti,[a] super Leuiathan serpentem vectem, A & super Leuiathan serpentem tortuosum, & occidet cetum qui in mari est.In die illa, [b] vinea † vinum proferet cantate ei.Ego Dominus qui seruo eam, [c] † per momenta irrigabo eam, ne fortè visitet † hostis eam:nocte & die seruo eam. Indignatio non est mihi. [d] Quis dabit me spinam, & veprem in prelio,gradiar † contra eā,succēdam eam pariter? † Si amplexa fuerit fortitudinem meam,faciet pacem mihi, pacem B faciet mihi.† Venient dies & radices mitter Iacob,florebit & germinabit Israel, & implebunt faciem orbis semine.[e] Nunquid iuxta plagam percutientis se percusit eum? aut sicut occidit interfectos eius, sic occisus est? † [f] In mensura aduersa immittens iudicabit eam.Abstulit fructus eius in spiritu suo duro per diē æstus. Iccircò † per hoc dimittetur iniquitas domui Iacob, & iste omnis fructus vt auferatur peccatū eius, [g] cum C posuerit omnes lapides altaris sicut lapides † calcis contritos,non stabunt luci & delubra. Ciuitas enim munita desolata erit, spacioſa relinquetur & dimittetur quasi desertū : ibi pascetur vitulus, & ibi accubabit, & consumet † ramos eius. Vbi aruerint rami eius,confringentur:mulieres venientes succendent eam:non est enim populus sapiens,propterea non miserebitur eius qui fecit eum:& qui formauit eum, non parcet ei.Et D erit in die illa:[h] † excutiet Dominus ab alueo fluminis vsque ad torrentem Ægypti, & vos congregabimini vnus & vnus filij Israel.Et erit in die illa:clangetur in tuba magna,& venient qui perditi fuerant per terram Assyriorum,& qui eiecti erant † per terrā Ægypti,& adorabunt Dominum in monte sancto in Ierusalem.

SCHOLIA.

[a] Super Leuiathan.] *Per Leuiathan piscem magnū, siue cetum & draconem marinum significātur hic maximi reges,& principes mundi,qui veluti fugaces,& tortuosi serpentes,in magnis regnis nunc se extendunt,nunc contrahunt, hi ergo cum eorum capite diabolo subigendi prædicuntur.* [b] Vinea vinum proferet.] *Illa vinea, quæ supra cap. 5. dicta est protulisse labruscas, hic sit vini ferax. Hæc ergo vinea, hoc est, ecclesia Christi,non more synagogæ ingrata, quæ pro vino propinauit Domino suo acetum & fel, sed vinum optimum proferet. Et licet multæ spinæ, & vepres crescant in hac vinea,*

nea,dissimulat tamen Deus per longanimitatem,expectans si fortè tales homines,qui sunt vepres, apprehendāt robur illius, id est,legem,& faciant pacem cum eo. [c] Per momenta irrigabo eam.] *Momentis singulis,quando opus erit, humectabit illam,ne fortè nocere conetur hostis illi.* [d] Quis dabit me spinam?] *Nullus est (inquit) qui contra electos meos exasperare me possit : nulla est enim damnatio iam his qui sunt in Christo Iesu. Alius aptè sic vertit hunc locū. Furor nō est apud me,aliquis cum illa vinea det mihi vepres,& spinas,per bellum graderer per eam,et incenderem eam simul. Vel apprehendat robur meum,& faciet pacem mecum, &c.* [e] Nunquid iuxta.] *Verba sunt prophetæ dicentis. Nunquid sicut percutit eos,qui percutiunt filios eius, ita & filios percutit? nam impij & hostes Dei duplici morte percutiuntur : filij non ita. Flagrum ergo percutientis se,intellige, plagam qua hostem illius percutit.* [f] In mensura.] *In mensura certa (inquit) percutit Deus populum suum,cupiens eos flagello suo emēdari,non interire. Alius vertit. In emissionibus eius dyudicabit eam, hoc est,in hortis,fortasse taxans idololatriam,sicut & illud. Et erubescetis super hortis, quos elegeratis.* [g] Cum posuerit omnes lapides.] *Hoc est,si destruxerit altaria,ne stent luci,& delubra,siue imagines. Nam summa iniquitas,quæ fuit in Israel,fuit idololatria,& negatio Dei altissimi,qua abolita,reliqua peccata facile per legem cohiberi poterant. Et vbi illa vires suscepit,ad hoc ventum est,vt etiam ciuitates munitissimæ in solitudinem redigerentur, & pascua fierent pecorum. Videtur autem prædicere interitum Israelis secundum carnem, cum sequatur, vbi aruerint,rami eius confringētur:redit enim ad vineam. Aridi (inquit) palmites franguntur de vite,& proijciuntur in ignem.* [h] Excutiet Dominus.] *Scilicet,sicut frumentum ex aristis solet,& vide,vt latenter indicet reliquias tantum de Israelitis seruandas,dum dicit,vnum, & vnū congregandos filios Israel,hoc est,paucos,ac facile numerabiles:at cum vocandæ sunt gentes,dicit,clangendum tuba magna, & eos,qui perditi fuerant,venturos,quos Ioannes Euangelista vocat,filios Dei,qui erant dispersi. Quod ait, ab alueo fluminis, vsq; ad torrentem Aegypti,tangit terminos illius terræ.*

CAPVT XXVIII.

A VÆ coronæ superbiæ ebrijs Ephraim, & flori decidenti,gloriæ exultationis eius, qui erant [a] in vertice vallis pinguissimę errantes à vino.Ecce validus † dies & fortis à Domino sicut impetus grandinis turbo confringens,sicut impetus aquarum multarum inūdantium & emissarum super terram spatiosam.Pedibus conculcabitur corona superbiæ ebriorum Ephraim,& erit flos decidens glorię exultationis eius,qui est super verticem vallis pinguium, quasi † primus fructus ante maturitatem autumni : † quem cū aspexerit,videns statim,vt manu tenuerit,† deuorauit illum. In die illa erit Dominus exercituū corona gloB riæ,& sertum exultationis residuo populi sui,& spiritus iudicij sedenti super iudicium,[b] & fortitudo † in reuertentes de bello ad portam.[c] Verum hi quoque prę vino nescierunt,& prę ebrietate errauerunt. Sacerdotes & prophetæ nescierunt prę ebrietate,absorpti sunt à vino,errauerunt in ebrietate,nescierūt videre,ignorauerunt iudicium.Omnes enim mensę repletæ sunt vomitu † sordibusq;,ita vt non esset vltrà locus.Quem docebit scientiam? & quem intelligere faciet auditum? [d] Ablactatos à lacte,auulsos ab vberibus,quia † prę-
C ceptum post præceptum,mandatum post mādatum,regula post regulam,instructio post instructionem,modicum ibi,modicū ibi.In † balbutie enim labij,& lingua altera loquetur ad populum istum : cui dixit,Hæc 1. Co.14.d
est requies mea,reficite lassum,& hoc est meum refrigerium,& noluerunt audire. Et erit eis verbum Domini † præceptum post præceptum,mandatum post mandatum, regula post regulam, instructio post instructionem,modicum ibi,modicum ibi:vt vadant,& cadant retrorsum, & conterantur, & illaqueentur,& capiantur.Propter hoc audite verbum Domini viri illusores,qui dominamini super populum meum, qui est
D in Ierusalem. Dixistis enim,[e] Percussimus fœdus cum morte,& cum inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cum transierit,non veniet super nos : quia posuimus mendacium spem nostram,& mēdacio protecti sumus. Iccirco hęc dicit Dominus Deus, Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, [f] lapidem Psal. 117.d
probatum angularem,pretiosum,in fundamento fundatum. [g] Qui crediderit non festinet. Et ponam [h] in Matt. 21.d
pondere iudicium, & iustitiam in mensura. Et subuertet [i] grando spem mendacij,& protectionem aquæ Act.4.b
E inundabunt. Et delebitur fœdus vestrum cum morte,& pactum vestrum cum inferno non stabit. Flagel- 1.Pet.2.a
lum inundans cum transierit,eritis ei in conculcationem.Quandocunq; pertransierit, tollet vos: quoniam mane diluculo pertransibit in die & in nocte,† & trepidatio apud vos erit ad solam famam aduentus illius.
[k] Coangustatum est enim stratum,& non redundat : & opertorium strictum ad se colligendum sub eo. Si- 2. Reg.5.d
cut enim [l] in monte † perazim,stabit Dominus:sicut in valle quę est in Gabaon irascetur:vt faciat opus suū, 1.Pa.14.a
[m] alienum opus eius,vt operetur opus suum, peregrinum opus eius ab eo. Et nunc nolite illudere,ne fortè Iosue 10.c
F constringantur vincula vestra. [n] Cōsummationem enim & abbreuiationem audiui à Domino Deo exercituum super vniuersam terram. Auribus percipite,& audite vocem meam,attēdite & audite eloquium meū,
[o] Nūquid tota die arabit arans vt serat,proscindet & sarriet humum suam? Nónne cum adæquauerit faciem eius seret gith,& cyminum sparget,& ponet triticum per ordinem,& hordeum,et milium,et viciam in finibus suis? Et erudiet illum in iudicio,Deus suus docebit illum.[p] Non enim in serris triturabitur gith,nec ro-
G ta plaustri super cyminum circuibit:sed in virga excutietur gith,& cyminum in baculo. Panis autem comminuetur:verùm non in perpetuum triturās triturabit illum,† neque perdere volet rotam plaustri sui, nec dentibus illius comminuere eum.Et hoc à Domino Deo exercituum exiuit, vt mirabile faceret consilium, & magnificaret sapientiam.

SCHOLIA.

[a] In vertice vallis pinguissimæ.] *Loquitur hic propheta contra regnum Israel, appellatq; habitatores eius metaphoricè vallem pinguedinum,quod iugiter vino oppressi in terra iacebant, vomentes, & omnia loca suis immundicys inquinantes,prædicitq; illis futurum,quod scilicet accidere præcocibus fructibus æstuis,qui præ nouitate auidius decerpūtur, et pereunt.*
[b] Et fortitudo in reuertentes.] *Vt scilicet cogere possint copias aduersariorum, recipere se intra portas : Vel, cum hostem*

hostem impulerint vsque ad loca munita, tunc fortitudo Domini aderit eis, vt & præsidia hostium facilè obtineant. [c] Verũ hi quoque.] *Notat hic tribum Iuda, & Beniamin, per prophetam verò, significantur prophetæ falsi. Veri enim prophetæ ebrietatem redarguerunt, tantum abest, vt ipsi sese vino ingurgitauerint.* [d] Ablactatos à lacte.] *Cum similes sint ablactatis à lacte, ac paruulis, quibus sicut succedùt multa dantur præcepta, primò quidẽ minora et quorũ ætas illa est capax, deinde grandiora, sic populus iste rudis instituendus est, & sensim ad cognitionem Dei ducendus, vt tanquam balbutienti lingua vtendum fuerit ergà eum. Alioqui si mox illi cibum grandium proposueris, dicet te vacillare, vel loqui linguã alienã & deridebunt te. Quod si nec minima audire voluerint, & contempserint omnem propheticam increpationem, nõ restat, nisi vt corruant, & irretiantur, & capiantur. Quod verò eadem repetit verba, significat opus fuisse frequenter repetitis monitionibus obstinato & rebelli populo. Adducitur autem hic locus à Paulo ad Cor. Vt qui prædixerit, fore, vt apostoli varijs linguis loquantur, & tamen Iudæos non credituros. Quare illud, in balbutie laby & lingua altera &c. Significabat futurum vt audientes Iudæi crederent, eos vacillare lingua, quod accidit, cum dixerunt, eos esse ebrios.* [e] Percussimus fœdus cum morte.] *Sensus est, non terrent nos minæ tuæ, nec veniet super nos mors, aut interitus, quem venturum prædicis: quoniam nos fecimus fœdus cum morte, sed & infernum facie ad faciem vidimus, & pactum fecimus cum eo, vt non absorbeat nos. Et hæc responderunt impy per modum derisionis, fiduciam habentes in mendacijs falsorum prophetarum.* [f] Lapidem probatum.] *Cuius & apostoli Petrus, & Paulus meminerunt.* [g] Qui crediderit, non festinet.] *Qui credit (inquit) his verbis meis, non festinet videre hunc lapidem angularem: nondum enim impletum est tempus, quod pater cœlestis præfiniuit filio suo incarnando.* [h] In pondere iudicium.] *Vel, iudicium ad funiculum, vt perstet in metaphora, quia de lapide mentionem fecerat.* [i] Grando.] *Comparat propheta hostem grandini, qui omnem eorum spem mendacem, & protectionem, quam promittebant sibi, subuertet: comparat etiam inundationi aquarum.* [k] Coangustatum est.] *Hoc est, angustior reddetur vobis lectus, quam vt aliquid habiturus sit loci vacui, quo voluere vos in eo quocunque modo positis, & cooperculum breuius, quàm vt contegere vos sufficere possit. Per lectum angustum intellige fiduciam in hominem mortalem positam, sicut Iudæi sæpe frustra spem suam collocauerunt in reges gentium.* [l] In monte Perazin.] *De hoc monte habes 2. Regum quinto: quomodo Dominus steterit pro Dauid contra Philistæos, & de valle Gabaon, Iosue 10.* [m] Alienum est opus eius.] *Opus alienum vocat vltionem Dei, quam erat sumpturus de Israelitis, quibus antea contra hostes eorum, tam magnificam tulerat opem.* [n] Consummationem enim.] *Sic supra cap. 10.* [o] Nunquid tota die arabit arans.] *In hac similitudine indicatur Dei mirabilis operatio, quæ excoluit populum, Israelem tanquam agrum squallidum ad susceptionem diuini verbi: & quam rationem habent agricolæ cum terra, eandem habet Deus cum suis: nunc aratoris vice fungitur, nunc satoris, alias triturantis, atque hæc omnia, vt fructum afferant. Arauit Israelitas miraculis per Mosen, seminauit præceptis, triturauit afflictionibus: sed non semper arandum est, sed tempus est etiam ferendi fructus, & colligendi.* [p] Non enim in ferris.] *Cœlestis agricola nouit, quos plaustris infirmitatum & persecutionum, quos verò fertilis, & bacuis probet paupertatis, & afflictionum, sicut non triturantur vicia cum tabula dentata, nec rota plaustri circunducitur per cyminũ, sed baculo excutitur vicia, & cyminum virga, & non comminuitur: hoc enim fit per molarem lapidem, cum videlicet fidelis quis panis mundus faciendus est, & Christo dignus.*

CAPVT XXIX.

V [a] Æ Ariel: Ariel ciuitas, quam expugnauit Dauid, [b] Additus est annus ad annum, † agnos iugulauerunt. Et circumuallabo Ariel, & erit tristis & mœrens, & [c] erit mihi quasi Ariel, Et circundabo quasi sphæram in circuitu tuo, & iaciam contra te aggerem, & munimenta ponam in obsidionem tuam. Humiliaberis, de terra loqueris, & de humo audietur eloquium tuum. Et [d] erit quasi pythonis de terra vox tua, & de humo eloquium tuum mussitabit. Et [e] erit sicut puluis tenuis multitudo ventilantium te: & sicut fauilla pertransiens multitudo eorum qui contra te prælauerint: eritque repente, consestim à Domino exercituum visitabitur in tonitruo, & commotione terræ, & voce magna turbinis & tempestatis, & flamma ignis deuorantis. Et erit sicut somnium visionis nocturnę multitudo omnium gentium, quę dimicauerunt contra Ariel, & omnes qui militauerunt, & obsederunt & prævalauerunt aduersus eam. Et sicut somniat esuriens & comedit: cum autem fuerit expergefactus, vacua est anima eius: & sicut somniat sitiens & bibit, & postquam fuerit expergefactus, lassus adhuc sitit, & anima eius vacua est: sic erit multitudo omnium gentium, quę dimicauerunt contra montem Sion. Obstupescite, & admiramini, excæcati sunt & excęcant: inebriabuntur, & non à vino: mouebuntur, & non à potu: quoniam miscuit vobis Dominus spiritum soporis. Claudet oculos vestros: prophetas & principes vestros; qui vident visiones, operiet. Et erit vobis visio omnium sicut verba libri signati: quem cum dederint scienti literas, dicent, Lege istum: & respondebit, Non possum, signatus est enim. [f] Et dabitur liber nescienti literas, diceturque ei, Lege: & respondebit, Nescio literas. Et dixit Dominus, Eò quòd [g] appropinquat populus iste ore suo, & labijs suis glorificat me, cor autem eius longé est à me, & timuerunt me mandato hominum & doctrinis? ideò ecce ego addam, vt admirationem faciam populo huic miraculo grandi, & stupendo: peribit enim sapiẽtia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Væ qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, Quis videt nos, & quis nouit nos? [h] Peruersa est hæc vestra cogitatio: quasi si lutum contra figulum cogitet, & dicat opus factori suo, Non fecisti me: & figmentum dicat fictori suo, Non intelligis. Nónne adhuc in modico, & in breui [i] conuertetur Libanus in Charmel, & Charmel in saltum reputabitur? Et [k] audient in die illa surdi verba libri, & de tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt. Et addent mites in Domino lætitiam, & pauperes homines in sancto Israel exultabunt: quoniam defecit qui prævalebat, † consumptus est illusor, & succisi sunt omnes, qui [l] vigilabant super iniquitatem, qui [m] peccare faciebant homines in verbo, & arguẽtem in porta supplãtabant, & † perdiderunt sine causa iustum. Propter hoc, hæc dicit Dominus ad domum Iacob, [n] qui redemit Abraham, Non modo confundetur Iacob, nec modo vultus eius pallescet: sed cum viderit filios suos, opera manuum mearum

Matt. 15. a
Marc. 7. b

1. Cor. 1. d
Abdiæ 1. c
Eccle. 25. c
Infra 32. d

rum in medio sui † sanctificabunt nomen meum, & sanctificabunt sanctum Iacob, & Deum Israel formidabunt, & scient errantes spiritu intellectum, & mussitatores [o] discent † doctrinam.

SCHOLIA.

[a] Væ Ariel.] *Sonat Ariel, leonem Dei: capitur hic pro templo, & deinde pro ciuitate Hierosolymitana. Templum dicitur habuisse formam leonis, quòd à fronte fuerit latum, & à fine angustum. Aly dicunt iccirco sic appellatum propter altare templi, quia sicut leoni datur manè & vespere vitulus & agnus, sic in altari offerebatur victima tam vespere, quam manè.* [b] Additus est annus.] *Nihil (inquit) proderit vobis, si ab anno in annum veneritis, & obtuleritis sacrificia vestra.* [c] Et erit mihi quasi Ariel.] *Hoc est, instar altaris, iuxta quod multæ consueuerunt cadere victimæ, sic cædem futuram.* [d] Et erit quasi pythonis.] *Propœna consultorum pythonicorum. Indicat autem eos vocis etiam ipsius qualitate declaraturos angustiarum magnitudinem. Et hic obiter tangit morem eorum, qui per pythonem loquebantur, quibus ita attemperabatur vox, quasi è terra prodiret.* [e] Et erit sicut puluis.] *Quamuis ita terribiles sint hostes, tamen facilè peribunt, vt puluis, & qui squilię: & Hebræi interpretantur ductum de Assyrijs vna nocte in fauillam redactis. Videtur autem, dicendo quasi puluis, &c. duo significasse, & multitudinem ingentem, & eam facilè perdendam.* [f] Et dabitur liber nescienti literas.] *Si (inquit) is, qui literas scit, non intelligit, multò minus idiota.* [g] Appropinquat populus iste ore suo.] *Hoc testimonium obijcit Iudæis saluator: & quod aut, doctrinis, vir quidam eruditus, interpretatus est, Thalmudico magno studio offirmato. Quod autem sequitur, admirationem faciam populo huic, miraculo grandi & stupendo, peribit enim sapientia, &c. Paulus scribens ad Corinthios citauit, vt apertè pertinens ad Euangelicam prædicationẽ.* [h] Peruersa est.] *Hunc locum alius sic vertit. Certè subuersio vestra in manibus meis, quasi lutum figuli reputatur, etc.* [i] Conuertetur Libanus.] *Per Libanum, qui habet cedros sublimes, Hebræi intelligut superbos, & sublimes viros, qui humiliabuntur, & per agrum planum, quod intelligitur per Charmel, humiles, qui exaltabuntur.* [k] Et audient surdi.] *Quid aptius per surdos intelligas, quàm gentes, quæ ad Euangelicam prædicationem aperuerunt aures, quæ nunquam res huiusmodi antea perinde, ac si surdæ fuissent, audierãt.* [l] Vigilabant super iniquitatem.] *Hoc est, dediti erant iniquitati.* [m] Peccare faciebant homines.] *Sensus est, cum impy illi, & violenti nebulones redarguuntur à pys, sæuiunt contra eos, peccatum illis imponentes, quòd ausi fuerint contra se loqui, & quod sequitur, in porta, hoc est in publico loco.* [n] Qui redemit Abraham.] *Deus redemit Abraham impiorum consortio, sic ex filijs Iacob, patrem suum operibus suis confundentibus, redemit aliquos, qui essent opus manuum suarum, & sanctificarent Patrem, qui est in cœlis. Quin & qui errabant spiritu, vt Saulus, vocati sunt ad intelligentiam Euangelicæ doctrinæ.* [o] Discent doctrinam.] *Vel, solidam eruditionẽ. Mussitatores, alius vertit, irrisores.*

CAPVT XXX.

A VÆ filij defertores, dicit Dominus, vt faceretis consiliũ, & non ex me: & [a] absconderetis fœdus & non per spiritum meum, vt adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis, vt descendatis in Ægyptum, & os meum non interrogastis, sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in vmbra Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia vmbræ Ægypti in ignominiam. Erant enim in Zoan principes eius, & nuntij † eius [b] vsque ad Hanes peruenerunt. Omnes cõfusi sunt super populo, qui eis prodesse non poterat: non fuerunt in auxilium, & in aliquam vtilitatem, sed in confusionem & in opprobrium. [c] Onus iumentorum austri. In terra tribulationis & angustiæ, leæna &
B leo ex eis, vipera & regulus volans, † portabunt super humeros iumentorum diuitias suas, & super gibbum camelorum thesauros suos ad populum, qui eis prodesse non poterit. Ægyptus enim frustra, & vanè auxiliabitur: ideò clamaui super hoc: [d] Superbia tantum est, quiesce. Nunc ergo ingressus scribe eis super † tabulam & in libro diligenter exara illud, & erit in die nouissimo in testimonium vsque in æternum. Populus enim ad iracundiam prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, Nolite videre: & aspicientibus, Nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt: loquimini nobis placentia, [e] videte nobis † faceta: auferte à me viam, declinate à me semitam, cesset à facie nostra sanctus Israel.
C Propterea hæc dicit sanctus Israel. Pro eo quòd reprobastis verbum hoc, & speraſtis in calumnia & in prauitate, & innixi estis super eo: propterea erit vobis [f] iniquitas hęc sicut interruptio cadens, & † extuberatio in muro excelso: quoniam subitò, dum non speratur, veniet contritio eius: & comminuetur sicut conteritur lagena figuli contritione sine misericordia: & non inuenietur de fragmentis eius testa, in qua portetur ignis culus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fouea: quia hæc dicit Dominus Deus sanctus Israel, Si reuertamini & quiescatis, salui eritis. [g] In silentio, & in spe erit fortitudo vestra. Et noluistis: & dixistis, Nequaquam, sed ad equos fugiemus: ideò fugietis. Et super veloces ascendemus: ideò velociores erunt, qui
D persequentur vos. Mille homines à facie terroris vnius, & à facie terroris quinque fugietis, donec relinquamini [h] quasi malus nauis in vertice montis, & quasi signum super collem. Propterea [i] expectat Dominus, vt misereatur vestri: & ideò exaltabitur parcens vobis: quia Deus iudicij Dominus. Beati omnes qui expectant eum. Populus enim Sion habitabit in Ierusalem. [k] Plorans nequaquam plorabis, miserens miserebitur tui. Ad vocem clamoris tui statim, vt audierit, respondebit tibi. † Et si dedit vobis Dominus panem tribulationis, & aquam afflictionis: [l] & non faciet auolare à te vltrà doctorem tuum: & erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, & aures tuę audient verbum [m] post tergum monẽtis, Hæc est via, ambulate in ea:
E & non declinetis neque ad dexteram, neque ad sinistram. Et contaminabis laminas sculptilium argenti tui, & vestimentum conflatilis auri tui, & disperges ea sicut immunditiam menstruatæ. Egredere, dices ei: & dabitur pluuia semini tuo vbicunque seminaueris in terra, & panis frugum terræ erit vberrimus & pinguis: pascetur in possessione tua in die illo agnus spaciosè: & tauri tui, & pulli asinorum qui operantur terram, [n] commixtum migma comedent sicut in area ventilatum est. Et erunt super omnem montem excelsum,

& ſuper omnem collem eleuatum riui currẽtium aquarum in die interfectionis † magno [o] cum ceciderint turres. Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſeptempliciter, ſicut lux ſeptem dierum in die qua alligauerit Dominus vulnus populi ſui, & percuſſuram plagæ eius ſanauerit. Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius & grauis ad portandum. Labia eius repleta ſunt indignatione, & lingua eius quaſi ignis deuorans. Spiritus eius velut torrens inundans cuius medium vſq; ad collum pertinget, † ad cribrandas gentes cribro vanitatis, & frenum † errare faciens in maxillis populorum. Canticum erit vobis [p] ſicut nox ſanctificatæ ſolennitatis, & lætitia cordis ſicut qui pergit cum tibia, vt intret in montem Domini ad fortem Iſrael. Et auditam faciet Dominus gloriam vocis ſuæ, & terrorem brachij ſui oſtendet in comminatione furoris, & flamma ignis deuorantis: allidet in turbine & in lapide grandinis. A voce enim Dñi pauebit Aſſur virga percuſſus, & erit [q] tranſitus virgæ fundatus, quam requieſcere faciet Dominus ſuper eum [r] in tympanis & citharis: & in bellis † plauſibilibus expugnabit eos. Præparata eſt enim ab heri Topher, † etiã pro rege præparata, & profunda & dilatata. † Incẽdium eius ignis & ligna multa, flatus Domini ſicut torrens ſulphuris ſuccendens eam.

SCHOLIA.

[a] Abſconderetis ſecretum.] *In Heb. eſt, tegere tegumentum. Et eſt ſenſus. Væ illis, qui deliteſcere malunt ſub velamine Aegypti, quàm ſub ſpiritus mei tutela, mittentes principes, & nuntios in Aegyptum, qui contra quàm prohibuerat Deus, fœdus cum Pharaone facerent.* [b] Vſque ad Hanes.] *Hanes vltra Aegyptios eſſe dicitur.* [c] Onus iumentorum auſtri.] *Quod quidam ſic eſt interpretatus, prophetia beſtiarum, hoc eſt, Ieruſalem. Hebræi intelligunt, per dictionem hic poſitam, terram horribilem, in qua manent animalia ſæua, vt ſunt, Leones, Viperæ, Serpentes, per quorum terram nemo ire poteſt ſine magno metu, & mortis periculo. Et hæ malæ beſtiæ prædicuntur hic obuiam venturæ nuntijs, qui cum camelis oneratis in Aegyptum tendebant, deſcendebãt ergo ij, qui in auſtro, hoc eſt in terra Iuda viciniores Aegypto, per viam deſertam, quam vocat anguſtiæ, in camelis, & aſinis, qui impetebantur à leonibus, & alijs beſtijs: deferebat aurum & argentum, quod donarent regi Aegypti: &c.* [d] Superbia tantum eſt quieſce.] *Alij verterunt, robur eorum quies, hoc eſt, robur eorum erit, ſi quieuerint.* [e] Videte nobis faceta.] *Heb. habet, Videte illuſiones.* [f] Iniquitas hęc.] *Comparat propheta fiduciam vanam, & quæ non eſt in Deum, muro caſum minanti, qui ob prominentem tumorem diutius ſuſtinere nequit.* [g] In ſilentio, & in ſpe.] *Si ab iſta vana fiducia ad me cõuerſi fueritis, & quieti fueritis auxilio meo fidentes, liberabimini ab hoſtibus veſtris.* [h] Quaſi malus nauis.] *Comparantur arboribus raris in montibus circa quas iter demonſtratur, & vocat arbores malum nauis, quòd ſolæ illæ ſtant, ſicut in naui malus, ventis aduerſitatum expoſitæ, & quod ſequitur. Et quaſi ſignum ſuper collem. Erunt enim conſpicui ſancti propter raram, inſignemque patientiam.* [i] Expectat Dominus.] *Alius vertit. Expectare facit, vt ſit ſenſus, Dominus iubet vos expectare, et ſperare in ſalutem ſuam, &, ſi fecerit is, miſerebitur veſtri, & ex ſua erga vos pietate, ſuperior erit caſtris hoſtium veſtrorum. Sed & pro ſicitate terræ, vnde horrenda fames orta eſt, dabit pluuiam fœcundam. Et quod ſequitur, & exaltabitur, idem volunt eſſe, quod expectabit, fingit enim quaſi manum exaltet, & à percutiendo retrahat.* [k] Plorans nequaquam plorabis.] *Sunt qui ſic interpretentur, plorans nunc per hanc vitam, non plorabis perpetuò.* [l] Et non faciet auolare.] *Alius vertit. Non arctabitur amplius pluuia tua, ſed oculi tui videbunt pluuiam tuam.* [m] Poſt tergum monentis.] *Hoc eſt, in diebus illis cõuertentur homines ad Deum, etiam ſi doctor à tergo illos monuerit, & poſt eos clamauerit.* [n] Commixtum migma.] *Vel, pabulum purum. Tanta erit (inquit) copia frumenti, & pabuli, vt auena pura ſine admixtione palearum equis ſit proponenda.*

[o] Cum ceciderint turres.] *Alludit ad cladem illam inſignem, quam Dominus fecit in exercitu Aſſyriorum, quando etiam turres fortes, hoc eſt, inſignes principes ſtrauit. Tunc Iſraelitis poſt tenebroſam noctem lux clariſſima ſubitò emicuit, quando ſalus diuina ſecuta eſt horrendam afflictionem, & duram obſidionem, cœleſtia (inquit) & terreſtria gratulabuntur homini, per diuinam miſericordiam ſubitò ex mortis faucibus liberato. Sed interea memineris hæc omnia contigiſſe illis in figuram: & veritatem rerum, quam iſta figurabant, multò fore illuſtriorem. Sequitur præterea, fore, vt Aſſyrius Deus iratus, graue ſit onus, vel importabile illis onus imponat, ſub quo omnes opprimẽtur. Idemque de impijs omnibus intelligendum.*

[p] Sicut nox ſanctificatæ ſolennitatis.] *Vel, ſicut in nocte, quando ſolennitas ſancta initiatur. Hebræi narrant, nocte paſchæ occiſum exercitum Aſſyriorum.* [q] Tranſitus virgæ fundatus.] *Qui ſcilicet impediri non poterit, vel, fundatus, tanquam ex dura percuſſione infigatur carni.* [r] In tympanis.] *Hoc eſt, Dominus pugnabit contra hoſtes populi, gaudentibus & triumphantibus ſuis, & nemo non laudabit manus ſuas præ gaudio, Deum laudans in cœlis, qui ſuos ex tantis eripuit periculis. Impios autem in Topheth, hoc eſt, Gehennam detecit. Non dicit Aſſyrios tantum in hoc mundo feriendos, ſed etiam in futuro infernalibus pœnis perpetuò cruciandos. Gehenna enim hic Thopheth dicitur, ita appellata à loco prope Ieruſalem extra muros in Valle filiorum Hennon, vbi cadauera, & immunda quæque proſciebantur: & fortaſſe alibi tam clarè deſcriptam non inuenies, conſentientibus etiam Hebræis, cum noſtris ſcriptoribus. Et primò quidem dicitur præparata. ab heri, hoc eſt, ab initio mundi, hoc enim heri non rarò in ſcriptura ſignificat, ſecũdum illud Heb. 13. Chriſtus Ieſus heri, & hodie, ipſe & in ſæcula. Hebræi quoque exponunt infernum iam antea paratum, prædicẽtibus prophetis, etiam regi, tametſi cũ exercitu ſuo non perierit. Secundo indicat propheta profundum eſſe infernum & latum, quò agnoſcas multitudinem damnãdorum. Tertiò dicit habitaculum illud eſſe igneum, vt intelligas cruciatũ perpetuum. Quarto Gehenna eſt æterna, quia ſpiritus & voluntas Domini perpetuam vim incendij ſuppeditat.*

CAPVT XXXI.

VÆ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium, in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis, quia multæ ſunt, & ſuper equitibus quia præualidi nimis: & non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Dominum non requiſierunt. [a] Ipſe autem ſapiens adduxit malum, & verba ſua non abſtulit. Et conſurget contra domum peſſimorum, & contra auxilium operantium iniquitatem. Ægyptus, homo, & non Deus: & equi eorum, caro, & non ſpiritus. Et Dominus inclinabit manum ſuam, & corruet auxiliator, & cadet cui præſtatur auxilium, ſimulque omnes conſumentur. Quia hæc dicit Dominus ad me,

me, Quomodo ſi rugiat leo, & catulus leonis ſuper prędam ſuam, [b] cum occurrerit ei multitudo paſtorum, à voce eorum non formidabit, & à multitudine eorum non pauebit: ſic deſcendet Dominus exercituum vt prælietur ſuper montem Sion, & ſuper collem eius. Sicut aues volantes, ſic proteget Dominus exercituum Ieruſalem, protegens & liberans, tranſiens & ſaluans. [c] Conuertimini ſicut in profundum receſſeratis filij Iſrael. In die enim illa [d] abijciet vir idôla argenti ſui, & idôla auri ſui, quæ fecerunt vobis manus veſtræ in peccatum: & cadet Aſſur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet nõ à facie gladij, & iuuenes eius [e] vectigales erũt: & fortitudo eius à terrore tranſibit, & pauebũt à ſigno principes eius. Dixit Dominus, [f] cuius ignis eſt in Sion, & caminus eius in Ieruſalem.

SCHOLIA.

[a] Ipſe autem ſapiens.] *Nouit (inquit) Deus verſutias cordis humani, nec illum vllum latere poteſt conſilium, quod homines moliuntur contra verbum ſuum, ſed Deus id illis vertit in pernitiem, vbi ipſi quærebãt ſalutem, vt tam hi, qui ſalutem apud homines quærunt, quàm illi, apud quos illa quæritur, confundãtur.* [b] Cum occurrerit ei multitudo paſtorum.] *Sicut leo (inquit) non terretur à paſtoribus, quando captam dilacerat prædam, ita nec angelus Domini terrebitur, quando maximum exercitum Aſſyriorum vna nocte in fauillam rediget, pugnans pro ciuitate Ieruſalem, et comparat prophetæ angelum Domini leoni propter fortitudinem, & aui propter velocitatem.* [c] Conuertimini.] *Alius ſic vertit. Reuertimini ab ea incredulitate, in quam vos demerſiſtis ô filij Iſrael. Quia ſcilicet ex incredulitate receſſerunt à Deo, & quærebant auxilium vanum apud homines.* [d] Abijciet vir idôla.] *Poſtquam ſcilicet viderint miraculum illud diuinum, Aſſyriorum ſubitam extinctionem, & quòd gladio non humano ſed diuino ceciderint.* [e] Vectigales erunt.] *Alius ſic vertit. Erunt in diſſolutionem: vt ſit ſenſus. Adoleſcentes, qui ab illa clade ſuperſtites mãſerint, præ nimio ſtupore diſſoluentur, & emarceſcent, omnes animi amittentes vires.* [f] Cuius ignis eſt in Sion.] *Quidam ſic interpretantur: prope Ieruſalem erit ignis, & fornax illa, in qua comburetur exercitus Aſſyriorum. Alij putant per ignem, & fornacem, intelligẽdum altare Domini, quod erat in Sion, vbi pro honore Domini cremabantur ſacrificia.*

CAPVT XXXII.

ECce in iuſtitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt. [a] Et erit vir ſicut abſconſio à vento, & latibulum à tempeſtate, ſicut riui aquarum in ſiti, & vmbra petræ prominentis in terra deſerta. [b] Non caligabunt oculi videntium, & aures audientium diligenter auſcultabunt, & cor ſtultorum intelliget ſcientiam, & lingua balborum velociter loquetur & planè. [c] Non vocabitur vltrà is, qui inſipiens eſt, princeps, neque † auarus appellabitur † magnificus. Stultus enim fatua loquetur, & cor eius faciet iniquitatem, vt perficiat ſimulationem, & loquatur de Domino errorem, & vacuam faciat animam eſurientis, & potum ſitienti auferat. † Auari vaſa peſſima ſunt: ipſe enim cogitationes concinnauit ad perdendos mites in ſermone mendacij, cum loqueretur † contra pauperem in iudicio. Princeps verò ea, quæ digna ſunt principe, cogitabit, & ipſe † ob magnificentiam ſtabit. [d] Mulieres opulentæ ſurgite, & audite vocem meam, filiæ confidentes percipite auribus eloquium meum. [e] † Ad dies & annum, & vos conturbabimini confidentes: conſummata eſt enim vindemia, collectio vltrà non veniet. Obſtupeſcite opulentæ, conturbamini confidentes: exuite vos, & confundimini, [f] accingite lumbos veſtros. [g] Super vbera plangite, ſuper regione deſyderabili, ſuper vinea fertili. Super humũ populi mei ſpinę & vepres aſcendent: † maximè ſuper omnes domos gaudij ciuitatis exultantis? [h] Domus enim dimiſſa eſt, multitudo vrbis relicta eſt, arx & munitio factæ ſunt in ſpeluncas vſque in æternum. Gaudium onagrorum paſcua gregũ, donec effundatur ſuper nos ſpiritus de excelſo. [i] Et erit deſertum in Charmel, & Charmel in ſaltum reputabitur: & habitabit in ſolitudine iudicium, & iuſtitia in Charmel ſedebit. Et erit opus iuſtitiæ pax, & cultus iuſtitiæ † tranquillitas, & ſecuritas vſq; in ſempiternum. Et ſedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciæ & in requie opulenta. [i] Grando autem in deſcẽſione ſaltus, [m] & humilitate humiliabitur ciuitas. Beati qui ſeminatis † iuxta omnes aquas, immittentes pedem bouis & aſini. Supra. 29. f

SCHOLIA.

[a] Et erit vir.] *Et erit vir ille, quaſi latibulum venti, et abſconſio imbris: vt ſit ſenſus. Rex ille erit omnium afflictorum refugiũ, ad quem afflicti fugient haud ſecus, quàm homines, qui tempore magnorum ventorum & imbrium ad tuta latibula confugiunt.* [b] Non caligabunt.] *Hoc eſt, oculi eorum, qui hactenus cœci fuerunt iam videbunt, ſic qui ſurdi fuerũt, audient verbum Domini, & qui ſine ratione omnia, quæ caro ſuggeſſit, egerunt, iam nihil agent, niſi quod ſciuerint Deo placere. Item, quorũ lingua balba fuit in eloquijs Domini, poſt hac diſcrete & eleganter loquentur de lege Dei: quod planè ſub Chriſto perfectiũ eſt.* [c] Non vocabitur.] *Vocat propheta hic inſipientem vel ſtultũ, hominẽ diuitem, & illiberalem, qualis Nabal Charmelites fuit, & diues ille, de quo in Euangelio legitur. Stulte cuius hæc erunt? Stultus igitur vocatur, qui de bonis ſuis alijs nihil largitur, et ſi quippiam largitur, facit id maligno oculo. Auarus autem, vel parcus, qui largitur quidem, ſed minus quam ratio, & neceſſitas poſtulat. Erit igitur in diebus illis, vt qui ex corde gratiam Dei agnouerint, ſint liberales, & prodigi, hoc eſt abundè dantes. Explicat conſequenter propheta quis ſit ſtultus, & quis parcus. Stultus (inquit) nihil agit niſi vanitatem, ſed & de Deo loquitur errorem, putans ſcilicet Dei prouidentiam ſeſe ad hæc inferiora non extendere. Porrò per vaſa, ſiue arma parci, intelligunt conditiones malas, quibus parcus circũuenit ſimplices, & pauperes.* [d] Mulieres.] *Intelligunt Hebræi per mulieres ciuitates, & per filias loca minora, vt ſunt caſtella, villæ, &c.* [e] Ad dies, & annum.] *Hoc eſt, ad multos annos, non enim vno ſolo anno periclitabimini, & deerit vobis vindemia & frugum collectio.*

[f] Accingite lumbos veſtros.] *Sacco ſcilicet.* [g] Super vbera plangite.] *Quòd videlicet nõ habeant vnde lac præbeat.*

[h] Domus enim dimiſſa eſt.] *Hoc eſt, templum.* [i] Et erit deſertum in Charmel.] *Hoc eſt, in planiciem feracem vertetur, & planicies, quæ prius fera x videbatur, comparata planicie huius temporis, deſertum videbitur. Et habitabit in ſolitudine iudicium, hoc eſt, vbi prius fuit deſertum, illic habitabunt homines, & fiet iudicium inter eos, & propter opus iuſtitiæ*

iustitiæ erit inter illos pax, fructus enim iustitiæ, erit pax. Ecclesiæ ergo hic tempora describuntur. [1] Grando autem.] *Quod alius vertit. Diuertet enim grando cum descenderit in syluam. Aduersitas ergo diuertet à bonis, sicut cum grando decidit in saltum, non læsis segetibus.* [m] Et humilitate humiliabitur.] *Hoc est, absque muris habitabitur. Zac. cap. 2. Sensus ergo est. Tanta erit tranquillitas, vt oppida in locis humilibus, & non altis, ac natura munitis extructuri sint. Sed & tanta erit copia frumenti, vt passim dimissuri sint boues, & asinos in agris cultis, & seminatis, citra vllum frumenti defectum. Quo ad spiritum verò, per aquas populi signantur, per seminantes apostoli.*

CAPVT XXXIII.

A Væ qui prædari,† & ipse nullius præda fuisti: & qui spernis, & es à nemine spretus. Cum consummaueris deprædationẽ, deprædaberis. Cũ fatigatus desieris cõtemnere, cõteneris. Dñe miserere nostri: te enim expectauimus: [b] esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis. [c] A voce † tumultus fugerunt populi, & [d] ab exaltatione tua dispersæ sunt gentes, [e] Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, [f] † velut excursus locustarum excurret ad ea. Magnificatus est Dominus, quoniam † habitat in excelso. Impleuit Sion iudicio & iustitia. [g] Et erit fides in temporibus tuis: † fortitudo salutis sapientia & scientia: timor Domini ipse est thesaurus eius. [h] Ecce, † nuntij clamabunt foris, angeli pacis amarè flebunt. Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines. Luxit, & elanguit terra: [i] confusus est Libanus, & † excisus est. Et factus B est Saron, sicut desertum: & concussa est Basan, & Carmelus. Nunc consurgam, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc subleuabor. [k] Concipietis † festucam, & parietis stipulam: spiritus vester, vt ignis vorabit vos. Et erunt populi [l] quasi de incendio † calcis, spinæ congregatæ igni comburentur: [m] Audite qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini fortitudinem meam: [n] conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas. Quis poterit habitare de nobis cum igne deuorante? quis habitabit ex nobis cum ardoribus sempiternis? Qui ambulat in iustitijs & loquitur veritatem, [o] qui proijcit auaritiam ex calumnia, & excutit manus C suas ab omni munere, qui obturat aures suas [p] ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum: iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, [q] aquæ eius fideles sunt. [r] Re-
Psal. 14.a gem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram delonge. [s] Cor tuum meditabitur timorem. Vbi est † scriba? vbi ponderator? vbi descriptor turrium? Populum † robustum non videbis, populum alti sermonis: ita vt non possis intelligere, † alterius linguæ, quam non intelligas. Respice Sion ciuitatem solennitatis nostræ. Oculi tui videbunt Ierusalem habitationem opulentam, tabernaculum quod nequaquam transferri D poterit: nec auferentur claui eius in sempiternum, & omnes funiculi eius non rumpentur: quia † ibi magnificus est Dominus noster. Locus fluuiorum riui latissimi, & patentes: non transibit per eum nauis remigũ, neq; trieris magna transgredietur eum. Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse saluabit nos. [t] Laxati sunt funiculi tui: † non prævalebunt. Sic erit malus tuus, vt dilatare † velum non queas. Tunc diuidentur spolia prædarum multarum: claudi diripient rapinam: nec dicet † habitator, Elangui. Populus qui habitabit in ea, auferetur ab eo iniquitas.

SCHOLIA.

[a] Væ qui prædaris.] *Varios affectus miscet prophetys, increpando, consolando, precando, gratias agendo. Hoc autem versu insultat hosti, nimirum Sennacherib, & ait, Væ tibi exercitus Assyriorum, qui nullis lacessitus iniurijs, omnes terras conaris deuastare. Et mox conuertitur per preces ac canticum ad Deum.* [b] Esto brachium nostrum.] *Heb. habet, esto brachium eorum, nempè qui sperant in te, fidelium tuorum: frequens enim est apud prophetas mutatio personarum, cum sequitur mox, & salus nostra, sed reliquimus, vt erat, cum non mutetur sensus, vt obsequeremur consuetudini. Quod autem ait, manè, intellige assiduè, & tempestiuè.* [c] A voce tumultus.] *Quem scilicet angelus Domini excitauit in castris Assyriorum, percutiendo multa millia.* [d] Ab exaltatione tua.] *Quia superior fuisti hostibus nostris, ideo qui relicti sunt, fugerunt, & dispersi sunt.* [e] Et congregabuntur spolia vestra.] *Alius sic vertit. Et colligetur præda, quæ vestra erit, in modum collectionis bruchorum, eritq; quasi discursus locustarum, multitudo pergens ad illa, & est sensus. Current passim omnes homines ad castra Assyriorum, haud secus, quàm cũ ad colligendos bruchos prima nascentia depascentes folia, homines egrediuntur vrbem.* [f] Velut excursus locustarum excurret ad ea.] *Vel, sic, & quanta copia incedere solent locustæ, obuia erunt tibi spolia incedenti per ea.* [g] Et erit fides.] *Fides hic pro stabilimento ponitur, quam etiam veritatem quidam vertit: Vt sit sensus, Stabilietur vobis in tempore vestro pax, & salus, si occupemini in sapientia, scientia, & timore Domini, qui vnicus thesaurus vester est.* [h] Ecce nuntij.] *Nuntij (inquit) qui primum prædicauerunt pacem, adueniente hoste flebunt amarè, vt fit, angeli pacis, pro nuntij amatores pacis. Et quid dicent? Dissipatæ sunt viæ, irritum factum est pactum. Verba sunt incredulorum sic conquerentium: Vsq; adeo deserui nos Deus, vt videatur dissoluisse pactum, quod nobiscum inyt.* [i] Confusus est Libanus.] *Quatuor hic fines Iudææ nominantur, ad septentrionem Libanus, ad occidentem Saron, quæ est iuxta Lyddam & Ioppen, ad orientem Basan, ad meridiem Carmelus: duo enim Carmeli in Iudæa, vnus quo itur in Aegyptum, alter iuxta Ptolemaidem iuxta mare.* [k] Concipietis festucam.] *Alloquitur hostes, dicens eos parare sibi ipsis malum, quod passuri erant: cogitationes enim malorum ipsæ sibi malum pariunt. Spiritus (inquit) vester, qui vos impulit contra Ierusalem, occasionem dabit, vt ignis vos deuoret, & quasi in calcem rediget.* [l] Quasi de incendio calcis.] *Scilicet erepti.* [m] Audite qui longè estis.] *Ecce aliud canticum in persona Dei: audite (inquit) hostes, qui de longinquo venistis, & vicini vos Israelitæ.* [n] Conterriti sunt.] *Hoc dicitur de incredulis Israelitis, qui desperantes de auxilio Domini dicebant, quis ex nobis superstes manebit ab exercitu Assyriorum, qui omnia loca nostra in fauillas rediget? & respondet propheta. Qui ambulat in æquitate, &c. hic tutior erit, quàm si arcem fortissimam haberet, in sublimi petra extructam.* [o] Qui proijcit auaritiam ex calumnia.] *Hoc est lucrum ex calumnys paratum.* [p] Ne audiat sanguinem.] *Hoc est, ne acquiescat consilio insidiantium sanguini.* [q] Aquæ eius fideles sunt.] *Hoc est, perennes, nec deficientes.* [r] Regẽ in decore suo videbunt.] *Quem scilicet prius sacco indutum viderant. Cernent terram de longe, quidam interpretatur, terræ longinquarum regionum*

videbunt regem. Alius sic, futura erit sicut in ciuitate securitas, ita & extra. Videbis enim (inquit) terram euacuatam hostibus, vt liceat longinquas frequentare prouincias, & ab alienigenis frequentari. At vertor interpretatio erit. Cernent terram in qua degunt, quis longè absunt hinc, id est, cœlum: ibi etiam rex videbitur in decore suo. [s] Cor tuum meditabitur timorem.] *Quod quidam sic interpretantur, admiraberis dicens. Vbi scriba? Vbi quæstor? &c. quasi dicat, tam repentè cessauerint exactores: alius verò sic vertit. Cor tuum meditabitur timorem, vbinam esset scriba, vbi ponderator, vbi qui annotaret domos insigniores, populum impudentem non videbis, nec populum qui profundi est labij audies, cui stridula est lingua absque intelligentia, &c. & secundum Heb. hunc habet sensum, qui prius semper fuisti in timore, dicens. Vbi est scriba, qui exigit à nobis tributum? Vbi est, qui librat pecuniam nostram? Vbi est scriba, qui annotare solet magnificentiores domos, à quorum habitatoribus plus exigitur tributi? nunc ab illa sollicitudine liberaberis. Nam non videbis amplius populum illum, extraneum & impudentem, cuius labium, & balbutientem linguam non intelligis, quin magis videbis Ierusalem vbem tutissimam, & tabernaculum quidem non ad solum deponetur, nec paxilli, aut funes eius, quibus extensum est, laxabuntur: nam Dominus est circa eam loco fluuij latissimi, quem ipso protegente nulla nauis, quantumuis multis instructa remis, traycere potest.* [t] Laxati sunt funiculi tui.] *Hoc dicitur de exercitu Assyriorum, qui naui malo destitutæ, & à funibus, atque velo dissoluto comparatur, atque ob id arbitrio ventorum in mari iactatur, & tandem procellis obruta, in profundum demergitur. Atque cum simile quiddam Assyrys accidisset, nullus fuit in Ierusalem tam infirmus, & claudus, qui non cum gaudio exiliret, & ad prædam excurreret.*

CAPVT XXXIIII.

A Accedite gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra, & plenitudo eius, orbis, & omne germẽ eius. Quia indignatio Dñi super omnes gentes, & furor super vniuersam militiam eorũ. Interfecit eos, & dedit eos in occisionem. Interfecti eorum proijcientur, & de cadaueribus eorũ ascendet fœtor. [b] Tabescent montes à sanguine eorum, & tabescet omnis militia cœlorum, & complicabuntur sicut liber cœli: & omnis militia eorum defluet sicut defluit folium de vinea & de ficu: quoniã inebriatus est in cœ-
B lo gladius meus. Ecce super Idumeam descendet, & super populũ interfectionis meæ ad iudicium. Gladius Dñi repletus est sanguine, incrassatus est adipe de sanguine [c] agnorũ & hircorũ, de sanguine medullatorũ arietum. Victima enim Dñi in Bosra, & interfectio magna in terra Edom. Et descendent [d] vnicornes cũ eis, & Infra 63.a
tauri cum potentibus. Inebriabitur terra eorũ sanguine, & humus eorũ adipe pinguium: quia dies vltionis Domini, annus retributionum iudicij Sion. Et conuertentur [e] torrentes eius in picem, & humus eius in sul-
C phur: & erit terra eius in picem ardentem, nocte & die non extinguetur. In sempiternũ ascendet fumus eius: à generatione in generationem desolabitur, in sæcula sæculorum non erit transiens per eam. Et possidebunt illam onocrotalus, & ericius: & ibis, & coruus habitabunt in ea. Et extendetur super eam [f] mensura, vt rediga tur ad nihilum, & perpendiculum † desolationis. † Nemo erit ibi, qui vocet nobiles eius ad regnum, & omnes principes eius erunt in nihilum. Et orientur in domibus eius spinæ, & vrticæ, & paliurus in munitioni-
D bus eius: & erit cubile draconũ & pascua struthionũ: & occurrẽt dæmonia, onocentaurus, & pilosus clamabit alter ad alterũ. Ibi cubauit [g] lamia, & inuenit sibi requiem: ibi habuit foucam ericius, & peperit, & † excluſit catulos, & fouit in vmbra eius: illuc cõgregati sunt milui, alter ad alterũ. Requirite diligenter [h] in libro Dñi, & legite: vnũ ex eis nõ defuit, † nulli sua coniunx defuit: quia quod ex ore meo procedit, ille mandauit, & spiritus eius ipse congregauit ea. Et ipse misit eis sortem, & manus eius diuisit eam illis in mensura: vsq; in æternum possidebunt eam, in generationem & generationem habitabunt in ea.

SCHOLIA.

[a] Accedite gentes.] *Putant Hebræi prophetiam illam implendam tempore Messiæ sui, quando Dominus gentes mutuis bellis, & cædibus eliminabit. Quidã ex nostris hoc & sequens caput intelligendum putant de extremo die, alij de postremo synagogæ vastatione, quæ post Christi contigit aduentum, id quod ex magnifica illa prophetiæ colligunt præfatione, quando dicit. Audite gentes, aduertite, & audiat terra.* [b] Tabescent montes.] *Vel, liquefient. Hyperbole est, & illud, tabescet omnis militia cœlorum, est frequens locutio apud prophetas, vt cum de insigni loquuntur tribulatione, dicant cœlum vel obtenebrescere, vel complicari in modum voluminis, vel stellas cadere de cœlo, & hoc tropo quoq; Dominus in Euangelio vsus est.*
[c] Agnorum & hircorum.] *Pro agnis, hircis, & tauris Chaldæus interpres vertit, reges potentes, & dominos terræ, quorum sanguine, & crassis corporibus terra hic hyperbolicè dicitur saginata.* [d] Vnicornes.] *Ionathas sic explicat, et interficientur fortissimi cum eis, et potentes cum satrapis, &c.* [e] Torrentes eius in picem.] *Ionathas hic addit, flumina Romæ conuertentur in picem. Et hinc est, quòd Iudæi per Aedom sæpe in scriptura intelligunt regnum Romanorum. Est autem metaphorica locutio, vel ad literam fluuius aliquis Aedomæorum mutatus est in picem, sicut & mare mortuum post subuersionem Sodomæ asphaltũ produxit.* [f] Mensura, vt redigatur ad nihilum.] *Vel, mensura nihili, siue funiculus inanis. Sicut in ædificijs necessarius est funiculus, & perpendiculum, quibus artifex in ædificando dirigitur, sic Deus super hanc terram trahet funiculum vanum, & inanem, hoc est, omnia ædificia rediget in nihilum, id enim significat amussis inanis.* [g] Lamia.] *Ferunt eam esse, quæ & Strix appellatur, auis inuisa, & inauspicata, quam ferunt mammis lactare pueros, & infirmare.* [h] In libro Domini.] *Vos (inquit) qui fueritis in illa deuastatione, scisciramini verba Domini per me prædicta, & deprehendetis, nihil non impletum. Siquidem ipse voluit, atque ideo accipient memoratæ bestiæ veluti in hæreditatem, terram per sortem Domini eis distributam.*

CAPVT XXXV.

A Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium. Germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron, ipsi videbunt gloriam Domini, & decorem Dei nostri. Confortate manus dissolutas, & genua debilia roborate. Di-
B cite pusillanimis, Confortamini, nolite timere, ecce Deus vester [b] vltionem adducet retributionis: Deus ipse veniet, & saluabit vos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut Matt. 15.c
ceruus

ceruus claudus,& erumpet in laudem lingua mutorum:quia [c] sciſſæ ſunt in deſerto aquæ,& torrentes in ſoli- C
tudine,& quæ erat arida in ſtagnum,& ſitiens in fontes aquarum. In cubilibus,in quibus prius [d] dracones ha
bitabant,orietur viror calami & iunci:& erit ibi ſemita & via,& via ſancta vocabitur.Non trãſibit per eã pol
lutus, [e] & hæc erit † ipſis directa via,ita vt ſtulti nõ errẽt per eã. Nõ erit ibi leo,& mala beſtia nõ aſcẽdet p eã, D
nec inuenietur ibi. Et ambulabunt qui liberati fuerint,& redẽpti à Domino : cõuertentur & venient in Sion
cũ laude,& lætitia ſempiterna ſuper caput eorũ. Gaudium & lætitiã obtinebũt,& fugiet dolor & gemitus.

SCHOLIA.

[a] Lætabitur deſerta.] *Tam Chriſtiani,quàm multi Iudæi exponunt caput iſtud de tempore Chriſti, & Iudæi quidem mira fingunt,dum literæ inhærent,quæ Dominum factũrum aſſerunt eo tempore, quo ex moderna captiuitate ad terram pro miſſionis reuerſuri ſunt. At noſtri rectius exponunt de prima Chriſti eccleſia, quæ hic deſerto comparatur, ſicut & infra cap.54.plures erunt filij deſertæ,quàm eius,quæ habuit virum, &c. pertinet quoque huc verbum illud, quod Chriſtus dicebat ad Iudæos : Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius, & hoc eſt, quod hic dicitur, Gloria Libani dabitur ei, & illi, qui prius fuerunt quaſi ſolitudo,& ſqualloꝛ immunditiæ,videbunt magnificentiam Dei.*
[b] Vltionem adducet.] *Vide,vt hic locus concordet cum verbis ſancti Simeonis. Cum enim ait,Vltionem reddet, & mox addit,Veniet & ſaluabit nos,quid aliud eſt,quàm illud. Ecce hic poſitus eſt in ruinam,& in reſurrectionem multorum in Iſrael? Quòd autem hic locus ad ſeruatorem Chriſtum pertineat ipſe idem ſubindicauit,cum dixit, Ite & renuntiate Ioanni, quæ vidiſtis,& audiſtis.Cæci vident,&c.* [c] Sciſſæ ſunt.] *Sicut & ſupra dicitur.Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* [d] Dracones habitabant.] *Per dracones, & leones, & malas beſtias intelliguntur monſtroſæ illæ ſclerum peſtes, quæ orbem omnium terrarum inuaſerant, quæ in aduentu Chriſti erant exterminandæ.* [e] Et hæc erit ipſis.] *Qui ſcilicet ſimpliciter crediderint, & gratiam oblatam acceptauerint. Immundi verò Iudæi excludentur ab hac via,cum nõ ſint ex numero redemptorum Domini.*

CAPVT XXXVI.

[a] ET factum eſt:in quartodecimo anno regis Ezechię,aſcendit Sennacherib rex Aſſyriorum ſuper om- A
nes ciuitates Iuda munitas,& cepit eas. Et miſit rex Aſſyriorum Rabſacen [b] de Lachis in Ieruſalem,
ad regem Ezechiam in manu graui , & ſtetit in aquæductu piſcinæ ſuperioris in via agri fullonis. Et
egreſſus eſt ad eum Eliacim filius Helciæ,qui erat ſuper domum,& Sobna ſcriba , & Ioahe filius Aſaph à cõ
mentarijs.Et dixit ad eos Rabſaces,Dicite Ezechię,Hæc dicit rex magnus,rex Aſſyriorum,Quæ eſt iſta fidu
cia qua confidis ? † [c] dixi:in verbo labiorum confidit:at conſilio & fortitudine opus eſt ad bellum: ſuper quę
habes fiduciam,quia receſiſti à me? Ecce cõfidis ſuper baculum arundineum cõfractũ iſtum ſuper Ægyptũ:
cui ſi innixus fuerit homo , intrabit in manum eius , & perforabit eam:ſic Pharao rex Ægypti omnibus qui B
confidunt in eo. Quòd ſi reſponderis mihi,In Domino Deo noſtro confidimus:nõnne ipſe eſt [d] cuius abſtu
lit Ezechias excelſa & altaria,& dixit Iudę & Ieruſalem, Coràm altari iſto adorabitis? Et nunc trade obſides
domino meo regi Aſſyriorum,& dabo tibi duo millia equorum,[e] † ſi poteris ex te præbere aſcenſores eorũ:
& quomodo ſuſtinebis faciem † ducis vnius ex ſeruis domini mei minoribus? † Interim cõfidis in Ægypto,
in quadriga,& in equitibus:& nunc nunquid ſine Domino aſcendi ad terram iſtam,vt diſperderem eã ? Do-
minus dixit ad me, Aſcende ſuper terram iſtam,& diſperde eam. Et dixit Eliacim & Sobna,& Ioahe ad Rab-
ſacen, Loquere ad ſeruos tuos Syra lingua: intelligimus enim,ne loquaris ad nos Iudaicè in auribus populi C
qui eſt ſuper murum. Et dixit ad eos Rabſaces, Nunquid ad Dominũ tuũ & ad te miſit me dominus meus,
vt loquerer omnia verba iſta:& non potius ad viros qui ſedent in muro , vt comedant ſtercora ſua,& bibant
† aquas pedũ ſuorũ vobiſcũ?Et ſtetit Rabſaces,& clamauit voce magna Iudaicè,& dixit, Audite verba regis
magni,regis Aſſyriorum.Hæc dixit rex,Non ſeducat vos Ezechias,quia non poterit eruere vos:& non vobis
tribuat fiduciã Ezechias ſuper Dño,dicens,Eruens liberabit nos Dñs , non dabitur ciuitas iſta in manu regis
Aſſyriorũ.Nolite audire Ezechiam.Hæc enim dicit rex Aſſyriorum,Facite mecum benedictionem,& egre-
dimini ad me,& comedite vnuſquiſq; vineam ſuam,& vnuſquiſq; ficum ſuam , & bibite vnuſquiſq; aquam D
ciſternę ſuę,donec veniam & tollam vos ad terram,quę eſt,vt terra veſtra,terram frumenti & vini, terrã pa-
num & vinearum.Nec conturbet vos Ezechias,dicens, Dominus liberabit nos . Nunquid liberauerunt dij
gentium vnuſquiſq; terram ſuam de manu regis Aſſyriorum? Vbi eſt deus [f] Emath & Arphad? Vbi eſt deus
Sepharuaim?Nunquid liberauerunt Samariam de manu mea?Quis eſt ex omnibus dijs terrarum iſtarũ , qui
eruerit terram ſuam de manu mea,vt eruat Dominus Ieruſalem de manu mea?Et ſiluerunt,& non reſponde
runt ei verbum.Mandauerat enim eis rex,dicens, Ne reſpondeatis ei. Et ingreſſus eſt Eliacim filius Helciæ
qui erat ſuper domum,& Sobna ſcriba,& Ioahe filius Aſaph [g] à commentarijs, ad Ezechiam ſciſſis veſtibus,
& nuntiauerunt ei verba Rabſacis.

SCHOLIA.

[a] Et factum eſt in xiiij.] *Expugnat Sennacherib omnes ciuitates Iuda præter Ieruſalem , id eſt , veram Dei eccleſiam.* [b] De lachis.] *Quæ eſt in tribu Beniamin non procul à Ieruſalem , nam capta ea profectus eſt Sennacherib in Aegyptum ad obſidionem Peluſij, vt Ioſephus refert.* [c] Dixi,in verbo labiorum confidit.] *Hoc eſt,dixi apud me fortaſſe verbo labiorum,hoc eſt,oratione,ſperat ſe tutum forè: ſed fortitudine opus eſt ad gerendum bellum.Et vide,vt impij , & qui Deum non agnoſcunt , rideant preces ad Deum, quæ tamen longè plus , quàm robur omne corporum valent . Totum autem iſtud cap. hiſdem ferè ſcriptum verbis , habetur quarto Regum 18. niſi quòd in paucis locis iſtud caput variat ab illo.*
[d] Cuius abſtulit Ezechias excelſa.] *Sanctè & ſecundum legem Dei abſtulerat Ezechias excelſa, quod hic impius calumniator vitio vertit , quaſi Dei cultum abſtulerit .* [e] Si poteris ex re præbere aſcenſores eorum.] *Cum(inquit) tam imbecillium ſis virium,vt non habeas tot homines , qui duo millium equitum numerum compleant , quo pacto opponere te audes regi potentiſſimo?* [f] Hemath.] *Antiochiam priſcis dictam volunt . Sepharuaim in Aſſyriorum regionibus eſt, vnde*

eſt, vnde coloni in Samariam venerunt. Arphat vrbem in Damaſcene Hieronymus teſtatur fuiſſe. [g] A cõmentarijs.] *videntur ij eſſe,quos nunc referendarios vocant.*

CAPVT XXXVII.

[a] ET factum eſt:cum audiſſet rex Ezechias,ſcidit veſtimenta ſua,& obuolutus eſt ſacco,& intrauit in do- A
mum Domini.Et miſit Eliacim,qui erat ſuper domum,& Sobnam ſcribam, & ſeniores de ſacerdoti-
bus opertos ſaccis ad Iſaiam filium Amos prophetam,& dixerunt ad eum. Hæc dicit Ezechias, [a] Dies
tribulationis,& correptionis,& blaſphemiæ dies hæc:quia venerunt filij vſq; ad partum,& virtus non eſt pa- 4.Re. 19.a
riendi.Si quo modo audiat Dominus Deus tuus verba Rabſacis, quem miſit rex Aſſyriorũ dominus ſuus ad
blaſphemandum Deum viuentem,& exprobrandum ſermonibus quos audiuit Dominus Deus tuus. Leua
ergo orationẽ pro reliquijs,quæ reperte ſunt.Et venerunt ſerui regis Ezechiæ ad Iſaiam,& dixit ad eos Iſaias.
B Hæc dicetis domino veſtro,Hęc dicit Dominus,Ne timeas à facie verborum,quæ audiſti,quibus blaſphema
uerunt pueri regis Aſſyriorum me. Ecce,ego [b] dabo ei ſpiritum,& audiet nuntium,& reuertetur ad terram
ſuam,& corruere eum faciam gladio in terra ſua. Reuerſus eſt autem Rabſaces,& inuenit regem Aſſyriorũ
pręliantem aduerſus Lobnam. Audierat enim q̃ profectus eſſet de Lachis,& audiuit de Tharaca rege Æthio-
piæ,dicentes,Egreſſus eſt,vt pugnet contra te . Quod cum audiſſet,miſit nuntios ad Ezechiam,dicens, Hæc
dicetis Ezechiæ regi Iudæ dicentes, Non te decipiat Deus tuus,in quo tu confidis dicens,Non dabitur Ieruſa
lem in manu regis Aſſyriorum.Ecce,tu audiſti omnia , quæ fecerunt reges Aſſyriorum omnibus terris quas
C ſubuerterunt,& tu poteris liberari? Nunquid eruerunt eos dij gentium,quos ſubuerterunt patres mei [c] Go-
zam & Haran,& Reſeph,& filios Eden,qui erant in Thalaſſar? Vbi eſt rex Emath,& rex Arphad,& rex vrbis
Sepharuaim,Ana & Aua? Et tulit Ezechias † literas de manu nuntiorum,& legit eas,& aſcendit in domum
Domini,& expandit eas,Ezechias coràm Domino.Et orauit ad Dominum,dicens,Domine exercituũ Deus
Iſrael,qui ſedes ſuper Cherubim:tu es Deus ſolus omnium regnorum terræ,tu feciſti cœlum & terrã.Inclina
Domine aurem tuã & audi : aperi Domine oculos tuos & vide , & audi omnia verba Sennacherib,quę miſit
ad blaſphemandũ Deum viuentem. Verè enim Domine deſertas fecerunt reges Aſſyriorum terras & regio-
D nes earum. Et dederunt deos eorum igni:non enim erant dij,ſed opera manuum hominũ, lignum & lapis,
& comminuerunt eos. Et nũc Domine Deus noſter ſalua nos de manu eius: & cognoſcant omnia regna ter-
ræ q̃ tu es Dominus ſolus.Et miſit Iſaias filius Amos ad Ezechiam,dicens, Hæc dicit Dominus Deus Iſrael,
Pro quibus rogaſti me de Sennacherib rege Aſſyriorum , hoc eſt verbũ quod locutus eſt Dominus ſuper eũ.
[d] Deſpexit te,& ſubſannauit te virgo filia Sion:poſt te caput mouit virgo filia Ieruſalem. Cui exprobraſti, &
quem blaſphemaſti,& ſuper quem exaltaſti vocem tuam,& leuaſti altitudinem oculorum tuorum? † Contra
ſanctum Iſrael,in manu ſeruorum tuorum exprobaſti Domino, & dixiſti, In multitudine quadrigarũ mea-
E rum ego aſcendi [e] in altitudinem montium iuga Libani : & ſuccidam excelſa cedrorum eius, & electas abie-
tes illius,& introibo altitudinem ſummitatis eius,ſaltum Carmeli eius. [f] Ego fodi & bibi aquam, & exicca-
ui veſtigio pedis mei omnes riuos † munitionis. [g] Nunquid non audiſti † multò ante decreuiſſe me eſſe fa-
cturũ,& à diebus antiquis conſtituiſſe?nunc ergo adduxi illud,& fient aceruis ruderum ſimiles ciuitates mu-
nitæ. Habitatores earum breuiata manu contremuerunt,& confuſi ſunt:facti ſunt ſicut fœnum agri, & gra
men paſcuæ,& hærba tectorum, quę exaruit antequam matureſceret.Habitationem tuam,& egreſſum tuũ,
& introitum tuum ego cognoui,& inſaniam tuam cõtra me. Cum fureres aduerſum me, ſuperbia tua aſcẽ-
F dit in aures meas : ponam ergo circulum in naribus tuis , & frenum in labijs tuis , & reducam te in viam per
quam veniſti. [h] Tibi autem hoc erit ſignum,Comede hoc anno,quæ ſponte naſcuntur, & in anno ſecundo
† quæ hinc renata fuerint:in anno autem tertio ſeminate & metite : & plantate vineas & comedite fructum
earum.Et mittet id quod ſaluatum fuerit de domo Iuda,& quod reliquum eſt,mittet radicem deorſum, & fa
ciet fructum ſurſum:quia de Ieruſalem exibunt reliquiæ,& ſaluatio de monte Sion: zelus Domini exercituũ 4.Re. 19.g
faciet iſtud. Propterea hæc dicit Dominus de rege Aſſyriorum, Non intrabit ciuitatem hanc, & nõ iaciet ibi Tob. 1.d
ſagittam:& non occupabit eam clypeus,& non mittet in circuitu eius aggerem. In via qua venit,per eam re- Eccle.48.d
G uertetur,& ciuitatem hanc non ingredietur , dicit Dominus . Et protegam ciuitatem iſtam , vt ſaluem eam 1.Mac. 7.f
propter me,& propter Dauid ſeruum meum.Egreſſus eſt autem angelus Domini,& percuſſit in caſtris Aſſy 2.Mac. 8.e
riorum centumoctogintaquinq; millia.Et ſurrexerunt manè,& ecce omnes cadauera mortuorum.Et egreſ-
ſus eſt:& abijt:& reuerſus eſt Sennacherib rex Aſſyriorum,& habitauit in Niniue. Et factum eſt cum ado-
raret in templo Neſroch deum ſuum, Adramelech,& Saraſar filij eius percuſſerunt eum gladio , fugeruntq;
in terram Ararat,& regnauit Aſarhaddon filius eius pro eo.

SCHOLIA.

[a] Dies tribulationis.] *Senſus eſt,tanta imminet tribulatio,vt prægnantes mulieres ante iuſtum tempus rumpantur ad partum,& tamen præ anxietate fœtum educere nequeant.* [b] Dabo ei ſpiritum.] *Capitur hic ſpiritus pro voluntate, quam Dominus in rege mutauit,audito rumore aduentus regis Aethiopiæ,licet poſtea redierit: Verum Iudæi interim potuerunt ſibi prouidere neceſſaria.* [c] Gozan.] *De hoc habes quarto Regũ 17.quòd ſit in Media.* [d] Deſpexit te.] *Virgo Iſrael deſpexit te rex Aſſur,quæ non raro virgo appellatur,quia nulli alij marito,quàm vero Deo ſubiecta fuit.Hæc igitur confiſa in Domino ſpreuit & ſubſannauit minas regis Aſſur,mouẽs caput poſt eum,ſecura ob Dei expectatum auxilium.* [e] In altitudinem montium.] *Intelligit loca in montibus extructa arte,atque natura munita,per iuga,ſiue latera Libani intelligatur terra Iſrael,præſertim montana, vt eſt ea, quæ circa Ieruſalem inuenitur: per cedros , & abietes,intellige inſigniora quæque loca,& per altitudinem ſummitatis,Ieruſalem,vel templum ipſum,quod vnicum illius regni fuit aſylum , & hanc vltimo loco rex Aſſur putabat obtinendam.* [f] Ego fodi,& bibi aquam.] *Sunt qui ad literam hunc verſum exponunt, immiſſo ſcilicet exercitu cum iumentis,qui epotarent aquas,aut deriuarent alio, alij verò putant intelligendũ de locis paſtim*

à rege

à rege Assur deuictis, cuius aduentus tantum metũ incussit habitatoribus terræ, vt ille nemine reſiſtente, veſtigio pedis ſui tranſierit foſſas & munitiones quaſque circa ciuitates extructas. g Nunquid nõ audiſti multò ante decreuiſſe me? *Iandiu (inquit) illam terræ & gentũ deſolationẽ præordinaui, & per prophetas prædixi, ſed modo ſub regibus Aſſur volui eam in effectum venire, vt vrbes munitiſſimæ paſſim in ruinas collaberentur, et habitatores earum fortiſſimi, quaſi non haberent manus, langueſcerent, confunderentur, & in modum inualidæ herbæ molleſcerent. Aly tamen exponunt, de ciuitate Ieroſolymitana, quam Dominus ante multa tempora ædificandam diſpoſuit, quam à Sennacherib deuaſtari noluit, nec habitatores eius viribus deſtitui.* h Tibi autem hoc erit ſignum.] *Signum illud additur, vt non timeant, quòd rex alius poſt interfectum Sennacherib facilè auſurus ſit inuadere terram Iuda. Eſt autem hoc ſignum, quòd Deus daturus erat ſuam benedictionem ſpontè naſcentibus in terra, vt magna hominum multitudo hinc ſufficiens alimentum eſſet habitura, non vno tantum, ſed duobus annis. Putant tamen Hebræi ſecundum annum fuiſſe annum remiſſionis, ſeptimum ſcilicet.*

CAPVT XXXVIII.

4. R. c20 a
2. Par. 32. f

IN diebus illis a ægrotauit Ezechias vſq; ad mortem : & introiuit ad eum Iſaias filius Amos propheta, & dixit ei, Hæc dicit Dominus. Diſpone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem ſuam b ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit, Obſecro Domine, memento queſo quomodo ambulauerim coràm te in veritate, & in corde perfecto, & quod bonũ eſt in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et factum eſt verbum Domini ad Iſaiam, dicens, Vade, & dic Ezechiæ, Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui, Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas: ecce, ego adijciam ſuper dies tuos quindecim annos, & de manu regis Aſſyriorum eruam te & ciuitatem iſtam, & protegam eam. Hoc autem tibi erit ſignum à Domino, q̃ faciet Dominus verbum hoc quod locutus eſt, Ecce ego reuerti faciã vmbram linearum, per quas deſcenderat in horologio Achaz in ſole retrorſum c decem lineis. Et reuerſus eſt ſol decem lineis per gradus quos deſcenderat. Scriptura Ezechiæ regis Iuda cum egrotaſſet, & conualuiſſet de infirmitate ſua. Ego dixi d in dimidio dierum meorũ, e Vadam ad portas inferi : † deſtitutus ſum reſiduo annorum meorum. Dixi, Non videbo Dominum Deum in terra viuentium, nõ aſpiciam hominẽ vltrà & habitatorem † orbis. Generatio mea ablata eſt † à me, & conuoluta eſt quaſi tabernaculum paſtorũ. † Præcidi velut texens vitã meã: † hac infirmitate occidit me. f De mane vſq; ad veſperã finies me. Sperabã vſq; mane, quaſi leo ſic contriuit omnia oſſa mea. De mane vſq; ad veſperã finies me. Sicut † grus & hirundo ſic clamabo, † gemam vt columba. g Attenuati ſunt oculi mei ſuſpicientes in excelſum. h Domine † grauiter crucior refrigera me quid dicam? & dixit mihi, qui & ipſe fecit. Recogitabo omnibus annis meis hanc amaritudinem animæ meę. i Dñe ſic viuetur, & in his vita ſpiritus mei, & dormire me feciſti, & viuificaſti me. k Ecce in pacem amaritudo mea amariſſima: tu autem eruiſti animam meã, vt nõ periret, & proieciſti poſt tergũ tuũ omnia peccata mea. Quia nõ infernus cõfitebitur tibi, neq; mors laudabit te : m nõ expectabunt qui deſcendũt in lacũ, veritatẽ tuã. Viuens, Viuẽs ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie : pater filijs notã faciet veritatem tuam. Domine ſaluum me fac, & pſalmos noſtros cantabimus cũctis diebus vitæ noſtræ in domo Domini. Et iuſſit Iſaias, vt tollerent maſſam de ficis, & cataplaſmarent ſuper vulnus eius & ſanaretur. Et dixit Ezechias. n Quod erit ſignum q̃ aſcendam in domum Domini?

SCHOLIA.

a Ægrotauit.] *Quo videlicet tempore obſidebat Lobnam Sennacherib, quod eo colligunt, quod ſubdit, Eruam te de manu Aſſyriorum.* b Ad parietem.] *Siue, vt ſeſe verſus templum conuerteret, ſiue quod verò eſt ſimilius, vt in illa mœſtitia ſe magis colligeret ad precandum Deum. Credibile autem admodum eſt hunc regem cogitaſſe, fore, vt morte ſua hoſtibus Dei lætitiam faceret, qui interpretaturi eſſent mortem hanc, quaſi pœnam ſacrilegy, qui tuliſſet è medio aras & lucos. Offendi poterant py in populo, & impy inſoleſcere. Decedebat præterea ſine liberis, præſertim cum de poſteritate ſua, qui eſſet de ſemine Dauid, expectaret Chriſtum, quæ omnia triſtiorem eum faciebant.* c Decem gradibus.] *Ionathas Chaldæus intelligit per gradus horas. Quidam putant hunc locum intelligendum, vt ſol ſubitò vno temporis momento moueretur decem gradibus. Fabulantur autem Hebræi diem decem gradibus abbreuiatum, quando Achaz mortuus eſt, ne ſcilicet luctus fieret ſuper morte eius, & hos decem gradus iterum fuiſſe reſarcitos tempore Ezechiæ, ne temporum fieret confuſio. Porrò in Hebræo non habetur, in horologio Achaz, ſed in gradibus Achaz. Fuerunt tamen gradus illi ſignati in lapide quodam, ex quibus diſcebatur hora diei, quando ſol radiabat.* d In dimidio dierum meorum.] *Vel, in ſucceſſione dierum meorum. Dicit autem dies ſuos ſucceſſos, quoniam habebat triginta nouem ætatis annos, & nondum peruenerat ad periodum vitæ ſuæ.* e Vadam ad portas inferi.] *Vel, ambulabo in portis inferni, hoc eſt, poſt hac verſabor in latibulis ſepulchri, et non videbo amplius templum Domini in terra viuentium, deputatus & poſitus ad mortuos, ſed nec viuam cum hominibus, qui integrum viuunt ſæculum, & peruenient ad iuſtam ætatem.* f De mane vſq; ad veſperam.] *Putabam (inquit) quòd tu Deus per ipſam infirmitatem ſic exhaurires vires meas, & eneruares compages corporis, vt per diem vſque ad noctem ſuperuicturus non eſſem, & rurſum veſpere cogitabam, me ante initium ſequentis diei moriturum, vſque adeo ſæuiebat per noctem morbus in corpus, ac ſi carnem cum oſſibus abſumpturus eſſet, in modum leonis pecus aliquod diſcerpentis.* g Attenuati ſunt.] *Heb. ſic habent. Sublati erant oculi mei in excelſum. Sed interpres vſus eſt paraphraſi.* h Domine grauiter crucior.] *Opprimit me (inquit) languor meus, mitior ſis paululum erga me. Quid dicam ego, cum ipſe per prophetam indicauerit ſe facturum, vt ſanitatẽ priſtinã recipiã? Vel potius ſic. Quid dicam? ſum enim inops animi, quid nã vel dicam, vel faciam, ſed ipſe dixit, qui & fecit. Non aliud habeo, quàm vt perpetuò memor amaritudinis huius animæ meæ ſim, à qua beneficio illius liberatus ſum.*
i Domine ſic viuetur.] *Alius vertit. Vltra eos viuent, vt ſit ſenſus, iam cognoui quòd vltra præſcriptos annos homines viuere poſſunt, ſi Deus voluerit, id quod in me experior qui in ſuperadditis annis fruor gratiſſima vita ſpiritus mei. Prioris verò tranſlationis hic erit ſenſus. Domine ad hunc modum quo quindecim annis hic victurus ſum, viuent multi, verum mihi præ reliquis omnibus, quæ mihi illis quindecim annis fieri poterunt, hoc gratiſſimum eſt, quòd vitam ſpiritus receperim, reſtituiſti enim mihi ſanitatem corporis, & vitam animæ.* k Ecce in pacem.] *Scilicet verſa eſt, nempè amaritudo mea amariſſima.*

amariſſima. l Proieciſti poſt tergum.] *Oblitioni dediſti peccata mea, quibus ego veluti textor ſuccidi vitam meam, ſicut ſupra dixit.* m Non expectabunt.] *Hoc eſt. Qui deſcendunt in ſepulchrum non manent in hac vita, vt laudes tuas annuntient, licet aliquando reſurrecturi ſint ad immortalem vitam : ſed qui in hac manent vita confitebuntur tibi, & ſi dederis eis filios, illi quoque à patribus ſuis eruditi confitebuntur veritatem tuam.* n Quod erit ſignum.] *Admirantis eſt, vt dicat, quàm admirabile eſt hoc ſignum tuum.*

CAPVT XXXIX.

A IN tempore illo miſit Merodach Baladan filius Baladan a rex Babylonis, † literas & munera ad Ezechiã: audierat enim quòd ægrotaſſet, & conualuiſſet. Lætatus eſt autem ſuper eis Ezechias, & oſtendit eis cellam aromatum, & argenti, & auri, & odoramentorum, & b vnguenti optimi, & omnes apothecas ſupel- 4. Re. 20. c
B lectilis ſuæ, & vniuerſa, quæ inuenta ſunt in theſauris eius. c Non fuit verbum quod non oſtenderet eis Ezechias in domo ſua, & in omni poteſtate ſua. Introiuit autem Iſaias propheta ad Ezechiam regem & dixit ei, Quid dixerunt viri iſti, & vnde venerunt ad te? Et dixit Ezechias, De terra longinqua venerũt ad me de Baby-
C lone. Et dixit, Quid viderunt in domo tua? Et dixit Ezechias, Omnia, quę in domo mea ſunt, viderunt: non fuit res quam non oſtenderim eis in theſauris meis. Et dixit Iſaias ad Ezechiam, Audi verbum Domini exercituum: Ecce dies venient, & auferentur omnia, quę in domo tua ſunt, & quæ theſaurizauerũt patres tui vſq;
D ad diem hanc, in Babylonem: non relinquetur quicquam, dicit Dominus. d Et de filijs tuis, qui exibunt de te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio regis Babylonis. Et dixit Ezechias ad Iſaiam, Bonum verbum Domini quod locutus eſt. Et dixit, e Fiat tantum pax & veritas in diebus meis.

SCHOLIA.

a Rex Babylonis.] *Sennacherib rex Aſſur, qui Monarchiam tenebat imperij, dominabatur quidem regno Babel, ſed habuit regnum illud proprium regem, qui tributa pendebat regi Aſſyriorum, donec Nabuchodonoſor in Babylonia regnare cæpit: hic enim abiecit omne ſeruitutis iugum, & factus eſt Monarcha, etiam regnum Aſſyriorum ſibi ſubyciens, manſitq; Monarchia apud Babylonios ſeptuaginta annis.* b Vnguenti optimi.] *Opobalſami videlicet, quod in ſola Hiericunte proueniebat, vnde & Hiericus nomen habet ab odore.* c Non fuit verbum; quod non oſtenderet.] *Illud verbum, Hebraiſmus eſt, pro re ſicut & illud. Non in ſolo pane viuet homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* d Et de filijs tuis.] *Intelligunt de poſteris Ezechiæ, & de tribus pueris, ac Daniele. Et vide, quam nunquam oporteat inſoleſcere in bonis, quæ nobis dantur à Domino, neque ineptire.* e Fiat tantum pax.] *Quod ſic interpretantur. Bonus eſt ſermo Domini, poſtquam pax & veritas futura eſt in diebus meis, & quod ait, veritas, intelligitur conſtantia in promiſſis.*

CAPVT XL.

A CA Conſolamini conſolamini populę meus, dicit Deus veſter. b Loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt militia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu Domini Matth. 3. a
Marc. 1. a
Luc. 3. a
Ioan. 1. c
c duplicia pro omnibus peccatis ſuis. d Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, rectas facite in ſolitudine ſemitas Dei noſtri. e Omnis vallis exaltabitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prauа in directa, & aſpera in vias planas. Et reuelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro pariter quod
B os Domini locutum eſt. Vox dicentis, Clama. Et dixi, Quid clamabo? f Omnis caro fœnũ, & omnis † miſericordia eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia ſpiritus Domini ſufflauit in eo. Verè fœnum eſt populus. Exiccatum eſt fœnum & cecidit flos: verbum autem Dei noſtri manet in æternum. g Super montem excelſum aſcende tu, quæ euangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, quæ euangelizas Ieruſalem: exalta, noli timere. Dic ciuitatibus Iudæ, Ecce Deus veſter : ecce Dominus Deus in fortitudine Ecclę. 14. c
Iacob. 1. b
1. Petr. 1. d
Ioan. 12. a
Ioan. 10. b
Ezech. 34. f
& 37. f
C veniet, & brachium eius † pro arbitrio dominabitur. Ecce, merces eius cum eo, h & opus illius coràm illo. Sicut paſtor, gregem ſuum paſcet: in brachio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo leuabit, fœtas † ducet. i Quis menſus eſt pugillo aquas, & cœlos palmo † dimenſus eſt? Quis menſurauit k magna menſura molem terrę, & libravit in pondere montes, & colles in ſtatera? † Quis expendit ſpiritum Domini? aut quis conſiliarius
Roma. 11. d
1. Cor. 2. d
Sapien. 9. c
Act. 17. d
D eius fuit, & oſtendit illi? Cum quo iniit conſilium, & inſtruxit eum, & docuit eum l ſemitam † iudicij, & eruditionis eum ſcientia, & viam prudentiæ oſtendit illi? m Ecce, gentes quaſi ſtilla ſitulæ, & quaſi † puluiſculus ſtateræ reputatæ ſunt. Ecce, Inſulas quaſi † puluerem proijciet, n & Libanus non ſufficiet ad ſuccendendum, & animalia eius non ſufficient ad holocauſtum. Omnes gentes quaſi non ſint, ſic ſunt coràm eo, & † minus quàm nihilum & inane reputatæ ſunt ei. o Cui ergo ſimilem feciſtis Deum? aut quam imaginem ponetis ei?
E Nunquid ſculptile conflabit faber? aut aurifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius? † Nõne
F adiuuus p ob quæſtum lignum imputribile elegit, & artificem ſapientẽ: quærit quomodo ſtatuat ſimulachrũ quod non moueatur? q Nunquid non ſcitis? nunquid non audiſtis? nunquid nõ annuntiatum eſt vobis ab initio? nunquid non intellexiſtis fundamenta terræ? Qui ſedet ſuper gyrum terræ, & habitatores eius ſunt quaſi locuſtæ. Qui extendit velut † cortinam cœlos, & expandit eos ſicut tabernaculum ad inhabitandum. Qui dat † principes quaſi non ſint, iudices terræ velut inane fecit: r & quidem neque † plantatus, neq; ſatus, neq; radicatus in terra truncus eorum: repente flauit in eos, & aruerunt, & turbo quaſi ſtipulam auferet eos. Et cui aſſimilaſtis me, & adequaſtis, dicit ſanctus? Leuate in excelſum oculos veſtros, & videte quis creauit hæc. Qui
G eduxit in numero s militiam eorum, & omnes ex nomine vocat. Præ multitudine fortitudinis, & roboris, virtutisq; † nullum deerit loco ſuo. t Quare dicis Iacob, & loqueris Iſrael, Abſcondita eſt via mea à Domino, & à Deo meo iudicium meum tranſibit? Nũquid neſcis, aut non audiſti, † Iudex huius mundi Dominus, qui creauit terminos terræ, non deficiet, neq; laborabit, neque eſt inueſtigatio ſapientiæ eius. u Qui dat laſſo virtutem: & cui vires non ſunt, fortitudinem, & robur multiplicat. Deficient † adoleſcentes, & laborabunt, & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino, x mutabunt fortitudinem aſſument pennas y ſicut aquilæ, current & non laborabunt: ambulabunt, & non deficient.

Scholia.

SCHOLIA.

a Consolamini.] *Alij verterunt, Consolamini o prophetæ, consolamini populum meum. Et loquitur propheta de temporibus Messiæ, etiam secundum Iudæos, atque ideo hæc magis referuntur ad tempora nostra, quàm ad tempora prophetæ, quan do post aduentum Christi gratia, misericordia, & remissio peccatorum omnibus hominibus annuntiantur, & finem accepit militia, & luctæ illa, quæ sub iugo legis sudatum est, quod neque nos neque patres nostri portare potuerunt, vt ait apostolus.*

b Loquimini ad cor Ierusalem.] *Hebraismus est, pro loquimini grata. Et, quod ait, completa est militia, alius vertit impletum est tempus eius, tempus scilicet statutum, & definitum à patre, quam Paulus vocat plenitudinem temporis quo nos in gratiam suscipiet Deus, & condonabit iniquitates nostras, ita vt pro peccatis accipiamus ex gratuita Dei voluntate, non nostris meritis, duplicia bona, remissionem peccatorum, & militiæ completionem.*

c Duplicia.] *Hoc est, magnifica, & incomprehensa, vt & hic sit Hebraismus, & illud, pro omnibus peccatis suis, hoc est, non obstantibus omnibus peccatis, vel, accepit de manu Domini duplicia, id est, satis superq; satisfactum est pro peccatis, passo in natura nostra Christo, cum pater non pepercerit filio, &c.*

d Vox clamantis.] *Mirum quàm stultè interpretentur plerique loca Hebræi, quæ ad tempus Messiæ pertinet. Intelligunt enim, quòd repurgandum sit desertum, vt populus iudaicus suauiter ex captiuitate in terram promissionis reducat. Porrò Euangelistæ docent, quis verus sit sensus huius loci. Et notanda sunt verba illa. Vox clamantis, vt per vocem clamoris intelligas, procul audiendam esse Euangelicam prædicationem, futurumq; vt latè pateat.*

e Omnis vallis exaltabitur.] *Metaphora est, vt dicat, facilis erit via & plana ad ambulandum in præceptis Dei, vt facilè ambulatur vbi stinera plana sunt, & nec vallibus & collibus sunt inæqualia & aspera.*

f Omnis caro fœnum.] *Iubetur propheta & hoc, non solum dicere, sed etiam clamare, omnem scilicet hominem esse fœnum, quibus verbis mihi videtur velle significare, hanc præstitam hominibus gratiam à sola Dei benignitate profectam, præsertim cum sequatur, & omnis misericordia, hoc est, omnia beneficia eius, quasi flos agri, vt quicquid videtur in nobis bonum, nihil sit aliud, quàm res quædam caduca, & fragilis.*

g Super montem excelsum.] *Cum mentionem Euangelij facit, non contentus est sublatione vocis, nisi etiam in montem, eumq; excelsum ascendatur: iubet etiam, vt magno animo, & sine trepidatione annuntietur. Sed cur opus fuit admonere, ne metuerent, qui tantæ lætitiæ nuntium fuerant allaturi? Videbat propheta imminentes ijs prædicatoribus persecutiones ab ijs, qui non crederent, iccirco præmunit eos, vt conscij sibi tantæ veritatis nihil trepident. Imperat autem hoc ecclesiæ sub persona Sion, & Ierusalem, quæ tamen vna ciuitas est, vt annuntient hæc reliquis ciuitatibus. Ascende, inquit, super montem excelsum tu Sion annuntiatrix, eleua viriliter vocem tuam Ierusalem annuntiatrix.*

h Et opus illius.] *Hoc est, merces operis, nam & operatur opus suum in nobis, & idem opus remunerat.*

i Quis mensus est.] *Totus incumbit, vt confirmet nos in fide, multa de potentia, & benignitate Dei loquens.*

k Magna mensura.] *Hebraismus habet, mensura ternaria, vel tripli ci, sicut dicimus, ter maximus, hoc est, insigniter maximus.*

l Semitam iudicij.] *Hoc est, Quis docuit eum hanc mirabilem dispositionem, & ordinem, quem in creatione mundi imitatus est?*

m Ecce gentes.] *Tam ingens est Dominus, vt quicquid magnificum in creaturis est, ei comparatum sit stilla situlæ, immò, vt post ait, omnes gentes eius comparatione sint minus quàm nihilum.*

n Et Libanus non sufficiet.] *Vt pro magnitudine maiestatis illius sacrificia offerri queant.*

o Cui ergo similem feciſtis Deum.] *Cum tanta sit (inquit) Dei maiestas, quantam enumerauimus, audebit homo diuinitatis titulum dare ligno?*

p Ob quæstum.] *Dum scilicet lucratur ea, quæ offeruntur. Nam in Heb. est, Terumah, quod significat oblationem.*

q Nunquid non scitis?] *Ex tribus (inquit) istis errorem vestrum agnoscere deberetis: ex cognitione vestra naturali, aut ex audita librorum lectione, aut ex traditione, quæ ab antiquis, & primis venit hominibus, vel saltem fundamenta terræ, id est, quatuor elementa, inter quæ versamini, vos ducere debuerant in cognitionem vnius & veri Dei, qui his omnibus præsidet, & ea pro voto suo gubernat: vos autem tanquam locustæ reptatis in terra, & non solum ille elementis, et quæ ex eis sunt constituta, præsidet, verum & cælum ipsum expandit, & pro habitatione sua ordinauit.*

r Et quidem neq; plantatus.] *Vt etiam (inquit) de eis dicatur, non fuerunt plantati, neque seminati.*

s Militiam eorum.] *Hoc est. Stellas ipsorum cælorum.*

t Quare dicis Iacob.] *Sensus est, ò populè quem non minus diligo, quàm olim Iacob, cui augens beneficia, etiam Israelis nomen dedi, cur te censes non talem esse, quem curet Deus? aut potius, cur dicis, euadam iudicium Dei, quod ille nostras actiones ignoret?*

v Qui dat lasso virtutem.] *Tantum abest, vt fatigari ipse, aut deficere possit.*

x Mutabunt fortitudinẽ.] *Hoc est, robustiores euadent: deficient (inquit) adolescentes, & quiuis robustus, at qui sperant in Domino robustiores semper erunt.*

y Sicut aquilæ.] *Tradunt de aquila, quòd decennio quoque volet vsque ad globum solarem, & cælesti igne aduratur pennas, & ita reiuueneſcat vsque ad annum centesimum.*

CAPVT XLI.

Infra. 44.a & 48.b Apoc. 1.d & 22.c

TAceant ad me insulæ, & gentes mutent fortitudinem. Accedant, & tunc loquantur, simul ad iudicium propinquemus. b Quis suscitauit ab oriente iustum, vocauit eum, vt sequeretur se: dabit in cõspectu eius gentes, & reges obtinebit: dabit quasi puluerem gladio eius, sicut stipulam vento raptam arcui eius. Persequetur eos, transibit in pace, c semita in pedibus eius non apparebit. Quis hæc operatus est & fecit, d vocans generationes ab exordio? Ego Dominus primus, & nouissimus ego sum. Viderunt insulæ, & timuerunt, extrema terræ obstupuerunt, & appropinquauerunt, & accesserunt. Vnusquisq; proximo suo auxiliabitur, & fratri suo dicet, Confortare. Confortauit faber † lignarius argentarium e percutientem malleo bracteam super incude, dicens glutino, Bonum est: & confortauit eum clauis, vt non moueatur. Et tu Israel serue meus, Iacob quem elegi, semen Abraham amici mei, qui apprehendi te ab extremis terræ, & à longinquis eius vocaui te, & dixi tibi, Seruus meus es tu, elegi te, & nõ abieci te. Ne timeas, quia ego tecum sum: ne declines: quia ego Deus tuus. Confortaui te, & auxiliatus sum tibi, & suscepi te dextera † iustitiæ meæ. Ecce confundentur & erubescent omnes qui pugnant aduersum te. Erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt tibi. Quæres eos, & non inuenies viros rebelles tuos: & erunt quasi non sint, & veluti consumptio homines bellantes aduersum te: quia ego Dominus Deus tuus apprehendens manum tuam, dicens q; tibi, Ne timeas, ego adiuui te. Noli timere vermis Iacob, † viri Israel: ego auxiliatus sum tui, dicit Dominus, & redemptor tuus sanctus Israel. Ego posui te f quasi plaustrum triturans nouum, habens rostra serrantia. Triturabis

D Triturabis montes, & comminues: & colles quasi puluerem pones. Ventilabis eos, & vētus tollet eos, & turbo disperget eos: & tu exultabis in Domino, & in sancto Israel lætaberis. Egeni, & pauperes quærunt aquas, & non sunt: lingua eorum siti aruit. Ego Dominus exaudiam eos, Deus Israel non derelinquam eos. Aperiam in supremis collibus flumina, & in medio camporum fontes. Ponam desertum in stagna aquarum, &
E terram inuiam in riuos aquarum. Dabo in solitudine cedrum, & g spinam, & mirtum, & lignum oliuę: ponam in deserto abietem, vlmum, & buxum simul: vt videãt, & sciant, & recogitent, & intelligãt pariter quòd manus Domini fecit hęc, & sanctus Israel creauit illud. h prope facite iudicium vestrũ, dicit Dominus, Afferte, si quid forte habetis, dixit rex Iacob, Accedant, & nuncient nobis quæcunque vētura sunt: priora quę fue-
F runt nuntiate: & ponemus cor nostrum, & sciemus nouissima eorum, † aut quæ ventura sunt indicate nobis. Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quòd dij estis vos. Bene quoq; aut malè, si potestis, facite: & loquamur, & videamus simul. Ecce, vos estis ex nihilo, & opus vestrum ex eo quod non est: abominatio est qui elegit vos. i Suscitaui ab aquilone, & veniet ab ortu solis, Vocabit nomen meum, & ibit per ma-
G gistratus quasi per lutum, & velut plastes conculcans humum. k Quis annuntiauit ab exordio, vt sciamus: & à principio, vt dicamus, Iustus es? Non est annuntians, neque prędicens, neque audiens sermones vestros.
l Primus ad Sion dicet, Ecce adsunt, & Ierusalem Euangelistam dabo. m Et vidi, & nõ erat ex istis quisquam qui iniret consilium, & interrogatus, respondere t verbum, Ecce omnes vani & nihil opera eorum, vētus & inane simulachra eorum.

SCHOLIA.

a Taceãt ad me.] *Hoc est, audiant. Est autem hæc expositio quædam priorum ad idem pertinens argumentum: & quod ait, mutent fortitudinem. Hebraismus est, pro arment se responsis, & fortiores prodeant: sic illud, accedant, & tunc loquantur, hoc est, congrediantur prius mecum, & disputent, quàm quicquam ex se definiant. Et vide, vt sese demittit Deus: ingens & charitatis, et benignitatis significatio.*

b Quis suscitabit ab oriente iustum?] *Vel, iustitiam. Proponit autem Deus exemplum potentiæ suæ, quòd Abraham idola contemnentem vocauerit ab oriente, & peditem duxerit per multas gentes, & fecerit cum paruo numero vernaculorum, vincere aliquot reges, de quo habitatores Insularum obstupefacti sunt, sicut & alij reges, quorum aliqui obuiam venerunt Abrahæ victori, quemadmodum de rege Sodomæ legitur. Sed his non obstantibus, manserunt infideles homines in sua infidelitate, & frater ad fratrem accedens, mutuò se cohortati sunt ad fabrefactionem idolorum.*

c Semita in pedibus eius non apparebit.] *Quidam sic interpretantur non cogetur diuerticula quærere, sed regia via semper tuta proceder. Alius vertit, Semita in pedes eius non venit, hoc est, pedes eius ex itinere non tumuerunt.*

d Vocans generationes.] *Quis est qui vocet ab initio generationes singulas præter me?*

e Percutientem malleo.] *Hoc est, nihil non egit, quo citò sculptile fabricaretur, faber lignarius parabat sculptam imaginem, aurifaber verò super incudem diducebat bracteam auream, quam deinde glutino affigebat imagini.*

f Quasi plaustrum triturans.] *Vel, quasi tribulum & rastrum nouum, quod habet rostra, vt rostra sint dentes rastro infixi, quibus granum ex paleis triturabatur. Tribulæ illæ & rastra fuerunt sancti apostoli, & prædicatores verbi Dei, qui montes & colles comminuerunt, & triturauerunt, hoc est, reges, & principes.*

g Spinam.] *Alij verterũt, Sethim, spinam Aegyptiam, quæ etiam in aquis durat incorrupta, & ob id vtilissima sit nauium costis, vnde nimirum ligna arcæ tabernaculi facta, quæ Sethim dicuntur: per hæc ligna autem nascitura in deserto, intellige futuros in gentilitate, quæ nihil aliud erat, quàm desertum quoddam, sapientes, prophetas, doctores, &c.*

h Prope facite.] *Vertit propheta sermonem suum ad idolorum cultores, & quod sequitur, si quid forte habetis, illud forte, nomen est, hoc est, robustum.*

i Suscitaui ab aquilone.] *Intelligit vocandas gentes ac populum Christianum, qui sublato cultu idolorum vnum ac verũ Deum colet. Cyrus autem huius rei typum gessit, quem vocauit ab aquilone. Subigentur ergo omnes principes, quemadmodum plastes ac figulus solet humum.*

k Quis annuntiauit.] *Vos ò idola, annuntiate ista si potestis, vt dicamus, iustus es, hoc est, verax in sermonibus.*

l Primus ad Sion.] *Ego sum (inquit) primus, qui dico ad Sion, ecce adsunt, quæ à Deo promissa sunt, verba, inquam, consolationis, quæ prophetæ prædixerunt ab antiquo super Sion, ecce venerunt.*

m Et vidi & non erat.] *Vel de idolis, vel de idololatris.*

CAPVT XLII.

Matt. 13.b

Infra 49.b

Infra 48.b

A ECce seruus meus, a † innitar ei: electus meus, complacuit sibi in illo anima mea. Dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus proferet. b Non clamabit, † neque vociferabitur, nec audietur vox eius foris. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. c In veritatem educet iu-
B dicium: d non erit tristis, neq; † animo frangetur, donec ponat in terra iudicium: & legem eius Insulæ expectabunt. Hæc dicit Dominus Deus creans cœlos, & extendens eos e firmans terram, & quæ germinant ex ea: dans flatum populo, qui est super eam, & spiritum calcantibus eam. Ego Dominus f vocaui te in iustitia, & apprehendi manum tuam, & † custodiam te. Et dedi te in fœdus populi, in lucem gentium: vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctũ, de domo carceris sedentes in tenebris. g Ego Dominus, hoc
C est nomen meum. Gloriam meam alteri nõ dabo, & laudem meam sculptilibus. h Quæ prima fuerunt, ecce venerunt: noua quoque ego annuntio: antequã oriãtur, audita vobis faciam. Cantate Dño i canticũ nouum, laus eius ab extremis terræ, qui descenditis in mare, & plenitudo eius: Insulæ, & habitatores earum. Lætetur desertum, & ciuitates eius † villæ, in quibus habitat Cedar. Laudate habitatores petræ, de vertice montiũ clamabunt, Ponent Dño gloriam, & laudem eius in Insulis nuntiabunt. Dñs sicut fortis egredietur, sicut vir
D pręliator suscitabit zelũ. Vociferabitur, & clamabit: super inimicos suos confortabitur. Tacui, † k diu silui, patiens fui, sicut parturiẽs loquar. Dissipabo, & absorbebo simul: desertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exiccabo: & ponam flumina in Insulas, & stagna arefaciam. Et educam cæcos in viam quam nesciunt: & in semitis quas ignorauerunt, ambulare eos faciam. Ponam tenebras coràm eis in lucem, & praua in recta. † l Secundum hæc verba feci eis, & non dereliqui eos. Cõuersi sunt retrorsum. Confundantur

tur confusione, qui confidunt in sculptili, qui dicunt conflatili, Vos dij nostri. Surdi audite, & cæci intuemini ad videndum. [m] Quis cæcus, nisi seruus meus? & surdus, nisi † nuntius meus quē misi? Quis cæcus, nisi qui † visu maximè valet? Quis cæcus, nisi seruus Domini? [n] Qui vides multa, nónne custodies? Qui apertas habes aures nonne audies? [o] Et Dominus voluit † propter iustitiam suam, & magnificabit legem, & extollet: [p] ipse autem populus direptus, & vastatus. † Illaqueauit iuuenes omnes, & in domibus carcerum absconditi sunt. Facti sunt in rapinam, nec est qui eruat: in direptionem, nec est qui dicat, Redde. Quis est in vobis qui audiat hoc: attendat, & auscultet futura? Quis dedit in direptionem Iacob, & Israel vastantibus? nónne Dominus ipse, cui peccauimus? Et noluerunt in vijs eius ambulare, & non audierunt legem eius. Et effudit super eum indignationem furoris sui, & forte bellum: & combussit eum in circuitu, & non cognouit: & succendit eum, & non intellexit?

SCHOLIA.

[a] Innitar ei.] *Exponitur hic locus non solum à Christianis verum & à Iudæis de Christo, vnde Chaldæus interpres sic vertit. Ecce seruus meus Messias, ego adero ei: Vocatur autem seruus propter ministerium illud, quod nobis exhibuit missus à patre, sed nunquam separatus à patre, cum pater innitatur filio, & quod sequitur, complacuit sibi in illo anima mea, hoc est, eius causa reconciliatus sum hominibus. Et vide, vt pulchrè respondeat illis verbis. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* [b] Non clamabit.] *Placidus erit iudex, nemini vim faciens, sed mitibus verbis omnes ad se trahere contendet, nec vllum contemnet, quantumlibet infirmum, sed ad se allicere studebit, & hoc est, quod hic dicitur. Calamum quassatum, siue fractum non conteret, hoc est, qui non est omnino desperatæ vitæ non abiciet. Sic qui est veluti linum fumigans, vel caligans, & extinctioni proximus, fouebit, ne vel residua scintilla extinguatur. Hoc autem ostendit in latrone, adultera, & alijs multis.* [c] In veritatem educet iudicium.] *Vt, scilicet appareat veritas.* [d] Non erit tristis.] *Vel, non cessabit, nec frangetur vllis laboribus, hoc est, non recusabit subire quoslibet labores, donec ponat in terra iudicium, hoc est, summum erit illius studium, vt pacem faciat inter homines ipsos, & inter homines ac Deum. Nec frustra laborabit, cum & Insulæ maris legem illius acceptura sint.* [e] Firmans terram.] *In Heb. est, dilatans terram, vel extendens terram, & alludit ad id, quod Dominus separauit aquas maris, vt appareret arida, & creaturæ terræ commode habitare possent.* [f] Vocaui te in iustitia.] *Loquitur ad Christum, Vocaui inquiens te, vt doceas iustitiam, sis fœdus populi, hoc est, signum fœderis & pacis, & pignus gratiæ, & lux gentium, illustres cæcos, educas vinctos è carcere, et qui in tenebris sedent.* [g] Ego Dominus, hoc est nomen meum.] *Ponuntur hic duæ dictiones, Adonai, & Hi, quam quidam vertit, ipsum est, & solius Dei substantiam per se stabilem, & mutabilitati temporis non obnoxiam Hebræi significari dicunt, sed vno & perpetuo nunc manentem, & ideo hoc suum nomen dicit, quia creaturæ propriè non sunt, idipsum quoque in nomine tetragrammaton reperiri ferunt.*

[h] Quæ prima fuerunt.] *Quæ primum dicta sunt euentura de Sennacherib.* [i] Canticum nouum.] *Docet hic propheta, coruscante Euangelio abrogandam Mosaicam legem, & quòd Christi religio, & Euangelium propagandum fuerit ad omnes gentes, etiam ad Cedar, quæ gens absque certa mansione vagatur per deserta. Occidentales autem significantur per eos, qui descendunt in mare, Iudæi enim occidentem mare vocant, orientales per desertū & Cedar, quos ab oriente habet Iudæa. Per habitatores petrarum, intellige eos, qui inhabitant arces & ædificia in summis montibus & petris extructa. Et illud. Lætetur desertum. In Heb. est. Leuent desertum, supple vocem.* [k] Diu silui.] *Hoc est, longo tempore, & illud, sicut parturiens loquar, hoc est, nunc præ dolore erumpam in vocem. Minatur idololatris, & his, qui contempto Euangelio, apostolis, ac reliquis ministris verbi reluctantur, non tamen illico hostes suos sternit, sed aliquandiu tacet, ac dissimulat, & suos periclitari permittit, porrò per montes, colles, herbas, flumina, & stagna, hic metaphoricè intelligendi sunt homines, diuersis studijs Christi Euangelio reluctantes.* [l] Secundum hæc verba.] *Quidam eruditus vir ex hoc loco hunc elicit sensum. Quamuis hæc videantur incredibilia, facere decreui, nec desistam quin perficiam ea.* [m] Quis cæcus.] *Quidam referunt hæc verba ad prophetas Domini, quos impy cæcos & surdos insimulabant, vt sit sensus. Quorum iudicio nō est alius cæcus, quàm seruus meus, quòd videlicet Iudæi Christum iudicabant cæcum. Et quod vertimus. Nisi qui visu maximè valet. Explicuimus sensum. Nam in Hebræo est. Sicut perfectus.* [n] Qui vides multa.] *Ad Iudæos hæc dicit, qui multa videndo nihil tamen eorum obseruarent, & cum patulas haberent aures, nihil tamen animaduerterent.* [o] Et Dominus voluit.] *Domino placuit Christus propter iustitiam illius, qui magnificabit legem, & extollet, ideo ipse dixit, non veni soluere, sed adimplere.*

[p] Et ipse populus.] *Reprobationem tangit Iudæorum, qui essent diripiendi. Illud verò. Illaqueauit iuuenes, &c. Alius vertit. Illaqueatur in cauernis, omnes inquam ipsi, &c.*

CAPVT XLIII.

ET nunc hæc dicit Dominus creans te Iacob, & formans te Israel, Noli timere, quia redemi te, & [a] vocaui te nomine tuo: meus es tu: [b] Cum transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Cum ambulaueris in igne non combureris, & flāma non ardebit in te: quia ego Dominus Deus tuus sanctus Israel saluator tuus, dedi propitiationem tuam Ægyptum, Æthiopiam, & Saba pro te. Ex quo honorabilis factus es in oculis meis, & glorioſus: ego dilexi te, & dabo homines pro te, & populos pro anima tua. Noli timere, quia ego tecum sum. [c] Ab oriente adducā semen tuū, & ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni, Da: & austro, Noli prohibere: affer filios meos de lōginquo, & filias meas ab extremis terræ. Et omnē, qui vocatur nomine meo, in gloriā meā creaui eum, formaui eū, & feci eum. [d] Educ foras populū cæcū, & oculos habentē: surdū, & aures ei sunt. Omnes gentes [e] cōgregatæ sunt simul, & collectæ sunt tribus: quis † ex eis annuntiet istud, & quæ prima sunt, audire nos faciet? Dent testes eorum, & iustificentur, [f] & audiāt, & dicant, Verè. Vos testes mei, dicit Dominus, & seruus meus quem elegi: vt sciatis, & credatis mihi, & intelligatis q̄ ego ipse sum. Ante me [g] non est formatus Deus, & post me non erit. Ego sum, ego sum Dominus, & [h] non est absq; me saluator. Ego annuntiaui, & saluaui: auditum feci, & [i] non fuit in vobis alienus. Vos testes mei, dicit Dominus, & ego Deus. [k] Et ab initio ego ipse, & non est qui de manu mea eruat. Operabor, & quis auertet illud? Hæc dicit Dominus redemptor vester sanctus Israel, [l] Propter vos emisi in Babylonē, & detraxi

& detraxi † potētes, & fugient vniuersi, & Chaldæos in nauibus suis gloriātes. Ego Dominus sanctus vester, creans Israel rex vester. Hęc dicit Dns, [m] qui dedit in mari viam, & in aquis † fortibus semitam. Qui eduxit quadrigam & equum: agmen robustumq̄s, simul obdormierunt, nec resurgent: † extincti sunt quasi linum, & extincti sunt. Ne memineritis priorū, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio noua, & nūc oriētur, vtiq; cognoscetis ea. Ponā in deserto viā, & in inuio flumina. Glorificabit me bestia agri, dracones & struthiones: quia dedi in deserto aquas, & flumina in inuio, vt darem potū populo meo, electo meo. [n] Populū istū formaui mihi, laudem meā narrabit. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. [o] Nō obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis nō glorificasti me. [p] Nō te seruire feci in oblatione, nec laborem tibi præbui in thure. Non emisti mihi argento calamum, & adipe victimarum tuarum nō inebriasti me: † [q] Sed seruire me fecisti in peccatis tuis, prębuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis. Ego sum, ego sum ipse qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. [r] Reduc me in memoriam, & iudicemur simul: narra si quid habes vt iustificeris. Pater tuus primus peccauit, & interpretes tui præuaricati sunt in me. Et contaminaui principes † sanctuarij, & dedi ad internecionem Iacob, & Israel in blasphemiam.

2.Cor.5.b Apoc.12.b

SCHOLIA.

[a] Vocaui te nomine tuo.] *Nomen, quo vocaris, indidi tibi, quod beneuolentiæ indicium est.* [b] Cum transieris per aquas.] *In omnibus (inquit) afflictionibus, quæ ecclesiæ meæ accidere possint, non ego deseram eā vsque in finem, sicut nec olim deserui, cum rex Ægypti, & rex Assur illum niteretur extinguere, sed loco eius tradidi Ægyptios, Aethiopes, Sabæos. Illud tamen, dedi propitiationem, &c. est qui aptè sic interpretur. Dedi propitiationem hoc est, commutationem, vt sit sensus. In locum perditorum Iudæorum dabo tibi longe plures nationes, & alloquitur Israelem secundum spiritum.* [c] Ab oriente.] *Et hoc est, quod Dominus dicit in Euangelio, Venient ab oriente, & recumbent cum Abraham, &c.* [d] Educ foras.] *Hoc est, produc in iudicium.* [e] Congregatæ sunt.] *Vel congregentur. Si omnes (inquit) gentes congregentur simul, & colligantur populi, quis est in eis, qui istud annuntiet, &c.* [f] Et audiant.] *Vel, alioqui audiant, hoc est, si nullum possunt producere testem verum, audiant nos, & fatebuntur nos veritatem Dei prædicare. Videtur autem distinguendum sic, audiant, & dicant, verè hoc est, verum est. Deinde rursum incipiat. Vos scilicet apostoli, & prophetæ testes mei, dicit Dominus, & seruus meus, quem elegi, Christus scilicet.* [g] Non est formatus Deus.] *Alius vertit, formans, & neutram lectionem reyciunt Iudæi. Habes hoc versu, in Deo non esse principium vel finem, habes secundo, solius Dei esse creare, & propterea refutari eos, qui angelis vim creandi tribuūt.* [h] Nō est absq; me saluator.] *Possumus hoc loco probare Christū Deum, quia solius Dei est saluare.* [i] Et non fuit in vobis alienus.] *Scilicet Deus, à quo hæc audiretis.* [k] Et ab initio.] *Hebraismus habet, à die, vel antequàm esset dies.* [l] Propter vos emisi in Babylonem.] *Ego sum (inquit) Deus ille, qui olim Cyrum misi in Babylonem, & dissipaui regnum illud, & potentes quoque in fugam conuerti, vt populum meum liberarem.* [m] Qui dedit in mari viam.] *Ducens scilicet populum Israel per mare rubrum, & Pharaonis ediectum bellicis apparatum subitò extinguens. Sed transeant antiqua illa Dei opera, & beneficia, iam noua faciet, ponens viam, & flumina in deserto, qui locus metaphoricè est intelligendus, vt multa alia similia loca, id quod facile patet ex bestiarum commemoratione. Et vide, vt sæpe repetat illud nouum, quod facturum erat, videlicet de gentium ad fidem vocatione, vt cum fieret, minus nouum videretur Iudæis. Et tamen etiam ijs, qui primò crediderant, admirandum videbatur, & dicebant. Ergo & gentibus dedit Deus pœnitentiam, &c.* [n] Populum istum.] *Apertus locus contra perfidos Iudæos, abrogans eorum ceremonias, & sacrificia, populum (inquit) nouum formabo mihi, qui pro sacrificijs Mosaicis enarret laudes meas.* [o] Non obtulisti.] *Ex animo scilicet, ac corde puro.* [p] Non te seruire feci.] *Iuxta illud, quis quæsiuit hæc de manibus vestris?* [q] Sed seruire me fecisti.] *Vel, laborem exhibuisti mihi peccatis tuis, lassum fecisti me iniquitatibus tuis, quod perfectæ insernatore Christo fuit impletum.* [r] Reduc me in memoriam.] *Vel, fac me recordari. Instrue (inquit) me, si non ex gratia mea magis quàm ex operibus tuis remissionem obtinueris peccatorum, cum me propter peccata tua tibi seruire, et prote in mortali vita labor are coegeris. Affer siquid habes in medium, & disceptabimus pariter, si posses te iustificare. Ecce primus parens tuus peccauit, peccauerunt & ij, qui legis interpretes esse debuerant, & consequens est, te quoque non esse sine peccatis. Et propterea ego pollui principes sanctuary vestri, hoc est, abieci omnē cultum vestrum vna cum tota lege, & omnibus illis, qui legi sunt addicti.*

CAPVT XLIIII.

A ET nunc audi Iacob serue meus, & Israel quem elegi, Hęc dicit Dominus faciens & formans te, [a] ab vtero auxiliator tuus. Noli timere serue meus Iacob, & [b] rectissime quem elegi. Effundam enim aquas super sitientem, & fluenta super aridam. Effundam spiritum meum super semen tuum, & benedictionē meam super stirpem tuam, & germinabunt inter herbas quasi salices iuxta præterfluentes aquas. Iste dicet, [c] Domini ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob. Et hic [d] scribet manu suā Dño, & nomine Israel † denominabit se. Hæc dicit Dominus rex Israel, & redemptor eius Dominus exercituum, Ego primus, & ego nouissimus, & absque me non est Deus. Quis similis mei? vocet & annuntiet: & ordinem exponat mihi, ex quo constitui [e] populum antiquum, [f] ventura & quæ futura sunt annuntient de eis. Nolite timere, neque conturbemini: [g] ex tunc audire te feci, & annuntiaui: vos estis testes mei. Nunquid est Deus absque me, & formator quem ego non nouerim? Plastæ idōli omnes nihil sunt, & amantissima eorum non proderunt eis. Ipsi sunt testes eorum quòd non vident neque intelligunt, vt confundantur. [h] Quis formauit Deum, & sculptile conflauit ad nihil vtile? Ecce omnes participes eius confundentur. Fabri enim sunt ex hominibus. Conuenient enim omnes, stabunt & [i] pauebunt, & confundentur simul. Faber ferrarius lima operatus est: in prunis, & in malleis formauit illud, & operatus est in brachio fortitudinis suæ: esuriet & deficiet, non bibet aquam, & lassescet. Artifex lignarius extendit normam, formauit illum † adamussim. Fecit illud in angularibus, & in circino tornauit illud: & fecit imaginem viri quasi speciosum hominem habitantem in domo. Succidit cedros, tulit ilicem, & quercum & fortiora legit inter ligna saltus. Plantauit pinum, quam

Iere.10.g & 46.g
Supr.41.b Infra 48.b Apoca.1.d & 22.c
Sapiē.13.c

pluuia nutriuit,& facta est hominibus in focũ.Sumpsit ex eis,& calefactus est : & succẽdit, & coxit panes,de C
reliquo autem operatus est Deũ,& adorauit : fecit sculptile, & curuatus est ante illud.Mediũ eius combussit
igni,& de medio eius carnes comedit:coxit pulmentũ,& saturatus est,& calefactus est, & dixit,† Euge, cale-
factus sum,vidi ignem : Reliquũ autem eius Deum fecit & sculptile sibi.Curuatur ante illud,& adorat illud
& obsecrans,dicens,Libera me:quia Deus meus es tu. Nescierũt,neq; intellexerunt.†[k] Obliti enim sunt,ne
videant oculi eorũ,& ne intelligant corde suo.Nõ recogitant in mente sua,neq; cognoscunt, neq; sentiunt,
vt dicant,Medietatẽ eius cõbussi igni,& coxi super carbones eius panes : coxi carnes & comedi , & de reli-
quo eius idôlum faciã,ante truncũ ligni procidam.[l] Pars eius cinis est:cor insipiens adorabit illud,& nõ libe
rabit animam suam:neq; dicet,Fortè mendaciũ est in dextera mea.Memento hor Iacob,& Israel,quoniam
seruus meus es tu.Formaui te, seruus meus es tu,Israel nõ obliuiscaris mei. Deleui vt nubẽ iniquitates tuas, D
& quasi nebulã peccata tua.Reuertere ad me,quoniã redemi te. Laudate cœli,qm̃ fecit Dñs:iubilate extre-
ma terræ.Resonate montes laudationẽ,saltus & omne lignũ eius:quoniã redemit Dñs Iacob,& in Israel glo
riabitur.Hæc dicit Dñs redemptor tuus,& formator tuus ex vtero,Ego sum Dñs faciens omnia , [m] extendẽs
cœlos solus,stabiliens terrã,& nullus mecũ.Irrita faciens signa diuinorũ , & ariolos in furorem vertens.Cõ-
uertens sapiẽtes retrorsum:& scientiã eorum stultam faciens.Suscitans verbum serui sui, & consiliũ nuntio-
rum suorum complens.Qui dico Ierusalẽ,Habitaberis:& ciuitatibus Iudæ,Ædificabimini,& deserta eius su
scitabo.[n] Qui dico profundo,Desolare:& flumina tua,arefaciam. Qui dico Cyro,[o] Pastor meus es:& omnẽ
voluntatem meam complebis.Qui dico Ierusalem,Ædificaberis:& templo,Fundaberis.

SCHOLIA.

[a] Ab vtero auxiliator tuus.] *Iacob tenentem plantam fratris Esau, in vtero matris adiuuit.* [b] Rectissime.] *Qui rectus esse debes.* [c] Domini ego sum.] *Vbiq; (inquit) erunt per orbem homines,qui de Christiano nomine gloriabuntur, & de numero filiorum Abrahæ,& Iacob se esse gaudebunt,etiam si ex gentilibus parẽtibus nati fuerint.* [d] Scribet manu sua.] *Testabitur manu se esse Dei.Vocet,supple,quod præterijt,et superiora illa atq; antiqua.* [e] Populum antiquum.] *Alius vertit sempiternum,& intelligunt Hebræi angelos & stellas,quorum duratio sempiterna.* [f] Vetura,& quæ futura sunt.] *Ventura de propinquis,futura,quæ multò post.* [g] Ex tũc.] *Multò ante,quàm euenerunt.* [h] Quis formauit Deum.] *Admirãtis est.* [i] Pauebunt.] *Primus enim,ait quidam,in orbe deos fecit timor.* [k] Obliti enim sunt.] *Verbum est ab oblino,non ab obliuiscor.* [l] Pars eius cinis est.] *Hebraismus habet.Pascit cinerem,quod idem esse volunt, quod pascere,ventum,hoc est,rem vanam & inutilem facere.* [m] Extendens cœlos solus.] *Et hic colligitur non fuisse angelis demandatam corporalium rerum creationem:colligitur,& angelos non ante cœlum & terram creatos.* [n] Qui dico profundo.] *Hebræi post Chaldæũ interpretẽ intelligũt Babyloniã,quòd plena sit aquis, & in profunda locetur valle.* [o] Pastor meus es.] *Dico (inquit) Cyro pastor meus es,ducens scilicet populum meum,sicut pastor oues,& reducens in Ierusalem.Cõciliauit autem Iudæis magnum fauorem,fuisse de eo scriptum in libris ipsorum. Huius mentionem etiam exteri historici fecerunt,nempe Xenophon,Iustinus,Herodotus,& antiquißimi quique Babyloniã,& Lydiam subegit, insuper Aegyptum, & Aethiopiam vsq; ad Sabaim,qui sunt vltra Aethiopes.*

CAPVT XLV.

HÆc dicit Dñs [a] Christo † suo Cyro, cuius apprehendi dexterã , vt subijciam ante faciem eius gentes: A
& dorsa regũ vertam,& aperiã coràm eo ianuas,& portę nõ claudentur. Ego ante te ibo:& gloriosos
terrę humiliabo.Portas æreas conterã,& vectes ferreos confringã.Et dabo tibi [b] thesauros abscondi-
Thre.3.c tos,& arcana secretorũ:vt scias quod ego Dñs qui voco nomen tuũ Deus Israel, propter seruũ meum Iacob,
& Israel electũ meum.Et vocaui te nomine tuo:† nomen indidi tibi,[c] & non cognouisti me. Ego Dñs & nõ
est amplius:extra me non est Deus:[d] Accinxi te,& nõ cognouisti me:vt sciant hi qui ab ortu solis , & qui ab
occidente ꝙ absq; me nihil est.Ego Dñs,& non est alter:[e] formans lucẽ,& creans tenebras:faciens pacem, &
creans malum.Ego Dñs faciens omnia hęc.[f] Rorate cœli desuper , & nubes pluant iustũ:aperiatur terra , & B
† succrescat salus:& iustitia † germinet simul. Ego Dñs creaui eam.Væ qui cõtradicit factori suo , [g] testa de
Roma.9.d samijs terræ.Nũquid dicet lutũ figulo suo,Quid facis, & opus tuũ [h] absque manibus est? Væ qui dicit patri,
Iere.18.a Quid generas? & mulieri,Quid parturis? Hęc dicit Dñs sanctus Israel plastes eius,ventura [i] interrogate me:
super filios meos,& super opus manuũ mearum mãdate mihi. [k] Ego feci terrã & hominẽ super eam creaui:
ego,manus meæ tetenderunt cœlos,& omni militię eorũ mandaui.[l] Ego suscitaui eum ad iustitiã,& omnes
vias eius dirigam. Ipse ędificabit ciuitatẽ meam,& captiuitatem meã dimittet,non in pretio,neq; in mune-
ribus,dicit Dñs Deus exercituum. Hæc dicit Dñs,[m] Labor Ægypti & negotiatio Æthiopiæ, & Sabaim viri C
sublimes ad te transibunt,& tui erunt.Post te ambulabunt,vincti manicis pergent,& te adorabunt, teq; de-
precabuntur . Tantum in te est Deus , & non est † vllus alius Deus . [n] Verè tu es Deus absconditus, Deus
Israel saluator. Confusi sunt,& erubuerunt omnes : simul abierunt in confusionem fabricatores † sculpti-
lium.Israel saluatus est in Domino salute æterna. Non confundemini & non erubescetis vsque in sæculum
sæculi:quia hæc dicit Dominus creans cœlos,ipse Deus formans terram,& faciẽs eam , ipse plastes eius.Non
in vanum creauit eam : vt habitetur formauit eam. Ego Dominus , & non est alius. [o] Non in abscondito
locutus sum in loco terræ tenebroso. [p] Non dixi semini Iacob,Frustra quærite me. Ego Dominus loquens D
iustitiam,annuntians recta.Congregamini & venite, & accedite simul qui saluati estis ex gentibus. Nescie-
runt qui leuant lignum sculpturę suæ, & rogant Deum non saluantem. Annuntiate & venite , & consilia-
mini simul. Quis auditum fecit hoc ab initio? extunc prædixit illud, Nunquid non ego Dominus , & non
est vltrà Deus absque me? Deus iustus & saluans non est pręter me. Conuertimini ad me,& salui eritis om-
nes fines terræ:quia ego Deus & non est alius.In memetipso iuraui, Egredietur de ore meo iustitiæ verbum,
Rom.14.b et [q] non reuertetur:quia [r] mihi curuabitur omne genu,& iurabit omnis lingua.Ergo [s] in Domino † dicent,
mihi

mihi sunt iustitiæ & † fortitudo. Ad eum venient,& confundentur omnes qui repugnant ei.In Domino iu- Philip.2.b
stificabitur & laudabitur omne semen Israel.

SCHOLIA.

[a] Christo suo.] *Hoc est,regi suo.Vocatur autem Cyrus Christus,& rex Domini, quòd ille ordinauerit eum in regem. per quem decreuerat deuastare regnum Babylonicũ . Quod ait. Gloriosos terræ humiliabo.Potest & verti.Obliqua dirigam.* [b] Thesauros absconditos.] *Testantur historiæ,locupletißimum fuisse Cyrum : captiuum enim duxit Crœsum, prodigiosæ opulentiæ regem.* [c] Et non cognouisti me.] *Multò enim ante quàm Cyrus conciperetur,hæc sunt de illo prædicta.* [d] Accinxi te,& non cognouisti me.] *Ante quàm cognoscas me,ponam baltheum in lumbis tuis, et tradam tibi administrationem regni.* [e] Formans lucem,& creans tenebras.] *Hoc est, vt ipse exponit,pacem et malum : per malum,quod opponit paci,intellige bellum.* [f] Rorate cœli.] *Precatio est illorum,qui in captiuitate constituti agnoscebant peccata sua, et rogabant Dominum pro sua iustitia,& liberatione.Porrò terra,quæ sese aperiat sunt homines suscipientes iustitiam, vt fructum proferant salutiferum,quam iustitiam Dominus creauit.Chal.interpres sic vertit hunc locum.Cooperantur cœli desuper,& nubes stillent bonitatem , & terra aperiatur , vt reuiuiscant mortui.Sumpta autem est metaphora ab agricultura; vbi,vt terra germinet,opus est cœli auxilio.* [g] Testa de samijs terræ.] *Vel:testa de testis terræ,hoc est, cum quiuis sit testa similis testis fictilibus.Interpres autem allusit ad vasa samia.Sunt qui interpretentur dictum cõtra Balthasarem regem Babyloniorum,potest etiam esse,contra omnes calumniatores diuinæ prouidentiæ:dum non intelligunt, cur nunc pacem,nunc bella creet.* [h] Absque manibus est.] *Hoc est,opus tuum per manus non est factum,quasi defuissent manus, vt bene formares.* [i] Interrogate me.] *De pijs hominibus (inquit Deus) qui sunt opus manuum mearũ , interrogate me & non idolis,& prophetis præcipite propter me,& illi annuntiabunt vobis,qualia bona facturus sim filijs meis:potest & sic intelligi. Nunquid præscribetis mihi modum faciendi? hoc omnino non est ferendum.* [k] Ego feci terram.] *Ego,qui omnia feci,eadem etiam sapienter administro.* [l] Ego suscitaui eum ad iustitiam.] *Loquitur de Cyro,quod tamen propriè Christo conuenit,nam Cyrus non fuit verè iustus,sed rapacißimus & crudelißimus:tametsi Iudæis fuerit benignus, & propterea tandem à Tomyre Scitharum regina extinctus est cum ducẽtis millibus,capite eius in vtrem proiecto sanguine oppletum , quæ & dixit,imple te sanguine sitibundum caput.* [m] Labor Ægypti.] *Hoc est,omnis Aegyptus.Beneficium (inquit) illud ostendam populo meo, vt gratis liberetur de captiuitate,sicut,& aliud eis exhibiturus sum in breui beneficium , traditurus eis opes & merces Aegyptiorum & Aethiopum,de quo & supra,cap.43.dixit.Nam cum Sennacherib rex Assur oppugnaret Hierosolymam, distrahebatur per Aegyptios,& Aethiopes,& cum illos vicisset,ac bona eorum diripuisset,reuersus contra Ierusalem,percussus fuit exercitus eius ab angelo vna nocte,& reliquit Hierosolymitanis omnes opes memoratarum gentium. Memineris tamen in his omnibus verborum Pauli dicentis,omnia cõtigisse illis sub figura,hoc enim tunc verè impletum fuit,cum ecclesiæ Christi accessere omnia regna.* [n] Vere tu es Deus absconditus.] *Verba sunt prophetæ dicentis,Deum non se reuelasse omnibus gentibus sicut Israelitis fecerat.* [o] Non in abscondito locutus sum.] *Dæmones respondent in latibulis, Deus apertè iu monte Sina.* [p] Non dixi semini Iacob frustra.] *Hoc est, non proposito premio.* [q] Non reuertetur.] *Non erit frustra.* [r] Mihi curuabitur omne genu.] *Quod de Christo intelligendum Paulus ad Rom.scribens docuit:& illud,iurabit,hoc est per me, Abycientur enim idola,& omnes agnoscent verum Deum,& per illum solum iurabunt.* [s] In Domino dicent.] *Hoc est,dicent beneficio Domini,mihi sunt iustitiæ & fortitudo. Et hi, quibus hæc aderunt,ad eum venient, Alij confundentur omnes,qui repugnant ei:iustificatio autem erit veri Israelis.*

CAPVT XLVI.

A C[a]Onfractus est Bel,contritus est Nabo:† imposita sunt simulachra eorũ bestijs & iumentis , [b] † pres-
serunt ea graui pondere vsq; ad lassitudinem contabuerunt, & contrita sunt simul. Non potuerunt
† oneri non esse portanti,& anima eorum in captiuitatem ibit.Audite me domus Iacob,& omne re-
B siduum domus Israel,[c] qui portamini à † me ab vtero,qui gestamini à vulua. Vsque ad senectam ego ipse, &
vsq; ad canos ego portabo.Ego feci,& ego feram:ego portabo & saluabo. Cui assimilastis me,& adęquastis
& comparastis me,& fecistis similem? qui confertis aurum de sacculo, & argẽtum in statera ponderatis:cõ-
ducentes aurificem,vt faciat Deum:& procidunt & adorant. Portant illum in humeris gestantes , & ponen- Baruch 6.c
C tes in loco suo,& stabit,ac de loco suo non mouebitur.Sed & cum clamauerint ad eum, non audiet:de tribu
latione non saluabit eos.Memẽtote istud,& cõfortamini:redite pręuaricatores ad cor. [d] Recordamini prio-
ris sęculi,quòd ego sum Deus,& non est vltrà Deus,nec est similis mei annuntians ab exordio nouissimum,
D & ab initio quæ necdum facta sunt,dicens,Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet:[e] vocans ab
oriente auem,& de terra longinqua virum volũtatis meæ.Et locutus sum,& adducam illud:creui, & faciam
illud.Audite me duri corde:qui longè estis à iustitia.Propè feci iustitiã meam, non elongabitur:& salus mea
non morabitur.Dabo in Sion salutem,& in Israel gloriam meam.

SCHOLIA.

[a] Confractus est Bel.] *Completio est superioris argumenti,quòd scilicet impij cum suis idolis confundentur.Babyloniorum enim idola,& Bel & Nabo deycientur ab exercitu Cyri , & eis animalia onerabuntur, vt in Medos & Persas captiua auehantur,non sine graui onere iumentorum,cum argentum & aurum sint , & ipsa sese ferre non valeant. Bel , vt ait Hieronymus,is est,quem Græci Saturnum vocant , cuius tanta fuit apud veteres religio, vt ei non solum humanas hostias captiuorum,ignobiliumque mortalium,sed & suos liberos immolarent.* [b] Presserunt ea.] *Hoc est , iumenta à vobis sunt grauata,& onerata,pondere premente ad fatigationem.Deinde sequitur:contabuerunt, vel succubuerunt, et incuruati sunt pariter,& non potuerunt efficere,ne essent oneri iumentis portantibus.Irridet ergo propheta cœcos homines,qui tales habuerunt deos,quos animalia portare oportebat.* [c] Qui portamini à me ab vtero.] *Alludit ad illud. De vtero matris meæ vsque in senectam non derelinques me,sic,à vulua,hoc est,à principio.* [d] Recordamini prioris sæculi.] *Nam dij gentiũ recentior est res,quàm vt ad diuinitatem poßit pertinere.* [e] Vocans ab oriente auem.] *Cyrum,tam velocem quàm est auis,qui à Medis veniet.*

CAPVT XLVII.

D[a] Escende, sede in puluere virgo filia Babylon: sede in terra. Non est solium filiæ Chaldęorum, quia A
vltrà non vocaberis mollis & tenera. [b] Tolle molam, & mole farinam. Denuda cicinnos tuos,
discooperi pedes, [c] reuela crura, transi flumina. Reuelabitur ignominia tua, & videbitur oppro-
Nau 3.b brium tuum. Vltionem capiam, & [d] non resistet mihi homo. Redemptor noster. Dominus exercituum
nomen illius, sanctus Israel. Sede tacens, & intra in tenebras filia Chaldæorum: quia non vocaberis vltrà
domina regnorum. Iratus sum super populum meum, contaminaui hæreditatem meam, & dedi eos in B
manu tua. Non posuisti eis misericordias. Super senem aggrauasti iugum tuum valde, & dixisti. In sem-
piternum ero domina. Non posuisti hęc super cor tuum, neque recordata es [e] nouissimi tui. Et nunc audi
Apoc. 18.b hæc delicata, & habitans confidenter, quæ dicis in corde tuo, Ego sum, & non est † similis mihi alia: non
Infra. 15.f sedebo vidua, & ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo hæc subitò in die vna, sterilitas & viduitas. Vniuer-
sa venerunt super te, propter multitudinem maleficorum tuorum, [f] & propter duritiam incantatorum tuo- C
rum vehementem. Et fiduciam habuisti in malitia tua, & dixisti, Non est qui videat me. Sapientia tua &
scientia tua hæc decepit te. Et dixisti in corde tuo, Ego sum, & præter me non est altera. Veniet super te
malum, & nescies ortum eius: & irruet super te calamitas, quam non poteris expiare. Veniet super te re-
pente miseria, quam nescies. Sta cum incantatoribus tuis, & cum multitudine maleficorum tuorum in qui-
bus laborasti ab adolescentia tua, si forte quid prosit tibi, & si possis fieri fortior. Defecisti in multitudine D
consiliorum tuorum. Stent & [g] saluent te † astrologi, qui contemplabantur sydera, & supputabant mensis,
vt ex eis annuntiarent ventura tibi. Ecce facti sunt quasi stipula, ignis combussit eos. Non liberabunt animã
suam de manu flammæ: [h] non sunt prunæ quibus calefiant, nec focus, vt sedeant ad eũ: sic facti sunt tibi, cum
quibus laboraueras. [i] Negotiatores tui ab adolescentia tua, vnusquisque in viam suam diuerterunt: non
est qui saluet te.

SCHOLIA.

[a] Descende.] *Quod cæperat de Babylone dicere, nunc prosequitur, &, ne à poetico more suo discedat, eam appellat sub persona reginæ superbissimæ, atque assuetæ delitys. Et Virginem per metaphoram appellat, vt quæ nondum vim hostiũ passa sit, vt Virgo viri.* [b] Tolle molam.] *significatur per id extrema seruitus: captiui enim olim cogebãtur in carceribus molere farinam.* [c] Reuela crura.] *Nam deerit naulum, atque iccirco necesse erit, vt nudu trãseas flumina.* [d] Non resistet mihi homo.] *In Hebræo est, Non occurram homo. Quod quidam interpretantur. Non occurram in miseratione sicut homini, vel. Non accipiam vllius hominis intercessionem pro eis.* [e] Nouissimi tui.] *Alius vertit: nouissimi huius vrbis: vt sit sensus. Si non peperci loco meo vbi inter homines habitare volui, quid fiet de te?* [f] Et propter duritiam incantatorum.] *Vel propter copiam multam diuinatorum tuorum.* [g] Saluent te astrologi.] *Mirum, cũ tam manifestè Deus astrologorum vanitatem rideat, atque adeo detestetur, quo pacto apud Christianos quosdam in pretio sint. In Heb. est, incantatores cælorum, quos: interpres verterat, augures cœli, nam huic vanitati ferè adiunctæ sunt præstigia & incantationes. Et quod post ait: Vt annuntiarent ventura tibi. Quia in Hebræo est, Me aser putant Heb. mem additum, vt significet partẽ ex multitudine quasi dicat. Aliqua quidem ex luminarium cõiunctionibus prædicent, sed hanc calamitatem nequaquam.* [h] Non sunt prunæ.] *Non supererit pruna, hoc est, subitò, & in momento sapientes tui redigentur, non in prunas, sed in faullas, ex quibus nulla haberi potest vtilitas.* [i] Negotiatores tui.] *Qui negotiari apud te consueuerant, deserent te.*

CAPVT XLVIII.

AVdite hæc domus Iacob, qui vocamini nomine Israel, & [a] de aquis Iuda existis, qui iuratis in no- A
mine Domini, & [b] Dei Israel recordamini non in veritate neq; in iustitia. [c] De ciuitate enim san-
cta † denominati sunt, & super Deum Israel constabiliti sunt Dominus exercituum nomen eius.
Priora extunc annuntiaui, & ex ore meo exierunt, & audita feci ea: repente operatus sum, & venerunt. [d] Sci-
ui enim quòd durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea. Prædixi tibi extunc: antequam ve-
nirent indicaui tibi, ne fortè diceres, Idôla mea fecerunt hæc, & sculptilia mea, & conflatilia mãdauerũt isti.
† Audisti, [e] vidisti omnia: vos autem non annuntiastis. [f] Audita † faciam tibi noua ex nunc, & conseruata B
quæ nescisti. Nunc creata sunt, & non extunc: & [g] ante diem, & non audisti ea, ne forté dicas, Ecce ego co-
gnoui ea. Neque audisti, neque cognouisti, neque extunc aperta est auris tua. Scio enim quòd preuaricans
præuaricaberis, & transgressorem ex vtero vocaui te. Propter nomen meum longè faciã furorem meum:
[h] & † ob laudem meam frenabo iram meam, ne intereas. Ecce excoxi te, sed non quasi argentum: † [i] purga-
ui te in camino paupertatis propter me, propter me faciam, vt non blasphemer: & gloriam meam alteri nõ
Sup. 42.b dabo. Audi me Iacob, & Israel [k] quem ego voco. Ego ipse, ego primus, & ego nouissimus. Manus quoque C
Sup. 41.b mea fundauit terram, & dextera mea, mensa est cœlos: ego † vocaui eos, & stabunt simul. Congregamini
44.a omnes vos, & audite: quis † ex eis annuntiauit hæc? [l] Dominus dilexit eum, faciet volũtatem suam in Ba-
bylone, & brachium suum in Chaldęis. Ego ego locutus sum, & vocaui eum: adduxi eum, & † prospera erit
via eius. [m] Accedite ad me, & audite hęc: non à principio in abscondito locutus sum: ex tempore, antequam
† fiant hæc, ibi adsum, & nunc [n] Dominus Deus misit me, & spiritus eius. Hæc dicit Dominus, redemptor
tuus sanctus Israel, Ego Dominus Deus tuus docens te † vtiliter agere, gubernans te in via qua ambulas. D
Vtinam attendisses mandata mea: facta fuisset sicut flumẽ pax tua, & iustitia tua sicut gurgites maris, & fuis-
set quasi arena semen tuum, & stirps vteri tui vt lapilli eius: [o] non interijsset, & nõ fuisset attritum nomẽ eius
Exod. 17.b à facie mea. Egredimini de Babylone, fugite à Chaldæis, in voce exultationis annũtiate: auditum facite hoc,
Num. 20.b et efferte illud vsque ad extrema terrę. Dicite, Redemit Dominus seruum suum Iacob. Non sitierunt in de-
Infra 57.d serto, cum educeret eos. Aquam de petra produxit eis, & scidit petram, & fluxerunt aquæ. Non est pax im-
pijs, dicit Dominus.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] De aquis Iuda.] *Ionathas vertit, de cognatione Iuda, semen scilicet liquidum aquam vocans.* [b] Dei Israel recordamini.] *Fictè tamen scilicet, iccirco addit, nõ in veritate neque in iustitia.* [c] De ciuitate sancta vocati sunt.] *Hoc est, nomen habent, quo Hebraismo Paulus vsus est, cum ait, Vocatus apostolus.* [d] Sciui enim quod durus es.] *Alludit ad illud Mosaicum. Ego noui rebellionem tuam, et ceruicem tuam durissimam: debuerat te in officio cõtinere facinus illud magnum, quando strati exercitum Sennacherib, vt facilius promissionibus meis crederes.* [e] Vidisti omnia.] *Hoc est, nunc euenerunt. Vos autem non annuntiastis, hoc est, non prædixistis hæc ventura, sed ego. Alius sic vertit. Nunquid vos annuntabitis: quasi dicat, non: Non enim quæritis gloriam meam, sed negatis ea quæ vidistis oculis vestris.* [f] Audita faciam.] *Loquitur de subuersione regni Babylonici.* [g] Ante diem.] *Scilicet quo euenient.* [h] Et propter laudem meam.] *Cedet (inquit) in gloriam meam si non deleuero te, propter iniquitates tuas. Examinabo tamen te per multiplices afflictiones, non quidem exactè, vt argentum examinatur in quo nulla relinquitur rubigo: alioquin absumerem te in vniuersum, sed in fornace multiplicis afflictionis probabo te, ne damneris cum hoc mundo, & totum istud propter nomen meum facio, ne illud blasphemetur inter gentes.* [i] Purgaui te.] *Vertimus sensum, nã in Hebræo est, elegi te.* [k] Quem ego voco.] *Qui à me sic appellatus est.* [l] Dominus dilexit eum.] *Loquitur de Cyro.* [m] Accedite ad me.] *Verba sunt prophetæ: quibus suos hortatur ad fidem, ab initio inquiens publicè locutus sum de casu Sennacherib, & fui etiam ibi cum id fieret. Sunt tamẽ qui referant hæc verba ad personam filij Dei, & fortasse aptius est, propter illud quod sequitur. Dominus misit me &c.* [n] Dominus Deus misit me, & spiritus eius.] *Hic colligunt mysterium trinitatis. Vt sit persona Christi loquentis.* [o] Nõ interijsset.] *Alius sic interpretatur. Sed ne nunc quidem conteretur, & perdetur penitus nomen eius à facie mea.*

CAPVT XLIX.

A[a] Vdite † me Insulæ, & attendite populi de longè. Dns ab vtero vocauit me, de vẽtre matris meę [b] re- A
cordatus est nominis mei. Et posuit os meum [c] quasi gladium acutum: in vmbra manus suæ protexit
me, & posuit me sicut sagittam electam. In pharetra sua abscondit me, & dixit mihi, Seruus meus [d] es
tu Israel, † qui in te glorificabor. Et ego dixi, [e] Inuacuũ laboraui sine causa, & vanè fortitudinẽ meam con- Infra. 51.c
sumpsi. Ergo [f] iudiciũ meum cum Dño, & opus meũ cum Deo meo. Et nunc hęc dicit Dns formans me ex
B vtero seruum sibi, vt reducã Iacob ad eum, [g] † Israel autem non congregabitur. Et glorificatus sum in oculis
Dñi, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit, Parum est vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob,
& desolationes Israel conuertendas. Dedi te in lucẽ gentium, vt peruenias salus mea vsq; ad extremũ terræ.
Hæc dicit Dns redemptor Israel, sanctus eius, [h] ad cõtemptibilem animã, ad abominatam gentẽ, ad seruum Act. 13.g
dñorum. [i] Reges videbunt, & cõsurgent principes, & adorabũt propter Dñm, quia fidelis est, & sanctũ Israel
C qui elegit te. Hęc dicit Dns, [k] In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Et seruaui 2. Cor. 6.a
te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hęreditates dissipatas: vt diceres his qui vincti Apoc. 7.d
sunt, Exite: & his qui in tenebris, Reuelamini: [l] Super vias pascentur, & in omnibus locis excelsis pascua eo-
rum. Nõ esurient, neq; sitient, & nõ percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorũ reget eos, & ad fontes aqua
rum portabit eos. Et ponam omnes montes meos in viã, & semitæ meę exaltabuntur. Ecce isti [m] de longe ve
D nient, & ecce illi ab aquilone & mari, & isti de terra australi. Laudate cœli & exulta terra, iubilate mõtes lau-
dem: quia consolatus est Dns populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Et dixit Sion, [n] Dereliquit
me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt nõ miserea-
tur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce, [o] in manibus meis descripsi te:
P muri tui coràm oculis meis semper. Venerunt structores tui: & destruentes te & dissipantes à te exibunt. Infra 60.a
E Leua in circuitu oculos tuos & vide, omnes isti cõgregati sunt, venerũt tibi. Viuo ego, dicit Dominus: quòd
omnibus his, velut ornamento vestièris & circundabis tibi eos quasi sponsa: quia deserta tua, & solitudines
tuæ & terra ruinę tuæ nunc angusta erunt præ habitatoribus, & lõgè fugabuntur, qui absorbebãt te. Adhuc
dicent in auribus tuis filij sterilitatis tuæ, Angustus est mihi locus, [p] fac spatium mihi, vt habitem. Et dices in
corde tuo, Quis genuit mihi istos? Ego sterilis, & non pariens, trãsmigrata & captiua: & istos quis enutriuit?
F Ego destituta & sola: & isti vbi hic erant? Hæc dicit Dominus Deus, Ecce, leuabo ad gentes manum meam,
& ad populos exaltabo signum meum. Et afferẽt filios tuos in vlnis, & filias tuas super humeros portabunt.
Et erunt reges nutritij tui, & reginæ nutrices tuæ. Vultu in terra demisso adorabunt te, & puluerem pedum
tuorum lingent. Et scies quòd ego Dominus, super quo non confundentur qui expectant eum. [r] Nunquid
tolletur à forti, prędа? † aut captiuitas iusta liberari poterit? Quia hęc dicit Dominus, Equidem & captiui-
G tas à forti tollerur: &, quod ablatum fuerit à robusto, saluabitur, † Eum verò, qui iudicauerat te, ego iudica-
bo, & filios tuos ego saluabo. Et cibabo hostes tuos carnibus suis: & quasi musto, sanguine suo inebriabũtur.
Et sciet omnis caro quòd ego Dominus saluans te, & redemptor tuus fortis Iacob.

SCHOLIA.

[a] Audite me Insulæ.] *Quæ sequuntur vsque in finem apertè ad Christum seruatorem pertinent consentientibus nobiscum Iudæorum expositoribus. Et non loquitur sicut ante ad domum Iacob, sed vocat omnes gentes ad salutem, quam diffundendam asserit vsque ad extrema terræ. Et secundum Iudæos hæc verba sunt Esaiæ de ipso loquentis: secundum nostros vero sunt verba Messiæ, quem Deus pater ab vtero matris suæ ordinauit, & ad hoc destinauit, vt esset seruator ac redemptor noster. Et quidem: si quis referat ad Esaiam, non quadrat illius personæ hæc rerum maiestas.* [b] Recordatus est nominis mei.] *Alius interpretatus est, Recordatus est celebre nomen meum.* [c] Quasi gladium acutum.] *Comparatur os Christi, & verbum eius gladio acuto, & sagittæ politæ, quod efficacissimum sit, et penetret corda, ac medullam interiorem.* [d] Es tu Israel.] *Verus Israelita es tu, et de quo solo gloriari possum, qui negotium meũ fideliter agis, & solam gloriam meã quæris, vel, ego gloriabor in omnibus, quæ per te inter Israelitas numerabuntur.* [e] In vacuum laboraui sine causa.]

Quòd scilicet tam pauci ex populo meo mihi crediderunt: nam in propria venit, & sui eum non receperunt. [f] Iudicium meum cum Domino.] *Est (inquit) qui quærat & iudicet.* [g] Israel autem non congregabitur.] *Apertus est hic locus, Iudæos excludendos à regno Christi, & illud. Dedi te in lucem gentium, apertus locus est, quòd gentes incorporandæ fuerunt regno Christi, & participes futuræ promissionum, & gratiæ Dei.* [h] Ad contemptibilem animã.] *Videlicet apud homines: Iudæi verba hæc ad suos in captiuitate constitutos trahunt, catholici verò de Christianis afflictis, & oppressis exponunt, præsertim qui inter gentes habitant.* [i] Reges videbunt.] *Omnia hæc sunt referenda ad primitiuam ecclesiam, quæ quantum à gentibus primò est contempta, tantum deinde cognito verbo Christi est honorata, vt etiam regna mundi colla subiecerint verbo Christi, & in eius migrarint possessionem. Nam, vt ante dixerat, exiguum erat negocium Iudeæ tantum gentis seruandæ. Hoc enim est, quod ait. Parum est, vt sis mihi seruus, hoc est, vt seruias mihi, ad suscitandas tribus Iacob, &c. Citatur autem hic locus Act. xiij.* [k] In tempore.] *Hunc locum Paulus à 2. Cor. 6. Ad Christi aduentum pertinere ostendit.* [l] Super vias pascentur.] *Sensus est. Vbique inuenient pascua, & nullibi non prædicabitur Euangelium Christi, vt nemo famem, aut sitim, nisi fastidiosi, passurus sit. Nec erit in fide personarum acceptio, sed montes redigentur in vias, & viæ eleuabuntur, sicut & Paulus docet. Non est in Christo seruus, aut dominus, sed serui pares erunt secundum fidem magnis dominis.* [m] De longe venient.] *Ab oriente vocat à longe, Iudæa enim ad occidentem magis quam ad orientem vergit. Septentrionem aquilonem vocat, occidentem mare, meridiem siue austrum Sinim, Vel Sinis, quam quidam putant esse Syenem, vrbem Aegypti, quam Ptolomæus sub tropico cancri positam scribit.* [n] Derelinquet me Dominus.] *Querelæ sunt ecclesiæ secundum externam faciem, cum interius consolationes habeat promissionum diuinarum, & se minus derelinquendam à Deo sciat, quàm infantulum à sua matre.* [o] In manibus.] *Vt semper ante oculos habeam: in cuius rei testimonium Dominus etiam postquam resurrexit, loca clauorum habere in manibus voluit.* [p] Muri tui.] *De quibus precabatur Dauid, cum dicebat, Vt ædificentur muri tui Ierusalem, vt scilicet ædificetur ecclesia, et domus Dei, quæ per collapsam Ierusalem hic significatur. Iccirco subdit, Venire eos, qui eam ædificent, deuastatores autem abire.* [q] Fac mihi spacium.] *In Heb. est, accede propter me, subaudi, ad remotiorem locum. Quò ergo, nisi in latitudinem gentium?* [r] Nunquid tolletur.] *Tu (inquit Sion, aut ecclesia) promittis magnam posteritatem, sed quomodo eripietur præda ab his, qui fortes sunt, & qui iuste se putant tenere abductam prædam? Respondet Dominus, ego fortior sum illis, nec iustam illi habent causam, sed tyranni sunt, & iccirco ego liberabo meos, & immittam in aduersarios eorum tantam famem, vt carnem propriam deuorent, et sanguinem suum bibant: hyperbole autem est significans summa in eos pœna animaduertendum.*

CAPVT L.

HÆc dicit Dominus, [a] Quis est hic liber repudij matris vestræ, quo dimisi eam? Aut quis est creditor meus, cui vendidi vos? Ecce enim in iniquitatibus vestris venditi estis, & in sceleribus vestris dimissa matrem vestram: quia veni, & non erat vir: vocaui, & non erat, qui audiret. [b] Nunquid abbreuiata & paruula facta est manus mea, vt non possim redimere? aut non est in me virtus ad liberãdum? Ecce, in increpatione mea desertum faciam mare, ponam flumina in siccũ. Cõputrescẽt pisces sine aqua, & morientur in siti. Induam cœlos tenebris, & saccum ponam operimentũ eorum. Dñs dedit mihi linguam eruditi, [c] vt sciam sustentare eum qui lassus est, verbo. [d] Erigit manè: manè erigit mihi aurẽ, vt audiam quasi magistrũ. Dominus Deus aperuit mihi aurẽ, ego autẽ nõ contradico: retrorsum nõ abij. [e] Corpus meũ dedi percutientibus, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti à † conuitiantibus, & conspuentibus. Dñs Deus auxiliator meus, ideò nõ sum cõfusus: ideò posui faciem meã, [f] vt petram durissimam, & scio q̃ non confundar. Iuxta est, qui iustificat me, quis cõtradicet mihi? stemus simul: quis est aduersarius meus? accedat ad me. Ecce Dominus Deus, auxiliator meus: quis est, qui condemnet me? Ecce omnes quasi vestimentum conterentur, tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dñm, audiens vocem serui sui: quis ambulauit in tenebris, & non est lumen ei? speret in nomine Domini, & innitatur super Deum suum. Ecce vos omnes [g] accendentes ignem accincti flammis: ambulate [h] in lumine ignis vestri, & flammis quas succendistis, de manu mea factũ est hoc vobis, in doloribus † iacebitis.

Infra. 59.a

Matt. 26.g

SCHOLIA.

[a] Quis est hic liber repudij.] *Quòd Synagoga repudiata est ab ecclesia Christi præter paucas reliquias, Dominus dicit se non esse in causa, cum illam nec repudiauerit neque creditoribus vendiderit, sed ipsa propter iniquitates suas vendiderit seipsam, & excluserit ab ecclesia Christi. Venit præterea ipse sponsus ecclesiæ quærere, quod perierat, sed sui eum non receperunt: clamauit, & nemo respondit.* [b] Nunquid abbreuiata.] *Vidistis ne in me signa infirma, & non potius magna, & præ se abunde ferentia me verè posse saluare? Imperaui mari, & quieuit, quod eadem potestate, qua sedauit illud, potui etiam exiccare: effudi tenebras cœlo: cum me moriente obscuratus est sol, quæ omnia diuinitatem arguebant meã.*
[c] Vt sciam sustentare.] *Opportunè scilicet, ac suo tempore.* [d] Erigit manè.] *Hoc est, continuè, erigit, inquam, mihi autem, vt audiam, sicut solent maximè dociles: quadrat autem hæc Prophetia cum verbo Domini, Vbi ait, Quæ audio à patre, hæc loquor.* [e] Corpus meum dedi percutientibus.] *Hoc ad Domini passionem pertinet.* [f] Vt petram.] *Si enim Dominus nobiscum fuerit, quis erit contra nos? omnia possumus in eo, qui nos corroborat.* [g] Accendentes ignem accincti flammis.] *Scilicet in naribus Dei, hoc est, ad iracundiam prouocantes Deum.* [h] In lumine ignis vestri.] *Discedite, inquit, à me operarij iniquitatis, ite in ignem æternum, quem vobis hic succendistis, nolentes audire vocem meam, & acquiescere consilio meo.*

CAPVT LI.

AVdite me [a] qui sequimini quod iustum est, & quæritis Dominum: attendite ad petram vnde excisi estis, & ad cauernam laci de qua † educti estis, Attendite ad Abraham patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum. Consolabitur ergo Dominus Sion, & consolabitur omnes ruinas eius: & ponet desertum eius quasi delicias, & solitudinem eius quasi hortum Domini. Gaudium, & lætitia inuenietur in ea: gratiarum actio, & vox laudis.

Attendite

B Attendite ad me popule meus & tribus mea me audite: quia [b] lex à me exibit, & iudicium meum in lucem populorum requiescet. [c] Prope est iustus meus, egressus est saluator meus, & brachia mea populos iudicabũt. Me Insulæ expectabunt, & brachium meum sustinebunt. Leuate in cœlum oculos vestros, & videte sub terra deorsum: quia [d] cœli sicut fumus liquescent, & terra sicut vestimentum atteretur, & habitatores eius sicut hæc interibunt. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea non deficiet. [e] Audite me qui scitis
C iustum, populus meus lex mea in corde eorum. Nolite timere opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne metuatis. Sicut enim vestimentum: sic comedet eos vermis: & sicut lanam, sic deuorabit eos tinea. Salus autem mea in sempiternum erit, & iustitia mea in generationes generationum. Cõsurge, consurge, induere fortitudinem brachium Domini: consurge sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Nunquid non tu percussisti † Ægyptum, [f] vulneraſti draconem? Nunquid non tu siccasti mare, aquã abyssi vehementis: qui posuisti profundum maris viam, vt transirent liberati? Et nunc qui redempti sunt à Do-
D mino, reuertentur, & venient in Sion laudantes, & lætitia sempiterna super capita eorum: gaudium & lætitiam tenebunt, fugiet dolor & gemitus. Ego ego ipse consolabor vos: quis tu vt timeres ab homine mortali, & à filio hominis, qui quasi fœnum ita arescet? & oblitus es Domini factoris tui, qui tetendit cœlos, & fundauit terram, & formidasti iugiter tota die à facie furoris eius qui te tribulabat, & parauerat ad perdendum.
E Vbi nunc est furor tribulantis? [g] Citò veniet gradiens ad aperiendum, & non † interibit perpetuò, nec deficiet panis eius. Ego autem sum Dominus Deus tuus, qui conturbo mare, & intumescunt fluctus eius. Dominus exercituum nomen meum. Posui verba mea in ore tuo, & in vmbra manus meæ protexi te, [h] vt plantes cœlos, & fundes terram: & dicas ad Sion, Populus meus es tu. Eleuare, eleuare, consurge Ierusalem, quæ bibisti de manu Domini [i] calicem iræ eius: vsque ad fundum calicis mortiferi bibisti, & potasti vsque ad fæces.
F Non est qui sustentet eam ex omnibus filijs quos genuit: & non est qui apprehendat manum eius ex omnibus filijs quos enutriuit. Duo sunt, quæ occurrerunt tibi: quis contristabitur super te? vastitas & contritio, & [k] fames & gladius, quis consolabitur te? Filij tui proiecti sunt, dormierunt in capite omnium viarum, [l] sicut oryx illaqueatus: pleni indignatione Dñi, increpatione Dei tui. Iccirco audi hoc paupercula, & ebria nõ à vino. Hæc dicit dominator tuus Dominus, & Deus tuus, qui pugnauit pro populo suo, Ecce, tuli de manu
G tua calicem soporis, fundum calicis indignationis meæ: non adijcies vt bibas illum vltrà. Et ponam illum in manu eorum qui te humiliauerunt, & dixerunt animę tuę, Incuruare, vt trãseamus: & posuisti vt terrã corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.

Sup. 47.b

SCHOLIA.

[a] Qui sequimini quod iustum est.] *Loquitur ad ecclesiam, ne desperet ob paucitatem, & sterilitatem suam, cum Deum illam æquè vt effœtum Abraham, & sterilem Saram, fœcundam facere possit. Vocat autem Abraham ipsum petram, quòd spes non esset, vt ex illo soboles aliqua propagaretur. Sic Saram vocat cauernam laci, Vel foramen putei, propter sterilitatem eius. Si ergo Deus potuit ex vnico illo Abraham, eoque iam effœto excitare tantam multitudinem hominum, & duodecim latissimas tribus, potuit & primam ecclesiam suam multiplicare in immensum.* [b] Lex à me exibit.] *Vide vt pulcherrimè nouam legem. Per Euangelium (inquit) multiplicabitur ecclesia mea. Dicunt & Hebræi legem promulgandam per Messiam, post denicios Gog, & Magog, sicut & supra dicitur, de Sion exibit lex. Igitur lex Mosi abroganda erat tempore Christi.* [c] Prope est iustus meus.] *Licebit per hunc modum conuincere Iudæos, Christum iam dudum venisse, cũ propheta dicat, propè esse iustitiam Domini, & egressam salutem. Propinqua autem salus nõ fuisset, si post duo millia annorum speranda fuisset.* [d] Cœli sicut fumus liquescent.] *Prius (inquit) deuastarem cœlum & terra, quàm vt salutem meam non exhiberem, & promissiones meas non seruarem. Et hoc loquendi modo etiam Dominus in Euangelio vsus est. Cœlum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* [e] Audite me.] *Vos (inquit) qui docti estis iustitiam, & in quorum corde non iam in lapidibus est lex mea, audite me: præparat autem nascentem ecclesiam, atque animat ad perferenda aduersa, & persecutiones.* [f] Vulneraſti draconem.] *Videlicet Pharaonem. Iam (inquit) olim agnouimus potentiam tuam, qua nunc quoque est fidendum.* [g] Cito veniet.] *Ita narrat, vt alludat ad liberationem ex Aegypto. Vrgebant Aegyptij populum Israel, vt de terra exiret velociter, & tulit populus conspersam farinam, &c. Qui ergo sic premitur à tyranno, & quasi in arcto carcere vinctus tenetur, si patienter sustineat, post modicum tempus aperietur ei carcer, euadet mortem, & habebit vnde viuat, id quod vel vnus Micheas propheta aperte probauit.* [h] Vt plantes cœlos.] *Quid sit Christum plantare cœlos, & fundare terram, propheta mox explicat, formare scilicet populum Domino.* [i] Calicem iræ eius.] *Significantur acerbæ afflictiones, & tentationes, in quas Deus suos permittit cadere, vt interdum nullum appareat consilium, quomodo te ex illis extrices.* [k] Fames, & gladius.] *Explicatio est superiorus, vt sit sensus, duo hæc vastitas & contritio, hoc est, fames & gladius.* [l] Sicut orix illaqueatus.] *Vel, bos syluestris, in quem captum venatores passim sæuiũt, id quod et filys ecclesiæ contigisse nouimus à tyrannis, perinde ac si Deus omnem furorem suum fudisset in eos, sed consolatur interim eos spiritus Domini, & promittit ablationem calicis, & tyrannorum humiliationẽ, qui populo Dei abusi sunt, calcantes ipsum ac si essent lutum & terra.*

CAPVT LII.

A COnsurge, consurge, induere fortitudine tua Sion: induere vestimentis gloriæ tuæ Ierusalem ciuitas sancti, quia non adijciet vltrà vt pertranseat per te incircumcisus & immundus. Excutere de puluere, consurge, sede Ierusalem. Solue vincula colli tui captiua filia Sion: quia hæc dicit Dominus, [a] Gratis venundati estis, & sine argento redimemini. Quia hæc dicit Dominus Deus, In Ægyptum descendit populus meus in principio, vt colonus esset ibi: & Assur absque vlla causa calumniatus est eum. Et nunc
B [b] quid mihi est hic, dicit Dominus: quoniam ablatus est populus meus gratis. Dominatores eius iniquè agunt, dicit Dominus: & iugiter tota die nomen meum blasphematur. Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego ipse qui † loquor ecce adsum. Quàm pulchri super montes pedes annuntiantis

Gen. 46.a
Ro. 2.d
Iere. 39.e

tiantis & prædicantis pacem: annuntiantis bonum, prædicantis salutem, dicentis Sion, Regnabit Deus tuus.
Rom.10.c Naũ 1.d Pſal.97.a Vox ſpeculatorum tuorum leuauerunt vocem, ſimul laudabunt: quia oculo ad oculum videbunt cum conuerterit Dominus Sion. Gaudete & laudate ſimul deſerta Ieruſalem: quia conſolatus eſt Dominus populum ſuum, redemit Ieruſalem.[c] † Nudauit Dominus brachium ſanctum ſuum in oculis omnium gentium: & videbunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Recedite, recedite, exite inde, pollutum nolite tangere.
2.Cor.6.d Exite de medio eius, mundamini qui fertis vaſa Domini.[d] Quoniam nõ in † feſtinatione exibitis, nec in fuga properabitis. Præcedet enim vos Dominus, & congregabit vos Deus Iſrael. [e] Ecce † proſperè aget ſeruus meus, & exaltabitur, & eleuabitur, & ſublimis erit valde. Sicut obſtupuerunt ſuper te multi: † quòd ſic inglorius eſſet inter viros aſpectus eius, & forma eius inter filios hominum.
Roma 15.c † Ita cum admiratione loqui faciet gentes multas, ſuper ipſum continebunt reges os ſuum: quia quibus non eſt narratum de eo, viderunt: & qui non audierunt,[f] contemplati ſunt.

SCHOLIA.

[a] Gratis venundati eſtis.] *Inuidia enim diaboli mors intrauit in orbem terrarum. Sed hic occultatur myſterium velamine literæ, dum dicit Aegyptios & Aſſyrios nulla accepta ab Iſraelitis iniuria, quod appellat ſine cauſa, eos tamen affixiſſe: iccirco eos etiam ſine precio redimendos. Chriſtus enim in cruce nos gratis liberauit a peccatis, à morte perpetua, ab inferno, nullis noſtris præcedentibus meritis.* [b] Quid mihi eſt hic.] *Eſt (inquit) populus meus in alia captiuitate grauiori ea, quæ fuit in Aegypto, aut apud Aſſyrios: nam qui illis præſunt, pro arbitrio ſuo, & non iuxta verbum meum dominantur illis, ducunt eos in errores, faciunt eos vlulare, & blaſphemare nomen meum tota die. Curabo igitur ego Dominus, vt populus meus me agnoſcat, & me loquentem audiat. Mittam Euangeliſtas, qui annuntient pacem, & ſalutem, atque omne bonum, non priuatis hominibus, ſed in montes ſuis pulcherrimis pedibus aſcendent, & toti mundo prædicabit gratiam Dei, & Euangelium Chriſti, & quòd deinceps Deus in nobis regnaturus ſit verbo ſuo & non Moſes cerimonijs ſuis. Et vide, vt videbatur propheta iam tum cernere ipſos apoſtolos Euangelizantes, dum contemplatur pedes eorum, qui peragraturi erant omnem omnium terrarum orbem: quem locum & Paulus produxit, cum de hac re ſcriberet ad Romanos: Vt minimè dubitandum ſit manifeſtiſſima hæc eſſe de Chriſto teſtimonia. Et illud, oculo ad oculum videbunt, quid aliud eſt, quàm cernere Seruatorem veſtitum carne? quemadmodum dixit Simeon ille ſenex. Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum.* [c] Nudauit Dominus.] *Hoc eſt, oſtendit potentiam ſuam, & obtulit ſalutem ſuam omnibus gentibus, omnes monens, vt diſcedant à peruerſa ſua vita, pollutiones vitent, & quiſq; ſtudeat in ſanctificatione poſſidere vas ſuum, quod ſpiritus Domini inhabitare dignatur.* [d] Quoniam non in feſtinatione.] *Dixerat, eos debere exire, ſed ne putarent, exeũdum eſſe cum illa trepidatione, quæ in exitu de Aegypto contigit, admonet non ita futurum, ſed exeundum eſſe imitando ipſum Dominum ducem, qui præcedet, ac viam commonſtrabit, & dicet, diſcite à me quòd mitis ſim, & humilis corde: & , ſi præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego præcepta patris mei ſeruaui, & maneo in eius dilectione.* [e] Ecce proſperè aget.] *Vel, prudenter aget. Incipit hic propheta deſcribere modum quo Chriſtus ſuos redemit, nempe paſſione, & morte ſua: Vocatque eum ſeruum propter miniſterium verbi, & docendi officium, atque totam vitam & mortem ſuam, qua nos Deo patri reconciliauit: Vnde & in reſurrectione ſua exaltatus & ſublimatus eſt ad ſummam gloriam, ſedens ad dexteram patris. Et ſicut ſine ſtupore in paſſione aſpici non potuit, quòd deformatus eſſet vultus eius vltra humanum modum, ſic rurſus fuit in tantam gloriam eleuatus, vt plurimæ gentes de hoc mirarentur, et colloquerentur, atque reges continerent os ſuũ, non valentes ſatis exprimere magnificentiam eius. De quo et Veteres Hebræorum expoſuerunt hoc modo. Exaltabitur Meſſias pluſquam Abraham, & eleuabitur pluſquam Moſes, & ſublimis erit valde pluſquam angeli Dei: proſperè enim geret omnia, totum ſibi vendicabit orbem, adorabitur ab omnibus regibus, in fimbria veſtimenti ſcriptum habet. Rex regum, & Dominus dominantium.* [f] Contemplati ſunt.] *Studiosè cognoſcere conati ſunt. Alius finem huius capitis ſic vertit. Eò quòd viderint, quòd non eſt narratum eis, & audierint quod non voluerunt in animo.*

CAPVT LIII.

Ioan.12.f Rom.10.d Mar.9.b Mat.8.c 1.Pet.2.d 1.Cor.15.a [a] Vis, credidit auditui noſtro? & brachium Domini cui reuelatum eſt? Et aſcendet ſicut virgultum A
coràm eo, & ſicut radix de terra ſitienti. Non eſt ſpecies ei, neq; decor. Et vidimus eum, & non erat aſpectus, † vt deſyderaremus eum: deſpectum, & nouiſſimum virorũ, virum dolorũ, et ſcientem infirmitatẽ † ſimilis ei, à quo auertitur vultus & deſpectus, vnde nec reputauimus eum. Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Et nos reputauimus eum quaſi leproſum, & [b] perB
cuſſum à Deo & humiliatum. Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra. [c] Diſciplina pacis noſtræ ſuper eũ, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſq; in viam ſuã declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oppreſſus eſt,
Mat.26.f Iere.11.d Act.8.f & affligitus, & non aperuit os ſuum. Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & quaſi agnus coràm tondente ſe, obC
mutueſcet & nõ aperiet os ſuum. [d] De anguſtia & de iudicio ſublatus eſt: generationem eius quis enarrabit? quia [e] abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei † plaga fuit ei, & poſuit cum impijs ſepulturam eius, [f] & cum diuite in morte ſua: quamuis iniquitatem nõ fecerit, neq; dolus fuerit in ore eius: & Do1.Pet.2.d Ioan.3.a Marc.15.c Luc.22.d minus voluit cõterere eum in infirmitate. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, [g] videbit ſemen longeuũ, D
& voluntas Domini in manu eius dirigetur, pro eo q̃ laborauit anima eius, videbit & ſaturabitur. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideo † partem dabo ei inter plurimos, [h] † cum fortibus diuidet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam, & cum ſceleratis reputatus eſt: & ipſe peccata multorum tulit, & pro tranſgreſſoribus rogauit.

SCHOLIA.

[a] Quis credidit auditui noſtro.] *Hoc eſt, ei, quod nos à Domino audiuimus. Cum is (inquit) quem prædicamus, atq; hominibus ſit ſimilis, quis credet auditui noſtro, hunc eſſe redemptorem mundi? A deo offendentur infirma eius ſpecie, vt niſi fides per ſpiritum ſanctum eis infundatur, credere non poſſint. Aſcendet veluti pulchrum virgultum, ſed quod pulchrum*

eſt coram Deo, & quaſi radix nobiliſſima pullulans ex terra ſqualida & deſerta. Coràm hominibus quidem eſt deſpectus, doloribus plenus, contumelijs & iniurijs affectus, ſciens infirmitatem, hoc eſt, aſſuetus ferendis miſerijs, & ſimilis ei, a quo quis auertere ſolet vultum ſuum, qui tamen coràm Deo peccata noſtra diluit. Cæteràq; perſequitur propheta, quæ Euangeliſtæ de paſſione Domini annotauerunt. [b] Et percuſſum à Deo.] *Sunt, qui contendant, Hebraicum textum legendum, percuſſum Deum.* [c] Diſciplina pacis noſtræ ſuper eum.] *Hoc eſt, caſtigatio afferens nobis pacem, atque vt nos haberemus pacem, ille fuit pœnis addictus. Alius ſic interpretatur. Nos in pace & ſecuritate altum dormiuimus ſomnum, et peccatis peccata cumulauimus, vt neceſſe eſſet, illũ noſtri loco caſtigari, quo nobis per vulnera ſua medicatio fieret.* [d] De anguſtia.] *Vel, de carcere. Vinctum autem ducebant Chriſtum ad iudicem, ſed de iniquo aduerſariorum iudicio, quin & de ſepulchro cuſtodibus munito ſublatus eſt: & iudicium mortis per Pilatum datum in reſurrectione euaſit, & in nouam & immortalem vitam natus eſt. Quanquam illud, generationem, quidam interpretantur, multiplicatam prolem credentium.*
[e] Abſciſſus eſt.] *Hoc eſt, ſublatus per paſſionem ab hac mortali vita, atq; vt etiam in morte opprobrijs ſaturaretur, datum eſt illi ſepulcrorum non in ciuitate Dauid, ſed in loco caluariæ, & vbi malefactores interficiebantur.* [f] Et cum diuite in morte ſua.] *Hoc eſt, ſicut qui ob diuitias, non culpa occiduntur: ſic enim quidam interpretantur: ſed fortaſſe aptius eſt, quod alius vertit, Et apud diuitem in mortibus ejus, vt videlicet propheta reſpexerit ad id, quod Mat.27. legimus. Venit homo diues ab Arimathæa, & poſuit corpus in monumento ſuo nouo: & dixit mortibus ob multiplices pœnas, quas ei innocenti infixerunt, qui peccatum non fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius, vt diuus Petrus hanc citauit ſcripturam.* [g] Videbit ſemen longeuum.] *Viuet cum ſemine ſuo in perpetuos dies, nec erit regni eius finis, videbit proinde cumulatiſſimum fructum, qui ex labore, & paſſione ſua creſcet. Et ſi quæris, quomodo fructus paſſionis eius deriuabitur in alios? reſpondet propheta, quòd in ſcientia, [illegible] multos iuſtificabit. Solus enim ipſe iuſtus eſt atque ideo ſolus iuſtificare poterit.* [h] Et cum fortibus diuidet ſpolia.] *Quando captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Poſtremo meminit, quo pacto rogauerit patrem pro crucifixoribus, dicens, pater ignoſce illis: vt integrè Euangeliſtæ officio fungeretur.*

CAPVT LIIII.

A [a] † Xulta ſterilis quæ non paris: decanta laudem & hinni, quæ non pariebas: quoniam multi filij deſertæ magis quàm eius quæ habebat virum, dicit Dominus. Dilata [b] locum tentorij tui, & pelles tabernaLuc.23.d Gal.4.d culorum tuorum extende, ne parcas: longos fac funiculos tuos, & clauos tuos conſolida. Ad dexteram enim, & ad leuam penetrabis: & ſemen tuum gentes hęreditabit. & ciuitates deſertas inhabitabit. Noli timere, quia non confundèris: neque erubeſces. Non enim te pudebit: quia [c] confuſionis adoleſcentiæ tuę obliuiB
ſceris, & opprobrij viduitatis tuæ non recordaberis amplius. Quia † maritus tuus erit, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius: & redemptor tuus ſanctus Iſrael, Deus omnis terræ vocabitur. Quia vt mulierem Luc.1.e derelictam, & mœrentem ſpiritu vocauit te Dominus, & [d] vxorem † adoleſcentiæ abiectã. Dixit Deus tuus, Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momẽto indignationis abſcondi faciem meam parumper à te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui: dixit redemptor tuus Gen.9.b Dominus, Sicut in diebus Noe iſtud mihi eſt, cui iuraui ne inducerem aquas Noe vltrà ſuper terram: ſic [e] iuC
raui, vt non iraſcar tibi, & non increpem te. [f] Montes enim commouebuntur, & colles contremiſcent, miſericordia autem mea non recedet à te, & fœdus pacis meæ non mouebitur: dixit miſerator tuus Dñs. Paupercula tempeſtate conuulſa abſq; vlla conſolatione. Ecce ego ſternam ex carbunculo [g] lapides tuos, & fundabo te in ſaphiris, & ponam iaſpidem feneſtras tuas: & portas tuas in lapides rutilantes, & omnes terminos tuos in lapides deſyderabiles, vniuerſos filios tuos dòctos à Domino: & multitudinem pacis filijs tuis: & in iuſtiD
tia fundaberis. [h] Recede procul à calumnia, quia non timebis: & à pauore, quia non appropinquabit tibi. [a] † Quicunq; congregauerit ſe ad te abſq; me, & qui ſe iunxerit tibi ſic, iuxta te corruet. Ecce, ego creaui fa- Ioan.6.e brum ſufflantem in igne prunas, & proferẽtem vas in opus ſuum, & ego creaui interfectorem ad diſperdendum. Omne vas, quod fictum eſt, contra te non dirigetur: & omnem linguam reſiſtentem tibi [i] in iudicio, † condemnabis. Hæc eſt hæreditas ſeruorum Domini, & iuſtitia eorum apud me, dicit Dominus.

SCHOLIA.

[a] Exulta ſterilis.] *Vocat propheta primam eccleſiam ſterilem, quòd comparatione ſynagogæ paucos haberet filios, ſed conſolatur eam, quòd breui plures habitura ſit filios, quàm ſynagoga, quæ maritata videbatur, eccleſia autem viduata.*
[b] Locum tentorij.] *Non dat hic domum eccleſiæ, ſed tẽtorium, nam in hac vita peregrinari ſe agnoſcit.* [c] Confuſionis adoleſcentiæ.] *Hoc eſt, ſub marito Chriſto in tantam propagaberis ſobolem, vt non recorderis adoleſcẽtiæ tuæ, quando à ſynagoga propter humilitatem tuam confundebaris.* [d] Vxorem adoleſcentiæ abiectam.] *Vir quidam optimè Hebraicã linguam callens, ſic vertit hunc locum. Vxorne adoleſcentula contemneris? Hoc eſt, ſi Dominus derelictam & mœrentem tanti fecit, vt vxorem ducere t, nónne plurimi te faciet nunc? & contemneris ab eo, quando per eum adoleſcentiæ annos recepiſti? Hæc autem ad eccleſiam quidem pertinent, ſed meminerimus eam ex Iudæis & gentibus conſtare vt ad vtroſque, quanquam diuerſis temporibus iſta referantur. Erat autem olim vna, ſed in Abraham facta diuiſio eſt.* [e] Iuraui non iraſcar tibi.] *Conſolatio inſignis, Deum ſuper ſuos non iraſci, etiam ſi nobis iraſci videatur: ſed tentat ad momentum, vt in miſerationibus multis probatos ſuſcipiat. Breue autem eſt, ac momentaneum, quicquid in hac mortali agitur vita, etiam ſi ſenſui diuturnum videatur.* [f] Montes enim commouebuntur.] *Prius (inquit) montes commouebũtur, quàm fœdus meum tecum initum rumpatur.* [g] Lapides tuos.] *Ædificabo (inquit) eccleſiam tanquam regiam ex precioſis lapidibus: nam lapides murorum ponentur ex carbunculo, & in fundamento ponentur ſaphiri, etc. Lapides iſtius ædificy ſunt docti viri, pacifici, iuſti, quos infrà commemorat.* [h] Recede procul.] *Tuta eris à calumnia.* [i] Quicunque congregauerit ſe.] *Omnes illi (inquit) qui ſe tibi iunxerint malo animo, & non ex præcepto meo, cadent, ſed & quicunque contra te arma fabricati fuerint, vt hæretici, peribunt. Et filij tui docti à Domino, facilè condemnabunt linguam, quæ conſurrexerit aduerſum te. Nam quod ait, Ecce ego creaui fabrum, &c. Idem dicit quod ſequenti verſu, de falſis Chriſtianis: & illud proferentem*

ferentem vas: intellige instrumentum bellicum. Nempè aduersus impios. [k] In iudicio condemnabis.] *Hoc est, impietatis condemnabis.*

CAPVT LV.

Ecclē. 51.d

OMnes sitientes venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite & comedite. Venite, A emite [a] absq; argento, & absque vlla commutatione vinum & lac. Quare † expenditis argentum [b] non in panibus, & laborem vestrum nō in saturitate? Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestrā, & venite ad me: audite, & viuet anima ve-
Act. 13.c stra, & feriam vobiscum pactum sempiternū, [c] misericordias Dauid fideles. Ecce, testem populis dedi eū, ducē B ac præceptorē gentibus. Ecce, [d] gentē, quam nescie bas, vocabis: & gentes, quæ te nō cognouerunt, ad te current propter Dñm Deum tuum, [e] & sanctū Israel: quia glorificauit te. Querite Dñm dum inueniri potest, in uocate eum dum propè est. Derelinquat impius viā suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dñm, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniā multus est ad ignoscendum. [f] Nō enim cogitationes C meæ cogitationes vestræ: neq; vię vestrę, vię meæ, dicit Dñs. Quia sicut exaltātur cœli à terra, sic exaltatę sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quomodo descēdit imber & nix de cœlo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo. Non reuertetur ad me va- D cuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud. Quia in lætitia egrediemini, & in pace deducemini. Montes & colles cantabunt coràm vobis laudem, & omnia ligna regionis plaudent manu. Pro saliuncula ascendet abies, & pro vrtica crescet myrtus. Et erit Dominus nominatus in signum æternum, quod non auferetur.

SCHOLIA.

[a] Absque argento.] *Gratis offertur Euangelium, & gratia spiritus sancti, ideo vocantur omnes, vt illis hauriamus aquam salientem in vitam æternam. Grandiores inueniunt vinum, infirmiores verò lac pro sua consolatione.* [b] Non in panibus.] *Quare expenditis argentū, & non accipitis panes? Nihil (inquit) est, quod quietam faciat conscientiam, nisi verbum Dei, & panis vitæ, reliqua studia & labores addunt dolores, immo occidunt, sola doctrina Euangelij viuificat.* [c] Misericordias Dauid fideles.] *Fideles misericordias, hoc est, infallibiles, & immotas, quas promisit Dauid in Christo, qui verus est Dauid, quem testem paternæ voluntatis, ac ducem, & præceptorem dedi omnibus gentibus. Hic locus citatur à Paulo Act. xiij. in hæc verba. Quod autem suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit dabo vobis sancta Dauid fidelia. Vult autem Paulus pertinere locum hunc ad resurrectionem Domini, ob hanc opinor causam, quòd propheta dixit, fidelia, hoc est duratura & stabilia, quæ non essent, nisi surrexisset à mortuis.* [d] Gentē, quam nescie bas.] *Respuentibus Iudæis Verbum Christi, vocatæ sunt gentes: & illæ cū gaudio acceperunt gratiam Dei.* [e] Et sanctū Israel.] *Deum sanctum Israelis, qui te Messiam glorificauit.* [f] Non enim.] *Dixerat quærendum Dominum dum inueniri potest, & reuertendum ad Deum per pœnitentiam, & quia suscepturus erat omnes, non Iudæos solum, verum etiam gentes, ad monet eos, ne cum viderint ingentem illam misericordiam Dei diffundi, metiantur hæc suis cogitationibus, et offendantur, quod fecerunt Iudæi. Ero (inquit) in modum imbris, & omnem terram fœcundabo. Possunt & generatim per hæc Verba damnari cogitationes nostræ, ac studia nostra, & omnes viæ nostræ, ac quod nisi nosmetipsos negauerimus, & voluntati Dei subiecerimus rationem nostram in obsequium Christi, gratiam Dei nunquam consequemur. Quod enim inquit, terra profert fructum, id non terræ debetur, sed pluuiæ, ac niui, sic per Verbum Euangelij datur spiritus, qui operetur in nobis. Per Verbum affertur iustitia, & salus, & inde fit, vt cum lætitia egrediamur de morte, inferno, & peccato in regnum gratiæ, & habeamus gaudium perpetuum in spiritu, videanturq; nobis cantare montes, & colles, &c. Vt insequentibus narrat propheta. Et ita demum fiet, vt in ecclesia non reliquantur spinosæ, & steriles arbores, sed fructuosæ, & procerę, in laudem & gloriam Christi, atque in signum quòd ille nunquam deerit sponsæ suæ.*

CAPVT LVI.

HÆc dicit Dominus, Custodite iudicium & facite iustitiam: quia iuxta est salus mea, vt veniat, & iusti- A
Sapien. 1.a tia mea, vt reueletur. Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis, quia apprehendet istud. [a] Custodiens sabbatum ne polluat illud, custodiens manus suas ne faciat omne malum. Et non dicat filius aduenæ. [b] Qui adhęret Dño: dicens, Separatione diuidet me Dñs à populo suo. Et non dicat eunuchus, Ecce ego lignū aridū. Quia [c] hæc dicit Dñs eunuchis, Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quę ego volui, & te- B nuerint fœdus meū, Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & [d] nomē melius à filijs & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit. Et filios aduenę qui adhęrent Dño, vt colant eum & diligāt nomen eius, vt sint ei in seruos: omnem custodientem sabbatum ne polluat illud, & tenentem fœdus meum. Adducam eos in montem sanctum meū, & lætificabo eos in domo orationis meæ, holocausta eorum, & vi- C
Matt. 21.b ctimæ eorum placebunt mihi super altari meo: quia domus mea, domus orationis vocabitur cunctis popu-
Marc. 11.c lis, Ait Dominus Deus, qui congregat dispersos Israel. Adhuc [e] congregabo ad eum congregatos eius. Om-
Luc. 19.g nes bestiæ agri venite ad deuorandum, vniuersæ bestiæ saltus. Speculatores eius cæci omnes, nescierunt vni-
Iere. 6.c uersi: canes muti non valentes latrare, iacentes dormiunt & amant somnium. Et canes impudētissimi nescie- D
runt saturitatem: ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam: omnes in viam suam declinauerunt, vnusquisq;
Sapien. 2. b ad auaritiam suam, à summo vsque ad nouissimum. Venite, sumamus vinum, & impleamur ebrietate: & erit sicut hodie, sic & cras: & multò amplius.

SCHOLIA.

[a] Custodiens sabbatum.] *Monet Propheta ad obseruantiam legis, donec veniat Christus, ad cuius regnum lex tam quam pedagogus parat, per obseruantiam sabbati intellige cultum Dei, & omnia, quæ nos Deo debemus, & non ociosam illam externam quietem, quam Iudæi tanti faciunt, vt plerique putent aduentum Messiæ retardari ob continuam sabbati vltionem.*

in violationem. Per illud verò, quod prius ait, Custodite iudicium, & facite iustitiam, quidam intelligunt, nos tunc iudicium facere, cum nos agnoscimus peccatores, iustitiam verò quando illam Deo tribuimus. Alij per iudicium scientiam, per iustitiam, opera accipiunt, alij iudicari dicunt inferiores, iustitiam fieri in æquales, vel superiores. [b] Qui adhæret Domino.] *Hoc est, cui in animo est adhærere Domino. Loquitur de proselytis sui temporis, qui ob id quòd de semine Abrahæ non essent, & promissiones non haberent, non desperarent, cum Deus non sit personarum acceptor. Tacitè autem alloquitur eos, qui ex gentibus accessuri erant ad fidem.* [c] Hæc dicit Dominus eunuchis.] *Pulchrè hunc locum tractat magnus Basilius in libro de virginitate. Quæ autem Dominus in Euangelio dixit de eunuchis, si consyderes, hæc Esaiæ verba intelligere aptè poteris. Sub Euangelica enim prædicatione, non quæritur propagatio carnis, sed commendantur, qui sese castrauerūt ob regnum cœlorum.* [d] Nomen melius.] *Quia (inquit) tales fideles sunt mihi, etiam si non sint de semine Abrahæ, erunt mihi amabiliores infidelibus Iudeis, qui solum de hoc gloriantur, quòd sint filij Abrahæ.* [e] Congregabo ad eum congregationes eius.] *Alius sic interpretatur. Congregabo contra eum vltra illos, qui hucusque congregati nocere conati sunt illis, vt dictum videatur contra perfidos Iudæos, contra quos consequenter in illis verbis, omnes bestiæ agri venite, &c. adsocantur reges gentium, vt illos dilacerent & dispergant. Notanter autem exprimuntur speculatores cæci, principes scilicet ac doctores populi, qui muti & impudentes erant canes, pascentes ventres suos, & præterea nihil agentes: &, cum multo vino se ingurgitauerint, sperantes omnia in dies melius habitura.*

CAPVT LVII.

AIVstus perit, & non est qui recogitet in corde suo, & viri misericordiæ [a] colliguntur, † & nemo est qui intelligat: [b] à facie enim malitiæ collectus est iustus. [c] Veniat pax, requiescat in cubili suo qui ambulauit in directione sua. Vos autem accedite huc filij auguratricis [d] semen adulteri, & fornicariæ. [d] Super quē B iusistis? super quem dilatastis os, & eiecistis linguam? [e] nunquid non vos filij sceleste, semen mendax? [f] qui consolamini in dijs subter omne lignum frondosum, immolantes paruulos in torrentibus subter eminentes petras? In partibus torrentis pars tua † illi, illi sunt sors tua: & ipsis effudisti libamen, obtulisti sacrificium: B [g] nunquid super his non indignabor? Super montem excelsum & sublimem posuisti cubile tuum, & illuc ascendisti, vt immolares hostias. Et post ostium, & retro postem posuisti [h] memoriale tuum: quia † palàm à me defecisti, & ascendisti: dilatasti cubile tuum, & pepigisti cum eis fœdus. Dilexisti stratum eorum † in loco, quencunque vidisti, & [i] misisti regi vnguenta, muliplicasti pigmenta tua. Misisti legatos tuos procul: [k] & humiliata es vsq; ad inferos. In multitudine viæ tuæ laborasti: nec dixisti, Quiescam. [l] Vitam manus tuæ inuenisti, propterea non † doluisti. Pro quo solicita timuisti, [m] quia mentita es, & mei non es recorda- C ta, neque cogitasti in corde tuo: quia ego tacens, sicut & à seculo, & me non times. Ego [n] annuntiabo iustitiam tuam, & opera tua non proderunt tibi. Cum clamaueris, liberent te [o] congregati tui, & omnes eos auferet ventus, tollet aura. Qui autem fiduciam habet mei, hæreditabit terram, & possidebit montem sanctum meum. Et dicam. Viam facite, præbete iter repurgate viam, auferte offendicula de via populi mei. Quia hæc dicit excelsus, & sublimis habitans æternitatem: & sanctum nomen eius, in excelso & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu, vt viuificet spiritum humilium, vt viuificet cor contritorum. [p] Nō D enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar: quia spiritus à facie mea † egressus est, & flatus ego feci. Propter iniquitatem auaritiæ eius iratus sum, & percussi eum: abscondi, & indignatus sum: & abijt † auersus in via cordis sui. Vias eius vidi, & sanaui eum, & reduxi eum, & reddidi consolationes ipsi, & lugentibus eius. [q] Creaui fructum labiorum pacem, pacem ei qui longè est, & qui propè, dixit Dominus, & sanaui eum. Impij autem quasi mare feruens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus Supr. 48.d eius in † algam & lutum. Non est pax impijs, dicit Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Colliguntur.] *De medio tolluntur. Vtitur scriptura hoc verbo colligere pro mori, & congregari ad patres defunctos: continuatur autem hic sensus superiori: quòd scilicet, dum impij regnant, & voluptatibus operam dant, interim probi periclitantur, vel tolluntur pij, ne sentiant futuram vltionem: & hoc tamen non attenditur.* [b] A facie enim malitiæ.] *Non est, qui intelligat, quòd propter imminens malum ad patres suos collectus sit iustus. Quanquam illud à facie malitiæ, quidam interpretantur, ob malos, & ob factionem pessimorum.* [c] Veniat pax.] *Moritur (inquit) pius ante quàm horribiles Dei incidant vltiones: sicut & Ezechias rex dicebat, cum audisset futuram desolationem Ierusalem, fiat pax in diebus meis. Vel, sic. Qui ambulat coràm ipso Deo, ille in morte venit ad pacem.* [d] Super quem lusistis.] *Vel, super quo oblectastis vos ipsos. Oblectationem dicit impijs fuisse, quando contra prophetas Domini, qui scelera eorum redarguebant, latrabant, & summo contemptui habebant.* [e] Nunquid nō.] *Tanquam dicat, contra vosmetipsos virulentam linguam vestram exercere debueratis, cum sitis filij sceleśti, & semen mendax, hoc est, degeneres.* [f] Qui consolamini in dijs.] *Vel, turpiter incaluistis fœdo amore deorum. Enarrat autem, qualia suo ævo in populo suo fuerint scelera: sub omni ligno frondoso thura idolis incendebant, proprios filios Moloch immolabant, politos lapides ex vallibus eruebant, & in deos consecrabant, atque dicebant, tu es pars mea, atque sors mea, contra illud, quod psaltes dicebat, Portio mea Deus in terra viuentium. Porrò stratum, & lectum, in quo fornicabantur, vocat altaria, in quibus dijs sacrificabant, vt perstet in metaphora fornications.* [g] Nunquid super his.] *Quando illos elegisti in sortem tibi, ad hæc potero conniuere?* [h] Memoriale tuum.] *Ego (inquit) iussi legem meam figi in postibus domus tuæ, sed tu loco eius affixisti memoriale deorum tuorum, ne ingrediens, vel egrediens, illorum obliuiscereris.* [i] Misisti regi vnguenta.] *Regi nimirum Ægyptio, vel Assyrio. Iudæa autem dicitur terra olei, et mellis. Imperatur & apud Oseam, quòd oleum in Ægyptum ferrent. Quæritur ergo, quòd se derelicto ambierit fauorem gentilium regum, & in hos fiduciam suam posuerit magis, quàm in Deum, mittens eis balsamum, mel, & alia preciosa pigmenta.*
[k] Et humiliata es.] *Propter hoc scilicet, quòd relicto Domino confugeris ad auxilium hominis regis.* [l] Vitam manus tuæ.] *Hoc est, assecuta es quod voluisti.* [m] Quia mentita es.] *Negans scilicet te hæc facere. Alius sic interpretatur. Et quem solicitata timuisti? quasi dicat, me nec? non: quia mentita es, nec mei ex recordata. Vel, sic, Cum me non timueris, sed studijs*

Studys tuis mentitæ mihi sis, quem poteris vltrà timere? n Annuntiabo iustitiam tuam.] *Palam faciam quam sis iusta.* o Congregati tui.] *Gentes scilicet, quas inuitaueras ad ferendum auxilium.* p Non enim in sempiternum litigabo.] *Non enim odi creaturas, cum omnes animas ego fecerim, & si quando iratus sum, id feci propter iniquitatem auaritiæ, hoc, est concupiscentiæ eius.* q Creaui fructum labiorum pacem.] *Hoc est, materiam eis dedi gratiarum agendarum, nempe pacem.*

CAPVT LVIII.

CLama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum, & domui, A
Iacob peccata eorum. a Me etenim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt: quasi gens,
quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit. Rogant me iudicia iustitiæ, & appro-
pinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aspexisti: humiliauimus animas nostras, & nescisti? Ecce,
in die ieiunij vestri b inuenitur † studium propriæ voluntatis, & omnes debitores vestros repetitis. Ecce, ad
lites, & ad contentiones ieiunatis, c & percutitis pugno impio. Nolite ieiunare sicut vsque ad hanc diem, vt B
Zac. 7.b audiatur in excelso clamor vester. Nunquid tale est ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem ani-
mam suam? nunquid contorquere quasi † scirpum caput suum, & saccum & cinerē sternere? nunquid istud
vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod elegi? Dissolue
colligationes impietatis, d solue fasciculos deprimentes, dimitte eos, qui confracti sunt, liberos, & omne
Eze. 18.b onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam. Cum videris C
Mat. 25.c nudum, operi eum, & carnem tuam ne despexeris. Tunc erumpet quasi manè lumen tuum, & sanitas tua
citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Domi-
nus exaudiet te: clamabis, & dicet, Ecce adsum. Si abstuleris de medio tui † iugum, & desieris e extendere di-
gitum, & loqui quod non prodest, cum effuderis esurienti animam tuam: & animam afflictam repleueris:
orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem tibi dabit Dominus semper, & D
implebit f † in siccitate animam tuam, & ossa tua liberabit. Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aqua-
rum, cuius non deficient aquæ, Et ædificabuntur † per te g deserta sæculorum: fundamenta generationis, &
& generationis suscitabis: & vocaberis Ædificator † ruinarum, conuertens semitas, vt ambulari possit in eis.
h Si auerteris † in sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris i sabbatum
delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & † glorificabis eum dum non facis vias tuas, & non inuenietur
voluntas tua, vt k loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines ter-
ræ, & cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum est.

SCHOLIA.

a Me etenim de die in diem quærunt.] *Non, vt faciant voluntatem meam, cum corde me non quærant, nec syncerè præcepta mea custodiant, & tamen gloriantur perinde ac si iustitiam, & iudicium fecerint, & audent mecum expostulare, quòd opera eorum bona non aduerterim, quæ non faciunt propter me, sed inuenitur in eis voluntas eorum.* b Inuenitur studium propriæ voluntatis.] *Conueniebant enim in diebus ieiuniorum, & quicunque inueniebat debitorem suum, exigebat ab eo debitum, & violenter extorquebat.* c Et percutitis pugno impio.] *Non temperabant sibi etiam à pugnis in diebus ieiuniorum, vt clamor oppressorum in excelso audiretur, impiè agentes sub illa hypocrisi, qui capite inclinato incedebāt, saccum corpori inyciebant, & cinere caput aspergebant.* d Solue fasciculos deprimentes.] *Idem est, quod soluere colligationes, seu conspirationes impias. Quid enim grauius est in ciuitate, quàm impiæ sectæ, & fasciculi impiorum omnibus iustis onerosi?* e Extendere digitum.] *Scilicet ad rem alienam. Alius intelligit, practicas hic notari in creandis magistratibus, quòd manuum vel digitorum extensione, olim suffragia populus daret.* f In siccitate.] *Alys siccitate, atque inopia pereuntibus.* g Deserta sæculorum.] *Hoc est, quæ multis sæculis deserta fuerant, ea ædificabis, & generationes aliquas perituras suscitabis, tactis fundamentis pacis ac iustitiæ.* h Si auerteris sabbato pedem tuum.] *Hoc est, reliqueris studium vtilitatis propriæ, & reliquas prauas cupiditates tuas.* i Sabbatum delicatum.] *Hoc est, Deo acceptum.* k Loquaris sermonem.] *Scilicet in perniciem alterius.*

CAPVT LIX.

ECce, non est abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neque aggrauata est auris eius, vt nō exau A
diat: sed iniquitates vestræ diuiserūt inter vos & Deum vestrum, & peccata vestra absconderunt faciē
eius à vobis ne exaudiret. Manus enim vestræ pollutæ sunt sanguine, & digiti vestri iniquitate: labia
Nume. 11.e vestra locuta sunt mendacium, & lingua vestra iniquitatem fatur. Non est, qui inuocet iustitiam, neque est,
Supra 50.a qui iudicet verè: sed cōfidunt in nihili, & loquuntur vanitates. Conceperunt laborem, & pepererunt iniqui-
Supra. 1.d tatem. a Oua aspidum ruperunt, & telas aranearum texuerūt. Qui comederit de ouis eorum, morietur: & quod
Iob 15.4 confortum est, erumpet in regulum. Telæ eorum non erunt in vestimentum, neque operientur operibus
suis: opera eorum opera inutilia, & opus iniquitatis in manibus eorum. Pedes eorum ad malum currunt,
Prouer. 1.b & festinant, vt effundant sanguinem innocentem. Cogitationes eorum cogitationes inutiles: vastitas & con- B
Roma. 3.c tritio in vijs eorum. Viam pacis nescierunt, & non est iudicium in gressibus eorum. b Semitæ eorum incur-
uatæ sunt eis: omnis, qui calcat in eis, ignorat pacem. Propter hoc elongatum est iudicium à nobis, & non
apprehendet nos iustitia. Expectauimus lucem, & ecce tenebræ: splendorem, & in tenebris ambulauimus.
Palpauimus sicut cæci parietem, & quasi absque oculis attrectauimus. Impegimus meridie quasi in tenebris.
In caliginosis quasi mortui. Rugiemus quasi vrsi omnes, & quasi columbæ meditantes gememus. Expecta-
uimus iudicium, & non est: salutem, & elongata est à nobis. Multiplicatæ sunt enim iniquitates nostræ co-
ràm te, & peccata nostra responderunt nobis: quia scelera nostra nobiscum, & iniquitates nostras cognoui-
mus, peccare & mentiri contra Dominum: & auersi sumus ne iremus post † Deum nostrum, vt loqueremur C
calumniam & transgressionem. Concepimus, & locuti sumus de corde verba mendacij, & conuersum est
retrorsum

retrorsum iudicium, & iustitia longè stetit: quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi. Et
facta est veritas in obliuionem: c & qui recessit à malo, prædæ patuit. Et vidit Dominus, & malum appa-
ruit in oculis eius, quia non est iudicium. Et vidit quòd non est vir: & † admiratus est quia non est qui † in-
tercedat. d Et saluauit sibi brachium suum, & iustitia eius ipse confirmauit eum. Indutus est iustitia, vt lori- Ephe. 6.c
ca, & galea salutis in capite eius. Indutus est vestimentis vltionis, & opertus est quasi pallio zeli. Sicut ad vin- 1. The. 5.b
D dictam quasi ad retributionem indignationis hostibus suis, & vicissitudinem inimicis suis: e Insulis vicē red- Rom. 11.d
det. Et timebunt, qui ab occidente, nomen Domini: &, qui ab ortu solis, gloriam eius: cum venerit quasi flu-
uius † hostis, f quem spiritus Domini cogit, & † veniet Sion redemptor, & eis, qui redeunt ab iniquitate in
Iacob, dicit Dominus. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & verba mea,
quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis, seminis tui, dicit Domi
nus, à modo & vsque in sempiternum.

SCHOLIA.

a Oua aspidum ruperunt.] *Ruperunt, hoc est, pullos exclusserunt, nam reguli excidentes oua rostro paulatim duritiem detunsum, donec pulli exeant, vt sit sensus. Similes estis ouis aspidum, his enim fractis, non aliud prodit quàm aspis, sic cum vos serpentes situs, cogitationes vestræ, & opera vestra serpentina sunt, & plena toxico. Sed & vniuersi labores vestri similesunt telis, & texturæ aranearum, quæ ad nullum vsum vtiles sunt, cum ex illis nullum fieri possit vestimentum.* b Semitæ eorū.] *Semitas suas in propriam perniciem inæquales fecerunt.* c Et qui recessit à malo, prædæ patuit.] *Alius sic vertit. Et abijt propter malitiam, tanquam spoliata miserè.* d Et saluabit sibi brachium suum.] *Per filium iustitiam seruauit in mundo, de peccato condemnans peccatum.* e Insulis.] *Sunt qui per insulas accipiant ciuitates terræ Iudææ, quòd inter maria sita sit, atque hic describi ac prædici eorum perditionem.* f Quem spiritus.] *Tanquam, signo dato.*

CAPVT LX.

A SVrge, illuminare † quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. b Quia ecce tenebræ
operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et
ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide:
Supr. 49.e omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ c † ad latus educabuntur. Tūc
videbis & affluues, & mirabitur & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te d multitudo maris, forti
tudo gentium venerit tibi. † Abundantia camelorum operiet te, dromedarij Madiam & Epha: omnes de
Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes, Omne pecus Cedar cōgregabitur
B tibi, arietes Nabaioth ministrabunt tibi: offerētur super placabili altari meo, & domum maiestatis meę glo-
rificabo. Qui sunt isti, e qui, vt nubes volant, & quasi colūbæ ad fenestras suas? Me enim Insulæ expectabunt,
f & naues maris † sicut in principio, vt adducam filios tuos de longe. Argentum eorum, & aurum eorū cum
eis nomini Dñi Dei tui, & sancto Israel, quia glorificauit te. Et ædificabunt filij peregrinorum g muros tuos,
& reges eorū ministrabunt tibi. In indignatione enim mea percussi te, & in reconciliatione mea misertus
sum tui. Et h aperientur portæ tuæ iugiter: die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentiū, & Apo. 21.g
reges earū adducantur. Gens enim & regnum, quod non seruierit tibi, peribit: & gentes solitudine vastabun-
C tur. Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus simul, ad ornandum locum sanctificationis meæ, &
locum pedum meorū glorificabo. Et venient ad te curui filij eorū, qui humiliauerunt te, & adorabunt vesti-
gia pedū tuorum omnes, qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Dñi, Sion sancti Israel. Pro eo q fu
isti derelicta & odio habita, & non erat qui per te transiret, ponam te in † exaltationem sæculorum, gaudium
in generationē & generationē, & i suges lac gentiū, & māmilla regum lactaberis: & scies q ego Dñs saluans
te, & redemptor tuus fortis Iacob. Pro ære afferā aurū, & pro ferro afferam argentū: & pro lignis æs, & pro Apoc. 21.g
lapidibus ferrum. Et ponā † præfecturā tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam. Nō audietur vltrà iniqui- & 22. a
D tas in terra tua, vastitas & contritio in terminis tuis, & † vocabis salutē muros tuos, & portas tuas laudationē.
Non erit tibi amplius k sol ad lucendū per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dñs in lucem
sempiternā, & Deus tuus in gloriam tuā. Non occidet vltra sol tuus, & luna tua non minuetur: quia erit tibi
Dñs in lucem sempiternam, & complebuntur dies luctus tui. Populus autem tuus l omnes iusti in perpetuū
hæreditabunt terram, germen plantationis meæ opus manus meæ ad glorificandum. m Minimus erit in mil
le, & paruulus in gentem fortissimam. Ego Dominus n in tempore eius subitò faciam istud.

SCHOLIA.

a Surge.] *Omnia verba huius capitis diriguntur ad Ierusalem per quam ecclesia Christi significatur. Intelligitur autem per lumen, Euangelium ipsum, quod per verbi ministerium asserit propheta subitò ad gentes propagandū. Surge, inquit, quæ hactenus iacuisti in tenebris peccatorum, vt illumineris, quia venit lumen tuum, et gloria Domini tibi oblata est, sed & gentes venient ad lumen tuum, quod significat Mosen omnino abrogandum.* b Quia ecce tenebræ operient terram.] *Omnes, quicunque siue ex Iudæis siue ex gentibus, in sua infidelitate obduruerint, tenebræ vndiq; cooperient, apud te vna erit lux, vt cum tenebræ Aegyptum omnem occupauissent, apud solos Israelitas fuit lux.* c Ad latus educabūtur.] *Hoc est, iuxta te, sicut cum nutrices paruulos applicitos lateribus fouent, ac gestant, sic hi afferentur multa patientia doctorum.* d Multitudo maris.] *Multitudinem maris vocat multitudinem populorum occidentalium, ac maritimorum: mare enim Hebræi mediterraneum mare vocant, & occidentem, in cuius litoribus multi populi sunt. Irrumpit enim ab occasu, & ad sinistram habet Hispaniam, Galliam, Italiam, Græciam, Macedoniam, Asiam, Ciliciam: ad dexteram verò, Mauritaniam, Aphricam, Cyrenaicam, Aegyptum vsque ad Palæstinam, & in medio multas Insulas, Cyprum, Cretam, Rhodum, & alias, & propheta exponens seipsum dicit, fortitudo gentium venerit tibi. Vel, simpliciter. Quando multitudo hominum quasi mare sonans ad te confluxerit, & facultates suas apportauerit ad iuuandam ecclesiam, dilatabitur cor tuū, &c. Sabaite portabunt aurū & thus, & habitatores Cedar, & Nabaioth pecora, atq; quælibet regiones mittent ad te de facultatibus suis,*

suis, vt offerant Christo in pauperibus eius. Arabiam triplicem posuit, desertam, petreiam, & felicem, quæ per Madian & Epha intelliguntur, Saba nepos Abrahæ ex Sara, filius Iecsan, similiter & Madiam filius Abrahæ ex Cethura, qui Madian Epho genuit, & ex primogenitis Ismaelis nepotes Abrahæ eodem loco recensentur Cedar, & Nabaioth, vt vbique nobis promissio Abrahæ facta inculcetur. Hi autem filij, et nepotes Abrahæ, alij alias in oriente sortiti sunt regiones. Iosephus tribuit Madiam & Ephæ Troglodyticem regionem & Arabiam felicem. Per Saba & Madiam dexteram orientis partem accipe: per Cedar, et Nabaioth sinistram, vt sunt Damasceni, Armenij, Assyrij. [c] Qui, vt nubes volant.] *Comparat apostolos nubibus, propter fructus, & efficaciam verbi: comparat & columbis, propter velocem cursum, maxime cum senescunt, hoc est, nidos suos repetunt: auis enim est singularis erga pullos affectionis, quo charitas quoque commendatur.* [f] Et naues maris sicut in principio.] *Hoc est, tempore Salomonis.* [g] Muros tuos.] *Hi muri ecclesiæ sunt boni & fideles pastores, qui ecclesiam Christi muniunt verbo Dei.* [h] Aperientur portæ tuæ iugiter.] *Significat ecclesiam Christi in summa esse securitate quantum attinet ad spiritum, sunt etiam portæ eius apertè, vt gentibus passim pateat introitus: & omnes gentes, ac regna, quæ hanc ecclesiam persequuntur, & ei non seruiunt, peribunt.* [i] Suges lac gentium.] *Alent (inquit) gentes, et reges ecclesiam omnibus, quibus possunt, officijs defendent, & iuuabunt fideles.* [k] Sol ad lucendum.] *Christum (inquit) in spirituali viuunt regno, ideo alio quàm hoc corporali egent sole, qui scilicet radios suos in cor transfundat, & hoc est Christus, & verbum eius, quo illuminantur corda per fidem.* [l] Omnes iusti.] [illegible] [m] Minimus erit.] *Contractum enim fuit initium ecclesiæ, sed creuit in multa millia.* [n] In tempore.] *Suo (inquit) tempore fient, Esaias enim non minus sexcentis annis ante christum Vaticinatus est.*

CAPVT LXI.

SPiritus Dñi Dei super me,[a] eò q̃ vnxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, vt mede A
rer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiã, & clausis apertionem: vt prædicarem annũ pla-
Luc. 4.c cabilem Dño, & diem vltionis Deo nostro, vt cõsolarer omnes lugentes, vt ponerem lugentibus Sion,
& darem eis coronã pro cinere, oleũ gaudij pro luctu, palliũ laudis pro spiritu mœroris. Et vocabuntur in ea
[b] fortes iustitię, plantatio Domini ad glorificandũ. Et ædificabunt deserta à sęculo, & ruinas antiquas erigẽt, B
& instaurabũt ciuitates desertas, dissipatas in generationẽ & generationẽ. [c] Et stabunt alieni, & pascent pecora
vestra: & filij peregrinorũ, agricolę & vinitores vestri erunt. Vos autẽ sacerdotes Domini vocabimini Ministri Dei nostri: dicetur vobis, Fortitudinẽ gentium comedetis, & in gloria eorũ superbietis. Pro confusione
vestra † duplicia, & pro rubore laudabũt partem suam: propter hoc in terra sua duplicia possidebunt, lætitia C
sempiterna erit eis: quia ego Dominus diligẽs iudicium, odio habẽs [d] rapinam in holocausto. [e] Et dabo opus
eorum in veritate, & fœdus perpetuum feriam eis. Et scietur in gentibus semen eorũ, & germen eorũ in medio populorũ. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, q̃ isti sunt semen cui benedixit Dominus. Gaudens
gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo. Quia induit me vestimentis salutis: & indumento D
iustitiæ circundedit me, quasi sponsum decoratum corona, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Sicut
enim terra profert germen suum, & sicut hortus semen suum germinat: sic Dominus Deus germinabit iustitiam, & laudem coràm vniuersis gentibus.

SCHOLIA.

[a] Eò quòd vnxerit me.] *Vel, & ob id vnxit me Dominus, explicat hic propheta, quis sit Christus, & quæ sint officia eius. Christus (inquit) spiritu Dei est missus à Deo patre constitutus rex & sacerdos, missus quidem non in externa gloria, sed in humilitate, vt pauperibus, & mansuetis prædicaret verbum Dei, mederetur contritis corde, liberaret eos, qui capti erant peccatis, & vinctis sub legis cerimonijs promulgaret apertionem carceris, prædicaret annum & tempus gratuitum, consolaretur lugentes sicb præsuris mundi. Locum hunc reperies à Luca euangelista citatum de Christo cap. 4.* [b] Fortes iustitiæ.] *Vel, Arbores iustitiæ. Sunt christiani quasi arbores & plantæ, quas Dominus, vt fructum ferrent, posuit in ecclesia, tanquã in horto voluptatis, vt homines inde glorificarent patrem, qui est in cœlis. Sunt & reparatores collapsi orbis, instaurantes ruinas eius, quæ tam in Iudæis, quàm in gentibus à generatione in generationem contigerunt.* [c] Stabunt alieni & pascent pecora vestra.] *Etiam gentes (inquit) assumentur in ecclesia ad docendum. Et vos tanquam sacerdotes mactabitis eas, & per verbum Euangelij conuertetis ad Christum, & comedetis fortitudinem earum, hoc est, fruemini bonis earum, scilicet potentia, opibus, eloquentia, ac similibus. Et ita pro cõfusione vestra, quam aliquando ab eis sustinuistis, recipietis duplicia, videlicet gaudium in spiritu, & exteriorem bonorum subuentionem, sicut & pro illata ignominia exultabitis de portione eorum. Quod ergo ait, laudabunt partem suam, hoc est, quam ego dabo illis.* [d] Rapinam in holocausto.] *Vel, raptorem, odi (inquit) omnem iniuriam exhibitam proximo, etiam si de ea mihi holocaustum fiat, Alius autem illa verba, quia ego Dominus, &c. sic interpretatur. Quæ enim esset iustitia, si populum se suaq; offerentem, perire sinerem? cum in alijs ego iniquitatem oderim.*
[e] Et dabo opus eorum in veritate.] *Fidelis ero in retribuenda mercede operis eorum.*

CAPVT LXII.

PRopter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur, vt splendor iustus A
eius, & saluator eius, vt lampas accendatur. Et videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum
tuum: & vocabitur tibi nomen nouum: quod os Domini nominabit. Et eris corona gloriæ in manu
Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Non vocaberis vltra, Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius, Desolata: sed [b] vocaberis Voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te: & B
terra tua inhabitabitur. † Sicut habitat iuuenis cum virgine, habitabunt in te filij tui. Et † sicut gaudet sponsus super sponsam, gaudebit super te Deus tuus. Super muros tuos Ierusalem [c] constitui custodes: tota die &
tota nocte perpetuò non tacebunt. Qui reminiscimini Domini, ne taceatis, & ne detis silentium ei, donec C
stabiliat, & donec ponat Ierusalem laudem in terra. Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ, [d] Si dedero triticum tuum vltrà cibum inimicis tuis: & si biberint filij alieni vinum tuum in quo laborasti.

laborasti. Quia, qui congregabunt illud comedent, & laudabunt Dominum: & qui comportant illud bibent in atrijs sanctis meis. Transite, [e] transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, † colligite ex
D ea lapides, & eleuate signum ad populos. Ecce Dominus auditũ fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion, Ecce Matt. 21.a
saluator tuus venit, ecce [f] merces eius cum eo, & opus eius coràm illo. Et vocabunt eos Populus sanctus, re- Zach. 9.b
dempti à Domino. Tu autem vocaberis, Quæsita ciuitas, & non, Derelicta.

SCHOLIA.

[a] Propter Sion non tacebo.] *Chorus prophetarum loquitur, licet impy persequantur me, & verbum Domini, & multi sint qui illud vel condemnent, vel negligant, propter pios tamen non quiescam, nec tacebo, donec venerit Christus, qui iustitiam & salutem afferet populo suo, neque solum populo suo, verum & gentibus, quæ æquè hanc Christi iustitiam sunt participaturæ, & gratiam eius percepturæ. Et ex vtroque populo fiet populus vnus, quem Dominus nouo nomine appellabit, non secundum carnem filios Abrahæ, aut populum Israel, sed populum & filios Dei, consurgetq; in regnum nouum non externum sub rege aliquo huius sæculi, sed regnum erit spirituale in manu Domini. Et foris quidem subiacebit afflictionibus, & persecutionibus, intus autem erit in summa pace, secundum illud. In mũdo habebitis pressuras, in me autem pacem. Vnde quæ hic scribuntur quòd non derelinquetur, nec vocabitur desolata, omnia in spiritu sunt intelligẽda.* [b] Vocaberis voluntas mea in ea.] *Non sufficit (inquit) vocari nomine aliquo, nisi & re ipsa sis id quòd appellaris. Si filius Dei vocaris, cura vt & voluntatem eius facias. Et quod ait. Inhabitata. Hebraismus habet, maritata, et similiter quod sequitur. Inhabitabitur, marito copulabitur. Idem Hebraismus est in sequenti versu.* [c] Constitui custodes.] *Hi sunt boni pastores, qui nunquam tacere debent, sed semper prædicare Christum, et eius beneficia. Et sicut Christus ad Petrum ter dixit, pasce oues meas, sic quoque propheta iste ter replicat non taceatis, non sit vobis silentium, &c.* [d] Si dedero triticum.] *Per triticum, & vinum intelligitur fructus verbi, & donum fidei, quod soli pij percipiunt.* [e] Transite per portas.] *Hoc est, de porta ad portam, portæ (inquit) sunt apertæ, ecclesia docet verbum remissionis peccatorum: transite, & amplectimini verbum, & complanate viam, auferte lapides ex ea, hoc est, tollite scãdala, & retinete verbum purum.* [f] Merces eius.] *Hoc est, electi, et opus eius, hoc est, merces operis.*

CAPVT LXIII.

AQuis est iste [a] qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra: iste formosus in stola sua, gradiens in multitudine fortitudinis suæ? Ego, qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum. Quare ergo rubrum est indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari? Torcular cal- Apoc. 19.c
caui solus, & de gentibus non est vir mecum: calcaui eos in furore meo, & conculcaui eos in ira
mea: & aspersus est sanguis eorum super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinaui. Dies enim
vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit. Circumspexi, & non erat auxiliator: quæsiui, & non
B fuit qui adiuuaret. Et saluauit mihi brachium meum, & indignatio mea, ipsa auxiliata est mihi. Et conculcaui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatione mea, & detraxi in terram virtutem eorum. [b] Misericordiarum Domini recordabor, laudẽ Domini super omnibus quę reddidit nobis Dominus, & super multitudinem bonorum domui Israel, quę largitus est eis secundum indulgentiam suam, & secundum multitudinem misericordiarum suarum. Et dixit, Veruntamen populus meus est filij non † mentientes: & factus est
eis saluator. In omni tribulatione eorum † ipse est tribulatus, & angelus faciei eius saluauit eos: in dilectione
C sua, & in indulgentia sua ipse redemit eos, & portauit eos, & tulit eos cunctis diebus sæculi. Ipsi autem ad iracundiam prouocauerunt, [c] & afflixerunt spiritum † sancti eius: & conuersus est eis in inimicum, & ipse debellauit eos, Et [d] recordatus est dierum sæculi Moysi populi sui: Vbi est qui eduxit eos de mari cum pastoribus gregis sui? vbi est qui posuit in medio eius spiritum sancti sui? [e] Qui duxit ad dextram Moysen brachio
maiestatis suæ: qui scidit aquas ante eos, vt faceret sibi nomen sempiternum: qui eduxit eos per abyssos, quasi
equum in deserto non impingentem. Quasi animal in campũ descendens, † & spiritus Domini ductor eius
D fuit: sic eduxisti populum tuum, vt faceres tibi nomen glorię. Attende de cœlo, & vide de habitaculo sancto Exo. 14.e
tuo, & glorię tuę. Vbi est zelus tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum tuorum, & miserationum tuarum?
[f] Super me continuerunt se. Tu enim pater noster, † quia [g] Abraham nescìuit nos, & Israel ignorauit nos: tu Deut. 26.d
Domine pater noster, & redemptor noster, à sæculo nomen tuum. [h] Quare errare nos fecisti Domine de vijs Baruc. 2.d
tuis: indurasti cor nostrum, ne timeremus te? Conuertere propter seruos tuos, tribus hereditatis tuæ. [i] Quasi
nihilum possederunt populus sanctus tuus: hostes nostri cõculcauerunt sanctificationem tuam. Facti sumus
quasi in principio, cum non dominareris nostri, neq; inuocaretur nomen tuum super nos.

SCHOLIA.

[a] Qui venit de Ædom.] *Erant ij, qui in Aedom agebant, & Bozra, quamuis ex Esau fratre Iacob descenderant, valde infensi Iudæis, sequentes nimirum patrem suum Esau, quamobrem & typum gerunt omnium persecutorum verbi. Sunt autem Aedom rubedinem. Rubicunda autem fuit synagoga, hic per Aedom significata, quòd sanguine Christi, & prophetarum se polluit. Vocatur & Bozra, quòd vindemiam significat, ob depopulationem, quæ populo illi ob Christi necem accidit, sicut & paulo post mentio fit torcularis. Respondetur autem ad quæstionem. Quis est iste, &c. Introducit enim ex Aedom venientem rubricatis vestibus, & cruentis, graduque virili, & heroico incedentem, cum ergo interrogetur, quis sit iste, cur tam honoratus, sedens ad dexteram patris, vt nullus sit locus, vbi non exerat vim suam: ego (inquit) sum qui loquor in iustitia, & copiosè apud me est salus. Et, si iterum quæras, cur igitur est rubicundum vestimentum tuum? respondet, solus calcaui torcular, et in furore meo conculcaui eos, vt etiam sanguis eorum aspergerit vestes meas. Ipsi facti sunt Aedom & rubicundi ex sanguine meo & meorum: & cum venisset dies vltionis meæ, ego quoque pœnas sumpsi de eis: & quod ait de gentibus neminem secum esse, intellige ipsum solum potuisse facere redemptionem, sic & illud, Circumspexi & non erat auxiliator, significat, necessarium fuisse, vt ipse aggrederetur prouinciam, cum non inueniretur, qui id posset. Illud autem. Quæsiui in Heb. est. Admiratus sum, quod non esset, qui sustentaret. Et cum addit se conculcasse populos, accipe non solum*

homines

homines quicunque aduersarentur veritati, verum etiam contrarias potestates, & angelos Satanæ. [b] Miserationum Domini recordabor.] *Refert se propheta ad preces de more, atque ad gratiarum actiones, & redit in memoriam superiorum misericordiarum Dei, vt nunc in eadem miseratione saluet Israel.* [c] Et affixerunt spiritum sancti eius.] *Hoc est, sanctitatis.* [d] Et recordatus est.] *Ambiguum est, an ad Deum, an ad Israelem referatur. Sed videtur aptum vt dicatur, Israelem recordatum, quæ Deus fecerit in gratiam Mosis & populi sui, & dixerit. Vbi est, qui eduxit eos, &c. & quod ait, Vbi est, qui posuit in medio eius spiritum sanctitatis suæ, intelligit prophetiam.* [e] Qui eduxit ad dexteram.] *Vel, per dexteram, hoc est, per virgam, quam Moses dextera manu tenebat.* [f] Super me continuerunt se.] *Apud te continuisti misericordias tuas, ne venirent super me.* [g] Abraham nescivit nos.] *Pater quidem carnis nostræ Abraham est, sed tu verus perfectusq; pater es, ad quem nobis confugiendum est in tempore afflictionis: nam hominis auxilium nihil est.*
[h] Quare errare nos fecisti?] *Obseruandus est & hic Hebraismus, cuius alijs locis meminimus, vt sic intelligamus, quare passus es, vt erraremus, & indureretur cor nostrum?* [i] Quasi nihilum possederunt.] *Aly verterunt, Ad modicum tempus in possessione fuerunt populus tuæ sanctitatis. Nam post reditum è Babylone, non fuerũt in terra sua Iudei multò pluribus quàm quadringentis annis, & pauci ex reliquis tribubus redierunt.*

CAPVT LXIIII.

1.Cor.2.b

V[a]Tinam dirumperes cœlos, & descenderes: à facie tua montes defluerent, [b] sicut exustio ignis tabescerent, aquæ arderent igni, vt notum fieret nomen tuum inimicis tuis: à facie tua gentes turbarentur. Cum faceres mirabilia [c] non † expectabamus. Descendisti, & a facie tua montes defluxerunt. A sæculo non audierunt, neq; auribus perceperunt. [d] Oculus non vidit Deus absq; te, quę præparasti expectantibus te. [e] Occurristi lætanti, & facienti iustitiam: in vijs tuis recordabũtur tui. [f] Ecce, tu iratus es, peccaueramus enim, in ipsis fuimus semper, & saluabamur. Et facti sumus vt immundus omnes nos, & quasi pannus menstruatæ vniuersæ iustitiæ nostræ: Et cecidimus quasi foliũ vniuersi, & iniquitates nostræ quasi ventus abstulerunt nos. Non est qui inuocet nomen tuum: [g] qui consurgat vt teneat te. Abscondisti faciem tuã
Psal.78.b à nobis, & allisisti nos [h] in manu iniquitatis nostrę. Et nunc Domine, pater noster es tu, nos verò lutum, & fictor noster tu, & opera manuum tuarũ omnes nos. Ne irascaris Domine † plus, & ne vltra memineris iniquitatis: ecce, respice, populus tuus omnes nos. † Ciuitates sanctitatis tuæ factæ sunt desertę, Sion deserta facta est, Ierusalem desolata est. [i] Domus sanctificationis nostræ, & gloriæ nostræ, vbi laudauerunt te patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desyderabilia nostra versa sunt in ruinas. Nunquid super his cõtinebis te Domine, tacebis & affliges nos vehementer?

SCHOLIA.

[a] Vtinam dirumperes cœlos.] *Sicut olim cum descendisti in montem Sina, cum visi sunt, defluere montes ob ignem, cum descendit Dominus in nube & igne. Hebræi continuant hæc verba cum superiore capite, et sic legunt. Num etiam rupisti cœlos, & descendisti, atque à facie tua montes defluxerũt? hoc est, Num etiam propter eos rupisti cœlos, sicut propter nos, quando descendisti in montem Sinai, & mons ipse propter ignem, & densam nubem defluere videbatur?* [b] Sicut exustio ignis.] *Ignis (inquit) cum in monte Sinai ita arderet, vt quicquid in illud fuisset proiectum, subitò liquefactum fuisset, & præterea densa nubes, quæ montem tegebat, vi caloris in aquam resolueretur, apparuisti ibi mirabilis Deus, quòd aqua ignem non extinxit, nec ignis aquam absumpsit, sed tantum in bullas excitauit.* [c] Non expectabamus.] *Cum mirabilia multa faceres, fecisti ea præter omnem expectationem nostram: nos enim nunquam expectauissemus, quòd tu descenderes è cœlo, etc.*
[d] Oculus non vidit.] *Aly sic verterunt. Oculus non vidit Deum alium præter te, qui sic faciat expectanti se.* [e] Occurristi.] *Hoc est, Placatus es precibus lætantis in te, & facientis iustitiam, nam tales recordabantur tui, in omnibus vijs tuis, & dispensatione iudiciorum tuorum erga nos.* [f] Ecce tu iratus es.] *Quando (inquit) iusti fuerunt in mũdo, & tu peccatis nostris, in quibus semper fuimus, ad iracundiam prouocabaris, per illos à diebus sæculi saluabamur. Sic enim Moses te iratum sæpe suis precibus placauit. Nunc verò quãdo iusti sunt sublati, nos omnes sumus immundi, & iustitiæ nostræ sunt quasi pannus deturpatus. Illud autem. In ipsis fuimus &c. Potest verti, propter ipsos, hoc est, iustos à sæculo saluabamur, nam horum iustorum meminerat, cum ait. Occurristi lætanti & facienti iustitiam.* [g] Qui consurgat.] *Hoc est, erigere possit se, vt apprehendat te.* [h] In manu iniquitatis nostræ.] *Hoc est, propter iniquitates nostras.* [i] Domus sanctificationis nostræ.] *Nempe templum. Et vide vt futuram calamitatem lugeat, quasi iam facta sit.*

CAPVT LXV.

Rom.10.d

Q[a]Væsierunt me qui antè non interrogabant, inuenerunt qui non quæsierunt me. Dixi, Ecce ego ecce ego, ad gentem quæ non inuocabat nomen meum. Expãdi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas. Populus qui ad iracundiam prouocat me † in faciem meam semper, qui, [b] immolant in hortis, & sacrificãt super lateres: qui habitant in sepulchris, & in delubris idolorum dormiunt: qui comedũt carnem suillam, & ius prophanum in vasis eorum. Qui dicunt, † [c] Accede ad te, non appropinques mihi, quia † sanctior te sum. Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die. [d] Ecce scriptum est coràm me: nõ tacebo, sed reddam & retribuã in sinu eorum: iniquitates vestras, & iniquitates patrum vestrorum simul, dicit Dominus: qui sacrificauerunt super montes, & super colles exprobrauerunt mihi, & [e] remetiar opus eorum primum in sinu eorum, Hæc dicit Dominus, Quo modo si inueniatur † mustum in botro, & dicatur, Ne dissipes illud, quoniã benedictio est: sic faciam propter seruos meos, vt non disperdam totum. Et educam de Iacob semen, & de Iuda possidẽtem montes meos: [g] & hæreditabunt eam electi mei, & serui mei habitabunt ibi. Et erunt campestria in caulas gregum, & [h] vallis Achor in cubile armentorum populo meo qui requisierunt me. Et vos qui dereliquistis
Prouer.1.c Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui [i] ponitis Fortunæ mensam, & libatis idolis, [k] numerabo vos in gladio & omnes in cædẽ corruetis: pro eo quòd vocaui, & non respondistis: locutus sum, & non audistis:
Iere.7.c

audistis: & faciebatis malum in oculis meis: &, quæ nolui, elegistis. Propter hoc hæc dicit Dominus Deus,
C Ecce, serui mei comedent, & vos esurietis. Ecce, serui mei bibent, & vos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & vos confundemini. Ecce, serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritus vlulabitis, & dimittetis [l] nomen vestrum in † execrationem electis meis. Et interficiet te Dominus Deus, & seruos suos vocabit nomine alio. [m] Qui benedictus † erit super terram, benedicetur in Deo † fideli. Et qui iurabit in terra, iurabit in Deo † fideli: quia obliuioni traditę sunt angustiæ priores, Apoc.21.a
& quia [n] absconditæ sunt ab oculis meis. Ecce enim ego creo [o] cœlos nouos, & terram nouam: & non erũt in memoria priora, & non ascendent super cor. Sed gaudebitis & exultabitis vsq; in sempiternum in his, quæ ego creo: quia ecce ego creo Ierusalem exultationem, & populum eius gaudium: & exultabo in Ierusalem, &
D gaudebo in populo meo: & non audietur in ea vltrà vox fletus & vox clamoris. Non erit ibi amplius [p] infans dierum, & senex qui non impleat dies suos: [q] quoniam † puer, filius centum annorum morietur, & peccator centum annorum maledictus erit. [r] Et ædificabunt domos, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & co- Psal.32.
medent fructum earum. Non ædificabunt, & alius habitabit: non plantabunt, & alius comedet: secundum enim dies † [s] ipsius arboris, erunt dies populi mei, & opera manuum eorum † [t] durabunt electis meis. Non laborabunt frustra, neque generabunt in conturbationem: quia semen benedictorum Domini est, & nepotes eorum cum eis. Eritq; antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus, ego audiam. Lupus Supra 11.a
& agnus pascentur simul, & leo & bos comedent paleas, [u] & serpenti puluis panis eius. Non nocebunt neq; occident in omni monte sancto meo, dixit Dominus.

SCHOLIA.

[a] Quæsierunt me qui ante non interrogabant.] *Respondet Deus prophetæ in commendationem gentium, & ait non se in culpa esse, quòd Iudæi reyciantur sed ipsos, qui nolunt recipere verbum eius: contrà verò se quæsitum ab eis, qui eum penitùs ignorarent. Nam ego (inquit) quotidie expandebam manus meas (quem locum & Paulus attigit) ad hunc populum, vt eum ad me adducerem, sed non vult mihi credere.* [b] Immolant in hortis.] *Non sequuntur (inquit) verbum meum, sed ambulant post cogitationes suas, eligentes opera, quæ ego non iussi. Ego iussi sacrificia fieri in templo: ipsi autem sacrificant in hortis, & in caminis, vbi lateres coquuntur, cum id fieri deberet in altari meo, ego iussi consulere prophetas, & ipsi consulunt mortuos in sepulchris, & dæmonia in desertis locis, ego iussi, vt mundi viuerent, sed ipsi polluunt se cibis immundis. Prophetas quoque, quos audire debuerant, arcebant à se, iudicantes se sanctiores illis. In delubris idololatriæ dormiunt. Mos erat ethnicis dormire in deorum templis, vt ab eis somnia acciperent.* [c] Accede ad te.] *Hoc est, cura te ipsum. Nõ appropinques mihi, vt scilicet me sanctiorem facias.* [d] Ecce scriptum est coràm me.] *Subaudi peccatũ eorum, ne illud vlla oblivione deleatur.* [e] Et remetiar opus eorum primum in sinu eorum.] *Similitudo ab ijs sumpta est, in quorum sinus dantur empta, vt, si multam pecuniam dederint, multa infundantur.* [f] Mustum in botro.] *Non passurus est Deus corrumpi reliquias, neque abyci, quemadmodum in die vindemiæ acini abyciuntur.* [g] Et hæreditabunt eam electi mei.] *Per eam intelligit Ierusalem, tanquam rem notã, figurate, vt, ipsa perẽda mihi est, iuno de pellice dixit.* [h] Et vallis Achor in cubile armentorum.] *Hoc est, loca, quæ prius erant maledicta, vt illa vallis. Pomeria (inquit) valde dilatatura est, Achor à septentrione est Iericho, eius mentio fit Oseæ 2. Saron autem, quem interpres vertit campestria, à Cæsarea Palestinæ vsque ad oppidum Joppen.* [i] Ponitis Fortunæ mensam.] *Aly dicunt stellam Iouis, & illud, Libatis super eam, Alius vertit, implentes numero libamen, vt alludere videatur ad numeros Pythagoræos, & maximè τε τρακτύν quàm superstitiosè obseruabant.* [k] Numerabo vos in gladio.] *Eleganter. Quia (inquit) vos numerum obseruastis, ego vos numerabo ad cædem.* [l] Nomen vestrum in execrationem.] *Quam execrabile factum sit nomen Iudæorum electis Dei post Christi passionem, nemo ignorat. Serui autem Dei vocati sunt nomine alio, non enim Iudæi, sed Christiani appellantur.* [m] Qui benedictus erit.] *Qui benedictum se senserit in terra, referet eam benedictionem acceptam Deo fideli.* [n] Absconditæ sunt ab oculis meis.] *Sunt enim electi Dei etiam in hac vita in regno Dei, nam habent remissionem peccatorum, & ex consequenti vitam æternam, salui facti, sed spe. Caro quidem nondum est in regno Christi, cum adhuc obnoxia sit peccato & morti, sed excolenda est, donec exuatur. Cum igitur spiritu simus in regno Dei: dicit Deus, ab oculis suis absconditas priores tribulationes, etiam si nobis adhuc durent, donec exuamus carnem. Aly hæc, & quæ sequuntur, referunt ad æternitatem promissam.* [o] Cœlos nouos.] *Omnia significat renouanda per Christum, vt quasi in nouo mundo versari videamur, erit enim nouus cultus, noua morum iustitia, nouæ promissiones, nouæ beatitudines, noui homines, nouæ leges.* [p] Infans dierum.] *Quid sit infans dierum, videtur exponere per id quod sequitur, & senex qui non impleat dies suos, quòd scilicet omnes longissimam ætatem victuri sint. Quibus verbis, quid aliud quàm æternitas significatur? quam æternitatem cum obtectis verbis dicere vellet, quo sermone alio vti aptius potuisset? Mysticè verò cum omnes erunt docti à Deo, infantes, excludentur, qui scilicet semper studentes in lege, nunquam veram assequuntur legis intelligentiam.* [q] Quoniam puer.] *Hoc est, filius centum annorum, scilicet homo, qui centum annos habuerit, si ipso centesimo anno mortuus fuerit, puer existimabitur, & tanquam peccator maledicetur, ea ætate moriens: dicetur enim quòd vitam suam ob peccata abbreuiauerit. Consueuerunt autem prophetæ ea præsertim, quæ ad futuram vitam pertinent, velare huiusce modi narrationibus. Sin mysticè cogites, intellige eos, qui illam æternitatem iam cogitatione perceperint, etiam si centenary moriantur, arbitrari se tamen pueros, dum illam ætatem cum æternitate conferunt: siquis verò existimauerit se aliquid assecutum, si ad centesimum vsque annum vixerit, hunc tanquam peccatorem execrandum: non enim satis diu vixisse existimabitur, qui quamuis longa ætate hic viuere contentus fuerit.* [r] Et ædificabunt domos.] *Hic ædificamus domos per fidem & misericordiam, quas alibi inhabitabimus: hic paramus fructus, quibus ibi fruemur.* [s] Ipsius arboris.] *Hoc est, ligni vitæ.* [t] Durabunt electis meis. *Hoc est, nemo auferet illa ab eis.* [u] Et serpenti puluis panis eius.] *Serpens suo vtetur cibo, terra scilicet, sibi destinata à Domino, non mordebit, non inficiet veneno, non erit vltrà cui insidietur Diabolus. His autem rebus adumbratur plena futura electorum felicitas.*

CAPVT LXVI.

Act.7.f

HÆc dicit Dominus,[a] Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum: quæ est ista domus quam ædificabitis mihi? & qui est iste locus requietionis meæ? Omnia hęc manus mea fecit, & facta sunt vniuersa ista, dicit Dominus. [b] Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu, & trementem sermones meos? [c] Qui immolat bouem, quasi qui interficiat virum. Qui † memo-

Prouer. 1.c
Iere.17.c
Sup.65.b

cus, quasi qui excerebret canem. Qui offert oblationem, quasi qui sanguinem suillum offerat. Qui † memoriam facit thuris, quasi qui benedicat idolo. [d] Hæc omnia elegerunt in vijs suis, & in abominationibus suis anima eorum delectata est. Vnde & ego eligam illusiones eorum: & quæ timebant, adducam eis: quia vocaui, & non erat qui responderet: locutus sum, & non audierunt Fecerunt́q; malum in oculis meis, & quæ nolui elegerunt. Audite verbum Domini, qui tremitis ad verbum eius: dixerunt fratres vestri odientes vos, & abijcientes propter nomen meum: [e] glorificetur Dominus, & videbimus in lætitia vestra: ipsi autem cõfundentur. Vox tumultus de ciuitate, vox de templo, vox Domini reddentis retributionem inimicis suis. [f] Antequam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum. Quis audiuit vnq̃ tale? & quis vidit huic simile? nunquid parturiet terra in die vna? aut parietur gens simul, quia parturiuit & peperit Siõ filios suos? [g] Nunquid ego, qui alios párere facio, ipse nõ pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero, ait Dominus Deus tuus? Lætamini cum Ierusalem, & exultate in ea omnes qui diligitis eam: gaudete cum ea gaudio vniuersi qui lugetis super eã: [h] vt sugatis, & repleamini ab vberibus consolationis eius: vt mulgeatis, & delicijs affluatis ab omnimoda gloria eius. Quia hęc dicit Dominus. Ecce ego declinabo super eam quasi fluuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis: ad vbera portabimini, & super genua blandientur vobis. Quomodo si cui mater blãdiatur, ita ego consolabor vos, & in Ierusalem cõsolationem habebitis: videbitis, & gaudebit cor vestrum: [i] & ossa vestra quasi herba germinabunt, & cognoscetur manus Domini seruis eius, & indignabitur inimicis suis: quia ecce Dominus [k] in igne veniet, & quasi turbo quadrigæ eius: reddere in indignatione furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis: quia in igne Dominus iudicabit, & in gladio suo omnem carnem, & multiplicabuntur interfecti à Domino. [l] Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis [m] post ianuam intrinsecus, qui comedebant carnem suillam, & abominationem & murem: simul consumentur, dicit Dominus. Ego autem opera eorum, & cogitationes eorum † vlciscar, & veniet tempus, vt congregem omnes gentes & linguas: & venient, & videbunt gloriam meam. Et [n] ponam in eis signũ, & mittam ex eis qui saluati fuerint, [o] ad gentes in mare, in Aphricam, & Lydiam tenentes sagittam: in Italiam, & Græciam, ad Insulas longè, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriã meam. Et annuntiabunt gloriam meã gentibus. & [p] adducent omnes fratres vestros de cunctis gentibus donum Dño, in equis, & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis ad montem sanctum meum Ierusalem, dicit Dñs: quomodo si inferant filij Israel munus in

Apo.21.a

vase mundo in domum Domini. Et assumam ex eis in sacerdotes, & leuitas, dicit Dñs: quia sicut cœli noui & terra noua, quæ ego facio stare coràm me, dicit Dominus Deus: sic stabit semen vestrum, & nomen vestrum. Et erit mensis ex mense, & sabbatum ex sabbato: veniet omnis caro, vt adoret coràm facie mea, dicit Dominus. Et egredientur & [q] videbunt cadauera virorum, qui præuaricati sunt in me: vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & [r] erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.

SCHOLIA.

[a] Cœlum sedes mea.] *Vide, vt spiritualem cultum prædicat propheta, qui Christi tempore requirendus erat, de quo Saluator in Euangelio dixit, Venit hora, cum neque in monte hoc, neque Hierosolymis adorabitis patrem, & paulo post, Venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate: nam & pater tales quærit, qui adorent eum.* [b] Ad quem autem respiciam.] *Volo, inquit, habitare in cordibus humilium magis, quàm in templo manufacto, & quoniam me eycitis de cordibus, neque in templo vestro habitabo.* [c] Qui immolat bouem.] *Hæc sacrificia vestra tanquam res abominandas reycio, cum sine timore Dei, ac charitate viuatis.* [d] Hæc omnia elegerunt.] *Alius sic vertit. Nam & ipsi elegerunt vias istorum, hoc est, non illi, qui in templo meo ministrant, meliores illis sunt, qui homines offerunt Moloch, aut qui canes sacrificant, & libant sanguinem suillum, sicut gentes fecerunt: cum anima eorum easdem desideret abominationes.* [e] Glorificetur Dominus.] *Ironicus sermo est impiorum dicentium, appareat Deus vester, si vere Deus est, & veniat gaudium vestrum, quod in Domino vobis promittitis. At ipsi, ait Dominus, confundentur, & iam audietur ex omni parte clamor, de ciuitate, de templo, & retributionem dignam sentient.* [f] Antequam parturiret.] *Prius quàm, inquit, se sentiret grauidam, vel prius quàm sentiret dolorem partus, peperit, & consecuta est prima ecclesia post excidium Hierosolymitanum maximam posteritatem: quæ res, quia supra humanũ negocium, ac morem fuit, addit: quis audiuit vnquam talia, & quis vidit huic simile? quasi prodierint repente è terra homines, ita fideles repente Dominus in ecclesia suscitauit, vt etiam vno die multa millia baptizarentur.* [g] Nunquid ego.] *Ne mireris, inquit, nam æquũ est, vt ego, qui vim pariendi alijs præbeo, & ipse pariam, ne sim sine liberis, præsertim cum filij synagogæ sint reyciendi.* [h] Vt sugatis.] *Quasi modo geniti infantes, sugamus vbera consolationis diuinæ, vbera, inquam, gloriæ vt paulo post subditur, vt delitijs affluatis omnimoda gloria eius.* [i] Et ossa vestra.] *Sicut spiritus tristis exiccat ossa, sic spiritus lætus, dicitur ex ossibus germina producere.* [k] In igne veniet.] *Videtur loqui de vltima Iudæorum deuastatione, aly de iudicio intelligunt.* [l] Qui sanctificabantur.] *Qui se sanctos iactabant.* [m] Post ianuam intrinsecus.] *In Heb. est, post vnam in medio, & intelligunt piscinam, habebant enim in hortis piscinas, in quibus abluebantur.* [n] Et ponam in eis signum.] *Signum, nimirum eius contradictum à multis est.* [o] Ad gentes in mare.] *Vel, ad gentes Tharsis. Apostoli missi sunt ad omnes gentes, quæ hic variis nominibus dicuntur, iuxta quatuor fines terræ. Tharsis enim Cilicia est ad septentrionem Iudææ, Aphrica ad meridiem occidentalem. Per tenentes sagittam, Cappadoces intelligunt, qui ad orientem septentrionalem sunt. Italia et Græcia ad occidentem*

dentem septentrionalem. [p] Adducent omnes.] *Intelligitur per illam adductionem conuersio gentium, quæ fit per equos, & quadrigas, hoc est, per Verbum Euangelij, quod Vehiculum est salutis. Et ex omnibus illis assumentur sacerdotes, qui docebunt & Leuitæ qui audiant, & ita tam sacrificium, quàm sacerdotium Iudæorum in vniuersum interibunt, sed & solennitates mensium & Sabbati mutabuntur, cum per singulos dies & non ad certum tempus accessuri sint, qui adorent in spiritu & veritate.* [q] Videbunt cadauera.] *Homines qui sine fide, & spiritu sunt, quales hodie sunt Iudæi, & falsi Christiani, cadauera hic vocantur, & horum conscientiæ morsus in æternũ manet, qui hic per vermem significatur.* [r] Et erũt.] *vel. Erunt nauſea omni carni.*

PROPHETIA IEREMIÆ

CAPVT I.

ERBA Ieremiæ filij Helciæ, de sacerdotibus qui fuerunt in Anathoth, in terra Beniamin. Quod factũ est verbum Dñi ad eum in diebus Iosiæ filij Amon regis Iuda, in tertiodecimo anno regni eius. Et factum est in diebus Ioacim filij Iosiæ regis Iudæ, vsque ad consummationem vndecimi anni Sedechiæ filij Iosiæ regis Iuda, vsq; ad trãsmigrationẽ Ierusalem, [a] in mense quinto. Et factum est verbum Dñi ad me dicens. [b] Priusquã te formarem in vtero, noui te: & antequam exires de vulua, sanctificaui te, & [c] prophetam in gentibus dedi te. Et dixi, Ah, Domine Deus: ecce [d] nescio loqui, quia puer ego sum. Et dixit Dñs ad me, Noli dicere, Puer sum: quoniam ad omnia quę mittã te, ibis: & vniuersa quæcunq; mandauero tibi, loqueris. Ne timeas à facie eorum: quia tecum ego sum vt eruam te, dicit Dominus. Et misit Dñs manum suam, & tetigit os meum: & dixit Dominus ad me. Ecce, dedi verba mea in ore tuo: ecce [e] constitui te hodie super gentes, & super regna: vt euellas, & destruas, & dissperdas, & dissipes, & ædifices, & plãtes. Et factum est verbum Domini ad me, dicẽs. Quid tu vides Ieremia? Et dixi, [f] Virgam vigilãtem ego video. Et dixit Dominus ad me, Bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo vt faciam illud. Et factum est verbum Dñi secundò ad me, dicens. Quid tu vides? Et dixi, [g] Ollam succensam ego video, & [h] faciem eius à facie aquilonis. Et dixit Dominus ad me, [i] Ab aquilone pandetur malum [k] super omnes habitatores terræ, quia Infra.4.b ecce ego conuocabo omnes cognationes regnorum aquilonis, ait Dominus, & venient, & ponẽt vnusquisq; solium suum in introitu portarũ Ierusalem, & super omnes muros eius in circuitu: & super vniuersas vrbes Iuda. Et loquar iudicia mea cum eis super omnem malitiam eorum qui dereliquerũt me, & libauerunt dijs alienis, & adorauerunt opus manuum suarum. Tu ergo accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad eos omnia quæ ego præcipio tibi. Ne formides à facie eorum: † ne fortè perdam te in cõspectu illorum. Ego quippe dedi te hodie in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnẽ terram, regibus Iuda, principibus eius & sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersum te, & non præualebũt: quia ego tecum sum, ait Dominus, vt liberem te.

SCHOLIA.

Ly ex prophetis, vt Esaias, Osee, Ioel, fuerunt ante captiuitatem decem tribuum Israel, siue duarum tribuum Iudæ, & Beniamin: aly post captiuitatem, vt Daniel, Aggæus, Zacharias: at Hieremias & Ezechiel imminente captiuitate vaticinia texuerunt, sed alter eorum in terra Iuda, alter in Babylone. Hieremias filius Helchiæ sacerdotis fuit, qui sub Iosia rege Iuda inuenit in domo Domini librũ legis, decimo scilicet octauo anno regni eius. Hieremias verò cœpit prophetare decimo tertio anno regni Iosiæ, quando rex, sacerdotes, & populus perditissimè viuebant, donec inuentus fuit liber legis diuinæ, tunc rex pia induens viscera, cultum Dei instauravit, et idololatriam exterminauit, vt quarto regum libro habetur. Hieremias ergo cum adhuc esset puer, prophetare cœpit, & annis quadraginta & vno prophetauit, præter illud tempus, quando ductus est in Aegyptum. Tricesimo autem quinto prophetiæ huius anno Ezechiel in Babylone exorsus est prophetare. Ab Esaia autem ad Hieremiam interfuerunt anni centum quinquaginta. [a] In mense quinto.] *Mensis quintus insignis est propter subuersam vrbem Ierusalem, vnde & ieiunium indictum fuit, Hoc autem libro historiarũ ordo negligitur, & prius sæpe dicuntur, quæ posterius contigerunt.* [b] Prius quàm te formarem.] *Adimit occasionem excusandi, & recusandi negocij prophetiæ, cum paratum eum dicit fuisse ante ortum.* [c] Prophetam in gentibus.] *Vel, vt prædiceret etiam vocandas Gẽtes, vel Iudæos intelligit, qui Gentilium more viuebant.* [d] Nescio loqui.] *Non sum idoneus tãtæ prouinciæ subeundæ.* [e] Constitui te hodie super Gẽtes.] *Tanquam monitorem & doctorem.* [f] Virgam vigilantem.] *Virga symbolũ pœnæ. Hebr. cũ 70. exponũt, baculũ amygdalinũ, eò quòd acceleraturā esset vltio, siquidem amygdalus præ cæteris arboribus citius in flores rumpitur, & amygdalus Hebræis, nomen accepit ab accelerando, & Dominus respondet, bene feciſti videndo, ego enim accelero vltionem meam.* [g] Ollam succensam.] *Vel, ollam bullientem, hoc est, ollam propter calorem in bullas resolutam quem locum Ionathas sic exponit. Regem, qui feruet sicut olla, ego video.* [h] Et faciem eius à facie aquilonis.] *Hoc est, tanquàm veniat ab aquilone.* [i] Ab aquilone.] *Nam Babel ad orientem aquilonarem sita est.* [k] Super omnes habitatores terræ.] *Habitatores scilicet huius terræ.*

CAPVT II.

ET factum est verbum Domini ad me, dicens, Vade, & clama in auribus Ierusalem, dicens, Hæc dicit Dominus. Recordatus sum tui, miserans adolescentiam tuam, & charitatem [a] desponsationis tuæ, quando secuta es me in deserto, in terra quæ non seminatur. Sanctus Israel Domino primitiæ frugum eius: omnes qui deuorant eum, delinquunt: mala venient super eos, dicit Dominus. Audite ver-

bum Domini domus Iacob,& omnes cognationes domus Iſrael:hęc dicit Dominus. Quid inuenerunt patres veſtri in me iniquitatis,quia elongauerunt à me,& ambulauerunt poſt vanitatem, & vani facti ſunt? Et
non dixerunt. Vbi eſt Dominus qui aſcendere nos fecit de terra Ægypti: qui traduxit nos per deſertum, per B
terram inhabitabilem & inuiam,[b] per terram ſitis & † vmbram mortis, per terram in qua non ambulauit
vir,neq; habitauit homo?Et induxi vos in terram † frugiferã, vt comederetis fructum eius & bona illius:&
ingreſſi contaminaſtis terram meam,& hęreditatem meam poſuiſtis in abominationem. Sacerdotes nõ di-
xerunt,vbi eſt Dominus? & tenentes legem neſcierunt me, & paſtores preuaricati ſunt in me: & prophetæ
prophetauerunt in Baal,& idõla ſecuti ſunt. Propterea adhuc iudicio contendam vobiſcum,ait Dñs:& cum
filijs filiorũ veſtrorũ diſceptabo. Tranſite enim ad Inſulas [c] Cethim, & videte: & in Cedar mittite,& conſy-
derate vehementer:& videte ſi factum eſt huiuſcemodi. Si mutauit gens deos ſuos, & certè ipſi non ſunt dij. C
Populus verò meus mutauit gloriam ſuam in idõlum. Obſtupeſcite cœli ſuper hoc,& † horreſcite, deſola-
mini vehementer,dicit Dominus.Duo enim mala fecit populus meus.Me dereliquerunt fontem aquę viuę:
& foderunt ſibi ciſternas, ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas. [d] Nunquid ſeruus eſt Iſrael,
aut vernaculus?quare ergo factus eſt in prædam?Super eum rugierunt leones,& dederunt vocem ſuam, po-
ſuerunt terram eius in ſolitudinem. Ciuitates eius exuſtæ ſunt,& nõ eſt,qui habitet in eis. Filij quoq; Mem
pheos & Thaphnes † ſecuerunt tibi verticem. Nunquid non iſtud factum eſt tibi,quia dereliquiſti Dominũ
Deum tuum,eo tempore,quo ducebat te per viã? Et nunc [e] quid tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquã † Nili? D
& quid tibi cum via Aſſyriorum, vt bibas [f] aquam fluminis? Arguet te malitia tua,& auerſio tua increpa-
bit te. Scito & vide,[g] quod malum & amarũ eſt reliquiſſe te Dñm Deum tuũ, & non eſſe timorem mei apud
Infra 3.b te:dicit Dñs Deus exercituũ. [g] A ſęculo confregi iugum tuũ,rupi vincula tua:& tu dixiſti, [h] Nõ ſeruiã. † Cũ
interim in omni colle ſublimi, & ſub omni ligno frondoſo tu proſternebaris meretrix. Ego autẽ plantaui
te [i] vineã electam,omne ſemen verum:quomodo ergo conuerſa es mihi in † ſarmẽta vitis alienæ? Si laueris
te nitro,& multiplicaueris tibi hęrbam borith:maculata es in iniquitate tua coràm me,dicit Dñs Deus.Quo
modo dicis,Non ſum polluta,poſt Baalim nõ ambulaui? [k] Vide vias tuas in cõualle,ſcito quid feceris: † [l] Ca E
mela leuis explicans vias ſuas. Onager aſſuetus in ſolitudine, in deſyderio animę ſuę [m] attraxit ventũ † occa-
Mar.21.d ſionis ſuæ:nullus auertet eam: [n] omnes qui quęrunt eam,non deficient:in † menſe ſuo inuenient eam. [o] Pro-
Infra 11.c hibe pedem tuum à nuditate,& guttur tuum à ſiti. Et dixiſti,Deſperatũ eſt,nequaquã faciã:adamaui quippe
alienos,& poſt eos ambulabo. Quomodo confunditur fur quando deprehenditur, [p] ſic confuſi ſunt domus
Iſrael,ipſi & reges eorũ,principes & ſacerdotes,& prophetæ eorum:dicentes ligno, Pater meus es tu:& lapi-
Iſa.5.a di, Tu me genuiſti. Verterunt ad me tergum,& non faciem:& in tempore afflictionis ſuæ dicent. Surge,& F
libera nos, Vbi ſunt dij tui quos feciſti tibi?ſurgant & liberent te in tempore afflictionis tuæ: ſecundum nu-
merum quippe ciuitatum tuarum [q] erant dij tui Iuda. Quid vultis mecum iudicio contendere? omnes dere-
liquiſtis me,dicit Dominus. Fruſtra percuſſi filios veſtros,diſciplinam non receperunt. Deuorauit gladius
veſter prophetas veſtros: quaſi leo vaſtator, † ò generatio, videte verbum Domini. [r] Nunquid ſolitudo fa-
ctus ſum Iſraeli,aut terra † caliginoſa:quare ergo dixit populus meus, † [s] Nos dominamur, non veniemus
vltrà ad te? Nunquid obliuiſcetur virgo ornamenti ſui,aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus verò meus
oblitus eſt mei diebus innumeris. [t] Quid † pulchram facis viam tuam ad quærendam dilectionẽ, ideo etiã
& malitias docuiſti vias tuas,& [u] in alis tuis inuentus eſt ſanguis animarum pauperũ & innocentum? † [x] Nõ G
in ſuffoſsione inueniſti eos, quin [y] ſuper omnibus his etiam dixiſti. Abſque peccato & innocens ego ſum:
& propterea auertatur furor tuus à me.Ecce,ego iudicio contendam tecum, eò quòd dixeris: Non peccaui.
† Et quid tam crebro diſcurris,iterans vias tuas:& ab Ægypto confunderis,ſicut cõfuſa es ab Aſſur. † [z] Quin
& ab iſta egredieris, & manus tuæ erunt ſuper caput tuum: quoniam abominatus eſt Dominus confidentiã
tuam, & nihil habebis proſperum in eis.

SCHOLIA.

[a] Deſponſationis tuæ.] *Notatur tempus illud quando populus Iſraeliticus dicebat. Omnia,quæ mandauit nobis Dominus faciemus,ineuntes ſcilicet cum Domino fœdus,haud ſecus quam cum ſponſus puellam ſibi deſponſat,tunc etiam conſecrati ſunt Domino, veluti res ſancta, & primitiæ Deo debitæ,ideò addit,ſanctus Iſrael,hoc eſt,tunc dedicatus eras Deo.*

[b] Per terram ſitis.] *Allegoricè, Aſcendimus per baptiſmum Chriſti de Ægypto, & tranſmittimur ad crucem,ſed non permittit Deus tentari ſupra vires. Terra arida eſt,ſed petra fluit aquis:terra non ſeminata,ſed datur è cœlo manna, &c.*

[c] Cethim.] *Duos populos ponit,Cedar ad orientem,quæ eſt regio ſolitudinis, & Iſmaelitarum,quos nunc Sarracenos vocat, & Cethim,qui ſunt occidentales, Cypry & quicquid verſus Italiam. Cedareni, & orientales adorabant ignem & ſolem, quem vocarunt Mithram.Cethij autem & maritimi Neptunum.* [d] Nunquid ſeruus eſt Iſrael?] *Nõ erubeſcis(inquit) te,qui filius eras,ob peccata tua ſeruilem in modum tractari, &c.* [e] Quid tibi vis in via Ægypti?] *Cur quæris auxilium humanum, & magis fidis auxilio Ægyptiorum,quàm Dei, qui tamen voluit, vt fiduciam tuam ſolum in eum poneres?*

[f] Aquam fluminis.] *Videlicet Euphratis.* [g] A ſęculo confregi iugum tuum.] *A ſęculo, hoc eſt,olim: & antiquitus. Intelligitur autem hic locus de dura ſeruitute Ægypti.* [h] Non ſeruiam.] *Scilicet,idolis amplius.* [i] Vineam electam.] *Vel, ſorec vitis enim eſt botros electos abſque acinis ferens.* [k] Vide vias tuas.] *Hoc eſt, viam factam planam frequentibus ambulationibus tuis per vallem ad loca excelſa, idolis tuis dedicata.* [l] Camela leuis.] *Ea enim eſt concitatioris curſus, & inſtitutum ſuum ſubinde mutat, nunc huc, nunc illuc proruens. Sic Iſrael idola per circuitum quærebat.* [m] Attraxit ventum occaſionis ſuæ.] *Ferunt impulſum quendam fatalem eſſe, quo ſe onager carpendæ auræ gratia irreuocabiliter ad certum locum impellit, nec ab inſequentibus capi poteſt, quantumlibet illi inſidientur,donec in illo menſe id fecerint, quo vterum geſtat.* [n] Omnes qui quærunt.] *Vel, omnes qui inſectari cœperint eam, laſſabunt ſe fruſtra: menſe, quo ei pariendum erit, inuenient eam.* [o] Prohibe pedem tuum.] *Hoc eſt, nę curre, quemadmodum facis,*

facis,nudis pedibus ſitibunda. Perſiſtit autẽ in metaphora camelæ,ſeu dromedariæ. Quia ergo ſolent rumpi calcei propter viarum aſperitatem, & prolixitatem,occurruntq; in ſolitudine loca inaquoſa,ſcita comparatione eos reuocat,quaſi dicat,noli currere ad gentes alienas, vt quid enim fruſtra atteris calceamenta pedum tuorũ, & teipſam ſiti maceras? [p] Sic cõfuſi ſunt.] *Vel,ſic confundi meritò deberet domus Iſrael, &c.* [q] Erant dij tui Iuda.] *Quidam addidit hæc verba. Et iuxta numerum viarum Ieruſalem immolabant Baal.* [r] Nunquid ſolitudo.] *Vel, Similis deſerto. In ſolitudine nihil inuenitur, vnde homo viuere poſſit,ſic Iudæi Deum deſerebant, & ad idola conuertebantur,perinde ac ſi vtilius eis eſſet idola colere,quàm verum Deum.* [s] Nos dominamur.] *Senſus eſt,habemus reges & principes,non habemus opus te Deo, vt ad te veniamus.* [t] Quid pulchram facis viam tuam?] *Quid niteris magno ſtudio inire amicitiam cum exteris nationibus, quæ res tibi cauſa fuit, vt illis te conformem faceres, & diſceres mala eorum, atque mala tua illos doceres. Nam quidam ſic vertit. Quid pulchram facis viam tuam, vt quæras dilectionem, & ſubinde etiam malitias, & doceas vias tuas?* [u] In alis tuis.] *Sumpta eſt comparatio ab aquila, vel miluo, quibus ſanguis auium raptarum adhæret.* [x] Non in ſuffoſione.] *Hoc eſt,in inſidijs,quos liceret impunè interficere. Alludit enim ad id,quod ſcribitur Exodi 22. Si in ſuffoſtione inuentus fur fuerit,atque percuſſus,non imputabitur ſanguis occiſori. Iudæi verò de quibus propheta hic loquitur, publicè & impunè effundebant ſanguinem innocentem.* [y] Super omnibus his.] *Hoc eſt,non obſtantibus his omnibus.* [z] Quin & ab iſta egredieris.] *Ab iſta ſcilicet terra tua, & quod ſequitur. Et manus tuæ erunt ſuper caput tuum videlicet more mulierum eulantium,quæ lamentantes ſolebant ſuper caput manus vtraſq; conſerere.*

CAPVT III.

A [a] Vlgò dicitur,Si dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab eo, duxerit virum alterum: nunquid
reuertetur ad eam vltrà? nunquid non polluta,& contaminata erit terra illa? Tu autem [b] fornica-
ta es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me,dicit Dominus. Leua oculos tuos in † loca ex-
celſa,& vide vbi non † proſtituta ſis,in vijs ſedebas,expectans eos [c] quaſi † Arabs in ſolitudine:& polluiſti ter
ram in fornicationibus tuis,& in malitijs tuis. Quamobrem prohibitæ ſunt ſtillæ pluuiarum, & [d] ſerotinus
B imber non fuit:frons mulieris meretricis facta eſt tibi,& noluiſti erubeſcere. Ergo ſaltem à modo voca me,
Pater meus,dux virginitatis meæ tu es. [e] Nunquid † iraſcetur in perpetuum,aut † perſeuerabit in finem?Ec-
ce,[f] loquuta es,& feciſti † mala quantum potuiſti.Et dixit Dñs ad me in diebus Ioſiæ regis,Nunquid vidiſti,
quæ fecerit auerſatrix Iſrael?abijt ſibimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo, &
fornicata eſt ibi. Et dixi cum feciſſet hæc omnia,Ad me reuertere:& non eſt reuerſa. Et vidit prœuaricatrix Supra. 2.d
C ſoror eius Iuda quòd pro eò quòd mœchata eſſet auerſatrix Iſrael,dimiſiſſem eam, & dediſſem ei libellum re
pudij:& non timuit prœuaricatrix Iuda ſoror eius,ſed abijt,& fornicata eſt etiam ipſa,& facilitate fornicatio
nis ſuæ contaminauit terram,& mœchata eſt cum lapide & ligno. Et in omnibus his non eſt reuerſa ad me
prœuaricatrix ſoror eius Iuda in toto corde ſuo, ſed in mendacio, ait Dominus. Et dixit Dominus ad me.
[g] Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael,comparatione prœuaricatricis Iuda. [h] Vade, & clama ſermones
D iſtos † verſus aquilonem,& dices. Reuertere auerſatrix Iſrael, ait Dominus: & non auertam faciem meam à
vobis: quia † miſericors ego ſum,dicit Dominus,& non iraſcar in perpetuum. Veruntamen ſcito iniquita-
tem tuam quòd in Dominum Deum tuum prœuaricata es: & diſperdiſti vias tuas alienis ſub omni ligno frõ
doſo,& vocẽ meam non audiſti:ait Dominus.Conuertimini filij rebelles, dicit Dominus: quia [i] ego vir ve-
ſter:& aſſumam vos vnũ de ciuitate,& duos de cognatione,& introducam vos in Sion. Et dabo vobis paſto-
E res iuxta cor meum,& paſcent vos ſcientia & doctrina. Cumq; multiplicati fueritis, & creueritis in terra in
diebus illis,ait Dominus: [k] non dicent vltrà,Arca teſtamenti Domini:neq, aſcendet ſuper cor, neq; recorda
buntur illius,nec viſitabitur,nec fiet vltrà. In tempore illo vocabunt Ieruſalem Solium Domini: & congre-
gabuntur ad eum omnes gentes in nomine Domini in Ieruſalem, & non ambulabunt poſt prauitatem cor-
dis ſui peſsimi. In diebus illis ibit domus Iuda ad domum Iſrael,& [l] venient ſimul de terra aquilonis ad terrã
F quam dedi patribus veſtris. Ego autem dixi, [m] Quomodo ponam te in filios, & tribuam tibi terram deſyde-
rabilem,hæreditatem præclaram & exercitus gentium? Et dixi, Patrem vocabis me,& poſt me ingredi non
ceſſabis. Sed quo modo ſi contemnat mulier amatorem ſuum:ſic contempſit me domus Iſrael, dicit Domi-
nus. Vox in excelſis audita eſt, ploratus, & vlulatus filiorum Iſrael: quoniam iniquam fecerunt viam ſuam,
obliti ſunt Domini Dei ſui. Conuertimini filij rebelles,& ſanabo auerſiones veſtras. [n] Ecce,nos venimus ad
G te: tu enim es Dominus Deus noſter. Verè mendaces erant colles,& multitudo montium: verè in Domino
Deo noſtro ſalus Iſrael. [o] Confuſio comedit laborem patrum noſtrorum ab adoleſcentia noſtra, greges eo-
rum & armenta eorum,filios eorum & filias eorum. Dormiemus in confuſione noſtra, & operiet nos igno-
minia noſtra: quoniam Domino Deo noſtro peccauimus nos, & patres noſtri ab adoleſcentia noſtra vſque
ad diem hanc:& non audiuimus vocem Domini Dei noſtri.

SCHOLIA.

[a] Vulgo dicitur.] *In Hebræo eſt,dicens: at ſecundum Hebræos refertur ad finem præcedentis capitis, vbi dicitur, contriuit, vel abominatus eſt Dominus confidentiam tuam, & iam ſequitur, dicens. Siquis dimittat vxorem ſuam, &c. & quod ſequitur, nunquid non polluta erit terra illa? ſubintelligendum eſt, propter crimen adulterij.* [b] Fornicata es.] *Significatur per fornicationem & adulterium idololatria.* [c] Quaſi Arabs.] *Hoc eſt,ſicut mercatores Arabiæ iuxta publicas vias expectant prætereuntes, vt aut illis vendant ſua,aut emant ab eis.* [d] Serotinus imber.] *Matutinus imber menſe Octobri iactat ſemente decidit, ſerotinus verò rarior, & menſe Martio diſtillat. Vterque in benedictionibus habetur, ſed maledictionis eſt ſiccitas duobus illis menſibus.* [e] Nunquid iraſcetur in perpetuum.] *Hoc (inquit) ſi feceris, & conuerſa fueris ad Deum, nunquid ille in perpetuum obſeruabit peccata tua?* [f] Locuta es.] *Hoc eſt, decreuiſti facere mala, & feciſti quantum potuiſti.* [g] Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael.] *Exaggerat peccata populi Iudæ, quod etiam grauius peccarit, quàm tribus Iſrael. Et vide, vt Deus minus peccatum, temporali pœna grauius puniat:*

Iſrael enim eſt in perpetua captiuitate: Iudæi, qui magis taxantur, redierunt poſt 70. annos. Appellat autem Iſrael rebellem, ſiue auerſatricem (loquitur enim fœminino genere tanquàm de muliere) quia Deum penitus auerſata erat, adoratis in Dan, & Bethel vitulis aureis, Iuda autem vocatur prænaricatrix, in qua erat religio Dei, ſed imitatione ſororis paulatim receſſerat à Domino. [h] Vade, & clama.] *Miram Dei benignitatem, vt induit humanos affectus, et imitatur homines, qui ſæpe ſic aſſequi aliquid non poſſunt, zelo alterius & æmulatione id tentant, vt enim attrahat & Iudam, imitat Iſrael em ad pœnitentiam, & ait, ò Iſrael, Iuda impœnitens eſt, age vel tu pœnitentiam, & à me ſuſcipieris. Iubet autem, vt clamet verſus aquilonem, hoc eſt, verſus Medos, apud quos Iſrael captiuus tenebatur.* [i] Ego vir veſter.] *Hoc eſt, etiam poſtea quam idololatriæ adulterio eſtis polluti, reuertimini. Et ſi ſolus vnus fuerit in ciuitate, qui ad me cõuerti voluerit, aut duo in tota aliqua cognatione, vel tribu, non reſpuam eos. Et hic innuit reliquias tantum ſeruandas, & paucos fore electos.* [k] Non dicent vltra, arca teſtamenti Domini.] *Atqui nihil erat apud eos tam diuinum. Sed aperte ſignificat abolendũ totum illum Dei cultum, qui in cerimonijs templi conſiſtebat, & futuram Ieruſalem non illam terrenam, ſed ſpiritualem, eccleſiam ſcilicet ſolum Dei, quòd vt nihil dubitetur de hoc dici, addit, congregandas ad eam omnes gentes.* [l] Et venient ſimul de terra aquilonis.] *Ab aquilone videtur ſimpliciter intelligendum, à captiuitate, hoc eſt, à peccato, aquilonares enim gentium typus ſunt. Nam terram aquilonis localiter intelligendum non facile dixeris, non enim congruit, nec primæ nec ſecundæ captiuitati, in prima non rediit Iſrael, in ſecunda non redyt Iuda, nam per totum mundum diſperſi ſunt. Videmus autem præcipue vbi de regno Chriſti fit mentio, prophetas obtectis ac figuratis verbis vti.* [m] Quomodo ponam te in filios.] *Eſt admirantis, hoc eſt, dabo tibi innumerabilem progeniem, quod proculdubio tempore conuerſorum gentium fuit.* [n] Ecce nos venimus ad te.] *Docentur, quid dicere debeant reuertentes.* [o] Confuſio comedit laborem patrum noſtrorum.] *Nam propter vanitatem ſuam fruges in campis grandine perierunt, & pecora, atque filij peſte interierunt.*

CAPVT IIII.

[a] I reuerteris Iſrael, ait Dominus, ad me reuertere. Si abſtuleris offendicula tua à facie mea, [b] nõ † moueberis. [c] Et iurabis, Viuit Dñs, in veritate, & in iudicio, & in iuſtitia: & [d] benedicent eũ gẽtes, ipſumq; laudabunt. Hæc enim dicit Dominus viro Iuda, & Ieruſalem, [e] Nouate vobis nouale, & nolite ſerere ſuper ſpinas: circũcidimini Domino, & auferte præputia cordiũ veſtrorum viri Iuda, & habitatores Ieruſalem: ne forte egrediatur, vt ignis indignatio mea, & ſuccẽdatur, & non ſit qui extinguat: propter malitiam cogitationum veſtrarum. Annuntiate in Iuda, & in Ieruſalem auditum facite: loquimini, & canite tuba in terra: clamate, cõgregate, & dicite, Congregamini & ingrediamur ciuitates munitas, leuate ſignum in Sion. [f] Confortamini, nolite ſtare, quia malum ego adduco ab aquilone, & contritionem magnam. Aſcendit leo de cubili ſuo, & † vaſtator gentium ſe leuauit: egreſſus eſt de loco ſuo, vt ponat terram tuam in ſolitudinem: ciuitates tuæ vaſtabuntur, remanentes abſque habitatore. Super hoc accingite vos cilicijs, plangite, & vlulate: quia non eſt auerſa ira furoris Domini à nobis. Et erit in die illa dicit Dominus, [g] Peribit cor regis, & cor principum: & obſtupeſcent ſacerdotes, & prophetæ conſternabuntur. Et dixi, Heu † Domine Deus, ergone [h] decepiſti populum iſtum, & Ieruſalem, dicens, Pax erit vobis: & ecce peruenit gladius vſq; ad animam? In tempore illo dicetur populo huic, & Ieruſalem, [i] ventus vrens in † altis locis, quæ ſunt in deſerto in via filiæ populi mei, [k] non ad ventilandum, & purgandum. [l] Spiritus † vehemens ex his veniet mihi: & nunc ergo loquar iudicia cum eis. Ecce, quaſi nubes aſcendet, & quaſi tempeſtas currus eius: velociores aquilis equi illius. Væ nobis, quoniam vaſtati ſumus. Laua à malitia cor tuum Ieruſalem, vt ſalua fias: Vſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ? [m] Vox enim annunciantis à Dan, & notum facientis † dolore de mõte Ephraim. [n] Dicite degentibus. Ecce auditum eſt in Ieruſalem cuſtodes venire de terra longinqua, & dare ſuper ciuitates Iuda vocem ſuam. [o] Quaſi cuſtodes agrorum facti ſunt ſuper eam in gyro: quia me ad iracundiam prouocauit, dicit Dominus. Viæ tuæ, & cogitationes tuæ fecerunt hæc tibi: [p] iſta malitia tua, quia amara, tetigit cor tuum. Ventrem meum, ventrem meum doleo, præcordia cordis mei turbata ſunt in me: nõ tacebo, quoniam vocem buccinæ audiuit anima mea, clamorem prælij. Contritio ſuper contritionem vocata eſt: & vaſtata eſt omnis terra. Repente vaſtata ſunt tabernacula mea, ſubitò [q] pelles meæ. Vſquequo videbo vexillũ, audiam vocem buccinæ? Quia ſtultus populus meus me nõ cognouit: filij inſipientes ſunt, & vecordes: ſapiẽtes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Aſpexi terram, & ecce [r] vacua erat, & nihil: & cælos: & [s] non erat lux in eis. Vidi montes, & ecce mouebantur: & omnes colles conturbati ſunt. Intuitus ſum, & nõ erat homo: & omne volatile cœli receſſit. Aſpexi, & ecce Carmelus deſertus: & omnes vrbes eius deſtructæ ſunt à facie Domini, & à facie iræ furoris eius. Hæc enim dicit Dominus, Deſerta erit omnis terra, ſed tamen conſummationem non faciam. [t] Lugebit terra, propter hoc & mœrebunt cœli deſuper, eò q; locutus ſum. Cogitaui, & non pœnituit me, nec auerſus ſum ab eo. A voce equitis, & mittentis ſagittam fugit omnis ciuitas: ingreſſi ſunt ardua, & aſcenderunt rupes: vniuerſæ vrbes derelictæ ſunt, & non habitat in eis homo. Tu autem vaſtata quid facies? [u] Cum veſtieris te coccino, cum ornata fueris monili aureo, & pinxeris ſtibio oculos tuos: fruſtra componeris, contemperunt te, amatores tui animam tuam quærent. Vocem enim quaſi parturientis audiui, anguſtias, vt puerperæ. Vox filiæ Sion intermorientis, expandentisq; manus ſuas. Væ mihi, quia defecit anima mea propter interfectos.

Oſeę 1.d

Sapien. 1.c

Sapien. 1.b

SCHOLIA.

[a] Si reuerteris.] *Vel ſic, Si reuertaris Iſrael, ait Dominus, ſi ad me, inquam, reuertaris, ſi abſtuleris offendicula tua à facie mea, non moueberis. Et ſi iurabis, Viuit Dominus in veritate, & in iudicio & in iuſtitia, benedicent eum gentes, &c.* [b] Non moueberis.] *Scilicet de loco tuo, vt in captiuitatem abducaris.* [c] Et iurabis, viuit Dominus.] *Iurare (inquit) licet per nomen Dei, ſed non in vanum, hoc eſt, ſi neceſſitas non cogat, neque falsò, etiam ſi iudices aliquem cogant iurare, contra æquitatem, & veritatem, non eſt illis obtemperandum. Ponit autem tres conditiones iuramenti, vt vera non falſa iuremus, vt cum iudicio & ex rationabili cauſa, et iuſta facturos nos non iniuſta iuremus.* [d] Benedicent eũ.]

Nempe

Nempe Iſraelem. Alius ſic vertit, benedicent ſe gentes in eo, atque gloriabuntur in eo: futurum eſt enim dicit propheta, vt gentes, quæ per nomina deorum ſuorum iurant, religioſè ſibi imprecaturæ ſint bona, & benedicturæ per ſacroſanctum nomen Dei, quod propter vos in eiſdem gentibus blaſphematur. [e] Nouate vobis nouale.] *Nouare agrum, eſt eum repurgare à ſpinis & hærbis, atque adaptare ſementi, ſignificaturq; per id, vt populus ſe innouet, atque ad ſuſceptionem ſeminis diuini præparet, ſicut ſubditur, circuncidimini, &c. Noluit enim Dominus, vt ſemen illud cadat inter ſpinas, & ſuffocetur.* [f] Confortamini.] *Vel, ferte veſtra in locum munitum: prædicitur autem terribilis aduentus Nabuchodonoſor, contra quem propheta ſuos monet, vt ſeſe arment, licet fruſtra, cum Dominus illum adduxerit, tanquam ſæuum leonem, ex condenſis ramis prorumpentem.* [g] Peribit cor regis.] *Hoc eſt, ille, qui ſuos corroborare debuerat, adeo terrebitur & conſternabitur in aduentu hoſtis, vt omnis conſilij inops futurus ſit.* [h] Decepiſti populum iſtum.] *Hoc eſt, vt quid Domine tandiu ſinis falſu prophetas illudere miſeræ plebi, qui illis falsò nuntiant pacem, & in errore fouent, & retinent?* [i] Ventus vrens.] *Hoc eſt, hoſtis erit tanquam ventus vrens editior a loca in deſerto, quæ nihil habent quo à vento defendantur.* [k] Non ad ventilandum.] *Sed ſcilicet, vt omnia penitus auferat.* [l] Spiritus vehemens ex his veniet mihi.] *Verba ſunt prophetæ in perſona populi. Deinde idem propheta dicit ſe locuturum iudicia, quæ ſcilicet Dominus ei reuelarat.* [m] Vox enim annuntiantis.] *Hoſtes ſcilicet propinquare.* [n] Dicite degentibus.] *Quæ aduenient, vt deuaſtent terram noſtram.* [o] Quaſi cuſtodes agrorum.] *Obſidionem exprimit diligentiſſimam, nequis intrare, vel exire valeat, ſicut cuſtodes in campo diligenter curant, ne vllum pecus de grege amittant.* [p] Iſta malitia.] *Hæc calamitas tam dura non leuiter attigit te, ſed peruenit vſque ad cor.* [q] Pelles meæ.] *Tentoria ſcilicet.* [r] Vacua erat, & nihil.] *Supple, erat in ea. Hic autem in Heb. eadem vocis ſunt, quæ & in Gene. Vbi legitur. Terra erat inanis & vacua.* [s] Non erat lux in eis.] *Turbatis & in ſummo diſſerimine poſitis, videtur etiam ſerenum cœlum tenebris obductum, vſque adeo interna mentis anxietas obnubilat exteriores ſenſus.* [t] Lugebit terra.] *Dicitur terra lugere, quando à cultura in ſqualorem redigitur, cæli verò triſtantur, vel nigricant, quando è ſupernis nullum expectatur auxilium.* [u] Cum veſtieris te.] *Quæ modo veſtiris coccino, & ornaris, &c. Hoc eſt, quæris exterarum gentium fauorem. Perſtat enim in metaphora meretricis.*

CAPVT V.

A Circuite vias Ieruſalem, & aſpicite, & conſyderate, & quærite in plateis eius, an inueniatis virum facientem iudicium, & quærentem veritatem: [a] & propitius ero ei. Quòd ſi etiam Viuit Dominus, dixerint: & hoc falsò iurabunt. Domine † nónne oculi tui [b] reſpiciunt fidem? percuſiſti eos, & non doluerunt: attriuiſti eos, & renuerunt accipere diſciplinam: induraverunt facies ſuas, ſupra petram, & noluerunt reuerti. Ego autem dixi, [c] Forſitan pauperes ſunt, & ſtulti ignorantes viam Domini, iudicium Dei ſui. Ibo igitur ad optimates, & loquar eis: ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui: & ecce, magis hi ſimul confregerunt iugum, ruperunt vincula. Iccircò percuſsit eos [d] leo de ſylua, lupus ad veſperam vaſtauit eos, pardus vigilans ſuper ciuitates eorum. Omnis, qui egreſſus fuerit ex eis, capietur: quia multiplicatæ ſunt præuaricationes eorum, confortatæ ſunt auerſiones eorum. Super hoc

B propitius tibi eſſe potero? Filij tui dereliquerunt me, & iurant in his qui non ſunt dij. Saturaui eos, & Eccl. 22.c
mœchati ſunt, & [e] in domo meretricis luxuriabantur. Equi † ſaginati, [f] & emiſſarij facti ſunt: vnuſquiſque ad vxorem proximi ſui hinniebat. Nunquid ſuper his non viſitabo, dicit Dominus? & in gente tali non vlciſcetur anima mea? Aſcendite muros eius, & diſsipate, [g] conſummationem autem nolite facere: auferte propagines eius, quia non ſunt Domini. Præuaricatione enim præuaricata eſt in me domus Iſrael, & domus Iuda, ait Dominus. Negauerunt Dominum, & dixerunt, Non eſt ipſe: neque veniet ſuper nos malum: gladium & famem non videbimus. [h] Prophetæ fuerunt in ventum locuti, & † veritas non fuit in eis: hæc ergo euenient illis. Ob id hæc dicit Dominus Deus exercituum. Quia locuti eſtis verbum iſtud: ecce ego do verba mea in ore tuo in ignem, & populum iſtum in ligna, & vorabit eos. Ecce ego adducam

C ſuper vos gentem de longinquo domus Iſrael, ait Dominus: gentem robuſtam: [i] gentem antiquam, gentem cuius ignorabis linguam, nec intelliges quid loquatur. Pharetra eius [k] quaſi ſepulchrum patens: vniuerſi fortes. Et comedet ſegetes tuas, & panem tuum: deuorabit filios tuos, & filias tuas: comedet gregem tuum, & armenta tua: comedet vineam tuam, & ficum tuam: & conteret vrbes munitas tuas, in quibus tu habes fiduciam, gladio. Veruntamen in diebus illis, ait Dominus, non faciam vos in conſummatio- Infra 16.b
nem. Quòd ſi dixeritis, Quare fecit nobis Dominus Deus noſter hæc omnia? dices ad eos, Sicut dereliquiſtis me, & ſeruiſtis deo alieno in terra veſtra, ſic ſeruietis † dijs alienis in terra non veſtra. Annuntiate hæc domui Iacob, & auditum facite in Iuda, dicentes, Audi populе ſtulte, qui non habes cor: qui habentes oculos non videtis: & aures, & non auditis. Me ergo non timebitis, ait Dominus: & à facie mea non

D dolebitis? [l] Qui poſui arenam terminum mari, præceptum ſempiternum quod non præteribit: & commouebuntur, & non poterunt: & intumeſcent fluctus eius, & non tranſibunt illud: populo autem hic factum eſt cor incredulum & exaſperans: receſſerunt & abierunt. Et non dixerunt in corde ſuo. Metuamus Dominum Deum noſtrum, qui dat nobis pluuiam temporaneã & ſerotinam in tempore ſuo: [m] plenitudinem annuæ meſsis cuſtodientem nobis. Iniquitates veſtræ declinauerunt hæc: & peccata veſtra prohibuerunt bonum à vobis: quia inuenti ſunt in populo meo impij, [n] inſidiantes quaſi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sicut cauea plena auibus, ſic domus eorum plenæ dolo: ideo magnificati ſunt & ditati. Incraſſati ſunt & impinguati: † excedentes etiam facta peſsimorum. [o] Cauſam non iudicauerunt, cauſam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicauerunt. Nunquid ſuper his nõ viſitabo, dicit Dominus? aut ſuper gentem huiuſcemodi non vlciſcetur anima mea? Stupor & mirabilia facta ſunt in terra: prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes accipiebant munera manibus ſuis: & populus meus dilexit talia: quid igitur fiet in nouiſsimo eius?

SCHOLIA.

[a] Et propitius ero ei.] *Nempe ciuitati. Hoc autem videtur dixisse ad exaggerandum scelus ciuitatis: quasi dicat, si ostendere potestis vel vnum, qui synceritatem sectetur, toti parcam vrbi. Quanquam scimus Deũ, qua est benignitate, ob paucorum bonorum gratiam ingenti ignoscere peccatorum multitudini.* [b] Respiciunt fidem.] *Veritatẽ atque integritatem.* [c] Forsitan pauperes sunt.] *Hoc est, occupantur magis agris colendis, & vineis plantandis, quàm vt die noctuq; vacent legi diuinæ.* [d] Leo de sylua.] *Per leonem intellige regem Babylonis, & per lupum exercitum eius, atque per pardum principes exercitus. Et quod ait, Lupus ad vespera, Poterat etiam verti, lupus solitudinum, vel, deserta incolens.* [e] In domo meretricis.] *Potest & hic esse sensus. Et domus meretricis, seu tota familia simul congregata est, vel tota Ierusalem consensit ad idololatriam.* [f] Et emissarij.] *In Heb. est. Manè consurgentes, nempe ad hinnitum.* [g] Consummationem autem nolite facere.] *Vide, vt vbique reliquiæ seruandæ promittantur. Id autem non refertur ad Ierusalem, sed ad populum: illa enim tota in solitudinem est redacta, ex populo autem aliqui seruati sunt.* [h] Prophetæ fuerunt.] *Alius sic vertit, prophetæ vana loquuntur, verba tantum sunt, et nullum in eis pondus, quare nihil eueniet illorum, quæ minantur illi.* [i] Gentem antiquam.] *Nam Chaldæi tunc à nulla gente domiti erant, multisq; temporibus fuere inuicti, & inexpugnabiles.* [k] Quasi sepulchrum patens.] *Comparatur sepulchro aperto pharetra, quòd viuos deuoret, sicut sepulchrũ mortuos.* [l] Qui posui arenam terminum mari.] *Tanta (inquit) moles reueretur ob meum imperium tam fragilem terminum, nempe arenam, & homo vas fictile non me reueretur. Vbi obiter obserua hanc præ omnibus omnium philosophorum rationibus veram esse, cur suis finibus coerceatur mare, nempe quòd ei Deus posuerit arenam terminum.* [m] Plenitudinem annuæ messis.] *In Heb. est. Hebdomadas statutas pro messe.* [n] Insidiantes quasi aucupes.] *Tanta (inquit) est impietas in populo, vt quisque in itineribus transeuntes obseruet, vt illos dispoliet, & domus eorum plenæ sunt dolo, hoc est, bonis dolo & fraude quæsitis.* [o] Causam non.] *Potest & sic verti. Causa nullam indicauerunt, etiam causam pupilli, & prosperè agunt, &c.*

CAPVT VI.

F† [a] Vgite filij Beniamin de medio Ierusalem, [b] & in Thecua clangite buccina, & super Bethacarem le- A
uate vexillum: quia malum visum est ab aquilone, & contritio magna. Speciosæ & delicatæ assimula-
laui filiam Sion. Ad eam venient [c] pastores, & greges eorum: fixerunt in ea tentoria in circuitu: pascet
vnusquisq; eos, qui sub manu sua sunt. † Parate super eam bellum: consurgite, & ascendamus † versus meri-
diem. [d] Væ nobis, quia declinauit dies, quia longiores factæ sunt vmbræ vesperi. Surgite, & ascendamus in
nocte, & dissipemus domos eius. Quia hæc dicit Dominus exercituum. Cædite lignum eius, & fundite circa B
Ierusalem aggerem: [e] hæc est ciuitas visitata, omnis calumnia in medio eius. [f] Sicut † euomit cisterna aquam
suam: sic † ebullit malitiam suam: iniquitas & vastitas audietur in ea, coràm me semper [g] infirmitas & plaga.
[h] Erudire Ierusalem, ne fortè recedat anima mea à te, ne fortè ponam te desertam terram & inhabitabilem.
Hæc dicit Dominus exercituum, [i] † Racemando colligent quasi in vinea reliquias Israel: conuerte manum
tuam, quasi vindemiator ad cartallum. Cui loquar? & quem contestabor, vt audiat? ecce, incircumcisæ aures C
eorum, & audire non possunt. Ecce verbum Domini factum est eis in opprobrium: & non suscipient illud,
Iccircò furore Domini plenus sum, & laboraui sustinens: effunde [k] super paruulum foris, & super consilium
iuuenum simul: vir enim cum muliere capietur, senex [l] cum pleno dierum. Et transibunt domus eorum ad
Isa. 56.d alteros, agri, & vxores pariter: quia extendam manum meam super habitantes terram, dicit Dominus. A mi-
Infra 8.d nore quippe vsque ad maiorem omnes auaritiæ student: & à propheta vsque ad sacerdotem cuncti faciunt D
dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei leui sermone, dicentes, Pax, pax: & non erat pax. † Nun-
quid confusi sunt, quia abominationem fecerunt? quin potius confusione non sunt confusi, & erubescere ne
scierunt. Quam ob rem cadent inter ruentes: in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dominus. Hæc dicit
Dominus, [m] State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona & ambulate in ea:
& inuenietis refrigeriũ animabus vestris. Et dixerunt, Non ambulabimus. Et constitui super vos [n] speculato- E
res, Audite vocem tubæ, Et dixerunt, Non audiemus. Ideo audite gentes, & cognosce congregatio, [o] quanta
ego faciam eis. Audi terra, Ecce ego adducam mala super populum istum, fructum cogitationum eius: quia
Isa. 1.d verba mea non audierunt, & legem meam proiecerunt. Vt quid mihi thus de Saba affertis, & calamum sua-
ue olentem de terra longinqua? Holocaustomata vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt
mihi. Propterea hæc dicit Dominus, Ecce ego dabo in populum istum ruinas, & ruent in eis patres & filij si- F
mul, vicinus & proximus, & peribunt. Hæc dicit Dominus, Ecce populus veniet de terra aquilonis, & gens
magna consurget à finibus terræ. Sagittam & scutum arripiet: crudelis est, & non miserebitur: vox eius quasi
mare sonabit: & super equos ascendent, præparati quasi vir ad prælium, aduersum te filia Sion. Audiuimus
famam eius, dissolutæ sunt manus nostræ, tribulatio apprehendit nos, dolores, vt parturientem. Nolite exi-
re ad agros, & in via ne ambuletis: quoniam gladius inimici pauor in circuitu. Filia populi mei accingere G
cilicio, & conspergere cinere: luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum, quia repente veniet vastator su-
per nos. [p] † Propugnaculum dedi te in populo meo robustum: & scies, & † explorabis vias eorum. Omnes
isti principes declinantes, ambulantes fraudulenter, [q] æs & ferrum: vniuersi corrupti sunt. [r] Defecit sufflato
rium, in igne consumptum est plumbum, frustra conflauit conflator: malitiæ enim eorum nõ sunt consum-
ptæ. Argentum reprobum vocate eos, quia Dominus proiecit illos.

SCHOLIA.

[a] Fugite filij Beniamin.] *Alloquitur suos ciues, nam patria Ieremiæ erat in Anathoth, quæ est in tribu Beniamin, Ierusalem autẽ habitabatur à Iuda & Beniamin promiscuè. Et quod ait. Fugite. In Heb. est. Fortes sitis, scilicet ad fugam. Pro quo Chaldæus vertit. Migrate ò filij Beniamin, &c.* [b] Et in Thecua clangite tuba.] *Hoc est, inuitate ad fugam, Thecua duodecim millibus passuum distat ab Ierusalem, in tribu Beniamin. Inter Ierusalem & Thecua est Bethcarem.*

Alius

Alius vertit, pro, super Bethcarem, super domum vineæ: et per domum vineæ intelligit turrim, quæ in medio vinearum ad custodiam earum erigebatur, & signum aliquod in ea dabatur. [c] Pastores & greges eorum.] *Nomine pastorum accipiuntur rex & principes Babyloniorum, & per greges intelliguntur exercitus eorum.* [d] Væ nobis.] *Verba sunt hostium dolentium noctem superuenire ante, quàm perueniant ad Ierusalem.* [e] Hæc est ciuitas visitata.] *Aduenit tempus, vt hæc ciuitas visitetur, cum tota ipsa intrinsecus sit plena calumniæ.* [f] Sicut euomit.] *Sicut aquæ assiduæ emanant è fontibus, sic nequitia illorum perennis est.* [g] Infirmitas.] *Ita diuites, et potentiores abutebantur pauperibus, vt viribus destituti ægrotis assimilarentur.* [h] Erudire Ierusalem.] *Si adhuc (inquit) castigationem susceperis, & pœnitentiam egeris, potero ego Dominus ab ira mea reuocari, & imminentia auertere mala. Tu vero contemplare charitatem Dei, qui cum denuntiauerit iam certissimè venturum hostem, adhuc tamen inuitat ad emendationem, tanquam qui doleat, atque ægrè patiatur, imminens opprimere eos malum.* [i] Racemando colligent.] *Hoc est, sicut post vindemiam vinea denuo racematur, sic hostes depopulata vrbe, etiam remanentes reliquias spoliabunt, sicut subditur: conuerte iterum manum tuam, & paulatim acinos eximes, vt scilicet iterum spolies populum, sicut vindemiator cum racemat vineam, tanquam dicat aliquis ad hostem, adhuc reliqui sunt acini aliquot, quos tu præteristi, quare iterum manum tuam mitte ad colligendos illos paulatim: sicut è sporta paulatim eximi manu solent, vel vuæ vel pyra vel oua, &c.* [k] Super paruulũ.] *Tantam (inquit) exercebit hostis tyrannidem, vt etiam sine misericordia trucidaturus sit paruulos in platea.* [l] Cum pleno dierum.] *Per plenum dierum intellige decrepitum, & qui non sit vulgaris ætatis.* [m] State super vias.] *Hoc est, animaduertite apud vosmetipsos viam bonam & rectam, atque viam peruersam, & iudicet ratio vestra, quæ magis sit eligenda. Huic similis est parabola negociatoris quærentis pulchras margaritas, standum est igitur in prophetis.* [n] Speculatores.] *Hi sunt prophetæ veri, qui magna voce populum dehortabantur, ne audirent falsos prophetas.* [o] Quanta ego faciam eis.] *Alius vertit. Qualia sint in eis, subaudi, scelera, cũ à maioribus vsque ad minores omnes iniquitatibus studeant.* [p] Propugnaculum.] *Hoc dicit Deus, ne timeat propheta, sed constanter & intrepidè annuntiet impijs scelera eorum.* [q] Æs & ferrum.] *Ministros intelligi volunt, qui dominorum suorum mandata crudeliter exequebantur contra pauperes. Aes siue chalibs coniungitur ferro, vt ex eo fiant arma, sic alter alteri adhæret ad facienda mala.* [r] Defecit sufflatorium.] *Hoc est omnem operam perdidi in te purgando. Alius vertit, Accensum est sufflatorium ab igne, integrum est plumbum, &c. Assimilat autem hic propheta pessimos homines conflationi argenti, in qua tamen oleum & opera perduntur, quando quidem nihil agitur aliud, nisi quòd follis ex continuo vsu ab igne comburitur, & scoria ab argento non educitur, cum nihil illic boni sit, à quo malum separetur. Facit autem mentionem plumbi, quòd argentum non confletur, sine appositione plumbi, illud enim fluere facit. Significatur proinde per conflatorium propheta, per sufflatorium os eius, & guttur, quod ex continuo clamore raucum fiebat, & tamen nihil in peruerso illo populo effecit. Ionathas Chaldæus interpres in versione huius loci hac vsus est paraphrasi. Ecce sicut conflatores flatum faciunt, vt incalescat id, quod est in medio ignis, sic satagit vox prophetarum, qui prophetant eis, conuertimini ad legem, sed ipsi non conuertuntur. Et sicut plumbum diffluit in fornace, sic inania visa sunt illis verba prophetarum.*

CAPVT VII.

A VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, dicens, [a] Sta in porta domus Domini, & prædica
ibi verbum istud, & dic, Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, vt
adoretis Dominum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, Bonas facite vias vestras, & stu-
dia vestra: & habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes, [b] Templum Do- Infra. 28.d
mini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si benedixeritis vias vestras & studia vestra: si fece-
ritis iudicium inter virum & proximum eius, aduenæ & pupillo & viduæ non feceritis calumniam, nec san-
B guinem innocentem effuderitis in loco hoc, & post deos alienos non ambulaueritis in malum vobismetip-
sis: habitabo vobiscum in loco isto: in terra quam dedi patribus vestris à sæculo vsque in sæculum, Ecce, vos
confiditis vobis in sermonibus mendacij: qui non proderunt vobis. Furari, occidere, adulterari, iurare men-
daciter, libare Baal, & ire post deos alienos, quos ignoratis. Et venistis, & stetistis coràm me in domo hac, in
qua inuocatum est nomen meum, & dixistis, [c] Liberati sumus, ideo faciemus omnes abominationes istas. Matt. 21.d
Nunquid ergo spelunca latronum facta est domus ista, in qua inuocatum est nomen meum in oculis vestris? Mar. 11.c
C Ego ego sum: ego vidi, dicit Dominus. Ite ad locum meum in Silo, vbi habitauit nomen meum à principio: Luc. 19.g
& videte, quæ fecerim ei propter malitiam populi mei Israel. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, dicit Do
minus: & locutus sum ad vos manè consurgens, & loquens, & non audistis: & vocaui vos, & non respondistis:
faciam domui huic, in qua inuocatum est nomen meum, & in qua vos habetis fiduciam: & loco quem dedi
vobis, & patribus vestris, sicut feci Silo: & proijciam vos à facie mea, sicut proieci omnes fratres vestros [d] vni- Prouer. 1.c
uersum semen Ephraim. Tu ergo noli orare pro populo hoc, [e] nec assumas pro eis laudem & orationem, & Isa. 65.b
D non obsistas mihi: quia non exaudiam te. Nonne vides quid isti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieru 1. Reg. 4.b
salem? filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, & mulieres conspergunt farinam, vt faciant placen- Infra. 14.b Infra 44.a
tas [f] reginæ cœli, & libent dijs alienis, vt me ad iracundiam prouocent? Nunquid me ad iracundiam prouo-
cant, dicit Dñs? nonne semetipsos in confusionẽ vultus sui? Ideo hęc dicit Dominus Deus, Ecce furor meus,
& indignatio mea conflatur super locũ istum, super viros, & super iumenta, & super lignũ regionis, & super
fruges terræ, & succendetur, & non extinguetur. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, [g] Holocausto-
E mata vestra addite victimis vestris, & comedite carnes: quia non sum locutus cum patribus vestris, & nõ præ
cepi eis in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de verbo holocaustomatum & victimarum: sed hoc verbũ præ-
cepi eis, dicens, Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via
quã mandaui vobis, vt bene sit vobis, Et non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam: sed abierunt in vo-
luntatibus & in prauitate cordis sui mali: factiq; sunt retrorsum & non in ante, à die qua egressi sunt patres
eorum de terra Ægypti, vsque ad diem hanc. Et misi ad vos omnes seruos meos prophetas per diem, consur-
F gens diluculo, & mittens. Et non audierunt me, nec inclinauerunt aurem suam: sed indurauerunt ceruicem Infr. 16.c
suam,

suam: & peius operati sunt, quàm patres eorum. Et loqueris ad eos omnia verba hæc, & non audient te: & vocabis eos, & non respondebunt tibi. Et dices ad eos, Hæc est gens, quæ nō audiuit vocem Domini Dei sui, nec recepit disciplinam. Perijt fides, & ablata est de ore eorum. [h] Tonde capillum tuum & proijce, & sume † contra excelsa planctum: quia proiecit Dominus, & reliquit generationem furoris sui, quia fecerūt filij Iuda malum in oculis meis, dicit Dominus. Posuerunt abominationes suas in domo in qua inuocatum est nomen meum, vt polluerent eam: & ædificauerunt [i] excelsa Topheth, quæ est in valle filij Ennom: vt incenderent filios suos, & filias suas igni: quæ non præcepi nec cogitaui in corde meo, Ideò ecce dies veniēt, dicit Dominus, & nō dicetur amplius, Topheth & vallis filij Ennom, sed vallis interfectionis: & sepeliēt in Topheth. eò quòd non sit locus. Et erit morticinum populi huius in cibum volucribus cœli & bestijs terræ, & nō erit qui abigat. Et quiescere faciam de vrbibus Iuda, & de platèis Ierusalem vocem gaudij & vocem lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsæ, in desolatione enim erit terra.

Ezc. 26.c

SCHOLIA.

[a] Sta in porta.] *Portam illam orientalem fuisse dicunt, quæ vnica fuit, cum ad meridiem tres, & septentrionem tres fuerint, & ita in summa septem portæ: à meridie enim, & septentrione in templum ferè ascendebatur.* [b] Templum Domini.] *Absit (inquiunt ad prophetam) Vt Dominus propter peccata nostra deuastari permittat templum, quod suum est magis quàm nostrum: iccircò admonet, ne his fidant mendacibus, ac vanis cogitationibus. Aiunt autem, eum ter repetere templum propter Vestibulum, domum sanctam, & sanctum sanctorum. Ait ergo propheta exteriorem cultum Dei, minimè gratum esse Deo, si interim pessimè viuatur.* [c] Liberati sumus.] *Licet (inquiunt) peccemus, tamen quia venimus ad domum Domini, non punimur pro peccatis nostris, atque ideo facimus omnes abominationes istas. Et quia sic cogitabant in domo Domini, obycit illis id propheta, & dicit, Nunquid spelunca latronum, &c.* [d] Nec assumas pro eis laudē.] *Hoc est, psalmum: pulchrè autem affectus humanos induit, Vt populum magis deterreat: dum admonet prophetam, ne precetur pro populo, neque se intercessorem interponat: cum tamen id optaret Deus, vt respiscerent.* [e] Vniuersum semen Ephraim.] *Significatur per Ephraim decem tribus Israel, eò quòd tempore Roboam, quando regnū Dauid in duas partes fuit scissum, regnum Israel tribui Ephraim primum obuenerit, fuit enim Ieroboam primus rex Israel Ephrataeus 3. Reg. 11.* [f] Reginæ cœli.] *Hoc est, lunæ, cui palàm sacris operabantur mulieres, propter sexus puritatem. Alius pro, reginæ cœli, vertit, machinæ cœlorum.*

[g] Holocaustomata vestra.] *Sensus est. Comedite vos holocausta, & pacifica, modo incorruptam vitam, id enim potissimum semper à vobis habere volui, à tempore quo patres Vestros eduxi de Aegypto, Vt scilicet audirent vocem meam, & quòd holocausta sine fide, & obedientia mihi grata non essent, sed nec holocausta, & pacifica præcepi, aut exegi ab homine, quin illa arbitrio eius reliqui, modum sacrificandi tantum præscripsi, decalogum autem præcepi, & vitam integrari, vel ut non præcepisse se de holocaustiis, nempe si tam malè affecto animo offerantur, cum non is sit finis institutorum sacrificiorum. Ait autem, Vt addant holocausta victimis suis, quia holocausta tota (Vt nomen sonat) exurebantur, victimæ verò pacificorum redibant ex parte ad offerentes. Dicit ergo, comedite vos carnes etiam holocaustorum, &c.* [h] Tonde capillum.] *Nazaræus autem iubetur nutrire capillum capitis, quem hic propheta iubet in signum luctus resecare, & abycere. Apud veteres hæc erat omnium consuetudo lugentium, tondere cæsariem.* [i] Excelsa Topheth.] *Tradunt Hebræi ex hoc loco appellatam Geennam, quòd scilicet omnis populus Iudæorum ibi periret offendens Deū. Topheth locus erat apud Ierusalem, in Geenna hoc est in Valle Hennom, satis amœnus, & propterea aras ibi posuerunt, vbi idolis immolabant, & ea tanquam deos tanta insania colebant, Vt & filios immolarent, nomen habere aiunt à tympano. Colebatur autem ibi Moloch, Vt ferunt. Erat facies eius, Vt vituli, manibus ad recipiendum ab astantibus dispositis, & habuisse aram eius septem conclauia dicunt, vnum aperiebatur similæ offerendæ secundum turturibus, tertium oui, quartum arieti, quintum vitulo, sextum bouī. Qui verò volebat offerre filium, huic aperiebatur septimum cubiculum. Porrò puer receptus ab idolo succendebatur, & igne peribat, saltantibus ijs, qui astabant, & ne pueri eiulatus audiretur, tympani tantibus, Idolum hoc Saturnum quidam putarunt, & Sidoniorū deum, cui pueros immolabant. Sumptam, ferunt, hanc falsam religionem à praua imitatione, quando quidem fides eximia Abrahæ comprobata est in filij oblatione, hi absq; iussu Dei rem similem attentarunt, eo nomine Deo se placituros sperantes. Tandem rex Iosias contaminauit locum illum, proijciendo illuc cadauera, & alias quascunq; potuit immunditias.*

CAPVT VIII.

A IN illo tempore, ait Dominus, [a] Eijcient ossa regum Iuda, & ossa principum eius & ossa sacerdotum, & ossa prophetarum, & ossa eorum, qui habitauerunt Ierusalem, de sepulchris suis: & expandent ea ad solem, & lunam, & omnem militiam cœli, quæ dilexerunt, & quibus seruierunt, & post, quæ ambulauerunt, & quę quæsierunt & adorauerunt. Non colligentur, & non sepelientur: in sterquilinium super faciē terræ erunt. Et eligent magis mortem quàm vitam omnes qui residui fuerint de cognatione hac pessima in vniB uersis locis, quæ derelicta sunt, ad quæ eijciam eos, dicit Dominus exercituū. Et dices ad eos, Hęc dicit Dominus, [b] Nunquid qui cadet, non resurget? & qui auersus est non reuertetur? Quare ergo auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti. [c] Attendi, & auscultaui: nemo quòd bonum est loquitur, nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens, Quid feci?C Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prelium. [d] Miluus in cœlo cognouit tempus suum: turtur, & hirundo, & ciconia custodierunt tempus aduentus sui: populus autem meus non cognouit iudicium Domini. Quomodo dicitis, Sapientes nos sumus, & lex Domini nobiscum est? Verè mendacium operatus est [e] stilus mendax scribarum. Confusi sunt sapientes, perterriti & capti sunt: verbum enim D Domini proiecerunt, & sapientia nulla est in eis. Propterea dabo mulieres eorū exteris, agros eorū † occupantibus: quia à minimo vsq; ad maximū omnes auaritiā sequūtur: à prophera vsq; ad sacerdotē cūcti faciūt Isa. 56.d mendaciū. [f] Et sanabant contritionē filię populi mei leui verbo dicentes, Pax, pax: cum non esset pax. Confusi sunt, quia abominationē fecerunt? quin imo cōfusione nō sunt cōfusi, & erubescere nescierūt: iccircò cadent inter corruentes, in tempore visitationis suæ corruent, dicit Dns, † Auferens auferā eos, ait Dominus. Infra 6.c

Non

E Non est vua in vitibus, & non sunt ficus in ficulnea, folium defluxit: [g] & dedi eis † qui transierunt per illa. Quare sedemus? Conuenite & ingrediamur ciuitatem munitam, & † pereamus ibi: quia Dominus Deus noster † abiecit nos, & potum dedit nobis [h] aquam fellis: peccauimus enim Domino. Expectauimus pacem, & Infra. 14.d non erat bonum: tempus medelæ, & ecce formido. A Dan auditus est fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra. Et venerunt, & deuorauerunt, terram, & plenitudinemF eius: vrbem & habitatores eius. Quia ecce ego mittā vobis [i] serpentes regulos, quibus non est incantatio: & mordebunt vos, ait Dominus. [k] Dolor meus super dolorem: in me cor meum mœrens. Ecce, vox clamoris filiæ populi mei de terra longinqua. Nunquid Dominus non est in Sion: aut rex eius non est in ea? Quare ergo me ad iracundiam concitauerunt in sculptilibus suis, & in vanitatibus alienis? [l] Transijt messis, finita est æstas: & nos saluati non sumus. Super contritione filię populi mei contritus sum, & contristatus, stupor obtinuit me. Nunquid resina non est [m] in Galaad? aut medicus non est ibi? quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei?

SCHOLIA.

[a] Eijcient ossa regis Iuda.] *Fuit in deuastatione Ierusalem etiam in mortuos sæuitum, præsertim in pessimos reges, et sacerdotes, qui dolorum culturam sustinuerunt, & instituerunt. Quæ res tantum errorem, & mœrorem incussit viuentibus, vt magis mori, quàm viuere deliberauerint, videntes grauissimam Dei vltionem, tandem post tot prophetarum monita tam horribiliter in se effusam: putatur & hanc ossium eiectionem factam ob spem præsentiæ, quia scilicet iuxta antiquum morem, aurum, & quædam ornamenta in sepulchris condere solebant.* [b] Nunquid qui cadit, non resurget?] *Hoc est, hi ceciderūt, & surgere nolunt. Vel omnes, qui cadunt, resurgere cupiunt: at hic populus cum ceciderit, non quærit resurgere.* [c] Attendi, & auscultaui.] *Hæc sunt verba prophetæ, qui diligenter aduertit, si quidam commouerētur minis diuinis, sed neminem reperit, qui respiscceret, & a cursu Viæ suæ peruersæ pedem retraheret. Non (inquit) equus est tam feruens in prælio, quin illi feruentiores fuerint in sceleribus suis.* [d] Miluus in cœlo.] *Alius pro his auibus tristulit, Ciconiam, Gruem, Turdum, Hyrundinem, quòd Cichoniæ æstatis, Grues hyemis aduenæ sint inter maiores aues, inter minores turdi hyemis, hyrundines æstatis nuntiæ. Sed Variè interpretatio fit: magna enim in rerum vocabulis etiam apud Hebræos obscuritas est.* [e] Stilus mendax scribarum.] *Quia nihil aliud quàm legem scribebant, eam factis non seruātes. Cur ergo (inquit) gloriamini vos habere legem, cum nemo ex vobis faciat legem?* [f] Et sanabant.] *Hoc est, promittebant sanitatem, & corripuit eos morbus.* [g] Et dedi eis, qui transierunt per illa.] *Nempe hostibus. Alius Vertit. Et quæ dedi eis, migrabūt ab eis, Vt sit sensus. Non solum amittent fructus, qui adhuc hærent in arboribus, verum & quos iam condiderunt, auferent hostes eorum.*

[h] Aquam fellis.] *Ferunt lætiferum venenum esse, quod ex herba quadam exprimatur, eòque succum illum aquam nominat.* [i] Serpentes regulos.] *Hunc locum Ionathas Chaldæus sic exponit. Ecce ego immitto vobis populos, qui interficiunt sicut serpentes reguli, & illud, quibus non est incantatio, hoc est, qui non capientur incantationibus.* [k] Dolor meus.] *Hebraismus habet. Corroboratio mea super dolorem. Quare potest etiam verti. Roborari cupiebam contra mœrorem, sed cor meū in me dolore affectum est.* [l] Transijt messis.] *Hoc est, præterijt nobis omnis spes, tāquàm æstate exacta & colligendorum fructum tempore.* [m] In Galaad.] *Ferunt in Galaad quercus, et pinus esse vnde resina colligitur. Vel intelligitur theriaca, aut aliud præsens pharmacum contra desperatos morbos.*

CAPVT IX.

A QVis dabit capiti meo aquam: & oculis meis fontem lacrymarum: & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei? [a] Quis dabit me in solitudine diuersorium viatorum: & derelinquam populum meum, & recedam ab eis? quia omnes adulteri sunt, & cœtus præuaricatorum. Et extenderūt linguam suam [b] quasi arcum mendacij, & non veritatis: [c] confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, & me non cognouerunt, dicit Dominus. Vnusquisque se à proximo suo custodiat, &B in omni fratre suo non habeat fiduciam: quia omnis frater supplantans supplantabit, & omnis amicus fraudulenter incedet. Et vir fratrem suum deridebit, & veritatem non loquentur: docuerūt enim linguam suam loqui mendacium: vt iniquè agerent laborauerunt. Habitatio tua in medio doli: in dolo renuerunt scire me, dicit Dominus. Propterea hæc dicit Dominus exercituum, [d] Ecce ego conflabo & probabo eos: [e] quid enim aliud faciam à facie filiæ populi mei? Sagitta vulnerans lingua eorum, dolum locuta est. In ore suo pacem Psal. 27.b C cum amico suo loquitur, & occultè ponit ei insidias. Nunquid super his non visitabo, dicit Dominus? aut in gente huiusce modi non vlciscetur anima mea? [f] Super montes assumam fletum ac lamentum, & super speciosa deserti planctum: quoniam incensa sunt, † ita vt non sit vir pertransiens: & non audierunt [g] vocem possidentis: à volucre cœli vsque ad pecora transmigrauerunt & recesserunt. Et dabo Ierusalem in aceruos & cubilia draconum: & ciuitates Iuda dabo in desolationem, † adeo vt non sit habitator. [h] Quis est vir sapiēsD qui intelligat hoc, & ad quē verbum oris Domini fiat vt annūtiet istud, quare perierit terra, & exusta sit quasi desertum, † ita vt non sit qui pertranseat? Et dixit Dominus, Quia dereliquerunt legem meam, quam dedi eis, & non audierunt vocem meam, & non ambulauerunt in ea: & abierūt post prauitatem cordis sui, & post Baalim, quod didicerunt à patribus suis. Iccircò hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, [i] Ecce ego cibabo populum istum absinthio, & potum dabo eis aquam fellis: & dispergam eos in gentibus, quas non noue- Infra. 23.c runt ipsi & patres eorum: & mittam post eos gladium donec consumātur. Hæc dicit Dominus exercituum,E Contemplamini, & vocate lamentatrices, vt veniant: & ad eas quæ sapientes sunt, mittite, & properent, festinent, & assumant super nos lamentum. Deducant oculi nostri lacrymas, & palpebræ nostræ defluant aquis: quia vox lamentationis audita est de Sion, Quomodo vastati sumus, & confusi vehementer? quia dereliquimus terram, quoniam deiecta sunt tabernacula nostra. Audite ergo mulieres verbum Domini, & assumant F aures vestræ sermonem oris eius: & [k] docete filias vestras lamentum, & vnaquęq; proximam suam plāctum: quia [l] ascendit mors per feneſtras nostras, ingressa est domos nostras, disperdere paruulos de † vicis, iuuenes

de platèis.

1.Cor.1.b 2.Co.10.d de platèis. Loquere, Hæc dicit Dominus, Et cadet morticinum hominis quasi stercus super faciem regionis, & quasi fœnum post tergum metentis, & non est qui colligat. Hæc dicit Dominus, [m] Non glorietur sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur dives in diuitijs suis: sed in hoc glorietur, qui gloriatur scire & nosse me, quia ego sum Dñs qui [n] facio misericordiam, & iudicium & iustitiam in terra: hæc enim placent mihi, ait Dominus. Ecce dies venient, dicit Dominus: & visitabo [o] super omnem † circumcisum integro præputio, super Ægyptum, & super Iudam, & super Edom, & super filios Ammon: & super Moab, & super omnes qui † habitant in extremis angulis mundi, habitãtes in deserto: quia omnes gẽtes habent præputium, omnis autem domus Israel incircumcisi sunt corde.

SCHOLIA.

[a] Quis dabit.] *Hoc est. Quis det, vt domus mea in deserto sit hospicium viatorũ? desererem. n. populũ meũ.* [b] Quasi.] *Hoc est, cuius sagittæ sunt mendacia, et nihil minus quàm veritas.* [c] Cõfortati sunt.] *Hoc est, corroborati in sua malitia.* [d] Ecce ego conflabo.] *Igne (inquit) exuram eos, atque vniuersam terram eorum deuastabo, vt tandem sciam, qui in tãto populo sint mei.* [e] Quid enim aliud?] *Quid aliud (inquit) faciam, si vocari velit filia populi mei, vel, Quomodo enim aliter faciam, cum sit filia populi mei? quasi consultet Deus, & dicat, ostendat mihi quis aliam viam, relinquamque incastigatam, cum non cesset à peccatis?* [f] Super montes.] *Agrorum deuastatio, & ciuitatis depopulatio prædicitur.* [g] Vocẽ possidentis.] *Hoc est, habitatoris: Alius vertit, vocem pecorum.* [h] Quis est vir sapiens?] *Ille, qui est vir sapiens, facilè agnoscet causam tantæ depopulationis, & quòd propheta, ad quem locutum est os Domini prædicit illum ante, quam veniat.* [i] Ecce ego cibabo.] *Chaldæus interpres sic explicat hanc sentẽtiam. Ecce ego adduco angustiam super populum istum, quæ tam acerba erit, vt absynthium, et potabo eos calice maledictionis, quasi veneno serpentũ.* [k] Docete filias vestras lamentum.] *Hic mos vsque hodie dicitur permanere in Iudæa, vt mulieres sparsis crinibus, nudatisque pectoribus, voce modulata omnes ad fletum concitent.* [l] Ascendit mors per fenestras nostras.] *Hoc est, subitò, & nemine præuidente accidit nobis hæc afflictio, & vrbis nostræ subuersio, vt videatur mors ipsa clanculum per fenestras irrepsisse. Alius putat, alluisse prophetam ad Ierusalem, quæ alta erat, quasi diceret, securè degebamus, vt ij, qui alta loca inhabitantes, apertis fenestris securè dormiunt, sed imprudentibus nobis intrasit nos afflictio.* [m] Non glorietur sapiens.] *Nec sapientes astutia sua euadere potuerunt, nec fortes viribus suis illam auertere, aut diuites pecunia se redimere ab ea.* [n] Facio misericordiam.] *Inter misericordiam, iudicium, & iustitiam, hoc discrimen esse volunt, vt misericordia nõ respiciat meritum, iudicium grauatos ab aliorum calumnijs liberet, puniens impios, & nocentes: iustitia autem, cum bonos, qui hic oppressi sunt, reficiat bonis & remunerat.* [o] Super omnem circumcisum integro præputio.] *Iudæum scilicet, qui circumcisus carne præputium integrum cordis gerit. Alius sic distinguit. Visitabo omnem, qui est circumcisus, qualis est Israel, & omnem, qui adhuc est in præputio, vt sunt gentes.*

CAPVT X.

A Vdite verbum quod locutus est Dominus super vos domus Israel. Hæc dicit Dominus, [a] Iuxta vias A
gentium nolite discere: & à signis cœli nolite metuere, quæ timent gentes: quia leges populorum vanæ sunt. Quia lignum de saltu præcidit opus manus artificis in ascia. Argẽto & auro decorauit illud:
Sapi.1.4. Apo.15.b clauis & malleis compegit, vt non dissoluatur. [b] In similitudinẽ palmæ † rigida stant, & non loquentur: portata tollentur: quia incedere non valent. Nolite ergo timere ea, quia nec malè possunt facere, nec bene. Non B
est similis tui Domine: magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine. Quis nõ timebit te ò rex gentium? Tuum est enim decus. Inter cunctos sapientes gentium, & in vniuersis regnis eorum nullus est similis tui. Pariter insipientes & fatui probabuntur: doctrina vanitatis eorum lignum est. Argentum extensum, de
C Tharsis affertur, & aurum de Ophaz: opus artificis, & manus argentarij: hiacynthus & purpura indumentum eorum: opus artificum vniuersa hæc. Dominus autem Deus verus est: ipse Deus viuens, & rex sempiternus. Ab
Infra 51.b indignatione eius commouebitur terra: & non sustinebunt gẽtes comminationem eius. Sic ergo dicetis eis,
Psal.134. [c] dij qui cœlos & terram non fecerunt, pereant de terra & de his quę sub cœlo sunt. [d] Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbẽ in sapientia sua, & prudentia sua extendit cœlos. Ad vocem suã dat multitudinẽ D
aquarum in cœlo, & eleuat nebulas ab extremitatibus terræ: [e] fulgura † inter pluuiam facit, & educit vẽtum de thesauris suis. Stultus factus est omnis homo à scientia, confusus est artifex omnis in sculptili: quoniam falsum est quod conflauit, & non est spiritus in eis. Vana sunt, & opus risu dignum: in tempore visitationis
suæ peribunt. Non est his similis [f] pars Iacob: qui enim formauit omnia, ipse est: & Israel virga hæreditatis E
eius: Dominus exercituum nomen illi. [g] Congrega de terra † merces tuas, quæ habitas in loco munito: quia hæc dicit Dominus, Ecce, ego longè proijciam habitatores terræ in hac vice: & tribulabo eos, † vt non inueniant eos. [h] Væ mihi super contritione mea, pessima plaga mea. Ego autem dixi, Planè hæc infirmitas mea
est, & portabo illam. [i] Tabernaculum meum vastatum est, omnes funiculi mei dirupti sunt: filij mei exierũt F
à me, & non subsistũt: non est qui extendat vltrà tentorium meum, & erigat pelles meas. Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt: propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum dispersus est.
Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de terra aquilonis: vt ponat ciuitates Iuda in solitudinem,
Psal.78. & habitaculum draconum. Scio Domine quod [k] non est hominis via eius: nec viri est vt ambulet, & dirigat G
gressus suos. Corripe me Domine, [l] verumtamen in iudicio: & non in furore tuo, ne fortè ad nihilum redigas me. Effunde indignationem tuam super gentes quæ non cognouerunt te, & super prouincias quæ nomen tuum non inuocauerunt: quia comederunt Iacob, & deuorauerunt eum, & consumpserunt illum, & decus eius dissipauerunt.

SCHOLIA.

[a] Iuxta vias gentium.] *Hoc est, ritum & cultum, quem Dijs suis exhibent, ne imitemini: timent enim signa cælestia, & colunt ea vt deos, fabricantes in honorem eorum imagines ligneas, auro, & argento obductas, putantes per id eorum promereri*

mereri gratiam, vt cumulatiores colligant fructus, cum id stellarum non sit, sed Dei, cui stellæ, & vniuersum cœlum in suis influxibus obtemperant. Hic locus insignis est: contra astrologos. Ex primo enim Geneseos discimus quòd stellarum est lucere, ac distinguere tempora, operationem autem in elementis scriptura non syderibus, sed Deo tribuit. [b] In similitudinem palmæ.] *Quæ scilicet recta in altum succreuit: flecti nescia, sic imagines illorum stant erectæ in modum corporis humani.*

[c] Dij qui cœlos & terram non fecerunt.] *Scriptus est, versus iste Chaldaico sermone, monentur q; Iudæi, qui iam in Babylonia agebant, vt Babylonijs, culturam idolorum suadentibus illum obyciant, non Hebraico sermone, quem illi non intelligebant, sed Chaldaico, & patrio: vnde Ionathas Chaldæus hunc versum sic vertit, Hoc est exemplar epistolæ, quam misit Ieremias propheta ad residuos seniores, qui erant in captiuitate Babel. Si dixerint vobis populi, inter quos vos estis, colite idola domus Israel, respondebitis eis in hunc modum, Idola, quæ vos colitis, sunt absque diuinitate, nec possunt demittere pluuiam de cœlis: neque possunt facere, vt terra producat fructus, atque ideo qui ea colunt peribunt & perdentur.* [d] Qui facit terram.] *Subaudi hunc nos, vt verum colimus Deum.* [e] Fulgura inter pluuiam facit.] *Vel, cum pluuia. Quam rem tanquam admirandam commemorat, quòd in media pluuia igneæ fulgurationes appareant. Nos verò, dum quærimus vnicuique rei naturalem ascribere causam, amittimus fructum contemplandorum diuinorum operum: perinde quasi & ipsarum causarum minimè Deus author sit, ita miseri abutimur & ingenio, & omnibus bonis, quæ à Deo ad nos proficiscuntur, vt meritò consequenter dicat hic propheta, stultus factus est omnis homo à scientia sua. Quæ tamen verba nunc dicta sunt aduersus idolatras, quòd scilicet vana sit hæc scientia, qua quis conatur sua arte facere Deum, & maior stultitia in mundo inueniri nequeat.* [f] Pars Iacob.] *Hoc est, Deus verus non est ijs similis, qui Deus pars Iacob dicitur, quia ab hac gente, quæ à Iacob profecta est, colebatur, iuxta illud. Notus in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius.* [g] Congrega de terra merces tuas.] *Cõgrega, hoc est, aufer: loquitur enim (vt quidam volunt) Deus ad Babel, vt videas (inquit) omnem sapientiam tuam esse stultitiam, licet habites loca munita, ego tamen dissipabo te: sed videtur posse & ad Ierusalem pertinere propter ea, quæ sequuntur. Væ mihi, &c.* [h] Væ mihi.] *Verba sunt prophetæ, vicem populi sui dolentis. Et quod sequitur, planè hæc infirmitas mea est, & portabo illam, hoc est, intolerabilis, est hæc plaga, quam quomodo ferre potero?* [i] Tabernaculum meũ.] *Vocat ciuitatem tabernaculum, funes verò oppida eius, quod adhæreant illi quasi funes, quibus figuntur tabernacula.*

[k] Non est hominis via eius.] *Hebræi ad regem Babel referunt, qui cum in itinere constitutus, Moabitas bello petere deliberasset, cum audisset rebellasse Israelitas, mutato consilio, contra Ierusalem arma mouit: cor enim regis in manu Domini, sicut & alio loco dicitur, A Domino gressus hominis diriguntur. Dicunt dictionem Hebræam, pro qua hic dictum est, Viri, significare hominem insignem, qualis fuerit Nabuchodonosor.* [l] Verumtamen in iudicio.] *Hoc est, habita ratione imbecillitatis meæ.*

CAPVT XI.

A Verbum quod factum est à Domino ad Ieremiam, dicens, [a] Audite verba pacti huius, & loquimini A
ad viros Iuda, & ad habitatores Ierusalem, & dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Maledictus vir qui non audierit verba pacti huius: quod præcepi patribus vestris in die qua eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea, dicens, Audite vocem meam, & facite omnia, quæ præcepi vobis: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum: vt suscitem iuramentum, quod iuraui patribus vestris daturum
B me eis, terram fluentem lacte & melle, sicut est dies hæc. Et respondi, & dixi, [b] Amen Domine. Et dixit Dominus ad me, Vociferare omnia verba hæc in ciuitatibus Iuda, & foris Ierusalem, dicens, Audite verba pacti huius, & facite illa: quia contestans contestatus sum patres vestros in die qua eduxi eos de terra Ægypti vsque ad diem hanc. Manè consurgens contestatus sum, & dixi, Audite vocem meam: & non audierunt, nec inclinauerunt aurem suam: sed abierunt vnusquisque in prauitate cordis sui mali. Et induxi super eos omnia verba pacti huius, quod præcepi, vt facerent, & non fecerunt. Et dixit Dominus ad me, [c] In-
C uenta est coniuratio in viris Iuda, & in habitatoribus Ierusalem. Reuersi sunt ad iniquitates patrum suorum priores, qui noluerunt audire verba mea. Et hi ergo abierunt post deos alienos, vt seruirent eis. Irritum fecerunt domus Israel & domus Iuda pactum meum, quod pepigi cum patribus eorum. Quam ob rem hęc dicit Dominus, Ecce ego inducam super eos mala, de quibus exire non poterunt: & clamabunt ad me, & nõ exaudiam eos. Et ibunt ciuitates Iuda, & habitatores Ierusalem, & clamabunt ad deos quibus libant, & non saluabunt eos in tempore afflictionis eorum. Secundum numerum enim ciuitatum tuarum erant dij
D tui Iuda: & secundum numerum platearum Ierusalem posuisti aras confusionis ad libandum Baalim, Tu Infra 14.b
ergo [d] noli orare pro populo hoc, & ne assumas pro eis laudem, & orationem: quia non exaudiam in tempore clamoris eorum ad me, in tempore afflictionis eorum. † [e] Quid est dilecto meo in domo mea, postquam fecit ipsa scelera tam multa? Vtique carnes sanctæ recedent à te propter malitias tuas, in quibus gloriata es. Oliuam vberem, pulchram, fructiferam, speciosam vocauit Dominus nomen tuum. [f] Ad vocem
E loquelæ grandis exarsit ignis in ea, & combusta sunt fruteta eius. Et Dominus exercituum, qui plantauit te, locutus est super te malum: pro malis domus Israel & domus Iuda, quæ fecerunt sibi ad irritandum me, libantes Baalim. Tu autem Domine [g] demonstrasti mihi, & cognoui: tunc ostendisti mihi studia eorum, & ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam: & non cognoui quod cogitauerunt super me consilia, dicentes, [h] Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non
memoretur amplius. Tu autem Domine sabaoth, qui iudicas iustè, & probas renes & corda, videam vltio- Isa. 53.c
F nem tuam ex eis: tibi enim reuelaui causam meam. Propterea hæc dicit Dominus ad viros Anathoth qui Sapien. 2.d
quærunt animam tuam, & dicunt, [i] Non prophetabis in nomine Domini, & non morieris in manibus nos- Infra. 20.c
tris. Propterea hæc dicit Dominus exercituum, Ecce ego visitabo super eos: iuuenes morientur in gladio, filij eorum & filiæ eorum morientur in fame, & reliquiæ non erunt ex eis: inducam enim malum super vi-
ros Anathoth, annum visitationis eorum.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Audite verba pacti huius.] *Loquitur de fœdere, quod Dominus percussit cum patribus eorum, Deute. 28. quando eduxerat eos de Aegypto. Superiorem prophetiam prædixit propheta in porta templi, magna libertate vtens, hanc à Domino admonitus accipit in natali suo loco Anathoth, qui tribus millibus passuum distat à Ierusalem. Et videbis verum, quod Dominus dicit, nullum prophetam in patria acceptum esse, quærebant enim eum interficere, in quo typum gerit Christi: sed quomodo quadrat verbum factum ad Ieremiam, cum sequatur, audite, et loquimini? vt scias spiritum & alijs locutum, tametsi præcipuus fuerit Ieremias. Viuebant enim eodem tempore, Sophonias, & alij.* [b] Amen Domine.] *Hoc est, fiat, æquis est.* [c] Inuenta est coniuratio.] *Hoc est, conspiratio in hoc, vt faciant mala. Post pœnitentiam enim, quam facere cœperunt sub Iosia, iterum reuersi sunt ad vomitum, contemnentes me, & legem meam.* [d] Noli orare.] *In epistola Ioannis iubemur non orare pro peccato ad mortem. Et quod addit, non assumas pro eis laudem, quædam est oratio in qua diuinæ laudes magis pronuntur: aliud genus, vbi plus petitionibus vacatur.* [e] Quid est dilecto meo.] *Volunt esse verba prophetæ loquentis ad Deum: licet quidam sic interpretetur. Quid dilectus meus Ieremias assiduus prophetat in templo, dum illa ecclesia Israelis fecit abominationem? per domum intellige templum Domini, in quo Deus amplius nō colebatur, sed tota Iudæa, præter paucissimos Deum timentes, colebat idolum Baal. Et quod sequitur, carnes sanctæ recedent à te, sensus est, holocausta & oblationes templi transtulisti in cultum idolorum, & cum hoc malum fecerō, gaudes, cum potius confundi debereς. Alij exponunt carnem pro hominibus secundum illud. Et omnis caro corruperat viam suam, et tunc hic erit sensus, omnes viri sancti transeunt à te ne malis tuis contaminentur. Chaldæus verò interpretatur in hanc sententiam. Quid populo fiet, qui mihi in precio habebatur, omisso cultu ac reuerentia domus meæ sanctæ? ceperunt consilium peccandi multifariam cōfundentes carnes abominationum cum carnibus sanctis, &c.* [f] Ad vocem loquelæ.] *Vel, cum voce magni tumultus hostis incendit ignem in ea.*
[g] Demonstrasti mihi.] *Reuelauit (inquit) mihi Dominus dolos gentis meæ, quæ consilium inijt contra me, vt veneno me interficeret, et ego cum essem inter eos, ducebar, quasi ouis ad victimam, nesciens mihi mortem intentatam, nisi postea, quàm tu reuelasti. Repræsentat verò hic propheta Christum, qui, vt agnus ad mortem ductus fuit, non aperiens os suum: nam id in Ieremia non fuit impletum.* [h] Mittamus lignum.] *Venenatum scilicet, sunt qui existiment fuisse lignum taxi. Panis apud Hebræos omne edulium significat. Figura autem alludit ad crucem, vt is, qui panis verus esset, occideretur ligno, nempe crucis, vt infamaretur cruce, & fieret quod hic dicitur, & nomen eius non memoretur amplius.* [i] Non prophetabis.] *Non prophetes (inquiunt) in nomine Domini, vt non moriaris in manibus nostris.*

CAPVT XII.

Iob 21.a
Abac. 1.a

I[a] Vstus quidem tu es Domine, [b] si disputem tecum: veruntamen † iudicia loquar ad te: quare via impiorum prosperatur: bene est omnibus, qui præuaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum: [c] propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum. Et tu Domine nosti me, vidisti me, & probasti cor meum tecum. † Perde eos quasi gregem ad victimam, [d] & sanctifica eos in diem occisionis. Vsquequo lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea? Consumptum est animal, & volucre: quoniam dixerunt, Non videbit nouissima nostra. [e] Si cum peditibus currens laborasti: quomodo contendere poteris cū equis? Cum autem in terra pacis † cō fisus fueris, quid facies in superbia Iordanis? [f] Nam & fratres tui, & domus patris tui etiam ipsi † impiè egerunt aduersum te, & clamauerunt post te plena voce, [g] Ne credas eis cum locuti fuerint tibi bona. [h] Reliqui domum meam, dimisi hæreditatem meam: dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Facta est mihi hæreditas mea [i] quasi leo in sylua: dedit contra me vocem, ideò odiui eam. † [k] Nunquid aui sanguinariæ data est hæreditas mea? nunquid auis per circuitum est contra eam? venite congregamini omnes bestiæ terræ, properate ad deuorandum. [l] Pastores multi demoliti sunt vineam meam, conculcauerunt partem meam: dederunt portionem meam desyderabilem in desertum solitudinis. Posuerunt eam in dissipationem, luxitq; † ad me: desolatione desolata est omnis terra: quia [m] nullus est, qui recogitet corde. [n] Super omnia loca excelsa deserti venerunt omnes vastatores terræ, quia gladius Domini deuorabit ab extremo terræ vsq; ad extremum eius: non est pax vniuersæ carni. [o] Seminauerunt triticum, & spinas messuerunt: hæreditatem acceperunt, & non eis proderit. Confundemini à fructibus vestris, propter iram furoris Domini. Hæc dicit Dominus aduersum omnes [p] vicinos meos pessimos, qui tangunt hæreditatem, quam distribui populo meo Israel: Ecce, ego euellam eos de terra sua, & domum Iuda euellam de medio eorum. [q] Et cum euulsero eos, conuertar & miserebor eorum: & reducam eos, virum ad hæreditatem, & virum in terram suam. Et erit, [r] si eruditi didicerint vias populi mei, vt iurent in nomine meo Viuit Dominus, sicut docuerunt populum meū iurare Baal: ædificabuntur in medio populi mei. Quòd si non audierint: euellam gentem illam euulsione & perditione, ait Dominus.

SCHOLIA.

[a] Iustus quidem tu es Domine.] *Ingeniosus est propheta, & abundat argumentis spiritus, vt vnam eandemq; rem tot tamque varijs modis inculcet. Omnia præmitigat, & profert magna cautione, ne quem offendat. Videtur ergo esse σχηματισμὸς ad correctionem impiorum, factus, quo clarius proponatur iniquitas: sic & psalmus 72. & Abacuch 1. & Iob 21. tametsi spiritus in homine multa cum libertate suos æstus interim proferat.* [b] Si disputem tecum.] *More scilicet hominum, qui iudicio cum alijs contendant.* [c] Prope tu es ori eorum.] *Fatentur se nosse Deum, factis autem negant. Renes accipiuntur pro interioribus affectionibus, qui simulatione varia, sicut inuoluti renes habentur, obtecti sunt. Longè ergo es à renibus, hoc est, à cogitationibus eorum, cum de re nulla minus, quàm de te cogitent.* [d] Et sanctifica eos in diem occisionis.] *Hoc est, præpara, vel segrega in tempus certum, quo sunt occidendi. Hebraismus enim est. Sensus est ergo, postquam impy multa cumulauerint bona, & in omnibus felicem habuerint successum, tu subitò educis illos ex bonis eorum, & destinas morti, etiam postquam visi sunt radicem firmasse, talique fine clauditur felicitas eorum. Verum impy hoc non credunt, cum à pijs admonentur, sed respondent, non videt Deus nouissimum nostrum, hoc est, ignorat quid nobis*

bis euenturum sit. [e] Si cum peditibus.] *Respondet hic Deus prophetæ ad suam quæstionem, vt Hebræi putant, & docet, ne temerè perquirat consilia diuina. Non potuisti (inquit) cursu contendere cum peditibus, & tui similibus, & quomodo procuras equos, vt tecum currant? hoc est, nesciebas misceri tibi ab Anathothitis lætalia pocula, & scire vis, qua ratione ego gubernem hunc vniuersum mundum? Et illud. Si in terra pacis, &c. hunc habet sensum. Si in tua patria ignorasti, quid ad versum te moliantur inimici tui, sed securus in medijs periculis versatus es, quid facies, si fluctibus Iordanis obijciaris? id est, quamodo cognosces consilia Dei de prosperitate impiorum? &c. Et hæc quidem erit sententia, si prioribus continuetur. Si verò sequentibus eam adiungas, animatur propheta ad sufficiendum simpliciter in Deum, quia nihil tutum sit inuenturus, quando grauissimos inimicos inuenerit inter familiares & propinquos suos. Longè molestius (inquit) insolentia vrbana, cum regis, tum principum te feret. Vel, sic: si cum tuis fractus animo vsus fuisti, quid ages cum potentibus Ierusalem? &, qui non resistunt carni & sanguini, quomodo obsistent principibus aduersarijs? Idem dicit etiam alia parabola. Tu sperabas te pacem inuenturum in Anathoth, quid igitur futurū est terosolymis, vbi tam superbè arrogantes inflantur sicut Iordanis? Ionathas priuati sententia exposita adiungit intelligendum etiam de exercitu Nabuchodonosor, quem transmittit vltra Iordanem.*
[f] Nam & fratres tui.] *Exponit, quæ sit terra pacis, & qui pedites, nempe consanguinei, & amici prophetæ, qui dolis illum conati sunt interficere. Clamauerunt enim post eum, ne prophetaret in nomine Domini: insultabant ad prandia, sed cupiebant occidere.* [g] Ne credas eis.] *Hoc est, ad eundem modum non putes fidendum prosperitati impiorum.* [h] Reliqui domum meam.] *Domum, templum: hæreditatem, populum intellige, quem dilectam animam, vel dilectionem animæ appellat. Loquitur enim σχετλιαστικῶς. Inter omnia difficile relinquitur domus, difficilius hæreditas, difficillimè dilectio animæ, hoc est, quod summè diligitur.* [i] Quasi leo in sylua.] *Hoc est, vniuersam terram hæreditatis meæ horrui haud secus, quàm cum per syluam quis graditur, & rugientem audit leonem, declinat à loco illo: sic ego propter rugitum pauperum qui à potentioribus vim & calumniam patiuntur, deserui terram meam.* [k] Nunquid aui sanguinariæ.] *Ex derelictione (inquit) mea hæc futurum est, vt tanta populi mei fiat strages, vt etiam rapaces aues sanguine occisorum se tinctura sint, & bestiæ agri corpora ipsa laceraturæ.* [l] Pastores multi.] *Hoc est, reges, & principes, qui cum Nabuchodonosor venerunt. Vide verò pulchras antitheses, eam appellans vineam suam, partem suam, portionem desyderabilem, addit, demoliti sunt, conculcarunt, posuerunt in dissipationem, Et quod sequitur, luxitq; ad me, hoc est, auxilium implorant serò à me.* [m] Nullus est, qui recogitet corde.] *Hoc est, nullus est, qui hanc comminationem meam, quam per prophetas denuntio, corde accipiat.* [n] Super omnes vias deserti.] *Vt intelligas ex omni parte vastatores huius terræ aduenire.* [o] Seminauerunt triticum.] *Intelligit de prophetis, qui bonum semen tritici seminauerunt, & messuerunt spinas, hoc est, ingratitudinem populi: potest tamen & ad populum referri, qui cū sibi tuta omnia polliceretur, quod erat quasi triticum seminare, spinas messuerunt, quando omnia illis cessere in contrarium.* [p] Vicinos meos pessimos.] *Hoc est. Moab, Edom, Philistym, Tyrum, Sidonem.* [q] Et cum euulsero eos.] *Hic vocatio gentium adumbratur, nam Ammon, & Moab vicinæ gentes reductæ sunt in suas sedes, vnà cum Iuda & Beniamin, à Babylone redeuntibus.* [r] Si eruditi didicerint.] *Hoc de eisdem gentibus dicitur, qui locus etiam ad gentium pertinet vocationem, & ad Christi tempora.*

CAPVT XIII.

AHæc dicit Dominus ad me, [a] Vade & posside tibi lumbare lineum, & pones illud super lumbos tuos, & in aquam non inferes illud. Et possedi lumbare iuxta verbum Domini, & posui circa lumbos meos. Et factus est sermo Domini ad me secundò, dicens, Tolle lumbare quod possedisti, quod est circa lumbos tuos, & surgens vade ad Euphraten, & absconde ibi illud in foramine petræ. Et abij, & abscondi illud in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus. Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me, Surge, & [b] vade ad Euphraten: & tolle inde lumbare, quod præcepi tibi, vt absconderes illud ibi. Et abij ad Euphraten, & fodi, & tuli lumbare de loco vbi asconderam illud, & ecce, computruerat lumbare, ita vt nulli vsui aptum esset. Et factum est verbum Domini ad me, dicens, Hæc dicit Dominus, [c] Sic computrescere faciam superbiam Iuda, & superbiam Ierusalem multam, populum istum pessimum, qui nolunt audire B verba mea, & ambulant in prauitate cordis sui: abieruntq; post deos alienos, vt seruirent eis & adorarent eos: & erunt sicut lumbare istud, quod nulli vsui aptum est. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, & omnem domum Iuda, dicit Dominus: vt essent mihi in populum, & in nomen & in laudem, & in gloriam: & non audierunt. Dices ergo ad eos sermonē istum, Hæc dicit Dominus Deus Israel, [d] Omnis laguncula implebitur vino. Et dicent ad te, Nunquid ignoramus quod omnis laguncula implebitur vino? Et dices ad eos. Hæc dicit Dominus, Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & reges qui sedent de stirpe Dauid super thronum eius, & sacerdotes, & prophetas, & omnes habitaC tores Ierusalem, ebrietate, & † frustatim cōminuam eos, virū per fratrem suum, & patres & filios pariter, ait Dñs: non parcam, & nō concedam: neq; miserebor, vt non disperdam eos. Audite & auribus percipite, [e] Nolite elevari, quia Dñs locutus est. Date Dño Deo vestro gloriam, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes vestri [f] ad montes caliginosos, expectabitis lucē, & ponet eam in vmbram mortis, & in caligi-
nem. Quòd si hoc non audieritis [g] in abscondito plorabit anima mea à facie superbiæ. Plorans plorabit, & Thren. 1.a
deducet oculus meus lachrymā, quia captus est grex Domini. Dic regi & † reginæ, Humiliamini, sedete: quoniam descendet de capite vestro corona gloriæ vestræ. [h] Ciuitates austri clausæ sunt, & non est qui aperiat: translata est omnis Iuda transmigratione perfecta. [i] Leuate oculos vestros, & videte † eos, qui veniunt ab aD quilone: vbi est grex [k] qui datus est tibi, pecus inclytum tuum? Quid dices cum visitauerit te? [l] Tu enim do cuisti eos aduersum te, † vt fierent duces in caput tuum. Nunquid non dolores apprehendent te, quasi mulierem parturientem? Quòd si dixeris in corde tuo, Quare venerunt mihi hæc? Propter multitudinem iniquitatis tuæ reuelata sunt verecundiora tua, † nudatæ sunt plantæ tuæ. Si mutare potest Æthiops pellē suā, Infra. 30. c
aut pardus varietates suas: & vos poteritis benefacere, cum didiceritis malum. Et disseminabo eos quasi stipulam, [m] quæ vento raptatur in deserto. Hæc sors tua pars que mensuræ tuæ à me, dicit Dominus: quia oblita

es mei,

es mei,& confiſa es in mendacio:vnde & ego nudaui femora tua,contra faciem tuam,& apparuit ignominia
tua,adulteria tua,& hinnitus tuus,ſcelus fornicationis tuæ:ſuper colles in agro vidi abominationes tuas. Væ
tibi Ieruſalem:[n] non mundaberis poſt hac: vſquequo adhuc?

SCHOLIA.

[a] Vade & poſide tibi lumbare.] *Nouo argumento eadem tractat, quæ ſuperius, & in toto libro. Sunt qui puteat hanc non fuiſſe rem geſtam, ſed propheticam viſionem, quod ſcilicet arbitraretur ſe ita agere in viſione, quemadmodum in ſomnis accidit: & videntur hoc pacto multa ita ſe habere in prophetis, vt nuda inceſſio Eſaiæ, nuptiæ Oſeæ, ſomnus Ezechielis ad dies 390. & ſimilia. Tametſi non facilè refellitur, omnia verè egiſſe prophetam, vt iuſſus erat, in qua ſententia ſunt præcipui Hebræorum. Illud verò lumbare, ſiue, vt alij verterunt, ſuccinctorium, ſunt qui intelligant illud eſſe, quo præcinguntur operarij in laboribus vel potius, ea ætate veſtis lumbaris fuit reliquis ornatior, nam vel ex hoc loco videtur honeſtiſsimū quoddam genus veſtimenti fuiſſe, proinde aptius quis baltheum fortaſſe verteret.* [b] Vade ad Euphraten.] *Fluuius eſt aſſyriorum diſcriminans terram Iſrael, qua Damaſcus, & regna Azor vltra regionem Traconitidem iacent.* [c] Sic computreſcere faciam.] *Adaptat ſimile: populus ille magnificus corrumpendus erat per aquas, hoc eſt, Babylonios, in foramine petræ, captiuitate ſcilicet Babylonica, vt planè inutilis gens futura eſſe videatur.* [d] Omnis laguncula.] *Significatur per hoc populus Iſrael: qui quaſi inebriatus fuit à Domino, cum varias afflictiones & calamitates illi immitteret, & concuteret, atque collideret eos ad inuicem. Vnde Chaldaicus interpres ſic vertit. Ego implebo habitatores Ieruſalem anguſtia, & erunt ſimiles ebrijs. Et hoc loco propheta ſpecialiter ſpiritum vertiginis ſignat, de quo dictum eſt Eſaiæ 28.* [e] Nolite eleuari.] *Senſus eſt, non præſumatis de aſtutia, & ſapientia veſtra, vt putetis non audiendos prophetas & increpationem Domini.* [f] Ad montes caliginoſos.] *Aegyptum intelligi volunt, cui fidebant. Dum igitur (inquit) vobis res integræ ſunt, date Domino Deo veſtro gloriam, vt in eo vno ſperetis, neque ſuperbiatis.* [g] In abſcondito plorabit.] *More lugentium, qui ſe abdūt, vt aptius vacent luctui.* [h] Ciuitates auſtri.] *Ciuitates ſcilicet Iudæ, quæ hoſtibus ab aquilone venturis, auſtrales ſunt, quæ clauſæ memorantur, quòd deuaſtandæ eſſent, & nemo egrederetur ingrederetur q́: oſtendit ergo neminem ibi congregari, ita apud Eſaiam, clauſa omnis domus, ne quis ingrediatur. Migrauit autem Iudas ſub Iechonia, & defecit perfectè ſub Sedechia.* [i] Leuate oculos.] *Regi Ioachin, & matri reginæ loquitur.* [k] Qui datus eſt tibi.] *Regi ſcilicet.* [l] Tu enim docuiſti eos.] *Quomodo ſcilicet fieri poſſent principes, alludit autem ad hiſtoriam de Achab 4. Reg. 16. cum inuitauit ad ſe regem Aſſyriorum, miſsis legatis, cum hoc mandato. Seruus tuus ego, & filius tuus, aſcende, ſalua me de manu regis Syrie, & regis Iſrael, qui inſurrexerunt contra me.* [m] Quæ vento raptatur in deſerto.] *Alludit ad deſertum, quod inter Babylonem, & Ieruſalem iacet.* [n] Non mundaberis poſt hac, vſquequo adhuc?] *Eſt hic Hebraicus textus obſcurus. Quem quidam ſic exponunt. Non mundaberis poſtquam es inquinata, & priusquam in captiuitatem ducta fueris. Quidam ſic vertit. Non mundaberis poſtquam, ſubaudi contaminata es. Quòd ſi dicat, mundabor, reſpondet. Quouſque adhuc? quaſi dicat, in Ieruſalem non mundaberis.*

CAPVT XIIII.

QVod factum eſt verbum Domini ad Ieremiam [a] de ſermonibus ſiccitatis. Luxit Iudæa, & portæ A
eius corruerunt,& obſcuratæ ſunt in terra,& clamor Ieruſalem aſcendit. Maiores miſerunt mino-
res ſuos ad aquam: venerunt ad hauriendum: non inuenerunt aquam, reportauerunt vaſa ſua va-
cua: confuſi ſunt,& afflicti,& operuerunt capita ſua. Propter terræ vaſtitatem,quia non venit
pluuia in terram,confuſi ſunt agricolæ,operuerunt capita ſua.Nam & cerua in agro peperit & reliquit: quia
non erat hærba. [b] Et onagri ſteterunt in rupibus,traxerunt ventum quaſi dracones,defecerunt oculi eorum,
quia non erat hærba: Si iniquitates noſtræ [c] reſponderint nobis: Domine fac propter nomen tuum, quo-
niā multæ ſunt auerſiones noſtræ, tibi peccauimus. Expectatio Iſrael, ſaluator eius in tempore tribulatio- B
nis:quare [d] quaſi colonus futurus es in terra,& quaſi viator declinans ae manendum? Quare futurus es velut
vir vagus, [e] † & fortis,qui non poteſt ſaluare? Tu † enim in nobis es Domine,& nomen tuum inuocatum eſt
ſuper nos,non derelinquas nos. Hæc dicit Dominus populo huic,† [f] qui dilexerunt mutationem,pedes ſuos
non continuerunt. Dominus noluit eos: Nunc recordabitur iniquitatem eorum, & viſitabit peccata eorū,
Sup. 7.c Et dixit Dominus ad me, Noli orare pro populo iſto in bonum. Cum ieiunauerunt,[g] non exaudiam pre-
ces eorum: & ſi obtulerint holocauſtomata & victimas, non ſuſcipiam ea: quoniam gladio, & fame, & pe-
ſte conſumam eos.Et dixi, Ah Domine Deus. [h] Prophetæ dicunt eis, Non videbitis gladium, fames non C
erit in vobis,ſed pacem veram dabit vobis in loco iſto. Et dixit Dominus ad me, Falſò prophetę vaticinan-
tur in nomine meo:non miſi eos,& non præcepi eis,neque locutus ſum ad eos:viſionem mendacem, & diui
Infra 23.d nationem,& fraudulentiam,& ſeductionem cordis ſui prophetant vobis. Iccirco hæc dicit Dominus de pro
27.c. 29.b phetis, qui prophetant in nomine meo,quos ego non miſi, dicentes, Gladius & fames non erit in terra hac:
In gladio & fame conſumentur prophetæ illi:& populi,quibus prophetant, erunt proiecti in vijs Ieruſalem
Th.1. f.2.f præ fame & gladio, & non erit qui ſepeliat eos, ipſi & vxores eorum,filij & filiæ eorum, & effundam ſuper
eos malum ſuum. Et dices ad eos verbum iſtud. Dederunt oculi mei lacrymam per noctem & diem,& non D
taceant: quoniam contritione magna contrita eſt virgo filia populi mei,plaga peſsima vehementer.Si egreſ-
Sup. 8.e ſus fuero ad agros: ecce,occiſi gladio: & ſi introiero in ciuitatem: ecce, attenuati fame. [i] Propheta quoque
& ſacerdos abierunt in terram, quam ignorabant. Nunquid proijciens abieciſti Iudam? aut Sion abomi-
nata eſt anima tua? Quare ergo percuſsiſti nos,ita vt nulla ſit ſanitas? Expectauimus pacem, & non eſt bo-
num: & tempus curationis,& ecce turbatio. Cognouimus Domine impietates noſtras,iniquitates patrum
noſtrorum,quia peccauimus tibi.Ne des nos in opprobrium propter nomen tuum,neque facias nobis con-
tumeliam: ſolij gloriæ tuæ recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum. Nunquid ſunt in ſculptili-
bus gentium qui pluant? [k] aut cœli poſſunt dare imbres? Nónne tu es Dominus Deus noſter,quem expecta-
uimus? Tu enim feciſti omnia hæc.

SCHOLIA.

[a] De ſermonibus ſiccitatis.] *Senſus eſt: quòd prophetæ reuelatum à Deo fuerit, magnam famem, & aquarum penuriam paſſuros Iudæos, & quòd portæ, id eſt, ciuitates, vt Ionathas habet, redigendæ eſſent in ſolitudines, & planè euertendæ, atque cum inhabitantium mœrore in terram proſternendæ.* [b] Et onagri.] *Ferunt onagri famem, & ſitim multo tempore, amant ſolitudinem, ſed tandem longioris impatientes ſitis, ac famis circunſpiciūt vbinam locorum gramen, vel hærba ſit: & magno deſyderio in excelſo loco aerem attrahunt celeri attractu, ſicut dracones ſolent, quorum eſt vehementiſsima ſpiratio, & ſorbitio. Sed deficiunt oculi intentè videntes, & nihil inuenientes, vel potius præ debilitate ex inedia contracta, ſicut de Ionatha legitur famelico, hebetatur oculorum acies.* [c] Reſponderint nobis.] *Hoc eſt, tales ſint, vt meritò hæc eueniant nobis.* [d] Quaſi colonus.] *Vel, peregrinus: qui cum aliunde veniat in terram, non vt manſurus in ea, ſed tranſiturus tantū, non curat, quid agatur in ea, pernoctandi tantum gratia diuertit ad hoſpitium, cras aliò profecturus: ſic quando Deus deſerit, ciuitatem, vel regionem propter hominum peccata, peregrino ſimilis eſt.* [e] Et fortis, qui non poteſt ſaluare.] *Cum ſis fortiſsimus, eris ei ſimilis, qui non poteſt ſaluare.* [f] Qui dilexerunt mutationem.] *Quia refugium (inquit) habuerunt nunc ad regem Aſſur, nunc ad regem Aegypti, & me contempſerunt: agam ego, vt omnes transferantur de terra ſua in regiones alienas.* [g] Non exaudiam preces eorum.] *Hoc additur, quòd ieiunium tunc non fiebat niſi cum oratione.* [h] Prophetæ dicunt eis.] *Vide diligentiſsimam interceſsionem, cum non poſſet excuſare eos, culpam reijcit in falſos prophetas, qui illos ſeducunt.* [i] Propheta quoque & ſacerdos.] *Loquitur de falſis, qui neſcierunt impendere captiuitatem, donec capti eſſent.* [k] Aut cœli poſſunt dare.] *Neque cœli ipſi (inquit) poſſunt per ſe, ſed tu ſolus es, qui iuuare nos potes. Iterum locus contra aſtrologos.*

CAPVT XV.

A ET dixit Dominus ad me, Si ſteterint [a] Moyſes,& Samuel coràm me, non eſt anima mea ad populum
iſtum.Eijce illos à facie mea, & egrediantur. Quòd ſi dixerint ad te. Quò egrediemur? dices ad eos,
Hæc dicit Dominus, Qui ad mortem,ad mortem:& qui ad gladium,ad gladium:& qui ad famem,ad
famem:& qui ad captiuitatem,ad captiuitatem. Et viſitabo ſuper eos quatuor ſpecies, dicit Dominus, Gla- Zach. 11.b
B dium ad occiſionem, & canes ad lacerandum, & volatilia cœli, & beſtias terræ ad deuorandum & diſsipan- 4.Re. 21.a
dum: & dabo eos in commotionem vniuerſis regnis terræ [b] propter Manaſſem filium Ezechiæ regis Iuda,
ſuper omnibus, quæ fecit in Ieruſalem. Quis enim miſerebitur tui Ieruſalem? aut quis contriſtabitur pro
te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua? Tu reliquiſti me,dicit Dominus:retrorſum abijſti: & extendam
C manum meam ſuper te,& interficiam te: † [c] laſſus ſum miſerendo. Et diſpergam eos ventilabro [d] in portis
terræ: interfeci & diſperdidi populum meum, & tamen à vijs ſuis non ſunt reuerſi. Multiplicatæ ſunt mi-
hi viduæ eius ſuper arenam maris: induxi eis [e] ſuper matrem adoleſcentum vaſtatorem meridie: cadere feci
ſuper eam ciuitatem repente & terrores. Infirmata eſt, [f] quæ peperit ſeptem, defecit anima eius, occidit ei Amos 8.c
D ſol, cum adhuc eſſet dies: confuſa eſt, & erubuit. Et reſiduos eius in gladium dabo in conſpectu inimicorū
eorum,ait Dominus. Væ mihi mater mea:quare genuiſti me [h] virum rixę,virum diſcordiæ in vniuerſa ter-
ra? Non fœneraui, nec fœnerauit mihi quiſquam: omnes maledicunt mihi. Dicit Dominus, [i] Si non reli-
quiæ tuæ in bonum, ſi non occurri tibi in tempore afflictionis, & in tempore tribulationis aduerſus inimi-
E cum. † Nunquid franget ferrum ferrum ab aquilone,& ęs? Diuitias tuas & theſauros tuos in direptionem
dabo gratis in omnibus peccatis tuis,& in omnibus terminis tuis: & adducam inimicos tuos de terra quam
neſcis: quia ignis ſuccenſus eſt in furore meo,& ſuper vos ardebit. [k] Tu ſcis Domine, recordare mei, & vi-
ſita me,& tuere me ab his,qui perſequuntur me. [l] Noli in patientia tua † tollere me:ſcito quòd ſuſtinui pro Deut. 32.c
F pter opprobrium. Inuenti ſunt ſermones tui,[m] & comedi eos:& factum eſt mihi verbum tuum in gaudium Rom. 10.d
& in lætitiam cordis mei:quoniam inuocatum eſt nomen tuum ſuper me Domine Deus exercituum. Non
ſedi in conſilio ludentium,& † corriſi,ſed [n] à facie manus tuę ſolus ſedebam, quoniam comminatione reple
ſti me. Quare factus eſt [o] dolor meus perpetuus, & plaga mea deſperabilis renuit curari? † [p] eris mihi quaſi Infra 30. c
G mendax,& quaſi aquæ infideles. Propter hæc dicit Dominus, [q] Si conuerteris,conuertam te, & ante faciē
meam ſtabis: & ſi ſeparaueris precioſum à vili, quaſi os meum eris: conuertentur ipſi ad te, & tu non con-
uerteris ad eos. Et dabo te populo huic in murum æreum,fortem:& bellabunt aduerſum te, & non præua-
lebunt:quia ego tecum ſum,vt ſaluem te,& eruam te,dicit Dominus:Et liberabo te de manu peſsimorum,&
redimam te de manu fortium.

SCHOLIA.

[a] Moyſes & Samuel.] *Inter ſanctos præcipui ſunt Moſes, & Samuel. Non ſurrexit propheta in Iſrael ſicut Moſes, poſt quem Samuel ſecundus eſt opinione omnium, de quo dicitur: non cecidiſſe vnum verborum eius ſuper terram.* [b] Propter Manaſſem filium Ezechiæ.] *Qui occidit prophetas, adorauit idola, conſuluit pythoniſſas, immolauit pueros dæmonijs. Quãuis autem Manaſſes, rediſſet in gratiam, reductuſque in Ieruſalem eſſet, commemoratur tamen peccatum eius, quod cæteri fuerunt imitati pertinaciter. Et vide, quàm horrendum ſit authorem eſſe publicæ corruptelæ.* [c] Laſſus ſum miſerendo.] *Vel, pœnitendo, toties debitam tibi pœnam intermiſi (inquit) ceu ductus pœnitentia, vt iam ſim delaſſatus.* [d] In portis terræ.] *Hoc eſt, per omnes ciuitates. Et quod ſequitur, interfeci, &c. Loquitur de ijs, qui iam in captiuitatem erant ducti, quæ calamitas non mouit filios Iuda ad pœnitentiam.* [e] Super matrem adoleſcentum.] *Hoc eſt, ſuper turbam adoleſcentum, eſt enim Hebraiſmus. Et quod ſequitur, vaſtatorem meridie, hoc eſt, exercitum omnia diripientem palàm, & illud, & feci ruere ſuper eam repente ciuitatem, & terrores: vt ſignificetur, ciuitates dirutas antequam abducti eſſent in captiuitatem.* [f] Quæ peperit ſeptem.] *Hoc eſt, populus multus redactus eſt in exiguum numerum, & qui ſuperſtites manſerunt, tam acerbæ afflicti ſunt, vt penè efflauerint animam, & dies illis ſit viſus commutari in noctem. Cū regnante Achaz, Phacee filius Romeliæ centum, & viginti millia iuuenū de Iuda vno prælio ſtrauiſſet, id euenit quod hic ferè propheta vaticinatur, nam tum viduarum & pupillorum maximus numerus fuit, quem per hyperbolen arenæ ma-*

vis comparat. h Virum rixæ.] *Quia cogor,(inquit)illis denuntiare increpationes & comminationes diuinas,quocunque me verto inuenio contradictores,qui mecum rixantur,& innocentem calumniantur,& execrantur,cum tamen nullum eorum grauauerim,nemini quicquam debeam,aut vsuræ exegerim lucrum.* i Si non reliquiæ.] *Illud,si non, ſpectem habet iuramenti. Intelligitur autem per reliquias,tempus vltionum , quando ſcilicet poſt deſolationem terræ , hoſtes populi bene vſi ſunt propheta,ſicut infra patet capite quadrageſimo , vbi dicitur, quòd Nabuzardan ſoluerit Ieremiam à catenis, & optionem obtulit ei, vtrum abire,an manere vellet in terra . Et ſic intelligendum eſt id,quod mox ſubditur,ſi non occurrerit tibi,&c. quòd ſcilicet hoſtis occurret ei,& benignè ſuſcipiet. Atq; in hunc modum ſolet Dominus ſuis poſt crucem dare ſolatium. Sunt tamen,qui huius verſus alteram partem referendam putent ad Ieruſalem,& illi accipiunt illud, occurrere , pro hoſtiliter irruere,id quod ex ſequentibus colligunt,quando dicitur. Nunquid ferrum franget ferrum,&c. hoc eſt,exercitus Chaldæorum,qui chalybi comparatur,facile conteret exercitum tuum: vt ſic dicat, Nunquid frangere poterit ferrum ſolum, aliud ferrum chalybe temperatum,& factum fortius,quale veniet ab aquilone? Videris(inquit)tibi fortis, vt ferrum,ſed ferrum Babylonicum obduratum chalybe fortius erit.* k Tu ſcis Domine.] *Quòd ſcilicet patior ab eis pro tui nominis honore,quodq; quicquid mihi faciunt,odio faciunt nominis tui.tam edoctus erat,non eſſe orandum pro eis, iccirco diuerſum ſpectauit ſpiritus ab oratione Moſis,et Pauli.* l Noli in patientia tua tollere me.] *Ne ſic vtaris erga illos patientia tua, vt me perire ſinas illis ſaluis , vt agnoſcant me prædicatorem fuiſſe veritatis,alioqui fuiſſet hoc in opprobrium Dei.* m Et comedi eos.] *Verba prophetiæ tam fuerunt mihi grata,quàm cibus,qui comedenti eſſe poteſt gratiſſimus.* n A facie manus tuæ.] *Non irriſit te(inquit)quemadmodum illi,ſed propter te,ac munus prophetiæ , quæ manus dicitur , ſedebam ſolus , &c.* o Dolor meus perpetuus.] *Dolorem vocat illam perpetuam contentionem,& perſecutionem,quam ei moliebatur populus ſuus.* p Eris mihi quaſi mendax.] *Quare eris mihi inſtar putei, aquam falſo promittentis , & inſtar aquarum inſtabilium, & quæ non ſemper fluunt. Ionathas ſic vertit . Non ſit mihi verbum tuum in mendacium , & quaſi ſcatens aquarum,cuius aquæ deficiunt.Promiſiſti ergo(inquit)te facturum me murum æneum,& ego adhuc nihil promoui:tantum maleuolorum vim in me irritaui.* q Si conuerteris.] *Quoniam propheta peccauerat per ſuperiora verba, animi commotionem oſtendens,redarguitur hic à Domino. Si reuerſus fueris,hoc eſt,ſi pœnituerit te huius incredulitatis tuæ qua etiam verbum meum ſugillas,& pro virili tua conatus fueris ad te reducere populum rebellem,& ex impijs facere iuſtos,hoc enim eſt ſeparare pretioſum à vili eris quaſi os meum,& quod tibi promiſi præſtabo,& quicquid dixeris,ratum ac firmum erit , ac ſi ego dixiſſem,conuertentur ipſi ad te,hoc eſt,cupient amicitiam contrahere tecum.*

CAPVT XVI.

ET factum eſt verbum Domini ad me,dicens, Non accipies vxorem , & non erunt tibi filij & filiæ in loco iſto . Quia hæc dicit Dominus ſuper filios, & filias, qui generantur in loco iſto:& ſuper matres eorum,quæ genuerunt eos, & ſuper patres eorum , de quorum ſtirpe ſunt nati in terra hac. a Mortibus ægrotationum morientur:nó plangentur,& non ſepelientur,in ſterquilinium ſuper faciem terræ erunt. Et gladio & fame conſumentur:& erit cadauer eorum in eſcam volatilibus cœli,& beſtijs terræ . Hæc enim dicit Dominus,Ne ingrediaris domum † luctus,neque vadas ad plangendum, neque conſoleris eos:quia abſtuli pacem meam à populo iſto,dicit Dominus,miſericordiam & miſerationes . Et morientur grandes, & parui in terra iſta : non ſepelientur neque plangentur , b & non ſe incident , neque caluitium fiet pro eis. Et c non frangent inter eos lugenti panem ad conſolandum ſuper mortuo : & non dabunt eis potum calicis ad conſolandum ſuper patre ſuo & matre. Et domum conuiuij non ingrediaris,vt ſedeas cum eis,& comedas,& bibas:quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, Ecce ego auferam de loco iſto in oculis veſtris , & in diebus veſtris vocem gaudij,& vocem lætitiæ,vocem ſponſi & vocem ſponſæ.Et cum annuntiaueris populo

Sup. 5.e huic omnia verba hæc,& dixerint tibi,Quare locutus eſt Dominus ſuper nos omne malum grãde iſtud? quæ

Supr.7.f iniquitas noſtra? aut quod peccatum noſtrum quod peccauimus Domino Deo noſtro? Dices ad eos, Quia dereliquerunt me patres veſtri,ait Dominus:& abierunt: d poſt deos alienos,& ſeruierunt eis, & adorauerũt eos:& me dereliquerunt, & legem meam non cuſtodierunt . Sed & vos peius operati eſtis , quàm patres veſtri: ecce enim ambulat vnuſquiſque poſt prauitatem cordis ſui mali,vt me non audiat.Et eijciam vos de terra hac,in terram quam,ignoratis vos,& patres veſtri : & ſeruietis ibi dijs alienis die ac nocte , qui non dabũt

Infra 23.b vobis requiem. Propterea ecce dies veniunt,dicit Dominus,& non dicetur vltrà, Viuit Dominus,qui eduxit filios Iſrael de terra Ægypti : ſed, Viuit Dominus, e qui eduxit filios Iſrael de terra aquilonis , & de vniuerſis terris ad quas eieci eos: & reducam eos in terram ſuam,quam dedi patribus eorum,Ecce ego f mittam piſcatores multos,dicit Dominus,& piſcabuntur eos. Et poſt hæc mittam eis multos venatores,& venabuntur eos de omni monte & de omni colle , & de cauernis petrarum: g quia oculi mei ſunt ſuper omnes vias eorum:non ſunt abſconditæ à facie mea,& non fuit occultata iniquitas eorum ab oculis meis. Et reddam primum h duplices iniquitates & peccata eorum : quia contaminauerunt terram meam, i in morticinis idolorum ſuorum , & abominationibus ſuis impleuerunt hæreditatem meam . k Domine fortitudo mea , & robur meum, & refugium meum in die tribulationis ad te gentes venient ab extremis terræ , & dicent, Verè mendacium poſſederunt patres noſtri,vanitatem,quæ eis non profuit , Nunquid faciet ſibi homo deos , & ipſi non ſunt dij? Iccirco ecce ego oſtendam eis per vicem hanc, l oſtendam eis manum meam, & virtutem meam:& ſcient quod nomen mihi Dominus.

SCHOLIA.

a Mortibus ægrotationum.] *Chaldæus interpres,& alij Rabini poſt eum ſic exponunt hunc locum: morientur morte,quæ ex ægreditudine famis proueniet.* b Et non ſe incident.] *Erat quidem à Moſe prohibitum , ne propter mortuos ſeipſos lacerarent,& carnem inciderent,ſed illi legis Moſaicæ obliti,& ritibus gentium aſſueti, ab inciſuris non abſtinebant in amarioribus planctibus.* c Et non frangent inter eos lugenti panem.] *Mos erat,lugentibus ferre cibos , & præparare conuiuium , quod Græci περὶ δεῖπνα vocant , nos parentalia, vocantur etiam ἀγάπη , de hoc habes , Proverb. 31.*

Date ſiceram lugentibus , & vinum iis,qui amaro ſunt animo. d Poſt deos alienos.] *Semper inuenies idolis obnoxiam fuiſſe gentem, vſque ad captiuitatem Babylonicam.* e Qui eduxit filios Iſrael de terra aquilonis.] *Hoc per Chriſtum factum eſt,reducti enim ſumus qui tam ex Iudæis quàm ex gentibus credidimus ad terram patribus datam , hoc eſt , ad cognitionem Dei:mam Abraham,vt Stephanus inquit,ne veſtigium quidem pedis poſſederat , iccirco terra illa Dei fauor & gratia eſt per fidem.* f Mittam piſcatores multos.] *Ponit conſequenter quomodo filij Iſrael congregati ſint, nempe per piſcatores. Neque abſque cauſa Chriſtus piſcatores delegit,quò veritas figuræ reſponderet,poſtquam verò prædicatum eſt in Iudæa , exierunt in nationes ſimiles facti venatoribus , qui omnia loca indagant.* g Quia oculi mei ſuper omnes vias eorum.] *Antequam liberem eos,puniam illos propter idolatriam.* h Duplices iniquitates.] *Patrum ſcilicet atque ipſorum: alius interpretatur , reddenda peccatis duplicia , quòd abundè expietur ſupplicio Chriſti peccatum hominis.* i In morticinis idolorum ſuorum.] *Vocat ſcriptura ſæpe culturam idolorum ſtercus , fœtidum cadauer, abominationem, miſeriam , vanitatem , dolorem , immundiciam , &c.* k Domine fortitudo mea.] *Prò ſe & pro illuſtrandis dicit. Domine & ego nullus eſſem, ac cæteri,quos piſcatores venabuntur,ſed à te robur noſtrum eſt : dies verò tribulationis erit, cum Iudæi & gentes contra apoſtolos inſurgent .* l Oſtendam eis manum meam.] *In excæcatione Iſrael, cum perdiderunt gentem & locum.*

CAPVT XVII.

A PEccatum Iuda ſcriptum eſt ſtilo ferreo a in vngue adamantino,exaratum † in tabula cordis eorum,& in cornibus ararum eorum. b Cum recordati fuerint filij eorum ararum ſuarum,& lucorum ſuorũ, lignorumq; frondentium in montibus excelſis,c † montium amatores in agro , fortitudinem tuam, & omnes theſauros tuos in direptionem dabo,excelſa tua propter peccata in vniuerſis finibus tuis. Et relinqueris † tu ab hæreditate tua,quã dedi tibi , & ſeruire te faciã inimicis tuis in terra quã ignoras : quoniã ignẽ ſuccendiſti in furore meo:vſq; in æternum ardebit. Hæc dicit Dominus, Maledictus homo, qui confidit in homine,& ponit carnem brachium ſuum,& à Domino recedit cor eius. Erit enim d quaſi myricę in deſerto, & non videbit cum venerit bonum:ſed habitabit in ſiccitate in deſerto in terra ſalſuginis & inhabitabili. Be-
nedictus vir qui confidit in Domino,& erit Dominus fiducia eius. Et erit quaſi lignum quod tranſplantatur Infra. 48.2
B † iuxta aquas,quod ad humorem mittit radices ſuas:& non timebit cum venerit æſtus. Et erit folium eius viride,& in tempore ſiccitatis non erit ſolicitum,nec aliquando deſinet facere fructum. e Prauum eſt cor † prę Pſal. 1.2
omnibus,& malorum excogitans:quis cognoſcet illud? Ego Dominus ſcrutans cor,& probans renes:qui do
vnicuiq; iuxta viam ſuam,& iuxta fructum adinuentionum ſuarum. f Perdix fouit,quæ nõ peperit: fecit di- Apoc. 2.f
uitias,& non in iudicio:in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas,& in nouiſſimo ſuo erit inſipiẽs. g Soliũ Pſal.7.c
gloriæ altitudo à principio,locus ſanctificationis noſtræ expectatio Iſrael. Dñe,omnes qui te derelinquunt, 1.Re.16.b
confundentur:recedentes à te, h in terra deſcribentur : quoniam dereliquerunt venã aquarũ viuentiũ Dñm.
i Sana me Dñe,& ſanabor:ſaluum me fac,& ſaluus ero:quoniã laus mea tu es.Ecce ipſi dicunt ad me, Vbi eſt
verbum Dñi? veniat. Et ego k non ſum turbatus, te vt paſtor ſequens : & diẽ † contritionis non deſyderaui,
C tu ſcis. Quod egreſſum eſt de labijs meis,rectum in cõſpectu tuo fuit. Nõ ſis tu mihi formidini, ſpes mea tu
in die afflictionis. Confundantur qui me perſequũtur,& nõ confundar ego : paueãt illi,& nõ paueã ego. In-
duc ſuper eos diem afflictionis,& l duplici cõtritione cõtere eos.Hęc dicit Dñs ad me. Vade,& ſta in porta filiorũ populi per quã ingrediuntur reges Iuda , & egrediuntur: & in cunctis portis Ieruſalem:& dices ad eos. Audite verbum Dñi reges Iuda,& omnis Iuda, cunctiq; habitatores Ieruſalem , qui ingredimini per portas iſtas.Hęc dicit Dominus,Cuſtodite animas veſtras,& nolite portare pondera in die ſabbati:nec inferatis per portas Ieruſalem,& nolite eijcere onera de domibus veſtris in die ſabbati,& omne opus non facietis. m Sanctificate diem ſabbati,ſicut præcepi patribus veſtris. Et non audierunt,nec inclinauerunt aurem ſuã : ſed indurauerunt ceruicem ſuam ne audirent me,& ne acciperent diſciplinam. Et erit:Si audieritis me,dicit Do-
D minus,vt non inferatis onera per portas ciuitatis huius in die ſabbati : & ſi ſanctificaueritis diem ſabbati, ne faciatis in eo omne opus:ingredientur per portas ciuitatis huius reges & principes ſedentes ſuper ſolium Dauid,& aſcendentes in curribus & equis,ipſi & principes eorũ,viri Iuda,& habitatores Ieruſalem:& habitabitur ciuitas hæc in ſempiternum.Et venient de ciuitatibus Iuda,& de circuitu Ieruſalẽ, & de terra Beniamin, & de campeſtribus,& de montoſis,& ab auſtro,& portantes holocauſtum,& victimam,& ſacrificiũ,& thus, & inferent oblationem confeſsionis in domum Domini. Si autem non audieritis me , vt ſanctificetis diem ſabbati,& ne porteris onus,& ne inferatis per portas Ieruſalem in die ſabbati:ſuccendã ignem in portis eius, & deuorabit domos Ieruſalem,& non extinguetur.

SCHOLIA.

a In vngue adamantino.] *Tam profundas(inquit)miſit peccatum Iuda radices in cordibus eorũ, vt ferè indelebile ſit etiam ſi exceſſa in montibus deſtruantur,altaria diruantur,idola aboleantur, & luci extirpentur, adhuc viuacißimum eſt peccatum in cordibus eorum.* b Cum recordati fuerint.] *Alius vertit. Recordantur quaſi filiorum ſuorum , altariũ ſuorum,& lucorum ſuorum iuxta ligna frondoſa,&c.* c Montium amatores.] *Intelligit eos, qui amabant in montibus ſacrificare,quibus minatur Dominus,ſe traditurum bona Ieruſalem hoſtibus eorũ,quæ diſtribuent inter ſe in agro. Alius ita diſtinguit,vt nouum hoc principium faciat,& ſic vertit. Montem meũ in agro,poſſeßionem tuam & cunctos theſauros tuos tradam,&c.* d Quaſi myricę.] *Hæc arbor,quam hic nominat prophęta, propter nimias ſolis exuſtiones,nullos fert fructus. Cum(inquit)venit bonum,id eſt, pluuia,arbor illa non ſentit bonum illud: ideo ſemper manet ſterilis:& huic aßimilat prophęta impios , qui omni gratia cœleſti deſtituuntur.* e Prauum eſt cor.] *Cor aptum eſt ad fallendum maximè omnium rerum,& excogitandorum malorum ſtudioſißimum. Hoc verſu probat,maledictum eſſe, qui ſpem in homine ponit: nam euentus vbi ab homine pendet,incertus ſit neceſſe eſt.* f Perdix fouit.] *Sicut perdix fouit , quæ non peperit,ſic qui facit diuitias,& non in æquitate. Comparantur diuites, qui diuitias ſuas fraude , & rapina congerunt, perdici aui ma-*

litioſæ. Hæc enim aliena ouа congregat, & cum ſuis eis incubat, & poſtquam nati pulli matri diſſimiles inueniuntur, derelin quuntur à matre, aut ſecundum alios pulli deſerunt matrem. Idem euenire ſolet diuitibus, qui citius, quàm putauerant, cogã tur relinquere congregatas opes. g Solium gloriæ altitudo.] *Vt Deus (inquit) ſibi ab initio mundi præparauit in ſublimi tate cœlorum ſolium gloriæ, ita quoque apud nos in terris delegit ſibi peculiare ſanctuarium. Alius ſic exponit. O Domine eu ius ſoly maieſtas altiſſima eſt ab exordio conditionis rerum omnium, qui & locus es ſanctificationis noſtræ, expectatio Iſrael, omnes, qui te derelinquunt, confundentur, &c.* h In terra ſcribentur.] *Hoc eſt, nullam portionem cœli habebũt, terræ quæ deputabuntur, & nihil habebit Deus commune cum illis.* i Sana me Domine.] *Tu Domine & non alius, potes & me, et populum meum ſanare.* k Non ſum turbatus.] *Non fui rebellis, cum mihi delegares munus prophetiæ, ſed humiliter te ſecutus ſum, pro viribus populum paſcens. Tu etiam noſti, quòd ego periculoſo huic officio me non ingeſſi (id enim vocat hic pro pheta diem contritionis) nec aliud docui quàm quod à te accepi.* l Duplici contritione.] *Hoc eſt, alia poſt aliam atq; multiplici.* m Sanctificate.] *Per ſanctificationem ſabbati, intellige verum & ſyncerum cultum Dei, Eſt enim ſabbatum ſymbolum creationis mundi, ducens nos in agnitionem magnifici creatoris noſtri. Sublatum tamen eſt ſabbatum cerimoniale, pro quo Iudæi tam pertinaciter vſque in hunc diem certant. Declaratum quoque eſt à Chriſto, ex cauſa ocium vertendum in occupationem, cum ſabbatum ſit propter hominem & non homo propter ſabbatum.*

CAPVT XVIII.

VErbum quod factum eſt ad Ieremiam à Domino, dicens. Surge & deſcende in domum figuli, & ibi A
audies verba mea. Et deſcendi in domum figuli, & ecce, ipſe faciebat opus ſuper rotam. Et diſſipa
tum eſt vas, quod ipſe faciebat è luto, manibus ſuis: conuerſúſq;, fecit illud, vas alterum, ſicut placue
Roma. 9. d. rat in oculis eius, vt faceret. Et factum eſt verbum Dñi ad me, dicens, Nũquid, ſicut figulus iſte, nõ potero vo
bis facere domus Iſrael, ait Dñs? Ecce, ſicut lutũ in manu figuli, ſic vos in manu mea, domus Iſrael. Repente
loquar aduerſum gentẽ & aduerſus regnũ, vt eradicẽ & deſtruã & diſperdã illud. Si pœnitentiã egerit gens il
la à malo ſuo, quod locutus ſum aduerſus eam: agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitaui, vt face
rem ei: & ſubitò loquar de gente & de regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt B
non audiat vocem meam: pœnitentiã agam ſuper bono quod locutus ſum, vt facerem ei. Nunc ergo dic viro
Ionę 3. d Iuda, & habitatoribus Ieruſalem, dicens, Hæc dicit Dñs. Ecce ego fingo contra vos malum, & cogito contra
Infra. 25. b. & 35. c. vos cogitationem. Reuertatur vnuſquiſq; à via ſua mala, & dirigite vias veſtras & ſtudia veſtra. Qui dixerunt,
† [a] Deſperata res eſt: poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & vnuſquiſque prauitatem cordis ſui mali facie
mus. Ideo hæc dicit Dñs, Interrogate gentes. Quis audiuit talia horribilia, quæ fecit nimis virgo Iſrael? Nun
quid † negligetur de petra agri [b] nix Libani? aut † deſeri poſſunt aquæ aliunde erumpentes frigidæ, & defluẽ
tes? Quia oblitus eſt mei populus meus, fruſtra libantes, & impingentes in vijs ſuis [c] & in ſemitis ſæculi, vt am C
bularẽt per † ſemitas in itinere nõ trito: vt fieret terra eorũ in deſolationem, & in ſibilum ſempiternũ. Om
Infra 19. c & 49. c & 50. c. nis, qui prẽterierit eam, obſtupeſcet, & mouebit caput ſuum. Sicut ventus vrens diſpergam eos coram inimi
co: dorſum, & non faciem oſtendam eis in die perditionis eorũ. Et dixerunt, Venite, & cogitemus cõtra Iere
miam cogitationes: [d] nõ enim peribit lex à ſacerdote, neq; conſilium à ſapiente, nec ſermo à propheta: venite,
& percutiamus eum lingua, & nõ attendamus ad vniuerſos ſermones eius. Attende Domine ad me, & au
di vocem aduerſariorum meorum. Nunquid reddetur pro bono malum: quia foderunt foueam animę meę?
Recordare quòd ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationẽ tuam ab D
eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum abſq; liberis, & vi
duæ: & viri earum interficiantur morte: iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio. Audiatur clamor de
domibus eorum: adduces enim ſuper eos † exercitum repente: quia foderunt foueam, vt caperent me, & la
queos abſconderunt pedibus meis. Tu autem Domine ſcis omne conſilium eorum aduerſum me in mor
tem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conſpe
ctu tuo, in tempore furoris tui † [e] fac cum eis.

SCHOLIA.

[a] Deſperata res eſt.] *Hoc eſt, obſtinatum eſt cor noſtrum in malo, vt te non poſſit ſequi.* [b] Nix Libani.] *Per nivem Libani, intellige aquam frigidam, vt ſolet eſſe nix in Libano, & per ſaxum agri accipe fontem in vicino loco ſcaturientem. Nemo (inquit) petit aquam à remotis, cum in propinquo habeat fontem, qui aquam viuam, & frigidam euomat. Nemo quoq; contemnit aquas, quæ extra vrbem oriuntur, & per canales ſubterraneos in vrbem introducuntur quod cum ita ſit, tamen Iſrael & Iuda deſeruerunt me fontem aquarum viuentium.* [c] Et in ſemitis ſæculi.] *Hoc eſt, antiquis, quibus ambulauerunt ſancti patres eorum.* [d] Non enim peribit.] *Hoc eſt, non ita euenient mala, vt ille minatur. Vel, licet Ieremias iſte ſit ſacerdos in lege doctus, ſit ſapiens, & propheta, non tamen ob eius interitum deſtituemur ſacerdotibus, legis peritis, & prophetis. Venite igitur & percutiamus eum lingua, hoc eſt, accuſemus eum apud regem, vt ille interficiat eum, nec curemus, quicquid ille loquitur contra nos.* [e] Fac cum eis.] *Supple vindictam.*

CAPVT XIX.

HÆc dicit Dominus, Vade, & accipe lagunculam figuli teſtaceam †[a] & de ſenioribus populi, & ſenio A
ribus ſacerdotum: & egredere ad vallem filij Ennom, quæ eſt iuxta introitum [b] portæ fictilis: & prę
dicabis ibi verba, quæ ego loquar ad te, & dices, Audite verbum Domini reges Iuda, & habitatores
Ieruſalem: hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, Ecce ego inducam afflictionem ſuper locum iſtum:
ita vt omnis, qui audierit illam, tinniant aures eius: eò quòd dereliquerunt me, & [c] alienum fecerunt locum
iſtum: & libauerunt in eo dijs alienis, quos neſcierunt ipſi, & patres eorum, & reges Iuda: & repleuerunt locũ
iſtum ſanguine innocentum: & ædificauerunt excelſa Baal ad comburendos filios ſuos igni in holocauſtum
Baal: quæ non prẽcepi, nec locutus ſum, nec aſcenderunt in cor meum. Propterea ecce dies veniunt, dicit B
Dominus: & non vocabitur amplius locus iſte, Topheth, & Vallis filij Ennom, ſed Vallis occiſionis. Et diſſi-

pabo conſilium Iuda, & Ieruſalem in loco iſto: & ſubuertam eos gladio in cõſpectu inimicorum ſuorum, &
in manu quærentium animas eorũ: & dabo cadauera eorum eſcam volatilibus cœli, & beſtijs terræ. Et ponã
ciuitatẽ hãc in ſtuporẽ, & in ſibilum: omnis, qui prẽterierit per eã, obſtupeſcet, & ſibilabit ſuper vniuerſa pla Supra 18. c
ga eius. Et cibabo eos carnibus filiorũ ſuorũ, & carnibus filiarum ſuarum, & vnuſquiſq; carnes amici ſui co- Infra 49. c
C medet in obſidione & in anguſtia in qua concludent eos inimici eorũ, & qui quærunt animas eorum. Et con & 50. c
teres lagunculam in oculis virorũ qui ibunt tecũ. Et dices ad eos, Hæc dicit Dñs exercituum. Sic conterã po
pulũ iſtum, & ciuitatem iſtam: ſicut conteritur vas figuli, quod non poterit vltrà inſtaurari: & in Topheth ſe
pelientur, eò q; non ſit alius locus ad ſepeliendum. Sic faciam loco huic, ait Dominus, & habitatoribus eius:
& ponam ciuitatẽ iſtam ſicut Topheth. Et erunt domus Ieruſalẽ, & domus regum Iuda ſicut locus Topheth
D immundæ: omnes domus, in quarum domatibus ſacrificauerunt omni militię cœli, & libauerunt libamina
dijs alienis. Venit autem Ieremias de Topheth, quò miſerat eum Dñs ad prophetãdum, & ſtetit in atrio do
mus Domini, & dixit ad omnem populum. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, Ecce, ego inducam
ſuper ciuitatem hanc & omnes vrbes eius vniuerſa mala, quæ locutus ſum aduerſum eam: quoniam indura
uerunt ceruicem ſuam, vt non audirent ſermones meos.

SCHOLIA.

[a] De ſenioribus.] *Subauditur ducas tecum.* [b] Portæ fictilis.] *Alius vertit, portæ teſtaceæ, quæ ita ſit appellata, quòd eo loco teſtaceæ fragmenta diſperſa eſſent. Secundum verò quoſdam Hebræos eſt hic vertendum, portæ ſol aris, hoc eſt, orientalis.* [c] Alienum fecerunt locum iſtum.] *Hoc eſt, locum ſanctum prophanauerunt idolorum cultura.*

CAPVT XX.

ET audiuit Phaſſur filius Emmer ſacerdos, qui conſtitutus erat [a] princeps in domo Domini Ieremiam A
prophetantem ſermones iſtos. Et percuſſit Phaſſur Ieremiam prophetam, & miſit eum in † carcerem
[b] qui erat in porta Beniamin ſuperiori, in domo Domini. Cumque illuxiſſet in craſtinum, eduxit
Phaſſur Ieremiam de neruo. Et dixit ad eum Ieremias. [c] Non Phaſſur vocauit Dominus nomen tuum, ſed
pauorem vndique, quia hæc dicit Dominus. Ecce ego dabo te in pauorem, te & omnes amicos tuos: & cor
ruent gladio inimicorum ſuorum, & oculi tui videbunt: & omnem Iudam dabo in manu regis Babylonis:
& traducet eos in Babylonem, & percutiet eos gladio. Et dabo vniuerſam ſubſtantiam ciuitatis huius, &
B omnem laborem eius, omneque pretium, & cunctos theſauros regum Iuda dabo in manu inimicorum eo
rum: & diripient eos, & tollent, & ducent in Babylonem. Tu autem Phaſſur, & omnes habitatores domus
tuæ ibitis in captiuitatem, & in Babylonem venies, & ibi morieris: ibiq; ſepelieris tu, & omnes amici tui qui
bus prophetaſti mendacium. [d] Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum? fortior me fuiſti, & inualuiſti, fa
ctus ſum in deriſum tota die, omnes ſubſannant me. Quia iam olim loquor, [e] vociferans † iniuidiam, & va
ſtitatem clamito. Et factus eſt mihi ſermo Domini in opprobrium, & in deriſum tota die. Et dixi, [f] Non
C recordabor eius, neq; loquar vltrà in nomine illius: & factus eſt in corde meo quaſi ignis exæſtuans, clau
ſusque in oſibus meis: & defeci, ferre non ſuſtinens. Audiui enim contumelias multorum, & terrorem in
circuitu. [g] Indicate & annuntiabimus ei, ab omnibus viris, qui erant pacifici mei, † obſeruantes ſi vſquàm
claudicarem: [h] ſi quo modo decipiatur, & prævaleamus aduerſus eum, & conſequamur vltionem ex eo.
Dominus autem mecum eſt tanquam bellator fortis: iccircò qui perſequuntur me, cadent, & infirmi erunt:
confundentur vehementer, † quia nihil ſuccedet illis: opprobrium ſempiternum erit eis, quod nunquam
obliuione delebitur. Et tu Domine exercituum probator iuſti, qui vides renes, & cor: videam quæſo vltio
nem tuam ex eis: tibi enim reuelaui cauſam meam. Cantate Domino, laudate Dominum: quia liberauit ani
D mam pauperis de manu malorum. [i] Maledicta dies, in qua natus ſum: dies, in qua peperit me mater mea,
non ſit benedicta. Maledictus vir, qui annuntiauit patri meo, dicens, Natus eſt tibi puer maſculus: & quaſi
gaudio lætificauit eum. Sit homo ille, vt ſunt ciuitates quas ſubuertit Dominus, & non pœnituit eum: [k] au
diat clamorem manè, & vlulatum in tempore meridiano: qui non me interfecit à vulua, vt fieret mihi mater
mea ſepulchrum, & vulua eius [l] conceptus æternus. Quare de vulua egreſſus ſum, vt viderem laborem & do
lorem, & conſumerentur in confuſione dies mei?

SCHOLIA.

[a] Princeps in domo Domini.] *Summo loco dignitatis ſummus ſacerdos erat, qui in vrbe Ieroſolyma prope regnum obtinebat, cui rex ipſe in pleriſque concedebat.* [b] Qui erat in porta Beniamin ſuperiori, in domo Domini.] *Quæ ſcilicet fuit iuxta domum Domini. Nam templum partim ſtabat in ſorte Iuda, & partim in ſorte Beniamin, confinia complectens vtriuſque ſortis.* [c] Non Phaſſur vocauit Dominus nomen tuum.] *Alius ſic vertit, Phaſſur non vocauit Dominus nomen tuum, hoc eſt, falſus tu es propheta, & non à Domino ad munus prophetiæ vocatus, ſed pastor immitebit tibi per circuitũ.* [d] Seduxiſti me Domine, & ſeductus ſum?] *Qui ſcilicet recuſantem hanc prouinciam, dixiſti fore idoneũ adminiſtrandæ illi. Nam vox Hebræa ſignificat propriè verbis perſuadere, et ſimplicem ad aliquid inducere. Ait ergo, ſi ſeductus ſum Domine, vt iſti falsò queruntur, tu me ſeduxiſti, cum ego non mea ſponte hoc ſubierim officium, ſed te vocantem ſecutus ſum, & clamo contra impios, redarguens eos propter iniurias, quas ſibi mutuò inferunt, & prædicens imminentem deuaſtationem.* [e] Vociferans inuidiam.] *Hoc eſt, clamitando, nihil aliud quàm omnes aduerſum me pronoco, atq; iniurias ac deuaſtationes excito contra me, vt etiam impij homines manus iniecerint in me.* [f] Nõ recordabor.] *Cogitaui (inquit) melius eſſe tacere verbum Domini, quàm ſic prophetando crabrones irritare: ſed verbum Domini adeo arſit in me, vt etiam non potuerim illud tenere intra me.* [g] Indicate & annuntiabimus ei.] *Sic dicebant, ſi quid habetis quo opprimi poſſit, indicate nobis: nos illum apud regem accuſabimus. Et hos clamores (ait propheta) audiui etiam ab ijs, quos putabam eſſe pacifícos meos.* [h] Si quomodo decipiatur.] *Hoc eſt, nonne ſeducetur in errorem aliquando, vt comedat ac bibat nobiſcum, quo contra eum prævaleamus, veneno eum perdentes.* [i] Maledicta dies.] *Maximum dolorem, quem ſentit ex per-*

ditione gentis suæ, exprimit dicens, Si vllus dies infaustus est, illum dicerem esse natalis mei diem, et siquis nuntius infaustus, eum iudicarem, qui annuntiauit patri meo natiuitatem meam. Quòd verò non ita perturbato, vt putatur, animo, hæc dixerit, attende quæ præcesserint, & rectè ac piè hæc verba interpretaberis. [k] Audiat clamorem manè..] *Hebræi referunt hæc verba ad patrem prophetæ, vt sit hic sensus. Si scisset pater meus, quòd tales mihi obuenturæ fuissent calamitates, maluisset audire clamorem, & eiulatum à propinquis, quàm gratulationem de nato filio.* [l] Conceptus sempiternus.] *Quem nihil vitæ consecutum fuisset.*

CAPVT XXI.

VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, quando misit ad eum rex Sedechias Phassur filiũ A
Melchiæ, & Sophoniã filium Maasiæ sacerdotem, dicens, Interroga pro nobis Dñm, quia Nabucho
donosor rex Babylonis præliatur aduersum nos: si fortè faciat Dominus nobiscum secundũ omnia
mirabilia sua, & recedat à nobis. Et dixit Ieremias ad eos. Sic dicetis Sedechiæ, Hæc dicit Dñs Deus Israel, Ec-
Infra 38.a ce ego [a] cõuertam vasa belli, quę in manibus vestris sunt, & quibus vos pugnatis aduersum regem Babylonis
& Chaldæos, qui obsident vos in circuitu murorũ: & congregabo ea in medio ciuitatis huius. Et debellabo B
ego vos in manu extenta, & in brachio forti, & in furore, & in indignatione, & in ira grandi. Et percutiam ha
bitatores ciuitatis huius: homines & bestiæ pestilẽtia magna morientur. Et post hoc ait Dñs, Dabo Sedechiã
Infra 22.a regẽ Iuda, & seruos eius, & populũ eius, & qui derelicti sunt in ciuitate hac à peste, & gladio, & fame, in manu
Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manu inimicorũ eorũ, & in manu quærentiũ animã eorũ: & percu iet
eos in ore gladij, & nõ flectetur, neq; parcet, nec miserebitur. Et ad populũ hũc dices, Hæc dicit Dñs. Ecce C
ego do coram vobis viã vitę, & viã mortis, qui habitauerit in vrbe hac, morietur gladio & fame & peste: qui
autẽ egressus fuerit, & transfugerit ad Chaldęos, qui obsident vos, viuet, & erit ei anima sua [b] quasi spolium.
Posui enim faciem meam super ciuitatem hanc in malum, & non in bonum, ait Dñs: in manu regis Babylo
nis dabitur, & exuret eam igni. Et domui regis Iuda, Audite verbum Domini. Domus Dauid, hęc dicit Do-
minus, Iudicate manè iudicium, & eruite vi oppressum de manu calumniantis: ne fortè egrediatur, vt ignis D
indignatio mea, & succendatur, & non sit qui extinguat propter malitiam studiorum vestrorum. Ecce ego
ad te [c] habitatricem vallis solidę atq; campestris, ait Dominus: qui dicitis. Quis percutiet nos? & quis ingre-
dietur domos nostras: Et visitabo super vos iuxta fructum studiorum vestrorum, dicit Dominus: & succen-
dam ignem [d] in saltu eius: & deuorabit omnia in circuitu eius.

SCHOLIA.

[a] Conuertam vasa belli.] *Hoc est, transferam ad hostes arma vestra, vt sit sensus. Ego vnà cum Chaldæis pugnabo contra vos, nam impediam arma vestra, & retundam ea de manu vestra, vt non possitis resistere hostibus vestris. Ego pugnabo contra vos in ciuitate fame & peste, & Chaldæi foris pugnabunt, donec vrbem expugnent, &c.* [b] Quasi spolũ.] *Hoc est, seruabitur captiuus.* [c] Habitatricem vallis solidæ.] *Ierusalem dicit, quæ ad radicem montis triplicis muro circũdata, petræ innitebatur, & habebat planitiem, sub qua erat vallis circunquaque.* [d] In saltu eius.] *Vel, sylua, hoc est, in ciuitatibus eius, quæ scilicet erant in circuitu Ierusalem quasi sylua.*

CAPVT XXII.

HÆc dicit Dominus, [a] Descende in domum regis Iuda, & loqueris ibi verbum hoc, & dices, Audi A
Supra 21.d verbum Domini rex Iuda, qui sedes super solium Dauid tu & serui tui, & populus tuus, qui ingre
dimini per portas istas, Hæc dicit Dominus, Facite iudicium & iustitiam: & liberate vi oppressum
de manu calumniatoris: & aduenam, & pupillum, & viduam nolite contristare, neque opprimatis iniquè:
& sanguinem innocentem ne effundatis in loco isto. Si enim facientes feceritis verbum istud: ingredientur
per portas domus huius reges sedentes de genere Dauid super thronum eius, & ascendentes currus & equos,
ipsi & serui, & populus eorum. Quòd si non audieritis verba hæc: in memetipso iurauí, dicit Dominus,
quod in solitudinem erit domus hæc. Quia hæc dicit Dominus super domum regis Iuda, [b] Galaad tu mi-
hi caput Libani: si non posuero te solitudinem, vrbes inhabitabiles: [c] & sanctificabo super te interficien-
tem virum & arma eius: & succident [d] electas cedros tuas, & præcipitabunt in ignem. Et pertransibunt B
Deut. 29.d gentes multæ per ciuitatem hanc: & dicet vnusquisque proximo suo, Quare fecit Dominus sic ciuitati huic
3. Reg. 9.b grandi? Et respondebunt, Eò quòd dereliquerint pactum Domini Dei sui, & adorauerint deos alienos, &
seruierint eis. [e] Nolite flere mortuum, neque lugeatis super eum fletu, plangite eum, qui egreditur, quia non
reuertetur vltrà, nec videbit terram natiuitatis suæ: quia hæc dicit Dominus ad Sellum filium Iosiæ regis
Iuda, qui regnauit pro Iosia patre suo, qui egressus est de loco isto, Non reuertetur huc amplius: sed in loco
ad quem transtuli eum, ibi morietur, & terram istam non videbit amplius. Væ, qui ædificat domum suam
in iniustitia, & cœnacula sua non in iudicio: amicum suum opprimet frustra, & mercedem eius non reddet
ei. Qui dicit, Ædificabo mihi domum latam, & cœnacula spatiosa: qui aperit sibi fenestras, & facit laquea-
ria cedrina, pingitq; sinopide. [f] Nunquid regnabis, quoniam [g] confers te cedro? [h] pater tuus nunquid non
comedit & bibit, & fecit iudicium & iustitiam tunc cum bene erat ei? Iudicauit causam pauperis & egeni in C
bonum suum. Nunquid non hoc est nosse me, dicit Dominus? Tui verò oculi & cor ad auaritiam, & ad
sanguinem innocentem fundendum, & ad calumniam, & ad cursum mali operis. Propterea hæc dicit Do-
minus ad Ioacim filium Iosiæ regem Iuda. Non plangent eum, væ frater & væ soror: non concrepabunt
ei, væ domine, & væ inclyte. Sepultura asini sepelietur, putrefactus, & [i] proiectus extra portas Ieruśa-
lem. [k] Ascende Libanum, & clama: & in Basan da vocem tuam, & clama ad transeuntes, quia contriti sunt
omnes amatores tui. Locutus sum ad te in abundantia tua: dixisti, Non audiam. Hæc est via tua ab ado-
lescentia tua, quia non audisti vocem meam. Omnes pastores tuos † de pascet ventus, & amatores tui in ca-
ptiuitatem ibunt: & tunc confunderis, & erubescs ab omni malitia tua. [l] Quæ sedes in Libano, & nidi-
ficas

D ficas in cedris, [m] quomodo congemuisti cum venissent ibi dolores, quasi dolores parturientis? [n] Viuo ego,
dicit Dominus: quod si fuerit Chonias filius Ioacim regis Iuda, annulus in manu dextera mea: inde euellam
te. Et dabo te in manu quærentiũ animam tuam: & in manu quorum tu formidas faciem, & in manu Na-
buchodonosor regis Babylonis, & in manu Chaldæorum. Et mittam te & matrem tuam, quæ genuit te, in
terram alienam, in qua nati non estis, ibiq; moriemini: & in terram, ad quam ipsi leuant animam suam, vt
reuertantur illuc, † non reuertentur. Nunquid vas fictile atq; contritum [o] vir iste † Chonias? Nunquid vas
absque omni voluptate? quare abiecti sunt ipse & semen eius, & proiecti in terram quam ignorauerunt?
Terra, terra, terra audi sermonem Domini. Hæc dicit Dominus, [p] Scribe virum istum sterilem, virum
qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium Dauid, & po-
testatem habeat vltrà in Iuda.

SCHOLIA.

[a] Descende in domum regis.] *Totum caput quod antecedit, continuus sermo est, habitus ad legatos regis, deinde quia multum est misericordia Dominus, prophetam cum lenioribus mandatis ad regium mandat. Vbi aduertendum est, cur sum verbi esse: Vt primò terreat, postea viam salutis monstret reuersuris. Spiritus Dei est in spem semper erigere. Et vide, vt sæpe benignitas Dei polliceatur veniam, si corrigantur, quamuis certissimum interitum ciuitatis iam toties denuntiauerit.*
[b] Galaad tu mihi caput Libani.] *Ierusalem florens sicut Galaad, caput es terræ sanctæ. Per Galaad intellige terram regni Og & Seon, atque vniuersam Basan. Vt autem Galaad fuit caput super omnes terras istas, sic Ierusalem fuit caput super totam terram Israel. Alij per Galaad intelligunt templum in edito loco situm.* [c] Et sanctificabo super te.] *Hoc est, præparabo contra te. Ad hoc vnum, inquit, parati erunt, quemadmodum res sanctas in alienum vsum non licet conuertere.* [d] Electas cedros.] *Hoc est, domos ex electis cedris extructas.* [e] Nolite flere mortuum.] *Tanquam dicat, minus erunt infelices qui hic morientur, quàm qui hinc abducentur. Putant quidam dictum de Ioacim qui & Eliachim, quod non sit deflendus, quòd in via mortuus sit, & propterea à multis malis fuerit liberatus. Sed filium eius Iechoniam, vel Ioacim iubet plangi, qui triginta septem annis in Babylone fuit in carcere. Quod exponunt & de Sallum, quòd etiam ipse sit Iechonias dictus, alij de Sedechia.* [f] Nunquid regnabis.] *Hoc est, num huiusmodi preciosis structuris, regnum tuum stabilies?* [g] Confers te cedro.] *Patrem eius, vel Dauid vocat cedrum, propter virtutis, & religionis eminentiam.*
[h] Pater tuus nunquid non comedit.] *Non est, inquit, vt Iosiam patrem tuum in hoc te dicas imitari: cum ille præter id, quod more regio comedit & bibit, atque amœnis vsus est palatijs, etiam sectator fuerit iustitiæ. Sunt qui hinc affirment opinionem hanc, Ioacim perpetuis ieiunijs corpus macerasse, vt abstinentia & ieiunio praua sua facinora expiaret, & iccirco dictum à propheta Pater tuus comedit, & bibit, sed fecit iustitiam & iudicium.* [i] Proiectus extra portas.] *Quibus verbis patet, illum haud longè ab vrbis mœnijs, cum abduceretur defunctum.* [k] Ascende Libanum.] *Iubetur ascendere in altissimos montes, & frustra clamare, ad obuios quosque, siquis fortè ei succurrat ex amatoribus eius, in quibus illa fiduciam suam collocarat. Sed ecce ipse quoque deuastati sunt per Nabuchodonosor, rex scilicet Ægypti, & rex Assur, quos etiam pastores eius vocat.* [l] Quæ sedes in Libano.] *Domus, inquit, tuæ extructæ fuerunt magnificis cedris Libani, & habitasti in eis quasi in Libano.* [m] Quomodo congemuisti.] *Alius vertit, quàm accepta eris, vel quàm pulchra eris cum venerint tibi dolores.* [n] Viuo ego.] *Nunc ad alterum regem venit, nempe Iechoniam, qui hic Chonias dicitur, de quo iurat sententiam latam, etiam si sibi ita adhæreret, vt annulus, aut sigillum, quod quis die noctuq; in manu haberet, vt rem pretiosam, tamen reiecturum se eum.* [o] Vir iste Chonias.] *Significat Iechonias, Domini præparatio, cui in præsenti loco prima syllaba, hoc est, Domini nomen aufertur tanquam indigno literis diuini nominis, sicut contra Abrahæ litera additur.* [p] Scribe virum istum sterilem.] *Quomodo dicitur orbatus filijs, cum genuerit Sealthiel, et Sealthiel genuerit Zorobabel, & sic consequenter vsque ad Christum, cuius genealogiam Matthæus describit? Soluitur hoc dubium per id, quod in fine huius capitis subiungitur. Non erit, vel non proſperabitur de semine eius vir aliquis, sedens super solium Dauid, & qui potestatem habeat vltrà in Iuda, post captiuitatem enim Babylonicam, nemo fuit de semine Dauid, qui liberè regnum administraret in Iuda, sed parebant exteris gentibus, nunc Medis, nunc Græcis, donec Machabæi, qui erant de genere sacerdotali excussertunt iugum Græcorum, quibus domus Herodum subrepsit. Nullus igitur fuit post Ioacim, qui regnum liberè administraret, & ob id vocat hic propheta Ioacim orbatum. Nec his dictis aduersatur id quod habetur Gen. 49. Non auferetur sceptrũ de Iuda, &c. de quo ibidem dictũ est, quòd principes fuerint de stirpe Iuda, qui censurã habebant in populum, præsertim senatus Sanhedrin, sed nato Christo omnis potestas fuit illis adempta sub præside Cyrenio, vt etiam illis non esset fas supplicium sumere de facinorosis. Non igitur Iudæi post captiuitatem Babylonicam perfectè redempti erant, sicut nec ornamenta templi habuerunt, puta arcam, propitiatorium, Cherubim, Ephod & similia, vt significaretur expectari perfectum redemptorem, tunc breui venturum, vnde & Samaritana mulier, diceb at, Cum venerit Messias, ille docebit nos omnia. Quod autem ait, Scribe virum istum. Videtur mos fuisse prophetarum literis comprehensas prophetias, proforibus templi populo omni legendas proponere, quod sic esse ex propheta Abachuc colligitur: vnde & scribere legem apud Oseam, Vaticinari, & mittere Vates significat: scribam (inquit) ei præcipua legis.*

CAPVT XXIII.

A VÆ pastoribus, qui dispergunt & dilacerant gregem pascuæ meæ, dicit Dominus. Ideò hæc dicit Eze. 34.a
Dominus Deus Israel ad pastores, qui pascunt populum meum, Vos dispersistis gregem meum,
& eiecistis eos, & non visitastis eos: ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum, ait
Dominus. Et ego [a] congregabo reliquias gregis mei de omnibus terris, ad quas eieceram eos illuc: & con-
uertam eos ad habitacula sua, & crescent, & multiplicabuntur. Et suscitabo super eos pastores, & pascent eos:
& [b] non formidabunt vltrà, & non pauebunt: & [c] nullus quæretur ex numero, dicit Dominus. Ecce dies ve-
niunt, dicit Dominus: & [d] suscitabo Dauid germen iustum: & regnabit rex, & sapiens erit: & faciet iudicium Infra 33.c
& iustitiam in terra. In diebus illius saluabitur Iuda, & Israel habitabit confidenter: & hoc est nomen quod Isa. 4.b &
vocabunt eum, Dominus † iustitia nostra. Propter hoc ecce dies veniunt, dicit Dominus: & non dicent vl- 40. c. 45.b

Eze.34. Dani.9.g Ioan.1.g Deut.31.d Supra 16.c

trà. Viuit Dominus qui eduxit filios Israel de terra Ægypti: sed, Viuit Dominus qui eduxit & adduxit se- B
men domus Israel de terra aquilonis,& de cunctis terris,ad quas ejeceram eos illuc:& habitabũt in terra sua
[e] Ad prophetas, Contritum est cor meum,in medio mei,contremuerunt omnia ossa mea, factus sum [f] quasi
vir ebrius,& quasi homo madidus à vino,[g] à facie Domini & à facie verborum sanctorum eius. Quia adul-
terijs repleta est terra, quia à facie maledictionis luxit terra, arefacta sunt arua deserti: factus est cursus eorum
malus,& fortitudo eorum † non recta. Propheta nanq; & sacerdos polluti sunt: & in domo mea inueni ma-
lum eorum, ait Dominus. Iccirco via eorum erit quasi lubricum in tenebris: impellentur enim, & corruent
in ea: afferã enim super eos mala, annum visitationis eorum, ait Dominus, Et in prophetis Samariæ vidi fa- C
tuitatem, prophetabant in Baal,& decipiebant populum meum Israel. Et in prophetis Ierusalem vidi † fœ-
ditatem, adulterium,& iter mendacij: & confortauerunt manus pessimoꝝ, vt non conuerteretur vnusquisq;
Supra 9.e à malitia sua: facti sunt mihi omnes vt Sodoma,& habitatores eius quasi Gomorrha. Propterea hęc dicit Do-
minus exercituum ad prophetas, Ecce ego cibabo eos absynthio,& potabo eos felle: à prophetis enim Ieru-
salem egressa est pollutio super omnem terram. Hæc dicit Dominus exercituum, Nolite audire verba pro-
phetarũ, qui prophetant vobis:& decipiunt vos: visionem cordis sui loquuntur, non de ore Domini. Dicunt
his qui blasphemant me, Locutus est Dominus, Pax erit vobis,& omnibus qui ambulant in prauitate cordis D
sui: dixerunt, non veniet super vos malum. [h] Quis enim affuit in consilio Domini, & vidit & audiuit ser-
monem eius? quis consyderauit verbum illius & audiuit? Ecce, turbo Dominicę indignationis egredietur, &
tempestas erumpens: super caput impiorum veniet. Non reuertetur furor Domini vsque dum faciat & vsq;
Supra. 14.e dum compleat cogitationem cordis sui: in nouissimis diebus intelligetis consilium eius. Non mittebam pro
Infra 27.c & 29.c phetas & ipsi currebant: non loquebar ad eos,& ipsi prophetabant. Si stetissent in cõsilio meo, & nota fecis-
sent verba mea populo meo: auertissent vtique eos à via sua mala, & à cogitationibus suis pessimis. Putasne
[i] Deus è vicino ego sum, dicit Dominus,& non Deus delonge? Si occultabitur vir in absconditis: & ego non E
videbo eum, dicit Dñs? Nunquid non [k] cœlum & terram ego impleo, dicit Dñs? Audiui quę dixerunt pro-
phetæ, prophetantes in nomine meo mendacium, atque dicentes, Somniaui, somniaui. Vsquequo istud est
in corde prophetarum vaticinantium mendacium,& prophetantium seductiones cordis sui? Qui volunt fa-
cere vt obliuiscatur populus meus nominis mei propter somnia eorum quæ narrat vnusquisq; ad proximũ
suum: sicut obliti sunt patres eorum nominis mei propter Baal. Propheta, qui habet somnium, narret som-
nium: & qui habet sermonem meum loquatur sermonem meum verè: quid paleis ad triticum, dicit Domi-
nus? Nunquid non [l] verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus: & quasi malleus conterẽs petram? Propte- F
rea ecce ego ad prophetas, ait Dominus: [m] qui furantur verba mea vnusquisque à proximo suo. [n] Ecce ego ad
prophetas, ait Dominus: [o] qui assumũt linguas suas,& aiunt, dicit Dominus, Ecce ego ad prophetas somnia-
tes mendacium, ait Dominus: qui narrauerunt ea, & seduxerunt populum meum in mendacio suo & in le-
uitatibus suis: cum ego non misissem eos, nec mandassem eis: qui nihil profuerunt populo huic, dicit Domi-
nus. [p] Si igitur interrogauerit te populus iste, vel propheta, aut sacerdos, dicẽs, Quod est onus Domini? dices
ad eos, [q] † quod onus? proijciam quippe vos, dicit Dominus. Et propheta & sacerdos & populus qui dicit,
Onus Domini: visitabo super virum illum,& super domum eius. Hæc dicetis vnusquisque ad proximum & G
ad fratrem suum [r] Quid respondit Dominus? & quid locutus est Dominus? Et onus Domini vltrà non me-
morabitur: quia onus erit vnicuique sermo suus: & peruertistis verba Dei viuentis, Domini exercituum Dei
nostri. Hæc dices ad prophetam, Quid respondit tibi Dominus? & quid locutus est Dominus? Si autẽ Onus
Domini dixeritis: [s] propter hoc hæc dicit Dominus, Quia dixistis sermonem istum, Onus Domini: & misi
ad vos, dicens, Nolite dicere Onus Domini: propterea ecce ego [t] tollam vos portans: & † proijciam vos, & ci
Supra 20.e uitatem quam dedi vobis, & patribus vestris à facie mea: & dabo vos in opprobrium sempiternum, & igno-
miniam æternam, quæ nunquam obliuione delebitur.

SCHOLIA.

[a] Congregabo reliquias.] *Hoc ad regnũ Christi pertinet, de omnibus enim terris nondũ vocatus est carnalis Israel, aut Iuda, nisi quatenus reliquiæ & passim aliqui nomen Christo dederunt.* [b] Non formidabunt vltra.] *Hæc non dici poterunt de Israelitis ex Babylonia reuersis, cum in continuis fuerint timoribus, & aduersitatibus, ideo ad tempora Christi referenda sunt, in quibus perfecta liberatio facta est, vt Christianus homo iam non timeat neque homines, neque dæmones, cum se sciat esse ouem Christi.* [c] Et nullus quæretur ex numero.] *Vel, non deficient ex numero, neque imminuentur.*
[d] Suscitabo Dauid germen iustum.] *Pro germine iusto, Ionathas Chaldæus vertit, Messiam iustum. Igitur per germen Dauid intelligitur semen Dauid, hoc est, humana natura Christi. Indicatur & natura diuina, quãdo mox subditur, in diebus eius saluabitur Iuda & hoc est nomen eius, quo vocabũt eum, Dominus iustitia nostra, pro illa autem dictione, Dominus in Hebræo est nomen tetragrammaton, quod soli Deo competit. Conuincit igitur locus iste Iudæos, negantes Messiæ diuinitatẽ.*
[e] Ad prophetas.] *Vel, propter prophetas, intelligit de falsis prophetis, qui verum sanctum in negocio suo impediebant, vt nihil proficeret in populo suo, quantumlibet illis dura comminaretur.* [f] Quasi vir ebrius.] *Hoc est, parum compos mentis.*
[g] A facie Domini.] *Qui hæc patitur, hoc est, propter Dominum, qui hæc fert, & propter verba sancta eius, quæ pseudo prophetæ falsò vsurpant, dicentes, Hæc dicit Dominus.* [h] Quis enim affuit in consilio Domini?] *Quasi dicat, ad falsos illos prophetas non est factum verbum Domini, cum nunquam admissi sint in consilium Dei, sicut viri sancti.* [i] Dominus è vicino.] *Sum ne ego (inquit) Deus recens natus, aut formatus, aut potius ante mundi constitutionẽ existens? Ego omnia vestra intueor, & scio.* [k] Cœlum & terram ego impleo.] *De substantia diuinitatis, scriptura, & fidei spiritus nihil anxiè perueſtigat, quod in Targo significatum videtur. Gloria (inquit) mea cœlum & terram adimplet.* [l] Verba mea sunt quasi ignis.] *Sicut nihil est quod ignis non consumat, & malleus non conterat, ita nihil potest obsistere verbo Domini.*
[m] Qui furantur verba mea.] *Hoc est, quæ dicunt esse mea, & vsurpant sibi munus prophetiæ, & loquuntur in nomine*

meo, quæ ego non præcepi eis, blanda lingua populum in errore retinentes. [n] Ecce ego ad prophetas.] *Tria pseudo prophetarum genera ponit. Primò sunt qui subauscultant, quid veri prophetæ ex Domino attulerint, & illud assumptum ex parte aduersum institutum detorquent, huius exemplum ponunt in Anania filio Ezor, de quo infra cap. 28. nam cum in foro superiore Hieremias dissereret, sic (inquiens) dixit Dominus exercituum. Ecce ego frãgo arcum Elam, primitias roboris eorum, arripuit hoc Ananias, secumque rem reputauit hoc modo. Si populus Elam auxiliarius Chaldæorum frangetur, à maiori sequitur, & ipsis Chaldæos frangendos, iccirco restitit in foro inferiore atque exclamauit. Sic dixit Dominus Deus Israel, confregi iugum Babel. Secundò homines eruditi & eloquentes, qui linguas suas arte instruxerunt ad gratiam apud homines comparandam. Tertiò qui falsa sua somnia pro veris Dei oraculis plebeculæ obtrudunt.* [o] Qui assumunt linguas suas.] *Hoc est, abutuntur linguis.* [p] Si igitur interrogauerit te populus iste.] *Videlicet per irrisionẽ. Tantus enim erat verbi contemptus, vt prophetiam per derisum onus nominarent, quia ferè tristia veri prophetæ nũtiabant. Est enim onus prophetia grauis, afflictiones denuntians, iccirco Iudæi prophetarum oracula odioso nomine onus nominabant.* [q] Quod onus.] *Si scire cupitis, inquit, quod sit onus, proijciam vos, hoc est, tãquam hoc erit vestrum onus.* [r] Quid respondit Dominus.] *Monemur hic vt sanctè & piè loquamur de verbis Domini, quæ plena sunt salutis, & gratiæ, non ea onus vocantes, sed responsa & oracula Dei, quibus inuitamur ad pœnitẽtiam & salutem.* [s] Propter hoc.] *Supple, Visitabo super vos.* [t] Tollam vos portans.] *Vel potius. Obliuiscar portare vos.*

CAPVT XXIIII.

A [a] Ostendit mihi Dominus: & ecce duo calathi pleni ficis, positi ante templum Domini: postquam trã-
stulit Nabuchodonosor rex Babylonis Iechoniam filium Ioacim regem Iuda,& principes eius, et fa-
brum,& inclusorem de Ierusalem,& adduxit eos in Babylonem. Calathus vnus, ficus bonas habebat
nimis: vt solent ficus esse primi temporis,& calathus vnus, ficus habebat malas nimis, quæ comedi non po-
B terant, eò quòd essent malæ. Et dixit Dominus ad me. Quid tu vides Ieremia? Et dixi, Ficus: ficus bonas, bo
nas valde: & malas, malas valde, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ. Et factum est verbum Domini
ad me, dicens, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Sicut ficus hę bonæ: sic cognoscam tranſmigrationem Iuda,
quam emisi de loco isto in terram Chaldæorum, in bonum. Et ponam oculos meos super eos † in bonum:
C & reducam eos in terram hanc: & ædificabo eos,& non destruam: & plantabo eos, & non euellam. Et dabo
eis cor vt sciant me quòd ego sum Dominus: & erunt mihi in populum,& ego ero eis in Deum: quia reuer-
tentur ad me in toto corde suo. Et sicut ficus pessimę, quæ comedi non possunt, eò quòd sint malæ: hæc di- Infra 21.f
cit Dominus, sic dabo Sedechiam regem Iuda,& principes eius, & reliquos de Ierusalem: qui remanserunt
D in vrbe hac, [b] & qui habitant in terra Ægypti. Et dabo eos in vexationẽ afflictionemq; omnibus regnis ter- Infr. 29.d
ræ in opprobrium,& in parabolã,& in prouerbium,& in maledictionem in vniuersis locis ad quę eieci eos.
[c] Et mittã in eis gladium,& famem,& pestem: donec consumãtur de terra, quam dedi eis & patribus eorum.

SCHOLIA.

[a] Ostendit mihi Dominus.] *Redit ad Iechoniam, quem nunc confert cum Sedechia patruo, qui successit in regno, et illo beatiorem fore ostendit, sub quo hæc prophetia est dicta, qui & cum omnibus suis extirpandus erat, cum Iechoniæ iterum promittatur posteritas in Babylone, nimirum propter insignem obedientiam, eò quòd ad iussum Dei sponte se tradidit manibus crudelissimi hostis Nabuchodonosor. Per ficus ergo bonas, intelligitur Iechonias, & qui cũ eo erant pœnitentiam in Babylonia agentes: & per ficus malas, & quas Dominus respuit, Sedechias cum suis, qui afflictionibus & Hieremiæ increpationibus non meliores effecti, in obstinatione permanserunt.* [b] Et qui habitant in terra Ægypti.] *Qui scilicet cum Ioanne filio Caree in Ægyptum descenderant.* [c] Et mittam in eos gladium.] *Hoc accidit partim cum obsideretur Ierusalem à Nabuchodonosor, partim in Ægypto, & pauperibus relictis in terra sub Godolia & Ioanne.*

CAPVT XXV.

A Verbum quod factum est ad Ieremiam de omni populo Iudæ: in anno quarto Ioacim filij Iosię regis
Iuda, ipse est annus primus Nabuchodonosor regis Babylonis quod locutus est Ieremias propheta
ad omnem populum Iuda,& ad vniuersos habitatores Ierusalem, dicens, [a] A tertiodecimo anno Io-
siæ filij Amon regis Iuda vsque ad diem hanc: iste est tertius & vicesimus annus, factum est verbum Domini
ad me,& locutus sum ad vos [b] de nocte consurgens & loquens: & non audistis. Et misit Dominus ad vos oẽs
seruos suos prophetas consurgens diluculo, mittens; & non audistis: neque inclinastis aures vestras vt audi-
retis, cum diceret, Reuertimini vnusquisq; à via sua mala,& à pessimis cogitationibus vestris: & habitabitis
B in terra quam dedit Dominus vobis & patribus vestris, à sæculo vsque in sæculũ. Et nolite ire post deos alie- 4.Re. 17.d
nos, vt seruiatis eis, adoretisq; eos: neque me ad iracundiam prouocetis in operibus manuum vestrarum, & Supra 18.e
non affligam vos. Et non audistis me, dicit Dominus: vt me ad iracundiã prouocaretis in operibus manuum Infra 35.c
vestrarum, in malum vestrum. Propterea hæc dicit Dominus exercituum. Pro eò quòd non audistis verba
mea, ecce ego mittam,& assumam vniuersas cognationes aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonosor [c] re-
gem Babylonis seruum meum: & adducam eos super terram istam,& super habitatores eius,& super omnes
[d] nationes quæ in circuitu illius sunt: & interficiam eos,& ponam eos in stuporem & in sibilum,& in solitu-
dines sempiternas. Perdàmq; ex eis vocem gaudij & vocem lætitiæ, vocem sponsi & vocem sponsę [e] vocem
C molæ & [f] lumen lucernę. Et erit vniuersa terra hæc in solitudinem & in stuporem & seruient omnes gentes
istæ regi Babylonis septuaginta annis. Cumq; impleti fuerint septuaginta anni, [g] visitabo super regem Ba- Infr. 29.c
bylonis,& super gentem illam, dicit Dominus, iniquitatem eorum,& super terram Chaldęorum: & ponam 2. Pa. 36.d
illam in solitudines sempiternas. [h] Et adducam super terram illam omnia verba mea quæ locutus sum con- Esr. 1.a
tra eam, omne quod scriptum est in libro isto, quæcunq; prophetauit Ieremias aduersum omnes gẽtes. Quia Dani. 9.a
seruierunt eis, cum essent gentes multæ & reges magni: & reddam eis secundum opera eorum, & secundum
facta manuum suarum. Quia sic dicit † ad me Dominus Deus Israel, [i] Sume calicẽ vini furoris huius de ma-

nu mea: & propinabis de illo cunctis gentibus ad quas ego mittam te, Et bibent, † & inebriabuntur, & in- D
sanient: à facie gladij quem ego mittam inter eos. Et accepi calicem de manu Domini, & propinaui cunctis
gentibus ad quas misit me Dominus: Ieruſalem, & ciuitatibus Iuda, & regibus eius & principibus eius: vt da-
rem eos in ſolitudinem, & in ſtuporem, & in ſibilum, & in maledictionem, [k] ſicut eſt dies iſta. [l] Pharaoni re-
gi Ægypti, & ſeruis eius, & principibus eius, & omni populo eius, & vniuerſis generaliter: cūctis regibus ter-
ræ Auſitidis: & cunctis regibus terræ Philiſthijm, & Aſcalonis, & Gazæ, & Accaron, & reliquijs Azoti, & Idu
meæ, & Moab, & filijs Ammon, & cunctis regibus Tyri, & vniuerſis regibus Sidonis: & regibus terræ Inſula-
rum qui ſunt trans mare, & Dedan, & Theman, & Buz, & vniuerſis † quotquot habitant vſquam in angulis, E
& cunctis regibus Arabiæ: &, cunctis regibus occidentis qui habitant in deſerto: & cunctis regibus Zambri,
& cunctis regibus Elam: & cunctis regibus Medorum: cunctis quoq; regibus aquilonis deprope & delonge,
vnicuique contra fratrem ſuum: & omnibus regnis terræ, quę ſuper facię eius ſunt: & [m] rex Seſach bibet poſt
eos. Et dices ad eos, Hęc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, Bibite & inebriamini, & vomite: & cadite,
neq; ſurgatis: à facie gladij quem ego mittam inter vos. [n] Cumq; noluerint accipere calicem de manu tua vt
2.Pet.4.d bibant, dices ad eos. Hæc dicit Dominus exercituum, Bibentes bibetis: quia ecce in ciuitate, in qua inuoca-
tum eſt nomen meum, ego incipio affligere: & vos quaſi innocētes, & immunes eritis? non eritis immunes: F
Ioel.3.d gladium enim ego voco ſuper omnes habitatores terrę, dicit Dominus exercituum. Et tu prophetabis ad eos
Amos 1.a omnia verba hæc, & dices ad illos, Dominus de excelſo rugiet, & habitaculo ſancto ſuo dabit vocem ſuam:
rugiens rugiet ſuper decorem ſuum: celeuma quaſi calcantiū, concinetur aduerſus omnes habitatores terræ.
Peruenit ſonitus vſq; ad extrema terræ: quia iudicium Domino cum gentibus: iudicatur ipſe cum omni car-
ne, impios tradidi gladio, dicit Dominus, Hęc dicit Dominus exercituum. [o] Ecce afflictio egredietur de gen-
te in gentem: & turbo magnus egredietur à ſummitatibus terræ. [p] Et erunt interfecti Domini in die illa à
ſummo terræ vſque ad ſummum eius: non plangentur, et non colligentur, neque ſepelientur: in ſterquilinio G
ſuper faciem terræ iacebunt. Vlulate paſtores, & clamate: & aſpergite vos cinere optimates gregis, quia com-
pleti ſunt dies veſtri, vt interficiamini: & diſſipationes veſtræ, & cadetis [q] quaſi vaſa pretioſa. Et [r] peribit fuga
à paſtoribus, & ſaluatio ab optimatibus gregis. Vox clamoris paſtorum, & vlulatus optimatum gregis: quia
vaſtauit Dñs paſcua eorum, & conticuerunt [s] arua pacis à facie iræ furoris Dñi. [t] Dereliquit quaſi leo vmbra-
culum ſuum: quia facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ † oppreſionis, & à facie iræ furoris Dñi.

SCHOLIA.

[a] A tertio decimo anno Ioſiæ.] *Annis decem et nouem ſub Ioſia prophetauit, qui triginta vnum annos regno præ-
fuit, & quatuor ſub Iacim filio. Itaq; vſque ad annum quartum Ioacim, qui primus annus fuit Nabuchodonoſor, viginti tri
bus annis clamauerat ad eos. Et ſi addas ſeptem ſub Ioacim, & vndecim ſub Sedechia, inuenies quadraginta & vno prophe
taſſe. In principio Danielis ſcriptum eſt, quod Nabuchodonoſor rex Babel tertio anno regni Ioacim Hieroſolymam obſedерit,
& hic dicitur anno quarto. Sed pars tertij anni, & pars quarti anni regni Ioacim faciunt primum annum Nabuchodonoſor.*
[b] De nocte conſurgens.] *Vel, mane, eſt autem Hebraiſmus, capitur q; pro, in tempore aliquid facere, vel monere. Sic cum
Dominus vellet punire Iudæos propter abominationes ſuas, miſit prius ad eos per prophetas verbum ſuũ, ſi forte reſipiſcerent,
& pœniteret eos ſuorum ſcelerum. Cupiebat enim Dominus parcere populo ſuo, atque habitaculo ſuo. Sed cum illi ſubſannaſ-
rent nuntios Dei, & paruiſenderẽt verbum Dei, venit furor Domini ſuper eos.* [c] Regem Babylonis ſeruum meum.]
Et Eſaiæ 13. Vocantur ſanctificati Dei. [d] Nationes quæ in circuitu.] *Nam obtinuit Ægyptum, Ammonitas, Paleſti-
nos, Tyrios, & Damaſcenos.* [e] Vocem molæ.] *Cum gaudio fruebantur partis frugibus, & cum molebant condimen-
ta, & quæ pro ſumptuoſis conuiuijs parabantur.* [f] Lumen lucernæ.] *In conuiuijs enim multæ lucernæ accendi ſolent.*
[g] Viſitabo.] *Excidium Babylonis typus eſt perituri mundi.* [h] Et adducam.] *Chaldæa multò poſt Cyrum facta fuit in ſo-
litudinem, quando ex vna Babylone, ædificata eſt Cteſiphon & Seleucia, & redacta in hortum feræarum regiarum.* [i] Sume
calicem.] *Viſio hæc fuit prophetica, quæ omnibus populis iubetur annũtiare iudicium Dei, Intelligitur autem per calicem,
furore vel maledictione Dei repletum, prophetia ipſa, cuius guſtu gentes inebriatæ ſunt, & dementes effecti, obſtinatique in
ſua malitia.* [k] Sicut eſt dies iſta.] *Ex hoc verbo videtur eſſe iudicium, ſcriptam fuiſſe prophetiam, & librum poſt deſola-
tam ciuitatem.* [l] Pharaoni regi Ægypti.] *Ordine narrat vicinas, & potentiſſimas gentes. Ægypty potentiſſimi erant,
partim ad meridiem, partim ad occidentem ſiti.* [m] Et rex Seſach.] *Secundum Hebræos hic eſt rex Babel, per cõuerſionem
alphabeti: nam Iudæi in vſu habent quoddam alphabetum, vbi pro prima litera Aleph, vltima nimirum Tau ponitur, &
pro ſecunda Beth, penultima Sin: ſic Reſ pro Gimel, & ſic conſequentur. Itaque Seſach idem erit quod Babel, ſi ad rationem
huius alphabeti expendas.* [n] Cumq; noluerint accipere.] *Hoc eſt, ſi adhuc repugnauerint vt ſperauerint iudicium Dei
non euenturum.* [o] Ecce afflictio egredietur.] *Alius vertit, malitia, afflictionem tamen ſignificans, vt illud Pauli, Dies
mali ſunt. Hyperbolicus autem ſermo admonet futuri iudicij.* [p] Et erunt interfecti Domini.] *Nuſquam hoc factum eſſe
legitur, ſed hoc erit in inſigni aduentu illo Domini.* [q] Quaſi vaſa pretioſa.] *Quæ ſcilicet frangẽtur. Fuiſtis (inquit) vaſa pre
cioſa, iam veluti ſtercus abijciemini.* [r] Peribit fuga.] *Hoc eſt, non erit fugæ locus.* [s] Arua pacis.] *Vbi ſcilicet pacifice, et
ſine incurſione beſtiarum greges antea paſcebantur. Et intelliguntur per hæc paſcua, ciuitates & prouinciæ, quæ in pace &
ſecuritate fuerãt.* [t] Dereliquit quaſi leo.] *Dicitur Deus derelinquere tabernaculum ſuum, hoc eſt, templum ſuum, quaſi
leo, eò quòd non inueniret ibi fructum aliquem, & impletionem voluptatis ſuæ. Siquidem leo relinquit latibulum ſuum, ſi ſibi
in eo loco non occurrat vnde viuere poſſit.*

CAPVT XXVI.

IN principio regni Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda, factum eſt verbum iſtud à Domino, dicēs, Hæc dicit Do- A
minus, Sta in atrio domus Domini, & loqueris ad omnes ciuitates Iuda, de quibus veniunt vt adorent in
domo Domini, vniuerſos ſermones quos ego mandaui tibi vt loquaris ad eos: noli ſubtrahere verbum: ſi
forte audiant & conuertātur, vnuſquiſq; à via ſua mala: & pœniteat me mali quod cogito facere eis propter
malitiam

malitiam ſtudiorum eorum. Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus, Si non audieritis me vt ambuletis in lege
mea quam dedi vobis: vt audiatis ſermones ſeruorum meorum prophetarum, quos ego miſi ad vos de nocte
conſurgens, & dirigens, & non audiſtis: dabo domum iſtam [a] ſicut Silo, & vrbem hanc dabo in maledictio-
nem cunctis gentibus terræ. Et audierunt ſacerdotes, & prophetæ, & omnis populus Ieremiam loquentem
verba hæc in domo Domini. Cumq; compleſſet Ieremias loquens omnia quæ præceperat ei Dominus vt 1.Re.4.b
C loqueretur ad vniuerſum populum: apprehenderunt eum ſacerdotes, & prophetæ, & omnis populus, dicens,
[b] Morte moriatur. Quare prophetauit in nomine Domini? dicens, ſicut Silo erit domus hæc: & vrbs iſta de-
ſolabitur, † ita vt non ſit habitator: & cōgregatus eſt omnis populus aduerſus Ieremiam in domo Domini.
Et audierunt principes Iuda verba hæc: & aſcenderunt de domo regis in domum Domini, & ſederunt in in-
troitu portæ domus Domini nouæ. Et locuti ſunt ſacerdotes, & prophetæ ad principes, & ad omnem popu-
D lum dicentes. Iudicium mortis eſt viro huic: quia prophetauit aduerſus ciuitatem iſtam, ſicut audiſtis auri- Supr.7.a
bus veſtris. Et ait Ieremias ad omnes principes, & ad vniuerſum populum, dicēs, Dominus miſit me vt pro-
phetarem ad domum iſtam, & ad ciuitatem hanc omnia verba quæ audiſtis. Nunc ergo bonas facite vias ve-
ſtras, & ſtudia veſtra, & audite vocem Domini Dei veſtri: & pœnitebit Dominum mali quod locutus eſt ad-
uerſum vos. Ego autem ecce in manibus veſtris ſum: facite mihi quod bonum & rectum eſt in oculis veſtris.
E Veruntamen ſcitote & cognoſcite quòd ſi occideritis me, ſanguinem innocentem tradetis contra voſmetip-
ſos, & contra ciuitatem iſtam, & habitatores eius: in veritate enim miſit me Dominus ad vos, vt loquerer in
auribus veſtris omnia verba hæc. Et dixerunt principes, & omnis populus ad ſacerdotes & prophetas. Non
eſt viro huic iudicium mortis: quia in nomine Domini Dei noſtri locutus eſt ad nos. Surrexerunt ergo viri
de ſenioribus terræ: & dixerunt ad omnem cœtum populi, loquentes, Micheas de Moraſthi fuit propheta in
F diebus Ezechiæ regis Iuda: & ait ad omnē populum Iudę, dicens, Hæc dicit Dñs exercituum. Sion quaſi ager Mich.7.a
arabitur: & Ieruſalem in aceruum lapidum erit: & mons domus Domini in excelſa ſyluarum. Nũquid mor-
te cōdemnauit eũ Ezechias rex Iuda, & omnis Iuda? nũnquid nõ timuerũt Dominum: & deprecati ſunt fa-
ciem Domini: & pœnituit Dominũ mali, quod locutus fuerat aduerſum eos? Itaq; nos facimus malum grā-
de contra animas noſtras. [c] Fuit quoque vir prophetans in nomine Domini Vrias filius Semei de Cariathia-
G rim: & prophetauit aduerſus ciuitatem iſtam, & aduerſus terram hanc iuxta omnia verba Ieremiæ. Et audi-
uit rex Ioacim, & omnes potētes, & principes eius verba hæc: & quæſiuit rex interficere eũ. Et audiuit Vrias,
& timuit, fugitq;, & ingreſſus eſt Ægyptum. Et miſit rex Ioacim viros in Ægyptum, Elnathan filium Acho-
bor, & viros cum eo in Ægyptum. Et eduxerunt Vriam de Ægypto: & adduxerunt eum ad regem Ioacim, &
percuſſit eũ gladio: & proiecit cadauer eius in ſepulchris vulgi ignobilis. Igitur manus Ahicam filij Saphan
fuit cum Ieremia, vt non traderetur in manus populi, & interficerent eum.

SCHOLIA.

[a] Sicut Silo.] *In Silo fuit arca Domini, & cultus Dei, ſed vbi Philiſtæi arcam ceperunt, deſolata fuit Silo, & reducta
arca, non fuit in locum Silo reſtituta, ſed mõs Sion fuit deinceps electus pro cultu Dei.* [b] Morte moriatur.] *Typum gerit
Chriſti, contra quem dicunt, Reus eſt mortis, quòd affirmaſſent falſi teſtes eum dixiſſe, poſſum deſtruere templum Dei, & tri-
duo illud reædificare.* [c] Fuit quoq; vir.] *Quid nobis, inquiunt, obijcitis Micheam Moraſthiten, cum rex Ioacim interfece-
rit Vriam, qui eadem, quæ Hieremias prophetauit contra ciuitatem & templum &c. Alij referunt ad eandem rationem
cum ſuperiore exemplo, quod ſcilicet, quia rex Ioacim interfecit Vriam, et ipſe abductus ſit captiuus in Babylonem cum ma-
tre &c. Quarto Reg. 24.*

CAPVT XXVII.

A IN principio regni Ioacim filij Ioſiæ regis Iuda, factum eſt verbum iſtud ad Ieremiam à Domino: dicēs, [a]
Hęc dicit Dominus ad me, Fac tibi vincula, & catenas: & pones eas in collo tuo. Et mittes eas ad regem
Edom, & ad regem Moab, & ad regem filiorum Ammō, & ad regem Tyri, & ad regem Sidōnis: [b] in ma-
nu nuntiorum qui venerunt Ieruſalem ad Sedechiam regem Iuda, & præcipies eis, vt ad dominos ſuos lo-
quantur. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, Hæc dicetis ad dominos veſtros, Ego feci terrā, & ho-
mines, & iumenta, quæ ſunt ſuper faciem terræ, in fortitudine mea magna & in brachio meo extento: & de-
di eam ei qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque ego dedi omnes terras iſtas in manu Nabuchonoſor re-
gis Babylonis ſerui mei: inſuper & beſtias agri dedi ei, vt ſeruiant illi. Et ſeruient ei omnes gentes, & [c] filio
B eius, & filio filij eius: donec veniat tempus terræ eius † etiam ipſum: & ſeruient ei gentes multæ & reges ma-
gni. Gens autem & regnum quod non ſeruierit Nabuchodonoſor regi Babylonis, & quicunque non cur-
uauerit collum ſuum ſub iugo regis Babylonis: in gladio & in fame & in peſte viſitabo ſuper gentem illam,
ait Dominus: donec conſummam eos in manu eius. Vos ergo nolite audire prophetas veſtros, & diuinos, &
ſomniatores, & augures, & maleficos qui dicunt vobis, Non ſeruietis regi Babylonis: quia mendacium pro-
phetant vobis: vt longè vos faciant de terra veſtra, & eijciant vos, & pereatis. Porrò gens quæ ſubiecerit cer-
uicem ſuam ſub iugo regis Babylonis, & ſeruierit ei: dimittam eam in terra ſua, dicit Dominus: & colet eam,
& habitabit in ea. Et ad Sedechiam regem Iuda locutus ſum ſecundum omnia verba hæc, dicens, Subijcite
C colla veſtra ſub iugo regis Babylonis, & ſeruite ei, & populo eius, & viuetis. Quare moriemini tu, & populus
tuus gladio, & fame, & peſte, ſicut locutus eſt Dñs ad gentem quę ſeruire noluerit regi Babylonis? Nolite au- Supra 14.c
dire verba prophetarum dicentiū vobis, Non ſeruietis regi Babylonis: quia mendacium ipſi loquuntur vo- & 23.d
bis. Quia non miſi eos, ait Dominus: & ipſi prophetant in nomine meo mendaciter: vt eijciant vos, & perea- Infra 29.b
tis tam vos quàm prophetæ qui vaticinantur vobis. Et ad ſacerdotes, & ad omnem populum iſtum locutus
ſum, dicens, Hęc dicit Dominus. Nolite audire verba prophetarum veſtrorum, qui propheтant vobis, dicē-
tes. Ecce vaſa domus Domini reuertentur de Babylone nunc citò: mendacium enim prophetant vobis.

Nolite

Nolite ergo audire eos, sed seruite regi Babylonis, vt viuatis: quare datur hæc ciuitas in solitudinẽ? Et si pro- D
phetæ sunt, & est verbũ Domini in eis: occurrant Dño exercituum: vt non veniant vasa quæ derelicta † sunt
in domo Dñi, & in domo regis Iuda, & in Ieruſalem in Babylonem. Quia hæc dicit Dñs exercituum ad co-
4. Re. 25. c lumnas, & ad mare, & ad bases, & ad reliqua vasorum, quæ remanserunt in ciuitate hac: quæ non tulit Nabu-
chodonosor rex Babylonis, cum transferret Iechoniam filium Ioacim regem Iuda de Ieruſalem in Babylo-
nem, & omnes optimates Iuda & Ieruſalem. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael ad vasa quæ
derelicta sunt in domo Domini, & in domo regis Iuda & Ieruſalem: in Babylonem transferentur, & ibi erũt
[d] vſq; ad diem visitationis suæ dicit Dominus: & afferri faciam ea, & restitui in loco isto.

SCHOLIA.

[a] In principio.] *Monarcham fore Nabuchodonosor Hieremias hoc loco prædicit annis tribus antequàm in regnum pa-*
ternũ ille inauguraretur. Nam cum in Iuda regnum obtinuisset Ioacim annis tribus, Nabuchodonosor apud Babylonem re-
gnum iniit, mox Ioacim vicit: quo rebellante tandem initio anni sui octaui aduersus Iechoniam filium huius arma suscepit,
quem, cum in potestatem eius vltro venisset, captiuum abduxit, instituto in locum eius Sedechia patruo eius, cuius anno nono
Nabuchodonosor vrbem iterum oppugnat, & redit toties, donec ad internitionem redigerentur Iudæi iuxta verbum Domi-
ni. Videtur autem huic Ioacim hanc fuisse dictam prophetiam, quamuis ad tempus Sedechiæ pertinebat, ne omisso Deo, hu-
manis præsidijs fideret. [b] In manu.] *Propheta illa est contra rebellantes magistratui, nam Sedechias erat obstrictus regi*
Babyloniorum, qui fecerat eum regem, et præfecerat quinque regnis vicinis. Is eos solicitabat ad ruptionem fœderis, subeun-
itaque loqui ad legatos. [c] Et filio eius.] *Hic fuit Euilmerodach, nepos autem Nabuchodonosor fuit Balthasar. Et quod sequa-*
tur, Donec veniat tempus, scilicet puniendi etiam Babylonios. [d] Vsq; ad diem.] *Id factum fuit sub Cyro rege Persarum,*
qui captos Iudæos vna cum vasis templi in Iudæam remisit.

CAPVT XXVIII.

ET factum est in anno illo in principio regni Sedechię regis Iuda [a] in anno quarto, in mense quinto, di- A
xit ad me Hananias filius Azur propheta de Gabaon, in domo Domini coràm sacerdotibus & omni
populo, dicens, Hæc dicit Dñs exercituum Deus Iſrael, Contriui iugum regis Babylonis. Adhuc duo
anni dierum, & ego referri faciam ad locum istũ omnia vasa domus Dñi quę tulit Nabuchodonosor rex Ba-
bylonis de loco isto, & transtulit ea in Babylonem. Et Iechoniam filium Ioacim regẽ Iuda, & omnem trans-
migrationem Iudæ, qui ingressi sunt in Babylonem, ego conuertam ad locum istum, ait Dominus: conteri
enim iugum regis Babylonis. Et dixit Ieremias propheta ad Hananiam propheta in oculis sacerdotum, & B
in oculis omnis populi, qui stabat in domo Domini: & ait Ieremias propheta, Amen, sic faciat Dominus: su-
scitet Dñs verba sua quæ prophetasti: vt referantur vasa in domum Domini, & omnis transmigratio de Ba-
bylone ad locum istum. Veruntamen audi verbum hoc, quod ego loquor in auribus tuis, & in auribus vni-
uersi populi. Prophetæ qui fuerunt ante me & ante ab initio, & prophetarũt super terras multas, & super re-
gna magna, de prælio & de afflictione, & de fame. Propheta qui vaticinatus est pacem: cum venerit verbum
eius, scietur propheta quem misit Dominus in veritate. Et tulit Hananias propheta catenam de collo Iere- C
miæ prophetæ, & confregit eam. Et ait Hananias in conspectu omnis populi, dicẽs, hæc dicit Dominus, Sic
confringam iugum Nabuchodonosor regis Babylonis post duos annos dierum de collo omnium gentium.
Et abijt Ieremias propheta in viam suam. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, postquam confregit
Hananias propheta catenam de collo Ieremiæ prophetæ, dicens, Vade, & dices Hananiæ, Hæc dicit Domi-
nus, Catenas ligneas contriuisti: & facies pro eis catenas ferreas. Quia hæc dicit Dominus exercituum Deus
Iſrael, Iugum ferreum posui super collum cunctarum gentium istarum, vt seruiant Nabuchodonosor regi D
Babylonis, & seruient ei: insuper & bestias terræ dedi. Et dixit Ieremias propheta ad Hananiam prophetam,
Audi Hanania: non misit te Dominus, & tu confidere fecisti populum istum in mendacio. Iccirco hæc dicit
Dominus, Ecce ego mittam te à facie terræ: hoc anno morieris: aduersum enim Dominũ locutus es. Et mor-
tuus est Hananias propheta in anno illo [b] mense septimo.

SCHOLIA.

[a] In anno quarto.] *Illum annum quartum putant fuisse initium regni, quo Sedechias præfuit regibus quinque vi-*
cinis, ideò dicit in principio regni Sedechiæ, vt subaudiatur, in alios quinque reges. Quanquam multum torquentur Iudæi in
huius loci complanatione, & varias excogitarunt expositiones. [b] Mense septimo.] *Mensis septimus initiũ anni est, iuxta*
orbem conditum, vt volunt Hebræi, quam supputationem vulgo etiam nunc imitantur. Nam à primo Martij sumitur ini-
tium, quantum attinet ad supputationem festorum.

CAPVT XXIX.

ET hæc sunt verba † epistolæ quam misit Ieremias propheta de Ieruſalem, ad reliquias seniorum trans- A
migrationis, & ad sacerdotes, & ad prophetas, & ad omnem populum quem traduxerat Nabuchodo-
nosor de Ieruſalem in Babylonẽ: postquam egressus est Iechonias rex, & † regina, & eunuchi, & princi
pes Iuda, & Ieruſalem, & faber, & inclusor de Ieruſalem: in manu Elasa filij Saphan, & Gamariæ filij Hel-
ciæ, quos misit Sedechias rex Iuda ad Nabuchodonosor regem Babylonis in Babylonem, dicens, Hæc dicit
Dominus exercituum Deus Iſrael, omni transmigrationi, quam transtulisti de Ieruſalem in Babylonem.
Ædificate domos, & habitate: & plantate hortos, & comedite fructum eorum. Accipite vxores, & genera- B
te filios & filias: & date filijs vestris vxores: & filias vestras date viris, & pariant filios & filias: & multipli-
cemini ibi, & nolite esse pauci numero. Et [a] quærite pacem ciuitatis ad quam transmigrare vos feci: & ora-
te pro ea ad Dominum: quia in pace illius erit pax vobis. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus
Supr. 14. c Iſrael, Non vos seducant prophetæ vestri qui sunt in medio vestrum, & diuini vestri: & ne attendatis ad
somnia vestra quæ vos somniatis: quia falsò ipsi prophetant vobis in nomine meo: non misi eos dicit
Dominus,

C Dominus, Quia hæc dicit Dominus. Cum cœperint impleri in Babylone septuaginta anni, visitabo vos: & Supr. 25. c
suscitabo super vos verbum meum bonum, & reducam vos ad locum istũ. Ego enim scio cogitationes, quas 2. Pa. 36. d
ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis & non afflictionis, vt dem vobis [b] finem & † spem. Et 1. Esr. a
inuocabitis me, & ibitis, & orabitis me, & ego exaudiam vos: quæretis me, & inuenietis: cum quæsieritis me Dan. 9. a
in toto corde vestro. Et inueniar à vobis, ait Dominus: & reducam captiuitatem vestram & congregabo vos
de vniuersis gentibus, & de cunctis locis ad quæ expuli vos, dicit Dominus: & reuerti vos faciam de loco ad
quem transmigrare vos feci. Quia dixistis [c] Suscitauit nobis Dominus prophetas in Babylone. Quia hæc di-
D cit Dominus ad regem qui sedet super solium Dauid & omnem populum habitatorem vrbis huius, ad fra-
tres vestros, qui non sunt egressi vobiscum in transmigrationem. Hæc dicit Dominus exercituum. Ecce ego Supr. 24. a
mittam in eos gladium, & famem, & pestem: & ponam eos quasi ficus malas quæ comedi non possunt, eò q
pessimæ sint. Et persequar eos in gladio, & in fame, & in pestilentia: & dabo eos in vexationem vniuersis re-
gnis terræ, in maledictionem, & in stuporem, & in sibilum, & in opprobrium cunctis gentibus ad quas egò
† eijciam eos, eò quòd non audierint verba mea, dicit Dominus: quæ misi ad eos per seruos meos prophetas
E de nocte consurgẽs, & mittens, & nõ audistis, dicit Dominus. Vos ergo audite verbum Domini omnis trã-
smigratio, quam emisi de Ieruſalem in Babylonem. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael ad Achab
filium Coliæ: & ad Sedechiã filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mẽdaciter, Ecce, Ego tra-
dã eos in manus Nabuchodonosor regis Babylonis: & percutiet eos in oculis vestris. Et assumetur ex eis ma-
ledictio omni transmigrationi Iudæ quæ est in Babylone dicentium, Ponat te Dominus sicut Sedechiam, &
sicut Achab: quos frixit rex Babylonis in igne, pro eò quòd fecerunt stultitiam in Iſrael, & mœchati sunt in
vxores amicorum suorum, & locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis, ego
F sum † horum conscius & testis, dicit Dominus. Et ad Semeiam Nehelamitẽ dices, Hæc dicit Dominus exer-
cituum Deus Iſrael, Pro eò quòd misisti in nomine tuo † literas ad omnem populum qui est in Ieruſalem, & Supr. 28. c
ad Sophoniam filium Maasiæ sacerdotem, & ad vniuersos sacerdotes, dicens, Dominus dedit te sacerdotem
pro Ioiadæ sacerdote: vt sis dux in domo Domini super omnem virum arreptitium & prophetantẽ, vt mit-
tas eum in neruum & in carcerem. Et nunc quare nõ increpasti Ieremiam Anathothiten, qui prophetat vo-
bis? Quia super hoc misit in Babylonem ad nos, dicens, Longum est: ædificate domos, & habitate: & planta-
G te hortos, & comedite fructus eorum. Legit ergo Sophonias sacerdos librum istum in auribus Ieremię pro-
phetæ. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens, Mitte ad omnem trãsmigrationem, dicens, Hæc
dicit Dominus ad Semeiam Nehelamitem, Pro eò quòd prophetauit vobis Semeias, & ego non misi eum;
& fecit vos confidere in mendacio: iccirco hęc dicit Dominus, Ecce ego visitabo super Semeiam Nehelami-
tem, & super semen eius: non erit ei vir sedens in medio populi huius, & non videbit bonum quod ego facia
populo meo, ait Dominus: quia præuaricationem locutus est aduersus Dominum.

SCHOLIA.

[a] Querite pacem ciuitatis.] *Quando ita Deo visum est, vt sub tyrannis viuamus, orandum est pro eis.* [b] Vt dem
vobis finem & spem.] *Hoc est finem bonum, & id quod speratis.* [c] Suscitauit nobis Dominus prophetas.] *Qui sci-*
licet spe vanæ reditus seducebant populum.

CAPVT XXX.

A [a] HOc verbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, dicens, Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, di-
cens, Scribe tibi omnia verba, quæ locutus sum ad te, in libro. Ecce enim dies veniunt, dicit Domi-
nus: & conuertam conuersionem populi mei Iſrael & Iuda, ait Dominus: & conuertam eos ad terrã
quam dedi patribus eorum, & possidebunt eam. Et hęc verba quæ locutus est Dominus ad Iſrael & ad Iu-
dam. Quoniam hęc dicit Dominus, [b] Vocem terroris audiuimus: formido, & non est pax. Interrogate & vi-
dete si generat masculus: quare ergo vidi omnis viri manum super lumbos suos quasi parturientis, & con-
uersæ sunt vniuersæ facies in auruginem? Væ, quia magna dies illa, nec est similis eius: tempusq; tribulatio-
nis est Iacob, [c] & ex ipsa saluabitur. Et erit in die illa, ait Dominus exercituum: [d] conteram iugũ eius de collo
B tuo, & vincula eius dirumpam: & non dominabuntur ei amplius alieni: sed seruient Domino Deo suo, &
[e] Dauid regi suo quem suscitabo eis. Tu ergo nõ timeas serue meus Iacob, ait Dominus, neque paueas Iſrael:
quia ecce ego saluabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captiuitatis eorum: & reuertetur Iacob; Ioel 2. c
& requiescet, & cunctis affluet bonis, & non erit quem formidet: quoniam tecum ego sum, ait Dominus, vt Amos 5. c
saluem te, faciam enim consummationem in cunctis gentibus, in quibus dispersi te: te autem non faciam in Esa. 44. a
consummationem: sed castigabo te in iudicio, † [f] non, quantum peccata tua merentur, puniam te. Quia hęc Luc. 1. g
dicit Dominus, [g] Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua. Non est qui iudicet iudicium tuum: † medici-
C na, qua saneris, non est tibi. Omnes amatores tui obliti sunt tui, teq; non quærent: plaga enim inimici per-
cussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ, dura facta sunt peccata tua. Quid clamas
super contritione tua? Insanabilis est dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, & dura peccata tua Supra 13. d
feci hæc tibi. † Attamen omnes [h] qui comedunt te, deuorabuntur: & vniuersi hostes tui in captiuitatem du- Supra 15. d
centur: & omnes, qui te vastant, vastabuntur, cunctosq; prædatores tuos dabo in prædam. Obducam enim
cicatricem tibi, & à vulneribus tuis sanabo te, dicit Dominus. Quia eiectam vocauerũt te Sion, Hæc est quæ
[i] non habebat requirentem. Hæc dicit Dominus, Ecce ego conuertam conuersionem tabernaculorum Ia-
D cob, & † tabernaculorum eius miserebor: & ædificabitur ciuitas in excelso suo, & templum iuxta ordinem
suum fundabitur. Et egredietur de eis laus, voxq; ludentium: & multiplicabo eos, & non minuentur: & glo-
rificabo eos, & non attenuabuntur. Et erunt filij eius sicut à principio, & cœtus eius coràm me permanebit.
Et visitabo aduersum omnes qui tribulãt eum. Et erit dux eius ex eo: & princeps de medio eius producetur:
& appli-

[k] & applicabo eum,& accedet ad me. Quis enim iſte eſt, qui applicet cor ſuum, vt appropinquet mihi, ait Dominus? Et eritis mihi in populum:& ego ero vobis in Deum.[l] Ecce turbo Domini furor egrediens,procella ruens:in capite impiorum conquieſcet.Non auertet iram indignationis Dñs:donec faciat & compleat cogitationem cordis ſui:in nouiſsimo dierum intelligetis ea.

SCHOLIA.

[a] Hoc verbum quod factum eſt.] *Spiritus ſanctus in ſcripturis ſolet poſt promiſsionem temporalium,& carnalium, euehere mentes prophetarum per promiſsiones ſpirituales & æternas,quæ in Chriſto adimplentur,quare nunc tranſit ad veram liberationem.* [b] Vocem terroris.] *Tam Hebræi quàm Chriſtiani referunt hæc verba ad tempus Chriſti.Et quidem Iudæi intelligunt ea de bello Gog & Magog:Chriſtiani autem de perſecutione quam Chriſtus, & populus Dei paſsi ſunt à filijs huius mundi,ſicut Chriſtus dixit.Non veni pacem mittere in terram ſed gladium. Si me perſecuti ſunt,& vos perſequentur.* [c] Et ex ipſo ſaluabitur.] *Hoc eſt,ex ipſa tribulatione:alludit enim ad id quod ait Dominus.Sed confidite, quia ego vici mundum.* [d] Conteram iugum eius.] *Diaboli ſcilicet.* [e] Dauid regi ſuo.] *Pro quo Ionathas ſic vertit, Et obedient Meſsiæ filio Dauid regi ſuo.* [f] Non quantum peccata.] *In hunc ſenſum Chaldæus interpres vertit ſic enim ait. Delendo non delebo te,vt ſit expoſitio prioris ſententiæ ideſt te non faciam in conſummationem.Alius vertit. Etiamſi innocentem & noxium te non facturus ſim.* [g] Inſanabilis fractura tua.] *Humana ſcilicet ope.* [h] Qui te comedunt,deuorabuntur.] *Ego quidem vtor illis loco flagelli,quod tu commerita es, ſed quia illi ducuntur prauo affectu, & non quærunt vltionem meam,non erit hoc illis impune.* [i] Non habet requirentem.] *Hoc eſt,cui curæ ſit.* [k] Et applicabo eũ, & accedet ad me.] *Saluator apud Ioannem ait.Nemo poteſt venire ad me,niſi pater meus traxerit illum.* [l] Ecce turbo Domini.] *Salutem iuſtorum:& reproborum excidium iuxtà tractat.*

CAPVT XXXI.

2.Cor.6.d

[a] IN tempore illo,dicit Dominus,Ero Deus vniuerſis cognationibus Iſrael, & ipſi erũt mihi in populum. A
Hæc dicit Dominus, [b] Inuenit gratiam in deſerto populus qui remanſit gladio: ibat ad requiem ſuam Iſrael.† [c] E longinquo Dominus apparuit mihi,Et in charitate perpetua dilexi te,ideò attraxi te miſerãs.
Rurſumq; ædificabo te,& ędificaberis virgo Iſrael:adhuc ornaberis tympanis tuis,& egredieris in choro ludentium,Adhuc plantabis vineas in montibus Samariæ:† plantate plantaria,et vindemiate: quia erit dies in qua clamabunt cuſtodes in monte Ephràim,Surgite,& aſcendamus in Sion ad Dominum Deum noſtrum.
Quia hæc dicit Dominus,Exultate in lætitia Iacob,& hinnite † in capite gentium: perſonate,& canite,& dicite,Salua Domine populum tuum reliquias Iſrael.Ecce ego adducam eos de terra aquilonis,& congregabo B
eos ab extremis terræ:inter quos erunt [d] cæcus & claudus,& prægnans & pariens ſimul cœtus magnus reuertentium huc.In fletu venient:& in miſericordia reducam eos.Et adducam eos per torrentes aquarum in via recta,& non impingent in ea:quia factus ſum Iſraeli pater,& Ephràim primogenitus meus eſt. Audite verbum Domini gentes,& annuntiate in Inſulis quæ procul ſunt,& dicite,Qui diſperſit Iſrael,congregabit eũ: & cuſtodiet eum:ſicut paſtor gregem ſuum. Redemit enim Dominus Iacob,& liberabit eum de manu potentioris.Et venient,& laudabunt in monte Sion,& confluent ad Bona Domini ſuper frumento, & vino & oleo,& fœtu pecorum & armentorum:eritque anima eorũ quaſi hortus irriguus,& vltrà non eſurient.Tunc C
lætabitur virgo in choro,iuuenes & ſenes ſimul, & cõuertam luctum eorum in gaudium & conſolabor eos,
Matth.2.d [e] & lætificabo à dolore ſuo:& inebriabo animam ſacerdotũ pinguedine : & populus meus bonis meis adimplebitur,ait Dominus.Hęc dicit Dominus,[f] Vox in excelſo audita eſt lamentationis,luctus & fletus,Rachel plorantis filios ſuos:& nolentis conſolari ſuper eis,quia non ſunt. Hæc dicit Dominus, Quieſcat vox tua à ploratu,& oculi tui à lacrymis:quia eſt [g] merces operi tuo,ait Dominus, & reuertentur de terra inimici. Et eſt ſpes nouiſsimis tuis,ait Dominus:& reuertentur filij tui ad terminos ſuos. Audiens audiui Ephràim † lamentantem,Caſtigaſti me Domine,& eruditus ſum,[h] quaſi iuuenculus † indoctus.Conuerte me,& conuer- D
tar:quia tu Dominus Deus meus.Poſt quam enim † conuerſus ſum,egi pœnitentiam : & [i] poſtquam oſtenLuc.1.e diſti mihi:percuſsi femur meum.Confuſus ſum,& erubui,quoniam [k] ſuſtinui opprobriũ adoleſcentię meę.
[l] † Nõnne filius honorabilis mihi Ephràim, † nõnne puer delicatus? quia ex quo locutus ſum de eo, adhuc recordabor eius : iccirco conturbata ſunt viſcera mea ſuper eum : miſerans miſerebor eius, ait Dominus.
[m] Statue tibi ſigna,pone tibi † aceruos:dirige cor tuum in [n] viam,† in qua ambulaſti:reuertere virgo Iſrael, reuertere ad ciuitates tuas iſtas. Vſquequo † vertes te huc & illuc [o] filia auerſatrix? quia creauit Dñs nouum ſuper terram:[p] fœmina circundabit virum.Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael,[q] Adhuc dicent ver E
bum iſtud in terra Iuda, & in vrbibus eius, cum conuertero captiuitatem eorum,Benedicat tibi Dominus [r] pulchritudo iuſtitiæ,mons † ſanctitatis:& habitabunt in eo Iudas, & omnes ciuitates eius ſimul:[s] agricolæ & minantes greges.Quia inebriaui animam laſſam : & omnem animam eſurientem ſaturaui:[t] ideò quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum,& vidi:& ſomnus meus dulcis mihi.Ecce dies veniunt,dicit Dominus : & [u] ſeminabo domum Iſrael & domum Iuda ſemine hominum & ſemine iumentorũ. [x] Et ſicut vigilaui ſuper eos vt euellerem,& demolirer,& diſsiparem,& diſperderem,& affligerẽ:ſic vigilabo ſuper eos vt ædificem & plantem, F
ait Dominus. In diebus illis non dicent vltrà, Patres comederunt vuam acerbam,& dentes filiorum obſtu-
Ezech.18.a puerunt. Sed [y] vnuſquiſque in iniquitate ſua morietur:omnis homo,qui comederit vuam acerbam,obſtupeſcent dentes eius.Ecce dies veniẽt,dicit Dominus:& feriam domui Iſrael, & domui Iuda [z] fœdus nouum:
non ſecundum pactum quod pepigi cum patribus veſtris in die qua apprehẽdi manum eorum vt educerem
Heb.8.c eos de terra Ægypti:pactum quod irritum fecerunt,& [a] ego dominatus ſum eorum,dicit Dominus.Sed hoc
Luc.1.g erit pactum quod feriam cum domo Iſrael poſt dies illos dicit Dominus : Dabo legem meam in viſceribus
Sup.24.c eorum,& in corde eorum ſcribam eam:& ero eis in Deum,& ipſi erunt mihi in populum.Et [b] non docebit
Act.10.g vltrà vir prõximum ſuum,& vir fratrem ſuum,dicens,Cognoſcite Dominum:omnes enim cognoſcent me
à minimo

à minimo eorum vſq; ad maximum,ait Dominus : quia propitiabor iniquitati eorum,& peccati eorum nõ
memorabor amplius.Hæc dicit Dominus qui dat ſolem in lumine diei, ordinem lunæ & ſtellarum in lumi
G ne noctis:qui turbat mare & ſonant fluctus eius. Dominus exercituum nomen illi.[c] Si defecerint leges iſtæ coràm me,dicit Dominus:tunc & ſemen Iſrael deficiet,vt non ſit gens coràm me cunctis diebus. Hæc dicit Dominus.Si mẽſurari potuerint cœli ſurſum,& inueſtigari fundamẽta terræ deorſum:& ego abijciam vniuerſum ſemen Iſrael,† non obſtantibus omnibus quæ fecerunt,dicit Dominus.Ecce dies veniunt:dicit Dominus:& ædificabitur ciuitas Domino [d] à turre Hananeel,vſq; ad portã anguli, Et exibit vltra norma menſuræ in cõſpectu eius ſuper collem Gareb:& circuibit Goátha,& omnem vallem cadauerum,& cineres, † & vniuerſos campos,vſque ad torrentem Cedron & vſq; ad angulum portæ equorum orientalis: [e] ſanctũ Domini non euelletur : & non deſtruetur vltrà in perpetuum.

SCHOLIA.

[a] In tempore illo.] *Hic verſus epilogus eſt ſuperiorũ prophetiæ : & quod ait:ero Deus vniuerſis cognationibus Iſrael omnibus ſcilicet,qui fide referent Iſraelem patrem,ſiue Iudæi fuerint,ſiue gẽtes.* [b] Inuenit gratiam.] *Exemplo veterum beneficiorum ſperare iubet.* [c] Elonginquo Dominus apparuit mihi.] *Verſus per interrogationem et reſponſionem, tacitam dubitationem per verbum Domini excludit.A longo tempore (inquit populus) hoc eſt,olim Dominus apparuit mihi, videlicet in patribus,& nunc oblitus eſt cui reſpondet, Dilectione perpetua dilexi te.Bono igitur ſis animo, quando enim putas te derelictam à me,tunc ego propè adſum.* [d] Cœcus & claudus.] *Hoc eſt,Cœci,claudi, flentes, & parturientes ad me venient,ſed ego curabo illos.* [e] Et lætificabo à dolore ſuo.] *Mutato ſcilicet in lætitiam dolore.* [f] Vox in excelſo audita eſt.] *Aiyt (inquit) populus in captiuitatem cum magno mœrore,Vt & Rachel mater Beniamin, & auia Ephraim ac Manaſſe,id eſt populus ipſe Iſraeliticus,amarè fleuerit.Accipitur enim hic congregatio Iſrael per Rachel.Quod autẽ Euangeliſta hunc citat locum,id fecit,quòd ſub Herode non minor tyrannis & ciulatus fuerit in Bethleem, quàm cum populus adduceretur in captiuitatem: & quod ſequitur quia non ſunt.Hebraica habent,quia non eſt,vel nullus eſt.* [g] Merces operi tuo.] *Hoc eſt,filijs tuis. Vel,opus vocat patientiam in tribulatione,captiuitate,& exilio,Vt etiam illis ſpes eſſet redeundi in terram.* [h] Quaſi iuuenculus indoctus.] *Supple eram prius,quam erudires me. Illud tamen indoctus,idem eſt,quòd indomitus.Et comparatur Iſrael vitulo indomito,quia nullis legibus coerceri potuit,quin iugum legis perpetuò à ſe abyceret, donec tandem ſtimulis,& flagellis humilior factus fuit.* [i] Poſtquam oſtendiſti mihi.] *Hoc eſt, oſtendiſti me mihi.*
[k] Suſtinui opprobrium.] *Pudore affectus ſum ob peccata adoleſcentiæ meæ.* [l] Nõnne filius.] *Vbi primum Iſrael pœnitentiæ ſigna oſtendit,mox vocatur filius honorabilis,ac pretioſus.* [m] Statue tibi.] *Conſolatur enim Dominus per hæc verba abeuntes in captiuitatem,Vt paſsim in itinere titulos,& lapidum aceruos erigant, futurum enim Vt breui redituri ſint per eandem viam.* [n] Viam in qua ambulaſti.] *Hoc eſt, vide qualis fuerit via tua, ducarisq; pœnitentia.* [o] Filia auerſatrix.] *Hoc eſt,rebellis,& inconſtans.* [p] Fœmina circundabit virum.] *Virgo ſcilicet Maria Chriſtum perfectum ſapientia circundabit vtero ſuo.Sic enim & veterum tudæorum gloſæ ſunt interpretatæ.Sunt etiam qui ſic ad literam interpretentur.Iſraelitica gens poſt longam deſertionem ſponſi ſui Dei,& pietatis veræ neglectum cõuertetur ad Dominum Deũ ſuum,tanquam mulier ad virum:Vt hoc ſit nouum in terra,Vt mulier, quæ paſsim aliis viris ſe proſtituit, veteris mariti cupida illum iterum ſui amantem obtineat.* [q] Adhuc dicent verbum iſtud.] *Et hoc pertinet ad regnum Chriſti propriſſimè:conſentientibus Iudæis vſque ad caput ſequens.* [r] Pulchritudo iuſtitiæ.] *Vel habitaculum iuſtitiæ, & eſt vocativi caſus.* [s] Agricolæ.] *Laudatur charitas & pax epiſcoporum,qui agricolæ,& paſtores dicti ſunt. Dicit igitur, omnes illos vnanimiter habitare in vno monte,cum ſæpe ſit certamen aliàs inter agricolas & paſtores,ſereque diſcordent inter ſe, ſicut inter primos fratres paſtorem Abel,& agricolam Cain funeſtum diſsidium interceſsit.* [t] Ideo quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum.] *Hoc eſt,Vt hæc contingerent hominibus,exurrexi.Et illud,ſomnus meus,nempe in ſepulchro. Hæc enim in perſona Chriſti dicit prophetæ:quæ,qui ad prophetam referunt, dicunt, hanc mutationem in melius conſolatam fuiſſe prophetam, à prophetiæ huius viſione excitatum.* [u] Seminabo domum Iſrael.] *Hæc benedictio Deut.28. & Leuit.26.habetur. Benedictus fructus ventris tui,& fructus terræ tuæ, fructusq; iumentorum tuorum.* [x] Et ſicut vigilaui.] *Sicut virgæ vigilans videbatur à propheta in principio libri.* [y] Vnuſquiſque in iniquitate ſua morietur.] *Hoc eſt,nunc poſt Chriſti redemptionem,vbi vera præmia,& pœnæ æternæ erunt,vnicuique reddetur ſecũdum opera ſua.Alludit autem ad peccatum Adæ,per quod totum humanum genus venundatum fuit diabolo,Vt Paulus ait.Verum in Chriſti regno,vnicuique ſola propria iniquitas obeſt.* [z] Fœdus nouũ.] *Iuſt Dominus olim cum Iudæis fœdus carnale,& imperfectum,tranſitorijs rebus alligatum,duraturum ad certum tempus,& quod Iudæi ſæpe irritum fecerunt,eò quòd lex non eſſet impreſſa affectionis eorum,ſicut lex Euangelica,quæ ſcripta eſt in cordibus hominum piorum.Fœdus autem nouum confirmatum eſt ſanguine Chriſti,quod violari non poteſt,quia eſt æternum,& ſcriptum non in tabulis lapideis,ſed in cordibus & affectibus hominum : porrò leges,quæ in hac cõfœderatione ſunt conſtitutæ inter Deum & hominem,ſunt,quòd Deus vult eſſe Deus noſter ſeruator & liberator,defenſor,& omnium bonarum ſuppeditator.* [illegible] *c.Confœderatio enim non ſit ſine legibus, vel conditionibus vtrinque ſeruandis.Eſt,inquam,hoc fœdus quod Chriſtus pepigit nobiſcum,nouum,non vt nuper allatum,cum etiam patres Veteris teſtamenti per fidem venturi Chriſti remiſsionem obtinuerint peccatorum, & quodam modo in nouo fuerint teſtamento,ſed quòd noua ratione per Chriſtum fuit inſtitutum,& ſanguine eius ſancitum,atque diſcuſsis legis vmbris explicatum,quod apud patres latẽter viguit.* [a] Et ego dominatus ſum eorum.] *Vel neglexi eos.Alius ſic vertit. Etiam cum ego quaſi mœritus dominium haberem in eos.* [b] Non docebit vltra.] *Tempore noui teſtamenti charitas, & vnctio docent,capaces q; faciunt diuinorum myſteriorum. Et fruſtra docent doctores extrinſeci,niſi ſpiritus intus doceat. Innuitur etiam per id,quod ſubiungitur,cognoſce Dominum,prophetam reſpexiſſe ad exteriorem idololatriam, à qua non fuit opus ſub Chriſto arcere homines,ſicut tempore legis.* [c] Si defecerint leges iſtæ.] *De ſole ſcilicet,ac luna.* [d] A turre Hananeel.] *Sic etiam deſcribitur à Zacharia cap.14.Loca,quæ hic numerantur,fuerunt extra ciuitatem,dum ſtaret Ieruſalem notiſſima turris Hananeel ex qua mille clypei. Porta anguli dicitur à Zacharia, facierum. Gareb & Goatha, loca ſunt vicinia Ieruſalem.*

Ierusalem, vtrum intra an extra mœnia incompertum est adhuc Hebræis, & si prophetæ contextus arguat, extra vrbis pomœria fuisse. Vallis cadauerum, vbi cadauera exercitus Assyriorum putruerunt. Locus cineris, in quem de altari repurgatus quotidie cinis exponebatur. Angulus portæ equorum, ea porta est, qua rex cum equitibus egredi solebat, dum equestri cursu decertare liberet. Aiunt quatuor plagas cœli hic designari. [c] Sanctum Domino.] *Hæc loca (inquit) erũt sancta Domino, & includentur intra mœnia ciuitatis, vel, populus erit sanctus Domino, & nunquam euelletur, cum regnum Christi sit æternum. Id enim agunt prophetæ, vt, cum Babylonicam describunt liberationem, vbique assurgant in illam æternam redemptionem, quam erat Christus in fine dierum præstaturus.*

CAPVT XXXII.

VErbum quod factum est ad Ieremiam â Domino in anno decimo Sedechiæ regis Iuda: ipse est annus decimusoctauus Nabuchodonosor. Tũc exercitus regis Babylonis obsidebat Ierusalem: & Ieremias propheta erat clausus in atrio carceris, qui erat in domo regis Iuda. Clauserat enim eum Sedechias rex Iuda dicens, Quare vaticinaris, dicens, Hęc dicit Dominus, Ecce ego dabo ciuitatem istam in manu regis Babylonis, & capiet eam? Et Sedechias rex Iuda nõ effugiet de manu Chaldæorum: sed tradetur in manu regis Babylonis: & loquetur os eius cum ore illius, & oculi eius oculos illius videbũt. Et in Babylonem ducet Sedechiam: & ibi erit [a] donec visitem eum, ait Dominus: si autem dimicaueritis aduersum Chaldæos, nihil prosperum habebitis, Dixit Ieremias, factum est verbum Domini ad me dicẽs, Ecce Hanameel filius Sellum patruelis tuus veniet ad te, dicẽs, [b] Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth: tibi enim competit ex propinquitate vt emas. Et venit ad me Hanameel filius patrui mei secundum verbum Domini ad vestibulum carceris, & ait ad me, Posside agrum meum qui est in Anathoth in terra Beniamin: quia tibi competit hæreditas, & tu propinquus es, vt possideas. Intellexi autem quòd verbũ Domini esset. Et emi agrum ab Hanameel filio patrui mei qui est in Anathoth: & appendi ei argentum septem stateres, & decem argenteos. [c] Et scripsi in libro, & signaui, & adhibui testes: & appendi argẽtum in statera. Et accepi librum possessionis signatum, † secundum præceptum legis & consuetudines loci, & libri apertionem. Et dedi librum possessionis Baruch filio Neri filij Maasiæ in oculis Hanameel patruelis mei, & in oculis testiũ qui scripti erant in libro emptionis, in oculis omnium Iudæorum qui sedebãt in atrio carceris. Et præcepi Baruch coràm eis, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Sume libros istos, librum emptionis hunc signatum, & librum hunc qui apertus est: & pones illos in vase fictili, vt permanere possint diebus multis. Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel, Adhuc possidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra ista. [d] Et oraui ad Dominum postquam tradidi librum possessionis Baruch filio Neri, dicens, Heu, † Domine Deus: ecce tu fecisti cœlum & terram in fortitudine tua magna, & in brachio tuo extento: non erit tibi difficile omne verbum: qui facis misericordiam in millibus, & reddis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post eos. † Deus, magne
Exo. 34.a & potens, Dominus exercituum nomen tibi. Magnus consilio & incomprehensibilis cogitatu: cuius oculi aperti sunt super omnes vias filiorum Adam: vt reddas vnicuique secundum vias suas, & secundum fructum adinuentionum eius. Qui posuisti signa & portenta in terra Ægypti vsq; ad diem hanc, & in Israel, & in hominibus: & fecisti tibi nomen [e] sicut est dies hæc, & eduxisti populum tuum Israel de terra Ægypti, in signis, & in portentis, & in manu robusta, & in brachio extento, & in terrore magno. Et dedisti eis terram hanc, quam iurasti patribus eorum vt dares eis terram fluẽtem lacte & melle. Et ingressi sunt, & possederunt eam: & non obedierunt voci tuæ, & in lege tua non ambulauerunt: omnia, quæ mandasti eis vt facerent, non fecerunt, & euenerunt eis omnia mala hæc. Ecce munitiones extructæ sunt aduersum ciuitatem, vt capiatur: & vrbs data est in manus Chaldæorum, & in manus regis Babylonis, qui præliantur aduersus eam à facie gladij, & famis, & pestilentiæ: & quæcunque locutus es, [f] acciderunt, vt tuipse cernis. Et tu dicis mihi Domine Deus, Eme agrum argento, & adhibe testes: cum vrbs data sit in manus Chaldæorum? Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens, Ecce ego Dominus Deus vniuersæ carnis: nunquid mihi difficilè erit omne verbum? Propterea hæc dicit Dominus, Ecce ego tradam ciuitatem istam in manus Chaldæorum, & in manus regis Babylonis, & capient eam: & venient Chaldæi præliantes aduersum vrbem hanc, & succendent eã igni, & comburent eam, & domos, in quarum domatibus sacrificabant Baal, & libabant dijs alienis libamina ad irritandum me. Erant enim filij Israel & filij Iuda iugiter facientes malum in oculis meis ab adolescentia sua: filij Israel qui vsq; nunc exacerbant me in opere manuum suarum, dicit Dominus. Quia in furorem, & in indignationem meam facta est mihi ciuitas hæc, [g] à die qua ædificauerunt eam, vsq; ad diem istam, qua auferetur de conspectu meo propter malitiam filiorum Israel & filiorum Iuda, quam fecerunt ad iracũdiam me prouocantes, ipsi, & reges eorum, & principes eorum, & sacerdotes eorum, & prophetæ eorum, viri Iuda
4. Reg. 21.a & habitatores Ierusalem. Et verterunt ad me terga & non facies: cum docerem eos diluculo, & erudirem: & nollent audire vt acciperent disciplinã. Et posuerunt idôla sua in domo, in qua inuocatum est nomẽ meum, vt polluerent eam. Et ædificauerunt excelsa Baal, quæ sunt in valle filij Ennon: vt initiarẽt filios suos & filias suas Moloch: quod non mandaui eis, nec ascendit in cor meum, vt facerent abominationem hanc, & in peccatum deducerent Iudam. Et nunc propter ista, hęc dicit Dominus Deus Israel ad ciuitatem hãc, de qua vos dicitis quòd tradatur in manus regis Babylonis in gladio, & in fame, & in peste. [h] Ecce ego congregabo eos de vniuersis terris ad quas eieci eos in furore meo, & in ira mea, & in indignatione grandi: & reducam eos ad
Ezc. 11.c locum istum, & habitare eos faciam confidenter. Et erunt mihi in populum, & ego ero eis in Deum. Et dabo eis cor vnum, & viam vnam, vt timeant me vniuersis diebus: & bene sit eis, & filijs eorum post eos. Et feriam eis pactum sempiternum: & non desinam eis benefacere: & timorem meum dabo in corde eorum: vt nõ recedant à me. Et lætabor super eis, † vt bene eis faciam: & plãtabo eos in terra ista in veritate in toto corde meo, & in tota anima mea. Quia hæc dicit Dominus, Sicut adduxi super populum istum omne malũ hoc grande:

grande: sic adducam super eos omne bonum quod ego loquor ad eos. Et possidebuntur agri in terra ista: de qua vos dicitis quòd deserta sit, eò ꝙ non remanserit homo & iumentum, & data sit in manus Chaldęorum. Agri ementur pecunia, & scribentur in libro, & imprimetur signum, & testes adhibebuntur: in terra Beniamin, & in circuitu Ierusalem in ciuitatibus Iuda, & in ciuitatibus montanis, & in ciuitatibus campestribus, & in ciuitatibus quæ ad austrum sunt, quia conuertam captiuitatem eorum, ait Dominus.

SCHOLIA.

[a] Donec visitem eum.] *Quando scilicet tollam animam eius ab eo.* [b] Eme tibi agrum.] *Sub figura empti agri in media obsidione, spem futuræ liberationis ponit, quæ nostræ liberationis est typus. Notandum autem, non fuisse licitum possessiones de tribu in tribum, nec de familia in familiam transferre, ne confunderentur familiæ: maximè autem suburbana sacerdotum vendi non poterãt, vsq; ad annum redemptionis, nisi ei, cui ex propinquitate sanguinis competebat. Leuit. 25. ait ergo, Etiam si alteri venderem agrum, tibi competeret illum redimere, ne ad aliam transferretur tribum, quanto magis igitur teneris emere eum?* [c] Et scripsi in libro.] *Intellige schedas: fuerunt autem factæ duæ schedæ, altera sigillo communita, altera ad eius exemplum bona fide descripta, quæ iudicum calculo confirmabatur. Iubentur autem hæc fieri, vt pius & credula daretur magnæ fiduciæ argumentum de reditu, qui tam certò omnia fieri videbant, ac si nullus vrgeret hostis. Impius autem & incredulus friuolum & stultum videbatur, præsertim cũ hostis iam omnia occupauerat.* [d] Et oraui.] *Videbatur verè Hieremias, ne prophetiæ dignitas contemneretur, dum misericors Deus reuocat interdum minas, & non affligit, vt pollicitus erat. Proinde vt certior redderetur, ad preces se conuertit, et discere cupit, quid sibi velit præposterum illud præceptum iuxta sapientiam carnis: porrò cum multa verba præmittat, ostendit se non diffidere de omnipotentia, deinde certum se ait de misericordia & iustitia: & propterea non orare tanquam dubium, vel ignorãtem.* [e] Sicut est dies hæc.] *Hoc est, tam verè, quàm est dies hæc.* [f] Acciderunt vt tu ipse cernis.] *Vel aptius Quod argumentum est, te omnia videre.* [g] A die qua ædificauerunt eam.] *Hoc est, à tempore Salomonis, qui instaurauit eam, cœperunt extruere excelsa, vxoribus eius eum ad idololatriam impellentibus.* [h] Ecce ego congregabo eos.] *Exponitur de reditu à Babylone, sed illa non est per omnia impleta prophetia, sed in congregatione Christianæ ecclesiæ, & in secundo aduentu verè pergemus in ciuitatem Ierusalem.*

CAPVT XXXIII.

ADhuc factum est verbum Domini ad Ieremiam secundò, cum adhuc clausus esset in atrio carceris, dicens, Hæc dicit Dominus [a] † qui fecit & formator est eius, vt stabiliat illam, Dominus nomen eius. Clama ad me, & exaudiam te: & annuntiabo tibi grandia & firma quæ nescis. Quia hæc dicit Dominus Deus Israel ad domos vrbis huius, & ad domos regis Iuda, quę destructę sunt, † ariete & gladio. [b] Eò quòd venerũt, vt dimicent cum Chaldæis, & impleant eas cadaueribus hominum, quos percussi in furore meo, & in indignatione mea, absconderis faciem meam à ciuitate hac propter omnem malitiam eorum. Ecce ego † adducam eis sanitatem, & curabo eos: & reuelabo illis † [c] multitudinem pacis, & veritatis. Et conuertam captiuitatem Iuda, & captiuitatem Israel: & [d] ædificabo eos sicut à principio. Et emundabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccauerunt mihi: & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum in quibus deliquerunt mihi, &
B spreuerunt me. Et erit mihi in nomen, & in gaudium, & in laudem, & in exultationem cunctis gentibus terræ, quæ audierunt omnia bona quæ ego facturus sum eis: & pauebunt, & contremiscent in vniuersis bonis, & in omni pace quam ego faciam eis. Hęc dicit Dominus, Adhuc audietur in loco isto (quem vos dicitis esse desertum, eò quòd non sit homo, nec iumentum: in ciuitatibus Iuda, & foris Ierusalem, quæ desolatæ sunt absque homine & absque habitatore, & absque pecore) vox gaudij & vox lætitiæ, vox sponsi & vox sponsæ, vox dicentium, Confitemini Domino exercituum, quoniam bonus Dominus, quoniam in æternum misericordia eius: & portantium vota in domum Domini, [e] reducam enim conuersionem terræ, sicut à principio dicit Dominus. Hæc dicit Dominus exercituũ, Adhuc erit in loco isto deserto absq; homine, & absq; iumento, & in cunctis ciuitatibus eius, habitaculum pastorum accubantium greges, Et in ciuitatibus mon-
C tosis, & in ciuitatibus campestribus, & in ciuitatibus quæ ad austrum sunt: & in terra Beniamin, & in circuitu Ierusalem, & in ciuitatibus Iuda adhuc transibunt greges [f] ad manum numerãtis, ait Dominus. Ecce dies Supr. 23.a
venient, dicit Dominus: & suscitabo verbum bonum, quod locutus sum ad domum Israel & ad domum Iuda. In diebus illis, & in tempore illo [g] germinare faciam Dauid germẽ iustitiæ: & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Ierusalem habitabit confidenter: & hoc est nomen [h] quod † vocabit eam, Dominus † iustitia nostra. Quia hęc dicit Dominus, Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronũ domus Israel. Et de sacerdotibus & Leuitis non interibit vir à facie mea: qui offerat holocaustomata, & incendat sacrificium, & cædat victimas omnibus diebus. Et factum est verbum Domini ad Ieremiam, dicens, Hęc dicit Dñs, Si irritum potest fieri pactum meum cum die, & pactũ meum cum nocte, vt nõ sit dies
D & nox in tempore suo: & pactum meum irritum esse poterit cum Dauid seruo meo, vt nõ sit ex eo filius qui regnet in throno eius, & Leuitæ & sacerdotes ministri mei. Sicut enumerari non possunt stellę cœli, & metiri arenæ maris: sic multiplicabo semen Dauid serui mei, & Leuitas ministros meos. Et factum est verbũ Do- Supr. 22.a
mini ad Ieremiam, dicens, Nunquid non vidisti quid populus hic locutus sit, dicẽs? [i] Duæ cognationes, quas elegerat Dominus, abiectæ sunt: & populum meum despexerũt, [k] eò quòd non sit vltrà gens coràm eis. Hæc dicit Dominus. Si pactum meum inter diem & noctem, & leges cœli & terræ non posui: equidem & semen [l] Iacob, & Dauid serui mei proijciam, vt non assumam de semine eius principes seminis Abraham, Isaac, & Iacob: reducam enim conuersionem eorum, & miserebor eis.

SCHOLIA.

[a] Qui custos est eius.] *In Heb. est. Qui facit ipsam, Dominus est, qui format eam, vt præparet eam: hoc est, Dominus est, qui reparabit & renouabit vrbem in ruinas collapsam, atque magnificabit, quam prius humiliauit. Alius putat, illud, qui facit eam, Hebraismum esse: vt alibi, & fecit Dominus Mosen & Aaron, hoc est, eos exornauit & gloriosos reddidit.*

[b] Eò quòd venerunt.] *Hæc (inquit) est causa cur domus Israel sint dirutæ, & cadaueribus repletæ, quòd Ierosolymitani non aperuerunt portam Chaldæis, sed vi restiterunt illis, ideo illi commoti impleuerũt domos cadaueribus.* [c] Multitudinem pacis.] *Promissiones illæ omnes, quæ magnæ sunt, ac rariores, ad Christum pertinent, sub typo tamẽ descriptæ. Nam illa, quæ hic promittuntur, verius ad Christum pertinent, quàm ad reditum de captiuitate Babylonica, fuitque liberatio illa captiuitatis Babylonicæ typus redemptionis, quæ per Christum est facta. Non enim fuerunt hæc, quæ hic scribuntur, impleta in populo Iudæorum reuerso è captiuitate, id quod cuiq; facilè patet.* [d] Ædificabo eos sicut.] *Hæc locutio sicut à principio, vbique ferè in prophetis, & alijs scripturæ locis, idem est, quod multò magis, quàm vnquam antea. Similiter cum ait Moses, suscitabo vobis prophetam similem mihi, significari vult multò maiorem se.* [e] Reducam enim.] *Hoc est, restituã illi faciem pristinam. Conuersionem vero interpres sæpe vertit pro captiuitate.* [f] Ad manum.] *Hoc est, diligentissimè obseruantis ne quid desit.* [g] Germinare faciam.] *Vt illud, Dauid, sit datiui casus, ipsi Dauid. Tam Iudæi autem, quàm Christiani confitentur hoc dictum de Messia, sicut & supra, cap. 23. eadem ferè ponuntur verba.* [h] Quod vocabit eam.] *Refertur enim ad Ierusalem, per quam hic ecclesia designatur Christi, cuius iustitia est iustitia nostra. Ipse igitur vocat ecclesiam suam, Dominus iustitia nostra, quòd ipse ciuibus suis suppeditet iustitiam suam. Et quod sequitur de sacerdotibus, & oblationibus, tu accipe in spiritu, Est enim Christi regnum, & sacerdotium æternum, sicut firmæ sunt leges motuum solis & lunæ, vnde consurgunt dies, ac noctes.* [i] Duę cognationes.] *Hæ sunt, cognatio Dauidica regia & Aharonica sacerdotalis, quæ regebant populum, & quoniam in captiuitate videbantur reiectæ à Domino, filij eorum contemnebant Israelitas, nec voluerunt imperare illis: vnde factum est, vt populus iam non esset populus, cum nullum haberent rectorem. At Dominus dicit, se semen illud suscitaturum, & illis præfecturum Dauid, &c.* [k] Eò quòd non sit.] *Despexerunt (inquit) paucas reliquias populi mei, tanquam qui minor sit, quàm qui illorũ iudicio in gentem excrescere vnquam possit.* [l] Iacob & Dauid.] *Vtrique enim facta fuit regni æterni promissio.*

CAPVT XXXIIII.

A VErbum quod factum est ad Ieremiam à Domino quãdo Nabuchodonosor rex Babylonis, & omnis exercitus eius, vniuersaq; regna terrę quę erant sub potestate manus eius, & omnes populi bellabant contra Ierusalem, & contra omnes vrbes eius, dicẽs, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Vade, & loquere ad Sedechiam regem Iuda: & dices ad eum, Hæc dicit Dominus, Ecce ego tradam ciuitatem hãc in manu regis Babylonis, & succendet eam igni. Et tu non effugies de manu eius: sed comprehensione capieris, & in manu eius traderis: & oculi tui oculos regis Babylonis videbunt, & os eius cum ore tuo loquetur, & Babylonem introibis. Attamen audi verbum Domini Sedechia rex Iuda, hęc dicit Dominus ad te, Non morieris in gladio, sed [a] in pace morieris, & secundum cõbustiones patrum tuorũ regum priorũ, qui fuerunt ante te, sic comburent te: & vę Domine plangent te: quia verbũ ego locutus sum, dicit Dñs. Et locutus est Ieremias propheta ad Sedechiam regem Iuda vniuersa verba hæc in Ierusalem. Et exercitus regis Babylonis pugnabat cõ- B tra Ierusalẽ, & contra omnes ciuitates Iuda, quę reliquæ erant, cõtra Lachis, & contra Azecha: hę enim supererant de ciuitatibus Iuda, vrbes munitæ. Verbum quod factum est ad Ieremiam à Domino, postquam percussit rex Sedechias fœdus cum omni populo in Ierusalẽ, [b] prædicans eis libertatem, vt dimitteret vnusquisque seruum suum, & vnusquisq; ancillam suam, Hebræum & Hebręam liberos: & nequaquam dominarentur eis, id est in Iudæo & fratre suo. Audierunt ergo omnes principes, & vniuersus populus, qui inierant pactum, vt dimitteret vnusquisq; seruum suum, & vnusquisq; ancillã suam liberos, & vltrà non dominarentur eis. Audierũt, igitur, & dimiserũt. Et cõuersi sunt deinceps: & retraxerũt seruos suos & ancillas suas, quos dimiserunt liberos, & subiugauerunt in famulos & famulas. Et factũ est verbum Domini ad Ieremiã à Domino,

Exo. 21. b
Deut. 13. c

dicens, Hæc dicit Dominus Deus Israel, Ego percussi fœdus cum patribus vestris in die qua eduxi eos de C terra Ægypti de domo seruitutis, dicens, Cum completi fuerint septem anni, dimittat vnusquisque fratrem suum Hebræum, qui venditus est ei, & seruiet tibi sex annis: & dimittes eum à te liberum, & non exaudierũt patres vestri me, nec inclinauerunt aurem suam. Et cõuersi estis vos hodie, & fecistis quod rectum est in oculis meis, vt prędicaretis libertatẽ vnusquisq; ad amicũ suum: & inistis pactum in conspectu meo, in domo in qua inuocatum est nomen meum super eam: & reuersi estis, & commaculastis nomen meum: & reduxistis vnusquisq; seruum suum, & vnusquisq; ancillam suam quos dimiseratis vt essent liberi & suæ potestatis: & subiugastis eos vt sint vobis serui & ancillæ. Propterea hæc dicit Dominus, Vos non audistis me, vt prædicaretis libertatẽ vnusquisq; fratri suo & vnusquisq; amico suo: [c] ecce ego prædico vobis libertatem, ait Dñs, ad gladium, ad pestem, & ad famem: & dabo vos in cõmotionem cunctis regnis terræ. [d] Et dabo viros qui præ- D uaricantur fœdus meum: & non obseruauerunt verba fœderis, quibus assensi sunt in cõspectu meo: vitulum quem conciderunt in duas partes, & trãsierunt inter diuisiones eius, principes Iuda & principes Ierusalem, eunuchi & sacerdotes: & omnis populus terræ, qui transierunt inter diuisiones vituli: & dabo eos in manus inimicorum suorum: & in manus quærentium animam eorum: & erit morticinum eorum in escam volatilibus cœli & bestijs terræ. Et Sedechiam regem Iuda & principes eius dabo in manus inimicorum suorum & in manus quærentium animas eorum, & in manus exercituum regis Babylonis, [e] qui recesserunt à vobis, Ecce ego præcipio, dicit Dominus: & reducam eos in ciuitatem hanc, & præliabuntur aduersus eam, & capient eam, & incendent igni: & ciuitates Iuda dabo in solitudinem, † vt non sit habitator.

SCHOLIA.

[a] In pace morieris.] *Non gladio aut violenta morte, sed lecto decumbens morieris, & post mortem honor regius tibi exhibebitur. Nam comburent super funus tuum more regio aromaticas, & odoriferas species, & alia odoramentorum genera.* [b] Prædicans eis libertatem.] *Inductus enim rex prophetam, prædicari fecit manumissionem seruorum & ancillarum Hebræorum, quæ septimo quoque anno fieri iubetur. Exodi. 21. Vt si quispiam emisset seruum Hebræum, septimo anno dimitteret eum, sed legem illam, sicut cæteras, populus rebellis contemnebat: persuasus tamen à rege, pepigit*

cum

cum eo fœdus, vt dimitterent seruos liberos, sed mox sententiam mutantes, illos ad seruitutem reuocabant. Et quoniam nulla in eis inueniebatur misericordia in conseruos, indigni fuerunt & ipsi misericordia Dei: præceperat autem Deus illam manumissionem, quòd & ipsi liberati essent de seruitute Aegyptiaca, atque ideo misericordes essent in proximum. [c] Ecce ego prædico libertatem.] *Hoc est, ego vos manumitto, vt non sim Dominus vester, subtracturus protectionem meam à vobis, vt eatis in durissimam seruitutem, nempe in gladium, pestem & famem.* [d] Et dabo viros.] *Ordo orationis est. Dabo viros, qui præuaricantur fœdus meum, sicut vitulum quem conciderunt, &c. In templo enim immolarant ritu celeberrimo diuiso vitulo, per cuius partes vtrinq; oppositas incedebant, simulq; iurabant, & se deuouebant, vt eueniret ipsis sicut vitulo, si fœdus rumperent. Dicit ergo dabo vos sicut vitulum illum, &c.* [e] Qui recesserunt à vobis.] *Recesserant quidem à Ierusalem propter Aegyptios, qui pugnaturi contra Chaldæos venerant: sed deuictis Aegyptijs redierunt Chaldæi, & expugnauerunt Ierusalem. Quocirca æqua mensura rependit eis Dominus: nam sicut vana libertate liberauerant seruos, ita vanè confidunt se liberandos, breui discessu exercitus Babylonici. Vsq; adeo displicet Deo immisericordia dominorum.*

CAPVT XXXV.

A V[a]Erbum quod factum est ad Ieremiam à Domino in diebus Ioacim filij Iosiæ regis Iuda, dicens. [b] Vade ad domum Rechabitarum: & loquere eis, & introduces eos in domum Dñi in vnam exedrã thesaurorum, & dabis eis bibere vinum. Et assumpsi Iezoniam filium Ieremiæ filij Absaniæ, & fratres eius, & omnes filios eius, & vniuersam domum Rechabitarum: & introduxi eos in domum Domini, ad gazophylacium filiorum Hanam filij Iegedelię hominis Dei, quod erat iuxta gazophylaciũ principum, † supra cubiculum Maasiæ filij Sellum, qui erat custos vestibuli. Et posui coràm filijs domus Rechabitarum scyphos plenos vino, & calices: & dixi ad eos, Bibite vinũ. Qui responderunt, Non bibemus vinũ: quia Ionadab B filius Rechab, pater noster, pręcepit nobis, dicens, Non bibetis vinum vos & filij vestri vsq; in sempiternum. Et domum non ædificabitis, & sementem nõ seretis, & vineas nõ plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ in qua vos peregrinamini. [c] Obediuimus ergo voci Ionadab filij Rechab, patris nostri, in omnibus, quæ præcepit nobis: ita, vt nõ biberemus vinũ cunctis diebus nostris nos, & mulieres nostrę, filij & filię nostrę: & non ædificaremus domos ad habitandũ: & vineam & agrum, & sementẽ nõ habuimus, sed habitauimus in tabernaculis: & obedientes fecimus iuxta omnia, quæ præcepit nobis Ionadab pater noster. Cũ autẽ ascendisset Nabuchodonosor rex Ba- C bylonis ad terrã nostram: diximus, Venite, & ingrediamur Ierusalem à facie exercitus Chaldęorum, & à facie exercitus Syrię: & mansimus in Ierusalem. Et factum est verbum Dñi ad Ieremiã, dicens, Hęc dicit Dñs exercituum Deus Israel, Vade, & dic viris Iuda & habitatoribus Ierusalem, Nunquid non recipietis disciplinã, vt obediatis verbis meis, dicit Dñs? Pręualuerunt sermones Ionadab filij Rechab, quos præcepit filijs suis, vt nõ biberent vinum: & non biberunt vsq; ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui: ego autem locutus sum ad vos, de mane consurgens, & loquens: & non obedistis mihi. Misiq; ad vos omnes seruos meos prophetas, consurgens diluculo, mittensq;, & dicens, Conuertimini vnusquisq; à via sua pessima, & bona facite stu- (Supr. 18. b & 25. b) D dia vestra: & nolite sequi deos alienos, neq; colatis eos, & habitabitis in terra quam dedi vobis & patribus vestris: & non inclinastis aurem vestram, neq; audistis me. Firmauerunt igitur filij Ionadab filij Rechab præceptum patris sui quod præceperat eis: populus autem iste non obediuit mihi. Iccirco hæc dicit Dñs exercituũ, Deus Israel, Ecce ego adduco super Iudam & super omnes habitatores Ierusalem vniuersam afflictionẽ quã locutus sum aduersum illos: eò quòd locutus sum ad illos, & non audierunt: vocaui illos, & non responderũt mihi. Domui autem Rechabitarum dixit Ieremias: Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Pro eò quòd obedistis pręcepto Ionadab patris vestri, & custodistis omnia mandata eius, & fecistis vniuersa, quæ præcepit vobis: propterea hęc dicit Dominus exercituum Deus Israel, non deficiet vir de stirpe Ionadab filij Rechab, [d] stans in conspectu meo cunctis diebus.

SCHOLIA.

[a] Verbum quod factum est.] *Transit ad prophetiam, quam ante multos annos viderat, nempe ante annos plus minus quatuordecim sub rege Ioacim.* [b] Vade ad domum Rechabitarum.] *Rechabitæ dicuntur fuisse de familia Iethro soceri Mosis, à quo descendit Ionadab, qui vixit sub rege Iehu. Laudanturq; filij eius, quòd parenti carnali constantius & in re difficiliori obedierint, quàm Israelitæ patri cœlesti. Dedit autem Ionadab posteris suis quatuor præcepta, ne scilicet biberent vinum, ne colerent agros, ne plantarent vineas, & ne ædificarent domos ad inhabitandum, sed quasi pastores, & peregrini viuerent sub tugurijs, vt si fames vel aduersitas incideret, possent liberi in aliam concedere regionem, dispensarunt tantum in vno, quòd domos habitare cœperunt intra Ierusalem, idq; metu hostium.* [c] Obediuimus ergo.] *Memorant suam obedientiam, quam patri annis propemodum trecentis exhibuerunt.* [d] Stans in conspectu meo.] *Cum neque Iudæi templum interius adeant, nisi in ordine primorum iudicum electi, fit coniectura ex Rechabitis allophylis de ordine iudicum aliquos extitisse, vt vir ex eis seruire queat in sacrificijs obeundis. Alij autumant filias eorum locatas coniugio sacerdotibus, & ex eis natos, qui postea ministrarint. Verum illud certius, quòd vocatio gentium fuerit adumbrata.*

CAPVT XXXVI.

A ET factum est in anno quarto Ioacim filij Iosię regis Iuda: factum est verbum hoc ad Ieremiam à Domino, dicens, Tolle volumen libri, & scribes in eo omnia verba, quæ locutus sum tibi aduersum Israel & Iudam, & aduersum omnes gentes: à die qua locutus sum ad te ex diebus Iosiæ vsq; ad diem hãc: si fortè audiente domo Iuda vniuersa mala, quæ ego cogito facere eis, reuertatur vnusquisque à via sua pessima: & propitius ero iniquitati, & peccato eorum. Vocauit ergo Ieremias Baruch filium Neriæ: & scripsit Baruch ex ore Ieremiæ omnes sermones Domini, quos locutus est ad eum, in volumine libri. Et præcepit Ieremias Baruch, dicens, [a] Ego clausus sum, nec valeo ingredi domum Domini. Ingredere ergo tu, & lege de volumine in quo scripsisti ex ore meo verba Domini, audiente populo in domo Domini in die ieiunij:

inſuper & audiente vniuerſo Iuda, qui veniunt de ciuitatibus ſuis. Leges eis, ſi fortè cadat oratio eorum in B
conſpectu Domini,& reuertatur vnuſquiſque à via ſua peſsima: quoniam magnus furor indignatio eſt, quã
locutus eſt Dominus aduerſus populum hunc. Et fecit Baruch filius Neriæ iuxta omnia, quæ præceperat ei
Ieremias propheta,legens ex volumine ſermones Domini in domo Domini. Factũ eſt autem in anno quin-
to Ioacim filij Ioſia regis Iuda,in menſe nono: prædicauerunt ieiunium in conſpectu Domini omni popu-
lo Ieruſalem,& vniuerſæ multitudini,quæ confluxerat de ciuitatibus Iuda in Ieruſalem. Legitq; Baruch ex
volumine ſermones Ieremiæ in domo Domini in gazophylacio Gamariæ filij Saphan ſcribæ, in veſtibulo C
ſuperiori,in introitu portæ nouæ domus Domini,audiente omni populo. Cumque audiſſet Micheas filius
Gamariæ filij Saphan omnes ſermones Domini ex libro: deſcendit in domum regis ad gazophylacium ſcri-
bæ:& ecce,ibi omnes principes ſedebant, Eliſama ſcriba, & Dalaias filius ſemeiæ, & Elnathan filius Acho-
bor,& Gamarias filius Saphan,& Sedechias filius Hananiæ, & vniuerſi principes. Et nuntiauit eis Micheas
omnia verba,quæ audiuit,legente Baruch, ex volumine in auribus populi. Miſerunt itaque omnes princi-
pes ad Baruch,Iudi filium Nathaniæ filij Seleniæ filij Chuſi,dicentes, Volumen,ex quo legiſti audiente po D
pulo,ſume in manu tua,& veni. Tulit ergo Baruch filius Nerię volumen in manu ſua,& venit ad eos.Et di-
xerunt ad eum, Sede,& lege hæc in auribus noſtris.Et legit Baruch in auribus eorum. Igitur cum audiſſent
omnia verba, obſtupuerunt vnuſquiſque ad proximum ſuum, & dixerunt ad Baruch. Nunciare debemus
regi omnes ſermones iſtos,Et interrogauerunt eum,dicentes,Indica nobis quomodo ſcripſiſti omnes ſermo
nes iſtos ex oręeius. Dixit autem eis Baruch. Ex ore ſuo loquebatur quaſi legens ad me omnes ſermones
iſtos:& ego ſcribebam in volumine,atramento. Et dixerunt principes ad Baruch, Vade, & abſcondere tu, E
& Ieremias,& nemo ſciat vbi ſitis. Et ingreſsi ſunt ad regem in atrium. Porrò volumen commendauerunt
in gazophylacio Eliſamæ ſcribæ: & nuntiauerunt audiente rege omnes ſermones. Miſitq; rex Iudi, vt ſume-
ret volumen. Qui tollens illud de gazophylacio Eliſamæ ſcribæ, legit audiente rege, & vniuerſis princi-
bus, qui ſtabant circa regem. Rex autem ſedebat in domo hyemali in menſe nono:& poſita erat arula co-
ràm eo plena prunis. Cumq; legiſſet Iudi tres pagellas vel quatuor, ſcidit illud ſcalpello ſcribæ: & proiecit
in ignem,qui erat ſuper arulam: donec conſumeretur omne volumen igni, qui erat in arula. Et non timue- F
runt,neque ſciderunt veſtimenta ſua rex, & omnes ſerui eius, qui audierunt vniuerſos ſermones iſtos. Ve-
runtamen, Elnathan, & Dalaias,& Gamarias contradixerunt regi, ne combureret librum: & non audiit
eos. Et præcepit rex Ieremiel filio Amélech,& Saraiæ filio Ezriel,& Selemiæ filio Abdeel:vt comprehende-
rent Baruch ſcribam,& Ieremiam prophetam:abſcondit autem eos Dominus.Et factum eſt verbum Domi-
ni ad Ieremiam poſtquam combuſſerat rex volumen,& ſermones quos ſcripſerat Baruch,ex ore Ieremię,di-
cens,Rurſum tolle volumen aliud: & ſcribe in eo [b] omnes ſermones priores, qui erant in primo volumine, G
quod combuſsit Ioacim rex Iuda.Et ad Ioacim regem Iuda dices,Hæc dicit Dominus,Tu combuſiſti volu-
men iſtud,dicens,Quare ſcripſiſti in eo annuntians? Feſtinus veniet rex Babylonis,& vaſtabit terram hanc:
& ceſſare faciet ex illa hominem & iumentum. Propterea hæc dicit Dominus contra Ioacim regem Iuda,
Non erit ex eo, qui ſedeat ſuper ſolium Dauid: & cadauer eius proijcietur ad æſtum per diem,& ad gelu per
noctem.Et viſitabo contra eum,& contra ſemen eius,& cõtra ſeruos eius iniquitates ſuas: & adducam ſuper
eos,& ſuper habitatores Ieruſalem,& ſuper viros Iuda omne malum quod locutus ſum ad eos: & non audie-
runt:Ieremias autem tulit volumen aliud,& dedit illud Baruch filio Neriæ ſcribę:qui ſcripſit in eo ex ore Ie-
remiæ omnes ſermones libri,quę combuſſerat Ioacim rex Iuda igni: & inſuper additi ſunt ſermones multò
plures, quàm antea fuerant.

SCHOLIA.

[a] Ego clauſus ſum.] *Quod alij verterunt,ego derelictus, vel,ego cohibitus ſum.Non quidem carcere,ſed impeditus erat, nimirum à ſpiritu Domini.* [b] Omnes ſermones priores.] *Voluit Deus denuo ſcribi verba ſua,ne malitia humana videretur ſuperare ſapientiam diuinam. Nam cœlum & terra tranſibunt, verba autem Domini non tranſibunt, neque iota vnum,aut vnus apex peribit de verbis Domini.*

CAPVT XXXVII.

ET regnauit rex Sedechias filius Ioſiæ, pro Chonia filio Ioacim: quem conſtituit regem Nabuchodo- A
noſor rex Babylonis in terra Iuda. Et non obediuit ipſe,& ſerui eius,& populus terræ verbis Domi-
ni,quæ locutus eſt in manu Ieremiæ prophetæ.Et miſit rex Sedechias Iuchal filiũ Selemiæ,& Sopho-
niam filium Maaſiæ ſacerdotem ad Ieremiam prophetam, dicens, Ora pro nobis Dominum Deum noſtrũ.
Ieremias autem liberè ambulabat in medio populi:& non miſerunt eum in cuſtodiam carceris. Igitur exer
citus Pharaonis egreſſus eſt de Ægypto:& audientes Chaldæi,qui obſidebant Ieruſalem, huiuſcemodi nun-
tiũ, receſſerunt ab Ieruſalem. Et factũ eſt verbum Dñi ad Ieremiam prophetam: dicens, Hæc dicit Domi-
nus Deus Iſrael,Sic dicetis regi Iuda,qui miſit vos ad me interrogãdum, Ecce exercitus Pharaonis,qui egreſ- B,
ſus eſt vobis in auxilium,reuertetur in terram ſuam in Ægyptum: [a] & redibunt Chaldęi,& bellabunt contra
ciuitatem hanc:& capient eam,& ſuccendent eam igni. Hęc dicit Dominus,Nolite decipere animas veſtras,
dicentes,Euntes abibunt,& recedent à nobis Chaldæi:quia non abibunt.Sed & ſi percuſſeritis omnem exer-
citum Chaldæorum,qui præliantur aduerſum vos,& derelicti fuerint ex eis aliqui vulnerati:ſinguli de tento
rio ſuo conſurgent & incendent ciuitatem hanc igni. Ergo cum receſsiſſet exercitus Chaldæorum ab Ieru-
ſalem propter exercitum Pharaonis,egreſſus eſt Ieremias de Ieruſalem,vt iret in terram Beniamin,& diuide-
ret ibi poſſeſsionem in conſpectu ciuium. Cumque peruenisſet ad portam Beniamin,erat ibi cuſtos portæ C
per vices,nomine Ierias,filius Selemiæ filij Hananiæ:& apprehendit Ieremiam prophetam,dicens,Ad Chal-
dæos profugis.Et reſpondit Ieremias,Falſum eſt,non fugio ad Chaldæos. Et non audiuit eum:ſed compre-
hendit

hendit Ierias Ieremiam,& adduxit eum ad principes. Quam ob rem irati principes contra Ieremiã,cæſum
eum miſerunt in carcerem,qui erat in domo Ionathan ſcribæ: ipſe enim præpoſitus erat ſuper carcerem. Ita-
que ingreſſus eſt Ieremias in domum laci & in ergaſtulum:& ſedit ibi Ieremias diebus multis. Mittẽs autem
D Sedechias rex tulit eum:& interrogauit eum in domo ſua abſconditè, & dixit, Putáſne eſt ſermo à Domino?
Et dixit Ieremias,Eſt. Et ait,In manus regis Babylonis traderis,Et dixit Ieremias ad regem Sedechiam, Quid
peccaui tibi & ſeruis tuis & populo tuo,quia miſiſti me in domum carceris? Vbi ſunt prophetæ veſtri, qui
prophetabant vobis,& dicebant, Non veniet rex Babylonis ſuper vos,& ſuper terram hanc?Nunc ergo audi
obſecro,domine mi rex, Valeat deprecatio mea in conſpectu tuo: & ne me remittas in domum Ionathan
ſcribæ,ne moriar ibi: [b] Præcepit ergo rex Sedechias,vt traderetur Ieremias in veſtibulo carceris:& daretur ei
torta panis quotidie, † ex platea piſtorum, donec conſumerentur omnes panes de ciuitate: & manſit Iere-
mias in veſtibulo carceris.

SCHOLIA.

[a] Et redibunt Chaldęi.] *Decem & octo menſibus exercitus oppugnauit ciuitatem magno ſtudio, illis ſe pari prudentia,& labore defendentibus,vt videretur interdiu victoria ſtare à Iudæis: vnde ait,ſi percuſſeritis omnem exercitum, &c.*
[b] Precepit ergo rex.] *Nota,prophetam hac occaſione,prouidentia Dei curante, veniſſe in publicum locum,in atrium carceris,vbi rex ei victum ſuffecit,in quo loco locutus eſt ea,quæ habes cap.32. & 3. Defecerunt autem panes vndecimo anno Sedechiæ,menſe quarto,die nono menſis,vt infra cap. vltimo,& 2. Paral.36.*

CAPVT XXXVIII.

AVdiuit autem Saphatias filius Mathan & Gedelias filius Phaſſur, & Iuchal filius Selemiæ, & Phaſſur A
filius Melchiæ,ſermones quos Ieremias loquebatur ad omnem populum, dicens, Hæc dicit Domi- Supra. 21.2
nus, Quicunque manſerit in ciuitate hac,morietur gladio & fame & peſte: qui autem profugerit ad
Chaldæos,viuet,& erit anima eius ſoſpes & viuens, Hæc dicit Dominus, Tradendo tradetur ciuitas hæc in
manu exercitus regis Babylonis,& capiet eam.Et dixerunt principes regi, Rogamus,vt occidatur homo iſte:
de induſtria enim diſſoluit manus virorum bellantium, qui remanſerunt in ciuitate hac, & manus vniuerſi
populi,loquens ad eos vniuerſa verba hęc:ſiquidem homo iſte non quærit pacem populo huic,ſed malũ, Et
dixit rex Sedechias, Ecce ipſe in manibus veſtris eſt:nec enim fas eſt regem vobis quicquam negare. Tule-
runt ergo Ieremiam, & proiecerunt eum in lacum Melchię filij Amélech, qui erat in veſtibulo carceris: &
ſubmiſerunt Ieremiam in funibus:& in lacu non erat aqua,ſed lutum:deſcendit itaque Ieremias in cœnum.
Audiuit autem Abedmélech Æthiops vir eunuchus,qui erat in domo regis, quòd miſiſſent Ieremiam in la-
B cum:porrò rex ſedebat in porta Beniamin. Et egreſſus eſt Abedmélech de domo regis, & locutus eſt ad re-
gem,dicens,Domine mi rex,malè fecerunt viri iſti omnia quæcunque perpetrarunt cõtra Ieremiam pro-
phetam,mittentes eum in lacum,vt moriatur ibi fame:non ſunt enim panes vltrà in ciuitate. Præcepit ita-
que rex Abedmélech Æthiopi,dicens,Tolle tecum hinc triginta viros,& leua Ieremiam prophetam de lacu,
antequam moriatur. Aſſumptis ergo Abedmélech ſecum viris,ingreſſus eſt domum regis,quę erat ſub cel-
lario:& tulit inde veteres pannos,& antiqua veſtimenta,quæ computruerant: & ſubmiſit ea ad Ieremiam in
lacum per funiculos. Dixitque Abedmélech Æthiops ad Ieremiã,Pone veteres pannos, & hæc ſciſſa & pu-
trida ſub cubito manuum tuarum, & ſubter funes: fecit ergo Ieremias ſic. Et extraxerunt Ieremiam funi-
bus,& eduxerunt eum de lacu:manſit autem Ieremias in veſtibulo carceris.Et miſit rex Sedechias,& tulit ad
ſe Ieremiam prophetam ad oſtium tertium quod erat in domo Domini:& dixit rex ad Ieremiam,Interrogo
ego te ſermonem,ne abſcondas à me aliquid. Dixit autem Ieremias ad Sedechiam, Si annuntiauero tibi,nũ-
C quid non interficies me?Et ſi conſilium dedero tibi,non me audies. Iurauit ergo rex Sedechias Ieremiæ clã,
dicens, Viuit Dominus,qui fecit nobis animam hanc,ſi occidero te, & ſi tradidero te in manus virorum iſto
rum,qui quærunt animam tuam. Et dixit Ieremias ad Sedechiam. Hæc dicit Dominus exercituum,Deus
Iſrael,Si profectus exieris ad principes regis Babylonis,viuet anima tua,& ciuitas hæc non ſuccendetur igni:
& ſaluus eris tu,& domus tua. Si autem non exieris ad principes regis Babylonis,tradetur ciuitas hæc in ma
nus Chaldæorum,& ſuccendent eam igni:& tu non effugies de manu eorum. Et dixit rex Sedechias ad Iere-
miam,Sollicitus ſum propter Iudæos,qui transfugerunt ad Chaldæos:ne fortè tradar in manus eorum,[a] & il
ladant mihi:reſpondit autem Ieremias,& dixit ad eum, Non te tradent:audi quæſo vocem Domini, quam
ego loquor ad te,& bene tibi erit,& viuet anima tua. Quòd ſi nolueris egredi:iſte eſt ſermo, quem oſtendit
mihi Dominus, Ecce omnes mulieres, [b] quæ remanſerunt in domo regis Iuda, educentur ad principes re-
gis Babylonis:& ipſe dicent, Seduxerunt te, & præualuerunt aduerſum te viri pacifici tui:† demerſi ſunt in
D cœnum pedes tui,& receſſerunt retrorſum. Et omnes vxores tuæ,& filij tui educentur ad Chaldæos: & non
effugies manus eorum, ſed in manu regis Babylonis capieris: & ciuitatem hanc comburet igni. Dixit ergo
Sedechias ad Ieremiam,Nullus ſciat verba hæc, & non morieris. Si autem audierint principes quòd locu-
tus ſum tecum:& venerint ad te,& dixerint tibi,Indica nobis quid locutus ſis cum rege,ne cœles nos, & non
te interficiemus:& quid locutus eſt tecum rex:dices ad eos.Proſtraui ego preces meas coràm rege, ne me re-
duci iuberet in domum Ionathan,& ibi morerer. Venerunt ergo omnes principes ad Ieremiam, & interro-
gauerunt eum:& locutus eſt eis iuxta omnia verba, quæ præceperat ei rex,& ceſſauerũt ab eo: nihil enim fue
rat auditum. Manſit verò Ieremias in veſtibulo carceris, vſque ad diem quo capta eſt Ieruſalem: & factum
eſt,vt caperetur Ieruſalem.

SCHOLIA.

[a] Et illudant mihi.] *Hoc eſt,viliter interficiant me.* [b] Quæ remanſerunt in domo regis Iuda.] *Regem Ioatim intelligit, qui cum matre abductus fuerat, relictis mulieribus in Ieruſalem in domo ſua. Hæ metuentes, ne & ipſæ*

abducerentur, dehortatæ ſunt regem, et credidit magis illis, quàm Ieremiæ. Hæ ergo mulieres (inquit) etiam ipſæ verbis ſuis ſeduxerunt te, &c. Sin legas, & ipſæ dicent, Seduxerunt te, vel incitauerunt te: ſenſus erit. Mulieres, quæ poſt transmigrationem Ioacim in domo eius manſerunt, ductæ ad regem Babel dicent, quomodo familiares tui, principes ſcilicet & falſi prophetæ te incitauerint, vt rebellares regi Babylonis, & illi te ad hoc adegerint, vt pedes tui demerſi ſint in luturn, & actī ſint retrorſum, ne acquieueris Babylonis. Alius intelligit, mulieres parabolam cantillaturas, quòd viri pacis, hoc eſt, pſeudo prophetæ, te deceperunt, &c. Sed videtur aptius, ſi legas. Et ipſæ verbis ſuis ſeduxerunt te, præualuerunt aduerſum te viri pacifici tui, hoc eſt, falſi prophetæ, qui tibi pacem promittebant, &c.

CAPVT XXXIX.

4.Re. 25.a Infra 52.a

A [a]NNo nono Sedechię regis Iuda, menſe decimo, venit Nabuchodonoſor rex Babylonis, & omnis exercitus eius ad Ieruſalem, & obſidebant eā. Vndecimo autem anno Sedechię, menſe quarto, nona mēſis † fracta eſt ciuitas. Et ingreſſi ſunt oēs principes regis Babylonis, & ſederunt in porta media: Neregel, Seréſer, Semegar, Nabuſarſachim, Rabſares, Neregel Seréſer, Rebmag, & omnes reliqui principes regis Babylonis. Cumq; vidiſſet eos Sedechias rex Iuda, & omnes viri bellatores, fugerūt: & egreſſi ſunt nocte de ciuitate per viam horti regis, & per portam, quæ erat inter duos muros, & egreſſi ſunt ad viam deſerti. Perſecutus eſt autem eos exercitus Chaldæorum: & comprehenderunt Sedechiam in campo ſolitudinis Ierichontię, & B captum adduxerunt ad Nabuchodonoſor regem Babylonis in Rebláta, quæ eſt in terra Emath: & locutus eſt ad eum iudicia. Et occidit rex Babylonis filios Sedechiæ [b] in Rebláta, in oculis eius: & omnes nobiles Iuda occidit rex Babylonis, Oculos quoque Sedechię eruit: & vinxit eum compedibus, vt duceretur in Babylonem. Domum quoque regis, & domum vulgi ſuccenderunt Chaldæi igni: & murum Ieruſalē ſubuerterunt. Et reliquias populi, quę remanſerant in ciuitate, & perfugas, qui transfugerant ad eū, & ſuperfluos vulgi, qui remanſerant tranſtulit [c] Nabuzardan magiſter militum in Babylonem. [d] Et de plebe pauperum, qui nihil penitus habebant, dimiſit Nabuzardan magiſter militum in terra Iuda: & dedit eis vineas & ciſternas in die illa. [e] Præceperat autem Nabuchodonoſor rex Babylonis de Ieremia, Nabuzardan magiſtro militiæ, dicens, Tolle illum, & pone ſuper eum oculos tuos, nihilq; ei mali facias: ſed, vt voluerit, ſic facias ei. Miſit ergo Nabuzardan princeps militiæ, & Nabuſezbaz & Rabſares, & Neregel, & Seréſer, & Rebmag, & omnes optimates regis Babylonis, miſerunt, & tulerunt Ieremiam de veſtibulo carceris, & tradiderunt eum Godoliæ filio Ahicam, filij Saphan, vt intraret in domum, & habitaret in populo. Ad Ieremiam autem factus fuerat ſermo D Domini, cum clauſus eſſet in veſtibulo carceris, dicens, Vade, & dic Abdemelech Æthiopi, dicens, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael, ecce, ego inducam ſermones meos ſuper ciuitatem hanc in malum, & nō in bonum: [f] & erunt in conſpectu tuo in die illa. Et liberabo te in die illa, ait Dominus: & non traderis in manus virorum, quos tu formidas: ſed eruens liberabo te, & gladio non cades: ſed erit tibi anima tua in ſalutem, quia in me habuiſti fiduciam, ait Dominus.

SCHOLIA.

[a] Anno nono.] *Nono anno Sedechiæ obſederunt, venitq; initio rex ipſe, qui, cū diutius duraret obſidio, diſceſſit in Antiochiam, locum Syriæ amœniſſimum: interim ciuitatem Ieruſalem peſtis & fames vexare cœperunt: capta eſt autem ciuitas, obſidionis menſe decimo octauo, quo tempore Romæ regnabat Tarquinius priſcus, olympiade 47. & anno ab extructo templo 470. menſe ſexto die decimo ab initio mundi iuxta ſoſephum anno 3513. Iudæi tamen alicubi aliam ſupputationem habent annorum.* [b] In Reblatha.] *Ea creditur eſſe Anthiochia, cuius rei coniectura ſit ex hiſtoria, & eſt amœniſſima Syriæ ciuitas.* [c] Nabuzardan magiſter militum.] *Alij vertunt, magiſter Sicariorum, vel interficientium. Alij putant ſignificare præfectum laniorum qui pecora iugulant. Græci ἀρχιμάγειρον. Id eſt, principem coquorum: nam dictio Hebræa interdum ſignificat coquum. Interpres hanc eandem dictionem, libro 4. Reg. cap. vltimo, vertit: princeps exercitus.* [d] Et de plebe pauperum.] *Deſtructio Ieruſalem typum quendam diuini iudicij gerit: ſicut enim in Ieruſalem perierunt impij, liberatiq; ſunt pauperes & donis locupletati, ita in die iudicij, quem expectamus, euenient.* [e] Præceperat autem.] *Non potuit latere virtus Ieremiæ regem Babyloniorum, vnde præcepit, haud dubium ex inſtinctu Dei, vt per Nabuzardan defenderetur. Et cognouit hic rex, quòd à Deo eſſet victoria, ſed ex Eſa. cap. 13. oſtenditur, quòd non permanſerit in ea animi moderatione, ſimiliter & apud Danielem elatus & impotenter ſuperbus eſt, idolaq; veneratur.* [f] Et erunt in conſpectu tuo.] *Sermones ſcilicet mei, videbis enim omnia verba mea impleri, &c.*

CAPVT XL.

SErmo qui factus eſt ad Ieremiam à Domino, poſtquam dimiſſus eſt à Nabuzardan magiſtro militiæ de A
Rama quando tulit eum vinctum catenis in medio omnium, qui migrabant de Ieruſalem & Iuda, & ducebantur in Babylonem. Tollens ergo princeps militiæ Ieremiam dixit ad eū, Dominus Deus tuus locutus eſt malum hoc ſuper locum iſtum, & adduxit: & fecit Dominus ſicut locutus eſt: quia peccaſtis Domino, & non audiſtis vocem eius, & factus eſt vobis ſermo hic. Nunc ergo ecce ſolui te hodie de catenis, quæ ſunt in manibus tuis: ſi placet tibi, vt venias mecum in Babylonem, veni: & [a] ponam oculos meos ſuper te: ſi autem diſplicet tibi venire mecum in Babylonem, reſide: ecce omnis terra in conſpectu tuo eſt, quod elegeris, & quò placuerit tibi, vt vadas, illuc perge. † Et illo nihil adhuc reſpondente, dixit, [b] reuertere ad Godoliam filium Ahicam filij Saphan, quem prępoſuit rex Babylonis ciuitatibus Iudæ: habita ergo cum eo in me B
dio populi: vel quocunq; placuerit tibi, vt vadas, vade. Dedit quoq; ei magiſter militiæ cibaria, & munuſcula, & dimiſit eum. Venit autem Ieremias ad Godoliam filium Ahicam in Maſphath: & habitauit cum eo in medio populi, qui relictus fuerat in terra. Cumque audiſſent [c] omnes principes exercitus, qui diſperſi fuerāt per regiones, ipſi & ſocij eorum, quòd prefeciſſet rex Babylonis Godoliam filium Ahicam terræ: & quòd commendaſſet ei viros, & mulieres, & paruulos, & de pauperibus terrę, qui non fuerant translati in Babylonem: venerunt ad Godoliam in Maſphath: & Iſmahel filius Nathaniæ, & Iohanan & Ionathan filij Carec, & Sareas

C Sareas filius Thanehumeth, & filij Ophi qui erant de Netophathi, & Iezonias filius Maachathi, ipſi & viri eorum. Et iurauit eis Godolias filius Ahicam filij Saphan, & comitibus eorum, dicens, Nolite timere ſeruire 4.Re. 25.f
Chaldęis: habitate in terra, & ſeruite regi Babylonis, & bene erit vobis. Ecce ego habito in Maſphath, † [d] vt ſtem coràm Chaldæis, qui venient ad nos: vos autem colligite vindemiam, & meſſem & oleum, & condite in vaſis veſtris: & manete in vrbibus veſtris quas tenetis. Sed & omnes Iudæi, qui erant in Moab, & in filijs Ammon, & in Idumęa, & in vniuerſis regionibus, audito quòd dediſſet rex Babylonis reliquias in Iudęa, & quòd præpoſuiſſet ſuper eos Godoliam filium Ahicam filij Saphan: reuerſi ſunt, inquam, omnes Iudæi de vniuer-
D ſis locis ad quæ fugerant: & venerunt in terram Iuda ad Godoliam in Maſphath: & collegerunt vinum, & meſſem multam nimis: Iohanan autem filius Caree, & omnes principes exercitus, qui diſperſi fuerant in regionibus, venerunt ad Godoliam in Maſphath, & dixerunt ei, Scito quòd Baalim rex filiorum Ammon miſit Iſmahel filium Nathaniæ percutere animam tuam. Et non credidit eis Godolias filius Ahicam. Iohanan autem filius Caree, dixit ad Godoliam ſeorſum in Maſphath, loquens, Ibo, & percutiam Iſmahel filium Nathaniæ nullo ſciente: ne interficiat animam tuam, & diſſipentur omnes Iudæi, qui congregati ſunt ad te, & peribunt reliquiæ Iuda. Et ait Godolias filius Ahicam ad Iohanan filium Caree, Noli facere verbum hoc, falſum enim tu loqueris de Iſmahel.

SCHOLIA.

[a] Ponam oculos meos ſuper te.] *Quidam ſic intelligunt, evo quaſi ſeruus tibi, & obſeruabo te tanquam Dominum. Certè ea locutio ſingularem fauorem, & curam indicat.* [b] Reuertere ad Godoliam filium Ahicam.] *Intelligebat enim Nabuzardan ex ſilentio, Ieremiam nolle redire Ieruſalem.* [c] Omnes principes exercitus.] *Cum Chaldæi obtinuiſſent vrbem, fugerunt noctu bellatores quique, qui fuerunt intra ciuitatem, in campum, et conſtituerunt ſuper ſe ducēs, & gubernatores, & hi vocantur hic principes exercitus.* [d] Vt ſtem coràm Chaldæis.] *Ego (inquit) cum venerint Chaldæi, reſpondebo pro vobis, & ponam animam meam pro vobis, & vos ſecuri viuetis, & locupletabimini in ciuitatibus veſtris.*

CAPVT XLI.

A EAT factum eſt in menſe ſeptimo, venit Iſmahel filius Nathaniæ, filij Eliſama de ſemine regali, & optimates regis, & decem viri cum eo, ad Godoliam filium Ahicam in Maſphath: & comederunt ibi panes ſimul in Maſphath. Surrexit autem Iſmahel filius Nathaniæ, & decem viri, qui cum eo erant: & percuſſerunt Godoliam filium Ahicam filij Saphan gladio, & interfecerunt eum: quem præfecerat rex Babylonis terræ. Omnes quoque Iudæos, qui erant cum Godolia in Maſphath, & Chaldæos, qui reperti ſunt ibi, & viros bellatores percuſsit Iſmahel. Secundo autem die poſtquam occiderat Godoliam nullo adhuc ſciente, venerunt viri de Sichem, & de Silo, & de Samaria octoginta viri: raſi barba, & ſciſsis veſtibus, & ſquallentes: & [b] munera & thus habebant in manu, vt offerrent in domo Domini. Egreſſus ergo Iſmahel filius Nathaniæ in occurſum eorum de Maſphath, incedens & plorans ibat: cum autem occurriſſet eis, dixit ad eos, Venite ad Godoliam filium Ahicam. Qui cum veniſſent ad medium ciuitatis, interfecit eos Iſmahel filius Nathaniæ circa medium laci, ipſe & viri qui erant cum eo, Decem autem viri reperti ſunt inter eos, qui dixerunt ad Iſmahel, Noli occidere nos: quia habemus theſauros in agro, frumenti, & hordei, & olei, & mellis. Et ceſſauit: & non interfecit eos cum fratribus ſuis. Lacus autem, in quem proiecerat Iſmahel omnia cadauera virorum, quos percuſsit propter Godoliam, ipſe eſt quem fecit rex Aſa, propter Baaſa regem Iſrael: ipſum repleuit Iſmahel filius Nathaniæ occiſis. Et captiuas duxit Iſmahel omnes reliquias populi, qui erat in Maſphath:
C filias regis, & vniuerſum populum, qui remanſerat in Maſphath: quos commendauerat Nabuzardan princeps militiæ, Godoliæ filio Ahicam. Et cepit eos Iſmahel filius Nathaniæ: & abijt, vt tranſiret ad filios Ammon. Audiuit autem Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, omne malum quod fecerat Iſmahel filius Nathaniæ. Et aſſumptis vniuerſis viris, profecti ſunt, vt bellarent aduerſum Iſmahelem filium Nathaniæ: & inuenerunt eum ad aquas multas, quæ ſunt in Gabaon. Cumque vidiſſet omnis populus, qui erat cum Iſmahel, Iohanan filium Caree, & vniuerſos principes bellatorum qui erant cum eo,
D lætati ſunt. Et reuerſus eſt omnis populus, quem ceperat Iſmahel, in Maſphath: reuerſusque abijt ad Iohanan filium Caree. Iſmahel autem filius Nathaniæ, fugit cum octo viris à facie Iohanan, & abijt ad filios Ammon. Tulit ergo Iohanan filius Caree, & omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, vniuerſas reliquias vulgi, quas reduxerant ab Iſmahel filio Nathaniæ de Maſphath: poſtquam percuſsit Godoliam filium Ahicā: fortes viros ad prælium, & mulieres, & pueros, & eunuchos quos reduxerat de Gabaon: & abierunt, & [c] ſederunt in Geruth Chamaam, quæ eſt iuxta Bethlehem: vt pergerent, & introirent Ægyptum [d] à facie Chaldæorum: timebant enim eos, quia percuſſerat Iſmahel filius Nathaniæ Godoliam filium Ahicam, quem præpoſuerat rex Babylonis in terra Iuda.

SCHOLIA.

[a] Et factum eſt in menſe ſeptimo.] *Menſe quinto templum incenſum, & poſt breue temporis ſpacium, nempe menſe ſeptimo trucidatur Godolias, propter quas duas calamitates eſt ieiunium indictum quinti & ſeptimi diei apud Zacha. vt quibuſdam videtur.* [b] Munera & thus habebant in manu.] *Quomodo veniunt hi ſacrificaturi in templo, quod iam erat deuaſtatum? Dicendum, eos ignoraſſe domum Domini deuaſtatam, cum de terra ſua egrederentur, ſed cum in itinere id audiſſent ſumma affecti triſtitia, volebant declinare ad Godoliam.* [c] Sederunt in Geruth Chamaam.] *Sonat Geruth peregrinationem. Ionathas hunc locum ſic vertit. In Geruth, quam dedit Dauid ipſi Chimam Barzillai Galaaditæ. De hac Chamaam, ſiue Chimam habes in 2. Reg. cap. xix.* [d] A facie Chaldæorum.] *Non ſine cauſa formidant, accuratius enim obſeruare oportuerat, ne Iſmahel hanc eadem patraret, aut certè debuerant indicare præſidia Chaldæorum.*

CAPVT XLII.

ET accesserunt omnes principes bellatorum,& Iohanan filius Caree,et Iezonias filius Osaię:& reliquũ vulgus à paruo vsq; ad magnum:dixeruntq; ad Ieremiam prophetam, Cadat oratio nostra in cõspectu tuo,& ora pro nobis ad Dominum Deum tuum pro vniuersis reliquijs istis, quia derelicti sumus pauci de pluribus,sicut oculi tui nos intuentur:& annuntiet nobis Dominus Deus tuus viam per quam pergamus,& verbum quod faciamus. Dixit autem ad eos Ieremias propheta, Audiui ecce ego oro ad Dominũ Deum vestrum secundum verba vestra:omne verbum quodcunq; respõderit vobis Dñs,indicabo vobis:nec cœlabo vos quicquam.Et illi dixerunt ad Ieremiam,Sit Dñs inter nos testis veritatis & fidei, si nõ iuxta omne verbum in quo miserit te Dñs Deus tuus ad nos,sic faciemus:siue bonũ est,siue malũ:voci Dñi Dei nostri ad quem mittimus te,obediemus:vt bene sit nobis cum audierimus vocem Dñi Dei nostri. Cum autem cõpleti essent decem dies,factum est verbũ Domini ad Ieremiam. Vocauitq; Iohanan filium Caree,& omnes principes bellatorum, qui erant cum eo, & vniuersum populum à minimò vsq; ad maximũ,& dixit ad eos, Hæc dicit Dñs Deus Israel,ad quem misistis me,vt prosternerẽ preces vestras in conspectu eius. Si quiescentes manseritis in terra hac,ædificabo vos,& nõ destruam:plantabo, & non euellã:iam enim placatus sum super malo quod feci vobis. Nolite timere à facie regis Babylonis,quem vos pauidi formidatis: nolite metuere eũ,dicit Dominus:quia vobiscum sum ego,vt saluos vos faciam,& eruam de manu eius, & dabo vobis misericordias,& miserebor vestri,& habitare vos faciam in terra vestra. Si autem dixeritis vos,Non habitabimus in terra ista,nec audiemus vocem Domini Dei nostri, dicentes, Nequaquam,sed ad terram Ægypti pergemus:vbi non videbimus bellum,& clangorem tubæ non audiemus, & famem non sustinebimus:& ibi habitabimus.Propter hoc nunc audite verbum Dñi reliquiæ Iuda, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, Si posueritis faciem vestram,vt ingrediamini Ægyptum,& intraueritis,vt ibi habitetis:gladius,quem vos formidatis,ibi comprehendet vos in terra Ægypti:& fames,pro qua estis soliciti,adhærebit vobis in Ægypto,& ibi moriemini. Omnesq; viri,qui posuerunt faciem suam,vt ingrediantur Ægyptum,vt habitent ibi,morientur gladio,& fame,& peste:nullus de eis remanebit,nec effugiet à facie mali quod ego afferã super eos. Quia hæc dicit Dominus exercituum,Deus Israel, Sicut conflatus est furor meus, & indignatio mea super habitatores Ierusalem:sic conflabitur indignatio mea super vos cum ingressi fueritis Ægyptum:& eritis in iusiurãdum,& in stuporem,& in maledictum,& in opprobrium:& nequaquam vltrà videbitis locum istum. Verbum Domini super vos reliquiæ Iuda, Nolite intrare Ægyptum:scientes scietis quod obtestatus sum vobis hodie [a] quia decepistis animis vestris:vos enim misistis me ad † Dominum Deum vestrum: dicentes,ora pro nobis ad Dominum Deum nostrum:& iuxta omnia quæcunque dixerit tibi Dominus Deus noster, sic annuntia nobis,& faciemus. Et annuntiaui vobis hodie,& non audistis vocem Domini Dei vestri super vniuersis, pro quibus misit me ad vos. Nunc ergo scientes scietis quòd gladio & fame & peste moriemini in loco ad quem voluistis intrare,vt habitaretis ibi.

SCHOLIA.

[a] Quia decepistis animis vestris.] *Hoc est,ore aliud locuti estis ad me,quàm fuerit in animo vestro:verbis enim pollicitis estis obedientiam,cum rebellionem in animo meditaremini.*

CAPVT XLIII.

FActum est autem, cum complesset Ieremias loquens ad populum vniuersos sermones Domini Dei eorum, pro quibus miserat eum Dominus Deus eorum ad illos, omnia verba hæc:dixit Azarias filius Osaiæ,& Iohanam filius Caree, & omnes viri superbi, dicentes ad Ieremiam, Mendacium tu loqueris:non misit te Dominus Deus noster,dicens, Ne ingrediamini Ægyptum,vt habitetis illic. Sed Baruch filius Nerię incitat te aduersum nos,vt tradat nos in manus Chaldæorum, vt interficiat nos,& traduci faciat in Babylonem.Et non audiuit Iohanan filius Caree,& omnes principes bellatorũ, & vniuersus populus, vocem Domini,vt manerent in terra Iuda:sed tollens Iohanan filius Caree,& vniuersi principes bellatorũ vniuersos reliquiarum Iuda,qui reuersi fuerant de cunctis gentibus,ad quas fuerant ante dispersi,vt habitarẽt in terra Iuda:viros & mulieres,& paruulos,& filias regis: & omnem animam quã reliquerat Nabuzardan princeps militiæ cũ Godolia filio Ahicã,filij Saphan:& Ieremiã prophetã, & Baruch filiũ Neriæ: & ingressi sunt in terrã Ægypti,quia nõ obedierunt voci Dñi. Et venerũt vsq; ad Taphnis. Et factus est sermo Dñi ad Ieremiam in Taphnis,dicens,Sume tibi lapides grandes in manu tua,& abscõdes eos [a] in crypta, lateritia in porta domus Pharaonis in Taphnis: cernentibus viris Iudæis? Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, Ecce, ego mittam,& assumam Nabuchodonosor regem Babylonis seruum meum: [b] & ponam thronum eius super lapides istos quos abscondi,& statuet solium suũ super eos. Veniensque percutiet terram Aegypti: quos in mortẽ,in mortẽ: & quos in captiuitatem,in captiuitatem: & quos in gladium,in gladium. Et succendet ignem in delubris deorum Ægypti,& comburet ea,& captiuos ducet illos: [c] & amicietur terra Ægypti,sicut amicitur pastor pallio suo:& egredietur inde in pace.Et conteret statuas domus solis, quæ sunt in terra Ægypti:& delubra deorum Ægypti comburet igni.

SCHOLIA.

[a] In crypta lateritia.] *Vel,in luto laterificinæ. Aegyptus luto abundat propter inundantiam Nili,ex eo lateres fiunt, hinc & πλούσιον nomen habet:videtur ergo sic innuere. Vos fugistis in Aegyptum luto abundantem,& non animaduertitis quantum patres vestri olim oppressi fuerint in faciendo ex luto lateres,quòd fornax fuit ferrea, et ibi iam tutos vos speratis fore.* [b] Et ponam thronum eius super lapides.] *Quidam putant prophetam ob hanc prophetiam à Iudæis lapidibus obrutum,quia de lapidibus dixerat:& est in ea sententia Hieron. alicubi:sed caput 46. contrarium ostendit.* [c] Et amicietur terra Ægypti.] *Hoc est,prædabitur hostis,& omnia illius secum auferet,sicut pastor, qui nihil habet*

habet præter pallium,quod vbi abiens induerit,nihil illic,vnde abit,suũ relinquit. Sic ergo dicitur fore vt hostis amicietur, & tanquam induatur terra Aegypti.

CAPVT XLIIII.

A VErbum quod factum est ad Ieremiam,ad omnes Iudæos qui habitant in terra Ægypti, habitantes in Magdalo,& in Thaphnis,& in Memphis,& in terra Phathures, dicẽs, Hæc dicit Dominus exercituũ Deus Israel. Vos vidistis omne malum istud quod adduxi super Ierusalem, & super omnes vrbes Iudæ:& ecce desertæ sunt hodie,& non est in eis habitator: propter malitiam quam fecerunt, vt me ad iracundiam prouocarent,& irent, & sacrificarent, & colerent deos alienos quos nesciebant: & illi & vos & patres vestri.Et misi ad vos omnes seruos meos prophetas de nocte consurgens,mittensq;,& dicens,Nolite,oro,facere verbum abominationis huiusce modi quam odiui.Et non audierunt,nec inclinauerunt aurem suam vt conuerterentur à malis suis,& non sacrificarent dijs alienis.Et conflata est indignatio mea & furor meus: & B succensa est in ciuitatibus Iuda,& in plateis Ierusalem: & versæ sunt in solitudinem & vastitatem secundum diem hanc.Et nunc hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel.[a] Quare vos facitis malum grande hoc contra animas vestras:vt intereat ex vobis vir & mulier,paruulus & lactens de medio Iudæ, nec relinquatur vobis quicquam residuum:prouocantes me in operibus manuum vestrarum, sacrificando dijs alienis in terra Ægypti,in quã ingressi estis vt habitetis ibi:& dispereatis, & sitis in maledictionem & in opprobrium cunctis gentibus terræ? Nũquid obliti estis mala patrum vestrorum,& mala regum Iuda, & mala vxorum eius, & mala vestra,& mala vxorum vestrarum,quæ fecerunt in terra Iuda & in regionibus Ierusalem? Non sunt C mundati vsq; ad diem hanc:& non timuerunt,& non ambulauerunt in lege Domini, & in præceptis meis, quæ dedi coràm vobis & coràm patribus vestris.Ideò hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, Ecce ego Amos 9.b ponam faciem meam in vobis in malum:& disperdam omnem Iudam. Et † absumam reliquias Iudæ, qui posuerunt facies suas vt ingrederentur terrã Ægypti,& habitarent ibi:& consumentur omnes in terra Ægypti:cadent in gladio,& in fame:& consumentur à minimo vsq; ad maximum, in fame & in gladio morientur:& erunt in iusiurandum & in miraculum,& in maledictionem & in opprobrium. Et visitabo super habitatores terræ Ægypti,sicut visitaui Ierusalem in gladio,& fame,& peste.Et non erit qui effugiat, & sit resi- D duus de reliquijs Iudæorum qui vadunt vt peregrinentur in terra Ægypti:& reuertantur in terram Iuda [b] ad quam ipsi eleuant animas suas,& reuertantur & habitent ibi:non reuertentur [c] nisi qui fugerint. Responderunt autem Ieremiæ omnes viri scientes quòd sacrificarent vxores eorum dijs alienis: & vniuersæ mulieres quarum stabat multitudo grandis:& omnis populus habitãtium in terra Ægypti in Phathures,dicentes,Sermonem quem locutus es ad nos in nomine Domini nõ audiemus ex te:sed faciẽtes faciemus omne verbum quod egredietur de ore nostro,[d] vt sacrificemus reginæ cœli,& libemus ei libamina,sicut fecimus nos & patres nostri,reges nostri,& principes nostri in vrbibus Iuda,& in plateis Ierusalem:& saturati sumus panibus & bene nobis erat,malumq; non vidimus.Ex eo autem tempore quo cessauimus sacrificare reginæ cœli, & E libare ei libamina,indiguimus omnibus,& gladio & fame consumpti sumus. Quòd si nos sacrificamus re- Supr.7.d ginæ cœli,& libamus ei libamina:nunquid sine viris nostris facimus ei placentas ad colendum eam, & libãdum ei libamina? Et dixit Ieremias ad omnem populum,aduersum viros, & aduersum mulieres, & aduersum vniuersam plebem,qui responderant ei verbum,dicens,Nunquid non sacrificium quod sacrificastis in ciuitatibus Iuda & in plateis Ierusalem vos & patres vestri, reges vestri & principes vestri & populus terræ, horum recordatus est Dominus,& ascendit super cor eius? Et non poterat Dominus vltrà portare propter malitiam studiorum vestrorum,& propter abominationes quas fecistis:& facta est terra vestra in desolationem,& stuporem & in maledictum,† vt non sit habitator, sicut est dies hæc. Propterea quòd sacrificaueritis F idolis,& peccaueritis Domino:& non audieritis vocem Domini, & in lege & in præceptis & in testimonijs eius non ambulaueritis:iccirco euenerunt vobis mala hæc,sicut est dies hæc.Dixit autem Ieremias ad omnẽ populum & ad vniuersas mulieres. Audite verbum Domini omnis Iuda,qui estis in terra Ægypti.Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel,dicens,Vos,& vxores vestræ locuti estis ore vestro,& manibus vestris implestis,dicentes,Faciamus vota nostra quæ vouimus, vt sacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina. Implestis vota vestra,& opere perpetrastis ea.Idcò audite verbũ Dñi omnis Iuda,qui habitatis in terra Ægypti,Ecce ego iuraui in nomine meo magno,ait Dominus:quòd nequaquam vltrà vocabitur nomen meum G ex ore omnis viri Iudæi,dicentis,Viuit Dominus,Deus,in omni terra Ægypti. Ecce ego vigilabo super eos in malum,& non in bonum:& consumentur omnes viri Iuda, qui sunt in terra Ægypti, gladio & fame,donec penitus consumantur.Et qui fugerint gladium,reuertentur de terra Ægypti in terram Iuda viri pauci:et scient oẽs reliquiæ Iuda ingredientium terram Ægypti,vt habitent ibi,cuius sermo cõpleatur,meus,an illorum? [e] Et hoc vobis signum,ait Dominus,quòd visitem ego super vos in loco isto:vt sciatis quod verè complebuntur sermones mei contra vos in malum. Hæc dicit Dominus, Ecce ego tradam Pharaonem Ephree regem Ægypti in manus inimicorum eius,& in manus quærentium animam illius:sicut tradidi Sedechiam regem Iuda in manu Nabuchodonosor regis Babylonis inimici sui,& quærentis animam eius.

SCHOLIA.

[a] Quare vos feciſtis malum hoc grande?] *Prohibuit Deus tantopere Iudæis,ne ingrederentur Aegyptum, non ob aliam causam quàm ne fierent socij peccatorum Aegypti,id quod illis illico accidit.Facti sunt enim statim idololatræ, relinquentes Dei veri cultum.Alij hoc permittebant vxoribus suis.* [b] Ad quam ipsi eleuant animas suas.] *Hoc est,sperãt se redituros.* [c] Nisi qui fugerint.] *Hoc est,nisi paucissimi, quos Deus seruabit ab his malis.* [d] Vt sacrificemus reginæ cœli.] *sunt qui putent solem,qui Hebræis in fœminino genere ferè vsurpatur. Ionathas ait,Stellam cœli esse. Alij dicunt Stellam quandam insignem sic vocatam,quòd quasi regina sit inter alia sydera. Quidam vertit, machinæ cœli.* [e] Et hoc

vobis

vobis signum.] *Quòd rex dabitur in manu Nabuchodonosor, sicut & factum est postea, de quo apud Iosephum libro 10. cap. 11. Quinto anno captiuitatis Hierosolymorum, qui est tertius et vigesimus regni Nabuchodonosor, castra metatus est idem Nabuchodonosor in inferiore parte Syriæ, eamq; armis infestans, expugnauit Moabitas, & Ammonitas: cumque subegisset has gentes, perrexit in Aegyptum, eamque similiter vastauit, & regem qui tunc ibi erat, occidit, alioque substituto, denuo Iudæos, captiuos duxit Babylonem.*

CAPVT XLV.

VErbum quod locutus est Ieremias propheta ad Baruch filium Neriæ, cum scripsisset verba hæc in libro ex ore Ieremię, anno quarto Ioacim filij Iosię regis Iuda, dicens, Hęc dicit Dominus Deus Israel ad te Baruch, Dixisti, Væ misero mihi, quoniam addidit Dominus dolorem dolori meo: laboraui in gemitu meo, & requiem non inueni. Hæc dicit Dominus, Sic dices ad eum, Ecce quos ędificaui, ego destruo: & quos plantaui, ego euello, & vniuersam terram hanc. [a] Et tu quæris tibi grandia? noli quærere: quia ecce ego adducam malum super omnem carnẽ, ait Dominus: & dabo tibi animam tuam in salutem in omnibus locis ad quæcunq; perrexeris.

SCHOLIA.

[a] Et tu quæris tibi grandia.] *Fuit Baruch Hieremiæ prophetæ discipulus, anxius et mœstus pro populo suo, quem audiebat ad interitum destinatum, sed accepit à Domino huiusce modi consolationem. Ego Dominus facio quod volo, & destruo terram propter peccata inhabitantis populi. Et tu quidem rogas vt mutem sententiam meam, cum tu magis assentiri debeas voluntati meæ. Contentus esto, quòd anima tua inter tot pereũtes eripitur, quasi spolium, nam quod interpres vertit, & hic & aliquot locis, in salutem, in Heb. est in spolium.*

CAPVT XLVI.

QVod factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam [a] contra gentes ad Ægyptum aduersum exercitũ Pharaonis Nechao regis Ægypti, qui erat iuxta fluuium Euphráten in Charcamis, quem percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, in quarto anno Ioacim filij Iosiæ regis Iuda. [b] Præparate scutum & clypeum, & procedite ad bellum: iungite equos & ascẽdite equites: state in galeis, polite lanceas, induite vos loricis. [c] Quid igitur? vidi ipsos pauidos & terga vertentes, fortes eorum cæsos: fugerunt conciti, nec respexerunt: terror vndiq;, ait Dominus, [d] Non fugiat velox, nec saluari se putet fortis: ad aquilonem iuxta flumen Euphráten victi sunt, & ruerunt. Quis est iste, qui quasi flumen ascendit: & veluti fluuiorum intumescunt gurgites eius? Ægyptus fluminis instar ascendet, & velut flumina mouebuntur fluctus eius: & dicet, Ascendens operiam terram: perdam ciuitatem, & habitatores eius. Ascendite equos, & † insanite in curribus, & procedant [e] fortes, Æthiopia & Libyes tenentes scutum, & Lydij arripientes, & iacientes sagittas. Dies autem ille Domini Dei exercituum dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis: deuorabit gladius & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum: victima enim Domini Dei exercituum in terra aquilonis iuxta flumen Euphráten. Ascende in Galaad, & [f] tolle resinã virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina, sanitas non erit tibi. Audierunt gentes ignominiam tuam, & vlulatus tuus repleuit terram: quia [g] fortis impegit in fortem, ambo pariter conciderunt. Verbum quod locutus est Dominus ad Ieremiam prophetam, super eò quòd venturus esset Nabuchodonosor rex Babylonis, & [h] percussurus terram Ægypti. Annuntiate Ægypto, & auditũ facite in Magdalo, & resonet in Memphis, & in Taphnis: dicite, Sta, & præpara te: quia deuorabit gladius ea quæ per circuitum tuum sunt. Quare computruit fortis tuus? non stetit: quoniam Dominus subuertit eum. Multiplicauit ruentes, ceciditq; vir ad proximum suum: & dicent, [i] Surge & reuertamur ad populum nostrum, & ad terrã natiuitatis nostræ à facie gladij † vastantis. [k] Clamauerunt ibi: Pharaõ rex Ægypti potens, præterire permisit tẽpus. Viuo ego, inquit rex Dominus exercituum nomen eius: quòd [l] sicut Thabor in montibus, & sicut Carmelus in mare, veniet. Vasa transmigrationis fac tibi habitatrix filia Ægypti: quia Memphis in solitudine erit, & deseretur, & inhabitabilis erit. [m] Vitula elegans atq; formosa Ægyptus stimulator ab aquilone veniet ei. Mercenarij quoq; eius qui versabantur in medio eius, quasi vituli saginati versi sunt, et fugerunt simul, nec stare potuerunt: quia dies interfectionis eorum venit super eos, tempus visitationis eorum. [n] Vox eius quasi † serpentis incedet: quoniam cum exercitu properabunt, & cum securibus venient ei, quasi cędentes ligna. Succiderunt saltum eius, ait Dominus, qui suppurari non potest: multiplicati sunt super locustas, & non est eis numerus. Confusa est filia Ægypti, & tradita in manus populi aquilonis. Dixit Dominus exercituum Deus Israel, Ecce ego visitabo [o] super tumultum Alexandriæ, & super Pharaonem, & super Ægyptum, & super deos eius, & super reges eius: & super Pharaonem, & super eos qui confidunt in eo. Et dabo eos in manus quærentium animam eorum, & in manus Nabuchodonosor regis Babylonis, & in manus seruorum eius: & [p] post hæc habitabitur sicut diebus pristinis, ait Dominus. Et [q] tu ne timeas serue meus Iacob, & ne paueas Israel: quia ecce ego saluum te faciam de longinquo, & semen tuum de terra captiuitatis suæ: & reuertetur Iacob, & requiescet, & prosperabitur, & non erit qui exterreat eum. Et tu noli timere serue meus Iacob, ait Dominus: quia tecum ego sum, quia ego consumam cunctas gentes ad quas eieci te: te verò non consumam, sed castigabo te in iudicio, nec quasi innocenti parcam tibi.

SCHOLIA.

[a] Contra gentes.] *Dictum fuerat Hieremiæ, Ecce constitui te super gentes & regna &c. Sed primum ostendit quæ Iudææ terræ euentura erant. Iudicium enim à domo Dei incipit. Nũc memorat gentes, quæ in circuitu eius sunt. Aegyptus ad meridiem occidentalem sita est, Palestina ad occidentem meridionalem. Moab ad orientem meridionalem. Ammon ad orientem septentrionalem. Edom vltrà Moab ad orientem meridionalem. Damascus ad septentrionem occidentalem. Asor ad septentrionem orientalem. Babylon & Elam vltrà Damascum, Asor ad orientem aquilonarem. Contra hæc nouem*

uem regna prophetat, primum autem prophetat contra Aegyptum, eò quòd rex Aegypti occiderat iustissimum regem Iudæ Iosiam, & his indicat flagellatos Aegyptios, primum extra suam terrã iuxta Carcamis ciuitatem regnante in Iuda Ioacim, & deinde post subuersam Ierusalem. Historiam Iosephus in hunc modũ recensет. Iosia pacificè agente, Necao rex Aegypti regnare cupiens in Asia, & accersitus ab Assyrijs, qui Babylonios nouos dominos agnoscebant, principio valde feliciter belligerabat: obsistentem enim Iosiam in bello vulnerauit, & ad Euphraten vsque peruenit. In Antiochia Ioachum rege Iudæorum vincto, Ioachin regem fecit tributarium. Porrò post aliquot annos Nabuchodonosor contra Necao regem Aegypti, cui vniuersa Syria parebat, exercitum mouit, & victor euasit, de quo bello præsens prophetia loquitur. Necao cum multis millibus perijt, & obtinuit rex Nabuchodonosor anno regni sui quarto omnem Syriam vsque ad Pelusium præter Iudæam, cui tamen & Ioacham sibi timens anno regni octauo tributarius factus est. [b] Præparate scutum.] *Alloquitur Aegyptiorum exercitum per irrisionem, quasi dicat, inanis ille omnis apparatus erit. Sic & Esa. Congregamini, & vincemini.*

[c] Quid igitur.] *Quid hoc (inquit) rei est? Vt tam instructi milites turpiter fugiant? Vsque ad Euphraten (inquit Dominus) permittetur Aegyptus ascendere, sed ipsi impingent, fugient, cadent.* [d] Non fugiat velox.] *Hoc est, non conetur frustra sperans posse se celeritate euadere.* [e] Fortes Æthiopiæ & Libiæ.] *Quamuis & conductitios (inquit) milites in exercitu habeatis ex Aethiopia, & Lybia, & Lydia, qui arte sagittandi multum valeant, miserè tamen cadetis.* [f] Tolle resinam.] *Frustra, inquit, ibis in Galaad pro comparanda resina, quæ multa est in Galaad. Tanta enim erit strages in tuo exercitu, vt nulla medicina iuuare possit, hoc est, omnia bellica præsidia te liberare non poterunt ab illa cæde.* [g] Fortis impegit in fortem.] *Ita gentes Deus inter se collideret solet, suis ipsorum viribus nimium confidẽtes.* [h] Percussus terram Ægypti.] *Describit hic propheta alteram cædem Aegypti, quæ contigit in Aegypto, postquam Iudæi in Aegyptum ingressi sunt.* [i] Surge & reuertamur.] *Alienigenæ, quorum in Aegyptũ magna multitudo propter abundantiam frugum confluxerat, cum suis in regionibus fames inualuisset, ij cladem Aegypti videntes, se mutuo cohortabãtur, vt quisque ad suam terram redeat.* [k] Clamauerunt ibi.] *Hoc est, in Aegypto. Et quod sequitur. Pharao rex Aegypti potens, alij verterunt. Rex tumultus, vt sit sensus. Vocabunt Pharaonem regem tumultus, & non ordinati exercitus, quia conflictum pugnæ tempus, quod cum rege Babel inijt, præterierit. Et cum hostem ad pugnam lacesseret, pro imperatore salutatus est rex tumultus.*

[l] Sicut Thabor.] *Sicut Thabor mons venationibus infestatur, & sicut è Carmelo ligna excidiuntur ad faciendas naues, sic veniet hostis, vt vastet Aegyptios, & abducat eos.* [m] Vitula elegans.] *Vocatur Aegyptus vitula pulchra, quòd impinguata lasciuiret in locis pascuosis, vna cum mercenarijs, hoc est, conductitijs militibus, qui magis ad delitias, quam ad militiã hic referuntur enutriti, atque ideo impendente exitio fugerunt.* [n] Vox eius.] *Vox hostis tanquam flatus serpentis omnia insequentis. Alij referunt ad Aegyptios, vt dicat, Vox Aegypti, & eiulatus eius procedet in loginquum, sicut vox serpentis.* [o] Super tumultum Alexandriæ.] *Alius vertit, Vulgus, De hac autem Aegypti vastatione habentur explicationes Ezechielis vigesimo nono.* [p] Post hæc habitabitur.] *Post annos quadraginta, cæterum in pristinam dignitatem nunquam restituta est.* [q] Et tu ne timeas.] *Ponit discrimen inter pœnas ethnicorum & fidelium. Gentibus enim nulla est spes salutis sicut fidelibus. Et hoc ad regnum Christi pertinet.*

CAPVT XLVII.

A QVod factum est verbum Domini ad Ieremiam prophetam contra Palæsthinos, antequam percuteret Pharao Gazam, Hæc dicit Dominus, Ecce aquæ ascendunt ab aquilone, & erunt quasi torrẽs
B inundans: & operient terram & plenitudinẽ eius, vrbem & habitatores eius, Clamabunt homines, & vlulabunt omnes habitatores terræ à voce & strepitu vngularum, & bellatorum eius, à commotione quadrigarum eius, & multitudine rotarum illius. Non respexerunt patres filios manibus dissolu-
C tis, † ob aduentum diei in quo vastabũtur omnes Philisthijm, & disipabitur Tyrus & Sidon cum omnibus reliquis auxilijs suis: depopulatus est enim Dominus Palæsthinos, [b] reliquias Insulæ Capadociæ. Venit caluitium super Gazam: † perijt Ascalon, & reliquiæ vallis earum. [c] Vsquequo concideris? O mucro Domini,
D vsquequo non quiesces? ingredere in vaginam tuam: refrigerare, & sile. Quomodo quiescet, cum Dominus præceperit ei aduersus Ascalonem, & aduersum [d] maritimas eius regiones, ibiq; condixerit illi?

SCHOLIA.

[a] Quod factum est.] *Dicta est prophetia hæc decimo anno Sedechiæ, cum Pharao et Aegyptij irent ad pugnandum contra Chaldæos tum tum obsidentes Ierusalem, qui cum rumorem aduentũtum Aegyptiorum audiuissent, intermissa obsidione, vim belli in illos direxerunt. Tunc Pharao Gaza Palestinorum metropoli deuastata domum reduxit exercitum. Dicit ergo, Aegyptij quidem terram afflixerunt. Babylonij verò mundabunt.* [b] Reliquias Insulæ Cappadociæ.] *Vt sint nõ illi Cappadoces, de quibus Histor ici, sed in finibus Palæstinorum, vt ex hoc loco manifestè arguitur. Cappadoces enim circa Pamphiliam ad mare Euxinum vltrà Armeniam maiorem habitat.* [c] Vsquequo concideris.] *Delacerabis te vnguibus.* [d] Maritimas eius regiones.] *Vt erat Ioppe.*

CAPVT XLVIII.

A [a] D Moab. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel, Væ super Nabo, quoniam vastata est, & confusa: capta est Cariathàim: confusa est fortis, & tremuit. Non est vltrà exultatio in Moab: contra Hesebon cogitauerunt malum. Venite, & disperdamus eã de gente. † Et tu Madmen peribis, sequeturq; te gladius. Vox clamoris de Oronáim: vastitas, & contritio magna. [b] Contrita est Moab: annuntiate clamorẽ paruulis eius. [c] Per ascensum enim Luith plorans ascẽdet in fletu: quoniam in descensu Oronáim hostes vlulatum contritionis audierunt. Fugite, saluate animas vestras: & eritis [d] quasi myricæ in deserto. Pro eò enim
B quòd habuisti fiduciam in munitionibus tuis & in thesauris tuis, tu quoq; capieris: & ibit Chamos in transmigrationẽ, sacerdotes eius, & principes eius simul. Et veniet prædo ad omnem vrbem, & vrbs nulla saluabitur: & peribunt valles, & disipabuntur campestria, quoniam dixit Dominus, Date † alas Moab, quia † volans egredietur: & ciuitates eius desertæ erunt, & inhabitabiles. [e] Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter: & maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Fertilis fuit Moab ab adolescentia sua, & [f] requicuit

Supr. 17.2

quieuit in fęcibus suis:nec transfusus est de vase in vas, & in transmigrationem non abijt: iccirco permansit
gustus eius in eo,& odor eius non est immutatus. Propterea ecce dies veniunt, dicit Dominus:& mittam ei
5.Re.12.g † qui in exilium abducat illam:& vasa eius exhaurient,& lagunculas eorum collident. Et cõfundetur Moab
Isa.16.b à Chamos,sicut confusa est domus Israel g à Bethel,in qua habebat fiduciã. Quomodo dicitis. Fortes sumus,
& viri robusti ad præliandum ? Vastata est Moab, & ciuitates illius † abierunt:& electi iuuenes eius descẽde- C
runt in occisionem:ait rex,Dominus exercituum nomẽ eius. Propè est interitus Moab, vt veniat:& malum
eius velociter accurret nimis. Consolamini eum omnes qui estis in circuitu eius, & vniuersi qui scitis nomẽ
eius:dicite,Quomodo confracta est virga fortis,baculus glorioſus ? Descende de gloria, & h sede in siti habi-
tatio filiæ Dibon:quoniam vastator Moab ascendet ad te,dissipabit munitiones tuas. In via sta, & prospice
i habitatio Aroer:interroga fugientem,& ei,qui euasit,dic, Quid accidit ? Confusus est Moab,quoniam vi-
ctus est:vlulate,& clamate,annuntiate in Arnon quoniam vastata est Moab. Et iudicium venit ad terram cã-
pestrem:super Helon,& super Iasa,& super Mephaath,& super Dibon,& super Nabo, & super domum De- D
blathaim,& super Cariathaim,& super Bethgamul,& super Bethmaon,& super Carioth, & super Bosra: &
super omnes ciuitates terræ Moab,quæ longè & propè sunt. Abscisum est cornu Moab:& brachiũ eius con-
tritum est,ait Dominus. k Inebriate eum,quoniam contra Dominum erectus est:& † volutatus est Moab in
vomitu suo,& erit in derisum etiam ipse:fuit enim l in derisum tibi Israel:quasi inter fures reperisses eũ:pro-
pter verba ergo tua,quæ aduersum illum locutus es,captiuus duceris. Relinquite ciuitates, & habitate in pe-
tra habitatores Moab:& estote quasi columba nidificans in summo ore foraminis. Audiuimus superbiam
Moab,superbus est valde:sublimitatem eius,& arrogantiam,& superbiam,& altitudinem cordis eius. Ego E
scio,ait Dominus,iactantiam eius: m & quòd non sit iuxta eam virtus eius, nec iuxta quod poterat conata sit
facere. Ideò super Moab eiulabo,& ad Moab vniuersam clamabo, ad viros † Circhires n submissa voce lo-
quetur. o Planctu Iazer plorabo tibi vinea Sabama:propagines tuę transierunt mare,vsq; ad mare Iazer per-
Isa.16.e uenerunt:super messem tuam:& vindemiam tuam prædo irruit. Ablata est lætitia & exultatio p de Carmelo
& de terra Moab:& vinum de torcularibus sustuli:nequaquam calcator vuæ solutum celeuma cantabit. De
clamore Hesebon vsq; Eleale & Iaaz,dederunt vocem suam : à Segor vsq; ad Oronaim q vitulam † trimam:
aquæ quoq; Nemrim in desolationem erunt. Et auferam de Moab, ait Dominus,offerentem in excelsis,& F
Isa.15.a sacrificantem dijs eius. Propterea cor meum ad Moab quasi tibia resonabit:& cor meum ad viros † Circhi-
Eze.7.e res dabit sonitum tibiarum:† quicquid enim coacernauerat,perijt. Omne enim caput caluitium , & omnis
barba rasa erit:in cunctis manibus colligatio,& super omne dorsum cilicium. Et super omnia tecta Moab,
& in plateis eius omnis planctus:quoniam cõtriui Moab sicut vas inutile,ait Dominus. Quomodo victa est,
& vlulauerunt ? quomodo deiecit ceruicem Moab,& confusus est ? eritq; Moab in derisum , & in cõfractio-
nem omnibus in circuitu suo. Hæc dicit Dominus. Ecce quasi aquila volabit, & extendet alas suas ad Moab.
Capta est Carioth,& munitiones comprehensæ sunt : & erit cor fortium Moab in die illa,sicut cor mulieris G
parturientis. Et cessabit Moab esse populus : quoniam contra Dominum gloriatus est. Pauor & fouea & la-
Isa.24.c queus super te ò habitator Moab,ait Dominus. Qui fugerit à facie pauoris,cadet in foueam : & qui conscen-
derit de fouea,capietur laqueo : adducam enim super Moab annum visitationis eorum , ait Dominus. r In
vmbra Hesebon steterunt vim fugientes:quia ignis egressus est de Hesebon,& flamma de medio Sion:& de-
uorabit partẽ Moab,& verticẽ filiorũ tumultus. Væ tibi Moab,peristi populе Chamos:quia cõprehensi sunt
filij tui,& filię tuę in captiuitatem. Et s conuertam captiuitatem Moab in nouissimis diebus ait Dominus.
Hucusq; iudicia Moab.

SCHOLIA.

a Ad Moab.] *Moabitas pluribus scommatis insectatur, apud Esaiam pleraque, vt hic, ferè ijsdem verbis dicitur, nam propheta Esaias ostendit quomodo ab Assyrys, hic docet quomodo à Babylonijs sint depopulandi. Fuit autem populus Moabiti eus præ cæteris regnis superbus, & magnificus: & ridebat, quando cæteris nationibus calamitates à Deo immittebãtur, ideo Dominus denuntiat ei per totum istud cap. interitum & eliminationem.* b Contrita est Moab.] *Capitur hic Moab, non pro gente, sed pro ciuitate, quam putant Ariopolim fuisse.* c Per ascensum enim Luith.] *Et ipsa, inquit, in itinere habet ascensum in fletu ad Assyrios, & dum audiunt ea ij, qui habitabant Horonam, fugerunt & liberauerũt animas.* d Quasi myricæ.] *Quæ scilicet præsiti arescunt.* e Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter.] *Opus Domini erat, eliminare & deuastare Moabitas, & qui hoc negocium negligenter agebant, maledicebantur.* f Requieuit in fęcibus suis.] *Sumpta est metaphora à vino. Nunquam (inquit) fuit Moab eiectus suis sedibus, ideo præditus fuit multa opulentia, sicut vinum gustum natiuum retinet quandiu cum facibus manet.* g A Bethel.] *Vbi scilicet coluerunt idola.* h Sede in siti.] *Hoc est, in captiuitate, vbi sitim, famem, & omnium bonorum defectum sustinebis.* i Habitatio Aroer.] *Hoc est, omnes accolæ fluminis Arnon, qui ad vrbem Aroer pertinent. Deut. ij.* k Inebriate eum.] *Abutitur, inquit, prouentibus terræ, ergo inebriate eum poculo iræ meæ, ita vt prolapsus corpore suo, terram veluti complodat cõspersam vomitione. Vbi autem nos vertimus, volutatus est, transtulimus sensum. In Heb. est. Et complosit Moab.* l In derisum tibi Israel.] *Tibi ò Moab Israel fuit in derisum.* m Eò quòd non sit iuxta eam.] *Scilicet iactantiam, vires eius, inquit, non respondent iactantiæ eius. Nec iuxta quod poterat, sed plusquam poterat, conata est facere.* n Submissa voce loquetur.] *In Heb. est, meditabitur, hoc est, mussitabit, vt eiulantes faciunt.* o Planctu Iazer.] *Mouebit, inquit, me amarus planctus Iazer, quod etiam propter te flebo, cum eadem afflictio tibi ventura sit, quæ Iazer accidit. Nam vitis tua, hoc est, populus tuus, transmigrabit, &c.* p De Carmelo.] *Hoc est, de locis pascuis.* q Vitulam trimam.] *Comparatur Moab vitulæ triennali ob voluptuosam vitam, in qua vixerat.* r In vmbra Hesebon.] *Præsidio ciuitatis Hesebon satis fidebant, at inde excitata ira regis, & ciuitatem exussit, & perdidit ipsos etiam principes. Quod vero ait. Sion, non est illa ciuitas Dauid, nam diuersis literis*

teris in Hebræo scribitur. s Conuertam captiuitatem Moab.] *Habet promissionem & Moab, quia ex Ruth Christus descendit. Hic locus notabilis est super vocatione gentium, quia Moab impius in extremis diebus reuertetur.*

CAPVT XLIX.

A a D filios Ammon. Hæc dicit Dominus, Nunquid non filij sunt Israel ? aut hæres non est ei ? Cur igi
tur hæreditate possedit † rex eorum , Gad : & populus eius in vrbibus eius habitauit ? Ideò ecce dies
veniunt, dicit Dominus:& auditum faciam b super Rabbath filiorum Ammon fremitum prælij : &
erit in tumulum dissipata, filiæq; eius igne succendentur,& possidebit Israel possessores suos , ait Dominus.
Vlula Hesebon, quoniam c vastata est Hai, clamate filiæ Rabbath, accingite vos cilicijs: plangite,& d circuite
per sepes: quoniam † rex eorum in trãsmigrationem ducetur, sacerdotes eius,& principes eius simul. e Quid
gloriaris in vallibus ? Defluxit vallis tua filia auersatrix: quæ confidebas in thesauris tuis,& dicebas , Quis ve-
B niet ad me ? Ecce egò inducam super te terroré, ait Dominus Deus exercituum, ab omnibus qui sunt in cir-
cuitu tuo:& dispergemini f singuli à conspectu vestro, nec erit qui congreget fugientes. Et post hæc g reuerti
faciam † captiuitatem filiorum Ammon , ait Dominus h ad Idumeam . Hæc dicit Dominus exercituum.
Nunquid non vltrà est i sapientia in Theman ? Perijt consilium à filijs: inutilis facta est sapiẽtia eorum. k Fu-
gite,& terga vertite, descendite in voraginem habitatores Dedan : quoniam perditionem Esau adduxi super
eum, tempus visitationis eius. Si vindemiatores venissent super te, l non reliquissent racemum ? si fures in no
cte, rapuissent quod sufficeret sibi. Ego verò discooperui Esau, reuelaui abscondita eius , & cœlari non pote-
C rit: vastatum est semen eius,& fratres eius, & vicini eius, & non erit. m Relinque pupillos tuos , ego faciã eos
viuere,& viduæ tuæ in me sperabunt. Quia hæc dicit Dominus , n Ecce quibus non erat iudicium vt biberẽt
calicem, bibentes bibent:& tu quasi innocens relinqueris ? Non eris innocens , sed bibens bibes . Quia per Abd.1.a
memetipsum iuraui, dicit Dominus, quòd in solitudinem,& in opprobrium , & in desertum , & in maledi-
ctionem erit Bosra:& omnes ciuitates eius eruunt in solitudines sempiternas. Auditum audiui à Domino, &
legatus ad gentes missus est, Congregamini , & venite contra eam , & consurgamus in prælium. Ecce enim
paruulum dedi te in gentibus, contemptibilem inter homines. Arrogantia tua decepit te , & superbia cordis
D tuiqui habitas in † cacuminibus petræ,& apprehendere niteris altitudinem collis: cũ exaltaueris quasi aqui Gene.19.e
la nidum tuum, inde deraham te, dicit Dominus. Et erit Idumæa deserta: omnis qui transibit per eam, stu-
pebit,& sibilabit super omnes plagas eius. Sicut subuersa est Sodoma & Gomorrha,& vicinæ eius, ait Domi
nus: non habitabit ibi vir,& non incolet eam filius hominis. Ecce quasi leo ascendet de o superbia Iordanis Iob.41.a
ad † domum robustam, quia requiem dabo,& currere faciam eum ab illa: & p quis erit electus quem prępo-
nam ei ? quis enim similis mei ? & quis præscribet mihi tempus ? & quis est q iste pastor , qui resistat vultui
meo ? Propterea audite consilium Domini quod inijt de Edom:& cogitationes eius quas cogitauit de habi-
E tatoribus Temam, Si non deiecerint eos r paruuli gregis, nisi dissipauerint cum eis habitaculũ eorum. A vo-
ce ruinę eorum commota est terra: clamor s in mari rubro auditus est vocis eius. Ecce quasi aquila ascendet
& auolabit:& expandet alas suas super Bosram:& erit cor fortium Idumææ in die illa, quasi cor mulieris par
turientis. t Ad Damascum, Confusa est Emath & Arphad: quia auditum pessimum audierunt, u turbati sunt:
in mari, præ solicitudine quiescere non potuit. Dissoluta est Damascus, versa est in fugam, tremor apprehen-
dit eam: angustia & dolores tenuerunt eam, quasi parturientem. x Quomodo non dereliquerunt ciuitatem
laudabilem, vrbem lætitiæ ? Ideò cadent iuuenes eius in plateis eius: & omnes viri prælij conticescent in die
F illa, ait Dominus exercituum. Et succendam ignem in muro Damasci, & deuorabit mœnia Benadad. y Ad
Cedar,& ad regna Asor, quæ percussit Nabuchodonosor rex Babylonis, hæc dicit Dominus, Surgite,& ascẽ-
dite ad Cedar,& vastate z filios orientis. a Tabernacula eorum,& greges eorum capient: pelles eorum,& om-
nia vasa eorum,& camelos eorum tollent sibi: & vocabunt super eos formidinem in circuitu. Fugite, abite
vehementer, in voraginibus sedete qui habitatis Asor, ait Dominus: inijt enim contra vos Nabuchodonosor
rex Babylonis consilium,& cogitauit aduersum vos cogitationes. Consurgite , & ascendite ad gentem quie-
tam,& habitantem confidenter, ait Dominus: non ostia, nec vectes eis: soli habitant. Et erunt cameli eorum
G in direptionem,& multitudo iumentorum in prædam: & dispergam eos in omnem ventum , † ex omnibus
lateribus eius: & ex omni confinio eorum adducam interitum super eos, ait Dominus. Et erit Asor in habi-
taculum draconum, deserta vsq; in æternum: nõ manebit ibi vir, nec incolet eam filius hominis. Quod fa-
ctum est verbum Domini ad Ieremiã prophetam b aduersus Ælam , in principio regni Sedechiæ regis Iuda,
dicens, Hæc dicit Dominus exercituum, Ecce ego cõfringam arcum Ælam,& sumam fortitudinem eorum.
Et inducam super Ælam quatuor ventos à quatuor plagis cœli: & ventilabo eos in omnes ventos istos: & nõ
erit gens, ad quam non perueniant profugi. Ælam. Et pauere faciam Ælam coràm inimicis suis & in cõspe-
ctu quærentium animam eorum: & adducam super eos malum, iram furoris mei, dicit Dominus: & mittam
post eos gladium, donec consumam eos. Et ponam c solium meum in Ælam: & perdam inde reges & princi-
pes, ait Dominus. In nouissimis autem diebus d reuerti faciam captiuos Ælam, dicit Dominus.

SCHOLIA.

a Ad filios Ammon.] *Prior destructa fuit terra Ammon, quàm Moab vel Ægyptus , sed propheta visione transit ab Ægypto vsque ad Babylonem , quod alij prophetæ non obseruant.* b Super Rabbath.] *Hæc fuit metropolis filiorum Ammon, quam Philadelphiam esse putant. Peccauerũt autem Ammonitæ in hoc , quòd supra modum auari occupauerunt hereditatem Israel in Gad & in Galaad: perinde quasi Israel non haberet filios , qui terram illam incolerent. Et quod sequitur. Filiæ eius igne succendentur, intelligitur per filias minora loca, vt suburbia vel villæ.* c Vastata est Hai.] *Duæ sunt Hai, vna circa Hiericunctta in terra Chanaan, alia in terra Ammon, de qua iam agit.* d Circuite per sepes.] *Hoc dicitur, quòd villæ sepibus & non muris, vt ciuitates, cinguntur. Quo Hebraismo vsus est Dominus Lucæ xiiij, vbi ait. Exi in*

vias

Vias & sepes. e Quid gloriaris in vallibus.] *Per valles intellige terram planam, aptam frumento ferendo. Et quod sequitur. Defluxit vallis, quidam interpretatur. Defluxit sanguine occisorũ.* f Singuli in conspectu vestro.] *Vel, vnusquisq; ante faciem suam, hoc est, vnusquisque fugiet quomodo sibi commodum visum fuerit, vel, fugiet ad incertum locum, quocunq; fors illum tulerit.* g Reuerti faciam.] *Christi aduentu, in quo erit benedictio gentiũ.* h Ad Idumæam.] *Idumæi, Arabes sunt ad mare rubrum habitantes in Arabia deserta supra Moabitas: sunt qui hos magis orientales esse ad terram Israel putant. Tota vis prophetiæ adimpleta nondum est, nam in Aedom excidium impiorum planissimè adumbratum est, quod in resurrectione vltima absoluetur.* i Sapientia in Theman.] *Quasi dicat, nihil proderit eis sapientia eorum, cum aduenerit tempus visitationis eorum. Significatur autem hic per Theman meridies, vt quidam dicunt, alij accipiunt per ipsum filium Eliphaz, filij Esau.* k Fugite.] *Alius vertit. Fugite, conuersi sunt, & fundamenta posuerunt habitationis, o habitatores Dedan: vt sit sensus. Fugite, habitatores Dedan, quia conuersi sunt hostes vestri, vt incolant terram vestram vobis expulsis.*

l Nõ reliquissent racemum.] *Vel, rectius, non ne reliquissent racemum? vt sit sensus. Dominum fundius deleturũ Idumæos: nam vindemiatores relinquunt saltem racemos, & fures rapiunt tantum sufficientia sibi, cætera relinquunt: in te autem nihil omnino est relinquendum.* m Relinque pupillos.] *Ex clade (inquit) non erit superstes, qui te saucium, & adhuc spirantem soletur, ac dicat, Securo animo liberos mihi tuos relinque, &c. Alij intelligunt. Dominum polliceri, relinquendos pupillos, orphanos, & viduas, neque negandam clementiam imbecillibus huiusce modi personis. Hos autem ad vnum perituros Abdias testatur, & non erunt reliquiæ domui Esau. Idem orat Dauid, Memor esto Domine filiorum Aedom.* n Ecce quibus non erat iudicium.] *Sensus est. Si Deus populo suo non pepercit, quin illis calicem passionis ebibendum porrexerit, quid de te inimico futurum est? Aut refertur ad alias gentes, quæ ante Aedom interierunt, quibus peccata, quæ in populum Dei commiserunt, non sic imputanda videbantur, sicut tibi, quod tu frater esses, & pro viribus Israeli subsidio esse debuisses. Igitur Bozra metropolis tua vnà cum alijs ciuitatibus tuis in solitudinem redigetur.* o De superbia Iordanis.] *Hostis, inquit, adueniet fremens sicut Leo, & inundans sicut Iordanis plenus. Vel, hostis veniet de magnifica terra Iordanis contra montem Seir, qui hic significatur per domum robustam. Et tunc requiem dabo populo meo ibi detento, & inde currere eum faciam.* p Et quis erit electus?] *Quemcunque inuenero aptum ad bellum, hunc numerabo seu destinabo contra Aedom.*

q Iste pastor.] *Rex Idumæus, nomine enim pastoris apud prophetas sæpe appellatur rex. Et apud poetas ethnicos præsertim Homerũ, vt illud ποιμένα λαῶν. hoc est, pastorem populorum, regem scilicet.* r Paruuli gregis.] *Significantur debiles, per quos Deus tam forte regnum destruxit. Quidam regem Persarum intelligunt, qui de Iapheth minimo natu originem duxerit. Alij de Israele, minore natu quam Esau.* s In mari rubro.] *Meminit maris rubri, quod ex opposito est montis Seir, vt longum internallum intelligas.* t Ad Damascum.] *De hoc Amos, & Esa. 9. ciuitates eius Hemath, quam putant esse Antiochiam & Arphad.* u Turbati sunt in mari.] *Hoc est, sicut qui est in mari: ait alius vertit.* x Quomodo nõ dereliquerunt?] *Quare, inquit, tam celebris ciuitas non est dimissa à pugnatoribus? Quis cogitasset tam gloriosam vrbem bello petendam? Intelligit autem Damascũ.* y Ad Cedar.] *Regio dicta a Cedar, qui vnus ex duodecim principibus Ismaelis fuit, similiter & Cedem oriundus est ex Ismaele, inhabitauerunt Arabiam desertam & Scenitarum regionem, De his & Esaias.* z Filios orientis.] *Quidam Heb. legunt hic filios Cedem, qui fuit de filijs Ismael, sicut & Cedar.* a Taberna cula eorum.] *Gloria enim eorum erat in tabernaculis, gregibus, pellibus & camelis.* b Aduersus Aelam.] *Aelamitæ ab Aelam filio Sem, Persæ sunt iuxta Iosephum, qui se iunxerant Chaldæis & Nabuchodonosor, cum principio deuastarent Iudæam, & Ioacim abducerent, crudeliores erant tunc cæteris. Iudæi putant impletam tunc prophetiam, cum Vasthi destituere gnum regno, & Aman cum filijs periret propter Hester, & Mardochæum. Verum historiæ ostendunt primum Persarum regem fuisse Cyrum, qui et Medis præerat, capitq; rex Persarum dici. Vnde & primi pereunt: deinde enim & Babylonem sibi subiecit, victo Balthasare rege.* c Solium meum.] *Imperium Cyri rectè vocatur solium Domini, qui eum fortunabat, & excitabat.* d Reuerti faciam.] *Nimirum per Christum.*

CAPVT L.

A VErbum quod locutus est Dominus de Babylone, & de terra Chaldæorum in manu Ieremiæ prophetæ, Annuntiate in gentibus, & auditum facite, & a leuate signum: prædicate, & nolite cœlare: dicite, Capta est Babylon, confusus est Bel, victus est Merodach, confusa sunt sculptilia eius, superata sunt idôla eorum. Quoniam ascendit contra eam b gens ab aquilone, quæ ponet terram eius in solitudinem: & non erit, qui habitet in ea, ab homine vsq; ad pecus, & moti sunt & abierunt. In diebus illis, & in tempore illo ait Dominus, venient filij Israel, ipsi & filij Iuda simul: ambulantes & flentes properabũt, & Dominũ Deũ suum quærent. In Sion interrogabunt viam, huc facies eorum: venient, & apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla obliuione delebitur. Grex perditus factus est populus meus: pastores eorum seduxerunt eos: feceruntq; vagari in montibus: de c monte in collem transierunt, obliti sunt cubilis sui. Omnes, B qui inuenerunt, comederunt eos: & hostes eorum dixerunt, Non peccauimus: pro eò quòd peccauerunt Domino decori iustitiæ, & expectationi patrum eorũ Domino. Recedite de medio Babylonis, & de terra Chaldæorum egredimini: & estote d quasi † hirci ante gregem. Quoniam ecce ego suscitabo, & adducam in Babylonem, congregationem gentium magnarum de terra aquilonis: & præparabuntur aduersus eam & inde capietur: sagitta eius quasi viri prudenter agentis, non reuertetur vacua. Et erit Chaldæa in prædam: omnes vastantes eam replebuntur, ait Dominus. Quoniam exultatis, & magna loquimini, diripientes hæreditatem meam: quoniam e effusi estis sicut vituli super hærbam, & mugistis sicut tauri. Cófusa est mater vestra nimis, C & ignominia affecta, quæ genuit vos: ecce nouissima erit in gentibus, & deserta, inuia, & arens. Ab ira Domini non habitabitur: sed redigetur tota in solitudinem. Omnis qui transibit per Babylonem stupebit, & sibilabit super vniuersis plagis eius. Præparamini contra Babylonem per circuitum omnes, qui tenditis arcũ, debellate eam non parcatis iaculis: quia Domino peccauit. Clamate aduersus eam vbiq; , f dedit manũ † suã, ceciderunt fundamenta eius: destructi sunt muri eius, quoniam vltio Domini est. Vltionem accipite de ea: sicut fecit, facite ei. g Disperdite satorem de Babylone, & tenentem falcem in tempore messis à facie gladij † vastantis.

D † vastantis. Vnusquisq; ad populum suum conuertetur, & singuli ad terram suam fugient. Grex dispersus Israel, leones eiecerunt eum. h Primus comedit eum rex Assur: iste nouissimus exossauit eum Nabuchodonosor rex Babylonis. Propterea hęc dicit Dominus exercituum Deus Israel, i Ecce ego visitabo regem Babylonis & terram eius, sicut visitaui regem Assur. Et reducam Israel ad habitaculum suum: & k pascetur Carmelum & Basan: & in monte Ephraim & Galaad saturabitur anima eius. In diebus illis & in tẽpore illo, ait Dominus, l quæretur iniquitas Israel, & non erit: & peccatum Iuda, & non inuenietur: quoniam propitius ero eis quos relinquero. m Super terram † irritantium ascende, & super habitatores eius visita, dissipa, & n interfice † post eos, ait Dominus: & fac iuxta omnia quæ præcepi tibi. Vox belli in terra, & contritio magna. Quomodo confractus est, & contritus malleus vniuersæ terræ? quomodo versa est in desertum o Babylon in gen-
E tibus? Illaqueaui te, & capta es Babylon, & nesciebas: inuenta es & apprehensa: quoniam Dominum prouocasti. Aperuit Dominus thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ: quoniam opus est Domino Deo exercituũ in terra Chaldæorum. Venite ad eam ab extremis finibus: aperite thecas eius, calcate super eam, sicut super manipulos, & interficite eam: nec sit quicquam reliquum. Dissipate vniuersos fortes eius, descendant in occisionem. Væ eis, quia venit dies eorum, tempus visitationis eorum. Vox fugientium, & eorum qui euaserunt de terra Babylonis: vt annuntient in Sion vltionem Domini Dei nostri, vltionem templi eius. p Annuntiate contra Babylonem plurimis omnibus qui tendunt arcum: cõsistite aduersus eam per gyrum, & nullus euadat. Reddite ei secundum opus suum: iuxta omnia quæ fecit facite illi: quia contra Dominum erecta est, aduersum sanctum Israel. Iccircò cadent iuuenes eius in plateis eius: & omnes viri bellatores eius † peribunt in
F die illa, ait Dominus. q Ecce ego ad te superbe, dicit Dominus Deus exercituũ: quia veniet dies tuus tempus visitationis tuæ. Et cadet superbus, & corruet, & non erit qui suscitet eum: & succendam ignem in vrbibus eius, & deuorabit omnia in circuitu eius. Hæc dicit Dominus exercituum, Calumniam sustinent filij Israel & filij Iuda simul: omnes qui ceperunt eos, tenent: nolunt dimittere eos. Redemptor eorum fortis, Dominus exercituum nomen eius: iudicio defendet causam eorum, vt exterreat terram, & commoueat habitatores Babylonis. Gladius ad Chaldęos, ait Dominus: & ad habitatores Babylonis, & ad principes, & ad sapientes eius. Gladius ad diuinos mendaces, qui stulti erunt: gladius ad fortes illius, qui timebunt. Gladius ad equos eius, & ad currus eius, & ad omne vulgus, quod est in medio eius, & erunt quasi mulieres: gladius ad thesauros eius, qui diripientur. r Siccitas super aquas eius erit, & arescent: quia terra sculptilium est, & in portentis gloriantur. Propterea habitabũt dracones cum † vlulis: & habitabũt in ea struthiones: & s non inhabitabitur vltrà
G vsque in sempiternũ: nec extruetur vsq; ad generationẽ & generationem. Sicut subuertit Dñs Sodomam & Gomorrhã, & vicinas eius, ait Dñs: nõ habitabit ibi vir, & nõ incolet eã filius hominis. t Ecce populus veniet Gene. 19. e
ab aquilone: & gens magna, & reges multi consurgent à finibus terræ. Arcum & scutum apprehendent: crudeles sunt & immisericordes: vox eorũ quasi mare sonabit, & super equos ascẽdent: sicut vir paratus ad prælium cõtra te filia Babylõ. Audiuit rex Babylonis famã eorum, & dissolutæ sunt manus eius: angustia apprehendit eum, dolor quasi parturientẽ. u Ecce quasi leo ascẽdet de superbia Iordanis ad † habitationẽ robustã: quia requiẽ dabo & currere faciã eos ab illa: & quis erit electus quem præponã ei? quis est enim similis mei? & quis præscribet mihi tẽpus? & quis est iste pastor, qui resistat vultui meo? Propterea audite cõsilium Do- Iob 41. a
mini quod mente cõcepit aduersum Babylonem: & cogitationes eius quas cogitauit super terram Chaldęorum. Nisi detraxerint eos paruuli gregum, nisi dissipatum fuerit cum ipsis habitaculũ eorum. A voce captiuitatis Babylonis commota est terra, & clamor inter gentes auditus est.

SCHOLIA.

a Leuate signum.] *Non ad belligerandum, quia iam victa iacet, sed ad annuntiandum triumphos lætos. Denuntiatur ergo ruina Babylonis omnibus gentibus, vt quæ omnes populos deuastauerat, omnes quoque de eius deuastatione lætarentur. Fuit enim hoc regnum Babyloniorum illo tempore malleus totius terræ, terror populorum, flagellum omnium gentium, officina Satanæ: contagio mundi, sentina flagitiorum, refugium sceleratorum, arx magorum & incantatorum, theatrum idolorum, carcer filiorum Israel, & cultus Dei deletrix, ideo digna fuit hæc ciuitas, quæ funditus periret, & typus perituri esset mũdi. Dy eius præcipui fuere, Bel, et Merodach.* b Gens ab aquilone.] *Medi scilicet ac Persæ, & quod sequitur, Venient filij Israel, patet hinc, filios quoque Israel, & non tãtum tribum Iudæ, & Beniamin de captiuitate ad terram Israel reuersos, quicquid Hebræi dicant de decem tribubus in Assyria reclusis. Hoc tamen propriè per Christum factum est.* c De monte in collem.] *Vel, de monte ad vallem. Sub iniquis enim pastoribus nulla quies, nullum otium datur.* d Quasi hirci.] *Sensus est. Egredimini confidenter, & securi, ego non deseram vos.* e Effusi estis sicut vituli.] *Vel, auĉti, siue incrassati, vt vitula pasta gramine.* f Dedit manum suam.] *Hoc est, tradidit se hostibus, & fatetur se victam vltione Domini.* g Disperdite satorem.] *Olim parcebatur agricolis, nunc non parcetur, nã nec ipsi pepercerunt colonis terræ sanctæ. Et quod sequitur, Vnusquisque ad populum suum conuertetur, hoc est, qui in Babylonia capti ex gentibus tenebãtur, hi capta vrbe ad terras suas lætantes reuersi sunt.* h Primus comedit eum.] *Prior rex Assur Israelis carnes comedit: nam hi tres Assyriorum reges intulerunt arma Iudæis, Phal, Teglatphassar, & Salmanasar: Ruben enim & Gad, & dimidiã tribum Manasse, & postea reliquas tribus Israel abduxerunt, relictæ sunt nuda ossa, Iuda & Beniamin. Nabuchodonosor aũt etiam ossa contrivit, hoc est, has fortiores tribus abegit.* i Ecce ego visitabo.] *Sicut Deus punit Assyrios, quorum regnum transtulit ad Chaldæos, ita Babylonios Medi & Persæ delebunt, quia hæ duæ gentes populum Dei sedibus suis eiecerant.* k Et pascetur Carmelum.] *Perstat in similitudine: loca pascua cõmemorat, trans Iordanem Basan & Galaad, cis Iordanem Carmelum & Ephraim.* l Quæretur iniquitas Israel.] *Hæc videntur referenda ad tempora Christi, per quem solum remittuntur peccata.* m Super terram irritantium.] *Præcipitur exercitui Cyri, vt ascendat contra Babylonem.* n Interfice post eos, ait Dominus.] *Hoc est, fugientes persequere.* o Babylon in gentibus. Illaqueaui tc.] *Subaudi inclyta.* p Annuntiate in Babylonem plurimis.] *Conuocate contra Babylonem, &c.* q Ecce ego ad te superbè.]

Sermo

Sermo eſt ad regem Babylonis. [r] Siccitas ſuper aquas.] *Poteſt exponi de Vrbis expugnatione, per alueũ enim Euphratis, aquis vehementer imminutis, Cyrus introduxit noctu exercitum inopinantibus omnibus, captaq; regia, & bona pars vrbis eſt, antequàm ſcirentur hoſtes adeſſe.* [s] Non habitabitur vltra.] *In loco ſolito videlicet, nam quæ nunc Babylon dicitur, alio in loco eſt, nimirum campeſtri, neq; vllum domicilium ruinis tantæ vrbis ſuperſtes apparet, ſi hiſtoriis creditur.* [t] Ecce populus.] *Per Cyrum & Darium reges Perſarum ſubuertendam Babel prædicit, qui ſibi reliquas quoque gentes aſſociabunt.* [v] Ecce quaſi leo.] *Sicut leo ſecurus de Iordane ad Aethan deſertum incedit, ſic Darius, & Cyrus, &c. Hæc autẽ verba præcedenti etiam capite ſcribuntur.*

CAPVT LI.

HÆc dicit Dominus, Ecce ego ſuſcitabo ſuper Babylonem & ſuper habitatores eius, qui cor ſuum le- A
uauerunt contra me: † ventum peſtilentem. Et mittam in Babylonem ventilatores, & ventilabunt
eam, & demolientur terram eius: quoniam venerunt ſuper eam vndiq; in die afflictionis eius. [a] † Ad
eum, qui tendere ſolet arcum ſuum, & qui ſeſe eleuat in lorica ſua: nolite parcere iuuenibus eius, interficite
omnem militiam eius. Et cadent interfecti in terra Chaldæorum: & vulnerati in regionibus eius. Quoniam
[b] nõ fuit viduatus Iſrael & Iuda à Deo ſuo Domino exercituum: † quamuis terra eorum [c] repleta eſt delicto
à ſancto Iſrael. Fugite de medio Babylonis, & ſaluet vnuſquiſq; animam ſuam: † ne pereatis iniquitate eius:
quoniam tempus vltionis eius eſt à Domino, viciſſitudinẽ ipſe retribuet ei. [d] Calix aureus Babylon in ma-
Iſa. 21.e Apo. 14.a nu Domini, inebrians omnem terram: de vino eius biberunt gentes, & ideò commotæ ſunt. Subitò cecidit
Babylon, & contrita eſt: [e] vlulate ſuper eam, tollite reſinam ad dolorem eius, ſi forte ſanetur. Curauimus Ba-
bylonem, & non eſt ſanata: derelinquamus eam, & eamus vnuſquiſque in terram ſuam, quoniam peruenit
vſque ad cœlos iudicium eius, & eleuatum eſt vſq; ad nubes. [f] Protulit Dominus iuſtitias noſtras: venite & B
narremus in Sion opus Domini Dei noſtri. Acuite ſagittas, & multiplicate ſcuta. Suſcitauit Dominus ſpiri-
tum regum Medorum: & contra Babylonem mens eius eſt, vt perdat eam: quoniam vltio Domini eſt, vltio
templi ſui. Super muros Babylonis leuate ſignum augete cuſtodiã: firmate cuſtodes, præparate inſidias: quia
cogitauit Dominus & fecit quæcunque locutus eſt contra habitatores Babylonis. Quæ habitas ſuper aquas
Amos 6.c multas locuples in theſauris: venit finis tuus † vt [g] quomodo oppreſiſti alios, ita & recipias. Iurauit Domi-
nus exercituum per animam ſuam, † replebo te hominibus quaſi brucho: & ſuper te [h] celeuma cantabitur.
Supra 10.b Qui fecit terram in fortitudine ſua, & præparauit orbem in ſapientia ſua, & prudentia ſua extendit cœlos.
Dante eo vocem multiplicantur aquæ in cœlo: qui leuat nubes ab extremo terræ, fulgura † cum pluuia fe-
cit: & producit ventos de theſauris tuis. Stultus factus eſt omnis homo à ſcientia: cõfuſus eſt omnis conflator
in ſculptili: quia mendax eſt conflatio eius. nec eſt ſpiritus in eis. Vana ſunt & opus errorum: in tempore viſi-
tationis ſuæ peribunt. Non ſicut hęc, [i] pars Iacob: quia qui fecit omnia ipſe eſt, & Iſrael ſceptrum hæreditatis C
eius. Dominus exercituum nomen eius. [k] † Malleus tu mihi & vaſa belli, & ego † colliſi in te gẽtes, & diſper-
didi in te regna. Et † colliſi in te equum, & equitem eius: & † colliſi in te currum, & aſcenſorẽ eius: & † colliſi
in te virum & mulierem, & † colliſi in te ſenem & puerum, & † colliſi in te iuuenem & virginem, et † colliſi
in te paſtorem & gregẽ eius, & † colliſi in te agricolam & iugales eius, † & colliſi in te duces & magiſtratus.
Ergo reddam Babyloni, & cunctis habitatoribus Chaldææ omne malum ſuũ quod fecerunt in Sion, in oculis veſtris, ait Dominus. Ecce ego ad te [l] mõs peſtifer, ait Dominus: qui corrumpis vniuerſam terram: & extẽ-
dam manum meam ſuper te, & [m] euoluam te de petris, & dabo te in montem combuſtionis, & non tollent
de te lapidem in angulum, & lapidem in fundamentum: ſed perditus in æternum eris, ait Dominus. Leuate
ſignum in terra: clangite buccina in gentibus, [n] ſanctificate ſuper eam gentes: annuntiate contra illam regi-
bus Ararat, Menni, & Aſcenez: numerate contra eam Taphſat, adducite equum quaſi bruchum aculeatum.
Sanctificate contra eam gentes reges Mediæ duces eius, & vniuerſos magiſtratus eius, cunctamq; terram po- D
teſtatis eius. Et commouebitur terra, & conturbabitur: quia euigilabit contra Babylonem cogitatio Domi-
ni, vt ponat terram Babylonis deſertam, & inhabitabilem. Ceſſauerunt fortes Babylonis à prælio, habitaue-
runt in præſidijs: deuoratum eſt robur eorum, & facti ſunt quaſi mulieres: incenſa ſunt tabernacula eius, cõ-
triti ſunt vectes eius. Currens obuiam currenti veniet: & nuntius obuius nuntianti: vt annuntiet regi Baby-
lonis quòd capta eſt ciuitas eius à ſummo vſque ad ſummum: & vada præoccupata ſunt: & paludes incenſæ
ſunt igni, & viri bellatores conturbati ſunt. Quia hæc dicit Dominus exercituum, Deus Iſrael, Filia Babylo-
nis quaſi area, [o] tempus triturę eius: adhuc modicum, & veniet tempus meſſionis eius. Comedit me, deuora-
uit me Nabuchodonoſor rex Babylonis: reddidit me quaſi vas inane: abſorbuit me quaſi draco, repleuit vẽ-
trem ſuum teneritudine mea, & eiecit me. [p] Iniquitas aduerſum me, & caro mea ſuper Babylonem, dicit ha-
bitatio Sió: & ſanguis meus ſuper habitatores Chaldææ dicit Ieruſalem. Propterea hæc dicit Dominus, Ecce
ego iudicabo cauſam tuam, & vlciſcar vltionẽ tuam: & [q] deſertum faciam mare eius, & ſiccabo venam eius. E
Et erit Babylon in tumulos, habitatio draconum: ſtupor, & ſibilus, eò quòd non ſit habitator. Simul vt leo-
nes rugient: † rugient veluti catuli leonum. [r] In calore eorum ponam † conuiuia eorum: & inebriabo eos, vt
exultent, & dormiant ſomnum ſempiternum, & non conſurgant: dicit Dominus. Deducam eos quaſi agnos
ad victimam, quaſi arietes cum hœdis. Quomodo [s] capta eſt Seſach, & comprehenſa eſt inclyta vniuerſę ter-
ræ? quomodo facta eſt in ſtuporem Babylon inter gentes? [t] Aſcendit ſuper Babylonem mare: multitudine
fluctuũ eius operta eſt. Factę ſunt ciuitates eius in ſtuporem: terra inhabitabilis & deſerta, terra in qua nul-
lus habitet, nec tranſeat per eam filius hominis. Et [u] viſitabo ſuper Bel in Babylone, & ejciam quod abſor-
buerat de ore eius: & non confluent ad eum vltrà gentes, ſiquidem & murus Babylonis corruet. [x] Egredimi-
ni de medio eius populus meus: vt ſaluet vnuſquiſq; animam ſuam ab ira furoris Domini. Et ne fortè mol-
leſcat cor veſtrum, & timeatis auditum qui audietur in terra: & [y] veniet in anno auditio, & poſt hũc annum
auditio:

F auditio: & † rapina in terra, & dominator ſuper dominatorem. Propterea ecce dies veniunt, & viſitabo ſuper
ſculptilia Babylonis: & omnis terra eius confundetur, & vniuerſi interfecti eius cadent in medio eius. Et lau-
dabunt ſup Babylonẽ cœli & terra, & omnia, quæ in eis ſunt: quia ab aquilone venient ei prædones, ait Dñs.
Et quo modo fecit Babylon, vt caderẽt occiſi in Iſrael: ſic de Babylone cadent occiſi in vniuerſa terra. [z] Qui
fugiſtis gladium, venite, nolite ſtare: recordamini procul Domini, & Ieruſalem aſcendat ſuper cor veſtrum.
Confuſi ſumus, quoniam audiuimus opprobrium: operuit ignominia facies noſtras: quia venerunt alieni ſu
per ſanctificationem domus Domini. Propterea ecce dies veniunt, ait Dominus: & viſitabo ſuper ſculptilia
eius, & in omni terra eius † gemet vulneratus. Si aſcenderit Babylon in cœlum, & firmauerit in excelſo ro-
bur ſuum: à me venient vaſtatores eius, ait Dominus. Vox clamoris de Babylone, & contritio magna de ter-
ra Chaldæorum: quoniã vaſtauit Dominus Babylonem, & perdidit ex ea [a] vocem magnam: ſonabãt † enim
fluctus eorum quaſi aquæ multæ: dedit ſonitum vox eorum: quia venit ſuper eam, id eſt, ſuper Babylonẽ præ
G do: & apprehenſi ſunt fortes eius, & emarcuit arcus eorum: quia fortis vltor Dominus reddens retribuet. Et
inebriabo principes eius, & ſapientes eius, duces eius, & magiſtratus eius, & fortes eius: & dormient ſomnum
ſempiternum, & non expergiſcentur, ait rex, Dominus exercituum nomen eius. Hæc dicit Dominus exerci-
tuum. Murus Babylonis ille latiſſimus ſuffoſsione ſuffodietur, & portæ eius excelſæ igne comburentur, &
labores populorum ad nihilum, & gentium in ignem erunt & diſperibunt. Verbum quod præcepit Iere-
mias propheta, [b] Saraiæ filio Neriæ filij Maaſiæ, cum pergeret cum Sedechia rege in Babylonem, in anno
quarto regni eius: Saraias autem erat [c] princeps † quietis. Et ſcripſit Ieremias omne malum quod venturum
erat ſuper Babylonem, in libro vno: omnia verba hæc, quæ ſcripta ſunt contra Babylonem. Et dixit Iere-
mias ad Saraiam, Cum veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc; dices, Domine tu locu-
tus es contra locum iſtum, vt diſperderes eum: ne ſit qui in eo habitet ab homine vſq; ad pecus, & vt ſit per-
petua ſolitudo. Cumque compleueris legere librum iſtum, ligabis ad eum lapidem, & proijcies illum in
medium Euphraten, & dices, Sic ſubmergetur Babylon, & non conſurget à facie afflictionis quam ego addu
co ſuper eam, & diſſoluetur.

[d] Hucuſque verba Ieremiæ.

SCHOLIA.

[a] Ad eum qui tendere ſolet.] *Subaudi dicam, nempe ea, quæ ſequuntur. Nolite parcere iuuenibus eius.* [b] Non fuit viduatus.] *Non fuit quaſi vidua, hoc eſt, non vſq; adeo eſt derelictus Iſrael à Deo ſuo, quin de hoſtibus eorum ſit ſumpturus vindictam.* [c] Repleta eſt delicto à ſancto Iſrael.] *Repleta eſt delicto defectionis à ſancto Iſrael, à quo ſcilicet defecit.*
[d] Calix aureus.] *Hebræi intelligunt per calicem aureum, vinum flauum & purum, per quod ſignificatur rex Babylonis, qui fuit flagellum Dei, quo omnes gentes ſunt caſtigatæ.* [e] Vlulate ſuper eam.] *Dicitur ironice. Si quiſquam (inquit) eſt, qui vicẽ eius doleat, tentet an ſanari poſsit, ſed experietur inſanabile eſſe vulnus eius.* [f] Protulit Dominus iuſtitias noſtras.] *Quia (inquit) inuenti ſumus in Babylone iuſti ſecũdũ electionem Dei, liberati ſumus à perditione Babylonis.* [g] Quomodo oppreſiſti alios.] *Explicuimus ſenſum paraphraſticõs. In Heb. eſt. Menſura violentiæ tuæ. Alius vertit. Terminus auaritiæ tuæ.* [h] Celeuma.] *Quod alius vertit, canticum vindemiæ. Intelligit autem epinicionet canticum triũphale.*
[i] Pars Iacob.] *Hoc eſt, Deus, quem populus Iacob & Iſrael elegit pro hæreditate, & portione ſua.* [k] Malleus tu mihi.] *Babylonem elegit Deus, vt per reges eius in omnem terram animaduerteret. Verum intemperanter abuſi ſunt victoria, iccir cò retaliabitur eis. Et quod ſequitur. Colliſi in te, hoc eſt, per te. Vſus ſum (inquit) te ad colidendos alios, nunc collidam te, & reddam Babyloniis omne malum quod fecerunt.* [l] Mons peſtifer.] *Vocat Babylonem montem ob ædificiorum molem, alioquin in planicie ſita vrbs eſt, de qua Strabo. Babylon in campo iacet, muri ambitum habent 385. ſtadia, craſſitudo pedum 32. altitudo turris cubitorum 50. Via ſuper mœnibus tam lata, vt quadrigæ occurrentes facilè pertranſire poſſent, vnde & hæc ex ſeptem ſpectaculis orbis vnum dicitur.* [m] Euoluam te.] *Hoc dicitur de præſidijs turrium eminentium. Et quod ſequitur, dabo te in montem combuſtionis, hoc eſt, eris poſt hac aceruus ruinæ, qui ex tui combuſtione relinquetur.* [n] Sanctificate ſuper eam gentes.] *Capitur hic ſanctificare pro præparare. Non autem conſtat ex Hebræis ſcriptoribus, qui fuerint populi Ararat, Menni, & Aſcanez, niſi quod per Ararat accipitur Armenia.* [o] Tẽpus trituræ.] *Triturã ſequitur meſſem, hic verò præcedit, quod meſsis referatur ad ciuitates Babyloniæ, quæ primum fuerunt depopulatæ, triturã verò in Babylone fuit facta.* [p] Iniquitas.] *Hoc eſt, iniuria qua affectus ſum, & caro mea, hoc eſt, cadauera meorũ, clamant vindictã contra Babylonios.* [q] Deſertum faciam mare.] *Intelligunt hic Hebræi per mare affluentiam omnium bonorũ, quam Deus per hoſtes à Babyloniis ſuſtulit.* [r] In calore eorum.] *Tempus hic definitur excidij, dum nõctis conuiuio quod magnificè rex inſtruxerat, incaleſcebant, ebrijq; iactabantur, emicuit manus in pariete ſcribẽtis, vt eſt apud Danielem, gaudium conuiuij interturbatum, verſumq; eſt in mœrorem, ac metum, atq; adeo in funeſtam cladem, nam eadem nocte rex Balthaſar, cũ proceribus aulicis interfectus eſt.* [s] Capta eſt Seſach.] *Eſt Seſach idem quod Babel, conuerſione ſcilicet alphabeti, vt ſupra eſt dictum.* [t] Viſitabo ſuper Bel.] *Aureum idolum Belis erat, quod victor comminuit.* [u] Aſcendit ſuper Babylonem mare.] *Per mare impetuoſum & ſæuum, intelligitur exercitus hoſtilis.* [x] Egredimini.] *Alloquitur Iſraelitas, & triennio ante præmonuit.* [y] Veniet in anno auditio.] *Hoc eſt, rumor de interficiendo rege, Babylone primo anno percrebruit, & hoc eſt, quod ait, auditum, qui audietur in terra. Altero anno ſermones de aduentu Medorum ſpargebantur, poſt hunc rurſus de bello & interitu regis. Aut aliter. Monarchæ Dario, qui Balthaſaris regnum occuparat, peracto vno anno regni, ſtatim ſucceſsit Cyrus.* [z] Qui fugiſtis.] *Iſraelitæ ſcilicet, hos enim alloquitur.* [a] Vocem magnam.] *Intelligit ſtrepitum illum tanti populi, qui fuit in Babylone, quem Dominus interfecto populo quieſcere fecit.* [b] Saraiæ filio Neriæ filiæ Maaſiæ.] *Sedechias quarto anno regni ſui, comite Saraia, ſalutaturus regem, Babylonem conceſſit, tum propheta excidium vrbis & regni monarchæ potentiſsimo prædixit, ſeptem annis ante dirutam Ieruſalem, hoc eſt. 77. annis antequam id fieret, tantum ſpacij ad pœnitentiam præſcripſit, quo minus haberent quòd excuſarent, & vt admoniti, humanius tractarent captiuos.* [c] Princeps quietis.] *Hoc eſt, qui eum miſeriæ ſuæ obliuiſci faceret, dum illo*

per ocium se rex oblectaret. Alij intelligunt, quòd ei mandatum fuerit, per militem tueri publicam quietem. [d] Hucusque verba Ieremiæ.] *Excidium Babylonis postremo loco prædixit, Alijs videtur hinc liquere, quòd aliquis mandatarius librum prophetiarum Ieremiæ conscripserit, recensendo verba prophetæ, & fidei parandæ causa hanc clausulam esse adiectam, nequis existimaret, scribæ & non prophetæ sermones esse. Sed puto illa verba addita, vt secerneretur caput vltimum á scriptis Ieremiæ.*

CAPVT LII.

4.Re. 24.a
2.Par.30.b

[a] Filius viginti & vnius anni erat Sedechias, cum regnare cœpisset: & vndecim annis regnauit in Ieru- A
salem: & nomen matris eius Amital, filia Ieremiæ de Lobna. Et fecit malum in oculis Domini, iuxta
omnia, quæ fecerat Ioacim. Quoniam furor Domini erat in Ieruſalem & in Iuda, vſquequo proijce-
ret eos à facie ſua: & receſsit Sedechias à rege Babylonis. Factum eſt autem in anno nono regni eius, in menſe

Supr. 30.a
4.Re. 25.a

decimo, decima die menſis: venit Nabuchodonoſor rex Babylonis, ipſe, & omnis exercitus eius aduerſus Ie-
ruſalem & obſederunt eam, & ædificauerunt contra eam munitiones in circuitu. Et fuit ciuitas obſeſſa, vſq; B
ad vndecimum annum regis Sedechiæ. Menſe autem quarto, nona die menſis, obtinuit fames ciuitatem: &
non erant alimenta populo terræ. Et dirupta eſt ciuitas, & omnes viri bellatores eius fugerunt, exieruntq; de
ciuitate nocte per viam portæ, quæ eſt inter duos muros & ducit ad hortum regis: Chaldęis obſidentibus vr-
bem in gyro: & abierunt per viam, quæ ducit in eremum. Perſecutus eſt autem Chaldæorum exercitus re-
gem: & apprehenderunt Sedechiam in deſerto, quod eſt iuxta Iericho: & omnis comitatus eius diffugit ab
eo. Cumq; comprehendiſſent regem, adduxerunt eum ad regem Babylonis in Reblátha, quæ eſt in terra
Emath: & locutus eſt ad eum iudicia. Et iugulauit rex Babylonis filios Sedechiæ in oculis eius: ſed & omnes C
principes Iuda occidit in Reblátha. Et oculos Sedechiæ eruit, & vinxit eum compedibus, & adduxit eum rex
Babylonis in Babylonem: & poſuit eum in domo carceris vſque ad diem mortis eius. In menſe autẽ quinto,
decima mẽſis, ipſe eſt annus nonuſdecimus Nabuchodonoſor regis Babylonis: venit Nabuzardan princeps
militiæ, qui ſtabat coràm rege Babylonis in Ieruſalem. Et incendit domum Domini, & domum regis, & om
nes domus Ieruſalem, & omnem domum magnam igne combuſsit. Et totum murum Ieruſalem per circui-
tum deſtruxit cunctus exercitus Chaldæorum, qui erat cum magiſtro militiæ. De pauperibus autem populi, D
& de reliquo vulgo quod remanſerat in ciuitate, & de profugis qui transfugerant ad regem Babylonis, & cæ-
teros de multitudine tranſtulit Nabuzardan princeps militiæ. De pauperibus verò terræ reliquit Nabuzar-
dan princeps militiæ in vinitores, & agricolas. Columnas quoq; æreas, quæ erant in domo Domini, & ba-
ſes, & mare æneum, quod erat in domo Domini, confregerunt Chaldęi: & tulerunt omne æs eorum in Baby
lonem. Et lebetes, & creagras, & pſalteria, & phialas, & mortariola, & omnia vaſa ærea, quę in miniſterio fue-
rant, tulerunt. Et hydrias, & thymiamateria, & vrceos, & pelues, & candelabra, & mortaria, & cyathos: quot- E
quot aurea, aurea: & quotquot argentea, argentea: tulit magiſter militiæ columnas duas, & mare vnum, & vi-
tulos duodecim æreos, qui erant ſub baſibus quas fecerat rex Salomon in domo Domini, non erat pondus
æris omnium horum vaſorum. [b] De columnis autem, decem & octo cubiti altitudinis erant in colũna vna:
& funiculus duo lecim cubitorum circuibat eam: porrò groſsitudo eius, quatuor digitorum: & intrinſecus
caua erat. Et capitella ſuper vtranq; ærea: & altitudo capitelli vnius, quinq; cubitorum: & retiacula, & malo-
granata ſupra coronam in circuitu, omnia ærea: ſimiliter columnæ ſecundæ & malogranata. Et fuerunt ma- F
logranata nonaginta ſex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circundabãtur. Et tulit ma-
giſter militiæ Saraiam ſacerdotem primum, & Sophoniam ſacerdotem ſecundum: & tres cuſtodes veſtibuli.
Et de ciuitate tulit eunuchum vnum, qui erat præpoſitus ſuper viros bellatores: & ſeptẽ viros de his, qui vide
bant faciẽ regis, qui inuẽti ſunt in ciuitate: & ſcribam principem militum, qui probabat tyrones: & ſexagin-
ta viros de populo terrę, qui inuenti ſunt in medio ciuitatis. Tulit autẽ eos Nabuzardan magiſter militiæ: &
duxit eos ad regem Babylonis in Reblátha: & percuſsit eos rex Babylonis. Et interfecit eos in Reblátha in G
terra Emath: & translatus eſt Iuda de terra ſua. Iſte eſt populus, quem tranſtulit Nabuchodonoſor, [c] in anno
ſeptimo: Iudæos tria millia, & viginti tres. In anno octauodecimo Nabuchodonoſor tranſtulit de Ieruſalem
animas octingentas triginta duas. In anno viceſimo tertio Nabuchodonoſor, trãſtulit Nabuzardan magiſter
militiæ animas Iudæorum ſeptingentas quadraginta quinque: omnes ergo animæ, quatuor millia ſexcentæ.
Et factum eſt in triceſimo ſeptimo anno tranſmigrationis Ioacin regis Iuda, duodecimo menſe, viceſima-
quinta menſis, leuauit Euilmerodach rex Babylonis ipſo anno regni ſui, caput Ioacin regis Iudæ: & eduxit
eum de domo carceris. Et locutus eſt cum eo bona: & poſuit thronũ eius ſuper thronos regum qui erãt poſt
ſe in Babylone. Et mutauit veſtimenta carceris eius: & comedebat panem coràm eo ſemper cunctis diebus
vitæ ſuæ. Et cibaria eius cibaria perpetua dabantur ei à rege Babylonis ſtatuta per ſingulos dies, vſq; ad diem
mortis ſuæ cunctis diebus vitæ eius.

SCHOLIA.

[a] Filius.] *Hæc paucis immutatis eadem leguntur in quarto Regum cap. vltimo. Adiunguntur autem, vt oſtendat verborum Domini certitudinem.* [b] De columnis autem.] *De his columnis habes tertij Regum ſeptimo, vbi & de capitellis ſeu coronis columnarũ, & de malis punicis fit expreſsior mentio.* [c] In anno ſeptimo.] *Videlicet poſt captiuitatem Ioacin ſub Iechonia. In anno autem octauodecimo, quando ſcilicet deſtructa iam ciuitas erat. In anno vigeſimo tertio, cum Tyrum deuaſtaſſet, vicinam Ammonitis, ac Moabitis, & rediret domum.*

TRENI ID EST LAMENTATIONES IEREMIAE

QVAE HEBRAICE CINOTHIN SCRIBVNTVR.

ET FACTVM EST POSTQVAM IN CAPTIVITATEM

Redactus eſt Iſrael, & Ieruſalem deſerta eſt, ſedit Ieremias propheta flens, & planxit
Lamentatione hac ſuper Ieruſalem, & amaro animo ſuſpirans
& eiulans dixit.

ALEPH.

A
B

[a] QVOMODO ſedet ſola ciuitas plena populo: facta eſt quaſi vidua [b] domina gentium? Princeps prouinciarum facta eſt ſub tributo. BETH. Plorans [c] plorauit in nocte, & Iere. 13.c
lacrymæ eius in maxillis eius. Non eſt qui cõſoletur eam ex omnibus charis eius. Omnes amici eius ſpreuerunt eam, & facti ſunt ei inimici. GIMEL. [d] Migrauit Iudas propter afflictionem, & multitudinem ſeruitutis. Habitauit inter gentes, nec inuenit requiem. Omnes perſecutores eius apprehẽderunt eam inter anguſtias. DALETH. Viæ Sion lugent, eò quòd non ſint qui veniant ad ſolẽnitatem. Omnes portę eius deſtructę, ſacerdotes eius gementes. Virgines eius ſqualliđæ, & ipſa oppreſſa amaritudine. HE. Facti ſunt [e] hoſtes eius
in capite, inimici eius locupletati ſunt: quia Dominus locutus eſt ſuper eam propter multitudinem iniquitatum eius. Paruuli eius ducti ſunt in captiuitatem ante faciem tribulantis. VAV. Et egreſſus eſt à filia Sion
omnis decor eius. Facti ſunt principes eius velut arietes non inuenientes paſcua: & abierunt abſque fortitudi
C ne ante faciem perſequentis. ZAIN. [f] Recordata eſt Ieruſalem dierum afflictionis ſuæ, & † tranſmigrationis omnium deſyderabilium ſuorum, quæ habuerat à diebus antiquis, cum caderet populus eius in manu hoſtili, & non eſſet auxiliator. Viderunt eam hoſtes, & [g] deriſerunt ſabbata eius. HETH. Peccatum peccauit Ieruſalem, propterea † ludibrio expoſita eſt. Omnes qui glorificabant eam, ſpreuerunt illam: quia viderunt ignominiam eius. Ipſa autem gemens, & conuerſa eſt retrorſum. TETH. [h] Sordes eius in † fimbrijs eius,
nec recordata eſt finis ſui. Depoſita eſt vehementer, non habens conſolatorem. Vide Domine afflictionem
D meam, quoniam [i] erectus eſt inimicus. IOD. Manum ſuam miſit hoſtis ad omnia deſyderabilia eius: quia
vidit gentes ingreſſas ſanctuarium ſuum, de quibus præceperas ne intrarent in eccleſiam tuam. CAPH.
Omnis populus eius gemens, & quærens panem. Dederunt precioſa quæque pro cibo, ad refocillandum ani
mam. Vide Domine & conſydera, quòd facta ſum vilis. LAMED. [k] O vos omnes, qui tranſitis per viam,
attendite, & videte, ſi eſt dolor ſicut dolor meus, † quem intulit mihi, & quo afflixit me Dominus in die iræ
furoris ſui. MEM. [l] De excelſo miſit ignem in oſsibus meis, † & ſæuijt in ea. Expandit rete pedibus meis,
E conuertit me retrorſum. Poſuit me deſolatam, tota die mœrore confectam. NVN. † [m] Graue factum eſt
iugum iniquitatum mearum in manu eius: conuolutæ ſunt, & impoſitæ collo meo. Infirmata eſt virtus
mea: dedit me Dominus in manu de qua non potero ſurgere. SAMECH. Abſtulit omnes magnificos
meos Dominus de medio mei: vocauit aduerſum me tempus, vt conterat electos meos. [n] Torcular calcauit Iere.14.c
Dominus virgini filiæ Iuda. AIN. Iccirco ego plorans, & oculus meus deducens aquas: quia longè factus
F eſt à me conſolator [o] conuertens animam meam: facti ſunt filij mei perditi, quoniam inualuit inimicus.
PHE. Expandit Sion manus ſuas, non eſt qui conſoletur eam. Mandauit Dominus aduerſum Iacob, in cir-
cuitu eius hoſtes eius. Facta eſt Ieruſalem † in abominationem inter eos. SADE. Iuſtus eſt Dominus, quia
os eius ad iracundiam prouocaui. Audite obſecro vniuerſi populi, & videte dolorem meum. Virgines meæ
& iuuenes mei abierunt in captiuitatem. COPH. Vocaui amicos meos [p] & ipſi deceperunt me. Sacerdo-
tes mei, & ſenes mei in vrbe conſumpti ſunt: quia quæſierunt cibum ſibi, vt refocillarent animam ſuam.
RES. Vide Domine, quòd tribulor, conturbatus eſt venter meus. Subuerſum eſt cor meum: in memetipſa,
G quoniam amaritudine plena ſum. Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. SIN. Audierunt quòd
ingemiſco ego, & non eſt, qui conſoletur me. Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati ſunt:
quoniam tu feciſti. Adduxiſti diem † quem vocaſti, ſed fient ſimiles mei. THAV. Ingrediatur omne ma-
lum eorum coràm te: & † eueniat illis, quod euenit mihi propter omnes iniquitates meas. [q] Multi enim ge-
mitus mei, & cor meum mœrens.

SCHOLIA.

Scribuntur hi Threni Ieremiæ prophetæ hoc ordine in Hebræo, vt primus verſus incipiat ab Aleph, ſecundus à Beth, tertius à Gimel, & ſic conſequenter, ſeruata literarum alphabeti ſerie. Obſeruatur enim id in quibuſdam carminibus, vt facilius diſcantur, & memoria teneantur. Quod hic quoque factum cenſent, cum Threni iſti lugubre quoddam ſint carmen de lamentabili caſu Iudæorum, & vrbis Ieroſolymitanæ, etiam ſi non conſtet, quo genere carminis hi Threni ſint conſcripti, quod Hebræi non eis generibus canant carmina, & numerent metra, quibus Græci, & Latini. Et putant Hebræi

hunc fuisse librum, quem rex Iuda ab initio legit, & mox in ignem abiecit, sicut Ieremiæ trigesimosexto scribitur. [a] Quomodo sedet.] *Videt Ierusalem in specie mulieris lugentis, & tristis. Erat autem Ierosolymis maxima hominum multitudo. Certè sub destructione secunda ad vndecies centena millia hominum reputata fuerunt, facta computatione ex agnis paschalibus, qui immolabantur. Iosephus de bello Iudaico dicit, Neroni significatum, in pascha numerata hostiarũ ducenta quinquaginta millia, & quingentas. Fiunt autem, si denos epulatores per singulas imputemus, vicies centena, ac septingenta millia: sancti omnes, & puri, nec enim leprosis siue vitiliginosis, & quocunque modo lege impuris permittebatur esse sacrificiorum participes.* [b] Domina gentium.] *Cui scilicet gentes tributa pendebant, vt fuerunt Ammonitæ, Moabitæ, Palestini, & multæ aliæ gentes, & exteri reges munera mittebant.* [c] Plorauit in nocte.] *Quæ hora quieti assignari solet.* [d] Migrauit Iuda propter afflictionem.] *Hoc est, fame & bello fatigatus. Chaldæus interpres hunc locum sic vertit. Abijt Iuda in captiuitatem eò quòd ipsa affixit pupillos & viduas, & cum duritia tractauerunt seruos Hebræos.* [e] Hostes eius in capite.] *In capite esse, est præcipuum esse, ac potiores partes obtinere. Sensus ergo est. Dominari illis cœperunt hostes eorum, & pro arbitrio in eos sæuierunt.* [f] Recordata est Ierusalem dierum afflictionis suæ.] *Videtur hic esse sensus. Recordata est Ierusalem in diebus afflictionis suæ, & transmigrationis, desyderabilium suorum videlicet pacis, sacerdotij, regni, benedictionis fructuũ, prophetiæ, victoriæ, &c.* [g] Deriserunt sabbata eius.] *Hoc est, legem, & ceremonias, quas iactare consueuerant.* [h] Sordes eius in fimbrijs eius.] *Sensus est, sine omni verecundia peccauit, similis facta mulieri impudenti, quæ non veretur menstruum sanguinem in fimbrijs publicè circunferre.* [i] Erectus est inimicus.] *Contra me scilicet insultans assiduè.* [k] O vos omnes.] *Sic nihil eorum malorum eueniet vobis, si attenderitis, et misertum fuerit nostri.* [l] De excelso misit ignem.] *Chaldæus interpres sic vertit, de cœlis misit ignem in castella mea fortia & subegit ea. Exprimit verò grauitatem iræ diuinæ varijs similitudinibus, dicit illam esse immissionem ignis, illaqueationem, impositionem iugi, et calcationem torcularis.* [m] Graue factũ est.] *Sensum transtulimus, alioqui verti potest: ligatum est.* [n] Torcular calcauit.] *Hoc est, tradidit Dominus populum suum hosti, vt interficiat eum, torqueat, & conculcet, haud secus quàm vuæ solent in torculari.* [o] Conuertens animam meam.] *Hoc est, animans me.* [p] Et ipsi deceperunt.] *Hoc est frustrati sunt: cum enim florerem, erant amantes mei, verum in periculo destituerunt me.* [q] Multi enim gemitus.] *Scilicet propter contumelias illorum.*

CAPVT II.

ALEPH.

QVomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion : proiecit de cœlo in terram inclytam A
Israel, & non est recordatus scabelli pedum suorũ in die furoris sui? BETH. Præcipitauit Dñs nec
pepercit, omnia speciosa Iacob: destruxit in furore suo munitiones virginis Iuda, & deiecit in terrã:
polluit regnũ, & principes eius. GIMEL. Confregit in ira furoris [a] omne cornu Israel: auer-
tit retrorsum dexterã suam à facie inimici: & succendit in Iacob, quasi ignem flammæ deuorantis in gyro.
DALETH. Tetendit arcũ suũ quasi inimicus, firmauit dexterã suã quasi hostis: & occidit omne quod pul- B
chrũ erat visu in tabernaculo filię Sion, effudit quasi ignem indignationẽ suã. HE. Factus est Dñs velut ini-
micus: præcipitauit Israel, præcipitauit omnia mœnia eius, dissipauit munitiones eius, & repleuit filiã Iuda
† lamentatione & luctu. VAV. Et dissipauit quasi hortũ tentoriũ suũ, demolitus est tabernaculũ suũ. Obli-
uioni tradidit Dñs in Sion festiuitatẽ & sabbatũ: &† spreuit in opprobrio & in indignatione furoris sui regẽ
& sacerdotẽ. ZAIN. Repulit Dñs altare suũ, maledixit sanctificationi suę. Tradidit in manus inimici mu- C
ros turriũ eius. [b] Vocem dederunt in domo Dñi, sicut in die solenni. HETH. Cogitauit Dñs dissipare mu-
rũ filiæ Sion: [c] tetendit funiculum suum, & non auertit manum suam à perditione. Luxitq; antemurale, &
murus pariter dissipatus est. TETH. Defixę sunt in terram portę eius: perdidit & contriuit vectes eius, re-
gem eius & principes eius in gentibus. [d] Non est lex: & prophetæ eius non inuenerunt visionem à Domino.
IOD. Sederunt in terra, conticuerunt senes filię Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt cilicijs. D
Abiecerunt in terrã capita sua virgines Ierusalem. CAPH. Defecerunt pręlacrymis oculi mei, conturbata
sunt viscera mea. [e] Effusum est in terra iecur meũ super cõtritionẽ filię populi mei, cũ deficeret paruulus &
lactens in plateis oppidi. LAMED. Matribus suis dixerũt, Vbi est triticũ & vinũ, cũ deficerẽt quasi vulne-
rati in plateis ciuitatis: cũ exhalarẽt animas suas in sinu matrũ suarũ. MEM. [f] Cui cõparabo te, vel cui assi-
milabo te filia Ierusalẽ? Cui adęquabo te, † vt cõsoler te virgo filia Sion? Magna est enim velut mare, cõtritio E
tua, quis medebitur tui? NVN. Prophetæ tui viderunt tibi falsa & stulta: nec aperiebant iniquitatem tuã, vt
te ad pœnitentiã prouocarent. Viderunt autẽ tibi † prophetias falsas [g] & eiectiones. SAMECH. Plauserũt
super te manibus omnes transeuntes per viã: sibilauerũt & mouerunt capita sua super filiã Ierusalẽ, Hęccine
est vrbs, dicentes, perfecti decoris, gaudiũ vniuersæ terræ? PHE. Aperuerunt super te os suũ omnes inimi-
ci tui: sibilauerunt & fremuerunt dentibus, & dixerunt, Deuorabimus: en ista est dies quam expectabamus, F
Leuit. 26.b inuenimus, vidimus. AIN. Fecit Dominus, quæ cogitauit: cõpleuit sermonẽ suũ, quẽ præceperat a diebus
Deut. 28.b antiquis. Destruxit, & nõ pepercit, & lætificauit super te inimicũ, & exaltauit cornu hostium tuorũ. SADE.
Iere. 14.c Clamauit cor eorũ ad Dñm super muros filię Sion, Deduc quasi torrentem lacrymas per diem & nocte: nõ
Supra 1. f des requiem tibi, neq; taceat pupilla oculi tui. COPH. Cõsurge, † clama in nocte in principio vigiliarum:
effunde sicut aquã cor tuum ante conspectũ Dñi. Leua ad eum manus tuas pro anima paruulorum tuorum, G
qui defecerunt in fame in capite omniũ compitorum. RES. Vide Domine & consydera quem vindemia-
ueris ita. Ergone [h] comedent mulieres fructum suum, paruulos † infantes paulatim succrescẽtes? si occiditur
in sanctuario Domini sacerdos & propheta? SIN. Iacuerunt in terra foris puer & senex: virgines meæ &
iuuenes mei ceciderunt in gladio. Interfecisti in die furoris tui: percussisti, nec misertus es. THAV. Vocasti
quasi ad diem solennem, qui terrerent me de circuitu: & non fuit in die furoris Domini qui effugeret & re-
linqueretur. Quos educaui & enutriui, inimicus meus consumpsit eos.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Omne cornu Israel.] *Hoc est omnem virtutem se defendendi, quæ per cornu intelligitur, & perdendi ac ventilandi inimicos. Vel, intelligit omne sublime atque honorificum. Et quod sequitur. Auertit retrorsum dexteram suam à facie inimici: hoc est, in gratiam inimici retraxit manum, & permisit hostem pro illius voto grassari in populum, nec illum repressit, vt antea fecit quando pro Israel pugnauit.* [b] Vocem dederunt.] *Nempe hostes.* [c] Tetendit funiculum.] *Quasi hostibus terram partiendam permissurus.* [d] Non est lex.] *Chald. sic vertit. Abducti sunt inter gentes, quia non custodierunt verba legis.* [e] Effusum est in terra iecur meum.] *Iecur amoris & affectuum receptaculum, ceu humi affixum, & in sordibus iacet, nihil enim amo præ morte, & sepulchrò.* [f] Cui comparabo te.] *Hoc est, quamnam gentem adducam, quæ tam horribile pro peccatis suis sumpserit iudicium, sicu tu: vel quem populum assimilabo tibi, qui tam duro sit percussus supplicio? tantis enim flagellis castigatus es, vt ea sæuientis maris procellis comparari possint.* [g] Et eiectiones.] *Propter quas scilicet eiecta es. Seduxerunt te (inquit) prophetæ tui falsi, vt in hanc calamitosam veneris eiectionem, vel abiectionem.* [h] Comedent mulieres fructum suum.] *Prædicta est hæc pœna. Deu. 28. Et quod nos vertimus, infantes paulatim succrescentes. Alius vertit, paruulos qui educantur. Alius, paruulos infantiles. Vox Heb. taphach, significat mensuram palmæ.*

CAPVT III.

ALEPH.

A EGo vir videns paupertatem † in virga indignationis eius. ALEPH. Me minauit, & adduxit in te-
nebras, & non in lucem. ALEPH. † Vtique in me vertit, & cõuertit manum suã tota die. BETH.
Vetustam fecit pellem meam, & carnem meã: contriuit ossa mea. BETH. Ædificauit in gyro meo,
& circundedit me felle & labore. BETH. In tenebrosis collocauit me, quasi mortuos, † sæculo. GIMEL.
Circumædificauit aduersum me, vt non egrediar: aggrauauit compedem meum. GIMEL. Sed & cum cla-
mauero & rogauero, exclusit orationem meam. GIMEL. [b] Conclusit vias meas lapidibus quadris, semitas
B meas subuertit. DALETH. Vrsus insidians factus est mihi leo in absconditis. DALETH. Semitas meas
subuertit, & confregit me, posuit me desolatam. DALETH. Tetendit arcum suum, & posuit me quasi si-
gnum ad sagittam. HE. Misit in renibus meis [c] filios pharetræ suæ. HE. Factus sum in derisum omni po-
pulo meo, canticum eorum tota die. HE. † Satiauit me amaritudinibus, inebriauit me absynthio. VAV.
Et [d] fregit † lapillis dentes meos, inuoluit me cinere. VAV. Et repulsa est à pace anima mea, oblitus sum
bonorum. VAV. Et dixi, Perijt † fortitudo mea, & spes mea à Domino. ZAIN. Recordare paupertatis,
C & † mœstitiæ meæ, absynthij & fellis. ZAIN. Memoria memor erit, & tabescet in me anima mea. ZA-
IN. [e] Hæc recolo in corde meo, ideo sperabo. HETH. Misericordiæ Domini quòd non sumus consum-
pti: quia non defecerunt miserationes eius. HETH. [f] Nouæ quotidie, multa est fides tua. HETH. Pars
mea Dominus, dixit anima mea: propterea expectabo eum. TETH. Bonus est Dominus sperantibus in
eum, animæ quærenti illum. TETH. Bonum est præstolari cum silentio salutem Dei. TETH. Bonum
est viro [g] cum portauerit iugum ab adolescentia sua. IOD. Sedebit solitarius & tacebit: quia † portabit su-
D per se. IOD. [h] Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes. IOD. Dabit percutienti se maxillam, saturabi-
tur opprobrijs. CAPH. Quia non repellet in sempiternum Dominus. CAPH. Quia si afflixit, & misere-
bitur secundum multitudinem misericordiarum suarum. CAPH. Non enim humiliauit ex corde suo, &
tristitia affecit filios hominum. LAMED. Vt contereret sub pedibus suis omnes vinctos terræ. LAMED.
Vt declinaret iudicium viri, in conspectu vultus altissimi. LAMED. Vt peruerteret hominem in iudicio
suo, [i] Dominus † non vidit. MEM. [k] Quis est iste, qui dixit † vtique erit, Domino non iubente? MEM. Esa. 45.a
E Ex ore altissimi non egredientur nec mala nec bona. MEM. Quid murmurauit homo viuens, [l] vir pro pec-
catis suis? NVN. Scrutemur vias nostras, & quęramus, & reuertamur ad Dominum. NVN. Leuemus cor
da nostra, cum manibus ad Dominum in cœlos. NVN. Nos iniq; egimus & ad iracũdiam prouocauimus:
iccircò tu † non pepercisti. SAMECH. Operuisti furore, & percussisti nos: occidisti, nec pepercisti. SA-
MECH. [m] Opposuisti nubem tibi, ne transeat oratio. SAMECH. Eradicationem & abiectionem posui-
sti me in medio populorum. PHE. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici nostri. PHE. Formi-
F do & laqueus facta est nobis † vastatio & contritio. PHE. Diuisiones aquarum deduxit oculus meus in cõ-
tritione filię populi mei. AIN. Oculus meus † diffluet, nec quiescet, nec admittet requiem. AIN. Donec
† aspiciat & videat Dominus de cœlis. AIN. Oculus meus † mœrore affecit animam meam in [n] cunctis fi-
liabus vrbis meæ. SADE. [o] Venatione † venati sunt me quasi auem inimici mei gratis. SADE. Lapsa est
in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me. SADE. Inundauerunt aquæ super caput meum: dixi,
Perij. COPH. Inuocaui nomen tuum Domine de lacis nouissimis. COPH. Vocem meã audisti: ne auer-
G tas aurem tuam à singultu meo & clamoribus. COPH. Appropinquasti in die quando inuocaui te: dixisti,
Ne timeas. RES. Iudicasti Domine causam animæ meæ, redemptor vitæ meæ. RES. Vidisti Domine
incuruationẽ meam: iudica iudicium meum. RES. Vidisti omnem furorem, vniuersas cogitationes eo-
rum aduersum me. SIN. Audisti opprobria eorum Domine, omnes cogitationes eorum aduersum me.
SIN. Labia insurgentium mihi, & meditationes eorum aduersum me tota die. SIN. Sessionem eorum,
& resurrectionem eorum vide, ego sum † cantio eorum. THAV. Reddes eis vicem Domine iuxta opera
manuum suarum. THAV. Dabis eis † [p] dolorem cordis, laborem tuum † illis. THAV. Persequeris in fu-
rore tuo, & conteres eos sub cœlis Domine.

SCHOLIA.

[a] Ego vir videns.] *Ego sum vir ille, qui vidit afflictionem in virga furoris eius. Et possunt hæc verba referri tam ad personam Ieremiæ (qui interim tamen gerit typum Christi) multas iniurias sustinentis, quàm ad Iudæos in exilium ductos.*

 [b] Con-

[b] Conclusit vias meas.] *Hoc dicitur propter biennalem obsidionem, qua intra vrbis mœnia ab exercitu Chaldæorum veluti capti tenebantur, vt exire non possent, nisi per deuias & obliquas vias.* [c] Filios pharetræ suæ.] *Hebraismus est, pro sagittis.* [d] Confregit lapillis dentes meos.] *Immiscuerunt (inquit) calculos panibus meis, quorum esu attriti sunt dentes mei.* [e] Hæc recolo in corde meo.] *Vel, hoc pacto solabor cor meum, & expectabo. Tam consolationis & fidei argumenta efficacissima ponit. Ait ergo, Hanc consolationem inducam in cor meum, videlicet quod ex misericordijs Domini est, quòd non sumus consumpti. Est diuina benevolentia abyssus quædam, qua etiam immerentes bonis afficit, qua miseretur & ignoscit, propter semetipsum, Multa sunt scelera nostra, & ob id Dei iusti ferimus verbera, sed maior est bonitas Dei, qua nos gratis creauit: & gratis seruabit. Ipse in dies multiplicat misericordias suas, & nouis miserationibus præuenit nos, & fidelis promissionibus est in suis.* [f] Nouæ.] *Singulis diebus nouæ apparent misericordiæ. Et quod sequitur. Multa est fides tua, hoc est, in seruandis promissis fidelitas.* [g] Cum portauerit.] *Si erudierit animam suam ad ferendum iugum præceptorii pueritia sua. Quod enim recens testa semel imbibit, huius rei odorem non facile amittet. Si tali homini iugo Domini assueto acciderit aliquid aduersitatis, tacebit, ac feret patienter, quicquid Dominus imposuerit ei, humiliabit se, & non desperabit, quin & maxillam obuertet pro Domino percutienti se, sciens temporariam esse afflictionem, & non perpetuam: & quòd Deus non ex animi sententia nos punit, sed necessitate peccati nostri adactus, nõ vt nos totos deleat, sed vt seruet. Et hoc significatur per hæc verba. Vt conterat sub pedibus suis omnes vinctos terræ. Continuantur enim hæc verba ad præcedentem sententiam. Vocat autem vinctos terræ, qui catbenis peccatorum reuincti in terra iacent. Non igitur conterit Deus hominem, nec fallit eum in iudicio, vel declinat, seu peruertit iudicium eius, immò dedignatur hæc videre, qui amat iudicium & iustitiam.* [h] Ponet in puluere os suum.] *Hoc est, pronus in terram orabit, ponit conditiones patientis hominis, qui non murmurat, proijcit omnem solicitudinem suam in Deum, humiliat se, alacris est ad toleranda mala, vt ad saturitatem vsq; ferat opprobria.* [i] Dominus non vidit.] *Hoc est, nunquam visum est illi facere huiusmodi.* [k] Quis est iste.] *Quis est, qui audeat dicere, casu quodam res fieri, negetq; prouidentiam Dei se extendere ad hæc inferiora, quasi nec bona nec mala à Deo proficiscantur.*
[l] Vir pro peccatis suis.] *Hoc est, in excusatione peccatorum suorum.* [m] Opposuisti nubem.] *Hoc est, tanquam nubem ponens inter te & nos, aduersus es.* [n] Pro cũctis filiabus vrbis meæ.] *Hoc est, propter tot deuastatas ciuitates regni Iuda.* [o] Venatione venati sunt me.] *Hactenus destructionem Ierusalem deplorauit, variis personis assumptis, tandem & suũ casum deplorat. Alij hæc intelligenda putant de Iudæis in captiuitate multas iniurias sustinẽtibus.* [p] Dolorem cordis.] *Alius vertit: cor obstinatum. Hebraismus habet. Clypeum cordis, hoc est, velamen excæcans.*

CAPVT IIII.

ALEPH.

[a] Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum? BETH. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo: quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? GIMEL. [b] Sed & lamiæ nudauerunt mammam, lactauerunt catulos suos: filia populi mei crudelis quasi struthio in deserto. DALETH. Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. HE. Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in vijs: qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. VAV. [c] Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum: quæ subuersa est in momento, & non † afflixerũt eam manus. ZAIN. [d] Candidiores Nazarei eius niue, nitidiores lacte, rubicundiores gemmis, sapbiro pulchriores. HETH. Denigrata est super carbones facies eorum, & non sunt cogniti in plateis: adhæsit cutis eorum ossibus: aruit, & facta est quasi lignum. TETH. Melius fuit occisis gladio quàm interfectis fame, quoniam isti extabuerunt consumpti à sterilitate terræ. IOD. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. CAPH. Compleuit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem in Sion, & deuorauit fundamenta eius. LAMED. Non crediderunt reges terræ, & vniuersi habitatores orbis quòd ingrederetur hostis & inimicus per portas Ierusalem. MEM. [e] Propter peccata prophetarum eius, & iniquitates sacerdotum eius, qui effuderunt in medio eius sanguinem iustorum. NVN. [f] Errauerunt cœci in plateis, polluti sunt sanguine: † præ abominatione nemo poterat contingere lacinias eorum. SAMECH. Recedite polluti, clamauerunt eis, Recedite, abite, nolite tangere. † Inquinati quippe sunt & conspurcati: [g] dixerunt inter gentes, Non addent vltrà, vt habitent †. PHE. † Ira Domini diuisit eos, non addet, vt respiciat eos. Facies sacerdotum non erubuerunt, neque senum miserti sunt. AIN. Cum adhuc † expectaremus, defecerunt oculi nostri [h] ad auxilium nostrum vanum: cum respiceremus attenti ad gentem, quæ saluare nos non poterat. ZADE. Insidiati sunt vestigijs nostris in itinere platearum nostrarum, appropinquauit finis noster, completi sunt dies nostri, quia venit finis noster. COPH. Velociores fuerunt persecutores nostri aquilis cœli: super montes persecuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis. RES. [i] Spiritus oris nostri CHRISTVS Domini captus est in † foueis eorum: cui diximus, In vmbra tua viuemus in gentibus. SIN. [k] Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoque perueniet calix, inebriaberis atque nudaberis. THAV. [l] Cõpleta est iniquitas tua filia Sion, non addet vltrà, vt transmigret te. Visitauit iniquitatem tuam filia Edom, discooperuit peccata tua.

SCHOLIA.

[a] Quomodo obscuratum est aurum.] *Certum est ex 2. Paralipom. 35. Ieremiam deplorasse speciali carmine mortem regis Iosiæ, qui occisus est, quando exiuit, vt dimicaret in campo Mageddo contra Necao regem Ægypti: vnde dicit. Vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè, cuius omnes cantores, & cantatrices vsque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant, & quasi lex obtinuit in Israel. Ecce scripta est in lamentationibus, & infra dicit. Spiritus oris nostri Christus Domini captus est. Porrò cum rex defletur, defletur & populus, qui simul peryt cum rege. Ex hac historia manuducimur ad mortem Christi recogitandam, cuius figuram bonus ille rex, qui pro populo suo mortuus est, gessit.*

Ab admiratione incipit, quomodo fiat, vt optimi perierint: nam tres filij regis, postea captiui facti sunt, quod præuidebat propheta, nam Ioachaz captus in Ægyptum ductus est, Ioacim in Ierusalem peryt. Sedechias quoque exoculatus in Babylone peryt. Chaldæus interpres ad literam exponit de templo Ierosolymitano, auro & gemmis ornato, sed quòd per Chaldæos fuit destructum & exustum. Per filios verò auro ornatos, & compositos, Hebræi communiter intelligunt filios Iosiæ.
[b] Sed & lamiæ.] *Vel, dracones, & videtur is esse sensus, Etiam fera animalia lactant catulos suos, & filia populi mei non lactauit, quia non potuit. Ferunt lamias specie humana esse, sed crudelissimas bestiarum. Sunt, qui putent hoc, quod ait, filia populi mei crudelis, impletum fuisse, cum matres coxerunt filios. Potuit & appellari crudelis, quia maluit extrema quæq; pati, quàm se dedere regi Babylonio, sicut hortabatur propheta.* [c] Et maior facta est iniquitas.] *Hoc est, pœna iniquitatis. Vel, ex vsione (inquit) licet aduertere, peccatum Iudæorum grauius fuisse peccato Sodomæ. Huius rationem addit Chaldæus interpres, quòd videlicet non habitauerint prophetæ in Sodoma, qui eos retraherent ab impijs conatibus. Fuit præterea Sodomitarum supplicium leuius, quòd non longa obsidione fuerunt excarnificati, quando quidem manus humanæ non fuerunt adhibita, sed in momento fuerunt per manus angelicas subuersi. Et hoc est, quod ait, Et non afflixerunt eam manus.* [d] Candidiores Nazaræi eius.] *Nazaræi tempore voti abstemij, & magnæ præterea abstinentiæ fuere, vnde maciem contrahere solebant. Verum tanta erat terræ benedictio, vt lauti & nitidi viderentur, iam in depopulatione vrbis, viderentur exangues, deformes & nigri, quasi qui caminis purgandis operam impenderint.* [e] Propter peccata prophetarum.] *Quando in malo meminit propheta rum, semper accipiendum est de malis prophetis, sicut hoc loco, vbi ponit causas destructionis Ierusalem. Fuit (inquit) Ierusalem tam munita præsidijs, vt impossibilis videretur gentibus expugnatio eius, præsertim cum iam per orbem diuulgatum esset, potentes reges ante illam periclitatos fuisse, id quod Sennacherib regi Assur accidit.* [f] Errauerunt cœci.] *Hebræi ex his verbis hunc eliciunt sensum. Cæci oberrantes in plateis polluti sunt in sanguine occisorum, vt dedignarentur accedentes contingere vestes illorum, sed dicerent, discedite à nobis quoniam polluti estis sanguine. Quod autem nos vertimus, conspurcati. Alius vertit, amoti sunt.* [g] Dixerunt inter gentes.] *Existimauerunt (inquit) actum esse de Iudæorũ gente, neque eos vltra colligendos.* [h] Ad auxilium nostrum vanum.] *Ad Ægyptios scilicet, auxilium humanum, dimittentes auxilium diuinum.* [i] Spiritus oris nostri.] *Chaldæus interpres, & alij Rabini hunc versum intelligunt de ipsa rege pijssimo, sub quo Iudæi pacem & quietem habere sperabant, sed captus & occisus ab hostibus fruſtrauit eos spe sua.*
[k] Gaude & lætare.] *Ironicè. Ad horam (inquit) lætare, quoniam & tu bibes calicem furoris Domini.* [l] Completa est iniquitas tua.] *Per completam iniquitatem etiam Iudæi intelligunt tempus Messiæ, quando perfectè abolendas iniquitates filiæ Sion prophetæ vaticinati sunt. Per illud enim quod ait, non addet vltrà, vt transmigret te, & quod de Edom vaticinatur, omnium gentium futuram redemptionem subindicat.*

ORATIO IEREMIÆ.

CAPVT V.

A REcordare Domine quid acciderit nobis: intuere & respice opprobrium nostrum. Hæreditas nostra versa est ad alienos: domus nostræ ad extraneos. Pupilli facti sumus absque patre: matres nostræ quasi viduæ. Aquam nostram pecunia bibimus: ligna nostra precio comparauimus. [a] Ceruicibus
B nostris minabamur, lassis non dabatur requies. [b] Ægypto dedimus manum, & Assyrijs: vt saturaremur pane. Patres nostri peccauerunt & non sunt: & nos iniquitates eorum portauimus. Serui dominati sunt nostri: non fuit qui redimeret de manu eorum. [c] In animabus nostris afferebamus panem nobis, à facie gladij in deserto. Pellis nostra, quasi clibanus, † denigrata est à facie † ardoris famis. Mulieres in Sion humiliauerunt,
& virgines in ciuitatibus Iuda. Principes manu † eorum suspensi sunt: facies senum non erubuerunt. † Ado-
C lescentes ad molendum rapuerunt: & pueri [d] in ligno corruerunt. Senes defecerũt de portis: iuuenes de choro psallentium. Defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster. [e] Cecidit corona capitis nostri: væ nobis quia peccauimus. Propterea mœstum factum est cor nostrum, ideò contenebrati sunt oculi nostri. Propter montem Sion, quia disperijt: vulpes ambulauerunt in eo. Tu autem Domine in æternum
D permanebis, solium tuum in generatione & generationem. Quare in perpetuum obliuiscẽris nostri? derelinques nos in longitudine dierum? Conuerte nos Domine ad te, & conuertemur: innoua dies nostros, sicut à principio. Sed proijciens repulisti nos, iratus es contra nos vehementer.

SCHOLIA.

[a] Ceruicibus nostris minabamur.] *Hoc est, durum captiuitatis & seruitutis iugum impositum est nobis.* [b] Ægypto dedimus manum.] *Hoc est, hostibus nostris supplices facti sumus, vt saturaremur panibus.* [c] In animabus nostris afferebamus panem.] *Hoc est, & ex agris nostris non licuit sine mortis discrimine afferre ea, quibus ventrem expleremus. Illud ergo, in animabus nostris, idem est, quod, cum discrimine vitæ, timentes scilicet ab insidijs hostis in deserto.* [d] In ligno corruerunt.] *Hoc est, sub grauiori onere, quàm ferre possent, pressi sunt, vt deficientibus viribus, sub oneribus corruerent.* [e] Cecidit corona.] *Templum & cultus.*

PROPHETIA BARVCH.

CAPVT I.

T hæc verba libri, quæ ſcripſit Baruch, filius Neriæ, filij Maaſiæ, filij Sedechiæ, filij Sedei, filij Helchiæ in Babylonia, in anno quinto, in ſeptimo die menſis in tempore quo ceperunt Chaldæi Ieruſalem, & ſuccenderunt eam igni. Et legit Baruch verba libri huius ad aures Iechoniæ filij Ioacim regis Iuda, & ad aures vniuerſi populi venientis ad librum: & ad aures potentium filiorum regũ, & ad aures presbyterorũ, & ad aures populi, & à minimo vſq; ad maximum eorũ omnium habitantium in Babylonia, ad flumẽ Sodi. Qui audientes plorabant, & ieiunabant, & orabant in conſpectu Dñi. Et collegerunt pecuniam, ſecundum quòd potuit vniuſcuiuſq; manus: & miſerunt in Ieruſalem ad Ioacim filium Helchię filij Salom ſacerdotem, & ad ſacerdotes, & ad omnẽ populum qui inuenti ſunt cum eo in Ieruſalem, cũ acciperet vaſa templi Dñi, quę ablata fuerant de templo, reuocare in terra Iuda decima die menſis Siban, vaſa argentea, quæ fecit Sedechias filius Ioſiæ rex Iuda poſtea q̃ cepiſſet Nabuchodonoſor rex Babylonis Iechoniam, & principes, & vinctos, & potentes, & populum terræ ab Ieruſalem, & duxit eos in Babylonẽ. Et dixerũt, Ecce miſimus ad vos pecunias, de quibus emite holocauſtomata, & thus, & [a] facite †Minha, & offerte pro peccato ad aram Dñi Dei noſtri: & orate pro vita Nabuchodonoſor regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius, vt ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram: & vt det Dñs virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, vt viuamus ſub vmbra Nabuchodonoſor regis Babylonis, & ſub vmbra Balthaſar filij eius, & ſeruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conſpectu eorum. Et pro nobiſipſis orate ad Dñm Deũ noſtrum: quia peccauimus Dño Deo noſtro, & non eſt auerſus furor eius à nobis vſq; in hũc diẽ. Et legite librũ iſtum, quem miſimus ad vos recitari in templo Dñi in die ſolenni & in die opportuno: & dicetis, Dño Deo noſtro iuſtitia: nobis autem cõfuſio faciei noſtrę, ſicut eſt dies hæc, omni Iuda & habitantibus in Ieruſalem, regibus noſtris, & principibus noſtris, & ſacerdotibus noſtris, & prophetis noſtris, & patribus noſtris. Peccauimus ante Dominum Deum noſtrum, & non credidimus, diffidentes in eum: & non fuimus ſubiectibiles il li, & nõ audiuimus vocem Domini Dei noſtri, vt ambularemus in mandatis eius, quæ dedit nobis. A die qua eduxit patres noſtros de terra Ægypti, vſque ad diem hanc eramus incredibiles ad Dominum Deum noſtrũ: & diſſipati receſimus, ne audiremus vocem ipſius. Et adhæſerunt nobis multa mala: & maledictiones: quæ conſtituit Dominus Moyſi ſeruo ſuo: qui eduxit patres noſtros de terra Ægypti, dare nobis terram fluentem lac & mel, ſicut hodierna die. Et non audiuimus vocem Domini Dei noſtri ſecundum omnia verba prophetarum quos miſit ad nos: abiuimus vnuſquiſque in ſenſum cordis noſtri maligni, operari dijs alienis, facientes mala ante oculos Domini Dei noſtri.

Infra 2.b

Danie. 9.a

Deut. 28.b

SCHOLIA.

[a] Acite Minha.] *Fiebat hoc ſacrificium de liquidis atque farina ſimilagine a conſperſa oleo. Corruptus erat hic locus, & dicebat, facite manna.*

CAPVT II.

PRopter quod ſtatuit Dominus Deus noſter verbum ſuum quod locutus eſt ad nos, & ad iudices noſtros, qui iudicauerunt in Ieruſalem, & ad reges noſtros, & ad principes noſtros, & ad omnem Iſrael & Iuda: vt adduceret Dominus ſuper nos mala magna, quæ non ſunt facta ſub cœlo quemadmodum facta ſunt in Ieruſalem, ſecundum, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi, vt manducaret homo carnes filij ſui, & carnes filiæ ſuæ. Et dedit eos ſub manu regum omnium, qui ſunt in circuitu noſtro in improperium & in deſolationem, in omnibus populis in quibus nos diſperſit Dominus, Et facti ſumus ſubtus, & non ſupra: quia peccauimus Domino Deo noſtro, non obediendo voci ipſius. Domino Deo noſtro iuſtitia: nobis autem & patribus noſtris confuſio faciei, ſicut eſt dies hæc. Quia locutus eſt Dominus ſuper nos omnia mala hęc, quę venerunt ſuper nos: & non ſumus deprecati faciem Domini Dei noſtri, vt reuerteremur vnuſquiſque noſtrum à vijs noſtris peſsimis. Et vigilauit Dominus in malis, & adduxit ea ſuper nos: quia iuſtus eſt Dominus in omnibus operibus ſuis, quæ mandauit nobis: & non audiuimus vocem ipſius, vt iremus in præceptis Dñi, quæ dedit ante faciẽ noſtram. Et nunc Dñe Deus Iſrael, qui eduxiſti populũ tuum de terra Ægypti in manu valida, & in ſignis, & in prodigijs, & in virtute tua magna, & in brachio excelſo, & feciſti tibi nomẽ ſicut eſt dies iſte: peccauimus, impiè egimus, iniquè geſsimus Domine Deus noſter in omnibus iuſtitijs tuis. Auertatur ira tua à nobis: quia derelictí ſumus pauci inter gentes, vbi diſperſiſti nos. Exaudi Domine preces noſtras, & orationes noſtras, & educ nos propter te: & da nobis inuenire gratiam ante faciem eorum, qui nos abduxerunt: vt ſciat omnis terra quòd tu es Dominus Deus noſter: & q̃ nomen tuum inuocatum eſt ſuper Iſrael, & ſuper genus ipſius. Reſpice Domine de domo ſancta tua in nos, & inclina aurem tuã, & exaudi. Aperi oculos tuos, & vide: quod non mortui, qui ſunt in inferno, quorum ſpiritus acceptus eſt à viſceribus ſuis, dabunt honorẽ & iuſtificationem Dño: ſed anima, quę triſtis eſt ſuper magnitudinẽ mali, & incedit curua & infirma: & oculi deficientes: & anima eſuriens dat tibi gloriam & iuſtitiã Dño. Quia nõ ſecundũ iuſtitias patrũ noſtrorum nos fundimus preces & petimus miſericordiã ante conſpectũ tuum Dñe Deus noſter: ſed quia miſiſti irã tuã, & furorem tuum ſuper nos, ſicut locutus es in manu puerorum tuorũ prophetarũ, dicens, Sic dicit Dñs. Inclinate humerũ veſtrũ, & ceruicẽ veſtrã, & opera facite regi Babylonis: & ſedebitis in terra quã dedi patribus veſtris.

Deut. 28.f

Supra. 1.c

Deut. 26.d

Iſa. 63.d

Pſal. 113.

veſtris. Quòd ſi nõ feceritis, nec audieritis vocem Dñi Dei veſtri operari regi Babyloniæ: defectionem veſtrã faciam de ciuitatibus Iuda, & à foris Ieruſalem, & auferam à vobis vocem iucũditatis, & vocem gaudij, & vocem ſponſi & vocem ſponſæ, & erit omnis terra ſine veſtigio ab inhabitantibus eam. Et non audierunt vocẽ tuam, vt operarentur regi Babylonis: & ſtatuiſti verba tua, quæ locutus es in manibus puerorum tuorum prophetarum, vt transferrentur oſſa regum noſtrorum, & oſſa patrum noſtrorum de loco ſuo, & ecce proiecta ſunt in calore ſolis, & in gelu noctis: & mortui ſunt in doloribus peſsimis, in fame & in gladio, & in emiſſione. Et poſuiſti templum, in quo inuocatum eſt nomen tuum in ipſo, ſicut hæc dies, propter iniquitatem domus Iſrael & domus Iuda. Et feciſti in nobis Domine Deus noſter ſecundum omnem bonitatem tuam, & ſecundum omnem miſerationem tuam illã magnam: ſicut locutus es in manu pueri tui Moyſi in die qua præcepiſti ei ſcribere legem tuam coram filijs Iſrael, dicens, Si non audieritis vocem meam multitudo hæc magna conuertetur in minimam inter gentes, quo ego eos diſpergam: quia ſcio quòd me non audiet populus: populus eſt enim dura ceruice, & conuertetur ad cor ſuum in terra captiuitatis ſuæ: & ſcient quòd ego ſum Dominus Deus eorum: & dabo eis cor, & intelligent: & aures, & audient. Et laudabunt me in terra captiuitatis ſuæ, & memores erunt nominis mei. Et auertent ſe à dorſo ſuo duro & à malignitatibus ſuis: quia reminiſcentur viam patrum ſuorum, quia peccauerunt in me. Et reuocabo illos in terram quam iuraui patribus eorum Abraham, Iſaac, & Iacob, & dominabuntur eius: & multiplicabo eos, & non minorabuntur. Et ſtatuã illis teſtamentum alterum ſempiternum, vt ſim illis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non mouebo amplius populum meum filios Iſrael à terra quam dedi illis.

Ierc. 19.b

Leuit. 26.b

Deut. 28.b

CAPVT III.

ET nunc Domine omnipotẽs Deus Iſrael, anima in anguſtijs, & ſpiritus anxius clamat ad te: audi Domine & miſerere. quia Deus es miſericors, & miſerere noſtri: quia peccauimus ante te. Quia tu ſedes in ſempiternũ, & nos peribimus in æuum? Domine omnipotens Deus Iſrael audi nunc orationẽ mortuorum Iſrael, & filiorum ipſorum, qui peccauerunt ante te, & non audierunt vocem Domini Dei ſui, & agglutinata ſunt nobis mala. Noli meminiſſe iniquitatum patrum noſtrorũ, ſed memento manus tuæ & nominis tui in tempore iſto: quia tu es Dominus Deus noſter: & laudabimus te Domine, quia propter hoc dedi timorem tuum in cordibus noſtris, & vt inuocemus nomen tuum, & laudemus te in captiuitate noſtra, quia conuertimur ab iniquitate patrum noſtrorum qui peccauerunt ante te. Et ecce nos in captiuitate noſtra ſumus hodie, qua nos diſperſiſti in improperium, & in maledictum, & in peccatum, ſecundũ omnes iniquitates patrum noſtrorũ qui diſceſſerunt à te Domine Deus noſter. Audi Iſrael mandata vitæ: auribus percipe, vt ſcias prudentiam. Quid eſt Iſrael quòd in terra inimicorum es? inueteraſti in terra aliena, coinquinatus es cum mortuis, deputatus es cum deſcendentibus in infernum. Dereliquiſti fontẽ ſapientiæ. Nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtiq; in pace ſuper terram. Diſce vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit intellectus: vt ſcias ſimul vbi ſit longiturnitas vitę & victus, vbi ſit lumen oculorum, & pax. Quis inuenit locũ eius? & quis intrauit in theſauros eius? Vbi ſunt principes gentium, & qui dominantur ſuper beſtias, quæ ſunt ſuper terram? qui in auibus cœli ludunt, qui argentum theſaurizant & aurum in quo cõfidunt homines, & nõ eſt finis acquiſitionis eorum? qui argentum fabricant & ſoliciti ſunt, nec eſt inuentio operum illorum? exterminati ſunt, & ad inferos deſcenderunt, & alij loco eorum exurrexerunt. Iuuenes viderunt lumen, & habitauerunt ſuper terram, viam autẽ diſciplinę ignorauerunt neq; intellexerunt ſemitas eius, neq; filij eorum ſuſceperunt eam, à facie ipſorum longè facta eſt: non eſt audita in terra Chanaán, neque viſa eſt in Theman: filij quoq; Agar qui exquiſierũt prudẽtiam, quę de terra eſt, negotiatores terrę, & themã, & fabulatores, & exquiſitores prudẽtię & intelligẽtię, viã autẽ ſapiẽtię neſcierũt, neq; cõmemorati ſunt ſemitas eius. O Iſrael q̃ magna domus eſt Dei, & ingẽs locus poſſeſsionis eius? Magnus eſt, & nõ habet finẽ: excelſus & immẽſus. Ibi fuerunt gigantes nominati illi qui ab initio fuerunt, ſtatura magna, ſciẽtes bellum. Nõ hos elegit Dñs, neq; viam diſciplinæ dedit illis, propterea perierunt. Et quoniam non habuerunt ſapiẽtiam, interierunt propter ſuam inſipientiam. Quis aſcendit in cœlum, & accepit eam, & deduxit eam de nubibus? Quis transfretauit mare: & inuenit illam, & attulit illam ſuper aurum electum? Non eſt qui poſsit ſcire vias eius, neq; qui exquirat ſemitas eius: ſed qui ſcit vniuerſa, nouit eã, & adinuenit eã prudentia ſua: Qui præparauit terrã in æterno tempore, & repleuit eam bipedibus, & quadrupedibus: qui emittit lumen: & vadit, & vocauit illud, & obedit illi in tremore. Stellæ autem dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lætatæ ſunt: vocatę ſunt, & dixerunt, Adſumus. Et luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Hic eſt Deus noſter, & non æſtimabitur alius aduerſus eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tradidit illam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hęc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt.

CAPVT IIII.

HIc liber mandatorum Dei, & lex, quæ eſt in æternum: omnes, qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem. Conuertere Iacob, & apprehende eam, ambula per viã ad ſplendorem eius contra lumen eius. Ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ. Beati ſumus Iſrael: quia, quæ Deo placent, manifeſta ſunt vobis. Animæquior eſto populus Dei, memorabilis Iſrael. Venundati eſtis gentibus, non in perditionem: ſed propter quod in ira Dei ad iracundiam prouocaſtis Dominum, tradituq; eſtis aduerſarijs. Exacerbaſtis enim eum, qui fecit vos, Deum æternum, immolantes demonijs & non Deo. Obliti enim eſtis eum, qui nutriuit vos, & contriſtaſtis nutricem veſtrã Ieruſalem. Vidit enim iracundiam à Deo venientem vobis, & dixit, Audite confines Sion, adduxit enim mihi Deus luctum magnum: vidi enim captiuitatem populi mei, filiorum meorum & filiarum quam ſuperduxit illis æternus. Nutriui enim illos cum iucunditate: dimiſi autem illos cum fletu & luctu. Nemo gaudeat ſuper

me

me viduã & desolatam: à multis derelicta sum propter peccata filiorꝝ meorꝝ, quia declinauerunt à lege Dei, C
Iustitias autem ipsius nescierunt, nec ambulauerunt per vias mandatorꝝ Dei, neq; per semitas veritatis eius
cũ iustitia ingressi sunt. Veniãt cõfines Sion, & memorẽtur captiuitatẽ filiorꝝ & filiarum mearꝝ, quam super
duxit illis æternus. Adduxit super illos gẽtem de longinquo, gentẽ improbam, & alterius linguæ: qui nõ sunt
reuersi senẽ, neq; puerorꝝ miserti sunt: & adduxerũt dilectos viduę, & à filijs vnicã desolauerunt. Ego autem D
quid possum adiuuare vos? Qui enim adduxit super vos mala, ipse vos eripiet de manibus inimicorꝝ vestrorꝝ.
Ambulate filij, ambulate: ego enim derelicta sum sola. Exui me stola pacis, indui aũt me sacco obsecrationis:
& clamabo ad altissimum in diebus meis. Animæquiores estote filij, clamate ad Dñm, & eripiet vos de ma-
nu principũ inimicorꝝ. Ego enim speraui in eternũ salutẽ vestram: & venit mihi gaudium à sancto super mi E
sericordia, quę veniet vobis ab eterno salutari nostro. Emisi enim vos cũ luctu & ploratu: reducet autẽ vos
mihi Dñs cũ gaudio & iucunditate in sempiternũ. Sicut enim viderũt vicinę Sion captiuitatẽ vestrã à Deo,
sic videbunt & in celeritate salutẽ vestrã à Deo, quæ superueniet vobis cũ honore magno, & splendore æter-
no. Filij patienter sustinete iram, quę superueniet vobis. Persecutus est enim te inimicus tuus, sed citò videbis F
perditionẽ ipsius: & super ceruices ipsius ascendes. Delicati mei ambulauerũt vias asperas: ducti sunt enim, vt
grex direptus ab inimicis. Animęquiores estote filij, & proclamate ad Dñm: erit enim memoria vestra ab eo
qui duxit vos. Sicut enim fuit sensus vester, vt erraretis à Deo: decies tantũ iterꝝ conuertentes requiretis eum.
Qui enim induxit vobis mala, ipse rursum adducet vobis sempiternã iucunditatẽ cum salute vestra. Animę- G
quior esto Ierusalẽ: exhortatur enim te qui te nominauit. Nocentes peribunt, qui te vexauerũt: & qui gratu-
lati sunt in tua ruina, punientur. Ciuitates, quibus seruierunt filij tui, punientur, & quæ accepit filios tuos.
Sicut enim gauisa est in tua ruina, & lætata est in casu tuo: sic contristabitur in sua desolatione. Et amputabi-
tur exultatio multitudinis eius, & gaudimoniũ eius erit in luctum. Ignis enim superueniet ei ab eterno in lõ-
Infra 5.b giturnis diebus, & habitabitur à dęmonijs in multitudine temporis. Circunspice Ierusalem ad orientem, vi-
de iucunditatem à Deo tibi venientem. Ecce enim veniunt filij tui quos dimisisti dispersos: veniunt collecti
ab oriente vsq; ad occidentem, in verbo sancti gaudentes in honorem Dei.

CAPVT V.

EXue te Ierusalẽ stola luctus & vexationis tuę: & indue te decore & honore, quę à Deo tibi est sempiter A
na gloria. Circũdabo te diploide à Deo iustitię, & impone mitrã capiti tuo honoris eterni. Deus enim
ostẽdit splendorẽ suũ in te, qui sub cœlo est. Nominabitur enim tibi nomẽ tuũ a Deo in sempiternũ.
Pax iustitię & honor pietatis. Exurge Ierusalẽ, & sta in excelso: & circunspice ad orientẽ, & vide collectos fi-
lios tuos ab oriẽte sole vsq; ad occidẽtẽ in verbo sancti gaudẽtes Dei memoria, Exierunt enim abs te pedibus
Supra 4.g ducti ab inimicis: adducet aũt illos Dñs ad te portatos in honorẽ sicut filios regni. Cõstituit enim Deus humi B
liare omnẽ montẽ excelsum, & rupes perennes, & cõualles replere inęqualitate terrę: vt ambulet Israel diligẽ
ter in honorẽ Dei. Obumbrauerunt aũt, & syluę, & omne lignũ suauitatis Israel mãdato Dei. Adducet enim
Deus Israel cum iucunditate in lumine maiestatis suæ cum misericordia & iustitia, quæ est ex ipso.

EXEMPLVM EPISTOLÆ, QVAM MISIT IEREMIAS AD ABDVCENDOS captiuos in Babyloniam à rege Babyloniorum, vt annuntiaret illis secundum quod præceptum est illi à Deo.

CAPVT VI.

Sa.13.&14 Isa.44.b PRopter peccata, quæ peccastis ante Deũ, abducemini in Babyloniã captiui à Nabuchodonosor rege A
Babyloniorꝝ, Ingressi itaq; in Babylonẽ, eritis ibi annis plurimis & tẽporibus longis vsq; ad genera-
tiones septẽ, post hoc autẽ educam vos inde cum pace. Nunc autẽ videbitis in Babylonia deos aureos
& argẽteos, & lapideos & ligneos in humeris portari, ostentãtes metũ gentibus. Videte ergo ne & vos similes
efficiamini factis alienis, & metuatis, & metus vos capiat in ipsis: visa itaq; turba de retro & ab ante adorãtes,
dicite in cordibus vestris, Te oportet adorari Dñe. Angelus autẽ meus vobiscũ est, ipse autẽ exquirã animas
vestras. Nã ligna ipsorũ polita à fabro, ipsa etiã inaurata & inargentata falsa sunt: & non possunt loqui. Et si-
cut virgini amanti ornamenta: ita accepto auro fabricati sunt. Coronas certè aureas habent super capita sua
dij illorꝝ: vnde subtrahunt sacerdotes ab eis aurũ & argẽtũ, & erogant illud in semetipsis. Dant autẽ & ex ipso B
prostitutis, & meretrices ornant: & iterũ cũ receperint illud à meretricibus ornant deos suos. Hi autẽ non li-
berãtur ab ærugine & tinea. Opertis autẽ illis veste purpurea, extergunt facię ipsorꝝ propter puluerẽ domus,
qui est plurimus inter eos. Sceptrum autẽ habet, vt homo sicut iudex regionis qui in se peccãtẽ nõ interficit.
Habet etiã in manu gladiũ & securim: se autẽ de bello, & à latronibus non liberat. Vnde vobis notũ sit q̃ nõ
sunt dij. Nõ ergo timueritis eos. Sicut enim vas hominis cõfractũ inutile efficitur: tales sunt & dij illorũ. Cõ-
stitutis illis in domo, oculi eorꝝ pleni sunt puluere à pedibus introeuntium. Et sicut alicui, qui regẽ offendit,
circũseptæ sunt ianuæ, aut sicut ad sepulchrũ adductũ mortuũ: ita tutantur sacerdotes ostia clausuris & seris,
ne à latronibus expoliẽtur. Lucernas accẽdunt illis, & quidẽ multas: ex quibus nullã videre possunt, sunt autẽ B
sicut trabes in domo. Corda verò eorꝝ dicunt elingere serpentes qui de terra sunt, dũ comedũt eos & vestimẽ
tũ ipsorꝝ, & nõ sentiũt. Nigrę fiunt facies eorꝝ à fumo, qui in domo fit supra caput eorꝝ, & supra caput eorũ
volant noctuæ, & hirundines, & aues etiam, similiter & cattæ. Vnde sciatis q̃ nõ sunt dij. Ne ergo timueritis
Isa.46.b eos. Aurũ etiam, quod habent, ad speciẽ est, nisi aliquis exterserit ærugineꝝ, nõ fulgebunt: neq; enim dum con
flarentur sentiebant. Ex omni precio empta sunt, in quibus spiritus non ineſt ipsis. Sine pedibus in humeris
portantur, ostentantes ignobilitatẽ suã hominibus. Cõfundãtur etiã qui colũt ea. Propterea si ceciderint in
terrã, à semetipsis nõ cõsurgũt: neq; si quis eũ statuerit rectũ, per semetipsum stabit, sed sicut mortuis † dona illis

D illis apponuntur. Hostias illorũ vendunt sacerdotes ipsorum, & abutũtur: similiter & mulieres eorum decer-
pentes, neq; infirmo, neq; mendicanti aliquid impertiunt, de sacrificijs eorum fœtæ & menstruatæ contin-
gunt, scientes itaq; ex his quòd non sunt dij, ne timeatis eos vnde enim vocãtur dij? Quia mulieres apponũt
dijs argenteis, & aureis, & ligneis: & in domibus eorum sacerdotes sedent, habentes tunicas scissas, & capita,
& barbam rasam, quorum capita nuda sunt. Rugiunt autem clamantes cõtra deos suos, sicut in cœna mor-
tui. Vestimenta eorum auferunt sacerdotes, & vestiunt vxores suas & filios suos. Neq;, si quid mali patiuntur
ab aliquo, neq;, si quid boni, poterunt retribuere: neq; regem constituere possunt, neque auferre. Similiter
neq; dare diuitias possunt, neq; malum retribuere. Si quis illis votum vouerit, & non reddiderit: neq; hoc re-
quirunt. Hominem à morte non liberant: neq; infirmum à potẽtiori eripiunt. Hominem cæcum, ad visum
non restituunt: de necessitate hominem non liberabunt. Viduæ non miserabuntur, neque orphanis benefa-
cient. Lapidibus de monte similes sunt dij illorum, lignei & lapidei, & aurei & argentei. Qui autem colunt
ea, confundentur. Quomodo ergo æstimandũ est, aut dicendum illos esse deos? Adhuc enim ipsis Chaldæis
E non honorantibus ea: qui cum audierint mutum non posse loqui offerunt illud ad Bel, postulantes ab eo lo-
qui: quasi possint sentire qui non habent motum, & ipsi cum intellexerint, relinquent ea: sensum enim non
habent ipsi dij illorum. Mulieres autem circundatę funibus, in vijs sedent succendentes ossa oliuarum. Cum
autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte dormierit cum eo, proximæ exprobrat quòd ea non sit
digna habita, sicut ipsa, neq; funis eius diruptus sit: omnia autem, quæ illis fiunt, falsa sunt. Quomodo æsti-
mandum aut dicendũ est illos esse deos? A fabris autem & ab aurificibus facta sunt. Nihil aliud erunt, nisi id
quòd volunt esse sacerdotes. Aurifices etiam ipsi qui ea faciunt, nõ sunt multi temporis. Nunquid ergo pos-
sunt ea quæ fabricata sunt ab ipsis, esse dij? Rel iquerũt autem falsa & opprobrium postea futuris. Nam cum
superuenerit illis prælium, & mala: cogitant sacerdotes post se, vbi se abscondant cum illis. Quomodo ergo
sentiri debeant quòd dij sunt, qui nec de bello se liberant, neq; de malis se eripiunt? Nam cum sint lignea, &
inaurata, & inargentata, scietur postea quòd falsa sunt ab vniuersis gentibus & regibus: quæ manifesta sunt,
quòd non sunt dij, sed opera manuum hominum, & nullum Dei opus cum illis. Vnde ergo notum est quòd
F non sunt dij, sed opera manuum hominum & nullum Dei opus in ipsis est? Regem regioni non suscitant,
neq; pluuiam hominibus dabunt, Iudicium quoq; non discernent, neq; regiones liberabũt ab iniuria: quia
nihil possunt, sicut corniculæ inter medium cœli & terræ. Etenim cum inciderit ignis in domum deorum
ligneorum, & argenteorum, & aureorum, sacerdotes quidem ipsorum fugient, & liberabuntur: ipsi verò si-
cut trabes in medio comburentur. Regi autem & bello non resistent. Quomodo ergo existimãdum est, aut
recipiendum quod dij sunt? Non à furibus, neq; à latronibus se liberabunt dij lignei, & lapidei, & inaurati,
& inargentati, quibus iniqui fortiores sunt. Aurum & argentum, & vestimentum, quo operti sunt, auferent
illis, & abibunt, nec sibi auxilium ferent. Itaq; melius est esse regem ostentantem virtutem suam: aut vas in
domo vtile, in quo gloriabitur qui possidet illud: vel ostium in domo, quod custodit, quę in pace sunt: quàm
falsi dij. Sol quidem & luna, ac sydera, cũ sint splendida & emissa ad vtilitates, obaudiunt. Similiter & fulgur
cum apparuerit, perspicuum est: idipsum autẽ & spiritus in omni regione spirat. Et nubes quibus cum impe
ratum fuerit à Deo perambulare in vniuersum orbem, perficiũt quod imperatum est eis. Ignis etiam missus
G desuper vt consumat montes & syluas facit quod præceptum est ei. Hæc autem, neq; speciebus, neq; virtuti-
bus vni eorum similia sunt. Vnde neq; existimandum est neq; dicẽdum illos esse deos, quando non possunt
neq; iudicium iudicare, neq; quicquam facere hominibus. Scientes itaque quòd non sunt dij, ne timueritis
eos. Neq; enim regibus maledicent, neq; benedicent: etiam Signa in cœlo gentibus non ostendunt, neque vt
sol lucebunt, neq; illuminabũt vt luna. Bestiæ meliores sunt illis, possunt fugere sub tectum, ac prodesse sibi.
Nullo itaq; modo nobis est manifestum quòd sunt dij: propter quod ne timeatis eos. Nam sicut in cucume-
rario formido nihil custodit: ita sunt dij illorum lignei, & argẽtei, & inaurati. Eodem modo & in horto spi-
na alba, supra quam omnis auis sedet. Similiter & mortuo proiecto in tenebris similes sunt dij illorũ lignei
& inaurati, & inargentati. A purpura quoq; & marmore, quæ supra illos teneant, scietis itaq; quòd, non sunt
dij. Ipsi etiam postremò comeduntur, & erit opprobrium in regione. Melior est homo iustus qui non habet
simulachra: nam erit longè ab opprobrijs.

PROPHETA EZECHIELIS

CAPVT I.

A
B

T FACTVM est in [a] tricesimo anno, in quarto, in quinta mẽsis: cum essem in medio
captiuorum iuxta fluuium Chobar, aperti sunt cœli, & vidi [b] visiones Dei. In quinta
mensis, ipse est annus quintus transmigrationis regis Ioachin, factum est verbum Do-
mini ad Ezechielem filium Buzi sacerdotem in terra Chaldęorum: [c] secus flumen Cho
bar: & facta est super eũ ibi [d] manus Domini. Et vidi, & [e] ecce vẽtus turbinis veniebat
ab aquilone: nubes magna, & ignis inuoluens, & splendor in circuitu eius: & de medio
eius quasi species electri id est de medio ignis. Et ex medio eius [f] similitudo quatuor
animaliũ: & hic aspectus eorum, similitudo hominis in eis. Et quatuor facies vni: & quatuor † alæ vni g Et
pedes eorum pedes recti, & planta pedis eorum quasi planta pedis vituli, & † scintillantes quasi aspectus æris
candentis. Et [h] manus hominis sub † alis eorum in quatuor partibus: & facies & † alas per quatuor partes
habebant.

habebant. [i] Iunctæq; erant pennæ eorum altera ad alteram: [k] non reuertebantur cum incederent: sed vnũquodq; ante faciem suam gradiebatur. [l] Similitudo autem vultus eorũ, facies hominis: & facies leonis à dextris ipsorum quatuor: facies autem bouis, à sinistris ipsorum quatuor: & facies aquilæ ipsorum quatuor. [m] Et facies eorum, & pennæ eorum extentæ desuper: duę † alæ singulorum iungebantur, & duæ tegebant corpora eorum. Et vnumquodq; eorum coràm facie sua ambulabat: vbi erat impetus spiritus: illuc gradiebantur: nec reuertebantur cum ambularent. Et similitudo animalium, & aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium & quasi aspectus lampadarum: hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant, [n] & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis. Cumque aspicerem animalia, [o] apparuit rota vna super terram iuxta animalia, [p] habens quatuor facies. Et aspectus rotarum, [q] & opus earum, quasi visio † Tharsis: & vna similitudo ipsarum quatuor: & aspectus earum & opera, quasi sit [r] rota in medio rotæ. Per quatuor partes earum euntes ibant: & non reuertebantur cum ambularẽt. Statura quoq; erat rotis, & altitudo, & horribilis aspectus: & totũ corpus oculis plenum in circuitu ipsarum quatuor. Cumq; ambularent animalia, ambulabant pariter & rotæ iuxta ea: & cum eleuarẽtur animalia de terra, eleuabantur simul & rotæ. Quocunq; ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabãtur, sequentes eum: [s] spiritus enim vitæ erat in rotis. Cum euntibus ibant, & cum stantibus stabãt: & cum eleuatis à terra, pariter eleuabantur & rotæ, sequentes ea: quia spiritus vitæ erat in rotis. Et similitudo super capita animalium firmamenti, quasi aspectus [t] cristalli horribilis: & extẽsi super capita eorum desuper. Sub firmamento autem pennæ eorum rectæ alterius ad alteram † vnicuique duæ alæ velãtes hinc, & duæ velãtes illinc corpora illorum. Et audiebam sonũ alarum, quasi [u] sonum aquarum multarum, quasi sonum sublimis Dei cum ambularẽt, quasi sonus erat multitudinis, vt sonus castrorum: cumq; starent demittebantur pennę eorum. Nam fiebat vox super firmamentum quod erat super caput eorum, dum stabant, & submittebant alas suas. Et super firmamentum quod erat imminens capiti eorũ, quasi aspectus lapidis saphiri similitudo throni: & super similitudinem throni, similitudo quasi aspectus hominis desuper. Et vidi [x] quasi speciem electri, velut aspectum ignis intrinsecus eius per circuitum: à lumbis eius & desuper: & à lumbis eius vsq; deorsum, vidi quasi speciem ignis splendentis in circuitu. Velut aspectum arcus cum fuerit in nube in die pluuiæ, hic erat aspectus splendoris per gyrum. Hæc visio similitudinis gloriæ Domini.

C D E F G

SCHOLIA.

Ordine prophetam Hieremiam Ezechiel sequitur, vt qui sint eiusdem argumenti et eodem tempore floruerint, Hieremias prior annis & officio. Ezechiel posterior, ille Ierosolymis, hic in Babylone, eadem prædixerunt, atque adeo sibi mutuò prophetias comprobarunt. Nam qui sub Iechonia in Babel migrarant, pœnitentia propè ducti, crimine incredulitatis grauiter solicitati sunt quasi à propheta Hieremia seducti fuissent, cuius persuasione adducti se dederãt Babylonys. Huc enim alioqui pronos impellebant falsi prophetæ. Igitur destructionem Ierusalem affirmatissimè vterque prædicunt, & ferè in hoc vno versatur propheta vsque ad quadragesimum caput. Interim sicut aly prophetæ gentibus quoque Iudææ regionis vicinis, multa aduersa vaticinatur, quo generalem cursum operum Dei deliniaret. Quidam eandem visionem putant huius prophetæ & Esaiæ, sed hunc dicunt magis agrestem, & pluribus exponere, quod ille paucioribus et ciuilius. [a] In tricesimo anno. *Annus triceſimus erat tam à Iubilæo quàm à lege inuenta, decimus enim octauus annus Iosiæ regis Iubilæus erat, quo tempore liber legis, id est Deuteronomium in templo repertus est. Tredecim post in regno idem peregit, et Ioacim filius huius vndecim, in tertio autem mẽse sequentis anni captus est Iechonias. Sunt igitur anni viginti quinque à Iubilæo vsq; ad captum Iechoniam. Cum autem illuxisset quintus annus captiuitatis eius. Sedechias à Ierusalem Babyloniam venit, aut certè misit legatum Elassa, per quem se velut stătuerat Babylonio. Eo tempore in cõsolationem traducti populi propheta gloriam Domini vidit, hac visione repræsentatam, auferendam à templo & loco, quo minus eis molestum esset, quòd præcepto Dei obsecuti per prophetam monentus, sponte in potestatem hostis venissent.* [b] Visiones. *Hoc est, Visiones magnas, sic montes Dei, cedros Dei, vrbs Domini, ignis flammæ Dei, & id genus locutionum pro eximijs ponitur. Visiones, quia non vna sed triplici ordine. Primò effigies animalium, mox rotas & earum motum, postremò firmamẽtum, et virum Hasmalem super eo.* [c] Secus flumen. *Apud fluuios & aquas munda loca esse putãtur, quod idonea sint purificandis corporibus. Chobar. Aly Euphraten, aly peculiarem Babyloniæ fluuium faciunt. Et in psalmo. Super flumina (inquiunt) Babylonis sedimus.* [d] Manus Domini. *Hoc est, spiritus prophetiæ, nam manus organum est agendi.* [e] Et ecce ventus turbinis. *Significatur per hæc iudicium diuinum, quod venturum erat super vrbem & populum, quasi dicat propheta, ecce quàm turbulenta aderunt tempora. Erat & ignis receptus intra nubem, quod significabat terribilem apparitionem diuinam. Sic enim apparuit in Monte Sinai, quando mons ipse ardere videbatur. Sic in psalmo. Nubes & caligo in circuitu eius, iustitia & iudicium correctio sedis eius, & ignis ante ipsum præcedet. In hac autem visione partes tres ecclesiæ significantur. Primò caput est vir, qui sedet super thronum, mox animalia membra iusta ceu vitalia, sunt perfectiores in ecclesia, varijs ornati donis. Rotæ autem infirmiora, & imbecilla membra, quæ tamen etiamnum ad corpus pertinent, vt sunt vulgus credentium, qui in omnia verturtur ad habitum solidioris ecclesiæ. Est autem hæc visio tanta difficultate impedita, vt monuerint Rabini Hebræorum, ne quisquam in eam commentaria scribat, & explicare tẽtet res tam arcanas. Cautum etiam est ab Hebræorum antiquis, nequis ante annum trigesimum, Ezechielis initium, principium Geneseos, & canticum canticorum attingeret.*

[f] Similitudo quatuor animalium. *Non eadem hic figura est, quæ ponitur Apoc. 4. ibi enim sola quatuor animalia, sed non quadricipitia, hic vnumquodq; ex quatuor animalibus ostenditur quadriceps, ita vt ab anteriore parte facies hominis, à dextra leonis, à sinistra bouis, à posteriore aquilæ sit. Vt intelligas similitudinem hominis variatã liniamentis. Vt alia esset explicatissimè hominis, alia leoninæ formæ propior, alia aquilinæ, alia bouinæ. Infra cap. 10. nominat animalia cherubin, cuiusmodi humanas facies instar pueri habuerunt cum aquilinis alis. Ionathas tribuit cuique animali quatuor formas, et cuique formæ facies quatuor, faciebus autem singulis quatuor alas, vnde quatuor animalibus alas 256. affingit. Substantia igitur similitudinis necdum satis explorata est.* [g] Et pedes eorum. *Pedes vndique versum flexiles, atque vndiq; aequabiliter*

liter desinentes, sine genibus suffraginibus & poplitibus, quolibet versum: currere valentes. Vel dictio Hebræa pro rotundo accipitur, vt pes intelligatur respondere cruribus rectis & æquabiliter teretibus. [h] Manus hominis. *Manus humanæ in quatuor lateribus iuxta situm mundi imaginatis, erant sub ipsis alis singulis singulæ. Mũdi autem situs ad prophetæ statum, vt in visione tum erat, pariter congruisse videtur, quod si ad positum animantis, aut etiam faciem rum latera fingeres, tota videtur confundi similitudo. Nam & scriptura, rei sæpe dat latera, non ex ipsius natura, sed ad respectum mũdi, vt in tabernaculo fœderis videre est.* [i] Iunctæque erant. *Ex aduerso binæ alæ hinc atque hinc coniunctim assurgebant: nam ala sinistri lateris in dextram declinabat, & ediuerso, dextra ala in sinistram, donec se contingerent. Et sic binæ facies intermediæ binis alarum complexibus addebantur. Verum non absurdè, vt videtur, hoc versu ad latera faciemum, non mundi neque animalium fortasse licet sumas, aut sit sensus, quod cuique faciei à sinistris supra & infra alæ duæ fuerint, et duæ in dextris etiam, supernè & infernè, superiores faciem, inferiores corpus integebant.* [k] Non reuertebantur. *Vel non vertebãt scintelligitur hic de reflexione faciei.* [l] Similitudo autem vultus. *Vnumquodque animal quatuor facies habuit, à dextris quidem humanam ac leoninam, à sinistris autem faciem vituli & aquilæ.* [m] Et facies eorum, & pennæ eorum. *Hæc particula, & facies eorum, puncto distinguitur à sequentibus. Sic erant (inquit) facies distributæ. Poterat igitur sic verti. Hæ facies eorum. Alæ autem erant supernæ extentæ.* [n] Et reuertebantur. *Hoc est, retrocedebant, sed non reflectebant facies, cum quodlibet animal haberet quatuor, in quatuor mundi partes directas, & quæque facies siue procedendo, siue retrocedendo, in plagam sibi obiectam prospiceret. Aspectus verò fulguris significat cursus velocitatem.* [o] Apparuit rota vna. *Rotam cernit, cum intuetur animalia. Sunt autem rotæ quatuor, vnam, ait, visam, videlicet ad quatuor facies eius, id est, cuiusq; animalis, ideo dicit, iuxta animalia, sic legis, cap. 10. Et vidi, et ecce quatuor rotæ propè cherubim, rota vna propè cherub vnum, & rota altera propè cherub alterum. Illud nota, rotas vidit, sed nihil aliud quàm similitudinem animalium, ita que animalia non erant certò modo finita, sed spectrum diffusum et incondatum, similitudo quædam, & aliquid affine animalibus repræsentabatur. Et quod ait, Super terram, hoc est sub cœlo in sublimitate aeris, vel in pauimento, quod erat per visionem prophetæ obiectum, quasi sedimentum cœli. Id fortasse est, quod nos dicimus, mediam regionem aeris, quæ velut fundamentum firmamenti in prophetæ videntis aspectum incidit. nam cœlos apertos vidit, & conectis in cœlum oculis videbat hanc visionem. Iuxta animalia igitur proximè constitit rota. Vt intelligentiam animalium & rotarum spiritualem, affinitatis habere aliquid intelligas.* [p] Habens quatuor facies. *Vel in quatuor faciebus eius, hoc est, cuiusque animalis.*

[q] Et opus earum. *Opus reliquam dicit corporis factũram, vt ceu corpus & solidum opus, non tantum similitudinaria res considerati apparuerit, & de materia tamẽ nobilissima, nimirum lapidis Tharsis, qui creditur vergere ad colorem olei, aly cerulei autumant. Eius lapidis proprietas fertur adiuuare concoctionem, & iccirco contritus cibo admiscetur.* [r] Rota in medio rotæ. *Hoc est, duæ rotæ sic erant sibi innexæ, vt constituerent crucem, id quod facilè imaginaberis, si cogites eas implicatas quasi duos circulos, ad angulos rectos sese intersecantes. Tales enim cum ferè sphæram constituant, ad omnem plagam sine earum reflexu moueri possunt, id quod duo inserti circuli tibi facile ad oculis demonstrabunt.* [s] Spiritus vitæ erat in rotis. *Ionathas sic vertit. Quasi spiritus creaturarũ (sic enim vocat quatuor animalia) erat in rotis, hoc est, viuebãt sicut animalia, & simul mouebantur cum eis, atque simul consistebant.* [t] Christalli horribilis. *Hoc est, elegantis & admiratione digni. Et quod ait. Quocunque ibat spiritus, &c. Aly verterunt, animus, vel voluntas, quod scilicet irent, quo volebant.* [u] Sonum alarum. *Cum (inquit) animalia incederent, edebant alis suis strepitum horribilem, vt putaremus audire sonum aquarum multarum, aut vocem omnipotentis.* [x] Quasi speciem electri. *Alius vertit formam angeli. Hasmal, quod nomen esse angeli putant, aut animalis ignei loquentis.*

CAPVT II.

A ET vidi, & cecidi in faciem meam: & audiui vocem loquentis. Et dixit ad me, [a] Fili hominis sta super pedes tuos, & loquar tecum. Et ingressus est in me spiritus postquam locutus est mihi, & statuit me supra pedes meos: & audiui loquentem ad me & dicentem. Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel, ad gen-
B tes apostatrices, quæ recesserunt à me. Ipsi & patres eorum præuaricati sunt pactum meum: vsque ad diem hanc. Et filij dura facie & indomabili corde sunt, ad quos ego mitto te: & dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus, Si fortè vel ipsi audiant, & si fortè quiescant: quoniam domus exasperans est, & scient quòd propheta
C fuerit in medio eorum. Tu ergo fili hominis, ne timeas eos, neq; sermones eorum metuas: † quamuis increduli & subuersores sunt tecũ, & [b] cum scorpionibus habitas: verba eorum ne timeas, & vultus eorum ne formides: † quamuis domus exasperans est. Loqueris ergo verba mea ad eos, si fortè audiãt, & quiescant: † quã-
D quam irritatores sunt. Tu autem fili hominis audi quæcunq; loquor ad te: & noli esse exasperãs sicut domus exasperatrix est: aperi os tuum, & comede quæcunq; ego do tibi. [c] Et vidi, & ecce manus missa ad me, in qua erat inuolutus liber: & expandit illũ coràm me, qui erat scriptus [d] intus & foris, & scriptæ erant in eo lamentationes, & † gemitus, & væ.

SCHOLIA.

[a] Fili hominis sta super pedes tuos. *Idiotissimus est Hebræus, & hic legitur filius Adam, cuius effigiem similitudo animalium omnium referebat. Et cum primus Adam typus sit secundi, audit se esse filium, non tam prioris, quàm posteriores.* [b] Cum scorpionibus habitas. *Per scorpiones Hebræi intelligunt spinas duriores, habenturque apud Hebræos in proverbio, secundum illud 3. Reg. 12. Pater meus castigauit vos flagellis, ego autem castigabo vos scorpionibus.* [c] Et vidi. *Hoc est, prophetica visione contemplatus sum, quòd manus mitteretur ad me in qua erat liber, vel epistola. Hoc signum ostẽdit Deus prophetæ, vt imbecillum corroboraret, sicut & ad Esaiam missus fuerat Seraph, cum carbone ad tangendum labia eius. Est igitur sensus huius loci. Ego pono verba mea, amara & dura in os tuum, vt ea populo annunties, sed ea tibi dulcia erunt, vt ea aude duceas.* [d] Intus & foris, & scriptæ erant. *Quod exponunt aly pro præsentibus & futuris malis, vel plurima mala significantur, per tam copiosam scripturam, quæ non potuerit interiore charta constringi, sed & tergum ea adimpletum est.*

Caput

CAPVT III.

ET dixit ad me,Fili hominis,quodcunq; inueneris comede:[a] comede volumen iſtud & vadens loquere ad filios Iſrael.Et[b] aperui os meum,& cibauit me volumine illo,& dixit ad me, Fili hominis, [c] venter tuus comedet,& viſcera tua complebuntur volumine iſto,quod ego do tibi.Et comedi illud:& factum eſt in ore meo ſicut mel dulce,& dixit ad me,Fili hominis, vade ad domum Iſrael , & loqueris verba mea ad eos.Non enim ad populum [d] profundi ſermonis,& ignotæ linguæ tu mitteris,[e] ad domum Iſrael : neque ad populos multos profundi ſermonis & ignotæ linguæ quorum non poſsis audire ſermones:& ſi ad illos mittereris , ipſi audirent te . Domus autem Iſrael nolunt audire te : quia nolunt audire me:omnis quippe domus Iſrael attrita fronte eſt,& duro corde . [f] Ecce , dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum,& frontem tuam duriorem frontibus eorum . Vt adamantem & vt ſilicem dedi faciem tuam : ne timeas eos, neque metuas à facie eorum : quia domus exaſperans eſt. Et dixit ad me , Fili hominis, omnes ſermones meos quos ego loquor ad te , aſſume in corde tuo , & auribus tuis audi : & vade , ingredere ad tranſmigrationem ad filios populi tui , & loqueris ad eos,& dices eis , Hæc dicit Dominus Deus : ſi fortè audiant & quieſcant. Et aſſumpſit me ſpiritus,& audiui poſt me [g] vocem commotionis magnæ , Benedicta gloria Domini de loco ſuo , [h] & vocem alarum animalium percutientium alteram ad alteram : & vocem rotarum ſequentium animalia & vocem commotionis magnæ:Spiritus quoq; leuauit me, & aſſumpſit me:[i] & abij amarus in indignatione ſpiritus mei:† & manus Domini erat mecum confortans me.Et veni ad trãſmigrationem †[k] in Thelabib,ad eos qui habitabant iuxta flumen Chobar : & ſedi vbi illi ſedebant : & manſi ibi ſeptem diebus mœrens in medio eorum.Cum autem pertranſiſſent ſeptem dies, factum eſt verbum Domini ad me,dicés, Fili hominis,ſpeculatorem dedi te domui Iſrael:& audies de ore meo verbum,& annuntiabis eis ex me.Si dicente me ad impium,Morte morieris:non annuntiaueris ei , neq; locutus fueris vt auertatur à via ſua impia & viuat:ipſe impius in iniquitate ſua morietur:ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaueris impio,& ille non fuerit conuerſus ab impietate ſua , & à via ſua impia:ipſe quidem in impietate ſua morietur,tu autem animam tuam liberaſti.Sed & ſi cõuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fuerit,& fecerit iniquitatem:ponam offendiculum coràm eo:ipſe morietur:quia non annuntiaſti ei , in peccato ſuo morietur: & non erunt in memoria iuſtitiæ eius quas fecit:ſanguinem verò eius de manu tua requiram . Si autem tu annuntiaueris iuſto vt non peccet iuſtus,& ille non peccauerit:viuens viuet quia annuntiaſti ei, & tu animã tuam liberaſti. Et facta eſt ſuper me manus Domini,& dixit ad me.Surgens [l] egredere in campum, & ibi loquar tecum.Et ſurgẽs egreſſus ſum in campum:& ecce ibi gloria Domini ſtabat, quaſi gloria quã vidi iuxta fluuium Chobar:& cecidi in faciem meam.Et ingreſſus eſt in me ſpiritus,& ſtatuit me ſuper pedes meos, & locutus eſt mihi,& dixit ad me,[m] Ingredere,& includere in medio domus tuæ.Et tu fili hominis,ecce †[n] dederunt ſuper te vincula,& ligabunt te in eis:& non egredieris in medio eorum. Et linguam tuam adhærere faciam palato tuo,& eris mutus,nec quaſi vir obiurgans:quia domus exaſperãs eſt. Cum autem locutus fuero tibi,aperiam os tuũ,& dices ad eos,Hæc dicit Dominus Deus, Qui audit,audiat:& qui quieſcit,quieſcat: quia domus exaſperans eſt.

Infra 33.b

Supra 1.a

SCHOLIA.

[a] Comede.] *Hoc eſt diligentiſsimè manda memoriæ.* [b] Et aperui os meum.] *Et aperto ore(ait Hier.) Dominus largitus eſt mihi cibos, vt initia voluntatis in nobis ſint,& perfectionem beatitudinis à Domino conſequamur.Non eſt enim volentis,neque currentis,ſed miſerentis Dei.Attamen & velle & currere noſtri eſt arbitrij.Hæc ille.* [c] Venter tuus comedet.] *Pro quo Chaldæus interpres vertit,anima tua ſaturabitur.Intelliguntur enim per volumẽ illud , verba Dei,quæ ſunt cibus animæ,non corporis,ſic ad Hieremiam dicitur. Ecce dedi verba mea in ore tuo : & licet in illo volumine ſcriptæ eſſent lamentationes & gemitus,qui excidium illius populi ſignificabant,tamen prophetæ dulce erat, cernenti decretum iudiciorum Dei:& notã quod hæc omnia per viſionem facta ſunt,& in ſpiritu.* [d] Profundi ſermonis.] *Profundum ſermonem,ſeu labium,& grauem linguam vocat linguam extraneam,& quæ nõ eſt Hebraica. Maior (inquit) hæc prouincia eſt,quàm ſi ad Barbaros mitteretur:quo dicto indicat vocandas olim gentes,& eas ad ſuſcipiendum Euangelium paratiores fore Iudæis.* [e] Ad domum Iſrael.] *Habet emphaſim hæc breuitas. Hoc eſt,miſſus es ad notos,ad eam domum,cuius ſunt teſtimonia & patres.* [f] Ecce dedi faciem tuam.] *Malo nodo (quod aiunt) malus eſt cuneus quærendus. Et contra populum perfrictæ frontis obſtinatique ad malum propoſiti pertinacisſima conſtantia propheta mittendus.* [g] Vocem commotionis magnæ.] *Subaudi dicentem.Benedicta gloria Domini.Vel,gloria Domini de loco ſuo receſſit,relicto templo , & populo.* [h] Et vocem alarum.] *Alæ amoris preconium, rotæ timoris indicium.* [i] Et abij amarus.] *Antea volumen illi dulce erat,& cum res agi debet,amareſcit experiendo.Spiritus enim promptus eſt,caro infirma.* [k] In Telabib.] *Locus eſt ſic dictus.Sedit autem ac moratus eſt inter eos, vt pernoſceret eorum mores,inuenitque omnia atrociora quàm ſperarat.*
[l] Egredere in campum.] *Vt ſolitarius capacior ſit reuelationum ſanctarum.* [m] Ingredere.] *Vt facto prophetet Hieroſolymæ obſidionem,captiuitatem,ceſſationem verbi Dei,& diuini cultus.* [n] Dederunt ſuper te vincula.] *Quidam exponunt ſic, Ingredere in domum,& eſto in ea incluſus,perinde ac ſi illi te funibus ligaſſent , donec ego vniuerſas prophetias tibi reuelauero.Nec licebit tibi interim illos corripere,donec ego tibi authoritatem conceſſero.*

CAPVT IIII.

ET tu fili hominis,[a] ſume tibi laterem,& pones eũ coràm te:& deſcribes in eo ciuitatem Ieruſalem. Et ordinabis aduerſus eam obſidionem,& ædificabis munitiones,& comportabis aggerem,& dabis contra eam caſtra,& pones arietes in gyro. Et tu [b] ſume tibi ſartaginẽ ferream , & pones eam murum ferreum inter te & inter ciuitatem : & obſtrmabis faciem tuam ad eam , & erit in obſidionem , & circundabis eam:ſignum eſt domui Iſrael,Et tu [c] dormies ſuper latus tuum ſiniſtrum , & pones iniquitates domus Iſrael ſuper eo:numero dierum quibus dormies ſuper illud , & aſſumes iniquitates eorum . Ego autem dedi tibi

[d] annos

[d] annos iniquitatis eorum,numero dierum trecentos,& nonaginta dies:& portabis iniquitatẽ domus Iſrael. Et cum compleueris hæc,dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundò : & aſſumes iniquitatem domus Iuda quadraginta diebus:[e] diem pro anno,diem,inquam,pro anno dedi tibi.Et [f] ad obſidionem Ieruſalem conuertes faciem tuam,& [g] brachium tuum erit exertum:& prophetabis aduerſus eam, Ecce [h] circũdedi te vinculis:& non te conuertes à latere tuo in latus aliud,donec compleas dies obſidionis tuæ . Et tu ſume tibi frumentum,& hordeum,& fabam,& lẽtem,& millium,& viciam:& mittes ea in vas vnum, & facies tibi panes numero dierum quibus dormies ſuper latus tuum:trecentis & nonaginta diebus comedes illud. Cibus autem tuus quo veſceris,erit in põdere viginti ſtateres in die:à tempore vſq; ad tẽpus comedes illud. Et aquam in menſura bibes,[i] ſextam partem hin:à tempore vſq; ad tempus bibes illud. Et quaſi [k] ſubcinericium hordeaceum comedes illud : & ſtercore,quod egreditur de homine,coques illud in oculis eorum.Hæc dicit Dominus,Sic comedent filij Iſrael panem ſuum pollutum inter gentes ad quas eijciam eos.Et dixi , Ah,Domine Deus,ecce anima mea non eſt polluta , & [l] morticinum & laceratũ à beſtijs non comedi ab infantia mea vſque nunc,& non eſt ingreſſa in os meum omnis caro immunda.Et dixit ad me,Ecce dedi tibi fimũ boum proſtercoribus humanis:& facies panem tuum in eo. Et dixit ad me , Fili hominis, ecce conteram [m] baculum panis in Ieruſalem : & comedent panem ſuum in pondere , & in ſollicitudine : & aquam in menſura, & in anguſtia bibent : vt deficientibus pane & aqua , corruat vnuſquiſque ad fratrem ſuum , & contabeſcat in iniquitatibus ſuis.

Num.14.f

Infra 5.d & 14.d

SCHOLIA.

[a] Sume tibi laterem.] *Docetur hic,populum qui in Ieruſalem remanſerat, exterminandum bello,peſte , & fame, propter iniquitatem ſuam.Agiturque id non tantum verbis,ſed & picturis,& factis,quæ plus mouẽt animos.* [b] Sume ſartaginem.] *Iubetur & patellam planam vice eratis ſumere, poſt quam tutus lateat,& vrbem veluti hoſtis oppugnet.*
[c] Dormies ſuper latus.] *Hoc factum eſt in viſione prophetica,qua oſtendit,quanto tempore obſidenda fuerat Ieruſalem ſicut & Eſaias nudus triennium inceſſit.Oſtendit autem iuſtum iudicium Dei,quo tot diebus obſidẽda fuerat,quot annis idolatrices eius coluerint.Propter Samariam iubetur iacere ſuper ſiniſtrum latus. Et propter iniquitates Iuda ſuper latus dextrum.Samaria coluit idola trecentis & nonaginta annis,partim ſcilicet ſub iudicibus , & partim ſub regibus Iſrael. Iuda autem poſt abactum Iſraelem per idololatriam peccaſſe dicitur quadraginta annis,ideo propheta tot diebus iubetur iacere ſuper latus dextrum,& ferè iniquitates eorum.Et hi numeri ſimul iuncti conſtituunt 430.dies,hoc eſt,annum vnum menſes duos,& nouem dies.Tot autem diebus obſeſſa fuit Ieruſalem grauiore obſeſſione, Vt excipiatur illud tempus quo occupatum erat Nabuchodonoſor cum exercitu Ægyptiorum.* [d] Annos iniquitatis eorum.] *Vt non ſupplicij , ſed delicti tempus intelligas figurari.* [e] Diem pro anno.] *Diuus Hier.ait totidem annos afflictionis eſſe quos ſupputat. Iſraeli quidem a rege Phacea filio Romeliæ vſque ad annum Aſſueri quadrageſimum. Iudæ autem à Ioachim vſque ad primum annum Cyri regis Perſarum,interſunt enim anni quadraginta,quo tempore mitigata eſt captiuitas Iudæorum ex eo, quòd Perſa remiſerit vaſa templi ablata per Nabuchodonoſor.* [f] Et ad obſidionem Ieruſalem.] *Hoc eſt, verſus vrbem illam in tegula depictam.* [g] Et brachium tuum erit exertum.] *Vel,nudatum. Qui mos erat rem manu gerentium. Denudato enim brachio dextro pugnabant milites.Oratores dicturi,brachium & latus dextrum detegebant. Denudatio ergo brachij ſignificat ſtrenuam executionẽ Imperij.* [h] Circundedite vinculis.] *Videbatur ſibi in prophetica viſione quaſi vinculis coſtrictus eſſet,propter,quæ ſe mouere non poterit.Et quod ſubditur, de frumento,& hordeo &c.ſimul commixtis, ſignificatur ſatis magna,quam obſeſſi paſſuri erant,vt etiam panem conficerent ex ſpeciebus , quæ ad hoc aptæ non erant,vt ſunt lentes, & fabæ,& tamen his panibus ad ſaturitatem non vterentur,cum certa illis præſcribatur menſura,ſeu pondus , nempe viginti ſiclorum.Aiunt Thalmudiſtæ,pondus ſicli continere 320.grana hordeacea.Nec permittebantur hoc pondus cibi comedere aliquoties per diem,ſed ſemel duntaxat,a tempore ſcilicet in tempus. Siclus autem,hoc eſt Stather habet drachmas quatuor,drachmæ autem octo latinam vnciam faciunt,ita vt vnus panis decem vncias habere dicatur,quo trahitur magis anima quàm ſuſtentatur.* [i] Sextam partem Hin.] *Hin (ait Hiero.) duos choas Atticos facit, quos nos appellare poſſumus duos ſextarios Italicos,ita vt Hin menſura ſit Iudaici ſextarij,noſtrique caſtrẽſis:eius ſexta pars facit tertiam partẽ ſextarij Italici,qui cibus & potus iuxta inclytum oratorem nõ vires tribuit ſed mortem prohibet.* [k] Subcinericium hordeaceum.] *Lex ipſa,quam Iudæi legunt, & non intelligunt , ſubcinericius panis eſt,& opertus humano ſtercore,quamobrem & Paulus apoſtolus lucra legis & priſtinarum ceremoniarum obſeruantiam dicit ſe habuiſſe ſicut ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret.Iubetur autem, vt panis ille non mundis coquatur carbonibus, ſed in prunis quæ humano ſtercore ſint incenſæ.*
[l] Morticinum.] *Quod vitam exhalat ſine legitimo ritu mittẽdi ſanguinis , Græcis dicitur,* θνησιμαῖον *quod in actis videtur* τὸ πνικτὸν *nominatum. Diſcerptum autem aut laceratum Græce vocatur* θηριάλωτον. [m] Baculum panis.] *Quod imbecilles confirmet,ac fulciat ſicut baculus innitentem hominem.*

CAPVT V.

ET tu fili hominis,ſume tibi gladium acutum,† quaſi [a] nouaculam tonſorum:& aſſumes eum,& duces per caput tuum,& per barbam tuam:& aſſumes tibi ſtateram põderis & diuides eos. Tertiam partem igni combures [b] in medio ciuitatis,iuxta completionẽ dierum obſidionis:& aſſumes tertiam partem, & concides gladio in circuitu eius:tertiam verò aliam diſperges in ventum,& gladium nudabo poſt eos. Et ſumes inde paruum numerum:& ligabis eos in ſummitate pallij tui. Et ex eo rurſum tolles,& proijcies eos in medio ignis,& combures eos igni:[c] & ex eo egredietur ignis in omnem domum Iſrael. Hæc dicit Dominus Deus,Iſta eſt Ieruſalem [d] in medio gentium poſui eam, & in circuitu eius terras. Et contempſit iudicia mea,vt plus eſſet impia quã gentes:& præcepta mea vltrà quàm terræ quæ in circuitu eius ſunt:iudicia enim mea proiecerunt,& in præceptis meis non ambulauerunt. Iccircò hæc dicit Dñs Deus, [e] Quia ſuperaſtis gẽtes quæ in circuitu veſtro ſunt,& in præceptis meis non ambulaſtis,& iudicia mea non feciſtis , & [f] iuxta iudicia gentium quæ in circuitu veſtro ſunt non eſtis operati:ideò hęc dicit Dominus Deus,Ecce ego ad te , &

ipſe

ipſe ego faciam in medio tui iudicia in oculis gentium:& faciam in te,[g] quæ non feci, & quibus ſimilia vltrà C
non faciam propter omnes abominationes tuas. Ideò [h] patres comedẽt filios in medio tui, & filij comedent
patres ſuos:& faciã in te iudicia,& ventilabo vniuerſas reliquias tuas in omnem ventum,Iccircò viuo ego di-
cit Dñs Deus, Niſi pro eò q̃ ſanctum meum violaſti in omnibus offenſionibus tuis, & in cunctis abomina-
tionibus tuis:ego quoq; confringam te,& nõ parcet oculus meus,& nõ miſerebor. Tertia pars tui peſte mo-
rietur, & fame cõſumetur in medio tui:& tertia pars tui in gladio cadet in circuitu tuo : tertiã verò partẽ tuã
in omnẽ ventum diſpergam,& gladiũ euaginabo poſt eos.Et cõplebo furorẽ meũ, & requieſcere faciã indi- D
gnationem meã in eis,& cõſolabor:& ſcient q̃ ego Dominus locutus ſum in zelo meo, cum impleuero om-
nem indignationem meam in eis. Et dabo te in deſertũ & in opprobriũ gentibus,quæ in circuitu tuo ſunt,
in conſpectu omnis prætereuntis.Et eris opprobrium & blaſphemia,exemplum & ſtupor in gentibus, quæ
in circuitu tuo ſunt,cum fecero in te iudicia in furore & in indignatione , & in increpationibus iræ ego Do-
minus locutus ſum:quando miſero [i] ſagittas famis peſsimas in eos,quæ erunt mortiferæ , & quas mittam, vt
Supra 4.d diſperdam vos,& famem congregabo ſuper vos,& conteram in vobis baculum panis. Et immittam in vos
Infr. 14.d famem & beſtias peſsimas vſq; ad internecionem:& peſtilentia & ſanguis tranſibunt per te,& gladium indu
cam ſuper te:ego Dominus locutus ſum.

SCHOLIA.

[a] Nouaculam tonſorum.] *Eſt hæc alia prophetica viſio,ciuitatis Ieroſolymitanæ ſignificans excidium. Caput enim ſignificabat vrbem,& pili viros,ex quibus quidam fame & peſte,intra ciuitatem interierunt,quidam, qui cum rege Sedechia fugerunt,gladio ceciderunt per circuitum ciuitatis,et quidam,qui effugerunt in alias regiones, ibi gladio ceciderũt. Ex quibus pauci ex his qui fugerant ad Ægyptios,hoc eſt decem milia,qui in Babylonem abducti ſunt, ſeruati ſunt in Babylone veluti in faſciculo,& veſtimento incluſi,ex quibus tamen etiam multi igne exuſti referuntur, vna cum Iſraelitis,in quos omnes ignis deflagrauit. Iſrael enim periit & Iuda in paucis ſuperfuit.* [b] In medio ciuitatis.] *Intelligit vrbem Ieruſalẽ fictitiam,nam propheta in Babylone erat. Et quod ait combures igni. Ardori ignis famem cõparat , obſcuros enim & nigros facit inedia.* [c] Et ex eo egredietur ignis.] *Ex eo,ſcilicet igne quem præcepi.* [d] In medio gentium.] *A partibus enim orientis cingitur plaga,quæ appellatur Aſia,à partibus occidentis Europa , à meridie & auſtro Libia & Aphrica,a Septentrione Scithia, Armenia,Perſidæ,& cunctis Ponti nationibus.* [e] Quia ſuperaſtis gentes.] *Diuitijs ſcilicet,multitudine,&c. Poteſt & intelligi, turbulentiores fuiſtis omnibus gentibus.* [f] Iuxta iudicia gentium.] *Non eſtis operati iuxta iudicia gentiũ,non enim tam æmulatores fuiſtis ſeruandi cultus diuini,quàm gẽtes tuendæ Idololatriæ.* [g] Quę non feci.] *Scilicet in alia gente. Et ſi enim Deus Chananæos exterminauit, Ægyptios ſubmerſit, Sodomitas exuſſit,tamen nulli iſtorũ fuerunt admiſti ad eam Dei cognitionem,ad quam filij Iſrael. Et plus dolet eiectus domo filius,quàm ſeruus, vel,aduena.*
[h] Patres comedent filios.] *Ad literam hoc contigiſſe non legimus, eſt ergo metaphorica locutio , vt illud. Qui deuorant plebem meam,ſicut cibum panis. Ita dure acturos patres cũ filijs ſignat,quaſi deuoraturi eſſent, dum eos vel tradunt puniendos, vel iudicibus efferunt accuſatos. Venit enim Chriſtus ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum.* [i] Sagittas famis.] *Hæ ſagittæ,ſunt locuſtæ,erucæ,bruchi,& alia inſecta,quæ meſſem corrumpunt.*

CAPVT VI.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens. Fili hominis, pone faciem tuam ad montes Iſrael: & pro- A
phetabis ad eos,& dices,Montes Iſrael audite verbum Domini Dei: hæc dicit Dominus Deus [a] mon-
tibus & collibus,rupibus & vallibus. Ecce ego inducam ſuper vos gladium, & diſperdam excelſa ve-
ſtra,& demoliar aras veſtras , & confringentur ſimulachra veſtra: & deijciam interfectos veſtros ante idôla
veſtra.Et dabo cadauera filiorum Iſrael ante faciem ſimulachrorum veſtrorum: & diſpergam oſſa veſtra circa
aras veſtras in omnibus habitationibus veſtris. Vrbes deſertæ erunt,& excelſa demolientur,& diſsipabũ- B
tur & interibunt aræ veſtræ,& confringentur:& ceſſabunt idôla veſtra, & conterentur delubra veſtra , & de-
lebuntur opera veſtra. Et cadet interfectus in medio veſtri:& ſcietis quòd ego ſum Dominus. Et relinquam
in vobis eos,qui fugerint gladium in gentibus,cum diſperſero vos in terras. Et recordabuntur mei liberati
veſtri in gentibus ad quas captiui ducti ſunt:quia contriui cor eorum fornicans & recedens à me , & oculos
eorum fornicantes poſt idôla ſua:& diſplicebunt ſibimet ſuper malis, quæ fecerant in vniuerſis abominatio C
nibus ſuis,& ſcient quòd ego Dominus non fruſtra locutus ſum,vt facerem eis malum hoc , Hæc dicit Do-
minus Deus, [b] Percute manu tua,& allide pedem tuum , & dic Heu, ad omnes abominationes malorum do
mus Iſrael:quia gladio,fame,& peſte ruituri ſunt.Qui longè eſt, peſte moritur:qui autem prope,gladio cor-
ruet:& qui relictus fuerit & obſeſſus, fame morietur : & complebo indignationem meam in eis. Et ſcietis, D
quòd ego Dominus , cum fuerint interfecti veſtri in medio idolorum veſtrorum in circuitu ararum veſtra-
rum,in omni colle excelſo,& cunctis ſummitatibus montium,& ſubtus omne lignum nemoroſum, & ſub-
tus vniuerſam quercum frondoſam:locum vbi accenderunt thura redolentia vniuerſis idôlis ſuis. Et extẽ-
dam manum meam ſuper eos:& faciam terram deſolatam & deſtitutam [c] à deſerto Deblátha in omnibus ha
bitationibus eorum:& ſcient quòd ego Dominus.

SCHOLIA.

[a] Montibus & collibus , rupibus & vallibus.] *Quibus in locis idololatriæ operam dederant.* [b] Percute manu tua,& allide pedem tuum.] *Vult magnitudinem peccatorum & ſuppliciorum gentibus indicare,qui indignationem & ingentem anxietatem oſtendunt. Complodunt enim manus,ex inopinato attoniti,aut manibus femur feriunt , & perterrefacti pedibus ſe fortiter ſuſtinent,ac diuaricant crura quaſi terram intra pedes eſſent in latum diſtracturi , aut pede fortiter complodunt terram, quo impetu ceu diffunditur ſubſtratum ſolum.* [c] A deſerto Deblátha in omnibus habitationibus eorum.] *Quæ eſt in terra Emath,quæ hodie vocatur Epiphania Syriæ,vt ait Hiero. Eſt autem locus vbi manſit Nabuchodonoſor,cum exercitus eius oppugnaret Ieruſalem.*

Caput

CAPVT VII.

ET factus eſt ſermo Domini ad me , dicens , Et tu fili hominis , hęc dicit Dominus Deus, terræ Iſrael, A
[a] Finis venit,venit finis ſuper quatuor plagas terræ.Nunc finis ſuper te, & immittam furorem meum
in te:& iudicabo te iuxta vias tuas:& ponam contra te omnes abominationes tuas. Et nõ parcet ocu-
lus meus ſuper te,& nõ miſerebor:ſed vias tuas ponã ſuper te,& abominationes tuę in medio tui erũt:& ſcie-
tis,q̃ ego Dñs.Hæc dicit Dñs Deus,[b] Afflictio vna,afflictio ecce venit:finis venit, [c] venit finis , euigilabit ad- B
uerſum te:ecce venit . Venit cõtritio ſuper te,qui habitas in terra: venit tempus,prope eſt dies occiſionis,[d] &
non † voces montium.Nũc de propinquo effundam iram meam ſuper te, & cõplebo furorẽ meum in te : &
iudicabo te iuxta vias tuas,& imponam tibi omnia ſcelera tua.Et non parcet oculus meus,nec miſerebor:ſed
vias tuas imponam tibi,& abominationes tuæ in medio tui erunt:& ſcietis q̃ ego ſum Dñs percutiens . Ecce
C dies,ecce venit: [e] egreſſa eſt † frondatio, [f] floruit virga,germinauit ſuperbia.Iniquitas ſurrexit in virgam im-
pietatis:† nil relinquetur ex eis,neq; ex opibus eorũ,nihil omnino relinquetur,ne fletus quidem.Venit tem-
pus,appropinquauit dies:qui emit,non lętetur:& qui vendit, nõ lugeat : quia ira ſuper omnẽ populum eius.
Quia qui vendit,[g] ad id quod vendidit non reuertetur:& [h] adhuc in viuentibus vita eorum:viſio enim ad om
nem multitudinem eius,non regredietur:& † quiſq; iniquitate vitæ ſuæ non confortabitur.Canite tuba,præ
D parentur omnes,[i] & non ſit qui vadat ad præliũ:ira enim mea ſuper vniuerſum populum eius.Gladius foris:
& peſtis & fames intrinſecus. Qui in agro eſt,gladio morietur: & qui in ciuitate , peſtilentia & fame deuora-
buntur.Et ſaluabuntur qui fugerint ex eis:& [k] erunt in montibus quaſi columbæ conuallium omnes trepi-
di,vnuſquiſq; ob iniquitatem ſuã.Omnes manus diſſoluentur,& omnia genua † diffluent ſicut aqua . Et ac- Iſa. 15.a
E cingent ſe cilicijs,& operiet eos formido:& in omni facie cõfuſio , & in vniuerſis capitibus eorum [l] caluitiũ. Iere. 48.f
Argentum eorum foris proijcietur,& aurum eorum in † abiectionem erit Argentum eorum & aurum eo-
rum non valebit liberare eos in die furoris Domini.Animam ſuam non ſaturabunt, & vẽtres eorum nõ im- Proue. 11.a
plebuntur:quia [m] ſcandalum iniquitatis eorum factum eſt. † [n] Egregio enim ornamento ſuo, quod Domi- Soph. 1.d
F nus illis ad gloriam erexerat:imagines abominationum ſuarum & ſimulacrorum fecerũt in eo: propter hoc Eccle. 5.c
dedi eis illud in immunditiam:& dabo illud in manus alienorum ad diripiendum, & impijs terræ in prædã,
& contaminabunt illud. Et [o] auertam faciem meam ab eis, & violabunt arcanum meum : & introibunt in
illud direptores,& contaminabunt illud. P Fac † catenam : quoniam terra plena eſt iudicio ſanguinum , &
ciuitas plena iniquitate.Et adducam peſsimos de gentibus , & poſsidebũt domos eorum,& quieſcere faciam
G ſuperbiam potentium,& † polluentur ſanctuaria eorum. Anguſtia ſuperueniente requirent pacem , & non
erit. Conturbatio ſuper conturbationem veniet,& auditus ſuper auditum:[q] & quærent viſionem de prophe
ta:& lex peribit à ſacerdote,& conſilium à ſenioribus. Rex lugebit, & princeps induetur mœrore,& manus
populi terræ conturbabuntur. Secundum viam eorum faciam eis,& ſecundum iudicia eorum iudicabo eos:
& ſcient quòd ego Dominus.

SCHOLIA.

[a] Finis venit.] *In hoc capite oſtendit prædicta mala ſtatim euentura,ne impij lactent ſeipſos vana ſpe,quaſi adhuc longè abſit tempus pœnæ, Et quod ait, Super quatuor plagas terræ,ſenſus eſt. Deſolabitur vniuerſa terra Iſrael, vt nec homines nec pecora in ea habitent,neque fructus & frumentũ producat.* [b] Vna afflictio.] *Hoc eſt,maxima,cui nulla alia ſimilis. Hæc autem tam crebra repetitio eiuſdem rei,quæ ferè decies inculcatur,non eſt putanda βαττολογία, vbi tanta neceſsitas admonendi,tantus q̃ cõtemptus rerum melìorum.* [c] Venit finis.] *Quinto anno Sedechiæ,in Babylone cœpit prophetare captiuis, nono anno Nabuchodonoſor obſidione cinxit Ieruſalem,quam vndecimo cepit.* [d] Et nõ voces montium.] *Hoc eſt tumultus ille erit horribilis,& non erit res inanis,ſicut eſt vox & clamor montium reſonantiũ ex clamore hominis.* [e] Egreſſa eſt Frondatio.] *Alij verterunt. Venit mane,hoc eſt,ſententia in te dicta. Alius,egreſſa eſt ſententia. Nos virũ quendam erudítum imitati,alliſimus ad id quod ſequitur, videlicet, Floruit,& germinauit.* [f] Floruit virga.] *Quia ſcilicet percutiendi erant,& hic erat Nabuchodonoſor,qui & ſuperbia hic vocatur. Et quod ſequitur, Iniquitas excreuit in virgam impietatis, id refertur ad Iudæos, qui cum impy eſſent in Deũ & proximum , excreuit hæc violentia & impietas in baculũ,quo percutiendi erant.* [g] Ad id quod vendidit non reuertetur.] *Sicut fieri ſolet in Iubilæo.* [h] Adhuc in viuẽtibus vita eorũ.] *Licet(inquit) quidam ſuperuicturi ſint,nihil tamen eis proderit,ſiue vendiderint ſiue emerint poſſeſsiones , cum in captiuitatem migraturi ſint,et horum omnium ſubijcitur ratio,quia cum monerentur à prophetis,nemo erat qui eos audiret, & ſe conuerteret,quiſq; pro virili ſua animam ſuam ab iniquitate ſua erueret:nam quidam vertit quod ſequitur in hunc modũ. Quoniam cum viſio eſſet ad omnem multitudinem eius,nemo reuertebatur,neq; vllus propter iniquitatem ſuam pro anima ſua ſe roborabat,Sin legis,vt noſtra habent,erit ſenſus. Viſio portendit totius multitudinis confuſionem,vt in integrum reſtitui non poſsit ſors hæreditatum,vt fuerat,neq; viſio irrita eſſe poterit,& quiſq; iniquitate ſua deprimetur.* [i] Et non ſit.] *Hoc eſt, nihil proderit imperaſſe,vt ſe præparent,cum non ſit futurus,qui prodire audeat.* [k] Et erunt in montibus quaſi columbæ.] *Is ſcilicet,qui fugerint ex eis. Et ſi ſaluũ(inquit) aliquot elapſi fuerint ex eis,illi ipſi,ſicut columbæ congregantur in vallibus magis,quam in mõtibus,gemitũ habentes,pro cantu,ſic triſtes fugient ad montes,flentes & plangentes ibi , vnuſquiſq; propter iniquitatem ſuam. Diſſoluentur manus eorum,et vacillabunt genua eorum ſicut aqua, deficiente ſcilicet virtute ſuſtinendi,vel,præ metu vrinam continere non poterunt,quod magis Hebraiſmus habere videtur.* [l] Caluitium.] *Solis ſanctis,id eſt Nazaræis,non radunt capita ſua,neque enim habent mortua opera,nec immundi ſunt.* [m] Scandalum iniquitatis eorum.] *Senſus eſt , pecunia , & pecuniæ ſitis duxit eos ad hoc offendiculum, eo quòd in ipſam poſuerunt fiduciam ſuam, Obliuiſcentes Dei , & à proximo per fas & nefas extorquentes impium lucrum , & in ſummo poſiti diſcrimine , iuſto dei iudicio per pecuniam liberari non poterunt .* [n] Egregio enim ornamento.] *Hebræi exponunt ornamentum illud pro templo.* [o] Auertam faciem meam ab eis.] *Quidam intelligunt , ab hoſtibus , Auerti (inquit) faciem meam ab hoſtibus , ne eos affligerem,quòd illud abſconditum meum,hoc eſt ſanctuarium interius , & ſanctum ſanctorum violarint.*

P Fac catenam.] *Signatur per hoc, eos vinculis constringendos, & abducendos, quòd innoxium effuderint sanguinem, & vim faciebant impotentioribus.* Q Et quærent visionem.] *In summo positi discrimine, currere volent ad prophetas & sacerdotes, vt legem Domini ex eis requirant, & ad seniores pro consilio capiendo anxij confugere satagent, quos prius audire nolebant, atque ideo non erit, apud quem inueniant consolationem. Periculosa est igitur sera pœnitentia.*

CAPVT VIII.

A [a] ET factum est in anno sexto, in sexto mense, in quinta mensis: ego sedebam in domo mea, & senes Iuda sedebant coram me, & cecidit ibi super me manus Domini Dei. Et vidi, & ecce similitudo quasi aspectus ignis: ab aspectu lumbo- eius & deorsum ignis: & à lumbis eius, & sursum quasi aspectus splendoris, vt visio electri. Et emissa similitudo manus [b] apprehendit me in cincinno capitis mei: & eleuauit me spiritus inter terrã & cœlũ: & adduxit me in Ierusalẽ in visione Dei, [c] iuxta ostiũ interius quod respiciebat ad aquilonẽ, vbi erat statutũ idolũ zeli ad prouocãdũ æmulationẽ. Et ecce ibi gloria Dei Israel secũdũ visionẽ quã viderã in cãpo. Et dixit ad me, Fili hominis leua oculos tuos ad viã aquilonis. Et leuaui oculos meos ad viã aquilonis: & ecce ab aquilone portę altaris idolũ zeli in ipso introitu. Et dixit ad me, Fili hominis, Putãsne vides tu quid isti faciant abominationes magnas quas domus Israel facit hic, vt procul recedã à sanctuario meo? & adhuc cõuersus videbis abominationes maiores. Et introduxit me [d] ad ostiũ atrij: & vidi: & ecce foramen vnũ in pariete. Et dixit ad me, Fili hominis, fode parietẽ. Et cũ perfodissem parietẽ apparuit ostium vnũ. Et dixit ad me, Ingredere, & vide abominationes pessimas, quas isti faciũt hic. Et ingressus vidi, & ecce omnis similitudo reptiliũ, & animaliũ abominatio, & vniuersa idôla domus Israel depicta erãt in pariete in circuitu p totũ. [e] Et septuaginta viri de senioribus domus Israel, & Iezonias filius Saphan stabat in medio eorũ, stantiũ ante picturas: & vnusquisq; habebat thuribulũ in manu sua: & vapor nebulę de thure consurgebat. Et dixit ad me, † Vidisti ne fili hominis, quæ seniores domus Israel faciunt in tenebris, vnusquisq; in abscõdito cubilis suę? dicũt enim, Nõ videt Dñs nos, dereliquit Dñs terrã. Et dixit ad me, Adhuc cõuersus videbis abominationes maiores, quas isti faciũt. Et introduxit me per ostiũ [f] portę domus Dñi, quod respiciebat ad aquilonẽ, & ecce ibi mulieres sedebant [g] plangẽtes Adonidẽ. Et dixit ad me, † [h] Vidisti ne fili hominis? adhuc conuersus videbis abominationes maiores his. Et introduxit me in atriũ domus Dñi interius: & ecce in ostio tẽpli Dñi inter vestibulũ & altare, quasi viginti quinq; viri [i] dorsa habentes cõtra tẽplum Dñi, & facies ad oriẽtem: & adorabant ad ortũ solis. Et dixit ad me, Certè vidisti fili hominis: nunquid leue est hoc domui Iuda, vt faceret abominationes istas quas fecerunt hic: quia replentes terrã iniquitate, cõuersi sunt ad irritandum me? & ecce applicant † [k] odorem malum ad nares suas. Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus, nec miserebor: & cum clamauerint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos.

SCHOLIA.

[a] Et factum est in anno sexto.] *Facta est hæc visio post priorem anno vno, mensibus duobus. Nam illa quinto anno, mense quarto, hæc anno sexto & mense sexto: Vtrobique autem ad transmigrationem Iechoniæ annus sumitur, & seniores Iuda coram assidere ei testes visi sunt. Et quod paulo post dicit, se ductum in Ierusalem, etiam intelligi volùit factum esse in visione, & non re ipsa.* [b] Apprehendit me in cincinno.] *Nunc trahitur crinibus, exprimens futuram captiuitatem seruilem ac duram, vt solent inofficiosi serui ab hæris trahi. Sed quando visionem vidit amabilem futuri regni Christi, cap. 40. deducitur ad terram Israel, et collocatur in excelso monte, non trahitur crinibus.* [c] Iuxta ostium interius.] *Sion mons celsus erat muro, quem nominabant exteriorem, ad templum enim id spacij non pertinebat, sed pecora tantum arcebat, quò minus ad sacratiora illa loca propius accederent. Deinde murus alter templum & partes eius ambiebat, sicut cortinæ in deserto tabernaculum, is interior murus habebatur, & si extremus templi esset, & portæ eius interiores dicuntur & sunt, quàm portæ & murus montis erant. Interiacens spacium ab interiore hoc muro vsque ad templum dicebatur atrium. In hoc ambitu interiore, circũquaq; ianuæ erant. In interioris igitur portæ ianua cõstituitur septentrionalis: nam sacratior locus illic erat, & accedebatur ad illa sacra templi ab aquilonari porta. His sacris rebus admixtum erat odiosum simulacrum Baal, quod idolum Zeli hic vocat eo quòd irritabat ad æmulationem Dominum, qui solus coli vult.* [d] Ad ostium atrij.] *Atrium ad varios vsus templi paruas ædiculas habuit muro atrij circunquaq; adhærentes. Quæ portæ aquilonari continua fuit, foramen habuit, quod propheta per visionem iubetur ampliare.* [e] Et septuaginta viri.] *Qui constituti fuerant, vt legem Dei populum docerent.* [f] Portæ domus Domini.] *Ionathas domum sanctuary dicit, quæ appellatione templum, vestibulum, & atrium totum venit.* [g] Plangentes Adonidem.] *In Hebræo est Thammuz, Apud Hebræos nihil explorati legitur, sed diuersa inter se dicunt. Hieronymus interpretatur Adonidem, qui occisus & reuixisse narratur, eundem Iunium mensem eodem appellant nomine, & anniuersariam ei celebrant solennitatem. Interfectionem verò & resurrectionem Adonidis interpretantur, vt alterum in seminibus, quæ moriuntur in terra, alterum in segetibus, quibus mortua semina renascũtur, ostendi putent.* [h] Vidisti ne.] *Quasi dicat, tam sunt absurda, vt nisi quis videat, credere non possit.* [i] Dorsa habentes contra templum.] *Vel, posteriora, hoc est, nates. Nam cum tabernaculi introitus ab oriente sit, & sanctum sanctorum in occidente constitutum. Lex erat, vt auersi ab exoriente sole versus occidentem adorarent, causa exterminandi cultus solis, quem ad orientem gentes communiter adorabant. At illi contra obuersis dorsis ad occidentem, cum ingenti contumelia sanctitatis Domini, faciem conuertunt in plagam orientis, more gentium.* [k] Odorem malum.] *Suffitum idolotytum. Quidam intelligit crepitum ventris loco thuris. Habet autem Ionathas sic. Obuertebant podicem faciebus illorum, hoc est, nudatis natibus pepederunt in honorem deorum suorum.*

CAPVT IX.

ET clamauit in auribus meis voce magna, dicẽs, Appropinquauerũt [a] visitationes vrbis & vnusquisq; vas interfectionis habet in manu sua. [b] Et ecce sex viri veniebant de via portæ superioris, quæ respicit ad aquilonẽ: & vniuscuiusq; vas interitus in manu eius: vir quoq; vnus in medio eorum vestitus erat lineis, & atramentarium scriptoris ad renes eius: & ingressi sunt, & steterũt iuxta altare æreum. Et gloria Dñi Israel

B Israel assumpta est de cherub, [c] quę erat super eũ ad limen domus: & vocauit virum qui indutus erat lineis, & atramentarium scriptoris habebat in lumbis suis. Et dixit Dñs ad eum, Transi per mediam ciuitatem in medio Ierusalem: & [d] signa thau super frontes virorum gementium & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiunt in medio eius. Et illis dixit audiente me, Transite per ciuitatẽ sequentes eum, & percutite: non parcat oculus vester, neq; misereamini. Senem, adolescentulũ, & virginem, paruulum, & mulieres interfici Exo. 12.e Apoc. 7.a
C te vsq; ad internecionẽ: omnem autem, super quẽ videritis thau, ne occidatis, & à [e] sanctuario meo incipite. Cœperunt ergo à viris senioribus, qui erant ante faciem domus. Et dixit ad eos, Contaminate domũ, & [f] implete atria interfectis: egredimini. Et egressi sunt, & percutiebant eos, qui erant in ciuitate. Et cæde cõpleta, remansi ego: ruiq; super faciem meã, & clamans aio, Heu † Domine Deus, ergòne disperdes omnes reliquias Israel, effudens furorem tuum super Ierusalem? Et dixit ad me, Iniquitas domus Israel & Iuda magna est ni-
D mis valde, & repleta est terra sanguinibus, & ciuitas repleta est auersione: dixerunt enim, Dereliquit Dñs terram, & Dominus non videt. Igitur & meus nõ parcet oculus, neq; miserebor: viam eorum super caput eorũ reddam. Et ecce vir qui erat indutus lineis, qui habebat atramentarium in dorso suo, respondit verbum, dicens, [g] Feci sicut præcepisti mihi.

SCHOLIA.

[a] Visitationes vrbis.] *Hoc est, Viri ad sumendum supplicium de eis destinati.* [b] Et ecce sex viri.] *Sex electi sunt ad perdendos homines malos, hoc est, qui intra naturam rerum, vt ea sex diebus condita est, resistunt, vnus est ad liberandum bonos ordinatus, qui ordine septimus, sabbati magni numerum referens, quod in sepulchro Christus egit die septimo. Is est Vestitu candido, summa præditus innocentia, agnus Dei immaculatus, qui tollit peccatum mundi. Vnicus est enim nobis redemptor Christus, qui etiam hoc habitu describitur, Apoc. 11.* [c] Quæ erat super eum.] *Scilicet cherub, Gloria ergo Domini deserut propiciatorium arcæ, vbi hactenus à tempore Mosis intra duo cherubim responsa dederat.* [d] Signa thau.] *Hieron. Hebræi autumant, quia lex apud eos Thau litera in principio nominis sui scribitur, illos hoc accepisse signaculũ, qui legis præcepta compleuerant. Antiquis autem Hebræorum literis, quibus vsque hodie vtuntur Samaritani extrema Thau litera crucis habet similitudinem. Alius vertit. Pinge signum, hoc est, scribe cum atramento signum aliquod in fronte eorũ.* [e] A sanctuario meo incipite.] *Hoc est, ab ijs initium facite cædis, qui præsunt templo, & occasionem præbuerunt ad ruinam.*
[f] Impletæ atria.] *Erant in templo atria tria, vnum mulierum, alterum virorum, tertium sacerdotum, sed & spacij monitu vsq; ad interiorem murum, similiter atrium exterius dicitur, quo in loco idolum Zeli primum viderat.* [g] Feci sicut præcepisti mihi.] *Sic ad patrem Christus, opus consummaui, quod dedisti mihi, vt facerem. Ioan. 17.*

CAPVT X.

A ET vidi, & ecce in firmamento quod erat [a] super caput cherubim, quasi lapis saphirus, & quasi species similitudinis solij, apparuit super ea. [b] Et dixit ad virum qui indutus erat lineis, & ait, Ingredere in medio rotarum, quæ sunt [c] subtus cherubim: & imple manum tuam prunis ignis, quæ sunt inter cherubim, & effunde super ciuitatem: ingressusq; est in cõspectu meo: cherubim autem stabant à dextris domus cum ingrederetur vir: & nubes implcuit atrium interius. Et eleuata est gloria Domini desuper cherub ad limen domus: & repleta est domus nubc, & atrium repletum est splendore gloriæ Domini. Et sonitus alarum cherubim audiebatur vsque ad atrium exterius, quasi vox Dei omnipotentis loquentis. Cumque
B præcepisset viro qui indutus erat lineis, dicens, Sume ignem de medio rotarum, quæ sunt inter cherubim: ingressus ille stetit iuxta rotam, & [d] extendit cherub manum de medio cherubim, ad ignem, qui erat inter cherubim: & sumpsit, & dedit in manus eius, qui indutus erat lineis: qui accipiens, egressus est. Et apparuit in cherubim [e] similitudo manus hominis subtus pennas eorum, & vidi, & ecce quatuor rotæ iuxta cherubim: rota vna iuxta cherub vnum, & rota alia iuxta cherub vnum: species autem rotarum erat quasi visio lapidis tharsis: & aspectus earum similitudo vna quatuor: quasi sit rota in medio rotæ. Cumque ambularent, in quatuor † lateribus suis gradiebantur: & non reuertebantur ambulantes: sed ad locum ad quem ire declinabat, Supr. 1.c
C quæ prima erat, sequebantur & cæteræ, nec reuertebantur. Et omne corpus earum, & colla, & manus, & pennæ, & rotæ plena erant oculis, in circuitu quatuor rotarum. Et ad rotas ipsas clamauit, [f] ò rota, audiente me. Quatuor autem facies habebat vnum: facies vna [g] facies cherub: & facies secunda, facies hominis: & in tertio facies leonis: & in quarto facies aquilæ. Et eleuata sunt cherubim: ipsum est animal quod videram iuxta fluuium Chobar. Cumque ambularent cherubim, ibant pariter & rotæ iuxta ea: & cum eleuarent cherubim alas suas, vt exaltarentur de terra, non residebant rotæ, sed & ipsæ iuxta erant. Stantibus illis, stabant: & cum eleuatis eleuabantur: spiritus enim vitæ erat in eis. Et egressa est gloria Domini a limine templi: & stetit su-
D per cherubim. Et eleuantia cherubim alas suas, exaltata sunt à terra coràm me: & illis egredientibus, rotæ quoque subsecutæ sunt: & stetit in introitu portæ domus Domini orientalis, & gloria Dei Israel erat super ea. [h] Ipsum est animal quod vidi subter Deum Israel iuxta fluuium Chobar: & intellexi quòd cherubim essent. Quatuor, & quatuor vultus vni, & quatuor alæ vni: & similitudo manus hominis sub alis eorum. Et similitudo vultuum eorum, ipsi vultus quos videram iuxta fluuium Chobar, & intuitus eorum, & impetus: singulorum ante faciem suam ingredi. Supra 1.c

SCHOLIA.

[a] Super caput cherubim.] *Supra cap. 1. pro cherubim legitur, animalia, est tamen eadem visio, vt supra monuimus. Sed cum in primo capite dicat. Et similitudo firmamenti super capita cuiusque animalis, sicut aspectus terribilis christalli, hic dicitur firmamentum super capita cherubim, sicut lapis saphirus, quasi firmamentum saphirinum dicat. Sed hic nodus ita dissoluitur, quod hæc particula, sicut lapis saphiri, referatur ad sequentia, nempe ad solium quod sequitur, hoc sensu. In firmamento, quod christallinæ lucis, puritatis, & candoris erat, visam sedem, quæ rubra ad modum saphiri fuerat, nam saphirum rubri coloris esse ostenditur, in Threnis cap. 4. candidiores erant nazaræi eius nive, & puriores lacte, plus ru-*

bebant quàm aſpectus gemmæ, quam quorum exciſio eſt ex ſapphiro. Superiori autem interpretationi conſimiliter accipiendum videtur id, quod in Exodo legitur cap. 24. Et viderunt Deum Iſrael, & ſub pedibus eius, &c. hoc eſt, duo viderunt ſimul, Deum Iſraelis, deinde ea, quæ ſub pedibus eius ſuberant, vt ſunt firmamentum, animalia, & rotæ. Erat autem gloria Dei populo deſerti, & patribus notiſſima, nam ſubinde iterum apparuit: breuibus igitur ibi deſcribitur, ſed cum eſſet negligentia poſteritatis non nihil obliterata, per prophetam Ezechielem reſricatur & explicatur accuratius. Quære, quæ primo capite confuſa & perturbata leguntur, ſic ordinentur, candente colore firmamentum fuit, id imminebat capitibus animalium, ſuper firmamento throni ſimilitudo inſtar ſapphiri lapidis. [b] Et dixit ad virum.] *Hoc loco vir ille candidis veſtibus mandatum accepit perdendæ ciuitatis, qui ſalutem ante hac obſignatis dederat. Nam Chriſtus, qui in primo aduentu non venit, vt iudicaret mundum, in ſecundo poſt quàm delegerit ſuos ad regnum, tum reprobos ignibus torquendos tradet.* [c] Subtus cherubim.] *Pro intra, ſed & rotæ, non ſub neque intra, ſed iuxta animalia conſtituerunt. Intra animalia mutatorius, atque in ſe reciprocus ignis extitit, quemadmodum ſuos radios in incertum flamma vibrat, iccirco dicitur, de medio cherubim, non vnius ſed omnium.* [d] Et extendit cherub manum.] *Viro nondum ingreſſo, cherub vnus manu in medio cherubim protenſa, correptum ignem tradidit, ſic ad imperium domini, pro opere iniuncto adimplendo, ſupernæ virtutes ſubſamulabantur.* [e] Similitudo manus hominis ſubtus pennas eorum.] *Agilis & expedita actio ſpiritualis eſt, quia manus ſub alis.* [f] O rota, audiente me.] *Iubens ſcilicet, vt vel huc, vel illuc volueretur.* [g] Facies cherub.] *Hic, nominat faciem cherub, quæ alibi facies bouis dicitur, inde bouem cherub aliqui putant, ſed hoc receptum, quòd cherub effigies ſit facie infantili, facies autem hominis à cherub hoc diſtare putatur, quòd illa ſit tenerior, hæc virilior, quemadmodum viri ab infantibus ſpecie diſcriminantur. Quidam dicunt quadrigam à longe conſpectam, viſam eſſe habere animal bouilla facie, quæ tamen propius viſa oſtendebat puerilem effigiem. Habet hæc viſio tres partes, vna eſt viri ſedentis ſuper ſolium in firmamento, altera quatuor animalium, tertia rotæ duplicis. Per ſimilitudinem quaſi hominis ſedentis ſuper ſolium, intellige Chriſtum, qui eſt ſplendor gloriæ, & character ſubſtantiæ paternæ. Apparet in eo ignis aliquis latens, ab aſpectu ſcilicet lumborum & ſurſum, quòd iudicy eius vis lateat, niſi qua per effectus agnoſcitur. Infra lumbos ignis eſt apertus & dilucidus, adumbrans Chriſti regnum, tam in ſeruandis electis, quàm in damnandis reprobis. Ibi ſplendor emicat, quia gloriam patris hominibus patefacit. Vel, ſub lumbis, quòd igneus videtur ſignificat ſeueritatem iudiciorum Dei contra impios, impuritates cordium humanorum exurens & purificans. Supra lumbos autem electri ſimilitudo, ſerenitatem ſignificat, & clementiam ad iuſtos electoſque poſt hanc vitam, ſicut & Heliæ oſtenditur primo per turbinem horribilem, deinde per auram tenuem ac leniſſimam. Quòd cherub ſubſint firmamento, ſignat Chriſtum eſſe Dominum angelorum. Animalia, & Rotæ, & eorum motus, ſignificant eccleſiam, & eius progreſſum, quæ adhuc agit ſub firmamento gloriæ. Surrexit quidem cum Chriſto, ſed iuxta internum hominem, foris adhuc premitur, & in dies purgatur ſacro illo igne, qui inter cherub verſatilis oberrat. Similitudinem hominis habent omnia, quòd ille ſit fundamentum gloriæ Dei. Quatuor facies inſunt omnibus, facies hominis ſignificat iudicium, & manſuetudinem, facies bouis, qui agrum colit, fructum: facies leonis, robur patientiæ: facies aquilæ, velocitatem in actione boni. Duplices alæ ſunt Fides, & Dilectio in Deum, & proximum directa. Nam duæ alæ extenduntur ſupra caput, & duabus velatur corpus. Sub alis quoque ſunt pariter actuoſæ manus. Habet enim fides manum ſuam, ſicut & dilectio. Pedes verò recti quid aliud ſunt, quàm quod Eſaias pronuntiat? Quàm pulchri ſunt in montibus pedes euangelizantis & annunciantis pacem? Per rotas intelligi videntur inferiores, qui ſunt in Eccleſia, flexibiles ad normam veritatis, animatique ſpiritu animalium, hoc eſt, ſuperiorum in eccleſia, qui luculentiora præſe ferunt dona: oculi in rotis ſignant, vbique accurata opus eſſe cuſtodia, ad cauendum noxia exempla & pernicioſam doctrinam: vnde Chriſtus, ſi oculus tuus ſimplex eſt, totum corpus tuum lucidum erit.* [h] Ipſum eſt animal.] *Hæc ſecum prophetæ. Quam quidem (inquit) video in hac quadriga omnia, quæ in priore videram, affirmo idem animal eſſe, quod ad fluuium chobar vidi. Ex eo autem cherubim eſſe cognoui, quod explicatius humanas facies referre, quàm pridem iuxta fluuium chobar videbantur. Puerilis enim facies ea eſt, quæ ante hac bouilla apparuit: remotius enim liniamenta bouis referebat, in templo qui dem maior lux, quàm iuxta flumen Babylonicum effulſit.*

CAPVT XI.

ET eleuauit me ſpiritus, & introduxit me ad portam domus Domini orientalem, quæ reſpicit ſolis ortum: & ecce in introitu portæ viginti quinque viri: & vidi in medio eorum Iezoniam filium Azur, & Pheltiam filium Banaiæ, principes populi, Dixitq; ad me, Fili hominis: hi ſunt viri, qui cogitant iniquitatem, & tractant conſilium peſsimum in vrbe iſta: dicentes, † [a] Non eſt propinqua vaſtatio, ædificemus domos: hæc eſt lebes, nos autem carnes. Iccircò vaticinare de eis, vaticinare fili hominis. Et irruit in me ſpiritus Domini, & dixit ad me, Loquere, Hæc dicit Dominus, ſic locuti eſtis domus Iſrael, & cogitationes cordis veſtri ego noui. Plurimos occidiſtis in vrbe hac, & impleſtis vias eius interfectis. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Interfecti veſtri, quos poſuiſtis in medio eius, [b] hi ſunt carnes, & hæc eſt lebes: & educam vos de medio eius. Gladium metuiſtis, & gladium inducam ſuper vos, ait Dominus Deus. Et eijciam vos de medio eius, daboq; vos in manu hoſtium, & faciam in vobis iudicia. Gladio cadetis: [c] in finibus Iſrael iudicabo vos, & ſcietis, quòd ego Dominus. Hæc non erit vobis in lebetem, & vos non eritis in medio eius in carnes: in finibus Iſrael iudicabo vos. Et ſcietis, quòd ego Dominus: quia in præceptis meis nõ ambulaſtis, & iudicia mea non feciſtis, ſed iuxta iudicia gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt, eſtis operati. Et factum eſt, cum prophetarem, Pheltias filius Banaiæ mortuus eſt: & cecidi in faciem meã clamans voce magna, & dixi, † Heu Domine Deus: conſummationem tu facis reliquiarum Iſrael. Et factum eſt verbum Domini ad me, dicens, Fili hominis, [d] fratres tui, fratres tui, viri propinqui tui, & omnis domus Iſrael vniuerſi: quibus dixerunt habitatores Ieruſalem, Longè recedite à Domino: nobis data eſt terra in poſſeſsionem. Propterea hæc dicit Dñs Deus, Quia longè feci eos in gentibus, & quia diſperſi eos in terris: ero eis in ſanctificationẽ modicam in terris ad quas venerunt. Propterea loquere. Hæc dicit Dñs Deus, Cõgregabo vos de populis, & adunabo de terris in quibus diſperſi eſtis: daboq; vobis humũ Iſrael. Et ingredientur illuc, & auferẽt omnes offenſiones cũctasq;

ctasq; abominationes eius de illa. Et dabo eis cor vnum, & ſpiritum nouũ tribuã in viſceribus eorũ: & auferã cor lapideum de carne eorum, & dabo eis cor carneum: vt in præceptis meis ambulent, & iudicia, mea cuſtodiant, faciantq; ea: & ſint mihi in populum, & ego ſim eis in Deum. Quorum autem cor poſt offendicula & abominationes ſuas ambulat, horum viam in capite ſuo ponam dicit Dominus Deus. Et eleuauerunt cherubim alas ſuas, & rotæ cum eis: & gloria Dei Iſrael erat ſuper ea. Et aſcendit gloria Domini de medio ciuitatis, ſtetitq; [e] ſuper montem, qui eſt ad orientem vrbis. Et ſpiritus leuauit me: adduxitq; in Chaldæam ad tranſmigrationem, in viſione in ſpiritu Dei: & ſublata eſt à me viſio, quam videram. Et locutus ſum ad tranſmigrationem omnia verba Domini, quæ oſtenderat mihi.

Iere. 23.f
Infra. 36.f

SCHOLIA.

[a] Non eſt propinqua vaſtatio.] *Sic dixerunt quidam, qui Ieremiæ prophetias contempſerunt, & dicebant, tam breui tempore non eſſe deſtruendam Ieruſalem, quin tuto poſſent extruere domos, & illas inhabitare, ſpe vana ſeducti. Fecerunt autem id ſub parabola carnis & ollæ, ſignificantes ſe in ciuitate illa ſatis tutos fore. Ieruſalem (inquiunt) nobis eſt, quod olla ijs, qui carnes coquunt in ea, quas non extrahunt ex ea, niſi bene coctas. Ita & nos hinc non extrahemur, priuſquam venerit nobis matura ſenectus, elatique fuerimus in ſumma pace ad ſepulchra.* [b] Hi ſunt carnes, & hæc eſt lebes.] *In quæ ſcilicet miſerè diſcerpti & cocti ſunt miſeri illi. Dominus (inquit) contrarium decreuit. Nam quos interfeciſtis, nempe prophetæ, & viri ſancti, qui vos à malis veſtris auocare conati ſunt, hi erunt caro in ciuitate, manebuntq; in ea, vos autem in captiuitatem ibitis. Videntur autem in hac parabola alluſiſſe ad dictum Ieremiæ, qui de olla ſuccenſa & ebulliente cap. 5. parabolam propoſuerat, vt dicat, etiam ſi ebulliant aquæ, et pereant vulgares, manebimus tamen in olla nos.* [c] In finibus Iſrael.] *Significatur per id, iudicium, quod Nabuchodonoſor dedit contra regem Sedechiam, & principes eius in Reblatha, quæ eſt in termino Iſrael.* [d] Fratres tui.] *Quia prophetæ orauerat pro conſeruatione reliquiarum Iſrael, quas in morte Phaltiæ etiam periturας ſuſpicabatur, maximè quia nomen alludebat, quod à liberatione deducitur, quaſi liberati Domini morerentur, conſolationem accipit pro reliquijs. Et eſt ſenſus, proximi tui & omnes Iſraelitæ, qui iam abierunt in captiuitatem, de quibus dicunt Ieroſolymitæ, ſeparati ſunt à ſanctuario Domini, noſtra eſt hæreditas eorum, & abijciunt eos dicentes, recedite à Domino, hoc eſt, à gloria Domini, à templo, indigni eſtis, at noſtrum eſt habitare terram, hi, inquiam, non ommino à me relicti ſunt, habebunt enim & ipſi ſanctuariolum ſuum, & ſunt inter eos, quos mihi delegi, nec faciam in eis omnimodam conſumptionem, ſed colligam quoſdam ex eis, quibus poſsidendam tradam terram Iſrael. Venientes autem in terram eliminabunt omnes immunditias Idolorum, quas inuexerunt gentiles. Et obſerua, eum ex liberatione terrena aſſurgere more prophetico in illam generalem & ſpiritualem, quæ facta eſt per ſeruatorem Chriſtum. Nam ſub Ezra & Zorobabel non ſunt præſtita, quæ hic promittit, quod in Malachia & alijs minoribus prophetis videre eſt.* [e] Super montem qui eſt ad orientem vrbis.] *Viſa eſt gloria Domini ſtare ſuper montem oliueti, qui eſt orient. alis, nec poſthac in occidentali templi parte quærenda eſt, ſed abolito templo, in monte orientis, vnde Chriſtus in cœlum receptus eſt.*

CAPVT XII.

AET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, in medio domus exaſperantis tu habitas: qui oculos habent ad videndum, & non vident: & aures ad audiendum, & non audiunt: quia domus exaſperans eſt. Tu ergo fili hominis [a] fac tibi vaſa tranſmigrationis, & tranſmigrabis per diem coràm eis: tranſmigrabis autem de loco tuo ad locum alterum in conſpectu eorum, ſi fortè aſpiciant: quia domus exaſperans eſt. Et [b] efferes foras vaſa tua quaſi vaſa tranſmigrantis per diem in conſpectu eorum: tu B autem [c] egredieris veſpere coràm eis, ſicut egredietur migrans. Ante oculos eorum [d] perfode tibi parietem: & egredieris per eum. In conſpectu eorum in humeris † portabis, in caligine efferes: [e] faciem tuam velabis, & non videbis terram: quia portentum dedi te domui Iſrael. Feci ergo ſicut præceperat mihi Dominus: vaſa mea protuli quaſi vaſa tranſmigrantis per diem: & veſpere perfodi mihi parietem manu: in caligine egreſſus ſum, & in humeris portaui in conſpectu eorum. Et factus eſt ſermo Domini manè ad me, dicens, C Fili hominis, nunquid non dixerunt ad te domus Iſrael domus exaſperans? Quid tu facis? Dic ad eos, Hæc dicit Dominus Deus, Super ducem onus iſtud, qui eſt in Ieruſalem: & ſuper omnem domum Iſrael, quæ eſt in medio eorum. Dic, Ego portentum veſtrum: quomodo feci, ſic fiet illis: in tranſmigrationem, & in captiuitatem ibunt. Et dux, qui eſt in medio eorum, [f] in humeris portabit, in caligine egredietur, parietem perfodient, vt educant eum: facies eius operietur, vt non videat oculis terram: Et extendam rete meum D ſuper eum, & capietur in ſagena mea: & adducam eum in Babylonem in terram Chaldæorum, [g] & ipſam non videbit, ibique morietur. Et omnes, qui circa eum ſunt, præſidium eius: & agmina eius diſpergam in omnem ventum: & gladium euaginabo poſt eos. Et ſcient, quòd ego Dominus, quando diſperſero illos in gentibus, & diſſeminauero eos in terris. Et relinquam ex eis viros paucos à gladio, & fame, & peſtilentia: vt narrent omnia ſcelera eorum in gentibus ad quas ingredientur: & ſcient quòd ego Dominus. Et fa- E ctus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, panem tuum in conturbatione comede: ſed & aquam tuam in feſtinatione & mœrore bibe. Et dices ad populum terræ, Hæc dicit Dominus Deus ad eos, qui habitant in Ieruſalem in terra Iſrael, Panem ſuum in ſolicitudine comedent, & aquam ſuam in deſolatione bibent, vt deſoletur terra à multitudine ſua, propter iniquitatem omnium qui habitant in ea. Et ciuitates quæ nunc habitantur, deſolatæ erunt, terraque deſerta: [h] & ſcietis quòd ego Dominus. Et factus eſt ſermo F Domini ad me, dicens, Fili hominis, quod eſt prouerbium iſtud vobis in terra Iſrael? dicentium, [i] in longum differentur dies, & peribit omnis viſio? Ideò dic ad eos, Hæc dicit Dominus Deus, Quieſcere faciam prouerbium iſtud, neque vulgò dicetur vltrà in Iſrael. Et loquere ad eos, quòd appropinquauerint dies, & ſermo omnis viſionis. Non enim erit vltrà omnis viſio caſſa, neque diuinatio ambigua in medio filio- G rum Iſrael. Quia ego Dominus loquar: quodcunque locutus fuero verbum, & fiet: non prolongabitur

Infra. 17.f & 32.a
2. Pet. 4.a

amplius:sed in diebus vestris domus exasperans loquar verbum,& faciam illud dicit Dñs Deus. Et factus est sermo Dñi ad me,dicens,Fili hominis,ecce Dñs Israel dicentium, Visio quam hic videt,in dies multos: & in tempora longa iste prophetat. Propterea dic ad eos, Hæc dicit Dñs Deus, Non prolongabitur vltrà omnis sermo meus:verbum,quod locutus fuero,complebitur,dicit Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Fac tibi vasa transmigrationis.] *Varijs argumentis,sicut & in Ieremia factum est, studet admonere eos, vt respiscant. Vasa autem,hoc est instrumenta transmigrationis,sunt baculus,calcei,penula,pera,pileus,& quæ ad iter pertinent, præsertim ijs,qui longam ituri sunt viam,quales tunc erant Iudæi in Babylonem abducendi.* [b] Et efferes foras vasa tua quasi vasa transmigrationis.] *Hoc est,portabis vasa tua eo modo,sicut qui in exilium ducuntur,sua portant vasa, nempe saccum in humero,pileum in capite,& baculum in manu.* [c] Egredieris vespere.] *Designans regem sub vesperam & noctu fugiturum de Ierusalem iam capta. Et egredieris(inquit)sicut egreditur migrans,hoc est,ibis ante eos mœstus, & tristis,sicut illi faciunt,qui in exilium ducuntur.* [d] Perfode tibi parietem.] *Angusto foramine,quod cernentibus concaptiuis fecerat,extrahit instrumenta viatoria,ad angustam ac diram impendentis captiuitatis cladem significandam, parietem ergo manu absque instrumentis festinans perfodit. Sic effugit Sedechias cum principibus, & sunt qui coniectent illos parietem horti regis,per cuius viam elapsi esse scribuntur, perfregisse manibus, vt qui ad manum idonea instrumenta non haberent, & valde verisimile est.* [e] Faciem tuam velabis.] *Cæcitatem innuens, quæ regi accidit,nam effossis sunt ei oculi. Significat præterea,eos in caligine abituros, faciem ob pudorem operturos, ne vel terram ipsum aspicerent.* [f] In humeris portabit.] *Pallium vel vestes conjciet in humeros.* [g] Et ipsam non videbit.] *Quia eruit oculos ei rex Babylonis.* [h] Et scietis.] *Flagella enim adhibentur, vt agnoscatur Dominus.* [i] In longum differentur Dies.] *Videlicet de quibus prophetæ loquuntur,hoc est,in risum exibit illorum prophetia.*

CAPVT XIII.

Infra. 14.d

ET factus est sermo Domini ad me, dicens, Fili hominis vatici nare ad prophetas Israel, qui prophe- A
tant:& dices prophetantibus de corde suo, Audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus, Væ prophetis insipientibus:qui sequuntur spiritum suum,& nihil vident. [a] Quasi vulpes in desertis,propheta tui Israel erant.Non ascendistis † per interruptiones,neq; opposuistis sepem pro domo Israel:vt staretis in prælio in die Domini. Vident vana, & diuinant mendacium,dicentes, Ait Dominus,cum Dominus non miserit eos:& perseuerauerunt confirmare sermonem. Nunquid non visionem cassam vidistis, & diuinationem mendacem locuti estis? & dicitis, Ait Dominus: cum ego non sim locutus. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Quia locuti estis vana,& vidistis mendacium: ideò ecce ego ad vos,dicit Dominus Deus, Et B
erit manus mea super prophetas,qui vident vana & diuinant mendacium: [b] in concilio populi mei nõ erũt: & in scriptura domus Israel non scribentur, nec in terram Israel ingredientur: & scietis quòd ego Dominus Deus,ob id,& eò quòd deceperint populum meum,dicentes,Pax,& non est pax: & [c] ipse ædificabat parietẽ, illi autem liniebant eum luto absque paleis. Dic ad eos,qui liniunt absq; temperatura quòd casurus sit: erit enim imber inundans,[d] & dabo lapides † grandinis desuper irruentes, & ventum procellæ dissipantem: Siquidem ecce cecidit paries. Nunquid non dicetur vobis, Vbi est litura quam linistis? Propterea hæc dicit Dominus Deus: Et erumpere faciam spiritum tempestatum in indignatione mea, & imber inundans in furore meo erit: & lapides † grandinis in ira in consummationem. Et destruam parietem quem linistis absq; temperamento: & adæquabo eum in terra, & releuabitur fundamentum eius: & cadet, & † vos consumemini in medio eius:& scietis quod ego sum Dominus, Et complebo indignationem meam in pariete, & in his,qui liniunt eum absque temperamento, dicamque vobis. Non est paries, & non sunt qui liniunt eum. Prophetæ Israel,qui prophetant ad Ierusalem,& vident ei visionem pacis,& non est pax,ait Dominus Deus. Et tu fili hominis pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant de corde suo: & vaticinare super eas,& dic,Hæc dicit Dominus Deus, Væ,qui [e] consuunt puluillos sub omni cubito manus:& faciunt cer D
uicalia sub capite vniuersæ † eleuationis ad capiendas animas: † nunquid capietis animas populi mei,[f] & viuificabitis animas vestras? Et violabitis me ad populum meum [g] propter pugillum hordei & fragmen panis † ad interficiendas animas,quæ non moriuntur,[h] & † viuificandas animas,quæ non viuunt, mentientes populo meo credenti mendacijs? Propter hoc,hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad puluillos vestros quibus vos [i] capitis animas volantes,& dirumpam eos de brachijs vestris:& dimittam animas quas vos [k] capitis, animas,† vt auolent:& dirumpam ceruicalia vestra,& liberabo populum meum de manu vestra,neq; erunt vltrà in manibus vestris ad prædandum:& scietis quòd ego Dominus. Pro eò quòd mœrere fecistis cor iusti mendaciter, quem ego non contristaui: & confortastis manus impij, vt non reuerteretur à via sua mala, & viueret: propterea vana non videbitis, & diuinationes non diuinabitis amplius, & eruam populum meum de manu vestra:& scietis quòd ego Dominus.

SCHOLIA.

[a] Quasi vulpes in desertis.] *Comparantur falsi prophetæ,& seductores populi vulpibus subdolis, quæ per laceratas sepes,& neglectas coortes intrant, et lædunt. Nam vox Hebræa significat loca sepium disrupta, per quæ bestijs patet locus intrandi:porrò Israel est vinea Domini sabaoth,& prophetæ falsi sunt vulpes,interruptio autem sepis est parua fides simplicium. Queritur ergo aduersus principes, in quorum potestate erat perdere falsos prophetas quòd non ascenderint per interruptiones, vel in illas fracturas:nam perstat in metaphora:debuerant enim animam suam ponere pro ouibus suis, & se se veluti murũ opponere falsis prophetis. Et quod ait. In die Domini,hoc est in die iræ diuinæ.* [b] In consilio populi mei.] *Hoc est,non admittentur in concilium electorum, & bonorum in Israel. Et quod sequitur, & in scriptura domus Israel non scribentur. Alludit ad Mosen,qui de libro viuentium potius deleri voluit,quàm vt populo peccatum asseruaret Dominus. Ionathas sic vertit, non erunt in secreto bono, quod repositum est populo meo,nec in catalogo iustorum scribentur,hoc est,in libro vitæ.*

c Ipse ædificabat parietem.] Pseudo propheta lactabat miseram plebem,illa acquiescebat: Alius sic, Ruinosus paries erat populus Ierosolymitanus,lictores eius falsi prophetæ,qui dicebãt pax pax. [d] Et dabo lapides.] *Alius vertit. Et vos o lapides grandinis ruere facietis ædificium.* [e] Cõsuunt puluillos.] *Mulierculæ magicæ instructæ arte, consuebant puluillos, & fascinantium virorum axillis inducebant,& pepla,hoc est,tenuissimos lineos pannos imponebant capitibus eorum, quasi per hæc indumenta apti fierent ad suscipiendum oraculum sacrum. Quin & ipsæ interim ea,quæ commentæ erant, insipientium ingerebant auribus,quòd scilicet hæc vel illa eis euentura essent. Sunt tamen qui interpretentur,puluillos consuere,prosperata & prospera promittere. Et illud. Et faciunt ceruicalia sub capite vniuersæ eleuationis,hoc est, vt caput sit paulo eleuatius reliquo corpore. Alius vertit. Et faciunt pepla super caput cuiuscunq; staturæ. Et sic exponit, quòd viri & mulieres erecti stabant ante pseudo illas prophetissas,& earum incantamentis dementati,quod volebant didicerunt.* [f] Et viuificabitis animas vestras.] *Hoc est,eorum,qui vestris vaticinijs credunt,sic enim vir quidam eruditus interpretabatur.* [g] Propter pugillum hordei.] *Pugillum hordei & frustũ panis,is qui consulebat,diuinatrici dabat, quæ munera inter orgia sua peragenda,vt videtur,ceu oblationem acceperunt.* [h] Et viuificandas animas.] *Hoc non dicitur quòd ipsæ viuificarent moriturasanimas,sed quòd impios homines seduxerint mendacibus suis verbis, quasi animas eorum morituras viuificare potuerint.* [i] Capitis animas volantes.] *Vt sint aduolantes & venientes ad eos,hoc est,alliciunt animas mendacijs suis, vt eas perdant.* [k] Animas,vt auolent.] *Hoc est,quæ per me auolabunt liberatæ à venationibus vestris.*

CAPVT XIIII.

A ET venerunt ad me viri seniorum Israel,& sederunt coràm me.Et factus est sermo Domini ad me, dicens,Fili hominis,viri isti [a] posuerunt † idola sua in cordibus suis,& scandalum iniquitatis suæ statuerunt † ante faciem suam:nunquid interrogatus respondebo eis? Propter hoc loquere eis, & dices ad eos,Hæc dicit Dñs Deus,Homo,homo de domo Israel,qui posuerit immunditias suas in corde suo,& scãdalum iniquitatis suæ statuerit † ante faciem suam,& venerit ad prophetam interrogans per eũ me: ego Dñs re
B spondebo ei in multitudine immunditiarũ suarũ: [b] vt capiatur domus Israel in corde suo,quo recesserunt à me in cunctis idolis suis. Propterea dic ad domum Israel,Hæc dicit Dñs Deus,Conuertimini, & recedite ab idolis vestris,& ab vniuersis contaminationibus vestris auertite facies vestras. Quia homo homo de domo Israel,& de proselytis quicũq; aduena fuerit in Israel:si alienatus fuerit à me, & posuerit idola sua in corde suo, & scandalum iniquitatis suæ statuerit † ante faciem suam,& venerit ad prophetam, vt interroget per eũ me:
C ego Dominus respondebo ei per me. Et ponam faciem meam super hominem illum, & faciam eum in exẽplum & in prouerbium,& disperdam eum de medio populi mei:& scietis q̃ ego Dominus. Et propheta cũ Supra. 13 a
errauerit,& locutus fuerit verbum:ego Dominus [c] decepi propheram illum: & extendam manum meam super illum,& delebo eum de medio populi mei Israel. Et portabunt iniquitatem suam: [d] iuxta iniquitatem interrogantis,sic iniquitas prophetæ erit: [e] vt non erret vltrà domus Israel à me, neque polluatur in vniuersis
D preuaricationibus suis:sed sint mihi in populum,& ego sim eis in Deum,ait Dominus exercituum. Et factus est sermo Domini ad me,dicens, Fili hominis,terra cum peccauerit mihi,vt prævaricetur prævaricans, extẽdam manum meam super eam,& conteram virgam panis eius: & immittam in eam famem, & interficiam de ea hominem, & iumentum. Et si fuerint tres viri isti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob: ipsi in iusti- Supra. 4. d & 5. d.
tia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum. Quòd si & bestias pessimas induxero super ter-
E ram, vt vastem eam: & fuerit inuia,eò quòd non sit pertransiens propter bestias. [f] Tres viri isti si fuerint in ea, viuo ego dicit Dominus Deus, quòd nec filios nec filias liberabunt: sed ipsi soli liberabuntur, terra autem desolabitur. Vel si gladium induxero super illam, & dixero gladio, Transi per terram: & interfecero de ea hominem & iumentum: Et tres viri isti fuerint in medio eius: viuo ego dicit Dominus Deus, non liberabunt filios,neque filias: sed ipsi soli liberabuntur. Si autem & pestilentiam immisero super terram il-
F lam, & effudero indignationem meam super eam in sanguine, vt auferam ex ea hominem & iumentum. Et Noe, & Daniel, & Iob fuerint in medio eius: viuo ego, dicit Dominus Deus, quòd filium & filiam nõ liberabunt: sed ipsi iustitia sua liberabunt animas suas. Quoniam hæc dicit Dominus Deus, Quòd & si quatuor iudicia mea pessima, gladium, & famem, ac bestias malas,& pestilentiam immisero in Ierusalem, vt interficiam de ea hominem & pecus: tamen [g] relinquetur in ea saluatio † filiorum & filiarum, qui edu-
G cti erunt: ecce ipsi egredientur ad vos, & videbitis viam eorum & adinuentiones eorum: & consolabimini super malo quod induxi in Ierusalem, in omnibus, quæ importaui super eam. Et consolabuntur vos,cum videritis viam eorum & adinuentiones eorum: & cognoscetis quòd non frustra fecerim omnia, quæ feci in ea, ait Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Posuerunt idola sua.] *Hoc est, non renuntiauerunt idolorum cultui,quantumlibet foris videantur per te consulere Dominum,immò statuerunt offendiculum iniquitatis suæ ante faciem suam,hoc est,timent adhuc idola tanquam Deum. Hæc cum ita sint,nunquid respondebo eis cum me consultant,quem pro Deo ex corde non habent?* [b] Vt capiatur domus Israel in corde suo.] *Hoc est,respondebo quidem eis,non secundum postulationem eorum,sed,vt manifestum fiat, quod absconditum tenent in corde.* [c] Decepi prophetam illum.] *Hoc est,Ego cum sim iustus,vtor eo pro vase iræ,sicut & ego in durauj cor Pharaonis,vt persequeretur populum meum in suam pernicicm,& ego tradido hominem in manum alterius,à qua fortunò occidetur,de quo,Exod. 21. Et hæc quidem omnia non fiunt sine causa,sed quæ nobis est occulta,Deo autem manifesta. Alij sic hunc locũ exponunt. Impellit Deus pseudoprophetam iuxta malicio sum cordis ingenium, vt in apertum peccatũ abditum proferatur.* [d] Iuxta iniquitatem.] *Hoc est,pœnam iniquitatis.* [e] Vt non erret.] *Est hic versus in consolationem priorum dictus, qui ex aliorum seductionibus, quæ hactenus expositæ sunt, non solum non mouentur, sed etiam confirmantur.* [f] Tres viri isti.] *Sensus est, vnusquisque sua saluabitur iustitia. Inducuntur autem tres illi viri. Noe, Daniel,& Iob,quòd magnam experti sint & felicitatem & calamitatem. Pereunte enim toto mundo Noe saluatus est sua fide,*

& iuſtitia. Pereuntibus filijs Iob, ipſe ſuperſtes manſit. Pereunte vrbe Ieruſalem, iam Daniel ſaluus in captiuitatẽ abierat. Paſſi ſunt iſti tres viri maximas tentationes, ſed confiſi de Deo firmi perſtiterunt. Qualia putas paſſum Noe centum illis & viginti annis, quando peruerſo & incredulo ſæculo ſuo denuntiauit horribile Dei iudicium, aduerſantibus omnibus hominibus? Quid horroris paſſus eſt Daniel, inuidia malorum hominum coniectus in lacum leonum? porrò quàm variè tentatus ſit Iob, neminem latet. Et tamen viri illi ſua iuſtitia tantum ſeipſos liberauerunt. Apparet autem Danielem non tam puerum fuiſſe ætate, cum abiret in captiuitatem, ſed iam inſignem iuſtitia, quòd à coætaneo prophetæ mox in captiuitate tanto elogio afficeretur. § Relinquetur in ea ſaluatio.] *Omnes, inquit, quatuor has plagas in vrbem Ieruſalem immittam, & tamẽ non redigetur ad internitionem, ſed relicta eſt in ea ſaluatio filiorum et filiarum, qui ad vos in Babylonem ducentur, & tunc cognoſcetis eos iuſto Dei iudicio perculſos, quod vos in captiuitate conſolabitur. Et obſerua, quàm ſæpe prophetæ ſeruandarum reliquiarum mentionem faciant.*

CAPVT XV.

ET factus eſt ſermo Domini ad me dicẽs, Fili hominis, quid fiet [a] de ligno vitis † præ alijs lignis, ex illis, A
inquam, ramis ſylueſtris vitis, qui ſunt inter ligna ſyluarum? Nunquid tolletur de ea lignum, vt fiat
opus, aut fabricabitur de ea paxillus, vt depẽdeat in eo quodcunq; vas? Ecce, igni datum eſt in eſcam, B
[b] vtranq; partem. eius conſumpſit ignis, & medietas eius redacta eſt in fauillam: nunquid vtile erit ad opus?
Etiam cum eſſet integrum, non erat aptum ad opus: quanto magis cum illud ignis deuorauerit, & combuſſe C
rit, nihil ex eo fiet operis? Propterea hęc dicit Dominus Deus, Quomodo lignum vitis inter ligna ſyluarum,
quod dedi igni ad deuorandum, ſic tradidi habitatores Ieruſalem. Et ponam faciem meã in eos: de igne egre- D
dientur, & ignis cõſumet eos. Et ſcietis quòd ego Dominus cum poſuero faciem meam in eos, & dedero ter-
ram inuiam & deſolatam: eò quòd præuaricatores extiterint, dicit Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] De ligno vitis.] *Fuit Iſrael vinea Domini exercituum, gentes autem fuerũt quaſi ſylua infrugiferarũ arborum. Et vt nihil vtilius eſt, atque gratioſius vite frugifera, ita rurſus nullum lignum tam ineris inuenitur, quàm vitis degener, aut quæ exaruit. Ad nihil enim vtilis eſt aliud, quàm vt in ignem mittatur, vt habet parabola euangelica. Sic cum Iudæi bonos fructus non ferrent, opera ſcilicet miſericordiæ & pietatis, iudicio Dei condemnati tranſierunt ab igne in ignem, de pœna in pœnam, quod videtur ſignificare, cum ait, de igne egredientur, & ignis conſumet eos. Nam quoties Ieruſalem ſibi viſa eſt diſcrimen ſuperaſſe, grauiter tamen tandem peryit. Significat ergo, quòd paulatim igne toti conſumendi eſſent.* [b] Vtranq; partem.] *Alius ſic vertit, Duæ extremitates eius conſumpſit ignis, & medium eius exaruit. Loquitur autem, de Ieruſalem cuius extremitates, Samaria ſcilicet et oppida Iudææ ciuperyſſent, ſola Ieruſalem ſupererat, ſed quæ iam ex vicino igne arefacta fuerat & exuſta, & planè inutilis facta ad ferendum fructum.*

CAPVT XVI.

ET factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, notas fac Ieruſalem abominationes ſuas, & di- A
ces, Hæc dicit Dominus Deus Ieruſalem, Radix tua & generatio tua de terra Chanáan: [a] pater tuus
Amorrhęus, & mater tua Cethæa. Et [b] quando nata es, in die ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus,
& in aqua non es lota in † munditiem, nec ſale ſalita, nec inuoluta pannis. Non pepercit ſuper te oculus, vt
faceret tibi vnum de his, miſertus tui: ſed proiecta es ſuper faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die qua
nata es. Tranſiens autem per te, vidi te conculcari in ſanguine tuo: & dixi tibi cum eſſes in ſanguine tuo, vi-
ue, dixi inquam tibi, [c] In ſanguine tuo viue. Multiplicatam quaſi germen agri dedi te: & multiplicata es, &
grandis effecta, & ingreſſa es, & [d] perueniſti ad mundum muliebrem: vbera tua intumuerunt, & pilus tuus
germinauit: & [e] eras nuda, & confuſione plena. Et trãſiui per te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tẽpus † amo-
rum, & expandi amictum meum ſuper te, & operui ignominiam tuam. Et iuraui tibi, & ingreſſus ſum pactũ
tecum, ait Dominus Deus: & facta es mihi. Et laui te aqua, & emundaui ſanguinem tuũ ex te: & vnxi te oleo, B
Et veſtiui te diſcoloribus, & calciaui te hyacintho: & cinxi te byſſo, & indui te ſubtilibus. Et ornaui te orna-
mento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem circa collum tuum. Et dedi inaurem ſuper os tuum, &
circulos auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et ornata es auro & argento, & veſtita es byſſo, & ſe-
rico, & multis coloribus: ſimilam, & mel, & oleum comediſti, & decora facta es vehementer nimis: & profe-
ciſti in regnum. Et egreſſum eſt nomen tuum in gentes propter ſpeciem tuam: quia perfecta eras in decore
meo quem poſuerã ſuper te, dicit Dominus Deus. Et habens fiduciam in pulchritudine tua [f] fornicata es in
nomine tuo: & expoſuiſti fornicationem tuam omni tranſeunti, vt eius fieres. Et ſumens de veſtimentis tuis,
feciſti tibi [g] excelſã † diſcoloria: & fornicata es ſuper eis, ſicut non eſt factum, neq; futurum eſt. Et tuliſti vaſa
decoris tui, de auro meo atq; argento meo, quę dedi tibi: & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in
eis. Et ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illas: & oleum meum, & thymiama meum poſuiſti
coràm eis. Et panem meum, quem dedi tibi, ſimilam & oleum & mel quibus enutriui te, poſuiſti in conſpe- C
ctu eorum in odorem ſuauitatis, & factũ eſt, ait Dominus Deus. Et tuliſti filios tuos & filias tuas quas gene-
raſti mihi: & immolaſti eis ad deuorandum. Nunquid parua eſt fornicatio tua? Immolaſti filios meos, & de-
diſti illos conſecrans eis. Et poſt omnes abominationes tuas & fornicationes tuas, non es recordata dierum
adoleſcentiæ tuæ, quando eras nuda & confuſione plena, conculcata in ſanguine tuo. [h] Et accidit poſt omnẽ
malitiam tuam, væ væ tibi: ait Dominus Deus. Et ædificaſti tibi † excelſum, & feciſti tibi † excelſa in cunctis
plateis. Ad omne caput viæ ædificaſti ſignum proſtitutionis tuæ: & abominabilem feciſti decorem tuum: &
diuiſiſti pedes tuos omni tranſeunti, & multiplicaſti omnes fornicationes tuas. Et fornicata es cũ filijs Ægy-
pti vicinis tuis [i] magnarum carnium: & multiplicaſti fornicationem tuam ad irritandum me. Ecce ego exte
di manum meam ſuper te, & † diminui ſtatutum cibum tibi: & dedi te in animas odientium te [k] filiarũ Pa-
læſthinarum, quæ erubeſcũt in via tua ſcelerata. Et fornicata es in filijs Aſſyriorum, eò quòd necdum fueris
expleta:

D expleta: & poſtquam fornicata es, nec ſic es ſatiata. Et multiplicaſti fornicationẽ tuam in terra Chanáan cũ
Chaldæis: & nec ſic ſatiata es. In quo mundabo cor tuum, ait Dominus Deus: cum facias omnia hæc opera
mulieris meretricis & procacis? Quia fabricaſti lupanar tuum in capite omnis vię, & excelſum tuũ feciſti
in omni platea: nec facta es quaſi meretrix [l] faſtidio augens pretium, ſed quaſi mulier adultera quæ ſuper vi-
rum ſuum inducit alienos. Omnibus meretricibus dantur mercedes: tu autem dediſti mercedes cũctis ama-
toribus tuis, & dona donabas eis vt intrarent ad te vndiq; ad fornicandum tecum. Factumq; eſt in te contra
conſuetudinem mulierum in fornicationibus tuis, & poſt te [m] non erit fornicatio: in eo enim quòd dediſti
mercedes, & mercedes non accepiſti, factum eſt in te cõtrarium. Propterea meretrix audi verbum Domini.
Hæc dicit Dominus Deus, Quia effuſa eſt † impuritas tua, & reuelata eſt ignominia tua in fornicationibus
tuis ſuper amatores tuos, & ſuper omnia idôla abominationum tuarum in ſanguine filiorum tuorum quos
dediſti eis: ecce ego congregabo omnes amatores tuos quibus commiſta es, & omnes quos dilexiſti cum vni-
E uerſis quos oderas: & congregabo eos ſuper te vndiq;, & nudabo ignominiam tuam coràm eis, & videbunt
omnem turpitudinem tuam. Et iudicabo te iudicijs adulterarum & effundentium ſanguinem: & dabo te in Infr. 23. b
ſanguinem furoris & zeli. Et dabo te in manus eorum, & deſtruent lupanar tuum, & demolientur proſtibu-
lum tuum: & denudabunt te veſtimentis tuis, & auferẽt vaſa decoris tui: & derelinquent te nudam plenamq;
ignominia. Et adducent ſuper te multitudinem, & lapidabunt te lapidibus, & trucidabunt te gladijs ſuis. Et
comburent domos tuas igni, & facient in te iudicia in oculis mulierum plurimarum: & deſines fornicari, &
mercedes vltrà non dabis. Et requieſcet indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quieſcam, nec 4. Re. 25. a
iraſcar amplius. Eò quòd non fuerit recordata [n] dierum adoleſcentiæ tuæ: & prouocaſti me in omnibus his:
quapropter & ego vias tuas in capite tuo dedi, ait Dominus Deus, † [o] vt non perficeres nefarium cogitatum
in omnibus abominationibus tuis. Ecce omnis qui dicit vulgò prouerbium, in te aſſumet illud, dicẽs [p] ſicut
mater, ita & filia eius. Filia matris tuæ es tu, quę proiecit virum ſuum, & filios ſuos: & ſoror ſororum tuarum
F es tu, quæ proiecerunt viros ſuos & filios ſuos, mater veſtra Cethęa, & pater veſter Amorrhęus. Et [q] ſoror tua
maior Samaria, ipſa & filiæ eius quæ habitant ad ſiniſtram tuam: ſoror autem tua minor te, quæ habitat à
dextris tuis, Sodoma & filiæ eius. Sed nec in vijs earum ambulaſti, neq; ſecundum ſcelera earũ feciſti. † Qua-
ſi vero parum hoc fuiſſet, ſceleratiora feciſti illis in omnibus vijs tuis. Viuo ego, dicit Dominus Deus: quòd
non fecit Sodoma ſoror tua ipſa, & filiæ eius, ſicut feciſti tu & filiæ tuæ. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ ſo-
roris tuæ, Superbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiarum eius, & manum egeno & pau- Gene. 19. f
peri non porrigebant. Et elcuatæ ſunt, & fecerunt abominationes coràm me: & abſtuli eas ſicut vidiſti. Et Sa-
maria dimidium peccatorum tuorum nõ peccauit: ſed viciſti eas ſceleribus tuis, & iuſtificaſti ſorores tuas in
omnibus abominationibus tuis, quas operata es: ergo & tu porta confuſionẽ tuam, [r] quæ viciſti ſorores tuas
peccatis tuis, ſceleratius agens ab eis: iuſtificatæ ſunt. n. à te: ergo & tu confundere, & porta ignominiã tuam,
quæ iuſtificaſti ſorores tuas. § Et conuertam reſtituens eas conuerſione Sodomorum cum filiabus ſuis, & cõ-
G uerſione Samariæ & filiarum eius: & conuertam reuerſionem tuam in medio earum, vt portes ignominiam
tuam, & confundaris in omnibus quæ feciſti, conſolans eas. Et ſoror tua Sodoma, & filiæ eius reuertentur ad
antiquitatem ſuam: & Samaria, & filiæ eius reuertentur ad antiquitatem ſuam: & tu & filiæ tuæ reuertemini
ad antiquitatem veſtram. Non fuit autẽ Sodoma ſoror tua [t] audita in ore tuo, in die ſuperbiæ tuæ, antequam
reuelaretur malitia tua: ſicut hoc tempore in opprobrium filiarum Syriæ, & cũctarum in circuitu tuo filia-
rum Palæſthinarum, quæ contemnunt te per gyrum. Scelus tuum, & ignominiam tuam tu portaſti, ait Do-
minus Deus. Quia hęc dicit Dominus Deus. [u] Et faciam tibi ſicut deſpexiſti iuramentum, vt irritum face-
res pactum: & recordabor ego pacti mei tecum in diebus adoleſcentiæ tuæ: & ſuſcitabo tibi [x] pactum ſem-
piternum. Et recordaberis viarum tuarum, & confunderis: cum receperis ſorores tuas te maiores cum mi-
noribus tuis: & dabo eas tibi in filias, ſed non ex pacto tuo. Et ſuſcitabo ego pactum meum tecum: & ſcies
quod ego Dominus, vt recorderis & confundaris, & non ſit tibi vltrà aperire os præ cõfuſione tua, cum pla-
catus tibi fuero in omnibus quæ feciſti, ait Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Pater tuus Amorrhæus.] *Hoc dicit propter imitationem, ſicut & Dominus ad Iudæos dixit. Vos ex patre diabolo eſtis, ſic vtuis (inquit) tanquam inter Chananæos educata fuiſſes, & arctiſſima cognatione illis coniuncta eſſes.* [b] Et quãdo nata es.] *Nata eſt in Ægypto ſynagoga in magna miſeria, vt ob perſecutionem Pharaonis, qui omnes paruulos inſsit necari, non lucuerit infantibus exhibere conſueta officia, vt præſcindere vmbilicum, repurgare corpuſculum à ſanguine, & adhærentibus ſordibus, ſolidare cutem ſale, & membra fiſcia conſtringere.* [c] In ſanguine tuo viue.] *Hoc eſt, licet in puericia deſtituta fueris omni humanitate, ego tamen tui curam habui, & effeci vt viueres quantumuis polluta ſanguine.*
[d] Peruenisti ad mundum muliebrem.] *Hoc eſt, ad pubertatem, & facta es nubilis. Interim obſerua, quàm elegãter toto hoc capite metaphoricè rem tractet propheta: dum comparat ſynagogam Iudæorum puellæ ſuccreſcenti & deſponſatæ marito; ſed quæ relicto marito adulteris multis copulatur. Adulterium hoc Iudæorum fuit idololatria, quando deſerto Dei cultu, & fracta fide, qua illi deſponſati fuerant, idola coluerũt.* [e] Et eras nuda.] *Poſtea etiam, quàm creuiſti in ingentem numerum, vt tanquam nubilis puella eſſes, operimenta tamen non habebas, hoc eſt, non erat in te quicquam, quo audere poſſes ad me accedere: omnia autem, quibus conſpicua facta es à me profecta ſunt.* [f] Fornicata es in nomine tuo.] *Alius legit, meo, hoc eſt, donis quæ à me accepiſti, abuſa es in fornicationibus.* [g] Excelſa diſcoloria.] *Lectos vocat & cubilia, quibus impudica ſcorta amatores ſuos allicunt.* [h] Et accidit.] *Vt ſcilicet ad priſtinam miſeriam redieris.* [i] Magnarum carnium.] *Membrorum ſcilicet virilium: perſtat enim in metaphora ſcortationis. Et alludit ad illud. Carnes aſinorum carnes eorum. ſignificaturque per hanc ſimilitudinem ingens deſyderium, quo affecti erãt erga deos Ægyptios.* [k] Filiarum paleſtinarum.] *Filiæ, Paleſtinæ ciuitates ſunt & populi.* [l] Faſtidio augens precium.] *Solent meretrices reſſuere munera,*

uera,niſi fuerint magnifica:tu verò nullum exegiſti donum,quin magis contra morem omnium gẽtium,amatoribus tuis dediſti dona. m Non erit fornicatio.] *Similis videlicet.* n Dierum adoleſcentiæ tuæ.] *Hoc eſt,beneficiorum, quæ contuli in te adoleſcẽtulam.* o Vt non perficeres.] *Ego (inquit) pœnis meis cohibui te,ne omnem nefarium cogitatum tuum opere compleres.* p Sicut mater ita & filia.] *Per matrem Hebræi intelligunt terram Chanaan , & per filiam ſynagogam Iſrael,quæ imitata fuit Chananæos in operibus malis. Eadem ratione Samaria & Sodoma vocantur ſorores eius,quod eas imitata fuerit,immò longè exceſſerit in malitia,vt etiam Sodoma comparatione Iudæ,iuſta videri poſſit. Nam nõ leguntur à Sodomitis factæ tam execrandæ abominationes ſicut à Iudæis,qui etiam proprios filios immolauerunt idolis.Per filias Sodomæ intellige vrbes,quæ regi Sodomæ paruerunt.* q Soror tua maior.] *Samaria maior eſt,quia regnum decem tribuum maius erat regno Iuda,eratque ad ſiniſtram,quia in diſtributione,ſors Iuda ad meridiem , & portio Ioſeph ad ſeptentrionem fuit.* r Quæ viciſti ſorores tuas.] *In Heb.eſt,iudicaſti.Sed interpres ſenſum explicare voluit, vt idem eſſet iudicare eas, quod vincere criminibus,dum ipſa ſuis ſceleribus fecit, vt ſorores ſuæ iudicarentur minus iniquæ. Poteſt tamen & ſic dici. Iudicaſti ſorores tuas id eſt,cum innocenter,& in timore Dei viueres , condemnabas inculpata vita tua impietatem Samariæ &c.* s Et conuertam reſtituens eas.] *Noſtri ſic putant hunc locum legendum,quòd ſi ad priſtinam dignitatem redibit Sodoma,& Samaria,etiam tu redibis.Sed non eſt ſperandum Sodomæ de aliqua promiſſione,cum malitia eius ſit completa,& Samaria quoque non ſit vocanda populus meus.Dicit Dominus Hoſeæ ſecundo.Ergo nec Hieroſolymitani reſtituẽtur, qui peiores fuerunt Sodomitis.Et licet habeant multiplices promiſſiones in prophetis , non tamen totus Iſrael ſaluabitur , ſed reliquiæ ſecundum electionem gratiæ. Et hoc eſt,quod Dominus dixit apud Mat. Tolerabilior erit conditio Sodomæ & Gomorrhæ,quàm huius generationis:porro Samaria,quæ ſunt decem tribus,cum degenerarit in gentes,non ſunt populus aliter quàm gentes,ideo promiſſionem habent cum gentibus.Sed nũquam reſtituentur in priſtinum ſtatum,ſicut nec Sodoma, immò neque Iuda:quantumlibet Iudæi ex hoc loco colligant,hæc tria regna reſtituenda. Poteſt etiam hic locus legi per interrogationem ſic.Reducam ne captiuitatem earum? ſic quæ paulò poſt ſequuntur.Et ſorores tuæ Sodoma & filiæ eius reuertentur ad iniquitatem ſuam? minimè gentium.* t Audita in ore tuo.] *Cum tu (inquit) exuberares in pompis tuis , & luxu tuo,oblita es horrendæ famæ Sodomitarum,qui ob ſimilia crimina igne perierunt. Antequam ſcilicet Dominus te ſub Achaz traderet in manus regis Syriæ,quando ex te multa fuerunt millia occiſa,& Philiſthæi diffuſi per vrbes cãpeſtres, coperunt multa loca.* u Et faciam tibi.] *Quæ tibi faciam, tuo merito faciam , ſed poſt quam deſerti pacti pœnas ſumpſero, tui iterum miſerebor.* x Pactum meum ſempiternum.] *De quo,Heb.6. Et Hier.33. Habes hic locum memorabilem de duplici fœdere, vnum fœdus cum ſolo Iſraele,alterum cum omnibus gentibus. Faciam (inquit) tecum fœdus æternum idq; per Chriſtum,& adiungentur tibi ſorores tuæ,decem tribus & reliquæ gentes,maiores, & minores,hoc eſt,quæ in maioribus & minoribus fuerunt peccatis,quæ omnes inuenient redemptionem in Chriſto.*

CAPVT XVII.

A ET factus eſt ſermo Domini ad me dicẽs , Fili hominis propone ænigma, & narra parabolam ad domũ Iſrael,& dices,Hæc dicit Dominus Deus, a Aquila grandis magnarũ alarum , longo membrorum ductu,plena plumis & varietate venit ad Libanum , & tulit,† ſummum ramum cedri. Summitatẽ frondium eius auulſit:& tranſportauit eam in terram † mercatorum,in vrbe negotiatorum poſuit illam, & b tulit de ſemine terræ,& poſuit illud in terra pro ſemine:quam delegit iuxta aquas multas , † veluti ſalicem poſuit illud.Cumq; germinaſſet,creuit in vineam † luxuriantem , humili ſtatura , reſpicientibus ramis eius ad eã:& radices eius ſub illa erant:facta eſt ergo vinea,& fructificauit in palmites,& emiſit propagines.Et † fuit aquila altera grandis,magnis alis,multisq; plumis:& ecce vinea iſta quaſi mittens radices ſuas ad eam,palmites ſuos extendit ad illam,vt irrigaret eam de areolis germinis ſui.In terra bona c ſuper aquas multas plantata eſt:vt faciat frondes,& portet fructum,vt ſit in vineam grandem. Dic,Hæc dicit Dominus Deus,Ergõne proſperabitur? nónne radices eius euelleт,& fructus eius diſtringet,& ſiccabit oẽs palmites germinis eius,& areſcet:& d non in brachio grandi,neq; in populo multo,vt euelleret eam radicitus? Ecce plantata eſt:ergõne proſperabitur? nónne cum tetigerit eam ventus vrens ſiccabitur,e & in areis germinis ſui areſcet? Et factum eſt verbum Domini ad me,dicens, Dic ad domum exaſperantem , Neſcitis quid iſta ſignificent? Dic, f Ecce veniet rex Babylonis in Ieruſalem:& aſſumet regem, & principes eius , & adducet eos ad ſemetipſum in Babylonem. Et tollet de ſemine regni,ferietq; cum eo fœdus,& ab eo accipiet iuſiurandum,ſed & fortes terræ tollet:vt ſit regnum humile,& non eleuetur,ſed cuſtodiat pactum eius,& ſeruet illud. Qui recedens ab eo,miſit nuntios ad Ægyptum,vt daret ſibi equos & populum multum.Nunquid proſperabitur, vel conſequetur ſalutem,qui fecit hæc? & qui diſſoluit pactum,nunquid effugiet? Viuo ego dicit Dominus Deus,q in loco regis qui conſtituit eum regem,cuius fecit irritum iuramẽtum, & ſoluit pactum quod habebat cum eo,in medio Babylonis morietur.Et non in exercitu grandi, neque in populo multo faciet contra eum Pharao † g in prælio:in iactu aggeris,& in extructione vallorum : vt interficiat animas multas. Spreuerat enim iuramentum,vt ſolueret fœdus,& ecce h dedit manum ſuam,& cum omnia hæc fecerit,nõ effugiet. Propterea hęc dicit Dominus Deus. Viuo ego,quòd iuramentum quod ſpreuit,& fœdus,quod pręuaricatus eſt, ponam in caput eius.Et expandam ſuper eum rete meum,& comprehendetur in ſagena mea:& adducam eum in Babylonem,& iudicabo eũ ibi in prævaricatione qua deſpexit me. Et omnes profugi eius cum vniuerſo agmine ſuo gladio cadent:reſidui autem in omnem ventum diſpergentur : & ſcietis quòd ego Dominus locutus ſum,Hæc dicit Dominus Deus, Et i ſumam ego de † ſummo ramo cedri ſublimis , & ponam : de vertice ramorum eius tenerum diſtringam,& plantabò ſuper montem excelſum & eminentem. In mõte ſublimi Iſrael plantabo illud,& erumpet in germen,& faciet fructum,& erit in cedrum magnam:& habitabunt ſub eo omnes volucres,& vniuerſum volatile ſub vmbra frondium eius nidificabit. Et ſcient omnia ligna regionis quòd ego Dominus humiliaui lignum ſublime:& exaltaui lignum humile : & k ſiccaui lignum viride,& frondere feci lignum aridum,Ego Dominus locutus ſum & feci.

B

C

D

E

F

G

Supra 21.d
Infra 32.a

Scholia.

SCHOLIA.

a Aquila grandis.] *Per aquilam priorem ſignificatur rex Babylonis , per poſteriorem rex Ægypti , prior habuit alas magnas,hoc eſt,exercitum validum,ornatum pennis diſcoloribus, hoc eſt, Varys populis,& pennæ erant longæ, quia à Babylone vſque in occidentem celeriter volauit.Per Libanum,intellige terram Iſrael.Et per ſupremum ramum cedri,regem Ieconiam , atq; per ſummitatem ſurculorum,proceres aulæ. Terra mercatorum eſt Babylonia.* b Et tulit de ſemine terræ.] *Per hoc ſemen ſignificatur Sedechias rex Iuda,quem rex Babylonis inſtituit regem in terra bona & humecta , vt creſceret ſicut ſalix plantata iuxta aquas. Erat is rex vitis humilis , non cedrus alta, regi Babel ſubiectus,& quandiu illi obediuit, creuit,& fecit palmites,& fructus:ſed cum ab illo recederet,& iuſiurandum violaret, atque contra Dei ordinationem reſpiceret ad alteram aquilam,regem ſcilicet Ægypti,vt ille opem ei ferret,& irrigaret de areis & riuis plantationum ſuarum,exaruit,emarcuit,& totus cũ populo ſuo peryt.* c Super aquas multas plantata eſt.] *Vel potius:plantata erat,cum ſcilicet rex Babylonis Sedechiam præfecerat Iudææ,in qua commodiſſimè viuere poterat ſi non rebellaſſet.* d Non in brachio grandi.] *Hoc eſt,cum rex Babylonis miniſter Dei fuerit in expugnatione Ieruſalem,non opus habuit valido exercitu, & multo populo,ad extirpandum populum Iudæorum.* e Et in areis.] *Per areas intellige cumulos,ſeu ſulcos terræ, in quos vites frugiferæ plantantur.* f Ecce veniet rex.] *Alius interpretatur hæc omnia de præterito tempore, quando venit rex Babylonis, & tulit regem Ioacin , cui ſucceſſit Sedechias,&c.* g In prælio in iactu aggeris.] *Hoc eſt,quo tempore rex Babylonis præliabitur contra Ieruſalem,& cinget aggere illam.* h Dedit manum ſuam.] *Scilicet ad roborãdum fœdus.* i Et ſumam ego de ſummo ramo cedri ſublimis.] *Cedrus ſublimis eſt tribus Iuda , cuius caput eſt familia Dauid, vnde ſurculum valde tenerum decerptum plantat Dominus,in monte alto in Sion. Hic ſurculus non dubiè Chriſtus eſt, nullus enim alius rex de ſemine Dauid ſucceſſit Sedechiæ poſt captiuitatem Babylonicam,ideo de exteriori regno hic locus accipi non poteſt.* k Siccaui lignum viride.] *Lignum viride eſt iuſtitia falſa Iudæorum, aridum autem ethnicorum deſperatio,qui extra promiſſiones & teſtamenta erant.*

CAPVT XVIII.

A ET factus eſt ſermo Domini ad me dicens , Quid eſt quod inter vos † iactatis prouerbium iſtud in terra Iſrael? dicentes,a Patres comederunt vuam acerbam,& dentes filiorum obſtupuerunt. Viuo ego dicit Dominus Deus,ſi erit vltrà vobis parabola hęc in prouerbium in Iſrael.Ecce omnes animę,meę ſunt: vtanima patris,ita & anima filij,mea eſt:b anima,quę peccauerit,ipſa morietur.Et vir ſi fuerit iuſtus,et fecerit iudicium & iuſtitiam:c in montibus non comederit , & oculos ſuos non leuauerit ad idôla domus Iſrael: & vxorem proximi ſui non violauerit, & ad mulierem menſtruatam non acceſſerit , & hominem non contriſtauerit,pignus debitori reddiderit,per vim nihil rapuerit,panem ſuum eſurienti dederit , & nudum operuerit veſtimento:ad vſuram non commodauerit & amplius non acceperit , ab iniquitate auerterit manum ſuam,& iudicium verum fecerit inter virum & virum:& in præceptis meis ambulauerit , & iudicia mea cuſtodierit,vt faciat veritatẽ:hic iuſtus eſt, vita viuet,ait Dominus Deus. Quòd ſi genuerit filium latronẽ effundentem ſanguinem,& d fecerit vnum de iſtis:& hæc quidem omnia non facientem , ſed in montibus comedentem,& vxorem proximi ſui polluentem:egenum & pauperem contriſtantem,rapiẽtem rapinas, pignus non reddentem,& ad idôla leuantem oculos ſuos,abominationem facientem , ad vſuram dãtem & amplius accipientem:nunquid viuet? Non viuet:cum vniuerſa hęc deteſtanda fecerit , morte morietur,ſanguis eius in ipſo erit. Quòd ſi genuerit filium,qui videns omnia peccata patris ſui quæ fecit timuerit & non fecerit ſimile eis:ſuper montes non comederit,& oculos ſuos nõ leuauerit ad idola domus Iſrael, & vxorem proximi ſui non violauerit,& virum non contriſtauerit,pignus non retinuerit,& rapinam non rapuerit , panẽ ſuum eſurienti dederit,& nudum operuerit veſtimento:à pauperis iniuria auerterit manum ſuam , vſuram , & ſuperabundantiam non acceperit,iudicia mea fecerit, & in præceptis meis ambulauerit : hic non morietur in iniquitate patris ſui,ſed vita viuet. Pater eius quia calumniatus eſt,& vim fecit fratri , & malũ operatus eſt in medio populi ſui:ecce mortuus eſt in iniquitate ſua. Et dicitis, Quare non portabit filius iniquitatem patris? Videlicet,quia filius iudicium & iuſtitiam operatus eſt,omnia præcepta mea cuſtodiuit,& fecit illa,viuet vita. Anima quæ peccauerit,ipſa morietur:e filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij:iuſtitia iuſti ſuper eum erit,& impietas impij erit ſuper eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis quæ operatus eſt,& cuſtodierit omnia præcepta mea & fecerit iudicium & iuſtitiam:vita viuet,& non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus eſt,non recordabor : & in iuſtitia ſua,quam operatus eſt,viuet.Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij,dicit Dominus Deus , & non vt conuertatur à vijs ſuis,vt viuat? Si autem auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua,& fecerit iniquitatem ſecundũ omnes abominationes,quas operari ſolet impius,nunquid viuet? Omnes iuſtitiæ eius,quas fecerat , non recordabuntur:in prævaricatione qua prævaricatus eſt,& in peccato ſuo quod peccauit,in ipſis morietur. Et dixiſtis,f Non eſt æqua via Domini. Audite ergo domus Iſrael,Nunquid via mea non eſt æqua,& non magis viæ veſtræ prauę ſunt? Cum enim auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua,& fecerit iniquitatem,morietur in eis:in iniuſtitia quam operatus eſt,morietur. Et cum auerterit ſe impius ab impietate ſua quam operatus eſt: & fecerit iudicium & iuſtitiam:ipſe animam ſuam viuificabit. Conſyderans enim , & auertens ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis quas operatus eſt:vita viuet & nõ morietur. Et dicũt filij Iſrael,Non eſt æqua via Domini . Nunquid viæ meæ non ſunt æquę domus Iſrael,& non magis viæ veſtræ prauæ? Iccircò vnumquenq; iuxta vias ſuas iudicabo domus Iſrael:ait Dominus Deus. Conuertimini,& agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris:& nõ erit vobis in ruinam iniquitas . Proijcite à vobis omnes prævaricationes veſtras in quibus prævaricati eſtis,& facite vobis cor nouum,& ſpiritum nouũ : & quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis,dicit Dominus Deus,reuertimini & viuite.

B

C

D

E

F

G

Ierc.31.e

Iſa.58.b
Mat.25.c

Deu.14.c
4.Re.4.b
2.Par.25.b

Pſal.29.
Infra 33.c

Infra 33.d

Matt.3.a
Infra. 33.c

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Patres comederunt vuam acerbam.] *Sic dicebant, quòd audirent Israelem affligendum propter Hieroboam, & Iudam propter Managen, insimulantes ob id Deũ, quasi iniustus esset, non aduertentes, Deum illos minimè puniturum fuisse, si patres suos in sceleribus non fuissent imitati, vnde iurat Deus vnumquenque pœnam peccatorum suorum luiturum.*

[b] Anima, quæ peccauerit ipsa morietur.] *Videtur hic loqui de secunda æterna morte: & filius non portabit iniquitatẽ patris, de prima æterna morte, cum amissimus gratiam diuinæ maiestatis ob peccatum primi parẽtis à qua pœna redemit-nos per vnigenitum filium suum, et per eum accepit ad cœlestem patriam, nisi nos nostra inobedientia nos ipsos ea priuemus.*

[c] In montibus non comederit.] *Hoc est, idolis nõ seruierit in excelsis. Epulabantur enim in excelsis montibus coràm idolis, post oblationẽ victimarum.* [d] Et fecerit vnum de istis.] *Alius vertit sic. Qui fecerit contra vnũ ex illis. Si, inquam, ipse nullum ex illis fecerit, &c.* [e] Filius non portabit iniquitatem patris.] *Id si verum est, quomodo totum genus humanum luit peccatum primi hominis? Vt quid innocentes pueri cum Sodomitis perierũt? quare multa millia peste interierunt propter peccatum Dauid? Ad hoc respondendum, quòd Deus aliquando punit vt pater, ad emẽdandum filios, aliquando vt virtutem probet filiorum, aliquando vt iustus iudex, vt pœnam sumat, ac prorsus deleat, atque de hoc puniendi genere hic videtur intelligendum. Nam cum alioqui innoxios cum peccatoribus punit, ita rependit eis pro hac temporali pœna, vt pœna affecti minimè dici possint. Et ita plane alius est erga vasa iræ, & alius erga vasa misericordiæ. Et sic multæ sunt pœnæ, quæ rectius remedia vocari possunt, quam pœnæ. Et quando boni atque innocentes cum impijs tempor. diu laborant, non luunt aliam pœnam, sed mala ferendo suam conseruant sanitatem, sicut Abraham cum Chananæis sumem sustinuit, & boni viri cum habitatoribus impys huius mundi communia ferunt incommoda, veluti virtutum exercitamẽta, ne efferantur animo successu rerum. Et quamuis hic de temporali pœna loqui videatur, non ineptè tamen statuunt Iudæi, quòd mortem ac vitam simul ad futurum sæculum tacitè hic referat. De pueris verò, qui olim in fœdus Domini per circumcisionem suscipiebantur, & qui hodie per baptismum Domino inaugurantur, dubium non est, quin regnum cœlorum eorum sit.* [illegible] *Iustus enim ille est, nihil cuiquam debet. Bene actum putemus, si pueri moriuntur aut occidunt volente Domino, sicut in Sodomis & diluuio accidit, ne malorum parentum vestigia secuti, in grauiorem incidissent pœnam, aut ne piorum filij à gratia excidant.* [f] Non est æqua via Domini.] *Quando in simulant viam Domini non æquè libratam, hoc volunt, Deum plus punire, quàm admissa meretur, & æquabilitatem non seruari inter pœnam & peccatum: aut Deum, vnum plus punire quàm alium, aut vni admissa remittere, et alium perpetuis onerare peccatis.*

CAPVT XIX.

ET tu assume planctum super principes Israel, & dices, Quare [a] mater tua leæna inter leones cubauit? in medio leunculorũ enutriuit catulos suos: & eduxit vnum de leunculis suis, leo factus est: & didicit capere prædam, hominemq; comedere. Et audierunt de eo gentes, & † retibus suis ceperunt eum: & adduxerunt eum in catenis in terram Ægypti. Quę cum vidisset quòd infirmata est, & perijt expectatio eius: [b] tulit vnum de leunculis suis, leonem constituit eum. Qui incedebat inter leones, & factus est leo: & didicit prędam capere, & homines deuorare: didicit viduas facere, & ciuitates eorum in desertum adducere: & desolata est terra & plenitudo eius à voce rugitus illius. Et conuenerunt aduersus eum gentes vndiq; de prouincijs, & expanderunt super eum rete suum, in † retibus earum captus est. Et miserunt eum in caueã, in catenis adduxerunt eum ad regem Babylonis: miseruntq; eum in carcerẽ, ne audiretur vox eius vltrà super mõtes Israel. [c] Mater tua quasi vinea in sanguine tuo super aquam plantata est: fructus eius, & frondes eius creuerunt ex aquis multis. Et factæ sunt ei virgæ solidæ in sceptra dominantium, & exaltata est statura eius inter frõdes: & vidit altitudinem suam in multitudine palmitum suorum. Et [d] euulsa est in ira, in terramq; proiecta: & ventus vrens siccauit fructum eius: marcuerunt, & arefactæ sunt virgę roboris eius, ignis comedit eam. Et nunc transplantata est in desertum, in terra inuia, & sitienti. Et [e] egressus est ignis de virga ramorum eius, qui fructum eius comedit: & non fuit in ea virga fortis, sceptrum dominantium. Planctus est, & erit in planctum.

Osee. 13.d

SCHOLIA.

[a] Mater tua leęna.] *Leæna est regnũ Iudæ, quod confidenter & sine pauore, vt leæna cubauit inter leones, hoc est, reges gentium, quando Deum timuit & coluit. Sed nutriuit tandem rapaces catulos & leunculos, qui didicerunt deuorare homines, inter quos primus erat Ioachaz filius Iosiæ, vir sanguinarius, leunculus tamen, quia fuit contracta potentia eius propter terræ deuastationem. Hic cum vicina Ægypti deuastare cœpisset, captus est in fouea Pharaonis, & vinctus abductus.*

[b] Tulit vnum de leunculis.] *Hoc est, cum leæna Ierusalem vel domus regia vidisset successum suum frustrari, non ob id se humiliauit, & prudentius rebus suis consuluit, sed alios suborn auit successores in regno, eiusdem atrocitatis, nempe Ioacim, qui ambulauit inter leones, nunc cum rege Ægypti, nunc cum rege Babel fœdus iniens, & interim sanies in vicinos Moabitas & Ammonitas, & occidens prophetas, sed & viduas multas faciens, quarũ maritos occidit, vt illas pro voto opprimeret. Et vt in summa dicam: tanta fecit mala, vt vrbes & loca deuastarentur, et ipse tandẽ luens pœnas, à Babylonijs captus & abductus est.* [c] Mater tua quasi vinea.] *Hæc alia est parabola, populi Israelitici explicans excidium. Hic populus primum fuit quasi vitis frugifera in sanguine suo, hoc est, in virore, & succulentia naturæ siue in semine, Sanguinis enim copia vires & robur adauget. Alij legunt, in similitudine tua, hoc est, vt te gigneret similem sibi. Vel mater tua assimilatur viti frugiferæ plantatæ super aquas, quæ breui tempore in Ægypto in multa cẽtena creuit millia. Facti sunt (inquit) rami eius solidissimi, & virgæ eius firmissimæ, vt etiam sceptra regalia hinc fierent, & præter morem vitium, statura eius in altum consurgeret, & æquaretur altissimis arboribus, &c.* [d] Euulsa est in ira.] *Nobilissima (inquit) illa vitis in pessimam degenerauit labruscam, vt iam non esset præcidenda aut repurganda, sed funditus euellenda. Per ventum vrentem intellige exercitum Chaldæorum, & per desertum, in quod hæc vitis plantata dicitur, accipe Chaldeã, vbi hæc vitis crescere non potuit.* [e] Egressus est ignis de virga ramorum.] *Virga illa ramorum fuit Sedechias, qui cladem illam veluti ignem perfidia sua in populum induxit, & lamentum super lamentum, vt in fine capitis additur.*

Caput

ET factum est in anno septimo, in quinto, in decima mensis: venerunt viri de senioribus Israel, vt interrogarent Dominum, & sederunt coràm me. Et factus est sermo Domini ad me dicens, Fili hominis loquere senioribus Israel, & dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus, Nunquid ad interrogandum me vos venistis? Viuo ego quòd non respondebo vobis, ait Dominus Deus. † [a] Iudicabis ne eos, iudicabis ne fili hominis? abominationes patrum eorum ostende eis. Et dices ad eos, Hæc dicit Dominus Deus, In die qua elegi Israel, & [b] leuaui manum meam pro stirpe domus Iacob: & apparui eis in terra Ægypti, & leuaui manum meam pro eis, dicẽs, Ego Dominus Deus vester: in die illa leuaui manum meam pro eis, vt educerem eos de terra Ægypti, in terram quam prouideram eis, fluentem lacte & melle quæ est egregia inter omnes terras. Et dixi ad eos, Vnusquisq; offensiones oculorum suorum abijciat, & in idolis Ægypti nolite pollui: ego Dominus Deus vester. Et irritauerunt me, noluerunt q; me audire: vnusquisq; abominationes oculorum suorum non proiecit, nec idola Ægypti reliquerunt: & dixi vt effunderem indignationem meam super eos, & implerem iram meam in eis, in medio terræ Ægypti. Et feci propter nomen meum, vt non violaretur coràm gentibus: in quarum medio erant, & inter quas apparui eis, vt educerem eos de terra Ægypti. Eduxi ergo eos de terra Ægypti, & eduxi eos in desertũ. Et dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostẽdi eis, [c] quæ faciẽs homo viuet in eis. Insuper & [d] sabbata mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos: & scirent † quòd ego Dominus sanctificans eos. Et irritauerunt me domus Israel in deserto, in præceptis meis non ambulauerunt: & iudicia mea proiecerunt, quæ faciens homo viuet in eis: & sabbata mea violauerunt vehementer: dixi ergo vt effunderem furorem meum super eos in deserto, & consumerem eos. Et feci propter nomen meum, ne violaretur coràm gentibus: de quibus eieci eos in cõspectu earum. Ego igitur leuaui manum meam super eos in deserto, ne inducerem eos in terram quam dedi eis fluentem lacte & melle, præcipuam terrarum omnium: quia iudicia mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerũt, & sabbata mea violauerũt: post idôla enim cor eorum gradiebatur. Et pepercit oculus meus super eos, vt non interficerem eos: nec consumpsi eos in deserto. Dixi autem ad filios eorum in solitudine, In præceptis patrum vestrorum nolite incedere, nec iudicia eorum custodiatis, nec in idôlis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester, in præceptis meis ambulate, & iudicia mea custodite, & facite ea. Et sabbata mea sanctificate, vt sit signum inter me & vos: & sciatis quòd ego sum Dominus Deus vester. Et exacerbauerunt me filij, & in præceptis meis non ambulauerunt: & iudicia mea non custodierunt, vt facerent ea: quæ cum fecerit homo, viuet in eis: & sabbata mea violauerunt: & comminatus sum vt effunderem furorem meum super eos, & implerem iram meam in eis in deserto. Auerti autem manum meam, & feci propter nomen meum vt non violaretur coràm gẽtibus, de quibus eieci eos in oculis earum. Iterum leuaui manum meam in eos in solitudine, vt dispergerem illos in nationes, & ventilarem in terras: eò quòd iudicia mea non fecissent, & præcepta mea reprobassent, & sabbata mea violassent, & post idôla patrum suorum fuissent oculi eorum. Ergo & ego [e] dedi eis præcepta nõ bona, & iudicia in quibus non viuent: & pollui eos in muneribus suis cum traducerent per ignem omne quod aperit vuluam, propter delicta sua: & scient quòd ego Dominus. Quam ob rem loquere ad domum Israel fili hominis: & dices ad eos, Hęc dicit Dominus Deus, Adhuc & in hoc blasphemauerunt me patres vestri, cũ spreuissent me contemnentes: & induxissem eos in terram super quam leuaui manum meam, vt darem illam eis: viderunt omnem collem excelsum, & omne lignum nemorosum, & immolauerunt ibi victimas suas: & dederũt ibi irritationem oblationis suæ, & posuerunt ibi odorem suauitatis suæ & libauerunt libationes suas. Et dixi ad eos, [f] Quid est excelsum ad quod vos ingredimini? Et [g] vocatum est nomen eius Excelsum, vsque ad hanc diem. Propterea dic ad domum Israel, Hæc dicit Dominus Deus, Certè in via patrum vestrorum vos polluimini, & post offendicula eorum vos fornicamini. Et in oblatione donorum vestrorũ cum traducitis filios vestros per ignem, vos polluimini in omnibus idôlis vestris vsq; hodie: & ego respõdebo vobis domus Israel. Viuo ego dicit Dominus Deus, quòd non respondebo vobis. Neq; cogitatio mentis vestræ fiet, dicentium, Erimus sicut gentes, & sicut cognationes terræ, vt colamus ligna & lapides. Viuo ego dicit Dominus Deus: quòd in manu forti, & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. Et educam vos de populis: & cõgregabo vos de terris in quibus dispersi estis: in manu valida & in brachio extento, & in furore effuso regnabo super vos. Et [h] adducam vos in desertum populorum, & iudicabor vobiscum ibi [i] facie ad faciem. Sicut iudicio contẽdi aduersum patres vestros in deserto terræ Ægypti: sic iudicabo vos, dicit Dominus Deus. Et subijciam vos sceptro meo, & inducam vos [k] in vinculis fœderis. Et eligam de vobis transgressores & impios, & de terra incolatus eorum educam eos, & in terram Israel non ingredientur: & scietis quòd ego Dominus. Et vos domus Israel: hęc dicit Dominus Deus, Singuli [l] post idôla vestra ambulate & seruite eis, † Et postquam me vos audire non vultis, amplius saltem nomen meum sanctum ne polluerit is vltrà in muneribus vestris [m] & in idôlis vestris: in monte sancto meo in monte excelso Israel, ait Dominus Deus, Ibi seruiet mihi [n] omnis domus Israel, omnes, inquam, in terra in qua placebunt mihi: & ibi quæram primitias vestras, & initium decimarum vestrarum in omnibus sanctificationibus vestris. In odorem suauitatis suscipiam vos, cum eduxero vos de populis, & congregauero vos de terris in quas dispersi estis: & sanctificabor in vobis in oculis nationum. Et scietis quòd ego Dominus, cum induxero vos ad terram Israel, in terram pro qua leuaui manum meam vt darem eam patribus vestris. Et recordabimini ibi viarum vestrarum, & omnium scelerum vestrorum, quibus polluti estis in eis: & displicebitis vobis in conspectu vestro in omnibus malitijs vestris quas fecistis. Et scietis quòd ego Dominus, cum benefecero vobis propter nomen meum, & non secundum vias vestras malas, neq; secũdum scelera vestra pessima domus Israel, ait Dominus Deus. Et factus est sermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, pone faciem tuam contra viam austri, & [o] stilla ad aphricum, & propheta ad

saltum

Leui. 18.a
Rom. 10.a
Exod. 20.b
31.c
Deu. 5.b
Exod. 16.f

ſaltum agri meridiani. Et dices ſaltui meridiano, Audi verbum Domini: hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ſuccendam in te ignem, & comburam in te omne lignum viride, & omne lignum aridum, non extinguetur flamma ſuccenſionis: & comburetur in ea [p] omnis facies ab auſtro vſq; ad aquilonem. Et videbit vniuerſa caro quòd ego Dominus ſuccendi eam, nec extinguetur. Et dixi, [q] Ah, Domine Deus: ipſi dicunt de me, Nũquid non per parabolas loquitur iſte?

SCHOLIA.

[a] Iudicabis ne eos.] *Si vis (inquit) iudicare eos propter impietatem eorum redargue eos propter mala opera eorum, & oſtende eis abominationes patrum ſuorum.* [b] Leuaui manum.] *Leuare manum pro iurare ponitur.* [c] Quæ faciens homo viuet in eis.] *Sic Dominus dicebat: Hoc fac & viues. Sed quomodo viuitur in lege, cum illa occidat? Quòd lex occidit, id accidit ei noſtra malitia, cum lex ſit bona, & ad ſubſidium vitæ data. Adiuuat enim lex vitam, dum peccata oſtendit ei, qui timet Deum.* [d] Sabbata mea dedi eis.] *Dicit ſe dediſſe eis ſabbata, vt eſſent in ſignum inter ſe & illos. Sabbatum ergo in ſignum eſt, vt quieto animo & à peccatorum tumultu alieno, agnoſcas te redemptum à Domino, ſanctificatũ, & libertate ſpiritus donatum. Externa vacatio ab opere, huius quietis in Domino te admonere debet.* [e] Dedi eis præcepta non bona.] *Erit igitur lex mala? Abſit. Sed per præcepta vel ſtatuta mala hic intelligunt tributa quæ victores imponebant, & quæ Iudæi quotannis pendere cogebantur, & alia onera atq; leges, ſub quibus ſeruiebant gentibus. Nolebant parere legibus ad ſalutem datis, ideo cogebantur ferre leges malas, quas Dominus per gentes impoſuit, qualis eſt, quòd iuxta morem gentilium filios ſuos, etiam primogenitos, qui Dei erant, per ignem traducebant in honorem idoli Moloch: Vnde Deus prouocatus, eos deuaſtare conſtituit. Alij intelligunt præcepta non bona data Iſraelitis, quia antequam offenderent Dominum, decalogũ tantum acceperint, poſt idololatriam verò et blaſphemias, cerimonias legales multas dedit, ad nihil aliud vtiles, quàm vt remorarentur à dæmonum cultu, & ſacrilega ſuperſtitione gentium.* [f] Quid eſt excelſum.] *Ego (inquit) cõſtitui vobis locum, vbi ſacrificaretis nomini meo: quis igitur præcepit vobis facere excelſa & ſacrificare ibi, niſi quòd à gentibus hoc didiciſtis?* [g] Et vocatum eſt.] *Hoc eſt, adeo placuerunt illis excelſa, vt etiam ſiquid mihi offerendum cenſerent, illud cauſa breuitatis vocauerint excelſum. In libris Regum eſt frequentiſſima horum mẽtio.* [h] Educam vos in deſertum populorum.] *Vide vbi deſinant minæ diuinæ: nempe vt tandem ad ſalutem nos perducat. Redemptionem ergo Babylonicam deſcripturus, in Chriſti tempora prophetico more aſſurgit. Vos (inquit) vbi plenitudo gentium intrauerit, de populis educam, & vndique terrarum colligam in vnum ſpiritũ. Neq; ſanè rectà in poſſeſſionem promiſſam perducemini. Regnum cœlorum inquinati non introibitis: iccircò inducam vos in deſertum populorum, ſicut in exitu ex Aegypto feci. Deſertum autem populorum erit per quod ex omnibus populis ad promiſſionem deducemini, ſicut per Aegypti deſertũ deducebamini ad promiſſam terram Chanaan. Sin literam ſpectes, videtur minari, ſi redire noluerint à terris, in quas eiecti fuerint detenti amore liberorum & rerum, ſe eos graui ſeruitutis conditione oppreſſurum, vt ob fugiẽdas calamitates tandem diſcedãt.* [i] Facie ad faciem.] *Arbitris remotis liberrimè vlciſcar hanc meam contumeliam.* [k] In vinculis fœderis.] *Quæ Oſeas vincula dilectionis nominat, vt poſthac excidere non poſſitis.* [l] Poſt idola veſtra ambulate.] *Eſt ironia. Agite (inquit) quod vultis, & veſtram ſequimini cupiditatem, poſtquam mihi auſcultare renuitis. Nolite poſthac donis veſtris nomen meum prophanare. Malo vt manifeſti ſitis idololatræ, quam vt iſta ſimulatione veſtra, mihi ignominiam inuratis.* [m] Et in idolis veſtris.] *Mentientes, vos ea offerre mihi, quæ offertis idolis.* [n] Omnis domus Iſrael.] *Quæ ſcilicet excidio impiorum hominum ſuperſtes fuerit.* [o] Sulla ad aphricum.] *Capitur hic ſtillare pro loqui. Et videtur facie vertere verſus meridiem, quòd terra Iuda ferè ad meridiem ſit reſpectu Chaldææ, in qua erat propheta. Prophetia ergo eſt contra Ieruſalem, quã illi, qui in Babylone erant, non credebant ſubuertendam, & tantum non publicè dolebant ſe obtemperaſſe Ieremiæ, cuius conſilio ſe dediderant regi Babyloniorum. Igitur ſicut ij, qui Ieroſolymis erant, contendebant cum Ieremia, ita illi in Ezechielem inſurgunt. Per ſaltum vel ſyluam, in qua ſunt arbores bonæ & malæ, Hebræi intelligunt Ieruſalem, in qua erant boni & mali viri, qui & paulo poſt vocantur lignum viride & lignum aridum. Meridiem tribus nominibus appellat, & copioſe rẽ proponit, attentionem conciliaturus.* [p] Omnes facies ab auſtro vſq; ad aquilonem.] *Videtur ſignificare, & vicinas gentes eodem bello implicitas dolituras, maximè ad ſeptentrionem vergentes.* [q] Ah Domine Deus.] *Hactenus (inquit) tot parabolas protuli, quas incredituli exiſtimabunt non eſſe tuum verbum, ſed oſtentatione humani ingenij, me eiuſmodi comminiſci, aut certè parum intelligent, quæ dicuntur, & in partem accipient diuerſam, Quare obſecro in aliam formam grauioris orationis hanc prophetiam commuta. Adijcitur ergo explicatio, nequid lucis deſyderetur.*

CAPVT XXI.

ET factus eſt ſermo Domini ad me dicens, Fili hominis, pone faciem tuam ad Ieruſalem, & [a] ſtilla ad ſanctuaria, & propheta contra humum Iſrael. Et dices terræ Iſrael, Hæc dicit Dominus Deus. Ecce ego ad te, & eijciam gladium meum de vagina ſua, & occidam in te [b] iuſtum & impium. Pro eo autẽ quòd occidi in te iuſtum & impium, iccircò egredietur gladius meus de vagina ſua ad omnem carnem ab auſtro vſque ad aquilonem: vt ſciat omnis caro quod ego Dominus eduxi gladium meum de vagina ſua irreuocabilem. Et tu fili hominis ingemiſce in contritione lumborum, & in amaritudinibus ingemiſce coram eis. Cumque dixerint ad te, Quare tu gemis? dices, Pro auditu, quia venit, & tabeſcet omne cor, & diſſoluentur vniuerſæ manus, & infirmabitur omnis ſpiritus, † & [c] cuncta genua defluent ſicut aquæ: ecce venit & fiet, ait Dominus Deus. Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, propheta, & dices, Hæc dicit Dominus Deus, Loquere, Gladius gladius exacutus eſt, & limatus. Vt cædat victimas, exacutus eſt: vt ſplendeat † ſicut fulgur limatus eſt. [d] † Quomodo gaudere poterimus, cum tribus filij mei ſucciderit omne lignum? Et dedi eum ad leuigandum, vt teneatur manu: iſte exacutus eſt gladius, & iſte limatus eſt, vt ſit in manu interficientis. Clama & vlula fili hominis, quia hic factus eſt in populo meo, hic in cunctis ducibus Iſrael qui fugerant: gladio traditi ſunt cum populo meo, iccircò plaude ſuper femur: † quia ad probationem eductus eſt. [e] Et quid erit ſi etiam tribum nõ abiecerit? dicit Dominus Deus. Tu ergò fili hominis propheta, & percute manu ad manum, & dupliçetur gladius, † ter gladius interfectorum: hic eſt gladius occiſionis magnæ,

D magnæ, † penetrans ad interiora eorum, vt tabeſcere faciat cor, & multiplicet ruinas. In omnibus portis eorum dedi conturbationem gladij: [f] † heu limatus eſt ad fulgẽdum, aptatus ad cædem. [g] Secede, vade ad dexteram ſiue ad ſiniſtram, quocunq; faciei tuæ eſt appetitus. Quin & ego plaudam manu ad manum, & implebo indignationem meam: ego Dominus locutus ſum. Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Et tu fili hominis pone tibi duas vias, vt veniat gladius regis Babylonis: de terra vna egredientur ambę. Et † locum elige, in capite vię ciuitatis † elige. Viam pones, vt veniat gladius ad [h] Rabbath filiorum Ammon, & ad Iudam in Ie-
E ruſalem munitiſsimam. Stetit enim rex Babylonis in biuio, in capite duarum viarum, [i] diuinationem quærens, commiſcens ſagittas: interrogauit idôla, exta conſuluit: ad dexteram eius facta eſt diuinatio ſuper Ieruſalem, vt ponat arietes, [k] vt aperiat os in cœdem, vt eleuet vocem in vlulatu, vt ponat arietes contra portas, vt comportet aggerem, vt ædificet munitiones. [l] Eritq; quaſi conſulens fruſtra oraculum in oculis eorum, & † ſimilis iurãtibus ſtultè: ipſe autem recordabitur iniquitatis ad capiendũ. Iccircó hęc dicit Dominus Deus, [m] Pro eo q recordati eſtis iniquitatis veſtrę, & reuelaſtis præuaricationes veſtras, & apparuerunt peccata ve-
F ſtra in omnibus cogitationibus veſtris: pro eo, inquam, q recordati eſtis, manu capiemini. [n] Tu autem prophane impie dux Iſrael, cuius venit dies in tempore iniquitatis præfinita: hęc dicit Dominus Deus, Auſer cidarim, tolle coronam: [o] † hęc non eſt hæc: ſed humilem ſubleuauit: & ſublimem humiliauit. [p] Iniquitatem, iniquitatem, iniquitatem ponam eam: & [q] hoc non factum eſt, donec veniret cuius eſt iudicium, & tradã ei. Et tu fili hominis, propheta, & dic, Hæc dicit Dominus Deus [r] ad filios Ammon, & ad opprobrium eorum: & dices, Mucro mucro euaginatus ad occidendũ, limatus, vt interficiat, † propter fulgorẽ. [s] Cum tibi viderẽ-
G tur vana, & diuinarentur mendacia, vt daretis † cum collis vulneratorũ impiorũ, quorum venit dies in tempore iniquitatis præfinita. † [t] Reuertetur ne ad vaginam ſuam? in loco in quo creatus es, in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, vt effundam ſuper te indignationem meam: in igne furoris mei ſufflabo in te, daboque te in manus hominum inſipientium & fabricantium interitum. Igni eris cibus: ſanguis tuus erit in medio terræ: obliuioni traderis: quia ego Dominus locutus ſum.

SCHOLIA.

[a] Stilla ad ſanctuaria.] *Sanctuaria dicit plurali numero, vt videtur, vt templũ vtrunq;, illud prius & hoc poſterius vaſtandum ſignificet. Nam dictio Hebræa, quæ ſanctuarium ſignificat, pro toto templo, ferè accipitur & pro partibus eius omnibus.* [b] Iuſtum & impium.] *Iuſtum accipe eũ, qui ſibimet iuſtus videtur.* [c] Et cuncta genua.] *Poteſt etiam vertiſ & cuncta genua fluent aquis, vt ſit Hebraiſmus, pro metere ex ſuperueniente terrore.* [d] Quomodo gaudere poterimus.] *Vt ſint verba prophetæ & reſpondeat illi, quod dixit paulante, & tu fili hominis ingemiſce. Quaſi dicat, Prorſus ingemiſcendum eſt, non gaudendum, quaſi gladius ſtringendus ſit in hoſtes: cum magis in tribum Iuda filij mei ſeuituros ſit.* [e] Et quid erit, ſi etiam tribum non abiecerit?] *Gladius (inquit) hic explorat omnia, & quid nõ futurum credetur reliquis nationibus, poſtquam tribus ſiue cognationis ſuæ filij ſui omnem arborem ſiue lignum perdidit? hoc eſt, quod principio dixit, ſe perditurum iuſtum & impium.* [f] Heu limatus eſt.] *Prophetæ vox. Hei mihi quam vibrante acie micat gladius.*
[g] Secede & vade.] *Gladium alloquitur. Vis belli tota in vnum cogit locum, aut excurrat ad dextram partem, aut ad ſiniſtram, quocunque ſcilicet Dominus eum miſerit.* [h] Rabath.] *Eſt (ait Hiero.) ciuitas metropolis, & hodie Philadelphia nominatur.* [i] Diuinationem quærens.] *Tria genera diuinationum ponit quibus oraculum regem capiſſe propheta facit ſuper bello ordiendo. Primum eſt βελομαντία vel ραβδομαντία: tela inſcripta nominibus in quæſtionem poſitis reponebantur, & permiſcebantur in pharetra. Quæ prior extrahebatur, pro eius inſcripto nomine omen eſſe credebatur: Verum quia hic dicitur leuigaſſe & expoliſſe, putatur potius hoc fuiſſe vaticinandi genus, vt in micantibus ferramentis telorum viderint, quæ rogabantur diuini. Vt in vnguibus hominum noſtræ ætate ſibi videntur videre. Alij rurſus putant quòd ſurſum ſagittas rectà iecerit, obſeruaritque in vtram partem deſcenſu inclinaret. Alterum genus per imaginiculas ſuperſtitioſas, quæ de euentu rogatæ reſponderent, quorum mentio crebra ſit in ſcripturis. Tertium per inſpectionem extorum et iecinoris, vt aruſpices apud ethnicos ſolent.* [k] Vt aperiat os.] *Hoc eſt, iubeat occidi.* [l] Eritque quaſi conſulens.] *Hoc faciens (inquit) videbitur habitatoribus Ieruſalem fruſtra oraculum conſulere. Nam Iudæi ſeducti per falſos prophetas contemſerunt conatum Babyloniorum, dicentes auguria iſta vana eſſe, quodque Chaldæi eis iuramento eſſent aſtricti, quibus tamen ipſi fidem non ſeruauerant. Quapropter Nabuchodonoſor in memoriam reuocans violatam fidem, extimulatus eſt in perniciem eorum.*
[m] Pro eo quòd recordati eſtis.] *Vel, palam iactatis.* [n] Tu autem prophane.] *Intelligit Sedechiam regem Iuda.*
[o] Hæc non eſt hæc.] *Hoc eſt, hæc corona, quam portas nũc, non eſt hæc, hoc eſt huius amplius regni, ſed alterius Ioachin videlicet, cuius filius fuit Zorobabel ſucceſſor in regno. Humilem ergo Ioachin captum ſubleuauit, & ſublimem Sedechiam humiliauit. Sed hoc proprie ad Chriſtum pertinet. Nam ſi ad Iudæos referas, quale illud erat regnum, cum in captiuitate eſſet populus, & poſt Babylonicam captiuitatem, nunquam fuerint ad plenum liberi? Hæc igitur corona Chriſti erat propria, nam ab illo tempore habuit Iuda multos & diuerſos dominos, Perſas. Græcos. Machabeos. & Romanos, qui omnes illegitimè ſibi coronam regni vſurpauerunt. Nullius igitur hæc erat corona, niſi illius cui debebatur, & cui pater dedit poteſtatem faciẽdi iudicij.* [p] Iniquitatem.] *Hoc eſt: Vaſtationem pœnam iniquitatis.* [q] Et hoc non factum eſt.] *Vel, non fiet. Intelligit autem non funditus euertendam eſſe Ieruſalem, ante aduentum Chriſti, cuius eſt iudicium, vel, cuius eſt iure, ſcilicet regnum.*
[r] Ad filios Ammon.] *Nabuchodonoſor Ammonitas non extinxit, nã vaſtata Ieruſalem, exercitum Babylonem reduxit, & Ammon tributum vltrò pependit, quo rebellionis culpa commitigata eſt, tandem à Medis & Perſis extinguuntur. Et quod ſequitur. Et ad opprobrium eorum, hoc eſt, probra, quæ iecerunt in Iſraelitas depopulatos, vltus eſt Dominus. Sophonias, Audius opprobrium Moab, & blaſphemias Ammonitarum.* [s] Cum tibi viderentur vana.] *Dum prophetæ tui falſis te viſionibus decipiunt, paratur & euaginatur gladius contra te, vt ponaris cum interfectis, & ſinẽ accipiat iniquitas tua.*
[t] Reuertetur ne.] *Tanquam dicat, non, ſi enim de meis ſupplicijs ſumpſi, tu ne à malo liberaberis? Ergo in loco, in quo creatus es, & in terra natiuitatis tuæ iudicabo te, &c.*

Caput

CAPVT XXII.

ET factum est verbum Domini adme,dicens,Et tu fili hominis, [a] nónne iudicas,nónne iudicas ciuitatem sanguinum,& ostendes ei omnes abominationes suas?Et dices, Hæc dicit Dominus Deus,Ciuitas effundens sanguinem in medio sui,vt veniat tempus eius:& quæ fecit idóla contra semetipsam, vt pollueretur.In sanguine tuo,qui à te effusus est,deliquisti:& in idólis tuis,quæ fecisti,polluta es:& appropinquare fecisti dies tuos,& [b] adduxisti tempus annorum tuorum: propterea dedi te opprobrium gentibus, & irrisionem vniuersis terris. Quæ iuxta sunt & quæ procul à te,triumphabunt de te: † sordibus nobilis, grandis interitu.Ecce principes Israel singuli in brachio suo fuerunt in te,ad effundendum sanguinem.Patrem & matrem contumelijs affecerunt in te,aduenam calumniati sunt in medio tui,pupillum & viduã contristauerunt apud te.Sanctuaria mea spreuisti:& sabbata mea polluisti. Viri detractores fuerunt in te ad effundendũ
Iere. 5.c sanguinem,& super montes comederunt in te,scelus operati sunt in medio tui. Verecũdiora patris discooperuerunt in te,† immundam menstruo humiliauerũt in te. Et vnusquisq; in vxorem proximi sui operatus est abominationem, & socer nurum suam polluit nefariè,frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te. Munera acceperunt apud te ad effundendum sanguinem: vsuram & superabundantiam accepisti, & auarè proximos tuos calumniabaris:meiq; oblita es,ait Dominus Deus.Ecce † percussi manum meam super auaritiam tuam quam fecisti,& super sanguinem qui effusus est in medio tui.Nunquid sustinebit cor tuum, aut prævalebunt manus tuæ in diebus,quos ego faciam tibi?ego Dominus locutus sum, & faciam. Et dispergã te in nationes,& ventilabo te in terras & deficere faciam immunditiam tuam à te.Et [c] possidebis te in cõspectu gentium:& scies q̃ ego Dominus.Et factum est verbum Domini ad me,dicẽs,Fili hominis, versa est mihi domus Israel [d] in scoriam:omnes isti [e] æs,& stannum,& ferrum,& plumbum in medio fornacis,scoria argenti facti sunt. Propterea hæc dicit Dominus Deus , Eò quòd versi estis omnes in scoriam,propterea ecce ego [f] congregabo vos in medio Ierusalem congregatione argenti,& æris,& stanni, & ferri,& plumbi in medio fornacis:vt succendam in ea ignem ad conflandum:sic congregabo in furore meo & in ira mea:& requiescam . Et conflabo vos, & congregabo vos,& succendam vos in igne furoris mei,& conflabimini in medio eius. Vt conflatur argentum in medio fornacis,sic eritis in medio eius:& scietis,q̃ ego Dñs, cũ effuderim indignationẽ meam super vos.Et factus est sermo Dñi ad me,dicẽs,Fili hominis,dic ei,Tu es terra immũda, & non cõpluta in die furoris.Cóiuratio prophetarũ in medio eius:sicut leo rugiens capiensq; prædã,animas deuorauerũt,opes & preciũ acceperũt viduas eius multiplicauerũt in medio illius. Sacerdotes eius cõtẽpserunt legẽ meã & polluerũt sanctuaria mea:inter sanctũ & prophanũ nõ habuerunt distantiã:& inter pollutum & mundũ non intellexerunt:& à sabbatis meis auerterunt oculos suos,& coinquinabar in medio eorũ. Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes prædam:ad effundendũ sanguinẽ,& ad perdendas animas, & auarè sectanda lucra.
Mich. 3.d Sopho. 3.d Prophetæ autem eius liniebant eos absq; temperamento videntes vana , & diuinántes eis mẽdacium,dicentes,Hæc dicit Dominus Deus:cum Dominus non sit locutus.Populi terræ calumniabantur calumniam,& rapiebant violenter egenum & pauperem affligebant , & aduenã opprimebant calumnia absq; iudicio.Et quæsiui de eis virum [g] qui interponeret sepem,& staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam:& non inueni.Et effudi super eos indignationem meam,in igne iræ meæ consumpsi eos: viam eorum in caput eorum reddidi,ait Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Nónne iudicas.] *Et est sensus.Hoc est munus propheticum,vt eos arguas & reprehendas,nec conniueas ad crimina, quæ vides.* [b] Adduxisti tẽpus.] *Hoc est,sceleribus tuis fecisti accelerare annos tuos,& visitationem tuam,tempus captiuitatis,& destructionis.* [c] Possidebis te.] *Alius vertit.Eris tui ipsius hæreditas:vt sit sensus.Ante hac iusti Dei hæreditas,iam verò in oculis omnium gentium tibi derelinqueris misera & calamitosa.* [d] In scoriam.] *Deus iudex, qui est ignis consumens,tempore afflictionis probat,quid quisque sit,aurum,vel argentum , sed plerunque nihil inuenit nisi scoriam, id est, fæces & purgamenta,quæ vt inutilia abiiciuntur.* [e] Æs & stannum.] *Hæc speciem habent auri & argenti, materia autem sunt viliore more hypocritarum.* [f] Congregabo vos in medio Ierusalem.] *Hoc est, Ierusalem erit fornax probationis & afflictionis,in qua scilicet Iudæi concluſi & pressi ab hostibus probabuntur fame,siti, peste, fœtore, proditionibus,& latrocinijs.* [g] Qui interponeret sepem.] *Non erat quispiam,qui interruptionem illam instauraret,sepem faceret, qui cohiberet ingressum malorum,& sua fide atque oratione auerteret iram Dei à ciuitate.*

CAPVT XXIII.

ET factus est sermo Domini ad me dicens,Fili hominis, [a] duæ mulieres filiæ matris vnius fuerunt. Et fornicatæ sunt in Ægypto,in adolescentia sua fornicatæ sunt: ibi subacta sunt vbera earum,& fractæ sunt mammæ pubertatis earum.Nomina autem earum [b] Hola maior:& Holiba soror eius: & habui eas,& pepererunt filios,& filias.Porrò earum nomina,Samaria Hola,& Ierusalem Holiba.Fornicata est igitur super me Hola,& insaniuit in amatores suos,in Assyrios propinquantes:vestitos hyacintho,principes,& magistratus,iuuenes cupidinis vniuersos equites , ascensores equorum. Et dedit fornicationes suas super eos electos filios Assyriorum vniuersos:& in omnibus in quos insaniuit in immundicijs eorum polluta est. Insuper & fornicationes suas , quas habuerat in Ægypto , non reliquit: nam & illi dormierunt cum ea in adolescentia eius,& illi confregerunt vbera pubertatis eius,& effuderunt fornicationem suam super eam. Propterea tradidi eam in manus amatorũ suorum,in manus filiorum Assur,super quorum insaniuit libidine. Ipsi
Supr.16.e discooperuerunt ignominiam eius,filios & filias eius tulerunt,& ipsam occiderunt gladio : & [c] factæ sunt famosæ mulieres & iudicia perpetrauerunt in ea. Quod cum vidisset soror eius Holiba , plus quàm illa insaniuit libidine:& fornicationem suam super fornicationem sororis suæ ad filios Assyriorum prębuit impudenter,ducibus & magistratibus ad se venientibus indutis veste varia equitibus,qui vectabantur equis , & adolescentibus

scentibus forma cũctis egregia.Et vidi q̃ polluta esset:via vna amb'arum. Et auxit fornicationes suas:cumq; vidisset viros depictos in pariete,imagines Chaldęorum expressas coloribus,& accinctos balteis renes,& tiaras tinctas in capitibus eorum , formam ducum omnium,similitudinem filiorum Babylonis terræq; Chaldæorum in qua orti sunt , insaniuit super eos concupiscentia oculorum suorum , & misit nuntios ad eos in
C Chaldæam. Cumq; venissent ad eam filij Babylonis ad cubile † amorum,polluerunt eã stupris suis, & polluta est ab eis,† [d] recessit anima eius ab illis.Denudauit quoq; fornicationes suas:& discooperuit ignominiã suam & recessit anima mea ab ea,sicut recesserat anima mea à sorore eius.Multiplicauit enim fornicationes suas,recordans dies adolescentiæ suę,quibus fornicata est in terra Ægypti. Et insaniuit libidine super concubitum eorum,[e] quorum carnes sunt,vt carnes asinorũ:& sicut fluxus equorũ fluxus eorũ. Et † reuocasti scelus adolescentiæ tuæ,quando subacta sunt in Ægypto vbera tua,& confractæ sunt mammæ pubertatis tuæ: Propterea Holiba,hæc dicit Dominus Deus,Ecce ego suscitabo omnes amatores tuos contra te,à quibus recessit anima tua:& congregabo eos aduersum te in circuitu,filios Babylonis,& vniuersos Chaldæos, nobiles
D tyrannosq; & principes omnes filios Assyriorũ,iuuenes forma egregia,duces & magistratus vniuersos,principes principũ,& nominatos ascensores equorũ.Et venient super te instructi curru, & rota multitudo populorũ:lorica & clypeo & galea armabũtur contra te vndiq;:& [f] dabo coràm eis iudiciũ , & iudicabunt te iudicijs suis.Et ponam zelum meum in te,quem exercent tecum in furore:& nasum tuum & aures tuas præcidẽt: & quæ remanserint,gladio cõcident:ipsi filios tuos & filias tuas capient, & nouissimũ tuũ deuorabitur igni. Et denudabunt te vestimentis tuis,& tollent vasa gloriæ tuæ.Et requiescere faciam scelus tuum de te,& forni cationem tuam de terra Ægypti:nec leuabis oculos tuos ad eos,& Ægypti non recordaberis amplius. Quia
E hæc dicit Dominus Deus,Ecce ego tradam te in manus eorum quos odisti,in manus de quibus fatiata est anima tua,& agent tecum in odio:& tollent omnes labores tuos , & dimittent te nudam & ignominia plenam, & reuelabitur ignominia fornicationũ tuarũ,scelus tuũ & fornicationes tuæ.Facient hæc tibi quia fornicata es post gentes,inter quas polluta es in idólis earum. In via sororis tuæ ambulasti,& dabo calicem eius in manu tua. Hæc dicit Dominus Deus , [h] Calicem sororis tuæ bibes profundum & latum : eris in derisum & in subsannationem quia est capacissimus.Ebrietate & dolore repleberis:calice mœroris & tristitiæ, calice sororis tuæ Samariæ.Et bibes illum,& potabis vsq; ad fęces,& fragmenta eius confringes, & vbera tua lacerabis: quia ego locutus sum,ait Dominus Deus.Propterea hæc dicit Dominus Deus,Quia oblita es mei,& proiecisti me post corpus tuũ,tu quoq; porta scelus tuum,& fornicationes tuas. Et ait Dominus ad me , dicens, Fili
F hominis, nunquid iudicas Aholam & Aholibam, & annuntias eis scelera earũ ? quia adulteratæ sunt,& sanguis in manibus earum,& cum idólis suis fornicatæ sunt:insuper & filios suos,quos genuerunt mihi,obtulerunt eis ad deuorandum.Sed & hoc fecerunt mihi,Polluerunt sanctuarium meum in die illa,& sabbata mea prophanauerunt.Cumq; immolarent filios suos idólis suis, & ingrederentur sanctuarium meum in die illa, vt pollŭerent illud:etiam hæc fecerunt in medio domus meæ. Miserunt ad viros venientes délonge, ad quos nuntios miserant,itaq; ecce venerunt:quibus te lauisti,& circumliniisti stibio oculos tuos, & ornata es mundo muliebri. [i] Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te : tymiama meum,& vnguentũ meũ posuisti super eam. Et vox multitudinis exultantis erat in ea:& † cum viris illis quidem multitudo hominũ adducebatur & [k] veniebant † Sabæi de deserto, posuerunt armillas in manibus earum , & corõnas speciosas
G in capitibus earum. Et dixi ei , quæ attrita est in adulterijs , [l] Nunc fornicabitur in fornicatione sua etiam hæc. Et ingressi sunt ad eã,quasi ad mulierem meretricem : sic ingrediebantur ad Aholam,& ad Aholibam mulieres nefarias. [m] Viri ergo iusti sunt:hi iudicabunt eas iudicio adulterarum , & iudicio effundentiũ sanguinem:quia adulteræ sunt,& sanguis in manibus earum.Hæc enim dicit Dominus Deus, Adducam ad eas multitudinem,& tradam eas in tumultum & in rapinam:& lapidentur lapidibus populorum,& confodiantur gladijs eorum:filios & filias earum interficient,& domus earum igne succendent:& auferam scelus de terra,& discent omnes mulieres ne faciant secundũ scelus vestrum.Et dabunt scelus vestrum super vos,& pecca ta idolorum vestrorum portabitis:& scietis quòd ego Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Duæ mulieres.] *Hæ duæ mulieres sorores,sunt regnum Iuda,& regnum Israel seu Samariæ , quæ natæ fuerunt ex una matre,nempe populo Israelitico , qui vnus fuit in Aegypto , & aliquandiu in terra promissionis.* [b] Ahola maior.] *Finxit Deus hæc nomina ab euentu. Samariã vocat Aholam,id est,tabernaculũ eius,nõ meũ,quia cum in ea colerentur vituli,nõ habuit Deus tabernaculũ in ea:Ierusalem autem vocat Aholibam,id est tabernaculũ meũ in ea,propter sanctuariũ suum,quod habuit in ea,cultui suo dedicatum . Describit itaq; propheta sub parabola duarum mulierum adulterium populi Israelitici pluribus verbis,qui Deo desponsati,ab eo recesserunt,et amicitiam inierunt cum gentibus, quæ causam præbuerũt imitandi idololatriam. Nominantur verò hic potissimũ Assyry & Aegypty , quos cum viderent magno rerum apparatu florere,sericis indutos,magnificos,glorioſos,illecebrosos iuuenes,& è contra,se despectos & pannosos,ambierunt amicitiam illorum,cæperuntq; fornicari post illos.* [c] Et factę sunt famosę mulieres.] *Alius vertit,Et factum est nomen mulieribus. Vt scilicet mulieres impudicæ exemplo eius commouerentur,hoc est,aliæ nationes vltro se ingo Babylonico subycerent.* [d] Et recessit anima eius ab illis.] *Quos prius tantopere adamauit,vt etiam seſe oblectaret in depicto vestitu eorum & liniamentis penicillo expreſsis,& moribus eorum assuescere satageret , legatos anxiè mitteret in Chaldæam, & nihil non ageret, quo illos in sui amorem pelliceret,polluta ab eis,quærit alios amatores,nempe Aegyptios,in quos, relictis prioribus amatoribus,amore depereat.* [e] Quorum carnes.] *Caro propudendis virilibus etiam in lege vsurpatur . Vult autem ostendere prophetа,quam horrenda res sit,considere in homine , & falsa teneri religione, ideo exprimit illam teterrima imagine meretricis , cuius impudicitia nihil fœdius deformiq; ante oculos poni potest.* [f] Et dabo eis iudicium.] *Hoc est,potestatem iudicandi.*

iudicandi. g Nasum tuum.] *Hoc est, agẽt tecum, sicut agi solet cum meretrice, cui ab amore deficienti abscinduntur aures & nasus, vt deturpata, ab alijs amatoribus non facile appetatur. Dicunt autem, per nasum, qui cæteris partibus in facie supereminet, intelligendam regalem dignitatem: & per aures, quæ doctrinæ consecratæ sunt, sacerdotalem.* h Calicem sororis tuæ bibes.] *Intelliguntur nomine calicis tribulationes magnæ, quæ venturæ super Iudam prædicuntur. Ebibẽdus (inquit) tibi erit calix vsque ad fundum, & ne fortè guttula aliqua remaneat, frangendus est etiã calix in testas, vt vel fragmenta ipsa exugantur, sicut ossibus contritis medulla exugitur: significat autem per hæc, populum Iudæorum extrema subiturum mala.* i Sedisti in lecto.] *Prisca cænandi ratio liberorum hominum erat accumbere, vt seruorum sedere, Thalmudicis attestantibus. Quare comesto agno paschali, in more fuit cœnantibus, vt accumberent omnes de populo habiti, in signum libertatis adeptæ.* k Et veniebant Sabæi de deserto.] *Vt copiosior (inquit) turba fieret etiam adduxerũt Sabæos de deserto, qui Aethiopes sunt & Petream desertam inhabitant.* l Nunc fornicabitur.] *Alius vertit, nunc expirabit fornicationes eius cum ea, hoc est, finem facient fornicationes eius, cum enim inueterata sit, deseruere necesse est libidinem eius, hoc est in captiuitatem ducta peribit ipsa cum idolis suis.* m Viri ergo iusti sunt.] *Per viros iustos intellige Babylonis diuini iudicij executores.*

CAPVT XXIIII.

ET factum est verbum Domini ad me[a] in anno nono, in mense decimo, decima mensis, dicens, Fili hominis, scribe tibi nomen diei huius, in qua confirmatus est rex Babylonis aduersum Ierusalem hodie. A
Et dices per prouerbium ad domum irritatricem parabolam, & loqueris ad eos. Hæc dicit Dñs Deus,
[b] Pone ollam: pone, inquam, & mitte in eam aquam. Congere frusta eius in eam, omnem partem bonam, femur & armum † & electis ossibus imple. Pinguissimum pecus assume, compone quoq; strues ossium sub ea: † efferueat coctio eius, & discocta sint ossa illius in medio eius. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Væ ciuitati sanguinum, ollæ cuius spuma in ea est, & spuma eius nõ exiuit de ea: per partes & per partes suas † extrahe eam: [c] non cecidit super eam sors. Sanguis enim eius in medio eius est, super † eminentem petram effu
Naum 3.c Haba.2.e
dit illum: nõ effudit illum super terrã, vt posset operiri puluere. Vt superinducerem indignationem meam, B
& vindicta vlciscerer: dedi sanguinem eius super petram † eminẽtem, ne operiretur. Propterea hęc dicit Dominus Deus, Væ ciuitati sanguinum, cuius ego grandem faciam pyram. Congere ossa quę igne succendam: consumantur carnes, fiat aromatum compositio, & ossa tabescant. Pone quoq; eam super prunas vacuam, vt incalescat [d] & liquefiat æs eius, & confletur in medio eius inquinamentũ eius, [e] & cõsumatur † spuma eius. Multo labore sudatum est, & nõ exiuit de ea nimia spuma eius, † ergo per ignẽ consumatur spuma eius. Immunditia tua execrabilis: quia mundare te volui, & non es mundata à sordibus tuis: sed nec mũdaberis prius donec quiescere faciam indignationem meã in te. Ego Dñs locutus sum, Venit & faciam: non transibo, nec parcam, nec placabor iuxta vias tuas, & iuxta adinuentiones tuas † iudicabunt te, dicit Dominus. Et factũ est C
verbum Dñi ad me, dicens, Fili hominis, ecce ego tollo à te [f] desyderabile oculorũ tuorum in plaga: & non planges, neq; plorabis, neq; fluent lacrymæ tuæ. Ingemisce tacens, mortuorum luctum, non facies, [g] corona tua circunligata sit tibi, & calceamenta tua erunt in pedibus tuis, nec amictu ora velabis, [h] nec cibos lugentium comedes. Locutus sum ergo ad populum manè, & mortua est vxor mea vespere: feciq; manè sicut præceperat mihi. Et dixit ad me populus, Quare non indicas nobis quid ista significent quæ tu facis? Et dixi ad eos, Sermo Domini factus est ad me, dicens, Loquere domui Israel, Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego polluam sanctuarium meum, superbiam imperij vestri, & desyderabile oculorum vestrorum, † [i] & consolationem animæ vestræ: & filij vestri & filiæ vestræ, quas reliquistis, gladio cadẽt. Et facietis sicut feci. Ora amictu D
non velabitis, & cibos lugentium non comedetis: coronas habebitis in capitibus vestris, & calceamenta in pedibus: non plangetis neq; flebitis, sed tabescetis in iniquitatibus vestris, & vnusquisque gemet ad fratrem suum. Eritq; Ezechiel vobis in portentum: iuxta omnia, quæ fecit, facietis cum venerit istud: & scietis quòd ego Dominus Deus. Et tu fili hominis, ecce in die qua tollam ab eis fortitudinem eorum, & gaudium dignitatis, & desyderium oculorum eorum [k] super quo requiescunt animæ eorum, filios & filias eorum, in die illa cum venerit fugiens ad te, vt annuntiet tibi: in die, inquam, illa [l] aperietur os tuum cũ eo qui fugit, & loqueris, & non silebis vltrà: erisq; eis in portentum, & scietis quòd ego Dominus.

SCHOLIA.

[a] In anno nono, in mense decimo.] *Anno nono Sedechiæ, decima die mensis decimi, id est, Decembris obsedit Nabuchonosor Ierusalem. Iere. 39. & quarto Re. Vltimo. Hunc igitur diem propheta absens populo in captiuitate prædixit.*

[b] Pone ollam: pone, inquam.] *Significat olla vrbem Ierusalem, infusio aquæ est oppugnatio, calamitas, hoc est, fames, pestis, & multiplex tribulatio, est ignis: caro ollæ iectæ sunt qui ex reliquis ciuitatibus & locis Iudææ confugerũt intra mœnia vrbis: pecus electum & electiora ossa, sunt optimates regni. Loco lignorum sub olla sunt ossa: nam occisi innocentes, huius incendij, & supplicij vim auxerunt. Ossa non leuiter ab igne comburuntur, sic hoc incendium per biennium durauit, propter optimos quosque viros, quos in vrbe impij homines occiderunt. Et quando subditur, ollam tãdiu calefactam, vt deficientibus aquis etiam ossa intra ollam elixarentur, intelligunt robustiores quosque qui erant intra ciuitatem, quibus & vires corporis, & commeatus suppetebant per biennium illud. Porrò spumam exponunt peccata obstinationis, quæ remanserunt cum obsessis. Frustulatim quoque extractæ referuntur carnes, quòd crebris excursionibus multi passim interierint, vel quòd partim fuerint occisi, & partim in captiuitatẽ abducti, nulla proiecta sorte, qui abducendi fuerint, aut relinquendi in terra. Et quòd sanguinem fudisse referuntur super siccam petram, vbi sanguis non absorbetur nec tegi potest puluere, significat illos publice, & posito omni timore grassatos in pios homines, qui eorum noluerunt acquiescere impietati.* [c] Non cecidit super eam sors. Sanguis enim eius.] *Qui scilicet (vt dictum est) abducendi, vel seruandi sint, vel, nihil continget fortuito, sed quisquis ex eis destinatus est gladio, peribit gladio: qui fami, fame, &c.*

[d] Et liquefiat æs eius, & cõfletur in medio.] *Non solum (inquit) ij, qui in ea sunt, in nihilum redigentur diuina coctione, sed & vrbs ipsa in cinerem redigetur.*

[e] Et

[e] Et consumatur spuma eius.] *Multo (inquit) labore sudatum est, & non exiuit de ea nimia spuma eius, id est, multis sceleribus coinquinauit seipsam, quare non exiuit spuma eius, &c. Ergo (inquit) in ignem tota conspiciatur, & consumatur.*

[f] Desiderabile oculorum tuorum.] *Intelligitur vxor prophetæ, quòd illi amabilis & pergratiosa esset, alioqui si exosam habuisset, facilè sibi fuisset, illius subitam mortem non deplorare. Prohibetur autem illam lugere, aut speciem præ se ferre lugentis, vt hoc signo ostenderet, tantam futuram molem miseriarum in Ierusalem, vt illi qui erant in Babylone, eam deplorare nequirent.* [g] Corona tua.] *Vel pileus, & est sensus, A consueto vestitu atque habitu non abstinebis.* [h] Nec cibos lugentium comedes.] *Ad primum prandium, quod extra domum suam agebant luctuosi, vicini cibum mittebant, nec fas erat, vt de suo vescerentur. Hic cibus panis lugentium dictus est, at propheta de suo victitat hoc primo die funeris.* [i] Consolationem animæ vestræ.] *Alius vertit, miserationem, quòd scilicet vehementer miserebat Iudæos destructionis tam sumptuosi ædificij.* [k] Super quo requiescunt animæ eorum.] *In Heb. est. Onus animæ eorum. Hoc est, id quod potissimum animum eorum vrgebat, vt relicti liberi, aut templum ipsum.* [l] Aperietur os tuum.] *Cum scilicet aduenerit nuntius, mirabilem vrbis annuntians cladem, tunc tu fili hominis loquere confidenter ad populum rebellem. Ecce prædixi vobis hæc omnia, & noluistis credere verbis meis.*

CAPVT XXV.

ET factus est sermo Domini ad me dicens, Fili hominis, pone faciem tuam contra filios Ammon, & A
prophetabis de eis. Et dices filijs Ammon, Audite verbum Domini Dei, Hæc dicit Dominus Deus, Pro eò quòd dixisti [a] euge euge super sanctuarium meum, quia pollutum est: & super terram Israel, quoniam desolata est: & super domum Iuda, quoniam ducti sunt in captiuitatem: iccircò ecce ego tradam te filijs orientalibus in hæreditatem, & collocabunt caulas suas in te, & ponent in te tentoria sua: ipsi comedent fruges tuas, & ipsi bibent lac tuum. Daboq́ue Rabbath in habitaculum camelorum, & filios Ammon in cu-
B bile pecorum: & scietis quòd ego Dominus. Quia hæc dicit Dominus Deus, Pro eo quòd plausisti manu, & percussisti pede, & gauisa es [b] ex toto affectu super terram Israel: iccircò ecce ego extendam manum meam super te, & tradam te in direptionem gentium, & interficiam te de populis, & perdam de terris, & conteram: & scies quòd ego Dominus. Hæc dicit Dominus Deus. Pro eo quòd dixerunt Moab & Seir, Ecce sicut omnes gentes, domus Iuda: iccircò ecce ego aperiam † [c] latus Moab de ciuitatibus, de ciuitatibus inquam eius, & de finibus eius inclytas terræ Bethiesimoth, & Beelmeon, & Cariathãim, filijs orientis † contra filios Am-
C mon, & dabo eam in hæreditatem: vt non sit vltrà memoria filiorum Ammon in gentibus. Et Moab faciam iudicia: & scient quòd ego Dominus. Hæc dicit Dominus Deus, Pro eo quòd fecit Idumæa vltionem, vt se vindicaret de filijs Iuda, peccauitq́ue delinquens, & vindictam expetiuit de eis: iccircò hæc dicit Dominus Deus, Extendam manum meam super Idumæam, & auferam de ea hominem & iumentum, & faciam eam desertam ab austro: & qui sunt in Dedan, gladio cadent. Et dabo vltionem meam super Idumęam [d] per manum populi mei Israel: & facient in Edom iuxta iram meam, & furorem meum: & scient vindictam meam,
D dicit Dominus Deus. Hæc dicit Dominus Deus, Pro eò, quòd fecerunt Palæstini in vindictam, & vlti sę sunt toto animo, interficientes, & implentes inimicitias veteres: propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego extendam manum meam super Palæstinos, & interficiam interfectores, & perdam reliquias maritimæ regionis: faciamq́ue in eis vltiones magnas arguens in furore: & scient, quòd ego Dominus, cum dedero vindictam meam super eos.

SCHOLIA.

[a] Euge euge.] *Vel, Haba. Sic insultabant gentes Vocę ridicula, & contemptibili rudęis: et Voce blasphema deridentes quasi dicant, frustra coluisti vnum Deum, et separasti te ab alijs populis, nihil profuit tibi templũ, &c.* [b] Ex toto affectu.] *In Heb est, cum omni despectione animæ tuæ.* [c] Latus Moab.] *Ex latere, vbi sunt ciuitates munitæ, in quibus Moab habet fiduciam, ibi aperturam faciam, per quam hostes ingredientur. Quam sententiam textus mox repetit.* [d] Per manum.] *Per Israelitas victum Idumæũ tempore secundi templi, opinio est, quam historiæ, quia nullæ extant, nusquam affirmare possunt. Hoc alij ad tempus Messiæ constanter exponunt, quod & recipiendum est, sed spiritualis victoria est intelligenda.*

CAPVT XXVI.

ET factum est in vndecimo anno, prima mensis factus est sermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, A
pro eo quòd dixit Tyrus de Ierusalem, Euge, confractæ sunt [a] portæ populorum, conuersa est ad me: implebor, deserta est: propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego super te Tyre, & ascendere faciam ad tę gentes multas, sicut ascendit mare fluctuans. Et dissipabunt muros Tyri, & destruent turres eius: & [b] radam puluerem eius de ea, & dabo eam in † eminẽtem petram. Siccatio sagenarum erit in medio maris, quia ego locutus sum, ait Dominus Deus: & erit in direptionem gentibus. † Villę quoque eius, quę sunt in agro, gladio interficientur: & scient, quòd ego Dominus. Quia hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego adducam ad
B Tyrum Nabuchodonosor regem Babylonis ab aquilone regem regum, cum equis, & curribus & equitibus, & cœtu, populoque magno. † Villas tuas, quæ sunt in agro, gladio interficiet: & circundabit te munitionibus, & comportabit aggerem in gyro: & eleuabit contra te clypeum. Et vineas & arietes tẽperabit in muros tuos, & turres tuas destruet in armatura sua. Inundatione equorum eius operiet te puluis eorũ: a sonitu equitum & rotarum & curruum mouebuntur muri tui, cum ingressus fuerit portas tuas quasi per introitum vrbis dissipatæ. Vngulis equorum suorum conculcabit omnes platęas tuas, populum tuum gladio cædet, & sta Iere. 7. g
tuæ tuæ nobiles in terram corruent. Vastabunt opes tuas, diripient negociationes tuas. Et destruent muros
C tuos, & domos tuas preclaras subuertent: & lapides tuos, & ligna tua, & puluerem tuum in medio aquarum ponent. Et quiescere faciam multitudinem canticorum tuorum, & sonitus cithararum tuarum non audietur amplius. Et dabo te in † eminẽtem petram, siccatio sagenarum eris, nec ędificaberis vltrà: quia ego Dominus locutus sum, ait Dominus Deus. Hæc dicit Dominus Deus de Tyro, Nunquid non à sonitu rui-

næ tuæ & gemitu interfectorum tuorum cum occiſi fuerint,in medio tui commouebuntur Inſulæ & deſcendent de ſedibus ſuis omnes principes maris:& auferent exuuias ſuas, & veſtimenta ſua varia abijcient, & induentur ſtupore,in terra ſedebunt,& attoniti ſuper repentino caſu tuo admirabuntur? Et aſſumentes ſuper te lamentum, dicent tibi, Quomodo periſti,quæ habitas in mari,vrbs inclyta,quæ fuiſti fortis in mari cum habitatoribus tuis,quos formidabant vniuerſi habitatores eius? Nunc ſtupebunt naues in die pauoris tui: & turbabuntur Inſulæ in mari ab exitu tuo. Quia hæc dicit Dominus Deus, Cum dedero te vrbem deſolatam ſicut ciuitates, quæ non habitantur: & adduxero ſuper te abyſſum, & operuerint te aquæ multæ: & deraxero te cum his qui deſcendunt in lacum [d] ad populum ſempiternum & collocauero te in terra † infima, ſicut ſolitudines migrantium ex hoc ſæculo cum his,qui deducuntur in lacum,vt non habiteris, porrò [e] cum dedero gloriam in terra viuentium: in nihilum redigam te, & non eris, & requiſita non inuenieris vltrà in ſempiternum,dicit Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Portæ populorum.] *Portæ,per quas egrediuntur & ingrediuntur frequentes populi. Et quod ſequitur. Conuerſa eſt ad me:hoc eſt, negociatio, & merces ad me venient: & deſolatio eius mea eſt impletio.* [b] Et radam puluerem.] *Hoc eſt,auferam omnem terram ab ea,& tantum relinquetur præruptæ rupes.* [c] Nec ædificaberis vltrà.] *Subaudiendum in corde maris,& magnificentia atque fortitudine illa, quam ante habuiſti. Reædificata eſt enim,vt patet ex Euangelio,ſed,quæ prius quatuor ſtadijs freto à continenti diuidebatur,& adeo muniebatur, vt nulla moles fieri putaretur poſſe: à litore pro acceſſu, Aphrico procellas ita vehementer illidente ad littus, vt præaltum mare turres ac murum ſic ambiret, vt nullæ ſcalæ applicari poſſent,deinde humili ædificio extructa eſt in continenti. Prædixerat enim Eſaias eam eſſe reædificandam poſt 70. annos. Et quod ait hic propheta,in ſempiternum,vel,in ſæculum,ὰ ιωνα,quidam exponunt pro tempore 70. annorum,alij pro humanæ vitæ ſpacio. Dicto autem Hebræa,pro qua vertitur æternum,ſignificat tempus longum, & continuum vſque ad naturalem rei præſcriptæ terminum. Exo. 21. Et ſeruiet ei in æternũ,hoc eſt,abſque interuallo,& citra ſpem libertatis vſque ad iubilæum:nam vltra proferri ſeruitus nullo pacto potuit. Pſal. 89. Quia dixi in æternum beneficentia tua præparabitur,hoc eſt, apud me ſic reputabi,quòd beneficentia tua cum Dauid parata, ſtabilisque futura ſit in æternum, & quod fides tua cum illo, vt cœli, ſit in æternum conſtatura. Ibi abſque fine ſignificat,nemine refragante,& ad alterum omnino ſæculum refertur:nam ſtante cœlo ex hac vita emigrauit: fides igitur beneficentiæ in aliud ſæculum translata,defuncto ſupereſt: ergo bene definitur. Æternum eſt,omnibus diebus continui temporis eius rei,quæ de agitur. Vt ex aduerſo intelligas,quouſque proferatur æuum illud,an ad terminum finitum,an ad infinitũ. Sunt etiam qui præſentem locum,quòd in æternum non ſit ædificanda Tyrus, ita ſoluant. Vt intelligant, populum illum eſſe exterminandum totum, qui nunquam ad eandem redierit ciuitatem,quam alij poſtea ædificauerint, vt non potuerit vocari eadem ciuitas. Porrò quòd propheta dicit Tyrum deſtructam per Nabuchodonoſor, & hiſtoriæ prophanæ aſſerant Alexandrum Macedonem illam euertiſſe, fieri poteſt, vt nomine Nabuchodonoſor illo tempore intelligerentur omnes inſignes tyranni,et orbis deuaſtatores,aut eiuſdem Alexander deuicto imperio Chaldæorum,atque Medorum, vocatus fuerit Nabuchodonoſor.* [d] Ad populum ſempiternum & collocauero te in terra infima.] *Sic vocantur iacentes in ſepulchris,quòd perpetuò, hoc eſt, multo tempore vſque ad noniſſimũ diem ſic dormituri ſint, vel quòd ab hoc ſæculo ſequeſtrati ſint, Habet enim Hebraiſmus,ad populum ſæculi.* [e] Cũ dedero gloriam in terra viuentium.] *Dat gloriam in terra viuentium Deus,cum fideles ſuos demum illuſtres reddit,et impij ad nihilum rediguntur,non quòd eſſe deſinant,ſed quòd pro nihilo putentur.*

CAPVT XXVII.

ET factum eſt verbum Domini ad me, dicens, Tu ergo fili hominis,aſſume ſuper Tyrum lamentum: [a] & dices Tyro,quę habitat in introitu maris,† negocia exercens cum populis ad Inſulas multas.Hęc dicit Dominus Deus, O Tyre,tu dixiſti,Perfecti decoris ego ſum,& in corde maris ſita. Finitimi tui, qui te ædificauerunt, impleuerunt decõrem tuum: abietibus de Sanir extruxerunt te cum omnibus tabulatis: † cedrum de Libano tulerunt,vt facerent tibi malum:quercus de Baſan dolauerunt in remos tuos:& tráſtra tua fecerunt tibi ex ebore Indico,& prætoriola de Inſulis Italiæ. Byſſus varia de Ægypto texta eſt tibi in velum,vt poneretur in malo:hyacinthus & purpura [b] de Inſulis Eliſa,facta ſunt operimentum tuum. Habitatores Sidõnis & Aradij fuerunt remiges tui:ſapientes tui Tyre facti ſunt gubernatores tui. [c] Senes Gebal & prudentes eius fuerunt in te, inſtaurantes fiſſuras tuas: omnes naues maris, & nautæ earum fuerunt † in te, commercia ſua tecum habentes.Perſæ, & Lidi & Libyes erant in exercitu tuo viri bellatores tui: clypeum & galeam ſuſpenderunt in te [d] pro ornatu tuo [e] Filij Aradij cum exercitu tuo erant ſuper muros tuos in circuitu: ſed & [f] Pigmæi, qui erant in turribus tuis pharetras ſuas ſuſpenderunt in muris tuis per gyrum:ipſi compleuerunt pulchritudinem tuam. Carthaginenſes negotiatores tui,à multitudine cunctarum diuitiarum argento, ferro, ſtanno, plumboque repleuerunt nundinas tuas Græcia, & Thubal,& Moſoch,ipſi inſtitores tui:mancipia,& vaſa ærea adduxerunt in negociationem tuam. De domo Thogormæ, equos, & equites, & mulos adduxerunt ad forum tuum,Filij Dedan negotiatores tui: Inſulæ multæ negotiatio manus tuæ: dentes eburneos & † pauones commutauerunt in precio tuo. Syrus negociator tuus propter multitudinem operum tuorum,carbunculum,& purpuram, & diuerſicoloria,& byſſum,& ſericum,& [h] chodchod propoſuerunt in mercatu tuo.Iuda & terra Iſrael ipſi inſtitores tui in frumento primò: balſamon,& mel,& oleum,& reſinam propoſuerunt in nundinis tuis, Damaſcenus negociator tuus in multitudine operum tuorum, in multitudine diuerſarum opum, in vino pingui,in lanis coloris optimi. Dan,& Græcia, & Mozel in nundinis tuis propoſuerunt ferrum fabrefactum, ſtacten & calamus in negociatione tua. Dedan inſtitores tui in tapetibus ad ſedendum. Arabia & vniuerſi principes Cedar,ipſi negociatores manus tuæ: cum agnis,& arietibus,& hœdis venerunt ad te,negociatores tui. Venditores Saba & Reema ipſi negociatores tui: cum vniuerſis primis aromatibus, & lapide precioſo & auro,quod propoſuerunt in mercatu tuo.Haran,& Chenne, & Edem

negociatores tui. Saba Aſſur,& Chelmad venditores tui. Ipſi negociatores tui:multifariam, inuolucribus hyacinthi,& polymitorum,gazarumque precioſarum, quæ obuoluræ & aſtrictæ erant funibus:cedros quoque habebãt in negociationibus tuis. Naues maris principes habuiſti in negociatione tua: & repleta es, & glorificata nimis in corde maris. [i] In aquis multis adduxerunt te remiges tui: ventus orientalis contriuit te in corde maris. Diuitiæ tuæ, & theſauri tui mercatura tua, nautæ tui, & gubernatores tui, qui inſtaurant ruinam tuam, & exercent negociationem tuam: viri quoque bellatores tui,qui ſunt in te, cum vniuerſa multitudine tua,quæ eſt in medio tui: cadent in corde maris in die ruinæ tuæ. A ſonitu clamoris gubernatorum tuorum [k] conturbabuntur ſuburbana, & deſcendent de nauibus ſuis omnes, qui tenebant remum: nautæ & vniuerſi gubernatores maris in terra ſtabunt, & eiulabunt ſuper te voce magna, & clamabunt amarè: & ſuperiacent puluerem capitibus ſuis, & cinere conſpergentur. Et radent ſuper te caluitium, & accingentur cilicijs: & plorabunt te in amaritudine animæ ploratu amariſſimo. Et aſſument ſuper te carmen lugubre, & plangent te, Quæ eſt, vt Tyrus, quæ † perijt in medio maris? Quæ in exitu negociationum tuarum de mari impleſti populos multos: in multitudine diuitiarum tuarum, & populorum tuorum ditaſti reges terræ. Nunc contrita es à mari, in profundis aquarum: opes tuæ, & omnis multitudo tua,quæ erat in medio tui,eciderunt. Vniuerſi habitatores Inſularum obſtupuerunt ſuper te:& reges earum omnes tempeſtate percuſſi mutauerunt vultus. Negociatores populorum ſibilauerunt ſuper te: terror facta es,& non eris vſque in † ſæculum.

SCHOLIA.

[a] Et dices Tyro,quæ habitat in introitu maris.] *Comparat deſtructionem Tyri naufragio nauis optimæ inſtructæ: pulchrè, & eleganter alludens ad mercaturam eius, nam & nauali pompa excelluit.* [b] De Inſulis Eliſa.] *Iony maris, at Hiero.ſic appellat Inſulas, Ionathas interpretatur Italiam.* [c] Senes Gebal.] *Sunt Gebalitæ ingenioſi architecti, qui & in extructione templi Salomonici celebrantur,& præerant in Tyro publicis ædificijs erigendis & reficiendis.* [d] Pro ornatu tuo.] *Ipſi auxerunt ſplendorem tuum. Erant enim hi populi ea tempeſtate clari militia, & cum intromitterentur in vrbem,ſuſpenderunt pro gloria ciuitatis galeas & ſcuta in turribus.* [e] Filij Aradij.] *Aradum Hieroni. inſulam dicit, quæ tota ſit ciuitas,& contra ſe poſitum oppidum Antaradum habeat,& admodum vicinam eſſe Tyro. Hebræi Aruad nominant.* [f] Pygmæi,qui erant.] *Ionathan vocat Cappadoces,aiunt vrinatores eſſe,qui ſubmerſi,quam altum ſit mare cubitis replicatis metiantur. Alij volunt eſſe homines ſtatura cubitales,pygmæos illos minutulos putant,belligerari ſolitos cum gruibus. Ii quod viribus corporis nequeunt,illocati turribus ſagitt. andi arte conſequuntur, qui turribus pharetras appendentes,abſoluebant vrbis Veneficatem. Hieroni. putat pygmæos ἀπὸ τῆς πυγμῆς, id eſt, à lucta & certamine dictos.* [g] Tubal & Moſoch.] *Nomina terrarum à primis occupatoribus poſt diluuium obuenere, vt legitur Gene. 10. Noe tres filios genuit, Cham, Iaphet, Sem: Iaphet filios habuit ſeptem principes gentium,de quibus hic nominantur Iauan,Tubal,Moſoch, Thogorma nepos ex Gomer. Eliſa,& Tharſis,Cethim,& Dedan nepotes ex Iauan. Hi ſeptentrionalem partem magna ex parte occuparunt. Gomer enim Galatas. Thogorma Phryges inſtituit. Iauan Ioniam & Græciam. Tubal Iberiam & Hiſpaniam. Moſoch Cappadociam. Tharſis Ciliciam. Eliſa Æolios, vel Italiam, iuxta Targum Ionathæ. Cethim Cyprios: & omnes inſulæ ſic dictæ ſunt. Dedan aliqui Rhodios arbitrantur. Cham habuit filios, qui hic nominantur. Mezraim, Phut, Mezraim Ægyptios. Phut Lybes,& Mauritanos,& Aphricam. Cus Aethiopas, cuius filij Saba, vnde Sabæi, & Reama, vnde Ramæi, qui ad Arabiam felicem pertinent: & filius Saba alius Dedan, qui dedit Idumæos, illos veteres. Chanaan cuius primogenitus Sidon, cuius eſt Phœnicia: & Aruad, cuius eſt Aradus. Sem habuit filios, Elam, vnde Elamitæ, et Perſæ. Aſſur, vnde Aſſyrij. Ludi, vnde Lydj. Aram vnde Syry, & filius eius. Hul, vnde Damaſceni, & Traconitidis inhabitatores. Ab eodem Aram, & aliæ orientales gentes profectæ ſunt. Helmod.ad, qui fectan, qui Heber, qui Sale, qui Arphaxat, qui Sem, Meſopotamiam occupauit. Fectan, vel Iectan fuit frater Phaleg, & filius Hebber, vnde Hebræi & Iudæi. Et ab Iſmaele Abrahæ filio Cedar ac Nabath Nabathæi. Haran verò ad Euphraten ciuitas Nachor.* [h] Chodchod propoſuerunt in mercatu tuo.] *Hoc eſt, carbunculum.* [i] In aquis multis.] *Alius vertit. In aquas multas adduxerunt te, qui tibi aduerſantur. Et intelliguntur hic per aquas multas, angustiæ, et afflictiones, in quas hoſtes adegerunt Tyrios.* [k] Cõturbabuntur ſuburbana.] *Non quod Tyrus in mari habuerit ſuburbana, ſed intelliguntur hic per ſuburbana, ædificia, quæ habebat in continente.*

CAPVT XXVIII.

ET factus eſt ſermo Domini ad me,dicens,Fili hominis dic principi Tyri, Hæc dicit Dominus Deus, Eò,quòd eleuatum eſt cor tuum,& dixiſti, [a] Deus ego ſum,& in cathedra Dei ſedi in corde maris: cũ ſis homo & non Deus:& dediſti cor tuum quaſi cor Dei. Ecce [b] ſapientior es tu Daniele: omne ſecretum nõ eſt abſcõditum à te. In ſapientia tua & prudentia tua feciſti tibi fortitudinem:& acquiſiſti aurum & argentum in theſauris tuis. In multitudine ſapientiæ tuæ, & in negociatione tua multiplicaſti tibi fortitudinem:& eleuatum eſt cor tuum in robore tuo. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Eò quòd eleuatũ eſt cor tuum quaſi cor Dei: iccircò ecce ego adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos gentium:& nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientię tuæ,& polluent decorem tuum. Interficient & detrahent te:& morieris in interitu occiſorum in corde maris. Nunquid dicens loqueris, Deus ego ſum,coràm interficientibus te, cum ſis homo & non Deus,in manu occidentium te? [c] Morte incircunciſorum morieris in manu alienorum:quia ego locutus ſum,ait Dominus Deus. Et factus eſt ſermo Domini ad me, dicens, Fili hominis, leua planctum ſuper regem Tyri:& dices ei,Hæc dicit Dominus Deus, [d] Tu † obſignans ſummam plenus ſapientia,& perfectus decore. In delicijs paradiſi Dei fuiſti:omnis lapis precioſus † tabernaculum tuum:ſardius,topazius,& iaſpis,chryſolithus,& onyx,& beryllus,ſaphirus,& carbunculus,& ſmaragdus, † & aurum opus tympanorum tuorum,& fiſtularum tuarum eſt in te,à die qua conditus es,præparata ſunt. [e] Tu cherub extentus & † alis protegens, & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti. Per-

fectus in vijs tuis à die conditionis tuæ: donec inuenta est iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta sunt interiora tua iniquitate,& peccasti:& eieci te de monte Dei, & perdidi te ô cherub protegens de E
medio lapidum ignitorum. Et eleuatum est cor tuum in decore tuo: perdidisti sapientiam tuam in decore
tuo, in terram proieci te: ante faciem regum dedi te, vt cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarũ,
& iniquitate negotiationis tuæ [f] polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui
comedat te,& dabo te in cinerem super terram in conspectu omnium videntium te. Omnes, qui nouerint
te in gentibus, obstupescent super te: terror factus es, & non eris in perpetuum. Et factus est sermo Do- F
mini ad me, dicens, Fili hominis, pone faciem tuam contra Sidônem: & prophetabis de ea, & dices,Hæc
dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te Sidon: & glorificabor in medio tui: & scient, quòd ego Dominus
cum fecero in ea iudicia, & sanctificatus fuero in ea. Et immittam ei pestilentiam, & sanguinem in plateis
eius: & corruent interfecti in medio eius gladio per circuitum: & scient, quòd ego Dominus. Et non erit
vltrà domui Israel offendiculum amaritudinis, & [g] spina dolorem inferens, vndique per circuitum eorum G
qui aduersantur eis: & scient, quòd ego Dominus Deus. Hæc dicit Dominus Deus, Quando congrega-
uero domum Israel de populis in quibus dispersi sunt, sanctificabor in eis coràm gentibus: & habitabunt in
terra sua quam dedi seruo meo Iacob. Et habitabunt in ea securi: & ædificabunt domos, & plantabunt vi-
neas, & habitabunt confidenter,cum fecero iudicia in omnibus, qui aduersantur eis per circuitum:& scient
quòd ego Dominus Deus eorum.

SCHOLIA.

[a] Deus ego sum.] *Hoc est,tam fortis sum,et tam securus sedeo in medio maris, vt neminem mortalium timeam. Ago Deum quendam in mari,cui omnes negociatores afferunt dona.* [b] Sapientior es tu Daniele.] *Vsurpatur nomen Danielis fere loco prouerbij,ob incomparabilem sapientiam,qua propheta sanctus pollebat apud Chaldæos, & rex Tyri ob superbiam suam videbatur sibi superare Danielem ipsum in sapientia.Capitur autem hic sapietia,pro prudentia,qua opus habent ij, qui administrandis huius sæculi negocijs deputati sunt.* [c] Morte incircunciforum.] *Hoc est,peccatorum, vel, Morieris multis vulneribus ac moribus, idque per manum incircunciforum, hoc est,impiorum, & quibus nullum inerit cor misericors.*
[d] Tu obsignans summam.] *Tu(inquit) acquisiuisti tibi tantam molem diuitiarum,sapientiæ,& gloriæ, vt nihil illis accedere possit,tam perfectè,& absolutè omnia possides.Comparat proinde propheta delitias, & opes Tyri delicijs paradisi Dei, vbi nullius rei inuenitur defectus. Quin & tantum luxum asserit fuisse apud Tyrios, vt rex,& magnates sederint in palatijs,omnigenis coruscantibus gemmis,aut quòd lapides illos preciosos auro inclusos,in vestibus gestauerint. Et rex in tantis sedens diuitijs,nihil cogitabat,nisi quod ad voluptatem faceret carnis:quemadmodum subditur,opus tympanorum,&c.quasi dicat propheta,his ludicris te oblectas,omissis seryis, quæ in tanta republica erant prosequenda.* [e] Tu Cherub extentus.] *Vel,Inunctus,Comparatur rex Tyri Cherub inuncto,& ad summum fastigium sublimato, qui alis suis populum subiectum protegit,sicut Cherubim arcam Domini obtegebant.Ionathas tamen vertit,tu rex inunctus super regnũ,&c. Dicitur etiam fuisse in monte sancto,quando olim rex Tyri Hiram ligna misit,ad structuram templi. Et quod sequitur.In medio lapidum ignitorum(hoc est,preciosissimorum instar ignis lucentium)ambulasti,per hos lapides,intelligit Israelitas, quòd tunc fuerint populus sanctus,& alios Dei amore inflammauerint.* [f] Polluisti sanctificationem tuam.] *Hebræi intelligunt regnum palatium.Tu(inquit)in causa fuisti,cur deuastaretur aula tua regia.* [g] Et spina.] *Exterminabo (inquit Dominus) gentes illas execrandas, quæ infestæ sunt populo meo, vt etiam eis nulla supersit spes. Filij autem Israel recibunt, & habitabunt in securitate,ædificabunt domos,et plantabunt vineas. Et cum id post captiuitatem Babylonicam factum non fuerit,cum Iudæi multas passi fuerint afflictiones,constat id per Christum perfectè impletum,non in corpore,cum sui vsque adhuc ingemiscant, sed in spiritu,qui clamat, Abba pater.*

CAPVT XXIX.

IN anno decimo, decimo mense, duodecima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens, Fili A
hominis pone faciem tuam [a] contra Pharaonem regem Ægypti: & prophetabis de eo, & de Ægypto
vniuersa. Loquere,& dices, Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti [b] draco ma-
gne,qui cubas in medio fluminum tuorum: & dicis, Meus est fluuius, & ego feci memetipsum. Et ponam
† hamum in maxillis tuis:& agglutinabo pisces fluminum tuorum squammis tuis: & extraham te de medio
fluminum tuorum,& vniuersi pisces qui squammis tuis adhærebunt. Et [c] proijciam te in desertum, & om-
nes pisces fluminis tui:super faciem terræ cades,non colligeris,neque congregaberis:bestijs terræ,& volatili-
bus cœli dedi te ad deuorandum.Et scient omnes habitatores Ægypti,quòd ego Dominus: pro eò quòd fui- B
sti [d] baculus arundineus domui Israel. Quando apprehenderunt te manu, & confractus es,& lacerasti om-
nem humerum eorum:& innitentibus eis super te,comminutus es,& [e] dissoluisti omnes renes eorum. Pro-
pterea hæc dicit Dominus Deus,Ecce ego adducam super te gladium: & interficiam de te hominem & iumẽ
tum. Et erit terra Ægypti in desertum & in solitudinem: & scient quòd ego Dominus:pro eò quòd dixerit,
Fluuius meus est,& [e] ego feci eũ. Iccircò ecce ego ad te,& ad flumina tua: daboque terram Ægypti in solitu-
dines gladio dissipatam,[g] à turre Syenes,vsque ad terminos Æthiopiæ. Non pertransibit eam pes hominis, C
neque pes iumenti gradietur in ea:& non habitabitur [h] quadraginta annis. Daboque terram Ægypti deser-
tam in medio terrarum desertarum, & ciuitates eius in medio vrbium subuersarum, & erunt desolatæ qua-
draginta annis:& dispergam Ægyptios in nationes,& ventilabo eos in terras.Quia hęc dicit Dominus Deus,
Post finem quadraginta annorum congregabo Ægyptum de populis in quibus dispersi fuerant.Et reducam
captiuitatem Ægypti, & collocabo eos in terra Phathures, in terra natiuitatis suæ: & erunt ibi [i] in regnum
humile. Inter cætera regna erit humillima, & non eleuabitur vltrà super nationes, & imminuam eos ne
imperent gentibus. Neque erunt vltrà domui Israel in confidentia, docentes iniquitatem, vt † aspiciant,
& sequantur eos: & scient, quòd ego Dominus Deus. Et factum est in [k] vicesimo & septimo anno, in pri-
mo,

D mo,in vna mensis: factum est verbum Domini ad me, dicens, Fili hominis, Nabuchodonosor rex Baby-
lonis seruire fecit exercitum suum seruitute magna aduersus Tyrum: omne caput decaluatum,& omnis hu-
merus depilatus est:& merces non est reddita ei,neque exercitui eius de Tyro, pro seruitute qua seruiuit mi-
hi aduersus eam. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego dabo Nabuchodonosor regi Babylonis ter-
ram Ægypti: & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius:& erit
merces exercitui illius. Et operi quo seruiuit aduersus eam, dedi ei terram Ægypti: pro eò quòd laborauе-
runt mihi,ait Dominus Deus. In die illo † [l] succrescere faciam cornu domui Israel, & [m] tibi dabo apertum
os in medio eorum:& scient quòd ego Dominus.

SCHOLIA.

[a] Contra Pharaonem regem Ægypti.] *Apud Romanos à.C.Cæsare Cæsares appellantur reges, apud Syros Antiochi,apud Persas Arsacidæ,apud Philistheos Abimelech,in Ægypto Pharaones,& post Alexandrum Ptolemæi,vsq; ad Cleopatram, qua victa apud Accium, Ægyptus Romana facta est prouincia.* [b] Draco magne.] *Intelligitur in Hebraismo per draconem aquatilem, cetus seu piscis magnus,& significatur hic per hunc cetum squammatum rex Ægypti,sicut per alios pisces signantur reliqui Ægypti principes & potentes. Assimilat autem eos propheta piscibus, quòd ea regio plena sit aquis & stagnis. Nilo multis riuis ab Aethiopia per eam in mare mediterraneum labente.* [c] Proijciam te in desertum.] *In deserto loco & extra aquam pisces viuere non potest, sic Dominus prædicit, Ægyptios extra regnum suum in captiuitatem abducendos.* [d] Baculus arundineus domui Israel.] *Hoc est, Vanam fiduciam promiserunt Iudæis, cum nihil firmi vnquam præstiterint. Sed & cum Iudæi obsessi à Chaldæis Ægyptios veluti manu tenerent,nihil prosuit eis,quia conuertit se rex Babylonis contra exercitum Pharaonis,& strauit eum,ideo dicitur hic,cõfractus es. Et quod subditur, Lacerasti omnem humerum eorum, hoc dicitur, quòd Iudæi confisi de Pharaonis auxilio,violauerunt fœdus cum Nabuchodonosor initum, in propriam perniciem.* [e] Dissoluisti omnes renes eorum.] *Alius vertit.Et firmabis omnem lumbum eorum. Et sic intelligunt. Effecisti, vt necesse fuerit, vnumquemque suis viribus non alienis rem gerere.*
[f] Ego feci eum.] *Alius vertit.Ego feci me. Non quòd tam stupidus esset ac insipiens, vt putaret se à seipso factum, sed hunc habet sensum. Ego feci mihi tantam fluuiorum commoditatem, vt citra pluuiam posset humectare terram meam, vel sic.Ego sic gessi me per vitam meam in sapientia & prudentia,vt ascenderim ad regiam dignitatem.* [g] A turre Syenes.] *Quæ in extrema Ægypti parte meridionali sita est.* [h] Quadraginta annis.] *Quadraginta illi anni rectè supputabuntur à tempore destructionis,nempe postea quàm Iudæi duce Caree illuc confugerant,fortasse decimo anno. Captiui ergo fuerũt vsque ad tempus Cyri, quinquagesimo anno post destructam Ierusalem. In ea captiuitate ductos aiunt Ieremiam & Baruch in Babel.* [i] In regnum humile.] *Creuit quidem postea in regnum magnum, sed non fuit sui iuris, cum & Græcis, & Romanis paruerit.* [k] Vicesimo & septimo anno.] *Hi anni secundum Hebræos non computantur à captiuitate Ioacin, sed à principio regni Nabuchodonosor, quando iam destructa fuit Tyrus cum magno militum labore. Et quoniam Deo in hac re inseruierunt, promittit eis temporariam mercedem, opima spolia Ægypti. Sed nunquid in Tyro non inuenerunt magnas diuitias? credibile est,cum obsidio diutius protraheretur, Tyrios diuitias suas alio transtulisse.* [l] Succrescere faciam cornu domus Israel.] *Promittitur hic Vera redemptio,quæ futura erat per semen Dauid,quo ad figuram & historiam Ægyptus prius interibit,& ea figura est huius mundi,postea cornu domus Israel florebit,quo tempore Balthasare occiso Cyrus regnum adeptus est.Aly ad id tempus referunt, quo caput Iechoniæ rex extulit, & inde Sadtiel natus est, nam præludere Dominus tunc cœpit Veræ redemptioni.* [m] Tibi dabo apertum os in medio eorum.] *Hoc est, tunc confidenter loqueris de ijs,quæ ante prophetaueras.*

CAPVT XXX.

A ET factum est verbum Domini ad me,dicens,Fili hominis,propheta & dic,Hęc dicit Dominus Deus,
Vlulate, heu diem:quia iuxta est dies, & appropinquabit dies Domini:dies nubis, [a] tempus gentium
erit.Et veniet gladius in Ægyptum:& erit pauor in Æthiopia,cum ceciderint vulnerati in Ægypto,&
ablata fuerit multitudo illius,& destructa fundamenta eius. Æthiopia,& Libia,& Lydi, & omne reliquum
vulgus,& Chub,& [b] filij terræ fœderis:cum eis gladio cadent. Hæc dicit Dominus Deus, Et corruẽt fulcien
B tes Ægyptum,& destruetur superbia imperij eius: [c] à turre Syenes gladio cadẽt in ea, ait Dominus Deus exer
cituum:& dissipabũtur in medio terrarum desolatarum,& vrbes eius [d] in medio ciuitatum desertarũ erunt.
Et sciẽt quòd ego Dominus, cum dedero ignem in Ægypto, & attriti fuerint omnes auxiliatores eius. In die
illa egredientur nuntij à facie mea in trieribus ad terrendã Æthiopiæ cõfidentiam, & erit pauor in eis in die
Ægypti:quia absq; dubio veniet. Hæc dicit Dominus Deus,Et cessare faciam multitudinem Ægypti in ma
C nu Nabuchodonosor regis Babylonis.Ipse & populus eius cum eo fortissimi gentium adducentur ad dispер-
dendam terram: & euaginabunt gladios suos super Ægyptum, & implebunt terram interfectis.Et faciam
alueos fluminum aridos,& tradam terram in manus pessimorum:& dissipabo terram, & plenitudinem eius Zac.13.a
in manu alienorum,ego Dominus locutus sum.Hæc dicit Dominus Deus,Et disperdam simulachra,& cessa
re faciam idola de Memphis: & dux de terra Ægypti non erit amplius: & dabo terrorem in terra Ægi-
D pti. Et disperdam terram Phathures, & dabo ignem in Taphnis, & faciam iudicia in Alexandria. Et
effundam indignationem meam super Peluſium robur Ægypti, & interficiam multitudinem Alexan-
driæ. Et dabo ignem in Ægypto: quasi parturiens dolebit Peluſium, & Alexandria erit diſsipata, & in
Memphis anguſtiæ † diuturnæ. Iuuenes Heliopoleos, & Pubàſti gladio cadent, & ipſæ captiuæ ducentur.
Et in Taphnis nigreſcet dies,cum cõtriuero ibi ſceptra Ægypti, & defecerit in ea ſuperbia potentiæ eius: [e] ip
E ſam nubes operiet,filiæ autem eius in captiuitatem ducentur.Et iudicia faciam in Ægypto:& ſciẽt quòd ego
Dominus.Et factum eſt in vndecimo anno,in primo menſe,in ſeptima menſis,factum eſt verbum Domini
ad me,dicens, Fili hominis, brachium Pharaonis regis Ægypti [f] confregi: & ecce non eſt obuolutum, vt
reſtitueretur ei ſanitas, vt ligaretur pannis, & faſciaretur linteolis, & recepto robore poſſit tenere gladium.

Propterea hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego ad Pharaonem regem Ægypti: & cõminuam brachium eius, F.
& † fortitudinem eius, & erit confractum: & deijciam gladium de manu eius. Et dispergam Ægyptum in gẽ
tibus, & ventilabo eos in terris. Et cõfortabo brachia regis Babylonis, daboq; gladium meum in manu eius:
& confringam brachia Pharaonis, & gement gemitibus interfecti cõram facie eius. Et confortabo brachia
regis Babylonis, & brachia Pharaonis concident: & scient quòd ego Dominus, cum dedero gladium meum G
in manu regis Babylonis, & extenderit eum super terram Ægypti. Et dispergam Ægyptum in nationes, &
ventilabo eos in terras: & scient quòd ego Dominus.

SCHOLIA.

[a] Tempus gentium erit.] *Tempus in quo gentes congregabuntur contra Ægyptum, vt illam depopulentur, tũc magnus vndique inuadet pauor illos populos, qui finitimi sunt Ægyptijs, & sunt in eorum confœderatione, quoniam accidet eis secundum diem Ægypti, hoc est, passuri sunt diem illum calamitosum, quem Ægyptij in sui eliminatione sustinuerunt.* [b] Filij terræ fœderis.] *Hoc est, fœderati cum Ægyptijs.* [c] A turre Syenes.] *Quæ est iuxta cataractas versus oriẽtem, & Troglodytis, vsque ad Aethiopiam, quæ est vltrà Catabathman ad occidentem. Triquetram autem terræ figuram tribuũt Ægypto in forma literæ Δ. Vnde & nomẽ apud quosdã habet authores. In inferiori sua parte scinditur Nilus apud Memphim vrbem Ægypti præstantissimam, & maximè notam superstitione Apis. Hodie Alcairo dicitur, & Sultan regia illic pridem fuit, positaque est, quasi in claustro Nili, vt prohibeat ad superiora nauigantibus aditum. In hac erant multi idololatræ, in ostijs autem Nilus dextra sinistraque diuisus canopico vel Alexandrino diuiditur à Cyrenaica, & Aphrica, Peluſiaco, quod Hebræi Sin vocãt, ab Asia & Iudæa, Tanis, quæ Zoan dicitur, vnum ex ostijs est.* [d] In medio ciuitatum desertarum.] *Hoc est. Erunt tanquam ciuitates penitus desertæ.* [e] Ipsam nubes operiet.] *Sicut per tenebras significatur tribulatio magna, sic per nubem, quæ solem abscondit, significatur hic afflictio & calamitas.* [f] Confregi.] *Quid dicam (inquit) me perditurum Ægyptum? pridem bona pars periit, nam anno quarto Ioachin regis, Pharao Necao propè Carcamis cæsus est à Chaldæis, vbi regum historia subdit, Pharaonem posthac nõ egressum esse terram suam, ademerat enim ei terram rex Babel ab Euphrate vsque ad fluuium Ægypti. Hanc plagam non esse obligatam, crudum relictum vulnus & non curatum, hic affirmatur.*

CAPVT XXXI.

ET factum est in anno vndecimo, tertio mense, vna mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens, A
Fili hominis dic Pharaoni regi Ægypti, & populo eius, [a] Cui similis factus es in magnitudine tua? Ecce
Assur quasi cedrus in Libano pulcher ramis, et frõdibus nemorosus, excelsusq; altitudine, & inter con-
densas frondes eleuarum est cacumen eius. Aquę nutrierunt illum, abyssus exaltauit illum: flumina eius ma-
nabant in circuitu radicum eius, & riuos suos emisit ad vniuersa ligna regionis. Propterea eleuata est altitu- B
do eius super omnia ligna regionis: & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius præ aquis mul-
tis. Cumq; extendisset vmbram suam, in ramis eius fecerunt nidos omnia volatilia cœli, & sub frõdibus eius
genuerunt omnes bestiæ saltuum, & sub vmbraculo illius habitabat cœtus gentium plurimarum. Eratque
pulcherrimus in magnitudine sua, & in dilatatione arbustorum suorum: erat enim radix illius iuxta aquas C
multas. [b] Cedri non fuerunt altiores illo in paradiso Dei, abietes non adæquauerũt summitatem eius, & pla-
tani non fuerunt æquę frondibus illius, omne lignum paradisi Dei non est assimilatum illi, & pulchritudini
eius, quoniam speciosum feci eum, & multis condensisq; frondibus: & [c] æmulata sunt eum omnia ligna vo-
luptatis, quæ erant in paradiso Dei. Propterea hæc dicit Dominus Deus, Pro eò quòd sublimatus est in alti- D
tudine, & dedit summitatem suam virentem atq; condensam, & eleuatũ est cor eius in altitudine sua: tradidi
eum in manus fortissimi gentium, faciens faciet ei iuxta impietatem eius. Eiecti eum, & succident eum alieni
& crudelissimi nationum, & proijcient eum: super montes, & in cunctis conuallibus corruent rami eius, &
confringentur arbusta eius in vniuersis rupibus terræ, & recedent de vmbraculo eius omnes populi terræ, & E
relinquent eum. [d] In ruina eius habitauerunt omnia volatilia cœli, & in ramis eius fuerunt vniuersæ bestiæ
regionis. [e] Quam ob rem non eleuabuntur in altitudine sua omnia ligna aquarũ, nec ponent sublimitatem
suam inter nemorosa atque frondosa, nec stabunt in sublimitate sua omnia, quæ irrigantur aquis: quia
omnes traditi sunt in mortem ad terram vltimam in medio filiorum hominum ad eos qui descẽdunt in la- F
cum. Hæc dicit Dominus Deus, In die quãdo descendit ad inferos induxi luctum, [f] † propter eum abyssum,
operui: & [g] prohibui flumina eius, & coercui aquas multas: contristatus est super eum Libanus, & omnia li-
gna agri concussa sunt. A sonitu ruinæ eius commoui gẽtes, cum deducerem eum ad infernum cum his qui
descendebant in lacum: [h] & consolata sunt in terra infirma omnia ligna voluptatis, egregia atq; præclara in G
Libano vniuersa, quæ irrigantur aquis, Nam & ipsi cum eo descendunt ad infernum ad interfectos gladio: et
brachium † eius, & qui habitabant sub vmbraculo eius in medio nationum. [i] Cui assimilatus es ô inclyte
atque sublimis inter ligna voluptatis? Ecce deductus es cum lignis voluptatis ad terram vltimam: in medio
incircumcisorum dormies, cum eis qui interfecti sunt gladio, ipse est Pharao, & omnis multitudo eius: di-
cit Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Cui similis factus es?] *Hoc est, quid optare posses maius eo, quod assecutus fuerat rex Assyriorum, qui superatus tamen est à Chaldæis? Comparatur autem rex Assyriorum cedro felicissimæ, quam stiparunt frondes condensæ, hoc est, multi principes, & reges minores. Cedrus ista irrigari perhibetur abysso, et fluminibus, quæ illa vomit per cauernas terræ, per quod significatur, quòd rex Assyriorum accepit beneuolentia diuina inexhaustam felicitatem, & omnium rerum miram affluẽtiam, vt & plantæ eius, & arbores campi, hoc est, principes eius irrigarẽtur illius vbertate, & qui minor erat in aula eius, maior censeretur rege Ezechia. Quarto Reg. 18. In ramis (inquit) eius nidos fecerunt omnes aues cœli, hoc est, benefecit plurimis, & fuit sub eo pax magna, & omnes populi eius sub protectione eius consisi sunt.* [b] Cedri non fuerunt altiores.] *Hyperbole*

Hyperbole est, vel per paradisum Dei, intelligere licet hortum amœnissimum. Accipitur namque vocabulum Dei sæpissimè, pro magno, siue excellenti, vt, montes Dei, hoc est, altissimi. Sensus ergo est. Tanta fuit ista cedrus, vt quamis cedro, etiam in paradiso Dei crescente, inferior non esset, hoc est, non fuit in toto orbe terrarũ natio præstantior Assyrys. [c] Et æmulata sunt.] *miderunt pulchritudini eius.* [d] In ruina eius.] *Ad deuoranda cadauera illorum, & volucres, & bestiæ conuenient.* [e] Quamobrem non eleuabuntur.] *Sensus est, Dedi exemplum in rege Assyriorum, quo cæteri reges feliciores, arridente fortuna, minus animo eleuentur. Nam traditus est rex Assur cum exercitu suo in mortem, nec liberare eum valuit tanta opulentia, & potentia eius: & qui prius summam tenebat dignitatis arcem, iam iacet cum cæteris filys hominum in sepulchro & in puluere terræ, & hoc est, quod ait in medio filiorum hominum &c.* [f] Operui propter ipsum abyssum.] *Lugere (inquit) feci, et velaui propter eum, in signum luctus, abyssum. Hoc dicit propterea, quòd paulo ante meminit abyssi, quòd crescere fecisset illam propter magnam aquæ copiam, quam suppeditabat radicibus illius. Dicitur ergo abyssus lugere, et velut saccum induere propter interfectionem regis Assyriorum, quòd amplius illi aquas præbere prohibetur, vnde ille in tantum sublimatus fuit fastigium.* [g] Prohibui flumina eius.] *Ne suo more læta fluerent.* [h] Et consolata sunt.] *Mortui (inquit) lætitia perfusi sunt quòd tantus rex illis fuerit adaquatus. Descripsit & Esaias cap. 14. pulchrè regis Assyriorum interitum. Infernus (inquens) propter te commotus est, in occursum aduentus tui, excitauit propter te mortuos, &c.* [i] Cui assimilatus es.] *Redit ad Pharaonem, quem à principio huius capitis regi Assyriorum comparat, et ait, ô Pharao, cui comparatus es in potentia, similis quoque illi eris in ruina.*

CAPVT XXXII.

A [a] FACTVM est: duodecimo anno, in mense duodecimo, in vna mensis, factum est verbum Domini ad
me, dicens, Fili hominis, assume lamentum super Pharaonem regem Ægypti, & dices ad eum, [b] Leoni
gentium assimilatus es, & draconi qui est in mari: & † educebas flumina tua, & conturbabas aquas pe-
dibus tuis, & conculcabas flumina eorum. Propterea hęc dicit Dominus Deus, Expandam super te rete meũ
in multitudine populorum multorũ, & extraham te in sagena mea. Et proijciam te in terram, super faciem Supra 12.d
agri abijciam te: & habitare faciam super te omnia volatilia cœli, & saturabo de te bestias vniuersæ terræ. Et & 17.f
B dabo carnes tuas [c] super montes, & implebo colles tuos sanie tua. Et irrigabo terram inundatione sanguinis
tui super montes, & valles implebũtur ex te. Et operiam cum extinctus fueris, cœlos: & nigrescere faciã stel-
las eius: solem nube tegam, & luna non dabit lumen suum. Omnia luminaria cœli mœrere faciam super te: Isa. 13.b
& dabo tenebras super terram tuam, dicit Dominus Deus. [d] Et irritabo cor populorum multorum, cum in- Ioel 3.c
duxero contritionem tuam in gentibus super terras quas nescis. Et stupescere faciam super te populos mul- Matt. 24.c
tos, & reges eorum horrore nimio formidabunt super te, cum volare cœperit gladius meus super facies eo-
rum: & obstupescent repẽte singuli pro anima sua in die ruinæ tuæ. Quia hęc dicit Dominus Deus, Gladius
C regis Babylonis veniet tibi, in gladijs fortium deijciam multitudinem tuam, inexpugnabiles omnes gentes
hæ: & vastabũt superbiam Ægypti, & dissipabitur multitudo eius. Et perdam omnia iumenta eius, [e] quę erãt
super aquas plurimas: & non conturbabit eas pes hominis vltrà, neq; vngula iumentorũ turbabit eas. Tunc
profundas reddam aquas eorum, & flumina eorum quasi oleum adducam, ait Dominus Deus, cum dedero
terram Ægypti desolatam. Deseretur autem terra [k] plenitudine sua, quando percussero omnes habitatores
eius: & scient quòd ego Dominus. Planctus est, † plangite eam: filiæ gentium plãgent eam, super Ægyptum,
D & super multitudinem eius plangent eam, ait Dominus Deus. Et factum est in duodecimo anno, in [f] quin-
tadecima mensis, factum est verbum Domini ad me, dicens, Fili hominis, cane carmen lugubre super multi-
tudinem Ægypti: & detrahe eam ipsam, & filias gentium robustarum ad terram vltimã cum his qui descen-
dunt in lacum. [g] Quo pulchriores tu? Descende, & dormi cum incircumcisis. In medio interfectorum gla-
dio cadent: † gladio data est, & detraxerunt eam, & omnes populos eius. Loquentur ei potentissimi robusto-
rum de medio inferni, qui cum auxiliatoribus eius descenderunt, & dormierunt incircumcisi, interfecti quo
gladio. Ibi Assur, & omnis multitudo eius: in circuitu illius [h] sepulchra eius: omnes interfecti, & qui cecide-
E runt gladio. Quorum data sunt sepulchra in nouissimis laci: & facta est multitudo eius per gyrum sepulchri
eius, vniuersi interfecti, cadentesq; gladio, qui dederant quondam formidinem suam in terra viuentium. Ibi
Ælam, & omnis multitudo eius per gyrum sepulchri illius, omnes hi interfecti, ruentesq; gladio, qui descen-
derunt incircumcisi ad terram vltimam: qui posuerunt terrorem suum in terra viuentium, & portauerunt
ignominiam suam cum his, qui descenderunt in lacum. In medio interfectorum posuerunt cubile eius in
vniuersis populis eius: in circuitu eius sepulchra illius, omnes hi incircũcisi interfectiq; gladio: dederũt enim
F terrorem suum in terra viuentium, & portauerunt ignominiam suam cum his qui descendunt in lacum, in
medio interfectorum positi sunt. Ibi Mosoch, & Thubal, & omnis multitudo eius: in circuitu eius sepulchra
illius: omnes hi incircumcisi interfectiq;, & cadentes gladio: quia dederunt formidinem suam in terra viuen-
tium. [i] Et non dormient cum fortibus, cadentibusq;, ex incircumcisis qui descenderũt ad infernum cum ar-
mis suis: & posuerunt gladios suos sub capitibus suis, & fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum: quia
terror fortium facti sunt in terra viuentium. Et tu ergo in medio incircumcisorum contereris, & dormies
cum interfectis gladio. Ibi Idumæa, reges eius, & omnes duces eius, qui dati sunt cum exercitu suo cum in-
G terfectis gladio: & qui cum incircumcisis dormierunt, & cum his qui descendunt in lacum. Ibi principes
aquilonis omnes, & vniuersi [k] venatores: qui deducti sunt cum interfectis, pauentes, & in sua fortitudine
confusi: quia dormierunt incircumcisi cum interfectis gladio, & portauerunt cõfusionem suam cum his qui
descendunt in lacum. Vidit eos Pharao, & consolatus est super vniuersa multitudine sua, quæ interfecta est
gladio Pharao & omnis exercitus eius, ait Dominus Deus: quia [l] dedi terrorem meum in terra viuentium,
& dormiuit in medio incircumcisorum cum interfectis gladio Pharao & omnis multitudo eius, ait Do-
minus Deus.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Et factum eſt.] *Hos annos ſupputat ad regnum Sedechiæ : euenit enim hæc prophetia anno proximo poſt Ieruſalem deuaſtatam.* [b] Leoni gentium.] *Quod leo eſt inter reliqua animalia, hoc Pharao eſt inter gentes. Comparatur et ceto, qui aquas & magnos fluctus excitat & impellit in aridam, vicina quæque loca inũdans, ſic Pharao inquietabat omnia inſanis bellis, & turbabat omnes terras propinquas.* [c] Super mõtes.] *Tãtũ ex te effundetur ſanguinis, vt & impleturus ſit valles, & aſcenſurus vſque ad ſublimitatem montium. Et eſt hyperbole.* [d] Et irritabo.] *Vel, commouebo. Multi (inquit) populi terrebuntur, & obſtupeſcent, vbi audierint, tibi inter reliquas gentes tam horribi lem accidiſſe contritionem. Et quod ait, Super terras, quas neſcis, intelligit gentes, ad quas perducet famam huius contritionis.* [e] Quæ erant ſuper aquas.] *Hoc eſt, iuxta aquas. Et hæ aquæ (inquit) amplius non turbabuntur per homines, qui extra Nili inundantiam, hortos cum illis irrigabant, & arua, ſed ſtabunt immobiles & profundæ, cum nemo eas exhauriat in lacunis, ſed & flumina ob eandem cauſam fluent limpida ſicut oleum, quia nemo tranſiẽs illa perturbabit.* [f] Quintadecima menſis.] *Nimirum duodecimi, quem putatur ob id nominatim non explicaſſe, vt occaſionem daret lectori connectendi hanc prophetiam ſuperiori. In principio enim capitis menſem duodecimum explicatum inuenies. Iubet autem ſuſcipere querelas, vt ante hac aduerſus principem ac proceres, ita iam contra plebem, eodem vitæ diſcrimine impeditam.* [g] Quo pulchrior es tu.] *Hoc eſt, gratioſiorem neputas te reliquis omnibus, qui ante te perierunt.* [h] Sepulchra illius.] *Scilicet multitudinis. Cum vero ait, in lateribus laci, & in inferioribus partibus terræ, ſignificat propheta damnationem corporis & animæ. Hi, inquit, qui prius erant omnibus terrori, iacent nunc in profundis terræ, & ſunt viuentibus atque mortuis ludibrio.* [i] Et non dormient cum fortibus.] *Hebræi hunc locum ſic exponunt, non iacebunt cum ijs potentibus & incircuncifis, qui naturali expirauerunt morte, aut qui veluti ſtrenui milites cum armis ſuis ſunt ſepulti, ſed iacebunt cum ijs, quibus ignominioſa contigit ſepultura, nẽpe qui gladio perempti & corpore à beſtijs lacerati ſunt atq; in quorum oſſa ſæuitum eſt ob iniquitates eorum.* [k] Venatores.] *Alius vertit, Sidonios.* [l] Dedi terrorem meum.] *Hoc eſt, me timebunt poſt caſum Pharaonis.*

CAPVT XXXIII.

ET factum eſt verbum Domini ad me,dicens,[a] Fili hominis,loquere ad filios populi tui,& dices ad eos, A
Terra cum induxero ſuper eam gladium,& tulerit populus terrę virũ vnum de † finibus ſuis,& [b] con-
ſtituerit eum ſuper ſe ſpeculatorem:& ille viderit gladium venientem ſuper terram,et cecinerit bucci-
na,& annuntiauerit populo:audiens autem quiſquis ille eſt,ſonitum buccinæ,& non ſe obſeruauerit, vene-
ritque gladius,& tulerit eum:ſanguis ipſius ſuper caput eius erit.Sonum buccinæ audiuit,& non ſe obſerua-
uit,ſanguis eius in ipſo erit:ſi autem ſe cuſtodierit,animam ſuam ſaluabit. Quòd ſi ſpeculator viderit gladiũ
venientem,& non inſonuerit buccina:& populus ſe non cuſtodierit, veneritq; gladius, & tulerit de eis ani-
mam:ille quidem in iniquitate ſua captus eſt,ſanguinem autem eius de manu ſpeculatoris requiram. Et tu
fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael:audiens ergo ex ore meo ſermonem, annuntiabis eis ex me. B
Supra 3.d Si me dicente ad impiũ,Impie,morte morieris:nõ fueris locutus vt ſe cuſtodiat impius à via ſua:ipſe impius
in iniquitate ſua morietur,ſanguinem autem eius dę manu tua requiram.Si autẽ annuntiante te ad impium
vt à vijs ſuis conuertatur,non fuerit cõuerſus à via ſua:ipſe in iniquitate ſua morietur, porrò tu animã tuam
liberaſti.Tu ergo fili hominis,dic ad domũ Iſrael,Sic locuti eſtis,dicentes,Iniquitates noſtræ, & peccata no-
ſtra ſuper nos ſunt,& in ipſis nos tabeſcimus : quomodo ergo viuere poterimus ? Dic ad eos, Viuo ego, dicit
Dominus Deus:nolo mortem impij,ſed vt conuertatur impius à via ſua,& viuat. Conuertimini conuerti-
Supra 18.g mini à vijs veſtris peſsimis:& [c] quare moriemini domus Iſrael? Tu itaque fili hominis, dic ad filios populi
tui,Iuſtitia iuſti non liberabit eum in quacunq; die peccauerit:& impietas impij non nocebit ei,in quacun- C
que die conuerſus fuerit ab impietate ſua:& iuſtus non poterit viuere in iuſtitia ſua in quacunque die pecca-
uerit.Etiam ſi dixero iuſto quòd vita viuat,& confiſus in iuſtitia ſua fecerit iniquitatem:omnes iuſtitiæ eius
obliuioni tradentur,& in iniquitate ſua quam operatus eſt,in ipſa morietur.Si autem dixero impio, Morte
morieris:& egerit pœnitentiam à peccato ſuo, feceritque iudicium & iuſtitiam,& pignus reſtituerit ille im-
pius,rapinamq; reddiderit,in mandatis vitæ ambulauerit, nec fecerit quicquam iniuſtum:vita viuet & non
morietur. Omnia peccata eius, quæ peccauit,non imputabuntur ei : iudicium & iuſtitiam fecit,vita viuet.
Et dixerunt filij populi tui, Non eſt æqui ponderis via Domini : & ipſorum via iniuſta eſt. Cum enim re-
ceſſerit iuſtus à iuſtitia ſua, feceritque iniquitates : morietur in eis. Et cum receſſerit impius ab impietate D
Supra 18.g ſua,feceritque iudicium & iuſtitiam : viuet in eis. Et dicitis, Non eſt recta via Domini. Vnumquenque
iuxta vias ſuas iudicabo de vobis domus Iſrael.Et factum eſt [d] in duodecimo anno,in decimo menſe,in quin
ta menſis tranſmigrationis noſtræ : venit ad me qui fugerat de Ieruſalem,dicens, Vaſtata eſt ciuitas. Manus
autem Domini facta fuerat ad me veſpere antequam veniret qui fugeret: [e] aperuitque os meum donec veni-
ret ad me manè,& aperto ore meo non ſilui amplius. Et factum eſt verbum Domini ad me,dicens,Fili ho-
minis qui habitant [f] in ruinoſis his,ſuper humum Iſrael loquentes aiunt, Vnus erat Abraham, & hæredi-
tate poſſedit terram : nos autem multi ſumus, [g] nobis data eſt terra in poſſeſsionem. Iccirco dices ad eos,
Hæc dicit Dominus Deus, Qui in ſanguine comeditis, & oculos veſtros leuatis ad immunditias veſtras, & E
ſanguinem funditis:nunquid terram hæreditate poſsidebitis? Stetiſtis in gladijs veſtris, feciſtis abomina-
tiones, & vnuſquiſque vxorem proximi ſui polluit : & terram hæreditate poſsidebitis? Hæc dices ad eos,
Sic dicit Dominus Deus, Viuo ego,quòd qui in ruinoſis habitant, gladio cadent : & qui in agro eſt, beſtijs
tradetur ad deuorandum : qui autem in præſidijs & ſpeluncis ſunt, peſte morientur. Et dabo terram in ſo-
litudinem & in deſertum, & deficiet ſuperba fortitudo eius : & deſolabuntur montes Iſrael, eò quòd nul-
lus ſit qui per eos tranſeat. Et ſcient quòd ego Dominus, cum dedero terram eorum deſolatam & deſer-
tam propter vniuerſas abominationes ſuas quas operati ſunt. Et tu fili hominis : filij populi tui qui lo-
quuntur de te [h] iuxta muros,& in oſtijs domorum : & dicunt vnus ad alterum, vir ad proximum ſuum lo-
quentes,

G quentes, Venite,& audiamus quis ſit ſermo egrediens à Domino.Et veniunt ad te, quaſi ſi ingrediatur popu
lus,& [i] ſedent coram te populus meus:& audiunt ſermones tuos,& non faciunt eos : quia in cãticum oris ſui
vertunt illos,& auaritiam ſuam ſequitur cor eorum.Et es eis quaſi carmen muſicum, quod ſuaui dulciq; ſo-
no canitur:& audient verba tua,& non facient ea.Et cum venerit quod prædictum eſt (ecce enim venit) tũc
ſcient quòd prophetes fuerit inter eos.

SCHOLIA.

[a] Fili hominis loquere.] *Iam deſtructa Ieruſalem, & caſtigato populo, reparatio cœleſtis Ieruſalem, & eccleſiæ Dei vſque in finem libri ſuſcipitur tractanda, quamuis non nulla præmittantur, quæ non omnino ſuperioribus extraria ſint. Hæc cum Iudæi poſtremis temporibus complenda dicant, nos poſtrema illa tempora adeſſe, & ſub Chriſto in dies compleri veriſsimè aſſerimus. Sicut igitur Supra cap.3. ab officio ſpeculatoris, ita nunc aliquanto fidẽtius poſt priores prophetias aduerſus populum Dei ab eodem differit.* [b] Conſtituerit eum ſuper ſe ſpeculatorem.] *Terra promiſſa quia in longitudinem à meridie verſus ſeptentrionem protenſa eſt, in latum autem arctiſsima incurſioni hoſtili valde expoſita fuit, ideo diſpoſitos ſpeculatores paſsim collocabant, qui ſigno fugæ tuba dato ſub irruptionem hoſtis, in agro palanteis ciues intra oppida reuocarent. Nõ aliter eccleſiaſtico ſpeculatori, terra hoſtili graſſationi valde obnoxia obuenit, iccircò qui viam Dei docẽt populum, ob eminentem cognitionem, qua præditi eſſe debent, quaſi in ſpecula conſiſtere dicuntur, vnde inſidias aduerſarij dignoſcant, & impendens periculum populo annuntient.* [c] Quare moriemini.] *Hoc eſt, nequaquam moriemini.* [d] In duodecimo anno.] *Nono anno Sedechiæ, quo die admotus eſt vrbi Ieruſalem exercitus, propheta cœptam obſidionem inter Babylonicos Iudæos dixit, deinde quòd ad eius calamitatis primum nuntium, qui ſuperſtes cladi, Babylonem venturus erat, reddenda ſibi eſſet libertas à Domino, quæ acceperat loquendi conſtanter. Hæc ad finem capituli vigeſimi quarti. De hac hiſtoria agitur vltimo Regum, & vltimo capite Hieremiæ. Hoc enim eſt tempus ac dies excidij annus vndecimus Sedechiæ, dies nonus menſis nimirum quarti, referente Hieremia cap. 52. qui hoc loco non exprimitur. Hic autem nuntius cladi ſuperſtes, duodecimo anno, decimo menſe, quinto die menſis adeſt, hoc eſt, poſt exciſam ac perditam vrbem anno peracto in 26. die ſexti menſis.* [e] Aperuitque os meum.] *Non quòd antea omnino tacuerit, ſed quòd minore grauitate docuerit, domo Iſrael rebellante.* [f] In ruinoſis his.] *Hi erant pauperes quidam, quos Nabuzardan in terra reliquit, contra quos propheta hic clamare iubetur, & eorum redarguere ſcelera, quæ erant, quòd ſanguine veſcerentur, aut inter comedendum de ſanguine innocente fundendo tractarent, idola cum animo prono ad idololatriam inſpiciebant, in gladijs ſuis ſtabant, hoc eſt, fiduciam ponebãt in fortitudinem ſuam magis quàm in Deum, vel tanquam gladijs accincti, & ad fundendum ſanguinem parati ſtabãt.* [g] Nobis data eſt.] *Hoc eſt, daretur merito.* [h] Iuxta muros.] *Hoc eſt, in angulis, & locis ſecretis detrahunt tibi, quòd diem reditus in longum diſtuleris tempus, ipſi autem celerem moliuntur reditum. Et cum id agant, tamen veniunt ad te, quaſi populus eſſent Dei, & ſeriò cupiant audire verbum eius, &c.* [i] Sedent coràm te.] *Audituri in conſpectu differentis: conſedere antiquitus ſoliti erant, vnde poſtea mos obtinuit, vt minoribus ſubſellijs diſcipuli aſsiderent, velut ad pedes præceptorum. Legem hoc modo Paulus didicit ad pedes Gamalielis.*

CAPVT XXXIIII.

A ET factum eſt verbum Domini ad me,dicens,Fili hominis propheta de paſtoribus Iſrael : propheta, &
dices paſtoribus,Hæc dicit Dominus Deus, Væ paſtoribus Iſrael,qui paſcebant ſemetipſos:nonne gre- Iere.23.a
ges à paſtoribus paſcũtur? Lac comedebatis,& lanis operiebamini:&,quod craſſum erat, occidebatis:
gregem autem meum non paſcebatis.Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum non ſana-
ſtis,quod confractum eſt non alligaſtis, & quod † abactum eſt non reduxiſtis, & quod perierat non quæſi-
ſtis:ſed cum auſteritate imperabatis eis,& cum potentia.Et diſperſæ ſunt oues meæ, eò quòd nõ eſſet paſtor:
B & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri,& diſperſæ ſunt.[a] Errauerunt greges mei in cunctis
montibus,& in vniuerſo colle excelſo:& ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt greges mei, & nõ erat qui
requireret,non erat,inquam,qui requireret.Propterea paſtores audite verbum Domini, Viuo ego, dicit Do
minus Deus,quòd pro eò quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationẽ omnium be-
ſtiarum agri,eò quòd non eſſet paſtor (neq; enim quæſierunt paſtores mei gregem meum:ſed paſcebant pa
ſtores ſemetipſos,& greges meos non paſcebant) propterea paſtores audite verbum Domini, Hæc dicit Do-
C minus Deus,Ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam vt
vltrà non paſcant gregem,nec paſcãt amplius paſtores ſemetipſos:& liberabo gregem meum, de ore eorum
& non erit vltrà eis in eſcam. Quia hęc dicit Dominus Deus, Ecce ego ipſe requiram oues meas,& viſitabo
eas.Sicut viſitat paſtor gregem ſuum in die quãdo fuerit in medio ouium ſuarum diſsipatarum : ſic viſitabo
oues meas,& liberabo eas de omnibus locis in quibus diſperſæ fuerant [b] in die nubis & caliginis. Et educam
eas de populis,& congregabo eas de terris,& inducam eas in terram ſuam:& paſcam eas in montibus Iſrael,
D in riuis,& in cũctis ſedibus terræ.In paſcuis vberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſrael erũt paſcua
earum:ibi requieſcent in herbis virentibus,& in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael. Ego pa-
ſcam oues meas:& ego eas accubare faciam,dicit Dñs Deus. Quod perierat,requiram : &,quod † abactum
erat,reducam:&,quod confractum fuerat,alligabo:& quod infirmum fuerat conſolidabo:&, quod [c] pingue
& forte,cuſtodiam:& paſcam illas in iudicio. Vos autem greges mei, hęc dicit Dominus Deus, Ecce ego iu-
dico inter pecus & pecus,arietum & hircorum. Nõnne ſatis vobis erat paſcua bona depaſci? [d] inſuper & re-
E liquias paſcuarum veſtrarum conculcaſtis pedibus veſtris:&,cum puriſsimam aquã biberetis, reliquam pe-
dibus veſtris turbabatis.Et oues meæ his,quæ conculcata pedibus veſtris fuerant, paſcebantur:& quæ pedes
veſtri turbauerant,hęc bibebant. Propterea hæc dicit Dominus Deus ad vos,Ecce ego ipſe iudico inter pe-
cus pingue & macilentum.Pro eo quòd lateribus,& humeris impingebatis, & cornibus veſtris ventilabatis
omnia infirma pecora,donec diſpergerentur foras:ſaluabo gregem meum, & non erit vltrà in rapinam, &
iudicabo inter pecus & pecus. Et ſuſcitabo ſuper ea paſtorem vnum,qui paſcat ea,[e] ſeruum meum Dauid:
ipſe

ipſe paſcet ea,& ipſe erit eis in paſtorem.Ego autem Dominus ero eis in Deum : & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum:ego Dominus locutus ſum. Et faciam cum eis pactum pacis,& ceſſare faciam beſtias peſsimas de terra:& qui habitabant in deſerto,ſecuri dormient in ſaltibus. Et ponam eos [f] in circuitu collis mei benedictionem:& deducam imbrem in tempore ſuo,pluuiæ benedictionis erunt. Et dabit lignum agri fructum ſuum,& terra dabit germen ſuum,& erunt in terra ſua abſq; timore:& ſcient quòd ego Dominus, cum contriuero catenas iugi eorum,& eruero eos de manu imperantium ſibi. Et non erũt vltrà in rapinam gentibus,neq; beſtiæ terræ deuorabunt eos:ſed habitabunt confidenter abſque vllo terrore. Et ſuſcitabo eis [g] germen nominatum:& non erunt vltrà imminuti fame in terra, neq; portabunt amplius opprobria gentium.Et ſcient quòd ego Dominus Deus eorum cũ eis,& ipſi populus meus domus Iſrael,ait Dñs Deus:Vos autem greges mei,greges paſcuæ meæ homines eſtis:& ego Dominus Deus veſter,dicit Dominus Deus.

Ioan.1.g I.Cor.1.g Iſa 40.c & 45.b Dani.9.g Ioan.10.b

SCHOLIA.

[a] Errauerunt greges mei in cunctis montibus.] *Alludit ad cultum idololatriæ, quem in excelſis exercebant.* [b] In Die nubis.] *Hoc eſt,calamitatis.* [c] Pingue & forte cuſtodiam.] *In Heb.eſt,pingue & forte exterminabo,vt intelligatur,de pecore vegetiori,quod imbecilliores oues corrumpit,atque illis eſt nocumento, & Chaldæus interpres dixit.nocentes perdam.Noſter vero interpres pro Samael,legit, Samar,& literæ iſtæ, Dalet,& Res,fallere poſſunt ſimilitudine figuræ.* [d] Inſuper & reliquias.] *Non contenti ſcilicet eo,quod ſibi ſatis eſſe poſſet,peccandi libidine ne ijs quidem parcebat,quæ ouium eſſe debuerant,vt eis quiete ac purè frueretur.* [e] Seruum meum Dauid.] *Etiam ſecundum Heb.per hunc paſtorem intelligitur Meſſias,dictus Dauid,quòd ex ſemine Dauid futurus erat.Quare autem vocetur ſeruus, in Eſa.diximus.* [f] In circuitu collis mei.] *Pro quo Ionathas ſic vertit,ponam eos per circuitum domus ſanctuarij mei,& erunt benedicti. Alludit autem ad illud Eſaiæ.Venite aſcendamus ad montem Domini,& docebit nos vias ſuas, &c. Chriſtus enim eſt hic mons & collis,qui nobis benedicit benedictione ſpirituali,& impertitur pluuiam ſalutaris doctrinæ.* [g] Germen nominatum.] *Maximi nominis,quod deriuabitur in omnes gentes.*

CAPVT XXXV.

ET factus eſt ſermo Domini ad me,dicens, Fili hominis, pone faciem tuam [a] aduerſum montem Seir, & prophetabis de eo,& dices illi,Hæc dicit Dominus Deus,Ecce ego ad te mons Seir, & extẽdam manum meam ſuper te,& dabo te deſolatum atque deſertum. Vrbes tuas demoliar,& tu deſertus eris:& ſcies quòd ego Dominus.Eò quòd fueris inimicus ſempiternus,& concluſeris filios Iſrael in manus gladij in tempore afflictionis eorum,[b] in tẽpore iniquitatis extremæ:propterea viuo ego, dicit Dominus Deus,quòd [c] ſanguini tradam te,& ſanguis te perſequetur:& cum ſanguinẽ oderis,ſanguis perſequetur te.Et dabo montem Seir deſolatum atque deſertum:& auferam de eo euntem & redeuntem. Et implebo montes † eius occiſis eius:in collibus tuis,& in vallibus tuis,atque in torrentibus,interfecti gladio cadent. In ſolitudines ſempiternas tradam te,& ciuitates tuę non habitabuntur:& ſcietis quòd ego Dominus.Eò quòd dixeris,[d] Duę gẽtes,& duæ terræ meæ erunt,& hæreditate poſsidebo eas, [e] cum Dominus eſſet ibi : propterea viuo ego dicit Dominus Deus,quòd faciam iuxta iram tuam,& ſecundum zelum tuum quẽ feciſti odio habens eos:& notus efficiar per eos cum te iudicauero.Et ſcies quòd ego Dominus , audiui vniuerſa opprobria tua quæ locutus es de montibus Iſrael,dicens,Deſerti,nobis ad deuorãdum dati ſunt.Et inſurrexiſtis ſuper me ore veſtro, & † multiplicaſtis aduerſum me verba veſtra:ego audiui.Hæc dicit Dominus Deus,Lętãte vniuerſa terra,in ſolitudinem te redigam.Sicuti gauiſus es ſuper hęreditatem domus Iſrael,eò quòd fuerit diſsipata,ſic faciam tibi:diſsipatus eris mons Seir,& Idumæa omnis:& ſcient quòd ego Dominus Deus.

A B C D E F G

SCHOLIA.

[a] Aduerſum montem Seir.] *Regno veri Iſraelis & veſtigio ſubnectit exciditi impiorum,ſub typo Edom, volunt autẽ Maccabeorum temporibus Idumæos deuaſtatos.* [b] In tempore iniquitatis extremæ.] *Hoc eſt, quo propter iniquitatem diutius pœna illorum differenda non fuit.* [c] Sanguini tradam te.] *Vt ſcilicet tuus ſanguis fundatur, & quod ſequitur. Sanguis perſequetur te,hoc eſt,vir ſanguinarius,vel,vltio ſanguinis. Illud verò, Et cum ſanguinem oderis,ſic exponunt, Odiſti ſanguinem,& propinquitatem fratris tui Iacob,ideo cruenti hoſtes tibi à tergo inſtabunt.* [d] Duæ gentes.] *Hæ duæ gentes,quarum terram Edom occupare putabat,ſunt regnum Iuda,& regnum Iſrael, quæ cum vna ſit terra promiſſionis, poſt mortem Salomonis in duas ſciſſa fuit,parteis.* [e] Cum Dominus eſſet ibi:propterea.] *Hoc eſt,adeſſet,& vos talia iactantes audiret.*

CAPVT XXXVI.

TV autem fili hominis,propheta ſuper montes Iſrael,& dices,Montes Iſrael, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus,Eò quòd dixerit inimicus de vobis,Euge,[a] altitudines ſempiternæ in hereditatem datæ ſunt nobis:propterea vaticinare & dic,Hæc dicit Dominus Deus , Pro eò quòd deſolati eſtis,& conculcati per circuitum,& facti in hæreditatem reliquis gentibus,& [b] aſcendiſtis ſuper labium linguæ,& opprobrium populi:propterea mõtes Iſrael audite verbum Domini Dei , Hæc dicit Dominus Deus montibus,& collibus,torrentibus,vallibusq;,& ruinis deſolatis,& vrbibus derelictis,quæ † in depopulationem ſunt & ſubſannationem reliquis gentibus per circuitum.Propterea hęc dicit Dominus Deus , Quoniã in igne zeli mei locutus ſum de reliquis gentibus,& de Idumæa vniuerſa:quę dederunt meam terram ſibi in hæreditatem cum gaudio,& toto corde,& contemptu animi:& abiecerunt eam,vt vaſtarent:iccirco vaticinare ſuper humum Iſrael,& dices mõtibus & collibus,iugis, & vallibus,Hæc dicit Dominus Deus,Ecce ego in zelo meo,& in furore meo locutus ſum ; eò quòd confuſionem gentium ſuſtinueritis. Iccirco hæc dicit Dominus Deus,Ego leuaui manum meam,gentes quæ in circuitu veſtro ſunt , ipſe confuſionem ſuam portent:vos autem montes Iſrael ramis veſtris germinetis & fructum veſtrum afferatis populo meo Iſrael:prope enim eſt vt veniat. Quia ecce ego ad vos , & conuertar ad vos, & arabimini,& accipietis ſementem. Et multiplicabo

Supra 6.a

A B C

multiplicabo in vobis homines,omnemq; domum Iſrael:& habitabũtur ciuitates , & ruinoſa inſtaurabuntur. Et replebo vos hominibus & iumentis : & multiplicabuntur,& creſcent:& habitare vos faciam ſicut à principio, bonisq; donabo [c] maioribus quàm habuiſtis ab initio:& ſcietis quòd ego Dominus. Et adducam ſuper vos homines populum meum Iſrael,& hæreditate [d] poſsidebũt te:& eris eis in † poſſeſsionem,& non addes vltrà vt abſq; eis ſis. Hæc dicit Dominus Deus, Pro eò quòd dicunt de vobis,[e] Deuoratrix hominum es,& ſuffocans gentem tuam:propterea homines non comedes amplius,& gentem tuam non necabis vltrà, ait Dominus Deus:nec auditam faciam in te amplius confuſionem gẽtium,& opprobrium populorum nequaquam portabis,& gentem tuam non amittes amplius,ait Dominus Deus. Et factum eſt verbum Domini ad me,dicens,Fili hominis,domus Iſrael habitauerunt in humo ſua , & polluerunt eam in vijs ſuis , & in ſtudijs ſuis:iuxta immunditiam menſtruatæ facta eſt via eorum coràm me. Et effudi indignationem meam ſuper eos pro ſanguine quem fuderunt ſuper terram,& in idõlis ſuis polluerunt eam:& diſperſi eos in gẽtes, & ventilati ſunt in terras:iuxta vias eorum,& adinuentiones eorum iudicaui eos. Et ingreſsi ſunt ad gentes ad quas introierunt,& polluerunt nomen ſanctum meum cum diceretur de eis,Populus Domini iſte eſt , & de terra eius egreſsi ſunt.[f] Et peperci nomini ſancto meo , quod polluerat domus Iſrael in gentibus ad quas ingreſsi ſunt.Iccirco dices domui Iſrael,Hæc dicit Dominus Deus,Non propter vos ego faciã domus Iſrael: ſed propter nomen ſanctum meum quod polluiſtis in gẽtibus ad quas intraſtis.Et ſanctificabo nomen meũ magnum,quod pollutum eſt inter gentes,quod polluiſtis in medio earum:vt ſciant gentes quod ego Dominus,ait Dominus exercituum,cum ſanctificatus fuero in vobis coràm eis. Tollam quippe vos de gentibus, & cõgregabo vos de vniuerſis terris,& adducam vos in terram veſtram. Et effundam ſuper vos [g] aquã mundam,& mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris,& ab vniuerſis idõlis veſtris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum , & ſpiritum nouum ponam in medio veſtri:& auferam cor lapideum de carne veſtra, & dabo vobis cor carneum.Et ſpiritũ meum ponam in medio veſtri : & faciam vt in præceptis meis ambuletis,& iudicia mea cuſtodiatis & operemini.Et habitabitis in terra quam dedi patribus veſtris:& eritis mihi in populum,& ego ero vobis in Deum.Et ſaluabo vos ex vniuerſis inquinamentis veſtris:& vocabo frumẽtum,& multiplicabo illud,& nõ imponam vobis famem.Et multiplicabo fructum ligni , & genimina agri: vt non portetis vltrà opprobrium famis in gentibus.Et recordabimini viarum veſtrarum peſsimarum, ſtudiorumq; non bonorum:[h] & diſplicebunt vobis iniquitates veſtræ & ſcelera veſtra. Nõ propter vos ego faciam,ait Dominus Deus,notum ſit vobis:confundimini & erubeſcite ſuper vijs veſtris domus Iſrael. Hęc dicit Dominus Deus,In die qua mundauero vos ex omnibus iniquitatibus veſtris , & inhabitari fecero vrbes, & inſtaurauero ruinoſa : & terra deſerta,fuerit exculta,quæ quondam erat deſolata in oculis omnis viatoris: dicent,Terra illa inculta,facta eſt vt hortus voluptatis:& ciuitates deſertæ,& deſtructæ atq; ſubfoſſæ , munitæ federunt. Et ſcient gentes quæcunque derelictæ fuerint in circuitu veſtro, quòd ego Dominus ædificaui diſsipata,plantauiique inculta,ego Dominus locutus ſim & fecerim . Hæc dicit Dominus Deus , Adhuc in hoc inuenient me domus Iſrael,vt faciã eis.Multiplicabo eos ſicut gregem hominum [i] vt gregem ſanctum, vt gregem Ieruſalem in ſolennitatibus eius.Sic erunt ciuitates deſertæ,& plenæ gregibus hominum : & ſciẽt quòd ego Dominus.

D E F G

SCHOLIA.

[a] Altitudines ſempiternæ.] *Hoc eſt,longiſſimi temporis quæ longiſſimo tempore fuiſtis veſtræ.* [b] Aſcendiſtis ſuper labium linguæ.] *Hoc eſt,eſtis fabula omnibus.* [c] Maioribus quàm habuiſtis.] *Notabis, hic quòd terra felicior in hac populi reductione futura eſt,quàm tum erat,vbi primum populus Iſrael per Moſen, & Ioſue induceretur , quod cum factum non fuerit,ſequitur hæc in ſpiritu accipienda eſſe,& populum ſpiritualibus abundaturum benedictionibus.* [d] Poſsidebunt te.] *Quemlibet ſcilicet ſuorum , mutat autem numerum.* [e] Deuoratrix hominum es.] *Alloquitur montes, quibus obijciebant,quòd omnes perirent,qui terram Iudææ incolerent,nam peſte & fame peribant, abducebanturque in captiuitatem,& ita perdere ſuos populos videbatur.* [f] Et peperci nomini ſancto meo.] *Ne dicerent gentes, Si Deus eſt, cur de terra ſua eiecti ſunt?* [g] Aquam mundam.] *Alludit ad baptiſmos & purificationes legales , maximè verò ad aquas,ruffæ vaccæ cineribus temperatas,quæ in præcipuis purificandi ritibus erant. Nume.19. At ſub Chriſto vera erit plenaque purificatio,nam hæc veritas ad eccleſiam Chriſti,referri poſſunt , quàm ad populum Iudaicum è captiuitate ſua in terram Iſrael reuertentem.* [h] Et diſplicebunt vobis.] *Poteſt & verti. Digni excidio reputabimini in oculis veſtris propter iniquitates veſtras,&c.* [i] Vt gregem ſanctum.] *Sicut oues in magnis feſtiuitatibus,ad immolandum multiplicantur in Ieruſalem,&c.*

CAPVT XXXVII.

A FActa eſt ſuper me manus Domini,& eduxit me in ſpiritu Domini:& dimiſit me in medio campi qui erat plenus oſsibus,& circunduxit me per ea in gyro:erant autem multa valde ſuper faciem campi,ſiccaq; vehementer.Et dixit ad me,Fili hominis,putáſne viuent oſſa iſta ? Et dixi, Domine Deus tu noſti. Et dixit ad me, Vaticinare de oſsibus iſtis:& dices eis,Oſſa arida audite verbum Domini.Hęc dicit Dominus Deus oſsibus his,Ecce ego intromittam in vos ſpiritum , & viuetis:& dabo ſuper vos neruos , & ſuccreſcere B faciam ſuper vos carnes,& ſuperextendã in vobis cutem:& dabo vobis ſpiritũ,& viuetis : & ſcietis quòd ego Dominus.Et prophetaui ſicut præceperat mihi:factus eſt autem ſonitus prophetãte me , & ecce commotio: & acceſſerunt oſſa ad oſſa,vnumquodque ad iuncturam ſuam.Et vidi,& ecce ſuper ea nerui,& carnes aſcenderunt:& extenta eſt in eis cutis deſuper,& ſpiritum non habebant. Et dixit ad me, Vaticinare ad ſpiritum, vaticinare fili hominis,& dices ad ſpiritum,Hæc dicit Dominus Deus,[a] A quatuor vẽtis veni ſpiritus : & in- C fuffla ſuper interfectos iſtos,& reuiuiſcant.Et prophetaui,ſicut præceperat mihi:& ingreſſus eſt in ea ſpiritus & reuixerunt:ſteteruntq; ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde. Et dixit ad me , Fili hominis : oſſa

hæc

hæc vniuersa,domus Israel est:ipsi dicunt,Aruerunt ossa nostra,& perijt spes nostra, & absciſi sumus. Pro- D
pterea vaticinare,& dices ad eos,Hæc dicit Dominus,Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de
sepulchris vestris populus meus:& inducam vos in terram Israel.Et scietis quòd ego Dominus,cum aperue-
ro sepulchra vestra,& eduxero vos de tumulis vestris populo meus:& dedero spiritum meum in vobis,& vi-
xeritis,& requiescere vos faciam super humum vestram:& scieris quòd ego Dominus locutus sum,& feci,ait
Dominus Deus.Et factus est sermo Domini ad me,dicens,Et tu fili hominis, sume tibi [b] lignum vnum: &
scribe super illud,Iudæ & filiorum Israel sociorum eius:& tolle lignum alterum,& scribe super illud,Ioseph E
lignum Ephraim,& cunctæ domus Israel,sociorum eius. Et adiunge illa, vnum ad alterum tibi in lignum
vnum:& erunt in vnionem in manu tua. Cum autem dixerint ad te filij populi tui loquentes,Nónne indi-
cas nobis quid in his tibi velis? loquéris ad eos, Hæc dicit Dominus Deus,Ecce ego assumam lignũ Ioseph,
quod est in manu Ephraim,& tribus Israel quæ sunt ei adiunctæ: & dabo eas pariter cum ligno Iuda, & fa-
ciam eas in lignum vnum,& erunt vnum in manu mea. Erũt autem ligna super quæ scripseris,in manu tua
Ioan.10.b in oculis eorum.Et dices ad eos,Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego assumam filios Israel de medio natio- F
num ad quas abierunt:& congregabo eos vndique,& adducam eos ad humum suam. Et faciam eos in gen-
tem vnam in terra in montibus Israel,& rex vnus erit omnibus imperans:& non erunt vltrà due gentes,nec
Supra 13.f diuidentur amplius in duo regna.Neq; polluentur vltrà in idólis suis,& abominationibus suis, & cũctis iniquitatibus suis:& saluos eos faciam de vniuersis sedibus suis [c] in quibus peccauerũt,& emundabo eos:& erũt
Ioan.1.g & 10.b mihi populus,& ego ero eis Deus. Et seruus meus Dauid rex super eos,& pastor vnus erit omnium eorum:
Isa.10.c in iudicijs meis ambulabunt, & mandata mea custodient, & facient ea. Et habitabunt super terram quam G
Iere.23.a dedi seruo meo Iacob,in qua habitauerunt patres vestri:& habitabunt super eam ipsi, & filij eorum, & filij
Danie.9.g filiorum eorum,vsque in sempiternum:& Dauid seruus meus princeps eorum in perpetuum. Et percutiam
Ioan.12.e illis [d] fœdus pacis,pactum sempiternum erit eis: & fundabo eos, & multiplicabo,& dabo sanctificationem
Psal.109. & 16. meam in medio eorum in perpetuum. Et erit tabernaculum meum in eis:& ero eis Deus,& ipsi erunt mi-
hi populus. Et scient gentes quòd ego Dominus sanctificator Israel cum fuerit sanctificatio mea in medio
eorum in perpetuum.

SCHOLIA.

[a] A quatuor ventis.] *De spiritu vitali agit,quem alloquitur,à quatuor plagis ò spiritus veni vbicũque fueris. Phantasiæ hominis se attemperat propheticus spiritus,cui videtur in aerem dissolui vita mortalium expirãtium, vt ille ait,Et tenues recessit in auras, reuera autem ad Dominum spiritus redit,qui dedit illum,qui est sinus Abrahæ & credentium conceptaculum. Anima corporea non inspiratur aliunde,sed,vt ex historia Geneſis in opere quintæ diei patet, interius adnascitur animantibus cum corporibus,solius hominis vita foris & à Deo vno afflatur. Cæterum à ventis vndique venire, est occultè & inobseruanter venire,nam spiritus vbi vult spirat,&c. Sic sunt veri Israelitæ ex quatuor orbis partibus vndiq; aggregandi in vnitatem fidei,spiritu eodem. Hæc autem visio prophetica imago quodammodo fuit futuræ resurrectionis,licet ad literam restitutio Israelis in terram suam per eam significetur. Quare vt animum ad resurrectionem referas, non dixit,aperiam carcerem captiuitatis vestræ,sed aperiam tumulos vestros,& cætera.* [b] Lignum vnum.] *Per lignum sceptrum intellige, ex ligno enim sceptrum,regni symbolum fiebat,coniunctio autem lignorum significat futurum vnum ouile ex Iudæis,& gentibus,quas decem tribus figurant,quæ in gentes prophanas degenerarunt. Quod autem ait,Iudæ, & filiorum Israel,per filios Israel intelligit Beniamin itas, qui semper tribui Iuda indiuidue cohæserunt,alijs decem tribubus in vnum regnum coeuntibus,& à regno Iuda sub Roboam deficientibus,quæ hic per lignum Ioseph & Ephraim signantur.*

[c] In quibus peccauerunt.] *Eripiam (inquit) eos de cunctis habitaculis,in quibus coluerunt idola,& addicti fuerunt rebus abominandis,vt mundati spiritu Christi seruiant ei,& sic veniant ad terram promissionis,nempe ad veram Dei cognitionem. Alioqui si hæc ad literam intelligenda contendas, qualem (quæso) habuerunt mansionem etiam ipsi eorum patres, cum Iacob dicat,peregrinus sui sicut omnes patres mei?* [d] Fœdus pacis.] *Per vnum Christum pacem habemus cũpatre, ergo fœdus hoc constabit per Christum,qui templum est diuinitatis,in medio habitans populi sui.*

CAPVT XXXVIII.

Apoc.20.c ET factus est sermo Domini ad me,dicens,Fili hominis,[a] pone faciem tuam cõtra Gog terram Magog, A
principẽ † & caput Mosoch & Tubal:& vaticinare de eo,& dices,Hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego
ad te Gog principem † & caput Mosoch & Thubal, & circumagam te, & ponam frenum in maxillis
tuis:& educam te & omnem exercitum tuum,equos & equites vestitos loricis vniuersos, multitudinem ma-
gnam,hastam & clypeum arripientium & gladium. [b] Persæ,Æthiopes, & Libies cum eis:omnes scutati &
galeati.Gomer,& vniuersa agmina eius,domus Thogorma látera aquilonis,& totum robur eius:populique B
multi tecum.Præpara & instrue te & omnem multitudinẽ tuam quæ coaceruata est ad te: & esto eis in † cu-
stodiam. Post dies multos visitaberis:in nouissimo annorum venies ad terram quæ reuersa est à gladio & cõ-
gregata est de populis multis:ad montes Israel,qui fuerunt deserti iugiter:hæc de populis educta est,& habi-
tauerunt in ea confidenter vniuersi. Ascendens autem quasi tempestas venies & quasi nubes, vt operias ter-
ram tu & omnia agmina tua,& populi multi tecum.Hæc dicit Dominus Deus,In die illa ascendent sermo- C
nes super cor tuum,& cogitabis cogitationem pessimam:& dices,Ascendam ad terram absq; muro:veniam
ad quiescentes habitantesq; securè:hi omnes habitant sine muro, vectes & portæ non sunt eis. Vt diripias
spolia,& inuadas prædam,vt inferas manum tuam super eos qui deserti fuerãt & postea restituti,& super po-
pulum qui est congregatus ex gentibus,qui possidere cœpit & esse habitator [c] vmbilici terræ. [d] Saba, & De- D
dan,& negotiatores Tharsis,& omnes leones eius dicent tibi,Nunquid ad sumenda spolia tu venis? ecce ad
diripiendam prædam congregasti multitudinem tuam,vt tollas argentum & aurum, & auferas supellectilẽ
atq; substantiam,& diripias manubias infinitas.Propterea vaticinare fili hominis,& dices ad Gog, Hæc di-
cit Domi-

E cit Dominus Deus,Nunquid non in die illo,cum habitauerit populus meus Israel confidenter,scies? Et ve-
nies de loco tuo à lateribus aquilonis tu & populi multi tecum,ascẽsores equorum vniuersi, cœtus magnus,
& exercitus vehemens. Et ascẽdes super populum meum Israel quasi nubes,vt operias terram. In nouissimis
diebus eris,& adducam te super terram meam:vt sciant gẽtes me, cum sanctificatus fuero in te in oculis eo-
rum ò Gog. Hæc dicit Dominus Deus,Tu ergo ille es,de quo locutus sum in diebus antiquis in manu seruo
F rum meorum prophetarũ Israel,qui prophetauerũt in diebus illorum tempor. , vt adducerem te super eos.
Et erit in die illa in die aduentus Gog super terram Israel,ait Dominus Deus,ascendet indignatio mea in fu-
rore meo. Et in zelo meo,in igne irę meę locutus sum:quia in die illa erit cõmotio magna super terrã Israel: Mat.24.c
& commouebuntur à facie mea pisces maris,& volucres cœli,& bestiæ agri, & omne reptile quod mouetur Luc.21.e
super humum,cunctiq; homines qui sunt super faciem terræ:& subuertentur montes,& cadent maceriæ,&
G omnis murus corruet in terram. Et conuocabo aduersus eum in cunctis montibus meis gladium, ait Domi
nus Deus:[e] gladius vniuscuiusq; in fratrem suum dirigetur. Et iudicabo eũ peste,& sanguine,& imbre vehe-
menti,& lapidibus immensis:ignem,& sulphur pluam super eum,& super exercitum eius, & super populos
multos qui sunt cum eo. Et magnificabor & sanctificabor,& notus ero in oculis multarum gentiũ:& scient
quòd ego Dominus.

SCHOLIA.

[a] Pone faciem tuam contra Gog.] *Hæc est vltima prophetia, quam nulla sequitur alia,nisi quæ de æterni templi instaurandi imagine loquitur,In hac autem post Christi regnum diligenter explicatum,velut illi opponẽs, subijcit Antichristi tyrannidem. Hic autem vnus locus est,qui Iudæos in errore maximo retinet,qui ex eo colligunt, tempore Messiæ ex Scithia (nam Scithiam Magogam olim appellatam opinio est) partibus maximum erupturum exercitum sub rege Gog: Magog verò cognationem gentis esse asserunt,quæ à Taphet filio Noe descendit, & hunc exercitum vêturum ad terram Israel, & superandum à Messia. Et quia id nondum contigit,Iudæi credere in Christum nostrum nephas esse ducunt. Nec minori errore tenentur de templo tertio reædificando tempore Messiæ,cuius structuram iste propheta describit. Quanquam tertium fuit templum,quod dirutum postremò fuit,nam siquis diligenter historias obseruet, præsertim Iosephum,inueniet, Herodem templum illud secundum diruisse,& tertium construxisse, de quo in Euangelio legitur, quadraginta & sex annis ædificatum fuisse.* [b] Persæ,& Æthiopes.] *Per has & reliquas gentes intelliguntur mali vndique contra pios Christianos insurgentes.* [c] Vmbilici terræ.] *Terra Israel in meditullio terræ sita est,sicut in medio corpore vmbilicus,de qua alibi scriptum est.Operatus est salutem in medio terræ.* [d] Saba & Dedan.] *Adiungunt se Antichristo omnes amici huius seculi, qui per hos populos hic enumeratos memorantur.* [e] Gladius vnusquisq;.] *Cõsicient se hostes mutuis vulneribus, vt in Madian,& in castris Assyriorum.*

CAPVT XXXIX.

A TV autem fili hominis,[a] vaticinare aduersum Gog,& dices,Hęc dicit Dñs Deus,Ecce ego super te Gog Apoc.20.c
principem † & caput Mosoch & Thubal:& circumagam te,& [b] exterminabo te,& ascendere te faciã
de lateribus aquilonis:& adducam te super mõtes Israel. Et percutiam arcum tuum in manu sinistra
tua:& sagittas tuas de manu dextera tua deijciam. Super montes Israel cades tu,& omnia agmina tua, & po-
puli tui qui sunt tecum:feris,auibus,omniq; volatili, & bestijs terræ dedi te ad deuorandum. Super faciem
agri cades:quia ego locutus sum,ait Dominus Deus. Et immittam ignem in Magog, & in his qui habitãt in
B insulis confidenter:& scient quod ego Dñs. Et nomẽ sanctum meum notũ faciã in medio populi mei Israel,
& non polluam nomen sanctum meũ amplius,& scient gentes ꝙ ego Dominus sanctus Israel. Ecce venit &
factum est,ait Dñs Deus,hęc est dies,de qua locutus sum. Et egredientur habitatores de ciuitatibus Israel, &
succendent & comburent arma,clypeum & hastas,arcum & sagittas,& baculos manuũ,& contos:& succen-
dent ea igni septem annis. Et non portabunt ligna de regionibus,neq; succident de saltibus:quoniam arma
C succendent igne,& deprædabuntur eos quibus prædæ fuerant,& diripient vastatores suos, ait Dñs Deus. Et
erit in die illa:dabo Gog locum † ibi sepulchrum in Israel: [c] vallem viatorum ad orientem maris, quæ † na-
res obturare faciet prætereũtes:& sepelient ibi Gog,& omnem multitudinem eius,& vocabitur. Vallis mul-
titudinis Gog. Et sepelient eos domus Israel,vt mundent terram septem mẽsibus. Sepeliet autem eos omnis
populus terrę,& erit eis nominata dies in qua glorificatus ero, ait Dñs Deus. Et viros iugiter constituent lu-
strantes terram qui sepeliant,cum pertranseuntibus:eos qui remanserant super faciem terræ, vt emundent
D eam:post menses autem septem quærere incipient. Et circuibunt peragrantes terram:cumq; viderint os ho-
minis,statuent iuxta illud titulũ,donec sepeliant illud polinctores in valle multitudinis Gog. [d] Nomen autẽ
ciuitatis Amona,& mundabunt terram. Tu ergo fili hominis:hæc dicit Dñs Deus,Dic omni volucri, & vni
uersis auibus cunctisq; bestijs agri,Conuenite, properate,concurrite vndiq; ad victimam meam quam ego
immolo vobis,victimam grandem super montes Israel:vt comedatis carnem,& bibatis sanguinem. Carnes
E fortium comedetis,& sanguinẽ principum terræ bibetis:[e] arietum,agnorũ,& hircorum,taurorumq;, & alti
lium,& pinguium Basan omnium. Et comedetis adipem in saturitatẽ, & bibetis sanguinem in ebrietatem,
de victima quam ego immolaui vobis:& saturabimini super mensam meam de equo, & equite forti, & de
vniuersis viris bellatoribus,ait Dñs Deus. Et ponam gloriam meã in gentibus:& videbunt omnes gentes iu-
dicium meum quod fecerim,& manũ meam quam posuerim super eos. Et scient domus Israel ꝙ ego Dñs
Deus eorũ:à die illa & deinceps. Et scient gentes quòd in iniquitate sua capta sit domus Israel:& eò quòd de-
F reliquerint me,& absconderim faciem meam ab eis,& tradiderim eos in manus hostiũ, & ceciderint in gla-
dio vniuersi. Iuxta immunditiam eorum,& scelus feci eis,& abscondi faciem meam ab illis. Propterea hæc
dicit Dominus Deus,Nunc reducam captiuitatem Iacob,& miserebor omnis domus Israel:& assumam ze-
lum pro nomine sancto meo. [f] Et portabunt confusionem suam, & omnem præuaricationem qua præ-
uaricati

uaricati ſunt in me,cum habitauerint in terra ſua confidenter neminem formidantes, & reduxero eos de po G
pulis,& cõgregauero de terris inimicorum ſuorum , & ſanctificatus fuero in eis in oculis gentium plurima-
Supr. 36.a rum.Et ſcient quòd ego Dominus Deus eorum,eò quòd tranſtulerim eos in nationes , & cõgregauerim eos
ſuper terram ſuam,& non dereliquerim quenquam ex eis ibi.Et non abſcondam vltrà faciem meam ab eis,
eò quòd effuderim ſpiritum meum ſuper omnem domum Iſrael,ait Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Vaticinare aduerſum Gog.] *De tota hac prophetia,& aduentu Chriſti,Iudæi, qui ferè carnaliter omnia accipiũt, ſic ſentiunt.Principem præmittet Meſſias Eliam Thesbiten,qui viam præparabit, ſcientiam Dei , & concordiam mutuam redintegrando in populo:nam corda patrum conuertet in filios.Quo pacto autem Vnus id cõſequatur,incertum eſſe, tum apud prophetas,tum apud ſapientiſſimos legis interpretes non diſſimulant.Neque ſanè conſtaturum aiunt hominibus, donec rebus ipſis mortales didicerint,vt pote admiſsi ad arcana regni,quod Vnum veriſsimè affirmant , carnalis enim homo non ſentit ea,quæ ſunt ſpiritus Dei.Stabilito autem regno dicunt,quòd vniuerſus Iſrael vndique ad Meſsiam confluet,vbi confuſos in ſuam quenque tribum diſtribuet,idque opera ſpiritus ſancti.Statim admouebunt exercitum Gog & Magog,rebus nondum ſatis ſtabilitis,& conſequẽter ad hunc gnomonem reliqua enarrant.* [b] Exterminabo te.] *In Heb.eſt,ſextabo te,quod alij interpretantur,ſextam partem relinquam ex te,alij,ſex pœnis afficiam te.* [c] Vallem viatorum.] *Ponet locum in valle ijs,qui ſibi montes vendicare moliebantur.* [d] Nomen autem ciuitatis Amona.] *Hoc eſt,tumultuoſæ turbæ,ob illam hoſtilem hominum molem deuictam in oppugnanda illa.Eſt autem vrbs illa Ieruſalem, quæ nomen ab hoſte interfecto tenebit, quemadmodum Scipiones,alter Aphricanus,alter Aſiaticus à deuictis nationibus dicti ſunt.* [e] Arietum.] *Intelligit per tauros,hircos:arietes,equites:gigantes,milites:& quicquid in exercitu eminet.* [f] Et portabunt confuſionem ſuam.] *Quidam interpretantur,impias reliquias Iudæorum portare confuſionem ſuam in toto orbe , quandiu increduli perſeuerant. Quod ſi ad illud tempus referas,de quo propheta loqui videtur,cum ſcilicet habitauerint in terra ſua,intelligere poſſumus,eos agnituros,ſe iuſtè antea confuſos fuiſſe ob ſuas præuaricationes,&c.*

CAPVT XL.

IN viceſimo quinto anno tranſmigrationis noſtræ , & in exordio anni , decima menſis , quartodecimo A
anno,poſtquã percuſſa eſt ciuitas:in ipſa hac die facta eſt ſuper me manus Domini,& adduxit me illuc.
In viſionibus Dei adduxit me in terram Iſrael,& dimiſit me ſuper montem excelſum nimis:ſuper quem
erat quaſi ædificium ciuitatis vergẽtis ad auſtrum.Et introduxit me illuc:& ecce vir,cuius erat ſpecies quaſi ſpecies æris,& [b] funiculus lineus in manu eius , & calamus menſuræ in manu eius:ſtabat autem in porta.
Et locutus eſt ad me idem vir,Fili hominis,vide oculis tuis,& auribus tuis audi , & pone cor tuum in omnia
quæ ego oſtendã tibi:quia vt oſtendantur tibi,adductus es huc:annuntia omnia quæ tu vides , domui Iſrael.
[c] Et ecce murus forinſecus in circuitu domus vndique,& in manu viri [d] calamus menſuræ ſex cubitorũ † in
cubito & palmo:& [e] menſus eſt latitudinem ædificij calamo vno,altitudinem quoque calamo vno. [f] Et ve-
nit ad portam quæ reſpiciebat viam orientalem,& aſcendit per gradus eius : & menſus eſt limen portæ cala-
mo vno latitudinem,† & limen aliud calamo vno in latitudine : [g] & thalamum vno calamo in longum , & B
vno calamo in latum:& inter thalamos quinque cubitos:& limen portæ iuxta veſtibulũ portæ intrinſecus,
calamo vno.[h] Et menſus eſt veſtibulum portæ octo cubitorum,& frontem eius duobus cubitis:veſtibulum
autem portæ erat intrinſecus. Porrò thalami portæ ad viam orientalem,tres hinc & tres inde menſura vna
trium,& menſura vna frontium ex vtraq; parte.[i] Et menſus eſt latitudinem liminis portæ decem cubitorũ:
& longitudinem portę tredecim cubitorum:[k] & marginem ante thalamos cubiti vnius:& cubiti vnius finis
† hinc:thalami autem,ſex cubitorum erant † hinc & inde.[l] Et menſus eſt portam à tecto thalami , vſque ad
tectum eius:latitudinem vigintiquinq; cubitorum oſtium contra oſtium.[m] Et fecit frontes per ſexaginta cu
bitos:& ad frontem atrij portæ vndique per circuitum.[n] Et ante faciem portæ quæ pertingebat vſque ad fa-
ciem veſtibuli portæ interioris,quinquaginta cubitos.[o] Et feneſtras obliquas in thalamis & in frontibus eo-
rum quæ erant intra portam vndiq; per circuitum,ſimiliter autem erãt & in veſtibulis.Feneſtræ per gyrum C
intrinſecus,& ante frõtes [p] pictura palmarum cælata.[q] Et induxit me ad atrium exterius, & ecce gazophyla-
cia,& pauimentum ſtratum lapide in atrio per circuitum:triginta gazophylacia in circuitu pauimenti. [r] Et
pauimentum in fronte portarum ſecundum longitudinem portarum erat inferius. [s] Et menſus eſt latitudi-
nem à facie portæ inferioris vſq; ad frontem atrij interioris extrinſecus, centum cubitos , ad orientem & ad
aquilonem.[t] Portam quoque quæ reſpiciebat viam aquilonis atrij exterioris,menſus eſt tam in longitudine
quam in latitudine.Et thalamos eius tres hinc & tres inde:& frontem eius & veſtibulũ eius ſecundum men-
ſuram portæ prioris:quinquaginta cubitorum lõgitudinem eius,& latitudinem vigintiquinq; cubitorum.
Feneſtræ autem eius,& veſtibulum,& ſculpturæ ſecundum menſuram portæ quæ reſpiciebat ad orientem:
& [u] ſeptem graduum erat aſcenſus eius,& veſtibulum ante eam. [x] Et porta atrij interioris contra portã aqui
lonis,& orientalem:& mẽſus eſt à porta vſq; ad portam,centum cubitos. [y] Et eduxit me ad viam auſtralem, D
& ecce porta quæ reſpiciebat ad auſtrum : & menſus eſt frontem eius,& veſtibulum eius iuxta menſuras ſu-
periores.Et feneſtras eius & veſtibula in circuitu,ſicut feneſtras cæteras : quinquaginta cubitorum longitu-
dine & latitudine vigintiquinq; cubitorum.Et in gradibus ſeptem aſcendebatur ad eam:& veſtibulum ante
fores eius,& cælatę palmę erant,vna hinc,& altera inde in fronte eius.Et porta atrij interioris in via auſtrali,
& menſus eſt à porta vſq; ad portam in via auſtrali,centum cubitos. [z] Et introduxit me in atrium interius
ad portam auſtralem:& menſus eſt portam iuxta menſuras ſuperiores. Thalamum eius, & frontem eius, &
veſtibulum eius hiſdem menſuris:& feneſtras eius,& veſtibulum eius in circuitu quinquaginta cubitos lon-
gitudinis, & latitudinis vigintiquinq; cubitos.Et veſtibulum per gyrum longitudine vigintiquinq; cubito-
rum,& latitudine quinq; cubitorũ.[a] Et veſtibulum eius ad atrium exterius,& palmas eius in fronte : & octo

gradus

E gradus erant quibus aſcendebatur per eam. [b] Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem : &
menſus eſt portam ſecundum menſuras ſuperiores. Thalamum eius,& frontem eius , & veſtibulum eius, ſi-
cut ſuprà:& feneſtras eius,& veſtibula in circuitu,longitudine quinquaginta cubitorum,& latitudine vigin-
tiquinque cubitorum.Et veſtibulum eius,† ad atrium exterius : & palmæ cælatæ in fronte eius hinc & inde:
& in octo gradibus aſcenſus eius . Et introduxit me ad portam,quæ reſpiciebat ad aquilonem:& menſus eſt
ſecundum menſuras ſuperiores. Thalamum eius,& frõtem eius,& veſtibulũ eius, & feneſtras eius per circuí-
tum,longitudine quinquaginta cubitorum,& latitudine vigintiquinque cubitorum. Et veſtibulum eius re-
ſpiciebat ad atrium exterius : & cælatura palmarum in fronte eius hinc & inde : & in octo gradibus aſcen-
ſus eius. [c] Et per ſingula gazophylacia oſtium in frontibus portarum : ibi lauabunt holocauſtum . [d] Et in
F veſtibulo portæ duæ menſæ hinc,& duæ menſæ inde:vt immoletur ſuper eas holocauſtum,& pro peccato,&
pro delicto. [e] Et ad latus exterius quod aſcendit ad oſtium portæ, quæ pergit ad aquilonem,duæ menſæ : &
ad latus alterum ante veſtibulum portæ,duæ menſæ. Quatuor menſæ hinc, & quatuor menſæ inde per late-
ra portæ octo menſæ erant ſuper quas immolabunt,Quatuor autẽ menſæ ad holocauſtum, de lapidibus qua
dris extructæ : longitudine cubiti vnius & dimidij , & latitudine cubiti vnius & dimidij,& altitudine cubiti
vnius ſuper quas ponent vaſa in quibus immolatur holocauſtum & victima. [f] Et labia earum palmæ vnius,
reflexa intrinſecus per circuitum:ſuper menſas autem,carnes oblationis. Et extra portam interiorem [g] gazo
phylacia cantorum in atrio interiori,quod erat in latere portæ reſpicientis ad aquilonem:& facies eorum cõ
tra viã auſtralẽ,vna ex latere portæ orientalis,quæ reſpiciebat ad viam aquilonis.[h] Et dixit ad me,Hoc eſt ga-
G zophylacium quod reſpicit viam meridianam : ſacerdotum qui excubant in cuſtodijs templi . Porrò gazo-
phylacium quod reſpicit ad viam aquilonis , ſacerdotum erit qui excubant ad miniſterium altaris : iſti ſunt
filij Sadoch,qui accedunt de filijs Leui ad Dominum,vt miniſtrent ei. Et menſus eſt atrium longitudine cen
tum cubitorum, & latitudine centum cubitorum per quadrum: & altare ante faciem templi. [i] Et introdu-
xit me in veſtibulum templi:& menſus eſt veſtibulum quinque cubitis hinc,& quinque cubitis inde, & lati-
tudinem portæ trium cubitorum hinc,& trium cubitorum inde. [k] Longitudinem autem veſtibuli, viginti
cubitorum & latitudinem vndecim cubitorum:& octo gradibus aſcendebatur ad eum . Et columnæ erant
in frontibus:vna hinc,& altera inde.

SCHOLIA.

[a] In vigeſimo quinto anno.] *Dicturus de extructione templi,& ciuitatis,ac felicitate, & diuiſione terræ,præmiſſo annorum numero prophetiam commendat,quæ omnia rectè ſequuntur,poſtquam didicimus percuſſum Antichriſtum,& vltimum iudum per ſpiritum Chriſti. Nam in templo,eccleſiæ ſtatus omnis nobis deſcribitur.Patet ex capite primo huic collato, quòd anno trigeſimo Iubilæi vidit auferri gloriã Domini ab Iſraele.Anno enim à Iubilæo 25.migrauit Ioachin,poſtea quinto anno primam viſionem vidit propheta , quæ erat de auferenda gloria Dei , vſque ad hanc viſionem viginti anni intercedunt,quorum ſex ſub Sedechia adhuc exacti,& reſtant quatuordecim,de quibus in textu. Igitur hæc prophetia dicta eſt in principio Iubilæi.Iubilæum ſignificaturus dicit, in principio anni , in decimo menſis , quibus verbis putatur facere decimum diem meſſis anni principium,quod proprium Iubilæi eſſe autumant: aliàs primus dies menſis Septembris principium anni eſt, decimo autem die Iubilæi initium,qui eſt dies propitiationis . Serui manumittebantur,quo figuratur futura liberatio typici populi.Hanc ædificationem etiam Hebræi agnoſcunt pertinere ad futurum ſæculum,hoc eſt,regnum Chriſti.Nam Zorobabel Ezechielis exempla exprimere magnopere non eſt conatus , qui illud Salomonis non ſolum non exceſſerit , ſed ne æquarit quidem.Ezechiel ergo videratur ante hac deſtruendam vrbem & templum,iam videt reædificandum templum,cui vrbis felicitas adnexa eſt,& in multò ampliorem dignitatem prouehendum.Quid enim æternis conferatur?* [b] Et ecce vir.] *Vir ille Chriſtus,quem ſupra tanto apparatu deſcripſit,variè diuerſis locis ſignificatur,ſed vbique idem ille eſt crucifixus Chriſtus, et excitatus à mortuis. Superior ſpecies iudicio quadrat,quia ardent omnia,hic remuneratori,ſanctumq; & æternum templum immobiliter danti conuenit.* [c] Funiculus.] *Calamo minores res metiebantur,vt craſsitudinem muri,& quàm longè lateq; portæ pateant, cæteraque in ædificijs exploranda , ſed funiculo ſpacia terræ ampliora . Diuiſionem autem primum nota, deſcribitur templum cum ijs,quæ ad ipſum attinent vſque ad 45.cap.tum terra deſcribitur vſque ad 48. tunc ciuitas ædificatur,itaque principio de templo videndum.Deſcribit autem ipſum,poſtea altare in 43.& deinde leges offerentium . Ante templum erant atria & muri & portæ eum ſuis ornamentis,quæ ante omnia elegantiſsimè deſcribuntur , quæ omnia pertinent ad ædificium templi. Tres muri erant,qui deſcribuntur,extremus,medius,& intimus, intra vnumquemq; erat atrium. Mons Sion,quem antiquitus Moria dictum hiſtoria ſacra affirmat,in quo Iſaac filium patriarcha Abraham ligarit ad vltimam,patebat vndique verſum cubitis quingentis.Is muro cinctus erat,qui dicebatur murus domus Domini, & interiacens ſpacium vſque ad murum præiacentem atrio templi exterius , quem Græci interpretes περίβολου vocant , dicebatur mons templi,hinc enim duodecim gradus aſcenſum præbẽt,quibus murus atrij ſupereſt,latus cubitos decem.Aditus erat per ambitum montis quinq; portis,ab oriente,ab occidente , & ſeptentrione ſingulæ , & à meridie duæ erant,quòd inde ab vrbe via eſſet compendioſior:quas Hulda prophetiſſa inhabitauit.Domus autem ſanctuary vſque ad murum atrio extremo præietum proferebatur,inde vſq; ad ambitum montis,montis nomen obtinuit.Aſtipulatur propheta. Et poſuit me in montem excelſum valde,ſuper quem,vel propè quem,erat quaſi ædificium ciuitatis vergentis ad auſtrum. Nam vrbs Ieruſalem meridiei,& mons,aquilonis latus obtinebat.In accliuitate montis thalami,ſeu ergaſtula,velutiq; cuſtodiæ, & aliæ alijs ſuperioris circumquaq; diſpoſitæ erant,vt ibi immundi manſitarent.* [d] Et ecce murus forinſecus.] *Intelligit murum,quo mons circundabatur,qui erat extra domum,nimirum ſanctuary,quia extra murum atrij extremum,iuxta quem ſanctuary appellatio concludebatur. Ordo noſcendæ ſtructuræ ſanctæ à remotiſsimis inchoatur , metitur principio muros montis,cognitio enim incipit à ſenſibus,præter illam,quæ diuinitus inſtillatur.* [e] Calamus menſuræ ſex cubitorum.] *Calamũ deſcribit, nam cubitus vulgaris quinq; palmos habuit,& cubito ſacro adhuc vnus ſuperadditur palmus,pondera enim & menſuræ templi vulgaribus præſtant,ſic in ſeclo ſacro,et prophano fit diſtinctio,vt doceamur largius Domino eſſe admetiendũ,quam ad priua-*

tos Vsus. Pugnum latitudo quatuor digitorum constituit παλεστὴ *Græcis dicitur. Palmus est mensura, quantum spacij in longum distenti digiti cum pollice capiunt, vel, mensura à pollice ad minimum digitum manu extensa, constat pugnis tribus, hoc est, duodecim digitis. Græci* σπιθαμὴν *vocant.* f Et mensus est latitudinem ædificij.] *Metitur ædificium, hoc est, extimum hunc murum, qui extra domum est sanctuarij. In latitudine inuenit calamum vnum, tantundem in altitudine. Omnium est humillimus. Numerus senarius est conditionis rerum, necdum enim ad atrium primum peruentum est.* g Et venit ad portam.] *Hactenus extra ambitum fuit, & in muro, quo mons cingitur, constitit: iam ab oriente montis pergit recta occidentem versus, introgressus ambitum, qui in monte extremus est, videlicet per portam montis, quam orientalem nominant, & est portarum vna: quarum fores orientem versus aperiebantur, hoc est, foris affixa erant ostia, & extorsum recludebantur. Ab ea porta versus occidentem pergenti, atrium & statio mulierum introitur.* h Et thalamum vno calamo.] *Iam introgressus est ambitum montis post dimensam portam: nam cubicula omnia interiora fuerunt muris ys, à quibus nomen obtinebant. Sunt autem domuculæ, vel mansiunculæ in vsum templi factæ. Hæc sex cubicula quadrata erant, mensuram calami vacuum intus spacium in longum & latum obtinebat, vtrinque autem à porta, hoc est, à meridionali ac septentrionali latere portæ terna erant, quinque cubitorum, pariete vnumquodq; cubiculum à proximo separante. Hic murus interiacens thalamis & dirimens, crassitudinem habuit duorum cubitorũ & semissis, vt duo parietes interstinguentes habuerint quinque cubitos. Videntur autem tales ad portam protinus mansiunculæ, typus esse pro auditoribus adhuc rudibus, & intra sex dierum opera conclusis. Vtroq; versum dispositæ sunt, nam tempus vtrunque tam benedictionum quàm maledictionum, inchoatam pietatem expolit atq; apparat ad sensum pietatis ampliorem. Sunt autem thalami portæ propinqui, quòd vni sit illi acquiescendum, qui est via, veritas, & vita. Aut orientis porta est illa angusta, & stricta porta pœnitentiæ, vel sex hi thalami significant, vasa gratiæ, & homines ecclesiasticos, qui excipiunt accedentes ad Dominum, &c.* i Et mensus est vestibulum portæ.] *Quod aly porticum appellant, et erat genus ædificy ad vsus templi, veluti vestibulum iustæ portæ: per frontem autem intelligunt postes, qui more arborum rotundantur, quæ figura operi decorem reddit. Quod autem ait vestibulum seu porticum portæ fuisse intrinsecus, volunt duas porticus è regione oppositas fuisse, & illam mulierum, introrsum, virorum vero extrorsum spectasse.* k Et mensus est latitudi nem liminis.] *Vel, osty portæ, intelligit spacium muris portarum interiacens: porta complectitur limina, postes, & ostium, harumq; rerum partes, sed ostium tantum id est, quod patulum, vacuumque est in porta. Osty latitudo est decem cubitorum, altitudinem non exprimit. A poste posteriore vsq; ad interiorem per cubitos tredecim extenditur longitudo portæ. Erat autem longitudo à postibus exterioribus vsque ad interiores, hoc est, ab oriente occidentem versus per omne ædificium illud, quia longior nunc mensura est, & inter se duo illi postes distant, quæ videtur crassitudo muri. Portæ itaque longitudo ab oriente occidentem versus desumitur, porticus autem à septentrione meridiem versus, redundantior enim pars longitudo dicitur. Ergo latitudinem fœderis habet ostium portæ, & longitudo tredecim cubitorum adhuc deficit à quindecim, numero redintegratæ lunæ. Ecclesia enim lunæ confertur, & perficienda etiamnum est: nondum (inquit) arbitror me apprehendisse.* l Et marginem ante thalamos.] *Ante thalamum quenque spacium liberum fuit cubiti vnius, nam versus occidentem ostia habuerunt. Tantum igitur spacy à poste recta introrsum ad cubiculum referebatur: & quod sequitur, cubitus vnus finis vtringq; &c. Alius vertit: & cubito vno marginem ex alia parte, & thalamum sex cubitis ex hac parte, & sex cubitis ex alia parte. Quod autem ait: sex cubitos hinc, & sex cubitos illinc, ad crassitudinem muri vtringq; quidam referunt, nam superius dixit de vacuo interiore cubiculorum.* m Et mensus est portam tecti.] *Apparet, cubicula in altum fastigiata fuisse, vt inde latitudinem portæ supernæ, hoc est, tecti metiretur angelus, nominat autem latitudinem, & si maior sit à septentrione ad meridiem, longitudinem ab oriente contra templum, quia, sic cæperat nominare iuxta hunc situm latitudinem postium. Duodecim facit crassitudo duorum postium decem osty latitudo, & vtringq; videbitur cubitus cum dimidio pensilis fuisse. Tecta enim illis sæculis plana superiacebant ædificys, et areæ vicem obtinebant. Viginticuingq; dimidium iubilæi est, vbi nihil apparet salutis: adhuc profunde hærent in carne sub hoc statu rerum. Catechumeni videntur designari, qui in tecto portæ montis latitudinem metiuntur, & conscientiam explorant: nondum enim sunt in atrio, quorum laus est, ignominiæ suæ esse conscios, vt humilientur.* n Et fecit frontes.] *Frontes postium porticus sunt altæ cubitos sexaginta, sic de omnibus frontibus postium totius atry censendum, hoc est, omnes portas ad modum huius orientalis, porticus postibus tantæ altitudinis insignitas habuisse. Erant autem monti portæ quinque, singulæ autem suas porticus habuerunt. In porticibus publica gerebantur: columnæ & postes episcopi sunt, quorum perfectio super libertatem quinquagesimæ obligationem legis denariæ habet, ne cui dent offensionem.* o Et ante faciem portæ.] *Alius vertit. Et à facie portæ introeundi super facie porticus portæ intimæ cubiti quinquaginta. Volunt hanc portam nomen ab introeundo habuisse, quod per eam introirent & exirent perrecturi in templum. Et coniecturam faciunt: hinc & hinc portam orientis paruas porticulas habuisse, vt hæc iusta porta media diceretur. Habet & templi porta consimiliter duas porticulas, lateribus velut adhærentes.* p Et fenestras obliquas.] *Quod alius vertit, obstructas, non quòd penitus essent obstructæ, sed quòd foris latius apertæ intus quasi obstructæ viderentur. Et quod sequitur. Quæ erant intra portam, alius vertit. Aduersus anteriora portæ per circuitum in anteriora. Quòd scilicet huiusmodi fenestellas in muris cubicula habuerint, quæ interius hac porta constructa visebantur, vt prospectarent introrsum. Sic in reliquarum portarum frontibus, vel postibus, qui quidem fenestras similes habuerunt. Omnes autem fenestellæ erant introrsum atrio, & non retrorsum, vel extra murum.*
q Pictura palmarum cœlata.] *Coronæ ad modum arborum palmarum, caput frontium, vel postium supernè cinxerunt. Si horum, & fenestrarum obliquarum allegoriam requiras, dicere possumus, circunspicere episcopum vndique per totum atrium, vt morbidum gregem animaduersum curet. Neque pudore afficit peccantem, sed multa corrigit dissimulanter, occulto prospectu corrigenda denotat. Huiusmodi speculæ sunt prope portas, dum exitum, & introitum populi, hoc est, vitæ consuetudinem obseruat. Palma victoriæ est symbolum. Superior sit speculator insultibus affectuum, nec frangatur malis.* r Et induxit me ad atrium exterius.] *Hactenus in spacio montis hæsit, ingreditur iam atrium mulierum, quod extimum vocatur, quia est extra atrium Israelis, & extremum domus sanctuary. Quod porrò est, id monti & non sanctuario attribuitur. In eo est pauimentum, super quo triginta cubicula, quæ interpres vertit gazophylacia.*
s Et pauimentum in fronte portarũ.] *Alius vertit: ad humerum portarum: & fit coniectura, superum aliquod tabulatum*

bulatum intelligi per pauimentum: vt ex textu liquere videatur, quòd huiusmodi structuram de pariete atry sublimen produxerint tam altam, vt veluti humeri corpori, ad turres æquales continuaretur, cuius structuræ, aut pauimenti inferna pars portarum fastigia æquabat: tecta in æquor & planiciem habebant, & cubicula inædificarunt triginta, idonea vsui mulierũ, quæ portis eminebant, vt videtur. Ea cubicula longitudinem quoq; portarum adæquarunt, tam longè à muro locata in atrijs ac porrecta erant, hoc est, portæ non amplius in commune atrium porrigebantur, quàm cubicula illa locata essent. t Et mensus est latitudinem à facie portæ.] *Animo distingue aream sanctuary. Est ambitus montis, mox atrium mulierum, intersecantibus cancellis & muro: deinde atrium Israelis, id est, virorum, quod sequitur etiam atrium sacerdotum, post verò porticus templi, & templum, & sancta sanctorum. Portam igitur inferiorem, vel infimam nominat, cui nomen porta mulierum: inferius autem dictum, quòd ad illud de atrio Israelis gradibus quindecim descendatur. Ab eius portæ parte, quæ in atrium spectat, productiore, vsque ad proximam partem portæ Israelitici atry sunt cubiti centum, idque ad duas plagas, vt atrium quadratum intelligas. Conspectum, vel faciem nominat, exteriorem parietem cuiusque, nam se mutuò velut respiciunt. Quòd superius consistunt mulieres, & inferius viri, typus est, ignobiliori membro plus haberi honoris. Centenarius perfectionem quandam numeri habet, ad quam perfectionem centenary primo atrio peruenitur. Hic numerus tamen explicatior in superioribus erit, etsi idem erit: eundem enim spiritum hausimus, sed alius alio perfectius.* u Portam quoque, quæ respiciebat viam aquilonis.] *Putant quidam describi hic portam aquilonarem, non atry mulierum, sed montis, vt redeat ad montem ab atrio mulierum retrorsum.* x Septem graduum erat ascensus.] *Septem gradus portam à porticu dirimunt: nam est porta, deinde septem gradibus ascenditur, mox adhæret porticus. Admonemur, portam ingressis nondum esse requiem, nisi septem gradus exuperauerimus, porticus enim spacioſior, et quieti magis idonea, quàm porta.* y Et porta atrij interioris contra portam aquilonis.] *Situm portarum exponit. Sic erant dispositæ, vt ostium portæ interioris atry cuiusque plagæ, exterioribus portis plagæ eiusdem è regione obijceretur, ita vt in extremæ portæ ostio constitutus, fores templi per ostia interiacentium portarum quisq; perurideret. Discimus autem, vnum tantum esse ostium, sed quia ex varijs locis ingrediuntur homines, licet hinc intelligas accedentium diuersitatem. Alij valde tepidi & orientales, alij frigidi aquilonares, alij feruidi à meridie, et habent quisq; suum aditum: adducuntur q; per eundem Christum. Ab occidente non erat ingressus, nam ex ea parte erant sanctæ sanctorum, ad quæ per alias portas accedebatur, vt significetur, ad interitum carnis properandum, vt introitus ad sanctæ pateat. Fugitur oriens, huius vitæ prosperitas: in meridie sit excoctio aduersitatum, in remoto septentrione fuga huius sæculi.* z Et eduxit me ad viam australem.] *Redijt rursus ad ambitum montis, nam hæc porta via meridies in monte est, non in atrio mulierum, quia addit, secundum mensuras superiores, intelligens mensuras, quæ in monte sunt portæ orientalis, quam quidem primo expositam pro exemplo habet. Neq; absurdum est, vt ad montem toties mensor reducatur: nam is in hoc est: vt vndiq; formam sanctuary prophetæ oculis subijciat. Sequitur autem index mystici templi ductum spiritus, qui in atrium perrumpere cupit, non vagatur per vniuersam naturam, sed quantum ei prosit ad ædificationem sui, apprehendit. Rursus cum alia regio atry peruestigandæ, naturam non auersatur supercilioſius, sed per illam duce spiritu nunc ad aditum septentrionis ac sepulturam, nunc ad meridiem, vbi sponsus in æstu cubat, penetrat, vt vsus ac ratio spiritus postulat. Quare hactenus audisti, quæ sit porta orientalis, quantæ molis, & quàm elegans, deinde eam, quæ ad septentrionem, ad illius mensuram composita est. Iam de porta meridiei accipies, quòd mensuras orientalis portæ similiter contineat. Eadem enim ratio incipientium.* a Et introduxit me in atrium interius ad portam australem.] *Expeditus ab ambitu montis, & mulierum atrio, iam pergit ad interiora, ad atrium Israelis. Propius enim templo, quam mulierum locus est. Portam vocat meridiei, qua atrium & templum à meridie aditur: hanc eandem mensus est, et orientali portæ montis in mensura conuenit. Eadem enim, sed explicatior a misteria recoluntur talibus typis, fides enim processu auget scit, iccirco Paulus ait. Iustitia Dei in eo reuelatur, ex fide in fidem. Quod ad mensuram pertinet, latitudo afflictionis est, quia viginticuingq;, & longitudo, vel altitudo quinquaginta, hoc est, remissionis, vtraque in eadem statione, afflictio carnis, solatium spiritus.* b Et vestibulum eius ad atrium exterius.] *Alius vocat, porticulos. In atrio mulierum introrsum frontes sunt, hic autem extrorsum, hoc est, versus orientem, & ad atrium mulierum vergunt extra murum. Commetitur autem extrinsecus inhærentia, quia intus spiritus libertatis moderator est, & author omnium. Octo gradus habet. qui numerus est beatitudinis. Putant aliqui quòd prioribus septem hi octo gradus coniungi debeant, vt quindecim gradus constituantur, quibus ad atrium Israelis à mulierum atrio ascendatur. Verum illud haud quadrat, nam septem gradibus, portæ montis præiacentes atrio mulierum ascendebantur: his octo gradibus ab Israelis ad sacerdotum atrium. Non enim templum Ezechielis Zorobabel nisi in paucis imitatus est, sed prius illud Salomonicum in plerisque expressit: in quo quindecim gradibus de atrio mulierum ad atrium Israelitarum ascenditur. Hæc vestibula, vel, vt alius vertit, porticulos, vt minimum, duos iuxta quanque portam fuisse, qui in lege scripserunt, collegerunt.* c Et introduxit me in atrium interius per viam orientalem. *Idem est aditus à tribus plagis, oriente septentrione, & meridie, vbique idem Christus aditum ad se ac patrem præbet, qui & via & porta est, quæ ducit ad salutem. Alius ab orientis tepore, alius ab efferuescentia meridiei, alius abdito ab angulo & sepulchro septentrionis proficiscitur, sed idem Christus, quacunq; ratione illuxerit, ostendit sancta sanctorum æterna. Ergo & hoc loco eadem mensuras habet cum porta montis orientalis paucis additis, quæ in porta meridiei supra notantur. Fit enim processu accessio cognitionis, quæ augescit in maius in dies. Quod autem ait, vestibulum, siue porticulos, alius fornices vertit, ad atrium exterius, Videtur significare, virum caput esse mulieris, suaque illam prouidentia moderari, sic & sacerdotes populum: porticuli autem firmamentum muri atriensis creduntur, sic qui alium moderatur, & corrigit, caueat, ne & ipse tentetur, sit firmus animo, nequam luem ab inferioribus contrahat: ideo apostolus ait. Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne, cum alijs prædicauero, ipse reprobus inueniar. Hactenus habes tria atria: atrium mulierum cum monte velut permiscetur propter portas, quarum latissimo muro vndique cingitur: atrium Israelis distinguitur ab illo portis, vestibulis, frontibus, & gradibus septem altius est: atrium sacerdotum octo gradibus extat. Sunt mensuris paribus, & tamen alterum altero interius, & sancto sanctorum propius est. Quid autem aliud est sanctuarium spirituale, quàm fœdus Dei cum electis? qui cum omnes peccatores sint, remissionem à seruitute peccati habent, numero quinquagenario significatam, idq; in omni atrio, et ad sancta sanctorum semper prospectatur. Intenditur in vnum Christum, remotius & propius constitutis, eadem ratio est per gra-*

eiam Ieſu Chriſti. Sunt atrio diſcriminata, & aliud fœdus Abrahæ, aliud Moſis, aliud Chriſti eſt: at poſteriora quid aliud, quàm eſſe ſtabilitas promiſsiones Abrahæ factas teſtantur. [d] Et per ſingula gazophylacia oſtium.] *Alij verterunt & cubiculum, & oſtium eius in frontibus portarum, vel camera, & introitus eius erat in frontibus portarum. Putant quidam hoc cubiculum in atrio Iſraelis fuiſſe, ſed proximè frontibus portæ ſacerdotum, immo velut continuum ædificium cū porta, tam eximium, vt portarum inſtar videretur. Alij interpretantur in frontibus, pro ad frontes, & frontes pro latere accipiunt, vt ad latus portæ ſitum hoc cubiculum intelligas. Cæterum verſus aquilonem aperitur, quia in parte aquilonari altaris, victimarum ſanctarum mactatio & ſectio in fruſta fiebat.* [e] Et in veſtibulo portæ.] *Veſtibulum hoc, ſiue porticus portæ ſacerdotum fuit, ſed ea locata erat in atrio Iſraelis, nihilo tamen minus pertinebat ad atrium ſacerdotum, id eſt, ſancta per omnem modum habebatur: nam alienus locus victimarum ſanctarum eſt Iſraelitarum atriū.* [f] Et ad latus exterius.] *Ad latus oſtij veſtibuli ſeu porticus, hoc eſt, extra ipſam in aditu atrij Iſraelis.* [g] Et labia earum palmæ vnius.] *Ferunt vncinos eſſe ferreos per omnes lanienæ parietes, & columnas ordine diſpoſitas, recuruos, aut reflexos, vt immolatitiæ pecudes illis appenſæ, cute nudarentur, extaq; omnia eximerentur adolenda in altari.* [h] Gazophylacia cantorum.] *Vbi ſcilicet laudes canebant Domino inter mactandum & offerendum.* [i] Et dixit ad me, hoc eſt gazophylacium.] *Sunt qui putent demonſtrari cubiculum orientis, quod proximè ad finem præcedentis verſus deſcripſit, vt intelligas, è regione opponi cantores Leuitas, & cuſtodes ſacerdotes, ſed vtrique ſuis domicilijs. Alioqui & Leuitæ ſuas cuſtodias habent, ſed in externo ambitu montis, vt in hoc intimo atrio ſacerdotes, quemadmodum eſt in deſcriptione templi ſecundi videre. Cuſtodias agunt in extremis, inferiores Leuitæ, ſacerdotes in intimis: nam pro modo reuelationis, quiſq; eccleſiæ deſeruiat.* [k] Et introduxit me in veſtibulum templi.] *Deſcripſit conſequenter templum cum ijs, quæ ei adiuncta ſunt: primus itaque proſpectus offert biſquinque, hoc eſt, vtranque tabulam legis Dei: nam oblatis, & receptis conditionibus talibus, præbetur acceſſus ad ſancta, ad templum illud æternum. In latitudine eſt ternarius: pater verbo ſuo cœlos firmauit, & ſpiritu oris eius conſtat omnis virtus eorum. Ternarius autem in creatione, idem numerus in recreatione eſt. Per latitudinem portæ intelligit, quod poſt portam ceu ſcapula adhæret, hoc eſt, ædificium non aliter affixum portæ, atque ſcapulæ corpori velut apponuntur. Tres cubitos igitur ab aquilone, & tres à meridie fuiſſe, pulchrè ſequitur, quia latitudo portæ veſtibuli longitudinem habet, & vtrinque ſex cubiti per latera illa expoſita detrahuntur, quòd portæ latitudo non amplius pateat cubitis quatuordecim. Sex enim à viginti ſunt remouendi, vt putatur.* [l] Longitudinem autem veſtibuli viginti cubitorum.] *Veſtibuli ſeu porticus longitudo ad latitudinem portæ opponitur: nam ita foris adhæret, vt ei ſit longior pars à ſeptentrione verſus meridiem. Vndecim autem cubiti ab oriente verſus occidentem eius latitudo dicitur. Quando verò latitudo in aditu templi eſt, habet vndecim, numerum imperfectum, vt admonearis, pergendum eſſe ad intima. Diuus Hieronymus ait, nos in porticu agere, donec in corpore degimus, & clamamus. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius. Poſſumus & ſic dicere, in porticu cathecumenos eſſe, qui intra naturalem cognitionem ſentire incipiunt motum ſpiritus, & initium vitæ quaſi delibant, qualis erat Cornelius. At intus ſunt in ſancto, qui cognitionem Chriſti adepti, in eam promouerint: rurſus in ſancto ſanctorum, qui depoſita mortalitate iam vitam æternam ingreſsi ſunt.*

CAPVT XLI.

ET [a] introduxit me in templum, & menſus eſt frontes ſex cubitos latitudinis hinc, & ſex cubitos lati- A
tudinis inde, latitudinem tabernaculi. [b] Et latitudo † oſtij, decem cubitorum erat: & látera portæ quinque cubitis hinc, & quinque cubitis inde: & menſus eſt longitudinem eius quadraginta cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum. [c] Et introgreſſus intrinſecus, menſus eſt in fronte † oſtij duos cubitos: & † oſtium, ſex cubitorum: & latitudinem † oſtij, ſeptem cubitorum. [d] Et menſus eſt longitudinem eius viginti cubitorum, & latitudinem viginti cubitorum, ante faciem templi: & dixit ad me, Hoc eſt ſanctū ſanctorum. [e] Et menſus eſt parietem domus ſex cubitorum: & latitudinem † thalami, quatuor cubitorum vndiq; per circuitum domus.† Thalami autem [f] thalamus ſuper thalamum trigintatres: [g] & erant eminentiæ,
quæ ingrederentur per parietem domus, † pro thalamis per circuitum, vt continerent: & non attingerent B
parietem templi.[h] Et platéa erat in rotundum, aſcendens ſurſum per cochleam, & in cœnaculum templi deferebat per gyrum: iccirco latius erat templum in ſuperioribus: & ſic de inferioribus aſcēdebatur ad ſuperiora, † per medium. [i] Et vidi in domo altitudinem per circuitum, † fundamenta thalamorū ad menſuram calami ſex cubitorum ſpatio: & latitudinem † parietis thalami forinſecus quinq; cubitorum: [k] & erat interior domus in lateribus domus. [l] Et inter gazophylacia latitudinē viginti cubitorum in circuitu domus vndiq;. [m] Et oſtium † thalami iuxta ſpacium vacuum, oſtium vnum ad viam aquilonis: & oſtium vnum ad viam auſtralem: & latitudinem loci † vacui relicti, quinq; cubitorum in circuitu. [n] Et ædificium quod erat ſeparatū
verſūmq; ad viam reſpicientem ad mare, latitudinis ſeptuaginta cubitorum: [o] paries autem ædificij, quinq; C
cubitorum latitudinis per circuitum: & longitudo eius, nonaginta cubitorum. [p] Et menſus eſt domus longitudinem, centum cubitorum: & quod ſeparatum erat ædificium, & parietes eius, longitudinis centum cubitorum. [q] Latitudo autem ante faciem domus: & eius quod erat ſeparatum contra orientem, centum cubitorum. [r] Et menſus eſt longitudinem ædificij contra faciem eius quod erat ſeparatum ad dorſum, † manſiunculas ex vtraq; parte centum cubitorum: & templum interius, & veſtibula atrij. [s] † Poſtes & feneſtras obliquas, & † manſiunculas in circuitu per tres partes, contra vniuſcuiuſq; limen, [t] ſtratumq; ligno per gyrum in circuitu, terra autem vſq; ad feneſtras, & feneſtræ clauſæ.† A ſuperiore parte oſtij vſq; ad domum interiorem, & forinſecus: & omnem parietem in circuitu † intus & extra, ad menſuram. Et [u] fabrefacta cheru- D
bim & palmę: & palma inter cherub & cherub, duaſq; facies habebat cherub. Faciem hominis iuxta palmā ex hac parte, & faciem leonis iuxta palmam ex alia parte: expreſſam per omnem domum in circuitu. De terra vſq; ad ſuperiora portæ, cherubim & palmę cęlatę erant, [x] & in pariete tēpli. [y] † Poſtis templi quadratus: & facies ſanctuarij, aſpectus cōtra aſpectū. [z] Altaris lignei trium cubitorum altitudo: & longitudo eius, duorum cubitorum: & anguli eius, & longitudo eius, & parietes eius lignei: & locutus eſt ad me, Hæc eſt menſa coràm

coràm Domino. [a] Et duo oſtia erant in templo, & in ſanctuario. Et in duobus oſtijs ex vtraq; parte bina erāt oſtia, quæ in ſeinuicem plicabantur: bina enim oſtia erant ex vtraq; parte oſtiorum. Et cælata erant in ipſis oſtijs templi cherubim, & ſculptura palmarum, ſicut in parietibus quoq; expreſſa erant: [b] † & trabes lignea erat in veſtibuli fronte forinſecus. [c] † Sed & feneſtræ obliquæ & ſimilitudo palmarum hinc atq; inde in humerulis veſtibuli: † & látera domus, & trabes.

SCHOLIA.

[a] Et introduxit me in templum.] *Porticus eſt, deinde templum, vel ſanctum poſtea ſanctum ſanctorum, adytum oraculum, nam his tribus nominibus interpretes appellant. In longitudine porticus viginti, templum quadraginta, ſanctum ſanctorum viginti cubitos: & rurſum in latitudine illud primum vndecim, alterum triginta, poſtremum viginti habet. Quia verò porticus rationem ſatis explicuit, proximum eſt, vt de templo agatur. Menſus eſt igitur ſex cubitos latitudinem, & hæc eſt craſsitudo muri templi verſus porticum, cæterum frontes portæ templi fornicatæ erant ſupernè, & decuruæ inſtar tabernaculi.* [b] Et latitudo oſtij.] *De latitudine oſtij templi loquitur, itaque latera vtrinque quinque cubitorum ſunt. Lata enim eſt porta cubitos viginti, decem autem oſtio, & reliqui decem duobus lateribus deputantur.* [c] Et introgreſſus intrinſecus.] *Parietem, qui templum à ſancto ſanctorum diuidit, introgreſſus eſt, nam pariete templum Salomonis à ſancto ſanctorum diſtinguebatur, in ſecūdo templo fuit velum. Mox eſt menſus portam illam intimam, primum autem frontes oſtij, quorum vtrauis duos habet cubitos, ſex cubitos oſtium, quos ad altitudinem quidam cenſent referendos. Cæterū duorum cubitorum aliud ſpacium interiacet, inter templum & ſanctum ſanctorum, quod velut ſeparat hoc ab illo, ſed illud hic non menſuratur.* [d] Et menſus eſt longitudinem eius.] *Quadratum iam eſt. Hactenus nihil ad perfectum deductum eſt, hæc primum figura abſolutiſsima occurrit, & conduplicatus eſt fœderis numerus, vt vtranque eius rationem, & hanc literæ & illam ſpiritus eo loci perfectam eſſe intelligas. Sunt enim decem verba, & in lapideis & in cordis tabulis inſcripta.* [e] Et mēſus eſt parietem domus.] *Paries eſt, quem menſorem introgreſſum ſupradiximus, & thalamus hic latus intus eſt cubitos quatuor. Colligitur hinc, ſtructuram Ezechielis ſpectare ad futurum, quia in ſecundo templo cubiculum huiuſmodi latum fuit intus cubitos ſex, neque muro à templo adyta intima ſeparata fuerunt, ſed velo, iuxta illud. Et velum templi ſciſſum eſt. Nos enim imaginem ac vmbram nullam poſthac morabimur, qui veritatem & corpus lucis ſemel apprehendimus. Thalamum ſiue cubiculum de more collectum vſurpat pro pluribus cubiculis, quæ circum circa per ſancta ſanctorum erant, hoc eſt, in tribus parietibus, poſt vel extra domum, ab occidente, ſeptentrione, & meridie: nam ab oriente erat adytus, & porta cum porticu domus.* [f] Thalamus ſuper thalamum.] *Multa (inquit) erant cubicula: putantur tria fuiſſe interſtitia, vnum ſuper aliud, vt eſſent trigintatria cubicula in vniuerſum, vndecim per ſingulos ordines. In ſecundo templo trigintaocto fuerunt, quindecim in ſeptentrione, totidem in meridie, illaq; hoc ordine, vt in terra quinque, in medio quinque, alia quinque his decem ſupra eſſent: octo in occidente, his tribus duo ſupra erant.* [g] Et erant eminentiæ.] *Hic locus ex tertio Reg. cap. 6. intelligitur. Cubiculi infimi latitudo erat quinque cubitorum, & medij ſex cubitorum latitudo, & tertij ſeptem cubitorum latitudo, quia prominentias dedit ad domum, vel templum extra ne apprehenderentur capita trabium in parietibus domus, neque per foramen in murum templi reciperentur. Cubicula illa à fronte, hoc eſt, verſus atrium, murum proprium habuerūt, ſed murus templi introrſum poſt altitudinem cubiculi cuiuslibet, cubito vno retroceſsit, & in craſsitudine imminutus eſt, vnde in vacuum cubiculi intus murus templi ceu prominere videbatur. Superius igitur cubiculum, quia murus cubito vno gracilior ſit, vt trabium termini ſuper extantiam illam muri, ſiue prominentiam locarentur, neceſſe eſt, illud cubiculum ſuperius vno cubito patere latius, quàm quod infra eſt, nam ad latitudinē cubiculi accedit cubitus detractus craſsitudini muri.* [h] Et platea erat in rotundum.] *Alius vertit. Et dilatatio & gyratio facta eſt ſurſum, ſurſum ad cubicula, quia circūgyratum eſt ſurſum, ſurſum per circuitum ad intra. Alius ſic. Sed ſpacium fiebat maius, ſenſim aſcendendo ad cameras, & circundabatur templum ipſum paſsim aſcendendo ſurſum cochleis circumcirca templū ipſum in altum, &c. Quomodo dilatata ſupernè ſint cubicula, diximus, nimirū propter decurtatam, & imminutām craſsitudinem parietis templi cubito vno poſt finem inferioris, cauſa ſuſtinendi trabes ſuperioris cubiculi. Circūgyratio autem, hoc eſt, cochlea facta eſt, vt minimū vna, quæ deſeruiret omnibus vndecim cubiculis vnius ordinis, vt nouo ordini noua eſſet cochlea, donec in tertium vſque aſcenderetur.* [i] Et vidi in domo altitudinem.] *Contemplatur altitudinem admirabilem, verum non exprimit eam. In templo ſecundo altitudo centum cubitorum fuit. Habuit autem quodlibet cubiculum duos muros, interiorem, qui templum ambit, huius fundamenta plenum calamum, hoc eſt, ſex cubitos complectuntur, exterior autem, qui in atrium ſpectat, quinque cubitorum eſt.* [k] Et erat interior domus in lateribus domus.] *Videtur interpres voluiſſe id dicere, quod alius vertit. Et qualem habuit ſitum domuncula lateralis, talis erat iuxta templum. Alius verò vertit. Et relictum interuallum domus cubiculorum, quod erat intrinſecus, vt ſit ſenſus. Eandem menſuram habet relictum interuallum in muro interiore, quod capita trabiū primi tabulati, vel cubiculi excipit. Quòd autem muri templi, qui adhærentia cubicula firmant, ſupernè attenuantur, ſolidiore innixa fundamento, ſignificat plus rei, quàm oſtentationis habere viua Dei templa, quia videlicet Deum ſpectent. Debilis videtur hic murus, ſed in ſe firmatur ſtructura ſpiritus. Præterea quò ſublimius viri ſancti attolluntur, eò minus à carnalibus eorum virtus agnoſcitur, ut interdum inſanire exiſtimentur, quod olim Paulo accidit, vt habes in Actis. Cōtendunt hoc loco quidam, quòd templo non ſint continuata cubicula, ſed inter templum & cubicula ſpacium liberū interceſſerit, in quod ianuæ ſint diſpoſitæ: Alij tamen communiter liberum hunc locum in angulos ponunt meridiei, & ſeptentrionis orientales, & inde aditus in proximum patuiſſe cubiculum, deinde ex eo in alterum, & ſic conſequenter, nam velut ex publico tantum extremum adibatur, quòd aditus ad ea non pateat, neque à templo, neque ab atrio, quia vtrinque muri integri obiecti erant, ſicut ex contextu prophetici ſermonis videtur.* [l] Et inter gazophylacia.] *Siue thalamos, vel cubicula, alius etiam cameras vocauit. Sic vbique intellige, cum legis gazophylacia. Hoc autem interuallum fuiſſe putant inter ædiculas atrij exterioris, vſque ad cameras templo circuniacētes. Eſt autem in his rebus tanta obſcuritas in Hebræo, vt nec inter Hebræos expoſitores conueniat.* [m] Et oſtium thalami.] *Vt ſcilicet vtrinq; ab angulo tam meridiei, quàm aquilonis patuerit extremo cubiculo, oſtium, quod hic appellat ad viam aquilonis, & ad viam auſtralem, iuxta tractum videlicet ac plagam mundi, totiuſq; ædi-*

ficij, nam neque ad templum, neq; ad atrium ostia cubiculis data sunt, & huius sententiæ ferè Veteres sunt. Ex quo facile colligitur, Vnumquodq; cubiculum tria, Vt minimum habuisse ostia, duo ad cubicula, hinc atq; hinc adiecta proxime, & tertium sursum versus ad superius cubiculum per cochleam, nam ab infimo in medium, & à medio in supremũ ascensus per cochleam patuit. n Et ædificium, quod erat separatum.] *Nomen hoc templo ex eo putant obuenisse, quòd à reliquis partibus sanctuary, si dignitatem consyderes, longè separetur & emineat. Ait ergo, Via respiciente ad mare, hoc est, iuxta occidentalem plagam templi ab aquilone ad meridiem cubitos septuaginta esse.* o Paries autem ædificij.] *Volunt quemlibet parietem Latum esse cubitos quinque. Et longitudo (inquit) eius nonaginta cubitorum, intelligens spacium ab occidente orientem versus per omnia cubicula, & interiacens spacium vsque ad domum, quam vocat mutatoriam. Habet enim ab oriente occidentem versus decem cubitos, & initium capit à principio porticus templi. Huiusmodi decem non refert in numerum, quòd velut redundent, Vtrinque ad caput porticus adiecti.* p Et mensus est domus longitudinem.] *Domum, hoc est, templum metitur, & inuenit cubitos centum: hoc loco decem illos cubitos domus mutatoriæ adiungit. Et quid intelligat per domum, subiectione hac exponit. Et quod separatum erat ædificium, &c. quasi diceret, appellatione domus intelligo templum omne cum adhærentibus ædificijs. Est autem domus mutatoria appendix Vtrinque, hoc est, ab aquilone & meridie, velut ad caput porticus adiecta. Quindecim autem cubitos hinc, & totidem illinc, hoc est, ab aquilone & meridie habet. Et quia posterior pars, hoc est, occidentalis plaga septuaginta habet, sequitur compleri centenarium, si cubiti bis quindecim, ex quibus Vtrinque domus hæc mutatoria constat, adyciantur. Hinc intelligitur, quid sibi velit, quod legitur apud authores, porticum habuisse redundantiam Vltra templum, cum tamen longitudine sua templi latitudinem tantum adæquet, nam accessio domus mutatoriæ, quia ad porticum continua fuit, ceu illius redundantia videtur. In hac domo habuerunt cultros macta torios, Vt semper ad manum instrumenta iusta haberent.* q Latitudo autem ante faciem domus.] *Hoc situs patet, quia septuaginta cubitis in occidente repertis, triginta accedunt propter mutatoriam domum, quæ capiti porticus adhærens, Vtrinque gradus quindecim adiungit. Sentit enim ad orientem illam latitudinem, quæ in parte orientis ab aquilone versus meridiem desumitur.* r Et mensus est longitudinem ædificij.] *Memorat in extremis hærentia cubicula & muros. Explorauit hactenus iusta templi ædificia, iam in mensuram cogit etiam extrema illa in Vtroque latere, & centum pariter cubitos reperit. Interim templi summæ Venerationis, porticuli atry sunt ab adytis remotissimi. Summa & infima iuxta curat, nihil aspernatur, neque indignis sua cura ducit, quod ad gloriam Dei Vllo modo faciat. At particula hæc, templum interius, & Vestibula atry, ad sequentia pertinet.* s Postes & fenestras.] *Pericopen superioris versus cum his connecte. Sunt (inquit) mensuræ certæ ac notæ interioris templi, & Vestibulorum atry, postium, fenestrarum, quæ intus paruo foramine patent. Et quod ait, per tres partes, hoc est, tres plagas, quæ quidem cubicula circa templum habuerunt, nullum enim ab oriente fuit. Alij interpretantur hunc versum sic. Templum, sanctum sanctorum, & porticus atriorum, horum trium quodlibet habuit postes, fenestras obliquas cubicula circa se, quodlibet habuit limina & ostia, quodlibet cellaria.* t Stratumq; ligno.] *Vterq; cuiusque ostij postis intus erat obductus tabulis ligneis, & infernè quoque murus cedrinis lignis obductus, sursum assurgebant ea lignorum velut incrustamenta vsque ad fenestras, atque adeo fenestræ ipsæ tabulis Vestitæ erant intrinsecus. Tabularum vsus hic fuit, Vt laminæ aureæ, aut certè colores aurei, tam ligno, quàm lapidibus commodius inhærescerent, nam parietes fuisse velut auro illitos scribitur. Tota sanè domus intus deaurata erat, excepta ea parte, quæ post valuas tanuarum apertas latuit.* u Et fabrefacta, cherubim.] *Palma erat inter cherub & cherub, hoc est, duo cherubim palma vna diuidebantur, & è diuerso, duæ palmæ vno cherub. Cuiq; cherub duæ facies erant, hominis infantuli, et catuli leonis, Vt facies hominis ad dexteram, leonis ad sinistram, Vtraque ad suam palmam spectarit. Palma semper virens iustum designat: facies hominis & leonis prouidam fortitudinem, & fortem prouidentiam. Attollitur cherubica mens alis suis, ac pendet è supernis, prior homo, deinde leo est, nam sensus fides constantiam animi excitat, per circuitum templi & adyti parietes picturis talibus insigniuntur, nihil enim intra sancta versanti occurrit, quod non luceat fide, ac tolerantia leonem æquet.* x Et in pariete templi.] *Quasi dicat, non solum interioris adyti, sed etiam ipsius templi parietes adornati erant picturis huiusmodi.* y Postis templi quadratus.] *De templi postibus iam agit exquisitius, quòd scilicet templi postis quadratus esset, nempe figura solidiori. Deinde dicit, ostium sancti sanctorum, quod est ceu facies adyti, quia primum introeunti obycitur, esse forma simillima in postibus ostio templi.* z Altaris lignei.] *In sancto sanctorum aureum altare Moses posuit, quòd Salomon & deinde qui à captiuitate redierunt, aliquo vsque imitati sunt, quod quidem altare thymiamatum scriptura nominat, in quo sacer suffitus fiebat. Iam ligneum est altare, & idem est mensa coram Domino, vbi non amplius est tantum suffitus ascendens, sed epulatio de donis cœlestibus pariter est. Alta sanè mensa, trium enim cubitorum, quia pater verbo suo in spiritu sancto mactatos cibat. Vna illa triade sancta pascimur. Longa est duos cubitos, Vtroque homine & externo & interno illi consecrato per fidei obsequium, vel quia in duobus mandatis Vniuersa lex pendet & prophetæ. Non est, quod de latitudine expectes mensurarum, quia in latitudine infinita Viam mandatorum Dei talis currit, & nescit mensurarum angustias.* a Et duo ostia erant in templo.] *Alius sic vertit hunc locum. Et duæ valuæ templo & sancto, & duæ valuæ ad valuas duas, plicabiles valuas duas ad vnam, & duas valuas, ad alteram. Agit hic de foribus & valuis, quæ obiectæ negant introitum. Quòd valuas duas habeat, templi similiter & adyti porta, quod hic sanctuarium vocat, in dubium venire nemini potest: nam ita cuiq; ianuæ ac portæ, Vt minimum duæ erant antiquitus, ex Vtrouis poste Vna. Verum hoc loco vult amplius dicere, quòd duplices & non vnas fores, templum & sancti sanctorum habuerint. Ianua enim templi alta erat cubitos viginti, & lata decem, quatuor valuas habuit, in prioribus postibus binas, & binas in posterioribus. Itaque valuas intus, & foris habuit, sicut vtrobique postes erant. A postibus ergo binas, tam externis, quàm internis valuæ pendebant, quæ in medio coeuntes, dum claudebantur, ianuæ spacium, quod est decem cubitorum, compleuerunt. Priores introrsum aperiebantur, totumque murum, qui erat latus cubitos sex, Vtrinque obtegebant, nam in cardine cubitum vnum retro voluebantur, Vt quinque cubiti obtegendi tantum superessent. Interiores autem versus domũ reclusæ, parietem retro valuas, qui deauratus nõ erat, obtegebant. Incrustatæ enim auro valuæ erant elegantissimè, itaque venustatem adauxit apertio ianuarum. Diligenter autem sancta, & sancta sanctorum sunt claudenda nobis, non vnis foribus. Thesaurus est hic noster incomparabilis, multa vigilantia, & fortibus muniendus asseruandus.*

b Et trabes ligna.] *Redit ad ornamentum porticus. A templo autem cedrinæ trabes ingentes fores in murum vsque porticus immissæ sunt super latera ianuæ, quæ eius murum continerẽt, ne propter molem collaberetur.* c Sed & fenestræ obliquæ.] *Et vidi (inquit) fenestras porticus vsque adeo omnia munita, & ornata fuerunt, Vt etiam in ipsa porticu nihil desyderare posses, quæ quidem crassis lignis & trabibus aptata erat. Similiter autem & fenestræ secretiores ad illustrationem, quæ intus strictæ, & foris latæ patebant, & palmæ ad decorem, tametsi cherubim volatia non nisi intra templum visa sint, sed palmæ illæ etiam Vltra templum. Humerulos nominat partes ianuæ supernè extantes. Latera domus, vel, Vt alius vertit, costas, vocat prominentias de lignis cedrinis, quibus imponebant trabes. Trabes autem sunt crassiores.*

CAPVT XLII.

A ET a duxit me in atrium exterius per viam ducentem ad aquilonem, & b introduxit me in gazophylacium, quod erat contra separatum ædificium & contra ædem vergentem ad aquilonem. c In facie longitudinis, centum cubitos ostij aquilonis: & latitudinis quinquaginta cubitos: d contra viginti cubitos atrij interioris, & contra pauimentum atrij exterioris, vbi erat porticus iuncta porticui triplici. Et ante gazophylacia deambulatio decem cubitorum latitudinis, ad interiora respiciens viæ cubiti vnius. Et ostia eorum ad aquilonẽ: vbi erant gazophylacia e in superioribus † strictiora: f quia ſupportabant porticus quæ ex illis eminebant de inferioribus, & de medijs ædificij. g Triftega enim erant, & non habebãt columnas, sicut
B erant columnę atriorum: propterea † in arctum assurgebant de inferioribus, & de medijs a terra. †h Et peribolus exterior, secundum gazophylacia, quæ erant in via atrij exterioris ante gazophylacia: longitudo eius, quinquaginta cubitorũ. Quia longitudo erat gazophylaciorum atrij exterioris: quinquaginta cubitorum: & longitudo ante faciẽ templi, centum cubitorũ. i Et erat subter gazophylacia hæc introitus ab oriente ingredientium in ea de atrio exteriori: k in latitudine periboli atrij, quod erat contra viã orientalem, in faciẽ ædificij separati. Et erãt ante ædificiũ gazophylacia: & via ante faciem eorũ iuxta similitudinem gazophylaciorum, quæ erant in via aquilonis: secundũ longitudinem eorũ, sic & latitudo eorũ: & omnis † exitus eorum, et
C similitudines, & ostia eorũ secundum ostia gazophylaciorum quæ erant in via respiciẽte ad notum: l ostium in capite viæ, quæ via erat ante vestibulũ separatum per viam orientalẽ ingrediẽtibus. m Et dixit ad me, Gazophylacia aquilonis, & gazophylacia austri, quæ sunt ante ædificium separatũ: hæc sunt gazophylacia sancta, in quibus vescuntur sacerdotes qui appropinquant ad Dñm sancta sanctorum: ibi ponẽt sancta sanctorum, & oblationem pro peccato, & pro delicto: locus enim sanctus est. Cum autem ingressi fuerint sacerdotes, non egredientur de sanctis in atrium exterius: & n ibi reponent vestimenta sua in quibus ministrant, quia sancta sunt: vestientur q; vestimentis alijs, & sic procedent ad populum. o Cumq; complesset mensuras
D domus interioris, eduxit me per viam portæ quæ respiciebat ad viam orientalem: & mensus est eam vndiq; per circuitum. Mensus est autem contra ventum orientalem calamo mensuræ: quingentos calamos in calamo mensuræ per circuitũ. Et mensus est contra ventum aquilonis quingentos calamos, in calamo mensuræ per gyrum. Et ad ventum australem mensus est quingentos calamos, in calamo mensuræ per circuitum. Et ad ventum occidentalem mensus est quingentos calamos, in calamo mensuræ. Per quatuor ventos mensus est murum eius vndiq; per circuitum, longitudinem quingentorum cubitorum, & latitudinem quingẽtorum cubitorum, p diuidentem inter sanctuarium & vulgi locum.

SCHOLIA.

a Et duxit me.] *In hoc capite summam difficultatem etiam Hebræi confitentur, qui nihil extare putant, quod huius aduuet intelligentiam, cum nihil huiusmodi in secundo templo fuerit, aliqua tamen dicenda sunt. Per portam interioris atry aquilonarem educi videtur, quasi illac iturus esset ad atrium mulierum, quod exterius dicitur. Videtur autem ex sequentibus constare, ab exteriore atrio Via aquilonis inductum sursum in illa cubicula.* b Introduxit me.] *Putant illud esse cubiculum, de quo capite superiore, versu 10. dictum est, aut etiam per enallagem, locum per cubiculi vocem accipiendum, in quo illud extructum erat. In regionem enim cubiculi hactenus, nondum in cubiculi promouit. Sunt autem cubicula extra atrium iuxta aquilonem à cubiculis templi cingentibus, viginti cubitis seiuncta. Sic enim supra legitur. Inter cubiculum latitudo viginti cubitorum per circuitum domus. Hoc spacium interiacens per interius spacium aditur. Ob oculos igitur pone situm templi & atry. Templum omne, Vt dictum est, centum cubitos longum est, & ab oriente latum totidem, mox orientem versus atrium vndique centum cubitis per quadratum patens. Hoc domicilium, de quo hic agitur, à septentrione partim templo, partim atrio ex aduerso viginti cubitos per prophetam collocatur, sequitur aliunde accedendum non esse, quam per aquilonarem atry.* c In facie longitudinis.] *Iuxta longitudinem atry, atq; ab oriente occidentem versus, centum quoque cubitis domicilium illud cõtinuatur. Hæc aquilonaris ianua in publicum ac prophanum spectabat, perfectio spiritualis in omnibus Deum mutuetur, & profectum aliorum, sui negligens. Ad prophanum egrediens, non refugit contrectare, quæ mundi sunt, modo sincerè & puro corde.* d Contra viginti.] *Notat locum, qui ad domicilium hoc attinet. Spacium enim, quod vsque ad interius atrium adiacet, viginti cubitorum est. De pauimento supra dictum est, quòd fuerat contabulatum edituve loco pro stratione mulierum in illarum atrio, quo minus viri se inter eas admiscerent.* e In superioribus.] *Quòd superiora angustiora fuerint inferioribus, ex natura ædificiorum liquet, ne prominentia sua mole corruerent. In angustum enim fastigia ædificiorum contrahunt architecti, ne structura pondere dissiliat.* f Quia supportabant.] *Alius vertit, deficiebant, alius, Quia fulcra sua habuerunt ab illis inferioribus, & medijs ædificij, alius sic, Alioqui non sustentat æ fuissent mansiunculæ ab istis, nempe ab inferioribus, & à medijs habitaculis ædificij.* g Triftega enim erãt.] *Vel. triplicata enim erant.* h Et peribolus exterior, secundum.] *Siue sepimentum. In viam (inquit) atry mulierum te constituas foris, prope introitum domus huius, vnde primum digressus es, conuersaque ad occidentem facie, oculis metiare spacium domicilij, vsque ad finem atrij interioris, & inuenies longitudinem cubitorum quinquaginta. Tanto enim spacio ex aduerso, atrio interiori illud opponitur, ideo subijcit, quia longitudo cubiculorum, ad atrium exterius considerandi principio facto, cubitorum est quinquaginta, supple vsque ad occidentem atrij interioris. Vlterius aciem oculorum per longitudinem templi, vsque ad huius domicilij terminum dirige, & deprehendes adiuncto spacio, quod per longitudinem templi occupat totum domicilium, longum esse centum*

cubitos. Ergo dicit, ante faciem, vel, aduersus faciem, hoc est, cõtra principium templi (incipit enim à porticu, eodem nimirum loco constitutus, hoc est, iuxta caput, & initium illius domicilij extrarij, quod recognoscit) reperiendos esse in longitudine cubitos centum: nam atrio interiori per quinquaginta, & templo, atque interiacenti spacio per reliqua quinquaginta respondet. Posterior pars templi nihil huius ædificij habet. [1] Et erat subter gazophylacia.] *Ab oriente erat aditus. Hæc pars montis humilior: nam ab oriente versus occidentem ingrediebantur, ideo subter cubicula accessus, hoc est, ab inferiori parte patet. Semper autem ab exteriore atrio principium adeundi ad hoc domicilium sumitur: quia, cum portæ aquilonares propè anguli eius lateris occidentis sint, & in atrium interius quinquaginta cubitis proferantur, non occurrebat tamen nisi ex atrio exteriore. Id autem in re præsenti (quod aiunt) facilè cernes, si imaginem templi ex prædictis animo probè conceperis. Ab oriente atry exterioris angulum orientis aquilonarem prætereat, donec venisset ad principium cubiculorum, quæ latitudinem atrij interioris respiciunt, hoc est, murum eius orientalem, quo secernitur ab atrio mulierum, cuius hactenus subinde commeminit.*

[k] In latitudine periboli.] *Peribolis, siue sepes, aut maceries atry, murus est: sic inter Hebræos conuenit. Latitudinem putant vlnam atry omnem. Vidit itaq; cubicula, à templo orientem versus proficiscens, intra murum atrij interioris orientalem: huiusmodi ceu templo præiecta erant: nam ad faciem (inquit) ædificij separati, & ædificij domiciliorum adiacentium: pro quo interpres vertit. Et erant ante ædificium Gazophylacia. Qualia autem fuerint hæc orientis cubicula, sequenti versu definit. Habuerunt ante se viam: nam ab oriente illa adeunda, aquilonaribus in cæteris paria, quæ via aquilonis propterea dicitur, quod ab oriente exterioris atry, circumacto angulo orientis aquilonari, in eodem latere aquilonis procedebatur, donec ventum esset ad principium cubiculorum. Sicut (inquit) longitudo illius erat, quæ in aquilone, sic & horum quoque longitudo. Sic erat latitudo, vt & illorum ante hac descripta est, & sic de cæteris collatio fiat.* [1] Ostium in capite viæ.] *Et ne in dubium venias, quæ nam via illa fuerit, addit, quæ via erat ante vestibulum separatum, vel, vt alius vertit, quæ erat in conspectu sepimenti condecentis: alius. In prospectu periboli decenter factæ. Et videtur, hunc locum cantorum fuisse, quem decentem ac iucundam maceriam, vel sepem vocat, ante quem locum via orientis erat, vnde principio interius atrium, & exinde orientalia illa cubicula petebantur.* [m] Et dixit ad me, Gazophylacia aquilonis.] *Quos vsus sit cubiculorum, quæ hactenus descripsit iam explicat. Dicit enim, quòd ab aquilone & meridie, sunt locus sanctus, in quorum tectis victimæ sacerrimæ, quæ Hebræis sanctæ sanctorum dicuntur, à sacerdotibus comedi debeant.* [n] Ibi reponent vestimenta sua.] *Lex erat, ne ad Israelem priuatum, atque ad alienum à sanctitate locum concederent, nisi deposito in loco sancto vestitu illo sacrosancto.*

[o] Cumq; complesset mensuras domus interioris.] *Domum interiorem nominat atrium, & adiacentia cubicula, quod ad cultum, qui interiori domui, hoc est, templo debetur, obeundum pertineant. Sic omnia, quæ Dei, Deus, & quæ Christi, Christus dicuntur, vt è regione, aduersarius & Antichristus, qui sunt Antichristi & Satanæ. Metitur iam extremum murum, qui montem cingit. Illud autem, per circuitum, intelligitur pro vtroque latere. Muros autem quatuor montem cingentes, per quatuor ventos intelligit, à ventis enim plagas mundi scriptura libenter nominat. Et quod ait, calamo mensuræ, intellige, mensuræ illius calami, qui magna mensura erat, nimirum quam à principio descripsit cap. 40. puta qui habet cubitos sex, quorum singuli sex pugnos complectuntur, cum cæteri cubiti tantum sint quinque pugnorum, atque calami cubitorum quinque. Proinde calami huius loci non vulgares sunt, sed calami mensuræ illius expositæ. Hunc murum post principium quadragesimi capitis metitur, & inuenit calamum altitudine, & in latitudine tantundem. Verum hoc postremo loco, cum interiora solidè constiterint. Amplitudinem quoque extremam rimari pergit, nam vanum est, quod in creaturis noscitandis operæ insumis, si non ieceris primum pietatis fundamenta. Circa portam murus, quam latus & altus sit licet peruestiges, verum ante quàm omnia complectare, percipienda sunt interiora spiritus, vt necessarijs cognitis, adiuncta tandem rimeris. Alioqui nimius in contemplandis rebus, eas idoli instar habet, vt offendiculo sint sibi, atque alijs imperitioribus, atque in laqueum pedibus insipientium.* [p] Diuidentem inter sanctuarium & vulgi locum.] *Nam quod est extra murum montis, prophanum: quod verò intra, sanctum est, quia murus hæc ab illis diuidit.*

CAPVT XLIII.

ET[a] duxit me ad portam, quæ respiciebat ad viam orientalem. [b] Et ecce gloria Dei Israel ingrediebatur per viam orientalem: & vox erat ei quasi vox aquarum multarum, & terra splendebat à maiestate eius. Et vidi visionem secundum speciem quam videram, quando veni, [c] vt disperderem ciuitatem: & species secundum aspectum quem videram iuxta fluuium Chobar: & cecidi super faciem meam. Et maiestas Supra 9.a
Domini ingressa est templum per viam portæ, quæ respiciebat ad orientem. Et eleuauit me spiritus & introduxit me in atrium interius: & ecce repleta erat gloria Domini domus. Et audiui loquentem ad me de domo, & vir stabat iuxta me. Et dixit ad me, Fili hominis, locus solij mei: & locus vestigiorum pedum meorũ, vbi habito in medio filiorum Israel in æternum: & non polluent vltrà domus Israel nomẽ sanctum meum, ipsi, & reges eorum in fornicationibus suis, & in † cadaueribus regum suorum, & in excelsis. Qui fabricati Supra 1.a
sunt limen suum [d] iuxta limen meum, & postes suos iuxta postes meos: & murus erat inter me & eos: & polluerũt nomen sanctum meum in abominationibus quas fecerunt: propter quod consumpsi eos in ira mea. Nunc ergo repellant procul fornicationem suam, & † cadauera regum suorum à me: & habitabo in medio eorum semper. Tu autem fili hominis ostende domui Israel templum, & [e] confundantur ab iniquitatibus suis: & metiantur fabricam, [f] &, si erubescant ex omnibus, quæ fecerunt, figuram domus, & † exemplar eius exitus eius & introitus, & omnem descriptionem eius, & vniuersa præcepta eius, cunctumq; ordinem eius, & omnes leges eius ostende eis, & scribes in oculis eorum: vt custodiant omnes descriptiones eius, & præcepta illius, & faciant ea. [g] Ista est lex domus, In summitate montis omnis finis eius in circuitu sanctum sanctorũ est: hæc est ergo lex domus. [h] Iste autem mensuræ altaris in cubito verissimo, qui habebat cubitum & palmum: in sinu eius erat cubitus, & cubitus in latitudine: & † terminus eius ad labium eius, in circuitu palmus vnus: hæc quoque erat fossa altaris. [i] Et de sinu terræ vsq; ad crepidinem nouissimam duo cubiti, & latitudo cubiti vnius: & à crepidine minore vsq; ad crepidinem maiorem quatuor cubiti, & latitudo cubiti vnius. [k] Ipse autem Harel quatuor cubitorum: & ab Ariel vsq; sursum, cornua quatuor. Et Ariel duodecim cubitorum

rum in longitudine per duodecim cubitos latitudinis: quadrangulatum æquis lateribus. [l] Et crepido quamordecim cubitorum longitudinis per quatuordecim cubitos latitudinis in quatuor angulis eius: & corona in circuitu eius dimidij cubiti, & sinus eius vnius cubiti per circuitum: gradus autem eius versi ad orientem. Et dixit ad me, Fili hominis, hæc dicit Dominus Deus, Hi sunt ritus altaris, in quacunque die fuerit fabricatum: vt offeratur super illud holocaustum, & effundatur sanguis. Et dabis [m] sacerdotibus Leuitis, qui sunt de semine Sadoc, qui accedunt ad me, ait Dominus Deus, vt offerant mihi vitulum de armento pro peccato. Et assumens de sanguine eius, pones super quatuor cornua eius, & super quatuor angulos crepidinis, & super
D coronam in circuitu: & mundabis illud & expiabis. Et tolles vitulum qui oblatus fuerit pro peccato: & cõbures eum in separato loco domus extra sanctuarium. Et in die secunda offeres hircum caprarum immaculatum pro peccato: & expiabunt altare, sicut expiauerunt in vitulo. Cumque compleueris expians illud, offeres vitulum de armento immaculatum, & arietem de grege immaculatum. Et offeres eos in conspectu Domini: & mittent sacerdotes super eos sal, & offerent eos in holocaustum Domino. Septem diebus facies hircum pro peccato quotidie: & vitulum de armento, & arietem de pecoribus immaculatos offerent. Septem diebus expiabunt altare, & mundabunt illud: & implebunt manus eius. Expletis autem septem diebus, in die octaua & vltrà, facient sacerdotes super altare holocausta vestra, & quæ pro pace offerunt: & placatus ero vobis, ait Dominus Deus.

SCHOLIA.

[a] Et duxit me ad portam.] *Dimenso ambitu montis, iterum ad illam portam perducitur, qua primum aditur precaturis ad templum, quæ primum ingressus, & iuxta quam dudum metiri cœperat amplitudinem montis, est enim extra monten, sed introducendus. Iam igitur ad portam orientalem reuocatur, qua recta aditur ad templum. Non erat fas, in atrio ex transuerso præterire tantam templi, nec obuertere tergum sanctis, cuius gratia in lateribus muri portæ erant, quibus egrediebantur, ne tergum sancti is obuerterent. Non aliter & nobis legitime ingrediuris, ab oriente recti occidentem versus ter instituendum, vt sit in oculis templum Domini, & non affectus carnis obliquus. Quod si tractandæ res perituræ pro carnis necessitate, id ex Deo adoriamur, ne auersi, Deo tergum demus. Ab exortu itaque solis iustitiæ inchoantes procedimus versus occasum, et interitum carnis, quod nihil est aliud, quàm intrare in sancta, et arcana illa cœlestia.* [b] Et ecce gloria Dei Israel.] *Hic mensor ab occidente perfunctus munere, & huius vitæ dispensatione, ad orientem redit, et mox apparet gloria Domini. Occiderat enim vita nostra in cruce, extra castra positus Christus Iesus, deletus de terra viuentium. Discipuli, quorum imaginem propheta gerit, sustinentur quadamspe resurrecturi, ac regnaturi in gloria, qui erat reparaturus regnum Israel, quod quidem est deducere ab occidente, & à morte ad orientem ac vitam æternæ lucis. Verum cum Deus vnigenitum suum iterum induxit in mundum, qui splendor quæ gloriæ nam vox eius (inquit) sicut vox aquarum multarum, & alibi, vox eius, sicut vox omnipotentis. Intelligit conceptum laudantiũ nomen illius, quod sit grandisonus. Sicut aquæ multæ, ruentes cum fragore ac sonitu, qui illius dicitur, quia nos Christi, Christus autem Dei. Sic Ionathas interpretatur, & in Apocalypsi huc alludatur. Illud expendendum: templo destructo cum discessisset antea gloria Dei, abolita esse vetera, nouaque iam omnia facta.*

[c] Vt disperderem ciuitatem.] *Cum ingrederer, vt prædicerem ciuitatis euersionem.* [d] Iuxta limen meum.] *Licet (inquit) regias, & palatia sua iuxta templum meum construxerint, non tamen iccirco puriores fuerunt, sed omnibus abominationibus studuerunt, me ac templum meum contemnentes.* [e] Confundantur ab iniquitatibus suis.] *Per hæc verba declarat vim & ingenium illius domus, quam Ezechiel vidit, aliud esse à domo Salomonis, & Zorobabel, nam domus à Salomone constructa, permisit in pertinacia, & idololatria populum, vt quæ terrena erat, nec melior gens sub templo secundo, etsi externam cauerit idololatriam. Hæc autem prophetæ domus alterius ordinis ac mensuræ est, & in singulis magnam habens diuersitatem.* [f] Et si erubescãt.] *Nam in maleuolum animam non introibit spiritus sapientiæ, neq; digni sunt, qui audiant spiritualis templi exemplar, quos peccatorum nondum pœnitet.* [g] Ista est lex domus.] *Legem nominat ritus sacerdotum, Israelis, & mulierum hactenus expositos. Hæc igitur lex domus Domini in fastigio montis, quasi dicat, Ierusalem cœlestis, quæ sursum est. Terminus montis, vt vrbs Ierusalem, erit sanctum sanctorum, non prophana amplius comparata ad templũ, sicut pridem, mundis iam sunt omnia munda, sancta sanctorum sunt omnia.* [h] Istæ autem mensuræ altaris.] *De altari ipso non satis quoque conuenit inter Iudæos. Quidam accipiunt sinum, vel gremium altaris pro fundamento, alij pro capacitate, qua sursum vno cubito assurgebat. Terminum dicunt esse labium ipsium altaris, quod in circuitu vnum habebat palmum, vel, vt Ionathas habet, est clausura, quæ altare supernè constringit. Crepido superior, & inferior Statio est & locus sacerdotio offerẽtium sacrificia. Harel, id est, mons Dei, est altare habens super ne lapides prominentes, propter quos etiam vocatum fuit Ariel, id est, leo Dei, alij aliud sentiunt. Porrò quod ait, Hæc quoque erat fossa altaris, alij verterunt, Hoc est tergum altaris, & dicunt esse altare aureum, sacris suffitibus consecratum, quod quidam sic dictum accipiunt, vt simili cubito mensi sint altare aureum.* [i] Et de sinu terræ.] *Sensus est, ex media terra, quæ locus est altaris, vel, à fundamento terræ vsque ad crepidinem inferiorem sunt duo cubiti, vt vnum latitudini alterum longitudini tribuas, à minore crepidine vsque ad maiorem quatuor cubiti, & latitudo vnius est.* [k] Ipse autem Harel.] *Hic locus, qui Harel, id est, mons Dei dicitur, altus fuit non amplius cubitos quatuor: ad finem autem altitudinis quatuor cubitorum dilatatum fuit altare, & extra prominebant lapides altaris, cui loco nomen est, Ariel, & hic locus Ariel dictus, longus & latus est cubitos duodecim per quadraturam.*

[l] Et crepido.] *Hoc loco crepido ipsa altaris structura est, tectum eius cum loco cornuum, & loco sacerdotibus trito, cui sunt cubiti viginti octo, sed tales à medio vndiq; versum metiendi sunt, quod propheta expositurus dicit, in quatuor angulis eius, vel ad quatuor quadraturas eius.* [m] Sacerdotibus Leuitis.] *Hoc est, Leuitici generis.*

CAPVT XLIIII.

A ET[a] conuertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad orientem: & erat clausa. Et dixit Dominus ad me, Porta hęc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam: quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritq; [b] clausa principi. Princeps ipse sedebit in ea, vt comedat panem coràm Domino: per viam vestibuli portæ ingredietur: & per viam eius egredietur. [c] Et adduxit

me per

me per viam portæ aquilonis in conſpectu domus: & vidi, & ecce impleuit gloria Domini domum Domini: & cecidi in faciem meam. Et dixit ad me Dominus, Fili hominis, pone cor tuum, & vide oculis tuis, & auribus tuis audi omnia, quæ ego loquor ad te de vniuerſis ceremonijs domus Dñi, & de cunctis legibus eius: & [d] pones cor tuum in vijs templi, per omnes exitus ſanctuarij. Et dices ad exaſperantem me domum Iſrael, Hęc dicit Dominus Deus, Sufficiat vobis omnia ſcelera veſtra domus Iſrael: eò quòd inducitis filios alienos incircunciſos corde & incircunciſos carne, vt ſint in ſanctuario meo, & polluant domum meam: & offertis panes meos, adipem & ſanguinẽ: & diſſoluitis pactũ meum in omnibus ſceleribus veſtris. Et nõ ſeruaſtis præcepta ſanctuarij mei: & poſuiſtis cuſtodes obſeruationum mearum in ſanctuario meo vobiſmetipſis. Hæc dicit Dñs Deus, [e] Omnis alienigena incircunciſus corde & incircũciſus carne nõ ingredietur ſanctuariũ meũ, omnis filius alienus qui eſt in medio filiorũ Iſrael. Sed Leuitæ, qui longè receſſerunt à me in errore filiorum Iſrael, & errauerunt à me poſt Idôla ſua, & portauerunt iniquitatem ſuam, [f] erunt in ſanctuario meo ædituí, & ianitores portarũ domus, & miniſtri domus: ipſi mactabunt holocauſta, & victimas populi: & ipſi ſtabunt in conſpectu eorũ, vt miniſtrent eis. [g] Pro eo q; miniſtrauerunt illis in conſpectu idolorũ ſuorũ, & facti ſunt domui Iſrael in offendiculũ iniquitatis: iccirco leuaui manũ meã ſuper eos, ait Dñs Deus, & portauerunt iniquitatem ſuam. Et non appropinquabunt ad me, vt ſacerdotio fungantur mihi, neq; accedent ad omne ſanctuarium meũ iuxta ſancta ſanctorũ: ſed portabunt confuſionẽ ſuã, & ſcelera ſua, quæ fecerunt. Et dabo eos ianitores domus in omni miniſterio eius, & in vniuerſis, quæ fient in ea. [h] Sacerdotes autem Leuitæ filij Sadoch, qui cuſtodierũt ceremonias ſanctuarij mei, cũ errarẽt filij Iſrael à me: ipſi accedent ad me, vt miniſtrẽt mihi: & ſtabunt in conſpectu meo, vt offerant mihi adipem & ſanguinem, ait Dñs Deus. Ipſi ingrediẽtur ſanctuarium meum, & ipſi accedent ad menſam meã, vt miniſtrent mihi, & cuſtodiant ceremonias meas. Cũq; ingredientur portas atrij interioris, [i] veſtibus lineis induentur: nec aſcendet ſuper eos quicquam laneũ, quando miniſtrant in portis atrij interioris intrinſecus. Vittæ lineæ erũt in capitibus eorũ, & feminalia linea erũt in lumbis eorũ, & [k] nõ accingentur in ſudore. Cũq; egredientur atrium exterius ad populũ, exuent ſe veſtimentis ſuis in quibus miniſtrauerant, & reponent ea in gazophylacio ſanctuarij, & [l] veſtient ſe veſtimentis alijs: & nõ ſanctificabunt populũ in veſtibus ſuis. Caput autem ſuũ non radent, neq; comam nutrient: ſed tõdentes attondent capita ſua. Et vinum non bibet omnis ſacerdos, quando ingreſſurus eſt atrium interius. Et viduam, & repudiatam nõ accipient vxores, ſed virgines de ſemine domus Iſrael: ſed & viduam quæ fuerit vidua à ſacerdote, accipient. Et populum meum docebunt quid ſit inter ſanctum & pollutum: & inter mundũ & immundum oſtendent eis. Et cum fuerit controuerſia, ſtabunt in iudicijs meis, & iudicabunt: leges meas, & præcepta mea in omnibus ſolennitatibus meis cuſtodient, & ſabbata mea ſanctificabunt. Et [m] ad mortuũ hominem non ingredientur, ne polluantur: niſi ad patrem & matrem, & filium & filiam, & fratrẽ & ſororẽ, quæ † virum non habuit: in quibus cõtaminabuntur. Et poſtquam fuerit emundatus, ſeptẽ dies numerabuntur ei. Et in die introitus ſui in ſanctuariũ ad atriũ interius, vt miniſtret mihi in ſanctuario, offeret pro peccato ſuo, ait Dñs Deus. Erit autem eis hæreditas, ego hæreditas eorum: & poſſeſſionem non dabitis eis in Iſrael: ego enim poſſeſſio eorum. Victimã & pro peccato & pro delicto ipſi comedent: & omne votũ in Iſrael, ipſorũ erit. Et primitiua omnium primogenitorum, & omnia libamenta ex omnibus, quę offeruntur, ſacerdotũ erunt: & primitiua ciborum veſtrorum dabitis ſacerdoti, vt reponat benedictionem domui ſuæ. Omne morticinum, & captum à beſtia de auibus & de pecoribus, non comedent ſacerdotes.

Leui. 21.c
Deu. 18.a
Num. 18.e
Exod. 22.d
Leui. 22.b

SCHOLIA.

[a] Et conuertit me.] *Vidit ſupra gloriam Domini via portæ orient. dis in domum ingredi, ipſe autem citra domum reſtitit, in interiore videlicet atrio, Domini gloria intus replente domum. Igitur portam apertam vidit, quia cum foris ſtaret non dubiè per portam viderat gloriam Domini, neque enim aliunde ex atrio in templum vllus proſpectus. Iam reducitur illa via, quæ ducit ad ſanctuarium exterius, ad eandem domum Domini, hoc eſt, ab atrio verſus templum, tanquam introducendus deducebatur, nam in atrio erat, neque ſanctuarium, pergenti via orientali occidentem verſus, aliud obiectũ habet, quam templum, & ſanct. ſanctorum, hæc interius, illud exterius, vt in hoc loco conſtituto, ſanctuarium dicitur. Itaque fores templi dudum apertas, iam clauſas reperit.* [b] Clauſa erit principi.] *Hæc porta, qua peruidetur gloria Dei, nulli pertia eſt, niſi principi. Nemo enim nouit patrem, niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. In atrio ſacerdotes reliqui, hic princeps in porta hac gloria Dei, aperta ſibi vni, ſedet, & comedit coràm Deo, quia nemo aſcendit in cœlum, niſi filius hominis, qui eſt in cœlo. Comedit autem in conſpectu Dei, quia meus (inquit) cibus eſt, vt faciam voluntatẽ eius, qui miſit me, & opus eius perficiam. Neque verò ſpernendi ſunt, qui clauſum hanc portam etiam ad beatiſſimæ Mariæ matris Dei perpetuam virginitatem referunt. Atque hoc loco, tertio repeti, clauſam, quòd & ante partum, & in partu, & poſt partum virgo ſemper fuerit.*

[c] Et adduxit me per viam portæ aquilonis.] *Via orientali clauſa manet porta, iam reducto in viam aquilonis iterum repanditur: vt ſepulto & ſabbatum Chriſti magnum agenti, cum eodem aperiri portam, & monſtrari per eam gloriam Domini ſignificaret. Sed iterum cadit in terram pronus, quia adhuc quod mortificetur, ſupereſt, & ſcientia vera humiliat.*

[d] Pones cor tuum in vijs templi.] *Quod attentionem tantopere efflagitat, nos Chriſti ſacerdoty admoneat, non enim parui momenti eſſe oportet, quòd notandum tantopere ſuadetur. Quòd ſi epiſcopus es, omnium portarum curam habebis, et omnes exitus obſeruabis, nequi indigni in ſancta perrumpant, contagioneq; gregem inficiant.* [e] Omnis alienigena incircunciſus corde.] *Ne inter filios Iſrael ſub Chriſto rege, Eccleſiæ alieni ſeſe admiſceant, hic habes diſtinctionem duplicis Iſraelis. Alius alienus ac degener, alius germanè Iſrael dicitur: hic templo frequentando idoneus, ille abarcendus eſt.* [f] Erunt in ſanctuario meo ædituí.] *In ſanctuario meo, quod ſanctificat, habitabunt, hoc eſt, in gratia mediatoris. Cuſtodias agent, vt ſciant, quid fieri velim, & vt caueant illecebras peccatorum, hoc enim eſt portas, & aditus omnes obſeruare. Holocauſtum perfecti obſequij, & pacificas hoſtias reconciliationis, per pœnitentiam mactantes carnem ſuam, immolabunt. ſeruient populo: charitas enim liberos ob iuſtitiam, ſed omnium ſeruos facit. Tribuit ſacerdotalia munera Leuitis fortaſſe, vt alludat ad hiſtoriam*

riam montis, vbi toti populo pollicitus eſt, quòd omnes ſint futuri regnum ſacerdotale. Exod. 19. Tractat enim hoc capite ſacerdotium Chriſti in electis, cuius nomine & ipſi habentur ſacerdotes. [g] Pro eo, quòd miniſtrauerunt illis.] *Quia peccauerunt, & alijs cauſa ruinæ fuerunt, ideo iuro ego, quòd tum eos admiſſorũ pœnitebit: prima enim ianua ad ſalutem eſt, ſe agno ſcire peccatorem. Nec vſurpabunt partes ſpiritualis ſacerdotij reliquas, nimirum, quæ ad ſancta & ſancta ſanctorum pertinent, ſibi conſcij, ſed potius tacient fundamentum à mortuis operibus, & fidei in Deum.* [h] Sacerdotes autem Leuitæ filij Sadoch.] *Leuiticum genus nouum diſtinguit, ſunt enim qui ante illuminationem ſpiritus probè vixerint in caſto timore Domini, quorum imago eſt poſteritas Sadoch. In veteri enim ſacerdotio fideliter ille permanſit, primo templo nato, liber ab erroribus iſraelitici vulgi. Sunt rurſus, qui corrupti contagio improborum, cum mundo in exitium ruerunt, & tamen ſemen aliquod timoris Domini habent, corde & corpore aliquid præ ſe ferentes circunciſionis. Hi mox admonentur ſacerdotio, cui tamen inſerta eſt victimarum iugulatio, hoc eſt, vlterior carnis mortificatio. Adipis & ſanguinis commeminit de peccato, delicto, & de pacifico ſacrificio, quorum proprium erat, vt illorum adeps combureretur, & ſanguinis aſperſio ex eis fieret: quia per Chriſtum tutum habent aditum ad patrem, illius ſanguine aſperſi, & viſceribus dilectionis reparati, condonatis peccatis, & delictis omnibus. Huius rei fides penes Deum tota eſt, quia ſequitur. Sic ait Dominus Deus. Ille non fallit, nec mutat promiſſa.* [i] Veſtibus lineis induentur.] *Linea veſtiuntur omnes inter miniſtrandum per atrium vniuerſum. Seniores viginti quatuor candidis pallijs veſtiuntur Apo. iiij. et innumerabilis illa multitudo ex omnibus gentibus & linguis illorum, qui ſteterunt ante thronum, & in conſpectu agni induti erant ſtolis albis. ibidem 7. Maria reflectens oculos in ſepulchrum, cum Dominus ſurrexiſſet, vidit angelos albis veſtimentis ornatos. Cum aſcendiſſet Dominus in cœlum, aſtitere diſcipulis duo viri in albo veſtitu. Quid igitur aliud, quàm noui teſtamenti ſacerdotium, nouitatem vitæ, candorem innocentiæ, cœleſtem conuerſationem renatorum ſpiritu Chriſti, ſacerdotum Leuiticorum linea, id eſt, alba veſtimenta indicant? Quo factum eſt, vt veteres nuper baptizatos, & illos, qui lauacro myſtico breui initiandi eſſent, albis veſtibus adornarent. Vnde & nouam dominicam, dominicam in albis appellauerunt.* [k] Non accingetur in ſudore.] *Vel, in loco ſudoris. Locum ſudoris latera media ſub coſtis & axillis eſſe volunt: nam ſudor ijs locis primum erumpere creditur. Ergo ſupra femora, infra tamen axillas ſubligaculum illud alligabatur. Ex corde profecta charitas porrigitur, quæ obtegit multitudinem peccatorum, & citra ſudoris moleſtiam & æſtimationem laboris ſeruitia eſt piorum, hilarem enim datorem diligit Deus.* [l] Veſtient ſe veſtimentis alijs.] *Quando prodeunt in cœtum, alius conuenit habitus, tunc enim multus, geſtus, ſermo, auditoribus eſt accommodandus. Sunt enim quædam vulgaris perquiſitionis, quædam ſpectant duntaxat ad perfectiores, vt Paulus ait. Sapientiam loquimur inter perfectos. Non eſt autem coràm ſimplicioribus qui adhuc lacte indigent, de ſublimioribus ſubtiliter diſputandum, ne indignus, aut certè parum idoneis myſteria eloquiorum Dei proijciantur. Et hoc appellare videtur, ſanctificare populum.*

[m] Ad mortuum hominem non ingredientur.] *Tangere corpus mortuum non eſt malum, cum inter opera miſericordiæ numeretur ſepultura defuncti hominis, ſed cerimonia eſt in lege, deſignans, pios cum mortuis in peccatis non debere habere conſuetudinem.*

CAPVT XLV.

A [a] Vmq; cœperitis terram diuidere ſortirò, ſeparate † oblationem Domino ſanctificatum de terra longitudine vigintiquinque millia, & latitudine decem millia: ſanctificatum erit in omni termino eius per circuitum. Et erit † ab hoc ad ſanctum quingẽta per quingenta, quadratum per circuitum: & quinquaginta cubiti in ſuburbana eius per gyrum. Et à menſura iſta menſurabis longitudinem vigintiquinque millium, & latitudinem decem millium [b] & in ipſo erit ſanctuarium, ſanctum ſanctorum. SanctiB ficatum de terra erit ſacerdotibus miniſtris ſanctuarij, qui accedunt ad miniſterium Domini: [c] & erit eis locus in domos, & in ſanctuarium ſanctitatis. [d] Vigintiquinque autem millia longitudinis & decem millia latitudinis erunt Leuitis, qui miniſtrant domui: ipſi poſſidebunt viginti gazophylacia. Et [e] poſſeſſionem ciuitatis dabitis quinque millia latitudinis, & longitudinis vigintiquinque millia, [f] ſecundum ſeparationẽ ſanctuarij, omni domui Iſrael. [g] Principi quoque hinc & inde, in ſeparationẽ ſanctuarij, & in poſſeſſionem ciC uitatis, contra faciem ſeparationis ſanctuarij, & contra faciem poſſeſſionis vrbis: [h] à látere maris vſq; ad mare, & à látere orientis ad orientem: [i] longitudinem autem iuxta vnam partem à termino occidentali vſq; ad terminum orientalem. De terra erit ei poſſeſſio in Iſrael: & non depopulabuntur vltrà principes populum meum: ſed terram dabunt domui Iſrael ſecundum tribus eorum. Hæc dicit Dominus Deus, Sufficiat vobis principes Iſrael: iniquitatem & rapinas intermittite & iudicium & iuſtitiam facite, ſeparate † exactiones veD ſtras à populo meo, ait Dominus Deus. Statera iuſta, & ephi iuſtum, & batus iuſtus erit vobis. Ephi & batus æqualia, & vnius menſuræ erunt: vt capiat decimam partem cori batus, & decimam partem cori ephi: iuxta menſuram cori erit æqua libratio eorum. Siclus autem, viginti obolos habet. [k] Porrò viginti ſicli, & viginti quinque ſicli, & quindecim ſicli, mnam faciunt. Et hæ ſunt † oblationes quas tolletis: ſextam partem ephi de coro fruméti, & ſextã partẽ ephi de coro hordei. Menſura quoq; olei, Batus olei, decima pars cori eſt: & decẽ E bati, corũ faciũt: quia decẽ bati implent corũ. Et arietem vnũ de grege ducentorũ de his, quæ nutriunt Iſrael in ſacrificiũ, & in holocauſtũ, & in pacifica: ad expiandũ pro eis, ait Dñs Deus. Omnis populus terræ tenebitur † oblationibus his principi in Iſrael. Et ſuper principẽ erũt holocauſta, & ſacrificiũ, & libamina in ſolennitatibus, & in calendis, & in ſabbatis, & in vniuerſis ſolẽnitatibus domus Iſrael: ipſe faciet pro peccato ſacrificiũ, & holocauſtũ, & pacifica: ad expiandũ pro domo Iſrael. Hæc dicit Dñs Deus, In primo menſe, vna mẽF ſis ſumes vitulũ de armento immaculatũ: & expiabis ſanctuariũ. Et tollet ſacerdos de ſanguine quod erit pro peccato: & ponet in poſte domus, & in quatuor angulis crepidinis altaris, & in poſte portę atrij interioris. Et ſic facies in ſeptima mẽſis pro vnoquoq; qui ignorauit, & errore deceptus eſt, & expiabitis pro domo. In primo menſe, quartadecima die menſis erit vobis paſchę ſolennitas: ſeptem diebus azyma comedẽtur. Et faciet princeps in die illa pro ſe & pro vniuerſo populo terræ, vitulum pro peccato. Et in ſeptem dierum ſolennitaG te faciet holocauſtum Domino ſeptem vitulos, & ſeptem arietes immaculatos quotidie ſeptẽ diebus: & pro

Exod. 30.b
Leui. 27.c
Nume. 3.g

peccato

peccato hircum caprarum quotidie. Et sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietē faciet: & olei hin per singula ephi. Septimo mense, quintadecima die mensis in solennitate faciet sicut supradicta sunt per septem dies: tam pro peccato, quàm pro holocausto, & in sacrificio, & in oleo.

SCHOLIA.

[a] Cumq; cœperitis terram diuidere.] *Docet principium huius capitis, quomodo Ierusalem diuidenda sit in sanctuarium & in partes, quæ cedant sacerdotibus, Leuitis, & Israelitis. Longitudini, quæ consideratur ab oriente in occidentem, assignantur viginti quinque millia calamorum, & latitudini, quæ est ab aquilone in meridiem decem millia. Et hinc cedit sanctuario, tam secundum latum, quàm secundum longum quinqenti calami, præter illud autem spacium templi, residuum spacium occupabitur domibus pro omnibus tribubus Israel. Sed & spacium quinquaginta calamorum cingebat montē templi, quod vocatur suburbanum, & non habuit domos neque agros. Huius autem loci mysteria venerari potius, quàm nosse possumus, non enim ascendit in cor hominis, quæ Deus præparauit ijs, qui diligunt illum. Illud satis perspicitur, quod de possessione terræ viuentium loquatur sicut & Apocalypsis Ioānis ex hoc loco nō pauca mutuata est.* [b] Et in ipso erit sanctuarium.] *Hoc est, numerus quingentorum calamorum erit inter numerum viginti quinque millium &c.* [c] Et erit eis locus in domos.] *Pars erit pro sanctuario, & residuum pro domibus sacerdotum.* [d] Viginti quinque autem millia.] *Leuitarum portio vltimo capite ex aduerso sacerdotali possessioni continuatur, quia reipso simpliciter inseruiebant, custodijs agendis & cantionibus inter sacrificia. Hæc illis itaque vicina pars, tantisper seruientibus templo tribuitur. Hactenus autem in lege & prophetis genus Leuiticum ἄκληρον fuit, cum fratribus enim nullam possessionem habuerunt, quasi nō obscurè diceret, hanc terram Dominum ipsum esse, eoque eundem hæreditatem Leuitarum. Viginti æiculas habent iuxta fines sacerdotales, vt præsto essent ad munia sua in templo obeunda.* [e] Et possessionem ciuitatis dabitis.] *Et hæc separatio est, quæ ad quadraturam templi pertinet, ante hæc vrbis monti valde vicina, hic latitudo interponitur decem millium, nam iuxta templum sunt sacerdotes, deinde Leuitæ, & postremo loco vulgaris Israel in vrbe, cultores vrbis. Est enim vulgus Christianorum intra pomeria vrbis sanctæ, remota valde ab interiore cognitione. Sunt Leuitæ vicinores, quàm illi, sanctuario, et sacerdotes omnibus superiores, qui in templi portionem inserti sint.* [f] Secundum separationem sanctuarij.] *Vel contra separationem sanctuary. Hebraismus habet, contra separationem sanctitatis, & intelligitur per sanctitatem locus, quem sacerdotes, Leuitæ, & situs sanctuary occupabant. Intelligit ergo iuxta sacerdotalis, & Leuiticæ terræ longitudinem, esse debere longitudinem portionis vrbicæ.* [g] Principi quoque hinc & inde.] *Principi (inquit) obueniet possessio viginti quinq; millium, totius scilicet ciuitatis, & hinc ad finem terræ Israel, ad orientem & occidentem, de cuius meditullio separatio illa vrbis delecta est. Est caput hoc supra modum obscurum, fuduntque in eius expositione tam Iudæi, quàm Christiani, & omnes profitentur ignorantiam suam in tam retrusis sententijs, vt minus mirandum sit, si nos ne nobis quidem ipsis, nedum alijs, satisfacimus. Et Iudæi quidem putant, ea omnia clara futura in aduentu Messiæ sui, nos autem Christiani speramus hæc adimplenda, cū venerit regnū Christi & Dei.* [h] A latere maris.] *Vel, ab angulo maris versus occidentem, & a plaga orientis ad orientem.* [i] Longitudinem autem.] *Longitudo principes ad longitudinem vnius partium sumitur, quæ ab oriente vsque ad occidentem pertingit, nam ecclesia est corpus eius, & plenitudo eius.* [k] Porro viginti sicli.] *Obseruandum quod tribus numeris singularibus Mnam confecit, qui in vnam summam redacti 60. constituunt, significans opinor fuisse monetam aliam 20. aliam 25. aliam 15. siclorum, quam censet moderandam ad modum integri sicli, ne dolo simplicitas circumueniatur.* [l] Et super principem erunt holocausta.] *Non mirum, quòd hic hæreant Iudæi ignorātes mysterium. Statuere illi nesciunt, vtrum de rege, an sacerdote summo hæc sint accipienda. Nos de rege Messia, qui est summus sacerdos, scimus intelligendum, qui seipsum obtulit hostiam pro nobis patri.*

CAPVT XLVI.

HÆc dicit Dominus Deus,[a] Porta atrij interioris, quæ respicit ad orientē, erit clausa sex diebus in qui bus opus fit: die autem sabbati aperietur, sed & in die calendarum aperietur. Et intrabit princeps per viam vestibuli portæ de foris, & stabit in limine portæ: & facient sacerdotes holocaustum eius, & pacifica eius: & adorabit super limen portæ, & egredietur: porta autem non claudetur vsq; ad vesperam. Et adorabit populus terræ ad ostium portæ illius in sabbatis & in calendis coràm Domino. Holocaustum autem hoc offeret princeps Domino: in die sabbati sex agnos immaculatos, & arietem immacularum: & sacrificiū ephi per arietem, in agnis autem sacrificium quod dederit manus eius: et olei hin, per singula ephi. In die autem calendarum vitulum de armento immaculatum: & sex agni, & † aries immaculati erunt. Et ephi per vitulum, ephi quoq; per arietem faciet sacrificium: de agnis autem, sicut inuenerit manus eius: & olei hin, per singula ephi. Cumq; ingressurus est princeps, per viam vestibuli portæ ingrediatur, [b] & per eandem viam exeat. Et cum intrabit populus terræ in conspectu Domini in solennitatibus: qui ingredietur per portam aquilonis vt adoret, egrediatur per viam portæ meridianæ: porrò qui ingredietur per viam portæ meridianę, egrediatur per viam portæ aquilonis: non reuertetur per viam portę per quam ingressus est, sed eregione illius egredietur. Princeps autem in medio eorum cum ingredientibus ingredietur: & cū egredientibus egredietur. Et in nundinis, & in solennitatibus erit sacrificium ephi per vitulum, & ephi per arietem: in agnis autem erit sacrificium, [c] sicut inuenerit manus eius: & olei hin, per singula ephi. Cum autem fecerit princeps spontaneum holocaustum, aut pacifica voluntaria Domino: aperietur ei porta quæ respicit ad orientem, & faciet holocaustum suum, & pacifica sua, sicut fieri solet in die sabbati: & egredietur, claudeturq; porta postquam exierit. Et agnum eiusdem anni immaculatum, faciet holocaustum quotidie Domino: semper manè faciet illud. Et faciet sacrificium super eo † manè, manè sextam partem ephi: & de oleo tertiam partem hin, vt misceatur similæ: sacrificium Domino legitimum, iuge atque perpetuum. Faciet agnum & sacrificium, & oleum manè manè: holocaustum sempiternum. Hæc dicit Dominus Deus, [d] Si dederit princeps donum alicui de filijs suis: hereditas eius filiorum suorum erit, possidebunt eam hæreditariè, Si autem dederit donū de hereditate sua vni seruorum suorum: erit illius vsque ad annum remissionis, & reuertetur ad principem? hereditas

hereditas autem eius filijs eius erit. [e] Et non accipiet princeps de hereditate populi per violentiam, & de possessione eorum: sed de possessione sua hereditatē dabit filijs suis: vt nō dispergatur populus meus vnusquisq; à possessione sua. Et introduxit me per ingressum, qui erat ex latere portę in gazophylacia sanctuarij ad sacerdotes, quæ respiciebant ad aquilonē: & erat ibi locus vergens ad occidentem. Et dixit ad me, Iste est locus, vbi coquent sacerdotes pro peccato, & pro delicto: vbi coquent sacrificiū, vt non efferant in atrium exterius, [f] & sanctificetur populus. Et eduxit me in atrium exterius, & circunduxit me per quatuor angulos atrij: & ecce, atriolum erat in angulo atrij, atriola singula per angulos atrij. In quatuor angulis atrij [g] atriola disposita: quadraginta cubitorum per longum, & triginta per latum: mensuræ vnius quatuor erant. Et paries per circuitum ambiens quatuor atriola: [h] & culinæ fabricatæ erant subter † parietes per gyrum. Et dixit ad me, Hæc est domus culinarum in qua coquent ministri domus Domini victimas populi.

SCHOLIA.

[a] Porta atrij interioris.] *Addit aliam portam clausam sed sabbatis, et neomenijs aperiendam ad principis ingressum. Aperta est itaque porta atry interioris hoc est, atry sacerdotum, quæ parte respicit Israelem orientem versus, die sabbati, aut nouilunij, princeps via illa porticus portæ, vt aduenit, per illam ingressus est, & ad postem portæ templi, quæ in æternum clausa manet, accedit, astat, precatur, sacrificat.* [b] Et per eandem viam exeat.] *Hoc priuilegium principi, quòd eadem porta ingrediatur & exit. Exiui (inquit) à patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum & vado ad patrem. Verum nos ex maledictione & morte in vitam, ille autem semper benedictus ex vita ad mactationem, et inde in eandem vitam redit, quia aduenit. Inde exyt per carnem in mundum, & rursum ex corruptibili carne ad patrem.* [c] Sicut inuenerit manus eius.] *Accipiet quantum voluerit.* [d] Si dederit princeps donum.] *Quod datur filys firmum ac stabile est, nam filius manet in domo in æternum, at serui atque obnoxys peccato plerunque dantur dona ad tempus, verum cum venerit annus liberatis, & iusti iudicij Dei, dicetur eis, nescio vos, & reuertentur illa dona ad principem, ac filios, quorum gratia permissa illa serui fuerunt,* [e] Et non accipiet princeps de hæreditate populi.] *Spirituales res in ordine spirituali, in carnali carnales relinquantur, alioqui confusio rerum orietur.* [f] Et sanctificetur populus.] *Iubentur carnes sanctæ comedi à sacerdotibus in loco sancto, nec permittuntur eas foras portare, ne populus sanctificetur, hoc est, ne populus existimet eas carnes sibi quoque licitas.* [g] Atriola disposita.] *Atriola illa fuerunt domicilia, quæ tamen supernè contignata non erant, sed erant sic associata angulis atry, vt duo atrij muri in angulo concurrentes, illis duo præstarent latera. Carebant tecto, quo fumus & nidor carnium liberius exhalarent, & in illis coquinis elixabantur carnes sacrificiorum pacificorum, in atrio scilicet exteriori, quod erat mulierum, nam illa sacrificia erant minoris sanctitatis sacrificia. Vnde & sancta leuia vocabantur ab Hebræis. At carnes sanctissimorum sacrificiorum, quæ fiebant pro delicto, et pro peccato, quas soli sacerdotes comedebant, coquebantur in loco interiori, & propinquiori templo.* [h] Et culinæ.] *Erant loca intra murum perforatum, vbi supra ignem ponebantur ollæ & caldaria.*

CAPVT XLVII.

ET [a] cōuertit me ad portā domus, & ecce aquę egrediebantur subter limen domus ad orientem: facies enim domus respiciebat ad orientē: aquę autē descēdebāt † subtus à latere tēpli dextro, à meridie versus altare. Et eduxit me per viā portæ aquilonis, & conuertit me ad viā foras portā exteriorē, viā, quæ respiciebat ad orientē: & ecce aquę redundantes à latere dextro. Cum egrederetur vir ad orientē, qui habebat funiculū in manu sua, & mensus est mille cubitos: & traduxit me per aquā vsq; ad talos. [b] Rursumq; mēsus est mille, & traduxit me per aquā vsq; ad genua: & mensus est mille, & traduxit me per aquam vsq; ad renes. Et mensus est mille, torrentē quē non potui pertransire: quoniam intumuerant aquę profundi torrentis qui nō potest transuadari. Et dixit ad me, [c] Certè vidisti fili hominis. Et duxit me, & cōuertit ad ripam torrentis. Cumq; me cōuertissem, [d] ecce in ripa torrentis ligna multa nimis ex vtraq; parte. Et ait ad me, Aquę istę, quæ egrediuntur ad tumulos sabuli orientalis, & descendunt ad plana deserti, intrabunt mare, & exibunt, & sanabuntur aquæ. Et omnis anima viuens, quæ serpit, quocunq; venerit torrens, viuet: & erunt pisces multi satis postquam venerint illuc aquæ istę, & sanabūtur: & viuent omnia ad quę venerit torrens. Et [e] stabunt super illa piscatores, ab Engaddi vsq; ad Enagallim siccatio sagenarū erit: plurimę species erunt piscium eius, sicut pisces maris magni, multitudinis nimiæ: in cœnosis autem eius, & in paluſtribus non sanabuntur, quia in salinas dabuntur. Et super torrentem orietur in ripis eius ex vtraq; parte omne lignū pomiferum: non defluet folium ex eo, & non deficiet fructus eius: per singulos mēses afferet primitiua, quia aquę eius de sanctuario egredientur: & erunt fructus eius in cibū, & folia eius ad medicinam. Hæc dicit Dñs Deus, [f] Hic est termi nus in quo possidebitis terram in duodecim tribubus Israel: quia Ioseph duplicem funiculum habet. Possidebitis autem eam singuli æquè, vt frater suus: super quam leuaui manum meam, vt darem patribus vestris: & cadet terra hæc vobis in possessionem. Hic est autem terminus terræ: ad plagam septentrionalem, à mari magno via Hethalon, venientibus Sedāda, Emath, Berotha, Sabarim, quæ est inter terminum Damasci & confinium Emath, Hazar Tichon, quæ est iuxta terminum Auran. Et erit terminus à mari Hazar Enon terminus Damasci, & aquilo ad aquilonem, & terminus Emath: & plaga septentrionalis. Porrò plaga orientalis inter Auran, & inter Damascum, & inter Galaad, & inter terram Israel, Iordanis: à termino, qui est ad mare orientale, metiemini, etiam plagam orientalem. Plaga autem australis meridiana à Thamar, vsque ad aquas contradictionis Cades: & torrens vsque ad mare magnum: & plaga ad meridiem australis. Et plaga maris, mare magnum à confinio per directum, donec venias Emath: hæc est plaga maris. Et diuidetis terram istam vobis per tribus Israel: & mittetis eam in hæreditatem vobis, [g] & aduenis, qui accesserint ad vos, qui genuerint filios in medio vestrum: & erunt vobis sicut indigenæ inter filios Israel: vobiscum diuident possessionem in medio tribuum Israel. In tribu autem quacunque fuerit aduena, ibi dabitis possessionem illi, ait Dominus Deus.

Gene. 48. d

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Et conuertit me ad portam domus.] *Post descriptionem templi, & eius ἐξαγωγὴν describit flumen è templo egrediens, in quo seruatur pulcher ordo, & dispensationis diuinæ series, vt constituta ecclesia, salutares aquæ inde deriuentur, atq; viuificæ. De his aquis Ioel 3. Zach. 13. et Apoc. 21. & 22. quæ omnia de ciuitate Ierusalem author ille videtur ab Ezechiele sumpsisse. Oriuntur è templo aquæ, vbi Deus & princeps noster sedem habet, vt sciamus Euangeliũ exire à Deo quod subinde seruator testatur, se nõ sua sed patris verba referre. Deuergit in dexteram, quæ pars felicioris est hominis, vt intelligamus dexteram Dei non deesse fluuio, per quam alueus prosperrimè deriuetur.* [b] Rursumq; mensus est mille.] *Eiusmodi incrementis progressum est Euangelium, vt primò traderetur in Ierusalem, deinde in Iudæa, mox in circumiacentibus regionibus, tandem permeans in omnes fines terrarum. Discimus etiam, quò longius in Euangely doctrina fuerimus progressi, eo maiora semper sese mysteria diuinitatis aperire.* [c] Certe vidisti.] *Quo nimirum pacto ex parua venula riuulus & flumẽ, & fluuius tandem impermeabilis effectus sit.* [d] Ecce in ripa torrentis ligna multa.] *Vel arbores multæ, fructus hic est & vis Euangelij, vt pulcherrimas virtutum & pietatis arbores, omnisque honestatis exempla proferat. Ingrediũtur hæ aquæ etiam mare, amara dulcia reddentes, mortua viuificã, & omnibus quamlibet labem adimentes. Sanat enim Euangelium publicanos, meretrices, & peccatores quantoscunq;.* [e] Et stabunt super illa piscatores.] *Nempe apostoli, quibus dicitur, faciam vos piscatores hominum. Et iuxta omnes species piscium erit ibi piscatio, vt intelligas, Deum sine respectu personarum homines vocare ad fidem. Sed hæ salubres aquæ illapsæ in lacunas & cœnosa loca, non sanant fœculentas illas aquas id quod obstinatis animis accidere scimus, quorum mens cœlestibus aquis non dulcescit, sed magis insolescit, & irritatur, Boni verò hac poti aqua, veluti arbor plantata secus decursus aquarum, proferunt fructum in domo Domini.* [f] Hic est terminus.] *Redit hic ad intermissam terræ diuisionem, descripto enim templo, altari, et ministrorum locis, pergit iam ad reliquam terræ diuisionem, definiens in primis quatuor latera terræ, & deinde propter filios Ioseph, Manassen, et Ephraim, in tredecim illam diuidens portiones. Verũ quia in hac terræ descriptione fines ponuntur, qui ad Israelitarũ fines nunquam pertinuerunt, coguntur, velint nolint, fateri, terram Israel in futuro seculo ampliorem fore, quam hactenus, iuxta illud, In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* [g] Et aduenis qui accesserint ad vos.] *Opinor illis, quibus postea dictum est. Iam non estis hospites & aduenæ, quasi qui olim fuerint, sed non iam amplius, sed ciues sanctorum & domestici Dei.*

CAPVT XLVIII.

ET hæc nomina tribuum à finibus aquilonis iuxta viam Hethalon pergẽtibus Emath Hazer Enan terminus Damasci ad aquilonem iuxta † terminum Emath. [a] Et erit ei plaga orientalis mare, Dan vna. Et à termino Dan, à plaga orientali vsq; ad plagam maris, Aser vna. Et super terminum Aser, à plaga orientali vsque ad plagam maris, Nephthalim vna. Et super terminum Nephthalim, à plaga orientali vsq; ad plagam maris. Manasse vna. Et super terminum Manasse, à plaga orientali vsq; ad plagam maris, Ephraim vna. Et super terminum Ephraim, à plaga orientali vsq; ad plagam maris, Ruben vna. Et super terminum Ruben à plaga orientali vsq; ad plagam maris, Iuda vna. Et super terminum Iuda, à plaga orientali vsque ad plagam maris, erunt † separationes quas separabitis vigintiquinq; millibus latitudinis & longitudinis, sicuti singulæ partes à plaga orientali vsq; ad plagam maris: & erit sanctuarium in medio eius. † Separationes quas separabitis Domino: longitudo vigintiquinq; millibus & latitudo decem millibus. Hæ autem erunt † separationes sanctuarij sacerdotum: ad aquilonem longitudinis vigintiquinq; millia, & ad mare latitudinis decem millia, sed & ad orientem latitudinis decem millia, & ad meridiem longitudinis vigintiquinq; millia: & erit sanctuarium Domini in medio eius. Sacerdotibus sanctuarium erit de filijs Sadoc, qui custodierunt ceremonias meas, & non errauerunt cum errarent filij Israel, sicut errauerunt & Leuitæ. Et erunt eis † separationes de separatione terræ sanctum sanctorum, iuxta terminum Leuitarum. Sed & Leuitis similiter iuxta fines sacerdotum vigintiquinq; millia longitudinis, & latitudinis decẽ millia. Omnis longitudo viginti & quinq; millium, & latitudo decem millium. Et non venundabunt ex eo, neq; mutabunt, neq; transferentur primitiæ terræ, quia sanctificatæ sunt Domino. [b] Quinq; millia autem, quæ supersunt in latitudine per vigintiquinq; millia, prophana erunt vrbis in habitaculum, & in suburbana: & erit ciuitas in medio eius. Et hæ mẽsuræ eius. Ad plagam septentrionalem, quingenti & quatuor millia: & ad plagam meridianam, quingenti & quatuor millia: & ad plagam orientalem, quingenti & quatuor millia: & ad plagam occidentalem, quingentu & quatuor millia. Erunt autem suburbana ciuitatis, ad aquilonem ducenti quinquaginta, & ad meridiem ducenti quinquaginta, & ad orientem ducenti quinquaginta, ad mare ducenti quinquaginta. Quod autem reliquum fuerit in longitudines secundum † separationem sanctuarij, decem millia in orientem, & decem millia in occidentem, erunt † contra separationem sanctuarij: & erunt fruges eius panes his qui seruiunt ciuitati. [c] Seruientes autem ciuitati, operabũtur ex omnibus tribubus Israel. [d] Omnis † separatio vigintiquinque millium, per vigintiquinq; millia: in quadrum separabuntur in † separationem sanctuarij, & possessionem ciuitatis. Quod autem reliquum fuerit, principis erit hinc, & hinc iuxta † separationem sanctuarij, & possessionem ciuitatis eregione vigintiquinq; millium † separationis vsq; ad terminum orientalem: sed & à mari ereg one vigintiquinq; millium vsque ad terminum maris, similiter in partibus principis erit: & erunt † separationes sanctuarij, & sanctuarium templi in medio eius. De possessione autem Leuitarum, & de possessione ciuitatis in medio partium principis erit: inter terminum Iuda, & inter terminum Beniamin, & ad principem pertinebit. Et reliquis tribubus, à plaga orientali, vsq; ad plagam occidentalem, Beniamin vna. Et contra terminum Beniamin, à plaga orientali vsq; ad plagam occidentalem, Symeon vna. Et super terminum Symeonis à plaga orientali vsq; ad plagam occidentalem, Issachar vna. Et super terminum Issachar, à plaga orientali vsque ad plagam occidentalem, Zabulon vna. Et super terminum Zabulon, à plaga orientali vsq; ad plagam maris, Gad vna. Et super terminum Gad, ad plagam austri in meridiẽ; & erit finis de Thamar,

vsque

vsque ad aquas contradictionis Cades, hæreditas contra mare magnum. Hæc est terra quam mittetis in sortem tribubus Israel: & hæ partitiones earum ait Dominus Deus. [e] Et hi egressus ciuitatis, A plaga septentrionali quingentos & quatuor millia mensurabis. Et portæ ciuitatis in nominibus tribuum Israel: portæ tres
G à septentrione, porta Ruben vna, porta Iuda vna, porta Leui vna. Et ad plagam orientalem, quingentos & quatuor millia: & portæ tres, porta Ioseph vna, porta Beniamin vna, porta Dan vna. Et ad plagam meridianam, quingentos & quatuor millia metieris: & portę tres, porta Symeonis vna, porta Issachar vna, porta Zabulon vna. Et ad plagam occidentalem, quingentos & quatuor millia: & portæ eorum tres, porta Gad vna, porta Aser vna, porta Nephthalim vna. Per circuitum, decem & octo millia: & nomen ciuitatis ex illa die Dominus ibi.

SCHOLIA.

[a] Et erit ei plaga orientalis.] *Tribus (inquit) Dan in extremitate sua attingit partes & loca septentrionalia, vt in textu enumerantur, & secundum longum incipit in oriente, & terminatur ad mare occidentale. Haud aliter aliæ tribus eandem habent longitudinem ab oriente in occidentem. Latitudo autem earum non definitur, sicut mensura latitudinis separationis sanctæ, atque possessionis principis expresè describitur. In libro Iosuæ longè alia ratione secernuntur hæ sortes tribuũ Israel. Et Thalmudici quidem asserunt possessionem Israelis fore vsque ad extremos fines terræ, id quod colligunt ex eo, quod hic dicitur, ab orientali plaga vsque ad plagam occidentalem: & nos libenter illis assentiremus, si in spiritu id factum intelligerent, iuxta illud, Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, &c. Porrò ex sortibus, septẽ præcedunt separationem sanctam, & templum hoc ordine. Dan, Aser, Nephthalim, Manasse, Ephraim, Ruben, & Iuda, mox separatio, proximè ad tribum Iuda, quæ olim in tribu Iuda & Beniamin fuit, iam est separatio, portio peculiaris, Deoque dicata, sed Iudæ vicina, quòd illis esset promissus Messias.* [b] Quinque millia autem.] *Habet latitudo separationis cubitos 25. millia: à quibus si detrahantur decem millia pro sacerdotibus, & totidem pro leuitis, relinquuntur quinque millia pro possessione ciuitatis, quæ hic portio prophana appellatur.* [c] Seruientes autem ciuitati.] *Hi de singulis tribubus seliguntur, quia Gabaonitæ & impy cæteri non erunt, nec sanctam vrbem communes homines inhabitabiũt, nihil enim coinquinatum introibit in regnum cœlorum.* [d] Omnis separatio vigintiquinque millium.] *Epilogus est: quadrifariam separarunt, nimirum pro separatione sancta, pro sacerdotum domibus, pro leuitis, & possessione vrbis.* [e] Et hi egressus ciuitatis.] *Latus (inquit) vrbis septentrionale habet quingentos cubitos & quatuor millia, constituunturque in hoc latere tres portæ, & similiter alia latera tot memorantur habuisse cubitos, vt tota amplitudo vrbis complexa sit decem & octo millia cubitorum. Et quod in fine additur: nomen ciuitatis, Dominus ibi: sensus est, Dominus in æternum erit ibi, nec vnquam illinc est discessurus, vt hactenus discesserit.*

DANIELIS PROPHETA.

CAPVT I.

A

[a] ANNO tertio regni Ioacim regis Iuda, venit Nabuchodonosor rex Babylonis in Ierusalem, & obsedit eam. Et tradidit Dominus in manu eius Ioacim regem Iudæ, & partem vasorum domus Dei: & asportauit ea [b] in terram Sennaar, in domũ dei sui, & vasa intulit in domum thesauri dei sui. Et ait rex Asphenez [c] præposito eunuchorum, vt introduceret de filijs Israel, & de semine regio, & † principũ pueros in quibus nulla esset macula, decoros forma, & eruditos omni sapientia, cautos scientia, & doctos disciplina, & qui possent stare in palatio regis: [d] vt doceret eos literas, & linguam Chaldæorum. Et
B constituit eis rex annonã per singulos dies de cibis suis, & de vino vnde bibebat ipse: vt enutriti tribus annis, postea starent in conspectu regis. Fuerunt ergo inter eos de filijs Iudę, Daniel, Ananias, Misael, & Azarias. [e] Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina: Danieli, Baltasar: Ananię, Sidrach: Misacli, Misach: & Azarię, Abednago. Proposuit autem Daniel in corde suo, ne pollueretur de mensa regis, neque de vino potus eius: et rogauit eunuchorum præpositum ne contaminaretur. Dedit autem Deus Danieli gratiam & misericordiã
C in conspectu principis eunuchorum. Et ait princeps eunuchorum ad Danielem. Timeo ego dominũ meum regem qui constituit vobis cibum & potum: qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescẽtibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum regi: & Dixit Daniel ad Malasar, quem constituerat princeps eunuchorum super Danielem, Ananiam, Misaelem, & Azariam. Tenta nos obsecro seruos tuos diebus decem, & dentur nobis legumina ad vescendum, & aqua ab bibendum: & cõtemplare vultus nostros, & vultus puerorum qui vescuntur cibo regio: & sicut videris, facies cum seruis tuis. Qui audito sermone huiusce-
modi, tentauit eos diebus decem. Post dies autem decem apparuerũt vultus eorum meliores & corpulentiores præ omnibus pueris qui vescebantur cibo regio. Porrò Malasar tollebat cibaria & vinum potus eorum: dabatque eis legumina. Pueris autem his dedit Deus scientiam & disciplinam in omni libro & sapientia: Da-
D nieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum, Completis itaque diebus post quos dixerat rex vt introducerentur: introduxit eos præpositus eunuchorum in conspectu Nabuchodonosor. Cumq; eis locutus fuisset rex, non sunt inuenti tales de vniuersis, vt Daniel, Ananias, Misael, & Azarias: & steterunt in conspectu regis. Et omne verbum sapientiæ & intellectus quod scisciatus est ab eis rex, inuenit in eis decu-

plum

Infra 6.g plum [f] super cunctos ariolos & magos qui erant in vniuerso regno eius. [g] Fuit autem Daniel vsq; ad annum primum Cyri regis.

SCHOLIA.

[a] Anno tertio regni Ioacim.] *Non est turbata in Daniele series temporum, propterea, quòd pleraque visa sub eisdem regibus, non simul legantur. Nam siquis scriptoris consilium attendat, non solum ordo illæsus est, sed & probe custoditus. Duplices enim Visiones complectitur. Sunt quas reges barbari viderunt, easque interpretatus est Daniel: de eis & aliis, quæ Deus ad extollendos ministros suos, & prouehendum gloriam suam, mirificè operatus est, tractatur vsque ad caput septimum. Sunt aliæ, quas Daniel ipse sub variis regibus habuit, & quid significent, archangelo interprete didicit, de eis vsque ad finem agitur. Totus autem in hoc incumbit, vt Christi gloriosum & æternum regnum magnificè efferat ac prædicet, & præ illo omnia regna mundi vana & caduca ostendat. Habet & hanc inter prophetas palmam, vt prædicet quasi momentum ipsum, quo Iudæorum cerimoniæ cessaturæ erant, & regnum Christi inchoaturum. Hic inuenis abductus est anno tertio Ioacim regis Iuda in Babylonem, mansisseque putatur ibi per septuaginta annos, hoc est, vsque ad extructionem Ierusalem, id quod ex fine huius capitis discitur. Putatur autem Ioacim bis captus ex eo, quod 4. Reg. 24. colligitur illum vndecim regnasse annis, & cum hic scribatur tertio anno, scilicet completo, migrasse in Babylonem, qui secundum Ieremiam primus fuit annus Nabuchodonosor, iterum videtur rediisse in regnum, seruiens regi Babel tribus annis, & postea rebellis effectus, denuo est captus, & in itinere mortuus. Hic Ioacim erat filius Iosiæ regis, pater Ioachin, quem & Iechoniam appellant, frater autem Sedechiæ, qui & Sellum dicitur, sub quo Ierusalem destructa est, & frater Ioachaz, quem Pharao Necao in Aegyptum abduxit vinctū. Et admonet Hiero. non putandum esse eūdem in Danielis principio esse Ioacim, qui in Ezechielis exordio Ioachin scribitur, iste enim extremam syllabam, cim habet, ille chin. Hic ergo fuit à Pharaone Necao pro fratre suo Ioachaz constitutus rex Iuda.* [b] In terram Sennaar.] *Terra Sennaar, terra Chaldæorum est, in qua Babylon, dicta quòd illic Viri diluuij moueri cæperint, atque increscere.* [c] Præposito eunuchorum.] *Eunuchi propriè & secundum etymon suum dicuntur lectorum custodes, & cubicularij, non spadones, quamuis barbari reges id muneris hisce molliculis ferè iniungere soliti sint, vnde & spadones, eunuchi dici cœpere.* [d] Vt doceret eos.] *Vt rex eos doceri curaret literas Chaldæorum.* [e] Et imposuit eis præpositus eunuchorum nomina.] *Potestatis ac dominij indicium est, quando seruis noua nomina inducuntur, atque hoc licet aliquoties in scripturis cernere. Adam enim appellans suis nominibus animalia, dominum se illorum à Deo conditum declarauit. Insigniuit etiam Seruator Christus nouis nominibus, quos præcipuos suo ministerio adscripsit: ita ex Simone factus est Petrus, ex filijs Zebedæi filij tonitrui, ex Saulo Paulus, & olim ex Iacob Israel, & ex Abram Abraham. Babylonijs sanè inuisa erant Danielis sociorumque illius nomina, quandoquidem singula in diuina vocabula desinunt: nã eorum desinentiæ sunt nomina Veri Dei, & Deum ex nominibus suis suum agnoscebant, Daniel iudicem, Ananias miseratorem, Misael interpellatum, & Azarias adiutorem. Nunc mutatis nominibus Daniel salutatur Balthasar, quasi Bel custos thesauri, Ananias fatebatur gratiam Dei, nunc audit se exaltatum, et in delitijs esse. Sic Misael sonans petetem sua à Deo, audit se in precio esse, & Azarias vocabulo suo testabatur adiutorem Deum, nunc glorioſe appellatur illustrator: quanquam aliqui interpretantur Abednago seruum Veneris. Nago enim stella est Veneris.* [f] Super omnes hariolos & magos.] *Hebræam dictionem, quam nostri verterunt magos: quidam exponunt de eis qui naturalibus rebus vtentes, mira faciunt, aut putantur mira facere, dum subtilitas ipsorum minus aduertitur. Hac arte multum valent magi, & arbitratur nomen compositum à foramine & occulto, eo quòd præstigiatores illi nonnunquam homines includebant in locis occultis, & non nunquam etiam in sepulchris, & sic innumeris modis dementabāt homines. De hac Danielis & sociorum eruditione sic ait Hieronymus, Daniel, qui de mensa regis, & de vino potus eius non vult comedere, ne polluatur, vtique si sciret ipsam sapientiam atque doctrinam Babyloniorum esse peccatum, nunquam acquieſceret discere, quod non licebat, discunt autem, non vt sequātur, sed vt iudicent, atque conuincant. Idem, pro hariolis (inquit) & magis Vulgata ædito sophistas & philosophos transtulit, non iuxta hanc philosophiam, & sophisticam disciplinam, quam Græcorum eruditio pollicetur, sed iuxta doctrinam gentis barbaræ qua vsque hodie Chaldæi philosophantur.* [g] Fuit autem Daniel.] *Quod dicitur ad annum primum, quidam vir eruditus aiebat legendum esse, etiam secundum Hebraicam veritatem, ad annum ipsum, hoc est, vsque ad tempus Cyri. Neque dicitur quòd mortuus fuerit eo anno, sed quòd fuerit, quidam enim offenduntur, quòd cum hic dicatur vsque ad annum primum Cyri, in posterioribus visionibus legatur anno tertio Cyri.*

CAPVT II.

IN [a] anno secundo regni Nabuchodonosor vidit Nabuchodonosor somnium: [b] & conterritus est spiritus eius, & somnus eius fugit ab eo. Præcepit autem rex vt conuocarentur arioli, & magi, & malefici, [c] & Chaldæi: vt indicarent regi somnia sua. Qui cum venissent steterunt coràm rege: & dixit ad eos rex, Vidi somnium: & mente confusus ignoro quid viderim: [d] Respondentq; Chaldæi regni Syriacè, Rex in sempiternum viue: dic somnium seruis tuis, & interpretationem eius indicabimus. Et respõdens rex ait Chaldæis. Sermo recessit à me: nisi indicaueritis mihi somnium & coniecturam eius, peribitis vos, & domus vestræ in latrinas ponentur. Si autem somnium & coniecturam eius narraueritis: præmia & dona, & honorem multũ accipietis à me: somnium igitur, & interpretationem eius indicate mihi. Respondérunt secundo atque dixerunt, Rex somnium dicat seruis suis, & interpretationem illius indicabimus. Respondítque rex: & ait, Certè noui quòd tempus redimitis, sciẽtes quòd recesserit à me sermo. Si ergo somnium nõ indicaueritis mihi, vna est de vobis sententia, quòd interpretationem quoq; fallacem & deceptione plenam composueritis vt loquamini mihi donec tempus pertranseat. Somnium itaq; dicite mihi, vt sciam quòd interpretationem quoque eius veram loquamini. Respondentes ergo Chaldæi coràm rege, dixerunt, Non est homo super terram, qui sermonem tuum, rex, possit implere: sed neq; regum quisquam magnus & potens, verbum huiuscemodi sciscitatur ab omni ariolo, & mago, & Chaldæo. Sermo enim, quẽ tu quæris, rex, grauis est: nec reperietur quisquã qui indicet illum in conspectu regis: exceptis dijs quorũ non est cum † carne conuersatio. Quo audito, rex in furore & in ira magna præcepit vt perirent omnes sapientes Babylonis. Et egressa sententia, sapientes interficiebantur:

interficiebantur: quærebaturq; Daniel & socij eius, vt perirent. Tunc Daniel requisiuit de lege atq; sententia [e] Arioch principe militiæ regis, qui egressus fuerat ad interficiendos sapientes Babylonis. Et interrogauit eũ qui à rege potestatem acceperat, quã ob causam tam crudelis sentẽtia à facie regis esset egressa. Cum ergo rẽ indicasset Arioch Danieli, Daniel ingressus rogauit regẽ vt tempus daret sibi ad solutionẽ indicandã regi. Et ingressus est domum suam: Ananieq; & Misaeli, & Azariæ socijs suis, indicauit negotiũ: vt quærerent misericordiã a facie Dei cœli super † arcano isto, & non perirent Daniel & socij eius, cũ cęteris sapientibus Babylonis. Tunc Danieli mysteriũ per visionem nocte reuelatũ est: & benedixit Daniel Deum cœli, & locutus Psal. 112. ait, Sit nomen Dñi benedictum à sęculo & vsq; in sęculũ: quia sapiẽtia & fortitudo eius sunt. Et ipse [f] mutat tẽpora & ętates: trãsfert regna atq; constituit: [g] dat sapientiã sapientibus, & scientiã intelligẽtibus disciplinã. Ipse reuelat [h] profunda & absc͠ódita: & nouit in tenebris cõstituta: & lux cũ eo est. Tibi Deus patrũ meorum confiteor, teq; laudo: quia sapientiam & fortitudinẽ dedisti mihi, & nunc ostendisti mihi quæ rogauimus te, quia sermonem regis aperuisti nobis. Post hęc Daniel ingressus ad Arioch quem constituerat rex vt perderet sapientes Babylonis, sic ei locutus est, Sapientes Babylonis ne perdas: introduc me in conspectu regis, & solutionem regi narrabo. Tunc Arioch festinus introduxit Danielem ad regẽ, & dixit ei, Inueni hominẽ de filijs transmigrationis Iudæ, qui solutionẽ regi annuntiet. Respondit rex: & dixit Danieli cuius nomen erat Baltasar, Putásne verè potes mihi indicare somnium quod vidi, & interpretationem eius? Et respondẽs Daniel coràm rege, ait, Mysterium, quod rex interrogat, sapientes, magi, & arioli, & aruspices nequeunt indicare regi: sed est Deus in cœlo reuelans mysteria, qui indicauit tibi rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt novissimis temporibus. Somnium tuum, & visiones capitis tui in cubili tuo, huiuscemodi sunt. Tu rex cogitare cœpisti in stratu tuo quid esset futurum post hęc: & qui reuelat mysteria, ostendit tibi quæ ventura sunt. Mihi quoq; non in sapientia quæ est in me plus quàm in cunctis viuentibus, † arcanum hoc reuelatum est: sed vt interpretatio regi manifesta fieret, & cogitationes mẽtis tuæ scires. Tu rex videbas, & ecce quasi statua vna grandis: [i] statua illa magna, & statura sublimis stabat contra te, & intuitus eius erat terribilis. Huius statuæ caput, ex auro optimo erat: pectus autem & brachia, de argento: porrò venter & femora ex ære. Tibiæ autem ferreæ: pedum quædam pars erat ferrea: quædam autem fictilis. Videbas ita, donec absc͠issus est lapis † sine manibus: & percussit statuã in pedibus eius ferreis & fictilibus, & comminuit eos. Tunc cõtrita sunt pariter ferrum, testa, æs, argẽtum, & aurum, & † facta sunt quasi palea æstiuę arcæ, quę rapta sunt vento: nullusq; locus inuẽtus est eis: lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus: & impleuit vniuersam terram: hoc est somniũ. Interpretationem quoq; eius dicemus coràm te, rex. Tu rex regum es: & Deus cœli regnum & fortitudinem & imperium & gloriam dedit tibi: & omnia [k] in quibus habitant filij hominum & bestiæ agri, volucres quoque cœli dedit in manu tua, & sub ditione tua vniuersa constituit: tu es ergo caput aureum. [l] Et post te consurget regnum aliud minus te: & regnum tertium aliud æreum, quod imperabit vniuersæ terræ: & [m] regnum quartum erit velut ferreum. Quomodo ferrum cõminuit & domat omnia: sic comminuet & conteret omnia hæc. [n] Porrò quia vidisti pedum & digitorum partẽ testeam figuli, & partem ferream: regnum diuisum erit, [o] quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum testæ ex luto. Et digitos pedum ex parte ferreos & ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, & ex parte contritum. [p] Quòd autem vidisti ferrum mistum testæ ex luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhęrebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ. [q] In diebus autem regnorũ illorum suscitabit Deus cœli regnum quod inæternum non dissipabitur, & regnũ eius alteri populo non tradetur: comminuet autem & cõsumet vniuersa regna hæc: & ipsum stabit inæternum. Secũdum quod vidisti, quod [r] de monte absc͠issus est lapis sine manibus, & comminuit testam, & ferrum, & æs, & argentum, & aurum. Deus magnus ostendit regi, quę ventura sunt postea: & verum est somnium, & fidelis interpretatio eius. Tũc rex Nabuchodonosor cecidit in faciem suam, & Danielem adorauit: & hostias, & incensum pręcepit, vt sacrificarent ei. Loquens ergo rex, ait Danieli, Verè Deus vester Deus deorum est & Dominus regum, revelans mysteria: quoniam tu potuisti aperire hoc † arcanum. Tũc rex Danielẽ in sublime extulit, & munera multa & magna dedit ei: & constituit eum principem super omnes prouincias Babylonis, & præfectum & magistrum super cũctos sapientes Babylonis. Daniel autem postulauit à rege: & constituit super opera prouinciæ Babylonis, Sidrach, Misach, & Abednago: ipse autem Daniel erat in foribus regis.

SCHOLIA.

[a] Anno secundo.] *Intellige annum secundum, non simpliciter regni eius, sed monarchiæ, cum omnium gentium imperium est assecutus, quas Dominus secundum Vaticinium Ieremiæ subiecturus erat ei.* [b] Et conterritus est spiritus eius.] *Naturæ exquisitores dicunt spiritum hominis corporalem vectorem esse formarum, quæ in somno spectantur, & delentur, & ille sicubi terrore confundatur, venire illas in obliuionem: confuso enim illo, etiam formas deleri.* [c] Et Chaldæi.] *Chaldæi viliores erant magis, & Gymnosophistis, ac astrologis, quos inter viros sapientes recensebant. Erant autẽ genethliaci ac coniectores, impostúras suas minimo ære venditantes.* [d] Respondérunt; Chaldæi regi Syriacè.] *Chaldæi erant & dicebantur, & Syriacè loquebantur: natiuam aspernabantur linguam, & externa rhetoricabantur, quo in maiori admiratione apud regem essent. Hodie Chaldaicum sermonem vocant, qui hic Syriacus dicitur, quo etiam Christus seruator noster iuxta consuetudinem regionis in Euangelijs, vt barbaræ voces testantur, non raro, si nõ et frequenter, ac magis, quàm Hebraico vsus est. Apparet autem, quòd Syriaca lingua, valde nobilis fuerit. Chaldaica verò solis Babylonijs & Chaldæis peculiaris, sicut Hebræa Iudæis, quamuis ambæ, non multum distent à Syriaca, veluti hodie Latinus sermo vicinus est Italo & Hispano.* [e] Arioch principe militiæ regis, qui egressus.] *Quem Græcus ἀρχιμάγειρον vertit, quòd sicut princeps coquorum omnia altilia & pecora mactat & coquit, ita illi ac principes mundi occidunt homines.* [f] Mutat tempora & ætates: transfert regna.] *Sensus est: omnia sunt in potestate eius, & mira est dispensatio operum eius, quæ sunt in hoc*

corruptibili mundo. Nunc boni nunc mali rerum potiuntur, nunc in oriente nunc in occidente est monarchia. Nihil prosunt congesti thesauri maximis imperatoribus, nihil innumeræ militum copiæ, nihil versuta consilia, ad stabiliendā aut ampliada regna. Deus hæc omnia moderatur: abycit plerunque potentes reges, & in locum eorum surrogat inermes ac nudos pastores.

& Dat sapientiam.] *Scientia & disciplina donum est Dei in illis, qui habent illam. Nulla autem sæcula fuerunt, quæ non suos habuerint sapientes, Ante diluuium erant multi sæcles senes, primordiorum mundi bene conscij, ad eruiendam posteritatem seruati. Noe eorum doctor, qui circa diluuij tempus fuere. Abraham et alij patriarchæ seminaria sapientiæ Chaldæis, Palæstinis, & Aegyptijs dedere, &c.* [h] Profunda & abscondita.] *Sic Græcus,* βαθέα καὶ ἀπόκρυφα, *quæ Polychronius sic discriminat, Vt dicat, absconditā vocari à Daniele ea, quæ omnibus ignota sint: profunda verò, quæ aperta quidem sint, sed nondum discerni valeant, vt & somnium dicat, & somnij declarationem.* [i] Statua illa magna.] *Significat hæc imago mundum: sicut enim caput eius est aureum, pectus argenteum, & inferiora deteriora, puta ferrea & tandem ex luto, atque fictilia: sic se habet ratio mundi, vt prima quæque pulcherrima sint, posteriora deteriora. Describuntur autem tātum quatuor monarchiæ, à quibus scilicet Iudæi erant affligendi. Iisdem autem temporibus florere cœperunt regna illa quatuor: regnante enim apud Hebræos Ezechia, regnabat in Babylone Merodach Baladam, vt est Esa. 38. apud Macedonas verò Perticas rex quartus: apud Romanos Romulus rex primus: apud Medos Medidus rex tertius. Cur autem regnum Babylonicum aureo capiti comparetur, non videtur tantum esse causa quòd lōgior fuerit monarchia, aut ditior, aut latior, sed fortasse ob hoc, quòd ipsi victori domitis vicinis & rebellibus, maiori pace regnare contigerit, quàm Cyro, Alexandro, vel Iulio, primis monarchiarum assertoribus. Nam Nabuchodonosor inuictissimus vltra quadragesimum annum regnauit, & senex quietum regnū filio Euilmerodach reliquit. Promissionem habuit per Ieremiam, vt habetur cap. 27, apud Ezec. cap. 17. est aquila grandis: apud Esaiam lucifer filius auroræ. Iosephus antiquit. libro. 10. ait, Dioclem, Philostratum, Berosum, & alios exteros scriptores honestam illius facere mētionem. Eusebius quoque Megasthenem citat, qui illum Hercule robustiorem fuisse, vniuersamque Lybiam, & cæteram Asiam vsque ad Armenios domuisse dicit. Orosius verò testatur Hispanos suos Iberos ad illum propace legatos misisse. Hinc patet, quātæ potentiæ rex fuerit. Præterea vnus erat Nabuchodonosor, Cyrus socium habuit Darium, & infra, tres ordines dentium. Alexandro quatuor capita assignantur. Romanis verò decem cornua. Precipua igitur illa, quæ magis vnita.* [k] In quibus inhabitant filij hominum.] *Nulla vnquā monarchia sic vniuersi orbi præfuit, vt nullam prouinciam relinqueret indomitam. Testantur hoc aræ Alexandri, colūnæ Herculis. Ctesiphon Romani imperij ad orientem limes. Hic ergo est hyperbolicus sermo, vt plerique alij. Sunt qui Nabuchodonosor cōcedant ea, quæ poetæ Herculi, qui aprum Erimanthæum, Leonem Nemæū, aues Stimphalides, equos Diomedæos, & alia monstra occidens terram purgarit. Fabulantur Hebræi, equitasse Nabuchodonosorem, & frenis domuisse leones.* [l] Et post te.] *Per regnū secundum iuxta omnes, regnum Persarum intelligit, & per tertium, regnum Macedonicum vel Græcorū.* [m] Regnum quartum.] *Quartum hoc regnum, per tibias ferreas significatum, Romanum regnum est, & signantius cæteris describitur, quia sub illo Christus in carnem venturus erat. Omnia autem, quæ hic dicuntur, Romano regno aptissimè quadrant. Nam verè ferreum Romanorum regnum: pauca enim quædam regna regum liberalitate obtinuerūt, vt ab Attalo Pergameno quædam in Asia, à Ptolemeo Cyrenaicam & Pentapolitanam, a Boccho Numidiam, à Iuba Mauritaniam, reliquas terras gladio vendicarūt.*

[n] Porro quia vidisti.] *Diuisum hoc regnum fore dicit, et in se ipso dissidium habiturum. Asfraticidio cœpit, deinde semper mirum in modum seditionibus laborauit, & tamen, quod pro miraculo fuit, planta ferrea in maximis calamitatibus constitit.* [o] Quod tamen de plantario ferri orietur.] *Altius sic vertit. Eritque in eo aliquid de robore ferri, iuxta quod visitit.* [p] Quod autem vidisti ferrum.] *Hoc variè exponunt interpretes, sed videtur intelligendum, Romanos tam atroci ambitione inflammatos ad belligerandum, vt nec sanguinem nec affinitatem reuererentur. Vide enim vt Romulus interfecto Numitore auo, & Remo fratre, cuiitatem cōsecarit, vt Sabinas rapuerint, vt cum patribus bellum gesserint. Horatium sororicidam, seueritatem Bruti consulum primi, qui duos fratres vxoris, & duos filios, reos virgis Cæsos securi percussit, quasi in vrbe reges vocari voluerint. Vide monarchas, Iulium & Augustum. Pompeius Iuliam Cæsaris filiam. Antonius Octauiam Cæsaris sororem vxorem habuit, & quo pacto vterque perditus est.* [q] In diebus autem regnorum illorum.] *Quoniam duplex est regnum Christi, vnum in spiritu, alterum in gloria, illud in humilitate, hoc in maiestate, vtriusque meminit. In diebus illis ergo, cum regnabunt ferrei sæculi reges, secundo enim & quadragesimo Augusti imperantis anno natus est Christus. Interijt autem gloria mundi, & desiit in lutum, vbi regnum aderat, quod in sæculum non corrumpetur, & aduersus quem portæ inferi non præualebūt.* [r] De monte abscissus est lapis.] *Mons, Sion est, & Iudæorum populus, è quo lapis Christus. Potest & ad natiuitatem referri, vt multi ecclesiasticorum intellexerunt, quòd scilicet ex virgine absque viri congressu natus sit. Hic autem versus ad secundum aduentum pertinet, de quo sic scribit Hippolytus. Lapis percutiens imaginem, & conterens, ille est, qui impleuit terram Christus, venturus e cœlis, & iudicabit mundum. Intelligitur autem illud, sine manibus, repente & inopinato descendentem, & in ictu oculi, quòd non paulatim per manus deportetur. Et nunc in spiritu fit, vt cuius in corde effulserit, huic imminuatur totius mundi gloria, vt nolit configurari huic sæculo.*

CAPVT III.

[a] Nabuchodonosor rex fecit statuam auream altitudine cubitorum sexaginta, latitudine cubitorum sex: & statuit eam in campo Dura prouinciæ Babylonis. Itaque Nabuchodonosor rex misit ad congregandos satrapas, magistratus & iudices, duces & tyrannos, & præfectos, omnesq; principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ quam erexerat Nabuchodonosor rex. Tunc congregati sunt satrapæ, magistratus & iudices, duces, tyranni, & optimates qui erant in potestatibus constituti, & vniuersi principes regionum, vt conuenirent ad dedicationem statuæ quam erexerat Nabuchodonosor rex. Stabant autem in conspectu statuæ quam posuerat Nabuchodonosor rex, & preco clamabat valenter, Vobis dicitur populis, tribubus, & linguis, In hora qua audieritis sonitū tubæ & fistulæ & citharæ, sambucæ, & psalterij & symphoniæ & vniuersi generis musicorum, cadentes adorate statuam auream quam cōstituit Nabuchodonosor rex: si quis autem non prostratus adorauerit, eadem hora mittetur in fornacem ignis ardētis. Post hæc igitur

igitur statim vt audierunt omnes populi sonitum tubæ, fistulæ, & citharæ, sambucę & psalterij, symphoniæ, & omnis generis musicorum: cadentes omnes populi, tribus, & linguæ adorauerunt statuam auream quam constituerat Nabuchodonosor rex. Statimq; & in ipso tēpore accedentes viri Chaldæi accusauerunt Iudęos: dixerūtq; Nabuchodonosor regi, Rex inæternum viue: tu rex, posuisti decretum, vt omnis homo qui audierit sonitum tubæ, fistulæ, & citharę, sambucæ, & psalterij, & symphonię, & vniuersi generis musicorum, prosternat se, & adoret statuam auream: siquis autem nō procidens adorauerit, mittatur in fornacem ignis ardētis. Sunt ergo viri Iudæi, quos constituisti super opera regionis Babyloniæ, [b] Sidrach, Misach, & Abednago: viri isti contempserunt, rex, decretum tuum: deos tuos non colunt, & statuam auream quā erexisti non adorant. Tunc Nabuchodonosor rex in furore & in ira præcepit vt adducerētur Sidrach, Misach, & Abednago: qui confestim adducti sunt in conspectu regis. Pronuntiansq; Nabuchodonosor rex, ait eis, Veréne Sidrach, Misach, & Abednago deos meos non colitis, & statuam auream quam constitui non adoratis? Nunc ergo si estis parati, quacunque hora audieritis sonitum tubæ, fistulæ, citharæ, sambucæ, & psalterij, & symphoniæ, omnisq; generis musicorum prosternite vos, & adorate statuam quam feci: quòd si non adoraueritis, eadem hora mittemini in fornacem ignis ardentis: & quis est Deus qui eripiet vos de manu mea? Respondentes Sidrach, Misach, & Abednago, dixerunt regi Nabuchodosor, Non oportet nos de hac re respondere tibi. Ecce enim Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, ò rex, liberare. Quòd si noluerit, notum sit tibi, rex, quòd deos tuos non colimus: & statuam auream quam erexisti nō adoramus. Tunc Nabuchodonosor repletus est furore: & aspectus faciei illius immutatus est super Sidrach, Misach, & Abednago. Et præcepit vt succenderetur fornax septuplum quàm succendi consueuerat. Et [c] viris fortissimis de exercitu suo iussit vt ligatis pedibus Sidrach, Misach, & Abednago mitterent eos in fornacem ignis ardentis. Et confestim viri illi vincti [d] cum brachis suis, & tiaris, & calceamētis & vestibus, missi sunt in medium fornacis ignis ardentis: nam iussio regis vrgebat, fornax autem succensa erat nimis. Porrò viros illos, qui miserant Sidrach, Misach, & Abednago, interfecit flamma ignis. Viri autem hi tres, id est Sidrach, Misach, & Abednago ceciderunt in medio camino ignis ardentis, colligati.

QVÆ SEQVVNTVR, IN HEBRÆIS voluminibus non reperi.

Etambulabant in medio flammę laudantes Deum, & benedicentes Domino. Stans autem Azarias, orauit sic, aperiensque os suum in medio ignis ait, Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile, & gloriosum nomen tuum in sæcula: quia iustus es in omnibus quæ fecisti nobis, & vniuersa opera tua vera, & viæ tuæ rectæ, & omnia iudicia tua vera. Iudicia. n. vera fecisti iuxta omnia quæ induxisti super nos, & super ciuitatem sanctam patrum nostrorū Ierusalem: quia in veritate & in iudicio induxisti omnia hęc propter peccata nostra. Peccauimus enim & iniquè egimus recedentes à te: & deliquimus in omnibus, & præceD pta tua non audiuimus, nec obseruauimus, nec fecimus sicut præceperas nobis vt bene nobis esset: omnia ergo quę induxisti super nos, & vniuersa quę fecisti nobis, in vero iudicio fecisti: & tradidisti nos in manibus inimicorum nostrorum iniquorum & pessimorum, preuaricatorumq;, & regi iniusto & pessimo vltra oēm terram. Et nunc non possumus aperire os, cōfusio, & opprobriū facti sumus seruis tuis, & his qui colunt te. Ne, quęsumus, tradas nos in perpetuū propter nomen tuū, & ne dissipes testamentum tuū, neq; auferas misericordiā tuam à nobis propter Abrahā dilectum tuum, & Isaac seruū tuum: & Israel sanctum tuū: quibus locutus es, pollicens quòd multiplicares semen eorū sicut stellas cœli, et sicut arenam quę est in litore maris: quia Dñe imminuti sumus plusquam omnes gentes, sumusq; humiles in vniuersa terra hodie propter peccata nostra. Et non est in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neque holocaustum, neque sacrificiū, neque oblatio, neque incensum, neque locus primitiarum coràm te, vt possimus inuenire misericordiam tuam: sed in anima contrita, & spiritu humilitatis suscipiamur. Sicut in holocausto arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum pinguium: sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, vt placet tibi: quoniam non est confusio confidentibus in te. Et nunc sequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam. Ne confundas nos: sed fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam, & secundum multitudinem misericordiæ tuæ. Et erue nos in mirabilibus tuis & da gloriam nomini tuo Domine: & confundantur E omnes qui ostendunt seruis tuis mala, confundantur in omni potentia, & robur eorum cōteratur: & sciant quòd tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum. Et non cessabant qui miserant eos ministri regis succendere fornacem, naphtha & stuppa & pice & malleolis, & effundebatur flamma super fornacem cubitis quadraginta nouem: & erupit, & incendit quos reperit iuxta fornacem de Chaldæis. Angelus autem Domini descendit cum Azaria & socijs eius in fornacem: & excussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis quasi ventum roris flantem, & nō tetigit eos omnino ignis, neq; contristauit, nec quicquam molestiæ intulit. Tunc hi tres quasi ex vno ore laudabant & glorificabant et benedicebant Deum in fornace: dicentes, Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum, & laudabilis & superexaltatus in sæcula: & benedictum nomen gloriæ tuæ sanctum & laudabile & superexaltatum in omnibus sæculis. Benedictus es in templo sancto gloriæ tuæ, & superlaudabilis, & supergloriosus in sæcula. Benedictus es in throno regni tui, & superlaudabilis & superexaltatus in sæcula. Benedictus es qui intueris abyssos, & sedes super cherubim, & laudabilis & superexaltatus in sæcula. Benedictus es in firmamento cœli, & laudabilis, & gloriosus in sæcula. Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite angeli Domini Domino, laudate & superexaltate eum in sæcula. Benedicite cœli Domino, laudate Pſal. 148

no,laudate & ſuper exaltate eum in ſæcula. Benedicite aquæ omnes quæ ſuper cœlos ſunt Domino,laudate F
& ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite omnes virtutes Domini Domino, laudate & ſuperexaltate eum
in ſæcula. Benedicite ſol & luna Domino,laudate & ſuperexaltate eũ in ſæcula. Benedicite ſtellæ cœli Do-
mino,laudate & ſuperexaltate eũ in ſæcula. Benedicite omnis imber & ros Dño,laudate & ſuperexaltate eũ
in ſæcula. Benedicite omnis ſpiritus Dei Domino,laudate & ſuperexaltate eum in ſęcula. Benedicite ignis
& æſtus Dño. laudate & ſuperexaltate eum in ſęcula, Benedicite frigus & ęſtas Domino, laudate & ſuper-
exaltate eũ in ſęcula. Benedicite rores & pruina Dño,laudate & ſuperexaltate eũ in ſęcula. Benedicite gelu
& frigus Dño,laudate & ſuperexaltate eum in ſęcula. Benedicite glacies & niues Domino,laudate & ſuper-
exaltate eum in ſęcula. Benedicite noctes & dies Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſęcula. Benedi-
cite lux & tenebrę Domino,laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite fulgura & nubes Domino,
laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicat terra Dominũ,laudet & ſuperexaltet eũ in ſæcula. Bene
dicite montes & colles Domino,laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite vniuerſa germinãtia in
terra Domino,laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite fontes Domino, laudate & ſuperexaltate G
eum in ſæcula. Benedicite maria & flumina Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite
cete,& omnia quæ mouentur in aquis Domino,laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite omnes
volucres cœli Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite omnes beſtiæ & pecora Do-
mino,laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite filij hominum Dño,laudate & ſuperexaltate eum
in ſæcula. Benedicat Iſrael Dominum,laudet & ſuperexaltet eum in ſæcula. Benedicite ſacerdotes Domi-
ni Domino,laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite ſerui Domini Dño,laudate & ſuperexaltate
eum in ſæcula. Benedicite ſpiritus & animæ iuſtorũ Domino, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Be-
nedicite ſancti & humiles corde Dño, laudate & ſuperexaltate eum in ſæcula. Benedicite Anania, Azaria,
Miſael Domino,laudate & ſuperexaltate eũ in ſęcula:quia eruit nos de inferno, & ſaluos fecit de manu mor
tis,& liberauit nos de medio ardentis flammę,& de medio ignis eruit nos. Confitemini Domino, quoniam
bonus,quoniam in ſæculum miſericordia eius. Benedicite omnes religioſi Domino Deo deorũ, laudate,&
confitemini ei,quia in omnia ſæcula miſericordia eius.

HVCVSQVE IN HEBRÆO NON HABETVR: ET QVÆ poſuimus,de Theodotionis editione translata ſunt.

Tunc Nabuchodonoſor rex obſtupuit,& ſurrexit properè,& ait optimatibus ſuis,Nónne tres viros miſ-
mus in medium ignis compeditos? Qui reſpondentes regi,dixerunt, Verè rex. Reſpõdit rex, & ait, Ecce ego
video quatuor viros ſolutos,& ambulantes in medio ignis,& nihil corruptionis in eis eſt, & [c] ſpecies quarti
ſimilis filio Dei. Tunc acceſsit Nabuchodonoſor ad oſtium fornacis ignis ardentis,& ait,Sidrach, Miſach,&
Abednago ſerui Dei excelſi, egredimini,& venite. Statimque egreſsi ſunt Sidrach, Miſach,& Abednago de
medio ignis. Et congregati ſatrapę,& magiſtratus,& iudices,& potentes regis, contemplabantur viros illos,
quòd nihil poteſtatis habuiſſet ignis in corporibus eorum,& capillus capitis eorum non eſſet aduſtus,etiam
ſarabala eorum non fuiſſent immutata,& odor ignis non tranſiſſet per eos. Et erumpens Nabuchodonoſor,
ait,Benedictus Deus eorum,Sidrach videlicet, Miſach,& Abednago, qui miſit angelũ ſuum, & eruit ſeruos
ſuos qui crediderunt in eum: & verbum regis immutauerunt,& tradiderunt corpora ſua ne ſeruirent & ne
adorẽt omnem deum,excepto Deo ſuo. A me ergo poſitum eſt hoc decretum, vt omnis populus,tribus,&
lingua quæcunque locuta fuerit blaſphemiam contra Deum Sidrach, Miſach,& Abednago, diſperea:,& do-
mus eius vaſtetur:neque enim eſt alius Deus, qui poſsit ita ſaluare. Tunc rex promouit Sidrach, Miſach,&
Abednago in prouincia Babylonis. Nabuchodonoſor rex,omnibus populis,gentibus,& linguis,qui habi-
tant in vniuerſa terra,pax vobis multiplicetur. Signa & mirabilia fecit apud me Deus excelſus. Placuit ergo
mihi prædicare ſigna eius,quia magna ſunt & mirabilia eius,quia fortia:& regnum eius, quia regnum ſem-
Infra 7.d piternum,& poteſtas eius in generationem & generationem.

SCHOLIA.

[a] Nabuchodonoſor rex.] *Lxx.addunt,anno decimo octauo. Tempus enim aſsignant (vt Ammonius ait) anno ſci-
licet ſextodecimo poſt explanatum à Daniele ſomnium. Quamuis enim rex ex prædicatione Danielis Deum cœli agnouiſſet,
oblitus tamen poſt modicum temporis eorum,quæ à propheta didicerat,et gentilibus irretitus vitijs, adulatoribus aures præ-
bens,atque diaboli tentationibus acquieſcens,placere ſibi cœpit ob magnificum imperium,& volens poſteritati commendare
memoriam rerum à ſe geſtarum,auſus fuit per erectam imaginem ſe referre in numerum deorum,qualis tunc fuit mos gen-
tium,quæ magnos & præcipuos viros deificabant. Regnauerat in Babylone triginta ſex annis, & monarchia potitus erat,
decem & octo annis,& incipiens grandæuus fieri,dabat locum huic tentationi.* [b] Sidrach, Miſach.] *Cur autem Danie-
lem magis religioſum,& ab idolis abhorrentem non accuſarunt? Reſpondetur, id factum ob ſingularem illius dignitatem,
quia olim rex iuſſerat,ei oblationes vt Deo offerri,& nomen Dei ſui indiderat,iccirco nullam eius mentionem fecerunt: ne
ſcilicet lex poſterior priori præiudicare videretur: & ſic vel abrogaretur, vel in controuerſiam veniret, vnde non decebat, vt
rex illum inuaderet.* [c] Viris fortiſsimis.] *Ligantur à fortiſsimis in exercitu, ne elapſi æſtimentur: ſeptuplum augetur in-
cendium,ne putes paruam flammam: & ne ſuſpiceris minus efficacem,& phantaſticam,circunſtantes perdit, in ſuo habitu
immittuntur, vt agnoſci poſsint ipſiſsimi illi eſſe. Itaq; inſuſpecta ſunt omnia, vt miraculum fiat auguſtius, et gloria Dei cõ-
mendatior.* [d] Cum brachis.] *De Verbi ſignificatione variant interpretes: quidam exponũt calceos, quidam thorialia, qui-
dam fœmoralia,id nuda corporis tegenda.* [e] Species quarti.] *Iſraelitæ filium Dei cum carne in mundo viſum credere no
luerunt: hic ſcriptura præmonſtrauit gentes illum incarnatum agnituras: quandoquidem cum adhuc ſine carne eſſet, viſum
in camino Nabuchodonoſor indicauit, & filium Dei eſſe illum confeſſus eſt.*

Caput

CAPVT IIII.

A [a] Ego Nabuchodonoſor quietus eram in domo mea,& florẽs in palatio meo, ſomnium vidi quod per-
terruit me:& cogitationes meæ in ſtratu meo, & viſiones capitis mei conturbauerunt me. Et per me
propoſitum eſt decretum,vt introducerentur in conſpectu meo cuncti ſapientes Babylonis,& vt ſolu-
tionem ſomnij indicarent mihi. Tunc ingrediebantur arioli,magi,Chaldæi,& aruſpices, & ſomniũ narraui
in conſpectu eorum:& ſolutionem eius non indicauerunt mihi: donec † tandem ingreſſus eſt in conſpectu
meo Daniel, cui nomen Baltaſar ſecundum nomen dei mei qui habet ſpiritum Deorum ſanctorum in ſe-
metipſo:& ſomnium coràm ipſo locutus ſum. Baltaſar princeps ariolorum, quoniã ego ſcio quòd ſpiritus
ſanctorum Deorum habeas in te,& omne arcanum non eſt impoſsibile tibi:viſiones ſomniorum meorum
B quas vidi,& ſolutionem earum narra. Viſio capitis mei in cubili meo, Videbam:& ecce arbor in medio ter-
ræ,& altitudo eius nimia. Magna arbor & fortis:& proceritas eius contingẽs cœlum:aſpectus illius erat vſq;
ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima,& fructus eius nimius:& eſca vniuerſorum in ea: ſubter
eam habitabant animalia & beſtię,& in ramis eius conuerſabantur volucres cœli:& ex ea veſcebatur omnis
caro. Videbam in viſione capitis mei ſuper ſtratum meum,[b] & ecce vigil & ſanctus de cœlo deſcendit. Cla-
mauit fortiter,& ſic ait,Succidite arborem,& præcidite ramos eius:excutite folia eius, & diſpergite fructus
eius:fugiant beſtiæ quæ ſubter eã ſunt,& volucres de ramis eius. Veruntamen germen radicum eius in terra
ſinite,& alligetur vinculo ferreo & æreo in hærbis quæ foris ſunt,& rore cœli tingatur,& cum feris pars eius
C in herba terræ. Cor eius ab humano commutetur,& cor feræ detur ei:& [c] ſeptem tempora mutentur ſuper
eum. [d] In ſententia vigilum decretum eſt,& ſermo ſanctorum,& petitio:donec cognoſcant viuentes quòd
dominatur excelſus in regno hominum,& cuicunq; voluerit,dabit illud,& humillimum hominem conſti-
tuerit ſuper eũ. Hoc ſomniũ vidi ego Nabuchodonoſor rex:tu ergo Baltaſar interpretationẽ narra feſtinus:
quia omnes ſapientes regni mei nõ queunt ſolutionem edicere mihi: tu autem potes,quia ſpiritus Deorum
ſanctorũ in te eſt. Tunc Daniel,cuius nomẽ Baltaſar,cœpit intra ſemetipſum tacitus cogitare quaſi vna ho-
ra:& cogitationes eius conturbabant eum. Reſpondens autẽ rex,ait,Baltaſar,ſomnium & interpretatio eius
non conturbent te. Reſpondit Baltaſar,& dixit,Dñe mi,[e] ſomnium his qui te oderunt: & interpretatio eius
D hoſtibus tuis ſit. [f] Arborem,quam vidiſti ſublimẽ atq; robuſtam,cuius altitudo pertingit ad cœlum,& aſpe-
ctus illius in omnẽ terram,& rami eius pulcherrimi,& fructus eius nimius, & eſca omniũ in ea, ſubter eam
habitantes beſtiæ agri,& in ramis eius cõmorantes aues cœli:tu es rex, qui magnificatus es,& inualuiſti: &
magnitudo tua creuit,& peruenit vſq; ad cœlũ,& poteſtas tua in terminos vniuerſę terrę, Quod autem vidit
rex vigilem,& ſanctum deſcendere de cœlo,& dicere, Succidite arborem,et diſsipate illam,attamen germen
radicum eius in terra dimittite,& vinciatur ferro & ære in hærbis foris,& rore cœli conſpergatur,& cum fe-
ris,ſit pabulum eius,donec ſeptem tempora mutentur ſuper eum: hæc eſt interpretatio ſententiæ altiſsimi,
quæ peruenit ſuper dominum meum regem, Eijcient te ab hominibus, & cum beſtijs ferisq; erit habitatio
E tua,& fœnum vt bos comedes,& rore cœli infunderis:ſeptem quoque tempora mutabuntur ſuper te,donec Infra 5.f
ſcias quòd dominetur excelſus ſuper regnum hominum,& cuicunq; voluerit,det illud. Quòd autem præce-
pit vt relinqueretur germen radicum eius,id eſt,arboris:regnum tuum tibi manebit, poſtquam cognoueris
poteſtatem eſſe cœleſtem. Quam ob rem,rex,conſilium meum placeat tibi, & [g] peccata tua eleemoſynis re-
dime,& iniquitates tuas miſericordijs pauperum:forſitan ignoſcet Deus delictis tuis. [h] Omnia hęc venerunt Eccle.3.d
ſuper Nabuchodonoſor regem. Poſt finem menſium duodecim, in aula Babylonis deambulabat. Reſpon-
ditq; rex,Nonne hęc eſt Babylon ciuitas magna quam ego ędificaui in domum regni, in robore fortitudinis
meæ,& in gloria decôris mei? Cũq; ſermo adhuc eſſet in ore regis vox de cœlo ruit, Tibi dicitur Nabucho-
F donoſor rex,Regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus eijcient te, & cum beſtijs & feris erit habitatio
tua:fœnum quaſi bos comedes,& ſeptem tempora mutabuntur ſuper te:donec ſcias quòd dominetur excel-
ſus in regno hominum,& cuicunq; voluerit, det illud. Eadem hora ſermo completus eſt ſuper Nabucho-
donoſor,& [i] ex hominibus abiectus eſt,& fœnum vt bos comédit,& rore cœli corpus eius infectum eſt:do-
nec capilli eius [k] in ſimilitudinem aquilarum creſcerent,& vngues eius quaſi auium. Igitur [l] poſt finem die-
rum ego Nabuchodonoſor oculos meos ad cœlum leuaui,& ſenſus meus redditus eſt mihi: & altiſsimo be-
nedixi,& viuentem in ſempiternũ laudaui,& glorificaui:quia poteſtas eius poteſtas ſempiterna, & regnum
eius in generationem & generationem:& oẽs habitatores terrę apud eum [m] in nihilum reputati ſunt. Iuxta Infra 7.d
G voluntatem enim ſuam facit tã in virtutibus cœli quàm in habitatoribus terrę:& non eſt qui reſiſtat manui
eius,& dicat ei, Quare feciſti? In ipſo tempore, ſenſus meus reuerſus eſt ad me,& ad honorem regni mei,de-
coremq; peruenit:& figura mea reuerſa eſt ad me:& optimates mei,& magiſtratus mei requiſierũt me, & in
regno meo reſtitutus ſum:et magnificentia mea amplior addita eſt mihi. Nũc igitur ego Nabuchodonoſor
laudo, & magnifico, & glorifico regem cœli: quia omnia opera eius vera,& omnes viæ eius iudicia:& gra-
dientes in ſuperbia poteſt humiliare.

SCHOLIA.

[a] Ego Nabuchodonoſor.] *Quæ in ſuperioris capitis fine dicta ſunt, videntur huic continuanda, vt ſit iuſta forma epi
ſtolæ,quæ inter præfandum ſalutat,& ſummatim caput dicendorum præmittit. Scribit omnibus populis,non ſolum Perſarũ,
Aſſyriorum, Ægyptiorum,& regnorum ſuorum, ſed vniuerſæ terræ, nõ enim præcipit, vt ſupra, ſed adhortatur. ſuũ nar-
rans exemplum.* [b] Et ecce vigil.] *Rectè angelus vigil dicitur, quia incorporeus eſt, ſemper vigil, & nunquam dormiens.
Quamuis autem in ſingulari loquatur, qui tamen poſtea in plurali loquitur, collectiuè per vnum multos intelligamus.*
[c] Septem tempora mutentur.] *Quidam intellegunt ſeptem annos, alij ſic legunt. Pluuia, & vos, & alia aeris incõmo-
da tranſeant ſuper ipſum ſeptem temporibus, hoc eſt, viciſſitudinibus temporum, vt æſtatis et hyemis, vt dictũ ſit iuxta Per-*

sarum morem,qui annum in duas partes secarint,æstatem et hyemem,quæ partes anni variatæ sint super illum. [d] In sententia vigilum.] *Hoc est,res hæc fiebat,vt vigiles,id est,angeli decreuerant.Et quod sequitur,Sermo sanctorum,& petitio,significat,postulatum esse,atque interrogatum,cur id ita fiat, et respondetur,vt agnoscant viuentes,quòd potens sit altissimus.* [e] Somnium ijs,qui te oderunt.] *His verbis declarat,se regis fortunæ misereri, & nihil minus, quàm vltionem orare,atque adeo,vt si ipse malè velit regi,in se tanquam hostem veniant dira,quæ nuntiat.* [f] Arborem,quam vidisti.] *Significat arbor regem,rami principes:& fructus,annuos prouentus,per aues quoque intelliguntur summi principes, et per bestias sub vmbra cubantes,subditæ gentes.* [g] Peccata tua eleemosynis redime.] *Siquis hic dicat, Si Deus ita decreuit,quomodo sententia illius mutabitur? De hoc sic disserit Chrysostomus.Quid dicis ò Daniel,sententia prolata est à Deo, & calculus confirmatus est,& tu precibus illam mutabis? Etiam (inquit) non enim,vt res ethnicorum habent,ita & nostræ, propter hoc enim prolata est sententia,vt nõ fiat,non vt rex discat solum futura,sed etiam,vt caueat. Alioqui quænam esset ex præcognitione vtilitas,si nulla inde sequeretur consolatio? Quidam hic per peccata intelligunt pœnam peccatis debitam.* [h] Omnia hæc venerunt super Nabuchodonosor.] *De se tãquam de alio loquitur.* [i] Ex hominibus abiectus est.] *Non dicit tamen scriptura factum bestiam,sed socium bestiarum,mentemque mutatam, maniacus enim factus, sæpissim pro bestia habebat,nam læsa imaginatiua hominis facultate,fit,vt persuadeat sibi homo, apparere alia, quam apparẽt, et inueniri sunt melancholici, qui plodebant pedibus,iurantes sibi equinos pedes esse.* [k] In similitudinem aquilarum.] *Inhorruit pilos,& totam cutem operuit densis velaminibus,sicut aquila veriore pluma contegitur,non enim pennatum intelligimus, sed insolito modo tectum,& non auium vnguibus armatum,sed sicut auium vnguibus, vt humanæ formæ propterea nihil ademptum sit.* [l] Post finem dierum.] *Post septem illa tempora,siue anni fuerint,siue menses,siue partes anni, puta æstas & hyems:liberatus est à mania,& videns mores suos efferos, & formam agrestem,atque simul animaduertens præteritã suam vitam,qua sic puniri meruerat,humiliatus attollit oculos in cœlum, & dat gloriam Deo.* [m] In nihilum reputati sunt.] *Hoc est,finitæ & paruæ potentiæ sunt omnes homines.*

CAPVT V.

[a] Balthasar rex fecit grande conuiuium optimatibus suis mille: & vnusquisq; secundum suam bibebat A
ætatem.Præcepit ergo iam temulentus,vt afferrentur vasa aurea & argentea quæ asportauerat Nabuchodonosor pater eius de templo,quod fuit in Ierusalem:vt biberent in eis rex & optimates eius, vxores q; eius & concubinæ. Tunc allata sunt vasa aurea quæ asportauerat de templo quod fuerat in Ierusalem: & biberunt in eis rex & optimates eius,vxores & concubinæ illius.[b] Bibebant vinum,& laudabãt deos suos aureos,& argenteos,æreos,ferreos,ligneosq;,& lapideos.In eadem hora apparuerunt digiti,quasi manus hominis scribentis contra candelabrum in superficie parietis aulæ regiæ:& rex aspiciebat articulos manus scribentis. Tunc facies regis commutata est,& cogitationes eius conturbabant eum:& cõpages renum eius sol- B
uebantur,& genua eius adse inuicem collidebantur. Exclamauit itaq; rex fortiter,vt introducerent magos, Chaldæos,& aruspices.Et proloquens rex,ait sapientibus Babylonis, Quicunque legerit scripturam hanc, & interpretationem eius manifestam mihi fecerit, purpura vestietur, & torquem auream habebit in collo,& tertius in regno meo erit. Tunc ingressi omnes sapientes regis,non potuerunt nec scripturam legere,nec interpretationem eius indicare regi. Vnde rex Balthasar satis cõturbatus est,[c] & vultus illius immutatus est:sed & optimates eius turbabantur.[d] Regina autẽ pro re quæ acciderat regi & optimatibus eius, domum cõuiuij
ingressa est:& proloquens ait,Rex inæternum viue:non te conturbent cogitationes tuæ,neq; facies tua im- C
mutetur.Est vir in regno tuo,qui spiritum Deorum sanctorum habet in se:& in diebus patris tui scientia & sapientia inuentę sunt in eo:nam & rex [e] Nabuchodonosor pater tuus principem magorum,incantatorum, Chaldæorum,& aruspicum constituit eum.Pater,inquam,tuus ò rex,quia spiritus amplior,& prudentia intelligentiaq;,& interpretatio somniorum,& ostensio secretorum, ac solutio ligatorum inuentæ sunt in eo, hoc est in Daniele:cui rex posuit nomen Balthasar:nũc itaq; Daniel vocetur, & interpretationem narrabit. Igitur introductus est Daniel coràm rege. Ad quẽ,præfatus,rex ait, Tu es Daniel de filijs captiuitatis Iudæ, D
quem adduxerat pater meus rex de Iudæa? Audiui de te quòd spiritum Deorũ habeas:& scientia intelligentiaq; ac sapientia ampliores inuentæ sunt in te.Et nunc introgressi sunt in conspectu meo sapientes magi,vt scripturam hanc legerent,& interpretationem eius indicarent mihi,& nequiuerunt sensum huius sermonis edicere.Porrò ego audiui de te,quòd possis obscura interpretari,& ligata dissoluere:si ergo vales scripturam legere,& interpretationẽ eius indicare mihi,purpura vestiéris,& torquem auream circa collum tuum habebis,& tertius in regno meo princeps eris.Ad quæ respondens Daniel,ait coràm rege,Munera tua sint tibi,& dona domus tuæ alteri da:scripturam autem legam tibi,rex,& interpretationẽ eius ostendã tibi.O rex,Deus E
altissimus regnum & magnificentiam,gloriam & honorẽ dedit Nabuchodonosor patri tuo:& propter magnificentiam,quam dederat ei,vniuersi populi,tribus & linguæ tremebant,& metuebant eum. Quos volebat,interficiebat:& quos volebat,percutiebat:& quos volebat,exaltabat:& quos volebat,humiliabat.Quando autem eleuatum est cor eius,et spiritus illius obfirmatus est ad superbiam,depositus est de solio regni sui,
Supra 4.e & gloria eius ablata est: & à filijs hominum iectus est,sed & cor eius cũ bestijs positum est, & cum onagris erat habitatio eius,fœnum quoq; vt bos comedebat,& rore cœli corpus eius infectum est: donec cognosceret quòd potestatem haberet altissimus in regno hominum, & quemcunque voluerit susciabit super illud. F
Tu quoque filius eius Balthasar,non humiliasti cor tuum, cum scires hęc omnia: sed aduersum dominatorem cœli eleuatus es:& vasa domus eius allata sunt coràm te: & tu, & optimates tui,& vxores tuæ,& concubinæ tuæ vinum bibistis in eis:deos quoque argenteos,& aureos, & æreos,ferreos, ligneosque, & lapideos, qui non vident,neque audiunt,neque sentiunt,laudasti: porrò Deum, qui habet flatum tuum in manu sua & omnes vias tuas,non glorificasti. Iccirco ab eo missus est articulus manus, qui scripsit hoc quod exaratũ est.Hæc est autem scriptura quæ digesta est,Mane,thecel,phares. Et hæc est interpretatio sermonis. Mane:
numerauit

G [f] numerauit Deus regnum tuum,& compleuit illud.Thecel:appensus es in statera, & inuentus es minus habens.Phares:diuisum est regnum tuum,& [g] datum est Medis & Persis.Tunc iubẽte rege, indutus est Daniel Ier. 50.a
purpura,& circundata est torques aurea collo eius:& prædicatum est de eò quòd haberet potestatem tertius in regno suo.Eadem nocte interfectus est Balthasar rex Chaldæus. [h] Et Darius Medus successit in regnum, annos natus sexagintaduos.

SCHOLIA.

[a] Balthasar rex.] *Implentur septuaginta anni,quibus regnare datum fuit Nabuchodonosori,et posteritati eius, & vrget denuntiatio imperij eius,iuxta Vaticinia Esa.21.Abac.2.Hiere.51.Vide autem,quales principes regnent, sub quibus regna excindantur,nempe ebrij,mancipia ventris,mulierosi,&c.Septuaginta autem illi anni durationis regni Babyloniorum sic supputantur.Nabuchodonosor annis regnauit 45.Euilmerodach annis 23.Balthasar tribus,Vnde & Daniel tot annis vixit inter prophanos idololatras.Iosephus & Eusebius ethnicos secuti, Vsque in quintam generationem prosapiam Nabuchodonosor deducunt.Et quod ait.V nusquisque secundum suam bibebat ætatem, alius vertit. Et in præsentia mille bibit vinum.*
[b] Bibebant vinum.] *Obsidebatur à Cyro,& cõuiuium instruit.Fidit muris vrbis, quos putabat toti orbi inexpugnabiles. Scribit enim Strabo,ambitum muri habuisse 385.stadia,& crassitudinem 32.pedum, & altitudinem 50. Huius autẽ consimij etiam Herodotus meminit, & Xenophon.* [c] Et vultus illius immutatus est.] *Si ad manum illam tantum inhorruit,quantus putas terror inuasit eum vbi ante iudicem iratum & inexorabilem stetit, excepturus sententiam perpetuæ damnationis?* [d] Regina autẽ.] *Dicitur hæc fuisse vxor Nabuchodonosor,prudentior aliys,non temulenta, sed vbi audiuit ita omnes consternatos,accurrit diuino instinctu.* [e] Nabuchodonosor pater tuus.] *Quòd Balthasaris patrem scriptura Nabuchodonosor vocat,non facit errorem scientibus sanctæ scripturæ consuetudinem,qua patres omnes proaui et maiores vocantur.* [f] Numerauit.] *Sensus est,numerauit Deus dies regni tui, & adest iam finis eius. Impleti sunt dies, & aduenit tempus iudicij.Appensa sunt opera tua bona & mala, veluti in statera,& deprehensus es malè collocasse dies vitæ tuæ, inuentus es indignus,cui vltra parcatur,& qui diutius præsis regno.* [g] Datum est Medis & Persis.] *Persæ licet fuerint auxiliatores Medorum,sua tamen virtute regnum obtinuere:Darius enim, vt est apud Xenophontem, obsidioni Babylonis non interfuit.Ablatum est ergo regnum à blasphemo Balthasare,& datum Cyro, qui populum liberum dimissurus erat in Iudæam ad extruendum templum Deo.* [h] Et Darius Medus.] *Darius iste Medus cognominatur, à Xenophonte Cyaxares dictus Astyagis,auunculus Cyri Persæ.Errant ergo, qui in Astyage regnum Medorum per Cyrum traduntesse delatum,cum filius eius Darius ille alias Cyaxares dictus successerit,vt prole masculà carens,filiam Cyro in vxorem dederit,regno Medorum in dotem dato.Is igitur Darius à rege Assyriorum & Chaldæorum post mortem patris in bellum lacessitus, Cyrum ex sorore nepotem,vt suppetias ferret,vocauit,qui & expeditissimo cum exercitu ei succurrit, & factus imperator exercitus,Chaldæorum regna occupauit.Fertur autem,quòd Darius iste non toto anno regnarit, eodemque anno successerit Cyrus,quod est verisimile.Nisi enim Cyrus primo illo anno regnasset capta Babylone, manumissio Iudæorũ aliquot annis post septuaginta annos impleta fuisset.*

CAPVT VI.

A PLacuit Dario,& constituit super regnum satrapas centum viginti,vt essent in toto regno suo. Et super eos principes tres,ex quibus Daniel vnus erat:vt satrapæ illis redderent rationem,& rex non sustineret molestiam.Igitur Daniel superabat omnes principes & satrapas:quia spiritus Dei amplior erat in illo. Porrò rex cogitabat constituere eum super omne regnum:vnde principes & satrapæ quærebant occasionem vt inuenirent Danieli ex † parte regni:nullamq; causam,& suspicionem reperire potuerunt:eò quòd fidelis esset,& omnis culpa & suspicio non inueniretur in eo.Dixerũt ergo viri illi, Non inueniemus Danieli huic aliquam occasionem, nisi fortè in lege Dei sui. Tunc principes & satrapæ † conuenerunt coràm rege, & sic locuti sunt ei,Dari rex, inæternum viue:consilium inierunt omnes principes regni tui, magistratus & satrapæ senatores & iudices:vt decretum imperatorium exeat,& edictum,Vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocunque deo & homine,vsque ad triginta dies, nisi a te,rex,mittatur in lacum leonum.Nunc itaq; B
rex,confirma sententiam, & scribe decretum: vt non immutetur quod statutũ est à Medis & Persis, nec prætaricari cuiquam liceat.Porrò rex Darius proposuit edictũ,& statuit.Quod cum Daniel comperisset, id est constitutam legem, ingressus est domum suam:& fenestris apertis in cœnaculo suo,contra Ierusalem,tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq; coràm Deo suo sicut & antè facere consueuerat.[a] Viri ergo illi curiosius inquirentes,inuenerunt Danielem orantem, & obsecrãtem Deum suum. Et accedentes,locuti sunt regi super edicto,Rex,nunquid non constituisti,vt omnis homo,qui rogaret quẽquam de dijs & hominibus vsq; ad dies triginta,nisi te,rex,mitteretur in lacum leonum? Ad quos respondens rex:ait,Verus est sermo iuxta decretum Medorum atq; Persarũ,quod prætariari non licet. Tũc respõdentes,dixerunt coràm rege,Daniel de filijs captiuitatis Iudæ,non curauit de lege tua & de edicto quod constituisti:sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.Quod verbum cum audisset rex, satis contri-
C status est:& pro Daniele posuit cor vt liberaret eum,& vsq; ad occasum solis laborabat vt erueret illum.Viri autem illi intelligentes regem,dixerunt ei,Scito,rex,quòd lex Medorum atq; Persarum est, vt omne decretum,quod constituerit rex,non liceat immutari. Tunc rex præcepit,& adduxerunt Danielem,& miserunt eum in lacum leonũ.Dixitq; rex Danieli,Deus tuus,quem colis semper,ipse liberabit te. [b] Allatusq; est lapis vnus,& positus est super os laci:quẽ obsignauit rex annulo suo,& annulo optimatum suorum, [c] nequid fieret contra Danielem.Et abijt rex in domum suam,& dormiuit incœnatus,cibiq; nõ sunt allati coràm eo, insuper & somnus recessit ab eo. Tunc rex primo diluculo consurgens,festinus ad lacum leonum perrexit 1.Mac.2.g
appropinquansq; lacui,Danielem voce lacrymabili inclamauit,& affatus est eum, Daniel serue Dei viuentis,Deus tuus cui tu seruis semper,putásne valuit te liberare à leonibus? Et Daniel regi respondens, ait,Rex inæternum viue,Deus meus misit angelum suum,& conclusit ora leonum,& non nocuerunt mihi:quia co-

râm eo iustitia inuenta est in me:sed & coràm te,rex,delictum non feci. Tunc vehemēter rex gauisus est su- D
per eo,& Danielem præcepit educi de lacu:eductusq; est Daniel de lacu;& nulla læsio inuenta est in eo, quia
credidit Deo suo.Iubente autem rege,adducti sunt viri illi,qui accusauerunt Danielem:& in lacum leonum
missi sunt,ipsi & filij,& vxores eorum:& non peruenerunt vsque ad pauimentum laci,donec arriperent eos
leones,& omnia ossa eorum comminuerunt.Tunc Darius rex scripsit vniuersis populis tribubus, & linguis
habitantibus in vniuersa terra,pax vobis multiplicetur.A me constitutum est decretum , vt in vniuerso im-
perio & regno meo tremiscant,& paueant Deum Danielis. Ipse est enim Deus viuens & æternus in sæcula:
& regnum eius non dissipabitur,& potestas eius vsq; in æternum. Ipse liberator atq; saluator faciens signa
& mirabilia in cœlo & in terra:qui liberauit Danielem de lacu leonum.[d] Porrò Daniel perseuerauit vsq; ad
regnum Darij regnumq́; Cyri Persæ.

SCHOLIA.

[a] Viri ergo illi curiosius inquirentes.] *Scientes cenodoxiæ morbo regem laborare, et ægerrimè ferre sui contemptū, id quod & Xenophon in pædia Cyri indicat , apud illum enim palàm fatetur , lacrymisq́; testatur Cyaxares (is est Darius) Cyrum se haberi gloriosiorem,eoque nomine deficit à Cyro.* [b] Allatusq; est lapis vnus.] *Vt miraculum celebrius fieret, prouidit & hoc Deus,vt fouea annulo regis & optimatum obsignaretur , ne quis suspicaretur humano præsidio liberatum, & leonibus alios cibos obiectos.Sic & Christi sepulchrum obsignatur,& custoditur,vt resurrectionis miraculum euidētius elucescat.* [c] Nequid fieret cōtra Danielem.] *Ne æmuli Danielis aliud molirentur,vt , si viderent,nutu Dei Danielem liberari à morsibus leonum,insania agitati,gladio trucidarent innocentem.* [d] Porrò Daniel perseuerauit vsque ad regnum .] *Vel , prosperè egit . Creditur Darius cum illo in Medianam profectus esse , relicto Cyro & filio eius Cambyse in Babylone.*

CAPVT VII.

ANno primo Balthasar regis Babylonis, Daniel [a] somnium vidit : visio autē capitis eius in cubili suo: A
& somnium scribens,breui sermone comprehendit,summatimq́; perstringens , ait,Videbam in vi-
sione mea nocte,& ecce [b] quatuor venti cœli pugnabant in mari magno. Et quatuor bestiæ grandes
ascendebant de mari diuersæ inter se. [c] Prima quasi leæna,& alas habebat aquilæ:aspiciebam donec euulsæ
sunt alæ eius , [d] † & subleuata est de terra & super pedes quasi homo stetit,& cor hominis datum est ei. [e] Et
ecce bestia alia similis vrso [f] in parte stetit:& tres ordines erant in ore eius,& in dentibus eius, & sic dicebant
ei,Surge,comede carnes plurimas. Post hæc aspiciebā,& [g] ecce alia quasi pardus, [h] & alas habebat quasi auis,
quatuor super se:& quatuor capita erant in bestia,& potestas data est ei. Post hæc, aspiciebam in visione no-
ctis,& [i] ecce bestia quarta terribilis, atq; mirabilis,& fortis nimis:dentes ferreos habebat magnos , comedēs
atque comminuens,& reliqua pedibus suis conculcans:dissimilis autem erat cæteris bestijs quas viderā ante
eam,& [k] habebat cornua decem. Cōsyderabam cornua,& [l] ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio B
eorum:& [m] tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius:& ecce oculi , [n] quasi oculi hominis erant in cor-
nu isto,& os loquēs ingentia. Aspiciebam,[o] donec throni positi sunt,& [p] antiquus dierum sedit : [q] vestimen-
Apo. 5.d tū eius candidū quasi nix,& capilli capitis eius quasi lana mūda:thronus eius,flāmæ ignis : rotæ eius ignis ac
census,Fluuius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei , & decies millies
centena millia assistebant ei:[r] iudicium sedit,& libri aperti sunt. Aspiciebā propter vocem sermonum gran-
dium,quos cornu illud loquebatur:& vidi quòd interfecta esset bestia,& perisset corpus eius , & traditū esset
ad comburendum igni:aliarum quoque bestiarum ablata esset potestas : & [s] tempora vitæ constituta essent
eis vsq; ad tempus & tempus. Aspiciebam ergo in visione noctis , & ecce [t] cum nubibus cœli quasi filius ho-
minis veniebat,& vsq; ad antiquum dierum peruenit:& in conspectu eius obtulerunt eum.Et dedit ei pote-
Luc. 1.e statem,& honorem:& regnum:& omnes populi,tribus,& linguæ ipsi seruient:potestas eius, potestas æterna C
Mic. 4.c quæ non auferetur,& regnum eius quod non corrumpetur.Horruit spiritus meus , ego Daniel territus sum
Supra 3.g in his,& visiones capitis mei conturbauerunt me. Accessi ad vnum de assistentibus & veritatem quærebam
4.g ab eo de omnibus his,Qui dixit mihi interpretationem sermonū,& docuit me. Hæ quatuor bestiæ magnæ:
quatuor sunt regna,quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei altissimi:& obtinebunt
regnum vsque in sæculum & in sæculum sæculorum. Post hoc,volui libenter discere de bestia quarta:quæ
erat dissimilis valde ab omnibus,& terribilis nimis:dentes & vngues eius ferrei : comedebat & comminue-
bat,& reliqua pedibus suis conculcabat:& de cornibus decem quæ habebat in capite:& de alio quod ortum
fuerat ante quod ceciderant tria cornua:& de cornu illo quod habebat oculos,& os loquens grandia, & ma-
ius erat cæteris. Aspiciebam:& ecce cornu illud faciebat bellum aduersus sanctos & præualebat eis:donec ve-
nit antiquus dierum,& iudicium dedit sanctis excelsi,[u] & tempus aduenit,& regnum obtinuerunt sancti.Et D
sic ait,Bestia quarta,regnum quartū erit in terra:quod maius erit omnibus regnis , & deuorabit vniuersam
terram,& conculcabit,& comminuet eam.Porrò cornua decem ipsius regni decem reges erunt:& alius cō-
surget post eos,& ipse potentior erit prioribus,& tres reges humiliabit.Et sermones contra excelsum loque-
tur,& sanctos altissimi conteret:[x] & putabit quòd possit mutare tempora & leges,& tradentur in manu eius
[y] vsq; ad tempus & tempora & dimidium temporis.Et iudicium sedebit,vt auferatur potentia, & cōteratur,
Luc.1.c & dispereat vsque in finem. Regnum autem,& potestas, & magnitudo regni quæ est subter omne cœlum,
detur populo sanctorum altissimi:cuius regnum,regnum sempiternum est,& omnes reges seruiēt ei & obe-
dient.Hucusq; finis verbi.Ego Daniel multum cogitationibus meis cōturbabar , & facies mea mutata est in
me,verbum autem in corde meo conseruaui.

SCHOLIA.

[a] Somnium.] *In sequentibus,quatuor visiones recensentur,duæ cum angelorum apparitionibus,quod genus visionum*
Græci

Græci ὕπαρ vocant,duæ verò per insomnia,et ὀνείρατα contigerunt. [b] Quatuor venti.] *In mari magno quatuor ventos cœli pugnare,est in hoc mundo plurimas afflictiones fore.* [c] Prima quasi leæna.] *Per quatuor bestias quatuor monarchiæ designantur,è quibus hæc Babylonium regnum significat,sicut & Iere.4. Ascendit leo de cubili suo & 48. & Ezech.17. dicitur aquila grandis,&c. Sunt qui putant idem regnum apud Ezechielem quadriformis vultus animal dici leoni simile ob animositatē,aquilæ ob celeritatem in agendis rebus,boui ob constantiam in ferendis laboribus,homini ob prudentiam in singulis prospiciendis,quibus conditionibus reges & magistratus præditos esse decet.* [d] Subleuata est de terra.] *Hoc est,erecta in pedes. Alij intelligunt,vel eleuatum esse ob potentiam,vel erectum , vt mente & ratione vteretur,nam humiliatus fuit etiam,vt se tandem hominem esse agnosceret . Potest & intelligi, ipsum detractis plumis erectum esse super pedes suos, hoc est,humiliatum,ne post hac insolesceret,ac supra hominem se erigeret.Et cor eius datum est ei,hoc est, restitutus est ad pristinum vsum rationis.* [e] Et ecce bestia alia similis vrso.] *Persici regni symbolum,minus generosum animal leone,tardiusq́; & ineptius.carniuorum tamen,& in senecta perquàm immite,ac insidum,vnde in scriptura propter insidias & crudelitatem,leoni sæpe iungitur.Persas igitur Iudæi etiam infestos sensere.Cyrus enim primo tractabilior, postea non idem præstitit, nam , vt est apud Esram , omnibus diebus Cyri regis impeditum est consilium ædificantium Ierusalem. Iam filius eius Cambyses etiam palàm persecutus est Iudæos.* [f] In parte stetit.] *Vel,ad latus vnum stetit,ad partem stare, est non tanto impetu ferri in Iudæos:nam alioqui multum sanguinem effuderunt Persæ,etiam Cyrus,quod satis bellum Scythicum contra Thomyrin testatur , in quo tandem & Cyri à regina,cædem filij vlciscente , abscissum caput,in vtrem sanguine plenum immissum est,adiectis hisce verbis.Sanguinem sitisti,sanguinem bibito, sanguine impletor , cuius per annos triginta insatiabilis perseuerasti. Vbi & desyderatis ducentis Persarum millibus exercitum omnem amisit, vt est apud Iustinum libro primo,& Orosium libro secundo.Potest etiam illud,ad latus vnum stetit,sic intelligi.Habuerunt & Persæ locum,vt inter crudeles connumerari bestias possint.Imaginare enim lupum,qui carnibus deuoratis,arrodat ossa,et non vnum os,sed tria simul, vt insatiabilem scias,nam Græci legunt,tria latera,vel costas in ore eius,quod alij intelligunt per tres populos, Assyrios, Medos,Babylonios,alij triumuiros,alij exponunt tres magnos dentes,id est,tres reges,qui secuti sunt Cyrum. Huic autem bestiæ adhuc potestas datur amplius sæuiendi,dicunt enim ei.Surge,comede carnem plurimam.* [g] Ecce alia quasi pardus.] *Pardus vel panthera regnum Macedonicum significat , quod per dolos & fraudes initia sumpsit. Et iterum magis degenerat mundus, nam & pardalis non est generositate leoni conferenda,maculis distinctum animal,odore feris gratum,quod aspectu videatur innocuum,sed amaritudine sit plenum,& humani sanguinis auidum,natum ad insidias,& miræ in cursu leuitatis.* [h] Et alas habebat.] *Hoc Alexandro Magno aptè congruit,nam in annis duodecim plura regna & prouincias sibi subiecit.Per quatuor autem capita,quatuor principes,qui loco eius regnum obtinuerunt,significantur.Ptolemæus Lagi Aegyptum,Seleucus Syriam, Antigonus Asiam, Philippus Aridæus Macedoniam.* [i] Et ecce bestia quarta.] *Regnum Romanorum indicat.Erat bestia,sed sine nomine,fortasse quia non habuit par,cui conferretur , cui regno non est aliud in scriptura cognitum,quod succedat,quàm regnum Christi.* [k] Habebat cornua decem.] *Denarius,sicut & septenarius plenitudinis est numerus,& solet scriptura per eum multitudinem enuntiare. Num.xiiij.Tentauerunt me iam per decem vices.Iob xxix.En decies me confunditis. Et decem virgines in Euangelio.Et Esa.Decem iugera vinearum facient lagunculam vnam. Vnde etiam si in sexcentos principatus qui per cornua rectè signantur,diuidatur Romanorum monarchia,quia non potest ab aliquo externo populo supprimi,semper manebit multicornis bestia.Ioannes in Apoca. videtur quædam hinc in suum librum transtulisse, cap. 17.dicens & decem cornua,&c.* [l] Et ecce cornu aliud.] *Ecclesiastici omnes per hoc cornu Antichristum accipiunt : & quidam intelligunt , paruum hoc cornu esse regnum Ismaelitarum,respiciens Arabiam. Mahumetem enim seductorem colit.Parua initia fuere pseudoprophetarum.Heraclio enim imperante in oriente , deficientibus nunc his nūc alijs prouincijs, & Phoca in occidente infelicius gubernante,& nec Italiā integrā possidente, Mahumetes Arabs Nestorianus factus , dein nouæ sectæ ac legis author , humillimi exordij , glorians se æterni Dei prophetam , multos Asiæ & Aphricæ populos sibi iungit.Saracenos illos cognominans , & non multo post etiam Persas occupat .* [m] Tria de cornibus primis euulsa.] *Quod Angelus exponit,tres reges humiliatos,ne penitus sublatos suspiceris. Quidam per tres multos intelligunt,& Mahumeti conuenire dicunt,qui pleraq́; regna occupauit.* [n] Quasi oculi hominis.] *Speciem honestatis præ se fert,sed os blasphemum,& loquens grandia.* [o] Donec throni positi sunt.] *Sic & Ioannes vidit sedem positam,& xxiiij.sedilia. Hebræi legunt.Donec throni ablati sunt,id est,donec omnium regnorum sedes subuersæ:regnum enim Christi illis succedet.* [p] Antiquus dierum sedit.] *Senes multa experti melius dijudicant , ideo & Christus antiquus dierum introducitur,qui & agnus dicitur ab origine mundi occisus,atque adeo in principio erat apud Deum, vt agnoscas,etiam prophetas Christum, vt Deum ac hominem agnouisse . Quod autem postea dicitur,cum vsque ad antiquum dierum peruenisse,pulchrè subindicat coæternum patri filium.* [q] Vestimentum eius candidum.] *Hæc ostendunt purum eius,syncerumq́; iudicium,& nullam personam in iudicando recipiens.Fluuius igneus, qui à conspectu iudicis egreditur, est sententia eius,quam feret super impios,tradens eos igni perpetuo.* [r] Iudicium sedit.] *Hoc est,iudex cum assessoribus cognoscet causas singulorum,& veluti ex aperto libro proferet hominum malefacta.* [s] Et tempora vitæ constituta essent eis.] *Alijs bestijs data est longitudo vitæ , hoc est , non interierunt, sicut ista quarta:cum per aliquot tempora secutæ sint aliæ,hæc autem sic peribit, vt nulla sequatur.Et in alijs regnis quamuis perirent reges, et dominationes auferrentur, subditi tamen à victoribus gratiam assecuti, sæpe in multa tempora adhuc viuebant. At vbi iudicium sederit , reges cum subditis in stagnum ignis projcientur.* [t] Cum nubibus cœli.] *Signatur hic aduentus Christi ad iudicium , hic venit cum nubibus,hoc est,cum angelis eum stipantibus,& cum similis sit filijs hominum,tamen dignitate & diuinitate idem est cum antiquo dierum, Deo scilicet patre. Hoc est,quod dicit in Euangelio Dominus, A modo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei.* [v] Et tempus aduenit,& regnum obtinuerunt sancti[*Hoc est,abbreuiatio dierum illorum pessimorum, quam seruator apud Mat.promisit.* [x] Et putabit, quòd possit mutare tempora & leges, & tradentur in manu eius.] *Hoc est, efferet se supra omne , quod est Deus , vt Paulus ait.* [y] Vsque ad tempus & tempora & dimidium temporis.] *Hoc est , annos tres cum dimidio iusti grauissimam afflictionem ferent. Sic etiam metaphrastes Ioannes.Et data est ei potestas, vt faceret bellum menses quadragintaduos. Ecce totidem menses faciūt annos tres cum dimidio,*

& tanto

& tanto quidem tempore prophanatum erat ſub Antiocho templum, qui & ipſe Antichriſti figura fuit. Alius ſic exponit. Tria cum dimidio, dimidium ſunt hebdomadis, dimidiat igitur Deus hebdomadem, dum non in æternum irascatur, ſed in medio curſu aduerſary gradum ſiſtit.

CAPVT VIII.

A [a] ANno tertio regni Balthaſar regis, viſio apparuit mihi, ego Daniel: poſt id quod viderá in principio: vidi in viſione mea, [b] cum eſſem in Suſan caſtro quod eſt in Ælam regione: vidi autem in viſione eſſe me † iuxta flumen Vlai. Et leuaui oculos meos, & vidi: & [c] ecce aries vnus ſtabat ante † flumen, habēs cornua excelſa, & vnum excelſius altero atq; ſuccreſcens. [d] Poſtea vidi arietem cornibus ventilantem contra occidentem, & contra aquilonem, & contra meridiem: & omnes beſtiæ non poterant reſiſtere ei, neq; liberari de manu eius: fecitq; ſecundum volūtatem ſuam, & magnificatus eſt. Et ego intelligebam: [e] ecce autem B hircus caprarum veniebat ab occidente ſuper faciem totius terræ: & non tangebat terram: porrò hircus habebat cornu inſigne inter oculos ſuos. Et venit vſque ad arietem illum cornutum, quem videram ſtantem † iuxta flumen, & concurrit ad eum in impetu fortitudinis ſuæ. Cumq; appropinquaſſet prope arietem, eſſe ratus eſt in eum, & percuſsit arietem: & comminuit duo cornua eius, & non poterat aries reſiſtere ei: cumq; eum miſiſſet in terram, conculcauit, & nemo quibat liberare arietem de manu eius. Hircus autem caprarū, C magnus factus eſt nimis: cumque creuiſſet, fractum eſt cornu magnum, & [f] orta ſunt quatuor cornua ſubter illud per quatuor ventos cœli. De vno autem ex eis [g] egreſſum eſt cornu vnum modicum: & factum eſt grā de contra meridiem, & contra orientem, & contra fortitudinem. Et magnificatum eſt vſq; ad fortitudinem cœli: & deiecit de fortitudine & de ſtellis, & cōculcauit eas. Et vſq; ad principem fortitudinis magnificatum eſt: & ab eo tulit iuge ſacrificium, & deiecit locum ſanctificationis eius. Robur autem datū eſt ei contra iuge D ſacrificium propter peccata: & proſternetur veritas in terra, & faciet, & proſperabitur. Et audiui [h] vnum de ſanctis loquentem: & dixit vnus ſanctus alteri, neſcio cui loquēti, Vſquequo viſio, & iuge ſacrificium, & peccatum deſolationis quæ facta eſt: & ſanctuarium, & fortitudo conculcabitur? Et dixit † ad me, [i] Vſque ad veſperam & mane, dies duo millia trecenti: & mundabitur ſanctuarium. Factum eſt autem cum viderem ego

Infra 9.f Daniel viſionem, & quærerem intelligentiam: ecce ſtetit in conſpectu meo [k] quaſi ſpecies viri. Et audiui vō- E cem viri inter Vlai: & clamauit, & ait, Gabriel fac intelligere iſtam viſionem. Et venit, & ſtetit iuxtà vbi ego ſtabam: cumq; veniſſet pauens corrui in faciem meam, & ait ad me, Intellige fili hominis, quòd [l] in tempore finito complebitur viſio. Cumq; loqueretur ad me, collapſus ſum pronus in terram: & tetigit me, & ſtatuit me in gradu meo, dixitq; mihi, Ego oſtendam tibi quæ futura ſunt in nouiſſimo maledictionis: quoniā habet tempus finem ſuum. Aries, quem vidiſti habere cornua, rex Medorum eſt atq; Perſarum. Porrò hircus F caprarum, rex Græcorum eſt: & cornu grande quod erat inter oculos eius: ipſe eſt rex primus. Quòd autem fracto illo ſurrexerunt quatuor pro eo: quatuor reges de gente eius conſurgent, ſed non in fortitudine eius. Et poſt regnum eorum cum creuerint iniquitates, conſurget rex impudens facie, & [m] intelligens propoſitiones: & roborabitur fortitudo eius, [n] ſed non in viribus ſuis: & ſuprà quàm credi poteſt, vniuerſa vaſtabit, & proſperabitur, & faciet. Et interficiet robuſtos, & populum ſanctorum ſecundum voluntatem ſuam, & diri- G getur dolus in manu eius: & cor ſuum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum conſurget, & [o] ſine manu conteretur. [p] Et viſio veſpere & mane, quæ dicta eſt, vera eſt: tu ergo viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit. Et ego Daniel langui, & ægrotaui per dies: cumque ſurrexiſſem, faciebam opera regis, & ſtupebam ad viſionem, [q] & non erat qui interpretaretur.

SCHOLIA.

[a] Anno tertio.] *Etiam in hac & ſequenti viſione deſcribuntur plurimæ afflictiones ſuper Iudæos euenturæ. Prædixerat aliqua poſt multa ſæcula futura, quæ vt maiorem fidem habeant, vaticinatur clarius ea, quæ proximis diebus, & deinde quæ poſt aliquot annos futura eſſent, vt videntes illa euenisſe, nec de ys, quæ tardius fient, dubitemus.* [b] Cum eſſem in Suſis.] *Incertum eſt, an in viſione viſum fuerit Danieli, quòd eſſet Suſis, an reipſa illuc negocy cuiuſdam gratia profectus ſit, & deinde iterum: reuerſus Babylonem. Suſa Elamitarum, hoc eſt Perſarum metropolis eſt, centum & viginti ſtadiorum ambitu, Cyri regia. Sed videtur oſtenſum ei, quòd eſſet apud flumen Vlai, ſicut Ezechieli Cobar. Hic fluuius ab hiſtoricis vocatur Eulæus.* [c] Et ecce aries.] *Per hunc arietem ſignificatur monarchia Medorum et Perſarum, qui per duo cornua exprimūtur. Iunxerant enim ſimul Medi & Perſæ exercitus ſuos, cū Babyloniam expugnarēt, licet Perſæ clariores euaderent qui hic per cornu ſuccreſcens ſignificantur, quòd poſteriori tempore Medos dignitate ſuperarint: tametſi Cyrus Dario pro ſua modeſtia vbique cederit.* [d] Poſtea vidi arietem.] *Orientem à tergo reliquit Perſa, & cōtra quoſque proximos pugnauit, ad meridiem Arabas & Aegyptios, ad occidentem Aſſyrios & Palæſtinos, ad ſeptentrionem Lydios Cappadoces Armenios, & tandem etiam Scythas, Quamuis autem Cyrus à Tomyri occiſus apud Scythas, magnam cladem ſuorum fecerit, nihilo tamen minus regnum Perſarum ſaluum ſtetit, & pro nihilo eam ſtragem habuit. Regnauit enim pro Cyro patre Cambyſes, & ipſe regum omnium potentiſſimus. Cyrus autem adeo magnificatus eſt, vt regnaſſe ſuper centum et viginti prouincias legatur.* [e] Ecce autem hircus.] *Per hunc docet angelus intelligendum regem Græciæ, à Græcis enim primum Perſia maximas clades accepit in campo Marathonio, & Thermopylis, ſed adhuc tamen florentiſsimum manſit vſque ad Darium vltimum, Arſami filium, quem Alexander Philippi Macedo vicit. Ille ab occaſu, id eſt, Græcia progrediens graſſatus eſt verſus orientem meridiem & ſeptentrionem, tanta autem velocitate militauit, vt volare, & terram non tangere, hyperbolicè dictus ſit, eratque Alexander ille cornu iſtud prominens.* [f] Orta ſunt quatuor cornua.] *Regnum diuiſum in quatuor, Macedonicum, Syriacum, Aſiæ, & Aegypti.* [g] Egreſſum eſt cornu vnum.] *Antiochus, qui obſes fuit Romæ, nec à patre deſignatus rex, ſed inuaſit regnum, & potens factus eſt in meridie, hoc eſt, deprædatus eſt Aegyptum, deinde & contra Perſes pugnauit, ſed minus feliciter, verum nullos magis afflixit, quàm Iudæos, & Ieruſalem, quos huc vocat fortitudinem, vel exercitum cæli, & ſtellas, eò quòd populus Dei eſſent. Nec contentus erat affligere populum, niſi & principem*

populi Deum ipſum blaſphemaret, præciperetq; tolli ſacrificium, & prophanari templum, veritatem impugnaret, & iniquita ti patrocinaretur. [h] Vnum de ſanctis.] *Nempe angelis, is eſt Gabriel, non quærit autem propter ſe, ſed propter Danielem, non enim angelo reſpondetur ſed Danieli: quod autem ait, Alteri neſcio cui, ſignificatur ſecundum Hebræos angelus quidam magnus, cuius nomen erat mirabile, & abſconditum. Is eſt Chriſtus, etiam angelorum magiſter.* [i] Vſque ad veſperam & manè.] *Intellige diem naturalem, qui ex Veſpero & mane conſtat, νυχθήμερον τον, nam non de annis, ſed de diebus intelligendum, angelus ſatis cauit dicens, Veſpere & mane. Et quod ſubdit, Dies duo millia trecenti, intelligit breui tempore duraturam afflictionem ſub Antiocho, & deſolationem templi, ſex circiter annis, ac paucis menſibus. Vt tribus primis annis deuaſtauerit ciuitatem, tribus autem ſequentibus polluerit templū, totius olympy ſtatua in templo poſita.* [k] Quaſi ſpecies viri.] *Tam præludebat Chriſtus, ſeſe aliquando humanam naturam verè aſſumpturum. Quod autem præcipit Gabrieli, vt doceat Danielem, monſtrat nobis, quo ordine homines inſtituere decreuerit, nam & angelis & hominibus miniſtris vtitur.* [l] In tempore finito.] *Hoc eſt, poſt certum tempus.* [m] Intelligens propoſitiones.] *Vel, ænigmata. Adagium erat de ijs, qui ingenij acrimonia alios circūuenirent.* [n] Sed non in viribus ſuis.] *Quia Deus voluit per ipſum punire populum ſuū, aliquā per virtutem ſuam tanta mala irrogare non potuiſſet. Alij referunt ad Alexandrum, quod nullum ſit huius robur, ſi cum Alexandro conferatur.* [o] Et ſine manu conteretur.] *Deus illum ſine labore perdet, vel, quia percuſſus fuit inſanabili & inuiſibili plaga, vt habetur 2. Macca. 9.* [p] Et viſio veſpere & manè.] *Viſio Veſperi & matutini duorum millium & trecentorum dierum minimè fallet.* [q] Et non erat, qui interpretaretur.] *Non hoc opinandum eſt de Daniele, ſed de alijs. Et quod de ægrotatione ſua dicit, oſtenditur, illam prophetæ immiſſam, ne extolleretur ſublimitate viſionum, quas ſolus intelligebat.*

CAPVT IX.

A [a] IN anno primo Darij filij Aſſueri de ſemine Medorum, qui imperauit ſuper regnum Chaldæorum. Anno vno regni eius, ego Daniel intellexi in libris numerū annorum, de quo factus eſt ſermo Domini [b] ad Ieremiam prophetam, vt complerentur deſolationis Ieruſalem ſeptuaginta anni. Et poſui faciem meam Ier. 25.c. & 29.c
ad Dñm Deum meum rogare & deprecari in ieiunijs ſacco & cinere. Et oraui ad Dñm Deum meum, & confeſſus ſum, & dixi, Obſecro Dñe Deus magne & terribilis, cuſtodiens pactum & miſericordiam diligentibus
te & cuſtodientibus mandata tua. Peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſsimus: & declina- 2. Eſd. 1.b
B uimus à mandatis tuis ac iudicijs. Non obediuimus ſeruis tuis prophetis qui locuti ſunt in nomine tuo regibus noſtris, principibus noſtris, patribus noſtris, omniq; populo terræ. Tibi Dñe iuſtitia: nobis autem confuſio faciei ſicut eſt hodie viro Iuda, & habitatoribus Ieruſalē & omni Iſrael, his qui propè ſunt, & his qui pro- Baruc 1.c
cul in vniuerſis terris ad quas eieciſti eos propter iniquitates eorū, in quibus peccauerūt in te Dñe. Nobis cōfuſio faciei, regibus noſtris, principibus noſtris, & patribus noſtris, qui peccauerunt: tibi aūt Dño Deo noſtro
miſericordia & propitiatio, quia receſsimus à te, & nō audiuimus vocem Dñi Dei noſtri, vt ambularemus in
C lege eius quā poſuit nobis p ſeruos ſuos prophetas. Et omnis Iſrael præuaricati ſunt legē tuā, & declinauerūt ne audirent vocē tuā: ſtillauit ſuper nos maledictio & deteſtatio, quę ſcripta eſt in libro Moyſi ſerui Dei, quia
peccauimus ei. [c] Et ſtatuit ſermones ſuos quos locutus eſt ſuper nos & ſuper principes noſtros, qui iudicaue- Deut. 27.c
runt nos, vt ſuperinduceret in nos magnum malum quale nunquam fuit ſub omni cœlo, ſecūdum quod factū eſt in Ieruſalem. Sicut ſcriptum eſt in lege Moyſi, omne malum hoc venit ſuper nos: & nō rogauimus fa-
ciem tuam Dñe Deus noſter, vt reuerteremur ab iniquitatibus noſtris, & cogitaremus veritatem tuam. Et vi-
D gilauit Dominus ſuper malitiam, & adduxit eā ſuper nos: iuſtus Dñs Deus noſter in omnibus operibus ſuis, quæ fecit, non enim audiuimus vocem eius. Et nunc Domine Deus noſter, qui eduxiſti populum tuum de
terra Ægypti in manu forti, & feciſti tibi nomen ſecundnm diem hanc, peccauimus, iniquitatem fecimus.
Domine in omnem iuſtitiam tuā, auertatur obſecro ira tua, & furor tuus à ciuitate tua Ieruſalē, & à mōte ſan
cto tuo. Propter peccata enim noſtra, & iniquitates patrum noſtrorum, Ieruſalem & populus tuus in oppro-
briū ſunt omnibus per circuitum noſtrū. Nunc ergo exaudi Deus noſter orationem ſerui tui, & preces eius:
E & oſtende faciem tuā ſuper ſanctuariū tuū quod deſertum eſt. Propter temetipſum inclina Deus meus aurē
tuam & audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtrā, & ciuitatem [d] ſuper quam inuocatum eſt nomē Supra 8.c
tuum: neq; enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciē tuam, ſed in miſerationibus tuis
multis. Exaudi Dñe, placare Dñe: attende & fac, ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomē tuū
inuocatū eſt ſuper ciuitatē & ſup populū tuū. Cūq; adhuc loquerer, & orarē, & cōfiterer peccata mea, & pec-
cata populi mei Iſrael, vt proſternerē preces meas in conſpectu Dei mei, pro mōte ſancto Dei mei: adhuc me
F loquente in oratione mea, ecce vir Gabriel quem videram in viſione à principio, citò volās tetigit me in tē-
pore ſacrificij veſpertini. Et docuit me, & locutus eſt mihi, dixitq; Daniel, nunc egreſſus ſum, vt docerem te,
† intelligentiam. Ab exordio precum tuarum [e] egreſſus eſt ſermo: ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir Mat. 24.b
deſyderiorum es: tu ergo animaduerte ſermonem, & intellige viſionem. [f] Septuaginta hebdomades † de- Ioan. 1.g
terminatæ ſunt ſuper populum tuum & ſuper vrbem ſanctam tuam, vt conſumetur præuaricatio, & finem
accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & propheta: &
G vngatur ſanctitas ſanctorum. Scito ergo & animaduerte: [g] ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Ieruſalem,
vſque ad Chriſtum ducem, [h] hebdomades ſeptem & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri [i] in anguſtia temporum. [k] Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non
erit † populo quicquam reliquum, Et ciuitatem & [l] ſanctuarium diſsipabit populus † ducis venturi: & finis
eius cum diluuio & vſque in finem belli ſtatuta deſolatio. [m] Confirmabit autem pactum multis hebdoma-
da vna: & [n] in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium: [o] † & propter expanſionem abominationū Mat. 24.b
erit deſolatio, & vſque ad conſummationem, & deſtinatam exterminationem ſtillabit ſuper populum, qui
obnoxius eſt deſolationi.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] In anno primo.] *Mox post subuersum regnum Babyloniorum, cum Darius filius Astyagis, qui hic Assuerus appellatur, socer & collega Cyri monarchiæ præesset, ostensa est Danieli visio, quæ futura erat in quarta monarchia, Romanorum scilicet, in qua & Christus tunc expectabatur.* [b] Ad Ieremiam prophetam.] *Duæ prophetiæ sunt apud Ieremiam, vna dicit, LXX. annis duraturum regnum Babylonis, & hæc impleta erat, altera habet, LXX. annis futuram desolationem templi, hæc post decem & nouem destructi Babylonici regni annos implenda erat.* [c] Et statuit sermones suos.] *Hoc est, reipsa ostendit, seriò se nobis minatum fuisse, & efficere potuisse, quod facturum se prædixerat.* [d] Super quam inuocatum est nomen tuum.] *Modus loquendi Hebræorum, quasi dicat, nomine tuo appellamur, Vt vocemur populus & ciuitas Dei.* [e] Egressus est sermo.] *Hoc est, decretum est, atque sic constitutum, ac si iam exiuisset, atque impletum esset.*

[f] Septuaginta hebdomades.] *Tu Daniel (inquit) mones in tua oratione transisse septuaginta annos captiuitatis, & adesse tempus liberationis, iuxta Vaticinium Ieremiæ prophetæ, at ego indico tibi, instare post septuaginta hebdomades maiorem liberationem, quæ toti mundo concedetur, qua per Messiam toti generi humano condonabitur remissio peccatorum, & abducetur iustitia sæculorum, atque vngetur sanctum sanctorum, quod est Christus, in quo habitat plenitudo diuinitatis, ipse enim impetrauit nobis abolitionem peccatorum, gratiæ, & iustitiæ donum, qui factus est iustitia nostra. Ad eum spectarunt omnes prophetæ, quorum visiones & prophetiæ in eo signantur, & finem faciunt, hoc enim est, quod ait, & impleatur visio, & prophetia, &c. Porrò septuaginta hebdomadæ, capiuntur hic non pro hebdomadis dierum, aut iubilæorum, sed annorum, constituuntq́ cccxc. annos, sic & Leuit. 25. numerantur hebdomadæ annorum.* [g] Ab exitu sermonis.] *Quod alius vertit, à principio executionis, hoc est, à tempore, quo incipiunt ædificare Ierusalem. Hic autem locus varias habet sententias, vbi scilicet faciendum initium sit supputandorum annorum, harum hebdomadarum septuaginta, Vt perueniatur ad Christum ducem, hoc est, Dominum Iesum Christum. Verum vbicunque incipias, videbis hos annos circa Christi tempora impleri, Vt omnis excusatio adimatur Iudæis, contra quos hæc prophetia ita pugnat, Vt minimè euadere queant. Sed cum hic necessaria sit temporum certissima supputatio, illud primum sciendum est, scriptores Hebræos, quatenus scripturæ authoritatem sequuntur, hoc est, vsque ad Neemiæ reditum, iure fidem mereri, exteros verò minimè. Nulli enim, vel Græci, vel Barbari certum aliquid ac fide dignum scripserunt ante reparatum templum. At post reparatam Ierusalem, iam deficientibus prophetis, cum Malachia & Esra, Hebræis in supputatione temporis fides nulla haberi potest. Sicut enim ethnici scriptores multum errant in superioribus, ita Iudæi in posterioribus sæculis, in quibus quoniam scripturæ diuinæ non subeuniut, alia certissima ratio quærenda est. Indubitatam itaque fidem habent apud Græcos Olympiades, apud Romanos verò anni ab vrbe condita. Annos ergo, quando hic incidit occasio, ab exordio mundi numeremus. Ab exordio mundi vsq́ ad diluuium constat summa annorum 1656. quæ certè colligitur à cap. 4. Gene. Vsque ad caput 7. A diluuio vsque ad egressum filiorum Israel ex Aegypto, certa supputatione sunt anni 813. qui colliguntur ab octauo capite Gene. Vsque ad 47. adiectis ducentis triginta annis, quibus in Aegypto manserunt filij Israel. Exodi. 12. ponuntur anni 430. habitationis eorum, sed, Vt Eusebius in chronicis, & post eum Augustinus in libro quæstionum super Exodum, & omnes Hebræi colligunt, necesse est dimidium annorum illorum in superiora tempora referre, quando videlicet, vel Abraham peregrinus factus in Charan, vel quando dictum est ei, Assiliget semen tuum cccc. annis. Clarè legitur apud Græcos loco prædicto, Ab egressu filiorum Israel ex Aegypto vsque ad destructionem primam templi, numerantur anni 910. cum dimidio. Israelitæ enim versati sunt in deserto annis quadraginta, & vndecim mensibus. Deu. primo, Tempus Iudicum & Saulis ac Dauid vsque in annum quartum Salomonis anni quadringenti triginta nouem, sic complentur anni quadringenti octoginta, de quibus 3. Reg. 6. Extructo templo regnauit Salomon annis triginta sex, adijciuntur enim à quadraginta annis quatuor, qui templi structuram præcedunt. Reliqui anni colliguntur ex sequentibus regibus, quorum vltimus fuit Sedechias, horum anni partim ex Paral. partim ex libris Regum colligitur. A destructa Ierusalem vsque ad reparatam anni nonaginta quatuor, nam à destructo templo, vsque ad reparationem illius anni lxx. Zach. primo, Consummatum est templum annis quatuor. Esræ 6. A consummatione templi vsque ad perfectionem murorum ciuitatis anni 26. Nee. 5. quod sic ostenditur. Anno Dary secundo reædificabatur templum, sexto perficiebatur templum, septimo missus est Esras, vigesimo missus est Neemias, trigesimo secundo perfecti sunt muri, nam si adieceris viginti sex annos ad sex annos Dary, in quibus templum est consummatum, perueuies ad trigesimum secundum annum Dary. Huiusq́ scripturarum authoritate satisfactum est, nunc vbi scriptura desinit, ab Olympiadum, & annorum post vrbem conditam numero certitudo petenda est. Incipiendum igitur nunc nobis ab Olympiade septuagesima tertia, quæ erit trigesimus quartus Dary Hystaspis, qui successit Cambysæ. A reparata Ierusalem sub regno Persarum vsque ad Alexandrum magnum anni centum sexaginta, hoc modo. Regnauit Darius post reparatam Ierusalem annis quatuor sub Olympiade septuagesima tertia. Xerses Dary annis viginti. Artabanus menses septem. Artaxerses Macrochir annis quadraginta. Xerses secundus menses duos. Sogdianus menses octo. Darius Nothus annis decem & nouem. Artoxerses Mnemon annis quadraginta. Artoxerses Occus annis viginti sex. Arses annis quatuor. Darius Arsami annis sex, occisus Olympiade centesima duodecima. Ab occiso Dario, regni Græcorũ vsque ad Maccabæos in Iudæa anni centum sexaginta quinque, hoc modo. Regnauit Alexander Magnus annis quinque. Seleuchus Nicanor annis quadraginta quatuor. Antiochus Soter annis decem & nouem. Antiochus Theos annis quindecim. Seleuchus Callinicus annis viginti. Seleuchus Ceraunius annis tribus. Antiochus Magas annis triginta sex. Seleuchus Philopater annis duodecim. Antiochus Epiphanes annis vndecim. Periit Olympiade centes. quinquag. iy. A Maccabæis vsque ad regnum Herodis anni centum viginti septem, hoc modo. Iudas Maccabæus præfuit annis tribus. Ionathas annis decem & nouem. Simon annis octo. Ioannes Hircanus annis viginti sex. Aristobulus anno vno. Ianneus Alexander annis viginti septem. Alexandra nouem annis. Aristobulus & Hircanus annis triginta quatuor. Olympiade centesima octogesima sexta. Regnum Herodianorum sub Romanis anni centum & tres hoc modo. Sub Octauiano Herodes Antipatri alienigena annis triginta septem. Sub Octauiano Herodes Archelaus annis nouem. Sub Tiberio Herodes Tetrarcha annis viginti quatuor. Sub Caligula Herodes Agrippa annis septem. Sub Nerone & Vespasiano Agrippa. Agrippæ filius annis viginti sex vsque ad Olympiadem ducentesimam duodecimam. Veniamus ergo ad has septuaginta hebdomadas, quas diximus esse non dierum, neque iubilæorum, nec sæculorum, Vt quidam nugari sunt ausi, sed annorum.*

rum. Bifariam enim dunt axat hebdomadæ apud Hebræos dicuntur, aut dierum spacio, Vt à paschа ad pentecosten, septem hebdomadæ. Leui. 23. aut annorum, pro septem annorum tempore, Vt est Leui. 25. Numerabitis septem hebdomadas annorum. Et quia non possunt esse septenarij dierum, quia non additur, dierum, consequens est, Vt sint hebdomadæ annorum, quod confirmat, quia propheta de septuaginta annis Ieremiæ meditans, facilè videbat annorum mentionem fieri, faciunt autem supputatæ hebdomadæ illos annos quadringentos & nonaginta, sed quomodo computari anni illi debeant summa est dissensio. Multis autem videtur verisimilius, Vt incipiatur, vel à primo anno Cyri, vel à secundo potius anno Darij, nam licet Iudæi ad sua antea sub Cyro essent missi, tunc tamen sola templi fundamenta iecerunt, impediti à vicinis, quia nondum excierat verbum, nec aderat tempus. Incipiens igitur à Cyro, & computans vsque ad mortem Aristobuli, qui fuit Alexandri, vel tollens decem & nouem annos, & incipiens à secundo anno Darij, vsque ad regnum Herodis, nihil deerit huic numero, habebis enim in regno Persico annos centum & nonaginta cum dimidio (& à Dario incipiens & tollens decem & nouem annos) in regno Macedonico vsque ad Epiphanem Antiochum annos centum & sexaginta quinque. Dominantibus Maccabæis annos centum & viginti septem, quos si coniunxeris, complebis quadringentos octoginta duos cum dimidio, sumens reliquum dimidium à primo Herodis anno. Non enim primo die sic grassatus est. At, si cum exitu verbi intelligere malles reparationem ciuitatis Ierusalem, quæ reparata est vigesimo secundo anno Darij, subducendi erunt triginta anni à regno Persarum, & addendi totidem ad regnum Iudæorum ex annis Herodis regis, sic proximè attinges annum incarnati Christi, qui trigesimo primo anno Herodis incarnatus est. Hoc igitur primo animaduertendum, vnde sumendum initium, nam multos seduxit huius ignorantia. Quando enim impleuit Deus hoc, quod per prophetam Ieremiam prædixit se facturum, nempe lxx. annis Babylonios regnaturos, tantoq́ tempore templum fore vastatum, tunc exitus verbi censendus, de hoc enim erat sollicitus propheta: nam præmiserat. Intellexi in libris numerum annorum, Vt complerentur desolationis Ierusalem lxx. anni: & infra in hoc eodem capite dicitur, Ab exordio precum tuarum egressus est sermo, vbi videtur aptius inchoandа hæc annorum supputatio, Vt hic exitus verbi censeatur. Si ergo spectes ad annum Cyri primum, quo data est facultas redeundi, peruenies vsque ad Pompeium Magnum, qui centesima septuagesima nona Olympiade victoriam obtinuit, qua capta Ierusalem, multisq́ etiam num sacrificantibus occisis, templo aperto vsque ad sancta sanctorum accessit, & Aristobulum toties fallentem, victum in triumphum reseruauit, & habes hebdomadas sexaginta nouem, principium sex. agesimæ nonæ hebdomadæ pro integra supputans, hoc est, annos quadringentos septuaginta sex plenos. Cesserat enim Macedonicus principatus in Syria, & manebat adhuc in Aegypto. Secundò si respexeris ad instauratiouem templi sub Dario, quæ incidit in Olympiadem sexagesimam quintam, & tunc lxx. anni desolati templi impleti sint, peruenies in sexaginta nouem hebdomadis, id est, annis quadringentis octoginta tribus ad tempus Herodis, qui & ipse vrbem cepit, & regem, ac optimos quosque occidit. Præterea si exitum verbi dicas, extructã ciuitatem Ierusalem, quæ ante cladem Marathoniam contigit, & Olympiadem septuagesimam tertium apprehendit, per annos quadringentos octoginta tres, peruenies vsque in Olympiadem nonagesimam quartam, in qua natus est Christus, Vt vbique impletionem temporum videas ab exitu verbi, qui cum prophetico sensu satis quadrat. Scias igitur (inquit) et intelligas, impletis septuaginta annis à Ieremia prædictis, adesse tempus, Vt rex Cyrus primum quidem reuerti faciat, & deinde Darius extrui curet Ierusalem, vel sic. Ab hoc tempore numerare poteris, quo exibit verbum regis, qui respondebit (Vt legunt Græci ἀποκριθήναι,) & ædificare iubebit, vsque ad Christum illum principalem, esse scilicet tantum temporis: & vbi euolutum hoc tempus fuerit, scias esse plenitudinem temporum, & nouissimos dies, in quibus oportet apparere Christum. Et hic loquendi modus scripturæ magis familiaris est, supra cap. 2. Et lex egressa est, &c. Ier. xliij. faciemus omne verbum, quod egredietur de ore nostro. In eandem tamen sententiam vtraque conspirat expositio. De his hebdomadis, sic scribit Galatinus, sine quisquis author illius operis fuit, nam audio à quodam Iudæo primum illa fuisse obseruata, quæres maiorem etiam fidem facit. Notandum est (inquit) Valde, quam vigilanter Gabriel Danielem hortetur scire, atque animaduertere tempus egressionis verbi de reditu populi Dei ex Babylonica captiuitate, ab eoq́ tempore, earundem hebdomadarũ numerũ incipere. Nusquã autem huius verbi egressus inuenitur expressius, immo nusquam tam euidenter reperiri poterit, quàm apud Ieremiam, cap. xxix. sic dicentem. Sic dicit Deus, cum fuerint completi in Babylonia lxx. anni visitabo vos, & statuam, vel erigam super vos verbum meum bonum, & reuerti faciam vos ad locum istum. Et post pauca, ac sequenti capite in eandem sententiam. Quæ siquis aduerterit, atque Gabrielis verba, istaq́ cum illis contulerit, negare minimè poterit, egressum verbi ex ore Ieremiæ de populi reuersione, deq́ Ierusalem & templi reædificatione ibi fuisse. A quo quidem verbi egressu lxx. harum hebdomadarum numerum inchoandum fuisse ostēdit. Qui verò scire voluerit, quonam tempore hoc verbum fuerit ex ore Ieremiæ egressum, vigesimum octauum libri eiusdem prophetæ caput legat. Et factum est (inquit) in anno illo, in principio regni Sedechiæ regis Iuda in anno quarto in mense quinto. Cumq́ alium nullum annorum numerum propinquiorem, quam istum, supra dictis inuenire possit, perspicuè sibi patebit, in quarto regis Sedechiæ anno, verbũ hoc de populi reditu, deq́ Ierusalem & templi reædificatione ex ore Ieremiæ fuisse egressum. Quartus autem Sedechiæ annus, fuit duodecimus Nabuchodonosor. Sedechias quippe vndecim regnauit annis, tum capta fuit, atque combusta vrbs Ierosolyma, & templum, anno scilicet Nabuchodonosor decimo nono. Si ergo Talmudisticam traditionem sequamur, Nabuchodonosor annis regnauit quadraginta quinque, cuius anno decimo nono, ac mense quinto, Vt dictum est, templum dirutum fuit, et habebimus Nabuchodonosor ipsum ab eo tempore, quo verbum de populi regressu, & Ierusalem ac templi reædificatione ab ore Ieremiæ egressum est, triginta quatuor regnasse annis, quorum etsi vnus imperfectus sit, cum tamen maiorem anni partem habuerit, pro integro computatur. Deinde vero prædictam traditionem diligentius persequentes, his triginta quatuor annis ipsius Nabuchodonosor, viginti tres addamus, quibus Euilmerodach filius eius regnauit, & quinquaginta septẽ habebimus annos, quibus si tres ipsius Balthasar filij Euilmerodach, iungantur, sexaginta habentur anni, hic quoque si duo anni Dary & xxx. quibus Cyrus nepos eius regnauit, accedant, anni erunt nonaginta duo. Porrò si istis & anni quatuordecim Assueri & sex Dary, sub quo templi structura consummata est, adiungantur, clarum est, quòd ab egressu verbi supius dicti, vsq́ ad templi secundi completionem secundum Iudæorum scripturas centum & duodecim fluxerunt anni. Quibus si addantur anni quadringenti viginti, quibus templum secundum constitisse, indubitanter ab eis asseritur, habebuntur ab egressu verbi ex ore Ieremiæ de populi reditu, & de Ierusalem, templiq́ reædificatione, vsque ad eiusdem vrbis, templiq́ excidium, anni quingenti & triginta duo, de quibus si quadraginta

draginta duos,qui post Christum passum præterierunt,subtraxeris,anni quadringenti & nonaginta romanebunt,qui septuaginta Danielis hebdomadas perficiunt.Qui vero per nostras quoq; historias veritatem hanc nancisci cupiunt,ab alio eos tempore computationem hanc incipere oportet,vt illa egreßio verbi sæpius dicta, fuerit anno vigesimo regni Artaxersis Longimani,Persarum regis,qui facultatem,& libertatem reædificandæ Ierusalem Iudæis dedit,vt habetur cap. 2.libro Neemiæ: nam etsi prius à Cyro,& redeundi à captiuitate,& construendi templi libertatem accepissent, adhuc tamen neq; facultatem condendæ denuo vrbis prædictæ acceperant,neque templum,quod Zorobabele principe erigere cœperant, perficere potuerunt. Ex quo manifestè patet,quòd iuxta angeli instructionem à vigesimo anno Artaxersis Longimani, à quo primum exijt verbũ,vt Ierusalem iterũ ædificaretur,harũ hebdomadarum cõnumeratio inchoare debuit. Quod autem hebdomadæ istæ vsque ad Christum passum peruenerint: ex Græcarum, Latinarumq; historiarum concordantia, atque connexione facilè videri potest:hoc modo. Artaxerses iste postquam ad reædificandam Ierusalem misit Neemiam, regnauit adhuc annis viginti, post quem Xerses secundus mensibus duobus,deinde Sogdianus mensibus septem.Deinde Darius secũdus, qui dictus est Nothus, annis viginti nouem,deinde Artaxerses Mnemon,qui & Assuerus,& Arphaxat appellatus est,annis quadraginta.Postea Artaxerses Ocus,eius ex Ester Hebræa filius,annis viginti septem,post quem Arsamus eius filius annis quatuor. Darius demum tertius Arsami filius,in quo defecit Persarum regnum,annis sex,& sic ab egressu verbi,vt iterum ædificaretur Ierusalem,hucusq;,Persarum regum tempora connumerando:habentur anni centum & viginti sex, minus tribus mensibus.Post Darij vero mortem,Alexander Macedo cognomento Magnus,in regno Græcorum sex regnauit annis, post quem Ptolemæus Lagi filius annis quadraginta. Deinde Ptolomæus Philadelphus annis triginta octo. Deinde Ptolomæus Euergetes primus annis viginti quinque,deinde Ptolomæus Philopater annis sexdecim, deinde Ptolemæus Epiphanes annis viginti quatuor,deinde Ptolemæus Philometor annis triginta quinque, deinde Ptolemæus Euergetes secundus annis vigintinouem, deinde Ptolemæus Physcon annis decem & septem,deinde Ptolemæus Alexander annis decem,deinde Ptolemæus Soter annis octo,deinde Ptolemæus Dionysius annis triginta,deinde Cleopatra,in qua Græcorum regnum finem accepit,annis viginti duobus. A morte igitur Darij tertij hactenus colliguntur trecenti anni minus vno, quibus Græcorum regnum perdurasse constat.Octauianus vero Augustus post mortem Cleopatræ in Romanorum regno annis imperauit quadraginta tribus, cui Tyberius successit,cuius anno decimo octauo passus est Christus.Ab obitu ergo Cleopatræ vsque ad Christum passum, habentur anni vnus & sexaginta, quibus si addantur anni, quos, Persarum Græcorumq; regum tempora supputando,collegimus, habebuntur ab egressu verbi, vt iterum ædificaretur Ierusalem, id est, à vigesimo Artaxersis Longimani anno vsque ad Christum passum anni quadringenti octoginta septem,minus tribus mensibus,qui septuaginta complent hebdomadas, minus tribus annis,tribusq; mensibus.Siquidem in dimidio vltimæ hebdomadis Meßias occidedus erat. Ex quibus palàm ostensum est,determinatũ Meßiæ tempus ab angelo Danieli retectum, in Domino nostro Iesu Christo precisè impletum fuisse.Hæc ille. [h] Hebdomades septem.] *Diuidit nunc hebdomadas in tres partes,initio dat hebdomadas septem, medio tempori sexaginta duas,fini vnam.Septem primæ tribuuntur reparationi templi,ciuitatis, & regni Iudæ, deinde sexaginta duæ pertingunt vsque ad plenitudinem temporum, quando Romani monarchiam vsurpabant, sub qua Christus nasci debuerat.* [i] In angustia temporum.] *Hoc est,in summis angustijs erunt temporibus illis.* [k] Et post hebdomadas sexaginta duas.] *Vltrà septem illas alias. Hic docet, quid futurum sit in vltima hebdomada,hoc est,in tempore quo septuaginta hebdomadæ impleri cœperint,quòd scilicet iuxta temporum veriorem supputationem,fuit circa initium regni Herodis,qui à Iudæis sustulit sceptrum,de quo Iacob patriarcha prædixerat,Non auferetur sceptrum de Iuda, &c.ad hoc alludit hic Daniel,quando dicit,Occidetur Christus,vel,excidetur vnctus, & non erit populo quicquam reliquum, quia tota regia potestas fuit à Iudæis per Herodem alienigenam sublata.Sunt qui hic per vnctum,intelligãt sacerdotium,quod fuit per Christum sublatum. Sunt etiam,qui de Christo occiso intelligant,sed cui opinioni obstare videtur id,quod additur. Non erit populo quicquam reliquum, vel,vt Hebraismus habet,et nihil ei.Christus autem multum habuit post mortem suam,sicut dixit. Data est mihi omnis potestas,&c.Sed quod superius dixit,Christum ducem,hoc proculdubio de Christo dictum est. Quod verò ad vltimam hebdomadam pertinet,sunt qui dicant,quoniam hæc vltima est,neque illam alia sequitur, non esse quòd illam quis anxiè in paucos septenarij annos cogat,& stultum esse post finem & nouißimum tempus adhuc numerationi vacare. Dicunt enim lxx.* κενωθήσονται οἱ καιροί, *euacuata erunt tempora,quasi dicat,non restabit,quod numeres,expecta nunc Christum.* [l] Et sanctuarium dißipabit populus.] *Hæc sub Romanis sunt impleta,sub quibus miseri Iudæi veluti inundationes malorum sunt perpeßi.Et putatur additum,cum diluuio, quòd per mare venerit Titus.* [m] Confirmabit autem pactum.] *Adimplebit Christus in vltima hac hebdomada fœdus,quod inijt cum patribus,ideo non dixit,faciet, sed confirmabit, quod iam antea & patribus promiserat,de quo Iere.xxxi.* [n] Et in dimidio hebdomadis.] *Interpretantur nonnulli hebdomadam illam vnam,septem annos,quibus Christus & apostoli prædicarunt in Iudæa, ita vt Christus per tres cum dimidio, & apostoli post mortem eius per totidem annos prædicarint,& in morte Christi ablatum sacrificium sit. Quæ sententia etiam veteribus placuit,Eusebio & Polychronio.Sunt tamen qui dicant hebdomadam illam plenitudinem esse temporum,in qua confirmatur pactum.Etenim in processu temporum,non statim ab initio finis fuit sacrificiorum,sed in medio scilicet belli.Finis autem belli Iudæorum sub Hadriano fuit.In medio illorum temporum, quando Christus hebdomada illa pactum firmabat cum suis,tunc & auferebatur sacrificium:à captiuitate enim,qua Pompeius Ierusalem cepit, vsque ad tempus morientis Christi, habebis annos non pauciores nonaginta octo,à morte autem Christi,& apostolorum prædicatione, vsque ad Hadrianum paulò plures: per quæ ferè tempora cum Ioanne Euangelista syncerior doctrina permansit.* [o] Et propter expansionem abominationum.] *Intelligunt per expansionem siue alam abominationum,de extensione vexillorum Romanorum:de qua videtur Dominus prædixisse Matth.xxiiij.Cum videritis abominationem desolationis,quæ dicta est à Daniele:stantem in loco sancto,qui legit intelligat,Tunc qui in Iudæa, &c. Hanc fuisse putant,cum à Pilato Cæsarea signa in templum illata sunt, vnde seditionis & calamitatum initium. Aliqui tamen interpretantur hunc locum,quòd tanta erit vbiq; abominatio, vt nemo non vehementer admiraturus sit miseræ plebis Iudaicæ desolationem, & exterminium, quod continuè stillabit super eam,& apprehendet calamitatem calamitas.Itaque sensus totius prophetiæ huius hic est. Res Iudaicæ durabunt septuaginta hebdomadis annorum,quibus expletis aderit Meßias,qui tollet peccata mundi,et afferet iustitiam sempiternam. Ad hunc*

autem

autem principem vnctum numerari iubetur à tempore, quo exijt edictum ab ore regis Persarum cõcedentis reditum Iudæis ad extruendam vrbem & templum,insumptæq; sunt septem septenæ,id est, quadraginta nouem anni in illo opere. Expletis autem illis septem & præterea sexaginta duabus septenis,hoc est,quadringentis & octoginta tribus annis, tunc interijt regnum,& externum sacerdotium:cœpitq; vrbs deuastari à Romanis,vt calamitatum nullus esset finis. Illo tempore ademit Christus,& adimpleuit pactum cum patribus initum,& suo sacrificio sacrificijs legalibus finem imposuit, & increbrescentibus abominationibus,tandem populus infidelis,& ciuitas penitus interierunt.

CAPVT X.

A ANno tertio regni Cyri regis Persarum, verbum reuelatum est Danieli cognomento Baltasar, &
[a] verbum verum,& † tempus longum: intellexitq; sermonem,& intelligentia † erat ei in visione.
[b] In diebus illis ego Daniel [c] lugebam trium hebdomadarum diebus,panem desyderabilem non co
medi, & caro & vinum non introierunt in os meum, sed neque vnguento vnctus sum:donec complerentur
trium hebdomadarum dies.Die autem vicesima & quarta mensis primi erant [d] iuxta fluuium magnum,qui
est Tigris.Et leuaui oculos meos & vidi: [e] & ecce vir vnus vestitus lineis,& renes eius accincti auro obrizo:&
corpus eius quasi chrysolithus,& facies eius velut species fulguris, & oculi eius,vt lampas ardens, & brachia
eius:&,quæ deorsum sunt,vsque ad pedes,quasi species æris candentis: & vox sermonum eius,vt vox multitu
B dinis. Vidi autem ego Daniel solus visionem:porrò viri, qui erant mecum non viderunt, sed terror nimius
irruit super eos,& fugerunt in absconditum. Ego autem relictus solus vidi visionem grandem hanc: & non
remansit in me fortitudo,sed & species mea immutata est in me,& emarcui,nec habui quicquam virium. Et
audiui vocem sermonum eius: & audiens iacebam consternatus super faciem meam, & vultus meus hære-
bat terræ. [f] Et ecce magnus tetigit me,& erexit me super genua mea,& super articulos manuum mearum.
Et dixit ad me,Daniel [g] vir desyderiorum intellige verba,quæ ego loquor ad te,& sta in gradu tuo: nũc enim
sum missus ad te, Cumque dixisset mihi sermonem istum, steti tremens. Et ait ad me, Noli metuere Da-
niel:quia,ex die primo quo posuisti cor tuum ad intelligendum,vt te affligeres in conspectu Dei tui, exaudi-
C ta sunt verba tua & ego veni propter sermones tuos. [h] Princeps autem regni Persarum restitit mihi viginti
& vno diebus:& ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum,& ego remansi ibi iu-
xta regem Persarum. Veni autem,vt docerem te, quæ ventura sunt populo tuo in nouißimis diebus, quo-
niam adhuc visio in dies. Cumque loqueretur mihi huiuscemodi verbis,deieci vultum meum ad terram, &
tacui. Et ecce quasi similitudo filij hominis tetigit labia mea, & aperiens os meum locutus sum, & dixi ad
eum,qui stabat contra me,Domine mi in visione tua dissolutæ sunt compages meæ, & nihil in me remansit
virium. Et quomodo poterit seruus Domini mei loqui cum Domino meo? nihil enim in me remansit vi-
rium,sed & halitus meus intercluditur. Rursum ergo tetigit me quasi visio hominis, & confortauit me, &
D dixit, Noli timere vir desyderiorum, pax tibi:confortare, & esto robustus. Cumque loqueretur mecum,
conualui,& dixi,Loquere Domine mi,quia confortasti me.Et ait,Nunquid scis quare venerim ad te? & nũc
reuertar,[i] vt prælier aduersum principem Persarum. [k] Cum enim egrederer, [l] apparuit princeps Græcorum
veniens.Veruntamen [m] annuntiabo tibi,quod expressum est in scriptura veritatis: & nemo est adiutor meus
in omnibus his,nisi Michael princeps vester.

SCHOLIA.

[a] Et verbum.] *Scilicet est mihi Danieli reuelatum, quod post multum tempus prædicitur adimplendum.* [b] In diebus illis.] *Quando scilicet nuntiatum est,Iudæos à templi structura impediri. Dies illos in mense Nisan, qui est paschalis, fuisse,& præ mœrore etiam tunc Danielem à carnibus abstinuisse ferunt,adduntq;,quod etiam pascha intermiserit.* [c] Lugebam.] *Hoc est,ieiunabam.Ieiunium sic appellare solent Iudæi,vt annotat Polychronius.Et quod ait, Panem desyderabilem,intellige cibum suauem.* [d] Iuxta fluuium magnum.] *Obserua,quàm sint familiaria prophetis flumina: nam secessus contemplationis gratia quærebatur.* [e] Et ecce vir vnus.] *Sunt qui per hunc virum intelligant angelum Gabrielem, ex nostris quidam putant designatum Christum. Linum significat puritatem angeli,vel Christi,cinctura lumborum,ministerium eius. Tharsis quem Chrysolitum esse putant,propter cœlestem,quem habet colorem,designat immortalem gloriam,& incorruptibilem essentiam angelorum & christi.* [f] Et ecce manus tetigit me.] *Hoc est,cum iam casurus essem, subitò manu sua is,qui apparebat,me corroborabat.* [g] Vir desyderiorum.] *Alius vertit.Vir magnæ existimationis,alius delitiæ.* [h] Princeps autem regni Persarum.] *Mira familiaritas etiam excusat se apud prophetam, Dominus scilicet apud seruum,quare tanto tempore moram fecerit.Quòd non mox(inquit)tibi oranti opem tuli, nihil aliud obstitit, quàm quòd non solum tui populi,sed etiam Persarum causa acta est ante me hisce diebus vno & viginti. Tu quidem petebas, populum omnino dimitti,Persarum autem res postulat, vt cohabitantem populum tuum longiore tempore secum retineat, tametsi Israeli vt peculiariter meo,magis afficiar:atque adeo Michael,qui tuo populo semper adest,adiuuit me, id est, hunc meum erga vos fauorem magis declarauit.Et decretum est, vt ego relinquar apud regem Persarum,eo quòd & populus meus adhuc illic aliquanto tempore aget: nihilo tamen minus adsum,vt te consoler,& futura tibi reuelem. Est igitur Christus is,qui mittitur in consolationem prophetæ: princeps regni Persarum angelus est eius regni,sicut Michael Israelitarum.* [i] Vt prælier aduersus principem Persarum.] *Reuertar, vt sim nunc auxilio regi Persarum ob id, quòd populum meum adhuc habet subse.* [k] Cum enim egrederer.] *Vel,& cum egredior. Signanter hic Christus se non adiuturum illos semper indicat, addens,& ego exeo,id est, vbi populus meus remigrauerit, & ego cum populo meo, tunc princeps Græcorum magna clade Persas pessundabit. Etenim quandiu bene vsi sunt Iudæis,felices erant: vbi persuasum fuit Cyro & consiliarijs eius, prohibere reædificationem templi,perijt cum exercitu in Scythia.* [l] Apparuit princeps Græcorum.] *Angelus præses Græciæ, qui vltionem à iudice christo petit,propter infestatos præter omnem iustitiam Græcos.* [m] Annuntiabo tibi.] *Nempe quòd neque Persarum, neque Græcorum regnum subsistet: vos autem Iudæi non excindemini, nam plus mecum valebit vestra causa.*

eauſa. Veſter enim archangelus eſt, qui me apprehendit, (vt quidam vertit) quem & ego vicißim corroboro. Angelus Deũ ſic corroborare dicitur, quomodo alij vincere, ac victoria aliqua potiri.

CAPVT XI.

E[a] Go autem ab anno primo Darij Medi ſtabam, vt confortaretur, & roboraretur. Et nunc veritatem annuntiabo tibi. Ecce[b] adhuc tres reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimijs ſuper omnes: & cum inualuerit diuitijs ſuis, cõcitabit omnes aduerſum regnum Græciæ. [c] Surget verò rex fortis, & dominabitur poteſtate multa: & faciet quod placuerit ei. Et cum ſteterit, conteretur regnum eius, & [d] diuidetur in quatuor ventos cœli: [e] ſed non in poſteros eius, neq; ſecundum potentiam illius, qua dominatus eſt: lacerabitur enim regnum eius etiam in externos † aliquos ab his. Et [f] confortabitur rex auſtri, & de principibus eius: prævalebit ſuper eum & dominabitur ditione: multa enim dominatio eius. [g] Et poſt finem annorum, fœderabuntur: filiaq; regis auſtri veniet ad regem aquilonis facere amicitiã, & non obtinebit fortitudinem brachij, nec ſtabit ſemen eius: & tradetur ipſa, & qui adduxerunt eam [h] adoleſcentes eius, & qui cõfortabant eam in temporibus: & ſtabit [i] de germine radicum eius plantatio. Et veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam regis aquilonis: & † faciet contra eos: & obtinebit. Inſuper & deos eorum, & ſculptilia, vaſa quoque precioſa auri & argenti, captiua ducet in Ægyptum: ipſe prævalebit aduerſus regem aquilonis. Et intrabit in regnum rex auſtri, & reuertetur ad terram ſuam. [k] Filij autem eius prouocabuntur & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum: & veniet properans & inundans: & reuertetur & cõcitabitur, & congredietur cum robore eius. [l] Et prouocatus rex auſtri egredietur, & pugnabit aduerſus regem aquilonis, & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu eius. Et capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius & deijciet multa millia: ſed non prævalebit. [m] Conuertetur enim rex aquilonis, & præparabit multitudinem multo maiorem quàm prius: & in fine temporum annorumq; veniet properans cum exercitu magno & opibus nimijs. Et in temporibus illis multi [n] conſurgent aduerſus regem auſtri: filij quoque prævaricatorum populi tui extollentur, vt impleant viſionem, & corruent. Et veniet rex aquilonis, & cõportab aggerem, & capiet vrbes munitiſſimas: & brachia auſtri non ſuſtinebunt, & cõſurgent electi eius ad reſiſtendũ, & nõ erit fortitudo. Et faciet veniens ſuper eũ iuxta placitum ſuum, & non erit qui ſtet contra faciem eius: & ſtabit [o] in terra inclyta, & conſumetur in manu eius. Et ponet faciem ſuam, vt veniat ad tenendum vniuerſum regnum eius, [p] & recta † erunt cum eo & faciet, & [q] filiam fœminarum dabit ei, vt euertat illud: & non ſtabit, nec illius erit. Et cõuertet faciem ſuam [r] ad Inſulas, & capiet multas: [s] & ceſſare faciet princeps opprobrium ſuũ, & opprobrium eius conuertetur in eum. Et conuertet faciem ſuam ad imperium terræ ſuæ, & [t] impinget & corruet, & non inuenietur. [v] Et ſtabit in loco eius † ſeductor, & indignus decore regio: & in [x] paucis diebus conteretur, nõ in furore nec in prælio. Et [y] ſtabit in loco eius deſpectus, & non tribuetur ei honor regius & veniet clàm, & [z] obtinebit regnum in fraudulentia. [a] Et brachia pugnantus expugnabuntur à facie eius, & conterentur: inſuper & dux fœderis. [b] Et poſt amicitias, cum eo faciet dolũ: & aſcẽdet, & ſuperabit in modico populo. Et abundantes & vberes vrbes ingredietur: & faciet, quæ nõ fecerunt patres eius, & patres patrum eius: rapinas & prædam & diuitias eorum diſſipabit, & contra firmiſſima cogitationes inibit: & hoc, vſq; ad tempus. [c] Et concitabitur fortitudo eius & cor eius aduerſum regẽ auſtri in exercitu magno: & rex auſtri prouocabitur ad bellum multis auxilijs, & fortibus nimis: & non ſtabunt quia inibunt aduerſus eum conſilia. [d] Et comedentes panem cum eo, conterent illum exercitusq; eius opprimetur: & cadent interfecti plurimi. [e] Duorum quoq; regum cor erit, vt malefaciãt, & ad menſam vnam mendacium loquentur & non proficient: quia adhuc finis in aliud tempus. [f] Et reuertetur in terram ſuam cum opibus multis: & cor eius aduerſum teſtamẽtũ ſanctum, & faciet, & reuertetur in terrã ſuam. Statuto tempore reuertetur, & veniet ad auſtrum: & nõ erit priori ſimile nouiſſimum. Et venient ſuper eũ trieres, & Romani, & percutietur & reuertetur, & [g] indignabitur cõtra teſtamẽtum ſanctuarij, & faciet: reuerteturq;, & cogitabit † de his qui dereliquerunt teſtamentum ſanctuarij. [h] Et brachia ex eo ſtabunt, & polluent ſanctuarium fortitudinis, & auferent iuge ſacrificium: & [i] dabunt abominationem in deſolationem. [k] Et impij in teſtamentum ſimulabunt fraudulenter: populus autem ſciens Deum ſuum obtinebit & faciet. Et docti in populo docebunt plurimos: & ruent in gladio & in flamma & in captiuitate & in rapina dierum. Cumq; corruerint, ſubleuabuntur auxilio paruulo: & [l] applicabuntur eis plurimi fraudulenter. Et de eruditis ruent, vt conflentur: & eligantur & dealbentur vſque ad tempus præfinitum: quia adhuc aliud tempus erit. [m] Et faciet iuxta voluntatem ſuam rex, & eleuabitur & magnificabitur aduerſus omnem deum: & aduerſus Deum deorum loquetur magnifica, & dirigetur, [n] donec compleatur iracundia: † ſi quidem facta deciſio eſt. Et Deum patrum ſuorum non reputabit: [o] & erit in concupiſcentijs fœminarum, nec quenquam deorum curabit: quia aduerſum vniuerſa conſurget: deum autem Maozim in loco ſuo venerabitur: & deum quem ignoraverunt patres eius colet aurò, & argento, & lapide precioſo, rebusque precioſis. Et faciet, [p] vt muniat Maozim cum deo alieno quem cognouit, & multiplicabit gloriam: & dabit eis poteſtatem in multis, & terram diuidet gratuitò. Et in tempore præfinito præliabitur aduerſus eum rex auſtri, & quaſi tempeſtas [q] veniet contra illum rex aquilonis in curribus & equitibus & in claſſe magna: & ingredietur terras, & conteret & pertranſibit. Et introibit in terram glorioſam, & multi corruent: [r] hæ autem ſolæ ſaluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Ammon. Et mittet manum ſuam in terras: & terra Ægypti non effugiet. Et dominabitur theſaurorum auri, & argenti, & in omnibus precioſis Ægypti: per Libyam quoque, & Æthiopiam tranſibit. [s] Et fama turbabit eum ab oriente & ab aquilone: & veniet in multitudine magna, vt conterat & interficiat plurimos. Et figet tabernaculum † palatij ſui [t] inter maria, ſuper montem inclytum & ſanctum: & veniet vſque ad † finem eius, & nemo auxiliabitur ei.

Iſa. 19. c

Scholia.

[a] Ego autem à primo anni Darij.] *Verba ſunt angeli, hoc eſt, Chriſti & ſuperioribus cohærent, ſic. Propterea & ego Michaelem adiuui in primo anno Darij, & deſtruxi regnum Babylonium, victores feci Perſas, & illis ſuę geſſi, vt liberarentur Iudæi, & ſic corroborarentur.* [b] Adhuc tres reges.] *Hoc eſt, ſub tribus regibus regnum Perſarum non imminuetur, ſed ſtabit. Hi ſunt, Cyrus, Cambyſes filius eius, qui & ipſe Artaxerſes appellatur in Eſra, & Aſſuerus in libro Heſter: accepit is vxorem Heſter. Tertius Smerdes, qui vnus è duobus Magis regno per tyrannidem paruo tempore potitus fuit, & quartus: hic eſt Darius Hyſtaſpis. Fœdiſſimus autem Hebræorum lapſus eſt, qui eundem Dariũ putant Hyſtaſpis, & Dariũ, quem Alexander Macedo occidit: Vnde fit, quòd in ſupputationibus hebdomadarum tam ridicula ſcribit. Neq; enim Daniel hic dicit, in illis regibus defeciſſe omnino regnum Perſarum, ſed quartum illum regem facem belli fuiſſe, qui fretus diuitijs, omnes contra Græcos incitauit, ſexcentorum millium exercitum, ab Athenienſibus mactandum in campo Marathonio in Græciam miſit, poſteriq; regibus, Vt Xerſi, ac alijs maximarum cladium author fuit. Interceſſerunt autem inter hũc Darium & Darium Arſami, reges nouem, qui regnauerunt Olympiades triginta ſex, id eſt, annis centum quadraginta quatuor. Numerantur autem hic quatuor reges Perſarum, vt oſtendatur, Iudæos aliquos manſuros in regno illo vſq; ad tempora quarti regis. Quod verò ad Smerdem pertinet, is fuit, qui ſe filium Cyri finxerat, & paucis menſibus regnauit, quo occiſo Darius, rex ad himnitum equi declaratus eſt. Illius anno ſecundo cœperunt iterum ædificare in templo, ſeptimo anno venit Eſras, anno vigeſimo miſit Neemiam: poſt id temporis bellum illud infauſtum geſsit cum Græcis, & trigeſimo ſexto anno regni mortuus eſt.* [c] Surget verò rex fortis.] *Ex regno Græcorum, Alexander videlicet, qui primum minabatur ciuitati Ieruſalem excidium, ſed viſo ſummo ſacerdote, cum Leuitis & populo obuiam veniente, etiam beneficijs perſecutus eſt. Et mirantibus ſuis, cur ſe ad illum pontificem deiecciſſet, dixit, viſum ſibi ante, quàm proficiſceretur ad eam prouinciam, Deum eaſpecie, qua erat indutus ſummus ſacerdos ille, & victoriam pollicitum.* [d] Et diuidetur in quatuor ventos cœli.] *In quatuor præcipua regna, quamuis pluribus etiam alijs diſtributæ ſint prouinciæ primum. Et viuo quidem adhuc Aridæo fratre Alexandri, & Hercule filio, cæteri regio nomine abſtinuerunt, manſitq; Aridæo per ſeptem annos, poteſtas tamen omnis apud alios erat.* [e] Sed non in poſteros eius.] *Vel, & nemo erit ex poſteritate eius, ceſſit enim illud regnum alijs. Sic quod ſequitur. In externos aliquos ab his, ſignificat extirpandum regnum eius, & alijs, quàm iſtis dandum: nam ſtirps eius paulo poſt eradicata eſt penitus.* [f] Et confortabitur rex auſtri.] *Daniel duo duntaxat ex quatuor regnis deſcribit. Ægyptiorum videlicet & Syrorum, eò quòd Iudæa inter illa duo ſita, continuis illorum motibus afflicta ſit. De regno Aſiæ & Macedoniæ parum memnit, quia Iudæis, vt pote ſemotiora, minimè infeſta erant. Ad hæc ex quatuor illis duo ſuperſtites manſerunt, miſeræ Iudææ nimium vicini. Ad auſtrum Iudææ, id eſt, in Ægypto, Ptholomæi, ad aquilonem, id eſt, in Syria, Seleuci & Antiochi. Nomina autem regum Ægypti, ſibi ſuccedentium hæc ſunt, Ptolomæus Magnus, vel, Soter Lagi filius. Ptholomæus Philadelphus. Ptholomæus Euergetes. Ptholomæus Philopator. Ptholomæus Epiphanes. Ptholomæus Philometor. Reges Syriæ, Seleucus. Antiochus Soter. Antiochus Theos. Seleucus Callinicus. Et Antiochus Ierax. Seleucus Ceraunus. Et Antiochus Magnus. Seleucus Philopator. & Antiochus Epiphanes.* [g] Et poſt finem annorum fœderabuntur.] *Sub Ptholemæo Philadelpho hæc impleta ſunt, cuius curæ legem Moſis 70. interpretati ſunt: de quo ſcribit Ariſteus & Ioſephus. Is Berenicem filiam Antiocho Theo dat vxorem, & Iudæam ac Syriam in dotem, ſperans aliqua occaſione ſic regnum Syriæ ſibi ſubjiciendum, ſed fefellit eum opinio ſua, cum paulo poſt ipſe interfectus fuerit, & Antiochus mortuus, atque filia eius vxor Antiochi, neci tradita, & ſemen eius in regno non ſucceſſerit.* [h] Adoleſcentes eius, & qui cõfortabant eam in tẽporibus.] *Alius vertit, Et qui genuit eam, quiq; per tempora roborauit eam, videlicet Antiochus.*
[i] De germine radicum eius.] *Filiæ ſcilicet regis Auſtri Berenices. Hæc in Ptholomæo tertio, qui frater Berenices fuit, & Euergetes vocatus eſt, implentur: nam prætexens vltionem ſororis, contra Seleucum Callinicum Laodices filium expeditionem parat, vt ſcribit Iuſtinus, & occupat munitiſſimas vrbes Syriæ.* [k] Filij autem eius prouocabuntur.] *Hæc in diebus Ptholomæi quarti, qui Philopator dictus eſt, acciderunt. Hoc autem nomen ſortitus eſt ex contrario, vt Iuſtinus libro 29. dicit, eo quòd patre & matre interfectis, Ægyptum occupauerit. Quanta autem mala Iudæis fecerit, ex tertio Maccabæorum cognoſci poteſt. Itaque filij Callinici Ceraunus & Antiochus, vlciſcendi ſe occaſionem iuſtam nactos rati, magnum congregauerunt exercitum: ſed Ceraunius proditus perit in Aſia, & regnum accipit impubes Antiochus cognomine Magnus. Hoc eſt, quòd Daniel, cum dixiſſet filios, ſubdit de vno quod properans veniet, &c.* [l] Et prouocatus rex Auſtri.] *Spoliaſſet (ait Iuſtinus) regno Antiochum, ſi fortunam virtute iuuaſſet.* [m] Cõuertetur enim rex aquilonis.] *Hæc ſub Ptolemæo quinto, qui dictus eſt Epiphanes, hoc eſt, illuſtris, acciderunt: de quo ſic ſcribit Iuſtinus libro 31. Mortuo Ptholemæo Philopatore rege Ægypti, contemptaq; paruuli eius ætate, qui in ſpem etiam regni relictus, præda domeſticis erat, Antiochus rex Syriæ occupare Ægyptum ſtatuit.* [n] Conſurgent aduerſus regem Auſtri.] *Iunxit enim Antiochus ſibi Philippum regem Macedoniæ. Futurum autem etiam dicit, vt non pauci è populo Iudæorum apoſtatæ ſint, Nam Onias cum quibuſdam, quaſi impleturi prophetiam Eſaiæ, poſtea templum extruxerunt in Hieropoli. Quanquam illud, Vt impleant viſionem: quidam ſic interpretatur. Prophetiam Moſis, contra cuius legem faciebant.* [o] In terra inclyta.] *Hoc eſt, Iudæa.*
[p] Et recta erunt cum eo.] *Hoc eſt, quaſi plana via incedet, ita omnia iuxta eius voluntatem euenient.* [q] Filiam fœminarum.] *Cleopatram, quam Ptholemæo Epiphani in vxorem dat. Filia (inquit) quæ in mulieribus formoſiſſima erit, dabitur, vt perdat regem, ſed hoc non ſuccedet: plus enim illa amabit ſponſum: et hoc eſt, quod ait, Et non ſtabit, &c. neq; in obtinebit. repotuit Ægyptum.* [r] Ad Inſulas.] *Bellum indicat, quod cum Romanis geſsit.* [s] Et ceſſare faciet princeps.] *Cum Antiochus multa probra obtecciſſet Romanis, quorum Inſulas inuaſerat, à Romanis, quos principis nomine intelligit, victus eſt, & omnia opprobria in ſuum reciderunt caput.* [t] Impinget & corruet.] *Nam dum Antiochus templum Dindymæ Ionis aggreditur, concurſu incolarum cum omni militia interficitur.* [u] Et ſtabit in loco eius ſeductor.] *Succeſsit Antiocho Magno Seleucus filius, cognomento Philopator, frater Antiochi Epiphanis, is eſt, qui miſit Heliodorum, vt templum expilaret, vt legitur libro 2. Maccabæorum.* [x] Et in paucis diebus conteretur.] *Aſſignantur quidem anni duodecim eius regno, ſed dicit, ad opprimendum illum non opus fuiſſe magno exercitu, neque toruis aſpectibus: creditur enim Antiochi Epiphanis, qui Romæ obſes erat, fraudibus extinctus, vt ipſe dimiſſus regno ſuccederet, de quo iã copioſius propheta Vaticinatur.*

v Et ſtabit in loco eius deſpectus.] *Erat (vt dictum eſt) obſes Romæ, neque à Syris poſtulatus, & ad regnum legitimè vocatus.* z Obtinebit regnum.] *Quod debebatur filio Seleuci.* a Et brachia.] *Hoc eſt, quamuis multi potentes ſeſe illi opponant, tamen conterentur, & ipſe dux fœderis Ptholemæus Philometor. Hæc in genere propheta dicit, deinceps geſta Antiochi ordine narraturus.* b Et poſt amicitias cum eo.] *Hæc prima Antiochi in Ægyptum profectio eſt. Fœdus enim cum Philometore iniit, & quoniam adoleſcens erat Philometor, ſimulat Epiphanes, quòd ingreſſus Ægyptum, velit nepotis rebus tanquam auunculus conſulere, quo cuncta in regno illius prudenter gerantur, & per conſiliarios perfidos non dilapidentur: propterea & parua militum manu ſtipatus, vt minor eſſet ſuſpitio Ægyptum ingreſſus eſt, ſed erat illa expedita & fortis acies: Vnde (inquit) ſuperabit, vel roborabitur in medio populo.* c Et concitabitur.] *Hæc eſt ſecunda profectio Antiochi.* d Et comedentes panem.] *Amiciſſimi illius prodiderunt ipſum, nam verſutus Antiochus, donis & artibus conſiliarios, & menſæ regiæ conuiuas corruperat, vt proderent regem adoleſcentem, & rei militaris ignarum.* e Duorum quo que regum.] *Quamuis capitales eſſent inimici, euenit tamen, vt in eadem menſa comederint, pacifica verba loquentes. Ille enim omnia ſe agere in commodum nepotis, hic verò non niſi à ſuis impulſum, ſe deſcendiſſe in prælium excuſabat. Neutri tamen ceſſit pro animi ſententia: nam nec Philometur Antiochum perdere poterat, vtpote victorem, nec Antiochus Philometorem nepotem, populum ſeditioſum metuens: ideo dicit, bellum alio præfinito tempore finiendum.* f Et reuertetur in terrã ſuam.] *Vbi Antiochus domum redyt, fugit Philometor ad fratrem ſuum Diſcon in Alexandriam, & Romanis, in quanto periculo eſſet, ſignificauit. Id poſtquam Antiochus reſciuit, indignatus, iterum properat in Ægyptum, at non eodem ſucceſſu, ſicut in duabus primis profectionibus: nam non ſolum ſine præda domum redyt, ſed tota Ægypto cedere coactus eſt, iubentibus id Romanis.* g Et indignabitur.] *Expoliauit enim templi omnibus ornamentis, lucerna aurea, arca aurea, menſa & ſacrario, & cortinis, & collocato Ioue olympio in templo, iuſſit immolari porcos, & prohibuit iuge ſacrificium, et circunciſionem. Et quod ſequitur, Cogitabit de ys, &c. dicit, eũ fuiſſe inuitatum ab ys, qui dereliquerant legem Dei.* h Et brachia ex eo.] *Hæc aly ad deſtructionis templi tempora referunt, aly ad Antiochum, ſunt & qui ad Romanos, ſiſi authoritate quorundam Hebræorum, atque ita exponunt, Ex illo populo, qui in nauibus veniet, hoc eſt, ex Romanis ſtabunt tunc brachia, polluent templum, &c.* i Et dabunt abominationem.] *Dabunt abominandam deſolationem.* k Et impij in teſtamentum.] *Exponunt hoc de Alcimo, & Menelao ac ſimilibus, qui tempore Maccabæorum multos blandis ſermonibus à lege abduxerunt, quibus tamen populus ſciens Deum, nempe Maccabæi cum ſuis, non obtemperarunt, ſed magis corroborati, etiam alios erudierunt in lege: ideo multos pro fide mortuos, & auxilio paruo adiutos: quærebant enim principes multi illos perdere. Sunt qui putent hic prophetam aſpicere ad Chriſtianos, quos impij idololatræ conati fuerunt ab initio naſcentis eccleſiæ ſeducere blanditys. Potiſſimè autem ſeuiit tyrannorum perſecutio in apoſtolos & ſanctos doctores.* l Applicabuntur eis.] *Hi ſunt pſeudo chriſtiani & hæretici, qui vt lupi ingreſſi ſunt eccleſiam.* m Et faciet.] *Chriſoſtomus ſermone ſecundo contra Iudæos, etiam hæc contra Antiochum dicta putat, ſed multa hic dicuntur, quæ illis temporibus minus conuenire videntur. Non eſt enim ingreſſus in Ægyptum Antiochus, poſtquam à P. Popilio ab Ægyptiorum terra iuſſus eſt abſcedere, ſed neque aliquis ex poſteris illius. Eſt autem & Hieronymi, et Catholicorum fere omnium ſententia, de Antichriſto nunc mentionem fieri, cuius figuram geſſit Antiochus: videntur & Mahumeti quadrare.* n Donec compleatur.] *Quandiu ſcilicet vraſcetur Deus populo. Sed facta (inquit) deciſio eſt iræ ac temporis illius, de quo in capite vltimo. Huic congruit quod in Apoc. cap. 13. legitur de ſeptem phialis.* o Et erit in concupiſcentijs.] *Aly ſic verterunt. Et de amore mulierum, atque de omni deo nihil intelliget: quòd videlicet non curaturus ſit mulieres fortaſſe ad confirmandam hypocriſim. Aly putant, poſtulare ſeriem ſermonis, vt de idolo intelligatur, quod quidam reginam cœli dixerit, quaſi dicat, neque Deum patrem, neq; deam pulcherrimam, Lunam, vel Venerem, & in ſumma nullum deum colet.* p Vt muniat Maozim.] *Alius vertit. Et faciet iſta munitionibus fortiſſimis cum deo alieno: & intelligit principes ſibi cooperantes, quos glorificabit cum deo ſuo, eò quòd per illos efficiat, quæ voluerit. Alius ſic. Super hæc omnia muniet arcem Ieruſalem, et in cæteris vrbibus ponet præſidia, vt Iudæos aſtringat, & cogat adorare deum alienum, videlicet Iouem.* q Veniet contra illum.] *Signat Antichriſtum per tyrannidem ſuam varios populos ſibi ſubiecturum.* r Hæ autem.] *Qui ad montana fugiunt, vt ſunt deſerta Moab, & Eſau, & Ammon, id eſt, qui illecebras mundi relinquunt, ab Antichriſto ſecuri erunt. Huic videtur conuenire, quod Apoc. de muliere ſcribit, à facie draconis fugiente, & illud cap. 13. Et aperuit draco os, &c.* s Et fama turbabit eũ.] *Nunc de interitu Antichriſti agit, qui vbi multos deprædatus fuerit, tunc aduerſus illum concrepabit tuba Euangelicæ prædicationis, quare ſic terrebitur, vt quicquid furoris habet, in ſanctos Dei effundat. Qui de Antiocho intelligunt, ſic dicunt, Cognoſcens in Iudæa turbas & tumultus excitatos ob mutuas Iaſonis & Menelai contentiones, auditis illis velociter reuerſus eſt.* t Inter duo maria.] *Quantum ad literam. Ieruſalem inter duo maria ſita eſt, nempe mediterraneum, & lacum Aſphaltidem, qui eſt Sodomiticus.*

CAPVT XII.

Mat. 24. c

IN tempore autem illo [a] conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filijs populi tui: & [b] veniet A
tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes eſſe cœperunt vſque ad tempus illud. Et in tempore illo ſaluabitur populus tuus, omnis qui inuentus fuerit ſcriptus in libro. Et multi de his, [c] qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in † opprobria & contemptum ſempiternum. [d] Qui au- B
tem † alios docuerunt, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Tu autem Daniel [e] claude ſermones, & ſigna librum vſque ad tempus ſtatutum, [f] plurimi pertranſibunt, & multiplex erit ſcientia. Et vidi ego Daniel, & ecce [g] quaſi duo alij ſtabant: vnus hinc ſuper ripã fluminis, & alius inde ex altera ripa fluminis. Et dixit viro qui erat indutus lineis, qui ſtabat
Apoc. 10. a ſuper aquas fluminis, [h] Vſquequo finis horum mirabilium? Et [i] audiui virum qui indutus erat lineis, qui ſta- C
bat ſuper aquas fluminis, cum eleuaſſet dexteram & ſiniſtram ſuam in cœlum, & iuraſſet per viuentem in æternum: quod [k] in tempus & tempora, & dimidium temporis. Et cum completa fuerit diſperſio manus populi ſancti, complebuntur vniuerſa hæc. Et ego audiui, & non intellexi: & dixi, Dñe mi, quid erit poſt hæc? [l] Et ait, Vade Daniel: quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones vſque ad præfinitum tempus. Eligentur & dealbabuntur,

D babuntur, & quaſi ignis probabũtur multi: & impiè agent impij, neq; intelligent omnes impij porrò docti intelligent. Et [m] à tempore cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationẽ: dies mille, ducenti nonaginta. Beatus qui expectat & peruenit vſq; ad dies mille trecentos trigintaquinque. Tu autem Daniel [n] vade ad præfinitum: & requieſces, & ſtabis in ſorte tua, in finem dierum.

Hucuſq; Danielem in Hebræo volumine legimus.

SCHOLIA.

a Conſurget Michael.] *Dominus ipſe eſt Michael magnus princeps, de quo Ioannes in Apoc. ſcribit, quòd inſidens equo albo præluetur pro populo ſuo.* b Et veniet tempus.] *Iisdem ferè verbis & Dominus vſus fuit, cum afflictionem futuram nuntiaret.* c Qui dormiunt in terræ puluere.] *Hic apertiſſimus locus eſt de reſurrectione, etiam Iudæis ſapientioribus conſentientibus, tametſi cum Chiliaſtis videantur ſentire. Ioan. quoq; in Apo. cap. 20. poſtquam oſtendit Antichriſti exercitum cœlitus expugnatum, ſubdit de iudicio. Et vidit thronum magnum, &c. Et quod ait, Multi euigilabunt: videtur concordare cum verbis Pauli, cum ait. Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur.* d Qui autem alios docuerint.] *Etiam hanc ſententiam pro aſſerenda reſurrectione Dominus protulit Mat. 13. Tũc iuſti fulgebunt ſicut ſol. Ponit autem inter beatos diſcrimen ad conſolationem eorum, qui plura perferunt.* e Claude ſermones.] *Vt ignauis & ſecordibus myſteria Dei abſcondita ſint.* f Plurimi pertranſibunt.] *Hoc eſt legent, & percurrent hæc verba, & multiplicabuntur opiniones, ſed Chriſtus vnus habet clauem ſcientiæ, & cui aperuerit librum, is intelliget quid hic ſignificetur.* g Quaſi duo alij.] *Ideo aly, quia alio modo diuinam voluntatem patefaciebant: priùs vnus locutus erat Danieli, nũc accedit alter. Idem qui priùs indutus lineis loquebatur, & nunc loquitur.* h Vſquequo finis horum mirabilium.] *Miram rem vocat hanc iuſtorum afflictionem, eo quòd poteſtatem habeant impy in ſanctos Dei. Sic & prophetarum paraphraſtes Ioãnis, vidit ſub altari animas interfectorum, qui locus cum hoc collatus multam accipit lucem.* i Et audiui virum.] *Eſt & hic verſus Apoc. 10.* k In tempus & tempora.] *De hoc etiam ſupra dictum eſt, nam quia hebdomæa plenus humerus eſt, dimidiata abbreuiati temporis ſymbolum eſt. Sic Ioan. cap. 11. dicit corpora prophetarum per tres dies & dimidium non poni in monumentis. Idem, cap. 13. deſcribit per menſes 42. qui et ipſi tres annos cum dimidio reddiit, et infra, dies 1290. & iterum 1335 circiter tres annos cum dimidio conſtituunt.* l Et ait vade.] *Etiam hæc verba oſtendunt articulum temporum nobis non manifeſtandum.* m A tempore cum ablatum fuerit.] *Videtur hic ſenſus. Etiã ſi tempus ſub Antichriſti perſecutione prologatum fuerit, beatus ille erit, qui perſeuerauerit vſque in finem. Numerus enim 1335. excedit mediam annorum hebdomadam 45. diebus: qui numerus facit ſex ſeptenarios cum dimidio ferè, qui rectè accommodatur ad finem, quaſi dicat. Beatus eris, cuius tãta longanimitas inuenietur, vt etiam ſi longiſſimum ſpacium afflictionibus illis addetur, ita vt apparere iam ſeptimus ſeptenarius videatur, non tamẽ excidas.* n Vade ad præfinitum.] *Vel, ad finem. Danieli, ſicut dim Moſi dictum eſt, moriendum ſibi extra terram promiſſionis. Demum omnium catholicorum & peritorum Hebræorum conſenſu, in hoc vltimo verſu reſurrectio promittitur.*

Quę ſequuntur vſque ad finem libri, de Theodotionis
, æditione translata ſunt.

CAPVT XIII.

A ET erat vir habitans in Babylone, & nomen eius Ioacim, & accepit vxorem nomine Suſannam filiam Helciæ, pulchram nimis, & timentẽ Deum. Parẽtes enim illius cũ eſſent iuſti, erudierunt filiam ſuam ſecundum legem Moyſi. Erat autem Ioacim diues valde, & erat ei pomarium vicinum domi ſuæ: & ad ipſum confluebant Iudæi, eò quòd eſſet honorabilior omnibus. Et conſtituti ſunt duo ſenes, iudices in illo anno, de quibus locutus eſt Dominus, Quòd egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. Iſti frequentabant domum Ioacim, & veniebant ad eum omnes qui habebant iudicia. Cum autem populus reuertiſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomario viri ſui. Et videbant eam ſenes quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarſerunt in concupiſcentiam eius & euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos vt non viderent cœlum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum. Erant ergo ambo vulnerati amore eius, nec indicauerunt ſibi viciſsim
B dolorem ſuum: erubeſcebant enim indicare ſibi concupiſcentiam ſuam, volentes concumbere cum ea: & obſeruabant quotidie ſolicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum, Eamus domum, quia hora prandij eſt. Et egreſſi receſſerunt à ſe. Cumque reuertiſſent, venerunt in vnum: & ſciſcitantes ab inuicem cauſam, confeſsi ſunt concupiſcentiam ſuam: & tunc in communi ſtatuerunt tempus, quando eam poſſent inuenire ſolam. Factum eſt autem, cum obſeruarent diem aptum, ingreſſa eſt aliquãdo ſicut heri & nudiuſtertius, cum duabus ſolis puellis, voluitque lauari in pomario: æſtus quippe erat: & non erat ibi quiſquam, præter duos ſenes abſconditos, & contemplantes eam. Dixit ergo puellis, Afferte mihi oleum, & ſmigmata, & oſtia
C pomarij claudite, vt lauer. Et fecerunt ſicut præceperat: clauſeruntque oſtia pomarij: & egreſſæ ſunt per poſticum vt afferrent quæ iuſſerat: neſcibatq; ſenes intus eſſe abſconditos. Cum autem egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt, Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus: quam obrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum: quod ſi nolueris, dicemus contra te teſtimonium quòd fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te. Ingemuit Suſanna, & ait, Anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Et exclamauit voce magna Suſanna: exclamauerunt autem ſenes aduerſus eam. Et cucurrit vnus ad oſtia pomarij, & aperuit. Cum ergo audiſſent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per poſticum, vt viderent quidnam eſſet. Poſtquam autem ſenes locuti ſunt, erubuerunt ſerui vehementer: quia nunquam dictus fuerat ſermo huiuſcemodi de Suſanna. Et facta eſt dies craſtina. Cumque veniſſet populus ad Ioacim virum eius, venerunt & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione

aduersus Susannam, vt interficerent eam. Et dixerũt coràm populo, Mittite ad Susannam filiam Helcię vxorem Ioacim. Et statim miserunt. Et venit cum parentibus, & filijs, & vniuersis cognatis suis. Porrò Susanna erat delicata nimis, & pulchra specie. At iniqui illi iusserũt, vt discooperiretur (erat enim cooperta) vt vel sic satiarentur decore eius. Flebant igitur sui, & omnes qui nouerant eam. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius. Quæ flens suspexit ad cœlum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Et dixerunt presbyteri, Cum deambularemus in pomario soli, ingressa est hęc cum duabus puellis: & clausit ostia pomarij, & dimisit à se puellas. Venitq; ad eam adolescens qui erat absc̃ditus, & concubuit cum ea. Porrò nos cum essemus in angulo pomarij, videntes iniquitatem cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commisceri. Et illum quidem non quiuimus comprehendere, quia fortior nobis erat, & aperto ostio exiliuit: hanc autem cum apprehendissemus, interrogauimus quisnam esset adolescens, & noluit indicare nobis, huius rei testes sumus. Credidit eis multitudo quasi senibus & iudicibus populi, & condemnauerunt eã ad mortem: Exclamauit autẽ voce magna Susanna, & dixit, Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis quòd falsum testimoniũ tulerunt contra me: & ecce morior, cum nihil horum fecerim quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me. Exaudiuit autẽ Dominus vocem eius. Cumq; duceretur ad mortẽ, suscitauit Dñs spiritum sanctum pueri iunioris, cuius nomẽ Daniel, & exclamauit voce magna, Mundus ego sum à sanguine huius. Et conuersus omnis populus ad eum dixit, Quis est iste sermo quẽ tu locutus es? Qui cũ staret in medio eorum, ait, Sic fatui filij Israel, non iudicantes, neq; quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israel? Reuertimini ad iudiciũ, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam. Reuersus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes, Veni, & sede in medio nostrũ, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorẽ senectutis. Et dixit ad eos Daniel, Separate illos ab inuicem procul, & dijudicabo eos. Cũ ergo diuisi essent alter ab altero, vocauit vnũ de eis, & dixit ad eum, Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius, iudicãs iudicia
Exo. 23.a iniusta, innocentes opprimens & dimittens noxios, dicente Dño, innocentem & iustum nõ interficies. Nũc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait, Sub schino. Dixit autem Daniel, Rectè mentitus es in caput tuum: ecce enim angelus Dñi accepta sentẽtia ab eo, [a] scindet te mediũ. Et amoto eo, iussit venire alium, & dixit ei, Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscẽtia subuertit cor tuum: sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo dic mihi sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait, Sub prino. Dixit autem ei Daniel, Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos. Exclamauit itaq; omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deũ qui saluat sperantes in se. Et consurrexerunt aduersus duos presbyteros (conuicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntq; eis sicut malè egerant aduersus proximũ, vt facerent secundum
Deut. 19.d legem Moysi, & interfecerunt eos, & saluatus est sanguis innoxius in die illa. Helcias autem, & vxor eius laudauerunt Deum pro filia sua Susanna cum Ioacim marito eius, & cognatis omnibus: quòd non esset inuenta in ea res turpis. Daniel autem factus est magnus in conspectu populi à die illa, & deinceps. Et rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Persęs regnum eius.

SCHOLIA.

[a] Scindet te medium.] *Alluſit ad verbum ſchinus: quod græco verbo σχίζω ſimilitudine literarũ affine eſt: σχίζω autem ſignificat ſcindo. Sic in eo quod ſequitur, vt ſecet te medium: alluſit ad vocem primus: nam πρίω ſignificat ſeco.*

CAPVT XIIII.

ERat autem Daniel conuiua regis, & honoratus super omnes amicos eius. Erat quoque idõlum apud Babylonios nomine Bel: & impẽdebãtur in eo per dies singulos, similæ artabę duodecim, & oues quadraginta, viniq; amphoræ sex. Rex quoq; colebat eum: & ibat per singulos dies adorare eũ: porrò Daniel adorabat Deum suũ. Dixitq; ei rex. Quare non adoras Bel? Qui respondens, ait ei, Quia non colo idõla manufacta, sed viuentẽ Deum qui creauit cœlum & terram, & habet potestatẽ omnis carnis. Et dixit rex ad eum, Nõnne videtur tibi esse Bel viuens Deus? An non vides quanta comedat & bibat quotidie? Et ait Daniel ridens, Ne erres rex. Iste est enim intrinsecus luteus, & forinsecus æreus, neq; comedit aliquando. Et iratus rex vocauit sacerdotes eius, & ait eis, Nisi dixeritis mihi quis est iste qui comedat impensas has, moriemini. Si autem ostenderitis quòd Bel comedat hæc, morietur Daniel, quia blasphemauit in Bel. Et dixit Daniel regi, Fiat iuxta verbum tuũ. Erant autem sacerdotes Bel septuaginta, exceptis vxoribus & paruulis & filijs. Et venit rex cum Daniele in templum Belis. Et dixerunt sacerdotes Belis, Ecce nos egrediemur foras: & tu rex, pone escas, & vinũ misce, & claude ostiũ, & signa annulo tuo: & cũ ingressus fueris manè, nisi inueneris omnia comesta à Bel, morte moriemur, vel Daniel qui mentitus est aduersum nos. Contemnebant autem, quia fecerãt sub mensa absconditum introitũ, & per illum ingrediebãtur semper, & deuorabant ea. Factũ est igitur postquã egressi sunt illi, & rex posuit cibos ante Bel: pręcepit Daniel pueris suis, & attulerũt cinerem, & cribrauit per totũ templum coràm rege: & egressi, clauserũt ostium: & signãtes annulo regis, abierũt. Sacerdotes autem ingressi sunt nocte iuxta consuetudinem suam, & vxores, & filij eorũ: & comederunt omnia, & biberunt. Surrexit autẽ rex primo diluculo, & Daniel cum eo. Et ait rex, Saluáne sunt signacula Daniel? Qui respondit, Salua rex. Statimq; cum aperuisset ostium, intuitus rex mẽsam, exclamauit voce magna, Magnus es Bel, & nõ est apud te dolus quisquam. Et risit Daniel: & tenuit regem, ne ingrederetur intrò, & dixit, Ecce pauimentum, animaduerte cuius vestigia sunt hęc. Et dixit rex, Video vestigia virorum, & mulierum, & infantium. Et iratus est rex. Tunc apprehendit rex sacerdotes, & vxores, & filios eorum: & ostenderunt ei abscondita ostiola per quæ ingrediebantur & consumebant quæ erant super mensam. Occidit ergo illos rex, & tradidit

tradidit Bel in potestatem Danielis: qui subuertit eum, & templum eius. Et erat draco magnus in loco illo, & colebant eum Babylonij. Et dixit rex Danieli, Ecce nunc non potes dicere quòd iste non sit Deus viuens: adora, ergo eum. Dixitque Daniel regi, Dominum Deum meum adoro: quia ipse est Deus viuens, iste autem non est Deus viuẽs. Tu autem rex da mihi potestatem, & interficiam draconem absque gladio & fuste. Et ait rex, Do tibi. Tulit ergo Daniel picem, & adipem, & pilos: & coxit pariter, fecitq; massas, & dedit in os draconis & diruptus est draco. Et dixit Daniel, Ecce quem colebatis. Quod cũ audissent Babylonij, indignati sunt vehementer: & congregati aduersum regem, dixerunt, Iudæus factus est rex, Bel destruxit, draconem interfecit, & sacerdotes occidit. Et dixerunt cũ venissent ad regem, Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te, & domum tuam. Vidit ergo rex quòd irruerent in eum vehementer: & necessitate compulsus tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. Porrò in lacu erant leones septem & dabantur eis duo corpora quotidie, & duæ oues: & tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem. Erat autẽ Habacuc propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo: & ibat in campum vt ferret messoribus. Dixitq; angelus Domini ad Habacuc, Fer prãdium quod habes in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc, Domine Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitq; eum in Babylonem super lacum in impetu spiritus sui. Et clamauit Habacuc, dicens, Daniel serue Dei, tolle prandium quod misit tibi Deus. Et ait Daniel. Recordatus es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgẽsq; Daniel comedit. Porrò angelus Domini restituit Habacuc confestim in loco suo. Venit ergo rex die septimo, vt lugeret Danielem: & venit ad lacum, & introspexit: & ecce Daniel sedens in medio leonum. Et exclamauit voce magna rex dicens, Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum de lacu leonum. Porrò illos, qui perditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum, & deuorati sunt in momento coràm eo.

LIBER OSEE PROPHE.

CAPVT I.

A
B ERBVM Domini quod factum est ad Osee filium Beeri in diebus Oziæ, Ioatham, Ahaz, Ezechiæ regum Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel. Principium loquendi Domini in Osee: & dixit Dominus ad Osee, Vade, [a] sume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationis: quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Et abijt, & accepit Gomer filiam Debelaim: & cõcepit, & peperit ei filium. Et dixit Dominus ad eum, Voca nomen eius Iezrahel: quoniam adhuc modicum, & [b] visitabo sanguinem Iezrahel super domum Iehu, & quiescere faciam regnum domus Israel. Et in illa die [c] conteram arcum Israel in valle Iezrahel. [d] Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei, Voca nomen
C eius Absq; misericordia: quia non addam vltrà misereri domui Israel, sed [e] obliuione obliuiscar eorũ. Et [f] dõmui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo: & non saluabo eos in arcu & gladio & in bello & in equis & in equitibus. Et ablactauit eam quę erat Absq; misericordia. Et cõcepit & peperit filium. Et dixit, Voca nomen eius, Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester. Et erit [g] numerus
D filiorum Israel, quasi arena maris quæ sine mensura est, & non numerabitur. Et erit: in loco vbi dicetur eis, Non populus meus vos: dicetur eis, [h] Filij Dei viuentis. Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter: & ponent sibi caput vnum, & ascendent de terra: quia [i] magnus dies Iezrahel.

SCHOLIA.

VOcant Hebræi prophetas minores Chaldaico vocabulo à numero ipso, Treæsar, id est, duodecim, complectuntur q; eos vno volumine, non quòd vno eodemque tempore prophetauerint, sed ne aliquis ex eis perderetur, cum libri sint perbreues, si quilibet eorum perse seorsum haberetur. Et in omnibus eis vnum illud præcipuum inuenitur argumentũ, quòd cupiant Christi regnum propagare & amplificare, etiam si alij alijs id agant rationibus. Osee, Ioel, Amos, & Micheas prophetauerunt contra decem tribus, hoc est, contra regnum Israel. Sophonias Vaticinatus est contra Ierusalem, & quatuor contra gentes, nempe Ionas, Nahum contra Niniuitas, Habacuc contra Babylonem, & Abdias contra Aedam. Tres postremi vrgere sat egerunt populum ad reædificandum ciuitatem, nempe Aggæus, Zacharias, & Malachias. [a] Sume tibi vxorem fornicationum.] *Hebræi putant hæc per visionem acta, & quòd verè non duxerit scortum, sicut nec Esaias reipsa per triennium nudus & discalciatus incesserit, & Ezechiel per tot dies in vtroque cubauerit latere. Prophetia ergo hæc figura est Israelis fornicantis post idola, & recedentis à Domino, etiam si propheta nõ peccasset, si ita gestum fuisset ac scortum duxisset, cum Deo præcipienti paruisset, sicut nec Israel de furto in Aegypto accusatur, neque Abraham de homicidio filij, quia aberat illis mens sanguinaria, auara, & impura. Non desunt tamen, qui rem ita gestam asserant, quemadmodum hic propheta narrat.* [b] Visitabo sanguinem Iezrael.] *Nomine Iezraelis intelligitur Samaria, nam fuit metropolis Samariæ, & in ea fuit occisus iustus Naboth: fuerunt & multi idololatræ in ea per Iehu bono Zelo interfecti, sed quia nec Iehu ab idololatria sibi temperauit, & opere ostendit, quasi iniustè fecisset, occidendo impios idololatras, prædicit Dominus vltionem sumendam ex domo eius propter sanguinem etiam iuste fusum. Alij addunt eum vltum fuisse sanguinem Naboth, non animo obsequendi Deo, sed regni appetitione.* [c] Conteram arcum Israel.] *Per arcum intellige robur & fortitudinem.*

 [d] Et concepit

[d] Et concepit adhuc.] *Tres partus successum rerum significant, primo sub Hieroboam facta sunt mina, breui Dominum dissipaturum regnum. In filio eius Zacharia diminutum est. Alij secuti sunt reges inferiores, & fœmellæ regnum assimilatum est, Sellum enim vnum mensem solum regnauit. Tandem Deus omnino extirpauit regnũ Israel.* [e] Obliuione obliuiscar.] *Sic & alius vertit. Sed verbum quod hic ponitur, cum habet literam sin cum pũcto in dextro cornu, significat obliuisci, sed cum hic in sinistro habeat, verti potest, adducendo adducam contra eos, hostẽ scilicet.* [f] Domui Iuda miserebor.] *Illa enim flagellis castigata sæpe resipuit a malo suo, id quod domus Israel non fecit, ideo indigna fuit Dei misericordia, & vt sequitur, nomen datum est ei. Non populus meus: quasi diceret Deus: eritis mihi perinde atque aliæ gentes. Et quod sequitur, Saluabo eos in Domino Deo eorum: intellige in Christo Domino Deo: quæ salus non per arcum & gladium facta est, sed per mortem filij Dei. Ad literam verò intelligunt de cæde exercitus Assyriorum, qui ad preces Esaiæ, & Ezechiæ regis ac fidem populi, percussus est ab angelo vna nocte.* [g] Numerus filiorum Israel.] *Israel Dei videlicet, secũdum Paulum Gal. vltimo, & Esa. 44. & 48. alio qui si de Israel secundum carnem intelligas, reliquiæ tantum vbique seruandæ prædicantur. Vide ergo quomodo ex populo non Dei, per misericordiam Dei in Christo Iesu fiant filij Israel, & Deus seruet promissiones ad Abraham factas, quando promisit illius semen multiplicandum quasi arenam maris: & aduerte id ipso hoc loco promitti, vbi reijcit Israel secundum carnem. Obserua etiam ordinem reijciendi sub nominibus eorum, qui ex scorto hoc nascuntur: primus vocatur Iezrael, id est disseminatio, quod dispergendus esset, quæ verò postea nata est, vocata est, absq; misericordia, quod est grauius, tertius vocatur, non populus meus, vt iam non differat ab alijs gentibus, & nomen Israel secundum carnem nihil ei prosit, neq; speret salutem, nisi eo pacto quo gentes, scilicet per Christum.* [h] Filij Dei.] *Ecce non populus Dei fiunt filij Dei, idq; per gratiam Euangelij. Magnum est, esse populum Dei, sed maius multo est, esse filios Dei, qui dispersi per orbem, hic prædicuntur congregandi sub vnum caput Christum, in magno illo die Iezrael, pro quo Ionathas clarius vertit, quoniam magna est dies congregationis eorum. Sonat autem Iezrael disseminationẽ, significaturq; hic populum ex disseminatione iterum congregandum in vnum sub capite Christo.* [i] Magnus dies Iezrael.] *Hoc est, quo semen suum iaciet Deus, & vlciscetur se de inimicis, qui sanguinem fuderunt insontem.*

CAPVT II.

DIcite fratribus vestris, [a] Populus meus: & sorori vestræ, Misericordiam consecuta. [b] † Obiurgate ma- A
trem vestram, obiurgate: quoniam ipsa non vxor mea, & ego nõ vir eius. Auferat fornicationes suas
à facie sua, & † compresSiones de medio vberum suorum: ne forte expoliem eam nudam & statuam
eam [c] secundum diem natiuitatis suæ: & ponam eam quasi solitudinem, & statuam eam velut terram inuiã,
& interficiam eam siti. Et filiorum illius non miserebor: quoniam filij fornicationum sunt, quia fornicata
est mater eorum, confusa est quæ concepit eos, quia dixit, Vadam post amatores meos qui [d] dant panes mihi
& aquas meas, lanam meam & linum meum, oleum meum & potum meum. Propter hoc ecce ego sepiam
viam tuam spinis, & sepiam eam maceria: [e] & semitas suas non inueniet. Et sequetur amatores suos, & non B
apprehendet eos: & quæret eos, & non inueniet: & dicet, Vadam & reuertar ad virum meum priorem: quia
bene mihi erat tunc magis quàm nunc. Et hæc nesciuit quòd ego dedi ei frumentum, & vinum, & oleum, &
argentum multiplicaui ei, & aurum quæ fecerunt Baal. Iccirco conuertar, & [f] sumam frumentum meum in
tempore suo, & vinum meum in tempore suo, & † auferam lanam meam & linum meum, quæ operiebant
ignominiam eius. Et nunc reuelabo † spurcitiam eius in oculis amatorum eius: & vir non eruet eam de ma-
nu mea: & cessare faciam omne gaudium eius, solennitatem eius, neomeniam eius, sabbatum eius, & omnia
festa tempora eius. Et corrumpam vineam eius, & ficum eius: de quibus dixit, [g] Mercedes hæ meæ sunt, quas C
dederunt mihi amatores mei. Et ponam eam in saltum, & comedet eã bestia agri. Et visitabo super eam dies
Baalim, quibus accẽdebat incẽsum, & ornabatur inaure sua & monili suo, & ibat post amatores suos, & mei
obliuiscebatur, dicit Dominus. Propter hoc, ecce ego [h] lactabo eam & ducam eam in solitudinem: & loquar
ad cor eius. Et dabo ei vinitores eius ex eodem loco, & vallem Achor ad aperiendam spem: & canet ibi iuxta
dies iuuentutis suę, & iuxta dies ascensionis suæ de terra Ægypti. Et erit in die illa, ait Dominus: vocabit me
vir meus, [i] & non vocabit me vltrà Baalim. Et auferam nomina Baalim de ore eius, & nõ recordabitur vltrà
nominis eorum. Et percutiam cum eis fœdus in die illa [k] cum bestia agri, & cum volucre cœli, & cum repti- D
li terræ: & arcum, gladium, & bellum conteram de terra: & dormire eos faciam fiducialiter. Et sponsabo
te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in iustitia & iudicio, & in misericordia, & in miserationibus: &
[l] sponsabo te mihi in fide: & scies quòd ego Dominus. Et erit in die illa: exaudiam dicit Dominus, [m] exaudiã
cœlos, & illi exaudient terram. Et terra exaudiet triticum, & vinum, & oleum: & hęc exaudient Iezrahel. Et
seminabo eam mihi in terram, & miserebor eius quæ fuit Absq; misericordia. Et dicam, Non populo meo,
Populus meus es tu: & ipse dicet Deus meus es tu.

SCHOLIA.

[a] Populus meus.] *Subaudi, vos estis. Videtur autem vocare fratres duos illos filios illius scorti, quod propheta iussus erat accipere, & sororem, fœmellam illam, quæ vocata est, Absque misericordia. Vt intelligas postquam & dispersi sunt, & misericordia indigni habiti, & demum populus Dei facti, si conuertantur ad Christum, & colligendi sint, & consecuturi misericordiam, & euasuri populus, atque adeo filij Dei.* [b] Obiurgate matrem vestram.] *Vocat scortum illud, matrem eorum, quæ cum gloriaretur se esse sponsam Dei, interim totis viribus adulterio habenas laxarit. Vocatur autem in scriptura idololatria adulterium, quando mens absorpta est impijs cogitationibus, & pendet à creaturis, non à Deo à quo tanta accepit beneficia, obiurgate ergo eam, quòd illius culpa factum sit diuortium. Et tamen vide, vt, quamuis dixerit fore, vt non iam sit populus eius, inuitet tamen, vt abijciat fornicationes, & scelera sua, ne id, quod interminatus est, ei accidat, quod idem etiã inter alios prophetas, in Ieremia præsertim inuenies.* [c] Secundum diem natiuitatis tuæ.] *Ezechiel cap. 16. pulchrè describit, qualis gẽs fuerit à principio.* [d] Dant mihi panes.] *Adhærebimus (inquit) regibus externis, quamuis Deus illud prohibuit, & faciemus cum eis fœdus, illi enim liberabunt nos, vt commodius colamus agros nostros, & habeamus omnia necessaria.*

[e] Et semitas suas.] *Quibus scilicet, amatores adire poterat, & quod sequitur. Et sequetur amatores suos, id factum fuit cum Samaria, & postmodum Ierusalem obsiderentur ab hostibus, quærebant apud confœderatos suos auxilium, sed frustra, donec tandem vexatione dante intellectum, dicerent, Reuertar ad virum meum priorem, sicut & filius prodigus dixit, Surgam & reuertar ad patrem meum &c.* [f] Sumam frumentum meum.] *Quia (inquit) non agnoscũt hæc à me accepisse, ego auferam ab eis, tanquam ab indignis omnia bona. Sic Dominus varia concedit homini dona, quibus si ille abutatur, auferet Deus munera sua, & puniet hominem ob eorum abusum.* [g] Mercedes hæ meæ sunt.] *Hoc est, pecunia fornicationis. Magna populi Israelitici insania, vt putarent sibi omnium rerum copiam ab Assyrijs & idolis obtigisse. Vnde & Deus iratus mutauit vineas eorum in syluas, id enim est quod ait, ponam eam, scilicet vineam in saltum.* [h] Lactabo eam.] *Hoc est, piè fallam, imponam ei, & mea inspiratione inducam populum ab ignorantia Dei, ad eius cognitionem, præsertim cum pertraxero eum in desertum, hoc est, in captiuitatem, & à loco captiuitatis reducam eum ad patrias possessiones, habebitque vallem Achor loco spei, sicut olim sub Iosue mœrore affecti, ob furtum Achan, conceperunt post turbationem illam magnam spem obtinendæ terræ, sic iam fiet populo meo. Et obserua, vt, semper, cum flagellat nos Deus, id agat, non odij aut indignationis gratia, sed vt ab errore reuocemur, potest autem & quod ait, vallem Achor ad aperiendam spem, vel ianuam spei, intelligi, vt illud Esa. 65. Vallis Achor in cubile armẽtorum, hoc est, loca quæ prius erant maledicta, vt illa vallis, iam spem concipient meliorem.* [i] Et non vocabit me vltra Baal.] *Quod quidem maritum significat, sed durum & imperiosum, qualis fuit Baal cultoribus suis, quẽ populus impius elegerat, pro pijssimo Deo cœli.* [k] Cum bestia agri.] *Præcipiam (inquit) ego bestijs campi & volucribus cœli, & omnibus denique, vt non modo non noceant sanctis meis, sed ne arboribus quidem ac frugibus illorum. Tale quid & apud Iob habes: ait enim cap. 5. Bestias terræ non formidabis, sed & cum lapidibus regionum pactum tuum: hoc est, lapides non poterunt tibi nocere. Loquitur & in hunc sensum Esa. vndecimo. Non nocebunt, & non occident (nempe bestiæ & feræ quarum meminerat) in vniuerso monte sancto meo.* [l] Sponsabo te mihi in fide.] *Proprium enim coniugij est, mutuam seruare fidem: sic Deus desponsauit sibi populũ in fide, vt sciant se per Christum inuenisse peccatorum suorum remissionem.* [m] Exaudiam cœlos.] *In illo (inquit) tempore omnia elementa cupient seruire homini, vt ille agnoscat, & diligat creatorem suum. Et cœli quidem quodammodo me rogabunt, vt illis vim largiar, quæ homini inseruiant, & terra cœlum, vt desuper illi ministret fœcunditatem, sed & terræ nascentia terram ipsam precabuntur, vt pro vtilitate hominis sinantur crescere in ea, & ea omnia exaudientur, hoc est, parata erunt, vt prosint homini in cuius ministerium hæc omnia sunt creata. Porrò per Iezraelem intellige, hic sicut supra, populum disseminatum, sed iterum in fide Christi congregatũ. Hæc autem quæ hic dicuntur, non possunt intelligi de Israele secundum carnem, quem paulò ante reiecit, docet locus Esa. cap. 65.*

CAPVT III.

A ET dixit Dominus ad me, Adhuc vade, & dilige mulierem [a] dilectam amico & adulteram: sicut diligit
Dominus filios Israel, & ipsi respiciunt ad deos alienos, & diligunt vinum vuarum. Et † emi eam mihi Rom. 9. e
[b] quindecim argenteis, & coro hordei, dimidioq; coro hordei: & dixi ad eam, Dies multos [c] sedebis mi- 1. Pet. 2. b
B hi: non fornicaberis, & nõ eris viro: † neq; ego accedam ad te: quia [d] dies multos sedebũt filij Israel sine rege,
& sine principe, & sine sacrificio, & sine altari, & sine ephod, & sine theraphim. Et post hæc reuertentur filij
Israel, & querent Dominum Deum suum, & Dauid regem suum: & pauebunt ad Dominum, & [e] ad bonum
eius in nouissimo dierum.

SCHOLIA.

[a] Dilectam amico & adulteram.] *Hoc est, dilectam marito & tamen adulteram. Iubetur in visione diligere mulierem, quæ ardenter alium diligit virum, significans quòd Deus cupiebat diligere synagogam, sed illa potius diligebat deos alienos, & lagenas vuarum, id est, ebrietatem.* [b] Quindecim argenteis.] *Preciũ (inquit) exposui pro ea quindecim argenteorum, & pro cibo eius tribui corum & dimidium corum hordei. Sunt autem qui putent, olim pro abiecta & impura muliercula tale precium solitum exponi. Comparauit ergo sibi Deus sola miseratione hũc populum vilem & abiectum, quanquã is diligere eum noluit.* [c] Sedebis mihi.] *Relinquam (inquit) te tanquam viduam sedentem in luctu, & non permittam vt forniceris, ob multas oppressiones inter gentes, neque ego accedam ad te, id est, neque verè te consolabor, quid autem hoc in populo significet, exponitur per ea, quæ sequuntur.* [d] Dies multos sedebunt.] *Impleta est hæc prophetia post captiuitatem Babylonicam, quando filij Israel sederunt multis annis, id est, vsque ad Christum, sine legitimo rege. Non enim fuerunt Machabæi de tribu Iuda, sicut nec Herodes. Destituti etiam tandem fuerunt sacrificio legitimo, quando sacerdotium passim venale fiebat, non habuerunt imagines Theraphim, quæ consulerent pro futuris. De Theraphim diximus in Genesi, & in libro Iudicum. Sunt ex nostris, qui hanc prophetiam ad modernum Iudæorum statum referant. Quod vero ait, sine altari, in Heb. est, sine statua, & intelligunt de statua idolorum.* [e] Ad bonum.] *Iudæi exponunt de templo, nos de Christo, in quo omnis plenitudo diuinitatis inhabitat.*

CAPVT IIII.

A AVdite verbum Domini filij Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: non est enim
veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homi
cidium & furtum & adulterium inundauerunt, & [a] sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc [b] lugebit
terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea, in bestia agri, & in volucre cœli: sed & pisces maris † peri-
bunt. [c] Vtique nullus alium reprehendit, neq; officij sui admonet: & populus enim tuus sicut hi qui contra-
B dicunt sacerdoti. Quare corrues hodie & corruet etiam propheta tecum nocte: † perdidi matrem tuam. Pe-
rijt populus meus, eò quòd non habuerit scientiam: quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio
fungaris mihi: & oblita es legis Dei tui, obliuiscar filiorum tuorum & ego. [d] Secundum multitudinem eo-
rum sic peccauerunt mihi: gloriam eorum in ignominiam commutabo. [e] Peccata populi mei comedebãt,
& ad iniquitatem eorum subleuabant animas suas. Et erit [f] sicut populus, sic sacerdos: & visitabo super eum
vias eius, & cogitationes eius reddam ei. Et comedent, & non saturabuntur: † et fornicabuntur, & non au-

1.Sa.24.a gebuntur filijs:quoniam Dominum † desierunt obseruare. Fornicatio & vinum,& ebrietas [g] auferunt cor. C
Populus meus in ligno suo interrogauit, & baculus eius annuntiauit ei: spiritus enim fornicationum decepit eos, & fornicati sunt à Deo suo. Super capita montium sacrificabant, & super colles accendebant thymiama:subtus quercum & populum, & terebinthum,quia bona erat vmbra eius. [h] Ideo fornicabuntur filiæ vestræ, & sponsæ vestræ adulteræ erunt. [i] Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulteratæ fuerint: quoniam ipsi cum meretricibus conuersabantur, & cum effœ- D
minatis sacrificabant, & populus non intelligens † errabit. Si fornicaris tu Israel,non delinquat saltem Iuda:& nolite ingredi [k] in Galgala,& ne ascenderitis in Betháuem: [l] neque iurauerittis, Viuit Dominus. Quoniam sicut vacca lasciuiens declinauit Israel:[m] nunc pasceret eos Dominus quasi agnum in latitudine. Particeps est idolorum Ephráim,dimitte eum.[n] † Corruptum est vinum eorum,fornicatione fornicati sunt:† dilexerunt munera. [o] Afferte,inquiunt,ad ignominiam suam protectores eius. [p] Ligauit eum spiritus in alis suis,& confundentur à sacrificijs suis.

SCHOLIA.

[a] Sanguis sanguinem tetigit.] *Hoc est,assiduè funditur sanguis post sanguinem.* [b] Lugebit terra.] *Lugere terra dicitur,quando destituta cultoribus suis in solitudinem redigitur. Et non solum(inquit)homines eliminabuntur sed & iumenta,quæ inseruiunt homini,& aues cœli, quæ cum hominibus morari consueuerunt in eius commodum, his omnibus denudabitur terra.* [c] Vtique nullus alium reprehendit.] *Tam peruersus(inquit)est populus, vt nulla in eo sit spes salutis, & frustra mittantur prophetæ ad eum,cum & sacerdotibus & legisperitis,quorum officium est docere populum legem,aperte contradicant,& velint liberè peccare:hæc cum ita sint,audi populc peruerse,tu corrues hodie,hoc est,statim,cum prophetis tuis,qui te seduxerunt.* [d] Secundum multitudinem eorum.] *Nullus(inquit)sine peccato erat,siue,quotquot erant,peccabant. Alius sic exponit,Cum Leuitæ post Aaron patrem eorum in numero sint aucti,peccauerunt contra me, et obliti sunt legis meæ. Ionathas Chal.sic vertit. Sicut multiplicatus eis prouentus,sic ipsi multiplicauerunt contra me peccata.* [e] Peccata populi mei.] *Hoc est,oblationes pro peccatis à populo acceptas. Et quod sequitur, Et ad iniquitatem eorum sublemabant, vel erigebant animas suas,hoc est,inuitabant ad iniquitatem populum, vt ipsi oblationem acciperent. Peccantibus(inquit)dicunt, nolite soliciti esse,quoniam iniquitas vestra erit super animam nostram.* [f] Sicut populus, sic sacerdos.] *Hoc prouerbialiter dicitur. Non erat discrimen inter sacerdotes, & inter populum:nam pariter ijsdem peccatis inuoluti erant.* [g] Auferunt cor.] *Hoc est,qui occupatur,& iugiter versatur in fornicationibus,& ebrietatibus,ille omnem amittet intellectum,vt sine vllo timore Dei ambulet, & facile ab eius cultu recedat, id quod Israelitis contigisse multi scribunt prophetæ, quippe qui carnalibus illis vitijs immersi,gloriam Dei commutauerunt in gloriam ligni. Per lignum intellige idolum: & per baculum, qui gradientem sustentat,falsum prophetam.* [h] Ideo fornicabuntur.] *Ob hoc peccatum vestrum fiet, vt sponsæ vestræ adulteræ sint.* [i] Non visitabo.] *Sensus est,secundum Hebræos,non vsque adeo imputabo filiabus vestris & sponsis fornicationem,cum vos parentes,& mariti earum priores ab illis ad scorta deflexeritis. Vel sic,durissimè animaduertam in parentes & sponsos, vt filiæ & sponsæ eorum punitæ,videantur esse extra pœnam.* [k] In Galgala.] *Fuit in Galgal aliquando tabernaculum Dei,sed postea illic extructa fuerunt altaria idolorum. Sic Bethauen prius vocata fuit Bethel,id est, domus Dei, sed postea,cum vitulus aureus adoraretur, vocata fuit Bethauen,id est, domus iniquitatis.* [l] Neque iurauerittis.] *Sicut illi faciunt,ore videlicet,corde verò sequentes vitulos aureos positos in Galgal & Bethleem, quam hic ignominiæ causa Bethauen,id est,domum iniquitatis vocat.* [m] Nunc pasceret.] *Si non declinasset,& rebellis fuisset. Alij sic interpretantur, pascet eos veluti ouem vnicam in latitudine,quæ hinc & inde vadit tristis & nihil comedit: Vel, quia ferunt oues pasci in locis aridioribus,cum facile ouium intestina putrescant, si nimium lato pabulo pascantur.* [n] Corruptum est vinum illorum.] *Alius vertit,fœtidus factus est potus eorum in ore eorum. Et videtur obijcere eis crapulam, & quod vsque ad vomitum potarint.* [o] Afferte.] *Principes(inquit)eius in magnam suam ignominiam dicebant, Afferte munera,& iustificabimus causas vestras etiam iniquas.* [p] Ligauit eum spiritus.] *Et asportauit scilicet,spiritus nempe malus,& concupiscentia,quem miser populus sequitur. Alius vertit, Ligauit illa ventum in alis suis, vt si sensus, Perinde egit in idololatria sua, atque cum quis ligat ventum in vestimento,nam,cum vestis complicata iterum explicatur,nihil inuenitur in ea.*

CAPVT V.

AVdite hoc sacerdotes,& attendite domus Israel,& domus regis auscultate:[a] quia vobis iudicium est, A
† sed laqueus facti estis pro specula,& sicut rete expansum super Thabor. Et [b] victimas declinastis in
profundum:& ego obiurgator omnium eorum. Ego scio Ephráim,& Israel non est absconditus à
me:quia nunc fornicatus est Ephráim,contaminatus est Israel. Non dabunt cogitationes suas, vt reuertantur B
ad Deum suum:quia spiritus fornicationum in medio eorum,& Dominum non cognouerunt. [c] Et respondebit arrogantia Israel in facie eius: & Israel & Ephráim ruent in iniquitate sua, ruet etiam Iudas cum eis. In
gregibus suis, & in armentis suis vadent ad quærendum Dominum, & non inuenient: ablatus est ab eis. In
Dñm preuaricati sunt, quia [d] filios alienos genuerũt:nũc deuorabit eos mẽsis cũ partibus † eorũ. Clágite buc C
cina in Gabaa,tuba in Rama:vlulate in Bethàuem,[e] post tergũ tuũ Beniamin. Ephráim in desolatiõe erit in
die correptionis:in tribubus Israel [f] ostẽdi fidẽ. Facti sunt principes Iuda quasi [g] assumentes terminũ: sup eos
effundã quasi aquã irã meã. Calũniã patiẽs est Ephráim, [h] fractus iudicio: quoniã cœpit abire [i] post sordes. Et D
ego [k] quasi tinea Ephráim:& quasi putredo domui Iuda. Et vidit Ephráim lãguorẽ suũ:& Iudas vinculũ suũ:
& abijt Ephráim ad Assur,& misit ad regẽ vltorẽ:& ipse nõ poterit sanare vos,nec soluere poterit à vobis vinculũ. Quoniã ego quasi leæna. Ephráim,& quasi catulus leonis domui Iuda:ego,ego capiã & vadã:[l] tollam,&
non est,qui eruat. Vadens [m] reuertar ad locum meum:donec deficiatis,& quæratis faciem meam.

SCHOLIA.

[a] Quia vobis iudicium.] *Vos decebat facere & docere quod iustum erat, sed quia nihil facitis minus, laqueus facti estis: & sicut laqueis capiuntur aues, & feræ retibus,sic vos,qui debuistis esse populi directores, variis modis auocatis eum doctrina*

doctrina falsa,prauisque exemplis. [b] Victimas declinastis.] *Victimis (inquit)mactandis,quibus idolis suis sacrificent, desertores Dei summo studio incumbunt,me,qui ad erudiendos eos missus sum,assiduè reclamante. Alius vertit, Victimam declinantes profundè egerunt,hoc est,mira & astutissima consilia ceperunt,vt declinarent victimas, quas non suis locis offerebant,variis fraudibus egerunt,quomodo populum abducerent à vero Dei cultu.* [c] Et respondebit.] *Hoc est, testificabitur magnificentia eorum,qua contra Deum superbierunt, quòd iustè vltio diuina in eos seuiturasit.* [d] Filios alienos genuerunt.] *Alienigenas scilicet ducentes vxores, vel filios in idololatria educantes, & ob id deuorabit eos mensis,hoc est, tempus instat, vt & ipsi & bona eorum perdantur.* [e] Post tergum tuum.] *Hoc est,iam imminent tergo tuo Beniamin hostes.* [f] Ostendi fidem.] *Per futurum intelligendum est, Ostendam(inquit)rei veritatem, & perspicuum faciam, vtrũ in lege mea ambulauerint,necne. Alius hinc esse aiebat sensum. Docui quod rectũ erat,sed non sunt secuti.* [g] Assumentes terminum.] *Hoc est, diripientes aliena,& subditorum bona auferentes ac possessiones.* [h] Fractus iudicio.] *Nempe duro, hoc est,durum subyt gentium iudicium,secundum illud, Locutus est rex Babylonis iudicia cum Sedechia.* [i] Post sordes.] *Expressit sensum interpres,nam Hebræa habent. Post mandatum,hoc est,secutus est mandatũ impium Hieroboam.* [k] Quasi tinea.] *Sicut tinea(inquit)corrodit vestimenta,& teredo ligna,sic ego consumam Ephráim & Iudam. Eò quòd in infirmitate sua non quæsierunt me,sed ad reges externos cucurrerunt,à quibus tamen nihil nisi afflictiones habuerit: porrò quod ait,regem vltorem, alius vertit regem Iareb,& putant Iareb nomen esse ciuitatis in regione Assyriæ.* [l] Tollam.] *Hoc est,prædam auferam,perstat enim in metaphora leænæ,et catuli leonis.* [m] Reuertar ad locum meum.] *Non afferam eis auxilium,more eorum,qui socys pugnantibus ipsi domi manent.*

CAPVT VI.

A IN tribulatione sua manè consurgent ad me, Venite & reuertamur ad Dominum:quia [a] ipse cepit,& sanabit nos:† percussit,& curabit nos. [b] Viuificabit nos post duos dies:in die tertia suscitabit nos, & viuemus in conspectu eius. Sciemus,sequemurq; , vt cognoscamus Dominum: [c] quasi diluculum præpara-
B tus est egressus eius,& veniet quasi imber nobis temporaneus & serotinus terræ. Quid faciam tibi Ephráim? quid faciam tibi Iuda? [d] † probitas vestra quasi nubes matutina,& quasi ros manè pertransiens. Propter hoc
C volui,& non sacrificium:& scientiam Dei plus quàm holocausta. Ipsi autem [e] sicut Adam transgressi sunt pactum,ibi præuaricati sunt in me. Galaad ciuitas operantium dolum, [f] supplantata sanguine. † Et sicut expectant virum latrones,sic collegium sacerdotum in via interficiebant cõsensu vno: [g] quia scelus operati sunt.
D In domo Israel vidi horrendũ:ibi fornicationes Ephráim,contaminatus est Israel. Sed [h] & ô Iuda ponis messem tibi,† dum conuertere cogito captiuitatem populi mei.

Matth. 9.b & 12.a Eccle.4.d 1.Re. 15.e

SCHOLIA.

[a] Ipse cepit.] *Vel rapuit. Vox est pœnitentium,admonentium se mutuò ad respiscentiam,quasi dicant,nam etsi Deus propter peccata nostra nos rapuit,& in morem rapacium bestiarum discerpsit,tamen ipse conuersos iterum sanabit,et ob hanc vnam causam percutit. Vt sanet, Vt nemini sit desperandũ. Hic autem in omnibus prophetis mos ferè est, vt post minas subijciant consolationem & spem.* [b] Viuificabit nos post duos dies.] *Sanabit nos à morbo duorum dierũ,hoc est,breui (nam momentanea est hæc leuitas huius afflictionis)sic, Vt die tertia suscitet nos,& viuemus in conspectu eius,& sciemus quomodo nos oporteat assequi cognitionem Domini. Ait autem nos tertia die suscitandos, quia tertia die surrexit Dominus à mortuis,et suas spem vitæ immortalis,et futuræ resurrectionis dedit. Resurrexit enim Christus à mortuis,tanquam primitiæ dormientium.* [c] Quasi diluculum.] *Tunc enim quasi gratissima aurora cœpit coruscare orbi gratia resurrectionis, sensim se proferens,& illustrans mundum, & veluti pluuia fœcundissima opportunè demissa.* [d] Probitas vestra quasi nubes matutina.] *Quæ videlicet citò euanescit,quæq; tantum sita erat in externis cerimonijs, vt paulopost ostendit. Vel sic, Sicut hæc nubes statim, vt apparet,deuoratur à sole, & vos illico exiccatur,talis fuit pietas populi Israelitici, nam aliquando breui zelo mouebantur ad cultum Dei,excidentes lucos,et interimentes falsos sacerdotes Baal, sed statim redierunt ad priores abominationes. Et tamen Deus nunquam destitit mittere prophetas sanctos,quos veluti lapides ex lapidicina abscidit (nam quidam vertit,abscidi prophetas) & misit in periculum vitæ, vt peruersum corrigerent populum, ne in horrendum Dei inciderent iudicium,sed py essent in Deum & homines,& non iustitiam suam in externis ponerent ceremonys, sed fidem seruarẽt in Deum,& charitatem erga proximũ. Illud autem,rupi prophetas, significat quòd quasi ruperit eos assiduis concionibus ad populum per eos habitis,ad hunc finem, Vt iudicia tua quasi lux egrederentur,hoc est, Vt in inchoata iustitia persisteres, et progredereris,atq; ad cõsummationem peruenires.* [e] Sicut Adam.] *Sicut Adam nulla necessitate,nec alicuius rei inopia præuaricatus est,sic & hi petulantia præuaricati sunt in me. Alius exponit sic. Transgressionem fœderis mei non maioris fecerunt,quàm ruptum fœdus cum homine quolibet initum.* [f] Supplantata sanguine.] *Hoc est,fœdata. Galaad erat vna ex ciuitatibus refugy, vbi sanguinis effusores tuti esse debuerant, qui casu aliquem occidissent: verum hæc magis sanguinaria fuit,nec maior pietas in ea inuenta est,quàm in alijs locis. Inhabitabatur à sacerdotibus,sed illi insidiabantur sanguini, haud secus,quàm latrones,qui in vijs latitantes,transeuntes quosq; concutiunt,et despoliant vno consensu ac pari auxilio,quod Hebraismus ait, Vno humero.* [g] Quia scelus.] *Quasi scelesta consilia inierunt.* [h] Et ô Iuda ponis.] *Locus est obscurus. Hebræi hunc putant subesse sensum. Dum ego cogito auertere captiuitatem populi mei,propter bonos viros,qui sunt in eo, ecce tu Iuda imitaris vestigia Israelis,et ponis tibi messem,hoc est, Lernam malorum,multiplicans scilicet scelera & culpas. Alius vertẽdum putat. Sed & ô Iuda,posuit plantulam contra te,cum vellem conuertere,&c. hoc est,etiam te docuit idololatriam (per plantulam enim accipiunt plantationem lucorum.) qua obstitit,ne te populum meum conuerterem.*

CAPVT VII.

A CVm sanare vellem Israel,[a] reuelata est iniquitas Ephráim & malitia Samariæ quia operati sunt mendacium:vt fur ingressus est spolians,latrunculus foris. Et † non dicunt in cordibus suis omnem malitiam eorum me recordatum:nunc circundederunt eos adinuentiones suæ, coràm facie mea † fuerunt. In malitia sua [b] lætificauerunt regem:& in mendacijs suis principes. Omnes adulterantes, quasi clibanus

nus ſuccenſus à † piſtore: [c] quieſcet paululum ab excitanda & ſubigenda farina donec fermentetur. [d] Die tegis noſtri, fecerunt principes † illum ægrotare, nimio ardore vini: [e] extendit manum ſuam cum illuſoribus. B
Quia applicauerunt quaſi clibanum, cor ſuum, † in inſidijs ſuis: tota nocte [f] dormiuit † piſtor eorum, manè ipſe ſuccenſus quaſi ignis flammæ. Omnes calefacti ſunt quaſi clibanus, & [g] deuorauerunt iudices ſuos: omnes reges eorum ceciderunt, non eſt qui clamet in eis ad me. [h] Ephraim in populis ipſe cõmiſcebatur: Ephraim factus eſt ſubcineritius panis, [i] qui non reuerſatur. Comederunt alieni robur eius, [k] & ipſe neſciuit: ſed & cani effuſi ſunt in eo, & ipſe ignorauit. Et humiliabitur ſuperbia Iſrael [l] in facie eius: nec reuerſi ſunt ad Do- C
minum Deum ſuum, & non quæſierunt eum in omnibus his. Et factus eſt Ephraim quaſi [m] columba ſeducta, non habens cor. Ægyptum inuocabant, ad Aſſyrios abierunt. Et cum profecti fuerint, expandam ſuper eos rete meum: quaſi volucrem cœli detraham eos, [n] cædam eos ſecundum auditionem cœtus eorum. Vę eis, quoniam receſſerunt à me: vaſtabuntur, quia præuaricati ſunt in me: ego redemi eos, & ipſi locuti ſunt contra me mendacia. Et non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed [o] vlulabant in cubilibus ſuis: ſuper triticum & D
vinum † congregabantur, receſſerunt à me. Et ego erudiui eos, & confortaui brachia eorum: & in me cogitauerunt malitiam. † Conuerſi ſunt, ſed non ad altiſſimum: facti ſunt quaſi [p] arcus doloſus: cadent in gladio principes eorum, [q] à furore linguæ ſuæ: [r] iſta ſubſannatio eorum in terra Ægypti.

SCHOLIA.

[a] Reuelata eſt iniquitas Ephraim.] *Hoc eſt, tunc protulit ſeſe, & obſtitit ſanationi. Diximus alias, cur appellatione Ephraim intelligantur decem tribus. Miſit (inquit Deus) prophetas qui populum reuocarent ad pœnitentiam, quæ vera eſt medicina animarum, ſed tũc in publicum venit iniquitas regum & principum Ephraim, qui regnabant in metropoli Samariæ: nam illi, qui doctores eſſe debuerant populi, præ alijs obſiſtebant prophetis meis. Vnde & ego immiſi eis ſecretos & manifeſtos direptores: verum nec ſic ſeipſos agnoſcunt, ſed aſcribunt id fato, arbitrantes etiam me illa neſcire. Sed adeſt tempus, vt plagæ, operibus eorum debitæ, eos inſtruant, mala eorum mihi fuiſſe perfecta. Illud tamen, vt fur ingreſſus eſt, &c. quadam ſic interpretabatur. Primum non nihil diſſimulauit, ſed tandem depoſito pudore palam ſceleratus factus eſt. Et eò ſtupiditatis peruenerunt, vt putent, me illorum ſcelera ignorare.* [b] Lætificauerunt regem.] *Impijs ſcilicet decretis eius obſequendo, præſertim cum rex Ieroboam timeret, ne populus prætextu cultus diuini ab eo deficeret, quare & vitulorum inſtituit culturam, & ſubditos obſequentes inuenit.* [c] Quieſcet paululum.] *Alius vertit. Quieſcit ab excitando poſt ſubagitationem paſtæ, quouſque illa fermentetur. Et ſic exponit, Quando fornax ſatis eſt ſuccenſa, quieſcit piſtor, & non excitat ſuos ad vlteriorem ſuccenſionem, ſed interim ſubagitat paſtam, & pauſat, donec illa fermentetur, & tunc iterum excitat familiam, vt panes mittant in fornacem. Sic ardebant illi concupiſcentijs peſſimis, & nunquam ab illis quieſcebant, niſi forte per exiguum tempus, alijs diſtenti occupationibus.* [d] Die regis noſtri.] *Hoc eſt, natali regis die, hoc principum & procerum ſuũ ſtudium, vt illum epotandis calicibus aptum facerent, & vſque adeo ebrietate vexarent, vt illum ægrotare fecerint.* [e] Extendit manum ſuam cum illuſoribus.] *Hoc eſt, inter amicos habuit illos.* [f] Dormiuit piſtor eorum.] *Hoc eſt, concupiſcentia mala, quæ tota nocte dormire dicitur, adulterijs remiſſior facta, vt vim reſumat, & manè ardeat magis.* [g] Deuorauerunt.] *Illi videlicet impoſtores ſiue adulatores, cum quibus paulo ante regem dixit amicitiam inuiſſe.* [h] Ephraim in populis.] *Illi, quos Dominus ſibi in populum peculiarem delegit, & à reliquis gentibus ſeparauit, illi inquam inter gentes ſe commiſcent, & peiores fiunt gentibus.* [i] Qui non reuertatur.] *Hoc eſt, deſtituitur bono conſilio: ſumpta eſt metaphora à pane ſubcineritio: hic enim niſi ſæpe vertatur de latere in latus, alterum latus aduritur, alterum manet incoctum.* [k] Et ipſe neſciuit.] *Et ne ſic quidem factus eſt prudentior, peruenit ad canitiem & extremam ſenectam, æquè & Dei ſui & propriæ ſalutis ignarus, atque ante ea ſemper.* [l] In facie eius.] *Hoc eſt, ſpectante ipſo. Et illud, humiliabitur, poterat verti, reſpondebit.* [m] Columba ſeducta.] *Hoc eſt, laqueo capta ob imprudentiam.* [n] Cædam eos.] *Caſtigabo illos ſecundum auditionem conteſtationis factæ per Moſen ad illos Deut. 32. Vbi tranſgreſſoribus legis execrationes, & obiurgationes præſcripſit.* [o] Vlulabant.] *In fame vlulant præ anguſtia, & cum frumentum & vinum venale apportatur, omnes concurrunt neceſſitate coacti, & tamen adhuc non clamant ad me, ſed rebelles ſunt mihi. Et cum ego aliquando illis opem ferrem contra hoſtes, ipſi vicißim malum cogitabant contra me, nempe quòd conuertebant ſe ad Deos alienos, & non ad altiſſimum, à quo iſta habuerunt beneficia.* [p] Arcus doloſus.] *Dum non dirigunt vota ſua ad Deum verum, ſed per falſos prophetas, quaſi ab improbis ſagittarijs à verò ſcopo abducuntur.* [q] A furore linguæ ſuæ.] *Propter furorem linguæ ſuæ, qua abutuntur in Deum, & quia deos appellauerunt vitulos aureos.* [r] Iſta ſubſannatio eorum.] *Hoc eſt, pro ſubſidio quod petent ab Ægyptijs, continget illis interitus principum, & ſubſannatio.*

CAPVT VIII.

IN gutture tuo ſit tuba [a] quaſi aquila ſuper domum Domini: pro eo quòd tranſgreſſi ſunt fœdus meũ, & legẽ A
meam præuaricati ſunt. Me inuocabunt, Deus meus [b] cognouimus te Iſrael. Proiecit Iſrael bonum, inimicus perſequetur eum. Ipſi † conſtituerũt reges, & nõ ex me: principes ſtatuerũt & nõ cognoui: † auro ſuo, & argento ſuo fecerũt ſibi idõla, vt interirent: [c] proiectus eſt vitulus tuus Samaria, iratus eſt furor meus in eis, B
[d] vſquequo nõ poterũt emundari? Quia ex Iſrael & ipſe eſt: artifex fecit illum, & non eſt Deus, quoniã † frũſtatim cõminuetur vitulus Samarię. Quia [e] ventũ ſeminabunt, & turbinẽ metent: culmus ſtans nõ eſt in eo, germen nõ faciet farinam: quòd & ſi fecerit, alieni comedẽt eã. Deuoratus eſt Iſrael: nũc factus eſt in nationibus C
quaſi vas nullius precij. Quia ipſi aſcenderũt ad Aſſur, [f] onager ſolitarius ſibi: Ephraim munera dederũt amatoribus ſuis. Sed & [g] cũ mercede cõduxerint nationes, nũc [h] cõgregabo eos: & † dolere incipiẽt paulatim propter onus regis & principũ. Quia multiplicauit Ephraim altaria ad peccandũ: factę ſunt ei arę in delictũ. Scri D
pſi ei multiplices leges meas, quæ velut alienæ computatæ ſunt. Hoſtijs donorum meorũ immolabũt carnes & comedent, & Dñs non ſuſcipiet eas: nunc recordabitur iniquitatis eorum, & viſitabit peccata eorum, ipſi in Ægyptum conuertentur. Et oblitus eſt Iſrael factoris ſui, & ædificauit palatia: & Iudas multiplicauit [i] vrbes munitas, & mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Quaſi aquila.] *Subaudi, veniet hoſtis, vt deuaſtet totam terram, quin & domui Domini non parcet.* [b] Cognouimus te Iſrael.] *Hoc eſt. Iſraelitæ in miſeria extrema conſtituti inuocabant me, & dicebant, ſe noſſe me. Alius ſic vertit, Ad me clamare debuerunt Iſraelitæ. Deus meus, te agnoſcimus. Et quod ſequitur, Proiecit Iſrael bonum, hoc eſt, Deum.*
[c] Proiectus eſt vitulus.] *Hoc eſt, Vitulus tuus tecum peribit. Alius vertit. Deſeruit vitulus te ò Samaria. Vel, Eiecit te vitulus de terra tua, ſiue propter vitulum eiectus es de terra tua.* [d] Vſquequo non poterunt.] *Tanquam dicat, ſupra modum mirũ eſt, illos eam amentiam nõ poſſe relinquere, cũ ſit commentum ipſorum, & videant eſſe opus hominis. Et hoc eſt, quod ait. Quia ex Iſrael & ipſe eſt, nempe vitulus.* [e] Ventum.] *Senſus eſt. Stultiſſimo detinentur labore, vnde nihil percipiunt niſi grauiſſimum damnum, nam ſemen eorum in culmum non creſcit, neq; ex germine eius fieri poteſt farina. Quòd ſi etiam conuehantur in horrea fruges, hoſtes eas cõſument.* [f] Onager.] *Hoc eſt, qui ſolus vagatur ſine conſilio temere.* [g] Cũ mercede.] *Scilicet, quid proderit eis?* [h] Congregabo eos.] *Videlicet, inimicos. Et quod ſequitur, & dolere incipient paulatim propter onus, id eſt, ob tributa impoſita illis.* [i] Vrbes munitas.] *Quaſi ſuo robore eſſent ſe defenſuri.*

CAPVT IX.

A NOli lętari Iſrael, noli exultare ſicut populi: [a] quia fornicatus es à Deo tuo, dilexiſti mercedem [b] ſuper
omnes areas tritici. Area & torcular non paſcet eos: & vinum mentietur eis. Non habitabũt in terra
Dñi: [c] reuertetur Ephraim in Ægyptũ, & in Aſſyrijs pollutũ comedet. Non libabunt Dño vinum, & non placebunt ei: ſacrificia eorũ quaſi [d] panis lugentiũ: omnes qui comedent eũ, contaminabũtur: quia [e] panis eorum pro anima ipſorum, non intrabit in domum Dñi. [f] Quid facietis in die ſolenni, in die feſtiuitatis
B Dñi? Ecce enim profecti ſunt [g] præ vaſtitate. Ægyptus congregabit eos, Memphis ſepeliet eos: [h] deſyderabile argentũ eorũ vrtica hæreditabit, lappa in tabernaculis eorũ. Venerunt dies viſitationis, venerunt dies retributionis: [i] ſcient Iſrael ſtultum propheram, inſanũ virũ ſpiritualem, [k] propter multitudinem iniquitatis tuæ, & multitudinem amẽtiæ. [l] Speculator Ephraim cum Deo meo: propheta laqueus ruinę factus eſt ſuper omnes vias eius, † odiũ in domo Dei eius. [m] Profundè peccauerunt, ſicut in diebus Gabaa: recordabitur iniquitates
C eorũ, & viſitabit peccata eorũ. [n] Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael, quaſi prima poma ficulneę in cacumine eius vidi patres eorũ: ipſi autẽ intrauerunt ad Beelphegor, & abalienati ſunt in confuſionẽ, & facti ſunt abominabiles ſicut ea, quę dilexerunt. [o] Ephraim quaſi auis auolauit, gloria eorũ à partu, & ab vtero, & à conce- 2.Reg. 8. 2
ptu. Quòd ſi & enutrierint filios ſuos, abſq; liberis faciam eos in hominibus: ſed & væ eis, cũ receſſero ab eis.
Ephraim, vt vidi, [p] Tyrus erat fundata in pulchritudine: & Ephraim educet ad interfectorem filios ſuos. Da
D eis Domine: quid dabis eis? [q] Da eis vuluam ſine liberis, & vbera arentia. Omnes nequitiæ eorum [r] in Galgal, quia ibi exoſos habui eos: propter malitiam adinuentionum earum de domo mea eijciam eos: nõ addã, vt diligam eos, omnes principes eorum recedentes. Percuſſus eſt Ephraim, radix eorum exiccata eſt, fructum nequaquam facient. Quòd & ſi genuerint, interficiam amantiſſima vteri eorum. Abijciet eos Deus meus, quia non audierunt eum: & erunt vagi in nationibus.

SCHOLIA.

[a] Quia fornicatus es.] *Quod illi non fecerunt: alij enim populi deos ſuos non deſeruerunt.* [b] Super omnes areas tritici.] *Hoc eſt, quamuis haberes horrea tua omnia per me plena, fornicata es tamen, et dilexiſti mercedem ſcorti.* [c] Reuertetur Ephraim in Ægyptum.] *Eiectus ſcilicet è terra promiſſa, vt immundus cum immundis viuat.* [d] Panis lugentium.] *Vel panis dolentium, ſcilicet propter mortuum. Comparantur autem ſacrificia eorum pani immundo, quòd illa non ſacrificabant ex puro corde, & quemadmodum mundis omnia ſunt munda, ſic immundis omnia immunda.* [e] Panis eorum.] *Panis oblatus pro expiatione animæ ipſorum, non intrabit in domum Domini.* [f] Quid facietis.] *Eiecti ſcilicet de terra veſtra. Vel, Dominus quando adducet is hoſtibus eorum, feſtum ſuum celebrabit, eos perdet.* [g] Præ vaſtitate.] *Videlicet, famis.*
[h] Deſiderabile argentum.] *Ædes eorum magnificæ, argento emptæ & exornatæ.* [i] Scient Iſrael ſtultum propheram.] *Hoc eſt, ſero ſapient, & ſcient ſtultos fuiſſe pſeudoprophetas, & lymphatico ſpiritu correptos, qui pacem eis promittebant.* [k] Propter multitudinem iniquitatis.] *Permiſit ſcilicet Dominus te decipi ab eis.* [l] Speculator Ephraim.] *Hoc eſt, contemptis prophetis Domini, ſiue ſpeculatoribus, ipſi ſibi conſtituerunt pſeudoprophetas, qui illis fuerunt cauſa malorum omnium, & odij Dei, ſpeculator (inquit) fuit ipſe Ephraim vltra Deum meum, propheta mendax, laqueus ruinæ, &c.*
[m] Profundè peccauerunt ſicut in diebus Gabaa.] *Iudicum xix. fœdiſſimè abuſi ſunt vxore Leuitæ, &c.* [n] Quaſi vuas in deſerto.] *Olim (inquit) fuit mihi Iſrael gratus quaſi vuæ, quæ in deſerto ſqualido inueniuntur, ſic enim tempore patriarcharum totus mundus fuit ſqualidus, præter paucos bonos & fideles homines, ſed quia & ipſi citò deficientes imitati ſunt Beelphegor, ſicut in Numeris legimus. Et cœperunt ſegregari à Deo in magnam ipſorum confuſionem, tantò abominabiles effecti, quantò iniquiori ferebant amore ad idola.* [o] Ephraim quaſi auis auolauit.] *Gloria ipſius Ephraim cecidit, & excidit ab omnipotentia, gloria & diuitijs, adeoq; contra ſe irritauit Deum, vt is conſtituerit omnem eius deleve poſteritatem, in partu, in ventre, atq; in ipſo conceptu. Et videtur per gloriam intelligere filios.* [p] Tyrus erat.] *Hoc eſt, ſicut Tyrus. Vidi (inquit) Ephraim eſſe ſicut Tyrum. Proinde accidet ei, quod accidit Tyro, quæ licet florentiſſima eſſet vrbs, tamen demerſa eſt in mare, & prædonibus patuit.* [q] Da eis vuluam.] *Hoc eſt, aut non gignant filios, aut ſtatim nati extinguantur potius, quàm ſic ad interfectorem educere cogantur.* [r] In Galgal.] *Qui locus fuit idolorum. Loca (inquit) quæ Iudæos commonefacere debuerunt beneficiorum meorum, hæc dedicauerunt dijs ſuis, & exercent in eis execranda, quæ ego odi, & præſertim in Galgal, vbi tabernaculum meum aliquandiu fuit.*

CAPVT X.

A VAtis † vacua Iſrael, fructum dedit ei: ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iu-
xta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulachris. [b] Diuiſum eſt cor eorum, nunc interibunt: ipſe cõfringet ſimulachra eorum, depopulabitur aras eorum. [c] Quia nunc dicent, Non eſt rex nobis: non enim timuimus Dñm, [d] & rex quid faciet nobis? [e] Locuti ſunt verba iurando inutiliter, & feriendo fœdus: &

germinabit

germinabit quasi amaritudinem iudicium super sulcos agri. [f] † Propter vitulas Betháuem † metuerũt habi- B
tatores Samariæ: quia luxit super eũ populus eius, & † sacrificuli eius, qui super eũ exultauerãt in gloria eius,
Isa. 2. d quia migrauit ab eo. Siquidẽ & ipse in Assur delatus est, munus regi vltori: confusio Ephráim capiet, & con-
Apoc. 9. b fundetur Israel † à consilio suo succisus est in Samaria rex eius quasi spuma super faciẽ aquæ. Et disperdentur
Luc. 23. d excelsa idóli, [g] peccatum Israel: lappa & tribulus ascẽdet super aras eor: & dicent montibus, Operite nos, &
Iudi. 10. a. b collibus, Cadite super nos: [h] Ex diebus Gabaa peccauit Israel, ibi steterunt: non comprehendet eos in Gabaa C
prælių † contra filios iniquitatis. Iuxta desyderium meum corripiam eos: congregabuntur super eos populi,
cũ corripientur [i] propter duas iniquitates suas. [k] Ephráim vitula docta † dilexit triturã, † quare ipse ego tran-
sibo, [l] super pulchritudinẽ colli eius: † [m] currum trahere docebo Ephráim. Arabit Iudas, [n] cõfringet sibi sul-
cos Iacob. Seminate vobis in iustitia, & metite [o] ob misericordiã, innouate vobis nouale: tempus autẽ requi-
Iere. 4. a rendi Dñm, [p] cũ venerit qui docebit vos iustitiã. Arastis impietatẽ, iniquitatẽ messuistis, comedistis frugem D
mendacij: Quia confisus es in vijs tuis, in multitudine fortium tuorum. Cõsurget tumultus in populo tuo: &
omnes munitiones tuæ vastabuntur, [q] sicut vastatus est Salmana à domo Arbel in die prælij, matre super fi-
Iudic. 8. c lios allisa. Sic fecit vobis Bethel à facie malitiæ nequitiarum vestrarum.

SCHOLIA.

[a] Vitis.] *Erat Israel olim (inquit) vitis vacua, sed operante Deo fructum fecit, vel potius Deus fructum ei dedit. Sed abusus est bonitate Dei, & impinguatus recalcitrauit, & quanto clementiorem sensit Dominum; tanto peius egit.* [b] Diuisum est.] *Separatum est à me cor eorum.* [c] Quia nunc dicent.] *Nũc, id est, paulo post.* [d] Et rex quid faciet.] *Vel, quid faceret nobis? Quomodo rex auxilio esse posset, si non confugiamus ad Dominum?* [e] Locuti sunt verba.] *Referenda sunt hæc ad iuramenta & ad fœdus initum cum Ieroboam. Ob hanc causam (inquit) germinabit quasi amaritudinem iudicium Domini, hoc est, dabunt pœnas ob ista scelera, & tota prouincia erit plena amaritudine.* [f] Propter vitulas.] *Videlicet ablatas. Vel, propter vitulum (inquit) quem coluerunt in Bethel, nullus audebit habitare in Samaria, tam crudelis depopulatio accidet in prouincia illa, lugebunt q; omnes, quòd vitulum illum relicto Deo coluerunt, de quo prius tantopere exultauerunt. Porrò vitulus ille aureus dabitur pro munere regi Assur, & Israelitæ cultores eius, erunt propter ipsum in magna confusione.*
[g] Peccatum Israel.] *Hoc est, causa peccati Israelitarum.* [h] Ex diebus Gabaa.] *Illo tempore, quando bellum fuit in Gabaa propter vxorem Leuitæ constupratam, nemo erat, qui æmularetur pro gloria Dei, cum tunc haberetur idolum Micha inter Israelitas, sed steterunt, hoc est, manserunt impij quidam, in quorum affectibus vigebat cultus idololatriæ, vsque ad tempora Ieroboam, qui cum publicè se profiteretur idololatram, totum forè regnum Israel inuenit sibi consentiens. Aly verbum, steterunt, sic exponunt. Steterunt Israelitæ post deuictos Beniamitas, & non studuerunt ab initio nascentem extirpare idolatriam. Alius hunc locum sic exponit. Grauius quàm in diebus Gabaa peccauit Israel. Ibi steterunt exercitus vbicunq; instructi, nunc verò nemo est, qui æmuletur pro gloria Domini. Et quod sequitur, Non comprehendet eos, &c. Sensus est, no erit bellum hoc hostium horum, quod ego adducam, simile illi. Filios autem iniquitatis, intelligit Beniamitas.* [i] Propter duas iniquitates suas.] *Hoc est, illam veterem, & hanc nouam.* [k] Ephráim vitula.] *Vitula docta arare, maluit triturare. Tu Ephráim semper fuisti vitula delicata, magis gaudens frui partu, quàm acquirere: mauis excutere messem, quàm agrum arare, & ferre æstus atque labores. Ego à iuuentute docui te facere bona, at tu solum vis frui deliciis, & abuti donis meis.*
[l] Super pulchritudinem colli eius.] *Imposito illi iugo meo leui.* [m] Currũ trahere docebo.] *Sunt qui per præteritum hæc legant, sic. Ego quidem imposui tibi iugum non graue, sed quod esset pro bono tuo, & quod ferre posses, agens tecum pro teneritudine tua, & tu si illud portasses, viueres in pace & securitate, fruereris q; vineis & agris tuis. Ego quoque feci te equitare, hoc est, si eleuassem te in regnum, & permisi, vt & Iuda iuxta te aratoris teneret officium. Comparat autem propheta regem aratori, quòd sicut arator inuertit terram, & confringit glebas eius, atque disponit eam ad fructificandum, ita rex imposito iugo legis diuinæ, disponere debet populum, vt fructum legis ferret.* [n] Confringet sibi.] *Hoc est, maximo suo commodo.* [o] Ob misericordiam.] *Quam scilicet assecuti estis. Alius vertit, metite in pietate. Et quod sequitur, innouate vobis nouale, docet semper repurgandam terram cordis nostri à pungentibus spinis & carduis, nam sibinde repullulant noxiæ cupiditates, veluti Zizania in agro bene culto.* [p] Currũ venerit qui docebit.] *In Hebræo est, donec veniat, & doceat, vel pluat super vos iustitiam, promittit enim Christus, quem Paulus dicit factum esse nobis à Deo iustitiam.* [q] Sicut vastatus est Salmana.] *Minatur eis secundum exemplum huius viri, crudelissimum interitum, in quo nullus habeatur respectus sexus, vel ætatis. Quis autem fuerit iste Salmana ex scriptura non constat. Alius sic vertit hunc locum, iuxta denudationem Salman Beth Arbel, hoc est, sicut Salman crudeliter egit cum domo Arbel.*

CAPVT XI.

Matth. 2. c
Gen. 19. c

SIcut manè † pereundo perijt [a] rex Israel. Quia [b] puer Israel, & dilexi eum: & [c] ex Ægypto vocaui filium A
meum. [d] Vocauerunt eos, sic abierunt à facie eorum: Baalim immolabant, & simulachris sacrificabãt.
Et [e] ego quasi nutritius Ephráim, portabam eos in brachijs meis: & nescierunt quòd curarem eos. [f] In
funiculis Adam trahebam eos, in vinculis charitatis: & eram eis quasi [g] exaltans iugum super maxillas eorũ: B
& † apposui illi pabulum. Non reuertetur in terram Ægypti, sed Assur ipse rex eius: quoniam noluerunt cõ-
uerti. Cœpit gladius in ciuitatibus eius, & consumet electos eius, & comedet † ob cõsilia eorum. Et populus
meus [h] suspensus est propter auersionem meam, ad altissimum inuitabant eum, sed nullus auscultauit. [i] Quo C
modo dabo te Ephraim, tradam te Israel? quo modo dabo te sicut Adama: ponam te, vt Seboim? Conuer-
sum est in me cor meum, pariter † commotæ sunt miserationes meæ. Non faciam furorem iræ meæ: non
conuertar, vt disperdam Ephráim: quoniam Deus ego, & non homo: [k] in medio tui sanctus, & non ingrediar D
ciuitatem. Post Dominum ambulabunt, [l] quasi leo rugiet: quia ipse rugiet, & † aduolabunt territi filij ma-
ris. Et aduolabunt quasi auis ex Ægypto, & quasi columba de terra Assyriorum: & collocabo eos in domibus
suis, dicit Dominus. Circundedit me in mendacio Ephraim, & in dolo domus Israel: Iudas autem † adhuc
dominatur cum Deo, & cum sanctis fidelis.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Rex Israel.] *Regalis fastus deficiet, sicut aurora esse desinit adueniente sole.* [b] Quia puer Israel.] *Puericiam, siue innocentiam illius, & simplicitatem dilexi, et vocaui mihi in filium.* [c] Ex Ægypto.] *Matthæus capite secundo citat hunc locum veluti de Christo dictum. Vnde discimus ampliorem esse scripturæ sensum, quàm litera offerat, et mysteria profundius delitescere, atque hoc est, quod Iudæos in errore retinet, quòd nihil nisi literam tenent. Fere autem sensum huius loci sic explicant. Sicut populus Israel vocatus est ex Ægypto, vt faceret voluntatem Dei, ita Christus cuius figura in illis præcessit, vocatus est, vt exequeretur mandatum patris, propter quod venit in mundum. Siquidem tota lex & omnes prophetæ in Christum desinunt, & illa, quæ olim dicta fuerunt, aliquo modo spectant ad ipsum, etiam, quæ in populo contigerunt, cuius caput est Christus: Et serpens fuit exaltatus in deserto, & populus illum intuens sanatus à morsibus, & nihilo tamen minus typus fuit Christi. Verum de hoc loco plura, & fortasse magis propria, diximus in Matth.* [d] Vocauerunt eos.] *Subaudi, prophetæ, sed quanto prophetæ conati sunt magis reuocare illos à malo, tanto illi magis sectati sunt vitia.* [e] Et ego quasi nutricius.] *Ionathas sic vertit. Ego per angelum à me missum ducatum præbui Israeli per viam præparatam, &c.* [f] In funiculis Adam.] *Vel, in funiculis hominis, hoc est, nõ tanquam bestias, quales verè erant, tractaui eos, sed more humano.* [g] Exaltans iugum.] *Hoc est, remittens laborem, haud secus quam agricola facit, dum videt bouem in agricultura grauari iugo, sublenat illud manibus. Quin & cibum præparaui eis in deserto per quadraginta annos, nolens eos reuerti in Ægyptum, sed vt ad me conuerterentur, & si id nollent, futurum, vt rex Assur in eos dominium durum consequeretur.* [h] Suspensus est.] *Derelicti à Deo, & oppressi variis afflictionibus, perplexi erunt apud se, nescientes quò se vertant, idque ob rebellionem contra me.* [i] Quomodo dabo te Ephraim.] *Sensus est: quid faciam populo meo? Perdámne eum totum? sed obliuisci non possum miserationum mearum. Redúmámne eum, & seruabo fœdus cum patribus initum? Non perdam eum, sicut perdidi Sodomam & reliquas vrbes, sed reliquias saltem illas, quas ab æterno præordinaui, ad vitam seruabo. Habet autem scriptura hunc morem, vt Deo affingat affectus nostros, qui tamen alienus est ab eis, sicut in textu sequitur.* [k] In medio tui sanctus.] *Hoc est, in nulla alia congregatione hominum, quàm in Israel pro sancto honoratus sum, atque ob id in nullam aliam vrbem ingrediar, quàm vbi nomen meum sanctificatur. Neque per hæc excluduntur gentes, sed, qui scriptus est in libro vitæ, ab illo sanctificabitur Deus. Potest & hic esse Sensus, quòd Christus ad populum suum in persona sua venerit, nec fuerit missus nisi ad oues, quæ perierunt in Israel.* [l] Quasi leo.] *Vicit enim leo de tribu Iuda. Terruit vox Euangelica vniuersum mundum, vt vndiq; ex captiuitate mundi aliqui aduolarent ad Christum. Ephráim verò & populus Israel dolosè egerunt cum Deo, colentes illum mendaciter & in hypocrisi, fictam Dei religionem ostentantes: fucata enim fuerunt omnia illorum, cum interim corde longè essent separati à Deo. In tribu Iuda plus innocentiæ remansit, præsertim sub Ezechia.*

CAPVT XII.

EPhráim [a] † pascitur à vento, & sequitur curum: tota die mendacium & [b] vastitatem multiplicat: & fœ A
dus cum Assyrijs inijt, & oleum in Ægyptum ferebat: [c] Iudicium ergo Domini cum Iuda, & visita-
tio super Iacob iuxta vias eius, & iuxta inuentiones eius reddet ei. [d] In vtero supplantauit fratrem suũ Gene. 32. f
B & in fortitudine sua † superior euasit angelo, & inualuit contra angelum, & confortatus est: fleuit, & rogauit Gene. 25. c
eum: in Bethel inuenit eum, & ibi [e] locutus est nobiscum, Et Dominus Deus exercituum, Dominus memo-
riale eius. [f] Et tu ad Deum tuum cõuertéris: misericordiam & iudicium custodi, & spera in Deo tuo semper.
C [g] † Instar mercatoris in manu eius statera dolosa, calũniã dilexit. Et dixit Ephráim, Verũtamen diues effectus
sum, inueni † opes mihi: omnes labores mei nõ inueniẽt mihi iniquitatẽ, aut peccatũ. Et ego Dñs Deus tuus
ex terra Ægypti, [h] adhuc sedere te faciã in tabernaculis, sicut in diebus festiuitatis. Et locutus sum super pro-
D phetas, & ego visionem multiplicaui, & in manu prophetarum [i] assimilatus sum. [k] Si Galaad idólum, ergo
frustra erant in Galgal bobus immolãtes: nam & altaria eorum quasi acerui super sulcos agri. [l] Fugit Iacob
in regionem Siriæ, & seruiuit Israel † pro vxore, & vxore: custos gregum fuit. In propheta autem eduxit Dñs
Israel de Ægypto: & in propheta seruatus est. Ad iracundiam me prouocauit Ephráim [m] in amaritudinibus
suis, & sanguis eius super eum veniet, & opprobrium eius restituet ei Dominus suus.

SCHOLIA.

[a] Pascitur vento.] *Manis est pastio venti, cum ventrem exaturare nequeat, sic qui idola colunt, rem vanam & menda cum sectantur. Per eurum ventum orientalem, qui non est frugifer, intelligitur perniciosus cultus idolorum. Et Israelitæ à prophetis correpti, tantum abest, vt ad Dei redierint cultum, vt etiam inierint fœdus cum Assyrys, et Ægyptys vnguentum miserint, ad captandam eorum beneuolentiam.* [b] Vastitatem multiplicat.] *Hoc est, causas vastitatis, siue deuastationis.* [c] Iudicium ergo.] *Hoc est, contentio Domini aduersus Iudam, & posteritatem Iacob, propter eorum ingratitudinem.*
[d] In vtero.] *Commemorat beneficia, quæ Deus in patres eorum contulit, Magnum erat miraculum, vt infantulus nondum in lucem expositus, potenter fratris teneret plantam, quo veluti exemplo præfiguratum est, regnum mansurum apud minorem in domo Iacob, sicut & Christus regnabit in domo Iacob in æternum, & fideles eius dominaturi sunt impijs post hanc vitam. Denominatus est igitur Iacob à supplantatione, et Israel à dominio quo præualuit angelo. Vnde qui verè Israelitæ sunt, illi nulla creatura præualere poterit, non quòd persecutiones & afflictiones non patiantur, cum & Iacob in itinere fleuerit, & ad finem vsque vitæ suæ malos habuerit annos, sed quòd eos neque mundus neque potestates tenebrarum auertere possint à charitate Dei & Christi.* [e] Locutus est nobiscum.] *Hoc est, cum Iacob de ys, quæ pertinebant ad nos.* [f] Et tu ad Dominum.] *Itaque tu memor tantorum beneficiorum, cum glorieris te esse de carne Iacob, cura, vt etiam Iacob imiteris in spiritu, hi enim veri sunt Israelitæ.* [g] Instar mercatoris.] *Nequaquam misericordiam & iustitiam custodisti, sed factus es instar Chananæi, hoc est, negociatoris. Negociatorum autem ingenium est decipere, et quæstu iniquo ditescere. Id cũ Ephraitæ strenuè egissent, & feliciter eis succesisset, in hoc temerarium lapsi sunt iudicium, vt putarint se hoc egisse sine iniquitate: vel tanta arte vsus sum (inquit) in fallendis alys, vt nemo possit inuenire in laboribus meis iniquitatem, vel peccatum.*
[h] Adhuc sedere te faciam.] *Vel faciebam. Licet (inquit) me irritaris, ego tamen promissionis, et contestationis meæ, quam patribus feci, non oblitus, habitare te feci in domibus tuis. Sin per futurum dicas, tunc locus iste intelligendus est de reuersuris*

in spiritu

in ſpiritu,& de æternis habitaculis,quæ Deus pys inhabitanda promiſit. Et ne vllus homo eſſet excuſabilis, locutus eſt per prophetas plurimos,& multiplicauit viſiones,quales multæ inueniuntur apud Eſaiam, Hieremiam, Ezechielem, & Danielem,qui à longe viderunt,quæ euentura erant populo Dei. Propoſuit ſimilitudines efficaces,per quas populum commodius inſtrueret. [i] Aſsimilatus ſum.] *Hoc eſt, Voluntatem meam ſimilitudinibus, & varijs locutionis generibus elocutus ſum.* [k] Si Galaad idolum.] *Intelligit, nihil profuiſſe illis, quòd in Galgal & Galaad idolis immolauerint. Galaad erat in regno decem tribuum. Galgal autem ſub imperio duarum tribuum. Pro idolo, alius vertit moleſtiam, vel iniquitatem. Et tunc erit ſenſus. Si eorum iniquitas non eſt impunita, qui in Galaad idola coluerunt, neq; veſtra erit. Miſeri vbique acernos lapidum colligunt, & dys terminalibus immolant, relicto vero Deo.* [l] Fugit Iacob.] *Simplex (inquit) Iacob pater veſter, non tam auarus fuit, vt vos, nec vſus eſt multis dolis, ſicut vos in negociatione veſtra, ſed ſimpliciter paſtorem egit gregis, multis annis patienter ſeruiens pro vxoribus ſuis.* [m] In amaritudinibus.] *Hoc eſt, in irritationibus.*

CAPVT XIII.

LOquente Ephráim,[a] horror inuaſit † audiẽtes, exaltatusq; eſt in Iſrael: & deliquit in Baal, & mortuus A
eſt. Et nunc addiderunt ad peccandum, feceruntq; ſibi conflatile de argento ſuo † prudentia ſua. Idola
factura artificium totum eſt. His ipſi dicunt, immolantibus † homines vt vitulos adorarent. Iccirco
Iſa. 43.b erunt quaſi nubes matutina,& ſicut ros matutinus præteriens, ſicut puluis turbine raptus ex area,& ſicut fu-
mus de fumario.[b] Ego autem Dominus Deus tuus ex terra Ægypti: & Deum abſque me neſcies, & ſaluator B
non eſt præter me. Ego cognoui te in deſerto, in terra ſolitudinis.[c] Iuxta paſcua ſua adimpleti ſunt,& ſatura-
ti ſunt: & eleuauerunt cor ſuum, iccirco obliti ſunt mei. Et ego ero eis quaſi leæna, ſicut pardus in via Aſſy-
1.Reg.8.a riorum. Occurram eis quaſi vrſa raptis catulis,& dirumpam clauſum cor eorum: & conſumam eos ibi quaſi
leo, beſtia agri ſcindet eos. Perditio tua Iſrael: tantummodo in me auxilium tuum. Ego ero, vbi eſt rex tuus C
maxime nunc? ſaluet te in omnibus vrbibus tuis: & iudices tui, de quibus dixiſti, Da mihi regem & princi-
1.Co.15.g pes. Dabo tibi regem in furore meo,& auferam in indignatione mea. [e] Colligata eſt iniquitas Ephraim ab-
Heb.2.d ſconditum peccatum eius. Dolores parturientis venient ei: ipſe filius non ſapiens, [f] † non enim vllo tempo-
Exo.19.d re duraſſet parturitio illius. De manu inferni liberabo eos, de morte redimam eos: ero mors tua ò mors, mor D
ſus tuus ero inferne,[g] conſolatio abſcondita eſt ab oculis meis. Quia ipſe [h] inter fratres † creuerat, adducet
vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem: & ſiccabit venas eius,& deſolabit fontem eius,& ipſe di
ripiet theſaurum omnis vaſis deſyderabilis.

SCHOLIA.

[a] Horror inuaſit audientes.] *Creuit tribus Ephraim in magnum numerum,& dignitatem, et dedit magnos quoſdam viros, nempe Ioſue & Ieroboam, primum Iſraelitarum regem, à quo & regnum Iſrael, regnum Ephraim denominari cœpit,& ſub illis principibus fuerunt gentibus per circuitum terrori, ſed cum peccarent, mortua eſt dignitas & authoritas eorum. In tantam verò venerũt inſaniam, vt excogitarent idola aurea pecunia & argento empta, quibus impenderunt honorem diuinum. Et ſacerdotes dicebant ys, qui offerebant filios immolandos, adorate vitulos. Et quoniam hæc fecerunt, erunt (inquit) ſicut nubes matutina, quæ orto ſole mox ſoluitur, vt nullum etiam relinquatur veſtigium. Quod vero ait, immolantibus homines, videtur aptius ſi dicatur, immolantibus hominibus, vt ſit ſenſus. Homines ſunt, qui immolant, & inbent ſacerdotes, vt immoletur rei longe inferiori, eaq; adoretur, nempe vituli.* [b] Ego autem Dominus.] *Hæc (inquit) tu feciſti, cum ego tot beneficia tibi exhibuerim ab exitu de Ægypto vſque in hunc diem.* [c] Iuxta paſcua ſua.] *Hoc eſt, cum veniſſent ad paſcua.* [d] Ego ero.] *In Heb. eſt. Ero, & eſt ſenſus. Me, qui ab æterno fui, & in æternum ero, deſeruiſti, & fiduciam tuam in mortalem hominem collocaſti.* [e] Colligata eſt.] *Quia (inquit) longanimis ſum, & non illico punio hominem propter peccatum ſuum, nihilo tamen minus reſeruatur peccatum eius, & veluti in ſacculo ligatũ tenetur, vt ſuo tempore commeritas infligam pœnas.* [f] Non enim vllo tempore.] *Si enim fuiſſet ſapiens, non duraſſent dolores eius, & tacuere eos potuiſſet. Ego enim de faucibus mortis & à ſepulchro ipſo liberaſſem eos, & ipſam mortem peremiſſem. Illud autem. Ero mors tua &c. alius vertit. Ero peſtes tuæ ad mortem, ero excidium tuum ad ſepulchrum, hoc eſt, cum nõ reſipuerint, ero illis crudelior quibuſcunque peſtibus abſque vlla pœnitudine & commiſeratione. Diuus autem Paulus, 1. Corinth. 15. Aliter hanc citat ſententiam, cum ſpiritum eundem prophetæ haberet, ſenſum explicare contentus, hoc modo. Abſorpta eſt mors in victoria: Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? inſultans ſcilicet morti, quam Chriſtus paſſione, & reſurrectione ſua deſtruxit. Nec admodum abludit ab hoc loco. Si enim populus ſe conuertiſſet ad Deum, liberatus fuiſſet per miſericordiam Dei. Et quoniam iuſtificamur per iuſtitiã Chriſti, Chriſtus autem pro nobis mortuus vicit mortem, & reſurgendo de ſepulchro deuaſtauit infernum: rectè Paulus inſultat morti, mentem prophetæ magis explicans quàm verba: diſcimus autem & ex hoc & multis alijs locis, altiora in prophetis delitescere, quàm vt ad ea literæ infirmitas attolli poſſit.*

[g] Conſolatio abſcondita.] *Quia ſcilicet non fecit finem peccandi, ne expectet conſolationem.* [h] Inter fratres creuerat.] *Acceperat Ephraim olim à Iacob benedictionem vt creſceret ac faceret fructũ inter fratres ſuos, durauitq; benedictio illa, quandiu in mandatis Domini ambulauit. Vbi vero à Domino receſſit, adduxit Dominus ventũ orientalem, hoc eſt, regem Aſſyriorum, qui ſiccauit venas, & deſolauit fontem, hoc eſt, omnem abundantiam, diuitias, & felicitatem &c.*

CAPVT XIIII.

PEreat Samaria, quoniam ad amaritudinem concitauit Deum ſuum: in gladio pereant, paruuli eorum A
elidantur,& fœtæ eius diſcindantur. Conuertere Iſrael ad Dominum Deum tuum: quoniam corruiſti
iniquitate tua. [a] Tollite vobiſcum verba,& conuertimini ad Dominum: dicite ei, Omnem aufer ini-
quitatem,& [b] accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum. Aſſur nõ ſaluabit nos, ſuper equos B
nõ aſcendemus: nec dicemus vltrà, Dij noſtri opera manuum noſtrarum: quia eius qui in te eſt, miſereberis
pupilli. Sanabo † auerſionem eorum,& diligam eos ſponteneè: quia auerſus eſt furor meus ab eis.[c] Ero quaſi
ros Iſraeli, germinabit ſicut lilium: & erumpet radix eius vt Libani. Ibunt rami eius, & erit quaſi oliua glo- C
ria eius: & odor eius, vt Libani. Cõuertẽtur ſedentes in vmbra eius: viuẽt tritico, & germinabũt quaſi vineæ;
memoria

D [d] memoria eius ſicut vinum Libani.[e] Ephráim quid mihi vltrà idola? ego exaudiam & dirigam eum, ego vt
abies virens: ex me fructus tuus inuentus eſt. [f] Quis ſapiens,& intelliget iſta: intelligens,& ſciet hæc? quia re-
ctæ viæ Domini,& iuſti ambulabunt in eis: præuaricatores verò corruent in eis.

SCHOLIA.

[a] Tollite vobiſcum verba.] *Non pecus, aut aurum, ſed verba puræ confeſſionis.* [b] Accipe bonum.] *Sit gratum obſequium noſtrum tibi.* [c] Ero quaſi ros.] *Aſſimilat gratiam rori, qua mortui in peccatis vificantur, vt quaſi roſa odorifera fragrantiam bonæ vitæ diffundant. Et ſi percuſſeris radices eorum, (nam illud erumpet, quidam ſic vertunt) immobiles manebunt quaſi Libanus, adeo conſolidat gratia Dei electos ſuos. Siquidem gratia Dei in medijs afflictionibus optimè habuit, & creuit mirandum in modum, vt etiam infideles conuerſi fuerint, et habitauerint ſub vmbra eius, paſti frumento vitæ, & poti ſanguine Chriſti, qui cibus & potus eſt animarum.* [d] Memoria eius.] *Tam grata erit memoria eius, quàm vinum Libani.* [e] Ephráim quid mihi.] *Ephraim dicet, quid mihi vltra cum idolis? tunc reſpondebit Dominus, Ego exaudiam, & dirigam eum: et inclinabit ſe Dominus ad illum, atque quaſi abies virens illi refrigerium dabit, et vberrimos conferet fructus.* [f] Quis ſapiens.] *Declarat his verbis, obſcuritatem ineſſe prophetiæ, et librum eſſe ſignatũ, quem ſolus Chriſti ſpiritus, qui finis eſt totius ſcripturæ, aperire poſſit.*

IOEL PROPHETIA.

CAPVT I.

A

ERBVM Domini quod factum eſt ad Ioel filium Phathuel. Audite hæc ſenes, & auribus percipite omnes habitatores terræ: ſi factum eſt iſtud in diebus veſtris, aut in diebus patrum veſtrorum. Super hoc filijs veſtris narrate, & filij veſtri filijs ſuis, & filij eorum generationi alteræ.[a] Reſiduũ erucæ comedit locuſta & reſiduum locuſtæ comedit bruchus,& reſiduum bruchi comedit rubigo. Expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine: quoniam perijt ab ore veſtro. [b] Gens enim aſcẽdet B
ſuper terram meam, fortis & innumerabilis: dentes eius vt dẽtes leonis: & molares eius,
vt catuli leonis. Poſuit vineam meam in deſertum,& ficum meam decorticauit: nudans ſpoliauit eã, & pro-
iecit,[c] albi facti ſunt rami eius. Plange quaſi virgo accincta ſacco ſuper virum pubertatis ſuæ. Perijt ſacrifi-
cium & libatio de domo Domini: luxerunt ſacerdotes miniſtri Domini. Depopulata eſt regio, luxit humus:
quoniam deuaſtatum eſt triticum,† perijt vinum, elanguit oleum. [d] Confuſi ſunt agricolæ, vlulauerunt vi- C
nitores ſuper frumento,& hordeo, quia perijt meſsis agri. Vinea † aruit,& ficus elanguit, malogranatum,&
palma,& malum,& omnia ligna agri aruerunt: [e] quia † ceſſauit gaudium à filijs hominum. Accingite vos,
& plangite ſacerdotes, vlulate miniſtri altaris: ingredimini, cubate in ſacco miniſtri Dei mei: quoniam inte-
riit [f] de domo Dei veſtri ſacrificium & libatio. Sanctificate ieiunium, vocate cœtum, cõgregate ſenes, omnes
habitatores terræ in domum Domini Dei veſtri,& clamate ad Dominũ, Ah ah diei, quia propè eſt dies Do- Infra 2.d
D mini,& quaſi vaſtitas à potente veniet. Nunquid non coràm oculis veſtris alimenta perierunt de domo Dei
noſtri lætitia & exultatio? [g] Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo, demolita ſunt horrea, diſsipatæ ſunt
apothecæ: quoniam confuſum eſt triticum, Quid ingemuit animal, mugierunt greges armenti? Quia nõ eſt
paſcua eis: ſed & greges pecorum diſperierunt. Ad te Domine clamabo: quia [h] ignis comedit ſpecioſa deſer-
ti,& flamma ſuccendit omnia ligna regionis. Sed & beſtiæ agri quaſi area ſitiens imbrem, ſuſpexerunt ad te:
quoniam exiccati ſunt fontes aquarum,& ignis deuorauit ſpecioſa deſerti.

SCHOLIA.

Quis fuerit Ioel propheta, ex qua tribu, quo tempore, aut ſub quibus vixerit regibus, etiam Hebræis ipſis incertum eſt, niſi quòd quidam propter prophetiam de fame, putant eum fuiſſe ſub rege Ioram filio Achab, quòd tũc magna fuerit fames in terra. Hic itaque propheta ferè totus in hoc verſatur, vt oſtendat quanta mala orbi immineant, præſertim populo Iſraelitico, propter multiplicia & grauia eius peccata. Adhortatur propterea ad pœnitentiam, & poſt multa prænuntiat etiam myſteria de regno Chriſti, et præ alijs prophetis hoc habet, vt miſſionem ſpiritus ſancti pulchrè deſcribat, ſicut & diuus Petrus in Actis, eius citat teſtimonium. [a] Reſiduum erucæ.] *Ponit quatuor genera vermium, deprædantium frumenta & fructus, quorum poſterius quodque, grauius fuit priore: nec ſatis commodè putantur poſſe latina aptari nomina. Sunt autem qui putent prophetam, hæc veluti parabolam propoſuiſſe, vt non ſimpliciter locutus ſit de fame quæ ſubſecuta eſt corporalem inebriationem, & donorum Dei abuſum, ſed iudicium Dei horrendum inculcare contendat ys, qui amore mundi ſunt inebriati.* [b] Gens enim aſcendet.] *Iudæi per gentem intelligunt, examen vermium et locuſtarum. At quidam ex noſtris putant hic exponi parabolam à propheta, nempe quòd gens crudelis & fortis per hæc inſecta intelligatur, quæ deuaſtauit quicquid pulchrum fuit in terra Iſrael, nempe Babylony, Perſæ, Græci, & tandem Romani.* [c] Albi facti ſunt rami eius.] *Poſtquam vermes corroſerint viriditatem arboris & corticis, remanent rami albi.*
[d] Confuſi ſunt agricolæ, vlulauerunt vinitores.] *Hoc eſt, attonitos, & pudore ſuffuſos reddidit agricolas ſpectaculum hoc.* [e] Quia ceſſauit gaudium à filijs hominum.] *Vel, vt ceſſet, &c.* [f] De domo Dei.] *Non ſolum deplorat prophetа famem corporalem, ſed etiam ſpiritualem, quæ eſt fames verbi Dei vbi perit omnis animarum cõſolatio.* [g] Computruerunt iumenta in ſtercore.] *Cum eis ſcilicet deſit cibus & neceſſaria. Alius vertit, Cõputruerunt grana ſeminum ſubter glebas ſuas: Vt ſit ſenſus: grana demandata terræ, non erumpunt in frugem, ſed & granaria atq; thecæ frumẽti iam euacuatæ ſunt, Vt non ſolum homines, verum & iumẽta perplexa ſint, neſcientia quò ſe vertant, vbi paſcua inueniant.*

[h] Ignis

[h] Igais comedit.] *Omnia(inquit)pascua sunt à vermibus corrosa, ac si ignis exussisset ea. Vel,hostes per ignem & gladium omnia devastauerunt:nam consentaneum est,hostilem furorem famem consequi. Porrò illud,Quasi area stiens imbrem, non est in Hebræo.*

CAPVT II.

[a] Anite tuba in Sion,vlulate in monte sancto meo,conturbentur omnes habitatores terræ: quia venit dies Domini,quia propè est:dies tenebrarum & caliginis, dies nubis & turbinis. [b] Quasi manè expansum super montes populus multus & fortis:similis ei non fuit à principio, & post eũ non erit vsque in annos generationis & generationis. Ante faciem eius ignis vorans, & post eum exurens flamma. [c] quasi hortus voluptatis terra corám eo:& post eum solitudo deserti: neq; est qui effugiat eum. Quasi aspectus equorum,aspectus eorum,& quasi equites sic current. Sicut sonitus quadrigarum super capita montiũ exiliunt,sicut sonitus flammæ ignis devorantis stipulam,velut populus fortis præparatus ad prælium. A facie eius cruciabuntur populi: omnes vultus redigentur in ollam. Sicut fortes current: quasi viri bellatores ascendent murum:† singuli in vijs suis gradientur,& non declinabunt à semitis suis. [d] Vnusquisq; fratrem suum non coarctabit,singuli in calle suo ambulabunt:sed & per † gladios incedent, & non vulnerabuntur.

Ma. 13.c
Marci 13.c
Luc. 21.e
Eze. 32.b
Isa. 13.b
Iere. 30.b
Amos 5.e
Soph.1.d
Psal. 85.
Ione 4.a
Ione 3. d
Supra 1.c

Vrbem ingredientur,in muro current:domos conscendent,per fenestras intrabunt quasi fur. A facie eius cõ tremuit terra,moti sunt cœli:sol & luna obtenebrati sunt,& stellę retraxerunt splendorem suum. Et [e] Dominus dedit vocem suam ante faciem exercitus sui: quia multa sunt nimis castra eius, quia fortia, & facientia verbum eius:magnus enim dies Domini, & terribilis valde: & quis sustinebit eum? Nunc ergo, dicit Dominus,conuertimini ad me in toto corde vestro,in ieiunio,& in fletu & in planctu. Et scindite corda vestra, & non vestimenta vestra,& conuertimini ad Dominum Deum vestrum:quia benignus & misericors est,patiens,& multę misericordiæ,& † placabitur super malitia. Quis scit,si conuertatur,& ignoscat,& relinquat post se benedictionem:[f] sacrificium & libamen Domino Deo vestro. Canite tuba in Sion,sanctificate ieiunium,vocate cœtum,congregate populum,sanctificate ecclesiam,coadunate senes: congregate paruulos, & sugentes vbera:egrediatur sponsus de cubili suo,& sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum & altare † plorent sacerdotes ministri Domini:& dicant,Parce Domine,parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium,vt dominentur eis nationes: quare dicunt in populis, Vbi est Deus eorum? [g] Zelatus est Dominus super terram suam,& pepercit populo suo. Et respondit Dominus,& dixit populo suo, Ecce ego mittam vobis frumentum, & vinum, & oleum replebimini eo: & [h] non dabo vos vltrà opprobrium in gentibus. [i] Et eum, qui ab aquilone est, procul faciam à vobis: & expellam eum in terram inuiam & desertam, faciem eius contra mare orientale,& extremum eius vsque ad mare nouissimum: & ascendet fœtor eius, & ascendet putredo eius, quia superbè egit. Noli timere terra, exulta & lætare: quoniam magnificauit Dñs, vt faceret. Nolite timere animalia regionis: quia germinauerunt speciosa deserti, quia lignum attulit fructum suum, ficus & vinea dederunt virtutem suam. Et filij Sion exultate, & lætamini in Domino Deo vestro: quia dedit vobis doctorem iustitiæ, & descendere faciet ad vos [k] imbrem matutinum & serotinum in principio. Et implebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia vino & oleo. Et reddam vobis annos quos comedit locusta, bruchus,& rubigo,& eruca:[l] fortitudo mea magna,quam misi in vos. Et comedetis vescentes, & saturabimini:& laudabitis nomen Domini Dei vestri,qui fecit mirabilia vobiscum, & non confundetur populus meus in sempiternum. Et scietis,quòd in medio Israel ego sum:& ego Dominus Deus vester,& non est amplius:& non confundetur populus meus in æternum. Et erit post hæc: [m] effundam spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ: senes vestri [n] somnia somniabunt, & iuuenes vestri visiones videbunt. Sed & super seruos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Et [o] dabo prodigia in cœlo & in terra,sanguinem,& ignem,& vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebris,& luna in sanguinem, [p] antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et erit:omnis qui inuocauerit nomen Domini,saluus erit: quia [q] in monte Sion, & in Ierusalem erit saluatio, sicut dixit Dominus,& in residuis quos Dominus vocauerit.

Act. 2.c & 44.d
Mat. 24.c
Luc. 21.c
Rom. 10.c

SCHOLIA.

[a] Canite tuba.] *Vt scilicet concurrant,& conueniant homines. Olim enim in summis periculis, buccinis & tubis populus in vnum conuocabatur,sicut hodie campano ære. Conuocantur autem propter diem Domini tenebrosum:per tenebras autem in scriptura intelligimus plorum calamitatem,& per lucem felicitatem.* [b] Quasi manè expansum super montes.] *Ex montibus videtur sol oriens citius,sic tamen, vt paulo post toti hemisperio fiat cõspicuus. Subitò(inquit)incidet dies ille horribilis,sicut lux matutina subitò montium illustrat cacumina. Vel, subitò aduenient exercitus ille Babyloniorum,qui hic per populum fortem intelligitur,etiam si quidam Hebræi referant ad locustas. Hic ita q; crudelis hostis veniet, vt omnia depopuletur igne & gladio, & terras amœnas redigat in solitudines, veniet cum horribili & truculenta facie,vt montes ipsi commoueri videantur ad aspectum eius, audietur fragor armorum eius & currituum eius per montes saltantium,à longè,tantumq; mortalibus incussurus est pauorem, vt omnium vultus in ollarum nigredinem sint degenerauri.* [c] Quasi hortus voluptatis terra coràm eo.] *Vel ante eum,hoc est,ante aduentum illius terra erat,quasi paradisus, et post eum similis erit deserto squallido.* [d] Vnusquisque fratrem suum non coarctabit.] *Hoc repetit,quod antea dixerat, mutuo sibi cedent,magna inter eos concordia erit,quisque suum locum habebit:etiam si irruant in medios gladios,non tamen vulnerabuntur, Esa.5.dicitur, Vngulæ equorum eius, vt silex, ita vt neque vngulæ offendantur, sic hoc loco dicit ipsos fortissimos fore.*
[e] Dominus dedit vocem.] *Iussu diuino(inquit)hæc omnia fient,exigentibus sic peccatis hominum.* [f] Sacrificium & libamen.] *Hæc est benedictio quam sperat Dominum post se relicturum,hoc est,reliquiæ frumenti & vini, vnde fiunt oblatio similaginea & libamen Domino.* [g] Zelatus est Dñs.] *Quantum attinet ad historiam, notandum quòd postquam humiliatus est populus in captiuitate Babylonica,et redijt post septuaginta annos in terram suã,habuit aliquot annos frugiferos, vnde*

vnde & numero fuit plurimum multiplicatus,de quo textus hic loquitur, Verum magis hic spectandæ sunt spirituales prouisiones,quàm temporales, vt sunt redundantia iustitiæ, veritatis, & verbi Dei. [h] Non dabo vos vltra.] *Hoc est,nisi me iterum irritaueritis.* [i] Et eum qui est ab aquilone.] *Intellige exercitum. Et quod sequitur. Faciem eius,&c. hoc est, verset faciem suam,per mare nouissimum,intelligunt mediterraneum. Deinde quod addit,ascensurum fœtorem eius. Eiusmodi descriptio est apud Ezechielem de interitu Gog & Magog, & vltimo Esaiæ, vbi plena cõsumptio hostium fit:sic etiam hoc loco.* [k] Imbrem matutinum & serotinum in principio.] *Hoc est, Vtrunque dabo in tempore suo,ac tempestiuè.*
[l] Fortitudo mea.] *Vel,exercitus meus. Et ob hæc fortasse verba quidam tota hac narratione hostium, intelligunt immensum exercitum locustarum,quarum tandem mortuarum aceruis litora vtriusque maris implenda sint. Sed aptius est, vt metaphora locustarum describat perpetuò hic propheta impetum Assyriorum & Chaldæorum,quo Iudæa vastata est,quorum centum & octoginta quinque millia sub rege Ezechia vna nocte ab angelo percussa sunt,quæ suo fœtore corrupissent terram,* nisi *Dominus nouo miraculo præueniisset, vt tanquam exusta igni in pulverem soluerentur. Iuxta literã quoq; magis auster quàm aquilo locustas adducit, Verum quoniam de Assyrijs Venturis prophetabat, locustarum typo aquilonem dixit non austrum.* [m] Effundam spiritum meum.] *Pactum,quòd Deus olim fecerat cũ populo suo, vt esset Deus eorum, describitur confirmandum per Christum,dato arrabone spiritus: Vnde & diuus Petrus asserit Actorum secundo in die pentecostes hanc impletam scripturam, tunc enim effusus est spiritus sanctus in homines, & vehementer multiplicari cœpit numerus fidelium. Et quando dicitur, super omnem carnem, non est intelligendum, quòd omni homini danda fuerit prophetia: sed spiritus omnibus promittitur, vt omnes sciant & habeant cognitionem Dei.* [n] Somnia somniabunt.] *Hoc dicitur, quòd varia sint prophetiarum genera: in quorundam enim cordibus loquitur Deus, aliorum mouet linguam, & quidam rapiuntur in spiritu, alij sunt, qui somniant somnia, sicut & Daniel et alij quidam.* [o] Et dabo prodigia in cœlo & in terra.] *Sicut hic multa bona promittuntur vs, qui credit in Christum, ita incredulis Iudæis graue hic prædicitur exitium, perditio scilicet ciuitatis & gentis, de qua in Iosepho multa dicuntur. Per sanguinem igitur intellige necem Iudæorum: & per ignem, incendium ciuitatis. Vbi autem est incendium, ibi est & fumus. Peruersionem verò solis in tenebras, intellige insignem calamitatem, sicut & in multis alijs reperias locis. Frequens enim est in Hebraismo, hæc allegoria & figurata locutio. Iudæi quoque verba hæc referunt ad tempus Messiæ, & putant quidam eorum omnia, quæ hic scribuntur, ad literam intelligenda.*
[p] Antequam veniat dies Domini.] *Secundum hic aduentum pollicetur, tanquam dicat: non erit dies ille dies extremus, sed futurus est maior & horribilior in nouissimo horrendo iudicij die.* [q] In monte Sion,& in Ierusalem.] *De Sion enim exibit lex, aut propheta, & verbum Domini de Ierusalem. Demum reliquiæ promittuntur seruandæ, cum ait, & in residuis, quos Dominus vocauerit.*

CAPVT III.

A QVia ecce in diebus illis & in tempore illo,cum conuertero captiuitatem Iuda & Ierusalem:congregabo omnes gẽtes,& ducam eas [a] in vallem Iosaphat: & disceptabo cum eis ibi super populo meo, & hæreditate mea Israel,[b] quos disperserunt in nationibus,& terram meam diuiserũt. Et super populum meum miserunt sortem:& posuerunt puerum † pro scorto,et puellam vendiderunt pro vino vt biberẽt. Verum quid vobis & mihi [c] Tyrus & Sidon, & omnis terminus Palæsthinorum? nunquid vltionem vos redditis mihi? & si vlciscimini vos cõtra me,citò velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum & aurum tulistis: & desyderabilia mea & pulcherrima intulistis in
B delubra vestra. Et filios Iuda,& filios Ierusalem [d] vẽdidistis filijs Græcorum: vt longè faceretis eos de finibus suis. Ecce ego suscitabo eos de loco in quo vendidistis eos:& conuertam retributionem vestram in caput vestrum. Et vendam filios vestros & filias vestras in manibus filiorum Iuda,& venundabunt eos Sabæis genti longinquæ,quia Dominus locutus est. Clamate hæc in gentibus,[e] sanctificate bellũ, suscitate robustos:accedant,ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios,& ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat,Fortis ego sum. Erumpite & venite omnes gentes de circuitu,& congregamini:ibi occumbere fa-
C ciet Dominus robustos tuos. Consurgant & ascendãt gentes in vallem Iosaphat:quia ibi sedebo, vt iudicem omnes gentes in circuitu. [f] Mittite falces, quoniam maturauit messis:venite & descendite,quia plenum est torcular,exuberant torcularia:quia multiplicata est malitia eorũ. Populi populi in valle † acris iudicij:quia iuxta est dies Domini [g] in valle † acris iudicij. Sol & luna obtenebrati sunt:& stellæ retraxerunt splendorem suum. Et Dominus de Sion rugiet,& de Ierusalem dabit vocem suam,& mouebuntur cœli & terra,& Domi
D nus spes populi sui & fortitudo filiorum Israel. Et scietis quòd ego Dominus Deus vester habitans in Sion in monte sancto meo:& erit Ierusalem sancta,& alieni nõ transibunt per eam amplius. Et erit in die illa:stillabunt montes dulcedinem,& colles fluent lacte:& per omnes riuos Iuda ibunt aquæ:& fons de domo Domini egredietur:& [h] irrigabit torrentem spinarum. Ægyptus in desolationem erit:& Idumęa in desertum perditionis:pro eò quòd iniquè egerint in filios Iuda,& effuderint sanguinem innocẽtem in terra sua. Et Iudęa inæternum habitabitur,& Ierusalem in generationem & generationem. [i] Et mundabo sanguinem eorum, quos non mundaueram:& Dominus commorabitur in Sion.

Apo.14.d
Supra 2.g
Iere.25.f
Amos.1.a
Amos. 9.d

SCHOLIA.

[a] In vallem.] *Quidam Hebræorum exponunt hunc locum de bello, quod contigit sub rege Iosaphat 2.Paralip.20. vbi describitur mirabilis victoria contra Moabitas, Ammonitas, & Assyrios, Vnde vallis illa putatur postea vocata Vallis Iosaphat, alij putant hanc prophetiam implendam tempore Messiæ quẽ inani expectant spe quando Gog & Magog propè Ierusalem à Messia interficietur. Ex nostris aliqui intelligũt de probatione & bello Christianorũ, de quo Dominus potenter suos liberaturus erat. Nam nomine Iuda intelligitur populus qui est de regno Christi. Et quidẽ Iudæi maximi erant persecutores nascẽtis ecclesiæ, quos cũ Dominus per Romanos in miseram redegit seruitutẽ, trucidatis plurimis, aliquo modo iudicium Dei visum est. Plurimi tamẽ intelligunt hunc locũ de iudicio extremo: et pulchrè ipsum etiam nomẽ quadrat: nã Iosaphat significat,*

iudicium Domini. Deducere ergo omnes gentes in Vallem Iosaphat est cõgregare ad iudicium Domini, eiius cum supra breuiter fecisset mentionem, nunc de eo fusius loquitur. [b] Quos dispersérunt in nationibus.] *Persecuti sunt enim Iudæi apostolos, & alios Christianos de ciuitate in ciuitatem, & mirum in modum afflixerunt. Sed & reliqui filij huius seculi cõtemptibiliter egerunt cum sanctis Dei, vendentes eos absque misericordia, mittentes pro eis sortem, ludentes in eis, vt etiã pro precio quosdam venderent, quod sorte erat dandum.* [c] Tyrus & Sidon.] *Horum nomine intelligũtur omnes finitimi Iudæorum, qui Iudæorum suggestione crudelitatem exercuerunt in sanctos Dei. Ideo dicit: quid mihi & vobis? quasi dicat: putatis, vos posse mihi damnum inferre in electis meis? sed debiliores estis: quod si vos eos afflixeritis, vos vltionẽ mihi reddetis, hoc est, pœnas dabitis. Et quia abstulistis aurum & preciosa de terra mea, ego de hoc aliquando sumpturus sum pœnam. Vocat autẽ sanctos suos, desyderabilia sua, hoc est, thesauros preciosos.* [d] Vendidistis filijs Græcorum.] *Hoc est, quia proscripsistis & expulistis apostolos & sanctos meos. Ecce ego quoque propter eos iusto iudicio meo tradam vos gentibus.* [e] Sanctificate bellum.] *Hoc est, instruite aciem. Vos (inquit) persecutores ecclesiæ, & si multa machinaturi estis contra electos meos, vt illis varia structis pericula, insidias, cædes, persecutiones, & bella, ego tamen vobis omnibus tandem superior ero. Futurum est tandem, vt vindictam sumam de vobis, & traham in Vallem Iosaphat, hoc est, in iudicium meum.* [f] Mittite falces.] *Verba sunt Domini ad angelos. Maturuit (inquit) messis, hoc est, aduenit tempus vltionis, descendite vt edatis has vuas, cum completa sit malitia eorum, tanquam redundantia toreularia.* [g] In valle acris Iudicij.] *Quidam exponũt, diuisionis, quod in iudicio discernantur mali à bonis, iuxta illud, Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorũ. Qui iusti, erunt illa Ierusalem sancta ecclesia Dei.* [h] Irrigabit torrentem spinarum.] *Vel, Vallem spinarum, vt scilicet spinæ nostræ irrigentur ad iustitiam, vt flores ac fructus pietatis producant.* [i] Et mundabo.] *Etiam ea peccata, quæ non putabantur posse aboleri, iam per diuinam misericordiam expiabuntur.*

PROPHETIA AMOS.

CAPVT I.

Za.14.2 Iere.24.f Ioel 3.c

ERBA Amos, qui fuit in pastoribus Thecue: quæ vidit super Israel in diebus Oziæ regis Iuda, & in diebus Ieroboam filij Ioas regis Israel,[a] ante duos annos terræmotus. Et dixit Dominus de Sion [b] rugiet, & de Ierusalem dabit vocem suam: & luxerunt speciosa pastorum, & exiccatus est [c] vertex Carmeli. Hæc dicit Dominus, [d] Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum: [e] eò quod triturauerint in plaustris ferreis Galaad. Et mittam ignem [f] in domum Azael, & deuorabit domos Benadad. Et conteram [g] vectem Damasci: & disperdam habitatorem de campo † Auen, & tenẽtem sceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriæ Cyrenem, dicit Dominus. Hæc dicit Dominus, Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non conuertam eum: [h] eò quòd transtulerint captiuitatem perfectam, † & concluserint eam in Idumæa. Et mittam in murum Gazæ, & deuorabit ædes eius. Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & conuertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philisthinorum, dicit Dominus Deus. Hæc dicit Dominus, Super tribus sceleribus Tyri, & super quatuor non conuertam eum: eò quòd cõcluserint captiuitatem perfectam in Idumæa, & non sint recordati fœderis fratrum. Et mittam ignem in murum Tyri, & deuorabit ædes eius. Hæc dicit Dominus, Super tribus sceleribus Edom & super quatuor non conuertam eũ: eò quòd persecutus sit in gladio [i] fratrem suum, & violauerit misericordiam eius, & tenuerit vltrà furorem suum, & indignationẽ suam seruauerit vsq; in finem. Mittam ignem in Themam, & deuorabit ædes Bosræ. Hæc dicit Dominus, super tribus sceleribus filiorum Ammon, & super quatuor non conuertam eum: eò quòd dissecuerit prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum. Et succendam ignem in muro Rabbath: & deuorabit ædes eius in vlulatu in die belli, & in turbine in die commotionis. Et ibit † rex eorum in captiuitatem ipse, & principes eius simul, dicit Dominus.

SCHOLIA.

AMos cum esset pastor, & homo plebeius, & non filius prophetæ, subitò & diuino miraculo vocatus est in prophetarum ordinem, secut & ex rudibus et illiteratis piscatoribus spiritus sanctus fecit apostolos, qui verbum salutis annuntiarent vniuerso mundo: neglectis interim tot magnificis & doctis viris, qui erant in regno Israel. Vnde discimus manum Dei potentem esse, & absque personarum acceptione, immò diligit ea, quæ sunt stulta, & imbecillia secundum mundum, vt confundat sapientes, & vt abiecti ac contempti in hoc mundo spem habeant bonam, & confidant, se eò magis Deo curæ esse, quò contemptius à mundo tractantur. Habet autem Amos propheta argumentum commune cum reliquis prophetis, nempe quòd taxat peccata, hortatur ad pœnitentiam, & postremò prædicat regnum Christi cum promissionibus. Seruatq; hunc ordinem, vt primum prophetet contra gentes vicinas terræ Israel, deinde contra decem tribus, tertio cõtra tribum & regnum Iuda, atque contra templum ipsum. Nõ tamen sunt hoc ordine pœnæ inflictæ, sed primò sumpta vltio est de Israelitis, & tribu Iuda, deinde pessundatæ sunt gẽtes. [a] Ante duos annos terræmotus.] *Huius terræmotus meminit & Zacharias propheta, creditur q; contigisse, cum rex Ozias auderet in altari offerre incensum, ob quam temeritatem lepra fuit percussus vt habetur 2. Paralip. 26.* [b] Rugiet.] *Vocem terribilem & minacem edet: quemadmodum leo rugit, dum discerpit prædam.* [c] Vertex Carmeli.] *Per Carmelum hic intelligitur ager cultus, & vineæ, quæ hic denuò stranda prædicuntur.* [d] Super tribus sceleribus Damasci.] *Sunt qui sigillatim ea enumerent, & dicant, Deum dissimulasse & non punisse. Damascum propter tria peccata, quæ commisit contra Israel, nempe in diebus Baasæ regis Israel, et in diebus Achab ac filij*

ac filij eius Ioram, & in diebus Ioachaz; sed quartum peccatum non remittẽdum, quod fecit in diebus Achaz: nunc enim venit rex Assyriæ, & expugnauit Damascum, transtulitq; habitatores eius in Cyrenem ciuitatem Assyriæ. Verum cum eadem loquendi modo vtatur contra Gazam, Tyrum, Edom, Ammon, & c. intelligimus modũ esse loquendi, quasi dicat, quia peccatis peccata accumulat assiduè, hoc enim est ter & quater peccare, hoc est, sæpius. Similis loquendi modus est Prouer. 30. & quid nos, ò ter que quaterque beati. [e] Eò quòd.] *Metaphora est: vt sit sensus, eò quòd conculcauerunt & deuastauerũt Damascum habitatores Galaad, magna crudelitate grassantes in eos.* [f] In domum.] *In Regum volumine de Eliseo, & Azaele legimus, & de filio eius Benadad.* [g] Vectem Damasci.] *Hoc est, munitionem omnem.* [h] Eò quòd.] *Hoc est, Gazite tanta crudelitate vsi sunt ergà populum meum Israel, vt cum illi profugi discederent à sedibus suis, me irato contra eos, & latibula quærerent, diuerterentq; ad Palæstinos, noluerint eos hospitio accipere, sed tradiderunt eos Edomitis hostibus eorum, atque hoc peccato alijs peccatis colophonem imposuerunt, meruerunt q; exterminari: & quia Tyrij idem fecerunt, eadẽ eis prædicitur pœna. Et quod ait: non sunt recordati fœderis fratrum: fœdus fratrum Hebræi referunt ad fœdus illud, quod Tyrij cum rege Salomone inierunt.* [i] Fratrem suum.] *Descenderant enim ab Esau fratre Iacob.*

CAPVT II.

A HÆc dicit Dominus, Super tribus sceleribus Moab, & super quatuor non conuertam eum: eò q; [a] incenderit ossa regis Idumææ vsq; ad cinerem. Et mittam ignem in Moab: & deuorabit ædes Carioth: & morietur in sonitu Moab, [b] in clangore & voce tubæ & disperdam iudicẽ de medio eius, & omnes principes eius interficiam cum eo, dicit Dominus. Hæc dicit Dominus, [c] Super tribus sceleribus Iuda, & super quatuor non conuertam eum: eò quòd abiecerit legem Domini, & mandata eius non custodierit: decepe-
B runt enim eos idôla sua, post quæ abierant patres eorum. Et mittam ignem in Iudam, & deuorabit ædes Ierusalem. Hæc dicit Dominus, [d] Super tribus sceleribus Israel, & super quatuor non cõuertam eum: pro eò quòd venditerit pro argentum iustum, & pauperem pro calceamentis. Qui † cõterebant [e] super puluerem terræ capita pauperum, & viam humilium † peruertebant: & [f] filius ac pater eius ierunt ad puellam, vt vio- Nu. 21.e
larent nomen sanctum meum. Et [g] super vestimentis pignoratis [h] accubuerunt iuxta omne altare, & [i] vinũ Deu. 2.f
C damnatorum bibebant in domo Dei sui. Ego autem exterminaui Amorrhæum à facie eorum: cuius altitudo cedrorum, altitudo eius, & fortis ipse quasi quercus: & contriui fructũ eius desuper, & radices eius subter. Exo. 14.e
Ego sum qui ascendere vos feci de terra Ægypti: & eduxi vos in desertum quadraginta annis, vt possideretis terram Amorrhæi. Et suscitaui de filijs vestris in prophetas, & de iuuenibus vestris [k] Nazaræos. Nũquid non ita est filij Israel, dicit Dominus? Et [l] propinabatis Nazaræis vinum: & propheris mandabatis, dicentes, Ne
D prophetetis. Ecce ego [m] stridebo subter vos, sicut stridet plaustrum onustum fœno. Et [n] peribit fuga à velocẽ, & fortis non obtinebit virtutem suam, & robustus non saluabit animam suam: & tenens arcum non stabit, & velox pedibus suis non saluabitur, & ascensor equi non saluabit animam suam: & robustus corde inter fortes [o] nudus fugiet in illa die dicit Dominus.

SCHOLIA.

[a] Incenderint ossa regis.] *Historia huius rei scribitur 4. Reg. 3. quomodo rex Moab combussit filium regis Edom, quam rem rex Edom implacabilem iram concepit aduersus Israelitas: voluit igitur Deus vlcisci iniuriam illam quæ ad lacessendum Israelitas à rege Moab fuit perpetrata.* [b] In clangore tubæ.] *Hoc est, in bellica vociferatione.* [c] Super tribus sceleribus Iuda.] *Adiungitur his iudicijs gentium, supplicium regni Iuda, ne ipsi vana spe seducti, putarẽt hæc supplicia tatum infidelibus irrogãda.* [d] Super tribus sceleribus Israel.] *Attingit hic propheta præcipuum argumentum huius libri, nempe regnum Israel, in quo & impietas in Deum, & flagitia in proximum supra modum inualuerant, ita vt iudices corrumperentur non solum pecunia, verum et alijs quibuslibet minutis rebus, vt erat par calceamentorum, iustam causam condemnantes, & iniquam iustificantes. Capitur enim hic iustus pro eo, qui iustam causam habet. Sunt etiam inter Hebræos, qui per calceos intelligunt calceorum extractionem, quam vendens faciebat, quando agrum vel prædium omninò alienabat.* [e] Super puluerem terræ.] *Hoc est, in terram violenter prosternunt.* [f] Filius ac pater eius.] *Sensus est, pater committit adulterium, & filius incestum, eandem scilicet turpiter amantes puellam.* [g] Super vestimentis pignoratis.] *Quod contra legem est Moysi, Deut. 24. vbi iubetur pignus restitui ante solis occasum.* [h] Accubuerunt iuxta omne altare.] *Relicto Vnius & Veri Dei cultu transtulerunt se in ministerium falsorum deorum. Solebant tota nocte dormire in terra, vt acciperent somnia à dys.* [i] Vinum damnatorum.] *Iustorum, qui impiè condemnabantur, ab illis (inquit) quos ipsi impiè in iudicio mulctauerant, accipiebant pecuniam, & instituebant conuiuia, etc.* [k] Nazaræos.] *Qui vitæ sanctimonia & abstinentia alijs monstrabant, viuendum esse cum vitæ continentia.* [l] Propinabatis.] *Coegistis Nazaræos bibere vinum, tantum abest, vt eorum continentiam imitari volueritis.* [m] Stridebo subter vos.] *Hoc est, arctum reddam & impeditum iter vestrum, vt non sitis ad quoquam ambulandum, vel fugiendũ magis apti, quam est currus onustus manipulis. Alius vertit, Ecce ego angustiam suscito in loco vestro, sicut plaustrum quod maceratur, quando plenum est manipulis.* [n] Peribit fuga.] *Hebraismus est, sicut & illud, peryt fuga à me, intelligit nullum fore fugæ locum.* [o] Nudus effugiet.] *Abiecto armorum animo.*

CAPVT III.

A AVdite verbum quod locutus est Dominus super vos filij Israel: super omnem cognationem quã eduxi de terra Ægypti, dicens, Tantummodo [a] vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ: iccirco vi-
sitabo super vos omnes iniquitates vestras. Nunquid ambulabunt duo pariter, [b] nisi conuenerit eis?
Nunquid rugiet leo in saltu, [c] nisi † ob prædam? nunquid dabit catulus leonis vocem de cubili suo, nisi ali-
B quid apprehenderit? nunquid cadet auis in laqueum terræ, † [d] & auceps non capiet eam? nũquid auferetur laqueus de terra, antequam quid ceperit? Si clanget tuba in ciuitate, & populus nõ expauescet? [e] si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit? Quia [f] non faciet Dominus Deus verbum, nisi reuelauerit secretum suum ad seruos suos prophetas. Leo rugiet, quis non timebit? Dominus Deus locutus est, [g] quis non prophetabit?

prophetabit? Auditum facite in ædibus Azoti,& in ædibus terræ Ægypti & dicite,congregamini super mõtes Samariæ,& [h] videte insanias multas in medio eius,& calumniam patiẽtes in penetralibus eius. Et nescierunt facere rectum dicit Dominus:thesaurizantes iniquitatem,& rapinas in ædibus suis.Propterea,hęc dicit Dominus Deus,Tribulabitur & circuietur terra:& detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ. Hæc dicit Dominus,[i] Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura,aut extremum auriculæ:sic eruẽtur filij Israel qui habitant in Samaria:in plaga lectuli & in Damasci grabato. Audite, & contestamini in domo Iacob,dicit Dominus Deus exercituum:quia in die cum visitare cœpero præuaricationes Israel, super eum visitabo & super altaria Bethel:& amputabuntur cornua altaris,& cadent in terram. Et percutiam domum hyemalem cum domo æstiua:& peribunt domus eburneæ,& dissipabuntur ędes multæ,dicit Dominus.

SCHOLIA.

[a] Vos cognoui.] *Elegi,dilexi præ cæteris. Hoc Hebraismo vtitur interdum Paulus, vt:cũ cogniti sitis à Deo.* [b] Nisi conuenerit eis.] *Nisi conuenerit inter eos de loco ad quem tendunt. Hostes concorditer non ambulat, cum animo dissideant sic nec ego diutius ferre vos potero,& vobiscum proficiscar,si, vt hactenus feceritis, me irritare & immorigeri esse perseueraueritis. Alius sic,Non simul gradientur,qui in itinere se non coniunxerint, sic nec prophetæ vna voce contra vos prophetarent,si spiritus meus illis non esset coniunctus.* [c] Nisi ob prædam.] *Rugitus (inquit) leonis,signum est fumis, quodq; prædam quærat. Eadem ratio est sequentis similitudinis de catulo leonis,& est Vtilis ταυτολογία.* [d] Et auceps non capiet eam.] *Hoc est : nónne in hoc posuit auceps laqueum super terram, vt aues capiat?* [e] Si erit malum.] *Hoc est,si hæc minuta suas habent certas causas,quomodo verisimile esse poterit,hæc tam grãdia fortuitò, vt putatis,euenisse?* [f] Non faciet Dominus.] *Hoc est,facere non solet:táquam dicat palam est,omnia esse immissa à Domino,quia prophetæ illius semper prædixerunt ventura. Quæ cum ita sint, sicut cum clangit tuba, aut leo rugit,hoc signo homines admoniti timent, sic cum Dominus per prophetas clamat,metuendum est.* [g] Quis non prophetabit.] *Quis renuet munus propheticum,Deo id iubente?* [h] Videte insanias multas in medio eius.] *Aduocate (inquit) Ethnicos iudices ex Ægypto & Palæstina, vt videant seditiones vestras,cædes,rapinas,calumnias,& oppressiones pauperum,& condemnabunt vos in iudicio suo,et quanto magis culpabiles eritis coram iudicio meo?* [i] Quomodo si eruat pastor.] *Non totum (inquit) deuastabitur regnum, sed reliquiæ aliquæ manebunt, haud secus quàm cũ pastor ab ore leonis duo crura aut auriculam ouis deuoratæ recuperat. Veeat autem plagam, vel angulum lectuli Samariam,& lectum ipsum Damascum (nam alius vertit:in Damasco in grabato) quòd maior pars Israelis habitaret in regno Damasceno quàm in Samaria. Illic enim tutiores se esse contra hostes sperabant,sed fefellit eos opinio eorum.*

CAPVT IIII.

AVdite verbum hoc [a] vaccæ pingues,quæ estis in monte Samariæ:quæ calumniã facitis egenis,et confringitis pauperes:[b] quæ dicitis dominis vestris,Afferte,& bibemus. Iurauit Dominus Deus in sancto suo,quòd ecce dies venient super vos,& leuabunt vos in contis,& reliquias vestras [c] in † hamis piscatorijs.Et [d] per aperturas exibitis † vnaquęque è regione sibi,& proijciemini [e] in Armon,dicit Dominus. [f] Venite ad Bethel,& impiè agite:ad Galgalam,& multiplicate prævaricationem : & offerte manè victimas vestras,tribus diebus decimas vestras.Et sacrificate [g] de fermentato laudem:& vocate volũtarias oblationes, & annuntiate:sic enim voluistis filij Israel,dicit Dominus Deus. Vnde & ego dedi vobis [h] † mũdiciem dentium in cunctis vrbibus vestris,& indigentiam panum in omnibus locis vestris:& non estis reuersi ad me,dicit Dominus.Ego quoq; prohibui à vobis imbrem,cum,adhuc tres menses superessent vsque ad messem:& [i] plui super vnam ciuitatem,& super alteram ciuitatem non plui:pars vna compluta est,& pars, super quam non plui,aruit.Et venerunt duæ & tres ciuitates ad vnam ciuitatem vt biberent aquam, & non sunt satiatæ: & non redistis ad me,dicit Dominus.Percussi vos in vento vrente & in aurugine , multitudinem hortorum vestrorum,& vinearum vestrarũ,oliueta vestra & ficeta vestra comedit eruca:& non redistis ad me,dicit Dominus.Misi in vos mortẽ [k] in via Ægypti,percussi in gladio iuuenes vestros , vsq; ad captiuitatem equorum vestrorum:& ascendere feci putredinem castrorum vestrorum in nares vestras:& nõ redistis ad me, dicit Dominus.[l] Subuerti vos,sicut subuertit Deus Sodomam & Gomorrham,& facti estis quasi torris raptus ab incendio:& non redistis ad me dicit Dñs.Quia † hęc feci sepe tibi Israel,quia,inquam,hæc feci tibi [m] preparare in occursum Dei tui Israel. Quia ecce formans montes , & creans ventum,& [n] annuntians homini opus suum,faciens † [o] auroram & caliginem,& [p] gradiens super excelsa terræ:Dñs Deus exercituum nomen eius.

Gen.19.e

SCHOLIA.

[a] Vaccæ pingues.] *Sic vocat prophetа hic noster rusticus nobiles illos et delicatos principes Samariæ. Sicut enim vaccæ Basan,id est,pingues,ad arandum nihil valent,sed tantum ad deuorandum , sic proceres regni Israelitici reipublicæ nihil proderant,sed potentes tantum erant ad edendum & bibendum,atque opprimendos pauperes, ideo prophetа sanctus aptis dedit illis,& quo digni erant titulum.* [b] Quæ dicitis dominis.] *Ægibus scilicet, qui modo eis suppeditarent , quæ vellent, parati erant obsequi,etiam iniqua imperantibus.* [c] In hamis.] *Hoc est , sicut piscator extrahit pisces hamo ex aqua, ita extrahent vos ex locis vestris,in quibus nunc lasciuitis.* [d] Et per aperturas.] *Infringet hostis mœnia , vt per interruptiones illas etiam vna vacca post alia egressura sit, vel,tot erunt interruptiones, vt quælibet vacca in prospectu suo egredi possit & non sit illi opus vt vadat ad portam.* [e] In Armon.] *Alij Armenium,hoc est,in longissimam terram vemetis.* [f] Venite ad Bethel.] *Ironia est,quasi dicat,quando omnino decreuistis esse impij,ite ad impietatis vestræ templa, & offerte dies vestris iuge illud matutinum sacrificium,quod mihi debebatur, & apparete ibi ter per annum , sicut mihi fieri præcepi & videbitis quæ vos pœna sit consecutura.* [g] De fermentato laudem.] *Sacrificium laudis de fermentato , quod Domino offerri prohibetur.* [h] Munditiem dentium.] *Quia scilicet non habebitis cibum, quo immundos facere illos possitis.*
[i] Plui super vnam ciuitatem.] *Licuerat (inquit) vel hinc aduertere magnum miraculum, & proinde adhortationem meam ad pœnitentiam,quòd pluuiam dedi super vnam ciuitatem. Et super aliam illi propinquam non plui, vnde factum est, vt ager*

vt ager vnus fructum ferret,& alius siccitate emoreretur. [k] In via Ægypti.] *Hoc est,sicut etiam feci cum educerem illi de Ægypto,nempe in deserto.* [l] Subuerti vos.] *Cum scilicet adhuc essetis in terra vestra,redegi non nulla loca in solitudinem,sicut olim feci terræ Sodomæ &c.* [m] Præparare.] *Scilicet tandem adhuc.* [n] Annuntians homini opus suum.] *Etiam illud,quod ipse putat latere. Alius vertit.Quæ sit meditatio eius.* [o] Auroram & caliginem.] *Qui facit, vt tenebræ succedat lux auroræ.* [p] Gradiens super excelsa terræ.] *Hoc est,superbiam hominum qui in terra habitant calcans, quę dicendi modũ & in Michea habes, vbi dicit, Dominus egredietur de loco suo,et descẽdet & calcabit super excelsa terræ.*

CAPVT V.

AVdite verbum istud quod ego [a] leuo super vos planctum domus Israel. Cecidit, & non adijciet vt resurgat virgo Israel:proiecta est in terram suam,& non est qui suscitet eam. Quia hæc dicit Dominus Deus,Vrbs de qua egrediebantur mille relinquentur in ea centum : & de qua egrediebantur cẽtum, relinquentur in ea decem in domo Israel.Quia hæc dicit Dominus Deus domui Israel,Quærite me,& viuetis.Et [b] nolite quærere Bethel,& in Galgalã nolite intrare,& in Bersabee non transibitis:quia Galgala captiua ducetur,& Bethel erit inutilis,Quærite Dominum,et viuite:ne fortè comburatur domus Ioseph vt ignis & deuorabit,& non erit qui extinguat Bethel. Qui conuertitis in absynthium iudicium , & iustitiam in terra relinquitis.[c] Facientem arcturum,& orionem,& conuertẽtem in mane tenebras,& diem in noctem mutantem:qui [d] vocat aquas maris,& effundit eas super faciem terræ : Dominus nomen est eius,[e] † Qui robur tribuit vastatori contra robustum,& depopulationem super potentem affert. Odio habuerunt [f] corripientem in porta:& loquentem perfectè abominati sunt. Iccirco,pro eo quòd diripiebatis pauperem, & [g] prædã electam tollebatis ab eo:domos quadro lapide ædificabitis,& non habitabitis in eis:vineas plantabitis amãtissimas,& nõ bibetis vinum earum. Quia cognoui multa scelera vestra,& fortia peccata vestra : hostes iusti, accipientes munus,& pauperes deprimentes in porta. Ideò prudens in tempore illo tacebit, [h] quia tempus malum est. Quærite bonum,& nõ malum,vt viuatis:& erit Dominus Deus exercituum vobiscum,[i] † quãtum dixeritis. Odite malum,& diligite bonum,& constituite in porta iudicium:si fortè misereatur Dominus Deus exercituum reliquijs Ioseph.Propterea hæc dicit Dominus Deus exercituum dominator,In omnibus platẽis planctus:& in cunctis quæ foris sunt,dicetur væ væ:& [k] vocabunt agricolã ad luctum,& ad planctum eos qui sciunt plangere.Et in omnibus vineis erit planctus:quia pertransibo in medio tui, dicit Dominus. [l] Væ desyderantibus diem Domini : ad quid eam vobis? dies Domini ista tenebræ,& non lux. Quomodo si fugiat vir à facie leonis , occurrat ei vrsus : & ingrediatur domum , & innitatur manu sua super parietem,& mordeat eum coluber. Nunquid non tenebræ dies Domini,& non lux : & caligo , & non splendor in ea? Odi & proieci festiuitates vestras:& non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quòd si obtuleritis mihi holocaustomata,& munera vestra,non suspiciam:& vota pinguium vestrorum non respiciã. Auferte [m] à me tumultum carminum tuorum:et cantica lyræ tuę non audiam.[n] Et reuelabitur quasi aqua iudicium, & iustitia quasi torrẽs fortis. [o] Nunquid hostias & sacrificium obtuliſtis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel? Et portastis idolum Moloch vestro,& imaginem idolorum vestrorũ,sydus dei vestri:quę fecistis vobis.Et migrare vos faciam [p] trans Damascum,dicit Dominus:Deus exercituum nomen eius.

SCHOLIA.

[a] Leuo super vos planctum.] *Quia non vultis conuerti ad me,audite planctum,quem ego facio propter vos,& sequitur planctus.Cecidit & non adijciet vt resurgat virgo Israel &c.* [b] Nolite quærere Bethel.] *Commemorat loca,in quibus idola colebant.* [c] Facientem arcturum.] *Quidam subaudiunt,derelinquerunt. Eiusmodi autem nomina gentilium stellarum non habent Hebrææ literæ,sed huiusmodi dictionibus significantur generaliter astra fulgentia, præque alijs magis cognita.* [d] Vocat aquas maris.] *Cum scilicet vult diluuium inducere orbi terrarum.* [e] Robur tribuit vastatori.] *Excitat hostem contra hominem superbum.* [f] Corripientem in porta.] *Hoc est,iudices,qui in porta ciuitatis sedere consueuerant.* [g] Prædam electam.] *Alius vertit,cibum electum,potest & verti,onus frumenti. Quicquid pauper (inquit) magno labore parauerat, vos per vim rapitis, & ex rapina pauperum ædificatis magnificas domos.* [h] Quia tempus malum est.] *Quia loquendo magis exasperat.* [i] Quantum dixeritis.] *Hoc est,quantis optare poteritis.* [k] Vocabunt agricolam ad luctum.] *Quòd scilicet frustra laborauerit in agro, Domino transeunte per agros & vineas,& omnia deuastante.* [l] Væ desyderantibus diem Domini.] *Quidam hoc putant dictum de ijs, qui irrisoriè dicebant prophetis,iudicium Domini annuntiantibus,id quod apud Esaiam legimus, acceleret & festinet. Alij sic exponunt. Væ illis qui ob superuenientes calamitates desyderabunt diem Domini,hoc est,mortem ipsam,putantes sic sese euasuros præsentia rerum discrimina, cum longè grauiora sint lapsuri. Quemadmodum enim,si forte quispiam effugerit leonem & incident in vrsum sæuientem , ac deinde domum reuertens mordeatur à colubro,quid proderit ei,quòd antea à leone & vrso sit visus liberatus? Hebræi brevibus verbis sic exponunt,ibitis de afflictione in afflictionẽ.* [m] Tumultum carminum.] *In eos dicitur, qui labijs Deum honorant,cor autem eorum longè est ab eo.* [n] Et reuelabitur quasi aqua.] *Hoc est abundanter . Iudicium vltionis meæ (inquit) quasi moles aquarum inundantium affluet. Alius sic legebat,Quin potius reueletur quasi aqua iudicium, &c. Vt. continuetur sensus præcedentibus verbis,quibus dixerat, vt auferrent cantica & organos,cum malit iudiciũ & iustitiam.*
[o] Nunquid hostias.] *Citatur hic locus Act. vij. videtur autem obijcere Iudæis , quòd & ipso tempore quo omni humana destituti auxilio,nutriebantur à Deo in deserto,pro veri Dei cultu,seruiebant simulachris.* [p] Trans Damascum.] *Non præcedet (inquit) vobis,si fugeritis in Damascum,sed longè vltra Damascum ducemini in Assyriam.*

CAPVT VI.

AVæ vobis qui opulenti estis in Sion,& confiditis in monte Samariæ :[a] † nominatis à principio gentium , & venerunt ad eos domus Israel. Transite in Chalanne , & videte, & ite inde in Emath magnam:& descendite in Geth Palæsthinorum,& ad optima quoque regna horum:si latior terminus eorum termino vestro est. [b] † Longè remouetis diem malum , & proximum facitis solium iniquitatis.

Qui dormitis in lectis eburneis,& lasciuitis in stratis vestris:qui comeditis agnum de grege, & vitulos de me B
dio armenti. Qui canitis ad vocem psalterij:sicut Dauid excogitauerunt habere vasa cantici. Bibentes vinum
in phialis,& optimo vnguento delibuti:& nihil pertiebantur super contritione Ioseph. Quapropter nunc mi
grabunt in capite transmigrantium:& † appropinquat luctus lasciuientium. Iurauit Dominus Deus in ani-
ma sua,dicit Dominus Deus exercituum, Detestor ego superbiam Iacob, & domos eius odi , & tradam ciui- C
tatem cum habitatoribus suis. Quòd si reliqui fuerint decem viri [c] in domo vna:& ipsi morientur. Et tollet
Iere.51.b eum propinquus suus,& [d] comburet eum,vt efferat ossa de domo : & dicet ei qui in penetralibus domus est,
Infrè 8.b Nunquid adhuc est penes te ? Et respondebit,[e] Finis est. Et dicet ei,[f] Tace , & non † recordatum est nominis
Domini. Quia ecce Dominus mandauit,& percutiet domum maiorem ruinis,& domum minorem scissio- D
nibus. Nunquid currere queunt in petris equi ? aut [g] arari potest in † bobus ? quoniam conuertistis in amа-
ritudinem iudicium,& fructum iustitiæ in absynthium. Qui lætamini in nihili,qui dicitis,Nunquid non in
fortitudine nostra assumpsimus nobis cornua ? Ecce enim suscitabo super vos domus Israel, dicit Dominus
Deus exercituum,gentem:& conterent vos ab introitu Emath,vsq; ad torrentem deserti.

SCHOLIA.

[a] Nominatis à principio gentium.] *Illud,nominatis , ablatiui casus est , & refertur ad duos montes , & Sion & Samariæ. Ait ergo,minimè decere eos superbire de nobilitate illorum montium,qui primatum obtinebant in præcipuis gentibus ad quos occupandos ingressa est domus Israel,expulsis beneficio Domini,& non eorum viribus, Amorræus & reliquis fortissimus populis. Atque vt doceat non esse fidendum munitione & opulentia locorum,profert exempla vrbiũ,quas subdit, quæ vim hostium ferre non potuerunt, cum & munitiores essent,& latiores haberent terminos.* [b] Longe remouetis diẽ malum.] *Qui procul abesse persuadetis vobis diem malum,& occasione præsenti speratis vos impunè vsuros ad perpetrandа scelera.* [c] In domo vna.] *Hoc est,confugientes in domum vnam metu gladij,morientur fame vel peste.* [d] Comburet eum.] *Ad tollendum pedorem.* [e] Finis est.] *Hoc est,elati sunt omnes.* [f] Tace.] *Scilicet,ne sciant hostes , in quantis malis versamur,propterea quòd desiuimus memores esse Domini.* [g] Arari potest in bobus.] *Subaudi,inter petras.Sicut non solent equi currere in petris,neque agricolæ arare in petrosis locis,cum nullus inde fructus sit sperandus,sic ex tam impænitente vita nequaquam felicitas speranda erit.*

CAPVT VII.

HÆc ostendit mihi Dominus Deus:& [a] ecce fictor locustæ in principio † germinationis serotinę her- A
bæ,& [b] ecce serotina post tonsionem regis. Et factum est,cum consummasset comedere herbam ter-
ræ,dixi, Domine Deus propitius esto obsecro : quis suscitabit Iacob, quia paruulus est ? Misertus est
Dominus super hoc. Non erit,dicit Dominus. Hæc ostẽdit mihi Dominus Deus:[c] & ecce vocabat iudicium
cum igne Dominus Deus,& deuorauit abyssum † magnã,& comedit simul partem. Et dixi, Domine Deus,
quiesce obsecro:quis suscitabit Iacob,quia paruulus est ? Misertus est Dominus super hoc : Sed & istud non B
erit,dicit Dominus Deus. Hæc ostendit mihi:& ecce [d] Dominus stans super murum litum , & in manu eius
trulla cæmentarij. Et dixit Dominus ad me, Quid tu vides Amos ? Et dixi, Trullam cæmentarij. Et dixit Do-
minus, Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Israel:[e] non adijciam vltrà pertransire eum. Et demo-
lientur [f] excelsa idoli,& sanctificationes Israel desolabuntur:& consurgam super domum Ieroboam in gla- C
dio. Et misit Amasias [g] sacerdos Bethel,ad Ieroboam regem Israel,dicens, Rebellauit contra te Amos in me-
dio domus Israel:non poterit terra sustinere vniuersos sermones eius. Hæc enim dicit Amos, In gladio mo-
rietur Ieroboam,& Israel captiuus migrabit de terra sua. Et dixit Amasias ad Amos, Qui vides,gradere,fuge
in terram Iudæ:& comede ibi panem , & prophetabis ibi. Et in Bethel non adijcies vltrà vt prophetes:quia
sanctificatio regis est,& domus regni est. Respondit q; Amos , & dixit ad Amasiam, Non sum prophetа, & D
non sum filius prophetæ:sed armentarius ego sum vellicans sycomoros. Et tulit me Dominus,cum sequerer
gregem:& dixit Dominus ad me, Vade, prophetа ad populum meum Israel. Et nunc audi verbum Domini.
Tu dicis,Non prophetabis super Israel,& nõ stillabis super domum idoli. Propter hoc hæc dicit Dominus,
[h] Vxor tua in ciuitate fornicabitur,& filij tui & filiæ tuæ in gladio cadent , & humus tua funiculo metietur:
& tu in terra polluta morieris,& Israel captiuus migrabit de terra sua.

SCHOLIA.

[a] Ecce fictor locustæ.] *Hoc est,vidi Dominum velle producere agmen locustarum.* [b] Et ecce serotina.] *Hoc est, postquam demessuerat rex herbam suam,cum supernemisset pluuia,herbaq; repullularet , formauit Deus locustas,quæ nascentem arroderent herbam,quod prophetа videns in spiritu clamabat. Propitius esto populo tuo Domine,ne inedia pereat, &c.*
[c] Et ecce vocabat iudicium.] *Minabatur se vastaturum cuncta igne. Hæc est altera visio , quam Dominus ostendit prophetæ. Audiuit enim Dominus loquentem ad executores iudicij sui, vt iudicium exequerentur per ignem in terra Israel. Vbi quidam Hebræorum per ignem intelligunt nimium calorem solis,qui omnem terræ exiccauit humiditatem , & agros, ne germinarent,prohibuit.* [d] Dominus stans.] *Hæc est tertia visio,portendens deuastationẽ Israelis. Significat enim murum populum Israel,quem Dominus voluit habere firmum,planum,& rectè mensuratum : sed quia ille incuruatus, ruinam minatus est,sustulit Dominus regulam Iatomi & perpendiculum illud,quod interpres trullam vocauit.* [e] Non adijciam vltra.] *Hoc est,non infligam eis pœnas sicut hactenus feci,sed vno opere totum regnum subuertam.* [f] Excelsa idoli.] *In Heb.est,excelsa Isaac,& tamen intelliguntur sanctuaria,quæ idolis erexerant, Vocat autem populum Israel,populũ Isaac ob id,quod Isaac ligatus & positus fuerat super altare,quod exemplum illi peruersè imitati, multa passim erexerant altaria et excelsa,in quibus etiam proprios comburebant filios. Eadem vox ponitur infra. Non sibilabis super domũ Isaac.* [g] Sacerdos Bethel.] *Fuit hic Amasias sacerdos idolorum in Bethel,& audiens prophetantem Amos,accusat eum apud regem, quasi seditionem populo moliatur in regno. Et cum virulenta lingua sua apud regem impetrare non posset prophetæ occasionem, iubet eum secedere è regno Israel in regnum Iuda. Respondet verò propheta,se professione non esse prophetam, neque filiũ prophetæ,*

sed nuper è pecoribus ad hoc vocatum munus,& propterea magis Deo vocanti obediendi quàm hominibus. [h] Vxor tua.] *Iuxta illam maledictionem, Deut.28. Vxorem accipies,& alius dormiet cum ea,&c.*

CAPVT VIII.

A HÆc ostendit mihi Dominus Deus:& ecce [a] canistrum fructuum æstiuorum. Et dixit, Quid tu vides
Amos ? Et dixi,† canistrum pomorum. Et dixit Dominus ad me, Venit finis super populum meum
Israel:non adijciam vltrà vt pertranseam eum. [b] Et stridebunt cardines templi in die illa,dicit Domi
nus Deus:multi morientur in omni loco projcietur silentium. Audite hoc qui conteritis pauperem,& desi-
B cere facitis egenos terræ,dicentes,[c] Quando transibit mensis,& venundabimus merces:& sabbatum, & aper-
iemus frumentum : vt imminuamus mensuram,& [d] augeamus siclum , & supponamus stateras dolosas, vt Iere.15.b
possideamus in argento egenos & pauperes pro calceamentis,& quisquilias frumẽti vendamus? Iurauit Do- Tobiæ 2.b
minus [e] in superbiam Iacob,Si oblitus fuero vsq; in finem omnia opera eorum. Nũquid super isto non cõ- Supra 6.b
C mouebitur terra,& lugebit omnis habitator eius : [f] & ascendet quasi fluuius vniuersa , & eijcietur, & defluet 1. Mac.1.c
quasi riuus Ægypti ? Et erit in die illa dicit Dominus:[g] occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram
in die luminis. Et conuertam festiuitates vestras in luctum,& omnia cantica vestra in planctum:& inducam
super omne dorsum vestrum saccum,& super omne caput caluitium : & ponam eam quasi luctum vnigeni-
D ti,& nouissima eius quasi diem amarum. Et ecce,dies veniunt,dicit Dominus:& emittam famem in terram,
[h] non famem panis,neq; sitim aquæ,sed audiendi verbum Domini. Et commouebuntur à mari vsq; ad ma-
re,& ab aquilone vsq; ad orientem:circuibunt quærentes verbum Domini,& non inuenient. In die illa [i] de-
ficient virgines pulchræ,& adolescentes in siti. [k] Qui iurant in délicto Samariæ, & dicunt, Viuit Deus tuus
Dan,& viuit via Bersabee,Et cadent,& non resurgent vltrà.

SCHOLIA.

[a] Canistrum fructuum.] *Sporta in qua erant æstatis fructus extremi. Significat autem hæc visio , Israelis de terra transmigrationem. Sicut enim fructus maturi tolluntur de arbore,sic aderat tempus , vt Israelitæ propter præuaricationes suas auferrẽtur de terra: vnde additur, Venit finis.* [b] Et stridebunt cardines.] *Alius vertit. Et vlulabunt cantica rẽplis:hoc est,cantus solemnis templorum vestrorum vertetur in luctum & vlulatum , nam non erit locus , in quem non projciant cadauera interfectorum hominum,cum silentio,hoc est,stupore,& hoc est, quod ait,in omni loco projcietur silentium.*
[c] Quando transibit mensis.] *Intelligit mensem colligendi fructus , nam tempore messis pauperes de spicis collectis viuebant. Cum ergo pauperes veniebant vt emerent frumentum,diuites differebant venditionem in alium mensem vel hebdomadam,quæ per sabbatum intelligitur,quo carius venderent.* [d] Augeamus siclum.] *Hoc est,libellam,qua penditur pecunia.* [e] In superbiam Iacob.] *Alius vertit:per magnificentiam Iacob,hoc est, per seipsum,qui est magnificentia et gloria Iacob:si dicas in superbiam Iacob,intellige, Dominum iurasse contra sanctuarium, vbi habitabat maiestas Domini, quod iurat auferendum propter malitiam Israel & Iudæ.* [f] Et ascendet.] *Cuncti habitatores terræ Israel migrabunt de loco suo,perinde atque totus fluuius sine reliquijs per alueum descendit. Expellentur,et operientur afflictionibus haud secus quàm Ægyptus Nili inundatione oppletur. Vel sicut Nilus sui inundatione omnia, quæ in eo natant in planitiem terræ euomit,ita isti euomẽtur de terra sua.* [g] Occidet sol.] *Est prophetis familiare,exprimere per solis obscurationem insignes calamitates & afflictiones.* [h] Non famem panis.] *Igitur fames verbi diuini maior est, quàm fames corporis , sicut & cibus verbi Dei longè superat cibum corporeum,cum plerunque & animam et corpus nutriat,id quod in Mose factum scimus. Est enim verbum Domini in fame cibus,in siti potus,in paupertate opulentia , in infirmitate robur,in ignominia gloria, in luctu gaudium,in aduersis consolatio,in peccatis iustitia,in desperatione spes, Vt non frustra dicat Dominus , Non in solo pane viuet homo sed in omni verbo,quod procedit de ore Dei.* [i] Deficient virgines.] *Quòd si virgines & adolescentes deficiant,nulla poterit esse spes posteritatis. Significatur igitur per id , totam Israelis posteritatem à Domino abiectam.* [k] Qui iurant in delicto Samariæ.] *Intelligit execrandum vitulum Samariæ. Et illud, Via Bersabee,intelligit peregrinationem illam laboriosam,quam faciebant ab vna extremitate terræ ad aliam, Vt visitarent idolum quod erat in Dan , non nihil prolixitati itineris tribuentes.*

CAPVT IX.

A VIdi Dominum stantem super altare:& dixit,[a] Percute cardinem, & commoueantur superliminaria:
auaritia enim in capite omnium,& nouissimum eorum in gladio interficiam : non erit fuga eis qui
fugient : & non saluabitur ex eis qui fugerit . Si descenderint vsque ad infernum , inde manus mea
educet eos : & si ascenderint vsque ad cœlum, inde detraham eos. Et si absconditi fuerint in vertice Carme- Psal.138.
li,inde scrutans auferam eos : & si celauerint se ab oculis meis in profundo maris , ibi mandabo serpenti , &
mordebit eos. Et si abierint in captiuitatem coràm inimicis suis,ibi mandabo gladio,& occidet eos : & po-
B nam oculos meos super eos in malum,& non in bonum. Et Dominus Deus exercituum qui tangit terram,
& tabescet : & lugebunt omnes habitantes in ea : & ascendet sicut riuus omnis,& defluet sicut fluuius Ægy-
pti. Qui ædificat in cœlo [b] ascensionem suam, & fasciculum suum super terram fundauit : qui vocat aquas Iere.44.c
maris,& effundit eas super faciem terræ,Dominus nomen eius. Nunquid non [c] vt filij Æthiopum vos estis Supra 4.c
mihi filij Israel,ait Dominus ? Nunquid non Israel [d] ascendere feci de terra Ægypti:& Palæsthinos de Cap-
padocia, & Syrios de Cyrene ? Ecce oculi Domini Dei super regnum peccans , & conteram illud à facie
C terræ:veruntamen conterens non conteram domum Iacob , dicit Dominus , Ecce enim mandabo ego , &
concutiam in omnibus gentibus domum Israel , sicut concutitur in cribro:& [e] non cadet lapillus super ter-
ram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei : qui dicunt , Non appropinquabit , & nõ veniet
super nos malum. In die illa [f] suscitabo tabernaculum Dauid,quod cecidit: & reædificabo aperturas muro Act.15.c
rum eius , & ea quæ corruerant instaurabo : & reædificabo eum [g] sicut in diebus antiquis . Vt possideant
reliquias Idumeæ , & omnes nationes, eò quòd inuocatum sit nomen meum super eos : dicit Dominus fa-

ciens hæc. Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & [h] comprehendet arator messorem, & calcator vuæ mittentem D
Ioel 3.d semen: & stillabunt montes dulcedinem, & omnes colles culti erunt. Et conuertam captiuitatem populi mei Israel: & ædificabunt ciuitates desertas, & inhabitabunt: & plantabunt vineas, & bibent vinum earum: & facient hortos, & comedent fructus eorum. Et plantabo eos super humum suam: & non euellam eos vltra de terra sua quam dedi eis, dicit Dominus Deus tuus.

SCHOLIA.

[a] Percute cardinem.] *Per hanc quintam visionem significatur destructio cultuum diuinorum, qui erant in Samaria. Quidam per superliminaria intelligunt principes & diuites, quod videtur quadrare cum sequentibus.* [b] Ascensionem suam.] *Ordinem spherarum cœlestium intelligi volunt, & per fasciculum, aquam, aerem, & ignem, quæ circunscribunt terram, habentque eam veluti fundamentum. Ostendit autem Deum esse Dominum cœli & terræ, nec esse aliquid tam firmum & forte, quod commouente Domino stare possit. Solidatas terræ ab eo commoueri potest, quato magis infirmus homo, qui vt arundo mouetur super terram?* [c] Vt filij Æthiopum.] *Serui & deformati, & æque digni estis, qui perpetuo pereatis, atque illi, quare misericordiæ meæ ascribere debebitis, si non penitus vos perdidero. Varie tamen exponitur ab Hebræis.* [d] Ascendere feci.] *Nihil (inquit) proderit vobis quòd eduxerim vos de Aegypto, vt ex hoc vanam concipiatis spem, quasi nunquam de regione vestra sitis expellendi, putantes quòd non frustra ante vos expulerim Chananæos, & vobis tradiderim terram in perpetuam possessionem. Nam id feci alys multis nationibus, quas transposui in meliores regiones, & iterum ob eorum peccata expuli, & expellam eas ab eis, nam futurum adhuc erat, vt Syri ducerentur in Cyrenem vrbem Assyriæ, et inde reducerentur.* [e] Non cadet lapillus.] *Quidam per lapillum intelligit granum, vt sit sensus, neminem, qui crebrandus & affligendus sumitur, euadere posse.* [f] Suscitauit tabernaculum Dauid.] *Redit hic propheta post diras et horrendas minas ad suaues cõsolationes, quas fideles à Christo erant accepturi. Intelligitur enim per tabernaculum Dauid, regnum Christi, siue ecclesia, quam Christus collapsam reædificauit, iuxta illud, num hoc tempore restitues regnum Israel? nec ad hoc regnum illi tantum pertineb.ant, qui erant Israelitæ secundum carnem, sed & reliquiæ gentium erant congregandæ, & diffundenda gratia Christi per vniuersum orbem.* [g] Sicut in diebus antiquis.] *Hoc est, multò magnificentius, quam hactenus fuerit, est enim Hebraismus.* [h] Comprehendet arator messorem.] *Hoc est, tam copiosa erit messis, vt antequam totum frumentum in horreum colligatur, tantum effluxurum sit temporis, vt iam ager proscindendus sit ad sementem: significatur que per hanc metaphoram, mira & maxima abundantia donorum spiritualium, quæ Deus in regno Christi fidelibus suis distribuit, vt tam non sint passuri famem verbi Dei, de qua propheta supra dixit. Non igitur loquitur hic propheta de externa vbertate agrorum, & fertilitate montium, sed de spiritualibus bonis. Idem sentiendum de captiuitatis reductione. Frustra igitur cæci Iudæi hæc ad literam implenda expectant.*

PROPHETIA ABDIÆ.

Isto Abdiæ. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom, [a] Auditum audiuimus à Domino, & A
Iere.49.c legatum ad gentes missit, Surgite, & cõsurgamus aduersus eum in prælium. Ecce [b] paruulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, [c] habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solium suum: qui dicit in corde suo, Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sydera posueris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus. [d] Si fures introissent ad te, si latrones per noctem: † nõ sic funditus interire potuisses: nonne furati essent sufficientia sibi? Si vindemiatores introissent ad te, nonne saltem racemum reliquissent tibi? Quomodo scrutati sunt Esau: in- B
Iere.49.d uestigauerunt abscondita eius? [e] Vsq; ad terminum emiserunt te omnes viri fœderis tui: illuserunt tibi. Inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ: qui comedunt tecum, ponent insidias [f] subter te: non est prudentia in eo. Nunquid non in die illa dicit Dñs, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau? Et time-
Isa.29.e bunt [g] fortes tui † Theman, eò quòd perierit vir de monte Esau, & facta sit strages magna propter iniquita-
1.Cor.1.c tem in fratrem tuum Iacob, operietc confusio, & peribis inæternum. In die cum stares aduersus eum, quãdo capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebãtur portas eius, & super Ierusalem mittebant sortem: tu quoq; eras quasi vnus ex eis. [h] † Nõ aspicere debueras in die fratris tui, in die peregrinationis eius: & C
non † lætari super filios Iuda, in die perditionis eorum: & non magnificare os tuum in die angustiæ. Neque [i] ingredi portam populi mei in die ruinæ eorum: neq; despicere & tu in malis eius in die vastitatis illius: & non † mittere manus tuas in res illius in die vastitatis illius. Neq; stare in exitibus, vt interficeres eos qui fugerint: & non concludere reliquos eius in die tribulationis. Quoniam iuxta est dies Domini super omnes gentes: sicut fecisti, fiet tibi: retributionem tuam conuerter in caput tuum. Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes iugiter: & bibent & absorbebunt, [k] & erunt quasi non sint. D
Et [l] in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus: & possidebit domus Iacob eos qui se possederant. Et erit [m] domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula: & succendentur in eis, & deuorabunt eos: & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus locutus est. Et hæreditabunt hi [n] qui ad Austrum sunt, montem Esau, & qui in campestribus ipsos Philisthijm: & possidebunt regionem Ephraim & regionem Samariæ: & Beniamin possidebit Galaad. [o] Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, † quæ sunt in locis Chananæorum vsque ad Sarepram: & transmigratio Ierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit ciuitates Austri. Et ascendent saluatores in montem Sion iudicare montem Esau: [p] & erit domino regnum.

Scholia.

SCHOLIA.

Abdias idem est, quod cultor Domini, putaturque à quibusdam fuisse à tempore Achab & Iezabelis, qui abdidit centum prophetas in spelunca 3. Reg. 17. aly putant fuisse proselytum ex Idumæa, eò quòd visio eius potissimum cõtra Idumæos prædicta sit. Subnectit tamen more aliorum prophetarum in fine prophetiæ suæ succinctã verba de regno Christi, quando dicit, Erit Domino regnum. Fuit autem Edom frater Iacob, & sicut ipse odiuit fratrem eò quod ei præriput benedictionem primogenituræ, sic tota posteritas eius odio habuit, & vbi potuit malum intulit posteritati Iacob, hoc est, Israelitis, omnibus eorum hostibus adhærens, et perfidiam suæ mentis declarans. Hic igitur populus Idumæorum typum gessit Antichristi, & falsorum fratrum, qui vbique populo Dei nocere student. [a] Auditum audiuimus.] *Vox est prophetarum, aut secundum alios, vox populorum, qui iam accincti erant ad prælium.* [b] Paruulum dedi te.] *Iam à Deo fuerat definitum, eciam eò de præterito loquitur, cum tamen futurum adhuc esset.* [c] Habitantem in scissuris petrarum.] *Securissimi videbantur, quòd habitarent in locis, arte & natura munitis, ideo licentius grassabantur in filios Dei.* [d] Si fures introissent.] *Sensus est, non deuastaberis vulgariter, sicut cum fures irrumpũt, aut nocturni prædones, qui damno illato auffugiunt, & plurima quæ secum ferre non possunt, relinquunt, sed tu omnibus tuis spoliaberis. Eadem est similitudo vindemiatorum.* [e] Vsque ad terminum emiserunt te.] *Hoc est, expulerunt te tota regione tua, vt nihil tibi sit reliquum penitus in ea. Hi autem erãt hostes tui, in quos tu maxime fiduciam tuam posuisti.* [f] Subter te.] *Hoc est, in terra tua.* [g] Fortes tui Theman.] *Qui scilicet habitabant ad meridiem, qui cum viderint imminere cædem, adeo terrebũtur omnes, vt etiam fortiores amissuri sint vires suas.* [h] Non aspicere debueras.] *Non decebat te cum voluptate spectatorem fieri in calamitate fratris tui.* [i] Ingredi portam populi mei.] *Hoc est, iungere te aduersarijs illius.* [k] Et erunt quasi non sint.] *Tua tibi erunt, tanquam tua nunquam fuissent.* [l] In monte Sion erit liberatio.] *Subditur hic consolatio Euangelica, & liberatio electorum Dei, quæ per Christum facta est.* [m] Domus Iacob ignis.] *Hoc aliquo modo impletum est in apostolis, qui verbo Dei exterminauerunt idololatriam, sed in die iudicij, quando ipsi prolaturi sunt cum Christo sententiam, perfectius hæc adimplebuntur.* [n] Qui ad austrum sunt.] *Filij scilicet Ioseph. Alius intelligit tribum Iuda. Alius vertit sic hunc locum. Et possidebunt meridiem vnà cum monte Esau, atque plantiem Philistæorum, possidebunt quoq; agrũ Ephraim & agrum Samariæ. Vt intelligatur regnum Christi extendendum in omnes regiones, orientem, meridiem, etc.* [o] Et transmigratio exercitus.] *Ionathas hunc locum sic exponit. Et captiuitas populi huius, scilicet filiorum Israel, qui sunt in terra Chananæorum vsq; ad Sareptam, & captiuitas Ierusalem, quæ est in Hispania, possidebunt ciuitates terræ meridionalis. Et dicunt Hebræi hic per Chananæos significari Gothos, & per Sareptam, Gallham, & per Bosphorum Hispaniam: sed nos rectius dicamus, salutem Christi à terra Chananæorum per Sareptam, aut si mauis, per Fraciam, vsque ad extremos Hispanos promulgatam, & omnes gentes ad regnum Christi mutatas. Per ciuitates austri, intellige Aphricam.* [p] Et erit Domino regnum.] *Peculiare hoc erit (inquit) regnum Domini.*

IONÆ PROPHETIA.

CAPVT I.

A Et factum est verbum Domini ad Ionam filium Amathi, dicens, Surge, et [a] vade in Niniuen ciuitatem grandem, & predica in ea, quia ascẽdit malitia eius coràm me. Et surrexit Ionas, vt fugeret [b] in Tharsis à facie Domini, & descẽdit in Ioppen, & inuenit nauem euntem in Tharsis: & dedit naulum eius, & descẽdit in eam, vt iret cũ eis in Tharsis à facie Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tempe-
B stas magna in mari, & nauis periclitabatur conteri. Et timuerũt nautæ, & clamauerunt viri ad Deum suum: & miserunt vasa, quæ erant in naui, in mare, vt alleuiarentur ab eis: & Iona descendit ad interiora nauis, & dormiebat sopore graui. Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei, Quid tu sopore deprimeris? surge, inuoca Deum tuum, si fortè recogitet Deus de nobis, & non pereamus. Et dixit vir ad collegam suum, Venite, & mittamus sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserũt
C sortes: & cecidit sors super Ionam. Et dixerunt ad eum, Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis? quod est opus tuum? & quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo populo es tu? Et dixit ad eos, Hebræus ego sum, & Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam. Et timuerũt viri timore magno, & dixerunt ad eum, Quid hoc fecisti? Cognouerũt enim viri quòd à facie Domini fugeret: quia indicauerat eis. Et dixerũt ad eum, Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescebat super eos. Et dixit ad
D eos, [c] Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego quòd propter me tempestas hæc grandis venit super vos. Et remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam, & non valebant: quia mare ibat, & intumescebat super eos. Et clamauerunt ad Dominum, & dixerunt, Quæsumus Domine, ne pereamus in anima viri istius, & ne des super nos sanguinem innocentem: quia tu Domine, sicut voluisti, fecisti. Et tulerunt Ionam & miserunt in mare: & stetit mare à feruore suo. Et timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hostias Domino, & vouerunt vota.

SCHOLIA.

Quis fuerit Ionas, & quibus ortus parentibus, et sub quo rege vaticinatus fuerit, prodit quartus liber Regum cap. 14. nempe quòd patre Amathi natus, & sub rege Ieroboam, coæuus fuerit Amos, & Oseæ. [a] Vade in Niniuen.] *Fuit hæc potentissima ciuitas & totius regni Assyriorũ metropolis, extructa, & denominata à Nino, sita iuxta fluuium Lycum, vt Strabo habet, in Assyriæ campis, cuius vbis area habuisse dicitur 400. stadia, complexaq;*

complexaq; est in orbem 1500. turres, & mœnia habuerunt in altitudine 100. pedes, in latitudine autem tanta erant, vt ternis plaustris essent peruia. Porrò Nini vxor nomine Semiramis, post mortem mariti condidisse fertur Babyloniam, quæ postea regni metropolis est effecta. Sed vt ad prophetam reuertamur, licet ex hoc loco aduertere, Deum non solum Israelitarum tunc habuisse curam, sed etiam reliquarum gentium, quo argumento Iudæorum peruicacitas redarguitur, quòd circuncisio & legis Mosaicæ obseruantia ad iustitiam consequendam non sint necessariæ, cum Niniuitæ absque lege & Iudaismo, sola fide, & pœnitentia anteactæ impiæ vitæ Deo placuerint. Data tamen est Iudæis lex ad tempus, vt humiliarentur, & coercerentur, non vt laudem iustitiæ hinc consequerentur sed vt Christum, & Dei gratiam auidius sitirent. [b] In Tharsis.] *Regio est, à Tharsis filio Iauan nomen habens, de quo Gen. x. scribitur. De hoc loco sit mentio Ieremiæ x. & Psal. lxxy. Reges Tharsis & Insularum munera offerent. Sed cur fugit? Credunt Hebræi illum propterea id egisse, quòd putaret se, cùm extra terram Israel fuisset, deserendum à spiritu prophetico, & sic liberandum ab hoc munere, nam graue illi erat, redarguere potentissimũ Assyriorum regem, atque illi ac tot principibus resistere. Vel certè, quòd verebatur, ne munus propheticum vilesceret, cum post intentatas minas, pœnitentiam agentibus Niniuitis, & miserente eorum Deo, videretur minus verax fuisse. Fusius hanc rationem, ac subtilius tractat Gregorius Nazianzenus in Apologetico, sed scholiorum ratio non admittit tantam orationis prolixitatem.* [c] Tollite me.] *Hic aduertere licet pœnitentiam voluntariam prophetæ, & constantem eius fidem, qui in tantis periculis liberè se morti exposuit. Sed magis obseruandum est ingens miraculum, quod maioris longè miraculi signum fuit, hoc est, resurrectionis Domini, quemadmodum ipsemet dixit, miraculum (inquam) vt homo in tam horribilem rictum exceptus, & in viscera vsque tractus, per triduum in profundo maris huc illucque vnus iactaretur, & in tanto illius ventris æstu viueret. Sed Deo iubente nihil est difficile. Sed obserua, cum efficere posset, vt breuissimo tempore piscis illum eiceret, voluit, vt triduò eum teneret ob mysterium Christi.*

CAPVT II.

Matt. 12.c 16.a Luc. 11.d 1.Cor.15.a Psal. 119. Psal. 68.

ET præparauit Dñs piscem grandem, vt deglutiret Ionam: & erat Ionas in ventre piscis tribus diebus & A
tribus noctibus. Et orauit Ionas ad Dñm Deum suum [a] de vtero piscis. Et dixit, Clamaui de tribulatione mea ad Dominum, & exaudiuit me: de ventre inferi clamaui, & exaudisti vocem meam. Et proiecisti me in profundum in cor maris, & [b] flumen circundedit me: omnes gurgites tui, & fluctus tui super me B
transierunt. Et ego dixi, [c] Abiectus sum à conspectu oculorum tuorum: verumtamen rursus videbo templum sanctum tuum. Circundederunt me aquæ vsq; ad animam, abyssus vallauit me, pelagus operuit caput meũ.
Ad extrema montium descendi, [d] terræ vectes concluserunt me in æternum: & subleuabis de corruptione vi- C
tam meam, Domine Deus meus. Cum angustiaretur in me anima mea, Domini recordatus sum: vt veniat ad
te oratio mea ad templum sanctum tuum. Qui custodiunt vanitates frustra: [e] misericordiam suam derelin-
quent. Ego autem in voce laudis immolabo tibi: quæcunque voui reddam: † salus vera à Domino. Et dixit D
Dominus pisci: & [f] euomuit Ionam in aridam.

SCHOLIA.

[a] De ventre piscis.] *Vbi vidit, se intra tam vastam belluam viuum seruari, agnouit gratiam et miraculum, sumptoq; animo in preces ac gratiarum actiones conuersus est.* [b] Flumen circundedit me.] *Hoc est, flumina mare intrantia inundauerunt me.* [c] Abiectus sum.] *Quia (inquit) volui fugere faciem tuam, tu in maximis periculis abscondisti faciem tuam à me, & aliquandiu inobedientem periclitari permisisti, immò in fauces ipsas mortis & inferni proiecisti, sed mei miseritus viuum in hoc vastissimæ belluæ stomacho conseruas, vnde certissimè scio, me iterum visurum templi sanctum tuũ.* [d] Terræ vectes.] *Putabam me à principio, cum à cœlo deglutirer, perpetuis repagulis clausum teneri in profundo maris à vectibus terræ, sed ciuis et viuus in ventre piscis Dei munere seruor, firmissimè credo, quòd Dominus educet de perditione vitã meã. Illud verò, in æternum, quidam sic aptat. Terræ vectes in æternũ duraturi, concluserũt me.* [e] Misericordiã suã.] *Hoc est, Deũ misericordem cũ illis. Per vanitates, intellige idola.* [f] Euomuit Ionã.] *Iosephus libro nono antiquitatũ asserit, Ionam ad littus maris Euxini eiectum, hinc enim non longum iter pedestre abijt in Assyriam, vt patet intuenti tabulas Ptolemæi.*

CAPVT III.

Matt. 12.d Luc. 11.e

ET factũ est verbũ Dñi ad Ionam secũdò, dicens, Surge, & vade in Niniuen ciuitatẽ magnam: & prædica A
in ea prædicationẽ quã ego loquor ad te. Et surrexit Ionas, & abijt in Niniuen iuxta verbũ Dñi: & Ni-
niue erat [a] ciuitas magna Deo, itinere triũ dierum. Et cœpit Ionas introire ciuitatẽ itinere diei vnius: &
clamauit, & dixit, Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur. [b] Et crediderũt viri Niniuitæ in Dñm: & B
prædicauerũt ieiuniũ, & vestiti sunt saccis à maiore vsq; ad minorẽ. Et peruenit verbũ ad regẽ Niniue: & sur-

Iere. 18.b Ioel. 2.c

rexit de solio suo, & abiecit vestimentũ suũ à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. [c] Et clamauit, & dixit in
Niniue ex ore regis & principũ eius, dicẽs, Homines, & iumẽta, & boues, & pecora nõ gustẽt quicquã: nec pa- C
scantur: & aquam nõ bibant. Et operiantur saccis homines & iumenta, & clamẽt ad Deum in fortitudine: &
conuertatur vir à via sua mala & ab iniquitate, quę est in manibus eorum. Quis scit, si cõuertatur, & ignoscat
Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non peribimus? Et vidit Deus opera eorum q; conuersi sunt de via sua D
mala: & misertus est Deus super malitia quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.

SCHOLIA.

[a] Ciuitas magna Deo.] *Hoc est, vehementer magna, Hebraismus est, sicut dicitur, mons Dei, cedrus Dei.* [b] Et crediderunt.] *Igitur longè hæc vrbs præferenda fuit Ierosolymæ, quam nec prophetæ, nec Christus, neque apostoli conuertere potuerunt. Niniue autem ad vnius prophetæ externi prædicationem credidit.* [c] Et clamauit & dixit.] *Hoc est, fecit prædicem clamare, & dicere.*

CAPVT IIII.

Pſal. 85.

ET [a] afflictus est Ionas afflictione magna, & iratus est: & orauit ad Dominum, & dixit, Obsecro Do- A
mine, nunquid non hoc est verbum meum, cum adhuc essem in terra mea? propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharsis: scio enim quòd tu Deus clemens & misericors es, patiens & multæ miseratio-
nis, & ignoscens super malitia. Et nunc Domine tolle quæso animam meam à me: quia melior est mihi
mors

B mors quàm vita, & dixit Dominus, Putásne bene irasceris tu? Et egressus est Ionas de ciuitate, & sedit contra Ioel. 2.c
orientem ciuitatis: & fecit sibimet vmbraculum ibi, & sedebat subter illud in vmbra, donec videret quid ac-
ideret ciuitati. Et præparauit Dominus Deus [b] hæderam, & ascendit super caput Ionæ, vt esset vmbra super
caput eius, & protegeret eum, laborauerat enim: & lætatus est Ionas super hædera, lætitia magna. Et parauit
C Deus vermem in ascensu diluculi in crastinum: & percussit hæderam, & exaruit. Et cum ortus fuisset sol, præ-
cepit Dominus vento calido & vrenti: & percussit sol super caput Ionæ, & æstuabat: & petiuit animæ suæ, vt
moreretur, & dixit, Melius est mihi mori, quàm viuere. Et dixit Deus ad Ionam. Putásne bene irasceris tu su-
per hæderam? Et dixit, Bene irascor ego vsque ad mortem. Et dixit Dominus, Tu doles super hæderam, in
D qua non laborasti, neque fecisti, vt cresceret, quæ sub vna nocte nata est, & sub vna nocte periit: & ego non
parcam Niniue ciuitati magnæ, in qua sunt plusquam [c] centum viginti milia hominum, qui nescIunt quid
sit inter dexteram & sinistram suam, & iumenta multa?

SCHOLIA.

[a] Et afflictus est Ionas.] *Putant displicuisse Ionæ, quòd Niniuitæ tam facilè pœnitentiam egissent in condemnationem populi Israelitici, in quo tot prophetæ frustra laborauerunt. Alij putant id momordisse animum prophetæ, quòd Deus etiam gentibus citra obseruantiam Iudaismi tam facilè veniam condonasset peccatorum. Nam erat firma & constans opinio apud Iudæos, solum Israelem esse populum Dei, & omnes gentes iræ diuinæ esse obnoxias, sed mihi videtur ex sequentibus verbis colligi, quod superius diximus, Ionam metuisse, ne ob remissam Niniuitis pœnam, quam fuerat interminatus, vilesceret prophetia, quod contra Dei honorem etiam redundasset.* [b] Hæderam.] *Alij cucurbitam. Significat autem dictio Hebræa speciem arbusculæ, ex semine illico crescentis.* [c] Centum viginti millia hominum.] *Hinc æstimari potest magnitudo vrbis, in qua fuerant hominum plusquam centum & viginti millia, qui innocentes fuerunt, & indigni qui punirentur, opinor tenera ætas, necdum vitijs assueta. Et quod addit, et iumenta multa, declarat ingentem Dei benignitatem, cui etiam iumenta sint curæ.*

MICHÆÆ PROPHETIA.

CAPVT I.

A

B VERBVM Domini quod factum est ad Michæam Morasthitem, in diebus Ioatham, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda: quod vidit Super Samariam & Ierusalem. Audite [a] populi omnes: & attendat terra & plenitudo eius: & sit Dñs Deus vobis in testem, Dominus, † inquam, de templo sancto suo. Quia ecce [b] Dominus egreditur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ. Et † [c] liquescent montes subtus eũ: & valles scindentur sicut cera à facie ignis, sicut aquę, quæ decurrũt in præceps. Ob scelus Iacob omne istud, & in peccatis domus Israel. [d] Quod scelus Iacob? nónne Samaria? Et, quę excelsa Iudæ? nónne Ierusalem? Et ponam Samariã, quasi acerum lapidum in agro cum plantatur vinea: & [e] detraham in vallem lapides eius, & fundamenta eius reuelabo. Et omnia sculptilia eius cõcidentur, & [f] omnes mercedes eius comburentur igne, & omnia idóla eius ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis cõ-
C gregata sunt, & vsq; ad mercedem meretricis reuertentur. Super hoc plangam, & vlulabo: vadam spoliatus & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionũ: quia desperata est plaga eius, quia [g] venit vsque ad Iudam, tetigit portam populi mei vsque ad Ierusalem. [h] In Geth nolite annuntiare, † plorando ne ploretis: [i] in domibus Aphra puluere vos cõspergite. † Transite pariter habitatio saphir denudata vsq; ad ignominiam: non est egressa, quæ habitat † Sennan ad planctum, [k] domus vicina accipiet ex vobis, quę ste-
D tit sibimet. Quia infirmata est ob bonum, quæ habitat in amaritudinibus: quia descendit malum à Domino in portam Ierusalem. † [l] Iunge quadrigæ veredarios habitatrix Lachis: principium peccati fuit filiæ Sion, quia in te inuẽta sunt scelera Israel. Propterea [m] dabis † munera ipsi Mosereth, quę est in Geth, & domus Achzib in deceptionem regibus Israel. Adhuc † depopulatorem adducam tibi, quæ habitas in Maresa: vsque ad Odollam veniet † possessor gloriæ Israel. Decaluare, & tondere super filios deliciarum tuarum: dilata caluitium tuum [n] sicut aquila: quoniam captiui ducti sunt ex te.

SCHOLIA.

VIxit Micheas propheta eodem tempore, & sub eisdem regibus, quibus Esaias, Oseas, & Amos, id quod indicat titulus suæ prophetiæ. Vaticinatur contra reges, iudices, sacerdotes, & prophetas falsos, tum in Iuda, tum in Israel, prædicitque perditionem eorum, quòd verbum Domini abiecerint, & sine timore Dei vana secuti sint. [a] Populi omnes.] *Vtuntur prophetæ mirus principijs, vt etiam eos, qui ad audiendum tardi sunt, prouocent. Nec tantum vni genti sed toti orbi loquitur hic propheta. Per plenitudinem terræ, intellige homines, qui habitant terram. Deum autem vocat in testem omnium eorum, quæ dicturus erat, ostendens se non loqui ex spiritu proprio, aut maligno, vel, quòd nihil eos cælauerit eorum, quæ dicere sit iussus.* [b] Dominus egredietur de loco suo.] *Hoc est (inquit) iudicium Dei, quod vobis aperio, quòd breui recessurus est Deus de loco suo, & vos relicturus in manu hostium, qui conculcabunt vos, & humiliabunt superbiam vestram.* [c] Liquescent montes.] *Ea (inquit) quæ firmissima esse videntur, non possunt ferre iram Dei, sed terra contremiscit à conspectu eius, montes dissoluuntur, & valles in hiatus rumpuntur sub vestigijs iudicij Dei. Vbi igitur manebunt superbi homines, qui hic per montes significantur, qui viribus suis fidunt? Defluent à facie iudicis, sicut cera à facie ignis, & sicut aqua in decliui loco subsistere nequit, sic nec illi. Illud tamen, sicut aquæ, quæ decurrũt in præceps, sic aptari potest. Sic findentur*

dentur valles, Vt eum aquæ sibi viam faciunt, & findunt terram obstantem. [d] Quod scelus Iacob? *Hoc est, quæ causa sceleris? nónne Samaria? hoc est, idola Samariæ. Sic Ierosolymitani extruxerunt excelsa, hoc est, aras in omni colle, & subter omnem arborem frondosam.* [e] Detraham in vallem.] *Erat quippe sita in montibus.* [f] Omnes mercedes.] *Qualia sunt, Vestimenta, aurum, argentum, quæ idolis offerebantur, & veluti pro mercede scortationis, hoc est, idololatriæ contribuebantur, est enim idololatria spiritualis fornicatio: sunt etiam qui dicant, mercedes meretricum oblatas idolis, & inde facta ornamenta eorum, vsque ad mercedem ergo meretricis reuertentur, hoc est, in nihilum, siue abominationem omnium.* [g] Venit vsque ad Iudam.] *Cœpit (inquit) malum populi mei in Samaria, & venit serpendo per totum regnum vsque in Iudam.*
[h] In Geth nolite annuntiare.] *Ne scilicet rideant vos.* [i] In domibus Aphra.] *Nomen est ciuitatis in tribu Beniamin. Vtitur hic propheta pulchris allusionibus, quæ in Latino seruari non possunt. Habitatores (inquit) Aphra, quod puluerem sonat, præ dolore in puluere se volutabunt, & habitatores Saphir, quod pulchritudinem sonat, in summo erunt dedecore. Sic habitatores Sennan, quod egressionem significat, præ anxietate nõ ausi sunt egredi, quia ipsi ex se aliud habuerunt non minus graue malum.* [k] Domus vicina accipiet ex vobis.] *Hûc locum alius coniungit cum superioribus, sic, Non est egressa habitatrix Sennam propter luctum Beth Ezel: accipiet hostis vestra propter stationem, hoc est, propter magnam moram, quam hostis facturus est in terra vestra, diripiet omnia bona. Domum vicinam intelligunt Ierusalem, & illud sibi ita accipiunt, Vt videatur esse sensus. Etiam vicina domus, & soror Ierusalem particeps erit vestri luctus, Porrò sibimet, quidam exponunt pro, contra se. Et illud, Infirmata est propter bonum, supple amissum, Et quod sequitur. Quæ habitat in amaritudinibus, alius vertit, habitatrix Maroth.* [l] Iunge quadrigę veredarios.] *Sensus est, appara te ad celerem transmigrationem, porrò Lachis, nomen ciuitatis est in tribu Iuda.* [m] Dabis munera.] *Hoc est, muneribus conaberis Philistæorum implorare auxilia, qui semper tibi ex animo voluerunt malè.* [n] Sicut aquila.] *Alius legendum putat. Proyce in altum abrasos capillos tuos, quantum subuolare solet aquila, id est, vehementissimè luge. Ferunt tamen aquilam in senectute totam decaluari, Vt iterum plumæ eius renouentur, secundum illud. Psal. Renouabitur, vt aquilæ iuuentus tua.*

CAPVT II.

VÆ, qui † cogitant iniquitatem, & operantur malũ in cubilibus suis: [a] in luce matutina faciunt illud, † quantum possunt manibus suis. Et concupierunt agros & violenter tulerunt, & rapuerunt domos: & calumniabãtur virum & domum eius, virum & hæreditatem eius. Iccirco hæc dicit Dñs, Ecce ego cogito super familiam istam malum: vnde non auferetis colla vestra, & non ambulabitis † recti, quoniã tempus † pessimum erit illud. In die illa sumetur super vos parabola, & cantabitur canticũ † modis omnibus flebilissimũ. Depopulatione vastati sumus: [b] pars populi mei cõmutata est: † quomodo aufert quod meũ est, & agros nobis restituendos diuidunt hostes? Propter hoc, nõ erit tibi mittens funiculũ sortis in cœtu Dñi. [c] Ne loquamini † dicent, Nõ stillabit super istos, nõ cõprehendet cõfusio. † Tu, quæ diceris domus Iacob, nũquid [d] abbreuiatus est spiritus Domini, an non eæ sunt cogitationes eius? Nonne verba mea bona sunt cũ eo, qui rectè graditur? [e] Et † quidem heri populus meus in aduersarium consurrexit. † Ex † aduersõ [f] tunicam & pallium extrahebant à transeuntibus cõfidenter, quasi qui reuersi essent à prælio. [g] Mulieres populi mei eiecistis de domo delitiarum suarum: à paruulis earum [h] tulistis laudem meam in perpetuum. Surgite, & ite, quia nõ habetis hic requiem: † eò q; inquinata est, ideo perdet vos perditione execranda. Si sit vir ambulans spiritu vanitatis, & mendacia cõminiscens, dicatq; prophetabo tibi [i] de vino & sicera, hic erit vates populi huius. Congregatione [k] congregabo Iacob totum te: in vnum conducam reliquias Israel, pariter ponam illũ quasi gregem in ouili, quasi pecus † Bosra in medio caularum [l] tumultuabuntur à multitudine hominum. [m] Ascendet † tandem pandens iter ante eos. Diuidet, & transibunt portam, & egredientur per eam: & transibit rex eorum coràm eis, & Dominus in capite eorum.

SCHOLIA.

[a] In luce matutina.] *Sensus est, Noctes insomnes ducunt, & cogitant, quo pacto proximo noceant, & mox, Vt aurora illuxerit, surgunt, Vt exequantur, quod pessimè excogitarunt.* [b] Pars populi mei cõmutata est.] *Portio tota populi, hoc est, terra ipsa ad hostes translata est.* [c] Ne loquamini dicent.] *Hoc est, & etiam dicent, ne prophetetis. Et quod sequitur, Non stillabit, &c. Sensus est, Non prophetabunt contra istos, nisi male mulctari velint. Hebr. enim dicunt stillare pro prophetare.* [d] Abbreuiatus est.] *Vt, scilicet non possit futura, sicut solet, prædicere. An non eæ sunt cogitationes eius, id est, nonne sic decreuit Dominus nos perdere?* [e] Et quidem heri.] *Hoc est, non nunc primum incipit populus opprimere pauperes, sed ab heri & nudius tertius, porrò per aduersarium, intellige pauperem & viribus imparem.* [f] Tunicam & pallium.] *Pallio, & (si quam habet) bona tunica, illum nihil tale cogitantem spoliatis, & ablatis ab illo omnibus, tam cogitis nudum abire, quàm solent è periculis prælij vix fuga elapsi domum redire.* [g] Mulieres populi.] *Mulieres pauperum. Vi eripuistis de domo delitiarum suarum: hoc est, mariti & filiorum: & illud, à paruulis earum, subaudi, eripuistis.* [h] Tulistis laudem meam.] *Dehonestatus matrimonium, quod ego maxime honorabile esse volui semper.* [i] De vino & sicera.] *Hoc est, læta vobis prophetabo, Vt bibatis vinum, & læti sitis.* [k] Congregabo Iacob.] *Respicit hic propheta ad regnum Christi, dicitq; totum Iacob non illum secundum carnem, sed qui fide filius est, congregandum: vnde subditur, reliquias Israel, quæ vbiq; promittuntur seruandæ, quæ vt oues Bosræa sub Christo pastore in maximum crescent numerum.* [l] Tumultuabuntur.] *Hoc est, tanta erit multitudo illorum, Vt ciuitas eos capere non possit, sed muros frangi oporteat ipsius Ierusalem nouæ, & habitare absq; muro illam. Zach. 2.* [m] Ascendet tandem.] *Videlicet rex ipse, qui inducit, & educit oues suas, Vt pascua inueniant, rumpens obstacula omnia, quæ ante aduentum suum ab ingressu hominem prohibuerunt.*

CAPVT III.

ET dixi, Audite principes Iacob, & duces domus Israel, [a] Nunquid non vestrum est scire iudicium, qui odio habetis bonum, & diligitis malum: qui violenter rollitis pelles eorum desuper eis, & carnem eorũ desuper ossibus eorum? Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriauerunt: & ossa eorum confregerunt, & conciderunt sicut in lebete, & quasi carnem in medio ollæ. [b] Tunc clamabũt ad Dominum,

ad Dominum, & non exaudiet eos: & abscondet faciem suam ab eis in tempore illo, sicut nequiter egerunt in adinuentionibus suis. Hæc dicit Dñs super prophetas qui seducunt populũ meũ: [c] qui mordent dẽtibus suis, & prædicant pacem: & si quis nõ dederit in ore eorũ quippiam [d] sanctificant super eũ prælium. Propterea nox vobis pro visione erit, & tenebræ vobis pro diuinatione: & occumbet sol super prophetas, & obtenebrabitur super eos dies. Et confundentur qui vident visiones, & confundentur diuini: [e] & operient omnes vultus suos, quia non est responsum Dei. [f] Veruntamen ego repletus sum fortitudine spiritus Domini, iudicio & virtute: vt annuntiem Iacob scelus suum, & Israel peccatum suum. Audite hæc principes domus Iacob, & iudices domus Israel: qui abominamini iudicium, & omnia recta peruertitis. [g] Qui ædificatis Sion in sanguinibus, & Ierusalem in iniquitate. Principes eius in muneribus iudicabant, & sacerdotes eius in mercede docebant, & prophetæ eius in pecunia diuinabant: & [h] super Dominum requiescebant, dicentes, Nunquid non Dominus in medio nostrum? non venient super nos mala. † Itaq; causa vestri, Sion quasi ager arabitur, & Ierusalẽ quasi acervus lapidum erit, & mons templi in excelsa syluarum.

Eze. 22.f
Soph. 3.a
Iere. 26.f

SCHOLIA.

[a] Nunquid non vestrum.] *Vos decebat (inquit) æquitatis esse amatores, sed contra, odio habetis bonum, &c.* [b] Tunc clamabunt.] *Nempe ij principes tempore calamitatis.* [c] Qui mordent.] *Dum blandiuntur, & prospera promittunt, acerrimè re ipsa mordent.* [d] Sanctificant super eum prælium.] *Hebraismus est, pro, minantur, & apparent bellum aduersus eos, qui nihil eis offerunt.* [e] Et operient omnes.] *In signum magni doloris, & mœroris inuoluent faciem suam, tanquam qui confusionem induerunt coràm populo, quòd iam dudum aduerterent, eos falsos fuisse prophetas, cum responsum Dei pro voto habere non possint.* [f] Veruntamen ego.] *Verba sunt Michææ prophetæ, de se loquentis, & contestantis, quòd ex spiritu Dei viui loquatur, & veritatem eis annuntiet, intrepidè eis iudicia diuina insinuans, nec formidans eorum tyrannidem, sicut falsi faciebant prophetæ, qui non loquebantur nisi ea, quæ sciebant populum libenter audire.* [g] Qui ædificaris.] *Ædificatis domos vestras in Sion rapinis, & oppressionibus pauperum.* [h] Super Dominum requiescebant.] *Cum impie agerent, hoc suis sceleribus prætexebant, quòd Dominus eos punire vel non posset, vel non auderet propter templum suum, quod collocarat in medio eorum, sicut & apud Ieremiam dicebant. Templum Domini, templum Domini, &c. Sed fefellit eos eorum opinio, cum mons Sion & locus templi in solitudine redacti sint.*

CAPVT IIII.

ET erit in nouissimo dierum [a] mons domus Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles: & fluent ad eum populi. Et properabunt gentes multæ, & dicent, Venite, ascendamus ad mõtem Domini & ad domum Dei Iacob: & [b] docebit nos de vijs suis, & ibimus in semitis eius: quia [c] de Sion egredietur lex & verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes fortes [d] vsq; in longinquum: & concident gladios suos in vomeres, & hastas suas in ligones: nõ sumet gens aduersus gentem gladium, & nõ discent vltrà belligerare. Et sedebit vir subtus vineam suam, & subtus ficum suam, & nõ erit qui deterreat: quia os Dñi exercituum locutum est. Quia [c] omnes populi ambulabunt vnusquisq; in nomine Dñi Dei sui: nos autem ambulabimus in nomine Dei nostri in æternum & vltrà. In die illa dicit Dominus, congregabo [f] claudicantem: & eam, quam eieceram, colligam, & quam afflixeram. Et ponã claudicãtem, in reliquias: & eam, quę laborauerat, in gentẽ robustam: & regnabit Dominus super eos in monte Sion, ex hoc nũc & vsq; in æternum. [g] Et tu turris gregis † alta turris filia Sion vsq; ad te veniet, & [h] veniet potestas prima regnum filiæ Ierusalẽ. Nũc [i] quare mœrore cõtraheris? Nunquid rex nõ est tibi, aut consiliarius tuus perijt, quia cõprehendit te dolor sicut parturiẽtem? Dole, & † ingemisce filia Sion quasi parturiens: quia nũc egredieris de ciuitate, & habitabis in agro, & venies vsq; ad Babylonẽ: [k] ibi liberaberis: ibi redimet te Dominus de manu inimicorũ tuorum. Et nunc congregatæ sunt super te gentes multæ: quæ dicunt, Lapidetur & [l] aspiciat in Sion oculus nostер. Ipsi autem [m] non cognouerunt cogitationes Domini, & nõ intellexerunt cõsilium eius: quia congregauit eos quasi fœnum areæ. [n] Surge, & tritura filia Sion: quia cornu tuũ ponam ferreum, & vngulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos, & † segregabis Domino rapinas eorum, & fortitudinem eorum Domino vniuersæ terræ.

Isa. 2.a
Soph. 3.d
Luc. 1.c
Dan. 7.

SCHOLIA.

[a] Mons domus Domini.] *Hæc omnia referuntur ad tempus & regnum Christi, scribunturq; hæc eadem Esaiæ. 2. Vnde videre licet, quàm consonus sibi sit spiritus Dei, per diuersa loquens organa.* [b] Docebit nos de vijs suis.] *Alijs videlicet, quàm docuerat olim Moses, non contrarijs, sed nobilioribus.* [c] De Sion egredietur.] *Hoc est, non concluderetur verbum Domini intra septa Sion, vel Ierusalem, sed longius progredietur.* [d] Vsq; in longinquum.] *Ionathas expressit mentem prophetæ, hoc modo. Ipse arguet reges fortes vsq; in sæculum, hoc est, præsidebit omnibus potentibus huius mundi vsq; ad finem mundi.* [e] Omnes populi ambulabunt.] *Intelligitur hoc de gentibus vsque ad tempus Christi in errore permanentibus, vel intelligitur de multis incredulis hominibus, qui verbum Euangelij accipere noluerunt. Non enim rarum est in scriptura, vt omnis per Synecdochen capiatur pro multis.* [f] Claudicantem.] *Alludit ad illud, Infirma mundi elegit Deus. Et nota quòd hic claudicantem & eiectam, scribuntur in fœmineo genere. Vsurpant autem Hebræi, fœmininum genus pro neutro, vt & illud, Vnam petij à Domino, hanc requiram. Erit ergo sensus. Quod est claudum, abiectum, & elongatum, hoc excitabo in regnum magnificum, cui præerit Dominus, qui & regnabit super suos vsque in sæculum. Obserua etiam hic reliquiarum fieri mentionem, quæ seruandæ sint.* [g] Et tu turris gregis.] *Per gregem accipe populum Christi, & per turrim atque propugnaculum Sion, ecclesiam Christi, in quam transiuit omnis authoritas & dignitas Synagogæ.* [h] Veniet potestas prima.] *Pristina: hoc est, redibit imperium verum Dauid veri.* [i] Quare mœrore contraheris.] *Est consolatio populi Dei, in tribulatione laborantis, & expectantis redemptionem.* [k] Ibi liberaberis.] *Tanquam dicat: hæc erit vera liberatio, quia liberaberis à captiuitate, & confusione diabolica, quam elegantissimè describit Abachuc. Nam manifestissimum est ex hoc loco, captiuitatem illam Babylonicam typum fuisse captiuitatis diabolicæ, et liberationem ab ea liberationis per Christũ*

Dominum

Dominum nobis præstitæ. [l] Aspiciat in Sion oculus noster.] *Quæ scilicet diu optauit. Et quod ait. Lapidetur, vel, deuastetur, alij interpretantur, peccauit, alij, condemnabitur.* [m] Non cognouerunt cogitationes Domini.] *Gentes (inquit) ascenderunt in Iudam, vt illam spoliarent, & deprædarentur, nescientes consilium Domini, quòd eas vocauerit ad castigandum populum suum. Et quod ait: congregauit eos, intellige aduersarios. Congregauit, inquam, quasi fœnum, vel quasi manipulos areæ, qui demum ipsi conterentur, cum impleuerit Dominus opus suum per eos: sicut dixit Dominus per Esaiam de Assyrijs. Cum compleuerit (inquit) Dominus cuncta opera sua in monte Sion, & in Ierusalem, visitabo super fructum magnifici cordis regis Assur, &c.* [n] Surge & tritura.] *Videtur propheta alludere ad illud, quod legitur Esa. 14. Erunt capientes eos, qui se ceperant, dominabunturque in exactores suos. Erit (inquit) aliquando, vt vos consolationem habeatis, aduersarij autem vestri trituris conculcentur, cuius exemplum patet in diuite & paupere Lazaro. Potest etiam intelligi de Apostolis, vt quos ipsi aduersarios senserunt, hos cum opulentia & scientia sua Domino lucrifecerint, quale exemplum habemus in beato Paulo.*

CAPVT V.

N[a]Vnc † oppugnaberis filia turmæ: obsidionem posuerunt super nos, in virga percutient maxillam iudicis Israel. Et tu Bethlehem Ephràta, paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel: [b] & egressus eius ab initio à diebus æternitatis. [c] Propter hoc dabit eos vsque ad tempus, in quo parturiens pariet: & [d] reliquiæ fratrum eius conuertentur ad filios Israel. Et stabit, & pascet in fortitudine Domini, in sublimitate nominis Domini Dei sui: [e] & conuertentur, quia nunc magnificabitur vsque ad terminos terræ. [f] Et erit ista pax: Assyrius quum venerit in terram nostram, & quando calcauerit in domibus nostris: & suscitabimus super eum [g] septem pastores, & octo primates homines. Et pascent terram Assur in gladio, & [h] terram Nemrod in lanceis eius: & liberabit ab Assur, quum venerit in terram nostram, & quum calcauerit in terminis nostris. Et erunt reliquiæ Iacob in medio populorum multorum [i] quasi ros à Domino, & quasi stillæ super hærbam: quæ non expectat virum & non prestolatur filios hominum. Et erunt reliquiæ Iacob in gentibus in medio populorum multorum, quasi leo in iumentis syluarum, & quasi catulus leonis in gregibus pecorum: qui quum transierit, & conculcauerit, & ceperit, non est qui eruat. Exaltabitur manus tua super hostes tuos, & omnes inimici tui interibunt. Et erit in die illa, dicit Dominus: [k] auferam equos tuos de medio tui, & disperdam quadrigas tuas. Et perdam ciuitates terræ tuæ, & destruam omnes munitiones tuas, & auferam maleficia de manu tua, & diuinationes non erunt in te. Et peruire faciam sculptilia tua, & statuas tuas de medio tui: & non adorabis vltrà opera manuum tuarum. Et euellam lucos tuos de medio tui: & conteram ciuitates tuas. [l] Et faciam in furore & in indignatione vltionem in omnibus gentibus, quæ non audierunt.

Matth. 2.a
Ioan. 7.f

A B C D

SCHOLIA.

[a] Nunc oppugnaberis.] *Hoc est, Sicut turmatim potentiores irruerunt in pauperes, ita quoque hostes turmatim obsidebunt te, & captum percutient virgis, non solum vulgares, verum & regem ipsum, nempe Sedechiam, vt hæc referantur ad præcedentia, quasi dicat. Hæc quidem felicia suo tempore accident, interim filia vastationis eris. Mox additur consolatio de regno iterum instaurando, cum promittitur dux & dominator, qui processurus prædicitur de Bethleem, vrbe quidem paruula, si mœnia spectes, maxima autem, si ducis nobilitatem attendas, sicut & diuus Matthæus hoc sensu hunc citauit locum, alio qui videretur contrarius cum hic dicatur paruula es, illic verò non parua. Sunt qui alio modo soluunt, vt hic per interrogationem dicatur, qua negatio includitur. Sunt tamen qui illud, percutient maxillam iudicis Israel, intelligant de Christo, quod pulchrè quadrat, vt accipiatur illa oppugnatio dicta de persecutione facta contra ecclesiam, cuius caput est Christus, & ita coniungas superioribus. Comminues quidem populos, & demum subiges, verum prius oppugnaberis, &c. quod, vt apertius propheta faceret, ac significaret de hoc se loqui, etiam seipsum interserit oppugnatis, dicens obsidionem posuerunt super nos. Illud autem in millibus, quidam vertit, inter ciuitates principum Iuda.* [b] Et egressus eius ab initio.] *Ante conditum mundũ decretum fuit, (sic enim quidam interpretantur) vt hisce diebus in mundum prodiret, qui semper fuit, & qui olim patribus fuit promissus. Siquidem Abraham exultauit, vt videret diem Christi, & vidit & gauisus est. Verum illud, egreßiones eius, melius est, vt referatur ad natiuitatem diuinam. Nam quòd ab æterno id ordinatum sit, nihil mirum, cũ non hoc solum, verum & omnia longè ante à Deo præuisa fuerint, neque opus erat, vt hoc loco id propheta admoneret.* [c] Propter hoc dabit eos.] *Oppugnari permittet apostolos: et ecclesiam suam, propterea enim & ipse nostri similis factus est, vt nobis exemplum præberet. Quousque verò? vsque ad tempus in quo parturiens pariet. Hic est ille apostolorum partus, quemadmodum Paulus de se ait, Filioli mei, quos iterum parturio, &c. Alius verò sic interpretatur, Antequam Meßias nascatur in mundum, tradet Deus Iudæos in magnas afflictiones, idque vsque ad tempus certum, vt iterum propter peccata sua castigentur, et in modum parturientis doleant, & postea stabit Meßias & pascet, &c.* [d] Reliquiæ fratrum.] *Sunt qui intelligant gentes, de quibus Ioannes ait. Vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum. Quod si filij Dei erant, etiam fratres erant Israelis spiritualis,* [e] Et conuertentur.] *Alius vertit, sedebunt, id est securi erunt, omnis mali expertes, tanquam sedeant sub ficu, & sub vinea, nemine eos exterrente.* [f] Et erit ista pax.] *Hoc est, huiusmodi, atque huius generis.* [g] Septem pastores.] *Promißio est Dei, qui suos non deserit, sed cum videntur esse in maximo discrimine, subitò suscitat liberatores multos, id enim significat septenarius in scriptura, et octonarius. Et ait, suscitabimus contra eum, se etiam interserens, vt dictum de fidelibus intelligatur.* [h] Terram Nembrod.] *Hoc est, Babyloniam. Ensibus eius, suis ipsorum, vt quidam interpretantur, quemadmodum à Dauid Goliath suo ipsius gladio interfectus est.* [i] Quasi ros à Domino.] *Electi Dei vbicunque sunt in terra, nutriuntur certa spe à Domino, sicut hærba tempore siccitatis incrementum accipit à rore, & fiduciam nullam habet in homine, sed in creatore, qui omnibus prouidet: sic electi Dei pendent ab eo, & in medijs afflictionibus, atque in morte ipsa refrigerium habent ab eo.* [k] Auferam equos tuos.] *Docet hic à nulla re alia quærendam salutem, nisi à Domino, nec in aliquo alio præterquàm in Domino confidendum. Nam promittit Dominus se ablaturum equos & quadrigas, &c. eo tempore quo etiam prædicitur summa felicitas.* [l] Quę non audierint.] *Quæ non obedierint doctrinæ legis Dei.*

Caput

CAPVT VI.

A Vdite, quæ Dominus loquitur, [a] Surge, contende iudicio aduersum montes, & audiant colles vocem tuam. Audiant montes iudicium Domini, & fortia fundamenta terræ: quia iudicium Domini cum populo suo, & cum Israel dijudicabitur. Populo meus quid feci tibi, aut quid molestus fui tibi? respon de mihi. Quia eduxi te de terra Ægypti, & de domo seruientium liberaui te: & misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam: popule meus memento quæso quid cogitauerit contra te Balach rex Moab: & quid respõderit ei Balaam filius Beor, [b] de Setim vsque ad Galgalam, vt cognosceres iustitias Domini. [c] Quid dignũ offeram Domino? curuabo genu Deo excelso? Nunquid offeram ei holocaustomata, & vitulos anniculos? Nunquid placari potest Dominus in millibus arietum, aut in multis millibus hircorum pinguium? Nũquid dabo primogenitum meum pro scelere meo, fructum ventris mei pro peccato animæ meæ? Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te. Vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & [d] solicitum ambulare cum Deo tuo. [e] Vox Domini ad ciuitatem clamat, & † vir prudẽs videbit nomen eius. [f] Audite virgam, & quis erexerit eã, nónne adhuc in domo impij thesauri iniquitatis, & mensura minor [g] iræ plena. Nunquid iustificabo stateram impiam, & sacculi pondera dolosa? in quibus diuites eius repleti sunt iniquitate, & habitantes in ea loquebantur mendacium, & lingua eorum fraudulenta in ore eorum. Et ego ergo cœpi percutere te perditione super peccatis tuis. Tu comedes & non saturaberis, & humiliatio tua in medio tui. Et apprehendes † vxorem, & non pariet: & quos pepererit in gladium dabo. Tu seminabis, & non metes: tu calcabis oliuam, & non vngeris oleo: & mustum, & non bibes vinum: & custodisti [h] pręcepta Amri, & omne opus domus Achab: & ambulasti in voluntatibus eorum, vt darem te in perditionem & habitantes in ea in sibilum, & [i] opprobrium populi mei portabitis.

A B C D

Exo. 15.e
Num. 22.a 23.b
Deut. 28.d
Agg. 1.b

SCHOLIA.

[a] Surge contende.] *Aduoca (inquit) montes & colles, cœlum & terram in testes contra populum meum, cum quo ego ingrediar iudicium: nam pro multis bonis, quibus ego eos affeci, reddiderunt ipsi mihi malum.* [b] De Sethim vsque ad Galgalam.] *Recordare (inquit) qualia bona exhibuerim tibi, à Sethim vsque in Galgal, vbi scilicet te traduxi sicco pede vltra Iordanem, ob hanc nimirum causam, vt cognosceres iustitias meas, & bonas faceres vias tuas.* [c] Quid dignum offeram.] *Quo genere sacrificij placabo Deum, & quomodo humiliabo me coràm illo excelso Domino, vt veniam peccatorum obtineam? Interroganti sic, respondet propheta, hoc Deus quærit, vt facias iudicium, &c. Hoc autem propriè pertinet ad regnum Christi, iccircò Paulus, volebat vt exhiberent ij, qui crediderant, non victimas ratione carentium animantium, sed corpora sua, hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, quod idem est cum hac prophetæ admonitione. Et quod ait, hircorum pinguium. Pro, hircorum, in Heb. est, vallium, vel torrentium. Intellexit ergo interpres valles pingues, pascuosas, & gregibus educandis aptas. Iccircò pro vallibus vertit, hircos & dixit in millibus hircorum potius, quàm in millibus vallium. Et quia altera dictio, Semen, significat pinguedinem, & oleum, iccirco alius vertit, vallium pinguium, alius, torrentium olei.* [d] Solicitum ambulare.] *Humilem scilicet, modestum, nihil suis viribus fidentem.* [e] Vox Domini ad ciuitatem clamat.] *Clamat Deus per prophetas ad habitatores ciuitatis, et vir quisque electus ad salutem, videt & agnoscit in corde suo nomen Domini.* [f] Audite virgam.] *Hoc est, vltionem diuinam, & consyderate, quis erexerit eam. Quod alius vertit, & qui testificatur eam, alius, quis constituit.* [g] Iræ plena.] *Cui irascitur, et quam execratur Dominus.* [h] Pręcepta Amri.] *De hoc habes 3. Reg. 16.* [i] Opprobrium populi mei.] *Hoc est, pauperum, quos oppreßistis.*

CAPVT VII.

V[a]Æ mihi, quia factus sum sicut † rarißimi fructus post æstatem, sicut racemi post vindemiam: non est botrus ad comedendum, [b] pręcoquas ficus desyderauit anima mea. Perijt sanctus de terra, & rectus in hominibus non est: omnes in sanguine insidiantur, vir fratrem suum ad mortem venatur. † Ad mala manibus valent maximè: princeps postulat, & iudex † respicit præmium: & magnus locutus est [c] perditionem animæ suæ, & [d] præualent in ea re. Qui optimus in eis est, [e] quasi paliurus: & qui rectus, quasi spina de sepe. [f] Dies speculatorum tuorum, visitatio tua venit: nunc erit vastitas eorum. [g] Nolite credere amico: & nolite confidere in duce: ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi claustra oris tui. Quia filius contumeliã facit patri, & filia consurget aduersus matrem suam, nurus aduersus socrum suam: & inimici hominis domestici eius. Ego autem ad Dominum aspiciam, expectabo Deum saluatorem meum: audiet me Deus meus. Ne læteris [h] inimica mea super me, quòd cecidi, consurgam quum sedero in tenebris: Dominus lex mea est. Irã Domini portabo, quoniam peccaui ei: donec causam meam iudicet, & faciat iudicium meum: [i] educet me in lucem, videbo iustitiam eius. Et aspiciet inimica mea, & operietur confusione, quæ dicit ad me, Vbi est Dominus Deus tuus? Oculi mei [k] videbunt † in ea: nunc erit in conculcatione, vt lutum platearum. [l] Dies, vt ędificentur maceriæ tuæ: in die illa longè fiet lex. In die illa & vsque ad te veniet Assur, & ciuitates munitionis: & à ciuitatibus munitis vsque ad flumen, & ad mare de mari, & ad montem de monte. [m] Et terra erit in desolationem propter habitatores suos, & propter fructum cogitationũ eorum. Pasce populũ tuũ in virga tua, gregem hæreditatis tuæ, [n] habitantes solos in saltu, in medio Carmeli: pascentur Basan & Galaad iuxta dies antiquos. Secundum diem egreßionis tuę de terra Ægypti ostendam ei mirabilia. [o] Videbunt gentes, & cõfundentur super omni fortitudine sua: ponent manum super os, [p] aures eorum surdæ erunt. Lingent puluerem sicut serpentes, velut reptilia terræ turbabuntur de ædibus suis: Dominum Deum nostrum † pauebunt, & timebunt te. Quis Deus similis tui, qui aufers iniquitatem, & transfers peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? Non immittet vltrà furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Reuertetur, & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras: & proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. [q] Dabis veritatem Iacob, misericordiam Abraham: quæ iurasti patribus nostris à diebus antiquis.

A B C D

Matt. 10.c
Act. 10.g

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Væ mihi.] *Accidit (inquit) populo meo, quod accidit fructibus æstiuis et vuis, qui paucissimi relinquuntur post collectionem, & vindemiationem: sic ego in vniuerso populo meo non inuenio vel vnum pium, & rectum hominem, qui non insidietur sanguini, et inhiet auaritiæ.* [b] Præcoquas ficus desyderauit anima mea.] *Hoc est, fructus primos anni venturi, quia huius anni nihil est reliquum boni, metaphoricos hoc dicit, se optare alios mores, quam videbat in suo populo tempore illo.* [c] Perditionem animæ suæ.] *Locutus est contra insontes, quòd illi cedet in perniciẽ.* [d] Prævalent in ea re.] *Alius sic legendum arebat, Ad hunc modum stabiliuerunt nequitias.* [e] Quasi paliurus.] *Molesti enim sunt viri boni scelerati hominibus. Quidam intelligunt de hypocritis, & sit sensus. Si vi, qui inter eos videntur esse boni, sunt spinæ, et quid putas esse illos, qui aperte sunt mali?* [f] Dies speculatorum tuorum.] *Hoc est, falsorum prophetarum & episcoporum. Venit (inquit) tempus, vt vltio sumatur de prophetis tuis falsis.* [g] Nolite credere amico.] *Monet propheta ab omnibus cauẽdum, quòd eo tempore omnes essent impij in Deum & proximum.* [h] Inimica mea.] *Babylonia.* [i] Educet.] *Sicut per tenebras intelliguntur afflictiones, sic per lucem accipimus consolationem, redemptionem, & liberationem a peccatis, id quod per solum Christum tunc futurum sperabatur, qui vt lux in tenebris emicuit, cum venisset facere purgationem peccatorum.* [k] Videbunt in ea.] *Hoc est, vltionem iniuriæ meæ, et hic Hebraismus aliquot etiam scripturæ locis inuenitur, vt supra cap. quarto. Aspiciat in Sion oculus noster.* [l] Dies, vt ædificentur maceriæ tuæ.] *Cõsolatio est, qua lenitur præsens afflictus spe futuræ felicitatis. Contra leges (inquit) & decreta gentium reædificabuntur ruinæ terræ, & vndique ex regionibus, & ciuitatibus munitis veniet populus tuus Domine.* [m] Et terra erit in desolationem.] *Terreni scilicet homines tempore Christi Domini. Alius sic exponit, Licet terra eorum sit desolata, tamen tu reduces & pasces eos, &c.* [n] Habitantes solos.] *Hoc est, securos, & illud. In medio Carmeli, hoc est, tanquam in medio Carmeli, etc.* [o] Videbunt gentes & confundentur.] *Hic est interitus gentilitatis, & sicut paulò ante dixit, desolatio terræ vnà cũ habitatoribus in ea.* [p] Aures eorum surdæ erunt.] *Vel, obsurdescent increduli, quamuis non habeant, quid contra obyciant, hoc enim est ponere manum super os, vel, si intelligas de ys, qui conuertentur, accipe eos tandem intellecturos, se hactenus surdos fuisse, &c.* [q] Dabit veritatem.] *Id quod pollicitus est, præstabit, & est promissio Euangely, sicut & omnia quæ in fine huius capitis scribuntur.*

PROPHETIA NAVM.

CAPVT I.

[a] Nvs Niniue liber visionis Naum Elcesæi. Deus æmulator, & vlciscens Dominus, & habens furorem: vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. [b] Dominus patiens, & magnus fortitudine, & † nocentem non faciet innocẽtem: Dominus A
[c] in tempestate & turbine viæ eius, [d] & nebulæ puluis pedum eius. Increpans mare & exiccans illud: & omnia flumina ad desertum deducẽs. Infirmatus est Basan, & Carmelus: & flos Libani elanguit. Montes commoti sunt ab eo, & colles desolati sunt: & con- B
tremuit terra à facie eius, & orbis, & omnes habitãtes in eo. Ante faciem indignationis eius quis stabit? & quis resistet in ira furoris eius? indignatio eius effusa est vt ignis: & petræ dissolutæ sunt ab eo. [e] Bonus Dominus, & confortans in die tribulationis: & sciens sperãtes in se. [f] † Inundatio trãsiliens con- C
summationẽ faciet loci eius: & inimicos eius persequentur tenebræ. Quid cogitatis contra Dominum? consummationẽ faciet: non consurget duplex tribulatio. Quia [h] sicut spinę seinuicem complectũtur: sic conuiuium eorum pariter potantium, consumetur quasi stipula aridítate plena. Ex te exibit [i] cogitans contra Dominum malitiam: mente pertractans preuaricationem. Hęc dicit Dñs. [k] Si perfecti fuerint & ita plures: sic quoq; attondentur, [l] & pertransibit: [m] afflixi te, & non affligam te vltrà. Et nunc cõteram virgam eius D
de dorso tuo, & vincula tua disrumpam. Et [n] præcipiet super te Dominus, non seminabitur ex nomine tuo amplius: de domo Dei tui interficiam sculptile, & [o] conflatile ponam sepulchrũ tuum, quia inhonoratus es. Isa. 51.b
[p] Ecce super montes pedes euangelizantis & annuntiantis pacem: celebra Iuda festiuitates tuas, & redde vota tua: quia non adijciet vltrà vt pertranseat in te Belial, vniuersus interijt. Rom. 10.c

SCHOLIA.

EX scriptura haberi non potest, quo tempore, & sub quo rege Naum prophetauerit: sunt tamen qui dicant, Ioelem, Naum, & Abachuc prophetasse in diebus Manasse impijssimi regis, atque ob id quòd rex totus impius fuit, prophetam obtriuisse nomen eius: & aiunt Naum fuisse post Ionã. Denuntiatur igitur per hunc prophetam subuersio vrbis Niniuiticæ, atque totius regni Assyriorum quæ facta putatur à Nabuchodonosor rege Chaldæorum, anno primo imperij sui.
[a] Onus Niniue.] *Per onus intelligitur apud prophetas prophetia dura, & quæ Dei grauem vltionem habet annexam.*
[b] Dominus patiens.] *Hoc est, lentus ad vindictam, & magnus fortitudine, in compescendæ iræ sua. Et nocentem non faciet innocentem, hoc est, sic tamen compescit iram, vt nihil relinquat impunitum.* [c] In tempestate.] *Tanquam dicat, quis illi resistere poterit, cum in tempestate & turbine, &c.* [d] Et nebulæ puluis pedum eius.] *Hoc est, dum ambulat per locum aliquem, tanto incedit impetu, vt puluis pedibus eius excitatus, densissimam æquare possit nubem.* [e] Bonus Dominus.] *Sicut impius est seuerus, ita pius est clemẽs, protegitq; eos in die afflictionis, ne absorbeatur.* [f] Inundatio transiens.] *Scilicet per locum hostium suorum, consummationem faciet loci eius, nempe Niniue.* [g] Non consurget duplex tribulatio.] *Hoc est, sic semel vos perdet, vt secundo non sit opus.* [h] Sicut spinæ.] *Veniet (inquit) ad vos, tanquam ad spinas se complectentes, quæ melius tolli non possent, quàm si immittatur ignis in eas.* [i] Cogitans contra Dominum.] *Hoc est, qui sibi persuadebit, Dominum non posse tueri suos. Hic fuit Sennacherib, vel alius ei similis in impietate.* [k] Si perfecti fuerint.] *Optimè scilicet instructi, id est, etiam si omnia illis prospera videantur, vt de multitudine militum confidant, quanto tamen plures erunt, tanto peribunt plures.* [l] Et pertransibit.] *Potentia peribit.* [m] Afflixi te.] *Loquitur ad populum suum. Etiam si vos (inquit) Iudæos affligere voluissem, iam nollem vos affligere per hunc exercitum, quem angelus meus quasi acuta falce vna nocte demetet.* [n] Præcipiet super te Dominus.] *Referuntur hæc verba ad regem Assyriorum, cuius filij cum essent parricidæ, non reliquerunt nomen in regnò Assur & licet vnus è filijs patri successerit, cum tamen paulo post regnum illud interierit, prosapia quoque illa Sennecheribica deleta est.* [o] Conflatile ponam sepulchrum tuum.] *Nam occisus fuit in templo dei sui. Et quod sequitur, quia inhonoratus es, hoc est, quod accidit maximè in gloria & inhonore.* [p] Ecce super montes.] *Interfecto tyranno, & summo Iudæorum hoste, gaudium magnum nuntiatum est per orbem omnibus illis, quibus rex Assyriorum infestus fuerat. Interim tamen signatur liberatio futura per Christum.*

CAPVT II.

A [a] Ascendit qui dispergat coràm te qui custodit † munitionem: contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valde. Quia reddidit Dominus superbiam Iacob, sicut superbiam Israel: quia vastatores dissipauerunt eos, & propagines eorum corruperunt. Clypeus fortium eius rubefactus, viri
B exercitus in coccineis: igneæ faces currus in die præparationis eius, & † hastę abiegnæ tremuerunt. In vicis insaniunt quadrigæ & horrendę stridentin plateis: aspectus eorum quasi lampades, quasi fulgura discurrentia. [b] Recordabitur fortium suorum, † impingent in itineribus suis: velociter ascendent muros eius, & præparabitur vmbraculum. [c] Portę fluuiorum apertæ sunt, & templum ad solum dirutum. Et † regina captiua abducta est: & ancillæ eius minabantur gementes, vt columbæ, murmurantes in cordibus suis. Et Niniue
C [d] quasi piscina aquarum aquæ eius: ipsi verò fugerunt. [e] State, state: & non est qui respiciat. Diripite argentum, diripite aurum: & non est finis diuitiarum ex omnibus vasis desyderabilibus. Dissipata est, & scissa, & dilacerata: & cor tabescens, & dissolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus: & facies omnium sicut
D ingredo ollæ. Vbi est [f] habitaculum leonum & pascua catulorum leonum: † ad quod ire solet leo, vt ingrede retur illuc: catulus leonis, & nõ † erat qui exterreret? Leo cepit sufficienter catulis suis, & necauit læenis suis: & impleuit præda speluncas suas, & cubile suum rapina. Ecce ego ad te dicit Dominus exercituum & succendam vsq; ad fumum quadrigas tuas, & leunculos tuos comedet gladius: & exterminabo de terra prædam tuã, & non audietur vltrà vox nuntiorum tuorum. Isa. 13.b

SCHOLIA.

[a] Ascendit qui dispergat.] *Vel, ascendit dissipator. Alius dicebat legendum: periit oppressor: & tunc quod sequitur, Reddidit Dominus, &c. interpretandum est hoc modo. Reddidit Dominus maiestatem pristinam Iacob, maiestatem, qualis decet ipsum Israelem, id est Iacob. Est enim sententia ista perquam obscura, & diuersis modis expónitur ab Hebræis, Aly sic interpretantur. Auertit Dominus superbiam Iacob, & castigauit Israelem per virgam Assyriorum, & non restat nũc, nisi vt & virga ipsa in ignem proyciatur. Oh id igitur clypeus fortissimorum hostium eius rubricatus est, et bellicosi quique purpura induti sunt, & currus eius tanta vehementia, & celeritate adducuntur, vt ferratæ rotæ ignem de lapidibus in morem facium excutiant. Et hæc omnia scripta sunt, vt ostendatur quanto terrore strepitu & impetu contra Niniuem venerit Nabuchodonosor, quem supra appellauit dissipatorem & iussit Niniuitas circunspicere, qua via veniat, & roborare lumbos ac vires.* [b] Recordabitur fortium suorum.] *Rex scilicet Niniue, vt hortetur eos ad resistendum, sed impingent, et eadem coràm hoste, qui velociter ascendet muros, & quod sequitur, Præparatur, vel, præparatum erat vmbraculum, hoc est, tam hostes munitionibus suis effecerant, ne ij possent ex muris sese defendere, aut lædere aduersarios.* [c] Portę fluuiorum.] *Quibus ad fluuios ibatur, & templum, hoc est, domus regis. Quod verò nos, virum quendam doctissimum secuti, diximus, regina captiua abducta est, alius vertit. Et quæ obfirmata fuit, est discooperta atque exciſa. Et putant quidam intelligi ipsam regiam domum, vel firmum aliquod præsidium, quod insuperabile videbatur. Et quod sequitur, Ancillæ eius minabantur, vel ducebantur: quidam Hebræorum, per ancillas, intelligunt principum, & nobiliorum virorum vxores, in seruitutis coactas conditionem, atque in exilium abductas, quæ prius mollissimè vixerunt.* [d] Quasi piscina.] *Hoc est, tam fuit opibus plena, quàm piscina piscibus.* [e] State, state.] *Subaudi, siquis clamet, ad vocem eius nullus respicit.* [f] Habitaculum leonum.] *Comparat propheta Niniuen habitaculo leonum, quòd illic sedem posuisset sæuus tyrannus, vnde in omnes regiones excursiones faciebat: per catulos leonis verò intelliguntur Soboles regia, & principes Assyriorum, per latibula & speluncas, arces & oppida, ad quæ spolia portata sint à deuictis gentibus.*

CAPVT III.

A [a] Væ ciuitas sanguinum, vniuersa mendax dilaceratione plena: non recedet à te rapina. Vox flagelli, et vox impetus rotæ, & equi frementis, & quadrigæ feruentis, & equitis ascendẽtis: & micantis gladij, & fulgurantis hastæ, & multitudinis interfectæ, & grauis ruinæ: nec est finis cadauerum, [b] & corruent in corporibus eorum. [c] Propter multitudinem fornicationũ meretricis speciosæ, & gratæ, & habẽtis malefi-
B cia, quæ vendidit gentes in fornicationibus suis & familias in maleficijs suis. Ecce ego ad te dicit Dñs exercituum: & reuelabo pudenda tua in facie tua, & ostendã in gentibus nuditatem tuã, & regnis ignominiã tuã. Et proijciã super te abominationes, & cõtumelijs te afficiã, & ponã te in exẽplum. Et erit omnis qui viderit te, refugiet á te, & dicet, Vastata est Niniue: quis cõmouebit sup te caput? vnde quærã consolatorẽ tibi? [d] Nũquid melior es Alexãdria populoꝝ, quę habitat ĩ fluminibus: aquæ in circuitu eius: cuius diuitię, mare: aquę, muri eius. Æthiopia fortitudo eius, & Ægyptus, [e] & nõ est finis: Aphrica & Libyes fuerũt in auxilio tuo. Sed Eze. 24.b Abac. 2.c Isa. 47.e
C & ipsa in transmigrationẽ ducta est in captiuitatẽ: paruuli eius elisi sunt in capite omniũ viarũ, & super inclytos eius miserũt sortẽ, & oẽs optimates eius confixi sunt in cõpedibus. Et tu ergo [f] inebriaberis, & eris despecta: & tu queres auxiliũ ab inimico. Oẽs munitiones tuę sicut ficus cũ grossis suis: si cõcussę fuerint, cadẽt in os comedẽtis. Ecce populus tuus [g] mulieres in medio tui: inimicis tuis ad apertionẽ pandẽtur portæ terræ tuæ,

tuæ,deuorabit ignis vectes tuos. [f] Aquam propter obsidionem hauri tibi,extrue munitiones tuas: intra in lutum & calca,subigens tene laterem. Ibi comedet te ignis: peribis gladio,deuorabit te vt bruchus. Congregare ergo vt bruchus,multiplicare vt locusta. Plures fecisti negotiatores tuos,quàm stellę sint cœli: [i] bruchus D expansus est,& auolauit.† Principes tui quasi locustæ:& duces tui quasi locustæ locustarum quæ cõsident in sepibus in die frigoris:sol ortus est & auolauerunt,& non est cognitus locus earum vbi fuerint. Dormitauerũt pastores tui rex Assur, [k] sepelientur principes tui: dispersus est populus tuus in montibus, & non est qui congreget. Non est obscura contritio tua,pessima est plaga tua:omnes qui audierunt auditionem tuam, cõplauserunt manum super te:quia super quem non transijt malitia tua semper.

SCHOLIA.

[a] Non recedet à te rapina.] *Hoc est,non est spes, vt respiscas vnquam,iccircò ecce aduersum te vox flagelli, equos ad cursum incitantis,&c.* [b] Et corruet.] *Inimici impingent in corporibus eorum,tanta erit interfectorum strages.* [c] Propter multitudinem fornicationum.] *Reddit propheta causam,quare Niniue fuerit euertenda, nempe quod mores elegantis scorti imitata,abusa fuerit beneficijs Dei in perniciem aliarum gentium,quas primum allexit, quibus potuit insidijs, donec vires impery obtinuit,tunc pro libidine nationes quasque viciniores,sibi subegit vt bellica,& technis alijs.* [d] Nunquid melior es Alexandria.] *Tanquam dicat:non mireris si tu Vasteris,cum idem acciderit Alexandriæ, nõ minus florenti olim, quàm tu flores nunc.* [e] Et non est finis.] *Populi scilicet confluentis ad illam.* [f] Inebriaueris.] *Poculo calamitatis.* [g] Mulieres.] *Non plus habent animi & virium,quam mulieres.* [h] Aquam propter obsidionem.] *Ironia est, & significat omnes conatus & apparatus eius inanes fore,nam,& si paret lateres,& cementum,& lapides, & lutũ,quibus deiectas partes mox resarciant,omnia vorabit ignis.* [i] Bruchus expansus est.] *Vel,grassatus est,quasi dicat, tu populata omnia, tandem auolasti & ipsa.* [k] Sepelientur principes.] *Vel iacent principes tui. Dicit in principibus & consiliarijs non superasse aliquod consilium,robur,aut opem ad conseruandum populum, ideoque futurum, vt populus quasi oues errantes dispergantur.*

PROPHETA HABACHVC

CAPVT I.

Act.13.f

Nvs quod vidit Habachuc propheta. Vsquequo Domine clamabo, & non exaudies? A [a] vociferabor ad te vim patiens, & non saluabis? Quare ostendisti mihi [b] iniquitatem & laborem,videre prædam & iniustitiam contra me: [c] &† fuit qui litem & contentionem ferret? Propter hoc lacerata est lex, & [d] non peruenit vsque ad finem iudicium: [e] quia impius prævalet aduersus iustũ: [f] propterea egreditur iudiciũ peruersum. [g] Aspicite in gentibus,& videte,& admiramini,& obstupescite:quia opus† fiet in diebus ve- B stris,quod nemo credet cum narrabitur. Quia ecce ego [h] suscito Chaldæos, gentẽ amaram & velocem ambulantem super latitudinem terræ,vt possideat tabernacula non sua. Horribilis & terribilis est: [i] ex semetipsa iudicium † eius & exaltatio eius egredietur. Leuiores pardis equi eius,& velociores lupis vespertinis,& diffundentur equites eius:equites namque eius delonge venient, volabunt quasi aquila festinans ad comedendum. Omnes ad prædam venient, facies eorum ventus vrens:& congregabit quasi are- C nam,captiuitatem. Et ipse de regibus triumphabit, & tyranni ridiculi eius erunt,ipse super omnem munitionem ridebit,& comportabit aggerem,& capiet eam. [k] Tunc mutabitur spiritus, & pertransibit,& corruet:hæc est fortitudo eius dei sui. [l] Nunquid non tu à principio Domine Deus meus,sancte meus, & non moriemur? [m] Domine in iudicium posuisti eum:& fortis vt corriperes,fundasti eum. Mundi sunt oculi tui, ne videas malum,& respicere ad iniquitatem non poteris. Quare respicis super iniqua agentes, & taces,de- D uorante impio iustiorem se? †[n] Fecisti homines quasi pisces maris, & quasi reptile non habens principem: Totum in hamo subleuauit,traxit illud in sagena sua,& congregauit in rete suũ:super hoc lętabitur & exultabit. Propterea [o] immolabit sagenæ suæ,& sacrificabit reti suo:quia in ipsis incrassata est pars eius, & cibus eius† factus pinguis. Propter hoc ergo †[p] euacuabit sagenam suam,& semper interficere gentes† studebit absque misericordia.

SCHOLIA.

Vt quibus regibus vixerit,& prophetauerit Habachuc,& quo natus sit patre,aut ortus genere, ex scriptura habere nequit. Hebræi putant eum fuisse coetaneum Ioeli,& Naum,sub impio rege Manasse. Prophetat autem cõtra Nabuchodonosor regem Babyloniæ,qui tanta mala intulit superbo animo terræ Iuda, qualia à nullo tyranno vnquam perpessa fuerat:habet & consolationes atque promissiones de venturo Christo. Vocat prophetiam suam onus, quod infaustum Vaticinium,& infelix fatum fuerit regno Chaldæorum. [a] Vociferabor ad te vim patiens.] *Vel,ob violentiam,siue iniquitatem,& infelix fatum fuerit regno Chaldæorum.* [a] Vociferabor ad te vim patiens.] *Vel,ob violentiam,siue iniquitatem,qua premor. In persona humani generis loquitur, quamuis velint quidam eum expostulare cum Deo,quare,permittat tyrannos vsque adeo sæuire in populum suum. Sed aptius est,quod prius diximus, vt faciat,quod & Paulus, Rom.7. Infelix ego homo,&c.* [b] Iniquitatem & laborem.] *Vel,malitiam,& his duobus vocabulis iunctis significatur colluuies omnium peccatorum, vt quidam Hebræi volunt:& quod sequitur, Videre prædam,siue iniquitatem & iniustitiam contra me,hoc est,pernicioſam mihi, videlicet rixam,quæ est inter spiritum & carnem,et carnis rebellio superauit spiritum, & cemere,hoc est,pernicioſam mihi,videlicet rixam,quæ est inter spiritum & carnem,et carnis rebellio erexit se. Hoc est, quod dere coegit,quemadmodum paulo post dicturus est.* [c] Et fuit qui litem.] *Vel,& rixa & rebellio erexit se. Hoc est, quod Paulus ait:mente seruio legi Dei,carne autem legi peccati. Et,condelector enim legi Dei,secundum interiorem hominẽ, videautem*

autem aliam legem in membris meis,repugnantem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati,&c. [d] *, si autem, quod nolo,illud facio,iam non ego operor illud,sed quod habitat in me peccatum.* [d] Non peruenit vsque ad finem iudicium.] *Non peruenit ad perfectionem æquitas.* [e] Quia impius.] *Caro prævalet aduersus spiritum.* [f] Propterea egreditur.] *iustitiæ opus mancum prodit.* [g] Aspicite in gentibus.] *Hunc locum Act.13.sic citat Paulus. Videte contẽptores & admiramini,& disperdimini,quia opus operor ego in diebus vestris,opus quod nõ credetis,si quis enarrauerit vobis. Quale autem sit illud opus,paulo ante exposuerat. Notum, inquiens,sit vobis fratres, quòd per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur,ab omnibus,quibus non potuistis in lege Mosi iustificari:in hoc omnis,qui credit,iustificatur. Videte ergo, ne superueniat vobis quod dictum est in prophetis, Videte contemptores,&c. Qui ad exercitum Babyloniorum referũt,dicunt, Vos israelitæ aspicite gentes, & videte quale flagellum miserit Deus super eas, & quam atrociter punierit eas per Nabuchodonosor,& videte ne super vos quoque veniat.* [h] Suscito Chaldæos.] *Verè diabolos, vel vastatores.* [i] Ex semetipsa iudicium.] *Quidam sic exponebat. Suo arbitratu facit omnia, & potestate non eget humana:potentior enim est omnibus,quæ sub sole sunt:hæc enim est Behemoth ipsius Iob,belua multorum capitũ. Behemoth Hebraicè bestia numero plurali.* [k] Tunc mutabitur spiritus.] *Alius vertit. Tunc ex successu elatus mutabit spiritum, & præuaricabitur,delinquetq́, & hanc virtutem suam ascribet deo suo,& de rege Babylonis intelligunt,quod erigeret se tanquam sit Deus. Alij spiritum vel decretum mutandum dicunt,quod Deus decreuit, vt post certum tempus Chaldæorum regnum transferretur. Qui verò sensum magis spiritualem admittit,sic legit. Tunc cessit spiritus,& abyit,et corruit victus, è cœlo videlicet:similiter quod sequitur, Hæc est fortitudo gẽtis eius,dei sui,hoc est,luciferi,qui conabatur fieri similis altissimo.* [l] Nunquid non tu à principio.] *Aly (inquit) deos suos habeãt:nos te verum atque æternum Deum nouimus.* [m] Domine in iudicium.] *Tu punies per eum,gentes sceleratas,& ad hoc ordinasti eum, vt castiges peccata nationum. Et illud,fortis,intellige, Deus:quod alius Vertit,tu creator. Sed miratur propheta,cur id agat Deus, vt qui sceleratior est,affligat se iustiores,& ait, Mundi sunt oculi tui, hoc est,Cum tu Deus nihil cernere possis nisi iustum & rectum,mirum est cur hoc patiaris.* [n] Fecisti homines quasi pisces.] *Qui cum sine duce & protectore sint,facilè capiuntur, & extrahuntur per piscatores è mari.* [o] Immolabit sagenæ suæ.] *Concupiscentiæ, id est, magnificè illi gratias aget.* [p] Euacuabit sagenam suam.] *Hoc est,colliget captos, & iterum expandet.*

CAPVT II.

A Svper custodiam meam stabo,& [a] figam gradum super munitionem:& contemplabor, vt videam quid dicatur mihi,& quid respondeam † arguenti contra me. Et respondit mihi Dominus,& dixit,[b] Scribe Isa.21.c visum,& explana eum super tabulas:[c] vt percurrat qui legerit eum. Quia [d] adhuc visus procul, & apparebit in finem,& non mentietur:si moram fecerit,expecta illum: quia veniens veniet,& non tardabit. Ecce [e] qui incredulus est,non erit recta anima eius in † eo:iustus autem in fide sua viuet. [f] Et quomodo vinũ † po- Isa.21.a tans decipitur:sic erit vir superbus,& non decorabitur:qui dilatauit quasi infernus animam suã:& ipse quasi Ioan.3.d B mors,& non adimpletur:& congregabit ad se omnes gentes,& coaceruabit ad se omnes populos. Nunquid Rom.1.b non omnes isti super eum parabolam sument,& loquelam ænigmatum eius:[g] & dicetur, Væ ei qui multi- Heb.10.g plicat non sua vsquequo & aggrauat contra se [h] densum lutum? Nunquid non repente cõsurgent,qui mor- Gal.3.b deant te:& suscitabunt lacerantes te,& eris in rapinam eis? Quia tu spoliasti gentes multas, spoliabunt te omnes qui reliqui fuerint de populis:propter sanguinem hominis,& [i] iniquitatem terræ ciuitatis,& omniũ habitantium in ea. [k] Væ qui † sectantur auaritiam malam domui suæ,vt sit in excelso nidus eius, & liberari C se putant de manu mali. Cogitasti confusionẽ domui tuæ,† concidendo populos multos, & peccans in animam tuam. Quia [l] lapis de pariete clamabit:† cui & laquear ex tabulato testimonium feret. Væ qui ædificat Eze.24.b ciuitatem in sanguinibus,& præparat vrbem in iniquitate. Nunquid non [m] sunt hæc à Domino exercituũ? Naum.3.a Laborabunt enim populi in † ipso igne:& gentes in vacuum † lassabuntur. Quia replebitur terra,vt cognoscant gloriam Domini,quasi aquæ operientes mare. [n] Væ qui potum dat amico suo,mittens fel suum, & inebrians:vt aspiciat nuditatem eius. Repletus es ignominia † magis quàm gloria:bibe tu quoq;,vt turpis fias: D circundabit te calix dexteræ Domini,& [o] vomitus ignominiæ super gloriam tuam. Quia iniquitas Libani operiet te, & [p] vastitas animalium deterrebit ea de sanguinibus hominis & iniquitate terræ, & ciuitatis & omnium habitantium in ea. [q] Quid prodest sculptile, quia sculpsit illud fictor suus conflatile & imaginem falsam:quia sperauit in figmento fictor eius vt faceret simulachra muta? Væ qui dicit ligno. Expergiscere, Surge,lapidi tacenti. Nunquid ipse docere poterit? Ecce iste coopertus est auro & argento:& omnis spiritus non est in visceribus eius. Dominus autem in templo sancto suo:fileat à facie eius omnis terra. Psal.10.

SCHOLIA.

[a] Figam gradum super munitionem.] *Repetitio est prioris sententiæ:& est sensus. Iudæi in multis constituti calamitatibus, videntes felicitatem Chaldæorum, conturbati sunt & expostulantes cum propheta,miserunt illum, vt à Domino sciscitaretur,quid causæ esset,quòd impy magis quàm iusti prosperitate fruerentur huius mundi. Stans igitur propheta in custodia sua,pæstolabatur in silentio responsum diuinum, Vt responderet arguenti contra se, id est, ijs, à quibus missus erat.* [b] Scribe visum.] *Iubetur scribere visionem in libro,& exarare in tabulis, vt scilicet non solum qui præsentes tunc erant percurrerent prophetiam illam, verum & qui futuri erant, legere possent ex libris. Quæcunque enim præscripta sunt, ad nostram doctrinam præscripta sunt. Sed adumbrata figuris & tropis, vt non nisi à pijs caperentur, dum ab impijs pro delyramentis haberentur.* [c] Vt percurrat.] *Vt facilè & veluti in transcursu legere possit.* [d] Adhuc visus procul.] *Non enim erat visio tunc implenda,sed post septuaginta annos à destructione templi in rege Babylonis,iccircò addit, si moram fecerit expecta illum, quia veniens veniet & non tardabit. Nec carent hæc verba consolatione veræ salutis per Christum faciendæ,quemadmodum in epistola ad Hebræos capite decimo citantur. Nam ista omnia non tam ad liberationem Babylonicæ captiuitatis,quàm ad eam,quæ per Christum facta est,pertinent.* [e] Qui incredulus.] *Hoc est,qui arrogans est:(nam id significat vox Hebr, hoc loco) & sibi ipsi fidit, vt hac fide opus non habere se putet, non erit recta anima eius in eo:quod*

Deum. [f] Et quomodo vinum.] *Ad regem Caldæorum referri putant, qui nihil agat, niſi quod eſt peruerſum & iniquum, & uſque adeo ſæuit in homines, vt morti & ſepulchro, quæ omnes deuorant homines, comparetur.* [g] Et dicetur.] *Illud eſt prouerbium, quod ex eius tyrannide natum fuit, vt de tyrannis, & ſanguinarijs diceretur. Væ huic, qui alter eſt Nabuchodonoſor, &c.* [h] Denſum lutum.] *Iniquitates.* [i] Iniquitatem terræ.] *Qua ſcilicet inquinaſti terram.* [k] Væ qui ſectatur auaritiam malam.] *Qui auidè cupit perpetrare malum, vt domui ſuæ proſpiciat, et ſit in excelſo nidus eius, hoc eſt, vt munitionem habeat inexpugnabilem, in qua contra totum mundum ſe tutum putet eſſe.* [l] Lapis de pariete.] *Lapides de pariete, & aſſeres de tabulatis, quodammodo iniuriam gentibus illatam prodiderunt, cum aliunde ſpoliatis regionibus, & vrbibus, in Babyloné eſſent importati.* [m] Sunt hæc à Domino exercituum.] *Per Dominum exercituum hæc fient, qui vltionem ſumet de Chaldæis, vt fruſtra laborarint populi in extruēdis magnificis Babyloniæ ædificijs, quæ ignis per Medos, & Perſas immiſſus, cōſumpturus eſt. Et huius vltionis diuinæ fama, ſpargetur per totam terram, agnoſcent q̄ omnes gloriam Domini: quæ ſeſe exeret tam manifeſtè, in tantæ monarchiæ ſubuerſione. Sunt tamen, qui tam pie, quam ingeniosè exponant illud, ſunt hæc à Domino exercituum, quòd ſcilicet lapis de pariete, & laqueare ſiue reſegmen ligni, hoc eſt, lignum diſſectum, quo ædificium nitebatur, reſpondeant. Et hoc reſpondere illis verbis, lapidem quem reprobauerunt ædificantes hic factus eſt in caput anguli, à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris, & huc facere illud, Ephe. 2. Medius paries maceriæ diſſoluens, &c. nam certum eſt, tenebroſam eſſe aquam in nubibus aeris, & quò maiora ſunt, eò profundius myſteria deliteſcere.* [n] Væ qui potum.] *Quidam exponunt ſtuduiſſe Nabuchodonoſor inebriare reges, quos captos ſecum tenebat, vt videret illuſionem eorum, aly metaphoricè dictum putant de calice furoris, quo inſaniebat in regna quæque.* [o] Vomitus ignominiæ.] *Qua ſcilicet affeciſti Libanum, id eſt, terram ſanctam ſiue eccleſiam.* [p] Vaſtitas animalium.] *Per animalia intelligunt homines, quos ſua depopulatione tyrannus terruit.* [q] Quid prodeſt ſculptile.] *Imminente caſu tui regni non poterunt te liberare dij tui, lapides ſcilicet ac ligna muta, etc. Et quod ait, imaginem falſam, in Heb. eſt, docens, vel annuntians mendacium.*

CAPVT III.

[a] ORATIO ABACVCH pro ignorantijs.

[b] Om ine au diui auditionem tuã, & timui. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud: in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis. [c] Deus † de theman venit, & ſanctus de monte Pharam: operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena fuit terra. [d] Splendor eius vt lux erat, cornua in manibus eius: [e] ibi abſcondita eſt fortitudo eius. Ante faciē eius ibat mors, & egrediebatur † peſtis ante pedes eius. [f] Stetit, & mēſus eſt terram: aſpexit, & diſſoluit gētes, & contriti ſunt [g] montes ſæculi: incuruati ſunt colles mundi, † itinera ſæculi patebant ei. [h] Pro iniquitate vidi tentoria Chuſam, turbabantur pelles terræ Madian. Nunquid in fluminibus iratus es Domine? aut in fluminibus furor tuus? vel in mari indignatio tua, quia aſcendis ſuper equos tuos, & quadrigæ tuæ ſaluatio? Suſcitans ſuſcitabas arcum tuum: [i] iuramenta tribubus quæ locutus es: [k] fluuios ſcindebas terrę. Viderunt te, & doluerunt montes, gurges aquarum tranſijt, dedit abyſſus vocem ſuam, altitudo manus ſuas leuauit: [l] Sol & luna ſteterūt in habitaculo ſuo, [m] in luce ſagittarum tuarum ibant, in ſplendore fulgurantis haſtæ tuæ. In fremitu conculcabas terram, & in furore comminuebas gentes. † [n] Egredieris in ſalutem populi tui, in ſalutem cum CHRISTO tuo. † Percuties caput de domo impij, denudabis fundamentum vſque ad collum. † Perforabis [o] baculis eius caput bellatorum eius, venientium vt turbo ad diſpergendum me: exultatio eorum, ſicut eius qui deuorat pauperem in abſcondito. Viam feciſti in mari, equis tuis, in [p] cumulo aquarum multarum. [q] Audiui, & conturbatus eſt vēter meus, à voce contremuerūt labia mea: † ingreſſa eſt putredo in oſſibus meis & [r] ſubter me † ceſpitabam. Quamuis ego quieturus ſim in die tribulationis, † quo aſcendet ad populum † vt perdat nos. Ficus enim non florebit, & non erit germen in vineis: mentietur opus oliuæ, & arua nō afferent cibum: abſcidetur de ouilli pecus, & non erit armentum in præſepibus. Ego autem in Domino gaudebo, & exaltabo in Deo Ieſu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum: & ſuper excelſa mea deducet me victor, in pſalmis canentem.

SCHOLIA.

[a] Oratio Habacuch prophetæ.] *Mouetur propheta, recordatione afflictionum populi ſui, ad orandum pro peccatis, per errorem ſub Nabuchodonoſor perſecutione commiſſis, conſolaturque pios, prædicēs propediem affuturam veram atq; æternam ſalutem, ad memoriam etiam reuocans multiplicia beneficia mirabilia, & liberationes, quæ Deus populo ſuo exhibuit ab eo tempore, quo eos duxit de Ægypto.* [b] Domine audiui auditionem.] *Senſus eſt, tu indicaſti mihi, in quam crudelem, & diutinam captiuitatem abiturus ſit populus meus, aduerſus quam nihil conari poſſumus, cum & nos meruerimus eam, & tu iam faciendum decreueris. Sed oramus tantum, vt opus tuum, id eſt, populum in medio horum annorum malorū viuifices, ne malis deuictus tui obliuiſcatur, & notum facias, quàm ſis miſericors, & nunquam ſic iraſcaris, vt miſericordiæ immemor ſias.* [c] Deus de Theman.] *Incipit enarrare mirabilia, quæ Deus populo ſuo peculiariter præ omnibus gentibus oſtendit. Daturus enim legem, apparuit de monte Theman, qui eſt mons Seir, et de monte Pharan, de quo vide Deut. 33. in principio.* [d] Splendor eius vt lux.] *Erat in monte Sinai (inquit) gloria Domini ſplendens quaſi ignis, & de potentia eius factum eſt, vt in Moſe cernerentur cornua ſplendidiſſima, ferebat (inquit) ſecum ingentem potentiam, quam etiam ſignis declarauit.* [e] Ibi abſcondita eſt.] *Hoc eſt, talis ibi erat adumbratio fortitudinis eius, & mors, hoc eſt, lues ibat ante faciem eius, percutiens inimicos.* [f] Stetit & menſus eſt terram.] *Diſtribui ei fecit terram in funiculo diſtributionis.*
[g] Montes ſæculi.] *Intelligi vult reges, qui multis ſæculis fuerant firmi, eodem modo accipe itinera ſæculi. Quamuis alius*

alius legat, Et habet enim veſtigia æternitatis. [h] Pro iniquitate.] *Orat hic propheta, vt Dominus exerat illam potentiam ſuam, quam Iudicum tertio contra Chuſan oſtendit, & capite ſexto contra Madianitas, item in mari rubro cum demergeret pharaonem, in Iordane cum traduceret filios Iſrael, vbi non tratus fuit contra aquas, ſed vt deterreret hoſtes populi ſui, potētiam ſuam oſtendit, perinde quaſi adeſſet cum equis & curribus, pugnaturus pro ſuis. Quod ait, pelles, intellige tentoria. Videtur autem hic eſſe ſenſus. Pro iniquitate id eſt pro vltione iniquitatis noſtræ, vidi tentoria, hoc eſt, exercitum Chuſan contra nos, ſed cum probi eſſemus, contremiſcere ſolebāt cortinæ, hoc eſt, exercitus Madianitarum. Nam futurum apud Heb. interdum exponitur per ſolet, vt contremiſcent, pro ſolent contremiſcere.* [i] Iuramenta.] *Hoc eſt, ſecundū iuramenta, & quæ ſemper locutus es.* [k] Fluuios ſcindebas terræ.] *Educendo tua potentia fontes, & aquam ſcaturientē è terra ſicca. Et hæc ſigna cum montes vidiſſent, hoc eſt potentes reges, doluerunt, tantum abeſt, vt gloriam dederint Deo. Gurges aquarum tranſiit, quod exponunt de Iordane exiccato, quando ſolum eius, quod hic per abyſſum intelligitur, ſolidum et ſonorum calcantibus præbuit veſtigium, Vel, profunda aquarum moles diſrupta, vocem hic dediſſe fertur, ſicut et altitudo ſiue moles aquarum dicitur eleuaſſe manus ſuas, cum aqua terminum illum, vbi tranſituri erant Iſraelitæ, transgredi nō auderet, ſed in altum cumulum fuit collecta, & in muri ſpeciem ſtabat erecta.* [l] Sol & luna.] *Hoc miraculum ſcribitur Ioſue x.* [m] In luce ſagittarum.] *Quod illis lux, hoſtibus erat haſta et ſagittæ. Cum ſagittis (inquit) ac fulminibus proſterneres hoſtes populi tui, per illa fulmina dediſti populo tuo lumen, vt proficiſcerentur ſine diſcrimine per viam.* [n] Egredieris in ſalutem.] *Sicut olim egreſſus es, ſic nunc egredere cum Chriſto tuo Meſſia filio Dauid, vt etiam Hebræi exponunt, Et ſicut vulneraſti olim capita impiorum & denudaſti ac detexiſti omnia eorum, ſic ages modo contra Antichriſtum, ac membra eius.* [o] Baculis eius.] *Scilicet Chriſti.* [p] Cumulo aquarum.] *Per aquam ſcilicet, quæ in morem cumulorum vtrinque excreuerat.*
[q] Audiui.] *Auditionem ſcilicet, ſicut dixit à principio, vt reuertatur ad narrationem ſui tēporis.* [r] Subter me ceſpitabam.] *Ceſpitabam (inquit) quamuis ab illis malis ſim liberandus, qua die aſcendet hoſtis, vt perdat nos: per ficum aliorum fructuum priuationem, intelligunt amiſſionem bonorum, & calamitatem ingentem. Noſtri hæc referunt ad tempus Antichriſti, quo mali ſpiritualia bona amittent, at pij exultabunt in Domino.* [s] In Deo Ieſu meo.] *Deo authore ſalutis meæ.*

SOPHONIÆ PROPHE

CAPVT I.

A B ERBVM Domini quod factum eſt ad Sophoniam filiū Chuſi, filij Godolię, filij Amariæ, filij Ezechiæ, in diebus Ioſiæ filij Amon regis Iudæ. [a] Congregans cōgregabo omnia à facie terræ, dicit Dominus: congregans hominem & pecus, congregans volatilia cœli & piſces maris: & ruinæ impiorum erunt: & diſperdam homines à facie terrę, dicit Dominus. Et extendam manum meam ſuper Iudam & ſuper omnes habitantes Ieruſalem: & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum ſacerdotibus: & eos qui adorant ſuper tecta militiam cœli, & adorant & iurant in Domino, & [b] iurāt in Melchom: & qui auertuntur poſt tergum Domini, & qui non quæſierūt Dominum nec inueſtigauerunt eum. [c] Silete à facie Domini Dei: quia iuxta eſt dies Domini, quia præparauit Dominus hoſtiam, ſanctificauit vocatos ſuos. Et erit in die hoſtiæ Domini: viſitabo ſuper principes, & ſuper filios regis, & ſuper omnes qui induti ſunt [d] veſte peregrina: & viſitabo ſuper omnem qui † [e] alacriter tranſilit limen in die illa, qui cōplent domum † dominorum ſuorū iniquitate & dolo. Et erit in die illa, dicit Dominus, vox clamoris à porC ta piſcium, & vlulatus [f] à ſecunda, & contritio magna à collibus. Vlulate habitatores † Machtes: quia perijt omnis populus † negotiator, diſperierunt omnes † apportare ſoliti argētum. Et erit in tempore illo: ſcrutabor Ieruſalem [g] in lucernis, & viſitabo ſuper viros [h] deſixos in fęcibus ſuis: qui dicunt in cordibus ſuis, Non faciet bene Dominus, & non faciet malè. Et erit fortitudo eorum in direptionem, & domus eorum in deſertum: & ædificabunt domos, & non habitabunt: & plantabūt vineas, & non bibent vinum earū. Iuxta eſt dies Dñi magnus, iuxta eſt & velox nimis: vox diei Dñi amara: tribulabitur ibi fortis. Dies iræ dies illa, dies tribuD lationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis: dies tubæ & clangoris ſuper ciuitates munitas & ſuper turres excelſas. Et tribulabo homines, & ambulabunt vt cęci, quia Domino peccauerūt: & effundetur ſanguis eorum [i] ſicut puluis, & corpora eorum ſicut ſtercora. Sed & argentum eorum, & aurum eorum non poterit liberare eos in die irę Dñi: & in igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione faciet cunctis habitantibus terram.

Amos 5.c
Iere. 30.a
Ioel 2.c
Amos 5.e
Eze. 7.c
Infra 3.b

SCHOLIA.

OStenditur ab initio huius prophetiæ, quis fuerit Sophonias, quibus natus parentibus, & ſub quibus vixerit regibus, cœuus autem fuit Ieremiæ prophetæ, & eadem fere quæ ille, licet ſuccinctis verbis, prophetauit, nempe vrbis Ieroſolymitanæ, & totius regni Iuda deuaſtationem prædixit & hoſtium Iudæorum exterminium, & ſubnectit tandem conſolationes in Chriſto, omnia mira & luculenta perſtringens breuitate. [a] Congregans.] *Hoc eſt, perdens abducens, à facie terræ, nempe terræ Iuda, quod autem dicit Dominus, ſe perditurum aues cœli et piſces maris, hyperbole eſt. Tantum enim minatur Dominus terræ Iuda deſolationem, vt nihil, quod ſpiret, in ea viuere poſſit, vt etiam piſces in lacubus ob terræ ſqualorem moriantur.* [b] Iurant in Melchom.] *Vel per regem ſuum. Hebræi intelligūt idolum, vt cum quis nollet accipere iuramentum per nomen Dei veri factum, parati erant increduli homines iurare per idolum, quod in terra illa colebant.* [c] Silete à facie Domini.] *Vos qui putatis (inquit) Dominum opera veſtra nō videre, quieſcite pauliſper, & videbitis, ſed non ſine mœrore, quòd Dominus omnia opera veſtra perſpexerit, quæ cum tanta vlturus eſt ſeueritate. Nam præparauit hoſtiam, hoc eſt, cædem magnam, ad quam ſanctificauit, hoc eſt, præparauit vocatos ſuos, nempe aues cœli, & beſtias*

terræ,quæ vestra lacerent,& dilanient corpora. [d] Veste peregrina.] *Quidam intelligũt eos,qui gestabant vestes ab alys vi sublatas,Alij exponunt,vestes ad superbiendum factas.Sunt alij qui intelligũt phariſaicos homines,siue hypocritas, qui peculiari veste simulabant se coràm hominibus iustos & sanctos,cum intus essent lupi rapaces.* [e] Alacriter transilit.] *De potentum ministris dicit,qui oppressione pauperum ditabunt dominos suos.* [f] A secunda.] *Domo secunda,id est ,regia,vel, vt quidam volunt,schola vbi docebant doctrinam legis,per colles docent intelligendas domos nobiliorum , quæ in altiori situ erant,quàm vulgarium ædes,per Maches ,Ionathas intelligit torrẽtem Cedron, locum Ierusalem demissiorem.* [g] In lucernis.] *Hoc est,nullum erit latibulum,quod non sim perueſtigaturus.Et quod ait in fœcibus suis,quidam exponunt diuitias.* [h] Defixos in fecibus.] *in Heb.est,qui coagulantur in fœcibus suis,hoc est,qui resident in diuitijs suis,tanquam vinum in fœcibus cõquiescens suis.* [i] Sicut.] *Nõ pluris erit (inquit) hominis sanguis,quàm puluis terræ,& tanta copia effundetur.*

CAPVT II.

Sa † Crutamini scrutamini gens non amabilis:priusquam pariat Domini decretum,diem , quo eritis si- A
cut puluis auolans,antequam veniat super vos ira furoris Domini , antequam veniat super vos dies indignationis Domini.Quærite Dominum omnes mansueti terræ,qui iudicium eius estis operati:querite iustitiam, quærite mansuetudinem:si quo modo abscondamini in die furoris Domini. Quia Gaza destructa erit,& Ascalon in desertum,Azotum in meridie cijcent,& Accaron eradicabitur.Vę qui habitatis oram
maris,coma gens perditorum:verbum Domini super vos Chanáan terra Philisthinorum , & disperdam te, B
ita vt non sit inhabitator.[b] Et erit † ora maris requies pastorum & caulæ pecorum:& erit ora eius qui remãserit de domo Iuda,ibi pascentur:in domibus Ascalonis ad vesperam requiescent:quia [c] visitabit eos Dominus Deus eorũ,& auertet captiuitatem eorum.Audiui [d] opprobriũ Moab,& blasphemias filiorum Ammõ:
quæ exprobrauerunt populo meo,& magnificati sunt super terminos eorum. Propterea viuo ego dicit Dom inus exercituum Deus Israel:quia Moab vt Sodoma erit,& filij Ammon quasi Gomorrha , siccitas spina- C
rum & [e] acerui salis, & desertum vsq; in æternũ:reliquiæ populi mei diripient eos,residui gentis meæ possidebunt illos.Hoc eis eueniet pro superbia sua:quia blasphemauerunt,& magnificati sunt super populũ Domini exercituum.Horribilis Dominus super eos,& attenuabit omnes deos terræ & [f] adorabunt eum viri de
loco suo,omnes Insulæ gentium.Sed & vos Æthiopes interfecti gladio meo eritis.Et extendet manum suam
super aquilonẽm , & perdet Assur:& ponet [g] † Niniuen in solitudinem & in inuium & quasi desertum. Et D
accubabunt in medio eius greges,omnes[h] bestię gentium:& onocrotalus & ericius in liminibus eius morabuntur:[i] vox cantantis in fenestra,† desolatio in limine,quoniam attenuabo robur eius. Hæc est ciuitas gloriosa habitas in confidentia:quæ dicebat in corde suo,Ego sum,& extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiæ ? Omnis qui transit per eam,sibilabit,& mouebit manum suam.

SCHOLIA.

[a] Scrutamini.] *Quærite (inquit) diligenter in vobis maculas quasque , vt illas aboleatis priusquàm veniat dies Domini,quo constituit exurere peccatores quasi paleas, vel in quo peccatores auferentur,sicut cum palea à vento tollitur.* [b] Et erit ora.] *Alius vertit.Erit proinde hæc regio reliquiarum domus Iuda in quibus pascentur,&c.* [c] Visitabit eos.] *Cõsolatio est Euangelica,qua pijs promittitur relaxatio captiuitatis,& restitutio in terram,sub qua liberatione semper intelligitur vera illa & æterna liberatio,quam Christus erat in fine dierum præstaturus.* [d] Opprobrium Moab.] *Merebatur intolerabilis illa Moabitarum arrogantia excidium,de qua multa scribunt Esa.cap.16. & Hier.cap.48.* [e] Acerui salis.] *Seu magus fodina, vel fouea salis.* [f] Adorabunt eum viri.] *Hebraismus est, pro vnusquisque.* [g] Niniuen.] *De hac Assyriorum metropoli,peculiarem Naum texit prophetiam.* [h] Bestię gentium.] *Fax gentium,& bestiæ ipsæ gentes potius quàm homines.* [i] Vox cantantis.] *Scilicet aues.Ingentem vastationem significat , quòd aues audeant in fenestris domorum securæ cantare.*

CAPVT III.

Eze.22.f Mich.3.d

Va Æ † fœda & conspurcata ciuitas calumniatrix.Non audiuit vocem, & non susscepit disciplinam:in A
Domino non est confisa,ad Deum suum nõ appropinquauit.Principes eius in medio eius quasi leones rugientes:iudices eius [b] lupi vespere,nil relinquebant in mane. Prophetæ eius vesani, viri infideles:sacerdotes eius polluerunt sanctum,iniustè egerunt contra legem. Dñs iustus in medio eius [c] non faciet iniquitatem:mane mane iudicium suum dabit in luce,& nõ abscondetur:nesciuit autem iniquus confusionem.[d] Disperdidi gentes,& dissipati sunt anguli earum:desertas feci vias eorum , † adeo vt non sit qui transeat:desolatæ sunt ciuitates eorum,non remanente viro,neq; vllo habitatore. Dixi,† vel sic timebis me,susscipies disciplinã:& non peribit habitaculũ eius,propter omnia in quibus visitaui eã : veruntamen diluculo B
surgentes,corruperunt oẽs cogitationes suas.Quapropter [e] expectate me dicit Dñs, in die † quo ego surgam
vt perdam,quia iudiciũ meum vt cõgregẽ gentes,& colligã regna:& effundã super eos indignationẽ meam,
omnem iram furoris mei:in igne enim zeli mei deuorabitur [f] omnis terra. Quia tũc reddam populis labiũ
Sup.1.d electum,vt inuocẽt omnes in nomine Dñi,& seruant ei humero vno.Vltra flumina Æthiopię:inde supplices mei,[g] filij dispersorum meorũ deferent munus mihi.In die illa non confundéris super cunctis adinuentionibus tuis,quibus præuaricata es in me:quia tũc auferam de medio tui † exultãtes in superbia tua, & non
adijcies exaltari amplius in mõte sancto meo.Et derelinquã in medio tui [h] populũ pauperem & egenum:& C
sperabũt in nomine Dñi.Reliquiæ Israel nõ facient iniquitatẽ,nec loquẽtur mendaciũ, & nõ inuenietur in
ore eorũ lingua dolosa:qm̃ ipsi pascẽtur & accubabũt,& non erit qui exterreat.Lauda filia Siõ , iubila Israel:
lætare,& exulta in omni corde filia Ierusalẽ.[i] Abstulit Dñs iudicium tuum, auertit inimicos tuos:rex Israel
Dominus in medio tui,non timebis malum vltrà. In die illa dicetur Ierusalem,Noli timere : Sion,non dis-
soluantur manus tuæ.Dominus Deus tuus in medio tui fortis,ipse saluabit : gaudebit super te in lætitia,[k] si-
lebit in delectione tua,& exultabit super te in laude.[l] † Mortuos qui recessisse videbantur,congregabo,quia

ex te

erant:vt non vltrà habeas super eis opprobrium.Ecce ego interficiam ómnes qui afflixerunt te in tem-
pore illo:& saluabo claudicantem , & eam quæ eiecta fuerat congregabo:& ponam eos in laudem & in no- Mich.4.d
men,in omni [m] terra confusionis eorum:In tempore illo quo adducam vos,& in tempore quo congregabo vos:dabo enim vos in nomen,& in laudem omnibus populis terræ , cum conuertero captiuitatem vestram coràm oculis vestris,dicit Dominus.

SCHOLIA.

[a] Væ fœda.] *Obiurgat prophetа ciuitatem Ierusalem,quæ tota erat polluta sanguine, adulterio , pauperum oppressione, peruersa iudicio,&c.Et redarguta à prophetis,noluit audire verbum Domini, neque accipere disciplinam.* [b] Lupi vespere.] *Tuxat hac metaphora,insignem iudicum auaritiam.Non (inquit) lupi fame accẽsi tam auide prædæ inhiant, cũ etiam totum diem ieiunum duxerint,& vespere ad rapiendum sese properiant,quantum iudices in hoc incumbunt , vt pecuniam per fas et nefas extorqueant.* [c] Non faciet iniquitatẽ.] *Si videlicet acriter punierit.* [d] Disperdidi gentes.] *Vt exemplo illorum respiscerent.* [e] Expecta me.] *Pertinent hæc & sequentia verba ad regnum Christi , cuius prophetæ in Vaticinijs suis nunquam obliuiscuntur,sed omnia verba sua huc veluti ad scopum destinant , etiam in mediis historijs non rarò regni Christi facientes mentionem. Consolatur igitur pios, vt paululum sustineant aduersariorum rabiem,quoadusque Dominus veniat,& vltionem sumat de eis : & tunc futurum promittit, vt electi sui puro eum celebrent labio, solum nomen eius inuocent,atque corde & animo vno colant, vel, vt textus habet,humero vno,id est summo consensu.* [f] Omnis terrа.] *Vetus scilicet,id est,homines terreni.* [g] Filij dispersorum meorum.] *Intelligit cœtum fidelium.In die (inquit) illa , quando electi mei non in vno loco consistent,sed erunt dispersi per totum mundum,erunt etiam apud Æthiopes,qui me colẽt, meque redemptorem suũ agnoscent , offerentes mihi munus.* [h] Populum pauperem.] *Totum pondus gloriæ tuæ redigetur in quasdam exiguas reliquias,humiles & pauperes,in cœtum apostolicum,suorumque discipulorum, quorum tota gloria & felicitas erit pro nomine Domini pati omnia aduersa.Quis hæc intelligeret,nisi per Christi aduẽtum hæc aperta cerneremus, cum in ipsa narratione promissæ felicitatis,dicat futurum populum pauperem & egenum?* [i] Abstulit Dominus iudicium tuum.] *Iudicia contra te data,vt sint gladius,pestis,fames,&c.* [k] Silebit.] *Non amplius te obiurgabit.* [l] Mortuos.] *Qui videbãtur recessisse à cœtu tuo,scilicet resuscitabo:promittitur ergo resurrectio mortuorum.Alius vertit,Mœrore affectos ob tempus prolixũ,nos sensum,qui subesse videtur,eruere conati sumus , secuti tamen virum quendam doctissimũ,& in Heb.linguа apprime eruditum,Vulgata æditio habebat.Nugas (vocem Heb.ponens) qui à lege recesserant,&c. Et illud,vt non vltrà habeas &c.In Heb.est, qui propter eam sustinuerunt opprobrium, vel, onus fuit super eam opprobrij.* [m] Terra confusionis.] *Vbi olim confusi fuerunt.*

AGGÆI PROPHETIA.

CAPVT I.

A

B

[a] N ANNO secũdo Darij regis,in mense sexto,in die vna mẽsis:factum est verbũ Do- 1.Esd.6.a
mini in manu Aggei prophetę ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda,& ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum,dicens,Hęc ait Dominus exercituum,dicens,Populus iste dicit,[b] Nondum venit tempus domus Domini ædificandę.Et factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ,dicens,Nunquid tempus vobis est, vt habitetis in domibus vestris laqueatis,& domus ista deserta ? Et nũc hæc dicit Dominus exercituũ, Ponite corda vestra [c] super vias vestras. Seminastis multum,& intulistis parũm:
comedistis,& non estis satiati:bibistis,& non estis inebriati:operuistis vos,& non estis calefacti :& qui mer- Deut.28.d
cedes congregauit,misit eas in sacculum pertusum.Hæc dicit Dominus exercituum,Ponite corda vestra su- Mich.6.d
C per vias vestras,ascendite in montem,portate ligna,& ædificate domum:& acceptabilis mihi erit, & glorificabor dicit Dominus.[d] Respexistis ad amplius,& ecce factum est minus,& intulistis in domum,& exufflaui illud:quam ob causam,dicit Dominus exercituum ? quia domus mea deserta est,& vos festinatis vnusquisq; in domum suam.Propter hoc,super vos prohibiti sunt cœli ne darent rorem , & terra prohibita est ne daret
germen suum:& vocaui siccitatem super terram,& super montes,& super triticum,& super vinum,& super
oleum,& quęcunq; profert humus,& super homines,& super iumẽta, & super omnem laborem manuum.
D Et audiuit Zorobabel filius Salathiel,& Iesus filius Iosedec sacerdos magnus , & omnes reliquiæ populi vocem Domini Dei sui,& verba Aggæi prophetæ,sicut misit eum Dominus Deus eorum ad eos:& timuit populus à facie Domini.Et dixit Aggæus nuntius Domini , [e] † in legatione Domini ad populum dicens , Ego
vobiscum sum dicit Dominus.Et suscitauit Dominus spiritum Zorobabel filij Salathiel ducis Iuda, & spiritum Iesu filij Iosedec sacerdotis magni,& spiritum reliquorum de omni populo:& ingressi sunt, & faciebãt opus in domo Domini exercituum Dei sui.

SCHOLIA.

[a] Anno secundo.] *Haggæus excitatus fuit à spiritu prophetico postquam populus rediit è Babylonica captiuitate, quem propheta vrget ad reædificationem templi Dei,etiam minas adijciens,quandiu illius extructioni non instarent,nihil illos prospere cessurum,non quòd Deũ tantopere delectaret habitare in templis manufactis , sed quòd ea, quæ in lege fiebant,vmbram gerebant futurorũ,iuxta illud,Nescitis quòd vos templum estis spiritus sancti , qui habitat in vobis ? præterea reædificatio illa tẽpli animas Dei cultũ alacriores efficiebat. Anno ergo imperij huius Darij (qui putatur ab Hebræis filius fuisse Assueri et Hester) secũdo,quo regnauit in Persia,impleti sunt septuaginta anni desolatæ vrbis Hierosolymitanæ,& tempus iam instabat,vt iuxta prophetarũ Vaticinium,vrbs & templum reædificarentur, quorum extructio-*

nem iam ante aliquot annos Iudæi fuerunt moliti, sed frustra, cum tempus præfinitum nondum esset impletum: impediebantur autem per vicinas gentes, vt in Ezra habetur. Cum enim per 52. annos in captiuitate fuissent, dimissi sunt à Cyro, & cum ille tribus duntaxat regnasset annis, illisq; non integris, & illi successisset Assuerus, prohibiti sunt Iudæi ædificare ciuitatem, præsertim murum & templum, vsque ad secundum annum Darij regis Persarum, quo anno impleti fuerunt 70. anni, & tunc excitatus fuit Haggæus propheta, & monuit populum, vt, qui sibi iam ædificauerant domos, etiam Domino templum suum instaurarent. [b] Non venit tempus.] *Cũ ante impletionem 70. annorum frustra conati fuissent extruere templum, gentibus illos impedientibus, & postea 70. anni iam impleti essent, desperantes dicebant, adhuc longè abest tempus, vt reædificetur templum, Dominus autem ostẽdere volens se veracem fuisse in prophetis, obiurgat eos de cunctatione.* [c] Super vias vestras.] *Sensus est, aduertite labores manuum vestrarum, & occupationes vestras, & videbitis, iram Dei vobis impendere propter peccata vestra, præsertim quòd tam ignaui estis in ys, quæ ad gloriam meam pertinent. Ecce seminatis multum, & colligitis in messe parum etiam contra ordinem naturæ, sic operam impenditis pro alys cibis parandis, pro potu, pro vestibus, & pro pecunia colligenda, et in omnibus est penuria magna, quia ego obstiti vobis.* [d] Respexistis ad amplius.] *Hoc est, ambiuistis multa & assecuti estis pauca.* [d] In legatione Domini ad populum dicens.] *Exponens legationem sibi commissam à Domino ad populum.*

CAPVT II.

IN[a] die vicesima & quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darij regis. In septimo mense, vicesima & prima mensis: factum est verbum Domini in manu Aggæi prophetæ, dicens, Loquere ad Zorobabel filium Salathiel ducem Iuda, & ad Iesum filium Iosedec sacerdotem magnum, & ad reliquos populi, dicẽs, Quis in vobis est derelictus, qui vidit domũ istã in gloria sua prima? & quid vos videtis hãc nũc? nũ quid nõ ita est,[b] quasi nõ sit in oculis vestris? Et nũc cõfortare Zorobabel, dicit Dñs: & cõfortare Iesu fili Iosedec sacerdos magne, et cõfortare omnis populus terræ, dicit Dñs exercituũ, et facite, quoniã ego vobiscũ sum, dicit Dñs exercituũ. Verbum quod pepigi vobiscũ cũ egrederemini de terra Ægypti: & spiritus meus erit in medio vestrũ, nolite timere. Quia hæc dicit Dñs exercituũ,[c] Adhuc vnũ modicũ est, & ego cõmouebo cœlũ, & terrã, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes & venient ad desyderatũ cunctis gentibus: & implebo domũ istam gloria, dicit Dñs exercituũ. Meũ est argentũ, & meũ est aurũ, dicit Dñs exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimę plus quàm primę dicit Dñs exercituũ: & in loco isto dabo pacẽ, dicit Dñs exercituũ. In vicesima & quarta noni mensis, in anno secundo Darij regis, factũ est verbũ Dñi ad Aggeũ prophetam, dicens, Hæc dicit Dñs Deus exercituũ,[d] Interroga sacerdotes legẽ, dicens, Si tulerit homo carnẽ sanctiñ catã in ora vestimenti sui, & tetigerit de summitate eius panẽ, aut pulmentũ, aut vinũ, aut oleũ, aut omnẽ cibũ: nunquid sanctificabitur? Respõdentes autem sacerdotes dixerunt, Nõ. Et dixit Aggæus, Si tetigerit pollutus in anima, ex omnibus his, nunquid cõtaminabitur? Et respõderunt sacerdotes, & dixerunt, Cõtaminabitur. Et respõdit Aggæus, & dixit, Sic populus iste, & sic gens ista ante faciẽ meam dicit Dñs, & sic omne opus manuũ eorum: & omnia, quę obtulerunt ibi, contaminata erunt. Et nunc ponite corda vestra, à die hac & suprà antequam poneretur lapis super lapidẽ in templo Dñi. Cũ accederetis[e] ad aceruum viginti modiorum, & fiebant decẽ: & intraretis ad torcular, vt exprimeretis quinquaginta lagenas, & fiebãt viginti. Percussi vos vento vrẽte, & arugine, & grãdine omnia opera manuũ vestrarum: & nõ fuit in vobis, qui reuerteretur ad me dicit Dñs. Ponite corda vestra ex die ista & in futurũ, à die vicesima & quarta noni mẽsis: à die qua fundamenta iacta sunt tẽpli Dñi, ponite super cor vestrũ. Nũquid iã semẽ in germine est: & adhuc vinea, & ficus, & malo granatũ & lignũ oliuę nõ floruit? ex die ista benedicã. Et factũ est verbũ Dñi secũdò ad Aggeũ, in vicesima & quarta mẽsis, dicẽs, Loquere ad [f] Zorobabel ducẽ Iuda, dicẽs, Ego mouebo cœlũ pariter & terrã. Et subuertã soliũ regnorũ, & cõterã fortitudinẽ regni gẽtiũ: & subuertã quadrigam & ascensorẽ eius: & descẽdent equi, & ascensores eorũ, [g] vir in gladio fratris sui. In die illo dicit Dñs exercituum, assumã te Zorobabel fili Salathiel serue meus, dicit Dominus: & ponam te quasi signaculum, quia te elegi, dicit Dominus exercituum.

Heb. 12.g
Exod. 10.c
9.c
Eccle. 49.c

SCHOLIA.

[a] In die vicesima & quarta mensis.] *Scilicet parauerunt se ad opus: ædificium autem ipsum inchoauerunt vigesima quarta die noni mensis, sicut propè finem huius capitis dicetur.* [b] Quasi non sit.] *Hoc dicitur, quòd seniores populi & sacerdotes tristes essent, secum expendentes, quantum hoc templum, quòd construere incipiebant, à prioris templi pulchritudine & magnificentia degeneraret. Deus autem in mœrore constitutos consolatur, promittitq; maiorem secundi templi futuram gloriam, quàm primi.* [c] Adhuc vnum modicum est.] *Citatur hic locus ad Heb. 12. tanquam ad Christũ pertinens, quare posthabitis Hebræorum interpretationibus, qui quandiu velamen positum est super eorum corda, non possunt spiritus, qui in prophetis loquebatur, assequi veritatem, dicemus, Adhuc vnum modicum est, id est, adhuc breue tempus restat (quod etiam quidam Hebræus fuit interpretatus (vsque ad Messiæ aduentum. Consueuerant enim prophetæ, vt pluribus locis videmus, in ipso ordine historiæ interserere promissiones de Christo, quæ res loca efficit difficiliora. Sequitur, Et ego commouebo cœlum & terram, &c. nam miracula & prodigia multa facta fuerunt circa Christi natiuitatem, in cœlo & in terra: nam, vt cætera omittamus, quæ circa illud tempus accidisse feruntur, mox Christo nato, noua ac mirabilis stella illa apparuit, quæ ab extremis regionibus ad eius ortum Magis illis ducatum præbuit. Intelligamus ergo, cum repararetur hoc spirituale templum ecclesiæ Christi commota esse omnia, & innumera contigisse miracula. Sol obscuratus est in morte Christi, petræ scissæ, monumenta aperta, in die pentecostes factus est repente de cœlo sonus. Totus deniq; mundus ad prædicationem Euangelij est commotus: quidam surgentes, vt illud extinguerent, alij vt pro eo effunderent sanguinem. Mare quoque, id est, insulani & maritimi, et qui in arida vel in solitudine erant, commoti sunt, & conuersi ad auditum Euangelicæ vocis: sequitur præterea, Venient ad desyderatum cunctis gentibus, quem alium, nisi Christum? sin legas, vt quidam verterunt. Et venient cum desyderio cunctæ gentes, hoc nunquam in secundo templo factum legitur. Sed de Christo hoc verum fuit, ab initio natiuitatis eius, cum primitiæ gentium Magi venerunt, vt eum adorarent. Et implebo (inquit) domum istam gloria, quando præsentia Messiæ, vt etiam*

etiam quidam Heb. exposuerunt, templum secundum illustrandum erat: quod & Malachias quoque apertius eodem tempore prædixit, his verbis. Ecce ego mitto angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam. Et statim veniet ad templum suum Dominus quem vos quæritis, & angelus fœderis, quem vos vultis. Addit præterea, meum est argentum, ne de temporali gloria, quam templum illud secundum habiturum erat, se locutum crederent: quasi diceret, Non argenti & auri copiam me in gloriam æstimare putetis, cum hæc vbicunque sint, mea sint. Non ergo de temporali gloria propheta loquebatur, sed de spirituali, qua ob ipsius Messiæ præsentiam templum illud replendum erat: quare & subiecit, Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quàm primæ, alia scilicet ratione, quàm exornatione auri & argenti: quod de miraculis quoque, quæ Messias sua diuina virtute in templo illo secundo facturus erat, non solum de eius præsentia intelligendum est. In hoc enim vel maximè secundi templi gloriam longè maiorem quàm primi fuisse constat: quòd Deus in primo quidem templo per prophetas populo loquebatur, in secundo verò per seipsum locutus est, & docuit, et miracula patrauit. Et obseruant, quod dixerit, domus istius nouissimæ, & non secundæ, vt inde palam fieret, tertium, templum (si negent illud tertium fuisse quod dirutum est) ædificandum non fuisse, templumq; quod per Messiam construendum erat, non materiale, iuxta Iudæorum iuniorum errorem, sed spirituale futurum fuisse. Postremò addit, Et in loco isto dabo pacem. De temporali pace intelligi non potest, cum ab ipsius templi initio, vsque ad eius finem varys semper bellorum æruminis Iudæi ab alijs gentibus affecti fuerint. Quare de spirituali pace intelligendum est, cum Christus inter Deum & hominem pacem fecit. Illud autem quod ait, Venient ad desyderatum cunctis gentibus: alius vertit, Venient cum eo, quod est desyderabile cunctis gentibus, hoc est, cum ijs rebus, quæ in precio sunt, iuxta illud, omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, &c. [d] Interroga sacerdotes legem.] *Hoc est, rem, de qua in lege tractatur. Et duo proponit, quibus vult sibi responderi: Vnum est, si quis ala vestimenti, qua tetigerat carnem sanctificatam, tangat panem, aut aliquid aliud, num illa res tacta ab ala illa vestimenti sanctificetur, & respondetur, non. Sola enim, quæ sacrificij carnes tangebant, sanctificabantur: non illa, quæ contingebant prius sanctificata per tactum: vt patet Leuit. 6. Alterum est si pollutus in anima, hoc est, qui corpus mortui hominis tetigerit, aliquid tetigerit, num illa tacta res contamine tur: & responderunt, contaminari. Et videtur velle concludere, eos nõ tam sanctificari oblatione hostiarum, quamuis ipsæ sanctæ essent, quàm contaminari suis ipsorum operibus, & iniquè factis: nam, etsi carnes sanctas comedant, et offerant victimas, corporeus est duntaxat contactus, qui ad animam non penetrat, & quasi contactus vestimenti, qui non sanctificat, sed contra, opera, quæ proficiscuntur à polluto animo polluta & ipsa sunt.* [e] Ad aceruum viginti modiorum.] *Vnde scilicet sperabantur viginti modij. Et est sensus, potestis ex hoc agnoscere peccatum vestrum: nam antequam insisteretis operi templi, in omnibus sensistis penuriam, me vos percutiente propter inobedientiam vestram. A die autem illa, qua opus incœpistis, quando fere totum semen ex horreo in agrum serendum exposuistis, ego residuum, quod parum fuit, mea benedictione sic auxi, vt nullum sentiretis defectum. Sic egi cum alijs terræ nascentibus: quæ cum adhuc in nono mense nihil protulerint, tamen ego adhuc ea fœcunda reddam.* [f] Zorobabel.] *Quasi, turbate, siue dispergite Babel. Ego disperdam (inquit) regna impiorum, & suscitabo regnum aliud, quod finem non habebit, in quo iusti tantũ regnabunt, quos seruabo magna cura, sicut is, qui magnam curam gerit preciosi annuli, vel obsignatorij, ne illum perdat. Sic te Zorobabel, quia mihi toto corde paruisti, ego seruabo & te, et omnes tui similes, quos elegi, vt possideant regnum meum.* [g] Vir in gladio.] *Hoc est, mutua cæde conficientur.*

ZACHARIÆ PROPHE

CAPVT I.

IN mense octauo, in anno secundo Darij, factũ est verbũ Dñi ad Zachariam filiũ Barachiæ filij Addo prophetã dicẽs, Iratus est Dñs super patres vestros iracundia. Et dices ad eos, Hęc dicit Dñs exercituũ, Cõuertimini ad me, ait Dñs exercituũ: & cõuertar ad vos, dicit Dñs exercituũ. Ne sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant prophetę priores, dicẽtes, Hæc dicit Dñs exercituũ, Conuertimini de vijs vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt, neq; attenderunt ad me dicit Dñs. [a] Patres vestri vbi sunt? & prophetę nunquid in sempiternũ viuent? Verumtamen verba mea & legitima mea, quę mandaui seruis meis prophetis, nunquid nõ cõprehenderunt patres vestros? & [b] conuersi sunt, & dixerunt, Sicut cogitauit Dñs exercituũ facere nobis secundum vias nostras, & secũdũ adinuentiones nostras, fecit nobis. In die vicesima & quarta vndecimi [c] mensis Sabat: in anno secundo Darij, factũ est verbũ Dñi ad Zachariã filiũ Barachiæ filij Addo prophetam, dicẽs, Vidi per noctẽ, & ecce vir ascẽdens [d] super equũ rufum, & ipse stabat inter myrteta, quæ erãt in profundo: & post eũ equi rufi, varij & albi. Et dixi, Quid sunt isti, dñe mi? Et dixit ad me angelus qui loquebatur in me, Ego ostẽdã tibi quid sint hæc. [e] Et respõdit vir qui stabat inter myrteta, & dixit, Isti sunt quos misit Dñs, vt perambulent terrã. Et respõderũt angelo Dñi, qui stabat inter myrteta, & dixerunt, Perambulauimus terrã, & ecce omnis terra habitatur & quiescit. Et respondit angelus Dñi, & dixit, Dñe exercituũ, vsquequo tu nõ misereberis Ierusalẽ & vrbiũ Iuda, quibus iratus es? iste iam septuagesimus annus est. Et respõdit Dñs angelo qui loquebatur in me verba bona, verba cõsolatoria, Et dixit ad me angelus, qui loquebatur in me, Clama, dicẽs, Hęc dicit Dñs exercituũ, Zelatus sum Ierusalẽ & Sion zelo magno. Et ira magna ego iracor super gẽtes opulẽtas: quia ego iratus sum parũ, [f] ipsæ verò adiuuerunt in malũ. Propterea hęc dicit Dñs, Reuertar ad Ierusalem in misericordijs: domus mea ędificabitur in ea, ait Dñs exercituũ: & [g] perpendiculũ extendetur super Ierusalẽ. Adhuc clama dicens, Hęc dicit Dñs exercituum, [h] Adhuc affluent ciuitates meæ bonis: & consolabitur adhuc Dñs Sion, & eliget adhuc Ierusalem. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce [i] quatuor cornua. Et dixi ad angelum qui loquebatur in me, Quid sunt hæc? Et dixit

A
B
C
D
E
F

Isa. 21.e
31.c. 45.d
Iere. 3.e
Eze. 18.g
20. a. 33.c
Osee 14.a
Ioel 2.c
Infra. 8.a

dixit ad me, Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam, & Israel, & Ierusalem. Et ostendit mihi Dominus quatuor fabros. Et dixi, Quid isti veniunt facere? Qui ait, dicens, Hæc sunt cornua, quæ ventilauerunt Iudam † sic, vt nullus erigere potuerit caput suum: & venerunt isti deterrere ea, vt deijciant cornua gentium, quæ leuauerunt cornu super terram Iuda, vt dispergerent eam.

SCHOLIA.

Zacharias eodem tempore quo Haggæus vaticinatus est, habet q; fere idem, quod ille, argumentum, instans pari feruore ædificationi templi, etiam si plus loquatur de ciuitate Ierusalem, quàm de templo. Ostensæ sunt autem ei visiones valde obscuræ, haud dissimiles visionibus Danielis, in quibus explicandis, tam Hebræi quàm Christiani sudant. [a] Patres vestri vbi sunt?] *Ionathas hunc locum sic vertit, Patres vestri vbi sunt? & si dixeritis, prophetæ non manent in æternum, vt scilicet altera sententiæ pars sit responsio populi, quasi dicant, non videmus meliorem sortem prophetarum, quàm patrum nostrorum: patres nostri mortui quidem sunt, sed prophetæ quoque mortui sunt: quibus respondet Deus per prophetam. Veruntamen patres vestros apprehenderunt calamitates & mala, quæ per me fuerunt decreta, & per prophetas annuntiata. Possumus tamen per prophetas intelligere scripta prophetarum: vt sit sensus, Patres vestri mortui sunt, at scripta prophetarum in sempiternum viuent. Nam illud, nunquid, sæpe interpretes posuerunt pro, nónne.* [b] Conuersi sunt.] *Calamitates: quibus premebantur, coegerunt eos fateri, &c.* [c] Mensis Sabbath. *Ferunt nomina mensium ante captiuitatem non inueniri in lingua Hebraica, nisi quòd appellantur primus, secundus, tertius, & c. sed post reditum è captiuitate vsurpantur in Hebraismo nomina Chaldaica.* [d] Super equum rufum.] *Per visionem equorum, sub myrtis, putant significari pacem, & ablatam pristinam formidinem, qua Iudæi semper tremebant, quoties equos & equites videbant, multiplici hostium malo castigari, vt etiam formidarent inchoare ædificium templi, ne crabrones iterum irritarent. Ostensa est igitur visio, & audita vox, quòd vniuersa terra pacata sederet, & nullus amplius metus habendus esset.* [e] Et respondit vir.] *Angelus scilicet, sæpissimè enim sic loquitur scriptura.* [f] Ipsæ verò adiuuerunt in malum.] *Hoc est, afflixerunt eos magis, quam decebat illos.* [g] Perpendiculum.] *Loquitur more ædificantium, qui funiculum cum perpendiculo adhibent erigendis muris.* [h] Adhuc affluent.] *In Heb. est, dispergentur. Hoc est, sic afflixerunt bonis, vt ciuitates illa bona non capiant, sed ipsis extendere, & multò facere maiores oporteat.* [i] Quatuor cornua.] *Hæc significabant hostes Iudæorum quos in quatuor plagis infestos patiebantur, sed fabri missi fuerunt, qui cornua confringerent, et ædificium promouerent. Significat igitur & hæc visio securitatem. Porrò per hæc omnia intelligitur extructio Ierusalem spiritualis, quæ est ecclesia, & regnum Christi, sicut sequens docebit caput.* [k] Vir insidens equo rufo est Christus in humana natura: alij verò, qui post eum fuerunt, sunt apostoli: fabri concutientes cornua, sunt doctores, qui potentes sunt in verbo contra impios.

CAPVT II.

ET leuaui oculos meos, & vidi: & ecce vir, & in manu eius funiculus mensorum. Et dixi, Quò tu vadis? Et dixit ad me, [a] Vt metiar Ierusalem, & videam quanta sit longitudo eius, & quanta latitudo eius. Et ecce angelus, qui loquebatur in me, egrediebatur, & angelus alius egrediebatur in occursum eius. Et dixit ad eum, Curre, loquere ad puerum istum, dicens, Absque muro habitabitur Ierusalem præ multitudine hominum & iumentorum in medio eius. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu: & in gloria ero in medio eius. O, ô, [b] fugite de terra aquilonis, dicit Dominus: quoniam in quatuor ventos cœli dispersi vos, dicit Dominus. O Sion fuge, quæ habitas apud filiam Babylonis, quia hæc dicit Dominus exercituum. [c] Post gloriam misit me ad gentes, quæ spoliauerunt vos: qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi eius: quia ecce ego leuo manum meam super eos, & erunt prædæ his qui seruiebant sibi: & cognoscetis quòd Dominus exercituum misit me. Lauda & lætare filia Sion: quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum, & habitabo in medio tui: & scies quòd Dominus exercituũ misit me ad te. Et possidebit Dominus Iudam partem suam in terra sanctificata: & eliget adhuc Ierusalem. Sileat omnis caro à facie Domini: quia † excitatus est de habitaculo sancto suo.

SCHOLIA.

[a] Vt metiar Ierusalem.] *Nam erat reædificandi. Describitur ergo hoc capite ædificatio duplicis Ierusalem, sed maior erat cura illius spiritualis, iccirco mittitur angelus, qui dicat prophetæ absque muro habitabitur Ierusalem: tanquam dicat, Tu cogitas de angusta ciuitate Ierusalem, sed ego loquor de Ierusalem amplissima, & latissima, quæ futura est, implenda ex hominibus totius mundi, quæ murum alium non est habitura, quàm meipsum Dominum, qui ero per circuitum eius veluti murus igneus, & mea protectione tutissima erit.* [b] Fugite de terra aquilonis.] *Hoc est, vbius potius sitis, quàm in Babylone. Aduocantur Iudæi ad Ierusalem illam terrenam, vbi incipere debuit Ierusalem spiritualis, & diffundi per totum orbem. Vocantur autem Iudæi, quia non omnes redierant, sed multi amore vxorum & liberorum in Babylonia remanserant, paruipendentes promissiones Dei.* [c] Post gloriam.] *Hoc est, promiserat Dominus se futurum vobis in gloriam, quemadmodum paulò ante dixerat, in gloriam ero in medio eius: postquam ergo Christus fuit gloria plebis Israel, (vt dixit Simeon) missus est ad gentes, vt esset lumen ad reuelationem gentium, et subiiceret eas iugo fidei, vt quæ olim Israelem spoliauerunt, & subegerant, nunc ei subiectæ sint. Et quidem Iudæi intelligunt hæc de temporali triumpho ex hostibus reportando: sed cum id nunquam factum sit, vt ipsi spoliauerint Assyrios, Medos, Persas, & alios populos, quos hostes passi fuerunt, consequens est, vt hæc de regno Christi intelligantur, vt sicut gentes olim Iudæos nitebantur euocare à cultu veri Dei, ita Christus & apostoli, hostes Iudæorum conati sunt spoliare religione falsa. Sunt igitur ex nostris, qui hunc locum sic differant, Post gloriam, quam Iudæi habuerunt, cum adhuc Christi expectarent aduentum, misit me, pater scilicet cœlestis filium suum ad gentes. Sunt enim verba Dei, sicut, & paulo post subditur & applicabuntur gentes multæ ad Dominum, & c. Gentes igitur sunt prædæ & spolia, & quando adiunctæ sunt Iudæ, tunc Iuda transijt in veram hereditatem Dei, & extructa est vera Ierusalem ex Iudæis & gentibus collecta. Sileat igitur omnis terra, & nemo huic Dei repugnet ordinationi: Iuda non dicat se portasse æstum per totum diem, &c.*

Caput

CAPVT III.

ET ostendit mihi [a] Iesum sacerdotẽ magnũ stantem coràm angelo Dñi: & satan stabat à dextris eius, vt aduersaretur ei. Et dixit Dñs ad satan, [b] Increpet Dñs in te satan: & increpet Dñs in te, qui elegit Ierusalem: [c] nunquid nõ iste torris, erutus de igne? Et Iesus erat indutus [d] vestibus sordidis: & stabat ante faciẽ angeli. Qui respõdit: & ait ad eos, qui stabãt coràm se, dicens, Auferte vestimenta sordida ab eo. Et dixit ad eũ, Ecce [e] abstuli à te iniquitatem tuã, & indui te mutatorijs. Et dixit, Ponite cidarim mundam super caput eius. Et posuerunt cidarim mundam super caput eius, & induerũt eũ vestibus: & angelus Dñi stabat. Et cõtestabatur angelus Dñi Iesum, dicens, Hæc dicit Dñs exercituũ, [f] Si in vijs meis ambulaueris, & custodiam meã custodieris: tu quoq; iudicabis domũ meã, & custodies atria mea, & † [g] faciam tibi vias per hos qui nũc hic assistunt. Audi Iesu sacerdos magne, tu & amici tui qui habitant coràm te, quia [h] viri portendẽtes sunt: ecce enim ego adducã [i] seruũ meũ † Germen. Quia [k] ecce lapis quem dedi coràm Iesu: super lapidem vnum septẽ oculi sunt: ecce ego [l] cœlo sculpturam eius, ait Dñs exercituũ: & auferam iniquitatem terræ huius in die vna. In die illa dicit Dominus exercituum, [m] vocabit vir amicum suum subter vineam & subter ficum. Luc. 1.g

SCHOLIA.

[a] Iesum.] *Hoc nomen multò aliter scribitur apud Ebræum, quàm hic. Additur præterea hic duplex semper articulus, emphasim habens, Vt ille sacerdos, ille magnus.* [b] Increpet Dominus.] *Aduerte hic mysterium trinitatis: Dominus dixit ad satan, increpet te Dominus, Dominus locutus est ad Dominum. Vtring autem in Hebræo scribitur nomen tetragrammaton per satan intellige diabolum, qui impedire conabatur opus Domini.* [c] Nunquid non iste:] *Sensus est, satis est, quòd Deus fere totum populum permisit eliminari propter peccata sua, et tu conaris etiam hunc relictum titionem auferre? de quo & Amos 4. Non ita erit, sed huic ædificabitur ciuitas, vnde rursum consurget regnum, & quidem magnificentissimum, regnum scilicet Christi.* [d] Vestibus sordidis.] *De quibus Esa. 63: Omnia indumenta mea inquinaui.* [e] Abstuli à te.] *Hoc est quam tu fecisti tuam, & in tuos humeros assumpsisti. Qui verò magis literam spectant, dicunt, per sordidas vestes indicari sacerdotium post captiuitatem non tam splendidum fuisse, sicut antea, per quod significabatur, illum sibi conscium fuisse de peccato, vnde & trepidabat, & timebat sibi male successurum, si inchoaret opus. Accepit propterea consolationem, indiuitur vestibus alijs, hoc est, puris, & amouetur ab eo iniquitas.* [f] Si in vijs meis.] *Alius legendum diebat. Vbi in vijs meis ambulaueris, & c.* [g] Faciam tibi.] *Hoc est, cum hæc rite perfeceris, dabo tibi transitum inter angelos meos.* [h] Viri portẽdentes.] *Hoc est, ad magna facienda idonei, & ad portenta designanda.* [i] Seruum meum.] *Te scilicet, germen iustitiæ, vt apud Ieremiam vocatur. Et apud Esa. germen Domini, & fructus terræ. Hic igitur addiscendus proponitur, qui extruat veram Ierusalem, & sit sacerdos in æternum, & omnes qui eum recipiunt, & credunt in eum, viri sunt mirabiles ac portendentes, & c.* [k] Ecce lapis.] *Vt fundetur scilicet super eo templum: ostenditur per id, quòd diuus templum exterius extruebatur, interim simul Deus cœpit ædificare templum spirituale, propter quod domus illa externa extruebatur. Huius autem templi angularis lapis, et fundamentum est Christus. Siquidem fundamentum aliud nemo potest ponere, & c. Hunc lapidem, septem oculis Dominus obseruat, nequis nocere possit illi.* [l] Ego cœlo.] *Vel, aperio aperturam eius, quando eum clauis & lancea vulnerari permisit, & sanguinem effundere in emundationem peccatorum nostrorum. Hæc autem emundatio peccatorum vna die facta hic perhibetur, quæ sufficit pro omnibus peccatis, quæ ab initio mundi sunt facta, & quæ fient vsque ad finem mundi. Et quod additur, iniquitatem terræ huius, significatur ablatum sacerdotium legale, per quod peccata auferri non poterant.* [m] Vocabit vir.] *Vbi pax & securitas est, ibi amici mutuò se inuitant, sic in regno Christi, in quo ablatum est peccatum, & Deus per Christum reconciliatus, summa est pax & securitas conscientiæ.*

CAPVT IIII.

ET reuersus est angelus qui loquebatur in me: & suscitauit me, quasi virũ qui suscitatur de somno suo. Et dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Vidi, & ecce [a] candelabrũ aureũ totũ, & lenticula super caput ipsius: & septẽ lucernę eius super illud: & septem † atq; septem infusoria lucernis, quæ erãt super caput eius: & duæ [b] oliuę † iuxta illam: vna à dextris lenticulæ, & vna à sinistris eius. Et respõdi, & aio ad angelũ qui loquebatur in me, dicens, Quid sunt hæc Dñe mi? Et respondit angelus qui loquebatur in me: & dixit ad me, Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi, Nõ Dñe mi. Et respondit, & ait ad me, dicens, Hoc est verbũ Dñi ad Zorobabel, dicens, Nõ in exercitu, nec in robore: sed [c] in spiritu meo, dicit Dñs exercituũ. [d] Quis tu mons magne cõra Zorobabel? in planũ eris? & [e] educet lapidẽ primariũ: † cũ clamoribus, gratia, gratia eius. Et factum est verbũ Dñi ad me, dicens, Manus Zorobabel fundauerunt domũ istã, & manus eius perficient eam: & scies, q; Dñs exercituũ misit me ad vos. [f] Quis enim despexit dies † paruarũ acclamationum? & lętabuntur, & videbunt lapidẽ stanneum in manu Zorobabel. [g] Septem isti oculi sunt Dñi, qui discurrunt in vniuersam terrã. Et respondi, & dixi ad eũ, Quid sunt [h] duæ oliuæ istę ad dexteram candelabri, & ad sinistram eius? Et respondi secundò, & dixi ad eum, Quid sunt duæ spicæ oliuarum, quæ sunt iuxta † duas fistulas aureas, [i] ex quibus fluit oleum in aurum. Et ait ad me, dicens, Nunquid nescis quid sunt hæc? Et dixi, Non Domine mi. Et dixit, Isti sunt [k] duo filij olei, qui assistunt dominatori vniuersæ terræ.

SCHOLIA.

[a] Candelabrum aureum.] *Hæc visio demonstrata est ad confirmandum Zorobabel ducem populi, qui adhuc formidabat potentiam Persarum, quæ tamen nulla erat respectu potentiæ diuinæ. Candelabrum illud formatũ erat absq; manibus hominis, & ardebat atq; suscipiebat oleum absq; ministerio humano, & repræsentabat templum spirituale, non virtute humana, sed diuina erigendũ. Huius autem candelabri talis erat dispositio, superne habuit vas rotũdum, formatũ in morem peluis, quos nos imitati alios interpretes, lenticulam vertimus, per cuius circuitum erant septem lucernæ, recipientes oleum ex pelui, porrò ex pelui procedebant duo candles vel fistulæ aureæ versus duas oliuas, & in vtrang demittebatur spica ab oliuis, & premebatur in canalibus, vnde oleum stillabat continuè in peluim, & ex pelui in lucernas. Vocatur autem surculus oliuæ spica, quòd plenus esset baccis, oleum stillantibus, sicut spica frumenti plena est granis. Sed quia aderant & septem infusoria, putant*

putant quidam oleum ex pelui primum fluxisse in infusoria, et deinde in lucernas. Et quando dicitur, septem & septem fuisse infusoria, quidam exponit, pro singulis lucernis unum fuisse infusorium, alij putant singulas lucernas septem habuisse infundibula. [b] Oliuæ iuxta.] *Scilicet lampadem. Et illud, qui loquebatur in me, id est, mecum.* [c] In spiritu meo.] *Hoc est, lumine lampadis & infusione assidua olei, diuinæ scilicet vnctionis 1. Io. 2. exponit hic, quid visio candelabri significauerit, nempe negocium spiritus Dei. Spiritus affertur per verbum, oleum est gratia spiritus sancti, candles sunt prophetæ, qui à Deo sunt docti, per quos verbū Dei deriuatur in alios, lampades autem sunt septem, quia varia sunt dona spiritus.* [d] Quis tu mõs?] *Quasi dicat non est Zorobabel, vt timeas grande illud regnum Persarum, quod hactenus fuit quasi mons terribilis, iam erit humile, nam me habes protectorem, quasi montem longè maiorem.* [e] Educet.] *Hoc est, producet lapidem primarium siue caput ædificij, & maximis astantium acclamationibus ponetur lapis, acclamante populo, gratia, gratia, hoc est, bene succedat.* [f] Quis enim desperit?] *Hoc est, quotquot visum fuit, fundamentum lapidei illius templi indignum magnis acclamationibus, lætabuntur, cum viderint regulam stanneam in manu Zorobabel, id est, structuram crescere: & opus cœptū leuiter, magnificentissimè procedere.* [g] Septem sunt isti.] *In lapidem illum semper intenti.* [h] Duæ oliuæ.] *Duæ oliuæ & duæ spicæ siue fructus oliuæ idem significant, sicut duplex somnium Pharaonis, & multa alia. Io. in Apo. cap. 2. videtur interpretari de Mose & Elia ideſt lege & prophetis, duobus testibus dominicæ passionis.* [i] Ex quibus.] *Hoc est, in lampades aureas.* [k] Duo filij olei.] *Hoc est, vnctionis spiritus sancti pleni, vel, reſus erat vnctus in sacerdotem, et Zorobabel in locum regis.*

CAPVT V.

ET conuersus sum, & leuaui oculos meos: & vidi, & ecce [a] volumen volans. Et dixit ad me, Quid tu vides? Et dixi, Ecce ego video volumen volans: longitudo eius viginti cubitorū, & latitudo eius decē cubitorū. Et dixit ad me, Hęc est maledictio, quæ egreditur super faciē omnis terrę: quia omnis fur, sicut ibi scriptū est, iudicabitur: & omnis iurans, ex hoc similiter iudicabitur. [b] † Eduxi illā, dicit Dñs exercituū: & veniet ad domū furis, & ad domū iurantis in nomine meo mendaciter: & cõmorabitur in medio domus eius, & cõsumet eā, & ligna eius & lapides eius. Et egressus est angelus qui loquebatur in me: & dixit ad me. Leua oculos tuos, & vide: quid est hoc quod egreditur? Et dixi, Quidnā est? Et ait, Hęc est [c] † mēsura egrediēs. Et dixit, Hęc est oculus eorū in vniuersa terra. Et ecce [d] talētū plūbi portabatur, & ecce mulier vna sedēs in medio † mēsurę. Et dixit, Hæc est impietas. Et proiecit eā in medio † mensurę, & misit [e] massam plūbeā in os eius. Et leuaui oculos meos, & vidi: & ecce duę mulieres egrediētes, & spiritus in alis earū, & habebāt alas quasi alas milui: & leuauerūt † mēsurā inter terrā & cœlum. Et dixi ad angelū qui loquebatur in me, Quò istę deferunt † mēsurā? Et dixit ad me, Vt ędificetur ei domus ī terra Sēnāar, & stabiliatur, & ponatur ibi [f] sup basem suā.

SCHOLIA.

[a] Volumen volans.] *Hoc volumen duo complectitur, quæ puniat furtum, per quod omnis iniuria in proximum quenque significatur, & iuramentum, quo intelligitur periurium, dum homines timore Dei vacui violare peierando nomen Dei non timent. Dicitur volare, per quod celeritas diuini iudicij indicatur, dicitur etiam habere longitudinem viginti cubitorū, & latitudinem decem, vt ostendatur magnum & terribile futurum iudicium Domini, et horrendum esse incidere in manus eius.* [b] Eduxi illam.] *Nempe maledictionem, vt deinceps puniam absque dilatione furem & blasphemum hoc est, qui impius est in Deum & proximum.* [c] Mensura egrediens.] *Epha, speciem ponit pro genere. Et quod sequitur, Hæc est oculus eorum, id est, quo vident ipsi. Hæc alia est visio sed quæ fere eadem significat, quæ prior. Ionathas hunc locū sic reddidit. Isti sunt populi qui acceperunt, & dederunt in mensura iniqua, & ecce ipsi manifesti sunt coram omnibus habitatoribus terræ.* [d] Talentum plumbi.] *Talentū plumbi fuit mulier impia in medio punita, per quā enim quis peccat, per hæc & punitur. Chal. interpres intelligit per hanc pœnam, abductionem in captiuitatem, sicut & per sequentes duas mulieres alatas, intelligit populos leues & expeditos, qui peccantes in mensuris iniquis, Deo ordinante abducunt in omnem plagam mundi, sicut & impios Iudæos contigit, qui ducti fuerūt in Babylonem, quæ est in terra Sennāar, id quod ex libro Gen. constat cap. 11.* [e] Massam.] *Per massam plumbeam intelligit iniqua ponderā, quibus mulier vti solebant.* [f] Super basem.] *Hoc est, se dignam.*

CAPVT VI.

ET conuersus sum, & leuaui oculos meos, & vidi: & ecce [a] quatuor quadrigæ egredientes de medio duorum montium: & mõtes: mõtes ærei. In quadriga prima equi rufi, in quadriga secūda equi nigri, in quadriga tertia equi albi, & in quadriga quarta equi varij & fortes. Et respōdi, & dixi ad angelū qui loquebatur in me, Quid sunt hæc domine mi? Et respondit angelus, & ait ad me, Isti sunt quatuor venti cœli, qui [b] egrediūtur postquam steterunt coràm dominatore omnis terrę. In qua erāt equi nigri, egrediebantur † in terrā aquilonis: & albi egressi sunt post eos: & varij egressi sunt ad terrā austri: qui autē erāt robustissimi, exierunt, & quærebāt ire, & discurrere per omnē terrā. Et dixit, Ite perambulate terrā: & perambulauerūt terrā. Et vocauit me, & locutus est ad me, dicens, Ecce qui egrediuntur in terrā aquilonis, [c] requiescere fecerūt spiritum meū in terra aquilonis. Et factū est verbū Dñi ad me, dicens, Sume à transmigratione ab Oldai, & à Tobia, & ab Idaia: & venies tu in die illa, & intrabis domum Iosiæ filij Sophonię, qui venerunt de Babylone. Et sumes aurum, & argentū, & facies coronas: & pones in capite Iesu filij Iosedec sacerdotis magni, & loquéris ad eum, dicens, Hæc ait Dñs exercituum, dicens, Ecce vir, † [d] Germen nomen eius: [e] subter † se succrescet, & ædificabit templum Dño. Et ipse extruet templū Domino: & ipse [f] portabit gloriam, & sedebit, & dominabitur super solio suo. Et erit sacerdos super solio suo, & cõsiliū pacis erit [g] inter illos duos. [h] Et coronæ erunt Helem, & Tobiæ, & Idaiæ, & Hen filio Sophoniæ, memoriale in templo Domini. [i] Et qui procul sunt, venient, & ædificabunt in templo Domini, & scietis q̄ Dominus exercituum misit me ad vos. [k] Erit autē hoc, si auditu audieritis vocem Domini Dei vestri.

Luc. 1. g

SCHOLIA.

[a] Quatuor quadrigæ.] *Hæc visio est valde obscura, & diuersis modis tam à Christianis quàm à Iudæis exponitur. Quidam ex nostris interpretantur negocium Euangelicū euulgatum in quatuor orbis partes per apostolos, qui quasi per equos & quadrigas expugnauerunt orbem, et Christo lucrifecerunt, impulsi vento seu spiritu Dei, & varia spiritus dona hominibus offerentes. Et hæ quadrigæ procedere dicuntur ex æreis montibus, hoc est, ex lege & prophetis, qui firmissimi sient testes Euangelij. Equi rufi, qui non egressi describuntur putantur fuisse apostoli & Christiani, qui Ierosolymis inter sanguinarios Iudæos manserunt, & illis Euangelium constanter prædicauerunt, & pro eo mortem oppetierunt. Et quòd equi nigri, deinde albi procedunt ad aquilonem, significare videtur harum gentium mores, quæ nigræ & horribiles fuerunt Iudæis, sed deinde mitiores, relaxantes captiuitatem eorum. Ad has igitur etiam missum est Euangelium Christi per apostolos. Maculosi verò equi in meridiem destinati, significant mores populorum meridionalium, qui Iudæis aliquando duri, et aliquando lenes fuerunt, id quod patet de Idumæis, Aegyptijs, et Aethiopibus, porrò per ferociores equos, qui missi describuntur in terram, intelliguntur apostoli, qui Romanum imperium sunt ingressi, vt Petrus & Paulus.* [b] Egrediuntur postquā steterūt.] *Hoc est, acceptis à Domino mandatis, vt ea exequantur, egrediuntur.* [c] Requiescere fecerunt.] *Hoc est, executi sunt, quod iniunctum erat illis feliciter. In horum autem omnium robur, datur signum coronæ duplicis, quas Iesus solum in signū semel ponat super caput suum, deinde suspendantur in templo in monumentum ac signum, quòd venturus esset Christus rex & sacerdos. Et quòd argentum & aurum colligitur à certis viris, qui in captiuitate fuerunt, signabat quòd Christus nasciturus erat ex Iudæis, liberaturus eos de captiuitate animarum.* [d] Germen nomen eius.] *Tanquam dicat, ecce virū cui nomen germen Ionathas intelligit Messiam.* [e] Subter se succrescet.] *Vel de loco suo germinabit, et ædificabit hic Messias templum, non materiale, quemadmodum Iudæi intelligunt, sed spirituale, in quo ipse solus dominabitur, sicut sacerdos & rex.* [f] Portabit gloriā.] *In cuius scilicet simbria scriptum est, rex regum & Dominus dominantium.* [g] Inter duos illos.] *Regem & sacerdotem, vel, vt alius vertit, inter duo illa, hoc est regnum & sacerdotium.* [h] Et corone.] *Hoc est, relinques apud eos. Mutantur autem hic duarum personarum nomina, id quod frequens est in Hebraismo. In horum itaque quatuor virorum memoriam hæ coronæ suspensæ fuerunt in templo, quas cum viderent posteri, dicerent, tempore Zachariæ hæ coronæ ab illis factæ sunt viris, in signum & confirmationem prophetiæ futuri regni Christi, quod quidem incipere debuit stante adhuc templo illo, & durantibus coronis illis.* [i] Et qui procul sunt.] *Multi qui remoti sunt à sanguine Iudæorum, venient & ædificabunt in templo Christi, doctrinis & exemplis ecclesiam eius illustrantes.* [k] Erit autem hoc.] *Si audieritis & credideritis futuro Euangelio, intelligetis me verum fuisse prophetam, si autem non crediderit is, nullo modo credetis neque intelligetis mysteria ista, sed obstinati manebitis, hærentes in templo exteriori.*

CAPVT VII.

ET factū est in anno quarto Darij regis, factū est verbū Dñi ad Zachariā, in quarta mensis, noni, qui est Casleu: Et [a] miserūt ad domū Dei Sarāsar & Rogom mélech, & viros qui erāt cū eo, ad precādū faciem Dñi: vt dicerēt sacerdotibus domus Dñi exercituum & prophetis, loquētes, Nūquid flendū est mihi in quinto mense, vel sanctificare me debeo: sicut iam feci multis annis? Et factū est verbū Dñi exercituū ad me, dicēs, Loquere ad omnē populū terræ, & ad sacerdotes dicēs, Cū ieiunaretis, & plāgeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos: nūquid ieiunio [b] ieiunastis mihi? & cū comedistis & bibistis: nūquid nō vobis comedistis, & vobismetipsis bibistis? Nunquid nō sunt verba, quæ locutus est Dñs in manu prophetarū priorū, cū adhuc Ierusalē habitaretur, & esset opulēta, ipsa, & vrbes in circuitu eius, & ad austrum & in campestribus habitaretur? Et factū est verbū Dñi ad Zachariā, dicēs, Hęc ait Dñs exercituum, dicens, Iudiciū verū iudicate: & misericordiā & miserationes facite vnusquisq; cū fratre suo. Et viduā & pupillū, & aduenā, & pauperem nolite calumniari: & malū vir fratri suo non cogitet in corde suo. Et noluerunt attendere, & auerterūt scapulam recedentes: & aures suas aggrauauerunt, ne audirent, & cor suū posuerunt, vt adamantem, ne audirent legē & verba, quę misit Dñs exercituū in spiritu suo per manū prophetarum priorū: & facta est indignatio magna à Dño exercituū. Et factū est [c] sicut † clamauit, & nō audierunt: sic clamabunt, & nō exaudiam, dicit Dñs exercituum. Et dispersi eos per omnia regna, quæ nescīunt: & terra desolata est post eos, eò q̄ non esset transiens & reuertens: & posuerunt terram desyderabilem in desertum.

Exod. 22. d
Isa. 1. f
Iere. 6. g

SCHOLIA.

[a] Miserunt.] *Ii scilicet, qui adhuc erant in Babylone. Hi ergo missi fuerant ex captiuitate, vt Hebræi putant, postquā templum fuit extructū, vt adorarent Ierosolymis, & interrogarent legisperitos & prophetas, num adhuc deberent seruare ieunia illa, & abstinentias, quas fecerant certis mensibus per lxx. annos captiuitatis. In quinto mense habebant ieiunium desolationis templi & ciuitatis. In septimo ieiunium Gedoliæ. In decimo ieiunium obsessionis.* [b] Ieiunastis mihi?] *Hoc est, ex præcepto meo non ieiunastis, quia ego non præcepi id vobis, sed præceptū meū est, vt faciatis iudiciū æquum, &c.* [c] Sicut clamauit.] *Quemadmodum (inquit) quoties ille clamauit, non audierunt, sic clamabunt & non exaudiam, &c.*

CAPVT VIII.

ET factū est verbū Dñi exercituū ad me dicens, Hęc dicit Dñs exercituū, Zelātus sum Sion zelo magno, & [a] indignatione magna zelatus sum eā. Hæc dicit Dñs exercituum, Reuersus sum ad Sion: & habitabo in medio Ierusalem: & vocabitur Ierusalem [b] Ciuitas veritatis, & Mons Dñi exercituū, Mōs † sanctitatis. Hęc dicit Dñs exercituū. Adhuc habitabunt senes, & anus in platéis Ierusalē: & viri baculus in manu eius præ multitudine dierū. Et platęę ciuitatis cōplebūtur infantibus, & puellis ludentibus in platéis eius. Hęc dicit Dñs exercituū, Si videbitur difficile in oculis reliquiarū populi huius in diebus illis: nūquid et in oculis meis difficile erit, dicit Dñs exercituū? Hęc dicit Dñs exercituū, Ecce ego saluabo populū meū de terra orientis, & de terra occasus solis. Et adducā eos, & habitabūt in medio Ierusalem: & erunt mihi in populum, & ego [c] ero eis in Deū in veritate & in iustitia. Hæc dicit Dñs exercituum, Cōfortētur manus vestrę, qui auditis in his diebus sermones istos per os prophetarū in die qua fundata est domus Dñi exercituū, vt tēplū ædificaretur. Siquidē ante dies illos merces hominū nō erat, nec merces iumentorū erat, neq; introeunti neque exeunti erat pax præ tribulatione: & dimisi omnes homines vnumquenque cōtra proximū suū. [d] Nunc autē non iuxta dies priores ego faciā reliquijs populi huius, dicit Dñs exercituū: sed semen pacis erit: vinea dabit fructū suū, & terra

& terra dabit germen ſuum, & cœli dabunt rorem ſuum: & poſſidere faciam reliquias populi eius vniuerſa
hæc. Et erit: ſicut eratis maledictio in gentibus, domus Iuda & domus Iſrael, ſic ſaluabo vos, & eritis benedictio, nolite timere: cõfortentur manus veſtræ. Quia hęc dicit Dñs exercituũ, Sicut cogitaui, vt affligerem vos, C
cũ ad iracundiam prouocaſſent patres veſtri me, dicit Dñs, & nõ ſum miſertus: ſic cõuerſus cogitaui in diebus
Eph. 4.f iſtis, vt benefaciam domui Iuda & Ieruſalẽ: nolite timere. Hęc ſunt ergo verba, quæ facietis. Loquimini veritatẽ vnuſquiſq; cũ proximo ſuo: veritatẽ & iudiciũ pacis iudicate in portis veſtris. Et vnuſquiſq; malũ contra
amicũ ſuũ ne cogitetis in cordibus veſtris: & iuramentũ mendax ne diligatis: omnia enim hæc ſunt, quę odi,
dicit Dñs. Et factũ eſt verbũ Dñi exercituũ ad me, dicens, Hęc dicit Dñs exercituũ, [e] Ieiuniũ quarti, & ieiu-
nium quinti, & ieiuniũ ſeptimi, & ieiuniũ decimi erit domui Iudæ in gaudium & in lætitiã & in ſolennitates
præclaras: veritatẽ tantũ & pacẽ diligite. Hæc dicit Dñs exercituũ, † Adhuc venient populi, & habitabunt in D
ciuitatibus multis, & [f] vadent habitatores vnus ad alterum dicentes, Eamus, & deprecemur faciẽ Dñi, & quæ-
ramus Dñm exercituum: vadam etiam ego. Et venient populi multi, & gentes robuſtę ad quærendum Dñm
exercituum in Ieruſalem, & deprecandam faciẽ Dñi. Hæc dicit Dñs exercituũ, [g] In diebus illis, in quibus ap-
prehendent decem homines ex omnibus linguis gentium, & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes,
Ibimus vobiſcum: audiuimus enim quòd Deus vobiſcum eſt.

SCHOLIA.

[a] Indignatione.] *Videlicet contra hoſtes pro illa, conſolatur rurſus propheta Ieroſolymitanos, & hortatur ad extructionem ciuitatis & templi, promittens inſignia Dei beneficia.* [b] Ciuitas veritatis.] *Hoc eſt, ſtabilitatis vel fidei.* [c] Ero eis in Deum.] *Hoc eſt, fide vera.* [d] Nũc autem.] *Ad tempus Chriſti referenda ſunt hæc, quemadmodum & Iudæi fatentur.* [e] Ieiunium quarti.] *Præcedenti capite dixit tantum de ieiunio quinti, et ſeptimi menſis, hic quoque facit mentionem de ieiunio quarti menſis, in quo per Chaldæos interrupta fuit ciuitas, & de ieiunio decimi menſis, in quo ieiunabant propter obſeſſionem vrbis. Et cum vrbs eſſet reædificata, dicit Deus mœrorem illum, quem in ieiunijs habebant, propter gaudia auferendum, & propter multiplicia beneficia, quæ eis erat impenſurus: fore, vt omnes afflictiones obliuioni traderent.* [f] Ibunt habitatores.] *Hæc omnia ex Euangelijs etiam patent adimpleta, quando multi gentiles leguntur veniſſe ad templum Ieroſolymitanum ſicut prædixit Haggæus. Erit domus illa poſterior in maiori gloria, quod certũ fuit ſignum præſentiæ Meſſiæ.*
[g] In diebus illis.] *Subaudi hæc fient, et quod ait, apprehendent fimbriam viri Iudæi, hoc ſignificat. Cum poſt captiuitatem Babylonicam adhuc multi Iudæi in diſperſione manerent, ſicut & diuus Paulus ex Tharſo oriundus erat, & in Damaſco multi erant Iudæi, ſicut & Romæ, multi gentiles per illos ad verum Deum conuerſi, adhærebant illis Ieroſolymam perrecturis, & cum adoraſſent illic in magnis ſolennitatibus, iterum reuertebantur in loca ſua.*

CAPVT IX.

O[a] Nus verbi Dñi in terra Adrach & Damaſci requiei eius: quia † ad Dñm erit oculus hominis, & om- A
niũ tribuũ Iſrael. Emath quoq; in terminis eius, & Tyrus: & Sidon: [b] aſſumpſerũt quippe ſibi ſapiẽtiã
valde. Et ædificauit Tyrus munitionẽ ſuã, & coaceruauit argentũ quaſi humũ, & aurũ, vt lutũ platea-
rũ. Ecce Dñs, poſſidebit eã, & percutiet in mari fortitudinẽ eius, [c] & † ipſa igni deuorabitur. Videbit Aſcalõ,
& timebit, & Gaza, & dolebit nimis: & Accaron, quoniã cõfuſa eſt ſpes eius: & peribit rex de Gaza, & Aſcalon
nõ habitabitur. Et [d] † habitabit alienigena in Azoto, & diſperdã ſuperbiã Philiſthinorũ. Et [e] auferã ſanguinẽ B
eius de ore eius, & abominationes eius de medio dentiũ eius: & relinquetur etiã ipſe Deo noſtro, & erit quaſi
Matt. 11.a dux in Iuda, & Accaron quaſi Iebuſæus. [f] Et † agminatim ducam ad domũ meã euntes & reuertẽtes, & non
tranſibit ſuper eos vltrà exactor: quia nunc vidi in oculis meis. Exulta ſatis filia Sion, iubila filia Ieruſalẽ: [g] ec-
Iſa. 62.a ce rex tuus veniet tibi iuſtus & [h] ſaluator: ipſe pauper & aſcendẽs ſuper aſinã & ſuper pullũ filiũ aſinæ. Et [i] di- C
ſperdã quadrigã ex Ephráim, & equũ de Ieruſalẽ, & diſſipabitur arcus belli: & loquetur pacẽ gẽtibus, & pote-
ſtas eius à mari vſq; ad mare, & à fluminibus vſq; ad fines terrę. [k] Tu quoque in ſanguine teſtamẽti tui: emiſi
vinctos tuos de lacu, in quo nõ eſt aqua. Cõuertimini ad munitionẽ vincti ſpei: hodie quoq; annũtiãs duplicia
reddã tibi. Quoniã [l] extẽdi mihi Iudã quaſi arcũ, impleui Ephráim: & ſuſcitabo filios tuos Sion ſup filios D
tuos Græcia, & ponã te quaſi gladiũ fortiũ. Et Dñs ſuper eos videbitur, & exibit, vt fulgur iaculũ eius: & Dñs
Deus in tuba canet, & vadet [m] in turbine auſtri Dñs exercituũ proteget eos: & deuorabũt, [n] & ſubijcient lapi-
dibus fundæ: & bibẽtes inebriabũtur quaſi à vino, & replebũtur [o] vt phialę, & quaſi cornua altaris. Et ſalua-
bit eos Dñs Deus eorũ in die illa, vt gregem populi ſui: quia: [p] lapides † ſpecioſi eleuabũtur ſuper terram eius.
[q] Quod enim bonũ eius eſt, & quid pulchrũ eius, niſi frumẽtum † iuuenũ, & vinum † exhilaret virgines?

SCHOLIA.

[a] Onus verbi Domini.] *Denuntiat propheta his regionibus, quæ erant circa Ieruſalem, quod ſubyciendæ ſint regno Meſſiæ, nam & à Iudæis hoc caput de eo exponitur. Per terram Adrach intelligunt Syriam, vel ciuitatẽ aliquam inſignem in Syria, in qua ſicut & in Damaſco, hæc prophetia quieſcere dicitur. Quidam Iudæi interpretantur compoſitum vocabulum Adrach de Meſſia, qui acer futurus ſit in hoſtes, & clemens in ſuos.* [b] Aſſumpſerunt quippe.] *Licet Tyrus (inquit) multum olim polleret ſapientia huius ſeculi, tempore tamen Meſſiæ nihil proderit ei ſapientia ſua, nec fiduciam habebit in ea, poſtquam humilis facta fuerit coram Deo.* [c] Et ipſa igni.] *Vetus illa ſcilicet.* [d] Habitabit alienigena.] *Ionathæ vertit. Habitabit familia Iſrael in Azoto, qui fuerunt in ea ſicut extranei.* [e] Auferam ſanguinem.] *Hoc eſt, ex Philiſtæis, qui Iudæorum hactenus acerrimi fuerunt hoſtes, faciam amicos, & conciliabo eos in vna fide, vt & me agnoſcant, ſicut Iudæi, & inſtituam ex eis duces, qui verbum Euangely plantent. Per Iebuſæum intellige Ieroſolymitanum.* [f] Et agminatim.] *Alius vertit. Et caſtri loco ero domui meæ contra militiam. Vt ſit ſenſus. Nulla potentia aduerſariorum nocere poterit eccleſiæ meæ, quia ego ero protector eius.* [g] Ecce rex tuus.] *Quis ſit rex iſte, diuus Matthæus oſtendit, cap. 21. quando in Chriſto hanc prophetiam dicit impletam. Quod & quidam antiquior Hebræus ait, impoſſibile eſſe de alio quàm de Meſſia dici, cum in nullo alio hoc videatur impletum.* [h] Saluator.] *Hebraicè habetur ſaluatus, ſed re ipſa eadem eſt ſententia, quòd quibus*

quibus ipſe ſaluus ſiue victor euaſit, non ſibi, ſed nobis victoriam illam peperit. Præterea in Hebræo paſſiuum interdum inuenitur pro actiuo, poteſt & accipi pro ſalute plenus, vel ſalute circundatus. [i] Diſpergam.] *Hoc eſt, regnum Chriſti non conſtabit armis, ſed pace.* [k] Tu quoq;.] *Scribuntur hæc verba in fœminino genere, ideo referenda ad Sion, hoc eſt, eccleſiam, & putant Hebræi hic deeſſe verbum, ſalnata es. Eccleſia ergo ſaluata eſt in ſanguine teſtamenti ſui, de quo Chriſtus ait, Hic eſt ſanguis noui teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur, &c. Et quando ſequitur, emiſi vinctos tuos, ſunt etiam verba Dei ſicut præcedentia, quibus oſtenditur, Chriſti ſanguine redemptos omnes, qui erant in lacu, aqua ſalutari deſtituto, & qui vincti ſpem habuerunt, ſeſe hoc ſanguine liberandos, omnes iſti veluti in munitionem fortiſſimam ſunt conſtituti, & acceperunt duplicia de manu Domini, remiſſionem ſcilicet peccatorum, & liberationem à iugo legis. Appellat ergo vinctos ſpei, concluſos in eam ſpem, quæ reuelanda erat: & illud, hodie quoque, hoc eſt, eodem tempore. Similiter illud, annuntians duplicia reddam tibi, alius legendum dicebat, Interpretem Deuteronomij adducam tibi.* [l] Extendi mihi.] *Docet ſalutem ex Iudæis fuiſſe, & apoſtolos ex Iuda veluti arcus extenſos miſſos in orbem, iaculantes verba efficacia, cor & medullam penetrantia. Porrò implere Ephraim, idem eſt quod dare arcum, et iacula in manu, quaſi dicat, ſummo conatu tetendi, vt violentius iaculari poſſit.* [m] In turbine.] *Turbo ab auſtro excitatus eſt vehementior aliis tempeſtatibus: ſic prædicatio apoſtolorum fuit quaſi magna tempeſtas, quaſi tonitrua & fulgura, quando annuntiauerunt iram Dei manere ſuper omnem impium, &c. Et, quia mundus hæc tonitrua ferre non potuit, narratur conſequenter, quomodo Deus ſuos protegat donec infideles deuorent & lucrifaciant Chriſto, & donec eos verbo Dei veluti funda proſternant. Ibunt (inquit) pauperes & deſpecti illi nuncy Dei per orbem, & intrabunt regna potentiſſima, & velati ebry non a vino exteriori, ſed gratia ſpiritus ſancti conſtanter exequentur miniſterium Dei, & nullis deterrebuntur inuuys.* [n] Et ſubijcient.] *Alius legebat, Subycient ſibi lapides funde: hoc eſt Græcos, nihili lapidibus ſimiles.* [o] Vt phialæ.] *Quibus excipitur ſanguis immolatorum, Et quaſi cornua altaris, ſuper quæ ſanguis victimarũ fundi ſolet.* [p] Lapides ſpecioſi.] *Hoc eſt, gemmæ, quibus coronæ exornari ſolent: opponitur illi, quod ſupra dixit, lapides fundæ.* [q] Quod enim.] *Scilicet populi, hoc eſt, quid præſtantius illi populo contingere poterit, quàm vt terra eius frumentum alendis iuuenibus, & vinum, quod exhilarat virgines, proferat? Panis ergo & Vinum Euangelicum, mox vt ea guſtauerint homines, reddent fortes, & alacres ſpiritu.*

CAPVT X.

A PEtite à Dño pluuiã [a] in tẽpore ſerotino, & Dñs faciet † fulgurationẽ, & pluuiã imbris dabit eis, ſingulis
hærbã in agro. Quia ſimulachra locuta ſunt inutile, & diuini viderunt mẽdaciũ, & ſomniatores locuti
ſunt fruſtra, & vanè cõſolabãtur: iccircò abducti ſunt quaſi grex, affligẽtur, quia nõ eſt eis paſtor. Super
paſtores iratus eſt furor meus: & [b] ſuper hircos viſitabo: quia viſitauit Dñs exercituũ gregem ſuum domũ Iu-
B da, & poſuit eos quaſi [c] equum gloriæ ſuę in bello. [d] Ex ipſo angulus, ex ipſo paxillus, ex ipſo arcus prælij, ex
ipſo egredietur omnis exactor ſimul. Et erunt quaſi fortes, [e] cõculcantes lutum viarũ in prælio: & bellabunt,
quia Dñs cum eis: & cõfundentur aſcẽſores equorũ. Et cõfortabo domũ Iuda, & domũ Ioſeph ſaluabo: & cõ-
uertam eos, quia miſerebor eorũ: & erunt ſicut fuerunt quando nõ proiecerã eos: ego enim Dñs Deus eorũ, &
C exaudiam eos. Et erunt quaſi fortes Ephráim, & lætabitur cor eorũ quaſi à vino: & filij eorũ videbunt, & lætabuntur, & exultabit cor eorũ in Dño. [f] Sibilabo eis, & congregabo illos, quia redemi eos: & multiplicabo eos
ſicutante fuerant multiplicati. Et ſeminabo eos in populis, & délonge recordabuntur mei: & viuent cũ filijs
ſuis, & reuertentur. Et reducã eos de terra Ægypti, & de Aſſyrijs cõgregabo eos, & ad terrã Galaad, & Libani
D adducam eos: & [g] nõ inuenietur eis locus. [h] Et tranſibit † per mare calamitas, & percutiet in mari fluctus, &
confundentur omnia profunda fluminis: & humiliabitur ſuperbia Aſſur, & [i] ſceptrum Ægypti recedet. Cõ-
fortabo eos in Domino, & in nomine eius ambulabunt: dicit Dominus.

SCHOLIA.

[a] In tempore ſerotino.] *Eſt pluuia ſerotina, pluuia vltima, quæ deſcendit, & fœcundat frumentum, intelligiturq; hic per eam, doctrina Euangelica, quæ poſtulanda eſt à Domino: hæc dabitur cum irradiationibus diuinis. Verum ad literam ſic dicit. Dabit pluuiam tempeſtiuam, et copioſam qualis in æſtate cadere ſolet cum tonitru & fulgure.* [b] Super hircos.] *Qui paſtores in grege eſſe debuerant facti ſunt hirci gregem in deuia ducentes.* [c] Equum gloriæ.] *Equum generoſiſſimũ, per quos intellige apoſtolos, qui pro gloria nominis diuini, pugnauerunt contra impietatem mundi, tanquam equi ad bellũ parati.*
[d] Ex ipſo angulus.] *Ex grege (inquit) domus Iuda procedent armati illi equites, qui bellum indicent toti mundo, non corporale, ſed ſpirituale, in hoc erunt anguli, hoc eſt, duces, quales fuerunt apoſtoli, & paxilli vel claui, fideles & conſtantes homines, Vt Eſa. 22.* [e] Conculcantes lutum.] *Hoſtes tanquam lutum.* [f] Sibilabo eis.] *Vocabo eos, & afflabo ſpiritu meo, Et ſeminabo (inquit) eos, ſicut ſemen ſparſum in terram multiplicat fructum, ſic ſpargam eos inter gentes, Vt doctrina ſua plurimum profeyant fructum, & cum aliquandiu vixerint cum filijs ſuis, quos Chriſto genuerunt, reuertentur, Vt & alijs nationibus annuntient regnum Dei.* [g] Non inuenietur eis.] *Satis amplus videlicet. Adeo (inquit) multiplicabuntur fideles, vt ſi in terram Iſrael ducerentur, regnum illud eos minimè capere poſſet. Non enim arctatur regnum Chriſti in tam anguſtum locum, ſicut olim regnum Iſrael.* [h] Et tranſibit per mare.] *Hoc eſt, per multitudinem hoſtium turbulentorum in ſtar maris. Alius ſic interpretatur, Dominus compeſcet fluctus maris, Vt etiam Euangelici nuncy peruenire poſſint ad interiores, & remotiores Inſulas maris, &c.* [i] Sceptrum Ægypti.] *Scilicet ab Ægypto.*

CAPVT XI.

A [a] Peri Libane portas tuas, & comedet ignis cedros tuas. Vlula abies, quia cècidit cedrus, quoniam magnifici vaſtati ſunt: vlulate quercus Baſan, quoniã ſuccifus eſt ſaltus munitus. Vox [b] vlulatus paſtorũ
quia vaſtata eſt magnificentia eorũ: vox rugitus leonũ, quoniã vaſtata eſt [c] ſuperbia Iordanis. Hæc di-
cit Dñs Deus meus, [d] Paſce pecora occiſionis, quæ qui poſſederant, occidebant, & id impune licet putabãt:
& vẽdebant ea, dicẽtes, Bñdictus Dominus, diuites facti ſumus, & paſtores eorũ nõ parcebant eis. Et ego nõ
B parcã vltrà ſuper habitantes terrã, dicit Dñs: ecce ego tradã homines, vnũquenq; in manu proximi ſui, & in
manu regis ſui: & concident terrã, & non eruam de manu eorũ. Et paſcam pecus occiſionis propter pauperes
gregis:

Iere. 15.a gregis:& assumpsi mihi duas virgas, e vnam vocaui Decôrem,& alterã vocaui Funiculũ:& paui gregem. f Et
succidi tres pastores in mẽse vno,& † irata est anima mea in eis:siquidem & anima eorũ,irritauit me. Et dixi,
Non pascam vos:quod moritur,moriatur,& quod succiditur,succidatur:& reliqui deuorent vnusquisq; car-
nẽ proximi sui. Et tuli virgam meam,quæ vocabatur Decus,& abscidi eam: g vt irritum facerem fœdus meũ C
quod percussi cum omnibus populis. Et irritum deductum est in die illa:& cognouerũt sic pauperes gregis,
h qui custodiunt mihi,quod verbum Domini est. i Et dixi ad eos,Si bonum est in oculis vestris,afferte merce
Matt. 27.a dẽ meam:& si non,quiescite. Et appenderunt meredem meã triginta argenteos. Et dixit Dñs ad me,Proijce
illud ad † figulum k decôrum precium quo appreciatus sum ab eis. Et tuli triginta argenteos:& i proieci illos
in domo Domini,ad † figulum. Et prescidi virgam meam secundam, quæ appellabatur Funiculus, vt m dis- D
soluerem germanitatem inter Iudam & Israel. Et dixit Dominus ad me, Adhuc sume tibi vasa n pastoris stul-
ti. Quia ecce ego suscitabo pastorem in terra,qui derelicta non visitabit,dispersum non quæret,& contritum
non sanabit,& id quod stat nõ enutriet,& carnes pinguium comedet,& o vngulas eorum dissoluet. O pastor
& idolum,derelinquens gregem: p gladius super brachium eius,& super oculum dextrum eius: brachiũ eius
aridita te siccabitur,& oculus dexter eius tenebrescens obscurabitur.

SCHOLIA.

a Aperi Libane.] *Putant hoc loco accipiendum Libanum pro tota terra, quod ex contextu orationis valde videtur verisimile. Alij per Libanum intelligunt templum ex cedris Libani, & quercubus Basan constructum. Ostendit hic propheta destructionem Ierusalem,& totius populi Iudaici,qui nolebant recipere nouum regnum Christi,sed mordicus tueri conabantur vetus illud suum regnum.* b Vlulatus pastorum.] *Hi sunt summi sacerdotes,& legis periti. Per leones verò intelliguntur diuites,& potentes ciues Ierosolymitani.* c Superbia Iordanis.] *Opulentia eorum,(vt quidam volunt) qui habitant vltrà Iordanem. Alij sic: tumor Iordanis exinanitus est,vt nemo potuerit esse tutus à Romanis, qui facile trauecre Iordanem.* d Pasce pecora occisionis.] *Verba sunt Dei patris ad Christum. Quanquam alius legebat,pascere pecora,vt sit sensus. Ego ipse cogar pascere pecora occisionis,&c. Sic illud. Et pastores eorum non parcebant eis,legebat. Quare pastor eorum non parcet eis, videlicet pastoribus,hoc est,ego non parcam.* e Vnam vocaui decorem.] *Amentatem pascitorum, alteram funiculum,siue correptiones, vel pestes,vt significet contrarium illius,quod significabat prior. Prior significat salubrem doctrinam Christi,altera legem: quæ terret,& punit hominem.* f Succidi tres pastores.] *Hoc est,paruo tempore. Videtur orationis contextus requirere,vt per tres pastores intelligamus,principes gentium,ipsius Israel, & Iudæ, quorum trium imperiorum hic mentionem facit,vt sententia sit,abiecta cura malorum omnium, vere pauperes pascendos Christus Dominus suscepit. Alij sic interpretantur,fuisse tempore Christi inter Iudæos triplices pastores, nempe sacerdotes, sapientes, seu magistratus,& legis peritos.* g Vt irritum facerem fœdus.] *Sensus est,cum me & doctrinam meam nollent accipere, conuersus sum ad gentes,vt illis offerrem gratiam meam,etiam si interim pauperes & abiectiores,qui erant inter Iudæos, agnoscerent verbum Christi esse verbum Dei viuentis,et non offenderentur,quòd sacerdotes & legisperiti Christum & doctrinam eius condemnauerint:& quod sequitur,Quod percussi cum omnibus populis,ne scilicet molestæ essent reliquæ nationes eis: quæ re nunc expono eos direptioni omnium.* h Qui custodiunt mihi.] *Qui obseruant & venerantur me.* i Et dixi ad eos.] *Iudæos scilicet,Efferte mercedem. Sensus est,postquam hoc vnum apud vos decreuistis,vt me abjiciatis, & mensuram patrum vestrorum impleatis,afferte,vel date mercedem proditori dicui iniquo,qui me tradat in manus vestras. Quamodo autem hæc in Christo sint impleta,pulchrè ostendit Matthæus,cap.27.* k Decorum precium.] *Ironicè dictum est.* l Proieci illos.] *Sicut interpretatur diuus Matthæus,in emptionem agri figuli. Mirum quomodo à prophetis ita particulatim prædicta sint,quæ in Christo erant implenda.* m Dissoluerem germanitatem.] *Consensum, & veluti conuersationem quandam contra Dominum. Videbantur nanque inter se certare,vtri alteros superare possent idolorũ cultura, et flagitijs reliquis. Alius sic,Aboleui legem Mosaicam, per quam Iudæi inuicem,vt fratres,colligabantur,& secludebant omnes gentiles.*
n Pastoris stulti.] *De Antichristo putatur dictum.* o Vngulas eorum dissoluet.] *Franget, id est non solum nihil iuuabit,sed etiam nocebit,frangens baculo suo pastorali teneras vngulas.* p Gladius.] *Vltio scilicet diuina, quæ consumet robur brachij,& versutiam oculi dextri,vel oculum cordis: iuxta illud: Cor sapientis in dextera eius.*

CAPVT XII.

ONus verbi Domini super israel:dixit Dominus extendens cœlum,& fundans terram, & fingens spi- A
ritum hominis in eo. Ecce ego ponam Ierusalem a calicem ebrietatis omnibus populis in circuitu:
& super Iudam erit in obsidione contra Ierusalem. Et erit in die illa, ponam Ierusalem b lapidem
oneris cunctis populis:omnes,qui leuabunt eum,concisione lacerabuntur, & colligentur aduersus eũ om-
nia regna terræ. In die illa dicit Dominus, c percutiam omnem equum in stuporem, & ascensorem eius in
amentiam:& super domum Iuda aperiam oculos meos,& omnem equum populorum percutiam cæcitate. B
Et dicent duces Iuda in corde suo, † d robur mihi habitatores Ierusalem in Domino exercituum Deo eorũ.
In die illa ponam duces Iuda e sicut caminum ignis in lignis, & sicut facem ignis in fœno: & deuorabunt
ad dexteram & ad sinistram omnes populos in circuitu:& habitabitur Ierusalem rursus in loco suo in Ieru-
salem. Et saluabit Dominus tabernacula Iuda, sicut in principio f vt non magnificè glorietur domus Da-
uid,& gloria habitantium Ierusalem contra Iudam. In die illa,proteget Dominus habitatores Ierusalem:& C
erit † imbecillus ex eis in die illa,quasi Dauid: g & domus Dauid quasi † Deus,sicut angelus Domini in con-
spectu † eorum. Et erit in die illa:quæram conterere omnes gentes quæ veniunt contra Ierusalem. Et effun-
dam super domum Dauid,& super habitatores Ierusalem spiritum gratiæ h & precum: & aspicient i ad me,
quem cõfixerunt: & k plangent eum planctu quasi super vnigenitum, & dolebunt super eum vt doleri solet
in morte primogeniti. In die illa magnus erit planctus in Ierusalem,sicut planctus Adadremmon in campo D
Mageddon. Et l planget terra familiæ,& familiæ seorsum:familię domus Dauid seorsum,& mulieres eorum
2. Pa. 35.d seorsum,familię domus Nathan seorsum,& mulieres eorum seorsum: familiæ domus Leui seorsum, & mu-
lieres

lieres eorum seorsum:familiæ Semei seorsum,& mulieres eorum seorsum. Omnes familiæ reliquæ, familiæ
& familiæ seorsum,& mulieres eorum seorsum.

SCHOLIA.

a Calicem ebrietatis.] *Intelligunt de ijs, qui crediderunt in Christum qui multas passi sunt persecutiones ab incredulis Iudæis & gentibus & per Ierusalem videntur accipiendi apostoli, reliqui verò Christiani nomine Iudæ, quæ Iuda bibet ex illo poculo & ab inimicis domesticis,quos Paulus falsos fratres vocat,libera non erit.* b Lapidem oneris.] *Hæc similitudine ostenditur quòd Christiani ab infidelibus extingui non poterunt, sed qui leuabunt eum, id est, transferre illum de loco suo conati fuerint,opprimentur ab hoc lapide,quidam in commodum suum, vt Paulus, alij in damnationem.* c Percutiam omnem equum.] *Hoc est,potentia huius mundi non superabit populum Christianum fidentem Domino exercituũ.* d Robur mihi.] *Scilicet erunt,tanquam dicat cum illis audebimus,nos quibuscunque hostibus opponere, habent nanq; propitium Dominum Deum suum.* e Sicut caminũ ignis.] *Christiani igne sancti spiritus accensi,erunt inter gentes quasi ignis in lignis,aut flamma in stramine,multos q; deuorabunt,et in Christi corpus trajcient, et manebit Ierusalem illa spiritualis in loco suo,non obstante persecutione infidelium.* f Vt non magnificè glorietur.] *Hoc est,nullus inuidebit alij, erunt felicissimi omnes,& minimus felicior,quàm fuit olim in suo regno Dauid.* g Et domus Dauid.] *Hoc est Messias Christus Dominus,erit(inquit)quasi Deus.* h Et precum.] *Hoc est,propitiationis.* i Ad me quem confixerunt.] *Vide Ioan.19. Pertutum mundum erunt(inquit)qui me aspicient,& agnoscent,quòd propter eorum peccata transfixus, & mortuus sum. Vbi inuenitur diuinitas & humanitas Christi,nam cum dixisset effundam spiritum gratiæ, quod non est nisi Dei, mox subiecit ad me,quem transfixerunt.* k Plangent eum.] *Mutatur persona loquentis. Nam propheta ostendere volens, quantus luctus consecuturus erat crucifixionem eius apud propinquos eius,et omnes Christi fideles,comparat dolorem illum mœrori,qui nascitur ob mortem primogeniti, & vnigeniti, aut qui fuit ob mortem pyssimi regis Iosiæ,in campo Mageddon 2. Paral.cap. 35.Ionathas Chal.hunc locum sic vertit, Magnus erit planctus in Ierusalem,iuxta planctum Achab filij Omri,quem interfecit Hadadrimmon filius Tabrimon,& sicut planctus Iosiæ filij Amon,quem occidit Pharao claudus, in planicie Mageddon.* l Plangent terræ.] *Sensus est.Iuxta exemplum Christi quilibet patienter ferre debet propriam crucem,iuxta illud Pauli,Si compatimur,& conregnabimus.*

CAPVT XIII.

AIN die illa,erit a fons patens domui Dauid & habitantibus Ierusalem:in ablutionẽ peccati & menstrui. Et
erit in die illa,dicit Dñs exercituũ, Disperdã nomina idolorũ de terra,& nõ memorabuntur vltrà:& pseu
doprophetas:& spiritũ immundũ auferã de terra. Et erit:cum prophetauerit quispiã vltrà, dicent ei pater
B eius & mater eius qui genuerunt eũ,Nõ viues:quia mendaciũ locutus es in nomine Dñi: & cõfigẽt eũ pater Eze. 30.d
eius & mater eius genitores eius,cũ prophetauerit. Et erit:in die illa cõfundentur prophetæ vnusquisque b ex
visione sua cum prophetauerint,nec operientur c pallio † villoso,vt mentiantur:sed dicet, d Nõ sum prophe
C ta,homo agricola ego sum:quoniam Adam exẽplũ meũ ab adolescẽtia mea. Et dicetur ei. e Quid sunt plagę
istę in medio manuũ tuarũ? Et dicet,His plagatus sum in domo eorũ qui diligebant me. f Phramea suscitate
super pastorem meum,& super virum † socium meum,dicit Dñs exercituum:percute pastorem,& dispergẽ Matt. 26.e
D tur oues:& conuertam manum meam g ad paruulos. Et erunt in omni terra,dicit Dominus partes duæ in ea Marc. 14.c
dispergentur & deficient:& tertia pars relinquetur in ea. Et h ducam tertiam partem per ignem, & vram eos
sicut vritur argentum:& probabo eos,sicut probatur aurum. Ipse vocabit nomen meum, & ego exaudiam
eum. Dicam,Populus meus es:& ipse dicet,Dominus Deus meus.

SCHOLIA.

a Fons patens.] *Nimirum baptismus, vel aqua,illa viua de qua legis,Ioan.5.* b Ex visione sua.] *Quia nihil euenietrum,quæ prædixerunt.* c Pallio villoso.] *Hoc dicitur,quòd pseudoprophetæ olim imitabantur amictum & mores veterum prophetarum.* d Nõ sum propheta.] *Verus Christianus non gloriabitur,sed in humilitate delectabitur. Et qui mendacijs prius gaudebant,nunc illa deponent.* e Quid sunt plagæ istæ.] *Quare adhæres patibulo,& respondebit,se non ægrè ferre afflictiones,cum ita edoctus sit à domesticis fidei,præsertim cum habeat tam præclarum exemplum Christi,qui innocens subijt plagas.* f Framea suscitare.] *Vos(inquit)Iudei hactenus sæpe intentastis mortem filio meo Christo, sed quia ego nolui,nihil efficere potuistis,nunc autem permitto,vt gladium stringatis in eum,percutite ergo pastorem, postea quàm à proposito vestro reuocari non potestis,& virum propinquum meum,&c. Et quis est patri cœlesti propinquior, & coniunctior quàm filius,qui est in sinu patris? Porrò prophetiam istam dicit Christus in se impletam, Matthæi 26.* g Ad paruulos.] *Quos mundus abjcit, accipit Christus.* h Ducam tertiam partem per ignem.] *Pauci enim sunt, qui seruantur, & ij per multas afflictiones intrant in regnum cœlorum.*

CAPVT XIIII.

ECce dies Domini venit,dicit Dominus: & a diuidentur spolia tua in medio tui. Et congregabo om- A
nes gentes ad Ierusalem in prælium,& capietur ciuitas,& vastabuntur domus, & mulieres violabun-
tur:& egredietur media pars ciuitatis in captiuitatem,& reliquum populi non auferetur ex vrbe. Et
egredietur Dominus,& b præliabitur contra gentes illas: c sicut præliatus est in die certaminis. Et stabũt pe-
des eius in die illa super montem oliuarum qui est contra Ierusalem ad orientem: & scindetur mons oliua-
rum ex media parte sui ad orientem & occidentem præruptu grandi valde, & separabitur medium montis 2. Pa. 26.d
ad aquilonem,& medium eius ad meridiem. Et fugietis d ad vallem montium, † quoniam coniungetur val- Amos 1.a
B lis montium e vsque ad † Azel: & fugietis sicut fugistis à facie terræmotus in diebus Oziæ regis Iuda: & ve-
niet Dominus Deus meus, f omnesque sancti cum eo. Et erit in die illa:non erit lux, g sed † claritas cum ob-
scuritate mixta. Et erit dies vna,quæ nota est Domino,non dies neque nox: & in tempore vesperi erit lux. Et
erit in die illa: h exibunt aquæ viuæ de Ierusalem: medium earum i ad mare orientale, & medium earum ad
mare nouissimum: k in æstate,& in hyeme erunt. Et erit Dominus rex super omnem terram:in die illa erit

Dominus vnus,& [t] erit nomen eius vnum. Et reuertetur omnis terra † [m] tanquam planities á Gaba ad Remmon ad austrum Ierusalem:& exaltabitur,& habitabitur in loco suo,à porta Beniamin vsque ad locum portæ prioris & vsque ad portam angulorum : & à turre Hananeel vsque ad torcularia regis. Et habitabunt in C
ea,& [n] anáthema nõ erit amplius:sed sedebit Ierusalem secura. Et hęc erit plaga qua percutiet Dominus omnes gentes,quæ pugnauerunt aduersus Ierusalem, [o] Tabescet caro vniuscuiusque stantis super pedes suos,& oculi eius contabescent in foraminibus suis,& lingua eorum contabescet in ore suo. In die illa erit tumultus Domini magnus in eis:& apprehendet vir manum proximi sui,& conteretur manus eius super manum proximi sui. Sed & [p] Iudas pugnabit aduersus Ierusalem:& congregabuntur diuitiæ omnium gentium,in circuitu,aurum & argentum & vestes multæ satis. Et sic erit ruina equi & muli & cameli & asini,& omnium iumentorum,quæ fuerint in castris illis:sicut ruina hæc. Et omnes qui reliqui fuerint de vniuersis gẽtibus, quę D
venerunt contra Ierusalem,ascẽdent ab anno in annum,vt adorent regem Dominum exercituum, & celebrent [q] festiuitatem tabernaculorum. Et erit:qui non ascenderint de familijs terræ ad Ierusalem,vt adorent regem Dominum exercituum,non erit super eos imber. Quòd & si familia Ægypti non ascenderit, & non venerit:nec super eos erit,sed erit ruina qua percutiet Dominus omnes gentes,quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. Hoc erit [r] peccatum Ægypti, & hoc peccatum omnium gentium, quæ non ascenderint ad celebrandam festiuitatem tabernaculorum. In die illa erit [s] quod super frenum equi est sanctum Domino:& erunt lebetes in domo Domini quasi phialæ coràm altari. Et erit omnis lebes in Ierusalem & in Iuda sanctificatus Domino exercituum:& venient omnes immolantes,& sument ex eis,& coquent in eis:& [t] non erit mercator vltrà in domo Domini exercituum in die illo.

SCHOLIA.

[a] Diuidentur spolia tua.] *Plerique hoc caput exponunt de Antichristo & probatione fidelium quæ suo tempore futura est,quæque aduentum Domini præcedet. Tunc enim erit tanta afflictio,qualis non fuit ab initio mundi. Aly verò quibus hæc expositio non vbique satisfacit,putant prophetam hic loqui de vltima deuastatione Ierusalem, quæ facta est per Romanos. Et hi hunc locum,& reliquum populi non auferetur ex vrbe, sic intelligunt, medietas in captiuitatem ducetur,& residui non extra ciuitatem,sed intra mœnia fame & peste,atque gladio exterminabuntur.* [b] Præliabitur contra gentes illas.] *Hæc pugna videtur fuisse predicatio Euangelij, qua Apostoli & successores eorum Romanorum imperium, & ferè omnes gentes expugnauerunt, Et hoc prælium incepit à monte super quo pedes Christi steterunt cum in cœlum ascenderet & diceret, Ite in orbem vniuersum & prædicate, &c. Et tunc scissus fuit mons oliuarum,hoc est, ecclesia Christi in monte illo collecta diuisa est in quatuor mundi plagas, vt prædicaret verbum Christi omni creaturæ. Sicut enim in superioribus ecclesia significatur per Ierusalem & Sion, sic quoque hic intelligitur per montem oliuarum. Ex hac autem dispersione Apostolorum relictus est hiatus magnus,infelix scilicet Iudæa deserta & derelicta,à qua fugerunt Iudæi,quique Christiani facti,ne & ipsos apprehenderet vltio diuina,in perfidos sæuiens Iudæos. De terræmotu facto in diebus Oziæ habes 2. Paral.26.& Michææ primo.* [c] Sicut præliatus est.] *Olim contra Pharaonem.* [d] Ad vallem montium.] *Vallem Iosaphat, siue iudicij.* [e] Vsque ad Azel.] *Locum extra montem illum olineti. Alius sic vertit hunc locum. Fugietis per vallem montium,eo quòd vallis montium pertingat vsque ad Azel. Videntur hæc esse tutiora loca quibus significatur id, quod supra diximus,subduxisse se fideles à diuina vltione,quæ Iudæis imminebat.* [f] Omnesque sancti cum eo.] *Hoc dicitur,quòd Dominus ipse cum Apostolis Euangelicum negocium inter gentes promouit.* [g] Claritas cum obscuritate mixta.] *In Hebr. est. Preciosa coagulata. Appellant enim diluculù lucem concretam,seu coagulatam. Erit(inquit) dies illa Domini,neque serena, neque obscura, quia erit dies spiritualis,quem nemo videre poterit præter Dominum,sed fide tantum agnoscimus illum. At cum vespera,hoc est,finis mundi aduenerit,tunc cessabit fides, & affulgebit lux perpetua.* [h] Exibunt aquæ viuæ.] *Hæ sunt aquæ spiritus sancti, iugiter fluentes de medio ecclesiæ.* [i] Ad mare orientale.] *Hoc est, quod supra dixit. Dominabitur à mari vsque ad mare.* [k] In æstate.] *Tam in æstate quàm in hyeme,hoc est perpetuò, vt nec calore,siccentur,nec frigore constringantur, videtur ergo dicere nec futuram æstatem nec hyemem.* [l] Erit nomen eius vnum.] *De quo Ioan. In principio erat Verbum, & psal. Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* [m] Tanquam planicies.] *Iuxta illud Esaiæ. Erunt prauа in directa, &c. Tunc exaltabitur Ierusalem, & posita erit super montem,qui est Christus,& portæ eius apertæ erunt in omnibus plagis mundi, &c.* [n] Anathema.] *Vastatio.* [o] Tabescet caro.] *Persecutores ecclesiæ tandem cum potentia sua omni succumbent, & ecclesia Christi emerget illustrior.* [p] Iudas pugnabit aduersus Ierusalem.] *Hoc de hæreticis ecclesiam impugnantibus accipe, & de tyrannis qui inter Christianos sæuiunt,quorum tandem bona auferentur ab eis,et destituentur illis,sicut & possessiones equorum, &c.* [q] Festiuitatem tabernaculorum.] *Hoc est,protectionis ab omnibus malis. Vel,fideles agnoscent se peregrinos in terra,quod qui non fecerint ab illis auferetur pluuia verbi diuini.* [r] Peccatum Ægypti.] *Hoc est,pœna peccati.* [s] Quod super frenum equi est.] *Per ornamenta equorum, & ollas intelliguntur hic vary status Christianorum hominum, qui omnes sanctι esse debent in ecclesia,sicut olim pelues, & vasa templo Domini consecrata, & qui sacrificare voluerit, accipiat vnum ex lebetibus, & coquat in eo,hoc est,cui amplior concessa est gratia,alium instruere & docere debet in fide, & gratissimum esse vet Deo sacrificium.* [t] Non erit mercator.] *Vel. Chananæus, Non(inquit) vt olim Chananæi aliqui remanserunt inter Iudæos,sic inter Christianos manebunt impy, & hæretici,sed seipsos prodent & segregabunt ab ecclesia.*

MALACHIÆ PROPHE.

CAPVT I.

A
B Nvs verbi Dñi ad Israel in manu Malachię prophetæ. Dilexi vos dicit Dñs:& dixistis, In quo dilexisti nos? [a] Nõne frater erat Esau Iacob,dicit Dñs, & dilexi Iacob? Esau autẽ odio habui,& posui montes eius in solitudinẽ,& hęreditatem eius [b] in dracones deserti. Roma. 9.c
Quòd si dixerit Idumæa, Destructi sumus,sed reuertentes ædificabimus, quæ destructa sunt:hæc dicit Dñs exercituũ,Isti ædificabunt,& ego destruã: & vocabũtur termini impietatis,& populus cui iratus est Dñs vsq; inæternũ. Et oculi vestri videbunt:& vos dicetis,Magnificetur Dñs super terminũ Israel. Filius honorat patrem,& seruus dominũ
suum:si ergo pater ego sum,vbi est honor meus? & si dominus ego sum,vbi est timor meus: dicit Dñs exercituũ? Ad vos ò sacerdotes,qui despicitis nomen meum,& dixistis,In quo despeximus nomen tuũ? Offertis super altare meũ [c] panem pollutũ:& dicitis,In quo polluimus te? In eo quod dicitis, [d] Mensa Dñi despecta est:
[e] Si offeratis cæcum ad immolandum,nónne malũ est?& si offeratis claudum,& languidum, nõne malũ est? offer illud duci tuo,si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dñs exercituũ. Et nunc deprecamini
C vultum Dei,vt misereatur vestri: [f] de manu enim vestra factũ est hoc,si quo modo suscipiat facies vestras,dicit Dñs exercituũ. [g] Quis est in vobis qui claudat ostia,& num incenditis altare meum gratuito? nõ est mihi voluntas in vobis dicit Dñs exercituũ:& munus nõ suscipiã de manu vestra. Ab ortu enim solis vsq; ad occasum,magnũ est nomen meũ in gentibus,& [h] in omni loco sacrificatur,& offertur nomini meo oblatio mũda:quia magnum est nomen meũ in gentibus,dicit Dñs exercituum. Et vos polluistis illud in eo quod dici- Psal. 112.a
D tis,Mensa Dñi contaminata est: [i] & quod superponitur,contemptibile est cũ igne qui illud deuorat. Et dixistis, [k] Ecce † fatigatio,& exufflastis illud,dicit Dominus exercituum, & intulistis de rapinis claudum & languidum,& intulistis munus:nunquid suscipiã illud de manu vestra,dicit Dominus? Maledictus dolosus, qui Amos 5. b
habet in grege suo masculum,& votum faciens,immolat debile Domino:quia rex magnus ego,dicit Dominus exercituum,& nomen meum [l] horribile in gentibus.

SCHOLIA.

Malachias propheta apud Hebræos angeli sortitus vocabulum,putatur à quibusdam fuisse angelus, & non homo. Plurimi putant fuisse Esram scribam. Sed non refert quis fuerit, cum constet hunc ab Euangelistis in rebus magnificis in testimonium veritatis citari. Ostendit autem quàm inutiles fuerint sacerdotes legales, ducitq; nos ad vnicum illum,& verum atque Deo gratissimum sacerdotem Christum,cuius sacerdotium manet in æternum. [a] Nónne frater erat.] *Etiam maior natu. Hæc autem dicit Deus,vt ostendat se longè maiora beneficia exhibuisse populo Israel, quam Idumæis,aut alijs gentibus,& tamen illi ingrati,tam pium patrem & beneficum Dominum non agnouerunt.* [b] In dracones deserti.] *Hoc est inhabitabilem.* [c] Panem pollutum.] *Quis sit ille panis pollutus,ostendit cum subdit. Offertis cæcum,claudum,& infirmum,&c.* [d] Mensa Domini despecta est.] *Tanquam dicat,ideo panis fit pollutus,quia vos iudicatis mensam Domini rem ridiculam,& contemnitis eam.* [e] Si offeratis cæcum.] *Hoc est,si offeratis aliquod captum vllis corporis,aut pedibus parum validis,omnium vestrum iudicio mala & ingrata erit oblatio,non Deo solum,sed & principibus eius. Nónne ergo multò ingrata erit magis,si animus offerentis impurus sit,etiam si pecus ipsum integris sit membris?* [f] De manu enim vestra.] *Hoc est,si quid patimini aduersi culpa vestra accidit,id Deo iubente.* [g] Quis est in vobis.] *Vtinam quispiam vestrum potius cluudenda iudicet ostia atrij mei,hoc est,vtinam potius abstineatis in vniuersum à malefactione huiusmodi pecorum,quàm eo mactetis animo,quo nunc mactatis.* [h] In omni loco sacrificatur.] *Patet hinc,cerimonias legis tempore Christi abolendas fuisse,& quòd omnes fideles per totum mundum,puram ~~oblationem~~ hostiam erant sacrificaturi.* [i] Et quod superponitur.] *Potest & sic verti. Et sermo eius est,contemptibilis est cibus eius. Vt illud, sermo eius,referatur ad sacerdotem,qui diceret,cibum domini contemptibilem.* [k] Ecce fatigatio.] *Contra populum hoc dictum volunt Iudæi,cui molestum fuit adducere victimas ad atrium Domini,& se lassum portandis illis querebatur,atque ita indignabundus in terram proycere solebat.* [l] Horribile.] *Augustum,honorificum.*

CAPVT II.

A Et nunc ad vos mandatum hoc ò sacerdotes. Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor vestrum gloriam nomini meo,ait Dominus exercituum:mittam in vos egestatem, & maledicam benedictionibus vestris,& maledicam illis:quoniam non posuistis super cor. Ecce ego [a] proijciam † pro- Leui. 26.b
pter vos semen,& spargam stercus super vultum vestrum,stercus solẽnitatum vestrarum:& [b] assumet vos se Deut. 28.b
cum. [c] Et scietis quòd misi ad vos mandatum istud:vt esset pactum meum cum Leui,dicit Dominus exercituum. Pactum meum fuit cum eo vitæ & pacis:& dedi ei timorem,& timuit me, & à facie nominis mei pa-
B uebat. [d] Lex veritatis fuit in ore eius,& iniquitas non est inuenta in labijs eius:in pace & in æquitate ambulauit mecum,& multos auertit ab iniquitate. Labia enim sacerdotis custodient scientiã,& legem requirent ex ore eius:quia [e] angelus Domini exercituum est. Vos autem recessistis de via,& scandalizastis plurimos in lege:irritum feciſtis pactum Leui,dicit Dominus exercituum. Propter quod & ego dedi vos cõtemptibiles,
C & humiles omnibus populis,sicut non seruastis vias meas,& [f] accepistis faciem in lege. Nunquid non pater vnus omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quarè ergo despicit vnusquisq; vestrum fratrem suum,violans pactum patrum nostrorum? Transgressus est Iuda, & abominatio facta est in Israel & in Ierusalem:quia contaminauit Iudas sanctificationem Domini, quam dilexit, & [g] habuit filiam dei alieni. Ephe. 4.b

Amos 5.f Disperdet Dñs virum qui fecerit hoc, [h] magistrũ & discipulum de tabernaculo Iacob, & offerentem munus
Dño exercituum. Et hoc rursum fecistis, [i] † operiendo lacrymis altare Dñi, fletu & mugitu, ita vt nõ respiciã
vltrà ad sacrificiũ, nec accipiam placabile quid de manu vestra. Et dixistis, Quam ob causam? Quia Dñs testifi D
catus est inter te & vxorem pubertatis tuæ, quã tu despexisti: & hæc particeps tua, & vxor fœderis tui. [k] Non
vnus fecit, † sic, quia plus spiritus erat illi. Et [l] quid vnus quærebat, nisi semen Dei? Custodite ergo spiritũ ve-
strum, & vxorẽ adolescentiæ tuæ noli despicere. [m] Cũ odio habueris, dimitte, dicit Dñs Deus Israel: † quisq;
operit iniuriam, ceu vestimẽto suo, dicit Dñs exercituũ. [n] Custodite spiritũ vestrũ, & nolite despicere. [o] Labo
rare fecistis Dñm in sermonibus vestris. Et dixistis, In quo eum fecimus laborare? In eo quod dicitis, Omnis,
qui facit malum, bonus est in conspectu Dñi, & tales ei placent, [p] aut certè vbi est Deus iudicij?

SCHOLIA.

[a] Proijciam propter vos semen.] *Vel, proyciam vos vnà cum semine.* [b] Assumet vos secum.] *Perducet vos peccatum vestrum eò, id est, ad eam ignominiam. Sic enim quidam vertendum putabat.* [c] Et scietis.] *Hoc est, scire debetis has oblationes esse tantum vmbras, & signa quædam extera, pacti mei inter verum Leui Christum & me.* [d] Lex veritatis.] *Hæc sunt officia veri sacerdotis, quæ nec Aharon, nec Phinees præstitit.* [e] Angelus Domini.] *Legatus Domini.* [f] Accepistis faciem.] *Hoc est, non rectà secundum legem ambulastis, sed potentibus blanditi estis, & pauperes grauastis.* [g] Habuit filiam dei alieni.] *Hoc est, vltrà legitimas vxores, alienigenas domum duxit. Ezræ.ix.* [h] Magistrum & discipulum.] *In Heb. est. Suscitantem & respondentem. Quod quidam interpretantur, eliminaturum deum totam illius hominis familiam, vt in domo non remaneat, nec qui alterum est somno suscitet, nec qui clamanti è domo respondeat.* [i] Operiendo lacrymis.] *Nempe vxorum vestrarum, quæ lacrymantes veniunt ad altare meum, & conqueruntur iniuriam.* [k] Non vnus fecit sic.] *Adam non constitutum est facere sic, neque fecit, sed cum plus haberet spiritus ingenuitatis, vxorem non voluptatis causa habuit, sed vt semen susciperet ex ea. Vide Matth.xix. Alij intelligunt de Abraham, qui vnus quidem superinduxit Agar, sed non causa libidinis id egit, cum abundaret spiritu Dei, quin magis interuentu vxoris hoc fecit, quærens semen Dei.* [l] Et quid vnus.] *Quid primus ille quærebat ex vxore, &c.* [m] Cum odio habueris.] *Alius sic legebat, Odio habens dimittere solebat, dicit Dominus Deus Israel, nunc autem quisque horum tanquam vestimento celat nequitiam suam, dum retinet, miserè interim eam affligens. Hoc propter duritiem cordis Moses permisit, tanquam dicat, minor erat olim iniuria, cum repudiarent vxores suas, quàm si tractassent eas, quemadmodum nunc tractantur ab ijs, qui nequitiæ suæ prætexunt, quòd eas retineant, licet miserrimè afflictas.* [n] Custodite spiritum.] *Perpendite quàm sit hoc iniquum.* [o] Laborare fecistis.] *Hoc est, maxima molestia affecistis.* [p] Aut certè.] *Hoc est, si non placent, quare fert illos.*

CAPVT III.

ECce ego [a] mitto angelũ meũ, & preparabit viã ante faciẽ meã. [b] Et statim veniet ad tẽplũ suũ domina- A
tor quem vos quæritis, & [c] angelus testamenti, quem vos vultis. Ecce venit dicit Dñs exercituũ: & [d] quis
poterit † ferre diem aduentus eius? & quis stabit ad videndũ eũ? Ipse enim quasi ignis conflans, & qua-
si hærba fullonum: & sedebit conflãs & emundãs argentũ, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurũ &
quasi argẽtũ, & erũt Dño offerẽtes sacrificia in iustitia. Et placebit Dño sacrificiũ Iuda & Ierusalẽ [e] sicut dies
sæculi & sicut anni antiqui. Et accedam ad vos in iudicio, & ero testis velox maleficis & adulteris & periuris, B
& qui calũniantur mercedem mercenarij, & humiliant viduas & pupillos, & opprimũt peregrinũ, nec timue
Matt. 11.b rũt me, dicit Dñs exercituũ. Ego enim Dñs [f] & nõ mutor, & vos filij [g] Iacob nõ estis cõsumpti. A diebus.n.pa
Mar.1.a trũ vestrorum recessistis à legitimis meis, & non custodistis. Reuertimini ad me, & reuertar ad vos dicit Dñs
Luc. 1.a exercituũ. Et dixistis, In quo reuertemur? [h] Si † deprædatur homo Deũ, quia vos † depredati estis me? Et dixi-
Psal. 131. stis, in quo † depredati sumus te? In [i] decimis, & in primitijs. Et [k] in penuria vos maledicti estis, & me † rapi- C
tis gẽs tota. Inferte omnẽ decimã in horreũ meũ, & sit cibus in domo mea, & probate me sup hoc dicit Dñs,
si nõ aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionẽ vsq; ad abundãtiã, & increpabo pro vo-
zacha. 1.a bis deuorantẽ, & nõ corrũpet fructũ terræ vestre, nec erit sterilis vinea in agro, dicit Dñs exercituũ, & beatos
vos dicent omnes gentes: eritis enim vos terra desyderabilis, dicit Dñs exercituũ. Inualuerũt super me verba
vestra dicit Dñs. Et dixistis, Quid locuti sumus contra te? Dixistis, [l] Vanus est, qui seruit Deo: & quod emolu- D
mẽtum, quia custodiuimus præcepta eius, & quia ambulauimus tristes coràm Dño exercituũ? Ergo nũc bea-
tos dicimus arrogãtes, siquidem ædificati sunt facientes impietatem, & tentauerunt Deum, & salui facti sunt.
Iob.12.b [m] Tunc locuti sunt timentes Deũ vnusquisq; cũ proximo suo. Et attendit Dñs, & audiuit: & scriptus est liber
monimenti coràm eo timentibus Dñm & cogitantibus nomen eius. Et erunt mihi, ait Dñs exercituum, in
die qua ego facio, in peculiũ: & parcam eis, sicut parcit vir filio suo seruienti sibi. [n] Et conuertemini, & vide-
bitis quid sit inter iustum & impium: & inter seruientem Deo, & non seruientem ei.

SCHOLIA.

[a] Mittam angelum.] *Docet Dominus Matthæi xi. de quo prophetia hæc sit intelligenda, nempe de præcursore suo, qui angelum egit in vita sanctimonia, & officij dignitate. Repurgauit viam, tollens è medio impedimenta pietatis, qualia sunt, ebrietas, libido, superbia, incredulitas, sollicitudo huius sæculi. Vnde & ab Esaia vocatur vox, quæ clamat in deserto, Parate viam Domini, & rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* [b] Et statim veniet.] *Cum Ioannes sex mensibus præcessisset Dominum, et cũ magno zelo prædicasset in populo illo Ierosolymitano, qui tot vitijs vnà cum sacerdotibus erat corruptus, repente veluti lux in tenebris apparuit saluator mundi, ingrediens templum suum verus ille & summus sacerdos, vt oraret pro suis, & impios magno perderet zelo. Et nota hic duo, primò quod ait, ad templum suum, & templum erigitur Deo, ergo Messias Deus est, deinde quòd stante illo templo venturus erat. Duo autem sunt aduentus eius, & in vtroque sacerdos, atque iudex fuit & erit, mitis scilicet suis, & seuerus in aduersarios. Primi aduentus certum indicium fuit præcursoris præsentia.* [c] Angelus testamenti.] *Roma.15. Paulus Christum vocat ministrum circuncisionis ad confirmandas promissiones patrũ, vel, angelus testamenti quod fecit Deus nobiscum, & in sanguine Christi erat consummandũ: vocatur angelus, quòd à patre in mundum*

in mundum sit missus. [d] Quis poterit ferre.] *Grauis erat persona Christi Pharisæis, et impijs omnibus in primo aduentu, sed multò grauior erit in secundo, quando triticum segregabit à paleis, & paleas comburet igni inextinguibili. Hic tamen alia similitudine comparantur electi auro & argento probato, & reprobi scoriæ, atque rubigini. Ait autem purgandos filios Leui, per quos sacerdotium intelligitur, à domo enim Domini incipiendum est.* [e] Sicut dies sęculi.] *Longè magis quàm vnquam antea, Hebraismus enim est.* [f] Et non mutor.] *Quòd vltio (inquit) mea non illico in malos sæuit, non putetis propterea nullum futurum iudicium, Nam vt promissio mea irrita esse non potest, sic nec minarum obliuiscar.* [g] Non estis consumpti.] *Promisi enim futurum, vt semen vestrum sit sicut stellæ. Et quia est immutabilis hæc promissio, firma vobis erit.* [h] Si deprędatur homo Deum.] *Alius vertit, Nunquid vim faciet homo iudicibus, &c. Vt sit sensus, Homo non audet offendere iudicem terrenum, & vos parupenditis offendere vniuersorum Dominum.* [i] In decimis & primitijs.] *Patet hinc, sicut & ex Euangelio, vbi Pharisæus gloriabatur se quotannis soluere decimas, multos eo tempore decimas non soluisse, & præterea opera pietatis subtraxisse indigentibus. Decimæ enim debebantur ministris Dei, pauperibus, viduis, pupillis, & peregrinis.* [k] Et in penuria.] *Hoc est, videtis, vos hac laborare penuria propter maledictionem Dei, & tamen non respicitis.* [l] Vanus est, qui seruit Deo.] *Quasi dicant, nulla est merces bonorum, etiam si dederimus decimas, si ieiunauerimus, & alia bona fecerimus, non augebuntur opes nostræ: interim verò videmus impios & superbos, qui nihil boni faciunt, frui gloria, opibus, & voluptate, stipantur amicis, ædificantur, & propagantur, sed & tentantes Deum per transgressiones, nihil incommodi sentiunt.* [m] Tunc locuti sunt timentes Deũ.] *Qui ex corde (inquit) timent Deum, longè aliter loquũtur, agnoscunt enim verum Dei iudicium, & quòd Deus opera hominum aduertit, ac veluti in libro memoriali conscribit, vt suo tempore vnicuique reddat secundum opera sua. Sic Iob 17. Stupebunt iusti super hoc, & innocens contra hypocritam suscitabitur. Et tenebit iustus viam suam, & mundis manibus, addet fortitudinem.* [n] Et conuertemini.] *Sic enim tandem aliter iudicabitis, res enim ipsa vos tum docebit.*

CAPVT IIII.

A ECce enim dies veniet succensa quasi caminus: & erunt [a] omnes superbi, & omnes facientes impietatẽ,
stipula: & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum, quę non derelinquet eis radicem Luc. 1.g
B & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum [b] sol iustitiæ, & sanitas in pennis eius: & egre- Exo. 20.a
diemini, & salietis sicut vituli de stabulo. Et [c] calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorũ Matt. 17.b
C in die qua ego facio, dicit Dominus exercituũ. [d] Memẽtote legis Moysi serui mei, quã mandaui ei in Horeb Marc. 9.c
ad omnem Israel præcepta & iudicia. Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Do- Luc. 1.b
D mini magnus & horribilis. Et conuertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum: ne forté ve-
niam, & percutiam terram anathemate.

SCHOLIA.

[a] Omnes superbi.] *Qui hic ad humilitatem inclinari non possunt, nec incuruari ad obseruantiam mandatorum Dei, hi erunt in iudicio Dei velut infirmissima stipula in conspectu ignis, & veluti arbor inutilis, quæ nec radices habet, nec ramos. Nemo tum patrocinabitur damnatis conscientijs, nihil erit, quo se excusent, nemo redimet, nemo miserebitur, deijcientur veluti stipula in ignem, perpetuò in illo arsuri. Et Christiani homines, quibus tanta veritas ob oculos versatur, interim aliud cogitant.* [b] Sol iustitiæ.] *Christus Dominus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & in pennis huius solis erit sanitas, hoc est, illustratio eius erit saluberrima. Alæ enim, vel pennæ solis, radij sunt circunquaque diffusi.* [c] Calcabitis impios.] *Commutabuntur tunc rerum vices, nam tyranni & impij, qui persequebantur & conculcabant bonos in hoc mundo, in iudicio Dei subiacebunt pedibus electorum.* [d] Mementote legis Moysi.] *Recordamini quòd Moses in lege de Christo scripserit, & quid adumbrauerit varijs illis ceremonijs, & iudicijs. Non dicit, seruate legem Mosis perpetuò in ceremonijs & iudicijs, vt hinc Iudæi colligunt, legem Mosaicam esse inuariabilem iuxta omnia statuta & iudicia in ea expressa. Et quia lex & prophetæ vsque ad Ioannem, quem Dominus fuisse dixit Eliam in spiritu & virtute, promittit se missurum Eliam prophetam. Dicitur autem Christi aduentus dies horribilis, propter excæcationem Iudæorum, quæ hic vocatur anathema. Quanquam videtur, sicut sub vno Eliæ nomine intelligimus & Ioannem Baptistam, & Eliam ipsum, sic vterque aduentus hic includi.*

LIBER PRIMVS
MACHABEORVM.
CAPVT I.

A ET factum est postquam percussit Alexander Philippi Macedo, qui exiuit de terra Ce-
thim, & percussit Darium regem Persarũ & Medorũ: & regnauit in loco eius primus
in Græcia, & constituit prælia multa, & obtinuit munitiones, & interfecit reges terrę,
& pertransijt vsq; ad fines terræ, & accepit spolia multitudinis gentiũ: & siluit terra in
cõspectu eius, & exaltatũ est & eleuatũ cor eius. Et congregauit virtutem, & exercitum
fortem nimis: & obtinuit regiones gentiũ, & tyrannos: & facti sunt illi in tributũ. Et
post hæc dècidit in lectũ, & cognouit quia moreretur. Et vocauit pueros suos nobiles,
qui secũ erant nutriti à iuuentute: & diuisit illis regnũ suum, cum adhuc viueret. Et regnauit Alexãder annis
B duodecim, & mortuus est. Et obtinuerũt pueri eius regnũ, vnusquisq; in loco suo: & imposuerũt omnes sibi
diademata post mortem eius, et filij eorũ post eos annis multis, & multiplicata sunt mala in terra. Et exijt ex

eis radix peccati Antiochus illustris,filius Antiochi regis qui fuerat Romæ obses:et regnauit in anno centesimo tricesimo septimo regni Græcorũ.In diebus illis exierunt ex Israel filij iniqui,& suaserũt multis,dicentes,Eamus,& disponamus testamentũ cũ gentibus quæ circa nos sunt:quia ex quo recessimus ab eis,inuenerunt nos multa mala.Et bonus visus est sermo in oculis eorũ.Et destinauerunt aliqui de populo,& abierunt ad regem:& dedit illis potestatẽ,vt facerent iustitiã gentiũ.Et ædificauerũt gymnasiũ in Ierosolymis secundum leges nationũ:& fecerũt sibi præputia,& recesserunt à testamento sancto, & iuncti sunt nationibus,& venundati sunt vt facerent malũ.Et paratũ est regnum in cõspectu Antiochi,& cœpit regnare in terra Ægypti,vt regnaret super duo regna.Et intrauit in Ægyptum in multitudine grauꝫ, in curribus & elephantis,& equitibus,& copiosa nauium multitudine:& cõstituit bellũ aduersus Ptolemæũ regẽ Ægypti, & veritus est Ptolemæus à facie eius,& fugit,& ceciderũt vulnerati multi.Et cõprehendit ciuitates munitas in terra Ægypti,et accepit spolia terræ Ægypti.Et cõuertit Antiochus,postquã percussit Ægyptũ in centesimo et quadragesimo tertio anno:et ascendit ad Israel,et ascendit Ierosolymã in multitudine grauꝫ.Et intrauit in sanctificationẽ cum superbia,et accepit altare aureũ,et candelabrũ luminis,et vniuersa vasa eius,et mensam propositionis,et libatoria,et phialas,et mortariola aurea,et velum et coronas,et ornamentũ aureum quod in facie tẽpli erat:et cõminuit omnia.Et accepit argentũ et aurũ et vasa cõcupiscibilia:et accepit thesauros occultos quos inuenit:& sublatis oĩbus abijt in terrã suam.Et fecit cædẽ hominũ,& locutus est in superbia magna.Et factus est plãctus magnus ĩ Israel, & in omni loco eoꝝ:& ingemuerũt principes & seniores,& iuuenes & virgines infirmati sunt,& speciositas mulierũ immutata est.Omnis maritus sumpsit lamentũ:& quæ sedebant in thoro maritali,lugebãt & cõmota est terra sup habitãtes in ea,& vniuersa domus Iacob induit cõfusionẽ.Et post duos annos dieꝝ misit rex principẽ tributoꝝ in ciuitates Iuda,& venit Ierusalẽ cũ turba magna. Et locutus est ad eos verba pacifica in dolo:& crediderũt ei.Et irruit sup ciuitatẽ repente,& percussit eã plaga magna,& pdidit populũ multũ ex Israel.Et accepit spolia ciuitatis:& succẽdit eã igni,& destruxit domos eius,& muros eius in circuitu:& captiuas duxerũt mulieres,& natos,& pecora possederũt.Et ædificauerũt ciuitatem Dauid muro magno,& firmo,& turribus firmis,& facta est illis in arcẽ:& posuerũt illic gẽtẽ peccatricem viros iniquos,& cõualuerũt in ea,& posuerũt arma,& escas,& cõgregauerũt spolia Ierusalẽ,& reposuerũt illic: & facti sunt in laqueũ magnũ.Et factũ est hoc ad insidias sanctificationi,& in diabolũ malũ in Israel:& effuderũt sanguinẽ innocẽtẽ per circuitũ sanctificationis,& cõtaminauerũt sanctificationẽ.Et fugerũt habitatores Ierusalẽ propter eos,& facta est habitatio exteroꝝ,& facta est extera semini suo,& nati eius reliquerũt eã. Sanctificatio eius desolata est sicut solitudo,dies festi eius cõuersi sunt in luctũ,sabbata eius in opprobriũ,honores eius ĩ nihilũ.Secũdũ gloriã eius multiplicata est ignominia eius: & sublimitas eius cõuersa est in luctũ. Et scripsit rex Antiochus omni regno suo,vt esset omnis populus vnus:& relinquerẽt vnusquisq; legẽ suã. Et cõsenserunt oẽs gẽtes secũdũ verbũ regis Antiochi : & multi ex Israel cõsenserũt seruituti eius & sacrificauerũt idolis,& coinquinauerũt sabbatũ . Et misit rex libros per manus nuntiorũ in Ierusalẽ & in oẽs ciuitates Iudæ:vt sequerẽtur leges gentiũ terrę,& prohiberẽt holocausta, & sacrificia & placationes fieri in tẽplo Dei, & prohiberẽt celebrari sabbatũ,& dies solẽnes:& iussit coinquinari sancta,& sanctũ populũ Israel. Et iussit ædificari aras,& tẽpla & idola,& immolari carnes suillas,& pecora cõmunia & relinquere filios suos incircũcisos,& coinquinari animas eoꝝ in omnibus immundicijs & abominationibus,ita vt obliuiscerentur legẽ, et immutarẽt oẽs iustificationes Dei.Et quicũq; nõ feciss̃ent secũdũ verbũ regis Antiochi,morerẽtur. Secũdũ omnia verba hæc scripsit omni regno suo:& præposuit principes populo qui hęc fieri cogerẽt.Et iusserũt ciuitatibus Iudę sacrificare.Et congregati sunt multi de populo ad eos qui dereliquerãt legẽ Dñi:& fecerunt mala super terrã:& effugauerũt populũ Israel in abditis,& in absconditis fugitiuoꝝ locis. Die quintadecima mẽsis Casleu,quinto & quadragesimo & cẽtesimo anno,ædificauit rex Antiochus abominandũ idolũ desolationis super altare Dei,& per vniuersas ciuitates Iudæ in circuitu ædificauerũt aras:& ante ianuas domoꝝ, et in platẽis incendebãt thura,et sacrificabãt,et libros legis Dei cõbusserũt igni,scindẽtes eos : & apud quẽcũq; inueniebãtur libri testamẽti Dñi , & quicunq; obseruabat legem Dñi,secundum edictum regis trucidabant eũ in virtute sua. Secundũ hæc faciebãt populo Israel qui inueniebatur in omni mẽse & mẽse in ciuitatibus. Et quinta & vicesima die mensis sacrificabant super aram,quæ erat supra altare.Et mulieres, quæ circuncidebant filios suos, trucidabantur secundum iussum : & suspendebant pueros à ceruicibus per vniuersas domos eorum:& eos qui circunciderant illos,trucidabant. Et multi de populo Israel definierunt apud se,vt nõ mãducarent immunda:& elegerunt magis mori,quam cibis coinquinari immundis : & noluerũt infringere legem Dei sanctam,& trucidati sunt:& facta est ira magna super populum Israel valde.

CAPVT II.

IN diebus illis surrexit Matathias filius Ioannis filij Symeonis,sacerdos ex filijs Ioarim ab Ierusalẽ,& cõsedit in mõte Modin:et habebat filios quinq;,Ioannẽ,qui cognominabatur Gaddis:& Simõnẽ,qui cognominabatur Thassi:& Iudã,qui vocabatur Machabęus:& Eleazarꝫ,qui cognominabatur Abaron: & Ionathan,qui cognominabatur Apphus:hi viderũt mala,quæ fiebãt in populo Iuda & in Ierusalẽ. Et dixit Matathias,Vę mihi,vt quid natus sum videre cõtritionẽ populi mei,& cõtritionẽ ciuitatis sanctę,& sedere illic,cũ datur in manibus inimicoꝝ?Sancta in manu extraneoꝝ facta sunt:tẽplũ eius sicut homo ignobilis.Vasa glorię eius captiua abducta sunt:trucidati sunt senes eius in platẽis , & iuuenes eius ceciderũt ĩ gladio inimicoꝝ. Quę gens nõ hęreditauit regnũ eius,& nõ obtinuit spolia eius?Omnis cõpositio eius ablata est.Quę erat libera,facta est ancilla.Et ecce sancta nostra,& pulchritudo nostra,& claritas nostra desolata est, & coinquinauerũt ea gẽtes.Quo ergo nobis adhuc viuere? Et scidit vestimẽta sua Matathias,& filij eius : & operuerũt se cilicijs,& plãxerũt valde,& venerũt illuc qui missi erãt à rege Antiocho,vt cogerẽt eos,qui cõfugerãt in ciuitatẽ Modin,

Modin,immolare,& accẽdere thura,& à lege Dei discedere. Et multi de populo Israel cõsentiẽtes accesserũt ad eos:sed Matathias & filij eius cõstanter stetererũt.Et respondẽtes qui missi erãt ab Antiocho, dixerũt Matathiæ,Princeps & clarissimus & magnus es in hac ciuitate,& ornatus filijs,& fratribus : ergo accede prior, & fac iussum regis,sicut fecerunt omnes gentes,& viri Iuda, & qui remanserũt in Ierusalẽ : & eris tu, & filij tui inter amicos regis,& amplificati auro,& argẽto,& muneribus multis. Et respõdit Matathias,& dixit magna
C voce,Et si oẽs gẽtes regi Antiocho obediũt,vt discedãt vnusquisq; à seruitute legis patrũ suoꝝ, & consentiãt mãdatis eius:ego & filij mei,& fratres mei obediemus legi patrũ nostroꝝ:propitius sit nobis Deus:nõ est nobis vtile relinquere legẽ,& iustitias Dei:nõ audiemus verba regis Antiochi,nec sacrificabimus,trãsgrediẽtes legis nostrę mãdata,vt eamus altera via. Et vt cessãuit loqui verba hęc,accessit quidã Iudæus ĩ omniũ oculis sacrificare idõlis super arã in ciuitate Modin secundũ iussum regis:& vidit Matathias,& doluit, & cõtremuerunt renes eius,& accẽsus est furor eius secundũ iudiciũ legis, & insiliẽs trucidauit eũ super arã : sed & virum
D quẽ rex Antiochus miserat,qui cogebat immolare,occidit in ipso tẽpore:& arã destruxit , & zelatus est legẽ, Num.25.b
sicut fecit Phinees Zãbri filio Salomi.Et exclamauit Matathias voce magna in ciuitate,dicẽs, Omnis,qui zelum habet legis statuẽs testamẽtũ,exeat post me.Et fugit ipse,& filij eius in mõtes,& reliquerũt quæcũq; habebãt in ciuitate. Tũc descenderũt multi quærẽtes iudicium,& iustitiã in desertum : & sederũt ibi ipsi,& filij eius,& mulieres eoꝝ,& pecora eoꝝ:quoniã inundauerũt super eos mala.Et renuntiatũ est viris regis,& exercitui qui erat in Ierusalẽ ciuitate Dauid,qm̃ discessissent viri quidam,qui dissipauerũt mandatũ regis in loca occulta in deserto,& abijssent post illos multi.Et statim perrexerũt ad eos , & cõstituerunt aduersus eos prælium in die sabbatoꝝ,& dixerũt ad eos.Resistitis & nũc adhuc ? exite & facite secundũ verbum regis Antiochi,& viuetis.Et dixerũt,Non exibimus,neq; faciemus verbũ regis,vt polluamus diẽ sabbatoꝝ.Et cõcitauerunt aduersus eos pręliũ.Et non respondẽrũt eis,nec lapidẽ miserũt in eos, nec oppilauerũt loca occulta:dicẽtes,Moriamur omnes in simplicitate nostra:& testes erũt super nos cœlũ & terra q; iniustẽ perditis nos.Et intulerunt illis bellũ sabbatis:& mortui sunt ipsi & vxores eoꝝ,& filij eoꝝ, & pecora eoꝝ vsq; ad mille ani-
E mas hominũ.Et cognouit Matathias & amici eius,& luctũ habuerũt super eos valde. Et dixit vir proximo suo, Si omnes fecerimus sicut fratres nostri fecerũt, & nõ pugnauerimus aduersus gẽtes p animabus nostris & iustificationibus nostris:nũc citius disperdẽt nos à terra.Et cogitauerũt in die illa,dicẽtes, Omnis quicũq; venerit ad nos in bello die sabbatoꝝ,pugnemus aduersus eũ:& non moriemur oẽs,sicut mortui sunt fratres nostri in occultis.Tũc congregata est ad eos synagõga Asidæorũ fortis viribus ex Israel, omnis volũtarius in lege:& omnes qui fugiebãt à malis,additi sunt ad eos,& facti sunt illis ad firmamẽtũ. Et collegerũt exercitũ, Gene.22.c
& percusserũt peccatores in ira sua,& viros iniquos in indignatione sua:& cęteri fugerũt ad nationes,vt euaderent.Et circuiuit Matathias,& amici eius,& destruxerunt aras:& circunciderũt pueros incircũcisos quot- Gene.42.e
quot inuenerũt in finibus Israel in fortitudine.Et persecuti sunt filios superbię,& prosperatũ est opus in ma-
F nibus eorũ : & obtinuerunt legẽ de manibus gentiũ,& de manibus regũ:& nõ dederunt cornu peccatori.Et
appropinquauerũt dies Matathiæ moriẽdi,& dixit filijs suis, Nũc cõfortata est superbia,& castigatio,& tempus euersionis,& ira indignationis,Nũc ergo ô filij,æmulatores estote legis, & date animas vestras pro testa- Num.25.c
mẽto patrum nostroꝝ,& memẽtote operum patrũ,quę fecerunt in generationibus suis:& accipietis gloriã Eccle.45.d
magnam,& nomẽ ęternum. Abrahã,nõne in tẽtatione inuentus est fidelis,& reputatũ est ei ad iustitiã ? Ioseph in tẽpore angustiæ suę custodiuit mãdatũ: & factus est Dñs Ægypti.Phinees pater noster,zelãdo zelum Dei,accepit testamẽtũ sacerdotij ęterni. Iesus dũ impleuit verbũ,factus est dux in Israel.Caleb dũ testificatur in ecclesia,accepit hęreditatẽ.Dauid in sua misericordia cõsecutus est sedẽ regni in sęcula. Elias dũ zelat zelũ legis,receptus est in cœlũ. Ananias & Azarias & Misael,credẽtes,liberati sunt de flãma. Daniel in sua simpli-
G citate liberatus est de ore leonũ . Et ita cogitate per generationẽ & generationẽ quia oẽs qui sperãt in eũ,nõ infirmãtur.Et à verbis viri peccatoris ne timueritis:quia gloria eius,stercus & vermis est:hodie extollitur,& cras nõ inuenietur:quia cõuersus est in terrã suam,& cogitatio eius perijt. Vos ergo filij,cõfortamini,& viriliter agite in lege:quia cũ feceritis quę vobis præcepta sunt in lege à Dño Deo vestro,in ipsa gloriosi eritis.Et ecce Simon frater vester,scio q; vir consilij est:ipsum audite semper,& ipse erit vobis pater. Et Iudas Machabęus fortis viribus à iuuẽtute suа:sit vobis princeps militiæ,& ipse aget bellũ populi.Et vos adducetis ad vos oẽs factores legis:et vindicate vindictã populi vestri.Retribuite retributionẽ gẽtibus,et intẽdite in præceptũ legis.Et benedixit eos,& appositus est ad patres suos. Et defunctus est anno cẽtesimo & quadragesimosexto: & sepultus est à filijs suis in sepulchris patrum suoꝝ in Modin,& planxerũt eũ omnis Israel planctu magno.

CAPVT III.

A ET surrexit Iudas qui vocabatur Machabæus filius eius pro eo:& adiuuabant eum omnes fratres eius,& vniuersi qui se coniunxerant patri eius,& pręliabantur prælium Israel cum lætitia. Et dilatauit gloriã populo suo,& induit se loricã sicut gigas,& succinxit se arma bellica sua in pręlijs,& protegebat castra gladio suo.Similis factus est leoni in operibus suis,& sicut catulus leonis rugiens in venatione,Et persecutus est iniquos perscrutans eos:& qui conturbabant populum suum , omnes succendit flammis : & repulsi sunt inimici eius præ timore eius,& omnes operarij iniquitatis conturbati sunt:& directa est salus in manu eius. Et exacerbabat reges multos,& lætificabat Iacob in operibus suis,& in sæculũ memoria eius in benedictione.Et perambulabat ciuitates Iuda,& perdidit impios ex eis,& auertit irã ab Israel. Et nominatus est vsq; ad
B nouissimũ terræ & congregauit pereuntes.Et cõgregauit Apollonius gentes,& à Samaria virtutem multam & magnam,ad bellandum contra Israel.Et cognouit Iudas,& exijt obuiam illi:& percussit,& occidit illũ:& ceciderunt vulnerati multi,& reliqui fugerunt:& accepit spolia eorum:& gladium Apollonij abstulit Iudas, & erat pugnans in eo omnibus diebus. Et audiuit Seron princeps exercitus Syriæ, quòd congregauit Iudas

cōgregationē fidelium & eccleſiā ſecum,& ait,Faciā mihi nomē,& glorificabor in regno, & debellabo Iudam,& eos qui cū ipſo ſunt,qui ſpernebant verbū regis.Et prepararuit ſe:& aſcenderūt cum eo caſtra impiorum fortes auxiliarij,vt facerent vindictā in filios Iſrael. Et appropinquauerūt vſq; ad Beth horon : & exiuit Iudas obuiā illi cum paucis. Vt autē viderunt exercitū venientem ſibi obuiā,dixerunt Iudæ,Quō poterimus pauci pugnare contra multitudinē hanc tantā & tam fortē,& nos fatigati ſumus ieiunio hodie? Et ait Iudas, C Facile eſt cōcludi multos in manu paucorū:& non eſt differētia in cōſpectu Dei cœli liberare in multis & in paucis:qm̄ non in multitudine exercitus victoria belli,ſed de cœlo fortitudo eſt. Ipſi veniūt ad nos in multitudine contumaci & ſuperbia,vt diſperdant nos,& vxores noſtras,& filios noſtros,& vt ſpoliēt nos:nos verò pugnabimus pro animabus noſtris,& legibus noſtris:& ipſe Dñs conteret eos ante faciē noſtram:vos autem ne timueritis eos. Vt ceſſauit autē loqui,inſiluit in eos ſubitò:& cōtritus eſt Seron, & exercitus eius in cōſpectu ipſius:& perſecutus eſt eū in deſcenſu Beth horon vſq; in cāpum,& ceciderūt ex eis octingēti viri,reliqui autem fugerūt in terram Philiſthijm.Et cecidit timor Iudæ ac fratrū eius,& formido,ſuper omnes gentes in circuitu eorū:& peruēnit ad regē nomen eius,& de prælijs Iudę narrabant oēs gentes. Vt audiuit autem rex Antiochus ſermones iſtos,iratus eſt animo : & miſit,& cōgregauit exercitum vniuerſi regni ſui,caſtra fortia D valde:& aperuit ærariū ſuum,& dedit ſtipendia exercitui in annū, & mādauit illis vt eſſent parati ad omnia. Et vidit q̄ defecit pecunia de theſauris ſuis,& tributa regionis modica propter diſſenſionē & plagam quā fecit in terra,vt tolleret legitima quæ erāt à primis diebus:& timuit ne non haberet vt ſemel & bis in ſumptus & donaria quæ dederat ante larga manu:& abūdauerat ſuper reges,qui ante eum fuerāt.Et conſternatus erat animo valde,& cogitauit ire in Perſidem,vt acciperet tributa regionū , & congregaret argentū multum.Et reliquit Lyſiam hominē nobilem de genere regali,ſuper negotia regia , a flumine Euphrate vſq; ad flumen Ægypti:& vt nutriet Antiochū filium ſuū,donec rediret.Et tradidit ei mediū exercitum & elephātos:& mādauit ei de omnibus quæ volebat,& de inhabitātibus Iudæam & Ieruſalē : & vt mitteret ad eos exercitum ad conterendā & extirpandam virtutē Iſrael,& reliquias Ieruſalē,& auferendam memoriā eorum de loco:& vt E conſtituerent habitatores filios alienigenas in omnibus finibus eorū,& ſorte diſtribueret terrā eorum.Et rex aſſumpſit partem exercitus reſidui,& exiuit ab Antiochia ciuitate regni ſui anno cēteſimo & quadrageſimo ſeptimo:& transfretauit Euphrāten flumē,& perambulabat ſuperiores regiones. Et elegit Lyſias Ptolemæū filiū Dorymini,& Nicanorē & Gorgiam viros potētes ex amicis regis : & miſit cū eis quadraginta millia virorum,& ſeptē millia equitum:vt venirēt in terram Iuda,& diſperderēt eam ſecundū verbum regis. Et proceſſerūt cum vniuerſa virtute ſua,& venerūt:& applicuerunt Emmaum in terra cāpeſtri.Et audierūt mercatores regionum nomen eorū:& acceperunt argentū & aurum multū valde,& pueros , & venerūt in caſtra,vt acciperent filios Iſrael in ſeruos,& additi ſunt ad eos exercitus Syrię, & terræ alienigenarū. Et vidit Iudas & F fratres eius quia multiplicata ſunt mala,& exercitus applicabāt ad fines eorū, & cognouerūt verba regis quæ mādauit populo facere in interitū & conſummationē:& dixerunt, vnuſquiſq; ad proximū ſuum , Erigamus deiectionem populi noſtri,& pugnemus pro populo noſtro,& ſanctis noſtris. Et congregatus eſt cōuentus, vt eſſent parati in prēliū:& vt orarent & peterent miſericordiā,& miſerationes.Et Ieruſalē non habitabatur, ſed erat ſicut deſertū:non erat qui ingrederetur & egrederetur de natis eius : & ſanctum cōculcabatur:& filij alienigenarū erant in arce,ibi erat habitatio gentiū:& ablata eſt voluptas à Iacob,& defecit ibi tibia & citharа.Et cōgregati ſunt,& venerūt in Maſpha cōtra Ieruſalē: quia locus orationis erat in Maſpha ante in Iſrael. Et ieiunauerunt illa die,& induerūt ſe cilicijs,& cinerē impoſuerunt capiti ſuo : & diſciderūt veſtimēta ſua, & expāderunt libros legis,de quibus ſcrutabātur gentes ſimilitudinē ſimulachrorū ſuorū:& attulerunt ornamēta ſacerdotalia,& primitias,& decimas,& ſuſcitauerūt Nazareos,qui impleuerāt dies,& clamauerūt voce G magna in cœlū,dicentes,Quid faciemus iſtis,& quò eos ducēmus? & ſancta tua cōculcata ſunt , & contaminata ſunt,& ſacerdotes tui facti ſunt in luctū & in humilitatē:& ecce nationes conuenerūt aduerſum nos, vt nos diſperdāt,tu ſcis quę cogitāt in nos.Quomodo poterimus ſubſiſtere ante faciē eorū, niſi tu Deus adiuues nos? Et tubis exclamauerūt voce magna. Et poſt hęc cōſtituit Iudas duces populi,tribunos , & cēturiones,& pentacontarchos,& decuriones.Et dixit his qui ędificabāt domos,& ſponſabant vxores,& plātabant vineas, & formidoloſis,vt redirēt vnuſquiſq; in domū ſuam ſecundum legē.Et mouerunt caſtra,& collocauerūt ad auſtrum Emmaum.Et ait Iudas,Accingimini,& eſtote filij potētes,& eſtote parati in mane , vt pugnetis aduerſus nationes has,quę cōuenerūt aduerſus nos, diſperdere nos & ſancta noſtra:quoniā melius eſt nos mori in bello,quàm videre mala gentis noſtrę & ſanctorum.Sicut autem fuerit voluntas in cœlo,ſic fiat.

CAPVT IIII.

ET aſſumpſit Gorgias quinq; millia virorū:& mille equites electos:& mouerūt caſtra nocte , vt applica- A
rent ad caſtra Iudæorū,& percuterēt eos ſubitò:& filij qui erāt ex arce, erāt illis duces.Et audiuit Iudas, & ſurrexit ipſe & potētes percutere virtutē exercituū regis, qui erāt in Emmaum. Adhuc enim diſperſus erat exercitus à caſtris.Et venit Gorgias in caſtra Iudæ noctu,& neminē inuenit, & quærebat eos in mōtibus:qm̄ dixit,Fugiunt hi à nobis.Et cū dies factus eſſet , apparuit Iudas in campo cū tribus millibus virorū rātum: qui tegumēta & gladios nō habebant vt volebāt,& viderūt caſtra gentiū valida,& loricatos, & equitatus in circuitu eorū,et hi docti ad prælijū.Et ait Iudas viris qui ſecū erāt,Ne timueritis multitudinē eorum, et impetū eorum ne formidetis.Memētote qualiter ſalui facti ſunt patres noſtri in mari rubro , cū ſequeretur eos Pharao cum exercitu multo.Et nunc clamemus in cœlū:et miſerebitur noſtri Dñs,et memor erit te- B
ſtamenti patrum noſtrorū,et conteret exercitū iſtum ante faciē noſtrā hodie:et ſcient oēs gentes quia eſt qui redimat et liberet Iſrael.Et leuauerūt alienigenę oculos ſuos,et viderūt eos venientes ex aduerſo.Et exierūt de caſtris in prælijū,et tuba cecinerunt hi qui erant cū Iuda.Et cōgreſi ſunt:et contritæ ſunt gentes,et fugerunt in campum.

in campum.Nouiſſimi autē omnes ceciderunt in gladio,& perſecuti ſunt eos vſq; Gezeron, & vſq; in cāpos Idumeæ,& Azoti,& Iamniæ: & ceciderūt ex illis vſq; ad tria millia virorū. Et reuerſus eſt Iudas, & exercitus eius,ſequens eū.Dixitq; ad populū,Non cōcupiſcatis ſpolia:quia bellū cōtra nos eſt , & Gorgias & exercitus eius prope nos in mōte:ſed ſtate nunc cōtra inimicos noſtros,& expugnate eos, & ſumetis poſtea ſpolia ſecu C ri.Et adhuc loquēte Iuda hæc,ecce apparuit pars quędā proſpiciens de monte.Et vidit quòd in fugā conuerſi ſunt,& ſuccenderūt caſtra:fumus enim qui videbatur,declarabat quod factū eſt.Quibus illi cōſpectis timuerunt valde,aſpicientes ſimul & Iudā & exercitum in cāpo paratum ad prælijū. Et fugerunt omnes in cāpum alienigenarū:& Iudas reuerſus eſt ad ſpolia caſtrorū:& acceperunt aurū multum,& argentū , & hyacinthum & purpurā marinā, & opes magnas.Et cōuerſi,hymnum canebāt, & benedicebāt Deum in cœlū quoniam bonus eſt,qm̄ in ſęculum miſericordia eius.Et facta eſt ſalus magna in Iſrael in die illa. Quicunq; autē alieni genarū euaſerunt,venerunt,& nūtiauerunt Lyſiæ vniuerſa quę acciderāt,quibus ille auditis cōſternatus animo deficiebat:quia nō qualia voluit,talia cōtigerunt in Iſrael,& qualia mādauit rex.Et ſequēti anno congregauit Lyſias virorū electorum ſexaginta millia,& equitum quinq; millia, vt debellaret eos. Et venerūt in Iu- D dæam,& caſtra poſuerūt in Beth horū,& occurrit illis Iudas cum decē millibus viris. Et viderunt exercitum fortē,& orauit,& dixit,Benedictus es ſaluator Iſrael , qui cōtriuiſti impetum potentis in manu ſerui tui Dauid,& tradidiſti caſtra alienigenarū in manu Ionathę filij Saul,& armigeri eius.Conclude exercitū iſtum in manu populi tui Iſrael,& cōfundatur in exercitu ſuo & equitibus.Da illis formidinē,& tabefac audaciā virtutis eorum,& commoueantur contritione ſua. Deijce illos gladio diligentiū te:& collaudent te omnes qui nouerunt nomen tuū,in hymnis.Et commiſerunt prælium:& ceciderūt de exercitu Lyſiæ quinq; millia virorum. Videns autē Lyſias fugam ſuorū,& Iudæorum audaciā , & q̄ parati ſunt aut viuere aut mori fortiter, abijt Antiochiā,& elegit milites,vt multiplicati rurſus venirent in Iudæam. Dixit autē Iudas,& fratres eius, Ecce cōtriti ſunt inimici noſtri,aſcēdamus nunc mundare ſancta,& renouare.Et cōgregatus eſt omnis exer- E citus,& aſcenderunt in montē Sion.Et viderunt ſanctificationem deſertā , & altare prophanatum, & portas exuſtas,et in atrijs virgulta nata ſicut in ſaltu vel in mōtibus,& paſtophoria diruta.Et ſciderūt veſtimēta ſua, & planxerunt plāctu magno,& impoſuerunt cinerē ſuper caput ſuum : & ceciderūt in faciē ſuper terram,& exclamauerunt tubis ſignorū,& clamauerunt in cœlū. Tunc ordinauit Iudas viros, vt pugnarēt aduerſus eos qui erant in arce,donec emundarent ſancta.Et elegit ſacerdotes ſine macula voluntatē habentes in lege Dei: & mundauerunt ſancta,& tulerūt lapides contaminationis in locū immundum. Et cogitauit de altari holocauſtorum quod prophanatum erat,quid de eo faceret.Et incidit illis conſiliū bonum , vt deſtruerent illud: ne forte illis eſſet in opprobrium,quia cōtaminauerunt illud gentes,& demoliti ſunt illud.Et repoſuerūt lapides in monte domus in loco apto,quoaduſq; venirer propheta,& reſponderet de eis.Et acceperunt lapides F integros ſecundum legem,& ædificauerunt altare nouum ſecundū illud quod fuit prius:& ædificauerūt ſancta,& quæ intra domū erant intrinſecus:& ædem,& atria ſanctificauerunt. Et fecerunt vaſa ſancta noua, & intulerunt candelabrum,& altare incenſorum,& menſam in templum. Et incēſum poſuerunt ſuper altare, & accenderunt lucernas quæ ſuper candelabrum erant:& lucebant in templo. Et poſuerunt ſuper menſam panes,& appenderūt vela,& conſummauerunt omnia opera quæ fecerant. Et ante matutinum ſurrexerunt quinta & viceſima die menſis noni (hic eſt menſis Casleu) centeſimi quadrageſimi octaui anni:& obtulerūt ſacrificium ſecundum legem ſuper altare holocauſtorū nouum,quod fecerunt,Secundum tempus & ſecundum diem in qua contaminauerunt illud gentes,in ipſa renouatum eſt in canticis , & citharis , & cinyris, & cymbalis.Et cecidit omnis populus in faciem , & adorauerunt & benedixerūt in cœlum qui eum proſperaG uit eis.Et fecerunt dedicationem altaris diebus octo,& obtulerunt holocauſta cum lætitia , & ſacrificium ſalutaris & laudis.Et ornauerunt faciem templi coronis aureis & ſcutulis:& dedicauerunt portas & paſtophoria,& impoſuerunt eis ianuas. Et facta eſt lętitia in populo magna valde,& auerſum eſt opprobriū gentium. Et ſtatuit Iudas & fratres eius & vniuerſa eccleſia Iſrael,vt agatur dies dedicationis altaris in temporibus ſuis Ioan.10.c
ſub anno in annum per dies octo à quinta & viceſima die menſis Casleu,cum lætitia & gaudio. Et ędificauerunt in tempore illo montem Sion,& per circuitum muros altos & turres firmas:nequando venirēt gentes, & conculcarent eum,ſicut antea fecerunt. Et collocauit illic exercitum,vt ſeruarent eum,& muniuit eum ad cuſtodiendam Bethſuram,vt haberet populus munitionem contra faciem Idumææ.

CAPVT V.

A ET factū eſt,vt audierunt gētes in circuitu quia ædificatum eſt altare & ſanctuariū ſicut prius,iratæ ſunt valde:& cogitabant tollere genus Iacob qui erāt inter eos , & cœperūt occidere de populo & perſequi. Et debellabat Iudas filios Eſau in Idumæa,& eos qui erāt in Arabathane:quia circunſedebant Iſraelitas,Et percuſſit eos plaga magna,& † compeſcuit eos,& accepit ſpolia eorum. Et recordatus eſt malitiam filiorum Bean,qui erāt populo in laqueum & in ſcandalū,inſidiantes ei in via:& concluſi ſunt ab eo in turribus,& applicuit ad eos,& anathematizauit eos,& incendit turres eorum igni cum omnibus qui in eis erant. Et tranſiuit ad filios Ammon,& inuenit manū fortem,& populū copioſum,& Timōtheū ducem ipſorū : & commiſit cū eis prelia multa,& cōtriti ſunt in cōſpectu eorū,& percuſſit eos,& cepit Gazer ciuitatē, & filias eius,et reuerſus eſt in Iudæā.Et congregatæ ſunt gentes quæ ſunt in Galaad , aduerſus Iſraelitas qui erāt in finibus eorum,vt tollerent eos:et fugerūt in Datheman munitionē,et miſerunt literas ad Iudā et fratres eius, dicentes,Cōgregatę ſunt aduerſum nos gentes per circuitū,vt nos auferant:et parant venire, et occupare mu
B nitionem in quā confugimus:et Timōtheus eſt dux exercitus eorū.Nunc ergo veni, et eripe nos de manibus eorum,quia cecidit multitudo de nobis.Et omnes fratres noſtri,qui erant in locis Tubin, interfecti ſunt: et captiuas duxerunt vxores eorū,et natos,et ſpolia,et peremerunt illic ferè mille viros. Et adhuc epiſtolæ legebantur,

bantur,& ecce alij nũtij venerunt de Galilæa cõſciſsis tunicis nuntiantes ſecundũ verba hęc:dicentes conueniſſe aduerſum ſe à Ptolemaida,& Tyro,& Sidone:& repleta eſt omnis Galilęa alienigenis vt nos cõſumant. Vt audiuit autẽ Iudas & populus ſermones iſtos,cõuenit eccleſia magna cogitare quid facerẽt fratribus ſuis qui in tribulationes erãt,& expugnabantur ab eis.Dixitq; Iudas Simóni fratri ſuo , Elige tibi viros , & vade, & libera fratres tuos in Galilæa:ego aũt & frater meus Ionathas ibimus in Galaaditim. Et reliquit Ioſephũ filium Zachariæ,& Azariã duces populi cũ reſiduo exercitu in Iudæa ad cuſtodiam:& præcepit illis,dicens, Præeſtote populo huic:& nolite bellum committere aduerſum gentes,donec reuertamur. Et partiti ſunt Simóni viri tria millia,vt iret in Galilæam:Iudæ autem octo millia in Galaaditim. Et abijt Simon in Galilæã, C & commiſit prælia multa cum gentibus:& contritæ ſunt gentes à facie eius,& perſecutus eſt eos vſq; ad portam Ptolemaidis:& ceciderunt de gentibus ferè tria millia virorum,& accepit ſpolia eorum:& aſſumpſit eos qui erant in Galilæa & in Arbatis cum vxoribus & natis & omnibus quæ erãt illis , & adduxit in Iudæam cũ lætitia magna.Et Iudas Machabęus & Ionathas fratres eius tranſierunt Iordanẽ,& abierunt viam trium dierum per deſertum. Et occurrerunt eis Nabuthęi, & ſuſceperunt eos pacificè,& narrauerunt eis omnia quæ acciderant fratribus eorum in Galaaditide,& quia multi ex eis cõprehenſi ſunt in Baraſa,& Boſor, & in Alimis,& in Caſphor,& Mageth,& Carnaim:hę omnes ciuitates munitæ,& magnæ. Sed & in cæteris ciuitatibus Galaaditidis tenentur comprehenſi,& in craſtinum conſtituerunt admouere exercitum ciuitatibus his, & comprehendere,& tollere eos in vna die. Et conuertit Iudas & exercitus eius viam in deſertum Boſor repente,& occupauit ciuitatẽ:& occidit omnem maſculũ in ore gladij,& accepit omnia ſpolia eor,& ſuccendit eam igni:& ſurrexerunt inde nocte,& ibant vſq; ad munitionem. Et factum eſt diluculo, cum eleuaſſent D oculos ſuos,& ecce populus multus,cuius non erat numerus, portãtes ſcalas & machinas vt cõprehenderent munitionem:& expugnabãt eos.Et vidit Iudas q̃ cœpit bellum,& clamor belli aſcendit ad cœlũ ſicut tuba, & clamor magnus de ciuitate:& dixit exercitui ſuo,Pugnate hodie pro fratribus veſtris.Et venit tribus ordinibus poſt eos,& exclamauerunt tubis,& clamauerunt in oratione.Et cognouerunt caſtra Timóthei q̃ Machabæus eſſet,& refugerunt à facie eius : & percuſſerunt eos plaga magna,& ceciderunt ex eis in die illa ferè octo millia virorum.Et diuertit Iudas in Maſpha, & expugnauit, & cepit eam:& occidit omnem maſculum eius,& aſſumpſit ſpolia eius,& ſuccendit eam igni.Inde perrexit,& cepit Casbon,& Mageth, & Boſor,& reliquas ciuitates Galaaditidis.Poſt hæc autem verba,cõgregauit Timótheus exercitum alium,& caſtra poſuit contra Raphon trans torrentem. Et miſit Iudas ſpeculari exercitum:& renuntiauerunt ei, dicentes, Cõuenerunt ad eum omnes gentes quę in circuitu noſtro ſunt,& exercitus multus nimis,& Arabas conduxerunt in auxiliũ ſibi,& caſtra poſuerunt trans torrentẽ,parati ad te venire in prælium. Et abijt Iudas obuiam illis.Et E ait Timótheus principibus exercitus ſui.Cum appropinquauerit Iudas,& exercitus eius ad torrentem aquę: ſi tranſierit ad nos prior,non poterimus ſuſtinere eũ:quia potens poterit aduerſum nos:ſi verò timuerit trãſire,& poſuerit caſtra extra flumen,tranſfretemus ad eos,& poterimus aduerſus illum. Vt autem appropinquauit Iudas ad torrentem aquæ,ſtatuit ſcribas populi ſecus torrentem, & mandauit eis,dicens, Neminem hominum reliquerius,ſed veniant omnes in prælium.Et tranſfretauit ad illos prior , & omnis populus poſt eum:& contritæ ſunt omnes gentes à facie eorum,& proiecerunt arma ſua,& fugerũt ad phanum quod erat in Carnaim. Et occupauit ipſam ciuitatem , & phanum ſuccendit igni cum omnibus quæ erant in ipſo:& oppreſſa eſt Carnaim,& non potuit ſuſtinere contra faciem Iudæ. Et congregauit Iudas vniuerſos Iſraelitas qui erant in Galaaditide,à minimo vſque ad maximum,& vxores eorum,& natos,& vaſa, & exercitum magnum valde,vt venirent in terram Iudæ.Et venerunt vſq; ad Ephron:& hæc ciuitas magna in ingreſſu poſita,munita valde:& non erat declinare ab ea dextera vel ſiniſtra,ſed per mediũ iter erat. Et incluſerunt ſe qui F erant in ciuitate,& obſtruxerunt portas lapidibus:& miſit ad eos Iudas verbis pacificis, dicens, Tranſeamus per terram veſtram,vt eamus in terram noſtram:& nemo vobis nocebit,tantum pedibus trãſibimus:& nolebant eis aperire.Et præcepit Iudas prædicari in caſtris vt applicarent vnuſquiſq; in quo erat loco:& applicuerunt ſe viri virtutis,& oppugnauit ciuitatem illã tota die & tota nocte,& tradita eſt ciuitas in manu eius: & peremerunt omnem maſculum in ore gladij,& eradicauit eam,& accepit ſpolia eius, & tranſiuit per totã ciuitatem ſuper interfectos.Et tranſgreſsi ſunt Iordanem in campo magno,contra faciem Bethſan. Et erat Iudas congregãs extremos,& exhortabatur populũ per totam viam,donec venirẽt in terram Iuda:& aſcenderunt in montem Sion cũ lętitia & gaudio,& obtulerunt holocauſta,q̃ nemo ex eis cecidiſſet donec reuerterentur in pace. Et in diebus quibus erat Iudas,& Ionathas in terra Galaad,& Simon frater eius in Galilæa contra faciem Ptolemaidis:audiuit Ioſephus Zachariæ filius , & Azarias principes virtutis res bene geſtas, & prælia quæ facta ſunt,& dixit,Faciamus & ipſi.nobis nomen , & eamus pugnare aduerſus gentes quæ in cir- G cuitu noſtro ſunt.Et præcepit his qui erant in exercitu ſuo:& abierũt Iamniã. Et exiuit Gorgias de ciuitate, & viri eius obuiã illis in pugnã. Et fugati ſunt Ioſephus et Azarias vſq; in fines Iudeæ:et ceciderũt illa die de populo Iſrael ad duo millia viri, et facta eſt plaga magna in populo,quia nõ audierũt Iudam , et fratres eius, exiſtimantes fortiter ſe facturos:ipſi autem non erant de ſemine virorum illorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael. Et vir Iuda et fratres eius magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael,et gentium omnium vbi audiebatur nomen eorum.Et conuenerunt ad eos fauſta acclamantes.Et exiuit Iudas et fratres eius, et expugnabãt filios Eſau in terra quæ ad auſtrum eſt,et percuſsit Chebron , et filias eius:et muros eius et turres ſuccendit igni in circuitu. Et mouit caſtra,vt iret in terram alienigenarum,et perambulabat Samariam.In die illa ceciderunt ſacerdotes in bello,dum vult fortiter facere, dum ſine conſilio exit in prælium : et declinauit Iudas in Azotum in terram alienigenarum,et diruit aras eorum, et ſculptilia deorum ipſorũ ſuccendit igni: et cepit ſpolia ciuitatum,et reuerſus eſt in terram Iuda.

Caput

CAPVT VI.

A ET rex Antiochus perambulabat ſuperiores regiones,& audiuit eſſe ciuitatem Elymaidẽ in Perſide nobiliſsimã,& copioſam in argẽto & auro,templumq; in ea locuples valde:& illic velamina aurea,& loricæ,& ſcuta quæ reliquit Alexander Philippi rex Macedo,qui regnauit primus in Græcia. Et venit, & quærebat capere ciuitatẽ,& deprædari eã,& non potuit:qm̃ innotuit ſermo his qui erant in ciuitate:& ſurrexerunt in prelĩũ,& fugit inde,& abijt cũ triſtitia magna,& reuerſus eſt in Babyloniã , & venit qui nuntiaret in Perſide,† Fugata ſunt caſtra quę erãt in terra Iuda:& abijt Lyſias cũ virtute forti in primis,et fugatus eſt à facie Iudæor,& inualuerunt armis & viribus , & ſpolijs multis quę ceperunt de caſtris quæ exciderunt : & diruerunt abominationẽ quam ædificauerãt ſuper altare quod erat in Ieruſalẽ : & ſanctificationẽ,ſicut prius circundederunt muris excelſis:ſed & Bethſurã ciuitatem ſuam. Et factum eſt, vt audiuit rex ſermones iſtos,ex B pauit,& commotus eſt valde:& decidit in lectũ,& incidit in languorẽ prę triſtitia,quia nõ factũ eſt ei ſicut ea gitabat.Et erat illic per dies multos:quia renouata eſt in eo triſtitia magna,& arbitratus eſt ſe mori. Et vocauit oēs amicos ſuos,& dixit illis,Receſsit ſomnus ab oculis meis,& cõcidi & corrui corde prę ſolicitudine : & dixi in corde meo,In quãtã tribulationẽ deueni,& in quos fluctus triſtitię in qua nũc ſum: qui iucundus erã: & dilectus in poteſtate mea?Nũc verò reminiſcor malor,quę feci in Ieruſalem, vnde & abſtuli omnia ſpolia aurea & argentea,quę erant in ea,& miſi auferre habitantes Iudeã,ſine cauſa. Cognoui ergo quia propterea inuenerũt me mala iſta:& ecce pereo triſtitia magna in terra aliena. Et vocauit Philippũ vnũ de amicis ſuis, & prepoſuit eũ ſuper vniuerſum regnũ ſuũ:& dedit ei diadema,& ſtolã ſuam,& anulũ,vt adduceret Antiochũ filiũ ſuũ,& nutriret eũ,& regnaret.Et mortuus eſt illic Antiochus rex anno cẽteſimo quadrageſimo no- C no.Et cognouit Lyſias q̃ mortuus eſſet rex,& cõſtituit regnare Antiochũ filiũ eius , quẽ nutriuit adoleſcẽtẽ: & vocauit nomen eius Eupatorẽ.Et hi qui erant in arce,concluſerãt Iſrael in circuitu ſanctor: & quærebant eis mala ſemper & firmamentũ gentium.Et cogitauit Iudas diſperdere eos : & conuocauit vniuerſum populũ,vt obſiderent eos . Et conuenerunt ſimul,& obſiderunt eos anno centeſimo quinquageſimo,& fecerunt baliſtas & machinas.Et exierunt quidã ex eis,qui obſidebantur: & adiunxerunt ſe illis aliqui impij ex Iſrael, & abierunt ad regem,& dixerũt,Quouſq; nõ facis iudiciũ & vindicas fratres noſtros? Nos decreuimus ſeruire patri tuo,& ambulare in pręceptis eius,& obſequi edictis eius : & filij populi noſtri propter hoc alienabãt ſe à nobis:& quicunq; inueniebantur ex nobis,interficiebantur,& hæreditates noſtrę diripiebantur. Et non ad nos tantũ extenderunt manum,ſed & in omnes fines noſtros:& ecce applicuerunt hodie ad arcem in Ieru D ſalem occupare eam,& munitionem in Bethſuram munierunt:& niſi prẽueneris eos velocius, maiora quàm hęc facient,& non poteris obtinere eos.Et iratus eſt rex,vt hæc audiuit , & cõuocauit omnes amicos ſuos , & principes exercitus ſui,& eos,qui ſuper equites erant:ſed & de regnis alijs & de inſulis maritimis venerunt ad eũ exercitus conductitij.Et erat numerus exercitus eius,centũ millia peditũ,& viginti millia equitum,& elephanti triginta duo docti ad prelĩũ. Et venerunt per Idumęam,& applicuerunt ad Bethſurã,& pugnauerunt dies multos,& fecerunt machinas:& exierunt,& ſuccenderunt eas igni & pugnauerunt viriliter . Et receſsit Iudas ab arce,& mouit caſtra ad Bethzacharam contra caſtra regis. Et ſurrexit rex ante lucem,& concitauit exercitus in impetũ contra viam Bethzacharam:& comparuerũt ſe exercitus in prelium, & tubis eecinerũt: & elephantis oſtenderunt ſanguinem vuę & mori ad acuendos eos in prelĩũ : & diuiſerunt beſtias per legio- E nes:& aſtiterunt ſingulis elephantis mille viri in loricis concatenatis,& galeę ęreę in capitibus eorũ:& quingenti equites ordinati vnicuiq; beſtię electi erant.Hi ante tempus,vbicunq; erat beſtia,ibi erant:&, quocunque ibat,ibant,& nõ diſcedebant ab ea.Sed & turres ligneę ſuper eos firmę prõtegẽres ſuper ſingulas beſtias: & ſuper eas machinę:& ſuper ſingulas,viri virtutis trigintaduo,qui pugnabant deſuper: & intus magiſter beſtię.Et reſiduum equitatum hinc & inde ſtatuit in duas partes,tubis exercituum cõmouere:& perurgere conſtipatos in legionibus eius.Et vt reſulſit ſol in clypeos aureos & ęreos,reſpleduerunt montes ab eis,& reſplẽduerunt ſicut lampades ignis.Et diſtincta eſt pars excercitus regis per montes excelſos, & alia per loca humilia:& ibant cautè & ordinatè.Et cõmouebantur omnes inhabitãtes terrã à voce multitudinis eor,& inceſſu turbę,& colliſione armor : erat enim exercitus magnus valde & fortis . Et appropiauit Iudas, & exercitus F eius in prelĩũ : & ceciderũt de exercitu regis ſexcenti viri . Et vidit Eleazar † Abaran,vnã de beſtijs loricatam loricis regis,& erat eminẽs ſuper cęteras beſtias:& viſum eſt ei,q̃ in ea eſſet rex:& dedit ſe , vt liberaret populũ ſuũ,& acquireret ſibi nomẽ ętернũ . Et cucurrit ad eam audacter in medio legionis interficiẽs à dextris & à ſiniſtris,& cadebãt ab eo huc atq; illuc.Et iuit ſub elephantũ,et ſuppoſuit ſe ei,et occidit eũ:& cecidit in terrã ſuper ipſum,et mortuus eſt illic. Et videntes virtutẽ regis,et impetum exercitus eius,diuerterunt ſe ab eis. Caſtra autẽ regis aſcenderũt cõtra eos in Ieruſalẽ,et applicuerunt caſtra regis ad Iudęã et montẽ Sion. Et fecit pacẽ cũ his qui erant in Bethſura,et exierũt de ciuitate,quia nõ erant eis ibi alimẽta cõcluſis, quia ſabbata erant terrę.Et cõprehẽdit rex Bethſurã.et cõſtituit illi cuſtodiã ſeruare eã.Et cõuertit caſtra ad locũ ſanctificationis dies multos:et ſtatuit illic baliſtas & machinas , et ignis iacula,et tormenta ad lapides iactandos,et ſpi- G cula,et ſcorpios ad mittendas ſagittas,et fundibula. Fecerunt autem & ipſi machinas aduerſus machinas eorũ,et pugnauerunt dies multos. Eſcę autem non erant in ciuitate,eo q̃ ſeptimus annus eſſet: et qui remanſerant in Iudæa de gentibus,cõſumpſerant reliquias eor,quę repoſitę fuerant . Et remanſerunt in ſanctis viri pauci,quoniã obtinuerat eos fames:et diſperſi ſunt vnuſquiſq; in locum ſuum. Et audiuit Lyſias quòd Philippus quem conſtituerat rex Antiochus cum adhuc viueret,vt nutriret Antiochum filium ſuum , & regnaret,reuerſus eſt à Perſide et Media,et exercitus qui abierat cũ ipſo,et quòd quęrebat ſuſcipere regni negocia: & feſtinauit ire,& dicere ad regẽ & duces exercitus,Deficimus quotidie,et eſca nobis modica eſt,& locus quẽ obſidemus eſt munitus,& incumbit nobis ordinare de regno . Nunc itaque demus dextras hominibus iſtis,

& faciamus

& faciamus cum illis pacem,& cum omni gente eorum:& constituamus illis vt ambulēt in legitimis suis sicut prius:propter legitima enim ipsorum,quæ despeximus,irati sunt,& fecerūt omnia hęc.Et placuit sermo in conspectu regis & principum:& misit ad eos pacem facere:& ceperunt illam. Et iurauit illis rex & principes,& exierunt de munitione. Et intrauit rex montem Sion,& vidit munitionē loci:& rupit citius iuramentum quod iurauit,& mādauit destruere murum in gyro. Et discessit festinanter,& reuersus est Antiochiam, & inuenit Philippum dominātem ciuitati:& pugnauit aduersus eum,& occupauit ciuitatem.

CAPVT VII.

ANno centesimo quinquagesimo primo exijt Demetrius Seleuci filius ab vrbe Roma,& ascēdit cum A
paucis viris in ciuitatē maritimam,& regnauit illic.Et factū est: vt ingressus est domū regni patrum
suorꝫ,comprehēdit exercitus Antiochū & Lysiā,vt abducerent eos ad eū.Et res ei innotuit:& ait, No
lite mihi ostēdere faciem eorꝫ.Et occidit eos exercitus.Et sedit Demetrius super sedē regni sui, & venerūt ad
eū viri iniqui & impij ex Israel:& Alcimus,dux eorꝫ,qui volebat fieri sacerdos. Et accusauerūt populū apud
regem,dicētes,Perdidit Iudas & fratres eius omnes amicos tuos,& nos dispersidit de terra nostra. Nūc ergo
mitte virum cui credis,vt eat & videat exterminiū omne quod fecit nobis & regionibus regis: & puniat oēs
amicos eius & adiutores eorꝫ.Et elegit rex ex amicis suis Bacchidē, qui dominabatur trās flumē magnum in B
regno,& fidelē regi,& misit eum:& Alcimū impium cōstituit in sacerdotiū,& mandauit ei facere vltionē in
filios Israel. Et surrexerūt & venerūt cum exercitu magno in terrā Iuda:& miserūt nuntios, & locuti sunt ad
Iudā & ad fratres eius verbis pacificis in dolo. Et nō intenderūt sermonibus eorꝫ:viderūt enim quod venerūt
cum exercitu magno. Et cōuenerunt ad Alcimū & Bacchidē congregatio scribarū requirere quæ iusta sunt:
& primi,Asidæi qui erāt in filijs Israel & exquirebāt ab eis pacē. Dixerunt enim, Homo sacerdos de semine
Psal.78. Aaron venit,nō decipiet nos.Et locutus est cū eis verba pacifica: & iurauit illis,dicēs,Non inferemus vobis
malū,neq; amicis vestris.Et crediderūt ei.Et comprehēdit ex eis sexaginta viros, & occidit eos in vna die se- C
cundum verbū quod scriptū est,Carnes sanctorꝫ tuorum, & sanguinem ipsorꝫ effuderūt in circuitu Ierusalē,& nō erat qui sepeliret.Et incubuit timor,& tremor in oēm populum:quia dixerūt, Non est veritas & iu-
dicium in eis:trāsgressi sunt enim constitutū,& iusiurandū quod iurauerunt. Et mouit Bacchides castra ab
Psal.78. Ierusalē,& applicuit in Bethzecha:& misit,& cōprehendit multos ex eis qui ad se refugerāt,& quosdā de po-
pulo mactauit,& in puteum magnū proiecit.Et commisit regionē Alcimo,& reliquit cum eo auxiliū in ad-
iutorium ipsi.Et abijt Bacchides ad regē:& satis agebat Alcimus pro principatu sacerdotij sui:et conuenerūt
ad eum oēs,qui perturbabāt populum suum,& obtinuerūt terram Iuda, & fecerūt plagam magnā in Israel. D
Et vidit Iudas omnia mala quæ fecit Alcimus & qui cum eo erant, filijs Israel multò plusq; gentes:& exijt in
omnes fines Iudeæ in circuitu,& fecit vindictā in viros desertores,& cessauerūt vltrà exire in regionē. Vidit
2.Ma.15.a autem Alcimus qꝺ pręualuit Iudas & qui cū eo erant:& cognouit qꝺ nō posset sustinere eos,& regressus est ad
regē,& accusauit eos multis criminibus.Et misit rex Nicanorē, vnum ex principibus suis nobilioribus,qui
erat inimicitias exercens cōtra Israel:et mādauit ei euertere populū.Et venit Nicanor in Ierusalē cum exerci
tu magno,& misit ad Iudā & ad fratres eius verbis pacificis cū dolo,dicens, Nō sit pugna inter me & vos:ve-
niam cū viris paucis,vt videam facies vestras cū pace.Et venit ad Iudā,& salutauerūt seinuicē pacificè:& ho- E
stes parati erāt rapere Iudā.Et innotuit sermo Iudæ qꝺ cū dolo venerat ad eū:& conterritus est ab eo, & am-
plius noluit videre faciē eius.Et cognouit Nicanor qꝺ denudatū esset consiliū eius:& exiuit obuiā Iudę in pu
gnam iuxta Capharsalama:& ceciderūt de Nicanoris exercitu, ferè † quingēti viri, & fugerunt in ciuitatem
Dauid.Et post hæc verba ascēdit Nicanor in mōte Sion:& exierunt de sacerdotibus † ex sanctis, & à seniori-
bus populi salutare eū in pace,& demonstrare ei holocaustomata quę offerebātur pro rege.Et irridens,spre-
uit eos,& polluit:& locutus est superbè,& iurauit cum ira,dicens,Nisi tradītus fuit Iudas, & exercitus eius in
manus meas:continuò cū regressus fuero in pace,succendā domum istā. Et exijt cum ira magna & intraue- F
4.Re.19.g Tobiæ 1. d Eccl.48.d Isa.37.g runt sacerdotes,& steterūt ante faciem altaris & templi:& flētes dixerūt, Tu Dñe elegisti domum istā ad in-
uocandum nomē tuum in ea,vt esset domus orationis & obsecrationis populo tuo: fac vindictam in homi-
ne isto,& exercitu eius,& cadant in gladio:memēto blasphemias eorum, & ne dederis eis vt permaneant.Et
exijt Nicanor ab Ierusalem,& castra applicuit ad Beth horon:& occurrit illi exercitus Syriæ. Et Iudas appli-
cuit in Adarsa cū tribus millibus viris:& orauit Iudas,& dixit,Qui misi erāt à rege Sennacherib, Dñe,quia
blasphemauerunt te,exijt angelus,& percussit ex eis cētum octogintaquinque millia:sic contere exercitum
istum in cōspectu nostro hodie,& sciāt cæteri quia malè locutus est super sancta tua,& iudica illum secundū G
malitiam eius.Et commiserunt exercitus pręliū tertiadecima die mensis Adar: & contrita sunt castra Nica-
noris,& cecidit ipse primus in prelio.Vt autē vidit exercitus eius qꝺ cecidisset Nicanor,proiecerūt arma sua,
& fugerunt:& persecuti sunt eos viā vnius diei ab Adazer vsquequo veniatur in Gazara, & tubis cecinerunt
post eos cū significationibus:& exierūt de omnibus castellis Iudeæ in circuitu, & ventilabant eos cornibus,
& conuertebantur iterū ad eos,& ceciderunt oēs gladio,& non est relictus ex eis nec vnus.Et acceperūt spo-
lia eorum & prædam:& caput Nicanoris amputauerunt, & dexterā eius quam extenderat superbè, & attu-
lerunt,& suspenderunt contra Ierusalē.Et lætatus est populus valde,& egerunt diem illam in lętitia magna.
Et constituit agi omnibus annis diem istam tertiadecima die mensis Adar.Et siluit terra Iuda dies paucos.

CAPVT VIII.

ET audiuit Iudas nomen Romanorum quòd essent potentes viribus,& acquiescerēt ad omnia quæ po- A
stulantur ab eis:& quicunque accesserunt ad eos,statuerent cum eis amicitias, & quòd essent potentes
viribus: & audierunt prælia eorum,& virtutes bonas quas fecerunt in Galatia, quòd obtinuerint eos
& duxerint sub tributum: & quanta fecerint in regione Hispaniæ, & quòd in potestatē redegerint metalla
argenti

argēti & auri quæ illic essent,& possederint oēm locum cōsilio suo & patiētia:locaq;, quæ longè erant valde
ab eis,& reges qui superuenerāt eis ab extremis terræ,cōtriuerint,& percusserint eos plaga magna:ceteri au-
tē dent eis tributū omnibus annis. Et Philippū & Persen Cæthęorꝫ regē,& cæteros qui aduersum eos arma
tulerāt contriuerint in bello,& obtinuerint eos:& Antiochū magnum regem Asiæ,qui eis pugnā intulerat,
B habens centū viginti elephātes,& equitatum,& currus,& exercitū magnum valde, contritū ab eis:& qꝺ cepe
rint eū vivum,& statuerint ei vt daret ipse & qui regnarēt post ipsum, tributū magnum, & daret obsides,&
constitutum & regionē Indorum,& Medos,& Lydos de optimis regionibus eorꝫ:& acceptas eas ab eis,dede-
runt Eumeni regi:& qꝺ qui erāt apud Helladā voluerint ire,& tollere eos:& innotuerit sermo his, & miserint
ad eos ducē vnum,& pugnauerint cōtra illos,& ceciderint ex eis multi, & captiuas duxerint vxores eorū, &
filios,& diripuerint eos,& terrā eorū possederint,& destruxerint muros eorꝫ, & in seruitutē illos redegerint
vsq; in hunc diē & reliqua regna,& Insulas, quę aliqū restiterant illis,exterminauerint,& in potestatē rede-
gerint.Cū amicis aūt suis,& qui in ipsis requiē habebant,cōseruauerint amicitiā, & obtinuerint regna quæ
erant proxima & quę erāt longè:quia quicūq; audiebāt nomen eorꝫ timebāt eos. Quibus verò vellēt auxilio
esse vt regnarēt,regnabāt:quos autē vellent,regno deturbabāt.Et qꝺ exaltati essent valde. Et in omnibus istis
C nemo portaret diadema,nec indueretur purpura,vt magnificaretur in ea.Et qꝺ curiam fecerint sibi,& quoti
die:cōsulerent trecētos viginti consiliū agentes semper de multitudine,vt quę digna sunt gerāt.Et cōmittant
vni homini magistratū suum per singulos annos dominari vniuersæ terrę suæ:& oēs obediunt vni, & nō sit
inuidia neq; zelus inter eos.Et elegit Iudas Eupolemū filium Ioannis filij Iacob,& Iasonē filium Eleazari,et
misit eos Romā constituere cū illis amicitiā & societatē: & vt auferrēt ab eis iugū Grecorꝫ, quia viderunt qꝺ
in seruitutē premerent regnū Israel.Et abierūt Romam viā multam valde,& introierūt curiam, & dixerūt,
Iudas Machabęus,& fratres eius,& populus Iudęorꝫ miserūt nos ad vos statuere vobiscū societatē & pacem,
& cōscribere nos socios & amicos vestros.Et placuit sermo in cōspectu eorum.Et hoc rescriptū est, quod re-
scripserunt in tabulis æreis:& miserūt in Ierusalē, vt esset apud eos ibi memoriale pacis & societatis. BENE
SIT ROMANIS & gēti Iudaeorꝫ in mari & in terra in æternū:gladiusq;, & hostis procul sit ab eis. Quòd si
D insteterit bellū Romanis prius,aut omnibus socijs eorꝫ in omni dominatione eorꝫ:auxiliū feret gens Iudęo-
rum,prout tępus dictauerit,corde pleno:& pręliātibus non dabūt,neq; subministrabunt triticū,arma,pecu
niam,naues sicut placuit Romanis:& custodiēt mandata eorꝫ,nihil ab eis accipiētes. Similiter autē & si gēti
Iudaeorꝫ prius acciderit bellū,adiuuabunt Romani ex animo, prout eis tępus permiserit:& adiuuātibus nō
dabitur triticū,arma,pecunia,naues,sicut placuit Romanis:& custodiēt mandata eorꝫ absq; dolo: secūdum
hæc verba cōstituerūt Romani populo Iudaeorꝫ. Quòd si post hęc verba hi aut illi addere,aut demere ad hęc
aliquid voluerint,faciēt ex proposito suo:& quæcūq; addiderint vel dēpserint,rata erūt. Sed & de malis,quæ
Demetrius rex fecit in eos,scripsimus ei,dicentes,Quare grauasti iugū tuum super amicos nostros, & socios
Iudaeos? Si ergo iterum adierint nos aduersum te,faciemus illis iudicium,& pugnabimus tecū mari terraq;.

CAPVT IX.

A INterea vt audiuit Demetrius qꝺ cecidit Nicanor & exercitus eius in prælio, apposuit & Bacchidē & Alci-
mum rursum mittere in Iudaeā,& dextrū cornū cū illis.Et abierunt viā quæ ducit in Galgala,& castra po
suerunt in Masaloth,quæ est in Arbellis:& occupauerūt eam,& peremerūt animas hominum multas.In
mēse primo anni cētesimi & quinquagesimi misecūdi applicuerunt exercitū ad Ierusalē:& surrexerūt, & abie-
runt in Berean viginti millia virorꝫ,& duo millia equitū.Et Iudas posuerat castra in Laisa, & tria millia viri
electi cum eo:& viderūt multitudinē exercitus qꝺ multi essent,& timuerūt valde & multi subtraxerunt se de
castris,& nō remanserunt ex eis nisi octingēti viri.Et vidit Iudas qꝺ defluxit exercitus suus, & bellū perurge-
bat eum,& confractus est corde:quia nō habebat tempus congregādi eos,& dissolutus est.Et dixit his qui re-
sidui erant,Surgamus,& eamus ad aduersarios nostros,si poterimus pugnare aduersus eos.Et auertebant eū,
dicentes,Nō poterimus,sed liberemus animas nostras modo,& reuertamur ad fratres nostros,& tūc pugna-
bimus aduersus eos:nos autē pauci sumus. Et ait Iudas, Absit istā rem facere,vt fugiamus ab eis:& si appro-
B piauit tempus nostrū,moriamur in virtute propter fratres nostros,& non inferamus crimen gloriæ nostræ.
Et mouit exercitus de castris,& steterunt illis obuiam: & diuisi sunt equites in duas partes,& fundibularij &
sagittarij prębant exercitum,& primi certaminis oēs potentes. Bacchides autē erat in dextro cornu, & pro-
ximauit legio ex duabus partibus,& clamabāt tubis:exclamauerūt autem & hi qui erāt ex parte Iudaeæ etiam
ipsi,& cōmota est terra à voce exercituum:& cōmissum est prælium à mane vsq; ad vesperā.Et vidit Iudas qꝺ
firmior esset pars exercitus Bacchidis in dextris,& conuenerūt cum ipso omnes constantes corde:& contri-
ta est dextera pars ab eis,& persecutus est eos vsq; ad montem Azoti. Et qui in sinistro cornu erant viderunt
quòd contritum esset dextrum cornu,& secuti sunt post Iudā & eos qui cum ipso erant à tergo: & ingraua-
tum est prælium & ceciderunt vulnerati multi ex his & ex illis.Et Iudas cecidit,& cæteri fugerunt. Et Iona-
thas,& Simon tulerunt Iudam fratrem suum,et sepelierunt eum in sepulchro patrum suorū in ciuitate Mo-
dim:& fleuerunt eum omnis populus Israel planctu magno:et lugebant dies multos:et dixerunt, Quomo-
C do cecidit potens,qui saluum faciebat populum Israel? Et cætera verba bellorum Iudæ,et virtutum quas fe-
cit,et magnitudinis non sunt descripta,multa enim erant valde.Et factum est: post obitum Iudæ emerserūt
iniqui in omnibus finibus Israel,et exorti sunt omnes qui operabantur iniquitatem. In diebus illis facta est
fames magna valde,et tradidit se Bacchidi omnis regio eorum cum ipsis.Et elegit Bacchides viros impios,et
cōstituit eos dominos regionis:et exquirebant et perscrutabātur amicos Iudæ,et adducebant eos ad Bacchi-
dem,et vindicabat in illos,et illudebat.Et facta est tribulatio magna in Israel,qualis non fuit ex die qua non
est visus

est visus propheta in Israel. Et congregati sunt omnes amici Iudæ: & dixerũt Ionathæ, Ex quo frater tuus Iudas defunctus est, vir similis ei, nõ est qui exeat cõtra inimicos, Bacchidem, & eos qui inimici sunt gentis nostræ. Nũc itaq; te hodie eligimus esse pro eo nobis in principẽ & ducẽ ad bellãdũ bellum nostrũ. Et suscepit Ionathas tẽpore illo principatũ, & surrexit loco Iudæ fratris sui. Et cognouit Bacchides: & quærebat eũ occidere. Et cognouit Ionathas & Simõ frater eius, & oẽs qui cũ eo erant: & fugerunt in desertũ Thecue et consederunt ad aquã locus Asphar. Et cognouit Bacchides: & die sabbatoꝝ venit ipse & omnis exercitus eius trans Iordanẽ: & Ionathas misit fratrẽ suum ducẽ populi, & rogauit Nabuthæos amicos suos vt cõmodarent illis D apparatũ su um qui erat copiosus. Et exierũt filij Iambri ex Madaba, & cõprehenderũt Ioannẽ & omnia quę habebat, & abierũt habentes ea. Post hęc verba renuntiatũ est Ionathę & Simoni fratri eius, q̃ filij Iãbri facerent nuptias magnas, & ducerẽt spõsam ex Madaba filiã vnius de magnis principibus Chanaan cũ ambitione magna. Et recordati sunt sanguinis Ioannis fratris sui: & ascẽderunt, & absconderunt se sub tegumento montis. Et eleuauerunt oculos suos & viderũt: & ecce tumultus, & apparatus multus: & sponsus procesſit, & amici eius, & fratres eius obuiã illis cũ tympanis, & musicis, & armis multis. Et surrexerũt ad eos ex insidijs, & occiderũt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & residui fugerũt in montes: & acceperũt omnia spolia eoꝝ; & conuersæ sunt nuptię in luctũ, & vox musicoꝝ ipsorũ in lamentũ. Et vindicauerũt vindictã sanguinis fratris sui: & reuersi sunt ad ripã Iordanis. Et audiuit Bacchides, & venit die sabbatorũ vsq; ad oram Iordanis in virtute magna. Et dixit ad suos Ionathas, Surgamus, & pugnemus cõtra inimicos nostros: nõ est enim hodie E sicut heri, & nudiustertius: ecce enim bellũ ex aduerso, aqua verò Iordanis hinc & inde, & ripæ, & paludes, & saltus: & nõ est locus diuertẽdi. Nunc ergo clamate in cœlũ, vt liberemini de manu inimicoꝝ vestrorum. Et cõmissum est bellũ. Et extẽdit Ionathas manũ suam percutere Bacchidẽ, & diuertit ab eo retro: & dissilijt Ionathas & qui cũ eo erant in Iordanẽ, & transnatauerunt ad eos Iordanẽ. Et ceciderũt de parte Bacchidis die illa mille viri: & reuersi sunt in Ierusalẽ, & ædificauerunt ciuitates munitas in Iudæa, munitionẽ quæ erat in Iericho, & in Ammaum, & in Beth horon, & in Bethel, & Thannatha, & Phara, & Thopo muris excelsis & portis & seris. Et posuit custodiã in eis, vt inimicitias exercerẽt in Israel: & muniuit ciuitatem Bethsuram, & Gazarã, & arcem, & posuit in eis auxilia, & apparatũ escarũ: & accepit filios principũ regionis obsides, & posuit eos in arce in Ierusalẽ in custodiam. Et anno cẽtesimo quinquagesimo tertio, mẽse secũdo pręcepit Alcimus destrui muros domus sanctæ interioris, & destrui opera prophetaꝝ: & cœpit destruere. In tẽpore illo F percussus est Alcimus, & impedita sunt opera illius, & occlusum est os eius, & dissolutus est paralysi, nec vltrà potuit loqui verbũ & mandare de domo sua. Et mortuus est Alcimus in tempore illo cũ tormento magno. Et vidit Bacchides q̃ mortuus est Alcimus: & reuersus est ad regẽ, & siluit terra Iuda annis duobus. Et cogitauerunt omnes iniqui, dicẽtes, Ecce Ionathas, & qui cũ eo sunt, in silentio habitãt confidenter, nũc ergo addu camus Bacchidem, & cõprehendet eos omnes vna nocte. Et abierũt, & consilium ei dederũt. Et surrexit vt veniret cum exercitu multo: & misit occultè epistolas socijs suis, qui erant in Iudæa, vt comprehenderẽt Ionatham & eos qui cũ eo erant, sed nõ potuerunt, quia innotuit eis consilium eorum. Et apprehendit de viris regionis, qui principes erãt militiæ quinquaginta viros, & occidit eos: & secessit Ionathas, & Simeon, & qui cũ eo erant in Bethbessen, quæ est in deserto: & extruxit diruta eius, & firmauerunt eã & cognouit Bacchides, & congregauit vniuersam multitudinẽ suam: & his, qui de Iuda erant, denuntiauit. Et venit, & castra posuit de- G super Bethbessen, & oppugnauit eã dies multos, & fecit machinas. Et reliquit Ionathas Simonẽ fratrem suũ in ciuitate, & exijt in regionẽ, & venit cum numero, & percussit Odaren & fratres eius, & filios Phaseron in tabernaculis ipsoꝝ, & cœpit cędere & crescere in virtutibus. Simon verò, & qui cum ipso erant, exierunt de ciuitate, & succenderũt machinas, & pugnauerunt contra Bacchidem, & contritus est ab eis, & affixerunt eũ valde, quoniam consilium eius & congressus eius erat inanis. Et iratus contra viros iniquos qui ei consilium dederant, vt veniret in regionem ipsorum, multos ex eis occidit: ipse autem cogitauit cum reliquis abire in regionẽ suam. Et cognouit Ionathas: & misit ad eum legatos componere pacem cũ ipso, & reddere ei captiuitatem. Et libenter accepit, & fecit secundum verba eius, & iurauit se nihil facturum ei mali omnibus diebus vitæ eius. Et reddidit ei captiuitatem quam prius erat prædatus de terra Iuda: & cõuersus abijt in terram suam & nõ apposuit amplius venire in fines eius. Et cessauit gladius ex Israel: & habitauit Ionathas in Machmas, & cœpit Ionathas ibi iudicare populum & exterminauit impios ex Israel.

CAPVT X.

ET anno cẽtesimo sexagesimo ascẽdit Alexãder Antiochi filius, qui cognominatus est Nobilis, & occu- A pauit Ptolemaidã, & receperunt eũ, & regnauit illic. Et audiuit Demetrius rex, & congregauit exercitũ copiosum valde & exiuit obuiã illi in prelium. Et misit Demetrius epistolã ad Ionathã verbis pacificis, vt magnificaret eũ: dixit enim, Anticipemus facere pacẽ cum eo, priusquã faciat cum Alexandro aduersum nos: recordabitur enim omniũ malorum quę fecimus in eũ, & in fratrẽ eius, & in gentẽ eius. Et dedit ei potestatem congregãdi exercitum, & fabricare arma, & esse ipsum sociũ eius, & obsides qui erant in arce iussit tradi ei. Et venit Ionathas in Ierusalẽ & legit epistolas in auditu omnis populi, & eorũ qui in arce erant. Et timuerunt timore magno, quoniã audierunt q̃ dedit ei rex potestatẽ congregãdi exercitũ. Et traditi sunt Ionathæ obsides, & reddidit eos parẽtibus suis: & habitauit Ionathas in Ierusalẽ, & cœpit ędificare, & innouare ciuitatem. Et dixit faciẽtibus opera, vt extruerent muros, & mõtem Sion, in circuitu lapidibus quadratis ad munitionẽ: & ita fecerunt. Et fugerũt alienigenę, qui erãt in munitionibus quas Bacchides ędificauerat: & reliquit vnusquisq; locum, & abijt in terrã suam: tantũ in Bethsura remanserũt aliqui ex his, qui reliquerãt legem & præcepta Dei: erat enim hæc eis ad refugiũ. Et audiuit Alexander rex promissa, quæ promisit Demetrius Ionathæ: & narrauerunt ei prælia, & virtutes, quas ipse fecit, & fratres eius, & labores quos laborauerunt, & ait,

Nunquid

B Nunquid inuenimus aliquẽ virum talẽ? & nunc faciemus eũ amicum, & sociũ nostrum. Et scripsit epistolam, & misit ei secundũ hęc verba, dicens, REX Alexãder fratri Ionathę salutẽ. Audiuimus de te q̃ vir potẽs viribus, & aptus es, vt sis amicus noster: & nũc constituimus te hodie summũ sacerdotẽ gentis tuę, & amicus voceris regis (& misit ei purpurã, & coronã auream) & quærebat nostra sunt, sentias nobiscũ, & cõserues amicitiam ad nos. Et induit se Ionathas stola sancta septimo mẽse, anno centesimo sexagesimo in die solẽni scenopegiæ: & cõgregauit exercitum & fecit arma copiosa. Et audiuit Demetrius verba ista, & cõtristatus est nimis, & ait, Quid hoc fecimus, q̃ præoccupauit nos Alexãder apprehẽdere amicitiã Iudæorum ad munimen sui? Scribã & ego illis verba deprecatoria, & dignitates, & dona: vt sint mecũ in adiutorium. Et scripsit eis in hæc verba, REX Demetrius gẽti Iudęorum salutẽ. Quoniam seruastis ad nos pactũ, & mansistis in amicitia nostra: & nõ accessistis ad inimicos nostros, audiuimus, et gauisi sumus. Et nũc perseuerate adhuc conseruare ad nos fidẽ, & retribuemus vobis bona pro his, quæ fecistis nobiscũ. Et remittemus vobis præstationes multas, & dabimus vobis donationes. Et nũc absoluo vos & omnes Iudæos à tributis, & pretia salis indulgeo, & C coronas remitto, & tertias seminis: & dimidiã partem fructus ligni, quod est portionis meæ, relinquo vobis ex hodierno die & deinceps ne accipiatur à terra Iuda & à tribus ciuitatibus, quæ additæ sunt illi ex Samaria & Galilæa ex hodierna die & in totũ tempus: & Ierusalem sit sancta & libera cũ finibus suis: & decimæ & tributa ipsius sint. Remitto etiã potestatem arcis, quę est in Ierusalẽ: & do eã summo sacerdoti, vt constituat in ea viros quoscunq; ipse elegerit, qui custodiant eã. Et omnem animam Iudęorum, quę captiua est à terra Iuda in omni regno meo, relinquo liberã gratis, vt omnes à tributis soluantur, etiã pecorum suoꝝ. Et omnes dies solennes, & sabbata, & neomeniæ, & dies decreti, & tres dies ante diẽ solennem, & tres dies post diẽ solẽnẽ sint oẽs immunitatis, & remissiõis omnibus Iudæis qui sunt in regno meo: & nemo habebit potestatem agere aliquid, & mouere negotia aduersus aliquẽ illorum in omni causa. Et vt ascribãtur ex Iudæis in exercitu regis ad triginta millia virorũ, & dabuntur illis copię, vt oportet omnibus exercitibus regis, & ex eis ordinabuntur qui sint in munitionibus regis magni: & ex his constituẽtur super negotia regni quæ agũtur ex fide, & principes sint ex eis, et ambulẽt in legibus suis, sicut pręcepit rex in terra Iuda. Et tres ciuitates quę additæ sunt Iudææ ex regione Samariæ cum Iudæa reputẽtur: vt sint sub vno, & non obediãt alienę potestati, nisi summo sacerdoti Ptolemaida & cõfines eius, quas dedi donũ sanctis, qui sunt in Ierusalẽ ad necessarios sumD ptus sanctoꝝ. Et ego dabo singulis annis quindecim millia siclorum argenti de rationibus regis, quę me cõtigunt: & omne quod reliquũ fuerit, quod non reddiderant qui super negotia erãt annis prioribus, ex hoc dabunt in opera domus. Et super hæc quinq; millia siclorum argenti, quæ accipiebãt de sanctorum ratione per singulos annos: & hęc ad sacerdotes pertineant, qui ministerio funguntur. Et quicunq; cõfugerint in templum quod est Ierosolymis, & in omnibus finibus eius, obnoxij regi in omni negotio dimittãtur, & vniuersa quæ sunt eis in regno meo libera habeãt. Et ad ædificãda vel restauranda opera sanctorum sumptus dabuntur de ratione regis: & ad extruẽdos muros in Ierusalem & cõmuniendos in circuitu, sumptus dabũtur de ratione regis, & ad construendos muros in Iudea. Vt autẽ audiuit Ionathas & populus sermones istos, non crediderunt eis, nec receperunt eos: quia recordati sunt malitiæ magnæ quã fecerat in Israel, & tribulauerat eos valde. Et cõplacuit eis in Alexandrũ, quia ipse fuerat eis princeps sermonum pacis, & ipsi auxiliũ ferebant omnibus diebus. Et congregauit rex Alexander exercitum magnum, & admouit castra contra Demetriũ. Et commiserunt pręliũ duo reges, & fugit exercitus Demetrij, & insecutus est eum Alexander, & incubuit super eos. Et inualuit prælium nimis, donec occidit sol, & cecidit Demetrius in die illa. Et misit Alexãder ad Ptolomęum E regem Ægypti legatos secundũ hęc verba dicens, QVONIAM regressus sum in regnũ meum, & sedi in sede patrum meoꝝ, & obtinui principatum, & contriui Demetrium, & possedi regionẽ nostram, & commisi pugnam cum eo, & contritus est ipse, & castra eius à nobis, & sedemus in sede regni eius: & nunc statuamus adinuicem amicitiam, & da mihi filiã tuam vxorem, & ero gener tuus, & dabo tibi dona, & ipsi dignitatem. Et respondit rex Ptolomæus, dicens, FELIX dies in qua reuersus es ad terram patrum tuorum, & sedisti in sede regni eorũ. Et nunc faciam tibi quod scripsisti: sed occurre mihi Ptolemaidã, vt videamus inuicẽ nos, & spõdeam tibi sicut dixisti. Et exiuit Ptolomęus de Ægypto, ipse & Cleopatra filia eius, & venit Ptolemaidam anno centesimo secundo. Et occurrit ei Alexander rex, & dedit ei Cleopatram filiam suam: & fecit nuptias eius Ptolemaidę, sicut reges in magna gloria. Et scripsit rex Alexander Ionathæ, vt veniret obuiam sibi. Et abijt cum gloria Ptolemaidã, & occurrit ibi duobus regibus, & dedit illis argentũ multum, & aurum, & dona: & inuenit gratiã in conspectu eorum. Et conuenerunt aduersus eum viri pestilentes ex Israel, viri iniqui interpellantes aduersus eum: & non intendit ad eos rex. Et iussit spoliari Ionatham vestibus suis, & indui eum purpura: & ita fecerunt. Et collocauit eum rex sedere secum. Dixitq; principibus suis, Exite cum eo in medium F ciuitatis, & prædicate vt nemo aduersus eũ interpellet de vllo negotio, nec quisquam ei molestus sit de vlla ratione. Et factũ est vt viderunt qui interpellabant gloriã eius quæ prædicabatur, & opertum eum purpura, fugerunt omnes: & magnificauit eũ rex, & scripsit eũ inter primos amicos, & posuit eũ ducem, & participem principatus. Et reuersus est Ionathas in Ierusalẽ cum pace & lætitia. In anno centesimo sexagesimoquinto, venit Demetrius filius Demetrij à Creta in terrã patrum suoꝝ: & audiuit Alexander rex, & contristatus est valde: & reuersus est Antiochiam. Et constituit Demetrius rex Apollonium ducem, qui præerat Cœlesyriæ: & congregauit exercitum magnum, & accessit ad Iamniam: & misit ad Ionatham summum sacerdotem, dicens, Tu solus resistis nobis, ego autem factus sum in derisum, & in opprobrium, propterea quia tu potestatem aduersum nos exerces in montibus. Nunc ego si confidis in virtutibus tuis, descẽde ad nos in campum, & comparemus illis inuicem: quia mecum est virtus bellatorum. Interroga & disce quis sum ego & cæteri qui auxilio sunt mihi, qui & dicunt q̃ non potest stare pes vester ante faciem nostrã, quia bis in fugam conuersi

uersi sunt patres tui in terrā suam:& nūc qūo poteris sustinere equitatū & exercitum tantū in campo,vbi nō est lapis,neq; saxū,neque locus fugiendi? Vt audiuit autē Ionathas sermones Apollonij,motus est animo:& elegit decē millia virorū,& exijt ab Ierusalem,& occurrit ei Simon frater eius in adiutoriū : & applicuerunt castra in Ioppen,& exclusit eū à ciuitate:quia custodia Apollonij Ioppe erat,& oppugnauit eam.Et exterriti qui erāt in ciuitate,aperuerunt ei,& obtinuit Ionathas Ioppen.Et audiuit Apollonius,et admouit tria millia G equitum & exercitū multum.Et abijt Azotū tanquam iter faciēs,& statim exijt in cāpum : eò quod haberet multitudinē equitum,& confideret in eis.Et insecutus est eū Ionathas in Azotum, & commiserūt prælium. Et reliquit Apollonius in castris mille equites post eos occultè.Et cognouit Ionathas quòd insidiæ sunt post se,& circuierunt castra eius,& iecerūt iacula in populū,à mane usq; ad vesperā. Populus autem stabat, sicut præceperat Ionathas:& laborauerunt equi eorum.Et eiecit Simon exercitum suum,& cōmisit contra legionem:equites enim fatigati erant,& contriti sunt ab eo,& fugerunt.Et qui dispersi sunt per campum fugerūt in Azotum,& intrauerunt in Bethdagon idōlum suū,vt ibi se liberarent. Et succendit Ionathas Azotum,& ciuitates quæ erant in circuitu eius,& accepit spolia eorū,& templū Dagon:& omnes, qui fugerunt in illud, succendit igni.Et fuerunt qui ceciderunt gladio cum his qui succensi sunt,ferè octo millia virorum. Et mouit inde Ionathas castra,& applicuit ea Ascalonem:& exierūt de ciuitate obuiam illi in magna gloria. Et reuersus est Ionathas in Ierusalem cum suis,habentibus spolia multa.Et factū est,vt audiuit Alexander rex sermones istos,addidit adhuc glorificare Ionatham. Et misit ei fibulam auream,sicut cōsuetudo est dari cognatis regum.Et dedit ei Accaron & omnes fines eius in possessionem.

CAPVT XI.

ET rex Ægypti congregauit exercitū,sicut arenam quę est circa orā maris, & naues multas:& quærebat A obtinere regnū Alexandri dolo,& addere illud regno suo.Et exijt in Syriam verbis pacificis,& aperiebantur ei ciuitates,& occurrebāt ei:quia mādauerat Alexander rex exire ei obuiā,eò ꝙ socer suus esset. Cū autem introiret ciuitatē Ptolomæus,ponebat custodias militū in singulis ciuitatibus. Et vt appropiauit Azoto,ostenderunt ei tēplum Dagon succēsum igni,& Azotū,& cætera eius demolita, & corpora proiecta, & eorū qui cæsi erant in bello,tumulos quos fecerant secus viā. Et narrauerūt regi quòd hæc fecit Ionathas: vt inuidiā facerent ei:& tacuit rex.Et occurrit Ionathas regi in Ioppen cū gloria, & inuicē se salutauerunt,& dormierunt illic.Et abijt Ionathas cū rege usq; ad fluuiū qui vocabatur Eleutherus:& reuersus est in Ierusalem.Rex autē Ptolomæus obtinuit dominiū ciuitatum usq; Seleuciā maritimam , & cogitabat in Alexandrum cōsilia mala.Et misit legatos ad Demetriū,dicens.VENI cōponamus inter nos pactū, & dabo tibi filiā meam quā habet Alexander,& regnabis in regno patris tui:pœnitet enim me,ꝙ dederim illi filiā meam: quæsiuit enim me occidere.Et vituperauit eū,propterea ꝙ cōcupiuerat regnū eius. Et abstulit filiā suam, & dedit eam Demetrio.Et alienauit se ab Alexādro:& manifestatę sunt inimicitię eius. Et intrauit Ptolomæus B Antiochiā,& imposuit duo diademata capiti suo,Ægypti & Asiæ. Alexander autē rex erat in Cilicia illis tēporibus:quia rebellabāt qui erant in locis suis.Et audiuit Alexander,& venit ad eum in bellum : & produxit Ptolomæus rex exercitū,& occurrit ei in manu valida,& fugauit eū.Et fugit Alexander in Arabiā,vt ibi protegeretur:rex autem Ptolomæus exaltatus est.Et abstulit Zabdiel Arabs caput Alexādri, & misit Ptolomæo. Et rex Ptolomæus mortuus est in die tertia:& qui erāt in munitionibus,perierūt ab his qui erāt intra castra. Et regnauit Demetrius anno cēteſimo sexagesimoseptimo. In diebus illis cōgregauit Ionathas eos qui erāt in Iudæa,vt expugnarēt arcem quæ est in Ierusalem:& fecerūt contra eam machinas multas.Et abierūt quidam qui oderāt gentem suā viri iniqui ad regē Demetrium, & renuntiauerunt ꝙ ei Ionathas obsideret arcē. Et,vt audiuit,iratus est:& statim venit ad Ptolemaidā,& scripsit Ionathæ ne obsideret arcē,sed occurreret sibi ad colloquium festinatò. Vt audiuit Ionathas,iussit obsidere:& elegit de senioribus Israel, & de sacerdotibus,& dedit se periculo.Et accepit aurū & argentum,& vestem,& alia xenia multa, & abijt ad regē in Ptolemaidam,& inuenit gratiā in conspectu eius,& interpellabāt aduersus eum quidā iniqui ex gente sua.Et fecit ei rex sicut fecerant ei,qui ante eū fuerant:& exaltauit eū in conspectu omniū amicorum suoꝝ , & statuit ei C principatū sacerdotij,& quęcūq; alia habuit prius pretiosa,& fecit eū principem amicoꝝ. Et postulauit Ionathas à rege,vt immunem faceret Iudæā,& tres toparchias,& Samariā,& confines eius:& promisit ei talēta trecēta.Et consensit rex:& scripsit Ionathæ epistolas de his omnibus,hunc modū cōtinentes. REX Demetrius fratri Ionathæ,salutē & genti Iudæoꝝ.Exemplum epistolæ, quā scripsimus Lastheni † cognato nostro de vobis,misimus & ad vos,vt sciretis.Rex Demetrius Lastheni cognato salutem.Genti Iudæorū amicis nostris,& cōseruantibus quæ iusta sunt apud nos,decreuimus benefacere , propter benignitatē ipsorum quam erga nos habēt.Statuimus ergo illis omnes fines Iudææ,& tres ciuitates,Lydam & Ramathę,quę additæ sunt Iudææ,ex Samaria,& omnes cōfines earū sequestrari omnibus sacrificātibus in Ierosolymis pro his,quæ ab eis prius accipiebat rex per singulos annos,& pro fructibus terræ & pomoꝝ.Et alia quæ ad nos pertinebant decimarū & tributoꝝ,ex hoc tēpore remittimus eis:& areas salinarū,& coronas quę nobis deferebātur,omnia ipsis cōcedimus:& nihil hoꝝ irritum erit ex hoc & in omne tēpus.Nunc ergo curate facere horū exemplum,& detur Ionathæ,& ponatur in mōte sancto,& in loco celebri. Et videns Demetrius rex ꝙ siluit terra in conspectu suo,& nihil ei restitit,& dimisit totū exercitum suū,vnumquenq; in locū suum, excepto pere- D grino exercitu quē traxit ab Insulis gentiū:& inimici erāt ei omnes exercitus patrū eius. Tryphon autē erat quidā partium Alexādri prius:& vidit ꝙ omnis exercitus murmurauit contra Demetrium , & iuit ad Emachuel Arabem,qui nutriebat Antiochū filium Alexandri:& assidebat ei,vt traderet eū ipsi,vt regnaret loco patris sui:& nuntiauit ei quanta fecit Demetrius,& inimicitias exercituum eius aduersus illum. Et misit ibi diebus multis.Et misit Ionathas ad Demetrium regem vt eijceret eos,qui in arce erāt in Ierusalem, & qui in præsidijs

præsidijs erāt quia impugnabāt Israel.Et misit Demetrius ad Ionathā,dicens,Non hęc tantū faciā tibi & gēti tuę,sed gloria illustrabo te & gēten tuam cū fuerit opportunū. Nunc ergo rectè feceris, si miseris in auxiliū mihi viros:quia discessit omnis exercitus meus.Et misit ei Ionathas tria millia virorū fortium Antiochiā:& E venerūt ad regem,& delectatus est rex in aduētu eorū.Et cōuenerūt qui erāt de ciuitate, centū viginti millia virorum,& volebāt interficere regem.Et fugit rex in aulā:& occupauerunt qui erāt de ciuitate, itinera ciuitatis,& cœperūt pugnare.Et vocauit rex Iudæos in auxilium,& cōuenerunt omnes simul ad eum,& dispersi sunt omnes per ciuitatē:& occiderunt in illa die centū millia hominum,& succenderūt ciuitatem , & cœperunt spolia multa in die illa,& liberauerunt regem. Et viderūt qui erant de ciuitate ꝙ obtinuissent Iudęi ciuitatem,sicut volebāt:& infirmati sunt mēte sua,& clamauerūt ad regem cum precibus, dicentes, Da nobis dexteras,& cessent Iudęi oppugnare nos & ciuitatē.Et proiecerunt arma sua , & fecerūt pacem:& glorificati sunt Iudæi in conspectu regis,& in cōspectu omnium qui erāt in regno eius , & nominati sunt in regno : & regressi sunt in Ierusalē,habentes spolia multa.Et sedit Demetrius rex in sede regni sui:& siluit terra in conspectu eius.Et mentitus est omnia quęcūq; dixit, & abalienauit se à Ionatha : & nō retribuit ei secūdū beneficia,quæ sibi tribuerat,& vexabat eum valde.Post hęc autē reuersus est Tryphon , & Antiochus cū eo puer F adolescēs:& regnauit,& imposuit sibi diadema.Et cōgregati sunt ad eū omnes exercitus quos dispersērat Demetrius,& pugnauerūt contra eū:& fugit,& terga vertit.Et accepit Tryphon bestias, & obtinuit Antiochiā: & scripsit Antiochus adolescēs Ionathę,dicens, Constituo tibi sacerdotiū,& constituo te super quatuor ciuitates,vt sis de amicis regis.Et misit illi vasa aurea in ministeriū,& dedit ei potestatē bibēdi in auro , & esse in purpura,& habere fibulā auream:& Simonē fratrē eius cōstituit ducē à terminis Tyri usq; ad fines Ægypti. Et exijt Ionathas,& perambulabat trās flumē ciuitates:& cōgregatus est ad eū omnis exercitus Syriæ in auxilium,& venit Ascalonē,& occurrerūt ei honorificè de ciuitate. Et abijt inde Gazā:& cōcluserunt se qui erāt Gazę,& obsedit eam,& succēdit quæ erant in circuitu ciuitatis,& prędatus est eā.Et rogauerunt Gazenses Ionatham,& dedit illis dextrā:& accepit filios eoꝝ obsides , & misit illos in Ierusalē , & perambulauit regionē usq; Damascum.Et audiuit Ionathas ꝙ præuaricati sunt principes Demetrij in Cades quæ est in Galilęa cū exercitu multo,volentes eū remouere a negocio regni : & occurrit illis, fratrē autem suum Simonē reliquit G intra prouinciam.Et applicuit Simon ad Bethsurā,& expugnabat eā diebus multis,& cōclusit eos.Et postulauerunt ab eo dextras accipere,& dedit illis:& eiecit eos inde,& cepit ciuitatē , & posuit in ea præsidium.Et Ionathas & castra eius applicuerunt ad aquam Genesar,& ante lucem vigilauerūt in campo Asor:& ecce castra alienigenarum occurrebant ei in campo,& tendebant ei insidias in mōtibus : ipse autem occurrit ex aduerso.Insidię verò exurrexerunt de locis suis,& commiserunt prælium. Et fugerunt qui erant ex parte Ionathę,omnes:& nemo relictus est ex eis,nisi Matathias filius Absolomi,& Iudas filius Calphi principes militię exercitus.Et scidit Ionathas vestimenta sua, & posuit terrā in capite suo,& orauit.Et reuersus est Ionathas ad eos in prælium,& conuertit eos in fugam,& fugerunt.Et viderunt qui fugiebant partis illius , & reuersi sunt ad eū & insequebantur cū eo omnes usq; Cades ad castra sua, & peruenerunt usq; illuc:& ceciderunt de alienigenis in die illa,tria millia virorum:& reuersus est Ionathas in Ierusalem.

CAPVT XII.

A ET vidit Ionathas ꝙ tēpus eum iuuat,& elegit viros,& misit eos Romā statuere et renouare cū eis amicitiam:& ad Spartiatas,& ad alia loca misit epistolas secundū eandem formā:& abierūt Romā , & intrauerunt curiā,& dixerūt,Ionathas summus sacerdos,& gens Iudęoꝝ misērunt nos,vt renouaremus amicitiā & societatem secundū pristinum.Et dederūt illis epistolas ad ipsos per loca vt deducerēt eos in terrā Iudā cum pace.Et hoc est exemplū epistolaꝝ,quas scripsit Ionathas Spartiatis . IONATHAS summus sacerdos,& seniores gētis,& sacerdotes,& reliquus populus Iudæoꝝ , Spartiatis fratribus salutē . Iampridē missæ B erāt epistolę ad Oniam summū sacerdotem à Dario qui regnabat apud vos,qm̄ estis fratres nostri, sicut scriptum continet quod subiectū est.Et susceptit Onias virū,qui missus fuerat,cū honore:& accepit epistolas , in quibus significabatur de societate,& amicitia.† Et nos igitur cū nullo horum indigeremus , habētes sanctos libros qui sunt in manibus nostris,maluimus mittere ad vos renouare fraternitatē & amicitiā, ne fortè alieni efficiamur à vobis:multa enim tēpora transierunt,ex quo misistis ad nos. Nos ergo in omni tēpore sine intermissione in diebus solēnibus,& cæteris quibus oportet,memores sumus vestri in sacrificijs quæ offerimus,& in obseruationibus sicut fas est & decet meminisse fratrū.Lętamur itaq; de gloria vestra. Nos autem C circundederūt multę tribulationes,& multa prelia,& impugnauerūt nos reges , qui sunt in circuitu nostro. Noluimus ergo vobis molesti esse,neq; cęteris socijs,& amicis nostris in his prelijs:habuimus enim de cœlo auxilium,& liberati sumus nos,& humiliati sunt inimici nostri.Elegimus itaq; Numenium Antiochi filiū, & Antipatrem Iasonis filium,& misimus ad Romanos renouare cum eis amicitiam, & societatē pristinam. Mandauimus itaq; eis vt veniant etiā ad vos,& salutent vos , & reddant vobis epistolas nostras de innouatione fraternitatis nostrę.Et nūc benefacietis respondentes nobis ad hęc.Et hoc rescriptū est epistolarum,quod misit † Oniares.REX Spartiataꝝ † Onię sacerdoti magno salutē.Inuentū est in scriptura de Spartiatis & Iu- D deis ꝙ sunt fratres,& ꝙ sunt de genere Abrahā.Et nūc ex quo hęc cognouimus,bene facitis scribentes nobis de pace vestra.Sed & nos rescripsimus vobis,Pecora nostra,& possessiōes nostrę,vestrę sunt:& vestrę nostrę: mādauimus itaq; hęc nūtiari vobis. Et audiuit Ionathas ꝙ egressi sunt principes Demetrij cū exercitu multo supra ꝙ prius,pugnare aduersus eū:& exijt ab Ierusalē,& occurrit eis in Amathite regione:nō enim dederat eis spatiū,vt ingrederētur regionē eius.Et misit speculatores in castra eoꝝ:& reuersi renūtiauerūt ꝙ cōstituerūt supuenire illic nocte.Cū occidisset autē sol,prēcepit Ionathas suis vigilare & esse ī armis paratos ad pugnam tota nocte,& posuit custodes per circuitū castroꝝ. Et audierūt aduersarij ꝙ paratus est Ionathas cum

ſuis in bello:& timuerunt & formidauerunt in corde ſuo:& accenderũt focos in caſtris ſuis. Ionathas autem E
& qui cum eo erant,nõ cognouerũt vſq; mane:videbãt autem luminaria ardẽtia, & ſecutus eſt eos Ionathas,
& nõ cõprehendit eos,tranſierunt enim flumen Eleutherũ. Et diuertit Ionathas ad Arabas,qui vocabantur
Zabadæi:& percuſsit eos,& accepit ſpolia eorũ.Et iunxit,& venit Damaſcũ , & perambulauit omnem regio-
nem illã.Simon autem exijt & venit vſq; ad Aſcalonem , & ad proxima præſidia : & declinauit in Ioppen,&
occupauit eã:(audiuit enim q̃ vellent præſidium tradere partibus Demetrij)& poſuit ibi cuſtodes,vt cuſtodi
rent eã.Et reuerſus eſt Ionathas:& cõuocauit ſeniores populi,& cogitauit cũ eis ædificare præſidia in Iudæa,
& ædificare muros Ieruſalẽ:& exaltare magnitudine magna inter mediũ arcis & ciuitatẽ , vt ſepararet eam à
ciuitate,vt eſſet ipſa ſingulariter,& neq; emant,neq; vendant.Et conuenerunt,vt ædificarent ciuitatẽ:& cecidit F
murus,qui erat ſuper torrentem ab ortu ſolis,& reparauit eũ qui vocatur Caphetetha: & Simon ædifica-
uit Adiada in Sephela,& muniuit eã,& impoſuit portas & ſeras , & cum cogitaſſet Tryphon regnare Aſiæ &
aſſumere diadema,& extẽdere manum in Antiochum regẽ:& timẽs ne fortè nõ permitteret eũ Ionathas,ſed
pugnaret aduerſus eum,quæſiuit cõprehẽdere eũ,& occidere.Et exurgẽs abijt in Bethſan. Et exiuit Ionathas
obuiã illi cũ quadraginta millibus viroꝝ electoꝝ in prælio,& venit Bethſuran.Et vidit Tryphon q̃ venit Io-
nathas cũ exercitu multo,vt extẽderet in eũ manus,& timuit:& accepit eũ cum honore,& cõmẽdauit cũ om-
nibus amicis ſuis:& dedit ei munera:& præcepit exercitibus ſuis,vt obedirent ei ſicut ſibi . Et dixit Ionathæ,
Vt quid vexaſti vniuerſum populum,cũ bellum nobis non ſit?Et nunc remitte eos in domos ſuas : elige autẽ G
tibi viros paucos,qui tecũ ſint,& veni mecum Ptolemaidã,& tradam eã tibi,& reliqua præſidia, & exercitu,
& vniuerſos præpoſitos negocij,& cõuerſus abibo,propterea enim veni. Et credidit ei,& fecit ſicut dixit: &
dimiſit exercitũ,& abierunt in terrã Iudæ:retinuit autẽ ſecum tria millia viroꝝ, ex quibus remiſit in Galilęã
duo millia,mille autẽ venerunt cũ eo.Vt autẽ intrauit Ptolemaidam Ionathas,clauſerũt portas ciuitatis Pto-
lemẽſes:& cõprehenderunt eũ,& oẽs qui cũ eo intrauerãt,gladio interfecerunt. Et miſit Tryphon exercitũ
& equites in Galilęã,& in cãpũ magnum,vt perderẽt oẽs ſocios Ionathæ.At illi cũ cognouiſſent q̃ cõprehen
ſus eſt Ionathas,& perijt,& omnes qui cũ eo erãt:hortati ſunt ſemetipſos,& exierunt parati in prælũ . Et vi-
dentes hi qui inſequuti fuerant,q̃ pro anima res eſt illis,reuerſi ſunt:illi autem venerũt omnes cũ pace in ter
rã Iuda.Et planxerunt Ionatham,& eos qui cum ipſo erant valde: & luxit Iſrael luctu magno.Et quæſierunt
omnes gentes,quæ erant in circuitu eoꝝ,cõterere eos: dixerunt enim , Nõ habent principem & adiuuantẽ:
nunc ergo expugnemus illos,& tollamus de hominibus memoriam eorum.

CAPVT XIII.

ET audiuit Simon q̃ congregauit Tryphon exercitum copioſum,vt veniret in terram Iuda : & attere- A
ret eã. Videns q̃ in tremore populus eſt & in timore:aſcendit Ieruſalem,& cõgregauit populũ : & ad-
hortãs dixit, Vos ſcitis quanta ego,& fratres mei,& domus patris mei fecimus pro legibus & pro ſan
ctis prælia,& anguſtias quales vidimus:horum gratia perierunt fratres mei omnes propter Iſrael , & relictus
ſum ego ſolus. Et nunc nõ mihi cõtingat parcere animæ meæ in omni tẽpore tribulationis:nõ enim melior
ſum fratribus meis. Vindicabo iraq; gentem meã,& ſanctos,natos quoq; noſtros, & vxores, quia cõgregatæ
ſunt vniuerſæ gentes cõterere nos inimicitiæ gratia.Et accẽſus eſt ſpiritus populi ſimul , vt audiuit ſermones
iſtos:& reſpõderunt voce magna,dicẽtes, Tu es dux noſter loco Iudæ & Ionathæ fratris tui:pugna prælio no
ſtrum:& omnia,quæcunq; dixeris nobis,faciemus. Et cõgregãs oẽs viros bellatores,accelerauit cõſummare B
vniuerſos muros Ieruſalem & muniuit eã in gyro.Et miſit Ionathã filiũ Abſolomi,& cũ eo exercitũ nouum
in Ioppen:& eiectis his,qui erant in arce,remanſit illic ipſe. Et mouit Tryphon à Ptolemaida cum exercitu
multo,vt veniret in terrã Iuda,& Ionathas cũ eo in cuſtodia:Simon autem applicuit in Addus cõtra faciẽ cã-
pi.Et vt cognouit Tryphon q̃ ſurrexit Simon loco fratris ſui Ionathæ,& q̃ cõmiſſurus eſſet cũ eo pręliũ,mi-
ſit ad eum legatos,dicẽs,Pro argẽto quod debebat frater tuus Ionathas in ratione regis:propter negocia,quæ
habuit,detinuimus eum.Et nũc mitte argẽti talenta cẽtum,& duos filios eius obſides,vt nõ dimiſſus fugiat à
nobis:& remittemus eũ.Et cognouit Simon q̃ cũ dolo loqueretur ſecũ,iuſsit autẽ dari argẽtũ, & pueros: ne
inimicitiã magnam ſumeret ad populum Iſrael,dicentẽ,Quia nõ miſit ei argentum & pueros , & propterea C
perijt.Et miſit pueros,& cẽtum talenta:& mẽtitus eſt,& nõ dimiſit Ionatham.Et poſt hęc venit Tryphon in
tra regionẽ,vt cõtereret eã,& gyrauerunt per viã,quæ ducit Ador,& Simon & caſtra eius ambulabant in om
nem locũ quocunq; ibant. Qui autẽ in arce erant,miſerunt ad Tryphonẽ legatos,vt feſtinaret venire p deſer
tũ,& mitteret illis alimonias. Et parauit Tryphon omnẽ equitatum,vt veniret illa nocte: erat aũt nix mul-
ta valde,& non venit in Galaaditim.Et cũ appropinquaſſet Baſchama,occidit Ionatham & filios eius illic.Et
cõuertit Tryphon & abijt in terrã ſuã.Et miſit Simon,& accepit oſſa Ionathę fratris ſui,& ſepeliuit ea in Mo
din ciuitate patrũ eius.Et planxerunt eum omnis Iſrael planctu magno,& luxerunt eũ dies multos.Et ædifi-
cauit Simon ſuper ſepulchrum patris ſui & fratrum ſuoꝝ edificium altum viſu,lapide polito retro & ante:& D
ante:& ſtatuit ſeptem pyramidas,vnam cõtra vnam patri & matri,& quatuor fratribus :& his circumpoſuit
columnas magnas & ſuper columnas arma,ad memoriam æternam:& iuxta arma naues ſculptas, quæ vide-
rentur ab hominibus nauigantibus mare:hoc eſt ſepulchrum,quod fecit in Modin vſq; in hunc diem. Try-
phon autem cum iter faceret cũ Antiocho rege adoleſcente,dolo occidit eum.Et regnauit loco eius,& impo
ſuit ſibi diadema Aſiæ,& fecit plagam magnam in terra.Et ædificauit Simon præſidia Iudæ,muniens ea tur-
ribus excelſis,& muris magnis,& portis & ſeris:& poſuit alimenta in munitionibus. Et elegit Simon viros,
& miſit ad Demetrium regem,vt faceret remiſsionem regioni:quia actus omnes Tryphonis per direptionẽ
fuerãt geſti.Et Demetrius rex ad verba iſta reſpondit ei,& ſcripſit epiſtolam talem. REX Demetrius Simo- E
ni ſummo ſacerdoti & amico regum,& ſenioribus,& gẽti Iudæorum ſalutem. Coronã aureã,& † baenem,
quam

quam miſiſtis,ſuſcepimus:& parati ſumus facere vobiſcũ pacẽ magnã,& ſcribere præpoſitis regis remittere
vobis quæ indulſimus. Quęcũq; enim conſtituimus,vobis conſtant.Munitiones,quas ædificaſtis, vobis ſint:
remittimus quoq; ignorãtias,et peccata vſq; in hodiernũ diẽ,& coronam quã debebatis.Et ſi quid aliud erat
tributariũ in Ieruſalẽ,iam nõ ſit tributariũ. Et ſi qui ex vobis apti ſunt cõſcribi inter noſtros,cõſcribãtur,&
ſit inter nos pax. Anno cẽteſimo ſeptuageſimo ablatũ eſt iugũ gentiũ ab Iſrael. Et cœpit populus Iſrael ſcri
F bere in tabulis & geſtis publicis,anno primo ſub Simone ſummo ſacerdote,magno duce,& principe Iudęo-
rũ.In diebus illis applicuit Simon ad Gazã & circũdedit eã caſtris:& fecit machinas, & applicuit ad ciuitatẽ,
& percuſsit turrem vnã,& cõprehendit eã.Et qui eruperant,erãt intra machinã, in ciuitatẽ, & factus eſt mo-
tus magnus in ciuitate.Et aſcenderunt qui erãt in ciuitate cũ vxoribus & filijs ſupra murũ ſciſsis tunicis ſuis,
& clamauerunt voce magna,poſtulantes à Simone dextras ſibi dari,& dixerunt,Nõ nobis reddas ſecũdũ ma-
litias noſtras,ſed ſecundũ miſericordias tuas.Et flexus Simon nõ debellauit eos:eiecit tamẽ eos de ciuitate,&
mundauit ædes in quibus fuerant ſimulachra , & tunc intrauit in eã cũ hymnis bñdicens Dominũ:& eiecta
G ab ea omni ĩmunditia,collocauit in ea viros qui legẽ facerent:& muniuit eã,& fecit ſibi habitationẽ. Qui au
tem erant in arce Ieruſalẽ,prohibebãtur egredi & ingredi regionẽ,& emere & vendere : & eſurierunt valde ,
et multi ex eis fame perierũt,& clamauerũt ad Simonem,vt dextras acciperet.Et dedit illis: & eiecit eos inde,
& mundauit arcẽ à cõtaminationibus,& intrauerunt in eã tertia & viceſima die ſecũdi mẽſis,anno cẽteſimo
ſeptuageſimo primo,cũ laude & ramis palmaꝝ,& cynaris,& cymbalis,& nablis , & hymnis, et cãticis , quia
cõtritus eſt inimicus magnus ex Iſrael.Et cõſtituit,vt omnibus annis agerentur dies hi cũ lætitia.Et muniuit
monte tẽpli,qui erat ſecus arcẽ,& habitauit ibi ipſe,& qui cũ eo erant. Et vidit Simon Ioannem filiũ ſuum,
q̃ vir prælij eſſet:& poſuit eũ ducẽ virtutũ vniuerſarũ,& habitauit in Gazaris.

CAPVT XIIII.

A ANno centeſimo ſeptuageſimo ſecundo cõgregauit rex Demetrius exercitũ ſuũ,& abijt in Mediam ad
contrahenda ſibi auxilia,vt expugnaret Tryphonẽ. Et audiuit Arſaces rex Perſidis & Mediæ, q̃ in-
trauit Demetrius cõfines ſuos,& miſit vnum de principibus ſuis,vt cõprehenderet eũ viuũ. Et abijt,
& percuſsit caſtra Demetrij:& cõprehendit eum,& duxit eum ad Arſacem,& poſuit eum in cuſtodiam . Et
ſiluit omnis terra Iuda omnibus diebus Simonis , & quæſiuit bona genti ſuæ , & placuit illis poteſtas eius &
gloria eius omnibus diebus. Et cũ omni gloria ſua accepit Ioppen in portum , & fecit introitum in Inſulis
maris. Et dilatauit fines gentis ſuę,& obtinuit regionem.Et congregauit captiuitatem multam, & domina-
tus eſt Gazaræ & Bethſurę,& arci:& abſtulit immundicias ex ea,& nõ erat qui reſiſteret ei.Et vnuſquiſq; co-
lebat terram ſuam cum pace:& terra Iuda dabat fructus ſuos,& ligna camporum fructum ſuum.Seniores in
plateis ſedebant omnes,& de bonis terrę tractabant,& iuuenes induebant ſe gloriam,& ſtolas belli. Et ciuita
tibus tribuebat alimonia,& conſtituebat eas,vt eſſent vaſa munitionis quoadũſq; nominatũ eſt nomen glo-
B riæ eius vſq; ad extremũ terrę.Fecit pacẽ ſuper terrã,& lętatus eſt Iſrael lętitia magna.Et ſedit vnuſquiſq; ſub
vite ſua,& ſub ficulnea ſua:& non erat qui eos terreret.Defecit impugnãs eos ſuper terrã:reges cõtriti ſunt in
diebus illis.Et cõfirmauit omnes humiles populi ſui,& legẽ exquiſiuit,& abſtulit omnẽ iniquũ & malũ:ſan-
cta glorificauit,& multiplicauit vaſa ſanctoꝝ.Et auditum eſt Romæ q̃ defunctus eſſet Ionathas , & vſque in
Spartiatas:& cõtriſtati ſunt valde.Vt audierũt autem q̃ Simon frater eius eſſet ſummus ſacerdos loco eius, &
ipſe obtineret omnem regionem,& ciuitates in ea,ſcripſerunt ad eũ in tabulis æreis, vt renouarẽt amicitias,
& ſocietatem quam fecerant cũ Iuda & cum Ionatha fratribus eius. Et lectę ſunt in conſpectu eccleſiæ in Ie-
ruſalem . Et hoc exemplum epiſtolarũ quas Spartiatæ miſerunt. SPARTIANORVM principes & ciuita-
tes:Simoni ſacerdoti magno,& ſenioribus, & ſacerdotibus , et reliquo populo Iudæorum fratribus ſalutem.
Legati,qui miſi ſunt ad populum noſtrum,nuntiauerunt nobis de veſtra gloria,honore , & lętitia: & gauiſi
ſumus in introitu eorum.Et ſcripſimus,quæ ab eis erant dicta in concilijs populi,ſic,Numenius Anthiochi,
C & Antipater Iaſonis filius legati Iudæorũ,venerũt ad nos,renouantes nobiſcum amicitiam priſtinam.Et pla
cuit populo excipere viros glorioſe,& ponere exemplum ſermonum eorum in ſegregatis populi libris, vt ſit
ad memoriam populo Spartiatarum . Exemplum autem horum ſcripſimus Simoni magno ſacerdoti. Poſt
hæc autem miſit Simon Numenium Romam,habentem clypeum aureum,magnum,pondo mnarum mil-
le ad ſtatuendam cum eis ſocietatẽ.Cum autem audiſſet populus Romanus ſermones iſtos,dixerunt, Quam
gratiarum actionem reddemus Simoni & filijs eius?Reſtituit enim ipſe fratres ſuos, & expugnauit inimicos
Iſrael ab eis,& ſtatuerunt ei libertatem & deſcripſerunt in tabulis æreis,& poſuerunt in titulis in mõte Sion.
Et hoc eſt exemplũ ſcripturę, OCTAVADECIMA die menſis Elul, anno centeſimo ſeptuageſimo ſecũdo,
anno tertio ſub Simone ſacerdote magno in Aſaramel,in conuentu magno ſacerdotum,& populi,& princi
pum gentis,& ſenioꝝ regionis,nota facta ſunt hæc. Quoniam frequẽter facta ſunt prælia in regione noſtra.
Simon autem Matathiæ filius ex filijs Iarib,& fratres eius dederunt ſe periculo,& reſtiterunt aduerſarijs gen-
D tis ſuæ,vt ſtarent ſancta ipſoꝝ & lex,& gloria magna glorificauerunt gentem ſuam.Et congregauit Ionathas
gentem ſuam,& factus eſt illis ſacerdos magnus,& appoſitus eſt ad populum ſuum.Et voluerunt inimici eo-
rum calcare & atterere regionem ipſorum,& extendere manus in ſancta ſanctoꝝ.Tunc reſtitit Simon,& pu
gnauit pro gente ſua,et erogauit pecunias multas:et armauit viros virtutis gentis ſuæ , et dedit illis ſtipendia:
& muniuit ciuitates Iudææ , & Bethſuram , quæ erat in finibus Iudææ,vbi erant arma hoſtium antea:& po-
ſuit illic præſidium viros Iudæos.Et Ioppen muniuit,quæ erat ad mare:& Gazaram, quæ eſt in finibus Azo-
ti,in qua hoſtes antea habitabant,et collocauit illic Iudæos:et quæcunque apta erant ad correctionem eorũ,
& poſuit in eis . Et vidit populus † fidem Simonis , gloriam quam cogitabat facere genti ſuæ , et poſuerunt
eum ducem ſuum & principem ſacerdotum , eò quòd ipſe fecerit hæc omnia,et iuſtitiam,et fidem quã con-

seruauit genti suæ,& exquisiuit omni modo exaltare populum suum.Et in diebus eius prosperatũ est in ma- E
nibus eius,vt tollerẽtur gẽtes de regione ipsoꝝ,& qui in ciuitate Dauid erãt in Ierusalẽ in arce, de qua proce-
debant,& cõtaminabãt omnia,quæ in circuitu sanctoꝝ sunt,& inferebant plagã magnã castitati: & collo-
cauit in ea viros Iudęos ad tutamentũ regionis & ciuitatis,& exaltauit muros in Ierusalẽ. Et rex Demetrius sta-
tuit illi summũ sacerdotiũ.Secundum hæc fecit eum amicũ suum,& glorificauit eum gloria magna. Audiuit
enim ꝙ appellati sunt Iudæi à Romanis amici,& socij,& fratres,& ꝙ susceperũt legatos Simonis glorioſe: & F
ꝙ Iudęi & sacerdotes eoꝝ cõsenserunt eum esse ducem suũ & summum sacerdotem inęternum donec surgat
propheta fidelis:& vt sit sup eos dux,& vt cura esset illi pro sanctis,& vt cõstitueret prępositos super opera eo
rum & super regionem & super arma & super prędisidia:& cura sit illi de sanctis:& vt audiatur ab omnibus,&
scribãtur in nomine eius omnes cõscriptiones in regione:& vt operiatur purpura & auro : & ne liceat vlli ex
populo & ex sacerdotibus irritum facere aliquid hoꝝ,& cõtradicere his,quę ab eo dicuntur, aut cõuocare cõ G
uentum in regione sine ipso:& vestiri purpura,& vti fibula aurea:qui aũt fecerit extra hęc,aut irritum fecerit
aliquid hoꝝ:reus erit.Et cõplacuit omni populo statuere Simonem,& facere secũdum verba ista. Et susceꝑit
Simon,& placuit ei,vt summo sacerdotio fungeretur:& esset dux & princeps gẽtis Iudęoꝝ & sacerdotum,&
prędesset omnibus.Et scripturam istam dixerunt ponere in tabulis ęreis,& ponere eas in peribolo sanctoꝝ,in
loco celebri:exemplum autem eorũ ponere in ęrario,vt habeat Simon & filij eius.

CAPVT XV.

ET misit rex Antiochus filius Demetrij epistolas ab Insulis maris Simoni sacerdoti, & principi gẽtis Iu- A
dęoꝝ,& vniuersæ genti,& erãt cõtinentes hunc modum, REX Antiochus Simoni sacerdoti magno,
& genti Iudæoꝝ salutem. Quoniam quidã pestilentes obtinuerũt regnũ patrum nostroꝝ,volo autem
vendicare regnũ,& restituere illud,sicut erat antea:& electã feci multitudinẽ exercitus, & feci naues bellicas.
Volo autem procedere p regionem,vt vlciscar in eos qui corruperunt regionem nostrã : & qui desolauerunt
ciuitates multas in regno meo.Nunc ergo statuo tibi omnes oblationes quas remiserunt tibi ante me omnes
reges,& quęcũq; alia dona remiserunt tibi:& permitto tibi facere percussurã proprij numismatis in regione B
tua:Ierusalem autem sanctã esse & liberã:& omnia arma,quę fabricata sunt & prædisidia,quę cõstruxisti, quæ
tenes,maneant tibi.Et omne debitũ regis & quæ futura sunt regi, ex hoc & in totũ tempus remittuntur tibi.
Cum aũt obtinuerimus regnum nostrũ,glorificabimus te,& gentẽ tuã, & templũ gloria magna,ita vt mani
festetur gloria vestra in vniuersa terra. Anno centesimo septuagesimo quarto exijt Antiochus in terrã patrũ
suoꝝ,& conuenerunt ad eum oẽs exercitus,ita vt pauci relicti essent cũ Tryphone.Et insecutus est eũ Antio-
chus rex,& venit Doram fugiẽs p maritimã:sciebat enim ꝙ cõgregata sunt mala in eũ , & reliquit eũ exerci- C
tus:& applicuit Antiochus sup Doram cũ centũ viginti millibus virorꝝ belligeratoꝝ, & octo millibus equi-
tum:& circuiuit ciuitatẽ,& naues à mari accesserunt : & vexabãt ciuitatẽ à terra & mari, & neminẽ sinebant
ingredi vel egredi. Venit aũtẽ Numenius,& qui cũ eo fuerãt,ab vrbe Roma,habẽtes epistolas regibus, & re-
gionibus scriptas,in quibus cõtinebantur hæc, LVCIVS cõsul Romanoꝝ,Ptolemęo regi salutẽ.Legati Iu-
dæoꝝ venerũt ad nos amici nostri , renouãtes pristinã amicitiã & societatẽ,missi à Simone principe sacerdo-
tum,& populo Iudæorum. Attulerunt autem & clypeum aureum mnarum mille. Placuit itaque nobis scri
bere regibus,& regionibus,vt non inferant illis mala , neque impugnent eos,& ciuitates eorum,& regiones D
eorum : & vt nõ ferant auxilium pugnãtibus aduersus eos. Visum autem est nobis accipere ab eis clypeum.
Siqui ergo pestilẽtes fugerint de regione ipsoꝝ ad vos,tradite eos Simoni principi sacerdotum,vt vindicet in
eos secũdum legem suã. Hæc eadem scripta sunt Demetrio regi,& Attalo , & Arabæ,& Arsaci, & in omnes
regiones , & Sampsamę & Spartiatis & Delo & Mydo & Sicioni & Cariæ , & Samum & Phampiliam & Ly-
ciam & Alicarnassum & Rhodum & Phaselida & Coo & Siden & Arado & Gortynam & Cnidum & Cy-
prum & Cyrenen.Exẽplum autem eoꝝ scripserunt Simoni principi sacerdotum. Antiochus autem rex ap-
plicuit castra in Doram secũdò,admouens ei semper manus & machinas faciẽs:& conclusit Tryphonem, ne E
procederet,& misit ad eũ Simon duo millia virorꝝ electoꝝ in auxilium,& argentum,& auꝝ,& vasa copiosa:
& noluit ea accipere:sed rupit omnia,quę pactus est cum eo antea,& alienauit se ab eo.Et misit ad eum Athe
nobium vnũ de amicis suis,vt tractaret cũ ipso,dicens,Vos tenetis Ioppem,& Gazaram,& arcẽ,quę est in Ie-
rusalem ciuitates regni mei:fines earum desolastis,& fecistis plagã magnã in terra, & dominati estis per loca
multa in regno meo.Nunc ergo tradite ciuitates, quas occupastis : & tributa locoꝝ in quibus dominati estis
extra fines Iudææ:sinautem,date pro illis,quingenta talenta argenti,& exterminij quod exterminastis,& tri- F
butoꝝ ciuitatum alia talenta quingẽta:sinautem,veniemus & expugnabimus vos.Et venit Athenobius ami-
cus regis in Ierusalẽ,& vidit gloriã Simonis,& claritatem in auro & argento,& apparatũ copiosum, & obstu
puit,& retulit ei verba regis.Et respõdit ei Simon,& dixit ei,Neq; alienã terrã sumpsimus , neq; alienã deti-
nemus:sed hereditatem patrum nostroꝝ,quæ iniustè ab inimicis nostris aliquo tempore possessa est.Nos ve-
rò tempus habẽtes,vendicamus hæreditatem patrum nostroꝝ . Nã de Ioppe,& Gazara,quę expostulas,ipsi
faciebant in populo plagam magnam, & in regione nostra:hoꝝ damus talenta centum.Et non respondit ei
Athenobius verbum.Reuersus autem cum ira ad regem,renuntiauit ei verba ista,& gloriam Simonis,& vni G
uersa,quæ vidit:& iratus est rex ira magna. Tryphon autem fugit nauí in Ortosiada.Et constituit rex Cende
bæum ducem maritimum,& exercitum peditum & equitum dedit illi. Et mandauit illi mouere castra con-
tra faciem Iudææ:& mandauit ei ædificare Cedronem,& obstruere portas ciuitatis,& debellare populũ.Rex
autem persequebatur Tryphonem,& peruenit Cendebæus Iamniam,& cœpit irritare plebem:& conculca-
re Iudæam,& captiuare populum,& interficere,& ædificare Cedronem.Et collocauit illic equites, & exerci-
tum:vt egressi perambularent viam Iudææ,sicut constituit ei rex.

Caput

CAPVT XVI.

A ET ascendit Ioannes de Gazaris,& nuntiauit Simoni patri suo,quę fecit Cendebęus.Et vocauit Simon
duos filios suos seniores,Iudam,& Ioannem & ait illis. Ego & fratres mei,& domus patris mei expu-
gnauimus hostes Israel ab adolescẽtia vsq; in hunc diem : & prosperatum est in manibus nostris libe-
rare Israel aliquoties.Nunc aũtẽ senui,sed estote loco meo,& fratris mei,& egressi pugnate pro gente nostra:
auxiliũ verò de cœlo vobiscũ sit.Et elegit de regione viginti millia virorꝝ belligeratorum,& equites,& profe
cti sunt ad Cendebæum:& dormierunt in Modin. Et surrexerunt manè, & abierunt in cãpũ : & ecce exerci-
tus copiosus obuiam illis peditum & equitum,& fluuius torrens erat inter medium ipsoꝝ.Et admouit castra
B contra faciem eoꝝ ipse & populus eius,& vidit populum trepidantẽ ad transfretandũ torrentẽ,& transfreta-
uit primus,& viderunt eũ viri,& transierunt post eũ.Et diuisit populum,& equites in medio peditũ: erat au-
tem equitatus aduersariorũ copiosus nimis.Et exclamauerũt sacris tubis : & in fugã cõuersus est Cendebęus,
& castra eius:& ceciderũt ex eis multi vulnerati:residui aũtẽ in munitionẽ fugerunt. Tunc vulneratus est Iu-
das frater Ioannis:Ioannes autẽ insecutus est eos,donec vẽit Cedronem quam ædificauit: & fugerunt vsque
ad turres,quæ erant in agris Azoti,& succẽdit eas igni. Et ceciderunt ex illis duo millia virorꝝ,& reuersus est
in Iudæam in pace:& Ptolemæus filius Abobi cõstitutus erat dux in cãpo Iericho,& habebat argentũ & auꝝ
C multum:erat enim gener summi sacerdotis.Et exaltatum est cor eius & volebat obtinere regionẽ,& cogita-
bat dolũ aduersus Simonẽ & filios eius,vt tolleret eos.Simon aũt perambulans ciuitates, quę erãt in regione
Iudeæ,& solicitudinẽ gerens earꝝ,descẽdit in Iericho ipse & Matathias filius eius,& Iudas anno centesimo se-
ptuagesimoseptimo,mense vndecimo,hic est mẽsis Sabat.Et susceꝑit eos filius Abobi in munitiunculã, quæ
vocatur Doch,cũ dolo,quã ædificauit:& fecit eis cõuiuiũ magnũ,& absconditillic viros.Et cũ inebriatus esset
Simon & filius eius,surrexit Ptolemæus cũ suis,& sumpserũt arma sua,& intrauerũt in cõuiuiũ, & occiderũt
eũ,& duos filios eius,& quosdã pueros eius : & fecit deceptionẽ magnã in Israel, & reddidit mala pro bonis.
D Et scripsit hæc Ptolemęus,& misit regi,vt mitteret ei exercitũ in auxiliũ,& traderet ei regionẽ,& ciuitates eo
rũ,& tributa.Et misit alios in Gazarã tollere Ioannẽ,& tribunis misit epistolas,vt venirẽt ad se,& daret eis ar
gentũ,& aurum,& dona.Et alios misit occupare Ierusalẽ,& mõtem tẽpli.Et præcurrens quidã , nũtiauit Io-
anni in Gazara ꝙ perijt pater eius,& fratres eius,& ꝙ misit te quoq; interfici. Vt audiuit aũtẽ, vehemẽter ex-
pauit:& cõprehendit viros qui venerant perdere eũ, & occidit eos:cognouit enim ꝙ quærebãt perdere eum.
Et cætera sermonum Ioannis,& bellorum eius,& bonarum virtutum quibus fortiter gessit,& ædificij muro
rum quos extruxit , & rerum gestarum etiam eius : ecce hæc scripta sunt in libro dierum sacerdotij eius : ex
quo factus est princeps sacerdotum post patrem suum.

LIBER SECVNDVS
MACHABEORVM.

CAPVT I.

A
FRATRIBVS qui sunt per Ægyptũ Iudæis,salutẽ dicũt fratres,qui sunt in Ierosolymis
Iudæi,& qui in regione Iudæa,& pacẽ bonã.Benefaciat vobis Deus, & meminerit testa-
mẽti sui quod locutus est ad Abrahã, & Isaac , & Iacob † seruos suos fideles,& det vobis
cor omnibus,vt colatis eũ & faciatis eius voluntatẽ corde magno & animo volenti. Ad-
aperiat cor vestrum in lege sua,& in præceptis suis,& faciat pacẽ.Exaudiat orationes ve-
stras:& recõcilietur vobis,nec vos deserat in tẽpore malo. Et nũc hic sumus orantes pro
B vobis.Regnãte Demetrio anno cẽtesimo sexagesimo nono , nos Iudęi scripsimus vobis
in tribulatione & imperu qui superuenit nobis in istis annis , ex quo recessit Iason à sancta terra & à regno.
Portam succẽderunt & effuderũt sanguinẽ innocentẽ,& orauimus ad Dñm,& exauditi sumus,& obtulimus
sacrificium & similaginẽ,& accẽdimus lucernas,& proposuimus panes. Et nunc frequẽtate dies scenopegiæ
mẽsis Casleu . Anno centesimo octogesimooctauo:populus qui est in Ierosolymis,& in Iudæa,senatusq; &
Iudas, Aristobolo magistro Ptolemęi regis , qui est de genere christoꝝ sacerdotũ, & his qui in Ægypto sunt
Iudæis,salutẽ & sanitatẽ.De magnis periculis à Deo liberati magnificè gratias agimus ipsi,vt pote qui aduer-
C sus talẽ regẽ dimicauimus.Ipse enim ebullire fecit de Persida eos,qui pugnauerũt cõtra sanctã ciuitatẽ.Nam
cũ in Persida esset dux ipse,& cũ ipso immẽsus exercitus,cecidit in tẽplo Nanee,cõsilio deceptus sacerdotum
Naneæ:etenim quasi cũ ea habitaturus venit ad locũ Antiochus & amici eius,& vt acciperent pecunias mul-
tas dotis nomine.Cũq; proposuissent eas sacerdotes Naneę,& ipse cũ paucis ingressus esset intra ambitũ pha
ni,clausserunt templum.Cum aũtẽ intrasset Antiochus,apertoq; occulto aditu tẽpli,mittẽtes lapides percus-
serunt ducẽ,& eos qui cũ eo erant,& diuiserunt mẽbratim,& capitibus amputatis foras proiecerunt.Per om
nia benedictus Deus,qui tradidit impios . Facturi igitur quinta & vicesima die mensis Casleu purificationẽ
D templi,necessariũ duximus significare vobis : vt & vos quoq; agatis diẽ scenopegiæ & diẽ ignis qui datus est
quando Nehemias ædificato tẽplo & altari obtulit sacrificia.Nã cũ in Persidem ducerentur patres nostri , sa-
cerdotes qui tunc cultores Dei erant , acceptũ ignem de altari occultè absconderunt in valle vbi erat puteus
altus & siccus:& in eo cõtutati sunt eũ,ita vt omnibus ignotus esset locus. Cum aũt præterissent anni multi,

 & placuit

& placuit Deo, vt mitteretur Nehemias á rege Persidis: nepotes sacerdotum illorũ qui absc̃oderant, misit ad requirendũ ignẽ: & sicut narrauerũt nobis, nõ inuenerũt ignẽ, sed aquã crassam. Et iussit eos haurire, & afferre sibi: & sacrificia, quæ imposita erãt, iussit sacerdos Nehemias aspergi ipsa aqua, & ligna, & quæ erãt supposita. Vtq; hoc factũ est, & tẽpus affuit quo sol refulsit qui prius erat in nubilo, accẽsus est ignis magnus, ita vt oẽs mirarẽtur. Orationem autem faciebant omnes sacerdotes, dũ cõsummaretur sacrificiũ, Ionatha inchoante, cæteris autẽ respõdẽtibus. Et Nehemiæ erat oratio hũc habẽs modũ, DOMINE Deus omniũ creator, terribilis & fortis, iustus & misericors, qui solus es bonus rex, solus præstans, solus iustus, & omnipotens, & æternus, qui liberas Israel de omni malo, qui fecisti patres electos, & sanctificasti eos: accipe sacrificiũ pro vniuerso populo tuo Israel, & custodi partẽ tuã, & sanctifica. Cõgrega dispsionẽ nostrã, libera eos, qui seruiũt gẽtibus, & cõtẽptos & abominatos respice, vt sciãt gẽtes q̃ tu es Deus noster. Afflige opprimẽtes nos & cõtumeliã faciẽtes in supbia. Cõstitue populũ tuũ in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses. Sacerdotes autem psallebant hymnos, vsquequo cõsumptũ esset sacrificiũ. Cũ autẽ cõsumptum esset sacrificiũ, ex residua aqua Nehemias iussit lapides maiores pfundi. Quod vt factũ est, ex eis flãma accẽsa est: sed & ex lumine quod refulsit ab altari, cõsumpta est. Vt verò manifestata est res, renũtiatũ est regi Persarum q̃ in loco in quo ignẽ absc̃oderãt hi qui trãslati fuerãt sacerdotes aqua apparuit, de qua Nehemias, & qui cũ eo erãt, purificauerũt sacrificia. † Rex autẽ circunquaq; sepire locũ sacrum fecit, probãs quod factum erat, & sacerdotibus donauit multa dona, & alia, atq; alia munera, & accipiens manu sua, tribuebat eis. Appellauit autem Nehemias hunc locũ Nepthar, quod interpretatur purificatio. Vocatur autem apud plures Nephi.

CAPVT II.

INuenitur aũt in descriptionibus Ieremiæ prophetæ, q̃ iussit eos ignẽ accipere qui transmigrabantur, vt significatũ est, & vt mãdauit trãsmigratis. Et dedit illis legẽ ne obliuiscerẽtur præcepta Dñi, & vt nõ exerarẽt mẽtibus videntes simulachra aurea, & argentea, & ornamẽta eor. Et alia huiusmodi dicens, hortaba tur ne legẽ amouerent à corde suo. Erat autẽ in ipsa scriptura quomodo tabernaculum & arcã iussit propheta diuino responso ad se facto comitari secum, vsquequo exijt in mõtẽ, in quo Moyses ascẽdit & vidit Dei hę reditatẽ. Et veniens ibi Ieremias, inuenit locum spelunc̃: & tabernaculũ, & arcã, & altare incẽsi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidã simul, qui sequebantur, vt notarent sibi locũ: & nõ potuerunt inuenire. Vt autem cognouit Ieremias, culpãs illos, dixit, Quòd ignotus erit locus, donec cõgreget Deus cõgregationẽ populi, & propitius fiat. Et tũc Dñs ostẽdet hæc, & apparebit maiestas Dñi, & nubes erit sicut, & Mosi manifestabatur, & sicut cũ Salomon petijt vt locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc. Magnificè etenim sapiẽtiam tractabat: & vt sapientiã habens, obtulit sacrificiũ dedicationis, & cõsummationis templi. Sicut & Moyses orabat ad Dñm, & descẽdit ignis de cœlo, & cõsumpsit holocaustum: sic & Salomon orauit, & descendit ignis de cœlo, & cõsumpsit holocaustũ. Et dixit Moyses, eò q̃ nõ sit comestũ quod erat pro peccato, cõsumptũ est. Similiter & Salomon octo diebus celebrauit dedicationem. Inferebãtur autẽ in descriptionibus & cõmẽtarijs Nehemiæ hęc eadẽ, & qualiter cõstruẽs bibliothecã cõgregauit de regibus libros & prophetarum & Dauid, & epistolas regum, & de donarijs. Similiter autem & Iudas ea, quæ deciderant p bellum quod nobis acciderat, cõgregauit omnia, & sunt apud nos. Si ergo desyderatis hæc, mittite qui pferant vobis. Acturi itaq; purificationẽ scripsimus vobis: bene ergo facietis, si egeritis hos dies. Deus autẽ qui liberauit populum suum, & reddidit hereditatem omnibus, & regnum & sacerdotium, & sanctificationẽ, sicut promisit in lege, speramus q̃ citò nostri miserebitur, & cõgregabit de sub cœlo in locũ sanctũ. Eripuit enim nos de magnis periculis, & locũ purgauit. De Iuda verò Machabæo, & fratribus eius, & de templi magni purificatione, & de aræ dedicatione: sed & de prælijs, quæ ptinẽt ad Antiochũ Nobilem, & filium eius Eupatorem: & de illuminationibus, quę de cœlo factæ sunt ad eos, qui pro Iudæis fortiter fecerũt, ita vt vniuersam regionẽ cum pauci essent, vindicarent, & barbarã multitudinẽ fugarẽt, & famosissimũ in toto orbe templum recuperarent, & ciuitatẽ liberarent, & vt leges, quæ abolendæ erant restituerentur Dño cum omni trãquillitate propitio facto illis. Itẽq; ab Iasone Cyrenẽo, quinque libris cõprehẽsa, tentauimus nos vno volumine breuiare. Cõsyderantes enim multitudinẽ librorũ, & difficultatẽ volentibus aggredi narrationes historiarum propter multitudinẽ rerũ: curauimus volentibus quidẽ legere, vt esset animi oblectatio: studiosis verò, vt facilè possint memorię cõmendare: omnibus autem legẽtibus vtilitas cõferatur, Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breuiãdi causa suscepimus, nõ facilẽ laborẽ, imò verò negociũ plenũ vigiliarũ, & sudoris assumpsimus. Sicut hi qui præparant conuiuium, & quęrũt aliorũ voluntati parere, propter multorũ gratiã, libenter laborem sustinemus: veritatem quidem de singulis authoribus cõcedentes, ipsi autẽ secundũ datam formã breuitati studentes. Sicut enim nouæ domus architecto de vniuersa structura curãdum est: ei verò qui pingere curat, quæ apta sunt ad ornatum exquirenda sunt: ita æstimãdum est & in nobis. Etenim intellectum colligere, & ordinare sermonẽ, & curiosius partes singulas quasq; disquirere, historię cõgruit authori: breuitatẽ verò dictionis sectari, & executiones reũ vitare, breuiãti cõcedendum est. Hinc ergo narrationem incipiemus: de præfatione tantum dixisse sufficiat: stultum etenim est ante historiam effluere: in ipsa autem historia succingi.

3. Reg. 8. a
2. Par. 6. c
Leuit. 9. d
Leuit. 10. d
2. Par. 7. a
Deut. 30. a

CAPVT III.

IGitur cum sancta ciuitas habitaretur in omni pace, leges etiam adhuc optimè custodirentur propter Oniæ pontificis dispositionem, & pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi reges, & principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent: ita vt Seleucus Asiæ Rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes. Simon autem de tribu Beniamin præpositus templi constitutus, contendebat obsistente sibi principe sacerdotum, iniquum aliquid in ciuitate moliri. Sed cum vincere Oniam non posset, venit ad Apollonium Tharsę

Tharsę filium, qui eo tẽpore erat dux Cœlesyrię, & Phœnicis: & nuntiauit ei pecunijs innumerabilibus plenum esse ærariũ Ierosolymis, & cõmunes copias immẽsas esse, quę nõ ptinent ad rationẽ sacrificior: esse autem posibile, sub potestate regis cadere vniuersa. Cumq; retulisset ad regẽ Apollonius de pecunijs, quę delatæ erant, ille accitum Heliodor, qui erat super negocia eius, misit cum mandatis, vt prædictã pecuniã trãsportaret. Statimq; Heliodorus iter est aggressus specie quidẽ quasi p Cœlesyriã & Phœnicem ciuitates esset peragraturus, re vera autẽ regis propositũ pfecturus. Sed cum venisset Ierosolymã, & benignè à summo sacerdote in ciuitate esset acceptus, narrauit de dato indicio pecuniar, & cuius rei gratia adesset aperuit: interroga bat autẽ si verè hæc ita essent. Tũc summus sacerdos ostẽdit deposita esse hæc victualia viduarũ & pupillorũ: quædã verò esse Hircani Tobię viri valde eminẽtis, † nõ sicut detulerat impius Simon: vniuersa autẽ argenti talẽta esse quadringenta, & auri ducẽta: † iniuria verò affici eos, qui credidissent loco & tẽplo, quod p vniuersum mundum honoratur, pro sui veneratione & sanctitate omninò imposibile esse. At ille pro his, quæ habebat in mãdatis à rege, dicebat † omninò regi ea esse deferẽda. Cõstituta aũt die intrabat de his Heliodorus ordinaturus. Nõ modica verò p vniuersam ciuitatẽ erat trepidatio. Sacerdotes aũt ante altare cũ stolis sacerdotalibus iactauerunt se, & inuocabant de cœlo eũ, qui de depositis legẽ posuit, vt his, qui deposuerãt ea, salua custodiret. Iam verò, qui videbãt summi sacerdotis vultũ, mẽte vulnerabatur: facies enim & color immutatus declarabat internũ animi doloré: circũfusa enim erat mœstitia quædã viro & horror corporis, p quæ manifestus aspiciẽtibus dolor cordis eius efficiebatur. Alij etiam gregatim de domibus cõfluebãt: publica supplicatione obsecrãtes, pro eo q̃ in contẽptum locus esset venturus. Accinctęq; mulieres cilicijs pectus, per plateas cõfluebãt: sed, & virgines, quę cõclusæ erãt procurrebãt ad Oniã, alię aũt ad muros, quædã verò per fenestras aspiciebant, vniuersę aũt prorẽdentes manus in cœlũ deprecabantur: erat enim misera cõmistę multitudinis, & magni sacerdotis in agone constituti expectatio. Et hi quidẽ inuocabant omnipotẽtẽ Deum, vt credita sibi, his qui crediderant, cum omni integritate conseruarẽtur. Heliodorus autẽ, quod decreuerat perficiebat eodẽ loco ipse cum satellitibus circa ærarium præsens. Sed spiritus omnipotentis Dei magnam fecit suæ ostensionis euidẽtiã, ita vt omnes, qui ausi fuerant parere ei ruẽtes Dei virtute, in dissolutionẽ & formidationẽ cõuerterentur. Apparuit enim illis quidam equus terribilẽ habẽs sessorẽ, optimis operimẽtis adornatus: isq; cum impetu Heliodoro priores calces elisit: qui autẽ ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes virtute decori, optimi gloria, speciosiq; amictu: qui circunsteterũt eũ, & ex vtraq; parte flagellabant, sine intermissione multis plagis verberãtes. Subitò autẽ Heliodorus cõcidit in terrã, eũq; multa caligine circũfusum rapuerunt, atq; in sella gestatoria positũ eiecerunt. Et is qui cum multis cursoribus & satellitibus prædictum ingressus est ærarium, portabatur nullo sibi auxilium ferẽte, manifesta Dei cognita virtute: & ille quidem p diuinam virtutẽ iacebat mutus, atq; omni spe & salute priuatus. Hi autẽ Dñm benedicebant, q̃ magnificauerat locum suum: & tẽplum quod paulò ante timore ac tumultu erat plenũ, apparẽte omnipotẽte Dño, gaudio & lętitia impletum est. Tunc verò ex amicis Heliodori quidã rogabãt cõfestim Oniam, vt inuocaret altissimum, vt vitã donaret ei qui in supremo spiritu erat cõstitutus. Cõsyderãs autem summus sacerdos, ne fortè rex suspicaretur malitiã aliquam ex Iudæis circa Heliodor cõsummatã, obtulit pro salute viri hostiam salutarẽ. Cumq; summus sacerdos exoraret, ijdem iuuenes eisdem vestibus amicti, astantes Heliodoro dixerunt, Onię sacerdoti gratias age: nã propter eum Dñs tibi vitã donauit: tu autẽ à Deo flagellatus, nuntia omnibus magnalia Dei & potestatem. Et his dictis, nõ cõparuerunt. Helidorus autem hostia Deo oblata: & votis magnis promissis ei, qui viuere illi cõcesit, & Onię gratias agẽs, recepto exercitu repedabat ad regẽ. Testabatur autẽ omnibus ea, quę sub oculis suis viderat opera magna Dei. Cũ autẽ rex interrogasset Heliodorũ quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti, ait, Si quẽ habes hostẽ, aut regni tui insidiatorẽ, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit: eò q̃ in loco sit verè Dei quædam virtus. Nam ipse qui habet in cœlis habitationẽ, visitator & adiutor est loci illius, & venientes ad malefaciendum, percutit ac perdit. Igitur de Heliodoro & ærarij custodia ita se res habet.

CAPVT IIII.

SImon autẽ prædictus pecuniarum & patriæ delator, malè loquebatur de Onia, tanquã ipse Heliodorũ instigasset ad hęc, & ipse fuisset inuẽtor malor: prouisoremq; ciuitatis ac defensorem gẽtis sũę, & æmulatorẽ legis Dei audebat insidiatorem regni dicere. Sed cũ inimicitiæ in tãtum procederent, vt etiã per quosdã Simonis necessarios homicidia fierẽt: cõsyderãs Onias periculum cõtẽtionis, & Apollonij insanire, vtpote ducem Cœlesyriæ & Phœnicis, † adaugentẽ malitiam Simonis: ad regem se cõtulit, nõ vt ciuiũ accusator, sed cõmunẽ vtilitatẽ apud semetipsum vniuersæ multitudinis cõsyderans: videbat enim sine regali prouidentia impossibile esse pacem rebus dari, nec Simonẽ posse cessare à stultitia sua. Sed post Seleuci vitæ excessum, cum suscepisset regnũ Antiochus, qui Nobilis appellabatur, ambiebat Iason frater Oniæ summũ sacerdotiũ: adito rege promittens ei argẽti talẽta trecẽta sexaginta, & ex redditibus alijs talẽta octoginta: super hoc promittebat & alia cẽtum quinquaginta, si potestati eius concederẽt gymnasiũ & ephebiam sibi constituere, & eos, qui in Ierosolymis erãt Antiochenos scribere. Quod cum rex annuisset, & obtinuisset principatum, statim ad gentilẽ ritũ cõtribules suos transferre cœpit: & amotis his, quæ humanitatis causa Iudæis á regibus fuerant constituta, p Ioannẽ patrem Eupolemi, qui apud Romanos de amicitia & societate functus est legatione legitima, ciuium iura destituẽs, praua instituta sanciebat. Etenim ausus est sub ipsa arce gymnasiũ constituere, & optimos quosq; ephebor in lupanaribus ponere. Erat autem hoc non initium, sed incrementum quoddam, & profectus gẽtilis, & alienigenæ conuersationis, propter impij & non sacerdotis Iasonis nefarium & inauditum scelus: ita vt sacerdotes iam non circa altaris officia dediti essent, sed contempto tẽplo, & sacrificijs neglectis, festinarẽt participes fieri palæstrę, & præbitionis eius iniustæ, & in exercitijs di-

sci:& patrios quidem honores nihil habētes,Græcas glorias optimas arbitrabantur:quarum gratia periculo-
sa eos cōtētio habebat,& eorꝝ instituta æmulabantur,ac per omnia his cōsimiles esse cupiebāt,quos hostes &
peremptores habuerāt.In leges enim diuinas impiè agere impune nō cedit: sed hoc tēpus sequēs declarabit.
Cū autē quinquennalis agon Tyro celebraretur, & rex præsens esset,misit Iason facinorosus ab Ierosolymis
viros peccatores,portātes argenti didrachmas trecētas in sacrificiū Herculis, quas postulauerūt hi qui aspor-
tauerāt ne in sacrificijs erogarentur,quia nō oporteret, sed in alios sumptus eas deputari:sed hæc oblata sunt
quidē ab eo qui miserat in sacrificiū Herculis,propter præsentes autē datæ sunt in fabricā nauiū triremium. D
Misso autē in Ægyptū Apollonio Mnesthei filio propter primates Ptolemæi Philometoris regis.Cū cogno-
uisset Antiochus alienū se à negocijs regni effectū,proprijs vtilitatibus cōsulēs, profectus inde venit Ioppen,
& inde Ierosolymā.Et magnificè ab Iasone & ciuitate susceptus,cū facularꝝ luminibus, & laudibus ingressus
est:& inde in Phœnicē exercitū cōuertit. Et post triēnij tēpus misit Iason Menelaū supradicti Simonis fratrē
portātē pecunias regi,& de negocijs necessarijs respōsa perlaturꝝ. At ille cōmēdatus regi,cū magnificasset fa-
ciē potestatis eius,in semetipsum retorsit summū sacerdotiū,superponēs Iasoni talenta argenti trecenta. Ac-
ceptisq; à rege mandatis venit,nihil quidē habēs dignū sacerdotio:animos verò crudelis tyrāni,& feræ beluę
irā gerens. Et Iason quidē qui propriū fratrē captiuauerat,ipse deceptus profugus in Ammanitē expulsus est
regionē.Menelaus autē principatum quidē obtinuit:de pecunijs verò regi promissis,nihil agebat,cū exactio E
nē faceret Sostratus qui arci erat præpositus:nā ad hunc exactio vectigaliū pertinebat: quā ob causam vtriq;
ad regē sunt euocati.Et Menelaus amotus est á sacerdotio,succedente Lysimacho fratre suo, Sostratus autem
prelatus est Cyprijs.Et cū hæc agerentur,cōtigit Tharsenses & Mallotas seditionē mouere,eò q Antiochi re
gis cōcubinę dono essent dati.Festinātēr itaq; rex venit sedare illos relicto suffecto vno ex comitibus suis An
dronico.Ratus autē Menelaus accepisse se tempus opportunum, aurea quædam vasa è templo furatus dona
uit Andronico,& alia vendiderat Tyro & per vicinas ciuitates.Quod cum certissimè cognouisset Onias, ar-
guebat eum,ipse in loco tuto se cōtinens Antiochiæ secus Daphnem. Vnde Menelaus accedens ad Androni-
cum,rogabat,vt Oniam interficeret. Qui cū venisset ad Oniā,& datis dextris cum iureiurando(quāuis esset
ei suspectus)suasisset de asylo procedere,statim eū peremit,nō veritus iustitiam. Ob quam causam nō solum F
Iudæi,sed etiā alię quoq; nationes indignabantur,& molestè ferebāt de nece tanti viri iniusta.Sed regressum
regem de Cilicię locis adierunt Iudæi apud Antiochiā,simul & Greci,cōquerentes de iniqua nece Onię.Cō-
tristatus itaq; est animo Antiochus propter Oniam,& flexus ad misericordiā,lacrymas fudit, recordatus de-
functi sobrietatē & modestiā:accensisq; animis Andronicum:purpura exutum,per totam ciuitatē iubet cir-
cumduci:& in eodem loco,in quo in Oniam impietatē cōmiserat,sacrilegum vita priuari, Dño illi cōdignā
retribuēte pœnā.Multis autē sacrilegijs in tēplo à Lysimacho cōmissis Menelai consilio, & diuulgata fama,
cōgregata est multitudo aduersum Lysimachū multo iam auro exportato.Turbis autē insurgentibus, & ani
mis ira repletis,Lysimachus armatis ferè tribus millibus iniquis manibus vti cœpit,duce quodā tyrāno,æta-
te pariter & demētia prouecto.Sed,vt intellexerūt conatū Lysimachi,alij lapides alij fustes validos arripuere:
quidam verò cinerē in Lysimachum iecere.Et multi quidem vulnerati,quidam autē & prostrati,oēs verò in G
fugā cōuersi sunt:ipsum etiam sacrilegum secus ærarium interfecerūt. De his ergo cœpit iudicium aduersus
Menelaū agitari.Er cum venisset rex Tyrum,ad ipsum negocium detulerunt missi tres viri à senioribus. Et
cum superaretur Menelaus,promisit Ptolemęo multas pecunias dare ad suadendum regi.Itaq; Ptolemęus in
quodā atrio positū quasi refrigerādi gratia regē adijt,& deduxit à sentētia:& Menelaū quidē vniuersę militię
reū,criminibus absoluit: miseros autē qui etiam si apud Scithas causam dixissent,innocētes iudicarētur,hos
morte dānauit.Citò ergo iniustā pœnā dederunt, qui pro ciuitate,& populo,& sacris vasis causam prosecuti
sunt.Quamobrem Tyri quoq; indignati:erga sepulturā eorꝝ liberalissimi extiterunt.Menelaus autē propter
eorum,qui in potentia erant,auaritiam,permanebat in potestate,crescens in malitia ad insidias ciuium.

CAPVT V.

EOdem tēpore Antiochus secundā profectionē parauit in Ægyptū. Cōtigit autē per vniuersam Ieroso- A
lymorꝝ ciuitatē videri diebus quadraginta per aera equites discurrentes, auratas stolas habentes,& ha-
stas quasi cohortes armatas,& cursus equorꝝ per ordines digestos,& cōgressiones fieri cominus, & scu-
torꝝ motus,& galeatorꝝ multitudinē gladijs destrictis,& telorꝝ iactus,& aureorꝝ armorꝝ splendorē, omnisq;
generis loricarꝝ.Quapropter oēs rogabant in bonum mōstra cōuerti.Sed cum falsus rumor exisset,tanq̃ vita
excessisset Antiochus,assumptis Iason nō minus mille viris,repentè aggressus est ciuitatē: & ciuibus ad murꝝ
cōuolantibus,ad vltimum apprehensa ciuitate,Menelaus fugit in arcē: Iason verò nō parcebat in cæde ciui-
bus suis,nec cogitabat prosperitatē aduersum cognatos malum esse maximum,arbitrās hostiū & nō ciuium
se trophæa capturꝝ.Et principatum quidem nō obtinuit,finē verò insidiarꝝ suarꝝ confusionē accepit, & pro-
fugus iterꝝ abijt in Ammanitem.Ad vltimum in exitium sui conclusus ab Areta Arabum tyrāno,fugiens de
ciuitate in ciuitatē,omnibus odiosus,vt refuga legum & execrabilis, vt patriæ & ciuium hostis,in Ægyptum B
extrusus est:&,qui multos de patria sua expulerat,peregrè perijt.Lacedemonas profectus,quasi pro cognatio
ne ibi refugium habiturus:& qui insepultos multos abiecerat ipse & illamentatus,& insepultus abijcitur: se-
pultura,neq; peregrina vsus,neq; patrio sepulchro participans.His itaq; gestis,supicatus est rex societatē de-
serturos Iudæos:& ob hoc profectus ex Ægypto efferatis animis,ciuitatem quidem armis cepit.Iussit autem
militibus interficere,nec parcere occursantibus,& per domos ascendentes trucidare. Fiebant ergo cædes iu-
uenum ac seniorꝝ,& mulierꝝ & natorꝝ exterminia,virginūq; & paruulorꝝ neces.Erāt autē toto triduo octin-
genta millia interfecti:quadraginta millia vincti,non minus autē venundati.Sed nec ista sufficiunt: ausus est
etiā intrare tēplum vniuersa terra sanctius,Menelao ductore qui legū & patriæ fuit proditor: & scelestis ma-
nibus

nibus sumēs sancta vasa,quæ ab alijs regibus & ciuitatibus erant posita ad ornatum loci & gloriā,contrecta-
bat indignè & contaminabat.Ita alienatus mēte Antiochus, nō cōsyderabat q propter peccata habitātiū ci-
C uitatē modicū Deus fuerat iratus:propter quod & accidit circa locum despectio. Alioquin,nisi cōtigisset eos
multis peccatis esse inuolutos sicut Heliodorus,qui missus est à Seleuco rege ad expoliandū ærariū,etiam hic
statim adueniēs flagellatus,& repulsus vtiq; fuisset ab audacia. Verꝝ nō propter locū, gētē:sed propter gentē,
locū Deus elegit. Ideòq; & ipse locus particeps factus est populi malorꝝ,postea autē fiet socius bonorꝝ:& qui
derelictus in ira Dei omnipotētis est,iterꝝ in magni Dei recōciliatione cū summa gloria exaltabitur. Igitur
Antiochus mille & octingētis ablatis de tēplo talētis velociter Antiochiā regressus est, existimās se præ super
bia terrā ad nauigādū,pelagus verò ad iter agendū,deductꝝ propter mētis elationē. Reliquit autē & prępo
sitos ad affligendā gentē:Ierosolymis quidē Philippū genere phrygem,moribus crudeliorē eo ipso à quo cō-
D stitutus est:in Gazirim autē Andronicū & Menelaū,qui grauius q̃ cæteri imminebant ciuibus.Cūq; apposi-
tus esset cōtra Iudæos,misit odiosum principem Apollonium cum exercitu viginti & duobus millibus,præ-
cipiens ei omnes perfectæ ætatis interficere,mulieres ac iuuenes vēdere. Qui cum venisset Ierosolymā, pacē
simulās,quieuit vsq; ad diē sanctum sabbati, & tunc feriatis Iudæis, arma capere suis præcepit. Omnesq; si-
mul,qui ad spectaculum processerāt,trucidauit:& ciuitatē cum armatis discurrens,ingētē multitudinē pere-
mit.Iudas autē Machabæus,qui decimus fuerat,secesserat in desertū locū, ibiq; inter feras,vitam in mōtibus
cum suis agebat:& fœni cibo vescentes,demorabantur,ne participes essent coinquinationis.

CAPVT VI.

A SEd non post multum temporis misit rex senem quendam Anthiochenum,qui compelleret Iudæos, vt
se transferrent à patrijs & Dei legibus:cōtaminare etiam quod in Ierosolymis erat tēplū, & cognomi-
nare Iouis Olympij:& in Garizim,prout erant hi qui locum inhabitabant,Iouis hospitalis.Pessima au
tem & vniuersis grauis erat malorꝝ incursio:nā templum luxuria & comessationibus gentium erat plenum,
& scortantium cum meretricibus,sacratisq; ædibus mulieres se vltrò ingerebant, intro ferentes ea,quæ non
licebat.Altare etiam plenum erat illicitis,quę legibus prohibebantur. Neq; aūt sabbata custodiebātur, neq;
B dies solennes patrij seruabantur,nec simpliciter Iudæum se esse quisquā confitebatur.Ducebantur autem cū
amara necessitate in die natalis regis ad sacrificia:& cum Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hædera co-
ronati Libero circuire.Decretum autem exijt in proximas gentilium ciuitates, suggerentibus Ptolemæis,vt
pari modo & ipsi aduersus Iudæos agerent,vt sacrificarent: eos autem qui nollent transire ad instituta genti-
lium, interficerent: erat ergo videre miseriam.Duę enim mulieres delatæ sunt natos suos circuncidisse:quas
infantibus ad vbera suspensis, cum publicè per ciuitatē circunduxissent,per muros præcipitauerunt.Alij ve
C rò ad proximas coeuntes speluncas,& latenter sabbati diem celebrantes,cum indicati essent Philippo, flam-
mis succensi sunt:eò q verebantur propter religionem & obseruantiā,manu sibimet auxilium ferre. Obse-
cro autem eos,qui hunc librum lecturi sunt ne abhorrescāt propter aduersos casus,sed reputent ea, quæ acci-
derunt,non ad interitum,sed ad correptionē esse generis nostri.Etenim multo tempore nō sinere peccatori-
bus ex sententia agere,sed statim vltiones adhibere:magni beneficij est indicium.Non enim sicut in alijs na-
tionibus Dñs patiēter expectat,vt eas cū iudicij dies aduenerit,in plenitudine peccatorꝝ puniat: ita & in no-
D bis statuit,vt peccatis nostris in finē deuolutis,ita demum in nos vindicet.Propter quod nunquā quidē à no-
bis misericordiā suā amouet:corripiēs verò in aduersis populū suū, nō derelinquit. Sed hęc nobis ad cōmo-
nitionē legentium dicta sint paucis.Iā autē veniendum est ad narrationē. Igitur Eleazarus vnus de primo-
ribus scribarꝝ,vir ætate prouectus,& vultu decorus, aperto ore hians cōpellebatur carnē porcinā manduca-
re.At ille gloriosissimā mortem magis q̃ odibilem vitā cōplectens,voluntariè pręibat ad suppliciū. Intuens
autē queadmodum oportebat accedere, patienter sustinēs,destinauit nō admittere illicita propter vitæ amo
E rem.Hi autem qui astabant,iniqua miseratione cōmoti,propter antiquam viri amicitiam,tollentes eum se-
creto, rogabāt afferri carnes,quibus vesci ei licebat, vt simularetur māducasse,sicut rex imperauerat de sacri
ficij carnibus:vt hoc facto à morte liberaretur:& ꝓpter veterē viri amicitiā hāc in eo faciebāt humanitatem.
At ille cogitare cœpit ætatis ac senectutis suæ eminētiā dignā,& ingenitæ nobilitatis caniciē,atq; à puero op
timæ cōuersationis actus,& secūdū sanctæ & à Deo cōditæ legis cōstituta:respōdit citò dicēs præmitti se vel-
le in infernū.Nō.n.ætati nostræ dignū est,inquit,fingere:vt multi adolescētes,arbitrātes Eleazarꝝ nonaginta
F annorꝝ trāsisse ad vitā alienigenarꝝ,& ipsi ꝓpter meā simulationē,& propter modicū corruptibilis vitę tem-
pus decipiātur,& ꝑ hoc maculā atq; execrationē meæ senectuti cōquirā.Nā & si in pręsenti tēpore supplicijs
hominū eripiar,sed manū omnipotētis nec viuus nec defunctus effugiā. Quā ob rē fortiter vitā excedēdo,
senectute quidē dignus apparebo:adolescentibus autē exēplū forte relinquā,si prōpto animo,ac fortiter pro
grauissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar.His dictis cōfestim ad suppliciū trahebātur. Hi
G autē qui eum ducebāt,& paulò ante fuerāt mitiores, in irā cōuersi sunt propter sermones ab eo dictos,quos
illi per arrogantiā prolatos arbitrabātur.Sed cum plagis perimeretur,ingemuit,& dixit, Dñe qui habes san-
ctam scientiā,manifestè tu scis q cum à morte possem liberari,duros corporis sustineo dolores: secūdū ani-
mā verò propter timorem tuum libenter hæc patior.Et iste quidem hoc modo vita decessit, nō solū iuueni-
bus,sed & vniuersæ genti memoriā mortis suæ ad exemplum virtutis & fortitudinis derelinquens.

CAPVT VII.

A COntigit autem septem fratres vna cum matre sua apprehensos, compelli à rege edere contra fas car-
nes porcinas,flagris & taureis cruciatos.Vnus autem ex illis qui erat primus,sic ait, Quid quæris, &
quid vis discere à nobis?parati sumus mori magis quàm patrias Dei leges præuaricari. Iratus itaque
rex,iussit sartagines & ollas æneas succēdi.Quibus statim succēsis,iussit ei qui prior fuerat locutus,amputari
linguam,

linguam,& cute capitis abſtracta,ſummas quoq; manus & pedes ei preſcindi, cæteris eius fratribus & matre
inſpicientibus. Et cum iam per omnia inutilis factus eſſet,iuſsit ignem admoueri,& adhuc ſpirantem torreri
in ſartagine:in qua cum diu cruciaretur,cæteri vnà cum matre inuicem ſe hortabãtur mori fortiter, dicẽtes,
Dñs Deus aſpiciet veritatem, & cõſolabitur in nobis, quẽadmodum in protectione cantici declarauit Moy- B
Deu. 32.f ſes:& in ſeruis ſuis cõſolabitur. Mortuo itaq; illo primo hoc modo ſequentem deducebant ad illudendum: &
cute capitis eius cũ capillis abſtracta,interrogabãt ſi mãducaret prius, q̃ toto corpore per mẽbra ſingula pu-
niretur. At ille reſpõdens patria voce,dixit,Nõ faciã. Propter quod & iſte ſequẽti loco primi tormenta ſuſce-
pit:& in vltimo ſpiritu cõſtitutus,ſic ait, Tu quidẽ ſceleſtiſsime in præſenti vita nos perdis:ſed rex mundi de-
functos nos pro ſuis legibus,in ęternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit. Poſt hunc tertius illuditur, & linguã po-
ſtulatus citò protulit,& manus cõſtãter extẽdit:& cum fiducia ait,E cœlo iſta poſsideo, ſed propter Dei leges C
nunc hæc ipſa deſpicio,quoniã ab ipſo me ea recepturũ ſpero,ita vt rex,& qui cũ ipſo erãt mirarentur adole-
ſcentis animũ,q̃ tanq̃ nihilum duceret cruciatus. Et hoc ita defuncto, quartũ vexabãt ſimiliter torquẽtes. Et
cum iã eſſet ad mortẽ,ſic ait,Potius eſt ab hominibus mortẽ datos ſpem expectare à Deo, iterũ ab ipſo reſuſci
tãdos:tibi enim,reſurrectio ad vitã nõ erit. Et cũ admoueſſent quintum vexabãt eũ. At ille reſpiciens in eum,
dixit,Poteſtatẽ inter homines habens,cum ſis corruptibilis,facis quod vis:noli autem putare genus noſtrum
à Deo eſſe derelictum:tu autẽ patienter ſuſtine,& videbis magnã poteſtatẽ ipſius, qualiter te & ſemen tuum D
torquebit. Poſt hunc ducebant ſextum,& is mori incipiens,ſic ait, Noli fruſtra errare:nos enim propter noſ-
metipſos hoc patimur,peccantes in Deum noſtrũ & digna admiratione facta ſunt in nobis: tu autẽ ne exiſti-
mes tibi impune futurum,q̃ cõtra Deum pugnare tentaueris. Supra modum autẽ mater mirabilis,& bono-
rũ memoria digna,quæ pereuntes ſeptẽ filios ſub vnius diei tẽpore conſpiciens,bono animo ferebat propter
ſpem quam in Deo habebat:ſingulos illorũ hortabatur voce patria fortiter,repleta ſapientia: & fœminęe co-
gitationi maſculinum animũ inſerens,dixit ad eos, Neſcio qualiter in vtero meo apparuiſtis: neq; ego ſpiri- E
tum & animã donaui vobis & vitã,& ſingulorũ membra nõ ego ipſa cõpegi:ſed enim mundi creator,qui for
mauit hominis natiuitatẽ,quiq; omniũ inuenit originẽ,& ſpiritũ vobis iterũ cum miſericordia reddet,& vi-
tã ſicut nũc voſmetipſos deſpicitis propter leges eius. Antiochus autẽ cõtẽni ſe arbitratus,ſimul & exprobrã-
tis voce deſpecta,cũ adhuc adoleſcentior ſupereſſet,nõ ſolũ verbis hortabatur, ſed & cũ iuramẽto affirmabat
ſe diuitem & beatũ factũrum,& translatum à patrijs legibus amicũ habiturũ,& res neceſſarias ei prębiturum. Sed
ad hæc cum adoleſcens nequaq̃ inclinaretur,vocauit rex matrẽ,& ſuadebat ei, vt adoleſcẽti fieret in ſalutem. F
Cũ aũt multis eã verbis eſſet hortatus,promiſit ſuaſurã ſe filio ſuo. Itaq; inclinata ad illũ,irridẽs crudelẽ tyrã-
nũ,ait patria voce,Fili mi miſerere mei,quę te in vtero nouẽ mẽſibus portaui:& lac triẽnio dedi & alui, & in
ætatẽ iſtã perduxi. Peto nate,vt aſpicias ad cœlũ & terrã,& ad omnia,quæ in eis ſunt:& intelligas q̃ ex nihilo
fecit illa Deus,& hominũ genus:ita fiet,vt non timeas carnificẽ iſtũ, ſed dignus fratribus tuis effectus,ſuſcipe
mortẽ,vt in illa miſeratione cũ fratribus tuis te recipiã. Cũ hęc illa adhuc diceret,ait adoleſcẽs, Quẽ ſuſtine- G
tis?nõ obedio prẽcepto regis,ſed prẽcepto legis,q̃ data eſt nobis p Moyſen. Tu verò qui inuẽtor omnis mali-
tię factus es in Hebræos,nõ effugies manũ Dei. Nos.n.pro peccatis noſtris hæc patimur. Et ſi nobis propter
increpationẽ,& correptionẽ Dñs Deus noſter modicũ iratus eſt:ſed iterũ recõciliabitur ſeruis ſuis. Tu autem
ò ſceleſte & omniũ hominũ flagitioſiſsime,noli fruſtra extolli vanis ſpebus in ſeruos eius inflãmatus:nõdum
enim omnipotẽtis Dei:& omnia inſpiciẽtis iudiciũ effugiſti. Nã fratres mei modico nunc dolore ſuſtentato,
ſub teſtamento ætęrnæ vitæ effecti ſunt:tu verò iudicio Dei iuſtas ſupbię tuę pœnas exolues. Ego aũt ſicut &
fratres mei animã & corpus meũ trado pro patrijs legibus, inuocãs Deũ maturius gẽti noſtrę propitiũ fieri,
teq; cũ tormẽtis & verberibus cõfiteri q̃ ipſe eſt Deus ſolus. In me verò & in fratribus meis deſinet omnipo-
tẽtis ira,q̃ ſup omne genus noſtrũ iuſtè ſuperducta eſt. Tũc rex accenſus ira,in hunc ſup omnes crudelius de-
ſæuit,indignè ferẽs ſe deriſum. Et hic itaq; mundus obijt,per omnia in Dño confidẽs. Nouiſsimè autem poſt
filios & mater conſumpta eſt. Igitur de ſacrificijs,& de nimijs crudelitatibus ſatis dictum eſt.

CAPVT VIII.

IVdas verò Machabæus,& qui cum illo erãt,introibãt latẽter in caſtella:& cõuocãtes cognatos, & eos, qui A
permanſerãt in Iudaiſmo aſſumẽtes,eduxerunt ad ſe ſex millia virorũ. Et inuocabant Dñm, vt reſpiceret
in populũ qui ab omnibus calcabatur,& miſereretur tẽplo quod cõtaminabatur ab impijs: miſereretur
etiã exterminio ciuitatis,quæ eſſet illicò cõplananda,& vocẽ ſanguinis ad ſe clamantis audiret:memoraretur
quoq; iniquiſsimas mortes paruulorũ innocentum,& blaſphemias nomini ſuo illatas, & indignaretur ſuper
his. At Machabęus cõgregata multitudine,intolerabilis gẽtibus efficiebatur:ira enim Dñi in miſericordiam
cõuerſa eſt. Et ſuperueniẽs caſtellis,& ciuitatibus improuiſus,ſuccẽdebat eas:& opportuna loca occupãs, nõ
paucas hoſtium ſtrages dabat. Maximè autem noctibus ad huiuſcemodi excurſus ferebatur,& fama virtutis B
eius vbiq; diffundebatur. Vidẽs autẽ Philippus paulatim virum ad profectum venire,ac frequentius res ei ce-
dere proſperè,ad Ptolemæum ducem Cœleſyriæ & Phœnicis ſcripſit,vt auxiliũ ferret regijs negocijs. At ille
velociter miſit Nicanorem Patrocli de primoribus amicum, datis ei de permiſtis gẽtibus,armatis nõ minus
viginti millibus,vt vniuerſum Iudæorũ genus deleret,adiuncto ei & Gorgia viro militari,& in bellicis rebus
experientiſsimo. Cõſtituit autẽ Nicanor,vt regi tributum,quod Romanis erat dandum, duo milia talẽtorũ
de captiuitate Iudæorũ ſuppleret. Statimq; ad maritimas ciuitates miſit: conuocans ad coemptionẽ Iudaico-
rum mancipiorũ,promittens ſe nonaginta mancipia talento diſtracturum,nõ reſpiciens ad vindictã,quę eũ C
ab omnipotente eſſet conſecutura. Iudas autem vbi cõperit,indicauit his,qui ſecum erant Iudæis,Nicanoris
aduẽtum. Ex quibus quidam formidantes, & nõ credẽtes Dei iuſtitię, in fugã vertebãtur:alij verò ſi quid eis
ſupererat vendebant, ſimulq; Dñm deprecabantur,vt eriperet eos ab impio Nicanore, qui eos prius,quàm
cominus

cominus veniret,eos prius vẽdiderat:& ſi nõ propter eos, propter teſtamentũ tamen quod erat ad patres eo-
rum,& propter inuocationẽ ſancti & magnifici nominis eius ſuper ipſos. Conuocatis autẽ Machabęus ſeptẽ
millibus,qui cũ ipſo erãt,rogabat ne hoſtibus reconciliarẽtur, neq; metuerẽt iniquam venientiũ aduerſum
D ſe hoſtium multitudinẽ,ſed fortiter contenderẽt:ante oculos habẽtes contumeliã quæ loco ſancto ab his in-
iuſtè eſſet illata,itemq; & ludibrio habitæ ciuitatis iniuriã:adhuc etiam veterum inſtituta conuulſa. Nam illi 4. Re.19.g
quidẽ armis confidunt,ait,ſimul & audacia:nos autẽ in omnipotente Dño, qui poteſt & veniẽtes aduerſum Tobiæ 2.d
nos,& vniuerſum mundũ vno nutu delere,cõfidimus. Admonuit autem eos & de auxilijs Dei,quę facta ſunt Eccle.48.d
erga parẽtes:& q̃ ſub Sennacherib centũ octogintaquinq; millia perierũt:& de prælio quod eis aduerſus Ga- Iſaiæ 37.g
latas fuit in Babylonia,vt omnes vbi ad rem vẽtum eſt, Macedonibus ſocijs hæſitantibus,ipſi ſex millia ſoli
peremerunt centum viginti millia,propter auxiliũ illis datũ de cœlo,& beneficia pro his plurima conſecuti
E ſunt. His verbis cõſtantes effecti ſunt,& pro legibus & patria mori parati. Cõſtituit itaque fratres ſuos duces
vtriq; ordini,Simonẽ,& Ioſephum,& Ionathã,ſubiectis vnicuiq; millenis & quingẽtenis. Ad hoc etiam ab
Eſdra lecto illis ſancto libro,& dato ſigno adiutorij Dei,in prima acie ipſe dux cõmiſit cũ Nicanore. Et facto
ſibi adiutore omnipotẽte interfecerunt ſuper nouẽ millia hominum:maiorẽ autem partẽ exercitus Nicano-
ris vulneribus debilẽ factam fugere cõpulerunt. Pecunijs verò eorũ,qui ad emptionẽ ipſorũ venerant, ſubla-
tis,ipſos vſquequaq; perſecuti ſunt,ſed reuerſi ſunt hora cõcluſi:nam erat ante ſabbatũ:quam ob cauſam nõ
perſeuerauerunt inſequẽtes. Arma autẽ ipſorum & ſpolia congregãtes, ſabbatũ agebant:benedicentes Dñm
F qui liberauit eos in iſto die,miſericordiæ initiũ ſtillans in eos. Poſt ſabbatũ verò debilibus,& orphanis,& vi-
duis diuiſerũt ſpolia:& reſidua ipſi cũ ſuis habuere. His itaq; geſtis, & cõmuniter ab omnibus facta obſecra-
tione,miſericordẽ Dñm poſtulabãt vt in finẽ ſeruis ſuis recõciliaretur. Et ex his qui cũ Timotheo & Bacchi
deerant cõtra ſe contendẽtes,ſuper viginti millia interfecerũt, & munitiones exceſſas obtinuerunt:& plures
prædas diuiſerunt,æquã portionem debilibus,pupillis,& viduis,ſed & ſenioribus faciẽtes. Et cum arma eorũ
diligenter collegiſſent,omnia cõpoſuerunt in locis opportunis, reſidua verò ſpolia Ieroſolymã detulerũt:&
Philarchẽ,qui cũ Timotheo erat,interfecerũt,virum ſceleſtũ,qui in multis Iudęos afflixerat. Et cũ epinicia
G agerent in Ieroſolymis,eos,qui ſacras ianuas incẽderunt,id eſt Caliſtenẽ, cum in quoddã domiciliũ refugiſ-
ſent,incenderunt, digna eis mercede pro impietatibus ſuis reddita. Facinoroſiſsimus autẽ Nicanor,qui mil-
le negociantes ad Iudæorũ venditionẽ adduxerat, humiliatus auxilio Dñi ab his quos nullos exiſtimauerat,
depoſita veſte glorię,p mediterranea fugiens,ſolus venit Antiochiã,ſummã infelicitatẽ de interitu ſui exerci
tus cõſecutus. Et qui promiſerat Romanis ſe tributũ reſtituere de captiuitate Ieroſolymorũ, prædicabat nũc
protectorẽ Deum habere Iudęos,& ob ipſum inuulnerabiles eſſe, eò q̃ ſequerẽtur leges ab ipſo conſtitutas:

CAPVT IX.

A EOdem tempore Antiochus inhoneſtè reuertebatur de Perſide. Intrauerat enim in eã quæ dicitur Per-
ſepolis,& tẽtauit expoliare templum,& ciuitatẽ opprimere:ſed multitudine ad arma cõcurrẽte, in fu-
gam verſi ſunt:& ita cõtigit,vt Antiochus poſt fugã turpiter redireret: Et cum veniſſet circa Ecbatanã, re
cognouit quæ erga Nicanorẽ & Timotheum geſta ſunt. Elatus autẽ in ira, arbitrabatur ſe iniuriam illorum
qui ſe fugauerant poſſe in Iudæos retorquere:ideoq; iuſsit agitari currũ ſuum, ſine intermiſsione agens iter,
cœleſti eum iudicio perurgente,eò q̃ ita ſuperbè locutus eſt ſe venturũ Ieroſolymã,& congerię ſepulchri Iu 2. Par.16.c
dæorum eam facturum. Sed qui vniuerſa conſpicit Dñs Deus Iſrael, percuſsit eũ inſanabili & inuiſibili pla-
ga. Vt enim finiuit hũc ipſum ſermonẽ,apprehendit eum dolor dirus viſcerũ,& amara internorũ tormenta:
& quidem ſatis iuſtè:quippe qui multis & nouis cruciatibus aliorũ torſerat viſcera,licet ille nullo modo à ſua
malitia ceſſaret. Super hoc autẽ ſuperbia repletus,ignẽ ſpirans animo in Iudæos, & pręcipiens accelerari ne-
B gocium, cõtigit illũ impetu euntem de curru cadere,& graui corporis colliſione mẽbra vexari. Iſq; qui ſibi
videbatur etiã fluctibus maris imperare,ſupra humanũ modum ſuperbia repletus, & montiũ altitudines in
ſtatera appendere,nũc humiliatus ad terram in geſtatorio portabatur, manifeſtã Dei virtutem in ſemetipſo
conteſtans:ita vt de corpore impij vermes ſcaturirent,ac viuentes in doloribus carnes eius effluerent, odore
etiam illius & fœtore exercitus grauaretur:& qui pauloante ſydera cœli contingere ſe arbitrabatur,eum ne-
mo poterat propter intolerãtiam fœtoris portare. Hinc igitur cœpit ex graui ſuperbia deductus ad agnitio-
nem ſui venire,diuina admonitus plaga,per momẽta ſingula doloribus ſuis augmenta capiẽtibus:& cũ nec
ipſe iam fœtorem ſuũ ferre poſſet,ita ait,Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo,& mortalem non paria Deo ſentire.
Orabat autem hic ſceleſtus Dñm à quo non eſſet miſericordiã conſecuturus. Et ciuitatem,ad quam feſtinans
veniebat vt eam ad ſolum deduceret,ac ſepulchrum congeſtorum faceret,nunc optat liberam reddere:& Iu-
C dæos,quos nec ſepultura quidem ſe dignos habiturum, ſed auibus ac feris diripiendos traditurum, & cum
paruulis exterminaturum dixerat,æquales nunc Athenięſibus facturum pollicetur:tẽplum etiam ſanctum,
quod prius expoliauerat,optimis donis ornaturum,& ſancta vaſa multiplicaturum, & pertinentes ad ſacrifi-
cia ſumptus de redditibus ſuis præſtaturum ſuper hæc & Iudæum ſe futurum, & omnem locum terræ per-
ambulaturum,& prædicaturum Dei poteſtatem. Sed non ceſſantibus doloribus (ſuperuenerat enim in eum
iuſtum Dei iudicium) deſperans ſcripſit ad Iudæos in modum deprecationis epiſtolam hæc continentem
OPTIMIS ciuibus Iudęis plurimam ſalutem,& bene valere,& eſſe felices,rex & princeps Antiochus. Si be-
ne valetis,& filij veſtri,& ex ſententia vobis cuncta ſunt, maximas agimus gratias. Et ego in infirmitate cõſti
tutus,veſtri autem memor benignè reuerſus de Perſidis locis, & in infirmitate graui apprehenſus, neceſſa-
rium duxi pro communi vtilitate curam habere:non deſperans memetipſum, ſed ſpem multam habẽs effu-
giendi infirmitatẽ. Reſpiciens autem quòd & pater meus,quibus temporibus in locis ſuperioribus ducebat
exercitum,oſtendit qui poſt ſe ſuſciperet principatum:vt ſiquid contrarium accideret,aut difficile nũtiatur,
ſcientes

scientes hi qui in regionibus erãt,cui esset rerũ summa derelicta,nõ turbarentur. Ad hęc consyderãs de proximo potentes quosq; & vicinos tẽporibus insidiantes & euentum expectãtes, designaui filiũ meum Antiochum regem,quem sæpe recurrens in superiora regna multis vestrum cõmendabam : & scripsi ad eum,quæ subiecta sunt. Oro itaq; vos , & peto memores beneficiorũ publicè & priuatim,vt vnusquisq; cõseruet fidem ad me & ad filium meum. Confido enim eum modestè & humanè acturũ,& sequentem propositum meum & communẽ vobis fore. Igitur homicida,& blasphemus pessimè percussus & vt ipse alios tractauerat, peregrè in monte,miserabili obitu vita functus est. Transferebat autem corpus Philippus collactaneus eius : qui metuens filium Antiochi,ad Ptolemæum Philometorem in Ægyptum abijt.

CAPVT X.

MAchabęus autẽ & qui cum eo erant Dño se protegente,templũ quidem & ciuitatẽ recepit:aras autẽ quas alienigenæ per plateas extruxérant,itéq; delubra demolitus est : & purgato tẽplo, aliud altare fecerũt:& de ignitis lapidibus igne cõcepto sacrificia obtulerũt post bienniũ,& incensum & lucernas & panes propositionis posuerunt. Quibus gestis rogabãt Dñm prostrati in terrã, ne amplius talibus malis inciderẽt:sed & si quando peccassent,vt ab ipso mitius corriperentur, & nõ barbaris ac blasphemis hominibus traderentur. Qua die autẽ templum ab alienigenis pollutũ fuerat,contigit eadẽ die purificationẽ fieri, vicesimaquinta mensis qui fuit Casleu:& cũ lætitia diebus octo egerũt in modum tabernaculorũ:recordãtes q; ante modicũ temporis diem solennẽ tabernaculorũ in montibus,& in speluncis more bestiarum egerant. Propter quod thyrsos,& ramos virides,& palmas præferebãt ei qui prosperauit mũdare locum suum. Et decreuerunt communi præcepto & decreto vniuersæ genti Iudæorũ omnibus annis agere dies istos. Et Antiochi quidẽ,qui appellatus est Nobilis vitæ excessus ita se habuit. Nunc autẽ de Eupatore Antiochi impij filio, quæ gesta sunt narrabimus,breuiantes mala quæ in bellis gesta sunt. Hic enim suscepto regno,constituit super negocia regni Lysiã quendam Phœnicis & Syrię militiæ principẽ. Nam Ptolemęus,qui dicebatur † Macron,iusti tenax erga Iudæos esse cõstituit,& præcipuè propter iniquitatem quæ facta erat in eos , & pacificè agere cũ eis. Sed ob hoc accusatus ab amicis apud Eupatorẽ,cũ frequenter proditor † vocaretur,eò q; Cyprũ creditam sibi à Philometore deseruisset,& ad Antiochũ Nobilem translatus etiam ab eo recessisset, veneno vitam finiuit. Gorgias autẽ cum esset dux locorum,assumptis aduenis frequẽter Iudæos debellabat. Iudæi verò qui tenebant opportunas munitiones,fugatos ab Ierosolymis suscipiebant,& bellare tentabant. Hi verò qui erant cum Machabæo per orationes Dñm rogantes,vt esset sibi adiutor,impetũ fecerunt in munitiones Idumæorum:multaq; vi insistentes,loca obtinuerunt,occurrentes interemerũt, & omnes simul non minus vigintiquinq; millibus trucidauerũt. Quidam autẽ cum confugissent in duas turres valde munitas , omnem apparatum ad repugnandũ habentes:Machabæus ad eorũ expugnationes, relicto Simone & Ioseph o,itemq; Zachæo,eisq; qui cum ipsis erant satis multis,& ipse ad eas,quæ amplius perurgebant,pugnas conuersus est. Hi verò,qui cũ Simone erant,cupiditate ducti,à quibusdã qui in turribns erant,suasi sunt pecunia & septuaginta millibus didrachmis acceptis,dimiserunt quosdam effugere. Cum autem Machabæo nuntiatum esset quod factum est,principibus populi congregatis accusauit q; pecunia fratres vendidissent , aduersarijs eorũ dimissis. Hos igitur proditores factos interfecit,& confestim duas turres occupauit. Armis autẽ ac manibus, omnia prosperè agẽdo,in duabus munitionibus,plus quàm viginti millia peremit. Et Timotheus,qui prius à Iudæis fuerat superatus,cõuocato exercitu peregrinæ multitudinis & cõgregato equitatu Asiano aduenit, quasi armis Iudæã capturus. Machabæus autẽ & qui cũ ipso erãt appropinquante illo,deprecabantur Dñm, caput terra aspergentes,lumbosq; cilicijs præcincti,ad altaris crepidinem prouoluti,vt sibi propitius,inimicis autem eorũ esset inimicus,& aduersarijs aduersaretur,sicut lex dicit. Et ita post orationem sumptis armis, longius de ciuitate procedentes,& proximi hostibus effecti,resederunt. Primo autem solis ortu vtriq; commiserunt:isti quidem victoriæ & prosperitatis sponsorem cũ virtute Dñm habentes : illi autem ducem belli animum habebant. Sed cum vehemens pugna esset apparuerunt aduersarijs de cœlo viri quinq; in equis,& frenis aureis decori,ducatũ Iudæis præstantes:ex quibus duo Machabæũ medium habentes,armis suis circũseptum incolumem cõseruabant:in aduersarios autẽ tela,& fulmina iaciebant, ex quo & cæcitate confusi,& repleti perturbatione cadebant. Interfecti sunt autẽ viginti millia quingenti & equites sexcenti. Timotheus verò confugit in Gazaran præsidiũ munitum,cui præerat Chæreas. Machabæus autẽ, & qui cum eo erãt lætantes obsederũt præsidium diebus quatuor. At hi qui intus erant,loci firmitate confisi , supra modum maledicebant,& sermones nefandos iactabãt. Sed cum dies quinta illuxisset , viginti iuuenes ex his qui cum Machabęo erãt,accensi animis propter blasphemiã , viriliter accesserunt ad murũ & feroci animo incedentes ascendebãt:sed & alij similiter ascẽdentes, turres,portasq; succẽdere aggressi sunt,atq; ipsos maledicos vinos concremare. Per continuum autem biduum præsidio vastato , Timotheum occultantem se in quodam repertum loco peremerunt:& fratrem illius Chęream,& Apollophanem occiderũt. Quibus gestis,in hymnis & confessionibus benedicebant Dominum,qui magna fecit in Israel,& victoriam dedit illis.

CAPVT XI.

SEd paruo post tẽpore,Lysias procurator regis,& propinquus,ac negotiorũ prępositus, grauiter ferẽs de his quæ acciderant:cõgregatis octoginta millibus,& equitatu vniuerso veniebat aduersus Iudæos,existimans se ciuitatẽ quidem captam gẽtibus habitaculũ facturum,tẽplum verò in pecunię quęstũ, sicut cętera delubra gentiũ habiturũ,& per singulos annos venale sacerdotiũ : nusquã recogitans Dei potestatẽ, sed mẽte effrenatus in multitudine peditũ,& in millibus equitũ , & in octoginta elephãtis confidebat. Ingressus autem Iudæã,& appropiãs Bethsurę,quæ erat in angusto loco ab Ierosolyma, interuallo quinq; stadiorum, illud pręsidiũ expugnabat. Vt autẽ Machabęus & qui cũ eo erant cognouerũt expugnari pręsidia,cũ fleru & lacrymis

lacrymis rogabant Dñm,& omnis turba simul,vt bonũ angelũ mitteret ad salutẽ Israel. Et ipse primus Machabæus sumptis armis,cęteros adhortatus est simul secũ periculũ subire,& ferre auxiliũ fratribus suis. Cũq; pariter prõpto animo procederẽt,Ierosolymis apparuit pręcedens eos eques in veste cãdida,armis aureis hastã vibrãs. Tunc oẽs simul benedixerũt misericordẽ Dñm & conualuerũt animis:nõ solũ homines, sed & bestias ferocissimas:& muros ferreos parati penetrare. Ibãt igitur prõpti de cœlo habẽtes adiutorẽ,& misertem super eos Dñm. Leonum autẽ more impetu irruẽtes in hostes , prostrauerũt ex eis vndecim millia peditũ,& equitum mille sexcẽtos:vniuersos autẽ in fugam verterũt , plures autẽ ex eis vulnerati nudi euaserunt. Sed & ipse Lysias turpiter fugiẽs euasit. Et quia non insensatus erat secũ ipse reputãs factã erga se diminutionẽ,& intelligẽs inuictos esse Hebręos,omnipotẽtis Dei auxilio innitẽtes, misit ad eos:promisitq; se consensurum omnibus quæ iusta sunt,& regẽ compulsurum amicũ fieri. Annuit autẽ Machabæus precibus Lysiæ, in omnibus vtilitati cõsulens:& quęcũq; Machabęus scripsit Lysiæ de Iudæis,ea rex cõcessit. Nã erãt scriptæ Iudæis epistolæ,à Lysia siquidẽ,hũc modũ cõtinentes, LYSIAS populo Iudæorũ salutẽ. Ioannes & Abessalom qui missi fuerãt à vobis tradẽtes scripta postulabãt vt ea,quæ per illos significabãtur,implerẽ. Quæcũq; igitur regi potuerũt perferri,exposui:& quę res permittebat,cõcessi. Si igitur in negocijs fidẽ cõseruaueritis, etiã deinceps bonorũ vobis causa esse tẽtabo. De cęteris autẽ per singula verba mãdaui & istis & his qui à me missi sunt colloqui vobiscũ. Bene valete. Anno cẽtesimo quadragesimo octauo mẽsis Dioscori, die vicesima & quarta. Regis autẽ epistola,ista cõtinebat, REX Antiochus,Lysię fratri salutẽ. Patre nostro inter deos trãslato,nos volẽtes eos qui sunt in regno nostro sine tumultu agere,& rebus suis adhibere diligẽtiã , audiuimus Iudæos nõ cõsensisse patri meo vt trãsferrẽtur ad ritũ Græcorũ,sed tenere velle suũ institutũ,ac propterea postulare à nobis cõcedi sibi legitima sua. Volẽtes igitur hãc quoq; gẽtẽ quietã esse,statuẽtes iudicauimus tẽplũ restitui illis,vt agerẽt secundũ suorũ maiorũ cõsuetudinẽ. Bene igitur feceris,si miseris ad eos, & dexterã dederis:vt cognita nostra volũtate,bono animo sint, & vtilitatibus proprijs deseruiãt. Ad Iudæos verò regis epistola talis erat, REX Antiochus senatui Iudęorũ,& cęteris Iudęis salutẽ. Si valetis,sic est vt volumus:sed et ipsi bene valemus. Adijt nos Menelaus dicens velle vos descẽdere ad vestros qui sunt apud nos. His igitur qui cõmeãt vsq; ad diẽ tricesimũ mẽsis Xãthici,damus dextras securitatis,vt Iudaicis vtãtur cibis, & legibus suis,sicut & prius:& nemo eorũ vllo modo molestiã patiatur de his,quę per ignorantiã gesta sunt. Misimus autẽ & Menelaũ,qui vos alloquatur. Valete. Anno centesimo quadragesimo octauo, Xanthici mẽsis quinta decima die. Miserũt autẽ etiam Romani epistolã ita se habentẽ, QVINTVS Mẽmius,& Titus Manilius legati Romanorũ,populo Iudęorũ salutẽ. De his,quę Lysias cognatus regis concessit vobis, & nos cõcessimus. De quibus autẽ ad regem iudicauit referendũ,confestim aliquẽ mittite,diligentius inter vos cõferentes:vt decernamus,sicut cõgruit vobis,nos enim Antiochiã accedimus. Ideoq; festinate rescribere,vt nos quoq; sciamus cuius estus voluntatis. Bene valete. Anno centesimo quadragesimo octauo, quinta decima die mensis Xanthici.

CAPVT XII.

HIs factis pactionibus,Lysias pergebat ad regẽ,Iudęi autẽ agriculturę operã dabant. Sed hi qui resederãt Timotheus & Apollonius Gennei filius,sed & Hieronymus , & Demophon superbus, & Nicanor Cypriarches,nõ sinebãt eos in silẽtio agere,& quiete. Ioppitę verò tale quoddã flagitiũ perpetrarunt:rogauerũt Iudęos cũ quibus habitabãt,ascẽdere scaphas,quas parauerãt,cũ vxoribus & filijs,quasi nullis inimicitijs inter eos subiacẽtibus. Secundũ cõmune itaq; decretũ ciuitatis,& ipsis acquiescẽtibus, pacisq; causa nihil supectũ habentibus,cũ in altũ processissent submersẽrũt nõ minus ducẽtos. Quam crudelitatem Iudas in suę gẽtis homines factã vt cognouit,præcepit viris qui erãt cũ ipso,& inuocato iusto iudice Deo,venit aduersus interfectores fratrũ,& portũ quidem nocte succẽdit,scaphas exussit:eos autẽ, qui ab igne refugerant,gladio peremit. Et cũ hęc ita egisset:discessit quasi iterũ reuersurus , & vniuersos Ioppitas eradicaturus. Sed cũ cognouisset & eos qui erãt Iamniæ,velle pari modo facere habitãtibus secũ Iudæis, Iãnitis quoq; nocte superuenit,& portũ cum nauibus succẽdit,ita vt lumen ignis appareret Ierosolymis à stadijs ducẽtis quadraginta. Inde cũ iam abijssent nouẽ stadijs,& iter facerẽt ad Timotheũ, commiserunt cũ eo Arabes quinq; millia virũ,& equites quingenti. Cũq; pugna valida fieret,& auxilio Dei prosperè cessisset,resistunt Arabes victi petebãt à Iuda dextras sibi dari,promittẽtes se pascua daturos,& in cęteris profuturos. Iudas autẽ arbitratus verè in multis eos vtiles,promisit pacẽ,dextrisq; acceptis,discessere ad tabernacula sua. Aggressus est autẽ & ciuitatẽ quandã firmã pontibus murisq; circũseptam, quę á turbis habitabatur gentiũ promiscuarum, cui nomẽ Casphin. Hi verò qui intus erãt cõfidẽtes in stabilitate murorũ & apparatu alimoniarũ , remissius agebant,maledictis lacessentes Iudã:& blasphemantes , ac loquẽtes quę fas nõ est. Machabæus autẽ inuocato magno mũdi principe,qui sine arietibus & machinis tẽporibus Iesu pręcipitauit Iericо,irruit ferociter muris,& capta ciuitate per Dñi voluntatẽ innumerabiles cędes fecit,ita vt adiacẽs stagnũ stadiorũ duorũ latitudinis sanguine interfectorũ fluere videretur. Inde discessẽrũt stadia septingẽta quinquaginta,et venerũt in Characa ad eos qui dicũtur Tubianei,Iudęos:& Timotheũ quidẽ in illis locis nõ cõprehenderũt , nulloq; negocio perfecto regressus est,relicto in quodã loco firmissimo pręsidio. Dositheus autẽ & Sosipater,qui erãt ducẽs cũ Machabęo peremerũt à Timotheo relictos in pręsidio,decẽ millia viros. At Machabęus ordinatis circũ se sex millibus,& cõstitutis per cohortes,aduersus Timotheũ processit, habentẽ secũ centũ viginti millia peditũ, equitũq; duo millia quingẽtos. Cognito autẽ Iudæ aduẽtu Timotheus pręmisit mulieres & filios & reliquũ apparatũ,in pręsidiũ quod Carnion dicitur:erat enim inexpugnabile,& accessũ difficile propter locorũ angustias. Cumq; cohors Iudæ prima apparuisset,timor hostibus incussus est,ex pręsentia Dei qui vniuersa cõspicit:& in fugam versi sunt,alius ab alio,ita vt magis à suis deijcerẽtur , & gladiorũ suorũ ictibus debilitarentur. Iudas autẽ vehementer instabat puniẽs prophanos,& prostrauit ex eis triginta millia virorum.

Ipse

Ioſue 6.c

Ipſe verò Timótheus incidit in partes Doſithei & Soſipatris:& multis precibus poſtulabat,vt viuus dimitteretur,cò q̃ multoꝝ ex Iudęis parętes haberet,ac fratres,quos morte eius decipi eueniret.Et cum fidę dediſſet reſtituturũ ſe eos ſecundũ conſtitutũ, illæſum eum dimiſerũt propter fratrum ſalutẽ. Iudas autem regreſſus † ad Carnium & Atargatitũ,interfecit viginti quinq; millia.Poſt hoꝝ fugam & necem, mouit exercitum ad Ephron ciuitatẽ munitam,in qua multitudo diuerſarum gentiũ habitabat:& robuſti iuuenes pro muris cõſiſtentes fortiter repugnabãt:in hac aũt machinę multę,& teloꝝ erat apparatus. Sed cũ omnipotentẽ inuocaſſent,qui poteſtate ſua vires hoſtiũ cõfringit,ceperunt ciuitatẽ:& ex eis qui intus erãt,viginti quinq; millia proſtrauerunt.Inde ad ciuitatẽ Scytharum abierũt,quę ab Ieroſolymis ſexcẽtis ſtadijs aberat.Cõteſtantibus autem his qui apud Scythopolitas erant Iudæis, q̃ benignè ab eis haberẽtur, etiam tẽporibus infelicitatis q̃ modeſtè ſecũ egerint:gratias agẽtes eis,& exhortati etiã de cętero erga genus ſuũ benignos eſſe,venerũt Ieroſolymam die ſolẽni ſeptimanaꝝ inſtãte.Et poſt pentecoſten abierũt contra Gorgiã prępoſitũ Idumæę. Exiuit autẽ cum peditibus tribus millibus,& equitibus quadringẽtis.Quibus cõgreſſis,cõtigit paucos ruere Iudęorum.Doſitheus verò quidã de viris Bacenoris eques, vir fortis, Gorgiã tenebat: & cũ vellet illum capere viuũ,eques quidã de Thracibus irruit in eũ, humerumq; eius amputauit:atq; ita Gorgias effugit in Mareſa. At illis qui cũ Eſdrin erãt diutius pugnãtibus & fatigatis,inuocauit Iudas Dñm adiutorẽ, & ducẽ belli fieri: incipiẽs voce patria,& cũ hymnis clamorẽ extollẽs,fugã Gorgię militibus incuſsit.Iudas autẽ collecto exercitu venit in ciuitatẽ Odollã:& cũ ſeptima dies ſuperueniret,ſecundũ conſuetudinẽ purificati in eodem loco ſabbatũ egerũt.Et ſequẽti die venit cũ ſuis Iudas,vt corpora proſtratoꝝ tolleret, & cũ parentibus poneret in ſepulchris paternis.Inuenerũt autẽ ſub tunicis interfectoꝝ de donarijs idoloꝝ,quę apud Iamniã fuerũt,à qui
Deut.7.d bus lex prohibet Iudæos:omnibus ergo manifeſtũ factum eſt ob hãc cauſam eos corruiſſe.Oẽs itaq; benedixerunt iuſtũ iudicium Dñi,qui occulta fecerat manifeſta. Atq; ita ad preces conuerſi,rogauerunt vt id quod factũ erat delictũ,obliuioni traderetur.At verò fortiſsimus Iudas hortabatur populũ conſeruare ſe ſine peccato,ſub oculis videtes quę facta ſunt pro peccatis eoꝝ qui proſtrati ſunt.Et facta collatione,duodecim millia drachmas argẽti miſit Ieroſolymã offerri pro peccatis mortuoꝝ ſacrificium, bene & religioſe de reſurrectione cogitãs(Niſi enim eos qui ceciderãt,reſurrecturos ſperaret,ſuperfluũ videretur & vanũ orare q̃ mortuis) & quia cõſyderabat q̃ hi qui cũ pietate dormitionẽ acceperant, optimam haberẽt repoſitam gratiam. † Sancta & pia illa cogitatio:vnde pro ijs qui mortui fuerant,propitiationem fecit,vt à peccatis ſoluerentur.

CAPVT XIII.

ANno centeſimo quadrageſimonono, cognouit Iudas Antiochũ Eupatorem venire cũ multitudine aduerſus Iudæã,& cum eo Lyſiã procuratorẽ & prępoſitum negocioꝝ,ſecum habentẽ peditum centũ decem millia,& equitum quinq; millia,& elephãtos viginti duos,currus cũ falcibus trecẽtos. Cõmiſcuit autẽ ſe illis & Menelaus:& cũ multa fallacia deprecabatur Antiochũ, non pro patriæ ſalute, ſed ſperans ſe conſtitui in principatũ.Sed rex regũ ſuſcitauit animos Antiochi in peccatorẽ:& ſuggerẽte Lyſia hũc eſſe cauſam omniũ malorum,iuſsit vt eis eſt cõſuetudo,apprehẽſum in eodẽ loco necari.Erat autẽ in eodem loco turris quinquaginta cubitoꝝ,aggeſtũ vndiq; habens cineris, hęc proſpectũ habebat in pręceps:inde in cinerẽ deijci iuſsit ſacrilegũ, omnibus eũ propellentibus ad interitũ.Et tali lege pręuaricatorẽ legis contigit mori,nec terrę dari Menelaũ.Et quidẽ iuſtè:nã quia multa erga arã Dei delicta cõmiſit,cuius ignis & cinis erat ſanctus:ipſe in cineris morte dãnatus eſt.Sed rex mẽte effrenatus veniebat,nequiorẽ ſe patre ſuo Iudęis oſtẽſurus.Quibus Iudas cognitis,præcepit populo vt die ac nocte Dñm inuocarẽt, quod ſicut ſemper & nunc adiuuaret eos:quippe qui lege & patria,ſanctoq; tẽplo priuari vererẽtur,ac populũ qui nuper paululũ reſpiraſſet,ne ſineret blaſphemis rurſus nationibus ſubdi.Omnibus itaq; ſimul id faciẽtibus,& petentibus à Dño miſericordiã cum fletu & ieiunijs per triduũ continuũ proſtratis,hortatus eſt eos Iudas, vt ſe præparaꝛẽt:ipſe verò cũ ſenioribus cogitauit prius quàm rex admoueret exercitũ ad Iudęã, & obtineret ciuitatẽ,exire,& Dñi iudicio cõmittere exitũ rei.Dãs itaq; poteſtatẽ omniũ Deo mũdi creatori, & hortatus ſuos vt forti ter dimicarẽt,& vſq; ad mortẽ pro legibus,tẽplo,ciuitate,patria,& ciuibus ſtarẽt:circa Modin exercitũ conſtituit.Et dato ſigno ſuis Dei victorię,iuuenibus fortiſsimis electis,nocte aggreſſus aulã regiam in caſtris interfecit viros quatuordecim millia,& maximũ elephantoꝝ cũ his qui ſuperpoſiti fuerãt : ſummoq; metu ac perturbatione hoſtiũ caſtra replẽtes,rebusq; proſperè geſtis abierũt.Hoc autem factũ eſt die illucеſcẽte, adiuuante eum Dñi protectione. Sed rex accepto guſtu audacię Iudęoꝝ,arte difficultatem locoꝝ tentabat:& Bethſurę quę erat Iudęoꝝ pręſidiũ munitũ,caſtra admouebat:ſed fugabatur, impingebatur, minorabatur. His autẽ qui intus erant Iudas neceſſaria mittebat.Enũtiauit autẽ myſteria hoſtibus Rhodocus quidã de Iudaico exercitu,qui requiſitus cõprehẽſus eſt,& cõcluſus.Iteꝝ rex ſermonẽ habuit ad eos qui erãt ī Bethſuris, dextrã dedit,accepit,abijt,cõmiſit cũ Iuda:ſupatus eſt.Vt aũt cognouit rebellaſſe Philippũ Antiochię, q̃ relictus erat ſup negotia,mẽte cõſternatus Iudęos deprecãs, ſubditusq; eis iurat de oĩbus quibus iuſtũ viſum eſt: & reconciliatus obtulit ſacrificiũ,honorauit tẽplũ,& munera poſuit.Machabęũ amplexatus eſt, & fecit eũ à Ptolemaide vſq; ad Gerrenos ducẽ & principem. Vt autẽ venit Ptolemaidã, grauiter ferebant Ptolemenſes amicitiæ conuentionẽ, indignantes ne fortè fœdus irrumperet. Tunc aſcendit Lyſias tribunal, & expoſuit rationem,& populum ſedauit,regreſſuſq; eſt Antiochiam:& hoc modo regis profectio & reditus proceſsit.

CAPVT XIIII.

SEd poſt hoc triennij tempus cognouit Iudas & qui cum eo erant, Demetrium Seleuci cũ multitudine valida,& nauibus per portum Tripolis aſcẽdiſſe ad loca opportuna,& tenuiſſe regiones aduerſus Antiochum & ducem eius Lyſiam. Alcimus autem quidam, qui ſummus ſacerdos fuerat, ſed voluntarie coinquinatus eſt temporibus commiſtionis, conſyderans nullo modo ſibi eſſe ſalutem,neq; acceſſum ad altare,

tare,venit ad regẽ Demetriũ centeſimo quinquageſimo anno,offerens ei coronã auream,& palmam: ſuper hęc & talos qui tẽpli eſſe videbantur.Et ipſa quidẽ die ſiluit.Tẽpus autem opportunum demẽtię ſuę nactus, conuocatus à Demetrio ad cõſilium,& interrogatus quibus rebus & cõſilijs Iudæi niterẽtur : reſpondit, Ipſi
B qui dicuntur Aſsidæi Iudęoꝝ,quibus pręeſt Iudas Machabæus,bella nutriunt,& ſeditiones mouent, nec patiũtur regnũ eſſe quietum:nã & ego defraudatus parentũ gloria (dico autẽ ſummo ſacerdotio) huc veni:primò quidem vtilitatis regis fidẽ ſeruans,ſecũdò autem etiã ciuibus conſulens:nã illorum prauitate vniuerſum genus noſtrũ non minimè vexatur,ſed oro his ſingulis ò rex cognitis,& regioni,& gẽti ſecundũ humanitatem tuã promulgatam omnibus proſpice:nã quandiu ſupereſt Iudas, impoſsibile eſt pacẽ eſſe negocijs. Talibus autẽ ab hoc dictis,& cæteri amici hoſtiliter ſe habentes aduerſus Iudã, inflammauerunt Demetriũ. Qui ſtatim Nicanorem prępoſitũ elephãtorum ducem miſit in Iudęã:datis mandatis vt ipſum quidẽ Iudam caperet viuum,eos verò qui cũ illo erant,diſpergeret, & conſtitueret Alcimũ maximi templi ſummũ ſacer-
C dotem.Tunc gentes quæ de Iudæa fugerant Iudã,congregatim ſe Nicanori miſcebant,miſerias & clades Iudæorum,proſperitates rerũ ſuarum exiſtimãtes. Audito itaq; Iudæi Nicanoris aduẽtu, & conuentu nationum,cõſpersi terra rogabant eum qui populum ſuũ conſtituit, inæternum cuſtodiret, quiq; ſuã portionem ſignis euidentibus protegit.Imperante autẽ duce ſtatim inde mouerunt,cõueneruntq; ad caſtellum Deſſau. Simon verò frater Iudæ commiſerat cum Nicanore : ſed cõterritus eſt repentino aduentu aduerſariorũ.Nicanor tamen audiens virtutem comitum Iudæ,& animi magnitudinẽ quam pro patriæ certaminibus habebant,ſanguine iudiciũ facere metuebat.Quã ob rẽ præmiſit Poſidoniũ,& Theodotiũ, & Matathiam, vt darent dextras atq; acciperent.Et cum diu de his conſiliũ ageretur,& ipſe dux ad multitudinẽ retuliſſet,omniũ
D vna fuit ſententia amicitijs annuere.Itaq; diẽ conſtituerunt qua ſecreto inter ſe agerent:& ſingulis ſellę prolatæ ſunt & poſitæ.Pręcepit autẽ Iudas armatos eſſe locis opportunis, ne fortè ab hoſtibus repente mali aliquid oriretur:& congruum colloquiũ fecerunt.Morabatur autem Nicanor Ieroſolymis, nihilq; iniquè agebat,gregesq; turbarum quæ congregatę fuerãt dimiſit.Habebat autem Iudam ſemper charum ex animo,& erat viro inclinatus.Rogauitq; eum ducere vxorem , filiosq; procreari. Nuptias fecit,quietè egit,comiterq; viuebant.Alcimus autẽ videns charitatem illorum adinuicẽ & conuentiones venit ad Demetrium , & dice-
E bat Nicanorem rebus alienis aſſentire,Iudamq; regni inſidiatorem ſucceſſorem ſibi deſtinaſſe. Itaq; rex exaſperatus,& peſsimis huius criminationibus irritatus,ſcripſit Nicanori,dicẽs,grauiter quidẽ ſe ferre de amicitiæ cõuentione,iubere tamen Machabęũ citius vinctũ mittere Antiochiam. Quibus cognitis Nicanor cõſternabatur,& grauiter ferebat,ſi ea quę conuenerãt irrita faceret,nihil læſus à viro:ſed quia regi reſiſtere nõ poterat,opportunitatẽ obſeruabat qua pręceptũ perficeret. At Machabęus videns ſecum auſterius agere Nicanorẽ,& cõſuetum occurſum ferocius exhibentẽ, intelligens nõ ex bono eſſe auſteritatẽ iſtam,paucis ſuorum congregatis occultauit ſe à Nicanore. Quod cũ ille cognouit fortiter ſe a viro preuentum, venit ad maximum & ſanctiſsimũ templum:& ſacerdotibus ſolitas hoſtias offerẽtibus,iuſsis ſibi tradi virũ : quibus cum
F iuramento dicentibus neſcire ſe vbi eſſet qui quęrebatur,extendens manũ ad templum , iurauit dicens,Niſi Iudam mihi vinctũ tradideritis,iſtud Dei phanũ in planiciem deducã,& altare effodiam , & tẽplum hoc Libero patri cõſecrabo.Et his dictis abijt. Sacerdotes autem protẽdẽtes manus in cœlũ , inuocabant eum qui ſemper propugnator eſſet gentis ipſoꝝ,hęc dicẽtes,Tu Dñe vniuerſorum,qui nullius indiges , voluiſti templum habitationis tuæ fieri in nobis.Et nunc ſancte ſanctoꝝ omnium Dñe,conſerua ineternũ impollutam domum iſtam,quæ nuper mundata eſt. Razias autem quidam de ſenioribus ab Ieroſolymis delatus eſt Nicanori,vir amator ciuitatis,& bene audiens:qui pro affectu pater Iudæoꝝ appellabatur.Hic multis temporibus continentiæ propoſitum tenuit in Iudaiſmo,corpusq; & animam tradere contentus pro perſeuerantia.
G Volens autem Nicanor manifeſtare odium quod habebat in Iudæos,miſit milites quingentos,vt eum comprehenderent:putabat enim ſi illum decepiſſet,ſeſe cladem Iudęis maximam illaturum.Turbis autẽ irruere in domum eius,& ianuam diſrumpere atq; ignem admouere cupientibus,cùm iam comprehẽderetur , gladio ſe petijt:eligens nobiliter mori,potius quàm ſubditus fieri peccatoribus , & contra natales ſuos indignis iniurijs agi.Sed cum per feſtinationem non certo ictu plagã dediſſet,& turbę intra oſtia irrũperent,recurrẽs audacter ad murum, pręcipitauit ſemetipſum viriliter in turbas:quibus velociter locũ dãtibus caſui eius,venit per mediũ † ventrem:& cum adhuc ſpiraret,accenſus animo,ſurrexit: & cum ſanguis eius magno fluxu
H deflueret,& grauiſsimis vulneribus eſſet ſaucius,curſu turbã pertranſijt:& ſtans ſupra quandam petram prę-ruptam,& iam exanguis effectus, cõplexus inteſtina ſua,vtriſq; manibus proiecit ſuper turbas,inuocans dominatorem vitæ ac ſpiritus vt hęc illi iterum redderet:atq; ita vita defunctus eſt.

CAPVT XV.

A NIcanor autẽ vt comperit Iudã eſſe in locis Samariæ,cogitauit cum omni impetu die ſabbati cõmittere bellum.Iudæis verò qui illum per neceſsitatem ſequebantur dicẽtibus,Ne ita ferociter & barbarè
A feceris,ſed honorem tribue diei ſanctificationis;& honora eũ qui vniuerſa conſpicit. At ille infelix interrogauit ſi eſt potens in cœlo qui imperauit agi diem ſabbatorum.Et reſpondentibus illis,Eſt Dominus viuus ipſe in cœlo potens,qui iuſsit agi ſeptimam diẽ. At ille ait,Et ego potens ſum ſuper terrã,qui impero ſumi arma,& negocia regis impleri.Tamen nõ obtinuit,vt conſiliũ perficeret.Et Nicanor quidẽ cum ſum-
B ma ſuperbia erectus,cogitauerat commune trophęum ſtatuere de Iuda.Machabæus autẽ ſemper confidebat cum omni ſpe auxiliũ ſibi à Deo affuturum,& hortabatur ſuos,ne formidarẽt ad aduentũ nationum, ſed in mente haberent adiutoria ſibi facta de cœlo,& nunc ſperarent ab omnipotẽte ſibi affuturam victoriam. Et allocutus eos de lege & prophetis,admonens etiam certamina quæ fecerant prius,promptiores cõſtituit eos, & ita animis eorum erectis ſimul oſtendebat gentium fallaciam,& iuramentorum pręuaricationẽ.Singulos

autem

autem illorum armauit,non clypei & haſtę munitione,ſed ſermonibus optimis & exhortationibus,expoſito digno fide ſomnio,per quod vniuerſos lætificauit. Erat autem huiuſcemodi viſus:Oniam, qui fuerat ſummus ſacerdos,virum bonum & benignum,verecundum viſu,modeſtũ moribus,& eloquio decorum, & qui à puero in virtutibus exercitatus ſit,manus protendentem,orare pro omni populo Iudæorũ. Poſt hoc apparuiſſe & alium virum ætate & gloria mirabilem,& magni decoris habitudinem circa illum. Reſpondentem verò Oniam dixiſſe,Hic eſt fratrum amator,& populi Iſrael:hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate,Ieremias propheta Dei. Extendiſſe autem Ieremiam dextram, & dediſſe Iudæ gladium aureum,dicentem,Accipe ſanctum gladiũ munus à Deo,in quo deijcies aduerſarios populi mei Iſrael. Exhortati itaq; Iudæ ſermonibus bonis valde de quibus extolli poſſet impetus, & animi iuuenum confortari, ſtatuerunt dimicare & confligere fortiter:vt virtus de negocijs iudicaret,eò q; ciuitas ſancta, & templum periclitarentur,erat enim pro vxoribus,& filijs,itemq; pro fratribus & cognatis minor ſolicitudo:maximus verò & primus pro ſanctitate timor erat templi:ſed & eos qui in ciuitate erant, nõ minima ſolicitudo habebat pro his qui congreſſuri erant. Et cum iam omnes ſperarent iudicium futurum, hoſtesq; adeſſent,atq; exercitus eſſet ordinatus,beſtiæ equitesq; opportuno in loco compoſiti, conſyderans Machabæus aduentũ multitudinis,& apparatum varium armorum,& ferocitatem beſtiarum,extendens manus in cœlum,prodigia faci-
4.Re.19.g entem Dñm inuocauit,qui non ſecũdum armorum potẽtiam, ſed prout ipſi placet, dat dignis victoriam.
Tobiæ 1. d Dixit autem inuocans hoc modo,Tu Dñe qui miſiſti angelum tuum ſub Ezechia rege Iuda,et interfeciſti de
Eccle.48.d caſtris Sẽnacherib centum octogintaquinq; millia: & nunc dominator cœlorũ mitte angelũ tuum bonum
Iſa.37.f.g ante nos in timore,& tremore magnitudinis brachij tui, vt metuant qui cum blaſphemia veniunt aduerſus ſanctum populum tuum. Et hic quidem ita peroraurt. Nicanor autem,& qui cum ipſo erat,cum tubis & cãticis ad mouebant. Iudas verò,& qui cum eo erant inuocato Deo,per orationes cõgreſſi ſunt:manu quidem pugnantes,ſed Dominum cordibus orantes proſtrauerunt non minus triginta quinq; millia, præſentia Dei magnificè delectati. Cumq; ceſſaſſent, & cum gaudio redirent, cognouerunt Nicanorẽ ruiſſe cũ armis ſuis. Facto itaq; clamore,& perturbatione excitata,patria voce omnipotentem Dominum benedicebant. Præcepit autem Iudas qui per omnia corpore & animo mori pro ciuibus paratus erat, caput Nicanoris, & manũ
Supra 14.e cum humero abſciſſam, Ieroſolymam perferri. Quò cum peruenisſet,conuocatis contribulibus, & ſacerdotibus ad altare,accerſijt & eos qui in arce erant. Et oſtenſo capite Nicanoris,& manu nefaria quam extenderat contra domum ſanctam omnipotentis Dei,magnificè gloriatus eſt. Linguam etiã impij Nicanoris præciſam iuſsit particulatim auibus dari:manum autem dementis contra templum ſuſpendi. Omnes igitur cœli benedixerunt Dñm dicẽtes, Benedictus qui locum ſuũ incontaminatum ſeruauit. Suſpendit autem Nicanoris caput in ſumma arce,vt euidẽs eſſet, & manifeſtum ſignum auxilij Dei. Itaq; omnes communi conſilio decreuerũt nullo modo diem iſtum abſq; celebritate præterire:habere autem celebritatem tertiadecima die menſis Adar,quæ dicitur voce Syriaca, pridie Mardochæi diei. Igitur his erga Nicanorẽ geſtis, & ex illis temporibus ab Hebręis ciuitate poſſeſſa,ego quoq; in his faciam finẽ ſermonis. Et ſi quidem bene, & vt hiſtoriæ competit,hoc & ipſe velim:ſi autem minus dignè,concedendum eſt mihi. Sicut enim vinum ſemper bibere aut ſemper aquam,contrarium eſt,alternis autem vti delectabile: ita legentibus ſi ſemper exactus ſit ſermo,non erit gratus. Hic ergo erit conſummatus.

FINIS.

HIERONYMVS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

MAtthęus,qui & Leui,ex publicano Apoſtolus, primus in Iudæa propter eos,qui ex circunciſione crediderant,euangelium CHRISTI Hebraicis literis verbisq; compoſuit. Quod quis poſtea in Grecum tranſtulerit, nõ ſatis certum eſt. Porro ipſum Hebraicũ habetur vſq; hodie in Cęſarienſi bibliotheca,quam Pamphilus martyr ſtudioſiſsime confecit. Mihi quoq; à Nazaræis, qui in Beroea vrbe Syrię hoc volumine vtuntur,deſcribẽdi facultas fuit. In quo animaduertendum,q; vbicunq; Euangeliſta,ſiue ex perſona ſua, ſiue ex perſona domini ſaluatoris,veteris ſcripturæ teſtimonijs vtitur, nõ ſequatur ſeptuaginta translatorum authoritatem,ſed Hebraicam, è quibus illa duo ſunt, Ex Ægypto vocaui filium meum. Et, Quoniam Nazaræus vocabitur.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MATTHAEVM.

[a] LIber generationis IESV CHRISTI filij Dauid,filij Abrahã: Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares, & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſrom. Eſrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Rahab. Booz autem genuit Obed ex Ruth. Obed autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Salomonem ex ea, quæ fuit Vrię. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abia. Abia autem genuit Aſa. Aſa autem genuit Ioſaphat. Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioatham. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezeciam. Ezecias autem genuit Manaſſem. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in [b] tranſmigratione Babylonis. Et poſt tranſmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioſeph virum MARIAE, de qua natus eſt IESVS, qui vocatur CHRISTVS. Omnes itaq; generationes ab Abraham vſq; ad Dauid,generationes quatuordecim:& à Dauid vſq; ad tranſmigrationẽ Babylonis,generationes quatuordecim:& à tranſmigratione Babylonis,vſq; ad CHRISTVM, generationes quatuordecim. IESV CHRISTI autem generatio ſic fuit. Cum enim eſſet deſpõſata mater eius MARIA Ioſeph, antequàm conuenirent, [c] inuenta eſt in vtero habens de ſpiritu ſancto. Ioſeph autem vir eius,cum eſſet iuſtus,& nollet eãm infamare:voluit occulte dimittere eam. Hæc autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in ſomnis ei,dicens: Ioſeph fili Dauid,noli timere accipere MARIAM coniugem tuam: quod enim in ea conceptum eſt: de ſpiritu ſancto eſt: pariet autem filium: & vocabis nomen eius IESVM: ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Hoc autem totum factum eſt,vt adimpleretur quod dictum eſt à Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in vtero habebit & pariet filium,& vocabunt nomen eius Emmanuel,quod eſt interpretatum,nobiſcũ Deus. Exurgens autem Ioſeph à ſomno,fecit ſicut præcepit ei angelus Domini,& accepit coniugem ſuam. Et non cognoſcebat eam, [d] donec peperit filium ſuum primogenitum:& vocauit nomen eius, IESVM.

Luc.3.e Gen.21.e Gen.25.d Gen.29.g Gen.38.g 1.Par.2.a Ruth.4.d 2.Reg.12.f 1.Par.3.b 2.Paralip. 36.a.b 1.Para.3.c Luc.2.e Eſa.7.e

SCHOLIA.

[a] Liber generationis.] *Liber quidem eſt totius etiam vitæ Seruatoris, non generationis ſolum, ſed hæbraiſmus eſt, quemadmodum & in Geneſi. Iſte eſt liber generationum Adam, qui tamen liber plurima alia complectitur. In primis autem filium Dauid appellat, ob celebratiſſimam opinionem, atque expectationem, naſcituri ex ſemine Dauid Meſſiæ, hoc eſt, Chriſti. Quod vero Matthæus diſcrepare videtur à Luca in recenſenda genealogia, cum hactenus tam multi & docti & exercitati viri ita digladiati ſint, vt, quæ alius tanquam ſolidiſſima fundamenta poſuerat, alius nouis rationibus illa deſtruat, iudicaui, hoc loco tutius futurum, ſi vitarem reprehenſam à Paulo curioſiorem diſquiſitionem genealogiarum ſine caſentium, quæ tantum lites generant, cum nihil ſit, quod ſatis nobis magis facere debeat, quàm perſuaſiſſimum nobis eſſe debere, vtrunque euangeliſtam optime calluiſſe ſeriem illam generationis, in qua tametſi nos illa variantia inter ſe nomina aptare, adamuſſim, aut quo demum pacto concordet ipſa ſeries, neſcimus, non tamen iccirco rem in dubitationem continuo vocare debemus, alioqui quòd hactenus vſu venit, idem in futurum euenturum proculdubio eſt, vt nunquam tam exquiſite quiſquam hanc rem ſit tractaturus, quin recentes ſemper ſcrupuli oriantur.* [b] A tranſmigratiõe Babylonis vſq; ad Chriſtũ generationes quatuordecim.] *Videlicet ſi priorem Iechoniam intelligas patrem, poſteriorem autem filium. Sed quæ fuit cogitatio euangeliſtæ texendi tres teſſaredecades? Videtur id factum ob tres inſignes Iudaici ſtatus mutationes, quæ ſecundum illas tres diſtinctiones acciderunt. Qui vero ſecretius perueſtigant, addunt in priore ex illis tribus quartodecimo numero ſignificari regnum Iudæorum per Dauid ad ſummam gloriam euectum fuiſſe, quemadmodum eodem numero luna plena eſt, quæ paulatim deficiens per eundem numerum incipit non apparere, cuius imago viſa eſt, cum captiuus ductus eſt populus Babylonem, qui rurſus emergens, tandem quaſi ad repetitum pleniluniũ, hoc eſt ad Chriſtum, plenam mundi lucem peruenit.* [c] Inuenta eſt.] *A quo? à Ioſeph, & videtur anticipatio, vt tandem agnouerit Ioſeph illum concepiſſe de ſpiritu ſancto. Sed antequam id ſciret, hæſitauerit quid ageret, cum & mores Virginis non paterentur, vt eam infamaret, &*

GRANADA

tamen lex videretur velle eum esse seueriorem, atque hoc est quod ait, cum esset iustus. [d] Donec peperit.] *Quid? cognouit eam postquam peperit? nullo modo. Verum & hic loquendi modus est Hebrææ linguæ familiaris, vt si dicam, nunquam tibi deero, donec id assequare quod optas, neque tamen propterea intelliges, te posteà à me deserendum, sed tutus redderis in eo, quod vereri potuisses, quod & hic vsu venit. In eundem sensum dictum est & illud. Non commouebitur donec despiciat inimicos suos. nam multo minus commouendus erat postquam eos vltus fuisset.*

CAPVT II.

CVm ergo natus esset IESVS in Bethleem Iudææ in diebus Herodis regis, [a] ecce Magi ab oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in oriente, & venimus adorare eum. Audiēs autem Herodes rex, turbatus est, & tota Ierosolyma cum illo. Et congregās omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis vbi CHRISTVS nasceretur. At illi dixerunt ei, In Bethleem Iudææ: sic enim scriptum est per prophetam: [b] Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim mihi exibit dux, qui reget populum meum Israel. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis: & mittens eos in Bethleem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum. Qui cum audissent regem, abierunt: & ecce stella quam viderant in oriente, antecedebat eos, vsquedum veniens staret supra, vbi erat puer. Videntes autem stellam, [c] gauisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum MARIA matre eius: & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera: aurum, thus, & myrrham. Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Qui cum recessissent, [d] ecce angelus Domini apparet in somnis Ioseph, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum: & esto ibi vsquedum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui cōsurgens, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Ægyptum: & fuit illic vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per prophetam dicentem: [e] Ex Ægypto vocaui filiū meum. Tunc Herodes vidēs, quod illusus esset à Magis, iratus est valde: & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem et in omnibus finibus eius, à bimatu & infra, secundum tēpus quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam prophetam dicentem: Vox [f] in rama audita est, lamentatio, ploratus & vlulatus multus, Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem accipere, quia non sunt. Defuncto autē Herode, ecce angelus Domini apparet in somnis Ioseph in Ægypto, dicens: Surge & accipe puerum & matrem eius, & vade in terram Israel: defuncti sunt enim, qui querebant animam pueri. Qui consurgens, accepit puerum & matrem eius, & venit in terram Israel. Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudea pro Herode patre suo, timuit illò ire: & oraculo admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ. Et veniens habitauit in ciuitate quę vocatur Nazareth: vt adimpleretur [g] quod dictum est per prophetas, quòd Nazaræus vocaretur.

Mich.5.a
Ioan.7.f
Psal.71.b
Osee.11.a
Hier.31.c

SCHOLIA.

[a] Ecce magi.] *Chalcidius platonicus in commentarijs in Timæum Platonis, appellat eos sapientes chaldæorum, his verbis. Est quoque alia sanctior, & venerabilior historia, quæ perhibet, ortu stellæ cuiusdam, non morbos mortesq; demutatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanæ conseruationis rerumq; mortalium gratiam. Quam stellam cum nocturno itinere suspexissent chaldæorum profectò sapientes viri, & consyderatione rerum cœlestium satis exercitati, quæsisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaq; illa maiestate puerili, venerati esse, & vota Deo tanto conuenientia nuncupasse.* [b] Et tu Bethlehem.] *Hunc locum explicuimus in Michæa.* [c] Gauisi sunt gaudio magno.] *Vt qui vltra spem omnem iterum eam stellam vidissent, quam se in oriente vidisse primo dixerant, atq; ex hoc apparet, eam non fuisse reliqui itineris ducem: alioqui nec ita vehementer nunc visa gauisi essent, nec dixisset euangelista solum, & ecce stella quam viderant in oriente, sed & quæ eos comitata etiam fuerat, & ydem ipsi magi fatentur, se in oriente quidem vidisse illam, sed non adduxisse, comitem aut ducem potius itineris habuisse, quod vt maius fuisset miraculum, ita in primis fuerat commemorandum.* [d] Ecce angelus Domini apparet.] *Non videtur posse intelligi id factum esse mox post discessum magorum, cum Lucas scribat eos post quadraginta dies & oblatum in templo Iesum, reuersos in Galilæam, in ciuitatem suam Nazareth: Quanquam varijs modis soluatur hic nodus, & omnium sententias hic ponere longum est.* [e] Ex Ægypto vocaui.] *Videtur hic germanus sensus, qui nuper ante nos obseruatus est, in hunc modum. Cum propheta superius admonuisset populum vt innouarent sibi noualia, ac radices idololatriæ euelleret, ne sererent super spinas, et addidisset causam, quòd ex eo tempore, quo in exilium abducti essent, tempus esset requirendi Dominum, donec veniret, qui doceret iustitiam, id est, Christus Dominus. Postea redit ad Christum, ad cuius aduentum, vt se præpararent, antea hortatus erat, & dicit de eo. Sicut mane pereundo periit, vel extirpando extirpatus est rex Israel. Vt scilicet his verbis admoneat populum suum Dominus per prophetam; Vt cum Christus doctor veræ iustitiæ aduenial, ne per ofcitationem eum amittant, fore enim vt breui tempore in terris versetur, sicut aurora non diu durat, sed vt oriturum iam solem præcedit, ita eo oriente statim ex oculis eripitur. Nam Christi conuersatio in terris, & prædicatio cum miraculis editis, aurora fuit diei Euangelici statim sequentis, in quo cum sol iustitiæ Christus per Spiritus sancti missionem mundo incipiebat illucescere, aurora præsentiæ eius corporeæ iamdudum per ascensionem ex oculis nostris sublata fuit. Quare autem hæc aurora tam cito sublata sit, rationem reddit dicens. Quia puer Israel, & per se ipse nihil intelligit, sed aliorum authoritate ducitur, & subinde seducitur. Ideoq; cum scribæ, pharisæi, pontifices, & reges Christum sint osuri, & persecuturi, fiet, vt insipiens ille populus, vnà cum illis abductus, persequatur, & crucifigi postulet doctorem illum iustitiæ. quod cum ignorantia, non malitia facturi sint, nondum possum eos propter eam insipientiam odisse, sed spe futuræ pœnitentiæ adhuc amo eos. Qui amor fecit, vt, cum scirem eos eadem insipientia, de qua iam dixi, vnà cum Herode turbandos, vbi Christum natum audirent, & ita facile, vt Herodi occisuro consentirent, impellendos, filium meum Christum*

sum potius in Ægyptum abduxi, illicq; donec Herodes moreretur, occului, ne scilicet stultus ille populus, Christum ante tempus occidendo, omnis se fructu, quem ex eo capere debebat, priuaret. Tandem Herode iamdudum mortuo, & populo nati Christi magna ex parte oblito, vocaui filium meum ex Ægypto, vt ipsis ignorantibus apud eos adoleseceret, et ante quàm primores consilium de eo occidendo exequerentur, & stultum illum populum ad consentiendum persuaderent, ipse quicquid à me in mandatis habebat, perficeret &c. Quidam tamen illud, mane extirpatus est rex Israel, interpretantur, Messiam statim initio pueritiæ suæ, hoc est, in suo mane & aurora quæsitum fuisse ad cædem, & profligatum ex Iudæa. [e] In Rama.] *Is qui Matthæum ex Hebræo transtulit, videtur accepisse Rama pro nomine loci proprio iccirco vocem Hebræam seruauit. at hic appellatiua vox est, & significat, in excelso. Cætera vide in Ieremiam.* [g] Quod dictum est per prophetas, quòd Nazaræus vocaretur.] *Et hunc locum, cum ignoretur vnde Matthæus hanc hauserit prophetiam, sic explicant. Cum Matthæus hoc testimonium non vni alicui prophetæ attribuat, sed multis, neque ab vllo scriptum esse tradat, sed à pluribus dictum asserat: sciendum est, tria prophetarum genera olim fuisse, primum genus fuit eorum, qui quandocunque res postulabat, oracula, visiones, aut fatidica somnia impetrabant, qualis fuit Moses, Samuel, & alij, quos prisca ætas videntes, vulgus autem Iudæorum prophetas priores vocare solet. Alterum genus fuit eorum, qui cum oracula visiones aut somnia fatidica pro suo arbitrio nunquam elicere possent, tamen quoties Deo visum esset per eos populum docere, aut admonere, aut obiurgare, diuinitus inspirati prophetabant, atque hos Iudæi vulgo posteriores vocant eo, quòd maxima pars eorum ferè post Salomonem sub idololatris regibus fuerit, vt Esaias. Hieremias, Ezechiel, & duodecim, quos vocant minores, cum melius illud genus circa Dauidis tempora ferè desierit. Tertium genus est eorum, qui quamuis oracula, visiones, & somnia fatidica à Deo nunquam obtineant, tamen à superioris generis prophetis, tanquam à præceptoribus eruditi, & sancti spiritus interna vnctione edocti, literas propheticas rectè intelligunt, easq; alijs enarrare, & ex eisdem, petentibus recta consilia dare, et quæ reclaratione ex eorundem dictis necessario consequuntur, perspicere valent. Hos prisca ætas filios prophetarum, Paulus autem Corinthijs scribens simpliciter prophetas appellat. Et priora quidem duo genera quicquid eis ad erudiendum posteritatem de futuro Christi regno diuinitus reuelatum fuit, literis mandatum posteris reliquerunt, posterius autem genus, vt in docendo plurimum versatum est, ita à scribendo ferè semper abstinuit, præsertim in veteri testamento. Quare cum Matthæus præter morem id, de quo agimus, non ab aliquo propheta scriptum, sed à multis prophetis tantum dictum esse commemoret, verisimillimum est, eum de hoc vltimo prophetarum genere sensisse, qui hoc colligebant ex locis prophetarum, vt, cum legerent. Christum ab Esaia vocatum florem, conijciebant, Nazareth eum florem, à quo denominata est, aliquando inter ciues suos habitaram, quamuis expresse non inuenirent, eum Nazareum vocandum. Neque mirum est, eos, qui respondurunt Nicodemo, quòd à Galilea propheta non surrexerit, ista non obseruasse, aut forsitan contempsisse cū & agerentur inuidia, & auaritiæ atque ambitioni potius, quàm scripturæ studio operam darent*

CAPVT III.

IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiam agite: [a] appropinquauit enim regnum cœlorum. Hic est enim de quo dictum est per Esaiam prophetam dicentem: Vox clamātis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos: esca autem eius erat [b] locustæ & mel syluestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem: & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. Videns autem multos pharisæorum & sadducæorum venientes ad baptismum suum, dixit eis. [c] Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo [d] fructum dignum pœnitentiæ. Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quòd potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. [e] Iam verò & securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare, ipse vos baptizabit [f] in spiritu sancto & igni. Cuius ventilabrum in manu ipsius, & permundabit aream suam: & congregabit triticum suum in horreum: paleas autem comburet igni inextinguibili. Tunc venit IESVS à Galilęa ad Iordanem ad Ioannē: vt baptizaretur ab eo. Ioannes autem prohibebat eum dicens: [g] Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad mē? Respondens autem IESVS, dixit ei, Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. Baptizatus autē IESVS, confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cœli: & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super ipsum. Et ecce vox de cœlis dicēs. Hic est filius meus dilectus in quo mihi complacui.

Mar.1.a
Luc.3.a
Esa.21.c
31.c.45.d
Zach.1.a
Esa.40.a
Ioan.1.c
Mar.1.a
Luc.3.b
Luc.3.d
Mar.1.b
Luc.3.d
2.Pet.1.d

SCHOLIA.

[a] Appropinquauit regnum cœlorum.] *Hic primum regni cœlorum mentio fit, rei hactenus mundo ignotæ. Ioannes vero primus id annunciat, earatione, qua & primus baptizauit, vt præpararet populum ad Christi prædicationem.*
[b] Locustæ.] *Non est quod miremur Ioannem baptistam locustis vsum pro cibo, cum in lege Moſis, inter mundos cibos quædam numerentur genera locustarum.* [c] Progenies viperarum.] *Sicut viperæ cum nascuntur perimunt matres suas, sic isti eos occidebant, qui parentes illis & magistri erant ad veritatis agnitionem, iccirco miratur: quis, inquiens, demonstrauit vobis fugere à futura ira? cum id raro in tam scelestis mentibus vsu veniat.* [d] Fructus dignos pœnitentiæ.] *Nam digna pœnitentia (ait magnus Basilius) firmam habet spem remissionis, & alibi. fructus digni pœnitentiæ. sunt, opposita peccato facta iustitiæ.* [e] Iam verò & securis.] *Hactenus (inquit) pertulit patientia dei infœcundas arbores, nunc autem fructus eis faciendum est, aut excidendæ. Prædicit autem hic perdendam esse Iudæam gentem præter exiguos illos, qui essent credituri.* [f] In spiritu sancto & igni.] *Vt significaret efficaciorem vim baptismi Christi futuram, quanto est efficacior spiritus, atque dignior quàm aqua.* [g] Ego debeo à te baptizari.] *Norat ergo eum: quid igitur alibi dicit, & ego nesciebam eum? respondendum est. Ioannem nouisse quidem antea Christum, vt summæ sanctitatis virum, quamobrem non se arbitrabatur idoneum, qui eum baptizaret, quem se crederet sanctiorem sed nondum reuelata fuerat ei illius maiestas, quòd in eo*

scilicet salus omnium esset expectanda. Sunt tamen, qui credant, ea ipsa hora fuisse ei reuelatum etiam ante quàm signum sibi à spiritu prædictum vidisset.

CAPVT IIII.

Mar.1.b Luc.4.a — TVnc IESVS ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta A
Deut.8.a — diebus, & quadraginta noctibus, postea esurijt. Et accedens tentator dixit ei: Si filius Dei es, dic
vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit, Scriptum est: [a] Non in solo pane viuet homo, sed
Psal.90.c — in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum
super pinnaculum templi, & dicit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum: Scriptū est enim: Angelis suis mã-
Deut.6.c — dabit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi IESVS rursum: Scri-
ptum est: [b] Non tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumit eum diabolus in montem excelsum val- B
Deut.6.c — de: & ostendit ei omnia regna mundi & gloriam eorum, & dicit ei: Hæc omnia tibi dabo, si procidens ado-
& 10.d Marc.1.c — raueris me. Tunc dicit ei IESVS: Vade Satana, scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis: & illi
Luce.4.c Ioan.4.f — soli seruies. Tunc relinquit eum diabolus: & ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei. Cum autem au-
Marc.1.c Luce.4.e — disset IESVS quòd Ioannes traditus esset, secessit in Galileam: & relicta ciuitate Nazaret, venit & habita-
Esaia.9.a — uit in ciuitate Capharnaum maritima, in finibus Zabulon, & Nephthalim, vt adimpleretur quod dictum
est per Esaiam prophetam dicẽtem: [c] Terra Zabulon & terra Nephthalim, iuxta viam maris trans Iorda- C
Marc.1.a Luce.5.a — nem, Galilæa gentium: populus qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam: & qui sedebant in regione et
vmbra mortis, lux orta est eis. Exinde cœpit IESVS prædicare, & dicere: Pœnitentiam agite: appropinqua-
uit enim regnum cœlorum. Ambulans autem IESVS iuxta mare Galilææ, vidit duos fratres, Simonem
qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) & ait illis: Ve-
nite post me, & faciam vos piscatores hominum. At illi continuo relictis retibus, secuti sunt eum. Et proce-
dens inde, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi & Ioannem fratrem eius in naui cum Zebedęo patre eo D
rum, reficientes retia sua: & vocauit eos. Illi autem statim relicta naui & patre suo, secuti sunt eum. Et circui-
bat IESVS totam Galilæam, docens in synagogis eorum, & [d] prædicans Euangelium regni: & sanans om-
nem languorem & omnem infirmitatem in populo. Et abijt fama eius in totam Syriam, & obtulerunt ei
omnes male habentes, varijs languoribus & tormentis comprehensos, & qui dæmonia habebant, & lunati-
cos, & paralyticos, & curauit eos: & secutæ sunt eum turbæ multæ de Galilæa, & Decapoli, & Ierosolymis, &
de Iudæa, & trans Iordanem.

SCHOLIA.

[a] Non in solo pane] *Significatur hic verbum Dei posse etiam corpus seruare, atque enutrire: quod & ex ethnicis philosophis quidam auſi sunt dicere: animum scilicet, qui ad pietatem & rectè facta bene assueuerit, posse etiam fragile corpus seruare. Est tamen hic Hebraismus, vt verbum pro qualibet re accipiatur. Sicut ergo populum Israelitarum, sussum exire ex Aegypto pauit Deus sine vlla eorum cura. Sic cum ego (inquit) à spiritu Dei huc ductus fuerim non debeo metuere, ne quid mihi ad victum necessarium desit. Sed obserua, ante omnia facta seruatorem experiri tentationes voluisse, vt discas, tolerantiam tentationum solidissimum bene atque honestè degendæ vitæ esse fundamentum. Illud etiam obserua: non postulasse diabolum, vt adoraretur, nisi cum regnum mundi pollicitus est. Vere enim honorum appetitio plena à Deo auersio est.* [b] Non tentabis] *Non me (inquit) in hoc pinnaculum duxit spiritus Dei, sed tu, cuius consilio non est acquiescendum, sed Dei, de quo scriptum est, angelis suis mandabit de te, vt custodiant te, nimirum de ys loquens, qui ipsi Deo, non tibi obedirent. Si ergo me hinc demitterem temere, esset tentare Deum, non Deo obedire.* [c] Terra Zabulon.] *Huius loci explanationem quære Esaiæ nono.* [d] Prædicans euangelium regni.] *Regni sit mentio, eiusque cœlestis, atque æterni: & homines puerorum adhuc more, de hac breui & exigua vitæ scena cogitant. Aptum vero huic philosophiæ nomen datum est, nempe euangelium, hoc est, nuncium bonum: quæ appellatione, vna ex omnibus hæc philosophia digna est. Quãquam Homerus, & Aristophanes, & reliqui ethnici autores appellatione euangelij, præmium pro bono nuncio intelligunt, vt illud.* εὐαγγέλιον δέ μοι ἔστω.

CAPVT V.

Luce.6.d — VIdens autem turbas, [a] ascendit in montem: & cum sedisset, accesserũt ad eum discipuli eius: & ape- A
riens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorũ.
Beati qui lugent: quoniam ipsi consolationem accipiẽt. Beati mites: quoniam ipsi possidebunt ter-
ram. Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam: quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes: quoniam ipsi
misericordiam consequentur. Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici: quo-
1.Pet.3.c — niam ipsi filij Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum
est regnum cœlorum. Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne ma- B
lum verbum aduersum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa
est in cœlis. Sic enim persecuti sunt prophetas qui fuerunt ante vos. Vos estis sal terræ. Quòd si sal eua-
Mar.9.g — nuerit: in [b] quo salietur? ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos
Luce.14.g — estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita, neque accendunt lucernam, & ponunt
Marc.4.c — eam sub modio, sed super candelabrum: & lucet omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coràm
Luce.8.c — hominibus: [c] vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est. [d] Nolite puta-
&.11.c — re quod venerim soluere legem aut prophetas, non veni soluere: sed adimplere. Amẽ quippe dico vobis, do-
Luce.16.d — nec transeat cœlum & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. [e] Qui ergo C
Iacob.2.b — soluerit vnum de mãdatis istis minimis, et docuerit sic homines: minimus vocabitur [f] in regno cœlorũ. Qui
autem fecerit & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Dico enim vobis, quod [g] nisi abunda-
uerit

uerit iustitia vestra plus quàm scribarum & pharisæorum, non [f] intrabitis in regnum cœlorum. Audistis
quod dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit: obnoxius erit iudicio. Ego autem dico vo- Exo.20.c
bis, quòd omnis [h] qui irascitur fratri suo temere, obnoxius erit iudicio, Qui autem dixerit fratri suo, rhaca: Deut.5.b
D obnoxius erit concilio. Qui autem dixerit, fatue: obnoxius erit gehẽnæ ignis. Si ergo offers munus tuum
ad altare, & ibi recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduersum te: relinque ibi munus tuum an-
te altare, & vade, prius reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offer munus tuum. Esto beneuolus aduer- Luc.12.g
sario tuo cito, [i] dum es in via cum eo: ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in
carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas nouissimum quadrantem. Audistis quod
dictum est antiquis: Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quòd omnis qui viderit mulierem ad concu- Exo.20.c
piscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Quod [k] si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum Infra.18.b
E & proijce abs te: expedit enim tibi vt pereat vnum membrorum tuorum, & non totum corpus tuum mit- Marc.9.g
tatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & proijce abs te, expedit enim ti-
bi vt pereat vnum membrorum tuorum, & non totum corpus tuum eat in gehennam. Dictum est autem: Deut.24.a
Quicunque dimiserit vxorem suam, det ei libellum repudij. Ego autem dico vobis, quod omnis qui dimi- Infra.19.b
serit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, mœchatur. Mar.10.b
Iterum audistis quod dictum est antiquis: Non periurabis: reddes autem domino iuramẽta tua. Ego autem Luc.16.d
dico vobis non iurare omnino: neque per cœlum, [l] quia thronus dei est: neque per terram, quia scabellum 1.Cor.7.b
F est pedum eius: neque per Ierosolymam, quia ciuitas est magni regis: [m] neque per caput tuũ iurabis, quia Leui.19.c
non potes vnum capillum album facere aut nigrum. Sit autem sermo vester, est, est, non, non: quod autẽ his Exod.20.b
abundãtius est, à malo est. Audistis quod dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem Deut.5.e
dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram. Iacob.5.e
Et ei, qui vult tecum in iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte & pallium: & quicunque te Exod.21.c
angariauerit miliarium vnum, vade cum illo duo. Qui autem petit a te, da ei: & volentem mutuum acci- Deut.19.d
pere à te, ne auerseris. Audistis quod dictum est: Diliges proximum tuum & odio habebis inimicũ tuum. Leui.24.d
G Ego autem dico vobis: [n] diligite inimicos vestros, benedicite maledicentibus vobis, benefacite his qui ode- Luce.6.e
runt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est: qui Leuit.19.d
solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos Luce.6.d
diligunt, quam mercedem habetis? nonne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tan-
tum, quid amplius facitis? nonne & publicani hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut pater vester cœ- Luce.6.c
lestis perfectus est.

SCHOLIA.

[a] Ascendit in montẽ.] *Daturus euangelicam legem, quia & veterem dederat Mosi in monte, nunc quoque montem subit. Tu vero attende vnde principium docendi faciat. Summa earum rerum, ad quas se referunt homines; est finis bonorum & malorum, de quo sapientes mundi tam anxie digladiati sunt, vt sectas hac de re colligat Varro. 288. esse posse: in eo enim sita est beatitudo, quam naturaliter expetunt homines. Hanc igitur filius Dei, hoc est, ipsa veritas docet vbi sit posita, nempe in humilitate primum, deinde in luctu, malorumque tolerantia, ac cæteris quæ hic describuntur. Quæ, nisi in montem ascendamus, & proxime accedamus ad Christum, non facile intelligemus. Et ne opineris, hanc beatitudinem nos in futura tantum vita assecuturos, de hoc præsenti etiam tempore dicit. Beati estis cum vos probris affecerint homines &c. Post enumeratas vero beatitudines, conuertitur ad eos instruendos, qui cæteris viæ duces essent futuri. admonens eos esse sal terræ, & quasi ciuitatem quæ conspicua sit omnibus. Quales autem principum mores sunt, eiusdem generis & subiectorum vita esse consueuit.* [b] Quo salietur.] *Hic ambiguum est, quo referatur, vel ad res condiendas, vel ad ipsum salem, vt scilicet dicatur, vel qua alia re condientur ea quæ sunt condienda, vel sal ipse quo condietur, si desipuerit? Sed apud Marcum cap.9. apertius est. nam ibi sic legitur, si sal insulsus fuerit, in quo illum condietis?* [c] Vt videant.] *Hoc est vt dum vident vestra bona opera, glorificent patrem.* [d] Nolite putare, quod venerim.] *Vide quàm sit metuenda suspitio nouitatis. Daturus celsiores leges, quæ nouæ viderentur, docet, nun eas aduersari legi eorum, sed supplere quod legi deerat, quam, tantum abest vt soluere velit, vt testetur nihil in ea, ne minimum quidem esse prætermittendum.* [e] Qui ergo soluerit.] *Dixerat, ne apicem quidem vnum prætermittendum eius legis, ad quam ipse venisset implendam, quod multo magis ab aliis præstandum est, qui si tantum docere, & non etiam facere studeant, erunt inter regni filios contemptissimi.* [f] In regno cœlorum.] *Regnum cœlorum sæpe vocatur ipsa respublica credentium in Christum, vt & illud, quis putas maior est in regno cœlorum?* [g] Nisi abundauerit.] *Si mandatorum legis obseruatio non satis est, vt quis regnum cœlorum intret, cur Dominus respondit ei qui præcepta legis enumerat: hoc fac & viues? Sed vide, Dominum hic non dicere: nisi abundauerit iustitia vestra plusquàm iustitia legis: sed plus quàm Scribarum & Phariseorum, qui neglecta ui legis, literæ tantum adhærebant. Sed litera (vt Paulus ait) occidit, nisi ad interiorem legis mentem ingrediare. Quod autem id velit Dominus, ex eo etiam apparet, quòd cum toties repetit: audistis quòd dictum est antiquis, allegat eo modo scripturam, quo Pharisei illam interpretabantur: vt illud: diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum: de quo odio tamen non est vllus euidens scripturæ locus.* [h] Qui irascitur.] *Qui irascitur, nec dum tamen iram prodit, dignus est qui in iudicium vocetur, vt qui aliquid de fraterna charitate videatur detraxisse, qui autem vultu se prodiderit, iam in hunc maior iudicium conuentus fiat oportet: si vero ipsa iam ira odium conceperit, vt contempto fratre eum appelles fatuum, decreta sententia est, Gehennæ videlicet ignis. At hæc Dei oracula quàm parum curantur? Facta ergo de ira in fratrem mentione, rectè addit. Si ergo offers &c.* [i] Dum es in via cum eo.] *Dum adhuc ipsa res agitur, metaphora est.* [k] Si oculus tuus.] *Manifestum est, per oculum & manum intelligi res charas in primis, aut necessarias, alioqui quomodo vnus oculus sine altero offendiculo esse potest? sic autem connectè: dixit adulterum iam esse, qui aspiciendo concupierit: ne ergo in hoc pecces, prohibe oculos ab aspectu, neque. Vllius sensus tam gratus sit vsus, quin paratus sis priuari illo ob regnum cœlorum: nam prohibere ab*

aspectu oculum quasi eruere est. [l] Quia thronus Dei est] *Nam vt alibi Dominus ait, qui iurat per cœlum, iurat per thronum Dei, & per eum qui sedet super illum.* [m] Neque per caput tuum.] *Vetat etiam per quamlibet rem creatam iurare, cum in ea quoque & maiestas & potestas Dei luceat, vt demum ipsa iuratio ad Deum referatur, cuius & à quo ita sint omnia, vt nemo vel capilli vnius colorem mutare poßit. Quod si dicat quis, non se intelligere Deum in illa per creaturam iuratione, nihilo tamen minus peccat, dum diuinam quandam dignitatem rei creatæ iurando tribuit, omnes enim per maiorem se iurant. Quidam tamen, illud, non potes vnum capillum &c. Sic interpretantur, vt in capite, quod tuum esse putas, non potes colorem capilli immutare, magis timendum est, ne iurando, nos id facturos affirmemus, quod minus in potestate nostra situm est, quàm quod nostrum videtur.* [n] Diligite inimicos vestros.] *Hoc loco deberemus Christiani id præstare, quod cuiusque sectæ homines faciunt, vt Platonici ea maxime tuentur, quæ peculiariter Platonis sunt dogmata. At hic locus Christianæ philosophiæ proprius est. Vbi enim obsecro. & apud quos alios homines inuenitur, vt quis conuitijs affectus bene precetur, maledictis laceßitus oret, si spolietur vna veste, alteram spolianti addat, persecutionem passus decedat? Quæ igitur proprie nostra sunt, in hæc accuratius incumbamus. At cur hæc præcipit seruator? vt sitis, inquit, filij patris vestri, qui in cœlis est. Ad diuinam nos celsitudinem inuitat euangelica doctrina: quibus turpißimum est non esse aliquanto meliores ethnicis, & ijs, qui sine Deo erant, iccirco ait, si enim dilexeritis eos tantum, qui vos diligunt, &c.*

CAPVT VI.

A [a] Ttendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis, alioquin mercedem A
non habebitis apud patrē vestrum qui in cœlis est. Cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere
ante te, sicut hypocritę faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificētur ab hominibus: amen dico vo
bis, recipiunt mercedem suam. Te autem faciēte eleemosynam, [b] nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.
vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, ipse reddet tibi in manifesto. Et cū
oras non eris sicut hipocritæ, qui amant in synagogis & [c] in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab
hominibus: amen dico vobis, recipiūt mercedem suam. Tu autem cum oraueris, intra in cubiculum tuum,
& clauso ostio ora patrem tuum qui est in abscondito: & pater tuus qui videt in abscōdito, reddet tibi in ma-
nifesto. Orantes autem nolite multum loqui, sicut Ethnici: putant enim quòd in multiloquio suo exaudian-
Luce.11.a tur. Nolite ergo asimilari eis: scit enim pater vester quid opus sit vobis, antequam petatis eum. Sic ergo vos B
orabitis: Pater noster qui es in cœlis, sanctificetur nomen tuum. Adueniat regnum tuum. Fiat volūtas tua,
sicut in cœlo, & in terra: [d] Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Et dimitte nobis debita nostra,
sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationē. Sed libera nos à malo. Quia
Marc.11.e tuum est regnum, & potentia & gloria in secula AMEN. Si enim dimiseritis hominibus delicta eorum: di-
Eccle.28.a mittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra. Si autem non dimiseritis hominibus delicta sua: nec pa-
ter vester dimittet vobis delicta vestra. Cum autem ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes. Extenuant
enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quòd recipiunt mercedem suam.
Tu autem cum ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua: ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo
Luce.12.d qui est in abscondito: & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi in manifesto. Nolite thesaurizare C
vobis thesauros in terra, [e] vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt: & furantur. Thesaurizate
autem vobis thesauros in cœlo: vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec
Luce.11.c furantur. Vbi enim est thesaurus vester: ibi erit & cor vestrum. Lucerna corporis, est oculus. Si ergo ocu-
Luce.11.c lus tuus fuerit simplex: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam: totum cor-
Luce.16.c pus tuum tenebrosum erit. Si ergo lumen quod in te est, tenebræ sunt: ipsæ tenebræ quantæ erunt? Ne-
mo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit,
Luce.12.e & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis ani-
1.Pet.5.b mæ vestræ quid manducetis, & bibatis, neque corpori vestro quid induamini. Nonne anima pluris est
Psal.54.d quam esca: & corpus pluris quam vestimentum? Aspicite volatilia cœli, quod non serunt, neque me- D
tunt, neque congregant in horrea: & [f] pater vester cœlestis pascit illa, nónne vos multo pluris estis illis?
Quis autem vestrum solicite cogitans, potest adijcere ad staturam suam cubitum vnum? Et dè vestimento
quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis
quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Quòd si fœnum agri quod hodie
est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: an non multo magis vos modicæ fidei? Nolite ergo soli-
citi esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? [g] hæc enim omnia gentes
inquirunt. [h] Scit enim pater vester cœlestis quod his omnibus indigetis. [i] Quærite autem primum regnum
Dei, & iustitiam eius: & hęc omnia adijcientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum: crastinus enim
dies solicitus erit sibiipsi, sufficit diei malitia sua.

SCHOLIA.

[a] Attendite ne iustitiā vestrā.] *Addita legi sua perfectione, admonet plurimum referre quo quis animo quid faciat. Bonum enim (ait theologus Nazanzenus) non est bonum nisi bene fiat. In eleemosynis ergo faciendis, & in precationibus, & quibusuis recte factis ad vnum spectandum est, ad cœlestem scilicet patrem. Hic autem tria præcipue tanguntur, tribus illis quæ in mundo sunt, opposita. nam concupiscentiæ carnis ieiunio, concupiscentie oculorum, quæ est auaritia, eleemosyna, & fastui vitæ, humili ac pia oratione medemur. Vel, oratione, quod in deum commissum est, eleemosyna, quod in proximum ieiunio, quod in seipsum peccatum est quodam modo expiatur. Quòd verò ait. attendite ne iustitiam vestram faciatis. Græci codices, quæ vulgo habentur, legunt eleemosynam in quibusdam tamen manu scriptis est, δικαιοσύνην, hoc est, iustitiam, & est Hebraismus, vt iustitia ponatur pro eleemosyna, vt est illud, dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi.* [b] Nesciat sinistra.] *Non tam hic per sinistram & dextram cogitandum est prauum & rectum quàm*

vt curemus

vt curemus latere etiam eos quos maximè familiares habemus. [c] In angulis platearum.] *Vbi ex pluribus vijs cerni possent ab hominibus.* [d] Panem nostrum quotidianum.] ἐπιούσιον. *substantialem, vt sit* ἐπιούσιος, *quasi* τῇ ἑκάστη οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων. *hoc est vniuscuiusque nostrum substantiæ congruens: vel, vt ait magnus Basilius* ἐν τοῖς ἀσκητικοῖς, *ad quotidianum victum substantiæ nostræ necessarius: atque hoc idem intellexit qui vertit, quotidianum, nimirum vtens verbo quod magis tritum esset, quàm substantialem. At substantiæ nostræ tunc datur panis congruens, cum quotidie necessaria vitæ subministrantur, quæ appellatione panis, Hebræorum more, comprehenduntur. Et vide quàm pulchrè diuina hac oratione admonet, quod in omni vita est faciendum, vt primum diuinus honor, & eius gloria rebus omnibus anteponatur, deinde optemus ante cogitationem corporeæ cuiusquam neceßitatis, & regnum Christi per orbem omnium terrarum propagari, & vitam dari nobis cœlesti reipublicæ similem, post cum corpore constemus, atque anima, quæramus quidem corpori necessaria, sed ita, vt necessaria non superflua, idq́ Dei beneficentiæ referamus acceptum: præterea cum vix fiat, vt sine proximorum offensione viuatur, obserua, vt nos neceßitatis quadam lege constringat, vt proximo cuiq́ ignoscamus, quicquid in nos peccauerit, si velimus, multo maiora nobis à Deo remitti debita.* [e] Vbi ærugo & tinea.] *Non inuideo, inquit, vestris ego thesauris, sed doceo vbi tuto recondatis, vt quæ tam perdite amatis, ea vobiscum esse perpetuo poßint. Id etiam aliam ob causam fit, ne minimarum harum rerum cura, à grauioribus vtilioribusq́ cogitationibus nos auocet: iccirco ait: vbi enim est thesaurus tuus, ibi erit & cor tuum. Ad hunc sensum pertinet quod ait: Lucerna corporis est oculus, præcipuam in homine partem oculum appellans, Si enim mens in inferioribus his occupata, lumen amittat, quo monstrare viam etiam inferiori debuerat parti, quantæ huius inferioris partis, quæ per se tenebricosa est, erunt postea tenebræ? atq́ hinc fit, vt multa & grauia peccent homines, quæ ne peccata quidem esse intelligunt. Alio quoque exemplo eius, qui duobus seruiat, idem docet, non esse scilicet trahendum in diuersa animum. Illa autem verba, aut vnum odio habebit, &c. sic intellige: Si diligit Deum, necessario odit mammona, sin adhæret mammonæ (nam proprie amare rem, quæ tantas præbeat molestias, dici non debet) contemnit Deum, quem odisse nemo iure dici potest. Videtur tamen, duo hic obseruare, & affectum & obsequium ac seruitutem. De affectu prius loquitur, cum ait. Aut vnum odio habebit, & alterum diliget. De officio vero & obsequio. Præstando addit. Aut vni adhærebit, & alterum contemnet.* [f] Pater vester cœlestis pascit ea.] *Cernis, vt Euangelica lex nullo negotio Philosophorum commenta demoliatur? qui metuebant, opinor, ne diuina prouidentia violaretur, si ad hæc se inferiora demitteret: iccirco videtur Theologus appellasse Aristotelis parcam prouidentiam. At pater cœlestis dat escam etiam pullis coruorum illum inuocantibus, quo tempore, vt ferunt, ab ipsis eorum parentibus deseruntur.* [g] Hæc enim omnia gentes inquirunt.] *Audiant qui nil aliud ferè vnquam curant, quàm hæc terrena. Seruator ait eorum esse qui Deum ignorent, de victu & cultu esse solicitos.* [h] Scit enim pater vester.] *Cur ergo non ante dat quàm petamus? id vtilitatis nostræ gratia facit, vt per orationem & illi efficiamur propinquiores, & ab eo nos omnia habere agnoscamus.* [i] Quærite primum regnum Dei.] *neque adiecit, deinde ista, sed, hæc omnia adijcientur vobis: additamenta ista sunt, quæ post data multo maxima, deesse nunquam poßunt. Quid ergo exercemus opera? respondet magnus Basilius, exercendum esse quidem laborem non ob metum, ne quid desit, sed ob præceptum Dei, cui obtemperandum est.* [k] Nolite ergo solliciti esse in crastinum.] *Cras apud Hebræos non tantum sequentem mox diem significat, sed posterum quod vis tempus. Vt illud. Respondebit mihi cras iustitia mea. Reprehendit ergo superfluam illam & infinitam prouidendi curam, sufficere enim eam rerum sollicitudinem, quæ nunc vrget, cætera (inquit) suo tempore curabuntur, ideo adiecit, crastinus enim dies sollicitus erit sibi ipsi.*

CAPVT VII.

A N [a] Olite iudicare vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua men- Iudi.6.f
sura mēsi fueritis, remetietur vobis. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui & trabem in ocu- Rom.2.a
lo tuo non vides? Aut quomodo dices fratri tuo: Sine eijciam festucam de oculo tuo, & ecce trabs est Marc.4.c
in oculo tuo? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc videbis eijcere festucam de oculo fratris Luc.6.f
tui. Nolite dare sanctum canibus: neque mittatis margaritas vestras ante porcos, nequando conculcent eas
pedibus suis, & conuersi dirumpant vos. [b] Petite & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulsate & aperie-
tur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Aut quis est ex vobis Infra.21.c Marc.11.c
B homo, quem si petierit filius suus panem, nunquid lapidem porriget ei? Aut si piscem petierit: nunquid ser- Luce.11.b
pentem porriget ei? Si ergo vos cum sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quanto magis pater vester Ioan.14.b
qui in cœlis est, dabit bona petentibus se? Omnia ergo quęcunque vultis vt faciant vobis homines: ita & vos &.16.e:f
facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ. Intrate per angustam portam: quia lata porta, & spaciosa via est, Iacob.1.a Luce.6.e
quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam. Quoniam angusta porta & [c] arcta via est, Thobi.4.c
quæ ducit ad vitam: & pauci sunt qui inueniunt eam. Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in Luce.13.c
vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid col-
C ligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, ma- Luc.6.f.g
los fructus facit. [d] Non potest arbor bona, malos fructus facere: neque arbor mala, bonos fructus facere.
Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur. Igitur ex fructibus eorum co-
gnoscetis eos. Non omnis qui dicit mihi: Domine domine, intrabit in regnum cœlorū: sed qui facit volun-
tatē patris mei qui in cœlis est. Multi dicent mihi in illa die: Domine dmoine, nónne in nomine tuo prophe
tauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confite- Luce.13.e.f
bor illis: Nunquam noui vos, Discedite a me, qui operamini iniquitatem. Omnis ergo qui audit verba mea Psalm.6.c Infra.25.d
D hæc, [e] & facit ea, assimilabo eū viro sapiēnti qui ædificauit domū suā super petrā, & descendit pluuia & vene- Luce.13.f
runt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & nō cecidit, fundata enim erat super petrā. Luce.6.g
Et omnis qui audit verba mea hæc, & non facit ea: similis erit viro stulto, qui ædificauit domum suam super Roma.2.b
arenam: & descendit pluuia, & venerūt flumina, & flauerunt venti, et irruerunt in domum illam, & cecidit, Iacob.2.d
& fuit ruina illius magna. Et factum est: cū consummasset IESVS verba hæc, admirabantur turbæ super Marc.1.c
doctrina eius, Erat enim docens eos sicut autoritatem habens, & non sicut scribæ. Luce.4.c

SCHOLIA.

[a] Nolite iudicare.] *Docet quo pacto quis se erga proximum gerat, ne quis temere suo iudicio damnet alterum. Quòd ferè ob eam causam accidit, quòd pauci in se descendere curant, & inquirere in se se, vt sæpe homines neglectis grauissimis suis crimnibus, exigua aliorum vitia taxent. Hoc autem vitium latissime patet, et maxima, ne progrediamur ad perfectiorem vitam, affert impedimenta. Prudenti tamen iudicio vtendum est, cum tractantur res diuinæ. Vnde subdit, non dadum sanctum canibus, vt infidelibus, neque margaritas proiiciendas porcis, impuris scilicet hominibus.* [b] Petite & dabitur vobis.] *Dat fiduciam ingentem postulandi, tantum vt bona petamus, quemadmodum ait, pater vester cœlestis dabit bona petentibus se. At nos frequenter ea petimus, quæ nobis sint futura perniciosissima, si præstentur. Atque etiam in hoc indicat summam Deus in nos misericordiam, qui vt pius pater, deneget stulte petentibus filijs, quæ norit illis futura detrimento.*

[c] Arcta est via.] *Cum propheta dicat: Viæ eius viæ pulchræ, & ad pulchritudinem rerum pertineat, vt latæ sint, quemadmodum Homerus appellat interdum vrbes quas laudat, εὐρυάγυιαϛ, hoc est latiuias, vt sic dicã: cur hic dicit viam, quæ ducit ad vitam, esse arctam? Iustam quidem habet viæ Domini suam latitudinem, eamq; longe pulchriorem illis huius seculi, sed ita eas appellat, quia illam infinitatem, quam sensus expetunt, amputat Deus in vijs suis, quæ ijs, qui nondum illas ingressi sunt arctæ videntur, at iam ingressis non ita.* [d] Non potest arbor bona fructus malos facere.] *Nempe quamdiu bona est: sic mala quandiu mala, non potest bonos fructus ferre. Atque ita non est necesse naturarum diuersitatem introducere. Singulare autem iudicium agnoscendæ falsos à veris doctoribus, sunt eorum facta, nam à bonis bona proficiscantur necesse est, à malis contra.* [e] Et facit ea.] *Nimirum in recte factis fundatur omnis structura Christiani ædificij.*

CAPVT VIII.

Marc.1.d Luce.5.c

CVm autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ: & ecce leprosus veniens adorabat A eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens IESVS manum, tetigit eum, dicens, [a] Volo. Mundare. Et confestim mundata est lepra eius. Et ait illi IESVS: Vide nemini dixeris: sed vade ostende te sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses in testimonium illis. Cum autem introisset

Leuit.14.a Luce.7.a

IESVS Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur: & ait illi IESVS: Ego veniam & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbũ, & sanabitur puer meus. [b] Nã & ego homo sum sub potestate, habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit: & alteri veni, & venit: & ser- B uo meo, fac hoc, & facit. Audiens autem hæc IESVS, miratus est: & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, ne in Israel quidem tantam fidem inueni. Dico autem vobis, quòd multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit IESVS Centurioni, vade: & sicut credidisti, fiat tibi. Et sa-

Marc.1.c Luce.4.f Mar.1.d Luc.4.g Esa.53.b 1.Pet.2.d Luce.9.g

natus est puer ex illa hora. Et cum venisset IESVS in domum Petri, vidit socrum eius iacẽtem & febricitantem: & tetigit manum eius, & dimisit eam febris, & surrexit & ministrabat eis. Vespere autem facto, obtu- lerunt ei multos dæmonia habentes: & ejiciebat spiritus verbo, & omnes male habentes curauit, vt adimple- C retur quod dictum est per Esaiam prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit: & egrotationes nostras portauit. Vidẽs autem IESVS turbas multas circum se, iussit discipulos ire trans fretum. Et accedens vnus scriba ait illi: Magister sequar te quocunq; ieris. Et dicit ei IESVS? [c] Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput reclinet. Alius autem de discipulis eius, ait illi: Do-

Mar.4.d Luc.8.d

mine, permitte me primum ire [d] & sepelire patrem meum. IESVS autem ait illi, Sequere me, & dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Et ascendente eo in nauim, secuti sunt eum discipuli eius: & ecce motus magnus factus est in mari, ita vt nauis operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat. Et accesserunt ad eum discipuli D eius: & suscitauerunt eum dicentes: Domine, salua nos, perimus. Et dicit eis IESVS, Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens, increpauit ventos, & mare, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati

Mar.5.a Luc.8.d

sunt dicentes: Qualis est hic, quia & venti & mare obediunt ei. Et cum venisset trans fretum in regionem Gergesenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia, de monumentis exeuntes, sæui nimis, ita vt nemo posset transire per viam illam. Et ecce clamauerunt, dicentes: Quid nobis & tibi IESV fili Dei? [e] Venisti huc ante tempus torquere nos? Erat autem longe ab illis grex multorum porcorum pascens. Dæmones autem rogabant eum dicentes: Si eijcis nos, permitte nos abire in gregem porcorum. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos: & ecce, magno impetu abijt totus grex per præceps in mare: & mortui sunt in aquis. Pastores autem fugerunt. & venientes in ciuitatem, nunciauerunt omnia, & quæ acciderant dæmoniacis. Et ecce, tota ciuitas exijt obuiam IESV. Et viso eo, [f] rogabant vt transiret à finibus eorum.

SCHOLIA.

[a] Volo mundare.] *Solet interdum seruator vti ijsdem verbis, quibus rogatur, apposite ad fidem postulantis. Dixerat leprosus: si vis, potes me mundare: ille par pari: volo, mundus esto. At ei, qui dixerat, si quid potes, adiuua nos: ille, si potes, inquit, credere.* [b] Nam & ego.] *Argumentum est à minori, ad maius. Et fortasse aptius fuisset ob hanc causam, si illud καὶ γὰρ ἐγώ, verteretur, etenim ego: vt sit sensus, impera tu verbo tuo, & salus pueri consequetur: etenim ego, qui quamuis sub aliena sim potestate, tamen habeo, quibus imperem, tu tantus qui naturæ domineris, quid non solo imperio possis?* [c] Vulpes foueas habent.] *Subindicat oportere eum, qui sequi velit Christum, nulla humanarum rerum ope niti, cum ipse Dominus ne id quidem habuerit quod non deest volucribus & vulpibus, nempe domunculas & latibula, in quæ se recipiant.*

[d] Et sepelire patrem meum.] *Per sepulturam intellige, curam omnem patris vsque ad eius mortem.* [e] Venisti huc ante tempus.] *Vel, vt impudentes conquesti sunt, vel metuentes, ne intentatum illis iudicij diẽ, in ignem tũc mitterentur. Quod autem petierint introire in porcos, aliqua quidem Psellus de Dæmonibus scribit, quæ videretur hic facere, sed præterquam quòd curiosum est, & superfluum, periculosum etiam est, talia perquirere. Satis est in hac re discere, et perueršam Dæmonum naturam, & multo minus eos in nos quicquam posse, si, ne porcos quidem, sine Domini voluntate lædere potuerunt.*

[f] Rogabant,

[f] Rogabãt, vt trãsiret à finibus eorũ.] *Idem ipsum illi faciũt, quibus quoties in quotidiana consuetudine instituitur de Christo sermo, nihil longius videtur, quàm dum ab ea collocutione ad suas ineptias & humiles fabulationes reuertantur.*

CAPVT IX.

A ET ascẽdẽs in nauim, trãsfretauit: & [a] venit in ciuitatẽ suã. Et ecce offerebãt ei paralyticũ iacẽtẽ in lecto. Et vidẽs IESVS fidẽ illorũ, dixit paralytico: Cõfide fili, remittũtur tibi peccata. Et ecce quidã de scribis dixerũt intra se: Hic Blasphemat. Et cũ vidisset IESVS cogitationes eorũ, dixit: Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius, dicere, dimittũtur tibi peccata: an dicere, Surge & ambula? Vt aũt sciatis q; filius hominis habet potestatẽ in terra dimittẽdi peccata: (tũc ait paralytico) Surge, tolle lectũ tuũ, & vade in domũ tuã: Et surrexit: & abijt in domum suã. Videntes autem turbæ, admiratę sunt, & glorificauerunt

Mar.2.a Luc.5.d

Mar.2.b Luc.5.f

deum, qui dedit potestatem talem hominibus. Et cum trãsiret inde IESVS, vidit hominem sedẽtem in telonio, Matthæum nomine, Et ait illi: Sequere me. Et surgens, secutus est eum. Et factum est, discumbente eo B in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, discumbebant cum IESV & discipulis eius. Et vidẽtes Pharisæi, dicebant discipulis eius: [b] Quare cum publicanis & peccatoribus manducat magister vester? At IESVS audiens, ait: Non est opus valentibus medico, sed male habentibus: euntes autem, discite quid est, Mi-

Osee.6.c 1.Tim.1.c Mar.2.c Luc.5.f.g

sericordiam volo, & non sacrificium. Non enim veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Tunc accedunt ad eum discipuli Ioannis, dicentes: Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter: discipuli autẽ tui non ieiunãt? Et ait illis IESVS, [c] Nunquid possunt filij sponsi lugere quandiu cũ illis est sponsus? Venient autem dies, cum auferetur ab eis sponsus: & tunc ieiunabunt. [d] Nemo autem immittit commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim supplementum eius à vestimento: & peior scissura fit. Neq; mittunt C vinum nouum in vtres veteres: alioquin rumpuntur vtres, & vinum effunditur, & vtres pereunt. Sed vinum

Marc.5.b Luc.8.f

nouum in vtres nouos mittunt: & ambo cõseruãtur. Hæc illo loquente ad eos: ecce princeps vnus accessit, & adorabat eũm dicens: Domine, filia mea modo defuncta est: sed veni, impone manum tuam super eam, & viuet. Et surgens IESVS, sequebatur eum, & discipuli eius. Et ecce mulier: quæ sanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, accessit retro, & tetigit fimbriam vestimenti eius. Dicebat enim intra se: Si tetigero tantum vestimentum eius: salua ero. At IESVS conuersus & videns eam, dixit: Cõfide filia, fides tua te saluam fecit. Et salua facta est mulier ex illa hora. Et cum venisset IESVS in domũ principis, [e] & vidisset tibicines & tur-

D bam tumultuantem, dicit illis: Recedite: non est enim mortua puella, sed dormit. Et deridebãt eum. Et cum

Infra.12.b Marc.3.c Luc.11.b

eiecta esset turba, intrauit, & tenuit manum eius. Et surrexit puella. Et exijt fama hæc in vniuersam terram illam. Et transeunte inde IESV, secuti sunt eum duo cæci clamantes & dicentes: Miserere nostri fili Dauid. Cum autem venisset domum, accesserunt ad eum cæci: Et dicit eis IESVS: Creditis quod hoc possum facere vobis? Dicunt ei: Vtiq; domine. Tunc tetigit oculos eorum, dicens: Secundum fidem vestram fiat vobis. Et aperti sunt oculi eorum: & comminatus est illis IESVS, dicens: Videte ne quis sciat. Illi autẽ exeuntes diffamauerunt eum in tota terra illa. Egressis autem illis, ecce obtulerunt ei hominem mutum, dæmoniũ habentem. Et eiecto dæmonio, locutus est mutus: & miratæ sunt turbæ, dicentes: nunquam apparuit sic in Israel.

Marc.6.e Luce.10.a

Pharisæi autem dicebãt: In principe dæmoniorum eijcit dæmones. Et circumibat IESVS omnes ciuitates, & castella, docens in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curãs omnem languorem & oẽm infirmitatem in populo. Videns autem turbas, misertus est eis: quia erant defatigati, & dispersi sicut oues non habentes pastorem. Tunc dicit discipulis suis: Messis quidem multa: operarij autẽ pauci. Rogate ergo dominum messis, vt emittat operarios in messem suam.

SCHOLIA.

[a] Venit in ciuitatem suam.] *De qua scilicet capite quarto dixit, nempe relicta Nazareth ipsum habitasse Capernaũ.*

[b] Quare cum publicanis.] *Vide quid, vel superbia, vel inuidia, vel vtrunque simul, mali faciat, vt in re, plena pietatis offendatur: eadem vsu in tota hominum vita veniunt.* [c] Nunquid possunt filij sponsi.] *Pulchrè meminit sponsi, dum alloquitur discipulos Ioannis, cum ipse Ioannes appellauerit eum sponsum eum dixit, Qui habet sponsam sponsus est, & adiecit amicus autem sponsi, qui stat & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi, tantum abest, vt lugere debeat.* [d] Nemo autem immittit commissuram.] *Veteres, inquit, mores vestri, non sunt apti nouæ huic prædicationi: alioqui non solum nihil proficerent, sed fierent deteriores, qui cum hac vetustate instituerentur.* [e] Et vidissent tibicines.] *Ferunt sono tibiarum defunctas virgines consuesse defleri.*

CAPVT X.

A ET [a] conuocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem in spiritus immundos, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem. Duodecim autem apostolorum nomina

Mar.3.b Luc.6.b.c

sunt hæc: Primus, Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Philippus, & Bartholomæus, Thomas, & Matthæus publicanus, & Iacobus Alphei, & Lebbæus, cognomento Thaddæus, Simon Cananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. [b] Hos duodecim misit IE-

Mar.6.a.b Luce.9.a &.10.a

SVS: quibus præcepit, dicens: In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis: sed potius ite ad oues, quæ perierunt domus Israel. Euntes autem prædicate, dicentes: Appropinquauit regnũ cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eijcite: gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: non peram in via, neq; duas

Luce.10.b 1.Tim.1.a

B tunicas, neque calceamenta, neq; virgam: dignus enim est operarius cibo suo. In quamcunque autem ciuitatem, aut castellum intraueritis, interrogate quis in ea dignus sit: & ibi manete, donec exeatis. Intrantes autem in domum, salutate eam. Et si quidem fuerit domus digna, veniat pax vestra super eam: si autem non fuerit digna: pax vestra reuertatur ad vos. Et quicunque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes de domo vel ciuitate illa: [c] excutite puluerem de pedibus vestris. Amen dico vobis: tolerabilius

Acto.13.g

erit

Luce.10.a erit terræ Sodomorum,& Gomorrheorum in die iudicij,quam illi ciuitati. Ecce ego mitto vos,ſicut oues in medio luporum. [d] Eſtote ergo prudentes,ſicut ſerpentes,& ſimplices,ſicut columbæ.Cauete autem ab illis hominibus. Tradent enim vos in concilia,& in ſynagogis ſuis flagellabunt vos:& ad præſides & reges ducemini propter me,in teſtimonium illis & gentibus. Cum autem tradent vos,nolite cogitare quomodo, aut quid loquamini:dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini:non enim vos eſtis,qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Tradet autem frater fratrem in mortem,& pater filium: & inſurgent filij in parentes,& morte eos afficient:& eritis odio omnibus propter nomen meum: qui autem perſeuerauerit vſque in finem,hic ſaluus erit. Cum autem perſequentur vos in ciuitate iſta:fugite in aliam: amẽ C
Luce.6.f dico vobis,non conſummabitis ciuitates Iſrael, [e] donec veniat filius hominis.Non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum,nec ſeruus ſuper dominum ſuum:ſufficit diſcipulo,vt ſit ſicut magiſter eius:& ſeruo, ſicut dominus
Ioan.13.b &.15.c eius. Si patrem familias Beelzebub vocauerunt: quanto magis domeſticos eius? Ne ergo timueritis eos,
Mar.4.c [e] Nihil enim eſt opertum,quod non reueletur: & occultum, quod non ſciatur. Quod dico vobis in tene-
Luce.8.c bris, dicite in lumine,& quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta. Et nolite timere eos, qui occidunt cor-
&.12.a pus, animam autem non poſſunt occidere, ſed potius timete eum, qui poteſt & animam & corpus perdere in gehennam. Nõne duo paſſerculi minuto aſſe væneunt: & vnus ex illis non cadet ſuper terram ſine patre veſtro? Veſtri autem [g] & capilli capitis omnes numerati ſunt.Nolite ergo timere:multis paſſerculis melio- D
Mar.3.d res eſtis vos. Omnis ergo,qui confitebitur me coram hominibus:confitebor & ego eum coram patre meo,
Luce.9.c qui in cœlis eſt. Qui autem negauerit me coram hominibus: negabo & ego eum coram patre meo, qui
&.12.b. in cœlis eſt. Nolite arbitrari quod pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere: ſed gla-
Luce.12.f dium: veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum,& filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum ad-
Mich.7.b uerſus ſocrum ſuam: & inimici hominis, domeſtici eius. Qui amat patrem, aut matrem plus quàm me,
Luce.14.f. non eſt me dignus: & qui amat filium, aut filiam ſuper me,non eſt me dignus. Et qui non accipit crucem
Infra.16.d ſuam,& ſequitur me: non eſt me dignus. Qui inuenerit animam ſuam: perdet illam:& qui perdiderit ani-
Luc.9.c.14 f.&.17.g mam ſuam propter me: inueniet eam. Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit: recipit eum qui me
Ioan.12.d miſit. Qui recipit propheram in [h] nomine prophetæ,mercedem propheтę accipiet:& qui recipit iuſtum in
Luce.10.c nomine iuſti,mercedem iuſti accipiet. Et quicunq; potum dederit vni ex puſillis iſtis calicem aquæ frigidæ
Ioan.13.c tantum in nomine diſcipuli:amen dico vobis,non perdet mercedem ſuam.
Marc.9.f

SCHOLIA.

[a] Et conuocatis duodecim diſcipulis.] *Dixerat rogandum dominum meſſis,vt extruderet operarios in meſſem,& non expectatis eorum precibus,præparat ipſos operarios: nam non ideo rogari Deus vult,quod minorem is, quam nos ipſi, noſtri curam gerat,ſed id præcipitur,vt aptiores ſimus agnoſcendæ diuinæ erga nos beneficentiæ:nam oratio (ait Dionyſius) eſt tanquam catena quædam aurea,quæ è cœlo vſque ad terram demittatur,quam ſi quis apprehendat, vt per eam aſcendat, is videtur quidem catenam ad ſe trahere, ſed illa potius eum ad cœlum vehit.* [b] Hos duodecim.] *Tanquam verus Iſrael,hoc eſt,potens cum Deo,nempe æqualis patri,duodecim eligit filios quibus nunc præcipit, ne in gentium viam abeant: ne occaſionem odij præberet ſuæ genti,quæ,quatum hoc abominaretur declarant acta apoſtolorum, in quibus cum Paulus ipſis Hebræis,Hebræa lingua loqueretur,tandiu auditus eſt,quandiu loqui voluit:at vbi ad eum locum venit,vbi ait Dominus: Vade,quoniam in nationes longe mittam te, extulerit(ait Lucas)vocem ſuam,dicentes:Tolle de terra huiuſmodi hominem: non enim fas eſt eum viuere: perinde quaſi blaſphemum quid eſſet locutus,perinde ſunt vociferati. Quidẽ ipſi qui iam crediderant,cum cernerent etiam in gentes hanc effundi gratiam: mirabantur tanquam de re, quæ credi vix vnquam potuiſſet. Inſtruit autem hoc capite in apoſtolis,omnes euangely prædicatores.* [c] Excutite puluerem.] *Nempe in teſtimonium illis, vt eſt apud Marcum, vt indicarent, ſe labores ſuſcepiſſe pro eorum ſalute,quos ſi reijcerent,eſſent inexcuſabiles.* [d] Eſtote ergo prudentes ſicut ſerpentes.] *Prudens(ait Baſilius* ἐν τοῖς ἀσωμάτοις,*) vt ſerpens, eſt, qui cum circunſpectione, & conſideratione quid fieri poſſit,& quo pacto,ad perſuaſionem audientium doctrinam ſuam diſponit. Simplex autem ſicut columba,qui ne animo quidem,& cogitatione admittit vlciſci eum,qui ſibi inſidietur: ſed perſtat in beneficentia iuxta apoſtoli præceptum.Vos inquit,ne defatigemini dum benefacitis. Nam ad prædicationem diſcipulos mittens Dominus, hæc eis mandat,vbi & prudentia opus erat ad perſuadendum, & aduerſus inſidiatores tolerantia, vt ſicut illic ſerpens nouit, & vultu accommodo accedere,& appoſite ad perſuaſionem loqui,vt auocaret homines à Deo, & ſub peccatum duceret: ſic & nos,& perſonam,& locum,& tempus eligamus,& omnibus modis ſermones diſponamus cum iudicio,vt abducamus a peccato homines,& reducamus ad Deum:tolerantiam verò in tentationibus in finem vſq; ſeruemus,quemadmodum ſcriptum eſt,Hæc ille.* [e] Donec veniat filius hominis.] *Latenter indicat tempus crucis, quod primi aduentus eius ſumma fuit.* [f] Nihil enim eſt opertum.] *Veſtra, inquit, tandem ſyncera & veritas prædicationis agnoſcetur à mundo.* [g] Et capilli capitis veſtri.] *Nos ingratos,qui tam pium patrem auerſemur,cui etiam capilli noſtri curæ ſint,ne temere pereant.* [h] Nomine prophetæ.] *Quatenus propheta eſſe creditur.*

CAPVT XI.

Luce.2.c ET factum eſt, cum finem feciſſet IESVS præcipiendi duodecim diſcipulis ſuis, tranſijt inde,vt docA
eret, & prædicaret in ciuitatibus eorum. Ioannes autem, cum audiſſet in vinculis opera CHRISTI, mittens duos de diſcipulis ſuis,ait illi: [a] Tu es qui venturus eſt,an alium expectamus?Et reſpõdens IESVS ait illis:Euntes renunciate Ioanni,quæ auditis & videtis: [b] cæci vidẽt,claudi ambulant,lepro
Mala.3.a ſi mundantur,ſurdi audiunt,mortui reſurgunt,pauperibus euangelizatur,& beatus eſt, qui non fuerit ſcandalizatus in me. Illis autem abeuntibus,cœpit IESVS dicere ad turbas de Ioanne: Quid exiſtis in deſertũ videre? [c] arundinem vento agitatam?Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus indumentis veſtitum? Ec- B
ce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Sed quid exiſtis videre? prophetam? Etiam dico vobis, & [d] plus quàm prophetam. Hic eſt enim de quo ſcriptum eſt: Ecce ego mitto angelum meum ante faciem

ciem tuam,qui præparabit viam tuam ante te.Amen dico vobis, [e] non ſurrexit inter natos mulierum maior Ioãne Baptiſta:qui autem minor eſt in regno cœlorum,maior eſt illo. A diebus autem Ioannis Baptiſtæ Luce.16.d
vſque nunc,regnum cœlorum vim patitur, [f] & violenti rapiunt illud. [g] Omnes enim prophetæ & lex vſq; ad Ioannem prophetauerunt:& ſi vultis recipere, [h] ipſe eſt Elias qui venturus eſt.Qui habet aures audiendi, Mala.4.b
audiat.Cui autem ſimilem æſtimabo generationem iſtam?Similis eſt pueris ſedentibus in foro:qui clamantes ſodalibus ſuis,dicunt:Tibia cecinimus vobis,& non ſaltaſtis: lamentati ſumus vobis,& non planxiſtis.
C Venit enim Ioannes,neque manducans, neque bibens, & dicunt: Dæmonium habet.Venit filius hominis manducans & bibens,& dicunt:Ecce homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.
[i] Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. Tunc cœpit exprobare ciuitatibus, in quibus factæ ſunt plurimæ Luce.10.c
virtutes eius,quòd non egiſſent pœnitentiam. Væh tibi Chorazin, væh tibi Bethſaida: quia [k] ſi in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes,quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent. Verũtamen dico vobis:Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij,quam vobis.Et tu Capharnaum,quæ vſque in cœlum exaltata es: vſq; in infernum detraheris:quia ſi in Sodomis factæ fuiſſent virtutes quæ factæ ſunt in
D te,manſiſſent vſque in hanc diem.Verũtamen dico vobis, quòd terræ Sodomorum remiſſius erit in die iu- Luce.10.d
dicij,quam tibi. In illo tempore,reſpõdens IESVS dixit: Confiteor tibi pater Domine cœli & terræ,quia abſcondiſti hæc à ſapientibus,& prudentibus,& reuelaſti ea paruulis.Ita pater: quoniam ſic fuit beneplacitum ante te. [l] Omnia mihi tradita ſunt à patre meo, Et [m] nemo nouit filium niſi pater: neq; patrem quiſ- Luce.10.e
quã nouit niſi filius,& cui voluerit filius reuelare.Venite ad me omnes,qui laboratis, & onerati eſtis: & ego requieſcere faciam vos. Tollite iugum meum ſuper vos,& diſcite à me,quia mitis ſum, & humilis corde: & Hier.6.a
inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt:& onus meum leue. 1.Ioan.5.a

SCHOLIA.

[a] Tu es,qui venturus es.] *Cum abunde ex euangelys pateat,Ioannem nouiſſe Seruatorem noſtrum Ieſum,eſſe Chriſtum,admodum veriſimile eſt,miſiſſe illum diſcipulos,qui ſe moriente,in Domini amicitiam inſinuarentur, & plene edocerentur euangelicam doctrinam.* [b] Cæci vident.] *Clam prophetiæ admonens, quæ apud Eſaiam eſt.* [c] Arundinem.] *Vt,qui nihil gloriæ appetitione,& ad hominum gratiam dicat,aut faciat.De molliciæ etiam veſtium meminit, quæ animi mollitiem arguere ſolet.* [d] Pluſquam prophetam.] *Quare? cauſam mox reddit,quia non ſolum ipſe prophetauit, verũ & de illo etiam ſit ab alijs prophetatum.* [e] Non ſurrexit maior.] *Hebraiſmus hic eſt,qui pleros; ſe fellit. Nam ſæpe in ſcriptura inuenitur,ſurgere pro apparere & manifeſtari:Vt propheta magnus ſurrexit in nobis,hoc eſt,declaratus eſt.Senſus igitur hic eſt:maior propheta non extitit Ioanne baptiſta,vt Lucas apertius dicit. Quòd verò ſubdit: Qui minor eſt in regno cœlorum,maior illo eſt,ſe indicat:qui tunc ignorabatur adhuc quantus eſſet.* [f] Et violenti.] *Quid ni vi opus ſit, ad tantæ rei acquiſitionem? His admonet verbis: ſolerter, & ſtrenue eſſe agendum,nec in tanto rerum cardine ceſſandum, cum hæc maxime ſit natura hominis digna,in qua vires impendat omnes ſuas.* [g] Omnes Prophetæ.] *Nam Ioannes cum prædicationi euangelicæ initium dederit,finem poſuit legi, & prophetis, quorum ſcopus fuit aduentus Chriſti prædicatio:a cuius aduentu beatum hoc ætei ni regni nomen cœptum eſt prædicari.* [h] Ipſe eſt Helias.] *Ipſe, ait angelus Zachariæ, vt ſcribit Lucas,præibit ante illum in ſpiritu & virtute Heliæ.* [i] Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis.] *Oſtendit ſe ſapientia iuſtam coram filijs ſuis,quæ nihil præmiſit,quod ad eos iuuandos & ſeruandos pertineret.* [k] Si in Tyro & Sidone factæ eſſent virtutes.] *Cur ergo non ſunt factæ? Non eſt dubitandum non defuiſſe & illis Deum, quantum ſatisfuerit ad eorum ſalutem,cætera ſilentio veneremur:nam temerarium eſt,hominem,id eſt,nihil,ſi Deo comparetur, velle omnium iudicium Dei ſcire rationem,quæ reuerentia magnus ille Paulus exclamauit:Quam inſcrutabilia ſunt iudicia eius? Illud verò, dim,idem eſt,quod,ab ipſo principio.tam olim(inquit) pœnitentiam egiſſent.* [l] Omnia mihi tradita ſunt.] *Huius, inquit,generis ſunt,quæ reuelauit pater paruulis.* [m] Nemo nouit filium.] *Hic latenter indicatur æqualitas filij cum patre,cum æquè vtriuſque agnitio ignota ſit, & patris reuelatio ad ſolum filium pertineat,vt hic habes, & filij ad patrem, vt alibi legis,nemo poteſt venire ad me niſi pater,qui miſit me,traxerit eum.*

CAPVT XII.

A IN illo tempore,abijt IESVS per ſata ſabbatis: diſcipuli autem eius eſurientes,cœperunt vellere ſpicas, Marc.2.d
& manducare. Phariſæi autem videntes dixerunt ei: Ecce, diſcipuli tui faciunt quòd non licet facere in Luce.6.a
ſabbato.At ille dixit eis: Non legiſtis quid fecerit Dauid quando eſurijt, ipſe & qui cum eo erant: quo- 1.Reg.21.b
modo intrauit in domum Dei,& panes propoſitionis comedit,quos non licebat ei edere,neque ijs, qui cum eo erant, niſi ſolis ſacerdotibus? Aut non legiſtis in lege q; ſabbatis ſacerdotes in templo [a] ſabbatum violãt, Nũc.28.a
& ſine crimine ſunt? Dico autem vobis,q; templo maior eſt hic. Si autem ſciretis, quid eſt: Miſericordiam volo,& non ſacrificium,nunquam condemnaſſetis innocentes:Dominus enim eſt filius hominis,etiam ſab-
B bati. Et cum inde tranſiſſet,venit in ſynagogam eorum. Et ecce homo manum habens aridam, & interro- Oſee.6.c
gabant eum dicentes: Si licet ſabbatis curare? vt accuſarent eum. Ipſe autem dixit illis: Quis erit ex vobis ho- Marc.3.a
mo qui habeat ouem vnam:& ſi ceciderit hæc ſabbatis in foueam,nõne tenebit,& leuabit eam?Quanto igi- Luce.6.b
tur melior eſt homo oue? Itaque,licet ſabbatis benefacere. Tunc ait homini: Extende manum tuam. Et extendit: & reſtituta eſt ſanitati,ſicut altera. Exeuntes autem phariſæi,conſilium faciebant aduerſus eum quomodo perderent eũ. IESVS autem ſciens receſſit inde,& ſecutæ ſunt eum turbæ multæ,& curauit eos omnes:& præcepit eis ne manifeſtum eum facerent. Vt adimpleretur quod dictum eſt per Eſaiam prophetam, Eſa.42.a
C dicentem:Ecce puer meus,quem elegi,dilectus meus,in quo bene ſibi complacuit anima mea. Ponam ſpiritum meum ſuper eum,& iudicium gentibus nunciabit. Non contendet,neq; clamabit, [b] neque audiet aliquis in plateis vocem eius: [c] arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet, do- Supra.9.d
nec eijciat ad victoriam iudicium:& in nomine eius gentes ſperabunt. Tunc oblatus eſt ei dæmoniũ habẽs, Marc.3.c
cæcus & mutus:& curauit eum,ita vt cæcus & mutus loqueretur & videret.Et ſtupebant omnes turbæ, & dicebant? Luce.11.b

cebant? Nunquid hic est filius Dauid? Pharisæi autem audientes, dixerunt: Hic non eijcit dæmones, nisi in
Beelzebub principe dæmoniorum. IESVS autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum diui D
sum contra se, desolabitur, & omnis ciuitas, vel domus diuisa cõtra se, non stabit: & si Satanas satanam eijcit,
aduersus se diuisus est: [d] quomodo ergo stabit regnum eius? Et si ego in Beelzebub eijcio dæmones: [e] filij
vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi, iudices vestri erunt. Si autem ego in spiritu Dei eijcio dæmones: igitur perue
nit in vos regnum Dei. Aut quomodo potest quisquam intrare in domum fortis, & vasa eius diripere: nisi
prius alligauerit fortem? & tunc domum illius diripiet. Qui non est mecum, contra me est, & qui non con-
Marc.3.d gregat mecum, spargit. Ideo dico vobis: omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus: spiritus autẽ
Luce 12.d blasphemię, non remittetur. Et quicunque dixerit [f] verbum cõtra filium hominis, remittetur ei: qui autem E
dixerit contra spiritum sanctum, non remittetur ei, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro. Aut facite [g] arborem
Luce.6.g bonam, & fructum eius bonum: aut facite arborem malam, & fructum eius malum: siquidem ex fructu ar-
bor agnoscitur. Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? ex abundantia enim
cordis, os loquitur. Bonus homo, de bono thesauro cordis profert bona: & malus homo, de malo thesauro
Luce.11.d profert mala. Dico autem vobis, q̃ [h] de omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem
in die iudicij. Ex verbis enim tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis. Tunc responderunt ei qui
dam de scribis & Pharisæis dicentes: Magister, volumus à te signum videre. Qui respondens ait illis: Genera- F
Ionæ.2.a tio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit
Ionas in ventre ceti [i] tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ, tribus diebus &
Ionæ.3.b tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœni
tentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic. Regina austri surget in iudicio cum ge
neratione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus, q̃
3.Reg.10.a Salomon hic. Cum autem immundus spiritus exierit ab homine: ambulat [k] per loca arida quærés requie,
2.Par.9.a & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens, inuenit eam vacantem, sco- G
pis mundatam, & ornatam. Tunc vadit & assumit septem alios spiritus secum nequiores se, & intrantes ha-
2.Petri.2.d bitant ibi: & fiunt nouissima hominis illius peiora prioribus. Sic erit & generationi huic peruersæ. Adhuc
Marc.3.d eo loquente ad turbas, ecce mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Ec-
Luce.8.c ce mater tua, & fratres tui foris stant, quærentes te alloqui. At ipse respondens dicenti sibi, ait: [l] Quæ est ma-
ter mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum suã in discipulos suos, dixit, Ecce mater mea & fratres
mei: Quicunq; enim fecerit voluntatem patris mei, qui in cœlis est: ipse, meus frater, soror, & mater est.

SCHOLIA.

[a] Sabbatum violant.] *Dum scilicet cædunt victimas, cum prohibeatur opus vllum fieri sabbato, sed sine crimine sunt, quia gloriæ Dei etiam tunc inseruiunt. Quod ergo vel necessitas vel diuinus honor fieri persuadet, id non facit iniuriam sabbato.* [b] Neque audiet aliquis in plateis vocem eius.] *Non loquetur ad ostentationem.* [c] Arundinem quassatam.] *Arundinem quassatam puto esse (ait magnus Basilius) eum qui cum aliquo vitioso affectu facit mandatum Dei, quem frangere & abscindere non oportet, sed curare potius, sicut Dominus docuit dicens: Cauete ne eleemosynam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis. Et apostolus admonet dicens: Omnia facite sine murmurationibus, & disceptationibus. Et alibi: Nihil per contentionem, & inanem gloriam. Linum autem fumigans: cum mandata quis facit, non feruenti animo, & pleno studio, sed ignauius, & quasi laxius: cui non est imperandum vt cesset, quin potius excitandus est, commemoratione iudiciorum Dei, & euangeliorum eius.* [d] Quomodo ergo stabit regnum eius.] *Quod mirum ipse Sathanas statuere quærit, non perdere.* [e] Filij vestri in quo eijciunt.] *In nomine meo videlicet: iccirco ipsi vos condemnabunt, nempe cum sederint in iudicio.* [f] Verbum contra filium hominis.] *Qui, inquit, ex hac assumpti corporis infirmitate offensus aliquid fuerit, eius errori, qui ex ignoratione fit, venia dabitur: at, qui manifesta diuina opera calumniatus fuerit: huic nihil superest veniæ. Hanc ergo blasphemiam spiritus appellat. Et nunc quoque, ait magnus Basilius: Is blasphemat Spiritum sanctum, qui studiose aliquem, in rem quampiam incumbentem, inanis gloriæ cupidum vocat, & cætera talia. Quod autem ait: ne in futuro quidem sæculo remittendum: videtur necessario sequi, esse aliqua peccata, quæ in futuro sæculo remittantur. Nam si dixero, aliquem excipiens è multis: hic in futuro sæculo non morietur, aut nihil dico aut significo, aliquos in futuro sæculo morituros. Marcus tamen pro his verbis, neque in hoc sæculo neque in futuro, dixit in æternum.* [g] Arborem bonam, & fructum eius.] *Intelligit se, & opera: necesse est enim, si opera bona sint, & autorem esse bonum: vt ex arbore colligi potest. Cur autem hæc illi dicerent, subdit causam Dominus: progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? &c.* [h] De omni verbo otioso.] *Verbum otiosum (ait idem Basilius) est, quod etiam si bonum sit, ad ædificationem fidei tamen non aptatur. Et eiusdem verba in celeberrimo illo totius orbis terræ conuentu examinabuntur. Quid scurrilibus, & detrahentibus, & obscœnis verbis fiet? Quanti autem verba sint, vide quid dicat: Ex verbis enim tuis iustificaberis, et ex verbis tuis condemnaberis.* [i] Tribus diebus, & tribus noctibus.] *Hebraismus est, perinde quasi dixisset tantum, tribus diebus: qui dicendi modus, & aliis scripturæ locis inuenitur, atque hoc pacto non erit anxie laborandum, in inquirendis tribus illis noctibus.* [k] Per loca arida.] *Deserta, squallida: omnis autem habitatio immundo spiritui squallida & deserta est, præ habitatione hominis, vel loca arida, diuino scilicet influxu, vt sunt infidelium animæ. Sumpta ergo similitudo est ab homine, à quo spiritus malus eiectus fuerit, qui si in eundem reuertatur, deterius eum afficit, & quo potiora Dei munera in eum collata deprehenderit, eò libentius habitaculum illud inuadit: atque hoc est, quod ait: inuenit eam scopis mundatam & ornatam.* [l] Quæ est mater mea.] *Non contemnit matrem, sed præponit rebus omnibus eam prouinciam, quæ ei demandata à patre fuerat. Inuitat ergo nos ad celsiorem perfectioremq; cognationem spiritus inquirendam.*

Caput

CAPVT XIII.

A IN illo die, exiens IESVS de domo, sedebat secus mare. Et congregatæ sunt ad eum turbæ multæ, ita Marc.4.a
vt in nauim ascendens, sederet: & omnis turba stabat in litore, & locutus est eis multa in parabolis, di- Luce.8.a
cens: Ecce exijt qui seminat, seminare. [a] Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt
volucres cœli & comederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa: vbi non habebant terram multam, & cõ
tinuo exorta sunt, quia non habebant altitudinem terræ: sole autem orto, exusta sunt: & quia non habebant
radicem, exaruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas: & creuerunt spinæ, & suffocauerunt ea. Alia autem ce
ciderunt in terram bonam: & dabant fructum, aliud centum, aliud sexaginta, aliud triginta. Qui habet au-
res audiendi: audiat. Et accedentes discipuli, dixerunt ei: Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens,
B ait illis: Quia vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum: illis autem non est datum. [b] Qui enim habet, Infra.25.e
dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet auferetur ab eo. Ideo in parabolis loquor eis: Esaiæ.6.c
quia videntes non vident, & audientes non audiunt, neq; intelligunt: & adimpletur in eis prophetia Esaiæ, di Mar.4.b
cens: Auditu audietis, & non intelligetis: & videntes videbitis, & non cernetis. [c] Incrassatum est enim cor Luce 8.b.
populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt: nequãdo videant oculis, & auribus au- Ioan.12.f
diant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem eos. Vestri autem beati oculi, quia vidẽt, & aures vestrę, Acto.28.f
quia audiunt. Amen quippe dico vobis, quòd multi prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non Rom.11.b
viderunt: & audire, quæ auditis, & non audierunt. Vos ergo audite parabolam seminantis: [d] Cum quis au- Luce.10.d
C dit verbum regni, & non intelligit, venit malus & rapit quod seminatum est in corde eius: hic est qui secus Marc.4.b
viam seminatus est. Qui autem super petrosa seminatus est: hic est qui verbum audit, & continuo cum gau- Luce.8.b
dio accipit illud: non autem habet in se radicem, sed est temporalis: facta autem tribulatione & persecutione
propter verbum, continuo scandalizatur. Qui autem seminatus est in spinis: hic est qui verbum audit, & so-
licitudo seculi istius & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur. Qui vero in terram bonã
seminatus est: hic est, qui audit verbum, & intelligit, & fructum affert: & facit aliud quidem centum, aliud au-
tem sexaginta, aliud vero triginta. Aliam parabolam proposuit illis, dicens: Simile factum est regnum cœ-
lorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo: cum autem dormirent homines, venit inimicus
D eius, & superseminauit Zizania in medio tritici & abijt. Cum autem creuisset herba, & fructum fecisset: tũc
apparuerunt & Zizania. Accedẽtes autem serui patrisfamilias: dixerunt ei: Domine, nónne bonum semen
seminasti in agro tuo? Vnde ergo habet Zizania? Et ait illis: Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerũt
ei: Vis igitur eamus & colligamus ea? Et ait, Non, ne forte colligentes Zizania, eradicetis simul cum eis & tri-
ticum. Sinite vtraq; crescere vsq; ad messem: & in tempore messis, dicam messoribus: Colligite primũ Zi-
zania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum. Aliam Marc.4.d
parabolam proposuit eis, dicens: Simile est regnum cœlorum grano sinapis, quod accipiens homo semina- Luce.13.d
uit in agro suo: quod minimum quidem est omnium seminum: cum autem creuerit, maius est omnibus ole-
E ribus: & fit arbor, ita vt volucres cœli veniant & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis: Si- Luce.13.c
mile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermen-
tatum est totum. Hæc omnia locutus est IESVS in parabolis ad turbas: & sine parabolis non loquebatur Marc.4.d
eis, vt impleretur quod dictum est per prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum: eructabo ab- Psal.77.a
scondita à constitutione mundi. Tunc dimissis turbis, venit in domum IESVS, & accesserunt ad eum di-
scipuli eius, dicentes: Edissere nobis parabolam Zizaniorum agri. Qui respondens ait: Qui seminat bonum
semen, est filius hominis. Ager autem est mundus. Bonum verò semen: ij sunt filij regni. Zizania autem, fi-
lij sunt illius mali. Inimicus autem qui seminat ea: est diabolus. Messis verò, consummatio seculi est. Mes-
F sores autem, angeli sunt. Sicut ergo colliguntur Zizania, & igni cõburuntur: sic erit in consummatione secu Apoca.14.
li, mittet filius hominis angelos suos, & colligent de regno eius omnia scandala, & eos, qui faciunt iniquita- c.d
tem: & mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus & stridor dentium. Tunc iusti fulgebunt sicut sol in Sapien.3.b
regno patris eorum. Qui habet aures audiendi audiat. Iterum simile est regnum cœlorum thesauro abscon
dito in agro: [e] quẽ qui inuenit homo abscondit, & præ gaudio illius vadit & vendit vniuersa, quæ habet, &
emit agrum illum. Iterum simile est regnum cœlorum homini negociatori, quęrenti bonas margaritas. In-
uenta autem vna preciosa margarita, abijt, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est re-
gnum cœlorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere congreganti: quam, cum impleta esset educentes
G in litus, & sedentes, elegerunt bona in vasa, mala autem foras miserunt. Sic erit in cõsummatione seculi hu-
ius. Exibunt angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: ibi erit fletus
& stridor dentium. Dicit illis IESVS. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei, Etiam Domine. Ait illis: [f] Ideo
omnis scriba doctus ad regnum cœlorum, similis est homini patrifamilias, qui profert de thesauro suo noua
& vetera. Et factum est, cum consummasset IESVS parabolas istas, transijt inde. Et veniens in patriam Marc.6.a
suam, docebat eos in synagoga eorũ, ita vt mirarentur, & dicerent: Vnde huic sapientia hæc & virtutes? Nõ- Luce.4.c
ne hic est fabri filius? Nõne mater eius dicitur MARIA? & fratres eius, Iacobus, & Ioses, & Simon, & Iudas? Ioan.4.f
& sorores eius, nónne omnes apud nos sunt? Vnde ergo huic omnia ista? Et scandalizabantur in eo. IESVS Ioan.6.e
autem dixit eis: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua & in domo sua. Et nõ fecit ibi virtutes mul-
tas, propter incredulitatem illorum.

SCHOLIA.

[a] Et dum seminat.] *E quatuor partibus tres sine fructu sunt: pauci enim sunt qui seruantur.* [b] Qui enim habet.] *Nempe studium & alacritatem.* [c] Incrassatum est.] *Vide vt meliorem euangelista reddiderit orationem, quàm in Esaia habetur, vt intelligas ibi esse Hebraismum.* [d] Cum quis audit verbum regni & non intelligit.] *Hoc est,*

non

non incumbit vt intelligat: fortasse si sunt, qui hominum gloriam expetunt, sicut Dominus ait. Quomodo potestis credere, cum gloriam mutuo inter vos accipiatis? hic ergo est, inquit, qui secus viam seminatus est: qui vero in petrosa, videntur esse pusillanimes, pusillaeq; fidei: nam qui inter spinas, apertum est, quid significet. Et vide vt ne bonam quidem terram mimicus relinquat incorruptam: iccirco parabolam Zizaniorum subdit: quae tamen Zizania non vult tolli citra tempus messis, non solum quia quae Zizania sunt, fieri possunt triticum. Verum etiam quia in hoc spiritali agro, tollere ante tempus eos, qui bonos exercent, est quasi triticum ante editum fructum euellere. Porro parabolae sinapis, & fermenti, eo spectant, vt doceant futurum incrementum ingens euangelicae praedicationis. [c] Quem qui inuenit homo abscondit.] *Vbi quis Euangelicam (inquit) philosophiam assequitur, id agit, quod y solent, qui in aliquo agro inueniunt thesaurum. nam cupiunt tãdiu illum latere dum emunt agrum, vt thesauro potiatur. Illud ergo, abscondere, significat non inuidentiam, sed affectum eius, qui adipisci cupit thesaurum, & omne adhibet studium, ne eo priuetur.* [f] Ideo omnis scriba.] *Ex attentione, inquit, eorum quae quis audit, & discit, fit homo aptus praedicationi Euangelicae, quam hic regnum caelorum appellat. Quod autem ait, noua & vetera significat copiam, & diuitias huius viri. Simul obserua, scribam non à scribendo appellari: sed cum libri legis frequentissime vocabulo scripturae appellentur, qui peritiam scripturae intelligendae sunt assecuti, y scribae appellantur. Scripturae autem nomen libri diuinae legis ob excellentiam sortiti sunt.*

CAPVT XIIII.

Marc.6.b Luce.9.a Marc.6.e Luce.3.d Infra.11.e

IN illo tempore, audiuit Herodes Tetrarcha famam IESV: & ait pueris suis: Hic est Ioannes Baptista: A ipse surrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo. Herodes enim tenuit Ioannem, & alligauit eũ: & posuit in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Dicebat enim illi Ioannes: Nõ licet tibi habere eam. Et volens illum occidere, timuit populum: quia sicut prophetam eum habebant. Die autem natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Vnde cum iuramẽto pollicitus est ei dare quodcunque postulasset. At illa prãmonita à matre sua: Da mihi (inquit) hic in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus est rex. Propter iuramentum autem, & eos, qui pariter recumbebant, iussit dari. Misitq;, & decollauit Ioannem in carcere. Et allatum est caput eius in disco: & datum est puellæ, & illa attulit B

Luce.9.b Mar.6.d.e Ioan.6.a

matri suæ. Et accedentes discipuli eius, tulerunt corpus eius, & sepelierunt illud: & venientes nunciauerunt IESV. Quod cum audisset IESVS, secessit inde in naui, in locum desertum seorsum: & cum audissent turbæ, secutæ sunt eum pedestres de ciuitatibus. Et exiens vidit turbam multam: & misereus est eis, & curauit languidos eorum. Vespere autem facto, accesserunt ad eum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & hora iam præterijt: dimitte turbas, vt euntes in castella, emant sibi escas. IESVS autem dixit eis: Non habent necesse ire: date illis vos manducare. Responderunt ei: Non habemus hic nisi quinque panes & duos pisces. Qui ait eis: Afferte mihi illos huc. Et cum iussisset turbam discumbere super fœnum: acceptis quinque pa- C

Marc.6.f Ioan.6.b

nibus & duobus piscibus, aspiciens in cœlum benedixit & fregit, & dedit discipulis panes: discipuli autẽ turbis. Et manducauerunt omnes: & saturati sunt. Et tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum, plenos. Manducantium autem fuit numerus, ferè quinq; millia virorum, exceptis mulieribus & paruulis. Et statim compulit IESVS discipulos ascendere in nauim, & præcedere eum trans fretum donec dimitteret turbas. Et dimissa turba, ascendit in mõtem solus orare. Vespere autem facto, solus erat ibi, nauis autem iam in medio mari erat, & iactabatur fluctibus: erat enim cõtrarius ventus. Quarta autem vigilia noctis venit ad eos IESVS ambulans super mare. Et videntes eum discipuli super mare ambulantẽ, turbati sunt, [a] dicen- D tes: Phantasma est. Et præ timore clamauerunt. Statimq; IESVS locutus est eis, dicens, Habete fiduciam, ego sum: nolite timere. Respondens autem Petrus, dixit: Domine, si tu es, iube me ad te venire super aquas. At ipse ait: Veni. Et descendens Petrus de naui, ambulabat super aquas, vt veniret ad IESVM: Videns verò ventum validum, timuit: & cum cœpisset mergi, clamauit dicens: Domine saluum me fac. Et continuo IESVS extendens manum, apprehendit eum: & ait illi, Modicæ fidei: quare dubitasti? Et cum ascendissent in nauim: cessauit ventus. Qui autem in naui erant venerunt, & adorauerunt eum dicentes: Vere filius Dei

Marc.6.g

es. Et cum transfretassent, venerunt in terram Genesareth. Et cum cognouissent eum viri loci illius, miserunt in totam circumquaq; regionem illam, & obtulerunt ei omnes male habentes: & rogabant eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent. Et quicunq; tetigerunt, salui facti sunt.

SCHOLIA.

In historia decollationis Ioannis Baptistae illud non in minimis obserua, fructum saltationis & tripudij esse cædem & abscissum caput illius viri, quo maior inter natos mulierum non surrexit. [a] Dicentes: Phantasma est.] *Hoc frequenter, & nunc Vsu euenit, vt qui se nosse Christum profitentur, cum molestias incidunt, ita perturbentur, vt res Christiana eis tunc quasi phantasma quoddam videatur.*

CAPVT XV.

Mar. 7.a.b

TVnc accedunt ad eum, qui ab Hierosolymis erant scribæ & pharisæi, dicentes: Quare discipuli tui A transgrediuntur traditionem seniorum? non enim lauant manus suas cum panem manducant. Ipse autem respondens, ait illis: [a] Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus præcepit dicens: Honora patrem & matrem: &, Qui maledixerit patri, vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis. Quicunq; dixerit patri, vel matri: Munus quodcunq; est ex me, tibi proderit: & non honorificabit patrem suum, aut matrem suam: & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Hypocritæ, bene prophetauit de vobis Esaias, dicens: Appropinquat mihi populus hic ore suo, & labijs me honorat: cor autem eorum longe est à me. Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas, manda- B

Exod. 22.c Deut. 5.b Ephe.6.a Exod.21.c Leui.20.b Prou.20.c Esa.29.d Marc.7.e

ta hominum. Et conuocatis ad se turbis, dixit eis: Audite & intelligite: nõ quod intrat in os, coinquinat hominem: sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes discipuli eius dixerunt ei:

Ioan.15.a

Scis quòd pharisæi, audito verbo hoc, scandalizati sunt? At ille respondens ait: Omnis plantatio, quam non plantauit

plantauit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos: duces sunt cæci cæcorum: cæcus autem si cœco duca- Luce.6.f
tum præstet, ambo in foueam cadunt. Respondens autem Petrus dixit ei: Edissere nobis parabolam istam. Marc.7.c
At ille dixit: Adhuc & vos sine intellectu estis? Nondum intelligitis quòd omne, quod in os intrat, in ventrẽ vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem: de corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemia: hęc sunt, quæ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coinquinat homi-
C nem. Et egressus inde IESVS, secessit in partes Tyri & Sydonis. Et ecce mulier Chananæa à finibus illis
egressa clamauit, dicens: Miserere mei Domine fili Dauid: filia mea male a dæmonio vexatur. Qui non re- Marc.7.c
spondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum dicentes: Dimitte eam quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: [b] Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. At illa venit, & adorauit eum dicens: Domine adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: [c] Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorũ suorum. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora. Et cum transisset inde IESVS, venit secus mare Galilęę: & ascendens in montem, sedebat Marc.7.d
ibi. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, mutilos, & alios multos: & Esa.35.b
D proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos, ita vt turbæ mirarentur, videntes mutos loquentes, mutilos esse sanos, claudos ambulantes, cæcos videntes, & glorificabant Deum Israel. IESVS autem conuocatis discipulis suis, dixit: Misereor turbæ: quia triduo iam perseuerant mecum: & non habent quod manducent: & Marc.8.a
dimittere eos ieiunos nolo: ne deficiãt in via. Et dicũt ei discipuli, Vnde nobis in deserto panes tot, vt saturemus turbam tantam? Et ait illis IESVS: Quot panes habetis? At illi dixerunt: Septem, & paucos piscículos. Et præcepit turbæ, vt discumberent super terram. Et accipiens septem panes, & pisces, & gratias agens fregit, & dedit discipulis suis, & discipuli dederunt populo. Et comederunt omnes: & saturati sunt. Et quod superfuit de fragmentis, tulerunt septem sportas plenas. Erant autem qui manducauerunt, quatuor millia hominum, extra paruulos & mulieres. Et dimissa turba, ascendit in nauim, & venit in fines Magdala.

SCHOLIA.

[a] Quare & vos.] *Dicens & Vos, videtur fateri etiam discipulos errasse, at non ita est, sed sic intellige: si hoc esset peccare, leue tamen esset, præ peccato Vestro: nam hæc lotio manuum ad quandam cuilem tantum elegantiam a maioribus est institutа, quæ si prætermittatur, nõ est quasi facinus iudicandum: at Vos ipsam Dei legem irritam facitis Vestris auaris traditionibus: & docetis filios offerre magis in templum, quod in Vsus Vestros cedat, quam subuenire parentum necessitati: qui si quid petierint, subetis eis respondere a filys: Munus offerre decreui, at tu vide, num velis, donum iam Deo dedicatum, tibi prodesse: Vt ille reueritus rem iam quasi sacram, abstineat, atque ita indigentia conficiatur. Potest & hic esse sensus: Donum quod in cultum Dei contulero, eo animo conferam, Vt illo non minus Vos, quam me ipsum adiuuare, & Deum propitium Vobis reddere velim. Sed quia cõtextus verborũ subobscurus est, aliquid lucis ex Marco poterit adhiberi.* [b] Non sum missus.] *Sicut in sermone in monte protulit testimonia scripturae in eum sensum, in quem ipsi pharisaei accipiebant, ita nunc dicit se missum, non nisi ad Israelem. Sic enim omnes Christum expectabant, praeter quam si qui prophetiae spiritum fuerant assecuti: atque hoc erat nosse Christum secundum carnem: iccirco Paulus ait: & si olim agnoscebamus Christum secundum carnem, nunc tamen non nouimus: de quo cum ad eum locum venerimus, apertius fortasse tractabimus, cum videatur parũ hactenus intellectus. Dici etiam potest: quamuis mentio à prophetis fiat de gentiũ vocatione: proprie tamen promissum Christum Iudaeis: atque ideo Paulus ait: dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem Dei, ad cõfirmandas promissiones patrum, gentes autem super misericordia honorare Deum. Si vero totius negocij finem inspicias, vbi demum Dominus ait, ô mulier magna est fides tua, inuenies, oblique taxari Iudaeos, quibus cum proprie missus esset Christus, non eam fidei alacritatem præ se tulerunt, quam gentes, quae nihil minus, quam Christi famam audierant.* [c] Etiam Domine: nam & catelli.] *Fidelis audacia, dicente Domino non esse bonum dari panem filiorum catellis, illa respondet: imo Domine licet interdum id fieri, nam & Catelli edunt de micis, &c.*

CAPVT XVI.

A ET accesserunt ad eum Pharisæi, & Sadducæi tentantes: & rogauerunt eum vt signum de cœlo ostende- Marc.8.b
ret eis. At ille respondens, ait illis: [a] Facto vespere dicitis: Serenum erit, rubicundum est enim cœlum. Luce.12.g
Et manc: Hodie tempestas: rubet enim triste cœlum. Hypocritę faciem ergo cœli dijudicare nostis: signa autem temporum non potestis? Generatio mala, & adultera signum quærit: & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Et relictis illis, abijt. Et cum venissent discipuli eius trans fretum, obliti sunt Ionæ.2.a
panes accipere. IESVS autem dixit illis: Intuemini & cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum. At Marc.8.b
illi cogitabant intra se, dicentes: [b] Panes non accepimus. Sciẽs autem IESVS, dixit: Quid cogitatis inter vos Luce.12.a
B modicæ fidei, quòd panes non sumpseritis? Nondum intelligitis, neq; recordamini quinq; panum, quinq; millium hominum, & quot cophinos sumpsistis? neq; septem panum, quatuor millium hominum, & quot sportas sumpsistis? Quare non intelligitis quòd non de pane dixi vobis: Cauete à fermento Pharisæorum, & Sadducæorum? Tunc intellexerunt quòd non dixerat cauendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum, & Sadducæorum. Venit autẽ IESVS in partes Cæsareę Philippi, & interrogabat discipulos suos, Marc.8.c
dicens: Quem me dicunt homines esse illum filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam: Alij Luce.9.c
autem Eliam, alij vero Ieremiã, aut vnum ex Prophetis. Dicit illis: Vos autem, quem me esse dicitis? Respõ-
C dens Simon Petrus dixit: Tu es CHRISTVS filius Dei viui. Respondens autem IESVS dixit ei: Beatus es Ioan.6.g
Simon bar Iona: quia [c] caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi, q̃ tu es Petrus, & [d] super hanc petram ædificabo ecclesiam meam: & [e] portæ inferi non præualebunt aduersus eam. [f] Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq;

quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Tunc præcepit discipulis suis vt nemini dicerent quòd ipse esset IESVS CHRISTVS. Exinde cœpit IESVS ostendere discipulis suis, quòd oporteret eum ire Ierosolymam, & multa pati à senioribus, & scribis, & Principibus sacerdotum, & occidi, & tertia die resurgere. Et abducens eum Petrus, cœpit increpare illum, dicēs: Propitius esto tibi Domine: non erit tibi hoc. D Qui conuersus, dixit Petro: Vade post me [g] Satana, scandalum es mihi: quia non sapis ea quæ Dei sunt, sed ea quæ hominū. Tunc IESVS dixit discipulis suis: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Quid enim prodest homini, si vniuersum mūdum lucretur, animæ vero suę detrimentum & patiatur? [h] Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua? Filius enim hominis venturus est in gloria patris sui cum angelis suis: & tunc reddet vnicuiq; secūdum opera eius.

Roma.1.a Marc.9.a Luce.9.c

Amen dico vobis, sunt quidam de hic stantibus, qui nō gustabunt mortem, [i] donec videant filium hominis venientem in regno suo.

SCHOLIA.

[a] Facto vespere dicitis.] *Reprehendit eos, quòd cum ex sola consuetudinis obseruatione nouerint prædicere & serenitatem & pluuiam: non intelligant aduentum Christi ex tam manifesto signis & factis, præter scripturarum lucem, in quā si intendere oculos voluissent, nunquam aberrassent.* [b] Panes non accepimus.] *Arbitrati fuerant, prohibuisse Dominum ne à Pharisæis aut Sadducæis panes acciperent, & cum se sine panibus cernerent, venerunt in hunc sermonem.* [c] Caro & sanguis.] *Hebraismus est: hoc est, ab humana hoc doctrina non accepisti.* [d] Super hanc Petram.] [illegible]. [e] Portæ inferi.] *Mala, & persecutiones.* [f] Et dabo.] *Nempe post resurrectionem.* [g] Satana.] *Apposite, nam aduersarium significat, quòd ei aduersaretur in salute hominum parāda. Sic alibi pro rerum natura, qua de agitur, nūc Beliał, nūc diabolus appellatur.* [h] Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?] *Fit interdum, vt cum sarcire aliquod damnum volumus, commutatione alterius rei faciamus: at in hoc negocio ne totius quidem mundi præcio redimere se quisquam potest: & tamen in tanta re miseri mortales tam sunt supini.* [i] Donec videant.] *Hoc dicit ob transfigurationem, de qua mox subdit: viderunt enim illum tres discipuli in maiestate & honore diuino, ac plane regio.*

CAPVT XVII.

ET post dies sex, assumit IESVS Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & ducit illos in montē A excelsum seorsum: [a] & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut lux. Et ecce apparuerunt illis [b] Moyses & Elias cū eo loquentes. Respondens autē Petrus, dixit ad IESVM: Domine, bonū est nos hic esse: si vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnum, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos: Et ecce vox de nube,

2.Petr.1.d

dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valde. Et accessit IESVS: & tetigit eos: dixitq; eis: Surgite, & nolite timere. Leuantes aūt oculos suos, neminem viderūt nisi solū IESVM. Et descendētibus illis de mōte, præcepit illis B IESVS, dicens: Nemini dixeritis visionem: donec filius hominis à mortuis resurgat. Et interrogauerūt eum

Marc.9.b Mala.4.b

discipuli, dicentes: [c] Quid ergo scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat primum venire? At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est prius, & restituet omnia: dico autem vobis: quòd Elias iam venit, & nō cognouerunt eum, sed fecerunt in eo quęcunque voluerunt. Sic & filius hominis passurus est ab eis. Tunc intelle-

Marc.9.c Luce.9.c

xerunt discipuli quod de Ioanne Baptista dixisset eis. Et cum venissent ad turbam, accessit ad eum homo genibus prouolutus ante eum, dicens, Domine miserere filij mei, quia lunaticus est, & male patitur, nam sæpe cadit in ignem, & crebro in aquam, & obtuli eum discipulis tuis, & non potuerunt curare eum. Respondēs C autem IESVS, ait: [d] O generatio incredula & peruersa, quousq; ero vobiscum? vsque quo patiar vos? Affer te huc illum ad me. Et increpauit illud IESVS: & exijt ab eo dęmonium, & curatus est puer ex illa hora. Tūc

Luce.17.b

accesserunt discipuli ad IESVM secreto, & dixerunt: Quare nos non potuimus eijcere illud? Dixit illis IESVS: [e] Propter incredulitatem vestram. Amen quippe dico vobis, si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc: & transibit, & nihil impossibile erit vobis. Hoc autem genus non eijcitur,

Marc.9.c Luce.9.e

nisi per orationem & ieiunium. Cōuersantibus autem eis in Galilæa, dixit illis IESVS: Filius hominis tradendus est in manus hominum: & occident eum, & tertia die resurget. Et contristati sunt vehementer. Et D cum venissent Capharnaum, accesserunt qui didrachma accipiebant, ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester non soluit didrachma? Ait, Etiam. Et cum intrasset in domum, preuenit eum IESVS, dicens, Quid tibi videtur Simon? reges terræ à quibus accipiunt tributa, vel censum? [f] à filijs suis an ab alienis? Et ille dixit, Ab alienis. Dixit illi IESVS: Ergo liberi sunt filij. Vt autem non scandalizemus eos: vade ad mare, & mitte hamum: Et eum piscem qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore eius, inuenies staterem, illum sumens, da eis pro me & te.

SCHOLIA.

[a] Et transfiguratus.] μετεμορφώθη. *Vnde metamorphosis, ad quam vocem alluſit Petrus, cum de hac vera, atque admiranda Christi metamorphosi, hoc est, transformatione, verba esset facturus: præmisit enim: non enim arte compositas fabulas secuti, notam vobis facimus Domini nostri virtutem, & παρουσίαν. hoc est aduentum, siue præsentiam.* [b] Moses, & Helias.] *Duo præstantissimi, nempe alter legislator, alter in prophetis celeberrimus: quid autem colloquerentur, alius euangelista aperit, nempe excessum, hoc est, mortem quam pro nobis passurus erat. Tu vero cogita, quanta tecerit Dominus Iesus fidei nostræ fundamenta, quámq; modis varys.* [c] Quid ergo dicunt pharisæi.] *Viso Helia veniunt discipuli in memoriam eorū, quæ audierant pharisæos dicere, qui fortasse, vt Christo derogarent fidem, ne in eū crederetur, dicebant, oportere venire primum Heliam, deinde Christum. Sed ad hæc vsque tempora infideles Iudæi decipiuntur, dum nesciunt distinctionem gemini aduentus Christi, atque in eis confunduntur. Seruator ergo docet venturum quidem Heliam in posteriore aduentu,*

aduentu, sed & hunc etiam aduentum Heliam præcurrisse, hoc est, Ioannem Baptistam, qui in spiritu & virtute Heliæ, venturus prædictus ab angelo fuerat. [d] O generatio incredula.] *Cum audis generationem, intellige Iudæorum genus, quod cernebat ob solam incredulitatem esse perdendum: præsertim cum hic, qui rogat, crimen suæ incredulitatis in discipulos reiciat: nam eum imbecillioris fuisse fidei narrat Marcus, cum scribit illum dixisse: si quid potes, adiuua nos.* [e] Propter incredulitatem vestram.] *Cur ergo infra dicit, hoc genus non eyci nisi per orationem & ieiunium? Dicendum est, fidem quidem, & hos, & cæteros spiritus eyecere, sed priuatam ac peculiarem horum curationem esse orationem & ieiunium, quæ duo inter se commercium habent, & alterum alteri opitulatur, vt homo in spiritualem quandam naturam ascendat, qua aduersus spiritus luctam habeat aptiorem.* [f] A Filijs an ab alienis.] *Ego igitur, inquit, qui filius magni regis sum, non teneor tributa soluendi, sed auferenda est offensio eorum, qui nondum id norunt. Reddit ergo censum, sed ex ore piscis acceptum, vt agnoscatur maiestas.*

CAPVT XVIII.

A IN illa hora accesserunt discipuli ad IESVM, dicentes: Quis putas maior est in regno cœlorum? Et aduocans IESVS paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis et efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regnū cœlorū. Quicunq; ergo humiliauerit se sicut paruulus istę hic est maior in regno cœlorū. [b] Et qui susceperit vnum paruulū talem in nomine meo, me suscipit: qui Marc.9.f

autē scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo Luce.7.a

eius, & demergātur in profundū maris. Væh, mūdo à scandalis. [c] Necesse est enim vt veniant scandala: verūta Supra.5.e

men væh homini illi per quē scandalū venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: abscinde eum & Marc.9.g

proijce abs te, bonū tibi est ad vitā ingredi mutilū, vel claudum potius, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignē æternū. Et [d] si oculus tuus scandalizat te, erue eū, & proijce abs te: bonū tibi est vnum

B oculum habētem in vitam intrare potius, q̄ duos oculos habentē mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis, dico enim vobis, q̄ angeli eorū in cœlis semper vident faciem patris mei qui in cœlis est. [e] Venit enim filius hominis saluare quod perierat. [f] Quid vobis videtur? si fuerint alicui centum oues, & errauerit vna ex eis: nónne relinquit nonaginta nouem in montibus, & vadit quærere eam, quę errauit? & si cōtigerit, vt inueniat eam: amen dico vobis, q̄ gaudet super ea magis, q̄ super nonaginta nouem, quę non errauerunt. Sic non est voluntas ante patrem vestrum, qui in cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis. [g] Si Luce.17.a

autē peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eū inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem Leuit.19.d

tuum: si autem te nō audierit, adhibe tecū adhuc vnū, vel duos, vt in ore duorū vel trium testium stet omne Eccle.19.b

verbū. Quòd si nō audierit eos: dic ecclesiæ: si autem ecclesiam non audierit: sit tibi sicut ethnicus & publi- Iacob.5.d

C canus. [h] Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis super terram, erunt ligata in cœlo: & quęcunq; solueritis Deut.19.b

super terrā, erunt soluta in cœlo. Iterū dico vobis: quod si duo ex vobis consenserint super terrā, de omni re 2.Cor.13.a

quamcunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis est. [i] Vbi enim sunt duo, vel tres cōgregati in nomi- Hebr.10.e

ne meo, ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum, dixit: Domine, quoties peccabit in me fra- Luce.17.a

ter meus, & dimittam ei? Vsque septies? Dixit illi IESVS, Non dico tibi vsque septies: sed vsque septuagies septem. Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationē ponere, oblatus est ei vnus qui debebat ei decem millia talentorū. Cum autē non haberet vnde redderet, iussit eum dominus eius vænundari & vxorem eius & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille, adorabat eum, dicens: Domine patiētiam habe in me, & omnia red-

D dam tibi. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eū, & debitum dimisit ei. Egressus autem seruus ille, inuenit vnum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios: & tenens suffocabat eū dicens: Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autē conserui eius, quæ fiebant: contristati sunt valde: & venerunt, & narrauerunt domino suo omnia, quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus suus, & ait illi: Serue nequam, omne debitum illud dimisi tibi, quoniam rogasti me: nónne ergo oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, [k] quoadusq; redderet vniuersum debitum. Sic & pater meus cœlestis faciet vobis, si nō remiseritis vnusquisq; fratri suo de cordibus vestris delicta illorum.

SCHOLIA.

[a] In illa hora.] *Nempe cum vidissent, parem censum datum pro Domino & Petro. Tu vero cogita, vt sensim significet Petrum alijs præficiendum: vt doceat cum inter pares eligendus sit, qui alijs præsit, cautius esse agendum. Vide & discipulorum modestiam, qui tametsi adhuc essent imperfectiores, nō tamen indignantur, sed tacite quasi significari sibi postulant, num eum velit reliquis antecedere. Neque tamen hoc dissimulat Dominus, nam cum omnium vitiorum initia obseruanda sint, illud ambitionis maxime omnium, nam vix intelligitur dum surrepit, & cuius mentem occupauerit, omnia corrumpit bona, & in omnia præcipitat scelera. Lege Chrysostomum. Περὶ τῆς ἐγωσύνης.* [b] Et qui susceperit vnum paruulum.] *Ne graue vobis sit, inquit, submittere vos, videte quantum his paruulis honorem tribuam.* [c] Necesse est enim, vt veniant scandala.] *Necessitas hæc non aufert libertatem, aut vim affert: sed hic loquendi mos est, cum cernimus prauos tam multorum hominum mentes: quarum natura est, erumpere aliquando in facinora: vt quod diu parturierunt, aliquando pariant.* [d] Si oculus tuus.] *Quod iubet erui oculum, qui scandalizet, ex eo liquet, non esse, vt sonat litera, intelligendum, quod non accidit, vt vnus oculus sine altero offendat, alioqui oportuerat dicere, si oculi tui, &c. Per oculum ergo & manum & pedem intellige charos & necessarios, qui reyciendi sunt, si sint offendiculo.* [e] Venit enim filius hominis.] *Quid ergo spernis, quem ipse Dei filius venit, vt seruet?* [f] Quid vobis videtur?] *Sic connecte: Quid mirandum est cur venerim? nonne & in humanis rebus id vsu venit? atque ita exemplum proponit amissæ ouis.* [g] Si autem peccauerit in te.] *Superius quidem præceptum tibi est, ne in fratrem pecces, quod si ipse in te peccauerit: vade, & argue inter te & ipsum: ob-*

ſerua vero quam ob cauſam: nempe non, vt tibi ſatisfiat, quod manifeſte apparet, cum addit: ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum. Admonendus eſt ergo frater, non vt cum eo expoſtulemus iniuriam, ſed lucrandi illius gratia. [h] Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis.] *Addit auctoritatem, vt qui ſpernere eccleſiam cogitauerit, intelligat quid contemnat.*

[i] Vbi enim ſunt duo.] *Quid? cum vno non erit, qui ſibi ſolus viuat? Sed oſtendere vult, quantum ei placeat concordia atq; vnanimitas.* [k] Quoadusq; redderet vniuerſum debitum.] *Si, quod remiſſum eſt, iterum repetitur, quomodo ſunt dona Dei ſine pœnitentia? intellige ergo vniuerſum debitum, peccatum illud, quo ingratus beneficentiæ Domini tantæ, ne exiguum quidem debitum remittere fratri voluit: quod peccatum tam graue fuit, vt illud prius decem millium talentorum debitum æquauerit.*

CAPVT XIX.

Marc.10.a

ET factum eſt cum conſummaſſet IESVS ſermones iſtos, migrauit à Galilæa, & venit in fines Iudææ A trans Iordanem, & ſecutæ ſunt eum turbæ multæ: & curauit eos ibi. Et acceſſerunt ad eum Phariſæi

Geſ.1.d Geſ.2.d Ephe.5.g 1.Cor.6.d Deut.24.a Supra.5.e Marc.10.d Luce.10.d 2.Cor.7.b

[a] tentantes eum, & dicentes: Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacunq; ex cauſa? Qui reſpondens ait eis: An non legiſtis, quod qui fecit ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? [b] & dixit: Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adherebit vxori ſuæ: & erunt duo in carnem vnam: itaq; iam non ſunt duo: ſed vna caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non ſeparet. Dicunt illi: Quid ergo Moyſes mandauit dari libellum repudij, & dimittere eam? Ait illis: Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis: quòd quicunque dimiſerit vxorem ſuam, B

Marc.10.b Luce.18.c Marc.10.b Luce.18.d

[c] niſi ob fornicationem: & aliam duxerit: mœchatur: & qui dimiſſam duxerit: mœchatur. Dicunt ei diſcipuli eius: Si ita eſt cauſa hominis cum vxore, non expedit nubere. Qui dixit illis: Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi, qui de matris vtero ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtrauerunt propter regnum cœlorum. Qui poteſt capere capiat. Tunc oblati ſunt ei paruuli, vt manus eis imponeret, & oraret. Diſcipuli autem increpabant eos. IESVS vero ait eis: Sinite paruulos: & nolite eos prohibere ad me venire: talium eſt enim regnum cœlorum. Et cum impoſuiſſet eis manus, abijt inde. Et ecce vnus accedens, ait illi: Magiſter bone, quid boni faciam, vt habeam vitam æternam? Qui dixit ei: [d] Quid me vocas bonum? nullus eſt bonus, niſi vnus, nempe Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. [e] Dicit illi: Quæ? IESVS autem dixit: Non homicidiũ

Exod.20.c

facies: Non mœchaberis: Non facies furtum: Nõ falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum & matrẽ. Diliges proximum tuum ſicut teipſum: Dicit illi adoleſcens: Omnia hæc cuſtodiui à iuuentute mea: quid adhuc mihi deeſt? Ait illi IESVS. [f] Si vis perfectus eſſe, vade, vende, quę habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo: & veni, ſequere me. Cum audiſſet autem adoleſcens verbum: abijt triſtis: erat enim habens multas poſſeſſiones. IESVS autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, quod diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis, facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum cœlorum. Auditis autem his diſcipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit ſaluus eſſe? Aſpiciens autem IESVS, dixit illis, [g] Apud homines hoc impoſsibile eſt: apud Deum autem, omnia poſsibilia ſunt. Tunc reſpondens Petrus, dixit ei. Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? IESVS autem dixit illis: Amen dico vobis: quòd vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cũ ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: [h] centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Multi

Marc.10.d Luce.13.f

autem erunt primi nouiſsimi: & nouiſsimi primi.

SCHOLIA.

[a] Tentantes eum.] *Exiſtimabant poſſe ſe eum capere in ſermone: nam dixerat, quiſquis excepta cauſa fornicationis dimitteret vxorem, hunc facere eam mœchari. Obiciunt ergo ei legem Moſi, cui videretur aduerſari: ſed docet Dominus, & ipſum Moſen ſecum facere. Sic certum eſt, quòd is peccat in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem.* [b] Et dixit: propter hoc relinquet homo.] *Dixit nempe Deus per os Adæ.* [c] Niſi ob fornicationem.] *Quod Dominus excipit cauſam ſtupri, hoc rectè factum eſt, cum recta contra matrimony cura, naturamque coniugalis vinculi feratur. Ex his autem Domini verbis fuerunt hæc præſertim ætate, qui longis diſputationibus probare conati ſunt, eum, qui cauſa ſtupri dimiſiſſet vxorem, poſſe aliam ducere: ſed non video, quo pacto ex Euangelio, aut etiam ex Paulo probare hoc poſsint: nam quod apud Matthæum legitur: qui dimiſerit vxorem ſuam, niſi cauſa ſtupri, & aliam duxerit, committit adulterium, ſi diligenter verba examinentur, non dicitur, licere ei cauſa ſtupri aliam ducere, ſed adulteram dimittere: neq; enim dixit, qui aliam duxerit, niſi cauſa ſtupri, ſed qui dimiſerit, niſi cauſa ſtupri, vt illud, niſi cauſa ſtupri, referatur ad dimiſsionem vxoris, non ad id quod ſequitur, videlicet & aliam duxerit. Illud vero aliam duxerit, abſolute intelligatur de quacunq; dimiſsione, qualibet ex cauſa, quod vt credam facit locus apud Marcum, vbi ſic legitur Dominũ dixiſſe: quicunque dimiſerit vxorem ſuam & aliam duxerit, adulterium committit ſuper eam. Et ſi vxor dimiſerit virum ſuum, & aly nupſerit, adulterium committit. Cernis hic nullam fieri exceptionem, cum dicitur eum, qui ſua vxore dimiſſa aliam duxerit, committere adulterium, & præterea parem eſſe vtriuſque viri ſcilicet atque vxoris conditionem, vt nihilo plus viro liceat quam vxori? quæ res etiam Pauli apoſtoli ſcribentis ad Corinthios ſententiam facit apertiorem, vbi ſic ſcribit. Coniugatis præcipio non ego ſed Dominus, vxor à viro ne ſeparetur, quod ſi ſeparata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus vxorem non dimittat. Quis autem dubitet, ſubintelligenda eſſe reliqua verba, quæ de vxore dixit? alioqui cur mariti cauſa in hac parte potior eſſe deberet, præſertim eum, ſi indulgentia fuiſſet vtendum, ſexui fuiſſet indulgendum infirmiori? quòd ſi voluiſſet marito aliquid indulgere, declarauiſſet omnino: neque rem tanti momenti ita frigidæ præteriiſſet.* [d] Quid me vocas bonum?] *Non increpat, quaſi falſum dixerit, ſed reſpondet eius animo de more: is enim illum tantũ hominem cenſebat, non etiam Deum. Vide autem, vt rem ex media philoſophia leuiter pertranſeat Dominus: vt nos doceat, qui ſit in prædicatione*

ratione ſeruandus modus. [e] Dicit illi: Quæ?] *Non ignorabat adoleſcens præcepta? ſed exiſtimabat maius aliquid opus eſſe ad tantam rem adipiſcendam, quàm id, quod præceperat Moſes: qui ſeruantibus ea præcepta non fecerat vitæ æternæ mentionem.* [f] Si vis perfectus eſſe.] *Adhuc vnum, inquit, vt ſcribit Marcus, & Lucas, tibi deeſt: nequedum impleſti, vt arbitraris, præcepta: alioquin vnde tibi tam multa diuitiæ, ſi proximum tuum, vt fratrem, imò vt teipſum dilexiſti?* [g] Apud homines hoc impoſsibile eſt.] *Cur hoc in diuitys tantum hoc dixit? videntur mihi omnes, qui peccant, naufragium facere: at in naufragio aly adhærent alicui rei cui innixi non omnino ſine ſpe ſunt: aly ſine ſpe relicti vndas ſeruntur: qui ſeruentur, ſolius Dei beneficio acceptam referunt ſalutem: quamuis etiam aly, qui tabula aliqua ferebantur, gratias agant ſeruatori Deo. Diuites ergo iys ſimiles ſunt, qui amiſſa alioqui omne ſpe, ſolius Dei quodam miraculo ſeruantur. Et cum tam periculoſa res ſint diuitiæ, is tamen felicior à ſtulto hominum errore creditur, qui ditior eſt: hoc eſt, qui ſæuioribus circum voluitur fluctibus.* [h] Centuplum accipiet.] *Nimirum in hoc ſæculo, vt aly explicant euangeliſtæ: alioquin ſuperſtitum erat addere: & vitæ æternæ accipiet hæreditatem.*

CAPVT XX.

A SImile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo mane conducere operarios in vineã ſuam. Cõuentione autem facta cũ operarijs in ſingulos dies denario, miſit eos in vineam ſuam. Et egreſſus circa horã tertiam, vidit alios ſtantes in foro ocioſos, & dixit illis, Ite & vos in vineam: & quod iuſtum fuerit dabo vobis. Illi aũt abierunt. Iterum autem exijt circa ſextam, & nonam horam: & fecit ſimiliter. Circa vndecimam vero exijt, & inuenit alios ſtantes ocioſo: & dicit illis: Quid hic ſtatis tota die ocioſi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam, & quicquid iuſtum fuerit accipietis. Cũ autem veſpera facta eſſet, dicit Dominus vineæ procuratori ſuo, voca operarios, & redde illis mercedem: incipiens à nouiſsimis vſque ad primos. Cum veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperũt B

Supra.19.d Marc 10.d Luce.13.f Marc.10.e Luce.18.e

ſinguli denarium. Venientes autem primi, arbitrati ſunt q̃ plus eſſent accepturi, acceperunt autem & ipſi ſinguli denarium. Et accipientes murmurabant aduerſus patremfamilias, dicentes: Hi nouiſsimi vna hora fecerunt: & pares illos nobis feciſti: qui portauimus pondus diei & æſtum? At ille reſpondens, vni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade: volo autem huic nouiſsimo dare ſicut & tibi. An non licet mihi quod volo facere in rebus meis? an oculus tuus ne-

Marc.10.e

quam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt nouiſsimi primi: & primi nouiſsimi: multi enim ſunt vocati pauci C vero electi. Et aſcendens IESVS Ieroſolymã aſſumpſit duodecim diſcipulos ſecreto in via, & ait illis: Ecce aſcendimus Ieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & ſcribis, & condemnabũt eũ morte, & tradent eum gentibus ad illudendum & flagellandum & crucifigendum, & tertia die reſurget. Tũc acceſsit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filijs ſuis, adorans & petẽs aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Marc.10.e

Ait illi: Dic, vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondẽs autem IESVS, dixit: [b] Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum, aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari? Dicũt ei: Poſſumus. Ait illis: Calicem quidem meum bibetis: & baptiſmo, D quo ego baptizor baptizabimini, ſedere autem dexteram meam & ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à patre meo. Et audientes decem, indignati ſunt de duobus fratribus. IESVS autẽ vo- Marc 10. g. Luce.22.c

cauit eos ad ſe, & ait: Scitis q̃ principes gentiũ dominantur eis: & qui magni ſunt poteſtatem exercent in eas. Non ita erit inter vos: ſed quicunq; voluerit inter vos magnus fieri, ſit veſter miniſter: & qui voluerit inter vos primus eſſe, ſi veſter ſeruus: ſicut filius hominis non venit, vt ſibi miniſtraretur, ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis. Et egredientibus illis ab Iericho, ſecuta eſt eum turba multa, & Marc.10. g

ecce duo cæci ſedentes ſecus viam, audierunt q̃ IESVS tranſiret: & clamauerunt dicẽtes: Domine, miſerere Luc.10.f.g

noſtri, fili Dauid. Turba autem increpabat eos, vt tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Domine miſerere noſtri, fili Dauid. Et ſtetit IESVS, & vocauit eos, & ait: Quid vultis, vt faciam vobis? Dicunt illi. Domine, vt aperiantur oculi noſtri. Miſertus autem eorum IESVS, tetigit oculos eorum, & confeſtim viſum receperunt oculi eorum: & ſecuti ſunt eum.

SCHOLIA.

[a] Simile eſt enim.] *Dixerat, fore, vt ſint multi primi nouiſsimi, & nouiſsimi primi: intelligens gentes præceſſuras eſſe Iudæos: quod nunc per hanc parabolam indicat: in qua obſeruandum eſt, quàm pulchre perſona exprimatur benigniſsimi patrisfamilias Dei, qui nos quærat, ocioſos excitet, murmurantibus amice reſpondeat, breuiterq; nunquam à bonitate recedat. Quod autem reſponſum à quibuſdam eſt: nemo nos conduxit: non ob hoc dictum eſt, quòd vlli vnquam ſeculo defuerit Deus, quin potuerint homines illum agnoſcere, cum aperte Paulus dicat: potuiſſe Deum agnoſci per ea, quæ facta ſunt, ſed tacite arguitur ingratitudo Iudæorũ, quibus tantæ diuinorum eloquiorum diuitiæ donatæ ſunt, vt præ illis alys videantur neglecti. Quod vero concludit: multi enim ſunt vocati, pauci vero electi, ſic adnectẽte: cauſa cur qui primi erant, poſtremi fiant, eſt, quòd, & ſi vocati ſint tam multi, ſuo tamen vitio non eligantur, præter paucos: prædicit igitur duo, & gentes præceſſuras, & paucos è Iudæis ſeruandos.* [b] Neſcitis quid petatis.] *Ignorabant adhuc diſcipuli quale futurum eſſet Chriſti regnum: & exiſtimantes Dominum poſt reſurrectionem, de qua dixerat, eo modo regnaturum, quo cæteri Iudæorum reges, illud petierũt, de quo ait, eos neſcire quid peterent, primo quia ignorabant, quale illud eſſet, deinde quòd neſcirent, quo pacto eò perueniretur, nempe per afflictiones & mortem, neque tamen id ſufficere, quia & ſi paterentur, non tamen regni illius conſortium darent cognationis gratia, & perſonarum contemplatione, quemadmodum illi expectabant.*

CAPVT XXI.

A ET cum appropinquaſſent Ieroſolymis, & veniſſent Bethphage ad montem oliuarum, tunc IESVS Marc.11.a

miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contra vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cũ ea: ſoluite, & adducite mihi: & ſi quis vobis aliquid dixerit: dicite quòd Dominus his opus habet, & cõfeſtim dimittet eos. Hoc autem totum factum eſt, vt adimpleretur, quod dictum eſt Luce.19.c

Esa.26.d per prophetam dicentem:Dicite filię Sion:Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinã & pullũ fi-
Zacha.9.b liũ subiugalis.Euntes autem discipuli fecerunt sicut præcepit illis IESVS. Et adduxerunt asinam & pullũ,
Ioan.12.b. & imposuerunt super eos vestimenta sua,& eum desuper sedere fecerunt.Plurima aũt turba strauerunt vesti-
menta sua in via: alij autem cędebant ramos de arboribus,& sternebant in via:turbæ autem, quæ præcede- B
Psal.117.d bant,& quæ sequebantur,clamabant,dicentes:Hosanna filio Dauid, [a] benedictus qui venit in nomine Dñi:
Marc.11.b [b] hosanna in altissimis. Et cum intrasset Ierosolymam, commota est vniuersa ciuitas dicens: Quis est hic?
Luce.19.g Populi autem dicebant, Hic est IESVS propheta à Nazareth Galilææ. Et intrauit IESVS in templũ Dei,
& eijciebat omnes vendentes,& ementes in templo, & mensas nummulariorum, [c] & cathedras vendentiũ
Hiere.7.c columbas euertit:& dixit eis,scriptum est:Domus mea,domus orationis vocabitur: vos autem fecistis illam
Esa.56.b speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cæci,& claudi in templo:& sanauit eos. Videntes autem prin-
cipes sacerdotum, & scribæ, mirabilia, quæ fecit, & pueros clamantes in templo & dicentes:Hosanna filio C
Psal.8.b Dauid:indignati sunt,& dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? IESVS autem dicit eis, Vtique, nunquam le-
Marc.11.b gistis:Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abijt extra ciuitatem in Bethaniam:
ibiq; mansit.Mane autem reuertens in ciuitatem, esurijt. Et videns fici arborem vnam in via venit ad eam,
Marc.11.c [d] & nihil inuenit in ea nisi folia tantum,& ait illi: Ne posthac ex te fructus nascatur in sempiternum.Et are-
facta est continuo ficus. Et videntes discipuli,mirati sunt,dicentes:Quomodo continuo aruit ficus?Respon-
dens autem IESVS, ait eis: Amen dico vobis,si habueritis fidem & non hæsitaueritis, non solum quod ac-
cidit ficui,facietis,sed & si monti huic dixeritis: Tollere & iacta te in mare,fiet. Et omnia quæcunque petie D
Supra.7.a ritis in oratione credentes,accipietis. Et cum venisset in templum,accesserunt ad eum docentem principes
Marc.11.d sacerdotum,& seniores populi dicentes:In qua potestate hæc facis?& quis tibi dedit hanc potestatem? Respõ
Luce.20.a dens autem IESVS, dixit eis:Interrogabo vos & ego vnum sermonem:quem si dixeritis mihi,& ego vobis
dicam in qua potestate hęc facio.Baptismus Ioannis vnde erat,è cœlo, an ex hominibus? At illi cogitabant
apud se,dicentes:Si dixerimus è cœlo, [e] dicet nobis:Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, ex
Supra.14.a hominibus,timemus turbam:omnes enim habebant Ioannem sicut prophetam. Et respondentes IESV,
dixerunt:Nescimus. Ait illis & ipse:Nec ego dico vobis in qua potestate hæc facio. Quid autem vobis vide- E
tur? [f] Homo quidam habebat duos filios:& accedens ad primum, dixit: Fili, vade hodie operare in vinea
mea. Ille autem respondens,ait: Nolo.Postea autem pœnitentia motus, abijt. Accedens autem ad alterum,
dixit similiter. At ille respondens,ait: Eo Domine. Et non iuit. Quis ex duobus fecit voluntatem patris?
Dicunt ei,Primus.Dicit illis IESVS: Amen dico vobis,quod publicani & meretrices præcedunt vos in re-
gnum Dei.Venit enim ad vos Ioannes in via iustitiæ,& non credidistis ei:publicani autem & meretrices cre F
diderunt ei:vos autem videntes non fuistis commoti pœnitentia postea,vt crederetis ei. Aliam parabolam
Marc.12.a audite: Homo erat paterfamilias,qui plantauit vineam,& sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, &
Luce.20.b ædificauit turrim, & locauit eam agricolis: & peregre profectus est. Cum autem tempus fructuum appro-
Esaie.5.a pinquasset:misit seruos suos ad agricolas, vt acciperent fructus eius: Et agricolæ apprehensis seruis eius,aliũ
Hiere.2.d cæciderunt,alium occiderunt,alium vero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus: & fece-
runt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum,dicens: Verebuntur filium meum. Agrico-
læ autem videntes filium,dixerunt inter se,Hic est hæres,venite,occidamus eum,& habebimus hereditatem G
eius. Et apprehensum eum,eiecerunt extra vineam:& occiderunt. Cum ergo venerit dominus vineæ,quid
faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddent ei
Psal.117.d fructum temporibus suis. Dicit illis IESVS: Nunquam legistis in scripturis: Lapidem quem reprobaue-
Acto.4.b runt ædificantes,hic factus est in caput anguli? A domino factum est istud: & est mirabile in oculis nostris.
Roma.9.g Ideo dico vobis,quòd auferetur à vobis regnum Dei,& dabitur genti facienti fructus eius. Et [g] qui cecide-
1.Petr.2.a rit super lapidem istum,confringetur:super quem vero ceciderit,conteret eum. Et cum audissent principes
Esaie.28.d sacerdotum & pharisæi parabolas eius,cognouerunt quòd de ipsis diceret.Et quærentes eum tenere, timue-
runt turbas:quoniam sicut prophetam eum habebant.

SCHOLIA.

[a] Benedictus qui venit.] *Helias Hebræus magister meus narrauit hæc verba solita dici à sacerdotibus,cum victimæ afferebantur immolandæ,quod pulchrè hic in vera victima Christo impletũ fuit.* [b] Hosanna in altissimis.] *Proficiscatur,inquiunt,vsque ad cœlum ista vox laudis.Hosanna vero peculiaris vox est apud Hebræts qualis est apud nos, Io triumphe.* [c] Et cathedras vendentium columbas euertit.] *Mirum videri posset, cur, cum non minor vsus in templo esset turturum quàm columbarum,cathedras tantum vendentium columbas euerterit,nisi aperte sciretur mysterium.* [d] Et nihil inuenit in ea.] *Manifeste hoc totum ob mysterium factum est, alioquin ignorare qui potuisset,nihil ibi se reperturum fructuum,cum non esset tempus ficorum?* [e] Dicet nobis,quare ergo non credidistis?] *Qui scilicet tantum ac tam euidens de me tulit testimonium.* [f] Homo quidam habebat duos filios.] *Aperit demum,quid velit parabola hæc,cum ait publicanos & meretrices præcessuras Iudæos in regnum Dei.Nam,quæ sequitur parabola,apertior est,quid spectet,quam vt necesse sit eam declarare:tantum accipe per vineam Iudæos, per sepem, legem: per torcular,altare:per turrim,templum.* [g] Qui ceciderit super.] *Videlicet obsistendo,et opponendo sese,super quẽ vero ceciderit,cũ vlciscetur aduersarios.*

CAPVT XXII.

Luca.14.d ET respondens IESVS, dixit iterum in parabolis eis,dicens: [a] Simile factũ est regnum cœlorũ homi- A
Apoc.19.b ni regi,qui fecit nuptias filio suo. Et misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias, & nolebant veni-
re. Iterum misit alios seruos,dicens:Dicite inuitatis:Ecce prandium meum paraui, tauri mei & al-
tilia occisa sunt,& omnia parata:venite ad nuptias.Illi autem neglexerunt:& abierunt alius in villam suam,
alius vero ad negociationem suam. Reliqui vero tenuerunt seruos eius,& contumelijs affectos occiderunt.

Rex autem cum audisset,iratus est:& missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorũ suc
cendit.Tunc ait seruis suis:Nuptiæ quidem paratæ sunt:sed qui inuitati erant,non fuerunt digni:ite ergo ad
B exitus viarum:& quotcunq; inueneritis,vocate ad nuptias. Et egressi serui illi in vias, congregauerunt om-
nes quotquot inuenerunt,malos & bonos:& impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Intrauit autem rex, vt
videret discumbentes:& vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali:Et ait illi. Amice, quomodo huc in
trasti non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit.Tunc dixit rex ministris:Ligatis manibus & pedibus Mar.12.b.c
eius,mittite eum in tenebras exteriores:ibi erit fletus,& stridor dentium. Multi enim sunt vocati: pauci ve- Luce.20.d
ro electi. Tunc abeuntes pharisæi,consilium inierunt,vt caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipu-
los suos cum herodianis,dicentes:Magister:scimus quod verax es,& viam Dei in veritate doces, & non est ti-
bi cura de aliquo:non enim respicis personam hominum:dic ergo nobis,quid tibi videtur,licet censum da-
re Cæsari,an non?Cognita autem IESVS malia eorum, ait, Quid me tentatis hypocritæ? Ostendite mihi
numisma census. At illi obtulerunt ei denarium.Et ait illis IESVS. Cuius est imago hæc,& superscriptio?
C Dicunt ei,Cæsaris. Tunc ait illis: [b] Reddite ergo,quæ sunt Cæsaris,Cæsari:& quæ sunt Dei,Deo. Et audiẽ Rom.13.c
tes mirati sunt,& relicto eo,abierunt. Illo die accesserunt ad eum Sadducęi,qui dicunt non esse resurrectio- Marc.12.b
nem:& interrogauerunt eum, dicentes:Magister,Moyses dixit:Si quis mortuus fuerit non habens filium, vt Luce.20.d
ducat frater eius vxorem illius,& suscitet semen fratri suo. Erant autem apud nos septem fratres: & primus Acto.23.b
vxore ducta,defunctus est:& non habens semen,reliquit vxorem suam fratri suo. Similiter secundus,& ter- Deut.25.b
tius vsq; ad septimum. Nouissime autem omnium,& mulier defuncta est.In resurrectione ergo, cuius erit
de septem,vxor? omnes enim habuerunt eam. Respondens autem IESVS, ait illis, Erratis nescientes scri-
pturas,neque virtutem Dei. In resurrectione enim,neque nubunt, neque nuptui dantur, sed sunt sicut an-
geli Dei in cœlo. [c] De resurrectione autem mortuorum non legistis,quòd dictum est à Deo,dicente vobis,
Ego sum Deus Abraham,& Deus Isaac,& Deus Iacob? Non est Deus, Deus mortuorũ, sed viuentium. Et Exod.3.b
D audientes turbæ,mirabantur in doctrina eius. Pharisæi autem audientes, quòd silentiũ imposuisset Saddu-
cæis,conuenerunt in vnum:& interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum & dicens: Magister, Marc.12.c
quod est mandatum magnum in lege? Ait illi IESVS: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Luce.10.e
& in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem si- Deut.6.a
mile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & pro- Leui.19.d
phetę. Congregatis autem pharisęis,interrogauit eos IESVS, dicens,Quid vobis videtur de CHRISTO? Marc.12.c Marc.12.d
Cuius filius est? Dicunt ei,Dauid. Ait illis: [d] Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eũ Dominum? dicens: Luce.20.d
Dixit Dominus Domino meo,sede à dextris meis,donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum? Psal.109.a
Si ergo Dauid vocat eum Dominum:quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum: neq;
ausus fuit quisquàm ex illa die eum amplius interrogare.

SCHOLIA.

[a] Simile factum est regnum cœlorum homini regi.] *Superius in parabola locatæ vineæ, ostenderat agricolas, quibus locata fuerat,nempe scribas & pharisæos priuandos hac vinea:hoc est,auferendum ab eis regnum Dei, & dandum gentibus. Idem significat in parabola nuptiarum,sed de vocatis gentibus aliquanto apertius tractat: Nam cum vidisset rex eos,qui prius vocati erant,non tam noluisse venire,quàm indignos fuisse,qui admitterentur, iubet seruos ad exitus viarum (nam gentes inuia sequebantur quanquàm per exitus viarum,loca vbi plures concurrunt viæ,significantur) accedere, & sine delectu inuitare omnes, & ne quis existimet se,vbi primum vocatus est,non habere quod amplius metuat, dicit inuentum quendam sine nuptiali veste, & proiectum in tenebras extremas. Quod vero concludit multos vocatos esse,paucos vero electos,sunt qui existiment parum respondere parabolæ,vbi in illo conuiuio vnus tantum dicatur eiectus. Sed primum sciendum est per vnum qui eiectus sit,significari non omnes,qui vocati sint,fuisse seruatos,deinde cum illo qui eiectus est, coniunguntur & omnes illi,qui vocati primum fuerant,qui non fuerunt digni. Ita cum superiores illi omnes (nam Iudæorum genus præter admodum paucos totum peryt) exclusi fuerint, & aliqui præterea ex ijs, qui ad nuptias introducti fuerant, pulchre concluditur,multos vocatos,paucos vero electos fuisse.* [b] Reddite ergo.] *Rogastis me,inquit,num liceat censum dari Cæsari,ego non dico dandum,quod verbum venari à me tentatis,sed reddendum Cæsari quod suum est, & quod suum est Deo.* [c] De resurrectionem autem mortuorum.] *Colligit resurrectionem mortuorum ex eo quòd, cum dicat scriptura: ego sum Deus Abraham, &c. Deus sit viuorum Deus, & non mortuorum. Quòd si quis interroget: nunquid Deus non potest Deus esse viuorum,si etiam mortui non resurgant? cum satis sit ad hanc rem, vt viuant animæ. Sed videtur voluisse Dominus, necessario consequi, vt si immortales sint animæ,corpora etiam resurgant,ne vis illa,quæ videtur adhibita naturæ in illa dissolutione animæ à corpore,perpetua sit:cui rei etiam externi assentiuntur. Cum dicunt,id nullo modo æternum esse posse,quod sit violentum. Idem sensit, & qui de Iuda Maccabæo scripsit, cũ ait: Nisi enim eos,qui ceciderant,resurrecturos sperasset,superfluum fuisset ac vanum orare pro mortuis.Cum alioqui prodesse & animabus potuerit illa oblatio: sed existimabant, vt dixi, alterum alteri adhærere necessario.* [d] Quomodo ergo Dauid in spiritu vocat eum Dñm.] *Pulcherrimum ex veteri lege de diuinitate Christi testimonium,quod Iudæi refellere nequiuerũt,nec tamen soluere norunt, cum mysterium non intelligerent, alioqui facile respondissent,vocatum à Dauid Dominum,quatenus esset Deus.*

CAPVT XXIII.

A TVnc IESVS locutus est ad turbas, & ad discipulos suos dicens: [a] Super cathedram Moysi sederunt
scribę & pharisęi.Omnia ergo quęcunque dixerint vobis,vt seruetis,seruate & facite:secundũ opera
vero eorũ nolite facere,dicunt enim,& non faciunt. Alligant enim onera grauia, & importabilia, Luce.11.g
& imponunt in humeros hominum:digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia vero opera sua faciunt, vt Marc.12.d
videantur ab hominibus:dilatant enim philacteria sua, & magnificant fimbrias vestimentorum suorum. Luce.11.f &.20.g
Amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vo- Iacob.3 a

cari ab hominibus rabbi. Vos autē nolite vocari rabbi: vnus est enim magister vester, CHRISTVS: omnes autem vos, fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terrā: vnus est enim pater vester qui in cœlis est.
Luce.14.c & 18.c Nec vocemini magistri: quia magister vester vnus est, CHRISTVS. Qui maior est vestrū, erit minister ves- B
ster. Qui autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur. Væh autem vobis scribæ &
pharisæi hypocritæ: quia clauditis regnum cœlorum ante homines: vos enim non intratis: nec introeuntes
Marc.12.d Luc.20.g finitis intrare. Væh vobis scribæ & pharisæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarum, dum sub prætextu
oratione longa oratis: [b] propter hoc amplius accipietis iudiciū. Væh vobis scribę & pharisæi hypocritę: quia
circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennæ du-
plicius quàm vos. Væh vobis duces cæci, qui dicitis: Quicunq; iurauerit per templum, nihil est: qui autem iu-
rauerit [c] in auro templi, debitor est. Stulti & cæci, quid enim maius est: aurum an templum quod sanctificat
aurum? Et quicunq; iurauerit in altari, nihil est: quicunq; autem iurauerit in dono quod est super illud, de-
bet. Stulti & cæci, quid enim maius est: donum, an altare, quod sanctificat donum? Qui ergo iurat in altari:
iurat in eo, & in omnibus quæ super illud sunt: & quicunq; iurauerit in templo: iurat in illo, & in eo qui ha- C
Luce.11.f bitat in ipso: & qui iurat in cœlo, iurat in throno Dei, & in eo qui sedet super eum. Væh vobis scribę & pha-
risæi hypocritæ: quia [d] decimatis mentham & anethum & cyminum, & reliquistis quæ grauiora sunt legis,
iudicium & misericordiam, & fidem: hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci excolantes culicē,
camelum autē glutientes. Væh vobis scribæ & pharisæi hypocritę: quia [e] mundatis quod deforis est calicis,
& paropsidis, intus autem plena sunt rapina, & immunditia. Pharisæe cęce, munda prius quod intus est cali-
cis, & paropsidis, vt fiat & id quod deforis est, mundum. Væh vobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia simi-
les estis sepulchris dealbatis: quæ foris quidē apparēt hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mor-
tuorum, & omni spurcitia: sic & vos foris quidem apparetis hominibus iusti: intus autē pleni estis hypocrisi,
& iniquitate. Væh vobis scribæ & pharisæi hypocritæ: quia ædificatis sepulchra prophetarum, & ornatis mo
numenta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socij eorum in sangui- D
ne prophetarum: itaq; [f] testimonio estis vobismetipsis, quòd filij estis eorum qui prophetas occiderunt. Et
vos implete mensuram patrum vestrorum. Serpentes, genimina viperarum: quomodo fugietis à iudicio ge-
hennæ? [g] Ideo, Ecce ego mitto ad vos prophetas, & sapientes & scribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis, &
ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatē: vt veniat super vos omnis san-
Gene.4.b Hebr.11.a 2.Pa.24.F Luce.13.g 4.Esd.1.c guis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ,
quem occidistis inter templum, & altare. Amen dico vobis: venient hæc omnia super generationem istam.
Ierusalem, Ierusalē, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios
tuos quemadmodum gallina cōgregat pullos suos sub alas, & noluistis? Ecce relinquitur vobis domus vestra
deserta. Dico enim vobis, [h] nō me videbitis amodo donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

SCHOLIA.

[a] Super cathedram Moysi.] *Cum scribarum, & phariſæorum iam eſſet deſperata correctio, reliquum erat, vt*
alij admonerentur, ne eorum prauis moribus corrumperentur. Quod autem ait, dilatāt philacteria, & magnificant fimbrias,
taxat eorum inanem gloriam, qui vt viderentur præcipui in legis obſeruantia, ſigna quædam præferebant in veſtibus, &
latiora philacteria faciebant, hoc eſt, membranas illas, quas inſcriptas, verbis legis affigebant frontibus. Eſt autem Græca di-
ctio à verbo φυλάττω, *quod eſt, ſeruo, quòd ſcilicet ſeruarent ibi verba legis.* [b] Propter hoc amplius accipietis iudi-
cium.] *Nam ſimulata æquitas eſt duplex iniquitas, ait Auguſtinus.* [c] In auro templi debitor eſt..] *Hoc eſt per au-*
rum templi. Hebraiſmus eſt, ſcripturæ familiaris: Interea contemplare cœcam auaritiam iſtorum, & in quam perditos &
ſtultos errores auaritia rapiat, vt merito dixerit, Stulti & cæci. [d] Decimatis.] *Decimas offertis rerum minutarum, vt*
videamini obſeruatores legis perfecti. [e] Mundatis quod de foris eſt calicis.] *Metaphora eſt, vt ergo lauantur vaſa,*
mundandæ interioris primum partis gratia, quæ vſui hominū ſeruit, ſic interior in primis purificandus eſt homo, quē vnum
Deus intuetur. [f] Teſtimonio eſtis.] *Bene inquit dicitis homicidas fuiſſe patres veſtros, nam vos illos imitamini, vt filij*
parentum ſimiles eſſe ſolent, iccirco impletis menſuram patrum veſtrorum: non ergo reprehēdit, quod ædificent ſepulchra pro-
phetarum, ſed alludit ad nomen patrum & filiorum. Vt oſtendat eos, cum homicidas illos, appellant patres ſuos, recte id face-
re, neque à parentum degenerare moribus. [g] Ideo, ecce ego mitto ad vos.] *Iccirco multo ante prædico vobis, quod eſtis*
facturi. [h] Non me videbitis amodo.] *Docentem videlicet, ac palam loquentem. Nam habes apud Lucam, illum poſt*
hæc verba, non ante ingreſſum fuiſſe templum, & docuiſſe populum, quàm clamatum ſit, benedictus qui venit rex, &c.

CAPVT XXIIII.

Marc.13.a Luce.21.b
ET egressus IESVS de templo, ibat. Et accesserunt discipuli eius, vt ostenderent ei ædificationes tem- A
pli. IESVS autem dixit illis: Videtis hæc omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super
lapidem, qui non destruatur. Sedente autem eo super montem oliuarum, accesserunt ad eum discipuli
Ephe.5.b Colos.2.d seorsum, dicentes: Dic nobis quando hæc erunt: & quod signū aduentus tui, & consummationis seculi? Re-
spondens IESVS, dixit eis: [a] Videte ne quis vos seducat: multi enim venient in nomine meo, dicentes,
Ego sum CHRISTVS: & multos seducent. Audituri autem estis prælia & opiniones præliorum: Videte
ne turbemini: oportet enim omnia fieri: sed nondum est finis. Cōsurget enim gens in gentem, & regnum in
Ioan.15.c & 16.a Supra.10.c regnum, & erunt pestilentiæ, & fames, & terræmotus per loca: hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc
tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et
tunc scandalizabuntur multi: & inuicem tradent: & odio habebunt inuicem. Et multi pseudoprophetæ sur- B
gent, & seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas: refrigescet charitas multorum: qui autem perse-
uerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Et prædicabitur hoc euangelium regni in vniuerso orbe: in testimo-
nium omnibus gentibus: [b] & tunc veniet consummatio. Cū ergo videritis abominationem desolationis,
quæ

quæ dicta est à Daniele propheta, stantem in loco sancto (qui legit intelligat) tunc qui in Iudea sunt, fugiant Marc.13.b
ad montes, [c] & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tolle- Luce.21.d
re vestimenta sua. Væh autem prægnantibus, & lactantibus in illis diebus. Orate autem, vt non fiat fuga ve- Daniel.9.g
stra in hyeme vel sabbato: erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mūdi vsque modo, ne-
que fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: [d] sed propter electos breuiabuntur dies
illi. Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est CHRISTVS, aut illic: nolite credere: surgēt enim pseudo Chri Marc.13.c
sti & pseudo prophetæ: & dabunt signa magna & prodigia, ita [e] vt in errorem inducātur (si fieri possit) etiā Luce.17.e
electi. Ecce prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: ecce in penetralibus: nolite
C credere. [f] Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet vsq; in occidentem: ita erit & aduentus filij hominis.
Vbicunq; enim fuerit cadauer: illuc congregabuntur & aquilæ. Statim autem post tribulationem dierum Marc.13.c
illorum, [g] sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadēt de cœlo, & virtutes cœlorū com- Luce.21.e
mouebuntur: & tunc apparebit [h] signum filij hominis in cœlo, & tunc plangent [i] omnes tribus terræ: & vi Ezec.32.b
debunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa & maiestate. Et mittet angelos suos Esa.13.b
cum tuba voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, [k] à summis cœlorum vsque ad termi Ioel.3.c
nos eorum. Ab arbore autem fici discite parabolā: cum iam ramus eius tener fuerit & folia nata, scitis quòd Apoca.1.b
prope est æstas, ita & vos, cum videritis hæc omnia, scitote quòd prope est in ianuis. Amen dico vobis: quòd
non præteribit [l] generatio hæc, donec hæc omnia fiant: [m] Cœlum & terra transibunt: verba autem mea nō
præteribunt. De die autem illa & hora nemo scit, neq; angeli cœlorum, [n] nisi solus pater meus. Sicut autem Marc.13.d
in diebus Noe: ita erit & aduentus filij hominis: sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bi- Luce.17.f
D bentes, nubentes & nuptui tradentes, vsque ad eum diem quo intrauit Noe in arcam, & non cognouerunt Gene.7.b
donec venit diluuium, & tulit omnes: ita erit & aduentus filij hominis. [o] Tunc duo erunt in agro: vnus assū
mitur, & vnus relinquitur. duæ molentes in mola: vna assumitur, & vna relinquitur. Vigilate ergo: quia ne- Luce.17.g
scitis qua hora Dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quòd si sciret paterfamilias qua hora fur Marc.13.d
venturus esset, vigilasset vtiq;, & nō sinisset perfodi domum suam. Ideo & vos estote parati: quia qua nō pu- Luce.12.e
tatis hora filius hominis venturus est. Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus suus Luce.11.c
super familiam suam, vt det illis cibum in tempore? Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus eius, in-
uenerit sic facientem: amen dico vobis: quòd super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus Apoc.16.c
seruus ille in corde suo. Moram facit Dominus meus venire: & cœperit percutere cōseruos, manducet autem
& bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua ignorat, [p] & dissecabit
eum, partemq; eius ponet cum hypocritis: illic erit fletus & stridor dentium.

SCHOLIA.

[a] Videte, ne quis vos seducat.] *Non primis verbis reſpondet ad ea, de quibus fuerat interrogatus, ſed illud primum*
admonet, quod in primis fuerat obſeruandum, ne videlicet impoſturis hominū abducamur à fide. [b] Et tunc veniet finis.]
Videtur intelligi finis Ieruſalem, nam ante eius deſtructionem, iam diſſeminatum erat euangelium per orbem terrarum: de
hac ergo deſolatione conſequenter loquitur. Cum ergo videritis abominationem, nempe ſtatuam, quæ à gentibus in adytis tē-
pli fuit collocata: quam vocat abominationē, quia abominabantur Iudæi imagines, addit vero, deſolationis, quia ſecutura erat
ciuitatis deſolatio. [c] Et qui in tecto.] *Figurata locutio eſt, indicans, in magna veru anguſtia futuros homines.* [d] Sed
propter electos.] *Qui ſcilicet crediturі erant ex eis, & vide vt omnia electis ſeruiāt.* [e] Vt in errorem inducantur.]
Quod igitur habebunt homines in re tam periculoſa ſubſidium? Vnum, ſed efficax, continuam ſcripturarum inſpectionem.
Videtur nunc intelligere aduentum Antichriſti, nam hæc narratio non aperte diſtinguit deſolationem Ieruſalem ab aduen-
tu Antichriſti, et conſummatione ſeculi. [f] Sicut enim fulgur.] *Manifeſtus erit toti mundo aduentus Domini, non parti*
dicus tantum. Quod ſi quis ambigat, quo id pacto fieri poſſit, docet, multo facilius congregandos homines ante Dominū, quam
aquilæ ſoleant ad cadauera. [g] Sol obſcurabitur.] *Superatus maiori aduentus Chriſti luce.* [h] Signum filij homi-
nis.] *Crux opinor, ſignum ſalutis, quam operatus ſit in medio terræ.* [i] Omnes tribus terræ.] *Nempe Iudææ, quæ tātum*
bonum reiecerit, quod ad ſe primum fuerat deſtinatum. [k] A ſummis cœlorum.] *Hoc eſt ab extremitate: hic dicēdi mo-*
dus alibi inuenitur, vt Exodi. 26. mittentur per mediās tabulas à ſummo vſque ad ſummum: hoc eſt, ab extremitate vſque
ad extremitatem. [l] Generatio hæc.] *Credentium ſcilicet in Chriſtum, quod ſi intelligas de generatione eius temporis, ſic*
dicendum eſſet: non præteribit generatio hæc, donec omnia impleantur quæ de ciuitatis Ieroſolimitanæ deſolatione prædixi.
[m] Cœlum & terra transibunt.] *Hebraiſmus eſt, vbi deeſt particula explicans comparationem, ſic, facilius eſt cœlum et*
terram deficere, quàm verba mea. [n] Niſi pater meus ſolus.] *Non tamen ipſe ſe excludit, nam omnia, inquit, quæ habet*
pater, mea ſunt. [o] Tunc duo erunt in agro.] *Nunc, inquit, mixti ſunt, tunc diſcernentur, neque qui ſimul degunt,*
etiam ſimul ibunt. [p] Et diſſecabit eum.] *Interficiet, & partem eius inquit, ponet cum hypocritis, illud, partem, accipe eo*
modo, quo alio loco ſcriptum eſt: partes vulpium erunt, hoc eſt, eſca vulpium: quaſi ſors & hæreditas vulpium: ſic huius ſors
cum hypocritis collocabitur, hoc eſt, pari cum hypocritis pœna damnabitur.

CAPVT XXV.

A TVnc simile erit regnum cœlorum [b] decem virginibus: quæ accipientes lāpades suas, exierunt obu-
iam sponso. Quinque autem ex eis erant fatuæ: & quinque prudentes: sed quinque fatuæ, acceptis
lampadibus, non sumpserunt [c] oleum secum. Prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum
lampadibus. Moram autem faciente sponso: [d] dormitauerunt omnes ac dormierunt. Media autem nocte
clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tunc surrexerunt omnes virgines illæ: & ornauerunt
lampades suas. Fatuæ autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostræ extinguū
tur. Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis & vobis: ite potius ad vendentes, & emi-
te vobis. [e] Dum autem irent emere, venit sponsus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, &

clausa est ianua. Nouissime veniunt & reliquæ virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. At ille re-
Luce.19.b spondens, ait: Amen dico vobis, nescio vos. Vigilate itaque: quia nescitis diem neque horam in qua filius ho-
minis veniet. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni de-
dit quinque talenta, alij autem duo, alij vero vnum, [f] vnicuique secundum propriam virtutem: & profectus B
est statim. Abijt autem qui quinq; talenta acceperat: & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Simili
ter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo. [g] Qui autem vnum acceperat: abiens fodit in terram, & ab-
scondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit ra-
tionem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine,
quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone
& fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. Accesit au-
tem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi: ecce alia duo superlucratus sum.
Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, in-
tra in gaudium domini tui. Accedens autem & qui vnum talentum acceperat, ait: Domine, scio q̃ homo du-
rus es: [h] metis vbi non seminasti, & congregas vbi non sparsisti, & timens abij, & abscondi talentum tuum
in terra: ecce habes quod tuum est. Respondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, sciebas q̃ C
meto vbi non seminaui, & congrego vbi non sparsi: [i] oportuit ergo te committere pecuniam meam numu
larijs, & veniens ego recepissem vtique quod meum est cum vsura. Tollite itaque ab eo talentum, & date ei
Supra.13.b qui habet decem talenta: [k] Omni enim habenti dabitur, & abundabit: ab eo autem qui non habet, & quod
Marc.4.c habet, auferetur ab eo. Et inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentiũ. Cũ
Luce.8.c autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angeli cum eo: tunc sedebit super sedem maiestatis
&.19.d suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab
hœdis: & statuet oues quidẽ à dextris suis: hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex ijs, qui à dextris eius erũt:
Esaia.58.b Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi: esuriui enim: & dedi-
Ezec.18.b stis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me: nudus, & operuistis me: in-
firmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti dicẽtes: Domine, quãdo te vidimus esurientem, & pauimus? sitientem, & dedimus tibi potum? quando autem te vidimus hospi- D
tem, & collegimus te? aut nudum, & cooperuimus te? aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere: &
venimus ad te? Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis: quandiu fecistis vni de his fratribus meis mi
Psal.6.c nimis, mihi fecistis. Tunc dicet & ijs, qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti, in ignem æternũ, [l] qui
Supra.7.d paratus est diabolo & angelis eius: esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi
Luce.13.f potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus, & in carcere, & non visita-
stis me. Tunc respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut
hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere: & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, di-
Ioan.5.c cens: Amen dico vobis: quandiu non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in suppliciũ
æternum: iusti autem in vitam æternam.

SCHOLIA.

[a] Tunc simile erit.] *Parabola hæc & sequentes accommodæ sunt iam institutæ orationi.* [b] Decem virginibus, quæ accipientes lampades suas.] *Omnes enim animæ virgines atque incorruptæ conditæ sunt, & lumen à Deo acceperunt, quod quæ prudentes sunt nutriunt, vt perseueret.* [c] Oleum.] *Viscera misericordiæ in proximum quenque, quorum duntaxat, aut in primis, mentio in die iudicij fiet.* [d] Dormitauerunt omnes, & dormierunt.] *Somno grauatæ sunt, & dederunt se sopori. Omnes quidem morimur, sed plurimum refert, quo quis apparatu se huic somno tradat.* [e] Dum autem irent emere.] *Dum animo & cogitatione versarent hanc olei indigentiam.* [f] Vnicuiq; secundum propriam virtutem.] *Secundum rationem fidei & purificationis, aiunt quidam. Sed pluribus verbis opus haberet hic locus, ob curiosas huius æui hominum disputationes, quæ ædificationem quidem nullam, quod hactenus intellexerim, sed dissensiones plurimas pariunt, & dum medici inter se decertant, interim ægri moriuntur.* [g] Qui autem vnum acceperat.] *Cur scribitur eum, qui vnum acceperat, occultasse talentum, & non eos, qui quinq;, aut duo? fortasse ne deterreantur, quibus maiora sunt aggredienda, dum ab eo, cui plura creduntur, plura etiam repetuntur: nam exiguo in negocio, vt minus periculi est, ita minus excusatur, qui recusat.* [h] Metis vbi non seminasti.] *Repetens fructum eorum, qui cuique credita sunt, ab eo, cui sunt credita.* [i] Oportuit ergo.] *Id ipsum, quod ad te excusandum protulisti, contra te facit. Trapezitæ autem meminit, hoc est nummulary, quia pecuniæ fecerat mentionem, vt res habeat consequentiam. Hoc est autem quod dicit apostolus, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei sint, & alios docere.* [k] Omni enim dabitur.] *Augentur dona cum accessione rectæ factorum:* [l] Qui paratus est diabolo.] *Non enim primo paratus fuerat hominibus, sed ipsi sibi illum accersiuerunt. Contra verò, paratum iustis regnum à constitutione mundi dixit.*

CAPVT XXVI.

Marc.14.a ET factum est: cum consummasset IESVS sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis quod post A
Luce.22.a biduum pascha fit, & filius hominis traditur, vt crucifigatur? Tunc congregati sunt principes sacer-
dotum & scribę & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: & con-
Ioan.12.a silium fecerunt, vt IESVM dolo tenerent, & occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne tumultus fiat
Marc.14.a in populo. Cum autem IESVS esset in Bethania, in domo Simonis leprosi, accesit ad eum mulier habens
alabastrum vnguenti precios, & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati
sunt dicentes: Vt quid perditio hæc? potuit enim istud vænundari multo, & dari pauperibus. Sciens autem
IESVS, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me: nam semper pau-
res

res habetis vobiscum: me autem non semper habetis. Mittens enim hæc vnguentum hoc in corpus meum:
[a] ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, vbicunque prædicatum fuerit hoc euangelium in toto mun-
B do, hoc quoque, quod hæc fecit, narrabitur in memoriam eius. Tunc abijt vnus de duodecim, qui dicitur Iu- Marc.14.b
das Iscariotes, ad principes sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi Luce.22.a
constituerunt ei triginta argẽteos. Et exinde quærebat opportunitatem, vt eũ traderet. [b] Prima autem die Marc.14.b
azimorum accesserunt discipuli ad IESVM, dicentes, Vbi vis paremus tibi comedere pascha? At IESVS Luce.22.a
dixit, Ite in ciuitatem ad quendam: & dicite ei, Magister dicit: Tempus meum prope est, apud te facio pascha
cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis IESVS, & parauerunt pascha. Vespere au- Marc.14.b
tem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis, dixit, Amen dico vobis, q̃ vnus ve- Luce.22.a
strum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere, Nunquid ego sum Domine? At ipse re- Ioan.13.b
spondens, ait. Qui intinxit mecum manum in catino, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scri- Psal.40.c
ptum est de illo: væh autem homini illi per quem filius hominis traditur: bonum erat ei, si natus non fuisset
C homo ille. Respondens autem Iudas qui tradidit eum dixit, Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi, Tu dixisti.
Cœnantibus autem eis, accepit IESVS panem, & cum gratias egisset fregit, deditq; discipulis suis, & ait, Ac- 1.Cor.11.e
cipite, comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit: & dedit illis, dicens. Bibite ex hoc
omnes. Hic est enim [c] sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorũ.
Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis vsque in diem illum, cum illud [d] bibã vobiscũ
nouum in regno patris mei. Et hymno dicto, exierunt in montem oliueti. Tunc dicit illis IESVS, Omnes Marc.14.c
vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim: Percutiam pastorem, & dispergentur oues Luce.22.d
gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respõdens autem Petrus, ait illi, Et si om- Ioan.18.a
nes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi IESVS, Amen dico tibi, quòd in hac no- Ioan.16.g
cte antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te nega- Zac.13.c
D bo. Similiter & omnes discipuli dixerunt. Tunc venit IESVS cum illis in villam, quę dicitur Gethsemani, Marc.14.c
& dixit discipulis suis: Sedete hic, donec vadam illuc, & orem. Et assumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, &.16.b
cœpit contristari & mœstus esse. Tunc ait illis IESVS: Tristis est anima mea vsq; ad mortem: manete hic, Marc.14.c
& vigilate mecum. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, [e] si possibile Luce.22.c
est, transeat à me calix iste. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu. [f] Et venit ad discipulos suos, & in- Ioan.13.d
uenit eos dormientes, & dicit Petro: Sic, non potuistis vna hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, vt non in- Marc.13.d
tretis in tentationem: [g] spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abijt, & orauit, Luce.22.d
dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum: fiat voluntas tua. Et venit, & iterum inue-
nit eos dormientes: erant enim oculi eorum grauati. Et relictis illis, iterum abijt: & orauit tertio, eundem ser-
monem dicens. Tunc venit ad discipulos suos, & dicit illis: Dormite iam & requiescite: ecce appropinqua-
E uit hora, & filius hominis traditur in manus peccatorum. Surgite, eamus: ecce appropinquauit qui me tra- Marc.14.e
dit. Adhuc eo loquente, ecce Iudas vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladijs & fustibus, Luce.22.e
missi à principibus sacerdotum & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Ioan.18.a
Quemcunque osculatus fuero, ipse est: tenete eum. Et confestim accedens ad IESVM, dixit: Ane Rabbi. Et
osculatus est eum. Dixitq; illi IESVS, Amice, ad quid venisti? Tunc accesserunt, & manus iniecerunt in
IESVM: & tenuerunt eum. Et ecce vnus ex his, qui erant cum IESV, extendens manum, exemit gladium Gene.9.a
suum: & percutiens seruum principis sacerdotum, amputauit auriculam eius. Tunc ait illi IESVS, Conuer Apoc.13.c
te gladium tuum in locum suum: omnes enim qui acceperint gladium, [h] gladio peribunt. An putas quòd
non possum modo rogare patrem meum: & exhibebit mihi plus quàm duodecim legiones angelorũ? Quo- Esaia.53.c
modo ergo implebuntur scripturæ, quòd sic oportet fieri? In illa hora dixit IESVS turbis: Tanquam ad la-
F tronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me? quotidie apud vos sedebam docens in templo, & Thre.4.d
non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, vt adimplerentur scripturæ prophetarum. Tunc discipu- Marc.14.f
li omnes, relicto eo fugerunt. At illi tenentes IESVM, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, vbi Luce.22.f
scribæ & seniores conuenerant. Petrus autem sequebatur eum à longe, vsque in atrium principis sacerdo- Ioan.18.c
tum. Et ingressus intrò, sedebat cum ministris: vt videret finem. Principes autem sacerdotum, & seniores &
omne concilium querebant falsum testimonium contra IESVM, vt eum mortũ traderent: & non inuene-
runt, cum multi falsi testes accessissent. Nouissime autem venerunt duo falsi testes: & dixerunt: Hic dixit, Ioan.2.d
Possum destruere templum Dei, & in triduo ædificare illud. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi, Nihil re
spondes ad ea, quę isti aduersum te testificantur? IESVS autem tacebat. Et princeps sacerdotum, ait illi, Ad-
iuro te per Deum viuum, vt dicas nobis si tu es CHRISTVS filius Dei. Dicit illi IESVS, Tu dixisti: ve-
G runtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis, & venientem in nubibus
cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicẽs, Blasphemauit: quid adhuc egemus testibus? Ec- Esaia.50.c
ce nunc audistis blasphemiam eius, quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt, Reus est mortis. Tũc
expuerunt in faciem eius: & colaphis eum cęciderunt: alij autem palmas in faciem eius dederunt, dicentes, Marc.14.g
Prophetiza nobis CHRISTE, quis est qui te percussit? Petrus verò sedebat foris, in atrio: & accesit ad eũ Luce.22.f
vna ancilla, dicens, Et tu cum IESV Galilæo eras. At ille negauit coràm omnibus, dicens, Nescio quid di- Ioan.18.c
cas. Egresso autem illo in vestibulum, vidit eum alia ancilla: & ait ijs, qui erant ibi. Et hic erat cum IESV Marc.14.g
Nazareno. Et iterum negauit cum iuramento, Non noui hominem. Et post pusillum, accesserunt qui sta- Luce.22.f
bant: & dixerunt Petro, Vere & tu ex illis es: nam & loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari & Ioan.18.c
iurare, quòd non nouisset hominem. Et continuo gallus cantauit. Et recordatus est Petrus verbi IESV, qui
dixerat illi, Prius q̃ gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, fleuit amare.

Scholia.

[a] Ad sepeliendum me fecit.] *Munus, inquit, hoc sepulturæ fuit, quod præuenit, cum futurum sit, vt non possit illud præstare suo tempore.* [b] Prima autem die azymorum.] *Ferunt Dominum feciſſe paſcha ſuo & legitimo die, Iudæos vero transtulisse illum diem paschatis in diem sabbati, propterea quòd, is mos inter eos esset, cum duo eiusmodi festi dies continuarentur, et iccirco dixisse apostolum Ioannem, Magnus enim erat dies ille sabbati.* [c] Sanguis meus noui testamenti.] *In fœderibus sanguis victimarum fundebatur, in hoc autem fœdere ipse meũ effundam.* [d] Bibam vobiſcum nouum in regno patris mei.] *Resurrectionem appellat regnum patris sui, tunc enim magis agnita est maiestas filij.* [e] Si possibile est, transeat à me calix iste.] *Non sunt hæc metuentis nec recusantis verba, sed significantis, quid assumpta humanitas pateretur: quorũ, nisi esset omnino necessaria hæc mors, non secutus esset eorum morem, qui tanquam glorioſi duces, dum se sine causa periculis obiciunt, etiam milites suos frustra impellunt in pericula.* [f] Et venit ad discipulos.] *Cur interrupit Dominus toties orationem, quæ tanti erat? docens, opinor, eas preces habere omnes numeros, quibus proximorum cura intermiscetur.* [g] Spiritus quidem promptus est.] *Animum quidem (inquit) alacrem præ vobis tulistis, sed metuenda semper est carnis infirmitas, iccirco vigilandum vobis atque orandum est.* [h] Gladio peribunt.] *Hoc enim inhebat lex.*

CAPVT XXVII.

Marc.15.a Luce.23.a Ioan.18.c

MAne autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum, & seniores populi aduersus A IESVM: vt eum morti traderent. Et vinctum adduxerũt eum: & tradiderunt pontio Pilato præsidi. Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset: pœnitentia ductus, retulit triginta

Acto.1.c

argenteos principibus sacerdotum & senioribus, dicens: Peccaui, tradens sanguinem iustum. At illi dixerũt: [a] Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis in templo, recessit: & abiens, laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum acceptis argenteis, dixerunt: Nõ licet eos mittere in corbanam, quia precium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, ager sanguinis, vsque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Ieremiã prophetam dicentem: [b] Et acceperunt triginta argenteos, precium æstimati, quem æstimatum emerunt à filijs Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. IESVS autem stetit ante præsi-

Zach.11.a Marc.15.a Luce.23.a Ioan.18.f

dem, & interrogauit eum præses, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit illi IESVS: Tu dicis. Et cum accusaretur à principibus sacerdotum & senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus, Non audis quanta aduersum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad vllum verbum: ita vt miraretur præses vehementer. Per diẽ autem solennem consueuerat præses populo dimittere vnum vinctum quem voluissent. Habebat autem tũc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis? Barabbam, an IESVM qui dicitur CHRISTVS? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi: multa enim passa sum hodie in somnis propter eum. Principes autem sacerdotum & seniores, persuaserunt turbis, vt peterent Barabbam, IESVM vero perderent. Respondens autem præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimit- C

Marc.15.b Luce.13.b Ioan.18.g &.19.c

ti? At illi dixerunt: Barabbam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam IESV qui dicitur CHRISTVS? Dicũt omnes, Crucifigatur. Ait illis præses, Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes, Crucifigatur. Videns autem Pilatus quòd nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lauit manus coram populo dicens, Innocens ego sum a sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit, Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam: IESVM autem flagellatum tradidit, vt crucifigeretur. Tunc milites præsidis suscipientes IESVM in prætorio, congregauerunt ad eum vniuersam cohortem: & exuentes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei: & plectentes coronam de spi-

Marc.19.b Ioan.18.a

nis, posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius: & genuflexo ante eum, illudebant ei dicentes, Aue rex Iudæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebant caput eius. Et postquam D illuserunt ei, exuerunt eum chlamydẽ: & induerunt eum vestimentis suis: & duxerunt eum, vt crucifigerent.

Marc.15.b Luce.23.d Marc.15.d Luce.23.d Ioan.19.d Marc.15.b Psal.21.c

Exeuntes autem, inuenerunt hominem Cyrenæum, nomine Symonem: hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Caluariæ locus. [c] Et dederunt ei acetum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diuiserũt vestimenta eius sortẽ mittentes: vt implereretur quod dictum est per prophetam dicẽtem, Diuiserunt sibi vestimenta mea: & super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes seruabant eum. Et imposuerunt supra caput eius [d] causam ipsius scriptam, Hic est IESVS rex Iudæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: vnus à dextris, & vnus à sinistris. Prætereuntes autem blasphemabant eum: mouentes capita sua, & dicẽ-

Ioan.2.d Sapien.2.d

tes, Tu qui destruis templum, & in triduo illud ædificas: sãlua temetipsum: si filius Dei es, descende de cruce. E

Sapien.2.c

Similiter & principes sacerdotum illudentes cum scribis & senioribus dicebant. Alios saluos fecit, seipsum non potest saluum facere: si rex Israel est, descendat nũc de cruce, & credemus ei. Cõfidit in Deo: liberet nũc eum si vult eum: dixit enim, Filius Dei sum. [e] Idipsum autem & latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora, [f] tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque ad horam nonã.

Psal.21.a

Et circa horam nonã clamauit IESVS voce magna, dicens, [g] Eli, Eli, lamasabathani? hoc est, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes & audientes, dicebant, Eliam vocat iste. Et continuo currens vnus ex eis, [h] acceptã spongiam impleuit aceto: & imposuit arundini, & dabat ei bibere. Cæteri vero dicebant, Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. IESVS autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. Et ecce [i] velum templi scissum est in duas partes, à summo vsque deorsum: & terra mo- F ta est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt: & [k] multa corpora sanctorum qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem: & apparuerunt multis. Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes IESVM, viso terræ motu & his, quæ fiebãt, timuerunt valde, dicentes: Vere filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ à longe spectantes: quæ

secutæ

secutæ erant IESVM à Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioſe G mater, & mater filiorum Zebedæi. Cum autem vespera facta esset, venit quidam homo diues ab Arimathea, nomine Ioseph, qui & ipse discipulus erat IESV: hic accessit ad Pilatũ, & petijt corpus IESV. Tunc Pilatus iussit reddi corpus. Et accepto corpore, Ioseph inuoluit illud in sindone munda: & posuit illud in monumento suo nouo, quod exciderat in petra. Et aduoluit saxum magnum ad ostium monumenti, & abijt. Erat autem ibi Maria Magdalene, & altera Maria sedentes cõtra sepulchrum. Altera autem die, quæ est post parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum & pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus

Marc.15.d Luce.23.g Ioan.19.g

quòd seductor ille dixit adhuc viuẽs: Post tres dies resurgã. Iube ergo custodiri sepulchrũ vsque in diẽ tertium: ne forte veniãt discipuli eius, & furẽtur eũ, & dicãt plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis custodiã: ite, custodite sicut scitis. Illi aũt abeuntes, [l] munierũt sepulchrũ: signãtes lapidẽ cũ custodibus.

SCHOLIA.

[a] Quid ad nos?] *Nónne & vos participes sceleris fuistis? sic cæcum est odium, & vide vt in eo etiã, quod de argento tractant, camelum glutiant, & culicem liquent.* [b] Et acceperunt triginta argenteos.] *Quamus hoc Ieremiæ testimonium nusquam apud Ieremiam legatur: refert tamen Hieronymus, librum Ieremiæ, qui inscribitur apocrypha, hoc est, occulta Ieremiæ, sibi exhibitum à quodam Iudæo factionis Nazarenæ, in quo hæc ad verbum, vt ab euangelista citantur, haberentur.* [c] Et dederunt ei vinum bibere.] *Videtur primo institutum fuisse miserationis gratia, vt in ea positis afflictione porrigeretur potus, iuxta illud, date siceram lugentibus, & vinum vis, qui amaro sunt animo, at scelesti illi, nequid deesset Domino ad tormentũ, obtulerunt pro vino acetum cum felle: fructum illius vineæ, quam transtulerat de Aegypto.* [d] Causam ipsius.] *Causam videlicet cur fuisset crucifixus nimirum quòd accusatus esset, quod regem se faceret.* [e] Idipsum autem & latrones.] *Nihil prohibet vnum tantum è latronibus fuisse, qui hoc diceret, & si plurali vsus sit numero, neque hic loquendi mos vsu caret.* [f] Tenebræ factæ sunt.] *Lucem noluerunt agnoscere Iudæi, introducuntur tenebræ, si forte simile à simili agnosceretur, vt vel post peractum scelus seruarentur.* [g] Heli, Heli.] *Relictæ sunt Hæbraeæ voces, vt cum audo milites dixisse, Heliam vocat, causam eorum erroris intelligeres.* [h] Acceptam spongiam.] *Dabatur vinum interdum, vt celerius ex vulnere morerentur, iccirco alij prohibuerunt, vt viderent, num veniens Helias seruaret eũ.* [i] Velum templi scissum est.] *Scidit templum sua vestimenta in mœroris indicium, simul & ostendit per mortem Christi patefactum esse iter in vera sancta sanctorum.* [k] Multa corpora sanctorum.] *Videntur y post resurrectionem ipsius Domini surrexisse per id quod sequitur, & exeuntes de monumentis post resũ rectionem eius &c. nam si resurrexerant in morte Domini, quid attinuerat expectare Dominicam resurrectionem, vt apparerent alys?* [l] Munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum.] *Vt surgens Christus, etiam ab ipsis hostibus haberet suæ resurrectionis testimonium.*

CAPVT XXVIII.

A VEspera autem sabbati, quæ lucescit in primam sabbati, venit Maria Mdgdalene, & altera Maria vi- Marc.16.a Ioan.20.c dere sepulchrum. Et ecce: [b] terræmotus factus est magnus: angelus enim Domini descendit de cœlo: & accedẽs, reuoluit lapidem ab ostio & sedebat super eum: erat autem aspectus eius sicut fulgur: & vestimentum eius candidũ sicut nix: Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem angelus, dixit mulieribus. Nolite timere vos, scio enim quòd [c] IESVM, qui cruci- B fixus est, quæritis: non est hic: [d] surrexit enim, sicut dixit: venite, videte locum, vbi positus erat Dominus. Et cito eũtes, dicite discipulis eius quod surrexit à mortuis: & ecce præcedit vos in Galilæam: ibi eum videbitis: ecce dixi vobis. Et exierunt cito de monumento cum timore & gaudio magno, currentes nunciare discipulis eius. Cum autem irent, vt nuntiarent discipulis eius: & ecce IESVS occurrit illis, dicens, Auete. Illę autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eũ. Tunc ait illis IESVS, Nolite timere. Ite, [e] nũ- C ciate fratribus meis, vt eant in Galilæam, & ibi me videbunt. Quæ cum abijssent, ecce quidam de custodibus venerunt in ciuitatem, & nunciauerunt principibus sacerdotum omnia, quæ facta fuerant. Et congregati cũ senioribus, consilio accepto pecuniam copiosam dederunt: militibus, dicentes: Dicite, Discipuli eius nocte venerunt, & [f] furati sunt eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit à præside, nos persuadebimus ei, & securos vos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et diuulgatum est verbum D istud apud Iudæos, vsq; in hodiernum diem. Vndecim autem discipuli [g] abierunt in Galilæam, in montẽ vbi constituerat illis IESVS. Et videntes eum adorauerunt: quidã aũt dubitauerũt. Et accedens IESVS, Marc.16.d locutus est eis, dicẽs, Data est mihi oĩs potestas in cœlo & in terra. Eũtes ergo docete oẽs gẽtes: baptizãtes eos in noĩe patris, & filij, & spiritus sancti: docẽtes eos seruare oĩa quęcũq; mãdaui vobis: & ecce ego vobiscũ sum oĩbus diebus, vsq; ad cõsummationẽ seculi.

SCHOLIA.

[a] Vespere autem sabbati.] *Intellige profundum crepusculum diluculi, vt est apud Lucam. Quanquam sunt qui velint, vesperam noctis dici, qua tamen varijs impedimentis tardarint in itinere mulieres, et tandem peruenerint ad diluculũ.* [b] Terræmotus factus est magnus.] *Causam terræmotus addit, quia scilicet descendit angelus, et reuoluit lapidem, vt sonitus excitaret milites, & aspectus perterrefaceret, nam ex solo aspectu non ita intellexissent.* [c] IESVM qui Crucifixus est.] *Vide, vt angeli primi sint, qui incipiant non erubescere nomen Crucis. Vt minus miremur Paulum tam ambitiose de cruce gloriari.* [d] Surrexit sicut dixit.] *Admonet verborum ipsius Domini, quæ terror & rerum nouitas eos fecerat obliuisci. Ostendit autem eis & sepulchrum, vnde surrexerat, vt, cum eis apparuerit, sint veritatis facti capaciores: nam res erat omnino mundo ignota eiusmodi resurrectio, & nisi huius generis vestigia præcessissent, non esset illis facile persuasum.* [e] Nuntiate fratribus meis.] *Hactenus appellati erant discipuli, & apostoli, nunc post resurrectionem suam Dominus appellat fratres, ne putaremus hic accidisse, quod philosophi autumant, dirimi amicitias, cũ ex altera parte ingens fiat maioris fortunæ accessio. At hic, cui data est omnis potestas in cælo & in terra, ita se amica appellatione demittit: simul addit animos, ne ob scandalũ, quod fuerant passi, perterrerentur.* [f] Furati sunt.] *Quàm cæca est malitia: sperant dormientium testimonium vim habiturum ad faciendam fidem. Simul obserua obdurata corda, quæ ne nunc quidẽ pœniteat facti.*

[g] Abierunt in Galilæam.] *Vbi quietius fortasse & sine metu Iudæorum audirent, quæ sibi à Domino mandarentur.*

EVANGELII SECVNDVM MATTHAEVM FINIS.

MARCI EVANG.

HIERONYMVS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

MArcus,discipulus & interpres Petri,iuxta quod Petrum referentem audierat,rogatus Romæ à fratribus,breue scripsit euãgelium. Quod cum Petrus audisset,probauit:& ecclesię legendum sua authoritate edidit:sicut Clemens in sexto hypotyposeon libro scribit. Et Papias Hierosolymitanus episcopus meminit huius Marci,& Petrus in epistola prima, sub nomine Babylonis,figuraliter Romam significans, Salutat vos quæ in Babylone coelecta,& Marcus filius meus:Assumpto itaque euangelio quod ipse confecerat, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ CHRISTVM annuntians,cõstituit ecclesiam,tantæ doctrinæ & vitæ continentia,vt omnes sectatores CHRISTI, ad exemplum sui cogeret.Deniq; Philo disertissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum cõuersatione scripsit:& quomodo Lucas narrat Hierosolymę credentes omnia habuisse communia: sic ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat,memoriæ tradidit.Mortuus est autem octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

Matt.3.a Mala.3.a Esa.40.a Luce.3.a Ioan.1.c Matt.3.a

[a] NITIVM Euangelij IESV CHRISTI filij Dei.Sicut scriptum est in prophetis, A Ecce ego mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, Vox clamantis in deserto, [b] Parate viam Domini,rectas facite semitas eius. Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ [c] in remissionem peccatorum.Et egrediebatur ad eum tota Iudæa regio,& Hierosolymitę:& baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine confitentes peccata sua. Et erat Ioannes vestitus pilis cameli,& zona pellicea circa lumbos suos:& locustas & mel syluestre edebat. Et prædicabat,dicens, Venit fortior me post me,cuius non sum dignus procumbens soluere corrigiam calceamento rum.Ego quidem baptizaui vos aqua:ille vero baptizabit vos spiritu sancto.Et factum est, in diebus illis venit IESVS à Nazareth Galilææ,& baptizatus est à Ioanne in Iordane. Et statim ascendens de aqua, vidit B cœlos apertos,& spiritum tanquam columbam descendentem super illum. Et vox facta est de cœlis, Tu es filius meus dilectus,in quo mihi bene complacui.Et statim spiritus expellit eum in desertum. Et erat in deserto quadraginta diebus:& tentabatur à Satana : eratque cum bestijs:& angeli ministrabant illi.Postquam autem traditus est Ioannes,venit IESVS in Galilęam,prædicans euangelium regni Dei,& dicens:impletum est tempus,& appropinquauit regnum Dei:pœnitentiam agite,& credite euangelio.Et prętereiens secus mare Galilææ,vidit Simõnem & Andream fratrem eius,mittentes retia in mare (erant enim piscatores) & dixit eis IESVS : Venite post me,& faciam vos fieri piscatores hominum, Et protinus relictis retibus, secuti sunt eum.Et progressus inde pusillum,vidit Iacobum Zebedæi,& Ioannem fratrem eius, & ipsos componentes retia in naui:& statim vocauit illos.Et relicto patre suo Zebedæo in naui cum mercenarijs, secuti sunt eum.Et ingrediuntur Capharnaum:& statim sabbatis ingressus in synagogam,docebat.Et stupebãt super doctrina eius:erat enim docẽs eos tanq; auctoritatem habẽs,& non sicut scribæ.Et erat in synagoga eorum homo cum spiritu immundo:& exclamauit,dicens:Quid nobis & tibi IESV Nazarene? venisti perdere nos? scio te qui sis,nimirum ille sanctus Dei.Et increpauit eum IESVS, dicens:Obmutesce,& exi de homine.Et discerpens eum spiritus immundus,& exclamãs voce magna, exijt ab eo. Et mirati sunt omnes: ita vt conquirerent inter se,dicentes:Quid est hoc? quæ doctrina hæc noua:quia cum autoritate etiam spiritibus immũdis imperat, & obediũt ei? Et processit rumor eius statim in totam vndique regionem Galilææ finitimam.Et protinus egressi de synagoga, venerunt in domum Simõnis & Andreæ cum Iacobo & Ioãne. Decumbebat autẽ socrus Simõnis febricitans:& statim dicunt ei de illa.Et accedens, eleuauit eã apprehensa manu

Marc.3.c Luce.3.c Ioan.1.d Matt.3.d Luce.3.d Matt.4.a Luce.4.a Matt.4.b Luce.4.c Ioan.4.f Matt.4.e Luce.5.a

Matt.4.b Luce.4.e Matt.7.d Luce.4.e Luce.4.e

C

Matt.8.b Luce.4.f

manu eius:& continuo dimisit eam febris,& ministrauit eis. [d] Vespere autem facto,cum occidisset sol, afferebant ad eũ oẽs male habẽtes,& dęmonia habẽtes:& erat tota ciuitas cõgregata ad ianuã.Et curauit multos, D qui vexabãtur varijs languoribus:& dęmonia multa eijciebat:& nõ sinebat ea loqui, quod nossent eũ. Et diluculo valde surgens,egressus abijt in desertũ locũ,ibiq; orabat. Et prosecutus est eũ Simon : & qui cum illo erant.Et cum inuenissent eum,dixerunt ei:Omnes quærunt te.Et ait illis:Eamus in proximos vicos,vt et ibi prædicem:ad hoc enim egressus sum.Et erat prædicans in synagogis eorum,in tota Galilæa,& dæmonia eijciens.Et venit ad eum leprosus deprecans eũ,& genu flexo,dicit:Si vis,potes me mundare. IESVS autem misertus eius,extendit manum suam:& tangens eum,ait illi,volo,Mundare.Et cum dixisset, statim discessit ab eo lepra,& mũdatus est.Et comminatus est ei, statimq; eiecit illum & dicit ei: Vide nemini quicquam dixeris:sed vade,ostende teipsum sacerdoti,& offer pro emundatione tua,quæ præcepit Moyses in testimoniũ illis. At ille egressus cœpit prædicare multa & diffamare sermonem : ita,vt iam non posset IESVS manifeste introire in ciuitatem,sed foris in desertis locis esse:& conueniebant ad eum vndiq;.

Matt.8.a Luce.5.c

Leui.14.a Luce.4.g

SCHOLIA.

[a] Initium euangelij Iesu Christi filij Dei:sicut scriptum est in prophetis.] *Ponit ergo Ioannem baptistam initium euangelij.Vt qui finem posuerit legi & prophetæ Vsque ad Ioannem. Tu vero cogita, vt huic principio non desit sua maiestas,& tamen remota sit omnis dicendi ambitio:quæ res erat hominũ fidentium veritate dictorum,nam Veritas eò pulchrior est,quò minus est fucata.* [b] Parate viam.] *Nimirum illam nouam.Iubentur etiam rectas facere semitas,per quas ingredi iussi quidem erant, sed claudicabant.* [c] In remissionem.] *Futuram in Christi baptismate. Magnus autem Basilius in tractatu de baptismo hanc ponit differentiam inter baptismum Mosis, & Ioannis,& Christi,sic dicens.Baptisma per Mosen traditum,primum quidem agnoscebat differentiã peccatorum: non enim omnia peccata gratiam habebat remissionis:deinde diuersas hostias requirebat:exacte tractabat de purificatione, segregans vsque ad tempus eum qui in impuritate esset ac macula:obseruabat dies & certa tempora:& tunc baptisma à quibus acciebatur tanquam signaculum erat eorum purificationis.Ioannis vero baptisma multipliciter amplius habebat:nam nullam faciebat differentiam peccatorum:neque diuersitatem quærebat hostiarum:non exactam faciebat tractationem purificationis:non obseruationem habebat dierum aut temporum,& nulla in re,mora Vlla fiebat in gratia Dei & Christi eius:sed simul accedebat quis confitens peccata,quæcunque & qualiacunque essent, & baptizabatur in Iordane flumine, & mox accipiebat remissionem peccatorum. At Christi baptisma rationem habebat quouis humano baptismate maiorem,& celsiorem gloriam,quam quis expetere,aut optare posset, & eminentiorem gratiam, maioremq; vim, quàm quantum sol reliquis sideribus antecellit.* [d] Vespere autem facto.] *Finem scilicet habẽte sabbato.Quibus locis Marcus et Lucas eadem cum Matthæo dixerunt,in ys ad ea,quæ in Matthæum adnotata sunt,lectorem remittimus.*

Cubitis

CAPVT II.

A ET iterum intrauit Capharnaum post dies aliquot:& auditum est quòd in domo esset, & confestim cõuenerunt multi,ita vt non caperent eos nec loca quæ erant circa ianuam,& loquebatur eis verbum.Et veniunt ad eum ferentes paralyticum qui à quatuor portabatur. Et cum non possent appropinquare illi præ turba,nudauerunt tectum vbi erat:& patefacientes, submiserunt grabatum in quo paralyticus iacebat.Cum autem vidisset IESVS fidem illorum,ait paralytico, Fili dimittuntur tibi peccata tua. Erat autem illic quidam de scribis sedentes:& cogitantes in cordibus suis, Quid hic sic loquitur blasphemias? Quis potest dimittere peccata nisi vnus,nempe Deus? Quo statim cognito IESVS spiritu suo,quòd sic cogitarent intra se,dixit illis:Quid ista cogitatis in cordibus vestris? Quid est facilius,dicere paralytico,Dimittuntur tibi peccata:an dicere,Surge,tolle grabatum tuum & ambula? Vt autem sciatis quòd filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata,ait paralytico.Tibi dico,surge, tolle grabatum tuum, & vade in domum tuam.Et statim surrexit ille:& sublato grabato,abijt inde coram omnibus, ita vt mirarẽtur omnes, & glorificarent Deum,dicentes:Nunquam sic vidimus.Et egressus est rursus ad mare:omnisq; turba veniebat ad eum,& docebat eos.Et cum præteriret IESVS, vidit Leui Alphei sedentem ad telonium,& ait illi: Sequere me.Et surgens secutus est eum.Et factum est:cum accumberet in domo illius, multi etiam publicani & peccatores simul discumbebant cum IESV & discipulis eius,erant enim multi qui sequebantur eũ. Et scribæ & pharisæi videntes.quòd manducaret cum publicanis & peccatoribus, dixerunt discipulis eius: C Quare cum publicanis & peccatoribus manducat & bibit magister vester? Hoc audito, IESVS ait illis. Non necesse habent sani medico,sed qui male habent:non enim veni vocare iustos,sed peccatores ad pœnitentiam.Et erant discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunantes:& veniunt,& dicunt illi:Quare discipuli Ioãnis & pharisæorum ieiunãt: tui autem discipuli non ieiunant? Et ait illis IESVS: Nunquid possunt filij nuptiarum,quandiu sponsus cum illis est,ieiunare? Quanto tempore habent secum sponsum, non possunt ieiunare.Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, & tunc ieiunabunt in illis diebus. [a] Nemo assumentum panni rudis assuit vestimento veteri:alioquin aufert supplementum eius nouum à veteri, & maior scissura fit.Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres:alioquin dirumpet vinum vtrês, & vinum effun- D ditur,& vtres pereũt:sed vinum nouum in vtres nouos mitti debet. Et factum est vt sabbatis ambularet per sata:& discipuli eius cœperunt progredi & vellere spicas.Pharisæi autem dicebant ei:Ecce, quid faciunt sabbatis quod non licet? Et ait illis,Nunquam legistis quid fecerit Dauid, quãdo necessitatem habuit & esurijt ipse& qui cum eo erant? quomodo introiuit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum, & panes propositionis manducauit,quos non licebat manducare nisi sacerdotibus,& dedit etiam ijs qui cũ eo erant? Et dicebat eis:Sabbatum propter hominem factum est:& non homo propter sabbatum. Itaq; Dominus est filius hominis,etiam sabbati.

Matt.9.a Luce.5.d

Matt.9.a Luce.5.f

1.Tim.1.c Matt.9.b Luce.5.f.g

Matt.12.a Luce.6.a 1.Reg.21.b

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Nemo assumentum panni rudis.] *Ostendit oportere spiritũ noui testamenti abolere literam veteris, neque vtrũq; simul manere posse. Cætera vide Matth.*

CAPVT III.

Matt.12.a Luce.6.b

ET introiuit iterum in synagogam: & erat ibi homo habens manum aridam: [a] Et obseruabant eum, si A
sabbatis curaret eum: vt accusarent illum. Et ait homini habenti manum aridam, Surge in medium. Et
dicit eis, Licet sabbatis benefacere, an male? animam saluam facere, an perdere? At illi tacebant, & cir-
cunspiciens discipulos cum ira, contristatus super cęcitate cordis eorum, dicit homini, Extende manum tuã.
Et extendit: & restituta est manus illius sana vt altera. Exeuntes autem pharisæi, statim cum herodianis con-
silium faciebant aduersus eum, quomodo eum perderent. IESVS autem cũ discipulis suis secessit ad ma-
re, & multa turba à Galilæa & Iudæa secuta est eum, & ab Hierosolymis & ab Idumæa & trans Iordanem, &
qui circa Tyrum & Sydonem habitabant, multitudo magna, audientes quæ faciebat, venerũt ad eum. Et di- B
xit IESVS discipulis suis, vt nauicula sibi deseruiret propter turbam, ne comprimerẽt eum: multos enim
sanabat, ita vt irruerent in eum, vt illum tangerent [b] quotquot habebant plagas, Et spiritus immundi cum
Matt.10.a illum videbant, procidebant ei, & clamabant dicentes, Tu es filius Dei. Et vehemẽter comminabatur eis, ne
Luce.6. b.c manifestarent illum. Et ascendens in montem, vocauit ad se quos voluit ipse: & venerunt ad eum. Et fecit vt
essent duodecim cum illo: & vt mitteret eos prædicare. Et dedit illis potestatẽ curandi infirmitates, & eijcien-
di dæmonia. [c] Et imposuit Simoni nomen Petrus: & Iacobum Zebedæi, et Ioannem fratrem Iacobi: & im-
posuit eis nomina Boanerges, quod est filij tonitrui: & Andream & Philippum & Bartholomæum & Mat- C
thæum & Thomã & Iacõbum Alphæi & Thaddęum & Simõnem Cananęum & Iudam Iscariotem, qui &
Matt.9.d tradidit illum. Et veniunt ad domum: & conuenit iterum turba, ita vt non possent neq; panem manducare.
&.12.b Et cum audissent sui, exierũt tenere eum, [d] dicebãt enim, In furorẽ versus est. Et scribæ qui ab Hierosolymis
Luce.11.b descenderant, dicebant, Beelzebub habet: & in principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et conuocatis eis, in
parabolis dicebat illis, Quomodo potest satanas satanam eijcere? Et si regnum in se diuidatur, non potest re-
gnum illud stare. Et si domus super semetipsam dispertiatur: non potest domus illa stare. Et si satanas con-
Matt.12.c surrexerit in semetipsum & dispertitus est: non poterit stare, sed finem habet. [e] Nemo potest vasa fortis, in- D
Luce.12.b gressus in domum diripere, nisi prius fortem alliget: & tunc domum eius diripiet. Amen dico vobis, quòd
omnia dimittentur filijs hominum peccata & blasphemiæ, quibus blasphemauerint: qui autem blasphema-
Matt.12.d uerit in spiritum sanctum, nõ habet remissionem in æternum: sed reus est æterni delicti: quoniam dicebant,
Luce.8.c Spiritum immundum habet. Et veniunt mater eius & fratres: & foris stãtes miserunt ad eum vocantes eum.
Et sedebat circa eum turba, & dicunt ei: Ecce mater tua & fratres tui foris quærunt te. Et respondens eis ait:
Quæ est mater mea & fratres mei? Et circumspiciens eos qui in circuitu eius sedebãt, ait: Ecce mater mea &
fratres mei. Qui enim fecerit voluntatem Dei: hic, frater meus, & soror mea, & mater est.

SCHOLIA.

[a] Et obseruabant eum si sabbatis curaret eum.] *Admirãda cæcitas ex superstitione profecta. Sic omnibus in re-
bus opus est illa Pauli scientia, quam dolet defuisse Iudæis, cum dixit, habere quidem eos æmulationem Dei, sed non secũdum
scientiam.* [b] Quotquot habebant plagas.] μάστιγας, *morbos autem intellegit, quibus nos quasi flagellis cædit Deus.*
[c] Et imposuit Simõni nomen Petrus.] *Nomina imponuntur ijs seruis, qui maxime domestici sunt, & in signum im-
perij in eos ac potestatis. Vt Adam animalibus. Cur autem Simõnem appellauerit Petrum, ipse Dominus declarat, vbi di-
cit: & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam. Filij vero Zebedæi vocãtur filij tonitrui, ob prædicationis excellentiam
theologiæq; præstantiam, præsertim Ioannis.* [d] Dicebant enim, in furorem versus est.] *Omnia malorum exempla pertulit Dominus. Cogita vero quàm feliciter carnales homines interpretentur facta spiritus.* [e] Nemo potest vasa fortis.] *Oportuerat, inquit, vos ita colligere, me, si eijcio dæmonia, fortiorem illis esse.*

CAPVT IIII.

Matt.13.a Luce.8.a

ET iterum cœpit docere ad mare: & congregata est ad eum turba multa, ita vt nauim ascendens sederet A
in mari, & tota turba iuxta mare in terra erat: & docebat eos in parabolis multa, & dicebat illis in do-
ctrina sua, Audite: [a] Ecce exijt seminans ad seminandum. Et dum seminat: aliud cecidit secus viam, &
venerunt volucres cœli, & comederunt illud. Aliud vero cecidit super petrosa, vbi non habuit terram mul-
tam: & statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terræ: & quando exortus est sol, exustum est,
& eò quod non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinas: & ascenderunt spinæ & suffocauerunt
illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam, & dabat fructum ascendentem & crescentem:
& afferebat vnum triginta, & vnum sexaginta, & vnum centum. Et dicebat: Qui habet aures audiendi, au-
diat. Et cum esset solus interrogauerunt eum hi qui circa ipsum erant cum duodecim, parabolam. Et dicebat
Esaia.6.c eis: [b] Vobis datum est nosse mysterium regni Dei: illis autẽ qui foris sunt, in parabolis omnia fiunt, [c] vt vi- B
Matt.13.b dentes videant & non cernant, & audientes audiant & non intelligant, nequando cõuertantur, & dimittan-
Luce.8.b tur eis peccata. Et ait illis: Nescitis parabolam hanc? & quomodo omnes parabolas cognoscetis? Qui semi-
Ioan.12.f nat: verbum seminat. Hi autem sunt qui circa viam, vbi seminatur verbum, & cum audierint, confestim ve-
Acto.28.f nit satanas, & aufert verbum quod seminatum est in cordibus eorum. Et hi sunt similiter qui super petrosa
Rom.11.b seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud: & non habent radicem in se, sed
temporales sunt: deinde orta tribulatione vel persecutione propter verbum, confestim scãdalizantur. Et alij
Matt.5.b sunt qui in spinis seminantur: hi sunt qui verbum audiunt, & ærumnæ seculi & deceptio diuitiarum, & cir-
Luce.8.c ca reliqua concupiscentiæ introeuntes suffocant verbum, & sine fructu efficitur. Et hi sunt qui super terram
&.11.e bonam seminati sunt: qui audiunt verbum & suscipiunt, & fructificant, vnum triginta, vnum sexaginta, &
vnum

C vnum centum. Et dicebat illis, [d] Nunquid accenditur lucerna, vt sub modo ponatur aut sub lecto? Nõn- Matt.10.c
ne vt super candelabrum ponatur? Non est enim aliquid absconditum, quod non manifestetur: nec factum Luce.8.c
est occultum, sed vt in propatulum veniat. Siquis habet aures audiendi, audiat. Et dicebat illis, Videte quid Matt.7.a
audiatis, In qua mensura mẽsi fueritis, remetietur vobis: & adijcietur vobis qui auditis. Qui enim habet, da- Luce.6.f
bitur illi: & qui non habet, etiam quod habet auferetur ab eo. Et dicebat, [e] Sic est regnum Dei, quemadmo- Matt.32.b
dum si homo iaciat sementem in terram, & dormiat & exurgat nocte & die, & semen germinet & increscat &.15.c
dum nescit ille. Vltrò enim terra fructificat, primum herbam, deinde spicam, deinde plenum frumentum in Luce.8.c
spica. Et cum productus fuerit fructus, statim mittit falcem, quoniam adest messis. Et dicebat: Cui assimila- &.13.d
bimus regnum Dei? aut cui parabolæ comparabimus illud? Est sicut granum sinapis, quod cum seminatũ Matt.13.c
D fuerit in terra, minus est omnibus seminibus, quæ sunt in terra: & cum seminatum fuerit, ascendit, & fit ma- Luce.13.d
ius omnibus oleribus: & facit ramos magnos, ita vt possint sub vmbra eius aues cœli habitare. Et talibus
multis parabolis loquebatur eis: verbum, prout poterant audire, sine parabola autem non loquebatur eis: Matt.8.c
seorsum autem, discipulis exponebat omnia. Et ait illis in illa die, cum facta esset vespera: Transeamus in Luce.8.d
vlteriorem ripam. Et dimittentes turbam, assumunt eum, ita vt erat in naui. Sed & aliæ nauiculæ erant cum
illo. Et facta est, procella magna venti: & fluctus irruebãt in nauim, ita vt impleretur nauis. Et erat ipse in pup-
pi super ceruical dormiens: & excitant eum, & dicunt illi: Magister, non est tibi curæ, quòd perimus? Et exur
gens increpauit ventum, & dixit mari: Tace, obmutesce. Et cessauit ventus: & facta est tranquillitas magna.
Et ait illis: Quid timidi estis sic? quomodo non habetis fidem? Et timuerunt timore magno: & dicebant in-
ter sese: Quis putas est iste, quia & ventus & mare obediunt ei?

SCHOLIA.

[a] Ecce exijt seminans ad seminandum.] *Prima parabola præparat ad studiose audiendum verbum Dei. Cum do-
cemur, hoc semen nõ ferre fructum nisi in terra bona.* [b] Vobis datum est.] *Vobis studiose quærentibus.* [c] Vt viden-
tes videant & non cernant.] *Hoc fit ob dignitatem mysterij, quod dum velatum proponitur, inuitat quidem et male affe-
ctos ad attendendum, sed non datur sanctum canibus. Quod ergo ait, vt videntes non cernant, ne id intelligas, nolle Deum
eos cernere, cum ob hanc causam illis loquatur, vt respiscant, sed per consecutionem id dicitur, vt sit sensus, audient quidem
isti, sed dũ suis tenebris gaudent, fiet, vt nunquã, neq; conuertantur, neque sanentur.* [d] Nunquid lucerna.] *Dixerat fermẽ
quod in terram bonam ceciderat, fructum plurimum afferre, at ij, qui eiusmodi sunt, conspicui sunt omnibus, vt nihil eorum
occultari possit, maius ergo vitæ studium ab ijs est adhibendum, nam leuis macula in præciosa re magis reprehenditur, quàm
magna in vili, & quod addit: Videte quid auditis, in qua mensura mensi fueritis remetietur vobis. Docet secundum men-
suram auditus & attentionis, addendam esse & intelligentiæ gratiam, & habenti alacrem & promptum animum futu-
ram munerum accessionem.* [e] Sic est regnum Dei.] *Videtur docere: hoc regnũ non esse eius generis, cuius cætera regna,
sed parari quidem interea quotidie, sicut semen in agro germinans semper augescit, verum in fine aperiendam esse eius vim,
quasi in messe.*

CAPVT V.

A ET venerũt in vlteriorem ripam maris in regionem Gadarenorum. Et exeũti ei de naui, statim occur- Marc.8.d
rit de monumentis homo cum spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumẽtis: & neq; ca- Luce.8.d
tenis iam quisquam poterat eum ligare: quum sæpe compedibus & catenis vinctus, dirupisset catenas,
& compedes comminuisset: & nemo poterat eum domare, & semper die ac nocte in monumentis & in mõ-
tibus erat, clamans & concidens se lapidibus. Videns autem IESVM à longe, cucurrit & adorauit eum: &
clamãs voce magna dixit: Quid mihi & tibi IESV fili Dei altissimi? adiuro te per Deum ne me torqueas.
Dicebat enim illi: Exi spiritus immunde ab homine isto. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen est? Et di-
cit ei: Legio mihi nomẽ est, quia multi sumus. Et deprecabatur eum multum, ne se expelleret extra regionẽ.
Erat autem ibi circa montem grex porcorum magnus, pascens. Et deprecabantur eum omnes illi dęmones,
dicentes: Mitte nos in porcos, vt in eos introeamus. Et cõcessit eis statim IESVS. Et exeuntes spiritus im-
B mundi, introierunt in porcos, & magno impetu grex præcipitatus est in mare. Erant autem ferme duo mil-
lia, & suffocati sunt in mari. Qui autem pascebant eos fugerunt, & nunciauerunt in ciuitatem & in agros. Et
egressi sunt videre quid esset quod accidera t: & veniunt ad IESVM: & vident illum, qui à dæmonio vexa-
batur, sedentem vestitum, & sanæ mentis, qui habuerat legionem: & timuerunt. Et narrauerunt illis, qui vi-
derant, qualiter factum esset ei, qui dęmonium habuerat, & de porcis. Et rogare cœperunt eum vt discederet
de finibus eorum. Cumque ascenderet nauim, cœpit illum deprecari, qui à dæmonio vexatus fuerat, vt esset
cum illo: & non admisit eum, sed ait illi: Vade in domum tuam ad tuos, & annuntia illis quanta tibi Domi-
nus fecerit, & misertus sit tui. Et abijt, & cœpit prædicare in Decapoli, quanta sibi fecisset IESVS: & om- Matt.9.c
nes mirabantur. Et cum traiecisset IESVS naui rursum trans fretum, cõuenit turba multa ad eum, & erat Luce.8.f
circa mare. Et ecce venit quidam de archisynagogis nomine Iairus: & videns eum, procidit ad pedes eius, &
C deprecabatur eum multum, dicens: Filiola mea in extremis est, Veni, impone manum tuam super eam, vt
salua sit, & viuet. Et abijt cum illo: & sequebatur eum turba multa, & comprimebãt eum. Et mulier quę erat
in profluuio sanguinis annis duodecim, & fuerat multa perpessa à cõpluribus medicis, & erogauerat omnia
sua, nec quicquã profecerat, sed magis deterius habebat. Cumq; audisset de IESV, vênit in turba retro, &
tetigit vestimentum eius, dicebat enim: Si vel vestimentum eius tetigero, salua ero. Et confestim siccatus est
fons sanguinis eius: & sensit corpore quod sanata esset à plaga. Et statim IESVS in semetipso cognoscẽs
virtutem quæ exierat de se, cõuersus ad turbam aiebat? Quis tetigit vestimenta mea? Et dicebãt ei discipuli
sui: Vides turbam comprimentem te? & dicis: Quis me tetigit? Et circunspiciebat vt videret eam, quæ hoc
fecerat. Mulier vero [a] timens & tremens, sciens quod factum esset in se: venit & procidit ante eum, & dixit ei

omnem

omnem veritatem. Ille autem dixit ei: Filia, fides tua te saluam fecit: vade in pace, & esto sana à plaga tua. D
Adhuc eo loquente, veniunt ad archisynagogum dicentes: Filia tua mortua est: quid vltra vexas magistrum?
IESVS autem audito verbo quod dicebatur, ait archisynagogo: Noli timere, tantummodo crede. Et non
permisit quenquam se sequi, nisi Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem Iacobi. Et venit in domum archi
synagogi: & videt tumultum, & flentes, & eiulantes multum. Et ingressus ait illis: Quid turbamini & ploratis? puella non est mortua, sed dormit. Et irridebant eum. Ipse vero eiectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & qui secum erant, & ingrediuntur vbi puella erat iacens. Et tenens manum puellæ, ait illi: Talitha cumi, quod est interpretatum, Puella (tibi dico) surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat: erat autem annorum duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis vehemèter, vt nemo id sciret:
[b] & iussit dari illi manducare.

SCHOLIA.

[a] Timens & tremens.] *Quod quasi furata esset sanitatem.* [b] Et iussit dari illi manducare.] *Quemadmodum & ipse ad faciendam veræ resurrectionis suæ fidem, petijt si quid haberent esui aptum, & comedit.*

CAPVT VI.

Matt.13.g Luce.4.c Ioan.4.f
ET egressus inde, abijt in patriam suam: & sequebantur eum discipuli sui. Et facto sabbato, cœpit in sy- A
nagoga docere, & multi audientes, admirabantur, dicentes: Vnde huic hæc omnia? & quæ est sapientia quæ data est illi, & virtutes tales quæ per manus eius efficiuntur? Nónne hic est faber filius MARIAE, frater Iacobi & Iose & Iudæ & Simônis? Nónne & sorores eius hic nobiscum sunt? Et scandalizabantur in illo. Et dicebat illis IESVS: Non est propheta sine honore, nisi in patria sua, & in domo sua, & in cognatione sua. [a] Et non poterat ibi virtutem vllã facere, nisi quod paucos infirmos, impositis manibus,
Matt.10.a Luce.9.a curauit: & mirabatur propter incredulitatem eorum. Et perambulabat castella in circuitu, docens. Et vocauit duodecim: & cœpit eos mittere binos, & dabat illis potestatem in spiritus immundos. Et præcepit eis ne
quid tollerent in via, [b] nisi virgam tantum: non peram, non panem, neq; in zona æs, sed calciarentur sanda- B
lijs, & ne induerentur duabus tunicis. Et dicebat eis: Quocunque introieritis in domum, illic manete donec
exeatis inde: & quicunq; non receperint vos, nec audierint: exeuntes inde, excutite puluerem qui est sub pe-
Act.13.g dibus vestris [c] in testimonium illis. Amẽ dico vobis, tolerabilius erit Sodomis, aut Gomorris in die iudicij,
Matt.14.a Luce.9.a quàm ciuitati illi. Et exeuntes prædicabant vt pœnitentiam agerent: & dæmonia multa eijciebant, & vngebant oleo multos ægros, & sanabant. Et audiuit rex Herodes (manifestum enim factum est nomen eius) &
Mar.14.d Luce.3.d dicebat, Ioannes Baptista resurrexit à mortuis: & propterea virtutes operantur in illo. Alij autem dicebant, Elias est. Alij vero dicebant, propheta est, aut quasi vnus ex prophetis. Quo audito, Herodes ait: Quem ego C
decollaui, Ioannes hic est: ipse à mortuis resurrexit. Ipse enim Herodes misit ac tenuit Ioannẽ, & vinxit eum
in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eã. Dicebat enim Ioannes Herodi:
Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Herodias autem insidiabatur illi: & volebat occidere eum, nec po-
terat. Herodes enim [d] metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum, & sanctum: & obseruabat eum, & audito eo, multa faciebat: & libenter eum audiebat. Et cum dies opportunus accidisset: cum Herodes natalis sui
cœnã faceret principibus & tribunis & primis Galilææ: Cumq; introisset filia ipsius Herodialis, & saltasset,
& placuisset Herodi, simulque recumbentibus: rex ait puellæ: Pete à me quod vis, & dabo tibi: & iurauit illi,
quicquid petieris dabo tibi, licet dimidium regni mei. Quæ cum exisset dixit matri suæ: Quid petam? At illa
dixit: Caput Ioannis baptistæ. Cumque introisset, statim cum festinatione ad regem, petiuit, dicens: Volo vt D
protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ. Et contristatus rex, propter iusiurãdum, & propter simul
discumbentes, noluit eam reijcere. Et cõfestim rex misso spiculatore præcepit afferri caput eius. At ille abijt,
Marc.14.b Luce.9.b & decollauit eum in carcere: & attulit caput in disco: & dedit illud puellæ, & puella dedit matri suæ. Quo audito, discipuli eius venerunt & tulerunt corpus eius, & posuerunt illud in monumento. Et conuenientes apo
stoli ad IESVM, renunciauerunt ei omnia quæ egerant, & docuerant. Et ait illis: Venite vos ipsi seorsum
in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui veniebant & redibant multi: & nec spatiũ man-
ducandi habebant. Et ascendentes in nauim, abierunt in desertum locum seorsum. Et viderunt eos abeuntes
turbæ, & cognouerunt eũ multi: & pedestres de omnibus ciuitatibus cucurrerunt illuc, & præuenerunt eos, E
Matt.9.d Mala.14.b Luce.9.b Ioan.6.a conueneruntq; ad illum. Et exiens, vidit turbam multam IESVS: & misertus est super eos, quia erant sicut oues non habentes pastorem, & cœpit illos docere multa. Et cum iam hora multa fieret, accesserunt discipuli eius, dicentes: Desertus est locus hic, & iam multum temporis effluxit, dimitte illos, vt euntes in proximas villas & vicos, emant sibi cibos: quid enim edant, non habẽt. Et respondens ait illis: Date illis vos manducare. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & demus illis manducare. Et dixit eis: Quot
panes habetis? ite & videte. Et cum cognouissent, dicunt: Quinq;, & duos pisces. Et præcepit illis vt accum-
bere facerent omnes secundum contubernia super viride fœnum. Et discubuerunt in partes, per centenos &
quinquagenos. Et acceptis quinq; panibus, & duobus piscibus: intuens in cœlum benedixit & fregit panes, F
& dedit discipulis suis vt ponerent ante eos: & duos pisces diuisit omnibus. Et manducauerunt omnes: & sa-
turati sunt. Et sustulerunt fragmentorum duodecim cophinos plenos, & de piscibus. Erant autem qui man-
Matt.14.c Ioan.6.b ducauerunt circiter quinq; millia virorum. Et statim coegit discipulos suos ascendere nauim, vt præcederẽt
trans fretum ad Bethsaidam, dum ipse dimitteret populum. Et cum dimisisset eos, abijt in montem orare.
Et cum vespera esset, erat nauis in medio mari, & ipse solus in terra. Et vidit eos laborantes in remigãdo: erat
enim ventus contrarius eis: & circa quartam vigiliam noctis venit ad eos ambulans supra mare: & volebat
præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantẽ supra mare, putauerunt phantasma esse: & exclamauerunt.
Omnes enim viderunt eum: & conturbati sunt. Et statim locutus est cum eis: & dixit eis: Confidite, ego G
sum:

sum: nolite timere. Et ascendit ad illos in nauim, & cessauit vẽtus. Et magis ac magis intra se stupebant & mirabantur: [c] non enim intellexerant de panibus: erat enim cor eorum obcæcatum. Et cum transfretassent, Matt.14.d
venerunt in terram Genesareth & applicuerunt. Cumq; egressi essent de naui, continuo cognouerunt eum:
& percurrentes vniuersam circunquaq; regionem illam, cœperunt in grabatis eos qui se male habebant circunferre, cum audissent eum illic esse. Et quocunq; introibat, in vicos vel in villas aut ciuitates, in plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent, & quotquot tangebant
eum, salui fiebant.

SCHOLIA.

[a] Et non poterat ibi virtutem vllam facere.] *Non poterat: non erat consentaneum. Nam posse & nõ posse (quemadmodum ait theologus Nazianzenus) non vno modo dicitur: nam interdum significat defectum virium, & pro tempore, & ad aliquid. Vt puerum non posse luctari, aut catulum cernere, aut aduersus hunc decertare: nam olim fortasse luctabitur, & catulus cernet, & hic aduersus hunc decertabit, quamuis aduersus alterum fortasse non possit. Interdum vero vt in pluribus, vt cum dicimus, non posse vrbem occultari, quæ super montem posita sit, nam fortasse aliqua possit occultari altioris mõtis obiectu. Interdum quasi non sit rationabile, vt non possunt filij sponsi ieiunare, quandiu cum illis est sponsus, siue dum corporaliter cernitur (non enim illud afflictionis, sed lætitiæ tempus est) siue, vt verbum, quod sola mente percipitur, quid enim aqua erat corpore ieiunare vis, qui verbo purificabantur? Ita hoc loco, cum ad curationem duo concurrere debeant fides, & fides eius qui curatur, & curantis potestas, cum alterum deesset, nõ erat æquum, vt curationis munus exhiberetur. Est etiam, quod natura quidem non est possibile, Deo autem volente fieri possit. Vt, non posse eundem secundo nasci, & acum non admittere Camelum: quid enim prohibeat hæc fieri volente Deo? Aliud vero est, quod omnino sit impossibile: vt malum esse Deũ, aut Deum non esse, aut bis duo, & quatuor esse, & decem.* [b] Nisi virgam tantum.] *Apud alios euangelistas prohibet virgam, sed intelligamus, illic prohibita fuisse omnia, quibus fidere solent homines, vel alimenti, vel defensionis gratia, hic vero virgam permittit. cui defessi inniti possint, quam ob causam etiã hic sandalia permittit, ob offensionem pedũ euitandam.* [c] In testimonium illis.] *In testimonium suscepti ob eorum salutem laboris.* [d] Metuebat Ioannem.] *Antea videlicet, quàm insaniret amore Herodiadis.* [e] Non enim intellexerant de panibus.] *Non agnouerãt in multiplicatione panum potestatem Christi, propterea videtur Dominus turbasse mare, vt vel sic agnoscerent eum. Vsu quoque nũc euenit, vt multi in summa felicitate non obseruent Dei erga se beneficentiam, attriti malis tum demum agnoscant.*

CAPVT VII.

A ET conueniunt ad eum pharisæi & quidam de scribis venientes ab Hierosolymis. Et cum vidissent Matt.15.a
quosdam ex discipulis eius [a] communibus manibus, id est non lotis, manducare panes, vituperauerunt. Pharisæi enim & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint manus, non manducant, tenentes traditiones seniorum: & à foro venientes, nisi loti fuerint, non comedunt: & alia multa sunt, quæ tradita sunt illis
seruare, baptismata calicum & vrceorum & æramentorum & lectorum. Et interrogant eum pharisæi & scribæ: Quare discipuli tui non ambulant iuxta traditionem seniorum, sed illotis manibus manducant panem?
At ille respondens, dixit eis: Bene prophetauit Esaias de vobis hypocritis, sicut scriptum est: Populus hic, la- Esa.29.d
bijs me honorat, cor autem eorum, longe est à me: in vanum autem me colunt, docentes doctrinas, præ-
cepta hominum. Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditiones hominum, baptismata vrceo-
B rum & calicum & alia similia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene, irritum facitis præceptum Dei, vt tra-
ditionem vestram seruetis. Moyses enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam, & qui maledixerit Exod.20.e
patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis, Si dixerit homo patri vel matri, Corban, quod est, Deut.5.b
donum, quodcunque ex me, tibi profuerit: & vltra non dimittitis eum quicquàm facere patri suo aut ma- Ephe.6.a
tri, rescindentes verbum Dei per traditionem vestram quam tradidistis. Et similia huiusmodi multa faci- Exod.21.c
tis. Et aduocans totam turbam, dicebat illis: Audite me omnes, & intelligite: Nihil est extra hominem Leuit.20.b
introiens in eum, quod possit coinquinare: sed quæ de homine procedunt, illa sunt quæ communicant ho- Prou.20.c
minem. Si quis habet aures audiendi audiat. Et cum introisset in domum à turba, interrogabant eum dis- Matt.12.b
cipuli eius parabolam. Et ait illis. Ita ne vos quoque sine intelligentia estis? Non intelligitis quod omne
C extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare: quia non intrat in cor eius, sed in ven-
trem vadit, & in secessum exit, purgans omnes escas? Dicebat autem, quæ de homine exeunt, illa inquinant hominem. Abintus enim de corde hominum, malæ cogitationes procedunt, adulteria, fornicationes, homicidia, furta, auaritiæ, nequitiæ, dolus, impudicitiæ, oculus malus, blasphemia, superbia, stultitia. Omnia hæc mala abintus procedunt: & inquinant hominem. Et inde surgens, abijt in fines Tyri
& Sydõnis, & ingressus domum, neminem voluit scire, & non potuit latere. Mulier enim statim vt audi- Matt.15.c
uit de eo, cuius filia habebat spiritum immundum, intrauit & procidit ad pedes eius. Erat enim mulier
gentilis, Syrophœnissa genere. Et rogabat eum vt dæmonium eijceret de filia eius. Qui dixit illi: Sine prius
saturari filios: non est enim bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. Et illa respondit, & dicit
D illi, vtique Domine: nam & catelli comedunt sub mensa de micis puerorum. Et ait illi, propter hunc ser- d.
monem, vade, exijt dæmonium à filia tua. Et cum abijsset domum, inuenit puellam iacentem supra le- Matt.15.a
ctum, & dæmonium exisse. Et iterum exiẽs de finibus Tiri & Sydonis, venit ad mare Galilææ inter medios
fines Decapoleos: & adducunt ei surdum & impedita lingua: & deprecabãtur eum vt imponat illi manum.
Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius,
& suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi: Ephphata, quod est, adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius,
& solutum est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis ne cui dicerent. Quanto autem eis
præcipiebat, tanto magis plus prædicabant, & eo amplius admirabantur, dicẽtes: Bene omnia fecit: & surdos Gene.1.d
facit audire, & mutos loqui. Eccle.39.c

SCHOLIA.

a Communibus manibus.] *Cõmune Iudæi appellabant immundum, & cõmunes cibos, hoc est, quibus passim ethnici vescebantur. sibi vero vesci non licebat, immundis, nunc ergo illotas manus, communes, hoc est, immundas vocat.*

CAPVT VIII.

IN diebus illis cũ turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent: cõuocatis IESVS discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam: quia ecce a iam triduo manent apud me, nec habent quod manducent: & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: Quidam enim ex eis de longe venerũt. Et respõderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic saturare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens fregit, & dabat discipulis suis, vt apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant piscículos paucos: & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et mãducauerunt & saturati sunt, & sustulerũt quod superauerat de fragmentis septem sportas. Erant autem qui manducauerant quasi quatuor millia: & dimisit eos. Et statim ascendens nauim cum discipulis suis, venit in partes Dalmanutha. Et exierunt pharisæi, & cœperunt conquirere cum eo, quærentes ab illo signum de cœlo, tentantes eum. Et ingemiscẽs spiritu suo ait: Quid generatio ista signum quærit? Amen dico vobis, b si dabitur generationi isti signum. Et dimittens eos, ascendit iterum nauim, & abijt trans fretum. Et obliti sunt panem sumere: & nisi vnum panem nõ habebant secum in naui. Et præcipiebat eis, dicens: Videte, cauete à fermento pharisæorum, & fermẽto Herodis. Et disputabant inter se, dicentes: panes non habemus. Quo cognito, ait illis IESVS: Quid cogitatis quòd panes non habetis? nondum cognoscitis, nec intelligitis? adhuc cæcatũ habetis cor vestrum? oculos habentes non videtis? & aures habentes non auditis? Nec recordamini quando quinque panes fregi in quinque millia, & quot cophinos fragmentorum plenos sustulistis? Dicunt ei: Duodecim. Quando & septem panes in quatuor millia, quot sportas ex reliquijs fragmentorum tulistis? Et dicunt ei, Septem. Et dicebat eis: Quomodo nondum intelligitis? Et venit Bethsaidam: & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret. Et apprehensa manu cæci, eduxit eum extra vicum: & expuens in oculos eius, impositis manibus suis, interrogauit eum si quid videret. Et aspiciens ait: c Video homines velut arbores, ambulantes. Deinde iterum imposuit manus super oculos eius: & fecit, vt visum reciperet, & restitutus est, ita vt clare videret omnes. Et misit illum in domum suam dicens: neque in vicum introeas, neque dixeris cuiquam in vico. Et egressus est IESVS & discipuli eius in castella Cæsareę Philippi: & in via interrogabat discipulos suos, dicẽs eis: Quem me dicunt esse homines? Qui respondentes illi, dicentes: Ioannem Baptistam, alij Eliam, alij vero vnum de prophetis. Tunc dicit illis: Vos vero, quem me esse dicitis? Respondens Petrus ait ei: Tu es CHRISTVS. Et cõminatus est eis ne cui dicerent de illo. Et cœpit docere eos quòd oportet filium hominis pati multa, & reprobari a senioribus & à summis sacerdotibus & scribis, & occidi: & post tres dies resurgere. Et palàm verbũ loquebatur. Et apprehendens eum Petrus, cœpit increpare eum. Qui conuersus & videns discipulos suos, increpauit Petrum dicens: Vade retro me Satana, quoniam non sapis, quę Dei sunt, sed quæ sunt hominum. Et conuocata turba cum discipulis suis, dixit eis: Si quis vult me sequi, deneget semetipsum, & tollat crucẽ suã, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me & Euangelium, saluam faciet eam. d Quid enim proderit homini, si lucretur mundum totum, & detrimentum animę suę faciat? Aut quid dabit homo commutationis pro anima sua? Quecunque enim puduerit mei ac meorum sermonum in generatione hac adultera & peccatrice, pudebit illius & filium hominis, vbi venerit in gloria patris sui cum angelis sanctis.

Matt.15.d

Matt.16.a
Luce.12.g

Matt.16.a

Ioan.6.b

Matt.16.b
Luce.9.c

Matt.16.d
&.10.d
Luce.9.c
14.f.17.g
Ioan.12.d
Matt.10.d.
Luce.9.c

SCHOLIA.

a Iam triduo manent apud me.] *Atqui hoc ob suam ipsorum vilitatem faciebant, non Christi, & tamen miseratur turbam, ingens benigne faciendi exemplum, & fiducia expectantium diuinam miserationem.* b Si dabitur generationi isti signum.] *Hebraismus est, pro non dabitur. Hic nullum pollicetur se daturum signum: at apud Matthæum signum Ionæ prophetæ promittit, vt minus miremur, alibi prohiberi, virgam ferre, alibi permitti.* c Video homines veluti arbores.] *Quod paulatim hunc curat, & visum per partes dat, videtur significari imbecillam eius fidem, qui curabatur.* d Quid enim proderit homini.] *Oportet, inquit, solam animæ salutem quærere, nam quid proderit &c.*

CAPVT IX.

ET dicebat illis: Amen dico vobis, quòd sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Et post dies sex assumit IESVS Petrum & Iacõbum & Ioannem: & ducit illos in montem excelsum seorsum solos, & transfiguratus est coram ipsis. Et vestimenta eius facta sunt splendentia & candida nimis velut nix, qualia fullo non potest super terram candida facere. Et apparuit illis Elias cum Moyse: & erant loquentes cum IESV. Et respõdens Petrus, ait IESV: Rabbi, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, tibi vnũ, & Moysi vnum, & Eliæ vnum. a Non enim sciebat quid diceret, erant enim timore exterriti. Et facta est nubes obumbrans eos: & venit vox de nube, dicens: Hic est filius meus charissimus: audite illum. Et statim circumspicientes, neminem amplius viderunt, nisi IESVM tantũ, secum. Et descendentibus illis de mõte, præcepit illis ne cuiquam quod vidissent, narrarent: nisi cum filius hominis à mortuis resurrexerit. Et verbum cõtinuerunt apud se: cõquirentes quid esset hoc, ex mortuis resurgere. Et interrogabãt eum, dicentes: Quid est quod dicunt scribæ, q̃ Eliã oporteat venire primum? Qui respõdens, ait illis: b Elias cum venerit primo, restituet omnia: & quomodo scriptũ est de filio hominis, vt multa patiatur & contemnatur. Sed dico vobis q̃ Elias vẽnit (& fecerũt illi quæcũq; voluerunt) sicut scriptum est de eo. Et veniens ad discipulos suos, vidit turbam magnam circa eos, & scribas conquirentes cum illis. Et confestim omnis populus videns IESVM, stupefactus est: & accurrentes, salutabant

Matt.16.d
Luce.9.c
Matt.17.a
Luce.9.d

Matt.17.b

mala.4.b
Esa.53.b
mala.4.b
matt.17.c
Luce.19.c

bant eũ. Et interrogaũit scribas: Quid inter vos cõquiritis? Et respondẽs vnus de turba, dixit: Magister, attuli filium meum ad te habentẽ spiritum mutum: qui vbicunq; eũ apprehẽderit, lacerat illum, & spumat, & stridet dentibus, & arescit: & dixi discipulis tuis, vt ejcerẽt illum: & nõ potuerunt. Qui respõdens eis dixit: O generatio incredula, quandiu apud vos ero? quandiu vos patiar? afferte illum ad me. Et attulerũt eum. Et cum vidisset eum, statim spiritus discerpebat illũ: & prolapsus in terrã, volutabatur spumans. Et interrogauit patrem eius: Quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit? At ille ait: Ab infantia, Et frequenter eum in ignem & in aquas misit, vt eum perderet, sed si quid potes, adiuua nos, misertus nostri. IESVS autem ait illi: Si potes credere, omnia possibilia sunt credenti. Et continuo exclamans pater pueri, cum lachrymis aiebat: Credo Domine: adiuua incredulitatem meam. Et cum vidisset IESVS concurrentem turbam, cõminatus est spiritui immundo, dicens illi: Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eũ. Et exclamans & multum discerpẽs eum, exijt ab eo: & factus est sicut mortuus, ita vt multi dicerent, mortuus est. IESVS autem tenens manum eius, eleuauit eum: & surrexit. Et cum introisset in domum, discipuli eius secretò interrogabant eum: Quare nos non potuimus ejicere eum? Et dixit illis: Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione & ieiunio. Et inde profecti prętergrediebãtur Galilæam: nec volebat quenquam scire. Docebat enim discipulos suos, & dicebat illis: Filius hominis tradetur in manus hominum, & occident eum: & occisus, tertia die resurget. At illi ignorabãt verbum, & timebant interrogare eum. Et venerunt Capharnaum. Qui cum domi esset, interrogabat eos: Quid in via tractabatis? at illi tacebãt: Siquidem in via inter se disputauerãt quis eorũ maior esset. Et residens vocauit duodecim: & ait illis: Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus: & omnium minister. Et accipiẽs puerũ, statuit eum in medio eorum, quem cum cõplexus esset, ait illis: Quisquis vnũ ex huiusmodi pueris receperit in nomine meo: me recipit: et quicunq; me susceperit, non me suscipit, sed eũ qui misit me. Respõdit illi Ioãnes, dicens: Magister, vidimus quendã in nomine tuo ejicientẽ dęmonia, qui non sequitur nos: & prohibuimus eũ, quia non sequitur nos. IESVS autẽ ait: Nolite prohibere eũ: nemo est enim qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò maleloqui de me: Qui enim nõ est aduersum nos, pro nobis est. Quisquis enim potũ dederit vobis calicẽ aquæ in nomine meo, quia CHRISTI estis: amẽ dico vobis nõ perdet mercedem suã. Et quisquis scandalizauerit vnum ex his pusillis credentibus in me: bonum esset ei magis si circundaretur mola asinaria collo eius, & in mare mitteretur. Et si scãdalizauerit te manus tua, abscinde illã: bonum est tibi mutilũ introire in vitam, magis q̃ duas manus habentem ire in gehennã, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Et si pes tuus te scãdalizat, amputa illum: bonũ est tibi claudũ introire in vitã ętернam, magis q̃ duos pedes habẽtem mitti in gehẽnam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorũ non moritur: & ignis nõ extinguitur. Quòd si oculus tuus scandalizat te, erue eum: bonum est tibi luscum introire in regnũ Dei, magis q̃ duos oculos habentẽ, mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorũ non moritur, & ignis nõ extinguitur. c Omnis enim igne salietur: & omnis victima sale salietur. Bonum est sal: quòd si sal insulsum fuerit, in quo illud condietis? Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.

matt.17.d
Luce.9.e

matt.18.a
Luce.9.f

1.Cor.12.a
Matt.10.d
Matt.18.a
Luce.17.a

Matt.18.b

Esaie.66.g

Matt.5.b
Luce.14.g

SCHOLIA.

a Non enim sciebat quid diceret.] *Nã quæ fuisset consequẽtia aut vtilitas, si ibi fixissent tabernacula?* b Helias cum venerit primo.] *Veniet, inquit, Helias, & restituet omnia: hoc est ad fidem reuocabit Iudæos, quod si de hoc huius mei aduentus tempore accipiatur, quo pacto implebitur quod scriptum est de filio hominis, quòd multa sit passurus, & contemnendus? nam credentibus illis non cõtemnetur, sed honore afficietur. Si ergo permanentibus Iudæis in incredulitate, filius hominis est despiciendus, sequitur: non restituturum Heliam omnia, hoc autem est omnino futurum, non est ergo de hoc primo aduentu accipiendum, sed de secundo. Neque tamen huic primo defuit suus Helias, nempe Ioannes baptista, qui venit in spiritu & virtute Heliæ. Illa autem verba, & quomodo scriptum est de filio hominis vt multa patiatur, & contemnatur, interrogatiue sunt pronuntiãda.* c Omnis enim igne salietur, & omnis victima sale salietur.] *Ergo omnes igni tradentur examinandi? Sed illud videtur esse, quod ait apostolus, Vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit, qui in hac parte vim quandam ac naturam salis habebit, nam in morem salis eos, qui apti erunt, vt seruentur, non solum nõ lædet, sed corroboratos potius videbitur, & quasi constringens facere incorruptos. In reliquos sic aget, vt vnam ob causam maneant incorrupti, quo ad perpetuam seruentur corruptionem. Et quemadmodum iuxta legem omnis victima sale cõditur, sic oportet omnia sacra, quæ accepta futura sint, quasi gratam victimam, diuino sale condiri. Deinde concludit: habete in vobis sal, & pacem habete inter vos: quod videtur ad institutum primo sermonem pertinere, cum de primatu colloquerẽtur apostoli, cuius rei gratia, præter interpositа à Ioanne verba, omnia reliqua à Seruatore dicta sunt. Etenim neque maior vnquam perturbatio rerũ oritur, neq; grauiora scãdala, quàm vbi præesse homines quærunt, quæ vt discipuli vitarẽt, docet quanti apud se sint paruuli, hoc est humiles.*

CAPVT X.

ET inde exurgẽs, venit in fines Iudææ per regionẽ quę est vltra Iordanem: & conueniunt iterũ turbæ ad eum: & sicut cõsueuerat, iterũ docebat illos. Et accedentes pharisæi, interrogabant eũ: Si licet viro vxorẽ dimittere? tentãtes eum. At ille respõdẽs, dixit eis: Quid vobis præcepit Moyses? Qui dixerũt: Moyses permisit libellum repudij scribere, & dimittere. Quibus respõdens IESVS ait: Ad duritiã cordis vestri scripsit vobis præceptũ istud: Ab initio autẽ creaturę masculũ & fœminã fecit eos Deus. Propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhęrebit vxori suę: & erunt duo in carnem vnã. Itaq; iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergo Deus cõiunxit, homo non separet. Et in domo iterum discipuli eius de eodem interrogauerũt eum. Et ait illis: Quicunq; dimiserit vxorem suam & aliam duxerit, adulterium cõmittit super eam. Et si vxor dimiserit virum suũ, & alij nupserit, mœchatur. Et offerebãt illi paruulos, vt tãgeret illos. Discipuli autem increpabant offerentes. Quos cũ videret IESVS, indigne tulit, & ait illis: Sinite paruulos venire

Matt.19.a

Deut.24.a
Gene.1.d
Gene.2.d
1.Cor.6.d
Ephe.5.g
1.Cor.7.b

Matt.19.b
Luce.18.b

venire ad me:ne prohibueritis eos, [a] talium enim est regnum Dei. Amen dico vobis: [b] quisquis non recepe-
Matt.19 b Luce.18.d rit regnum Dei velut paruulus, non intrabit in illud. Et complexans eos, & imponens manus super illos, be-
Exod.20.e nedicebat eos. Et cum egressus esset in viam, accurrens quidam genu flexo ante eũ, rogabat eum dicens: Ma-
gister bone, quid faciam, vt vitam æternam percipiam? IESVS autem dixit ei: Quid me dicis bonum? C
Nemo bonus, nisi vnus, Deus. Præcepta nosti: Ne committas adulterium, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum
testimonium dixeris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum & matrem. At ille respondens, ait illi: Magi
ster, hæc omnia obseruaui à iuuentute mea. IESVS autem intuitus eum: dilexit eum, & dixit ei: Vnũ tibi
deest, vade: quæcunq; habes vende, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me subla
ta cruce. Qui contristatus in verbo: abijt mœrens: erat enim habẽs multas possessiones. Et circũspiciens IE-
SVS, ait discipulis suis: Quàm difficile, qui pecunias habẽt, in regnum Dei introibunt. Discipuli autẽ obstu-
pescebant in verbis eius. At IESVS rursus respondens, ait illis, Filij: q̃ difficile est confidentes in pecunijs, D
in regnũ Dei introire. Facilius est camelũ per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum Dei.
Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest saluus fieri? Et intuens illos IESVS, ait:
Matt.19.b Apud homines impossibile est: sed nõ apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deũ. Et cepit ei Petrus
dicere: [c] Ecce, nos dimisimus omnia, & secuti sumus te. Respõdens IESVS, ait: Amen dico vobis: nemo
est qui reliquerit domũ, aut fratres, aut sorores, aut patrẽ, aut matrem, aut vxorẽ, aut filios, aut agros propter
me & propter euangeliũ, qui non accipiat centies tantũ nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, &
Matt.19.d Matt.20.b Luce.18.e matres, & filios, & agros [d] cũ persecutionibus, & in seculo futuro vitam æternã. Multi autẽ primi, erunt no- E
uissimi, & nouissimi primi. Erãt autem in via ascẽdentes Hierosolymã: & præcedebat illos IESVS: [e] & stu
pebant: & sequentes timebãt. Et assumens iterũ duodecim, cœpit illis dicere quę essent ei vẽtura: Ecce ascẽdi-
mus Hierosolymã, & filius hominis tradetur principibus sacerdotũ, & scribis & senioribus, & dãnabũt eum
Matt.20.e morte, & tradent eũ gentibus, & illudent ei, & conspuent eũ, & flagellabunt eum, & interficient eum, & ter-
tia die resurget. Et accedunt ad eum Iacõbus & Ioãnes filij Zebedæi, dicentes: Magister, volumus vt quodcũ-
que petierimus facias nobis. At ille dixit eis: Quid vultis vt faciã vobis? Et dixerunt, Da nobis vt vnus ad dex-
teram tuã, & alius ad sinistrã tuam sedeamus in gloria tua. IESVS autẽ ait eis: Nescitis quid petatis: pote- F
stis bibere calicem quem ego bibo: & baptismo quo ego baptizor, baptizari? At illi dixerunt ei, possumus:
IESVS autẽ ait eis. Calicem quidẽ quem ego bibo, bibetis, & baptismo quo ego baptizor, baptizabimini:
sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistrã, non est meũ dare, sed quibus paratũ est. Et audientes decem,
Luce.22.c cœperunt indignari de Iacõbo & Ioanne. IESVS autẽ vocans eos, ait illis: Scitis q̃ hi qui videntur princi
pari gentibus, dominantur eis: & qui magni sunt inter eas, potestatẽ habent in illas. Non sic autem erit in vo
bis: sed quicũq; voluerit fieri magnus inter vos, erit vester minister: & quicũq; voluerit in vobis primus esse, G
erit omnium seruus. Nam & filius hominis nõ venit vt ministraretur ei, sed vt ministraret, & daret animam
Matt.20.d Luc.18.f.g suam redemptionem pro multis. Et veniunt Iericho, & proficiscente eo de Iericho, & discipulis eius & pluri-
ma multitudine, filius Timæi Bartimæus cæcus, sedebat iuxta viam mẽdicans. Qui cum audisset q̃ IESVS
Nazarenus esset: cœpit clamare & dicere: IESV fili Dauid, miserere mei. Et increpabant eum multi, vt ta-
ceret. At ille multo magis clamabat, Fili Dauid, miserere mei. Et stans IESVS, præcepit illum vocari. Et
vocant cæcum dicentes ei: Animæquior esto, surge, vocat te. Qui [f] proiecto vestimẽto suo, surgens, venit ad
eum. Et respondẽs IESVS, dixit illi: Quid tibi vis faciam? Cæcus autem dixit ei: Rabboni vt videam.
IESVS ait illi: Vade, fides tua te saluum fecit. Et confestim vidit, & sequebatur eum in via.

SCHOLIA.

[a] Talium enim est regnum Dei.] *Non dixit horum, sed talium, hoc est, qui moribus & vita horum puerorum innocentiam sunt assecuti.* [b] Quisquis non receperit regnum Dei velut paruulus.] *Quo pacto? cum talis quis efficitur ad doctrinam Domini, qualis est puerulus in disciplinis, non contradicens, sed fideliter ac obedienter documenta admittens: sic versari more puerorum est, non quærere antecellere alys, sed æqualitatem naturæ agnoscere, sed contentum esse pari honore cum ijs, qui aliqua in re videntur inferiores, tales enim sunt pueruli inter se, qui nondum assueti sunt vitijs eorum, quibus cum versantur.* [c] Ecce nos dimisimus omnia.] *Intellexit Petrus ex opposita re magna quædam bona assecuturos eos, qui diuitias relinquerẽt, iccirco pro ys, qui hac via essent ingressuri, hæc interrogat.* [d] Cum persecutionibus.] *Vel in medys ipsis persecutionibus, ante scilicet, quàm peractum sit certamen, vel certe, & ipsæ persecutiones pars muneris est, quod si cui insolens videatur, meminerit scriptum. Ibant apostoli gaudentes à conspectu concily, quòd digni habiti sint pro nomine IESV contumeliam pati: cernis pati pro nomine IESV existimatum dignitatem?* [e] Et stupebant, & sequentes timebant.] *Si stupebant, vt appareat, quòd præcederet illos IESVS, videtur Dominus tunc maiorem quandam, quàm alias soleret, præ se tulisse proficiscendi alacritatem, idq; cum iret agẽdus in crucem, vt nobis exemplo esset, ferendæ alacri animo crucis nostræ. Stupebant ergo discipuli nouum hunc eundi morem, quare etiam metuebant quid esset secuturum.* [f] Proiecto vestimento suo.] *Vt expeditior accederet. Sic faciendum est ijs, qui lumen accipere à Christo ex animo quærunt.*

CAPVT XI.

Matt.21.a Luce.19.c ET cum appropinquarẽt Hierosolymę ad Betphage & Bethaniã, ad montem oliuarum, mittit duos ex A
discipulis suis, & ait illis, Ite in castellũ quod contra vos est: & statim introeuntes illuc, inuenietis pullũ
ligatum, [a] super quem nemo adhuc hominũ sedit: soluite illũ, & adducite. Et si quis vobis dixerit: Quid
facitis? dicite quòd Domino necessarius est: & continuo illum dimittet huc. Et abeũtes, inuenerunt pullum
Ioan.12.b ligatũ ante ianuam foris in biuio: & soluunt eum. Et quidam de illic stantibus, dicebãt illis: Quid facitis sol-
uentes pullum? Qui dixerunt eis sicut præceperat illis IESVS: & dimiserunt eos. Et duxerunt pullum ad
IESVM: & imponunt illi vestimenta sua, & sedit super eum. Multi autem vestimẽta sua straurẽrũt in via: alij autem

B autem frondes cædebant dẽ arboribus, & sternebant in via. Et qui præibant & qui sequebantur clamabant
dicentes: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini. Benedictum quod venit regnum in nomine
Domini, patris nostri Dauid: hosanna in altissimis. Et introiuit Hierosolymam in templum: [b] & circunspe- Matt.21.b
ctis omnibus cum iam vespertinum esset tempus, exijt in Bethaniam cũ duodecim. Et postero die cum exi- Luce.19.g
rent à Bethania, esurijt. Cumq; vidisset à longe ficum habentem folia, vẽnit, si quid inueniret in ea. Et cum Matt.21.b
venisset ad eam: nihil inuẽnit præter folia: non enim erat tempus ficorum. Et respondens, dixit ei: Iam non
amplius in æternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli eius. Et veniunt Ierosoly-
mam. Et cum introisset in templum, cœpit eijcere vendentes & ementes in templo, & mensas nummulario
rum & cathedras vendentium columbas euertit: & non sinebat, vt quisquam transferret vas per templum:
C & docebat, dicens eis: Nonne scriptum est, Domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus? Vos Esaia.56.c
autem fecistis eam speluncam latronum. Quo audito, principes sacerdotum & scribæ quærebant quomodo Hiere.7.b
eum perderent, timebant enim eum: quoniam vniuersa turba admirabatur super doctrina eius. Et cum ve-
spera facta esset, egrediebatur de ciuitate. Et cum mane transirent viderunt ficum aridam factam à radici- Matt.21.c
bus. Et recordatus Petrus dixit ei: Rhabbi, ecce ficus cui maledisti, aruit. Et respondens IESVS, ait illis:
Habete fidem Dei, amen dico vobis, quòd quicunque dixerit huic monti: Tollere & mittere in mare, & non
hæsitauerit in corde suo, sed crediderit quòd quodcunque dixerit, fiat: fiet ei quodcunque dixerit. Propterea Matt 7.a
dico vobis omnia quæcunque orates petitis, credite quòd accipietis, & euenient vobis. Et cum stabitis ad &.22.c
orandum, dimittite, si quid habetis aduersus aliquem: vt & pater vester qui in cœlis est dimittat vobis pec- Luce.11.b
D cata vestra. Et veniunt rursus Hierosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacer- Matt.6.b
dotes & scribæ & seniores, & dicunt ei: In qua potestate hæc facis? & quis dedit tibi hanc potestatem, vt ista Eccle.28.a
facias? IESVS autem respondens, ait illis, Interrogabo vos, & ego vnum verbum, & respondete mihi, & Matt.21.c
dicam vobis in qua potestate hæc faciam: Baptismus Ioannis, de cœlo erat an ex hominibus? Respondete mi- Luce.20.a
hi. At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus de cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis ei? Si di-
xerimus ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Ioãnem, quòd vere propheta esset. Et re-
spondentes, dicunt IESV, Nescimus. Et respondens IESVS, ait illis: Neque ego dico vobis, in qua po-
testate hęc faciam.

SCHOLIA.

[a] Super quem nemo adhuc hominum sedit.] *Vt intelligas omnia hæc mysterij tantum gratia fieri, non quod tum primum iumento egeret ad iter.* [b] Et circunspectis omnibus.] *Vt qui omnium esset Dominus.*

CAPVT XII.

A ET cœpit illis in parabolis loqui. Vineam plantauit homo, & circundedit sepem, & fodit lacum, & Hiere.2.d
ædificauit turrim, & locauit eam agricolis: & peregre profectus est. Et misit ad agricolas in tempore
seruum: vt ab agricolis acciperet de fructu vineæ. Qui apprehensum eum cæciderunt, & dimiserunt
vacuum. Et iterum misit ad illos alium seruum: & illum lapidibus in capite vulnerauerunt, & contumelijs
affectum dimiserunt. Et rursum alium misit, & illum occiderunt: & plures alios quosdam cædentes, alios ve-
ro occidentes. Adhuc ergo vnum habens filium charissimum: & illum misit ad eos nouissimum, dicens: Re-
uerebuntur filium meum. Coloni autem dixerunt adinuicem: [a] Hic est hęres, venite occidamus eum, & no-
stra erit hæreditas. Et apprehendentes eum, occiderunt: & eiecerunt extra vineam. Quid ergo, faciet Domi-
nus vineæ? Veniet, & perdet colonos, & dabit vineam alijs. Nec scripturam hanc legistis: Lapis quem repro- Psal.117.d
bauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est illud: & est mirabile in oculis no- Esaia.28.d
stris? Et quærebant eum tenere, & timuerunt turbam, cognouerunt enim quòd in eos parabolam hanc di- Acto.4.b
xerat. Et relicto eo abierunt. Et mittunt ad eum quosdam ex pharisæis & herodianis, vt eum caperent in Roma.9.g
B verbo. Qui venientes, dicunt ei: Magister, scimus quòd verax es, & non curas quenquam, nec enim vides 1.Petr.2.a
in faciem hominum: sed in veritate viam Dei doces: Licet dare tributum Cæsari, an non? Dabimus an non Matt.12.b
dabimus? Qui sciens simulationem illorum, ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium vt vi- Luce.20.d
deam. At illi obtulerunt ei. Et ait illis: Cuius est imago hæc, & inscriptio? Dicunt ei, Cæsaris. Respon-
dens autem IESVS, dixit illis: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et mi- Roma.13.c
rabantur super eò. Et veniunt ad eum sadducæi, qui dicunt resurrectionem non esse: & interrogabant Matt.22.c
eum dicentes: Magister, Moyses nobis scripsit, vt si cuius frater mortuus fuerit, & reliquerit vxorem, & fi- Luce.20.d
lios non reliquerit, accipiat frater eius vxorem ipsius, & resuscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres Deut.25.b
erant: & primus accepit vxorem, & mortuus est non relicto semine. Et secundus accepit eam, & mortuus
est: & nec ille reliquit semen. Et tertius similiter. Et acceperunt eam similiter septem: et non reliquerunt se-
men. Nouissima omnium, defuncta est & mulier. In resurrectione ergo cum resurrexerint, cuius de his erit
vxor? septem enim habuerunt eam vxorem. Et respondens IESVS, ait illis: Nonne ideo [b] erratis non
C scientes scripturas neque virtutem Dei? Cum enim à mortuis resurrexerint: neq; nubunt neque nuptui dã-
tur, sed sunt sicut angeli Dei in cœlis. De mortuis autem, quod resurgant, nõ legistis in libro Moysi, quomo-
do in rubo dixerit illi Deus, inquiens: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob? Non est Deus
mortuorum, sed viuorum. Vos ergo multum erratis. Et accessit vnus de scribis qui audierat illos conquiren- Matt.22.d
tes, & videns quòd bene illis respondisset, interrogauit eum quod esset primum omnium mandatum. IE- Luce.10.c
SVS autem respondit ei, primum omnium mandatum est, Audi Israel, Dominus Deus vester, Dominus Deut.6.a
vnus est. Et diliges Dñm Deum tuũ [c] ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota Leui.19.d
virtute tua. Hoc est primum mandatum. Secundum autem simile est illi, Diliges proximum tuũ tanquam Marc.22.d
teipsum. Maius his aliud mandatum non est. Et ait illi scriba: Bene magister, in veritate dixisti, quòd vnus Rom.13.c

Galat.5.c Iacob.2.b

est Deus,& non est alius præter eum.Et vt diligatur ex toto corde,& ex toto intellectu, & ex tota anima, & ex tota fortitudine:& diligere proximum tanquam seipsum, maius est omnibus holocaustomatibus et sacrificijs. IESVS autem videns quòd sapienter respondisset,dixit illi:Non es lõge à regno Dei. Et nemo iam audebat eum interrogare.Et respõdens IESVS dicebat,docens in tẽplo:Quomodo dicũt scribæ Matt.22.d Luce.20.g Psal.109.a CHRISTVM filium esse Dauid? Ipse enim Dauid dicit in spiritu sancto: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis,Donec ponam inimicos tuos,scabellum pedum tuorum:Ipse ergo Dauid dicit eum Dominũ: & vnde est filius eius? Et multa turba eum libẽter audiuit.Et dicebat eis in doctrina sua:Cauete à scribis,qui volunt in stolis ambulare,& salutari in foro,& in primis cathedris sedere in synagogis, & primos discubitus in cœnis,& qui deuorant domos viduarum sub obtentu prolixæ orationis: hi accipient grauius iudicium. Matt.23.a Luce.11.f &.20.g Et sedens IESVS contra gazophylacium,aspiciebat quomodo turba iactaret æs in gazophylaciũ,& multi diuites iactabant multa. Cum venisset autem vidua vna pauper:misit duo minuta,quod est quadrans. Et aduocans discipulos suos,ait illis:Amen dico vobis,quòd [d] vidua hæc pauper, plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium.Omnes enim ex eo quod abundabat illis, miserũt:hæc vero de penuria sua,omnia quæ habuit misit,totum victum suum. Luce.21.a

SCHOLIA.

[a] Hic est heres.] *Ex his verbis colligitur, Iudæos nihilominus reos fuisse cædis filij Dei, quàm si ipsum agnouissent, quando ex scripturis,& ipsius factis agnoscere illum poterant.Quod verò addunt,nostra erit hæreditas,pulchrè conuenit Iudæis,qui putabant, illo sublato,in magna se futuros libertate ac licentia.* [b] Erratis non scientes scripturas.] *Modum scilicet ac futuræ vitæ statum,quem docent scripturæ,neque virtutem,hoc est,potestatem Dei,quam in resurrectione exercebit.Cum enim,inquit,à mortuis resurrexerint,non erit nuptys locus,quarum vsus est ob reparandum genus,quod quotidie deperit: at in resurrectione,vbi erit immortalitas,non erit opus successione,quæ per nuptias instauratur. Ad nectit verò & resurrectionem futuram mortuorum, cum ipsi Sadducæi minime futuram illam crederent, de qua vide quid. Matth. xxij. dictum sit.* [c] Ex toto corde tuo,& ex tota anima tua.] *Nempe et siqua alia in homine dici possunt: quæ breuiter propheta complexus est,cum ait.Benedic anima mea Domino,& omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.* [d] Vidua hæc pauper plus omnibus misit.] *Colligant ex hoc loco diuites,quando obtulisse se magnum aliquid iudicare possint: quicquid enim de eo,quo non egent ad maximam vitæ necessitatem,impendunt,minus est quadrante.*

CAPVT XIII.

Matt.24.a Luce.21.b ET cum egrederetur de tẽplo,ait illi vnus ex discipulis suis:Magister aspice quales lapides, & quales structuræ.Et respondens IESVS ait illi:Vides has magnas ædificationes? Non relinquetur lapis super lapidem qui non destruatur. Et cum sederet in monte oliuarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus & Iacobus & Ioannes & Andreas: Dic nobis, quando ista fient? & quod signum erit quando hæc omnia sunt cõsummanda? Et respondens IESVS, cœpit dicere illis: [a] Videte nequis vos seducat,multi enim venient in nomine meo dicentes:Ego sum:& multos seducẽt. Cum audieritis autem bella & opiniones bellorum: ne turbemini:oportet enim hæc fieri:sed nondum finis. Exurget enim gens contra gentem, & regnum contra regnum:& erunt terræmotus per loca, & fames & turbationes. Initia dolorum hæc. Videte autem vosmetipsos: Tradent enim vos in concilia, & in synagogas: vapulabitis, & ante Matt.10.b præsides & reges ducemini propter me in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet prædicari euangelium. Et cum duxerint vos tradentes: nolite præcogitare quid loquamini: neque meditemini, sed quicquid datum vobis fuerit in illa hora, id loquamini, non enim vos estis loquentes, sed spiritus sanctus. Tradet autem frater fratrem in mortem, & pater filium: & consurgent filij in parentes,& morte afficient eos. Et eritis odio omnibus, propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem:hic saluus erit. Cum autem videritis abominationem desolationis quæ dicta est à Daniele propheta stantem vbi non debet (qui legit,intelligat) tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montes: & qui super tectum, ne descendat in domum,nec introeat vt tollat quid de domo sua:& qui in agro erit, non reuertatur retro tollere vestimentum Matt.24.b Luce 21.d Daniel.6.g suum.Væh autem prægnantibus & lactantibus in illis diebus. Orate vero, vt fuga vestra hyeme non fiat. Erunt enim dies illi tribulatio talis,qualis non fuit ab initio creaturæ quam condidit Deus vsque nunc, neque fiet.Et nisi breuiasset Dominus dies,nõ fuisset salua omnis caro: sed propter electos quos elegit,breuiauit dies. Et tunc siquis vobis dixerit.Ecce hic est CHRISTVS, ecce illic, ne credideritis.Exurgent enim Matt.24.b Luc.21.b.c Ezec.32.b Esa.13.b Ioel.3.c pseudochristi & pseudoprophetæ: & dabunt signa & portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. Vos ergo videte:ecce prædixi vobis omnia.Sed in illis diebus post tribulationem illam sol contenebrabitur, & luna non dabit splendorem suum,& [b] stellæ cœli erunt decidentes, & virtutes quæ in cœlis sunt mouebuntur.Et tunc videbunt filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa & gloria.Et tunc mittet angelos suos,& congregabit electos suos à quatuor ventis,à summo terræ vsque ad summum cœli.A ficu autem discite parabolam.Cum iam ramus eius tener fuerit,& nata fuerint folia:cognoscitis quòd in proximo sit æstas:sic & vos cum videritis hęc fieri:scitote quòd in proximo sit in ostijs.Amen dico vobis, q; non transibit generatio hæc,donec omnia ista fiant. Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt. Matt.24.d De die autẽ illo vel hora,nemo scit neq; angeli in cœlo, [c] neq; filius,nisi pater. Videte,vigilate, & orate: nescitis enim quando tempus sit.Sicut homo qui peregre profectus reliquit domum suam: & dedit seruis suis potestatem & vnicuiq; opus suum,& ianitori præcepit vt vigilet.Vigilate ergo:nescitis enim quando Dominus domus veniat:serò,an media nocte, an galli cantu,an mane: ne cum venerit repente, inueniat vos dormientes.Quæ autem vobis dico,omnibus dico,Vigilate.

SCHOLIA.

[a] Videte ne quis vos.] *De tota hac prædictione dictum est. Matthæi.xxiiij. nam eadem ferè & ibi sunt verba.*

Stellæ

[b] Stellæ cœli erunt decidentes.] *Vel, non apparebit lumen earum,sicut neque solis ac lunæ, obscuratum luce aduentus Domini, vt videantur decidisse, vel ea erunt signa, vt decidere existimentur, quod si ad literam mauis intelligere, nihil prohibeo,& hac in re valeant philosophi.* [c] A summo terræ vsque ad summum cœli.] *Summum accipe pro extremo, vt intelligatur, ab omnibus orbis partibus.* [d] Neq; filius.] *Quatenus scilicet homo est, quemadmodum cernitis, vel maiorum rerum agnitionem refert ad causam,hoc est ad patrem.*

CAPVT XIIII.

ERat autẽ pascha & azima post biduum:& quærebant summi sacerdotes & scribæ quomodo eum dolo tenerent & occiderent.Dicebant autem,Non in die festo:ne tumultus fiat in populo. Et cum esset Bethaniæ in domo Simõnis Leprosi,& recumberet,vênit mulier habens alabastrum vnguenti [a] nardi pistícæ pretiosę,& fracto alabastro,effudit super caput eius. Erãt autem quidam indigne ferẽtes intra semetipsos,& dicentes: Vt quid perditio ista vnguenti facta est? Poterat enim vnguentũ istud vænundari plus q̃ trecentis denarijs,& dari pauperibus.Et fremebant in eam. IESVS autem dixit,Sinite eam,quid Illi molesti estis? [b] bonũ opus operata est in me:semper enim pauperes habetis vobiscũ, & cum volueritis potestis illis benefacere,me autẽ non semper habetis. Quod habuit, hęc fecit:pręuenit [c] vngere corpus meũ in sepulturam.Amen dico vobis,vbicũq; prędicatum fuerit euangelium istud in vniuerso mundo, & quod fecit hæc, narrabitur in memoriã eius. Et Iudas Iscariotes vnus de duodecim abijt ad summos sacerdotes,vt proderet eum illis.Qui audientes gauisi sunt,& promiserunt ei pecuniã se daturos.Et quærebat quomodo illũ opportune traderet.Et primo die azimorum,quando pascha immolabant, dicũt ei discipuli, Quò vis eamus & paremus tibi vt manduces pascha? Et mittit duos ex discipulis suis:& dicit eis,Ite in ciuitatẽ: & occurret vobis homo lagenã aquę baiulãs,sequimini eum:& quocunq; introierit,dicite Dño domus,magister dicit, Vbi est diuersoriũ,vbi pascha cũ discipulis meis manducẽ? Et ipse vobis demõstrabit cœnaculũ grande stratum paratũ,& illic parate nobis.Et abierũt discipuli eius,& venerũt in ciuitatem:& inuenerunt sicut dixerat illis,& parauerunt pascha. Vespere autem facto,venit cũ duodecim.Et discumbẽtibus eis & manducãtibus,ait IESVS, Amen dico vobis,quòd vnus ex vobis tradet me,qui mãducat mecum. At illi cœperunt cõtristari,& dicere ei singulatim.Nũquid ego? Qui ait illis,Vnus ex duodecim, [d] qui intingit mecum in catino:& filius quidem hominis vadit,sicut scriptum est de eo: [e] væh autem homini illi per quẽ filius hominis traditur:bonum erat ei:si non esset natus homo ille.Et mãducantibus illis,accepit IESVS panẽ:& benedicens fregit, & dedit eis,& ait illis:Sumite comedite,hoc est corpus meũ.Et accepto calice, gratias agens dedit eis:& biberunt ex illo omnes.Et ait illis:Hic est sanguis meus noui testamẽti,qui pro multis effunditur. Amen dico vobis,quod iam nõ bibã de genimine vitis,vsq; in diem illum, cũ illud bibã nouũ in regno Dei. Et hymno dicto,exierũt in montẽ oliuarũ.Et ait eis IESVS: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista:quia scriptũ est:Percutiam pastorem,& dispergentur oues.Sed postquã resurrexero, præcedam vos in Galilæã. Petrus autem ait illi:Et si omnes scandalizati fuerint: sed nõ ego. Et ait illi IESVS: Amen dico tibi, q̃ tu hodie in nocte hac, [f] priusquã gallus vocẽ bis dederit,ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur,immo si oportuerit me commori tibi,non te negabo.Similiter autẽ & omnes dicebant.Et veniũt in prędium cui nomen Gethsemani.Et ait discipulis suis:Sedete hic,donec digressus orauero. Et assumit Petrum & Iacõbum & Ioãnem secum:& cœpit pauere & tædere.Et ait illis:Tristis est anima mea vsq; ad mortem:sustinete hic,& vigilate.Et cum processisset paululum,procidit super terrã:& orabat,vt si fieri posset,transiret ab eo hora, & dixit:Abba pater,omnia tibi possibilia sunt:transfer calicem hunc à me:sed non quod ego volo, sed quod tu. Et venit,& inuenit eos dormientes. Et ait Petro. Simon,dormis? non potuisti vna hora vigilare? Vigilate, & orate,vt non intretis intentationem: spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. Et iterum abiens orauit,eundem sermonem dicens.Et reuersus,denuo inuenit eos dormientes (erant enim oculi eorum grauati) & ignorabant quid responderent ei. Et venit tertio, & ait illis, Dormite iam, & requiescite. Sufficit, venit hora,ecce filius hominis traditur in manus peccatorum.Surgite,eamus: ecce qui me tradit, propè est. Et continuo adhuc eo loquente,venit Iudas qui erat vnus de duodecim, & cum eo turba multa cum gladijs & lignis,à summis sacerdotibus & scribis & senioribus.Dederat autem traditor eius signum eis,dicens:Quẽcunque osculatus fuero,ipse est: tenete eum, & ducite caute. Et cum venisset: statim accedens ad eum, ait: Rhabbi, Rhabbi: & osculatus est eum. At illi manus iniecerunt in IESVM: & tenuerunt eum. Vnus autem quidam de stantibus,educens gladium,percussit seruum summi sacerdotis: & amputauit illi auriculam. Et respondens IESVS, ait illis: Tanquam ad latronem existis cum gladijs & lignis comprehendere me? Quotidie eram apud vos in templo docens: & non me tenuistis, Sed vt implcantur scripturæ. Et relicto eo, omnes fugerunt. Adolescentulus autem quidam sequebatur eum, amictus sindone [g] super nudo: & tenuerunt eum adolescentuli. At ille relicta sindone, nudus profugit ab eis. Et adduxerunt IESVM, ad summum sacerdotem: & conueniunt adeum omnes principes sacerdotum & scribæ & seniores, Petrus autem à longe secutus est eum vsque intro in atrium summi sacerdotis: & sedebat cum ministris & calefiebat ad lumen. Summi vero sacerdotes & omne concilium quærebant aduersum IESVM testimonium, vt eum morti traderent: nec inueniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum: & conuenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant aduersus eum dicentes, Nos audiuimus eum dicentem, Ego dissoluam templum hoc manufactum, & per triduum aliud non manufactum ædificabo. Et ne sic quidem erat conueniens testimonium illorum.Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogauit IESVM, dicens: Non respondes quicquam ad ea quæ tibi objciuntur ab his? Ille autem tacebat: & nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es CHRISTVS filius Dei benedicti? IESVS autem dixit illi, Ego sum:

Matt.26.a Luce.22.a Matt.26.a Ioan.12.a

Matt.26.b Luce.22.a Matt.26.b Luce.22.a

Matt.26.b Luce.22.b Ioan.13.c Psal.40.e

1.Cor.11.e

Matt. 26. c Luce.22.d Ioan.18.a Zach.13.c

Matt.26.c Luce.22.d

Ioan.2.d

Matt.26.c Luce.22.e Ioan.18.b

Tren.4.d Matt.26.f Luce.22.f Ioan.18.e

& videbitis filium hominis ſedentem à dextris virtutis,& venientem cum nubibus cœli. Summus autem ſacerdos,ſcindens veſtimenta ſua,ait:Quid adhuc deſideramus teſtes? Audiſtis blaſphemiam:quid vobis videtur? Qui omnes condemnauerunt eum eſſe reum mortis. Et cœperunt quidam conſpuere eum, & velare faciem eius,& colaphis eum cædere,& dicere ei:Prophetiza.Et miniſtri alapis eum cædebant. Et cum eſſet Petrus in atrio deorſum,venit vna ex ancillis ſummi ſacerdotis:& cum vidiſſet Petrũ calefaciẽtem ſe, aſpiciens illum,ait:Et tu cum IESV Nazareno eras.At ille negauit,dicens:Neq; ſcio, neq; noui quid dicas. Et exijt foras in veſtibulum:& gallus cantauit.Rurſus autem cum vidiſſet illum ancilla,cœpit dicere circũſtantibus, Hic ex illis eſt.At ille iterum negauit. Et poſt puſillum ,rurſus qui aſtabant,dicebant Petro,Vere ex illis es: nam & Galilæus es , & loquela conuenit.Ille autem cœpit anathematizare & iurare:Neſcio hominem iſtum quem dicitis.Et ſecundo gallus cãtauit.Et recordatus eſt Petrus verbi quod dixerat ei IESVS: Prius quàm gallus cantet bis,ter me negabis.Et cœpit flere.

Matt.26.g Luce.22.f Ioan.18.c Matt.26.g Luc.22.f.g Ioan.18.c

SCHOLIA.

[a] Nardi piſticæ.] *Fidelis,hoc eſt,ſinceræ , quæque depranata minime fuerit.* [b] Bonum opus.] *Myſterium hoc, inquit,eſt non perditio.* [c] Præuenit vngere.] *Fecit nunc,quod in morte mea præſtare non poterit, nam antea reſurgam, quàm me inueniat vngendum.* [d] Qui intingit mecum.] *Hoc eſt,qui ſocius eſt meæ.* [e] Væh autem homini illi.] *Vide vt plus ei doleat interitus ſuus,quam propria mors.Cogita etiam illud,quantum obduret affectus pecuniæ,nullã enim aliam ob cauſam videtur ſceleratus in illud facinus irruiſſe,niſi ob illius vngẽti pretium.* [f] Prius quàm gallus vocem bis dederit.] *Non eſt,cur torqueatur quis,cum apud euangeliſtas eadem res non eodem tamen modo dicitur.Nam rectè docet Auguſtinus,nihil aliud eſſe quærendum,quàm quid velit ille,qui loquitur.* [g] Super nudo.] *Fortaſſe non eſt neceſſe omnino nudum intelligere,ſed eo modo dictum,quo & Achimelech dixit ad Dauid:Quare es ſolus , & vir non eſt tecum? & tamen euangeliſtæ memorant,dixiſſe Dominum,quòd Dauid,& qui cum eo erat,comederint panes propoſitionis.Sed ſolum vocauit,cum ei non adeſſet apparatus ille comitum,qui regis generum decebat. Quanquam fieri etiam potuit , vt ſolus tunc eſſet Dauid,quia, vt in hiſtoria illa legitur,interroganti Achimelech, cur eſſet ſolus, reſpondit , pueris meis condixi in illum & illum locum.Hanc autem huius adoleſcentis hiſtoriam videtur Marcus poſuiſſe,vt oſtenderet , omnes illa hora deſeruiſſe Dominũ:Vt et adoleſcẽtulus maluerit nudus effugere,quàm apprehendi,quaſi vnus ex iis,qui Chriſtum ſequerẽtur.*

CAPVT XV.

Matt.27.a Luce.22.g Ioan.18.e

ET confeſtim mane conſilium facientes ſummi ſacerdotes cum ſenioribus & ſcribis,& vniuerſo concilio,vincientes IESVM, duxerunt & tradiderunt Pilato.Et interrogauit eũ Pilatus, Tu es rex Iudæorum? At ille reſpondens,ait illi:Tu dicis.Et accuſabãt eum ſummi ſacerdotes in multis. Pilatus autem rurſum interrogauit eum,dicens:Non reſpondes quicquam? Vide in quantis te accuſant. IESVS autem amplius nihil reſpondit:ita [a] vt miraretur Pilatus.Per diem autem feſtum ſolebat dimittere illis vnũ ex vinctis quemcũq; petiſſent.Erat autem qui dicebatur Barrabas,qui cum ſeditioſis erat vinctus , qui in ſeditione fecerant homicidium.Et cum acclamaſſet turba,cœpit rogare , vt faceret ſicut ſemper faciebat illis. Pilatus autem reſpondit eis,& dixit:vultis dimittam vobis regem Iudæorum? Sciebat enim quòd per inuidiam tradidiſſent eum ſummi ſacerdotes.Pontifices autem concitauerũt turbam, vt magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum reſpondens,ait illis:Quid ergo vultis faciam ei,quem dicitis regem Iudæorum? At illi iterum clamauerunt:Crucifige eum.Pilatus vero dicebat illis:Quid enim mali fecit? At illi magis clamabãt Crucifige eum.Pilatus autem volens populo ſatis facere,dimiſit illis Barabbam,& tradidit IESVM flagellis cæſum vt crucifigeretur.Milites autem duxerunt eum intro in atrium,quod eſt prætorium,& conuocant totam cohortem:& induunt eum purpura,& imponunt ei plectentes ſpineam coronam. Et cœperunt ſalutare eum:Aue rex Iudæorum.Et percutiebant caput eius arundine:& conſpuebant eum:& ponentes genua, adorabant eum.Et poſtquam illuſerunt ei,exuerunt illum purpura,& induerunt eũ veſtimentis ſuis:& educunt illum vt crucifigerẽt eum. Et angariauerunt prætereuntem quendam Simõnem Cyreneum veniẽtem de villa, [b] parrem Alexandri & Rufi:vt tolleret crucem eius. Et perducunt illum in Golgotha locum:quod eſt interpretatum,Caluariæ locus.Et dabant ei bibere myrrhatum vinum:& non accepit. Et crucifigentes eum,diuiſerunt veſtimenta eius:mittentes ſortem ſuper eis,quis quid tolleret. Erat autem hora tertia:& crucifixerunt eum.Et erat titulus cauſæ eius inſcriptus : Rex Iudæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones: vnum à dextris,& alium à ſiniſtris eius. Et impleta eſt ſcriptura quæ dicit : [c] Et cum iniquis reputatus eſt. Et prætereuntes,blaſphemabant eum,mouentes capita ſua,& dicentes:Vah qui deſtruis templum , & in tribus diebus ædificas:ſaluum fac temetipſum deſcendens de cruce. Smiliter & ſummi ſacerdotes illudentes, inter ſeſe cum ſcribis dicebant.Alios ſaluos fecit,ſeipſum non poteſt ſaluũ facere. CHRISTVS rex Iſrael deſcendat nunc de cruce:vt videamus & credamus. Et qui cũ eo crucifixi erant, cõuitiabantur ei. Et facta hora ſexta,tenebræ factæ ſunt ſup totã terrã vſq; in horam nonam.Et hora nona,exclamauit IESVS voce magna,dicens:Eloi,Eloi lamazabatani? quod eſt interpretatũ : Deus meus , Deus meus,vt quid dereliquiſti me? Et quidam de circunſtantibus audientes,dicebant:Ecce,Eliam vocat. Currens autem vnus , & implens ſpongiam aceto,circumponensq; calamo, [d] potum dabat ei,dicens:Sinite,videamus ſi veniat Elias ad deponendum eum. IESVS autem emiſſa voce magna,expirauit.Et velũ tẽpli ſciſſum eſt in duo,à ſummo vſq; deorſum.Videns autem Cẽturio qui ex aduerſo ſtabat,quòd ſic clamans expiraſſet,ait:Vere hic homo,filius Dei erat.Erant autem & mulieres de lõge aſpicientes:inter quas erat Maria Magdalene,& Maria Iacôbi parui,& Ioſe mater,& Salome,quæ etiã cum eſſet in Galilæa,ſequebantur eũ, & miniſtrabant ei , & alię multæ quæ ſimul cũ eo aſcenderant Hieroſolymã.Et cum iam eſſet veſpera(quia erat paraſceue quod eſt ante ſabbatũ) venit Ioſeph ab Arimathea nobilis decurio,qui & ipſe erat expectans regnũ Dei.Et audacter introiuit ad Pilatum,& petijt corpus IESV. Pilatus autem mirabatur ſi iam obijſſet. Et accerſito Centurione, interrogauit

Matt.27.c Luce.23.b Ioan.18.g &.19.c Matt.27.c Ioan.19.a Matt.27.d Luce.23.d Matt.27.d Luce.23.d Ioan.19.d Matt.27.d Luce.23.c Ioan.19.d Eſaia.53.d Ioan.2.d Pſal.21.a Matt.27.g Luce.23.g Ioan.19.g

interrogauit eum ſi iam mortuus eſſet.Et cum cognouiſſet à Cẽturione:donauit corpus Ioſeph. Ioſeph autem mercatus ſindonem,& deponens eum , inuoluit ſindone , & poſuit eum in monumento quod erat exciſum de petra,& aduoluit lapidem ad oſtium monumenti.Maria autem Magdalene, & Maria Ioſe, [e] aſpiciebant vbi poneretur.

SCHOLIA.

[a] Vt miraretur Pilatus.] *Videlicet tam generoſum animum , qui in tanto diſcrimine ne loqueretur quidem.* [b] Patrem Alexandri & Rufi.] *Videtur hi ita familiariter proprio nomine appellati,fuiſſe fideles,neq; credibile eſt,paſſum fuiſſe Dominum,vt qui pro ſe crucem,quanuis alys iubentibus , portarit , expers diuini fuerit muneris.* [c] Et cum iniquis.] *Hic locus aperit illum locum,vbi dicit Dominus:quod ſcriptum eſt,oportet impleri in me:& cum iniquis deputatus eſt.* [d] Potum dabat ei.] *Videtur hic credidiſſe,ex illo potu prorogandam illi tandiu vitam , dum aduentare Heliam poſſet.* [e] Aſpiciebant vbi poneretur.] *Vt ſcilicet tranſacto ſabbato venirent ad vngendum eum.*

CAPVT XVI.

Luce.24.a Ioan.20.a

ET cum tranſiſſet ſabbatum Maria Magdalene & Maria Iacobi & Salome emerunt aromata,vt venientes vngerent IESVM. [a] Et valde mane vna ſabbatorum,veniunt ad monumentũ, orto iam ſole. Et dicebant adinuicem,Quis reuoluet nobis lapidem ab oſtio monumenti? Et reſpicientes,vident reuolutum lapidem.Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum , viderunt iuuenem ſedentem in dextris,coopertum ſtola candida:& obſtupuerunt.Qui dicit illis:Nolite expaueſcere. [b] IESVM quæritis Nazarenum,crucifixum:ſurrexit,non eſt hic: ecce locus vbi poſuerunt eum. Sed ite , dicite diſcipulis eius & Petro,quod præcedet vos in Galilæam,ibi eum videbitis,ſicut dixit vobis . At illæ exeuntes cito fugerunt de monumento : inuaſerat enim eas tremor & pauor : & nemini quicquam dixerunt: timebant enim.Surgens autem IESVS mane prima ſabbati , apparuit primo Marię Magdalenæ , de qua eiecerat ſeptem dæmonia. Illa vadens,nunciauit his,qui cum eo fuerant,lugentibus & flentibus. Et illi audientes quod viueret & viſus eſſet ab ea:non crediderunt.Poſt hæc autem duobus ex his ambulantibus oſtenſus eſt in alia effigie,euntibus in villam,& illi euntes nunciauerunt cæteris:nec illis crediderunt. Poſtea recumbentibus illis vndecim apparuit,& exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis,quia his qui viderant eum reſurrexiſſe,nõ crediderunt.Et dixit eis:Euntes in mundum vniuerſum,prædicate euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit:ſaluus erit: qui vero non crediderit,condemnabitur. Signa autem eos , qui crediderint, hæc ſequentur:In nomine meo dæmonia eijcient,Linguis loquentur nouis,Serpentes tollent , Et ſi mortiferum quid biberint,non eis nocebit,Super ægros manus imponent:& bene habebunt. Et Dominus quidem poſtquam locutus eſt eis, [c] aſſumptus eſt in cœlum:& ſedit à dextris Dei. Illi autem profecti , prædicauerũt vbiq;,Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

Matt.28.a Ioan.20.c Matt.26.c Supra.14.c Luce.24.f Ioan.20.e Matt.28.d Luce.24.g

SCHOLIA.

[a] Et valde mane.] *Summum erat diluculum quando profectæ ſunt,verum cum peruenijſſent ad ſepulchrum,ortus iam erat Sol. Studuit autem breuitati euangeliſta,quam obſcuritas ſolet ſequi.* [b] Ieſum quæritis.] *Scio, inquit , vos Ieſum quærere,illum Nazarenum,illum crucifixum, nam in græco cum articulo notantur. Hæc autem priuatorum ſignorum commemoratio aptiores illas efficiebat ad intelligenda, quæ illis dicturus erat angelus.* [c] Aſſumptus eſt in cœlum,& ſedit à dextris Dei.] *Cernis beatum Philoſophiæ noſtræ finem,naturam ſcilicet hanc noſtram immortalitate donatam,collocatamq; ad dexteram Dei Deus enim,vt ait Paulus,conuiuificauit nos vnà cum Chriſto , ſimulq; cum eo reſuſcitauit , & ſimul cum eo ſedere fecit inter cœleſtes in Chriſto Ieſu.*

EVANGELII SECVNDVM MARCVM FINIS.

HIERONYMVS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

LVcas Medicus Antiochenſis,vt eius ſcripta indicant, Greci ſermonis nõ ignarus fuit:ſectator apoſtoli Pauli,& omnis peregrinationis eius comes: ſcripſit Euangelium,de quo idem Paulus, Miſimus, inquit, cum illo fratrem,cuius laus eſt in Euangelio per omnes eccleſias. Et ad Coloſſenſes, Salutat vos Lucas Medicus cariſsimus. Et ad Timotheum,Lucas eſt mecũ ſolus. Aliud quoque edidit volumen egregium,quod titulo πράξεις ἀποστόλων prænotatur, cuius hiſtoria vſque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit,id eſt,vſque ad quartum Neronis annum.Ex quo intelligimus in eadem vrbe librum eſſe compoſitum.Igitur περίοδος Pauli,& Theclæ: & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas ſcripturas cõputamus.Quale enim eſt, vt indiuiduus comes apoſtoli,inter cæteras eius res, hoc ſolum ignorauerit? Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum,refert presbyterum quendam in Aſia σποδασίαν apoſtoli Pauli conuictum apud Ioannem,quod auctor eſſet libri, & cõfeſſum ſe hoc Pauli amore feciſſe,& ob id excidiſſe. Quidam ſuſpicantur:quotieſcunque in epiſtolis ſuis Paulus dicit,iuxta Euangelium meum,de Lucæ ſignificare volumine,& Lucam non ſolum ab apoſtolo Paulo didiciſſe Euangelium, qui cum Domino in carne non fuerat,ſed à cæteris apoſtolis: quod ipſe quoque in principio ſui voluminis declarat,dicens,Sicut tradiderunt nobis:qui à principio ipſi viderũt, & miniſtri fuerunt ſermonis.Igitur Euangelium ſicut audierat,ſcripſit.Acta vero apoſtolorum ſicut viderat,cõpoſuit.Vixit octoginta & quatuor annos, vxorem non habens. Sepultus eſt Conſtantinopoli, ad quã vrbẽ viceſimo Cõſtantij anno,oſſa eius cum reliquijs Andreæ Apoſtoli tranſlata ſunt de Achaia.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM LVCAM.

PRAEFATIO.

QVoniam quidem multi conati ſunt ordinare narrationem earum, quæ inter nos pleniſsimæ fidei ſunt rerum,ſicut tradiderunt nobis qui ab initio ipſi viderunt & miniſtri fuerunt ſermonis: viſum eſt & mihi aſſecuto à principio omnia diligenter,ex ordine tibi ſcribere optime Theophile, vt cognoſcas eorum vérbõrum,de quibus eruditus es,certitudinem.

CAPVT I.

Leui.16.d

[a] VIT in diebus Herodis regis Iudææ,ſacerdos quidam nomine Zacharias, [b] de vice A Abia:& vxor illius de filiabus Aaron,& nomen eius Elizabeth.Erant autem iuſti ambo ante Deum,incedentes in omnibus mãdatis & iuſtificationibus Domini, ſine querela: & non erat illis proles: eo quòd eſſet Elizabeth ſterilis, & ambo proceſsiſſent in diebus ſuis. Factum eſt autem: cum ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum,ſecundum conſuetudinem ſacerdotij,ſorte exijt, vt incenſum poneret ingreſſus in templum Domini:& omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi. Apparuit autem illi angelus Domini,ſtans à dextris altaris incenſi. Et Zacharias turbatus eſt,vidẽs: & timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum angelus:Ne timeas Zacharia,quoniam [c] exaudita eſt deprecatio tua: & vxor tua Elizabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem: & erit gaudium tibi & exultatio,& multi B in natiuitate eius gaudebunt: erit enim magnus coram Domino: & vinum & ſiceram non bibet, & ſpiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ:& multos filiorum Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum:

rum:& ipſe præcedet ante illum [d] in ſpiritu & virtute Eliæ:vt conuertat corda patrum in filios,& inobedientes ad prudentiam iuſtorum,vt paret Domino plebem perfectam.Et dixit Zacharias ad angelum: Vnde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex,& vxor mea proceſsit in diebus ſuis. Et reſpondens angelus,dixit ei:Ego ſum Gabriel qui aſto ante Deum,& miſſus ſum loqui ad te,& hæc tibi Euangelizare. [e] Et ecce,eris tacens,& nõ poteris loqui vſq; in diem quo hæc fiant:pro eo q̃ non credidiſti verbis meis,quę implebuntur in tempore ſuo. Et erat plebs expectans Zachariam:& mirabantur q̃ tardaret in templo. Egreſſus autem non poterat loqui C ad illos:& cognouerunt q̃ viſionem vidiſſet in templo.Et ipſe erat innuens illis : & permanſit mutus. Et factum eſt,vt impleti ſunt dies officij eius,abijt in domum ſuam. Poſt hos autem dies, cõcepit Elizabeth vxor eius:& occultabat ſe menſibus quinque dicens.Sic fecit mihi Dominus in diebus, quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines. In menſe autem ſexto miſſus eſt angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ,cui nomen Nazaret,ad virginem deſponſatam viro,cui nomen erat Ioſeph,de domo Dauid : & nomen virginis MARIA. Et ingreſſus angelus ad eam:dixit, Aue gratia plena,Dominus tecum,benedicta tu in mulieribus. Quæ cum vidiſſet, [f] turbata eſt in ſermone eius: & cogitabat [g] qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas MARIA, inueniſti enim gratiam apud Deum : Ecce concipies in vtero & paries filium: & vocabis nomen eius IESVM: hic erit magnus:& filius altiſsimi vocabitur,& dabit illi Dñs Deus ſedẽ Da- Eſa. 7.c
D uid patris ſui: [h] & regnabit in domo Iacob in ęternũ, & regni eius non erit finis. Dixit autem MARIA ad Infra.2.c
angelum. [i] Quomodo fiet iſtud? quoniam virum non cognoſco. Et reſpondens angelus, dixit ei, Spiritus Daniel.7.d
ſanctus ſuperueniet in te,& virtus altiſsimi [k] obumbrabit tibi. Ideoq; & [l] quod naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.Et ecce Elizabeth cognata tua,& ipſa concepit filium in ſenectute ſua, & hic mẽſis ſextus eſt Mich.4.e
illi,quæ vocatur ſterilis:quia non erit impoſsibile apud Deum omne verbum. Dixit autem MARIA : Ecce ancilla Domini,fiat mihi ſecundum verbum tuum. Et diſceſsit ab illa angelus. Exurgens autem MARIA in diebus his,abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda:& intrauit in domum Zacharię,& ſalutauit Elizabeth.Et factum eſt:vt audiuit ſalutationem MARIAE Elizabeth , exultauit infans in vtero eius : & repleta eſt ſpiritu ſancto Elizabeth:& exclamauit voce magna,& dixit:Benedicta tu inter mulieres,& benedi E ctus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, [m] vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim,vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis,exultauit in gaudio infans in vtero meo:& beata,quæ credidit : quoniã perficientur ea,quæ dicta ſunt ei à Domino.Et ait MARIA: Magnificat anima mea Dominum.Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſaluatore meo, [n] Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, [o] ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: [p] Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius : [q] Et miſeri- Eſa.41.b
cordia eius in progeniem & progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio ſuo:diſperſit ſuperbos Eſa 30.d
mente cordis ſui.Depoſuit potentes de ſedibus & exaltauit humiles. Eſurientes impleuit bonis: & diuites di- &.54.b
miſit inanes. Suſcepit Iſrael puerum ſuum,recordatus miſericordię.Sicut locutus eſt ad patres noſtros, Abra- Hie.31.a.d
ham & ſemini eius in ſecula. Manſit autem MARIA cum illa quaſi menſibus tribus : & reuerſa eſt in domũ F ſuam.Elizabeth autem impletum eſt tempus pariendi:& peperit filium. Et audierunt vicini & cognati eius, Pſal.131.c
quòd magnificauit Dominus miſericordiam ſuam cum illa,& congratulabantur ei. Et factũ eſt:in die octa- Gene.22.c
uo venerunt circuncidere puerum,& vocabant eum nomine patris ſui,Zachariam. Et reſpõdens mater eius dixit:Nequaquam, ſed vocabitur Ioãnes.Et dixerunt ad illam: Nemo eſt in cognatione tua qui vocetur hoc nomine.Innuebant autem patri eius quem vellet vocari eum.Et poſtulans pugillarem,ſcripſit,dicens: Ioannes eſt nomen eius:& mirati ſunt vniuerſi. Apertum eſt autem ilico os eius,& lingua eius, & loquebatur benedicens Deum:Et factus eſt timor ſuper omnes vicinos eorum:& ſuper omnia montana Iudææ diuulgabãtur omnia verba hęc.Et poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicentes : Quiſputas puer iſte erit? Et manus Domini erat cum illo.Et zacharias pater eius repletus eſt ſpiritu ſancto:& prophetauit,dicens: Bene- G dictus Dominus Deus Iſrael:quia viſitauit [r] & fecit redemptionem plebi ſuæ. [s] Et erexit cornu ſalutis nobis,in domo Dauid pueri ſui.Sicut locutus eſt per os ſanctorum,qui à ſeculo ſunt prophetarum eius, [t] Salutem de inimicis noſtris,& de manu omnium qui oderunt nos: Vt faceret miſericordiam cum patribus noſtris:& memor eſſet teſtamenti ſui ſancti,Iuſiurandum quod iurauit ad Abraham patrem noſtrum , daturũ ſe nobis. Vt ſine timore , de manu inimicorum noſtrorum liberati, ſeruiamus illi , In ſanctitate & iuſtitia coram ipſo omnibus diebus noſtris.Et tu puer,propheta altiſsimi vocaberis : præibis enim ante faciem Domini parare vias eius.Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius,in remiſsionem peccatorum eorum. Propter viſcera miſericordiæ Dei noſtri,in quibus [u] viſitauit nos oriẽs ex alto:Illuminare eos,qui in tenebris & vmbra mortis ſedent:ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Puer autem creſcebat, & cõfortabatur ſpiritu, & erat in deſertis vſque in diem oſtenſionis ſuæ ad Iſrael.

SCHOLIA.

[a] Fuit in diebus Herodis regis ſacerdos.] *Pulcherrima, & pleniſsima dignitatis cuiuſque Euangeliſtæ inchoandi Euangelij varietas.Sed illud hic adnotandum,Marci,& Lucæ Euangelij initium quidem eſſe Ioannem Baptiſtam, tametſi diuerſa ratione:nam ibi à prædicatione Ioannis cœptum eſt,hic vero ab ipſo conceptu:vt aptius etiam filij Dei, & conceptus & ortus introduceretur.* [b] De vice Abia.] ἐφημερίας, *quæ vox ſignificat,ſtatutum miniſtrandi diem. De Abia vero ſit mentio primo libro & Cap.xxiiij.Paralip.* [c] Exaudita eſt deprecatio tua.] *Non videtur poſſe intelligi precationem hanc fuiſſe pro ſuſcipiendis liberis,quos iam non expectabant,cum ambo proceſsiſſent in diebus ſuis: & quod ſequitur, non ſignificat cauſam,vt dicat,nam vxor tua pariet tibi filium:ſed particula illa,& potius notat additamentum. Et ſit ſenſus,exaudita eſt deprecatio tua,qua pro populo rogaſti,& præterea vxor tua pariet tibi filium.Qui huic negocio ſeruiet: nam conjci facile poteſt, cum in illa precatione petiſſe liberationem gentis ſuæ , quam per Meſſiam faciendam expectabant Iudæi, quæ vota exaudita eſſe admonet angelus,& ei rei dandum initium per filium qui ex eo naſceretur,de quo etiam ſubdit,præ-*

ceſſurum

ceſſurum eum eſſe ante illum in ſpiritu & virtute Heliæ: & pulchre conuenit, quod non dixerit angelus, ante Meſſiam ſiue Chriſtum, ſed ante illum, cuius videlicet Zacharias in votis ſuis feciſſet mentionem. d In ſpiritu & virtute Heliæ.] *Ob hanc cauſam Dominus illum Heliam appellauit: quod vero ait: Vt conuertat corda patrum in filios, ſic intelligo, vt cor patris, hoc eſt, probitatem illam patrum det filijs, vt vias eorum rectas imitentur, & hoc eſt, quod addit: & inobedientes ad prudentiam iuſtorum.* e Et ecce eris tacens.] *Appoſite addita pœna eſt: Vt tandiu mutus fieret, dum vox naſceretur, de qua non crediderat prædicenti angelo.* f Turbata eſt.] *Commota eſt, vt fit in non expectato nouæ alicuius rei occurſu, præſertim magnæ. Sic illud, quod Ieroſolyma turbata fuit in Magorum aduentu.* g Qualis eſſet iſta ſalutatio.] *Vtrum abſurda, an diuina. Mira virginis prudentia: in tam admiranda ſalutatione in neutram partem inclinat, vt vel demulceatur his verbis, vel diffidat: multo vero maior & prudentia, & conſtantia, & grauitas, cum promittitur ei filius, qui & filius altiſſimi futurus eſſet, cui & regnum Dauid dandum eſſet, idq; ſine fine, et tamen adhuc interrogat, ſed ea ratione, vt nunquam fidem deroget promiſſis tam ingentibus, neque temere tamen aſſentiatur.* h Et regnabit in domo Iacob in æternum.] *Domus Iacob, fideles ſunt, vt pulchre Paulus docet, non enim omnes, qui ſunt ex Iſrael, ij ſunt Iſrael, neque quia ſunt ſemen Abrahæ, iccirco omnes filij, ſed in Iſaac vocabitur tibi ſemen, hoc eſt, nō qui filij carnis, hi filij Dei.* i Quomodo fiet iſtud quoniam virum non cognoſco?] *Non colligi poteſt, quòd ex verbis angeli intellexerit, ſe parituram ſine viri commercio, vt interrogare oportuerit, quo id pacto fieret, ſciebat etiam ex ea copula ſolere filios procreari. Quid ergo hoc interrogat? Hanc ob cauſam ſapientiſſime viri ſancti ſunt interpretati beatam Mariam, Deo inſpirante, optaſſe in virginitate degere, præter illius gentis morem, cui genti ſumma erat gloria, relinquere ſemen in Iſrael contra, ignominia non relinquere. Et in tam felicibus promiſſis, eſt illi curæ virginitas, & carnis integritas.* k Obumbrabit tibi.] *Tanquam nubes quædam, quæ æſtum omnem arceat, ne vlla ex parte virginitas violetur.* l Quod naſcetur ſanctum.] *Longe maiorem vim habet in neutro genere, quàm ſi dixiſſet, qui naſcetur ſanctus, vt ſit ſenſus, naſcetur quidem ex te, veluti homo, ſed multo maius nomen eſt illi dandum.* m Vt veniat mater Domini mei.] *His verbis declarat ſe intelligere, quantus ſit, quem virgo conceperat.* n Quia reſpexit humilitatem.] *Non dixit ταπεινωθειν quod ſignificat virtutem animi ſeſe demittentis, & ſe ſubmiſſe gerentis, ſed ταπεινωσιν, hoc eſt abiectionem & vilitatem, quæ verba fuerunt quidem animi, qui virtutem humilitatis eſſet aſſecutus, non tamen humilem ſe appellauit, quod non fuiſſet virtutis.* o Ecce ex hoc.] *Dixi, inquit, Deum me abiectam, & vilem, & quæ nihil ſum, aſpexiſſe, ob hanc cauſam, quod tam ingens bonum mihi contulit, vt poſt hac omnes ſecuturæ generationes beatam me ſint prædicaturæ.* p Quia fecit mihi magna qui potens eſt.] *Videtur is eſſe ſenſus. Cum ſit tam potens (quod in græco apertius eſt, vbi ſcriptum eſt cum articulo, ὁ δυνατος, hoc eſt, ille potens, & tantæ nomen eius maieſtatis, non tamen dedignatus eſt tantis me honeſtare beneficijs.* q Et miſericordia eius.] *Iam à priuati beneficij commemoratione ad contemplandam etiam in alijs eius beneficentiam tranſit, quam Deus præſtare declarat in ijs, qui antea miſeri & deiecti fuiſſent. Poſtremo commemorat peculiare beneficium, quod Iſraëliticæ genti collatum eſt, quod tamen diuinæ miſericordiæ acceptum refert.* r Et fecit redemptionem.] *Dicit factam redemptionem, quam eſſe iam in foribus præuidebat.* s Et erexit cornu ſalutis.] *Metaphora familiaris ſcripturæ ſacræ: quaſi diceret, ingentem & robuſtam ſalutem.* t Salutem ex inimicis noſtris.] *Verba ſunt quaſi de terreno regno loquentis, cuiuſmodi Iudæi fere regnum Chriſti futurum opinabantur: ſed attemperat ſic ſpiritus ſanctus ſermonem prophetæ, cum nondum tempus eſſet aperiendi myſterij, quod ne apoſtoli quidem videbantur adhuc intelligere, cum poſt ipſam reſurrectionem Dominum interrogauerunt, dicentes: Domine, num in tempore hoc reſtitues regnum Iſraeli? quibus ne tunc quidem voluit aperire Dominus illius regni conditionem. Latenter tamen hic propheta ſub finem cantici naturam regni CHRISTI ſubindicat, cum remiſſionis meminit peccatorum. Hac vna Zachariæ prophetia potuiſſent Iudæi venire in agnitionem CHRISTI, niſi eos primi recubitus in cœnis, & primæ Cathedræ in ſynagogis magis delectaſſent, quam perſcrutatio ſcripturarum.*

u Viſitauit nos oriens ex alto.] *Eramus, inquit, in profunda nocte, & ecce noſter ſol & noſter oriens apparere cœpit, vt illuceſceret nobis, qui in tenebris habitabamus & vmbra mortis, hoc eſt in peccatis, nam mors & peccatum ſeſe comitantur, vt vmbra corpus. Vmbram etiam pro imagine accipere potes, nam vmbra hominis, eſt imago hominis, ſtatus inquit vitæ noſtræ erat imago quædam mortis.*

CAPVT II.

A FActum eſt autem: in diebus illis exijt edictū à Cęſare Auguſto, vt deſcriberetur vniuerſus orbis. Hęc deſcriptio prima facta eſt præſide Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes, vt profiterentur ſinguli in ſuam ciuitatem. Aſcendit autem & Ioſeph à Galilæa de ciuitate Nazaret, in Iudęam, in ciuitatem Dauid, quę vocatur Bethleem: eo quòd eſſet de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum MARIA deſpōſata ſibi vxore grauida. Factum eſt autem: cum eſſent ibi, impleti ſunt dies, vt pareret. Et peperit [a] filium ſuum primogenitum: & faſcijs eum inuoluit, [b] & reclinauit eum in præſepio: quia non erat eis locus in diuerſorio. Et paſtores erant in regione eadem vigilantes, & cuſtodientes vigilias noctis ſuper gregem ſuum. Et ecce angelus Dñi ſtetit iuxta illos, & claritas Dei circūfulſit illos, & timuerūt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. Ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie ſaluator, qui eſt CHRISTVS Dominus in ciuitate Dauid. Et hoc vobis ſignum: Inuenietis infantem faſcijs inuolutum: & poſitum in præſepio. Et ſubito facta eſt cum angelo multitudo militię cœleſtis, laudantiū Deum & dicentium: Gloria in altiſſimis Deo: & in terra pax, in [c] hominibus bona voluntas. Et factum eſt: vt diſceſſerunt ab eis angeli in cœlum, homines illi paſtores loquebantur adinuicē: Tranſeamus vſque Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod Dominus oſtendit nobis. Et venerunt feſtinantes: & inuenerunt MARIAM & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autem, cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audierunt mirati ſunt de his, quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. MARIA autem conſeruabat omnia verba hæc, [d] conferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores, Leui.12.a glorificantes & laudantes Deum in omnibus, quæ audierant & viderant, ſicut dictum eſt ad illos. Et poſtquā conſummati ſunt dies octo, vt circuncideretur puer: vocatum eſt nomen eius IESVS, quod vocatum eſt ab angelo

angelo priuſquam in vtero conciperetur. Et poſtquam impleti ſunt dies purgationis eius ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Ieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: Quòd omne maſculinum adaperiens vuluam, ſanctum Domino vocabitur, & vt darent hoſtiam ſecundum quod dictum eſt in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Ieruſalē, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus & pius, expectans conſolationem Iſrael: & ſpiritus ſanctus erat in eo. Et reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret CHRISTVM Domini. Et [e] venit in ſpiritu in templum. Et cum inducerent puerum IESVM parentes, vt facerent ſecundum conſuetudinem legis pro eo: & ipſe accepit eum in vlnas ſuas, & benedixit Deum, & dixit: [f] Nūc dimittis ſeruū tuū Domine, ſecundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum: Quod parāſti ante faciē omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Et erant pater & mater eius mirantes ſuper his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeōn: & dixit ad MARIAM matrē eius: Ecce poſitus eſt hic [g] in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum cui contradicitur. Et [h] tuam ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetiſſa, filia Phanuel de tribu Aſer: hæc proceſſerat in diebus multis, & vixerat cum viro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua annorum fermè octoginta quatuor: quæ non diſcedebat de templo, ieiunijs & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hæc, ipſa hora ſuperueniens, viciſim confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabant redemptionem in Ieruſalem. Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam, in ciuitatem ſuam Nazaret. Puer autem creſcebat, & confortabatur ſpiritu, plenus ſapientia, & gratia Dei erat in illo. Et ibant parentes eius per omnes annos in Ieruſalem, in die ſolenni paſchæ. Et cum factus eſſet annorum duodecim, aſcendentibus illis Ieroſolymam ſecundum conſuetudinem diei feſti, conſummatisq; diebus cum rediret, remanſit puer IESVS in Ieruſalem, & non cognouerunt parentes eius. [G] Exiſtimantes autem illum eſſe in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regreſsi ſunt in Ieruſalem: requirentes eū. Et factum eſt: poſt triduum, inuenerunt illum in templo, ſedentem [i] in medio doctorum, audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper prudentia & reſponſis eius. Et videntes admirati ſunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quęrebamus te. Et ait ad illos: Quid eſt quod me quęrebatis? neſciebatis, quòd in his, quę patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt verbum quod locutus eſt ad eos. Et deſcēdit cum eis, & venit Nazaret: [k] & erat ſubditus illis. Et mater eius conſeruabat omnia verba hæc in corde ſuo. Et IESVS proficiebat ſapientia & ætate & gratia [l] apud Deum & homines.

Supra.1.c matt.1.b Leui.12.a Exod 13.a Nume.8.c Leui.12.c

Eſaia.8.c Rom.9.g 1.Petr.2.b

SCHOLIA.

[a] Filium ſuum primogenitum.] *Primogenitus eſt, is, ante quem nemo natus eſt, etiam ſi poſt eum nemo naſcatur: fuit ergo & primogenitus & vnigenitus.* [b] Et reclinauit eum in præſepio.] *Voluit hac itineris occaſione Deus non ſolum impleri prophetiam illam, quæ naſciturum in Bethleem Chriſtum prædixerat, verum etiam præbere hominibus humilis vitæ ſectandæ exemplum, dum filius ille, per quem facta ſunt omnia, in ſtabulo naſcitur, & loci penuria reclinatur in præſepio. O ingratum noſtrum genus, & ſtolidum etiam. Vide præterea, vt declarari etiam voluit paſtoribus, ſimplicioris vitæ hominibus, & illis primum tam ſalutiferum toti orbi omnium terrarum nuntium afferri.* [c] Hominibus bona voluntas.] εὐδοκία *quam Chryſoſtomus interpretatur, reconciliationem: Vt ſit ſenſus. Reconciliari vult Deus & benigne facere generi hominum. De qua reconciliatione ait Paulus: Deus erat in Chriſto, mundum reconcilians ſibi, non imputans eis peccata ſua, & poſuit in nobis ſermonem reconciliationis. Itaque nomine Chriſti legatione fungimur, tanquam Deo vos obſecrante per nos: rogamus pro Chriſto, reconciliamini Deo.* [d] Conferens in corde ſuo.] *Cernis iterum prudentiam matris Dei? colligebat cum his omnibus pulchre conuenire verba Gabrielis, nec tamen hęſitabat, qui fieri poſſet, vt è tam inopi & tenui vitæ ſtatu, prodirent tam ingentia promiſſa.* [e] Venit in ſpiritu.] *Hoc eſt in illa ſpiritus reuelatione.* [f] Nunc dimittis.] *Nunc, inquit, libens migro, poſteaquàm oſtendiſti quod mihi pollicitus fueras: quod vero ait, lumen ad reuelationem gentium & gloriam populi tui Iſrael: proprium cuique tribuit, nam gloriam Iſraelis appellauit: quia ex Iudæis Chriſtus, & lumen gentium, quæ nimirum, vt ait Eſaias, ſedebant in tenebris.* [g] In ruinam & in reſurrectionem.] *Iccirco appellatus eſt, lapis offenſionis, non credentibus videlicet: credentibus autem, lapis electus, & precioſus. Et quod addit, in ſignum. ſunt qui laborent quærendo, quid velit illud ſignum. Sed aduertendum eſt, hanc eſſe metaphoram acceptam ab ijs, qui iaculantur, poſito ſibi aliquo ſigno. Erit (inquit) tanquàm ſignum, contra quod aduerſarij quaſi iaculaturi ſint, dum ei aduerſabuntur.* [h] Tuam ipſius animam.] *Ex Chriſti cruce, & eius prædicatione vtrunque eſt conſecutum, vt gladius animam pertranſierit matris, & retectæ ſint multæ hominum cogitationes. Occulte mihi videtur ſignificaſſe, futurum ingentem in animis hominum motum, & omnino nouum, atque antea non auditum mundo.* [i] In medio doctorum.] *Et hoc fuit maximū diuinumque conſilium, vt poſt miracula, quæ in Domini infantia ſunt declarata, etiam duodennis ſe oſtenderet ac doctores interrogaret, proculdubio de Chriſto, & de tempore aduentus illius, vt cum factus iam vir prædicaret, poſſet faciliùs ex ijs, quæ præceſſerant, agnoſci quis eſſet.* [k] Et erat ſubditus illis.] *Quid mirum? Filius parentibus. Sed cogitabat Euangeliſta, quaſi admirans maieſtatē illam filij Dei, tot annis ſubiectam fuiſſe Mariæ & Ioſeph.* [l] Apud Deum & homines.] *In ijs, quæ vel ad Deum, vel ad homines pertinerent: ſic.n. videtur rectius, vt ſeruetur quod omnes affirmant, eum ſemper fuiſſe perfectum, ſed tum videri proficere, cum ſeſe aperiret.*

CAPVT III.

A ANno autem quintodecimo imperij Tyberij Cęſaris, procurante Pontio Pilato Iudęam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Iturææ & Traconitidis regionis, & Matt.3.a Lyſania Abilinæ tetrarcha, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha: factum eſt verbū Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium, in deſerto. Et venit in omnem regionem circa Iordanem, prædicans baptiſmum marc.1.a

Esaiæ.40.a ptismum pœnitentiæ a in remissionem peccatorum : sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophe-
Ionæ.1.c tæ dicentis:Vox clamantis in deserto:Parate viam Domini,rectas facite semitas eius: b omnis vallis imple-
bitur:& omnis mons & collis humiliabitur:& erunt praua in directa:& aspera in vias planas:& videbit om- C
matt.1.b.c nis caro salutare Dei. Dicebat ergo ad turbas,quæ exibant,vt baptizarentur ab ipso: Genimina viperarum,
quis ostendit vobis fugere à ventura ira?Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ,& ne cœperitis dicere in vo-
bisipsis: c Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis quod potens est Deus de lapidibus istis suscitare fi-
lios Abrahæ. Iam enim & securis ad radicem arborũ posita est.Omnis ergo arbor nõ faciens fructũ bonum
exciditur,& in ignem mittitur. Et interrogabant eum turbæ,dicentes:Quid ergo faciemus? Respondens au-
tem,dicebat illis: d Qui habet duas tunicas,det non habenti : & qui habet escas, similiter faciat. Venerunt D
autem & publicani,vt baptizarentur:& dixerunt ad illum:Magister,quid faciemus?At ille dixit ad eos:Nihil
amplius quam quod constitutum est vobis,exigatis.Interrogabant autem eum & milites,dicentes: Quid fa-
Matt.3.c ciemus & nos?Et ait illis:Neminem concutiatis,neq; calumniam faciatis : & cõtenti estote stipendijs vestris.
marc.1.b Expectante autem populo & cogitantibus omnibus in cordibus suis de Ioanne,nũ ipse esset CHRISTVS.
Ioan.1.d Respondit Ioannes dicens omnibus:Ego quidem aqua baptizo vos,veniet autem fortior me,cuius non sum
matt.3.c dignus soluere corrigiam calceamẽtorum:ipse vos baptizabit e in spiritu sancto & igni : cuius ventilabrum E
in manu eius,& purgabit aream suam : & congregabit triticum in horreum suum , paleas autem comburet
igni inextinguibili. Multa quidem & alia exhortans euangelizabat populo . Herodes autem tetrarcha cum
matt.14.a corriperetur ab illo de Herodiade vxore fratris sui,& de omnibus malis,quæ fecit Herodes,adiecit & hoc su-
matt.6.c per omnia,& inclusit Ioannem in carcerem . Factum est autem cum baptizaretur omnis populus, vt IE-
matt.3.d SV baptizato & orante, apertum sit cœlum : & descendit spiritus sanctus corporali specie sicut columba in
marc.1.b ipsum,& vox de cœlo facta est,dicens:Tu es filius meus dilectus,in te complacui mihi. Et ipse IESVS inci- F
piebat esse quasi annorũ triginta,vt putabatur filius Ioseph, f qui fuit Heli, qui fuit Matthat, qui fuit Leui,
qui fuit Melchi,qui fuit Iannæ,qui fuit Ioseph,qui fuit Matthathiæ, qui fuit Amos, qui fuit Naum,qui fuit
Hesli,qui fuit Naggæ,qui fuit Maath,qui fuit Matthathiæ,qui fuit Semei,qui fuit Iosech , qui fuit Iuda, qui
fuit Iohanna, qui fuit Rhesia, qui fuit Zorobabel, qui fuit Salathiel, qui fuit Neri,qui fuit Melchi, qui fuit
Addi,qui fuit Cosan,qui fuit Helmadan,qui fuit Her,qui fuit Ieso,qui fuit Heliezer,qui fuit Ioram, qui fuit
Mattha,qui fuit Leui,qui fuit Simeõ,qui fuit Iuda,qui fuit Ioseph,qui fuit Iona,qui fuit Heliachim, qui fuit G
Melea,qui fuit Mennam,qui fuit Matthatha,qui fuit Nathan,qui fuit Dauid,qui fuit Iesse,qui fuit Obed,qui
fuit Booz, qui fuit Salmon,qui fuit Naasson,qui fuit Aminadab,qui fuit Aram,qui fuit Esron, qui fuit Pha-
res,qui fuit Iudæ,qui fuit Iacob , qui fuit Isaac , qui fuit Abraham , qui fuit Tharæ,qui fuit Nachor,qui fuit
Saruch,qui fuit Ragau,qui fuit Phalech,qui fuit Heber , qui fuit Sale , qui fuit Cainam , qui fuit Arphaxat,
qui fuit Sem,qui fuit Noe,qui fuit Lamech,qui fuit Matusale,qui fuit Enoch,qui fuit Iareth , qui fuit Mala-
leel,qui fuit Cainam,qui fuit Enos,qui fuit Seth,qui fuit Adam,qui fuit Dei.

SCHOLIA.

a In remissionem peccatorum.] *Quæ danda erat per Christi baptisma ad quod præparabat baptisma Ioannis.* b Omnis vallis implebitur.] *Impletio vallium,& humiliatio collium,id efficit, vt viæ æquæ ac planæ sint. Significat igitur aduentum Christi allaturum tantam lucem orbi terrarum, vt futurus sit facilis omnibus accessus ad Deum.* c Patrem habemus Abraham.] *Non proderit, inquit, gloriatio cognationis, iam enim apparebunt esse filij Abrahæ non qui secundum carnem nati sunt,sed qui sequentur vestigia fidei patris nostri Abrahæ.Iam parata est securis,quæ naturales ramos excidat,qui frustra de pinguedine radicis gloriantur.* d Qui habet duas tunicas det non habenti.] *Dare è duabus tunicis vnam non habenti est præter id,quod omnino necessarium est, non ad splendorem & pompam, sed ad victum & cultum,cætera egentibus impertiri: atque id præcursor & lucifer. Quid post ortum solem erit faciendum?* e In Spiritu sancto & igni.] *Recordare diei Pentecostes.* f Qui fuit Heli.] *De genealogia hac Seruatoris satis sit hic admonere; quod obseruatum à Theologis sit,præsertim à Nazanzeno, Christum ab Adam esse septuagesimum septimum, secundum genealogiam hanc à Luca descriptam,quæ res non potest non esse plena mysterij.*

CAPVT IIII.

Matt.4.a IESVS autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane : & agebatur in spiritu in desertum diebus A
marc.1.b quadraginta,& tentabatur à diabolo.Et nihil manducauit in diebus illis:& cõsummatis illis,postea esu-
Deut.8.a rijt.Dixit autem illi diabolus,Si filius Dei es : dic lapidi huic,vt panis fiat : Et respondit ad illũ IESVS,
Scriptũ est:Nõ in pane solo viuet homo,sed in omni verbo Dei. Et duxit illum diabolus in montem excel-
sum,& ostendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis,& ait illi:Tibi dabo potestatem hãc vni-
uersam,& gloriam illorum: a quia mihi tradita est,& cui volo do illam.Tu ergo procidens si adoraueris co- B
Deut.6.c ram me:erunt tua omnia. Et respondens IESVS, dixit illi,vade post me Satana,Scriptum est enim: Domi-
&.10.d num Deũ tuũ adorabis,& illi soli seruies.Et duxit illum in Ierusalem,& statuit eum super pinnam templi:&
Psal.90.c dixit illi,Si filius Dei es: mitte te hinc deorsum. Scriptum est enim q angelis suis mandabit de te,vt conser-
Deut.6.c uent te:& q in manibus tollent te,ne forte offendas ad lapidem pedẽ tuũ.Et respondens IESVS, ait illi:Di-
Matt.4.b ctũ est,Non tentabis Dñm Deũ tuũ.Et cõsummata omni tẽtatione,diabolus b recessit ab illo vsq; ad tẽpus.
Marc.1.b Et regressus est IESVS in virtute spiritus in Galileã:& fama exijt per vniuersam finitimã regionẽ de illo. Et C
Ioan.4.f ipse docebat in synagogis eorũ:& glorificabatur ab omnibus.Et venit Nazaret vbi erat nutritus : & intrauit
Matt.13.g secundum consuetudinem suam die sabbatorũ in synagogã,& surrexit legere. Et traditus est illi liber Esaiæ
Mar.6.a prophetæ. Et,vt explicuit librũ:inuenit locum vbi scriptum erat,Spiritus Domini super me, propter quod
Ioan.4.f vnxit me,euangelizare pauperibus misit me,sanare cõtritos corde,prædicare captiuis remissionem, & cæcis
Esa.61.a visum, dimittere confractos per remissionem, prædicare annum Domini acceptum. Et cum plicuisset
librum

D librum,reddidit ministro,& sedit. Et omnium in synagoga oculi erant intendentes in eum.Cœpit autem di
cere ad illos,Hodie impleta est hæc scriptura in auribus vestris. Et omnes testimonium illi dabant, & mira-
bantur in verbis gratiæ,quæ procedebant de ore ipsius,& dicebant. Nónne hic est filius Ioseph? Et ait illis,
vtique diceris mihi hanc similitudinem,Medice,cura teipsum:quanta audiuimus facta in Capharnaum : fac
& hic in patria tua. Ait autem,Amen dico vobis,q nemo propheta acceptus est in patria sua. Sed in veritate
dico vobis : multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Israel quando clausum est cœlum annis tribus & mensibus 3.Reg.17.
E sex,cum facta esset fames magna in omni terra,& ad nullam illarum missus est Elias, nisi in Sarepta Sidônis, a.b
ad mulierem viduam.Et multi leprosi erant in Israel sub Elisæo propheta:& nemo eorum mundatus est nisi Iacob.5.d
Naaman Syrus.Et repleti sunt omnes in synagoga,ira:hæc audientes. Et surrexerunt,& eiecerunt illum ex- 4.Reg.5.d
tra ciuitatem, & duxerunt illum vsque ad supercilium montis super quem ciuitas illorum erat ædificata, vt
præcipitarent eum.Ipse autem transiens per medium illorum ibat. Et descendit in Capharnaum ciuitatem
Galilææ:ibique docebat illos sabbatis. Et stupebant in doctrina eius:quia cum auctoritate erat sermo ipsius. Matt.4.b
F Et in synagoga erat homo habens spiritum dæmonij immundi:& exclamauit voce magna,dicens,Sine:quid Marc.1.c
nobis & tibi IESV Nazarene? venisti perdere nos?scio te qui sis,sanctus Dei. Et increpauit illum IESVS, Matt.7.d
dicens,Obmutesce,& exi ab eo.Et cum proiecisset illum dæmonium in medium,exijt ab illo:nihilq; illi no- Marc.1.c
cuit. Et factus est pauor in omnibus,& colloquebantur adinuicem dicentes, Quod est hoc verbum:quia in Marc.1.c
potestate & virtute imperat immundis spiritibus,& exeunt ? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locum
finitimæ regionis. Surgens autem IESVS de synagoga,introiuit in domum Simônis. Socrus autem Si- Matt.9.b
G mônis tenebatur magna febri:& rogauerunt illum pro ea. Et astans supra illam,increpauit febrem:& dimi- Marc.1.c
sit illam. Et continuo surgens ministrabat illis. Cum autem sol occidisset,omnes qui habebant infirmos va
rijs langoribus: ducebant illos ad eum. At ille singulis manus imponens,curabat eos. Exibant autem & dæ-
monia à multis clamantia & dicentia, Tu es CHRISTVS filius Dei,& increpans,non sinebat ea loqui, q
scirent ipsum esse CHRISTVM. Facta autem die, egressus ibat in desertum locum : & turbæ requirebant Marc.1.d
eum,& venerunt vsque ad ipsum:& detinebant illum ne discederet ab eis. Quibus ille ait, Et alijs ciuitatibus
oportet me euangelizare regnum Dei:quia ideo missus sum.Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

SCHOLIA.

a Quia mihi tradita est.] *Vide, vt mendax est,et mendacij pater, neque enim imperium habet in hæc,quamuis vocetur princeps mundi huius,nempe malorum & sceleratorum.* b Recessit ab illo vsque ad tempus.] *Nempe illud, cũ Dominus dixit, venit princeps mundi huius,& in me non habet quicquam.*

CAPVT V.

A FActum est autem:cum turba immineret ei,vt audiret verbum Dei:& ipse stabat secus stagnum Gene Matt.4.c
sareth . Et vidit duas naues stantes secus stagnum : piscatores autem descenderant, & lauabant retia: Marc.1.b
Ascendens autem in vnam nauim,quæ erat Simônis, rogauit eum , vt à terra reduceret pusillum. Et
sedens,docebat de naui turbas. Vt cessauit autem loqui,dixit ad Simônem, Duc in altum, & laxate retia ve-
stra in capturam.Et respondens Simon,dixit illi, Præceptor,per totam noctem laborantes nihil cepimus,in
verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent:concluserunt piscium multitudinem copiosam,rumpe-
B batur autem rete eorum. Et annuerunt socijs,qui erant in alia naui,vt venirent,& adiuuarẽt se : & venerũt,
& impleuerunt ambas nauiculas:ita vt mergerentur : Quod cum videret Simôn Petrus, prócidit ad genua
IESV, dicens,Exi à me Domine:quia homo peccator sum. Stupor enim circundederat eum & omnes, qui
cum illo erant, in captura piscium quam ceperant. Similiter autem Iacôbum & Ioannem filios Zebedæi,
qui erant socij Simonis. Et ait ad Simonem IESVS. Noli timere: a ex hoc iam homines eris capiẽs.Et sub-
ductis ad terram nauibus,relictis omnibus secuti sunt eum. Et factum est:cum esset in vna ciuitatum,& ec- Matt.8.a
C ce vir plenus lepra,& videns IESVM, & prócidẽs in faciem suã,rogauit eũ, dicens,Dñe,si vis,potes me mũ- Marc.1.d
dare.Et extendens manum,tetigit eum, dicens, volo : Mundare. Et confestim lepra discessit ab illo. Et ipse
præcepit illi,vt nemini diceret:sed,vade inquit,ostende te sacerdoti, & offer pro emundatione tua sicut præ-
cepit Moyses in testimonium illis.Perambulabat autem magis sermo de illo:& conueniebant turbæ multæ, Leui.14.a
vt audirent,& curarentur ab infirmitatibus suis. Ipse autem secedebat in desertum, & orabat. Et factum est Matt.9.a
in vna dierum,& ipse erat docens,& erant pharisæi sedentes & legis doctores, qui venerant ex omni castello Marc.2.a
D Galilææ & Iudææ & Ierusalem:& virtus Domini erat ad sanandum eos.Et ecce viri portantes in lecto homi-
nem,qui erat paralyticus:& quærebant eum inferre,& ponere ante eum. Et non inuenientes qua parte illũ
inferrent præ turba:ascenderunt supra tectum, & per tegulas submiserunt eum cum lecto in medium ante
IESVM. Quorum fidem,vt vidit,dixit,Homo,remittantur tibi peccata tua. Et cœperunt cogitare scribæ,
& pharisæi, dicentes:Quis est hic qui loquitur blasphemias ? Quis potest dimittere peccata,nisi solus Deus ?
Vt cognouit autem IESVS cogitationes eorum, respondens dixit ad illos, Quid cogitatis in cordibus ve-
E stris? Quid est facilius,dicere,Dimittantur tibi peccata:an dicere,Surge,& ambula ? Vt autem sciatis q filius
hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata(ait paralytico) Tibi dico surge,tolle lectum tuum, &
vade in domum tuam . Et confestim consurgens coràm illis, tulit lectum in quo iacebat:& abijt in domum
suam glorificans Deum. Et stupor apprehendit omnes,& glorificabant Deum.Et repleti sunt timore,dicẽ-
tes,vidimus mirabilia hodie. Et post hæc exijt,& vidit publicanum nomine Leui sedentem ad telonium, & Matt.9.a
ait illi,Sequere me. Et relictis omnibus,surgens secutus est eum : & fecit ei conuiuium magnum Leui in do- Marc.2.b
F mo sua:& erat turba multa publicanorum & aliorum,qui cum illis erant discumbentes. Et murmurabant
pharisæi & scribæ eorum dicentes ad discipulos eius, Quare cum publicanis & peccatoribus manducatis &
bibitis ? Et respondens IESVS dixit ad illos,Non egent,qui sani sunt medico:sed qui male habent.Nõ veni
vocare

BIBLIOTECA UNIVERSITA

vocare iustos:sed peccatores ad pœnitentiam. At illi dixerunt ad eum: Quare discipuli Ioannis iciunant frequenter,& ob sectationes faciũt,similiter & pharisæorum:tui autem,edunt & bibunt? Quibus ipse ait: Nũquid potestis filios sponsi,dum cum illis est sponsus,facere ieiunare? Venient autem dies:& cum ablatus fuerit ab illis sponsus,tunc ieiunabũt in illis diebus. Dicebat autem & similitudinem ad illos. Nemo commissuram à vestimento nouo immittit in vestimentum vetus:alioquin & nouum rumpit, & veteri non conuenit commissura à nouo. Et nemo mittit vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpet vinum nouum vtres, & vinum effunditur & vtres peribunt:sed vinum nouum in vtres nouos mittendum est: & vtraque conseruantur. Et [b] nemo bibens vetus,statim vult nouum,dicit enim:Vetus melius est.

Matt.9.b Marc.2.c

SCHOLIA.

[a] Ex hoc iam homines eris capiens.] *Sermo, ingentem Domini in familiari collocutione indicans humanitatem. Non opus,inquit,est, Vt à te recedam,quin communem faciamus potius consuetudinem,& quia assuetus es piscationi,ne tibi graue sit,nouam artem edisce re,piscabere quidẽ adhuc,sed propiscibus homines capies.* [b] Nemo bibens vetus.] *Nemo, inquit:facile Veteres mores deserit, Vt minus mirum sit, Vos Vestris ita pertinaciter adhærescere.*

CAPVT VI.

FActum est autem in [a] sabbato secundo primo,cum transiret per sata,vellebant discipuli eius spicas,& manducabant confricantes manibus. Quidam autẽ pharisęorum dicebant illis, Quid facitis quod non licet facere in sabbatis? Et respondens IESVS ad eos dixit, Nec hoc legistis quod fecit Dauid, cum esuriisset ipse & qui cum illo erant:quomodo intrauit in domum Dei,& panes propositionis sumpsit & mãducauit:& dedit etiam his,qui cũ ipso erant, quos non licet manducare nisi tantum sacerdotibus? Et dicebat illis,Dominus est filius hominis etiã sabbati. Factũ est autem & in alio sabbato, vt intraret in synagogam, & doceret. Et erat tibi homo,& manus eius dextera erat arida. Obseruabant autẽ scribę & pharisæi si in sabbato curaret:vt inuenirent vnde accusarent eum. Ipse vero sciebat cogitationes eorũ:& ait homini,qui habebat manum aridam,Surge,& sta in medio. Et surgens stetit. Ait ergo ad illos IESVS, Interrogabo vos, si licet sabbatis benefacere an male, animam saluam facere, an perdere? Et circunspectis omnibus illis, dixit homini:Extende manũ tuam. Et extendit:& restituta est manus eius sana sicut altera. Ipsi autem repleti sunt insipientia:& colloquebãtur adinuicem,quidnã facerent IESV. Factum est autem in illis diebus, exijt in montem orare,& erat pernoctans in oratione Dei. Et cũ dies factus essẽt, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis,quos & apostolos nominauit:Simõnẽ,quem et nominauit Petrũ,& Andream fratrẽ eius, Iacõbum & Ioannẽ,Philippum & Bartholomæũ, Matthęum & Thomam, Iacobũ Alphęi & Simonem qui vocatur Zelotes,& Iudam Iacobi,& Iudam Iscariotem,qui & fuit proditor. Et [b] descendens cũ illis, stetit in loco campestri,& turba discipulorum eius,& multitudo copiosa plebis ab omni Iudęa & Ierusalẽ:& à maritima Tyro & Sidone:qui venerant vt audirent eum,& sanarentur à langoribus suis. Et qui vexabantur à spiritibus immundis,curabãtur. Et omnis turba quærebat eũ tangere, quia virtus de illo exibat,& sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos,dicebat, [c] Beati pauperes:quia vestrum est regnũ Dei. Beati qui nunc esuritis:quia saturabimini. Beati qui nunc fletis:quia ridebitis. Beati estis cum vos oderint homines,& cum separauerint vos,& exprobrauerint & eiecerint nomen vestrũ tanquam malum propter filium hominis,Gaudete in illa die & exultate ecce enim merces vestra multa est in cœlo: secundum hæc enim faciebant prophetis patres eorum. Veruntamen [d] væh vobis diuitibus, qui habetis consolationẽ vestram. Væh vobis qui saturati estis:quia esurietis. Væh vobis qui ridetis nunc:quia lugebitis & flebitis. Væh vobis cum benedixerint vobis omnes homines,secundum hęc enim faciebant pseudoprophetis patres eorum. Sed vobis dico qui auditis: [e] Diligite inimicos vestros,benefacite his qui vos oderunt. Benedicite maledicentibus vobis: & orate pro calumniantibus vos. Et qui te percutit in maxillam vnam, [f] præbe illi & alteram. Et ab eo qui aufert tibi vestimentum,etiam tunicam noli prohibere. Omni autem petenti te, tribue,& ab eo,qui aufert quæ tua sunt,ne repetas. Et prout vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter. Et si diligitis eos qui vos diligunt:quæ vobis est gratia? nam & peccatores, diligentes se, diligunt. Et si bene feceritis his qui vobis benefaciunt,quæ vobis est gratia? siquidem & peccatores hoc faciunt. Et si mutuum dederitis his à quibus speratis recipere:quæ gratia est vobis? nam & peccatores peccatoribus mutuum dant, vt recipiant æqualia. Quinimo diligite inimicos vestros:benefacite,& mutuum date nihil inde sperantes:& erit merces vestra multa,& eritis filij altissimi:quia ipse benignus est super ingratos & malos. Estote ergo misericordes sicut & pater vester misericors est. [g] Nolite iudicare:& non iudicabimini: nolite condemnare,& non condemnabimini:dimittite:& dimittetur vobis. Date,& dabitur vobis. [h] Mensuram bonam & confertam & coagitatã & superefluentem dabũt in sinũ vestrũ. Eadẽ quippe mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis. [i] Dicebat autem illis & similitudinem. Nunquid potest cæcus cæcum ducere? nónne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis erit, sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo:Frater,sine eijciam festucam de oculo tuo: ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita,eijce primum trabem de oculo tuo: & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui. Non est enim arbor bona,quæ facit fructum malum:neque arbor mala,faciens fructum bonum. Vnaquęque enim arbor,de fructu suo cognoscitur. Neque enim de spinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant vuam. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonũ: & [k] malus homo de malo thesauro cordis sui profert malum. Ex abundantia enim cordis os eius loquitur. Quid autem vocatis me,Domine Domine:& non facitis quæ dico? Omnis qui venit ad me,& audit sermones meos & facit eos:ostendam vobis cui similis sit, similis est homini ædificanti domum,qui fodit in altum,& posuit fundamentum super petram: inundatione autem

Matt.12.a Marc.1.d 1.Reg.21.g
Matt.12.a Marc.3.a
Matt.10.a Marc.3.b
matt.5.a
Amos.6.a Eccle.31.a
matt.5.g matt.5.f
Marc.7.b Tob.4.c matt.5.g
matt.5.g Deut.15.b
matt.7.a
matt.7.a marc.4.b marc.15.b matt.10.c Ioan.13.c matt.7.a matt.7.c matt.12.a
matt 7.d Rom.2.b Iacob.1.d

autem facta,illisum est flumen domui illi,& non potuit eam mouere,fundata enim erat super petram. Qui autem audit & non facit:similis est homini ædificanti domum suam super terram sine fundamento, in quã illisus est fluuius:& continuo cecidit & facta est ruina domus illius,magna.

SCHOLIA.

[a] Sabbato secundo primo.] *Δευτεροπρώτῳ. Cum altera alteri solennitati continuabatur, sequens festum vocabatur Sabbatum secundo primum,nam festum omne sabbatum appellabant. Et ex Iosepho libro 3. Antiquit. capit 13. et quibusdam glossis Hebræorum,colligit Tullius Crispoldus, Vir & sanctitate vitæ,& diuinarum literarum exercitatione præstans, fuisse hunc diem,qui festum paschæ sequeretur,hoc est,sextam decimam lunam,quo die Leuit.23. præcipitur offerri manipulum,atque is dies eodem loco vocatur alterum sabbatum. Quidam censent sic appellari dies,qui ea festa concludunt, quæ pluribus diebus aguntur, Vt septimus dies ἁζυμορum:in festo item tabernaculorum:nam cum hi postremi dies pari honore obseruarentur cum primo, recte Δευτεροπρώτως vocari.* [b] Descendens cum illis stetit in loco campestri.] *In Matthæo autem ascendit in montem. Sed fieri potest, vt in ipso monte fuerit aliqua planities vbi constiterit Dominus. Quanquã sunt, qui diuersum hunc velint esse sermonem ab eo,qui à Matthæo describitur.* [c] Beati Pauperes.] *Quos scilicet Matthæus pauperes spiritu vocat:& hos magnus Basilius dicit esse,qui non aliam ob causam inopes facti sunt, nisi ob doctrinam Domini dicentis, Vade vende omnia quæ habes & da pauperibus,si quis vero incidentem quamlibet paupertatem amplexatus,negatur iuxta voluntatem Dei,sicut Lazarus,ne hunc quidem esse alienum à beatitudine. Idem & differentiam ponit inter πτωχὸν & πένητα, hoc est,inopem & pauperem,sic dicens: Dum recordor apostolum dicentem de Domino, quòd propter nos inops factus sit,cum esset dives,puto,inopem quidem esse eum,qui à diuitys descenderit ad indigentiam, pauperem vero, qui à principio in indigentia fuerit,& in hoc statu ita viuat,quemadmodum placitum est Deo: Dauid vero inopem & pauperem se confitetur,fortasse & hoc in persona Domini dicens,qui inops quidem vocatur secundum illud,qui propter nos inops factus est,cum esset dives:pauper autem,quatenus non diuitis alicuius, sed fabri filius secundum carnem est appellatus.* [d] Væh vobis diuitibus.] *Quatuor Væh opposita superioribus sunt beatitudinibus.* [e] Diligite inimicos vestros.] *Interrogatus magnus Basilius:qui sint inimici,quos diligere iubemur,respondet. Inimici proprium est, lædere, & insidiari: Omnis igitur,qui quocunque pacto lædit aliquem,vocari inimicus potest: præcipue autem is, qui peccat, quantum in ipso est, diuersis lædit modis,& ei,qui cum viuit,atque versatur,insidiatur. Sed quoniam corpore atque anima constat homo, secundum animam quidem diligamus tales,corripientes eos,atque admonentes,& quouis modo agentes, Vt conuertantur: secundum corpus benefacientes eis,si ijs egeant,quæ ad vitam sunt necessaria.* [f] Præbe illi & alteram.] *Eo sis affectu, vt si in altera maxilla cædere te velit,non resilias,neque censeas satis esse,quod ferael sis perpessus, docet ergo in patiendo constantiam.* [g] Nolite iudicare.] *Cum Dominus hic dicat,nolite iudicare,alibi vero,iustum iudicium iudicate,nõ prohibemur omnino iudicare,sed iudicij differentiam docemur,quibus autem in rebus iudicare oporteat,& in quibus non, manifeste nos docet apostolus,dum in ijs,quæ in cuiusque potestate posita sunt,neque à scriptura prohibẽtur,dicit, Tu vero quid iudicas fratrem tuũ? & rursum,Ne igitur posthac mutuo iudicemus, In ijs vero quæ Deo displicent, reprehendit eos,qui non iudicãt, & ipse suum iudicium proferens,dum ait. Nam ego quidem vt absens corpore,præsens autem spiritu, iam iudicaui vt præsens eum,qui hoc egit,in nomine Domini nostri Iesu Christi,congregatis vobis et meo spiritu, tradere eiusmodi hominem satanæ in interitũ carnis, Vt spiritus seruetur in die Domini Iesu.* [h] Mensurã bonam.] *Ponit ea, quæ adhibere solemus, cum mensuram copiosam & locupletem facere volumus.* [i] Dicebat autem illis & similitudinem.] *Tota hæc doctrina in primis ad discipulos habetur,sicut supra dictum est. Dominum oculos in discipulos conuertisse in huius sermonis initio, monet ergo sequenti similitudine,quanti referat, eos attente audire,et seruare,quæ docentur,nam subiecit os secuturos mores eorum,quales futuri cunque sint, præterea nisi magistri sine vitio fuerint,quo pacto reprehendere alios poterunt? iccirco ait. Quid vides festucam &c.* [k] Malus homo de malo Thesauro.] *Hoc respondeti potest ijs, qui cum superbe aut inuide quid dixerint,& derogauerint proximo,se tamen ipsos fallentes,dicunt,se non ody causa dixisse, nihilq, se inimicũ cor de seruare:nam fieri non potest, vt qui bonus est,malum quid proferat,& recte ait Dominus,ex abundantia cordis os loqui.*

CAPVT VII.

CVm autem impleuisset omnia verba sua in aures plebis, intrauit Capharnaum. Centurionis autẽ cuiusdam seruus male habens,erat moriturus,qui illi erat charus. Et cũ audisset de IESV, misit ad eũ seniores Iudæorum,rogans eũ vt veniret,& saluaret seruũ eius. At illi cum venissent ad IESVM, rogabant eum solicite dicentes:Dignus est,vt hoc illi prestes:diligit enim gentẽ nostram:& synagogã ipse ædificauit nobis. IESVS autẽ ibat cũ illis. Et cum iam non longe esset a domo, misit ad eũ Centurio amicos, dicens:Dñe,noli vexari. Non enim sum dignus vt sub tectũ meum intres:propter quod & meipsum nõ sum dignum arbitratus,vt venirem ad te:sed dic verbo & sanabitur puer meus: nam & ego homo sum sub potestate cõstitutus,habens sub me milites,& dico huic vade,& vadit:& alij,veni, & venit: & seruo meo,fac hoc, & facit. Quo audito, IESVS miratus est,& cõuersus,sequenti se turbæ dixit: Amẽ dico vobis,nec in Israel tantam fidem inueni. Et reuersi qui missi fuerant domum,inuenerũt seruum,qui languerat, sanum. Et factum est deinceps:ibat IESVS in ciuitatem quę vocatur Naim:& ibãt cum eo discipuli eius multi & turba copiosa. Cum autem appropinquaret portę ciuitatis:ecce defunctus efferebatur filius vnicus matris suæ. Et hæc vidua erat:& turba ciuitatis multa cum illa. Quam cum vidisset Dominus, misericordia motus super eam:dixit illi:Noli flere. Et accessit,& tetigit loculum. Hi autem qui portabant,steterunt. Et ait: Adolescẽs, tibi dico,surge. Et resedit qui erat mortuus,& cœpit loqui: Et dedit illum matri suę. Accepit autem omnes timor,& glorificabant Deum,dicentes:Propheta magnus surrexit in nobis: & Deus visitauit plebem suam. Et exijt hic sermo in vniuersam Iudæam de eo,& in omnem finitimam regionem. Et nunciauerunt Ioanni discipuli eius de omnibus his. Et aduocauit duos de discipulis suis Ioannes,& misit ad IESVM, dicẽs: Tu es qui venturus est: an alium expectamus? Cum autem venissent ad eum viri,dixerunt:Ioannes Baptista misit nos ad te,dicens:Tu es,qui venturus est:an alium expectamus? In ipsa autem hora multos curauit à lãguoribus

Matt.8.a
Matt.11.a

guoribus ſuis,& plagis,& ſpiritibus malis:& cæcis multis donauit viſum. Et reſpondens,dixit illis: Euntes renunciate Ioanni,quæ audiſtis & vidiſtis: Quòd cæci vident,claudi ambulant,leproſi mundantur,ſurdi audiunt,mortui reſurgunt,pauperibus euangelizatur:& beatus eſt quicũq; nõ fuerit ſcandalizatus in me. Et cũ diſceſsiſſent nuncij Ioannis,cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid exiſtis in deſertum videre? arundinem D
vento agitatam?Sed quid exiſtis videre? hominem mollibus veſtimentis indutum? ecce qui in veſte precioſa
Mala.3.a ſunt & delicijs,in domibus regum ſunt.Sed quid exiſtis videre?prophetam? vtique dico vobis, & plus q̃ prophetam:hic eſt de quo ſcriptum eſt:Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuã
ante te. Dico enim vobis, [a] maior inter natos mulierum propheta Ioanne Baptiſta nemo eſt: qui autem
minor eſt in regno Dei,maior eſt illo. Et omnis populus audiens,& publicani [b] iuſtificauerunt Deum, ba-
Matt.11.b ptizati baptiſmo Ioannis.Phariſæi autem,& legis periti,conſilium Dei ſpreuerunt in ſemetipſos,non baptizati ab eo. Ait autem Dominus:Cui ergo ſimiles dicam homines generationis huius: & cui ſimiles ſunt? Si- E
miles ſunt pueris ſedentibus in foro, & loquentibus adinuicem, & dicentibus: Cantauimus vobis tibijs, &
non ſaltaſtis:lamentati ſumus vobis, & non ploraſtis: Vênit enim Ioannes Baptiſta, neque manducans panem,neque bibens vinum,& dicitis, Dæmonium habet. Vênit filius hominis manducans & bibens,& dicitis: Ecce homo deuorator,& bibens vinum,amicus publicanorum & peccatorum. [c] Et iuſtificata eſt ſapien
tia ab omnibus filijs ſuis. Rogabat autem illum quidam de phariſæis,vt mãducaret cum illo. Et ingreſſus
domum phariſæi,diſcubuit.Et ecce mulier, quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd IESVS ac- F
cubuit in domo phariſæi,attulit alabaſtrum vnguenti:& ſtans retro, ſecus pedes eius flens: lachrymis cœpit
rigare pedes eius,& capillis capitis ſui tergebat, & oſculabatur pedes eius,& vnguento vngebat. Videns autem phariſæus,qui vocauerat eum,ait intra ſe,dicens:Hic ſi eſſet propheta: [d] ſciret vtique, quæ & qualis eſt
mulier,quæ tangit eum,quia peccatrix eſt. Et reſpondens IESVS, dixit ad illum:Simon,habeo tibi aliquid
dicere. At ille ait,Magiſter dic. Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos,& [e] alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent: donauit vtriſque. Horum igitur dic vter
eum plus diliget? Et reſpondens Simon,dixit:Exiſtimo q̃ is,cui plus donauit. At ille dixit ei: Recte iudicaſti. G
Et conuerſus ad mulierem, dixit Simõni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam: aquam pedibus
meis non dediſti:hæc autem lachrymis rigauit pedes meos,& capillis capitis ſui terſit. Oſculum mihi nõ dedi-
ſti: hæc autem ex quo intrauit,non ceſſauit oſculari pedes meos. Oleo caput meum non vnxiſti: hæc autẽ
vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi:Remittuntur ei peccata multa,quoniam dilexit multũ.
Cui autem parum dimittitur,parum diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata. Et cœperunt
qui ſimul accumbebant, dicere intra ſe: Quis eſt hic qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem.
Fides tua te ſaluam fecit,vade in pace.

SCHOLIA.

[a] Maior inter natos mulierum propheta.] *Explicat Euangeliſta Hebraiſmum,de quo in Matth.diximus,vbi legitur:non ſurrexit maior,hoc eſt,non extitit,non declaratus eſt maior propheta.* [b] Iuſtificauerunt.] *Hic poſitum eſt ἐδικαίωσαν, pro ἐδόξασαν, hoc eſt,glorificauerunt.Quòd ſcilicet iuſtus eſſet,neque deeſſet iis,qui reuerti ad ſe vellent.* [c] Et iuſtificata eſt.] *Et hic poſitum videtur iuſtificata pro honorata. Omnes,inquit,ſily intellexerunt ſapientiam Dei. Sin mauis dicere iuſtificata:ſic intellige:Declarauit ſe ſapientia Dei omnino iuſtam,& à filijs ſuis omnibus agnita eſt,quæ nihil præterniſerit,quod ad hominum ſalutem pertineret.* [d] Sciret vtique.] *Atque iccirco non pateretur ſe tangi,perinde quaſi contactus viri peccatoris,eius q̃,quem iam ſcelerum pœniteat,maculare poſſit.* [e] Alius quinquaginta.] *Is,qui minus agnoſcit ſua debita,minus ſe debere exiſtimat,& ideo minus diligit quare dignus eſt,vt minus diligenti minus remittatur: ſed à quo maiorem quis gratiam expectat,magis etiam diligit,& amplius diligenti,plura etiam remittuntur. In hanc ſententiam videtur facta concluſio,cum dictum eſt:remittuntur ei peccata multa,quia dilexit multum,cui autem parum remittitur,parũ diligit,alioqui inueniri poteſt generoſius animus,qui in exigua venia plus diligat,quam alius in magna. At Euangeliſta,dum breuiter multa concludit,videtur quibuſdam in hac concluſione obſcurior,cum dicendo: remittuntur ei peccata multa,quia dilexit multum:cauſam remiſſionis ponit dilectionem:per id vero quod addit,cui autem parum remittitur, parum diligit,cauſam dilectionis facit remiſſionem. Neque verò ſtare vllo modo poteſt,quod quidam dicunt,inuertendam eſſe ſententiam,& dicendum,dilexit multum,quoniam remittuntur ei peccata multa.nam hoc nimis eſt violentum, neque ferendum vllo pacto,vt tam ingens vis ſcripturæ ſacræ adhibeatur, & tanta aperiatur feneſtra iis, qui inuertere Diuina eloquia conſueuerunt. Quamuis enim pro ſe facere putent, primum quòd dictum prius ſit illum fœneratorem donaſſe vtrig, hic verò remittuntur peccata non gratis,ſed propterea quòd dilexit,deinde quòd dictum ſit, plus diligere, cui plus ſit donatum,& paulo inferius,paruũ diligere,cui parum remittitur.tamen non ob hanc cauſam tam monſtroſa inuerſio fuerat facienda.nam quod dicit illum donaſſe, verum quidem eſt,nam legimus donum Dei eſſe vitam æternam,quæ tamen & dilectione & rectè factis dari prædicatur.quod verò ad alteram rationem pertinet,ſenſus totius rei potius,quam ſingula verba ſunt conſideranda,alioqui & hic & pluribus alijs ſcripturæ ſacræ locis, in multos nos induemus laqueos, è quibus non facile poterimus expediri. Hic ergo cogitandum eſt,quid ſeruator Chriſtus voluerit,nempe vt intelligeret phariſeus, quam ob cauſam peccatricem mulierem tam benigne acceperit,eique veniam præbuerit.quemadmodum ſuperius fuit dictum. Et vide vt hoc loco ſalutem non ſolum fidei tribuat, verum etiam charitati,cum ait,remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Recipit ergo vtraque ſalutem quam tamen Chriſti ſanguis nobis comparauit.*

CAPVT VIII.

ET factũ eſt deinceps,& ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella,predicans & euangelizãs regnũ Dei: & A
duodecim cũ illo,& mulieres aliquę,quę erãt curatę a ſpiritibus malignis & infirmitatibus.Maria,quę
matt.13.a vocabatur Magdalene,de qua ſeptem dęmonia exierãt, & Ioãna vxor Chuſe procuratoris Herodis, &
Marc.4.a Suſanna,& alię multæ, quæ miniſtrabant ei de facultatibus ſuis. Cũ autem turba plurima conueniret, & de
ſingulis

ſingulis ciuitatibus properarent ad eum,dixit per ſimilitudinem: Exijt, qui ſeminat ſeminare ſemen ſuum:
& dum ſeminat,aliud cecidit ſecus viam & conculcatũ eſt,& volucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit
ſuper petram:& natum aruit,quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter ſpinas: & ſimul exortæ ſpi-
næ ſuffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens,
clamabat: Qui habet aures audiendi,audiat. Interrogabant autem eum diſcipuli eius, quæ eſſet hæc paraboB
la. Quibus ipſe dixit: Vobis datum eſt noſſe myſteria regni Dei,cæteris autem in parabolis,vt videntes, non
videant,& audientes non intelligant. Eſt autem hæc parabola. Semen:eſt verbum Dei. Qui autem ſecus viã: Eſaia.6.c
hi ſunt,qui audiunt,deinde venit diabolus & tollit verbum de corde eorum,ne credentes ſalui fiant. Nam, Matt.13.b
qui ſuper petram:hi ſunt qui cum audierint,cum gaudio ſuſcipiunt verbum:& hi radices non habẽt: quiæad Marc.4 b
tempus credunt,& in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit: hi ſunt, qui audierunt, Acto.20.f
& [a] à ſolicitudinibus & diuitijs & voluptatibus vitæ euntes ſuffocantur,& non referunt fructum. Quod au- Rom.11.b
tem in bonam terram:hi ſunt,qui in corde honeſto ac bono audientes verbum retinent, & fructum afferũt
in patientia. [b] Nemo autem lucernam accẽdens,operit eam vaſe,aut ſubter lectum ponit,ſed ſupra cande- matt.5.b
labrum ponit,vt intrantes videant lumen. Non eſt enim occultum,quod non manifeſtetur: nec abſcondi- Marc.4.c
C tum,quod non cognoſcatur,& in palàm veniat. Videte ergo quomodo audiatis. Quicunque enim habet, Matt.10.c
dabitur illi: & quicunque non habet, etiam [c] quod putat ſe habere, auferetur ab illo. Venerunt autem marc:4.c
ad illum mater & fratres eius:& non poterant adire eum præ turba. Et nunciatum eſt illi: Mater tua & fra- Matt.13.b
tres tui ſtant foris, volentes te videre. Qui reſpondens dixit ad eos:Mater mea & fratres mei:hi ſunt, qui ver- &.25.c
bum Dei audiunt & faciunt. Factum eſt autem in vna dierum & ipſe aſcendit in nauim, & diſcipuli eius, & marc 4.c
ait ad illos: Tranſeamus vltra ſtagnum. Et abierunt. Et nauigantibus illis,obdormiuit, & deſcendit procella- Matt.12.d
venti in ſtagnum,& complebantur & periclitabantur. Accedentes autem,ſuſcitauerunt eum,dicentes: Præ- Marc.3.d
ceptor,præceptor,perimus. At ille ſurgens,increpauit ventum & tempeſtatem aquæ: & ceſſauit, & facta eſt Matt.8.e
tranquillitas. Dixit autem illis,vbi eſt fides veſtra? Qui timentes,mirati ſunt,adinuicem dicentes: Quiſputas Marc.4.d
D hic eſt? quia & ventis & aquæ imperat,& obediunt ei. Et nauigauerunt ad regionem Gadarenorum, quæ matt.8.d
eſt contra Galilæam. Et cum egreſſus eſſet ad terram: occurrit illi vir quidam è ciuitate, qui habebat dæmo- Marc.5.a
nia iam temporibus multis,& veſtimento non induebatur, neque in domo manebat, ſed in monumentis.
Is,vt vidit IESVM, procidit ante illum:& exclamans voce magna, dixit:Quid mihi & tibi eſt IESV fili
Dei altiſſimi? obſecro te, ne me torqueas. Precipiebat enim ſpiritui immundo,vt exiret ab homine.Multis
enim temporibus corripuerat illum & vinciebatur catenis, & compedibus cuſtodiebatur: & ruptis vincu-
lis agebatur à dæmonio in deſerta. Interrogauit autem illum IESVS, dicens:Quod tibi nomen eſt? At ille
dixit,Legio:quia intrauerant dæmonia multa in eum. Et rogauerunt illum,ne imperaret illis,vt in abyſſum
irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte: & rogabant eum, vt permitteret eis
E in illos ingredi. Et permiſit illis. Exierunt ergo dæmonia ab homine, & intrauerunt in porcos:& impetu
abijt grex per præceps in ſtagnum:& ſuffocatus eſt. Quod, vt viderunt factum, qui paſcebant, fugerunt: &
nunciauerunt in ciuitatem & in villas. Exierunt autem videre quod factum eſt:& venerunt ad IESVM: &
inuenerunt hominem ſedentem à quo dæmonia exierant, veſtitum, ac ſana mente ad pedes eius, & timue-
runt. Nunciauerunt autem illis & qui viderant,quomodo ſanus factus fuiſſet à legione. Et rogauerunt illum
omnis multitudo finitimæ regionis Gadarenorum, vt diſcederet ab ipſis: quia magno timore tenebantur.
Ipſe autem aſcendens nauim,reuerſus eſt. Et rogauit illum vir à quo dæmonia exierant,vt cum eo eſſet. Di-
miſit autem eum IESVS, dicens: Redi in domum tuam:& narra quanta tibi fecit Deus. Et abijt per vni- matt.9.e
uerſam ciuitatem,prædicans quanta illi feciſſet IESVS. Factum eſt autem: cum redijſſet IESVS, exce- marc.5.b
F pit illum turba:erant enim omnes expectantes eum. Et ecce venit vir,cui nomen Iairus, & ipſe princeps ſy-
nagogæ erat,& cecidit ad pedes IESV, rogans eum,vt intraret in domum eius,quia vnica filia erat ei ferè an
norum duodecim,& hæc moriebatur. Dum autem iret,à turbis comprimebatur. Et mulier, quæ erat in flu-
xu ſanguinis ab annis duodecim,quæ in medicos erogauerat omnem ſubſtantiam ſuam, nec ab vllo potuit
curari,acceſsit retro & tetigit fimbriam veſtimenti eius:& confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius. Et ait IE-
SVS: Quis eſt,qui me tetigit? Negantibus autem omnibus, dixit Petrus, & qui cum illo erant: præceptor,
turbæ te comprimunt & affligunt,& dicis,Quis me tetigit? Et dixit IESVS: Tetigit me aliquis,nam ego no
ui virtutem de me exiſſe. Videns autem mulier,quòd non latuit:tremens venit, & procidit ante pedes eius,
& ob quam cauſam tetigiſſet eum, indicauit coràm omni populo, & quemadmodum confeſtim ſanata ſit.
G At ipſe dixit ei:Confide filia:fides tua ſaluam te fecit,Vade in pace. Adhuc illo loquente : venit quidã à prin-
cipe ſynagogæ, dicens ei:Mortua eſt filia tua,noli vexare magiſtrum. IESVS autem, audito hoc verbo, re-
ſpondit patri puellæ,Noli timere:crede tantum:& ſalua erit. Et cum veniſſet domum, non permiſit intrare
ſecum quenquam,niſi Petrum & Iacõbum & Ioannem & patrem & matrem puellæ. Flebant autem omnes
& plangebant illam. At ille dixit:Nolite flere,non eſt mortua puella,ſed dormit. Et deridebant eum, ſcien-
tes quòd mortua eſſet. Ipſe autem eiectis foras omnibus:tenens manum eius,clamauit dicens: puella, ſurge.
Et reuerſus eſt ſpiritus eius:& ſurrexit continuo. [d] Et iuſſit illi dari quod manducaret. Et ſtupuerunt paren-
tes eius:quibus præcepit,ne alicui dicerent quod factum erat.

SCHOLIA.

[a] A ſolicitudinibus.] *Nempe huius vitæ,quas ſeculares vocant. Sed,quæ nam appellari ſecularis ſolicitudo poteſt? Omnis,ait Baſilius,ſolicitudo,etiam ſi nihil in ſe habere videatur eorum,quæ interdicta ſunt,ſi tamen non proficiat ad pietatem & Dei cultum, ſecularis eſt.* [b] Nemo autem lucernam accendens.] *Refertur hæc ſimilitudo ad illud,quod de terra bona dictum eſt. Apoſtoli ergo, terra videlicet illa fructifera,quò virtute præſtantiores,eo magis etiam conſpicui futu-*

 ri erant.

ri erant. [c] Quod se putat habere.] *Habere, hoc est, tenere, nam in hac significatione, & apud Græcos & apud nostros in vsu est: Qui ergo non adhibet studium, vt cum Dei donis fiat accessio rectè factorũ, etiam illud quod tenere se putat amittet.* [d] Et iussit illi dari.] *Opinor id Dominum iussisse, vt euidentius veram esse puellæ resurrectionem intelligerent.*

CAPVT IX.

matt.10.a CONuocatis autem IESVS duodecim apostolis, dedit illis virtutem & potestatem super omnia dæ- A
marc.3.b monia, & vt languores curarēt. Et misit illos prędicare regnũ Dei: & sanare infirmos. Et ait ad illos:
matt.10.a Nihil tuleritis in viam: neq; virgã, neq; peram, neq; panem, neq; pecuniam: neq; duas tunicas habea
marc.6.a.b tis. Et in quãcunq; domũ intraueritis, ibi manete: & inde exeatis. Et quicunq; nõ receperint vos, exeuntes de
Acto.13.g ciuitate illa, etiam puluerē pedũ vestrorũ excutite in testimoniũ super illos. Egressi autem circuibant per ca-
matt.14.a stella: euangelizantes & curantes vbiq;. Audiuit aũt Herodes tetrarcha omnia, quę fiebant ab eo: & hęsitabat
marc.6.b eò, ꝙ diceretur à quibusdam, ꝙ Ioannes surrexit à mortuis: à quibusdam vero, ꝙ Elias apparuit: ab alijs autē,
matt.14.b ꝙ propheta vnus de antiquis surrexit. Et ait Herodes: Ioannē ego decollaui: quis est autem iste de quo ego ta-
marc.6.d.e lia audio? Et quærebat videre eum. Et reuersi apostoli, narrauerunt illis quæcunq; fecerunt: & assumptis illis,
secessit seorsum in locum desertum ciuitatis, quæ vocatur Bethsaida. Quod cum cognouissent turbę, secutæ B
Ioan.6.a sunt illum: & excepit eos, & loquebatur illis de regno Dei: & eos, qui curatione indigebant, sanabat. Dies au-
tem cœperat declinare. Et accedentes duodecim, dixerunt illi: Dimitte turbas, vt euntes in castella villasque,
quę circumcirca sunt diuertant, & inueniant escas: quia hic in loco deserto sumus. Ait autem ad illos: vos da-
te illis manducare. At illi dixerunt: Non sunt nobis plus quàm quinque panes & duo pisces: [a] nisi nos eamus
& emamus in omnem hanc turbam escas. Erant autem ferè viri quinquies mille. Ait autem ad discipulos
suos: Facite illos discumbere per conuiuia quinquagenos. Et ita fecerũt, & discubuerunt omnes. Acceptis au-
tem quinq; panibus & duobus piscibus, suspexit in cœlum, & benedixit illis: & fregit & dedit discipulis suis,
vt ponerent ante turbas. Et manducauerunt omnes: & saturati sunt. Et sublatũ est quod superfuit illis, frag-
Matt.19.b mentorum cophini duodecim. Et factum est: cum solus esset orans, erant cum illo & discipuli, & interroga- C
marc.8.e uit illos, dicens: Quem me dicunt esse turbę? At illi responderunt & dixerunt: Ioannem Baptistam, alij autem
Eliam, alij vero ꝙ vnus propheta de antiquis surrexit. Dixit autē illis: vos autem quem me esse dicitis? Respõ-
dens Simon Petrus, dixit: [b] CHRISTVM Dei. At ille interminatus illis, præcepit, ne cui dicerent hoc, di-
matt.17.d cens: Quòd oportet filium hominis multa pati, & reprobari à senioribus & principibus sacerdotum & scri-
marc.8.e bis, & occidi, & tertia die resurgere. Dicebat autem ad omnes, Si quis vult post me venire, [c] abneget semetip-
matt.10.d sum, & tollat crucem suam quotidie, & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam saluam facere: perdet
&.16.d illam: qui autem perdiderit animam suam propter me: saluã faciet illam: Quid enim proficit homo, si lucre-
marc.8.d tur vniuersum mundum, seipsum autem perdat, & detrimentum sui faciat? Nam, qui me erubuerit & meos
Infra.14.f &.17.g sermones, hunc filius hominis erubescet, cum venerit in maiestate sua & patris & sanctorum angelorũ. Dico
Ioan.12.d Matt.10.d autem vobis vere, sunt aliqui hic stantes, qui non gustabunt mortem donec videant regnum Dei. Factum est D
marc.8.d autem post hæc verba ferè diebus octo, & assumpsit Petrum & Iacôbum & Ioannem, & ascendit in mõtem,
matt.16.d vt oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius altera: & vestitus eius albus & refulgens. Et ecce duo viri
marc.9.a loquebantur cum illo: erant autem Moyses & Elias, visi in gloria, & dicebant [d] excessum eius, quem comple
Matt 17.a turus erat in Ierusalem. Petrus vero, & qui cum illo erant, grauati erant somno. Et euigilantes, viderũt maie-
marc.9.a statem eius: & duos viros, qui stabant cum illo. Et factum est: cum discederent ab illo, ait Petrus ad IESVM:
Pręceptor, bonum est nos hic esse: & faciamus tria tabernacula, vnum tibi, & vnum Moysi, & vnum Elię, ne-
sciens quid diceret. Hęc autem illo loquente, facta est nubes, & obumbrauit eos: & timuerunt intrantibus il-
lis in nubem. Et vox facta est de nube, dicens: Hic est filius meus dilectos: ipsum audite. Et dum fieret vox, in-
uentus est IESVS solus. Et ipsi tacuerunt, & nemini dixerunt in illis diebus quicquam ex his, quę viderant. E
Matt.17.d Factum est autem in sequenti die, descendentibus illis de monte, occurrit illi turba multa. Et ecce vir de tur-
marc.9.c ba exclamauit dicens: Magister, obsecro te, respice in filium meũ, quia vnicus est mihi: & ecce spiritus appre-
hendit eũ, & subito clamat, & dissipat eum cũ spuma, & vix discedit ab eo, dilanians eũ: & rogaui discipulos
tuos, vt eijcerent illud: & non potuerunt. Respondens autem IESVS, dixit: O generatio infidelis & peruer-
sa, vsquequo ero apud vos & patiar vos? Adduc huc filium tuum. Et cum accederet, elisit illum dæmonium &
dissipauit. Et increpauit IESVS spiritum immundum, & sanauit puerum: & reddidit illum patri eius. Stupe
bant autem omnes in magnificentia Dei: omnibusq; mirantibus in omnibus, quæ faciebat, dixit ad discipu-
los suos: Ponite vos in auribus vestris sermones istos: Filius enim hominis futurum est, vt tradatur in manus
hominum. At illi ignorabant verbum istud: & erat absconditum ab eis, vt non sentirent illud: & timebant F
Matt.18.a eum interrogare de hoc verbo. Intrauit autem cogitatio in eos quis eorum maior esset. At IESVS videns
marc.9.e cogitationem cordis illorum, apprehendit puerum: & statuit illum secus se, & ait illis: Quicunque suscepe-
rit puerum istum in nomine meo, me recipit: & quicunque me receperit, recipit eum, qui me misit. Nam,
qui minor est inter vos omnes hic erit magnus. Respondens aũt Ioannes, dixit: Pręceptor, vidimus quēdam
in nomine tuo eijcientem dæmonia, & prohibuimus eum, quia non sequitur nobiscum. Et ait ad illum IE-
SVS: Nolite prohibere: qui enim nõ est aduersum nos, pro nobis est. Factum est autem dum complerentur
[e] dies assumptionis eius, & ipse faciē suã firmauit, vt iret in Ierusalem. Et misit nũcios ante conspectum su:
& euntes intrauerunt in ciuitatem Samaritanorum, vt pararent illi. Et non receperunt eum: quia facies eius
erat euntis in Ierusalem. Cum vidissent autem discipuli eius, Iacobus & Ioannes, dixerunt: Domine, vis di- G
camus, vt ignis descendat de cœlo, & consummat illos sicut & Elias fecit? Et conuersus increpuit illos, di-
cens: Nescitis cuius spiritus estis vos: Nam filius hominis non venit animas perdere, sed saluare. Et abierunt
Matt.8.e in aliud castellum. Factum est autem: ambulantibus illis in via, dixit quidam ad illum: Sequar te quocũq;
ieris.

ieris. Dixit illi IESVS: [f] Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius aũt hominis non habet vbi ca
put reclinet. Ait aũt ad alterum: Sequere me. Ille autem dixit: Dñe, permitte mihi primum ire & sepelire pa-
trem meũ. Dixitq; ei IESVS: Sine, vt mortui sepeliãt mortuos suos: tu autem vade, & annuntia regnũ Dei.
Et ait alter: Sequar te Domine: sed permitte mihi primum dicere vale ijs, qui domi sunt. Ait ad illũ IESVS:
Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.

SCHOLIA.

[a] Nisi nos eamus & emamus.] *Vide paratos animos ad impendenda, quæ habebant, in alimentum tantæ multitudinis.* [b] CHRISTVM Dei.] *Τὸν χριστὸν τοῦ θεοῦ non simpliciter Christũ, sed cũ articulo, illum Christum Dei, cuius cognomen multi quidem antea tulerant: sed vnus erat ille, qui expectabatur.* [c] Abneget semetipsum.] *Abnegatio sui ipsius est plena rerum præteritarum obliuio, & à propria voluntate discessio, quod in communi consuetudine viuentem assequi difficilimum est, ne dicam prorsus impossibile, quin & ad tollendam crucem suam, & sequendum Christum impedimento est in eiusmodi vita permixtio, nam præparatio ad ferendam pro Christo mortem, & mortificatio membrorũ, quæ sunt super terram, & instructos esse ad omne imminens pro nomine Christi periculum, & nihil affectos erga hanc vitam esse, hoc tollere est crucem suam, ad quæ, magna nobis impedimenta ferre cernimus hanc communis vitæ consuetudinem. Hæc Magnus.* [d] Excessum eius.] *Hoc est, mortem, quam hic ἔξοδον appellauit.* [e] Dies assumptionis.] *Vsus est Euangelista vocabulo digno maiestate Christi, nam moriturus quidem erat, non tamen detinendus à morte. Sed, quæ sequũtur verba examinanda sunt diligentius: quid enim est offirmasse faciem, & præmisisse nuntios, quem morem non facile inuenias fuisse Domino, quodq; non susceperint eum, quia facies eius erat proficiscens in Ierusalem? Scimus Dominum multa sæpe, & dixisse & fecisse, quæ dũ agerentur, nõ tũc intelligebãtur, sed sunt postea suo tẽpore declarata, vt cum dixit: soluite templũ hoc, &c. Hic ergo videtur significare, Dominũ offirmasse, hoc est decreuisse olim in Ierusalẽ mori, & salutem operari in medio terræ, idq; multo antea prædixisse, sed hos nuntios non susceptos tũc fuisse à samaritanis, hoc est à gentibus, quia primũ eligenda erat iudæa gens, è qua Christus nasceretur. Quòd si textum literæ alio modo soluamus, quàm quòd sub delitescenti mysterio hæc facta sint, non facile inueniemus, quod aures impleat. Atque id quidem non intelligentes discipuli (sicut neque cum de templo soluendo & excitando locutus est Dominus, et de duobus gladijs) petierunt num vellet, vt iuberent ignem demitti è cœlo, & illos perdere. Potest tamen sic ad literam exponi. Cum Samaritani, qui erant inimici Iudæorum cernerent Dominum obfirmare faciem, vt iret in Ierusalem, non receperunt eum.* [f] Vulpes foueas habent.] *Tacitè admonens, vt cogitet, quantam rem aggrediatur, cum ipse Dei filius deteriore sit conditione, quàm hæc animantia, quæ proprias latebras habent.*

CAPVT X.

A POst hæc autē designauit Dñs, [a] & alios septuaginta: & misit illos binos [b] ante faciem suã in omnē ciui-
tatem & locũ quò erat ipse venturus. Et dicebat illis: Messis quidem multa: operarij autē pauci. Rogate matt.9.d
ergo Dñm messis, vt emittat operarios in messem suam. Ite: ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. matt.10.a
Nolite portarę sacculũ, neq; peram, neq; calceamenta: & [c] neminem per viam salutaueritis. In quancunque marc.6.a &b
domũ intraueritis: primũ dicite: Pax huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet sup illũ pax vestra: sin
autem, [d] ad vos reuertetur. In eadē aũt domo manete, edētes & bibētes, quę ab illis sunt: dignus est enim ope-
B rarius mercede sua. [e] Nolite transire de domo in domũ. Et in quãcũq; ciuitatem intraueritis, & susceperint matt.10.b
vos, manducate, quæ apponuntur vobis: & curate infirmos, qui in illa sunt, & dicite illis: Appropinquauit in 2.Tim.5.c
vos regnum Dei. In quancunq; autē ciuitatem intraueritis, & nõ susceperint vos exeuntes in plateas eius, di-
cite: Etiam puluerē, qui adhęsit nobis de ciuitate vestra, extergimus in vos. Veruntamen hoc scitote, ꝙ appro
pinquauit in vos regnum Dei. Dico vobis, ꝙ Sodomis in die illa remissius erit, q̃ illi ciuitati. Væh tibi Chora matt.11.c
zin, væ tibi Bethsaida: quia si in Tyro & Sydône factæ fuissent virtutes, quę factę sunt in vobis, olim in cilicio
C & cinere sedentes [f] pœnitentiam egissent: Veruntamen Tyro & Sidôni remissius erit in iudicio, quàm vo-
bis. Et tu Capharnaum vsq; ad cœlum exaltata: vsq; ad infernum demergêris. Qui vos audit, me audit, & qui
vos spernit, me spernit. Qui autem me spernit: spernit eum, qui misit me. Reuersi sunt autem septuaginta matt.10.d
cum gaudio, dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Et ait illis: [g] Vide- Ioan.13.c
bam Satanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ecce do vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpio
nes, & super omnem virtutem inimici, & nihil vobis nocebit. Veruntamen in hoc nolite gaudere, quód spi
D ritus vobis subijciuntur: gaudete autem quòd nomina vestra scripta sunt in cœlis. In ipsa hora exultauit spi- matt.11.d
ritu IESVS, & dixit: Confiteor tibi pater Domine cœli, & terræ, quòd abscondisti hæc [h] à sapientibus,
& prudentibus, & reuelasti ea paruulis. Etiam pater, quoniam sic placuit ante te. Omnia mihi tradita
sunt à patre meo. Et nemo scit quis sit filius, nisi pater: & quis sit pater, nisi filius, & cui voluerit filius re- matt.11.d
uelare. Et conuersus ad discipulos seorsum, dixit: Beati oculi qui vident, quæ vos videtis. Dico enim vobis, matt.13.b
quòd multi prophetæ & reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt: & audire, quæ auditis, &
E non audierunt. Et ecce quidam legis peritus surrexit, tentans illum & dicens: Magister, quid faciendo vitam matt.22.d
æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respõdens, dixit, Di- marc.12.c
liges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente
tua: & proximum tuum sicut teipsum. Dixitque illi, Rectè respondisti: hoc fac, & viues. Ille autem [i] volens
iustificare seipsum, dixit ad IESVM: Et quis est meus proximus? Respondens autem IESVS, dixit: Homo
quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis
F impositis, abierunt semimortuo relicto. Accidit autem, vt sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso
illo præteriuit. Similiter & leuita, cum esset secus locum, & accedens videret eum, pertransijt. Samaritanus
autem quidam iter faciens, venit ad eum: & videns eum, misericordia motus est. Et appropians, alligauit vul-
nera eius, infundēs oleũ & vinũ: & imponens illũ in iumentum suũ duxit in stabulum: & curam eius egit. Et
postero die egrediens, protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait: Curam illius habe: & quodcũque su-

 pererogaueris

pererogaueris ego cum rediero, reddam tibi. Quis ergo horũ trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui inci G
dit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiã in illum. Et ait illi IESVS, vade, & tu fac similiter. Factũ
est aũt dũ irent, & ipse intrauit in quoddã castellum: & mulier quædã Martha nomine, excepit illũ in domũ
suam, & huic erat soror nomine Maria: quæ etiam sedens secus pedes IESV, audiebat verbum illius. Martha
aũt satagebat circa frequens ministeriũ: quæ stetit, & ait: Dñe, non est tibi curæ q̃ soror mea reliquit me solã
ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet. Et respõdens, dixit illi IESVS: Martha, Martha, solicita es, & turbaris
circa multa: Porrò, [k] vnum est necessarium. Maria bonam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

SCHOLIA.

[a] Et alios septuaginta.] *Quorum figura sub Mose præcessit, Vt habes. Exod. 15. Cum venerunt filij Israel in Elim & ibi erant duodecim fontes aquarum & septuaginta palmæ.* [b] Ante faciem suam.] *Vt pararent viam more Ioannis Baptistæ.* [c] Neminem per viam salutaueritis.] *Per salutationem intellige collocutionem non necessariam, sed quæ retardare negocium possit. Videtur autem is esse Hebraismus, quem habes 4. Regum. 4. Vbi ait Elisæus. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum.* [d] Ad vos reuertetur.] *Hoc est non peribit pax vestra, & bona vestra imprecatio.* [e] Nolite transire de domo in domum.] *Videtur hoc admonere ad euitandam curiositatem & pompam, & conuiuiorum occasiones.* [f] Pœnitentiam egissent.] *Quare ergo non ibi factæ sint virtutes, tu ne quæseris: satis tibi sit, nosse, iustum esse dominũ, & iudicia eius multam abyssum.* [g] Videbam Satanam.] *Non noua (inquit) res hæc est, tametsi vobis recens esse videatur, iam olim me spectante decidit eorum princeps. Sed ne in his gloriemini, ne his elati & vos corruatis.* [h] A sapientibus & prudentibus.] *De quibus dicitur. Væh vobis qui estis in oculis vestris sapientes, & apud vosmetipsos prudentes.* [i] Volens iustificare seipsum.] *Et hic videtur positum esse δικαιοῦν hoc est, iustificare, pro δοξάζειν hoc est honestum reddere, atque honore afficere. Quasi diceret, volens sese iustum ostentare, fortasse & doctum. Sed quo pacto? per hanc interrogationem, qua petijt sibi declarari, quis esset eius proximus, colligitur fuisse interdum inter Iudæorum peritos cõtrouersium, quis proximi nomine, esset intelligendus: quocirca volebat hac interrogatione eruditionis sibi nomen acquirere, aut etiam prohibitis, vt qui assidue versaretur in lege Dei. Docet autem Dominus, non concludi proximum Iudaicis terminis: sed vnumquemque hominum sub hac appellatione comprehendendum.* [k] Vnum est necessarium.] *Non quæro istam anxiam ministram curam: sed cogita, quo referri velim omnia, videlicet ad vnum, atque præcipuum, nempe studium in Deum, & cœlestis regni contemplationem: vnum ergo est necessarium, nempe quod Maria elegit.*

CAPVT XI.

matt.6.b

ET factum est: cum esset in quodã loco orans, vt cessauit, dixit vnus ex discipulis eius ad eum: Dñe, doce A
nos orare, sicut docuit Ioannes discipulos suos. Et ait illis, Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuũ. Adueniat regnũ tuũ. [a] Panem nostrũ quotidianũ da nobis quotidie. Et dimitte nobis peccata nostra, siquidem & nos dimittimus omni debenti nobis. Et ne nos inducas in tentationẽ. Et ait ad illos: Quis vestrũ habebit amicũ: & ibit ad illũ media nocte, & dicet illi: A mice, cõmoda mihi tres panes, quoniam amicus meus vênit de via ad me, & nõ habeo quod ponã ante illum: Et ille deintus respõdẽs dicat: Noli mihi molestus esse, iã ostiũ clausum est, & pueri mei mecũ sunt ĩ cubili: nõ possum surgere & dare tibi: Dico vobis & si nõ dabit illi surgens eo, q̃ amicus eius sit, propter improbitatẽ tamen eius surget, & dabit illi quotquot B
matt.7.a &.21.c marc.11.c Ioan.14.b & 16.e Iacob.1.a matt.7.b matt.9.d &.12.b marc.3.c habet necessarios. Et ego dico vobis: [b] Petite, & dabitur vobis: quærite & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. Omnis enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti, aperietur. Quis aũt ex vobis patrem petit filius panem, nunquid lapidẽ dabit illi? Aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouũ: nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo vos cũ sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quãto magis pater vester cœlestis [c] dabit spiritum sanctum petentibus se? Et erat eijciens dæmoniũ: & illud erat mutũ. Et cũ eiecisset dæmoniũ, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerũt: In Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cœlo quærebãt ab eo. Ipse autem, C
vt vidit cogitationes eorũ, dixit eis: [d] Omne regnũ in se diuisum, desolatur: & domus supra domũ cadit. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est: quomodo stabit regnũ eius, quia dicitis in Beelzebub me eijcere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eijcio dæmonia: filij vestri in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eijcio dæmonia: profectò peruenit ad vos regnũ Dei. Cũ fortis armatus custodit atriũ suũ, in pace sunt ea, quæ possidet. Si aũt fortior illo superueniẽs vicerit eũ: vniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. [e] Qui nõn est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum dispergit. Cũ immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiẽm: & non inue D
matt.12.c Ionæ.2.a niens, dicit: Reuertar in domũ meã vnde exiui. Et cum venerit, inuẽnit eam scopis mundatam & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secũ nequiores se: & ingressi habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius, peiora prioribus. Factũ est autem: cum hæc diceret, extollens vocẽ quædam mulier de turba, dixit illi. Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti. At ille dixit: [f] Quinimmò, beati qui audiunt verbum Dei, & custodiũt illud. Turbis autem cõcurrẽtibus, cœpit dicere: Generatio hæc, generatio nequam est. Signũ quærit, & signũ non dabitur ei, nisi signũ Ionæ prophetæ. Nã sicut fuit Ionas signũ Niniuitis: ita erit E
3.Reg.10.a 2.Par.9.a Ionæ.3.b matt.5.b marc.4.c Matt.6.c & filius hominis generationi isti. Regina austri surget in iudicio cum viris generationis huius, & cõdẽnabit illos: quia vênit a finibus terræ audire sapiẽtiã Salomonis: & ecce plus q̃ Salomon hic. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt illam: quia pœnitẽtiã egerũt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic. [g] Nemo lucernam accendit, & in abscõdito ponit: neq; sub modio: sed supra candelabrũ, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis, est oculus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuũ, lucidũ erit: si autẽ nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fuerit: non habens aliquam partem tenebrarum: erit lucidum totum, vt cum lucerna fulgore illuminat te. Et cum loqueretur, rogauit illum quidam pharisæus

F seus, vt pranderet apud se. IESVS autem ingressus, recubuit. Pharisæus autem videns admiratus est, quare
non baptizatus esset ante prandium. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos pharisæi quod foris est calicis & matt.23.c
catini mũdatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate: Stulti, [h] nónne qui fecit quod
foris est, etiam id quod intus est, fecit? [i] Veruntamen de ijs quæ suppetunt date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis: Sed væh vobis pharisæis, quia decimatis mentam & rutam & omne olus: & præteritis
iudicium & charitatem Dei: hæc autem oportuit facere, & illa non omittere. Væh vobis pharisæis: quia dili- Infra.20.g
gitis primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro. Væh vobis scribæ & pharisei hypocritæ, quia estis matt.23.a
vt monumenta quæ non apparent, & homines ambulantes supra, nesciunt. Respondẽs autem quidam ex le- marc.21.d
gis peritis, ait illi, Magister, hæc dicens, etiam contumeliam nobis facis. At ille ait: Et vobis legisperitis væh: matt.23.a
quia oneratis homines oneribus quæ portare non possunt, & ipsi vno digito vestro non tangitis sarcinas.
G Væh vobis qui ædificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos: profectò testificamini quòd consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Propterea & sapientia Dei dixit: Mittã ad illos prophetas & apostolos, & ex illis occident & persequentur: vt requiratur sanguis omnium prophetarum, qui effusus est à constitutione mun- Gene.4.b
di, à generatione ista, à sanguine Abel, vsque ad sanguinem Zachariæ qui perijt inter altare & ædem. Ita 1.Par.24.f
dico vobis, [k] requiretur ab hac generatione. Væh vobis legis peritis, qui tulistis clauem scientiæ: ipsi non introistis, & eos qui introibant, prohibuistis. Cũ hæc ad illos diceret, cœperunt pharisei & legis periti grauiter insistere, & os eius opprimere de multis, insidiantes ei, & quærentes aliquid capere ex ore eius, vt accusarent eum.

SCHOLIA.

[a] Panem nostrum quotidianum.] *Scribit diuus Hieronymus, reperisse se in Euangelio quod appellatur Hebræorum, pro quotidiano vel supersubstantiali, crastinum. nã & apud Græcos ἐπιοῦσα crastina dies dicitur, et hoc loco est ἐπιούσιος, interrogatus magnus Basilius qui sit panis ἐπιούσιος, quem dari nobis quotidie, rogare docti sumus: respondet. Cum is, qui operatur, memor Domini dicentis, nolite soliciti esse animæ vestræ, quid edatis aut quid bibatis, & apostoli admonẽtis, Vt operemur, Vt habeamus, quod egenti impertiamur, non propriæ necessitatis, sed mandati Domini gratia operatur, quandoquidem dignus est operarius cibo suo, tunc quotidianum panem, hoc est, qui ad cuiusque diei vitam substantiæ nostræ aptus est, non sibi ipsi permittit, sed à Deo postulat, & necessitatem indigentiæ ostendens, sic comedit, quod datur.* [b] Petite.] *Sed digna vobis, & eo, quem petitis. Pete (ait idem Basilius) non diuitias, non terrenam hanc gloriam, non corporis sanitatem, ipse enim te formauit, & illi tua salus est curæ, & nouit quid cuique sit vtile, sanus ne sit, an ægrotus: sed pete, vt tibi est imperatum, regnum cœlorum duntaxat, & corporis tui indigentia, quemadmodum prædixi, erit illi curæ, nam magnificentissimus rex noster est, & indignatur, si quis illum exigua petat.* [c] Dabit spiritum sanctum.] *Cernis quid petendum doceat?*
[d] Omne regnum in se diuisum.] *Non est, inquit, Verisimile, vt dæmonia mutuo aduersum sese decertent, nam hoc pacto regnum ipsi suum perderent, quando regnorum, et domorum interitus dissensio est.* [e] Qui non est mecum.] *Qui fieri inquit, potest, Vt auxilio vtar diaboli, qui mecum dissidet?* [f] Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.] *Generose de more. Est quidem, inquit, aliquid, fœminam tantum filium peperisse, sed nihil omnino est, præ eo, Vt quis audiat & seruet præcepta Dei.* [g] Nemo lucernam accendit.] *Mens, inquit, vobis & scientiæ lumen datum est, non vt illud sub vitio dormatis, sed sit velut oculus, qui in capite tãquam arce est collocatus, qui dum purus est, totum illustrat corpus, sin obscuretur, omnia tenebræ erunt.* [h] Nonne qui fecit quod foris est.] *Vos, inquit, hæc tantum externa curatis, perinde quasi Deus interiora non fecerit.* [i] Veruntamen de ijs quæ suppetunt.] ταένόντα, *quo vocabulo aliquoties vtitur Thucidides. Significat ergo, de ijs, quæ habetis, quæ apud vos sunt, non quæ sunt superflua, Vt quidam falso opinabãtur in illo verbo, quod superest, quod ob hanc etiam causam mutauimus. Hunc autem locum sic tractat magnus Basilius: Ipsa consequentia eorum quæ dicta sunt, dilucidat id quod dictũ est. Cũ enim prius dixisset: Vos purgatis id tantum quod foris est in poculo & catino, interiora autem vestra plena sunt rapina & dolo & malitia, ita subiecit. Veruntamen de ijs, quæ habetis, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis: Omnia hæc videlicet, quæ in rapina & auaritia peccauimus. Id vero præstitit: & Zacchæus, dicens: ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quem defraudaui, reddo quadruplum. Itaque quæcunque talia sunt peccata, quæ dissolui possunt, & pro quibus multiplex reddi portio potest, hoc modo purgantur, & hoc inquã modo, non qui per se sufficiat ad purificationem, sed primo egeat misericordia Dei, & Christi sanguine, in quo & aliorum omnium habemus redemptionem, facientes in vnoquoque dignos fructus pœnitẽtiæ.* [k] Requiretur ab hac generatione.] *Quæ scilicet cæteris est deterior.*

CAPVT XII.

A MVltis autem turbis concurrentibus, ita vt se inuicem conculcarent, cœpit dicere ad discipulos suos, primum: Cauete vobis à fermẽto pharisæorum quod est hypocrisis. Nihil enim opertum est, quod matt.16.a
non reuelerur: neque absconditum, quod non sciatur. Quoniam [a] quæ in tenebris dixistis, in lumine dicentur: & quod in aurem locuti estis in cubiculis, predicabitur in tectis. Dico autem vobis amicis meis: marc.8.b
Ne terreamini ab ijs qui occidunt corpus, & post hęc non habent amplius quid faciant. Ostẽdam autem vo- marc.10.c
bis quem timeatis: Timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vo- marc.4.c
bis, hunc timete. [b] Nónne quinque passerculi væneunt minimis asibus duobus: & vnus ex illis non est in matt.10.d
obliuione coràm Deo? Sed & capilli capitis vestri omnes numerati sunt. Nolite ergo timere: multis passer- marc.8.d
B culis pluris estis vos. Dico autem vobis, omnis quicunq; confessus fuerit me coràm hominibus, & filius hominis confitebitur illum coràm angelis Dei: qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coràm
angelis Dei. Et omnis qui dicit verbum in filium hominis, remittetur illi: ei autem qui in spiritum sanctum matt.12.c
blasphemauerit, non remittetur. Cũ autem inducent vos in synagogas, & ad magistratus & potestates, noli- marc.3.d
te soliciti esse qualiter aut quid respondeatis, aut quid dicatis: Spiritus enim sanctus docebit vos in ipsa hora matt.10.d
marc.13.b

quid oporteat vos dicere. Ait autem ei quidam de turba: Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei: Homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem supra vos? Dixitque ad illos: Videte & cauete ab auaritia, quia [c] non in abundantia cuiusquam vita eius est ex ijs, quæ possidet. Dixit autem C similitudinem ad illos, dicens: Hominis cuiusdam diuitis vberes fructus ager attulit: & cogitabat intra se, dicens: Quid faciam: quia non habeo quo congregem fructus meos? Et dixit: Hoc faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam: & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi & bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, lætare. Dixit autem illi Deus: Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Sic qui sibi thesaurizat, & non est in Deum dives. Dixitque ad discipulos suos, Ideo dico vobis, nolite solliciti esse animæ vestræ quid manducetis: neque corpori, quid induamini. Anima plus est quam esca: & corpus plus quàm vestimentum. Considerate coruos, quia non seminant, neque metunt, quibus non est cellarium, neque horreum: & Deus pascit illos. Quanto magis vos antecellitis volucribus? Quis autem vestrum solicite cogitando potest adijcere ad D staturam suam cubitum vnum? Si ergo, neque quod minimum est potestis: quid de cæteris soliciti estis? Cõsiderate lilia quomodo crescunt: non laborant, neque nent. Dico autem vobis: neque Salomon in omni gloria sua vestiebatur sicut vnum ex istis. Si autem fœnum quod hodie est in agro, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, quanto magis vos, pusillæ fidei? Et vos nolite quærere quid manducetis, aut quid bibatis: & nolite in sublime tolli: hæc autem omnia gentes mundi quærunt. Pater autem vester scit, quòd his indigetis. Verumtamen quærite regnum Dei: & hæc omnia adijcientur vobis. [d] Nolite timere pusille grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt, thesaurum non deficientem in cœlis, quo fur non appropiat: neque tinea corrumpit. Vbi enim thesaurus vester est, ibi & cor vestrum erit. Sint lumbi vestri præcincti, & lucer E næ ardentes, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum, quando reuertatur à nuptijs: vt cum venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes, amen dico vobis quòd præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quòd si sciuisset pater familias qua hora fur venturus esset, vigilasset vtique, & non siuisset perfodi domum suam. Et vos igitur estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Ait autem ei Petrus: Domine, [e] ad nos dicis hanc parabolam: an & ad omnes? Dixit autem Dominus: Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituet Dominus supra familiam suam, vt det illis in tempore, demensum cibum? Beatus ille seruus, quem, cum venerit Dominus, inuenerit ita facientem: vere dico vobis, quòd supra F omnia, quæ possidet, constituet illum. Quòd si dixerit seruus ille in corde suo: Moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere seruos & ancillas, & edere & bibere & inebriari: veniet Dominus serui illius in die qua non sperat, & hora qua nescit: & dissecabit eum, partemque eius cum infidelibus ponet. Ille autem seruus, qui cognouit voluntatem Domini sui, & non se præparauit, & non fecit secundum voluntatem eius, [f] vapulabit multis: qui autem non cognouit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. Cuicunq; vero multum datum est, multum quæretur ab eo: & cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Ignè veni mittere in terram: & quid volo si iam accensus est? Baptismo autem habeo baptizari: & quomodo co- G arctor, vsquedum perficiatur? Putatis quòd pacem venerim mittere in terram? Non, dico vobis: sed separationem: erunt enim ex hoc, quinque in domo vna diuisi, [g] tres in duos, & duo in tres: dividetur pater in filium, & filius in patrem suum: mater in filiam, & filia in matrem, socrus in nurum suam, & nurus in socrum suam. Dicebat autem ad turbas: Cum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis: imber venit: & ita fit, & cum austrum flantem, dicitis, quòd æstus erit: & fit. Hypocritæ, faciem cœli, & terræ nostis probare: hoc autem tempus quomodo non probatis? Quid autem [h] & à vobisipsis non iudicatis, quod iustum est? Cum enim vadis cum aduersario tuo ad principem, in via da operam liberari ab illo: ne forte trahat te ad iudicem, & iudex tradat te exactori, & exactor mittat te in carcerem. Dico tibi, non exibis inde, donec etiam nouissimum minutum reddas.

Ecclus.11.c
matt.6.c
2.Petr.6.b
Psal.54.d
matt.6.c
matt.24.d
Apoc.16.c
matt.10.d
matt.16.a
marc.8.b

SCHOLIA.

[a] Quæ in tenebris dixistis.] *Hypocritæ (inquit) putant fore, vt lateat eorum hypocrisis, quod nequaquã verum est, nam omnia quæ pro tempore interdum latent, tandem in apertum prodeunt.* [b] Nonne quinque passerculi.] *Si tam exigua, inquit, & vilia animalia curæ sunt Deo, quanto magis vos, quos tanti facit?* [c] Non in abundantia.] *Diuitiæ neque meliorem neque longiorem faciunt vitam: ad quod demonstrandum, inducit sequentem parabolam.* [d] Nolite timere pusillus grex.] *Quid de ijs (inquit) temporarijs rebus estis solliciti, cum vobis regnum pater promiserit, pro quo ista omnia sunt contemnenda?* [e] Ad nos dicis hanc parabolam?] *Non respondit autem aperte Dominus Petro, sed per ea, quæ post addidit, fecit eum intelligere, quorsum ista.* [f] Vapulabit multis.] *Sciendum autem est, vt ait magnus Basilius, illud Vapulabit multis, aut paucis, non finem sed differentiam pœnæ significare: nam si Deus iudex bonus est, non bonis solum verum etiam malis reddens cuique secundum opera eius: esse potest alius quidem in extincto igne dignus, eoq;, aut molliore, aut feruentiore: alius immortali verme, & eo aut mitius aut vehementius mordente, iuxta cuiusque meritum: & alius Gehenna, quæ omnino differentes habeat pœnas, alius iterum exterioribus tenebris, vbi hic quidem in fletu solum, ille vero in stridore dentium, pro decreta illis afflictione, degat. At vero exteriores tenebræ omnino significant esse etiam interiores quasdam: & illud in prouerbijs, quod dictum est, in fundum inferni, declarat esse quosdam in inferno quidem, non tamen in imo inferni, qui scilicet leuiorem perferant pœnam: hoc autem & nunc in corporeis membris licet obseruare &c.* [g] Tres in duos, & duo in tres.] *Filius & filia & nurus aduersus patrem & matrem, quæ eadem & socrus est.* [h] Et à vobis ipsis non iudicatis.] *Quæ scilicet sit pax bona, & quæ non bona: & quo pacto quæratur docet.*

Caput

CAPVT XIII.

A Derant autem quidam ipso in tempore, nuntiantes illi de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus miscuerat cum sacrificijs eorum. Et respondens IESVS dixit illis: [a] Putatis, quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis. Aut illi decem & octo supra quos cecidit turris in Siloe, & occidit eos: putatis quòd & ipsi debitores fuerint præter omnes homines habitantes in Ierusalem? Non, dico vobis: sed si pœni- B tentiam non egeritis, omnes similiter peribitis. Dicebat autem & hanc similitudinem: Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea sua: & vênit quærens fructum in illa: & non inuênit. Dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres sunt ex quo venio quærens fructum in ficu hac, & non inuenio. Succide ergo illã: vt quid etiam terram occupat? At ille respondens dicit illi: Domine, dimitte illam & hoc anno, vsquedum fodiam circa illam, & mittam stercora: & si quidem fecerit fructum: sin autem, in futurum succides eam. Erat C autem docens in vna synagogarum sabbatis. Et ecce mulier, quæ habebat spiritum infirmitatis annis decem & octo: & erat inclinata, nec omnino poterat sursum aspicere. Quam cum videret IESVS, vocauit eam ad se, & ait illi: Mulier, dimissa es ab infirmitate tua. Et imposuit illi manus: & confestim erecta est, & glorificabat Deum. Respondens autem archisynagogus, indignans q̃ sabbato curasset IESVS, dicebat turbæ: Sex dies sunt in quibus oportet operari: in his ergo venite & curamini: & non in die sabbati. Respondens ergo D ad illum Dominus, dixit: Hypocrita, vnusquisque vestrum sabbato non soluit bouem suum, aut asinum à præsepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas ecce decem & octo annis, non oportuit solui à vinculo isto die sabbati? Et cum hæc diceret, erubescebant omnes aduersarij eius: & omnis populus gaudebat in vniuersis, quæ gloriose fiebant ab eo. Dicebat autem: Cui simile est regnum Dei: & Matt.13.e cui simile faciam illud? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in ortum suum & creuit, & fa- Marc.4.c E ctum est in arborem magnam: & volucres cœli nidificauerunt in ramis eius. Et iterum dixit: Cui simile fa- Matt.13.e ciam regnum Dei? Simile est fermento quod acceptum mulier abscondit in farinæ sata tria, donec fermentaretur totum. Et ibat per ciuitates & castella docens, & iter faciens in Ierusalem. Ait autem illi quidã: Domine, si pauci sunt, qui saluantur? Ipse autem dixit ad illos: Contendite intrare [b] per angustam portam: quia Matt.7.b multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt. Cum autem surrexerit pater familias & clauserit ostiũ, F & incipietis foris stare, & pulsare ostium dicentes: Domine Domine aperi nobis: & respondens dicet vobis: Matt.7.d Nescio vos vnde sitis: Tũc incipietis dicere: Manducauimus coram te & bibimus, & in plateis nostris docuisti. Et dicet: Dico vobis, nescio vos vnde sitis, discedite à me omnes operarij iniquitatis. Ibi erit fletus & stri- Psal.6.c dor dentium cum videritis Abraham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno Dei, vos autem expelli Matt.7.b foras. Et venient ab oriente & occidente & aquilone & austro, & accumbent in regno Dei. Et ecce, sunt no- &.25.d G uissimi, qui erunt primi, & sunt primi, qui erunt nouissimi. In ipsa die accesserunt quidam pharisæorum, di- Matt.19.d centes illi: Exi & vade hinc, quia Herodes vult te occidere. Et ait illis. Ite, [c] dicite vulpi huic: Ecce eijcio dæ- &.20.b monia & sanitates perficio hodie, & cras, & tertia die consummor: Veruntamen oportet me hodie & cras & Marc.10.d sequenti die ambulare: quia non possibile est prophetam perire extra Ierusalem. Ierusalem Ierusalem, quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluistis. Ecce relinquitur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, q̃ non videbitis me donec veniat cum dicetis: Benedictus, qui venit in nomine Domini.

SCHOLIA.

[a] Putatis quòd hi Galilæi.] *Hic locus maxime eos damnat, qui tam facile iudicant ex his externis afflictionibus de proximo quoque, cum sæpissime in hac vita fiat, vt qui meliores sunt, grauioribus atterantur molestijs. Cum ergo monuisset eos ne ita iudicarent, & minatus esset illis omnibus eundem interitum, nisi pœnitentiã agerent, addidit parabolam, quæ rem ante oculos poneret, & quod futurum erat, admoneret.* [b] Per angustam portam.] *Angusta dicitur, quia ex vtraque parte cohibet ingredientem, ne de via deflectat, cum digressio omnis periculosa sit, siue ad dexteram siue ad sinistram, sicut in ponte, à quo qui deflectat, excipitur à fluuio atque demergitur.* [c] Dicite vulpi huic.] *Non dixit, Vulpi illi, quasi Herodi, sed Vulpi huic, hoc est ipsis loquentibus, qui videbantur dolose id admonere. Quod autem ait, hodie & cras & sequenti die, significat habere se in sua potestate vitam, quãdiu vellet.*

CAPVT XIIII.

A Et factum est: cum introisset IESVS in domum cuiusdam principis pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens IESVS, dixit ad legis peritos & pharisæos, dicens: Si licet sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse vero apprehensum sanauit eum: ac dimisit. Et respondens ad illos: dixit, Cuius vestrum asinus, aut bos in puteũ B cadet: & non continuo extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, non discumbas in primo loco: ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo: & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Prou.25.a C Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in nouissimo loco: vt cum venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice, ascende superius. [a] Tunc erit tibi gloria corãm simul discumbentibus. Quia omnis, qui se exaltat, humilia- Infra.18.c bitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Dicebat autem & ei, qui se inuitauerat, Cum facis prandium, aut cœnã, Matt.23.b noli vocare amicos tuos, neq; fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos diuites: ne forte & ipsi te reinuitẽt, Tob.4.b D & fiat tibi retributio: sed cum facis conuiuium, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris, quia Prou.3.b non possunt retribuere tibi: retribuetur enim tibi in resurrectione iustorum. Hęc cum audisset quidam de simul discumbentibus, dixit illi: Beatus, qui manducat panem in regno Dei. At ipse dixit ei: [b] Homo quidam

Matt.22.a Apoc.19.b dam fecit cœnam magnam:& vocauit multos. Et misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis vt venirent,quia iam parata sunt omnia.Et cœperunt simul omnes excusare. Primus dixit ei:Villam emi:& necesse habeo exire & videre illam:rogo te,habe me excusatum.Et alter dixit:Iuga boum emi quinque:& eo probare illa:rogo te,habe me excusatum.Et alius dixit:vxorem duxi, & ideo non possum venire. Et reuersus seruus,nunciauit hæc domino suo.Tunc iratus paterfamilias,dixit seruo suo:Exi cito in plateas & vicos ciuitatis:& pauperes ac debiles & cæcos & claudos introduc huc.Et ait seruus:Domine,factum est vt imperasti:& adhuc locus est.Et ait dominus seruo:Exi in vias & sepes,& compelle intrare,vt impleatur domus mea:Dico C enim vobis quòd nemo virorum illorum qui vocati sunt,gustabit cœnam meam. Ibant autem turbæ multæ cũ eo:& conuersus dixit ad illos: c Siquis venit ad me,& non odit patrem suum & matrem, & vxorem & matt.10.d filios,& fratres & sorores,adhuc autem & animam suam:non potest meus esse discipulus: & qui non baiulat crucem suam & venit post me:non potest meus esse discipulus.Quis enim ex vobis volens turrim ædificare, matt.10.d &.16.d non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt si habet ad perficiendũ,ne postea quàm posuerit fun- marc.8.d damentum,& non potuerit perficere, omnes qui viderint incipiant illudere ei, dicentes: Hic homo cœpit D ædificare & non potuit consummare? Aut quis rex iturus cõmittere bellum aduersus alium regem, non sedens prius cogitat si possit cum decem millibus occurrere ei,qui cum viginti millibus venit contra se? alioquin adhuc illo longe agente,legationem mittens,rogat ea quæ pacis sunt.Sic ergo omnis ex vobis qui non matt.5.b renunciat omnibus quæ possidet,non potest meus esse discipulus. Bonum est sal: Si autem sal euanuerit: in marc.9.g quo condietur? d Neque in terram, neque in sterquilinium vtile est,sed foras mittetur. Qui habet aures audiendi, audiat.

SCHOLIA.

a Tunc erit tibi gloria.] *Non hoc dicit,vt doceat quo pacto sibi gloriam comparent,cum sermonem hunc instituerit aduersus eos, qui primos recubitus eligebant,sed vt moneat,eos,qui euangelicam doctrinam sequuntur, quæ humilitatem docet,& honorum fugam,multo futuros honoratiores ijs,qui ista ambiunt. Quod enim Dominus alibi ait:ego veni, vt vitam habeant,& abundantius habeant,non de futura tantum est intelligendum,sed de præsenti etiam,in qua longe felicius cæteris degunt,qui Christi præcepta legesq; sectantur.* b Homo quidam fecit cœnam magnam.] *Cum dixisset quidam è discumbentibus,beatus qui comedit panem in regno Dei, vult hac parabola Dominus ostendere,paratum quidem esse hoc regnum Iudæis,& se ob hanc causam venisse,vt in ipso regno secum illi vescerentur,sed eos contempturos, & suo vitio excludendos esse,dum alij alijs rebus occupati nihil minus quam regnum curant. Et vide,vt qui dixit: vxorem duxi, quo nomine accipiuntur,qui voluptati carnis operam dant, non addit illa aliorum verba,videlicet, rogo te habe me excusatum,sed ideo,inquit,non possum venire:vt intelligamus,nihil ita obruere animum,vt lasciuiam carnis. Atque hi quidem qui recusauerunt, fuere primates Iudæorum,quorum loco iubentur introduci contempti quique, iuxta illud Pauli: Videte vocationem vestram fratres,quia non multi sapientes,non multi nobiles &c. Atque hi ex ciuitate adhuc erant, hoc est Iudæi:sed vt impleretur conuiuium,egredi iubetur seruus & gentes etiam introducere: quod autem ait compelle intrare, indicat,futuram ingentem vim prædicationis euangelicæ,ac plane diuinam,quæ effecerit,vt ethnici qui beluino potius qui humano ritu degebant,tam exiguo negocio ad tantam philosophiam euaherentur.Quod verò ait,in vias & sepes,videtur is Hebraismus esse quem habes Ieremiæ xlix.Vbi ait, Circumite per sepes, quod scilicet villæ sepibus & non muris, vt vrbes,cingantur.* c Si quis venit ad me.] *Vide quanti sit,discipulum esse Christi, & Christianam philosophiam profiteri, hoc est,esse Christianum:quo nomine nemo dignus esse hic ostenditur,qui huic philosophiæ quicquam, quàuis magnum,quauis charum anteposuerit,quòd vero in illa similitudine committendi belli,dicit:legationem mittens rogat ea quæ pacis sunt: sic intellige: si,qui imparem se viribus nouit,non audet belligerare,neque aggreditur certamen, nisi bello instructus,multo magis vos cogitare decet,quo pacto philosophiam hanc tantam assequi possitis, quam vobis prædico ita excelsam esse, & hanc pugnam eius esse generis,vt,nisi quis impedimenta omnia abiiciat,victor euadere non possit.Quòd si quis velit parabolarum singula verba rei significatæ accõmodare,in multos incidat laqueos necesse est,cum ea non sit parabolæ ratio.* d Neque in terram,neq; in sterquilinium.] *Neque sibi,inquit,neque alijs est vtilis. Hæc autem admonitio præcipuè pertinet ad eos qui discipuli Christi esse velint.*

CAPVT XV.

ERant autem appropinquantes ei omnes publicani & peccatores,vt audirent illum.Et murmurabant A pharisæi & scribæ dicentes:Hic peccatores recipit, & manducat cum illis.Et ait ad illos parabolam marc.18.g istam,dicens: a Quis ex vobis homo qui habet centum oues:& si perdiderit vnam ex illis, nónne dimittit nonagintanouem in deserto,& vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit eam,imponit in humeros suos gaudens: & veniens domum, conuocat amicos & vicinos,dicens illis: Congratulamini mihi,quia inueni ouem meam quæ perierat. Dico vobis quòd ita gaudium erit in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente,magis quàm super nonagintanouem iustis qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem: si perdiderit drachmam vnam,nonne accendit lucernam & verrit domum & quærit diligenter,donec inueniat eam? Et cum inuenerit: conuocat amicas & vicinas, dicens:Congratulamini mihi,quia inueni drachmam quam perdideram.Ita dico vobis: gaudium erit coràm B angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.Ait autem:Homo quidam habuit duos filios: & dixit adolescentior ex illis,patri: Pater, da mihi portionem substantiæ quæ me contingit,& diuisit illis substantiam.Et post non multos dies,congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam,& ibi b dissipauit substantiam suam viuendo luxuriosè.Et postquam omnia consumpsisset,facta est fames valida in regione illa,& ipse cœpit egere:& abijt,& adhæsit vni ciuium regionis illius. Et misit illum in villam suam vt pasceret porcos.Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis quas porci manducabant:& nemo illi dabat.In se autem reuersus,dixit:Quot c mercenarij patris mei abundant panibus?ego autem

tem hic fame pereo. Surgam,& ibo ad patrem meum,& dicam ei: Pater, d peccaui in cœlum & coram te: E iam non sum dignus vocari filius tuus:fac me sicut vnum de mercenarijs tuis. Et surgens venit ad patrem suum.Cum autem adhuc longe esset,vidit illum pater ipsius, & misericordia motus est, e & accurrens cecidit super collum eius,& osculatus est eum.Dixitque ei filius,Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam non sum dignus vocari filius tuus.Dixit autem pater ad seruos suos,proferte stolam primam,& induite illum,& date anulum in manum eius:& calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum illum saginatum & occidite, F & manducemus & lætemur:quia hic filius meus mortuus erat,& reuixit:perierat, & inuentus est: Et cœperunt lætari.Erat autem filius eius senior in agro:& cum veniret & appropinquaret domui, audiuit symphoniam & chorum,& vocauit vnum de seruis,& interrogauit quid hæc essent. Isque dixit illi. Frater tuus venit:& occidit pater tuus vitulum illum saginatum,quia saluum illum recepit. Indignatus est autem & nolebat introire.Pater ergo illius egressus cœpit rogare illum. At ille respondens,dixit patri suo: Ecce tot annis G seruio tibi,& nunquam mandatum tuum præteriui: & nunquam dedisti mihi hœdum vt cum amicis meis lætarer:sed postquam filius tuus hic,qui deuorauit substantiam tuam cum meretricibus,venit, occidisti illi vitulum illum saginatum.At ipse dixit illi:Fili:Tu semper mecum es,& omnia mea tua sunt:lætari autem et gaudere oportebat,quia frater tuus hic,mortuus erat & reuixit: perierat,& inuentus est.

SCHOLIA.

a Quis ex vobis homo.] *Hæc & sequenti similitudine docet,non esse,quod miremur, si peccatores admittit, cum in quotidiana consuetudine accidat,vt id,quod amiserimus, maiorem nobis curam præbeat, quàm quod tenemus: in illa vero, hominis duos filios habentis,addit tantam futuram Dei in peccatores, hoc est, gentes misericordiam, vt Iudæi non solum murmuraturi,verum in indignationem etiam sint sua inuidia prouocandi.* b Dissipauit substantiam suam.] *Qui enim sibi ipse fidit,paulo post interit:quòd vero post dissipatam substantiam,ait,fame orta,illum adhæsisse vni è ciuibus regionis illius,significat,& flagitiosiorem vitam factam,& eos,qui in flagitia incumbũt,quo maiores in ea progressus faciunt,eo minus implere animum,vt interdum ad ea,quæ quiuis abominetur,sese demittant, quod est optare saturari siliquis porcorum.*

c Mercenarij.] *Mercenarij patris nostri sunt,qui non omnino quidem digni sunt hæreditate,vt qui nunquam ad illum filiorum affectum perunerint,sed tamen miseretur eorum Deus.Alius fortasse malit intelligere eos,qui sola spe bonorum huius vitæ à vitijs abstinent,qui longe meliore conditione sunt, quàm qui se præcipites dant in scelera.* d Peccaui in cœlum.] *Quod scilicet neglexi.* e Et accurrens cecidit super collum eius.] *Solo filij aspectu commotus est, neque satis fuit commoueri,nisi accurreret,irrueretq; in osculà,oblitus perditæ substantiæ & cum meretricibus consumptarum facultatum,neque seruare potuit seueriorem vultum ad horam,idque antequam à filio quicquam audiret,tantum opinatus, filium iam pœnituisse:Vt vero pœnitentiam filij audiuit,proferri iubet stolam,eamq; primam, totumq; vestiri vt filium, & occidi vitulum saginatum & selectum, & lætitiam ingentẽ declarari cum symphonia & choris. Censes eiusmodi patrem in toto orbe omnium terrarum reperiri? Tu verò illud etiam cogita: Vbi quis ad Deum reuertitur,& sensum eius benignitatis ali quem percipit,hunc ad maiora expectanda erigi quàm antea cogitasset,nam hic post patris osculum nullam iam de mercenarij mentionem facit.Sed quid frater ille senior? nam gloriabantur Iudæi,ob vetustatem cultus,& præ hac dignitate, iudicabant cæteros ne dignos quidem esse,qui à Deo reciperentur,nedum vt stola prima & saginati illius vituli conuiuio honestarentur.Huius mores pulchre in actis Apostolorum effictos inuenies in Iudæorum excandescentia aduersus eos,qui crediderant:at benignus pater & hunc demulcet,reddita etiam ratione,cur ita facto opus esset:Vt intelligatur nihil Deum præterm isisse,quod ad Iudæorum quoque,quamuis pertinacium, & inuidorum etiam,salutem pertineret. Quod verò ille senior frater queritur,occisum illum vitulum saginatum pro eo, qui ita perdite vixerat, notatur quæ futura erat indignatio, vel etiam admiratio Iudæorum,cum viderent in gentibus prædicari Christum,qui scilicet fieri posset,vt is,qui à Iudæis tantum vel certe in primis expectabatur,à gentibus cæteris,neglectis ipsis,reciperetur.Cum ipse toto cultus sui tempore,non solũ æquale,sed ne longe quidem minus Dei erga se munus acceperint. Hanc indignationem sedare sæpe conabatur Paulus, Vt cum ait:excæcatio ex parte accidit Israeli,donec plenitudo gentium aduenerit, & sic totus Israel saluus erit: & rursum: Sicut enim & vos olim increduli fuistis Deo,nunc aũt misericordiam estis consecuti per illorum incredulitatem,sic & isti nunc increduli facti sunt ex eo,quòd vos misericordiam estis adepti,vt & ipsi misericordiam consequantur.Sed quid demum pater? filius tu semper mecum es,& omnia mea tua sunt.Quod immolatus ille vitulus pro filio perdito solum videtur,non ita est, & tu huius conuiuij eris particeps,neque quicquam ob hoc tibi deperyt,tantum ne indigneris, neq; inuideas. Sic Paulus. Nunquid repulit Deus populum suum? absit:nam & ego Israelita sum ex semine Abrahæ,è tribu Beniamin.*

CAPVT XVI.

A DIcebat autem & ad discipulos suos. a Homo quidam erat diues,qui habebat dispẽsatorem:& hic diffamatus est apud illum:quasi dissipasset bona ipsius.Et vocauit illũ, & ait illi: Quid hoc audio de te? redde rationem dispensationis tuæ:iam enim non poteris dispensare.Ait autem dispensator intra se: Quid faciam,quia Dominus meus aufert à me dispensationem?fodere non valeo,mendicare erubesco: scio quid faciam:vt cum amotus fuero à dispensatione,recipiant me in domos suas.Conuocatis itaq; singulis debitoribus Domini sui,dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit: Centum batos olei.Dixitque illi:Accipe cautionem tuam,& sede cito & scribe quinquaginta. Deinde alij dixit:Tu vero quantum debes? Qui ait,Centum coros tritici.Ait illi,Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit Dominus dispensatorẽ iniquum q; prudenter fecisset:quia filij huius seculi, prudentiores filijs lucis in generatione sua sunt. Et ego vobis dico, facite vobis amicos b de mamona iniquitatis:vt cũ defeceritis,recipiant vos in æter- C na tabernacula. c Qui fidelis est in minimo & in multo fidelis est:& qui in minimo iniquus est, & in maiori iniquus est.Si ergo in iniquo mamona fideles non fuistis,quod verum est, quis credet vobis? Et si in alieno fideles non fuistis:quod vestrum est quis dabit vobis? Nemo seruus potest duobus Dominis seruire: aut matt.6.c enim vnum oderit,& alterum diliget:aut vni adhærebit,& alterum contemnet:Non potestis Deo seruire & mamonæ.

mamonę. Audiebant autem omnia hęc phariſei qui erant auari: & deridebant illum. Et ait illis: Vos eſtis qui D
iuſtificatis vos coràm hominibus: Deus autem nouit corda veſtra: quia quod hominibus altum eſt: abo-
Matt.11.b minatio eſt ante Deum: [d] Lex & prophetæ, vſq; ad Ioannem: ex eo regnum Dei euãgelizatur, & omnis in illud
vim facit. Facilius eſt autem cœlum & terram præterire, q̃ de lege vnum apicem cadere. Omnis qui dimittit
Matt.5.c vxorem ſuam, & alteram ducit, mœchatur: & qui dimiſſam à viro ducit, mœchatur. Homo quidam erat di-
Matt.5.c ues, qui̇ induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide. Et erat quidã mendicus nomine Laza- E
marc.10.b rus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis quæ cadebant de menſa diuitis.
Cor.7.b Sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius. Factum eſt autem vt moreretur mendicus & portaretur ab
angelis in ſinum abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt: Et in inferno eleuans oculos ſuos cum
eſſet in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in ſinu eius: & ipſe clamans dixit: Pater Abraham mi- F
ſerere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia
crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: Fili, recordare quòd recepiſti bona tua in vita tua, & Lazarus
ſimiliter mala: nunc autem hic cõſolationem habet, tu vero cruciaris: & in his omnibus inter nos & vos hia-
tus magnus firmatus eſt, vt hi qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint, neq; inde huc tranſmeare. Et ait: G
Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres, vt teſtetur illis ne &
ipſi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moyſen & prophetas: audiant illos.
At ille dixit: Nõ, pater Abraham: ſed ſiquis ex mortuis ierit ad eos: pœnitentiã agent. Ait autem illi: Si Moy-
ſen & prophetas non audiunt: neque ſiquis ex mortuis reſurrexerit, credent.

SCHOLIA.

[a] Homo quidam erat dives.] *Cauſam introductæ parabolæ, ſequentia poſt parabolã, Domini verba declarant. Quod vero ait, laudaſſe Dominum iniquum villicum, quod prudenter egiſſet: non laudat fraudem, & iniquum villici factum, ſed quòd nos interdum ſolemus, cum audimus patratum ab aliquo facinus, ſed ingenioſe, tunc et ſi damnamus factum, laudamus tamen ingenium, dolemusq; eum, non in melioribus rebus illud ingenium exercuiſſe: quod & hic Dominus quaſi ægre ferẽs dicit, filios huius ſæculi prudẽtiores filys lucis eſſe. Cum autem audis opponi filios ſeculi huius, filys lucis: intellige idem eſſe filios huius ſeculi, & filios tenebrarum: alioquin oppoſitio non quadraret, Tale quid apud poetam inuenies, cũ ait, Quõdam nouenis, nunc fœmina Cæneus: nam ex oppoſitione fœminæ, iuuenis marem ſignificat.* [b] De mamona iniquitatis.] *De mamona iniuſto: nam ſemper iniuſtæ diuitiæ ſunt, cum detinentur.* [c] Qui fidelis eſt in mini.mo &c.] *Totam hanc ſeriem ſic intellige: Ex minoribus factis maiorum coniectura fit. Si ergo in adminiſtrandis diuitys, quæ res quædam falſa eſt, fideles non fueritis, quis credet vobis ea quæ vera ſunt, adminiſtrationem ſcilicet donorum ſpiritus? & ſi in his diuitys, quæ res aliena quædam eſt, reperti fueritis infideles, quomodo apti eritis, quibus credãtur ea, quæ veſtra proprie ſunt, dona ſpiritus adminiſtranda?* [d] Lex & prophetæ.] *Sic continua ſenſum textus: Vos phariſæi nullam aliam celſitudinem agnoſcitis præter eam, quæ videtur hominibus, iccirco in hac vna excellere cupitis, et magni apud homines apparere, ſed hæc Deus abominatur, quæ vos magna exiſtimatis. Nam & ſi diuitias polliceri lex videatur, quas ego doceo abijciendas, intelligite hæc pro tempore ac moribus veſtris conceſſa, nunc huic literæ legis finis eſt imponendus, nam Ioãnes finis legis eſt ac prophetarum, quem ſcitis appellationem regni cœlorum introduxiſſe: illius ergo regni diuitiæ ſunt requirendæ, quas lex ſignabat: quarum niſi aliquando mentio fieret, nunquam lex perfecta eſſet, quam nũc vt perficerem, veni, et iccirco multa interpretor aliorſum, atque vos ſoletis, vt cum doceo, eum qui dimittit vxorem ſuam, & alteram ducit, adulterum eſſe, &c. Poſtremo in diuitiarum & auaritiæ deteſtationem addit parabolam diuitis, & pauperis Lazari, in qua illud in primis notandum eſt: Abraham non obieciſſe diuiti ſcelera vlla, ſed tantum, quòd receperit bona ſua in vita ſua, & iccirco eum cruciari: Lazarum vero contra, quia perpeſſus ſit mala, eſſe in ſolatio: vt intelligamus nullam eſſe rẽ homini tam pernitioſam, quam in ſummo verſari ocio ac delitys, neque rurſus quicquam vtilius, quam exerceri afflictionibus.*

CAPVT XVII.

Matt.18.a ET ait ad diſcipulos ſuos: [a] Impoſsibile eſt vt non veniant ſcandala: veh autem illi per quem veniunt: A
Marc.9.f vtilius eſt illi, ſi lapis molaris imponatur circa collum eius, & proijciatur in mare, quàm vt ſcandali-
Matt.18.b zet vnum de puſillis iſtis. Attẽdite vobis. Si autem peccauerit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœ-
Leui.19.d nitentiam egerit, dimitte illi: & ſi ſepties in die peccauerit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te dicens:
Ecclę.19.b pœnitet me, dimitte illi. Et dixerũt apoſtoli Domino: Adauge nobis fidem. Dixit autẽ Dominus: Si habue- B
Matt.18.c ritis fidem ſicut granum ſinapis, dicetis huic arbori ſycamino: Eradicare & tranſplantare in mare: & obedi-
Marc.17.c ent vobis. [b] Quis autem veſtrum habens ſeruum arantem, aut paſcentẽ, qui regreſſo de agro dicat: Statim tran-
ſi & recumbe: & non dicit: Para quod cœnem, & præcinge te & miniſtra mihi donec mãducem & bibam,
& poſt hæc tu manducabis & bibes. Nunquid gratiam habet ſeruo illi, quia fecit quæ ei imperauerat? C
Non puto. Sic & vos cum feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debui
mus facere, fecimus. Et factum eſt dum iret in Ieruſalem, tranſibat per mediam Samariam & Galilæam.
Et cum ingrederetur quoddam caſtellum, occurrerunt ei decem viri leproſi, qui ſteterunt à longe, & leua-
uerunt vocem, dicentes: IESV præceptor, miſerere noſtri: Quos vt vidit, dixit: Ite, oſtendite vos ſacer- D
dotibus. Et factum eſt, dum irent, mũdati ſunt. Vnus autem ex illis, vt vidit quòd mundatus eſt: regreſſus eſt
cum magna voce glorificans Deum: & cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens: & hic erat Samarita-
nus. Reſpondens autem IESVS, dixit: Nõne decem mundati ſunt? & nouem vbi ſunt? Non eſt inuen-
tus qui rediret, & daret gloriam Deo, niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade: quia fides tua te ſaluum E
fecit. Interrogatus autem à phariſæis, [c] quando venit regnum Dei? reſpondens eis, dixit: Non veniet
regnum Dei cum obſeruatione: neq; dicent: Ecce hic, aut ecce illic: ecce enim regnum Dei intra vos eſt. Et ait
Matt.24.b ad diſcipulos ſuos: venient dies quando deſiderabitis videre vnum diem filij hominis, & non videbitis. Et di-
Marc.13.c cent vobis: Ecce hic, & ecce illic. Nolite ire, neq; ſectemini: nam ſicut fulgur coruſcãs è regione, quę ſub cœlo eſt,

F lo eſt, in alteram quæ ſub cœlo eſt, fulget: ita erit filius hominis in die ſua. Primum autẽ oportet illum multa
pati, & reprobari à generatione hac. Et ſicut factum eſt in diebus Noe: ita erit & in diebus filij hominis. Ede- Matt.24.d
bant & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias vſque in diem qua intrauit Noe in arcam: & vẽ- Gene.7.b
nit diluuium & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth: Edebant & bibebant, emebant & Gene.19.e
vendebant, plantabant & ædificabant: qua die autem exijt Loth à Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo,
& omnes perdidit: ſecundum hæc erit qua die filius hominis reuelatur. In illa die, qui fuerit in tecto, & vaſa
G eius in domo, ne deſcendat tollere illa: & qui in agro, ſimiliter nõ redeat retro. Memores eſtote vxoris Loth. Gene.19.e
Quicunq; quæſierit animam ſuam ſaluam facere, perdet illam: & quicũq; perdiderit illam, viuificabit eam. Supra.9.c
Dico vobis, in illa nocte erunt duo in lecto vno: vnus aſſumetur, & alter relinquetur: duæ erunt molentes in Matt.10.d
vnum: vna aſſumetur & altera relinquetur. Et reſpondẽtes dicũt illi: [d] Vbi Domine? Qui dixit illis: Vbicũq; Marc.8.d
fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Ioan.12.d
Matt.24.d

SCHOLIA.

[a] Impoſsibile eſt, vt non veniant ſcandala.] *Monet, vt non ſolum non moueantur ſcandalis phariſæorum, verum etiam vt caueant ne ſuis exemplis ſint alys offendiculo, dum intentat pœnam ijs, qui offendiculum patiuntur. Deinde addit, vt nullo vnquam cuiuſquam vitio, ita offendantur, quin ſint parati ignoſcere, atque etiam increpare ac prouocare ad pœnitentiam.* [b] Quis autem veſtrum habens ſeruum arantem.] *Apte adiecta eſt hæc ſimilitudo ſuperiori ſermoni: Cum enim maius nullum opus videatur, quàm ignoſcere ex animo ei, qui ſapius læſerit, nequis ſibi ex hoc facto placeat, oſtẽdit hac ſimilitudine, quid poſt omnia recte facta ſentire de ſe quisque debeat.* [c] Quando venit regnum Dei.] *Videntur ridiculum in modum iſti interrogaſſe, vt qui terrena tantum cogitarent, & ſomnium illis videretur regni cœlorum appellatio, quibus tamen reſpondet Dominus, non venire regnum Dei cum obſeruatione loci vel temporis, neque rem eſſe quandam corpoream, quemadmodum regna mundi, ſed regnum hoc parari nunc in ſpiritu, ſuo autem tempore, hoc eſt, in futuro ſeculo totum ſimul declarandum in morem fulguris.* [d] Vbi Domine?] *Nempe in occurſum Domini: iccirco reſpondet, vbi fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilæ. Quod autem ſuperius dicit: in illa die, qui fuerit in tecto, videtur ſignificare perſecutionem quæ ſub Antichriſto grauis eſt futura.*

CAPVT XVIII.

A DIcebat autem & parabolam ad illos, in hoc quod oportet ſemper orare & non deficere, dicens: Iudex Eccle.18.c
quidam erat in quadam ciuitate, qui Deum non timebat, & hominem non reuerebatur. Vidua autẽ 1.theſ.5.d
quædam erat in ciuitate illa: & veniebat ad eum, dicens: Vindica me de aduerſario meo. Et nolebat
per multum tempus. Poſt hęc autem dixit intra ſe. Etſi Deum non timeo, nec hominẽ reuereor: tamen quia
moleſta eſt mihi hæc vidua, vindicabo illam, ne in nouiſsimo veniens ſugillet me. Ait autem Dominus: Au-
D dite quid iudex iniquus dicat. Deus autem non faciet vindictam electorum ſuorum clamantium ad ſe die ac
nocte: etiam ſi patiens fuerit erga eos? Dico vobis, quòd cito faciet vindictam illorum. [a] Veruntamen filius
hominis veniens, putas inueniet fidem in terra? Dixit autem & ad quoſdam qui in ſe confidebant q̃ eſſent
iuſti, & aſpernabantur cæteros, parabolam iſtam dicens: Duo homines aſcendebant in templum vt orarent:
vnus phariſæus, & alter publicanus. Phariſęus ſtans, hæc apud ſe orabat: Deus, gratias ago tibi, quòd nõ ſum
ſicut cæteri homines, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in ſabbato: decimas do
C omnium quæ poſsideo. Et publicanus à longe ſtans, nolebat nec oculos ad cœlum leuare: ſed percutiebat pe-
ctus ſuum, dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori. Dico vobis, deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam Supra.14.c
magis q̃ ille: quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur: & qui ſe humiliat exaltabitur. Afferebant autem ad il- Matt.23.d
lum & infantes, vt eos tangeret. Quod cum viderent diſcipuli, increpabant illos. IESVS autem conuocãs Matt.19.b
illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, & nolite vetare eos: talium eſt enim regnum Dei. Amen dico vobis, Marc.10.b
quicunque non acceperit regnum Dei ſicut puer, non intrabit in illud. Et interrogauit eum quidam prin- Matt.19.b
D ceps, dicens: Magiſter bone, quid faciens vitam æternam poſsidebo? Dixit autem ei IESVS: Quid me di- Marc.10.b
cis bonum? nemo bonus niſi vnus Deus. Mandata noſti? Non occides: Non mœchaberis: Nõ furtum facies: Exod.20.e
Non falſum teſtimonium dices: Honora patrem tuum & matrem. Qui ait: Hæc omnia cuſtodiui à iuuentu-
te mea. Quo audito: IESVS ait ei: Adhuc vnum tibi deeſt: omnia quæcunque habes vende, & da pauperi-
bus: & habebis theſaurum in cœlo: & veni ſequere me. His ille auditis, contriſtatus eſt: quia diues erat valde.
E Videns autem IESVS illum triſtem factum, dixit: Quàm difficile, qui pecunias habẽt, in regnum Dei in-
trabunt. Facilius eſt enim camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem intrare in regnum Dei. Et di-
xerunt qui audiebant: Et quis poteſt ſaluus fieri? Ait illis: Quæ impoſsibilia ſunt apud homines, poſsibilia
ſunt apud Deum. Ait autem Petrus: Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumus te. Qui dixit eis: Amen dico
vobis, nemo eſt qui reliquit domum, aut parẽtes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui
non recipiat multo plura in hoc tempore, & in ſeculo futuro vitã ęternam. Aſſumpſit autẽ IESVS duo- Matt.20.b
F decim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hyeroſolymã, & conſummabuntur omnia quę ſcripta ſunt per prophe- marc.10.b
tas de filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & cõtumelijs afficietur, & conſpuetur: & poſtquã
flagellauerint occident eum: & tertia die reſurget. Et ipſi, [b] nihil horum intellexerunt: & erat verbum iſtud
abſconditum ab eis, & non intelligebant quæ dicebantur. Factum eſt autem: cum appropinquaret Iericho, Matt.20.d
cæcus quidam ſedebat ſecus viam, mendicans. Et cum audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc marc.10.g
G eſſet. Dixerunt autem ei, quòd IESVS Nazarenus tranſiret. Et clamauit, dicens: IESV fili Dauid, miſe-
rere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipſe vero multo magis clamabat: Fili Dauid, miſerere
mei. Stãs autem IESVS, iuſsit illum adduci ad ſe. Et cum appropinquaſſet, interrogauit illũ, dicens: Quid
tibi vis faciã? At ille dixit: Domine, vt videam. Et IESVS dicit illi: Recipe viſum, fides tua te ſaluũ fecit. Et
confeſtim vidit, & ſequebatur illum glorificans Deum. Et omnis plebs vt vidit, dedit laudem Deo.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Veruntamen filius hominis veniens.] *Dixerat orandum, & expectandam à Domino certissimam à malis liberationem, sed paucos futuros indicat, qui persistant, ob pusillitatem fidei.* [b] Nihil horum intellexerunt.] *Quid esset videlicet, tradi gentibus: die tertio resurgere.*

CAPVT XIX.

ET ingressus perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zacchæus : et hic princeps erat publicanorum, A
& ipse diues: & quærebat videre IESVM quis esset: & non poterat præ turba : quia statura pusillus
erat. Et præcurrens, ascendit in arborem sycomorum vt videret eum: quia illac erat trâsiturus. Et cum
venisset ad locum, suspiciens IESVS, vidit illum, & dixit ad eum: Zaccheæ, festinans descende: quia hodie
in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cum viderent omnes,
murmurabant, dicentes quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stãs autem Zaccheus, dixit ad Dominũ:
Ecce, dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus : & si quid aliquem defraudaui, reddo quadru-
Matt.18.b plum. Ait IESVS ad eum, Hodie salus domui huic facta est: eo quòd & ipsa filia sit Abrahæ. Venit enim B
Mat. 25.b filius hominis quærere & saluum facere quod perierat. Hæc illis audientibus adijciens dixit parabolam, eo
quòd esset propè Ierusalem, & quòd existimarent fore vt confestim regnum Dei manifestaretur. Dixit ergo:
[a] Homo quidam nobilis abijt in regionem longinquam accipere sibi regnum, & reuerti. Vocatis autem de-
cem seruis suis, dedit eis decem minas, & ait ad illos: Negociamini dum venio. Ciues autem eius oderãt eum,
& miserunt legationem post illum, dicentes: Nolumus hunc regnare super nos. Et factum est vt rediret accep- C
to regno: & iussit vocari ad se illos seruos quibus dedit pecuniam, vt sciret quãtum quisq; negociatus esset.
Venit autem primus, dicens: Domine, mina tua decem minas acquisiuit. Et ait illi : Euge bone serue, quia in
minimo fuisti fidelis, eris potestatem habens supra decem ciuitates. Et alter venit, dicens : Domine, mina tua
fecit quinq; minas: Et huic ait: Et tu esto super quinq; ciuitates. Et alter venit dicens: Domine, ecce mina tua:
quam habui repositam in sudario: timui enim te, quia homo austerus es : tollis quod non posuisti, & metis
Supra.8.c quod non seminasti. Dicit ei: De ore tuo te iudico serue nequam: sciebas quòd ego homo austerus sum, tollẽs D
Matt.13.b quod non posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, & ego ve-
&.25.c niẽs cum vsuris vtiq; exegissem illam ? Et astantibus dixit: Auferte ab illo minam, & date illi qui decem mi
marc.4.e nas habet. Et dixerunt ei, Domine, habet decem minas. Dico autem vobis, quòd omni habẽti dabitur : ab eo
Marc. 21.a autem qui non habet, & quod habet, auferetur ab eo. Veruntamen inimicos meos illos qui noluerunt me re
Marc.11.a gnare super se, adducite huc: & interficite ante me. Et his dictis, procedebat ascendens Hierosolymam. Et fa- E
ctum est: cum appropinquasset ad Bethphage & Bethaniam, ad montem qui vocatur Oliuarum, misit duos
discipulos suos dicens: Ite in castellum quod contra est: in quod introeuntes inuenietis pullum asinæ alligatum, cui nemo vnquam hominum sedit, soluite illum, & adducite. Et siquis vos interrogauerit, quare soluitis ? sic dicetis ei: Quia Dominus eo opus habet. Abierunt autem qui missi erant: & inuenerunt sicut dixit illis. Soluentibus autem illis pullum, dixerunt domini eius ad illos : Quid soluitis pullum ? At illi dixerunt:
Ioan.12.b Quia Dominus eum necessarium habet. Et duxerunt illum ad IESVM. Et iactantes vestimenta sua supra
pullum, imposuerunt IESVM. Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. Et cũ appropinqua- F
ret iam ad descensum montis Oliuarum: cœperunt omnis turba discipulorum gaudentes laudare Deum vo
ce magna, super omnibus quas viderant virtutibus, dicẽtes: Benedictus qui venit rex in nomine Domini: pax
in cœlo & gloria in altissimis. Et quidam pharisæorum de turba dixerunt ad illum: Magister, increpa discipu
los tuos. Quibus ipse ait: Dico vobis q, si hi tacuerint, lapides clamabũt. Et vt appropinquauit, vidẽs ciuita-
tem, fleuit super illam, dicens: Si cognouisses, & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi : nunc autem
Infra.21.b abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te: & circundabunt te inimici tui vallo, & circundabunt G
Matt.24.a te, & coangustabunt te vndiq;, & ad terram prosternent te, & filios tuos qui in te sunt : & non relinquent in
marc.13.a te lapidem super lapidem: eo quòd non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus in templum, cœpit
matt.21.b eijcere vendentes in illo & ementes, dicẽs illis: Scriptum est, Domus mea, domus orationis est, vos autem fe-
marc.11.b cistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & scribæ,
Esa.56.c & principes plebis quærebant illum perdere: & non inueniebant quid facerẽt. Omnis enim populus pende-
Hiere.7.b bat ab ore eius, audiens illum.

SCHOLIA.

[a] Homo quidam nobilis.] *Expectantibus regni terreni declarationem, hac parabola indicat rem longe aliter casuram, quàm opinabantur: quod autem ait, accipere sibi regnum, tunc fuit, cum ascendit in cœlum, et sedit à dextris Dei: interea vero ministros regni reliquit, qui negociationem consentaneam regno exercerent, donec in fine ipse veniret: at Iudæi profecto illo in cœlum, persecuti semper sunt eum, tantum abest, vt subijci ei vellent.*

CAPVT XX.

Matt.21.c ET factum est: in vno dierum illorum docente illo populum in templo & euangelizante, conuenerunt A
marc.11.d principes sacerdotum & scribæ cum senioribus, & aiunt dicentes ad illum: Dic nobis, in qua potestate
hæc facis ? aut quis est qui dedit tibi hanc potestatem ? Respondens autem IESVS, dixit ad illos: In-
terrogabo vos & ego vnum verbum. Respondete mihi. Baptismus Ioannis, de cœlo erat, an ex hominibus ?
At illi cogitabant intra se dicentes: Si dixerimus de cœlo, dicet : Quare ergo non credidistis illi ? Si autem di-
xerimus ex hominibus: plebs vniuersa lapidabit nos: certi sunt enim, Ioannem prophetam esse. Et respon-
derunt se nescire vnde esset. Et IESVS ait illis: Neq; ego dico vobis in qua potestate hæc facio. Cœpit autem B
Matt.21.d dicere ad plebem, parabolam hãc: Homo quidam plantauit vineam, & locauit eam colonis: & ipse peregre
Marc.12.a fuit multis temporibus. Et in tempore misit ad cultores seruum, vt de fructu vineæ darent illi. Qui cæsum
Esa.5.a dimiserunt

dimiserunt eum inanem. Et addidit alterum seruum mittere. Illi autem hunc quoq; cædentes & afficientes
contumelia, dimiserunt inanem. Et addidit tertium mittere, qui et illum vulnerantes eiecerunt. Dixit autem
Dominus vineæ: Quid faciam ? mittam filium meum dilectum: forsitan cũ viderint, verebuntur. Quem cũ
C vidissent coloni, cogitauerunt intra se, dicentes: Hic est hæres: Venite, occidamus illum, vt nostra fiat hæredi-
tas. Et eiectum illum extra vineam, occiderunt. Quid ergo faciet illis Dominus vineæ ? veniet, & perdet co-
lonos istos, & dabit vineam alijs. Quo audito, dixerunt illi: Absit. Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo Psal.117.d
hoc quod scriptum est: Lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli ? Omnis qui ce- Roma.9.g
ciderit supra illum lapidem, conquassabitur: supra quem autem ceciderit, comminuet illum. Et quærebant Act.4. b
principes sacerdotum & scribæ mittere in illum manus illa hora: & timuerunt populum: cognouerũt enim 1.Petr.2.a
D quod in ipsos dixerat similitudinem hanc. Et obseruantes miserunt insidiatores, qui se iustos simularent: vt Esa.28.d
caperent eum in sermone, vt traderent illum principatui & potestati præsidis. Et interrogauerunt eum dicẽ- Matt.22.b
tes, Magister, scimus quod rectè dicis & doces: & non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces : licet marc.12.b
nobis tributum dare Cæsari, an non ? Considerans autem dolũ illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis ? ostẽ-
dite mihi denarium. Cuius habet imaginem & inscriptionem ? Respondentes dixerunt ei, Cæsaris. Et ait il- Roma.13. c
lis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Et non potuerunt verbum eius reprehende-
E re coràm plebe: & mirati in responso eius tacuerunt. Accesserunt autem quidam sadduceorum, qui negant matt.22.c
esse resurrectionem, & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moyses scripsit nobis: Si frater alicuius mor marc.12.b
tuus fuerit habẽs vxorem, & hic sine liberis mortuus fuerit, vt accipiat eam frater eius vxorem, & suscitet se- Deut.15.b
men fratri suo: septem ergo fratres erant: & primus accepit vxorem, & mortuus est sine filijs. Et sequẽs acce-
pit illam, & ipse mortuus est sine filio. Et tertius accepit illam. Similiter & omnes septem: & non reliquerunt
semen, & mortui sunt. Nouissime omnium, mortua est & mulier. In resurrectione ergo, cuius eorum erit
F vxor ? siquidem septem habuerunt eam vxorem. Et ait illis IESVS: Filij huius seculi nubunt, & tradũtur
ad nuptias: illi vero qui digni habebũtur seculo illo & resurrectione ex mortuis, neq; nubũt, neque tradũtur
ad nuptias, neq;. n. vltra mori possunt : [a] æquales enim angelis sunt, & filij sunt Dei, cũ sint filij resurrectiõis.
Quòd vero resurgant mortui, & Moyses ostendit secus rubũ, sicut dicit: Dñm Deũ Abraham, & Deũ Isaac, Exod.3.b
& Deum Iacõb. Deus autem non est mortuorum, sed viuorum, omnes enim viuunt ei. Respondentes autẽ
quidam scribarum, dixerunt ei: Magister, bene dixisti. Et amplius non audebant eum quicquam interroga-
G re. Dixit autem ad illos: Quomodo dicunt CHRISTVM, filium esse Dauid, & ipse Dauid dicit in libro matt.22.d
Psalmorum: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis : Donec ponam inimicos tuos scabellum pe- marc.12.d
dum tuorum ? Dauid ergo Dominum illum vocat: & quomodo filius eius est ? Audiente autem omni popu- Psal.109.a
lo, dixit discipulis suis: Attendite à scribis qui volunt ambulare in stolis, & amant salutationes in foro, & pri- Supra.11.f
mas cathedras in synagogis, & primos discubitus in conuiuijs, qui deuorãt domos viduarum, simulãtes lon- matt.23.a
gam orationem. Hi accipient damnationem maiorem. marc.12.d

SCHOLIA.

[a] Æquales enim angelis sunt.] *Iccirco non erit ibi corporea generatio, quæ per nuptias fit, cuius rei angeli sunt expertes. Atque in hac consideratione angelicæ similitudinis, quæ in resurrectione promittitur, magnus Basilius ait: præuenire virgines futuram illam in regeneratione & corporum resurrectione mutationem: quando iam in morem angelorum, neque nubunt, neque traduntur ad nuptias, & Dominum nostrum voluisse virginitatem, quasi semen incorruptæ vitæ, esse, quæ à terra in cœlum mirandum in modum homines mitteret: vt iam meditarentur corpora nostra illam incorruptionis pulchritudinem per virginum incorruptionem, idque ex eo patet, quòd cum toti legi dominus obtemperarit, solas recusauerit nuptias, quin & in matre eandem esse voluerit incorruptionem.*

CAPVT XXI.

A SVblatis autem oculis, vidit eos qui mittebant munera sua in gazophylaciũ, diuites. Vidit autem & quã- Marc.12.d
dam viduam pauperculam, mittentem æra minuta duo. Et dixit : Vere dico vobis quod vidua hæc pau-
per, plus quàm omnes misit: nam omnes hi, ex abundanti sibi miserunt in munera Dei : hæc autem ex
eo quòd deest illi, omnem victum quem habuit, misit. Et quibusdam dicẽtibus de templo quod pulchris la- Matt.24.b
pidibus & donis ornatum esset, dixit : Ex his quæ videtis, venient dies in quibus non relinquetur lapis super marc.13.a
B lapidem, qui non destruatur. Interrogauerunt autẽ illum dicentes : Præceptor quando igitur hæc erunt, & Supra.19.g
quod signum, cum hæc futura sunt ? Qui dixit: Videte ne seducamini, multi enim venient in nomine meo di-
centes, quod ego sum, & tempus appropinquauit: nolite igitur ire post eos. Cum autem audieritis prælia &
seditiones: nolite terreri, oportet primum hæc fieri: sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis : Surget gens
contra gentem, & regnum aduersus regnum: & terræmotus magni erunt per loca, & pestilẽtiæ & fames: ter-
C roresq;, & signa de cœlo magna erunt. Sed ante hæc omnia, injicient vobis manus suas, & persequentur tra-
dentes in synagogas & custodias, trahentes ad reges & præsides propter nomen meum: continget autem vo-
bis in testimonium. Ponite ergo in cordibus vestris non præmeditari quemadmodũ respõdeatis : Ego enim
dabo vobis os & sapientiam: cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri. Trademini
autem à parentibus & fratribus & cognatis & amicis, & morte afficiẽt ex vobis : & eritis odio omnibus pro- Matt.24.b
D pter nomen meum: & capillus de capite vestro non peribit. In patientia vestra possidebitis animas vestras. Marc.13.b
Cum autem videritis circundari ab exercitibus Ierusalem, tunc scitote quod appropinquauit desolatio eius: Daniel.9.g
tunc qui in Iudæa sunt fugiant ad montes, & qui in medio eius discedant, & qui in regionibus, nõ intrent in
eam: quia dies vltionis hi sunt: vt impleantur omnia quæ scripta sunt. Væh autem prægnantibus & lactanti-
bus illis diebus: erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic. Et cadent in ore gladij: & captiui
E ducentur in omnes gentes: & Ierusalẽ calcabitur à gentibus: donec impleantur tempora nationum. Et erunt Matt.24.c
signa

Marc.13.d Esa.13.b Ezec.13.b Ioel.3.e

signa in sole & luna & stellis:& in terris pressura gentium cum desperatione resonante mari & fluctu, tabescentibus hominibus præ timore & expectatione quæ superuenient vniuerso orbi:nam [a] virtutes cœlorum mouebuntur:& tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, [b] suspicite & leuate capita vestra:quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem:Videte ficum & omnes arbores:cum iam progerminant, cernētes ex vobisipsis, agnoscitis quòd iam prope sit æstas. Ita & vos cū videritis hæc fieri, scitote quod propè est regnum Dei. Amen dico vobis:non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Cœlum & terra transibunt:verba autem mea nō transibunt. Attendite autem vobis nequando grauentur corda vestra in crapula & ebrietate & curis huius vitæ:& superueniat in vos repentina dies illa:tanq̄ laqueus enim superueniet in omnes qui sedēt super faciem omnis terræ. Vigilate itaq; omni tempore orantes, [c] vt digni habeamini fugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Erat autem diebus docens in templo:noctibus vero exiens, morabatur in monte, qui vocatur oliuarum. Et omnis populus mane ibat ad eum in templo audire eum.

F

G

SCHOLIA.

[a] Virtutes cœlorum mouebuntur.] *Σαλευθήσονται, quasi dicas, fluctuabunt, σάλος enim turbationem maris significat. Quis (ait magnus Basilius) sine timore erit? ne angeli quidem, astabunt enim & ipsi, nō tanquàm rationem reddituri, sed tamen gloriosa illa tanti regis declaratio atque præsentia omnibus terrorem injiciet.* [b] Suspicite & leuate capita vestra.] *In ipso orbis terræ interitu iubentur fideles non solum trepidare, verum etiam quasi respirandi tempus adsit, attollere capita: at nos minimis quibusque malis deycimur, & tamen fideles volumus appellari. De hac autem tota prædictione dictum est in Mat.* [c] Vt digni habeamini fugere ista omnia.] *Hoc est, incorrupti ac sine peccato hæc euadere, & intrepidi stare ante Dominum.*

CAPVT XXII.

Matt.26.a Marc.14.a Matt.26.b marc.14.b Matt.26.b marc.14.b

APropinquauit autem dies festus azymorum, qui dicitur pascha: & quærebant principes sacerdotum & scribæ quomodo eum interficerent:timebant enim plebem. [a] Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim:& abijt, & locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis:Et gauisi sunt: & pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopōdit. Et quærebat opportunitatē: vt traderet illum sine turbis. Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. Et misit Petrum & Ioannem dicens:Euntes parate nobis pascha, vt manducemus. At illi dixerunt. Vbi vis paremus? Et dixit ad eos, Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo amphoram aquæ portans:sequimini eum in domum in quam intrat, & dicetis patrifamilias domus, Dicit tibi magister: Vbi est diuersorium, vbi pascha cū discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum:& ibi parate. Euntes autem, inuenerunt sicut dixit illis:& parauerunt pascha. Et cum facta esset hora discubuit, & duodecim apostoli cum eo, & ait illis, Desiderio desideraui hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis:q̄ ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice, gratias egit, & dixit: Accipite & diuidite inter vos: dico enim vobis, quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane, gratias egit & fregit: & dedit eis dicēs: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in mei commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens:Hic est calix nouum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis funditur. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem filius hominis secundum quod definitum est, vadit:verumtamen væh homini illi per quem traditur. [b] Et ipsi cœperūt quærere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset. Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis:Reges gentium dominantur eis:& qui potestatem habent super eas, [c] benefici vocantur. Vos autem non sic:sed qui maior est in vobis, fiat sicut iunior:& qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nónne qui recumbit? Ego autem in medio vestrū sum sicut qui ministrat: [d] vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis sicut disposuit mihi pater meus, regnum:vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicātes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus:Simon, Simon, ecce satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum:ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Qui dixit ei, Domine, tecum paratus sum & in carcerem & in mortem ire. Et ille dixit: Dico tibi Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis:Quando misi vos sine sacculo & pera & calceamentis:nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat:similiter & peram:& [e] qui non habet, vendat tunicam suā, & emat gladium. Dico enim vobis, quòd adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me: Et cū iniquis deputatus est. Etenim ea quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat secundum cōsuetudinem in mōtem Oliuarum. Secuti sunt autem illum & discipuli. Et cum peruenisset ad locum, dixit illis:Orate ne intretis intentationem. Et ipse auulsus est ab eis quantum iactus est lapidis: & positis genibus orabat, dicens:Pater, si vis, transfer calicem istum à me. Veruntamen nō mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi angelus de cœlo confortans eum: Et factus in agonia, prolixius orabat. [f] Et factus est sudor eius, sicut guttæ sanguinis decurrentes in terram. Et cum surrexisset ab oratione, & venisset ad discipulos suos, inuenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba:& qui vocabatur Iudas, vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit IESV vt oscularetur eum. IESVS autem dixit illi, Iuda, osculo filium hominis tradis? Videntes autem qui circa ipsum erant quod futurum erat, dixerūt ei, Domine, si percutimus in gladio? Et percussit vnus ex illis seruum principis sacerdotum:& amputauit auriculam eius dexteram. Respondens autem

B

C

D

E

matt.26.b marc. 4.b Ioan. 13.c Psal.40.c marc.10.f

matt.26.c marc.14.c

Esaia. 53.d

matt.26.c marc.14.c Ioan.18.a matt.26.d marc.14.d

matt.26.e marc.14.c Ioan.18.a

F autem IESVS, ait:Sinite vsq; huc. Et cū tetigisset auriculam eius, sanauit eū. Dixit autem IESVS ad eos, qui venerāt ad se, principes sacerdotū & magistratus templi & seniores:Quasi ad latronē existis cū gladijs, & fustibus:cū quotidie vobiscū fuerim in tēplo, nō extēdistis manus in me:sed hæc est hora vestra, & potestas tenebrarū. Cōprehēdentes aūt eū, duxerūt, & induxerūt in domū principis sacerdotū. Petrus vero sequebatur eū lōge. Accēso aūt igne in medio atrij, & cōsedētibus illis sedebat Petrus in medio eor. Quē cū vidisset ancilla, quædā sedentē ad lumē, & eū fuisset intuita, dixit: Et hic cū illo erat. At ille negauit eū, dicēs: Mulier, nō noui illū. Et post pusillū alius vidēs eū, dixit: Et tu de illis es: Petrus vero ait: O homo, nō sum. Et interuallo facto, quasi horæ vnius, alius quidā affirmabat dicēs: vere & hic cū illo erat, nam & Galilæus est. Et ait Petrus: G Homo, nescio quid dicas. Et cōtinuo adhuc illo loquēte, cātauit Gallus. [g] Et cōuersus Dñs aspexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Dñi quomodo dixerat: Prius q̄ Gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus, fleuit amare. Et viri qui tenebant IESVM, illudebant ei cædētes. Et velauerūt eū, & percutiebāt faciē eius, & interrogabāt eū, dicētes: Prophetiza: quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemātes dicebāt in eū. Et, vt factus est dies, cōuenerūt seniores plebis, & principes sacerdotū & scribæ, & duxerūt illū in cōciliū suū, dicētes: Si tu es CHRISTVS, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, nō credetis mihi: si aūt & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimitteris: [h] ex hoc autem erit filius hominis sedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quòd ego sum. At illi dixerūt: Quid adhuc egemus testimonio? ipsi enim audiuimus de ore eius.

matt.26.f marc.14.f Ioan.18.c matt.26.g Marc.14.g Ioan.18.e Matt.26.g marc.14.g Ioan.18.e

SCHOLIA.

[a] Intrauit autem Satanas in Iudam.] *Videlicet occasione ab eo accepta: quem cum intellexisset auaritiæ morbo laborare, hoc vsus affectu, tanquam adiutore, etiam in proditionis casum spe triginta argenteorum præcipitauit. Nam ipse per se ipsum Satanas causa cuiquam peccandi esse non potest.* [b] Et ipsi cœperunt quærere inter se.] *Conquisitio illa, quis eorū videretur esse maior, fortasse sic orta est. Cum audissent vnum ex ijs duodecim fore magistri proditorem, arbitrati sunt hunc, qui id esset ausurus, patraturum hoc facinus, imperandi alijs gratia, atque ita quæreb.int, quis eorū videretur esse maior, vt aliquo pacto deprehendi proditor posset, alioqui quomodo in tam tristi nuncio venire potuit illis in mentē hæc cogitatio?* [c] Benefici vocantur.] *Nomen est potestatis & dignitatis: cuius & Esaias meminit dicens, & ingredientur portas beneficorū, hoc est, principum Babyloniorum.* [d] Vos autem estis, qui permansistis.] *Docui (inquit) ego vos meo exemplo non insole scere, sed submisse vos semper gerere: atque id quidem tuto potestis, nam habetis qui curam vestræ dignitatis gerat, me scilicet, qui dispono vobis regnum, vt sitis inter primates meos, mensæ meæ socij. Et vide, vt de hoc regno more humani regni loquatur, nec dum enim aperuit eis illius regni conditionem: quanquam etsi etiam aperuisset, nihilo tamen minus potuisset μεταφορικῶς loqui.* [e] Qui habet sacculum.] *Videtur enigmatice per sacculum, et peram, & gladium, significare, multa illos manere grauia. Solemus.n.in rerū angustia dicere, nunc armemur necesse est, At illi hoc non intellexerunt, et iccirco dixerunt: Domine, ecce duo gladij hic. Dominus autem noluit illis tunc soluere enigma, quod ipsi suo essent tempore intellecturi, quod & alijs in rebus interdum fecit, sed dixit, satis est. Magnus autem Basilius interrogatus: quo pacto nunc quidem prohibet Dominus portare sacculum & peram ad iter, nunc vero dicit, sed nunc qui habet sacculum tollat, similiter & peram: & qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium: respondit. Hoc ipse Dominus declarat dicens: oportet enim etiam hoc impleri in me: & cum iniquis reputatus est. Mox enim posteaquam impleta fuit prophetia de gladio, dicit Petro: conuerte gladium tuum in vaginam suam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt: Vt hoc non sit præceptum scilicet, sed nunc, qui habet sacculum, tollat hoc est, tollet (sic enim & multa exemplaria habent) sed prophetia prædicentis Domini, quia futurum erat, vt apostoli obliti donorum, & legis Domini, etiam gladio vti auderent. Quod vero modo imperandi pro prædicendi sæpe vtatur scriptura, multis locis manifestum est. Vt est illud, Fiant filij eius orphani, &, Diabolus stet à dextris eius, & cætera talia.* [f] Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis.] *Medetur hic timori nostro, subijciens illum diuinæ voluntati. Quin & tulit in se, quod alijs potuisset esse non ferendum: futurum enim erat, vt etiam teneræ puellæ ad tormenta pro Christo raperentur, quarum nunc animum & affectum induit, & perfert ipse, vt malorum illis sensum relinqueret leuiorem, quod profectò cernimus factum, cum viderentur sancti martyres vix sentire tormenta.* [g] Et conuersus Dñs aspexit Petrum.] *Vide solicitudinem Domini, & vt nos doceat, ne in medijs quidem periculis nostris, obliuisci eorum, qui nobis crediti sunt.* [h] Ex hoc autem.] *Post hoc tempus passionis. ἀπὸ τοῦ νῦν.*

CAPVT XXIII.

A ET surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt aūt illū accusare, dicentes: Hunc inuenimus subuertētē gentē nostrā, & prohibētē tributa dare Cæsari, & dicētē se CHRISTVM regē esse. Pilatus aūt interrogauit eū dicēs: Tu es rex Iudæorū? At ille respōdens ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotū & turbas: Nihil inuenio causæ in hoc homine. At illi inualescebāt dicētes: Cōmouet populū docēs per vniuersam Iudeā, incipiēs à Galilea vsq; huc. Pilatus aūt audiēs Galilæā: interrogauit si homo Galilęus esset. Et vt cognouit q̄ de Herodis potestate esset: remisit eū ad Herodē, qui & ipse Ierosolymis erat illis diebus. Herodes aūt viso IESV, gauisus est valde: erat enim cupiens ex multo tēpore videre eū, eo q̄ audiret multa de eo: [a] & sperabat signū aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat aūt eū multis sermo B nibus. At ipse nihili illi respondebat. Stabāt aūt principes sacerdotū & scribæ cōstāter accusantes eū. Spreuit aūt illū Herodes cum exercitu suo: & illusit indutum veste splendida, & remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Pilatus & Herodes in ipsa die: nam antea inimici erant inuicem. Pilatus autem conuocatis principibus sacerdotum & magistratibus & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, quasi auertentem populum: & ecce, ego coram vobis interrogans, nullam causam inuenio in homine isto, ex his in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum: & ecce, nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum vnum. Exclamauit autem simul vniuersa turba, dicens, Tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam: qui erat propter seditionem quandam factā

matt.22.b marc.12.d matt.27.b marc.15.a Ioan.18.f

matt.27.c marc.15.b Ioan.18.g &.19.c

in ciuitate & homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere C
IESVM. At illi clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eũ. Ille aũt tertio dixit ad illos: Quid enim mali fe-
cit iste? nullam causam mortis inuenio in eo: corripiam ergo illum, & dimittam. At illi instabãt vocibus ma-
gnis postulantes, vt crucifigeretur: & inualescebant voces eorum, & principum sacerdotum. Et Pilatus adiu-
dicauit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium & seditionem missus fue-
matt.27. marc.15 rat in carcerem, quem petebant, IESVM vero tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehende
runt Simõnem quendam Cyrenensem venientem de villa: & imposuerunt illi crucẽ portare post IESVM. D
Sequebatur autem illum multa turba populi & mulierum: quæ plangebant & lamentabantur eum. Conuer
sus autem ad illas IESVS, dixit, Filiæ Ierusalem, nolite flere super me: sed super vosipsas flete, & super filios
Esa. 54.a Gala.4.d Esa. 2.d Osee.10.b Apoc.9.b matt.27.d marc.15.b Ioan.19.d vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent, Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera,
quæ non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos: & collibus: Operite nos. Quia si in-
uiridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem & alij duo nequam cum eo, vt interficerẽtur.
Et post quam venerunt in locum qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerũt eum, & latrones: vnum à dextris, & E
alterum à sinistris. IESVS autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciant. Diuidentes ve-
ro vestimenta eius, miserunt sortes. Et stabat populus spectans, & deridebant eum principes cum eis, dicen-
tes: Alios saluos fecit, se saluũ faciat, si hic est CHRISTVS Dei electus. Illudebãt aũt ei & milites accedẽtes,
matt.27.d marc.15.b Ioan.19.d & acetũ offerentes ei, & dicentes: Si tu es rex Iudæorũ, saluũ te fac. Erat aũt & superscriptio scripta super eũ
literis Græcis & latinis & Hebraicis: Hic est rex Iudæorum. Vnus autem de his, qui pendebant latronibus,
blasphemabat eũ dicens: Si tu es CHRISTVS, saluum fac teipsum & nos. Respondens autem alter, increpabat eũ, dicẽs: Neq; tu times Deũ, q̃ in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste: nam digna factis recipi F
mus: hic vero, nihil mali gessit. Et dicebat ad IESVM: [b] Dñe, memento mei cum veneris in regnum tuũ:
Et dixit illi IESVS: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Erat autem ferè hora sexta: & tenebræ
Psal.30.a factæ sunt super vniuersam terram vsq; in horam nonam. Et obscuratus est sol: & velum templi scissum est me
dium. Et clamãs voce magna IESVS, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meũ. Et hæc dicens, ex-
pirauit. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificauit Deum, dicens, Vere, hic homo iustus erat. G
matt.27.a marc.15.d Ioan.19.g Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua reuertebantur. Stabant autem omnes noti eius longe: & mulieres, quæ secutæ eum erant à Galilæa,
hæc videntes. Et ecce, vir nomine Ioseph, qui erat decurio, vir bonus & iustus, Hic non consenserat cõsilio &
actibus eorũ, ab Arimathæa ciuitate Iudeę, qui expectabat & ipse regnũ Dei: hic accessit ad Pilatum, & petijt
corpus IESV: & depositũ inuoluit sindone, & posuit illud in monumẽto excisso in lapide, [c] in quo nondum
quisquã positus fuerat. Et dies erat parasceue, & [d] sabbatũ illucescebat. Subsecutæ aũt mulieres, quæ cũ eo ve-
nerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quẽadmodum positum erat corpus eius. Et reuersæ parauerũt
aromata & vnguenta: & sabbato quidem siluerunt secundum mandatum.

SCHOLIA.

[a] Et sperabat signum aliquod videre.] *Sed Dominus neque signa fecit, quæ neque vanitatis, neque curiosorum hominum gratia facienda sunt, cum rebus diuinis maxima habenda sit veneratio: neque quicquam omnino respondit, quamuis multus sermonibus interrogaretur, quod non solum sapienter, verum etiam necessario factum est: Si.n. Dominus diuinum illud os suum coram Herode, aut Pilato aperuisset, procul dubio perierat nostra salus. Liberatus enim omnino fuisset, neque accepissemus redemptionem per sanguinem eius.* [b] Domine memento mei.] *Miram profecto hominis fidem: hominem in crucem actum credi regnaturum: idq; à latrone & facinoroso homine credi. Cernis quam tempestiue christiana fides & crucis Christi virtus vigere cœperit?* [c] In quo nondum quisquã positus fuerat.] *Ne resurgente à mortuis Domino, veniret in controuersiam, vtrum hic an alius surrexisset, alioquin quid intererat hoc admonere?* [d] Sabbatum illucescebat.] *Propter lampades quas ante noctem propter sabbatum accendebant.*

CAPVT XXIIII.

Marc.16.a Ioan.10.a VNa autem sabbatorum valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quæ parauerant aroma A
ta, & nonnullę cum illis, & inuenerunt lapidem reuolutum à monumento. Et ingressæ, non inuene-
runt corpus Domini IESV. Et factum est, dum mente cõsternatę essent de isto, ecce duo viri steterũt
secus illas in veste fulgenti. Cum timerẽt autem & declinarent vultũ in terrã, dixerũt ad illas: [a] Quid quæri-
tis, viuentẽ cũ mortuis? nõ est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cũ adhuc in Galilæa es-
Matt.17.d Marc.9.e Supra.9.e set, dicẽs: Quod oportuerit filiũ hominis tradi [b] in manus hominum peccatorũ, & crucifigi: & die tertia re-
surgere. Et recordatæ sunt verborũ eius. Et regressæ à monumento, nuntiauerũt hæc omnia illis vndecim, &
cæteris omnibus. Erat autem Maria magdalene, & Ioanna, & Maria Iacõbi, & cæteræ, quę cum eis erant, quę
dicebant ad apostolos hæc. Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis. Pe- B
marc.16.e trus autem surgens, cucurrit ad monumentum: & prospiciẽs videt linteamina sola posita, & abijt secum mi-
rans quod factum fuerat. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellũ quod aberat spatio stadiorum sexaginta
ab Ierusalem, nomine Emmaus: & ipsi loquebantur adinuicem de his omnibus, quæ acciderant. Et factum
est: dum fabularentur & secum quærerent, & ipse IESVS appropinquans, ibat cum illis: oculi autem illo-
rum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis adinuicem ambu
lantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei: [c] Tu solus peregrinus es in Ieruſa-
lem, & nõ cognouisti, quę facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quę? Et dixerunt: De IESV Nazare-
no, qui fuit vir propheta, potens in opere & sermone, corã Deo & omni populo. Et quomodo eũ tradiderũt C
summi sacerdotes & principes nostri ĩ dãnationẽ mortis, & crucifixerũt eũ: Nos aũt sperabamus q̃ ipse esset
redẽpturus Israel: & nũc sup hęc oĩa, tertia dies est hodie, q̃ hęc facta sunt. Sed & mulieres quędam ex nostris
terruerunt

terruerũt nos, quę ante lucẽ fuerũt ad monumẽtũ: & nõ inuẽto corpore eius, venerũt dicentes, se etiã visionẽ
angelorũ vidisse, qui dicũt eũ viuere. Et abierũt quidã ex nostris ad monumẽtũ: & ita inuenerũt sicut mulie- D
res dixerũt, ipsum vero nõ inuenerũt. Et ipse dixit ad eos: O stulti & tardi corde ad credẽdũ in oĩbus, quę lo-
cuti sunt prophetę: nõne hęc oportuit pati CHRISTVM, & ita intrare in gloriã suã? Et incipiẽs à Moyse, &
oĩbus prophetis, interpretabatur illis in oĩbus scripturis, quę de ipso erãt. Et appropinquauerũt castello quò
ibãt: & ipse se finxit lõgius ire. Et coegerũt illũ, dicẽtes: Mane nobiscũ, quoniã aduesperascit, & inclinata est
iam dies. Et intrauit cũ illis. Et factũ est, dũ recũberet cũ eis, accepit panẽ, & benedixit, ac fregit, & porrigebat E
illis. Et aperti sunt oculi eorũ, & cognouerũt eũ: & ipse euanuit ex oculis eorũ. Et dixerũt adinuicẽ: Nonne cor
nostrũ ardẽs erat in nobis, dũ loqueretur nobis in via, & aperiret nobis scripturas? Et surgẽtes eadẽ hora, re-
gressi sunt in Ierusalẽ: & inuenerũt cõgregatos vndecim, & eos, qui cum illis erãt, dicẽtes: Quòd surrexit Dñs
vere, & apparuit Simõni. Et ipsi narrabãt, quę gesta erãt in via: & quomodo cognouerũt eũ in fractione pa- marc.16.b
nis. Dũ aũt hęc loquũtur, ipse IESVS stetit in medio eorũ, & dixit eis: Pax vobis. Cõturbati vero & cõterri- Ioan.20.c
F ti, existimabãt se spiritũ videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascẽdũt in corda vestra? videte
manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum: palpate & videte: quia spiritus, carnẽ & ossa nõ habet, sicut me
videtis habere. Et cũ hoc dixisset, ostẽdit eis manus & pedes. Adhuc aũt illis nõ credẽtibus præ gaudio, & mi-
rãtibus dixit: Habetis hic aliquid quod mãducetur? At illi obtulerũt ei partẽ piscis assi, & fauũ mellis. Et cum
accepisset, corã eis mãducauit. Et dixit ad eos: Hęc sunt verba, q̃ locutus sum ad vos, cũ adhuc essem vobiscũ,
G q̃ necesse esset impleri omnia, quę scripta sunt ĩ lege Moysi, & prophetis, & psalmis, de me. Tũc aperuit illis
sensum, vt intelligerẽt scripturas, & dixit eis: Sic scriptũ est, & sic oportebat CHRISTVM pati, & resurgere
à mortuis tertia die, & prędicari in nõe eius pœnitentiam & remissionẽ peccatorũ in oẽs gẽtes: incipiẽtibus Psal.18.b
ab Ierosolyma. Vos aũt testes estis horũ. Et ecce ego mittã promissum patris mei in vos: vos aũt sedete in ciui Act.1.a
tate Ierusalẽ, quoadusq; induamini virtute ex alto. Eduxit aũt eos foras in Bethaniã: & eleuatis manibus suis, Ioan.15.d
benedixit eis. Et factũ est: dũ benediceret illis, recessit ab eis, & ferebatur in cœlũ. Et ipsi adorãtes eũ regressi Act.1.a
sunt in Ierusalẽ cũ gaudio magno: & erãt semp in tẽplo, laudãtes & benedicentes Deũ. Amen. marc.16.d

SCHOLIA.

[a] Quid quæritis.] *Vide gratiosa verba, & præterea certissimam fidem de Christi resurrectione facientia. Nolite, inquiunt, eum inter mortuos, hoc est in sepulchro, quærere, qui iam viuit.* [b] In manus hominum.] *Romanorum: nam proprie infideles, peccatores appellabantur, vt Paulus ait ad Galatas: Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores.* [c] Tu solus peregrinus es.] *Solent interdum peregrini, vel hospites appellari, qui earum rerum, quæ in ciuitate sua tractantur, ignari sunt. Sic Cicero scribens ad Atticum, illud etiam te rogo, inquit, τὴν παρουσαν κατάστασιν τύπωδες, ne istuc hospes veniam. Aiunt ergo: tu solus es in Ierusalem tanquam hospes, qui harum sis ignarus rerum?*

EVANGELII SECVNDVM LVCAM FINIS.

HIERONYMVS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

IOannes apostolus, quem IESVS amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi apostoli, quem Herodes post passionẽ Domini decollauerat, nouissimus omnium scripsit Euangelium, rogatus ab Asiæ episcopis aduersus Cerinthum, aliosq; hæreticos, & maxime tũc Ebionitarũ dogma cõsurgens, qui asserũt CHRISTVM ante MARIAM nõ fuisse. Vnde & cõpulsus est diuinã eius natiuitatẽ edicere. Sed & aliã causam huius scripturæ ferũt, q̃ cũ legisset Matthęi, Marci, & Lucæ volumina, probauerit quidẽ textũ historiæ, & vera eos dixisse firma uerit, sed vnius tãtũ anni, in quo & passus est, post carcerẽ Ioãnis, historiã texuisse. Prętermisso itaq; anno, cuius acta à tribus exposita fuerãt, superioris tẽporis antequã Ioannes clauderetur in carcerẽ, gesta narrauit: sicut manifestũ esse poterit his qui diligẽter quatuor euangeliorum volumina legerint. Quæ res, etiã διαφώνιαν, quæ videtur Ioannis esse cũ cæteris, tollit. Scripsit aũt & vnã epistolã, cuius exordiũ est: Quod fuit ab initio; quod audiuimus & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ cõtrectauerũt de verbo vitę: quę ab vniuersis ecclesiasticis & eruditis viris probatur. Reliquæ aũt duæ, quarũ principiũ est: Senior electæ dominæ & natis eius: & sequentis: Senior Caio charissimo, quem ego diligo in veritate, Ioannis presbiteri asserũtur, cuius & hodie alterũ sepulchrũ apud Ephesum ostenditur, & nõnulli putant duas memoratas eiusdẽ Ioãnis Euãgelistę esse: super qua re, cũ per ordinẽ ad Papiã auditorẽ eius ventũ fuerit, disseremus. Quartodecimo igitur anno, secundã post Neronẽ persecutionem mouente Domitiano in Patmos ínsulam relegatus, scripsit Apocalypsin: quam interpretantur Iustinus martyr & Hirenæus. Interfecto aũt Domitiano, & actis eius ob nimiã crudelitatem à senatu rescissis, sub Nerua principe redit Ephesum: ibiq; vsq; ad Traianum principem perseuerans, totas Asiæ fundauit, rexitq; ecclesias: & confectus senio, sexagesimo octauo post passionem domini anno, mortuus iuxta eandem vrbem sepultus est.

SANCTVM IESV CHRISTI EVANGELIVM SECVNDVM IOANNEM.

[a] N principio erat verbum,& verbum erat apud Deum,& Deus erat verbum. Hoc erat A
in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt:& sine ipso factū est nihil, quod
factum est: In ipso vita erat,& vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tene-
Matt.3.a Marc.1.a bræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes.
Hic venit in testimonium: vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent
per illum: [b] non erat ille lux: sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera
quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundū: in mundo erat,& mun-
dus per ipsum factus est,& mundus eum non cognouit. In propria venit:& sui eum non receperunt: quot- B
Matt.1.c Luc.2.d quot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius, qui non ex
sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. [c] ET VERBVM
1 Tim.6.d CARO FACTVM EST: & habitauit in nobis [d] (Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti, à
patre) plenum & gratiæ & veritatis. Ioannes testimonium perhibet de ipso,& clamat, dicens: Hic erat quem
dixi: [e] Qui post me venturus est, mihi antepositus est: quia prior me erat. Et de plenitudine eius, nos omnes
1.Ioan.4.d accepimus & [f] gratiā pro gratia: quia lex per Moysen data est, gratia & veritas per IESVM CHRISTVM C
2.Tim.6.c facta est. Deum nemo vidit vnquam. Vnigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarrauit. Et hoc est testi-
monium Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes & leuitas, vt interrogarent eum: Tu
quis es? Et confessus est,& non negauit. Et confessus est: Non sum ego CHRISTVS. Et interrogauerunt
Esa.40.a Matt.3.a Luc.3.a Matt.3.c marc.1.b Luc.3.c eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dixit: Non sum. [g] Propheta ille es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei:
Quis es, vt responsum demus his qui miserunt nos? quid dicis de teipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto, D
dirigite viam Dñi, sicut dixit Esaias propheta. Et qui missi fuerant, erant ex pharisæis. Et interrogauerunt eū,
& dixerūt ei: Quid ergo baptizas, si tu nō es CHRISTVS, neq; Elias, neq; propheta ille? Respōdit eis Ioā-
nes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrum stat, quem vos nescitis: ipse est qui post me venturus,
mihi antepositus est: cuius ego non sum dignus, vt soluam corrigiam calceamenti. [h] Hæc in Bethabara facta
sunt trans Iordanē, vbi erat Ioānes baptizās. Postero die videt Ioannes IESVM venientē ad se,& ait: [i] Ecce
agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Hic est de quo dixi: Post me venit vir, qui mihi antepositus est,
quia prior me erat,& ego nesciebam eum: sed vt manifestetur in Israel, propterea veni ego in aqua baptizās:
Matt.3.d marc.1.b Luc.3.d Et testimonium perhibuit Ioannes, dicens: Vidi spiritum descendentem quasi columbam de cœlo, & man- E
sit super eum. Et ego nesciebam eum: sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris
spiritum descendētē & manentem super eum, hic est qui baptizat in spiritu sancto. Et ego vidi: & testimo-
nium perhibui quòd hic est filius Dei. Postero die iterum stabat Ioannes,& ex discipulis eius duo. Et aspiciēs
IESVM ambulātem, dicit: Ecce agnus Dei. Et audierunt eum duo discipuli loquētem, & secuti sunt IE-
SVM. Conuersus autē IESVS, & videns eos sequentes se, dicit eis: Quid quæritis? Qui dixerunt ei, Rab-
bi (quod dicitur interpretatum, magister) Vbi habitas? Dicit eis: Venite & videte. Venerunt & viderunt vbi F
maneret,& apud eum manserunt die illo: hora autem erat quasi decima. Erat autem Andreas frater Simōnis
Petri vnus ex duobus qui audierant à Ioanne,& secuti fuerant eum. Inuenit hic primum, fratrem suum Si-
mōnem,& dicit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum, CHRISTVS: Et adduxit eum ad IE-
SVM. Intuitus autem eum IESVS, dixit: Tu es Simon filius Iona: tu vocaberis Cephas, quod interpre-
tatur Petrus. Postero die voluit IESVS exire in Galilæam:& inuenit Philippum. Et dixit ei: Sequere me.
Gene.49.b Deut.18.c Esa.40.c &.45.b Hier.23.a Ezec.34.f &.37.f Daniel.9.f Erat autem Philippus à Bethsaida, ciuitate Andreæ & Petri. Inuenit Philippus Nathanael, & dicit ei: Quem
scripsit Moyses in lege,& prophetæ, inuenimus IESVM filium Ioseph à Nazaret. Et dixit ei Nathanael: G
A Nazaret potest aliquid boni esse? Dicit ei Philippus, Veni,& vide. Vidit IESVS Nathanael venientem
ad se,& dicit de eo: Ecce vere Israelita, in quo dolus non est. Dicit ei Nathanael: Vnde me nosti? Respondit
IESVS, & dixit ei: Prius quàm te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te. Respondit ei Nathanael &
ait: Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israel. Respōdit IESVS, & dixit ei: Quia dixi tibi: Vidi te sub ficu, cre-
dis: maiora his videbis. Et dicit ei: Amen amen dico vobis, Posthac videbitis cœlum apertū,& [k] angelos Dei
ascendentes & descendentes super filium hominis.

SCHOLIA.

[a] In principio erat verbum.] λόγος, *Vox est magis grauida sensibus, quàm nostræ, siue Verbum, siue sermonem dicas, non enim solum sermonem significat, verum etiam rationem, & definitionem, quæ omnia pulchre in filium conueniunt. Sermo, nam vt sermo interiorem animi conceptionem exprimit, sic filius patrem. Ratio, quia sic se habet ad patrē, vt ad mentem ratio, non ob impassibilem tantum naturam generationis, sed ob coniunctionem etiam, & vim enuntiatiuam. Definitio, qui enim nouit filium (idem est enim qui vidit) nouit & patrem, vt qui intelligit animal rationale mortale, intelligit hominem, hæc est enim veræ finitionis natura: compendiosa autem, ac facilis demōstratio naturæ patris, est filius. Hæc autem verba: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, clariorem*

rem in græca lingua sensum habent, quàm in nostra, ob articulorum additionem. In principio autem idem est illi, quod alibi legis. Quod fuit ab initio, & illud: Ab initio & ante secula, siquid enim esset principio antiquius, non hoc esset principium, quod appellatur. Quantum igitur cunque cogitatione progrediare, nihil inuenies, quo principiū hoc queas transilire, cui addatur, erat, quod idem est (vt ait magnus Basilius) quod, in principio. Non ait ergo, cœpit esse in principio, sed in principio erat, vt omnia euertat blasphemorum fundamenta. Et illud Verbum: erat apud Deum, hoc est, cum Deo. Ecce personarum distinctionem: neque dixit, in Deo, ne occasionem præberet ys, qui confusionem personarum inuexerunt. Deinde vt naturam eandem, atque substantiam filij cum patre demonstraret, addit: & Deus erat Verbum. Illud (inquit) Verbum (nam additus est illi articulus) erat Deus, nequid aliud in illa appellatione verbi somniares. Demum summatim colligit suam omnem theologiam euangelista. Hoc erat in principio apud Deum, hoc (inquit) verbum, quod dixi Deum esse, erat in principio, & erat apud Deum. Mirum tam ingentis theologiæ compendium, quod etiam externi sunt admirati, & in primis platonici, vt quidam eorum dixerit (quemadmodum recitat Augustinus) dignum esse hoc euāgely Ioannis principium, quod literis aureis in omnibus templis describatur. Sequitur, omnia per ipsum facta sunt, vt qui æquidem cum patre habeat potestatem, et idem cum illo sentiat. Præterea illud, per ipsum, refert primariam causam, hoc est, patrem, à quo per filium omnia facta sunt. Decebat ergo, vt per quem omnia facta sunt, per eundem etiam fieret salus omnium. Et sine ipso factum est nihil, quod factum est. Maior euidētia eius, quod dixerat, omnia per ipsum facta sunt, fortasse vt formatores Deos excludat, qui à platonicis memorantur. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, iccirco non solum condidit, verum etiam vitali quadā virtute conseruat, perstitit autem in verbo, erat, ob vim significati, de quo iam diximus. Sed videtur, per id quod ait, vita erat lux hominum, explicare quam vitam intelligat. nam de salute hominum tractaturus, deq; vita quam attulit mundo, ostendit primo illum rectè id potuisse præstare, quod in ipso erat, hoc est, vitam, deinde illam vitam esse profectam ex luce, quam suo aduentu in mundum introduxit. Cum autem dixisset, quòd vita illa erat lux hominum omnium, nō enim est tuēdorum tantū Deus, tum accedit ad tempus assumptæ humanitatis, & mutato verbo, ait: & lux in tenebris lucet, &c. & ob hanc etiam causam mox meminit Ioannis, vt qui fuerit præcursor, cuius causa quædam ei fuerant interserenda, & demum ad illud redit, de quo instituerat sermonem, hoc est ad verbum: et ait. ET VERBVM CARO FACTVM EST. *Si quis tamen illud, quod factum est, coniungere cum sequentibus verbis velit, in hunc modum quod factum est in ipso vita erat, intelligi potest, res Verius esse in Deo, qui est forma formarum, quàm in se ipsis, sicut essentia manus Verius habet esse in anima, quàm in manu, cum in anima sit vita, & manus mortua non sit manus, in eūdem modum de toto corpore & singulis membris.* [b] Non erat ille lux.] *Non erat (inquit) ille lux illa, quam dixi, quamuis à multis crederetur Christus, sed illum oportuit tamen magnum esse, qui tantum Dominum esset nuntiaturus.* [c] Et verbum caro factum est & habitauit in nobis.] *Illud (inquit) verbum, de quo loquebar, & ad quod nunc post interiecta quædam, quæ dictu fuerant necessaria, redeo: ipsum, inquam, Verbum carnem nostram accepit, ac nobiscum versatus est, nam Græce est, ἐσκήνωσε, quasi tabernaculum posuit inter nos, duæ ergo sunt naturæ, & tabernaculum scilicet, hoc est, natura accepta nostra, & inhabitator tabernaculi, Deus.* [d] Et vidimus gloriam eius.] *Hoc est, intuiti sumus, &, vt alibi ait, manus nostræ cōtrectauerunt, gloriam huius verbi, in factis eius ac dictis, & maiestatem, quæ profectò talis fuit, qualem esse decet eius, qui sit vnigenitus Dei patris.* [e] Qui post me venturus est.] *Qui declarandus est post hoc prædicationis meæ exordium, antepositus est mihi, & longe maior agnoscendus, neque id iniuria, quia ante quàm ego fierem, ille erat, nempe Verbum apud Deum.* [f] Gratiam pro gratia.] *Et cur hoc dixerit, declarat: quia lex per Moſen data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est, vt sit sensus. Nos omnes de copia diuinitatis eius ingentem accepimus gratiam pro exigua, si vtraque comparentur. Nam lex quidem aliquid profuit ad deterrendos animos, ne ita præcipites ferrentur in scelera: sed gratia, qua seruamur, & veritas, qua impleta sunt omnia, quæ fuerant ante promissa, per Iesum Christum venit, atque in primis quod pertinet ad agnitionem Dei, qui cum inuisibilis sit, ac lucem habitet inaccessam, hunc filius nobis explicauit, id quod Moses non potuit, atque hoc est, quod ait. Deum nemo vidit vnquam &c.* [g] Propheta ille es tu?] *Non interrogauerunt simpliciter, num esset quispiam propheta, alioqui sine articulo positum esset, verum additus est articulus, ὁ προφήτης, dum eum existimabāt illum esse posse, de quo Moses dixerat, prophetam suscitabit vobis Deus de fratribus vestris, per quem tametsi intelligitur Christus, videtur tamen apud Iudæos illos, qui hæc interrogarunt, factam esse inter vtrunque distinctionem.* [h] Hæc in Bethabara.] *Fortasse hic locus est, de quo habes, Iudicum 7. & ibi vocatur Bethbara.* [i] Ecce agnus.] *Et hic cum articulo ὁ ἀμνὸς, ille agnus, ad quem vnum pertinet ingens prouincia destruendi regni peccati. Et illud peccatum mundi, maiorem habet euidentiam singulari numero, quàm si dixisset, peccata.* [k] Angelos Dei ascendentes, & descendentes super filium hominis.] *Hoc est in eius ministerium, vt in resurrectione eius, & ascensione factum est. Quod autem ait cœlum apertum, mos est scripturæ, vt dicat, cœlum aperiri, cum archana aliqua aperiuntur è cœlo.*

CAPVT II.

A ET die tertia nuptiæ factę sunt in Cana Galilææ:& erat mater IESV ibi. Vocatus est autē & IESVS,
& discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater IESV ad eum: Vinum non habēt. Et dicit
ei IESVS: [a] Quid mihi & tibi est mulier: nōdum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quod-
cunq; dixerit vobis, facite. Erant autē ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorū, ca-
pientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis IESVS implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsq; B
ad summum. Et dicit eis IESVS, Haurite nunc,& ferte architriclino: Et tulerunt. Vt autem gustauit archi
triclinus aquām vinum factam,& non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserāt aquam: vocat
sponsum,& dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tūc id quod dete-
rius est. Tu autem seruasti bonum vinū vsq; adhuc. Hoc fecit initiū signorum IESVS in Cana Galilææ: & C
manifestauit gloriam suā,& crediderunt in eum discipuli eius. Post hæc descendit Capharnaum ipse & ma-
ter eius,& fratres eius,& discipuli eius: & ibi manserunt non multis diebus. Et propè erat pascha Iudęorum,

& ascendit IESVS Hierosolymam:& inuênit in templo vendentes oues & boues & columbas, & numularios sedẽtes.Et cum fecisset flagellum de funiculis,omnes eiecit de templo,oues quoq; & boues: & numulariorum effudit æs:& mensas subuertit.Et his qui columbas vendebant,dixit:Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei,domum negociationis. Recordati sunt vero discipuli eius,quod scriptum est:Zelus Psal.68.b domus tuę comẽdit me.Responderunt ergo Iudæi,& dixerunt ei:Quod signum ostẽdis nobis, quòd hæc facias? Respondit IESVS, & dixit eis: Soluite templũ hoc,& in tribus diebus excitabo illud.Dixerunt ergo matt.26.f &.27.d.e marc.14.f &.16.c Iudæi: [b] Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc: & tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis sui.Cum ergo resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius quòd hoc dicebat, [c] & crediderunt scripturæ,& sermoni quem dixit IESVS. Cum autem esset Hierosolymis Pfal.3.b &.56.b in pascha in die festo:multi crediderunt in nomine eius,videntes signa eius quæ faciebat. Ipse autẽ IESVS [d] non credebat semetipsum eis:eo quòd ipse nosset omnes,& opus ei non erat vt quis testimonium perhiberet de homine.Ipse enim sciebat quid esset in homine.

SCHOLIA.

[a] Quid mihi & tibi est mulier.] *Morem hunc Domini,& in alijs etiam euangelistis nouimus,nolle illum vnquam affectu cognationis quicquam agere,iccirco neque matrem appellat,cui tamen subiectus esse tot annis voluit,et ait, nihil sibi cum illa esse,nimirũ in negocio patris.Nam illud,quid mihi & tibi,Hebraismus est, cum significatur non placere quod quis dixerit,sic 2.Regum xv.quid mihi & vobis filij Saruiæ? Quod autem ait, Nõdũ venit hora mea,sic accipe,quasi dixisset, non deerunt sua tempora declarandi mei,atque ita interpretando,non erit necesse torqueri,quo pacto, si nondum venerat hora eius,declarauit se tamẽ, vel quid sit, venire horam eius.Quòd vero ita liceat, atque adeo necessarium sit interdum interpretari,colligere possumus ex alijs scripturæ locis,vt cum Dominus ait. Patres vestri comederunt manna, & mortui sunt, qui comedit hunc panem, viuet in æternum,nisi mutes illud,mortui sunt,alio verbo,non facile quadrabit,nam & nos æque morimur,qui hoc pane vescimur,quòd si dicas,patres vestri comederunt manna,sed non vixerunt, hoc est, non attulit illud manna vitam æternam,sicut hic panis,quẽ ego do,pulchre conuenit.Similiter & quod Paulus ait:Omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium,si perstes in verbo, vnus, videbitur iuxta prolatam similitudinem, vnus tantum esse seruandus,et in vno illo cogemur philosophari,sin pro vno,dicas,non omnes,sic, non omnes accipiunt brauium, sublata erit omnis difficultas,neque enim omnes seruantur.* [b] Quadraginta & sex annis.] *Colligitur ex Iosepho templum hoc non fuisse illud secundum,quod sub Cyro fuit ædificatum sed tertium ab Herode instauratum.* [c] Et crediderunt scripturæ.] *Quæ prædixit eius resurrectionem:cuius scripturæ,videlicet legis & prophetarum protulit Dominus testimonia discipulis post resurrectionem suam.* [d] Non credebat se eis.] *Iudæis videlicet,quorum corda scrutabatur,quod si accipias de vs, quia ita crediderant,non ita quadrabit,nisi intelligas præuidisse illum,fore,vt non omnes,qui credidissent, perstarẽt in fide, sed prior ratio magis propria videtur.*

CAPVT III.

ERat autem homo ex pharisæis, Nicodemus nomine,Princeps Iudæorum. Hic vènit ad IESVM nocte & dixit ei:Rabbi, [a] scimus quòd à Deo venisti magister:nemo enim potest hęc signa facere quæ tu facis,nisi fuerit Deus cum eo.Respondit IESVS & dixit ei:Amen amẽ dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo,nõ potest videre regnum Dei.Dicit ad eum Nicodemus:Quomodo potest homo nasci cum sit senex? nunquid potest in ventrem matris suę iterato introire & renasci? Respondit IESVS: [b] Amen amẽ dico tibi,nisi quis natus fuerit ex aqua & spiritu,non potest introire in regnum Dei.Quod natum est ex carne,caro est:& quod natum est ex spiritu,spiritus est. Non mireris quòd dixi tibi: Oportet vos nasci denuo. Spiritus vbi vult spirat:& vocem eius audis, sed nescis vnde veniat aut quò vadat: sic est omnis qui natus est ex spiritu.Respõdit Nicodemus & dixit ei: Quomodo possunt hæc fieri? Respõdit IESVS, & dixit ei:Tu es magister in Israel,& hæc ignoras? Amen amen dico tibi: quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur,& testimonium nostrum non accipitis.Si terrena dixi vobis & non creditis: quomodo si dixero vobis cœlestia,credetis? Et nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, filius hominis qui est in cœlo. Et Nume.21.c sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto:ita exaltari oportet filiũ hominis, vt omnis qui credit in ipsum 1.Ioan.4.b non pereat,sed habeat vitam æternam.Sic enim Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum,non pereat,sed habeat vitam æternã.Non enim misit Deus filium suum in mũdum vt iudicet mundum,sed vt saluetur mundus per ipsum.Qui credit in eum, non iudicatur:qui autẽ non credit iam iudicatus est:quia non credidit in nomen vnigeniti filij Dei. Hoc est autem iudicium: quòd lux venit in mundum,& dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem:erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit,odit lucem:& non venit ad lucem,vt non arguantur opera eius:qui autem facit veritatem,venit ad lucem,vt manifestentur opera eius,quia in Deo sunt facta. Post hæc venit IESVS & discipuli eius in terram Iudæam, & illic morabatur cum eis & baptizabat. Erat autem & Ioannes baptizans in Enon iuxta Salim:quia aquæ multæ erant illic,& veniebant & baptizabantur. Nondum enim missus fuerat Ioannes in carcerem. Facta est autem quæstio ex discipulis Ioannis cum Iudæis de purificatione. Et venerũt ad Ioannem,& dixerunt ei,Rabbi,qui erat tecum trans Iordanem,cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat,& omnes veniunt ad eum.Respondit Ioannes,& dixit: [d] Nõ potest homo accipere quicquàm,nisi Supra.1.c fuerit ei datum de cœlo.Ipsi vos mihi testimonium perhibetis quòd dixerim:Non sum ego CHRISTVS, sed missus sum ante illum.Qui habet sponsam,sponsus est:amicus autem sponsi qui stat & audit eũ, gaudio gaudet propter vocem sponsi.Hoc ergo gaudium meum impletũ est.Illum oportet crescere: me aũt minui. Qui de sursum venit,super oẽs est. [e] Qui est de terra, de terra est, & de terra loquitur:qui de cœlo venit,super omnes est.Et quod vidit & audiuit,hoc testatur: & testimonium eius nemo accipit. Qui autem accipit Roma.3.a eius testimonium,signauit,quòd DEVS VERAX EST. Quem enim misit Deus, verba Dei loquitur: non

non enim ad mẽsuram dat Deus spiritum.Pater diligit filium:& omnia dedit in manu eius. Qui credit in fi- 1.Ioan.5.b lium,habet vitam æternam:qui autem incredulus est filio,non videbit vitam,sed ira Dei manet super eum.

SCHOLIA.

[a] Scimus,quòd à Deo venisti magister.] *Vide,vt sine ambitione sint euangelistarum narrationes, dum tantis de rebus tam simplici ac breui vtuntur oratione.* [b] Amen amen dico tibi.] *Cum dixisset Nicodemus: scimus quòd à deo venisti magister,idem est,ac si dixisset:iccirco veni ad te,vt doceas,qua via assequar hoc regnum Dei, quod prædicas:quam obrem docet eum Dominus,oportere eum nasci denuo,nam etsi illud ἄνωθεν,superne etiam significet, videtur tamen Nicodemus priorem accepisse significationem,cum miretur,num valeat quis iterum in ventrem matris introire & renasci, quòd si de supernis nascendum intellexisset,facilius agnoscere potuisset nascendi differentiam. Deinde dilucidiorem aliquanto facit rem Dominus,addens,oportere nasci ex aqua & spiritu,et causam reddit,quòd alia sit ratio generatio carnis,alia spiritus, illa his oculis cernitur,hæc inuisibilis sit modo,& exemplum profert apud homines tritum spiritus scilicet ac venti, cuius flatus etsi per corpora agatur, itinera tamen eius non vales obseruare,& quia huius generationis modus ignorabatur mundo, admirans Nicodemus quærit, quonam hæc modo possint fieri, quem leuiter perstringens Dominus, respondet,non decere hominem,qui aliorum magister sit,hæc ignorare, Deinde taxat Iudæos,et quod testimoniũ eius non accipiant, & quòd demissa nimium sint cogitatione,ac sensibus,qui,cum ne minora quidem hæc,quæ terrena appellat, intelligant:quo pacto maiora sunt intellecturi? videlicet quòd nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo, & cætera talia,in quibus verbis duo significauit,& se Deum esse,quippe qui in cœlo sit,nempe apud patrem,& humanitatem suam ita copulatam diuinitati, vt vna sit persona,quod nisi esset,non potuisset dicere,filium hominis esse in cœlo.Quod vero ait,neminem ascendisse in cœlum,nisi eũ, qui è cœlo descendit,nempe filium hominis,mihi videtur,significare voluisse,neminem præter se potuisse afferre è cœlo secreta illa,quæ per eius aduentum nobis sunt declarata:vt interpretemur illud,ascendisse in cœlum, quemadmodum & Paulus illud interpretatus est:quis ascendit in cœlum? hoc est,ad deducendum Christum,ita hoc loco,nemo ascendit in cœlum,ad illa cœlestia deducenda,hoc est,nemo deduxit è cœlo talia, sed ne deducere quidem potuit.* [c] Non enim misit Deus filium suum vt iudicet mundum.] *Quid erat necesse,hanc remouere dubitationem, quòd videlicet Deus nõ miserit filiũ suum in mundi condemnationem? ob hanc causam opinor,quòd,cum aduentu Christi, Iudæi ob infidelitatem suam essent abiciendi,quibus tamen venerat seruãdis Christus,res contra erat casura,quàm ab omnibus expectabatur, ideo præuenit Dominus admonens,Deum quidem ob solam benignitatem, & ob seruandos homines misisse illum vnigenitum suum filium, non ob condemnandos,sed vt credens mundus,per illum seruetur,quòd si quis non credit,ipse se suo iudicio damnat, non Deus in causa est.Addit etiam causam,cur credere noluerint:quòd eorum scilicet facta mala erant, & assueta tenebris, iccirco lucem illos refugisse,quibus verbis scribæ in primis pharisæi,q; taxantur:nihil enim tam ad credendum, inertem,atque adeo ineptũ facit,vt iniqueque facta.* [d] Non potest homo accipere quicquam.] *Non licet homini quicquã sibi arrogare,sed id tantum tenere quod à Deo sibi est datum,quare meminisse potestis,me iam dixisse, non esse me Christum.* [e] Qui est de terra.] *Illa repetitio,de terra est,non est nugatio,quam dicunt,sed vehemens confirmatio suæ humilitatis,et celsitudinis Christi, seq; præ illo fatetur admodum humilia loqui:hoc enim est,loqui de terra,quemadmodum et superius dixit, si terrena dixi vobis, hoc est humiliora,& quod ait,quod vidit,& audiuit,hoc testatur,significat illum attulisse è cœlo,& è sinu patris arcana illa,quorum ab æterno erat conscius.Sed nemo,inquit, hoc est, admodum pauci admittunt eius testimonium,verum quisquis illud admittit,euidenter agnoscit,veram hanc esse philosophiam,atque a Deo,perinde quasi sigillũ illius veritatis animo eius imprimatur,obtestans,quod veritati fidem adhibuerit,quodq; illud nisi demum præstiterit Deus,quod iam olim fuerat pollicitus,miseritq; illum vnigenitum,in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis,infinita & immensa.*

CAPVT IIII.

A VT ergo cognouit Dominus audisse pharisæos, quòd IESVS plures discipulos facit & baptizat, quàm Ioannes (quanquam IESVS ipse non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, & abijt iterum in Galilæam:oportebat autem eum transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatem Samariæ quæ dicitur Sichar, [a] iuxta prædium quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autem ibi fons Iacob. Gene.48.d IESVS ergo fatigatus ex itinere, sedebat sic super fontem. Hora autem erat quasi sexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam.Dicit ei IESVS: Da mihi bibere: [b] Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.Dicit ergo ei mulier illa Samaritana:Quomodo tu Iudæus cum sis,bibere à me poscis,quę sum mulier Samaritana? non enim commercium habent Iudæi cum Samaritanis.Respondit IESVS, & dixit ei:Si scires donum Dei,& quis est qui dicit tibi:Da mihi bibere:tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam B viuam.Dicit ei mulier:Domine,neq; quo haurias habes, & puteus altus est:vnde ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob,qui dedit nobis puteum: & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respõdit IESVS, & dixit ei:Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum:qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei,non sitiet in æternum:sed aqua, quam ego dabo ei,fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier:Dñe,da mihi hanc aquam:vt non sitiam,neque veniam huc haurire.Dicit ei IESVS: Vade, [c] voca virum tuum, & veni huc. Respondit mulier, & dixit: non habeo virum. Dicit ei IESVS, Bene dixisti: Non habeo virum. Quinque enim viros habuisti: & nunc quem habes non est tuus vir, hoc vere dixisti. Dicit ei mulier: Domine, video quòd propheta es tu: [d] Patres nostri in monte hoc adorauerunt: & vos dicitis quòd Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Dicit ei IESVS, C Mulier,crede mihi:Venit hora,quando [e] neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudæis est. Sed venit hora & nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate:nam & pater tales quærit, qui adorent 2.Cor.5.d eum.Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum,in spiritu & veritate oportet adorare.Dicit ei mulier: [f] Scio quòd Messias veniet,qui dicitur CHRISTVS: cum ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia.Dicit ei

IESVS: Ego ſum,qui loquor tecum. Et continuo venerunt diſcipuli eius:& mirabantur quòd cum muliere loqueretur:nemo tamen dixit:Quid quæris,aut quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hidriam ſuam mulier:& abijt in ciuitatem,& dicit illis hominibus, Venite,& videte hominem,qui dixit mihi omnia quæcunque feci: [g] nunquid ipſe eſt CHRISTVS? Exierunt ergo de ciuitate & veniebant ad eum. Interea vero rogabant eum diſcipuli,dicentes:Rabbi,manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo mãducare quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli adinuicem. Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit ei IESVS: Meus cibus eſt,vt faciam volũtatem eius,qui miſit me,& perficiam opus eius. Nónne vos dicitis ꝙ adhuc quatuor menſes ſunt & meſsis venit? Ecce dico vobis, leuate oculos veſtros & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. Et qui metit,mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam, vt & qui ſeminat ſimul gaudeat & qui metit: [h] in hoc enim eſt verbũ verum:ꝙ alius eſt,qui ſeminat,& alius eſt,qui metit. Ego miſi vos mettere quod vos non laboraſtis:alij laborauerunt,& vos in labores eorum introiſtis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris teſtimonium perhibentis ſcilicet: Dixit mihi omnia quæcunq; feci. Cum veniſſent ergo ad illum Samaritani:rogauerunt eum,vt apud eos maneret. Et manſit ibi duos dies. Et multo plures crediderunt propter ſermonem eius. Et mulieri dicebant,Iam non propter tuam loquelam credimus. Ipſi enim audiuimus,& ſcimus ꝙ hic eſt vere ſaluator mũdi CHRISTVS. Poſt duos autem dies exijt inde:& abijt in Galilæam. Ipſe enim IESVS teſtimonium perhibuit, ꝙ propheta in ſua patria honorem non habet. Cum ergo veniſſet in Galilæam,exceperunt eum Galilæi, cum omnia vidiſſent,quæ fecerat Ieroſolymis in die feſto:& ipſi enim venerant ad diem feſtum. Venit ergo iterũ in Cana Galilææ, vbi fecit aquam vinum. [i] Et erat quidam regulus cuius filius infirmabatur Capharnaũ. Hic cum audiſſet ꝙ IESVS aduenieret à Iudæa in Galilæam abijt ad eum:& rogabat eum, vt deſcenderet & ſanaret filium eius,incipiebat enim mori. Dixit ergo IESVS ad eum: [k] Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis. Dicit ad eum regulus:Domine, deſcende prius quàm moriatur filius meus. Dicit ei IESVS, Vade,filius tuus viuit. Credidit homo ſermoni quem dixit ei IESVS,& ibat. Iam autem eo deſcendẽte,ſerui occurrerunt ei,& nuntiauerunt dicentes ꝙ filius eius viueret. Interrogabat ergo horam ab eis in qua melius habuerat. Et dixerũt ei. Heri hora ſeptima reliquit eũ febris. Cognouit ergo pater ꝙ illa hora erat in qua dixit ei IESVS,Filius tuus viuit:& credidit ipſe,& domus eius tota. Hoc iterum ſecundum ſignum fecit IESVS, cum veniſſet à Iudæa in Galilæam.

matt 13.g marc.6.a Luce.4.c Matt.4.b marc.1.b Luce.4.c

SCHOLIA.

[a] Iuxta prędium,quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo.] *Hoc illud eſt, quod legitur Geneſeos cap. 48. vbi ait Iacob ad Ioſeph: Et ego dedi tibi partem vnam ſuper fratres tuos,quam cœpi è manu Amorræi gladio & arcu meo.* [b] Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem.] *Reddit cauſam Euangeliſta,cur petierit à muliere potum,nec mirum quidem erat, ſitiuiſſe Ieſum,qui ex itinere eſſet fatigatus,ſed obſeruanda eſt in primis,& bonitas,& ſapientia Domini, vt paulatim mulierem,dum perſtat in illa aquæ,& potus ſimilitudine,altius euehit,& ad agnoſcendam veritatem trahit: Contemplare & mulieris prudentiam,qua quaſi ſuſpenſa hæreat,cur homo Iudæus ab alienigena petat potum, & in perpetuo etiam ſermone prudentiam præ ſe ferat,non vulgarem.* [c] Voca virum tuum.] *Hoc præcipit Dominus, vt per ea, quæ hac occaſione dicenda erant,intelligeret mulier,quiſnam eſſet,qui ſecum loqueretur.* [d] Patres noſtri in monte hoc adorauerunt.] *Videtur hæc mulier iam olim optaſſe,hunc euelli ſibi ex animo ſcrupulum,qui eam torqueret, & nunc tempus eſſe arbitrata eſt idoneum,quo animo ſuo faceret ſatis.* [e] Neq; in monte hoc,neq; Ieroſolymis.] *Non poſt hac ſub temporis & loci obſeruatione cultus exhibebitur Deo. Quin & illud(inquit)addam, Vos non habere integrum diuini cultus rationem, ſed eam à Iudæis proficiſci oportere,& inde expectandam,tempusq; iam imminere,quo hæc impleantur.* [f] Scio,quod Meſsias venit.] *His mulieris verbis colligitur, & Samaritanos illo ipſo tempore expectaſſe Meſsiam,cum hæc ſperet,ſe ab eo docendam hæc omnia. At hic mox ſe Dominus aperit,non dedignatus mulierculam. Nos vero,ſi de paulo grauioribus rebus extra conuentum loquimur,& eam frequentiam,in qua oratorum ſtudia niti ſolent,continuo frigeſcimus. Ob hanc Domini ſubmiſſionem, etiam diſcipuli ſunt admirati, quòd cum mulierecula loqueretur.* [g] Nunquid ipſe eſt Chriſtus?] *Et hoc prudentius,quàm ſi dixiſſet,ipſe mihi ſe aperuit Chriſtum eſſe,voluit ergo,vt illi ipſi experirentur,et factis agnoſcerent.* [h] In hoc enim eſt verbum verum.] *Hoc eſt,prouerbium illud,quòd alius metit,quæ alius ſeminauit,hoc manifeſte verũ eſt, nam vos meſſuri eſtis,quæ ab alijs ſunt ſeminata,ſed qui ſeminauerunt,æque ſunt gauiſuri,atque ij,qui metunt.* [i] Et erat quidam regulus.] *Non eſt, βασιλίσκος, ſed βασιλικός, quem appellare poſſumus,palatinum, quòd & diuus Hieronymus antea obſeruauit.* [k] Niſi ſigna & prodigia videritis,non creditis.] *Quid? an non ſigna faciebat, vt crederent? ſed videtur reprehendere Iudæos,quòd adhuc expectarent ſigna,nequedum eum cæci agnouiſſent,poſt tot indicia.*

CAPVT V.

POſt hæc erat dies feſtus Iudæorum:& aſcendit IESVS Ieroſolymam. Eſt autẽ Ieroſolymis, [a] in Probatica, piſcina, quæ cognominatur Hebraice Bethſeda, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium,cœcorum,claudorum,aridorum: expectantium aquæ motum. Angelus enim Domini [b] deſcendebat ſecundum tempus in piſcinam,& mouebat aquam. Et qui primus deſcendiſſet poſt motionem aquæ:ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate. Hunc cum vidiſſet IESVS iacentem, & cognouiſſet ꝙ iam multum tempus haberet,dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: [c] Domine,hominem non habeo, vt cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam: dum venio enim ego, alius ante me deſcendit. Dicit ei IESVS: Surge,tolle grabatum tuum & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum,& ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudei,illi qui ſanatus fuerat:Sabbatum eſt, [d] non licet tibi tollere grabatum. Reſpondit eis:Qui me ſanum fecit,ille mihi dixit: Tolle grabatũ tuũ & ambula. Interrogauerunt ergo eum:Quis eſt ille homo,qui dixit tibi, Tolle grabatum tuum & ambula?

Is autem

Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. IESVS enim declinauit à turba conſtituta in loco. Poſtea inuenit eum IESVS in templo,& dixit illi:Ecce ſanus factus es,iam noli peccare,ne deterius tibi aliquid contingat. Abijt ille homo:& nuntiauit Iudæis quòd IESVS eſſet qui fecit eum ſanum. Et propterea perſequebantur Iudæi IESVM & quærebant eum occidere,quia hæc faciebat in ſabbato. IESVS autem reſpondit eis: [c] Pater meus vſque modo operatur:& ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudęi interficere,quia non ſolum ſoluebat ſabbatum,ſed & patrem ſuum dicebat Deum, [f] æqualẽ ſe faciens Deo. Reſpondit itaque IESVS, & dixit eis:Amen amen dico vobis, [g] non poteſt filius à ſe facere quicquam niſi quid viderit patrem facientem:quæcunq; enim ille facit,hæc & filius ſimiliter facit. Pater enim diligit filiũ, & omnia demonſtrat ei,quæ ipſe facit:& maiora his demonſtrabit ei opera,vt vos miremini. Sicut enim pater ſuſcitat mortuos & viuificat:ſic & filius quos vult viuificat. [h] Neq; enim pater iudicat quẽquam: ſed omne iudicium dedit filio,vt omnes honorificent filium,ſicut honorificant patrem. Qui non honorificat filiũ, non honorificat patrem,qui miſit illum. Amen amen dico vobis: qui verbum meum audit & credit ei, qui miſit me,habet vitam ęternam:& in iudicium non venit:ſed tranſit à morte in vitam. Amen amen dico vobis,ꝙ [i] venit hora,& nũc eſt,quando mortui audient vocem filij Dei:& qui audierint,viuent. [k] Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo,ſic dedit & filio habere vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei iudicium facere, [l] quia filius hominis eſt. Nolite mirari hoc:quia veniet hora,in qua omnes,qui in monumẽtis ſunt, audient vocem eius:& procedent,qui bona fecerunt,in reſurrectionem vitæ:qui vero mala egerunt, in reſurrectionem iudicij. Non poſſum ego à meipſo facere quicquam. Sicut audio,iudico:& iudicium meum iuſtum eſt:quia non quæro voluntatem meam,ſed voluntatem eius,qui miſit me patris. [m] Si ego teſtimoniũ perhibeo de me,teſtimonium meum non eſt verum. Alius eſt, qui teſtimonium perhibet de me:& ſcio verũ eſſe teſtimonium,quod perhibet de me. Vos miſiſtis ad Ioannem:& teſtimonium perhibuit veritati. Ego autem non ab homine teſtimonium accipio: ſed hæc dico, vt vos ſalui ſitis. Ille erat lucerna ardens & lucens. Vos autem [n] voluiſtis ad horam exultare in luce eius. Ego autem habeo teſtimonium maius teſtimonio Ioannis. Opera enim, quæ dedit mihi pater, vt perficiam ea:ipſa opera,quę ego facio teſtimonium perhibent de me,ꝙ pater miſerit me: [o] & qui miſit me pater,ipſe teſtimonium perhibuit de me:neque vocem eius vnquam audiſtis, [p] neque ſpeciem eius vidiſtis: & verbum eius non habetis in vobis manens: quia quem miſit ille,huic vos non creditis. Scrutamini ſcripturas:quia vos putatis in ipſis vitam æternam habere. Et illę ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me,& non vultis venire ad me, vt vitam habeatis. Gloriam ab hominibus non accipio. Sed cognoui vos,ꝙ dilectionem Dei non habeatis in vobis. Ego veni in nomine patris mei, & non accipitis me:ſi alius venerit in nomine ſuo,illum accipietis: [q] Quomodo vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis:& gloriam:quæ à ſolo Deo eſt,non quæritis? Nolite putare quòd ego accuſaturus ſim vos apud patrem:eſt qui accuſat vos:Moyſes,in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis vtique mihi:de me enim ille ſcripſit. Si autem illius literis non creditis:quomodo verbis meis credetis?

Matt.3.d Supra.1.c Matt.3.d

SCHOLIA.

[a] In probatica.] *Græca dictio eſt,ab oue deriuata,eſt enim πρόβατον ouis, vnde προβατικὴ ouilla.* [b] Deſcendebat ſecundum tempus.] *Hoc eſt,certo quodam tempore: atque hic locus facit apertius illud ad Rom.5. ſecundum tempus pro impijs mortuus eſt,hoc eſt,ſuo & ſtatuto tempore.* [c] Domine hominem non habeo.] *Sic reſpondet ægrotus,ignorans,quid agere vellet Dominus,quaſi diceret, vellem ego quidem ſanus fieri, & ob hanc cauſam tot annis in his porticibus conſeneſco,ſed deeſt qui me ocyus,cum mouetur aqua,in piſcinam mittat,tanquam tacite petens,qui ſibi hoc obſequium accõmoder.* [d] Non licet tibi tollere grabatum.] *Immò in hoc facto licebat,cum eſſet ob gloriam Dei, ſicut & ſabbato cædere licebat victimas. Sed deerat illi eorum legis æmulationi ſcientia.* [e] Pater meus vſque modo operatur.] *Dicetis (inquit)mihi,non eſſe operandum ſabbato, quia & de Deo in veſtra lege ſcriptum eſt, ceſſaſſe illum ab operibus die ſabbati. Sed noueritis,patrem meum adhuc operari,& opera eius,ne die quidem ſabbati eſſe prohibenda, at ego eadem ipſa opera patris mei nunc operor.* [f] Æqualem ſe faciens Deo.] *Hoc melius intellexerunt Iudæi,quàm poſtea hæretici illi,qui imparem patri filium faciebant,qui ſi fuiſſet error opinionis in Iudæis,correxiſſet illum Ioannes, vt ſolet, nec paſſus eſſet,ſalli nos in re tanta,nunc vero approbat id verum eſſe,quod ſentiebant, velle ſcilicet eum intelligi,ſe æqualem eſſe patri.* [g] Non poteſt filius à ſe facere quicquam.] *Cum ex his verbis acciperent hæretici occaſionem derogandi dignitati filij, tanquam minus potentis,atque ideo minoris,theologus Nazianzenus docte declarat hunc locum,his verbis: Impoſſibile eſt, quicquam facere filium,quod non faciat pater,Omnia enim quæcunque habet pater,filij ſunt,ſicut rurſus,quæ filij ſunt,& patris ſunt,nihil igitur habet priuatum,quia communia omnia,quandoquidem & ipſum eſſe faciet futurum,& ad illa ſpectans filius, alium quidem effecit,alium autem facturus eſt: quatuor ergo mundi hac ratione erunt,alij quidem patris opus,alij filij,quàm abſurda ratio. At vero purgat à lepra,à dæmonijs & morbis liberat,& viuificat mortuos, & ſuper mare ambulat, & alia facit, quæcunque fecit,quo exemplo? & quando hæc pater antea eſt operatus? Illa ergo verba ſignificant eandem, & honoris & poteſtatis æqualitatem.* [h] Neq; enim pater iudicat quenquam.] *Vt nihil deeſſe illi intelligant ad æqualitatem.* [i] Venit hora & nunc eſt.] *Nam ſuſcitaturus erat & Lazarum, & alios: mox vero & de reſurrectione omnium in fine mundi mentionem facit.* [k] Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo.] *Hoc idem eſt, ac ſi diceret, ſicut pater eſt vita,ſic genuit filium qui & ipſe vita eſt.* [l] Quia filius hominis eſt.] *Vult Chryſoſtomus ad euitandum hæreſim Pauli Samoſateni, qui filium purum eſſe hominem docebat, hunc locum ita legi: Quia filius hominis eſt,nolite mirari hoc, quaſi dicat,eſſe filium hominis eſt, eſt tamen & Deus. Poteſt tamen & alteri diſtinctioni inueniri catholica expoſitio,ſic: Et poteſtatem*

dedit

dedit ei iudicy faciendi, etiam quatenus filius hominis est, quam potestatem, quatenus Deus est, semper habuit, vt sit sensus: Cernitis me solis hominē: verum & Deus sum, sic tamen, vt, quia vna persona sum Deus et homo, ego, quem cernitis, habeam iudicy exercendi potestatem. m Si ego testimonium perhibeo de me.] *Hæc ad eorum, quibus loquebatur, opinionem referenda sunt verba, qui eum solum hominem credebant.* n Voluistis ad horam exultare.] *Quasi diceret, tantum non existimastis illum esse Christum: mihi vero qui maius habeo testimonium, non creditis.* o Et qui misit me pater, ipse testimonium perhibuit de me.] *Siue in baptismate intelligas, siue in lege & prophetis.* p Neq; speciem eius vidistis.] *Non dixit, eum, sed speciem eius, quæ nimirum in filio cernitur, qui enim fieri potest, vt patrem norit, qui ab eo filium remouet?* q Quomodo vos potestis credere.] *Cernis quid faciat appetitio gloriæ & honorum? an autem quærere honorem liceat, audi magnum Basilium. Reddere quidem, cui honorem, honorem, docemur, quærere autem prohibemur, Domino dicente: Quomodo potestis vos credere, dum gloriam alter ab altero accipitis: & gloriam, quæ à solo Deo est, non quæritis? Itaque quærere ab hominibus gloriam, significatio est infidelitatis, & alieni à pietate animi, & cultu Dei, dicente Apostolo: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem. Quod si datum ab hominibus gloriam accipientes, ita condemnati sunt, vt, qui non datam quærunt, ineffabile ferent iudicium. Hæc ille.*

CAPVT VI.

Matt.14.b Marc.6.c Luce.9.b

POst hæc abijt IESVS trans mare Galilææ, quod est Tiberiadis: & sequebatur eum multitudo magna, A quia videbant signa, quę faciebat super his qui infirmabantur. Subijt autem in mōtem IESVS: & ibi sedebat cū discipulis suis. Erat autē proximum pascha dies festus Iudęorum. Cū subleuasset ergo oculos IESVS, & vidisset ꝙ multitudo maxima venit ad eū, dicit ad Philippū: Vnde ememus panes, vt manducent hi? a Hoc autem dicebat tentans eum: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducento rum denariorum panes nō sufficiunt eis, vt vnusquisq; modicū quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tam multos? Dixit autem IESVS: Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque milia. Accepit autem IESVS panes: & cum gratias egisset dedit discipulis, discipuli vero discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. Vt autem impleti sunt, dixit discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo, & im B
pleuerunt b duodecim cophinos fragmentorū ex quinq; panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui mā-
Matt.14.c Marc.6.f ducauerant. Illi ergo homines, cum vidissent quod IESVS fecerat signum, dicebant: Hic est vere propheta, c qui venturus est in mundum. IESVS ergo cum cognouisset quòd venturi essent, vt raperent eum, & face-
rent eum regem: secessit iterum in montem ipse solus. Vt autem facta est vespera, descenderūt discipuli eius
ad mare. Et cum ascendissent nauim, venerunt trans mare in Capharnaum, & tenebræ iam factæ erant: &
non venerat ad eos IESVS. Mare autem, vento magno flante, exurgebat. Cum remigassent ergo quasi sta-
dia vigintiquinque, aut triginta, vident IESVM ambulantem supra mare, & proximum naui fieri, & time-
uerunt. Ille autem dicit eis: Ego sum, nolite timere. Voluerunt ergo accipere eum in nauim: & statim nauis fuit
ad terram ad quam ibant. Postero die, turba, quæ stabat trans mare, vt vidit ꝙ nauicula alia non erat ibi, nisi C
vna illa, quam ingressi fuerant discipuli eius: & quòd non introisset cum discipulis suis IESVS in nauicu-
lam, sed soli discipuli eius abijssent (aliæ vero superuenerunt nauiculæ à Tiberiade iuxta locum vbi mandu-
cauerant panem, gratias agente Domino.) Cum ergo vidisset turba quòd IESVS non esset ibi, neque discí-
puli eius, ascenderunt & ipsi in nauiculas, & venerūt Capharnaum quærentes IESVM. Et cum inuenissent
eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando huc venisti? Respondit eis IESVS, & dixit: Amen amen dico
vobis, quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. d Operamini
non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam ęternam, quem filius hominis dabit vobis: hunc enim pater
1.Ioan.3.d signauit Deus. Dixerunt ergo ad eum: Quid facimus, vt operemur opera Dei? Respōdit IESVS, & dixit eis:
e Hoc est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit ille. Dixerunt ergo ei: Quod ergo tu facis signū, vt videa-
Exod.16.e Nume.11.b Psal.77.c Sapiē.16.c mus & credamus tibi? quid operaris? f Patres nostri manducauerunt manna in deserto, sicut scriptum est: D
Panem de cœlo dedit eis manducare. Dixit ergo eis IESVS: Amen amen dico vobis, non Moyses dedit vo-
bis panem de cœlo, sed pater meus dat vobis panem de cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descen-
dit, & dat vitam mundo. Dixerunt ergo ad eum: Domine, semper da nobis panem hunc. Dixit autem eis IE
Eccle.24.c SVS: Ego sum panis vitæ: qui venit ad me, non esuriet: & qui credit in me, non sitiet in æternum. Sed dixi
vobis quòd & vidistis me, & non credidistis. g Omne quod dat mihi pater, ad me veniet: & eum qui vēnit ad
me, non eijciam foras, quia descendi de cœlo, h nō vt faciam voluntatem meam, sed eius, qui misit me. Hæc
est autē voluntas eius, qui misit me patris, vt omne quod dedit mihi, nō perdā, sed resuscitē illud in nouissí-
mo die. Hęc est autē voluntas patris mei, qui misit me: vt omnis, qui videt filiū & credit in eum, habeat vitā
æternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die. Murmurabant ergo Iudęi de illo, ꝙ dixisset: Ego sum pa- E
Matt.13.g Esaia.54.d Hiere.31.b nis, qui de cœlo descendi: & dicebant: Nónne hic est IESVS filius Ioseph, cuius nos nouimus patrem & ma-
trem? Quomodo ergo dicit hic, De cœlo descendi? Respōdit ergo IESVS, & dixit eis: Nolite murmurare
inuicem: i nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum, & ego resuscitabo eum in nouis-
simo die. Est scriptum in prophetis: Et erunt omnes docti à Deo. Omnis ergo qui audiuit à patre & didicit,
Exod.26.c venit ad me. k Non ꝙ patrem viderit quisq̄, nisi is, qui est à Deo, hic vidit patrem. Amen amen dico vobis,
qui credit in me, habet vitam æternam. Ego sum panis vitæ. Patres vestri manducauerunt manna in deser-
to, l & mortui sunt. Hic est panis de cœlo descendēs: vt siquis ex ipso manducauerit, non moriatur. Ego sum
panis viuus, qui de cœlo descendi. Si quis mānducauerit ex hoc pane, viuet in ęternū: & panis quem ego dabo,
caro mea est, quam ego dabo pro mūdi vita. Litigabāt ergo Iudæi adinuicem, dicentes: Quomodo potest hic
nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis IESVS: Amen amen dico vobis, m nisi māduca-
ueritis

F ueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habetis vitam in vobis. Qui manducat meam 1.Cor.11.f
carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternā, & ego resuscitabo eū in nouissimo die. Caro enim
mea, vere est cibus: & sanguis meus, vere est potus: qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinē, in
me manet, & ego in illo. Sicut misit me viuens pater, n & ego viuo propter patrem: & qui manducat me, &
ipse viuet propter me. Hic est panis, qui de cœlo descendit: nō sicut manducauerunt patres vestri manna: &
mortui sunt. Qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hæc dixit in synagoga docens in Capharnaū.
Multi ergo audientes ex discipulis eius dixerunt: Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Sciens autem
IESVS apud semetipsum ꝙ murmurarent de hoc discipuli eius, dixit eis: Hoc vos scandalizat? o Si ergo vi-
deritis filium hominis ascendentem vbi erat prius? Spiritus est, qui viuificat: caro non prodest quicquā. Ver-
G ba, quæ ego loquor vobis, spiritus & vita sunt. Sed sunt quidam ex vobis, qui non credunt. Sciebat enim ab
initio IESVS, qui essent non credentes, & quis traditurus esset eum. Et dicebat: propterea dixi vobis, ꝙ ne-
mo potest venire ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ex eo multi discipulorum eius abierunt retro: &
iam non cum illo ambulabant. Dixit ergo IESVS ad duodecim: Nunquid & vos vultis abire? Respōdit er-
go ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus ꝙ
tu es CHRISTVS filius Dei viui. Respondit eis IESVS: Nónne ego vos duodecim elegi: & ex vobis vnus Matt.16.c
diabolus est? Dicebat aūt de Iuda Simōnis Iscariote: hic enim erat traditurus eū cū esset vnus ex duodecim.

SCHOLIA.

a Hoc autem dicebat, tentans eum.] *Cernis, vt hic corrigat Euangelista, quod opinari quis falso potuisset? quod si opus fuisset, idem fecisset, cum dicit Iudæos persequi Dominum, quòd æqualem se Deo faceret.* b Duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis.] *Sed cur non superfuere fragmenta piscium? Fortasse, quod per pā-nes intelliguntur dogmata & mysteria fidei, per pisces ver[illegible] condimenta sunt panis, præcepta charitatis: dogmatibus ergo saturamur quidem, sed supersunt adhuc, quæ hic plene percipere nequimus: at ys, quæ de charitate præcipiuntur, nunquam saturari possumus, nedum vt queant supereſſe, nunquam enim tantum quis amat, quantum illi est amandum: non decunt ergo, vt pisces supereſſent, quos omnes comedere iubemur, cum præcipitur, vt ex toto corde, tota anima, tota mente, omnibus viribus diligamus Deum, & proximum nostrum, tanquam nos ipsos, quod etsi non præstamus, id tamen, vt præstemus, imperatur. At panum ejus integer, hoc est, dogmatum curiosior perueſtigatio, etiam prohibetur, nam scrutator (inquit) maiestatis opprimetur à gloria.* c Qui venturus est in mundum.] *In Græco est, ὁ ἐρχόμενος, hoc est, Veniens, vel qui venit, significat autem eum, qui expectabatur venturus: verti ergo poterat qui venturus erat in mundum. De hac loquendi proprietate latius alibi diximus.* d Operamini non cibum, qui perit.] *Non iccirco tamen prohibet operari manibus, & manu atque arte victum quærere, sed reprehendit eos, qui Dominum sequerentur, non cœlestis regni gratia, sed ob corporis cibum. Sed quærendum est primum regnū Dei, deinde exercendus labor, idq; non metu, nequid desit, aut ob sui sollicitudinem, sed vt præceptum impleat, quod operari manibus suis iubet, vt habeat, quo proximum iuuet.* e Hoc est opus Dei, vt credatis.] *Ecce fidem appellari & ipsam opus.* f Patres nostri manducauerunt manna.] *Homines ventri deditos, quos & apostolus damnat, cum ait: quorum Deus venter est. Hi ergo producentes exemplum de manna, clam significabant, nullis sibi signum magis placuisse, quam quod diudum fecerat, in panum multiplicatione: at Dominus conatur eos altius euehere & de cibo cœlesti, hoc est, de se philosophatur.* g Omne quod dat mihi pater.] *Dare patrem filio aliquos, est, cum quis credit filium à patre genitum.* h Non, vt faciam voluntatem meam.] *Non iccirco quòd sit priuata voluntas Dei filij à patre Deo disuncta, hoc dictum est, sed potius, quòd non sit. Ait ergo: non vt faciam voluntatem meam, neque enim habeo voluntatem seiunctam à patris voluntate, cum sit vna voluntas, quemadmodum & substantia vna amborum. Idem dicendi modus est & in eo, quod dicit: neque iniquitas mea, neque peccatum meum, non enim hoc dicit, quasi adsit ei peccatum, sed quòd non adsit: similiter illud, non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus, neque enim fecimus: multa enim in hunc modum dicuntur, non quod aliquid ponant, sed quod auferant. Sic soluit Theologus. Declarat autem hoc sermone Dominus, & consilium patris, & suum alacrem ad seruandos homines animū. Descendit ergo, non vt faciat voluntatem suam, hoc est, vt quærat, quæ sua sunt, sed vt consilium patris exequatur.* i Nemo potest venire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum.] *Oportebat Dominum, in tam excelsis rebus, quasi in ænigmate loqui ad illos ea, quæ suis temporibus à fidelibus essent intelligenda. Iccirco & in parabolis se loqui dicebat. Hoc igitur, quod nunc ait, neminem posse venire ad se, nisi tractum à patre suo, significabat, eos nunquam intellecturos quis esset, nisi cum crederent se æqualem patri: quod est, venire ad filium, & trahi à patre: quod nequis opinetur nunquam futurum, dicit scriptum esse, atque ideo impleri oportere, futurum scilicet, vt omnes à Deo docti sint: quod nunc planè cernimus: cum idiotæ ea intelligant nullo negocio, quæ doctissimis Iudæorum erant obscurissima. Potest & sic intelligi, dicta fuisse illa verba, nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit eum, videlicet, per spiritum suum. Loquitur enim de diuino illo mysterio, quod Christus instituit, in diuina illa sua sacratissima cœna, qua viuam suam innocentem carnem, et sacratissimū sanguinem cū humana natura communicauit.* k Non quòd patrem viderit quispiam.] *Dixerat, eum venire ad se, qui audiuit à patre, iccirco addit, non hoc ideo dixi, quòd quisquam versatus sit cum patre, et hæc didicerit, cum nemo viderit, hoc est, nouerit patrem, nisi filius. Videtur autem significare, eum audire à patre: qui credit hunc esse filium.* l Et mortui sunt.] *Non vixerunt, non attulit illis manna illud vitam æternam, quod facit hic panis: de quo loquendi modo diximus supra, cap. secundo.* m Nisi manducaueritis carnem filij hominis.] *Nisi ego vitam hanc pro vobis profudero, idq; vos crediderit is.* n Et ego viuo propter patrem.] *Eo modo dicitur filius viuere propter patrem, quo & esse propter patrem, hoc est, esse à patre. Facile intelligetis (inquit) me posse præstare vitam æternam, si cogitaueritis, qui sim, & vnde sim.* o Si ergo videritis filium hominis.] *Non vos (inquit) tum offendent verba ista, cū videritis, et intellexeritis maiestatem filij hominis, sed vos nescitis quicquam incorporeum cogitare, neq; attolli spiritu mentis vestræ.*

Capus

CAPVT VII.

POst hæc autem ambulabat IESVS in Galilæa:non enim volebat in Iudæa ambulare: quia quærebãt A
eum Iudęi interficere.Erat autem in proximo dies festus Iudæorum,scenopegia. Dixerũt ergo ad cũ
fratres eius:Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua, quæ facis. Nemo
quippe in occulto quid facit, & quærit ipse in palàm esse:si hæc facis: manifesta teipsum mundo. Neq; enim
fratres eius credebant in eum.Dicit ergo eis IESVS:[a] Tempus meum non dum aduenit:tempus autem ve
strum semper est paratum. Non potest mundus odisse vos:me autem odit: quia ego testimonium perhibeo
de illo,quòd opera eius mala sunt.Vos ascendite ad diem festum hunc:ego nondum ascendo ad diem festum
istum:quia meum tempus nondum impletum est.Hæc autem cũ dixisset illis,ipse mansit in Galilæa. Vt au- B
tem ascenderunt fratres eius,tunc & ipse ascendit ad diem festum,non manifeste,sed quasi in occulto. Iudæi
ergo quærebant eum in die festo,& dicebant:Vbi est ille?Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam
enim dicebant:Bonus est.Alij autem dicebant:Non,sed seducit turbam. Nemo tamen palàm loquebatur de
illo, propter metum Iudæorum. Iam autem [b] peracto dimidio festi, ascendit IESVS in templum, &
docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic literas scit, cum non didicerit? Respondit eis
IESVS, & dixit: [c] Mea doctrina,non est mea,sed eius qui misit me.Siquis voluerit voluntatem eius facere,
cognoscet de doctrina,vtrum ex Deo sit,an ego à meipso loquar.Qui à semetipso loquitur, gloriam propriã C
quærit:qui autem quærit gloriam eius,qui misit eum,hic verax est,& iniustitia in illo nõ est. [d] Nónne Moy-
ses dedit vobis legem? & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere?Respondit turba, & dixit:
Dæmonium habes:quis te quærit interficere? Respondit IESVS, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes
Leuit.12.a miramini.Propterea Moyses dedit vobis circuncisionem:non quòd ex Moyse sit, sed ex patribus: & in sab-
bato circunciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi: mihi
Deut.1.c indignamini quia totum hominem sanum feci in sabbato? Nolite iudicare secundum faciem, sed iusto iu-
dicio iudicate. Dicebant ergo quidam ex Ierosolymitis: Nõne hic est,quem quærunt interficere? Ecce, pa- D
làm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid vere cognouerunt principes quòd hic est vere CHRISTVS?
Sed hunc scimus vnde sit: [e] CHRISTVS autem cum venerit,nemo scit vnde sit. Clamabat ergo IESVS
in templo docens, & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis:& à meipso non veni,sed est verus qui misit me,
quem vos nescitis.Ego autem scio eum:quia ab ipso sum,& ipse me misit. Quærebant ergo eum apprehen-
dere: & nemo misit in illum manus,quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in
eum,& dicebant: CHRISTVS cum venerit,nunquid plura signa faciet, quàm quæ hic fecit? Audierũt
pharisæi turbam murmurantem de illo hæc:& miserunt principes & pharisæi ministros,vt apprehenderent E
Infra.13.d eum. Dixit ergo eis IESVS: Adhuc modicum tempus vobiscum sum:& vado ad eum, qui me misit. Quæ-
retis me & non inuenietis:& [f] vbi ego sum,vos non potestis venire. Dixerũt ergo Iudæi ad semetipsos:Quò
hic iturus est, quòd non inueniemus eum?nunquid in dispersionem gentium iturus est,& docturus gentes?
Quis est hic sermo quem dixit: Quæretis me & non inuenietis: & vbi sum ego, vos non potestis venire? In
2.Par.16.c nouissimo autem die magno festiuitatis stabat IESVS & clamabat,dicens:Siquis sitit,veniat ad me,& bi-
bat. [g] Qui credit in me sicut dicit scriptura: flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de
spiritu,quem accepturi erant credentes in eum: [h] nondum enim erat spiritus sanctus:quia IESVS nondũ F
erat glorificatus.Multi ergo è turba,cum audissent hos sermones eius dicebant:Hic est vere propheta.Alij di
cebant:Hic est CHRISTVS.Quidam autem dicebãt:Nunquid à Galilęa venit CHRISTVS? Dissensio itaque
Mich.5.a Matt.2.a ptura dicit, ꝙ ex semine Dauid & de Bethleem castello,vbi erat Dauid,venit CHRISTVS? Dissẽsio itaque
facta est in turba propter eum.Quidam autem ex ipsis volebant apprehendere eum:sed nemo misit super eũ
manus. Venerunt ergo ministri ad pontifices & pharisæos, & dixerunt eis illi: Quare non adduxistis illum?
Responderunt ministri: Nunquàm sic locutus est homo,sicut hic homo. Responderunt ergo eis pharisęi:
Nunquid & vos seducti estis?nunquid ex principibus aliquis credidit in eum,aut ex pharisæis?Sed turba hęc, G
Supra.3.a quę non nouit legem,maledicti sunt. Dicit Nicodemus ad eos,ille qui vênit ad eum nocte:qui vnus erat ex
ipsis:Nunquid lex nostra iudicat hominem,nisi prius audierit ab ipso & cognouerit quid faciat? Respon-
derunt & dixerunt ei:Nunquid & tu Galilæus es?Scrutare,& vide,ꝙ à Galilæa propheta non surrexit. Et reuer-
si sunt vnusquisque in domum suam.

SCHOLIA.

[a] Tempus meũ nondũ aduenit.] *Hoc est,si mundi huius gloriam quærerem,vt vestri similes faciunt, opportunum hoc tempus esset,sed longe alia est mea ratio,alioqui non erat mihi hac ingrediendum via,qui,tantum abest,vt gloriam ab hominibus aucuper,vt etiam, eorum aduersum me odium prouocem, dum illorum malefacta reprehendo.* [b] Peracto dimidio festi.] *Videlicet scenophegiæ. Hoc autem erat festum tabernaculorum, quod septem dierum spacio celebrabatur.*
[c] Mea doctrina non est mea.] *Idem hoc est, quod, ego non à me ipso sum.* [d] Nonne Moyses dedit vobis legem?] *Dixerat se veracem esse, & iniustitiam non esse in se, ob hanc ergo causam, non conueniebat inter ipsum & Iudæos, quod enim iustitiæ cum iniquitate potest esse commercium? & videte(inquit)quæ sit causa, cur legem transgrediamini,dum me quæritis interficere,vnum enim opus feci,sanando eum,qui tot annis iacuerat ægrotus,& ,quia id sabbato feci,indignamini, quasi sabbatum violauerim,neque cogitatis, quàm sæpe circuncidantur infantes sabbato,ob legem, quæ iubet octauo die circuncidi masculum,quæ lex recitata potius est à Mose,quàm ab eo lata,cum tot ante annis à patribus haberetur, & tamen id sabbato sæpe fit,quod sabbatum in primis legis præceptis est,neq; veremini,ne propterea derogetur legi. Et lex illa circunsionis seruatur ob salutem hominis,ne disperdatur de populo suo:quamus,dum fit circunciso, vulnus homini infligatur, at ego integram homini salutem attuli in sabbato,atque id ægre fertis:cur ergo in eodem facto indemnem facitis Mosen, me autem condemnatis?*

condemnatis? hoc non est rectum facere iudicium,sed secundum faciem iudicare, ac personam accipere. Videtur autem textus sic debere aptari. Moses dedit vobis circuncisionem,non propterea quod ex Mose sit,sed ex patribus, & tamen in sabbato circunciditis hominem. Si ergo ita circuncisionem accipit homo, vt non soluatur lex Mosis, cur mihi indignamini, &c. Quod verò turba dixit,dæmonium habes,suspicata est turba, Dominum vsum fuisse commercio dæmonis, qui eum admoneret arcanorum consiliorum,quæ contra ipsum fierent. [e] CHRISTVS autem cum venerit,nemo scit,vnde sit.] *Cũ scripturæ nunc de diuinitate Christi,nunc de humanitate loquantur,& qui inter vtranque distinguere nesciebant,confundebantur,dum ignorarent,quæ loca scripturarum, ad diuinitatem, & quæ ad humanitatem pertinerent, ob hanc causam hi nunc fallunturr,qui ea,quæ de diuinitate essent,ad humanitatem referebant.Quocirca respondet Dominus,subobscure tamen, de more:& me scitis,inquiens,& vnde sim,scitis,nam homo sum,sed habeo aliam originem,quam nescitis,sum enim à summo patre, à quo missus sum,nam à me ipso non veni,vel sic:Scitis ex scripturis,si in eas inuigilaretis,vnde sim,neque verum est,quod dicitis,neminem scire, vnde Christus sit,sed verax est, qui misit me,qui,quod prædixit de me, id etiam aliquando declarabit.* [f] Vbi ego sum,vos non potestis venire.] *Non me assequemini, etsi corpus hoc interfeceritis, nam altiori constitutus sum loco,quàm vt illuc peruenire quisquam vestrũ possit:ad hoc enim pertinere videtur,quod prius dixit, quæretis me,& non inuenietis,quasi diceret, non erit posthac vobis facultas in me sæuiendi.* [g] Qui credit in me sicut dicit scriptura.] *Sicut admonet scriptura,quæ de me loquitur, in me esse credendum.* [h] Nondum enim erat spiritus sanctus.] *Cum dixisset,eos,qui in ipsum crederent,accepturos spiritum,reddit causam,cur spiritus sanctus nondum esset,videlicet datus,quòd scilicet dandus esset post Domini glorificationem.*

CAPVT VIII.

A IESVS autem perrexit in montem Oliuarum: & diluculo iterum vênit in templum, & omnis popu-
lus vênit ad eum,& sedens docebat eos. Adducunt autem ad eum scribæ & pharisęi mulierem in adulte
rio deprehensam:& statuerunt eã in medio & dicunt ei: Magister, hæc mulier modo deprehensa est in
Leui.20.a adulterio. In lege autem Moyses mandauit nobis huiusmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem di-
cebant [a] tentantes eum: vt possent accusare eum. IESVS autem inclinans se deorsum, [b] digito scribebat
in terra. Cum ergo perseuerarent interrogantes eum:erexit se,& dixit eis:Qui sine peccato est vestrum, pri-
mus in illum lapidem mittat. Et iterum se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hęc, vnus post vnũ
exibant,incipientes à senioribus:& remansit solus IESVS, & mulier in medio stans. Erigens autem se IE-
SVS & cum neminem videret,præter mulierem,dixit ei: Mulier,vbi sunt qui te accusabant?nemo te condẽ
B nauit? Quæ dixit:Nemo Domine. Dixit autem IESVS: Nec ego te condemno. Vade,& iam amplius noli
peccare. Iterum ergo locutus est eis IESVS, dicens:Ego sum lux mundi, qui sequitur me,non ambulabit
in tenebris,sed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei pharisæi:Tu de teipso testimonium perhibes:testimo-
nium tuum non est verum. Respondit IESVS, & dixit eis: [c] Et si ego testimonium perhibeo de meipso,
verum est testimonium meum:quia scio vnde veni,& quò vado,vos autem nescitis vnde venio,& quò vado.
[d] Vos secundum carnem iudicatis:ego non iudico quenquam:& si iudico ego, iudicium meum verum est:
quia solus non sum,sed ego & qui misit me,pater. Et in lege vestra scriptum est: Quòd duorum hominũ testi Deut.19.b
monium verum est. [e] Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso : & testimonium perhibet de me qui Marc.12.b
misit me, pater. Dicebant ergo ei: Vbi est pater tuus? Respondit IESVS: Neque me scitis,neque patrem 2.Cor.13.d
C meũ: Si me sciretis, & patrem meum sciretis. Hæc verba locutus est IESVS in gazophylacio, docens in tẽ- Hebr.10.e
plo:& nemo apprehendit eum,quia necdum venerat hora eius. Dixit ergo iterum eis IESVS: Ego vado,&
[f] quæretis me,& in peccato vestro moriemini.Quò ego vado,vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudęi:
Nunquid interficiet semetipsum,quia dicit:Quò ego vado,vos non potestis venire?Et dicebat eis: Vos deor-
sum estis,ego de supernis sum:vos de mundo hoc estis,ego non sum de hoc mundo.Dixi ergo vobis, ꝙ mo-
riemini in peccatis vestris : Si enim nõ crediderit is ꝙ ego sum, moriemini in peccatis vestris. Dicebant ergo Roma.3.a
ei: Tu quis es? Dixit eis IESVS: [g] Primum quod & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudica-
re: sed qui me misit,verax est:& ego,quæ audiui ab eo,hæc loquor in mundo.Et non cognouerunt, ꝙ de pa-
tre eis dicebat. Dixit ergo eis IESVS: Cum exaltaueritis filium hominis,tunc cognoscetis,ꝙ ego sum, &
D à meipso facio nihil,sed sicut docuit me pater meus hæc loquor. Et qui me misit mecum est : & non reliquit
me solum pater : quia ego, quæ placita sunt ei, facio semper. Hæc illo loquente,multi crediderunt in eum.
Dicebat ergo IESVS ad eos, qui crediderant ei, Iudæos: Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli
mei eritis:& cognoscetis veritatem,& veritas liberabit vos. Responderunt ei: Semen Abrahæ sumus,& ne-
mini seruiuimus vnquam:Quomodo tu dicis:Liberis eritis? Respondit eis IESVS: Amen amen dico vo- Roma.6.c
bis,ꝙ omnis, [h] qui facit peccatum, seruus est peccati: seruus autem non manet in domo in æternum: filius 2.Petr.2.d
manet in æternum : si ergo vos filius liberauerit : vere liberi eritis. Scio quòd filij Abrahæ estis:sed quæritis
me interficere,quia sermo meus non capit in vobis. Ego quod vidi apud patrem meum,loquor:& vos, quæ
vidistis apud patrem vestrum,facitis.Responderunt & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis IE-
E SVS: Si filij Abrahæ essetis,opera Abrahæ faceretis.Nunc autem [i] quæritis me interficere, hominem qui
veritatem vobis locutus sum,quam audiui á Deo:hoc Abraham non fecit.Vos facitis opera patris vestri.Di-
xerunt itaque ei: [k] Nos ex fornicatione non sumus nati:vnum patrem habemus Deum. Dixit eis IESVS:
Si Deus,pater vester esset,diligeretis vtique me:ego enim ex Deo processi, & veni : neque enim à meipso ve-
ni:sed ille me misit. Quare loquelam meam non cognoscitis? Quia non potestis audire sermonem meum.
Vos ex patre diabolo estis:& desideria patris vestri vultis facere:ille,homicida erat ab initio, & in veritate nõ 1.Ioan.3.b
stetit: quia non est veritas in eo:cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur : quia mendax est & eius rei
pater. Ego autem quia veritatem dico,non creditis mihi. Quis ex vobis arguit me de peccato? Si autem veri-
tatem dico,quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est,verba Dei audit.Propterea vos non auditis, quia ex 1.Ioan.4.a
Deo

Deo non estis. Respondérunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quòd Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Respondit IESVS: Ego dæmonium non habeo: sed honorifico patrem meum, & vos inhonoratis me. Ego autem non quæro gloriam meam: [1] est qui quærat & iudicet. Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt ergo illi Iudæi: Nũc cognouimus, q̃ dæmonium habes. Abraham mortuus est & prophetæ: & tu dicis: Si quis sermonẽ meũ seruauerit, non gustabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est? & prophetæ mortui sunt. Quem teipsum facis? Respondit IESVS: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est: est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quòd Deus vester est, & nõ cognouistis eum, Ego autem noui eum. Et si dixero q̃ non scio eum, ero similis vobis, mendax. Sed scio eum, & sermonem eius seruo. Abraham pater vester exultauit vt videret diem meum, & vidit, & gauisus est. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: [m] Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti? Dixit eis IESVS: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, ego sum. Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum. IESVS autem abscondit se, & exiuit de templo.

SCHOLIA.

[a] Tentantes eum, vt possent accusare.] *Sciebant consuesse Dominum dicere: remittuntur tibi peccata, nulla adhibita pœna, & arbitrabantur in hac se causa inuenisse, quo eum reprehenderent.* [b] Digito scribebat in terram.] *Fortasse admonens, legem hanc euangelicam, non in lapidibus scribendam esse, hoc est, remittere oportere de seueritate legis Mosaicæ.* [c] Et si ego testimonium perhibeo de me ipso, verum est, testimonium meum.] *Non hoc aduersatur ijs, quæ superius dixerat, videlicet: Si ego testimonium perhibeo de me, testimonium meum non est verum, quia tunc ad opinionem eorum loquebatur, tanquam homo tantum esset, nunc reddit causam, quamobrem testimonium suum sit verum: quia scilicet sciat, vnde sit, nempe vnigenitus à Deo patre.* [d] Vos secundum carnem iudicatis.] *Vos carnali vestro iudicio condemnatis homines, ego in neminem exerceo iudicium: quod cum fecero, iuste illud faciam.* [e] Ego sum qui testimonium perhibeo de me ipso.] *Quatenus scilicet, diuina natura perhibet testimonium de homine, quem cernitis. Et vide, vt illis hæc erant ænigmata, quæ apud nos facilem inueniunt solutionem.* [f] Quæretis me & in peccato vestro moriemini.] *Videtur non differre sensus hic ab eo, quod dixerat, vbi ego sum, vos non potestis venire, id vnum assequemini (inquit) quòd moriemini in peccato vestro.* [g] Primum, quod & loquor vobis.] *Non aperit, quod postulabant, videlicet, quis esset, sed respondet, quæ consentaneũ erat illos audire. In primis, inquiens, quod et aperte loquor, possum multa de vobis cõqueri apud patrem meum, & decernere, etiam in vos: sed non est necesse, vt faciam: nam pater meus verax est, & fidelis, nec deerit meæ causæ, cum ab eo profectus sim, & secundum eius mandatum hæc loquar mũdo. Quidam è Græcis hunc verborum ordinem faciunt, id sum quod & à principio loquor vobis, nam quædam Græca exemplaria habent, tu quid es?*

[h] Qui facit peccatum, seruus est peccati.] *Non agnoscẽtibus illis ingenuitatem aliam, neque seruitutem, quam illam corporis, docet, illam vere seruitutem esse, quæ à peccato proficiscatur. Horum verborũ meminit magnus Basilius, cum de ijs loquitur, qui maiora tantum peccata deuitabant, in minoribus autem indifferenter se habebat, sic enim ait: primum quidem sciendum est, in nouo nos testamento differentiam hanc non inuenire, vna enim sententia aduersus omnia peccata decreta est, dicente Domino: qui facit peccatum seruus est peccati, et rursum: sermo quem locutus sum, is iudicabit eum in nouissimo die, & Ioannes clamat, qui non obtemperat filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum, cum inobedientia non in differentia peccatorum sed in transgressione minas habeat. Omnino vero, si permittamur dicere, paruum, aut magnum peccatum, hæc res habebit demonstrationem, cui nequeat contradici, quòd scilicet vnicuique illud magnum sit, quod quenque superet, & illud paruum, quod quisque vincat, quemadmodum & in athletis, is, qui vincit, fortior est, qui autem victus fuerit, imbecillior eo, qui se vicit, quisquis ille fuerit, hæc ille.* [i] Quæritis me interficere.] *Non hoc referri debet ad eos, qui crediderant, sed ad Iudæos generatim. Nam sicut ij, cum dicerent, semen Abrahæ sumus, ij non de se tantum, sed de suo genere loquebantur, sic Dominus respondet illis, vt non eos solos complectatur, sed Iudæorum genus, à quo erat occidendus.* [k] Nos ex fornicatione non sumus nati.] *Hoc dixerunt, quia cultus idolorũ sæpe vocatur fornicatio in prophetis, ideo addunt, vnum patrem habemus Deum.* [l] Est qui quærat & iudicet.] *Non hoc aduersatur ei, quod alibi legis, omne iudicium datum filio, nam ibi intelligitur, factum esse filium iudicem viuorum, ac mortuorum, hic vero significatur, patrem vltorem futurum inobedientiæ huius, & sceleris, quod patrabant in filium, vt & Iudæi condemnentur, & gloria filij declaretur.*

[m] Quinquaginta annos nondum habes.] *Non ex his verbis colligi potest ætas Domini nostri Iesu Christi, cum appellatione quinquaginta annorũ, cũ nõ ad vultum Domini spectauerint, sed ad morem suæ seculi, hoc est, iubilæi, quod interdum seculum appellatur: nondum, inquiunt, vnum seculum impleuisti, & audes dicere, vidisse te Abraham?*

CAPVT IX.

ET præteriens IESVS, vidit hominem cæcum à natiuitate: & interrogauerunt eum discipuli eius, dicentes: Rabbi, [a] quis peccauit, hic, an parentes eius, vt cæcus nasceretur? Respondit IESVS, Neq; hic peccauit, neq; parentes eius: sed vt manifestentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, [b] donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quandiu sum in mũdo, lux sum mundi. Hoc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit lutum super oculos cęci, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe, [c] quod interpretatur, missus. Abijt ergo & lauit, & venit videns: Itaque vicini & qui viderant eum prius, quòd mendicus esset, dicebant: Nónne hic est: qui sedebat & mendicabat? Alij dicebant: Hic est. Alij autem: Nequaquàm, sed similis est ei. Ille vero dicebat: Ego sum. Dicebãt ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille, & dixit: Homo, qui dicitur IESVS lutum fecit, & vnxit oculos meos, & dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe, & laua. Et abij, & laui, & video. Et dixerunt ei: Vbi est ille? Ait: Nescio. Adducunt ad phariſæos eum, qui dudum cæcus fuerat. [d] Erat autem sabbatum, quando lutum fecit IESVS, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum & phariſæi quomodo vidisset. Ille autem dixit eis: Lutum mihi posuit super oculos, & laui, & video. Dicebãt ergo ex phariſæis quidam: Non

Non est hic homo à Deo, quia sabbatũ non custodit. Alij autẽ dicebãt: Quomodo potest homo peccator hęc signa facere? Et schisma erat inter eos. Dicunt cæco iterũ: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autẽ dixit: Propheta est. Non crediderũt ergo Iudęi de illo, q̃ cęcus fuisset, et vidisset, donec vocauerũt parentes eius qui viderat, & interrogauerũt eos, dicẽtes: Hic est filius vester, quẽ vos dicitis, q̃ cęcus natus est? Quomodo ergo nũc videt? Respondérũt eis parentes eius, & dixerũt: Scimus q̃ hic est filius noster, & q̃ cæcus natus est: quomodo autẽ nũc videat, nescimus: aut quis eius aperuerit oculos, nos nescimus: ipse ętatẽ habet, ipsum interrogate: ipse de se loquetur. Hæc dixerunt parẽtes eius qm̃ timebant Iudæos: iã enim cõspirauerant Iudæi, vt siquis eũ confiteretur esse CHRISTVM, extra synagogã fieret. Propterea parentes eius dixerũt: Ætatẽ habet, ipsum interrogate. Vocauerũt ergo rursum hominẽ, qui fuerat cęcus, & dixerũt ei: Da gloriam Deo: nos scimus, q̃ hic homo peccator est. Dixit ergo eis ille: Si peccator est, nescio: vnum scio, q̃ cæcus cum essem, modo video. Dixerũt ergo illi iterũ: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Respõdit eis: Dixi vobis iã, nec audistis: quid iterũ vultis audire? [e] nũquid & vos vultis discipuli eius fieri? [f] Conuiciati sunt ergo ei, & dixerũt: Tu discipulus illius es, nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus q̃ Moysi locutus est Deus: hunc autẽ nescimus vnde sit. Respondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile est, q̃ vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos: scimus autẽ, q̃ peccatores Deus nõ audit: sed siquis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, q̃ quis aperuerit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non potuisset facere quicquam. Respondérunt, & dixerunt ei: [g] In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerũt eũ fòras. Audiuit IESVS q̃ eiecerunt eũ foras, & cum inuenisset eũ, dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, vt credã in eum? Et dixit ei IESVS: Et vidisti eum: & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait: Credo Domine. Et adorauit eum. Et dixit IESVS: In iudicium ego in hunc mundum veni: vt qui non vident videant, & qui vident, cæci fiant. Et audierunt hæc quidam ex phariſæis, qui cum ipso erant: & dixerunt ei: Nunquid & nos cæci sumus? Dixit eis IESVS: [h] Si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis: Videmus, peccatum ergo vestrum manet.

SCHOLIA.

[a] Quis peccauit, hic an parentes eius.] *Rudium adhuc hominum interrogatio, num antea peccasset, quam nasceretur, vt iccirco pœna plecteretur cæcitatis, cum dicat Paulus de geminis illis, antea quàm quicquã boni aut mali egissent. Sed videntur nunc interrogasse, quòd cum illum paralyticum sanasset Dominus, dixerat, Vade, ne amplius pecces, nequid tibi deterius contingat, hoc ergo viso, qui à natiuitate cæcus sit, dubitat, quam ob causam hoc huic acciderit.* [b] Donec dies est.] *Tempus scilicet declarandæ veritatis, cuius ignoratio nox est, quæ cum venit nemo potest operari, & videtur subindicare imminentem Iudæorum cæcitatem.* [c] Quod interpretatur missus.] *Hoc dicens subindicat latens mysterium, & quasi digitum intẽdit ad fontem.* [d] Erat autem sabbatum, quando lutum fecit Iesus.] *Hæc sabbato data opera faciebat, siquo modo cæci Iudæi tandem aliquando expergefierent.* [e] Nunquid & vos.] *Ironicè est legendum tam exacta (inquit) inquisitio posset significare, vos velle illius discipulos fieri, nisi odium vestrũ in illum tã apertè proderetis.* [f] Conuitiati ergo sunt ei.] ἐλοιδόρησαν. *Interrogatus magnus Basilius, quid esset λοιδορία, hoc est, conuitium, respondit: Omne verbum, quod animo ignominia afficiendi alicuius profertur, conuitium est, tametsi verbum illud non videatur esse contumeliosum, & hoc manifestum est, ex euangelio, quod ait de Iudæis: conuitiati sunt ei, & dixerunt ei, tu es discipulus eius.*

[g] In peccatis natus es totus & doces nos?] *Ecce iudicium superborum hominum, & sese aliquid credentiũ, obycuans cæcitatem illam à natiuitate, quasi ob aliqua peccata ei contigerit.* [h] Si cæci essetis.] *Si ob ignorantiam potius, quàm ob malitiam hæc ageretis.*

CAPVT X.

A AMen amen dico vobis: Qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascẽdit aliunde, ille fur est & latro. Qui autẽ intrat per ostium: pastor est ouiũ. Huic ostiarius aperit: & oues vocem eius audiũt, & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cũ proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur, quia sciunt vocẽ eius. Alienum autem non sequẽtur, sed fugient ab eo, quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbiũ dixit eis IESVS. Illi autẽ non cognouerunt, quid loqueretur eis. Dixit
B ergo eis iterũ IESVS: Amẽ amen dico vobis, q̃ ego sum ostiũ ouium. Omnes [a] quotquot ante me venerunt, fures sunt & latrones: sed nõ audierunt eos oues. Ego sum ostiũ. Per me siquis introierit, saluabitur: & [b] ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur & mactet & perdat. Ego veni vt vitam habeãt, & abũdantius habeant. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor, animã suam dat pro ouibus suis. Esa.40.c
Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues proprię, videt lupum venientem, & dimittit Ezec.34.f.
C oues, & fugit, & lupus rapit & dispergit oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oues nõ sunt g.&.37.f
illi curę. Ego sum pastor bonus: [c] & cognosco meas, & cognoscũt me meę: sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem: Et animã meam pono pro ouibus. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: et illas oportet Ezec.37.f
me adducere, & vocẽ meam audient, & fiet vnum ouile & vnus pastor. Propterea me diligit pater: quia ego pono animam meam, vt iterum sumam eam: nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso: potestatem
D habeo ponendi eam: & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi à patre meo. Dissensio igitur iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis: Dæmoniũ habet & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant, Hæc verba non sunt dæmoniũ habentis: nunquid dæmoniũ
potest cæcorum oculos aperire? [d] Facta sunt autem Encænia in Hierosolymis: & hyems erat. Et ambulabat 1.Mach.a.
IESVS in templo, in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque ani- 4.f.g
E mam nostram tollis? si tu es CHRISTVS, dic nobis palam. Respondit eis IESVS: Dixi vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis sicut dixi vobis: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas

& sequuntur

& sequuntur me,& ego vitam æternam do eis: & non peribunt inæternum, & non rapiet eas quisquam de F
manu mea.Pater meus qui dedit mihi,maior omnibus est:& nemo potest rapere de manu patris mei.Ego et
pater vnum sumus.Sustulerunt ergo rursum lapides Iudæi,vt lapidarẽt eum,Respondit eis IESVS: Mul-
ta bona opera ostendi vobis ex patre meo: propter quod eorum operum me lapidatis? Respondẽrũt ei Iu-
dæi, dicentes: De bono opere non lapidamus te,sed de blasphemia: & quia tu homo cum sis, facis teipsum
Psal.81.b Deum.Respondit eis IESVS: Nónne scriptum est in lege vestra:Ego dixi,dij estis? Si illos dixit Deos, ad
quos sermo Dei factus est,& non potest solui scriptura:quem pater sanctificauit,& misit in mũdum, vos di- G
citis:Blasphemas,quia dixi,filius Dei sum? Si non facio opera patris mei,nolite credere mihi,si autem facio:
& si mihi non creditis,operibus credite,vt cognoscatis & credatis,q̃ pater in me est, & ego in patre.Quære-
bant iterum eum apprehendere,& exiuit de manibus eorum. Et abijt iterum trans Iordanem in eum locũ,
vbi erat Ioannes baptizans primum:& mansit illic.Et multi venerunt ad eum,& dicebant:Ioannes quidem
signum fecit nullũ.Omnia autẽ,quęcunq; dixit Ioannes de hoc,vera erant.Et multi illic crediderũt in eum.

SCHOLIA.

[a] Quotquot ante me venerunt.] *Venerunt,non missi sunt:hi ergo non sunt ingressi per ostium,quia nõ syncere tra-
ctarunt scripturas,quarum finis est Christus:his non aperuit ostiarius,hoc est spiritus sanctus non hos approbauit, neq; audie-
runt eos oues,nã qui eos audierũt,non fuerunt oues.* [b] Ingredietur & egredietur.] *Hebraismus est pro,familiariter ver-
sabitur.* [c] Et cognoscomeas.] *Familiaritatem indicat, cum dicit,sic agnosco eas,& agnoscor ab eis,sicut pater nouit me,
& ego agnosco patrem.* [d] Facta sunt autem encænia.] ἐγκαίνια *quasi,innouationes,solenne festum templi Iudæorum.*

CAPVT XI.

ERat autem quidam languens Lazarus à Bethania,de castello Mariæ & Marthæ sororis eius.Maria autẽ A
erat quę vnxit Dominum vnguento,& extersit pedes eius capillis suis:cuius frater Lazarus infirmaba-
tur.Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicẽtes: Domine ecce quem amas,infirmatur. Audiens autem
IESVS, dixit:Infirmitas hæc non est ad mortem,sed pro gloria Dei:vt glorificetur filius Dei per eam.Di-
ligebat autem IESVS Martham,& sororem eius & Lazarum. Vt ergo audiuit quòd infirmabatur, tunc
quidem mansit in eodem loco duobus diebus,deinde post hoc dicit discipulis:Eamus in Iudæam iterum.Di
cunt ei discipuli:Rabbi,nunc quærebant te Iudæi lapidare,& iterũ vadis illuc? Respõdit IESVS: [a] Nón-
ne duodecim sunt horę diei? Si quis ambulauerit in die,non offendit, quia lucem huius mundi videt,si quis B
autem ambulauerit in nocte,offendit,quia lux nõ est in eo.Hæc ait:& post hæc dicit eis:Lazarus amicus no-
ster dormit: sed vado,vt à somno excitem eum.Dixerũt ergo discipuli eius:Domine, [b] si dormit,saluus erit.
Dixerat autem IESVS de morte eius:illi autem putauerunt,quòd de dormitione somni, diceret. Tunc
ergo IESVS dixit eis manifeste:Lazarus mortuus est:& gaudeo propter vos, [c] vt credatis,cum nõ fuerim
ibi.Sed eamus ad eum.Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus,ad condiscipulos:Eamus & nos, vt mo-
riamur cum eo.Venit itaq; IESVS, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habẽtem.Erat autem
Bethania iuxta Hierosolymam quasi stadijs quindecim.Multi autem ex Iudæis venerãt ad Martham & Ma- C
riam,vt consolarẽtur eas de fratre suo.Martha ergo,vt audiuit quòd IESVS venit,occurrit illi. Maria au-
tem domi sedebat.Dixit ergo Martha ad IESVM: Domine,si fuisses hic,frater meus non fuisset mortuus:
sed & nunc scio,quòd quæcũq; poposceris à Deo,dabit tibi Deus.Dicit illi IESVS: Resurget frater tuus.
Dicit ei Martha:Scio quòd resurget in resurrectione in nouissimo die.Dixit ei IESVS: [d] Ego sum resur-
rectio & vita,qui credit in me,etiam si mortuus fuerit,viuet:& omnis qui viuit & credit in me, nõ morietur
in æternum.Credis hoc? Ait illi:Vtiq; Domine,ego credidi quòd tu es CHRISTVS ille filius Dei,qui in
mundum venturus erat.Et cum hæc dixisset,abijt & vocauit Mariam sororem suam silentio, dicens: Magi- D
ster adest,& vocat te.Illa vt audiuit,surgit cito,& venit ad eum:nondum enim venerat IESVS in castellũ:
sed erat adhuc in illo loco vbi occurrerat ei Martha.Iudæi ergo,qui erant cum ea in domo,& consolabantur
eam,cum vidissent Mariam quòd cito surrexit & exijt,secuti sunt eam dicentes: Vadit ad monumentum vt
ploret ibi.Maria ergo cum venisset vbi erat IESVS, videns eum,cecidit ad pedes eius,& dicit ei: Domine,
si fuisses hic,non esset mortuus frater meus. IESVS ergo,vt vidit eam plorantem,& Iudæos qui venerant
cum ea,plorantes,infremuit spiritu,& [e] turbauit se ipsum,& dixit:Vbi posuistis eum? Dicunt ei:Domine,
veni,& vide.Et lachrymatus est IESVS. Dixerunt ergo Iudæi:Ecce quomodo amabat eum.Quidam au- E
tem ex ipsis dixerũt:Non poterat hic,qui aperuit oculos cæci,facere vt & hic nõ moreretur? IESVS ergo
rursum fremens in semetipso venit ad monumentum:erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait
IESVS: Tollite lapidem.Dicit ei Martha,soror eius qui mortuus fuerat:Domine,iam fœtet:quatriduanus
est enim.Dicit ei IESVS: Nónne dixi tibi,quòd si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapi-
dem à loco,vbi is,qui mortuus fuerat,erat positus. IESVS aũt eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias
ago tibi,quoniam audisti me:ego autem sciebam quòd semper me audis, sed propter populum qui circun-
stat,dixi:vt credant quòd tu me misisti.Hæc cum dixisset,voce magna clamauit:Lazare,veni foras. Et pro- F
dijt qui fuerat mortuus,ligatus manus & pedes institis,& facies illius sudario erat ligata. Dixit eis IESVS:
soluite eum,& sinite abire.Multi ergo ex Iudęis,qui venerant ad Mariam,& viderãt,quę fecit IESVS, cre-
diderunt in eum:quidam autem ex ipsis abierunt ad phariseos:& dixerunt eis quæ fecit IESVS. College-
runt ergo pontifices & phariszi concilijũ,& dicebant:Quid facimus,quia hic homo multa signa facit? Si di-
mittimus eũ sic,omnes credent in eum:& [f] venięt Romani,& tollent nostrũ locum & gẽtem. Vnus autem
ex ipsis,Caiphas nomine,cũ esset pontifex anni illius,dixit eis:Vos nescitis quicquã, nec cogitatis,q̃ [g] expe- G
dit nobis vt vnus moriatur homo pro populo,& non tota gens pereat.Hoc autem à semetipso non dixit:sed
cum esset pontifex anni illius,prophetauit,q̃ IESVS moriturus erat pro gente: & non tantum pro gẽte:
sed vt

sed vt & filios Dei,qui erãt dispersi,congregaret in vnum.Ab illo ergo die consultabant inter se, vt interfi-
cerent eum. IESVS ergo iam non in palàm ambulabat inter Iudęos,sed abijt in regionẽ iuxta desertum,
in ciuitatẽ quæ dicitur Ephraim:& ibi morabatur cũ discipulis suis.Proximũ autem erat pascha Iudæorũ:&
ascenderunt multi Hierosolymam de regione ante pascha,vt sanctificarẽt seipsos.Querebãt ergo IESVM,
& colloquebantur adinuicem,in templo stantes:Quid videtur vobis q̃ non venit ad diem festum? Dederãt
autem pontifices & pharisæi mandatum:Vt si quis cognouerit vbi sit,indicet,vt apprehendant eum.

SCHOLIA.

[a] Nonne duodecim sunt horæ diei?] *Habet,inquit,dies sua spacia,quibus tuto quis ingredi potest. Significat autẽ
non metuendum esse discipulis,quandiu cum magistro essent,& vide,vt frequenter allegorice cũ illis loquatur.* [b] Si dor-
mit saluus erit.] *Quasi dicerent,nihil opus est,vt ob hanc causam proficiscare.* [c] Vt credatis,cum non fuerim ibi.]
Gaudeo propter vos,quòd nõ fuerim ibi,vt credatis ex eo,quòd me intelligetis sic nosse futura,quasi præsentia. [d] Ego sum
resurrectio & vita.] *Si vitam (inquit) æternam dare possim, multo facilius mihi erit ad hanc temporariam hominem
excitare.* [e] Turbauit seipsum.] *Non ait turbatus est,sed ipse se turbauit,vt ostenderet,illum in potestate habuisse affe-
ctus,vt ex omni parte perfectum.* [f] Venient Romani.] *Fortasse malitiosè fingebant,futurum,vt,si omnes in eum cre
derent,deficerent à Romanis,& hunc haberent regem,quare venturos Romanos & ablaturos regnum & gentem.*
[g] Expedit nobis vt vnus moriatur.] *Disce vel ex hoc loco,quo pacto Deus mala in bonum conuertat,ysq; bene vtatur.
Scelestus pontifex impię sententiam protulit,Christum esse perdendum,vt turbæ illæ seduerentur, at spiritus sanctus verbis
illius ad prophetiam vsus est.Simul obserua,quantum sacerdotio deferatur:nam prophetauit (inquit) cum pontifex esset,pro-
phetauit ergo,quòd Iesus esset moriturus pro gente Iudæorum,neque vero pro ea solum,verum etiam vt filios Dei,qui vide-
licet futuri erant filij Dei,congregaret,qui erant dispersi,per orbem omnium terrarum.*

CAPVT XII.

A IESVS ergo,ante sex dies paschæ venit Bethaniam,vbi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit à mor- Matt.26.a
tuis.Fecerunt autem ei cœnam ibi:et Martha ministrabat.Lazarus vero vnus erat ex discumbẽtibus cum Marc.14.a
eo.Maria ergo accepit libram vnguẽti [a] nardi pisticæ pretiosæ, & vnxit pedes IESV, & extersit pedes
eius capillis suis:& domus impleta est ex odore vnguenti. Dixit ergo vnus ex discipulis eius Iudas Simonis
Iscariotes,qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguentum non venijt trecẽtis denarijs,& datum est egenis?
Dixit autem hoc,non quòd egeni curę illi essent:sed quia fur erat,& loculos habens,ea,quę mittebãtur por-
tabat.Dixit ergo IESVS, sine illã,[b] in diẽ sepulturæ meæ seruauit illud. Pauperes enim semper habetis
B vobiscum:me autẽ non semper habetis,Cognouit ergo turba multa ex Iudęis q̃ illic esset: & venerunt non
propter IESVM tantum:sed,vt & Lazarum viderent quem suscitauit à mortuis.Cõsultauerunt autẽ prin-
cipes sacerdotũ, [c] vt & Lazarum interficerent:quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in
IESVM. Postero die turba multa, quæ venerat ad diem festũ cum audisset,q̃ venit IESVS Hierosoly-
mam:acceperunt ramos palmarum,& processerunt obuiam ei,& clamabãt:Hosanna, benedictus qui venit Matt.21.a
in nomine Domini,rex Israel.Et inuẽnit IESVS asellum,& sedit super eum, sicut scriptum est: Noli ti- Marc.14.a
C mere filia Sion:ecce rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc autem non cognouerunt discipuli eius Luce.19.f
primum,sed quando glorificatus est IESVS, tunc recordati sunt, q̃ hæc erant scripta de eo, & hæc fece- Zacha.9.b
runt ei.Testimonium ergo perhibebat turba,quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento,
& suscitauit eum à mortuis.Propterea & obuiam venit ei turba:quia audierunt eum fecisse hoc signũ. Pha-
risæi ergo dixerunt ad semetipsos, Videtis q̃ nihil proficitis? ecce mundus post eum abijt. Erant autem qui-
dam gentiles ex his,qui ascenderãt, vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum, qui erat à
Bethsaida Galilææ:& rogabant eũ dicentes:Domine volumus IESVM videre. [d] Venit Philippus, & dicit
D Andreæ.Andreas rursum & Philippus dicunt IESV. IESVS autem respondit eis,dicens: Venit hora,vt
clarificetur filius hominis.Amen amen dico vobis,nisi granum frumẽti cadens in terram, fuerit mortuum:
ipsum solũ manet:si autem mortuum fuerit,multum fructũ affert. [e] Qui amat animã suam, perdet eam: &
qui odit animam suam in hoc mundo,in vitã æternam custodiet eã. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & Matt.10.d
vbi sum ego,illic & minister meus erit.Si quis mihi ministrauerit,honorificabit eũ pater. Nunc anima mea &.16.a
turbata est. [f] Et quid dicam? Pater,saluifica me ex hac hora.Sed propterea vẽni in horã hanc. Pater clarifica Marc.8.d
E nomen tuũ. Venit ergo vox de cœlo dicens: [g] Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & Luce.9.c
audierat,dicebat tonitruum esse factum.Alij autem dicebant:Angelus ei locutus est.Respõdit IESVS, & &.17.g
dixit:Non propter me hæc vox venit,sed propter vos. [h] Nunc iudiciũ est mundi huius: nũc princeps huius
mundi eijcietur foras.Et ego si exaltatus fuero à terra,omnes traham ad meipsum:hoc autem dicebat,signi-
ficans qua morte esset moriturus.Respondit ei turba: Nos audiuimus ex lege quòd CHRISTVS manet Psal.109.b
inæternum,& [i] quomodo tu dicis:Oportet exaltari filium hominis? quis est iste filius hominis? Dixit ergo &.116.a
F eis IESVS: Adhuc ad modicum tempus,lumen vobiscum est.Ambulate dum lucem habetis, vt non vos Esaia.40.c
tenebræ comprehendant:& qui ambulat in tenebris,nescit quo vadat.Dum lucem habetis,credite in lucem Ezec.37.g
vt filij lucis sitis:Hæc locutus est IESVS: & abijt & abscondit se ab eis. Cum autẽ tam multa signa feci-
sset coram eis,non credebant in eum:vt sermo Esaiæ prophetæ impleretur quem dixit: Domine, quis credit Esaia.53.a
verbis nostris? & brachium Domini cui reuelatum est? [k] Propterea non poterant credere, quia iterum Rom.10.d
dixit Esaias: Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum: vt non videant oculis, & non intelligant
corde, & conuertantur, & sanem eos. Hæc dixit Esaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo. Esa.6.c
Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum: sed propter pharisæos non confitebantur, vt Matt.13.d
è synagoga non eijcerentur: dilexerunt enim gloriam hominum magis, quàm gloriam Dei. IESVS marc.4.a
autem clamauit & dixit: Qui credit in me, non credit in me, sed in eum qui misit me. Et qui videt me, Luce.8.b

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

videt eũ qui misit me.Ego lux in mundũ veni:vt omnis qui credit in me, in tenebris non maneat.Et siquis G
audierit verba mea,& nõ crediderit: [l] ego non iudico eũ:nõ enim veni vt iudicẽ mundũ:sed vt saluificẽ mũ-
dũ.Qui spernit me,& nõ accipit verba mea:habet qui iudicet eũ,sermo quẽ locutus sum, ille iudicabit eũ in
nouissimo die. Quia ego ex meipso nõ sum locutus:sed qui misit me pater, ipse mihi mãdatũ dedit q̃d dicã,
& quid loquar:& scio ꝙ mandatũ eius vita ęterna est: quę ergo ego loquor:sicut dixit mihi pater,sic loquor.

SCHOLIA.

[a] Nardi pisticæ.] *Intelligit vnguentum syncerum,nulla adulterina mixtura deprauatum, iccirco appellat pisticam nardum,hoc est,fidelem & synceram.* [b] In diem sepulturæ meæ seruauit illud.] *Fecit hoc, tanquam sepulturæ munus,quod tunc facere non poterit. Et quidem licet semel, quod & in cæteros homines fit, præstari hoc mihi obsequium, nam quòd de pauperibus conquæreris,illud semper licebit.* [c] Vt & Lazarum interficerent.] *Cum semel animus habenas laxauit in scelus,ei postea nulli,vbi sistat,termini circunscribuntur.* [d] Venit hora,vt clarificetur filius hominis.] *Gloriam appellat (ait Chrisostomus) mortem & crucem: hic enim amantium mos est, vt gloriam existiment, cum subeunt labores & pericula pro amatis. Consecuta autem est & gloria post crucem, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, cœlestium,terrestrium, & infernorum. Et cur necessaria ista crux fuerit,docet exemplo grani,quod in terram iactum,nisi pereat,hoc est, germinando à sua substantia & forma discedat,non affert fructum,sed in sese tantum manet,sin perit,multum fructum affert. Neque satis fuit, ipsum hæc pati,sed oportere dicit, & nos ad hoc esse præparatos.* [d] Qui amat animam suam.] *Anima accipitur pro vita. Ait ergo,qui amore vitæ huius renuit me sequi, in æternum ignem relegabitur,quæ est vera animæ amissio. Qui vero non verebitur propter me hanc vitam amittere, in vitam æternã eam reseruabit.* [f] Et quid dicam.] *Dicerem,inquit,serua me pater ex hac hora,nisi scirem,propterea me venisse,vt in hanc horam descenderem.* [g] Et clarificaui.] *Non de æterna solum claritate accipiendum est,cuius meminit,cap.xvij.cum dixit,clarifica me claritate quã habui prius,quàm mundus esset,apud te,verum etiam de ea quàm nobiscum degens habuit. Quantis enim significationibus ab ipso etiam ortu declaratus est esse filius Dei?* [h] Nunc iudicium est mundi huius.] *Et aperit cur hoc dicat: nunc princeps mundi huius eijcietur foras. Nam per crucem Christi,eiusq; prædicationem, imperium sublatum Diabolo est, actus enim in crucem Dominus,quod ipse appellat exaltari à terra(egregie sanè, atque apposite, illustrior enim ex illa morte extitit)omnia ad se rapuit,vt per omnes orbis omnium terrarum partes,& opes,& cognatio,& vita ipsa negligeretur ad prædicationem crucis. Et quia Græca exemplaria habent,omnes,intellige non Iudæos solum,sed omne hominum genus.* [i] Quo modo tu dicis oportet exaltari.] *Ex his verbis significauit turba,se intellexisse per exaltationem,mortem ipsam. Quare videtur apud eos vsurpatum fuisse,exaltari à terra,pro,in crucem agi.* [k] Propterea non poterant credere, quia iterum,dixit Esaias.] *Ne putes his verbis significari,ablatam illis fuisse libertatem à Deo, sed mos est scripturæ ita loquendi, sicut & Paulus ait:tradidit illos Deus in reprobam mentem:significat ergo,non potuisse illos credere ob excæcatam mentem, & obstinatum animum, idq; Deum suo ipsorum vitio & culpa permisisse, quod ita esse, declarat Lucæ interpretatio huius eiusdem loci Esaiæ,qui in actis vltimo capite sic recitat: Aure audietis & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius,& auribus grauiter audierunt,& oculos suos compresserunt,nequando videant oculis,&c. Hic ergo non dicit,excæcasse Deum oculos eorum,sed ipsos compressisse oculos suos,vt discamus in alijs quoque huius generis locis esse prudentiores.* [l] Ego non iudico eum.] *Ego non sum causa illius condemnandi, qui ob hoc tantum veni,vt seruem,sed is ipse se damnat,quòd sermonem meum nolit audire.*

CAPVT XIII.

Matt.26.a ANte festum autem paschæ,sciens IESVS quòd venit hora eius [a] vt transeat ex hoc mundo ad pa- A
Marc.14.a trem:cum dilexisset suos,qui erant in mundo,vsq; ad finem dilexit eos. Et cœna facta,cum diabolus
Luce.22.a iam misisset in cor Iudæ Simônis Iscariotæ vt traderet eũ:sciens IESVS ꝙ omnia dedit sibi pater
in manus:& ꝙ à Deo exiuit,& ad Deum vadit,surgit à cœna & ponit vestimenta:& cum accepisset linteum,
præcinxit se.Deinde misit aquam in peluim,& cœpit lauare pedes discipulorũ, & extergere linteo, quo erat
præcinctus.Venit ergo ad Simônem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit
IESVS, & dixit ei.Quod ego facio,tu nescis modo, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi
pedes inæternum.Respondit ei IESVS: [b] Si non lauero te,nõ habes partem mecum. Dicit ei Simon Pe-
trus:Domine,non tantum pedes meos:sed & manus & caput. Dicit ei IESVS: [c] Qui lotus est, non indi-
get nisi vt pedes lauet,sed est mundus totus.Et vos mundi estis,sed non omnes. Sciebat enim quisnã esset qui B
traderet eum.Propterea dixit:Non estis mundi omnes. Postq̃ ergo lauit pedes eorum, & accepit vestimenta
sua:cum recubuisset iterum,dixit eis:Scitis quid fecerim vobis? vos vocatis me,Magister & Domine:& bene
dicitis:sum etenim:si ergo ego laui pedes vestros,Dominus & Magister: [d] & vos debetis alter alterius lauare
Infra.15.c pedes.Exemplum enim dedi vobis,vt quemadmodum ego feci vobis,ita & vos faciatis. Amẽ amen dico vo-
Matt.10.c bis,non est seruus maior Domino suo,neq; apostolus maior eo qui misit illum.Si hæc scitis, beati estis si fe-
Luce.6.f ceritis ea.Non de omnibus vobis dico:ego scio quos elegerim.Sed vt adimpleatur scriptura,Qui manducat
Psal.40.a mecum panem,leuauit contra me calcaneum suum.Amodo dico vobis, prius q̃ fiat:vt cum factum fuerit,
Matt.10.d credatis,quòd ego sum.Amen amen dico vobis, [e] qui accipit siquem misero:me accipit:qui autem me acci
Luce.10.c pit,accipit eum qui me misit.Cum hęc dixisset IESVS, turbatus est spiritu,& testatus est, & dixit:Amen C
Matt.26.b amen dicò vobis,ꝙ vnus ex vobis tradet me.Aspiciebant ergo adinuicem discipuli, hæsitantes de quo dice-
Luce.22.b ret.Erat ergo recũbens vnus ex discipulis eius in sinu IESV, quem diligebat IESVS. Innuit ergo huic
Simon Petrus,vt interrogaret,quis esset,de quo diceret. Itaq; cum recubuisset ille supra pectus IESV, di-
cit ei,Domine,quis est? Respondit IESVS. Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intin-
xisset panẽ dedit Iudæ Simonis Iscariotæ.Et post buccellam, introiuit in eum satanas. Et dicit ei IESVS:
Quod facis,fac citius.Hoc autem nemo sciuit discumbentium,ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant,
quia loculos habebat Iudas,ꝙ dixisset ei IESVS: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diẽ festum:aut egenis vt
aliquid

D aliquid daret.Cum ergo accepisset ille buccellam,exiuit continuo.Erat autem nox. Cum ergo exisset dixit
IESVS. [f] Nunc clarificatus est filius hominis,& Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, &
Deus clarificabit eum in semetipso:& cõtinuo clarificabit eũ.Filioli,adhuc modicum vobiscũ sum. [g] Quæ- Supra.7.e
retis me:& sicut dixi Iudæis:Quò ego vado,vos non potestis venire:& vobis dico modo. [h] Mandatum nouũ 1.Ioan.2.b
do vobis,vt diligatis inuicem:sicut dilexi vos,vt & vos diligatis inuicem.In hoc cognoscent omnes, ꝙ disci- Infra.15.b
puli mei estis,si dilectionem habueritis adinuicem.Dicit ei Simon Petrus:Domine,quò vadis? Respondit ei
IESVS: Quo ego vado,non potes me modo sequi,sequêris aũt postea.Dicit ei Petrus: Domine, quare non
possum te sequi modo?animam meam pro te ponam.Respondit ei IESVS: Animam tuam pro me pones? Matt.26.d
Amen amen dico tibi:non cantabit gallus,donec ter me neges. Marc.14.c
Luce.22.c

SCHOLIA.

[a] Vt transeat.] *Videtur alludere ad nomen,pascha,quod significat transitum, vt admoneret, pascha illud mysterium esse eorum,quæ in Christo implenda erant. Sciens ergo Iesus tempus esse,vt,non dixit moriatur:(nam breue illud mortis spacium erat futurum)sed reuertatur ad patrem,cum iam pactus esset Iudas cum Iudæis de eius proditione, sciens inquam Iesus,summam rerum in se esse collocatam,in seq; vno, suoq; exemplo versari omnis christianæ posteritatis imitationem,cumq; nihil magis vnquam semper inculcarit animis discipulorum,quàm vt,quemadmodum in magistro cernebant, mites essent, atque humiles corde,voluit vltimo die,vltimoq; conuiuio,eiusdem humilitatis exemplum suis immortale relinquere. Quocirca surgit à cœna,& ille vnigenitus Dei patris,per quem omnia facta sunt,ponit vestimenta sua,vt magis accinctus,& paratus humilitatis opus exerceat,accipit linteũ (hæc enim data opera ob admirationem singillatim Euangelista commemorat, alioqui satis erat dicere:cœpit lauare pedes discipulorum)nõ expectato alterius ministerio,præcingit se:nõ iubet afferri aquã, ipse eam mittit in peluim,& lauat pedes discipulorum,& linteo,non alio,quàm quo erat præcinctus, tergit.* [b] Si non lauero te,non habes partem mecum.] *Hæc verba Domini considerans magnus Basilius in oratione, quæ de iudicio Dei inscribitur,sic ait: Beatus ille Petrus,is,qui omnibus fuerat discipulis antepositus,qui solus præ cæteris testimonio Domini laudatus,& beatus appellatus erat,cui claues regni cœlorum creditæ fuerant,cum audit à Domino:nisi lauero te,non habes partem mecum:quale lapideum cor non molliat ad timorem & tremorem iudiciorum Dei? præsertim cum in hac re,nullius peccati,nullius contemptus fiat expressio,sed potius ingentis erga Dominum honoris significatio,dum consentaneam seruo, ac discipulo præsefert pietatem:cernens enim suum,& omnium Deum,& Dominum,& regem,& præsulem,& magistrum,et seruatorem,& breuiter,qui simul omnia esset,in ministri formam præcinctum linteo,suos lauare pedes velle, mox tanquam in contemplationem veniens propriæ(vt sic dicam)indignitatis,& eius,qui ad se accedebat,dignitatem admirans,exclamauit:Domine tu meos lauas pedes? & rursum:non lauabis pedes meos in æternũ. In hac re tam ingentes audit minas, vt,nisi rursum,intellecta veritate verborum Domini,præuenisset obediendo,illam corrigere contradictionem,nihil ei superiora recte facta,non à Domino accepta beatitudinis commendatio, & dona, & promissiones,neque ipsa Dei & patris,talis ac tanti in vnigenitum placiti,reuelatio,satis esse possent,ad peccatum præsentis inobedientiæ leniendum. Hæc ille.* [c] Qui lotus est, non indiget.] *Hoc est,ad id significandum,quod nunc volo,satis est pedum lotio,nam reliquarum corporis partium alia significatio est,& ea lotione non egetis. Videtur autem accepta similitudo ab ijs,qui lauantur in thermis,qui cum post lotionem in apodyterium se conferunt,vt vestes quas ibi deposuerant,recipiant,pedes iterum lauant,vt puluerem quem exiguo illo spacio collegerant,abstergant, nam reliquum corpus iam lotum est.* [d] Et vos debetis alter alterius lauare pedes.] *Hoc est submisse demittere vos ad quodcunq; fratrum vestrorum,et proximi cuiusq; ministerium, quod intelligitur per lotionem pedum, quæ erat præ manibus.* [e] Qui accipit siquem misero.] *Dixerat non decere, vt seruus sit maior Domino suo, admonens, debere eos,ad ea perferenda esse paratos,quæ ipsum ferre cernerent,nunc vt illud onus leue faciat,addit & honorem,et quanti eos faciat.* [f] Nunc clarificatus est filius hominis.] *Eiecto perfido illo,iam sermonem inchoat suum, atq; in primis iterum glorificationem appellat prouinciam illam,quam iam iam erat aggressurus.* [g] Quæretis me.] *Iisdem quidem ferè verbis,sed alia ratione: dixit Iudæis: vbi ego sum, vos non potestis venire, de quo supra dictum est,nunc discipulis dicit: quo ego vado,vos non potestis venire,neque enim adhuc erant idonei,tam ingenti negocio.* [h] Mandatum nouum do vobis.] *Nouum opinor iccirco,quòd nunquam antea charitatis in proximũ quenq; præconium ita celebratum est,neq; tam ardenter vnquam illam homines exercuerunt,vt sub philosophia Christiana est factum:quanquam & ipse se aperit,cum non solũ ait,vt diligatis inuicem,sed addit,sicut dilexi vos,dum animam pro salute vestra & omnium hominũ pono. Quæ charitas ita christianorum propria est,vt eam signum quoddam futuram dicat,ad agnoscendum hominem Christianum.*

CAPVT XIIII.

A ET ait discipulis suis: [a] Non turbetur cor vestrum.Creditis in Deum,& in me credite.In domo patris
mei mansiones multæ sunt. Sin minus:dixissem vobis,vado parare vobis locum: &, si abiero & pa-
rauero vobis locum, iterum venio & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis: [b] Et
quò ego vado scitis,& viam scitis.Dicit ei Thomas:Domine,nescimus quò vadis: & quomodo possumus viã
scire? Dicit ei IESVS, [c] Ego sum via,& veritas,& vita:nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognouisse-
tis me,& patrem meum vtique cognouissetis: & modo cognoscitis eum & vidistis eum. Dicit ei Philippus:
Domine,ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei IESVS: Tanto tempore vobiscum sum,& non
B cognouistis me? Philippe, qui vidit me, vidit patrem. Et quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Non
credis,quòd ego in patre,& pater in me est? [d] Verba, quę ego loquor vobis,à meipso non loquor: pater au-
tem in me manens,ipse facit opera. Credite mihi ꝙ ego in patre,& pater in me est. Alioquin propter opera
ipsa credite mihi. Amen amen dico vobis, [e] qui credit in me:opera,quæ ego facio & ipse faciet,& maiora his Infra.16.c.f
faciet, quia ego ad patrem meum vado:& quodcunque petieritis in nomine meo,hoc faciam:vt glorificetur Matt.4.b
pater in filio.Siquid petieritis in nomine meo,hoc faciam.Si diligitis me:mandata mea seruate: & ego roga- Marc.11.a
bo patrem: & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem
mundus nõ potest accipere,quia non videt eum,nec scit eum:vos autem cognoscitis eum,quia apud vos ma-

net, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos: veniam ad vos. Adhuc modicum: & mundus me iam C
non videt. [f] Vos autem videtis me, quia ego viuo & vos viuetis. In illa die vos cognoscetis, quòd ego sum in
patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea & seruat ea: ille est, qui diligit me: qui autē
diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum: & manifestabo ei meipsum. Dicit ei Iudas, non ille
Iscariotes, Domine, [g] quid factum est, quòd manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Respondit
IESVS, & dixit ei, Siquis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum ve-
niemus: & mansionem apud eum faciemus: qui non diligit me: sermones meos non seruat. Et sermo quem D
auditis, non est meus, sed eius, qui misit me, patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autē
spiritus sanctus, [h] quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæ-
cunque dixi vobis. Pacem relinquo vobis: pacem meam do vobis: [i] nō quomodo mundus dat, ego do vo-
bis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis q̄ ego dixi vobis: Vado & venio ad vos. Si diligere-
tis me, gauderetis vtique, quia dixi, vado ad patrem, [k] quia pater maior me est. Et nunc dixi vobis prius quā
fiat: vt cum factum fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum: [l] venit enim princeps mundi huius,
& in me non habet quicquam. [m] Sed, vt cognoscat mundus, quòd diligo patrem: & sicut mandatum dedit
mihi pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

SCHOLIA.

[a] Non turbetur cor vestrum, creditis in Deum, & in me credite.] *Hæc non tam erant profutura discipulis nocte illa, qua omnium obliti terga dederunt, quàm secuturis temporibus, & posteritati omni: declarat autem nunc suam diuinam, & æqualem cum patre naturam: fidendum ergo docet, quòd tametsi corpora hac eius consuetudine essent destituendi, sua tamen se diuinitate nunquam eos deserturū. Neque existimetis, inquit, me discedente, actum esse de Vestra omnium spe, et ingentibus illis promissis: nō ita est, sed parata sunt Vestra habitacula apud patrem, vbi mansiones non desunt copiosæ, quod si non esset, ego in hac profectione mea dixissem, quod is, qui profecturus ad accipiendam regni alicuius possessionem, domesticis atq; amicis diceret: Non à Vobis recedo, sed eo, vt præparem Vobis locū, quem cū profectus parauero, iterum veniam & accipiam Vos apud me.* [b] Et quo vado scitis, & viam scitis.] *Sciebant, sed scire se ignorabant: sciebant enim Christum, qui erat Via. Quod ergo ait. Et Viam scitis, intellige per quam ipse essent ingressuri, iccirco cum dixisset, ego sum Via Veritas & Vita. Adiecit: nemo Venit ad patrem, nisi per me.* [c] Ego sum via, & veritas, & vita.] *Omnia hæc in Græco cum articulo scribuntur. Illa (inquit) Via sum, qua rectà ingrediamini, ne à scopo aberretis: Veritas sum, qui certissime, quæcunque sum pollicitus, præstabo: Vita, qui perpetuo ea, quæ præstitero, conseruabo. Me sequendo non errabitis, mihi fidendo, non estis frustrandi Vestra spe, & quæ speratis, erunt immortalia. In his tribus Verbis securos eos ab omni metu reddit. Et cum adicit, nemo Venit ad patrem nisi per me, aperit non solum quo eat, id quod quærebat Thomas, Verum etiam Viam qua aliy accedere eodem possint. Deinde ostendit, cur patrem ad quem vadit, non norint, quem tamen agnoscunt, dum filium norunt.* [d] Verba, quę ego loquor vobis.] *Hoc est, ex ipsis Verbis meis, cernere potestis patrem, nam hæc eius Verba sunt. Profectò enim hæc Euangelica præcepta, non potuerunt, nisi ab ipsa diuinitate esse profecta.* [e] Qui credit in me, opera quæ ego facio.] *Euidentem (inquit) Vobis relinquam meæ diuinitatis significationem, quòd credentes in me, eadem diuina opera facient: atq; Vt certior huius rei fiat declaratio, efficiam, Vt ipsi maiora etiam faciant, quàm ego Vnquam facere Voluerim.* [f] Vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis.] *Cernitur enim Christus animi magis oculis, quàm corporis: qui ergo scit, Christum Viuere, & victuros eos, qui in eum credunt, is videt Christum.* [g] Quid factū est, quòd manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo?] *Videtur hoc interrogasse propterea, quòd cum regnum Christi existimarent declarandum mundo, nunc in illis Domini Verbis hæsitauerint, quibus dixit, se illis duntaxat manifestaturum seipsum. Dominus autem continuando sermonem, indicat quo id pacto sit faciendum, & eo nunc modo vsus est in hac responsione, quo & ergà patrum alibi, cum interrogasset, num illas parabolas propter se diceret, an etiam propter omnes.* [h] Quem mittet pater in nomine meo.] *Vt me clarificet. Ille ergo commonefaciet Vos omnium, quæ dixi Vobis, & quæ nunc minus intelligere potestis, ipse ea Vobis faciet apertiora.* [i] Non quomodo mundus dat, ego do vobis.] *Hoc est, cum pacis nomen audistis, ne opinemini pacem illam, quæ Vna à mundo agnoscitur, in summa harum rerum & copia & securitate, sed illam pacem, quæ superat omnem mentem, quæ in mediys mortibus auferri ne tum quidem à Vobis poterit.* [k] Quia pater maior me est.] *Audi quo modo & hunc locum contra hæreticos interpretetur Theologus Nazianzenus. Si maior, inquit, tantum diceretur, & non etiam æqualis, fortasse hoc esset eis aliquid, at, si Vtraque manifeste inuenimus, quid isti generosi dicturi sunt? quo pacto iungentur, Væ copulam non admittunt? Vt enim eadem res eodem modo & maior & æqualis sit, est impossibile. An non manifestum est, illud, maior, pertinere ad causam, æqualis vero ad naturam? & post paulo, nam dicere, illud maior, ratione naturæ humanæ esse intelligendum, verum id quidem est, sed non magnum: quid enim mirum, si maior est homine Deus? Hæc ille. Quod autem ait, debere eos gaudere, quòd eat ad patrem, &c. videtur ob hoc dictum, quòd proficiscente in cœlum Domino, intellecturi apertius essent mysteria illa diuinitatis, & natiuitatis filij à patre, & Vnitatem filij cum patre, & cætera huius generis.* [l] Venit enim princeps mundi huius.] *Et hoc est, quod alibi legis, recessisse diabolum à Domino Vsque ad tempus. Perscrutatus est diabolus, nunquid inueniret in Domino: quid ergo nobis fiet?* [m] Sed vt cognoscat mundus.] *Eamus, inquit, ad opus iam institutum, Vt appareat, quantum diligam patrem, & quàm ei sim obediens.*

CAPVT XV.

EGo sum vitis vera: & pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollit A
eum: & omnem, qui fert fructum, purgat eum, vt fructum amplius afferat. [a] Iam vos mundi estis pro
pter sermonem quem locutus sum vobis. Manete in me: & ego in vobis. Sicut palmes non potest fer
re fructum à semetipso, nisi manserit in vite: sic nec vos nisi in me māseritis. Ego sum vitis: vos palmites: qui
manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Siquis in me nō man-
serit: mittitur foras sicut palmes, & aresçit, & colligunt eum, & in ignem mittunt & ardet. Si māseritis in me, Matt.21.c
& verba mea in vobis manserint: quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis. In hoc clarificatus est pa- 1.Ioan.3.d
ter meus:

B ter meus: vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei discipuli: [b] sicut dilexit me pater, & ego dilexi
vos. Manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea, sicut & ego præ-
cepta patris mei seruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis Supra.13.d
maneat, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos. Ephe.5.a
[c] Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, 1.the.4.b.c
si feceritis, quæ ego præcipio vobis. Iam non dico vos seruos: quia seruus nescit quid faciat Dominus eius. 1 Ioan.3.c
C Vos autem dixi amicos: quia [d] omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. [e] Non vos me elegi- d.&.4.d
stis, sed ego elegi vos: & posui vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat: vt quodcunque pe-
tieritis patrem in nomine meo, det vobis. Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit: sci-
tote q̄ me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis: mundus quod suum est, diligeret: quia vero de 2.Ioan.3.d
mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem &.4.d
ego dixi vobis. Non est seruus maior Domino suo. Si me persecuti sunt: & vos persequentur: si sermonem Supra.13.b
D meum seruauerunt: & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciūt Matt.10.c
eum qui misit me. Si non venissem & locutus fuissem eis peccatum non haberent: nunc autem excusationē Matt.24.a
non habent de peccato suo. Qui me odit, & patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quę nemo alius
fecit: peccatum non haberent: nūc autem & viderunt, & oderunt, & me, & patrem meū. Sed, vt adimpleatur Psal.24.c
sermo qui in lege eorum scriptus est: Odio habuerunt me gratis. [f] Cum autem venerit paracletus (quem Luce.24.g
ego mittam vobis à patre) spiritus veritatis, qui à patre procedit: ille testimonium perhibebit de me: sed &
vos testimonium perhibetis: quia ab initio mecum estis.

SCHOLIA.

[a] Iam vos mundi estis.] *Dixerat, patrem in morem agricolæ purgare etiam eos, qui fructificant, vt vberiorem ferant fructū. Vos ergo, inquit, etsi purgati estis ob sermones et doctrinam meam, ac Verbi fidei, exercebimini tamen afflictionibus, vt amplius etiam fructificetis, sed Vos permanete in me, alioqui infructiferi confestim efficeremini.* [b] Sicut dilexit.] *Videtur illud velle significare his Verbis, quod infra dicit alloquens patrem. Et ego claritatem quam tu dedisti mihi, dedi eis.*
[c] Maiorem hac dilectionem.] *Quid? an maior non est dilectio pro inimicis, quam pro amicis mori? Sed cum quis pro inimicis moritur, tam eos pro amicis habet, quia eos amat.* [d] Omnia quæcunque audiui.] *Illud, omnia, videtur ὑπερβολικῶς dictum, alioqui ad filij æqualitatem Apostoli peruenissent.* [e] Non vos me elegistis.] *Non potuisse vos meipsos tantum bonum excogitare.* [f] Cum autem venerit paracletus.] *Illi, inquit, oderunt me, sed paracleti aduentus ea signa dabit, vt velint nolint, agnoscatur, qui sim. Ille ergo locuples testimonium reddet, quin & Vos ipsi, qui ab initio versati estis mecum, abunde testes estis, vt sufficere posset Vestrum testimonium ad faciendam illis fidem, nisi tam impudenti, & perfricta fronte essent.*

CAPVT XVI.

A HÆc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absq; synagogis facient vos. [a] Sed venit hora, vt om
nis, qui interficit vos, arbitretur cultum se prestare Deo, & hęc facient vobis: quia non nouerunt pa Matt.24.a
trē neq; me. Sed hęc locutus sum vobis, vt cū venerit hora, eorū reminiscamini, q̄ ego dixerim vo-
bis. Hęc aūt vobis ab initio nō dixi: [b] quia vobiscū eram. Et nūc vado ad eū, qui misit me: & [c] nemo ex vo-
B bis interrogat me: Quò vadis? Sed quia hęc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrū. Sed ego veritatem
dico vobis, expedit vobis, vt ego vadā: [d] si enim nō abiero, paracletus nō veniet ad vos: si autē abiero, mittam
eū ad vos. Et cū venerit, ille [e] arguet mūdū de peccato, & de iustitia, & de iudicio: de peccato quidē, quia non
credunt in me: de iustitia vero, quia ad patrē vado, & iam non videbitis me: de iudicio aūt, quia princeps hu-
ius mūdi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere: sed nō potestis portare modo. Cū aūt venerit
C ille spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem: [f] nō enim loquetur à semetipso: sed quęcunq; audierit,
loquetur: & quę ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit: quia de meo accipiet, & annunciabit
vobis. Omnia quęcunq; habet pater, mea sunt. Propterea dixi: quia [g] de meo accipiet, & annuntiabit vobis.
Modicū & non videbitis me, & iterum modicū & videbitis me, quia vado ad patrem. Dixerunt ergo ex discī
D pulis eius adinuicē: Quid est hoc qd̄ dicit nobis: Modicū & nō videbitis me, & iterū modicū & videbitis me,
& quia vado ad patrē? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit, modicū? nescimus quid loquatur. Cognouit
ergo IESVS, q̄ volebāt eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quod dixi: Modicum & nō
videbitis me, & iterum modicum & videbitis me. Amen amen dico vobis, quod [h] plorabitis & flebitis vos,
mundus aūt gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudiū. Mulier cū parit, tri-
E stitiam habet, quia venit hora eius: cū autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudiū,
quia natus est homo in mundū. Et vos igitur, nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & Supra.14.b
gaudebit cor vestrum: & gaudium vestrū nemo tollit à vobis. Et in illo die me nō interrogabitis quicquam. Matt.7.a
Amen amen dico vobis, [i] quicquid petieritis patrē in nomine meo, dabit vobis. Vsq; modo nō petistis quic &.21.c
F quam in nomine meo. Petite & accipietis: vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbijs locutus sum Marc.11.c
vobis. Venit hora cum iam non in prouerbijs loquar vobis, sed palàm de patre annuntiabo vobis. In illo die Luce.11.b
in nomine meo petetis, & non dico vobis q̄ ego rogabo patrē pro vobis: ipse enim pater amat vos, quia vos Iacob.1.a
me amastis, & credidistis, q̄ à Deo exiui. Exiui à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & va-
do ad patrem. Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palàm loqueris, & prouerbiū nullum dicis: [k] nunc scimus,
G q̄ scis omnia, & nō opus est tibi, vt quis te interroget: in hoc credimus q̄ à Deo existi. Respondit eis IESVS:
Modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt dispergamini vnusquisq; in propria, & me solum relinqua- Matt.26.c
tis, & tamen non sum solus, quia pater mecum est. Hæc locutus sum vobis, vt in me pacem habeatis. In mun Marc.14.c
do pressuram habetis: sed confidite, ego vici mundum.

SCHOLIA.

[a] Sed venit hora.] *Immò, inquit, venit tempus, cum persecutores vestri arbitrentur, eadem vestram esse quoddam gratissimum Deo sacrificium, vt parum sit, quòd vos alienos à synagogis suis faciant.* [b] Qui vobiscum eram.] *Dum in hac corporis præsentia fui vobiscum, non erat necesse, vt vos ista admonerem, qui securi in vtranque diuersum dormiebatis: At cum abiero, etsi non desinam esse vobiscum, vos tamen priuati hoc corporis aspectu, eritis pauidiores: quare munire vos his prædictionibus oportuit.* [c] Nemo ex vobis interrogat me.] *Video vos mœrore confectos, non iam delectari interrogationibus.* [d] Si enim non abiero.] *Dum mortalem hanc carnem præfero, neq; vos crescere intelligentia potestis, neq; mundus certior fieri maiestatis meæ, at cum abiero, spiritum illum paracletũ mittam, quo duce ad altiorem rerum intelligentiam eritis vos aptiores, & magnificentissimis signis declarabitur mundo, me vere Deum esse, qui post discessum ab hominibus meum, tam manifestum diuinitatis meæ significationem faciam, hæc autem omnia me adhuc præsente non apte fient.* [e] Arguet mundum.] ἐλέγξει *arguet, vnde argumentum, sicut ab* ἔλεγχω ἔλεγχος *Tria, inquit, argumenta apertissimis demonstrabit. Primum omnium, mundum peccasse in me, dum tantæ veritati credere recusauit. Deinde quòd iustus fuerim, atq; omnino innocens, qui ob hanc iustitiam meam ad patrem, ab aspectibus hominum sublatus, profectus sim: cui rei testimonio erunt ea, quæ in nomine meo per spiritus sancti aduentum fient. Postremo declarabit, condemnatum esse principem mundi, cum imperium omne illius per totum mundum sublatum cernetur. Vel sic, arguet mundum de peccato, quia mundus qui crediturus est, arguet se peccatorem, quia non credidisset in Christum de iustitia, quia cũ ad patrem proficiscar, agnoscent me filium Dei, qui iustificauit illos, de iudicio, quia per me sublata est potestas principis mundi huius in homines.* [f] Non enim loquetur à semetipso.] *Per hæc verba significat vnitatem spiritus sancti cum patre, quodq; non separata quædam natura sit, sed à patre procedat.* [g] De meo accipiet.] *Si de diuina processione loquitur, significatur, illum & à patre & à se proficisci, sin intelligas de declaratis mundo operibus, accipiet, inquit, de meo, hoc est, non noua & diuersa introducet, sed prosequetur ea, quæ ego institueram, idque faciet glorificandi mei gratia, & quia consueuerat dicere Dominus, verba, quæ ego loquor, à me ipso non loquor, nunc autem ait, de meo accipiet, remouet hanc dubitationem, dicens, iccirco se ita dixisse, quòd omnia, quæ habet pater, sint filij.* [h] Plorabitis & flebitis.] *Non aperte explicat illud, modicum, sed præuenit admonendo, vt pauatiores reddat ad perferenda mala. Hoc autem respondendi more sæpe vtitur Dominus, vt longè aliter, quàm expectatur, respondeat.* [i] Quicquid petieritis patrem.] *In harum narratione molestiarum, quæ illis erant euentura, identidem, confirmandorum animorum gratia, admonet, illos charos esse patri, et quicquid petierint, assecuturos, tantum se digna petant, quod hactenus facere nesciebant, vt qui adhuc rudiores, & minus assueti essent altioribus cogitationibus, sed postea per paracleti aduentum accesit illa perfectio, quo tempore de patre apertius, quod nunc promittit, illis annunciauit, & apertiora fecit mysteria.* [k] Nunc scimus, quòd scis omnia.] *Quippe qui intellexeris, quid nos torqueret, & hac magis plana narratione, clariorem tui dederis agnitionem. Sed quia dixerant, se nunc credere, prædicit eis, quàm futura mox sit imbecilla eorum fides.*

CAPVT XVII.

HÆc locutus est IESVS: & subleuatis oculis in cœlum, dixit: Pater, venit hora, clarifica filiũ tuũ, vt & filius tuus clarificet te, [a] sicut dedisti ei potestatẽ omnis carnis: vt quotquot dedisti ei, det eis vitã æternam. Hęc est autem vita æterna: [b] Vt cognoscant te, solum Deum verũ, & quem misisti IESVM CHRISTVM. Ego te clarificaui super terrã: opus cõsummaui, quod dedisti mihi, vt faciã. Et nunc clarifica me tu pater apud temetipsum, [c] claritate quã habui prius quã mundus esset apud te. Manifestaui nomẽ tuũ hominibus, quos dedisti mihi de mundo: [d] tui erant: & mihi eos dedisti, & sermonẽ tuum seruauerunt. Nũc cognouerunt q̃ omnia, quæ dedisti mihi, abs te sunt: quia verba, quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt, & cognouerunt vere q̃ à te exiui: & crediderunt q̃ tu me misisti. Ego pro eis rogo. Nõ pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. [e] Et mea omnia, tua sunt: & tua mea sunt: & clarificatus sum in eis. Et iam nõ sum in mũdo: & hi in mũdo sunt, & ego ad te venio. Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, vt sint vnũ sicut & nos. Cũ essem cũ eis in mũdo, [f] ego seruabam eos in nomine tuo. Quos dedisti mihi, ego custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius pditionis, vt scriptura impleatur. Nunc aũt ad te venio: & hęc loquor in mũdo, vt habeãt gaudiũ meũ impletũ in semetipsis. Ego dedi eis sermonem tuũ: & mũdus eos odio habuit, quia nõ sunt de mũdo, sicut & ego nõ sum de mũdo. Nõ rogo, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo: de mũdo nõ sunt: sicut & ego nõ sum de mũdo. [g] Sanctifica eos in veritate tua. Sermo tuus veritas est. Sicut tu me misisti in mundũ: ita & ego misi eos in mũdũ. Et pro eis ego [h] sanctifico meipsum, vt sint & ipsi sanctificati in veritate. Nõ pro his aũt rogo tantũ, sed & pro eis, qui crediturí sunt per verbũ eorũ in me: vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, vt credat mundus, quòd tu me misisti. Et ego [i] claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis: vt sint vnum, sicut & nos vnum sumus. Ego in eis, & tu in me: vt sint consummati in vnum, & cognoscat mundus quòd tu me misisti, & dilexisti eos sicut & me dilexisti. Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego & illi sint mecum: vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante constitutionem mundi. Pater iuste, [k] & mundus te non cognouit: ego autem te cognoui: & hi cognouerunt quòd tu me misisti. Et notum feci eis nomen tuũ, & notum faciam, [l] vt dilectio, qua dilexisti me, in ipsis sit, & ego in ipsis.

Psal.108.b

SCHOLIA.

[a] Sicut dedisti ei potestatem.] *Ex hac potestate clarificauit patrem, dum illam in patris gloriam exercuit, & curauit salutem hominum.* [b] Vt cognoscant te solum Deum verum.] *Arbitrabantur hæretici, hic inuenisse se locum contra filium: quibus sic respondet Theologus Nazanzenus: Hoc facilem habere mihi videtur solutionem, si enim illud, solum verum, patri apposueris, vbi pones eum, qui est ipsa veritas? etenim si illa, soli sapienti Deo, aut, qui solus habet immortalitatem, &, lumen habitat inaccessum, aut illud, Regi seculorum immortali, inuisibili, & soli sapienti Deo, eodem modo intellexeris, abibit tibi damnatus morte filius, aut erit tenebræ, aut non sapiens, neque rex, neque inuisibilis, neque omnino Deus, quod est omnium, quæ dicta sunt, caput. Quo autem pacto non perdet cum alijs rebus etiam bonitatem, quæ maxime solius Dei est? nemo enim bonus nisi vnus, nempe Deus. Sed opinor, illud, vt agnoscant te solum verum Deũ, dici ad deuiendos eos, qui dij non sunt, sed dicuntur: non enim additum esset, & quem misisti iesum Christum, si è regione illius positum esset illud, solum verum, & non secundum communem diuinitatis naturam haberetur oratio.* [c] Claritate quam habui.] *Tunc clarificatus est filius claritate quam habuit prius, quàm mundus fieret, cum agnitus fuit eiusdem esse cum patre substantiæ, quod quia iam declarauerat apostolis, paulo post ait, & clarificatus sum in eis.* [d] Tui erant.] *Omnia enim semper refert ad patrem.* [e] Et mea omnia tua sunt.] *Dixi tuos esse, quia ad te refero omnia, sed & mei sunt, quia omnia communia ambobus.* [f] Ego seruabam eos in nomine tuo.] *Hoc est in virtute tua, omnia enim ad te referebam.* [g] Sanctifica eos in veritate tua.] *Sæpe in scriptura veritas accipitur, pro constantia in seruandis promissis, vt & hic: Hæc autem omnia loquitur Dominus ad patrem, vt audientes hæc discipuli fiduciam accipiant, nec cadant animis, dum intelligunt, quantæ sint curæ & ipsi & patri.* [h] Sanctifico meipsum.] *Hostiam sanctam offero meipsum.* [i] Claritatem quam tu dedisti mihi dedi eis.] *Nam per illum esse cœpi sumus filij Dei & cohæredes Christi.* [k] Et mundus.] *Veni quidem in mundũ, vt te mundus agnoscerer, sed ille noluit fidem adhibere, perinde quasi te non nouerim, cum tamen norim.* [l] Vt dilectio.] *Vt eam præ te feras charitatem erga illos, quam præ te erga me tulisti, & ego agnoscar in eis esse.*

CAPVT XVIII.

HÆc cum dixisset IESVS, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron vbi erat hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum: quia [a] frequenter IESVS conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergo cum accepisset cohortem, & à pontificibus & pharisęis ministros, venit illuc cum laternis, & facibus & armis. IESVS itaque sciens omnia, quæ uentura erant super se, processit & dixit eis: Quem quæritis? Respondérunt ei: IESVM Nazarenum. Dicit eis IESVS: Ego sum. Stabat autem & Iudas, qui tradebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, & [b] ecciderunt in terram. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt, IESVM Nazarenum. Respondit IESVS: Dixi vobis, q̃ ego sum, si ergo me quæritis, finite hos abire. Vt impleretur sermo quem dicit: Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quenquam. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo, Malchus. Dixit ergo IESVS Petro: Mitte gladium tuum in vaginam: Calicem quem dedit mihi pater, non bibam illum? Cohors igitur & tribunus & ministri Iudæorũ comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius: Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: Quòd expediret vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem IESVM Simõn Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille, erat notus pontifici, & introiuit cum IESV in atrium pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiuit ergo discipulus ille alius, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ: & introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem serui & ministri, qui prunas congesserant, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis, & Petrus, stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit IESVM de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei IESVS: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo: quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt, quid locutus sim ipsis, ecce, hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset: vnus assistens ministrorum, dedit alapam IESV dicens: [c] Sic respondes pontifici? Respondit ei IESVS: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Erat autem Simõn Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit Petrus: & statim Gallus cantauit. Adducunt ergo IESVM à Caipha in prætorium. Erat autem mane: & ipsi non introierunt in prætorium, vt non contaminarentur, sed vt manducarent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Respónderunt & dixerunt ei: [d] Si non esset hic malefactor, nõ tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & secundum legem vestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: [e] Nobis non licet interficere quenquam. Vt sermo IESVS impleretur quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus: & vocauit IESVM, & dixit ei: Tu es rex Iudæorum? Respondit IESVS: [f] A temetipso hoc dicis, an alij tibi dixerunt de me? Respondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus sum? Gens tua, & pontifices, tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit IESVS, Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit IESVS: Tu dicis, quòd rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum: [g] vt testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meã. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cũ hoc dixisset, iterũ exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullã inuenio in eo causam. Est aũt consuetudo vobis, vt vnũ dimittã vobis in pascha: vultis ergo dimittã vobis regem Iudęorum? Clamauerunt igitur rursum oẽs dicentes: Nõ hunc, sed Barabbã. Erat aũt Barabbas, latro.

Matt.26.c Marc.14.c Luce.22.c Matt.26.e Marc.14.c Luce.22.d Supra.17.c Supra.11.f Matt.26.g Marc.14.g Luce.22.f Matt.26.f Marc.14.f Luce.22.f Matt.26.g Marc.14.g Luce.22.g Luc.22.f.g Matt.27.a Marc.15.a Luce.22.g Matt.20.c Matt.27.b Marc.14.a Luce.23.a Matt.27.c Marc.15.b Luce.23.b

SCHOLIA.

[a] Frequenter Iesus.] *Vide, vt Dominus suo exemplo monstrauerit, locorum secessus plurimũ cõferre ad vacandũ Deo.* [b] Ecciderunt in terram.] *Et hæc nõ exigua beneficentiæ pars in Iudæos fuit, declarare potentiam suam ea ipsa hora, qua illi tam sceleratum facinus erant patraturi, vt saltem metu maiestatis respiscerent.* [c] Sic respondes pontifici?] *Quo ergo alio eum pacto volueras respondisse? Gensęs, si de doctrina interrogatus, accersisset à capite totius suæ doctrinæ summam?*

ſummam,eum aut auditum fuiſſe,aut quicquam profeciſſe? breuiter admonet,vt eos interroget,qui audierant, à quibus ſolis certa huius rei veritas ſciri poſſet. At accepta alapa Ieſus, ne hunc quidem docere dedignatur. Indefeſſam proculdubio erga homines charitatem. [d] Si non eſſet hic malefactor.] *Vide impudentiam,& ſupercilium: vna tantũ inquiunt,hac re,quòd tibi eum tradidimus,exiſtimare debes,eſſe illum alicuius criminis reum.* [e] Nobis non licet interficere quenquam.] *Vel propter paſcha,vel fortaſſe,vt hoc præſidis auxilio magis roborarentur ad certam Domini mortem,ſimulauerũt hoc ſibi non licere,alioqui cur Stephanum occiderunt,ſi ſublata erat occidendi poteſtas? & vide,vt & in hoc facto ſeruiant prophetiæ Domini,vt ait euangeliſta,vt ſermo Ieſu impleretur,&c.* [f] A temetipſo hoc dicis.] *Tu id ex te opinaris,an aliorum verbis fidem habes? Quod ad te attinet,non hoc tibi à me eſt metuendum, qui ne veſtigium quidem vnum in me affectati regni deprehendere poſſis, ſin ex aliorum ſermone loqueris,vide quinam ij ſint,qui me accuſant,nempe Iudæi, quibus quantæ ſit curæ ſalus Romani regni tute cogita.* [g] Vt teſtimonium perhibeam veritati.] *Aduerſus ſcilicet vanitatem,& mendacium mundi.*

CAPVT XIX.

Matt.27.c Marc.15.b

TVnc ergo apprehendit Pilatus IESVM, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de ſpinis, impoſuerunt capiti eius: & veſte purpurea circundederunt eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus, & dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, vt cognoſcatis, quòd in eo nullam inuenio cauſam. Exiuit ergo IESVS foras, portans coronam ſpineam, & purpureum veſtimentum. Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidiſſent eum pontifices & miniſtri, clamabant dicentes: Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, & crucifigite: Ego enim non inuenio in eo cauſam. Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus: & ſecundum legem noſtram debet mori: [a] quia filium Dei ſe fecit. [b] Cum ergo audiſſet Pilatus hunc ſermonem, magis timuit: Et ingreſſus eſt prætorium iterum, & dicit ad IESVM: Vnde es tu? IESVS autem reſponſum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? neſcis, q̃ poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Reſpondit IESVS: [c] Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Propterea, qui me tradidit tibi, [d] maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: Si hunc dimittis, [e] non es amicus Cæſaris. Omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari. Pilatus ergo cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras IESVM: & ſedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithoſtrotos: Hebraice autem Gabatha. Erat autem paraſceue paſchæ hora quaſi ſexta: & dicit Iudæis: [f] Ecce rex veſter. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt pontifices: Non habemus regem, niſi Cæſarem. Tũc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Suſceperunt aũt IESVM: & eduxerunt eum. Et baiulans crucem ſuam, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ, locum, Hebraice aũt Golgotha: vbi crucifixerunt eum, & cum eo alios duos hinc & hinc, medium autem IESVM. Scripſit autem & titulum Pilatus: & poſuit ſuper crucem. Erat autem ſcriptum: IESVS Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt IESVS. Et erat ſcriptum Hebraice, Græce, & Latine. Dicebant ergo Pilato pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, rex Iudæorum, ſed q̃ ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi. Milites ergo cum crucifixiſſent eum: acceperunt veſtimenta eius: & fecerunt quatuor partes: vnicuiq; militi partem, & tunicam. Erat aũt tunica inconſutilis, à ſummo cõtexta per totũ. Dixerunt ergo adinuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Vt ſcriptura impleretur, dicens: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi: & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem IESV, mater eius, & ſoror matris eius: Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidiſſet ergo IESVS matrem, & diſcipulum ſtantem, quem diligebat, dicit matri ſuæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam diſcipulus in ſua. Poſtea ſciens IESVS, q̃ omnia iam conſummata ſunt, vt conſummaretur ſcriptura, dicit: Sitio. Vas igitur erat poſitum aceto plenum. Illi autem ſpongiam plenam aceto, hyſſópo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cum ergo accepiſſet IESVS acetum, dixit: Conſummatum eſt. Et inclinato capite, tradidit ſpiritum. Iudæi ergo (quoniam paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora ſabbato (g erat enim magnus, dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerũt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus eſt cũ eo. Ad IESVM autem cum veniſſent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura: ſed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit ſanguis & aqua. Et qui vidit teſtimonium perhibuit: & verum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit q̃ vera dicit: vt & vos credatis. Facta ſunt enim hæc, vt ſcriptura impleretur: Os non cõminuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit, [h] Videbunt in quem transfixerunt. Poſt hæc autem rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathea (eo quòd eſſet diſcipulus IESV, occultus autem propter metum Iudæorũ) vt tolleret corpus IESV: Et permiſit Pilatus. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad IESVM nocte primum, ferens mixturam myrrhæ & aloes quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus IESV, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco vbi crucifixus eſt, hortus: & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, poſuerunt IESVM.

Matt.27.d Marc.15.b Luce.23.c Pſal.21.c

Pſal.68.c

Exod.12.g Nume.9.b Zacha.12.c Matt.27.g Marc.15.d Luce.23.g Supra.3.a

SCHOLIA.

[a] Quia filium Dei ſe fecit.] *Dixerunt illum ob hanc cauſam debere ſecundum ſuam legem mori. Et videtur id illis accidiſſe, vel eos arripuiſſe demum hanc anſam quia neſciebant diſtinguere perſonas in diuinis: & cum audirent ex lege, vnum eſſe Deum, putabant illum contra legis ſuæ Theologiam loqui. Sed cur non hoc primo acceſſu ad Pilatum dixerunt? Videbantur ergo cæca inuidia agi, & non ſtudio veritatis, ſed cupiditate occidendi illius iſta dixiſſe.* [b] Cum ergo audiſſet Pilatus.] *Viderant Iudæi in Domino Ieſu Chriſto multa diuinitatis facta, & tamen totis viribus ita in eum ſæuiunt, vt ne tum*

ne tum quidem cum cernunt eum flagellis cæſum, & illuſum, non ſolum molliantur, ſed acrius inſtent, vt agatur in crucem: homo ethnicus ſola appellatione filij Dei terretur, & eum interrogat, vnde ſit, cuius nam ſcilicet è Deorum numero ſit filius, cum dy plurimi apud eos eſſe exiſtimarentur. [c] Non haberes poteſtatem.] *Hic, huic Pilati ignorantiæ fuit reſpondendum, & tuendus paternus honor, à quo omnis poteſtas & in cælo & in terra eſt.* [d] Maius peccatum habet.] *Admonet, & ipſum quidem peccare, quòd aſſentiatur conſilijs Iudæorum, verum, quia ſententiam in Dominum laturus erat ob hoc tantum, quòd poteſtate præditus eſſet, & quaſi cogeretur eam exercere, ait, Iudæos magis peccare, qui ſolo odio, atque inuidia agerentur.* [e] Non es amicus Cæſaris.] *Hactenus Pilatus ſatis generoſe reſtiterat: Cæſaris autem appellatione facta mutatus, continuo dat manus.* [f] Ecce rex veſter.] *Videtur voluiſſe poſtremo tentare, ſi forte, vel pudore reuocare eos poſſet à propoſito ſcelere, quaſi diceret: non agnoſcitis ignominiæ hoc vobis futurum, ſi rex veſter agatur in crucem? quòd & paulo poſt repetit, regem veſtrum crucifigam? At illi quid? non habemus regem niſi Cæſarem. Et ne Meſſiam quidem veſtrum excipere, vobis in mentem venit? aut, ſi venit, neglexiſtis?* [g] Erat enim magnus ille dies ſabbati.] *Quia ſcilicet eo anno paſcha in diem ſabbati inciderat, vel fuerat translatũ, vt alibi diximus.* [h] Videbunt in quem transfixerunt.] *Hebræum ſic habet: Aſpicient ad me, quem transfixerunt. Vbi manifeſte & diuinitas & humanitas Chriſti declaratur.*

CAPVT XX.

A VNa autem ſabbatorum Maria Magdalene venit mane, cum adhuc tenebræ eſſent, ad monumẽtum: & videt lapidem ſublatum à monumento. Currit ergo & venit ad Simõnem Petrum, & ad alium diſcipulum quem amabat IESVS, & dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum. Exijt ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul: & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, & venit primus ad monumentum. Et cum ſe B inclinaſſet, vidit poſita linteamina, non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum: & introiuit in monumentum, & videt linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat ſuper caput eius, nõ cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille diſcipulus, qui venerat primus ad monumentum: [b] & vidit & credidit: nondum enim ſciebant ſcripturam, quòd oporteret eum à mortuis reſurgere. Abierunt ergo rurſus diſcipuli ad ſemetipſos. Maria autem ſtabat ad monumentum, foris C plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe in monumentum: & videt duos angelos in albis ſedẽtes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus IESV. Dicũt ei illi, Mulier, quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum: & neſcio vbi poſuerunt eum. Hæc cum dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit IESVM ſtantem: & non ſciebat quòd IESVS eſſet. Dicit ei IESVS Mulier, quid ploras? Quẽ queris? Illa exiſtimans quòd hortulanus eſſet, dicit ei: Domine, ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum: & D ego eum tollam. Dicit ei IESVS: Maria: conuerſa illa dicit ei, Rabboni, quod dicitur magiſter. Dicit ei IESVS, Noli me tangere: [c] nondum enim aſcendi ad patrem meum. Vade autẽ ad fratres meos, & dic eis: [d] Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Venit Maria Magdalene annuntians diſcipulis: Vidi Dominum, & hæc dixit mihi. Cum ergo veſpera eſſet die illo, vna ſabbatorum, & fores eſſent clauſæ, vbi erant diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, venit IESVS & ſtetit in E medio, & dicit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixiſſet, oſtendit eis manus & latus. Gauiſi ſunt ergo diſcipuli, viſo Domino. Dixit ergo eis IESVS iterum: Pax vobis: [e] ſicut miſit me pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixiſſet, inſufflauit, & dicit eis: Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit IESVS. Dixerunt ergo ei alij diſcipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Niſi videro in manibus eius figuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum F meam in latus eius: non credam. Et poſt dies octo, iterum erant diſcipuli eius intus, & Thomas, cum eis. Venit IESVS ianuis clauſis, & ſtetit in medio, & dixit eis: Pax vobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitũ tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Reſpondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & Deus meus. Dicit ei IESVS: Quia vidiſti me Thoma, credidiſti: beati qui non viderunt & crediderunt. Multa quidem & alia ſigna fecit IESVS in conſpectu diſci- G pulorum ſuorum, quæ non ſunt ſcripta in libro hoc: hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis quòd IESVS eſt CHRISTVS filius Dei: & vt credentes, vitam habeatis in nomine eius.

marc.16.a Luce.24.a

matt.28.a marc.16.a

marc.16.c Luce.24.f 1.Cor.15.a

matt.18.c

SCHOLIA.

[a] Vna vero ſabbatorum.] *Hebraiſmus eſt, vt vnus pro primo dicatur, ſic illud, ſabbatorum, pro dierum hebdomadæ.*

[b] Et vidit, & credidit.] *Scilicet, quod dixerat Maria, ſublatum eſſe Dominum, & cauſam addit Euangeliſta, cur ita crediderit, quòd ſcilicet nondum noſſent ſcripturam, quæ docet, oportuiſſe eum à mortuis reſurgere. Maluit q̃ hic mentionem ſcripturæ facere, quàm verborum Domini, qui id futurum prædixerat, vt doceat, ingens fundamentum eſſe Chriſtianæ veritatis, ſcripturarum teſtimonia.* [c] Nondum enim aſcendi ad patrem meum.] *Perinde quaſi poſtea, quàm aſcendiſſet, eſſet tactura. Quod futurum quidem erat, vt ſcilicet eum tangeret, ſed non eo pacto, quo antea conſueuerat, verum eo, quod cæleſtem rempublicam deceat, atque id non ante futurum erat, quam ipſe ad patrem aſcendiſſet, vnde ſpiritum ſanctum eſſet in credentium corda emiſſurus, qui eos integram Chriſti agnitionem doceret, hoc enim eſt vere tangere.* [d] Aſcendo ad patrem meum.] *Non dixit patrem noſtrum & Deum noſtrum, quia alia ratio Chriſti, alia reliquorum. Hæc autem verba, Deum meum, Theologus Nazianzenus ſic interpretatur: Deus autem dici poteſt, non verbi, ſed eius qui cernebatur: quo enim pacto eius, qui proprie Deus eſt, ſit Deus? ſicut & pater non eius, qui cernebatur, ſed verbi: etenim duplex erat. Itaque aliud quidem proprie in ambobus dicitur, aliud non proprie contra quàm in nobis ſe habet, noſter enim proprie quidem Deus, non proprie autem pater.* [e] Sicut miſit me pater.] *Quam accepi à patre poteſtatem, hanc vobis impertior, iam enim accingi vos oportet ad negocium regni. Verum quia regnũ hoc alterius eſt conditionis, atque cætera huius mundi regna, vires*

etiam

etiam ac potestatem ab eis diuersam, atque huic regno consentaneam trado. Accipite ergo spiritum (quod exteriore etiam spiratione significauit) sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. nam hi sunt huius regni hostes.

CAPVT XXI.

POstea manifestauit se iterum IESVS ad mare Tiberiadis. Manifestauit autem sic: Erãt simul Simon Petrus & Thomas, [a] qui dicitur Didymus, & Nathanael, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius, duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim statim: & illa nocte nihil prendiderunt. Mane autem iam facto, stetit IESVS in littore: non tamen cognouerunt discipuli quòd IESVS esset. Dicit ergo eis IESVS: [b] Pueri, num quid pulmentarij habetis? Responderunt ei: Non. At ille dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete: & inuenietis. Miserunt ergo: & iam non valebant illud trahere præ multitudine piscium. Dicit ergo discipulus ille, quem diligebat IESVS, Petro: Dominus est. Simon ergo Petrus cum audisset quòd Dominus est: tunica succinxit se (erat enim nudus) & misit se in mare. Alij autem discipuli nauigio venerunt (non enim longe erant à terra, sed quasi cubitis ducentis) trahentes rete piscium. Vt ergo descenderunt in terram, vident prunas positas, & piscem superpositum & panem. Dicit eis IESVS: Afferte de piscibus quos prendidistis nunc. Ascendit Simon Petrus, & traxit rete in terram, plenum magnis piscibus, [c] centum quinquaginta tribus. Et cum tot essent, non est scissum rete. Dicit eis IESVS, venite prandete. Et nemo audebat discipulorum interrogare eum: Tu quis es? scientes quòd Dominus est. Venit itaque IESVS, & accipit panem & dat eis, & piscem similiter. Hoc iam tertio manifestatus est IESVS discipulis suis, cum surrexisset à mortuis. Cum ergo prandissent, dicit Simoni petro IESVS: Simon Ioanna, [d] diligis me plusquàm hi? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis, quòd amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos: Dicit ei iterum, Simon Ioãna, diligis me? Ait illi: Etiam Domine, tu scis quòd amo te. Dicit ei: Pasce oues meas. Dicit ei tertio, Simon Ioanna, amas me? Cõtristatus est Petrus, quia dixit ei tertio amas me: & dixit ei, Domine tu omnia nosti: tu scis quòd amo te. Dicit ei IESVS: Pasce oues meas. Amen amen dico tibi, cũ esses iunior, cingebas te, & ambulabas quò volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei. Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum quem diligebat IESVS, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradit te? Hunc ergo cum vidisset Petrus, dicit IESV: Domine, hic autẽ quid? Dicit ei IESVS: [e] Si eum Volo manere donec veniam: quid ad te? tu me sequere. Exiuit ergo sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille non moritur. Et nõ dixit ei IESVS: Non moritur, sed: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc & scimus quòd verum est testimonium eius. Sunt autem & alia multa quæ fecit IESVS: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos qui scriberentur, libros.

A B C D E F G

2.Per.1.c

SCHOLIA.

a. Qui dicitur Didymus.] *Didymus gemellum significat, & qui vno partu nascuntur, didymi vocantur.* b Pueri.] *Ministri alicuius operis, vel artis, pueri appellantur.* c Centum quinquaginta tribus.] *Oppianus poeta, qui scripsit ἁλιευτικα observat, genera piscium esse centum quinquaginta tria, quod pulchre huic mysterio conuenit.* d Diligis me plusquàm hi.] *Ac si apertius dixisset, nemo debet pastoris officium accipere, nisi charitate cæteris antecellat, quod & tibi faciendum est.* e Si eum volo manere.] *In tota hac narratione, & collocutione cum Petro, morem suum seruat Dominus, dum subobscurè prædicit quæ sint futura, & vide mirum dicendi modum, cum cinctionem introducit et inuenis & senis, qui modus præ se fert summam Domini in loquendo humanitatem. Sic, quemadmodum et illud sequere me, ancipitem habet significationem, ita quod addit, si eum volo manere, &c. suspensos tenuit discipulos, quem sensum verba illa haberent, quod nec euangelista ipse voluit explicare, nisi quatenus Dominus non dixerit, eum non mori, quod cum ipse apertius facere noluerit, hoc ipso contenti esse debemus. Opinari tamen licet, Dominum significasse, non illum martyrio finiendum, sed velle illum tandiu morari in vita, donec eum ipse euocaret.*

EVANGELII SECVNDVM IOANNEM FINIS.

ACTA APOSTOLORVM.

CAPVT I.

[a] RIMVM quidem sermonem feci de omnibus, ò Theophile, quæ cœpit IESVS & [b] facere & docere, vsq; in diem, qua [c] præcipiens apostolis per spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: Quibus & prebuit seipsum viuum post passionem suam in multis argumentis, [d] per dies quadraginta apparens eis, & loquẽs de regno Dei: & conuescẽs, præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarẽt promissionẽ patris: Quam audistis (inquit) ex me: quia Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem [e] baptizabimini spiritu sancto, nõ post multos hos dies. Igitur qui cõuenerant, interrogabãt eum, dicentes: Domine, [f] si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis: [g] Non est vestrum nosse tẽpora vel articulos temporum, quæ pater posuit in sua ipsius potestate: sed accipietis virtutem superuenientis spiritus sancti in vos, & eritis mihi testes in Ierusalẽ, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsq; ad vltimum terræ. Et cum hæc dixisset, videntibus illis, eleuatus est: & [h] nubes suscepit eum ab oculis eorum. Cumq; intuerentur in cœlum, euntem illum, ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cœlum? hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Tunc reuersi sunt Hierosolymam à mõte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, [i] sabbati habens iter. Et cum introissent, ascenderũt in cœnaculum vbi manebat Petrus & Iacobus, & Ioannes & Andreas: Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi, & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi: hi omnes erant perseuerãtes vnanimiter in oratione & obsecratione cum mulieribus, & MARIA matre IESV, & fratribus eius. In diebus his exurgens Petrus in medio discipulorũ dixit: (Erat autem turba hominum simul, ferè cẽtum viginti) Viri fratres, oportuit impleri scripturã hanc, quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt IESVM: quia numeratus erat nobiscum, & sortitus erat sortem ministerij huius. Et hic quidẽ possedit agrum de mercede iniquitatis, & suspẽsus crepuit medius, & effusa sunt omnia viscera eius. Et notum factum est omnibus habitãtibus Ierusalem: ita vt appellaretur ager ille, lingua eorum, Aceldama, hoc est, ager sanguinis. Scriptũ est enim in libro psalmorum: [k] Fiat commoratio eius deserta: & non sit qui inhabitet in ea. Et episcopatum eius accipiat alter. [l] Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus IESVS, incipiens à baptismate Ioannis vsque in diem qua assumptus est à nobis, [m] testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerũt duos, Ioseph qui vocatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Matthiam. Et orantes, dixerũt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, [n] ostende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere sortem ministerij huius & apostolatus, de quo preuaricatus est Iudas, vt abiret [o] in locum suum. [p] Et dederunt sortes eorum: & cecidit sors super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim apostolis.

A B C D

Luce.24.g

Luce.24.g

Pſal.40.c

ioan.10.e

matt.27.d

Pſal.68.c

Pſal.108.b

SCHOLIA.

a Primum quidem sermonem feci.] *Appellat sermonem, pulcherrimam illam euãgelicam historiam, quam vno volumine complexus est. Omnem enim fucum & pompam auersantur veritatis amatores: & addit, de omnibus, nõ omnia, sed quasi summatim & in genere, nam si omnia singulatim (ait Ioannes Euangelista) scriberentur, ne ipse quidem mundus eorum librorum, qui scriberentur, esset capax.* b Facere & docere.] *Intelligi volens miracula & doctrinam, simul & quod re ipsa faciendo docuerit, nam qui verbis tantum philosophatur, nõ doctor est, sed histrio.* c Præcipiens apostolis per spiritum sanctum.] *Vt ostenderet doctrinam hanc non humanam, sed diuinam, atque è cœlo allatam, vel sic intellige: quemadmodum ipse Dominus ait, si ego in spiritu Dei eycio dæmonia. Sed quid præcepit? Profecti docete omnes gẽtes Baptizantes eos in nomine patris, & filij, & spiritus sancti, docentes illos seruare omnia, quæcunque præcepi vobis.* d Per dies quadraginta.] *Non diebus quadraginta, sed per dies quadraginta, non enim perpetuo, sicut ante resurrectionem fecerat, versabatur cum illis, vt eorum animos paulatim ad altiora subduceret, præparabatq; vt & resurrectio crederetur, & vt post hac maior humana conditione haberetur. Sed cur quadragesimo die ascendit in cœlum? Vt responderet numerus dierũ illi annorum numero, quo filij Israel in deserto commorati, post in terram promissam intrauerunt.* e Baptizabimini spiritu sancto.] *Nam & in baptismate aquæ, præcipua pars est spiritus, per quem & aqua fit efficax: Sic & Dominus dicitur vnctus fuisse, non oleo, sed spiritu sancto. Creduntur tamen etiam aqua baptizati fuisse apostoli: appellat autẽ baptismum, hoc loco illud munus datum in pẽtecoste ob copiosiorem effusam in apostolos gratiam spiritus sancti. Nam videtur aperte hoc significare, cum adiecit, non post multos hos dies, & quod præmittitur, ne discederent, sed expectarẽt promissionem patris etc. In hunc sensum interpretatur hunc locum Petrus infra cap. xi.* f Si in tempore hoc restitues regnum Israeli.] *Videtur nondum cognitum illis fuisse, quale tandem illud regnum esset.* g Non est vestrum.] *Nihil hoc ad vos pertinet tanquam scitu necessarium. Optimi autem est magistri, docere discipulos, non quæ ipsi volunt, sed quæ ipse iudicet illis vtilia: & addit: quæ pater posuit in sua potestate, non in potestate cœlorum & syderum, vt putant, qui toti ab eorum pendent obseruatione. Refert autem de more ad patrem maiora quæque, quamuis eadem & ipse norit. Nam si, cum operandum est, eadem cum patre potestate operatur, vt idem ipse dicit: Vbi scire quicquam oportet non cum eadem scit potestate: &, qui nouit patrem, non nouit quid faciat? quando et spiritus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* h Nubes suscepit eum.] *Vt par honore patri videatur, de quo scriptum est: Nubes & caligo in circuitu eius.* i Sabbati habens iter.] *Quantum scilicet sabbato ire licebat, & hunc morem initium habuisse ferunt, cum populus Israel in deserto esset, vbi castra ponebatur per circuitum*

cuitum tabernaculi Domini, & ab extremis castrorum ad illud tabernaculum, spacium intercedebat passuum circiter duorum millium, quod ob inuisendum tabernaculum conficere licebat die sabbati. [k] Fiat commoratio eius deserta.] *Intellige ægrum illum, quid enim desertius esse possit sepulchro? nam in sepulturam peregrinorum datus est.* [l] Oportet ergo.] *Iam aperuerat illis Dominus mentem, vt intelligerent scripturas, ex quibus colligunt oportere sarciri numerũ illum duodenarium.* [m] Testem resurrectionis.] *In qua præcipue maiestas eius claruit, alioquin & cæterorum eius factorum testis erat.* [n] Ostende quem elegeris.] *Omnia enim prius a Deo sunt destinata. Quod si electio est Dei, permittamus ei curam nostri, qui nouit solus, cui rei quis sit idoneus.* [o] In locum suum.] *Si ad Iudam referas, videtur intelligere laqueũ, quo se dignũ iudicauit ob proditionem. Sin ad Matthiam, intellige episcopatum cui successit.* [p] Et dederunt sortes.] *Quoniam nondum datus erat spiritus, rem sortibus peragunt.*

CAPVT II.

ET [a] cum compleretur dies pentecostes, erant omnes pariter in eodem loco: & factus est repente de cælo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis, & [b] repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerũt illis [c] dispertitę linguę tanquam ignis, seditq; super singulos eorum: & repleti sunt omnes spiritu sancto, & cœperunt loqui alijs linguis prout spiritus sanctus [d] dabat eloqui illis. Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Facta autem hac voce, conuenit multitudo, & confusa est: quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autẽ omnes & mirabantur, adinuicem dicentes: Nónne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? & quomodo nos audimus, vnusquisq; linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & habitantes Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphiliam, Ægyptum, & partes Libyæ, quæ est circa Cirenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque, & proselyti, Cretes & Arabes: audimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Stupebant autẽ oẽs, & mirabãtur adinuicem dicẽtes: Quidnam vult hoc esse? Alij autem irridentes, dicebant: [e] Musto pleni sunt isti. Stans autem Petrus cum vndecim, leuauit vocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalẽ vniuersi, hoc vobis notum sit, & auribus percipite verba mea. [f] Non enim sicut vos æstimatis, hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia: sed hoc est quod
Ioel.2.g dictum est per prophetam Ioel. Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus: effundam de spiritu meo super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri & filiæ vestræ, & iuuenes vestri visiones videbũt, & seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, & prophetabũt: [g] & dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignẽ, & vaporem fumi. Sol cõuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus
Rom.10.c & manifestus. Et erit: omnis quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Viri Israelitæ, audite verba hæc: IESVM Nazarenum, virum approbatum à Deo in vobis, virtutibus & prodigijs & signis, quæ fecit Deus per illum in medio vestri, sicut vos scitis: hunc [h] definito consilio & præscientia Dei traditum, cum accepistis, per manus iniquorum affigentes, interemistis, quem Deus suscitauit [i] solutis doloribus mortis,
Psal.15.e iuxta quod impossibile erat teneri illum ab ea. Dauid enim dicit de eo: Prouidebam Dominum in conspectu meo semper: quoniam à dextris est mihi ne commouear. Propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniam nõ derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionẽ. Notas mihi fecisti vias vitæ: replebis me iocunditate cum facie
3.Reg.2.b tua. [k] Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha Dauid, quod & defunctus est, & sepultus est:
Psal.131.c & sepulchrum eius est apud nos, vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, & sciret quòd iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius [l] sedere super sedem eius, quantum ad carnem, & resurgere CHRISTVM: præuidens locutus est de resurrectione CHRISTI, quòd neque derelicta est in inferno anima eius, [m] neq; caro eius vidit corruptionem. Hunc IESVM resuscitauit Deus, cuius nos omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre, effudit hoc, quod nunc
Psal.109.a vos videtis & auditis. Non enim Dauid ascendit in cœlum: [n] dicit autẽ ipse: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissime sciat ergo omnis domus Israel, quòd & [o] Dominum eum, & Christum fecit Deus, hunc IESVM, quem vos crucifixistis. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrũ, & ad reliquos apostolos: Quid faciemus viri fratres? Petrus autem ad illos: Pœnitentiam (inquit) agite, & baptizetur vnusquisq; vestrũ in nomine IESV CHRISTI in remissionem peccatorum: & accipietis donum spiritus sancti. Vobis enim facta est repromissio, & filijs vestris, [p] & omnibus qui longe sunt, quoscunque aduocauerit Dominus Deus noster. Alijs etiã verbis plurimis testificatus est, & exhortabatur eos, dicens: Saluamini à generatione ista praua. Qui ergo libenter receperunt sermonem eius, baptizati sunt: & appositæ sunt in die illa, animæ circiter ter mille. Erãt autem perseuerantes in doctrina apostolorum, & communicatione, & fractione panis, & orationibus. Fiebat autem omni animæ timor: multa quoque prodigia & signa per apostolos fiebãt. Omnes autem qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis, collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. Dominus autem addebat qui salui fierent quotidie ecclesiæ.

SCHOLIA.

[a] Cum compleretur dies pentecostes.] *Quo videlicet die & lex data fuerat Iudæis, vt pulchre veritas figura responderet, iccirco & sonitus factus est è cælo, & species ignis visa, pro tonitruis ac fulguribus montis Sinai.* [b] Repleuit totam domum.] *Domus illa mundi typum gerebat, qui & ipse implendus esset totus euãgelica philosophia.* [c] Dispertitæ linguæ.] *Cum omnium linguarum genera colligenda in vnam essent fidem.* [d] Dabat eloqui.] ἀποφθέγγεσθαι, *quasi*

quasi apophthegmata quædam essent, quæ variis illis linguis proferebant. [e] Musto.] γλεῦκος *quidem mustum, hoc est, vinum nouum significat, sed hic pro dulci vino ponitur.* [f] Non enim sicut vos existimatis hi ebrij sunt.] *More eorum ante omnia malam suspicionem tollit.* [g] Et dabo prodigia.] *Sicut hic multa bona promittuntur credentibus in Christum, sic incredulis Iudæis grauæ hic prædicitur exitium, perditio scilicet ciuitatis & gentis: per sanguinem igitur intellige necem Iudæorum, & per ignem incendium ciuitatis. Vbi autem est incendium, ibi est & fumus: per versionem vero solis in tenebras, intellige insignem calamitatem, frequens enim est in Hebraismo hæc figura loquẽdi. Iudæi quoque hæc verba referunt ad tempus Messiæ, & putant quidam eorum, omnia quæ hic scribuntur, ad literam intelligenda: nempe quod sol & luna amissuri sint lumen suũ, quo indicio Dominus demonstraturus sit ingẽtem cladem aduersariorũ Messiæ: nõ quòd luna vertenda sit in sanguinem, sed quod ex amissione lucis, formã habitura sit sanguinis, qualis etiam à nobis videtur, cum luce sua, quam à Sole recipit, destituitur. Sed hæc, inquit, sunt proœmia quædam eorum, quæ in magno die illustrissimi aduẽtus Domini futura sunt, prædicit ergo pœnas quas propter ignoratum aduentum priorem Christi sunt perpessuri, & posteriores præterea eiusdem aduentus commonefacit.* [h] Definito consilio & præscientia Dei traditum.] *Quasi illa Ioseph verba diceret, quæ ille quoque ad fratres dicebat: ne timeatis, quòd prodidistis me, non vos sed Deus huc me misit.* [i] Solutis doloribus mortis.] *Quasi etiam ipsa mors illum detinens doluerit, & grauia passa sit.* [k] Viri fratres, liceat audenter dicere.] *Vide vt in media etiam oratione, iterum excitet attentionem, petit autem licere sibi libere loqui, nam si nihil præfatus, dixisset: hæc non sunt de Dauid dicta, potuisset asperior videri.* [l] Sedere super sedem eius, quantum ad carnem.] *Ergo erat in Christo alia, quàm carnis & humanæ naturæ consideratio, nempe diuinitatis, cuius his verbis latenter mentionem facit, sed nusquam aperte, non enim auditores capaces erãt.* [m] Neque caro eius vidit corruptionem.] *Iccirco tertia die resurrexit, nam ferunt physici, mortuorum corpora ante tres dies non corrumpi.* [n] Dicit autem ipse.] *Quòd Dauid non ascenderit ad cœlos, ipse, inquit, testatur, id scilicet Christo referuatum, quem Dominum suum vocat.*
[o] Dominum eum & Christum fecit Deus.] *Hoc est quod Paulus ad Philippenses ait, & omnis lingua confiteatur, quòd Dominus est Iesus Christus, in gloriam Dei patris.* [p] Et omnibus qui longe sunt.] *Et hic latenter indicat gentes crediturras. Et vide quam circunspecte agit in ijs, quæ potuissent eos offendere, nec veritatem tamen prodit.*

CAPVT III.

SImul autem Petrus & Ioannes ascendebãt in templum, ad horam orationis nonam. Et quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris suæ, baiulabatur: quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur Speciosa, vt peteret eleemosynam ab introeũtibus in templum. Is cum vidisset Petrum & Ioannẽ incipientes introire in templum, rogabat vt eleemosynam acciperet. Intuens autem in eum Petrus cum Ioanne, dixit: [a] Aspice in nos. At ille intendebat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: [b] quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine IESV CHRISTI Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextra, alleuauit eum: & protinus consolidatæ sunt baseis eius & tali. Et exiliens, stetit, & ambulabat: & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans
B Deum. Et vidit omnis populus eum ambulantem, & laudantem Deum. Cognoscebant autem illum quòd ipse erat, qui ad eleemosynam sedebat ad Speciosam portam templi: & impleti sunt stupore, & extasi in eo quod contigerat illi. [c] Cum teneret autem is, qui sanatus fuerat claudus, Petrum & Ioannem, cucurrit omnis populus ad eos ad porticum, quæ appellatur Salomonis, stupentes. Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitæ, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute, aut pietate fecerimus hunc ambulare? [d] Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit
Matt.27.c filium suum IESVM, quem vos quidem tradidistis [e] & negastis ante faciem Pilati, iudicante illo dimitti.
Marc.15.b C Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis: [f] authorem vero vitę in-
Luce.23.c terfecistis, quem Deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus. Et in fide nominis eius, hunc quem vos vi-
Ioan.18.g detis & nostis, confirmauit nomen eius: & fides, quæ per eum est, dedit illi integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrum. Et nunc fratres scio, quòd per ignorantiam feci stis, sicut & principes vestri. Deus autem, quæ prænuntiauit per os omnium prophetarum suorum, pati CHRISTVM, impleuit sic. Pœnitemini vos igitur & conuertimini, vt deleantur peccata vestra. Vt cum venerint tempora refrigerij à conspectu Domini, & miserit eum qui prædicatus est vobis IESVM CHRISTVM, [g] quem oportet quidem cœ-
D lum suscipere vsque in tempora restitutionis omnium, quæ locutus est Deus per os omnium sanctorũ suorum à seculo prophetarum. Moyses quidem ad patres dixit: Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis iuxta omnia quæcunque locutus fuerit vobis. Erit autem: Deut.18.c
omnis anima, quę non audierit prophetã illum, exterminabitur de plebe. Sed & omnes prophetę, à Samuel, & deinceps, qui locuti sunt, etiam annuntiauerunt dies istos. [h] Vos estis filij prophetarum & testamẽti, quod disposuit Deus ad patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.
Vobis primum Deus suscitans filium suum IESVM, misit eum benedicentem vobis: vt cõuertat se vnus- Gene.22.c
quisque à nequitijs suis.

SCHOLIA.

[a] Aspice in nos.] *Præuenit, eum vt attente animaduertat quid sit faciendum, ne magnitudine postea facti perterritus, obluiscatur, quo id pacto acciderit. Sic Mosen Deus interrogat, quid esset, quod manu teneret, nempe virgam, vt, cum versa postea fuisset in colubrum, recordaretur principium rei.* [b] Quod autem habeo.] *Quasi non longe maius esset hoc sanitatis præcium omni auro. Ita viri sancti à fastu atque ostentatione alieni sunt.* [c] Cum teneret autem.] *Tenebat is, qui sanatus fuerat Petrum & Ioannem, vel quòd ob tantum beneficium vehementer erat ergà eos affectus, vel fortasse, quod metuebat, ne ab illis seiunctus amitteret quod acceperat.* [d] Deus Abraham.] *Subinde progenitores refert, ne videatur nouum quoddam dogma inducere.* [e] Et negastis.] *Dicentes, non habemus regem nisi Cæsarem.* [f] Autorem vero vitæ.] *Hoc loco fidem resurrectionis apparat.* [g] Quem oportet.] *Oportet, pro oportuit. Et hic illos secundi aduẽ-*

tus

tus admonet. Pulchrè autem appellauit temporaresrigerij illum iudicij diem, post æstum videlicet laborum & erumnarum, hoc autem ad seruandos pertinet nam mali, qui non erunt defatigati, refrigerio non erunt digni. [h] Vos estis filij prophetarum.] *Arbitrari potuissent, se, ob admissum facinus, alienos esse factos, nec rationi consentaneũ videbatur, vt quem diu dum in crucem egerant, is eos nunc tanquam suos curaret, iccirco hic illos erigit.*

CAPVT IIII.

LOquentibus autem illis ad populum, superuenerunt sacerdotes & magistratus templi & sadducæi do A
lentes, quòd docerent populum, & annuntiarent in IESV resurrectionem ex mortuis: & iniecerunt in eos manus, & posuerunt eos in custodiam in posterum diem: erat enim iam vespera. Multi autem eorum qui audierant verbum, crediderunt: [a] & factus est numerus virorum, quasi quinq; millia. Factum est autem postero die, vt congregarentur principes eorum, & seniores, & scribę in Ierusalem, & Annas princeps sacerdotum, & Caiphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erant de genere sacerdotali. Et statuentes eos in medio, interrogabant, in qua virtute, aut in quo nomine feceritis hoc vos? Tũc Petrus repletus spiritu sancto, dixit ad eos. Principes populi & seniores Israel, [b] si nos hodie dijudicamur quòd benefactum sit homini infirmo, in quo iste saluus factus sit, notum sit omnibus vobis, & omni plebi Israel, quòd in nomine IESV CHRISTI Nazareni, quem vos crucifixistis, quem Deus suscitauit a mortuis, in hoc iste astat
Psal.117.d coram vobis sanus. Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus, qui [c] factus est in caput anguli: &
Matt.21.d
Marc.12.a
Luce.20.c
Esa.28.d
1.Pet.2.a
Roma.9.g
non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Videntes autem Petri constantiam & Ioannis: comperto q; homines essent sine literis, & idiotæ, admirabantur, & cognoscebant eos, quòd cum IESV fuerant: hominem quoque videntes stantem cum eis, qui curatus fuerat, nihil poterant contradicere. Iusserunt autem eos foras extra concilium secedere: & conferebant adinuicem dicentes: [d] Quid faciemus hominibus istis? quoniam quidem notum signum factum est per eos, omnibus habitantibus Ierusalem manifestum est, & non possumus negare. Sed ne amplius diuulgetur in populum, comminemur eis, ne vltra loquantur in nomine hoc vlli hominum. Et vocãtes eos, denuntiauerunt, ne omnino loquerentur neq; docerent in nomine IESV. Petrus vero & Ioannes respõdentes, dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei, vos potius audire quam Deum, iudicate: nõ enim possumus, quæ vidimus & audiuimus, non loqui. At illi comminantes, dimiserunt eos, non inuenientes, quomodo punirent eos, propter populum: quia omnes glorificabant Deum in eo, quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo in quo factum fuerat signum istud sanitatis. Dimissi autem, venerunt ad suos, & E
annuntiauerunt eis quæcunq; ad eos principes sacerdotum & seniores dixissent. Qui cum audissent, vnanimiter leuauerunt vocem ad Deum, & dixerũt: Domine, tu es Deus qui fecisti cœlum & terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui per os Dauid pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?
Psal.2.a
Astiterunt reges terræ, & principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus CHRISTVM eius. Conuenerunt enim vere aduersus sanctum puerum tuum. IESVM quem vnxisti, & Herodes, & Pontius Pilatus, [e] cum gentibus & populis Israel, [f] facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerat fieri. [g] Et nunc Domine aspice in minas eorum, & da seruis tuis cum omni fiducia loqui verbũ tuum, in eo quòd manum tuam extendas ad sanitates & signa & prodigia fieri per nomen sancti filij tui IESV. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: repleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna: nec quisquàm eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant apostoli testimonium resurrectionis Domini IESV, & gratia magna erat in omnibus illis. Neque enim quisquàm egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quę vendebant, & ponebant ante pedes apostolorum. Diuidebatur autem singulis, prout cuique opus erat. Ioses autem, qui cognominatus est Barnabas ab apostolis (quod est interpretatum, filius consolationis) leuites, Cyprius genere, cum haberet agrum, vendidit eum, & attulit pretium, & posuit ante pedes apostolorum.

F

G

SCHOLIA.

[a] Et factus est numerus virorum quasi quinque millium.] *Vide Christianæ philosophiæ, & veritatis efficaciã: cernunt magistros conici in carcerem, & tot millia tamen adhæserunt eis.* [b] Si nos hodie diiudicamur.] *Prudenter, ac modestè perstringit eos, quòd in hoc tanto facto laudari, non reprehendi debuissent: & omnes hæ Petri orationes plenæ maiestatis sunt, atque artis, et eius, quam non ab hominibus, sed è cœlo acceperant, impletur enim iam, quod pollicitus illis fuerat Dominus: Dabitur, inquiens, vobis in illa hora quid loquamini.* [c] Factus est in caput anguli.] *Nempe anguli illius domus, quæ ex fide construitur, de qua alibi Petrus: & vos tanquam lapides viui superædificamini, domus spiritualis: hic ergo lapis vtrunque parietem coniunxit, & Iudæorum & gentium in vnam fidei conspirationem. Quàm verò sibi essent conscij veritatis apostoli, verba indicant illa magnifica profecto, & quæ nunquam quisquam protulisset, qui in veritatis penetralia non fuisset admissus, hæc scilicet: Non est in alio vllo salus, neque enim nomen est aliud sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat saluos nos fieri.* [d] Quid faciemus hominibus istis?] *Sic & in Domini causa fecerunt, dicebant enim: Quid faciemus, quia hic homo multa signa facit? an non erat vtrobique concludendum, hæc eiusmodi signa esse considerandi, & cauendum ne odio atque inuidia decepti aberrarẽt? Sic mens, vbi semel à veritatis lumine deflexit, maioribus semper se obruit tenebris.* [e] Cum gentibus.] *Hoc est, quod prædixerat Dominus: & tradent eum gentibus.* [f] Facere quæ manus tua & consilium tuum decreuerunt fieri.] *Non dixit, facere quæ voluerunt, nam cum impie quis agit, nunquam diuini consily potest limites transilire, hucusq;, inquit, collides tumentes fluctus tuos.* [g] Et nũc Domine aspice in minas eorum, & da seruis.] *Quid? vt eos vlciscatur? non. Sed dat, inquiunt, ne eorum furor impedimento sit huic promulgandæ veritati.*

Caput

CAPVT V.

AVIr autem quidã nomine Ananias cũ Sapphira vxore sua, vẽdidit possessionẽ, & fraudauit de precio, cõ
scia etiã vxore sua: & afferens partẽ quandã, ad pedes apostolorũ posuit. Dixit aũt Petrus, Anania, cur impleuit Satanas cor tuũ, [a] mẽtiri te spiritui sancto, & fraudare de precio agri? Nõne manẽs tibi manebat, & venudatus in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo hãc rem? Non es mentitus hominibus, sed Deo. Audiẽs aũt Ananias hæc verba: [b] cecidit, & expirauit. Et factus est timor magnus super oẽs, qui hęc audierunt. Surgentes aũt iuuenes, amouerũt eũ: & efferentes sepelierũt. Factũ est aũt quasi horarũ trium spa-
B tiũ, & vxor ipsius, nesciens quod factũ fuerat, introiuit. Dixit aũt ei Petrus: dic mihi, si tanti agrũ vendidistis? At illa dixit: Etiam, tanti. Petrus aũt ait ad eam: Cur cõspiratis inter vos tentare spiritũ Dñi? Ecce pedes eorũ qui sepelierunt virũ tuũ, ad ostium: & efferent te. Cõfestim aũt cecidit ante pedes eius, & expirauit. Intrantes aũt iuuenes, inuenerũt illam mortuã: & extulerunt & sepelierũt apud virum suũ. Et factus est timor magnus in vniuersa ecclesia, & in oẽs, qui hæc audierunt. Per manus aũt apostolorũ fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. [c] Cæterorum aũt nemo audebat se coniungere
C illis: sed magnificabat eos populus. Magis aũt augebatur credentiũ in Dño multitudo virorũ ac mulierũ: ita, vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro saltẽ vmbra illius obũbraret aliquem illorũ. Concurrebat aũt & multitudo vicinarũ ciuitatũ Ierusalẽ, afferentes ægros & vexatos à spiritibus immundis, qui curabantur omnes. Exurgens autem princeps sacerdotum & omnes, qui cum illo erant, quæ est hæresis sadducæorũ, repleti sunt zelo: & iniecerunt manus in apostolos, & posuerunt eos in custodia publica. Angelus aũt Dñi per noctẽ aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit: Ite: & stantes loqui-
D mini in templo plebi omnia verba vitæ huius. Qui cũ audissent, intrauerũt diluculo in templũ, & docebant. Adueniens aũt princeps sacerdotũ, & qui cũ eo erant, conuocauerunt concilium, & ordinẽ seniorũ filiorum Israel: & miserunt ad carcerẽ, vt adducerentur. Cũ autem venissent ministri, & nõn inuenissent illos in carcere, reuersi nuntiauerunt dicentes: Carcerem quidem inuenimus clausum cũ omni diligentia, & custodes foris stantes ante ianuas: aperientes autem, neminem intus inuenimus. Vt aũt audierunt hos sermones & summus sacerdos, & dux templi, & principes sacerdotum, ambigebant de illis quidnam hoc esset. Adueniens aũt
E quidam nuntiauit eis: Ecce viri, quos posuistis in carcerem, sunt in templo stãtes, & docentes populũ. Tunc abijt magistratus cum ministris, & adduxit illos sine vi: timebant enim populũ, ne lapidarentur. Et cum adduxissent illos, statuerũt in cõcilio. Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicens: Nõnne præcipiendo præcepimus vobis ne doceretis in nomine isto? & ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, & [d] vultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus & apostoli, dixerunt: Deo magis, q̃ hominibus. Deus Patrum nostrorũ suscitauit IESVM, quem vos interemistis suspendẽtes in ligno.
F Hunc principẽ & saluatorem Deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiã Israel, & remissionẽ peccatorum: & nos sumus ei testes horũ verborum: [e] quin & spiritus sanctus, quẽ dedit Deus omnibus obedientibus sibi. Hæc cũ audissent, dissecabantur: & cõsultabant interficere illos. Surgens aũt quidã in consilio pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor, honorabilis vniuersæ plebi, iussit foras modicũ apostolos secedere: dixitq; ad illos. Viri Israelitæ, attendite vobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens se esse aliquẽ, cui cõsensit numerus virorũ circiter quadringentorũ, qui occisus est: & omnes,
G qui credebãt ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populũ multũ post se, & ipse perijt: & omnes quotquot cõsenserunt ei, dispersi sunt. Et nunc dico vobis, discedite ab hominibus istis, & finite illos: quoniã si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissoluetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissoluere, ne forte & Deo repugnare videamini. Consenserunt autem illi: Et cõuocantes apostolos, cæsis denuntiauerunt, ne loquerẽtur in nomine IESV, & dimiserũt eos. Et illi quidẽ ibant gaudentes à cõspectu concilij, q̃ digni habiti essent pro nomine IESV contumeliã pati. Omni aũt die non cessabant in templo & circa domos docentes & euangelizantes IESVM CHRISTVM.

SCHOLIA.

[a] Mentiri te spiritui sancto.] *Quem paulo post Deum appellat, cum ait: nõ mentitus es hominibus, sed Deo.* [b] Cecidit & expirauit.] *Hoc exemplo admonemur, multa peccare homines, quæ non facile quiuis diudicet, ne an peccata quidem sint, vt vere dixerit propheta, delicta quis intelligit? Examinanda igitur facta omnia nostra sunt diligentissime, & timanda. Nam nisi hac pœna declaratũ esset peccati põdus, quis esset arbitratus scelus hoc esse, ex eo quod offerre in media sit potestate, aliquid detrahere? Magnus vero Basilius de hoc facto loquens sic ait in oratione de iudicio Dei: Quid vero ille in actis Ananiæ? Quid aliud mali fecisse inuenitur, quam illud ipsum? Cur ergo inuenitur tanta ira dignum scelus? Propriam possessionem vendiderat, attulerat pecunias, & posuerat ad pedes apostolorum, partem precy detrahens, ob hoc ipsa hora simul cum vxore morte damnatur, ne dignus quidem iudicatus, qui verba pœnitentiæ pro peccato disceret, non saltem vt compungeretur opportunitatem nactus, nõ præfixum ad pœnitendum tempus accipiens. Hæc ille.* [c] Cæterorum autem nemo audebat.] *Vel ob metum Iudæorum, vel etiam ob stuporem illorum magnificè factorum. Illud ad eos qui nondum crediderant, hoc ad iam fideles magis pertinet.* [d] Vultis inducere super nos.] *Videntur significare, se metuere, ne excitato in seditionem populo, ipsi tanquam autores mortis Domini, interficerentur.* [e] Quin & spiritus sanctus.] *Qui scilicet per eos tanta faciebat.*

CAPVT VI.

AIN diebus autem illis, crescente numero discipulorum, factum est murmur [a] Græcorum aduersus He-
bræos, eo quòd despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim, multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum, nos derelinquere verbũ Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem, [b] plenos spiritu sancto & sapientia, quos

constituamus

constituamus super hoc opus. Nos vero orationi & ministerio verbi instantes erimus. Et placuit sermo coram omni multitudine. Et elegerunt Stephanum virum plenum fide, & spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum [c] aduenam Antiochenum. Hos statuerunt ante conspectum apostolorum: & orantes imposuerunt eis manus. Et verbum Dei crescebat, & multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde: multa etiam turba sacerdotũ obediebat fidei. Stephanus autem plenus gratia & fortitudine faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorum qui erant à Cilicia, & Asia, disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientię & spiritui, qui loquebatur. Tũc submiserunt viros, qui dicerent se audiuisse eum dicentem verba blasphemiæ in Moysen & Deum. Commouerunt itaque plebem, & seniores, & scribas: & inuadentes rapuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba contumelioſa aduersus locum sanctum & legem: audiuimus enim eum dicentem, quòd IESVS Nazarenus hic, destruet locum istum, & mutabit traditiones, quas tradidit nobis Moyses. Et intuentes eum omnes, qui sedebant in concilio, viderunt faciem eius tanquam faciem angeli.

SCHOLIA.

[a] Græcorum.] *Erant inter eos, qui crediderant, Iudæi, qui inter gentes nati, illa gentium seu græcorum lingua vtebantur, quos hic Euangelista ἑλληνιστὰς vocat.* [b] Plenos spiritu sancto & sapientia.] *Discamus hinc, quanta sit adhibenda solicitudo, cum de ministerio erga indigentes tractandum est, cum hic non contenti sint, septem ex credentibus eligere, nisi essent etiam pleni spiritu sancto & sapientia. Adhibuerunt præterea orationem & manuum impositionem. Quod si in hoc ministerio tanta fit obseruatio, multò profectò maius studium in eligendis sacerdotibus requiritur, quibus animarum cura credenda est.* [c] Aduenam Antiochenum.] *προσήλυτον: proselytum, ἀπὸ τοῦ προσελεύτω: hoc est, accedo, vocabantur proselyti, qui ad Iudæorum religionem accedebant, is ergo Iudæorum antea proselytus, in Christum crediderat.*

CAPVT VII.

DIxit autem princeps sacerdotum: Si hæc ita se habent? At ille ait: Viri fratres & patres audite: [a] Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ cũ esset in Mesopotamia, prius quàm moraretur in Charam, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam monstrauero tibi. Gene.12.a Tunc exijt de terra Caldæorum, & habitauit in Charam. Et inde postquam mortuus est pater eius, transtulit illum in terram istam, in qua nunc vos habitatis. Et non dedit illi hæreditatem in ea, nec spacium pedis: & repromisit dare illi eam in possessionem, & semini eius post ipsum, cum non haberet filium. Locutus est autem Deus sic: Quod erit semen eius incola in terra aliena, & seruituti eos subijcient, & male tractabunt eos Gene.15.c [b] annis quadringentis: & gentem cui seruierint, iudicabo ego, dixit Deus, & post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto. Et dedit illi testamentum circumcisionis, & sic genuit Isaac, & circuncidit eum die octauo: Gene.17.b & Isaac Iacob: & Iacob duodecim patriarchas. Et patriarchæ æmulantes, Ioseph vendiderunt in Ægyptũ: & Gene.21.a erat Deus cũ eo: & eripuit eũ ex omnibus tribulationibus eius, & dedit ei gratiam & sapientiam in cõspectu Gene.25.c Pharaonis regis Ægyptiorum, & constituit eum præpositum super Ægyptum & super omnem domum suã. Gen.29.f g Venit autem fames in vniuersam Ægyptum, & Chanaan, & tribulatio magna: & non inueniebant cibos pa- 30.a.35.c tres nostri. Cum audisset autem Iacob esse frumentum in Ægypto, misit patres nostros primum: & in secun- Gene.37.f do cognitus est Ioseph à fratribus suis, & manifestatum est Pharaoni genus eius. Mittens autem Ioseph, accer- Gene.41.c siuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam [c] in animabus septuagintaquinq;. Et descendit Ia- Gene.42.a cob in Ægyptum: & defunctus est ipse & patres nostri. Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro Gene.45.a quod emit Abraham precio argenti à filijs Emor filij Sichem. Cum autem appropinquaret tempus promis- Gene.46.a sionis, de qua iurauerat Deus Abrahæ, creuit populus & multiplicatus est in Ægypto, quoad vsque surrexit Gene.49.d alius Rex in Ægypto, qui non sciebat Ioseph. Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, vt Gene.50.b exponerent infantes suos, ne viuificarentur. Eodem tempore natus est Moyses, & fuit gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris sui. Expositio autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, & nutriuit eum sibi in filium. [d] Et eruditus est Moyses omni sapientia Ægyptiorum: & erat potens in verbis & in operibus. Exod.1.a Cum autem impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Exod.2.a Israel. Et cum vidisset quendam iniuriam patientem, vindicauit illum: & fecit vltionem ei, qui iniuriam sustinebat, percusso Ægyptio. Existimabat autem intelligere fratres suos, quòd Deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt. Sequenti vero die apparuit illis litigantibus, & recõciliabat eos in pace, dicens: Viri, fratres estis: vt quid nocetis inuicem? Qui autem iniuriam faciebat proximo, repulit eum dicens: Quis te constituit principem & iudicem super nos? nunquid interficere me tu vis, quemadmodum interfecisti heri Ægyptum? Fugit autem Moyses in verbo isto: & factus est aduena in terra Madian, vbi genera- Exod.3.a uit filios duos. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus Domini in flamma ignis rubi. Moyses autem videns, admiratus est visum. Et accedente illo, vt consideraret, [e] facta est ad eũ vox Domini dicens: Ego sum Deus patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Tremefactus autem Moyses, non audebat considerare. Dixit autem illi Dominus: [f] Solue calceamentum pedum tuorũ: locus enim in quo stas, terra sancta est. Videns vidi afflictionem populi mei, qui est in Ægypto, & gemitum eorum audiui, & descendi liberare eos. Et nunc venito, & mittam te in Ægyptum. Hunc Moysen quem negauerunt dicentes: Quis te constituit principem & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem misit, Exod.7.8. 9.10.11.14 cum manu angeli, qui apparuit illi in rubro. Hic eduxit illos, faciens prodigia & signa in terra Ægypti, & in Exod.16.a rubro mari, & in deserto annis quadraginta. Hic est Moyses, qui dixit filijs Israel: Prophetam suscitabit vo- Deut.18.c bis Deus de fratribus vestris tanquam me: ipsum audietis. Hic est qui fuit in ecclesia in solitudine cũ angelo, Exod.19.a qui

qui loquebatur ei in monte Sina: & cum patribus nostris, qui accepit sermonem viuum, vt daret nobis. Cui [e] noluerunt obedire patres nostri, sed repulerunt & auersi sunt cordibus suis in Ægyptum dicentes ad Aaron: Fac nobis Deos, qui præcedant nos: Moysi enim huic qui eduxit nos de terra Ægypti, nescimus quid factum Exod.32.a sit. Et vitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur in operibus manuũ suarum. Conuertit se autem Deus, & tradidit eos seruire militiæ cœli, sicut scriptum est in libro prophetarũ: [g] Nunquid victimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israel? Et susceptistis ta- Amos.5.g bernaculum Moloch, & sydus Dei vestri Rempham, figuras quas feciſtis, ad adorandum eas: & transferam Exod.25.d vos vltra Babylonem. Tabernaculũ testimonij fuit patribus nostris in deserto, sicut disposuit ille, qui loque- Hebr.8.b batur Moysi, vt faceret illud secundum formam quam viderat. Quod & induxerunt, qui successerunt patres [f] nostri cum Iesu in possessionem gentium: quas expulit Deus à facie patrum nostrorum vsque in dies Dauid, 1. Reg 16.c qui inuenit gratiam ante Deum, & petijt, vt inueniret tabernaculum Deo Iacob. Salomon autem ædificauit Psal.131.a illi domum. Sed ille excelsissimus, non in manufactis templis habitat, sicut per prophetam dicit: Cœlũ mihi 1.Par.17.c sedes est, terra autem, scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus. aut quis 3.Reg.6.a locus requietionis meæ est? Nõnne manus mea fecit hæc omnia? Dura ceruice, & incircuncisi cordibus, & Infra.17.f auribus, vos semper spiritui sancto resistitis: sicut patres vestri, ita & vos. Quem prophetarum non sunt per- Esaia. 66.a secuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænuntiabant de aduentu iusti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuistis: qui accepistis legem per dispositiones angelorum, & non custodistis. Audientes autẽ hęc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cum autem esset plenus spiritu sancto: intendens in cœlum, vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris Dei. Et ait: Ecce video cœlos apertos, & filium homi- nis stantẽ à dextris Dei. Exclamantes aũt voce magna, [h] continuerunt aures suas: & impetũ fecerunt vnanimiter in eũ. Et eijcientes eũ extra ciuitatẽ, lapidabant: & testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanũ inuocantem, & dicẽtem: Domine IESV, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna: Domine [i] ne statuas illis hoc peccatum. Et cum hoc dixisset, obdormiuit: Saulus autem erat consentiens neci eius.

SCHOLIA.

[a] Deus gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ.] *Etsi altius videtur repetere rerum historiam Stephanus, non iccirco tamen, gemino bellum Troianum oriri ait ab ouo, vt ille ait. Sed in hac tota narratione iacit quædam semina, quæ omnia ad propositam rem facerent, è quibus aliqua, tanquam digitum ad fontem intendentes commonstrabimus. Vt cum ait, nõ dedisse Deum Abrahæ hæreditatem in ea terra, ne vestigium quidem pedis, hoc faciebat ad declarandum, promissiones illas non esse carnaliter, & corporee accipiendas, sicut & ad Hebræos dicitur, cum de horum patrum fide mentio fit. Et quod spaciatur in historia Ioseph, in qua typi Christi multi sunt, multoq; magis in Mose, in primis vbi ait, putabat fratres suos intelligere, quòd Deus per illius manus daret eis salutem, at illi non intellexerunt, & infra. Hunc Moysen quem negauerunt dicentes: quis te constituit principem & iudicem? hunc Deus principem & redemptorem misit. Illud vero manifestissimum, prædicto illa Mosis, quod Dominus suscitaturus esset prophetam illis, nempe Christum. Itaque texit totam orationem, vt demum aperiret eis, quo niteretur fundamento apostolorum prædicatio: sed videtur, noluisse eos expectare orationis finem, vt coactus fuerit interrisa oratione increpare eos, & dicere: Dura ceruice & incircuncisi corde & auribus, &c.* [b] Annis quadringentis.] *Numerus hic annorum numeratur ab Abraham vsque ad exitum de Aegypto, nam in Aegypto non fuerunt amplius quàm ducentis & decem annis, sed compendiosus loquendi mos parit obscuritatem.* [c] In animabus septuaginta quinque.] *Videtur secutus Lucas editionem septuaginta interpretum in hoc numero, nam in Hebræo sunt tantum septuaginta.* [d] Et eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum.] *Hoc in Mosis præconium dictum est, ex quo significatur, non esse omnino abjiciendam externam philosophiam, nam & de Daniele, ac tribus pueris dictum est, quòd superarint omnes in philosophia Chaldæorum, et scientys reliquis: non est tamen in illis consenescendum, sed in diuinis scripturis immorandum potius, neque enim Moses & illi aly legunt vsi disciplinis illis, nisi forte ad euertendos errores aduersariorum.* [e] Facta est ad eum vox Domini.] *Dudum appellauerat angelum, nunc Dominum vocat, ipse ergo est, qui & magni consilij angelus est, & Dei filius.* [f] Solue calceamentum pedum tuorum.] *Oportet mortalem omnem carnalemq; cogitationem, quasi calceamenta quædam exuere, eam mentem, quæ ad diuina speculanda ascendere conetur, & Christi intelligere mysterium. In accessus est igitur Christus ei, qui adhuc in lege versatur, & illo cultu, qui pædagogi officio fungebatur (nam legis personam gerit Moses) nisi & maculam omnem peccati abstersérit, & cultum illum vmbrarum & figurarum ante reiecerit.* [g] Nunquid victimas.] *Habetur hoc testimonium Amos cap. V. vbi videtur obycere Iudæis, quòd eo tempore quo omni humano destituti auxilio, nutriebantur à Deo in deserto, pro veri Dei cultu seruiebant simulachris.* [h] Continuerunt aures.] *Auditis verbis illis, video filium hominis stantem à dextris Dei, occluserunt aures, perinde quasi blasphemiam audiissent, hominem scilicet stare à dextris Dei, et æquatũ Deo.* [i] Ne statuas illis.] *In medio lapidantiũ furore non est oblitus pro hostibus precari, vt verus Domini imitator, qui & ipse dum cruci affigeretur, dixit: pater ignosce illis.*

CAPVT VIII.

FActa est autem in illa die persecutio magna in ecclesiam, quæ erat Ierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ, & Samariæ, præter Apostolos. Simul autem curauerunt Stephanum viri religiosi, & fecerunt planctum magnum super eum. Saulus autem deuastabat ecclesiam, per domos intrans: & trahens viros ac mulieres, tradebat in custodiam: igitur qui dispersi erant pertransibant euãgelizantes verbum Dei. Philippus autem descendens in ciuitatem Samarię, prędicabat illis CHRISTVM: Intendebant autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, vnanimiter audientes, & videntes signa, quę facie- bat. Multorum enim habentium, spiritus immundi clamantes voce magna, exibant. Multi autem paralytici & claudi, curati sunt. Factum est ergo gaudium magnum in illa ciuitate. Vir autem quidam, nomine Simon, qui ante fuerat in ciuitate magus, & dementauerat gentem Samariæ, dicens se esse aliquem magnum:

cui auſcultabant omnes à minimo vſq; ad maximum dicentes: Hic, eſt virtus Dei magna. Auſcultabant autem ei propterea, q̃ multo tempore magijs ſuis dementaſſet eos. Cum vero credidiſſent Philippo euangelizanti de regno Dei, & de nomine IESV CHRISTI, baptizabãtur viri ac mulieres. Tunc Simon & ipſe credidit: & cum baptizatus eſſet, adhærebat Philippo. Videns etiam ſigna & virtutes fieri, ſtupens admirabatur. Cum autem audiſſent apoſtoli qui erant Ieroſolymis, q̃ recepiſſet Samaria verbum Dei: miſerunt ad eos Petrum & Ioannem: Qui cum veniſſent, [a] orauerunt pro ipſis, vt acciperent ſpiritum ſanctum. Nondum enim in quenquam illorum venerat, ſed baptizati tantum erant in nomine IESV CHRISTI: Tunc imponebant manus ſuper illos, & accipiebant ſpiritum ſanctum. Cum vidiſſet autem Simon q̃ per impoſitionem manuum apoſtolorum daretur ſpiritus ſanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicunq; impoſuero manus, accipiat ſpiritum ſanctum. Petrus autem dixit ad eũ: [b] Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donũ Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri: non eſt tibi pars, neq; ſors in ratione hac: cor enim tuũ nõ eſt rectum coràm Deo. Pœnitentiam itaq; age ab hac nequitia tua: & roga Deum, [c] ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe. Reſpondens autem Simon dixit: Precamini vos pro me ad Dominum, vt nihil veniat ſuper me horũ, quæ dixiſtis. Et illi quidem teſtificati, & locuti verbum Domini, redibant Ieroſolymam, & multis oppidis Samaritanorum euangelizabant. [d] Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge, & vade contra meridiem, ad viam, quæ deſcendit ab Ieruſalem in Gazam: hæc eſt deſerta. Et ſurgens abijt. Et ecce, vir Æthiops, eunuchus, [e] præfectus Candaces reginæ Æthiopum, qui erat ſuper omnes gazas eius: venerat adorare in Ieruſalem, & reuertebatur ſedens ſuper currum ſuum, [f] legensq; Eſaiam prophetam. Dixit aũt ſpiritus Philippo, Accede, & adiunge te ad currum iſtum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentẽ Eſaiã prophetam, & dixit: Putáſne intelligis, quæ legis? Qui ait: Et quomodo poſſum, ſi non aliquis oſtenderit mihi? rogauitque Philippum, vt aſcenderet, & ſederet ſecum. Locus autem ſcripturæ, quam legebat, erat hic: Esaia.53.c Tanquam ouis ad occiſionem ductus eſt: & ſicut agnus coràm tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuũ. In humilitate ipſius iudicium eius ſublatum eſt. Generationem autem eius quis enarrabit? quoniam tollitur de terra vita eius. Reſpondens autem eunuchus Philippo, dixit: Obſecro te, de quo propheta dicit hoc? de ſe, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os ſuũ: & incipiẽs à ſcriptura iſta, euangelizauit illi IESVM. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam, & ait eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait: Credo filium Dei eſſe IESVM CHRISTVM. Et iuſsit ſtare currum: & deſcenderunt ambo in aquam, & Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem aſcendiſſent de aqua, ſpiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus. [g] Ibat enim per viam ſuam gaudens. Philippus autem inuentus eſt in Azoto: & pertranſiẽs, euãgelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæſaream.

SCHOLIA.

[a] Orauerunt pro ipſis, vt acciperent ſpiritum ſanctum.] *Videtur ergo fuiſſe peculiare apoſtolorum munus, dare ſpiritum ſanctum.* [b] Pecunia tua tecum ſit.] *Cur Petrus eum ſententia mortis, quemadmodum Ananiam, non damnauit? reſpondetur, & in veteri lege vnum interfici iuſſum, qui ligna collegerat ſabbato, in cæterorum correctionem, deinde, vt oſtenderetur, neminem ad fidem cogi, atque vt ratio pœnitentiæ introduceretur, ſufficit enim ad correctionem redarguiſſe, & reuelaſſe occulta cordis, quodq; ille confeſſus fuerit ſe deprehenſum.* [c] Si forte remittatur.] *Non dubitat Petrus remittendum ei peccatum, quem vere pœnituerit, ſed vſus eſt hoc loquendi modo ad terrendum eum, atque oſtendendum quàm graue hoc fuerit ſcelus, tum quòd eum cernebat, vt ipſe ait, in felle amaritudinis, & ligatione iniquitatis eſſe, à qua verebatur eum non diſceſſurum.* [d] Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum.] *Non ipſe angelus accęſſit ad docendum eunuchum, fortaſſe quia obſtupuiſſet potius eunuchus, quàm credidiſſet: erat enim is ſicut & Cornelius.* [e] Præfectus Candaces.] *Theologus Nazianzenus cenſet Candacem nomen eſſe ipſius Eunuchi.* [f] Legensq; Eſaiam prophetam.] *Cernis, vt quærentes inueniant? non ergo ſcripturæ ideirco negligendæ ſunt, quod eas non intelligamus, ſed legendæ ſunt, neque deſperandum, diuinum aliquando aliquo modo lumen affuturum. Locum autem hunc Eſaiæ etiam Iudæi fatentur de Chriſto loqui. Quod vero ait in humilitate iudicium eius ſublatum eſt, videtur acceptum à lxx. vt ſit ſenſus, dum videtur humilis & abiectus, non fuit qui eius cauſam ageret, vt pro eo iudicaretur. Hebraica veritas habet, de anguſtia & de iudicio ſublatus eſt, vbi poſt memoriam paſſionis, tranſit propheta ad Chriſti gloriam deſcribendam, dum de iudicio damnationis ſublatus creuit in ingentem poſteritatem fideliũ, et hoc eſt, quod ſubdit: generationem eius quis enarrabit? idq; poſtea, quàm vita eius videbatur & memoria omnis ſublata è terra.* [g] Ibat enim.] *Reddit cauſam cur eum non vltra viderit Eunuchus, quòd ſcilicet contentus eo, quod à Philippo didicerat, recta profectus ſit.*

CAPVT IX.

Galat.1.c SAulus autem adhuc ſpirans minas, & cædem in diſcipulos Domini, acceſsit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas: vt ſiquos inueniſſet [a] huius viæ viros ac mulieres, [b] vinctos perduceret in Ieruſalem. Et cũ iter faceret, cõtigit vt appropinquaret Damaſco, & ſubito circumfulſit eum lux de cælo. Et cadens in terram, audiuit vocẽ dicentem ſibi: [c] Saul Saul quid me perſequeris? 1.Cor.15.b 1.Cor.12.a Qui dixit: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego ſum IESVS, quem tu perſequeris: [d] durũ eſt tibi contra ſtimulũ calcitrare. Et tremens ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eũ: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi, qui comitabantur illum, ſtabãt ſtupefacti, [e] audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertiſq; oculis, neminem videbat. Ad manus autem illum ducentes, introduxerunt Damaſcum. Et erat tribus diebus nõ videns, & nõ mãducauit neq; bibit. Erat autem quidam diſcipulus Damaſci nomine Ananias: & dixit ad illum in viſu Dominus, Anania. At ille ait: Ecce ego Domine. Et Dominus ad eum: Surge, & vade in vicum qui

qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine, Tharſenſem: ecce enim orat. [f] Et vidit per viſum virum Ananiam nomine, introeuntem, & imponentem ſibi manus, vt viſum recipiat. Reſpondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem: & hic habet poteſtatem à principibus ſacerdotum, alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eũ Dominus: vade, quoniam [g] vas electionis eſt mihi iſte, vt portet nomen meum coràm gentibus & regibus & filijs Iſrael: ego enim oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit: Saul frater, Dominus miſit me, qui apparuit tibi in via qua veniebas, vt videas, & implearis ſpiritu ſancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius [h] tanquàm ſquammæ, & viſum recepit: & ſurgens baptizatus eſt. Et cum accepiſſet cibum, confortatus eſt. Fuit autem cum diſcipulis, qui erant Damaſci, per dies aliquot. Et continuo ingreſſus in ſynagogas, prædicabat CHRISTVM, quòd hic eſſet filius Dei. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, & dicebant: Nõne hic eſt, qui expugnabat in Ieruſalem eos, qui inuocabant nomen iſtud? & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes ſacerdotum? Saulus autem multo magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damaſci, affirmans, quòd hic eſſet CHRISTVS. Cum autem implerentur dies multi, conſilium fecerunt Iudæi, vt eum interficerent. Notæ autem factæ ſunt Saulo inſidiæ eorum. Cuſtodiebant autem & portas die 2.Cor.11.g ac nocte, vt eum interficerent. [i] Accipientes autem eum diſcipuli eius nocte, per murum dimiſerunt eum, ſubmittentes in ſporta. [k] Cum autem veniſſet in Ieruſalem, tentabat ſe iungere diſcipulis: & omnes timebant eum, non credentes quòd eſſet diſcipulus. Barnabas autem apprehenſum illum, duxit ad apoſtolos: & narrauit illis, quomodo in via vidiſſet Dominum, & quòd locutus eſt ei: & quomodo in Damaſco fiducialiter egerit in nomine IESV. Et erat cum illis intrans & exiens in Ieruſalem, & fiducialiter agens, in nomine Domini IESV. Loquebatur quoq;, & diſputabat cum Græcis: illi autem quærebant occidere eũ. Quod cum cognouiſſent fratres, deduxerunt eum Cæſaream, & dimiſerunt Tharſum. Igitur eccleſiæ quidem per totam Iudæam, & Galilæam & Samariam habebant pacem, & ædificabantur ambulantes in timore Domini, [l] & conſolatione ſancti ſpiritus replebantur. Factum eſt autem, vt [m] Petrus dum tranſiret per vniuerſos, deueniret ad ſanctos, qui habitabant Lyddæ. Inuenit autem ibi hominem quendam nomine Æneam, ab annis octo iacentem in grabato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus: Ænea, [n] ſanet te Dominus IESVS CHRISTVS: ſurge & ſterne tibi. Et continuo ſurrexit. Et viderunt eum omnes, qui habitabant Lyddæ, & Aſſarone, qui conuerſi ſunt ad Dominum. In Ioppe autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha: quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat. Factum eſt autem in diebus illis, vt infirmata moreretur. Quam cum lauiſſent, poſuerunt eam in cœnaculo. Cum autem propè eſſet Lydda ab Ioppe, diſcipuli audientes, quòd Petrus eſſet in ea, miſerunt ad eum, rogantes, ne grauaretur venire vſque ad eos. Exurgens autem Petrus, venit cum illis. Et cum adueniſſet, duxerunt illum in cœnaculum: & circunſteterunt illum omnes viduæ flentes, & oſtendentes ei tunicas & veſtes, quas faciebat dum eſſet cum illis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus ponens genua orauit: & conuerſus ad corpus, dixit: Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos, & viſo Petro, reſedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cum vocaſſet ſanctos, & viduas, aſsignauit eam viuam. Notum autem factum eſt per vniuerſam Ioppen: & crediderunt multi in Dominum. Factum eſt autem, vt dies multos moraretur in Ioppe, apud Simónem quendam coriarium.

SCHOLIA.

[a] Huius viæ viros.] *Nondum nomen habebat hæc Chriſti profeſsio: nondum enim appellabantur Chriſtiani: antea ergo quàm vocarentur Chriſtiani, cum de hac profeſsione ſermo erat, appellabant viam.* [b] Vinctos perduceret in Ieruſalem.] *Vt vbi initium acceperat hæc prædicatio, ibi acrior vltio exerceretur.* [c] Saul Saul quid me perſequeris?] *Prius Saul vocabatur, deinde inclinata voce, Saulus: vt à Iacob, Iacobus, demum ex conſuetudine Romanæ vocis, Paulus.* [d] Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare.] *Prouerbium eſt, quaſi diceret, fortior te ſum multo, ſi certare mecum libeat.* [e] Audientes quidem vocem.] *Audientes vocem Sauli loquentis, neque videntes, qui cum loqueretur. Nam infra cap. xxy. dicitur, illos vocem non audiſſe eius qui cum paulo loquebatur.* [f] Et vidit per viſum virum.] *Vt cum veniret Ananias, certior fieret Paulus, illum à Chriſto miſſum, quemadmodum Chriſtus ei dixerat, ſurge & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere.* [g] Vas electionis.] *Hebraiſmus eſt, pro vas electum, mos enim eſt Hebrææ linguæ vti denominationibus pro denominatis. Signum autem, inquit, quod vas mihi quoddam electum ſit, hoc eſto, quod multa ei perferenda pro nomine meo proponam, vt aliquando dicat, ſe plus omnibus laboraſſe.* [h] Tanquam ſquammę.] *Ingentem fuiſſe cæcitatem declarantes, ne quis putaret cæcitatem illam phantaſiam fuiſſe. Et videtur cæcitas hæc illi immiſſa, à qua deinde ſit liberatus, vt magis intelligeret Chriſti poteſtatem.* [i] Accipientes autem eum diſcipuli.] *Iam diſcipulos habet Paulus, quæ res declarat eius vehementiam & alacritatem prædicandi nominis Ieſu.* [k] Cum autem veniſſet Saulus Ieruſalem.] *Dubitatur hoc loco quomodo in epiſtola quidem ad Galatas dicit, non abij Ieroſolymam, ſed in Arabiam & Damaſcum: & quod poſt tres annos aſcenderit, vt videret Petrum: et quod neminem apoſtolorum viderit: hic vero contrarium dicit, quod Barnabas ſcilicet duxerit illum ad apoſtolos. Quod varijs modis & Chryſoſtomus, & alij græci authores ſoluere conantur. Aut, inquiunt, hoc ait in epiſtola ad Galatas, ſe non abiſſe, vt conferret: ait enim non contuli, neque abij Ieroſolymã: aut ſi non hoc, apparet has inſidias in Damaſco non continuo poſtea, quàm credidit eſſe factas: ſed poſt reditum ex Arabia, poſt annos tres, quod ſi ne hoc quidem, ipſe quidem non abijt ad apoſtolos: ſed diſcipulis hærere tentabat ob modeſtiam, tanquam diſcipulus eſſet, non magiſter. Barnabas aũt eum ad apoſtolos ducit, et narrat, quæ vidiſſet, ac quo pacto libere prædicaret. Iccirco, inquit, abij, vt eos, qui ante me erant apoſtolos adirem: nihil tamen ab eis didici. Vel hunc aſcenſum accipe hoc modo, quod abierit in Arabiam, deinde venerit Damaſcum, deinde Ieroſolymam, deinde in Syriam. Sin neq; hoc, quod rurſus aſcenderit Ieroſolymam, poſtea Damaſcũ ſit miſſus, deinde in Arabiam, poſt Damaſcũ iterum, inde Cæſaream, & tunc poſt quatuor de-*

eim annos ascenderit rursus Ierosolymam, fortasse cum fratres duxit cum Barnaba. Vel certe aliud dicit tempus. Etenim historiographus multa amputat, & multa congerit tempora. Ex eo autem quod Barnabas eum duxerit ad Apostolos, videtur antea illi fuisse amicus, erat enim dulcis, & facillimis moribus, quocirca & cognomen habebat, vt vocaretur filius consolationis, & ob hanc causam facilem habuit ad eum accessum Paulus. [l] Et consolatione sancti spiritus replebantur.] *Pulchre nam iccirco paracletus est appellatus spiritus sanctus, hoc est, consolator.* [m] Petrus dum transiret per vniuersos.] *Quemadmodum dux in exercitu obambulans considerat, quæ pars sit coadunata, quæ ornata & instructa, quæ sua præsentia egeat.* [n] Sanet te Iesus Christus.] *Non expectauit fidem viri, neque interrogauit, num curari vellet: nondum enim sibi virtutis ostenderat signa. Iure igitur non exegit à viro fidem, sicut neque à claudo, maxime vero & ad multorum solatium factum est miraculum hoc, insignis enim erat vir. Sicut ergo Christus in signorum principio non exigebat fidem, sic neque isti. Hic vero primum hoc contigerat signum fieri: at signa, alia fiebant attrahendi ad fidem gratia, alia ad credentium consolationem.*

CAPVT X.

VIr autem quidam erat in Cæsarea, nomine Cornelius, centurio cohortis, quæ dicitur Italica, religiosus & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deũ semper. Is vidit in visu manifeste, quasi hora diei nona, angelum Dei introeuntem ad se, & dicentem sibi, Corneli. At ille intuens eum timore correptus, dixit: Quid est Domine? Dixit autem illi: [a] Orationes tuę & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei. Et nunc mitte viros in Ioppen, & accerse Simônem quendam qui cognominatur Petrus. Hic hospitatur apud Simônem quendam coriarium, cuius est domus iuxta mare: [b] hic dicet tibi, quid te oporteat facere. Et cum discessisset angelus, qui loquebatur illi, vocauit duos domesticos suos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi assistebant. Quibus cum narrasset omnia: misit illos in Ioppen. Postera autem die, iter illis facientibus, & appropinquantibus ciuitati, ascendit Petrus in superiora domus, vt oraret, circa horam sextam. Et cum esuriret, voluit gustare. Parantibus autem illis, cecidit super eum mentis excessus: & videt cœlum apertum, & descendens ad se vas quoddã, velut linteum magnum, quatuor initijs alligatum submitti de cœlo in terram, in quo erant omnia quadrupedia terræ, & bestię & reptilia, & volatilia cœli. Et facta est vox ad eũ: surge Petre, occide & mãduca. Ait aũt Petrus: Absit Domine: quia nunquam manducaui quicquam commune, & immundum. Et vox iterum secundo ad eum: [c] Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris. Hoc factum est ter. Et rursum receptum est vas in cœlum. Et dum intra se hæsitaret Petrus quid nam esset visio quam vidisset, ecce, viri qui missi erant à Cornelio, inquirentes dommum Simônis, astiterunt ad ianuam. Et cum vocassent, interrogabant si Simon, qui cognominatur Petrus, illic haberet hospitium. Petro autem cogitante de visione, dixit spiritus ei: Ecce viri quærunt te: Surge itaque & descende, & vade cum eis, nihil hæsitans: quia ego misi illos. Descendens autem Petrus ad viros, qui missi fuerant à Cornelio ad ipsum, dixit: Ecce, ego sum quem quæritis: quæ causa est propter quam venistis? Qui dixerunt: Cornelius centurio, vir iustus & timens Deum, & testimonium habẽs ab vniuersa gente Iudæorum, oraculo admonitus est ab angelo sancto accersere te in domum suam, & audire verba abs te. Introducens ergo eos, recepit hospitio. Sequenti autem die Petrus profectus est cum illis: & quidam ex fratribus ab Ioppe comitati sunt eum. Altera autem die introierunt Cæsaream. Cornelius vero expectabat illos, conuocatis cognatis suis & necessarijs amicis. Et factum est, cum introisset Petrus, obuius venit ei Cornelius: & prócidens ad pedes eius adorauit eum. Petrus vero eleuauit eum, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. Et loquens cum illo, intrauit, & inuenit multos, qui conuenerant: dixitque ad illos: [d] Vos scitis, quomodo non liceat viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam: sed mihi ostendit Deus, neminem communem, aut immundum dicere hominem: propter quod incunctanter veni accersitus. Interrogo ergo, quam ob causam accersistis me? Et Cornelius ait: [e] Die ab hinc quarto, vsque ad hanc horam, eram ieiunans, & hora nona orabam in domo mea, & ecce vir stetit ante me in veste splendida, & ait: Cornelii, exaudita est oratio tua, & eleemosynæ tuę commemoratæ sunt in conspectu Dei. Mitte ergo in Ioppen, & accerse Simônem, qui cognominatur Petrus: hic hospitatur in domo Simônis coriarij iuxta mare, qui adueniens loquetur tibi. Confestim ergo misi ad te, & tu bene fecisti veniendo. Nunc ergo omnes nos in conspectu Dei adsumus, vt audiamus omnia quæcunque tibi præcepta sunt à Domino. Aperiens autem Petrus os suum, dixit: In veritate comperio, q̃ non est personarũ acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet eũ, & operatur iustitiam, acceptus est illi. [f] Verbum quod misit Deus filijs Israel, annuntians pacem per IESVM CHRISTVM (hic est omnium Dominus,) Vos scitis, quod factum est verbum per vniuersam Iudęam, incipiens à Galilæa post baptismum, quod prædicauit Ioannes: IESVM à Nazaret: quomodo [g] vnxit eum Deus spiritu sancto & virtute: qui pertransijt benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo: quoniam Deus erat cum illo. Et nos testes sumus omnium, quæ fecit in regione Iudæorum & Ierusalem, quem occiderunt suspendentes in ligno. Hunc Deus suscitauit tertia die, & dedit eum manifestum fieri non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimus & bibimus cum illo, postquã resurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo & testificari, quòd ipse est, qui constitutus est à Deo iudex viuorum, & mortuorum. Huic omnes prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum. [h] Et obstupuerunt ex circumcisione fideles, qui venerant cum Petro, quòd & in nationes gratia spiritus sancti effusa esset. Audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Nunquis prohibere potest, quo minus aqua baptizentur hi, qui spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? [i] Et iussit eos baptizari in nomine Domini. Tunc rogauerunt eũ, vt maneret apud eos aliquot diebus.

Deut.10.d 2.Par.19.a Sapien.6.b Eccle.35.b Roma.2.b Galat.2.b Ephe.6.b Colos.3.d 2.Petr.1.c

Hier.13.f Mich.7.d

Supra.1.a

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Orationes tuæ & eleemosynæ tuæ.] *Duabus vocibus complectitur omnia, & pietatem in Deum, & charitatem in proximum quenque. Hoc exemplo colligere possumus, Deum nulli vnquam hominum generi defuisse, quippe qui, si desint homines, ministerio angelorum subueniat.* [b] Hic dicet tibi quid te oporteat facere.] *Sequenti capite dicitur explicatius, qui loquetur tibi verba, in quibus saluus eris tu & vniuersa domus tua.* [c] Quæ Deus purificauit, tu communia ne dixeris.] *Hoc videtur quidem ad illum dici, sed totum Iudeis dicitur, nam si Magister increpatur, multo magis ij. Linteum autem quatuor initijs alligatum, tota terra est, bestiæ autem, gentes: quod ait macta, & comede, ostendit omnes esse admittendos: tertio autem id fieri, significat baptismum.* [d] Vos scitis, quomodo non liceat viro Iudæo.] *Prudens dicendi principium, & quod vtrisque & Iudeis & Gentilibus satisfaceret.* [e] Die ab hinc quarto vsque ad hanc horam.] *Hoc est, nunc est quarta dies, cum hac hora eram ieiunans, &c.* [f] Verbum quod misit.] *Hebraismus est, prorę, quæ sermone vulgi tacẽdabatur. Textus autem sic est ordinandus. Vos scitis verbum, quod misit Deus filijs Israel, &c. Scitis inquam, quod factum est verbum.* [g] Vnxit eum Deus.] *Cum alij reges, & sacerdotes ungerentur oleo, hunc Deus vnxit spiritu sancto & virtute: hoc est, factis ipsis & potestate quam ostendit, declaratus est à Deo esse verus Rex & sacerdos summus.* [h] Et obstupuerunt ex circumcisione fideles.] *Magis nos nunc obstupescimus, hos, qui ex circumcisione iam fideles erant, mirantes, gratiam spiritus sancti in nationes effusam, perinde quasi Iudæorum tantum esset Deus. Ita parum nota erat hæc Dei bonitas, & in omnes liberalitas.* [i] Et iussit eos baptizari.] *Neque dixit, quid opus est aqua, cum spiritus sanctus in eos delapsus sit? sciebat enim quod diuina in ea symbola perficerentur, sepultura, mortificatio, & resurrectio & vita. Sicut enim facile nobis est, mergi, & emergere, sic facile est Deo, sepelire veterem hominem, & excitare nouum: tertio autem fit ista lauatio, vt intelligamus id virtute patris & filij & spiritus sancti fieri, vel in memoriam illius Domini post tertium diem resurrectionis, quæ idem in nobis agat.*

CAPVT XI.

AVdierunt autem apostoli, & fratres qui erant in Iudæa, quòd & gentes recepissent verbum Dei. Cum autem ascendisset Petrus Ierosolymam, disceptabant aduersus illum, qui erant ex circumcisione, dicentes: Quare introisti ad viros præputium habentes, & manducasti cum illis? Incipiens autem Petrus, exponebat illis ordine dicens: [a] Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & vidi in excessu mentis meæ visionem, descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initijs summitti de cœlo, & venit vsque ad me. In quod intuens, considerabam, & vidi quadrupedia terræ & bestias, & reptilia & volatilia cœli. Audiui autem & vocẽm dicentem mihi: Surge Petre, occide & manduca. Dixi autem: Nequaquam Domine: quia commune, aut immundum nunquam introiuit in os meum. Respondit autem vox secundo, de cœlo: Quæ Deus mundauit, tu ne communia dixeris. Hoc autem factum est ter: & recepta sunt omnia rursum in cœlum. Et ecce viri tres confestim astiterunt in domo in qua eram, missi à Cæsarea ad me. Dixit autem spiritus mihi, vt irem cum illis, nihil hæsitans. Venerunt autem mecum & sex fratres isti: & ingressi sumus in domum viri. Narrauit autem nobis quomodo vidisset angelum in domo sua, stantem & dicentem sibi: Mitte in Ioppen, & accerse Simônem, qui cognominatur Petrus, qui loquetur tibi verba in quibus saluus eris tu, & vniuersa domus tua. Cum autem cœpissem loqui, cecidit spiritus sanctus super eos: sicut & in nos in initio. Recordatus sum autem verbi Domini sicut dicebat: Ioannes quidem baptizauit aqua, vos autem baptizabimini spiritu sancto. Si ergo eandem gratiam dedit illis Deus, sicut & nobis, qui credidimus in Dominum IESVM CHRISTVM: ego quis eram, qui possem prohibere Deum? His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum, dicentes: Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam. Et illi quidem, qui dispersi fuerant à tribulatione, quæ facta fuerat ob Stephanum, perambulauerunt vsque Phœnicen & Cyprum & Antiochiam, nemini loquentes verbum, nisi solis Iudæis. Erant autem quidam ex eis viri Ciprij & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum IESVM. Et [b] erat manus Domini cum eis: multusque numerus credentium conuersus est ad Dominum. Peruenit autem sermo ad aures ecclesiæ, quæ erat Ierosolymis, super istis: & miserunt Barnabam, vsque ad Antiochiam. Qui cum peruenisset, & vidisset gratiam Dei, gauisus est: & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino: quia erat vir bonus, & plenus spiritu sancto & fide. Et apposita est multa turba Domino. Profectus est autem Tharsum Barnabas, vt quæreret Saulum: quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam. Et annum totum conuersati sunt ibi in ecclesia: & docuerunt turbam multam, [c] ita vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli, Christiani. In his autem diebus superuenerunt ab Ierosolymis prophetæ Antiochiam: & surgens vnus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio. Discipuli autem prout quisque habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus: quod & fecerũt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ & Sauli.

Supra.1.a

SCHOLIA.

[a] Ego eram in ciuitate Ioppe.] *Ostendit Petrus hac apologia se nusquam in causa fuisse, sed Deum, cui parendum sit: ipse me, inquit, in ecstasim rapuit, vas ipse monstrauit, ego ei adhuc resistebam, rursus ipse dixit, & ne sic quidem obtemperaui, spiritus iussit, vt irem, & neque tum præceps accurri, dixi Deum misisse me, neque confestim baptizaui, sed rursum Deus totum effecit, Deus ipse baptizauit, non ego, adhuc enim me loquente eis, cecidit super eos spiritus sanctus, quo Ioannes dixerat Christum baptizaturum. Atque adeo ipse Dominus, quod idem Petrus citat, fuisse dictum ab eo, Vos autem baptizabimini spiritu sancto.* [b] Erat manus Domini cum eis.] *Manum Domini intelligit virtutem ad faciendã signa.* [c] Ita, vt cognominarentur primum Antiochiæ discipuli Christiani.] *Pauli studio prædicationis hoc ascribitur, vt in tantam celsitudinem hoc nomen eueheretur, tanquam signum quoddam, nam in Iudæa cum tam multi credidissent nihil tale contigit, sed appellabatur hæc prædicatio, via.*

CAPVT XII.

EOdem autem tempore iniecit Herodes Rex manus, vt affligeret quosdam de ecclesia. [a] Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio. Videns autem quòd placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. [b] Erant autem dies azymorum. Quem cum apprehendisset, misit in carcerem, tradens [c] quatuor quaternionibus militum custodiendum, volés post pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere. Oratio autem fiebat sine intermissione ab ecclesia ad Deum pro eo. Cum autem productus eum esset Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis dúabus: & custodes ante ostium custodiebant carcerem. Et ecce, Angelus Domini astitit, & [d] lumen resulsit in habitaculo: percussoq; latere Petri, excitauit eum dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem angelus ad eum: Præcingere, & subliga soleas tuas. Et fecit sic: Et dicit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens sequebatur eum, & nesciebat, quòd verum esset, quod fiebat per angelum: existimabat autem se visum videre. Transeuntes autem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam Ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta est eis. Et exeuntes, processerunt vicum vnum: & continuo discessit angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: Nunc scio vere, quòd misit Dominus angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum. Consideransque, venit ad domum Mariæ matris Ioannis, qui cognominatus est Marcus, vbi erant multi congregati & orantes. Pulsante autem eo ostium vestibuli, processit puella, vt subauscultaret, nomine Rhode. Et, vt cognouit vocem Petri, præ gaudio non aperuit ianuam, sed intrò currens nuntiauit stare Petrum ante ianuam. At illi dixerunt ad eam: Insanis. Illa autem affirmabat sic se habere. Illi autem dicebant: [e] Nuncius eius est. Petrus autem perseuerabat pulsans. Cum autem aperuissent ostium, viderunt eum: & obstupuerunt. Annuens autem eis manu, vt tacerent, narrauit quomodo Dominus eduxisset eum de carcere, dixitq;: Nuntiate Iacobo & fratribus hæc. Et egressus, abijt in alium locum. Facta autem die, erat non parua turbatio inter milites quidnam factum esset de Petro. Herodes autem cum requisisset eum, & non inuenisset, inquisitione facta de custodibus, iussit eos duci, descendensque à Iudæa in Cæsaream, ibi commoratus est. Erat autem iratus Tyrijs, & Sidonijs. At illi vnanimes venerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui erat super cubiculum regis, postulabant pacem, eò, quòd alerentur regiones eorum ab illo. Statuto autem die Herodes vestitus veste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Vox Dei, & non hominis. Confestim autem [f] percussit eum Angelus Domini: eò, quòd non dedisset gloriam Deo: & consumptus à vermibus, expirauit. Verbum autem Domini crescebat, & multiplicabatur. Barnabas autem & Saulus reuersi sunt Ierosolymam expleto ministerio, assumpto Ioanne, qui cognominatus est Marcus.

A B C D

SCHOLIA.

[a] Occidit autem Iacobum.] *Nequis diceret, quòd sine periculo & metu contemnere auderent mortem, vtpote eripiente illos Deo, iccirco occidi permittit etiam principes ecclesiæ.* [b] Erant autem dies Azymorum.] *Causam dicit cur non eum confestim occiderit.* [c] Quatuor quaternionibus militum.] *Fortasse, vt per singulas vigilias noctis essent quatuor milites, vt tutius seruaretur. At Petrus interea securus horum periculorum, & totum in Deum reijciens, ita profundo obruitur somno, vt oportuerit angelum, percusso illius latere, eum excitare.* [d] Lumen resulsit.] *Vt apertius rem agnosceret, ne phantasiam arbitraretur, nam si hoc facto, visum tamen esse existimauit, multo magis, si hoc non fuisset factum, suspicatus fuisset illudi sibi: ad hoc etiam pertinebat, quod præcepit, vt præcingeretur, &c.* [e] Nuntius eius est.] *suspicati sunt, illam non satis intellexisse verba pulsantis, qui fortasse interroganti, vel rectius subauscultanti dixerit, nuntius sum Petri, at illa falso crediderit, Petrum fuisse, iccirco dicunt, nuntius eius est, Sin angelum manus accipere, nihil prohibeo, habebis & qui tecum sentiant viros doctissimos.* [f] Percussit eum angelus Domini.] *Cernis quàm sceleratum sit non solum quærere, sed tantum admittere assentationes?*

CAPVT XIII.

ERant autem quidam in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ & doctores, Barnabasq;, & Simon qui vocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus: Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit illis spiritus sanctus: [a] Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus ad quod accersiui eos. [b] Tunc ieiunantes & orantes, imponentesq; eis manus, dimiserunt illos. Et ipsi quidem missi à spiritu sancto, abierunt Seleuciam, & inde nauigauerũt Cyprum. Et cum venissent Salaminam, prædicabant verbum Dei in synagogis Iudæorum. Habebant autem & Ioannem in ministerio. Et cum perambulassent vniuersam insulam vsque ad Paphum: inuenerunt quendam virum magum pseudoprophetam Iudæum, cui nomen erat Barjesu, qui erat cum proconsule Sergio Paulo, viro prudente. Hic accersitis Barnaba & Saulo, desiderabat audire verbum Dei. Resistebat autem illis Elymas magus (sic enim interpretatur nomen eius) quærens auertere proconsulem à fide. [c] Saulus autẽ, qui & Paulus, repletus spiritu sancto, intuẽs in eum, dixit: O plene omni dolo & omni fallacia, fili diaboli, inimice omnis iustitiæ, non desinis subuertere, vias Domini rectas. Et nũc ecce manus Domini super te, & [d] eris cæcus, non videns solem, vsq; ad tempus. Et confestim cecidit in eum caligo & tenebræ, & circuiens quærebat qui ei manum daret. Tunc proconsul cum vidisset factum, credidit, admirans super doctrina Domini. Et cum à Papho nauigasset Paulus, & qui cum eo erant, venerunt Pergen Pamphyliæ. Ioannes autem discedens ab eis, reuersus est Ierosolymam. Illi vero pertranseuntes Pergen, venerunt Antiochiam Pisidiæ: & ingressi synagogam die sabbatorum, sederunt. Post lectionem autem legis, & prophetarum, miserunt principes synagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, siquis est in vobis sermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, & manu silentium indicens, ait: Viri Israelitæ, & qui timetis Deum, audite: Deus

A B C

populi huius elegit patres nostros, & plebem exaltauit cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto. Et destruens gentes septem in terra Chanaan, sorte distribuit eis terram eorum. Et post hæc annis circiter quadringentis & quinquaginta, dedit iudices, vsq; ad Samuel propheta. Et exinde postulauerunt regem: & dedit illis Saul filium Cis, virum de tribu Beniamin annis quadraginta. Et amoto illo, suscitauit illis Dauid regem: cui testi- D monium perhibens, dixit: Inueni Dauid filium Iesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas. Huius ex semine Deus secundum promissionem, eduxit Israeli saluatorem IESVM, prædicante Ioanne ante faciem aduentus eius, baptismum pœnitentiæ Israeli. Cum impleret autem Ioannes cursum suum, dicebat: Quem me arbitramini esse, non sum ego: sed ecce venit post me, cuius nõ sum dignus calceamenta pedum soluere. Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis verbum salutis huius missum est. Qui enim habitabant Ierusalem, & principes eorum hunc ignorantes, & voces prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt: & nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. Cumq; consummassent omnia, quæ de eo scripta erant deponen- E tes eum de ligno, posuerunt eum in monumento. [c] Deus autem suscitauit eum à mortuis, qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Ierusalem, qui sunt testes eius ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filijs illorum, nempe nobis resuscitans IESVM, sicut & in psalmo primo scriptum est. [f] Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quòd autem suscitauit eum à mortuis, amplius iam non reuersurum in corruptionem, ita dixit: [g] Dabo vobis sancta Dauid fidelia. Ideoq; & alias dicit: Non dabis sanctum tuum videre corruptionẽ. Dauid enim in sua generatione cum administrasset, consilio Dei dormiuit, & appositus est ad patres suos, & vidit corruptionem. Quem Deus vero suscitauit à mortuis, non vidit corruptionem. Notum igitur sit vobis viri fratres, q; per hunc vobis remissio peccatorum annuntiatur: & ab omnibus à quibus non potuistis in le- F ge Moysi iustificari, in hoc omnis, qui crédit, iustificatur. Videte ergo, ne superueniat vobis, quod dictum est in prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & dispердimini: quia opus operor ego in diebus vestris, opus, quod non credetis, siquis enarrauerit vobis. Exeuntibus autem è synagoga Iudæis, rogabant gentes, vt sequenti sabbato loquerentur sibi verba. Cumq; dimissa esset synagoga, secuti sunt multi Iudæorum, & colentium Deum aduenarum Paulum & Barnabam: qui loquentes suadebant eis, vt permanerẽt in gratia Dei. Sequenti vero sabbato penè vniuersa ciuitas conuenit audire verbum Dei. [h] Videntes autem turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his, quæ à Paulo dicebantur, contradicentes & blasphemantes. Tunc sum ta fiducia Paulus & Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui verbum Dei: sed quoniam repellitis illud, [i] & indignos vos iudicatis æterna vita: ecce conuertimur ad gentes: sic enim præcepit nobis Domi- G nus: Posui te in lucem gentium, vt sis in salutem vsque ad extremum terræ. Audientes autem gentes gauisæ sunt, & glorificabant verbum Domini: & crediderunt [k] quotquot erant ordinati ad vitam æternam. Disseminabatur autem verbum Domini per vniuersam regionem. Iudæi autem concitauerunt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt persecutionem in Paulum & Barnabam: & eiecerunt eos de finibus suis. At illi excusso puluere pedum in eos, venerunt Iconium. Porrò discipuli replebantur gaudio & spiritu sancto.

Exod.1.a Exod.13.d Exod.16.a Iosu.14.a Iudic.3.b 1.Reg.8.a 1.Reg.9.c &.10.a Psal.88.c 1.Reg.16.b Esaia.11.a Matt.3.a Mar.1.a Luce.3.a Ioan.1.c Mar.1.a Matt.27.c Marc 15.b Luce.23.c Ioan.19.c Matt.28 Marc.16 Luce.24 Ioan.20 Psal.1.b Hebr.1.b Esaia.55.b Psal.15.d 3.Reg.2.b Abac.1.b

Esaia.49.b

Matt.10.b Marc.6.b Luce.9.a

SCHOLIA.

[a] Segregate mihi Barnabam & Saulum.] *Ordinatur hic Paulus in munus apostolicum, cur ergo ille dicit, non ab hominibus, neque per hominem? Dicit, non ab hominibus, vt signet, quod non homo illum vocarit, neque adduxerit: dicit, nec per hominem, quòd non ab aliquo missus sit, sed à spiritu sancto: cum autem dixerit spiritus sanctus, non, segregate, Domino, sed mihi, ostendit vnam esse potestatem, ac virtutem.* [b] Tunc ieiunantes, & orantes.] *Vide quanti sit eligere homines ad ministerium Dei & hominum curam. Iusserat spiritus sanctus, vt segregarent sibi Barnabam & Saulum: at illi addunt ieunia, & preces, imponunt eis manus, docentes in ipsis ecclesiæ exordijs, quid posteris esset faciendum.* [c] Saulus autem, qui & Paulus.] *Hic nomen illius mutatur cum ordinatione, id quod & Petro accidit, nequid minus haberet, quàm magni apostoli.* [d] Eris cæcus non videns solem vsque ad tempus.] *Ne existimarent, verba Pauli esse indignationis potius, quàm medelæ, noluit perpetuo eum cæcum esse, hoc vero pacto inuitatur, vt agnito errore conuertatur ad percipiendam veritatem.* [e] Deus autem suscitauit eum à mortuis.] *Attemperat orationem pro audientium conditione, non enim aperte diuinitatem filij annuntiant, neque dicunt, ipsum se se diuina virtute sua excitasse, quod fecit, & facturum se promiserat, cum dixit, soluite templum hoc, & tribus diebus excitabo illud. Quanquam & hic intelligi potest, cum dicitur Deum suscitasse illum, ipse filius, qui Deus est, humanam suam naturam reuocasse à mortuis.* [f] Filius meus es tu.] *Psalmum hunc Apostolus interpretatur de Christi humanitate, quæ verba fortasse in illum diem conuenerunt, quo baptizato Domino vox patris è cælo facta est.* [g] Dabo vobis sancta.] *Habetur hic locus Esa. lv. vbi ait, Feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias Dauid fideles, hoc est, infallibiles & immotas, iccirco perpetuò duraturas, quod non esset factum, nisi Christus verus Dauid surrexisset à mortuis. Rectè ergo Paulus ad Domini resurrectionem pertinere hunc locum asserit.* [h] Videntes autem turbas Iudæi relpeti sunt Zelo.] *Intuere & hic inuidiam Iudæorum, quasi soli digni sint, quibus veritas aperiatur, & pulchre impletur illud, quod per Mosen prædixit Deus: Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis, & ego prouocabo illos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* [i] Et indignos vos iudicatis.] *Non dicunt, indigni estis, ne sermonem facerent onerosum.* [k] Quotquot erant ordinati ad vitam æternam.] *Non est necesse hic introducere prædestinationem ac distinctionem eorum, quos Deus, vel elegerit seruandos, vel reiecerit, præsertim cum hic non dicat, præordinati, sed ordinati. Quare simpliciter intelligere possumus, eos credidisse, qui voluerunt in eorum esse ordine qui adipiscerentur vitam æternam, & sese aptauerunt ad illam, acquiescentes apostolorum prædicationi.*

CAPVT XIIII.

FActum est autem Iconij, vt simul introirent synagogam Iudæorum, & loquerentur ita, vt crederet Iudæorum & Græcorum copiosa multitudo. Qui vero increduli fuerunt Iudæi, suscitauerunt, & corruperunt animos gentium aduersus fratres. Multo igitur tempore demorati sunt, fiducialiter agentes in Domino, testimonium perhibente [a] verbo gratiæ suæ, dante signa & prodigia fieri per manus eorum. Diuisa est autem multitudo ciuitatis: & quidam quidem erant cum Iudæis, quidam vero cum apostolis. Cum autem factus esset impetus gentilium & Iudæorum cum principibus suis, vt contumelijs afficerent & lapidarent eos, intelligentes [b] confugerunt ad ciuitates Lycaoniæ, Lystram & Derben, & vniuersam in circuitu regionem, & ibi euangelizantes erant: Et quidam vir Lystris infirmus pedibus sedebat, claudus ex vtero matris suæ: qui nunquam ambulauerat. Hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum, & videns, quòd fidem haberet, vt saluus fieret, dixit magna voce: Surge super pedes tuos rectus. Et exilijt, & ambulabat. Turbæ autem cum vidissent, quæ fecerat Paulus, leuauerunt vocem suam Lycaonice dicentes: Dij similes facti hominibus, descenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam, Iouem: Paulum vero, Mercurium: [c] quoniam ipse erat dux verbi. Sacerdos quoque Iouis, qui erat ante ciuitatem, tauros & coronas ante ianuas afferens, cum populis volebat sacrificare. Quod vbi audierunt apostoli Barnabas & Paulus, [d] conscissis tunicis suis, insilierunt in turbam, clamantes & dicentes: Viri, quid hæc facitis? Et nos mortales sumus, similes vobis homines, annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Deum viuum, qui fecit cœlum & terram & mare & omnia, quæ in eis sunt, qui in præteritis generationibus dimisit omnes gentes ingredi vijs suis. Et quidem [e] non sine testimonio semetipsum reliquit, benefaciens, de cœlo nobis dans pluuias, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Et hæc dicentes, vix sedauerunt turbas, ne sibi immolarent. Superuenerunt autē quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi: & persuasis turbis [f] lapidantes Paulum, traxerunt extra ciuitatem, existimantes eum mortuum esse. Circundantibus autem eum discipulis, surgens intrauit ciuitatem: & postera die profectus est cum Barnaba in Derben. Cumq; euangelizassent ciuitati illi, & docuissent multos, reuersi sunt Lystram & Iconium, & Antiochiam, confirmãtes animas discipulorum, ex hortantesq;, vt permanerent in fide, & quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Et cum constituissent illis [g] per singulas ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunijs, cõmendauerunt eos Domino, in quem crediderant. Transeuntesq; Pisidiam, venerunt in Pamphyliam: & loquentes verbum Domini in Perge, descenderunt in Attaliam, & inde nauigauerunt Antiochiam, vnde erant traditi gratiæ Dei in opus quod cõpleuerunt. Cum autem venissent & congregassent ecclesiam, retulerunt quanta fecisset Deus cũ illis, q; aperuisset gentibus ostium fidei. Morati sunt autem tempus non modicum illic cum discipulis.

Pſal.145.a
Apoc.14.b
2.Cor.11.f
Supra.13.a

SCHOLIA.

[a] Verbo gratiæ suæ.] *Ordo hic est, fiducialiter agentes in Domino, qui testimonium perhibebat verbo, hoc est, prædicationi, quam sua gratia ac benignitate iusserat inuulgari.* [b] Confugerunt.] *Non enim debemus nos temere conijcere in pericula, nec nisi opus sit: sed cedere ad tempus, quod apostoli fecerunt, nam & hoc pars beneficij est, parcere sceleris hostium, ne innocentes interficiant, & præcepit etiam Dominus, vt si eos in vna ciuitate persequerentur, fugerent in aliam.* [c] Quoniam ipse erat dux verbi.] *Nam Mercurium appellabant eloquentiæ Deum, et sermonis interpretem, hunc ergo esse Paulum arbitrabantur, ob dicendi vim ac maiestatem: Barnabam vero Iouem, fortasse ob vultus grauitatem.* [d] Conscissis tunicis suis.] *Mos erat Iudæis audita blasphemia aliqua in Deum, scindere vestimenta: hoc & diuini isti Apostoli fecerunt, cum dij crederentur, ex animi affectu reprehendentes, quæ fiebant, et luctus præ se signa ferentes, nam vere res digna luctu erat, si dij crediti fuissent, idololatriam introducere, quam vt dissoluerent, venerant. Tu vero contemplare Christianæ philosophiæ virtutem, quæ diuinos honores veritatis tuendæ gratia auersetur.* [e] Non sine testimonio.] *Nunquam tamen (inquit) prætermisit, quin se agnoscendum præberet volentibus, ex ipsis in eos collatis beneficijs.* [f] Lapidantes Paulum.] *Hoc quoque videntibus proderat: nequis, inquit, me existimet esse supra id, quod videt me, vel audit aliquid ex me.* [g] Per singulas ecclesias presbyteros.] *Quia hæc loca longius aberant ab Ierosolymis & Antiochia.*

CAPVT XV.

ET quidam descendentes de Iudæa, docebant fratres: Nisi circuncidamini secundum morem Moysi, nõ potestis saluari. Facta ergo seditione & disceptatione non exigua Paulo & Barnabæ aduersus illos, [a] statuerũt, vt ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis ad apostolos & presbyteros in Ierusalem, super hac quæstione. Illi ergo deducti ab ecclesia, pertransibant Phœnicen & Samariam, narrantes conuersionem gentium: & faciebant gaudium magnum omnibus fratribus. Cum autem venissent Ierosolymam susceptisunt ab ecclesia, & ab apostolis, & senioribus, annuntiantes quanta Deus fecisset cum illis. Surrexerunt autem quidam de hæresi pharisæorum, qui crediderant, dicentes, quòd oporteret circuncidi eos, præcipere quoque seruare legem Moysi. Conueneruntq; apostoli & seniores videre de verbo hoc. Cum autem magna conquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis q; ab antiquis diebus Deus in nobis elegit per os meũ audire gentes verbum euangelij, & credere. Et qui nouit corda Deus testimoniũ perhibuit, dãs illis spiritum sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificãs corda eorũ. Nunc ergo [b] quid tentatis Deum, imponere iugum super ceruices discipulorũ: quod neq; nos, neque patres nostri portare potuimus? Sed per gratiam Domini IESV CHRISTI credimus saluari, quemadmodum & illi, Tacuit autem omnis multitudo, & audiebant Barnabam & Paulum narrantes quanta Deus fecisset signa & prodigia in gẽtibus per eos. Et postquã tacuerunt, respõdit Iacobus, dicẽs. Viri fratres, audite me: [c] Simeon narrauit quemadmodum primũ Deus visitauit sumere ex gentibus populum in nomine suo. Et huic concordant verba prophetarum, sicut scriptum est: Post hæc reuertar, & [d] reædificabo tabernaculum Dauid, quod decidit, & diruta eius reædificabo, & erigam illud, vt requirant cæteri homines Dominum: & omnes gentes

Galat.5.a
Supra.10
Amos.9.c

nes gentes super quas inuocatum est nomen meum, dicit Dominus faciens hæc omnia. Nota à seculo sunt Domino opera sua omnia. Propter quod ego iudico, non inquietari eos, qui ex gentibus cõuertũtur ad Deũ: sed scribere ad eos, vt abstineant se à cõtaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine. Moyses enim à temporibus antiquis habet in singulis ciuitatibus, qui eum prædicent in synagogis, vbi per omne sabbatum legitur. Tunc placuit apostolis, & senioribus cum omni ecclesia, eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo & Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barsabas: & Silam viros primos in fratribus, scribentes per manum eorum in hunc modum. APOSTOLI & præsbyteri & fratres, his qui sunt Antiochię & Syriæ & Cilicię fratribus ex gẽtibus, salutem. Quoniam audiuimus quòd quidam ex nobis exeuntes, turbauerunt vos verbis, euertentes animas vestras, iubentes vos circuncidi, & seruare legem, quibus non mandauimus: placuit nobis collectis in vnum, eligere viros, & mittere ad vos cum charissimis nostris Barnaba & Paulo, hominibus, qui tradiderunt animas suas pro nomine Domini nostri IESV CHRISTI. Misimus ergo Iudam & Silam, qui & ipsi vobis verbis referent eadem. [e] Visum est enim spiritui sancto & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, q̃ hæc necessaria: vt abstineatis vos ab immolatis simulachrorũ, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus custodiẽtes vos, bene agetis. Valete. Illi ergo dimissi descenderunt Antiochiam: & congregata multitudine tradiderunt epistolam. Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem & Silas, & ipsi cũ essent prophetæ, verbo plurimo consolati sunt fratres, & confirmauerunt. Facto autem ibi aliquãto tempore, dimissi sunt cum pace à fratribus ad Apostolos. Visum est autem Silæ ibi remanere. Paulus autem & Barnabas demorabantur Antiochiæ docentes, & euangelizantes cum alijs pluribus, verbum Domini. Post aliquot autem dies dixit ad Barnabam Paulus, reuertẽtes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini, quomodo se habeant. Barnabas autem consulebat secum assumere & Ioãnem, qui cognominabatur Marcus. Paulus autem iudicabat, eum (vt qui discessisset ab eis de Pamphylia, & non isset cum eis in opus) nõ debere recipi. [f] Facta est autem dissensio, ita vt discederent ab inuicem: & Barnabas quidem assumpto Marco nauigaret Cyprum: Paulus vero electo Sila profectus est, traditus gratiæ Dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam & Ciliciam, [g] confirmans ecclesias.

SCHOLIA.

[a] Statuerunt vt ascenderent Paulus & Barnabas.] *Non hoc contrarium est ei, quod Paulus ad Galatas ait, non ascendisse Hierosolymam ad antecessores suos apostolos, neque contulisse euangelium, quod prædicaret in gentibus, nã non ipse sponte ascendit, quasi aliquid ipse ambigat, sed mittitur, & alys obsequens proficiscitur, nam ipse ab initio in hac erat sententia, quam & apostoli postea confirmarunt, non oportere scilicet gentes circuncidi. Cum ergo videret tunc sibi nõ credi, sed illos ijs attendere magis, qui erant Hierosolymis, ascendit, non vt quicquã disceret ipse, sed vt persuaderet contradicentibus quod & ij, qui Hierosolymis essent suæ sententiæ suffragarentur.* [b] Quid tentatis Deum.] *Tentare Deum est, nolle simpliciter verbis eius credere, aut ergo. Nondum creditis, nos iustificare per fidem in Christum, sicut ipse docuit, sed magis ceremonijs Iudaicis.* [c] Symeon narrauit.] *Quidam censent eum fuisse, qui infantem Dominum vnis excepit. Sed rectius intelligitur de Petro, qui & Simon & Simeon vocatur. nam ipse in principio secundæ epistolæ dicit. Simeon Petrus.* [d] Reædificabo tabernaculum Dauid.] *Non templum Hierosolymitanum, vt Iudæi arbitrabantur, sed æternam illam instaurationem intelligit prophetia, quæ per Christum facta est.* [e] Visum enim est spiritui sancto, & nobis.] *Addunt & sibi visum, qui cum essent Iudæi, tamen approbabant non debere aggrauari gentes, vt seruent legem, tantum ab ys abstineant, quæ in mutua consuetudine possent offendere. Videtur autem ex hoc loco, apud gentiles fornicationem creditum esse licere. Quod autem præcipiant, à reliquis abstinere ad euitandas offensiones, declaratur per ea, quæ sequũtur. Quia scilicet cum per omnes ciuitates legatur Moses, in cuius lege hæc notantur, vt qui sanguinem, et suffocatum, & simulachris immolatum comederent, pararent dissensiones.* [f] Facta est autem dissensio.] παροξυσμὸς, irritatio illa animorum non fuit inimicitiæ, neque odij, sed quod quisque vtile esse iudicabat, id curabat: at vero hoc & ecclesijs profuit, atque ipsi Marco, nam seueritas Pauli accuratiorem illum reddidit, benignitas vero Barnabæ id egit, vt ne omnino destitueretur. Inuenimus & in prophetis varios mores, neque tamen reprehensos. Moses mitis erat, Helias austerior. Hoc de Deo & Mose legimus, hic rogat, ille vrascitur. Non ergo discesserunt inimici inter se, absit, cuius rei hoc indicium est, Barnabam post hæc multis laudibus à Paulo in epistolis celebrari.* [g] Confirmans ecclesias.] *Non prius transit ad alias ciuitates, quam eas, quæ acceperant verbum Dei, visit. asset. Primos enim primum instauramus, ne illi sint impedimento posterioribus.*

CAPVT XVI.

PErueniit autem in Derbẽ & Lystram. Et ecce, discipulus quidam erat ibi, nomine Thimôtheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patre gentili. Huic testimonium bonum reddebant qui Lystris erant & Iconij, fratres. Hunc voluit Paulus secum proficisci: & assumens [a] circuncidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis. Sciebant enim omnes, quòd pater eius erat gentilis. Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab apostolis & senioribus, qui erant Hierosolymis. Et ecclesię quidem confirmabantur fide, & abundabant numero quotidie. Transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem, [b] vetiti sunt à spiritu sancto loqui verbum Dei in Asia. Cũ venissent autem in Mysiam, tentabãt ire in Bithyniam: & non permisit eos spiritus. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem; & visio per noctem Paulo ostensa est: Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, & dicens: Transiens in Macedoniam adiua nos. Vt autem visum vidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod vocasset nos Dominus euangelizare eis. Nauigantes autem à Troade, recto cursu venimus Samothracen, & sequenti die Neapolim: & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia. Eramus aũt in hac vrbe diebus aliquot cõsistentes. Die aũt sabbatorum egressi sumus extra portam iuxta flumẽ, vbi solebat oratio esse: & sedentes loquebamur mulieribus, quæ conuenerant. Et quędam mulier nomine Lydia purpurarum

purpurarum venditrix ciuitatis Thyatiorum,colens Deum, audiuit: cuius Dominus aperuit cor intendere
his,quæ dicebantur à Paulo.Cum autem baptizata eſſet,& domus eius, deprecata eſt dicens:Si iudicaſtis me
fidelem Domino eſſe,introite in domum meam,& manete.Et coegit nos.Factum eſt autem euntibus nobis D
ad orationem,puellam quandam [c] habentem ſpiritum Pythonis occurrere nobis, quæ quæſtum magnum
præſtabat Dominis ſuis diuinando.Hæc ſubſecuta Paulum & nos,clamabat, dicens:Iſti homines ſerui Dei
excelſi ſunt,qui annuntiant vobis viam ſalutis.Hoc autem faciebat multis diebus. Dolens autem Paulus &
conuerſus,ſpiritui dixit:Pręcipio tibi in nomine IESV CHRISTI exire ab ea.Et exijt eadem hora.Vi-
dentes autem Domini eius quod exiuit ſpes quæſtus eorum,apprehendentes Paulum & Silam, pertraxerunt
in forum ad principes:& offerentes eos magiſtratibus, dixerunt:Hi homines cõturbant ciuitatem noſtram,
cum ſint Iudæi:& annuntiant morem,quem non licet nobis ſuſcipere neque facere,cum ſimus Romani.Et E
2.Cor.11.f cucurrit plebs aduerſus eos:& magiſtratus ſciſsis tunicis ſuis,iuſſerunt eos virgis cædi. Et cum multas plagas
eis impoſuiſſent,miſerunt eos in carcerem, præcipientes cuſtodi vt diligenter cuſtodiret eos. Qui cum tale
præceptum accepiſſet,miſit eos in interiorem carcerem,& pedes eorum ſtrinxit ligno. Media autem nocte
Paulus & Silas orantes laudabant Deum.Et audiebant eos,qui in cuſtodia erant.Subito vero terræmotus fa-
ctus eſt magnus,ita vt mouerentur fundamẽta carceris. Et ſtatim aperta ſunt omnia oſtia: [d] & vniuerſorum
vincula ſoluta ſunt.Expergefactus autem cuſtos carceris,& videns ianuas apertas carceris,euaginato gladio,
volebat ſe interficere,exiſtimans fugiſſe vinctos.Clamauit autem Paulus voce magna,dicens:Nihil tibi ma- F
li feceris:vniuerſi enim hic ſumus.Petitóque lumine introgreſſus eſt:& tremefactus, [e] procidit Paulo & Silę
ad pedes:& producens eos foras,ait:Domini quid me oportet facere, vt ſaluus fiam? At illi dixerunt: Crede
in dominum IESVM, & ſaluus eris tu,& domus tua.Et locuti ſunt ei verbum Domini cũ omnibus, qui
erant in domo eius.Et tollens eos in illa hora noctis, lauit plagas eorum:& baptizatus eſt ipſe, & omnis do-
mus eius continuo.Cumq; perduxiſſet eos in domum ſuam,appoſuit eis menſam, & lætatus eſt cum omni
domo ſua credens Deo.Et cum dies factus eſſet,miſerunt magiſtratus lictores,dicentes:Dimitte homines il-
los.Nuntiauit autẽ cuſtos carceris verba hæc Paulo:Miſerunt magiſtratus,vt dimittamini:nũc igitur exeun- G
tes,ite in pace.Paulus autem dixit eis: Cæſos nos publice indicta cauſa homines Romanos miſerunt in car-
cerem,& nunc occulte nos eijciunt? Non ita:ſed [f] veniant ipſi,& nos educant. Nuntiauerunt autem magi-
ſtratibus lictores verba hæc.Timuerũtq; audito quòd Romani eſſent:& venientes deprecati ſunt eos, & edu-
centes rogabant,vt egrederentur de vrbe.Exeuntes autem de carcere, introierunt ad Lydiam: & viſis fratri-
bus,conſolati ſunt eos,& profecti ſunt.

SCHOLIA.

[a] Circuncidit eum.] *Implet quod de ſe ſcribit:factus ſum Iudæis,tanquam Iudæus,vt Iudæos lucrifacerem, ijs qui ſub lege erant,quaſi ſub lege eſſem,vt eos,qui ſub lege erant,lucrifacerem.Quod vero addit,ſciebant enim omnes, quod pater eius erat gentilis: Cũ illa dictio,enim,cauſalis ſit,videtur aliquid eſſe ſubaudiendum,quod ſcilicet pater tantum & non etiam mater eſſet gentilis, nam ſi vtrunque habuiſſet parentẽ gentilem,non eſſent offenſi Iudæi, illo non circunciſo.* [b] Vetiti ſunt à ſpirituſancto.] *Quare? non dicit:neq; tu ergo curioſius inquiras, quod ſpiritus ſanctus voluit latere.* [c] Habentem ſpiritum Pythonis.] *Hæc iccirco appellabatur Pythia,quaſi ſacerdos Apollinis pythij, qui ab interfecto ſerpẽte ſic cognominatus eſt.Fertur pythia ſolita in Apollinis tripode ſedere,diuaricatis cruribus, per cuius genitalia ingrederetur fœdus dæmon,& impleret mulierem furore,quæ deinceps ſolutis crinibus debaccharetur,& ſpumaret ore,& in illa debacchatione inſana ſua verba proferret,quam pulchre poëta noſter in ſexto Aeneidos deſcribit.Gloria tibi Chriſte,qui mundum his erroribus liberaſti.* [d] Et vniuerſorum vincula ſoluta ſunt.] *Miram vinculorum Pauli virtutem,quæ vinctorum vincula ſoluerent.Sic Dominus mortem noſtram moriẽdo deſtruxit.* [e] Procidit Paulo & Silæ ad pedes.] *Quo pacto iudicauit hoc ab eis factum diuina virtute,& non potius maleficis artibus? audierat illos media nocte orãtes & laudantes Deum,quod malefici non conſueuerunt.* [f] Veniant ipſi.] *Hoc facit,ne nomen Domini blaſphemaretur ob eos,qui falſo detulerunt,& traxerunt Paulum & Silam,tanquam ſceleratos,ad magiſtratus.*

CAPVT XVII.

CVm autem perambulaſſent Amphipolim & Appoloniam, venerunt Theſſalonicam, vbi erat ſyna- A
goga Iudęorum.Secundum conſuetudinem autem Paulus introiuit ad eos:& per ſabbata tria diſſere-
bat eis è ſcripturis,adaperiens, & inſinuans quod CHRISTVM oportuit pati & reſurgere à mor-
tuis,& quod hic eſt CHRISTVS IESVS, quem ego,inquit,annuntio vobis. Et quidam ex eis credide-
runt,& adiuncti ſunt Paulo & Silæ,& de colentibus gentilibus multitudo magna, & mulieres nobiles non
paucæ.Zelantes autem Iudæi increduli,aſſumentesq; de vulgo viros quoſdam malos,& turba facta,concita-
uerunt ciuitatem:& inſiſtentes domui Iaſonis,quærebant eos producere in populum. Et cũ non inueniſſent B
eos,trahebant Iaſonem & quoſdam fratres ad principes ciuitatis clamantes:Hi, qui orbẽ conturbarunt,huc
quoque venerunt:quos occulte ſuſcepit Iaſon:& hi omnes contra decreta Cæſaris faciunt, regem alium di-
centes eſſe, IESVM. Concitauerunt autem plebem & principes ciuitatis audientes hæc. Et accepta ſatiſ-
factione ab Iaſone & à cæteris,dimiſerunt eos.Fratres vero confeſtim per noctem dimiſerunt Paulum & Si-
lam in Berrhœam.Qui cum veniſſent,in ſynagogam Iudæorum introierunt.Hi autem erant nobiliores eo- C
rum,qui ſunt Theſſalonicæ,qui ſuſceperunt verbum cum omni auiditate, quotidie ſcrutantes ſcripturas,ſi
hæc ita ſe haberent.Et multi quidem crediderunt ex eis,& mulierum gentilium honeſtarũ, & viri non pau-
ci.Cum autem cognouiſſent in Theſſalonica Iudæi,quòd & Berrhœæ prædicatum eſt à Paulo verbum Dei,
venerunt & illuc,commouentes turbas.Statimq; tunc Paulum emiſerunt fratres,vt iret velut ad mare.Silas
autem & Timotheus remanſerunt ibi.Qui autem deducebãt Paulum, perduxerunt eum vſque ad Athenas: D
& accepto mandato ad Silam & Timotheum,vt quàm celerrime venirent ad ſe,profecti ſunt.Paulus autem
cum

cum Athenis eos expectaret, [a] incitabatur ſpiritus eius in ipſo,cũ videret idololatriæ deditam ciuitatem.Di
ſputabat igitur in ſynagoga cum Iudæis & colentibus,& in foro per omnes dies cũ ijs, qui ipſum forte adijſ-
ſent. Quidam autem Epicurei & Stoici philoſophi diſſerebant cum eo: & quidam dicebant: [b] Quid vult
E ſpermologus hic dicere? Alij vero: Nouorum dęmoniorum videtur annunciator eſſe:quia IESVM & re-
ſurrectionem annuntiabat eis.Et apprehenſum eum,ad Areopagum duxerunt,dicentes:Poſſumus ſcire,quę
eſt hęc noua,quæ à te dicitur,doctrina? noua enim quædam infers auribus noſtris. Volumus ergo ſcire quid-
nam velint hæc eſſe. Athenienſes autem omnes,& qui illic erant hoſpites,ad nihil aliud vacabant,niſi aut di-
cere,aut audire aliquid noui.Stans autem Paulus in medio Areopagi,ait:Viri Athenięſes,per omnia [c] quaſi
ſuperſtitioſiores vos video. Pręteriens enim, & videns culturas veſtras: inueni & aram in qua ſcriptum erat:
[d] IGNOTO DEO: quem ergo ignorantes colitis,hunc ego annuntio vobis. [e] Deus qui fecit mundum &
F omnia,quæ in eo ſunt, [f] hic cœli & terræ cum ſit Dominus,non in manufactis templis habitat, nec mani- Supra 7.f
bus humanis colitur,indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam & inſpirationem per omnia:fecitque ex
vno ſanguine omne genus hominum,vt inhabitaret ſuper vniuerſam faciem terræ, [g] pręfinijtq; ſtatuta tẽ-
pora,& præfixit terminos habitationis eorum,quærere Deum, ſi forte attrectent eum & inueniant, quam-
uis non longe ſit ab vno quoque noſtrum.In ipſo enim viuimus & mouemur & ſumus, ſicut & quidam ve-
ſtrorum poetarum dixerunt:Ipſius enim & genus ſumus. [h] Genus ergo cum ſimus Dei,non debemus exiſti Aratus:
mare auro,& argento,aut lapidi ſculpturæ artis & cogitationis hominis:numen eſſe ſimile. [i] Et tẽpora qui- Eſa.40.c
G dem huius ignorantiæ cum diſsimularit Deus,nunc annuntiat hominibus, vt omnes vbique pœnitentiam
agant,eo quòd ſtatuit diem in quo iudicaturus eſt orbem in ęquitate in viro in quo decreuerat, fide pręſtita
omnibus,cum ſuſcitauerit eum à mortuis. [k] Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum:quidã qui-
dem irridebant, quidam vero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit de medio eorum.
Quidam vero viri adhærentes ei crediderunt: in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Da-
maris,& alij cum eis.

SCHOLIA.

[a] Incitabatur ſpiritus eius in ipſo.] παρωξύνετο *excandeſcebat,irritabatur.Vnde* παροξυσμὸς, *quod verbum poſitum eſt in illo diſceſſu Pauli à Barnaba:non ergo ibi ſignificat iram,ſed excitationem quandam, ac Zelum.* [b] Quid vult ſpermologus hic dicere?] *Hi tanquam inflati ſcientia,contemnebant Paulum,appellantes ſpermologum,quaſi ſeminilegum.Eſt enim auis ſic appellata,parua,& vilis,neque eſui apta neque ad delectandum,ſolita in triuijs cadẽtia ſemina legere.Ex hoc, nullius precij homines ſpermologos appellare conſueuerunt.* [c] Quaſi ſuperſtitioſiores.] δεισιδαιμονεστέρους*:nam* δεισιδαίμων *dicitur:quaſi* δεδιὼς τὰ δαιμόνια, *hoc eſt metuens dæmonia & omnia colens, & lapidem & lignum & ſpiritum.* [d] Ignoto Deo.] *Duas cauſas memorant huius inſcriptionis.Aiunt enim. Philippidem quendam miſſum ab Athenienſibus ad Lacedæmonios pro ineunda ſocietate,cum Perſæ in græciam mouerẽt exercitum:huic in parthenio monte occurriſſe ſpectrum quoddam:Panis illius ſcilicet gentiliũ Dei,qui quereretur,ſe ab Athenięſibus negligi, cæteros autem Deos coli,& pollicitus eſt ſe opitulaturum.Parta ergo victoria,huic templum erexerũt, & aram conſtruxerũt, & cauentes ne quid tale in poſterum paterentur,prætermiſſo à ſe aliquo Deo,quem ignorarent,erexerunt & aram illam,ita inſcribentes:Ignoto Deo.Alij vero ſic dicũt:Inuaſiſſe olim Athenienſes peſtilentiam,quæ ita illos incenderet,vt ne tenuiſsima quidem lintea ferre poſſent:Cum autem conſuetos Deos colerent, nihil iuuabantur:cogitarunt ergo, eſſe aliquem fortaſſe Deum,quem ipſi inhonorum reliquiſſent,qui peſtilentiam illam immiſiſſet,quocirca ædificato altari,& inſcripto:Ignoto Deo, & immolantes ei,continuo liberati ſunt.Ferunt autem totam aræ inſcriptionem hanc fuiſſe. Dijs Aſiæ,& Europæ, et Lybiæ,Deo ignoto & peregrino.Arrepta autem ſapientiſsime Paulus hac occaſione,profitetur, ſe hunc ignotum illis Deũ prædicaturum.* [e] Deus qui fecit mundum.] *Ne putarent vnum è Deorum multitudine eſſe hunc Deum, quem ipſe prædicaret,corrigit hoc,& addit non in manufactis templis illum habitare,habitat enim in templis quidem,ſed nõ in iſtis,verum in humana anima,quæ proprie templum eſt Dei:neque enim in templo Hieroſolymorum habitabat,ſed ſigna tantum quædã ſuæ virtutis in eo oſtendebat,neque manibus hominum apud Iudæos colebatur,ſed mente atque animo:quãdoquidem & illa non quærebat ſacrificia,tanquam illis indigens,ait enim,nunquid veſcar taurorum carnibus? aut ſanguinem hircorum potabo? Cogita vero vt vna breui oratione,omnia quæ philoſophi tradebant,euertit,nam ingens erat inter eos controuerſia, de materia,de mundo,Deque ijs,quæ ad mundi curam pertinent,& quæ nunc etiam plebæi ſciunt, ea ignorabant Athenienſes,atque Athenienſium ſapientiſsimi.Ingratum Chriſtianum orbem, qui ſuas diuitias non nouit.* [f] Hic cœli & terræ cum ſit Dominus.] *Non ergo ſunt particulares quidam dæmones,qui partes ac prouincias proprias ſint ſortiti.* [g] Præfinijtq; ſtatuta tempora.] *Præparauerat,inquit,quaſi theatrum quoddam,definitis temporibus ac locis circunſcriptum. per quod quærerent Deum,ſi forte aliquando contrectarent,vt cæci ſolent,quamuis non longe à nobis ſit, cum viuamus in eo, moueamur,& ſimus &c.ſed ignorauerunt ſua inertia homines Deum.qui cum cerneret eos in hac perdurare ignoratione, decreuit nunc hominibus ipſe denuntiare,vt pœnitentiam agant &c.Quod ſi nouam hanc illorum verborum, hoc eſt,præfinijtq; ſtatuta tempora &c.interpretationem negligis:accipe vetuſtiora,ſic definiuit, inquit,vt quærerent Deum, ſed non ſemper hoc definiuit,ſed præſtitutis temporibus:indicans quòd nunc non quærentes inuenerunt. Quoniam enim quærentes non inuenerunt,oſtendit eum tamen fuiſſe manifeſtum,ſicut cum quid in medio poſitum contrectatur, non enim hic quidem erat cœlum,& alibi non,aut vno tempore quidem ſed nõ alio,vt quouis tempore, & quibuſuis locis potuiſſet inueniri: quãuis inquit,non longe ab vnoquoque noſtrum ſit,nam ita prope eſt,vt ſine eo non viuamus,in ipſo enim viuimus & mouemur & ſumus,tanquàm in corporeo exemplo,ſicut non poſſumus ignorare aerem ita vbique diffuſum,vt in ipſo ſpiremus,ipſe nos circunſtet,& intra nos etiam ſit:ſic habemus à Deo vt ſimus, vt viuamus,vt agamus.Et hemiſtichium Arati producit,* Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν, *hoc eſt,nam et huius genus ſumus.Et Paulus quidem interpretatur de artifice omniũ Deo:quàmuis illi de Ioue dictum ferant,non idem quod ille dicens,ſed hac proprie in Deum conuenire aſſerens.Sic genus Dei nos eſſe dicit Paulus,non eo ſenſu quo illi,ſed alio, quòd ſcilicet ſimus familiares ac proximi.* [h] Genus ergo cum ſimus Dei.] *Si*
nos

nos genus (inquit) sumus Dei, cur existimemus numen ipsum diuinum inferius aliquid nobis esse, aut ab homine excogitatum? [i] Et tempora quidem huius ignorantię.] *Deus, inquit, qua est benignitate, dissimulare vult, quæ hactenus homines egerunt, tantum vt nunc proposita hac veritate, pœniteat eos ignorationis huius tantæ: nam decreuit iudicare orbem terræ per eum, quem vobis nunc prædico, cuius rei hac Deus fidem facit, quod suscitauit eum à mortuis.* [k] Cum audissent autem resurrectionem mortuorum.] *Hactenus permissum erat Paulo perpetua vti oratione: nam in eo loco, vbi dictum est Deum fecisse mundum, ne verbum illi quidem: de hominum origine, tantudem: de prouidentia & cura, qua de nobis cogitat Deus, aut cur tot seculis errare passus sit genus hominum, breuiterque de cæteris, quæ apud illos prima sunt, perpetuum silentium. At vero, vbi adiectum est, cum excitarit illum ex mortuis: quid? cum audissent inquit, resurrectionem mortuorum, alij quidem irridebant, alij vero dixerunt audiemus te de hoc iterum. Perinde quasi maius hoc opus esset, quàm totius mundi fabricatio, perinde sunt admirati, ita abstrusa erat tum veritas, & tenebris circumuoluta densissimis.*

CAPVT XVIII.

POst hęc Paulus digressus Athenis, venit Corinthum: & inueniens quendam Iudæum nomine Aquilã, Põticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam vxorem eius, eò quòd præcepisset Claudius discedere omnes Iudæos à Roma: accessit ad eos. Et quia eiusdem erat artis, manebat apud eos & operabatur: erant autem scenofactorię artis. Et disputabat in synagoga per omne sabbatũ, suadebatq; Iudæis & Græcis. Cum venissent aũt de Macedonia Silas & Timótheus, coarctabatur spiritu Paulus, testificans Iudæis esse CHRISTVM IESVM. Contradicentibus autem eis & blasphemantibus, excutiens vestimẽta sua, dixit ad eos: [a] Sanguis vester super caput vestrum. Mundus ego ex hoc ad gentes vadam. Et migrans inde, intrauit in domum cuiusdam, nomine Iusti, colentis Deum, cuius domus erat coniuncta synagogæ. Crispus autem archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua: & multi Corinthiorũ audientes credebãt, & baptizabantur. Dixit autem Dominus nocte per visionem Paulo: Noli timere: sed loquere, & ne taceas, propterea q̃ ego sum tecum: & nemo adorietur te, vt affligat te, quoniam populus est mihi multus in hac ciuitate. Sedit autem ibi annum & sex menses, docens apud eos verbum Dei. Gallione autem proconsule Achaiæ, insurrexerunt vno animo Iudæi in Paulum, & adduxerunt eum ad tribunal, dicentes: Contra legem hic suadet hominibus colere Deum. Incipiente autem Paulo aperire os, dixit Gallio ad Iudæos: Siquidem esset iniquum aliquid aut facinus pessimum: ò viri Iudæi, recte vos sustinerẽ, si vero quæstiones sunt de verbo & nominibus legis vestræ, vosipsi videritis, iudex ego horum nolo esse. Et expulit eos à tribunali. Apprehẽdentes autem omnes Græci Sosthenem principẽ synagogæ, percutiebant eum ante tribunal: & nihil corũ Gallioni curæ erat. Paulus vero cum adhuc sustinuisset dies multos, fratribus valefaciens, nauigauit in Syriam, & cum eo Priscilla & Aquila, qui sibi totonderat in Cenchreis caput: habebat enim votum. Deuenitq; Ephesum, & illos ibi reliquit. Ipse vero ingressus synagogam, disputabat cum Iudæis. Rogantibus autem eis, vt ampliori tempore maneret, non consensit, sed valefaciens & dicẽs: Oportet omnino me festum, quod instat, agere Ierusalem: sed iterum reuertar ad vos, Deo volente: profectus est ab Epheso. Et descendens Cæsaream ascendit, & salutauit ecclesiam: & descendit Antiochiam. Et facto ibi aliquanto tempore, profectus est, perambulans ex ordine Galatiam regionem & Phrygiam, confirmans omnes discipulos. [b] Iudęus autem quidam: Apollos nomine, Alexandrinus genere, vir eloquens, deuenit Ephesum, potens in scripturis. Hic erat edoctus viã Domini, & feruens spiritu, loquebatur & docebat diligenter ea quæ sunt Domini, scien s tantum baptisma Ioánis. Hic ergo cœpit fiducialiter agere in synagoga. Quem cum audissent Priscilla & Aquila, assumpserunt eum, & diligentius exposuerunt ei viam Domini. Cum autem vellet ire Achaiam, exhortati fratres, scripserunt discipulis, vt susciperent eum. Qui cum venisset, contulit multũ his, qui crediderant per gratiam. Vehementer enim Iudæos reuincebat publice, ostendens per scripturas, esse CHRISTVM IESVM.

SCHOLIA.

[a] Sanguis vester super caput vestrum.] *Quod ait, tale est. Vnusquisque à Christo deficiens, qui vita est, ipse se interficere videtur, à vita ad mortem transiens, & sanguinem suum quodammodo effundendo se ipse interficit.* [b] Iudæus autem quidam Apollos nomine.] *Quidam ferunt hunc esse Apellem Corinthiorum episcopum, de quo Paulus alibi ait: ego plantaui, Apollo rigauit, factamq; esse mutationem literarum.*

CAPVT XIX.

FActum est autem cũ Apollos esset Corinthi, vt Paulus peragratis superioribus partibus veniret Ephesum & inueniret quosdam discipulos: dixitq; ad eos: Si spiritum sanctum accepistis credentes? At illi dixerunt ad eũ: Sed neq; si spiritus sanctus est, audiuimus. Ille vero ait: In quo ergo baptizati estis? Qui dixerunt: in Ioannis baptismate. Dixit autem Paulus: [a] Ioannes baptizauit baptismo pœnitentiæ, populo dicens: in eum qui venturus esset post ipsum, vt crederent, hoc est, CHRISTVM IESVM. His auditis, baptizati sunt in nomine Domini IESV. Et cum imposuisset illis manus Paulus, venit spiritus sanctus super eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erat autem omnes viri ferè duodecim. Introgressus autem synagogam, cum fiducia loquebatur per tres menses, disputans & suadẽs de regno Dei: Cum autem quidam indurarentur & non crederent: maledicentes viam Domini coram multitudine, discedens ab eis, segregauit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennium: ita vt omnes qui habitabant in Asia audirent verbum Domini, Iudæi atq; Gentiles. Virtutesq; non vulgares faciebat Deus per manus Pauli: ita vt etiam super languidos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinctia, & recedebant ab eis langores, & spiritus nequã egrediebãtur. Tentauerunt aũt quidã & de circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen Domini IESV, dicentes: Adiuramus vos per IESVM, quem Paulus prædicat. Erant autem cuiusdam Iudæi, nomine Sceuæ, principis sacerdotum, septem filij, qui hoc faciebant. Respondens autem spiritus nequam, dixit eis, IESVM noui, & Paulũ scio:

Matt. 3.c

scio: vos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat spiritus malus, & dominatus eis, inualuit contra eos, ita vt nudi & vulnerati effugerent de domo illa. Hoc autem notum factum est omnibus Iudæis atq; Gentilibus qui habitabant Ephesi: & cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini IESV. Multiq; credentium veniebant confitentes & annuntiantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus: & computatis pretijs illorum, inuenerunt pecuniæ quinquaginta millia. Ita fortiter crescebat verbum Dei, & confirmabatur. His autem expletis, proposuit Paulus in spiritu, transita Macedonia & Achaia, ire Ierosolymam, dicens: Postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre. Mittẽs autem in Macedoniam duos ex ministrantibus sibi, Timótheũ & Erastum, ipse remansit ad tempus in Asia. Facta est autem illo tempore turbatio non exigua, de via Domini. Demetrius enim quidam nomine, argentarius: faciens ædes argẽteas [b] Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos conuocans, & eos qui huiusmodi erant opifices, dixit: Viri scitis, quòd de hoc artificio est nobis acquisitio: & videtis & auditis, q̃ nõ solũ Ephesi, sed penè totius Asiæ, Paulus hic suadens, auertit multam turbam, dicens, quòd non sunt dij qui manibus fiunt. Non solum autem periclitatur nobis pars in redargutionem venire, sed & magnæ Dianæ tẽplum in nihilum reputabitur, & destrui incipiet maiestas eius, quã tota Asia, & orbis colit. His auditis, repleti sunt ira, & exclamauerũt, dicẽtes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est ciuitas tota confusione, & impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Gaio & Aristarcho Macedonibus, comitibus Pauli. Paulo autem volente intrare in populum, non permiserunt discipuli. Quidam autem & de Asiæ principibus, qui erant amici eius, miserunt ad eum, rogãtes, ne se daret in theatrum. Igitur alij quidem aliud clamabant. Erat enim ecclesia confusa: & plures nesciebant qua ex causa conuenissent. De turba autem protraxerunt Alexandrum, propellentibus eum Iudęis. Alexander autem manu silentio postulato, volebat reddere rationem populo. Quem vt cognouerunt Iudæum esse, vox facta vna est omnium quasi per horas duas clamantium: Magna Diana Ephesiorum. Et cum sedasset scriba turbas, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorum ciuitatem [c] cultricem esse magnæ Dianæ, & à Ioue delapsi simulachri? Cum ergo his contradici nõ possit, oportet vos sedatos esse, & nihil temere agere. Adduxistis enim homines istos neq; sacrilegos, neq; blasphemantes Deam vestram. Quòd si Demetrius, & qui cum eo sunt artifices habent aduersus aliquem causam, conuentus forenses aguntur, & procõsules sunt: accusent inuicem. Siquid autem alterius rei quæritis: in legitima ecclesia poterit absolui. Nam & periclitamur argui seditionis hodiernæ, cum nulla subsit causa, ob quã possimus reddere rationem concursus istius. Et cum hæc dixisset, dimisit ecclesiam.

SCHOLIA.

[a] Ioannes baptizauit.] *Hic ostenditur imperfectum fuisse baptismum Ioannis in ijs, qui nõ essent baptizati eius nomine, quem venturum prædicabat: eo circo ait baptismum pœnitentiæ fuisse, non remissionis.* [b] Dianę.] *Non illius venatricis, sed quæ πολύμαστος vocabatur, quasi multimamia, vt videretur esse naturæ educatrix.* [c] Cultricem esse magnę Deæ Dianæ, & à Ioue delapsi simulachri.] *Simulachrum illud διοπετες dicebatur quasi ἐκ τοῦ διὸς πεπτωκός, hoc est, à Ioue delapsum, vel περὶ τὸν διος περφθενὴ καταπτὰν, hoc est a Ioue demissum, aut deuolans. Sic fabulabantur gentiles, ad terrendos simpliciores, demissum è cœlo simulachrum.*

CAPVT XX.

POstquam autem cessauit tumultus, vocatis Paulus discipulis complexus est illos, & profectus est, vt iret in Macedoniam. Cum autem perambulasset partes illas, & exhortatus eos fuisset multo sermone, venit ad Græciam: vbi cum fuisset menses tres, factæ sunt illi insidię à Iudęis, nauigaturo in Syriam: habuitq; consilium, vt reuerteretur per Macedoniam. Comitatus est autem eum vsque ad Asiam Sopater Berrhœensis: Thessalonicensium vero Aristarchus, & Secundus, & Caius Derbæus, & Timótheus: Asiani vero Tychicus & Trophimus. Hi cum præcessissent, expectarunt nos Troade: nos vero nauigauimus post dies azymorum à Philippis, & venimus ad eos Troadem in diebus quinq;, vbi demorati sumus diebus septem. Vna autem sabbatorum cum conuenissent discipuli ad frangendum panem: Paulus disserebat eis profecturus postridie, protraxitq; sermonem vsq; in mediam noctem. Erant autem lampades multę in cœnaculo, vbi eramus congregati. Sedens autem quidam adolescẽs, nomine Eutychus super feneſtram, cum mergeretur somno graui, disputante diu Paulo, ductus somno, cecidit de tertio cœnaculo deorsum, & sublatus est mortuus. Ad quem cum descendisset Paulus, incubuit super eum & cõplexus, dixit: Nolite turbari: anima enim ipsius in ipso est. Ascendens autem, frangẽsq; panem & gustans, satisq; allocutus vsque in lucem, sic profectus est. Adduxerunt autem puerum viuentem: & recreati sunt non mediocriter. Nos autem ascendentes nauem, nauigauimus in Asson, inde suscepturi Paulũ: Sic enim disposuerat, ipse per terram iter facturus. Cum aũt cõuenissemus in Asson, assumpto eo, venimus Mitylenem. Et inde nauigãtes, sequẽti die venimus contra Chiũ & alia die applicuimus Samum: & commorati Trogylij, sequenti die venimus Miletum: proposuerat enim Paulus præternauigare Ephesum, ne qua mora illi fieret in Asia. Festinabat enim, si possibile sibi esset, vt die pentecostes faceret Ierosolymis. A Mileto autem mittens Ephesum, vocauit presbyteros ecclesiæ. Qui cum venissent ad eum, dixit eis: [a] Vos scitis à prima die qua ingressus sum in Asiam, qualiter vobiscũ per omne tempus fuerim, seruiens Domino cum omni humilitate, & lachrymis, & tentationibus quæ mihi acciderũt ex insidijs Iudęorum: quomodo nihil subtraxerim vobis vtilium, quominus annuntiarem vobis et docerem vos publice & per domos, testificans Iudæis atque Gentilibus, in Deum pœnitẽtiam & fidem in Dominum nostrum IESVM CHRISTVM. Et nunc ecce ego alligatus spiritu, vado in Ierusalem: quę in ea ventura sunt mihi, ignorans: nisi quòd spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens, quòd vincula & tribulationes me manent. Sed nihil horum vereor: nec facio animam meam pretiosam mihi, dummodo

consumem

consummem cursum meum cum gaudio,& ministerium quod accepi à Domino IESV, testificari euangelium gratię Dei. Et nunc ecce ego scio quòd amplius non videbitis faciem meam vos omnes,per quos transiui, prædicans regnũ Dei. Quapropter contestor vos hodierna die,quòd mundus sum à sanguine omnium. Non enim subterfugi, quo minus annuntiarem omne consilium Dei vobis. Attendite igitur vobis & vniuerso gregi,in quo [b] vos spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo. Ego enim scio q; intrabunt post discessionem meam lupi graues in vos, non parcentes gregi. Et ex vobismetipsis exurgent viri loquentes peruersa,vt abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes,q; per triennium nocte & die non cessaui cum lachrymis monere vnumquemq; vestrum. Et nunc commendo vos fratres Deo & verbo gratiæ ipsius, qui potens est ædificare, & dare vobis hæreditatem inter sanctificatos omnes. Argentum & aurum,aut vestem nullius concupiui. Sed ipsi scitis,q; ad ea, quæ mihi opus erant,& his,qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ. Omnia ostendi vobis, q; sic laborantes oportet suscipere infirmos,ac meminisse verbi Domini IESV, quoniam ipse dixit: Beatũ est dare magis quàm accipere. Et cum hæc dixisset,positis genibus suis orauit cum omnibus illis. Magnus autem fletus factus est omnium:& procumbentes super collum Pauli,osculabantur eum,dolentes maxime in verbo quod dixerat, q; amplius faciem eius non essent visuri. Et deducebant eum ad nauem.

1.Cor.4.c
1.Thes.2.b
2.Thes.3.b

SCHOLIA.

[a] Vos scitis à prima die.] *Qui ignorat,quodnam sit episcopi,& eius,cui credita sit animarum cura, munus, videat hic,quid egisse se Paulus dicat: Inuenies non solum humilitatem,sed omnem humilitatem,multas lachrymas,tentationes,insidiarum perpessionem,constantiam in eo,quòd nũquam se subduxit,perpetuum docendi laborẽ & publice & priuatim,&c.*
[b] Vos spiritus sanctus posuit episcopos.] *Ex hoc loco,& ex epistola ad Titum, & Philippenses, & ad Timótheum prima,colligitur episcopos eosdem esse,qui appellantur presbyteri, cum enim supra dixisset, iussisse Paulum vocari presbyteros, nunc eosdem episcopos appellat.*

CAPVT XXI.

CVm autem factum esset vt nauigaremus:abstracti ab eis, recto cursu venimus Coum, & sequenti die Rhodum,& inde Pataram. [a] Et cum inuenissemus nauem transfretantem in Phœnicen, ascẽdentes nauigauimus. Cum aperuissemus autem Cyprum, relinquẽtes eam ad sinistram, nauigauimus in Syriam,& venimus Tyrum:ibi enim nauis expositura erat onus. Inuentis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem,qui Paulo dicebant per spiritum,ne ascenderet Ierosolymã. Et expletis diebus, profecti ibamus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filijs, donec exissemus ciuitatem : & positis genibus in littore, orauimus. Et cum vale fecissemus inuicem,ascendimus nauem,illi autem redierunt in sua. Nos vero nauigatione expleta,à Tyro descendimus Ptolemaidam:& salutatis fratribus, mansimus die vna apud illos. Postridie vero nos,qui eramus cum Paulo venimus Cæsaream. Et intrantes domum Philippi euangelistæ, qui erat vnus de septem,mansimus apud eum. Huic autem erant [b] quatuor filiæ virgines,prophetantes. Et cum moraremur per dies aliquot,superuenit quidam vir à Iudæa,propheta,nomine Agabus. Is cum venisset ad nos, tulit zonam Pauli,& alligans sibi pedes & manus,dixit: Hæc dicit spiritus sanctus:virum cuius est zona hæc, sic alligabunt in Ierusalem Iudæi,& tradent in manus gentium: Quod cum audissemus , rogabamus nos,& qui loci illius erant,ne ascenderet Ierosolymam. Tunc respondit Paulus,& dixit : Quid facitis flentes & affligentes cor meum ? Ego autem non solum alligari,sed & mori in Ierusalem paratus sum propter nomen Domini IESV. Et cum ei persuaderi non possemus,quieuimus,dicentes,Domini voluntas fiat. Post dies autem istos sublatis sarcinis ascendebamus in Ierusalem. Venerunt autem quidam ex discipulis a Cæsarea nobiscum,adducentes secum (apud quem hospitaremur) Mnasonem quendam Cyprium , antiquum discipulum. Et cum venissemus Ierosolymam,libenter exceperunt nos fratres. Sequẽti autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacõbum,omnesq; collecti sunt seniores. Quos cum salutasset,narrabat per singula,quæ Deus fecisset in gentibus per ministerium ipsius. At illi cum audissent,glorificabant Deum, dixeruntque ei: Vides frater quot milia sunt in Iudæis qui crediderunt : & omnes æmulatores sunt legis? Audierunt autem de te,q; discessionem doceas à Moyse,eos,qui per gentes sunt Iudæos,dicens non debere eos circuncidere filios suos, neque secundum consuetudinem ingredi. Quid ergo est ? Vtique oportet conuenire multitudinem:audient enim te superuenisse. Hoc ergo fac, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor,votum habentes super se. His assumptis sanctifica te cum illis : [c] & impende in illis , vt radant capita : & scient omnes , quod quæ de te audierunt,nihil sunt; sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autem , qui crediderũt ex gentibus nos scripsimus , iudicantes nequid huiusmodi obseruent , nisi vt abstineant se ab idõlis immolato , & sanguine, & suffocato , & fornicatione. Tunc Paulus assumptis viris postera die purificatus cum illis intrauit in templum , annuntians expletionem dierum purificationis , donec offerretur pro vnoquoque eorum oblatio. Dum autem septẽ dies consummarentur,hi qui de Asia erant Iudæi,cum vidissent eum in templo, concitauerunt omnem populum,& iniecerunt ei manus,clamantes : Viri Israelitæ, adiuuate:hic est homo , qui aduersus populum & legem & locum hunc,omnes vbique docens , insuper & gentiles induxit in templum , & violauit sanctum locum istum. Viderant enim Trophimum Ephesium in ciuitate cum ipso , quem existimauerunt,quòd in templum introduxisset Paulus. Commotaq; est ciuitas tota : & facta est concursio populi. Et apprehendentes Paulum,trahebant eum extra templum : & statim clausæ sunt ianuæ. Quærẽtibus autem illis eum occidere:nuntiatum est tribuno cohortis,q; tota confunderetur Ierusalem. Qui statim assumptis militibus & centurionibus , decucurrit ad illos . Qui cum vidissent tribunum & milites , cessauerunt percutere Paulum. Tunc accedens tribunus apprehendit eum,& iussit eum alligari catenis duabus : & interrogabat quis esset,& quid fecisset. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non posset certum cognoscere

Supra.6.b

gnoscere præ tumultu,iussit duci eum in castra. Et cum venisset ad gradus, cõtigit, vt portaretur à militibus propter vim populi. Sequebatur enim multitudo populi clamans, Tolle eum. Et cum cœpisset induci in castra Paulus,dicit tribuno: Si licet mihi loqui ad te ? Qui dixit ei, Græce nosti ? Nónne tu es ille Ægyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti,& eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum ? Et dixit ad eum Paulus: Ego homo sum quidem Iudæus à Tharso Ciliciæ, non ignotæ ciuitatis municeps. Rogo autem te, permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permisisset , Paulus stans in gradibus , annuit manu ad plebem,& magno silentio facto,allocutus est lingua Hebræa, dicens.

SCHOLIA.

[a] Et cum inuenissemus nauim.] *Quod dicit,hoc est: non inuenta naui,quæ iret Cæsareã,sed phœnicem, ascendimus in eam,& reliquimus Cyprum & Syriam,nam reliquisse eam ad sinistram,nõ simpliciter dictum est, sed ne Vicini quidem Syriæ fieri curabant, Venerunt igitur in Lyciam,& relicta Cypro,Tyrum adnauigauerunt. Sic habent quædam græca scholia.* [b] Quatuor filiæ virgines.] *Ostendit eas studio pietatis exercuisse virginitatem, alioqui non fuissent necesse addere, virgines,sed hoc adiectum est in commendationem , quodque ab ipso initio prædicationis euangelicæ, capta est exerceri vita ἐυαγγελικοσ.* [a] Et impende in illis.] *Hoc est, allatas pro eis hostias secundum legem tu offer, vt suspitionem dissoluas.*

CAPVT XXII.

VIri,fratres & patres,audite quam ad vos nunc reddo rationem. Cum audissent autem quòd Hebræa lingua loqueretur ad illos,magis præstiterunt silentium. Et dicit: Ego sum vir Iudęus, natus in Tharso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate secus pedes Gamalielis, eruditus accurate in patria lege , sectator Dei,sicut & vos omnes estis hodie,qui hanc viam perfectus sum vsq; ad mortem, alligans & tradens in custodias viros ac mulieres,sicut & princeps sacerdotum mihi testimonium reddit,& omnes maiores natũ: à quibus & epistolas accipiens ad fratres, Damascum pergebam,vt adducerem eos , qui illic erant vinctos in Ierusalem,vt punirentur. Factum est autem eunte me & appropinquante Damasco media die , subito de cœlo circunfulsit me lux copiosa, & decidens in terram, audiui vocem dicentẽ mihi: Saul Saul,quid me persequeris ? Ego autem respondi: Quis es Domine? Dixitq; ad me: Ego sum IESVS Nazarenus, quẽ tu persequeris. Et qui mecum erant,lumen quidem viderunt & territi sunt: [a] vocem autem non audierũt eius, qui loquebatur mecum. Et dixi: Quid faciam Domine ? Dominus autem dixit ad me: Surgens vade Damascum: & ibi tibi dicetur de omnibus quæ te oporteat facere. Et cum non viderẽ præ claritate luminis illius, ad manum deductus à comitibus,veni Damascum. Ananias autem quidam , vir pius secundum legem , testimonium habens ab omnibus cohabitantibus Iudæis,veniens ad me & stãs,dixit mihi: Saul frater, recipe visum, & ego eadem hora aspexi in eum. At ille dixit: Deus patrum nostrorum præordinauit te, vt cognosceres voluntatem eius,& videres iustum,& audires vocem ex ore eius: quia eris testis illius ad omnes homines, eorum quæ vidisti & audisti. Et nunc quid moraris ? Exurge & baptizare,& ablue peccata tua inuocato nomine Domini. Factum est autem cum reuersus essem Ierusalẽ, & orarem in templo, vt raperer extra me , & viderem illum dicentem mihi: Festina,& exi velociter ex Ierusalem,quoniam non recipient testimonium tuũ de me. Et ego dixi: Domine,ipsi sciunt quod ego eram concludens in carcerem,& cædẽs per synagogas eos,qui credebant in te:& cum funderetur sanguis Stephani testis tui,ego astabam & consentiebam morti eius,& custo diebam vestimenta interficientium illum. Et dixit ad me: Vade, quoniam ego in nationes longe mittam te. [b] Audiebant autem eum vsq; ad hoc verbum,& leuauerunt vocem suam, dicentes: Tolle de terra huiusmodi hominem: non enim fas est eum viuere: Vociferãtibus autem eis,& proijcientibus vestimenta sua , & puluerem iactãtibus in aerem, iussit tribunus induci eum in castra,& flagellis examinari eum : vt sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Et cum astrinxisset eum loris,astanti sibi centurioni Paulus dixit: Si hominem Romanum & indemnatum licet vobis flagellare ? Quo audito , centurio accessit ad tribunum & nuntiauit ei,dicens: Quid acturus es ? Hic enim homo,ciuis Romanus est. Accedens autẽ tribunus, dixit illi: Dic mihi,si tu Romanus es ? At ille dixit: Etiam. Et respondit tribunus: Ego multa summa ciuilitatem hanc consecutus sum. Et Paulus ait: Ego autem et natus sum. Protinus ergo discesserunt ab illo,qui eum torturi erant. Tribunus quoque timuit postquam resciuit,quòd ciuis Romanus esset,& quòd alligasset eum . Postera autẽ die,volens scire diligentius,qua ex causa accusaretur á Iudæis,soluit eum à vinculis , & iussit principes sacerdotum conuenire,& omne concilium: & producens Paulum,statuit inter illos.

SCHOLIA.

[a] Vocem autem non audierunt.] *Cur ergo superius ait, audientes quidem vocem,neminem autem videntes ? Illic ait,eos audisse vocem,scilicet Pauli,qui loqueretur quidem,at illi neminem videbant,cum quo loqueretur, hic autem ipse se aperit,cum ait: Vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mihi.* [b] Audiebant autem eum vsque ad hoc verbum.] *Perstiterunt dum hæc omnia narrarentur,in quibus tamen Christi maiestas elucebat , at non potuerunt ferre verbum hoc,quod mittendus esset ad exteras gentes,ad prædicandum Christi nomen,quamuis illud persequerentur. Cæcam profecto gentem,& inuidam.*

CAPVT XXIII.

INtendens autem in concilium Paulus,ait: Viri fratres,ego omni conscientia bona conuersatus sum ante Deum vsq; in hodiernum diem. Princeps autem sacerdotum Ananias,præcepit astantibus sibi, percutere os eius. Tunc Paulus dixit: ad eum: [a] Percutiet te Deus,paries dealbate. Et tu sedes iudicans me secundum legem,& contra legem iubes me percuti. Et qui astabant, dixerunt: Summum sacerdotem Dei maledicis ? Dixit autem Paulus: [b] Nesciebam fratres,quòd princeps esset sacerdotum. Scriptum est enim: Principẽ populi tui non maledices. Sciens autem Paulus, quòd vna pars esset Sadducæorum , & altera Pharisæorum, exclamauit in cõcilio: Viri fratres, ego Pharisæus sum,filius Pharisæi, [c] de spe & resurrectione mortuorum ego

Exod.22.d
Philip.3.b

ego iudicor. Et cum hęc dixisset, facta est dissensio inter Pharisęos, & Sadduceos, & diuisa est multitudo. Sad-
Matt.22.c ducei. n. dicũt nõ esse resurrectionẽ mortuoꝝ, neq; angelũ, neq; spiritũ: Pharisęi aũt vtraq; cõfitẽtur. Factus est aũt clamor magnus, & exurgẽtes scribæ de factione Pharisęoꝝ, pugnabãt dicẽtes: Nihil mali inuenimus in homine isto, quod si spiritus locutus est ei, aut angelus, ne repugnemus Deo. Et cũ magna dissensio facta C esset, timẽs tribunus, ne discerperetur Paulus ab ipsis, iussit milites descẽdere & rapere eũ de medio eorum, ac deducere eũ in castra: sequenti aũt nocte, assistẽs ei Dñs ait: Cõstãs esto Paule: sicut enim testificatus es de me in Ierusalẽ, sic te oportet & Romę testificari. Facta aũt die, collegerunt se quidã ex Iudæis, & deuouerunt se, dicẽtes: neq; mãducaturos, neq; bibituros, donec occiderẽt Paulũ. Erãt aũt plus, q̃ quinquaginta viri, qui hãc cõiurationẽ fecerãt: qui accesserũt ad principes sacerdotũ & seniores & dixerũt: Deuotione deuouimus nos, D nihil gustaturos, donec occidamus Paulũ. Nũc ergo vos notũ facite tribuno & concilio, vt cras producat illũ ad vos tanq̃ aliquid certius cogniturí de eo. Nos vero prius, q̃ appropinquet, parati sumus interficere illũ. Cũ aũt audisset filius sororis Pauli insidias, venit & intrauit ĩ castra, nũtiauitq; Paulo. Vocãs aũt Paulus ad se vnũ ex centurionibus, ait: Adolescẽtẽ hũc duc ad tribunũ: habet enim aliquid indicare illi: Et ille quidẽ assumens eũ, duxit ad tribunũ, & ait: Vinctus Paulus rogauit me, hũc adolescẽtẽ perducere ad te, habentẽ aliquid loqui E tibi. Apprehẽdẽs aũt tribunus manũ illius, secessit cũ eo seorsum, & interrogauit illum: Quid est quod habes indicarẽ mihi? Ille aũt dixit: Iudæi cõspirarũt, vt rogarẽt te, vt crastina die producas Paulũ in cõciliũ, quasi ali quid certius inquisituri sint de illo, tu vero ne credideris illis: insidiãtur. n. ei ex eis viri amplius quã quadraginta: qui se deuouerũt nõ mãducare, neq; bibere, donec interficiãt eũ: & nũc parati sunt, expectãtes promis-
F sum tuũ. Tribunus igitur dimisit adolescẽtẽ, præcipiẽs ei ne cui loqueretur, q̃ hæc nota sibi fecisset. Et vocatis duobus centurionibus dixit illis: Parate milites ducẽtos, vt eãt vsq; Cæsareã, & equites septuaginta, & lãcearios ducẽtos, à tertia hora noctis, & iumẽta prębete, vt imponẽtes Paulũ, saluũ perducãt ad Felicẽ præsidem, scriptis literis in hãc formã. CLAVDIVS Lysias, optimo præsidi Felici salutẽ. Virũ hũc cõprehẽsum à Iudęis, & iã interficiẽdũ ab eis, superueniẽs cũ exercitu, eripui, cognito q̃ Romanus esset: volẽsq; scire causam
Supra.21.c quã obijciebãt illi, deduxi eũ in cõciliũ eoꝝ. Quẽ inueni accusari de quæstionibus legis ipsoꝝ: nullũ vero di-G gnum morte, aut vinculis habentem crimen. Et cum mihi perlatum esset de insidijs, quas parauerãt illi, protinus misi eum ad te, denuntians & accusatoribus, vt dicant apud te: Vale. Milites vero, secundum præceptũ sibi, assumentes Paulũ, duxerunt per noctem Antipatridem. Et postera die dimissis equitibus, vt cum eo irẽt,
Supra.23.b reuersi sunt ad castra. Qui cum venissent Cæsaream, & tradidissent epistolam præsidi, statuerunt ante illum & Paulum. Cum legisset autem, & interrogasset de qua prouincia esset: & cognoscens quòd de Cilicia: Audiam te (inquit) cum accusatores tui venerint. Iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum.

SCHOLIA.

a Percutiet te Deus paries dealbate.] *Non hic reddit malum pro malo, neque conuitium pro conuitio, non enim indignationis sunt verba, sed ad negocium prædicationis non pertinebat, vt ita coram tribuno & toto populo contemneretur.*

b. Nesciebam fratres.] *Neque id mirum, qui tot annis abfuerit. Nam & si superius dixerat, summum sacerdotem sibi testem esse eorum, quæ diceret, intelligit eum, qui tumerat, cum Paulus persequeretur Christianos.* c De spe & resurrectione mortuoꝝ ego iudicor.] *Dum scilicet prædicaret Christum surrexisse à mortuis.*

CAPVT XXIIII.

POst quinq; aũt dies descẽdit princeps sacerdotũ Ananias, cũ senioribus & Tertullo quodã oratore, qui A adierunt præsidẽ aduersus Paulũ. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullus, dicẽs: Cũ in multa pace agamus per te, & multa recte gerãtur in gẽte hac p tuã prouidẽtiã: semp & vbiq; cõprobamus, optime Felix, cũ omni gratiaꝝ actione. Ne diutius aũt te protrahã, oro te, vt breuiter audias nos pro tua clemẽtia. Inue-
B nimus hũc hominẽ pestiferũ, & cõcitantẽ seditionẽ omnibus Iudæis in vniuerso orbe, & authorẽ sectę Nazarenorũ, qui ẽt tẽplũ violare conatus est: quẽ & apprehẽsum voluimus secũdũ legẽ nostrã iudicare. Superueniẽs aũt tribunus Lysias, cũ vi magna eripuit eũ de manibus nostris, iubẽs accusatores eius ad te venire, à quo poteris ipse iudicãs de oĩbus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eũ. Adiecerũt aũt & Iudei, dicẽtes hęc C ita se habere. Respõdit aũt Paulus, annuẽte sibi præside dicere: Ex multis annis te esse iudicẽ gẽti huic sciens, bono animo pro me satisfaciã. Potes enim cognoscere q̃ nõ plures sunt mihi dies q̃ duodecim, ex quo ascẽdi adorare in Ierusalẽ: & neq; in tẽplo inuenerũt me cũ aliquo disputãtẽ, aut cõcursum faciẽtẽ turbæ: neq; in sy-D nagogis: neq; in ciuitate: neq; probare possunt tibi, de quibus nũc me accusant. Cõfiteor aũt hoc tibi, q̃ secũdũ viã, quã dicũt hæresim, sic deseruio patrio Deo, credẽs oĩbus, q̃ in lege & prophetis scripta sunt: spem habẽs in Deũ, quã & hi ipsi expectãt, resurrectionẽ futurã mortuoꝝ, iustoꝝ & iniquoꝝ. In hoc & ipse studeo, sine offendiculo cõscientiã habere ad Deũ & ad hoĩes semper. Post annos aũt plures, eleemosynas facturus in E gẽtẽ meã veni & oblationes, in quibus inuenerũt me purificatũ in tẽplo, nõ cũ turba, neq; cũ tumultu, quidam ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse & accusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicant si quid inuenerunt in me iniquitatis, cum stem in concilio, nisi de vna hac solummodo voce, qua clamaui inter eos stans: De resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à vobis. Auditis autem his, distulit il-F los Felix, certissime sciens de via hac, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, audiam vos. Iussitq; centurioni custodire eum, & habere requiem, nec quenquam de suis prohibere ministrare ei, aut adire eum. Post aliquot aũt dies veniens Felix cum Drusilla vxore sua, quæ erat Iudæa, vocauit Paulum, & audiuit ab eo fidem, G quæ est in CHRISTVM IESVM. Disputante autem illo de iustitia & castitate & de iudicio futuro, a tremefactus Felix, respondit: Quod nunc attinet, vade, tẽpore aũt opportuno accersam te: simul & sperãs, q̃ pecunia ei daretur à Paulo, vt solueret ipsum, propter qđ & frequẽter accersens eũ, loquebatur cũ eo. Biẽnio aũt expleto accepit successorẽ Felix: Porciũ Festũ. Volẽs aũt gratiã prestare Iudęis Felix, reliquit Paulũ vinctũ.

Scholia.

SCHOLIA.

a Tremefactus fœlix.] *Cernis, vt futuri iudicy memoria, ac mentio, etiam gentilem virum perterrefaciat? sed nihilominus etiam illud obserues, pecuniæ cupiditas quanto ad salutem sit hominibus impedimento: sperabat, inquit, quod pecunia ei daretur à Paulo, nec quærebat instrui potius, quo pacto intrepidus staret ante illud tribunal, cuius appellatio ita eum perterrefecerat, & tanta re neglecta, frequentius accersebat Paulum, lumen illud orbis terræ, & cum eo versabatur ob solam accipiendæ pecuniæ spem.*

CAPVT XXV.

A FEstus ergo cum venisset in prouinciã, post tríduũ ascẽdit Ierosolymã à Cæsarea. Adieruntq; eũ principes sacerdotũ & primi Iudæoꝝ aduersus Paulũ: & rogabãt eũ, postulãtes gratiã aduersus eũ, vt iuberet perduci eũ in Ierusalẽ, insidias intẽdẽtes, vt interficerẽt eũ in via. Festus aũt respõdit, seruari quidẽ Paulũ in Cæsarea, se aũt maturius profecturũ. Qui ergo in vobis (ait) potẽtes sunt, descẽdẽtes simul: si quod est
B in viro crimẽ, accusent eũ. Demoratus aũt inter eos dies amplius, q̃ decẽ descendit Cæsaream: & altera die sedit pro tribunali, & iussit Paulũ adduci. Qui cũ perductus esset, circunsteterũt eũ, qui ab Ierosolyma descẽderant Iudæi, multas & graues causas obijciẽtes cõtra Paulũ, quas nõ poterãt probare, Paulo rationẽ reddente: q̃ neq; in legẽ Iudæoꝝ, neq; in tẽplo, neq; in Cęsarẽ q̃quã peccasset. Festus aũt volẽs gratiã præstare Iudęis,
C respõdẽs Paulo, dixit: Vis Ierosolymã ascẽdere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit aũt Paulus, a Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet iudicari. Iudæis nõ nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignũ morte aliquid feci, non recuso mori: si vero nihil est eoꝝ, de quibus hi accusant me: nemo potest me illis donare. Cæsarem appello. Tũc Festus cũ cõsilio locutus, respõdit: Cæsarẽ appellasti? ad Cęsarẽ ibis. Et cũ dies aliquot
D trãsacti essent, Agrippa rex & Bernice descenderũt Cæsareã ad salutãdũ Festũ. Et cũ dies plures ibi morarẽtur Festus regi indicauit de Paulo, dicẽs: Vir quidã est derelictus à Felice vinctus, de quo cum essem Ierosolymis, adierũt me principes sacerdotũ & seniores Iudæoꝝ postulantes aduersus illũ damnationẽ. Ad quos respõdi: Quòd nõ est Romanis cõsuetudo ob gratiã donare aliquẽ hominẽ, vt pereat prius q̃ is, qui accusatur, præsen-
E tes habeat accusatores, locũq; defendendi accipiat ad abluenda crimina, quę ei obijciuntur. Cũ ergo huc cõuenissent, sine vlla dilatione, in sequẽti die sedẽs pro tribunali, iussi adduci virũ. De quo, cũ stetissent accusatores, nullũ crimen intendebant sup hisce rebus, de quibus ego suspicabar: quęstiones vero quasdã de sua sup stitione habebãt aduersus eũ, & de quodã IESV defuncto, quem affirmabat Paulus viuere. Hæsitans autẽ
F ego de huiusmodi quæstione, dicebam: si vellet ire Ierosolymam, & ibi iudicari de istis. Paulo aũt appellãte, vt seruaretur Augusti cognitioni, iussi seruari eũ, donec mitterẽ eũ ad Cæsarẽ. Agrippa aũt dixit ad Festum: Volebam & ipse hominẽ audire. Cras (inquit) audies eũ. Postero aũt die cũ venissent Agrippa & Bernice cũ multa ambitione, & introissent in auditoriũ cũ tribunis & viris principalibus ciuitatis, iubente Festo, addu-
G ctus est Paulus. Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes, qui simul adestis nobiscũ viri, videtis hũc hominẽ, de quo omnis multitudo Iudæoꝝ interpellauit me & Ierosolymis & hic, petẽtes & acclamantes, non oportere eum viuere amplius. Ego vero comperi, nihil dignũ morte eũ admisisse. Ipso autem hoc appellante ad Augustum, iudicaui mittere. De quo quid certum scribam Domino, non habeo. Propter quod perduxi eum ad vos, & maxime ad te Rex Agrippa, vt interrogatione facta habeam quod scribam. Sine ratione enim mihi videtur, mittere vinctum, & causas eius non significare.

SCHOLIA.

a Ad tribunal Cæsaris sto.] *Meminerat se à Domino admonitum, oportere, vt & coram Cæsare testimonium de ipso proferret, cuius rei implendæ nunc opportunitatem oblatam intelligens, nihil cunctatus, Cæsarem appellauit.*

CAPVT XXVI.

A AGrippa vero ad Paulũ ait: Permittitur tibi loqui pro temetipso. Tũc Paulus extẽta manu, cœpit rationẽ reddere: De omnibus quibus accusor à Iudæis, rex Agrippa, existimo me beatũ, apud te cum sim defensurus me hodie, maxime te sciẽte oẽs, quæ apud Iudæos sunt, cõsuetudines & quæstiones: propter quod obsecro patienter me audias. Et quidẽ vitam meã à iuuentute, quæ ab initio fuit in gente mea in Ie-
B rosolymis, nouerũt oẽs Iudæi: præsciẽtes me ab initio (si velint testimoniũ perhibere) q̃ secũdũ certissimam sectã nostræ religionis, vixi Pharisęus. a Et nunc de spe, quæ ad patres nostros repromissionis facta est à Deo, sto iudicio subiectus, in quã duodecim tribus nostrę instãter nocte & die deseruiẽtes, sperãt deuenire. De qua spe accusor à Iudæis, rex. b Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat? Et ego quidẽ estimauerã me aduersus nomẽ IESV Nazareni debere multa cõtraria agere, quod & feci Ierosolymis: & mul-
C tos sanctoꝝ ego in carceribus inclusi, à principibus sacerdotũ potestate accepta: & cũ occiderẽtur, detuli sententiam. Et per omnes synagogas frequẽter puniẽs eos, cõpellebam blasphemare: & amplius insaniẽs in eos, Supra.8.a persequebar vsq; in exteras ciuitates. In quibus dũ irem Damascũ cũ potestate & permissu principũ sacerdotũ, die media, in via vidi, rex, de cœlo supra splẽdorẽ solis circũfulsisse me lumẽ, & eos, qui mecũ simul erant.
D Omnesq; nos cũ decidissemus in terrã, audiui vocẽ loquẽtẽ mihi Hebraica lingua: Saul, Saul, quid me persequeris? Durũ est tibi cõtra stimulum calcitrare. Ego aũt dixi: Quis es Dñe? Dñs aũt dixit: Ego sum IESVS, quem tu persequeris. Sed exurge & sta super pedes tuos: Ad hoc enim apparui tibi, vt cõstituã te ministrũ & testẽ eoꝝ, quæ vidisti, & eoꝝ, in quibus apparebo tibi, eripiens te de populo & gẽtibus, in quas nũc ego mit-
E to te aperire oculos eoꝝ, vt cõuertãtur à tenebris ad lucẽ, & de potestate Satanæ ad Deũ: vt accipiãt remissionẽ peccatoꝝ, & sortẽ inter sanctos per fidẽ, quæ est in me. Vndẽ, rex Agrippa, non fui inobediens cœlesti visioni: sed his, qui sunt Damasci primũ, & Ierosolymis & in omnẽ regionẽ Iudææ, & gentibus annuntiabã, vt pœnitentiã agerent, & cõuerterẽtur ad Deũ, digna pœnitẽtię opera faciẽtes: Hac ex causa me Iudæi cũ essem Supra.13.14
in tẽplo cõprehẽsum tentabant interficere. Auxilio autem adiutus Dei, vsq; in hodiernum diẽ sto, testificans Supra.21.c

minori atq; maiori, nihil aliud dicens, q̃ ea, q̃ prophetę locuti sunt futura esse, & Moyses, si passibilis CHRISTVS, si primus ex resurrectione mortuorũ lumẽ annũtiaturus est populo & gẽtibus. Hæc loquẽte eo, & rationẽ reddẽte. Festus magna voce dixit: Insanis Paule, multæ te literæ ad insaniã cõuertũt. Et Paulus: Nõ F insanio (inquit) optime Feste: sed veritatis & [c] sobrietatis verba loquor. Scit. n. de his rex, ad quẽ constanter loquor. Latẽre enim eũ nihil horũ arbitror. Neq; enim in angulo quicquã horũ gestũ est. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quòd credis. Agrippa autem ad Paulum: [d] In modico suades me Christianũ fieri. Et Paulus: Opto apud Deum & in modico, & in magno: nõn tantum te, sed etiam omnes, qui me audiũt hodie, fieri G tales, qualis & ego sum, [e] exceptis vinculis his. Et hæc eo locuto surrexit rex & præses & Bernice & qui assidebant eis. Et cum secessissent, loquebantur adinuicem, dicentes: Nihil morte, aut vinculis dignum quid, fecit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

SCHOLIA.

[a] Et nunc de spe.] *Prædicare Christum, nihil erat aliud, quam annuntiare spem, quæ ad patres facta erat, esse impletam, cuius summa est resurrectio mortuorum, cui inimici Iudæi, dum ei resistunt, manifesto aduersantur. Cernis quam sapienter rem tractet?* [b] Quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?] *Dignum Paulo verbum, nam profecto ita est, si Deum omnia posse confitemur, quod & ethnici prædicant, vt quidam eorum dixerit: Immensa est, finemq; potentia cœli non habet, & quicquid superi voluere peractum est. Si ergo id credimus, cur & hoc non credamus? sed nos metuimur Deum nostris viribus, nostris q; cogitationibus, & res consuetudine potius quàm ipsa natura consideramus, quasi non æque mirum sit, homines quotidie ex informi semine procreari, quo proculdubio non minus difficile iudicaremus, si nunquam quispiam nostrum id fuisset expertus.* [c] Sobrietatis verba.] *Contra id, quod Festus dixerat, eum furere.* [d] In modico suades me Christianum fieri.] ἐνόλιγῳ. *Breui, inquit, oratione, & compendiosa doctrina, ac sine multo labore mihi persuasisti: cui ille respondet, optare se siue paucis siue multis verbis opus sit, omnes agnoscere Christum, fortasse significans, exiguum esse, quod hactenus audierat, præsys, quæ dici de ea re possent, qui si vellet & plura audire, & vberiori hac frui doctrina, se non defatigari, sed promptum & alacrem ad dicendum accessurum: potest etiam illud, in modico suades, sic intelligi, parum abest, quin mihi persuadeas, & nihil propius factum est, quam vt me feceris Christianũ.* [e] Exceptis his vinculis.] *Hoc dixit Paulus, non vt qui auersaretur vincula pro Christo, aut erubesceret, hoc enim, si quicquam aliud, erat, quo maxime gloriabatur, verum ad illorum opinionem loquebatur, & se ad eorum infirmitatem demittebat.*

CAPVT XXVII.

VT autem iudicatum est, vt navigaremus in Italiam, tradiderunt Paulum cum reliquis custodijs centu A rioni nomine Iulio, cohortis Augustæ. Ascendentes autem nauem, Adramitinam navigaturi circa Asiæ loca, sustulimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autẽ die venimus Sidonem. Humane autem tractans Iulius Paulum, permisit ad amicos ire & curam sui agere, Et inde cum sustulissemus, subnauigauimus Cyprum: Propterea q̃ essent venti contrarij. Et pelagus Ciliciæ, & Pamphyliæ nauigantes, venimus Myram, quæ est Lyciæ: & ibi inueniens centurio nauem Alexandrinam, na uigantem in Italiam, transposuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde nauigaremus & vix deueniss̃emus B contra Gnidum, prohibente nos vento, ad nauigauimus Crẽte iuxta Salmonem: & vix iuxta nauigantes, venimus in locum quendam, qui vocatur Boniportus, cui iuxtà erat ciuitas Lasæa. Multo autem tempore peracto, & cum iam non esset tuta navigatio, ob id quoq; [a] quòd iam vltra tempus sustinuisset inediam, hortabatur eos Paulus, dicens eis: Viri, video quòd cum iniuria & multo damno, non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarum futura est navigatio. Centurio autem gubernatori & nauclero magis credebat, C quàm his, quę à Paulo dicebantur. Et cum aptus portus non esset ad hyemandum, plurimi statuerunt consilium navigare inde, si quo modo possent deuenientes Phœnicem, illic hyemare. Is est portus Cretæ, respiciẽs ad Affricum & ad Corum. Aspirante autem Austro existimantes propositum se tenere, cum sustulissent de Asson, prꝛterlegebant Cretam. Non post multũ aũt misit se contra ipsam ventus Typhonicus, qui vocatur Euroaquilo. Cumque arrepta esset nauis, & non posset conari in ventum, data naue flatibus ferebamur. In insulam autem quandam decurrentes, quę vocatur Clauda, potuimus vix obtinere scapham. Qua sublata, D adiutorijs vtebantur, accingentes nauem, timentes ne in Syrtim inciderent, submisso vase, sic ferebantur. Valida autem nobis tempestate iactatis, sequenti die iactum fecerunt: & tertia die nostris manibus armamẽta nauis proiecimus. Neq; autem sole, neq; sideribus apparentibus per plures dies, & tempestate non exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ. Et cum multa ieiunatio fuisset, tunc [b] stans Paulus in medio eorum, dixit: Oportebat quidem, ô viri, audito me non soluere à Creta, lucriq; facere iniuriam hanc, & iacturam. Et nunc suadeo vobis bono animo esse: amissio enim nullius animæ erit ex nobis, præterquam nauis. Astitit enim mihi hac nocte angelus Dei cuius sum ego, & cui deseruio, dicens. Ne timeas Paule, Cæ- E sari te oportet assistere: [c] & ecce donauit tibi Deus omnes, qui navigant tecum. Propter quod bono animo estote viri: credo enim Deo, q̃ sic erit, quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos deuenire. Sed postea, quàm quartadecima nox superuenit, navigantibus nobis in Adria circa mediã tet nos deuenire. Sed postea, quàm quartadecima nox superuenit, navigantibus nobis in Adria circa mediã noctem suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. Qui & submittentes bolidem, inuenerunt passus viginti: & pusillum inde digressi, & rursum demissa bolide, inuenerunt passus quindecim. Timentes F autem, ne in aspera loca incideremus, de puppi mittentes ancoras quatuor, optabant diem fieri. Nautis vero quærentibus fugere de naui, cũ mississent scaphã in mare, sub prętextu quasi inciperent à prora ancoras extẽdere, dixit Paulus centurioni & militibus: [d] Nisi hi in naui manserint, vos salui fieri non potestis. Tũc abscinderunt milites funes scaphæ: & passi sunt eam excidere. Et cum dies inciperet fieri, rogabat Paulus omnes sumere cibum, dicens: Quartadecima die hodie expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes. Propter quod rogo vos accipere cibũ, hoc enim ad salutẽ vestrã pertinet, quia nullius vestrum capillus de capite peribit.

ribit. Et cũ hæc dixisset, sumẽs panẽ gratias egit Deo in cõspectu omniũ: & cũ fregisset, cœpit mãducare. Ani mequiores aũt facti omnes, & ipsi sumpserũt cibũ. Eramus vero vniuersæ animæ in naui ducẽtę septuaginta G sex. Et satiati cibo alleuiabãt nauẽ, iactantes triticũ in mare. Cũ aũt dies factus esset, terrã nõ agnoscebãt: sinũ vero quendam cõsiderabant habentem littus, in quod cogitabant (si possent) eijcere nauem. Et cum ancoras sustulissent, committebant se mari, simul laxantes iuncturas gubernaculorum. & leuato artemone secundũ auræ flatum, tendebant ad littus. Et cum incidissemus in locum bimarem, impegerunt nauem: & prora quidem fixa, manebat immobilis: puppis vero soluebatur à vi maris. Militum autem consilium fuit, vt vinctos occiderent, ne quis cum enatasset, effugeret. Centurio autem volens seruare Paulum, prohibuit fieri, iussitq; eos, qui possent natare, emittere se primos, & euadere, & ad terram exire: & cæteros, alios in tabulis, quosdam super ea, quæ de naui erant. Et sic factum est, vt omnes incolumes euaderent ad terram.

SCHOLIA.

[a] Quod iam vltra tempus.] *Quia in græco est, διὰ τὸ καὶ τὴν νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι hoc est, quia & ieiunium iam præterierat, sunt qui intelligant tempus quoddam anni, quod apud Iudæos ieiunium appellabatur, quod hiemale erat, nã multis post pentecosten diebus recesserat, vt in ipsa fere hieme in partes Cretæ venerit.* [b] Stans Paulus in medio eorum dixit.] *Vide Pauli in omnibus rebus alacritatẽ. Superius animaduertit ipse futuram periculosam nauigationem, neq; desiit hortari eos, vt sibi cauerent: nunc cernens periculum ingrauescere, vnus omnes excitat, & post paulo ad capiendum etiam cibum compellit.* [c] Et ecce donauit tibi Deus.] *Hoc contra fatum & necessitatem est, aut fortunam, nisi enim per Paulum seruati fuissent, natura ipsa rei erat, vt perirent: attamen iusti viri gratia impij sunt seruati.* [d] Nisi hi in naui manserint.] *Quare? fortasse ob id, quòd tam firma est veritas Dei, vt pereant omnia potius necesse sit, quam illam Vlla ex parte imminui: at decreuerat Deus seruare illos omnes sua virtute, non illorum industria: quod non contigisset, si nautæ fugissent. videntur enim nautæ sua industria seruati, aly autem miraculo.*

CAPVT XXVIII.

A ET cum euasissemus, tunc cognouimus q̃ Melite, insula vocabatur. Barbari vero præstabãt nõ modicã humanitatẽ nobis. Accẽsa. n. pyra, recipiebant nos omnes, propter imbrem, qui imminebat & frigus. [a] Cũ cõgregasset aũt Paulus sarmentorũ aliquantã multitudinẽ, & imposuisset super ignẽ, vipera à calore cũ processisset, inuasit manũ eius. Vt vero viderũt Barbari pẽdẽtę bestiã de manu eius, adinuicẽ dicebãt: B Vtiq; homicida est homo hic, qui cũ euaserit de mari, vltio nõ sinit eũ viuere. Et ille quidẽ excutiẽs bestiã in ignẽ, nihil mali passus est. At illi existimabãt futurũ, vt incẽderetur, aut caderet repente mortuus. Diu aũt illis expectãtibus, & vidẽtibus, nihil mali in eo fieri, cõuertẽtes se, dicebant eũ esse Deum. In locis aũt illis erant prædia principis insulæ, nomine Publij, qui nos suscipiens, triduo benigne habuit. Contigit aũt patrẽ publij C febribus, & dysenteria vexatũ iacere. Ad quẽ Paulus intrauit: & cũ orasset & imposuisset ei manus, sanauit eũ. Quo facto, omnes qui in insula habebãt infirmitates, accedebant, & curabãtur: qui etiã multis honoribus nos honorauerũt, & navigantibus imposuerũt, quæ necessaria erãt. Post mẽses aũt tres, navigauimus in naui Alexãdrina, quæ in insula hyemauerat, [b] cui erat insigne Castor & Pollux. Et cũ venissemus Syracusas, mãsimus ibi triduo. Inde circũlegẽtes, deuenimus Rhegiũ: & post vnũ diẽ flãte Austro, secũda die venimus Pu- D teolos, vbi inuentis fratribus, rogati sumus manere apud eos dies septẽ, & sic venimus Romã. Et inde cũ audissent fratres de nobis, occurrerunt nobis vsq; ad Appij forũ, ac tres Tabernas. Quos cũ vidisset Paulus, gratias agens Deo, accepit fiduciã. Cũ aũt venissemus Romã, centurio tradidit vinctos principi exercitus. Permissum est aũt Paulo permanere sibimet cũ custodiente se milite. Post tertiũ aũt diẽ, conuocauit Paulus primos Iudeorũ. Cũq; venissent, dicebat eis: Ego viri fratres, nihil aduersus plebem faciẽs, aut morẽ paternũ, vin- E ctus ab Ierosolymis traditus sum in manus Romanorũ, qui cũ interrogationẽ de me habuissent, voluerũt me dimittere, eo q̃ nulla esset causa mortis in me. Cõtradicentibus aũt Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, nõ quasi gẽtẽ meã habeã in quo accusem. Propter hanc igitur causam rogaui vos videre & alloqui. Propter spem enim Israel, catena hac circũdatus sum. At illi dixerũt ad eũ: Nos neq; literas accepimus de te à Iudæa, F neq; aduenies aliquis fratrũ nũtiauit, aut locutus est quid de te malũ. Rogamus aũt à te audire, quę sentis: nã de secta hac notũ est nobis q̃ vbiq; ei cõtradicitur. Cũ cõstituissent aũt illi diẽ, venerũt ad eũ in hospitiũ plurimi: quibus exponebat testificãs regnũ Dei, suadẽsq; eis de IESV ex lege Moysi & prophetis, à mane vsq; ad vesperã. Et quidã credebãt his, quæ dicebãtur: quidã vero nõ credebãt. Cũq; inuicẽ nõ essent consentientes, discedebãt, dicente Paulo vnũ verbum: Bene spiritus sanctus locutus est per Esaiam prophetam ad patres G nostros dicẽs: Vade ad populũ istũ, & dic: Aure audietis & nõ intelligetis, & vidẽtes videbitis, & nõ perspicietis. Incrassatũ est. n. cor populi huius, & auribus grauiter audierũt & oculos suos cõpresserũt: nequãdo videãt oculis, & auribus audiãt, & corde intelligãt, & cõuertãtur, & sanẽ eos. Notũ ergo sit vobis q̃ gẽtibus missum est hoc salutare Dei, & ipsi audiẽt. Et cũ hæc dixisset, exierũt ab eo Iudæi, multã habẽtes inter se quæstionem. Mansit autem biennio toto in suo conducto: & susciebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino IESV CHRISTO, cum omni fiducia, sine prohibitione.

Esaia.6.c
Matt.13.b
Marc.4.b
Luce.8.f
Ioan.12.f
Roma.11.b

SCHOLIA.

[a] Cum congregasset autem Paulus sarmentorum aliquantam multitudinem.] *Vir tantus, in primis est, qui colligendorum sarmentorum opus aggrediuntur, quem Deus mox, quantus esset, declarauit, ita vt Deus crederetur, Interea cogita, quàm proclives sint homines ad ferenda iniqua iudicia, & quàm sæpe fallantur, quando hic isti ex morsu viperæ arbitrati sunt Paulum esse homicidam.* [b] Cui erat insigne Castor & Pollux.] Διόσκουροι *quasi filij Iouis. Mos erat, in nauibus præsertim Alexandrinorum, in prora, dextera & sinistra parte huiusmodi picturas apponere.*

ACTORVM APOSTOLORVM, FINIS.

PAVLI APOSTOLI EPISTOLAE.

Ad Romanos
Ad Corinthios II
Ad Galatas
Ad Ephesios
Ad Philippenses
Ad Colossenses
Ad Thessalonicenses II
Ad Timotheum II
Ad Titum
Ad Philemonem
Ad Hebræos

EPISTOLAE CATOLICAE.

Iacobi
Petri II
Ioannis III
Iudæ

APOCALYPSIS BEATI IOANNIS.

HIERONYMVS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM DE PAVLI VITA.

PAvlvs Apostolus, qui ante Saulus, extra numerum duodecim apostolorum, de tribu Beniamin & oppido Iudęę Giscalis fuit: quo à Romanis capto, cũ parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigrauit: à quibus ob studia legis missus Ierosolymam, à Gamaliele viro doctissimo, cuius Lucas meminit, eruditus est. Cum autem interfuisset neci martyris Stephani, & acceptis à pontifice templi epistolis, ad persequendos eos, qui CHRISTO crediderant, Damascum pergeret, reuelatione compulsus ad fidem, quę in Actibus apostolorum scribitur, in vas electionis de persecutore translatus est. Cumq; primum ad prædicationem eius Sergius Paulus proconsul Cypri credidisset, ab eo, ꝙ eum CHRISTI fidei subegerat, sortitus est nomen Paulus, & iuncto sibi Barnaba, multis vrbibus peragratis, reuertensq; Ierosolymam, à Petro Iacoboq; & Ioanne Gentiũ apostolus ordinatur. Et quia in Actibus apostolorum plenissime de eius conuersatione scriptum est, hoc tantũ dicam, ꝙ post passionem Domini vicesimo quinto anno, id est secũdo Neronis, eo tempore quo Festus procurator Iudeæ successit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, aduersus Iudæos de aduentu CHRISTI quotidie disputauit. Sciendum autem in prima satisfactione, nec dum Neronis Imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulum à Nerone dimissum, vt Euangelium CHRISTI, in occidentis quoq; partibus prædicaret, sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum, eo tempore, quo & passus est, de vinculis dictat epistolam: In prima mea satisfactione, nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non eis imputetur. Dominus autem mihi affuit & confortauit me, vt per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes, &, liberatus sum de ore leonis. Manifestissime leonem propter crudelitatem, Neronem significans. Et in sequentibus: Liberatus sum de ore leonis. Et statim: Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluauit me in regnum suum cœleste, ꝙ scilicet præsens sibi sentiret immínere martyrium. Nam & in eadem epistola præmiserat: Ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. Hic ergo decimoquarto Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro CHRISTO, capite trũcatus, sepultusq; est in via Ostiensi, anno post passionem Domini triceſimo septimo. Scripsit autem decem ad septem ecclesias epistolas, ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnã ad Ephesios vnam, ad Philippenses vnam, ad Colossenses vnam, ad Thessalonicenses duas. Præterea ad discipulos suos: Timotheo duas: Tito vnam: Philemoni vnam. Epistola autem, quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur, propter stili sermonisq; distantiam, sed vel Barnabæ, iuxta Tertullianũ, vel Lucæ Euangelistæ, iuxta quosdam: vel Clementis: Romanę postea ecclesię episcopi, quem aiunt sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone: vel certe quia Paulus scribebat ad Hebræos, & propter inuidiam sui apud eos nominis, titulũ in principio salutationis amputauerat. Scripserat, vt Hebræus Hebræis Hebraice, id est suo eloquio disertissime, vt ea, quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterẽtur in Græcum: & hanc causam esse, ꝙ à cęteris Pauli epistolis discrepare videatur. Legunt quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.

Epistola

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS.

CAPVT I.

A [a] AVLVS seruus IESV CHRISTI, [b] vocatus Apostolus, [c] segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per prophetas suos in scripturis sanctis [d] de filio suo, qui factus est [e] ex semine Dauid, secundum carnem, [f] qui declaratus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis, [g] ex resurrectione IESV CHRISTI Domini nostri à mortuis, per quem accepimus gratiam & apostolatum ad obediendũ fidei in oĩbus gentibus pro nomine eius, in quibus estis & vos vocati IESV CHRISTI, omnibus, qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis sanctis, [h] gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV CHRISTO. Primum quidem gratias ago Deo meo per IESVM CHRISTVM pro omnibus vobis, quòd fides vestra annuntiatur in vniuerso mundo. Testis enim mihi est
B Deus, cui seruio in spiritu meo in Euangelio filij eius: quòd sine intermissione memoriam vestri facio, semper in orationibus meis obsecrans si quo modo tandem aliquando prosperum iter habeam in volũtate Dei, veniendi ad vos. Desidero enim videre vos, vt aliquod impertiar vobis donum spirituale, ad confirmandos vos: [i] id est, vt simul capiam consolationem in vobis per eam, quæ inuicem est, fidem vestram atque meam. Nolo autem vos ignorare fratres, ꝙ sæpe proposui venire ad vos (& prohibitus sum vsque adhuc) [k] vt aliquẽ fructum haberem & in vobis, sicut & in cæteris gentibus. Græcis ac barbaris, [l] sapientibus & insipientibus debitor sum: ita quantum in me est, paratus sum & vobis, qui Romæ estis, euangelizare. Non enim erubesco Euangelium CHRISTI: Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti: [m] Iudeo primum & Græco.
[n] Iustitia enim Dei in eo reuelatur [o] ex fide in fidem, sicut scriptum est: Iustus autem ex fide viuet. [p] Reue- Abacu.2.a
C latur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatem & iniustitiam hominum eorum, qui veritatem in in- Heb.10.g
iustitia detinent: quia quod notum est Dei, manifestum est in illis: Deus enim illis manifestauit. Inuisi- Galat.3.b
bilia enim ipsius, ex creatura mundi, intellecta per ea, quæ facta sunt, conspiciuntur: sempiternaq́ue eius virtus, & diuinitas, in hoc, vt sint inexcusabiles, quod cum cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum: [q] dicentes se esse sapientes, stulti facti sunt. Et mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in si- Ephes.4.c
militudine imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. [r] Propter quod tradidit illos Deus in desiderijs cordium suorum in immunditiam: vt ignominia afficiant corpora sua inter sese: qui commutauerunt veritatem eius mendacio: & coluerunt, & seruierunt creaturæ potius quàm crea-
D tori, qui est benedictus in secula. Amen. Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiæ. Nam, & fœminæ eorum immutauerunt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam. Similiter autem & masculi, relicto naturali vsu fœminæ, exarserunt in desiderijs suis, inuicem, masculi in masculos turpitudinẽ operantes, & mercedem (quam oportuit) erroris sui in semetipsis [s] recipientes. Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia, tradidit illos Deus in reprobam mentem, vt faciant ea, quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia, plenos inuidia, homicidio, contentione, dolo, malis moribus, susurrones, detractores, Dei osores, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorum, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia. Qui cum iustitiam Dei cognouissent, ꝙ scilicet qui talia agunt, digni sunt morte: non solum ea faciunt: sed etiam [t] consentiunt facientibus.

SCHOLIA.

[a] Paulus seruus Iesu Christi.] *Intuere quanta sit maiestate principium, solam comprehẽdens salutationem, vt siquis nunc primum in hãc incidat epistolam, necessario admiretur. Audis in hoc exiguo verborum ambitu, euangelium Dei, rem eo tempore mundo nouam, quibus tamen hæc noua res (ne ob nouitatem suspecta sit) nitatur fundamentis, continuo docet, hoc scilicet Euangelium multo ante promissum fuisse per prophetas Dei in scripturis sanctis: addit, quæ sit huius Euangely summa, nempe aduentus filij Dei per carnem, qui suæ diuinitatis fecit fidem factis ipsis, quæ per spiritum sanctum declarauit, præsertimq; ex eo, quòd resurrexit à mortuis, quod vnum argumentum pro centum millibus esse debet, ad hanc veritatem roborandam, atque ad hanc fidem, omnes omnium nationum populos esse accessuros, eiq́; obtemperaturos. At nobis ipsa consuetudo, vitiose tamen, impedimento est, ne tantarum rerum magnitudinem contemplemur.* [b] Vocatus apostolus.] *Imitatus est Esaiam cap. 48. qui & ipse ait: de ciuitate sancta vocati sunt, hoc est nomen habent.* [c] Segregatus.] *Sic & Gal. 1. Qui me segregauit ab vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum in me, vt euangelizarem illis in gentibus.* [d] De filio suo.] *Qui scilicet mittendus esset in redemptionem humani generis.* [e] Ex semine Dauid secundum carnem.] *Quod ait, secundum carnem, sic accipe, quemadmodum & illud in actis: sedere super sedem eius, quantum ad carnem, hoc est, quantũ ad acceptam hominis naturam, vt necesse sit intelligere in eo diuinam naturam, alioqui quid opus fuisset addere, secundum carnem?* [f] Qui declaratus est.] ὁρισθέντος, *quod idem esset ait Chrysostomus quod δειχθέντος, ἀποφανθέντος originibus ἀπὸ τῶν ἀπάντων γνώμης, καὶ ψήφου, hoc est, qui demonstratus, declaratus, iudicatus est omnium sententia & suffragio esse filius Dei. Illud autem, in virtute. Hebraica locutio hunc locum apud nos non habet, sed*

planius fit hac particula,per. Et illud,secundum ΚΑΤΑ, videtur potius pro per,accipiendum,ex hoc enim quòd efficacia resurrectionis spiritum sanctum miſit in nos,declaratus eſt,&c. g Ex reſurrectione.] *Putant quidam hic Hebraiſmum eſſe, ſit:ex reſurrectione Ieſu Chriſti, Vnius è numero mortuorum, ſiue Vere mortui. Et Zach.9. Vbi nos legimus:ſedens ſuper Aſino,& pullo filio aſinæ. Heb.habet aſinarum. Illud quoque, in nomine eius, nomen in ſcripturis ſæpe accipitur,pro auxilio,maieſtate,ſiue numine ipſo. Sed quia in Græco eſt, ex reſurrectione mortuorum Ieſu Chriſti; non eſt aſſpernandus ſenſus, mortuos Ieſu Chriſti eſſe,qui mortui peccatis,in nouam vitam ſurrexerunt, idq; per fidem in Chriſtum: quare ex hac virtute & efficacia declaratus eſt filius Dei.* h Ideſt vt ſimul capiam conſolationem.] *Videtur verbus eſſe, ne per id, quod dixerat,ad confirmandos vos, crederetur ſibi aliquid arrogare, ideo verba illa nunc interpretatur. Ingentem hominis circunſpectionem.* i Gratia vobis & pax.] *Familiaris Paulo precatio, quæ & bona omnia breuiter complectatur, eaq; Dei benignitati acceptа referat.* k Vt aliquem fructum.] *Sæpe (inquit) propoſui venire ad vos, vt aliquem fructum haberem & in vobis, ſed prohibitus ſum vſque adhuc.* l Sapientibus & inſipientibus.] *Declarant hæc verba illud, quod dixerat,Græcis ac Barbaris. Non hæc(inquit)ſcribo,quòd mihi quicquam arrogem,ſed iubeor, hoc euangelizandi munus apud omnia hominum genera exercere.* m Iudeo primum & Græco.] *Seruat ſuæ genti honorem ſuum, ad quos præcipue facta erat & promiſſio,atque hoc ſapienter facit,præparans eos ad benevole audienda, quæ in Iudæos dicenda ſunt. Græcum vero appellat gentilem,* ΕΛΛΗΝΑ *autem vtrunque ſignificat,nam græca lingua omnes ferè gentes vtebantur. Græca (ait Cicero)leguntur in omnibus ferè gentibus.* n Iuſtitia enim Dei.] *Hoc eſt,docetur hoc Euangelio,non operibus legis contingere iuſtitiam, ſed fide, & Veterum videlicet, qui Chriſtum præceſſerunt,fide in Chriſtum venturum,& noſtra,in Chriſtum,qui iam aduenit,ſicut in genere ſcriptum eſt de quouis iuſto:Iuſtus ex fide viuet.* o Ex fide in fidem.] *Per incrementa fidei,vt & illud:ibunt de virtute in virtutem,hoc autem eſt,quod & Ioannes Baptiſta dixit:omnes de plenitudine eius accepimus,gratiam pro gratia,ingentem ſcilicet pro exigua. Reuelat,inquit,Deus per hoc Euangelium, quibuſdam incrementis,ſuam iuſtitiam,vt clariorem fidem faciat eius nunc,quàm antea vnquam, quæ & tunc tamen credebatur,ne, cum præconia fidei protulero, quaſi rem nouam admiremini. Vel ex fide quam adhibemus Euangelio,conſequimur ſpiritum ſanctificationis,per quem habetur viua illa fides,& viua ſpes rerum æternarum:quam viuam ſpem ad Galatas appellat fidem, quæ reuelanda erat.* p Reuelatur enim ira Dei.] *Primum oſtendit per Euangelium hoc Dei, humanam deyci ſapientiam,quæ ita deſpuerit,vt nihil minus,quàm authorem ſuum norit, quæ res vna, vel certe præcipua nos à cæteris animantibus diſtare facit,deinde ad illud veniet,cuius gratia in primis inſtituta epiſtola eſt, ne Iudæos quidè ſcilicet habere,quo glorientur,vt demum ſubyciat ſe totus mundus Deo,& ſe,quicquid ſit, Dei munere eſſe intelligat. Nam quod ait, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent,declarat,cum paulo poſt dicit:qui cum cognouiſſent Deum,non tanquam Deum glorificauerunt,&c. Reuelatur ergo per hoc Euangelium & hominum impietas,& quo pacto iuſtitiam aſſequi poſſint.* q Dicentes enim.] *Hoc eſt,cum dicerent,ſe eſſe ſapientes,opera illorum prodebant inſignem eorum ſtultitiam.* r Propter quod tradidit illos Deus.] *Iam diximus,hoc eſſe ſcripturæ ſacræ familiare,vt ea facere dicatur,quæ fieri patitur.* s Recipientes.] *Eſt ergo hæc cæcitas tam manifeſta peccati pœna,& irati Dei argumentum,vt ne vlla quidem humana ratione negari poſſit. Quare confiteantur neceſſe eſt,opus ſibi eſſe reconciliatione.* t Conſentiunt.] *Patiuntur alios eadem agere,atque adeo fauent,vt in ſequenti ſcholio habes.*

CAPVT II.

Matt.7.c

A P[a]Ropter quod inexcuſabilis es ô homo omnis, qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis tu qui iudicas. Scimus autem quòd iudicium Dei eſt ſecundum veritatem,in eos,qui talia agunt. Exiſtimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos,qui talia agunt & facis ea: quòd tu effugies iudicium Dei? [b] An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te ducit? Secundum autem duritiam tuam & impœnitens cor, theſaurizas tibijpſi iram in die iræ & reuelationis, & iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua: ijs quidem, qui ſecundum perſeuerantiam in bono opere, gloriam & honorem & incorruptionem quærunt,vitam æternam:ijs autem,qui ſunt ex contentione, & qui non acquieſcunt veritati, credunt B autem iniquitati: ira, & indignatio, tribulatio & anguſtia, in omnem animam [c] hominis operantis malum: Iudæi primum & Græci: Gloria autem & honor & pax, omni operanti bonum, Iudæo primum & Græco. Non enim eſt acceptio perſonarum apud Deum. Quicunque enim ſine lege peccauerunt: [d] ſine lege & peribunt:& quicunque in lege peccauerunt: per legem iudicabuntur. [e] Non enim auditores legis iuſti ſunt apud Deum: ſed factores legis iuſtificabuntur. Cum enim gentes,quæ legem non habent, naturaliter ea,quę legis ſunt faciunt:ij legem non habentes,ſibiipſis ſunt lex: [f] qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente conſcientia ipſorum,& inter ſe inuicem cogitationibus accuſantibus, C aut etiam defendentibus, [g]in die cum iudicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangelium meum per IESVM CHRISTVM. [g] Ecce tu Iudæus cognominaris,& requieſcis in lege,& gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius,& probas vtiliora,inſtructus per legem:confidisq; teipſum eſſe ducem cæcorum,lumen eorum,qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium,habentem formam ſcientiæ,& veritatis in lege. Qui ergo alium doces: teipſum non doces? qui prædicas non furandum: furaris? qui dicis non mœchandum: mœcharis? qui abominaris idôla: ſacrilegium facis? qui in lege gloriaris: per præuaricationem legis, Deum inhonoras? Nomen enim Dei propter vos blaſphematur inter gentes, ſicut ſcriptum eſt: Nam [h] circunciſio quidem prodeſt,ſi legem obſerues:ſi autem præuaricator legis ſis, circunciſio D tua præputium facta eſt. Si igitur præputium iuſtitias legis cuſtodiat: nónne præputium illius in circunciſionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura eſt præputium, legem conſummans, te, qui per literam & circunciſionem præuaricator legis es? [i] Non enim qui in manifeſto eſt, Iudæus eſt: neque, quæ in manifeſto eſt in carne,eſt circunciſio:ſed,qui in abſcondito,Iudæus eſt: & circunciſio cordis in ſpiritu, non litera,cuius laus non ex hominibus,ſed ex Deo eſt.

Deut.10.d
2.Par.19
Iob.37.b
Act.10.c
Matt.7.d
Iacob.1.d

Eſa.52.b
Ezech.36.e

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Propter quod inexcuſabilis es.] *Videntur quidem hæc verba dicta ob illud eſſe,quod præcedit, videlicet, quòd cũ ſciant,eos,qui talia agunt, dignos eſſe morte,non ſolum ea faciunt,ſed etiam conſentiunt facientibus, atque illis fauent,vt arguantur gentiles & præſertim Romani,qui cum rerum potiantur,et iudices aliorum ſint,meminerint tamen, & ſe olim in iudicium Dei vocandos,qui multo minus,quàm ipſi,paſſurus ſit,inulta eſſe hominum ſcelera. Tamen ita temperat orationem Paulus,vt non ad gentiles ſolum,verum etiam ad Iudæos pertineant. Atque ita ſenſim,vt vix quisquam ſentiat, deducet ſermonem omnem ad Iudæos,vt nihil deflectat de via,quod ſummæ artis, ſummæq; ſapientiæ eſt. Ait ergo: propterea inexcuſabilis es ô homo, quisquis es,qui de altero iudicas,ſiue Græcus,ſiue Iudæus ſis,qui teipſum alijs præferas. Et videtur velle facere Iudæos deteriores gentibus,quòd cum eadem facerent,quæ gentes, illis tamen videri meliores vellent.* [b] An diuitias bonitatis eius.] *Dices (inquit) optima qiæque ſemper à Deo ſperanda,nam benignum eſſe illum, atque longanimum,at hoc contra te facit,qui tam ingentes bonitatis diuitias contemnas,quis quò illius magis benignitate abuteris,eo grauores,(vt qui ingratus tantæ beneficentiæ fueris) tibi recondis pœnas in poſterum,nõ enim iccirco expectat,vt tu te in grauiora ſemper flagitia ingurgites.* [c] Hominis operantis malum,Iudæi primum,& Græci.] *Iuſtiſſ eſt enim, vt qui prior in donis fuerat,ſi peccet,prior etiam plectatur.* [d] Sine lege & peribunt.] *Hoc eſt,mitius plectetur, vt qui legem ignorauerint, vel,ſine lege, hoc eſt,non peribunt propterea,quòd ſcriptam legem violauerint,ſed illam, quæ animis illorum inſculpta fuit.* [e] Non enim auditores legis.] *Hoc aduerſus Iudæum eſt,in quem iam iam ſe aperuit, non enim ſatis eſt habere legem & illam audire & in ea gloriari,ſed multo eſt melius ſine lege opus legis implere. Qua in re gentes interdum Iudæos præcedunt,quod tamen non ita aperte dixit,ne irritaret Iudæum. Quod autẽ ait,factores legis iuſtificandos, non propterea excludit iuſtitiam ex fide,nam ſine ea, ne lex quidem impleri poteſt.* [f] Qui oſtendunt opus legis.] *Quod opus? id quod ſequitur,dum atteſtatur ſimul illorum conſcientia,& cogitationes ſeſe, vel accuſant, vel etiam excuſant:legis enim opus eſt,declarare,quæ recte,quæue inique facta ſint,atque hæc inſita eſt lex cordibus hominum,ob diem, in quo iudicaturus eſt Deus eorum occulta.* [g] Ecce tu Iudæus cognominaris.] *Iam aperte ſe prodit:quæ vtilitas,inquiens, huius,ob quã ita gloriaris,legis in lapide ſcriptæ,ſi non adſint rectè factа? Scis quidem voluitatem Dei, & exactè experimentum habes, dum inſtrueris à lege,eorum,quæ magis expediant (hoc enim eſt probare vtiliora & eximia) ſed,dum aliud facis,atque doces,ea quibus gloriaris,maioris tibi ſunt occaſio damni,atque ignominiæ. Hæc autem ei dicuntur, qui ſimpliciter Iudæus ſit, nequedum Chriſtum norit,vt hæc epiſtola non tam admonere voluiſſe eos videatur,qui iam crediderunt, quàm omnem Iudæorum gentem erroris ſui commoneſacere.* [h] Circunciſio quidem prodeſt.] *Refert cogitationem ad illud tempus, quo nondum Chriſtus aduenerat, & circuncciſionis meminit,tanquam rei præcipuæ inter eos,nã erat ingens amputatæ pelliculæ ſupercilium Iudæorum,vt ex ijs etiam, qui crediderant (vt eſt in actis apoſtolorum) quidam ſine ea ſeruari non poſſe hominem arbitrarentur. Ipſa autem ratio locutionis requirebat,vt diceret,quid prodeſt tua iſta circunciſio, qua tam ambitioſe gloriaris,niſi legem ſerues,dum præputium æquat e te,atque adeo ſuperare etiam poſſit,ſed agit modeſtius,ne irritarentur.* [i] Non enim qui in manifeſto eſt.] *Iacit quedam fundamenta eorum, quæ capite nono dicturus eſt. Docet ergo Iudæum eum non eſſe,qui tantum exteriori ſigno notatus ſit, neq; veram circuncciſionem illam,quæ in carne fiat,ſed in interiori homine hæc omnia peragi,quæ ratio multum valebit in illa diſputatione,cum oſtendet,eum non eſſe Iſraelem,quem ipſi arbitrarentur,ſed qui virtute & fide paternum genus referret,hunc enim vnum diuina,non hominum laude niti poſſe, & in Deo,non in carne gloriari,atque hoc eſt,quod ait:cuius laus non ex hominibus eſt,ſed ex Deo.*

CAPVT III.

A Q[a]Vid ergo amplius Iudæo eſt? aut quæ vtilitas circunciſionis? multa per omnem modum. Primum quidem:quòd credita ſunt illis eloquia Dei. Quid enim,ſi quidam illorum nõ crediderunt? Nunquid incredulitas illorum fidem Dei euacuabit? Abſit. Sit autẽ Deus verax:omnis autem homo mendax,ſicut ſcriptum eſt: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis:& vincas cum iudicaris. Si autem iniquitas noſtra,iuſtitiã Dei cõmẽdat: quid dicemus? Nunquid iniquus eſt Deus,qui infert iram? ſecũdum hominem dico: Abſit:alioquin quomodo iudicabit Deus mundum? Si enim veritas Dei in meo mendacio abundauit in gloriam ipſius:quid adhuc & ego tanquã peccator iudicor,& non potius (ſicut blaſphemamur,& ſicut aiunt quidã nos dicere) faciamus mala,vt veniant bona? quorum damnatio iuſta eſt. Quid ergo? præcellimus? Nequaquam. Cauſati enim antea ſumus Iudæos & Græcos,omnes ſub peccato eſſe:ſicut B ſcriptum eſt:Non eſt iuſtus quiſquam,non eſt intelligens,non eſt requirens Deum. Omnes declinauerũt, ſimul inutiles facti ſunt:non eſt qui faciat bonum,non eſt vſq; ad vnum. Sepulchrum patens eſt guttur eorũ, linguis ſuis doloſe agebant. Venenum aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt: Veloces pedes eorũ ad effundendum ſanguinẽ. Contritio & infelicitas in vijs eorum,& viam pa- C cis non cognouerunt:non eſt timor Dei ante oculos eorũ. Scimus autem q̃, quęcunq; lex loquitur:ijs qui in lege ſunt,loquitur:vt omne os obſtruatur,& obnoxius fiat omnis mũdus Deo:quia [b] ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coràm illo. Per legẽ enim, cognitio peccati. [c] Nunc autẽ ſine lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt:teſtificata à lege & prophetis. Iuſtitia autem Dei:per fidem IESV CHRISTI [d] in omnes & ſuper omnes,qui credunt:non enim eſt diſtinctio. Omnes enim peccauerunt,& egent gloria Dei:iuſtificantur autem gratis per gratiam ipſius,per redemptionem quæ eſt in CHRISTO IESV, quem propoſuit D Deus propitiatorẽ per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionẽ iuſtitiæ ſuæ [e] propter remiſſionẽ præcedentium delictorũ,in tolerantia Dei,ad oſtenſionẽ iuſtitiæ ſuæ in hoc tempore: [f] vt ſit ipſe iuſtus, & iuſtificans eum,qui eſt ex fide IESV. [g] Vbi ergo gloriatio? Excluſa eſt. Per quã legem? Factorum? Non:ſed per legẽ fidei. Arbitramur enim iuſtificari hominem per fidem ſine operibus legis. [h] An Iudæorum Deus tantum? Nónne & gẽtium? Immo & Gentium:quoniã quidem vnus eſt Deus qui iuſtificabit circũciſionem ex fide, & præputium per fidem. Legem ergo deſtruimus per fidem? Abſit:ſed legem ſtatuimus.

Ioan.3.d
Pſal.11.5.a
Pſal.50

Galat.3.d
Pſal.13.a
Pſal.5.c
&.13.b
Pſal.139.a
Pſal.9.c
Eſa.59.b
& pſal.13.b

Galat.2.d

SCHOLIA.

[a] Quid ergo amplius est Iudæo?] *Depresserat Iudæorum supercilium, docuerat q́, frustra illos de circuncisione, & lege, & appellatione Iudæi gloriari, Verum ne quis suspicetur, hæc illum inimico animo, & odij causa dicere, obijcit sibi ipse, & ait: Si gentes quædam, pietate et virtute præditæ, magis commendantur, cur Israëlem Deus à reliquis gentibus segregauit? cur circuncisionem eis dedit? Deinde respondet, multum illos donis antecellere cæteris gentibus, inter quæ donа illud præcipuū est, quòd post electos patres & liberatum diuina manu ab Aegyptiaca potestate populum, & post admiranda illa, & celeberrima signa, adiecit Deus, Vt illis crederet eloquia sua ac legem. Verum, ne illos irritaret, non concludit, quid ex hoc consequatur, quod scilicet nihil hæc magnifica dona illis, ipsorum tamen vitio, profuerunt, sed sequitur, & alteri ambiguitati respondet. Quid. n. inquiens, si quidam eorum non crediderunt? & hoc modeste, non enim dixit omnes, sed quidam eorum, quamuis totum penè Israëlem infidelitas occupauisset. Hæc quidem infidelitas obest, inquit, proculdubio ijs, qui non crediderunt, sed nihil imminuit de dignitate diuinorum munerum, quibus Vos honestatos præ gentibus cæteris omni asseueratione affirmo. Esto ergo, non crediderint, num iccirco infidelitas eorum fidem Dei irritam faciet? & detrahet de eius dignitate quicquam? aut efficiet, Vt minus sibi constet, ac fidem illam suam, constantiamq́ mutare propterea patiatur? id omnino fieri non potest, sed dici quidem poterit de hominibus, omnem hominem esse mendacem, at Deus semper Verax est, et sibi constans, quemadmodum & Dauid, cum post patratum illud facinus, peteret Veniam, petit, si non ob aliud, certe ob hanc causam sibi ignosci, Vt hoc gloriæ Dei accedat, quòd iustus ac Verax Vnus sit in ys, quæ pollicetur, cum ea non reuocet, etiam sceleribus irritatus, Vt, siquando in disceptationem veniat hæc Dei iustitia, & fides, vincat omnia hominum iudicia. Senserat Paulus, quid ex hoc sequeretur, aut potius, quam adderent praui homines consequentiam, quòd scilicet, si scelus nostrū gloriæ Dei faueat, non debeat Deus homines castigare, cum honori eius seruiant, quam esse humilem nimis, atq́, Vt sic dicam, carnalem cogitationem, docet, cum ait, secundum hominem dico, hanc ergo nunc redarguit sententiam maxime, quòd sceleratі homines sæpe Verba Pauli, cum de hisce rebus loqueretur, detorquebant in prauos sensus. Si enim hoc concederetur, impune peccare liceret, nec iudicare mundum Deus posset, qui potius nobis deberet, si mendacium & scelus nostrū veritatem, fidemq́ Dei faceret clariorem. Sed non ita est, nam cum Deus sua sapientia in suam gloriam conuertit scelera nostra, hoc nullum est vitiorum nostrorum promeritum, sed totum diuinæ sapientiæ, ac prouidentiæ opus, qui malis etiam rebus bene Vti sciat, cū mala per se, suaq́ natura a nullum rem aliā, nisi sibi similem parere possint. Remota ergo hac dubitatione, quæ sese obiter interseruerat, ad priorem redit disputationem, dicens: Quid ergo? præcellimus? Non hoc dico, inquit, Vt, si alter deijcitur, alter insolescat, sed Vnam hanc ob causam ista disputo, Vt omnes agnoscant se obnoxios Deo, & egere illius gratia, neq́ habere quenquam, quo glorietur. Videte enim, quid Vobis in primis dicat scriptura, nam cum loquitur lex, nimirum ys loquitur, qui sub lege sunt. Nō est (inquit) iustus quisquam, non est qui intelligat, &c. Illud Vero, præcellimus, videtur posse & ad Iudæum, & ad eum, qui crediderat, referri. Ergo (inquiunt) ob hæc preconia antecellimus? non, inquit, &c. Quod si quis iudicat, omnino esse necessariū, inter opera legis ponere etiam decalogum, intelligendum est, ex illis hominem non iustificari, nisi accedat fides in Christum, et redemptio ac salus, quæ per eam fidem acquiritur: qui enim putabant sine hac seruari posse, aduersus hos dicebat Paulus. Ignorantes iustitiam Dei, & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* [b] Ex operibus legis non iustificatur.] *Si cogitemus, quæ versaretur eo tempore inter eos controuersia, non erit admodum difficile scopum assequi huius epistolæ, at sine hac consideratione, luditur opera. Summum, quod habuit, certamen Paulus, & apostoli etiam alij, cum Iudæis erat, de lege, vel seruanda, vel abroganda, & num sine ea iustificatio satis esset ex fide Iesu Christi, quàm concertationem istam fuisse, apertissime acta apostolorū testantur. Paulus ergo non contentus ostendere, legem non esse necessariam, quòd & ab alijs apostolis factum est, rem in contrarium deducit suo more, Vt probet, non solum non esse eam necessariam: Verum etiam esse impedimento. Hic ergo initium dat huic disputationi, Vt dicat, non solum non posse eos gloriari ob datam sibi legem, Verum etiam non posse hominem ex operibus legis iustificari, atq́ id coram Deo, Nam etsi apud homines videantur esse aliquid ob circuncisionem, quæ selectum genus indicet, cæteraq́, quibus ab alijs distant, at apud Deum ista nihil sunt, qui cordis puritatem, & fidelem erga se affectum postulat, à lege autem, quàm Vos tanti (inquit) facitis, nihil aliud assequimur, quàm agnitionem peccati, non autem liberationem. In quam sententiam nisi ista dixisset, ipse sibi contrarius esset, qui dudum dixerit factores legis esse iustificandos.* [c] Nūc autem sine lege.] *Hoc est nihil adiuuante lege & sine operibus legis: nunc, Vera iustitia declaratur, quæ ne Vobis suspecta sit, testimonium habet à lege & prophetis.* [d] In omnes, & super omnes.] *Gennadius sic interpretatur. In omnes quidem, Iudæos dicit, qui quasi domi, & ex se habebant salutis authorem, videlicet Christum, super omnes autem, gentiles ait, cum à Iudæis credentibus super hos etiam propagata sit gratia.* [e] Propter remissionem.] πάρεσιν hic interpretantur Græci authores ὑπερῳσιν, hoc est, mortificationem in hunc sensum videlicet, mortui eramus, vel tanquam paralytici ob peccata, deum de cum æquum esset ob hanc dissolutionem pœnas dare, per Dei tolerantiam, misericordiam sumus consecuti. Vel, propter remissionem præcedentium delictorum, de quibus non sumpsit supplicium, quemadmodum merebantur, sed impunitas reliquit, per Christum abolenda.* [f] Vt ipse sit iustus, & iustificans.] *Vt non solum iustus sit Deus, Verum etiam effundat in nos hanc iustitiam, qui solus eam præstare potest, cum solus ipse sit iustus.* [g] Vbi ergo gloriatio?] *Ex ijs (inquit) quæ iam diximus, patet, excusam esse omnem gloriandi rationem, at quæ lex id præstitit, Vt disceremus, eum, qui gloiaretur, frustra gloriari? proculdubio non fuit illa factorum à qua potius gloriandi occasionem accipere homines solent, sed fidei, quæ ostendit homini, quantum per se nihil sit, & sola nititur Dei beneficentia. Non autem dixit, per fidem, sed per legem fidei, Vt eis appellatione legis gratificaretur, quasi nolit eos à lege omino abducere, sed illam meliori lege mutare. Sic Dominus, ne graue esset Petro deserere piscationem, cui assueuerat, dicit, piscator quidem adhuc eris, sed hominum. Hic ergo ait, opus fuisse alia lege, quàm factorum, quæ doceret homines suam agnoscere conditionem.* [h] An Iudæorum Deus tantum?] *Ne mihi posthac, obsecro, inquit, hunc tuum legalem hominem obycias, perinde quasi lex efficiat, Vt reliquum omnium hominum genus Deus abominetur. Iustificatio igitur hæc omnibus est proposita, Vt quicunq́ fiduat Dei benignitati, eamq́ certa fide amplexantur, salutem omnes consequantur. Neque putes, nos hoc pacto legem abrogare, qui eam statuimus potius, ac roboramus, Vt per ea, quæ mox dicentur, apparebit.*

Caput

CAPVT IIII.

A QVid [a] ergo dicemus inuenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Si enim Abraham ex operibus iustificatus est: habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Gene.15.b
Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. [b] Ei autem, qui operatur: merces non Galat.5.a
imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero, qui non operatur, sed credit Iacob.2.d
in eum, qui iustificat impium: reputatur fides eius ad iustitiam, sicut & Dauid dicit beatitudinem hominis:
cui Deus acceptam refert iustitiam sine operibus: Beati quorum remissę sunt iniquitates: & quorum tecta
B sunt peccata. Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum. Beatitudo ergo hæc, in circuncisione, an etiā Psal.13.a
in præputio? Dicimus enim, quòd reputata est Abrahæ fides ad iustitiam. Quomodo ergo reputata est? in
circuncisione, an in præputio? Non in circuncisione, sed in præputio. Et signum accepit circuncisionis, si- Gene.17.b
gnaculum iustitiæ fidei, quæ fuerat in præputio: vt sit pater omnium credentium per præputium, vt reputetur, & illis iustitia: & pater circuncisionis, ijs, qui non tantum sunt ex circuncisione, sed & qui sectantur vestigia fidei, quæ fuit in præputio patris nostri Abrahæ. [c] Non enim per legem, promissio Abra-
C hæ aut semini eius, vt hæres esset mundi: sed per iustitiam fidei. Si enim qui ex lege, hæredes sunt: exinanita
est fides, abolita est promissio. Lex enim iram operatur. Vbi enim non est lex: nec præuaricatio. Ideo ex
fide: vt secundum gratiam firma sit promissio omni semini, non ei quod ex lege est solum, sed & ei quod
ex fide est Abrahæ, qui pater est omnium nostrum, sicut scriptum est: Patrem multarum gentium posui Gene.17.a
te, nempe [d] ad exemplum Dei, cui crediderat, [e] qui viuificat mortuos: & vocat ea, quæ non sunt, tan-
quam sint: qui contra spem in spe credidit, vt fieret pater multarum gentium secundum quod dictum est:
D Sic erit semen tuum. Et non infirmatus est fide: nec considerauit corpus suum iam emortuum, cum iam Gene.25.b
ferè centum esset annorum, & emortuam vuluam Sarræ. In promissione vero Dei non hęsitauit diffiden- Gene.13.d
tia: sed confortatus est fide, dans gloriam Deo: plenissime sciens, quòd quæcunque promisit Deus, po- &.15.b
tens est & facere: Ideo & reputatum est illi ad iustitiam. Non est autem scriptum tantum propter ipsum,
quod reputatum est illi: sed & propter nos, quibus imputabitur credentibus in eum, qui suscitauit IESVM
CHRISTVM Dominum nostrum à mortuis, qui traditus est propter delicta nostra, [f] resurrexit propter
iustificationem nostram.

SCHOLIA.

[a] Quid ergo dicemus inuenisse Abraham?] *Dixi, non abrogare nos legem, per introductionem fidei, sed stabilire, nam fides fundamentum est quoddam circūcisionis quod adeo sic cognoscite. Exordiamur enim (inquit) ab ipsa origine, vnde profecta circuncisio est, & nusquam inueniemus ipsum Abraham vestri generis authorem, iustificatum ex facto legis, Vt gloriam ex eo habuerit apud Deum, sed tantum apud homines, qui cum cernerent signum illud in eo circuncisionis, iustum illum quidem esse virum intellexerunt, & gratum Deo, sed iam antea apud Deum fuerat iustificatus, nam scriptum est. Credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam.* [b] Ei autem, qui operatur.] *Hunc locum facilius intelliges, si cogites, id, quod dicitur, ex fide, & quod dicitur, secundum gratiam idem esse hoc pacto. Ex fide iustificari, est sine operibus iustificari: sine operibus vero, est secundum gratiam. Quare iustificari ex fide, est iustificari secundum gratiam. Vnde alibi ait, ideo ex fide, Vt secundum gratiam. Dicamus ergo, si facto aliquo iustificatus esset, non diceretur fide iustificatus, & ex illa fide (hoc est enim secundum gratiam) mercedem accepisse, sed ex debito aliquo, quod factum sequitur, sed cum non fit mentio alicuius facti sed tantum fidei in Deum, qui iustificat impiū, profecto fides illa imputatur ad iustificationem. Et testimonium Dauid profert, qui cum illa scriberet verba, cernebat futuram hanc ex fide iustificationem. Cum enim dixit beatum esse cui non imputauerit Deus peccatum, quæ est declaratio superiorum verborum, nomen imputationis excludit opera, & significat gratuitam condonationem, aliuqui de eo qui operibus fecisset satis, non apte diceretur, non imputari illi peccata, quod idem in exoluendis debitis pecunijs vsu venit. Atque Vt omnem iam tum auferret Deus vobis gloriandi in factis legis occasionem, ecce iustificationem hanc obtigisse Abrahæ, dum adhuc esset in præputio. Circuncisionem ergo illam accepit, nō Vt iustificaretur, sed Vt signum esset hominis iam iustificati, & grati Deo: quod si cogitaretis, non tanti faceretis circuncisionem, perinde quasi salutem, & iustificationem illa afferat, quam sola fides etiam ipsi Abrahæ cōtulit: præterea iustificatio illa ex fide, quæ fuit in præputio, significauit, hunc Abraham futurum patrem omnium, qui in præputio crederent, Vt imputetur & illis eadem iustitia: & illud nomen, pater circuncisionis, non ad vos solum referretur, verum ad omnes etiam, qui sequerentur vestigia fidei, quæ fuit in præputio patris nostri Abrahæ.* [c] Non enim per legem.] *Promissio (inquit) illa, quæ facta est Abrahæ, ac semini eius, nō ex lege profecta est, sed ex iustitia fidei, quam promissionem si à lege expectatis, videte quanto vosmetipsos in discrimine constituatis, nam abrogata fide, abrogatur, & iustificatio, & promissio, quæ fidem sequebantur: tantum remanet ira, atque vltio, proprium opus legis, nam vbi audis legem, mox intelligis transgressionem, quā lex vlciscatur: necesse est ergo, Vt fidei ac gratiæ innitare, si firmam tibi esse velis promissionem, quæ promissio etiam ad gentes esset proferenda, quæ imitatione fidei patrem habituræ essent Abraham. nā iccirco in præputio ex fide est iustificatis.*
[d] Ad exemplum Dei, cui crediderat.] *Vt scilicet, quemadmodum Deus, non particularis quorundam, sed omnium est Deus, sic & Abraham omnium pater.* [e] Qui viuificat mortuos.] *Credidit (inquit) Abrahā promittenti Deo, cum scivet, Deum non solum ex sterilibus, & effœtis posse fœcundos homines facere, Verum etiam à mortuis excitare, & quæ non sunt, vocare, quasi sint, Vt minus miremini Vos gentes etiam ad fidem accersendas, quas ita contemnitis, perinde quasi nihil sint.* [f] Et resurrexit propter iustificationem nostram.] *Nam eius resurrectio declarauit illum esse Deum, à quo essemus iustificati, resurrectio ergo fidem fecit nostræ iustificationis: Vel etiam sic, nō ob hoc sua fecit peccata nostra, dum moriendo eorum pœnas dedit, Vt nos teneret ipse obnoxios morti, verum Vt iustificaret, viuificans nos, qui mortui ob peccatum fueramus. Et vide, Vt remissionem peccatorum ad mortem, interiorem autem renouationem, quæ fit per infusionem charitatis ad resurrectionem Christi retulit. nam exortus nouæ vitæ, quædam est resurrectio.*

Caput

CAPVT V.

IVstificati ergo ex fide [a] pacem habeamus ad Deum per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: A
per quem & accessum habemus per fidem in gratiam istam, in qua stamus & gloriamur in [b] spe gloriæ
Iacob.1.a Dei. Non solum autem: sed & gloriamur in tribulationibus: scientes quòd tribulatio patientiam opera-
Hebr.9.d tur, patientia autem probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit: quia [c] charitas Dei effu-
1.Petr.3.c sa est in cordibus nostris per spiritum sanctum qui datus est nobis. [d] CHRISTVS enim cum adhuc in-
firmi essemus, secundum tempus pro impijs mortuus est. Vix enim pro iusto quis morietur: nam pro bono
forsitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem suam Deus erga nos: quòd cum adhuc peccatores B
essemus, CHRISTVS pro nobis mortuus est. [e] Multo igitur magis, nũc, iustificati in sanguine ipsius, sal-
ui erimus ab ira per ipsum. Si enim cum inimici essemus, recõciliati sumus Deo per mortem filij eius: mul-
to magis reconciliati, [f] salui erimus in vita ipsius. [g] Nõ solum autem hoc: sed & gloriamur in Deo per Do-
minum nostrum IESVM CHRISTVM, per quem nunc [h] reconciliationem accepimus propter hoc
sicut per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes ho-
mines mors pertransit [i] in quo omnes peccauerunt. [k] Vsq; ad legem enim, peccatum erat in mundo, pec- C
catum autem non imputatur, cum lex non est. [l] Sed regnauit mors ab Adam vsq; ad Moysen, etiam in eos,
qui non peccauerunt in similitudinẽ præuaricationis Adæ, qui est forma futuri. [m] Sed non sicut delictum,
ita & donũ. Si enim vnius delicto, multi mortui sunt: multo magis gratia Dei & donum, in gratia vnius ho-
minis IESV CHRISTI in multos abundauit. [n] Et sicut per vnum peccantem, ita & donum: nam iu-
dicium quidem ex vno, in condemnationem: donum autem ex multis delictis, in iustificationem. Si enim
vnius delicto, mors regnauit per vnum: multo magis abundantiam gratiæ et donationis iustitiæ accipientes, D
in vita regnabũt per vnum IESVM CHRISTVM. Igitur sicut per vnius delictum, in omnes homines
in cõdemnationem, sic & per vnius iustitiam, in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per in-
obedientiam vnius hominis, peccatores constituti sumus multi: ita & per vnius obeditionẽ, iusti constituẽ-
tur multi. [n] Lex autem subintrauit, vt abundaret delictum. Vbi autem abundauit delictum, superabunda-
uit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in morte: ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per
IESVM CHRISTVM.

SCHOLIA.

[a] Pacem habeamus ad Deum.] *Adhærentes eius præceptis, neque hanc oppugnantes veritatem, quam per filium suum aperuit.* [b] In spe gloriæ.] *In spe consequendæ gloriæ diuinæ, sicut iustitiam consecuti iam sumus.* [c] Charitas Dei effusa est.] *Declarauit Deus, quãta nos charitate prosequatur, per spiritum suum sanctum nobis datum, qui in nostris cordibus id agit, vt vere nos intelligamus adoptatos esse in filios Dei.* [d] CHRISTVS enim cum adhuc.] *His, inquit, argumentis fidem facit spiritus sanctus in cordibus nostris, diuinæ erga nos charitatis, quòd, si, cum essemus imbecilli, vt erigi nequiremus, & impy præterea, vt etiam Deum, bonorum omnium authorem auersaremur: Christus secundum tempus, hoc est, suo & statuto tempore (quem loquendi modum habes Ioannis quinto, vbi ait, angelus Domini descendebat secundum tempus in piscinam,) mortuus est pro nobis sic impijs, cum vix quisquam pro viris probis moriatur, multo nunc magis iustificati per sanguinem eius seruabimur.* [e] Multò igitur magis nunc.] *Si inimicitiarum (inquit) tempore tam benignus fuit Deus erga nos, cur non multò magis futurus est factus iam amicis?* [f] Salui erimus in vita ipsius.] *In resurrectione illius ad vitam: Reconciliationẽ enim morti Christi tribuit, salutem autem resurrectioni.* [g] Non solum autem.] *Parum est, inquit, sperare, nam gloriamur etiam in Deo, neq; pudet nos sine illis factis vestræ legis, apparere in conspectu eius.*
[h] Reconciliationem accepimus propter hoc.] *Omnino, inquit, seruabimur à Deo, non solum ob ea, quæ acta sunt, verum etiam propter hoc, quòd scilicet, & possibile est, & rationi consentaneum, ac consequens, quo id pacto tandem? exemplum ex re contraria accipe, nam per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & ipsa mors: si ergo per vnum hominem hæc nobis mala contigerunt, quod videtur parum esse rationi consentaneum, nónne magis consequens est, magis q; possibile, vt per vnum hominem Dominum nostrum Iesum Christum, & introducta mala destruantur, & nos meliore in statu collocemur? nam magis æquum videtur, vt alter gratia alterius seruetur, quàm vt ob vnius peccatum alter plectatur.*
[i] In quo omnes peccauerunt.] *In eo simul morimur, in quo & simul peccauimus, & ille quidem principium præbuit. & causam, nos vero inde occasione accepta non prohibuimus malum, sed effecimus, vt longius etiã progrederetur.* [k] Vsq; ad legem enim.] *Dixerat, per legem notitiam esse peccati, & vbi non sit lex, ibi ne præuaricationem quidem esse, cum vero nunc dixerit, peccasse homines ab ipso initio, nequis arbitraretur, illum sibimet cõtraria dicere, declarat, quo id pacto sit intelligendum, fuisse scilicet peccatum ab exordio hominum vsque ad legem, sed legem id efficere, vt imputetur peccatũ, quod aliter non intelligitur, si illa non adsit. Loquitur autem de ipsa legis natura per se hoc loco & plerisque alijs, siue illa lex Mosis sit, siue naturæ, siue cuiuscunque alterius.* [l] Sed regnauit mors.] *Potestatem ingentem exercuit mors etiam in eos, qui non in similitudine præuaricationis Adæ peccauerunt, quousque? Vsque ad Mosen, Nam qui inter Adam & Mosen fuerunt, peccauerũt quidem, sed non in similitudine præuaricationis Adæ, nam ille quidem præceptum, & legem à Deo latam transgressus est, at ij, qui ante Mosen peccauerunt, nullã acceperunt expressam ab aliquo legem, sed peccabant, dum rationem naturæ magistram contemnebant. Sed post latam à Mose legem, quicunq; peccauerunt, in similitudine præuaricationis Adæ peccauerunt, qui fuit figura illius futuri Adæ, sed opposita similitudine. Alij intelligunt, eos, qui non peccauerunt, infantes, qui actu non peccauerunt. Sunt qui putant his verbis ineptè hyperbaton, & hunc debere esse ordinem atq; cõtextum Regnauit mors in similitudinem præuaricationis Adæ, etiam in eos qui non peccauerunt.* [m] Sed non sicut.] *Multo maiorem fatebere vim habere gratiam Dei, quàm vnius hominis delictum. Gratia autem & donum opponuntur peccato & morti. Si ergo impotentia vnius mortui sunt multi, multo magis gratia Dei & donum, id est potentia Dei abundauit in plures.*
[n] Et non sicut.] *Nam si vnum vnius viri peccatum tantum effecit, quid tam multa tot hominum peccata non valeãt? sed gratia tamen Dei vna, & vnum illud, et cætera omnia aboleuit, & iustificationem præterea, atq; æternã attulit vitam.*

[n] Lex

[n] Lex autem subintrauit.] *Cum meminisset peccati Adæ, & dixisset, gratiam Christi, & illud, et reliqua omnia aboleuisse: diceret fortasse Iudæus: quid? nihil profecit lex? cui respondet, id profecisse, vt ex hac legis occasione, peccatum augeseret. Diuine profecto, atque opportune.*

CAPVT VI.

A QVid ergo dicemus? [a] Manebimus in peccato, vt gratia abundet? Absit. Qui mortui sumus pecca-
to, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis, quòd quicunque baptizati sumus in CHRI-
STVM IESVM, in mortem ipsius baptizati sumus? Cõsepulti ergo sumus cum illo per baptis- Galat.3.d
mum in mortem: vt quomodo CHRISTVS surrexit à mortuis per gloriam patris, ita & nos
in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius: nimirum & resurre- Hebr.12.a
ctionis erimus: hoc scientes q̃ vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur [b] corpus peccati, vt vltra 1.Pet.2.a
B non seruiamus peccato. Qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Si autem mortui sumus cũ CHRI- Ephes.4.e
STO: credimus q̃ simul etiam viuemus cum illo: scientes q̃ CHRISTVS resurgens ex mortuis iã non Colos.3.b
moritur: mors illi vltra non dominatur. [c] Quòd enim mortuus est, peccato mortuus est semel: q̃ autem vi-
uit, viuit Deo. Ita & vos existimate, vosipsos mortuos quidẽ esse peccato: viuentes autẽ Deo in CHRISTO
IESV Domino nostro. Nõ ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore: vt obediatis ei in cõcupiscen-
tijs eius. Neq; exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato: sed exhibete vos Deo, tãquam ex mortuis
C viuentes: & membra vestra, arma iustitiæ Deo. Peccatum enim vobis non dominabitur: [d] non enim sub le-
ge estis, sed sub gratia. [e] Quid ergo? Peccabimus: quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Absit. An Ioan.8.d
nescitis, quòd cui exhibetis vos seruos ad obediendũ, serui estis eius cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue 2.Petr.2.d
obeditionis ad iustitiam? Gratia autem Deo, quòd fuistis quidem serui peccati, obedistis autem ex corde, in
eam formam doctrinæ in quam traditi estis. Liberati autem à peccato, serui facti estis iustitiæ. [f] Humanum
dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ & ini-
D quitati, ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ, in sanctificationem. Cum enim ser-
ui essetis peccati, liberi fuistis iustitię. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis?
Nam finis illorum mors. Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habetis fructũ vestrum in san-
ctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati mors: [g] gratia autem Dei, vita æterna in
CHRISTO IESV Domino nostro.

SCHOLIA.

[a] Manebimus in peccato, vt gratia abundet?] *Expertus erat Paulus, cogitationes hominum facile ad vitium inclinare, iccirco hæc ipse sibi obycit, ac soluit, in quam sententiam etiam tertio capite quædam dixit, cum reprehẽderet illud: faciamus mala, vt veniant bona. Quia ergo dixerat, vbi abundauit peccatum, superabundauit & gratia, ne stulti sibi hæc sumerent tanquam incitamentum ad malum, auersatur hanc sententiam: quo pacto, inquiens, expectari vita à peccato potest, propter quòd vnum introducta est mors? aut quam ob causam in baptismate figura facta est mortui, nisi vt posthac mortui peccato, iustitiæ viuamus? Quanquam illud, qui mortui sumus peccato, significare potest, reliquimus peccatum, & tanquam illi mortui sumus, vt non posthac in illo sit viuendum.* [b] Corpus peccati.] *Periphrastico, ipsum peccatum, hoc est, vt totum prorsus ociosum, & iners penitus sit. Quo vero pacto aboletur? nobis eo non retentibus. At vsus eius quid agit? seruos efficit: iccirco ait, ne posthac seruiamus peccato.* [c] Quod enim mortuus est.] *Quòd semel (inquit) mortuus est, non velut obnoxius morti, id egit, more hominum cæterorum, sed ad abolendum peccatum mundi. Sed quòd viuit, id propriũ eius est, quippe qui Deus sit, & ea vita, quæ Dei propria est, hoc est infinita, atque perpetua, deinceps viuit, quem & vos imitari oportet, vt semel mortui peccato, vita illa viuatis, quæ illi cœlesti, atq; immortali est admodũ assimilis.* [d] Non enim estis sub lege.] *Nunc (inquit) non est tantum lex, quæ præcipiat, verum etiam gratia, quæ opituletur. Imbecillum est nũc peccatum, neque dominari valet, nisi vos vestra inertia sponte ad illud inclinetis, Et hic quoque naturam ipsam aspicit legis, cuius opus tantum est præcipere, & prohibere. Et vide, vt per interualla, quasi iacula quædam contorqueat, ne perpetua oratione Iudæum irritet, idq; dum ille assuescat audiendis hisce rationibus.* [e] Quid ergo? peccabimus.] *Dices (inquit) Si peccatum non imputatur, cum lex non est, ergo nunc, cum sub lege non sumus, impune peccabimus? nullo modo id licet, sub tam miseram iterum agi seruitutem.* [f] Humanum dico.] *Humanum hic exiguum significat, & est sensus: proposui vobis ex æquo similitudinem seruitutis & libertatis, peccati et iustitiæ, dum me ad imbecillitatem vestram demitto, vt quo studio seruistis peccato, eodẽ iustitiæ seruiatis, sed reuera multo alacriore animo, ac studio maiore debet quis in virtutem incumbere, quæ bona omnia secum affert, quàm antea vitys hæserat, quæ tamen nihil aliud, quàm interitum afferunt sempiternum.* [g] Gratia autem Dei.] *Expectabatur, vt, cum dixisset, stipendia peccati, redderet par pari, hoc est, stipendia iustitiæ, sed pro eo dixit, gratia autem Dei: nam rectè factis nostris nullum debetur stipendium, cum munera sint Dei.*

CAPVT VII.

A [a] AN ignoratis fratres (scientibus enim legem, loquor) q̃ lex in homine dominatur quanto tempore
viuit? Nam quæ sub viro est mulier, viuenti viro alligata est per legem: si autem mortuus fuerit vir, 1.Cor.7.g
soluta est à lege viri. Igitur viuente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: si autem mortuus
fuerit vir: liberata est a lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Itaque fratres mei, & [b] vos morti-
ficati estis legi per corpus CHRISTI, vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo.
[c] Cum enim essemus in carne, passiones peccatorum, quæ per legem erãt, operabantur in membris nostris,
B vt fructificarent morti: [d] nũc autem soluti sumus à lege, mortui ei, in qua detinebamur: vt seruiamus in no-
uitate spiritus, & non in vetustate literæ. Quid ergo dicemus? [e] Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non
cognoui, nisi per legem: nam & concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret: Non concupisces. Occasione Exod.20.c
autem accepta, peccatum per mãdatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim pec- Deut.5.b
catum mortuum erat. [f] Ego autem viuebam sine lege aliquando. Sed cum venisset mandatum, peccatum

reuixit:

reuixit:ego autem mortuus sum:& inuētum est,mihi mandatum,quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem. C
Nam peccatum,occasione accepta per mādatum,seduxit me:& per illud occidit. Itaq; lex ipsa quidem sancta, & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Quod ergo bonum est, mihi factum est mors? Absit. Sed peccatum, [g] vt appareat peccatum,per bonum operans mihi mortem: [h] vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum.Scimus enim,quòd lex spiritualis est: [i] ego autem carnalis sum, vænundatus sub peccatum. [k] Quod enim operor:non intelligo:non enim quod volo, hoc ago:sed quod odi, illud facio. Si autem quod nolo,illud facio:consentio legi quòd bona est.Nunc autem iam non ego operor illud:sed quod habitat in me peccatum.Scio enim quòd non habitat in me,hoc est,in carne mea,bonum. Nam velle adia- D
cet mihi:facere autem bonum,non inuenio.Nō enim quod volo bonum,hoc facio: sed quod nolo malum, hoc ago.Si autem quod nolo,illud facio:iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. [l] Inuenio igitur legem,volenti mihi facere bonum:quòd mihi malū adiacet.Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem:video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati,quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratias ago Deo per IESVM CHRISTVM Dominum nostrum. [m] Igitur ego ipse mēte seruio legi Dei:carne autem,legi peccati.

SCHOLIA.

[a] An ignoratis fratres.] *Dudum dixerat,non enim estis sub lege,sed diuertere mox aliquantum ei opus fuerat, nunc ad illud redit,& conferre iam incipit manus,& comminus vti gladijs,cum hactenus hastis eminus sit vsus. Dixeram,inquit, vos non esse sub lege,quod nunc rationibus,quæ lege vestra nituntur, vobis probabo. Non ignoratis legem dominari homini &c.* [b] Et vos mortificati estis legi.] *Vide sapietiam Pauli. Ratio similitudinis erat, vt,cum dixisset, mulierem viro mortuo posse alteri adhærere,concluderet,nos eodem modo,mortua lege, quasi viro (nam Græca vox νόμος masculini est generis) Christo esse copulatos,sed fuisset nimis graue Iudæo audire,mortuam esse legem,quare maluit dicere,eos mortuos legi,loquitur enim ad fideles.* [c] Cum enim essemus in carne.] *Ante,quàm agnosceremus hanc gratiam (hoc enim est esse in carne) vitiosi affectus,qui per legem accipiebant incrementum,vt alibi dictum est,acrius agebāt in nobis, vt hinc fructum potius mortis quàm vitæ ferremus.* [d] Nunc autem soluti sumus à lege.] *Et hic deuitat id,quod graue fuisset,nam vbi dictum est,κατηργήσθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου,dicendum erat,κατηργήσθη ὁ νόμος, hoc est, abolita est lex, & is proprius erat verbi vsus. Nobis ergo adpertius intelligendum,sic est interpretandum,vt mens erat Pauli: Nunc cum venit hæc gratia,ociosa facta est lex,quæ dari solet ijs,qui seruili animo sunt,nec nisi minis cohiberi à sceleribus possunt, hæc enim vetustas literæ qua non egent ij,qui sub gratia iam sunt. In hoc autem totus incūbit (quod antea diximus) vt doceat, legem non esse omnino necessariam,quod Iudæi opinabantur.* [e] Lex peccatum est?] *Hoc ipse sibi obycit, quia dixerat, affectus peccatorum per legem esse, vt doceat,quo sensu sit intelligendum. Ait ergo,non dico,legem esse peccatum:sed hoc dico,naturam legis cuiuscunque esse hanc vnam & propriam,indicare,quæ fugienda quæue sequēda sint, neque opem vllam aliam afferre homini. Hæc autem non ijs proponuntur,qui iam exercitatos habeant sensus,et qui inculpata sint vita,sed ijs, qui facile deflectant in vitia,at q; id quidem vtilitatis eorum gratia fit, vt freno quasi quodam cohibeantur: sed vsu venit, vt ij,qui nondum id assecuti sunt, vt studio virtutis vitium auersentur,dum eis prohibetur id,quod amant, cū legem illam transiliūt,quasi cancellos, qui sibi circundati sint,deteriore sint conditione,quàm si nulli termini essent illis circūscripti. Quod siquis queratur, vt dicat,illum,qui eos cancellos sibi circundedit,causam fuisse,cur peccaret,iniuste queratur,& tamen illa cancellorum circundatio,nihil ei profuit, qui omnino voluerit extra illos egredi,sed potius(non sua tamē, sed egredientis culpa) occasio facti sunt culpæ grauioris. Apte autem,cum de natura legis loquitur,pro exemplo,præceptum proponit, vt, non concupisces,cum vero de eius necessitate vsus,meminit plurimum circuncisionis, vt,cum edocti fuerint, quæ sit propria eius vis,atque natura,tum demum intelligant,illius vsum nequaquam esse necessarium. Arbitror,ex his satis intelligi,quid hoc capite,atque adeo tota epistola velit Paulus, cum de hac re disputat,ne singulas clausulas,ac verba interpretātes, scholia mutemus commentarijs.* [f] Ego autem viuebam sine lege.] *Induit personam eorum,qui ante legem fuere.* [g] Vt appareat peccatum.] *Peccatum (inquit) per mandatum factum est mihi mors. Vt appareat, quam vehemens sit res peccatum,quàm impudens,quàm scelerata,quæ re bona ita abutatur, vt vertat in damnū.* [h] Vt fiat supra modum peccans peccatum.] Ἁμαρτολὸς ἁμαρτία,peccatum peccator,hoc est, vt agnoscatur, quàm sceleratus peccator sit hoc peccatum, & quàm pestifera res,dum per mandatum,rem salutiferam, exerit virus suum. Dat enim personam peccato.* [i] Ego autem carnalis sum.] *Et hic assumit personam hominis qui obnoxius affectibus vitiosis, nondum gratia Christi sit liberatus. Spiritualem autem legem appellat, quia inuitat ad facta spiritus.* [k] Quod enim operor non intelligo.] *Ita surrepit peccatum, vt ferè ignorem,quid mihi accidat.nā est vis rationis nobis insita,natura sua auersatur male facta, hoc enim est,quod ait,non quod volo,& consentio legi,& non ego operor illud, & talia,peccatum tamen & vitiosi affectus illi, qui in me habitant,impellunt me, vt ea faciam,quæ ego auersor,hoc est,ratio,quæ verus est homo. Hac autem ratiocinatione indicat, quàm fuerit Christi gratia necessaria & quam nihil potuerit lex.* [l] Inuenio igitur legem.] *Ordo verborum obscurus est, verum sic dicamus: Ex ijs (inquit) quæ dixi,& ex ijs,quæ contemplor,hoc mihi inuenio esse concludendū,quòd scilicet lex,sit lex quidem ad bonum, volenti mihi,hoc est,si velim bonum facere,at q; hoc solum donet,cætera malum inuenio æque mihi adiacere, vt nihilo melior ex lege fiam,quin potius damnum faciam. Inuenio ergo legem bonam, si velim bonum facere,sed cur non facio? quia malum mihi adiacet, vel inuenio legem ad id,quod conor,nihil iuuantem, sed officientem potius,quia malum mihi adiacet.* [m] Igitur ego ipse.] *Ergo,inquit,concluditur, legem esse spiritualem & bonam,sed nihil mihi prodesse,quia obnoxius sum legi peccati.*

CAPVT VIII.

Na Ihil ergo nunc damnationis est ijs qui sunt in CHRISTO IESV: qui non secundum carnem A
ambulant sed secundum spiritum.Lex enim spiritus vitæ in CHRISTO IESV, liberauit meà
lege peccati & mortis. [b] Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus
filium

filium suum mittens [c] in similitudine carnis peccati, [d] de peccato damnauit peccatum in carne,vt iustificatio legis impleretur in nobis,qui non secundum carnem ambulamus,sed secundum spiritum.Qui enim secundum carnem sunt:quæ carnis sunt,sapiunt:qui vero secūdum spiritum sunt:quæ sunt spiritus.Nam affe-
B ctus carnis,mors est:affectus autem spiritus,vita & pax:quoniam affectus carnis,inimicitia est in Deum,legi enim Dei non est subiecta, [e] nec enim potest.Qui autem in carne sunt,Deo placere nō possunt. Vos autem in carne non estis,sed in spiritu:si quidem spiritus Dei habitat in vobis.Siquis autem spiritum CHRISTI non habet:hic non est eius.Si autē CHRISTVS in vobis est: [f] corpus quidem mortuum est propter peccatum,spiritus vero vita est propter iustificationē.Quòd si spiritus eius, qui suscitauit IESVM à mortuis, habitat in vobis:qui suscitauit CHRISTVM à mortuis,viuificabit & mortalia corpora vestra, [g] propter
C inhabitantē spiritum eius in vobis. [h] Ergo fratres debitores sumus non carni, vt secundū carnem viuamus. Si enim secundum carnem vixeritis:moriemini: [i] si autem spiritu,facta corporis mortificaueritis:viuetis. Quicunq; enim spiritu Dei aguntur,ij sunt filij Dei.Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timorem:sed accepistis spiritum adoptionis filiorum,in quo clamamus abba, pater.Idem spiritus, testimonium reddit cum spiritu nostro quòd sumus filij Dei.Si autem filij:igitur & hæredes: hæredes quidem Dei:cohæredes autem CHRISTI: siquidem compatimur:vt & conglorificemur. Existimo enim quòd nō sunt pa-
D res passiones huius temporis, [k] ad gloriam quæ reuelanda est in nos. [l] Nam expectatio creaturæ:reuelationem filiorum Dei expectat.Vanitati enim creatura subiecta est,non volens,sed propter eum,qui subiecit eā in spe:quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quòd omnis creatura congemiscit,& simul parturit vsque adhuc. [m] Non solum autem illa,sed & nos ipsi primitias spiritus habentes,& ipsi intra nos gemimus adoptionem filiorum, expectātes redemptionem corporis nostri.Spe enim salui facti sumus.Spes autem quæ videtur:non est spes:nam quod videt quis, quid
E etiam sperat? Si autem quod non videmus,speramus:per patientiam expectamus. [n] Similiter autem & spiritus adiuuat infirmitates nostras:nam quid oraturi simus sicut oportet,nescimus: sed ipse spiritus [o] postulat pro nobis,gemitibus inenarrabilibus.Qui autē scrutatur corda, [p] scit quid desideret spiritus:quia secundum Deum postulat pro sanctis.Scimus autem quòd diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,ijs
q qui secundum propositum vocati sunt.Nam quos præscisit:etiam prædestinauit conformes imaginis filij sui, [r] vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.Quos aūt prædestinauit:hos & vocauit:& quos vocauit:hos
F & iustificauit:quos autē iustificauit:illos & glorificauit.Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio nō pepercit:sed pro nobis omnibus tradidit illum:quomodo nō etiam cum illo omnia nobis donabit? Quis accusabit aduersus electos Dei? Deus qui iustificat. Quis est qui condemnet? CHRISTVS est qui mortuus est,immo qui & resurrexit,qui & est ad dexteram Dei, [s] qui etiā interpellat pro nobis. [t] Quis nos separabit à charitate Dei? Tribulatio? an angustia? an persecutio? an fa-
mes? an nuditas? an periculum? an gladius? sicut scriptum est, propter te mortificamur tota die: æstimati Psal.43.d
G sumus sicut oues occisionis.Sed in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Certus sum enim quòd neque mors,neque vita,neque angeli,neque principatus,neque virtutes,neque instantia,neque futura, neq; altitudo,neque profundum,neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in CHRISTO IESV Domino nostro.

SCHOLIA.

[a] Nihil ergo nunc damnationis.] *Cum scilicet per Christum soluti sumus à lege,et seruiamus in nouitate spiritus, litera enim legis sine lege spiritus, quid agit aliud, quàm vt occasio sit peccati ac mortis?* [b] Nam quod impossibile erat legi.] *Qua parte lex erat imbecilla ob affectus carnis. Volebat, inquit,lex seruare,sed non valebat, nam illius vires vsque eo non porrigebantur.* [c] In similitudine carnis peccati.] *Non in similitudine carnis,sed carnis peccati,nam per omnia similes nostri facti sumus est,absque peccato.* [d] De peccato damnauit peccatum.] *Dat corpus de more Paulus rei incorporeæ. Finge igitur peccatum personā esse quandam,quæ rea peccati facta sit:fecit (inquit) & declarauit personam hanc peccati,obnoxiam esse maximo scelori,& damnauit eam magni criminis, vt merito aboleatur, & perdatur, & e regno ac sede deiciatur sua,atque id fecit, vt iustificatio legis,quam ipsa lex præstare non poterat, & quæ ipsi legi deerat, impleretur in nobis,dum per fidem in Christum afficimur rectæ & honeste vitæ,non iam metu legis,sed ob amorem huius agnitæ veritatis,quod non faciunt,qui solo legis imperio feruntur.* [e] Nec enim potest.] *Affectus carnis,qui res est vitiosa, dicitur non subijci Deo,nec posse,nam eius natura non admittit.* [f] Corpus quidem mortuum est,propter peccatum.] *Quatenus scilicet non peccat,dicitur q; eo modo mortuum, quo alibi Paulus ait,mortificate membra vestra, quæ sunt super terram,at hæc mors vita est spiritus.* [g] Propter inhabitantem spiritum.] *Nefas enim est, vt ea corpora, quæ inhabitantem spiritum Dei habuerunt, in morte perdurent.* [h] Ergo fratres debitores sumus.] *Remittit seueritatem disputationis,& refocillat adhortationibus,ac promissis, vt post ad ea, quæ restant,tractanda dogmata redeamus alacriores.*
[i] Si autem spiritu.] *Si spirituali hac gratia,et de benignitate Christi concepta fiducia,fortiter fueritis vsi cōtra carnis impetus, viuetis,& causam reddit,quod scilicet homines eiusmodi,sunt filij Dei, quos nimirum decet vita, quòd verò etiam sint filij Dei, probat & spiritu adoptionis accepto.* [k] Ad gloriam quæ reuelanda est in nos.] *Non dixit (ait Chrysostomus) ad futuram gloriam (quod antea habebat editio) sed ad gloriam, quæ reuelanda est, vt intelligas,nunc quidē etiam esse illam gloriam paratam,sed latere,suo tempore aperiendam,nam quod reuelatur,erat quidem etiam antea,quàm reuelaretur. Sed interpres Græcissimum videtur non animaduertisse,nam quod nos dicimus,reuelandam, illi dicunt, futuram reuelari,μέλλουσαν ἀποκαλύφθῆναι.* [l] Nam expectatio creaturæ.] *Ἀποκαραδοκία,ingens expectatio. Dat autem sensum rei,quæ sensu careat,qui & prophetarum mos est, vt illud. Iubilate montes laudem, et Montes exultauerūt, vt arietes.*
[m] Non solum autem illa.] *Nihil mirum,creaturam congemiscere, quæ nullam adhuc partem illius libertatis adepta est,quando nos quoque,qui primitias quasdam delibauimus,& gustum aliquem spiritus,ingemiscimus,atque id tāto magis,*

quanto

quanto nos auidiores ille gustus facit. Nam, si primitiæ spiritus tam ingentes sunt, vt miracula fiant ex sola vmbra, qualis erit illa perfectio ac plenitudo? Vel primitias spiritus intelligit spiritum innouantem, quem accipimus cum initio viuificamur, quibus etsi experimentum Christi in nobis habitantis simus assecuti, tamen adhuc intra nos gemimus &c. [n] Similiter autem & spiritus adiuuat.] *Refertur ad id, quod dixerat, per patientiam expectamus. Ne existimes (inquit) te in illa patientia laboraturum, neque enim sinet te spiritus iste defatigari, nā debiles nos sumus, neque sine auxilio spiritus, quicquam possumus, vt, ne, quid oraturi quidem simus, intelligamus.* [o] Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.] *Intelligit hic donum spiritus, nam olim differentes gratias multi accipiebant, prophetiæ, interpretationes linguarū, quæ dona appellabantur & ipsa spiritus. Inter hæc dona, erat & donum precum, vt pro populo præcaretur, qui tale munus accepissent. Hoc itaque donum, spiritum hic vocat, dum spiritus sanctus illo munere largiebatur, vt illi maximis gemitibus interpellarent.* [p] Scit quid desideret spiritus.] *Quomodo sit intelligendum illud, scit, declarant verba sequentia, quia secundum Deum postulat pro sanctis, quod enim secundum Deum est, id propriè sciri à Deo dicitur, iccirco damnandis dicturus est, nescio vos.* [q] Qui secundum propositum.] *Propositum illud ambiguum est, vtrum referatur ad Deum, an ad homines, qui electione virtutis, Deo vocanti obtemperent, quæ res etiam verba, quæ sequuntur, reddit ambigua. Lites autem quæ excitari ex hoc & eiusmodi locis solent, data opera declinamus, vt parum vtiles, cum his ferè ad curiositatē duntaxat abutamur. Quod autem ad hunc locum pertinet, Græci, præsertim Chrysostomus, illud, secundum propositum, referunt ad homines, qui vocantur & à communi in sequentibus volunt intelligi, vt sic dicatur, qui secundum proprium ipsorum propositum & obedientiam, vocati sunt, & quos secundum hoc propositum præsciuit, etiam prædestinauit &c.* [r] Vt sit ipse primogenitus.] *Declaratio est eius quod dixit, conformes imagini filij sui, vt scilicet eam formam & gloriam habeant qua agnoscantur fratres Christi inter quos ipse sit primogenitus.* [s] Qui etiam interpellat.] *Hoc dixit vt declaret illum priorem adhuc seruare charitatem erga nos, & ne putares, in hoc verbo quicquam diminui de filij maiestate, præmisit æqualitatem, dicens, qui est in dextera Dei?* [t] Quis nos separabit à charitate Dei?] *Quæ, vt mox dicet, est per Christum Iesum, hoc est, per ostensam in eo charitatem erga nos, quæ tanta fuit, vt nullæ quamuis maximæ, neque pœnarum minæ, neque pollicitationes, etiam imperium in ipsas cœlestes potestates, vel siquid aliud excogitari potest (nam multa per hyperbaton dicta hic sunt) neque debeant neque possint nos ab ea separare. Vtraque ergo hic charitas intelligenda est, & qua Deus nos dilexit, et qua nos tenemur eum diligere.*

CAPVT IX.

V[a]Eritatem dico in CHRISTO, non mentior, testimonium mihi simul perhibente conscientia A
mea in spiritu sancto, quòd tristitia mihi magna est & cōtinuus dolor cordi meo. [b] Optassem enim
ego ipse anathema esse à CHRISTO pro fratribus meis, cognatis meis secūdum carnem, qui sunt
Israelitæ, quorum adoptio est, & gloria, [c] & testamēta, & legislatio, & cultus, & promissa, quorum patres, ex
quibus est CHRISTVS secūdum carnem, qui est super omnia Deus Benedictus in secula. Amen. [d] Non B
autem quasi exciderit verbum Dei. Non enim omnes qui ex Israel sunt: ij sunt Israel: neque quia semen sunt
Gene.21.b Abrahæ, omnes filij: sed in Isaac vocabitur tibi semen: id est, non qui filij carnis, hi filij Dei: sed qui filij sunt
Galat.4 promissionis, æstimantur in semine. [e] Promissionis enim verbum hoc est: Secundum hoc tempus veniam:
Gene.18.b & erit Sarræ filius. Non solum autem illa: [f] sed & Rebecca ex vno concipiens Isaac patre nostro. Cum enim C
Gene.25.c nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent aut mali, vt secūdum electionem propositum Dei maneret:
Gene.25.c [g] non ex operibus, sed ex vocante, dictum est ei: Maior seruiet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau
Malac.1.a autem odio habui. Quid ergo dicemus? [h] Nunquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Misere-
Exod.33.d bor cuius misereor, & miserebor quē miseror. [i] Igitur non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei. D
Exod.9.d [k] Dicit enim scriptura Pharaoni: In hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam: & vt annun-
tietur nomen meum in vniuersa terra. Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat. [l] Dicis itaq; mihi:
Esa.45.b Quid adhuc conqueritur? voluntati enim eius quis restitit? Atqui, ò homo, tu quis es, qui ex aduerso respō-
Hier.18.a des Deo? Nunquid dicet figmentum ei qui finxit: Qui me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti E
Sapiē.15.b ex eadem massa facere, aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? [m] Quòd si Deus volens
ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa irę aptata in interitum, &
vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Quos & vocauit, nos: non
Osee.2.d solum ex Iudæis, sed etiam ex gentibus, [n] sicut & in Osee dicit: Vocabo non plebem meam, plebem meam: F
1.Petr.2.b & non dilectam, dilectam: Et erit: in loco vbi dictum est eis: Non plebs mea vos: ibi vocabuntur filij Dei vi-
Osee 1.d uentis. [o] Esaias autem clamat pro Israel. Si fuerit numerus filiorum Israel tanquam arena maris, reliquiæ
Esa.10.c saluæ fient. Sermonem enim consumans, & abbreuians in æquitate: quia verbum breuiatum faciet Domi-
Esa.1.c nus super terram. Et sicut prædixit Esaias: [p] Nisi Dominus sabaoth reliquisset nobis semen: sicut Sodoma fa- G
cti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus. Quid ergo dicemus? Quòd gentes, quæ nō sectabantur iu-
stitiam, apprehenderunt iustitiam, iustitiam autem quæ ex fide est. Israel vero [q] sectando legem iustitiæ, in
Esaia.28.d legem iustitiæ non peruênit. Quare? Quia non ex fide: sed quasi ex operibus legis. Offenderunt enim in lapi
&.8.c dem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Syon lapidem offensionis, & petram scandali: & omnis qui
1.Petr.2.b credit in eum, non confundetur.

SCHOLIA.

[a] Veritatem dico in Christo.] *Absoluta, quantum epistolæ ratio pateretur, ea parte, quæ ad disputationem pertinebat, de lege, eiusq; vsu, & natura, ac necessitate, aggreditur aliam disputationem, de Iudææ gentis auersione, & lapsu, quam superius quidem visus est leuiter attigisse, cum ait: quid enim, si quidam non crediderunt? &c. sed cum non esset tam aptus ille locus, voluit hanc partem apostolus tantisper differre, dum de lege esset disputatum. Et vide, vt ipso dicendi principio quasi polliceatur, se rem & nouam, & magnam deinceps tractaturum. Testem appellat Christum huius rei, quam dicturus est: conscientiam item suam, & spiritum sanctum, vt fidem faciat audientibus. Nam dicturus de re, quæ maxime videretur infensa*

infensa Iudæis, cum & hactenus in refutanda legis fiducia fuisset vehementissimus, quod idem eam gentem torquere solerет, nequis forte suspicaretur, id eum suæ gentis odio facere, ante quàm ad narrationem descendat, ostendit quantū eis amicæ sit affectus, idq; iureiurando: quod non fecisset, nisi summa coactus necessitate. Quod autem ait, in spiritu sancto, vel addit etiam spiritus sancti testimonium, vel, quòd ipse spiritus Pauli sancte, ac sine dolo ad hoc affirmandū moueretur. [b] Optassem enim ego ipse anathema.] *Tantum abest (inquit) vt odio eos prosequar, vt, si fieri posset, optarim ipsa, quā à Christo expectamus (quo Christo nihil mihi charius est, ne cœlum ipsum quidem) felicitate priuari, & paratis ab eo ineffabilibus bonis, vt meo interitu, & æterno exilio salus Iudæis pararetur. Et Moses: Aut dimitte (inquit) eis noxam hanc, aut dele me de libro, quem scripsisti. Cernebat enim Paulus, omnes hunc Iudæorum lapsum admirari, & penè Deum incusare, cur quo tempore salus toti terrarum orbi proponebatur, eodem tempore alienigenæ admitterentur, filij regni extruderentur, quibus in primis fuisset promissus Christus. Sciebat solere homines facile, cum causas rerum non intelligant, queri de Deo, qui post tam ingentia promissa, quasi imposuerit genti Iudæorum. Has in Deum & Christum blasphemias audire, longe Paulo ipsa Geenna erat intolerabilius. Quocirca optasset, si suo interitu recōciliari potuisset hæc gratia, relegari à Christo, vt hæc gloria seruatæ Iudææ gentis ipsi Christo accederet. Dictio autem anathema, à rebus accepta est, quæ in templis suspēduntur, quæ Græce ἀνατήματα, Latine donaria vocantur. Vt ergo ea, quæ sic dedicata sunt, in vsus hominum iam non veniunt, sic qui ab ecclesiasticis alienus factus sit, in commercium hominum non admittitur. Hunc Paulus hoc nomine appellare consueuit, sed vsus dictionis à contraria significatione acceptus est.* [c] Et testamenta & legislatio.] *Per testamenta hic intelligit fœdera quæ pepigit Deus cum Iudæorum patribus & Hebræa gente. Atque hoc maxime Iudæorum quàm plurimos auocabat à fide, quod persuadere sibi non poterant, Deum, qui veracissimus in seruandis suis promissionibus sit, reliquisse peculiare semē Abrahæ, cui facta fuisset hæc promissio, & gentes elegisse, quæ omni promissione carerent, atque ita colligebant, hunc, qui ab apostolis prædicaretur minime esse illum Iudæis promissum Christum, sciebat item Paulus.* [d] Non autem quasi exciderit.] *Dixi (inquit) me dolere interitum fratrum meorum, neque id propterea dixi, quòd irrita sit facta promissio Dei, nam, si omnibus, quicunque ex semine Abrahæ profecti sunt, & ad eum sola carnis cognatione pertinent, illa tam ingentia promissa facta essent, recte admiraremur, sed longe aliter res habet. Non enim omnes, qui sunt ex Israel, ij sunt Israel, ille videlicet verus Israel, atque interior, & in quem proprie conueniat nomen istud, sic non omnes, qui sunt ex semine Abrahæ, continuo sunt filij, quod ipsa scriptura testatur, cum ait: In Isaac, hoc est, in filijs promissionis, non carnis, vocabitur tibi semen.* [e] Promissionis enim verbum.] *Hæc (inquit) promissio, & hic Dei sermo formauit Isaac & genuit, iam enim erat Abrahæ corpus emortuum, & emortua vulua Sarræ, sed efficax fuit Dei sermo, qui nunc quoque eodem exemplo filios pro missionis, id est, verum semen Abrahæ, & verum Israelem, non per carnis copulam, sed per aquam & spiritum sanctum quotidie generat.* [f] Sed & Rebecca.] *Fortasse suspicabimini (inquit) in Ismaele & Isaac hoc factum esse ob alterius ancillam matrem, ne seruile genus libero semini permisceretur. Verum vt intelligatis, hanc veri Israelis electionem ad iudicium solius Dei pertinere, non ad cognationem sanguinis, videte, huius rei exemplum præcessisse in gemellis fratribus, quos Rebecca vno partu protulit, & tamen electio Dei esse impares voluit, idq; ante etiam quàm ederentur in lucem, & mali aut boni quicquam egissent, vt omne os obstruatur, neque audeat quisquam vestrum conqueri, cur hos admittat, illos abijciat. Porrò quod ait, concipiens, in Græco est, κοίτην ἔχουσα, hoc est, cubile habens, honesto vocabulo cōcubitum signans.* [g] Non ex operibus.] *Vt vestra vos legis facta desinatis obijcere, quibus existimatis cæteros omnes præ vobis, ne homines quidē esse.* [h] Nunquid iniquitas apud Deum?] *Non propterea iniustus est Deus, quòd iudicio suo hæc administret. Quare? quia, si quibus benigne facit, aut si quos castigat eius sapientia ac iudicio relinquendum est, vt Pauli sensus hic sit. Non in geminis tantum infantibus id accidit, sed in tota Israelitica simul gente, qui cum omnes peccauissent, cum diuinos honores vitulo exhibuissent, aliqui tamen seorsum sunt misericordiam consecuti, neque hoc iniustitiæ Dei acceptum referimus, sed eius infinitæ sapientiæ qui corda nouit, qui finxit (ait) sigillatim corda eorum, qui intelligit omnia opera eorum, atq; iccirco solus sine errore tribuit cuique quod suum est, neque nostrum cum illius iudicio concordare potest, propterea, quòd imperiti nimium sumus recte iudicandi, & tanquam ignari alicuius artis, vt cognoscendorū lapidum, aut equorum eos plerunque probamus aut eligimus, quos periti in primis damnauissent ac reiecissent, itaque qui digni sint, quiue indigni solus Deus nouit, non quisquam hominum, etiam si multum sibi se aliquid scire persuadeant, sed eos sua sæpius fallit sententia, at, qui arcana mentis et cogitationis intelligit, ipse tuto dijudicat qui honore, aut qui pœna digni sint, & propterea multos, qui hominibus probi haberentur reijcit, contraque, qui mali existimabantur, hos honore suo est dignatus, vt significatio fieret, hanc selectionem debere, non ex seruorum suffragijs, sed Domini ipsius sententia proficisci.* [i] Igitur non volentis.] *Non dicat ergo Iudæus, debuisse se præ cæteris honore affici, quòd ipsius fuerit legislatio, & cultus. Velit quidem (moneo) & currat, sed non tamen in hoc fidat, neque iudicet, quantum ipsæ cæteris præstet, sed totum Dei iudicio permittat, qui solus exacte nouerit, quibus misericordiam impertiatur. Voluntas autem hoc loco & cursus, pro animi proposito & conatu accipiatur, neque multum refert, hæc sub Pauli ne, an sub aduersarij persona sint dicta.* [k] Dicit enim scriptura Pharaoni.] *Non in beneficentia solum, verum etiam in infligenda pœna licet hoc ipsum considerare, non posse scilicet dijudicare homines, qui grauiori, quiue leuiori pœna sint digni. Cum enim ait Deus se euexisse Pharaonem in regnum, aut eum seruasse in vita, vt ostenderet in eo vim suam, quis audeat peruestigare, cur ille præ cæteris tā seuere fuerit castigatus? Voluntati ergo illius, quæ nō potest non æquissima esse, permittendum est, atque iudicio, cuius misereatur, & quem obduret, sic ista Iudæorum reiectio æquiore à vobis animo feretur.* [l] Dices itaq; mihi, quid adhuc conqueritur?] *Introducit Paulus personam eorum, qui ignorantes, iustissimo iudicio Deum agere omnia, audito illo verbo, ab eius voluntate pendere, & miserationem, & obdurationem, continuo exclamant: Quid igitur nos accusat Deus, si omnia ab eius voluntate proficiscuntur? Quorum Paulus ante quàm dissoluat difficultatem, cogitat temeritatem deijcere, & ait: Atqui ò homo tu quis es, qui ex aduerso respondeas Deo? Profecto enim nimis est insanum, velle cœnum, atque adeo nihil, intelligere rationem eorum, quæ à Deo fiant, cum multo iustius posset figlinum vas disputare cum figulo, cur se ita finxerit, & tamen ne hoc quidem, figmento licere manifestum est. Obseruādum est autem, hanc similitudinem figuli esse apud Ieremiam, vbi Deus dicit, sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, & contextus ille verborum significat, posse Deum post minas etiam misereri, & contra item. Sed Paulus id tantum attigit, quod*

quod ad rem pertinebat, neque curauit addere, quod eodem loco Ieremiæ dicitur, quicunque scilicet pœnitentiam egerit, illius Deum misereri. m Quod si Deus volens ostendere iram.] *Ἐλεεινὸς est, vel ἀναπόδοτον, sed sic absolue sententiam: Quid habet homo, cur queratur, si Deus volens ostendere iram, sustinuit vasa iræ? &c. Respondet autem nūc illi hominum temerariæ interrogationi, hoc modo: Vtile est hominum generi intelligere, rem esse terrificam, incidere in manus Dei viuentis, & iræ, atque vltioni eius se obnoxium facere, hoc vbi Deus ostendere vult, nō homines ipse fingit malos, in quos sæuitiam exerceat, sed eos, qui sese aptauerunt vasa iræ in interitum, castigat, vt eorum exemplo cæteri terreantur. Vas erat Pharao, quod sese apparauerat ad interitum: dignus erat, qui continuo plecteretur, verum ingentē erga eum tolerantiam Deus exercuit, atque interea, vt sub Dei regno ne mala quidem sine aliquo essent vsu, ita sapienter omnia moderatus est, vt eius correctio multis documento fuerit ac saluti. Ita vno negocio hæc omnia confecit, ostendit iram suam, notam fecit potentiam, lenitatem ingentem ferendo præ se tulit, indicauit quanti faceret vasa misericordiæ, quæ præparasset ad gloriam.* n Sicut & in Osee dicit.] *Addit rationibus testimonia scripturarum, ex eorum prophetis, quæ testimonia manifestissime prædicant vocationem gētium, & lapsum Iudæorum.* o Esaias autem clamat.] *Clamat (inquit) vt exaudire omnes possint. at quid clamat? ex infinita multitudine, quæ olim arenæ maris fuerat comparata, exiguas reliquias esse seruandas, & modū etiam, quo id fiat, prædicit. Sermonem enim perficiens Deus, & abbreuians cum iustitia, &c. Non longo (inquit) opus erit ambitu, neque laboribus, et operum legis fatigationibus, sed summo compendio salus hæc comparabitur,* [redacted] p Nisi Dominus Sabaoth reliquiller nobis semen.] *Semen appellat exiguas illas credentium Iudæorū reliquias: quemadmodū etiam cum exigua messis est, dici solet, vix semina superfuisse.* q Sectando legem iustitiæ.] *Dum iustitiam sibi comparat ex factis legis, veram iustitiam non intellexit. Hoc nonum caput alio loco duarum orationum commentationibus explicuimus, hic institutæ breuitatis ratio habenda fuit.*

CAPVT X.

A FRatres, bona quidem voluntas cordis mei, & obsecratio quæ fit ad Deum, pro Israel est ad salutem. Te
stimonium enim perhibeo illis quòd æmulationem Dei habent, [a] sed non secundum scientiam: igno
rantes enim iustitiam Dei, & suam iustitiam quærentes statuere: iustitiæ Dei non sunt subiecti. Finis
enim legis, CHRISTVS: ad iustitiam omni credenti: [b] Moyses enim scribit iustitiam quæ ex lege est,
Leui.18.a quòd qui fecerit hæc homo, viuet in eis. Quæ autem ex fide est iustitia, ea sic dicit: Ne dixeris in corde tuo:
Ezec.20.b Quis ascendet in cœlum? id est CHRISTVM deducere. Aut, quis descendet in abyssum? hoc est CHRI- B
Deut.30.c STVM à mortuis reducere: Sed quid dicit? Propè te est verbum in ore tuo, & in corde tuo: hoc est verbum
Deut.30.c fidei, quod prædicamus. Quia si cōfitearis in ore tuo Dominum IESVM, & in corde tuo credideris, quòd
Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salu
tem, Dicit enim scriptura: Omnis qui credit in illum, nō confundetur. Nō enim est distinctio Iudæi & Græ-
Esa.28.d ci. Nam idem Dominus omnium, diues in omnes, qui inuocant illum. Omnis enim qui inuocauerit nomē C
Ioel.2.g Domini, saluus erit. [c] Quomodo ergo inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent
Act.2.c ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicāte? Quomodo vero prædicabunt, nisi mit-
Esa.52.b tantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona? [d] sed non
Naum.1.d omnes obedierunt euangelio. Esaias enim dicit. Domine: quis credidit sermonibus nostris? Ergo fides ex au-
Esaia.52.a ditu: auditus autem per verbum Dei. Sed dico: Nunquid non audierūt? Et quidem, in omnem terram exiuit D
Ioan.12.f sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Sed dico: Nūquid Israel non cognouit? [e] Primus Moyses
Psal.18.a dicit: Ego ad æmulationem vos adducam in non gente: in gente insipiēte ad iram vos prouocabo: Esaias au-
Deut.32.c tē audet & dicit: Inuētus sum à non quærentibus me: palàm apparui ijs qui me non interrogabant. Ad Israel
Esa.65.a autem dicit: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem.
Esa.65.a

SCHOLIA.

[a] Sed non secundum scientiam.] *Nesciunt (inquit) vti iudicio, & appellatione iustitiæ fallūtur, dum eam sectantur, quam ipsi sibi fingunt, & illam Dei deserunt, quæ est per fidem in Christum: nam finis, hoc est, summa totius legis est Christus, à quo vno iustificatio expectanda est.* [b] Moyses enim.] *De vtraque iustitia & legis & fidei Moses loquitur, & iustitiam quidem legis in factis ponit, vt, qui ea facit, non sit puniēdus: at de iustitia fidei cum loquitur, nullam factorum legis mentionem facit, sed quid ait? Ne dicas in corde tuo, qui fieri potest, vt Christus è cælo descendat? hoc est enim, quis ascendet in cœlum? hoc est, ad deducendum Christum: neque dicas, qui fieri potest, vt Christus à mortuis resurgat? vt ali quis descensurus sit ad reuocandum ab inferis Christum: sed tantum crede, & ore confitere, quòd Deus suscitarit illum à mortuis, & saluus eris. Nam illud, ore confiteri, quod iam corde præceperis, quondam præ se fert in sententia constantiam, quæ seruandis est necessaria, quemadmodum seruator ait. Qui perseuerauerit in finem, hic saluus erit.* [c] Quomodo ergo inuocabunt?] *Pulcherrima gradatio. Mirum est (inquit) quo pacto sibi excludant hanc salutem: nam inuocandi nominis Domini (quando in eius inuocatione salus posita est) principium est fides, fides autem auditus, porrò auditus est per verbum Dei, hoc est, per prædicationem: at prædicatio fit per eos, qui mittuntur, cum ergo auersentur eos, qui huic prædicationi inseruiunt, ipsi sibi omnem salutis viam excludunt. Et videte (inquit) vt longe ante signauerit eos, qui mittendi essent, propheta, cum pulchros eorum pedes intueretur, qui & verborum maiestate cœlestium, & signorum magnitudine, admirandum toti mundo sui spectaculum præberent. Quin & pacis mentionem fecit, hoc est, reconciliationis, quam nos in primis prædicamus. Sed nullam tamen ignorationis huius excusationem habent: nam in omnem terram exiuit sonus eorum, &c.*

[d] Sed non omnes.] *Si tibi suspecta (inquit) propterea est hæc prædicatio, quod tū multi non credant, memineris & hoc prædictum ab Esaia, dicente: Domine quis credidit sermonibus nostris?* [e] Primus Moyses.] *Si non aliud haberent Iudæi indicium huius veritatis, ac prædicationis nostræ, illud habere debuerant, quod à Mose iam antea prædictum, nunc demum cernunt impleri. Ecce enim prouocantur ad æmulationem à gentibus, quæ ad huius prædicationis lucē tam auide accurrunt. Esaias vero vtrunque notat, & crediturās gentes, & populum suum neglecturum.*

Caput

CAPVT XI.

A DIco ergo: Nunquid Deus repulit populū suū? Absit. [a] & ego Israelita sum, ex semine Abraham de tri-
bu Beniamin. Nō repulit Deus plebem suā, [b] quam præsciuit. An nescitis de Elia quid dicit scriptu-
ra: quēadmodū interpellat Deū aduersum Israel dicens? Dñe, prophetas tuos occiderūt, & altaria tua
3.Reg.19.g fuffoderunt: & ego relictus sum solus, & quærunt animā meā. Sed quid dicit illi diuinū responsum? Reliqui
3.Reg.19.b mihiipsi septem millia virorum: qui nō curuauerūt genu ante Baal. Sic ergo & in hoc tēpore, [c] reliquiæ se-
cundum electionem gratiæ factę sunt. Si autem gratia: iam non ex operibus. Alioquin gratia iam nō est gra-
tia. Si autem ex operibus, non iam est gratia: alioquin opus iam non est opus. Quid ergo? Quod quærit Israel,
hoc non est consecutus: electio autem consecuta est, cæteri vero excæcati sunt: sicut scriptum est: [d] Dedit illis
Esa.6.c Deus spiritum compunctionis: oculos, vt non videant: & aures, vt non audiant vsq; in hodiernum diem. Et
Matt.13.b
Ioan.12.f
Act.28.f
B Dauid dicit: [e] Fiat mensa eorum coràm ipsis in laqueum, & in captionem & in scandalum & in retributio-
Psal.68.e nem illis: Obscurentur oculi eorum ne videant: & dorsum eorū semper incurua. Dico ergo: Nūquid [f] offen-
derunt, vt caderent? Absit. Sed illorū delicto, salus gentibus: vt illos æmulentur. Quòd si delictum illorum di
uitię sunt mundi, & diminutio eorum diuitię gentium: quanto magis plenitudo eorū? Vobis enim dico gen-
tibus: Quandiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meū honorifico, si quo modo ad æmulan-
dum prouocem carnem meam, & saluos faciā aliquos ex illis. Si enim amissio eorū, reconciliatio est mūdi, quę
assumptio, nisi vita ex mortuis? [g] Quòd si primitiæ sanctæ sunt, & massa: & si radix sancta, & rami. Quòd [h] si
aliqui ex ramis fracti sunt, tu aūt cū oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis oliuę fa-
ctus es, noli gloriari aduersus ramos. Quòd si gloriaris: [i] nō tu radicē portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti
C sunt rami, vt ego inserar: Bene. [k] Propter incredulitatem fracti sunt: tu autem fide stas, noli altum sapere: sed
time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem & seueritа
tem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem, si permanseris in bonitate: alio-
quin & tu excidēris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate: inserentur. Potens est enim Deus iterū
inserere illos. Nam si & tu ex naturali excisus es oleastro, & [l] contra naturam insertus es in bonam oliuam:
quanto magis ij, qui secundum naturam, inserentur suę oliuę? Nolo enim vos ignorare fratres mysteriū hoc,
vt non sitis vobisipsis sapientes, q; cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intrauerit: &
sic omnis Israel saluus erit, sicut scriptū est: Veniet ex Sion, qui eripiat: & auertet impietates à Iacob. Et hoc il
lis à me testamentum, cum abstulero peccata eorum. Secundum Euangelium quidem, inimici propter vos: Esa.59.d
D secundum electionem aūt, charissimi propter patres. [m] Sine pœnitētia enim sunt dona & vocatio Dei. Sicut
enim aliquando & vos nō credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatē
illorū: ita & isti nūc non crediderunt propter vestram misericordiam: vt & ipsi misericordiam consequan-
tur. Conclusit [n] enim Deus omnes in incredulitatem, vt omnium misereretur. [o] O profundum diuitiarū
& sapientiæ & scientiæ Dei: q̄ [p] inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles viæ eius? Quis enim co-
gnouit mentem Domini? Aut quis consiliarius eius fuit? Aut [q] quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quo-
niam [r] ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia: ipsi gloria in secula. Amen.

SCHOLIA.

[a] Nam & ego Israelita sum.] *Si repulisset Deus populum suum (inquit) & me quoque repulisset, qui Israelita sum. Nimirum videbatur imprudentioribus, neglectum fuisse populum hunc, in tanta non credentium infinitate, iccirco conatur hunc ab eis errorem tollere, & sapientissime probat, illum Israelem, quem nouit Deus, non esse abiectum, tametsi tam multi videantur defecisse, et hoc, exemplo Heliæ probat: qui cum existimaret, neminem superesse præter se, fidelem Deo, audiuit, seruatos septem millia, hoc est, quàm plurimos, qui non recessissent à Dei cultu.* [b] Quam præsciuit.] *Crediturum scilicet, ac permansuram in doctrina filij sui.* [c] Reliquiæ secundum electionem.] *Hi exigui, qui tanquam reliquiæ Israelis credunt, seruantur, dum non factis legis fidunt, sed sola Dei gratia nituntur. Quòd si gratia seruantur, nullus est vsus operum legis, alioqui gratia non esset gratia, cum merces non gratia factis reddatur: nūc vero cum gratia totum occupauerit, opus iam non est opus, hoc est, nullum habet vsum, cum gratia vim operis exequatur.* [d] Dedit illis Deus spiritum compunctionis.] *Permisit eos, tanquam qui corrigi nolint, iam præcipites ferri, vt quasi stimulo quodam agantur deinceps in malum. Vel spiritum compunctionis, vehementem compunctionem, siue dolorem de aliena felicitate.* [e] Mensa eorum.] *Bona illa & legis & scripturarum, & delitiæ spirituales, quibus præ cæteris fruebantur.* [f] Nunquid offenderunt vt caderent?] *Cum ex ijs, qui impingunt, alij tantum supplantentur, alij etiam cadant, consolatur eos, vt etiam adhortetur ad fidem, et ait, hac impactione id esse consecutum, vt gentes priores accederent, & quasi supplantarent Iudæos, vt earum æmulatione inuitarentur & Iudæi, sed non esse prorsus desperatam Iudæorum salutem. Miras hic Diuinus vir consolandi vias excogitat.*

[g] Quod si primitiæ sanctæ sunt.] *Per primitias, & radicem intelligit Abraham, per massam, siue conspersionem, & ramos, ipsum genus inde profectum.* [h] Quod si aliqui ex ramis fracti sunt.] *Hæc & quæ sequuntur verba modestiū quidem, ac humilem faciunt eum, qui ex gentibus crediderat, sed in primis ad erigendum, & consolandum Iudæum pertinent, & ad hortandum etiam, vt generis sui dignitatem non negligat.* [i] Non tu radicem.] *Memineris (inquit) non ex te radicem pendere, sed te ex radice, quare tu illa inferior honore es.* [k] Propter incredulitatem fracti sunt.] *Non quòd illis defuerit Diuina vnquam gratia, vt quidam hac ætate volunt.* [l] Contra naturam insitus es.] *Non enim vsus est, vt oleaster in domesticam oliuam inseratur.* [m] Sine pœnitentia enim sunt dona.] *Homines cum aliquid donarint, pœnitere eos potest beneficy, cum quæ futura essent, ignorarent, dum benigne facerent: at Deum, cui omnia nota sunt, non pœnitet eorum, quæ semel est elargitus. Bono itaq; animo sint Iudæi, nam quod vobis gentibus accidit, illud idem & ipsis vsu veniet. Quod autem ait, vt & ipsi misericordiam consequantur, per consequentiam accipe, sic. Hi nunc in hac, quam vos consecuti estis, misericordia, fuerunt increduli, at demum & ipsi misericordiam consequentur, sicut & vos increduli olim fuistis, nunc estis consecuti misericordiam.* [n] Conclusit enim Deus.] *In hoc facto arguit, & declarant Deus, omnes, etiam*

Iudæos, qui videbantur esse aliquid, per se labi, et deficere, vt omnes intelligant, se miseratione Dei indigere. [o] O profundum diuitiarum.] *Docet Paulus ad hominum officium pertinere, vt reuereantur, non temere peruestigent iudicia Dei.* [p] Inscrutabilia.] *Non dixit, incomprehensibilia, nam hoc minus fuisset, sed inscrutabilia, quæ tantum abest, vt comprehendantur, vt ne inquiri quidem scrutando possint.* [q] Quis prior dedit?] *Quis docuit eum, vt pro reponendo beneficio Deus factorum suorum ei rationem reddat?* [r] Ex ipso, & per ipsum, & in ipsum omnia.] *Ipse bonorum omnium fons, & causa, ipse conseruator, ipse finis, vel modis omnibus illius sunt omnia, nec ab illo quicquam accepit, sed omnes quicquid habent, illi acceptum referre debent.*

CAPVT XII.

Philip.4.d

Ephes.5.d
1. Thes.4.a
1.Cor.12.b
Ephes.4.d

Amos.5.d
Ephe.4.a
1. pet.2.c
1. pet.5.b
Hebr.13.a
1. pet.4.c
prouer.3.a
1.Pet.3.d
2.Cor.8.d
Heb.12.d
Eccle.28.a
Deut.32.e
Hebr.10.e
prouer.25.

OBsecro itaq; vos fratres per miserationes Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentẽ, sanctã, Deo placentẽ, rationalẽ cultum vestrum. Et nolite conformari huic seculo: sed transformemini in nouitate mẽtis vestræ, vt probetis, quæ sit volũtas Dei [b] bona & beneplacens, & pfecta. Dico.n. per gratiã, q̃ data est mihi, omnibus qui sunt inter vos: Nõ plus sapere, quã oportet sapere, sed sapere ad [c] modestiã sicut vnicuiq; Deus diuisit [d] mẽsurã fidei. Sicut.n. in vno corpore, multa mẽbra habemus, omnia autem mẽbra nõ eundẽ actũ habẽt: ita multi vnũ corpus sumus in CHRISTO, singuli autẽ alter alterius membra: sed habẽtes donationes, secũdũ gratiã, quæ data est nobis, differentes: siue prophetiã [e] secũdũ proportionẽ fidei, siue ministeriũ in ministrando, siue qui docet in doctrina: qui exhortatur in exhortãdo, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, [f] qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione, odientes malũ, adhærentes bono: charitate fraternitatis ad inuicẽ diligẽdũ propensi, honore inuicẽ præuenientes, solicitudine nõ pigri, spiritu feruentes, Dño seruientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes, necessitatibus sanctorũ cõmunicantes, hospitalitatem sectantes. Benedicite persequentibus vos, benedicite: & nolite maledicere. Gaudere cũ gaudentibus, flere cũ flẽtibus, id ipsum inuicẽ sentientes: nõ alta sapientes, sed [g] humilibus cõsentiẽtes. Nolite esse prudẽtes apud vosmetipsos: nulli malũ pro malo reddentes. Prouidentes bona coràm omnibus hominibus. Si fieri potest, q̃ in vobis est, cũ omnibus hominibus pacẽ habẽtes. Nõ vosmetipsos vlciscentes charissimi, sed [h] date locum iræ: scriptum est enim: Mihi vltio, ego retribuã dicit Dominus. Si igitur esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens, [i] carbones ignis congeres super caput eius. [k] Noli vinci à malo: sed vince in bono malum.

A B C D

SCHOLIA.

[a] Obsecro itaque vos.] *Hactenus de dogmatibus, nunc ad eam partem accedit, quæ ad mores, ac vitam pertinet. Quod autem ait, rationalem cultum vestrum, dicit ad differentiam Iudaici cultus, vbi bruta & ratione carentia animalia immolabantur: at sacrificia nostra longe alterius esse generis debent. Et eo verbo declarat, quid velit intelligi per hostiam viuentem, sanctam, & Deo placentem.* [b] Bona, & beneplacens, & perfecta.] *Tacite arguit imperfectionem legalium. Est autem voluntas Dei (ait magnus Basilius) quædam, quæ propria ratione bona appellatur, at illa si præter tempus ac personam fiat, non placet Deo, quòd si seruato, & tempore & persona, atque huiusmodi rebus, adhibeatur præterea ingens studium, nequid inerterfiat, nequid desit, tunc & bona, & placens, & perfecta est.* [c] Ad modestiam.] *Vt modestus sit, atque humilis.* [d] Mensuram fidei.] *Fidem hic pro charismatibus posuit, dicens vero, sicut Deus distribuit, & consolatur eum, qui minus accepit, & reprimit eum qui plura habuit, cum hæc Dei iudicio distribuantur, tantum vt vtantur, vt se putent esse tanquam vnius corporis membra, quæ quamuis diuersæ dignitatis & gradus sint, omnia tamen ad perfectionem corporis sunt necessaria.* [e] Secundum proportionem fidei.] *Quamuis enim (inquit Chrysostomus) donum sit, non tamen simpliciter effunditur, sed mensuras à suscipientibus accipiens, tantum influit quantum inuenerit vas fidei porrectum sibi.* [f] Qui miseretur.] *Intelligit de eleemosyna, quæ vox misericordiam significat, à verbo ἐλεέω, quod est, misereor, vult ergo, vt in eleemosynis dandis hilares simus, atque alacres.* [g] Humilibus cõsentientes.] *Hoc est, dimittentes nos ad eos, qui humiliore, quàm nos, sint conditione, tanquam simul fratres, neque quicquam nobis de externo hoc fastu arrogantes.* [h] Date locum iræ.] *Date locum iræ (ait magnus Basilius) est, vel non resistere malo, sicut scriptum est, percutienti te in dextera maxilla, porrige [illegible]liam, vel illud: cum persequuntur vos in hac ciuitate, fugite in aliam.* [i] Carbones ignis congeres.] *Hoc est, damnabit ipse sese, & quasi incendetur, cõtemplatione huius generosi tui animi, vix enim inuenitur quis tam ferus moribus, qui non beneficentia molliatur.* [k] Noli vinci à malo.] *Quæris aliud (inquit) quàm victorium? non opinor: at vinci à malo, victoriam amittere est: vince ergo per beneficentiam malum. Hoc autem caput Christianam omnem complectitur perfectionem.*

CAPVT XIII.

1. Petr.2.c
Sapien.6.a

OMnis anima potestatibus sublimioribus [a] subdita sit. [b] Non est enim potestas nisi à Deo: quæ autem sunt potestates: à Deo ordinatæ sunt. Itaque, qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt: ipsi sibi iudicium accipient: [c] nam principes non sunt timor bonorum operum sed malorum. Vis autem non timere potestatem? Bonum fac: & [d] habebis laudem ex illa: Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris: time: non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est: vindex in iram, ei qui malum agit. Ideoque oportet subditos esse, non solum propter iram, [e] sed etiam propter conscientiam. Ideo enim & tributa præstatis: ministri enim Dei sunt: in hoc ipsum incumbẽtes. Reddite ergo omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. [f] Nemini quicquam debeatis: nisi, vt inuicem diligatis: qui enim diligit proximum, [g] legem impleuit. Nã: Non adulteraberis: Nõ occides: Nõ furaberis: Nõ falsum testimoniũ dices: Nõ cõcupisces, & siquod est aliud mandatum, in hoc verbo summatim comprehenditur: Diliges proximũ tuũ sicut teipsum. Dilectio, malum proximo non operatur. Plenitudo ergo legis, est dilectio. Et hoc scientes, scilicet tẽpus, quòd hora est iam nos de somno surgere. Nũc [h] enim propior est nobis salus, quàm cum credidimus. Nox præcesit: dies autem appropinquauit. Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. [i] Sicut

Matt.22.c
Exod.20.c
Deut.5.b
Leui.19.d
Matt.22.d
Mar.12.c
Galat.5.c
Iacob.2.b

A B C D

[i] Sicut in die, honeste ambulemus: non in comessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contetione & æmulatione: sed induimini Dominum IESVM CHRISTVM, & carnis curam ne feceritis ad concupiscentias.

Luc.21.f
Galat.5.c
1.Pet.2.c

SCHOLIA.

[a] Subdita sit.] *Ne simpereret eis, quod olim tentantes Iudei Domino proposuerunt, num scilicet liceret sensum dari Cæsari.* [b] Non est enim potestas nisi à Deo.] *Non hoc de priuatis quibusque principibus loquitur, sed de ipsa natura potestatis, ac imperij. Deus enim in ipsa natura instituit ordines quosdam, ac gradus, vt alij alijs subijciantur, quod & in carentibus ratione animalibus interdum obseruatur.* [c] Nam principes.] *Non sunt impedimento principes bonis, sed eis potius opitulantur, dum coercent malos.* [d] Habebis laudem ex illa.] *Quam laudem? id quod sequitur. Dei enim minister est tibi in bonum, an magna non est laus vt principes tibi ministrent in tuis rectè factis?* [e] Sed etiam propter conscientiam.] *Qua beneficentiori tuo gratus esse debes: nam iccirco, quia vobis inseruiunt principes, tributa soluitis.* [f] Nemini quicquam debeatis.] *Nullum, inquit, apud vos relinquatur debitum: quod non exolueritis, præter illud mutuo diligendi, nam huic debito nunquam quisquam existimet factum satis, sed semper post omnia etiam præstita charitatis officia, sibi intelligat esse diligendum.* [g] Legem impleuit.] *Qua parte scilicet præcipit, quo nos pacto erga proximum quenque geramus.* [h] Nunc enim propior.] *Quotidie viciniores efficimur illi tempori, quo salus nostra declarabitur.* [i] Sicut in die.] *Qui, tanquam in die, sic in hac luce veritatis ambulamus, honeste ac decore ambulemus.*

CAPVT XIIII.

Iacob.4.d

2.Cor.5.b
Esaia.45.d
philip.2.b

1.Cor.8.d

Tit.1.d
1.Cor.8.d

AIN firmum autem fide, assumite: non in disceptationibus cogitationum: alius enim credit manducare omnia: qui autem infirmus est: olus manducat. Is qui manducat: non manducantem non spernat: & qui non manducat: manducantem non iudicet: Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? [b] Domino suo stat, aut cadit: stabit autem: potens est enim Deus statuere illum. [c] Nam alius iudicat diem iuxta diem: alius autem iudicat omnem diem. Vnusquisque in suo sensu abunder. [d] Qui sapit diem: domino sapit: & qui non sapit diem: domino non sapit. Et qui manducat: domino manducat: gratias enim agit Deo. Et qui non manducat: domino non manducat: & gratias agit Deo. Nemo enim nostrum sibi viuit: & nemo sibi moritur. Siue enim viuimus, domino viuimus: siue morimur, domino morimur. Siue ergo viuimus, siue morimur: domini sumus. [e] In hoc enim CHRISTVS & mortuus est, & resurrexit, & reuixit: vt & viuorum & mortuorum dominetur. [f] Tu autem quid iudicas fratrem tuum? aut etiam tu quare spernis fratrem tuũ? Omnes enim stabimus ante tribunal CHRISTI. Scriptum est enim: Viuo ego dicit Dominus, quòd mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Itaque vnusquisque nostrũ pro se rationem reddet Deo. Non ergo amplius inuicem iudicemus: sed hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri vel scandalum. Scio & certus sum in Domino IESV, quòd nihil commune per seipsum, nisi ei qui existimat quid commune esse, illi commune est. Si autem propter cibum frater tuus contristatur: iam non secundum charitatem ambulas. Noli [g] cibo tuo illum perdere, pro quo CHRISTVS mortuus est. Non ergo [h] blasphemetur bonum vestrum. Non est enim regnum Dei esca & potus: sed iustitia & pax, & gaudium in spiritu sancto: qui enim in his seruit CHRISTO, placet Deo: & probatus est hominibus. Itaque, quę pacis sunt sectemur, & quę ædificationis inuicem. Noli propter escam destruere opus Dei. Omnia quidem sunt munda: sed malum est homini qui per offendiculum manducat. Bonum est non manducare carnem & non bibere vinum, neque in quo frater tuus offendit aut scandalizatur aut infirmatur. Tu fidem habes? penes temetipsum habe, coràm Deo. Beatus, [i] qui non iudicat semetipsum in eo quod probat. Qui autem discernit, si manducauerit, damnatus est: quia non ex fide. Omne autem quod non est ex fide, peccatum est.

A B C D

SCHOLIA.

[a] Infirmum autem fide.] *Erant ex Iudeis, qui crediderant: aliqui, qui adhuc legi adhærentes, multos cibos abominabantur, qui lege prohiberentur, vt suillam carnem, & similia. Erant aly rursus ex eisdem, qui solide fidem tenebant, & nihil horum abominabantur. Ad hos ergo dirigit sermonem Paulus, vt illos infirmiores non despiciant, sed benevole suscipiant: sperandum enim, fore, vt & ipsi roborentur. Ergo qui credit licere sibi quibusuis vesci, permittat interea, illum infirmiorem, qui adhuc scrupulo legis tenetur, vesci oleribus, neque illum spernat: ne disceptationibus cogitationum obruatur: at hic contra, qui cibos istos auersatur, non iudicet eum qui vescitur, tanquam præuaricatorem.* [b] Domino suo stat, aut cadit.] *Hoc est, iudicio Domini sui. Ad Dominum (inquit) suum pertinet iudicare, stet ne, an cadat.* [c] Nã alius iudicat.] *Sunt qui selectos, exempli gratia, dies ad ieiunandum habent, aly pares omnes dies faciunt, vnicuique sua mens satisfaciat in hisce rebus. Quæ verba non generatim de quauis re accipienda sunt, sed vbi nihil, vel parum refert, hoc an illud facias. Demittit autem se Paulus ad hos propterea, quòd nouitij erant in fide, ne nimys reprehensionibus irritarentur, & resilirent.* [d] Qui sapit.] *Quid sit diem sapere, vel non sapere, seu diem curare, & non curare, ipse declarat cum sequitur: qui manducat, &c. Qui diem (inquit) obseruat is ob Dei timorem obseruat, & qui non obseruat, ob eundem Deum non obseruat, qui enim in libertatem vindicarit.* [e] In hoc enim Christus.] *Mors Christi, significat mortem, atque afflictiones nostras curæ illi esse, & mortale hoc corpus non à se deseri: quòd autem resurrexit, ac reuixit in immortalem vitam, dat fiduciam nobis vitæ perpetuæ, & immortalis animæ salutis. Itaque & bona & mala nostra eius curæ permittamus, qui omnia ad bonum nostrũ conuertet. Videtur autem hic, per vitam, vsum rerũ intelligere, & per mortem, abstinentiam, & tam eos, qui abstinent, quã qui vescuntur, à Domino non negligendos.* [f] Tu autem quid iudicas.] *Sicut & supra dixerat: tu quis es, qui iudicas alienum seruum? ita & nunc vtrunque autem tangitur, & infirmum, qui temere iudicaret, & alterum qui sperneret infirmum, & addit, nos ante tribunal Christi exhibendos, ibiq; iudicandos, vnum enim illud certum erit, verumq; iudicium. Quod si homines cogitarent, non tam facile, neq; tam sæpe temere iudicia sua in proximum quenq; proferrent.* [g] Noli cibo tuo.] *Quid de cibo ait hic, de qualibet idem ipsum re faciendum est, quæ enim tanta res est, quæ æquari posit illi Christi, filij Dei pro nobis effuso sanguini? at hunc, quem perdis, pluris fecit Christus, quàm proprium sanguinem.* [h] Non ergo blasphe-

 metur

metur bonum vestrum.] *Libertas hæc vestra vescendi quibuslibet cibis, non vituperetur, dum ea abstinimini. Præsertim cum summa regni Dei non in his sit, hoc est, in horum, vel usu, vel abstinentia.* [1] Beatus qui nō iudicat semetipsum.] *Beatus qui ita vtitur ea re, quam sibi licere scit, vt ne proximi sui offensione seipsum damnet, sed potius si opus sit, abstineat, nam si exemplo suo cogat illum infirmiorem vesci cibis, de quorum usu adhuc intra se disceptet, is, qui vescitur, condemnatur, quia contra propriam conscientiam facit, hoc enim est, quod ait: quia non ex fide: & omne, quod non ex fide est, hoc est, quod sit contra interioris conscientiæ approbationem, peccatum est.*

CAPVT XV.

DEbemus aũt nos firmiores imbecillitates infirmoꝝ sustinere, & nō nobis placere. Vnusquisq; nostrũ proximo placeat in bonũ, ad ædificationẽ. Etenim CHRISTVS nõ sibi placuit: sed sicut scriptũ est: [a] Improperia improperãtiũ tibi, ceciderũt sup me. Quæcũq; n. præscripta sunt, ad nostrã doctrinam præscripta sunt: vt p patiẽtiã & cõsolationẽ scripturaꝝ, spem habeamus. Deus aũt patiẽtiæ & solatij, det vobis idipsum sapere mutuo inter vos secũdũ IESVM CHRISTVM: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deũ & patrem Dñi nostri IESV CHRISTI. Propter quod suscipite inuicem: sicut & CHRISTVS suscepit nos in gloriã Dei. [b] Dico autem CHRISTVM IESVM, ministrum fuisse circũcisionis propter veritatem Dei, ad cõfirmandas promissiones patrũ: Gentes aũté super misericordia, glorificare Deũ, sicut scriptũ est: Propterea cõfitebor tibi in gẽtibus: & nomini tuo cantabo. Et iterũ dicit: Lætamini gentes cũ plebe eius. Et iterũ, Laudate omnes gentes Dñm: & collaudate eum omnes populi. Et rursus Esaias ait: Erit radix Iesse: & qui exurget regere gentes, in eo gentes sperabũt. Deus aũt spei repleat vos omni gaudio & pace in credẽdo, vt abũdetis in spe, ĩ virtute spũs sancti. Certus sũm aũt frẽs mei & ego ipse de vobis, ꝙ & ipsi pleni estis bonitate, repleti omni scientia: ita vt possitis etiam inuicem alius alium monere. Audacius autem scripsi vobis fratres ex parte, tanquam commonefaciens vos: propter gratiã quæ data est mihi à Deo, vt sim minister CHRISTI IESV in gentibus, administrans Euangelium Dei, vt fiat oblatio gentium accepta, sanctificata in spiritu sancto. [c] Habeo igitur gloriam in CHRISTO IESV in his quæ ad Deum. [d] Non enim audebo aliquid loqui eorum, quæ per me non effecit CHRISTVS in obedientiam gentium, verbo & factis, in virtute signorum & prodigiorũ, in virtute spiritus Dei: ita vt ab Hierusalem per circuitum vsque ad Illyricum repleuerim Euangelium CHRISTI. Sic autem admitens prædicare Euangelium [e] non vbi nominatus est CHRISTVS, ne super alienum fundamentum ædificarem: sed sicut scriptum est: Quibus non est annuntiatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent. Propter quod & [f] impediebar plurimum venire ad vos. Nunc vero vlterius locum non habens in his regionibus: cupiditatem aũté habens veniendi ad vos multis iam annis: cum in Hispaniam iter instituero, veniam ad vos: spero enim quòd præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, si vobis primum ex parte fruitus fuero. Nũc autem proficiscor in Hierusalem ministrãs sanctis. [g] Probauerunt enim Macedonia & Achaia collationem aliquam facere in pauperes sanctos qui sunt in Hierusalem. Placuit enim eis: & debitores sunt eorum. Nam si spiritualium eorum participes facti sunt gentiles, debent & in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur cũ consummauero & obsignauero eis fructum hunc: per vos proficiscar in Hispaniam. Scio autem quòd veniens ad vos, [h] in abundantia benedictionis euãgelij CHRISTI veniam. Obsecro autem vos fratres per Dominum nostrum IESVM CHRISTVM, & [i] per charitatẽ spiritus, vt adiuuetis me in orationibus pro me ad Deum, vt liberer ab infidelibus, qui sunt in Iudæa, & vt ministerium meum quod exhibeo Hierosolymis, acceptum sit sanctis, vt veniam ad vos in gaudio per voluntatem Dei, vt refrigerer vobiscum. Deus autem pacis sit cum omnibus vobis. Amen,

Psal.68.b
1.Cor.1.b
Psal.17.d
2.reg 22.d
psal.116.c
Esa.11.c
Esa.52.d
1.Cor.9.b

SCHOLIA.

[a] Improperia.] *Hoc est, pro aliorum peccatis ego pœnas dedi.* [b] Dico enim Iesum Christum.] *Quo pacto suscepit nos Christus? ministrauit Iudæis, quos circumcisionis nomine appellat, nam & hic Hebraismus est, vt circumcisio ponatur pro circumcisis. Fuit ergo minister circumcisionis, pro veritate Dei, vt verax appareret Deus, qui promiserat patribus: sic suscepit vero gentes sua miseratione.* [c] Habeo igitur gloriam.] *Gloriam suam arbitrabatur Paulus, cum ex ijs, quæ Christus per illum faciebat, accedebat gloria ipsi Christo, iccirco illa commemorabat, nec sibi aliud quippiam vsurpabat ob priuatam gloriam, quare addit. Non enim audebo, &c.* [d] Non enim audebo.] *Nihil ausim vnquam dicere, nisi quæ Christus effecit per me, neque enim priuatæ quicquam gloriæ mihi vendico.* [e] Non vbi nominatus est Christus.] *Cum, vt propagetur magis prædicatio, tum ne mihi alienum honorem vendicem.* [f] Impediebar.] *Vobis enim non tam fuit opus mea præsentia, quàm alijs, quia iam fidem acceperatis.* [g] Probauerunt enim.] *Tacita hæc est adhortatio Romanorum, vt hos imitentur.* [h] In abundantia benedictionis Euangelij.] *Scio (inquit) quòd veniens videbo vos in omnibus probè agentes, & ad omnia bona abunde instructos, & paratos secundum Euangelium Christi.* [i] Per charitatem spiritus.] *Quæ per illum effusa est in cordibus nostris, vel, quòd & ipse spiritus æque nos amat, sicut pater & filius.*

CAPVT XVI.

COmmendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est ministra ecclesiæ, quæ est Cenchreis: vt eam suscipiatis in Domino digne sanctis: & assistatis ei, in quocũq; negocio vestri indiguerit: etenim ipsa quoq; astitit multis & mihi ipsi. Salutate Priscã & Aquilã adiutores meos in CHRISTO IESV (qui pro anima mea, suas ceruices supposuerunt: quibus non solus ego gratias ago: sed & cunctæ ecclesiæ gentium) & domesticam ecclesiam eorum. Salutate Epænetum dilectum mihi: qui est primitiuus Achaię in CHRISTO. Salutate Mariam, q̃ multum laborauit erga vos. Salutate Andronicum, & Iuniam cognatos & cõcaptiuos meos, qui sunt nobiles ĩ Apostolis, qui & ante me fuerũt in CHRISTO. Salutate Ampliã dilectum mihi in Domino. Salutate Vrbanũ adiutorẽ nostrũ in CHRISTO, & Stachyn dilectũ meũ. Salutate Apellen probatũ in CHRISTO. Salutate eos qui sunt ex Aristoboli domo. Salutate Herodionẽ cognatum meũ. Salutate eos, qui sunt ex Narcissi domo, qui sunt in Dño. Salutate Triphænã & Triphosã: quę laborãt in Domino.

Act.18.a

Domino. Salutate Persidem dilectam, quæ multum laborauit in Domino. Salutate Rufum electum in Domino, & matrem eius & meam. Salutate Asincritum, Phlegontem, Hermen, Patrobam, Herman: & qui cum eis sunt, fratres. Salutate Philologum & Iuliam: Nereum & sororem eius, & Olympam: & omnes qui cum eis
C sunt, sanctos. Salutate inuicem in osculo sancto. Salutant vos ecclesiæ CHRISTI. Rogo autem vos fratres philip.4.d
vt obseruetis eos qui dissensiones, & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis faciunt: & declinate ab illis. Huiusmodi enim Domino IESV CHRISTO non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones, decipiunt corda simplicium. [b] Vestra enim obedientia, ad omnes peruenit. Gaudeo igitur in vobis. Sed volo vos sapientes esse in bono: & simplices in malo. Deus autem pacis conteret satanam
D sub pedibus vestris velociter. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI vobiscum. Salutat vos Timotheus Act.16.a
adiutor meus, & Lucius, & Iason & Sosipater cognati mei. Saluto vos ego Tertius, qui scripsi epistolam in Domino. Salutat vos Caius hospes meus & vniuersæ ecclesię. Salutat vos Erastus ærarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI cum omnibus vobis. Amen. Ei autem qui potens est vos confirmare iuxta euangelium meum & prædicationem IESV CHRISTI, secundum reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti (quod nunc patefactum est per scripturas prophetarum secundum præceptũ æterni Dei ad obeditionẽ fidei) in cunctis gentibus cogniti, [c] soli sapienti Deo per IESVM CHRISTVM, cui gloria in secula. Amen.

SCHOLIA.

[a] Commendo autem vobis Phœben.] *Hæc attulit hanc epistolam Romanis, felix tanti muneris ministra, quod totum terrarum orbem ditauit. Quam autem hoc caput diuitijs ingentibus plenum sit, si scire vis, lege Chrysostomum.*
[b] Vestra enim obedientia.] *Hoc adijcit, vt eò alacriores essent ad ea præstanda, quæ dudum dixit, quò eorum obedientia erat celebrior: & mox etiam modestè illos perstringit, quòd quidam eorum abducerentur. Quare iubet eos dare operam, vt & sapienter in bonum incumbant, & syncéros se à malo seruent.* [c] Soli sapienti Deo.] ἁπλοῦς *est, more Hebræorum, deest enim, oportet omnia referre accepta, vel aliquid tale.*

AD ROMANOS MISSA FVIT A CORINTHO PER PHOEBEN MINISTRAM CENCRRENSIS ECCLESIAE.

EPISTOLA PAVLI AD CORINTHIOS PRIMA.

CAPVT I.

A
AVLVS vocatus apostolus IESV CHRISTI, per voluntatem Dei, & Sosthenes frater ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, sanctificatis in CHRISTO IESV, vocatis sanctis cũ omnibus qui inuocant nomẽ Domini nostri IESV CHRISTI [a] in omni loco ipsorum & nostro, gratia vobis & pax à Deo patre nostro & Domino IESV CHRISTO. Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei, quæ data est vobis in CHRISTO IESV, ꝙ in omnibus diuites facti estis in illo, in omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium CHRISTI confirmatum est in vobis, ita, vt
B nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri IESV CHRISTI, qui & cõ- 1.Thes.5.d
firmabit vos vsq; in finem sine crimine, in die Domini nostri IESV CHRISTI. [b] Fidelis Deus: per Rom.1.5.b
quem vocati estis in societatem filij eius IESV CHRSTI Domini nostri. Obsecro autem vos fratres, per nomen Domini nostri IESV CHRISTI, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti eadem mente, & eadem sententia. Significatum est enim mihi de vobis fratres mei, à familiaribus Chloe, ꝙ contentiones sunt inter vos. Hoc autem dico quod vnusquisq; vestrũ dicit. [c] Ego quidem sum Act.18.f
Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ: ego autem CHRISTI. Diuisus est CHRISTVS? [d] Nũquid
C Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis? Gratias ago Deo, ꝙ neminem vestrũ baptizaui, nisi Crispum & Caium: nequis dicat quòd in nomine meo baptizauerim. Baptizaui autem & Stephanæ domum. Cæterum: nescio siquem alium baptizauerim. Non [e] enim misit me CHRISTVS baptizare, sed euangelizare: [f] non in sapientia verbi, vt non euacuetur crux CHRISTI. [g] Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est: ijs autem, qui salui fiunt, hoc est, nobis, Dei virtus est. Scriptũ est enim: Perdam sapientiam sapientium: & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapiens? vbi scriba? vbi conquisitor Esa.29.c
huius seculi? Nónne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? [h] Nam quia in Dei in sapientia nõ cogno- Abd.1.c
D uit mundus per sapientiam Deum: placuit Deo per stultitiam prædicationis, saluos facere credentes. Quoniã Esa.33.c
[i] & Iudæi signum petunt, & Græci sapientiam quærunt: nos autem prædicamus CHRISTVM crucifixũ:, Iudæis quidem scãdalum, gentibus autem stultitiam: ipsis autem vocatis Iudæis, atq; Græcis CHRISTVM, Dei virtutem & Dei sapientiam: quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus: & quod infirmum est Dei, fortius est hominibus: [k] videtis enim vocationem vestram fratres: ꝙ non multi sapientes secundũ carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quę stulta sunt mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quę

non sunt, vt ea quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius. Ex [f] ipso autem vos estis
Hiere.9.g in CHRISTO IESV, qui [m] factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio: vt
1. Cor.10.d (quemadmodum scriptum est) Qui gloriatur, in Domino glorietur.

SCHOLIA.

[a] In omni loco, ipsorum & nostro.] *Putant quidam esse hyperbaton. Vt, quia dixerat, cum omnibus, qui inuocant nomen Domini, & addiderat tantum, nostri, nunc corrigat, et ostendat communem esse Dominum omnium, dicens, ipsorum & nostri: Vt sit ordo verborum, cum omnibus, qui in omni loco inuocant nomen Domini nostri Iesu Christi, Domini inquam & ipsorum & nostri. Potest tamen & sine hyperbato legi, Vt cum dixisset, in omni loco ipsorum, adiecerit, & nostro, vt doceret, vnum se esse cum illis, & omnia Christianorum loca vnitate quadam esse colligata. Quidam Græci legunt, vestro, quasi diceret, vbicunque & illi & vos habitatis.* [b] Fidelis Deus.] *Confirmatio est superiorum. Verax (inquit) est Deus, & præstabit procul dubio quod est pollicitus.* [c] Ego quidem sum Pauli.] *Fingit personas, ne palam arguat eos, qui huic vitio erant obnoxij: postremum autem facit Petrum honoris gratia, cum reprehensionis causa hæc dicat: quod autem postremo ait, ego autem Christi, non reprehendit eos, qui hæc dicerent, sed quæritur, quòd non omnes hoc ipsum dicant.* [d] Nũquid Paulus.] *Reprehenderat eos, quod quodammodo diuiderent Christum: Nunc alteram reprehensionem addit, quòd cum quicquid boni à ministris Christi ad illos proficisceretur, ipsi Christo referre acceptum deberent, ministris ascriberent, perinde quasi ipsi salutem illis attulissent, non autem Christus, qui per passionem crucis salutem attulit mundo.* [e] Non enim misit me Christus baptizare.] *Deijcit eorum supercilium, qui elato erant animo, quòd quosdam baptizauerint. Exigui est, inquit, negocij baptizare, iccirco cum haberem communem cum alijs baptizandi potestatem, mandauit Christus mihi potius prædicandi prouinciam: hoc enim maximi est laboris, & ferrei animi, inserere hanc in infidelium mentibus veritatem, & in medijs quotidie motibus versari.* [f] Non in sapientia verbi.] *Nam si sermonis ornatu, & elocutionis vi Vt essent, creditum fuisset, hos persuasione potius dicendi, quàm veritate nixos, traxisse homines ad credendum, & inanis fuisset crux Christi, cum eius virtuti non ascripta fuisset hæc victoria. At, cum cernitur, per idiotas & ignobiles homines omnem mundi & sapientiam, & potentiam subactam esse, manifestè apparet virtus crucis Christi, iccirco vir ille doctissimus magnus Basilius gloriabatur se piscatorum esse discipulum.* [g] Verbum enim crucis.] *Dixi (inquit) non in sapientia sermonis, quia prædicatio crucis etsi credentibus plena sit sapientiæ & virtutis, tamen ij, qui non credunt, censent rem esse stultam, ex quo factum est, vt ipsi qui se sapientes putabant, reiecti sint, & eorum sapientia improbata: Quare addit, scriptum est enim Perdam sapientiam sapientum, &c. Locus autem iste in Esaia sic habet. Admirationem faciam populo huic miraculo grandi & stupendo. Peribit enim sapientia à sapientibus eius, & intellectus prudentium eius abscondetur. Quod manifestè ad Euangelicam pertinet prædicationem. Dicamus & hoc modo. Pereuntes appellat eos in primis, qui humanis ratiocinationibus discutere volebant hanc crucis prædicationem, erantq; ij sapientes huius seculi: Sit ergo, non sum vsus verbis humanæ sapientiæ, cui prædicatio crucis ita contraria est, vt eam perdat, sicut scriptum est, perdam sapientiam sapientium. Quod si sapientia sermonis vsus essem ad eam rem prædicandam, quæ sapientibus (quos pereuntes appellat) stultitia est, sed vobis Dei sapientia abolita fuisset, & inanis reddita crux Christi. Nam alia via fuisset ingrediendum. At prædicatio crucis ob hoc introducta est, vt stulta ostenderetur sapientia huius mundi. Quare neque potui, neque debui alia vti via: non potui quia huius Philosophiæ natura non patitur: non debui, ne inanis fieret crux Christi: quemadmodum superiore scholio diximus.* [h] Nam quia in Dei sapientia.] *Sentiebat Paulus miram vsum iri mundo hanc, atque omnino nouam Philosophiam, velle credi, per crucem, terrimum supplicij genus, salutem mundo comparatam, quæ res mera stultitia videretur ijs, qui non consilia Dei reuerenter, sed suis tantum fidere cogitationibus consuessent, quod familiare in primis erat sapientibus huius mundi. Huic hominum opinioni respondet Paulus, id sapientissime fecisse Deum, quandoquidem, cum in summa sapientia fecisset hùc mundum, noluerint homines per hanc sapientiam agnoscere Deum: iccirco contrariam illum ingressum via, excogitasse hanc, quæ stulta videretur, prædicationem, qua ij, qui crederent, seruarentur. Et cur stulta videatur hæc prædicatio, subdit, quoniam & Iudæi signum petunt, &c.* [i] Et Iudei signum petunt.] *Iudæus impegit in crucem, & cum ad credendum inuitatur, petit, vt signo aliquo ei ostendatur, rem ita se habere: gentilis petit, sibi id rationibus humanæ sapientiæ probari, est ergo Iudæis infirma res crucis prædicatio, non enim tam humilia de Christo expectabant, ideo impegerunt: gentibus stulta: at nobis credentibus quid? fortis, & sapiens, nam prædicamus Christum, tantum ne? immo crucifixum, Dei potentiam, & Dei sapientiam. At, quæ sapientia & vis in re stulta & infirma esse potest? Quia quod stultum videtur in Diuinis consilijs, id omnem omnium sapientiam superat: similiter quod imbecillum existimatur, fortissimum est omnium. Felix & vere diuinum ingenium Pauli.* [k] Videtis enim vocationem vestram.] *Non cernitis, inquit, totum hoc quod fit, esse opus Dei? nam hæc tanta, ac tantæ sapientiæ dogmata plurimum imperiti & ignobiles, & qui perinde sunt, ac si nihil sint, amplexantur: sapientes, qui aptiores esse debuerant, vt qui exercitatiores haberent sensus, ij non intelligunt.* [l] Ex ipso autem vos estis.] *Vos ergo, qui contempti quidem eratis, ipse Deus filios suos fecit: per fidem in Christum, quem dedit nobis Deus, vt sit nostra sapientia, et iustitia, sanctificatio, et redemptio, nequis credat, habere ex se, vnde glorietur.* [m] Factus est nobis sapientia.] *Cum datus fuit nobis, fecit nos primò sapientes, ab errore abducens, deinde iustos, deletis per mortem suam peccatis. Sanctos, per innouationem interioris hominis, demum plena libertate donatos, hoc enim significat ἀπολύτρωσις.*

CAPVT II.

ET ego cum venissem ad vos fratres: veni non in sublimitate sermonis aut sapientiæ, annuntians vobis A
testimonium Dei. Non enim iudicaui me scire aliquid inter vos: nisi IESVM CHRISTVM, [a] & hunc crucifixũ. Et ego in infirmitate & timore & tremore multo fui apud vos: & sermo meus, & prædicatio mea non in persuasorijs humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis: vt fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. [b] Sapientiam autem loquimur inter perfectos: sapiẽtiam B
vero, non huius seculi, neq; principum huius seculi, qui destruuntur: sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est, quam præordinauit Deus ante secula in gloriam nostram, quam nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent: nequaquam Dominũ gloriæ crucifixissent. [c] Sed sicut scriptũ est:

C est: Oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt, quæ præparauit Deus ijs, qui diligũt Esa.64.b
illum: [d] nobis autem reuelauit Deus per spiritũ suum. Spiritus enim omnia scrutatur: etiam profunda Dei.
Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis: nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quę Dei sunt, nemo
cognouit: nisi spiritus Dei. Nos autem non spiritum mũdi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est: [e] vt sciamus, quę à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur non in doctis humanæ sapientiæ verbis: sed in doctrina
D spiritus sancti, [f] spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo nõ percipit ea, quæ sunt spiri
tus Dei: stultitia enim sunt illi, & non potest intelligere: quia spiritualiter dijudicantur. [g] Spiritualis autem Esa.40.d
dijudicat omnia: & ipse à nemine dijudicatur: Quis enim cognouit mentem Domini, qui cõsilium daturus Sapi.9.e
sit illi? Nos autem mentem CHRISTI tenemus. Rom.11.d

SCHOLIA.

[a] Et hunc crucifixum.] *Nõ ingressus (inquit) sum in thesauros diuinitatis eius, sed in sola cruce et morte occupabar, & tamen obstruxi ora sapientum, neque tanquam humana potentia fretus accessi, cum in imbecillitate & terrore persequentium versarer, sed solo spiritus virtute nitebar, hoc enim est quod ait, & ego in infirmitate, &c. in commemoratione autem sapientiæ immoratur magis, quia Græci maximè fidebant sapientia.* [b] Sapientiã autem loquimur inter perfectos.] *Hinc apparet, quantus fuerit Paulus, cuius epistolæ, quæ profectò minima pars est thesaurorum eius. Cum in quotidianis prædicationibus longe maior fuisse credendus sit: nam epistolarum ratio non sinit ita exsplicari, cum ergo hæ reliquiæ epistolarum tantæ sint dignitatis, quem censemus eum fuisse, cum sapientiam (nam ista, quæ scribit, sapientiæ appellatione digna non iudicat) loqueretur inter perfectos? & ne putes de hac mundi sapientia illum loqui, aperit quam intelligat, non sapientiam huius seculi, &c. Sed hanc e cœlo allatam philosophiam, quam qui primas tenent in hoc seculo, non agnouerunt, alioquin in tantam maiestatem manus non iniecissent.* [c] Sed sicut scriptum est.] *Refertur ad sapientiam quam prædicabat, quæ non esset humana, iccirco de ea scriptum esse, oculum non vidisse, &c.* [d] Nobis autem reuelauit Deus.] *Nequis ei obijciat, quo igitur pacto intelligere potuistis, quæ neque oculis peruia erant, neque auribus? Deus, inquit, reuelauit.* [e] Vt sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis.] *Profectò enim ad agnoscendas Christianæ philosophiæ diuitias, diuino opus est spiritu.* [f] Spiritualibus spiritualia comparantes.] *Nam spiritualia nequeunt alio modo, quàm spiritu dijudicari, nam qui diuina humanis tractant ratiocinationibus, non assequuntur, quod quærunt. Animalis enim homo, inquit, tantum abest, vt percipiat ea, quæ sunt spiritus Dei, vt etiam stultitia quædam illi videantur. Animalem autem vocat eum, qui solis animi muentis, & rationibus fidit: Tu vero cogita, carnales, qui longe inferiori gradu sunt, quanto minus ista percipiant.* [g] Spiritualis autem dijudicat omnia.] *Iccirco Christiana philosophia præstat cæteris, at illæ hanc non assequuntur.*

CAPVT III.

A ET ergo fratres [a] non potui vobis loqui quasi spiritualibus: sed quasi carnalibus. Tanquam paruulis in
CHRISTO, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis: sed ne nunc quidem potestis, adhuc enim carnales estis. Cũ enim sit inter vos zelus & contentio & dissensiones, nonne carnales
estis, & secundum hominem ambulatis? Cum enim quis dicat: Ego quidem sum Pauli, alius autem: Ego
Apollo: nonne carnales estis? Quis igitur est Paulus? Quis vero Apollos? nisi ministri per quos credidistis,
B & vnicuique sicut Dominus dedit? Ego plantaui, Apollos rigauit: sed Deus incrementum dedit. Itaq; neque
qui plantat est aliquid, neq; qui rigat: sed qui incrementum dat Deus. Qui autem plãtat & qui rigat, [b] vnum
sunt. Vnusquisq; autem propriã mercedem accipiet secundum suum laborem. Dei enim sumus cooperarij. psal.61.d
Dei agricultura: Dei ædificatio estis. Secundum gratiam Dei quæ data est mihi, vt [c] sapiens architectus fun- Galat.6.b
damentum posui: alius autẽ superædificat. Vnusquisq; autem videat quomodo superædificet. Fundamẽtum
C enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est: quod est CHRISTVS IESVS. Siquis autem superædificat super fundamentũ hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fœnum, stipulã: vniusCuiusq; opus manifestũ erit. Dies enim declarabit: quia in igne reuelatur: & vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus manserit quod superædificauit, mercedem accipiet. Si cuius opus arserit, [d] detrimentum patietur. Ipse [e] autem saluus erit: sic tamen quasi per ignem. Nescitis q; templũ Dei estis: & spiritus Dei
D habitat in vobis? Siquis templũ Dei violauerit: disperdet illum Deus. Templũ enim Dei sanctum est: quod Infra.6.d
estis vos. Nemo seipsum decipiat. Siquis videtur inter vos sapiens esse, in hoc seculo stultus fiat, vt sit sapiens. 2. Cor.5.c
Sapientia enim huius mundi: stultitia est apud Deum. Scriptum est enim: Qui comprehendit sapiẽtes in astu
tia eorum. Et iterum: Dominus nouit cogitationes sapientium, q; vanæ sunt. Nemo itaque glorietur in ho- Iob.5.c
minibus. [f] Omnia enim vestra sunt: siue Paulus, siue Apollos, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, psal.93.b
siue præsentia, siue futura. Omnia vestra sunt: vos autem CHRISTI, [g] CHRISTVS autem Dei.

SCHOLIA.

[a] Non potui vobis loqui.] *Quod illam sapientiam, de qua dudum dicebam, non sim locutus inter vos, non id inuidẽtia factum est, sed ob imbecillitatem vestram, cum adhuc carnales sitis.* [b] Vnum sunt.] *Quatenus scilicet absque eo, qui dat incrementum, nihil amplius facere quicquam possunt, quod vero ad mercedem pertinet, vnusquisque secũdum proprium laborem mercedem feret.* [c] Vt sapiens architectus.] *Id feci, quod proprium esse debet periti architecti, ieci tutissimum fundamentum Christum: videant nunc ij, qui se magistros vestros esse profitentur, quo pacto superexstruant, dignáne, an indigna tam nobili fundamento: nam apparebit cuius sit virtutis illa exstructio, cum, vt ait euangelium, vnusquisque igni salietur.* [d] Detrimentum patietur.] *Sunt qui interpretentur, minus mercedis accipiet.* [e] Ipse autem saluus erit, sic tamen, quasi per ignem.] *Illud quod in græco est, σωθήσεται, hoc est seruabitur, magnus Basilius, & Chrysostomus interpretantur, significare eum, qui fuerit malæ structuræ causa, reseruandum ad perpetuam pœnam, neque enim Græcum verbum, σώζω, sed ne nostrum quidem Latinum, seruo, tantum salutem dare significat, sed etiam efficere, ne aliquid corrumpatur, vt sit sensus, cum ille dies venerit, ædificatio quidem & structura inanis apparebit, at ipse seruabitur, quo pacto? ad salutem? non: sed sic quasi per ignem, in hoc enim permanebit & seruabitur, vt igni perpetuo comburatur. Non*

tur. Non desunt tamen, qui & de igne purgatorio hunc locũ interpretentur. Verum illud, αὐτὸς, quod interpretes omnes hactenus verterunt, ipse, vbi dicitur, ipse autem saluus erit, videtur posse etiam referri ad fundamentum, quod masculino genere Paulus præmisit, τὸν θεμέλιον, vt dicamus, ipsum vero fundamentum seruabitur, atque immotum manebit, sed sic tanquàm per ignem, cuius superius meminerat Paulus, vt significet, in ipsa rerum examinatione tandem, & agnoscendum, verum esse fundamentum, et quæ, vel dogmata, vel opera superextructa sunt, æquàne fuerint, an iniqua, aperiendum. f Omnia enim vestra sunt.] *Quid (inquit) vos ipsos addicitis ijs, quæ instituta sunt, vt vobis seruiant, vt & ipsa mors vtilitati vestræ inseruiat, quando diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum?* g CHRISTVS autem Dei.] *Consueuit Paulus omnia demum ad patrem referre, quare infra dicet, tunc & ipse filius subiectus erit ei, &c.*

CAPVT IIII.

2.Cor.6.a

SIc nos æstimet homo, vt ministros CHRISTI & dispensatores mysteriorum Dei. Quod autem superest, quæritur inter dispensatores: vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, [a] aut ab humano die: sed neque meipsum iudico. [b] Nihil enim mihi conscius sum: sed non in hoc iustificatus sum. Qui autem iudicat me, Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusq; veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum: & manifestabit consilia cordium: [c] & tũc laus erit vnicuiq; à Deo. Hæc autem fratres transfiguraui in meipsum & in Apollo, propter vos, vt in vobis discatis, non [d] supra quàm scriptum est, sentire: ne vnus aduersus alterum infletur pro alio. Quis [e] enim te dijudicat? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem & accepisti: quid gloriaris, quasi non acceperis? [f] Iam saturati estis, iam diuites facti estis: sine nobis regnastis, & vtinã regnaueritis: vt & nos vobiscum regnemus. [g] Puto enim q᷒ Deus nos apostolos nouissimos ostendit: tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus: Nos stulti propter CHRISTVM: vos autem prudẽtes in CHRISTO: Nos infirmi, vos autem fortes. Vos nobiles: nos autem ignobiles. Vsq; in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi sumus, & colaphis cædimur, & instabiles sumus, & laboramus operantes manibus nostris: maledicimur, & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquam purgamenta mundi facti sumus omnium reiectio vsque adhuc. Non, vt confundam vos, hæc scribo: sed, vt filios meos charissimos moneo. Nam & si decem millia pædagogorum habeatis in CHRISTO: sed non multos patres. Nam in CHRISTO IESV, per Euangelium ego vos genui. Rogo ergo vos, imitatores mei estote. Ideo misi ad vos Timótheum, qui est filius meus charissimus & fidelis in Domino: qui vos cõmonefaciet vias meas, quæ sunt in CHRISTO, sicut vbique in omni ecclesia doceo. Tanquam non venturus sim ad vos, inflati sunt quidam. Veniam autem ad vos cito, si Dominus voluerit: & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei: sed in virtute. Quid vultis? in virga veniam ad vos: an in charitate, & spiritu mansuetudinis?

A B C D

Act.20.g 1.Thes.2.b 2.Thes.3.b

SCHOLIA.

[a] Aut ab humano die.] *Hebraismus est, vt dies pro iudicio vel fauore accipiatur.* [b] Nihil enim mihi conscius sum, sed.] *Multa enim peccamus et plurima ne intelligimus quidem, nam: Delicta quis intelligit?* [c] Et tunc laus erit vnicuique à Deo.] *Cui vnicuique? Quod dicit, hoc est, ne quæso vos nunc coram hominibus magnificetis, & aliorum reprehensione laudem vobis comparetis, nam aduentus Domini omnia reuelabit, & tunc demum apparebit, quis nostrum fuerit honore dignus, id enim erit tempus distribuendi à Deo honoris vnicuique.* [d] Supra quàm scriptum est.] *Tale quid Salomon admonet, cum ait, ne plus sapias quàm necesse est, ne obstupescas.* [e] Quis enim te dijudicat?] *Cuius iudicio niteris ò magister, quod dignus sis laude? hominis iudicio? at non tutum est iudicium hominum. Sed fingamus tutum, atque æquum, quid habes, quod non acceperis? quod si accepisti, non est tibi de re aliena gloriandum: sin gloriaris, id agis vt ingratus, qui velis dissimulare non accepisse: nam homines de re sua gloriari solent, non de ea, quam acceperint ab alijs. Digna verba quæ sæpius recordemur.* [f] Iam saturati estis.] *Ex ijs quibus gloriamini, iam magni euasisse sub istis vestris magistris apparetis, quod vtinam verum esset, nam hoc esset præcipuum meum gaudium, & plane triumpharem, sed video inanem hanc esse quandam iactantiam.* [g] Puto enim.] *Felici ironia eos carpit: mirum, inquiens, est, quod vobis accidit, contra nimirum, atque nobis apostolis, qui postremi omnium facti sumus, tanquam purgamenta, ac reiectamenta quædam mundi, dum interea vos glorioſe deliciamini.*

CAPVT V.

OMnino auditur inter vos fornicatio: & talis fornicatio, qualis nec inter gentes nominatur, vt [a] vxorem patris sui aliquis habeat. [b] Et vos inflati estis: & non magis luctum habuistis, vt tollatur de medio vestrũ, qui hoc opus fecit. Ego quidem, vt absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt presens, eũ qui sic hoc operatus est, in noĩe Dñi nostri IESV CHRISTI, [c] congregatis vobis & meo spiritu, cũ virtute Dñi nostri IESV CHRISTI tradi satanæ [d] in interitũ carnis, vt spiritus saluus sit ī die Dñi IESV. Nõ est bona gloriatio vestra. Nescitis q᷒ modicũ fermẽtũ, totã massam corrũpit? [e] Expurgate igitur vetus fermẽtũ, vt sitis noua cõsperſio, sicut estis azymi. Etenim pascha nostrũ pro nobis ĩmolatus est CHRISTVS. Itaq; [f] festũ celebremus nõ in fermẽto veteri, neq; in fermẽto malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. [g] Scripsi vobis p epistolã: Ne cõmiſceamini fornicarijs: & nõ oĩno fornicarijs huius mũdi, aut auaris, aut rapacibus, aut idõlis seruiẽtibus: alioquin debueratis de hoc mũdo exisse. Nũc aũt scripsi vobis, nõ cõmiſceri: si is qui frater noĩatur, est fornicator, aut auarus, aut idõlis seruiẽs, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax: cũ eiusmodi nec cibũ sumere. Quid. n. mihi de ijs, qui foris sunt iudicare? Nõne de ijs, qui intus sunt vos iudicatis? [h] eos vero, qui foris sunt: Deus iudicat. Etiam auferre istum malum ex vobisipsis.

A B C D

Colos.2.a Gala.5.b

SCHOLIA.

[a] Vxorem patris.] *Nouercam. Illud vero, omnino auditur, absurditatem rei notat, quæ ne labijs quidem proferenda esset, nedum patranda.* [b] Et vos inflati estis.] *Vestris quasi rectè factis gloriamini, quo tempore lugendum esset, nam communis*

communis vester pudor hic est. [c] Congregatis vobis.] *Ne videretur sibi totam vsurpare authoritatem.* [d] In interitum carnis.] *Præfigit terminum Satanæ, vt corpus duntaxat tangeret, animæ parceret, sicut & in Iacob factum est.* [e] Expurgate igitur vetus fermentum.] *Profligate hunc sceleratum, qui hoc egit.* [f] Itaque festum celebremus.] *Cernis Christiano viro semper pascha ac spiritualem celebritatem esse debere? ideo alibi dicitur, nihil soliciti sitis, vt toto animo atque omni mente in hos thesauros rerum incumbamus.* [g] Scripsi vobis per epistolam.] *Sunt qui intelligant de hac ipsa epistola, vbi de hoc scortatore locutus est, sed rectius videtur accipiendum de alia epistola quæ non extet, vt sit sensus. Cum scripsi vobis, ne commiscereminì scortatoribus, non volui intelligi de externis, sed siquis forte inter vos repertus fuisset eiusmodi quod nunc conqueror, factum à vobis non fuisse aduersus istum.* [h] Eos qui foris sunt.] *Non hic accipiendum est, quasi eos etiam qui intus sunt Deus non iudicet, sed dicit, eos qui foris sunt, pertinere ad iudicium Dei, non autẽ ecclesiæ.*

CAPVT VI.

AVdet aliquis vestrum habens negocium aduersus alterũ, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos? An nescitis q᷒ sancti mundum iudicabunt? Et si per vos iudicatur mundus: indigni estis qui de minimis iudicetis? Nescitis quòd angelos iudicabimus? quanto magis secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis: [a] contemptibiles qui sunt in ecclesia, illos constituite. Ad verecundiam vestram dico. Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum & fratrem? Sed frater cum fratre iudicio contendit: & hoc apud infideles. Iam quidem omnino delictum est in vobis, q᷒ iudicia habetis inter vos. Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini? Sed vos iniuriam facitis & fraudatis: & hoc fratribus. An nescitis, q᷒ iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare. Neque fornicarij, neq; idólis seruientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neque ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces regnum Dei possidebũt. Et hæc quidam fuistis: [b] sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini IESV CHRISTI & in spiritu Dei nostri. [c] Omnia mihi licent: sed non omnia expediunt. Omnia mihi licent: sed ego sub nullius redigar potestatem. [d] Escæ ventri, & venter escis: Deus autem, & hunc & has destruet: corpus autem non fornicationi, sed Domino: & Dominus corpori: Deus vero & Dominũ suscitauit: & nos suscitabit per virtutem suam. Nescitis quòd corpora vestra, membra sunt CHRISTI? Tollens ergo membra CHRISTI, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis, quòd qui adhæret meretrici, vnum corpus est? Erunt (inquit) duo in carnem vnam. Qui autem adhæret Domino: vnus spiritus est. Fugite fornicationem. [e] Omne enim peccatum quodcunq; fecerit homo: extra corpus est: qui autem fornicatur: in corpus suũ peccat. An nescitis quòd corpus vestrum templum est spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? Empti enim estis precio. Glorificate Deum in corpore vestro: & in spiritu vestro, quæ sunt Dei.

A B C D

Infra.10.e Eccle.37.d Gene.2.b Matt.19.a Marc.10.a Ephe.5.g Supra.3.d 2.Cor.6.c Infra.17.d 1.Pet.1.d

SCHOLIA.

[a] Contemptibiles, qui sunt in ecclesia.] *Id ironia potius quadam, & quasi indignans dicit, quàm vt præcipiat, hoc modo: potest omnino quisquam dicere, neminem esse in ecclesia, qui dijudicare norit vestra iudicia? id quidem credẽdum non est, sed esto, ita sit, vt dicitis, malo tamen, vt contemptissimus quisque vestrum iudicet, quàm ad infidelem iudicem accedatis: atque vt doceat ita esse intelligendum, addit, se hoc ad eorum erubescentiam dicere.* [b] Sed abluti estis.] *Abluti à sordibus peccatorum, sanctificati per renouationem interioris hominis, iustificati dum in amicitiam Dei accepti sumus.* [c] Omnia mihi licent.] *Transit ad aliud vitium reprehendendum, nempe gulæ & ventris. Licet, inquit, mihi comedere & bibere: sed nisi modus adhibeatur, nõ est vtile, & si omnino ventri obsequor, cõtinuo me illi in seruitutem do: deinde post ventrem sequuntur ea, quæ sub ventre sunt.* [d] Escæ ventri.] *Per escas intelligit delitias, per ventrem, edacitatem. Horum (inquit) inter se amicitiam, non habet cum Christo & Deo commercium, neque ad futurum regnum, quod vnum quærere debemus, pertinent.* [e] Omne enim peccatum.] *Cætera, inquit, peccata videntur ad aliud, quàm ad iniuriã corporis pertinere: at scortatio proprie iniuriam corporis spectat, cum successioni prolis, ad quam ea in re est institutũ, iniuria fiat: à Græcis tamen sexcentæ huic loco dantur interpretationes.*

CAPVT VII.

DE quibus autem scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationes autem, vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquæq; suum virum habeat. Vxori vir debitam beneuolentiam reddat: similiter autem & vxor viro. Vxor, sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir, sui corporis potestatem non habet: sed vxor. Nolite fraudare inuicem: nisi forte ex cõsensu ad tempus, vt vacetis ieiunio & orationi: & iterum in vnum conueniatis: ne tentet vos satanas propter incontinentiam vestram. Hoc autem dico secundum indulgentiam: non secundum imperiũ. [b] Volo enim omnes homines esse sicut meipsum: sed vnusquisque proprium donum habet ex Deo: alius quidem sic, alius vero sic. Dico autem non nuptis & viduis: bonum est illis, si sic permanserint sicut & ego. Quòd si non se continent, nubant: melius est enim nubere, [c] quàm vri. Ijs autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, nõ ego, sed Dñs: Vxorem à viro non discedere: q᷒ si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari. [d] Et vir vxorem non dimittat. Nam cæteris: ego dico, non Dominus: Si quis frater vxorem habet infidelem, & hęc cõsentit habitare cum illo: non dimittat illam: Et siqua mulier habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum: [e] sanctificatus est enim vir infidelis per vxorem: & sanctificata est vxor infidelis per virum: alioquin filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt. Quòd si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi: [f] in pace autem vocauit nos Deus. Quid enim scis mulier, si virum saluum facies? aut quid scis vir, si mulierem saluam facies an non? [g] Vnicuique sicut diuisit Deus: vnumquẽq; sicut vocauit Dominus, ita ambulet, & sic in omnibus ecclesijs doceo. Circuncisus aliquis vocatus est? non adducat præputium. In præputio aliquis vocatus est? non circuncidatur. Circũcisio nihil est, & præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum dei. Vnusquisq; in qua vocatione vocatus est, in

A B C D

Matt.5.c &.19.b Marc.10.b Luc.16.d Ephe.4.a

est,in ea permaneat.Seruus vocatus es?[h]non sit curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in domino vocatus est Seruus, libertus est domini. Similiter,qui liber vocatus est,seruus est CHRISTI. [i] Precio empti estis,nolite fieri serui hominum. Vnusquisq; ergo in quovocatus est,fratres,in hoc maneat apud Deū. E
Supra.6.d 1.Pet.1.d De virginibus autem præceptum domini non habeo: consilium autem do, [k] tanquam misericordiam consecutus à domino,vt sim fidelis. Existimo igitur hoc bonum esse propter [l] præsentem necessitatem: quoniā bonum est homini sic esse. Alligatus es vxori?noli quærere solutionē. Solutus es ab vxore?noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem,non peccasti. Et si nupserit virgo,non peccauit:tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi. [m] Ego autem vobis parco. Hoc itaq; dico fratres [n] tempus breue est:reliquum est, vt qui habent vxores,tanquam non habentes sint:& qui flent,tanquam non flentes: & qui gaudent,tāquam non gaudentes:& qui emunt,tanquam non possidentes:& qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur: F
præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos sine solicitudine esse. Qui sine vxore est: solicitus est quæ domini sunt,quomodo placeat domino. Qui autem cum vxore est:solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori. Diuisa est mulier & virgo. Innupta cogitat,quæ domini sunt:vt sit sancta & corpore & spiritu. Quæ autem nupta est,cogitat quæ sunt mundi: quomodo placeat viro. Porrò hoc ad vtilitatem vestram dico:non vt laqueū vobis injiciam,sed vt id,quod honestū est,sequamini: & quod facultatem præbeat sine impedimento domino seruiendi. Si quis autem turpem se videri existimat super virgine suā, q̄ sit superadulta, & ita oportet fieri:quod vult faciat,non peccat:iungantur matrimonio. Nam qui statuit in corde suo firmus, G
[o] non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde suo, seruare virginem suam:benefacit. Igitur & qui matrimonio iungit,benefacit:& qui non iungit,melius facit. Mulier alligata est legi,quanto tempore vir eius viuit:quòd si dormierit vir eius, libera est, vt cui vult nubat,tantum in domino. Beatior autem est,si sic permanserit secundum meum consilium. Puto autem, q̄ & ego spiritum Dei habeam.

SCHOLIA.

[a] De quibus autem scripsistis.] *Intuere virtutem euangelicæ prædicationis: cernebant Christianam philosophiam nihil esse aliud, quàm cœlestem quandam rempublicam, & imitationem eorum, quæ in cœlo fiunt, iccirco consuluere apostolum, an omnino ab vxoribus sit abstinendum.* [b] Volo enim omnes homines.] *Quod dixi, non debere vos mutuo fraudare in re coniugali, hoc non dixi præcipiens, sed infirmitatis vestræ rationem habui, alioqui velim, vt omnes me imitemini, & incorrupti ab omni sorde carnis viuatis.* [c] Quam vri.] *Hoc est, tentationibus superari.* [d] Et vir vxorem non dimittat.] *Nimirum excepta causa fornicationis, hæc enim est Domini nostri lex. Quod autem sequitur: Reliquis vero ego dico, non Dominus, non ait se contrariam Domini sententiæ rem dicturum, sed non habere quidem se præfixam à Domino legem de hac re, cum hæc causa recens emerserit, sed tamen decernere sic esse faciendum.* [e] Sanctificatus est vir infidelis.] *Quantum scilicet pertinet ad prolem, ne sint filij spuri, ut sunt in carnali scortatione, nunc enim etsi sint vna caro vincit tamen puritas ac mundicies ipsius fidelis.* [f] In pace autem vocauit nos Deus.] *Quamuis dixi, permittendum esse infidelem abire, tamen omnibus modis curandum est, ne discedat, in primis enim Dominus pacem amat, & auersatur dissidia. Præsertim cum fieri possit, vt conuertatur, quid enim scis, inquit, mulier, &c.* [g] Vnicuique sicut diuisit Deus:vnumquenq; sicut vocauit.] *Nescimus(inquit) consilium Dei cur voluerit hunc fidelem illi infideli esse copulatum,quare veneremur,quod ipse distribuit,non disperdamus.* [h] Non sit tibi curæ:sed & si potes.] *Nihil enim est hæc corporis seruitus,& vide quid addat:Sed,si etiam possis liber fieri,magis vtere,nempe hac seruitute. Tantum abest, inquit,vt debeas hanc ægreferre seruitutem,aut impedimento tibi hæc esse possit ad hanc philosophiam, vt moneam manere in ista seruitute, quamuis liber esse possis, omnes enim serui sumus, & vni Domino seruimus, & omnes æque ab eo vera donati libertate.* [i] Precio empti estis, nolite fieri serui hominum. Vnusquisque.] *Hoc tam ad liberos quā ad seruos dicit, nam de seruis iam dixerat, ne quærerent à seruitute liberari. Hic ergo ait, meminisse eos debere, se precio sanguinis Christi omnes esse redemptos, & ingenti libertate donatos: caueant ergo ne unquam ingrati sint tanto liberatori, & eo neglecto vitiosè obsequantur hominibus, hæc enim vna est pudenda seruitus. Si quis igitur alicui domino honesta imperanti, obtemperet, hic non est seruus hominum. Cum paratus sit non obtemperare impia mandanti. Sic & ad Ephesios admonet. Seruientes Domino, & non hominibus.* [k] Tanquam misericordiam consecutus.] *Consilium do, vt qui gratus esse volo misericordiæ Domini erga me, vt sim prædicator fidelis, & dem recta consilia.* [l] Propter præsentem necessitatem.] *Videtur intelligere ingruentes persecutiones: facilius enim has feremus, si vxores & liberos non habuerimus, quos circumferamus, quosq; infinitis periculis exponamus: vel præsentes, siue huius vitæ varias & necessario comitaturas matrimonium curas.* [m] Ego autem vobis parco.] *Tanquam filijs, quos vellem liberos esse, ac sine tristitia, solutosq; his vinculis: at, qui vxorem habet, alligatus est ei.* [n] Tempus breue est.] *Iam illucescit regnum Christi, voluptas nuptiarum breuis est, & quæ facile circunstantibus molestijs obruatur.* [o] Non habens necessitatem.] *Non ex aliqua necessitate desierit eam tradere viro, sed proposito pio ac sancto, studio seruandæ virginis filiæ suæ. At nunc illæ in primis dicantur Deo, quas aliqua causa tradere viris parentes nequeunt:Paulum ergo hic audiant.*

CAPVT VIII.

DE ijs autem quæ idôlis immolantur, [a] scimus quòd omnes scientiam habemus. [b] Scientia inflat: A
charitas vero ædificat. Si quis autem se existimat scire aliquid:nondum quicquam nouit quemadmodum oporteat scire. Si quis autem diligit Deum: [c] hic cognitus est ab eo. De esu igitur eorum, quæ idôlis immolantur, scimus quòd nihil est idôlum in mundo, & q̄ nullus est Deus alius nisi vnus. Nam etsi sunt,qui dicantur dij,siue in cœlo,siue in terra(quemadmodum sunt dij multi,& domini multi) nobis tamē B
vnus Deus pater,ex quo omnia,& [d] nos in illum,& vnus dominus IESVS CHRISTVS per quem omnia & nos per ipsum:sed non in omnibus est scientia. Quidam autem [e] cum conscientia idôli vsq; nunc, quasi idolothytum manducant:& conscientia ipsorum,cum sit infirma,polluitur. [f] Esca autem nos non commē-
dat Deo.

C dat Deo. Neq; enim si manducauerimus,abundabimus:neq; si non manducauerimus,deficiemus. Videte autem, ne forte hæc licentia vestra, offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit te, qui habes scientiam,in idolio recumbentem:nónne conscientia eius,qui infirmus est, ædificabitur ad manducandum idolothyta? Rom.14.c
D [g] Et peribit infirmus in tua scientia frater,propter quem CHRISTVS mortuus est?Sic autem peccantes in fratres,& percutientes conscientiam eorum infirmā,in CHRISTVM peccatis. Qua propter [h] si esca scā-
dalizat fratrem meum:non manducabo carnem in æternum,ne fratrem meum scandalizem. Rom.14.d

SCHOLIA.

[a] Scimus quod omnes scientiam habemus.] *Ipso verborum principio deijcit eorum arrogantiam, qui, quasi soli scientiam hanc haberent,atque agnitionem,non verebantur esse alijs offendiculo. Omnes,inquit,scimus nihil esse idolum,nihil inquam eorum quæ sunt in mundo,sed inane figmentum,& iccirco nihil agere posse in ys,quæ immolantur: at hæc cognitio regenda tamen est prudentia & charitate.* [b] Scientia inflat.] *Non hic loquitur de disciplinis, vt simpliciores quidā arbitrantur:nam disciplinæ sua natura docent humiles fieri homines in sese, ac modestos:cum discere nihil sit aliud, quam nosse,quantum sibi desit ad scientiam:neque fieri vnquam possit, vt qui verum eruditionis,nō fucatum nomen sit assecutus, quicquam sibi arroget,qui vero sibimet quicquam arrogat,multū abest ab eo, vt eruditus iure sit appellandus. Hic ergo scientiam appellat illam agnitionem fastuosam,qua ij,qui sciebant nihil esse idolum,irridebant eos,qui abstinerēt à carnibus, quæ immolatæ fuissent simulachris:& quod in epistola ad Romanos admonet de vitandis disceptationibus in ciborum differentia,eadem hic de idolothytis ratio est, Vult ergo omnia agi ad ædificationem charitatis. Quod vero addit,siquis existimat se scire,&c.sic intellige, arbitrari se aliquid scire, signum est hominis nondum intelligentis,quo pacto scire quenque oporteat, cum scientia, vtilitatis tantum,atque ædificationis causa exercenda sit,at is,qui se arbitratur scire,ostentationem potius atq; arrogantiam præ se fert,quàm studium ædificationis.* [c] Hic cognitus est ab eo.] *Is duntaxat,inquit,qui diligit Deū, veram perfectamq; agnitionem ab eo accipit. Vt qui in eius amicitiam sit receptus.* [d] Et nos in illum.] *Scilicet tendere decet,quod vero sequitur,per ipsum,nouo scilicet ac spirituali modo,bis enim sumus ipsius, creati, ac redempti.* [e] Cum conscientia idôli vsque nunc.] *Quidam erant,qui suspicabantur,pollutas esse illas immolatitias carnes,& dum illa cōscientia tenebantur,si comedebant,maculabantur:nam et Romanis dixerat,eum,qui dijudicaret cibos,si eis vesceretur, condemnari,ob infirmam conscientiam.* [f] Esca autem nos non commendat Deo.] *Si (inquit) vescendo illis carnibus rem gratiorem Deo faceretis,quam abstinendo,recte vesceremini:nunc vero cum per se nihil referat apud Deum (hoc enim est abundare & deficere,hoc est,placere vel displicere) vescamini,nec ne:id potius cauēdum est vobis,ne hæc libertas vestra offendiculo sit infirmioribus.* [g] Et peribit.] *Terrificum verbum. Vide,inquit,quid faciat illud, scire te nihil esse idolum dum cætera non circunspicis: peribit enim in hac tua scientia, infirmioris conscientiæ frater, propter quem ipse Dei filius mortuus est. Hic locus contra illos facit,qui volunt,Christum tantum pro seruandis mortuum esse, nam propter hūc mortuus est,quem dicit periturum.* [h] Si esca scandalizat.] *Quod ait,se in æternum non vsurum carnibus,si ex eo offendatur frater,nimirum id de qualibet re fecisset:at homines quàm nihil curant esse suis factis proximo cuique offendiculo.*

CAPVT IX.

A NOn sum apostolus? non sum liber? Nónne CHRISTVM IESVM Dominum nostrum vidi? Nónne opus meum vos estis in Domino? Et si alijs non sum apostolus:sed tamen vobis sum: nam signaculum apostolatus mei vos estis in Domino: [b] Mea defensio apud eos qui me interrogant,hæc est: Nunquid non habemus potestatem manducandi & bibendi? Nunquid non habemus potestatem [c] sororem mulierem circunducendi,sicut & cæteri apostoli & fratres Domini,& Cephas? Aut [d] ego
1 solus & Barnabas,non habemus potestatem non operandi? Quis militat suis stipēdijs vnquam? Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat? [e] Nunquid
B secundum hominem hæc dico? An & lex hæc non dicit? Scriptū est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti. [f] Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare: & qui triturat, spem suam participare in spe. Si nos vobis spiritualia seminauimus: magnum est si nos carnalia vestra metamus? [g] Si alij potestatis vestræ participes sunt: quare non potius nos? Sed nón vsi sumus hac potestate: sed omnia sustinemus,ne quod offendiculum demus euangelio CHRISTI. Nescitis quòd qui in sacrario operantur: quæ de sacrario sunt Deu.18.a
edunt? & qui altari deseruiunt:cum altari participant? Ita & Dominus ordinauit ijs, qui euangelium an-
C nuntiant:de euangelio viuere. Ego autem nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc, vt ita fiat in me. Bonum est enim mihi magis mori:quam vt gloriam meam quis euacuet. Nam [h] si euangelizem, nō est mihi gloria:necessitas enim mihi incumbit:væ enim mihi est,si non euangelizauero. Si enim volens hoc ago, mercedem habeo:si autem inuitus,dispensatio mihi credita est. Quæ est ergo merces mea? Vt euangelium prædicans,sine sumptu ponam euangelium CHRISTI, vt non abutar potestate mea in euangelio. Nam cum liber essem ex omnibus,omnium me seruum feci:vt plures lucrifacerem. Et factus sum Iudæis tāquam Iudeus:vt Iudeos lucrarer:ijs, qui sub lege sunt:quasi sub lege essem,vt eos,qui sub lege erāt,lucrifacerē: [i] ijs,
D qui sine lege erant,tanquam sine lege essem (cum sine lege Dei non essem:sed in lege essem CHRISTI)vt lucrifacerem eos qui sine lege erant. Factus sum infirmis quasi infirmus:vt infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum:vt omnino aliquos facerem saluos. Hoc autem facio propter euāgelium, vt particeps eius efficiar. [k] Nescitis q̄ ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt:sed [l] vnus accipit brauium? Sic currite:vt comprehendatis. Omnis autem,qui in agone contendit,ab omnibus se abstinet: & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant:nos autem incorruptibilem. [m] Ego igitur sic curro,non quasi in incertum:sic pugno,non quasi aerem verberās:sed [n] castigo corpus meum & in seruitutem redigo,ne quomodo cum alijs prędicauerim,ipse reprobus efficiar.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Non sum Apostolus?] *Nondum absoluit propositam rem, de qua tractabat, sed cum sciret plurimi referre proximorum exempla in vtranque partem, docet suo exemplo, non solum ea, quæ facultatis sunt nostræ, ac omnino licent, se offendant, esse prætermittenda, verum etiam si, quamuis non offendant, aliquis tamen prætextu imitandi nostri, illis sit abusurus, etiam ab illis esse abstinendum. Hic ergo dicit, nónne manifestissimum est, mihi nihil deesse, quod primates apostoli, etiam in Domino viso, sint assecuti? quod si quis alium negat, id negare omnino vos non potestis, qui sigillum quoddã estis mei apostolatus. Cum ergo habeam eandem potestatem, quam cæteri omnes Apostoli, pluribus tamen in rebus ea non sum vsus: ne occasionem præbeam vis, qui eam quærunt.* [b] Mea defensio.] *Potest referri ad superiora, vt dicat, si quis scire quærat, vnde signa Apostoli ostenderim, vos in testimonium propono. Potest etiam ad sequentia referri, quòd scilicet cum posset uti eadem qua cæteri Apostoli auctoritate, tamen sine sumptu prædicauerit Euangelium, cuius rei ipsi essent testes.* [c] Sororem mulierem.] *Mulieres opulentæ fideles sequebantur quosdam ex Apostolis ministrantes necessarijs eorum vsibus.* [d] Ego solus & Barnabas.] *Num solis duobus nobis adempta est potestas non operandi? ut scilicet non liceat nobis alieno sumptu, sine labore manuum nostro, viuere: dum prædicamus Euangelium? quod num liceat, sumite exempla à militibus, ab agricolis, à pastoribus: quin & lex ipsa id docet, & tamen noluimus vti hac potestate, vtilitatis vestræ gratia.* [e] Nunquid secundum hominem.] *Num humana tantum cogitatione nitor, & non etiam legis auctoritate?* [f] Nunquid de bobus.] *Curæ quidem sunt omnia Deo: nam omnia, inquit, à te expectant, vt des illis escam, sed illam legem tulit, scilicet, non alligabis os boui trituranti, non boum gratia, sed ad docendos homines humanitatem.* [g] Si alij potestatis vestræ.] *Si alij Apostoli possunt accipere à vobis alimenta, quanto magis nos? illud ergo potestatis vestræ, intelligе, potestatis erga vos.* [h] Nam si euangelizem.] *Sensus est. Nullam mihi arbitror superesse in hac re gloriam aliam apud Christum, quam hanc, vt sine sumptu cuiusquam prædicem Euangelium, nam quod euangelizem, non ascribo meæ gloriæ, vt qui impleam duntaxat, quod mihi præceptum est: quod cum impleuero, dicendum est præterea, me seruum esse inutilem, qui id tantum fecerim, quod debuerim. Si ergo inuitus hoc facio (nam videri quasi inuitus facere, si refugerem sumptu proprio id facere) dispensatio quædam mihi credita est, à qua gloria mihi non est expectanda: sin volens ac sponte hoc facio, hoc est, non expectata ab alijs mercede vel sumptu, hæc est mea merces, & mea gloria. Generosum profectò animum.* [i] Ijs qui sine lege sunt.] *Sicut (inquit) cum Iudæis ita versabar, quasi legem seruans, sic cum gentibus versabar, quasi omnino huius legis expers. Fiebat etiam cum infirmis infirmus, cum diceba: Infirmum in fide suscipite, &c.* [k] Nescitis quod ij.] *Docet maximum esse negocium Christianæ philosophiæ, & nisi quis omne studium adhibeat, non assequi tam ingens trophæum. Oportere ergo omnibus in rebus cauere ne impingamus, & aliqua offensione cursus noster intercidatur: quod si ij, qui in studio currunt, tanta curæ munus suum exequuntur: & qua gratia? exiguæ ac temporariæ coronæ gratia, quid nobis non est conandum, pro maximis atque æternis præmijs ac coronis decertantibus?* [l] Vnus accipit brauium.] *Hoc est, omnes quidem currunt, sed non omnes assequuntur: de quo vide quid dictum sit capite secundo in Ioannem.* [m] Ego igitur sic curro.] *Optimus est docendi modus, ex se ipso inuenire exempla. Curro ergo (inquit) ego, quasi qui scopum præfixum habeam, & pugno, cogitans, qui cum mihi sit pugnandum, quod qui facit, is demum euadet victor: contra, qui nullas sibi difficultates proponit, facilè in medio deficit cursu.* [n] Castigo corpus meum.] *Præcipuus ad omnia rectè facta apparatus, efficere, vt corpus legi spiritus obtemperet. Castigabat Paulus corpus, quod magis spiritale erat, quam nostræ ipsorum animæ. Cui ergo post Paulum non id faciendum est? Opportune autem meminit castigandi corporis ob eos, quorum ventris ac gulæ vitium reprehenderat.*

CAPVT X.

Num.9.d Exod.13.d Exod.14.e Exod.16.d Exod.17.b Num.20.b Num.26.g Exo.32.b Num.25.b Num.21.b Num.14.f Iudith.8.c

[a] NOlo autem vos ignorare fratres, quòd patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes per mare A
transierunt, & omnes in Moysen baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem escam spiritua-
lem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: bibebant enim de spirituali,
sequente eos petra: petra autem erat CHRISTVS. Sed [b] non in pluribus eorum beneplacitum est Deo:
nam prostrati sunt in deserto. Hæc autem figuræ nostri fuerunt, vt non simus concupiscentes malorum, sic- B
ut & illi concupierunt: neq; idololatræ efficiamini, sicut quidã ex ipsis, quemadmodum scriptum est: Sedit
populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere: neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt,
& ceciderunt vna die viginti tria millia: neq; tentemus CHRISTVM, sicut quidam eorum tentauerunt, &
à serpentibus perierunt: neq; murmuraueritis sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exter- C
minatore. Hæc autem omnia, figurę contingebant illis: scripta sunt autem propter admonitionem nostram,
in quos [c] fines seculorum deuenerunt. Itaque qui se existimat stare: videat ne cadat. [d] Tentatio vos non ap-
prehendit, nisi humana: [e] fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis: sed fa-
ciet etiam cum tentatione euasionem, vt possitis sustinere. Propter quod charissimi mihi, [f] fugite ab idolo- D
rum cultura. Vt prudentibus loquor: vosipsi iudicate quod dico. Calix benedictionis cui benedicimus. nón-
ne communicatio sanguinis CHRISTI est? Panis quem frangimus, nónne cõmunicatio corporis CHRI-
STI est? Quoniam vnus panis, [g] vnum corpus multi sumus: omnes enim de vno pane participamus. Vide-
te Israel secundum carnem. Nónne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo dico? quòd idolum E
sit aliquid? aut quòd idolis immolatum sit aliquid? Sed quòd quæ immolant gentes: dæmonijs immolant, &
non Deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæ-
moniorum: non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. [h] An prouocamus Domi-
num? [i] Nunquid fortiores illo sumus? Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt: omnia mihi licent, sed F

Sup.6.c Eccle.37.d psal.23.a

non omnia ædificant. Nemo quod suum est quærat: sed quisque quod alterius. Omne quod in macello væ-
nit, manducate, [k] nihil interrogantes propter conscientiam. [l] Domini est terra & plenitudo eius. Si quis au-
tem vocat vos infidelium, & vultis ire: omne quod vobis apponitur manducate, nihil interrogantes propter
conscientiam. Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idõlis: nolite manducare propter illum qui indica-
uit, &

G uit, & propter conscientiam. Domini enim est terra, & plenitudo eius: conscientiam autem dico non tuam,
sed alterius. [m] Vt quid enim libertas mea iudicatur ab alia conscientia? Quod [n] si ego cum gratia participo:
quid blasphemor, pro quo ego gratias ago? Siue ergo manducatis, siue bibitis, vel aliud quid facitis: omnia in Coloſ.3.c
gloriam Dei facite. Sine offensione estote Iudęis & gentibus, & ecclesiæ Dei: sicut & ego per omnia omnibus
placeo, non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis, vt salui fiant.

SCHOLIA.

[a] Nolo autem vos ignorare.] *Dicet aliquis fortasse, inquit, iam adoptati in filios sumus, baptismum accepimus, ad panem cœlestem admissi sumus, non est iam quod metuamus, at fallitur qui hoc dicit. Videte enim quid patribus nostris factum sit, qui cum omnes diuinorum munerum participes fuissent (omnes enim beneficium illud nubis, diuisiq; maris, & mannæ, & aquæ è petra fluentis habuerunt) tamen tam multi à Deo reiecti sunt. In ipsa autem narratione Paulus declarat obiter, illa omnia typos nostræ fuisse veritatis, cum ait, omnes baptizatos fuisse in nube & in mari, et escam spiritalem comedisse & potum similiter. Mare ergo figura fuit aquæ baptismatis, nubes spiritus, manna panis vitæ, qui Christus est: potus, cœlestis poculi. In Mosen ergo baptizati sunt, dum in illum inspicientes, & fidentes permiserunt se mari. Quod autem ait consequentem petram, significat, beneficium aquæ, quoties opus erat, fuisse eis oblatum, idque è petra, quæ Christum signabat.* [b] Non in pluribus.] *Omnes enim qui viderant signa facta in Aegypto, interierunt, præter Caleb & Iosue, sed moderatur orationem, ne mala videatur illis ominari. Quod vero ait, concupiscentes malorum, illud est, quod in psalmo legimus, concupierunt concupiscentiam in deserto. Mala enim fuit illa concupiscentia, iccirco dixit, concupiscentes malorum. Cætera facili in Exodo & Leuitico reperiuntur.* [c] Fines seculorum.] *Quos aliàs vocat plenitudinem temporum, dies scilicet salutis.* [d] Tentatio vos non apprehendit nisi humana.] *Humanum appellare solet Paulus, leue, ac facile. Monet ergo eos, ne sibi fidant, tanquam perfectioribus, quando nihil eis hactenus accidit graue, quo vires suas potuerint experiri.* [e] Fidelis autem Deus.] *In medijs monitis, dat fiduciam, fore, vt si quando maior ingruat afflictio, Deus, qui fidem seruat in suos, det ἔκβασιν, hoc est, euasionem, ac finem malorum.* [f] Fugite ab idolorum cultura.] *Iam reuertitur ad rem propositam supra, de ijs. Videlicet, quæ idolis immolabantur, et vt eos magis terreat, dicit esse quendam idolorum cultum ijs vesci, nimirum ob eam causam, quòd illis vescentes viderentur aliquibus, participes se facere culturæ simulachrorum, alioqui infra dicit, non esse curiosius inquirendum, cum emitur in macello caro, immolatine fuerit, an non.* [g] Vnum corpus multi sumus.] *Videtur velle sic arguere. Si communicatio corporis & sanguinis Domini coniungit nos Christo, vt vnum corpus omnes capitis efficiamur, sic communicatio immolatorum idolis, nos illis videretur coniungere. Sic & carnalis Israel edebat illas hostias, & earum virtutis fiebat participes. Quare demum pulchrè concludit, non esse quidem aliquid idolum, sed quia gentes Dæmonijs immolant, nolle se, vt illi videantur fieri socij Dæmoniorum.* [h] An prouocamus Dominum?] *Participem se facere mensæ Dæmonum, est quasi velle prouocare Deum ad æmulationem.* [i] Nunquid fortiores.] *Vt, scilicet impune fore nobis putemus, si ad iracundiam illum prouocauerimus?* [k] Nihil interrogantes propter conscientiam.] *Quantum ad rationem conscientiæ pertinet.* [l] Domini est terra.] *Bis ponitur hæc sententia: & primo significat, nihil interrogandum, cum caro illa creata à Deo sit, & bona, Dei creatoris ratione. Secundo vero loco ponitur, cum ait: si quis dicat, hoc immolatum est idolis, non debere tunc accipi carnes illas, ob conscientiam, non suam, sed illam alterius, qui offendi posset, neque enim, quam uis gentilis, negligendus est, cum creatura sit Dei, quandoquidem Domini est terra & plenitudo eius. Legatur autem per parenthesin illud repetitum Domini est terra, &c. Poterit q; sic etiam exponi: abstinendum est propter conscientiam, non tuam (Domini enim est terra, hoc est, scis enim esse omnem creaturam Dei,) sed ob conscientiam alterius.* [m] Vt quid enim libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?] *Sensus est. Cur ego libertate hac mea abutor, vt ego ex ea re, quæ alioqui mihi licita est, condemner, dum proximi conscientiam offendo?* [n] Si ego cum gratia participo.] *Ad eundem sensum pertinet cum superiore sententia. Si ego gratias ago Deo, qui intelligam, nihil esse idõlum, cur tam imprudens sum, vt cum offensione conscientiæ alterius vescar immolatis, & ob factum, quod alioqui bonum erat, vituperer?*

CAPVT XI.

A IMitatores mei estote: sicut & ego CHRISTI. Laudo autem vos fratres, q̃ omnia mea meministis: &
sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Volo autem vos scire q̃ [a] omnis viri caput, CHRISTVS Ephe.5.e
est: caput autem mulieris, vir: caput, vero CHRISTI, Deus: Omnis vir orans, aut prophetans [b] velato
capite, deturpat caput suum. [c] Omnis autem mulier orans, aut prophetans nõ velato capite, deturpat caput
B suum: vnum enim est & idem, ac si rasa esset. Nam si non velatur mulier, etiam tondeatur. Si vero turpe est
mulieri tonderi, aut radi: veletur: vir quidem non debet velare caput, quoniã [d] imago & gloria Dei est: mu-
lier autem, gloria viri est. Non enim vir ex muliere est: sed mulier ex viro. Etenim non est creatus vir propter Gene.2.d
mulièrem: sed mulier propter virum: ideo [e] debet mulier potestatem habere supra caput suum, [f] propter
C angelos. [g] Veruntamen, neque vir sine muliere, neque mulier sine viro in Domino. Nam sicut mulier de
viro: ita & vir per mulierem: omnia autem ex Deo. Inter vos ipsos iudicate: decet mulierem non velatam ora
re. Deum? An ne natura quidem ipsa docet vos, q̃ vir quidem si comam nutriat, ignominia est illi: mulier ve-
ro si comam nutriat, gloria est illi? quoniam capilli pro velamine ei dati sunt. Si quis autem videtur conten-
D tiosus esse, nos [h] talem consuetudinem non habemus, neque ecclesiæ Dei. Hoc autem præcipiens non lau-
do, quòd non in melius, sed in deterius conuenitis. Nam primum quidem conuenientibus vobis in ecclesiã,
audio scissuras esse inter vos, & ex parte credo. [i] Nam oportet & hæreses in vobis esse: vt qui probati sunt:
manifesti fiant in vobis. Conuenientibus ergo vobis in vnum: iam non est dominicam cœnam manducare.
E Vnusquisque enim [k] suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit: alius autem ebrius
est. [l] Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis: & cõ- Matt.26.c
funditis eos, qui nõ habent? Quid dicam vobis? Laudabo vos? In hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino, Mar.14.c
quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panem: & gratias agés Luc.22.g
fregit, & dixit: Accipite, manducate: hoc est corpus meũ quod pro vobis frãgitur: hoc facite in mei cõmemo-
rationem.

rationem.Similiter & calicem,postquam cœnauit,dicens.Hic calix nouum testamentum est in meo sangui F
ne.Hoc facite,quotiescunq; bibetis,in mei commemorationem.Quotiescunq; enim manducabitis panem
Ioan.6.f hunc,& calicem bibetis:mortem Domini annuntiatis,donec veniat. Itaq; quicunq; manducauerit panem
hunc,aut biberit calicem Domini indigne:reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum
homo:& sic de pane illo edat,& de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne:iudicium sibi mandu
cat & bibit,non dijudicans corpus Domini.Ideo inter vos multi infirmi & imbecilles:& dormiunt multi. G
Quòd si nosmetipsos dijudicaremus:nō vtiq; iudicaremur.Dum iudicamur autem,à Domino corripimur:
vt non cum mundo damnemur.Itaque fratres mei,cum conuenitis ad manducandum:inuicem expectate.
Siquis autem esurit,domi manducet:vt non in iudicium conueniatis.Cętera autem:cum venero,disponam.

SCHOLIA.

[a] Omnis viri caput.] *Reprehendit,quod mulieres aperto capite orarent, & vide quantà id agat cum maiestate.Et ostendit,nihil in moribus ecclesiæ carere mysterio.Quod autem ait, caput Christi Deus,pater scilicet,quia genuit,viri autem caput Christus,vt cuius membrum sit vir fidelis,caput verò mulieris vir, quia ex eo producta est. Oportet ergo (inquit) horum mysteriorū rationem in ecclesiæ moribus referre.* [b] Velato capite.] κατὰ κεφαλῆς ἔχων, *hoc est, in capite habens, ex eo,quod non dixit velato capite,sed in capite habens,sunt qui intelligant,ne comam quidem viro nutriendam, quæ velamen sit quoddam. nam vtrosque taxat in hac narratione,licet magis mulierem.* [c] Omnis autem mulier.] *Dicit mulierem,quæ detecto sit capite,deturpare caput suum,quæ videatur nō intelligere,se subiectam esse viro,nam velamen subiectionem signat quandam.Contra verò,virum,si velato capite oret,deturpare se,vt qui non intelligat,se esse caput mulieris. Quod verò ait,mulier si non veletur, etiam tondeatur,ostendit capillos quidem referre velamen,verū si velari recuset,indignam esse,cui capilli permittantur,cum velamen refugiat.* [d] Imago & gloria Dei est.] *Et mulier quoque facta est ad imaginem Dei,sed præcipuum hoc vult esse viri,cui tanquam adiutrix addita sit mulier.Vir ergo vt imago Dei,& qui primatum quendam referat,oret non velato capite,mulier aūt, vt viri gloria,agnoscatur vnde sit profecta. Sunt qui illos genitiuos, Dei,& viri,passiue accipiant,tanquam dicat,gloria,non qua gloriatur Deus de viro,sed vir de Deo, & mulier de viro.* [e] Debet potestatem habere.] *Hoc est,velamen:quo potestas viri in illam significatur.* [f] Propter angelos.] *Vt videatur angelos revereri,qui vbique præsentes sunt, & quæ aguntur, cernunt.* [g] Veruntamen neque vir.] *Ne ex his verbis aut viri insolescerent,aut deijcerentur nimis mulieres,ait,alterum sine altero esse non posse,ita statuente Domino. Quod verò non dixit,vir ex muliere,sed per mulierem,ostendit in generatione virum primas tenere, & ex viro per mulierem virum nasci.* [h] Talem consuetudinem.] *Contendendi videlicet, non enim syllogismos, sed obedientiam quærit ecclesia Dei.* [i] Nam oportet & hæreses.] *Hoc loco per hæreses,non intelliguntur dissidia de dogmatibus fidei:& illud, vt manifesti fiant,non est accipiendum vt causa,sed vt euentus rerum,sic:Quoniam vos diuites contemnitis pauperes,fit vt pauperes ob patientiam,probi appareant inter vos.* [k] Suam cænam præsumit.] *Dominicam (inquit) cænam priuatam facit.In hac autem narratione mysteriorum Christi Paulus admonet diuites, quo pacto se erga pauperes exhibeant. Si enim Dominus ille omnium,te,qui nihil es,participem corporis sui ac sanguinis facit,tu conseruum tuum indignum iudicas, cum quo tua communices?* [l] Nunquid domos.] *Si comedendi tantum (inquit) ac bibendi rationem habetis,domi comedite & bibite. nam ille conuentus in ecclesiam non ea causa fit, sed vt agnoscamus nos vnum esse in Christo, neque diuites pauperibus esse præstantiores,at hoc quod facitis,in contemptu ecclesiæ Dei redūdat,& eorum pudorem,qui minus habent,iubet ergo,vt si recte,& cum fructu conuenire volunt, cogitent mysteria quæ tractantur quare addit.Ego enim accepi à Domino,&c.*

CAPVT XII.

D[a]E spiritualibus autē nolo vos ignorare fratres.Scitis quòd gentes fuistis, ad simulachra muta prout A
Marc.9.f ducebamini eūtes.Ideo notū vobis facio,ꝙ nemo in spiritu Dei loquens, dicit anáthema IESVM.
Et nemo potest dicere,Dominum IESVM: nisi in spiritu sancto. [b] Diuisiones vero donorū sunt:
idem autem spiritus.Et diuisiones ministrationum sunt:idem autem Dominus.Et diuisiones operationum
sunt:idem vero Deus,qui operatur omnia in omnibus.Vnicuiq; autem datur manifestatio spiritus, ad vtili-
tatem.Alij quidem,per spiritum datur sermo sapientiæ:alij autem,sermo scientiæ,secundum eundem spiri-
tum: [c] alij fides,in eodem spiritu:alij dona sanationum,in eodem spiritu:alij operatio virtutum:alij prophe
tia:alij discretio spirituum:alij genera linguarum:alij interpretatio linguarum.Hæc autem omnia operatur B
Rom 12.a vnus atque idem spiritus,diuidens peculiariter singulis prout vult. [d] Sicut enim corpus vnum est, & mem-
Ephe.4.b bra habet multa, omnia autem membra corporis vnius cum sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita &
CHRISTVS. [e] Etenim in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gen-
tiles, siue serui, siue liberi: & omnes in vnum spiritum potati sumus. Nam & corpus non est vnum mem
brum, sed multa. Si dixerit pes: Quoniam non sum manus, non sum de corpore: num ideo non est de
corpore? Et si dixerit auris:Quoniam non sum oculus, non sum de corpore:num ideo non est de corpore?
Si totum corpus oculus:vbi auditus? Si totū auditus:vbi odoratus? Nunc autem posuit Deus membra vnū- C
quodque eorum in corpore sicut voluit.Quòd si essent omnia vnum membrum, vbi corpus? Nunc autem
multa quidem membra:vnum autem corpus.Non potest autem dicere oculus manui: Opera tua non indi-
geo:aut iterum caput pedibus: Non estis mihi necessarij:sed multo magis,quæ videntur membra corporis
infirmiora esse:necessaria sunt:& quæ putamus ignobiliora membra esse corporis: his honorem abundan-
tiorem circundamus:& quæ inhonesta sunt nostra,abundantiorem honestatem habent.Honesta autem nō
stra;non egent:sed Deus contemperauit corpus,ei cui deerat abundantiorem tribuendo honorem: vt nō fit
schisma in corpore,sed in idipsum pro inuicem solicita sint membra.Et siue patitur vnum membrū: com- D
patiuntur omnia membra:siue glorificatur vnum membrum: congaudent omnia membra. [f] Vos autem
Ephe.4.c estis corpus CHRISTI: & membra ex parte.Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primū aposto-
los,

los,secundo prophetas,tertio doctores, [g] deinde virtutes,exinde dona sanationum, opitulationes,guberna-
tiones,genera linguarum.Nunquid omnes apostoli? nunquid omnes prophetæ? nūquid omnes doctores?
nunquid omnes virtutes? nunquid omnes dona habent sanationum? nunquid omnes linguis loquuntur?
nunquid omnes interpretantur? Æmulamini autem [h] charismata potiora. [i] Et adhuc his excellentiorem
viam vobis demonstro.

SCHOLIA.

[a] De spiritualibus autem.] *Subiectum loci huius tale est:ij,qui apud Corinthios crediderant, donati erant spiritualibus donis,vt alij linguis loquerentur,alij prophetarent,alij alia dona assequerentur. Accidebat autem,vt apud eos, etiam essent ij,qui vates dicerentur,ac falsi prophetæ,vt ignoraretur interdum,qui à spiritu sancto, aut qui à Dæmone ageretur: quoniam igitur hæc eos perturbabant,dicit apostolus,quæ sint vatis,quæ ve prophetæ signa.Vos(inquit)ipsi testes estis,vt,cū gentiles adhuc essetis,agebat in vobis Dæmon,cum insanientes et repleti furore Dæmonis duceremini ab eis ad eorum simulachra,quasi diuinitatis aliquid in se haberent.primum igitur differentiæ signum inter vtrosq; est, quod veri prophetæ cum futura prædicunt,non insaniunt,falsi vero in furorem aguntur,& extra se fiunt,tanquam vi acti à mouente illos Dæmone. Alterum signum est,quòd nemo in spiritu Dei loquens dicit Anathema Iesum, hoc est, nihil blasphemum proferunt veri prophetæ,sed de Deo quàm optime loquuntur,at illi alij blasphemas & minime decentes voces proferunt.Cum ergo audis aliquem appellantem Dominum Iesum (quod reuerentiæ signum est) intellige illum loqui per spiritum sanctum.* [b] Diuisiones vero donorum.] *Ex illa superiorum verborum occasione,ingreditur ad commemoranda dona spiritus sancti,& corrigit eorum errorem in hac parte,cum inter eos esset quædam æmulatio in his donis. Quas autem appellauit gratias, easdem, & ministrationes & operationes vocat,docens non debere se in ijs illos extollere,neque qui minus acceperit dolere,quādo quo maius quis donū habet,maior etiam illi labor imperetur.Cū vero ab eodem proficiscantur hæc Domino, pari se honore dignatos existiment,præsertim cum ad vtilitatem cuique ista dentur.Sapientiam autem hic accipe præstantius quid,vt quod habebāt apostoli,scientiā verò,vt quam habebant idiotæ fideles,qui sciebant quidem,sed docere alios non erant idonei.* [c] Alij fides.] *Non communem hic fidem intelligit,sed præcipuum quoddam donum, quod & apostoli postularunt, cum rogarent, augeri sibi fidem:operationes vero virtutū, vt excæcatio Elymæ magi, Ananiæ & Saphiræ mors:discretio spirituum qua scitur,quis propheta sit verus,quis falsus.* [d] Sicut enim corpus vnum est.] *Docet hoc pulcherrimo corporis ac membrorum exemplo,vnum nos esse,tametsi diuersa acceperimus dona,neque debere qui maiora accepit insolescere, neque qui minora,tristari.* [e] Etenim in vno spiritu.] *Vt sciamus (inquit) nos vnum corpus esse,iccirco vnum spiritum accepimus. Et quod ait,vno poculo potati sumus,accepta metaphora est à plantis,quæ ab vno fonte irrigātur.* [f] Vos autem estis corpus Christi,& membra ex parte.] *Omnes quidem,qui vbiq; sunt fideles,corpus sunt Christi, vos vero Corinthij membra ex parte,non enim soli vos estis totum corpus, sed membra, idque ex parte.* [g] Deinde virtutes.] δυνάμεις, *quod plura & maiora complectebatur, quàm donum sanationum.Opitulationes vero,vt susceptio ac cura imbecillium, & infirmorum,gubernationes simile aliquid est.* [h] Charismata potiora.] *Hoc est vtiliora. Alij legunt per interrogationem, sic:amatis meliora charismata? ecce vobis excellet.* [i] Et adhuc his excellentiorem.] *Hoc dicit, quod de charitate facturus est verba,nam charitas,omnibus,& donis & bonis excellentior est.*

CAPVT XIII.

A S[a]I linguis hominum loquar & angelorum,charitatem autem non habeam, factus sum æs sonans, aut
cymbalum tinniens.Et si habuero prophetiam,& nouerim mysteria omnia,& omnem scientiam, & si
habuero [b] omnem fidem ita [c] vt montes transferam, charitatem autem non habuero:nihil sum. Et si
B distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,& si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem
autem non habuero:nihil mihi prodest. [d] Charitas patiens est,benigna est. Charitas non æmulatur, chari-
tas non est proterua,nōn inflatur, [e] non agit inhoneste,non quærit quæ sua sunt,non irritatur, non cogitat
malum: [f] non gaudet super iniquitate,congaudet autē veritati:omnia suffert, [g] omnia credit, [h] omnia spe-
C rat,omnia sustinet.Charitas nunquam excidit. [i] siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue
scientia destruetur.Ex parte enim cognoscimus,& ex parte prophetamus. Cum autem venerit quod perfe-
ctum est euacuabitur quod ex parte est.Cum essem paruulus, loquebar vt paruulus,sapiebam vt paruulus,
D cogitabam vt paruulus. Quando autem factus sum vir: euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per spe-
culum in ænigmate:tunc autem,facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte:tunc autem cognoscam, [k] sicut
& cognitus sum.Nunc autem manent,fides,spes,charitas,tria hæc:sed in his [l] maior est charitas.

SCHOLIA.

[a] Si linguis hominum loquar.] *Inter cætera dona,quæ Corinthij æmulabantur,præcipuum erat illud linguarum: propterea,quod apostoli primum id accepissent in pentecoste, ideo nunc ab eo exorditur apostolus: linguas autem angelorum appellat morem illum versandi inter se:habent enim & illi significationem quandam in mutua consuetudine, quæ illa cunque sit.Et vide quanta sit maiestas & dignitas Charitatis,præ qua tam admiranda dona,linguarum, prophetiæ, agnitionis omnium mysteriorum,& omnis scientiæ, cæterarumq; rerum, quas commemorat.nihil sint.* [b] Omnem fidem.] *Hæc fides non est illa iustificans,siue,vt theologi vocant,donū gratū faciens,sed gratis datum,quod multis contigit, quos Christus dixit,se non agniturum,cum dicent se in nomine eius dæmonia eiecisse &c. At paulopost cum dicit, charitas omnia credit, & ad Galatas,bonitas,fides,fidem accipit pro animi tractabilitate,vt opponatur pertinaciæ.* [c] Vt montes transferam.] *Opus transferendorum montium omni fidei ascribit Paulus,at Dominus ait posse hoc eum facere,qui habuerit tātam fidem, quantum est granum sinapis:sed loquitur hic Paulus ad hominum phantasiam.* [d] Charitas.] *Hic enumerat partes, seu mauis signa charitatis,vt cum quis scire velit,* [redacted]*,facile discat, & primum eam dicit esse longanimem, at quia longaminitas interdum habere aliquid indignationis secum potest, addit & benignam esse. Et hæc quidem ad ferendas proximorum iniurias,at in eorum bonis non æmulatur,hoc est,non est inuida:in suis factis,non est proterua,* οὐ περπερεύεται, *quod esse ait magnus Basilius,cum quis aliquid aggreditur non ob necessitatem,sed iactantia quadam.* [e] Non

agit

agit inhoneſte.] οὐκ ἀσχημονεῖ, *hoc eſt (vt idem Baſilius ait) non à proprio ſchemate diſcedit: ſchema autem & figura charitatis ea ſunt proprietates, quæ ab apoſtolo eodem loco numerantur, alij ſic interpretantur, præfert charitas etiam ea, quæ dedecus ei afferant, neque illud dedecus putat ob amatum, vel non inuehitur vehementer in alios, vt à decoro diſcedat.*

f Non gaudet ſuper iniquitate.] *Hoc eſt, vbi quis iniuria afficitur, ſed contra, cum nomen gloriamque quis aſſequitur, & veritati locus datur, deinde omnia ſuffert, etiam plagas & mortem.* g Omnia credit.] *Sed non omnibus, ait Auguſtinus. Hic autem ait, eam nihil ſubdolum de amato ſuſpicari.* h Omnia ſperat.] *Meliora ſemper de proximo quoque expectat, quæ ſi fraudetur ſua ſpe, omnia ſuſtinet, breuiterque nunquam excidit, nunquam diſſoluitur, nunquã intercidit, ſemper noua ſibi fingit occaſiones, quibus in proximi cuiuſque dilectione detineatur.* i Siue prophetiæ.] *Quia in Græco eſt, autem, ſic. Siue autem prophetiæ. Videtur & hic quædam ἔλλειψις eſſe, quæ ſic impletur, finem habebunt prophetiæ & linguæ & ſcientia, at charitas finem neſcit. ceſſabunt prophetiæ & linguæ, quæ nutriendæ fidei cauſa nunc perdurant, quæ cum propagata fuerit, otioſæ erunt. ſcientiam vero videtur dicere illam docendi, nã dilatata pietate ac fide, doctrina non erit opus. Quid ergo tunc? Defuturo enim tempore dixit ſcientiam abolendam, tunc ergo in ignorantia erit degendum? abſit, ſed de ſcientia loquitur hac imperfecta, & quæ ex parte habetur, at cum venerit illa perfectio, tunc ea quæ imperfecta ſunt, abolebuntur neque omnino cum illis ſtabunt, hæc enim omnia nunc habemus vt res imperfectas, dum ſumus tanquam pueri, cernimus autem cum quis vir euadit, eum puerilia omnia abijcere, & hoc eſt, quod ait, cum eſſem paruulus &c. At charitas hic inchoata, non abolebitur, ſed complebitur.* k Sicut & cognitus ſum.] *Hoc eſt exacte & perfecte, cum noſtram mentem ſibi adiunxerit, & imago ad exemplar ſuum acceſſerit. Ad hoc enim, inquit, ab initio cognouit me, vt et ipſe agnoſcam quatenus homini fas eſt, integre ac perfecte.* l Maior eſt Charitas.] *Tanquam durabilior, & perſeuerantior.*

CAPVT XIIII.

SEctamini charitatem, æmulamini ſpiritualia: magis autem [a] vt prophetetis. Qui enim loquitur lingua, nõ hominibus loquitur, ſed Deo: nemo enim audit, [b] ſpiritu autem loquitur myſteria: ſed qui prophetat: hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & conſolationem. Qui loquitur lingua, ſemetipſum ædificat: qui autem prophetat: eccleſiam ædificat. Volo autem omnes vos loqui linguis: magis autem prophetare. Nam maior eſt qui prophetat, quam qui loquitur linguis: niſi interpretetur vt eccleſia ædificationem accipiat. Nunc autem fratres, ſi venero ad vos linguis loquens: quid vobis prodero, niſi vobis loquar aut [c] in reuelatione, aut in ſcientia, aut in prophetia, aut in doctrina? Quin & quæ ſine anima ſunt, vocem dantia, ſiue tibia, ſiue cithara: niſi diſtinctionem ſonis dederint, quomodo ſcietur, id quod tibia canitur, aut quod citharizatur? Etenim ſi incertam vocem det tuba: quis parabit ſe ad bellum? Ita & vos per linguã, niſi manifeſtum ſermonem dederitis: quomodo ſcietur id quod dicitur? Eritis enim in aera loquentes. Tam multa vtputa genera linguarum ſunt in mundo: [d] & nihil eorum ſine voce eſt. Si ergo neſciero virtutem vocis: ero ei qui loquitur, barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. Sic & vos, quoniam æmulatores eſtis ſpirituum: ad ædificationem eccleſiæ quærite vt abundetis. Et ideò qui loquitur lingua: oret vt interpretetur. Nam ſi orem lingua: ſpiritus [e] meus orat, mẽs autem mea ſine fructu eſt. Quid ergo eſt? Orabo ſpiritu: orabo & mente. Pſallam ſpiritu: pſallam & mente. Alioqui ſi benedixeris ſpiritu: [f] qui ſupplet locũ idiotæ, quomodo dicet AMEN ſuper tuam gratiarum actionem? quoniam quid dicas, neſcit: nam tu quidem bene gratias agis: ſed alter non ædificatur. Gratias ago Deo meo, quòd omnibus vobis magis linguis loquor. Sed in eccleſia volo quinque verba mente mea loqui, vt & alios inſtruam: quam decem millia verborum in lingua. Fratres, nolite [g] pueri effici ſenſibus, ſed malitia paruuli eſtote, ſenſibus autem perfecti eſtote. [h] In lege ſcriptum eſt: In alijs linguis & labijs alijs loquar populo huic: & nec ſic exaudient me, dicit Dominus. Itaq; [i] linguę in ſignum ſunt non fidelibus, ſed infidelibus: prophetia autem non infidelibus, ſed fidelibus. Si ergo conueniat vniuerſa eccleſia in vnum, & omnes linguis loquantur, intrent autem idiotæ, aut infideles: nónne dicent, quòd inſanitis? Si autem omnes prophetent, intret autem quis infidelis vel idiota: coarguitur ab omnibus, [k] dijudicatur ab omnibus: & ſic occulta cordis eius manifeſta fiunt: & ita cadens in faciem adorabit Deum, pronuntians q̃ vere Deus in vobis ſit. Quid ergo eſt fratres? Cum conuenitis: vnuſquiſque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſin habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Siue lingua quis loquitur: fiat per binos, aut ad ſummum ternos, idque viciſsim: & vnus interpretetur. Si autem nõn fuerit interpres: taceat in eccleſia, ſibi autem loquatur & Deo. Prophetæ autẽ duo aut tres dicant, & cæteri dijudicent. Quòd ſi alij reuelatum fuerit ſedenti: prior taceat. Poteſtis enim omnes ſingulatim prophetare: vt omnes diſcant, & omnes conſolationem accipiant: & [l] ſpiritus prophetarum, prophetis ſubiecti ſunt. Non enim eſt diſſenſionis Deus, ſed pacis: ſicut in omnibus eccleſijs ſanctorum. Mulieres veſtræ in eccleſijs taceãt, nõ enim permiſſum eſt eis loqui, ſed ſubditas eſſe: [m] ſicut & lex dicit. Si quid autem volunt diſcere: domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri, loqui in eccleſia. [n] An à vobis verbũ Dei proceſsit? aut in vos ſolos peruenit? Si quis videtur propheta eſſe, aut ſpiritualis: cognoſcat quæ ſcribo vobis, q̃ Domini ſunt mandata. [o] Si quis autem ignorat: ignoret. Itaq; fratres æmulamini prophetare: & loqui linguis, nolite prohibere. Omnia autem, honeſte & ſecundum ordinem fiant.

Eſa.28.c

1.Tim.2.d Gene.3.c

SCHOLIA.

[a] Vt prophetetis.] *Prophetare hic vocat tractare diuina eloquia ad eccleſiæ ædificationem.* [b] Spiritu autem loquitur myſteria.] *Hoc eſt, ſuo ipſius animo tantum loquitur.* [c] In reuelatione.] *Genera dicit chariſmatum, quæ in ſermone dabantur, hæc autem ſunt: Interpretari linguas, & reuelare, quæ ab eis dicerentur, aut vtraque ſimul, et loqui linguis & reuelare, quod & ſcientiam appellat, quia & loquitur & interpretatur, tanquam ſciens quid dicat: tertium eſt prophetare, de quo diximus: poſtremum docere, quod diuerſum à ſupradictis donum eſt. Ait ergo: ſi venero, habens donum quidem linguarum, neq; aliud præterea horum quatuor, quæ dixi, quænam erit vobis vtilitas? Quin & inanima niſi ſignificantem vocem dent, nihil agunt.* [d] Et nihil eorum ſine voce eſt.] *Sine voce, hoc eſt, ſine ſignificatione aliqua vocis, & quod*

non dignoſcatur in voce. [e] Spiritus meus orat.] *Per ſpiritum intelligit hic, vim illam pronuntiandi, dixit autem, orat, pro, loquitur.* [f] Qui ſupplet locum idiotæ.] *Qui tenet locum idiotæ, qui idiota eſt.* [g] Pueri effici ſenſibus.] *puerorum enim proprium eſt, parua & leuia, atque inutilia curare. Comparat autem eos, qui tantum donum linguæ habebant, pueris, qui, quæ loquuntur, ſine iudicio loquuntur.* [h] In lege ſcriptum eſt.] *Legis hic nomine complectitur & prophetas, interdum ſit diſtinctio, vt lex & prophetæ vſque ad Ioannem. Admonet ergo ne tam vehementer ambiant loqui linguis, quæ nihil profuerunt populo credere nolenti.* [i] Linguę in ſignum.] *Siquis linguis loquatur tantum, fideles non iuuat, ſed fortaſſe infideles in admirationem rapit, ſic tamen, vt, ſi nihil adſit aliud, ſæpius rideant, & pro inſanis habeant loquentes potius, quàm meliores fiant. Quare inter ſpiritus ſancti dona minimum ad ædificationem, vel infidelium conuerſionem, efficaciæ habere videtur. Prophetia autem non infidelibus id eſt, non ſolum infidelibus non eſt ineffi caxsignum ad conuertendos illos, ſed & fideles plerunq; iuuat.* [k] Dijudicatur ab omnibus.] *Sentit in ijs, quæ ab eis tractantur diuinis narrationibus, conſcientiam ſuam moueri ad ſui agnitionem, atque emendationem.* [l] Spiritus prophetarum prophetis ſubiecti ſunt.] *Donum illud prophetandi in prophetantium poteſtate eſt, contra atq; in gentilium vatibus accidit, qui actu à Dæmone loqui cogebantur.* [m] Sicut & lex dicit.] *Ipſe (nempe vir) dominabitur tibi.* [n] An à vobis.] *Non eſtis (inquit) vos, neque ſoli, neque primi fideles in mundo, vt quicquam vobis vſurpetis, quod apud cæteros non fiat.* [o] Siquis autem ignorat, ignoret.] *Siquis (inquit) non vult intelligere hæc à me dici, vt Domini mandata, ſuum ſit: Ego quod meum eſt, feci. Hæc autem verba ſunt hominis conſcientia ſua fidentis. Demum concludit, vt ſiue prophetent, quod magis probat, ſiue loquantur linguis, quod non prohibet, omnia ordinatè & cum vtilitate eccleſiæ faciant.*

CAPVT XV.

A NOtum autem vobis facio fratres Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini, qua ratione prædicauerim vobis, ſi teneris, niſi fruſtra credidiſtis. Tradidi enim vobis in primis quod & accepi: quòd CHRISTVS mortuus eſt pro peccatis noſtris [b] ſecundum ſcripturas: & quòd ſepultus eſt, & quòd reſurrexit tertia die, ſecundum ſcripturas: & quòd viſus eſt Cephæ: & [c] poſt hæc illis duodecim. Deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul: ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt. Deinde viſus eſt Iacóbo. [d] Deinde Apoſtolis omnibus. Nouiſsime autem omnium, tanquam abortiuo, viſus eſt & mihi. Ego enim ſum minimus apo-
B ſtolorum: qui non ſum dignus vocari apoſtolus, quoniam perſecutus ſum eccleſiam Dei. Gratia autem Dei ſum id quod ſum: & gratia eius, quæ profecta eſt in me vacua non fuit: ſed abundantius illis omnibus laborauj: non ego autem, ſed gratia Dei, quæ mecum eſt. Siue igitur ego, ſiue illi ſic prædicamus, & ſic credidiſtis. Si autem CHRISTVS prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis: quomodo quidam dicunt in vobis, quòd reſurrectio mortuorum non eſt? [e] Si autem reſurrectio mortuorum non eſt: neque CHRISTVS reſurrexit. Si autem CHRISTVS non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra: inuenimur autem & falſi teſtes Dei: quoniam teſtimonium diximus aduerſus Deum, quòd ſuſcitauerit CHRI-
C STVM, quem non ſuſcitauit, ſi mortui non reſurgunt. Nam ſi mortui non reſurgunt: neque CHRISTVS reſurrexit. Quòd ſi CHRISTVS nõ reſurrexit: vana eſt fides veſtra: [f] adhuc eſtis in peccatis veſtris. Ergo & [g] qui dormierunt in CHRISTO, perierunt. [h] Si in hac vita tantum in CHRISTO ſperantes ſumus: miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Nunc autẽ CHRISTVS reſurrexit à mortuis, [i] primitiæ dormientium fuit, quoniam enim per hominem mors: & per hominem reſurrectio mortuorũ. Sicut enim in Adam omnes moriuntur: ita & in CHRISTO omnes viuificabuntur, vnuſquiſque autem in ſuo ordine. Primitiæ, CHRISTVS: deinde ij, qui ſunt CHRISTI, in aduentu eius. Deinde finis:
D [k] cum tradiderit regnum Deo & patri, cum euacuauerit omnem principatum & poteſtatem & virtutem. [l] Oportet enim illum regnare: donec ponat omnes inimicos ſub pedibus ſuis. Nouiſsima autem inimica [m] deſtruetur mors. Omnia enim ſubiecit ſub pedibus eius: Cũ autem dicat: Omnia ſubiecta ſunt ei: ſine dubio præter eum, qui ſubiecit ei omnia. Cum autem ſubiecta fuerint illi omnia: tunc [n] & ipſe filius ſubiectus erit ei, qui ſubiecit ſibi omnia, [o] vt ſit Deus omnia in omnibus. Alioquin quid facient [p] qui baptizãtur pro mortuis, ſi omnino mortui nõ reſurgunt? Vt quid & baptizantur pro illis? Vt quid & nos periclitamur omni hora? Quotidie morior per noſtram gloriationem, quam habeo in CHRISTO IESV Domino no-
E ſtro. Si [q] ſecundum hominem ad beſtias pugnaui Epheſi: quid mihi prodeſt, ſi mortui non reſurgunt? manducemus & bibamus, cras enim moriemur. Nolite ſeduci. [r] Corrumpunt mores bonos colloquia mala. [s] Euigilate iuſte: & nolite peccare: ignorantiam enim Dei quidam habent. Ad erubeſcentiam vobis loquor. Sed dicit aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? quali autem corpore venient? [t] Inſipiens, tu quod ſeminas non viuificatur, niſi moriatur. Et quod ſeminas: [v] non corpus quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum, vtputa tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus ſicut vult: & vnicuiq; ſeminum proprium corpus. Non omnis caro, eadem caro: ſed alia hominum, alia pecorum, alia autem volucrum, alia pi-
F ſcium. Et corpora cœleſtia, & corpora terreſtria: ſed alia quidem cœleſtium gloria: alia autem terreſtriũ. Alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Seminatur in corruptione: ſurgit in incorruptione. Seminatur in ignobilitate: ſurgit in gloria. Seminatur in infirmitate: ſurgit in virtute. [x] Seminatur corpus animale: ſurgit corpus ſpirituale. Eſt corpus animale: eſt & corpus ſpirituale, ſicut ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam in animam viuentem: [y] nouiſsimus Adam in ſpiritum viuificantem: ſed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale: deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra, terrenus: [z] ſecundus homo ipſe Dominus de cœlo. Qualis terrenus: tales & terreni: & qualis cœleſtis: tales & cœleſtes. Et ſicut portauimus imaginem terreni: portabimus & imaginem cœleſtis. Hoc aũt dico fratres, quòd [a] caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt:

Galat.1.b

Eſa.53.b Ionæ.2.a Oſee.6.a Ioan.20.e

Act.9.a Ephe.3.b

Coloſ.1.c Apoc.1.b

1.Theſ.4.d

Pſal.109.a Hebr.1.d &.10.c Pſal.8.c Hebr.2.d

Eſa.22.a Sapien.2.b Menander

Gene.2.b

neque corruptio incorruptelam poſsidebit. [b] Ecce myſterium vobis dico. Non omnes quidem dormie- G
mus: ſed omnes immutabimur: in momento, in ictu oculi, [c] in nouiſsima tuba: canet enim, & mortui
reſurgent incorrupti: & [d] nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem: &
mortale hoc inducre immortalitatem. Cum autem corruptibile hoc induerit incorruptionem: & mortale
Oſee.13.d hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt: [e] Abſorpta eſt mors in victoriam. Vbi eſt
Hebr.2.d inferne victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Stimulus autem mortis, peccatum eſt: [f] virtus vero pec-
1.Ioan.5.a cati, lex. Deo autem gratia, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM.
Itaque fratres mei dilecti ſtabiles eſtote, immobiles, abundantes in opere Domini ſemper: ſcientes q̃ labor
veſter non eſt inanis in Domino.

SCHOLIA.

[a] Notum autem vobis facio.] *Locuturus de re maximi momenti, de reſurrectione videlicet, nouo quodam exordio vtitur, quod & ad Romanos fecit, cum tractaturus eſſet partem illam, de Iudæorum lapſu. Veritatem (inquit) dico in Chriſto, non mentior &c. Ita nunc quaſi ſumma rei euangelicæ nunc tractanda ſit, ait: Notum vobis facio fratres euangelium, quod annuntiaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſeruamini, quæ omnia plena grauitatis & ſententiæ ſunt verba. Laborabat illa ciuitas hoc morbo ob eam opinor cauſam, quod in ea erant plurimi humana iſta ſapientia elati, & huius generis homines in primis minime omniũ apti ſunt percipiendis dogmatibus noſtris, præſertim reſurrectionis, quod apparuit tunc, cum Athenis Paulus diſputaret, vt in actis obſeruauimus.* [b] Secundum ſcripturas.] *Addit ad confirmationem, ſcripturarum teſtimonium, quæ hæc longe ante prædixerint.* [c] Et poſthæc illis duodecim.] *Siue inter eos fuerit Matthias, ſiue quòd, ne vno quidem detracto mutari debuit numeri appellatio, ſicut & illud: Thomas vnus ex duodecim non erat cum illis, quando venit Ieſus.* [d] Deinde apoſtolis omnibus.] *Hoc loco apoſtoli nomen ad longe plures, quàm duodecim relatum eſt, vocis potius ſignificatione ſeruata, quàm titulo ac dignitate, quod alibi quoque Paulus ſeruat, vt illud: fratres noſtri apoſtoli eccleſiarum.* [e] Si autem reſurrectio mortuorum non eſt, neq; Chriſtus reſurrexit.] *Proculdubio, nam cum ipſe mortuus fuerit, ſi negetur reſurrectio mortuorum, ne ipſe quidem reſurrexit, quod ſi fateantur Chriſtum quidem reſurrexiſſe, negent vero mortuos reſurgere, ipſi ſecum pugnantia loquuntur. Si ergo Chriſtus non reſurrexit, & prædicatio noſtra & fides veſtra inanis eſt. Quid enim ab eo ſperetis, qui vinculis mortis, & cæco carcere, vt caeteri, detineatur? & illud præterea accedit turpiſsimũ, vt falſi teſtes Dei reperiamur.* [f] Adhuc eſtis in peccatis veſtris.] *Quia quem liberatorem expectauiſtis, hunc communis mortalium omnium carcer vinctum cohibet: nempe ſi mortui non reſurgunt, qui ſe eripere ſeſe, & vinculis expedire non potuit, nimirum fruſtratus etiam eſſe videtur ſpes omneis veſtras.*
G Et qui dormierunt.] *Si hæc ita ſe habent, miſeri quidem vos, qui in tam vanam ſpem incidiſtis, ſed viuentibus tamẽ reliqua eſt ſpes aliqua reſpiſcendi: at multo miſerrimi illi, qui ſub hac ſpe iam vita functi ſunt.* [h] Si in hac vita.] *Fingamus hanc vitam eſſe tantum, maluiſſet tamen Paulus pro Chriſto mille exponi mortibus, quàm indulgere genio, quod aperte declarauit, cum optaſſet relegari in Geennam pro ſalute fratrum: ſed demittit ſe nunc ad hominum conſuetudinem, quod ſæpe in ſcriptura fit.* [i] Primitiæ dormientium fuit.] *Quemadmodum ſol, dum luminis & caloris in ſe principium habet, efficit, vt quæcunque eiuſdem luminis ac caloris partem amant, non niſi ſuo munere conſequantur, ſic ſpes omnis reſurrectionis noſtræ ad fontem ipſum & caput, Chriſtum Dominum referenda eſt, qui rectè primitiæ dormientium appellatur, quæ ante alios reſurgere æquum fuit, ſicut primitiæ ante factam meſſem offeruntur.* [k] Cum tradiderit regnum Deo, & patri.] *Quaſi filius, qui dux à patre miſſus ſit ad ſubigendum regnum aliquod, deinde regreſſus à certamine, vires ſuas patri oſtentet, & ſubactos principes ante ſe agat, & generoſe actam prouinciam profiteatur, quam ſuſcipere iuſſus fuiſſet à patre.* [l] Oportet enim illum regnare.] *Hoc eſt, exercere ſuſceptam prouinciam ſubigendorum hoſtium, alioquin inglorius imperator futurus, ſi ante rerum finem poneret imperium, & datam ſibi adminiſtrationem abiceret.* [m] Deſtruetur mors.] *Quaſi hoſtilis exercitus dux, vt fiat ſignificatio certa victoriæ.* [n] Et ipſe filius ſubiectus erit.] *Cautius agendum erat cum Corinthijs, qui nuper à ſimulachrorum cultu ad veritatem fuerant accerſiti, cum enim olim audiſſent, Saturnum patrem ab Ioue regno pulſum, ne forte, audita nũc tanta filij Dei poteſtate, tanquam minus adhuc purgati, tale aliquid ſuſpicarentur, præuenit eorum cogitationes, vt docerentur, perfectis omnibus, vnam fore filij cum patre voluntatem.* [o] Vt ſit Deus omnia in omnibus.] *Vt ad vnum omnia principium referantur.* [p] Qui baptizantur pro mortuis.] *Nõ dicit approbans factum, ſed commemorat priorem eorum fidem, ob quam aliqui etiam ad ſuperſtitioſa deſcendiſſent.* [q] Secundum hominem.] *Sunt qui interpretentur: quantum ad hominum voluntatem, tametſi me Dominus eripuerit, vel, vt mihi poſsibile fuit, vel, niſi ob ſpem futuræ reſurrectionis, ſed ob humanam gloriam pugnaui cum beſtijs, &c. Vt dicat, ſi nulla habita alia ratione, quàm huius hominis, qui nunc apparet, atque huius duntaxat vitæ, hæc perpeſſus ſum, quæ fuiſſet hæc inſania, dulcem hanc vitam abrumpere fruſtra? Sed melius eſt, vt ſit parentheſis, vt ſic dicas: Quid mihi prodeſt (ſecundum hominem dico, hoc eſt vt mos eſt hominum dicere) pugnaſſe ad beſtias, ſi mortui non reſurgunt?* [r] Corrumpunt.] *Menandri ſenarium eſt. Noui, inquit, vnde hæc lues profecta ſit, ex paucorum nimirum commercio, qui ſeſe aliquid credentes, arbitrantur, ſuis commentis poſſe ſe euertere diuina fundamenta.* [s] Euigilate iuſte: & nolite peccare.] *Adiecit, iuſtè, quia multi experrecti quidem ſunt, ſed ad res terrenas & carnis. Quod verò ait, ignorantiam Dei quidam habent, ſignificat, eos, qui reſurrectioni mortuorum detrahunt, ignorare quid poſsit Deus. Quæ res pudori eſſe fidelibus debet. Iccirco addit, ad erubeſcentiam vobis loquor. Qua facta reprehenſione, vt eos magis confirmet, docet, quo pacto fiat reſurrectio.*
[t] Inſipiens, tu quod ſeminas non viuificatur.] *Obſerua, tantam rem apoſtolum ſolis à natura acceptis exemplis ac ſimilitudinibus probare, vt eos, quid id non aduertunt, etiam ſtultos appellet, quaſi qui rem ita patentem non intelligant. Quam diuerſa eſt ratio noſtræ à cæteris, philoſophiæ, & quam noſtra purior: proponit autem exemplum grani, nam niſi granum (vt ait Veritas) quod in terram cadit, mortuum fuerit, ipſum per ſe ſolum, ac ſine fructu manet, ſi autem mortuũ fuerit, & corruptum, multum fructum affert. Similime ſi immutanda noſtra corpora ſunt, & noua quaſi germine excitanda,*

tanda, mori illa prius & corrumpi neceſſe eſt. Reſpondit ergo primum ad id, quod quis interrogaret quomodo reſurgant mortui, hoc eſt, qui fieri poteſt, vt is, qui mortuus eſt reſurgat? & dat exemplum grani, quod ſi reuiuiſcere debet, oportet, vt prius moriatur. [u] Non corpus quod futurum eſt.] *Quod, poſitum eſt, pro, quale, vt ex ſequenti ſimilitudine apparet, cum ait, nudum granum. Et dudum dixerat, quaſi alio interrogante, quali corpore venient.* [x] Seminatur corpus animale: ſurgit corpus ſpirituale.] *Corpus animale accipiendum eſt, cui anima vitam præſtet, ne intereat, neue pro tempore diſſoluatur: ſpiritus vero appellatione ſignificatur, neſcio quid vegetum & efficax, quod cum acceſſerit corpori, pondus illud auferat ac tarditatem, ne terreni hebetent artus, moribundaq; membra, vt alacre, leue, agile ſit, & expeditum, tanquam cœleſtia corpora, quibus nihil grauioris materiæ coniunctum eſt.* [y] Nouiſsimus Adam in ſpiritum viuificantem.] *Hæc verba quamuis non eo loco, quo præcedentia, ſcripta ſint, ex ipſa tamen rerum conſequentia intelligi debent, vt, cum audimus Adam illum priorem factum in animam viuentem, id eſt, quæ vitam duntaxat corpori præbeat, vt ſit corpus animale, quale nunc circunferimus, cogitemus poſteriorem Adam præſtantiora quædam allaturum, quæ ſpiritus appellatione vocanda ſint.* [z] Secundus homo ipſe Dominus de cœlo.] *Habuit quidem Dominus eiuſdem ſubſtantiæ corpus, cuius & noſtra ſunt, ſed à præſtantiori parte facta denominatio eſt, ob diuinitatem ſcilicet.* [a] Caro & ſanguis regnum Dei poſsidere non poſſunt.] *Quæ? opinor quod ſequitur, corruptio incorruptionem. Hæc in medijs dogmatibus admonitio interiecta eſt, & adhortatio ad componendam vitam, docens, oportere eos, quibus illa gloria, & tam ingens arridet felicitas, virtute & rectè factis eum imitari, cuius aſſequi æternam hæreditatem velint. Sed fortaſſe docet, oportere per mortem hanc corporis ad æternam vitam tranſire. Nam dum corruptibile hoc quod carnem & ſanguinem vocat, perduret, incorruptio non habet locum.* [b] Ecce myſterium vobis dico.] *Hic locus & ſi apud Græcos etiam variare inuentus ſit, videtur tamen illud aptius. Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur, & reſpondet illis ad Theſſalonicenſes verbis. Deinde nos qui viuemus, &c. Vt intelligantur ij, qui ſuperſtites erunt in nouiſsimo die, non moriturj, ſed immutandi tamen ad immortalitatem.* [c] In nouiſsima tuba: canet enim.] *Vel illud eſt, quod in Apocalypſi legitur de ſeptem tubis, in quarum vltima reſurgunt mortui, vel, vt celeritatem reſurgendi oſtenderet, accepta à re militari eſt ſimilitudo, vt dicat, tam facile ſurrecturos, quàm milites audito extremo ſigno tubæ expediti aſcendunt equos. Vel, ſic potius. Signum quoddam ædetur, veluti tubæ, quo repente reſurgent mortui. Nam ſequitur, canet enim, &c.* [d] Nos immutabimur.] *Quod proprie electorum erit, vt aſſequantur corpus plenum gloriæ ac virtutis.* [e] Abſorpta eſt mors in victoriam.] *Quæ alios quaſi deglutiebat, & abſorbebat, ipſa abſorpta eſt, vt victor Chriſtus exiſteret. Hunc autem locum latius explicauimus in Oſee.* [f] Virtus vero peccati, lex.] *Hic quaſi tranſeundo factã legis mentio eſt, vt intelligerent ij, qui ex circunciſione frequenter & paſsim negocium faceſſebant apoſtolo, legem ipſam, remoto Chriſti ſanguine, non prodeſſe, ſed oneri eſſe potius, & rectè adiecit, ſed Deo gratia, &c. In hoc quintumdecimi caput alio loco tribus libris ſumus exſpatiati.*

CAPVT XVI.

A DE collecta autem in ſanctos: ſicut ordinaui eccleſijs Galatię, ita & vos facite. Per vnam ſabbatorum
vnuſquiſque veſtrum apud ſe ſeponat, recondens quicquid commodum fuerit: vt non cum vene-
ro, tunc collectæ fiant. Cum autem præſens fuero: quos probaueritis per epiſtolas, hos mittam per-
ferre gratiam veſtram in Ieruſalem. Quòd ſi dignum fuerit, vt ego eam: mecum ibunt. Veniam autem ad
vos: cum Macedoniam pertranſiero: nam Macedoniam pertranſibo. Apud vos autem forſitan manebo, vel
B etiam hyemabo: vt vos me deducatis, quocunque iero. Nolo enim vos modo in tranſitu videre: ſed ſpero
me aliquantulum temporis manere apud vos: ſi Dominus permiſerit. Permanebo autem Epheſi vſque ad
pentecoſten. Oſtium enim mihi apertum eſt magnum & euidens & aduerſarij multi. Si autem venerit Ti-
móthеus: videte, vt [a] ſine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur, ſicut & ego. Ne quis ergo illum
ſpernat: deducite autem illum in pace: vt veniat ad me. Expecto enim illum cum fratribus. De Apollo au-
C tem fratre, multum rogaui eum, vt veniret ad vos cum fratribus: & vtrique non fuit voluntas, vt nunc veni-
ret: veniet autem cum ei opportunum fuerit. Vigilate, ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini: omnia ve-
ſtra in charitate fiant. Obſecro autem vos fratres: Noſtis domum Stephanæ, quòd ſint primitiæ Achaiæ, &
in miniſterium ſanctorum ordinauerunt ſeipſos: vt & vos ſubditi ſitis eiuſmodi, & omni cooperanti & labo-
ranti. Gaudeo autem de aduentu Stephanæ & Fortunati & Achaici: quoniam id quod vobis deerat, ipſi ſup-
D pleuerunt. Refecerunt enim & meum ſpiritũ & veſtrum. Cognoſcite ergo, qui eiuſmodi ſunt. Salutant vos
eccleſiæ Aſiæ. Salutant vos in Domino multum Aquila & Priſcilla cum domeſtica ſua eccleſia. Salutant vos
omnes fratres. Salutate inuicem in oſculo ſancto. Salutatio: mea manu Pauli. Siquis non amat Dominum
IESVM CHRISTVM, ſit anáthema: [b] maranatha. Gratia Dñi noſtri IESV CHRISTI vobiſcum.
Charitas mea cum omnibus vobis in CHRISTO IESV. Amen.

SCHOLIA.

[a] Sine timore ſit apud vos: opus enim Domini operatur.] *Non metuo, inquit, à gentilibus, ſed ne, qui inter vos ſunt, inſidiatores quicquam lædant.* [b] Maranatha.] *Hoc eſt, Dominus noſter venit. Quaſi dicat. In aduentu Domini res agetur factis, non faſtu, ac fuco verborum. Vno autem verbo omnes admonuit officij ſui.*

AD CORINTHIOS PRIOR MISSA FVIT E PHILIPPIS PER STEPHANAM, FORTVNATVM, ACHAICVM, ET TIMOTHEVM.

EPISTOLA PAVLI
AD CORINTHIOS SECVNDA.
CAPVT I.

Ephe.1.a
1.Pet.1.a

AVLVS apostolus IESV CHRISTI, per voluntatem Dei, & Timótheus frater: A ecclesiæ Dei, quæ est Corinthi, cũ omnibus sanctis, qui sunt in vniuersa Achaia, gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Dño IESV CHRISTO. Benedictus Deus & pater Dñi nostri IESV CHRISTI, pater misericordiarum & [a] Deus omnis consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra: vt possimus & ipsi cõsolari eos, qui in omni pressura sunt, per cõsolationẽ qua & nos cõsolatur Deus: quoniã sicut abũdant passiones CHRISTI in nobis: ita & per CHRISTVM abũdat, & consolatio B nostra. [b] Siue aũt tribulamur pro vestri consolatione & salute, [c] quæ operatur in tolerantia earundẽ passionũ, quas & nos patimur: siue consolationem accepimus pro vestri cõsolatione & salute, & spes nostra firma est pro vobis: cum sciamus, ꝙ sicut socij passionũ estis: sic eritis & cõsolationis. Non enim volumus ignorare vos fratres de tribulatione nostra, quæ facta est nobis in Asia, quoniã supra modũ grauati sumus supra virtutẽ, ita vt desperaremus ẽt viuere. Sed ipsi in nobis ipsis [d] responsum mortis habuimus, vt nõ simus fidẽtes in nobis, sed in Deo, qui suscitat mortuos, qui de tãta morte nos eripuit, & eruit: in quẽ speramus, ꝙ & adhuc eri- C piet, adiuuãtibus & vobis in oratione ꝓ nobis: [e] vt ex multis pſonis, eius, q̃ in nobis est donationis, ꝓ multos gratiæ agantur pro nobis. [f] Nã gloriatio nostra hæc est, testimoniũ conscientię nostræ, ꝙ in simplicitate, & synceritate Dei, & nõ in sapientia carnali, sed in gratia Dei cõuersati sumus in hoc mundo, abundantius autẽ apud vos. Non enim alia scribimus vobis, ꝛ q̃ quæ legitis & cognoscitis. Spero aũt, ꝙ vsq; in finem cognoscetis: sicut & cognouistis nos ex parte, ꝙ gloria vestra sumus, sicut & vos nostra in die Dñi IESV. Et hac cõ fidentia volui prius venire ad vos, vt [h] geminam gratiam haberetis: & per vos trãsire in Macedoniam, & ite- D rum à Macedonia venire ad vos, & à vobis deduci in Iudæam. Cũ ergo hoc voluissem, nunquid leuitate vsus sum? Aut, quæ cogito, secundum carnem cogito, vt sit apud me Est Est, & Non Non? Fidelis aũt Deus, ꝙ sermo noster apud vos, [e] non fuit Est & Non: Dei enim filius IESVS CHRISTVS, qui in vobis per nos prædicatus est per me & Syluanũ & Timótheum, [i] non fuit Est & Non, sed Est in illo fuit. Quotquot enim promissiones Dei, sunt in illo Est, & per ipsum amen, Deo ad gloriam per nos. Qui autem confirmat nos vobiscum in CHRISTVM: & qui vnxit nos, Deus: qui & signauit nos, & dedit arram spiritus in cordibus nostris. Ego autem testem Deum inuoco in animam meam, quod parcens vobis, nondum veni Corinthum: nõ quòd dominemur fidei vestræ: sed adiutores sumus gaudij vestri. [k] Nam fide statis.

SCHOLIA.

[a] Deus omnis consolationis.] *Ergo, quæ aliunde comparatur, si etiam videatur, non est consolatio.* [b] Siue autem tribulamur, pro vestri consolatione.] *Quod solatium præbere poterat fidelibus afflictio Pauli? multum, nam ex eo colligebant, veram esse eius prædicationem, qui nullis expectatis ab hac vita commodis, quotidianis se mortibus obiiciebat: præterea magis prouocabantur ad eadem perferenda, atque animabantur, quæ erat eorum salus.* [c] Quæ operatur.] τῆς ἐνεργουμένης, *quæ efficitur, vt sit sensus, quæ salus efficitur in vobis, dum nostro exemplo eadem patimini, quæ & nos.* [d] Responsum mortis.] *Res ipsa (inquit) loquebantur, & respondebant, desperatam esse vita salutem, & mirum addit Verbum. Deum scilicet id permisisse, ne sibi ipsis fiderent, sed Deo. Ergo hæc afflictionum natura est, vt diuinæ benignitati magis fidentes faciat, vt cum nutrix puerum incipientem ingredi, permittit interdum sibi, vt metu lapsus acrius nutrici adhæreat.* [e] Vt ex multis personis.] *Vt per multos gratiæ coram multis agantur Deo.* [f] Nam gloriatio nostra.] *Quod audemus (inquit) & speramus, ex testimonio conscientiæ nostræ proficiscitur, cui omnis gloriatio nostra inititur.* [g] Quã, quæ legitis.] *Non noua quædam scribimus, sed quæ ipsi meminisse potestis, & inscripta habetis animo, & quæ legentes vera esse cognoscere potestis. Sciendum autem est, totam hanc fere epistolam apologiam quandam esse.* [h] Geminam gratiam.] δευτέραν, *secundam, videlicet, vel ex repetito accessu ad eos, vel post priorem epistolam præsentiam suam exhibendo.* [i] Nõ fuit est, & non.] *Hoc est, non fuit Vanus, & leuis, & non sibi constans, nam quæ vobis prædico, promissiones Dei sunt, non inuenta hominum. Plenus autem est hic locus Hebraica phrasi, qui sic leniendus est: quotquot promissiones Dei sunt, stabiles sunt, & certæ, sic enim significat illud, sunt in illo est, quod Verbum Deo attribuitur, cum dicitur: qui est, misit me ad vos, sequitur, et per ipsum amen. Per Christum (inquit) est affirmatio veritatis. Deo ad gloriam per nos, hoc est, vt glorificetur Deus per nos.* [k] Nam fide.] *Non nostra (inquit) sed fidei virtute statis: iccirco non vtimur libera auctoritate in vos: hoc enim esset dominari vestræ fidei.*

CAPVT II.

STatui aũt hoc ipsum apud me, ne iterꝫ [a] in tristitia venirem ad vos. Si. n. ego cõtristo vos: & quis est, qui A me lętificet, nisi q̃ cõtristatur ex me? Et hoc ipsum scripsi vobis: vt nõ cũ venero, tristitiã habeã, de quibus oportuerat me gaudere: [b] cõfidẽs in oĩbus vobis quia meũ gaudiũ, omniũ vestrũ est. Nã ex multa tribulatione & angustia cordis scripsi vobis ꝑ multas lachrymas: non, vt cõtristemini, sed, vt sciatis charitatẽ, quã habeo abũdãtius in vos. Siquis aũt cõtristauit: [c] nõ me cõtristauit, sed ex parte, vt nõ onerẽ oẽs vos. [d] Sufficit illi, qui eiusmodi est, obiurgatio hęc, q̃ fit à pluribus: ita, vt ecõtrario magis donetis & cõsolemini, ne for B te abũdãtiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est. Propter quod obsecro vos, [e] vt cõfirmetis in illũ charitatẽ. [f] Ideo. n. & scripsi vobis: vt cognoscã experimentũ vestrũ, an in oĩbus obediẽtes sitis. Cui aũt aliquid donatis, & ego. Nã & ego, cui donaui (siq̃d donaui) ꝓp vos ĩ pſona CHRISTI, vt nõ circũueniamur à Satana: non

C nõ. n. ignoramus cogitationes eius. Cũ venissem aũt Troadẽ, ꝓpter euãgeliũ CHRISTI, & ostiũ mihi aptũ esset in Dño: nõ habui requiẽ spiritui meo: eo ꝙ nõ inuenerim Titũ fratrẽ meũ: sed valefaciẽs eis, profectus sum in Macedoniã. Deo aũt gratia: qui semp triũphat nos in CHRISTO IESV, & odorẽ notitiæ suę ma-
D nifestat ꝑ nos in oĩ loco: quia CHRISTI bonus odor sumus Deo: in ijs, qui salui fiũt, & ĩ ijs, qui pereũt: alijs quidẽ odor mortis in mortẽ: alijs aũt odor vitę in vitã. Et ad hęc [g] quis idoneus? Nõ enim sumus (sicut plurimi) cauponãtes verbũ Dei, sed sicut ex synceritate, [h] sed sicut ex Deo corã Deo, in CHRISTO loquimur.

SCHOLIA.

[a] In tristitia venirem.] *Vt, scilicet corripiendo, tristitia afficerem quempiam vestrum, quod cum facio, non est tamen vnde lætificer, nisi ab ijs ipsis, qui ex me tristantur, nam gaudiũ meum vestrum omnium est, et vestrum meum.* [b] Confidens in omnibus vobis.] *Hoc est, quia eam fiduciam habere de vobis solitus sum, vt referatur ad id, quod præcedit, gaudere oportuerat. Mos enim est loquendi Hebræis. Nostro more apertius dixisset: De quibus oportuerat me gaudere, confidentem in omnibus vobis.* [c] Non me contristauit.] *Non arbitror me vnum iniuria, aut tristitia affectum, sed pars vestri sum ne hoc onus in vos omnes reiciam.* [d] Sufficit illi.] *Intelligit scortatorem illum de quo priore epistola scripserat.* [e] Vt confirmetis.] *In illum, hoc est, erga illum. Commoti (inquit) estis ob sceleratũ eius factum, nunc priorem charitatem, quam antea erga eum habueratis, eandem confirmate.* [f] Ideo enim.] *Hoc est, præcipua scribendi causa fuit.* [g] Quis idoneus.] *Quã pauci scilicet, et hoc ait, vt ex sequẽtibus patet, ob falsos apostolos, qui cauponabatur, hoc est, lucri & gloriæ propriæ causa tractabant verbum Dei.* [h] Sed sicut ex Deo.] *Loquimur (inquit) hæc, vt qui à Deo acceperimus, et corã Deo hæc tractamus, solis Deũ intuentes, et eo teste contenti, idq̃ in Christo, hoc est, per Christũ, per quẽ hæc veritas in mũdũ est inuecta.*

CAPVT III.

A INcipimus iterũ nosmetipsos cõmẽdare? Nũq̃d egemus (sicut ꝙdã) cõmẽdatitijs epistolis ad vos, [b] aut ex vobis? Epistola nostra vos estis, scripta ĩ cordibus nostris, q̃ scitur & legitur ab oĩbus hoĩbus: dũ manifestatis ꝙ epistola estis CHRISTI, ministrata à nobis, inscripta nõ atramẽto, sed spiritu Dei viui: nõ in tabulis lapideis, sed ĩ tabulis cordis carneis. Fiduciã aũt talẽ habemus ꝑ CHRISTVM ad Deũ, nõ ꝙ sufficiẽtes si- Hebr.4.d
B mus cogitare aliq̃d [c] à nobis, quasi ex nobis, sed sufficiẽtia nostra ex Deo est, q̃ & idoneos nos fecit ministros noui testamẽti: [d] nõ literæ, sed spiritus. [e] litera. n. occidit: spiritus aũt viuificat. [f] Quòd si ministratio mortis in literis, deformata ĩ lapidibus, fuit ĩ gloria: ita, vt nõ possẽnt intẽdere filij Israel in faciẽ Moysi, ꝓpter gloriã vultus eius, q̃ euacuatur: quo modo nõ magis ministratio spiritus erit ĩ gloria? Nã si ministratio dãnatiõis, in
C gloria est: multo magis abũdat ministratio iustitiæ in gloria. [g] Nã nec glorificatũ est, qd̃ claruit, in hac parte, ꝓpter excellẽtẽ gloriã. Si. n. quod euacuatur, in gloria est: multo magis quod manet, in gloria est. Habẽtes igi- Exod.34.d
tur talẽ spem, multa fiducia vtimur: & nõ sicut Moyses ponebat velamẽ sup faciẽ suã, vt nõ intẽderẽt filij Isra-
el [h] in finẽ eius, quod euacuatur, sed obcęcati sunt sensus eorꝫ. Vsq; in hodiernũ. n. diẽ, idipsum velamẽ in le-
D ctione veteris testamẽti manet nõ reuelatũ, qd̃ in CHRISTO euacuatur, sed vsq; ĩ hodiernũ diẽ, cũ legitur Moyses, velamẽ positũ est sup cor eorꝫ. Cũ aũt cõuersi fuerint ad Dñm: auferetur velamen. Dñs autem spiritus est, vbi autem spiritus Domini: ibi libertas. Nos vero omnes, reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem [i] transformamur à claritate in claritatem, tanquàm à Domini spiritu.

SCHOLIA.

[a] Incipimus iterum.] *Dicet fortasse aliquis, hæc nos scribere commendandi nostri apud vos gratia, nimirum, quasi hoc egeamus, & non reliquerimus iam olim apud vos pignora grauiora, quæ commendent nos magis, quam quæuis epistolæ.* [b] Aut ex vobis.] *Non egemus literis commendatitijs, neque aliorum ad vos, neque vestris ad alios.* [c] A nobis quasi ex nobis.] *Nam, quæ non solus naturæ viribus, sed diuina etiam adiuuante gratia fiunt, vt quæ vltra naturæ nostræ terminos ferentur, à nobis quidem fiunt, sed non quasi ex nobis, hoc est, virtute naturæ, sed ex cœlesti lumine, quod naturam superat nostram. Cætera ita à nobis quasi ex nobis fiunt, hoc est, vi naturæ, vt semper tamen vires ipsas accepisse nos à Deo agnoscamus. Neque dixit, non posse nos, sed non sufficere vires nostras, vt libertatem seruaret, & gratiam Dei ostenderet necessariam.* [d] Non literæ.] *Iccirco nouum est, quia non secundum literam, sed secundum spiritum interpretamur. Ex hac autem occasione horum verborum, comparat nouam hanc prædicationem illi veteri legi, & describit quanta sit huius maiestas præ illa.* [e] Litera. n. occidit.] *Dum, vt ad Romanos ait, lex iram operatur.* [f] Quod si ministratio mortis.] *Appellat legem ministram mortis, quia auctum est, magis q̃ graue factũ peccatum occasione legis, vitio tamen hominum, cum lex vellet eos abstinere à peccato. Si ergo lex, ex qua nihil aliud lucri homines fecerunt, quàm vt augeretur peccatum, tanta cum maiestate data est, vt eius ministri Mosis facies ita radiaret, vt non possent filij Israel intendere oculos in eum: quanto maioris est gloriæ ministerium hoc nouæ legis, quæ vitam affert, eamq̃ sempiternam?* [g] Nam nec glorificatũ est.] *Hoc est, illud vetus testamentum, quod cum tanta gloria fuit datum, non habet gloriam vllam, si cum hoc conferatur: tam excellens est huius gloria, nam si id, quod euacuatur, & aboletur, & finem habet, fuit cum gloria, quanto magis hoc quod manet, ac perpetuum est, debet esse plenum gloriæ?* [h] In finem eius.] *Velamen (inquit) illud Mosis significabat infirmum Iudæorum ingenium, qui nequirent intueri finem eius legis, quæ erat abolenda: at hic finis erat Christus. Iccirco quandiu ignorant Christum, velamen illud perdurat in lectione Mosis, nunquam auferendum, neq; abolendum nisi per Christum, cum scilicet conuersi ad Dominum fuerint, nam Dominus est ille spiritus, quem dixi, cuius nos ministri sumus, qui nos in libertatem vendicat, quod nunquam lex fecit, ideo ait: Vbi spiritus Domini, ibi libertas.* [i] Transformamur à claritate in claritatem.] *In ampliorem semper gloriam, vt illud, de Virtute in virtutem, & ex fide in fidem.*

CAPVT IIII.

A IDeo habentes hãc ministrationem: iuxta quod misericordiam cõsecuti sumus, non deficimus, sed abdicauimus [a] occultamenta dedecoris, nõ ambulantes, in astutia, neq; dolose tractãtes verbũ Dei, sed manifestatione veritatis cõmẽdãtes nosmetipsos ad omnẽ cõsciẽtiã hominũ corã Deo. [b] Quòd si etiã opertũ est Euangeliũ nostrũ: in ijs, qui pereũt est opertũ, in quibus [c] Deus huius seculi excęcauit mẽtes infideliũ: vt

non fulgeat illis illuminatio euangelij glorię CHRISTI, qui est imago Dei. Non. n. nosmetipsos prędica B
mus, sed CHRISTVM IESVM Dñm: nos aũt, seruos vestros propter IESVM: quoniam Deus est [d] qui
dixit de tenebris lucẽ splendescere, qui illuxit in cordibus nostris: ad illuminationẽ sciẽtię claritatis Dei, [e] in
facie CHRISTI IESV. Habemus autem thesaurũ istum [f] in vasis fictilibus: vt sublimitas virtutis sit Dei:
& non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur: sed non angustamur: Laboramus: sed nõ destituimur:
persecutionẽ patimur: sed nõ derelinquimur: deijcimur, sed nõ perimus: semper mortificationẽ Dñi IESV. C
in corpore circunferentes, vt & vita IESV manifestetur in corpore nostro. Semper enim [g] nos qui viui-
mus, in mortem tradimur propter IESVM: vt & vita IESV manifestetur in carne nostra mortali. Ergo
Psal.115.a mors quidẽ in nobis operatur: vita aũt in vobis. [h] Habẽtes aũt eũdẽ spiritũ fidei, sicut scriptum est: [i] Credidi,
propter quod locutus sum: & nos credimus, propter quod & loquimur: sciẽtes q; qui suscitauit Dominũ IE-
SVM, & nos per IESVM susciabit & constituet vobiscum. Omnia [k] enim propter vos: vt gratia abun- D
dans, per multorum gratiarum actionem, abundet in gloriam Dei. Propter quod, non deficimus: sed licet is,
qui foris est noster homo corrumpatur: tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem. [l] Id enim, quod
in præsenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ: supra modum in sublimitate æternum gloriæ
pondus operatur nobis, non contemplantibus nobis, quæ videntur, sed, quæ non videntur. Quæ enim viden
tur, temporaria sunt. Quæ autem non videntur: æterna.

SCHOLIA.

[a] Occultamenta dedecoris.] *Quæ in occulto cum dedecore fiunt, quæq; illos, qui ea agunt, oportet in occulto ob pudo-*
rem agere, clam autem notat falsos apostolos. [b] Quod si etiam opertum est.] *Quod si quis dicat se ignorare prædicatio-*
nem nostram, id ab eius incredulitate proficiscitur, non culpa est prædicationis. [c] Deus huius seculi.] *Quem homines huic*
seculo dediti tanquam Deum sequuntur, hoc est, Satanas. Aly per hyperbatum accipiunt: sic. Infidelium huius seculi excæca-
uit Deus mentes. [d] Qui dixit de tenebris lucem splendescere.] *Qui iussit, vt fieret lux, atque è tenebris emergeret.*
Geneseos primo. [e] In facie Christi Iesu.] *Alludit ad historiam multas Mosis, qui claruerat, quæ claritas multo fuit il-*
lustrior in Christo, atque in Euangely prædicatione. [f] In vasis fictilibus.] *Non agnoscitur (inquit) hæc huius prædica-*
tionis maiestas, dum contemplantur homines, nos tanti operis ministros, viles esse, atque inhonoros. Quanquam id demum in
gloriam Euangely conuertatur, dum per hoc intelligitur, totum, quod fit, diuinæ virtutis esse, atque potentiæ, ideo ait, vt emi-
nentia sit virtutis Dei, & non ex nobis, quando vasa ita fictilia ex omni parte agitantur, & non frangantur, dum in omni-
bus premimur, &c. [g] Nos qui viuimus.] *Nos viuentes tradimur in mortem, vt vita quam Iesus attulit, manifestetur,*
dum in hac mortali carne degimus. Quo fit, vt mors quidem operetur, et agat in nobis, dum quotidianis mortibus exponimur
propter vos, vt scilicet vita operetur in vobis. [h] Habentes autem eundem spiritum fidei.] *Eundem quem habebat*
propheta, qui hæc loquebatur. [i] Credidi.] *Quid credidit propheta? quod præcedenti versu (nam vnus est psalmus apud*
Hebræos) dixerat: Placebo Domino in regione viuorum, intelligens resurrectionem mortuorum futuram, tunc enim erit ve-
ra viuorum regio. Hæc fides (inquit) toler. antissimos nos malorum facit. Quia ergo credidi, ait propheta, ausus sum mihi polli-
ceri euentura omnia mihi, quæ promisit Deus, etiam si tam valde affligerer, et in illas angustias redactus essem, vt de humа-
no auxilio desperarem. Vide psalmum. 115. & historiam 1. Regum. 23. de Dauid sic cincto ab exercitu Saul, vt de vita cœpe-
rit desperare. [k] Omnia enim propter vos.] *Hoc dicit, vt soli Deo grati sint horum omnium gratia, non agnoscant quic-*
quam à falsis apostolis, qui sibi gratiam vendicabant. Dum autem gratia abundat, à multis actæ gratiæ redundant in gloriã
Dei. [l] Id enim quod in præsenti est.] *Conatus est hoc loco Paulus, quantum homo paucis verbis potest, exprimere, quã-*
tæ sint futurorum bonorum diuitiæ, & quam exigua re comparentur, dum afflictionem appellat momentaneam ac leuem, il-
lam vero non tantum gloriam vocat, sed pondus gloriæ, nec pondus solum, sed pondus æternum, neque eo contentus, adiecit, in
sublimitate, vel eminenter. Quis cogitasset, vs addi quicquam posse aliudẽ excogitauit adhuc & illud, supra modum, καθυπερ
βολὴν εἰσυπερβαλλὴν, Mirificum profecto virum.

CAPVT V.

S[a] Cimus enim, q; si terrestris domus nostra huius tabernaculi dissoluatur, ædificationem ex Deo habe- A
mus, domũ nõ manufactã, eternã in cœlis. Nã in hoc ingemiscimus: habitationẽ nostrã, q̃ de cœlo est,
superindui cupiẽtes: [b] siquidẽ ẽt vestiti: nõ nudi inueniemur. Nã & qui sumus in hoc tabernaculo, inge
Apoc.16.e miscimus grauati: eo q; nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est, à vita. [c] Qui aũt
fecit nos in hoc ipsum, Deus: [d] qui & dedit nobis arrabonẽ spiritus. [e] Audẽtes igitur semp, & sciẽtes q; dũ su-
mus in hoc corpore, peregrinamur à Dño (Per fidẽ enim ambulamus: & nõ p specie) Audemus aũt, & bonã B
volũtatẽ habemus magis peregrinari à corpore, & præsentes eẽ ad Dñm. Et ideo cõtẽdimus, siue presentes sи-
ue peregrinãtes, placere illi. Oẽs. n. nos manifestari oportet ante tribunal CHRISTI: vt referat vnusquisq;
ppria corporis, put gessit siue bonũ siue malũ. Sciẽtes ergo timorẽ Dñi, hoĩbus suademus: [f] Deo aũt manife
sti sumus. Spero aũt & in cõsciẽtijs vestris manifestos nos eẽ. Nõ. n. iteꝝ cõmẽdamus nos vobis: sed occasionẽ
damus vobis gloriãdi p nobis: vt habeatis aduersus eos, qui in facie gloriãtur, & nõ in corde. [g] Siue. n. mente C
excidimus, Deo: siue sobrij sumus, vobis. [h] Charitas. n. CHRISTI vrget nos: estimãtes hoc, q; si vnus p oĩ-
bus mortuus est, ergo oẽs mortui sunt: & pro omnibus mortuus est: vt qui viuũt, iam nõ sibi viuãt, sed ei, qui
pro ipsis mortuus est, & resurrexit. [g] Itaq; nos, ex hoc neminẽ nouimus secũdũ carnẽ. Sed si etiam cognoui-
Esa.43.a mus secũdũ carnẽ CHRISTVM: sed nũc iam nõ nouimus. [k] Siquis ergo in CHRISTO noua creatu-
Apoc.21.b ra est vetera trãsierũt: ecce facta sunt oĩa noua. Oĩa aũt ex Deo, qui nos recõciliauit sibi p IESVM CHRI- D
STVM: & dedit nobis ministeriũ recõciliationis. Quãdoquidẽ Deus erat in CHRISTO mũdũ recõciliãs
sibi: nõ imputãs illis delicta ipsoꝝ, & posuit in nobis verbũ recõciliationis. Pro CHRISTO ergo legatio-
ne fungimur, tanquam Deo obsecrante per nos. Obsecramus prò CHRISTO, reconciliamini Deo. Eum
enim, qui non nouerat peccatum, [l] pro nobis peccatũ fecit: vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Scimus enim.] *Magni quidam sunt opinatores Philosophi gentium, at nostri non nituntur opinionibus. Scimus (in-*
quit) & quanta de rẽ de æternis illis habitationibus: appellat autem hanc in hac vita commorationem, tabernaculum, nem-
pe quod facile ac cito transferatur, illam autem alteram, ædificationem. Atque hoc vnum est (inquit) quod ingemiscimus,
dum vellemus, non spoliari, sed superindui domicilium quod è cœlo est. [b] Si quidem etiam vestiti.] *Dixerat, superindui*
cupientes domicilium nostrum, quod è cœlo est: vt declaret, quid sit illud, superindui, addit, siquidem etiam vestiti, non nudi in
ueniemur, induti erimus hoc corpore, sed ingemiscit natura nostra in hoc, quod nollet spoliari, sed superuestiri illa incorruptione
& gloria, nempe, vt absorbeatur mortalitas hæc à vita, neque enim corpus per se graue est & odiosum, sed corruptibile cor-
pus, ipsaq; corruptibilitas. Aly interpretantur, si tamen vestiti, bonis scilicet operibus. [c] Qui autem fecit nos.] *Dixe-*
rat, optare nos quod ad appetitionem nostram attinet, superuestiri, et nolle expoliari: nunc docet hoc verbus, acquiescendum esse
tamen diuinæ institutioni. Deus enim (inquit) est, qui fecit, hoc est, aptauit nos in hoc ipsum, atque ita instituit. Interea tamen
dedit arrabonem spiritus, tanquam solatium quoddam. [d] Qui & dedit nobis arrabonem spiritus.] *Significatio (in-*
quit) certa consequendæ hæreditatis est, ingens ille arrabo spiritus, quem dedit nobis. [e] Audentes igitur.] *Sensus totius*
contextus hic est. Nunc in quodam tabernaculo tanquam peregrini habitamus: quare ab hac peregrinatione discedere ani-
mose optamus, & esse cum Domino. Interea tamen admitimur placere illi: nam oportet nos ante illius tribunal aliquando sisti.
[f] Deo autem manifesti sumus.] *In hoc quidem incumbimus, quod dixi: quod si quis aliter de nobis suspicatur, hoc nihil*
ad nos, nam satis nobis est, Deo nos esse cognitos. [g] Siue enim mente excidimus.] ἐξέστημεν. *Significat autem insanire,*
& extra se fieri, quod duobus modis accipi potest, vt dicat, non egemus vestra commendatione, siue enim iudicemur insanire,
hoc iudicio Dei referuetur: sin prudentes esse, & sani hominis verba loqui, hoc vos magis, quam illos alios opinari decet. Vel,
sic. Si quando aliquid gloriamur, quam appellat insaniam, id ob honorem Dei facimus, sin sobry in dicendo sumus, id vestri
gratia facimus. [h] Charitas enim Christi.] *Causa (inquit) cur nullam nostri ipsorum rationem habeamus, sed solam Dei*
gloriam curemus, hæc est, quòd fortissimo astringimur argumento id agere, sic colligentes. Si Christus pro omnibus mortuus
est, significatio fit, omnes fuisse morti obnoxios, quod si ita est, cum ipse nobis Vitæ author fuerit, reliquum est, vt intelligamus
quicquid viuimus, hoc totum nos illi debere, qui vt nobis hanc compararet vitam, pro nobis mortuus est, & resurrexit.
[i] Itaque nos ex hoc.] *Superioris (inquit) argumenti contemplatione id statui, neminem posthac agnoscere secundum*
carnem, hoc est, nullam hic agnoscere carnalem cognationem, nam Iudæos quidem, meum sanguinem, meum genus amo, sed
quatenus ad gloriam Christi pertinet, cætera neminem eorum agnosco, quandoquidem ne Christum quidem ipsum nunc se-
cundum carnem agnosco, quod olim faciebam antequam hanc veritatem agnoscerem, nam existimabam Christum, qui à no-
bis expectabatur, ad Iudæos duntaxat pertinere, cogitabam eius regnum longe aliter quàm est, & hoc erat Christum nosse
secundum carnem, quod nunc non facio. Alys videtur Paulus notare quosdam velle, qui ob id sibi authoritatis plus vendica
bant, quòd Christum olim viuum cognouissent. [k] Siquis ergo.] *Videtur ad proxima verba esse referendum, non esse sci-*
licet Christum secundum carnem agnoscendum, siquis (inquit) motus per Christum homo est effectus, nouis etiam intelligendi
Christi modis vtatur, & vetustatem litere relinquat. Hæc autem omnia ex Deo sunt, non hominum inuenta. [l] Pro no-
bis peccatum fecit.] *Hebraismus est, hoc est, hostiam, & oblationem pro peccato, sic & quod sequitur, vt nos efficeremur*
iustitia Dei in eo, hoc est, vt nos efficeremur iusti apud Deum per ipsum Christum.

CAPVT VI.

A ADiuuantes autem obsecramus: Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto Esa.49.c
exaudiui te: & in die salutis adiui te. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis. Nemi- 1.Cor.4.a
ni dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium: sed in omnibus exhibeamus nos-
metipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in anguſtijs, in plagis,
B in carceribus, [a] in seditionibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate,
in suauitate, in spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiæ à de-
xtris & à sinistris, per gloriam & ignominiam, per infamiam & bonam famam, vt seductores & veraces: si-
cut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, sem-
C per autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia pos-
sidentes. [b] Os nostrum patet ad vos ô Corinthij, cor nostrum dilatatum est. Nõ estis anguſti in nobis: estis
anguſti autem in visceribus vestris. Eandem autem remunerationem, tanquam filijs dico: dilatamini &
vos. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio iustitię cum iniquitate? Aut, quæ socie 1.Cor.3.e
D tas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio CHRISTO ad Belial? Aut, quæ pars fideli cum infideli? Quis &.6.d
autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei viui: [c] sicut dicit Deus: Inhabitabo Leui.26.b
in illis: & inambulabo: & ero illorum Deus: & ipsi erunt mihi populus. Propter quod exite de medio eorũ: Esaia.52.c
& separamini, dicit Dominus: & immũdum ne tetigeritis: & ego recipiam vos: & ero vobis in patrem: & vos Hier.31.a
eritis mihi in filios & filias, dicit Dominus omnipotens.

SCHOLIA.

[a] In seditionibus.] *In Græco est ἀκαταστασίαις, hoc est, crebris expulsionibus, vt nusquam possent consistere. Sic quod*
ait, in castitate, siue puritate, significat, vel continentiam, vel, vt gratis Euangelium, prædicetur. Item illud, in virtute Dei
ἐν δυνάμει θεοῦ, vel dictum est ob signa & miracula, vel, quod nihil sibi, sed omnia asscribit diuinæ potentiæ. [b] Os no-
strum patet.] *Intuere immensam paterni affectus copiam. Obseruat autem hoc caput Diuus Augustinus in quarto de*
doctrina Christiana libro, & pertinere vult ad grande genus dicendi, quod genus ait, non tam verborum ornatibus consta-
re, quàm violentis animi affectibus, quibus interdum non desint ornamenta, & notat illa verba: Ecce nunc tempus accepta-
bile, &c. & hoc: Os nostrum apertum est erga vos Corinthy. Non possum, ait Paulus, finem dicendi facere, ob amorem im-
mensum, quo vos prosequor, sed vos anguſto estis corde, sed obsecro vos, dilatamini, & hanc mihi, vt legitimi filij, vicissitudi-
nem rependite, tanquam remunerationem, hoc enim vult, quod ait, eandem autem remunerationem tanquam filijs dico. Et

quid volo nisi quod ad salutem vestram pertinet? Vt muniamini aduersus malos & infideles. Hoc enim est quod ait, nolite iugum ducere cum infidelibus, hoc est, nolite in morem infidelium sub peccati iugo duci. c Sicut dicit Deus.] *Hoc testimonium ex pluribus locis conflatum est.*

CAPVT VII.

HAs ergo habentes promissiones charissimi: mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei. Capite nos. a Neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circunuenimus. Non ad condemnationem vestri dico. Prædixi enim, quòd in cordibus nostris estis ad cõmoriendum b & ad conuiuendum. Multa mihi fiducia est apud vos: multa mihi gloriatio de vobis. Repletus sum consolatione: superabundo gaudio in omni tribulatione nostra. c Nam & cum venissemus in Macedoniam: nullam requiem habuit caro nostra, sed omnem tribulationem passi sumus: foris pugnæ: intus timores. Sed qui consolatur humiles, consolatus est nos, Deus, in aduentu Titi. Nõ solum autem in aduentu eius: sed etiam in consolatione, quam ille accepit de vobis, referens nobis vestrum desiderium, vestrum fletum, vestram emulationem pro me, ita vt magis gauderem. Quoniam etsi contristaui vos in epistola, non me pœnitet, etsi pœnituerat. Video enim, quòd epistola illa (etsi ad horam) vos contristauit. d Nunc gaudeo: non quòd contristati estis: sed quòd contristati estis ad pœnitentiam. Cõtristati enim estis secundum Deum: vt in nullo detrimentum patiamini ex nobis. Quæ enim secundum Deum tristitia est · pœnitentiam in salutem non pœnitendam operatur: e seculi autem tristitia: mortem operatur. Ecce enim hoc ipsum, quod secundum Deum contristati estis: quantam in vobis operatur solicitudinem, f immò defensionem, immò indignationem, immò timorem, immò desiderium, immò æmulationem, immò vindictam, in omnibus commendastis vos ipsos, quòd puri sitis in eo negocio. Igitur etsi scripsi vobis: g non propter eum qui fecit iniuriam, nec propter eum qui passus est, sed h ad manifestandam solicitudinem vestram pro nobis apud vos coràm Deo. Ideo consolationem accepimus in consolatione vestra: abundantius autem magis gauisi sumus super gaudio Titi, quia refectus est spiritus eius ab omnibus vobis. Quia si quid apud illum de vobis gloriatus sum: non sum cõfusus: sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus: ita & gloriatio nostra, quæ fuit ad Titum, veritas facta est: & viscera eius abundantius in vos sunt, reminiscentis omniũ vestrũ obedientiam, quomodo cum timore & tremore excepistis illum. i Gaudeo, quòd in omnibus confidam vobis.

1.Pet.2.c

SCHOLIA.

a Neminem læsimus.] *Rursus dilectionis erga eos verba aggreditur. Cur (inquit) non capitis nos? neq; enim quenquam vestrum læsimus, neminem falsis dogmatibus corrupimus.* b Et ad conuiuendum.] *Hoc est parati sumus lætari in vestris bonis atque successibus, tantum ab est, vt inuideamus.* c Nam & cum venissemus.] *Dicit quid sit, quod ei fecerit gaudium, nempe auditis eorum rectè factis.* d Nunc gaudeo.] *Connectle sic. Video enim quòd etsi epistola illa vos ad horam atque exiguum tempus tristes reddidit, causa tamen mihi fuit gaudij, cum intelligam, salutarem vobis fuisse tristitiam eiusmodi.* e Seculi autem tristitia.] *Dicit seculi tristitiam mortem operari, quia excitat affectus prauos, qui mortem animæ afferunt.* f Immò defensionem.] *Vel satisfactionem, ἀπολογίαν. dum satis Paulo facere studebant. Indignationem verò contra eum qui peccauerat. Timorem, vel Dei, vel etiam Pauli. Desiderium, erga eundem Pauli æmulationem, Zelum erga Deum. Vindictam, dum vlti sunt eos, qui in diuinas leges peccauerãt.* g Non propter eum qui fecit iniuriam.] *Hoc est, non hæc præcipua fuit causa.* h Ad manifestandam.] *Chrysostomus legit, ad manifestandam solicitudinem nostram erga vos apud vos, hoc est, vt sciatis quomodo vos amem.* i Gaudeo quòd in omnibus confidam vobis.] *Siue coram Tito velim de vobis gloriari, siue apud alium quempiam, in omni etiam re, siue cum increpandus & castigandus fuit scortator ille, siue cum reconciliandus ac reuocandus post pœnitentiam, siue quid aliud agendum est, Video vos paratos ad omnia, vt audere possim & confidere erga vos.*

CAPVT VIII.

NOtam autem facimus vobis fratres gratiam Dei, quæ data est in ecclesijs Macedoniæ: quòd a in multo experimento tribulationis, abundantia gaudij ipsorum fuit: & altissima paupertas eorum abundauit in diuitias simplicitatis eorum: quia secundum virtutem (testimonium illis reddo) & supra virtutem voluntarij fuerunt, cum multa exhortatione obsecrantes nos, vt gratiam & cõmunicationem ministerij, quod fit in sanctos, susciperemus, & non sicut sperauimus: sed semetipsos dederunt primum Domino, deinde nobis per voluntatem Dei: ita, vt rogaremus Titum, vt quemadmodum cœpit, ita & b perficiat in vos etiam gratiam istam. Sed sicut in omnibus abundatis fide & sermone, & scientia, & omni solicitudine, & charitate vestra in nos, vt & in hac gratia abundetis. Non quasi imperans dico: sed per aliorum solicitudinẽ, etiam vestræ charitatis ingenuitatem comprobãs. Scitis enim gratiam Domini nostri IESV CHRISTI, quòd c propter vos egenus factus est, cum esset diues: vt illius inopia, vos diuites essetis. Et consilium in hoc do. Hoc enim vobis vtile est: qui d non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore, nunc vero & facto perficite, vt quemadmodum promptus est animus voluntatis, ita sit & perficiendi ex eo quod habetis. Si enim voluntas prompta est: secundum id quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet. Non enim, vt alijs sit remissio: vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate. In præsenti tempore, vestra abundantia, illorum inopiam suppleat: vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplemẽtum, vt fiat æqualitas, sicut scriptum est: e Qui multum, non abundauit: & qui modicum, non minus habuit. Gratia autem Deo, qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi, quoniam exhortationem quidem susceperit: sed cum solicitior esset, g sua voluntate profectus est ad vos. h Misimus etiam cum illo fratrem cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias: non solum autem: sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ, cum gratia hac, quæ ministratur à nobis ad eiusdem Domini gloriam & promptam voluntatem vestram: deuitãtes hoc, nequis nos vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis, prouidentes bona non solum coram Deo, sed etiam

Exod.16.d

sed etiam coram hominibus. Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probauimus in multis sæpe solicitum esse: nunc autem multo solicitiorẽ cõfidentia multa in vos, i siue pro Tito, qui est socius meus & in vobis adiutor, siue pro alijs, qui sunt fratres nostri, apostoli ecclesiarum, gloria CHRISTI. Ostensionem ergo charitatis vestræ & nostræ gloriæ pro vobis, in illos ostendite in facie ecclesiarum.

Rom.12.d

SCHOLIA.

a Notum autem facimus vobis.] *Opportunum nactus est locum adhortandi eos ad eleemosynam, commendata eorum obedientia, & quòd in omnibus confidat eos.* b In multo experimento.] *Duplex commendatio istorum magna, & quòd in maxima afflictione, copia non minor eorum gaudij fuerit, & quòd in summa inopia tam alacrem in præbendo animum præ se tulerint. Proponendum sæpe hominibus exemplum.* c Perficiat in vos etiam gratiam istam.] *Neq; enim, cum eos ad eleemosynas hortatur, quicquam in Paulum redit, sed totus, est corinthiorum fructus.* d Propter vos egenus factus est.] *Quem non moueat ad profundendas pro Christo diuitias huius exempli cogitatio?* e Non solum facere.] *Hoc est, non solum cœpistis hoc sponte facere, sed etiam superiore anno sine vlla adhortatione volueratis hoc facere, nunc id perficite.* f Qui multum, non abundauit.] *Vt nunc vobis accidat, quod de manna factum legimus. Quibus verbis ad monemur, oportere Christianum hominem ita suas facultates distribuere, vt nihilo plus alijs habere videatur.* g Sua voluntate profectus est.] *Licet (inquit) à me rogatus, meam adhortationem susceperit, non tamen hinc excitatus est, sed sua voluntate est profectus.* h Misimus etiam cum illo fratrem.] *Chrysostomus arbitratur esse Barnabam potius quàm Lucam.* i Siue pro Tito.] *Subintelligendum est aliquod verbum, vt si dicas, quia primo Titi feci mentionem, siue commendem Titum, siue alios, omnes charos habete, quia sunt gloria Christi.*

CAPVT IX.

A NAm de ministerio, quod fit in sanctos: superuacuum est mihi scribere vobis. Scio enim promptũ animum vestrum: pro quo de vobis glorior apud Macedones, quòd Achaia parata est ab anno præterito: & vestra æmulatio prouocauit complures. Misi autem fratres: ne quod gloriamur de vobis, euacuetur in hac parte, vt (quemadmodum dixi) parati sitis: ne forte si venerint Macedones mecum, & inueneB rint vos imparatos, erubescamus nos, vt non dicamus vos, in hac substantia gloriationis. Necessarium ergo existimaui rogare fratres, vt præueniant ad vos, & præparent repromissam benedictionem vestram hanc paratam esse, sic, b quasi benedictionem, non tanquam auaritiam. Hoc autem dico: c Qui parce seminat: parce & metet: & qui seminat in benedictionibus, in benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinat in C corde non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarẽ enim datorẽ diligit Deus. d Potens est autem Deus omnem gratiam abundare facere in vos: vt in omnibus, vos omnem sufficientiam habentes, abũdetis in omne opus bonum, sicut scriptum est. Dispersit dedit pauperibus: e iustitia eius manet in seculum. Qui autem administrat semen seminanti: & panem ad manducandum præstet, & multiplicet semẽ vestrum, & augeat prouenD tus iustitiæ vestræ: vt in omnibus locupletati abundetis f in omnem simplicitatem, quæ operatur per nos gratiarum actionem Deo. Quoniam ministerium huius officij g non solum supplet ea, quæ desunt sanctis, sed etiam abundat per hoc, quòd multi gratias agunt Deo, per probationem ministerij huius, glorificantes Deũ in obedientia confessionis vestræ in euangelio CHRISTI, & simplicitate communicationis in illos, & in omnes, h & in ipsorum obsecratione pro vobis, desiderantium vos propter eminentem gratiam Dei in vobis. Gratia autem Deo, super inenarabili dono eius.

Ecclc.35.b

Psal.111.c

SCHOLIA.

a Nam de ministerio.] *De hac (inquit) re, hoc est, de eleemosyna satis dixi, & superfluum mihi videtur plura scribere. Quibus verbis eos prouocat ad benigne faciendum, nam erubescit homo in tanta de se opinione, si inferior ea opinione videatur.* b Quasi benedictionem, non tanquam auaritiam.] *Hoc est hilari ac liberali animo, non auarorum more, qui dando tristantur.* c Qui parce seminat.] *Pulchre comparat eleemosynam semini, vnde messis expectatur, vt ad tempus messis intendentes oculos, & cogitantes pro quantitate seminis futuram & messem, abundantius præbeant. Et quod addit, qui seminat in benedictionibus, opponitur ei quod dixerat, parce, nam in scripturis benedictio affluentiam quandam secum affert, vt illud. Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos, hoc est augeantur hæres vestræ.* d Potens est autem Deus.] *Eleemosyna (inquit) non imminuit opes, cum offeratur ei, qui & potest, & solet efficere, vt qui in hoc incumbunt, abundent & carnalibus & spiritualibus bonis, vt in melius semper proficiat.* e Iustitia eius.] *Hebraismus est, vt iustitia pro eleemosyna accipiatur, sicut & Dominus de eleemosyna loquens dixit. Attendite ne iustitiã vestram faciatis coram hominibus.* f In omnem simplicitatem.] *Sic ad Romanos, qui tribuit in simplicitate, hoc est alacriter & cum gaudio, non vt timens damnum, sed magis se lucrari certo sciens.* g Non solum supplet.] *Accedit ad eleemosynam alter fructus ingens, vt per eam præparentur multi ad gratias agendas Deo, non solũ quòd eorum indigentiæ subueneritis, verum etiam quòd subiecti sitis confessioni euangelij, cuius rei signum est eleemosyna.* h Et in ipsorum obsecratione.] *Pendet ab illis verbis, multi gratias agunt Deo, dum scilicet ob tantam vestram charitatem, isti optant videre vos, & ob eminentem gratiam Dei in vobis.*

CAPVT X.

A IPse autem ego Paulus obsecro vos per mansuetudinem & modestiam CHRISTI, qui in facie quidem humilis sum inter vos: absens autem audeo erga vos. Rogo autem vos, ne præsens audeam per eam confidentiam, qua existimor audere in quosdam: qui arbitrantur nos tanquam secundum carnẽ ambulantes. In carne enim ambulantes: non secundum carnem militamus. Nam arma militiæ nostræ non carnalia: sed potentia Deo b ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extolB lentem se aduersus scientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum ad obediendũ CHRISTO, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam, c cum impleta fuerit vestra obedientia. d Quæ secundũ faciem sunt, videtis? Si quis confidit sibi, CHRISTI se esse: hoc cogitet rursum ex seipso,

q; sicut ipse CHRISTI est, ita & nos. Nam si & amplius aliquid gloriatus fuero de potestate nostra, quã dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram: non erubescam, ne existimer tanquam terrere vos per epistolas. Quoniam quidé epistolæ, inquit, graues sunt & fortes, præsentia autem corporis infirma, & sermo cõtemptibilis: hoc cogitet, qui eiusmodi est, q; quales sumus verbo per epistolas absentes, tales & præsentes in facto. [e] Non enim audemus inserere aut comparare nos quibusdam, qui seipsos cõmendant. [f] Sed ipsi in seipsis seipsos metientes, & comparantes seipsos sibijpsis, nõ intelligunt. Nos autem
Ephe.4.d non in immensum gloriabimur: sed [g] secundum mensuram regulæ, qua mensus est nobis Deus mensuram pertingendi etiam vsq; ad vos. Non enim quasi non pertingentes ad vos, superextendimus nos. Nam vsq; ad vos quoq; peruenimus in euangelio CHRISTI: non in immensum gloriantes in alienis laboribus: separantes, crescente fide vestra in vobis, magnificari secundum regulam nostram in abundantia: etiam in illa, quæ vltra vos sunt euangelizare, non in aliena regula: vt de ijs, quæ parata sunt, gloriemur. [h] Qui autem gloriatur: in Dño glorietur. Non enim qui seipsum commẽdat, ille probatus est: sed quem Deus cõmendat.

SCHOLIA.

[a] Ipse autem ego Paulus.] *Cogitur post mentionem eleemosynæ, antequam finem epistolæ faciat, defendere se aduersus falsos apostolos, & conuitiatores suos, idq; non sui, sed discipulorum gratia. Ipse (inquit) ego Paulus, quem mei vituperatores dicunt in præsentia quidem vile quid esse, verum scribendo esse animosiorem, obsecro vos vt caueatis, ne cogar etiam præsens audere, & authoritate mea vti.* [b] Ad destructionem munitionum.] *Intuere vim euangelicæ philosophiæ, cui necesse sit omnes, quamuis munitas arces ac turres humanæ sapientiæ cedere, & tanquam captiuas subyci.* [c] Cum impleta fuerit vestra obedientia.] *Cum videro vos plene subiectos, apertius intelligere fallacias istorũ, nunc autem metuo, ne, dum illos castigare voluero, & vos tangat plaga.* [d] Quæ secundum faciem sunt videtis?] *Increpatio est per interrogationem contra falsos apostolos. Non (inquit) dum inquiritis in nos, vestras has inquisitiones secundum rerum veritatem facitis, sed tanquam in superficie, sed cogitent isti quod siquis persuadet sibi Christi se esse &c.* [e] Non enim audemus.] *Non enim volumus audere, quod plerique istorum faciunt.* [f] Sed ipsi in seipsis.] *Isti (inquit) neminem dignum existimantes, qui sibi conferatur se ipsos mutuo sibyipsis conferunt, & se in immensum iactant, nos vero nostris nos viribus metimur, quanquam Græci diuerse interpretantur hunc locum.* [g] Secundum mensuram regulæ.] *Verisimile est falsos apostolos gloriari solere, se totum prædicando perambulasse terrarum orbem, at ego (inquit) quousque peruenI, eousque glorior, & peruenI vsque ad vos.* [h] Qui autem gloriatur.] *Si quis (inquit) gloriari vult, glorietur secundum veritatem, hoc enim est gloriari in Domino, nam temere gloriari, & tantum se iactare, non est commendatione res digna, sed cum Dei testimonio sua quis recte facta potest commemorare.*

CAPVT XI.

A V[a] Tinam sustineretis modicum insipiẽtiæ meæ: imò & supportatis me. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Aptaui enim vos vni viro virginem castam exhibere CHRISTO. Timeo autem, ne sicut
Gene.3.a serpẽs Euã seduxit astutia sua: ita corrũpantur sensus vestri, à simplicitate, quę est in CHRISTVM. Nam si is, qui venit, alium IESVM prædicat, quẽ nõ prædicauimus, aut aliũ spiritũ accipitis, quẽ nõ accepistis, aut aliud euangelium quod non recepistis: recte pateremini. Existimo enim nihil me minorem fuisse magnis apostolis. Cæterum etsi [b] imperitus sermone: nõ tamen scientia. Sed vbiq; manifesti fuimus in omnibus erga vos, An [c] peccatũ feci, me ipsum humilians, vt vos exaltaremini? q; gratis euangelium Dei euangelizaui vobis? Alias ecclesias expoliaui, accipiens stipendia ad ministerium vestrum. Et cum essem apud vos, & egerem: nulli onerosus fui: nam quod mihi deerat, suppleuerunt fratres, qui venerunt à Macedonia: & in omnibus sine onere me vobis seruaui, & seruabo. Est veritas CHRISTI in me, quòd [d] hæc gloriatio non infringetur in me in regionibus Achaiæ. Quare? quia non diligo vos? Deus scit. Quod autem facio, & faciam, vt amputem occasionem eorum, qui volunt occasionem: [e] vt in quo gloriantur, inueniantur sicut & nos. Nam eiusmodi pseudo apostoli, sunt operarij subdoli, transfigurantes se in apostolos CHRISTI. Et non mirum: ipse enim satanas transfigurat se in angelum lucis: non est ergo magnum, si & ministri eius transfigurentur velut ministri iustitiæ: quorum finis erit secundum opera ipsorum. [f] Iterum dico: nequis me putet insipientem esse, alioquin velut insipientem accipite me: [g] vt & ego modicum quid glorier. Quod loquor: [h] non loquor secundum Dominũ, sed quasi in insipientia, in hac substantia gloriationis. Quoniam multi gloriantur secundum carnem: & ego gloriabor. Libenter enim suffertis insipientes, cum sitis ipsi sapientes. [i] Sustinetis enim, siquis vos in seruitutem redigit, siquis deuorat, siquis accipit, siquis extollitur, siquis in faciem vos cædit. [k] Secundum ignominiam dico: [l] quasi nos infirmi fuerimus. Immò in quo quis audet (in insipientia dico) audeo & ego. Hebræi sunt: & ego. Israelitæ sunt: & ego. Semen Abrahæ sunt: & ego. [m] Ministri CHRISTI sunt (vt minus sapiens dico) plus ego: in laboribus copiosius, in carceribus
Act.16.e abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies [n] quadragenas, vna minus, accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, [o] noctem & diem in profundo
Act.14.c egi, in itineribus sæpe, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, pericu-
Act.27.a lis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus, in labore & erumna, in vigilijs multis, in fame & siti, in ieiunijs multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt: instantia mea quotidiana, solicitudo omnium ecclesiarum. Quis infirmatur: & ego non infirmor? Quis scandalizatur: & ego non vror? Si gloriari oportet: [p] quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & pater Domi
Acto.9.d ni nostri IESV CHRISTI, qui est benedictus in secula, scit quòd non mentior. Damasci, præpositus gẽtis Arethæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet: & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & effugi manus eius.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Vtinam sustineretis.] *Nihil molestius est viro graui, quàm cum ei necesse est sese prædicare. Cum ergo nunc id agere ob falsos apostolos, Paulo sit necesse, hoc factum insipientiam appellat. Opto (inquit) vt paulisper me toleretis in hac insipientia, immò & toleratis, cum expertus sim vos me amare, & quæ dico in bonam partem accipere, quãdoquidem æmulatio mea est secundum Deum, atque ob salutem vestram, qui optem vos tanquam virginem quandam seruare incorruptos, sed metuo ne in morem Euæ sensus vestri corrumpantur ac degenerẽt ab illa simplicitate, qua in Christum credidistis, in externam fallaciam, quæ syllogismis potius et humanis rationibus nititur, quàm fide.* [b] Imperitus sermone.] *Non quòd defuerit dicendi gratia, quatenus ad dicendum pertineret, nam hac re (liceat enim vera dicentem audacter loqui) omnes etiã externos superauit, sed fucum illum gentilis eloquentiæ recusauit, ne inanis fieret crux CHRISTI.* [c] Peccatum feci meipsum humilians.] *Vt video, quod nihil summæ laudi esse debuerat, hoc vertitur in deiectionem meam, quamuis hoc fecerim vtilitatis tantum ac salutis vestræ gratia.* [d] Hæc gloriatio non infringetur.] *Gloriationem appellat illud, ab his non accipere, ne putarent eum indignari in eo, quòd nihil ab eis acceperit.* [e] Vt, in quo gloriantur, inueniantur.] *Vt deprehendantur tandem, quibus in rebus queant gloriari: fortasse enim falsi apostoli simulabant se nihil accipere.* [f] Iterum dico.] *Vide quanta cum verecundia ingrediatur in sermonem hunc, quanquam id ob solam discipulorum salutem faceret, ne insolentia falsorum apostolorum tantos Pauli labores perderet, & opus Dei destrueret.* [g] Vt & ego modicum quid glorier.] *Et ego (inquit) cogor nunc facere, quod falsi apostoli faciunt, nam illi dum vestro cum damno gloriantur, in hunc me sermonem trahunt.* [h] Quod loquor secundum Dominum.] *Iubet enim Dominus non gloriari, sed copus tamen Pauli in hac gloriatione erat secundum Dominum.* [i] Sustinetis enim.] *Vos (inquit) causa estis, cur necesse habeam gloriari, qui huiusmodi imprudentes homines sustinetis, vos viri prudentes.* [k] Secũdum ignominiam dico.] *Quòd dixi (inquit) sustinere vos, si quis in faciem vos cædit & talia, non dixi, quòd ista ipsa vos patiamini a pseudoapostolis, sed quòd quantum ad contumeliæ rationem attinet, nõ leuiora patiamini ab istis, quàm si ista pateremini.* [l] Quasi nos infirmi fuerimus.] *Quasi non potuerimus et nos eadem facere, sed noluimus.* [m] Ministri CHRISTI sunt.] *Hactenus in gloria carnis, nihilo se maiorem facere curat. Verum cum ad ministerij pro Christo mentionem venit, non fuit hac æqualitate contentus, neque dixit & ego, sed plus ego, idq; modeste, interserens illa verba: Vt minus sapiens dico.* [n] Quadragenas.] *In Mose præcipitur, vt pro mensura peccati sit plagarum modus, ita dũtaxat, vt quadragenarium numerum non excedant, idq; fiebat loro taurino.* [o] Noctem & diem in profundo egi.] *Alij quidem (ait Chrysostomus) intelligunt, in medio mari, alij vero, quasi natans, quod & verius est.* [p] Quæ infirmitatis meæ sunt gloriabor.] *Infirmitatem appellat, persecutiones, & tentationes, et aduersa quæ enumerauit. In his igitur (inquit) gloriabor, quæ & si Deo adiuuante superaui, laborem tamen meum, patientiamq; declarant. Nam signa & admiranda facta nõ commemoro, in quibus nullum laborem impendi.*

CAPVT XII.

A G[a] Loriari certe non expedit mihi: veniam enim ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in
CHRISTO, ante annos quatuordecim ([b] siue in corpore, siue extra corpus nescio: Deus scit) raptũ Act.9.a
huiusmodi vsq; [c] ad tertium cœlum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extra corpus,
nescio: Deus scit) q; raptus est in paradisum: & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro huius-
B modi homine gloriabor: pro me autem non gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam si voluero gloriari: non ero insipiẽs, veritatem enim dicam. Parco autem, nequis in me existimet [d] supra id quod videt me, aut aliquid audit ex me. [e] Et ne magnitudine reuelationum extollar, [f] datus est mihi stimulus ipsi carni angelus satanæ, vt me colaphizet, ne supra modum extollar. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me,
C & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea: nam virtus mea in infirmitate perficitur. Libentissime igitur magis gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus CHRISTI, Propter quod placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustijs pro [redacted] nam
infirmor: tunc potens sum. Factus sum insipiens gloriando: vos me coegistis. Ego enim à vobis debui com-
D mendari: nihil enim minus feci ijs, qui sunt supra modum apostoli: tametsi nihil sum. Signa quidem apostoli facta sunt inter vos in omni patiẽtia, in signis, & prodigijs, & in virtutibus. Quid est enim, quod minus habuistis præ cæteris ecclesijs: nisi q; ego ipse non grauaui vos? Donate mihi hanc iniuriam. Ecce tertio paratus sum venire ad vos, & non ero grauis vobis. Non enim quæro, quæ vestra sunt: sed vos. Nec enim debent
E filij parentibus thesaurizare: sed parentes filijs. Ego autem libentissime impendam & expendar ipse pro animabus vestris: licet plus vos diligens, minus diligar. Sed esto. Ego vos non grauaui: sed cum essem astutus, dolo vos cœpi. Nunquid per aliquem eorum, quos misi ad vos, circunueni vos? Rogaui Titum: & misi cũ illo fratrem. Nunquid Titus vos circunuenit? nónne eodem spiritu ambulauimus? nónne ijsdem vestigijs?
F [g] Rursum putatis quòd excusemus nos apud vos? Coram Deo: in CHRISTO loquimur. Omnia autem charissimi propter ædificationem vestram. Timeo enim ne forte cum venero, non quales volo, inueniam vos: & ego inueniar vobis qualem non vultis. [h] ne forte sint cõtentiones, æmulationes, animositates, dissensiones, detractiones, susurrationes, inflationes, seditiones: ne iterũ cum venero, humiliet me Deus apud vos:
G & lugeam multos ex ijs, qui ante peccauerunt, et non egerunt pœnitentiam super [i] immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam gesserunt.

SCHOLIA.

[a] Gloriari certe non expedit mihi.] *Et causam, cur hoc dicat, adiungit. Veniam enim (inquiens) ad visiones & reuelationes Domini, & cum de his locuturus est, tacet nomen suum, & alium quendam ponit sine nomine, indicans velle se id latere, si aduersarij permitterent.* [b] Siue in corpore, siue extra corpus.] *Hoc est, solutáne omnino esset anima à corpore ignoro, an viuente corpore, facta fuerit mentis abalienatio à sensibus. Proinde quod vidit (ait Augustinus) proprie vidit non imaginaliter, sed quia ipsa à corpore alienatio, verum omnino mortuum corpus reliquerit, an secundum modum quendam*

dam viuentis corporis ibi anima fuerit, sed mens eius ad videnda vel audienda illa arrepta sit, hoc incertum erat. c Vsq; ad tertium cœlum.] *Hebræi tres duntaxat cœlos faciunt, quorum tertius sit spiritualis, & quasi sedes Dei.* d Supra id quod videt me.] *Ne quis me aliquid supra hominem esse opinetur, iccirco nollem quenquam de me aliud scire, quàm quod exterius videt atq; audit.* e Et ne magnitudine reuelationum extollar.] *Rectius hoc, quàm si dixisset, ne magnitudo reuelationum extollat me, quasi ipse reuelationes causæ fuissent elationis, & non potius ipse abusus eis fuisset. Quod & de scientia idem dici potest.* f Datus est mihi stimulus ipsi carni.] *Intelligit Chrysostomus per stimulum, aduersa tam multa, quæ in prædicatione ei accidebant, quæ cum cerneret plerunque impedire cursum euangelij, præcabatur liberationem, iccirco appellat angelum Satanæ, hoc est aduersarium, vt libro regum tertio, de Salomone. Non erat Satan in diebus eius, hoc est, aduersarius, et hostis. Neque probat sententiam illam, quam Hieronymus in epistolam ad Galatas adducit, fuisse, qui crederent, crebro eum dolore capitis solitum laborare. Quem autem stimulum hic appellat, ad Galatas vocat, tentationem in carne. Plurimi refert obseruare proprietatem dicendi.* g Rursum putatis, quod excusemus nos.] ἀπολογούμεθα, vnde ἀπολογία, atqui apologiæ plena est epistola, sed intelligit hic, se non vti malitiose verbis excusationis aut defensionis, qui pseudapostolorum mos est. h Ne forte sint contentiones.] *Magnus Basilius docet, quo differant cõtentio atque dissensio, hoc est,* ἔρις *&* ἐρίθεια, *his verbis,* ἔρις *quidem est, cum quis ne inferior videatur altero, studet aliquid agere,* ἐρίθεια *vero, cum ex ys, quæ quis facit, cum ostentatione aut inani gloria irritat alios ad se imitandum.* i Immunditia.] *Idem Basilius etiã immunditiæ & impudicitiæ differentiam ponit, quod ait hic Paulus* ἀκαθαρσία καὶ ἀσέλγεια, ἀκαθαρσίαν, *inquit, lex demonstrauit, cum hoc nomine vsa est in ys, quæ inuitis & ex naturæ necessitate eueniunt,* ἀσέλγεια *vero est affectus qui non ferat laborioſum dolorem.*

CAPVT XIII.

Deut.17.b Matt.18. Ioan.18.c Hebr.10.e

TErtia hac vice venio ad vos. In ore duorum vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi & prædico, vt præsens iterum, & nunc absens scribo ijs, qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quòd si venero iterum, non parcam: a nam experimentum quæritis, qui in me loquitur CHRISTI: qui in vos b non infirmatur, sed potens est in vobis. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate: viuit tamen ex virtute Dei. Nam c & nos infirmi sumus in illo: sed viuemus cum eo ex virtute Dei in vos, d vosmetipsos tentate, si estis in fide: ipsi vos probate. An non cognoscitis vosmetipsos quòd CHRISTVS IESVS in vobis est? nisi forte reprobi estis. Spero autem quòd cognoscetis, quòd nos non sumus reprobi. Opto autem apud Deũ vt nihil mali faciatis: non vt nos probati appareamus, sed vt vos, quod bonum est faciatis, e nos autem vt reprobi simus. Non enim possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate. Gaudemus enim quando nos infirmi sumus: vos autem potentes estis. Hoc autem insuper optamus, vestram cõsummationẽ. Ideo hæc absens scribo: vt non præsens durius agam secundum potestatẽ, quam Dominus dedit mihi in ædificationem, & non in destructionem. Quod superest, fratres valete, perfecti estote, consolationem habete, idipsum sapite, pacem habete, & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum. Salutate inuicẽ in osculo sancto. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI, & charitas Dei, & communicatio sancti spiritus sit cum omnibus vobis. Amen.

1.Cor.11.f

A B C D

SCHOLIA.

a Nam experimentum quæritis.] *Videmini (inquit) velle experiri, num virtutem Christi in me habitantis habeam, si expectatis dum vos castigem, qua potestate vsus fuit in illo scortatore.* b Non infirmatur.] *Cuius potentiam experti estis vos in primis, terret autem eos commemoratione potentiæ Christi.* c Et nos infirmi sumus.] *Dicet sibi id accidere, quod & Domino Christo, qui cum diuinitatis virtute præditus esset, tamen crucifixus fuit ex infirmitate, videlicet ex assumpta infirma natura nostra, sic nos (inquit) infirmi sumus in illo, hoc est affligimur propter illum, sed seruamur cum illo ex potentia Dei.* d Vos metipsos tentate.] *Quid (inquit) dico de me, quod Christus in me loquatur? [illegible]* e Nos autem vt reprobi simus.] *Tanquam reprobi simus, non enim reuera esse poterãt. Ait ergo: precor vt ita probi sitis, vt cum venero non necesse mihi sit vires meas exercere, sed tanquam inualidus sim inter vos. Nam cum pro veritate non est exercenda vltio aut castigatio, nihil posse volumus.*

AD CORINTHIOS SECVNDA, MISSA FVIT A PHILIPPIS MACEDONIAE PER TITVM ET LVCAM.

EPISTOLA PAVLI AD GALATAS.

CAPVT I.

PAVLVS apostolus, nõ ab hominibus, neq; per hominẽ, sed per IESVM CHRISTVM, & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis, & qui mecũ sunt omnes fratres: ecclesijs Galatiæ, gratia vobis & pax à Deo patre & Dño nostro IESV CHRISTO, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de b præsenti seculo nequã, secundum voluntatem Dei & patris nostri: cui gloria in secula seculorum. AMEN. Miror q̃ tam cito c transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiã CHRISTI, d in aliud euangelium, quod non est aliud, nisi q̃ sunt aliqui qui vos conturbant, & volunt inuertere euangelium CHRISTI. Sed licet nos, e aut angelus de cœlo euangelizet vobis præter id, quod euangelizauimus vobis: anáthema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico, Siquis vobis euangelizauerit præter id, quod accepistis: anáthema sit. Modo enim f hominibus suadeo, an Deo? An quæro hominibus placere?

A B

placere? Si enim adhuc hominibus placerem: CHRISTI seruus non essem. Notum autem vobis facio fratres euangelium, quod euangelizatum est à me, quod non est secundum hominem, neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici: sed per reuelationem IESV CHRISTI. Audistis enim conuersationem meam aliquando in iudaismo, q̃ supra modum persequebar ecclesiam Dei, & expugnabam illam: & proficiebam in iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo, abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum. Cum autẽ placuit Deo, g qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, vt reuelaret filium suum per me, vt euangelizarem illum in gentibus: continuo h non contuli cum carne & sanguine. Neq; veni Hierosolymam ad antecessores meos apostolos: sed abij in Arabiam, & iterum reuersus sum Damascũ. Deinde post annos tres redij Hierosolymã videre Petrum: & mansi apud eum diebus quindecim. Alium autem apostolorum vidi neminem: nisi i Iacõbum fratrem Domini. Quæ autem scribo vobis: ecce coràm Deo, q̃ non mentior. Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ. Eram autem ignotus facie ecclesijs Iudææ: quæ sunt in CHRISTO. Tantum autem auditum habebant: qui persequebatur nos aliquando, nunc euangelizat fidem, quam aliquando expugnabat: & in me glorificabant Deum.

2.Cor.15.a

C D

SCHOLIA.

a Paulus apostolus non ab hominibus.] *Cum pluribus epistolarum Pauli locis liceat agnoscere eius vehemẽtiam, tum hoc vno huius epistolæ principio, atque ipsa salutatione perspicitur, quàm efficax in dicendo fuerit, quámque in scriptis suis viuat. In primis ipsis verbis, quæ salutationis locũ habent, exprimit vbi totius causæ, quæ ageretur, versaretur summa, & quod esset eorum erroris, cur à pseudapostolis decipi se paterentur, fundamentum. Paulus ille sum (inquit) apostolus, non ab hominibus adductus ad fidem, neque per hominem ad hoc munus electus, ac missus, quod isti somniant. Vt derogãtes meæ authoritati facilius vos in laqueos suos trahant, sed per Iesum Christum apostolus sum, sicut & Cephas & maximi quique apostoli: neque addit ecclesijs Dei, aut vocatis sanctis de more, sed absolute ecclesijs Galatiæ, vt ipso initio admonerentur tanti erroris, deinde meminit excitati à mortuis Christi, & pro peccatis etiã nostris traditi, quasi increpans cur tanti muneris obliti, rursum legis vmbræ semetipsos tradiderint seruituros.* b De præsenti seculo nequam.] *Hoc est malis, quibus homines huius seculi omnes erant obnoxij, peccatis videlicet, atque concupiscentia, radice malorum omnium.* c Transferemini.] *Aptauit Galatis (ait Hieronymus) verbum translationis,* γαλατία *enim transmigrationem sonat.* d In aliud euangelium.] *Cum stomacho legendum est, quasi plura, eáque pugnãtia inter se possint esse euangelia.* e Aut angelus de cœlo.] *Per hyperbolen accipiendũ est. nam sancti angeli nunquam aliud persuadere conarentur hominibus, quàm quod verum est.* f Hominibus suadeo an Deo?] *Calumniati fuerant illi impostores, Paulum apud alios prædicare circũcisionem, apud alios prohibere, iccirco ait: num ego in his, quæ prædico, satisfacere hominibus curo, & non potius Deo, cuius causa omnia facio? alioqui si quæsiuissem seruire hominum studys, nondum Christi seruus essem.* g Qui me segregauit ex vtero matris.] *Nempe ad hanc prædicationem, sed quadam Dei dispensatione permissus fuit prius persequi ecclesiam, vt illa repentina mutatio pluribus faceret fidem.* h Non contuli cum carne & sanguine.] *Hebraismus est, carnem & sanguinem pro homine ponere, ait ergo se non contulisse euangelium cum quoquam hominum, cũ nihil necesse esset, quando illud plenè edoctus fuerat à Christo, neque ascendisse Hierosolymam, videlicet vt quicquam ab apostolis disceret: nã ascendit à Damasco, vt acta apostolorum memorant, de qua re eo loco dictum est, nam videtur hic locus ab illo discrepare.* i Iacobum fratrem Domini.] *Ait Diuus Hieronymus, hunc esse Iacobum non de numero duodecim, sed illum cognomento Iustum, filium Mariæ, quæ fuerit soror Mariæ matris Iesu, nam & hi fratres vocantur, more Iudæorum. Hic primus Ierosolymorum episcopus fuit ordinatus.*

CAPVT II.

DEinde post annos quatuordecim iterum ascendi Ierosolymam cũ Barnaba, assumpto & Tito. Ascendi autem secundum reuelationem: & contuli cum illis euangelium quod prædico in gentibus: seorsum autem cum a ijs qui videbantur aliquid: ne forte in vanum currerem aut cucurrissem. Sed neq; Titus qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circuncidi b propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in CHRISTO IESV, vt nos in seruitutem redigerent. Quibus neq; ad horam cessimus subiectione, c vt veritas euangelij permaneat apud vos. Ab ijs autem, qui videbantur esse aliquid (d quales aliquando fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit) Mihi enim, qui videbantur aliquid, nihil contulerunt. Sed contra, cum vidissent q̃ creditum est mihi euangelium præputij, sicut & Petro circuncisionis (qui enim operatus est Petro in apostolatum circuncisionis: operatus est & mihi inter gentes) & cum cognouissent gratiam, quæ data est mihi, Iacobus & Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ, societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem, tantum vt pauperum memores essemus: in quo etiam solicitus fui hoc ipsum facere. Cum autem venisset Petrus Antiochiam: in e facie ei restiti, quia reprehẽsus erat. Prius enim quàm venirent quidam à Iacobo: cum gentibus edebat. Cum autem venissent: subtrahebat & segregabat se, timens eos, qui ex circuncisione erant. Et vna cum illo simulauerũt & cæteri Iudæi: ita vt & Barnabas duceretur in illorum simulationem. Sed cum vidissem, q̃ non recte ambularent ad veritatem euangelij: dixi Petro coràm omnibus: Si tu cum Iudæus sis, gentiliter viuis, & non Iudaice: quomodo gentes cogis Iudaizare? Nos natura Iudæi: f & non ex gentibus peccatores, scientes quòd non iustificatur homo ex operibus legis, nisi per fidem IESV CHRISTI: & nos in CHRISTVM IESVM credidimus, vt iustificemur ex fide CHRISTI, & non ex operibus legis: propterea quòd ex operibus legis non iustificabitur omnis caro. g Quòd si quærentes iustificari in CHRISTO, inuenti sumus & ipsi peccatores: nunquid CHRISTVS peccati minister est? Absit. h Si enim quæ destruxi, iterum hæc ædifico: præuaricatorem me constituo. Ego enim per legem, legi mortuus sum, vt Deo viuam. CHRISTO confixus sum cruci. i Viuo autem, iam non ego: viuit vero in me CHRISTVS. k Quòd autem nunc viuo in carne: in fide viuo filij Dei, qui

Deut.10.d 2.Par.19.c Iob.34.h Sapien.6.a Eccle.35.b Roma.2.b Ephe.6.b Coloſ.3.d Act.10.e 1.Petr.1.c

Roma.3.c

A B C D

qui dilexit me,& tradidit semetipsum pro me. [1] Non despicio gratiam Dei. Si enim per legem iustitia, ergo gratis CHRISTVS mortuus est.

SCHOLIA.

[a] Iis qui videbantur.] *Qui tanquã primates apostoli, erant in precio: ne forte, inquit, in vanũ currerẽ, non metuens, ne quid deesset suæ prædicationi, nam fidissimum habuerat magistrum Christum, sed ne quisquam aliorum ambigeret, & in controuersiam vocaret eius prædicationem, tanquam dissidentem ab aliis. Seorsum autem ait, ne, cum disputaret, esse abrogandam circuncisionem, ij, qui nuper ex Iudæis crediderant, offenderentur.* [b] Propter subintroductos falsos fratres.] *Permissus fuisset (inquit) circuncidi, sicut & Timotheum ego circuncidi ob infirmos fratres, ad quorum imbecillitatem me sæpe demittebam: at hi non infirmi, sed falsi erant fratres, iccirco non est factum. Videtur tamen posse & sic dici. Neque Titus coactus est ab apostolis circuncidi, quasi necessaria esset circuncisio, sed propter subintroductos falsos fratres permissum hoc est, nam orta esset turbatio, est enim in Græco ἔλεγξις hoc loco, sed prior interpretatio videtur magis respondere ijs, quæ sequuntur, quibus neque ad horam cessimus &c.* [c] Vt veritas euangelij.] *Vt puritas euangelij à seruitute legis libera maneret apud vos.* [d] Quales aliquando fuerint.] *Hoc est, quo se pacto antea gesserint, in permittenda circũcisione. Noluit aperte dicere, hoc fecisse apostolos, dispensatione quadam, ac permissione: ne audientes ex Iudæis fideles, qui circuncisioni fauebant, ab alienarentur ab apostolis, quasi qui non ex animo admitterent circuncisionem, sed ait: Si sic prædicauerunt ipsi, reddent rationem, non enim hominibus sed Deo rationem sunt reddituri, & si primates sint, nam Deus personam hominum non accipit.* [e] In facie ei restiti, quia reprehensus erat.] *Hæc non tam fuit Petri, quàm malæ aliorum opinionis, reprehensio, atque hæc causa fuit, cur palam & non seorsum reprehenderit Petrum, Vt cum cernerent ij, qui ex Iudæis erant fideles, magistrum ipsum aperte reprehensum silere, & fateri, nihil respondendo, errorem intelligerent, non esse post hac, vtilem legis obseruationem post acceptam fidem. At Petro grata fuit ista coram fratribus reprehensio, vt non esset ei posthac necesse subducere se metu offendendorum fratrum. Videtur ergo ex vtriusque consensu facta ista reprehensio, vtilitatis causa discipulorum, & vera tamen fuit reprehensio, & iure facta, quia iam (inquit) reprehensus erat ab aliis, qui ignorarent illam Petri dispensationem, cur scilicet venientibus à Iacobo fratribus subduceret se à gentibus, cum quibus tamen vescebatur absentibus Iudæis.* [f] Et non ex gentibus peccatores.] *Hoc est, infideles, sic & Dominus, dixit se tradendum in manus peccatorum, nempe gentilium, nam proprie infidelitas peccatum vocatur: Vnde alibi legitur, arguet mundum de peccato, quo? quia (inquit) non crediderunt in me.* [g] Quod si quærentes iustificari.] *Sensus est. Qui dicunt legem seruandam esse, volunt eam ad salutem esse necessariam, atque ad iustificationem, quam nos dum quærebamus à Christo, secundum horum sententiam, inuenimur peccatores, qui eam rem reliquerimus, à qua iustificatio proficiscatur, inuenitur & Christus minister fuisse peccati, quia ob fidem in illum recesserimus à lege, quod quam sit absurdum vos iudicate.* [h] Si enim quæ destruxi.] *Si ad legem, quam reliqueram, reuertor, proculdubio significo velle me corrigere, quod peccauerã, & dum eam seruo, transgressorem me declaro, quod vos aliter putatis, quod scilicet transgressor sit, qui eam non seruet. Sed absit, Vt quicquam transgrediar, nam per legem ego legi mortuus sum, hoc est, ipsa lex me ducit ad Christum, qui est finis legis, & eadem lex docet se abolendam esse per Christi aduentum, vel certe per legem scriptam à spiritu Christi in corde meo, legi Mosis mortuus sum.* [i] Viuo autem iam non ego.] *Nõ sum amplius obnoxius legi, nam lex imperium habet in homine duntaxat dum viuit, at ego iam non viuo, sed Christus viuit in me.* [k] Quod autem nunc viuo in carne.] *Non solum, inquit, spirituali vita propter Christum viuo, verum etiam corporea hac & in carne vita. Quo pacto? qua secundum legem obnoxius eram ob peccata mea morti etiam huic corporeæ, sed condonatis mihi peccatis à filio Dei, qui tradidit ob charitatem semetipsum pro me, redemptus sum ab illa damnatione legis, iccirco & hoc, quod in carne viuo, illi debeo, vel sic: Dixi me nõ amplius viuere, quod si cui videor in carne viuere adhuc, id tamen viuo in spe filij Dei, quæ totum hoc quicquid viuo, occupat.* [l] Non despicio gratiam Dei.] *Si enim (vt subditur) dixerimus iustitiam esse per legem, continuo concludendum est, frustra Christum esse mortuum, cum sine eo iustitia esse possit, quod est despicere gratiam Dei, et tantum munus traditi in mortem pro nobis filij.*

CAPVT III.

[a] Stulti Galatæ, [b] quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos IESVS CHRISTVS [c] depictus fuit, in vobis crucifixus? Hoc [d] solum à vobis volo discere: Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Sic stulti estis: [e] cũ spiritu cœperitis, nunc carne consummamini? [f] Tanta passi estis frustra? si tamen & frustra. Qui ergo tribuit vobis spiritum & operatur virtutes in vobis: ex operibus legis, an ex auditu fidei? Sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Cognoscite ergo ꝙ qui ex fide sunt, ij sunt filij Abrahæ. [g] Præuidens autem scriptura, ꝙ ex fide iustificat gentes Deus: prænuntiauit Abrahæ: Benedicentur in te omnes gentes. Igitur, qui ex fide sunt: benedicũtur cum fideli Abraham. Quicunq; enim ex operibus legis sunt: [h] sub maledicto sunt. Scriptum est enim: Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea. Quòd autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuet: [i] Lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea homo, viuet in illis. CHRISTVS nos redemit de maledicto legis, [k] factus pro nobis maledictum (quia scriptum est: Maledictus omnis qui pendet in ligno) vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret IN CHRISTO IESV: vt pollicitationem spiritus accipiamus per fidem. Fratres ([l] secundum hominem dico) hominis licet testamentum, confirmatum tamen nemo spernit, aut superordinat. Porro Abrahæ dictæ sunt promissiones: & semini eius. Non dicit: Et seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno. Et semini tuo, qui est CHRISTVS. Hoc autem dico testamẽtum ante confirmatũ à Deo in CHRISTVM, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. [m] Quid igitur lex? Propter transgressiones apposita est, donec veniret semen, cui promissum fuerat: ordinata per angelos [n] in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est: Deus autẽ vnus est. [o] Lex ergo aduersus promissa Dei?

Gene.15.b Rom.4.a Iacob.2.d Gen.22.d Eccl.44.d Deut.27.d

Aba.2.a Rom.1.b Leui.18.a Deut.21.d Hebr.9.d

Dei? Absit. Si enim data esset lex, quæ posset viuificare: vere ex lege esset iustitia. Sed [p] conclusit scriptura [q] omnia sub peccato: vt promissio ex fide IESV CHRISTI daretur credentibus. Prius autem, quam veniret fides: sub lege custodiebamur conclusi, in eam fidem, quæ reuelanda erat. Itaque lex: pedagogus noster fuit in CHRISTVM: vt ex fide iustificaremur. At vbi venit fides: [q] iã non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in CHRISTO IESV. Quicunque enim baptizati estis: CHRISTVM induistis. Non est Iudæus neq; Græcus, non est seruus neq; liber, non est masculus neque fœmina. Omnes enim vos vnum estis in CHRISTO IESV. Si autẽ vos CHRISTI: ergo semen Abrahæ estis, & secundum promissionem hæredes.

Rom.3.b

Rom.5.a

SCHOLIA.

[a] Stulti Galatæ.] *Gallos stultos & indociles appellat Hilarius ipse Gallus, & Galatæ à fortioribus Galliarum partibus sunt profecti, quare apte stultos vocat. Diuus autem Hieronymus ait visam sibi Ancyram Galatiæ metropolim, in qua magna vetustæ ruditatis vestigia resederint, et ex horum finitimis prodigiosas hæreses ortas, Cataphrigum, Ophitarum, Borboritarum, & Manichæorum.* [b] Quis vos fascinauit.] *Videtur deductum latinum verbum à Græco βασκάνω quod dictum volunt παρὰ τὸ φάσκοι κακίνειν, quod fascinator per oculos noceat. Fascinum autem pueris potissimum creditũ est nocere, & ob hanc causam stultos illos appellat. Neque dixit, quis vos decepit, sed quis vos fascinauit, hoc est, quis vobis inuidit (nam & inuidere βασκαίνω significat) tantum vestrum bonum? quo ita fueratis ditati, vt inuidere vobis aliy possent.* [c] Depictus fuit.] *Tanta erat fides vestra, Vt videretur, ante oculos vestros Christus sublatus fuisse in crucem, hoc enim significat, depictus est crucifixus: Vos (inquit) fidei oculis quasi præsentem suffixum cruci diligentius intuiti eratis, quàm multi, qui aderant, dum crucifigeretur. Potest & ad diligentiam Pauli referri, qui accurate eis Christũ crucifixum prædicauerat.* [d] Hoc solum à vobis volo discere.] *Tantum huic rei, de qua nunc interrogo, respondete, & satis est ad vos reuincendos. Dona illa spiritus, quæ accepistis, habuistis ex circũcisione ac cæteris factis legis, an ex auditu fidei? Quod si ex fide in Christum (quod inficiari non audebitis) omnia hæc bona estis assecuti: quæ est hæc insania, redire ad legem, quasi necessariam, quæ tamen nihil vnquam vobis aliud attulit, quàm minas & pœnas?* [e] Cum spiritu cœperitis.] *Cum lege spiritu aliter intellecta Christum agnoueritis, nunc ad carnalem legis intelligentiam reuersi, videmini velle à spiritu in carnem desinere, quod contra opus erat.* [f] Tanta passi estis frustra.] *Quid vobis prodest tot persecutionum tolerantia, cum vno hoc facto omnia perdatis? nam, dum circuncidimini, iudicatis nõ posse Christi mortem vobis salutem dare, quod est excidere à Christo. Adiecit autem, si tamen & frustra, dans spem & spacium respiscendi, ne nimio terrore dissoluerentur.* [g] Præuidens autem scriptura.] *Sensus est. Cum iustificatus fuerit Abraham ex eo, quod credidit Deo, cũ dictum fuit Abrahæ benedicendas esse in eo omnes gentes: nimirum significauit scriptura per eandem fidem, & eius imitationem gentes esse benedicendas. Non contentus autem Paulus fuit dicere, scriptum esse, sed scripturam præuidisse hos errores istorum, atque antea annuntiasse &c.* [h] Sub maledicto sunt:] *Hanc scilicet ob causam, quòd cũ execretur lex omnes, qui non permanerent in ijs, quæ scripta essent in ea, nemo vero vnquam implere eam potuerit, sequitur, vt qui pendent ex factis legis, sub execratione sint necessario.* [i] Lex autem non est ex fide.] *Cum enim dicat lex, qui fecerit ea, viuet in eis, significatio fit, iustificationem legis, ex factis legis esse expectandam, non ex fide. Lex enim non nouit gratiã, vel condonationem, sed tantum exactionem, atque hoc est, quod hic dicit, sed qui fecerit ea homo viuet in illis, & quisquis non fecerit, morietur, siue, vt supra dictum est, maledictus erit. Quod autem in libris Mosis expiationes quædam promittuntur, non legis est, sed autoris legis condonantis per quæ lex violata fuerit. Ex diametro enim pugnat cum lege, condonare, cum natura illius sit debitum exigere. Lex enim non vt iustum quenque faciat, lata est, sed vt iniustos coerceat, & accuset. Quare eleganter & vere dictum est, bonas leges ex malis moribus natas esse, & iusto ne positam quidem legem esse, & paulopost, lex propter transgressiones apposita est.* [k] Factus pro nobis maledictum.] *Hoc est crucifixus pro nobis, tanquam execratus & sceleratus, nam qui in crucem agebantur, erant execrati, vt qui ob scelera sua, id essent passi, & ipse tanquam peccator occisus est.*

[l] Secundum hominem dico.] *Hoc est, exemplum vobis apud omnes homines tritum adducam. Nemo reiicit testamentum hominis, quod sit comprobatum. Dei vero testamentum audebit quispiam reijcere? at testamentum hoc Dei cum Abraham fuit, vt in semine eius, qui est Christus, benedicerentur omnes gentes: at hoc contigit annis ante legem datam plusquam quadringentis. Quod si lex, vt vos velle videmini, benedictionem hanc largitur, fœdus illud Dei cum Abraham reijcitur, atque irritum fit. De hoc autem annorum numero vide Augustinum libro de ciuitate Dei 16. cap. 24.* [m] Quid igitur lex?] *Cur (inquiunt) data est lex, si seruare non potest? respondet, nõ ob hoc instituta, vt seruaret, cum hæc eius natura non sit, sed additam esse, non vt præcipuum quiddam, sed tanquam additamentum, & veluti pedagogum, vt cohiberentur transgressiones, donec deducerentur homines ad Christum.* [n] In manu mediatoris.] *Vt ostendat Christum esse Dominum legis, dicit hanc legem datam ab eo ministerio angelorum, cuius figuram Moses prætulit, qui cum fuerit medius & intercessor inter Deum & homines, signabat futurum verum mediatorem Christum, qui nos reconciliaret Deo, nam iccirco (inquit) mediator appellatus est, cum nemo vnius sed duorum mediator dicatur: at cum Deus vnus sit, quorum erit mediator, nisi Dei atq; hominum? Vsus autem est Paulus vocabulo mediatoris, alludens ad illud Deut. 5. Ego sequester & medius fui inter Deum & vos.* [o] Lex ergo aduersus promissa Dei? Absit.] *Admirandum Pauli ingenium. Arguit rem contra omnino se habere, atque ipsi autumant. Vos (inquit) iudicatis oportere legem iustificare, alioqui eam fore aduersus promissa Dei, atque ita cogitatis: Cum lex (vt ais) castigandi gratia apposita sit, & vim habeat augendi delicti, fiet vt vitys nostris atque peccatis lex remoretur promissiones. Ego vero totum prorsus contrarium arguo: nam si lex data esset, quæ posset iustificare, tunc esset lex aduersus promissa Dei, quæ eriperet ipsa promissiones, & eas daret, quæ ex illo fœdere, quod pactus erat Deus cum Abraham, dandæ erant.* [p] Conclusit scriptura omnia sub peccato.] *Hoc est, declarauit, & docuit omnes obnoxios esse peccato, vt iustificationem acciperemus per fidem in Christum.* [q] Iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem.] *Cum enim ob hoc detur lex, vt qui prauis affectibus adhuc seruiunt, coerceantur, vos qui per fidem in Christum facti estis filij Dei, & abominamini vitia, non eget is legis ministerio.*

Caput

CAPVT IIII.

DIco autẽ, [a] quanto tẽpore hæres paruulus eſt, nihil differt à ſeruo, cum ſit Dñs omniũ, ſed ſub tutoribus & actoribus eſt vſq; ad præfinitũ tempus à patre: ita & nos, cum eſſemus paruuli, [b] ſub elemẽtis mũdi huius eramus ſeruiẽtes. At vbi venit plenitudo tẽporis, miſit Deus filiũ ſuum factũ ex muliere, factũ ſub lege: [c] vt eos qui ſub lege erãt redimeret, vt adoptionẽ filioꝝ reciperemus. Qm̃ autem eſtis filij: miſit Deus ſpiritũ filij ſui in corda noſtra, clamantẽ, abba, pater. Itaq; iã non es ſeruus, ſed filius. Quòd ſi filius: & hæres Dei per CHRISTVM. Sed tunc quidẽ ignorãtes Deũ, ijs qui natura nõ ſunt dij, ſeruiebatis. Nũc autẽ cum cognoueritis Deũ, immo [d] cogniti ſitis à Deo: quomodo cõuertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo ab integro ſeruire vultis? [e] Dies obſeruatis, & mẽſes, & tempora, & annos. Timeo vobis, ne fruſtra laborauerim in vobis. Eſtote ſicut ego, [f] quia & ego ſicut vos: Fratres obſecro vos. [g] Nihil me læſiſtis. Sciris autẽ, q̃ [h] per infirmitatẽ carnis euãgelizaui vobis prius: & tentationẽ meam in carne mea non ſpreuiſtis, neq; reſpuiſtis, ſed ſicut angelũ Dei accepiſtis me, ſicut CHRISTVM IESVM. [i] vbi eſt ergo beatitudo veſtra? Teſtimoniũ enim perhibeo vobis, q̃ ſi fieri poſſet, oculos veſtros eruiſſetis, & dediſſetis mihi. Ergo inimicus vobis factus ſum, verũ dicens vobis? [k] Æmulãtur vos nõ bene: ſed excludere vos volunt, vt illos æmulemini. Bonũ autem eſt æmulari in bono ſemper: & non tantũ cum preſens ſum apud vos. Filioli mei, quos iterũ parturio, donec formetur CHRISTVS in vobis. Vellẽ autem eſſe apud vos modo, & [l] mutare vocẽ meam: qm̃ inops conſilij ſum in vobis. Dicite mihi, [m] qui ſub lege vultis eſſe, legem non auditis? Scriptũ eſt enim, Quod Abrahã duos filios habuit: vnũ de ancilla, & vnũ de libera. Sed qui de ancilla, ſecundum carnem natus eſt: qui autẽ de libera, per repromiſſionẽ: quæ ſunt per allegoriã dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamẽta. Vnũ quidem à mõte Sina, in ſeruitutẽ generans: quæ eſt Agar ([n] Agar enim Sina mons eſt in Arabia: qui coniunctus eſt ei, quæ nunc eſt Ieruſalem) & ſeruit cum filijs ſuis. Illa autem, quæ ſurſum eſt Ieruſalem [o] libera eſt: quæ eſt mater omnium noſtrum. Scriptum eſt enim: [p] Lætare ſterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filij deſertæ, magis quàm eius quæ habet virũ. Nos autem fratres ſecundũ Iſaac promiſſionis filij ſumus. Sed quemadmodũ tunc is, qui ſecũdum carnẽ natus fuerat perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc. Sed quid dicit ſcriptura? Eijce ancillam & filiũ eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaq; fratres, non ſumus ancillæ filij ſed liberæ.

Roma.8.c
Gen.16.d
Gene.21.a
Eſa.54.a
Luce.23.d
Roma.9.b
Gene.21.a

SCHOLIA.

[a] Quanto tempore hæres paruulus eſt.] *Id accidebat (inquit) nobis, cum eſſemus ſub lege, quod ijs vſu venit, qui nondum ad ætatem idoneam peruenere, nam q, quamuis hæredes ſint, et bonorum paternorum omnium Domini, tamen dum pueri ſunt, tandiu arcentur quaſi ſerui quidam ab eorum poſſeſſione, quam interea curatores & diſpenſatores adminiſtrant, ſic nos dum tanquam pueri eramus minus capaces ſecretiorum myſteriorum, habuimus legem, quæ curatoris & diſpenſatoris cuiuſdam officio fungeretur. At cum quaſi plena ætas acceſſit, emiſit Deus filium ſuum, cum quo integra rerum ſcientia, & theſauri illi hæreditatis propoſiti nobis ſunt, quaſi hæredibus, non iam ſub tutoribus conſtitutis.* [b] Sub elementis mundi.] *Appellat elementa mundi corporeos illos ritus colendi, ſub quibus tanquam viſibilibus elementis ſeruiebant: aly intelligunt, ſabbata, neomenias, anniuerſarias, feſtiuitates, quæ tempore regũtur, quod ex hoc viſibili mundo conſtare videntur. Erant etiam veluti elementa, quæ dantur primo pueris, vt per ea ad maiora progrediantur.* [c] Vt eos, qui ſub lege erant, redimeret.] *Sicut & venit in ſimilitudine carnis peccatricis, vt eos, qui peccato erant obnoxy, liberaret.* [d] Cogniti ſitis à Deo.] *Correctio eſt. Deus ipſe vos præuenit, qui nunquam agnouiſſetis eum, niſi ab eo fuiſſetis cogniti, hoc eſt, miſeratione & dilectione eius attracti, & liberati à ſeruitute fily facti.* [e] Dies obſeruatis.] *Hæc nõ multum (inquit) diſtant à moribus eorum, qui colunt ſimulachra. Si ſic interpretemur, non erit neceſſe intelligere per elementa, Solem & Lunam &c. Quod quidã arbitrati ſunt, opinor, quia cum dixiſſet eos, cum neſcirent Deum, ſeruiſſe ys, qui Dij non eſſent, poſtea redarguit, quòd nunc ad infirma elementa redire velint.* [f] Quia & ego ſicut vos.] *Ego olim fui æmulator legis, ſicut vos nunc eſtis, nunc contra opus eſt, vt me imitemini in abroganda lege. Vel, Cupio vt inter nos ſimiles ſimus, & locum non habeant acres obiurgationes, quæ tamen ob veſtram vtilitatem fiũt.* [g] Nihil me læſiſtis.] *Si qua in re habuiſſem, quod de vobis mea ipſius cauſa quererer, dubitare potuiſſetis, me inimico in vos animo iſta protuliſſe: ſed non ita eſt, nam, quod ad me attinet, egõ vbique veſtram in me charitatem prædico, verum hic agitur veſtra ſalus.* [h] Per infirmitatem carnis.] *Plagas intelligit, & vincula & perſecutiones. Quam autem infra appellat tentationem in carne, eãdem appellat ad Corinthios ſtimulum adhibitum carni. Teſtimonium ergo reddit, quo affectu illum proſequerentur, cũ cernerent illum ab omnibus exagitari, & tamen maximo erga eum tenerentur affectu.* [i] Vbi eſt ergo beatitudo veſtra?] *Qua vos ſcilicet tam beatos iudicaſtis, quod me doctorem eratis nacti. Aly interpretantur, quæ erat, quàm ingens ſcilicet tunc erat illa beatitudo veſtra.* [k] Æmulantur vos non bene.] *Mala æmulatio eſt, cum quis conatur rectè agentem à virtute depellere, & ad inferiorem gradum deycere, hoc enim eſt, quod ait, excludere vos volunt, vt illos æmulemini, quare ſubdit, adhortans vt æmulentur ad bonum, & virtutis incrementum, idque etiam abſente magiſtro, ſubindicans, ſuam abſentiam huius mali fuiſſe cauſam.* [l] Mutare vocem meam.] *Non ſatis (inquit) mihi facio ſcribendo, ſed vellem adeſſe, & coram deflere veſtrum damnum, ſicut antea beatos vos ex illa ingenti fide prædicabam. Vel ſic, vellem adeſſe apud vos, & mutatos videre, vt & ego quoque vocem meam mutare poſſem. Vult autem ſignificare ſibi moleſtam fore moram illam, qua cogetur expectare reſponſum huius epiſtolæ.* [m] Qui ſub lege vultis eſſe.] *Pulchre. Diſcite (inquit) ab ipſa lege, quam mordicus tenetis, quæ nũc vos ipſe doceo. O Theſauros huius hominis.* [n] Agar enim Sina mons eſt in Arabia.] *Hoc eſt, Agar ſignificat montem illum Sina, vbi data lex eſt, in ſeruitutem generans. Quod autem ait, conuinctum ſiue confinem eſſe Ieruſalem, non intelligit de loci confinio, ſed ſignificationis, quod enim Agar ad Saram eſt: hoc eſt, ancilla ad liberam, hoc Sina ad Ieruſalem: nec ait ſimpliciter, contermina eſt Ieruſalem, ſed ei quæ nunc eſt, quæ videlicet nunc intelligitur Ieruſalem, quam etiam vocat illam ſurſum Ieruſalem, nam euangelium è cælo eſt, iccirco factus eſt in Pentecoſte è cælo ſonitus, non ex aliquo monte. Quanquam illud, quod ait, quæ nunc eſt Ieruſalem, ſunt qui putent dictum, quòd olim alys nominibus eſſet appellata.*

[o] Libera

[q] Libera eſt.] *A ſeruitute legis ſcilicet.* [p] Lætare ſterilis.] *Ex ſterili Sara ſemen multiplicatum eſt ſicut ſtellæ cæli, & eccleſia ex gentibus ſterilis erat ac deſerta, & plures multo poſtea genuit liberos quàm Iudæa.*

CAPVT V.

IN libertate igitur, qua CHRISTVS nos liberauit, ſtate, & nolite iterũ iugo ſeruitutis cõtineri. Ecce ego Paulus dico vobis, q̃ ſi [a] circũcidamini, [c] CHRISTVS vobis nihil p̃derit. Teſtificor autẽ rurſus omni homini circũcidẽti ſe, q̃ [b] debitor eſt vniuerſæ legis faciẽdę. [c] Euacuati eſtis à CHRISTO, qui in lege iuſtificamini: à gratia excidiſtis. Nos.n. ſpiritu ex fide ſpem iuſtitię expectamus. Nam in CHRISTO IESV, neq; circũciſio aliquid valet, neq; præputiũ: ſed fides, quæ per charitatẽ operatur. Currebatis bene: quis vos impediuit veritati nõ obedire? Perſuaſio hæc nõ eſt ex eo, qui vocat vos. [d] Modicũ fermẽtũ, totã maſſam corrũpit. Ego cõfido de vobis in Dño, q̃ nihil aliud ſapietis, qui autẽ cõturbat vos, portabit iudiciũ, quicũq; eſt ille. Ego autẽ fratres ſi circũciſionẽ adhuc prædico: [e] quid adhuc perſecutionẽ patior? Ergo euacuatũ eſt ſcãdalum crucis. [f] Vtinã & abſcindãtur, qui vos euertũt. Vos.n. in libertatẽ vocati eſtis fratres, tantũ ne libertatẽ [g] in occaſionẽ detis carni, ſed per charitatẽ ſeruite inuicẽ: omuis enim lex in vno ſermone impletur: Diliges proximũ tuũ ſicut teipſum. Quòd ſi inuicẽ mordetis & comeditis: videte ne ab inuicẽ cõſummamini. Dico autem ſpiritu ambulate, & deſideria carnis nõ p̃ficietis. Caro.n. cõcupiſcit aduerſus ſpiritũ: ſpiritus autẽ aduerſus carnẽ: hæc autẽ ſibi inuicẽ aduerſantur: vt nõ q̃cũq; vultis, illa faciatis. Quòd [h] ſi ſpiritu ducimini, nõ eſtis ſub lege. Manifeſta ſunt autem opera carnis, quæ ſunt adulterium, fornicatio, immunditia, impudicitia, [i] idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitię, contentiones, [j] æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, de quibus prædico vobis ſicut prędixi: q̃ qui talia agunt, regnum Dei non cõſequentur. [k] Fructus autẽ ſpiritus eſt: charitas, gaudium, pax, longanimitas, [l] bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, temperantia. [m] Aduerſus huiuſmodi, non eſt lex. Qui autem ſunt CHRISTI, carnem crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs. Si ſpiritu viuimus: ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi: inuicem prouocantes, inuicem inuidentes.

Act.16.a
1.Cor.5.b
Leui.19.d
Matt.22.d
Marc.12.c
Rom.12.c
Iacob.2.b
Roma.13.d
1.Petr.2.c

SCHOLIA.

[a] Si circũcidamini.] *Chriſtus (inquit) nihil proderit vobis ſi circuncidamini, ob hanc videlicet cauſam: quia dum circũcidamini, expectatis iuſtificationem à lege, iccirco Chriſtus ocioſus vobis erit.* [b] Debitor eſt vniuerſę legis faciendę.] *Nam ſi iuſtificationem quis à lege expectat, oportet impleat totam legem, alioqui, qui in vno offenderit, factus eſt omniũ reus.* [c] Euacuati eſtis.] *Qui iuſtificari quærunt ex legis cerimonys, quæ figura erant futurę per Chriſtum iuſtificationis, ſignificant Chriſtum nondum aduenisſe, qui tamen venit: quare ocioſus illis factus eſt.* [d] Modicum fermentum.] *Quæ videntur minima, grauiſſima ſecum trahunt mala.* [e] Quid adhuc perſecutionem patior.] *Si verum eſt, quod iſti dicũt me prædicare circunciſionem, cur adhuc me perſequuntur Iudæi, qui mihi ob hanc cauſam hoſtes ſunt, quod aufero circuncisionem? Ergo ſublatum eſt ſcandalum crucis. Si circuncisionem prædico nihil eſt, cur mecũ iam contendant Iudæi aduerſus crucem, quam prædico: at nunc propter hoc ipſum hoſtes crucis ſunt, & in ea offenduntur, quia abolet circuncisionem & legem: vel ſic, ſi iuſtitiam legis, ſiue circuncisionis prædico, contumeliosa Chriſti mors reddita eſt inutilis.* [f] Vtinam & abſcindantur.] *Si tanta eſt, inquit, apud hos amputatæ pelliculæ gloria, per me non ſolum circuncidantur, verum etiam penitus abſcindantur, & amputent eas partes, in quibus tantum gloriantur.* [g] In occaſionem detis carni.] *Ne dicerent, quod ad Romanos tangit, peccabimus quia non ſumus ſub lege? Deinceps ergo à dogmatibus de more deſcendit ad morum ac vitæ documenta, ſine quibus dogmatum agnitio nihil prodeſt.* [h] Si ſpiritu ducimini.] *Si conſilio ſpiritus ſancti regamini non aberrabitis, neq; erit neceſſaria lex, quæ terreat ac minetur. Et ad Roma: Lex enim ſpiritus vitæ liberauit me à lege peccati & mortis.* [i] Æmulationes.] *Æmulatio (ait Cicero) eſt interdum virtutis, interdum ægritudo, ſi eo, quod quis concupierit, alius potiatur, ipſe careat.* [k] Fructus autem ſpiritus.] *Fructum appellat, non opus, vt oſtendat opus eſſe diuino auxilio, vt quis fructificet: ſuperius autem dixit, opera carnis, non fructus, nam minus apte hoc nomen ad vitia conuenit.* [l] Bonitas, benignitas.] χρηστότης, ἀγαθωσύνη, *de quibus ſic ait Hieronymus,* χρηστότης, *ita definitur à Stoicis. Benignitas, id eſt, ſuauitas eſt virtus ſponte ad benefaciendum exposita. Bonitas ferè idem eſt, ſed in eo poteſt differre, quòd poteſt eſſe bonitas triſtior, & fronte ſeueris moribus irrugata, bene quidem facere, & præſtare quod poſcitur, non tamen ſuauis eſt conſortio, & ſua cunctos inuitante dulcedine. Hanc ſectatores Zenonis ita definiunt. Bonitas eſt virtus, ex qua oritur vtilitas, aut affectus, qui fons eſt vtilitatum.* [m] Aduerſus huiuſmodi non eſt lex.] *Nam lex non datur aduerſus rectè facta, ſed aduerſus inique facta: at, qui aguntur ſpiritu chriſti, oderunt inique facta, ergo illis ocioſa eſt lex. Quia qui chriſti ſunt, crucifixerunt carnem cum vitijs & concupiſcentijs.*

CAPVT VI.

FRatres, & ſi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtaurate in ſpiritu lenitatis, cõſiderãs teipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius [a] onera portate: & ſic adimplebitis legẽ CHRISTI. Nã ſiquis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cũ nihil ſit, ipſe ſe ſe ducit. [b] Opus autẽ ſuũ probet vnuſquiſq;, & tũc in ſemetipſo tãtũ gloriã habebit, & nõ ĩ altero. Vnuſquiſq;.n. onus ſuũ portabit. Cõmunicet autẽ is, [c] qui catechizatur verbo, ei, q̃ ſe catechizat in oĩbus bonis. Nolite errare. [d] Deus nõ irridetur. Quæ enim ſeminauerit homo: hæc & metet. Qm̃, q̃ ſeminat in carne ſua: de carne & metet corruptionẽ: qui autẽ ſeminat in ſpiritu: de ſpiritu metet vitã æternã. Bonũ autẽ faciẽtes, nõ deficiamus: tẽpore.n. ſuo [e] metemus, non deficiẽtes. Ergo dũ tẽpus habemus operemur bonũ erga oẽs, maxime autẽ erga domeſticos fidei. Videte [f] qua libus literis ſcripſi vobis mea manu. [g] Quicũq; volũt iuxta faciẽ placere in carne: hi cogũt vos circũcidi, tãtũ, vt crucis CHRISTI pſecutionẽ nõ patiãtur. Neq;.n. qui circũcidũtur, ipſi legẽ cuſtodiũt. Sed volũt vos circũcidi: vt in carne veſtra gloriẽtur. Mihi autẽ abſit gloriari niſi in cruce Dñi noſtri IESV CHRISTI, per quẽ [h] mihi mũdus crucifixus eſt, & ego mũdo. In CHRISTO enim IESV, neq; circũciſio aliquid valet, neq; præputium: ſed noua creatura. Et quicunq; hanc regulam ſecuti fuerint: pax ſuper illos & miſericordia, [i] ſuper

2.Theſ.3.c

& [i] super Israel Dei. De cætero, nemo mihi molestus sit. Ego enim [k] stigmata Dñi IESV, in corpore meo porto. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI cum spiritu vestro fratres. Amen.

SCHOLIA.

[a] Onera portate.] *Portare (ait magnus Basilius) est tollere & curare, onerosum enim est peccatū, deprimens animam in fundum inferni, quod peccatum mutuo tollimus & amputamus, cū peccantibus persuademus, vt conuertantur. Legem vero Christi implebimus dicentis: non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam, qui & legem nobis tulit, si peccauerit frater tuus, vade, corripe eū, si te audierit, lucratus es fratrem tuum.* [b] Opus autem suū.] *Vnusquisq; examinet seipsum, neq; existimet se aliquid esse ex alterius cōparatione, nam ad legis Dei regulam metiri facta nostra debemus, non ad infirmitatem eorum, qui nobis videantur inferiores. Vel curet quisq; quomodo opus suum probatū reddat, et non quomodo ab altero laudem venetur, &c.* [c] Qui catechizatur.] *Seruauit verbum Græcū interpres, aut illud est imitatus, ex eo verbo, cathechumeni vocabantur, qui erudiebantur, & instruebantur ad fidem. Vult ergo, vt qui ita instruuntur, impertiantur corporea bona magistris & eruditoribus suis.* [d] Deus non irridetur.] *Taxat eos, qui simulato & non recto animo incedebant.* [e] Metemus non deficiendi.] *Hoc est, non defatigati: nam agricolæ non solum cum seminant, sed etiam cū metunt, defatigantur: nos verò cum metemus fructus rectè factorum nostrorum non defatigabimur.* [f] Qualibus literis.] *Quanta scilicet epistola mea manu præter morem scripsi vobis, vt vel ex hoc intelligatis quantæ mihi vestra salus sit curæ.* [g] Quicūq; volūt.] *Quibus placet gloria hæc amputatæ pelliculæ, vel qui quærunt Iudæis placere. Quanquam Diuus Hieronymus putat hoc dictum esse ab apostolo, quod C. Cæsar Octauianus Augustus & Tyberius successor Augusti leges promulgauerunt, vt Iudæi, qui erant in toto Romani imperij orbe dispersi, proprio ritu viuerent. Quicunque ergo circuncisus erat, licet christianus esset, quasi Iudæus habebatur, & persecutionem euadebat.* [h] Mihi mundus.] *Et mihi ille displicet & ego illi, sed obserua, non enim dixit, mihi mortuus est, sed crucifixus est, vt significaret, ob vnā christi crucem sibi ista omnia esse pro nihilo.* [i] Super Israel Dei.] *Vt distinguat ab illo Israele, qui erat tantum secundum carnem.* [k] Stigmata.] *Iam (inquit) quibusdam quasi stigmatibus inustum corpus circunfero more seruorum, vt quibus agnoscat me christo penitus addictum, nulli amplius quicquam debere, at stigmata illa & signa erant, plagæ, carceres, &c. Pseudapostoli vero, ne persecutionē patiantur, Iudæis blandiuntur, & ventris potius curam gerunt, quam veritatis, & ab eiusmodi stigmatibus sibi diligenter cauent.*

AD GALATHAS, MISSA FVIT E ROMA.

EPISTOLA PAVLI AD EPHESIOS.

CAPVT I.

2. Cor. 2. a
1. Petr. 1. a

PAVLVS apostolus IESV CHRISTI, per voluntatē Dei [a] sanctis, qui sunt Ephesi, & fidelibus in CHRISTO IESV, gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Dño IESV CHRISTO. Benedictus Deus & pater Dñi nostri IESV CHRISTI: qui benedixit nos [b] omni benedictiōe spirituali in cœlestibus in CHRISTO: sicut elegit nos in ipso ante mūdi cōstitutionē, vt essemus sancti & imaculati in cōspectu eius ī charitate: q̄ prędestinauit nos [c] in adoptionē filioꝝ p IESVM CHRISTVM in ipsum, secūdū beneplacitū volūtatis suę, vt laudetur gloria gratię suę, in qua charos fecit nos in dilecto: in quo habemus, redēptionē p sanguinē eius remissionē peccatoꝝ secūdū diuitias gratię eius, quę superabundauit in nos in omni sapiētia & prudētia, cū notū fecisset nobis arcanū volūtatis suæ, secundū beneplacitū eius, quod proposuit in eo in dispensationē plenitudinis tēpoꝝ [e] instaurare oīa in CHRISTO, quę in cœlis, & quæ in terra in ipso. In quo etiā sorte vocati sumus: prædestinati secūdū propositū eius, qui operatur oīa secūdū cōsiliū volūtatis suæ, vt simus in laudē glorię eius nos, [g] qui ante sperauimus in CHRISTO, in quo & nos, audito verbo veritatis, euāgelio salutis vestræ, in quo & credētes [h] obsignati estis spiritu p̄missionis sancto, qui est arrabo hæreditatis nostrę [i] in redēptionē acquisitionis in laudē glorię ipsius. Propterea & ego audiens fidem vestram, quæ est in Domino IESV, & dilectionem in omnes sanctos: non cesso gratias agere pro vobis, mentionem vestri faciens in orationibus meis, vt Deus Dñi nostri IESV CHRISTI [k] pater glorię, det vobis spiritum sapientiæ & reuelationis, in agnitione eius, illuminatos oculos mentis vestrę, vt sciatis, quę sit spes vocationis eius, & quę [l] diuitię glorię hereditatis eius, in sanctis, & quę sit superemineus magnitudo virtutis eius in nos, qui credimus secundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus est in CHRISTO, suscitans illum à mortuis, & sedere fecit ad dextram suam in cœlestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro. Et omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput super omnia ipsi ecclesiæ, quæ est corpus ipsius [m] plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur.

Psal. 8.

SCHOLIA.

[a] Sanctis qui sunt Ephesi.] *Magnus Basilius in opere contra Eunomium ait, se inuenisse in vetustis exemplaribus, locum hunc ita scriptum, τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι καὶ πιστοῖς, &c. Sanctis, qui sunt, et fidelibus, &c. Non addito illo verbo Ephesi, quòd videlicet fideles vere esse dicantur. Plena autem mysteriorum hæc epistola est.* [b] Omni benedictione spirituali.] *Ad differentiam legis, quæ benedictiones quidem dabat, sed terrenas. Christus autem, & fides in eum, dat cœlestes: omni (inquit) benedictione, quid enim deest? factus es liber à peccato, immortalis, filius Dei, frater & cohæres Christi.* [c] In adoptionem filiorum.] *Quæ nimirum adoptio ad ipsum ferret Deum. Et quod sequitur, secundum beneplacitum voluntatis suæ, significat primariam illam & vehementer erga nos affectam voluntatem, & salutis nostræ desiderium.* [d] Vt laudetur gloria.] *Non contentus fuit dicere, vt laudetur gratia, sed gloria gratiæ: consueuit enim, cum magnitudinem rei declarare*

rare vult appellare gloriam, quando nihil maius apud homines creditur esse, quàm gloria. Et profectò gloria ingens diuinæ gratiæ ac benignitatis, tantam ostendere erga genus nostrum charitatem. Et paulò post appellat diuitias gratiæ. [e] Instaurare omnia.] ἀνακεφαλαιώσασθαι, *quasi recapitulare (vt sic dicam) hoc est, summatim comprehendere, & compendiosè instaurare. Nam per incarnationem filij Dei, resurgit natura hominum, & incorruptionem induit, & visibilis hæc creatura aliquando liberata à corruptione, sortietur incorruptionem, addetur cœlis sua perfectio, recepto in angelorum consortium homine, vt vtrorunq; vnum caput sit Christus.* [f] Sorte vocati sumus.] *Hoc est, in sortem ac partem asciti, neque id temere ac fortuitò, sed iam olim prædestinati.* [g] Qui ante sperauimus.] *Qui quasi primitiæ credentium, priores speruimus in Christo, vel Iudæi, qui ante speruimus, quàm vos potuistis, propter promissiones nobis factas de illo. Quod autem sequitur, in quo & nos: illud, in quo, accipitur pro, per quem, scilicet Christum, sicut & ad Hebræos dixit, locutus est nobis in filio, hoc est, per filium. Illud quoque nos, Chrysostomus legit, vos, & rectius sanè videtur, et facile fuit variare lectionem etiam in Græco, vt pro ὑμᾶς, repositū sit, ἡμᾶς.* [h] Obsignati estis.] ἐσφραγίσθητε, *obsignati estis, quasi sigillo quodam, munere spiritus sancti, quem arrabonem vocat, vt ex arrabonis quantitate, agnoscatur, quanta sit futura hæreditas. Neque idem est pignus & arrabo, vt ait Hieronymus, Pignus, inquiens, hoc est, ἐνέχυρον pro mutua pecunia apponitur, Arrabo futuræ emptioni quasi quoddam testimonium, & obligamentum datur.* [i] In redemptionem.] *Acquisitionē, nos appellat, quia nos acquisiuit Deus. Qui redempti sumus certiq; de acquirenda possessione æternitatis facti, Arrabo igitur ille (inquit) etiam adhoc est, vt redimat acquisitam possessionem suam, illic autem erit pura ac plena redemptio, cum non solum à peccatis, verum etiam ab eo, vt cum peccatoribus habitent, redempti fuerint sancti.* [k] Pater gloriæ.] *Cum naturæ distinguntur cogitatione (ait Gregorius Nazanzenus) simul distinguntur & nomina, Paulo dicente, Vt Deus Domini nostri Iesu Christi, pater gloriæ, Christi quidem Deus, gloriæ autem pater, & si enim vtrunque simul vnum est, sed non natura. Sæpe verò ob coniunctionem naturarum permutantur nomina, quare occasionem erroris acceperunt hæretici. Hic autem locus ad finem vsque huius capitis mire exprimit magnitudinem Christianæ philosophiæ, eiusq; mysteriorum, si quis vsquam alius scripturarum diuinarum locus.* [l] Diuitię gloriæ.] *Vide eminentiam verborum, quibus videtur quasi significare, se non assequi tamen, vt excogitet idonea tantæ rei verba. Sicut & cum post ait: superemineus magnitudo potentiæ eius in nos, qui credimus secundum efficaciam roboris fortitudinis eius. Ingentem, inquit, ad subigendum sibi mundum, & homines iam in ferinam versos naturam, exercuit potentiam, quam in primis declarauit in Christo, cum suscitauit eum à mortuis, & sedere fecit ad dexteram suam in cœlestibus, super omnem principatum & potestatem, &c. Apud quos Platones ista reperies?* [m] Plenitudo eius.] *Per omnia enim membra impletur corpus Christi, quia omnia in omnibus implet, dum ipse agit in omnibus, vel per omnes homines omnia hæc implet membra. Siue, plenitudinem & complementum omne suum habet ipsa ecclesia ab illo, qui omnia in omnibus adimplet.*

CAPVT II.

A ET vos cū essetis mortui delictis & peccatis, in quibus aliquādo ambulastis secūdū seculū mūdi huius, secūdū [a] principē potestatis aeris spiritus, qui nūc opatur ī filijs inobediētię: in quibus & nos oēs aliquādo cōuersati sumus in desiderijs carnis nostræ, faciētes volūtatē carnis & cogitationū, & eramus natura filij iræ, sicut & cęteri. Deus aūt, qui diues est in misericordia, propter multā charitatē suā, qua dilexit nos, etiam cū essemus mortui peccatis, cōuiuificauit CHRISTO, (gratia estis saluati,) & conresuscitauit, & [b] cōsedere fecit in cœlestibus in CHRISTO IESV, vt ostenderet in seculis superuenientibus æminentes diuitias gratiæ suæ ī bonitate sup nos in CHRISTO IESV. Gratia. n. estis saluati p fidē: & hoc nō ex vobis. [c] Dei donū est: nō ex operibus, nequis glorietur, [d] ipsius. n. sumus factura: creati in CHRISTO IESV ad opera bona, q̄ præparauit Deus, vt in illis ambularemus. Propter quod memores estote, q̄ aliquādo vos [d] eratis gētes in carne, qui dicebamini pręputū, ab ea, q̄ dicitur circūcisio in carne manufacta, q̄ eratis in illo tēpore sine CHRISTO, alienati à cōuersatione Israel, & hospites testamētorū promissionis, spem nō habētes, & sine Deo in hoc mūdo. Nunc aūt in CHRISTO IESV vos, qui aliq̄n eratis longe, facti estis prope in sanguine CHRISTI. Ipse. n. est pax nostra, qui fecit vtraq; vnū, & [f] interstitium maceriæ soluit, inimicitias in carne sua: [g] legē mandatoꝝ in decretis euacuās: vt duos cōdat in semetipso in vnum nouum hominē, faciēs pacē, vt recōciliet ambos in vno corpore, Deo per crucē, interficiēs inimicitias per eam. Et veniēs euāgelizauit pacē vobis, qui longe fuistis, & ijs qui ꝓpè: qm̄ p ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu, ad patrē. Ergo iā nō estis hospites & aduenę: sed estis ciues [h] sanctoꝝ & domestici Dei, supędificati sup fundamētū apostoloꝝ & ꝓphetaꝝ, [i] ipso summo angulari lapide IESV CHRISTO: in quo omnis ædificatio cōstructa, crescit in tēplū sanctum in Dño, in quo & vos coędificamini in habitaculū Dei in spiritu.

Coloss. 2. d

Roma. 5. a

SCHOLIA.

[a] Principem potestatis.] *Hebraismus est, pro, Principem potentissimum.* [b] Consedere fecit.] *Nam cum Christus tanquam primitiæ generis nostri, surrexerit, & consederit ad dexteram Dei, iam eiusdem dignitatis nos participes sumus, iccirco cum dixisset, consedere fecit in cœlestibus, adiecit in Christo, hoc est, per Christum.* [c] Donum Dei est.] *Nam dicit fidem, quam sancto Euangelio adhibemus, esse donum Dei, vt quidam hac ætate prædestinatores volunt. Si enim hoc esset non dixisset, hoc est donum Dei, sed hæc est donum Dei, sed quia nemo per se surgere potest à morte animæ, & in nouam regenerationem viuificari, atque à tyrannide inferni hostis liberari, ac concupiscentiæ corruptionis, nisi per Diuinam gratiam, intercedente Christiana redemptione, iccirco apostolus ait, quòd nos seruati simus ab eiusmodi subiectione, & consortes facti humanitatis ac Diuinitatis Christi, & cohæredes eius regni, hoc fuisse Dei gratia factum, non ex operibus nostris. Ait ergo gratia seruati estis per fidem, quæ adhibetur sancto Euangelio, et hoc, videlicet, quòd redempti & seruati simus, non ex nobis est, sed est donum Dei: sed vult Deus, vt illud donum accipiamus credendo: nam credere oportet accedentem ad Deum.* [d] Ipsius enim sumus factura.] *Quod ait nos esse facturam Dei, & creatos in operibus bonis per Christum non hic intelligit de prima creatione sed de secunda, cum postea, quo credidimus Euangelio, gratia Dei & illa spiritus innouatio agit in nobis, vt simus instructi ad omne opus bonum ad quod nos aptos facit, vt in eo ambulemus.* [e] Eratis gentes in carne.] *Hæc*

commemoratio præputij, et circuncisionis duo facit. primum, Vt gentes agnoscant, quanta fuerit Dei erga se beneficentia, quæ electis filijs regni ob eorum incredulitatem, ipsos adoptarit in filios. Deinde, Vt deijciatur supercilium Iudæorum, qui ob carnis circuncisionem tantũ insolescerent, iccirco addit Vtrobiq́, in carne, gentes in carne, & circuncisio in carne manufacta, Vt indicet, neque gentibus obfuisse præputium, neque Iudæis prodesse circuncisionem, cum Vtraque signa quædam in carne sint, nihil ad animum pertinentia, & ob eam causam, neque circuncisio quicquam est, neque præputium. f Interstitium maceriæ.] *μεσοτοιχοντοῦ φραγμοῦ. Quasi, interpositionem sepis. Duo, inquit, fecit. Ex ambobus, Iudæis scilicet ac gentilibus Vnum fecit, dum hos à cultu simulachrorum, illos ab vmbra legis abductos in Vnam fidem copulauit, & inimicitias, quæ quasi sepis cuiusdam interstitium erat, inter nos, et Deum dissoluit per carnem suam. Interstitium ergo maceriæ id est maceriam ipsam, legem intelligit, Vt quidam volunt, non solum scriptam in libris Mosis, sed & insculptam gentilium mentibus, & philosophorum libris comprehensam. Vtranque ergo hanc (si tamen dici duæ possint, & non Vna potius) in decretis sitam Christus abrogauit, quatenus præstatu Vtraque erat impossibilis, & loco eius substituit, non aliam legem, quæ hominibus infirmis plura, quàm hæ duæ leges facienda præscriberet, sed legem fidei. Vide ad Rom. iij. Medium ergo parietem, appositine inimicitias, soluit, legem enim Iudæi iactabant, gentes philosophia tumebant, cuius tumoris à Paulo sæpe accusantur. Christus ergo venit, Vt in carne sua has inimicitias tolleret, ostenderet q́ stultissimam esse Vtriusque gentis gloriationem, cum neutrius decreta ad perfectionem perducerent.* g Legem mandatorũ.] *Aboleuit legem, quæ suis decretis tanquam pedagogus pueros regebat. Quanquam illud in decretis, sunt, qui intelligant, decreta fidei & Euangelij, quibus legem Christus aboleuerit.*

h Ciues sanctorum.] *Noluit dicere Iudæorum, sed sanctorum. Abrahæ scilicet, et prophetarum. Eratis, inquit, alienigenæ, nunc ciues facti estis, & socij electorum atque amicorum Dei.* i Ipso summo angulari lapide.] *Omnia continens & complectens Christus est, summus enim angularis lapis, & parietis continet & fundamenta.*

CAPVT III.

HVius rei gratia ego Paulus vinctus CHRISTI IESV, pro vobis gẽtibus: [a] siquidẽ audistis dispẽsationẽ gratiæ Dei, quæ data est mihi in vos: qm̃ secundũ reuelationẽ notũ mihi fecit mysteriũ, sicut ante [b] scripsi in breui, put potestis legẽtes intelligere cognitionẽ meã ĩ mysterio CHRISTI, quod in alijs generationibus nõ est agnitũ filijs hominũ, sicuti nunc reuelatũ est sanctis apostolis eius, & prophetis in spiritu, gẽtes esse cohæredes & eiusdẽ corporis, & cõsortes promissionis eius in CHRISTO IESV per Euangeliũ: Cuius factus sum ego minister secũdum donum gratiæ Dei, quæ data est mihi secundũ operationũ virtutis eius. [c] Mihi oĩum sanctor̃ minimo, data est gratia hæc, in gentibus euangelizare imperuestigabiles diuitias CHRISTI, & illuminare oẽs, quæ sit cõmunio mysterij abscõditi à seculis in Deo, qui omnia creauit per IESVM CHRISTVM, vt [d] innotescat nũc principatibus & potestatibus in cœlestibus, p ecclesiã, multiformis sapiẽtia Dei, secundũ præfinitionẽ seculor̃, quã fecit in CHRISTO IESV Dño nostro: In quo habemus fiduciã & accessum in cõfidentia, quæ est per fidẽ eius. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis: [e] quæ est gloria vestra. Huius rei gratia, flecto genua mea ad patrẽ Domini nostri IESV CHRISTI, [f] ex quo omnis parentela in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secũdũ diuitias gloriæ suæ, virtute corroborari p spiritũ eius in interiori homine: CHRISTVM habitare per fidẽ in cordibus vestris, vobis in charitate radicatis & fundatis, vt possitis cõprehẽdere cũ oĩbus sanctis, [g] quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam [h] supereminentrem scientiæ charitatem CHRISTI, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem, qui potens est superabundanter facere vltra omnia, quæ petimus, aut cogitamus, secundum virtutem, quę operatur in nobis, ipsi gloria in ecclesia in CHRISTO IESV, in omnes generationes seculi seculorum. Amen.

1.Cor. 15.b

SCHOLIA.

[a] Siquidem audistis.] *Nam cum hanc scripsit epistolam, nondum illum viderant Ephesii.* [b] Scripsi in breui.] *Ex his (inquit) quæ attigi breuibus, intelligere legentes potestis, meam harum rerum cognitionem.* [c] Mihi omnium sanctorum minimo.] ἐλαχιστοτέρῳ. *Quasi dicas minimiori, non contentus dixisse* ἐλαχίστῳ, *hoc est, minimo, Vt quantum posset, se deiceret, immo plus quam ferret lingua Vsus Græce: obseruant Græci hoc loco, cum non sit particula, enim esse* ἀντα-ποδοσιν, *ad illud, huius rei gratia, sic, huius rei gratia, mihi omnium sanctorum minimo: quo dicendi modo, & Thucydides & Demosthenes sæpe vsi sint.* [d] Vt innotescat nunc principatibus.] *Vide Christianas diuitias. Ista (inquit) ne principatus quidem & potestates norant, quæ nunc per gentium fidem in Christum reuelantur.* [e] Quæ est gloria vestra.] *Dum enim cernitis nos nulla proposita spe bonorum huius vitæ, aut commodorum, tanta perferre, gloriari potestis de huius fidei certitudine.* [f] Ex quo omnis parentela.] *Cum parentela vocem Græcam explicet, non recusauimus eam ponere, cum rebus omnibus præponenda sit explicatio veritatis. Quod autem ait in cœlo & in terra quidem genus agnoscimus, ex quo etiam parentes vocantur, in cœlo autem vbi alter ab altero non gignuntur, ordines eorum accipimus, ipse enim tam superiores, quàm inferiores tribus, & genera condidit.* [g] Quę sit latitudo.] *Cum ea de quibus loquitur, mente magis comprehendi, quàm verbis exprimi possint, non illa commemorauit, sed his nominibus voluit earum rerum copiam, atque adeo infinitatem significare, dum spacium ingens proponit, quod nos mentis oculis perlustremus. Sic & propheta. O Israel quam magna est domus Domini, & ingens locus possessionis eius.* [h] Supereminentem scientiæ.] *Vt & scire possitis charitatem Christi, quæ tam ingens est, vt omnem hominum scientiam superet.*

CAPVT IIII.

OBsecro itaq; vos ego vinctus in Dño, vt digne ambuletis vocatione, qua vocati estis, cũ omni humilitate & mansuetudine cũ longanimitate, supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnũ corpus, & vnus spiritus, sicut & vocati estis ĩ vna spe vocationis vestræ. Vnus Dñs, vna fides, vnũ baptisma. Vnus Deus & pater oĩum, [a] qui est super oẽs & p omnes & in omnibus nobis. [b] Vnicuiq; aũt nostrũ data est gratia secũdũ mensurã donationis CHRISTI. Propter quod dicit: Ascẽdẽs in altũ, [c] captiuã duxit captiuitatẽ: & dedit dona hominibus. Quòd aũt ascẽdit: quid est, nisi q́ & descendit

Rom. 12.c
1.Cor.12. b
Mala. 2.b
Rom.12.a
2.Cor.12.b
2.Cor.10.d
Psal. 67.d

scendit primũ [d] in inferiores partes terre? Qui descẽdit ipse est & qui ascẽdit supra omnes cœlos, [e] vt impleret omnia: Et ipse dedit quosdã quidẽ apostolos, quosdã aũt prophetas, alios vero euãgelistas, alios aũt [f] pastores & doctores, ad cõsummationẽ sanctor̃ in opus ministerij, in ædificationẽ corporis CHRISTI: donec occurramus oẽs in vnitatẽ fidei & agnitionis filij Dei, in virũ perfectũ, [g] in mẽsurã ætatis plenitudinis CHRISTI: vt iam nõ simus paruuli, fluctuãtes, & circũferamur omni vento doctrinæ [h] in versutia hominum, in astutia ad circũuẽtionẽ erroris: veritatẽ aũt faciẽtes in charitate, crescamus in illo p oĩa, qui est caput CHRISTVS: ex quo totũ corpus cõpactũ & cõnexũ [i] p omnẽ iunctură subministrationis, secũdũ operationẽ in mẽsura vniuscuiusq; partis, augmentũ corporis facit in ædificationẽ sui in charitate. Hoc igitur dico & testificor in Dño: vt iam nõ ambuletis sicut & reliquæ gẽtes ambulãt, in vanitate sensus sui, tenebris obscuratum habẽtes intellectũ, alienati à vita Dei [k] per ignorãtiã, q́ est in illis propter cæcitatem cordis ipsor̃: qui cũ desperauerint, semetipsos tradiderunt impudicitiæ, in operationẽ immũditiæ omnis [l] in auaritia. Vos aũt nõ ita didicistis CHRISTVM: siquidẽ illũ audistis, & in ipso edocti estis, [m] sicut est veritas in IESV, deponere vos secundũ pristinã cõuersationẽ veterẽ hominẽ, [n] qui corrũpitur secũdũ desideria erroris. Renouamini autem spiritu mẽtis vestræ: & induite nouũ hominẽ, qui secundũ Deum creatus est in iustitia & [o] sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mẽdaciũ, loquimini veritatẽ vnusquisq; cũ proximo suo: qm̃ sumus inuicẽ membra. [p] Irascimini & nolite peccare. Sol nõ occidat sup iracũdiã vestrã: [q] Nolite locũ dare diabolo. Qui furabatur, iam nõ furetur: magis aũt laboret operãdo manibus suis quod bonũ est, vt habeat, vnde tribuat ne cessitatẽ patiẽtu. Omnis sermo spurcus ex ore vestro nõ p̃cedat: [r] sed siqs bonus ad ædificationẽ, quoties opus est, vt det gratiã audiẽtibus. Et nolite cõtristare spiritũ sanctũ Dei: in quo obsignati estis [s] in diẽ redẽptionis. [t] Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia. Estote autem inuicem, benigni, misericordes, donantes inuicẽ sicut & Deus in CHRISTO donauit vobis.

2.Cor.12.d
Roma.1.c
Coloſ.3.b
Rom. 6.a
Coloſ.3. b
Heb. 12.a
1. Petr.2.a
&.4.a
Zacha 8.c
Pſal. 4.b
Iacob.4.d
Coloſ.3.g

SCHOLIA.

[a] Qui super omnes.] *Præsidet omnibus, omne gubernat, in nobis omnibus habitat, quanquam hoc tertium additamentum videtur, vt exprimeret peculiare quoddam electorum munus.* [b] Vnicuique autem.] *Dixerat, omnes Vnum corpus esse, nunc ostendit, varia esse dona, sicut in Vno corpore varia officia.* [c] Captiuam duxit captiuitatem.] *Hebraismus est, produxit captiuos, nempe nos prædam hosti ereptam. Quod autem addit, dedit dona hominibus. Cum in Hebræo sit, accepisti dona in hominibus, sensum maluit Paulus reddere quam verba. Hunc autem locum in eo psalmo, vnde acceptus est, latius explicuimus.* [d] In inferiores partes terræ.] *Hoc est, in terram, quæ infima est mundi pars. Vult ergo Paulus intelligi, cum audis, ascendit, id dictum de christo, qui descenderat per incarnationem prius, deinde ascendit super omnes cœlos.*

[e] Vt impleret omnia.] *Vt agnosceretur illius potentia & dominatio, quod q́ omnia impleat.* [f] Pastores & Doctores.] *Non ait, alios pastores alios doctores, sed iunxit vtrunque, vt qui pastor est, sit & magister, alioqui ne pastor quidem est.*

[g] In mensuram ætatis plenitudinis.] *In mensuram plenæ ætatis Christi, perstat in metaphora: dixerat ecclesiam esse corpus Christi: ait ergo in hoc incumbi, vt corpus hoc perficiatur, vt cum absolutũ fuerit, sit quædam plena ætas Christi, quando corpus Christi plenitudinem suam fuerit assecutum, perfectio autem agnitionis hanc efficit ætatis plenitudinem, quod aperit, dum subdit, ne simus posthac pueri fluctuantes, &c.* [h] In versutia hominum.] εν κυβεια, *quod Verbum à lusu tesserarum dictum est, in quo maliciose alter alteri imponit, in transferendis talis, sic falsi doctores, transferunt simpliciores pro arbitrio, tanquam talos.* [i] Per omnem iunctũram.] *Illa (inquit) à Christo descendens spiritualis vis, vnum quod q́ membrum suum tangens, sic agit atque efficax est, prout inuenerit quenq́ aptum ad suscipiendum, quasi diceret. Membra Christi nos homines, secundum proportionem priuatæ spiritualis mensuræ, accipientes subministrationem à Christo, crescimus.*

[k] Qui cum dedoluerint.] ἀπηλγηκότες: *quasi indolentes, & dolere nescientes, ac sine sensu effecti.* [l] In auaritia.] *Admonet Hieronymus, hic non esse* φιλαργυρίαν, *neque* φιλοχρηματίαν, *sed* πλεονεξίαν, *quæ nomen habet ab habendo plus, quàm æquum est. At, qui vehementer auidus est voluptatum, non est contentus vxore sua, sed alienam quoq; constuprat.* [m] Sicut est veritas in Iesu.] *Sicut Christiana dogmata vera sunt, ita sit & vita: peccatum enim est vanitas.*

[n] Qui corrumpitur.] *Per hoc corrumpitur, quòd spiritus non sinit illum desideria sua complere, sicut ad Roman. 8. Corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus autem viuit propter iustificationem. Vel illud est quod ait propheta. In illa die peribunt omnes cogitationes eorum.* [o] Sanctitate veritatis.] *Hebraismus est, pro sanctitate vera: nam quæ in Iudaicis ritibus erat sanctitas, non veritatis erat, sed figuræ. At in baptismo fit (quod ait) nouus homo, qui secundum Deum creatus est.* [p] Irascimini & nolite peccare.] *Contremiscite & consternamini dum contra fratres, ira subit ne quid præter dilectionem agentes, contra illos peccetis. Vel, si quid iniquum fieri videritis, moueamini iusto zelo, ita tamen, vt ne vos peccetis. Chryso. sic. Bonum quidem est non irasci, quòd si quis incidat aliquando in hunc affectum, non tamen vsque eò progrediatur, vt peccet. Sol (inquit) non occidat super iracundiam vestram. Si vos ergo commoueri contigerit, videte ne peccetis.*

[q] Nolite locum dare diabolo.] *Nam perstantes in iracundia, amplius nos irritandi aduersus fratrem locum ei damus.*

[r] Sed siquis bonus.] *Colligit ex hoc loco magnus Basilius, omne verbum, quamuis bonum, nisi tamen ad ædificationem sit, non ex eo carere periculo, quòd quas locutus sit bonum, sed ex eo, quòd non ad ædificationem fuerit, contristare spiritum sanctũ. Hoc (inquit) manifeste docuit apostolus dicens: omnis sermo spurcus de ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus, & hoc adijciens: & nolite contristare spiritum sanctum Dei, in quo obsignati estis: At tristitia afficere spirtum sanctum, quàm ingens sit malum, quid vel dicere opus est? Hæc ille.* [s] In diem redemptionis.] *Obsignati estis, tanquam selectus grex, in baptismate, vel, quia non dixit in die, sed in diem, fortasse significat, nos obsignatos, tanquam seruandos in diem plenæ redemptionis, hoc enim est,* ἀπολυτρώσεως.

[t] Omnis amaritudo.] *Quid differant,* πικρία, θυμὸς, ὀργὴ, *quæ interpres vertit, amaritudo, ira, indignatio, idem Basilius sic docet,* εν τοῖς ασυντιθοῖς, *ira, & indignationis differentia fortasse in affectu, atque impetu est, vt qui indignetur, in solo habeat affectu illam passionem, vt declarat qui dicit, irascimini & nolite peccare: at is, qui irascitur, tam pluis aliquid profert extra se, ira (inquit) illis secundum similitudinem serpentis, amaritudo vero grauius quoddam vitium significat. Alio item loco dicit, videri sibi additum*

esse hoc, omnis amaritudo & ira, &c. ab Apostolo, quia mentionem fecerat verborum, quæ dicta erant in lege veteri, scilicet, irascimini & nolite peccare, vt hic quasi perfectionem legi ex euangelio adderet, quod & Dominus fecit, cum, postquam dixisset, audistis quod dictum sit antiquis, ipse adiecit, ego autem dico vobis.

CAPVT V.

Ioan. 13.d & 15.b 1. Ioã. 4.d Coloſ. 3.a 2. Theſ. 2.a Matt. 24.a Mar. 13.a Luc. 21.b

ESTote ergo imitatores Dei, ſicut filij chariſſimi, & ambulate in dilectione, ſicut & CHRISTVS dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, [a] aut vrbanitas, quæ ad rem non pertinent: ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitis, & omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, qui eſt idolorum ſeruus, non habet hæreditatem in regno CHRISTI & Dei. [b] Nemo vos ſeducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios inobedientiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquando tenebræ: nunc autem lux in Dño. Vt filij lucis ambulate (Fructus enim ſpiritus eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate) probantes quid ſit beneplacitũ Dño: & nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem & arguite. Quæ enim in occulto fiunt ab ipſis: turpe eſt & dicere. Omnia autem, [c] quæ arguuntur, à lumine manifeſtantur: omne enim quod manifeſtatur: lumen eſt. Propter quod dicit: Surge, qui dormis, & exurge à mortuis, & illucеſcet tibi CHRISTVS. Videte itaq; quomodo caute ambuletis, non quaſi inſipientes: [d] redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt. Propterea nolite fieri imprudentes: ſed intelligentes, quę ſit voluntas Dñi. Et nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria, ſed implemini ſpiritu, loquentes vobiſmetipſis in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes & pſallentes in corde veſtro Dño, [e] gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Dñi noſtri IESV CHRISTI, Deo & patri. Subiecti inuicẽ in timore CHRISTI. Mulieres viris pro

Coloſ. 4.c Rom. 13.a 1. theſſ. 4.a

Coloſ. 3.c 1. Cor. 11.a Coloſ. 3.c 1. Pet. 3.a Coloſ. 3.c

prijs ſubditæ ſitis, ſicut Dño: quoniam vir, caput eſt mulieris, ſicut CHRISTVS, caput eſt eccleſiæ, & ipſe ſaluator corporis eſt. Sed ſicut eccleſia ſubiecta eſt CHRISTO: ita & mulieres viris ſuis in omnibus. Viri, diligite vxores veſtras: ſicut & CHRISTVS, dilexit eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea: vt illam ſanctifi-caret mundans eam [f] lauacro aquæ in verbo, vt exhiberet ipſe ſibi gloriоſam eccleſiam nõ habentẽ maculã, aut rugã, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt eſſet ſancta & imaculata. Ita viri debẽt diligere vxores ſuas, vt ſua ipſorũ corpora. Qui ſuã vxorẽ diligit: ſeipſum diligit. Nemo. n. vnquã carnẽ ſuam odio habuit: ſed nutrit & fouet eam, ſicut & CHRISTVS eccleſiam, quia [g] membra ſumus corporis eius: de carne eius & de oſſibus eius.

Gene. 2.d Matt. 19.a Mar. 10.a 1. Cor. 6.d

[h] Propter hoc relinquet homo patrem & matrem ſuam: & adhærebit vxori ſuæ: & erunt duo in carnẽ vnam. Myſterium hoc magnum eſt. [i] Ego autem dico in CHRISTVM & in eccleſiam. [k] Veruntamen, & vos ſinguli vnuſquiſq; vxorem ſuam, ſicut ſeipſum diligat: Vxor autem timeat virum ſuum.

SCHOLIA.

[a] Aut vrbanitas.] εὐτραπελία, *quam & facetiam appellare possumus. Vide quàm exactam à Christianis hominibus requirat Paulus philosophiam, & quàm nostri ab ea degenerent mores, qui penè nascimur Christiani. At ijs, qui dudum à cultu simulachrorum & belluina vita recesserant, præcipit Paulus, vt non solum ab obscœnis verbis abstineant, verũ etiam ab ijs, quæ faceta & vrbana vocantur. Nam post agnitam hanc veritatem, nullius huiusce modi leuitatibus locus esse debet. Prohibentur ergo etiam vrbanitates: at ætas nostra sepulchrum patens est, nec curamus.* [b] Nemo vos seducat inanibus verbis.] *Inanibus verbis seducunt, qui momentaneas oblectationes proponunt, propter hæc (inquit) videlicet fornicationem, &c. Venit ira in filios inobedientes.* [c] Quæ arguuntur à lumine manifestantur: omne enim.] *Quæ reuincuntur. Dum vestris, inquit, factis & dictis probis reuincitis & arguitis eorum facta esse scelerata, non iam in illis tenebris degent, & conuertent iniquè facta, dum redarguuntur, in opera lucis, hoc enim est, fieri lucem omne, quod manifestatur: Quod verò, id quod manifestatur, atque detegitur lux fiat, testatur & ipse vsus. Surge enim, inquit, qui dormis, tãquam excitare ab illo affectu, quo decumbebas in vitijs, & surge à mortuis, quasi à tenebris, sine vt ipsa vitia, mortua & turpia, quemadmodum sunt, appareant, quod vbi feceris, illucescet tibi Christus. Itaque quod manifestatur, efficitur lumen, atque illustratur, vel, quod quis in manifesto facere non erubescit, lumen est, hoc est, tenebrarum expers.* [d] Redimentes tempus.] *Nullam omittentes opportunitatem (nam hic καιρὸς occasionem, & opportunitatem sonat) sed eam cum cæterarum rerum dispendio ementes, & dies bonos de malis facientes, ac temporis rationem habentes.* [e] Gratias agentes semper pro omnibus.] *Pro omnibus, inquit, non solum, quæ cedunt ad vota, verum multo etiam magis pro ijs, quæ aduersa videntur, nam ea in primis sunt salutaria.* [f] Lauacro aquæ in verbo.] *Quo verbo? Ipse dixit apostolis, baptizantes eos in nomine patris & filij & spiritus sancti.* [g] Membra sumus corporis eius.] *Alludit ad illud Gen. 2. Et ædificauit Dominus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem, vult ergo significare hoc loco, magis nos iunctos esse Christo, & corpus vnum factos cum illo, quàm facta fuit Eua cum Adam, quæ formatio, siue vnio tantum typus fuit huius vnitissimæ vnionis, atque hoc est, quod ait, quia membra sumus corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius, & mysterium hoc matrimonij magnum est, ego autem dico in Christum & in ecclesiam, tanquam dicat, vnio illa mariti & vxoris, vix vmbra est illius intimæ vnionis Christi cum ecclesia.* [h] Propter hoc relinquet homo.] *Propter hoc, vt fiat hæc agglutinatio.* [i] Ego autem dico.] *Dixi, inquit, hic magnum latere mysterium, at ego, quantum assequi possum, dico in Christum, & in ecclesiam, quasi opinetur altiora etiam subesse mysteria.* [k] Veruntamen & vos singuli.] *Quasi diceret, non tamen iccirco hæc altior ac spiritualis interpretatio, propriam euertit, de qua dicebamus, stat enim vtraque. Quamuis hæc anagogica interpretatio ad commune quiddam spectet, hoc est, ad ecclesiam: Vos singuli tamen, vnusquisque suam vxorem diligat, &c.*

CAPVT VI.

Coloſ. 3.d Exod. 20.c Deut. 5.c Eccle. 3.b

FIlij, obedite parentibus veſtris in Domino: hoc enim iuſtum eſt. Honora patrem tuum & matrem tuam: quod eſt mandatum [a] primum in promiſsione, vt bene ſit tibi, & ſis longæuus ſuper terram. Et vos patres, [b] nolite ad iracundiam prouocare filios veſtros. Sed educate illos in diſciplina, & correptione Domini. Serui, obedite Dominis ſecundum carnem, cum timore & tremore, in ſimplicitate cordis veſtri,

veſtri, ſicut CHRISTO, non ad oculum ſeruientes, quaſi hominibus placentes, ſed vt ſerui CHRISTI, faci-entes voluntatẽ Dei, ex animo cũ bona voluntate [c] ſeruientes Dño, & nõ hominibus. Scientes quod vnuſquiſq;, quodecũq; fecerit bonum: hoc recipiet à Dño, ſiue ſeruus, ſiue liber. Et vos Dñi, eadẽ facite illis, remittẽtes minas, ſcientes q; & veſter ipſorũ Dñs eſt in cœlis: & pſonã nõ acceptio non eſt apud eũ. De cætero fratres mei, cõfortamini in Dño, & in potẽtia virtutis eius. Induite vos vniuerſam armaturam Dei: vt poſsitis ſtare [d] aduerſus inſidias diaboli: quoniam nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mũdi Dños tenebrarũ huius ſeculi, [e] cõtra ſpirituales aſtutias, in cœleſtibus. Proterea accipite vniuerſam armaturã Dei: vt poſsitis reſiſtere in die malo, & omnibus perfectis ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricã iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem euãgelij pacis: in omnibus ſumentes ſcutũ fidei, in quo poſsitis omnia tela illius maligni ignea extinguere: & [f] galeã ſalutaris aſſumite: & gladium ſpiritus, quod eſt verbũ Dei: per omnẽ [g] orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu: & in ipſum hoc vigilantes in omni inſtantia, & obſecratione pro omnibus ſanctis, & pro me: vt detur mihi ſermo in apertione oris mei cum fiducia, notum facere myſterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, vt in ipſo libere loquar: prout oportet me loqui. Vt autem & vos ſciatis, quę circa me ſunt, quid agam: omnia vobis nota faciet Tychicus, chariſsimus frater & fidelis miniſter in Domino: quem miſi ad vos in hoc ipſum, vt cognoſcatis, quæ circa nos ſunt, vt conſoletur corda veſtra. Pax fratribus & charitas cum fide à Deo patre & Domino IESV CHRISTO. Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM in incorruptione. AMEN.

Matt. 15.a Mar. 7.d Coloſ. 3.d Tit. 2.c 1. Petr. 2.c Deut. 10.d 2. Par. 19.b Iob 24.c Sapiẽ. 6.b Eccle. 35.b Rom. 2.b Galat. 2.b Coloſ. 3.d Act. 10.e 1. Pet. 1.c 1. Theſ. 5.b Eſaia. 59.c Coloſ. 4.c 2. Theſ. 3.a

SCHOLIA.

[a] Primum in promiſsione.] *Primũ inter mandata, quæ habent coniunctã promiſsionem, quãt vt bene tibi ſit, &c.*
[b] Nolite ad iracundiam prouocare filios.] *Vt ij, qui hæreditate priuant, aut ſeruilia admodum imperant.* [c] Seruientes Domino & non hominibus.] *Arbitrantes ſeruire vos Deo & non hominibus. In eundem ſenſum dixit ad Corinthios, precio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum.* [d] Aduerſus carnem.] *Hebraiſmus eſt, ſicut & illius caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, &, Continuò non contuli cum carne & ſanguine: ſignificat ergo, hoſtes, quibus cum luctamur, nõ eſſe viſibiles, vt ſunt homines. Quod autem ait, mũdi dominos, per mundum accipe ſceleratos homines: qui dicendi modus in Euangelio frequens eſt.* [e] Contra ſpirituales aſtutias in cœleſtibus.] *Hoc eſt, pro cœleſtibus vel, quæ inſidiantur cœleſtibus, ſiue ſpiritus ſancti donis, vt ijs ſpoliemur, quaſi dicat, luctа hæc non eſt exiguis de rebus, ſed de cœlorum regno, Quocirca aſſumite (inquit) non vnum tantum armorum genus, ſed vniuerſam armaturam. Et vide vt diuinum in modum armet Chriſtianum virum, quis ſi ita armatus, his oculis cerni poſſet, quam admirandum ſui ſpectaculum præberet? Hunc ergo in primis, vt mos eſt militum, accingit, & conſtringit. Nam defluentes veſtes impedimento ſunt, cingulum autem vult eſſe veritatem dogmatum, & vitæ, ne quid ſimulatum, ne quid doloſum ſit in nobis ex vlla parte, quaſi deſtuẽs: cætera deinceps arma tu te contemplare, non enim hic eſt expatiandi locus. Quod autem ait, calceati pedes in præparationem Euangelij pacis, videtur alludere ad illud Eſaiæ. Quàm pulchri pedes Euãgelizantium pacem?* [f] Galeam ſalutaris.] *Salutis, hoc eſt, ſpei. gladium verò ſpiritus, hoc eſt, ſpiritualem gladium, more Hebræo, vel certe gladium ipſius ſpiritus.* [g] Orationem & obſecrationem.] προσευχὴς καὶ δεήσεως, *Vt προσευχὴ ſit cum petimus, vt nobis contingant bona, quod eſt proprie obſecratio, δέησις verò deprecatio cum petimus vt liberemur a malis: ſic Græci interpretantur.*

AD EPHESIOS MISSA FVIT E ROMA PER TYCHICVM.

EPISTOLA PAVLI AD PHILIPPENSES.

CAPVT I.

A

PAVLVS & Timótheus ſerui IESV CHRISTI: omnibus ſanctis in CHRISTO IESV, qui ſunt Philippis cũ Epiſcopis, & Diaconis, gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Dño IESV CHRISTO. Gratias ago Deo meo [a] in omni memoria veſtri ſem

B per in cũctis orationibus meis pro omnibus vobis: cũ gaudio deprecationẽ faciens, ſuper communicatione veſtra in Euangelio à prima die vſque nunc: perſuaſum habens hoc ipſum, q; qui cœpit in vobis opus bonũ, perficiet vſque in diem CHRISTI IESV: ſicut eſt mihi iuſtũ hoc ſentire pro omnibus vobis: eo q; habeam vos in corde: & in vinculis meis, [b] & in defenſione, & cõfirmatione euangelij, cũ ſocij gratiæ meæ omnes vos ſitis. Teſtis enim mihi eſt Deus, quomodo cupiã omnes vos [c] in viſceribus IESV CHRISTI. Et hoc oro, vt charitas veſtra ad huc magis ac magis abundet [d] in agnitione, & omni intelligentia: vt probetis potiora, vt ſitis ſinceri, & ſinè offenſa in diem CHRISTI, repleti fructibus iuſtitiæ, qui ſunt per IESVM, in gloriam & laudem Dei. Scire autem volo vos fratres, q; quę circa me ſunt, magis ad profectũ venerũt euangelij: ita [e] vt vincula mea manifeſta fierent in CHRISTO, in toto prætorio & cæteris omnibus, & plures è fratribus in Dño confidentes

C in vinculis meis, abundantius auderent ſine timore verbum Dei loqui. Quidam quidẽ & propter inuidiam & contentionem: quidam aũt & propter bonam voluntatem CHRISTVM prædicant. Alij quidem ex cõtentione CHRISTVM annunciant, nõ ſyncere, [f] exiſtimãtes preſſuram ſe ſuſcitare vinculis meis. Alij verò ex charitate, ſcientes q; in defenſionẽ euãgelij poſitus ſum. Quid enim? attamẽ quouis modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem CHRISTVS annuntiatur: in hoc gaudeo, ſed [g] & gaudebo. Scio enim, quòd hoc mihi proueniet ad ſalutem, per veſtram orationem & ſubminiſtrationẽ ſpiritus IESV CHRISTI, ſecundum expectationem & ſpem meam, q; in nullo confundar, ſed in omni fiducia ſicut ſemper, &

tunc magnificabitur CHRISTVS in corpore meo, siue per vitam, siue per mortem. [h] Mihi enim viuere CHRISTVS est: & mori lucrum. [i] Quòd si contingat viuere in carne: hic mihi fructus operis est: & quid eligam, ignoro. Coartor autem è duobus: desiderium habens dissolui & esse cum CHRISTO, multo magis melius: permanere autem in carne, magis necessariũ propter vos. Et hoc cõfidens, scio, q manebo, & permanebo cũ omnibus vobis ad profectũ vestrum & gaudiũ fidei: vt gloriatio vestra abnndet in CHRISTO IESV in me, per meum aduentum iterum ad vos: Tantũ digne euãgelio CHRISTI conuersamini: vt siue cũ venero & videro vos, siue absens, audiam de vobis, q statis in vno spiritu, vnanimes collaborantes fidei euangelij: & in nullo terreamini ab aduersarijs, quæ illis quidẽ est causa perditionis: vobis autẽ salutis, & hoc à Deo: quia [k] vobis donatũ est pro CHRISTO, non solum, vt in eum credatis, sed, vt etiam pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale & vidistis in me, & nunc auditis in me.

SCHOLIA.

[a] In omni memoria vestri.] *Quoties memor (inquit) vestri sum, toties gratias ago Deo, & precor, vt vester hic animus perduret.* [b] Et in defensione.] *Vincula erant defensio & confirmatio Euangelij, & tam erat Philippensibus affectus, vt in medys illis laboribus, eorum miminisset, eo quòd socij essent gratiæ, hoc est, communicarent afflictionibus Pauli.* [c] In visceribus.] *Propter Christum (inquit) vos cupio, vt qui propter eum paterna erga vos viscera induerim non ob hoc quòd mihi communicaueritis.* [d] In agnitione & omni intelligentia.] *αἰσθήσει, sensu. Precor (inquit) vt dilectio vestra crescat, idq; in agnitione, hoc est, cum iudicio, atque vt sentiatis & probetis potiora, vt nullum adulterinum dogma recipiatis, sed synceri sitis.* [e] Vt vincula mea.] *Vt sciatur ab omnibus, me his vinculis ob nullam causam legitimam grauari, causamq; Christi ob quem hæc patior, esse iustissimam.* [f] Existimantes præsturam se suscitare.] *Vbi detentus est Paulus, multi vel infidelium, vel inuidentium Paulo, optantes prouocare Neronem, vt omnino eum interficeret, dissemina-bant has de Christiana philosophia narrationes, vt audiens imperator augeri prædicationem hanc, & latius fundi, eum, qui huius facti causa esset, occideret.* [g] Et gaudebo.] *Amplius (inquit) hoc accidat opto: nam mihi vel inuiti cooperantur.* [h] Mihi enim viuere.] *Quòd viuo (inquit) ob vnum hoc placet, vt per ministerium meum crescat Christi gloria, cætera nihil hanc vitam curo, nam mori mihi lucrum est. Hoc est, quod alibi ait, quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei. Vel, Christo posse frui, & cognoscere illum, sicut nunc cognoscor ab illo, vere viuere iudico, atque vt eò peruenire felicitatis possim, mori lucrum, siue compendium ad eam felicitatem consequendam, aptissimum puto.* [i] Quod si contingat viuere in carne.] *Si contingat viuere in carne, hic est mihi fructus operis, nam quotidie fructificabo. Quidam sic continuant: Quoniam & viuere in carne hic est fructus operis, nescio quid eligam, et coarctor ex duobus, &c.* [k] Vobis donatum est.] *Mira Christianæ philosophiæ felicitas, vbi & ipsum pro Christo pati, inter Dei dona numeratur.*

CAPVT II.

SI qua ergo consolatio in CHRISTO, siquod solatium charitatis, siqua societas spiritus, siqua viscera & miserationes, implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatẽ habẽtes, vnanimes, idẽ
1.Cor. 13.b sentientes: nihil per cõtentionem, neq; per inanem gloriam: sed humilitate alij alios superiores sibi inuicem arbitrantes: non, quæ sua sunt singuli cõsiderantes: sed & ea, quæ aliorum. Hoc enim sentite in vobis, quod fuit & in CHRISTO IESV, [b] qui cum in forma Dei esset, nõ rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo. Sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudine hominũ factus, & figura inuẽ-
Hebr. 2.b tus, vt homo. Humiliauit semetipsum, factus obediens vsq; ad mortẽ, mortẽ autem crucis. Propter quod &
Rom. 14.b [c] Deus exaltauit illum in summam sublimitatem: & donauit illi nomen, quod est super omne nomen: vt in
Esa. 45.d nomine IESV omne genu flectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum: [d] & omnis lingua confiteatur, q Dominus sit IESVS CHRISTVS in gloriam Dei patris. Itaq; charissimi mei sicut semper obedistis: non, vt in præsentia mea tantum, sed multo magis nunc in absentia mea, [e] cum metu & tremore vestram salutem operamini. [f] Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & efficere, [g] pro bona voluntate.
1. pet. 4.c Omnia autem facite sine murmurationibus, & disceptationibus: vt sitis sine querela, & synceri, filij Dei, sine reprehensione in medio nationis prauæ & peruersæ: inter quos lucetis sicut luminaria in mundo: [h] verbum vitæ continentes ad gloriam mihi in diẽ CHRISTI, q non in vacuum cucurrerim: neq; inuacuũ laboraAct.16.a uerim. Sed etsi immolor super hostia & sacrificio fidei vestræ: [i] gaudeo, & congratulor omnibus vobis. Ob idipsum aũt & vos gaudete: & congratulamini mihi. Spero aũt in Dño IESV, Timótheum me cito missũ rum ad vos: vt & ego bono animo sim, cognitis, quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo pari animi affectu, qui syncera affectione res vestras curaturus sit. Omnes enim, quæ sua ipsorum sunt quærunt: non, quæ IESV CHRISTI. Experimentum aũt eius cognoscitis, q sicut patri filius mecum seruiuit in euangeliũ. Hunc igitur spero me missurum ad vos: mox, vt videro, quæ circa me sunt. Confido autem in Domino, q & ipse veniam cito. Necessarium autem existimaui, Epaphroditum fratrem & cooperatorem & commilitonẽ meũ, vestrum aũt apostolũ & ministrũ necessitatis meæ mittere ad vos, qm̃ quidẽ oẽs vos desiderabat: & mœstus erat, propterea q audieratis illũ infirmatũ. Nã & infirmatus est, vt vicinus esset morti: sed [k] Deus misertus est eius: nõ solũ aũt eius: verumetiã & mei, [l] ne tristitiam super tristitiam haberem. Festinantius ergo misi illũ: vt viso eo, iterũ gaudeatis, & ego magis sine tristitia sim. Excipite itaq; illũ cum omni gaudio in Dño: & eiusmodi cum honore habete, quoniam propter opus CHRISTI, vsq; ad mortẽ accessit: [m] tradens animam suam, vt impleret id, quod ex vobis deerat erga meum obsequium.

SCHOLIA.

[a] Si qua ergo consolatio in Christo.] *Hoc est, si quam mihi vultis intentationibus præbere consolationem in Christo, si quod solutium assequi licet à vestra charitate, si quam ostendere communicationem, quæ est in spiritu, si qua habetis erga me viscera & miserationes, implete gaudium meum.* [b] Qui cum in forma Dei esset.] *In multis Pauli epistolarum locis id accidit, quòd Horatius ait. Breuis esse laboro, obscurus fio. Copia enim rerum simul ingruens, non patiebatur magis eũ dilucide*

dilucide loqui. Dicamus ergo sic, Cum in forma Dei esset, poterat quidem in ea manere, cum naturaliter filius Dei esset, & Deus, neque arbitrabatur esse rapinam id, quod habebat, verum dum quæreret nostra magis, quàm sua, voluit ipse se demittere ad humilitatem nostram, accepta forma serui, & similis nostri factus, nempe verus homo, & in figura formaq; nostra inuentus humiliauit semetipsum, &c. Non timuit (ait Chrysostomus) descendere à sua dignitate, non enim arbitrabatur, diuinitatem, quam habebat, esse rapinam: nec metuebat, ne quis illam sibi eriperet, quam natura habebat. Metuunt enim Tyranni, qui vi imperium aliquod inuaserunt. Hæc ille, & multo his plura. Verum si ad tempus post assumptam humanitatem referas animum, sic dici potest. Cum in forma Dei esset, hoc est, quamuis esset Deus, vel, cum factis admirandis diuinitatem præseferret, tantum abest tamen, vt quæreret inter homines celsitudinem, vt etiam se deyceret, &c. Sed prior interpretatio aptior est. [c] Deus exaltauit illum.] *De assumpta humanitate hæc intelliguntur dicta.* [d] Et omnis lingua confiteatur.] *Vt omnes agnoscant, resum Christum esse Dominum, idq; in gloriam Dei patris, ad quem non solum apostoli, verum etiam ipse Dominus omnia referebat, vt vnanimitas intelligeretur. Hoc autem, quod appellat Dominũ, Petrus Actorum secundo expressit, cum dixit, Dominum eum & Christum fecit Deus.* [e] Cum metu & tremore.] *Cernis quo in gradu standum sit christiano?* [f] Deus est enim qui operatur.] *Nequis metuat, non posse se operari salutem suam, habet Deũ, qui efficaciam toti operi præbeat, & tanquam voluntatem nostram & opus formet. Verum quo pacto hæc operatio fiat operæprecium est scire. Loquitur enim hic de fructibus, quos pariebant credentes post adeptum spiritum sanctificationis. Tunc enim spiritus sanctus efficiebat, vt vellent & operarentur, & cogitarent cœlestes cogitationes: quamobrem dicebat idem apostolus: conuersatio nostra in cœlis est.* [g] Pro bona voluntate.] *ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας, vt impleat in nos suam bonam voluntatem, atque consilium.* [h] Verbum vitæ continentes.] *Chrysostomus interpretatur, victuri, & qui sitis inter seruandos, ac pignora vitæ tenentes, hoc enim significare λόγον ζωῆς. Hoc est, sermonem vitæ.* [i] Gaudeo & congratulor.] *χαίρω καὶ συνχαίρω, gaudeo & congaudeo. Gaudeo, quia immolor, congaudeo, quia vos hostiam offero, & adduco ad christum: quare & vos vicissim idem agite.* [k] Deus misertus est eius.] *Viri sancti, & si optent esse cum christo, tamen si postea quam in morbum aliquem inciderint, recreati ab eo fuerint, agnoscunt hoc miserationis esse diuinæ. Præterea sæpe Paulus loquitur ad audientium consuetudinem, præsertim ad homines, qui adhuc timerent mortem.* [l] Ne tristitiam super tristitiam haberem.] *Tristitiam scilicet ob mortem, post illam, quæ erat ob infirmitatem, vel, ne reliquis afflictionibus hæc etiam adderetur.* [m] Tradens animã.] *Videtur missus à Philippensibus, vt afferret Paulo pecunias, qui, cũ detineretur in carcere, accessus ad eum non erat sine periculo, quod periculum Epaphroditus generose contempsit, vt ministraret Paulo.*

CAPVT III.

A QVod supereſt fratres mei, gaudete in Dño. Eadem vobis scribere, mihi quidẽ non pigrũ, vobis aũt tutum: videte canes, videte malos operarios, [b] videte concisionẽ. Nos. n. sumus circuncisio, qui spiritu seruimus Deo: & gloriamur in CHRISTO IESV, & nõ in carne fiduciam habẽtes, quãquã & ego habeã confidentiam in carne. Si quis alius videtur cõfidere in carne: ego magis, circũcisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin. [c] Hebræus ex Hebræis, [d] secundum legem pharisæus, se- Act.23.b
B cundum æmulationem, persequens ecclesiam: secundũ iustitiam, quæ in lege est, cõuersatus sine querela. Sed [e] quæ mihi fuerunt lucra: hæc arbitratus sum propter CHRISTVM detrimenta. Quinetiam existimo omnia detrimentum esse propter eminentiam cognitionis IESV CHRISTI Dñi mei: propter quem omnia detrimentũ duxi, & arbitror stercora esse, vt CHRISTVM lucrifaciam, & inueniar in illo non habens meã iustitiam, quæ ex lege est, sed illã, quæ ex fide est CHRISTI, quæ ex Deo est, iustitiã in fide: ad cogno
C scendũ illum, & virtutem resurrectionis eius, & societatem passionum illius, cõfiguratus morti eius, [f] si quomodo pertingam ad resurrectionẽ, quæ est ex mortuis. Non q iam apprehenderim, aut iam perfectus sim: sequor aũt, si etiam comprehendam [g] in quo & cõprehẽsus sum à CHRISTO IESV: Fratres, ego me nõdum arbitror cõprehendisse. [h] Vnũ aũt: quæ quidẽ retro sunt obliuiscens: ad ea vero, quæ sunt à fronte extẽdens meipsum, iuxta præfixũ signũ persequor ad brauium supernę vocationis Dei in CHRISTO IESV,
D Quicũq; ergo perfecti sumus, hoc sentiamus: [i] & siquid aliter sapitis, & hoc vobis Deus reuelabit. Verũtamẽ ad quod peruenimus, eadem procedamus regula, vt idẽ sentiamus. Imitatores mei pariter estote fratres: [k] & obseruate eos, qui ita ambulant, sicut habetis formam nos. Multi enim ambulant, de quibus sæpe dicebã vo- Roma.16.c
bis (nunc aũt & flens dico) [l] inimici crucis CHRISTI: quorũ finis interitus: quorum Deus, venter est: [m] & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. Nostra enim conuersatio in cœlis est: ex quo etiam Saluatorem expectamus Dominum IESVM CHRISTVM, qui transformabit [n] corpus humilitatis nostræ, vt conforme sit corpori claritatis suæ [o] secundum operationem, qua etiam possit subijcere sibi omnia.

SCHOLIA.

[a] Quod supereſt.] *Cum hæc (inquit) vobis & de me & de Timotheo nunciem, bono animo estote. Quod verò sequitur: eadem vobis scribere &c. pertinet ad sequentia.* [b] Videte concisionẽ.] *Noluit dicere circuncisionem, sed appellauit concisionem, indicans nihil esse nunc circuncisionem aliud, quàm corporis ac carnis concisionem, nam vera ac legitima circuncisio fit in spiritu. Vel concisionem appellat, quia dum circuncisionem prædicant, conciderc corpus ecclesiæ conantur.* [c] Hebræus ex Hebræis.] *fortasse ad differentiam proselytorum, qui in Hebræorum familiam quidem inscribebantur, nõ tamen erant ex Hebræorũ sanguine progenti.* [d] Secundũ legem.] *Secundum studium legis. nam phariseorũ secta laudatior erat, quàm sadducæorum.* [e] Quæ mihi.] *Propter quæ mihi placebã, & videbar esse aliquis, agnito Christo deprehendi potius esse impedimenta, & collata cum eminentia cognitionis Christi, pro ruderibus & reiectamẽtis habui. Videtur autem hoc adiecisse ad maiorem euidentiam, quamuis enim dixisset, ex genere Israel, poterat quis suspicari, illũ, & si inter Israelitas censeretur, & ex iam factis Iudæis natus esset, quare & octauo die dixit se fuisse circuncisum, tamen progenitores habuisse proselytos. adiecit autem ex tribu Beniamin, tanquam ex honoratiore parte. nam coniuncta erat cum tribu Iuda.* [f] Si quo modo.] *Non illam communem omnium resurrectionem bonorum & malorum, sed eam quæ ad christum ducit. Sed videtur potius significare perfectionem illam & tanquam resurrectionem, quam in hac vita viri apostolici assequuntur. quare adiecit. non quod iam apprehenderim, &c.* [g] In quo & cõprehensus.] *Sicut & illud, tunc cognoscã, sicut & cognitus sum. Vel certe, cum me,*

me,inquit,fugientem comprehenderit Christus,vt eum prædicem,conabor id assequi pro viribus. h Vnum autem.] *Scilicet efficere conor.* i Et,si quid.] *Quicunque perfecti sumus,hoc sentiamus,quod scilicet oporteat ea,quæ à tergo sunt,oblisci,& ad anteriora se extendere,hac enim perfectos facit,arbitrari se nunquam esse perfectũ,quòd siquid aliter sentitis, quòd scilicet tam vos assecuti sitis,et hoc vobis Deus reuelabit,quòd scilicet non recte sentiatis. Sunt qui referant ad dogmata, vt sit sensus. Siquis inter vos diuersum sentit,vt scilicet legi tribuat aliquid,aspirabit illi Deus aliquando mentem meliorem. Alius lic. Siqui sunt,quibus hæc perfectio non contingit,nequaquã desperent,sed sciant varios esse modos seruiendi Domino, atque ipsum sic velle,vt vary sint. Hoc tantum in commune omnes curare decet ne sint inter nos dissidia,sed vt simus concordes,idemq; sentiamus.* k Et obseruate.] *superius dixit,videte,hoc est,cauete canes,nempe qui post acceptam fidem redeũt ad Iudaismũ,nũc docet,eos sequendos,qui apostolicam formam habent.* l Inimici crucis.] *Contraria scilicet illi agentes:nã crux requirit generosum animũ,præparatu ad pericula:& imitantem suum Dominum: q vero seruiunt ventri.* m Et gloria.] *Quæ occultare ob pudorem oportuerat,in ijs gloriantur.* n Corpus humilitatis.] *Hebraismus est, pro corpus humile: nam & si Paulus Græca scripsit lingua, Hebræus tamen suæ linguæ proprietates interdum non negligebat, sicut & quod sequitur,vt conforme sit corpori claritatis suæ,vel gloriæ suæ,hoc est,corpori suo glorioso. Ait ergo, Dominũ nostrum transfiguraturum corpus hoc nostrum humile,vt similem corpori suo glorioso formam habeat, felicia promissa.* o Secundũ operationẽ.] *Dixerat paradoxum quoddam,nempe futurum corpus nostrum conforme Diuino illi corpori, & ne cui minus credibile videretur,addit,hoc facturum esse Dominum secundum illam efficaciam,qua subycere etiam sibi omnia possit, omnipotentem eum significans. Quare & corruptionem & mortem subycere potest.*

CAPVT IIII.

ITaq; fratres mei dilecti & desiderati,gaudiũ meũ, & corona mea:sic state in Dño charissimi. Euodiã rogo & Syntychẽ deprecor,idipsum sapere in Dño. Etiã rogo & te [a] germane cõpar:adiuua illas,q̃ mecũ laborauerũt in euãgelio cũ Clemente,& cæteris adiutoribus meis,quor̃ noïa sunt in libro vitæ. [b] Gaudete in Dño semp:iter̃ dico gaudete. Modestia vestra nota sit oïbus hoïbus. [c] Dñs ꝓpè est. Nihil soliciti sitis:sed in oïbus,oratione & obsecratione cũ gratiar̃ actione,petitiones vestrę innotescãt apud Deũ: Et [d] pax Dei, q̃ exuperat omnẽ mentẽ,custodiet corda vestra & intelligẽtias vestras in CHRISTO IESV. Quod reliquũ est fratres,quæcũq; sunt vera,q̃cũq; honesta,quęcũq; iusta,q̃cũq; sancta,quęcũq; amabilia, [e] quæcũq; bonæ famæ,siqua virtus,siqua laus:hæc cogitate. Quæ & didicistis,& accepistis,& audistis,& vidistis in me:hæc agite,& Deus pacis erit vobiscũ. Gauisus sum aũt in Dño vehemẽter,ꝙ tãdẽ aliquãdo [f] reuiguistis ꝙ me sentire, sicut & sentiebatis:sed deerat opportunitas. [g] Nõ ꝙ iuxta penuriã dicã:ego enim didici,in quibus sum, sufficiẽs esse. Scio & humiliari:scio & abũdare,vbiq; & in oïbus instítutus sum,& satiari, & esurire, & abũdare & penuriã pati. Omnia possum in eo,qui me cõfortat CHRISTVS. Verũtamẽ bene fecistis cõmunicãtes tribulationi meæ. [h] Scitis aũt & vos Philippenses,ꝙ in principio euãgelij,quãdo ꝓfectus sum à Macedonia,nulla mihi ecclesia cõmunicauit in [i] ratione dati & accepti, nisi vos soli: quia & Thessalonicæ,semel & iterũ in vsum mihi misistis. [k] Nõ ꝙ requirã donũ:sed requiro fructũ abũdantẽ in rationẽ vestrã. [l] Habeo aũt oïa: & abũdo:repletus sum acceptis ab Epaphrodito,quæ misistis,odorẽ bonæ fragrantiæ,hostiã acceptam,placentem Deo. Deus autem meus supplebit,quicquid opus fuerit vobis,secũdum diuitias suas in gloria,in CHRISTO IESV. Deo autem & patri nostro gloria in secula seculorum amen. Salutate omnem sanctum in CHRISTO IESV. Salutãt vos,qui mecum sunt fratres. Salutant vos oẽs sancti: [m] maxime autem qui de Cæsaris domo sunt. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI cum omnibus vobis. Amen.

A
B
C
D

SCHOLIA.

[a] Germane compar.] *συγγενικῶς, quæ cum vtrique generi conueniant,ambiguum faciunt sensum. Sunt enim qui putent,hinc colligi,Paulum habuisse vxorem,& Clemens (vt refert Eusebius libro tertio ecclesiasticæ historiæ) locũ hunc citat,vt hoc probet:sed nõ admodũ efficax locus est,ad hoc probandũ. Qui enim credibile est,Paulum hanc reliquisse in peregrina & aliena terra,& non potius Tarsi vbi natus erat,vel Ierosolymis,vbi educatus? Opinatur ergo Chrysostomus,hinc fuisse maritum vnius duarum mulierum,quas dudum nominarat, aut alterum quempiam probum virum,cui has commendet.*

[b] Gaudete in Dño.] *Magnus Basilius pulchram in hæc apostoli verba,vel illa vbi dicit,semper gaudete,& c. scripsit orationem,quo pacto possit homo Christianus semper gaudere.* [c] Dominus prope.] *Adest semper sperantibus bene de ipso,sic enim quidam interpretantur. Vel sic potius Dominus non longe abest,eius q̃ iudicium,quo & vos coronet, et tribulatores vestros vlciscatur.* [d] Pax Dei.] *Si pax Dei superat omnem mentem, quid de ijs dicas, qui naturam & essentiam eius curiosius perueſtigant? Pacem aũt Dei appellat reconciliationem eius erga nos, nam cum ingens bellũ intercederet, pacauit omnia Deus per vnigeniti sui sanguinem:superat aũt omnem mentem,nam quis intelligentia assequatur tantã Dei erga nos Charitatem,et præterea illa mysteria,quæ per hanc pacificationem data nobis sunt?* [e] Quæcunq; bonę.] *Quæcunq; (inquit) pertinent ad bonũ nomen,ad virtutem ad laudem,hoc est,quæ digna laude sunt,& c.* [f] Reuiguistis.] ἀνεθάλετε. *Accepta est similitudo ab arboribus,quæ cũ videntur arefactæ,postea regerminãt. Sic vos,inquit,cessaueratis ab opere eleemosynæ, nũc reuiguistis,et curam mei,quam ante habueratis,recepistis,neque tamen hanc cessationem vestro vitio ascribo,sed tempori, nã deerat vobis opportunitas,dũ vel non aderant,qui ferrent,vel premebamini & vos inopia.* [g] Non quod iuxta.] *Non propter hoc(inquit) dixi quòd in penuria,sim. Generosum animũ,metuebat,ne illi,audita eius inopia,tristarẽtur.* [h] Scitis aũt.] *Ne putetis me iccirco hæc dicere,quòd petam,aut egeam: sed quia vos occasionem mihi præbuistis audendi, ita nunc fidenter loquor:memini enim in principio Euangelij quanta me prosecuti fueritis liberalitate.* [i] In ratione.] *Dabant enim spiritualia,& accipiebant carnalia,sicut & alibi ait: Si nos vobis spiritualia seminauimus,magnum est,si nos vestra carnalia metamus?* [k] Non quod.] *Hæc (inquit) omnia vobis in primis vtilitati sunt,alioqui ne illa quidem requirerem:fructus enim vester est,quem requiro.* [l] Habeo autẽ.] *Per hoc(inquit) quod dedistis non solum ea,quæ defuerant,supplestis, verũ etiam superatis.* [m] Maxime aũt.] *Roborat eos,quod etiam in regiam domum peruenerit Euangelium.*

SCRIPTA EST E ROMA PER EPAPHRODITVM.

Epistola

EPISTOLA PAVLI
AD COLOSSENSES.

CAPVT I.

PAVLVS Apostolus IESV CHRISTI per voluntatem Dei & Timótheus frater: ijs qui sunt Colossis,sanctis & fidelibus fratribus in CHRISTO: gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino IESV CHRISTO. Gratias agimus Deo & patri Domini nostri IESV CHRISTI: semper pro vobis orantes: audientes fidem vestram in CHRISTO IESV, & dilectionem, quam habetis in sanctos omnes propter spem,quæ reposita est vobis in cœlis, quam prius audistis in verbo veritatis euangelij,quod peruenit ad vos,sicut & in vniuerso mundo etiam fructificat, sicut & in vobis ex ea die,qua audistis & cognouistis gratiã Dei in veritate, sicut & didicistis ab Epaphra charissimo conseruo nostro,qui est fidelis pro vobis minister CHRISTI: qui etiam manifestauit nobis dilectionem vestram in spiritu. Ideo & nos ex qua die audiuimus,non cessamus pro vobis orantes & postulantes vt impleamini agnitione voluntatis eius in omni sapiẽtia & intellectu spirituali,vt ambuletis digne Domino, per omnia placentes,in omni opere bono fructificantes,& crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum [a] potentiam gloriæ eius: ad omnem patientiam & longanimitatem: cum gaudio gratias agentes patri,qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine,qui eripuit nos de potestate tenebrarum,& trãstulit in regnum [b] filij dilectionis suæ,in quo habemus redemptionem per sanguinem ipsius, remissionem peccatorum: [c] qui est imago Dei inuisibilis,primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa quæ in cœlis sunt, & quæ in terra, visibilia, & inuisibilia, siue throni,siue dominationes,siue principatus,siue potestates, [d] omnia per ipsum & in ipsum creata sunt,& ipse est ante omnia: & omnia in ipso cõstant:& ipse est caput corporis ecclesiæ,qui est principium, primogenitus ex mortuis: [e] vt sit in omnibus ipse primatum tenens:quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: & per eum reconciliare omnia in ipsum,pacificatis per sanguinem crucis eius per eundẽ [f] siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Et vos cum essetis aliquando alienati & inimici sensu,in operibus malis:nunc autem reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, vt exhiberet vos sanctos & immaculatos et irreprehẽsibiles coràm ipso: siquidem permanetis in fide fundati & stabiles,& immobiles à spe euangelij,quod prædicatũ est in vniuersa creatura,quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister. Nunc gaudeo in passionibus pro vobis,& [g] adimpleo ea,quæ desunt passionum CHRISTI, in carne mea pro corpore eius quod est ecclesia. Cuius factus sum ego minister secundum dispensationem Dei,quæ data est mihi in vos, vt impleam verbum Dei, mysterium quod absconditum fuit à seculis & generationibus,nunc autẽ manifestatum est sanctis eius, quibus voluit Deus notum facere [h] quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius in gentibus,qui est CHRISTVS, in vobis spes gloriæ:quem nos annuntiamus,admonentes omnem hominem,& docentes omnẽ hominem in omni sapientia,vt exhibeamus omnem hominem perfectum in CHRISTO IESV, in quod & laboro,certando secundum operationem eius,quæ operatur in me in virtute.

A
B
C
D

1. Cor. 15. c
Apoc. 1. b

SCHOLIA.

[a] Pontentiam gloriæ.] *Potentiam gloriosum, & manifestis argumentis declaratam.* [b] Filij dilectionis suæ.] *Iam tritus est Hebraismus,pro,filij dilecti sui.* [c] Qui est imago Dei inuisibilis.] *Vt illud inuisibilis,sit secundi casus, & referatur ad Deum,non ad imaginem. Cur autem addit,inuisibilis,neque tantum dixit, qui est imago Dei? opinor, vt, cum audis imaginem esse inuisibilis Dei,intelligas necessario,& ipsum esse inuisibilem,quæ appellatio cum solius Dei propria sit,vt alibi legis,regi seculorum immortali,inuisibili,sequitur etiam, vt sit Deus. Imaginem autem dixit,quasi expressionem quandam archetypæ pulchritudinis,ad perfectionem enim imaginis hoc pertinet,vt ex omni parte exemplar referat. Neque enim,si cuiusquam filium intuearis,illum imaginem esse patris proprie dixeris,nisi omnibus partibus patrem repræsentet. sequitur. Primogenitus omnis creaturæ:duo intelligas simul,et primogenitũ illum esse,quod nunc idem est, quod vnigenitum, & quòd ante omnem creaturam genitus sit,nempe ab æterno:& nequis auderet eum inter creaturas collocare,addit,omnia creata esse in ipso,hoc est,per ipsum,vt Ioannes ait,omnia per ipsum facta sunt. Quòd si ipse creatura esset, aut non omnia per ipsum creata essent,aut ipse se creasset,quod an fieri possit, tu collige.* [d] Omnia per ipsum & in ipsum creata sunt.] *Omnium est & author & conseruator,nec solum omnia ab ipso profecta sunt, verum & ab ipso pendent. Vel,omnia in laudem & gloriam, & veneration ipsius.* [e] Vt sit in omnibus.] *Non solum est primogenitus ratione naturæ diuinæ, verum etiam,vt homo,primogenitus ex mortuis est,vt ipse sit in rebus omnibus primatum tenens, & cuiusque rei principium.* [f] Siue quæ in terris,siue quæ in cœlis sunt.] *Eramus nos & nobiscum ipsis discordes,& cum angelis,qui indignabantur,suum Dominum ab hominibus affici contumelia:at is omnia pacauit vt ipso nascente,angeli pacem annuntiauerint. Et vide,vt semper, quacunque de re scribat Paulus, in ingentem rerum celsitudinem ascendat.* [g] Adimpleo ea, quæ desunt.] *Hoc (inquit) quod patior,nolim vt mihi acceptum referatis,sed Christo,qui in nobis,hoc est,in membris suis adhuc patitur,hoc enim vnum ei deesse poterat,nam in se pati amplius nihil potest. Vel adimpleo quod Christus me pati voluit,in carne mea, ad vtilitatem & gloriam ecclesiæ, siue corporis illius.* [h] Diuitiæ gloriæ mysterij huius.] *Ingens gentibus datum beneficium,notum factum esse illis,nõ solum mysterium,neque solum gloriam mysterij, verum diuitias gloriæ mysterij huius. Quod autem ait,spes gloriæ,mihi videtur familiaris Paulo Hebraismus,pro spes gloriosa.*

Caput

CAPVT II.

VOlo enim vos scire qualem solicitudinem habeam pro vobis, & pro ijs, qui sunt Laodiciæ, & qui cunque non viderunt faciem meam in carne: vt consolationem accipiant corda ipsorũ, cum fuerint compacti in charitate, & [a] in omnes diuitias certitudinis intellectus, in agnitionem mysterij [b] Dei & patris & CHRISTI, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi. Hoc autem dico: vt nemo vos decipiat in probabilitate sermonis. Nam [c] etsi carne absens sum: tamen spiritu vobiscum 1. Cor. 5.b sum, gaudens & videns ordinem vestrum, & firmamentum eius, quæ in CHRISTVM est, fidei vestræ. Sicut ergo accepistis IESVM CHRISTVM Dominum: in ipso ambulate, radicati & superædificati in ipso, & confirmati in fide, sicut & didicistis, abundantes in illa in gratiarum actione. Videte nequis vos deprædetur [d] per philosophiam & inanem fallaciam: secundum traditionem hominum, [e] secundũ elementa mundi, & non secundum CHRISTVM. quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis [f] corporaliter: & estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus & potestatis, in quo & circuncisi estis circuncisione non manufacta, in expoliatione [g] corporis peccatorum carnis, in circuncisione CHRISTI, consepulti ei in baptismo, in quo & simul resurrexistis [h] per fidem operationis Dei: qui suscitauit illum à mortuis. Et vos cum mortui essetis in delictis, & [i] præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo: donans nobis omnia delicta, delens quod aduersus nos erat, chirographum, quod erat contrarium nobis [k] per decreta: & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus & potestates, ostentauit palàm triumphans de illis in semetipso. [l] Nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, [m] corpus autẽ CHRISTI. Nemo vos præmio fraudet [n] volens, in humilitate & religione angelorum, in ijs, quæ non vidit, fastuose ambulans, frustra inflatus sensu carnis suæ, & non tenens caput, ex quo totum corpus per nexus & cõiunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei. Itaq; si mortui estis cum CHRISTO [o] ab elemẽtis mundi: quid tanquam viuentes in mundo decretis tenemini? [p] Ne tetigeris, neq; gustaueris, neq; contrectaueris? [q] quæ sunt omnia in interitum ipso vsu, secũdum præcepta & doctrinas hominum: quæ sunt speciem quidem habentia sapientiæ in superstitione & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis.

A B C D

SCHOLIA.

[a] In omnes diuitias plenitudinis.] πληροφοριας certitudinis, certæque persuasionis, & hic significans non solum thesauros, verum etiam certissimam veritatem nostræ philosophiæ, dixit, in omnes diuitias certæ persuasionis intellectus.

[b] Dei & patris & Christi.] *Et hic frequens est vsus, vt dicat, Dei & patris, pro Dei patris, hoc est, Dei, qui idem & pater est, & obserua plena maiestatis verba, quæ sequuntur, In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi, & cur hoc dicat, admonet, nequis vos decipiat in probabilitate sermonis, quasi diceret, non vos moueat pompa verborum, et inanis iactantia sapientiæ huius seculi, hic, hic sunt ingentes thesauri ac veri, & sapientiæ & scientiæ.* [c] Et carne absens sum.] *Consequens erat, vt diceret, cerno tamen spiritu deceptores illos, qui vestrum ordinem perturbare conantur: sed obtexit rem, ne videretur vehementior.* [d] Per philosophiam & inanem fallaciam.] *Idest, quæ solidi ad vitam æternam consequendam nihil habet.* [e] Secundum elementa mundi.] *Nam humana sapientia necesse est, vt ex harum rerum visibilium contemplatione proficiscatur, & fortasse alludit etiam ad illud quod Galatis scripsit, cum ait, sub elementis huius mundi eramus seruientes.* [f] Corporaliter.] *Substantialiter, non per figuram aut habitum, sed vt anima in corpore, hoc est, essentialiter accepit nostram naturam, vt fieret Deus & homo vna persona.* [g] Corporis peccatorum carnis.] *Sicut & illud, vt destruatur corpus peccati,* προσωποποιια. [h] Per fidem operationis Dei.] *simul resuscitati estis (inquit) dum creditis, efficacia & potentia Dei etiam vos esse resuscitandos.* [i] Præputio carnis vestræ.] *Vocabulo præputy, more Hebræorum intelligitur immundities quædam sicut contra, nomine circuncisionis signatur mundities. Vt ergo, cum supra dixit, in quo & circuncisi estis, significauit puritatem & sanctificationem, ita hic per præputium intelligit impuritatem.* [k] Per decreta.] *Eodem verbo vsus est ad Ephesios, & in eundem sensum ferè, vt quod ibi vocauit legem mandatorum, hic appellet chirographum, quod erat contrarium nobis: nam lex, nisi adsit gratia, aggrauat potius quàm iuuet. Sunt qui per Chirographum intelligant illud, quod dixit Deus Adæ, quocunque die comederis, morte morieris. Sunt qui per chirographum intelligant peccatum quod erat contrarium nobis.* [l] Nemo ergo vos iudicet.] *Cum per fidem in Christum plena integraque comparata sit vobis salus, neque vlla iam legalium rerum obseruatio sit necessaria, nemo posthac audeat vos iudicare & damnare ex eo, quod non discernitis in cibis, &c.* [m] Corpus autem Christi.] *Corpus hic intelligit veritatem & substantiam rerum, & opponit corpus vmbræ. Igitur sicut vmbra refert quidem imaginem corporis, non tamen est corpus, sic illæ legis cerimoniæ velut vmbræ quædam erant, verum soliditas rerum pertinet ad Christum.* [n] Volens in humilitate.] *Erant quidam apud eos, qui simulatione humilitatis prohibebant eos, ad gratiam Christi accedere, tanquam indignos tanta re, & docebant rogandos potius Angelos, qui nos exhiberent Deo, vt qui & prius communem accessum sint operati, maius autem esse, quàm nobis conueniat, intercessore vti Christo ad hoc: ob hanc causam introducebant religionem angelorum, & ydem etiam Iudaicarum superstitionum authores fuisse videntur.* [o] Ab elementis mundi.] *De his ad Galatas dictum est.* [p] Ne tetigeris.] *Cum indignatione verbis vtitur eorũ qui Iudaicos mores introducebãt.* [q] Quæ sunt omnia.] *Hæc omnia (inquit) quæ tanti isti faciunt, & iubent ab eis abstineri, instituta sunt, vt eis vtamur: nam vsu ipso corrumpuntur, et non est de ipsis Diuina lex, quæ ea prohibeat. Sed ista inuenta sunt & documenta hominum, nullo Diuino fundamento nixa, quæ speciem tantum habent sapientiæ, dum religionem quandam & humilitatem præ se ferũt, ac deijciunt animum, quem magnificis euangelij promissionibus erigi oportuerat, & docent non esse parcendum corpori, sed reuera auferunt honorem, quem Deus rebus inseruit, quas iccirco instituit, vt honestaret hominem, qui diuersa haberet alimentorum genera, ad satiandas explendasque corporis necessitates.*

Caput

CAPVT III.

A IGitur si resurrexistis cum CHRISTO: quæ sursum sunt quærite, vbi CHRISTVS est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. [a] Mortui enim estis: & vita vestra est abscondita cum CHRISTO in Deo. Cum autem CHRISTVS apparuerit, vita nostra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria. Mortificate ergo membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam, [b] quæ est simulachrorum seruitus: propter quæ, venit ira Dei super filios inobedientiæ, in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viueretis in illis. Nunc Ephe. 5.a Rom. 6.b
B autem deponite & vos omnia, iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mẽtiri inuicem: postquam exuistis veterem hominem cum actibus suis, & induistis nouum, qui renouatur in agnitionem secundum imaginem eius, qui creauit illum: vbi non est Gentilis & Iudæus, circũcisio & præputium, barbarus & Scytha, seruus & liber: sed omnia & in omnibus CHRISTVS. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti & dilecti viscera miserationum, benignitatẽ, modestiam, longanimitatem: supportantes inuicem: & donantes vobismetipsis siquis aduersus aliquem habet querelam: sicut & Ephe. 6.b Ephe. 4.e Heb. 12.d 1. pet. 1.a & 4.a
C CHRISTVS donauit vobis: ita & vos: super omnia autem hæc, charitatem, quod est [c] vinculũ perfectionis. & pax Dei palmã ferat in cordibus vestris, in quam & vocati estis in vno corpore: & grati estote: verbũ CHRISTI habitet in vobis abundanter: in omni sapientia docentes & commonentes vos inuicem, psalmis, hymnis & [d] canticis spiritualibus, in gratia cãtantes in cordibus vestris Domino. Et quodcunq; facitis [e] in verbo aut in opere: omnia in nomine Domini nostri IESV CHRISTI facite, gratias agentes Deo Ephe. 4.g
& patri per ipsum. Vxores, subditæ estote proprijs viris, sicut oportet, in Domino. Viri, diligite vxores: & no- 1.Cor. 10.g Ephe. 5.e
D lite amari esse erga illas. Filij, obedite parentibus per omnia: hoc enim placitum est Domino. Patres, nolite 1. pet. 3.a
prouocare filios vestros: vt non pusillo animo fiant. Serui, obedite per omnia dominis secundum carnem: Ephe. 6.a
non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes Deum. Quodcũq; Ephe. 6.a Tit. 2.c
facitis, ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus: scientes quòd à Domino accipietis retribu- 1.petr. 2.c
tionem hereditatis. Domino enim CHRISTO seruitis. Qui autem iniuriã facit: recipiet id, quod inique Sapiẽ. 6.b
gesserit, & non est personarum acceptio. Rom. 2.b

SCHOLIA.

[a] Mortui enim estis.] *Reddit causam, cur iusserit ne post hac terrena ista curent, sed cœlestia tãtum. Is (inquit) qui iam Christum professus est, & ascriptus in illam cœlestem ciuitatem, professus etiam est, vitam suam esse Christũ. Mortuus ergo is est, vbicunque non sit Christus: at Christus est ad dexteram Dei sedens: vitam ergo quisque suam existimare debet ibi duntaxat esse, vbi Christus est. Et quod ait, abscondita est, hoc est, tutissimo loco collocata.* [b] Quæ est simulachrorum seruitus.] *Præter cætera peccata auaritia peculiare hoc nomen assecuta est, vt dicatur esse (horrendum nomen) cultus simulachrorum, nam pecunia, quid aliud est, quam simulachrum quoddam vel argenteum vel aureum, quod homines auari plus amant, & longe maiore cultu atque honore prosequuntur, quàm ipsum Deum?* [c] Vinculum perfectionis.] *Vinculum perfectum. Charitas (inquit) nihil est aliud, quàm res quædam, bona omnia in vnum colligens, nam ea est, quæ cætera efficit, vt sint bona.* [d] Canticis spiritualibus in gratia.] *Mihi videtur illud, in gratia significare, opportune, apte, hæc facienda, & quod dicitur, cum gratia.* [e] In verbo aut in opere.] *Quam pulcher esset Christianus orbis, si hæc apostolica præcepta seruarentur, vt alibi etiam admonet, vt siue edamus etiam, siue bibamus, omnia ad gloriam Dei fiant.*

CAPVT IIII.

A DOmini quod iustum est & æquum, seruis præstate: scientes q; & vos Dominum habetis in cœlo. Ora- Ephe. 6.b
tioni instate: vigilantes in ea in gratiarum actione: orantes simul & pro nobis, vt Deus aperiat nobis Ephe. 6.b
ostium sermonis, ad loquendum mysterium CHRISTI (propter quod etiam vinctus sum) vt ma- 2. Thes. 3.a
nifestem illud ita, vt oportet me loqui. In sapientia ambulate ad eos, qui foris sunt, tempus redimẽtes. Sermo Ephe. 5.c
B vester semper in gratia sale sit conditus, vt sciatis quomodo oporteat vos vnicuiq; respondere. Quæ circa me
sunt omnia vobis nota faciet Tychicus charissimus frater, & fidelis minister, & cõseruus in Dño: quem misi
ad vos ad hoc ipsum, vt cognoscat quæ circa vos sunt, & cõsoletur corda vestra cum Onesimo charissimo &
fideli fratre, qui ex vobis est: omnia quæ hic aguntur, nota facient vobis. Salutat vos Aristarchus cõcaptiuus
C meus, & Marcus cõsobrinus Barnabæ (de quo accepistis mãdata. Si venerit ad vos, suscipite illũ) & IESVS
qui dicitur Iustus: qui sunt ex circuncisione: hi soli sunt adiutores mei ad regnum Dei: qui mihi fuerunt solatio. Salutat vos Epaphras, qui ex vobis est, seruus CHRISTI, semper solicitus pro vobis in orationibus, vt
stetis perfecti & pleni in omni voluntate Dei. Testimonium enim illi perhibeo, quòd habet multum labo-
D rem pro vobis, & pro ijs qui sunt Laodiciæ, & qui Hierapoli. Salutat vos Lucas medicus charissimus, & De-
mas. Salutate fratres qui sunt Laodiciæ: & Nympham, & quæ in domo eius est ecclesiam. [a] Et cum lecta fue- 2. Tim. 4.e
rit apud vos epistola: facite vt & in Laodicensium ecclesia legatur: & ea quæ ex Laodicia est, vt vobis legatur.
Et [b] dicite Archippo. Vide ministerium quod accepisti in Domino, vt illud impleas. Salutatio: mea manu
Pauli. Memores estote vinculorum meorum. Gratia vobiscum. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Et cum lecta fuerit.] *Hinc colligitur, Colossenses nõ esse Rhodienses, vt quidam opinati sunt, sed ciuitatẽ esse Phrygiæ, ex eo quod propinqua esset Laodiceæ.* [b] Dicite Archippo.] *Hæc verba addere poterant, & animum & authoritatem Archippo, vt exequeretur ea, quæ apostoli iussu mandata ei fuerant.*

MISSA E ROMA PER TICHICVM, ET ONESIMVM.

Epistola

EPISTOLA PAVLI
AD THESSALONICENSES PRIMA.
CAPVT I.

[a] AVLVS & Syluanus & Timòtheus eccleſiæ Theſſalonicenſiũ in Deo patre & Domino IESV CHRISTO, gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Dño IESV CHRISTO. Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis: memoriã veſtri facientes in orationibus noſtris: ſine intermiſsione, memores operis fidei veſtræ & [b] laboris charitatis & ſuſtinẽtiæ ſpei Domini noſtri IESV CHRISTI ante Deũ patrem noſtrum, ſciẽtes fratres dilecti à Deo, electionẽ veſtram, quia euangeliũ noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in ſpiritu ſancto, & in certitudine multa ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini: [c] excipientes verbum in tribulatione multa cum gaudio ſpiritus ſancti: ita vt facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini: non ſolum in Macedonia & in Achaia: ſed & in omni loco fides veſtra, quę eſt ad Deum, profecta eſt, ita vt non ſit nobis neceſſe quicquam loqui. Ipſi enim de vobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos: & quomodo conuerſi eſtis ad Deum, à ſimulachris, ſeruire Deo viuo & vero, & expectare filiũ eius de cœlis (quẽ ſuſcitauit ex mortuis) IESVM, qui eripit nos ab ira ventura.

A B C D

SCHOLIA.

[a] Paulus.] *Magiſter ille orbis terræ, vt ſe ſubmiſſe gerit, qui minime ſe in ſalutatione ſeligit, ſed diſcipulos ſuos ſecum numerat.* [b] Laboris charitatis.] *Dum labores, & pericula ob charitatem in Deum toleratus: & quod ſequitur, & patientiæ ſpei, hoc eſt, tolerantiæ, ob ſpem Domini noſtri, &c.* [c] Excipientes.] *Vide quanti ſit, ex animo accipere euangelicam prædicationem. Ii, qui à ſimulachris dudum receſſerant, mox apti ſunt ad omnia pro nihilo putanda, & cum gaudio etiã afflictiones ac perſecutiones perferunt, & exemplar quoddam circumiacentibus populis exiſtunt.*

CAPVT II.

[a] NAm ipſi ſcitis fratres introitum noſtrum ad vos, quòd non inanis fuit: ſed ante paſsi & cõtumelijs affecti (ſicut ſcitis) in Philippis, audacter egimus in Deo noſtro ad loquendum ad vos euangelium Dei in multo certamine. Exhortatio enim noſtra non de errore, neq; de immunditia, neq; in dolo: ſed ſicut probati ſumus à Deo, vt crederetur nobis euangelium, ita loquimur: non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra. [b] Neq; enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis: neq; in occaſione auaritiæ, Deus teſtis eſt: neq; quærentes ab hominibus gloriam, neq; à vobis, neq; ab alijs: cum poſſemus oneri eſſe, vt CHRISTI apoſtoli: ſed facti ſumus placidi in medio veſtri, tanq̃ ſi nutrix foueat filios ſuos. Ita deſiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non ſolum euangelium Dei, ſed etiam animas noſtras: quoniam chariſſimi nobis facti eſtis. Memores enim eſtis fratres laboris noſtri & fatigationis: nocte enim & die operantes, ne quem veſtrum grauaremus: prædicauimus in vobis euãgelium Dei. Vos teſtes eſtis & Deus, q̃ ſanctè & iuſtè & ſine querela vobis, qui credidiſtis, affuimus: ſicut ſcitis, qualiter vnumquemq; veſtrum (ſicut pater filios ſuos) deprecantes vos & conſolantes, teſtificati ſumus, vt ambularetis digne Deo, qui vocauit vos in ſuum regnum & gloriam. Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſsione: quoniam cum acciperetis à nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non vt verbum hominum, ſed (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui etiam operatur in vobis qui creditis. Vos enim imitatores facti eſtis fratres, eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Iudæa, in CHRISTO IESV: quia eadem paſsi eſtis & vos à contribulibus veſtris, ſicut & ipſi à Iudæis, qui & Dominum occiderunt IESVM, & proprios propheras, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent: & omnibus hominibus aduerſantur, prohibentes nos gentibus loqui, vt ſalui fiãt, vt impleant peccata ſua ſemper: peruènit autem ira ſuper illos [c] vſq; in finem. Nos autem fratres orbati vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde: abundantius ſtuduimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio: quapropter voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & ſemel & iterum: ſed [d] impediuit nos ſatanas. Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudiũ, aut corona gloriæ? [e] Nónne & vos ante Dominum noſtrũ IESVM CHRISTVM in aduentu eius? vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

Act. 20.g 1.Cor. 4.c 2. Theſ. 3.b

A B C D

SCHOLIA.

[a] Nam ipſi ſcitis fratres.] *Proſequitur, quod dudum dicebat. Ipſi enim de vobis annuntiant, qualem introitum habuerimus ad vos, ait ergo, & vos ipſi meminiſſe hoc poteſtis. Quod autem ait, non fuit inanis, vel dicit, ingreſſum illum non caruiſſe laboribus, vel prædicatio (inquit) noſtra non fuit fabulosa res, quod ex eo conijcere poteſtis, quòd cum recens euaſiſſemus pericula, in alia rurſus nos conieciſſemus, quod non auderemus, niſi exploratum nobis eſſet, diuinam hanc eſſe prædicationem, non hominum commenta.* [b] Neq; enim aliquando.] *Obſerua, quæ ſyncero prædicatori ſeruanda ſint, vt ſcilicet non aſſentetur, vt affectu auaritiæ careat, ne gloriam quærat, necui victus gratia ſit oneroſus, quamuis hoc permitteretur, ac liceret proſtremo vt paratus ſit vitam ipſam pro eorum ſalute profundere.* [c] Vſque in finem.] *Ira hæc (inquit) & vltio Dei nõ erit, vt olim, cum, viciſsim ſeruitus & libertas altera alteri ſuccedebat, nunc captiuitas, mox reditus, ſed in finem vſq; ira Dei ſuper vos porrigitur, vt nullus ſit ſperandus malorum finis, niſi cum plenitudine gentium ingreſſa, & ipſi conuertentur ad Dominum.* [d] Impediuit nos.] *Prohibuerunt alacritatem hanc noſtram (inquit) mutuo ſuccedentes perſecutiones, quas communis hoſtis excitare conſueuit.* [e] Nónne & vos.] *Vide, vt pondus adhibeat Paulus ſuis verbis: non*

non ait, nónne vos, viſa enim eſſet aſſentatio, quaſi ſolos eos ſpem, & gaudium et coronam gloriationis appellaret, ſed, cum & alios alys locis plurimos haberet, qui eſſent eadem conditione, dixit, & vos.

CAPVT III.

[a] PRopter quod cũ nõ ferremus amplius, placuit nobis remanere Athenis, ſolis: & miſimus Timótheum fratrẽ noſtrũ & miniſtrũ Dei & adiutorẽ operis noſtri in euãgelio CHRISTI, ad cõfirmandos vos & exhortandos pro fide veſtra: vt nemo moueatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis q. [a] in hoc poſiti ſumus. Nã & cũ apud vos eſſemus, prædicebamus vobis, paſſuros nos tribulationes, ſicut & factũ eſt & ſcitis. Propterea & ego amplius nõ ſuſtinẽs, miſi ad cognoſcẽdã fidem veſtrã, ne forte tẽtauerit vos is, qui tẽtat: & inanis fiat labor noſter. Nũc autem veniẽte Timótheo ad nos à vobis, & annũtiante nobis fidẽ & charitatẽ veſtrã, & q. memoriã noſtri habetis bonã ſemper, deſiderãtes nos vídere, ſicut nos quoq; vos: ideo cõſolationem habuimus fratres in vobis, in omni neceſsitate & tribulatione noſtra, per fidẽ veſtrã: qm̃ nunc viuimus, ſi vos ſtatis in Dño. Quam enim gratiam actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deũ noſtrum, nocte ac die abũdantius orantes, vt videamus faciem veſtram, & cõpleamus ea, quæ deſunt fidei veſtræ? Ipſe autẽ Deus & pater noſter & dominus noſter IESVS CHRISTVS, dirigat viã noſtrã ad vos. Vos autẽ Dñs multiplicet, & abundare faciat charitatẽ veſtram in inuicem & in omnes: quemadmodum & nos in vos [b] ad confirmanda corda veſtra ſine querela, in ſanctitate ante Deum & patrem noſtrum, in aduẽtu Domini noſtri IESV CHRISTI cũ omnibus ſanctis eius.

Act. 16.a

A B C D

SCHOLIA.

[a] In hoc poſiti ſumus.] *Ergo ei viro, qui non ſolo nomine Chriſtum profiteatur, hæc vna in hac vita propoſita eſſe debet expectatio, perferendarum ſcilicet moleſtiarum.* [b] Ad confirmanda corda veſtra.] *Ordo verborum talis eſt, Dominus abundare faciat charitatem veſtram &c. Vt confirmentur corda veſtra ſine querela.*

CAPVT IIII.

[a] QVod ſupereſt ergo fratres, rogamus vos & obſecramus in Dño IESV: quemadmodũ accepiſtis à nobis, quomodo oporteat vos ambulare & placere Deo, vt abũdetis magis. Scitis enim, quę præcepta dederimus vobis per Dñm IESVM. Hęc eſt enim voluntas Dei, ſanctificatio veſtra: vt abſtineatis vos à fornicatione: vt ſciat vnuſquiſq; veſtrũ, vas ſuũ poſsidere in ſanctificatione & honore: non in paſsione deſiderij, ſicut & gẽtes, quę ignorãt Deũ: nequis ſupergrediatur & [a] circũueniat in negotio fratrẽ ſuum: qm̃ vindex eſt Dñs de his omnibus, ſicut & prędiximus vobis, & teſtificati ſumus, Nõ enim vocauit nos Deus in immũditiã: ſed in ſanctificationẽ. [b] Itaq; qui ſpernit, nõ hominem ſpernit, ſed Deũ, qui dedit ſpiritũ ſuũ ſanctũ in vos. De charitate autẽ fraternitatis, nõ neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi. n. vos à Deo didiciſtis, vt diligatis inuicẽ. Etenim illud facitis in oẽs fratres in vniuerſa Macedonia. Rogamus autem vos fratres vt abũdetis magis: & operã detis vt quieti ſitis, & vt veſtrũ negociũ agatis, & operemini manibus veſtris, ſicus pręcepimus vobis: vt honeſtè ambuletis ad eos, qui foris ſunt: [c] & nulla re vobis opus ſit. Nolo aũt vos ignorare fratres [d] de dormiẽtibus: vt nõ cõriſtemini, ſicut & cęteri, qui ſpẽ nõ habẽt. Si. n. credimus q. IESVS mortuus eſt & reſurrexit, ita & Deus eos [e] qui dormierũt p IESVM, adducet cũ eo. Hoc. n. vobis dicimus in verbo Dñi, q. [f] nos q. viuemus, qui reſidui erimus in aduẽtũ Dñi, nõ pręueniemus eos q. dormierũt. Qm̃ ipſe Dominus in iuſſu & in voce archãgeli & [g] in tuba dei deſcẽdet de cœlo: & [h] mortui qui in CHRISTO ſunt, reſurgent primũ. Deinde nos qui viuemus, qui reſidui erimus: ſimul rapiemur cũ illis in nubibus obuiam Domino in aera, & ſic ſemper cum Dño erimus. Itaq; cõſolamini inuicem in verbis iſtis.

Rom. 12.c Ephe. 5.d Ioan. 13.d & 15.b 1. Ioan. 2.b & 4.d

A B C D

SCHOLIA.

[a] Circunueniat.] *πλεογεκτεῖν eſt verbum eſt, auaritiam ſignificans, hic tamen eo vtitur (ſicut & alibi fecit) in eum ſenſum, vt dicat, cauẽdum eſſe ab adulterio, vt vnuſquiſque ſua vxore contentus, non id agat, quod auari ſolent, vt alterius etiam thoro inſidietur.* [b] Itaq; qui ſpernit.] *Aliquis exempli gratia, ancillam corruperit, is cogitare debet non ancillæ conditionem, ſed ipſum Deum quem ſpernit, dũ illius præcepto aduerſatur, vel, qui ſpernit noſtra monita, non nos ſpernit, ſed Deum, qui dedit ſpiritum ſuum ſanctum in nos, cuius verba loquimur.* [c] Et nulla re.] *Videtur admonere, vt ita ſtudioſè ſua omnia curent, ne ſit eis neceſſe ethnicorũ vti opera.* [d] De dormientibus.] *Pulchre dormientes potiusquam mortuos appellat eos, qui paulopoſt eſſent excitandi ad perpetuam vitam.* [e] Qui dormierunt per IESVM.] *Qui in fide ieſu dormierunt, Sunt tamen, qui ſic diſtinguant, per Ieſum adducet, quia filius cauſa ſit reſurrectionis noſtræ, per ipſum enim omnia.* [f] Nos qui viuemus.] *Ita de ſe, & illis loquitur, quaſi qui eo vsq; viui reperiendi ſint tempore, quo veniet Dominus, accipit ergo eorum perſonam, qui tunc viui reperientur, & videtur ſignificare, eos non morituros, ſed immutandos tamen, quæ ſententia eadem erit cum ijs, quæ ad Corinthios dicta ſunt, cum ait. Non omnes quidem dormiemus, omnes autem immutabimur. Quam interpretationẽ, qui nõ admittunt, intelligunt per viuentes, animas, per dormientes, ipſa corpora, quòd ſcilicet non prævenient animæ corpora, ſed primum excitabuntur corpora, vt animæ illa accipiant. Videtur autem potius voluiſſe Paulus docere hos, & certam reſurrectionis fidem facere, quam tam facile diuina potentia ſit operatura, vt ij, qui tunc viuent, non prævenient eos, quorum corpora iam olim in puluerem conuerſa fuiſſent.* [g] In tuba Dei.] *Cuius typi fuerunt illæ in monte Sina, ſunt autẽ, qui has tubas interpretentur angelicas poteſtates.* [h] Mortui qui in CHRISTO ſunt.] *Non meminit hic damnandorum, cum ad fideles ſermo habeatur, idque conſolandi gratia, tum quòd ipſa reſurrectionis natura, eſt ob ſalutem hominum, qua ſiqui priuantur, id eorum ſit vitio.*

CAPVT V.

[a] DE temporibus autem & articulis fratres, nõ indigetis vt ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis q. dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. Cũ enim dixerint, pax & ſecuritas: [a] tunc repentinus eis ſuperueniet interitus, ſicut dolor in vtero habenti, & non effugient. Vos autem fratres, non eſtis in tenebris: vt vos dies illa tanquam fur, comprehendat: omnes vos filij lucis eſtis, & filij diei: non ſumus noctis neq; tenebrarum,

2. petr. 3.e Apoc. 3.a & 16.c

A

tenebrarum, igitur non dormiamus ſicut & cæteri:ſed vigilemus & ſobrij ſimus. [b] Qui enim dormiũt:no B
ctę dormiunt:& qui ebrij ſunt:noctę ebrij ſunt.Nos autem qui diei ſumus,ſobrij ſimus:induti loricam fidei
Eſa. 59.c & charitatis,& galeam,ſpem ſalutis:quoniam non poſuit nos Deus in iram:ſed in acquiſitionem ſalutis per
Ephe. 6.c Dominum noſtrũ IESVM CHRISTVM, qui mortuus eſt pro nobis, [c] vt ſiue vigilemus,ſiue dormia-
mus,ſimul cum illo viuamus.Propter quod adhortamini inuicem:& ædificate ſinguli ſingulos,ſicut & facitis.Rogamus autem vos fratres,vt noueritis eos qui laborant inter vos,& præſunt vobis in Domino,& mo- C
nent vos:vt habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum:pacem habete cum eis. Rogamus
autem vos fratres,monete inordinatos,conſolamini puſillanimes,ſubleuate infirmos,longanimes eſtote er-
proue. 17.c ga omnes,Videte nequis malum pro malo alicui reddat:ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini, & erga vos
Rom. 12.d inuicem & in omnes.Semper gaudete.Sine intermiſsione orate.In omnibus gratias agite: hæc eſt enim vo-
1. pet. 3.b luntas Dei in CHRISTO IESV erga vos. [d] Spiritum nolite extinguere. Prophetias nolite ſpernere. D
Eccle.18.c [e] Omnia probate:quod bonum eſt,tenete.Ab omni ſpecie mala abſtinete.Ipſe autem Deus pacis ſanctificet
Luc.18.a vos totos: [f] vt integer ſpiritus veſter & anima & corpus ſine querela, in aduẽtu Dñi noſtri IESV CHRI-
1. Cor. 1.b STI conſeruetur.Fidelis eſt qui vocauit vos:qui etiam faciet.Fratres,orate pro nobis. Salutate fratres omnes in oſculo ſancto. Adiuro vos per Dominũ,vt legatur epiſtola hęc omnibus ſanctis fratribus. Gratia Domini noſtri IESV CHRISTI vobiſcum. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Tunc repentinus.] *Quo pacto repentinus,cũ præceſſurus ſit Helias, atque Antichriſtus? Signa quidem hæc erũt non tamen iccirco certum,præfixum q; aduentus Domini tempus agnoſcetur.Pulchre autem exemplum mulieris, fœtum in vtero habentis proponit,quæ ſigna quidem futuri partus habet multa,ſed non ipſius diei & horæ, nam ingruit repẽte dolor.* [b] Qui enim dormiunt.] *Somnus (inquit) ac ebrietas tenebris magis noctis,quàm diurnæ luci conueniũt,Vos ergo, qui in hac veritatis luce verſamini,nulla iam tenebricoſa decent facta.* [c] Vt ſiue vigilemus,ſiue dormiamus.] *Siue viuamus,ſiue moriamur, hic enim aliter accepit dormiendi verbum, quàm ſuperius.* [d] Spiritum nolite extinguere.] *Tanquam lucernam,quæ in caliginoſo loco ambulantibus ſit neceſſaria.* [e] Omnia probate.] *Vult eos experimentum, et examen rerum facere,ne,dum facile quiduis amplexantur,in errorem incidant,& ideo addit,ab omni ſpecie mali abſtinete.* [f] Vt integer ſpiritus veſter.] *Spiritum intellige præcipuam in hominem partem,qua diuina percipimus, animam vero illam vim,quæ naturales exercet ratiocinationes,corpus autem affectus,qui craſſius neſcio quid,ac quaſi corporeum habent, qui niſi regantur,carnalem efficiunt hominem.Opinor ergo,voluiſſe atque optaſſe Paulum, vt hæ tres vires integræ ſeruarentur in homine,vt & ſpiritus illuſtraretur ſemper diuinis rebus,ac donis, & anima humanis, atque ab huius mundi ſapientia excogitatis ratiocinationibus non falleretur,& affectus,qui per corpus exerunt ſuam vim, dum ratione reguntur, ſeruarentur incorrupti.Chryſoſtomus intelligit per ſpiritum donũ ſpiritus,qui ſpiritus ſe adſit, nec anima peccabit nec corpus.*

AD THESSALONICENSES PRIMA SCRIPTA FVIT EX ATHENIS.

EPISTOLA PAVLI
AD THESSALONICEN. SECVNDA.

CAPVT I.

AVLVS & Syluanus & Timótheus eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo patre noſtro A
& Domino IESV CHRISTO, gratia vobis & paꝛ̃ à Deo patre noſtro,& Domino
IESV CHRISTO. Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis fratres, ita vt dignum eſt,quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas vniuſcuiuſq; veſtrum
omnium in vos inuicem:ita vt & noſipſi in vobis gloriemur in eccleſijs Dei,pro patiẽ- B
tia veſtra & fide in oĩbus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus,quas ſuſtinetis in
[a] exemplũ iuſti iudicij Dei,vt digni habeamini regno Dei pro quo & patimini,ſiquidẽ
iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem ijs,qui vos tribulant:& vobis, qui tribulamini requiẽ no-
biſcum in reuelatione Domini IESV de cœlo,cum angelis virtutis eius in flãma ignis dantis vindictam C
ijs,qui non nouerunt Deum,& qui non obediunt euangelio Domini noſtri IESV CHRISTI: qui pœnam dabunt interitum æternum à facie Domini & à gloria virtutis eius: cum venerit glorificari in ſanctis
ſuis,& admirabilis fieri in omnibus,qui crediderũt,quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos [b] in
die illo:in quod etiã oramus ſemper pro vobis,vt dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnẽ D
beneplacitum bonitatis,& opus fidei in virtute, vt glorificetur nomen Domini noſtri IESV CHRISTI
in vobis,& vos in illo,ſecundum gratiam Dei noſtri & Domini IESV CHRISTI.

SCHOLIA.

[a] Exemplum iuſti iudicij Dei.] *Cum viri boni hic affliguntur, ſignificatio ſit, futurum poſt hanc vitam iuſtum iudicium Dei,quod ſua cuiq; aliquando reddat,propter hoc ergo permittit Deus (inquit) vos atteri perſecutionibus,vt, cum reddiderit vobis regnum cœlorum,demonſtret,ſe iuſtum eſſe iudicem,nam in hac vita agnoſci non poteſt.* [b] In die illo.] *Videtur debere hic idem eſſe ordo verborum,qui & in illis ad Romanos verbis.Sæpe propoſui venire ad vos, & prohibitus ſum vſque adhuc, vt fructum aliquem haberem in vobis,nam hoc poſtremum,hoc eſt, vt fructũ aliquem haberem in vobis, refertur*

refertur ad priorem clauſulam,ſcilicet,ſæpe propoſui venire ad vos.Ita hoc loco,illa verba,in illo die,referantur, non ad proximam,ſed ad priorem ſententiam,ſic,cum venerit glorificari in ſanctis ſuis,& in omnibus,qui credunt,apparere admirabilis in illo die,quia creditum eſt teſtimonium noſtrum,hoc eſt,prædicatio noſtra inter vos:nam ex eo,quod credidiſtis,declarabitur illa Chriſti gloria.

CAPVT II.

A ROgamus autem vos fratres [a] per aduentum Domini noſtri IESV CHRISTI, & noſtram cõgregationem in ipſum:vt non cito dimoueamini à mẽte,neque terreamini, [b] neque per ſpiritum, neque per ſermonem,neque per epiſtolam tãquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies CHRISTI. Nequis vos ſeducat vllo modo:quoniam [c] niſi venerit diſceſsio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis,qui aduerſatur & extollitur [d] aduerſus omnẽ qui dicitur Deus aut numen, ita vt in tem-
B plo Dei tanquam Deus ſedeat,oſtendens ſe,q; ſit Deus. Non meminiſtis quòd cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis? [e] Et nunc quid detineat ſcitis:vt reueletur ille in ſuo tempore. Nam myſterium iam operatur iniquitatis:tantum qui tenet,nunc teneat,donec de medio fiat: Et tũc reuelabitur ille iniquus:quẽ Eſa.21.a
Dominus interficiet [f] ſpiritu oris ſui:& deſtruet illuſtratione aduentus ſui,eũ,cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſatanæ:in omni virtute,& ſignis,& [g] prodigijs mendacibus, & in omni ſeductione iniquita-
C tis [h] in ijs,qui pereunt,eo quòd charitatem veritatis non receperunt,vt ſalui fierẽt. Et ideo mittet illis Deus operationem erroris:vt credant mendacio,vt iudicentur omnes,qui non crediderunt veritati,ſed conſenſerunt iniquitati.Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis fratres dilecti à Domino,quod elegerit vos Deus ab initio in ſalutem,in ſanctificatione ſpiritus,& in fide veritatis. Ad quod & vocauit vos per euangelium noſtrum in [i] acquiſitionem gloriæ Domini noſtri IESV CHRISTI. Itaq; fratres ſtate:&
D tenete traditiones,quas didiciſtis,ſiue per ſermonem,ſiue per epiſtolam noſtram. Ipſe autem Dominus noſter IESVS CHRISTVS & Deus & pater noſter,qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia:conſoletur corda veſtra,& confirmet in omni ſermone bono & opere.

SCHOLIA.

[a] Per aduentum Domini.] *Obteſtatur per aduentum Domini illum ad iudicium,& addit,& per congregationem noſtram in ipſum,hoc eſt.Obſecro vos per illud terrificum tempus, cum Dominus apparebit, & nos ante ipſum congregabimur.* [b] Neque per ſpiritum.] *Etiam ſiquis dicat (inquit) hæc dicit ſpiritus,quòd ſæpe falſi prophetæ, mentientes veros,facere ſolent:erant enim quidam peſtilentes homines, qui diſſeminabant, iam imminere aduentum Domini ſecundum. Vult ergo ne eis credatur,ſiue fingant ſe à ſpiritu admonitos,ſiue perſuaſoria oratione (hoc eſt enim,quod ait, ſiue per ſermonem) id conentur affirmare, ſiue circunferant epiſtolas, eius inſcriptas nomine.* [c] Niſi venerit diſceſsio primum.] *ἀποστασία,Apoſtaſiam hanc intelligunt Antichriſtum,qui deficere a Chriſto multos compellet,quem & hominem peccati,& filium perditionis vocat.* [d] Aduerſus omnem, qui dicitur Deus, aut numen.] *Omnem tollet, tam verum Dei,quàm falſum cultum, & illum in ſe transferet.* [e] Et nunc quid detineat ſcitis.] *Sunt qui intelligant, ſpiritum ſanctum,qui prohibeat,ne nunc reueletur,ſed ſuo tempore.Alij putant dici de Romano imperio,quod niſi prius ſoluatur, nõ ſit venturus ille,ſed occulte dictum,ne irritaretur Romani,audientes ſoluendum eſſe illud imperium:& Neronem ſignari per id,quod ait,myſterium enim iam operatur iniquitatis,quaſi figura ſit Antichriſti,& illud. Tantum qui detinet nunc, donec de medio fiat,hoc eſt. Romanum regnum,quod nunc impedimento eſt,cum ceſſauerit,& finem acceperit,tunc ille reuelabitur,& conabitur non hominum ſolum,ſed diuinum etiam aggredi imperium. Alius ſic interpretatur. Tantum qui tenet,ideſt,quam accepit à nobis rationem fidei,& viuendi modum,illum teneat,donec tollatur è medio, ideſt, vſque ad mortem,& reliqua committat Deo.* [f] Spiritu oris ſui.] *Vel imperio, vel, vt illud,ſi in ſpiritu Dei ejcio Dæmonia.* [g] Prodigijs mendacibus.] *Vel,quia ſigna illa præſtigiæ quædam erunt,fallentes oculos, vel, quia per illa ſigna in mendacium & errores trahet.* [h] In ijs,qui pereunt.] *Et redditur cauſa,cur hæc permittantur, quia charitatem veritatis non admiſerunt,iccirco hæc prodigia vim non habebunt in eos,qui veritatem amant, ſed in ijs duntaxat,qui eam oderunt.* [i] In acquiſitionem gloriæ.] *In glorioſam poſſeſsionem acquiſitam à Domino noſtro Ieſu Chriſto.*

CAPVT III.

A QVod ſupereſt fratres,orate pro nobis,vt ſermo Domini currat & glorificetur, ſicut & apud vos: & Ephe.6.c
vt liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium eſt fides. [a] Fidelis autem Coloſ.4.a
Dominus eſt,qui confirmabit vos & cuſtodiet à malo. Confidimus autem de vobis in Domino, quòd quæcunq; præcipimus vobis & facitis, & facietis. Dominus autem [b] dirigat corda veſtra in charitatem Dei & patientiam CHRISTI. Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini no-
B ſtri IESV CHRISTI, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem,quam acceperunt à nobis.Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos:quoniam nõ inor- Act.20.g
dinate nos geſsimus inter vos,neque gratis panem accepimus ab aliquo,ſed in labore & fatigatione nocte & 1.Cor.4.c
die operantes,ne quem veſtrum grauaremus.Non quòd nõ habuerimus poteſtatem:ſed vt noſmetipſos for- 2.theſ.2.b
mam daremus vobis ad imitandum nos. Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis.Quòd
C ſiquis non vult operari, nec manducet. Audiuimus enim inter vos quoſdam ambulantes inordinate,nihil operantes,ſed curioſe agentes.Iis autem,qui eiuſmodi ſunt denuntiamus & obſecramus per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, vt cum ſilentio operantes ſuum ipſorum panem manducent.Vos autem Galat.6.c
fratres,nolite deficere benefacientes.Quòd ſiquis non obedit verbo noſtro [c] per epiſtolam,hunc notate: & ne commiſceamini cum illo,vt cõfundatur: & nolite quaſi inimicum exiſtimare,ſed admonere vt fratrem.
D Ipſe autem Dominus pacis [d] det vobis pacem ſemper omnibus modis. Dominus ſit cum omnibus vobis. Salutatio mea manu Pauli: [e] quod eſt ſignum in omni epiſtola, ita ſcribo. Gratia Domini noſtri IESV CHRISTI cum omnibus vobis Amen.

SCHOLIA.

[a] Fidelis autem Dominus.] *Dixerat non omnium esse fidem, & petierat, rogari pro se Deum, vt liberaretur à malis hominibus, qua in re potuissent illi de se ipsis cogitare, ne forte & ipsi ab eiusmodi hominibus vexarentur, itaque bono iubet eos esse animo, nam assuturum Dominum, & corroboraturum eos.* [b] Dirigat corda vestra.] *Optat dirigi corda eorum in charitatem Dei, vt progressus quotidie maiores faciant in eam, & in patientiam Christi, hoc est, vt perferant pro Christo, & eius exemplo, ingruentes persecutiones, ac mala.* [c] Per epistolam.] *Sic distingue. Siquis non obtemperat sermoni huic per epistolá nostro, hunc notate, ne lateat vos.* [d] Det vobis pacem semper omnibus modis.] *Omnibus modis, vt scilicet nulla ex parte occasiones contentionum habeant, & nihil tanti apud eos sit, quod eorum turbare pacẽ queat.* [e] Quod est signum in omni epistola.] *Vt ab adulterinis, & surreptitys epistolis discernantur.*

MISSA FVIT EX ATHENIS.

EPISTOLA PAVLI
AD TIMOTHEVM PRIMA.
CAPVT I.

Act.16.a

PAVLVS apostolus IESV CHRISTI, secundum imperium Dei saluatoris nostri, & Domini IESV CHRISTI spei nostrę: Timòtheo germano filio in fide, gratia & misericordia & pax à Deo patre nostro & Domino IESV CHRISTO, Domino nostro. Sicut rogaui te vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, vt denũtiares quibusdam ne aliter docerent, [a] neque intenderent fabulis & genealogijs interminatis: quæ quæstiones præstant magis quàm ædificationem Dei: quæ est in fide. [b] Finis autem præcepti, est charitas de corde puro & conscientia bona & fide non ficta. A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium: [c] volentes esse legis doctores, non intelligentes, neq; quæ loquuntur, neq; de quibus affirmãt. Scimus autem, ꝙ bona est lex, [d] siquis ea legitime vtatur: sciens hoc, ꝙ lex iusto non est posita, sed iniustis & non subditis, impijs & peccatoribus, sceleratis & contaminatis, patricidis, & matricidis, homicidis, fornicarijs, masculorum cõcubitoribus, [e] plagiarijs, mendacibus, & periuris, & siquid aliud sanæ doctrinæ aduersatur, secũdum euangelium gloriæ beati Dei, quod creditum est mihi. Et gratiam habeo ei, qui me conformauit CHRISTO IESV Domino nostro, quia fidelem me existimauit, ponens in ministerio, qui prius blasphemus fui & persecutor & contumeliosus, sed & misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate. Superabundauit autem gratia Domini nostri [f] cum fide & dilectione, quæ est in CHRISTO IESV: [g] Fidelis sermo & omni acceptione dignus: quòd CHRISTVS IESVS venit in mundum, peccatores saluos facere, [h] quorum primus ego sum. Sed ideo misericordiam consecutus sum [i] vt in me primo ostenderet CHRISTVS IESVS omnem patientiam, ad informationem eorum qui crediturí sunt illi in vitam æternam. Regi autem seculorum immortali, inuisibili, [k] soli sapienti Deo honor & gloria in secula seculorum. Amen. [l] Hoc præceptum commendo tibi fili Timóthee, secundum præcedentes in te prophetias: vt milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam: [m] quam quidam repellentes, circa fidem naufragium fecerunt: ex quibus est Hymenæus & Alexander: quos [n] tradidi satanæ, vt discant non blasphemare.

Rom.7.c

Matt.9.b Marc.2.c

SCHOLIA.

[a] Neque intenderent fabulis.] *Fabulas hic intelligit figmenta pseudapostolorum, & falsa dogmata, nam de poetarum fabulis nihil erat necesse ad monere, quas & pueri agnoscunt res esse ridendas, quod autem addit, & genẽalogys sine carentibus, hoc peculiare erat Iudæorum vitium, qui sibi placebant in illa maiorum suorum enumeratione, quos dum nimis superstitiosè recensèrent, inutiles quæstiones excitabant, fortasse eius generis, quas & nostri commouent interdum in genealogia seruatoris.* [b] Finis autem præcepti.] *Hæc si consideraremus, quis videlicet Euangelici sit finis præcepti, essemus in factis scriptiq́ nostris circunspectiores.* [c] Volentes esse legis doctores.] *Isti (inquit) non solum ob mutuũ odium operam dant his vaniloquijs, verum etiam ob primatus appetitionem, qui cum legem nesciant, & qui sit eius finis, tamen legis doctores esse se profitentur, interim ignorantes quæ loquuntur, & de quibus disputant.* [d] Siquis ea legitime vtatur.] *Cum rebus omnibus legitime vti quisque debeat, tum legi in primis id conuenit, ut legitime ea vtamur, hoc est, vt mentem legis intueamur, & videamus, quem ad finem sit instituta. Quis ergo legitime vtitur lege? qui per legem ad fidem ducitur Christi, & qui intelligit, naturam legis esse hanc, vt non iustis imperet quicquam, qui præcepto, aut stimulo legis non egent ad rectè facta, sed impijs, ac sceleratis, vt metu saltem frenentur. Qui vero etiam iustificandi vim legi tribuere volunt, ij nullo modo legitime vtuntur. Quocirca in gratiarum actionem conuertitur, & plurimam se habere Christo gratiam fatetur, qui tanto illum dignatus sit munere, vt hanc veritatem agnosceret, ac tam præclari negocij minister fieret: libenterq́ in hac contemplatione spaciatur.* [e] Plagiarijs.] *Ἀνδραποδισταῖς, vox est à mancipio formata, nam Græci ἀνδράποδον mancipium vocant: fur igitur mancipiarius, qui alienum mancipia subducit, à latinis plagiarius appellatur, et hoc genus furti apud iureconsultos plagium vocatur.* [f] Cum fide & dilectione, quæ est in CHRISTO IESV.] *Non solum (inquit) me dignum pœna, impunitum reliquit, verumetiam iustificauit, quæ iustificatio sit per fidem & dilectionem, idque per Iesum Christum, cuius munere hoc pacto superabundauit in me eius gratia.* [g] Fidelis sermo.] *Dignus cui fides habeatur,*

beatur, sic & fidelis Deus dicitur, & verax, vt cui credere merito possimus. [h] Quorum primus ego sum.] *Cum hæc in primis gloria sit Christi, quòd venerit, vt seruaret peccatores, ego (inquit) me tanquam signiferum peccatorum profiteor, qui nullam mihi ex iustitia legis, quamuis in ea inculpate versatus sum, gloriam vendico, sed omnem salutem meam Christo acceptam refero.* [i] Vt in me primo ostenderet.] *Ingentem viri humilitatem. Ob hanc (inquit) causam consecutus sum misericordiam, non quòd hac dignus essem, sed vt hoc exemplo reliqui peccatores discerent, nunquam cuiusquam desperandam esse salutem, cum erga me persecutorem & blasphemum Christus tanta lenitate, ac patientia vsus sit.* [k] Soli sapienti Deo.] *Quòd illud, soli, non excludat filium, alibi est demonstratum, quòd hic vero sapientiæ meminerit Dei, vt solum sapientem eum vocet, opinor ob id factum, quòd venerat in cogitationem huius per Christi incarnationem dispẽsationis, in qua præter immensam benignitatem, summa etiam sapientia Dei declarata est.* [l] Hoc præceptum commendo tibi.] *Ordo verborum hic est. Hoc tibi præcipio, vt milites secundum præcedentes in te prophetias, hoc est, respondeas donis quæ, in te à spiritu sancto collata sunt, inter quæ est & prophetia. De qua ad Corinthios est dictum. Aly per prophetias intelligunt, quòd per spiritum sanctum, & electus à Paulo sit, & episcopus ordinatus, vt idem sit (quemadmodum ait Chrysostomus) prophetia quod spiritus sanctus, nam prophetia (inquit) est, non solum futura dicere, verumetiam presentia, & prophetia erat cum dictum fuit. Segregate mihi Paulum & Barnabam.* [m] Quam quidam repellentes.] *Bonam scilicet conscientiam rectæ vitæ, cum enim quis improbe vixerit, etiam naufragium demum fidei facit: etenim, ne futurorum metu torqueatur, conatur sibi ipsi persuadere, omnem de resurrectione & Iudicio sermonem, meras esse nugas.* [n] Tradidi Satanæ.] *Tãquam lictori, aut carnifici, qui eius generis homines, quamuis ipsi scelerum sint pleni, instrumenta sunt tamen corripiendi & castigandi.*

CAPVT II.

ADhortor igitur [a] primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus qui in sublimitate constituti sunt: vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & honestate: hoc enim bonum est & acceptum coràm saluatore nostro Deo: [b] qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. [c] Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum, homo CHRISTVS IESVS: qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, [d] testimonium temporibus suis: in quod positus sum ego prędicator & apostolus (c Veritatem dico in CHRISTO non mentior) doctor gentium [f] in fide & veritate. Volo ergo viros orare [g] in omni loco: leuantes puras manus, [h] sine ira & disceptatione. Similiter & mulieres in vestitu modesto: cum verecundia & castitate ornare se, [i] non in tortis crinibus, aut auro aut margaritis, vel veste pretiosa: sed ꝙ decet mulieres promittentes pietatem per opera bona. Mulier in silẽtio discat, cum omni subiectione. Docere autem, mulieri non permitto, neq; dominari in virũ sed esse insilentio. Adam enim, primus formatus est: deinde Eua: & [k] Adam non est seductus, mulier autem seducta, in præuaricatione fuit. Saluabitur autem [l] per filiorum generationem: si permanserint in fide & dilectione & sanctificatione cũ castitate.

SCHOLIA.

[a] Primum omnium fieri obsecrationes.] *Δέησις, hoc est, deprecatio, (vt Græci authores volunt) cum precamur liberari à malis, προσευχὴ obsecratio, cum petimus bona, ἔντευξις interpellatio, cum de vis, querimur, qui nos iniuria afficiunt, vt illud, & nũc Domine aspice in minas eorum, εὐχαριστία, hoc est, gratiarum actio, apertior est, cum scilicet non pro nostris solum, verum etiam pro bonis proximi cuiusque gratias agimus.* [b] Qui omnes homines vult saluos fieri.] *Cur ergo nõ seruantur? quia ipsi nolunt: nam per ipsum no stat, quin seruentur. Deum vero adhibere nobis vim non decet. Vel omnes homines intellige omnis generis homines siue quocunque in statu fuerint, [illegible].* [c] Vnus enim Deus.] *Et, ne putes filium excludi, addidit, Vnus & mediator Dei & hominum, &c. Sic & Dominus in euangelio, vt agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum, neque tunc necesse fuit addere spiritum sanctum, qui suo tempore est postea declaratus, vt progressibus quibusdam plena demum veritas agnosceretur. Multa (inquit) habeo, quæ modo ferre non potestis, Appellat autem hic hominem (cum & Deus esset) quemadmodum & ipse Dominus de se dixit, filius hominis, qui est in cœlo, cũ hoc esse necesse fuerit, quatenus Deus erat. Erat enim Deus & homo indiuise & inconfuse. Videtur autem voluisse apertius facere, quod dixerat coram seruatore nostro Deo, & ostendere hanc salutem Deum patrem per filium operatum fuisse.* [d] Testimonium temporibus suis.] *Ego, inquit Dominus, ad hoc veni, vt testimonium perhibeam veritati. Clemens autem in septimo ὑποτυπώσεων ait, per martyrium dicitur) hoc est, per passionem dedit semetipsum redemptionem, in ea enim perhibuit testimonium paternæ bonitati, quòd dederit filium. Hoc autem suis proprijs ꝙ temporibus factum est, quæ antea præsignata & præfixa fuerant.* [e] Veritatem dico in CHRISTO.] *Magnum quidem hoc (inquit) est, sed tamen verum, Christo teste, & exitus ipse declarabit, rem non esse impossibilem, quòd accersendi sint, idololatræ, & ad hanc lucem admittendi per meum ministerium.* [f] In fide & veritate.] *Magister quidem sum gentium, sed ad eas docendas non vtar syllogismis, & Rhetoricis persuasionibus, sed fide, quæ, quia nititur veritate, nullo alio adminiculo opus habet.* [g] In omni loco.] *Non hoc ei contrarium est, quod iubet Dominus, Vt qui orat, intret in cubiculum, cum non præcipua cura fuerit prohibendi cuiusquam loci, sed ostentationis tantum. Sicut cum ait, nesciat sinistra tua, non de manibus loquebatur, sed vt sine inani gloria id ageret, de quo sermo erat.* [h] Sine ira & disceptatione.] *Sine ira, ne cum fratris odio fiat: sine disceptatione vero, & dijudicatione, ne quicquam hæsitet, sed confidat se exaudiendum, in charitate ergo, & fide.* [i] Non in tortis crinibus.] *Quam parum, atque adeo quam nihil potius hæc curantur verba illius apostoli, in quo loquebatur Christus, perinde quasi non sint ad salutem necessaria. At qui sunt, qui non solum hæc defendant, sed etiam affirmare audeant, licere mulieribus pingere genas, hoc est, meretricios mores imitari. Ita miseri ad excogitandas contra apostolica præcepta humanas rationes in perniciem nostram sumus ingenioſi.* [k] Adam non est seductus.] *Nam Eua quidem dixit, serpens decepit me. Adam vero non ait, mulier decepit me, sed, mulier dedit mihi de ligno.* [l] Per filiorum generationem.] *Nempe si, vt ipsi viuere præcipiuntur, ita eos educauerint, in fide, & dilectione, sancte, sobrie, ac modeste.*

CAPVT III.

Tit.1.b

FIdelis sermo, [a] siquis episcopatũ desiderat.bonum opus desiderat, Oportet igitur episcopum irreprehensibilem esse, [b] vnius vxoris virum,vigilantem,sobrium,modestum, hospitalem,doctorẽ: non vinolentũ, [c] non percussorẽ,non turpiter lucro deditũ:sed mitem,non litigiosum,non auarum:sed qui suæ domui bene præsit,filios habentem subditos cum omni reuerẽtia. Siquis autem domui suæ præesse nescit:quomodo ecclesiæ Dei diligentiam habebit? [d] Non nouitium:ne in superbiam elatus in iudicium incidat diaboli.Oportet autem illum & testimonium habere bonum [e] ab ijs qui foris sunt:vt nõ in opprobriũ incidat & in laqueum diaboli. Diaconos similiter compositos, [f] non bilingues, non multo vino deditos, non turpiter lucrum sectantes: [g] habentes mysterium fidei in conscientia pura. Et hi quidem probentur primum:& deinde ministrent sic,vt nullum crimẽ habentes. [h] Mulieres similiter modestas, non detrahentes,sobrias,fideles in omnibus. Diaconi sint vnius vxoris viri: qui filijs suis bene præsint,& suis domibus. Qui enim bene ministrauerint: [i] gradum bonum sibi acquirunt,& multã fiduciã in fide:quę est in CHRISTO IESV. Hæc tibi scribo,sperans me ad te venire cito:si autem tardauero:vt scias quomodo oporteat in domo Dei conuersari,quæ est ecclesia Dei viui,columna & firmamẽtum veritatis.Et manifeste magnum est pietatis mysterium. [k] Deus manifestatus est in carne, iustificatus est in spiritu,apparuit angelis,prædicatus est gentibus,creditus est in mundo,assumptus est in gloria.

A B C D

SCHOLIA.

[a] Siquis episcopatum.] *Per id,quod addit,bonum opus desiderat,manifeste significat,se non de dignitate episcopi verba facere,sed de labore:Vt intelligas eum,qui optet subire pro Christo labores,qui ad episcopi officium pertinent, rem bonam optare,Vtpote quæ ea omnia complectatur,quæ ipse numerat,vt scilicet sit irreprehensus,sobrius, modestus &c.* [illegible] *Sed tempora illa ante oculos propone,cum Paulus ipse,qui alios instituebat episcopos, peragrabat orbem omnium terrarũ,in fame,& siti,in frigore,& nuditate,in verberibus,in plagis,in carceribus,atque quotidianis mortibus. Eo igitur tempore optare episcopatum,nihil omnino erat aliud,quàm optare,quotidie millies pro Christo mori, quod sanè optare nulla religio prohibet.* [b] Vnius vxoris virum.] *Non præcipit,Vt vnam vxorem habeat,sed prohibet, ne, præterquam vnius tãtum vxoris sit vir,nèue,si forte,cum electus fuit,haberet vxorem,secundas nuptias introducat , sed potius illud impleat , qui habent,sint tanquam non habentes,& volo omnes esse,sicut & ego sum.* [c] Non percussorem.] *Hic non manuum (nam satis apertum est,id non decere) sed linguæ verbera intellige,ne lingua,fratrum conscientiam verberet , sed disponat sermones suos cum iudicio,Vt ait propheta.* [d] Non nouitium.] νεόφυτον. *Non iuuenem intelligit,sed recens institutum, & quasi nuper insitum Christianæ reipublicæ:nam eum,qui adhuc discipulus esse debeat,siquis magistrum faciat , materiam ei præbet,Vt insolescat,& in eam incidat condemnationem,in quam iam olim diabolus sua incidit arrogantia.* [e] Ab ijs,qui foris sunt.] *Non solum à fidelibus (inquit) verum etiam ab ethnicis,atque hostibus ipsis nostris , Velim Vt bonum habeat testimonium.Vide quàm accurate,& circumspecte sit eligendus episcopus.Ne in opprobrium (inquit) incidat , & laqueum diaboli.Ne ipse sit causa,cur probris afficiatur,& in plures semper se quotidie laqueos induat,& iræ,& odij,cæterorumque vitiorum.* [f] Non bilingues.] διλόγους, *quod Chrysostomus interpretatur* ὑπούλους, *hoc est dolosos & fictos. Post episcopos autem meminit diaconorum omissis presbyteris:quia non multum interest inter episcopos & presbyteros, quia & ipsis credita est docendi cura,atque Vt præsint ecclesiis,quare quæ de episcopis dixit,eadem & præsbyteris conueniunt. Plus autem habent episcopi presbyteris,quod eis ordinem presbyteratus conferũt.* [g] Habentes mysterium fidei in conscientia pura.] *Nam,iuxta ethnici poetæ sententiam, Syncerum est nisi vas,quodcunque infundis acescit:neque fieri potest , Vt sordidæ conscientiæ,vel intelligere,vel tractare pure,atque in sua integritate tam celsa mysteria valeant.* [i] Mulieres similiter.] *Chrysostomus legit mulieres similiter diaconas,hoc est, ministras , & ait.Quidam simpliciter de muliere dictum hoc esse volunt,sed non ita est,quid enim sibi vellet,inter hæc quæ dicta sunt,interserere quicquam de mulieribus? sed loquitur (inquit) de ijs,quæ habebant,munus ministrãdi.* [i] Gradum bonum.] *Qui se probauerint rectos in harum rerum administratione,ita proficiendo,quibusdam progressibus,in ingentem fiduciam venient in hac fide , quæ est in Christo Iesu, tunc enim recta vita cum fide coniuncta est.* [k] Deus manifestatus est in carne , iustificatus est.] *Breuiter cum admiratione quadam complectitur maiestatem huius mysterij: Deus (inquit) apparuit in carne, quod quis esset opinatus? tantam celsitudinem tantum se demittere? iustificatus est in spiritu,nam is,qui in carne hominibus apparuerat, non ab humanis oculis iustus est iudicatus,sed oculis spiritus,qui scrutatur etiam profunda Dei. Sunt qui per hæc verba intelligant purgatissimam,perfectissimamq; iustitiam,sicut ipse Ioanni dixit. Sine modo,sic enim decet nos implere omnem iustitiam:fortasse vero simile hoc est ei,quod ad Romanos ait, cũ inter cætera indicia,quibus declaratus est filius Dei,ponit , secũdum spiritum sanctificationis,& quod Ioannes ait,fore,Vt spiritus sanctus arguat mundum de iustitia.Iustificatus est ergo in spiritu , dum per opera sancti spiritus agnitus est summa esse,atque adeo ipsa iustitia.Apparuit angelis,hoc videtur illud esse, quod alibi Paulus ait,nunc manifestatam esse per ecclesiam hanc multiformem sapientiam Dei principatibus & potestatibus in cœlestibus,quod profectò magnum est.Prædicatus est gentibus,quæ sine Deo tanquam iumenta erant ratione carentia, & ijs tamen tam perditis prædicata sunt hæc diuina mysteria.Creditus est in mundo,quod multo fuit maximum,rudes gentes ea percepisse,quæ Iudæi,gens in diuinis rebus exercitatissima,tantum abest , Vt intellexerint, Vt etiam in eis impegerint , & lapsum passi sint maxime miserandum.Assumptus est in gloria,Vt tandè in nomine Iesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium,& infernorum,& omnis lingua confiteatur,quòd Dominus sit Iesus Christus,in gloriam Dei patris.*

CAPVT IIII.

1. Tim. 3.a
2. Petr.3.a
Iudæ.1.f

SPiritus autem manifeste dicit,ϕ [a] in nouissimis temporibus discedent quidam à fide,attendentes spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorũ, in hypocrisi loquẽtiũ mendaciũ , & cauteriatam habentium suã conscientiam, [b] prohibentium nuberè,abstinere à cibis , quos Deus creauit ad percipiẽdum cum gratiarum

A

B tiarum actione [c] fidelibus, & ijs,qui cognouerunt veritatẽ:quòd omnis creatura Dei bona est,& nihil reijciendum,quod cum gratiarum actione percipitur , [d] sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Hæc proponens fratribus:bonus eris minister IESV CHRISTI, enutritus verbis fidei & bonæ doctrinæ quam assecutus es, Prophanas autem & [e] aniles fabulas deuita:exerce autem teipsum ad pietatem.Nam 2.Tim.2.d
C [f] corporalis exercitatio ad modicum vtilis est:pietas autẽ ad omnia vtilis est:promissiones habens vitæ:quæ Tit. 3.c
nunc est,& futuræ. [g] Fidelis sermo,& omni acceptione dignus. In hoc enim & laboramus & probris afficimur,quia speramus in Deum viuum,qui est saluator omnium hominum, [h] maxime fidelium.Præcipe hęc & doce. [i] Nemo iuuentutem tuam contemnat,sed exemplum esto fidelium in verbo,in conuersatione , in
D charitate [k] in spiritu,in fide,in castitate.Dum venio, [l] attende lectioni,exhortationi,doctrinæ. Noli negligere gratiam,quæ in te est:quę data est tibi [m] per prophetiam,cum impositione manuum presbyterij.Hęc meditare,in his esto,vt profectus tuus manifestus sit in omnibus.Attende tibi & doctrinæ:insta in illis.Hoc enim faciens:& teipsum saluum facies,& eos qui te audiunt.

SCHOLIA.

[a] In nouissimis temporibus.] *Hoc est post aliquot tempora:familiaris hic est Hebræis loquendi modus . Ne mireris (inquit) si nunc à fide quidam aberrant,dum Iudaicis moribus adhæresciunt,erit tempus cum latius fusa hac fide, fient alia detestora,dum non solum obseruabunt cibos, Verum & nuptias,adhærentes spiritibus erroris:quibus Verbis indicauit hæreses præsertim Manichæorum,Encratistarũ,Marcionistarum.Quod autem ait,in hypocrisi,significat,hos, tametsi sciant mendacia esse illa sua dogmata,studiosè tamen ea tradituros esse:iccirco addit,inustam illos habere conscientiam, & quibusdam prauæ vitæ notis signatam,quæ deleri non possint.* [b] Prohibentium nubere.] *Fuerunt enim hæretici , qui tanquam à re immunda à coniugio abstinendum docerent,neque approbarent venerabiles nuptias,& thorum immaculatum, qui ad suscipiendam prolem institutus est.At ij,qui hoc loco eos incusant,qui volunt, Vt qui diuinis rebus operam sint daturi,à coniugio abstineant,longe aberrãt à scopo Pauli:nam ecclesia neminem cogit ad resuendas nuptias,etiamsi castos, & ab vxorum commercio alienos esse velit ministros suos,qui dum non coguntur ad ministerium , ne ad virginitatem quidem profitendam sunt compulsi,sed sponte accesserunt.Aliud est ergo prohibere,ac damnare nuptias,aliud non admittere ad sacra, Vel in religionis contubernium eos,qui coniugio sunt addicti. Nam , si prohiberet imperator eos militare,quicunque artem aliam aliquam profiterentur:siqui militiæ studio artem quampiam desererent,non continuo prohibere imperator artem illam diceretur.* [c] Fidelibus,& ijs,qui cognouerunt veritatem.] *Nam qui agnoscunt veritatem,si intelligunt , creaturam omnem esse bonam,at qui non credunt,ipsi sibi hanc adimunt libertatem. Taxatur enim hic Iudæi.* [d] Sanctificatur enim.] *Etsi commune alioqui sit,atque immundum,sit mundum.Nihil quidem,inquit,est immundum,quod Deus creauit , sed detur,concedaturq; aliquid esse immundum, Vt isti verentur,sanctificatur tamen per preces & gratiarum actiones.* [e] Aniles fabulas.] *Iudaicas intellige obseruationes.* [f] Corporalis exercitatio.] γυμνασία. *Alludit ad id , quod dixerat, exerce teipsum ad pietatem, Vbi Verbum est,γύμνασε, quod Verbum ab ijs deductum est, qui nudi Varys ludis exercebatur. Comparatio ergo est à minori: Volo (inquit) Vt quam alij operam exercendo corpori ob tuendã valetudinem impendunt,hanc tu studio pietatis adhibeas,quandoquidem illa corporis exercitatio corpori tantum prodest,& ob hanc duntaxat vitam sit,at pietatis exercitatio,& ad huius,& ad futuræ vitæ vtilitatem pertinet.* [g] Fidelis sermo.] *Vera,inquit , sunt, quæ dixi,& digna quibus fides habeatur ab omnibus,& ob hanc causam omnia toleramus,cum tuta sit spes nostra.* [h] Maxime fidelium.] *Seruator omnium est hominum Deus,dum Vult omnes homines seruari,neque per illum stat, quin seruentur. Sed eorum , qui credunt proculdio seruator est , neque pericula & persecutiones Vllæ impedimento huic saluti esse possunt. Quibus Verbis hortatur Timotheum ad omnia intrepide perferenda.* [i] Nemo iuuentutem tuam contemnat.] *Effice probis moribus,& inculpata vita,Vt nequis te,contemplatione tuæ adolescentiæ,contemnat. Vel, Vbi est opus, Vtere authoritate,ne,dum iuuentus tua contemnitur, communi hominum rei damnum afferatur.* [k] In spiritu.] *In administratione donorum spiritus,ne ob ea extollaris.* [l] Attende lectioni.] *Tantus Vir,qui tam ingentes iam in hac philosophia progressus fecerat , qui tantis spiritus charismatibus ditatus fuerat , iubetur tamen, Vt assidue lectioni incumbat. Quid nobis est faciendum?* [m] Per prophetiam.] *Prophetiam Vocat donum illud, de quo ad Corinthios scribitur, Vbi mauult Paulus , Vt prophetent,quàm Vt loquantur linguis: Vtrobique intelligas donum illud,quo germanum scripturarum sensum percipiebant.Aly interpretantur,quòd præcipiente spiritu sancto factus fuerit episcopus. Quòd autem addit , cum impositione manuum presbyterij,intelligit episcopum,cuius erat hoc munus.*

CAPVT V.

A SEniorem ne increpaueris:sed exhortare vt patrem:iuuenes,vt fratres: anus,vt matres: iuniores , vt sorores in omni castitate. Viduas honora,quæ vere viduæ sunt. Siqua autem vidua filios aut nepotes habet: [a] discant primum domum suam pie tractare,& mutuam vicem reddere maioribus : hoc enim bonum & acceptum est coram Deo. Quæ autem vere vidua est & desolata:sperat in Deum,& instat obsecrationibus & orationibus nocte & die.Nam quæ in delitijs est:viuens mortua est. Et hoc præcipe:vt irreprehensibiles
B sint.Siqua autem suorum & maximè domesticorum curam non habet: [b] fidem negauit,& est infideli deterior. Vidua deligatur non minus sexaginta annorum,quæ fuerit vnius viri vxor,in operibus bonis testimonium habens,si filios educauit,si hospitio recepit,si sanctorum pedes lauit , si tribulationem patientibus subministrauit,si omne opus bonum subsecuta est.Iuniores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint in CHRISTVM, nubere volunt:habentes damnationem,quia [c] primam fidem irritam fecerunt : simul autem & ociosæ discunt circuire domos:nec solum ociosæ , sed & verbosæ , & curiosæ , loquentes quæ non
C oportet. Volo ergo iuniores nubere, filios procreare,matres familias esse:nullam occasionem dare aduersario maledicti gratia.Iam enim quædam conuersæ sunt post satanam.Siquis fidelis,aut siqua fidelis habet viduas,subministret illis,& non grauetur ecclesia : vt ijs [d] quæ vere viduæ sunt , sufficiat. Qui bene præsunt

Deu. 25.a presbyteri: [e] duplici honore digni habeantur:maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim scri-
1. Cor. 9.a ptura,non alligabis os boui trituranti.Et,dignus est operarius mercede sua. Aduersus presbyterum accusa-
Matt. 10.b tionem noli recipere: [f] nisi sub duobus aut tribus testibus. [g] Peccantes,coràm omnibus argue:vt & cæteri D
Luc. 10.b timorem habeāt.Testor coràm Deo & Domino IESV CHRISTO [h] & electis angelis,vt hec custodias: [i] sine præcipitatione iudicij,nihil faciēs in alteram partē declinando.Manus cito nemini imposueris, [k] neque communicaueris peccatis alienis.Teipsum purum custodi. [l] Noli adhuc aquam bibere,sed modico vino vtere propter stomachum tuum,& frequentes tuas infirmitates. [m] Quorundam hominum peccata ante manifesta sunt,præcedentia ad iudicium:quosdam autem & subsequuntur. Similiter & facta bona manifesta sunt:& quæ aliter se habent:abscondi non possunt.

SCHOLIA.

[a] Discant primū.] *Ante videlicet,quàm in earū numerum eligātur, de quibus mox loquitur, vidua eligatur &c.* [b] Fidem negauit.] *In earum enim est numero,de quibus dicitur,fatentur se nosse Deum, factis autem negant, est vero infideli deterior.nam ille si nō alienos,certe suos nō spernit.* [c] Primam.] *Fœdus, quod cum Christo pepigerant,quòd videlicet sponso Christo iungi cū pactæ essent, postea quàm aduersus Christū delitiatæ sunt,nubere volit. Alius sic interpretatur. Damnationē habent,quòd fidem priorem irritā fecerunt,hoc est,reprehēsione dignæ sunt,quòd fidem vni marito,licet defuncto non seruauerint,sed irritam fecerint,& honestatem illam,licet ciuilem, Deo tamen gratam etiam.* [d] Quæ vero.] *Videlicet quæ non solum viros non habent, sed ne filios quidem. Deinde subdit de ijs quæ quamuis viro sint destitutæ solatia tamen filiorum ac nepotum habent, vult ergo vt ille ad experimentum probatæ vitæ,qua dignæ fiāt,quibus prospiciatur, prius propriam domū piè tractent, hoc est,bene regēt, ac vicissitudinem reddant maioribus ac progenitoribus suis,qui cum earum curam susceperint,neque vicissitudinem acceperint ob mortem, saltem eorum nepotibus eam reddant.* [e] Duplici honore.] *Hoc est,multo,& longe maiore,quàm cæteri, veneratione,& subministratione rerum necessariarum:maxime,inquit, qui in verbo & doctrina laborant, neque enim solum rectæ vitæ exemplum satis est. Honorem ergo hic intelligit bonorum etiam subministrationem, quæ ad quotidianum vsum sunt necessaria.* [f] Nisi sub duobus.] *Quid? cum prohibeat hoc fieri in seniorem,aduersus iuniorem admittenda est accusatio sub vno teste? non, sed sic ait, aduersus neminem quidem, verum aduersus seniorem multo minus admitti debet accusatio,nisi sub duobus,aut tribus testibus.Fieri enim potest, vt facilius coniectura ac suspicio oriatur de iuniore,at senioribus cum ipsa ætas quasi frenum quoddam adhibitum sit, non ita facile suspicari de eis debemus.* [g] Peccantes coram omnibus argue.] *Nempe cum peccatum permanarit iam ad hominum famam.* [h] Et electis angelis.] *Cur,cum iam patrem & filium testem appellauerit, addit etiam electos angelos? quia & ipsi,cum iudicium fiet,cum suo Domino testes affuturi sunt.* [i] Sine præcipitatione iudicij.] *Hæc (inquit) serues non præcipitando iudicium, vt nihil inconsiderate,& nisi prudenti consilio agas.Quod autem sequitur, nihil faciens in alteram partem declinando,magnus Basilius ita legit,nempe per iota,sic,κατὰ πρόσκλισιν,ne scilicet inclinet ad id, quod non sit rectum,sed iustum iudicium proferat, Alij legunt per η,κατὰ πρόσκλησιν,vt sit,πρόσκλησις, ἡ προκαλουμένη τινὰ τὸ δ' ἔτι ποιῆσαι δίχα κρίσεως,hoc est,prouocans aliquem ad aliquid faciendum sine iudicio.* [k] Neque communicaueris peccatis.] *Cernis, vt, siquis minime idoneos eligit,quicquid is,qui electus est, peccat, electionis author peccatorum illius est particeps?* [l] Noli adhuc aquam bibere.] *Qui Ciceronis epistolas præsertim ad Atticum legit, inueniet hunc frequentissimum morem, vt in scribendo aliud ex alio oriatur,hunc ipsum morem hoc loco seruauit Paulus, & post hāc admonitionem mox ad priorem sententiam reuertitur.* [m] Quorundam hominū peccata.] *Dixerat,non debere episcopum cito ac temere manus cuiquam imponere,neque communicare peccatis alienis,cui respondere potuisset Timotheus,quid si ignorem eius peccata,qui sit eligendus? num & horum ero part ceps? ait ergo Paulus.Quorundam hominum esse peccata, quæ præcedant iudicium illud electionis,& manifesta sint, in huiuscemodi ergo homines si inquiras (inquit) prorsus deprehendes eorum vitia,quorundam vero post electionem aperiuntur peccata.Priorum eris particeps,si eos elegeris,posteriorum minime. Alij sic interpretantur,quorum præcedunt peccata,ij omnibus sunt manifesti,sint ergo & tibi:quorum vero sequuntur,hos tu obseruabis prouidentiæ oculo.Siquid ergo præter hoc feceris,eorum criminis eris particeps. Alius sic,peccata quædam manifesta sunt,& quædam ad tempus occulta, manifesta tamen futura tandem. Nihil enim est tam occultum,quod non reueletur, similiter de bonis operibus.Quædam enim vere bona sunt, quædam autem ad tempus quibusdam videri bona possunt,sed qualia vere sint,dies iudicij ostendet.Magnus vero Basilius ita est interpretatus, quasi nihil ad electionem hic locus pertineat,ait enim.Quicunque ipsi peccauerunt,soli peccata habebunt ad iudicium præcedentia, quicunque vero etiam postea quàm hinc migrauerunt,alijs reliquerunt occasiones peccatorum,sicut Nestorius,ac reliqui hæretici,hos etiam postea, quàm abierunt,sequuntur peccata:nam eorum,qui propter illos errauerunt,peccata illis quoq; imputantur, similiter & bona opera,quæcunque enim dicta sunt de peccatis,eadem intellige & de recte factis: sunt enim qui causa salutis alijs fuerunt, quorum recte facta etiam ijs imputantur,qui semina præbuere:hæc ille.Scio alios alijs modis interpretari hūc locum, sed nobis eum sensum,qui germanior visus sit,satis fuit ponere.*

CAPVT VI.

Qvicunque sunt sub iugo serui, Dominos suos omni honore dignos arbitrentur: ne nomen Dei & A
doctrina blasphemetur. Qui autem fideles habent Dominos, non contemnant, [a] quia fratres sunt,sed magis seruiant,quia fideles sunt & dilecti,qui beneficij participes sunt.Hæc doce & exhortare.Siquis aliter docet,& nō acquiescit sanis sermonibus Dñi nostri IESV CHRISTI, & ei quæ secundum pietatem est,doctrinę:inflatus est,nihil sciens, [b] sed languens circa quæstiones & pugnas verborum,ex quibus oriuntur inuidiæ,contentiones, [c] blasphemiæ,suspiciones malæ, superuacuæ confli- B
ctationes hominum mente corruptorum,& qui veritate priuati sunt,existimātium quæstum esse pietatem:
Iob 1.d abstine à talibus.Est autem quæstus magnus:pietas cum sufficientia. [d] Nihil enim intulimus in mundum:
Eccle.5.c haud dubium ꝙ nec auferre quid possumus.Habentes autem alimenta & quibus tegamur: his contenti erimus.

mus.Sed qui volunt diuites fieri:incidunt in tentationem & in laqueum,& desideria multa stultà,& nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.Radix enim omnium malorum est auaritia:quam qui
C dam appetentes,errauerunt à fide,& inseruerunt se doloribus multis. Tu autem ò homo Dei, hæc fuge: sectare vero iustitiam,pietatem,fidem,charitatem,patientiam, māsuetudinem. Certa bonum certamen fidei: apprehende vitam æternam, in quam etiam vocatus es & confessus bonam confessionem coram multis testibus.Præcipio tibi coram Deo [e] qui viuificat omnia,& CHRISTO IESV qui testatus est sub Pontio Pilato bonam confessionem:vt serues mandatum sine macula, irreprehensibilis vsque in aduentum Domini nostri IESV CHRISTI, quem suis temporibus ostendet beatus & solus potens,rex regum & Domi- Apoc. 17.b
nus dominantium: [f] qui solus habet immortalitatem, & lucem habitat inaccessibilem,quem nullus homi- & 19.c
D num vidit,sed nec videre potest:cui honor & imperium sempiternum.Amen. [g] Diuitibus huius seculi pre- Ioan.1.b
cipe non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum,sed in Deo viuo ([h] qui præstat nobis omnia 1.Ioan.1.c
abunde ad fruendum) bene agere,diuites fieri in bonis operibus,facile tribuere,communicare,thesaurizare Ioan.1.b
sibi fundamentum bonum in futurum,vt apprehendant veram vitam, O Timóthee, [i] depositum custodi: deuitans prophanas vocum vanitates,& oppositiones falsi nominis sciētiæ,quam quidam promittentes,circa fidem aberrauerunt.Gratia tecum. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Quia fratres sunt.] *Cum ex Christiana doctrina discamus, omnes inter nos esse fratres, ne forte serui ex hoc insolescerent, atque minus prompte seruirent,aut seruitutem detractarent, admonet Paulus, vt ijs etiam alacrius seruiant eò quòd sint fideles,& dilecti Deo eorum Domini,quocirca permisceant timori etiam charitatem. Quantò enim (inquit) maius vobis est beneficium, habere Dominos fratres,tantò vos gratiores esse oportet,atque ad seruiendum promptiores. Ad seruos enim quidam referunt ea verba,quæ sequuntur, videlicet,qui beneficij participes sunt, vt dicta sint καθύπερβατόν. Alij referunt ad Dominos,quòd scilicet Domini curent afficere seruos beneficijs, sic enim interpretantur illa verba, οἱ τῆς εὐεργεσίας ἀντιλαμβανόμενοι.* [b] Sed languens circa quæstiones.] *Vide, vt quæstiones, ac verborum pugnas morbum appellet.* [c] Blasphemiæ.] *Necesse enim est, vt, qui humanis ratiocinationibus fidunt in ijs, quæ ad Deum pertinent,demū in blasphemias ex suis quæstionibus descendant,& opiniones malas,atque adulterina dogmata.* [d] Nihil enim intulimus in mundum.] *Iccirco nudi omnes nascimur, nequis originem obijciens, plura sibi dicat esse possidenda, & morientes nihil afferimus nobiscum,ne prætexamus nobis causas, quamobrem plura sint paranda.Reliquū est hoc exiguum vitæ spacium, vel vmbra potius,in qua minimis opus est,nempe exiguo cibo,atque integumento: cætera superflua sunt, & hominum opinione erroris introducta.Et notandum id,quod paulopost ait, appetitionem diuitiarum parare ea, quæ homines in interitum demergant, nempe vnde emergere haud facile queant, aut nunquam potius emergant.* [e] Qui viuificat omnia.] *Hæc addit, vt discipulum animet ad pericula, si enim Deus viuificat omnia, quid horremus hæc pro fide certamina? Similiter quod ait de Domino Iesu Christo,quòd scilicet testimoniū perhibuerit sub Pontio Pilato pulchræ confessionis. Si enim Dominus id præstitit, vt pro veritate ego in hoc (inquit) natus sum, & ad hoc veni in mundum, vt testimonium perhibeam veritati) mortem oppetere non dubitauerit,quam ob causam nos recusamus?* [f] Qui solus habet immortalitatem.] *Nam angeli,atque homines, non natura illam habent, sed participatione,ac munere Dei, Deus enim est, qui nobis vt cætera bona omnia, ita & immortalitatem impertitur. Opportune vero delitiatur in hac maiestatis diuinæ contemplatione, cum hortatus esset discipulum, vt mandatum seruaret, indicans, quantus sit, cui seruitur, & quàm merito sit illi seruiendum. Ait etiam, lucem hunc habitarem inaccessam sed quo pacto? num loco circumscribitur? num aliud lux est, aliud ipse? atqui is ipsa lux est. Cernis vt etiam tunc, cum magnum aliquid de Deo loqui volumus, non valet explicare lingua rem, vti se habet? Sed voluit Paulus ijs, ac sequentibus verbis eminentem, atque incomprehensam Dei naturam significare.* [g] Diuitibus huius seculi.] *Pulchre, non ait absolute diuitibus, sed adiecit, huius seculi.Soli enim viri boni diuites vere atque absolute sunt.* [h] Qui præstat nobis.] *Quid ergo tuum facis ò homo id quod Dei est,atque à Deo datum? Ipse proposuit omnibus hominibus omnia copiose,cœlum,terram,aerem, vitam,escas:at auaritia,opitulante hominum potentia,multa vsurpauit,quæ communia esse debuerant.* [i] Depositum custodi:deuitans prophanas.] *Vide repetitam admonitionem cum maioris affectus significatione. Præceptum, inquit, serua,quod Deus per me apud te deposuit: vel, gratiam spiritus intelligit, quam per impositionem manuum acceperat.*

MISSA FVIT EX LAODICIA.

EPISTOLA PAVLI
AD TIMOTHEVM SECVNDA.
CAPVT I.

PAVLVS Apostolus IESV CHRISTI per voluntatem Dei, [a] secundum promissionem vitæ, quæ est in CHRISTO IESV Timotheo charissimo filio, gratia & misericordia, & pax à Deo patre: & CHRISTO IESV Domino nostro. [b] Gratias ago Deo, [c] cui seruio à progenitoribus meis in conscientia pura, quòd sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre, memor lachrymarum tuarum, vt gaudio implear, recordationem accipiés eius fidei, quæ est in te nõ ficta: quę & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice, certus sum autem q̃ & in te. Propter quã causam admoneo te, [d] vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionẽ manuum mearum. [e] Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris: sed virtutis, & dilectionis, & sobrietatis. Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri, neque me vinctum eius: sed collabora Euangelio secundum virtutem Dei: qui nos saluauit & vocauit vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum & gratiam, quæ data est nobis in CHRISTO IESV ante tempora æterna. Manifestata est autem nunc per apparitionem Saluatoris nostri IESV CHRISTI, qui destruxit quidem mortem, illuminauit autem vitam & incorruptionem per Euangelium: in quod positus sum ego prædicator & apostolus & magister gentium. Ob quam causam etiam hæc patior: sed non confundor. Scio enim cui credidi: & certus sum, q̃ potens est depositum meum seruare in illum diem. Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & in dilectione, quæ est in CHRISTO IESV. [f] Bonum depositum custodi per spiritum sanctum, qui habitat in nobis. Scis hoc, q̃ auersati sunt me oẽs, qui in Asia sunt: ex quibus est Phygelus & Hermogenes. Det misericordiam Dñs Onesiphori domui: quia sæpe me refrigerauit, & catenã meã non erubuit: sed cum Romã venisset: solicite me, quæsuit, & inuenit. Det illi Dominus inuenire misericordiam à Domino in illa die. Et quæcunq; Ephesi ministrauit mihi: tu melius nosti.

Rom. 8.c
Tit. 3.b

A B C D

SCHOLIA.

[a] Secundum promissionem vitæ.] *In ipso proœmio, ac salutatione fructum Euangely memorat. Proposuit me, inquiens, Dominus meus apostolum, vt promissam vitam æternam hominibus prædicem.* [b] Gratias ago Deo.] *Notum agendarum gratiarum genus, arbitratur se debere gratiam Deo, quòd meminerit Timothei, quæ ingentis charitatis est significatio, cum quis in eo sibi placet, ac gloriatur, quòd aliquem amet.* [c] Cui seruio à progenitoribus meis in cõscientia pura.] *Quo pacto in conscientia pura, cum initio Christum ignorauerit? Significat se nullius mali sibi fuisse conscium, nam etsi persequebatur, non data opera peccabat, sed æmulatione diuinæ legis, non comparandæ famæ ac laudi gratia, vt mal ti, qui hæreses excitant. Seruiuit ergo etiam à progenitoribus, id est, ante susceptam Christi fidem.* [d] Vt resuscites gratiam Dei.] *Hortatur, vt charismata, quibus dignus factus fuerat, ardentius semper & efficacius, & alacrius exerceat, ac vigilanter in eiusmodi opus incũbat. Hoc autem fiet, si generosè stes aduersus tentationes. Contra quas stare non possunt, qui spiritũ timoris habent, iccireo adiecit, Non enim dedit Deus nobis spiritum timoris, sed virtutis, & dilectionis & sobrietatis. Virtutis δυνάμεως, erga fratres, sobrietatis ad rectam vitam.* [e] Non enim dedit nobis Deus.] *Nam euangelica promissa, & declarata Dei erga nos Charitas per Christum, omnem timorem expellit, et animat, ac potentes facit aduersus persecutiones atque aduersa omnia.* [f] Bonum depositum custodi.] *Depositum dicit fidem, & curam creditæ illi ecclesiæ: deinde ostendit, quòd non humanæ sufficiant vires ad tanta seruanda: multa enim ingruunt impedimenta: viam ergo seruandi monstrat, per spiritum sanctum inquiens, vt si dixisset, Stude habere apud te spiritum manentem, & depositum seruabis.*

CAPVT II.

TV ergo fili mi, confortare in gratia, quæ est in CHRISTO IESV, & quæ [a] audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere. Tu ergo labora [b] sicut bonus miles CHRISTI IESV. [c] Nemo militans, implicat se negocijs secularibus: vt ei placeat, qui se in militiam delegit. Quòd si etiam quis certet: non coronatur, nisi legitime certauerit. [d] Laborantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. Intellige, quæ dico. Det enim tibi Dominus in omnibus intellectum. [e] Memor esto Dominum IESVM CHRISTVM resurrexisse à mortuis ex semine Dauid, secundum Euangelium meum, in quo laboro vsq; ad vincula, quasi male operans: sed verbum Dei non est alligatum. Ideo omnia [f] sustineo propter electos: vt & ipsi salutem cõsequantur, quæ est in CHRISTO IESV, cum gloria æterna. Fidelis sermo. Nam si commortui sumus, & conuiuemus: si sustinemus, & conregnabimus si negamus, & ille negabit nos: si non credimus: [g] ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest. Hæc commone testificans coràm Domino, non contendere verbis, ad nullam vtilitatem ad subuersionem audientium. Solicite autem cura, teipsum probatum exhibere Deo operarium incõfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Prophana autem vaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem: & sermo eorum, vt cancer depascet, ex quibus est Hymenæus & Philetus: qui circa veritatem aberrauerũt, [h] dicentes, resurrectionẽ esse iam factã, & subuerterũt quorũdã fidẽ. Sed firmũ fundamentũ Dei stat, habẽs signaculũ hoc, [i] COGNOVIT DOMINVS QVI SVNT SVI. ET DISCEDAT AB INIQVITATE OMNIS QVI NOMINAT NOMEN CHRISTI. In magna aũt domo, nõ solũ sunt vasa aurea & argentea,

A B C D

& argentea, sed & lignea & fictilia: & quædã quidẽ in honorẽ, quędã aũt in contumeliã. [k] Siquis ergo emundauerit se ab istis: erit vas ĩ honorẽ sanctificatũ, vtile Dño, ad omne opus bonũ paratũ. [l] Iuuenilia aũt desideria fuge, sectare vero iustitiã, fidẽ, charitatẽ, pacẽ cũ ijs, qui inuocãt Dñm de corde puro. Stultas aũt & sine disciplina q̃stiones deuita, sciẽs q̃ generãt lites. Seruũ aũt Dñi nõ oportet litigare: sed mãsuetũ esse erga oẽs, aptũ ad docendũ, patientẽ, cum modestia erudiẽtẽ eos, qui resistunt: si quando Deus det illis pœnitentiã ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueo, à quo captiui tenentur ad ipsius voluntatem.

1. Tim. 1.c
Titum. 1.c

SCHOLIA.

[a] Quæ audisti à me per multos testes.] *Nihil est, quod verearis, inquit, ea proponere, quæ à me iam vulgata sunt, & testes multos habent: vel multis, diuinis siue spiritus sancti, testimonijs cõfirmata.* [b] Sicut bonus miles.] *Militis enim id proprium est, labores perferre.* [c] Nemo militans.] *Accipit similitudinem à corporea hac militia, in qua legitimus militandi vsus vult, vt nemo, qui ad militiam ascriptus sit, alijs se vllis negocijs impliceat, vt strenue negocium suum exerceat. Idem ipsum, multo etiam magis seruandum est in spirituali militia. Nam si terreno quis regi militans, non implicatur rebus, quæ illum ab armis auocent, quanto magis qui cœlesti regi se dicauit, & in tam egregiam militiam ascriptus est, id præstare debet? Meminit & athletæ, indicans, perpetua illi opus esse exercitatione. Quod athletæ (quæ greca dictio est) exemplum melius ex græco textu intelligitur, vbi sic legitur, ἐὰν δὲ καὶ ἀθλῇ τις οὐ στεφανοῦται ἐὰν μὴ νομίμως ἀθλήσῃ, hoc est, quòd si etiam quis certet, hoc est, athletæ officium exerceat, non coronatur, nisi legitime certauerit.* [d] Laborantem agricolam.] *Non inertem, sed qui primum in laboribus desudauerit. Is autem primus laborum fructum percipiet. Sic magister, qui pro discipulis laborat, præterquam quòd accipiet à Deo copiosam retributionem, primus etiam percipit fructum, dum ipse in se primus, vel corrigit, vel facit, quæ alios docet.* [e] Memor esto Dominum IESVM CHRISTVM.] *Munit eum aduersus hæreticos, ideo subdit, secundum Euangelium meum: siquidem, pseudapostoli præsse annuntiabant Euangeliũ, etenim quidam iam tum dispensationem incarnationis negabant, existimantes indecorum esse, filium Dei pati, et iccirco imaginariam fortasse illam fuisse docentes. Potuit etiam ista dixisse, vt solatium esset discipulo memoria & spes resurrectionis.* [f] Sustineo propter electos.] *Si electi iam sunt, quid posthac cura ac laboribus opus est? Verum sic electi sunt, vt media tamen, per quæ seruentur adsiberi velit Deus.* [g] Ille fidelis permanet.] *Si noluerimus, inquit, ei credere, non propterea ille quicquam patitur damni, & nos nostra culpa peribimus, non illius: nam fidelis, hoc est, versus permanet, ac stabilis, & negare se non potest, hoc est, non potest non esse Deus: non enim ex nostra, vel fide, vel incredulitate illa Veritas, vel iuuatur, vel læditur.* [h] Dicentes resurrectionem (vt quidam ferunt) appellabant successionem illam, quæ ex procreatione liberorum fit. *Vide autem quot mala oriantur, si dicatur, factam esse iam resurrectionem: priuamur præsentia Christi, non est retributio, neque vltio, mentitur qui ista est pollicitus, & multa huius generis, vt, si resurrectio non est, neque Christus resurrexit, neque iudex erit viuorum & mortuorum, &c.* [i] Cognouit Dominus.] *Signum, quo agnoscitur, aliquem cognitum esse à Deo, atque electum, est, non euerti à dogmatibus impietatis.* [k] Siquis ergo emundauerit se.] *Hi enim possunt proposito ac voluntate mutari, & in vtram velint partem conuerti. Nam in vasis quidem aureis ac fictilibus id fieri non potest, quæ vt facta sunt, ita manent, at in hominibus fit ex studio, vt quod fictile erat, fiat aureum, & aureum ex inertia euadat fictile. Siquis igitur (inquit) emundauerit seipsum ab ijs, qui tanquam lignea & fictilia sunt vasa, vt nihil commune cum illis habeat, erit vas in honorem, &c.* [l] Iuuenilia autem desideria.] *Iuuenilia desideria non sola est sortatio, verum etiam absurda quæuis appetitio, siue quis pecunias amet, siue præsse alijs, quo pacto & senes interdum iuueniliter concupiscunt.*

CAPVT III.

HOc autem scito, q̃ in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines seipsos amantes, auari, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine fœdere, criminatores, incontinentes, immites, negligentes bonorum, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis quàm Dei: habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes. Et hos deuita: ex his enim sunt, qui penetrant domos: & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs: semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenire valentes. Quemadmodum autem [a] Iannes & Iambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem: sed amplius non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit in omnibus: sicut & illorum fuit. Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones: quæ mihi facta sunt Antiochiæ, Iconij, Lystris: quas persecutiones sustinui: & ex omnibus eripuit me Dominus. Et omnes qui pie volunt viuere in CHRISTO IESV: persecutionem patientur. [b] Mali autem homines & impostores proficient in peius: errantes, & in errorem mittentes. Tu vero permane in ijs: quæ didicisti, & credita sunt tibi: [c] sciens à quo didiceris, & q̃ ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem, per fidem, quæ est in CHRISTO IESV. [d] Omnis scriptura diuinitus inspirata, & vtilis ad docendum, ad arguendum, ad correctionem, ad eruditiõ in iustitia: vt perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.

1. Tim. 4.a
2. petr. 3.a
Iudæ 1.f

A B C D

2. Petr. 1.d

SCHOLIA.

[a] Iannes & Iambres.] *Fuerunt hi sub Pharaone Magi, quorum etsi nomina scriptura non memorat, ea tamen, vel per traditionem maiorum sine scripto didicit Paulus, vel ab alijs autoribus sunt commemorata. Numenius enim Pythagoreus horum meminit, vt refert Eusebius Cæsarienfis libro nono de præparatione Euangelica.* [b] Mali autem homines.] *Hoc est, sceleratorum hominum conatus succedere hic videntur felicius, quòd à persecutoribus liberi sint, eaq; res assidue eos animat magis ac magis ad designanda scelera grauiora. Eorum vero, qui pie viuere volunt in Christo, causa aliter habet hic, at in futuro diuersa vtrorunque erit conditio. Illi enim perpetuo peribunt, si aũt viuent felicissime. Sed & hic quoque amentia illorum tandem manifesta fiet omnibus, sicut dixit paulo ante.* [c] Sciens à quo didiceris.] *Duas profert causas, cur manere illum oporteat immotum, et quòd non à quouis, sed à Paulo didicerat, & quòd radices altius in eo defixæ erant agni-*

tionis

tionis sacrarum literarum. Quanti autem refert, ab infantia alicui rei assuescere? [d] Omnis scriptura diuinitus inspirata.] *Cum multis vsus esset consolandi modis, nunc id, quod maximum est, dicit. Profecto enim fortissimum solatium est, habere scripturam è cœlo missam, quæ & tantis in tenebris lumen præferat, & grauissima quæque efficiat, vt fiant leuia. Hæc autem opportune solatia proponit, cum rem tristitiæ plenissimam mox sit cõmemoraturus, videlicet suæ vitæ finem.*

CAPVT IIII.

TEstificor igitur ego coràm Deo & Domino IESV CHRISTO qui iudicaturus est viuos & mortuos in apparitione sua & regno suo: prædica verbũ, insta [a] opportune, importune: [b] argue, increpa, exhortare in omni longanimitate & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, [c] prurientes auribus, & à veritate quidem auditũ auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu vero vigila, in omnibus perdura, opus fac Euangelistæ, ministe- B
rium tuum imple. Ego enim [d] iam immolor: & tempus resolutionis meæ instat. [e] Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. Quod superest, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Do-
minus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi: sed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Festina
Coloss. 4. d ad me venire cito. Demas enim me reliquit, diligens hoc seculum, & abijt Thessalonicam: Crescens in Gala- C
tiam, Titus in Dalmatiam. Lucas, est mecum solus, Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi vtilis in
ministerio. Tychicum autem misi Ephesum. Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer, & libros, maxime autem membranas. Alexander faber ærarius multa mala mihi ostendit: [f] reddat illi Dñs se-
cundũ opera eius: quem & tu deuita. Valde enim restitit verbis nostris. In prima mea defensione nemo mihi D
assuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur: Dñs autem mihi astitit, & confortauit me, vt per me prædicatio expleretur, vt audirent omnes gentes, & liberatus sum [g] de ore leonis. Et liberabit me Dñs ab om
ni opere malo: & saluum faciet in regnum suum cœleste: cui gloria in secula seculorum. AMEN. Saluta Pri-
Sup. 1. d scam & Aquilam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum
Mileti. Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus & Pudens & Linus & Claudia: & fratres omnes.
Dominus IESVS CHRISTVS cum spiritu tuo. Gratia vobiscum. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Opportune, importune.] *Non propterea laudat importunitatem, sed ostendit, nunquam Episcopo cessandum ab officio, & opportune quidem, si res patitur, tractanda omnia: sin minus, nullum in negocijs tanti momenti tempus non opportunum existimandum.* [b] Argue.] Ἔλεγξον, *Cum inueneris, inquit, peccantem, nihil prius agas, quàm rationibus illum erroris admoueris, deinde increpa etiam, si iudicaueris ita oportere, postremo tanquam facto vulneri medicamentum adhibe adhortationum, longanimitatis, doctrinæ, ne videaris illum quasi inimicum vrgere.* [c] Prurientes auribus.] *Pruritus aurium ex superfluo aliquo humore oborto fit. Isti ergo prurientes auribus, hoc est, ob vitiosas appetitiones in eorum morem, quibus pruriunt aures, coaceruabunt sibi magistros, qui aures eorum demulceant, & pruritũ recreent.* [d] Iam immolor.] *Iam, inquit, sacrificium offero me ipsum Christo: & apertius hoc facit id quod sequitur, & tempus meæ resolutionis instat.* [e] Bonum certamen certaui.] *Hæc dicit, non gloriandi gratia, sed vt discipulũ consoletur, quòd discessus ille non sit mors, sed finis laborum, & pulcherrima consummatio certaminum, quodq; iam ad percipiendas coronas proficiscatur, vt gaudere potius discipulus debeat, quàm dolere.* [f] Reddat illi Dominus.] *Paulus quidem gaudebat in afflictionibus, verum propter eos, qui inter fideles erant imbecilliores, oportebat, vt ij, qui admodum infensi erant, castigarentur interdum, ne imbecillæ huius prædicationis vires crederentur. Vel certe prædictio est futurarum pœnarũ.* [g] De ore leonis.] *Neronem intelligit.*

SCRIPTA E ROMA AD TIMOTHEVM SECVNDA, CVM PAVLVS ITERVM SISTERETVR CAESARI NERONI.

EPISTOLA PAVLI AD TITVM.

CAPVT I.

PAvlvs seruus Dei, Apostolus autem IESV CHRISTI [a] secundum fidem electorum Dei & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est in spe vitæ æternæ, A
quam promisit qui non mentitur Deus ante tempora æterna, manifestauit autem temporibus suis verbum suum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptũ
saluatoris nostri Dei: Tito germano filio secundum communem fidem, gratia misericordia pax à Deo patre & Domino IESV CHRISTO saluatore nostro. [b] Huius B
rei gratia reliqui te in Creta, vt ea, quæ desunt corrigas, & cõstituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego dispositi tibi. Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatio-
1. Timo. 3. a ne luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem: non im- C
pudentem, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, nõ turpiter lucri cupidum: sed hospitalem,
bonarum rerum studiosum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secũdum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit etiam exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt argue
re. Sunt enim multi intractabiles, vaniloqui & seductores, maxime qui de circũcisione sunt: quibus oportet
os obturare: qui vniuersas domos subuertunt, docentes, quæ non oportet turpis lucri gratia. [c] Dixit quidam D
Epimenides. Rom. 14. d ex illis proprius ipsorum propheta. Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium
hoc verum est. Quam ob causam redargue illos dure, vt sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, &
mandatis hominũ auersantiũ veritatem. [d] Omnia mũda mundis: coinquinatis aũt & infidelibus nihil est
mundum:

mundum: sed inquinatæ sunt eorum & mens & conscientia. Confitentur se nosse Deum: factis autem negãt, cum sint abominabiles & inobedientes, & ad omne opus bonum reprobi.

SCHOLIA.

[a] Secundum fidem electorum Dei.] *Apostolus inquit, sum ad prædicandam fidem, per quam electi Dei ad agnitionem veniunt veritatis.* [b] Huius rei gratia reliqui te in Creta.] *Præcipuum Episcopi munus, inuisere sibi subiectas dioceses, & ordinare ecclesiæ ministros idoneos.* [c] Dixit quidam ex illis.] *Epimenides is fuit, qui cum laudare vellet Iouem, & dicere, eum non esse mortuum, sed semper esse, reprehendit Cretenses & eos arguit mendacij, vt qui dicerent, sepulchrum Iouis apud se esse. Verum cum ait Paulus, verum hoc esse testimonium, non ad superiora illa poëtæ verba respicit, sed ad id tantum, quod hoc vno carmine dictum est, quòd scilicet Cretenses mendaces sint, &c.* [d] Omnia munda mundis.] *Mundum & immundum proprie ex accipientium mente fit, natura enim sunt omnia munda ijs, qui non hæc cum illa Iudaica superstitione cogitant. At alijs ista sunt, vt ægrotis cibi, qui etsi iucundi per se sint, ob morbum tamen displicent. Sic horum conscientia cum sit inquinata, etiam cibos, sua cogitatione, immundos facit.*

CAPVT II.

A TV autem loquere, quæ decent sanam doctrinam. Senes, vt sobrij sint, graues, modesti, sani in fide, in dilectione, in patientia. Anus similiter, in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes: [a] honesta docentes, vt modestas reddere possint adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos di-
B ligant, vt sobriæ sint, castæ, domus custodes, bonę, subditę viris suis: vt non blasphemetur verbum Dei. Iuue-
nes similiter hortare, vt sobrij sint. In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina,
integritatem, grauitatem, verbum sanum, irreprehensibile: vt is qui ex aduerso est vereatur, nihil habens ma-
C lum dicere de nobis. Seruos Dominis suis subditos esse, in omnibus placentes: non contradicentes: non frau- Ephe. 6. a
dantes, sed omnem fidem bonam ostendentes, doctrinam saluatoris nostri Dei ornent in omnibus. [b] Appa- Colos. 3. d
ruit enim gratia Dei salutifera omnibus hominibus: erudiens nos, vt abnegantes impietatem & secularia de- 1. pet. 2. c
D sideria, sobrie, & iuste, & pie viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentũ gloriæ magni Dei
& Saluatoris nostri IESV CHRISTI, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum peculiarem, sectatorem bonorum operum. Hæc loquere & exhortare:
& argue cum omni imperio. [c] Nemo te contemnat.

SCHOLIA.

[a] Honesta docentes.] *Cur ergo alibi prohibet mulieres docere? sed hic de eo sermone loquitur, qui domi fit monendi gratia, atque adhortandi, ibi vero prohibet præsidere, et sermonem habere ad populũ.* [b] Apparuit enim.] *Quod tam serui (inquit) quàm cæteri æque mihi sint curæ, facit illa cogitatio, quòd salutaris hæc gratia Dei omnibus æque hominibus proposita est.* [c] Nemo te contemnat.] *Ita te præbeas ac geras, vt nemo te contemnere audeat, quod non solum ad inculpatam vitam pertinet, verum etiam ad id, vt seruato decoro, & cum authoritate faciat omnia, sicut de Domino scriptum est. Erat enim tanquam authoritatem habens, & non sicut scribæ.*

CAPVT III.

B ADmone illos principatibus & potestatibus subditos esse, magistratibus obedire, ad omne opus bonum paratos esse, neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed humanos: omnem ostendentes
mansuetudinem erga omnes homines. [a] Eramus enim aliquando & nos insipientes, inobedien-
B tes, errantes, seruientes desiderijs & voluptatibus varijs, in malitia & inuidia agẽtes, odiosi, inuicem odio per-
sequentes. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Saluatoris nostri Dei: nõ ex operibus iustitiæ, quæ
fecerimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renoua- 2. Tim. 1. c
tionis spiritus sancti, quem effudit in nos abũde per IESVM CHRISTVM Saluatorem nostrum, vt iu-
stificati gratia ipsius, hæredes simus secundum spem vitæ æternæ. Fidelis sermo. De his volo, vt confirmes:
C vt curent bonis operibus præesse, qui crediderũt Deo. Hæc sunt bona & vtilia hominibus. Stultas autẽ quæ- 1. Tim. 1. b
stiones & genealogias & contentiones & pugnas legis deuita: sunt enim inutiles & vanæ. [b] Hæreticum ho- 1. Tim. 2. d
minem post vnam & secundam admonitionem deuita: sciens quòd subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit,
D cum sit proprio iudicio condemnatus. Cum misero ad te Arteman, aut Tychicum, festina ad me venire Ni-
copolim: ibi enim statui hyemare. Zenam legisperitum & Apollo solicite deducito, vt nihil illis desit. Discãt
autem & nostri bonis operibus præesse ad vsus necessarios: vt nõ sint infructuosi. Salutant te, qui mecũ sunt
omnes. Saluta eos, qui nos amant in fide. Gratia cum omnibus vobis. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Eramus enim aliquando.] *Vide circunspectam modestiam, atque vt hominem Christianum non deceat quemquam probris afficere, quamuis sceleratum & impium. Et nos, inquit, in eisdem tenebris adhuc versaremur, nisi benignitas, atq; humanitas seruatoris nostri Dei apparuisset.* [b] Hæreticũ hominem.] *De ijs loquitur, qui iam sua obstinatione sunt immedicabiles, qui suo ipsorum iudicio sunt condemnati, neque enim habent, quo se excusare iure possint.*

SCRIPTA EX NICOPOLI MACEDONIAE.

Epistola

EPISTOLA PAVLI
AD PHILEMONEM.
CAPVT I.

AVLVS vinctus CHRISTI IESV & Timótheus frater: Philemoni dilecto & ad- A
iutori nostro, & Apphiæ dilectę, & Archippo cõmilitoni nostro, & eccleſiæ, quæ in do-
mo tua eſt: gratia vobis & pax à Deo patre noſtro, & Dño IESV CHRISTO. Gra-
tias ago Deo meo, [a] ſemper memoriam tui faciẽs in orationibus meis, audiens charita-
tem tuam & fidem, quam habes in Dñm IESVM, & in omnes ſanctos: [b] vt cõmuni- B
catio fidei tuæ efficax fiat in agnitiõe omnis boni, qd̃ eſt in vobis erga CHRISTVM
IESVM. Gaudiũ enim multũ habemus & cõſolationẽ in charitate tua: q̃ viſcera ſan-
ctor̃ refocillata ſunt per te frater. Propter quod multam [c] fiduciam habens in CHRISTO imperãdi tibi
rem, quæ deceat: propter charitatẽ magis obſecro, cũ ſim talis, vt Paulus ſenex: nũc autem & vinctus IESV C
CHRISTI: obſecro te pro meo filio quem genui in vinculis meis, Oneſimo: qui tibi aliquãdo inutilis fuit,
nũc aũt & mihi & tibi vtilis, quẽ remiſi tibi. Tu aũt illũ, id eſt mea viſcera, ſuſcipe: quem ego volueram me-
cũ detinere, vt pro te mihi miniſtraret in vinculis euãgelij: ſine conſilio autem tuo nihil volui facere, vti ne
velut ex neceſsitate bonũ eſſet, ſed voluntarium. Forſitan enim ideo diſceſsit ad horam à te, vt ęternum illũ D
reciperes: iam non, vt ſeruum, ſed pro ſeruo chariſsimũ fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi & in carne & in Dño? Si ergo habes me ſociũ: ſuſcipe illum ſicut me. Si aũt aliquid læſit te, aut debet: hoc mihi imputa. Ego Paulus ſcripſi mea manu. Ego reddam: vt nõ dicam tibi, q̃ & teipſum mihi debes. Ita frater ego te fruar in Dño: refice viſcera mea in Dño. Cõfidens in obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens q̃ & ſuper id quod di
co, facies. Simul aũt etiam para mihi hoſpitiũ: nam ſpero q̃ etiã per orationes veſtras donabor vobis. Salutãt
te Epaphras concaptiuus meus in CHRISTO IESV. Marcus, Ariſtarchus, Demas & Lucas adiutores
mei. Gratia Domini noſtri IESV CHRISTI cum ſpiritu veſtro. Amen.

SCHOLIA.

[a] Semper memoriam tui faciens.] *Siquando, inquit, memoriam tui facio (id autem ſemper facio) continuo gratias ago Deo meo de te, eò quòd audio dilectionẽ tuam, &c. Vide autem artificium. Epiſtola eſt commendatitia, verum ante quàm veniat ad commendationem, præmittit iſta, quæ non ſolum demulceant animum, verum etiam tacite hortentur, & incitent Philemonem, ne, cum in reliquis rebus omnibus generoſe impleat omnia, quæ ad Chriſtianum virum pertinẽt, in hac re deſit ſuæ expectationi.* [b] Vt communicatio fidei.] *Vt efficaciam habeat communicatio fidei tuæ, dum agnoſcis bonum omne ex eo eſſe in vobis, quòd erga Chriſtum Ieſum eſtis affecti.* [c] Fiduciam habens in Chriſto.] *Scio, inquit, me imperare tibi poſſe, confiſus tua erga me charitate, ſed rogare malo. Et hæc artis plena ſunt verba, ſicut & quæ ſequuntur. Paulus ſenex, nunc autem vinctus Ieſu Chriſti, quæ omnia ad perſuadendum ſunt efficaciſſima. Appellat præterea Oneſimum filium ſuum, idq; ante, quàm proprium eius proferat nomen. At, quem Paulus filium ſuum vocat, quis tam illum reijcere audeat? atque adeo quis non potius chariſsime amplectatur? Vocat eum ſua viſcera, & tam charum, vt optarit tenere eũ apud ſe. Et illud, vt pro te miniſtraret mihi, tacite admonet, quid ille debeat. Scribit demum ſua manu, nequid deſit ad efficaciam, quod & ad Galatas fecit, videte, inquiens, quanta epiſtola ſcripſerim vobis mea manu.*

MISSA FVIT E ROMA PER ONESIMVM SERVVM.

EPISTOLA BEATI
PAVLI APOSTOLI AD HEBRAEOS.
CAPVT I.

MVltipharíam multisq; modis olim Deus [a] locutus patribus in prophetis, nouiſsime die- A
bus iſtis locutus eſt nobis in filio, quẽ conſtituit hæredẽ vniuerſor̃, per quem fecit & ſe
cula: [b] qui cũ ſit ſplẽdor gloriæ & expreſſa imago ſubſtantiæ eius, portansq; omnia ver
bo virtutis ſuæ, per ſemetipſum purgatione peccator̃ noſtror̃ facta, ſedit ad dexteram B
maieſtatis in excelſis: tanto melior angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen
hæreditauit. Cui enim dixit aliquando angelorum, [d] Filius meus es tu, ego hodie genui
te? Et rurſum: Ego ero illi in patrem: & ipſe erit mihi in filiũ. [e] Et cum iterum introdu
cit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes angeli Dei. Et ad angelos quidẽ dicit: [f] Qui C
facit angelos ſuos ſpiritus: & miniſtros ſuos flammam ignis. Ad filium autem: [g] Thronus tuus Deus in ſe-
culum ſeculi: virga rectitudinis, virga Regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea
vnxit tẽ Deus, Deus tuus oleo exultationis [h] præ participibus tuis. Et, Tu [i] in principio Domine ter-
ram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli. [k] Ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes, vt veſti- D
mentum veteraſcent. Et velut amictum circumuolues eos & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui
non deficient. Ad quem autem angelorum dixit aliquando: Sede à dextris meis: [l] Quoadũſq; ponam inimi-
cos tuos

Sapien. 7.d
Pſal. 2.b
2. Reg. 7.b
Pſal. 96.c
Pſal. 103.a
Pſal. 44.b
Pſal. 101.d
Pſal. 109.a
1. Cor. 15.d

cos tuos ſcabellum pedum tuorum? [m] Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus: qui in miniſterium mi-
tuntur propter eos, qui hæreditatem capient ſalutis?

SCHOLIA.

[a] Locutus patribus in prophetis.] *Quod ait in prophetis, & in filio, idem eſt, quod, per prophetas & per filium, nam familiare eſt Hebræis, in, ponere pro, per, quod contra hæreticos illos facit, qui differentiam in diuinis perſonis colligebant ex harum particularum differentia, quemadmodum magnus Baſilius latius docet in libro, quem de ſpiritu ſancto ſcripſit ad Amphilochium. Ait ergo Apoſtolus, Deum ſuperioribus temporibus locutum rudæorum genti varijs, diuerſis q̃ modis per prophetas, poſtremis vero temporibus locutum eſſe per ipſum filium, qui cum filius ſit, paternæ etiam naturæ, ac poteſtatis eſt particeps: iccirco ait: quem conſtituit hæredem vniuerſorum: atque, vt communia omnia opera vtriuſque intelligas, addit, per quem fecit & ſecula: quod ſi ſecula, commune eſt opus patris ac filij, proculdubio & quæ in ſeculis ipſis facta ſunt, commune ſunt opus: neque id ſolum, verũ etiam ipſe filius ab æterno eſt, neque fieri intra ſecula potuit, is per quem facta ſunt ſecula.*
[b] Qui cum ſit ſplendor.] *Tantum non dicens, etſi dixi, quòd pater illum ἐθέτησεν, hoc eſt, poſuit hæredem vniuerſorum, caue tamen, ne quicquam humile cogites, vt illum credas θετόν, hoc eſt, adoptiuum, ac non naturæ filium, ſed gratia: quocirca addo nunc, illum ab initio ſplendorem fuiſſe gloriæ, & characterem, ac tanquam expreſſum ſigillum ſubſtantiæ eius. Splendor quidem naturalem filij à patre progreſſum ſignat, nuſquam enim ſecũdum gratiam, aut adoptionem proficiſcitur ſplendor ab aliquo, non à ſole, non ab igne, non à quauis alia re, à qua ſplendor conſueuerit proficiſci. Adiectio autem illa, gloriæ, ſignificat eius quod maxime eſt venerabile, & quo nihil eſt maius in patre (nam appellatio gloriæ maximum quid ſignificat) ſplendorem eſſe filium. Illud etiam, ὤν, hoc eſt, cum ſit (de quo dictum eſt Moſi, ego ſum, qui ſum) & illa vox, ſplendor, idonea ſunt aſſerere filij à patre progreſſum ſecundum naturam, eandemq; ſubſtantiam, ac ſempiternitatem. Deinde apertius adhuc facit id, quod dixit, cum addit, & character ſubſtantiæ eius, quaſi totam in ſeipſo hauſerit eſſentiam ſubſtantiamq; patris, Deus eſt, artifex eſt, omnipotens eſt, et quicquid paternam eſſentiam exprimit, totum eſt filius, præterquàm quòd pater non eſt, quare & omnia verbo potentiæ ſuæ fert, hoc eſt continet, agit, regit.* [c] Per ſemetipſum purgatione.] *Commemoratis ijs, quæ Diuina ſunt, iam deſcendit ad ea, quæ nobiſcum verſatus, et ſimilis noſtri factus, egit, quod & Ioannes in principio Euangelij fecit.* [d] Filius meus es tu.] *Hoc teſtimonium & in Actis apoſtolorum adductum eſt de Chriſti humanitate. Sunt tamen, qui ita diſtinguant, vt priora verba, hoc eſt, filius meus es tu, dicta ſint, quatenus eſt Deus, & λόγος, & ſempiternam, per illud verbum, es, ſignificent generationem, poſteriora autem verba, hoc eſt, hodie genui te, quatenus eſt homo, cum illa verba facta ſint in tempore generationem ſignent: ſuam enim facit pater illam filij generationem ſecundum carnem, cum Deus & homo vnus ſit Chriſtus: ſimiliter & illud, ego ero illi in patrem, de incarnatione dictum eſt: nam illud, erit, manifeſte ad aſſumptam pertinet humanitatem.* [e] Et cum iterum introducit.] *Introducere hic accipe, pro in manus tradere, tunc enim poſſedit orbem terræ, qui volens ab eo regeretur, cum pro omnibus guſtauit mortem, & cum creditus eſt eſſe Deus. Gratum autem facit ſermonem, cum ait, patrem introduxiſſe filium: introduxit autem, non quòd antea localiter eſſet extra creaturam (quo enim pacto is, qui omnia implet?) ſed quia nihil habebat cum ea commune, cum Deus tantum eſſet, poſtea verò quàm noſtram accepit carnem, tunc illam habuit cum creatura communem. Primogenitum autem, nõ ratione alterius, qui poſtea genitus ſit, vocat: ſed idem eſt hic, quod vnigenitus, nam primogenitus eſt, ante quem nemo natus eſt, tametſi nemo poſt eum ſequatur. Cum igitur placuit patri, vt cum carne appareret filius ſuus primogenitus habitantibus orbem terræ, ait, adorent eum omnes angeli Dei. Scriptum eſt enim, & accedentes angeli miniſtrabant ei, &, videbitis angelos deſcendentes ſuper filium hominis.* [f] Qui facit angelos ſuos ſpiritus.] *Pſalm. 103. ad literam ex ijs, quæ in eodem pſalmo præcedunt & ſequuntur, apparet, illic ſpiritus accipi pro ventis potius: verum hoc citationi huic non obſtat, per ventos enim pſalmographus allegorice angelos intelligit, ſicut cœlos apoſtolos interpretatur Paulus, ad Rom. 10. & pſal. 18.* [g] Tronus tuus Deus.] *De angelis quidem, inquit, dictum eſt, qui facit angelos ſuos ſpiritus, & cœleſtes illæ poteſtates nuncq; quidam ſint, at cum de filio ſermo habetur, non ait, qui facit: ſed quid? ſedes tua Deus in ſeculum. Sedes enim, regni indicium eſt, ſicut & virga ac ſceptrum. Quod autem ad filium ſermo habeatur, declarant verba ſequentia, quæ de patre loquuntur, cum ait, propterea vnxit te Deus, &c. Quod vero addit, oleo exultationis, alludit ad morem regum & ſacerdotum, qui vngebantur, & huius vnctionem longè præſtantiorem eſſe oſtendit.* [h] Præ participibus tuis.] *Alijs enim datur ſpiritus ad menſuram, at in filio habitauit omnis plenitudo diuinitatis.* [i] In principio Domine terram fundaſti.] *Si omnia per filium facta ſunt, merito hoc teſtimonium filio aſcribitur, & cum de ijs dixerit, quæ poſt incarnationem ei acciderunt, nunc iſta ante incarnationem intellige.* [k] Ipſi peribunt.] *Omnia enim hæc viſibilia formam mutabunt, & ex corruptibilibus fient incorrupta, nam & ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, &c. peribunt ergo ab hac facie, quæ nunc eſt, Quod videtur per illa verba ſignificari, cum ait, velut amictum circumuolues eos, &c. Poteſt autem & Hebraiſmus eſſe, ſic, fieri quidem facilius poteſt, vt hæc omnia pereant, tu vero ſemper, idem ipſe es.* [l] Quoadũſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum.] *Illud quoadũſque, vel donec, etſi terminum quendam ſtatuere videatur, non tamen eam habet vim, vt excludat id, quod poſtea ſequitur, ſed ob eam duntaxat cauſam ponitur, vt illud tutum reddatur, de quo ſuſpicari quis poſſet: nam poſt ſubactos hoſtes non metuit quis, ne de ſede ejiciatur, ſed ſi timendũ eſt, id ante, quàm ſubacti ſint, eſt faciendum. Securus ergo iubetur eſſe, qua parte verari quis poſſit: poſt periculum vero, nihil eſt neceſſe iſta commemorare. Sic dictum eſt, non cognouit eam, donec peperit, vt, quo tempore ſuſpicari quis poſſet, illud omne quauis ſuſpitione liberaretur, nam poſt editum filium, non fuerat hac de re cogitandum, cum iam ex virgine natus eſſet.* [m] Nonne omnes.] *Ingens hominis dignitas, purgatiſsimas illas mentes, omnes adminiſtras eſſe ob ſalutem hominum. Angeli ergo (inquit) conſerui noſtri ſunt, & longe inferiore dignitate, quàm filius.*

CAPVT II.

A PRopterea abundantius oportet obſeruare nos ea, quæ audiuimus: [a] ne forte pereffluamus. [b] Si enim,
qui per angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis præuaricatio & inobediẽtia accepit iuſtam
mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus ſi tantam neglexerimus ſalutem? quę cũ primum
cœpiſſet enarrari per Dñm [c] ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis,
& varijs

& varijs virtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem. [d] Non enim angelis
pſal.8.c ſubiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur. Teſtatus eſt autem in quodã loco quidam dicens. [e] Quid B
eſt homo quòd memor es eius: aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eũ modicum quid ab an-
1.Cor.15.d gelis: gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubieciſti
ſub pedibus eius. In eo enim quòd omnia ei ſubiecit: nihil dimiſit nõ ſubiectum ei. Nunc autem [f] necdum
Phil.2.b videmus omnia ſubiecta ei. Eum autem, qui modicum quid præ angelis minoratus eſt, videmus IESVM
propter paſsionem mortis gloria & honore coronatũ, [g] vt gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem. De- C
cebat enim eum [h] propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat: author-
rem ſalutis eorũ, per paſsiones conſummare. Qui enim ſanctificat & qui ſanctificantur: ex vno omnes. Pro-
pſal.21.c pter quam cauſam non erubeſcit fratres eos vocare: dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis: in medio
pſal.17.a eccleſiæ laudabo te. Et iterum: [i] Ego ero fidens in eum: Et iterum: Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus.
Eſa.8.d Quia ergo pueri communicauerunt carni & ſanguini: & ipſe ſimiliter participauit eiſdem: vt per mor- D
tem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, ideſt diabolum: & liberaret eos, [k] qui timore mor-
tis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. [l] Nuſquam enim angelos apprehendit: ſed ſemen Abrahæ
Oſee.3.d apprehendit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilari: vt miſericors fieret & fidelis pontifex in his, quæ
1.Cor.15.g ad Deum, vt repropitiaret delicta populi: [m] in eo enim in quo paſſus eſt ipſe tentatus: potẽs eſt eis, qui ten-
tantur, auxiliari.

SCHOLIA.

[a] Ne forte perfluamus.] *Ne tanquã rimarum plenis hæc effluant, & excidant memoria.* [b] Si enim qui per angelos.] *Et ad Galatas ait, legem miniſterio angelorum ordinatam. Si ergo quæ per angelos (inquit) dicta ſunt in veteri teſtamento, ſtabilia fuerant, & peccantes omnes acceperunt iuſtam vltionem, nos qui iſta vidimus, quo pacto effugiemus? præſertim cum hic non temporaria bona ſed æterna ſalus nobis paretur.* [c] Ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt.] *Et cum cognouiſſent (inquit) gratiam, quæ data eſt mihi, Iacobus Cephas & Ioannes, qui videbantur columnæ eſſe, dexteras dederunt mihi & Barnabæ &c. Aly referunt illud, in nos non ad Paulum ſolum, ſed ad fideles qui tunc erant.* [d] Non enim angelis.] *Hoc ſequitur illam ſuperiorem comparationem angelorum cum filio Dei. Quod autem ait orbem terræ futurum, intelligit futurum ſpiritualem mundum, de quo (inquit) omnis hic ſermo noſter agit. Ipſe enim Chriſtus iudex illius orbis terræ ſedebit, angeli vero tanquam miniſtri ac ſerui aſtabunt. Vel ſic, ſuperior quidem ſpiritualis mundus vi ſus eſt fuiſſe ſubiectus angelis, cum eorum miniſterio data ſit lex, at futurus non ita cum per ipſum Dominum hæc allata ſit ſalus.* [e] Quid eſt homo.] *Cur iſta nunc addit (Cum maiorem oſtendere vellet Chriſtum angelis, videbatur aduerſari huic ſententiæ illud, quod ſcriptum eſt, quòd ſcilicet paulo minor factus ſit angelis, iccirco meminit huius loci, vt ſoluat hanc oppoſitionem, & ſoluens ait, dictũ eſſe, quòd imminutus ſit, ob paſsionem & mortem, cui angeli non ſunt obnoxij. Hæc autem conueniunt quidem, & in omne hominum genus, vt dicas, quid eſt homo, quòd memor es eius? neque enim ſolum dicit, vt eſſet, verum etiam vt bene eſſet. Et cum ſit memor ſemper. Viſitat eum male affectum. Quòd autem ait, minuiſti eum, hic eius ſententiæ meminit, quæ poſt transgreſsionem lata eſt, dum morti obnoxius eſt factus, & hac re minor angelis. Verum, cum (vt diximus) & de omnibus hominibus hæc dicta ſint, in primis tamen ad Chriſtum ſecũdum carnem referuntur, qui caput omnium eſt noſtrum. Nihil ergo impedit aſſumpta hominis natura quo minus ſubyciatur illi orbis terræ futurus, cum homini qui paulo minor factus eſt angelis, ob iam dictam cauſam omnia fuerint ſubiecta. Tunc vero Dei filium adorare angeli ſint iuſſi.* [f] Necdum videmus omnia ſubiecta ei.] *Nondum prædicatione euangelica vbique diſſeminata, nondum apparet omnium rex.* [g] Vt gratia Dei.] *Gratia enim ſanctiſsime trinitatis fuit, vt filius pateretur, nullum enim ob debitum pater filium tradidit. Pulchre autem dixit, guſtaret mortem, nam in ea non manſit, ſed duntaxat quodam modo guſtauit.* [h] Propter quem omnia.] *Decebat, inquit, vt Deus & pater, in cuius gloriam, & quo authore omnia ſunt, qui per vnigeniti gloriam, multos filios munere adoptionis, videlicet homines in gloriam adduxit, principem & authorem ſalutis eorum Chriſtum, factum illis ſimilem, qui pati mortem poſſet, per paſsiones conſummaret, atq; per crucem perfectum declararet, ac glorioſum. Quam vero ob cauſam ita decebat? quia ex vno omnes, & qui ſanctificat ſcilicet, & qui ſanctificantur, hoc eſt, eiuſdem naturæ eſſe oportet, vt, quemadmodum qui perierat, natura ſua abuſus, eam corruperat, ita alius infinities melius ea vtens, quam ipſa requirebat, ſua bonitate totius naturæ malitiam aboleret. Vide autem quid Chriſtus cæteris antecellat, ille enim ſanctificat, nos ſanctificamur. Quam ob cauſam non erubeſcit (inquit) fratres vocare eos: nam vnita ſibi carne, fraternitatem continuo induit, dicens autem, erubeſcit, declarauit differentiam. Neq; enim ſecũdum naturam, quamuis vere ſit homo, ſed benignitate frater eſt, quandoquidem eſt & vere Deus.* [i] Ego ero fidens in eum.] *Hoc teſtimonium adhibitũ eſt ad acceptam humanitatem oſtendendam.* [k] Qui timore mortis.] *Erant ante deuictam mortem homines obnoxij ſeruituti, ob ipſius mortis metum, & nihil libere, vti nunc, agere audebant, quem enim non perterrefaceret mortis nomen? at nunc ij, qui antea tanquam maximum ſupremumq; malorum omnium mortem formidabant, atque auerſabantur, iam quaſi meliores vitæ principium, ad eam læti accurrunt, ſiquando opus eſt pro Chriſto, ac eius legibus pati: quod cum fit, an non manifeſte patet, ſeruatorem Chriſtum liberaſſe nos & timore mortis & ſeruitute? Videtur & poſſe intelligi, de ijs, qui non amore Dei, ſed timore pænæ tanquam ſerui ſubyciebantur: per Chriſtũ vero inuecta libertas eſt, qua vt filij ducimur per viam Dei.* [l] Nnuſquam enim angelos.] *Iuſtum, inquit, fuit, vt hac via ingrederetur, quandoquidem non angelicam ſed humanam accepit naturam, cui debuit per omnia ſimilis fieri, vt eſſet miſericors, & fidelis, veraxq; pontifex, cuius proprium eſt, eos, quorum eſt pontifex, liberare à peccatis, tanquam medium, atque interceſſorem.*
[m] In eo enim, in quo paſſus eſt.] *Videtur enim, experientiã magis miſericordem efficere, verum propter id, quod ait, poteſt ijs, qui tentantur, auxiliari, poſſumus ſic intelligere. Quoniam, quamuis haberet corpus nulli peccato obnoxium, tentatus eſt tamen, ac paſſus, iuſtum fuit, vt ius haberet aduerſus malignum illum: & homines, qui ab eo detinebantur, ipſe eriperet, ac opitulari poſſet ijs, qui tentarentur.*

Caput

CAPVT III.

A VNde fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes, conſiderate [a] apoſtolum & pontificem confeſsionis noſtræ IESVM: qui fidelis eſt ei, qui præfecit illum, ſicut & Moyſes in tota domo eius. [b] Ampliori enim gloria iſte præ Moyſe dignus eſt habitus: quanto ampliorẽ honorẽ habet qui fabricauit Num.32.b
domũ, quàm ipſa domus? Omnis nãq; domus, fabricatur ab aliquo, qui aũt omnia creauit: Deus eſt. Et moy-
B ſes quidem fidelis erat in tota domo eius tanq̃ famulus, in teſtimoniũ, eorũ, quæ dicẽda erãt: CHRISTVS
vero tanquã filius in domo ſua: cuius domus, ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque ad finẽ firmã retineamus. Quapropter ſicut dicit ſpiritus ſanctus: Hodie ſi vocem eius audieritis: nolite obdurare corda veſtra, Pſal.94.c
ſicut in exacerbatione ſecundũ diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri: probauerũt me
C & viderunt opa mea quadraginta annis. Propter quod infenſus fui generationi huic & dixi: Semper hi errãt
corde. Ipſi autem non cognouerunt vias meas: quibus iuraui in ira mea: [c] Si introibũt in requiem meã. Vide
te fratres, nequando ſit in aliquo veſtrũ cor malũ incredulitatis diſcedendi à Deo viuo: ſed adhortamini vos-
metipſos per ſingulos dies, donec HODIE cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.
D Participes enim CHRISTI effecti ſumus: ſi tamen [d] initium ſubſtantiæ vſq; ad finem firmũ retineamus
dum dicitur. Hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodũ in illa exacerbatione. Quidam enim audientes, exacerbauerunt: [e] ſed non vniuerſi, qui profecti ſunt ab Ægypto per Moyſen.
Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis, qui peccauerunt, quorum membra conciderunt
in deſerto? Quibus autem iurauit non introituros in requiem ipſius: niſi illis qui non obedierunt? Et videmus quòd non potuerunt introire propter incredulitatem.

SCHOLIA.

[a] Apoſtolum.] *Apoſtolum appellat, quæ vox miſſum ſignificat: quia miſſus fuit à patre, vt homo. Cõfeſsionem autem hic vocat fidem, & addit, eum fuiſſe fidelem, hoc eſt, ſeruaſſe fidem in quærenda populi ſalute, & idem ſenſiſſe cum patre, qui eum fecit, hoc eſt, conſtituit apoſtolum, atq; pontificem.* [b] Ampliori enim gloria.] *Cum dixiſſet, fidelem fuiſſe Chriſtum, ſicut & Moſes fuit, et tantum æquaſſet eum Moſi, nunc quantò ſit Moſe præſtantior, docet, ait ergo. Fidelis quidem fuit Moſes ſuper totam domum, hoc eſt, populum, verum & ipſe erat pars domus, hoc eſt, vnus è populo. Tantò igitur maiore gloria Chriſtus, quàm Moſes, dignus eſt, quantò maiorem honorem habet is, qui fecit domum, quàm domus ipſa, et quantum intereſt inter eum, qui fecit, & id, quod factum eſt. Domum hic vocat populum cum ipſo Moſe, quandoquidem & Moſes vnus erat è populo: factor autem, & artifex huius domus Chriſtus eſt, neque huius duntaxat domus, verum etiam rerum omnium: hoc enim eſt, quod ait, qui autem omnia creauit, Deus eſt.* [c] Si introibunt in requiem meam.] ἐλεύσεις *eſt Hebraica, quàm implebis, ſi dicas, ſi introibunt in requiem meam, mentitus ero. Ait ergo, tandiu neglexerunt agnoſcere vias meas, dum me eò impulerunt, vt iurarem fore, vt in requiem meam, hoc eſt, promiſſam terram non ingrederentur, in quam ſi ingreſsi fuiſſent, requiem à bellis omnibus habuiſſent. At illa requies vmbra fuit requietis veræ, atque æternæ, quæ per Chriſtum parata eſt, qua illi nimirum priuandi ſunt, qui Chriſto pollicenti, credere noluerint.* [d] Initium ſubſtantiæ.] *Fidem in Chriſtum intelligit, per eam enim ſubſiſtimus, & participes facti ſumus Chriſti.* [e] Sed non vniuerſi, qui profecti ſunt.] *Scilicet educti ex Ægypto peruenerunt in terram promiſsionis, immò ne Moſes quidem ipſe, & hanc eſſe ſententiam, oſtendunt quæ ſequuntur, non enim pauci quidam ex illis proſtrati ſunt in deſerto, ſed omnes, præter Ioſue & Caleb, qui ne ipſi quidem, quòd Moſe magis digni eſſent, ingreſsi ſunt.*

CAPVT IIII.

B TImeamus ergo, ne quando relicta pollicitatione introeundi in requiẽ eius: exiſtimetur aliquis ex nobis fuiſſe fruſtratus. Etenim nobis annũtiatum eſt, quemadmodũ & illis: ſed non profuit illis ſermo
auditus, nõ coniunctus fidei ijs, qui audierunt. Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quẽ-
admodũ dixit: Sicut iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiẽ meam: quamuis operibus ab inſtitutione mũ- Pſal.94.d
B di perfectis. Dixit enim in quodã loco de die ſeptima ſic: Et requieuit Deus die ſeptima ab omnibus operi- Gene.2.a
bus ſuis. Et in iſto rurſum: Si introibunt in requiem meã. Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illã, Supr.3.
& ij, quibus prius annuntiatum eſt, non introierunt propter incredulitatem: iterum terminat diẽ quẽdam,
hodie, in Dauid dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſupradictum eſt. Hodie ſi vocem eius audieritis: nolite
C obdurare corda veſtra. [b] Nam ſi eis Ieſus requiem præſtitiſſet, nunquam de alia loqueretur poſthac die, Itaq;
relinquitur ſabbatiſmus populo Dei. [c] Qui enim ingreſſus eſt in requiem eius, etiam ipſe requieuit ab operi
bus ſuis, ſicut & à ſuis Deus. Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem: vt ne in idipſum quis incidat incre-
dulitatis exemplum. [d] Viuus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertin-
D gens vſq; ad diuiſionem animæ ac ſpiritus: compagum quoq; ac medullarum, & diſcretor cogitationum &
intentionum cordis. Et nõ eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem [e] nuda & aperta ſunt Eccl.15.d
oculis eius, [f] ad quem nobis ſermo. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetrauit cœlos IESVM Pſal.33.c
filium Dei: teneamus confeſsionem. [g] Non enim habemus pontificem, qui non poſsit cõpati infirmitatibus 2.Cor.3.b
noſtris: tentatũ autem per omnia pro ſimilitudine abſq; peccato. Adeamus ergo cũ fiducia ad thronũ gratię:
vt miſericordiam conſequamur, & gratiam inueniamus in auxilium opportunum.

SCHOLIA.

[a] Quamuis operibus.] *Poſt requiem illam, inquit, de qua ſcriptum eſt. Deum requieuiſſe ab operibus ſuis, alia cõmemoratur requies. Sicut ergo requies illa ſabbati nihil prohibet, aliam etiam eſſe requiem promiſſæ terræ, ſic neque hæc promiſſæ terræ requies prohibet aliam requietem dici, illam videlicet regni cœlorum, de qua loquitur Dauid, admonens, ne obdurent corda ſua, ne fraudentur vera illa requie, cuius vmbra fuit illa, in quam Ioſue populum introduxit. Niſi enim tertiam habuiſſet Deus requiem, non dixiſſet, hodie ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quaſi omnino ſuperſit requies in quam intraturi ſint ij, qui non obdurauerint corda ſua.* [b] Nam ſi eis Ieſus requiem.] *Si illa tantum, inquit,*

eſſet

esset requies, promissa illa terra, in quam Iesus Naue populum introduxit, non de alia per Dauid locutus esset Deus requietis die, relinquitur ergo Sabbatismus, hoc est, requietio. c Qui enim.] *Quoniam hi fideles afflictabantur malis, ideo præter-missa hic mentione bonorum futurorum, ex hac tantum parte consolatur eos, dum ait, quòd ingressi in illam requiem regni cœlorum, quietem habebunt à persecutionibus, atque afflictionibus.* d Viuus est enim.] *Sensim ostendit Christum illa etiam effecisse, quæ Israelitis contigerunt. Viuens enim est (ait) & non morietur in æternum, & efficax etiam est, et quod egit in antiquos Israelitas, idem & nunc agat, omnia enim penetrat, non ea solum quæ quauis corporea sint, tamen abdita delitescunt, vt medullæ, verum etiam incorporea & inuisibilia, velut anima ac spiritus, & cogitationes cordis, vt nihil omnino sit inuisibile coram illo, siue cherubin sint, siue Seraphin. Ad ostendendam autem eius efficaciam, vtitur exemplis nobis notioribus, dum eum comparat gladio vtraque parte acuto, docens non esse illi opus vllo gladio ad perdendos hostes, sed sibi notioribus, dum eum comparat gladio vtraque parte acuto, docens non esse illi opus vllo gladio ad perdendos hostes, sed sobis

festum est enim, quòd ex Iuda ortus sit Dominus noster: in quam tribum nihil de sacerdotio Moyses locu- C
tus est. Et amplius adhuc manifestum est: si secundũ similitudinem Melchisedec, exurgat alius sacerdos, qui
Psal. 109.c non [e] secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutẽ vitę insolubilis. Cõtestatur enim:
Quòd tu es sacerdos in ęternum, secundum ordinem Melchisedech. Reprobatio quidem fit precedẽtis man-
dati, propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex: introductio autem erat
melioris spei, per quam proximamus ad Deum, & quatenus non sine iureiurando. Alij quidem sine iureiu-
rando sacerdotes facti sunt: hic autem cum iureiurãdo per eum, qui dixit ad illum. Iurauit Dominus, & non
pœnitebit eũ: tu es sacerdos in æternum, secũdum ordinem Melchisedec. [f] In tantum melioris testamenti D
sponsor factus est IESVS. Et alij quidem plures facti sunt sacerdotes, idcirco quòd morte prohiberentur
per manere: hic autem eo quòd maneat in æternum sempiternum habet sacerdotium. [g] Vnde & saluare in
perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum: semper viuens ad interpellãdum pro illis. Talis enim de-
cebat, vt nobis esset pontifex: sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cœlis fa-
ctus: qui non habeat necessitatem quotidie (quemadmodũ sacerdotes) prius pro suis peccatis hostias offerre,
deinde pro peccatis populi [h] hoc enim fecit semel se offerendo. [i] Lex enim, homines constituit sacerdotes
infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.

SCHOLIA.

[a] Sine patre sine matre.] *Hoc propterea dicitur, quod huius non describatur genealogia, neque à quibus aut quando ortus, neque quando obierit. Figura autem hic fuit Christi, qui fuit sine patre in terra, & sine matre in cœlo, & neque initium habuit dierum, neque finem est habiturus. Ingens ergo est, inter nouum, vetusq; testamentum, differentia, quæ ex sacerdotij differentia colligitur.* [b] Morientes homines.] *Mortales. Ostendere autem vult excellentiam huius Melchisedec, ob quam acceperit decimas. Quod autem ait, Testimonium habuisse illum, quòd viueret, sic accipe, vt superius dictum est, quòd scilicet scriptura mortem eius non dixerit, sed vitam tantum. Sacerdotium ergo Leuitarum moriturum erat, illud vero secundum ordinem Melchisedec, futurum est æternum.* [c] Si ergo consummatio.] *Docet sacerdotium noui testamenti, atque ipsum testamentum veteri esse præstantius. Si enim perfectionem (inquit) habuisset Leuiticum sacerdotium, sub quo lata est lex, quid opus erat ex alia tribu, quam Leuitica, exurgere alium, qui secundum ordinem Melchisedec, & non secundum ordinem Aaron potius, sacerdotio fungeretur?* [d] Translato enim sacerdotio.] *Vide vt apte introducit, nouum testamentum. Cum legis (inquit) authoritas coniuncta sit cum ratione sacerdotij, necesse omnino est, vt mutata forma sacerdotij, mutetur & forma legis.* [e] Secundum legem mandati carnalis.] *Magis etiam, inquit, perspicuum est, sacerdotium hoc diuersum à Mosaico esse, quòd cum dicit, secundum ordinem Melchisedec sacerdotem Christum esse debere, admonet, fore, vt non carnales hostias immolet, quas lex præcipit immolandas, sed Diuina virtute ad indissolubilem vitam ducat.* [f] In tantum melioris testamenti.] *Et quia videlicet nõ habet finem sicut legale, et quia interceßit in iurandum, & quia legalia imperfecta erant & infirma, hæc autem perfecta & fortia.* [g] Vnde & saluare.] *Alij sacerdotes ob mortem, non possunt, quod caperant, prosequi, & sunt quasi sponsores incerti. Iesus autem, quia in æternum manet, quos cœpit saluos facere, eos potest ad perfectam salutem perducere, qui accessum habent ad Deum per ipsum, dum semper viuit, atque vt sacerdos interpellat pro ipsis.* [h] Hoc enim fecit semel.] *Quid? vt offerret scilicet pro peccatis populi: nam pro se, ne semel quidem opus fuit, cum sine peccato esset.* [i] Lex enim.] *Lex infirma infirmos quoq; homines constituebat, vt vtrinque nihil esset validum, at sermo iusiurandi, qui legi succedit, constituit filium Dei perfectum, atque immortalem.*

CAPVT VIII.

[a] Caput autem super ijs, quæ dicuntur, hoc est, talem habemus pontificem, qui consedit in dextera se- A
dis magnitudinis in cœlis: [b] sanctorum minister: & tabernaculi veri, quod fixit Deus, & non homo.
[c] Omnis enim pontifex, ad offerendum munera & hostias constituitur. Vnde necesse est & hunc ha-
bere aliquid quod offerat. Si enim esset super terrã, ne sacerdos quidem esset: vbi essent sacerdotes, qui offer-
Exod. 25.d rent secũdum legem munera, qui exemplari & vmbræ deseruiũt cœlestium: sicut responsum est Moysi, cum B
Act. 7.f consummaturus esset tabernaculum. Vide (inquit) omnia facito secundum exemplar, quod tibi ostensum
est in monte. Nunc autem tanto melius sortitus est ministerium: quanto & melioris testamẽti mediator est,
quod in [d] melioribus repromissionibus sancitum est. Nam si illud primum culpa vacasset, non vtiq; secũdi
locus inquireretur. Vituperans enim eos dicit. [e] Ecce dies venient, dicit Dominus: & consummabo super C
Iere. 31. domũ Israel & super domum Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci patribus
eorum in die, qua apprehẽdi manum eorum vt educerem illos de terra Ægypti, quoniam ipsi non perman-
serunt in testamento meo: & ego neglexi eos dicit Dominus. Quia hoc est testamentum, quod disponam do
mui Israel post dies illos, dicit Dominus. Dabo leges meas in mẽtem eorum, & in corde eorum inscribã eas: D
& ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum, & non docebit vnusquisq; proximũ suum, & vnusquisq;
fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: quoniam omnes scient me à minore vsq; ad maiorem eorum,
quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatis eorum: & iniquitatum eorum non recordabor amplius.
Dicendo autem nouum: veterauit prius. Quod autem antiquatur & senescit: propè interitum est.

SCHOLIA.

[a] Caput autem.] *Summa (inquit) ac caput eorum, quæ hactenus dicta sunt, est hoc. Talem habemus pontificem, &c.*
[b] Sanctorum minister.] *In illa vere sancta introiuit, quorum figuræ erant, quæ à Mose fuerant instituta, ibiq; peragit veri sacerdotij munus.* [c] Omnis enim pontifex.] *Oportuit Christum per mortem in vera sancta introire, hanc ob causam. Cum sacerdotes ad hoc instituantur, vt offerant hostias, Christi autem sacerdotium diuersum sit ab illo Leuitico: si Christus adhuc in terra esset, ne sacerdos quidem esset, cum his legalibus sacrificijs non vteretur: at vero vt sacerdos esset, debuit aliquid offerre: per mortem ergo obtulit semetipsum hostiam perfectam, & resurgens à mortuis assumptus est in cœlum, locum idoneum, vbi sacerdotium suum exerceat, hoc est, interpellet pro nobis: quarum rerum exempla quædam et vmbræ fuerunt*

runt ista legalia, quod significauit Deus, cum iussit, vt Moses faceret omnia secundum exemplar, quod ostensum erat illi in monte. [d] Melioribus repromissionibus.] *Nam ibi terrena, & temporaria promittuntur, hic cœlestia, atque æterna.*
[e] Ecce dies venient.] *In hoc Hieremiæ testimonio aperte promittitur nouum testamentum, & veteris reiectio prædicitur. Ait igitur Deus, se daturum leges, non iam lapidi inscriptas, vt in priore factum fuit testamẽto, sed in cordibus eorum, per spiritum videlicet sanctum, atque ita propagandam esse hanc veritatis lucem, vt tam parui, quam magni, omnes agnoscant Dominum, quod iam impletum omnes cernimus.*

CAPVT IX.

A IGitur [a] habuit quidem & primum iustificationes culturæ: & sanctum mundanum. Tabernaculũ enim
factum est primum, in quo erant candelabrum, & mensa, & propositio panum: quæ dicitur sancta. Post Exod. 26.a
velamentum autem secundum: tabernaculum, quod dicitur sancta sancta sanctorum, aureũ habens thu- & 36.a
ribulum: & arcam testamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga
B Aaron, quæ germinauerat, & tabulæ testamenti: superq; eam erant Cherubin gloriæ obumbrantia propitia-
torium: de quibus non est modo dicendum per singula. His vero ita compositis, in primum quidem taber-
naculum semper introibant sacerdotes, sacrificiorum officia consummantes: in secundum autem, [b] semel
in anno solus pontifex: non sine sanguine, quem offerret pro se & populi ignorantijs: [c] hoc significante spi
ritu sancto, nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum, quæ pa-
C rabola est temporis instantis: iuxta quod munera & hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam
perfectum facere seruientem, solummodo in cibis, & in potibus & in varijs baptismatibus, & [d] iustificatio-
nibus carnis, vsq; ad tempus correctionis impositа. CHRISTVS autem accedens pontifex futurorum
bonorum, [e] peramplius & perfectius tabernaculum non manufactum, id est, non huius creationis, neque
D per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna re-
demptione inuenta. Si enim sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat Leui. 16.c
[f] ad æmundationem carnis: 8 quanto magis sanguis CHRISTI, qui per spiritum æternum semetipsum 1.Petr.1.d
obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam vestram ab operibus mortuis ad seruiendum Deo vi- 1. Ioã. 1.d
uenti? [h] Et ideo noui testamenti mediator est: vt morte intercedente, in redemptionem earum præuarica- Apoc.1.b
E tionum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis. 1. pet. 3.g
Rom.5.b
[i] Vbi enim testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim, in mortuis confirma- Galat 3.b
tum est: alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedi-
catum est. Lecto enim omni mandato legis à Moyse vniuerso populo: accipiens sanguinem vitulorum & Exod. 24.
F hircorum cum aqua & lana coccina & hyssopo, ipsum quoque librum & omnem populum aspersit dicens:
Hic sanguis testamenti quod mandauit ad vos Deus: Etiam tabernaculum & omnia vasa ministerij, sangui-
ne similiter aspersit. Et omnia pne in sanguine secundum legem mundãtur: & sine sanguinis effusione non
fit remissio. Necesse est ergo exemplaria quidem cœlestium his mundari: ipsa autem cœlestia melioribus ho
stijs, quàm istis, Nõ enim in manufacta sancta CHRISTVS introiuit exemplaria verorum: sed in ipsum
G cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis: neq; vt sæpe offerat semetipsum, quemadmodum pontifex
intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno. Alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine
mundi. Nunc autem semel sub consumationem seculorum, ad destitutionem peccati, per hostiã suam appa-
ruit. Et quemadmodũ statutum est hominibus semel mori, post hoc autem iudicium: sic & CHRISTVS
semel oblatus est ad multorũ exhauriẽda peccata, secundo [k] sine peccato apparebit expectãtibus se, in salutẽ. Rom.5.b
1. pet.3.c

SCHOLIA.

[a] Habuit quidem & primum.] *Ostendere iam vult ex ipsa tabernaculi forma, non vanam quidem omnino fuisse illam veteris cultus religionem, sed vmbram tamen duntaxat fuisse eorum, quæ in nouo declarata sunt testamẽto. Habebat ergo vetus testamentum iustificationes cultus, hoc est ritus quosdam, qui iustitiæ speciem quandam præse ferrent, & sanctum mundanum, vel mundanam exterioremque sanctimoniam, vel atrium illud, ad quod inuisendum omnibus patebat accessus: nam cortinæ atry erant plenæ foraminibus, arcentes quidem ingressum populi, sed aspectum non prohibebant.*
[b] Semel in anno solus pontifex.] *Præter illud indeficiens incensum, mane, & vespere, semel per annum summus sacerdos solenniter incensum offerebat, et deprecabatur in die expiationis, quæ decima erat in mense vel lunatione septembris, & deliniebat cornua altaris ex sanguine oblato pro peccato. Quanquã & eo die ingrederetur in sancta sanctorum, non quòd ibi staret altare aureum, et incensi, sed quia ante arcam Domini deprecabatur pro peccato populi. Verisimile tamen est, tempore secundi templi, loco arcæ fœderis, stetisse in sancto sanctorum altare incensi aureum, nam rudæi testantur, eo tempore nec arcam Domini, nec propitiatorium, nec tabulas testamenti ibi fuisse.* [c] Hoc significante spiritu sancto.] *Per hanc tabernaculi in hunc modum exstructionem, quòd scilicet sacerdotes alij, qui in priore tabernaculo ministrabant, prohibeantur intrare in sancta sancta sanctorum, solus autem pontifex semel in anno in illa intraret, idque non sine sanguine, significauit spiritus sanctus, tandiu dum staret illud vmbratile tabernaculum, non esse aperiendum viam sanctorum, hoc est, ad illa vera sancta, atque cœlestia, sed per Christi veri summi sacerdotis semel oblatum sanguinem, sancta illa esse aperienda. Iccirco & in morte eius velum templi scissum est.* [d] Iustificationibus carnis.] *Illa erant instituta, non vt conferrent veram, perfectamq; iustitiã, sed vt his figuris assueti, aptiores essent homines capessendæ veritati.* [e] Per amplius & perfectius tabernaculum.] *Nõ habuit opus Christus Mosaico tabernaculo, & fabrica illa manu hominum facta, atque huius creationis, hoc est, structuræ humanæ, sed per longe perfectius tabernaculum, hoc est, per assumpti corporis dispensationem, & per proprium sanguinem, introiuit semel, non per singulos annos, sed semel tantum in vera illa sancta. Scio plerosque viros doctos interpretatos esse, tabernaculum non manu factum, ipsum cœlum, sed cum infra dicatur. Christum non intrasse in manufacta sancta, sed in ipsum cœlum, per quod intelliguntur illa vera sancta, quæ ratio est, vt dicamus, Christum per cœlum intrasse in cœlum?* [f] Ad emundationem carnis.] *Vt scilicet ij, qui immunditiam contraxerant, ex rei cuiuspiam immundæ*

contactu, atque eiusmodi rebus, ex illa aspersione mundi iam censerentur. g Quanto magis sanguis Christi.] *Si res inferiores homine, vt sanguis taurorum, & cætera talia, vim habent purificandi exterioris hominis, quantò efficacior esse debet ad hominis conscientiam emundandam, sanguis Christi Dei? qui non per corporeum ignem, vt victimæ legales, sed per spiritum sanctum, cuius opera tabernaculum illud corporis extructum fuerat, obtulit se immaculatum Deo.* h Et ideo noui testamenti.] *Medium se, atque intercessorem præbuit Christus ad hanc purificationem, cum nos, vtpote hostes, non valeremus ad Deum accedere: & cum pœnæ scelerum dandæ essent, idq; iustitiæ Dei esset consentaneum, ipse filius luit pœnas in cruce moriens pro nobis, vt transgressionibus, quæ prius testamentum auferre nequiuerat, abolitis, ij, qui vocati sunt, accipiant promissionem æternæ hæreditatis.* i Vbi enim testamentum.] *Tantum abest, vt scândalum pati quis debeat ex morte Christi, vt illa ipsa sit, quæ huic testamento robur præbeat: nam testamentum in morte cõfirmatur testatoris. Quod vt facilius crederemus, quòd scilicet sanguine Christi confirmaretur hoc testamentũ, voluit Deus, vt etiam vetus per sanguinem dedicaretur. Et sanè oportuit, vt quæ vmbræ erant cœlestium, huiuscemodi crassis purificationibus verentur, ipsa vero cœlestia longe meliuribus, quàm hæ sint. Vnde & locum elegit Christus, tanto sacrificio idoneum: non enim in hæc manu hominum facta sancta introiuit, sed in ipsum cœlum.* k Secundo sine peccato.] *In primo aduentu, cum trãstuliſſet in se nostra omnium peccata, tanquam ingens peccator, mortem ignominiæ plenã pertulit, vt diceret Paulus, Deum fecisse illum peccatum, hoc est, veluti hostiam deuotam pro peccato: at in secundo aduentu non personã peccatoris induet, sed gloriosius apparebit in paterna gloria.*

CAPVT X.

Leui. 16.c

VMbram enim habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum: per singulos annos A
eisdem ipsis hostijs, quas offerunt indesinenter, nunquã potest accedentes perfectos facere: alioquin
nonne cessassent offerri? ideo quòd nullam haberent vltra conscientiam peccatorum cultores semel
mundati: a sed in ipsis commemoratio peccatorum per singulos annos fit: impossibile enim est, sanguine
Psal. 39.b psal. 40. psal. 1. taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo b ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti:
corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata & pro peccato, non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio, in B
volumine libri scriptum est de me: vt faciam Deus voluntatem tuam. Superius dicés: Hostias, & oblationes,
& holocaustomata, & pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi quæ secundum legem offerũtur, tunc dixit,
Ecce venio, vt faciam Deus voluntatem tuam: aufert primum, vt sequens statuat: In qua volũtate sanctificati
sumus per oblationem corporis IESV CHRISTI semel. Et omnis quidem sacerdos præsto est quotidie
ministrans, & easdem sæpe offerens hostias, quæ non possunt auferre peccata: hic autẽ vna pro peccatis obla- C
psal. 109.a 1. Cor. 15. d ta hostia, in sempiternum sedet in dextera Dei, de cætero expectans, donec ponantur inimici eius scabellum
pedum eius. Vna enim oblatione, consummauit in sempiternum eos, qui sanctificantur. c Contestatur au-
tem nos & spiritus sanctus: postquam enim dixit: Hoc autem testamentum, quod testabor ad illos post dies
illos: dicit Dominus. Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum inscribam eas: & peccato-
Iere. 31.f Supr. 8.e rum, & iniquitatum eorum iam non recordabor amplius. V bi autem horum remissio, iam non est oblatio D
pro peccato. Habentes itaq; fratres fiduciam in introitum sanctorum in sanguine CHRISTI: quam ini-
tiauit nobis viam nouam & viuentem per velamen, id est, carnem suam, & sacerdotem magnum super do-
mum Dei, accedamus cum vero corde in certitudine fidei, aspersi corda à conscientia mala: & abluti corpus
aqua munda, teneamus spei confessionem indeclinabilem, fidelis enim est qui repromisit: & consideremus
inuicem in prouocationem charitatis & bonorum operum: non deserẽtes collectionem nostram, sicut con- E
Supra 6.a suetudinis est quibusdam, sed adhortantes: & tanto magis quãto videtis appropinquantem diem. d Volun-
Deut. 17.b Matt. 18.b Ioan. 8.c 2. Cor. 13.a tarie enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis: iam non relinquitur pro peccatis hostia, sed
terribilis quædam expectatio iudicij & e ignis æmulatio: quæ consumptura est aduersarios. Irritam quis fa-
ciens legem Moysi: sine vlla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deterio-
ra mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & f sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo san- F
Deut. 32.c Rom. 12.d ctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta: ego retribuam,
dicit Dominus. Et iterum, Iudicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei vi-
uentis. Rememoramini autem pristinos dies: in quibus illuminati magnũ certamen sustinuistis passionum,
& in altero quidem opprobrijs & tribulationibus spectaculum facti: in altero autem socij taliter conuersan-
tium effecti: g Nam & vinculis meis compassi estis: & rapinam bonorum vestrorum cum gaudio susce- G
pistis, cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam in cœlis. Nolite itaq; amittere confiden-
tiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est: vt voluntatem Dei
facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum q̃, qui venturus est veniet, & non
Aba. 2.a Rom 1.b Galat. 3.b tardabit: iustus autem, ex fide viuet: quòd si subtraxerit se: non placebit animæ meæ. Nos autem non sumus
subtractionis in perditionem: sed fidei in acquisitionem animæ.

SCHOLIA.

a Sed in ipsis commemoratio.] *Illa (inquit) sacrificia quæ fiunt, non tollunt peccata, sed per illa fit commemoratio peccatorum, & fatentur homines esse se peccatores.* b Ingrediens mundum.] *Christus per acceptam naturam nostram intrans in mundum, vt salutem nostrorum operaretur, ait per Dauid. Oblationes hæ, victimæq; legales non tibi pater placent, quas hactenus ob istorum imbecillitatem toleraſti. Quando igitur hæc iam repellis, & aptasti mihi corpus, per quod beneplacitum tibi sacrificium offeram, ecce venio, vt faciam voluntatem tuam: nam de hac re in volumine libri diuinæ legis tuæ passim scriptum est. Quod autem ait in volumine, non est ἐν κεφαλῖδι, hoc est, in capite, quod verbum philosophari multos fecit, sed ἐν κεφαλίδι, in volumine, quod sic vocatur à forma, qua libri apud Hebræos scribi consueuerunt, vt circumuoluantur.*
c Contestatur autem nos.] *Spiritus sanctus per illa iam antea commemorata verba prophetæ Hieremiæ, testatur remissa esse nobis peccata: cum enim prius dixisset, hoc est testamentum, &c. adiecit, & peccatorum, & iniquitatũ eorum non recordabor*

recordabor amplius. d Voluntarie enim peccantibus.] *Neque hic tollitur pœnitentia, sed docet, non debere eos expectare quotidianas victimas, quæ ob repetita peccata, vt in lege fiebat, offerantur, sed, quemadmodum Christus vna oblatione omnia peccata aboleuit, sic post semel condonata peccata, nõ debere eos iterum ad eadem reuolui, quod nihil est aliud, quàm videri velle quotidie repetitas hostias pro peccato expectare. Neque simpliciter dixit, peccantibus, sed volũtarie peccantibus, qui non infirmitate aliqua, aut ignorantia, sed vitiorum delectatione sponte, atque ex animo peccant, huiusmodi autem hominibus quid expectandum est (id enim plurimum eis vsu venit) nisi minæ æterni ignis?* e Ignis æmulatio.] *Ignis ille tanquam æmulator diuini honoris sæuiet in impios.* f Sanguinem testamenti pollutum duxerit.] *Illud, pollutum, in Græco est, κοινὸν, hoc est commune, quod in scripturis, more Hebræorum, significat & immundum & quod nihil à cæteris differt, hic ergo reprehendit eos, qui sanguinem Christi nihilo charius æstimant, quàm communia alia.* g Nam & vinculis meis compassi.] *Videtur hic esse χιασμὸς, nam cum duo dixisset, in altero facti spectaculum, in altero locis &c. prius respondit posteriori.*

CAPVT XI.

A ESt autem fides, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testi-
monium consecuti sunt seniores. Fide, intelligimus perfecta esse secula verbo Dei: vt ex inuisibilibus Gen. 1.a
visibilia fierent. Fide, b copiosiorem hostiam Abel quàm Cain, obtulit Deo: per quam testimonium
cõsecutus est, quòd esset iustus, testimoniũ perhibente de muneribus eius Deo, & per illam defunctus adhuc Gene. 4.a
loquitur. Fide, Enoch translatus est ne videret mortem, & non inueniebatur: quia transtulit illum Deus: an- Matt. 23. d
te translationem enim, testimonium habuit placuisse Deo: sine fide autem impossibile est placere Deo. Cre- Gene. 5.c
B dere enim oportet accedentem ad Deum, quòd sit, & inquirentibus se remunerator sit. Fide, Noe responso Ecclꝰ. 44.c
accepto de ijs quæ adhuc non videbantur: reueritus, aptauit arcam in salutem domus suæ, c per quam dam- Gene. 6.c
nauit mundum, & iustitiæ, quæ per fidem est, heres est institutus. d Fide, vocatus Abraham, obediuit, in lo- Ecclꝰ. 44.c
cum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exijt, nesciens quò iret. Fide, demoratus est in terra re- Gene. 12.a
missionis tanquam in aliena, in tabernaculis habitando, cũ Isaac & Iacob cohæredibus repromissionis eiusdem. Expectabat enim fundamenta habentem ciuitatem: cuius artifex & cõditor, Deus. Fide, & ipsa Sara vir- Gene. 18.a
C tutem in conceptione seminis accepit, & præter tempus ætatis peperit: quoniam fidelem credidit esse eum, Gene. 17.c
qui repromiserat. Propter quod & ab vno orti sunt (& emortuo) tanquam sidera cœli in multitudinem, &
sicut arena quæ est ad oram maris innumerabilis. Iuxta fidem defuncti sunt omnes isti, non acceptis repro-
missionibus, sed à longe eas aspicientes & credentes & salutantes, & confitentes e quòd peregrini & hospites
essent super terram. Qui enim hæc dicunt: significant se patriam inquirere. Et si quidem illius meminissent,
de qua exierant: habebant vtiq; tempus reuertendi: nunc autem meliorẽ appetunt, id est cœlestem: ideo non
D erubescit Deus vocari Deus eorum: parauit enim illis ciuitatem. Fide, obtulit Abraham Isaac: cum tentare- Gene. 22.a
tur: & vnigenitum offerebat, in quo susceperat repromissiones: ad quem dictum est: In Isaac vocabitur tibi Eccle. 44.d
semen: arbitrans quòd & à mortuis suscitare potens esset Deus: f vnde eum & in typo reduxit. g Fide, de Gene. 21.b
futuris benedixit Isaac, Iacob & Esau. Fide, Iacob moriẽs, singulos filiorum Ioseph benedixit: & h adorauit Rom. 9.b
fastigium virgæ eius. Fide, Ioseph moriens de profectione filiorum Israel memoratus est: & i de ossibus suis Gene. 27.d
mandauit. k Fide, Moyses natus, occultatus est mensibus tribus à parentibus suis: eo quòd vidissent elegan- &. f.
E tem infantem, & non timuerunt regis edictum. Fide, Moyses grandis factus, negauit se esse filium filiæ Pha- Gene. 48.c
raonis: magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem: maiores diui- Gene. 50.d
tias æstimans thesauro Ægyptiorum, l improperium CHRISTI: aspiciebat enim in remunerationem. Exod. 2.a
m Fide, reliquit Ægyptum: non veritus animositatem regis: n inuisibilem enim tanquam videns sustinuit: Exod. 1.c
Fide, celebrauit pascha & sanguinis effusionem: ne, qui vastabat primogenita, tangeret eos. Fide, transierunt Exod. 2.b
mare rubrum tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptij, deuorati sunt. Fide, muri Hierico corrue Exod. 12 d
F runt circuitu dierum septem. Fide, Raab meretrix non perijt cum incredulis, excipiẽs exploratores cum pa- Exo. 14.c
ce. Et quid adhuc dico? o Deficiet enim me tempus enarrãtem de Gedeon, Barach, Sampsõn, Hiephte, Da- Iosue 5.c
uid, Samuel, & propheris: qui per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, Iosue 6.d
obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmita- & 2.a
te, fortes facti sunt in bello, castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos:
alij autem p distenti sunt, non susciplentes redemptionem: vt meliorem inuenirent resurrectionem. Alij ve-
G ro ludibria & verbera experti, insuper & vincula & carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisio-
ne gladij mortui sunt, circuierũt in ouillis & caprinis pellibus, egẽtes, angustiati, afflicti: quibus dignus non
erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes testimo-
nio fidei probati, q non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid prouidente, vt nõ sinè
nobis consummarentur.

SCHOLIA.

a Est autem fides.] *Facta fidei mentione, declarat, quid appellatione fidei sit intelligendum, quæ res efficit, vt quisque magis ad ea, quæ ad hanc fidem pertinent, animetur. Ait ergo, fidem esse rerum, quæ sperantur, ὑπόστασιν, & tanquam basim ac fundamentum, quo subsistant ea, quæ nondum adsunt, & tanquam præsentia iam esse videantur: & addit, argumentum rerum, quæ non cernuntur: fides enim demonstrat ea, quæ non videntur, esse conspicua, quo pacto? dum mente & spe ac certa fiducia in Deum intuetur ea, quæ non apparent. Fides ergo est, id, sine quo res, de qua est fides, nec sperari potest, nihil enim amatur, nisi cognitum. Est enim notitia, quãtum ad certitudinem attinet, infra scientiam, quæ ex cognitione contingit causarum, & supra opinionem, quæ adiunctam habet formidinem de opposito illius, quod opinamur, à qua libera est fides. Est enim certa notitia, siue, vt hic dicitur, apprehensio rerum non apparentium, hoc enim significare hoc loco ἔλεγχος vi detur, per quam damnauit mundum, qui non credidit Noè dicenti, peritura omnia diluuio. Atque vt agnoscas, quanta fidei*

sit vis, illud cogita, quòd hæc vna intelligimus, mundum, & omnia, quæ in eo sunt, facta Dei imperio, & ex inuisibilibus facta visibilia, ideſt cum non essent, solo Dei verbo extitisse, quod qui alia via ingressi, assequi voluerunt, infimtis se inuoluerunt erroribus. Quod autem ait ex inuisibilibus facta visibilia, videtur significare, illa antequam crearentur, in diuina quidem mente fuisse, sed tunc non fuisse visibilia: vel certe sicut diximus, cum non essent, extitisse imperio Dei. [b] Copiosiorem hostiam.] *Ob fidem scilicet in Deum, quodque se illi totum crederet. Idem & Enoch accidisse memorat.* [c] Per quã damnauit mundum.] *Qui scilicet neque per arcæ illius constructionem, quæ futurum exitium intẽtabat, corrigi voluit.*
[d] Fide vocatus.] *Qui ex Abram, fide factus est Abraham.* [e] Quod peregini & hospites essent.] *Quemadmodum Dauid ipse dicebat. Aduena ego sum & peregrinus, sicut omnes patres mei.* [f] Vnde eum & in typo reduxit.] *Nã Isaac typus fuit Christi, qui immolatus quidem fuit pro nobis, sed resurrexit tamen, neque detineri à morte potuit, quemadmodum Isaac oblatus quidem fuit à patre, sed vixit tamen. Cum ergo Abraham ineffabilem præ se fidem tulisset erga Deum, aque obedientiam, quæ ipsas etiam naturæ leges vinceret, accepit iterum filium, nõ qualem obtulerat, sed cum ingenti additamento, ac dignitate, reduxit enim illum ferentem similitudinem filij Dei, & Abraham quidem Dei patris typum gessit, Isaac vero Dei filij.* [g] Fide de futuris.] *Cum benedixeret Isaac Iacob & Esau, totum fide factum est, cum præuideret vtriusque futuram vitam, ac diuersum præmium.* [h] Adorauit fastigium virgæ eius.] *In virga intelligebatur regnum Christi, cuius figurã gessit Ioseph, cum & ipse à suis proditus fuisset.* [i] Et de ossibus suis mandauit.] *Vt certo scirent futurum Israelitarum exitum de Aegypto.* [k] Fide Moses natus.] *Vt viderunt parentes tam egregia indole puerum, crediderunt, velle Deum illum seruari, & hac fide occultauerunt eũ tribus mensibus.* [l] Improperium Christi.] *Pertulit opprobria, quæ olim Christus passurus erat, cuius figuram ipse gerebat.* [m] Fide reliquit Ægyptum.] *Id est fastum & thesauros Aegyptiorum.* [n] Inuisibilem enim.] *Deum adiutorem, mente, tanquam oculis cernebat, & omnia ob eam causam perferebat.* [o] Deficiet enim me tempus.] *Historiæ quæ in hoc contextu raptim memorantur, satis obuiæ cuiq; esse possunt, quare non singillatim eas commemorabimus.* [p] Distenti sunt.] *Eculeis ac tormentis variis, non suscipientes redemptionem, hoc est, nolentes redimi ab illa pœna, cum liceret eis viuere, si cessissent impiorum consilio: at ij id fecerunt ob fidem, & spem resurrectionis, quæ longe melior esset, quàm exiguus huius vitæ fructus.* [q] Non acceperunt repromissionem.] *Quid, inquit, vos doletis, quòd adhuc sitis in certamine, nequedum retributionem acceperitis? Videtis, vt y omnes, quos prædiximus, sancti probati, per fidem placuisse Deo, nondum promissa iustis bona sunt assecuti? Deo pro nobis melius quid prouidente, cum præstiget tempus vnum retributionis, vt non illi ante nos, sed omnes pariter coronaremur, vt tanquam vnum corpus in omnibus simul membris gloriam assequatur suam. Hoc autem intellige de resurrectione corporum, quæ eodem tempore in omnibus faciendã reseruatur.*

CAPVT XII.

Roma. 6.a Colos. 3.b Ephe. 4.c 1.petr. 2. & 4.a

I Deoq; & nos tantã habentes circumpositã nubem testiũ: [a] deponentes omne põdus & circunstãs peccatum, per patientiã curramus ad propositum nobis certamen, aspiciẽtes in ducẽ fidei, & cõsummatorem IESVM: qui proposito sibi gaudio sustinuit crucẽ, confusione contẽpta, atq; in dextera sedis Dei sedit. Recogitate enim eũ, qui talem sustinuit à peccatoribus aduersum semetipsum contradictionẽ: vt nõ fatigemini animis vestris deficiẽtes. Nondum vsque ad sanguinẽ restitistis, aduersus peccatũ repugnantes, & obliti estis consolationis, quæ vobis tanquã filijs loquitur, Fili mi, noli negligere disciplinã Domini, neq; defatigeris, cũ ab eo argueris. Quem enim diligit Dñs, castigat: flagellat autẽ omnẽ filium quẽ recipit. Si disciplinam sustinetis, [b] tanquã filijs, vobis offert se Deus: quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes: ergo adulterini & nõ filij estis. Deinde patres quidẽ carnis nostræ eruditores habuimus, & reuerebamur eos: an nõ multo magis subijciemur [c] patri spirituũ, & viuemus? [d] Et illi quidẽ ad paucos dies, secundũ voluntatem suã erudiebant nos: hic autẽ ad id quod vtile est, vt participes fiamus sanctificationis eius. Omnis autẽ disciplina in præsenti quidẽ videtur non esse gaudij, sed mœroris: postea autem fructũ pacatissimum exercitatis per eã, reddet iustitiæ. Propter quod remissas manus & soluta genua erigite: & gressus rectos facite pedibus vestris: vt non claudicãs quis erret: magis autẽ sanetur. Pacẽ sequimini cũ omnibus, & sanctimoniã, sine qua nemo videbit Deũ: considerantes nequis deficiat à gratia Dei: [e] nequa radix amaritudinis sursum germinãs impediat, & per illã inquinẽtur multi. [f] Nequis fornicator aut prophanus vt Esau: qui propter vnam escã vendidit primogenita sua: scitis enim q; & postea cupiens hereditare benedictionẽ, reprobatus est: [g] nõ enim inuenit pœnitẽtiæ locũ: quanquam cũ lachrymis inquisisset eã. [h] Non enim accessistis ad contactũ montẽ, & accensum ignẽ, & turbinem, & caliginẽ, & procellã, & tubæ sonũ, et vocem verborũ, quam qui audierunt, excusauerũt sẽ, ne eis fieret verbũ. Non enim portabãt quod edicebatur: Et si bestia tetigerit montem: lapidabitur, aut iaculo cõfigetur. Et ita terribile erat, quod videbatur. Moyses dixit: Exterritus sum & tremebundus: Sed accessistis ad Sion montẽ, & ciuitatẽ Dei viuẽtis, Ierusalẽ cœlestem & multorũ millium angelorũ frequentiam, & ecclesiã primogenitorũ, qui cõscripti sunt in cœlis, & iudicem omniũ Deum, & spiritus iustorum perfectorũ, & testamenti noui mediatorẽ IESVM, & sanguinem aspersionis [i] melius loquentẽ quàm Abel. Videte ne recusetis loquentẽ. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, [k] qui super terram loquebatur: multo magis nos, si de cœlis loquẽtem nobis, auersemur: [l] cuius vox mouit terram tunc: nũc autem repromittit dicens: [m] Adhuc semel: ego moueo non solum terram, sed & cœlum. [n] Quòd autem adhuc semel dicit: declarat mobilium trãslationem tanquam factorum, vt maneant ea quæ sunt, immobilia. Itaque regnum immobile suscipientes, habeamus gratiam: per quam seruiamus placentes Deo cum reuerentia & religione: etenim Deus noster, ignis consumens est.

Agge. 2.b

Deut. 4.d

Rom. 12.d

Gene. 25.d Gene. 26.f Exod. 19.b & 20.c

Exod. 19.c

SCHOLIA.

[a] Deponentes omne pondus.] *Solicitudinem scilicet rerum huius vitæ, quæ animum deprimit suo pondere, atque inertem facit.* [b] Tanquam filijs vobis offert se Deus.] *Castigatio (inquit) tum demum vobis prodest, si eam toleratis, & agnoscitis, etiam hoc diuinæ erga vos esse dilectionis indicium, qui tanquam filijs se vobis offert, nam mos iste veri patris*

patris est, castigare filium. Quòd si correptionem respuitis, quam nemo vnquam vir bonus effugit, vos ipsos ostenditis, quasi adulterinos, & non legitimos filios. [c] Patri spirituum.] *Ad differentiam eorum, quos patres carnis appellauit. Obtemperastis (inquit) vs parentibus, qui tantum cum generaremini, carnis ministerium suppeditarunt, qui nullum præstandæ vitæ ius habebant, quanto magis ei obtemperandum, qui totos vos creauit, & vitam hanc dedit, & futuram etiam est largiturus?* [d] Et illi quidem ad paucos dies.] *Præterea genitores carnis paucis diebus filios erudiunt, nam aut parentum mors, aut ætas filiorum sistit correptionem, & eruditum illi, vt eis videtur, neque semper assequitur id, quod in primis sit vtile, at hic nunquam vobis deest, atque vtilitati duntaxat vestræ studet.* [e] Nequa radix amaritudinis.] *Hebraismus est, pro, radix amara. Simile est quod alibi dicit, modicum fermentum totam massam corrumpit.* [f] Nequis fornicator, aut prophanus, vt Esau.] *Fornicator non refertur ad Esau, sed illud respicit, quod admonuit, vt sanctimoniam sectarentur. Prophanum autem vocat Esau. vt ventri deditum, & gulæ.* [g] Non enim inuenit pœnitentiæ locum.] *Serò eum pœnituit, aut certe simulata pœnituit mente.* [h] Non enim accessistis.] *Hoc ad superiora referas, sic. Iccirco moneo vos, puram æ cœlestem agere vitam, quæ respondeat tantæ legi, tantòque pontifici, quia non accessistis, vt maiores olim vestri sub Mose ad Sina contrectabilem montem, in quo apparuit ignis, & turbo, & caligo, & cætera, quæ, cum daret Deus legem, præsentiam Dei declarabant, quæ omnia vmbræ erant, quæ tamen perterruerunt & Mosen, atque ita erant terrifica, vt ne bestijs quidem liceret montem tangere, quid faciendum est vobis, quàm vigilandum, quàm accurate agendum, qui accessistis ad cælestem Ierusalem, atque ad celebritatem millium angelorum, & ad cœtum primogenitorum, hoc est, fidelium, quorum nomina in libro vitæ sunt, qui non, vt Esau primogenituræ ius amiserũt?* [i] Melius loquentem quàm Abel.] *Dixerat Abel mortuum adhuc loqui, at Christi vox maiorem habet maiestatem, & gloriam. Præterea sanguis Abel clamabat è terra aduersus homicidam, at sanguis Christi pro nobis loquitur ad patrem verba pacis & salutis.* [k] Qui super terram loquebatur.] *Videbatur enim Deus descendisse in montem Sina, de cœlo autem loquitur Christus etiam adhuc, vel quia, postquam ascendit in cœlum, misit spiritum sanctum, qui legem dedit in cordibus nostris.* [l] Cuius vox mouit terram tunc.] *Cum daretur lex in monte Sina, tunc è terra, & per Mosen locutus est, nunc è cœlo, & per seipsum, Et factus est (inquit) repente de cœlo, sonus. Et mota est etiam terra ad nouam euangelij prædicationem.* [m] Adhuc semel ego moueo.] *Sunt qui intelligant de secundo aduentu, qui futurus est in gloria, cum virtutes cœlorum mouebũtur, tanquam dicat, post hanc extremam commotionem, quies erit perpetua, sed non videtur congruere cum eo quod mox sequitur, quare de primo magis aduentu est intelligendum.* [n] Quod autem adhuc semel dicit.] *Declarat (inquit) per hæc verba, faciendam esse translationem eorum, quæ concutiuntur, vt templi & legalium cerimoniarum.*

CAPVT XIII.

A CHaritas fraternitatis maneat. Hospitalitatem nolite obliuisci: [a] per hanc enim quidam nescientes, angelos hospitio receperũt. Mementote vinctorum, tanquam simul vincti: & laborãtium, tanquam & ipsi in corpore morantes. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores enim & adulteros iudicabit Deus. Sint mores sine auaritia: contenti præsentibus: ipse enim dixit: Non te deseram neq; derelinquam: ita vt confidenter dicamus: Dominus mihi adiutor: nõ timebo quid faciat mihi homo. Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem. [b] IESVS CHRISTVS heri & hodie: ipse & in secula. Doctrinis varijs & peregrinis ne circunferamini. Optimum est enim, gratia stabilire cor, nõ escis, quæ non profuerunt ambulantibus in eis. [c] Habemus altare: de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & IESVS, vt sanctificaret per suũ sanguinem populum, extra portã passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra: improperium eius portantes. [d] Non enim habemus hic manẽtem ciuitatem, sed futurã inquirimus. Per ipsum ergo offeramus hostiã laudis semper Deo, id est fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communicationis nolite obliuisci: talibus enim hostijs placetur Deo. Obedite præpositis vestris & subiacete eis: ipsi enim vigilant tanquam rationem pro animabus vestris reddituri: vt cum gaudio hoc faciãt & non gementes: hoc enim non expedit vobis. Orate pro nobis: [e] confidimus enim, quòd bonam conscientiam habemus, in omnibus bene volentes cõuersari. Amplius autem deprecor vos hoc facere: quo celerius restituar vobis. Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis pastorem magnum ouium [f] in sanguine testamenti æterni, Dominum nostrum IESVM CHRISTVM: perficiat vos in omni opere bono, vt faciatis eius voluntatem, faciens in vobis quod placeat coram se per IESVM CHRISTVM: cui est gloria in secula seculorum. Amen. Rogo autem vos fratres, vt sufferatis verbum exhortationis. Etenim paucis scripsi vobis. Cognoscite fratrem Timótheum solutum esse: cum quo (si celerius venerit) videbo vos. Salutate omnes præpositos vestros: & omnes sanctos. Salutant vos de Italia fratres. Gratia cum omnibus vobis. AMEN.

Roma. 12.c 1.Petr. 4.c

Ioſue 1.a Pſal. 117.a

Num. 19.a

Mich. 2.c

SCHOLIA.

[a] Per hanc enim.] *Per hanc (inquit) hospitalitatem quidam nescientes, exceperunt hospitio angelos, qui homines esse existimabantur, quod Abrahæ accidit, & Lot.* [b] IESVS CHRISTVS heri, & hodie.] *Hoc dicit, Iesus Christus, & fuit, & est, & erit, neque vnquam desiturus est ipse, neque eius doctrina, cui vni inhærentes, nolite varijs circunferri doctrinis, vt sunt Iudaicæ ciborum obseruationes, hoc enim innuit, cum ait, bonum esse, gratia stabilire cor, non escis.*
[c] Habemus altare.] *Abstineant ipsi iuxta suas superstitiones, & quærant purificationes suas typicis illis moribus, ac sacrificijs: nos habemus altare multo sacratius, cuius participes esse non possunt ij, qui tabernaculo, & illis legis vmbris seruiunt. Dum enim figuram tenent, à veritate se faciunt alienos. Illi purificationem suam expetunt, cum immolantur illa animalia, quorum sanguis pro peccato infertur in sancta per pontificem, & corpora comburuntur extra castra, ceu polluta, quibus vesci minime liceat. At nos sanguis Christi mundat, qui vt se ipse natum in illis sacrificijs declararet, extra portam, tanquam extra castra passus est, cuius nos exemplum imitamur, si sublata cruce nostra portamus eius opprobria. Cum ergo in no-*

ſtro altari immolatus ſit Chriſtus, cuius figura erant illa animalia, quorum corpora extra caſtra combiurebantur, de quibus veſci non poterant, qui tabernaculo ſeruiebant, ſequitur, vt hi huius victimæ noſtræ, qui eſt Chriſtus, non poſſint eſſe participes, cum ab ea tanquam impura abſtineant, dum ſuæ vmbræ inſeruiunt. [d] Non enim habemus.] *Refertur ad illud quod dixerat, exeundum ad illum extra caſtra, hoc eſt, extra mundum, ac terrena omnia, vt ſimus parati etiam mori ſi opus ſit, non enim hæ ciuitates noſtræ ſunt, ſed futuram inquirimus permanentem.* [e] Confidimus enim.] *Quamuis (inquit) pleriq; cenſeant, nos defectionem a lege prædicare, tamen bono animo ſumus, quia bonam conſcientiam habemus, dum non defectionem prædicamus, ſed conamur ab vmbra ad veritatem homines transferre.* [f] In ſanguine teſtamenti æterni.] *Eduxit è mortuis paſtorem magnum, vt eſſet nobis ſanguis eius in teſtamentum æternum, hoc eſt, ſignificauit per illam ſuſcitationem, viuere in æternum paſtorem noſtrũ, & iccirco ſanguinem eius eſſe nobis teſtamentum æternum: nec huic diſſimile eſt, quod alibi dicitur, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtri.*

MISSA AB ITALIA PER TIMOTHEVM.

HIERONYMVS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

IAcobus, qui appellatur frater Domini, cognomento Iuſtus, vt nõ nulli exiſtimant, Ioſeph, ex alia vxore: vt autem mihi videtur Mariæ ſororis matris Domini, cuius Ioannes in libro ſuo meminit, filius: poſt paſsionem Domini, ſtatim ab apoſtolis Ieroſolymorum epiſcopus ordinatus, vnam tantum ſcripſit epiſtolam, quę de ſeptem catholicis eſt, quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine eius edita aſſeritur: licet paulatim tempore procedente obtinuerit authoritatem. Hegeſippus vicinus apoſtolicorum temporum, in quinto commẽtariorum libro, de Iacobo narrans ait. Suſcepit eccleſiam Ieroſolymæ, poſt apoſtolos frater Domini Iacobus cognomento Iuſtus. Multi ſiquidem Iacobi vocabantur. Hic de vtero matris, ſanctus fuit, vinum & ſiceram non bibit, carnem nullam comedit: nunquã attonſus eſt, nec vnctus vnguẽto, nec vſus balneo. Huic ſoli licitum erat ingredi ſancta ſanctorum. Siquidem veſtibus laneis non vtebatur, ſed lineis, ſolusq; ingrediebatur templum, & fixis genibus, pro populo deprecabatur, in tantum, vt camelorum duritiem traxiſſe eius genua crederentur. Dicit & alia multa, quæ enumerare longum eſt. Sed & Ioſephus in viceſimo libro antiquitatum refert, & Clemens in ſeptimo Hypotypoſeon, mortuo Feſto, qui Iudæam regebat, miſſum à Nerone eſſe ſucceſſorem eius Albinum, qui cum necdum ad prouinciam peruenisſet, Ananus, inquit põtifex adoleſcẽs Anani filius, de genere ſacerdotali, accepta occaſione ἀναρχίας concilium congregauit, & compellens publice Iacobum vt CHRISTVM Dei filium denegaret, contradicentem lapidari iuſsit: qui cum præcipitatus de pinna templi confractis cruribus adhuc ſemiuiuus tendens ad cœlum manus diceret: Domine ignoſce eis, quod enim faciunt neſciunt, fullonis fuſte, quo rudia veſtimenta extorqueri ſolent, in cerebro percuſſus, interijt. Tradit item Ioſephus tantæ eum ſanctitatis fuiſſe, & celebritatis in populo, vt propter eius necem creditum ſit ſubuerſam eſſe Ieroſolymam. Hic eſt de quo Paulus apoſtolus ſcribit ad Galatas: Alium autem apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini. Et apoſtolorum ſuper hoc crebrius acta teſtantur. Euãgelium quoque, quod appellatur Secundum Hebræos, & à me nuper in græcum, latinumque ſermonem translatum eſt, quo & Origenes ſæpe vtitur, poſt reſurrectionem ſaluatoris, refert, Dominus autem cum dediſſet ſindonem ſeruo ſacerdotis, iuit ad Iacobum, & apparuit ei. Iurauerat enim Iacobus, ſe non comeſturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum reſurgentem à mortuis. Rurſusq; poſt paululum, Afferte, ait Dominus, menſam & panem. Statimque additur. Tulit panem, benedixit ac fregit, et dedit Iacobo Iuſto, & dixit ei: Frater mi, comede panem tuum, quia reſurrexit filius hominis à dormiẽtibus. Triginta itaq; annos Ieroſolymis rexit eccleſiam, id eſt vſque ad ſeptimum Neronis annum, & iuxta templum vbi & præcipitatus fuerat ſepultus eſt. Titulum vſque ad obſidionem Titi & vltimam Hadriani, notiſsimum habuit. Quidam ẽ noſtris in monte Olieti eum putauerunt conditum, ſed falſa eorum opinio eſt.

Epiſtola

EPISTOLA CATOLICA IACOBI APOSTOLI.

CAPVT I.

IACOBVS [a] Dei & Domini noſtri IESV CHRISTI ſeruus duodecim tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem. [b] Omne gaudium exiſtimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: ſcientes quòd probatio fidei veſtræ, patientiam operatur. [c] Patientia autem opus perfectum habeat: vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficiẽtes. [d] Siquis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus ſimpliciter, & non improperat: & dabitur ei. Poſtulet autem in fide, nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui à vento mouetur & circunfertur: non enim exiſtimet homo ille quòd accipiet aliquid à Domino. [e] Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus vijs ſuis. [f] Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua: diues autem in humiliatione ſui: quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Exortus eſt enim ſol cum ardore, & arefecit fœnum, & flos eius decidit, & decor aſpectus eius deperijt. Ita & diues in itineribus ſuis marceſcet. Beatus vir, qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. [g] Nemo cum tentatur, dicat q; à Deo tentatur. Deus enim tentari non poteſt malis: ipſe autem neminem tentat. Vnuſquiſque vero tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum, peccatum vero cũ conſummatum fuerit, generat mortem. Nolite errare fratres mei dilecti. [h] Omne datum bonum, & omne donum perfectum, de ſurſum eſt, deſcendens à [1] patre luminum: apud quem non eſt tranſmutatio, aut conuerſionis obumbratio: Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt eſſemus primitiæ quædam creaturarũ ſuarum. Itaque fratres mei dilecti. Sit omnis homo velox ad audiendum: tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri, iuſtitiam Dei non operatur. Propter quod abijcientes omnem immunditiã, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite [m] inſitum verbum, quod poteſt ſaluare animas veſtras. Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantum: fallentes voſmet ipſos. Quia ſiquis auditor eſt verbi, & non [n] factor: hic comparatur viro conſideranti vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe, & abijt, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem proſpexerit [o] in legem perfectam libertatis, & permanſerit, hic non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit. Siquis putat ſe [p] religioſum eſſe inter vos, non refrenans linguam ſuam, ſed [q] ſeducens cor ſuum: huius vana eſt religio. Religio munda & immaculata apud Deum & patrem hæc eſt: viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire à mundo.

Pro. 17. d

Matt. 7. d

Rom. 2. b

SCHOLIA.

[a] Dei & Domini IESV CHRISTI ſeruus.] *Vide, vt, dum aliud agere videtur, theologiam nobis aperit, & æqualem dat patri & filio honorem, dũ æque ſe ſeruum Domini Ieſu, atque Dei, hoc eſt, patris vocat.* [b] Omne gaudiũ.] *Magna Chriſtianæ philoſophiæ vis, quò grauiora ingruunt nobis mala, eò copioſiore affici gaudio. Verum nequis miraretur tam nouum παράδοξον reddit cauſam, cur ita moneat, & ait: Scientes, quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Dũ exercetur, inquit, fides veſtra, fit animus perfectior, ac robuſtior, at ſine afflictionibus fiunt plerig; omnes deteriores. Quis vero neſciat, præcipuum, atque adeo ſolum potius, quo lætari debeamus, bonum eſſe, cũ animus virtute ac rectè factis fit diues?* [c] Patientia autem opus perfectum habeat.] *Non ait, patientiam opus perfectum habere, ſed iubet, vt habeat. Loquitur enim de ea patientia, quam tunc per tolerantiam in dies adipiſcebantur, in qua iubet, vt perdurent, vt perfecta demum euadat.* [d] Siquis autem veſtrum.] *Cauſam perfecti operis ſapientiam dicit, quam peti à Deo vult, qui cum ſit iniuriarum immemor, nihil quicquam expoſtulabit nobiſcum, neque obiciet, ſed vt liberalis ac benignus pater dabit petentibus ſe, modo cum ea fiducia petatur, quæ filios decet, neque quis fluctuet diffidentia. Hoc autem ingentis erga nos charitatis Dei indicium eſt, velle, ſi optemus exaudiri, vt nobis certiſsime perſuadeamus, illum nos auditurum, quæ res in ys tantum, qui vehementer amant, vſu venire ſolet.* [e] Vir duplex animo.] *Duplicem animo appellat eum, qui non firmiter inhæreat vni rei, ſed nunc cœleſtia cogitet, mox inclinet ad terrena, et hùc illucq; agatur, vel qui inter fiduciam & diffidentiam fluctuet, hunc etiam comparauit fluctui maris agitato. Oportet ergo ſolida fide vni hærere Deo.* [f] Glorietur autem frater humilis.] *Iubet humilem gloriari in exaltatione ſua, cur autem non in humilitate potius? ſed intuetur in illa humilitate ingentem celſitudinem, quæ miram parit gloriam. Diues autem (inquit) in humiliatione ſui, nempe glorietur. Dicendum erat, pudefiat, ſed elegit verbum, quod minus eſſet graue, inferius tamen dicet, fore, vt diues in itineribus ſuis marceſcat. Quanquã illud, glorietur in humiliatione, mihi videtur eſſe ironia, quaſi dicat, nihil habet diues, vnde honeſte glorietur. Nam id quod ſequitur aperit, cur hoc dixerit, cum ait, quoniam ſicut flos fœni tranſibit. Gloria ergo diuitis nulla eſt, quãdo finis eius florem fœni imitatur: Qui cito decidit.* [g] Nemo cum tentatur.] *Cum tentationum facta mentio ſit, videtur hic velle inter eas diſtinguere, vt tentationes, de quibus hactenus locutus eſt, eæ ſint, quæ ad adipiſcendam virtutem, & animi robur proficiunt, aliæ vero ſint tentationes, quæ cuiq; ex ſua concupiſcentia, & non ſatis domitis affectibus proficiſcuntur, & harum tentationum cauſam dicit non eſſe Deum, qui cum nullis malis tẽtetur, ne alios quidem tentat. Nam, vt ex externis quidam ait, natura diuina ac beata, neque ipſa habet, quod illam vexet, neque cuiquam negocium faceſſit, hæc enim circa mortalem, terrenamq; naturam verſantur. Tentationes ergo, quæ conſtantiam animi turbent, atque confundant, non à Deo proficiſcuntur. At, quæ ab ipſo ſunt, ea magis conſtituunt animum, & clariorem hominem faciunt, vt cum tentauit Abrahã.*

[h] Omne

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA

h Omne datum bonum.] *Dixi (inquit) Deum non esse impulsorem ad malum, quocirca ne erretis in hac cogitatione, quasi malorum sit author, sola enim bona ab eo sunt, nam omne datum bonum, & omne donum perfectum de supernis est. Vel sic, nolite superbire vestra (quatenus vestra est) vel legis iustitia, sed quicquid habetis bonæ donationis, vel perfectionis, Deo referte acceptum, qui pater est, & author omnis illuminationis Veræ, & omnis obumbrationis expertis, dona nanque ipsius donanti ipsi, qui ab omni transmutatione, & obumbratione alienus est, similia sunt.* i A patre luminum.] *Huic simile illud est, qui lucem habitat inaccessam. Et fortasse hic ita dictum est propter hoc, quod sequitur, apud quem non est transmutatio, aut conuersionis obumbratio, vt intelligas omnia ibi perfecta esse, & ne vmbram quidem minimam apparere, quæ quicquam imperfecti arguat. Ipse enim per prophetam clamat, ego sum, & non mutor.* k Vt essemus primitiæ quædam.] *Hoc est, primi, atque in primis venerabiles inter creaturas eius.* l Itaque fratres mei dilecti.] *Cum ostendisset, quam egregia simus apud Deum conditione, docet circumspecte agendum, atque in primis illud admonet, quod cum ab omnibus fere, tanquam non admodum multi momenti negligatur, maximo nobis est ad progressus in virtutes impedimento. Sit omnis homo (inquit) velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* m Insitum verbum.] ἔμφυτον λόγον. *Sunt qui intelligant, insitam rationem, quam etiam significat λόγος, quæ discernit inter melius ac deterius, & secundum quam dicimur, & sumus rationales. Vult igitur, si sic interpreteris, nos sequi eam rationem, quæ insita nobis a Deo sit, vt per eam adhæreamus eius monitis, quibus salutem adipiscamur, cum mansuetudine autem accipi debere ait, nam in tumultu, ac turbatione non accipitur doctrina.* n Considerante vultum natiuitatis in speculo.] *Sicut enim, qui vultum suum intuetur in speculo, mox vt abijt, oblitus est qualis sit, sic qui audit quidem, quid sibi faciendum sit, verum intimis sensibus illud non admittit, vt factis æquatur, & se ad illud exemplar formet, quod in lege Dei est contemplatus, is nihilo melior est conditione, quàm si ne audisset quidem. Speculum ergo quoddam est lex Dei, quæ nos met ipsos nobis ostendit, quam si cursim, contenti rerum historia, prætereamus, cõtinuo, vt nosmet ipsi inspexerimus, etiam obliuiscimur, quales simus, sin diligentius sæpiusq; inspiciamus, curemusq; nos ad eam formam, quã docet ipsa, ablatis vitijs componere (neque enim hoc speculum tantum quales simus, verum etiam quo pacto formam paremus speciosiorem docet) et qui simus, memoria tenemus, & semper euadimus pulchriores.* o In legem perfectam libertatis.] *Quoniam elati erant Iudæi legis obseruationibus, & ijs fidebant, & gloriabantur, quod phariſæus ille Euangelicus declarauit, iccirco iubet hic inspici in legem perfectam, qualem Christus Dominus noster ostendit. Appellat autem eam non solum perfectam, verum etiam legem libertatis. Lex enim euangelica omni abiecta, circa corporeas Iudæorum obseruationes seruitute, ad solum purgandum animũ, et vere liberis efficiendum occupatur.* p Religiosum esse.] *Vox Græca θρησκος & θρησκεία videtur significare occultam quandam agnitionem, & stabilimentum eorum, quæ per fidem contemplamur. Ait ergo, quo pacto existimas te cognitorem arcanorum, quæ in lege Dei sunt, qui ne linguam quidem frenare didiceris? obloqueris proximo cuique, contemnis eum, non eius inopiæ miseretis, cum lex etiam inimici rationem haberi velit.* q Seducens.] *sive errare faciens, ideſt, petulantiæ linguæ indulgens cordis inconstantia.*

CAPVT. II.

Leui.19.c Deut.1.c &16.d proue.24.c Eccl.42.d

FRatres mei, nolite [a] in personarũ acceptione habere fidem Dñi nostri IESV CHRISTI gloriæ. A Etenim si introierit in conuentum vestrũ vir aureum annulũ habens, in veste candida, introierit aũt & pauper in sordido habitu, & intendatis in eũ, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei, Tu sede hic bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic, aut sede hic sub scabello meo [b] & non diiudicati estis in vobis ipsis, & facti estis iudices cogitationum iniquarum. Audite fratres mei dilecti, Nónne [c] Deus elegit pauperes in hoc mundo, diuites in fide, & hæredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? vos autem exhonorastis pauperem. Nónne diuites per potentiam opprimunt vos: & ipsi trahunt vos ad iudicia? Nonne ipsi blas-

Leui.19.d Matt.21.d Marc.12.c Rom.13.c Galat.5.c Leui.19.c Deut.1.c &16.d Ma.15.c 1.Ioan.3.c

phemant [d] bonum nomen, quod inuocatum est super vos? Si quidem legem perficitis regalem secundũ scri- B pturam, Diliges proximũ tuũ sicut teipsum: bene facitis: si autem personã accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege, vt trangressores. Quicunq; enim totam legem seruauerit, offendat autem in vno: factus est omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit, & Non occides. Quòd si non mœchaberis, occides autẽ: factus es transgressor legis. Sic loquimini, & sic facite, sicut per [f] legem libertatis iudicandi. Iudicium enim sine misericordia illi, qui non fecerit misericordiam: [g] & gloriatur misericordia aduersus iudicium. Qui pro- C derit fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autẽ non habet? Nunquid potest fides saluare eum? [h] Si autem frater, aut soror nudi sint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis, illis, Ite in pace, calefiatis & saturamini: non dederitis aũt eis, quæ necessaria sunt corpori: quid proderit? Sic & fides si non ha beat opera, mortua est per se. [i] Sed dicet quis, Tu fidem habes, & ego opera habeo: ostende mihi fidem tuam ex operibus tuis: & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam. Tu credis q̃ vnus est Deus. Benefacis, Gene.22.b & dæmones credunt & contremiscunt. Vis autem scire [k] ô homo inanis, quòd fides sine operibus mortua D est? [l] Abraham pater noster nónne ex operibus iustificatus est, offerens Isaac filium suũ super altare? Vides quod fides cooperabatur operibus illius: & ex operibus fides consummata est? Et impleta est scriptura dicẽs, Gene.15.b Credidit, Abrahã Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Videtis igitur, q̃ Rom.4.a ex operibus iustificatur homo: & non ex fide tantum? Similiter & Raab meretrix nónne ex operibus iu- Gala.3.a stificata est, suscipiens nuntios, & alia via eijciens? [m] Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est: ita & Iosue.2.a [n] fides sine operibus mortua est. Mat.23.a

SCHOLIA.

[a] In personarum acceptione.] *Si fidem accepistis (inquit) Domini nostri Iesu Christi glorioſi regis (videtur enim hic Hebraismus esse, familiaris scripturæ) non est æquum, vt personarum acceptio sit inter vos, quæ si affuerit, multas vobis maculas, ac sordes illinet.* [b] Et non diiudicati estis in vobis ipsis.] *Illud, &, vacat, corrupistis, inquit, eam virtutem, quæ in vobis est, iudicandi, cum non, conquiritis intra vosmet ipsos, vter maiore honore dignus sit, vir ne pauper quidem, at probus, an diues, sed improbus, sed sine iudicio accipitis personas, dum hunc honoratis ob diuitias, illum ob inopiam contemnitis,*

nitis, facti iudices cogitationum iniquarum, hoc est, iudicantes secundum malas cogitationes. [c] Deus elegit pauperes.] *Miras hominum tenebras, vbique scriptura pauperibus hæreditatem regni cœlorum pollicetur, præcipuæ Deo curæ pauperes esse prædicat, summum de diuitibus silentium, & tamen miseri mortales nihil aliud, quam diuitias admirantur. Deinde cogita, quanto affluentiæ essent honore pauperes, quibus hæreditas promittitur regni, eiusq; cœlestis, atque æterni.* [d] Bonum nomen, quod inuocatum est.] *Sicut & propheta ait. Tu autem in nobis es Domine, & nomen sanctum tuum inuocatum est super nos, vel nomen nouum, de quo alibi dicitur. Iis autem, qui mihi seruiunt, vocabitur nomen nouum, cui benedicitur super totam faciem terræ.* [e] Factus est omnium reus.] *Et cur hoc dicat rationem reddit, qui enim dixit, non mœchaberis, dixit & non occides, peccas ergo semper in eum, qui totam legem dedit. Et præterea vno peccato totam legem violas, vt totam faciem læsam dicimus, cum vna eius pars fuerit violata.* [f] Per legem libertatis iudicandi.] *Legem libertatis, legem Christi appellat, apud quem non est personarum acceptio, sed libere iudicat pro cuiusque meritis, at quicunque personam accipit, non liber sed seruus est, à quo enim quis superatur, huic & seruit. Vel legem libertatis eo modo accipe, quo supra dictum est.* [g] Et gloriatur misericordia aduersus iudicium.] *Nam misericordes, iuxta Domini sententiam, misericordiam consequetur, cuius misericordiæ in pauperes tanta vis est, vt & in simulachrorum cultoribus delere peccata valeat, sicut in Daniele audiuimus. Quod enim facit in athletis oleum, vt videlicet faciliùs dilabantur è luctantium manibus, id efficit misericordiam die magni iudicij Dei, vt accusatorum nostrorum dæmonum obiecta nobis crimina euadamus. Quod autem ait, gloriatur, idem est, quod vincit. Ait ergo, iudicium quidem sine misericordia fiet ei, qui non fecerit misericordiam, contra vero, in ijs, qui fuerint misericordes, misericordia vincet iudicium.* [h] Si autem frater, aut soror.] *Similitudinem sic apta, Quemadmodum si quis cernens aliquem nudum, & famelicum, dicat, Vade, & calefias, & saturare, neque ei quicquam præbeat, illa eius verba nihil prosunt, sic simplex credulitas nisi operetur, mortua in seipsa atque inutilis est.* [i] Sed dicet quis.] *Erit, inquit, aliquis, qui duos proponat, quorum alter fidem habeat, alter opera, & putet alterum sine altero esse posse. Huic ego respondeo, & sic dico, Quo pacto ostendere mihi poteris fidem tuã, nisi adhibeas opera, vt fides per dilectionem operetur? nam ego ex operibus meis facilius ostendam me habere fidem, quàm tu, nisi facta ea aperias, indices fidem tuam. Videntur autem interiecta ab aliquo esse illa verba, ex operibus tuis: nam aliqui Græci codices sic legunt. Ostende mihi fidem tuam, & ego ostendam tibi ex operibus meis fidem meam.* [k] O homo inanis.] *Inanem appellat hominem, qui eius fidei nomine glorietur, quæ vera fides, ac digna Christiano homine non sit.*

[l] Abraham pater noster.] *Videtur hic locus penitus contrarius verbis Pauli, qui ad Romanos scribens sic ait. Si enim Abraham ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum. Quid enim dicit scriptura? Credidit Abraham Deo, & imputatum est ei ad iustitiam. Siquis tamen recte cogitet, nihil inter illa & hæc verba inueniet differentiæ. Nam Paulus dicit: Abraham non fuisse iustificatum ex operibus ea iustitia, quæ secundum Deum iustos facit, quod significat, cum ait. Abraham habere gloriam ex operibus, nimirum legis, non tamen apud Deum, sed apud homines, qui cernentes eum circumcisum ex Dei fœdere, quod cum illo pactus erat, intelligebant eharum esse virum illum Deo, nam manifestum est, totam illam disputationem eò pertinere, vt ostendat Paulus, opera legis, quorum præcipua erat circumcisio, non esse ad salutem, vel iustificationem necessaria: non ergo illic disputatio erat de recte factis, quibus iustificamur apud Deum, at Iacobus de his recte factis loquitur, quod apertissime significat, cum loquens de Abraham non meminit circumcisionis, vt Paulus, sed de egregio illo facinore, cum obtulit Isaac filium suum. Quod ergo ait apostolus, hominem iustificari ex fide, eam nimirum fidem intelligit, quæ per dilectionem operatur, hoc est, quæ sine operibus esse non potest. Cum vero Iacobus dicit, ex operibus Abraham fuisse iustificatum, vide quæ opera dicat, nempe, quæ fides ipsa exerit. Quo enim pacto sine maxima fide Abraham offerre potuisset filium illum suum vnigenitum, maximeq; dilectum? Itaque ambo reipsa concordes sunt, quanquam verbis discrepare videantur, cum vterque fidem at q̃ opera simul iungant, cum de vera & secundum Deum iustitia loquuntur. Et vide, vt pulchre rem hic Iacobus explicet, nam sequitur: Vides, quòd fides cooperabatur operibus eius, & ex operibus fides consummata est? Quod quanquam apertum sit his verbis, quid velit, vt tamen omnem tollat dubitandi occasionem, addit, & impleta est scriptura, qua dicit, credidit Abraham Deo, & imputatum est illi ad iustitiam. Non ergo negat etiam ex fide iustificatum esse Abraham, neque dat omnem iustificationem operibus, sed docet, nõ solam sine operibus fidem iustificare, quod idem est cum verbis Pauli, quibus proponit fidem, quæ per dilectionem operatur, qua proculdubio iustificamur.* [m] Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est.] *Ex hoc loco arguitur, fidem sine operibus esse tamen fidem, quemadmodum corpus sine spiritu est corpus, mortuum quidem, sed corpus tamen. Sic fides sine operibus, mortua quidem & inutilis, sed fides tamen est.* [n] Fides sine operibus mortua est.] *Duobus modis (quemadmodum à patribus dictum est) accipitur nomen fidei, similiter & operum. Vt sit quædam simplex fides, quam & dæmones habent, qui credunt & contremiscunt, alia cui iunctus sit affectus, quæ proprie fidelium est, de qua & Paulus dicit, quòd per dilectionem operetur. Eodem modo distinguunt & opera, vt quædam sint opera, quæ proprie recte facta dici possint, quæ Paulus vocat opera iustitiæ, quibus fides perfecta fit, & sine quibus fides est mortua, alia appellant opera legis, vt circumcisionem, & eiusmodi, sine quibus Abraham & fideles omnes iustificantur. Ex distinctionibus non erit difficile vtriusque authoris sensum percipere. Scio factam esse etiam distinctionem inter opera ante baptismum & post baptismum, quorum prior a non requirantur, sed posteriora, verum quæ prius dicta sunt, solidioribus nituntur fundamentis.*

CAPVT III.

A NOlite plures magistri fieri fratres mei, scientes q̃ [a] maius iudicium accipiemus. In multis. n. offendi- Matt.23.a mus oẽs. Si quis in verbo nõ offendit: hic perfectus est vir, potens freno circunducere ẽt totũ corpus. [b] Ecce equis frena in ora mittimus ad cõsentiẽdũ nobis: & omne corpus illoꝝ circũferimus. Ecce & naues cũ tam magnæ sint, & à ventis validis minẽtur: circũferũtur à minimo gubernaculo quocũq; impetus B dirigẽtis voluerit. Ita & lingua modicũ mẽbrũ est, & magna iactat. Ecce paruus ignis q̃ magnã siluam incendit. Et lingua, ignis est [c] vniuersitas iniq̃tatis. Sic lingua constituitur in mẽbris nostris, quæ maculat totũ corpus, & inflammat [d] rotam natiuitatis [e] inflammata à gehenna. Omnis enim natura bestiarum & volucrũ & serpentium

& serpentium, & marinorum domantur, & domita sunt à natura humana [f] linguam autem nullus ho- D
minum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum & patrem:
& in [g] ipsa maledicimus homines, qui ad similitudinem Dei facti sunt. Ex eodem ore procedit benedictio &
maledictio. Non oportet fratres mei hæc ita fieri. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulce, & ama-
rum? Nũquid potest fratres mei [h] ficus oleas facere: aut vitis ficus? Sic nullus fons salsam & dulcem potest fa-
cere aquam. Quis sapiens & scientia præditus inter vos? Ostendat ex bona cõuersatione opera sua in manſue- D
tudine sapientiæ. Quod si zelum amarum habetis, & contẽtiones in cordibus vestris: [i] nolite gloriari & men
daces esse aduersus veritatem, nõ est enim ista sapientia de sursum descẽdens: sed terrena, animalis, diabolica.
Vbi enim zelus & contentio: ibi inconstantia, & omne opus prauum. Quæ autem de sursum est sapientia,
[k] primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, plena misericordia & fructibus bonis, non
dijudicans, & sine simulatione, [l] Fructus autem iustitiæ in pace seminatur, facientibus pacem.

SCHOLIA.

[a] Maius iudicium accipiemus.] *Si enim etiam otiosorum verborum reddenda ratio est, quale censes, cum ex inani appetitione aggredimur docendi munus, cui plerũque minime sumus idonei, erroribus, qui inde proficiscuntur, impendere iudicium? Quando præsertim, vt rectè adiungit, in multis offendimus omnes, hoc est, impingimus, erramus, fallimur, atque, vt alibi legitur, in multo sermone nõ effugies peccatum. quod vjs maximè qui libros conficiunt, est metuendum.* [b] Ecce equis.] *Dicit, tantam vim in homine linguam habere, quantam frenum equo adhibitum, et naui gubernaculum. Nam omnia ferè, siquis cogitet mala, enerantur ex effreni, & immoderato linguæ vsu, & tam periculosa res, tam nulla cura tractatur.*
[c] Vniuersitas iniquitatis.] *κοσμος ἀδικιας, mundus iniquitatis, appellatione mũdi vniuersitatem quandam cõplectens, quo dicendi modo, & in quotidiano sermone vtimur. Verum, quia mundus ornatum significat, sunt qui intelligant, linguam constituisse ornare iniquitatem, dum persuasione quadam, & ornatu verborum id, quod iniquum est, efficit, vt æquum videatur.* [d] Rotam natiuitatis.] *Rotæ comparat vitam, quæ in sese reuoluitur, vel quia rota Græcis nomen habet à cursu, sic appellauit τροχὸν quòd velocissimo cursu feratur hæc vita.* [e] Inflammata à gehenna.] *Quasi quadam gehenna ignis incenditur. Sunt qui hoc loco exemplum afferant diuitis illius in euangelio, qui cupiebat refrigerari linguam suam, eum cruciaretur in flamma.* [f] Linguam autem nullus hominum domare potest.] *Sunt qui hæc verba per interrogationẽ dici debere iudicent, vt sit sensus si indomitas feras homo manſuefacit, suam ipse linguam non domabit? Si enim affirmatiue, & non interrogatiue legatur, non videtur apte dictum esse. quod post admonens ait, Nõ oportet fratres mei hæc ita fieri. Nam, si domari lingua non potest, ià, qui conatur adhortari ad ea, quæ fieri non possunt, non satis munitam adhortationẽ suam facit.* [g] In ipsa maledicimus homines.] *Cur non dixit, quod nunc vsitatissimum cernimus, quòd scilicet hac lingua nõ hominibus solum, verum etiam Deo maledicatur? opinor eum illud tacuisse, quod non solum fieri non debeat, verum ne in cogitationem quidem vnquam venire hominibus, quòd tantum facinus reperiri possit, præsertim cum pro certo habendum sit, ea ætate rem ita abominandam in vsu non fuisse. At hæc ætas quam fœdis, quam horrendis execrationibus Deum incessit, vt mirer, solem ipsum, & cœlestem illam choream non auertere cursum suum, & tam ingrato generi ministerium suum negare. Et principes rem tam indignam dissimulant, ingratissimi & ipsi tanto benefactori, qui si non amore erga Deum vllo, certe illius inextincti ignis metu, qui eos manet proculdubio, dum tam scelerata fieri patiuntur, debuerant excitari. Vbi enim apud Ethnicos legas eiusmodi blasphemias in Iouem, Iunonem, Venerem, atque adeo Priapos, & Phallos, & Ithyphallos conjectas, quibus isti lacerant Deum, & illum Dei filium Iesum Christum, cui flectunt genu cœlestia, etiam ipsa omnia, non terrestria solum, & infernа? & audemus profiteri nos esse Christianos, cum soli nos in Christum iniury simus, nam reliquæ gentes eum maxime venerantur.* [h] Ficus oleas.] *Monstrosum (inquit) esset, si ficulnea ficus simul & oleas ferret, aut vitis vuas & ficus, aut idem fons salsam ac dulcem aquam, sed multo est monstrosius, ex eodem ore quod ad laudandũ Deum formatum est, prodire blasphemias.* [i] Nolite gloriari.] *Gloriantur & mentiuntur aduersus veritatem ij, qui prætextu ac professione sapientiæ contentiones, atque hæreses generant.* [k] Primum quidem pudica est.] *ἁγνὴ, casta. Nam contentio meretricium quid secum affert. Illud quoque, suasibilis, εὐπειθὴς, potest actiuè & passiuè accipi, vt scilicet vel facile persuadeat, vel, agnita veritate, facile patiatur sibi persuaderi. Sic illud, non dijudicans, ἀδιάκριτος, hoc est, sine disceptatione. Cetera apertiora sunt.* [l] Fructus autem iustitiæ.] *Qui vult (inquit) fructum iustitiæ percipere, semina iaciat pacifica, quod soli efficere possunt pacifici.*

CAPVT IIII.

VNde bella & lites in vobis? Nónne hinc? ex voluptatibus vestris, quæ militant in membris vestris? A
Concupiscitis, & non habetis: inuidetis & zelatis, & non potestis adipisci, litigatis & belligeratis:
[a] non habetis, propterea quòd non postulatis. Petitis, & non accipitis, eo quòd male petatis: vt in vo
luptatibus vestris insumatis. Adulteri & adulteræ, nescitis q̃ amicitia huius mundi, inimicitia est Dei? Quicũ
que ergo voluerit amicus esse mundi: inimicus Dei cõstituitur. An putatis q̃ inaniter scriptura dicat: [b] Ad in B
Ephe. 4.f uidiam cõcupiscit spiritus, qui habitat in nobis? Maiorem, aũt dat gratiam. Subditi ergo estote Deo: resistite
autem diabolo, & fugiet à vobis. Appropiate Deo, & appropinquabit vobis. Emũdate manus peccatores, &
1. pet. 5.d purificate corda duplices animo: Affligimini & lugete & plorate, risus vester in luctum conuertatur, & gau-
dium in mœrorem. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos. Nolite detrahere inuicem fratres C
mei. Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum: detrahit legi, & [c] iudicat legem. Si autem iudicas legẽ,
Rom. 14.a non es factor legis sed iudex. [d] Vnus est legislator, qui potest saluare & perdere. Tu quis es, qui iudicas alte-
rum? Age nunc qui dicitis, Hodie & cras eamus in illam ciuitatem, & faciamus ibi annum vnum, & merce- D
mur & lucrum faciamus (qui ignoratis quid erit in crastino. Quæ est enim vita vestra? Vapor est enim ad
modicum parens, & deinceps exterminabitur) pro eo, vt dicatis, Si Dominus voluerit, & si vixerimus, facia-
mus hoc, aut illud. Nunc autem exultatis in superbijs vestris. Omnis exultatio talis, maligna est. [e] Scienti igi
tur bonum facere, & non facienti: peccatum est illi.

Scholia.

SCHOLIA.

[a] Non habetis propterea quòd non postulatis.] *Non expectatis à Dei beneficentia id, quod habere optatis. sed existimatis vestro vos ingenio assequi illud posse. quare indigni estis, qui habeatis. quod si petitis, non accipitis eo, quòd male petatis. quo pacto? quia cum aliquid petitis, hunc scopum vobis proponitis, vt scilicet, in voluptatibus vestris insumatis. at quicunque hac ratione petunt, non merentur audiri.* [b] Ad inuidiam.] *Videtur sic legendum. An putatis, quòd inaniter scriptura dicat, aut ad inuidiam? concupiscit spiritus, qui habitat in vobis, maiorem autem dat gratiam, vt sit sensus. Non inuidet spiritus, qui per scripturam loquitur, sed concupiscit, hoc est, quærit per ipsam adhortationem, vt gratia in vobis habitet. Alius sic interpretatur. Ad inuidiam concupiscit spiritus, hoc est, spiritus superbiæ, ipse diabolus, & concupiscentiæ spiritus malus, qui habitat in vobis, dum non assequitur quod concupiscit, inuidere vos facit alijs, & ad omnia scelera vos inuitat: maiorem aũt dat Deus gratiam humilibus, id est, quanto quis est humilior, tanto illi plus impertit gratiæ Deus. Versus sequens hunc interpretatur.* [c] Iudicat legem.] *Hoc est, contemnit legem, quæ iubet, Vt diligamus proximum, non Vt ei obloquamur: & obloquentes damnat. Vel qui iudicat fratrem dignum supplicio, ille damnat legem, quæ supplicium de illo nõ sumat.* [d] Vnus est legislator.] *Quid (inquit) audes iudicare fratrem tuum, & vsurpare authoritatem, quæ tua non est? hoc munus est legis, atque latoris legis, ad quem pertinet, & seruare, & perdere, non ad te.* [e] Scienti igitur.] *Multa eos docuit, quæ & ipsi scirent, sed ea etiam, quæ sciuntur, sæpius commemorare est necessarium. Concludit ergo his verbis, et admonet, vt quæ sciunt, eadem faciant, alioquin illud scire, nihil profuturum.*

CAPVT V.

A AGite nũc diuites, plorate, vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. [a] Diuitiæ vestræ putrefa
ctæ sunt: & vestimenta vestra à tineis comesta sunt. Aurũ & argẽtum vestrum æruginem traxit: &
ærugo eorum in testimonium vobis erit, [b] & manducabit carnes vestras sicut ignis Thesaurizastis
in nouissimis diebus. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis,
clamat: & clamores eorum, qui messuerant, in aures Domini sabaoth introierunt. Deliciati estis super terrã:
B & lasciuistis, enutristis corda vestra, [c] vt in die occisionis. Condemnastis & [d] occidistis iustum, & non resistit
vobis. [e] Patientes igitur estote fratres, vsque ad aduentum Domini. Ecce, agricola expectat pretiosum fructũ
terræ: patienter ferens donec accipiat pluuiam temporaneam & serotinam. Patientes igitur estote & vos, &
confirmate corda vestra: quoniam aduẽtus Domini appropinquauit. Nolite ingemiscere fratres alius aduer-
sus alium: vt non condemnemini. Ecce iudex ante ianuam assistit. Exemplum accipite fratres mei laboris &
C patientiæ, prophetas: qui locuti sunt in nomine Domini. Ecce beatificamus eos, qui sustinent. Sufferentiam
Iob audistis, & finem Dominj vidistis, [f] quòd valde misericors Dominus sit & miserator. Ante omnia aut̃ Matt. 3.f
fratres mei, nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcunque iuramentum. Sit
autem vestrum est, est: non, non: [g] vt nõ in simulationem decidatis. [h] Affligitur aliquis vestrum? oret. Æquo
animo est aliquis? psallat. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiæ, & orent super eum, vngẽ-
D tes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & eriget eum Dominus: & si in peccatis
sit, remittentur ei. Confitemini inuicem peccata: & orate pro vobis inuicem, vt sanemini: multum enim va-
let deprecatio iusti efficax. Elias, homo erat similis nobis passibilis: & oratione orauit, vt non pluerет super 3. Reg. 17.
terram, & nõ pluit annos tres & menses sex. Et rursum orauit: & cœlum dedit pluuiam, & terra dedit fructũ a.b
suum. Fratres mei, siquis ex vobis erraverit à veritate, & conuerterit quis eum: scire debet, q̃ qui conuerti fe- Luc. 4.d
cerit peccatorem ab errore viæ suæ, [i] saluabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum. Matt. 18.b

SCHOLIA.

[a] Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt.] *Sinitis (inquit) putrescere potius diuitias vestras, quàm vt eas in pauperes distribuatis.* [b] Et manducabit carnes vestras sicut ignis.] *Terrifica verba, si isti audirent, neque multo auro occlusissent aures. & quod sequitur, thesauri zastis iram (nam quædam Græca exemplaria sic habent) in nouissimis diebus. Parare ergo diuitias nihil est aliud, quàm recondere sibi æternas pœnas. Potest & sic dici. thesauri zatis in nouissimis diebus, hoc est, nouissima est hora, in qua de perpetua illa potius quã de hac exigua vita est cogitandum, & tamen non cessatis hic thesauri zare.*
[c] Vt in die occisionis.] *Sunt qui interpretentur, delitias eorũ, finem habituras esse cædem, atq; interitum. Verum qui nõ dicit, in diem, sed in die, videtur posse et sic dici. Enutristis corda vestra hilariter, vt in die, quo victimæ occiduntur.* [d] Occidistis iustum.] *Ad Christum refertur. Aly opinantur, prophetice eum & de se ipso prædixisse.* [e] Patientes igitur estote fratres.] *Postquam inuectus est in principes Iudæorum, qui in delitys degerent, & inopes spernerent, atque in illos duri, ac inhumani essent, hortatur nunc fideles exemplo agricolæ, vt longanimes sint vsque ad tempus, fore enim cito vltionem. Aduentum autem domini quidam putant hic intelligi tempus, cum Romani euerterunt Hierosolymam, & Iudæorũ gentem. & illud etiam, quod dictum est de Ioanne euangelista, si eum volo manere, donec veniam, intelligunt de hoc ipso tẽpore, cum paulo post captam Hierosolymam excesserit è vita.* [f] Quod valde misericors Dominus.] *Quamuis (inquit) improbi homines iniury in Dominũ fuerint, & sint, expectat tamen ac tolerat, vt seruentur.* [g] Vt non in simulationẽ decidatis.] *Quomodo quis iurans in simulationem decidit? dum creditur per iuramentum verax esse, & fit interdum, vt mentiatur. Prohibet autem per Deum iurari, nequis in periurium incidat, per cœlum vero, et alia, ne eis diuinus honor ascribatur. Omnes enim per maiorem se iurant.* [h] Affligitur aliquis.] *Precatio adhibita afflictioni facit, vt multo leuior sit afflictio. at cum reddita est tranquillitas animo, ne soluatur inepta lætitia, iubet vt psallamus, nam hilarem animi statum (vt ait magnus Basilius) hymnorum solatia largiuntur.* [i] Saluabit animam.] *Animam non fratris solum, verum et suam etiam. Alioqui dictum ei fuisset, animam autem eius de manu tua requiram. Operiet quoque multitudinem peccatorum, reddet enim illi vicem Dominus, vt eum à peccatis absoluat, qui alium à peccatis auocare curauerit.*

Hieronymus

HIERONYMVS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

SImon Petrus filius Ionę, prouinciæ Galilææ, vico Bethsaida, frater Andreæ apostoli, & princeps apostolorum, post episcopatum Antiochēsis ecclesiæ, & prędicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibiq; vigintiquinque annis, cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis, id est, decimumquartum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus est capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis, asserens se indignum, vt sic crucifigeretur, vt Dominus suus. Scripsit duas epistolas, quæ catholicæ nominantur, quarum secunda à pleriſque eius esse negatur propter stili cum priore dissonantiam. Sed & euangelium iuxta Marcum, qui auditor eius & interpres fuit, huius dicitur. Libri autem eius è quibus vnus Actorū eius inscribitur, alius Euāgelij, tertius Prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus Iudicij, inter apocryphas scripturas reputantur. Sepultus Romæ in Vaticano iuxta viam triumphalem: totius vrbis veneratione celebratur.

EPISTOLA BEATI PETRI APOSTOLI PRIMA.

CAPVT I.

PEtrvs Apostolus IESV CHRISTI, electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithiniæ, [a] secundum præscientiam Dei patris, in sanctificatione A
2. Cor. 1. a Ephe. 1. a spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguinis IESV CHRISTI: gratia vobis, & pax multiplicetur. Benedictus Deus, & pater Domini nostri IESV CHRISTI, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos [b] in spem viuam, per resurrectionem IESV CHRISTI ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cœlis in vos, qui virtute Dei custodimini per fidem in salutem, paratam reuelari in tempore nouissimo, [c] in quo exultatis: modicum nunc, si oportet, contristati in varijs tentationibus: vt probatio vestræ fidei multo pretiosior auro (quod perit & tamen per ignem probatur) inueniatur in laudem, & gloriam & honorem in reuelatione IESV CHRISTI, quem cum non videatis, diligitis, in quem nunc non videntes: credentes tamen, exultatis lætitia inenarrabili & glorificata, reportantes finem fidei vestræ, salutem animarum vestrarum: [d] de qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, scrutantes in quod vel quale tempus significaret, qui in eis erat spiritus CHRISTI, prænuntians eas, quæ IN CHRISTVM venturæ erant passiones, & posteriores glorias: quibus reuelatum est, quòd non sibimetipsis, sed nobis ministrabant ea, quæ nunc nuntiata sunt vobis per eos, qui euangelizauerūt vobis, in spiritu sancto misso de cœlo, [e] in quæ desiderant angeli prospicere. Propter quod [f] succincti lumbos mentis vestræ, sobrij, perfectè sperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in reuelatione IESV CHRISTI, vt filij obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ vestræ desiderijs, sed quemadmodum is, qui vocauit vos, sanctus est, ita & ipsi in omni conuersatione sancti sitis: quoniam scriptum est: Sancti estote: quoniam ego sanctus sum. Et si patrem inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat secundum vniuscuiusque opus: in timore, incolatus vestri tempore conuersamini: scientes, [g] non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine tanquam agni immaculati CHRISTI & D
Leui. 11. g 19. a. 20. b Deut. 10. d Rom. 2. b Galat. 1. b 1. Cor. 6. d & 7. d Hebr. 9. d 1. Ioan. 1. d Apoc. 1. d Esa. 40. b Eccle. 14. c Iacob. 1. b incontaminati, præcogniti quidem ante mundi constitutionem, manifestati autem nouissimis temporibus propter vos, qui per ipsum creditis in Deum, qui suscitauit eum à mortuis, & dedit ei gloriam: vt fides vestra, & spes esset in Deum, qui animas vestras purificastis in obedientia veritatis per spiritum, in fraternitatis amore non simulato. Simplici ex corde inuicem diligite intense, renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili per verbum Dei viui & permanentis in æternum: quia [h] omnis caro, vt fœnum: & omnis gloria hominis, tanquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos eius decidit. Verbum autem Domini manet in æternum: hoc est autem verbum, quod euangelizatum est in vos.

SCHOLIA.

[a] Secundum præscientiam.] *Ordo verborum hic est, Petrus apostolus Iesu Christi, secundum præscietiam Dei patris missus, vt segreget ei in spiritu, & obedientes faciat eos, qui salutarem aspersionem sanguinis Iesu Christi acceperunt. Vobis electis aduenis dispersionis qui scilicet de circumcisione crediderant et dispersi erant in regionibus Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ (his enim prædicauerat) gratia & pax multiplicetur, &c.* [b] In spem viuam.] *Non sicut sub Mose, cum*

cum mortalia mortalibus promitterentur, hæc autem spes corroborata est per resurrectionem Iesu Christi à mortuis. [c] In quo exultatis.] *Ordina sic. In quo tempore ad breue spacium (quandoquidem breuis est, & exigua præsens vita) afflicti (siquidem opus est vos affligi per varias tentationes) exultatis, hoc scietes, quòd tentamini, vt probatio fidei vestræ, multò pretiosior auro, quod dum perire videtur, probatur per ignem, inueniatur in laudem, et honorem, & gloriam vestram tunc, cum reuelabitur Iesus Christus.* [d] De qua salute.] *Quoniam de salute animarū mentionem fecerat, quæ res noua erat auribus hominum, prophetas in medium deducit, & ait, eos etiam tum perscrutatos esse ista. Exquisierunt enim, vt Daniel, de futuris, qui & iccirco vir desideriorum vocatus est ab angelo, qui cum eo loquebatur, & quæsierat, non solum quo hæc tempore futura essent, verum etiam quali, & quo tunc statu res essent inueniendæ, vt in eiusdem Danielis prophetia licet agnoscere.* [e] In quæ desiderant angeli prospicere.] *Quorum scientiam & ipsi angeli assequi gaudent: nam in ipso mysteriorum initio præ gaudio cecinerunt. Gloria in altissimis Deo, de qua re & ad Ephesios scribens Paulus ait. Vt innotescat nunc principatibus, & potestatibus in cœlestibus per ecclesiam multiformis sapientia Dei.* [f] Succincti lumbos mentis vestræ.] *Quibus verbis significatur, alacre studium adhibendum vt, quæ tam admiranda sunt, vt & ipsis angelis facta sint amabilia.* [g] Si patrē.] *Pulchre. Quid. n. non conandū, vt tanto nomini, tantæq; dignitati, recte factis, et filys Dei dignis, respondeamus?* [h] Omnis caro.] *Hoc addit, vt monstret, quanto præstantius sit renasci per verbū Dei, quam ex semine corruptibili.*

CAPVT II.

DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones: sicut modo geniti infantes, [a] rationabile & quod sine dolo est lac concupiscite: vt in eo crescatis, siquidem gustatis q̄ bonus est Dñs. Ad quem accedentes, lapidem viuum, ab hominibus quidē reprobatū, à Deo aūt electū & pretiosum: & ipsi tanquā lapides viui superædificamini domus spiritualis, sacerdotiū sanctū, ad offerendū spirituales hostias, acceptabiles Deo per IESVM CHRISTVM. Propter quod continet scriptura: Ecce pono in Sion lapidem [b] summum angularem, electū, pretiosum: & qui crediderit in eū, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus aūt, lapis quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: & lapis offensionis & petra scādali, his qui impingunt in verB bum, nec credunt, [c] in quod & positi sunt. Vos autem genus electum, [d] regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen suum. Qui aliquando non populus: nunc aūt populus Dei: qui non consecuti misericordiam: nūc aūt misericordiā consecuti. Charissimi, obsecro vos [e] tanquam aduenas & peregrinos, abstinere à carnalibus desiderijs, quæ militant aduersus animam: conuersationem vestram inter gētes habētes honestam: vt in eo, quod detrectant vobis, tanquam malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deū [f] in die visitationis. Subiecti igitur estote omni humanæ creaturæ propter Dūm: siue regi, quasi præcellenti: siue præsidibus, tanquā
C ab eo missis ad vindictam quidem malefactorū, laudem vero bonorū, quia sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentiū hominum ignorātiam: quasi liberi, & [g] non quasi velamen habentes malitiæ libertatem, sed sicut serui Dei. Omnes honorate. Fraternitatē diligite. Deū timete. Regē honorificate. Serui, subditi estote Dominis in omni timore, nō tātum bonis & modestis, sed ét dyscolis. [h] Hæc est enim gratia: si propter Dei conscientiam, sustinet quis tristitias, patiēs iniuste. Quę enim est laus: si peccātes, & ideo colaphizati, suffertis? Sed si bene facientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis: quia & CHRISTVS passus est pro nobis, nobis relinquens exēplum, vt sequamini vestigia eius: qui
D peccatū nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius: qui cū malediceretur, nō remaledicebat: cū pateretur, nō comminabatur: [i] tradebat autem vindictā iudicanti iuste, qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum: vt peccatis mortui iustitiæ viuamus: cuius liuore sanati estis. Eratis enim sicut oues errantes: sed conuersi estis nunc ad pastorem, & episcopum animarum vestrarum.

Rom. 5. a Ephe. 4. a Coloſ. 3. b Hebr. 12. a Esaiā. 28. d Rom. 9. g Psal. 117. d Matt. 21. d Act. 4. b Esa. 8. c Exo. 19. c Osee. 2. d Rom. 9. c Galat. 5. c Roma. 13. d Roma. 13. a Rom. 12. c Ephe. 6. a Coloſ. 3. d Tit. 2. c 2. Cor. 7. c Esa. 53. c 1. Ioan. 3. a Esa. 53. b

SCHOLIA.

[a] Rationabile, & quod sine dolo est.] *Dixerat eos debere esse tāquam modo genitos infantes, quod cū intelligi velit in eum sensum, quo alibi dicitur, malitia paruuli estote, addit nunc, vt more infantum lac concupiscant quidem, sed rationale, vt ratione prædita suauitatem domini degustent, & nulla alterius rei cura distracti, ab vberibus pendeant consolationis eius. Sciebat etiam inueniri lac dolosum iuxta illud, Si te lactauerint peccatores, ne acquiescas illis, iccirco addit, sine dolo. Vel certè adiecit, sine dolo, quia similitudinem infantium proposuerat, qui dolo carent, quos imitari debemus. nisi enim (inquit) efficiamini vt paruuli, nō intrabitis in regnum cœlorum.* [b] Summum angularem.] *Vna vox est Græcis, ἀκρογωνιαῖον, hoc est, in summo ponendum angulo, qui tāquam duos parietes, paternam domum absoluentes, Iudæos videlicet, ac Gentes coniungeret.* [c] In quod & positi sunt.] *Non à Deo, qui vult omnes saluos fieri, sed à seipsis, qui se vasa iræ aptarunt, & fecerunt, vt, qui per se lapis salutis est, esset illis offendiculo, atque impactioni. In id ergo positi sunt, quod ipsi sibi parauerunt.* [d] Regale sacerdotium.] *Non hoc ex Abraham aut ex lege habuimus, apud quam regnum erat à sacerdotio diuisum, sed Christus id nobis parauit, qui & sacerdos secundum ordinem Melchisedec est appellatus, & rex mansuetus ac iustus.* [e] Tanquam aduenas.] *Quid? aduenæ & peregrini abstinent à carnalibus desideryis? Sed hoc dicit. Qui carnalibus desideryis affecti sunt, si veluti ciues huius mundi, atque indigenæ sunt huius tāquam ciuitatis. at vos, qui iam aliam ciuitatē animo concepistis, & ab hac huius mundi habitatione, ac consuetudine, quanto maximo studio potestis, vosmet facitis alienos, aduenas vos esse profitemini, neque vllum cum ys habere commercium. Ergo, vt qui iam aduenæ sitis, abstinete ab ys, quibus ciues huius mundi adhærescunt.* [f] In die visitationis.] *Cum scilicet inquisitio de vobis facta fuerit, vt, cum longe alium, quàm suspicabantur, vitæ vestræ statum intellexerint, glorificent Deum: nam in gloriam Dei redundat recta fidelium vita.* [g] Non quasi velamen habentes malitiæ libertatem.] *Velim, inquit, intelligatis, vos vera quidem libertate liberos, sed nolo, vt hanc libertatem, quasi velamen, ac prætextum malitiæ ac vity habeatis, quod & Paulus attigit, cum dixit, peccabimus quia non sumus sub lege? Ne ergo dicerent isti, liberi sumus, ac ciues cœli, & tu adhuc subycis nos principibus? Obedite (inquit) nequis vobis obyciat, quòd hanc vestram libertatem vestris vitys, ac sceleribus prætexatis.*

[h] Hæc

h Hæc est enim gratia.] *Hoc gratum,& egregium est,conscios sibi inculpatæ vitæ,pro Deo,& pro veritate tamen pati.* i Tradebat autem vindictam iudicanti iustè.] *Ipse (inquit) non quærebat Vltionem, qui etiam pro inimicis interceßit,sed totum iudiciũ relinquebat ei, qui iustè iudicat omnes,ipse verò peccata nostra pertulit in corpore suo super lignum.*

CAPVT III.

Colos.3.e Ephe.5.c 1.Tim.2.c

SImiliter & vxores subditæ sint viris suis:vt & siqui nõ credũt verbo, per mulierũ cõuersationẽ sine verbo lucrifiãt,considerãtes in timore castã conuersationẽ vestram:quarũ ornatus nõ sit extrinsecus plicatura capillorũ,aut circundatio auri,aut amictus vestimentorũ:sed qui absc̃ditus est cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modesti spiritus,qui est in conspectu Dei locuples.Sic enim quondã & sanctæ mulieres sperãtes in Deo [a] ornabãt se,subiectę proprijs viris:sicut Sara obediebat Abrahæ,Dñm eum vocãs,cuius factæ estis filię,bene faciẽtes,& nullo timore perterritæ.Viri similiter cohabitãtes secundũ scientiã,quasi infirmiori vasculo muliebri impartientes honorẽ,tanquã & cohæredes gratiæ vitæ: [b] vt nõ impediãtur orationes vestræ.In summa autẽ:oẽs vnanimes,cõpatientes,fratrũ amatores,misericordes,modesti, nõ reddentes malũ pro malo,nec maledictum pro maledicto:sed cõtrario, benedicentes:sciẽtes quod [c] in hoc vocati estis,vt benedictionẽ hęreditate possideatis.Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos:coerceat linguã suam à malo,& labia eius ne loquãtur dolũ.Declinet à malo, & faciat bonũ:inquirat pacẽ,& persequatur eã:quia oculi Dñi super iustos, & aures eius in preces eorũ:vultus autẽ Domini super faciẽtes mala. [d] Et quis est,qui vobis noceat,si boni æmulatores fueritis? Sed & siquid patimini propter iustitiã,beati.Timorẽ autem eorũ ne timueritis,& nõ conturbemini:Dñm autem Deũ sanctificate in cordibus vestris.parati semper ad satisfactionẽ omni poscenti vos rationẽ de ea,quæ in vobis est,spe:sed cũ modestia & timore,cõscientiã habentes bonã:vt in eo quod detrahũt vobis,tãquã malefactoribus,cõfundantur,qui calumniãtur vestrã bonam in CHRISTO conuersationẽ.Melius est enim,bene faciẽtes (si volũtas Dei velit) pati, quã malefaciẽtes:quia & CHRISTVS semel pro peccatis passus est,iustus pro iniustis:vt nos offerret Deo, [e] mortificatus quidẽ carne,vivificatus autẽ spiritu. [f] In quo & his qui in carcere erãt spiritibus,veniẽs prędicauit: qui increduli fuerant olim,cũ semel expectabatur Dei longanimitas in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci,id est,octo animæ saluæ factæ sunt per aquã.Cui nunc simile baptisma nos quoq; saluos facit: non carnis depositio sordiũ,sed conscientię bonę interrogatio in Deum,per resurrectionẽ IESV CHRISTI, qui est in dextera Dei:profectus in cœlum, subiectis sibi angelis & potestatibus & virtutibus.

Supra 2.c Hebr.9.d Roma. 5.b Hebr.9.d Roma. 5.b Gene. 6.b Mat. 24.d Luc. 17.f

Gene.18.b 1.Cor.7.a

proue. 17.c & 21. d Rom.12.d 1.Thes.5.d Psal.33.c Matt.5.a

SCHOLIA.

[a] Ornabant se.] *Ornabant se (inquit) dum subyciebantur propryis viris, hoc est, ornatus earum erat subiectæ eas esse propryis viris: Vel refertur ad superiora,vt dicat,sic ornabant se,hoc est,in abscondito cordis homine,&c.Et quod ait,nullo timore perterritæ,significat illas,non metu,sed reuerentia & charitate debere omnia facere.* [b] Vt non impediantur orationes vestræ.] *Quæ scilicet tum demum dignæ sunt quæ exaudiantur,cũ in pace atque in mansuetudine fiunt.* [c] In hoc vocati estis.] *Quasi dicat,ei rei assuescite,ad cuius perpetuam hæreditatem estis vocati.* [d] Et quis est.] *Cum habeatis omnium Dominum benignis vos oculis inspicientem, quis nocere vobis poterit? At vobis afflictiones ingruent, dum bonum imitamini: in hoc gaudete potius,primum quòd hæc mala non sunt,deinde quòd & beati propter hæc estis, non miseri.Beati enim (ait Dominus) estis,cum probris vos affecerint homines, & persecuti vos fuerint.* [e] Mortificatus quidem carne.] *Dixerat melius esse,vt benefacientes patiamur,quàm malefacientes,idq; exemplo Christi roborat,qui iustus passus est,non tamen salutis propriæ gratia,sed nostræ,qui iniusti eramus,quantò ergo magis pati nos libenter debemus, cum hæc passio in salutem nostram cedat? Sed vt ad Christum reuertamur:passus ipse est pro nobis,vt nos adduceret Deo: quod & potuit,nam etsi morte affectus est ob carnis naturam acceptam,spiritu tamen ac diuinitate (nam Deus spiritus est) semper viuit, vnde & saluare (vt alibi legis) in perpetuum potest accedentes per ipsum ad Deum.* [f] In quo & ijs,qui in carcere.] *Gregorius Nazianzenus breuiter & erudite hunc locum explicat in hunc modum. Voluit Christus omnes saluari,nec eos tantum,qui post eius aduentum fuerunt,sed eos etiam,qui ante:qui enim ante Christũ ita vixerunt,vt,si Christus tunc prædicasset,crediturі fuerint,illi etiam per descensum Christi ad inferos saluati sunt, sic & post eius aduentum ij tantum saluantur,qui crediderunt.Christus igitur ad inferos descendens,ita cõdemnauit incredulos,acsi prædicasset viuentibus,siquidem increduli dicuntur,qui vim rationalem habuerant,qua Dei bonitatem agnoscerent,sed noluerunt,quod inde manifestum est.Semel enim temporibus Noè,cum exstrueretur arca, & iam prædicto diluuio expectaretur Dei longanimitas,ita pauci crediderunt,vt octo tantum seruati fuerint.Sic post eius aduentum, baptismo, qui diluuio præfiguratus est, seruamur,si,non carnis,sed animæ sordes deponantur,quo fit,vt bona conscientia secure respondeat Deo, & hoc gratia resurrectionis.Illud autem,in quo,idem esse volunt,quod,quapropter,vel,propter quod,atque ita aptant. Dixerat Petrus, passum esse Christum pro salute omnium hominum,quod siquis quæreret sic,ij ergo,qui ante a mortui sunt, quam salutem sunt consecuti? soluit hãc dubitationem,dicens.Quapropter,hoc est,saluti hominum gratia,ijs,qui in carcere erant spiritibus veniens prædicauit,& salutem etiam eorum,qui ante mortui fuerant,est operatus,nam qui ita vixerunt,vt, si Christus tunc prædicasset,fuerint crediturі,ij per descensum eius ad inferos seruati sunt.Aly tamen aliter interpretandum putant,ob illa Domini verba,Si in Tyro & Sidone,factæ essent virtutes,&c.Quibus ait remissius futurum in die iudicij,neque dicit eos seruandos.Quidam ob has fortasse causas allegorice interpretantur,& dicunt,spiritus,qui in carcere erant,intelligendos peccatores.quod idem & faciunt in illis verbis sequentis capitis,hoc est. Et mortuis euangelizatum est. Sed vnicuique suus sensus satisfaciat,nam difficillimus locus est.*

CAPVT IIII.

Ephe. 4.c

CHRISTO igitur passo pro nobis carne:& vos eadem cogitatione armamini, quia [a] qui passus est in carne,desijt à peccatis:vt iã non desiderijs hominum,sed voluntate Dei, quod reliquũ est in carne viuat temporis.Sufficit enim nobis præteritũ vitæ tempus vt voluntatem gẽtium perfecerimus,cum ambularemus in lasciuijs, desiderijs, vinolẽtijs,comessationibus,potationibus, & nefarijs idolorũ cultibus, in quo

in quo admirãtur non cõcurrẽtibus vobis in eandẽ luxuriæ refusionẽ [b] blasphemãtes, qui reddent rationẽ ei,qui paratus est iudicare viuos & mortuos.Propter hoc enim, [c] & mortuis euangelizatũ est:vt iudicentur quidẽ secundum homines carne, viuãt autem secundũ Deum spiritu. [d] Omniũ autem finis appropinquauit.Estote itaq; sobrij,& vigilate in orationibus.Ante omnia autẽ, mutuam inter vos charitatẽ continuam habẽtes:quia [e] charitas operiet multitudinẽ peccatorũ.Hospitales inuicẽ, sine murmurationẽ. Vnusquisq; sicut accepit donũ,mutuo in vos illud administrantes:sicut boni dispẽsatores multiformis gratię Dei.Siquis loquitur:tanquã sermones Dei:siquis ministrat tanquã ex virtute,quam subministrat Deus, vt in omnibus glorificetur Deus per IESVM CHRISTVM, cui est gloria, & imperiũ in secula seculorũ, Amen. Charissimi,nolite mirari in examinatione,quæ ad tentationẽ vobis fit,quasi noui aliquid vobis cõtingat:sed cõmunicantes CHRISTI passionibus,gaudete,vt & in reuelatione glorię eius gaudeatis exultãtes.Si exprobramini in nomine CHRISTI, beati estis:quoniã gloria & spiritus Dei super vos requiescit. [f] Secũdum illos quidẽ blasphematur,secundũ vos autẽ glorificatur.Ne quis enim vestrũ patiatur, vt homicida, aut fur, aut maleficus, [g] aut alienarũ rerum curiosus.Si autẽ vt Christianus:non erubescat, glorificet autẽ Deum in hac parte,quoniã [h] & tempus est vt incipiat iudicium à domo Dei. Si autẽ primum à nobis:quis finis eorũ, qui non credunt Dei euangelio? Et si iustus quidem vix saluatur:impius & peccator vbi cõparebit? Itaque & hi qui patiuntur secundum voluntatem Dei,vt fideli conditori commendent animas suas in benefactis.

prou.10.b Rom. 12.c Hebr.13.a philip.2.b

prone. 11.d

SCHOLIA.

[a] Qui passus est in carne.] *Tunc imitamur Christi passionem,cum veteri Vitæ morimur,vt, sicut qui moritur carne,mox cessat à peccatis,ita nos relictis desideriys carnis,& peccatis mortui, voluntati Dei, quod reliquum est Vitæ, seruiamus.* [b] Blasphemantes.] *Quomodo admirantur simul & blasphemantur, admiratio illa non à virtute, sed ab animi dissolutione proficiscebatur.nam cum nihil aliud cogitarent,quàm ista præsentia, admirabantur, hos non eadem via ingredi et eos vituperabant.* [c] Et mortuis.] *Ordo hic est verborum,hi blasphemantes vos,rationem reddent ei,qui omnes iudicaturus est,& viuos & mortuos,nam iudicantur & mortui,quòd patet ex eo, quòd Dominus descendit ad inferos, & prædicauit ibi, sicut & ijs,qui in terra erant viuentes.prædicauit autem, non sermone, sed facto, & quemadmodum veniens in mundum,ijs,qui parati fuerunt agnoscere eum,ad iustificationem venit, nolentibus vero agnoscere, in condemnationem,sic & ijs,qui in inferno erant,ijs quidem,qui carnaliter vixerant, venit in iudicium,ijs vero, qui spiritualiter, & cum virtute,in gloriam,& salutem: Vt hæc verba sint quædam repetita commemoratio eorum, quæ superiore capite sunt dicta.Quidam illa verba,Vt iudicentur secundum homines in carne,sic interpretantur,secundum homines,hoc est, humano,& quo hic homines more puniri solent,carne,hoc est,morte corporali.Illud tamen mortuis euangelizatum est,potest intelligi de ys qui mortui erant delictis atque peccatis.* [d] Omnium autem.] *Postea scilicet,quàm intellectum est, omnes Vni æquissimo Domino in die iudicij rationem esse reddituros.* [e] Charitas operiet.] *Quod non solum de eo intelligendum est, quòd qui diligit,operit peccata proximi, dũ facile fert, ac dissimulat eius minus perfectos mores,sed multo magis,quòd dum diligimus proximos,remittuntur nobis peccata nostra, in quem sensum & Iacobus ait. Qui conuerti fecerit peccatorem ab errore Viæ suæ,saluabit animam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.* [f] Secundum illos.] *Videtur quidem ab impys blasphemari,sed demum ex Vestra tolerantia glorificatur, & eorum agnoscitur mẽdax criminatio.* [g] Aut alienarum.] *Hoc enim est animi malitiosi,& scelesti, & ad omne malum parati iudicium.* [h] Tempus est.] *Incipit primum à domo Dei iudicium,quia,Vt ait magnus Basilius,naturaliter ergà eos, qui domestici nobis sunt maxime, seueriores sumus,cum peccauerint.at in primis domestici Dei non alij sunt,quàm fideles,qui Dei domum perficiunt,videlicet Ecclesiã. Iudicium autem hic vocat afflictiones,ac persecutiones,quas ab impijs patiebantur.*

CAPVT V.

A [a] SEniores qui inter vos sunt obsecro,consenior & testis CHRISTI passionum,& eius quæ reuelanda est,gloriæ consors,Pascite quãtum in vobis est,gregem CHRISTI, prouidentes non coacte,sed spõtanee: neq; turpiter lucrum affectantes,sed prõpte:neq; vt dominantes in cleris, sed [b] formæ facti gregis.Et cum apparuerit princeps pastorũ,percipietis immarcescibilem glorię coronã. Similiter adolescentes, Iacob.4.c
B subditi estote senioribus,omnes autem inuicem subiecti humilitatem vobis infixam habete, quia Deus superbis resistit:humilibus autem dat gratiam. [c] Humiliamini igitur sub potenti manu Dei,vt vos exaltet in tẽpore: omnem solicitudinem vestram proijcientes in eum,quoniam ipsi cura est de vobis. Sobrij estote, & Matt.6.c Luc.12.c Rom.12.c
C vigilate:quia aduersarius vester diabolus tanquam leo rugiens circuit,quærens quem deuoret. Cui resistite, psal.54.d fortes in fide:scientes easdem passiones ei,quæ in mundo est vestræ fraternitati consummari. Deus autẽ omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in CHRISTO IESV, modicum passos,ipse vos
D instauret,fulciat,roboret,stabiliat.Ipsi gloria,& imperium in secula seculorum. AMEN, Per Siluanum vobis fidelem fratrem (vt arbitror) breuiter scripsi:adhortans & contestans hanc esse veram gratiã Dei, in qua statis.Salutat vos, [d] ecclesia quæ est in Babylone,simul electa:& Marcus filius meus.Salutate inuicẽ in osculo charitatis.Pax vobis omnibus qui estis in CHRISTO IESV. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Seniores.] *Nomen senioris significare potest,& ætatem,& gradum,nam in actis apostolorum,qui seniores appellantur,ydem paulopost vocantur & episcopi,vbi Paulus alloquitur seniores Ecclesiæ Ephesiorũ.* [b] Formæ facti.] *Vt exemplo Vestro,grex Vester,hoc est,subiecti vobis fideles discant,quo se pacto gerant,ac modestiæ Vestræ contemplatione,& ipsi facile se regi patiantur.* [c] Humiliamini.] *Addit,sub potenti manu Dei,Vt, cum nos ipsi deiecimus,erecto tamen & infracto animo simus,dum recordamur,posse illum,atque adeo velle,nos in ingentem demum erigere celsitudinem.* [d] Ecclesia,quæ est.] *Non est verisimile hic de Babylone Assyriorum,vel de illa Aegyptia intelligi. Sed admodum credibile est, ἀλληγορικῶς Romam appellatã à Petro, ob confusos,qui tunc in ea essent mores, quod Gregorius Cortesius Vir doctissimus magister meus in pulcherrimo libro,quem scripsit de accessu Petri ad Vrbem Romam,probat erudite.*

EPISTOLA PETRI APOSTOLI SECVNDA.

CAPVT I.

SIMON Petrus seruus & apostolus IESV CHRISTI, ijs, qui coæqualem nobiscũ A
sortiti sunt fidem [a] in iustitia Dei nostri & saluatoris IESV CHRISTI. Gratia vobis & pax multiplicetur in cognitione Dei, & IESV Domini nostri: [b] quomodo omnia nobis diuina virtute eius: quæ ad vitam & pietatem pertinent donata sunt per agnitionem eius, qui vocauit nos [c] per gloriam & virtutem, per quæ maxima & preciosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ, fugientes eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem. Sed & in hoc ipsum curam omnem B
subinferentes, [d] ministrate in fide vestra virtutem: in virtute autem scientiam: in scientia autem abstinentiã: in abstinentia autem patientiam: in patientia autem pietatem: in pietate autẽ amorem fraternitatis: in amore autem fraternitatis charitatẽ. Hæc enim vobis cum adsint, & superent: non otiosos, nec frustra laborantes vos constituent in Dñi nostri IESV CHRISTI cognitionem. Cui enim non præstò sunt hæc: cęcus est, & manu tentans, [e] obliuionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum. Quapropter fratres magis satagite: vt firmam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes, nõ peccabitis aliquãdo. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini & Saluatoris nostri C
IESV CHRISTI. Propter quod non omittam vos semper commonere de his: licet scientes & confirmatos vos in præsenti veritate. Iustum autem arbitror quandiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in cõmo-
Ioan. 21.f nitione: certus quòd velox est depositio tabernaculi mei, secundum quoq; & Dominus noster IESVS
1. Cor. 1.c CHRISTVS significauit mihi. [f] Dabo autem & operam semper, vt vos positis post obitum meum horum memoriam facere. [g] Non enim arte compositas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri D
IESV CHRISTI [h] virtutem & præsentiam: sed speculatores facti illius magnitudinis. Accepit enim à Deo patre honorem & gloriam, voce delapsa ad eum huiusce modi à magnifica gloria. Hic est filius meus di-
Matt. 17.a lectus, in quo mihi complacui, Et hanc vocem nos audiuimus de cœlo allatam, cum essemus cũ ipso in monte sancto. [i] Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendẽtes, quasi lucernę lucenti in loco caliginoso, donec dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes,
2. Tim. 3.d quòd omnis prophetia scripturæ propria interpretatione non fit. Nõ enim voluntate humana allata est aliquãdo prophetia sed à spiritu sancto impulsi locuti sancti Dei homines.

SCHOLIA.

[a] In iustitia Dei.] *Sensus est, ijs, qui coæqualem nobiscum sortiti sunt fidem, [illegible] à Deo nostro, & Saluatore Iesu Christo.* [b] Quomodo omnia nobis.] *Sensus est. Gratia vobis, & pax adimpleatur per agnitionem Dei, et Iesu Domini nostri: quemadmodum etiam diuina eius virtus omnia nobis, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donauit: quo tempore agnouimus Christum, cuius munere possumus etiam diuinæ naturæ participes fieri.* [c] Per gloriam & virtutem.] *Διὰ δόξης καὶ ἀρετῆς. Christus vocauit nos per gloriam & virtutem, cum vidimus gloriam eius, tanquam vnigeniti à patre, & is vitam virtutibus plenam ostendit, quam imitaremur, vnde & sperare possemus, nos eiusdem gloriæ futuros esse participes.* [d] Ministrate in fide vestra.] *Gradatio est, quæ omnem comprehendit Christiani hominis perfectionem. Omnium fundamentum est fides, quæ virtute, ac recte factis decoranda est, sine quibus est mortua, vt Iacobus ait. Sequitur scientia, hoc est, occultorum mysteriorum agnitio, quæ non cuiuis obuia fit, sed in primis purgato acquiritur animo: inter hæc necessaria est temperantia, ne in his progressibus magnitudinem donorum afficiat contumelia: necessaria & patientia, quæ ingruentes tentationes, atque afflictiones longanimiter perferat: his exercitationibus introducitur pietas, quæ pertectiorem erga Deum fiduciam parit, ex qua amor fraternitatis crescit. Postremo ad omnium bonorum summam peruenitur charitatem, quæ his studys ita perficitur, vt non contenta fraterna dilectione, ad hostes quoque porrigatur, breuiterq; omnia assequitur, quæ Paulus cum de charitate loqueretur, complexus est.* [e] Obliuionem accipiens.] *Hoc ei simile est, quòd à beato Iacobo dictum est. Siquis auditor verbi est, & non factor, hic similis est viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim seipsum, & abyt, & statim oblitus est: qualis fuerit, sic iste cum seipsum agnouisset, cum baptismo mundaretur, quòd scilicet multitudine peccatorum grauatus ante fuisset, oportereteq; intelligere, ex hac purificatione se adeptum sanctimoniam, quæ ei vigilanter seruanda esset, omnia hic sua incuria est oblitus.* [f] Dabo autem operam.] *Hoc est, ne miremini, neque grauate accipiatis meam hanc harum rerum continuam commonitionem, non enim ista repeto, quòd imperitos vos iudicem, sed volo, vt continua hac doctrina, ac recordatione, stabilem, atque immotam harum rerum perceptionem acquiratis, vt his confirmati habeatis etiam post obitum meum ista, quæ circunsonent assidue aures vestras. Quanquam sunt & apud Græcos, qui per hyperbatum legant, sic. Dabo autem operam etiam post obitum meum semper, vt vos horum mentionem facere possitis, quo affirmant, etiam post mortem sanctos viuentium esse memores.* [g] Non enim arte cõpositas fabulas.] *Non sine causa (inquit) hæc tam accurate commemoro, cum veritatem huius prædicationis hisce oculis ego perspexerim, & vere agnouerim maiestatem huius filij Dei. Nam in illa admiranda eius metamorphosi, hoc est, transformatione, ego affui, cum in morem solis eius facies rutilauit, & patris testimonium habuit, neque secutus sum illos poetarum artificiosas fabulas, quibus delectare hominum aures quærunt figmentis illis, vt cum Iouem in taurum singunt mutatum,*

aut

aut hominem aliquem in cœleste sidus. [h] Virtutem & præsentiam.] *Παρουσίαν. Per præsentiam hic intellige aduentum, multis etiam locis alibi interpres vertit παρουσίαν aduentum. Mirum quanta sit vis eius erroris, qui tamdiu hominũ mentibus inueterauerit. Cum enim librariorum vitio scriptum hoc loco passim esset, pro præsentia, præscientia, erant qui tam manifestum errorem tueri conarentur. Sed gratia Deo, cuius munere iam tenebræ explodũtur.* [i] Et habemus firmiorem propheticum sermonem.] *Non dicit, propheticum sermonem firmiorem esse visione illa, sed ait, hoc pacto se habere ac tenere (nam verbum ἔχομεν verti poterat tenemus) firmiorem propheticum sermonem, cum eorum vocibus attestãtur ipsa facta. Tenemus (inquit) his nobis perspectis propheticum sermonem confirmatiorem, nisi malis intelligere Petrum hoc dixisse ob audientes, qui si minus eius verbis fidem haberent, certe firmum tenerent propheticum sermonem.*

CAPVT II.

A FVerunt vero & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces: qui introducent sectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negantes: superducentes sibi celerem perditionem. Et multi sequentur eorum exitia, per quos via veritatis blasphemabitur: & in auaritia fictis verbis de vobis negociabuntur. Quibus iudicium iam olim non tardat: & perditio eorum non dormitat. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed [a] catenis noctis detractos in tartarum, tradidit in iudicium seruatos, & antiquo mundo non pepercit, sed [b] octauum Noe iustitiæ preconem custodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cinerem redigens,
Iob. 4.d
Gene. 7.a
B euersione damnauit, exemplum eorum, qui impie acturi sunt, ponens: & iustum Lot oppressum à nefandorum iniuria ac luxuriosa conuersatione eripuit. [c] Aspectu enim & auditu ille iustus inhabitans apud eos quotidie animam iustam ob iniqua opera cruciabat. Nouit Dominus pios de tentatione eripere, iniquos vero in diem iudicij reseruare puniendos: maxime autem eos, qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant, [d] dominationemque contemnunt, audaces, impudentes: gloria præditos non metuũt blasphemare: [e] vbi Angeli, fortitudine, & virtute cum sint maiores, non portant aduersum se apud Dominum execrabile iudicium. Hi vero velut irrationabilia pecora nata in captionem, & in perniciem, in
C his, quæ ignorant, blasphemantes in pernicie sua peribunt, percipientes mercedem iniustitiæ. Voluptatem existimantes, diei delitias, coinquinationes & maculæ: delitijs affluentes, in deceptionibus suis conuiuantes vobiscum, oculos habentes plenos adulteræ, & qui non cessant à peccato, pellicientes animos instabiles, cor exercitatum auaritia habentes, maledictionis filij: derelinquentes rectam viam errauerunt, secuti viam Balaam filij Bosor, [f] qui mercedem iniquitatis amauit: correptionem vero habuit suæ iniquitatis.
Num. 22.d
Iudæ. 1.d
subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam. Hi sunt fontes sine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ: quibus caligo tenebrarum in æuum seruata est. Superba enim
D vanitatis loquentes, [g] pelliciunt in desiderijs carnis lasciuijs, eos qui vere aufugerant, qui in errore conuersantur: libertatem illis promittentes, cum ipsi serui sint corruptionis. A quo enim quis superatus est: huius & seruus est. Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri & Saluatoris IESV CHRISTI: his rursus implicati superantur: factæ sunt eis posteriora, deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognouisse viam iustitiæ, quàm post agnitionem, retrorsum conuerti ab eo quod illis traditum est sancto mandato. Sed contigit ei illud veri prouerbij, Canis reuersus ad suum vomitum:
Ioan. 8.d
Rom. 6.c
Hebre. 6.a
Matt. 12.d
[h] &, Sus lota, ad volutabrum luti.

SCHOLIA.

[a] Catenis noctis.] *Per catenas noctis intelligit ineuitabile & ineluctabile illis iudicium esse subeundum, dictum est ergo per similitudinem, cum nos his modis vtamur ad cohibendos scelestos homines, qui condemnati sunt, aut condemnandi. Est autem in hoc contextu ἀναπόδοτον, sed cõple sic. Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, et antiquo mundo, &c. Multo minus his parcet. Confunditur etiam hic comparatio impiorum ac iustorum, non enim artem dicendi curabant apostoli.* [b] Octauum Noe.] *Nouæ locutio, cum intelligat octo animas seruatas, inter quas esset Noe, qui cum septem secum haberet, ipse erat octauus.* [c] Aspectu enim & auditu.] *Multa habebat (inquit) quæ illum ad dissolutam vitam inuita rent, oculos, aures, quibus sceleratorum mores semper obuersabantur. Sed cum in græco dictio illa, iustus, scripta sit cum articulo, ὁ Δίκαιος, mihi videtur hic ordo esse, debere. Ille iustus, cum oculis & auribus, hoc est, spectando & audiendo inhabitaret, ac versaretur inter eos quotidie animam iustam iniquis illorum factis excruciabat.* [d] Dominationemq; contemnunt.] *Quicunque scilicet dignitate aliqua, ac gloria præeminent.* [e] Vbi angeli.] *Hic locus apertius in epistola Iudæ tractatur, vbi dicitur. Cum autem Michael archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Mosis corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit increpet te Dominus. Tale quid igitur & Petrus hic vult dicere, quòd scilicet hi perditi homines nulli gradui parcunt, neque cogitant, quòd angeli, qui videlicet longe maiore potentia præditi sunt, non proferũt mutuo aduersus sese verba execrationis apud Dominum, in cuius conspectu fiunt omnia, cuius rei testis est Michael archangelus. Quoniam enim & Diabolus gloria quadam præditus est, cum sit initium creaturæ Dei, non protulit aduersus illum Michael verba blasphema. Et argumentatio erit in hunc modum. Si enim Diabolus magis quouis alio dignus est omni execratione, & tamen, quia aliqua gloria est præditus, huic pepercit Michael coram Domino: quam sceleratihi sunt, qui nemini, qui gloria præcellat, parcunt, sed sine vllo pudore omnibus incessunt eos blasphemijs? Illud, execrabile iudicium, quidam sic interpretatur, dignum blasphemia illorum iudicium. Sed fortasse melius est, vt sic intelligatur. Angelos, qui natura fortiores sunt ad perferendos tartareos cruciatus, tamen metu diuinæ in eos sententiæ vereri quicquam perferre blasphemum in Deũ, hos vero tamen perdite in Deum peccare.* [f] Qui mercedem amauit iniquitatis.] *Ex hoc loco colligitur, quòd etsi Balaam dicebat, se nihil dicturum, nisi quod Dominus iussisset, animum tamen habebat ad munera, neque recta mente proficiscebatur.* [g] Pelliciunt.] *Allicunt, & inescant lasciuys, & voluptatibus per concupiscentias carnis, eos, qui aufugerant.* [h] Et, Sus lota, ad volutabrum luti.] *Intellige, postea reuersa, nempe ad volutabrum luti: quid vero ei prodest, lotam esse, si rursus cœno peruolutetur?*

CAPVT III.

1. Tim. 4.a
2. Tim. 3.a
Iudæ 1.f
Ezec. 12.f

HAnc iam vobis chariſsimi ſecundam ſcribo epiſtolam,in quibus veſtram excito in commonitione, A ſynceram mentem:vt memores ſitis verborum, quæ prædicta ſunt à ſanctis prophetis, & præcepti noſtri,qui ſumus Apoſtoli Domini & Saluatoris:hoc primũ ſcientes, quòd venient in nouiſsimis diebus illuſores iuxta proprias cõcupiſcentias ambulantes & dicentes: [a] Vbi eſt promiſsio aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt,omnia ſic perſeuerãt ab initio creaturæ. [b] Latet enim eos hoc volentes, ℘ cœli erant prius, & terra, de aqua & per aquam conſiſtentes Dei verbo: [c] per quæ ille,qui tunc erat mundus, B aqua inundatus perijt. Cœli autem,qui nunc ſunt & terra eiuſdem verbo repoſiti ſunt, igni reſeruati in diẽ iudicij & perditionis impiorum hominum. Vnũ vero hoc non lateat vos chariſsimi, quòd [d] vnus dies apud Dominum ſicut mille anni:& mille anni,ſicut dies vnus. Non tardat Dominus,qui promiſit, ſicut quidam

1. Theſ. 5.a
Apoc. 3.a
& 16 c

tarditatem exiſtimant:ſed patienter agit erga nos,nolens vllos perire,ſed omnes ad pœnitẽtiam reuerti. Ad- ueniet autem dies Domini,vt fur in nocte:in quo cœli, magno ſonitu tranſibunt, elementa vero æſtuantia C ſoluentur: terra autem,& quæ in ipſa ſunt opera,exurentur. Cum igitur hæc omnia diſſoluenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis conuerſationibus & pietatibus,expectantes & properantes in aduentum diei Dei, per quem cœli ardentes ſoluentur,& elementa ignis ardore liquefcent? Nouos vero cœlos & nouam terram

Apoc. 21.a
Eſa. 65.c
& 66.g
Roma.2.a

iuxta promiſſum ipſius expectamus,in quibus iuſtitia habitat. Propter quod chariſsimi,hæc expectantes,ſa- tagite,immaculati & irreprehenſibiles ei inueniri in pace:& Domini noſtri longanimitatem,ſalutem arbi- D tramini,ſicut & chariſsimus frater noſter Paulus [e] ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis:ſicut & in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his:in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles [f] detorquent,ſicut & cæteras ſcripturas,ad ſuam ipſorum perditionem. Vos igitur fratres, præſcientes cauete,ne nefariorum errore abducti,excidatis à propria firmitate: creſcite vero in gratia & in cognitione Do mini noſtri Saluatoris IESV CHRISTI. Ipſi gloria & nunc & in diem æternitatis. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Vbi eſt promiſsio aduentus eius?] *Ii,qui ſuis vitioſis appetitionibus amabant indulgere, cernentes quoſdam metuere aduentum Domini,quem non ſolum multi diuini viri, ſed Dominus ipſe pollicitus eſt, & iccirco contemnere aliorum diſſoluit.am vitam, cum differretur iſte aduentus, inſultabant fidelibus, & illudebant dicentes,Vbi eſt iſta promiſſio? &c.*
[b] Latet enim eos hoc volentes.] *Hoc eſt,ſponte,ac volentes hoc ignorant,& occludunt oculos,ne veritatem agnoſcant. Quid autem eos latet? quòd ſcilicet, quemadmodum in diluuio erant cœli ex aqua(ipſe enim Moſes dixit,Deum præcepiſſe, vt fieret firmamentum in medio aquæ,hoc eſt,ſolidior aquarum ſubſtantia,)& terra ſimiliter ex aquis apparuit, atque prominuit,iuſſu creatoris,& cum tanquam ex aquis conſiſteret cœlum ac terra,diluuium improuiſos inuaſit ſimiliter & nunc per ignem decretum eſt vniuerſi corruptionem fieri,cum quo & impy peribunt. Cum enim duo ſint maximæ efficaciæ elementa,quæ in primis contineant vniuerſum,aqua videlicet,atque ignis, à quibus duo reliqua elementa accipiunt eſſe, aër quidem euaporantibus aquis,terra vero eiſdem coagmentatis, vtraque autem re,euaporatione ſcilicet,ac coagmentatione ex igne proficiſcente (hanc enim vim à creatore Deo ignis natura ſortita eſt)Cum igitur duo hæc ſint,& prior quidem impiorum perditio per aquam facta ſit,neceſſe eſt(inquit)vt rurſum idem eorum interitus fiat per ignem. Futuram autem hanc vniuerſi correptionem,non ſolum Chriſtianis,verum etiam Græcorum ſapientibus viſum eſt,vt Heraclito Epheſio, et Empedocli Aetnæo. Hoc autem non erit prorſus mundi interitus, ſed innouatio,vnde & propheta ait, & renouabis faciem terræ. Quod autem ait,terra ex aqua, & per aquam:ex aqua quidem,vt materiali cauſa, per aquam vero, vt perfectiua, Aqua enim terram, vt gluten quoddam comprimit:quæ aqua niſi adeſſet,neceſſe eſſet,terram in puluerem diſſolui, atque aëreſcere,hoc eſt,in aërem conuerti. Similiter & aerem,quem cœli nomine vocat, volunt vaporibus aquæ nutriri, & contineri, ne ignis fiat.* [c] Per quæ.] *Videlicet per cœlum & terram,hac quidem inundante,cœlis vero cataractas ſuos aperientibus,hoc eſt,tanquam ex cataractis emittentibus aquam,mundus,qui tunc erat,aqua inundatus peryt. Peryt autem non quantum ad omnia,ſed ratione animantium,& eorum,quæ terra progerminat,quod creditur & in fine faciendum eſſe per ignem.* [d] Vnus dies apud Dominum.] *Tam breue quam longum ſpacium, inquit, idem eſt:nihil enim vtraque ſunt apud Dominum, hoc eſt, apud incomprehenſum illud pelagus eſſentiæ, atque æternitatis, iccirco quamus differre quibuſdam videatur, & tardare, nihil tardat.* [e] Secundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit.] *Vbi ſcripſit? cum ait, An diuitias bonitatis eius,tolerantiæ,& longanimitatis contemnis? ignorans quòd benignitas Dei te ad pœnitentiam adducit?* [f] Detorquent.] *Vt,cum dixit, vbi abundauit peccatum,ſuperabundauit gratia,ipſi in prauum ſenſum detorquentes,aiebant,Paulum velle, vt plura peccarent,quo eis plura condonarentur. Et vbi de iuſtificatione ex fide loquitur,nonnulli(vt ait Auguſtinus)accepere occaſionem,vt tanquam ſecuri de ſalute, quæ in fide eſt, bene viuere non curarent.*

EPISTOLA BEATI IOANNIS APOSTOLI PRIMA.

CAPVT I.

A
B
C

[a] Vòd fuit ab initio, [b] quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris,quod perſpeximus,& manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ,& vita manifeſtata eſt:& vidimus & teſtamur,& annutiamus vobis vitam æternam,quę erat apud patrem,& apparuit nobis.Quod vidimus & audiuimus,annuntiamus vobis,vt & vos ſocietatem habeatis nobiſcum,& ſocietas noſtra ſit cum patre & cum filio eius IESV CHRISTO. Et hæc Ioan. 8.b
ſcribimus vobis,vt gaudium veſtrum ſit plenum.Et hæc eſt annuntiatio quam audiuimus ab eo,& annuntiamus vobis. Quod Deus lux eſt,& tenebræ in eo non ſunt vllæ.
[c] Si dixerimus ℘ ſocietatem habemus cum eo,& in tenebris ambulamus, mentimur & veritatem non faci- Hebr. 9.d
mus.Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce:ſocietatem habemus adinuicẽ, & ſanguis IESV 1.petr. 1.d
D CHRISTI filij eius emundat nos ab omni peccato. [d] Si dixerimus ℘ peccatum non habemus: ipſi nos Apoc. 1.b
ſeducimus,& veritas in nobis nõ eſt.Si confiteamur peccata noſtra:fidelis eſt &iuſtus,vt remittat nobis pec- 3. Reg. 8.c
cata noſtra & emundet nos ab omni iniquitate.Si dixerimus,℘ non peccauimus,[e] mendacem facimus eum, 2. par. 6.g
& verbum eius non eſt in nobis. proue.20.B
Eccẽs.7.c

SCHOLIA.

[a] Quod fuit.] *Vel, quod erat ὃ ἦν ſicut & in Euangelij ſui principio ait. In principio erat verbum, quam & vitam appellauit,ſicut hic.* [b] Quod audiuimus.] *Olim per legem & prophetas audiuimus,nunc vidimus gloriam eius, gloriam velut vnigeniti à patre, & manus noſtræ contrectauerunt:nam verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis.*
[c] Si dixerimus,quòd ſocietatem habemus.] *Cum Deus lux ſit,ſi nos in tenebris errorum ambulauerimus, & dixerimus,nos ſocietatem habere cum eo,mentimur.* [d] Si dixerimus, quòd peccatum non habemus.] *Iccirco docet nos Dominus,vt,cum oramus,petamus ſemper,vt remittantur nobis peccata noſtra, per quod ſignificatur, nos obnoxios ſemper eſſe peccatis. Hæc autem videtur ſubiunxiſſe,propter verba,quæ præceſſerant, hoc eſt, ſanguis ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato. Obnoxij(inquit)ſumus peccato,niſi ſanguis eius nos emundet. Quanquam hæc dicta videntur de ſuperiore vita,in qua verſati erant.* [e] Mendacem facimus eum.] *Qui ſcilicet per ſcripturas ſuas oſtendit, omnes obnoxios eſſe peccato.*

CAPVT II.

A FIlioli mei,hæc ſcribo vobis,vt non peccetis. Sed & ſiquis peccauerrt, aduocatum habemus apud patrem IESVM CHRISTVM iuſtum,& ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nõ pro nobis autem tantum,ſed etiam pro totius mundi. [a] Et in hoc ſcimus,℘ cognouimus eum,ſi mãdata eius obſeruamus.Qui dicit ſe noſſe Deum,& mandata eius non cuſtodit:mendax eſt,& in eo veritas non eſt.Qui autem ſeruat verbum eius,vere in hoc charitas Dei perfecta eſt:in hoc ſcimus,℘ in ipſo ſumus. Qui dicit ſe in ipſo manere: debet ſicut ille ambulauit,& ipſe ambulare. Chariſsimi, [b] non mandatum nouum ſcribo vobis,ſed mandatum vetus,quod habuiſtis ab initio.Mandatum vetus eſt verbum,quod audiſtis ab initio.Iterũ Ioan. 13.d
mandatum nouum ſcribo vobis:quod verum eſt in ipſo,idem verum eſt & in vobis:quia tenebræ tranſeũt, & 15. b
B & verum lumen iam lucet.Qui dicit ſe in luce eſſe,& fratrem ſuum odit:in tenebris eſt vſq; adhuc. Qui dili- Ioan. 12.b
git fratrem ſuum,in lumine manet,& ſcandalum in eo non eſt. Qui autem odit fratrem ſuũ : in tenebris eſt, Infra 3.c
& in tenebris ambulat,& neſcit quò eat,quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Scribo vobis filioli,quòd remittuntur vobis peccata propter nomen eius.Scribo vobis patres, quoniam cognouiſtis eũ, qui ab initio eſt.Scribo vobis adoleſcẽtes,quoniam viciſtis malignum.Scribo vobis filioli,quoniam cognouiſtis patrem.
Scripſi vobis patres,quoniam cognouiſtis eum,qui eſt ab initio.Scribo vobis iuuenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum. Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo ſunt.
Siquis diligit mundum: non eſt charitas patris in eo: quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia
C cupiſcentia carnis,& concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ:non eſt ex patre,ſed ex mundo eſt. Et mũdus tranſit,& concupiſcentia eius. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Filioli [d] nouiſsima hora eſt:& ſicut audiſtis,℘ antichriſtus venit,& nunc antichriſti multi facti ſunt:vnde ſcimus ℘ nouiſsima hora eſt.Ex nobis prodierunt:ſed non erant ex nobis:nam ſi fuiſſent ex nobis: permanſiſſent vtique nobiſcum:ſed [e] vt manifeſti ſint,quòd non ſunt omnes ex nobis.Sed vos vnctionem habetis à ſancto, & noſtis omnia.Non ſcripſi vobis,quaſi ignorantibus veritatem,ſed quaſi ſcientibus eam: [f] & ℘ omne mendacium ex veritate non eſt.Quis eſt mendax,niſi is,qui negat ℘ IESVS eſt CHRISTVS? Hic eſt antichriſtus, qui negat patrem & filium:omnis,qui negat filium, [g] nec patrem habet.Vos ergo ℘ audiſtis ab initio,in vo
D bis permaneat,quia ſi in vobis permãſerit,quod audiſtis ab initio:& vos in filio & patre manebitis. [h] Et hęc eſt repromiſsio,quam ipſe pollicitus eſt nobis,vitam æternam.Hæc ſcripſi vobis de his,qui ſeducunt vos. Et vnctio,quam accepiſtis ab eo,manet in vobis.Et non neceſſe habetis,vt aliquis doceat vos: [i] ſed ſicut vnctio ipſa docet vos de omnibus,& verax eſt,& non eſt mẽdacium.Et ſicut docuit vos,manete in ea. Et nũc filioli manete in eo:vt cum apparuerit,habeamus fiduciam,& non confundamur ab eo in aduentu eius. Si ſcitis ℘ iuſtus eſt:ſcitote ℘ omnis,qui facit iuſtitiam,ex ipſo natus eſt.

SCHOLIA.

[a] Et in hoc scimus.] *Superius dixerat,eos,qui credidissent in Dominum,societatem habere cum eo:nunc signum dat, quo nosse idipsum quis posit,videlicet,se nosse eum,hoc est,societatem habere cum eo,si mandata eius seruet.* [b] Non mandatum nouum.] *Non nouum,quia & sub Mose mandatum est:nouum autem, quòd perfectio nunc venit.Vbi enim vsqua antea dictum est, Diligite inimicos vestros,Benepreceminì deuouētibus vos,Orate pro ijs,qui vos persequuntur,& Percussus in maxilla,porrige aliam,& talia? Hoc ergo mandatum nouum est,quod & veritatem habet in ipso Deo, qui nos sibi domesticos fecit,ideo dignum quod recipiatur & in vobis,qui eius participes facti estis,& experimini hanc veritatem.Quoniam ergo ille dixit,ego lux veni in mundum, & lux vera iam apparet:in luce autem natura non fert tenebras habitare, luceat deinceps lux charitatis vera in affectu minime simulato erga fratres, & odij tenebræ facessant.* [c] Concupiscentia carnis.] *Tria commemorat,quæ reliqua omnia vitia facile complectuntur,videlicet,lasciuiam carnis,auaritiam, quæ significatur per concupiscentiam oculorum. Et honorum ac gloriæ appetitionem, quam appellauit superbiam vitæ.* [d] Nouissima hora est.] *Tempora quidem aduentus seruatoris,nouissima appellantur,& plenitudo temporis,sed nouissimam hic horam appellat ex eo,quòd cum antichristus in postremo tempore expectetur,nunc,inquit,antichristi multi sunt.* [e] Sed, vt manifesti sint.] *Non poterat,inquit,aliter agnosci,eos ex nostris non fuisse,nisi exissent.* [f] Et quòd omne mendaciũ.] *Scripsi vobis,qui nostis,mendacium non esse ex veritate,hoc est,hos antichristos aduersarios esse veritatis.* [g] Nec patrem habet.] *Nimirum,quando pater ex eo dicitur,quòd filium habeat,iccirco qui negat filium, tollit & nomen patris.* [h] Et hæc est repromissio.] *Nam Dominus de se & patre loquens dixit,ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. At verò hoc ipsum est vita æterna,vt,(quemadmodum alibi dixit)agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum.* [i] Sed sicut vnctio.] *Ordo est verborum,sic manete in ea vnctione, sicut ipsa vnctio spiritus docet vos de omnibus,& est verax,& non est mendacium,& sicut docuit vos.*

CAPVT III.

VIdete qualem charitatem dedit nobis pater, [a] vt filij Dei nominemur.Propter hoc,mundus non no A
uit vos:quia [b] non nouit eum. Charissimi,nunc filij Dei sumus:& nondum apparuit quid erimus.
Scimus autem,ꝙ cum apparuerit,similes ei erimus:quoniam [c] videbimus eum sicuti est. Et omnis,
Esa. 53.c qui habet hanc spem in eo:purificat se,sicut & ille purus est. [d] Omnis qui facit peccatum , & iniquitatem fa-
1.petr.2.d eit:& peccatum est iniquitas. [e] Et scitis,ꝙ ille apparuit,vt peccata nostra tolleret : & peccatum in eo non est.
Ioan.8.f [f] Omnis qui in eo manet,non peccat:& omnis qui peccat,non vidit eum,nec cognouit eum. Filioli,nemo
vos seducat.Qui facit iustitiam,iustus est,sicut & ille iustus est.Qui facit peccatum, [g] ex diabolo est : quoniã B
ab initio diabolus peccat.In hoc apparuit filius Dei [h] vt dissoluat opera diaboli.Omnis qui natus est ex Deo,
[i] peccatum non facit:quoniam semen ipsius in eo manet:& non potest peccare , quoniam ex Deo natus est.
Ioan. 13.d In hoc manifesti sunt filij Dei,& filij diaboli.Omnis qui non facit iustitiã,non est ex Deo, & qui non diligit
&15.b fratrem suum:quoniam hæc est annuntiatio,quam audistis ab initio:Vt diligatis inuicem . Non sicut Cain,
Gen.4.b qui ex maligno erat:& occidit fratrem suum.Et propter quid occidit eum ? Quoniam opera eius mala erãt:
fratris autem eius,iusta.Nolite mirari fratres,si odit vos mundus. [k] Nos scimus ꝙ trãslati sumus de morte ad C
Sup. 2.b vitam,quoniam diligimus fratres.Qui non diligit,manet in morte:omnis qui odit fratrem suum: homicida
Leui.19.d est.Et scitis ꝙ omnis homicida nõ habet vitam ęternam in se manentem.In hoc cognouimus charitatem:ꝙ
ille animam suam pro nobis posuit:& nos debemus pro fratribus animas ponere. [l] Qui habuerit substan-
Ioan.15.b tiam huius mundi,& viderit fratrem suum necessitatem habere,& clauserit viscera sua ab eo:quomodo cha-
Iacob.2.c ritas Dei manet in eo?Filioli mei,non diligamus verbo,neq; lingua,sed opere & veritate. [m] In hoc cognosci
mus,quòd ex veritate sumus:& in conspectu eius suadebimus cordibus nostris. Quoniam [n] si reprehenderit D
nos cor nostrum:maior est Deus corde nostro,& nouit omnia.Charissimi,si cor nostrum non reprehende-
rit nos:fiduciam habemus ad Deum:& quicquid petierimus,accipiemus ab eo:quoniam mandata eius custo
dimus , & ea , quæ sunt placita coràm eo,facimus. Et hoc est mandatum eius : Vt credamus in nomine filij
Ioan.15.a eius IESV CHRISTI: & diligamus inuicem,sicut dedit mandatum.Et qui seruat mandata eius : in illo
manet,& ipse in eo:& in hoc scimus,ꝙ manet in nobis,ex spiritu quem dedit nobis.

SCHOLIA.

[a] Vt filij Dei nominemur.] *In latinis codicibus additum erat,et simus:* [redacted] *Quia ergo idem est nominari & esse,propterea adiecit,charissimi nunc filij Dei sumus.* [b] Quia non nouit eum.] *Qui enim fieri potest,vt filij Dei agnoscantur à mundo,qui ipsum Deũ non nouit?* [c] Videbimus eum sicuti est.] *Non secundum ipsam naturam,nam id creatæ naturæ est impossibile:vt omittam,quòd,cum videre & intelligere sit comprehensionis species,is,qui Deum intelligentia complecteretur, maior esset Deo, sed videbimus iustum iusti,purum puri,gloriosum gloriosi,denique tanquam filij,ideo dixit,similes ei erimus,vel,videbimus eum sicuti est,præ eo,quod nunc videmus.* [d] Omnis qui facit peccatum.] *Huius loci hic mihi sensus videtur.Vos,qui iam adoptati estis in filios,exercete opera iustitiæ,neque aberretis à proposito scopo,alioqui cõtinuo in iniustitiam deciditis:nam* ἁμαρτάνειν,*hoc est peccare,est à præfixo signo boni aberrare,quod qui facit,in* ἀνομίαν *decidit,hoc est,legis transgressionem nam nihil est aliud transgressio legis,quam aberrare ab illo scopo iustitiæ,& hoc est,quod ait,* καὶ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. *hoc est,& peccatum est iniquitas.* [e] Et scitis.] *Quàm absurdum(inquit)est peccare,cum ille,qui nunquam peccauit, apparuerit,vt peccata nostra tolleret.* [f] Omnis qui in eo manet,non peccat.] *Videtur hoc aduersari illis verbis, quæ superius dicta sunt,si quis peccauerit,aduocatum habemus,&c. Si tamen quis diligentius cogitet, non sunt hæc inter se contraria,nam superius cum ait,si quis peccauerit,intelligitur,si quis humano aliquo lapsu,non studiose, & data opera deliquerit,hic autem de ijs loquitur,qui proposito malo,& amore vitiorum peccant:plurimi autm refert,quo quis animo peccet, Qui ergo ei vere adhæsit , & toto animo : atque omni mente hausit huius philosophiæ veritatem,fieri non potest,vt is voluntario*

feratur

feratur in vitia,quæ amplius, quã mortem oderit,quod qui non præstat,is non potest verè dici,Deum agnouisse. [g] Ex Diabolo est.] *Iuxta illud,vos ex patre diabolo estis,non natura,sed imitatione,tanquam ab illo adoptati in filios , vt tanquam filij patrem imitentur,qui ab initio defixa in malum voluntate peccat.* [h] Vt dissoluat opera Diaboli.] *Quod erat ipsum corpus peccati,per quod omnes eramus obnoxij morti animæ,& imperio inferni,ac carnis concupiscentijs.* [i] Peccatum non facit.] *Eodem modo,quo superius dictum est,& hoc intellige,vt,qui natus sit ex Deo,hoc est,qui vero virtutis studio, atque amore veritatis , in quam bene se penitus dederit , iam euaserit filius Dei, nunquam inclinet animi sui propositum ad peccatum,nulloq; erga illud affectu teneatur,quin potius hostiliter insectetur:cuius enim illa veritatis semina bene animo inhæserint , nullus metus est , ne is ad vitia posthac inflectatur , & voluntate propensa ad malum peccet .* [k] Nos scimus quòd translati sumus.] *Nihil mirum est(inquit)si mundus vos odit , nescit enim bona vestra:at nos bono animo simus, qui nouimus,nos ob charitatem,qua diligimus fratres,de morte translatos esse ad vitam:at illi in morte sunt.qui vos oderũt.* [l] Qui habuerit substantiam.] *Si pro fratribus(inquit)ponenda est anima,videant ij,qui facultates,quæ vita longe inferiores sunt,non impertiuntur indigentibus,quo pacto ostendere possint, habere se charitatem.* [m] In hoc cognoscimus, quòd ex veritate sumus.] *In quo?in eo,quòd diligimus,non verbo,sed opere & veritate,& in conspectu(inquit)eius suadebimus cordibus nostris:hoc est,conscij nobis erimus,nos in conspectu Dei iuste esse versatos,quod omnium solatium est maximum.* [n] Si reprehenderit nos cor nostrum.] *Nemo tam insipiens sit,vt coram Deo teste mentiatur,alioqui,si, dicentibus nobis,quòd diligamus,cor nostrum,hoc est,conscientia nostra reprehenderit nos,quòd simus mentiti,qui fieri potest , vt hoc lateat Deum,qui longe maior est conscientia nostra,cum hoc latere non potuerit conscientiam nostram?*

CAPVT IIII.

A CHarissimi,nolite omni spiritui credere sed probate spiritus , si ex Deo sint : quoniam multi pseudo
prophetæ exierũt in mundum.In hoc cognoscite spiritũ Dei:omnis spiritus,qui cõfitetur IESVM
CHRISTVM in carne venisse,ex Deo est:& omnis spiritus,qui nõ confitetur IESVM CHRI-
STVM in carne venisse,ex Deo nõ est,& hic est ille antichristi,de quo audistis,ꝙ venit,& nũc iam in mũdo
est.Vos ex Deo estis filioli,& vicistis eos:quoniam maior est qui in vobis est , q̃ qui in mundo. Ipsi è mundo Ioan. 8.f
B sunt:ideo è mundo loquuntur,& mundus eos audit.Nos ex Deo sumus.Qui nouit Deũ,audit nos, [a] qui non
est ex Deo nõ audit nos.Ex hoc cognoscimus spiritũ veritatis & spiritũ erroris. [b] Charissimi,diligamus nos
inuicẽ:quia charitas ex Deo est.Et omnis qui diligit,ex Deo natus est,& cognoscit Deũ: [c] Qui nõ diligit, nõ
nouit Deũ:quoniã Deus charitas est.In hoc apparuit charitas Dei,ꝙ filiũ suũ vnigenitũ misit Deus in mun-
dũ,vt viuamus per eũ.In hoc est charitas:nõ quasi nos dilexerimus Deũ,sed ꝙ ipse dilexit nos,& misit filium Ioan.3.b
C suũ ꝓpitiationẽ ꝓ peccatis nostris.Charissimi,si sic Deus dilexit nos,et nos debemus inuicẽ diligere. [d] Deũ
nemo vidit vnquã.Si diligamus inuicẽ:Deus in nobis manet,& charitas eius in nobis perfecta est.Ex hoc co Ioan.1.b
gnoscimus,ꝙ in eo manemus,& ipse in nobis:quoniã de spiritu suo dedit nobis. Et nos vidimus & testifica- 1.Tim.6.c
mur,ꝙ pater misit filium suũ saluatorem mundi.Quisquis confessus fuerit,ꝙ IESVS est filius Dei : Deus
in eo manet,& ipse in Deo.Et nos cognouimus,& credidimus charitatem,quam habet Deus in nobis. Deus
D charitas est:& qui manet in charitate:in Deo manet,& Deus in eo. [e] In hoc perfecta est charitas nobiscũ,vt
fiduciam habeamus in die iudicij:ꝙ sicut ille est,& nos sumus in hoc mundo.Timor nõ est in charitate : sed
perfecta charitas,foras mittit timorem, quoniam [f] timor pœnam habet:qui autem timet:non est perfectus
in charitate. [g] Nos diligimus Deum:quoniam ipse prior dilexit nos.Siquis dixerit,diligo Deum : & fratrem
suum oderit,mendax est.Qui enim non diligit fratrem suum,quem vidit:Deum quem non vidit,quomodo
potest diligere?Et hoc mandatum habemus ab eo:vt qui diligit Deum,diligat & fratrem suum.

SCHOLIA.

[a] Qui non est ex Deo.] *Cum dixerit,qui nouit Deum audit vos,& addat,qui non est ex Deo non audit vos, videtur pro eodem ponere,nosse Deum & esse ex Deo.* [b] Charissimi diligamus nos inuicem.] *Cum monuisset eos , ne sub fraternitatis specie deciperentur à pseudoprophetis,repetit sermonem de charitate.* [c] Qui non diligit,non nouit Deũ.] *Et causam reddit,quoniam Deus(inquit)charitas est,quasi dicat,qui non diligit , ignorat quid sit charitas, & cum Deus sit charitas,sequitur necessario,vt etiam ignoret Deum.* [d] Deum nemo vidit vnquam.] *Non possumus,inquit,cernendo scire,Deum nos habere in nobis,cum sit inuisibilis,sed amando id agnoscimus,cum pura in nobis est erga fratres synceraq; dilectio,atque efficax:sicut nec animum nostrum cernimus,tamen ex eius motibus,actionibusq; illum intelligimus : sic efficacia illa ingens charitatis declarat,Deum in nobis esse,sine cuius spiritu hæc agi minime possent. Quod vero ait , & charitas eius in nobis perfecta est,dicit,tunc charitatem habere suos numeros , cum dilectio proximi coniuncta est cum dilectione Dei. Signum autem inhabitantis in nobis Dei est spiritus quem dedit nobis,per quem agnouimus,patrem misisse filium suum seruatorem mundi.In hunc enim sensum videtur dixisse,ex hoc cognouimus,& cætera,quæ sequuntur.* [e] In hoc perfecta est charitas nobiscum.] *In hoc perfecit Deus charitatem nobiscum , vt fiduciam habeamus in die iudicij , quòd effecit, vt sicut ille est,nos simus in hoc mundo,vt scilicet imitemur eum pure,ac sancte,dum mundo morimur , & mortificationem Domini Iesu vbique in nostro corpore circunferimus,quo fit,vt ita viuentes,fiduciam habeamus erga eum,& omnino liberi metu simus,quando timor,nempe ille seruilis,non habitat cum hac vera ac perfecta charitate. Sunt qui illa verba , sicut ille est,& nos sumus in mundo per,* ἀντιχρονίαν *referant ad Christum,& dicant,sicut ille erat in mundo immaculatus & purus,sic & nos erimus,vel potius,sumus.* [f] Timor pœnam habet.] *Qui non germane Deum amat,metu pœnarum bene facit,non amore virtutis.* [g] Nos diligimus Deum.] *Non est ergo diligendus Deus,inquit, ex timore,sed ex charitate,dum cogitamus,quòd ipse prior dilexit nos:& quod sequitur.Siquis dixerit, &c.Sic coniunge. Vide(inquit)ne fallaris, & dicas,te Deum diligere,quamuis fratrem oderis , nam hoc manifestum est mendacium , cum enim consuetudo conciliare amicitiam soleat,si tuæ consortem naturæ,cum quo versaris,sine cuius consuetudine vitam degeres iniucundam , non amas, Deum,quem nunquam vidisti,quomodo potes diligere?præsertim cum ipsius præceptum sit,vt non solum Deum , verum & proximum etiam amemus,cuius præceptum nisi serues,qui dicere potes,te illum diligere?*

BIBLIOTECA UNIV... GRANADA

CAPVT V.

A [a] Omnis qui credit, ꝙ IESVS est CHRISTVS, ex Deo natus est. Et omnis qui diligit eũ, qui genuit: diligit & eũ, qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus, ꝙ diligimus natos Dei cũ Deũ diligimus & mandata eius facimus. Hæc est.n. charitas Dei: vt mãdata eius custodiamus, [b] & mãdata eius gra-
Matt. 11.d uia nõ sunt. Quoniam omne quod natũ est ex Deo: vincit mundũ: & hæc est victoria, quæ vicit mundũ, fides
1.Cor. 15.g nostra. Quis est qui vincit mundum, nisi qui credit, ꝙ IESVS est filius Dei? [c] hic est, qui venit per aquam
B & sanguinem IESVS CHRISTVS: non in aqua solũ: sed in aqua & sanguine. Et spiritus est, qui testificatur, quoniã spiritus est veritas. Quoniã tres sunt qui testimoniũ dant in cœlo: pater, verbũ, & spiritus sanctus: & hi tres, vnũ sunt. Et tres sunt, qui testimoniũ dãt in terra: spiritus, aqua, & sanguis: & hi tres, vnũ sunt.
Ioan.3.d Si testimoniũ hominũ accipimus: testimoniũ Dei maius est: quoniã hoc est testimonium Dei: quo testificatus est de filio suo. Qui credit in filiũ Dei: habet testimonium in se. Qui non credit Deo: mendacem facit eũ:
C quia nõ credit in testimoniũ, quod testificatus est Deus de filio suo. Et hoc est testimoniũ, ꝙ vitam ęternã dedit nobis Deus: & hæc vita, in filio eius est. Qui habet filiũ Dei: habet vitam: qui non habet filiũ Dei: vitã non habet. Hæc scripsi vobis, qui creditis in nomine filij Dei, vt sciatis, ꝙ vitã habetis ęternã, qui creditis in noĩe filij Dei. Et hæc est fiducia, quam habemus ad eũ, Quòd [d] quicquid petierimus secundũ voluntatem eius, audit nos. Et si scimus, ꝙ audit nos, quicquid petierimus, scimus ꝙ habemus petitiones, quas postulauimus ab
D eo. [e] Siquis viderit fratrẽ suũ peccare peccatũ nõ ad mortẽ, petet: & dabit ei vitã, peccantibus non ad mortẽ [f] Est peccatũ ad mortẽ: non pro illo dico, vt roges. Omnis iniquitas, peccatũ est, & est peccatũ non ad mortẽ. Scimus ꝙ omnis qui natus est ex Deo nõ peccat: sed qui genitus est ex Deo, [g] seruat seipsum, & malignus nõ tangit eum. Scimus ꝙ ex Deo sumus: & mundus totus in maligno positus est. Et scimus ꝙ filius Dei venit: & dedit nobis sensum, vt cognoscamus illum, qui verus est: & simus in vero, in filio eius IESV CHRISTO. Hic est verus Deus, & vita æterna. Filioli: custodite vos à simulachris. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Omnis qui credit.] *Munit hæc diligendi documẽta etiam alia ratione, vt non solum amemus proximos ex eo, quod fratres sunt, verum etiam ex eo, quòd filij Dei.* [redacted] *necesse est, vt qui genitorem diligit, etiam eos diligat, qui ex eo geniti sunt, alioqui ne genitorem quidem diligere credetur, cum non seruet præceptum eius, quo iubet, vt fratres nostros, hoc est, natos Dei amemus: nam hæc est charitas Dei, & in hoc cognoscimur amare Deum, cum eius mandata custodimus.* [b] Et mandata eius grauia non sunt.] *Quare? quia omne, quod natum est ex Deo, vincit mundum. Agnitio enim huius Christianæ Veritatis ita robustas vires in homine parit, vt tuendæ illius gratia, nihil tam graue sit, quod non leue esse videatur. Graue enim, et leue, non natura, sed ferentium viribus metri solemus: at Christiano animo, qui mundo fortior est, quidnam est, quod graue sit iudicandum?* [c] Hic est, qui venit per aquam & sanguinem.] *Videtur alludere ad Mosen, qui per aquam venit, cum illo duce per mare transiit populus, quod baptismi figura fuit, venit ergo per aquam solum Moses, qui significauit quidem figura quadam ablutionem hominis, non tamen exhibuit reipsa iustificationem, quia defuit sanguis. At Iesus Christus, non solum attulit baptismum significantem ablutionem peccatorum, verum etiam obtulit sanguinem, quo nos redempti sumus à peccatis nostris, & quo ipse baptismus accipit efficaciam. Additur etiam spiritus testimonium, qui spiritus est Veritas. Nam, vt apostolus ait, declaratus est Christus filius Dei cum potentia secundum spiritum sanctificationis: etenim tum insignia facta in spiritu Dei (si in spiritu Dei, inquit, eycio dæmonia) atque in primis quod Petrus ait, Viuificatus autem spiritu, hoc est, quòd diuina virtute sua resurrexit à mortuis, locuples testimonium est huius prædicatæ Veritatis. Tres ergo testes habemus, spiritum, operibus tantis spiritu sancto in terra declaratis in nomine Iesu: aquam, & sanguinem, & hi tres in vnum sunt, hoc est, in vnum conueniunt de Christo testimonium. Vel spiritum accipe illum innouantem interiorem hominem, quæ res testatur Christum esse filium Dei, qui solus id præstare possit* [redacted] *nam cæteræ sectæ id non præstant. Scio multos & Græcos, & Latinos diuersis modis hunc locum esse interpretatos, quos ego quidem reuerer, neque propterea eorum cuiusquam sententiæ derogo, sed longum fuisset nimis, hic omnium sententias ponere.* [d] Quicquid petierimus secundum voluntatem eius.] *Cum ergo fideles aliqui non assequuntur, quod petunt, significatio fit, non eos petere secundum Voluntatem eius. Quæ Verba concinunt ijs, quæ à beato Iacobo dicta sunt: nam & ipse ait, Petitis, & non accipitis, eò quòd male petatis: ea ergo non præstantur, quia inutilia nobis futura sint.* [e] Siquis viderit fratrem suum peccare.] *Cum dixisset, nos habituros petitiones, quas postulauerimus, admonet de quibus sit facienda postulatio.* [f] Est peccatum ad mortem.] *Ordo iste sit. Est peccatum ad mortem, & est peccatum non ad mortem, non de peccato ad mortem dico, Vt petas, sed de peccato non ad mortem. Deinde apertius facit, quod dicit, distinctionem faciens peccati ad mortem, & peccati non ad mortem. Nam tanquam à genere, eius, quod simpliciter peccatum dicitur, facit diuisionem, & ait. Omnis iniquitas peccatum est, hoc est, & quæ ad mortem, & quæ non ad mortem, sed de peccato, quod est ad mortem, ne roget quis, inquit, hoc est, petat; non enim exaudietur, quia male petit, cum pro illo petat, qui nullam præ se ferat conuersionem à suo scelere: hoc enim est solum peccatum ad mortem, Vbi quis ita obstinato, aut desperato est animo, Vt nullam cogitet pœnitentiam, quo morbo & Iudas cum laboraret, æternæ est traditus morti. Sunt qui existiment, in hoc numero peccantium ad mortem, eos etiam esse, qui iniuriarum sunt memores. Viæ enim (ait Salomon) eorum, qui iniuriæ meminerunt, ad mortem sunt. Neque enim, dum iniuriarum memoriam retinent, et iram seruant, atque odium aduersus proximum, ad pœnitentiam conuertuntur.* [g] Seruat seipsum.] *Cum dixisset, eum, qui genitus sit à Deo, non peccare, quod superius satis arbitror fuisse declaratum, nequis putaret eiusmodi hominem in naturam quandam, (Vt sic dicam) impeccabilem esse translatum, tanquam capi iam nequeat à peccato, addit, seruat seipsum, alter peccaturus, nisi à maligno illo caueat, præsertim cum mundus sit positus in maligno.*

EPISTOLA BEATI
IOANNIS APOSTOLI SECVNDA.

A
B Enior, electæ dominę & natis eius, quos ego diligo in veritate, & non ego solus, sed & omnes, qui cognouerũt veritatem propter veritatẽ, quæ permanet in vobis, & vobiscũ erit in æternum. Sit vobiscum gratia, misericordia, pax à Deo patre, & à Dño IESV CHRISTO [a] filio patris in veritate, & charitate. Gauisus sum valde, ꝙ inueni de filijs tuis ambulantes in veritate, [b] sicut mandatum accepimus à patre. Et nunc rogo te Domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio: vt diligamus inuicem. Et hæc est charitas, vt ambulemus secundum mandatum eius. Hoc
C est enim mandatum, vt quemadmodum audistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores introierunt in mundum, qui nõ confitentur IESVM CHRISTVM [c] venisse in carne: hic est seductor & antichristus: videte vosmet ipsos, ne perdamus, quæ operati sumus: sed, vt mercedem plenam accipiamus. Omnis qui transgreditur, & non permanet in doctrina CHRISTI: Deum nõ habet. Qui permanet in doctri
D na CHRISTI, hic patrem & filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nõ affert: nolite recipere eum in domũ, nec AVE ei dixeritis. [d] Qui enim dicit illi, AVE: communicat operibus eius malignis, Plura habens vobis scribere: nolui per chartam & atramentum. Sed spero venire ad vos, & ore ad os loqui: vt gaudium vestrum plenum sit. Salutant te filij sororis tuæ electæ. AMEN.

SCHOLIA.

[a] Filio patris in veritate & charitate:] *Filio patris vero, ac dilecto. Hic est, inquit, filius meus dilectus.* [b]]Sicut mandatum accepimus à patre.] *Quidam hoc loco patrem intelligunt Christum, cui à patre traditi sunt ꝙ filij de quibus ait. Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus.* [c] Venisse in carne.] ἐρχόμενον, *hoc est, Venturum, sed idem sensus est, nam & illud* ἐρχόμενον, *præsentis est temporis, quamuis, cum de Christo loquitur scriptura, accipiatur pro futuro, quod multis locis inuenitur, vt cum Martha ait. Ego credidi, quòd tu es Christus ille filius Dei, qui Venturus erat in mundum, quod si Verbum Verbo reddas, dicendum erat, Veniens, Vel qui Venis in mundum.* ἐρχόμενος *ergo ibi positum est, ac si dicas, qui expectabatur Venturus in mundum. Sic & Samaritana, scio quòd Messias* ἔρχεται, *Venit, hoc est, Venturus est, sic hoc loco, non cõsentes Iesum Christum.* ἐρχόμενον ἐν σαρκὶ. *Venientem in carne, hoc est, qui expectabatur olim Venturus in carne. Sunt tamen, qui putent, quia non scriptum sit ἐλθόντα per præteritum tempus, sed* ἐρχόμενον, *significari secundum aduentum, vt sic dicas, qui non confitentur Iesum Christum Venire in carne: sed opinor eos non obseruasse locutionis proprietatem.*
[d] Qui enim dicit illi, AVE.] *Reddit causam, cur id prohibeat; non odio scilicet aliquo hominis, sed ne videare malefactorum eius esse particeps, & per familiarem consuetudinem, quam per illud, aue, intelligit, abducaris à Veritate.*

EPISTOLA BEATI
IOANNIS APOSTOLI TERTIA.

A
B Enior Caio charissimo, [a] quem ego diligo in veritate. Charissime de omnibus oratione facio, prospere te ingredi & valere, sicut prospere agit anima tua. Gauisus enim sum valde venientibus fratribus, & testimonium perhibentibus veritati tuæ: sicut tu in veritate ambulas. Maius his non habeo gaudium, quàm, vt audiam filios meos in veritate ambulare. Charissime fideliter facis, quicquid operaris in fratres: & in peregrinos, qui testimonium reddiderunt charitati tuæ in conspectu ecclesiæ: quos, bene facies, deducens digne Deo. Pro nomine enim eius profecti sunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus susci-
C pere huiusmodi: vt cooperatores simus veritati. Scripsi ecclesiæ: sed is, qui amat primatum gerere in eis Diotrephes: non recipit nos. Propter hoc si venero, indicabo eius opera, quæ facit: verbis malignis garriens in nos, & quasi non ei ista sufficiant: neq; ipse suscipit fratres, & eos qui suscipere volunt, prohibet, & de ecclesia eijcit. Charissime, noli imitari malũ, sed quod bonum est. Qui bene facit, ex Deo est: qui male facit, non videt Deum. Demetrio testimonium redditur ab omnibus, & ab ipsa veritate: sed & nos
D testimonium perhibemus, & nostis, ꝙ testimonium nostrum verum est. Multa habui tibi scribere: sed nolo per atramentum & calamum scribere tibi. Spero autem protinus te videre: & ore ad os loquemur. Pax tibi. Salutant te amici. Saluta tu amicos nominatim.

SCHOLIA.

[a] Quem ego diligo in veritate.] *Is in Veritate diligit, qui secundum Deum diligit. Et quod sequitur, Testimonium perhibentibus Veritati tuæ, hoc est, quàm vere ac recte ingrediare in euangelica Veritate.*

HIERONYMVS IN CATALOGO SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM.

IVdas frater Iacobi, paruam quidem, quæ de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch: qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, à plerisq; reiicitur: tamen authoritatem vetustate iam & vsu meruit, & inter sanctas scripturas computatur.

BEATI IVDÆ APOSTOLI EPISTOLA CATHOLICA.

A IVdas IESV CHRISTI seruus, frater autem Iacobi: his qui sunt in Deo patre sanctificati, & CHRISTO IESV cõseruati, vocatis. Misericordia vobis, & pax, & charitas multiplicetur. Charissimi, [a] omnem solicitudinem faciens scribendi vobis de cõmuni salute, necesse habui scribere vobis: deprecans supercertare semel traditæ sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præscripti sunt in hoc iudiciũ) B impij, Domini nostri gratiam transferentes in luxuriam. Et solum dominatorem Deũ & Dominum nostrum IESVM CHRISTVM negantes. Commonere autem vos
Num. 14.f volo, scientes semel hoc, q̃ [b] Dominus populum de terra Ægypti saluans, secundo eos, qui non crediderunt,
perdidit: angelos vero, qui non seruauerunt suum principatum, sed dereliquerunt proprium domicilium, in C
Gene. 19.c iudicium magni diei, vinculis eternis sub caligine reseruauit. Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ ciuitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes [c] post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam
Zach. 3.c sustinentes, similiter & hi somniantes, carnẽ quidẽ maculant, dominationẽ aũt spernunt, potestate aũt præ-
Eccl. 21.d ditos blasphemãt. [d] Cũ aũt Michael archangelus, cũ diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore: nõ est D
ausus iudiciũ inferre blasphemiæ, sed dixit: Increpet te Dñs: hi aũt quęcunq; quidẽ ignorant, blasphemãt: quę
Gene. 4.b cunq; aũt naturaliter tanquã muta animalia norunt, in his corrũpuntur. Væ illis, quia [e] in viã Cain abierũt:
Num. 22.d & errore Balaam, mercede effusi sunt, & in contradictione Core perierunt. Hi sunt [f] in charitatibus vestris,
Num. 16.a maculæ conuiuantes, sine timore, semetipsos pascentes, [g] nubes sine aqua, quæ à ventis circũferuntur, arbo- E
2. pet. 2.d res autumnales, infructuosæ, [h] bis mortuæ, eradicatę, fluctus feri maris, despumantes suas confusiones, [i] sy-
Apoc. 1.b dera errantia: quibus caligo tenebrarũ seruata est in æternũ. Prophetauit autem & de his septimus ab Adam,
Enoch, dicens. Ecce venit Dñs in sanctis millibus suis, facere iudicium contra oẽs, & arguere oẽs impios eor̃
de omnibus operibus impietatis eor̃, quibus impie egerunt, & de omnibus duris, quæ locuti sunt contra eũ F
peccatores, impij. Hi sunt murmuratores, querulosi, secundũ desideria sua ambulãtes, & os eor̃ loquitur sũ-
perba, mirantes psonas quęstus causa. Vos aũt charissimi, memores estote verbor̃, quę prędicta sunt ab apo-
1. Tim. 4.a stolis Dñi nostri IESV CHRISTI, qui dicebant vobis: Quòd in nouissimis tẽporibus veniẽt illusores,
2. Tim. 3.a secundũ desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregãt, [k] animales, spiritũ nõ habẽtes. Vos G
2. pet. 3.a aũt charissimi, supræædificãtes vosmetipsos sanctissimę vestræ fidei, in spiritu sancto orantes, vosmetipsos in
dilectione Dei seruate, expectantes misericordiam Domini nostri IESV CHRISTI in vitam æternam.
Et horum quidem miseremini, dum iudicamini: [l] illos vero per timorem saluate, de igne rapientes: odiẽtes
& eam, quæ ex carne est, maculatam tunicam. Ei autem, qui potens est illos conseruare sine peccato, & constituere ante cõspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione, soli sapienti Deo Saluatori nostro gloria &
magnificentia, & imperium, & potestas nunc, & in omnia secula. Amen.

SCHOLIA.

[a] Omnem solicitudinem faciens.] *Causam scribendæ epistolæ signat per hæc, ob prouidentiam videlicet eorum salutis, ne ob simplicitatem capiantur à sceleratissimis hæreticis, quos hic notat, et facit, vt agnosci ab ijs possint, qui eos ignorãt, dum illorum exponit impudicam vitam: de his & Petrus scripsit, at hic fusius hunc locum tractat.* [b] Dominus populum.] *Docet, superiorum temporum exemplis, Deum, etsi misericors sit, eos tamen, qui perstare in suis sceleribus volunt, demum perdere, nam, etsi eduxit olim populum ob patres dilectum, ex Ægypto, postremo non credentes perdidit, neque ipsis peccantibus angelis pepercit.* [c] Post carnem alteram.] *Quæ scilicet non sit instituta ad liberorum procreationem: maris autem ac fœminæ, hoc est, mariti & vxoris caro, non altera, sed vna est. Hoc (inquit) os ex ossibus meis, & caro de carne mea.*
2. pet. 2. [d] Cum autem Michael.] *De hoc diximus in epistola Petri secunda. Hoc aũt testimonium acceptũ est ex apocryphis libris.*
[e] In viam Cain.] *Hoc est, per fratricidium, nam & ij talia docentes fratres interficiunt eos peruersis doctrinis: in viam autem Balaam, quia lucri gratia, quemadmodum & ille, ista faciunt: in contradictione autem Core, quia sicut ille, & ipsi docendi auctoritatem cum sint indigni, rapuerunt.* [f] In charitatibus.] *ἀγάπαις, quas charitates, vertimus, vocabantur eæ mensæ, quæ illo tempore in ecclesijs parabantur, de quibus loquitur Paulus ad Corinthios. In his ergo ait, hos perditos conuenire, vt occasionem inuentant ineptiendi homines.* [g] Nubes sine aqua.] *Quæ dum pollicentur, se terram irrigaturas, inani tantum ostentatione circunferuntur.* [h] Bis mortuæ.] *Similes (inquit) hi sunt arboribus autumnalibus, quæ duobus modis mori videntur, primo dum amittunt fructus, deinde folia: sic isti & sine fructu sunt, cum damnum potius, quam fructum afferant, & ornatu omni honestæ conuersationis carent, iccirco & à Paradiso ecclesiæ Domini eradicabuntur.*

[i] Sydera errantia.] *Quia transformati in angelos lucis, sicut & caput eorum diabolus aduersus dogmata Domini feruntur, & errant, quemadmodum, planetæ qui ab errore nomen acceperunt, et à Latinis errones vocantur, errare dicuntur, quia alium cursum, quam reliquum cœlum, tenent.* [k] Animales.] *Qui scilicet secundum hanc mundi huius vitam degunt, neque diuina intelligũt: anima enim pro vita sæpe accipitur. Eodem modo & Paulus homines animales appellat: Animalis, inquiens, homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei. Quanquam hic fortasse animales pro carnalibus vsurpauit.* [l] Illos vero per timorem.] *Siqui ad medicinam spectauerint, ne eos repellatis, sed curate, vt proposito illis timore Dei, seruentur: reliquos miseramini, quod est, nunquam à malo vinci, sed vincere in bono malum. Sunt qui illud, per timorem, accipiant, pro, circunspecte, ne, dum admittuntur, lædant ecclesiæ societatem.*

APOCALYPSIS BEATI IOANNIS APOSTOLI.

CAPVT I.

A APocalypsis IESV CHRISTI, quam dedit illi Deus palam facere seruis suis, quæ oportet fieri cito: & significauit mittẽs per angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium IESV CHRISTO quęcunq; vidit. Beatus qui legit & audit verba prophetiæ: & seruat ea, quæ in ea scripta sunt: tempus enim propè est. Ioannes septem ecclesijs, quæ sunt in Asia, gratia vobis & pax ab eo qui
B est, & qui erat, & qui venturus est, & à septẽ spiritibus, qui in cõspectu throni eius sunt, & à IESV CHRISTO, qui est testis fidelis, primogenitus mortuor̃, & princeps re- Coloss. 1.c
gum terræ: qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos reges & sacerdotes Deo 1. Cor. 15.c
& patri suo, ipsi gloria & imperium in secula seculor̃. Amen. Ecce venit cum nubibus, & videbit eũ omnis Hebr. 9.d
oculus, & qui eum pupugerunt. Et plangent se omnes tribus terræ: etiã: Amen. Ego sum α & ω, principium 1. pet. 1.d
& finis, dicit Dñs, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens. Ego Ioãnes frater vester & particeps in 1. Ioan. 1.d
tribulatione, & regno, & patientia IESV CHRISTI, fui in insula, quę appellatur Patmos, propter ver- Esa. 3.c
C bum Dei & testimoniũ IESV CHRISTI. Fui in spiritu in Dñica die: & audiui post me vocẽ magnam Mat. 24.c
tanquã tubæ dicentis: Ego sum α & ω, primus & nouissimus, & quod vides, scribe in libro: & mitte ecclesijs, Indæ. 1.c
quę sunt in Asia, Epheso, & Smyrnę, & Pergamo, & Thyatiræ, & Sardis, & Philadelphię, & Laodiciæ. Et conuersus sum, vt viderẽ vocem, quæ loquebatur mecũ. Et conuersus, vidi septem candelabra aurea, & in medio
septem candelabror̃ aureorum, similem filio hominis, vestitum podere, & præcinctũ ad mamillas zona au-
rea: caput autem eius & capilli erant candidi tanquam lana alba, & tanquam nix, & oculi eius tãquam flam-
D ma ignis: & pedes eius similes chalcolibano, velut in camino ardentes: & vox illius tãquam vox aquarũ mul-
tarum: & habebat in dextera sua stellas septem: & de ore eius gladius vtraq; parte acutus exibat, & facies eius
sicut sol lucet in virtute sua. Et cum vidissem eum, cecidi ad pedes eius tãquam mortuus. Et posuit dexteram Esa. 41.b
suã super me dicens, Noli timere: ego sum primus & nouissimus, & viuus: & fui mortuus, & ecce sum viuens & 44.a
in secula seculorum, & habeo claues mortis & inferni. Scribe ergo, quæ vidisti, & quæ sunt, & quæ oportet
fieri post hæc. Sacramentum septem stellarum, quas vidisti in dextera mea, et septẽ candelabra aurea. Septem
stellæ, angeli sunt septem ecclesiarum: & candelabra septem, quæ vidisti, septem ecclesiæ sunt.

CAPVT II.

A ANgelo Ephesi ecclesiæ scribe: Hęc dicit qui tenet septem stellas in dextera sua, qui ambulat in medio
septem candelabror̃ aureorum. Scio opera tua, & laborem, & patientiã tuam: & q̃ non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, & non sunt, & inuenisti eos mendaces: & pa-
tientiam habes, & sustinuisti, & propter nomen meum laborasti & non defecisti. Sed habeo aduersum te, q̃
charitatem tuã primã reliquisti. Memor esto itaq;, vnde excideris: & age pœnitentiã, & prima opera fac: sin-
B autẽ, veniam tibi cito, & mouebo candelabrum tuũ de loco suo, nisi pœnitentiã egeris. Sed hoc habes, q̃ odi
sti facta Nicolaitarũ, quę & ego odi. Qui habet aurẽ, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs: Vincenti dabo edere
de ligno vitæ, quod est in medio paradisi Dei. Et angelo Smyrnę ecclesię scribe. Hęc dicit primus & nouissi-
mus, qui fuit mortuus & viuit. Scio tribulationẽ tuã & paupertatem tuã, sed diues es: & blasphemaris ab his
C qui se dicũt Iudęos esse, & nõ sunt, sed sunt synagoga satanæ. Nihil horũ timeas quæ passurus es. Ecce missurus est diabolus aliquos ex vobis in carcerem vt tentemini: & habebitis tribulationẽ diebus decẽ. Esto fidelis
vsq; ad mortẽ: & dabo tibi coronã vitę. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesijs. Qui vicerit nõ
lædetur à morte secũda. Et angelo Pergami ecclesiæ scribe. Hæc dicit, qui habet rhõphęã vtraq; parte acutã.
Scio opera tua, & vbi habitas, vbi sedes est satanæ: & tenes nomen meũ, & nõ negasti fidẽ meam. Et in diebus
D illis Antipas testis meus fidelis, q̃ occisus est apud vos, vbi satanas habitat. Sed habeo aduersus te pauca: quia
habes illic tenentes doctrinã Balaam: qui docebat in Balac mittere scandalũ corã filijs Israel, edere ex ijs, quæ Num. 24.c
simulachris immolãtur, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinã Nicolaitarum, quod odi, Pœnitẽtiam
age: sin minus, veniã tibi cito & pugnabo cũ illis in gladio oris mei. Qui habet aurẽ, audiat, quid spiritus di-
E cat ecclesijs, Vincẽti dabo manna absc̃ditũ, & dabo illi calculum candidũ: & in calculo nomen nouũ scriptum, quod nemo scit, nisi qui accipit. Et angelo Thyatiræ ecclesię scribe, Hęc dicit filius Dei, qui habet ocu
los tanquam flammam ignis, & pedes eius similes chalcolibano. Noui opera tua, & fidẽ, & charitatem tuã, &

miniſteriũ,& patientiã tuam,& opera tua,& nouiſsima plura prioribus. Sed habeo aduerſus te pauca: quia
permittis mulierem Hiezabel,quæ ſe dicit prophetã,docere,& ſeducere ſeruos meos, fornicari,& manducare de idolothytis. Et dedi illi tẽpus,vt pœnitentiã ageret,& non vult pœnitere à fornicatione ſua. Ecce ego F
mitto eã in lectum,& qui mœchantur cum ea,in tribulationẽ magnam, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint:& filios eius interficiam in morte,& ſcient omnes eccleſiæ,q; ego ſum ſcrutans renes & corda,& da-
Hiere.17.b bo vnicuiq; veſtrum ſecundũ opera ſua. Vobis autẽ dico & cæteris,qui Thyatiræ eſtis, Quicunq; nõ habent
doctrinam hanc,& qui non cognouerunt altitudinem ſatanæ, quemadmodũ dicunt:non mittam ſuper vos G
aliud pondus,tamen id quod habetis,tenete,donec veniam. Et qui vicerit & cuſtodierit vſq; in finem opera
pſalm. 2.c mea:dabo illi poteſtatem ſuper gẽtes,& reget eas in virga ferrea, & tanquam vaſa figulina confringẽtur,ſicut
& ego accepi à patre meo:& dabo illi ſtellam matutinam. Qui habet aurẽ,audiat quid ſpiritus dicat eccleſijs.

CAPVT III.

ET angelo eccleſiæ Sardis,ſcribe,hæc dicit qui habet ſeptẽ ſpiritus Dei,& ſeptem ſtellas. Scio opera tua, A
quia nomen habes,q; viuas & mortuus es. Eſto vigilans,& confirma cætera,quæ moritura erant. Non
enim inueni opera tua plena coram Deo. In mente ergo habe,qualiter acceperis & audieris:& ſerua,et
Infra.16.c pœnitentiam age. Si ergo non vigilaueris:veniam ad te tãquam fur,& neſcies qua hora veniam ad te. Habes
1. Theſ.5.a pauca nomina Sardis,qui non inquinauerũt veſtimenta ſua:& ambulabun mecũ in albis, quia digni ſunt.
2.pet.3.c Qui vicerit,ſic veſtietur veſtimentis albis,& non delebo nomen eius de libro vitæ, & cõfitebor nomen eius
coràm patre meo,& coràm angelis eius. Qui habet aurem,audiat,quid ſpiritus dicat eccleſijs. Et angelo Phi- B
Eſa.22.c ladelphiæ eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit ſanctus & verus,qui habet clauẽ Dauid:qui aperit & nemo claudit:claudit & nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertum,quod nemo poteſt claudere,quia mo
Iob.12.b dicam habes virtutem,& ſeruaſti verbum meum,& nõ negaſti nomen meum. Ecce do de ſynagoga ſatanæ,
qui dicunt ſe Iudæos eſſe,& non ſunt,ſed mentiũtur. Ecce faciam illos,vt veniãt, & adorent ante pedes tuos:
& ſcient,quòd ego dilexi te,quoniam ſeruaſti verbum patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis,
quæ ventura eſt in orbem vniuerſum tentare habitantes in terra. Ecce venio cito:tene quod habes, vt nemo C
accipiat coronam tuam. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei,& foras non egredietur
amplius:& ſcribam ſuper eum nomen Dei mei,& nomen ciuitatis Dei mei nouæ Ieruſalem, quæ deſcendit
de cœlo à Deo meo,& nomen meum nouum. Qui habet aurem,audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs. Et angelo Laodiciæ eccleſiæ ſcribe,Hæc dicit. Amen teſtis fidelis & verus, qui eſt principium creaturæ Dei. Scio
opera tua,quod neque frigidus es neque calidus,vtinam frigidus eſſes aut calidus, ſed quia tepidus es, & nec
frigidus nec calidus, incipiã te euomere ex ore meo:quia dicis,diues ſum,& locupletatus,& nullius egeo: & D
neſcis quòd tu es miſer,& miſerabilis,& pauper,& cæcus,& nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum
ex igne,vt locuples fias,& veſtimentis albis induaris,vt non appareat confuſio nuditatis tuæ,& collyrio inũ-
prou.3.b ge oculos tuos,vt videas. Ego quos amo,arguo & caſtigo. Æmulare ergo & pœnitentiam age. Ecce ſto ad
Hebr.12.b oſtium & pulſo: ſi quis audierit vocem meam, & aperuerit mihi ianuam:intrabo ad illum,& cœnabo cum
illo,& ipſe mecum. Qui vicerit,dabo ei ſedere mecum in throno meo:ſicut & ego vici, & conſedi cum patre
meo in throno eius. Qui habet aurem,audiat,quid ſpiritus dicat eccleſijs.

CAPVT IIII.

POſt hæc vidi:& ecce oſtium apertum in cœlo & vox prima, quam audiui, tanquam tubæ loquentis A
mecum, dicens, Aſcende huc,& oſtendam tibi,quæ oportet fieri poſt hæc, & ſtatim fui in ſpiritu. Et
ecce ſedes poſita erat in cœlo,& ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat:ſimilis erat aſpectu lapidi iaſpidi,
& ſardinis,& iris erat in circuitu ſedis,ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Et in circuitu ſedis ſedilia viginti quatuor, B
& ſupra thronos viginti quatuor ſeniores ſedentes,circumamicti veſtimentis albis, & in capitibus ſuis coronæ aureæ. Et de throno procedebant fulgura. & voces,& tonitrua,& ſeptem lãpades ignis ardentes ante thro
num,quæ ſunt ſeptem ſpiritus Dei. Et in cõſpectu ſedis,tanquam mare vitreum ſimile cryſtallo:& in medio
ſedis,& in circuitu ſedis,quatuor animalia plena oculis ante & retro. Et animal primũ,ſimile leoni:& ſecun- C
dũ animal,ſimile vitulo:& tertium animal,habens faciem velut hominis:& quartum animal, ſimile aquilæ
volanti. Et quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas in circuitu:& intus plena ſunt oculis, & re-
Eſa.6.a quiem non habent die ac nocte,dicentia,Sanctus,Sanctus,Sanctus Dominus Deus omnipotẽs, qui erat, & D
qui eſt,& qui venturus eſt. Et cum darent illa animalia gloriam & honorem, & gratiarum actionem ſedenti
ſuper thronum,viuenti in ſecula ſeculorum:procidebant viginti quatuor ſeniores ante ſedentẽ in throno, &
adorabãt viuentẽ in ſecula ſeculorũ,& mittebãt coronas ſuas ante thronum,dicẽtes, Dignus es Dñe accipere
gloriã & honorẽ & virtutẽ:quia tu creaſti omnia,& propter voluntatem tuã erant & creata ſunt.

CAPVT V.

ET vidi in dextera ſedentis ſupra thronum, librum ſcriptum intus & foris, ſignatum ſigillis ſeptem. Et A
vidi angelum fortem,& prædicantem voce magna,Quis eſt dignus aperire librum,& ſoluere ſignacula eius? Et nemo poterat,neq; in cœlo,neq; in terra,neq; ſubtus terram aperire librum, neque aſpicere illum. Et ego flebam multum, quoniam nemo dignus inuentus eſt aperire & legere librum, nec videre eum. Et vnus de ſenioribus dicit mihi. Ne fleueris:Ecce vicit leo de tribu Iuda,radix Dauid, aperire librum, B
ſoluere ſeptẽ ſignacula eius. Et vidi,& ecce in medio throni & quatuor animaliũ,et in medio ſenioꝝ agnum
ſtãtem tanquam occiſum,habentẽ cornua ſeptem & oculos ſeptẽ:qui ſunt ſeptẽ ſpiritus Dei, miſsi in omnẽ
terram. Et venit,& accepit de dextera ſedẽtis in throno librum. Et cum aperuiſſet librum,quatuor animalia
& viginti quatuor ſeniores ceciderunt coràm agno,habentes ſinguli citharas,& phialas aureas plenas odora- C
mentorum,quæ ſunt orationes ſanctorum,& cantant canticum nouum, dicẽtes:Dignus es Dñe accipere librum,

brum,& aperire ſignacula eius,quoniã occiſus es,& redemiſti nos in ſanguine tuo, ex omni tribu & lingua
& populo,& natione:& feciſti nos Deo noſtro reges & ſacerdotes,& regnabimus ſuper terram. Et vidi, & Dan. 7.
D audiui vocem angelorum multorum in circuitu throni & animalium & ſeniorum:& erat numerus eorum
millia millium dicentium voce magna:Dignus eſt agnus,qui occiſus eſt, accipere virtutẽ,& diuinitatem,& ſapientiam,& fortitudinem,& honorem,& gloriam,& benedictionem. Et omnem creaturam,quæ in cœlo
eſt,& ſuper terram,& ſub terra,& quæ ſunt in mari,& quæ in eo ſunt omnia:audiui dicẽtes: ſedenti in thro-
no,& agno,Benedictio,& honor,& gloria,& poteſtas,i ſæcula ſæculoꝝ. Et quatuor animalia dicebãt. Amẽ.
Et viginti quatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas:& adorauerunt virtutem in ſæcula ſæculorum.

CAPVT VI.

A ET vidi,q; aperuiſſet agnus vnũ de ſeptem ſigillis,& audiui vnum de quatuor animalibus dicẽs, tanquã
vocem tonitrui: Veni,& vide. Et vidi:& ecce equus albus,& qui ſedebat ſuper illum habebat arcum,& data eſt ei corona,& exiuit vincens,& vt vinceret. Et cũ aperuiſſet ſigillum ſecũdum, audiui ſecundũ
animal,dicẽs: Veni,& vide. Et exiuit alius equus rufus:& qui ſedebat ſuper illum,datum eſt ei,vt ſumeret pacem de terra,& vt inuicem ſe interficiãt,& datus eſt ei gladius magnus. Et cum aperuiſſet ſigillum tertium,
B audiui tertium animal,dicens: Veni,& vide. Et vidi,& ecce equus niger: & qui ſedebat ſuper illum, habebat
ſtateram in manu ſua. Et audiui vocem in medio quatuor animalium dicentem,Chœnix tritici denario, & tres chœnices hordei denario,& vinum & oleum ne læſeris. Et cũ aperuiſſet ſigillum quartum, audiui vocem quarti animalis dicentẽ: Veni & vide. Et vidi,& ecce equus pallidus:& qui ſedebat ſuper eum,nomẽ illi
C Mors,& infernus ſequebatur eum, & data eſt illi poteſtas ſuper quartam partem terræ interficere gladio,fame,& morte à beſtijs terræ. Et cũ aperuiſſet ſigillum quintum:vidi ſubtus altare animas interfectorũ propter verbum Dei,& propter teſtimonium quod habebant, & clamabant voce magna, dicentes: Vſquequo
Domine,ſanctus & verus,non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ:& dictum eſt illis,vt requieſcerẽt adhuc tempus modicum,donec cõpleantur conſerui eorum,& fratres eorum,qui interficiendi ſunt,ſicut & illi. Et vidi,cum aperuiſſet ſigillum ſex-
D tum:& ecce terræmotus magnus factus eſt,& ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus:& luna tota facta
eſt ſicut ſanguis:& ſtellæ de cœlo ceciderũt ſuper terram, ſicut ficus amittit groſſos ſuos cum à vento magno
mouetur,& cœlũ receſsit ſicut liber inuolutus:& omnis mons,& inſulæ de locis ſuis motæ ſunt:& reges ter- Eſa. 2.d
ræ,& principes,& tribuni,& diuites,& fortes,& omnis ſeruus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis & in pe- Oſee.10.b
tris montium,& dicunt montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thro- Luc. 23.d
num,& ab ira agni,quoniam venit dies magnus iræ illius. Et quis poterit ſtare?

CAPVT VII.

A POſt hæc vidi quatuor angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor ventos terræ, ne
flarent ſuper terram,neq; ſuper mare,neq; in vllam arborem. Et vidi alterum angelum aſcendentem
ab ortu ſolis,habentem ſignum Dei viui:& clamauit voce magna quatuor angelis,quibus datũ eſt nocere terræ & mari,dicens: Nolite nocere terræ & mari, neq; arboribus,quoaduſq; ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus ſuis. Et audiui numerum ſignatorum, centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni
B tribu filiorum Iſrael. Ex tribu Iuda,duodecim millia ſignati. Ex tribu Ruben, duodecim millia ſignati. Ex
tribu Gad,duodecim millia ſignati. Ex tribu Aſer,duodecim millia ſignati. Ex tribu Neptalim, duodecim millia ſignati. Ex tribu Manaſſe,duodecim millia ſignati. Ex tribu Symeon,duodecim millia ſignati. Ex tribu Leui,duodecim millia ſignati. Ex tribu Iſſachar,duodecim millia ſignati. Ex tribu Zabulon,duodecim millia ſignati. Ex tribu Ioſeph,duodecim millia ſignati. Ex tribu Beniamin, duodecim millia ſignati. Poſt
C hæc vidi & ecce turba multa,quã dinumerare nemo poterat,ex omnibus gentibus,& populis,& linguis,ſtãtes ante thronum:& in conſpectu agni, amicti ſtolis albis,& palmæ in manibus eorum, & clamabant voce magna,dicentes. Salus ei,qui ſedet ſuper thronũ Dei noſtri,& agno. Et omnes angeli ſtabant in circuitu thro
ni & ſeniorum,& quatuor animalium:& ceciderũt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerũt Deum,
dicentes. Amen. Benedictio,& claritas,& ſapientia,& gratiarum actio,honor & virtus, & fortitudo Deo no-
D ſtro in ſecula ſeculoꝝ. Amen. Et reſpondit vnus de ſenioribus: & dixit mihi. Hi qui amicti ſunt ſtolis albis,
qui ſunt,& vnde venerunt? Et dixi illi: Dñe mi, tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui venerunt de tribulatione
magna,& lauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas in ſanguine agni. Ideo ſunt ante thronũ Dei, & ſeruiunt
ei die ac nocte in templo eius:& qui ſedet in throno,habitabit ſuper illos:non eſurient neq; ſitient amplius,
nec cadet ſuper illos ſol,neq; vllus æſtus:quoniam agnus,qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos Eſa.49.c
ad viuos fontes aquarum,& abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Eſa.25.c

CAPVT VIII.

A ET cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum,factum eſt ſilentium in cœlo, quaſi media hora. Et vidi ſeptem
angelos ſtantes in cõſpectu Dei:& datæ ſunt illis ſeptem tubæ. Et alius angelus venit, & ſtetit ante altare,habens thuribulum aureum:& data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium ſuper altare aureũ,quod eſt ante thronum. Et aſcendit fumus incenſorũ de orationibus ſanctorum de
B manu angeli coràm Deo. Et accepit angelus thuribulũ aureum,& impleuit illud de igne altaris,& miſit in terrã,& facta ſunt tonitrua, & voces, & fulgura, & terræmotus. Et ſeptem angeli, qui habebant ſeptem tubas,
præparauerunt ſe,vt tuba canerent. Et primus angelus tuba cecinit,& facta eſt grando & ignis,mixta in ſanguine:& miſſum eſt in terram,& tertia pars arborum concremata eſt,& omne fœnum viride combuſtũ eſt.
C Et ſecundus angelus tuba cecinit:& tanquam mons magnus igne ardẽs,miſſus eſt in mare: & facta eſt tertia
pars maris, ſanguis: & mortua eſt tertia pars creaturæ eorum, quæ habebant animas in mari, & tertia pars

nauium

nauiũ interijt. Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo ſtella magna ardens tanquã facula, & cecidit
in tertiã partẽ fluminũ, & in fontes aquarũ: & nomẽ ſtellæ, dicitur Abſynthiũ: & facta eſt tertia pars aquarũ in
Abſynthiũ: & multi hominũ mortui ſunt de aquis, quia amaræ factæ ſunt. Et quartus angelus tuba cecinit: et D
percuſſa eſt tertia pars ſolis, & tertia pars lunæ, & tertia pars ſtellarũ, ita vt obſcuraretur tertia pars eorũ, & diei
non luceret pars tertia, & noctis ſimiliter. Et vidi, & audiui vnũ angelũ volantẽ per mediũ cœli dicentẽ voce
magna: Væ væ habitantibus in terra: de cæteris vocibus tubæ trium angelorum, qui erant tuba canituri.

CAPVT IX.

ET quintus angelus tuba cecinit, & vidi ſtellã de cœlo cecidiſſe in terrã, & data eſt ei clauis putei abyſſi. A
Et aperuit puteũ abyſſi: & aſcẽdit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & aer
de fumo putei. Et de fumo putei exierũt locuſtæ in terrã: & data eſt illis poteſtas, ſicut habẽt poteſtates
ſcorpiones terræ, & præceptũ eſt illis, ne læderẽt fœnũ terræ, neq; omne viride, neq; omnẽ arborem: niſi tan-
tum homines, qui nõ habent ſignũ in frontibus ſuis & datũ eſt illis, ne occiderẽt eos: ſed vt cruciarẽtur men-
ſibus quinq;, & cruciatus eorũ, vt cruciatus ſcorpij, cum percutit hominẽ. Et in diebus illis quærent homines
Eſaie.2.d Oſe.10.b Luc.23.d Sapi.16.b mortẽ, & non inuenient eã: & deſiderabũt mori, & fugiet mors ab eis. Et ſimilitudines locuſtarũ, ſimiles equis B
paratis in prælium, & ſuper capita earũ tanq̃ coronæ, ſimiles auro: & facies earum tanq̃ facies hominũ, & habe
bãt capillos, ſicut capillos mulierũ: & dentes earũ ſicut dentes leonũ erant, & habebãt loricas ſicut loricas fer
reas: & vox alarũ earum ſicut vox curruũ equorum multorũ currentiũ in bellum, & habebãt caudas ſimiles
ſcorpionũ, & aculei erant in caudis earũ: & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinq;: & habebãt
ſuper ſe regẽ angelum abyſſi, cui nomen Hebraice Abaddon, Græce autẽ Apollyon, id eſt Exterminans. Væ
vnũ abijt, et ecce veniũt adhuc duo væ poſt hæc. Et ſextus angelus tuba cecinit: & audiui vocẽ vnã ex quatuor C
cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos Dei, dicentẽ ſexto angelo, qui habebat tubã, Solue quatuor an-
gelos, qui alligati ſunt in flumine magno Euphrate. Et ſoluti ſunt quatuor angeli, qui parati erant in horã &
diẽ & mẽſem & annũ: vt occiderẽt tertiam partẽ hominũ. Et numerus equeſtris exercitus vicies millies dena
millia. Et audiui numerũ eorum. Et ita vidi equos in viſione: & qui ſedebãt ſuper eos, habebãt loricas igneas,
& hyacinthinas & ſulfureas, & capita equorũ erãt tanq̃ capita leonũ: & de ore eorũ procedit ignis, & fumus,
& ſulfur. Et ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne & de fumo & ſulfure, quæ procedebãt D
ex ore ipſorum. Poteſtas enim eorum in ore eorum eſt, & in caudis eorũ: nam caudæ eorum, ſimiles ſerpen-
tibus, habentes capita: & in his nocẽt. Et cæteri homines, qui non ſunt occiſi in his plagis, neq; pœnitentiam
egerunt de operibus manuum ſuarum, vt non adorarent dæmonia & ſimulachra aurea & argentea & ærea
& lapidea & lignea, quæ neq; videre poſſunt, neq; audire neq; ambulare, & non egerũt pœnitentiam ab ho-
micidijs ſuis, neque à veneficijs ſuis, neque à fornicatione ſua, neq; à furtis ſuis.

CAPVT X.

ET vidi alium angelũ fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, & iris in capite eius, & facies eius A
erat vt ſol, & pedes eius tanquam columnæ ignis, & habebat in manu ſua libellum apertum: & poſuit
pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſiniſtrum autem ſuper terram, & clamauit voce magna, quẽadmo-
dum cũ leo rugit. Et cum clamaſſet, locuta ſunt ſeptẽ tonitrua voces ſuas. Et cum locuta fuiſſent ſeptem toni
trua voces ſuas, ego ſcripturus erã: & audiui vocem de cœlo dicentem mihi: Signa quæ locuta ſunt ſeptem to B
Dani.12.c nitrua: & noli ea ſcribere. Et angelus quem vidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram, leuauit manum ſuam
ad cœlũ, & iurauit per viuentẽ in ſecula ſeculorum, qui creauit cœlũ & ea, quæ in eo ſunt, & terram & ea quę
in ea ſunt, & mare & ea quæ in eo ſunt. Quòd tempus non erit amplius, ſed in diebus vocis ſeptimi angeli,
cum cœperit tuba canere, conſummabitur myſterium Dei, ſicut euangelizauit per ſeruos ſuos prophetas. Et C
audiui vocẽ de cœlo iterum loquentem mecum, & dicẽtem. Vade, & accipe libellũ apertum de manu angeli
Ezech.3.d ſtantis ſuper mare & ſuper terrã. Et abij ad angelum, dicens ei, vt daret mihi libellum. Et dixit mihi: Accipe
libellũ & deuora illũ: & faciet amaricari ventrẽ tuum, ſed in ore tuo erit dulce tanquã mel. Et accepi libellũ
de manu angeli, & deuorauj illũ: & erat in ore meo tanquã mel, dulce: & cum deuoraſſem eũ, amaricatus eſt D
venter meus, & dicit mihi: Oportet te iterum prophetare gentibus, & populis, & linguis, & regibus multis.

CAPVT XI.

ET datus eſt mihi calamus ſimilis virgæ & dictum eſt mihi: Surge, & metire templum Dei, & altare, & A
adorantes in eo: atrium autem, quod eſt intra templum, eijce foras, & ne metiaris illud: quoniã datum
eſt gentibus, & ciuitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus: & dabo duobus teſtibus
meis, & prophetabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis. Hi ſunt duæ oliuæ, & duo cãdelabra in
conſpectu Domini terræ ſtantia. Et ſiquis voluerit eis nocere: ignis exibit de ore eorum, & deuorabit inimi-
cos eorum: & ſiquis voluerit eos lædere: ſic oportet eum occidi. Hi habent poteſtatem claudendi cœlum, ne
pluat diebus prophetiæ ipſorum: & poteſtatem habent ſuper aquas conuertendi eas in ſanguinem, & percu- B
tere terram omni plaga, quotieſcunq; voluerint. Et cum finierint, teſtimonium ſuum: beſtia quę aſcendit de
abyſſo, faciet aduerſum eos bellum: & vincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciui-
tatis magnæ, quæ vocatur ſpiritualiter Sodoma, & Ægyptus, vbi Dñs noſter crucifixus eſt. Et videbunt de tri
bubus & populis, & linguis, & gentibus corpora eorum per tres dies & dimidium, & corpora eorum non ſi-
nent poni in monumentis: & inhabitantes terrã gaudebunt ſuper illos, & iocũdabuntur: & munera mittent
inuicem, quoniam hi duo prophetę cruciauerunt eos, qui habitabãt ſuper terram. Et poſt dies tres & dimi- C
dium, ſpiritus vitæ à Deo intrauit in eos: & ſteterunt ſuper pedes ſuos, & timor magnus cecidit ſuper eos, qui
viderunt eos. Et audierunt vocem magnam de cœlo dicentem eis. Aſcendite huc. Et aſcenderũt in cœlum in
nube: & viderunt illos inimici eorum. Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus: & decima pars ciuitatis
cecidit:

cecidit: & occiſa ſunt in terræmotũ nomina hominũ ſeptem millia, & reliqui territi ſunt, & dederunt gloriã
Deo cœli. Væ ſecundũ abijt: & ecce væ tertiũ veniet cito. Et ſeptimus angelus tuba cecinit: & factæ ſunt voces
magnæ in cœlo dicẽtes. Factũ eſt regnũ huius mundi Dñi noſtri & CHRISTI eius, & regnabit in ſæcula
D ſæculorum. Amen. Et vigintiquatuor ſeniores, qui in conſpectu Dei ſedẽt in ſedibus ſuis, ceciderũt in facies
ſuas, & adorauerũt Deum dicentes: Gratias agimus tibi Dñe Deus noſter omnipotens, qui es, & qui eras, &
qui vẽturus es: quia accepiſti virtutẽ tuam magnam, & regnaſti. Et iratæ ſunt gentes: & aduenit ira tua & tẽ-
pus mortuorũ iudicari, & reddere mercedẽ ſeruis tuis prophetis & ſanctis, & timentibus nomen tuũ puſillis
& magnis, & exterminandi eos, qui corruperunt terram. Et apertũ eſt templum Dei in cœlo: & viſa eſt arca
teſtamenti eius in templo eius, & facta ſunt fulgura, & voces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.

CAPVT XII.

A ET ſignũ magnum apparuit in cœlo: mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, & in capite eius coro
na ſtellarũ duodecim, & in vtero habens: & clamat parturiens, & cruciatur vt pariat. Et viſum eſt aliud
ſignum in cœlo, & ecce draco magnus, rufus, habens capita ſeptẽ, & cornua decem, & in capitibus eius
diademata ſeptẽ, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarũ cœli, & miſit eas in terrã, & draco ſtetit ante
mulierẽ quę erat paritura: vt cũ peperiſſet, filium eius deuoraret. Et peperit filium maſculũ, qui recturus erat
B omnes gentes in virga ferrea: & raptus eſt filius eius ad Deũ, & ad thronũ eius, & mulier fugit in ſolitudinẽ,
vbi habebat locũ paratum à Deo, vt ibi paſcat eã diebus mille ducẽtis ſexaginta. Et factũ eſt prælium magnũ
in cœlo. Michael & angeli eius præliabantur cũ dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & non valuerunt,
neq; locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo, & proiectus eſt draco ille magnus, ſerpẽs antiquus, qui voca-
tur diabolus & ſatanas: qui ſeducit vniuerſum orbẽ: & proiectus eſt in terrã: & angeli eius cũ illo miſſi ſunt.
C Et audiui vocem magnam in cœlo dicentem, Nunc facta eſt ſalus & virtus: & regnum Dei noſtri: & poteſtas
CHRISTI eius: quia proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorũ, qui accuſabat illos ante conſpectũ Dei no-
ſtri die ac nocte. Et ipſi vicerunt eũ propter ſanguinem agni, & propter verbum teſtimonij ſui, & non dile-
xerunt animas ſuas vſq; ad mortem, propterea lætamini cœli, & qui habitatis in eis. Væ habitatoribus terræ
& maris: quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens q̃ modicum tempus habet. Et poſtq̃
D vidit draco, q̃ proiectus eſſet in terram: perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum, & datæ ſunt mulie-
ri alæ duæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in locum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora & dimi-
dium temporis à facie ſerpentis. Et miſit ſerpens ex ore ſuo poſt mulierem, aquam tanq̃ flumen: vt eã faceret
trahi à flumine. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os ſuum, & abſorbuit flumẽ, quod miſit draco de
ore ſuo. Et iratus eſt draco in mulierem: & abijt facere prælium cum reliquis de ſemine eius, qui cuſtodiunt
mandata Dei, & habent teſtimonium IESV CHRISTI. Et ſtetit ſupra arenam maris.

CAPVT XIII.

A ET vidi de mari beſtiam aſcendentẽ habentem capita ſeptem, & cornua decem, & ſuper cornua eius, de-
cem diademata, & ſuper capita eius nomina blaſphemiæ. Et beſtia quam vidi, ſimilis erat pardo, & pe-
des eius ſicut pedes vrſi, & os eius ſicut os leonis. Et dedit illi draco virtutẽ ſuam & ſedem ſuã & poteſta
tem magnã. Et vidi vnum de capitibus ſuis, quaſi occiſum in mortẽ: & plaga mortis eius curata eſt. Et admi-
rata eſt vniuerſa terra poſt beſtiam. Et adorauerunt draconẽ, qui dedit poteſtatem beſtiæ, & adorauerunt be-
ſtiam: dicentes: Quis ſimilis beſtiæ? & quis poterit pugnare cũ ea? Et datũ eſt ei os loquẽs magna & blaſphe-
B mias: & data eſt ei poteſtas faciendi menſes quadraginta duos. Et aperuit os ſuũ in blaſphemias ad Deũ, bla-
ſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant. Et eſt datũ illi bellũ facere cũ ſan-
ctis: & vincere eos. Et data eſt illi poteſtas in omnẽ tribum, & populum, & linguam, & gentem: & adorabunt
eam omnes, qui inhabitant terrã, quorum non ſunt ſcripta nomina in libro vitæ agni, qui occiſus eſt ab ori
gine mundi. Siquis habet aurẽ, audiat. Qui in captiuitatẽ duxerit, in captiuitatẽ vadet: qui in gladio occide- Genc.9.a
rit, oportet eum gladio occidi. Hic eſt patientia & fides ſanctorum. Et vidi aliam beſtiã aſcendẽtem de terra: Matt.26.b
C & habebat cornua duo ſimilia agni, & loquebatur ſicut draco. Et poteſtatem prioris beſtiæ omnem faciebat
in conſpectu eius: & fecit terram & habitantes in ea, adorare beſtiam primam, cuius curata eſt plaga mortis.
Et fecit ſigna magna, vt etiam ignem faceret de cœlo deſcendere in terram in cõſpectu hominum, & ſeduxit
habitantes in terra propter ſigna, quæ data ſunt illi facere in conſpectu beſtiæ, dicens habitãtibus in terra, vt
faciant imaginem beſtiæ, quæ habet plagam gladij, & vixit. Et datũ eſt illi, vt daret ſpiritum imagini beſtiæ,
& vt loquatur imago beſtiæ: & faciet vt quicunque non adorauerint imaginem beſtiæ, occidantur. Et faciet
D omnes puſillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & ſeruos habere characterem in dextera manu
ſua, aut in frontibus ſuis: & nequis poſſit emere, aut vendere, niſi qui habeat characterem, aut nomen beſtiæ,
aut numerum nominis eius. Hic ſapientia eſt. Qui habet intellectum, computet numerum beſtiæ, Numerus
enim hominis eſt: & numerus eius ſexcenti ſexaginta ſex.

CAPVT XIIII.

A ET vidi, & ecce agnus ſtabat ſupra montẽ Sion & cũ eo centũ quadraginta quatuor millia habentia no-
men patris eius ſcriptũ in frõtibus ſuis. Et audiui vocẽ de cœlo, tanq̃ vocem aquarum multarũ, & tanq̃
vocẽ tonitrui magni: & vocem quã audiui, ſicut citharœdorũ citharizantiũ in citharis ſuis. Et cãtabãt
quaſi canticum nouũ ante ſedẽ & ante quatuor animalia, & ſeniores & nemo poterat diſcere cãticũ, niſi illa
centũ quadraginta quatuor millia, qui empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cũ mulieribus non ſunt coinquinati
virgines enim ſunt. Hi ſequũtur agnũ quocũq; ierit. Hi empti ſunt ex hoĩbus primitiæ Deo & agno: & ĩ ore
B eorũ non eſt inuẽtus dolus. Sine macula enim ſunt ante thronũ Dei. Et vidi alterũ angelum volantẽ per me-
dium cœli, habentem euangelium ęternum, vt euangelizaret ſedentibus ſuper terrã, & ſuper omnem gentẽ,
& tribum,

psal.145.a & tribum,& linguam,& populum,dicentem magna voce, Timete Dominum, & date illi honorem, quia
Act.14.c venit hora iudicij eius:& adorate eum,qui fecit cœlum & terram,mare & fontes aquarum. Et alius angelus
Esa.21.c sequtus est dicẽs,Cecidit cecidit Babylon ciuitas illa magna:quæ à vino iræ fornicationis suæ potauit omnes
Hiere.51.a gentes.Et tertius angelus secutus est illos,dicens voce magna,Siquis adorauerit bestiam & imaginem eius,&
acceperit characterem in fronte sua,aut in manu sua:& hic bibet de vino iræ Dei, quod mistum est mero in
calice iræ ipsius:& cruciabitur igne & sulfure in conspectu angelorum sanctorum, & ante cõspectum agni, C
& fumus tormentorum eorum ascendet in sæcula sæculorum:nec habent requiem die ac nocte: qui adora-
uerunt bestiam & imaginem eius,& siquis acceperit characterem nominis eius.Hic patiẽtia sanctorum est,
hic qui custodiunt mandata Dei & fidem IESV. Et audiui vocem de cœlo dicentem mihi. Scribe. Beati
mortui,qui in Domino moriuntur amodo,etiam dicit spiritus,vt requiescant à laboribus suis, opera enim
illorum sequuntur illos.Et vidi,& ecce nubem candidam:& super nubem sedentem similem filio hominis,
Mat.13.c habentem in capite suo coronam auream,& in manu sua falcem acutam. Et alius angelus exiuit de templo
Ioel.3.c clamans voce magna ad sedentem super nubem.Mitte falcem tuã & mete,quia venit hora,vt metatur, quo- D
niam aruit messis terræ.Et misit qui sedebat super nubem,falcem suam in terram & demessuit eam.Et alius
angelus exiuit de templo,quod est in cœlo:habẽs & ipse falcem acutam.Et alius angelus exiuit de altari, qui
habebat potestatem supra ignem:& clamauit voce magna ad eum,qui habebat falcem acutam,dicẽs, Mitte
falcem tuam acutam,& vindemia botros terræ,quoniam maturæ sunt vuæ eius. Et misit angelus falcem suã
acutam in terram & vindemiauit vineam terræ,& misit in lacum iræ Dei magnum:& calatus est lacus extra
ciuitatem,& exiuit sanguis de lacu vsq; ad frenos equorum per stadia mille sexcenta.

CAPVT XV.

ET vidi aliud signũ in cœlo magnum & mirabile:angelos septẽ habẽtes plagas septẽ nouissimas, qm̃ in A
illis consummata est ira Dei.Et vidi tanquã mare vitreum mixtũ igne, & eos, qui vicerunt bestiam &
imaginẽ eius & numerum nominis eius stantes super mare vitreum, habẽtes citharas Dei, & cantãtes
canticum Moysi serui Dei:& canticũ agni,dicẽtes,Magna & mirabilia sunt opera tua Domine Deus omni- B
Hier.10.a potens:iustæ & veræ sunt viæ tuæ rex sanctorum.Quis non timebit te Domine,& magnificabit nomen tuũ?
quia solus pius es,quoniam omnes gentes venient & adorabunt in conspectu tuo, quoniam iudicia tua ma-
nifesta sunt.Et post hæc vidi,& ecce apertum est templum tabernaculi testimonij in cœlo:& exierũt septem C
angeli,habentes septem plagas, de templo : vestiti lino mundo & candido , & præcincti circa pectora zonis
aureis.Et vnum de quatuor animalibus,dedit septem angelis,septem phialas aureas plenas iracundię Dei vi-
uentis in sæcula sæculorum.Et impletum est templum Dei fumo à maiestate Dei,& de virtute eius:& nemo D
poterat introire in templum , donec consummarentur septem plagæ septem angelorum.

CAPVT XVI.

ET audiui vocem magnam de templo,dicentẽm septem angelis,Ite,& effundite septem phialas iræ Dei A
in terram.Et abijt primus angelus , & effudit phialam suam in terram : & factum est vulnus sæuum &
pessimum in homines,qui habebant characterem bestię,& in eos,qui adorauerunt imaginem eius.Et
secundus angelus effudit phialam suã in mare,& factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima viuens
mortua est in mari.Et tertius effudit phialam suam super flumina & super fontes aquarum, & factus est san-
guis.Et audiui angelum dicentẽ,Iustus es Dñe,qui es,& qui eras,& sanctus,qui hoc iudicasti : quia sanguinẽ
sanctorum & prophetarum effuderunt,& sanguinem eis dedisti bibere : digni enim sunt. Et audiui alterum B
dicentem,Etiã Domine Deus omnipotẽs,vera & iusta iudicia tua. Et quartus angelus effudit phialam suam
in solem,& datum est illi æstu affligere homines & igni,& æstuauerũt homines æstu magno , & blasphema-
uerunt nomen Dei habentis potestatem super has plagas,neq; egerunt pœnitentiam, vt darent illi gloriam.
Et quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ:& factum est regnum eius tenebrosum , & cõ-
manducauerunt linguas suas præ dolore,& blasphemauerunt Deũ cœli præ doloribus & vulneribus suis , &
non egerunt pœnitentiã ex operibus suis. Et sextus angelus effudit phialam suam in flumen illud magnum C
Euphraten:& siccauit aquam eius,vt prepararetur via regibus ab ortu solis.Et vidi de ore draconis,& de ore
bestię,& de ore pseudoprophetæ exire spiritus tres immundos in modũ ranarum.Sunt enim spiritus dæmo-
niorum facientes signa,& procedũt ad reges totius terræ congregare illos in prælium ad diem magnũ omni
Sup.3.a potentis Dei.Ecce venio sicut fur.Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua,ne nudus ambulet,& videant
Mat.24.d turpitudinem eius.Et congregabit illos in locum,qui vocatur Hebraicæ Armaggedon.Et septimus angelus
Luc.12.e effudit phialam suam in aerem:& exiuit vox magna de templo à throno.dicẽs,Factum est. Et facta sunt ful- D
1.Cor.5.a gura,& voces,& tonitrua,& terræmotus factus est magnus qualis nũquam fuit,ex quo homines fuerunt su-
per terram talis terræmotus sic magnus.Et facta est ciuitas magna in tres partes:& ciuitates gentium ceciderunt.Et Babylon magna venit in memoriam ante Deum:dare illi calicẽ vini indignationis iræ eius. Et omnis insula fugit, & montes non sunt inuenti.Et grando magna sicut talentum,descẽdit de cœlo in homines:
& blasphemauerunt Deum homines propter plagam grandinis,quoniam magna facta est vehementer.

CAPVT XVII.

ET venit vnus de septem angelis,qui habebant septem phialas,& locutus est mecũ,dicens:Veni, & ostẽ- A
dam tibi damnationem meretricis magnę,quę sedet super aquas multas,cum qua fornicati sunt reges
terræ,& inebriati sunt,qui inhabitabant terram, de vino prostitutionis eius. Et abstulit me in spiritu
in desertũ.Et vidi mulierem sedentem super bestiã coccinam,plenam nominibus blasphemię,habentẽ capi
ta septem & cornua decem.Et mulier erat circundata purpura & coccino,& inaurata auro & lapide pretio-
so,& margaritis,habens poculum aureum in manu sua , plenũ abominatione & immunditia fornicationis
suæ.

B suæ.Et in frõte eius nomen scriptũ,mysterium:Babylon magna, mater fornicationũ & abominationũ ter-
ræ.Et vidi mulierẽ ebriã de sanguine sanctorũ , & de sanguine martyrũ IESV. Et miratus sum cũ videre
illã,admiratione magna.Et dixit mihi angelus:Quare miraris? Ego dicã tibi sacramentũ mulieris,& bestię,
quę portat eã,quę habet capita septẽ & cornua decẽ.Bestia quã vidisti,fuit,& nõ est,& ascẽsura est de abysso,
& in interitũ ibit:& mirabũtur inhabitãtes terrã (quorum nõ sunt scripta nomina in libro vitæ à constitu-
C tione mũdi) videntes bestiã,quę erat & non est.Et hic est sensus,qui habet sapientiam,septem capita:septem
montes sunt,super quos mulier sedet,& reges septẽ sunt.Quinq; ceciderunt,vnus est,et alius nondum venit,
& cum venerit,oportet illum breue tempus manere.Et bestia quæ erat & nõ est,& ipsa octaua est,& de septẽ
est,& in interitum vadit.Et decẽ cornua quæ vidisti:decem reges sunt , qui regnum nondũ acceperunt, sed
D potestatem tanquam reges vna hora accipient post bestiam.Hi vnũ consilium habent:& virtutem, & pote-
statem suam bestiæ tradent.Hi cum agno pugnabunt:& agnus vincet illos , quoniã Dominus dominorum
est,& rex regum,& qui cum illo sunt vocati,& electi & fideles.Et dixit mihi:Aquæ quas vidisti vbi meretrix 1.Tim.6.a
sedet:populi sunt,& turbæ & gentes,& linguæ.Et decẽ cornua,quę vidisti in bestia:hi odio habebũt fornica- Infra.19.c
riã,& desolatã facient illam & nudã:& carnes eius mãducabũt,& ipsam igni cõcremabũt. Deus enim dedit
in corda eorum,vt faciant quod placitum est illi,vt vnam faciant voluntatẽ,vt dent regnũ suum bestiæ, do-
nec consumentur verba Dei.Et mulier quã vidisti:est ciuitas magna:quæ habet regnum super reges terrę.

CAPVT XVIII.

A ET post hæc vidi aliũ angelũ descendentẽ de cœlo,habentẽ potestatem magnã , & terra illuminata est à Esaia.21.c
gloria eius.Et exclamauit in fortitudine voce magna dicẽs, Cecidit cecidit Babylon magna:& facta est Hier.51.a
habitatio dęmoniorũ,& custodia omnis spiritus immũdi, & custodia omnis volucris immũdæ & odi-
bilis:quia de vino irę fornicationis eius biberũt omnes gentes:& reges terrę cũ illa fornicati sunt : & merca-
B tores terræ de virtute deliciarũ eius,diuites facti sunt. Et audiui aliã vocem de cœlo,dicentẽ, Exite de illa po-
pulus meus:ne participes sitis delictorũ eius & de plagis eius nõ accipiatis. Qm̃ peruenerũt peccata eius vsq;
ad cœlũ,& recordatus est Dñs iniquitatum eius.Reddite illi sicut & ipsa reddidit vobis:& duplicate duplicia
secundum opera eius. In poculo quo miscuit vobis miscete illi duplũ.Quantum glorificauit se,& in delitijs
fuit:tantũ date illi tormentum & luctũ:quia in corde suo dicit,Sedeo regina : & vidua nõ sum,& luctum nõ Esa.47.b
C videbo.Ideo in vna die veniẽt plagę eius,mors,et luctus,& fames,& igne cõburetur:quia fortis est Dominus
Deus,qui iudicabit illã.Et flebunt & plãgent se super illã reges terrę, qui cũ illa fornicati sunt, & in deliciis
vixerunt,cũ viderint fumũ incendij eius:ilõge stantes propter timorẽ tormentorũ eius dicentes: Væ væ ciui-
tas illa magna Babylon,ciuitas illa fortis:qm̃ vna hora venit iudicium tuũ.Et negociatores terræ flebunt , &
D lugebunt super illam:qm̃ merces eorũ nemo emet amplius,merces auri & argẽti & lapidis pretiosi , & mar-
garitæ,& byssi,& purpuræ,& cocci,& omne lignum thyinum, & omnia vasa eboris,& omnia vasa de ligno
pretiosissimo & æramẽto,& ferro,& marmore:& cinnamomũ,& odoramentũ,& vnguentum,& thus,& vi-
num,& oleũ,& similam,& triticũ,& iumenta,& oues,equorũ,& rhedarum,& mancipiorũ, & animas homi-
num.Et poma desiderij animæ tuæ discesserunt à te:& omnia pinguia,& præclara perierunt à te, & amplius
E illa iã non inuenies Mercatores horũ,qui diuites facti sunt:ab ea lõge stabunt : propter timorem tormento-
rum eius flentes,ac lugẽtes,& dicentes. Væ vę ciuitas illa magna,quę amicta erat byssõ,& purpura,& cocco,
& deaurata erat auro, & lapide pretioso, & margaritis:quoniam vna hora destitutæ sunt tãtæ diuitiæ:& om-
nis gubernator,& omnes qui in nauibus versantur,& nautæ,& qui in mari operãtur,longe steterunt,& cla-
mauerunt videntes fumũ incendij eius,dicentes,Quę similis ciuitati huic magnę?Et miserunt puluerẽ super
F capita sua:& clamauerunt flentes,& lugentes,dicẽtes. Væ væ ciuitas illa magna,in qua diuites facti sunt om-
nes qui habebant naues in mari de pretijs eius:quoniã vna hora desolata est.Exulta super eam cœlum & san-
cti apostoli & prophetæ:quoniam iudicauit Deus iudicium vestrũ de illa. Et sustulit vnus angelus fortis la-
pidem quasi molarem magnũ,& misit in mare,dicens,Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna:&
G vltra iam nõ inuenietur. Et vox citharœdorũ & musicorum & tibia canentium & tuba , non audietur in te
amplius : & omnis artifex omnis artis nõ inuenietur in te amplius:& vox molæ non audietur in te amplius:
& lux lucernæ non lucebit in te amplius,& vox sponsi & sponsæ non audietur adhuc in te : quia mercatores
tui erant principes terræ : quia in veneficijs tuis errauerunt omnes gentes. Et in ea sanguis prophetarum &
sanctorum inuentus est:& omnium,qui interfecti sunt in terra.

CAPVT XIX.

A POst hæc audiui quasi vocem tubæ multæ in cœlo dicentis , Alleluia.Salus & gloria , & honor & virtus
Dño Deo nostro est:quia vera & iusta iudicia sunt eius,qui iudicauit de meretrice magna , quæ corru-
pit terram in prostitutione sua,& vindicauit sanguinẽ seruorũ suorum de manibus eius. Et iterũ dixe-
rũt Alleluia.Et fumus eius ascẽdit in sæcula sęculorũ.Et ceciderũt seniores viginti quatuor,& quatuor aĩalia,
E & adorauerunt Deũ sedentẽ sup thronũ,dicẽtes,Amen,alleluia.Et vox de throno exiuit dicens,Laudẽ dicite
Deo nostro omnes sancti eius, & qui timetis eum pusilli & magni.Et audiui vocem turbæ multæ,& vocem
B aquarum multarum & sicut vocẽ tonitruorum magnorũ,dicẽtium : Alleluia:qm̃ regnauit Dñs Deus noster
omnipotens.Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei:quia venerunt nuptiæ agni,& vxor eius præpa-
rauit se.Et datum est illi, vt cooperiat se byssino splendenti:& candido. Byssinum enim iustificationes sunt
sanctorũ.Et dixit mihi:Scribe:Beati qui ad cœnam nuptiarũ agni vocati sunt.Et dicit mihi : Hæc verba Dei Mat.22.a
vera sunt.Et cecidi ante pedes eius,vt adorarem eum,& dicit mihi:Vide ne feceris,conseruus tuus sum, & fra Luc.14.d
C trum tuorum habentium testimonium IESV. Deum adora.Testimoniũ enim IESV, est spiritus pro-
phetiæ.Et vidi cœlũ apertum,& ecce equus albus,& qui sedebat super eũ vocabatur Fidelis & verax, & cum
iustitia

iuſtitia iudicat & pugnat. Oculi autem eius ſicut flamma ignis: & in capite eius diademata multa, habens no C
Eſa. 63.a men ſcriptum, quod nemo nouit niſi ipſe. Et veſtitus erat veſte aſperſa ſanguine: & vocabatur nomen eius:
Verbum Dei. Et exercitus qui ſunt in cœlo, ſequebantur eum in equis albis, veſtiti byſſino albo & mundo.
pſal. 2.c Et de ore eius procedit gladius ex vtraq; parte acutus, vt in ipſo percutiat gẽtes. Et ipſe reget eas in virga ferrea: & ipſe calcat torcular vini furoris iræ Dei omnipotẽtis. Et habet in veſtimento & in femore ſuo nomen
Supra 17.d ſcriptum, Rex regum & Dominus dominantium. Et vidi vnum angelum ſtantem in ſole, & clamauit voce
1. Tim.6.c magna dicens omnibus auibus quæ volabant per medium cœli: Venite & congregamini ad cœnã magnam D
Dei: vt manducetis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & ſedẽtium
in ipſis, & carnes omnium liberorum & ſeruorum, & puſillorũ & magnorum. Et vidi beſtiam & reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendũ prælium cum illo, qui ſedebat in equo & cum exercitu eius.
Et apprehenſa eſt beſtia, & cum ea pſeudopropheta: qui fecit ſigna coram ipſo, quibus ſeduxit eos, qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginem eius. Viui miſſi ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardentis ſulfure: & cæteri occiſi ſunt in gladio ſedentis ſuper equum, qui procedit de ore ipſius: & omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.

CAPVT XX.

ET vidi angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi, & catenam magnam in manu ſua. A
Et apprehendit draconem ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus & ſatanas, & ligauit eum per annos
mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit, & ſignauit ſuper illum, vt non ſeducat amplius gentes, donec
conſumentur mille anni, & poſt hoc oportet illum ſolui modico tempore. Et vidi ſedes: & ſederũt ſuper eas.
& iudicium datum eſt illis, & animas decollatorũ propter teſtimonium IESV, & propter verbum Dei:
& qui non adorauerunt beſtiam, neq; imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in B
manibus ſuis, & vixerunt & regnauerunt cum CHRISTO mille annis. Cæteri mortuorum non vixerũt,
donec conſumẽtur mille anni. Hæc eſt reſurrectio prima. Beatus et ſanctus, qui habet partem in reſurrectione prima: in his ſecunda mors non habet poteſtatem: ſed erũt ſacerdotes Dei & CHRISTI: & regnabunt
Ezech. 3.c cum illo mille annis. Et cum conſummati fuerint mille anni, ſoluetur ſatanas de carcere ſuo, & exibit & ſe-
& 39.a ducet gentes, quæ ſunt ſuper quatuor angulos terræ, Gog & Magog, vt cõgreget eos in prælium, quorum nu C
merus eſt ſicut arena maris. Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, & circumierunt caſtra ſanctorum & ciuitatem dilectam. Et deſcẽdit ignis à Deo de cœlo, & deuorauit eos: & diabolus, qui ſeducebat eos, miſſus eſt
in ſtagnum ignis & ſulfuris, vbi & beſtia & pſeudopropheta cruciabuntur die ac nocte in ſecula ſeculorum.
Et vidi thronum magnum candidum & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit terra & cœlum, & locus non eſt inuentus eis. Et vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu Dei, & libri aperti ſunt, & D
alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ: & iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera
ipſorum, & dedit mare mortuos, qui in eo erãt, & mors & infernus dederũt mortuos ſuos, qui in ipſis erant,
& iudicatum eſt de ſingulis ſecũdum opera ipſorum. Et infernus & mors miſſi ſunt in ſtagnum ignis. Hæc
eſt mors ſecunda. Et qui non inuentus eſt in libro vitæ ſcriptus, miſſus eſt in ſtagnum ignis.

CAPVT XXI.

ET vidi cœlum nouum & terram nouam. Primum enim cœlum, & prima terra abijt, & mare iam non A
eſt. Et ego Ioannes vidi ſanctam ciuitatem Ieruſalem nouam, deſcendentem de cœlo, à Deo paratam,
ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: Ecce tabernaculum
Eſa. 25.c Dei cum hominibus: & habitabit cum eis: & ipſi populi eius erunt, & ipſe Deus cum eis erit eorum Deus, &
abſterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum: & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neque
Eſa. 43.c dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno. Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi: B
2. Cor. 5.d Scribe, quia hæc verba fidelia ſunt & vera. Et dixit mihi: Factũ eſt. Ego ſum α & ω: initiũ & finis. Ego ſitienti
dabo de fonte aquæ viuæ gratis. Qui vicerit, poſſidebit omnia, & ero illi Deus: & ille erit mihi filius. Timidis
autem & incredulis, & execratis, & homicidis, & fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mẽdacibus, pars illorum erit in ſtagno ardenti igne & ſulfure, quod eſt mors ſecunda. Et venit vnus de ſeptem C
angelis habentibus phialas plenas ſeptem plagis nouiſſimis, & locutus eſt mecum, dicens: Veni, & oſtendam tibi ſponſam, vxorem agni. Et ſuſtulit me in ſpiritu in montem magnum & altum: & oſtendit mihi
ciuitatem magnam ſanctam Ieruſalem, deſcendentem de cœlo à Deo, habentem claritatem Dei: & lumen
eius ſimile lapidi precioſiſsimo tanquam lapidi iaſpidis cryſtallizanti. Et habebat murum magnum, & altũ, D
habentem portas duodecim, & in portis angelos duodecim, & nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duodecim tribuum filiorum Iſrael. Ab oriente, portæ tres: & ab aquilone, portæ tres: & ab auſtro, portæ tres: & ab
occaſu, portæ tres. Et murus ciuitatis habens fundamẽta duodecim: & in ipſis duodecim, nomina duodecim
apoſtolorum agni. Et qui loquebatur mecum, habebat menſuram arundineam auream, vt metiretur ciuitatem & portas eius, & murum. Et ciuitas in quadro poſita eſt, & longitudo eius tanta eſt, quanta & latitudo: & E
menſus eſt ciuitatem de arũdine aurea per ſtadia duodecim millia, & longitudo & altitudo & latitudo eius
æqualia ſunt. Et menſus eſt murum eius centum quadraginta quatuor cubitorum, menſura hominis, quæ eſt
angeli. Et erat ſtructura muri eius ex lapide iaſpide: ipſa vero ciuitas aurum mundum, ſimilis vitro mundo.
Et fundamenta muri ciuitatis, omni lapide precioſo ornata. Fundamentum primum, iaſpis: ſecundum, ſa- F
phirus: tertium, calcedonius: quartum, ſmaragdus: quintum, ſardonyx: ſextum, ſardius: ſeptimum, chryſolitus: octauum, berillus, nonum, topazius: decimum, chryſopraſus: vndecimum, hyacinthus: duodecimum,
amethyſtus. Et duodecim portæ, duodecim margaritæ ſunt per ſingulas: & ſingulæ portæ, erant ex ſingulis margaritis: & platea ciuitatis aurum mundum, tanquam vitrum perlucidum. Et templum nõ vidi in ea.
Dominus

G Dominus enim Deus omnipotens templum illius eſt, & agnus. Et ciuitas non eget ſole, neq; luna, vt luceant Eſa. 60.d
in ea: nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius eſt agnus. Et ambulabunt gentes, quæ ſaluatæ fuerunt, in lumine eius: & reges terræ afferent gloriam ſuam in illam. Et portæ eius non claudentur per diem: Eſa. 60.c
nox enim non erit illic. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens & mendacium: niſi qui ſcripti ſunt in libro vitæ agni.

CAPVT XXII.

A ET oſtendit mihi purum fluuium aquæ viuæ, ſplendidum tanquam criſtallum, procedentem de ſede Eſa. 60.d
Dei & agni. In medio plateæ eius, & ex vtraque parte fluminis lignum vitæ, afferẽs fructus duodecim,
per menſes ſingulos reddens fructum ſuum, & folia ligni ad ſanitatem gentium. Et omne maledictũ
non erit amplius: ſed ſedes Dei & agni in illa erunt, & ſerui eius ſeruient illi. Et videbunt faciem eius: & nomen eius in frontibus eorum. Et nox vltra non erit: & non egent lumine lucernæ, neque lumine ſolis, quoniam Dominus Deus illuminat illos, & regnabunt in ſecula ſeculorũ. Et dixit mihi, Hæc verba fidelia ſunt,
B & vera. Et Dominus Deus ſanctorum prophetarum miſit angelum ſuum oſtendere ſeruis ſuis, quæ oportet
fieri cito. Et ecce venio velociter. Beatus, qui cuſtodit verba prophetiæ libri huius. Et ego Ioannes qui audiui,
& vidi hæc. Et poſt quam audiſſem & vidiſſem, cecidi vt adorarem ante pedes angeli, qui mihi hæc oſtendebat: & dixit mihi: Vide ne feceris, conſeruus enim tuus ſum, & fratrum tuorum prophetarum: & eorum, qui
ſeruant verba prophetiæ libri huius. Deum adora. Et dicit mihi: Ne ſignaueris verba prophetiæ libri huius:
tempus enim prope eſt. Qui nocet, noceat adhuc: & qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſti-
C ficetur adhuc, & ſanctus, ſanctificetur adhuc. Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere vnicuique Eſa. 41.b
ſecundum opera ſua. Ego ſum α & ω, primus & nouiſſimus, principium & finis. Beati qui ſeruant mandata & 44.a
eius: vt ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent in ciuitate. Foris autem canes & venefici, & impudici, & homicidæ, & idõlis ſeruientes, & omnis qui amat & facit mendacium. Ego IESVS miſi angelũ
meum, teſtificari vobis hæc in eccleſijs. Ego ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplendida & matutina. Et ſpiri- Eſa. 65.a
tus & ſponſa dicunt, Veni. Et qui audit, dicat, Veni. Et qui ſitit: veniat: & qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.
D Conteſtor enim omni audienti verba prophetiæ libri huius, Siquis apposuerit ad hæc: apponet Deus ſuper
illum plagas ſcriptas in libro iſto. Et ſiquis diminuerit de verbis libri prophetiæ huius: auferet Deus partem
eius de libro vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto: dicit qui teſtimonium perhibet iſtorum. Etiam venio cito. Amen. Etiam veni Domine IESV. Gratia Domini noſtri IESV
CHRISTI cum omnibus vobis. AMEN.

Explicit Sacroſanctum Bibliorum volumen, cum doctiſsimis Scholijs ISIDORI CLARII
Epiſcopi Fulginatenſis, nunc ſecundo ab eo reuiſum & emendatum,
& Scholijs quamplurimis auctum.

Venetijs impreſſum, in officina heredum Lucæ Antonij Iuntæ.
Anno Domini. M D LVII. Menſe Iulio.







esta conforme al catalogo

+

En Granada a veynte y cinco de setienbre de mill
y quinientos y ochenta y cinco años los señores Inq.res
abiendo visto que esta bibia esta ex
purgada y conforme a la Regla quinta
de las Generales del cathalogo se le an
quitado los prologos y prologomenos
mandaron se bullera a la p.a q. la ex
sibio con esta modificacion q. no use
del testo como de testo sagrado y auten
tico y lo firmaron

El doctor Messia de la Marte

El doctor Salhedo

Por mandado de los ss. Inq.res

Gonçalo Guerrero s.o